

COMMENTARIA IN OMNES DIVI PAVLI EPISTOLAS.

Auctore
R.P. CORNELIO CORNELI A LAPIDE,
è Societate IESV,
Olim in Louaniensi, nunc in Romano Collegio Sacrarum Litterarum Professore.

Vltima editio, aucta et recognita.

Cum Priuilegio Cæsareo, et Regis Hispaniarum.

ANTVERPIÆ,
Apud MARTINVM NVTIVM
ANNO M.DC.XXVII.









ILLVSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
DOMINO
D. MATTHIAE HOVIO
ARCHIEPISCOPO
MECHLINIENSI.

SAnctvs Ambrosius exemplar & speculum Pastorum & Pontificum, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, Sacerdotibus & Præsulibus adeò impensè commendare solebat studium S. Script. vt eam vocaret *librum sacerdotalem*. qua in re secutus est magnum illum & cælestem Dionysium, qui S. Pauli discipulus, & admirator (Paulum enim ipse virum diuinum & secundum solem vocat, & suspicit) asseuerat *S. Scripturam esse substantiam sacerdotij nostri.*

S. Ambros. lib. 3. de fide cap. 7.

S. Dion. de diuin. nom. cap. 7.

Eccles. hierarch. cap. 1.

Atque ne plus dixisse quàm fecisse videretur Ambrosius, huiusce rei seipsum exemplum præbuit: illius enim continuus & indefessus labor in S. Scriptura tum legenda & perscrutanda, tum voce & scripto explananda liquidò patet, partim ex commentarijs, & tractatibus, quos in illam multos & luculentos edidit; partim ex sermonibus & concionibus, quibus quasi strenuus Ecclesiæ Pastor populum suum assiduè verbo Dei pauit & instruxit: quarum quanta fuerit vis & energia, vel exeo conijcere licet, quòd ijsdem S. Augustinum, iam tum Manichæum, & in hæresi sua æquè doctum ac pertinacem ad sanam fidem conuerterit, Ecclesiæque Catholicæ (quale lumen!) restituerit, imò dederit.

Quinimò huic S. Script. studio non tantùm vigens valensque iugiter insudauit, sed & senescens eidem continuè incumbere, adeoque immori voluit S. Ambrosius: nam vsque ad vltimam ægritudinem suam, ait Paulinus, non cessauit vmquam scribere, commẽtari, & exponere sacras Litteras; ac denique commentationi psalmi 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, immortuus est: vnde & commentarium in eum inabsolutum reliquit, duobus vltimis eius versibus intactis. quo tempore sphæra ignea cælitus demissa caput eius cingens & allambens, euidens signum & testimonium dedit, hosce eius commentarios à Deo & Spiritu sancto non tantùm probari,

Paulinus in vita S. Ambrosii.

sed & ab eodem aspiratos & suggestos fuisse; perinde ac aliàs eidem S. Ambrosio contra Arrianos disputanti & decertanti S. Paulus corporea specie noctu apparens tam eum, quàm eius dicta & scripta confirmauit & roborauit.

Testis est ipse Ambr. apud Damasc. orat. 2. pro imaginibus.

S. Ambrosium secutus est per omnia hoc sæculo B. Carolus Borromæus, nouus Mediolanensium Ambrosius, qui S. Script. suis Clericis & Pastoribus tam verbo, quàm exemplo studiosè commendauit. Solebat enim ipse eam assiduè & voluere, & populo explanare, idque tanto studio, deuotione & reuerentia, vt vltimis vitæ suæ annis S. Scripturam, quasi ipsissimas Dei ad homines litteras, non nisi nudo capite, & flexis genibus venerabundus lectitaret.

Fuit B. Borromæus Mediolanensium, tu ILLVST. DOMINE, noster Belgarum es Ambrosius, ac proinde instar Ambrosij & ipse S. Script. mirè delectaris, & eandem tuis impensè cõmendans. Hausit è S. Script. atque in primis è S. Paulo Ambrosius doctrinam sanam, vitæ innocentiam, comitate mixtam morum grauitatem, spiritum Episcopalem, imò Apostolicum. hausisti pariter & tu, ac vita tua ita exprimis illud S. Pauli ad Titum: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*; vt omnes hoc Paulinum Archiepiscopi schema in moribus tuis, quasi in viua idea descriptum & depictum non tam legere, quàm videre & cominus intueri sibi videantur.

Fuit S. Ambrosius hęresomastyx, atque Arrianos vndique persecutus est, & profligauit: flagellum hæreticorum similiter es ILLVST. DOMINE, adeò vt in tota Flandria nullæ vrbes magis intactæ sint ab hæresi, quàm tua Mechlinia, Louanium, & Bruxella: quod eo mirabilius & illustrius est, quo magis hîc vndique hæreticis cingimur, & penè commiscemur. Facit hoc tua strenua vigilantia & auctoritas, quam ipsi etiam hæretici ita suspiciunt, timent & reuerentur, vt in hisce cum Hollandis inducijs in tua diœcesi non dico nidulari, sed vel hæreses suas profiteri & palàm facere non audeant. Vidimus in hoc genere nuper nouum illum dogmatisten P. non Paulum secretò suos errores magno multorum fauore, pariter & periculo spargentem, àte detegi, reuinci, suaque dogmata eiurare, itaque grande incendium, quod Brabantis imminebat, in ipso fomite restinxisti.

In S. Ambrosio enituit inuicta animi magnitudo, libertas & constantia, qua & Iustinæ Imper. Arrianæ audaciam, & Maximi Eugenijque tyrannidem repressit, nec minas, nec mortem veritus; quin & Calligono Imp. eunucho cædem minitanti placido & hilari vultu respondit: *Deus permittat tibi vt impleas quod minaris: ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod spadonis.* Theodosium verò Imper. peccantem quàm liberè & redarguit, & in ordinem redegit! cui proinde Theodosius apud Nectarium Patriarcham Constant. illud elogium dedit:

S Ambros. epist. ad Marcellinã sororem.

dedit: *Solum Ambrosium noui Episcopum dignum eo nomine: hic veritatis magister est, qui me docuit quid inter Imperatorem & Episcopum interest.*

Integritatem & constantiam tuam ILLVSTRISS. DOMINE, norunt & experti sunt summi iuxtà ac infimi, ciusque opinionem & famam apud omnes ita certam, itaque ex tot annorum vsu & experientia quasi præscriptione firmatam vendicas & obtines, vt citiùs vitam quàm constantiam, ILLVSTRISSIMAM R. T. dimissuram cuncti existiment; quo fit vt nemo, etiamsi potentissimus sit, ab ea petere aliquid audeat, quod vel in minimo æquitatis, aut disciplinæ Ecclesiasticæ cancellos, non dico transgredi, sed vel prætergredi videatur. qua in re dictitant illud, quod de Chrysostomo olim celebratum est: Archiepiscopus Mechlinienſis nil nisi peccatum timet. nimirum cum Timotheo & S. Paulo didicisti illud: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis.*

S. Ambrosius Mediolanensem Rempub. & Ecclesiam prauis moribus & vitijs infectam & corruptam expurgauit, pristinæque integritati & splendori restituit, atque aliud quasi Mediolanum, perinde ac B. Borromæus nuper, nobis exhibuit. ILLVST. R. T. hanc nostram Mechlinienſem diœcesim paucis abhinc annis tam ex hæreticorum, quàm ex bellorum & hostium incursu siluescentem, desertam, & pænè depositam, adeò vt rure & in pagis non tam Christiani, quàm Indi & Barbari (vtpote qui multis annis nec sacra, nec sacerdotes viderant) habitare viderentur, ita reformauit & reparauit, vt hîc impletum videatur illud Isaiæ: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Et, *Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum, dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ, vt videant, & sciant, & recogitent, quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israel creauit illud.*

Iam quanta te duce & chorago Mechliniæ in choro est psalmodiæ & officij diuini decor, ordo, reuerentia? quis Ecclesiæ, quis rituum ornatus & dignitas? quanta sacrorum omnium religio & maiestas? verbo dicam: Ambrosiana est. qui eam intuentur, mirantur & stupent, sibique videntur spectare sacram castrorum aciem ordinatam, imò viuam imaginem cælestis hierarchiæ æquè ac harmoniæ. Non abblandior, non narro secreta, sed publica, quæ res ipsa palàm loquitur.

Denique numquam non ob oculos habes viuam S. Ambrosij effigiem, ideam inquam perfecti, omnibusque numeris absoluti Pontificis, quam S. Bernardus Eugenio Pontifici ita præscribit & ad viuum depingit: *Considera, oportere te esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem Gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium* Lib. 4. de Consider. cap. 7.

oppreſſorum, pauperum aduocatum, miſerorum ſpem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, vltorem ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, Canonum diſpenſatorem, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdotem Altiſſimi, vicarium Chriſti, Chriſtum Domini, poſtremò Deum Pharaonis.

Quapropter ſub tali Antiſtite Mechlinienſis Eccleſia hoc tempore & doctrina & diſciplina, & morum integritate ac pietate, ita compoſita inſtructaque eſt, vt non tantùm Belgicis, ſed & totius Europæ Eccleſiis, quaſi forma & exemplar proponi poſſit; quam ad rem multum adiuuit, & indies adiuuat SERENISS. Principum noſtrorum auita pietas, religio & zelus; qui tua conſilia reuerentur, & conſtanter fouent, tutantur & promouent, vt meritò ſperare debeamus in hoc Belgij quaſi deliquio, talibus Principibus & Præſulibus priſtinum religionis æquè ac Reip. vigorem, florem & decus poſtliminiò Belgio reſtitutum iri. Ita nimirum Gratianus & Valentinianus iunior Impp. quamdiu S. Ambroſij quaſi pædagogi ſui & Hierarchæ monita ſecuti ſunt, imperium piè & proſperè adminiſtrarũt, atque Italiæ regnum pacificum & felix reddiderunt. Ita Conſtantinus, Conſtans, Theodoſius, Marcianus, Carolus & alij Reges & Impp. Pontificum, quaſi parentum ſuorum, placitis & votis obſecundantes, à Deo benedicti, directi & fortunati fuerunt, atque Imperium tam Orientis quàm Occidentis, pietate & religione iuxtà ac opibus & gloria florens inclytumque præſtiterunt.

Ambroſium itaque nobis exhibes, ILLVSTRISS. DOMINE, ſtudio & doctrina, Ambroſium ſapientia & prudentia, Ambroſium comitate, integritate, grauitate, Ambroſium libertate & conſtantia, Ambroſium vigilantia, fortitudine & zelo. ideoque inſtar Ambroſij ſacras Litteras, ac præcipuè Paulinas haſce epiſtolas quaſi librum ſacerdotalem, quaſi viuum Paſtorum & Præſulum ſpeculum auidè complecteris, atque earum æquè ſtudioſus es ac doctor; indeq; Pauli mores, ſpiritum, animos & ignes imbibiſti, atque indies magis hauris & imbibis; perinde ac libros Sapientiales Salomonis, & Siracidæ aſſiduè, etiam in itineribus & hoſpitijs (inſtar magni illius Hoſij Cardinalis, qui Concilio Tridentino præfuit) teris & voluis, eorumque ſententias grauiſſimas, quæ in rebus quibuſque particularem prudentiam tam humanam, quàm diuinam docent atque præſcribunt, quaſi ad vnguem calles, atque ex earum præſcripto & dictamine actus omnes tuos moderaris & dirigis.

Cui ergo iuſtiùs hocce Paulinum opus, atque inprimis Pontificales atque Archiepiſcopales eius ad Titum & Timotheum epiſtolas dedicem, niſi ILLVST. R. T. quæ & proprius noſter Epiſcopus es, imò Archiepiſcopus, Belgijque Hierarcha, & S. Pauli gradum ac munus ſortitus, eumdem æmulari, verbiſque & moribus exprimere ſatagis,

atque

atque plures Titos & Timotheos nobis instruis, formas & creas; vti anno præcedente Vicarium tuum, virum integrum, prudentem, fortem æquè ac suauem, atque in negotijs Ecclesiasticis apprimè versatum, & longo vsu exercitatum, Reuerendissimum Gandensem (Gandensium delicias) formasti & creasti?

Accedit, quòd ego per plures annos ab ILLVST. R. T. & Reuerendissimo Gandensi, Vicario tunc tuo, statis anni festis solemnioribus Mechliniam euocatus, in Metropolitana Ecclesia tua pœnitentiarium egerim, dumque sæpiùs cum ILLVSTRISSIMA R. T. familiariter agerem, auctor & incentor huius operis mihi fuisti; amicè enim monebas & hortabaris me, vt ea, quæ in totam S. Scripturam iam per octodecim annos semel iterumque in celebri hac vrbe tua & Vniuersitate Louanienſi publicè docuissem, typis euulgarem, omnibusque Belgis, quin & alijs prouincijs communia facerem. Atque ego quidem tum detrectabam, & excusabam, dicebamque libros esse liberos: eò quòd non minor libris, hoc præsertim tam erudito sæculo, quàm liberis concipiendis, fouendis & educandis cura, labor & sollicitudo sit adhibenda. Eram enim, & etiamnum sum, silentij & quietis amantior, alteque mihi impressi illud, λάθε βιώσας: & illud S. Iob, *Dixi, In nidulo meo moriar:* & illud S. Hieronymi de S. Hilarione, *Crebrò mutabat locum, non ex leuitate, sed honorem fugiens & importunitatem. Semper enim silentium & vitam ignobilem desiderabat.* Quocirca octogesimo ætatis anno moriens fidenter dicebat: *Egredere anima mea, quid times? Septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times?* Præsertim cùm antiquæ & continuæ meæ infirmitates iugiter me admoneant breuitatis vitæ, vt disponam domui meæ, vtque animam meam virtutibus, & cælestium diuinarumque rerum tractatione expoliam, præparemque ad felicem transitum, & ad beatam æternitatem. hæc enim vna cura est, quæ Religiosum assiduè ad humanarum rerum contemptum, & ad cælestium desiderium, cælestemque vitam exstimulat & impellit, quæque me ab ipso Religionis ingressu pupugit, & assiduè Deo excitante pungit & stimulat.

Verùm cùm ad ILLVSTRISSIMÆ R. T. amicam exhortationem accessit Superiorum meorum, quibus quasi Dei in Religione hac nostra vicarijs, voto obedientiæ obstrictus sum, voluntas & imperium, iubens vt hæc ipsa ederem; acquiescendum mihi fuit, etsi res mihi debili & infirmo difficilis esset & laboriosa. malim enim vitam perdere, quàm obedientiam. Cœpi igitur inter Magdalenam & Martham horas & operas partiri, atque rem Deo duce aggredi, orsusque sum ab Epistolis S. Pauli: tum quòd illæ grauissimæ sint, vti & difficillimæ, tum quòd eas tertiò & exactè præ alijs S. Scripturæ libris docuissem; tum quòd antagonistæ Sectarij nostri Paulum assiduè crepitent, eumque à se suisque sectis stare apud imperitum vulgus clamitent; tum denique quòd Paulus, vtpote vas electionis, & Doctor Gentium, hisce

Epistolis tam Præsules & Pastores, quàm Principes, Magistratus, & Christianos quoslibet, cuiuscumque conditionis, status & gradus sint, ad sapientiam æquè ac virtutem, & perfectionem Christianam instruat & informet. Quas ob causas in hoc opere licet alijs commentatoribus sim breuior, præ meo tamen more paulò fui fusior, addidiqúe subinde ea, quæ & dogmata, & quæstiones controuersas, & morum compositionem spectant; non tamen alia, nec aliunde quàm ex re nata, & ex horto hoc nostro Paulino petita: quam ad rem hinc inde raras & selectas veterum sententias, exempla, & apophthegmata inserui, quæ proprium cuiusque tam spiritum, quàm sapientiam & prudentiam acuere & excitare, atque ad eumdem in alijs acuendum & excitandum, Pastoribus & Ecclesiastis adiumento esse possint: hæc enim Christianæ prudentiæ, spiritus & zeli fomenta crebrò suggerit & aspirat Paulus.

Porro hisce commentarijs conscribendis & limandis multis annis assiduo & ingenti labore incubui, studuiqúe quatuor rebus quàm maximè: Primò, soliditati, vt genuinam Pauli mentem explicarem: Secundò, breuitati. in studio enim sacræ Scripturæ verissimum est illud, *Ars longa, vita breuis*. ea de causa ex tot & tam vastis aliorum commentarijs quasi mellilegium feci, & relictis furfuribus pollinem dedi: mea verò pari delectu & breuitate tradidi. Citaui Patres ad verbum, quantum breuitas tulit; sed ob eam subinde illos in verbis luxuriantes restrinxi, atque sententias illorum illustriores tantùm citaui, easque etiamsi disparatas, medijs omissis, coniunxi, verbo vno, aut verbi casu ad congruam syntaxin adaptato, & commutato. Illorum enim medullam & energiam paucis tradere intendi, ideoque nonnumquam, sed rariùs, plura eorum verba satis inuoluta vno alteróue meo clariore commutaui, vt prolixitatem vitarem: sed ita, vt fideliter sensa eorum semper expresserim. Tertiò, methodo, de qua mox dicam. Quartò, claritati; σοφὸν enim τὸ σαφὲς, sapiens & eruditum est quod clarum est, non quod obscurum. Vt quid enim lingua & sermo nobis datus est, nisi vt clarè sensa mentis tum nostræ, tum alienæ efferat & explicet? vt quid difficiles & obscuros auctores explicamus, si nostra obscuritate, licet eleganti, tam nos nostraque dicta & scripta, instar sepiarum, quàm ipsos auctores magis implicamus & inuoluimus?

Scopus itaque meus fuit, solidè, breuiter, methodicè & clarè tradere sensum maximè genuinum & litteralem harum epistolarum, vti & reliquæ deinceps S. Scripturæ: ideoque ex textu Græco, Hebræo & Syro, atque ex Patribus & Doctoribus ea profero, quæ sensum hunc genuinum vel demonstrant, vel illustrant. Hunc scopum in omnibus spectaui & specto, in hunc vbique collimo; an assequar, Lectorum esto iudicium.

Quam-

Quamobrem florida & parerga non sector, nec elegantiam ambio; Theologum enim ago, non oratorem; veritatem vestigo, vtilitatem quæro, non vmbras & pompam; insisto rebus, non verbis: præsertim cùm Apostolus ipse, quem interpretor, profiteatur se imperitum sermone, sed non scientia; *Et sermo meus*, inquit ipse, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* qui enim verborum elegantiæ studet & incumbit, necesse est vt tantundem rerum ipsarum studio & profunditati demat & detrahat. 1. Cor. 2.

Quare stylo vtor didactico & methodico, per notationes, quæstiones, numeros, membra & puncta inciso & distincto, qui in scholis vsitatus ad disciplinam & memoriam aptissimus est: hîc enim ornari res ipsa vetat, contenta doceri.

Methodus mea hæc est: post breuem synopsin totius capitis rem aggredior, atque illustriores Patrum & Doctorum expositiones ordine quamque suo affero; tum vt plenus & perfectus sit commentarius; tum vt S. Scripturæ fœcunditas appareat; tum quia hæc varietas in cathedris & pulpitis, cum multa materia multum affert tam ornamenti quàm emolumenti. Sensum verò illum, qui maximè genuinus videtur, expressè designo, eumque alijs præfero & illustro. Connexionem quoque & vim ratiocinationum Paulinarum, vbi eæ obscuræ sunt, clarè ostendo, & in forma dialectica propono. Porro aliorum expositiones sæpè non refello, tum ne longior sim, tum ob reuerentiam auctorum, tum quia multæ sunt probabiles; tum quia veræ & genuinæ sententiæ propositio ac confirmatio, reipsa aduersarum est refutatio. Auersor Criticos qui ex aliorum censura famam aucupantur; sed falsò: nam & ipsi similes patiuntur vel Criticos, vel Apologeticos. Verè dixit Ausonius: *Tria ijs auertenda sunt qui gloriam quærunt: Oculi à scriptis aliorum, Manus à pecunia quam alius possidet, Aures à secretis principum.* Denique Christiani animi semper esse duxi, aliorum labores fouere, laudare, mirari; nullius carpere, despicere, abijcere & impedire. Quid enim quærimus? gloriam Christi, non nostram, vt Christi nomen per nos & alios quosuis toto orbe propagetur, secundùm mensuram gratiæ cuique à Deo datæ.

Vniformem hanc breuitatem & methodum, quantum licuit, vbique seruaui. Verùm, prout ipse Paulus subinde magis assurgit, subinde magis se demittit; in nonnullis epistolis planus & facilis, in alijs (vti clarè patet in epistola ad Ephesios) obscurus est & sublimis, adeò vt ipse sibi dissimilis & difformis esse videatur; ita pariter necessum me fuit in eius interpretatione nunc vela contrahere, nunc laxare, nunc attollere, nunc demittere.

Accipe igitur, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, hoc leuidense amoris & obseruantiæ meæ erga ILLVST. R. T. testimonium & mnemosynon, imò debitum: ad hoc enim me tum alijs titulis, tum eo præsertim obligas, quòd tam me, quàm totam Societa-

cietatem noſtram adeò amicè & beneuolè foues & complecteris.

Norunt hoc noſtri Louanienſes & Bruxellenſes. cuius rei, vt alia prætéream, illud recens & illuſtre argumentum dediſti, quòd à biennio noſtrum tirocinium atque Domum probationis in tuam vrbem Mechlinienſem admiſiſti, quodque tirones noſtros, quaſi paruulos tuos Beniaminos, ita amas, viſitas, iuuas & protegis, vt ijs videaris eſſe Abraham, pater, inquam, dilecti Iſaaci, & magnæ eius proſapiæ fidelis ac religioſæ ad aliorum ſalutem comparatæ, quam Chriſto Ieſu eiuſque Eccleſiæ inſtruis & adornas, vt in partem laborum & meſſis ipſi grandiores facti quandoque veniant, vtque ILLVST.R.T. tuoſque quaſi ſubſidiarij milites adiuuent, tum in catechizanda & erudienda plebe, tum in hæreticis reuincendis, tum in peccatoribus conuertendis, tum in omni diſciplina Eccleſiaſtica ſpirituque Chriſtiano augendo & promouendo: viri enim Religioſi, qui ſuas in mundo res & ſpes pro Chriſti amore, vt eum quàm proximè ſequerentur, abdicarunt; quique in ipſa religione tum litteris, tum moribus, tum rerum diuinarum meditatione multis annis exculti fuerunt, atque inſtar Noë & Enoch cum Deo ambulare didicerunt; veri, inquam, Religioſi, vtpote Deo deuincti & coniuncti, nec ſua lucra, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti quærentes; ſelecta & aptiſſima ſunt Dei inſtrumenta ad animas conuertendas, dirigendas, & perficiendas & ſaluandas, vti tum huius ſæculi, tum aliorum præcedentium multiplex experientia docuit, & docet. Atque hæc eſt cauſa, quæ ILLVST. R.T. impellit, vt tirocinium hoc noſtrum, & totam Societatem, quę à Deo hoc ſæculo excitata fuit vt Luthero & Caluino ſe opponeret, vt Indos, Iapones & Chinenſes conuerteret, vt langueſcentes Chriſtianos & Clericos excitaret, tenerè diligas, defendas & promoueas.

Diuina bonitas ILLVST.R.T. in multos annos nobis, Belgio, & Eccleſiæ ſuæ incolumem ſeruet, induatque noua virtute ex alto, vt renouetur ſicut aquilæ ſenectus, imò iuuentus tua, vtque B. Borromæi, & S. Ambroſij æmulus Paulum nobis plenè perfecteque exprimas, fiaſque magnus Paſtor & Doctor multarum gentium tum Epiſcopali, tum Archiepiſcopali iure ILLVST.R.T. ſubditarum; ac denique, cùm apparuerit ſummus ille Princeps Paſtorum, ab eodem percipias immarceſcibilem gloriæ coronam, Amen. Louanij ex noſtro Collegio, anno Domini 1614. ipſo S. Thomæ Aquinatis.

ILLVSTRISS.R.T.

ſeruus in Chriſto

Cornelius Cornelij Soc. IESV.

FACVLTAS PROVINCIALIS.

CAROLVS SCRIBANI, SOCIET. IESV
per Prouinciam Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis.

CVM Commentarium P. Cornelij à Lapide in omnes Epistolas D.Pauli quatuor Societ.nostræ Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; pro potestate mihi facta ab Admodum R^do P. N. Claudio Aquauiua Societ.nostræ Præposito Generali,concedo Martino Nutio Typographo Antuerpiensi, facultatem typis eum mandandi. In cuius rei fidem hasce mea manu subscriptas sigilloque officij munitas dedi, Antuerpiæ 21. Martij, anno 1614.

Carolus Scribani.

APPROBATIO CENSORIS.

HI Commentarij in omnes S.Pauli Epistolas,auctore R.P.Cornelio Cornelij Societatis Iesu Presbytero, sunt docti ac pij,& digni qui studiosorum manibus terantur. Quare vtilissimum iudico,vt in publicum prodeant. Quod testor 14. Ianuar.ann. 1613.

Egbertus Spitholdius, S. T. L. Canonicus, & Plebanus Antuerpiensis, libr. Censor.

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

FERDINANDVS *Secundus, diuina fauente clementia, electus Rom. Imperator, semper Augustus, diplomate suo sanxit, ne quis* Commentaria P. Cornelij Cornelij à Lapide, Soc. IESV, & sacræ Scripturæ in Vniuersitate Romana Professoris, in omnes Diui Pauli Epistolas, *per totum Romanum Imperium, aut regna ac prouincias Imperio subiectas, præter Martini Nutij voluntatem, intra decennium imprimat, vel imprimi curet, aut alibi impressa inferat vel diuendat. Qui secùs faxit, præter exemplarium confiscationem, decem marcharum auri puri fisco Cæsareo inferendarum pœna multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Viennæ* XXVII. *Augusti* M.DC.XXIII.

Signat.

FERDINANDVS.

Ad mandatum S. Cæs. Maiest. proprium

Hermannus à Questenberg.

Petrus Henricus à Stralendorff.

PRIVILEGIVM REGIS GALLIARVM.

LE Roy par ses lettres patentes a permis à Martin Nutius marchand libraire iuré d'Anuers d'imprimer, vendre & debiter luy seul vn liure intitulé Commentaria P. Cornelij Cornelij à Lapide, Societ. IESV, & sacræ Scripturæ in Vniuersitate Romana Professoris in omnes Diui Pauli Epistolas. *faisant tresexpresses inhibitions & defences à tous marchands libraires & aultres personnes, tant de ses Royaumes & pays, que aultres estraugers trafiquans en iceux, d'imprimer le dict liure, ou partie d'iceluy, ou d'en exposer en vente d'aultre impression, que de celle du dict Nutius. sur peine aux contreuenans, de confiscation des exemplaires & aultre amende arbitraire, & de tous leurs despens, dommages & interests, comme plus à plain est contenu es dictes lettres. Donné à Bourdeaux le* 10. *d'Octobre* 1615.

Signé par le Roy en son Conseil.

Du Fos.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS *Dei gratia Hispaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis* Omnia & singula R.P. Cornelij Cornelij à Lapide, Societ. IESV, & in Vniuersitate Romana sacrarum Litterarum Professoris Opera, *præter Martini Nutij Typographi Antuerpiensis voluntatem, vllo modo in Belgio intra duodecennium imprimat, aut alibi terrarum impressa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna multabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XXIII. *Augusti,* M. DC. XXVII.

Signat.

Steenhuyse.

COMMENTARIA IN OMNES S. PAVLI EPISTOLAS.

PROOEMIVM.

Quis, qualis, quantus S. Paulus.



Octo dotes & prærogatiuæ eximiæ in S. Paulo considerandæ & admirandæ sunt. Prima est, præclara eius natura & indoles. Secunda est, mira eius vocatio & gratia. Tertia est, rara eius sapientia; Quarta, heroicæ eius virtutes; Quinta, efficacia & fructus in euangelizando; Sexta, illustre illius martyrium; Septima, miracula; Octaua, eiusdem fama & gloria.

CAPVT I.

De Pauli genere & indole.

Quoad primum, fuit Paulus nobili Iudæorum prosapia ortus, è tribu Beniamin. S. Hieron. lib. de Script. Eccles. c. 15. videtur tradere, Paulum Giscalæ, Iudææ oppido, natum esse, quo à Romanis capto, eum cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrasse. Verùm idem S. Hieron. in epist. ad Philem. hanc traditionem fabulam appellat, & verè fabula est. Certum enim est Paulum non Giscalæ, sed Tarsi natum esse. Id enim ipse affirmat Actor. 22. *Ego*, inquit, *sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ.*

Porro Tarsus Ciliciæ erat metropolis, & ius municipale à Romanis fuerat consecuta, ita vt Tarsenses censerentur ciues Romani, & ciuium Romanorum priuilegiis fruerentur. Vnde Paulus Act. 16. v. 37. & 22. v. 25. ciuem Romanum se esse proclamat: *Si hominem Romanum*, inquit, *& indemnatum licet vobis flagellare?* cumque diceret Tribunus: *Ego multa summa ciuitatem*, vel, vt Græca habent, πολιτείαν, ciuilitatē, *hanc consecutus sum*; respondit Paulus: *Ego autem & natus sum.* Ius hoc ciuitatis Romanæ adepti sunt Tarsenses à Iulio Cæsare, & ab Augusto, eò quòd vtriusque partes in bellis ciuilibus strenuè adiuuissent. Vnde & Tarsus Iuliopolis est dicta, vt testatur Dio Cassius lib. 47.

Cornel. in epist. Pauli.

Hac de causa liberaliter & nobiliter educatus fuit Paulus, atque Græcorum litteris & liberalibus disciplinis egregiè excultus: nam harum scholæ florebant Tarsi, iisq; ita dediti erant Tarsenses, vt teste Strabone l. 14. in studiis hisce superarint Athenas & Alexandriam; adeoque ipsa Roma Tarsensibus litteratis abundarit. Paulus ergo Gentilium scientiis Tarsi apprimè imbutus, inde, quòd genere Iudæus esset, ad Iudæorum metropolim Hierosolymam, vt sacris disciplinis à Gamaliele erudiretur, profectus est: *Ego*, inquit ipse Act. 22. *nutritus sum in ista ciuitate, secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes.* *Litterarū Græcarum & S. Scripturarum peritia in D. Paulo.*

Tantum verò in hisce profecit, vt Tertul. l. 5. contra Marcion. ante finem asserere non dubitet, neminem magis nosse medullas Scripturarum, quàm S. Paulum. Audi & S. Hieron. ad Paulinum: *Cur dicitur*, inquit, *Paulus vas electionis? nempe, quia legis & Scripturarum erat armarium.*

Fuit autem Paulus Pharisæus, quæ secta apud Iudæos erat nobilissima & præstantissima. ita enim ipse ait Actor. 26. 5. *Secundùm certissimam*, græcè ἀκριβεστάτην, id est diligentissimam, exactissimam, religiosissimam, *sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* *D. Paulus secta Pharisæus.*

Iam verò insignis, magnanima & heroicà eius indoles elucet in ardenti eius zelo & pugna pro iudaismo, quo, errans licet, putansque obsequium se præstare Deo, ipse adhuc adolescens ducem se præbuit Iudæis ad persequendum & extirpandum Christianos.

Paulus, inquit Lucas Act. 6. 3. *deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.* Et c. 9. v. 1. *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas; vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.* Luculentiùs verò ipse Paulus Galat. 1. v. 13. *Supra modum*, inquit, *persequebar Ecclesiam Dei & expugnabam illam, & proficiebam in iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum.* *Zelus diui Pauli in & pro iudaismo. Deinde pro Euangelio.*

Nimirum mysticè impletum est in Paulo vaticinium Iacobi Gen. 49. *Beniamin lupus rapax, manè*

manè comedèt prædam, & vespere diuidet spolia. Præclarè S. August. libr. 22. contra Faust. c. 70. *Animæ*, inquit, *virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpè vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic Moyses occidens Aegyptium, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat: ita quoque Pauli sæuitia siluestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis erat indicium.*

Generosa indoles S. Pauli.

Quis enim postmodum in Euangelio toto orbe propagando animos & ignes Pauli æquauit? quis in laboribus pluribus? quis in carceribus abundantiùs? quis in crucibus & plagis maioribus? quis in periculis tam interritus? quis in arduis tam audax & excelsus? quis tanta, non dicam moliri, sed & cogitare ausus fuit, quanta molitus est, fecit, & confecit Paulus?

CAPVT II.

De mira S. Pauli vocatione & gratia.

SECVNDO illustris Pauli vocatio & gratia imprimis in eo elucet, quòd ipse à Christo immortali & glorioso è cælis vocatus sit, cùm alij Apostoli à Christo mortali in terra vocati sint. Rursum, quòd Christus cum Paulo quasi duellum inierit, eumq; ex sui odio flagrantem, in ipsa persecutione in terrâ prostrauerit, vicerit, subegerit. Cùm enim inclamasset illi Christus: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Mox ille: *Quis es Domine?* Rursum Christus: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Cui ille statim manus dans: *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* Quàm valida fuit hæc Christi cum Paulo contentio? quàm potens vocatio? quàm efficax gratia? quæ in momento cor Pauli hostile sibi subditum, amicum & obsequens effecit, quæ Saulum in Paulum, lupum in agnum, persecutorem in prædicatorem, Iudæum in Apostolum commutauit? Et qualem quantumq; Apostolum! audi *Vas electionis* (instrumentum & organum electum) *est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Duellum Christi cũ Paulo.

Echineïs seu Remora qua virtute naues detineat.

Mirantur S. Ambros. Basilius, Aristoteles, Plinius, & alij echineida, siue Remoram, exiguum piscículum, qui vastissimas nauium moles validissimis etiam ventorum turbinibus agitatas, nullo suo labore non detinendo, non manus iniiciendo, non alio modo quàm iis adhærendo, remoratur & sistit. Causam & modum hasce naues sistendi varij varium diuinant. Alij fieri id putant, quòd echineis naui qualitatem aliquam imprimat, quæ eius impetum licet citatissimum remoretur; alij, quòd adhærendo detineat per virtutem sibi innatam; sicut homo per manum detinet lapidem ne cadat: alij, quòd primò seipsum sistat, & immobiliter adhæreat loco & spatio suo, ita vt nulla vi, etiam nauim impellente, inde dimoueri possit; ac consequenter nec nauis cui adhæret, cuique se affixit.

Paulus à gratia, quasi à Remora detentus.

Quanto magis mirum fuit in Paulo, Deum hominem turbinibus concupiscentiæ in barathrum ruentem præcipitem sistere? eius amores & æstus inhibere, imò in contrarium reflectere? ad Christum, quem pessimè oderat, trahere, Christo vnire & vincire?

Hanc sui vocationem & gratiam admirans Paulus 1. Timoth. 1. *Fidelis*, inquit, *sermo & omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi, in vitam æternam.* Quis pœnitens veniam & gratiam non speret, cùm Saulum blasphemum & persecutorem Christi, ab eo in gratiam intimamque amicitiam receptum videt?

Iam verò quanta fuit Christi gratia, qua Paulum Gentium doctorem, orbis magistrum creauit? *Mihi*, inquit ipse Ephes. 3. 8. *omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo.* Et 1. Timot. 2. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide & veritate.* Dicebat ille adulator:

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Nos verè dicere possumus, Christum cum Paulo, non imperium, sed titulos & munia sua diuisisse: Christus enim orbis est redemptor & doctor; Paulus verò præco est & doctor orbis, omniumque Gentium.

Huic verò gratiæ quàm strenuè cooperatus est Paulus? quanta fide munus sibi commissum obiuit? quàm sedulum, ardentem & indefessum se Gentibus omnibus præconem exhibuit? dicat ipse Rom. 11. 13. *Quamdiu ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*, Spartam quam nactus sum, exornabo: & 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantiùs illis omnibus laborauí: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Porro quantos Euangelij & Gentium causa labores generosè exantlarit, quanta pericula intrepidus adierit, quanta ludibria, ærumnas, plagas & verbera alacer sustinuerit, enarrat ipse 1. Corinth. 4. *Spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo, & angelis & hominibus: nos stulti propter Christum. vsque in hanc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus (ἀστατοδμῶ, incertis locis & sedibus vagamur & discurrimus) & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.*

Vberiùs verò, pleniùs, neruosiùs laborum & passionum suarum catalogum seriemque generosus Christi athleta pertexit, aut potiùs perstringit 2. Corinth. 11. *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: in itineribus sæpè periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate.*

CA-

CAPVT III.

De rara Pauli sapientia.

TERTIO, eximia Pauli sapientia passim in epistolis eius conspicua est. Ipsæ enim continent medullam fidei & religionis Christianæ. Sanè de gratia, de prædestinatione, de Christi redemptione, & tota eius in carne œconomia, de matrimonio & iure coniugum, de cælibatu, de Ven. Sacramentô, & sacrificio, de nouem ordinibus angelorum, de muniis Episcoporum, Presbyterorũ, Diaconorum, totoque ordine hierarchico nullus inplanè, grauiter, exactè & sapienter disseruit ac Paulus. Taceo naturalem & græcanicam eius scientiam, in qua Tarsi insigniter, vt dixi, excultus fuit, quam etiam Ethnici admirati sunt: adeò vt eradat S. Chrysostomus homil. 3. in 1. ad Corinth. apud Ethnicos disceptatum fuisse, an Paulus Platoni, cuius doctrinæ grauitatem & subtilitatem illi inprimis venerantur, præferendus esset.

Memoria dignum quod de S. Paulo scribit Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. his verbis: *Quomodo Deus Iudæos saluos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, à vulgo secreuit. Præter Petri prædicationem declarauit Paulus Apostolus dicens: Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quo modo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura: Hydaspen sumite, & legite, & inuenietis Dei filium multo clarius & apertius esse scriptum, & quemadmodum aduersus Christum multi reges insiruerent eum, qui eum habent odio, & eos qui nomen eius gestant, & eius fideles, & aduentum, & tolerantiam.* Hæc Clemens, non ex epistolis, sed ex conciombus S. Pauli, per manus tradita posteris consignauit: vnde discas quanti veteres, ac S. Paulus Sibyllina oracula fuerint. ita Baronius in Apparatu Annal.

Christianam & diuinam eius sapientiam inueamur: cuius præcellentiam & profunditatem satis ipse insinuat, cùm ad Gal. 1. asseuerat se Euangelium non ab homine accepisse, & didicisse, sed per reuelationem Iesu Christi. Rursum, quòd 2. Cor. 12. se raptum asserat in tertium & summum Beatorum cœlum, scilicet in paradisum, ibiq; audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Sublimia illa ac cælestia, homini ineffabilia, imò incomprehensibilia sunt. *Tria sunt*, ait Sapiens, *mihi difficilia: via aquilæ in cælo, via colubri super terram, via nauis in medio mari.* Quis aquilam hanc Paulum in cælum pernicissimè se librantem vel visu assequatur? Paulus ergo non in terrena, sed in cælesti schola eruditus, ibidem quasi creatus & consecratus est magister Euangelij doctorque orbis.

Moses in Sina collocutus cum Domino, accepis ab eo legis tabulis, inde prodiit quasi nouus & cælestis legislator ad populum. Paulus verò non è Sina, sed è cælo, quasi Propheta, imò quasi angelus vrano-gnomon in terram descendit, vt arcana legis Euangelicæ toti orbi panderet, atque eructaret mysteria æternis temporibus tacita, & abscondita à constitutione mundi. Quapropter Origenes affirmat extitisse nonnullos, qui crederent Paulum esse veritatis Spiritum à Patre missum, quem Christus suis discipulis promiserat, dicens Ioan. 15. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

Cornel. in epist. Pauli.

Veriùs & solidiùs S. Dionys. Areopagita Pauli proles & heres, cap. 7. de Diuin. nominib. Paulum communem nostrum solem; & alibi, eumdem sapientiæ abyssum indigetat, ab eoque altissima sacramenta, suamque Ecclesiasticam pariter & Cælestem Hierarchiam accepisse se gloriatur. *Paulus sol & abyssus sapientiæ.*

Audi S. Chrysostomum homil. 4. de laudibus S. Pauli: *Paulus*, inquit, *archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res orbis, mysteria cuncta, vniuersamq; dispensationem Deus concessit. Ipse cælum solem habens iustitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum & profundissimum.* *Illustria Pauli elogia.*

Audi S. Hieronymum ep. 61. ad Pammachium: *Paulus* inquit, *vas electionis, tuba Euangelij, rugitus leonis nostri, fluuen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retro generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur: quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.* *Paulus tuba Euangelij, tonitrus Gentium.*

Amplius dico: Paulus doctor fuit Petri, doctor Apostolorum, immò doctor angelorum. Vt alia præteream, Paulus insigni sapientia, fiducia & constantia Petrum à recto tramite Christianæ libertatis deuiantem, & nonnihil in iudaismum inclinantem, redarguit, reuocauit & correxit. *Cùm venisset*, ait ipse Galat. 2. *Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Et cùm vidissem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare?* *Paulus doctor Petri, Apostolorũ, angelorum.*

Rursum magnum illud mysterium vocationis Gentium ad fidem & ad Christum, primus ipse mox à sua conuersione, vtpote doctor Gentium à Deo electus & declaratus Act 9. v. 15. plenè cognouit: ipse Apostolos, ipse Ecclesiam, ipse angelos edocuit. Loquatur ipse, imò loquatur potiùs per eum Spiritus sanctus, Ephes. 3. *Prout potestis*, inquit, *intelligere prudentiam meam in Christo: mihi omnium Sanctorum minimo data est hæc gratia, in Gentibus euangelizare; vt innotescat principibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam* (putà per me Ecclesiæ doctorem) *multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* *Mysterium vocationis Gentiũ primus cognouit Paulus.*

Nemo iam mirabitur S. Chrysostomum præfatione in epist. ad Romanos proclamare, laicos omnes, etiam opifices & mercatores, Paulum identidem legere debere. Quòd si cui id per negotia non liceat, hic, inquit, saltem me Paulum enarrantem & explicantem assiduè audiat: quare commentaria quæ in Paulum reliquit nobis Chrysost. homiliæ eiusdem fuerunt ad populum. Sanè ipse Chrysost. vt refert Georgius Patriarcha Alexand. in eius vita, numquam finebat Paulum è manibus elabi, sed assiduè eum legebat, ac miraculi loco habebat eius sapientiam. *S. Chrys. ab omnibus Paulũ legi volnit olim.* *Paulus Chrysostomo semper in manibus.*

Iam verò Paulus hæresomastyx sua sapientia & acrimonia omnes Nouatorum ætatũ omnium errores destruit & configit. Auctor est S. Augustinus lib. 7. Confess. 21. sub initia conuersionis auidissimè se sacram Scripturam & præ ceteris Apostolum Paulum ingenti fructu lectitasse, quinimò Pauli lectione planè conuersum se fatetur idem Augustinus, vti mox ex eo audiemus. Atque hæc fuit causa, cur prisci hæretici Paulum Pauliq; epistolas proscripserint. Fuerunt illi triplices. *Paulus hæresomastyx.* *S. Augustinus lectione Pauli conuersus.*

Hæretici veteres Paulum reiecerunt, omnesq; epistolas.

Primi omnes Pauli epistolas repudiarunt, easque A à canone S.Script. detruncarunt. Horum parens & dux, teste Irenæo libr.1.c.26.& Eusebiolibr.3. Histor.c.27.fuit mentis inops Ebion (sic namque in eum verè ludit S.Ignatius: Ebion enim hebraicè pauperem & inopem significat) qui iudaizans Apostolum Paulum, quasi legis suæ hostem, Apostatam, & Græcum per summam contumeliam appellabat. Hunc ducem & errorem secutos esse Helcheseitas, auctor est Eusebius lib.6.c.27.

Ebion in Paulū debacchatur,

vti & Helcheseita.

Aliqui hæretici aliquot Pauli epistolas sustulerūt.

Secundi non omnes quidem Pauli epistolas, sed aliquas dumtaxat, quas scilicet suis dogmatibus infestas videbant, ex catalogo sacro, more ingenio & fastu hæreticis vsitato abraserunt. Ii fuerunt Encratitæ, Seueriani, Marcionitæ, Manichæi, Arriani, Aëtiani: nimirum Encratitæ & Marcionitæ vtramque ad Timotheum, & vnam ad Titum, alij alias sustulerunt. B

Quidam non omnia in epistolis Pauli à S. Spiritu dictata esse somniarūt.

Tertij omnes Pauli epistolas receperunt, verùm asseruerunt in iis multa esse scripta dictante non Spiritu sancto, sed genio & ratione humana: vti epistolam ad Philemonem, item ea quæ naturaliter & familiariter scire & scribere poterat Paulus. Ita censuit anonymus ille Fabricij discipulus, contra quem S.Augustinus sub nomine aduersarij legis & Prophetarum duos libros edidit. Huc etiam alluſit Erasmus, cùm in c.2 & 27. Matthæi asserit scriptores sacros subinde memoria lapsos esse, & leues quosdam errores admisisse. Alij denique subinde vitiatas, & à falsario quopiam deprauatas hasce epistolas somniarunt.

Erasmi error.

Marcion epistolas Pauli ausus mutilare.

Hac, similiue de causa Marcion, teste Epiphanio, hæresi 42.è cæteris epistolis, quas ipse admit- C tebat, id quod sibi videbatur, quodque palato & oculis suis non allubescebat, spongia sua politula & delicatula, quasi spurium exterſit ac dispunxit.

Verùm veritas & auctoritas S. Pauli has omnes nebulas mox dispulit atque dissecit; adeò vt iam vel phanaticorum, vel vmbrarum potiùs quàm hominum obsoletæ & emortuæ sint hæ cum suis auctoribus hæreses. Quare iis refutandis non immorabor; videat qui volet Irenæum, Epiphanium, Petrum Cluniacensem epist. priore contra Henricianos & Petrobrusianos, atque Sixtum Senensem lib.7.Biblioth.cap.7. Tantùm illud hîc animaduersione dignum est, veteres illos hæreticos, licet epistolas hasce respuerent, eas tamen Paulo asscripsisse. Itaque communis Orthodoxorum iam olim omnium consensus fuit, & est, hasce D omnes epistolas, excepta vna ad Hebræos, de qua aliquando dubitarunt nonnulli, vt suo loco dicam, esse canonicas, plenas maiestate & Spiritu Apostolico: quinimò nostri Sectarij hasce Pauli epistolas præ cæteris sacræ Scripturæ libris laudant, coluut & iactitant. Sed & hi in alium lapidem impingunt. Dum enim non aduertunt, quando, contra quos, qua de causa tam acriter subinde insurgat Paulus, à mente & sententia Pauli aberrant. nam vti ille qui acriùs errorem aut vitium aliquod persequitur, in oppositum aliudque extremum videtur declinare & impingere: ita Paulus, dum contra Iudæos Gentesq; sui temporis disputans, legis & naturæ opera cæremoniasque eleuat & conuellit, dum Christi fidem & gratiam inculcat; videtur imperitis tollere liberum arbitrium, operaque bona & meritoria, atque vni fidei salutem & iustitiam asscribere & consignare. Nimirum, imperiti & stulti dum fugiunt vitia, in contraria currunt.

Omnes cẽsentiūt has epistolas esse Pauli, non alterius cuiusquam.

Hæretici nostri cui ex malè intellectis Pauli epistolis errores suos nituntur firmare.

Videndum cōtra quos & quando Paulus scribat.

Hoc modo Philippus ille, verè Melanchthon, pro sua Confessione, vel potiùs confusione Augustana passim testem citat S.Paulum, atque vt in eius epistolis homo profanus egregiè versatus videretur, numquam sine iis incedere, numquam prandere aut cœnare, nusquam considere aut cubare consueuerat. Quare suo huic Philippo hoc elogium dedit Lutherus: *Ego tibi, mi Melanchthon, verè tribuo, neminem melius te scripsisse in D.Paulum. Ego scio, quo iudicio & spiritu hoc de te pronuncio: Hieronymi & Origenis commentaria esse meras nugas & ineptias, si tuis comparantur.* Quale hoc supercilium? nimirum ἡ Πλάτων φιλωνίζει, ἡ Φίλιππος Παυλωνίζει, nimirum πάθος Philippizat, quia Philippus lutherizat. Itaque verè ad suam mentem dixit Lutherus: Nullus melius, scilicet ad Lutheri palatum & sensum, nullus meliùs, hoc est lutheraniùs, in D. Paulum scripsit, quàm Melanchthon. Hieron. Origenes, aliique Patres, quia antilutheranè, ideo Luthero pessimè scripserunt: suis enim scriptis nouam Lutheri fidem, eiusque cacangelion configunt, destruunt, euertunt.

Caluinus, odium Dei & hominum, passim pro fide sua calua, & bonorum operum inope, pro seruo arbitrio, pro reprobationis, prædestinationis, virtutum peccatorumque fato, pro iustitia Christi nobis imputata, pro concupiscentiæ culpa, aliisque similibus sibi placitis, testes Paulum & S.Augustt. producit, eos à se stare clamitat, & quasi hæresum suarum auctores dilaudat. Sed fallitur erro, fallit impostor, vt suis quibusque locis ostendam. Atque, vt ex vngue leonem agnoscas, videasque quàm ipse aliique Nouantes paralogizent, qualiaque ex Paulo sophismata texant;

Accipe è multis vnum, commune & frequens eorum sophisma, imò fraudem manifestam. Solent ipsi à propositione Pauli indefinita inferre vniuersalem; solent ex vna parte totum concludere; solent ab affirmatiua indefinita inferre negatiuam vniuersalem. v.g. Fides, inquiunt, teste Paulo iustificat; ergo opera non iustificant: ergo nihil aliud à fide iustificat. quod perinde est, ac si tali ratione concluderent: Panis alit hominem; ergo caro aut pisces non alit hominem: homo viuit per respirationem, ergo non viuit per cibum: homo est animal, ergo leo non est animal.

Alterum accipe: Paulus sæpè obscurus est & difficilis; eo abutuntur Nouantes, eiusque obscuritate, quasi latebris, errores suos velant & contegunt: atque ex obscura Pauli sententia dogmata sua æquè obscura & abstrusa demonstrare nituntur. Verùm hîc seipsos conficiunt. Hic enim vel ex sua confessione conuincuntur, & fateri coguntur, Paulum & S. Scripturam non esse claram & perspicuam, ac consequenter non posse esse iudicem, qui controuersias fidei decidat, enodet & determinet. Iudex enim qui obscuram & ambiguam fert sententiam, quam vtraque litigantium pars sibi arrogare & attribuere possit, litem non decidit, non determinat, neutri parti causam adiudicat. Lis ergo in fide & religione apud hæreticos interminabilis, καὶ ἄκριτος & πόλεμος oportet. Omnes enim ipsi Paulinis sententiis ad suas hæreses vtuntur & abutuntur, & de earum

sensu

sensa intelligentia quę perpetuò cum Orthodoxis, imò inter seipsos concertant.

Exemplo non obscuro, sed claro res patebit: affert S. Paulus Christum in institutione Eucharistiæ dixisse: *Hoc est corpus meum. hic est sanguis meus.* Idem iidem verbis dixerunt Euangelistæ omnes, qui vltimam Christi cœnam enarrarunt. Caluinus & Caluini assectæ verba Christi clara, simplicia, historica, testamentaria vltimæ voluntatis Christi, ad figuram & tropum torquent, sensumque esse volunt: Hoc est figurâ corporis & sanguinis mei. Quid agitis? cornicibus, vobis ipsis inquam, oculos configitis? ad Scripturam orthodoxos pronocatis, ad illam quasi iudicem certum & clarum appellatis, per eam omnem traditionem Patrum & Ecclesiæ excluditis: Scripturam proferimus, Scripturæ verba clara & plana sunt: *Hoc est corpus meum. hic est sanguis meus.* Nos planum & clarum verborum sensum amplectimur, vos illum declinatis, imò verba ipsa vestra explicatione inuertitis & eruitis, quia pro corpore figuram & vmbram corporis surrogatis: quo iure? qua fide? pari iure & modo licebit omnia testamenta, omnes libros, omnes historias, fidem omnem subruere.

Asserit Scriptura Christum esse natum, passum, crucifixum; pari libertate, qua vos, exponet Manichæus Christum natum, passum & crucifixum esse, non reuera, sed per figuram, speciem & apparentiam tantùm. Asserit Scriptura Filium esse Deum; exponet more more vestro Arrius, Filium esse Deum, non propriè, sed tropicè per meonymiam, putà esse Deum, hoc est, esse hominem diuinum. Asserit Scriptura in fide SS. Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti nos esse baptizandos; exponet vestro genio Sabellius, hæc tria significare Trinitatem, non personarum, sed nominum tantùm, & potestatum vnius eiusdemque personæ diuinæ. Si in loco tam plano, tam claro nobis obstrepitis si de sensu tam aperto nobiscum contenditis, quid facietis in locis planè obscuris & implicatis?

Quid? vosipsi in hoc aliisque Pauli locis, de Pauli mente acerrimè inter vos ipsos digladiamini? quis lites hasce componet? quis hîc iudex sedebit? quis arbiter? Sanè nisi veneranda sæculorum omnium antiquitas causam definiat, nisi perfecta maiorum Patrumque fides canam veritatem ostendat, nisi Ecclesia, quæ columna est & firmamentum veritatis (Ecclesiæ enim à Christo data est S. Scriptura, eiusque sensus concreditus, vt sit eius custos & doctrix) audiatur; nemo erit ad eam vsque iudicij, qui lites hasce resoluat & terminet. Quis credat Christum Dominum tam male consuluisse & prouidisse Ecclesiæ suæ; cùm omnis alia hominum Respublica suos iudices habeat, qui lites quasuis decidant & determinent? Plurima talia recenset Illustriss. Cardinalis Bellarminus in suo opere Controuers. quod verè est panoplia rectæ fidei, opusque æterna memoriæ dignum. Præuidit hoc & præmonuit S. Petrus epist. 2. c. 3. *Charissimi*, inquit, *frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depranant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

Cæterùm Paulum non Caluinianæ, nec Lutheranæ, sed Catholicæ & Romanæ fuisse religionis & fidei, nemo eum lectitans ambigere potest.

Cornel. in Epist. Pauli.

A Paulus enim asserit se fuisse cælibem, cælibatum laudat, virginitatem suadet; gloriatur in cruce, in ieiuniis, in vigiliis; castigat corpus suum; reprobus fieri timet; merita bonorum operum commendat, Deumque eis redditurum coronam iustitiæ asseuerat; damnat eos qui fidem Deo datam, vota inquam violant; docet homines esse liberi arbitrij, eisque vt liberis suadet & præcipit actus humilitatis, obedientiæ, charitatis, &c. docet hominem sui peccati & damnationis esse auctorem, ac thesaurizare sibi iram, non Deum qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, &c. Hæc loquitur, hæc scribit Paulus. Vtri hæc docent, Catholicine & Romani? an Caluinistæ & Lutherani? Tuam fidem, tuum iudicium, tuam cõscientiam, ô lector, appello. Scio, B dices, Catholici; non Caluinistæ, nec Lutherani, qui nullos cælibes, nullas virgines habent, omnes coniugatos volunt, qui ieiunia & pœnitentias horrent, corpus delicatè habent, fide diuina & speciali credunt singuli se prædestinatos & saluandos, merita operum execrãtur, votifragi sunt, & votifragos recipiunt ac laudant, docent homines libero carere arbitrio, Deum omnium humanorum operum, tam bonorum quàm malorum, ac consequenter tam damnationis quàm saluationis cuiusque esse auctorem; fidem solam tegere peccata, iustificare, saluare, &c. Quæ ergo conuentio Christo cum Belial, luci cum tenebris, Paulo cum Caluino?

Verùm missis hæreticis, ad nostros Orthodoxos redeamus. Paulus, vti dixi, oceanus & abyssus est C tam sapientiæ, quàm zeli & spiritus diuini, atque vtraque hæc ita mistim & glomeratim eructat & conuoluit, vt seipse capere, suamque vim expromere non posse videatur; ac veluti balistæ nostræ nitrato ac sulphureo puluere grauidæ, eo accenso ingentes ferri, æris, lapidum globos, fulminum instar, flammis eluctantibus cum horrendo fragore, & fumi conuolutione contorquent: ita incensum Pauli pectus sapientia æquè ac spiritu grauidum & turgidum, cùm densas vtriusque flammas expromere & eiaculari nititur, quasi fumo intermicantia fulgura, & crebra tonitrua verborum & sententiarum vomit & conglobat, eaque de causa menti audientium & legentium nebulam non rarò offundit, quæ deinde si à doctore elucidetur & claresçat, in magnum doctrinæ & charitatis incendium flammescit. *Prædicatio mea*, inquit ipse 1. Corinth. 2. *non in persuasibilibus humanæ sa-* D *pientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius sæculi cognouit.* Apostolus ergo sensu & rebus turgidus ad verba & syntaxim non æquè respicit, sed multa commisceat, inserit, incidit, mutilat, diuaricat, absorbet. Hinc crebræ ei sunt aposiopeses, mutilæ sententiæ, hyperbata, anantapodata, & id genus tropi, qui legenti, vel interpreti supplendi vel ordinandi sunt. Taceo phrases Græcas & Hebræas: Paulus enim, vti Hebræus erat, ita hebraismis abundat.

Atque hæc vna inter alias obscuritatis harum epistolarum est causa, qua retardatus & reuoca-

Paulus oceanus sapientiæ, zeli, & spiritus diuini.

Paulus est balista cõparatur.

Pauli testimonium de sublimitate doctrinæ suæ.

Character dicendi in his epistolis planè mirus.

Vnde obscura epistolæ Paulinæ.

tus S.Augustinus, vir licet tanti ingenij & eruditionis, commentarium olim in epist. ad Romanos orsus, mox resiliit: *Cœperam*, ait S.August. libr. 1. Retract. c. 25. *in epistolam ad Romanos; sed quoniam, si perficeretur, plures futuri erant libri, & ipsius operis labore ac magnitudine deterritus, in alia faciliora deflexus sum.* Sanctus verò Chrysostomus magnus Pauli admirator, interpres & assecla, quem deinceps Theophylactus, Photius, Oecumenius, Euthymius, & alij secuti sunt, quique nobis quoque præ aliis in hoc commentario facem prælucebit: Chrysost. inquam, cuius maxima in Paulinis epistolis explicandis laus constat, feliciùs idipsum tentauit, non suo, sed Pauli lumine & institutione. Dum enim hosce suos in Paulum commentarios dictaret, visus est vir quidam augustus, S. Pauli effigie & habitu, ei astare, qui ea quæ scriberet in B aurē suggereret. Cuius rei testis oculatus est Proclus, qui postea factus est Episcopus Constantinopolitanus, apud Leonem Augustū in vita S. Chrysostomi. Vnde & Damascenus de Imaginib. oratione prima, testatur S. Chrysostomum in musæo perpetuò habuisse imaginem S. Pauli, in eamque sæpè oculos & animum intendisse. Denique graviter æquè ac verè Eusebius lib. 3. hist. c. 24. *Paulus, inquit, qui inter ceteros Apostolos eruditior etiam in verbis videtur, & in sensibus præpotens, non amplius quàm paruulum epistolarum suarum corpus reliquit, quod vtique immensa continet intra se atque innumera sacramenta: vtpote qui vsque ad tertium cælum raptus, quæ gererentur inspexerat, & in ipsum quoque Deo dignum paradisum abductus, viderat ibi ineffabilia verba, & doctrinam illius interim schola discipulus effectus exceperat.*

S. Augustinus à commentationibus in Paulum deterritus.

S. Chrysostomus auctori dux in hisce commentariis.

S. Chrysostomo in Paulū scribenti, Paulus ipse astitisse & scribenda suggessisse visus.

S. Chrysostomus imaginem S. Pauli veneratur.

Eusebij graue de S. Paulo iudicium.

CAPVT IV.

De virtutibus S. Pauli.

QVARTO, Paulus virtutum omnium illustre fuit speculum & exemplar: quippe qui eas exactè gentes omnes toto orbe dispersas docere deberet, non tam verbis quàm factis: longa enim & languida est doctrina virtutum per verba; breuis verò & efficax eadem est per facta & exempla. Viderunt id quoque Gentiles Philosophi. Quare Epictetus Enchiridij c. 29. *Numquam, inquit, te Philosophum profitearis, nec apud imperitos multùm disputa de præceptis, velut in conuiuio, nec dic quo pacto sit edendum, sed edè vt decet. Nam & oues non fœnū afferunt opilionibus, sed pastu intra se concocto exteriùs proferunt lanam. Et tu ergo ne verba ostendas imperitis, sed opera quæ verborū concoctionē sequuntur.*

Exemplo docendi aliy.

Paulus ergo Christianæ virtutis & perfectionis magister peritissimus, eamdem magis vita & gestis, quàm sermone docuit & expressit. Vnde 2. Corinth 6. 4. *Exhibeamus* (græcè σωιστῶντες ἑαυτὸς, id est, commendantes, hoc est, commēdamus) *nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris.* Paulus, inquit Chrysostomus, *omnium virtutum fuit arca; adeò vt, etiamsi quis totum contra eum iustorum chorum sigillatim appendat, inueniat trutinam virtutum ponderibus à Pauli parte depressam.* Porro virtutes hasce in hisce epistolis, quasi in horto quodam deliciarum ita luculentè inseruit & expressit, vt, si Paulum non aliunde, certè ex scriptis suis agnoscas & admireris; quin & in ipso persentiscas. Sicut enim in sole diutiùs inambulantes, calorem inde sibi cum colore conciliant vel nescientes, nec aduertentes: ita fieri non potest, vt qui non obiter & parergῶς, sed accuratè & sedulò Paulum versat, Pauli sensu non afflatur ac spiritu. Age, si libet, in hoc deliciarum paradiso inambulemus, libemus florem & pomum hinc inde vnum.

Exemplo docendi aliy.

Exempla virtutum in Paulo.

Paulus virtutū arca.

Vis violam humilitatis? *Ego, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Nouissimè omnium tamquam abortiuo visus est & mihi Christus. Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia. Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.*

Vis myrrham pœnitentiæ? *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum ego primus sum. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam, saluos nos fecit.*

Vis iuglandem temperantiæ? *Vsque in hanc horam esurimus & sitimus.* Abstemium fuisse Paulum, & numquam vinum bibisse censet Baronius anno Christi 36. & alij. Idque ex eo colligi potest, quòd Timotheus Pauli discipulus, ex Pauli vtique institutione, exemplo & disciplina, abstemius fuerit. C *Noli, inquit ipse 1. ad Timoth. c. 5. adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Idem colligitur ex voto nazareatus, quod, vt satisfaceret Iudæis, fecit Paulus Act. 21. statimque postero die expleuit. Atquomodo illud explere potuit postero die, atque purificari in templo, nisi iam antè sua consuetudine vino (quod proprium erat huius ritus & nazareatus, teste Iosepho lib. 2. Belli c. 15.) abstinuisset? aliòqui enim fuisset hæc non religio, sed potius quædam legis illusio, & simulatæ sanctitatis effectio, & tamquam in scena fabula, ac in re gesta affectatum mendacium: quæ omnia prorsus indigna sunt non solùm tanto Apostolo, sed & quolibet Christiano.

Vis lilia castitatis? *Æmulor vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Rursum: *De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse, propter instantem necessitatem. Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Vnde liquet, Paulum non D coniugalem, sed cælibem egisse vitam, vti communis habet Patrum & Orthodoxorum sensus & consensus.

Vis palmam contemptus mundi, humanæ laudis & vituperij? *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; sed neque meipsum iudico: qui autem iudicat me, Dominus est.*

Vis amaranthum crucis? *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.*

Vis rosam aculeatam amoris Christi? *Viuo ego, iam*

iam non ego; viuit verò in me Christus. Mihi viuere A *Christus est, & mori lucrum.* Hac etiam de causa singulis ferè periodis nomen Iesu vel Christi repetit & personat; vtpote quod pluſquam adamantinis literis cordi insculpserat. Sanè si cui Sanctorum, Paulo certè. Iesus erat mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Quàm assidua fuerit Pauli cum Christo conuersatio, docet S. Chryſost. hom 55. in Matth. c. 16. *Paulus*, inquit, *cùm in terris esset, vbi Seraphim sunt ibi conuersabatur, propiùs Christo assistens quàm hastati & stipatores isti regi assistunt: quippe cùm ipsi effectum huc illuc circumferant, ille verò nulla rerum specie motus vniuersam mentis aciem ad regem* (Christum) *semper tenderet.*

Vis hyacinthum cælestium cogitationum & desideriorum? *Fratres, iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* B *Nostra conuersatio in cælis est: vnde & Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et verò omnia in hisce epistolis cælestem spirant animum & ignes. Nec aliud in eis vbique agit Paulus, quàm vt doceat omnes terrenæ deponere, concupiscentiæ turbines sedare, carnis fœtos & infimos, sed incensos amores restinguere, mentem ad cælestia & ad Deum auocare, illi vnire & sociare.

Vis heliotropium gratitudinis, orationis & deuotionis? Ephes. 1. *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui* C *prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositũ voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundùm diuitias gratiæ suæ, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia: vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in Christo,* En quos gurgites, quæ flumina gratiarum & laudem conuoluit & reuoluit, eructat & regurgitat in Deum omnium fontem?

Vis (vt alia præteream) malogranatum charitatis? hoc sanè in Paulo tam vernans, tam redolens, tam puniceè rubens mirè abblanditur. Accipe & degusta: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?* D *an persecutio, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum,* πεπεισμαι certò mihi persuadeo, fixum mihi & certũ est: *quia neque mors neque vita* promissa, *neque* Angeli, *neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum,* neque creatio, neque inferi, *neque creatura alia*, quæ esse aut fingi possit, *poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Atque ne putes otiosa & inania hæc tantùm esse amantis desideria, aut adulantis verba, audi efficacia charitatis verbera. Hac charitate armatus Paulus, inquit Chryſostomus, Neronem omneſq; tyrannos velut quosdam culices æstimabat; hac charitate labores, pericula, cruciatus, mortem, mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum; hac charitate Paulus vinctus Iesu Christi magis, quàm diademate coronatus gloriatur. *Ego*, inquit ipse, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Neque hìc stetit amor Pauli, sed quotidie celsior assurgens, & quasi incorporeus, immò igneus ad omnes labores, quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ priora sunt extendens seipsum, ad destinatum persequebatur brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu: nec antè destitit, quàm amori diuino vicem reddens, illi vitam cum sudore & sanguine refudit & profudit. Miremur iam Paulum Dei amore ab Oriente in Occidentem peruolasse; miremur eum sua charitate totũ mundum esse complexum; miremur eum tot terras & maria oberrasse. Nimirum consecrarat se ipse Deo & amori Christi, ideoque illi omnes homines totumque orbem offerre, & ex hominibus, immò brutis & dæmonibus angelos efficere, impensa sudoris & sanguinis sui satagebat: ac velut ignis, ventusq; validissimus totum mũdum percurrit, percurrendoque purgauit. Pectus ergo Pauli fuit tentorium Christi, Deum toto orbe vehens & circumferens. Docet id S. Gregorius l. 27. Moral. 8. explicans illud Iob 36. 29. *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium. Dum catenis*, ait, *vinctus Romam peteret Paulus, occupaturus mundũ, latens in eius pectore quasi sub tentorio ibat Deus: quia & occultus videri non poterat, & per verba prædicationis proditus, iter inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat.* Ibat ergo sic Romã in Paulo Deus, ibat Christus, inde velut à capite inuasurus & debellaturus mundum.

Dominus enim est, qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. *Quotidie* inquit ipse, *immolor propter gloriam vestram, fratres: sed etsi immolor super sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.* Sim ego sacerdos, vos hostia, libamẽ sanguis meus. Hac de causa, quasi pater qui totum orbem genuisset, sic perturbabatur, sic sollicitus erat, sic omnes in regnũ Dei festinabat inducere. *Instantia*, inquit, *mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Hac de causa factus est Iudæis tamquam sub lege, infirmis infirmus, omnibus omnia factus est, vt omnes Christo lucri faceret. Hìc amor coegit eum, quasi matrem os & verba mutare, alternis blandiendo, increpando, rogando, terrẽdo, consolando, & in omnes partes se suosque versando. *O insensati*, inquit, *Galatæ.* & statim blandiens: *Filioli*, ait, *mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Et Philipp. 2. *Si quæ ergo*, ait, *consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eamdem charitatem habentes.* En quàm charitate se pænè euiscerat. Denique Paulus charitate incensus non aliud satagebat, quàm Dei cultum & gloriam propagare, omneſq; ad Dei fidem & amorem perducere. *Sicut ferrum*, inquit S. Chryſost. homil. 3. de Pauli laudibus, *missum in ignem totũ ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas. Vade nunc per epistolas, nunc per exhortationes, nunc per pre-*

Actuosa Pauli charitas.

Charitas Pauli velut effrenis & insatiabilis.

Obiectum charitatis eius totus mundus.

Immolat seipsum Apostolus.

Sollicitudo Pauli charitatis plena.

Vt mater amauit neochristianos.

Paulus ferro candenti similis.

ces, nunc per minas, nunc per se, nunc per suos omni studio conabatur erigere laborantes, stantes firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes animare, hostes retundere, more optimi ducis, militis & medici, omnium officiorum personas & munia vnus ipse subibat.

Exemplum incredibilis charitatis in Paulo optante anathema esse pro Iudæis.

Accipe è multis vnum viuum huius charitatis in infensissimos infestissimosque sibi terra mariq; hostes, Iudæos & iudaizantes exemplum pariter & argumentum. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto*: ne putes me auliciſmo, amphibolia, rhetorica amplificatione vti, ne putes me ludere: testor Christum, testor conscientiam meam, testor Spiritum sanctum huius mei doloris & amoris conscios, imò causas: *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnē.* Quid agis Paule? nónne desipis? nónne contra charitatem, cōtra Christum, pro cæcis Iudæis pugnas? nequaquam, sed pro charitate contra charitatem in charitatem connitor & tendo: optabam, & opto anathema esse à Christo: opto pro charitate Christi à Christo diuelli: opto pro salute Iudæorum, non ab amore, sed à beatitudine & gloria Christi, à Christo & cælo, etiam in æternum, si opus sit, exul excludi: depoſco pro eis esse anathema; depoſco esse diris deuotū caput; dempto peccato & charitatis naufragio, depoſco mihi æternum eorum exitium. Opto oroque, Domine, omnia irarum tuarum fulmina Iudæis imminentia, vt eis parcas, in meum caput retorqueas, vibres, effundas, exhaurias,

Me me, adsum qui feci, in me conuertito ferrum.

CAPVT V.

De efficacia & fructu prædicationis S. Pauli.

QVINTO, ex dictis consequitur, admirabilem in Paulo extitisse agendi dicendique efficaciam, qua homines quoquouersùm impelleret. Quid enim nō persuadeat tantus zelus, tam ignita charitas? Si enim magnes ferrum ad se trahit, eamdemque vim ferro communicat, vt aliud ad se ferrum trahat; hoc iterum aliud & aliud, quasi catenam nectendo, ait S. Augustinus, siue hoc fiat vi à polo, ad quem vergit, magneti communicata; siue tamquam à fine, vt ipsum ferrum interna & innata virtute, naturali pondere se libret & moueat ad magnetem, quasi ad centrum suum; seu potiùs, vt passim censent melioris notæ Philosophi, id fiat ex sympathia quadam ferri & magnetis, per potentiam attractiuam in magnete, quæ qualitatem seu vim impellentem imprimat ferro, qua illud ad se impellat & trahat: quidni homines rapiat amor? quidni Paulus sua ardenti charitate omnes sibi Christoque deuinciat? magnes enim amoris est amor; efficaciſſimum philtrum vt ameris, est *ama*.

Magnetis vis.

Charitas silicea magnete potentior.

Pauli de virtutibus differentia efficacia.

Disputante Paulo apud iniustum & incestum præsidem Felicem de iustitia, castitate, & iudicio futuro, tremefactus est præses, quantumuis impius & sceleſtus. Pariter & Festus: *Insanis*, inquit, *Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt.* Cui Paulus: *Non insanio, optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.* Agrippa denique Rex: *In modico*, inquit, *suades me Christianum fieri.* Cui Paulus: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Audi Lycaonios ad Pauli Euangelium & vocem attonitos, Act. 14. *Dijs similes facti hominibus descenderunt ad nos, & vocabant Paulum Mercurium, quoniam ipse dux erat verbi*, illique tamquam Deo sacerdos Lycaonius hostiam parabat, quam eidem sacrificare ni Paulus ipse actio biurgatione prohibuisset.

Quod de Catone Maiore in eius vita refert Plutarchus, eum de tribus tota vita indoluisse. Primò, quòd vnquam secretum credidisset mulieri; Secundò, quòd nauigio iuisset aliquò, quò pedibus ire poterat; Tertiò, quòd vel vno die mansisset intestatus in hac tam breui, fragili incertaque vita: hoc de S. Augustino ferunt, eum tribus maximè delectatum, tria hæc vnicè optasse & desiderasse; Primò, videre Christum in carne cōuersantem; Secundò, cernere Romam in flore, & pristino imperij splendore triumphantem; Tertiò, audire Paulum in sede & cathedra fulminantē. De hisce tribus S. Augustini vocis Rauisius, Lipsius, & alij plures scripserunt. Sanè si scripta Pauli & oratio mortua tantam vim habet ad animos legentium & audientium commouendos; quid fieret, si non Demosthenem, vt Æschines, sed Paulum audisset viua voce & spiritu sua verba resonantem? Potuit vna Paulina vox lecta Augustinum conuertere, quid fecisset integra viuaque oratio? Narrat ipse Augustinus lib. 8. Confess. c. 2. animi sui æstum & duellum; cùm hinc in hæresi & libidine retineretur vinculis inolitæ consuetudinis & voluptatis; inde metu, gratia, ac inspiratione Dei retraheretur; audisse se vocem inclamantem, *Tolle, lege. Tolle, lege*: aperuisse mox librum, ac Deo regente, oculos subitò coniecisse in illud Pauli Rom. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, nōn in contētione & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum.* Qua sententia quasi fulmine ictus Augustinus litem diremit, & ab hæresi ad fidem, à scortatione ad castitatem, non maritalem, sed religiosam, cælibem omnino & intactam vltrò se transtulit, eamque illibatam constanter in omnem omnino vitam conseruauit.

S. Ioannes Chrysostomus Paulum assiduè versabat, & ex eo tantus euasit ecclesiastes, vt Chrysostomus, putà os aureum, dici meruerit. Quare idem Chrysostomus ecclesiastæ futuro non alium magis quàm Paulum legēdum censet. Addo ego, ipsum etiam Chrysostomum Pauli imitatorem eidem diligenter voluendum esse. S. Dominicus illustris Prædicatorum Ordinis caput & fundator, dum suos ad id munus formaret, & Prædicatores institueret, præomnibus iussit, vt S. Scripturam, & maximè S. Paulum assiduè tererent. Ita Fratres ab eo missi ad prædicandum, sola Bibliæ, aut solas Epistolas S. Pauli secum deferebant, indeque tanto spiritu concionabantur, vt plurimos conuerterent ad pœnitentiam. quin & ipse Dominicus Epistolas S. Pauli totas callebat, & memoria tenebat. Atque, quod rarum est & memorabile, ipse S. Paulus apparuit S. Dominico, suum illi offerens librum ad concionandum; itaque eum quasi prædicatorem, & Prædicatorum magistrum, consecrauit, vti refert auctor vitæ eius lib. 2. c. 1.

Similiter S. Thomæ Aquinati S. Dominici alumno & discipulo, atque Doctori Angelico S. Paulus per noctem vigilanti & oranti apparuit, eumque

eumque docuit, atque obscurum Isaiæ locum, qui A *sui humanum genus sub iugum mitteret veritatis.*

plures dies eum torserat, cuiusque explicationem multis ieiuniis & orationibus à Deo postulauerat, explanauit; vt ipsemet socio & scribæ suo Regi-naldo facilitatem dictandi insolitam aduerterit, adeo importunis precibus rogatus, & penè coactus reuelauit. Quocirca ea hora qua mortuus est S. Thomas in monasterio Fossæ nouæ, F. Paulus Aquilinus insigni probitate & existimatione, in visione vidit illum Neapoli in frequenti auditorio prælegentem, & S. Paulum cum multa Sanctorum frequentia ingredientem in scholas. Cùm autem S. Thomas è cathedra descenderet, honoris causa in eius occursum processurus, Apostolus iussit eum pergere in prælectione susceptâ. Scisciabatur verò ex illo S. Thomas, num probè assecutus esset mentem Epistolarum eius. Apostolus respondit: *Quantum quidem assequi potest quispiam in mortali corpore.* & subdidit: *At nunc tamen eò te perducturus sum vbi longè maiori instituaris cognitione & intelligentia.* Atque hæc dicens videbatur illum apprehensa veste secum è scholis educere. Tum verò F. Paulus Aquilinus cœpit clamare fortiter: *Succurrite, Fratres, succurrite: en F. Thomas aufertur à nobis.* Ad quos clamores excitati Fratres exirebant ex eo, quidnam vidisset ita clamitans. Ille autem visionem omnem ordine referente, hora innotatur: & facta diligenti inquisitione animaduersum est, ea ipsa Doctorem sanctum excessisse è viuis. Ita ad verbum habet eius vita. Discant Scholastici à S. Thoma studere S. Paulo, ita pariter eius lumen & opem, præsertim in hora C mortis experientur.

Iam verò eadem prædicandi energia in Paulo, multis aliis capitibus illustrior euadit. Primò, si spectemus inculta noualia, barbaras inquam gentes, quas ipse primus Euangelio subegit, erudiuit, excoluit, expoliuit. *Sic*, inquit ipse Rom. 15. *prædicari Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.*

Secundò, quòd ipse amplissimè Christi fidem Hierusalem ad Illyricum vsque, per omnes intermedias prouincias propagarit. *Non audeo*, inquit ibidem, *aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbis & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum replenerim Euangelium Christi.* Inde ab Illyrico in Italiam & Hispaniam pergens, easdem aliasque prouincias, euangelizando peragrauit. Imò verò S. Irenæus l. 3. c. 1. disertè asserit, Paulum vnà cum Petro Romæ euangelizasse, ac Romanam Ecclesiam (quæ caput & matrix est omnium Ecclesiarum) fundasse.

Denique tota Ecclesia Paulum quasi suum totiusque orbis doctorem colit & indigetat, atque antonomasticè Apostolum nominat. Vnde in Collecta de S. Paulo ita precatur: *Deus qui vniuersum mundum S. Pauli Apostoli prædicatione docuisti.* Quare meritò S. Paulum admiratur Chrysostomus homil. 4. de eius laudibus: *Etenim*, inquit, *hominem ignobilem* (Paulus) *abiectum, & circumforaneum, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressum est, vt vix triginta annorum spatio Romanos & Persas & Parthos & Medos & Indos & Scythas & Æthiopas & Sauromatas & Saracenos, & omne prorsus humanum genus sub iugum mitteret veritatis.*

Tertiò, ex sapientia & spiritu vehementi, quo afflatus & inflammatus Paulus ignes diuinos eiaculabatur, eosque omnibus, etiam potentibus, principibus, & sapientibus mundi aspirabat, & vel inuitos accendebat, atque ad cælestia rapiebat. *Sermo*, inquit, *noster non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* Differi idipsum non potuit Lucianus Paulo coæuus, sed Pauli & Christianorum hostis & sannio, qui in Philopatro ita Paulum pingit & ridet: *Quando autem Galilæus ille recaluaster, naso aquilo, qui in tertium vsque cælum per aërem ingressus, quæ optima & pulcherrima sunt, inde didicit, per aquam nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.* Beatus Cyrillus lib. 3. Dialogorum de SS. Trinitate, Paulum *Christi promptuariũ* B appellat, ex quo scilicet quaslibet Christi opes & dotes depromere possimus. Idem lib. 3. contra Iulianum, asserit Paulum à Iuliano Apostata vocatum esse magum: cui ipse respondet, Paulũ hactenus vocari posse magum, quòd sapienter incantarit Gentiles, eosque ad Christum traxerit concinnitate & efficacia doctrinæ. Quo sensu Clemens Alexandrinus Christum vocat Pæonium medicum, & incantatorem animarum.

Tertiò, quòd diuini spiritus vehementia æstuarit.

Luciani de Paulo testimonium.

Paulus à Cyrillo vocatus promptuarium Christi.

Magus à Iuliano.

De Elia ita scribit Ecclesiasticus c. 48. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui detexisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo: qui audis in Sina iudicium, qui raptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.* Talis fuit Paulus. Cùm rapiendus esset Elias in cælum, obsecrabat eum Elisæus: *Obsecro*, inquit, *vt fiat in me duplex spiritus tuus.* obsecrauit, & impetrauit: *cumq; pergerent, & incedentes sermocinarentur; ecce currus igneus & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Elisæus autem videbat & clamabat: *Pater mi* (quò raperis? tu qui es) *currus Israel, & auriga eius.* Pari modo Paulus quasi alter Elisæus, Christi Domini, quasi veri Eliæ, ascendentis in cælum, duplicem videtur obtinuisse spiritum. E cælo enim à Christo vocatus, imò ad cælum raptus est Paulus; indeque rediit, quasi ignis, vt verbum eius quasi facula arderet, vt meritò illi pariter acclamare liceat: *Pater mi, currus Ecclesiæ & auriga eius*: tu solus vniuersum orbem, quasi pater, charitatis visceribus, voce animoque complexus, tamquam auriga, Euangelij tui curru in cælum subuexisti.

Comparatio Pauli cũ Eliseo.

Hoc ipsum, imò amplius asserit Chrysostomus D hom. 4. de laudibus S. Pauli: *Sicut*, inquit, *radiis Solis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures & latrones: sic prædicatione fulgente, & Euangelium disseminante Paulo, fugabatur error, veritas q; remeabat; idololatria, ebrietates, comessationes, stupra, adulteria, aliaq; dictu fœda defecerunt, atque consumpta sunt, instar cereæ ignis vapore pereuntis, & instar palearum, quæ subito cremantur incendio.*

Effectus prædicationis Pauli.

CAPVT VI.

De S. Pauli martyrio.

SEXTO, nobilis fuit Pauli mors & martyrium multis nominibus. Primò, quòd illud constantissimè subierit sub Nerone Cæsare, cuius crudelitas omnibus historiis celebratur. Rursum, quòd Romæ passus sit in conspectu totius orbis. *Tunc*, inquit Tertullianus in Scorpiaco cap. 15.

Nobilitas mortis Pauli.

Paulus

Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem, cùm illic martyrij renascitur generositate. Ad hæc, quòd cum B. Petro Apostolorum Principe, eodem anno & die occisus sit.

Causa mortis Pauli, quòd vnà cum Petro Simonem Magum superauit.

Secundò ex causa. Passim enim veteres tradunt, Petrum & Paulum cum Simone Mago Romæ decertasse, ac de eo triumphasse, adeoque illum arte magica in cælum euolantem suis precibus deiecisse, illique crura elisisse, ita vt sanguine eius Nero, cui Simon ob magicas præstigias erat in deliciis, aspersus fuerit. Vnde Suetonius in Nerone c. 12. narrans à Nerone in theatro exhibitum spectaculum, quo icarius hic exhiberetur volatus, sic ait: *Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumq; cruore respersit.* Hac de causa in Petrum & Paulum, quasi Simonis sui antagonistas, infensus Nero, eos ad necem persecutus est. Altera, & Paulo propria causa fuit, quam enarrat S. Chrysostomus lib. 1. aduersus Vituperat. vitæ monasticæ: *Paulus*, inquit, *pellicem Neronis, quam ille deperibat, cùm induxisset fidei ac religionis sacramenta suscipere, persuaserat vnà incestum illum impurumq; congressum declinare: hac ille crimina obiectans, corruptoremq;, nequam, flagitiosum ac nebulonem Paulum vocitans, primùm coniecit in vincula; cùm verò vt puellæ eiusmodi monita atque consilia dare desineret, persuadere non posset, eumdem necauit.* Pro castitate ergo æquè ac pro fide Paulus Martyr occubuit.

Altera mortis causa, quòd pellicem Neroni detractam Christo & castimoniæ asseruerit.

Ceruicibus Pauli decollati lac manauit.

Tertiò, quòd Paulus præcisa ceruice, pro sanguine lac profuderit; symbolum vtique innocentiæ & castitatis, pro qua tuenda moriebatur. Huius rei certus testis est S. Ambrosius serm. 68. cùm ait: *De Pauli ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia, in ipsa cade extitisse splendidum potiùs, quàm cruentum. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait, Lac vobis potum dedi?* Sanctus quoque Chrysostomus orat. in Principes Apostolorum: *Beatus*, inquit, *Paulus cui caput ense præcisum est, vir, cuius laudes verbis exprimi nequeunt: at cuiusmodi ensis illius guttur, Dominicum, inquam, instrumentum, cælo suspiciendum, & terra tremendum, peruasit? qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit: qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum sociis ad fidem traduceretur, ita affecit.* Nimirum in Paulo adimpletum est illud Ieremiæ: *Nazarei eius candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.*

In morte Pauli carnifices conuersi:

Quartò, quòd, vt ait hîc Chrysostomus, Paulus suos carnifices, sua lactea nece, ad Christi fidem conuerterit. Addit Martyrol. Romanum, Beda, Vsuardus, & alij, Paulum cùm duceretur ad mortem, tres milites apparitores conuertisse, putà

item milites tres.

Longinum, Acestum, & Megistum, vt habent acta SS. Nerei & Achillei, quos idem Nero martyrio affecit secunda Iulij, qua die eorum memoria in Menologiis & Ecclesia recolitur.

Resecti capitis saltus tres fontes elicuit.

Quintò, quòd resectum Pauli caput tres in terra quasi saltus dedit, & quolibet saltu è terra fontem elicuit, vnum lactei, alios alterius saporis: cuius rei hanc dant causam, quòd Pauli ceruix resecta primò lac, deinde sanguinem dederit. Celeberrimus est hic Romæ locus trium fontium, qui omnium peregrinorum concursu visitur.

Sextò, quòd Pauli sepulchrum quasi nobilissimum victoriæ trophæum, totius orbis peregrinatione, & Christianorum vndequaque concursu celebretur, vti pluribus dicam c. 8.

Porro Chrysostomus Pauli studiosissimus æquè ac peritissimus, loco iam citato asseuerat, Paulum occubuisse anno ætatis suæ sexagesimo octauo: quare cùm occubuerit anno Neronis 13. vt communior & verior habet Chronologorum sententia; sequitur, eum occubuisse anno 34. à sua conuersione, anno verò 36. à passione Christi: tot enim annos, scilicet 36. inuenies, si ab anno Neronis 13. retrocedas, & computes ad annum Tiberij 18. quo passus est Christus: secundo autem anno à passione Christi conuersus est Paulus. Rursum, si Paulus conuersus ad Christum 34. annos laborauit pro Euangelio, & anno ætatis 68. occubuit: sequitur, eum ad Christum esse conuersum pariter anno ætatis suæ 34. vt totidem annos vixerit post conuersionem, quot ante: si enim duplices annos 34. conficies 68. quæ est integra ætas vitæ S. Pauli. Alij volunt Paulum conuersum esse anno ætatis 25. eò quòd à Luca vocetur adolescens in lapidatione S. Stephani. Verùm pro *adolescens*, græcè est νεανίας, id est iuuenis, item homo audax, iuuenili audacia & ferocia præditus, qualis erat Paulus anno ætatis 34. Quæ fuerit Pauli forma & statura, dicam 2. Corinth. 10. v. 10.

Prætereo quod scribit Nicephorus lib. 2. c. 36. Paulum tertio die à martyrio Neroni, vti ei prædixerat, apparuisse in visione, eique professum esse non esse aliam viam ad salutem, quàm fidem in Iesum Christum: eaque visione mirè consternatum fuisse Neronem. Porro de loco sepulchri S. Pauli diuinitus designato, deque Orientalibus eius corpus asportare volentibus per tonitrua & fulgura deterritis, audi S. Gregorium libr. 3. epist. 30. *De corporibus verò beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet, quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut ciuium suorum repeterent? Quæ ducta vsque ad secundum vrbis milliarium, in loco qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, vt talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, eorum corpora leuarunt, & in locis quibus nunc sunt condita, posuerunt.*

Denique locus martyrij Pauli post eum ita nobilitatus est, vt plurimi Martyres ibidem cæsi sint, fueritque quasi communis Christianorum lanicna, vt iure Martyrium nuncupari possit. Aiebant Christiani ibidem sanguinē profundere, vbi Paulus eorū doctor suum profuderat. vt alios taceam, ibidem S. Zeno dux cum decem millibus militum, glorioſum pro Christo agonem & mortem obiit. Cùm enim Diocletianus & Maximianus eos, quia Christiani erant, ad lutum, lapides & lateres conuehendos in fabricam thermarum suarum damnassent; ea consummata, timentes ne ob numerum seditionem concitarent, omnes ad Aquas Saluias duci & capite plecti iusserunt. Celebrat Ecclesia eorum diem natalem in Martyrologio 9. Iulij. Quocirca ibidem locum monasterio suis adaptando delegit, & à Pontifice dono accepit S. Bernardus, in eoq; primum Abbatē creauit tum, qui postea Sūmus Pontifex creatus, Eugenius III. appellatus est, ad quem & scripsit libros de Considera-

silentione. Hic itidem vidit S.Bernardus, quasi
A
uiderit Iacob, scalam ascendentium angelorum &
descendentium: nimirum angeli tuentur locum,
vbi Angelus ille cœlestis potiùs quàm terrestris,
pro S.Paulus corpus pro Christo exuit, ac ad an-
gelos euolauit. Loco ergo hoc ciuis sui, qui tot an-
gelos effecit homines, iure delectantur, & ad
eum frequentandum colendumque S.Bernardum, om-
nesque Christianos inuitarunt, & inuitant: in cuius
rei memoriam ibidem sacellum ædificatum est,
quod Scala cœli appellatur: vbi pro animabus è
Purgatorio liberandis, Pontifices amplas indul-
gentias concesserunt. Hæc omnia templum, imò
ea templa visitantibus, & tabellas iuxta altare, in
quibus hæc omnia descripta sunt, æquè ac Anna-
les Romanos legentibus, notissima & certissima
B
sunt. Tribus enim templis locus hic S.Pauli deco-
ratus & consecratus est: Primo, S.Pauli; Secundo,
S.Vincentij & Anastasij; Tertio, quod dicitur *scala
cœli*, ob visionem S. Bernardi quam iam recensui.
Omitto basilicam imperatoriam, quam Constan-
tinus Magnus non longè à loco martyrij, in ho-
norem S.Pauli ædificauit, in qua corpus S.Pauli
à S.Siluestro Pontifice conditum est, de qua c. 8.

CAPVT VII.

De miraculis S. Pauli.

SEPTIMO, miraculis maximis & plurimis Paulus
excelluit. Pauca ex iis recenset Lucas in Actis;
sed vnica ex iis verbo perstringit dicens Act. 19.
v. 11. *Virtutesq; non quaslibet faciebat Deus per ma-
nus Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à
corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab
eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Addit
Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Rom. Paulum
sua verbo non tantùm morbos, æquè ac Petrum
depulisse, sed etiam mortuos suscitasse.

Linguarum dono eminuit Paulus: licet enim
illud in Pentecoste, vtpote necdum conuersus,
cum cæteris Apostolis non acceperit, tamen post-
ea specialiter à Christo infusum adeptus est: hoc
enim ipsi, qui omnium gentium futurus erat do-
ctor, necessarium erat ad euangelizandum tota
Syria, Asia, Græcia, Macedonia, Achaia, Italia, Hi-
spania. vnde ipse 1. Corinth. 14. 18. *Gratias*, inquit,
ago Deo meo, quòd omnium vestrum lingua loquor.

Prophetiæ spiritus maior fuit in Paulo: Chri-
stus enim qui Paulum primò sua præsentia con-
certè Actor. 9. eum deinde per omnem viam &
C
etiam ita direxit, vt non tam Paulus, quàm Chri-
stus per Paulū omnia gessisse videatur. ita Troade
in Macedoniam per visionem eum euocauit, Ac-
tor. 16. *Visio*, inquit Lucas, *per noctem Paulo ostensa
erat Macedo quidam erat stans, & deprecans eum,
& dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos: vt au-
tem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Mace-
doniam certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare
eis.* Christus verò ita frequens apparuit Paulo, vt
familiaris, in grauiori quolibet casu occurreret
& assisteret. ita Actor. 18. Corinthi per visionem
dixit Paulo: *Noli timere, sed loquere, & ne taceas: pro-
pter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, vt no-
ceat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuita-
te.* In Christo monente & adiuuante, periculum
D
insidias Iudæorum Hierosolymæ euasit, Actor.
22. v. 17. *Factum est*, inquit ipse, *reuertenti mihi in Ie-
rusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis,
& videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter
ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum
de me. Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.*
Rursum Actor. 23. cùm Hierosolymæ captus esset
Paulus, *nocte astitens ei Dominus ait: Constans esto;
sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet
& Romæ testificari.*

Pari modo in naufragio Adriatico, submisso
angelo affuit ei, eumque, & propter ipsum, 276.
animas certo mortis periculo liberauit. Actor. 27.
Nunc, inquit ipse, *suadeo vobis bono esse animo: amis-
sio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam nauis.
Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego,
& cui deseruio, dicens: Ne timeas, Paule, Cæsari te opor-
tet astare: & ecce donauit tibi Deus omnes qui navi-
gant tecum.* Sic cùm sisteretur quasi reus Neroni,
2. Timoth. 4. 16. *In prima*, inquit, *mea defensione ne-
mo mihi affuit, sed omnes me dereliquerūt. Dominus au-
tem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædica-
tio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus
sum de ore leonis.*

Quid multa? vnicus ille raptus in tertium cæ-
lum, quem soli Paulo, nulli alteri Apostolorum
vel Prophetarum, concessum legimus, luculētum
perhibet testimoniū prophetiis & ecstasibus Pau-
li. Rursum, plures alias reuelationes habuisse Pau-
lum, eaque pressisse silentio, manifestum est ex eo,
quòd ipse ait 2. Corinth. 12. *Veniam ad visiones &
reuelationes Domini.* & post enarratum sui raptum:
Si, inquit, *voluero gloriari, non ero insipiens: parco au-
tem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me: &
ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi
stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.*

Mortuos suscitauit Paulus, vti Eutychum ado-
lescentem illum, Act. 20. qui in concione Pauli in-
dormiens, lapsusq; ex alto expirauit. Super quem
Paulus incumbens, eumque complexus dicit: *No-
lite turbari, anima enim eius in ipso est.* De suis hisce
miraculis scribens 1. ad Thessalonicenses Paulus,
statim initio: *Euangelium*, inquit, *nostrum non fuit ad
vos in sermone tantùm, sed in virtute, & Spiritu sancto,
& plenitudine multa.* & 2. Cor. 12. *Signa*, inquit, *apo-
stolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in
signis, & prodigiis & virtutibus.* Mox vt à Spiritu
sancto Paulus segregatus, designatus & missus est
euangelizare Gentibus, cùm Paphum peruenisset,
primum edidit miraculum, quo suam vim & po-
tentiam non tantùm in homines, etiam magos, sed
vel maximè in dæmones ostendit, eosque subegit
& compescuit. Elymam magum, qui Paulū Pro-
consulem à fide auertebat, intuens Paulus dixit:
*O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice
omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas.
& nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non
videns solem. & confestim cecidit in eum caligo & te-
nebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret. tunc
Proconsul credidit, admirans super doctrina Domini.*

Lycaonij verò videntes miracula Pauli, stupe-
facti exclamarunt, eum esse Deum, Actor. 14. Pari
modo Melitenses, cùm vipera inuasisset manum
Pauli, Actor. 20. putarentque eum mox veneno
eius inflandum, & enectum iri, videntes eum vipe-
ram excutere, nihilque ab ea lædi, dicebant eum
esse Deum, & inuiolabile numen.

Atque hic aduerte memorabile continuumque
miraculum, quod Deus insulæ Melitæ, siue Mal-
tæ, ab eo tempore ob S.Pauli merita concessit; vt
scilicet in ea insula serpentes & scorpiones, qui
alibi

Naufragāti Paulo adest angelus.

Raptus in tertium cælum.

Reuelationes Paulo factæ.

Mortuos suscitauit.

Primo Pauli miraculo victus Elymas magus.

Viperam illæsus è manu excutit.

Malta in gratiam S. Pauli venenatis animalibus caret.

alibi sunt letales, Pauli munere sint innoxij; adeoque vt quæuis animalia venenata, etiam aliunde transportata, venenum in Melita ponant, nocendique facultate destituantur; quin & glebæ eiusdem insulæ contra venena antidotum præbeant, quam insulani gratiam S. Pauli nominant; qua Paulus siniſtrā, quam de eo quasi scelerato, quòd à vipera inuaderetur, opinionem conceperāt Melitenses. in perpetuum aboleuit, atque hospitij sui beneuolentiam compensauit. nam ante hoc Pauli factum viperas alioſque serpentes in Malta, æquè ac alibi noxios fuisse, patet ex eo, quòd insulani putabant Paulum à vipera correptum, mox extinguendum esse. Ita mihi Romæ narrarunt & asseuerarunt nostri Patres Siculi, addentes, hanc vim maximè sentiri in gleba, & fruſtis lapidis decisis ex carcere Melitensi, in quo transiens hospitatus fuit S. Paulus: quocirca eadem Romam asseruntur, & distribuuntur; vti & mihi ab iisdem pars istius lapidis candidi instar cretæ, distributa & donata fuit.

Nati in festo Conuersionis sancti Pauli venenatis medētur morsibus.

Addit Alanus Copus dialog. 3. c. 28. eos quos nasci contingit in festo Conuersionis S. Pauli, putà 25. Ianuarij, quæcumque eos orbis pars in lucem proferat, non horrere nec formidare angues; imò, quod maius est, sola saliua horum morsibus mederi. Idem asseuerat, & ex certa experientia confirmat vir egregiè doctus & exactus, Thomas Fazellus de rebus Siculis, decade 1. libr. 1. cap. 1. Est genus hominum, qui se de cognatione Pauli temere & falsò venditant: hi quoque angues contrectant, nec ab eis læduntur: verùm compertum est, istos contra anguium morsum, antidotis efficacibus se præmunire.

Porro ostenta & prodigia à Paulo post mortem multa sunt edita. Pauca è multis afferam. S. Paulus cum S. Petro apparens Constantino Magno Imperatori curationem à lepra ei promisit, si curaret se baptizari à S. Siluestro, & superstitionem omnem abiiceret, ac Christo templa ædificaret. Fecit imperata Constantinus, promissum præstitit Paulus, eumque sanum & purum sibi & suis restituit. Quare Constantinus insignem basilicam in gratiarum actionem nomine S. Pauli erexit, de qua cap. 8. Ita ex monumentis Romanæ Ecclesiæ narrat Baronius in gestis Constantini.

S. Ambros. libr. 7. epist. 53. narrat sibi vigilanti apparuisse S. Paulum, & reuelasse corpora S. Geruasij & Protasij Martyrum, dicendo: *Isti sunt qui monitis meis obtemperantes, prædia & diuitias respuentes, secuti sunt Domini Iesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihil carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi vrbe per decem annos in Dei seruitio perdurantes, ad hoc pertingere meruere, vt Christi Martyres fierent. Quorum corpora in eo loco inuenies, in quo stas & oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam arcam inuenies, quam arcam superiùs exaltabis, & in nomine eorum ecclesiam fabricabis.* Quæ omnia reipsa expleſse se narrat S. Ambros.

Insigne est quod refert S. Gregorius lib. 3. Dialog. c. 29. de quodam Arriano Episcopo templum S. Pauli inuadente, ab eo excæcato. *Cùm ad Spoletanam*, inquit, *vrbem Longobardorum Episcopus*, scilicet Arrianus, *venisset, & locum illic vbi solemnia sua ageret, non haberet; cœpit ab eius ciuitatis Episcopo ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod dum valdè Episcopus negaret, idem qui venerat Arrianus beati Pauli Apostoli ecclesiam illic cominus sitam, se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod eiusdem ecclesiæ custos audiens festinus cucurrit, ecclesiam clausit, seris muniuit. Facto autem vespere lampades omnes extinxit, seq; in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crepusculo Arrianus Episcopus collecta multitudine aduenit, clausas ecclesiæ ianuas effringere paratus: sed repentè cunctæ simul portæ diuinitus concussæ, abiectis longiùs seris apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia ecclesiæ claustra patuerunt. Effusoque desuper lumine omnes quæ extinctæ fuerant lampades, accensæ sunt. Arrianus verò Episcopus, qui vim facturus aduenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienus iam manibus ad suum habitaculum reductus. Quod cùm Longobardi in eadem regione positi omnes agnouerunt, nequaquam vlteriùs præsumpserunt Catholica loca temerare. Miro enim modo res gesta est, vt quia eiusdem Arriani causa lampades in ecclesia beati Pauli fuerant extinctæ, vno eodemq; tempore & ipse lumen perderet, & in ecclesiam lumen rediret.*

B. Greg. Turon. lib. de Gloria Mart. c. 29. narrat quemdam ex desperatione volentē se strangulare, ac opem S. Pauli implorantem, ab eo fuisse liberatum, mentique & vitæ meliori redditum.

Alberto Magno torquenti se in quibusdā locis difficilibus S. Dionys. de Eccles. hierarch. cùm ea elucidare nō posset, apparuit per visionē S. Paulus quasi Missam celebrans, ac post Missam duxit Albertum ad aquas profundas instar illarum Ezechielis c. 47. 5. & ad domum Aaronis: cumque eo aquas sicco pede transeunte Albertus ab eo imitatus sequi, easque tranare non posset, euigilauit, ac resolutionem dubiorum suorum, mentem Apostolo illustrante accepit. vti ipsiusmet Alberti verbis narrat Ludouicus Castiglius grauis auctor in historia Ordinis S. Dominici p. 1. l. 3. c. 47. Illustra & mentem meam, ô S. Paule, vt profundum hoc mare tuum, & S. Scripturæ Oceanum intelligendo & explicādo penetrare ac permeare valeā.

De reliquiis S. Pauli missis in Gallias, quarum ope nauigantes euaserūt naufragium, narrat idem Gregorius Turonensis de Gloria Martyr. cap. 83. Quin & catenæ & carcer Apostolorum etiamnum miraculis coruscant. Catenæ S. Petri integræ visuntur in basilica, quam in earum honorem augustam exstruxit Eudoxia Imperatrix. Sanè sæpiùs eas vidi & collo imposui, ac semper ingenti deuotionis & dulcedinis internæ spiritu perfundi me sensi. Catenarum S. Pauli, vti & scipionis, siue baculi eius viatorij pars ostenditur in basilica S. Pauli, ipso conuersionis eius die. Carcer Mamertinus ad radices Capitolij, in quem à Nerone concluſi fuere Petrus & Paulus, nunc in sacellum conuersus, quotidie ab indigenis, vti & à Romipetis ingenti concursu & veneratione visitur, ac spirat afflatúque deuotionem. Exstat in eo etiam eum aqua & fons, quem S. Petrus orans per miraculum elicuit, vt S. Processum & Martinianum, custodes carceris, à se conuersos, baptizaret: ex quo quotidie hauriunt peregrini, ac à febribus, aliisque morbis liberantur.

Memorat Nicetas libr. 1. Andronicum Comnenum Imp. S. Paulo auream erexisse imaginem in templo quadraginta Martyrum, eamque ante mortem Andronici, quasi eam protenderet, lachrymatam esse. terserunt famuli lachrymas imaginis: illa vberiores profudit, quasi viuens in ea Paulus, ex visceribus misericordiæ, Imperatorem in se pij, licet aliàs impij, necem doleret & fleret.

C

CAPVT VIII.

De S. Pauli fama & gloria.

OCTAVÒ, quanta sit & fuerit Pauli fama & gloria, colligi potest Primò, ex ijs, quæ hactenus dicta sunt. Secundò, ex eo, quòd, sicuti Moses Hebræorum, ita Paulus Gentium habitus & vocatus sit legislator & doctor. Tertiò, quòd Petrus & Paulus censeantur duo Ecclesiæ principes. Vnde S. Augustinus li. 1. de Consensu Euang. c. 10. affirmat olim moris fuisse, vt in qua tabula Christi effigies picta extaret, in eadem hinc inde Petrus & Paulus quasi Apostolorum duces, appingerentur. Sic etiamnum videmus in altaribus Paulum Petro appingi, idque à dextris Petri, cuius rei varias causas afferunt Illustrissimi Cardinales Bellarminus & Baronius.

Pulchrè Venantius Fortunatus li. 3. Carm. Paulum cum Petro ita comparat & combinat:

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Hos tenet Paulus, fulgurat arce Petrus.
Iste Apostolicæ radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum:
Quos docet ille stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cæli hic dogmate, claudibus alter:
Ejus in hos Paulus, ianua fida Petrus.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quæ fidei turres Vrbs, caput orbis, habet.

Vide S. Leoloquens de SS. Petro & Paulo serm. 1. Duo, inquit, *ista præclara diuini germinis semina, in quorum sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum probatur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum, vbique vestram purpuratis & longè lateq; rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum consorto vno diademate coronarunt.* Et de ijsdem inferius, *In horum excellentia Patrum meritò est excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantum auxit, vtero omnia Ecclesiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constituerit lumen oculorum: de quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil dignum, nihil debemus sentire discretum; quia illos & diuina pars, & labor similes, & finis fecit æquales.*

Et S. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Rom. *Ego,* inquit, *Romam propterea diligo, tametsi & aliunde eam laudare quam, nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à diuitiis, à bellis & triumphis. Sed relictis omnibus illis, ob id illam beatam prædico, quòd erga Paulum, dum viueret, adeò fuit benevolus, adeò illos amauit, coram disseruit & postremò vitam finiuit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis, plusquam à reliquis omnibus, & sicut corpus magnum ac validum duos habens oculos illustres, Sanctorum videlicet illorum corpora. Sic ista ciuium splendescit, quando radios suos sol ex sese demittit, sicuti Roma duas illas lampades vbique terrarum effudit. Considerate quale spectaculum visura sit Roma in resurrectione: hinc rapietur Paulus, inde Petrus in occursum Domini. Propterea celebro hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neq; propter aliam pompam, sed propter columnas illas Ecclesiæ.*

Quartò, quòd ad Paulum, Pauliq; sacras reliquias venerandas, è toto orbe Christiani Romã confluant. Audiatur Chrysostomũ hom. iam citato, ad Pauli sepulchrum suspirantem: *Quis mihi det circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro vtique pulueri illius corporis illius quæ adhuc in Christi corpore implentis, stigmata illius gestantis, prædicationem in epist. Pauli.*

A *cationem Euangelij vbique seminantis, pulueremque inquam oris illius per quod Christus locutus est, & paulò pòst: Vellem vid re sepulchrum quo reconditæ sunt arma iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tunc verò cùm in hac vita essent, mortua.*

Testatur S. August. serm. 28. de Sanctis sub fin. & epist. 42. quòd Christiani Impp. reddita iam pace Ecclesiæ, ad sepulchra hæc Petri & Pauli se venerabundi abijciant, & ibi radient gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia flectentibus gerua concessa. *Nam & ipse ille,* inquit Augustin. *purpura indutus peregrè proficiscitur sepulchra illa complexurus, & fastu depositio contingit Sanctos, rogans vt sibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum opificem & piscatorem patronos, etiam mortuos, deprecatur ille diadema gestans.* Ita Galla Placidia Theodosij Imper. vxor, epist. ad Pulcheriam Augustam scripta testatur, se Romam iuisse non aliam ob causam, quàm vt sacra Apostolorum limina viseret & veneraretur. Idem fecerunt alij reges & principes. Vnde S. Chrysost. homil. quòd Christus sit Deus: *Relictis,* inquit, *omnibus ad sepulchra piscatoris, & pellionis (scenopegi Pauli) currunt & reges & præsides & milites. Et in Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur.* Et in 2. ad Timoth. hom. 4. *Nullus,* inquit, *ex Romanis regibus tanto in honore fuit, quanto hic est (Paulus,) cæterùm Imperator foris alicubi iacet abiectus: hic autem velut viuens & regnans medium vrbis tenet. longè Imperatore clarior est & honoratior pellium sutor.* Quinimò, vigente & feruente persecutione, hæc sepulchra ex Oriente & Occidente, etiam cum capitis periculo, adibant certatim Christiani. Ita ex Perside venisse constat Martham, Marium, & Audifacem temporibus Claudij Imp. ad limina Petri & Pauli, atque suæ peregrinationis præmiũ retulisse martyrium, quorum dies natalis sacris fastis adscriptus, in Ecclesia recolitur 19. Ianuarij.

Imperatores Petri & Pauli sepulchra venerantur.

Galla Placidia Imperatrix.

Reges.

Christiani antiqui.

Porro solent fideles ad sepulchra SS. Petri & Pauli venerabundi, planè in terram se prosternere, pauimentũ osculari, & toto quasi corpore proni eis supplicare. Neque id soli plebeij faciunt, sed & viri graues ac Prælati: vti Cardinalem Baroniũ quotidie ea visitasse, ac supplicem toto corpore procubuisse humum deosculando vidit & laudauit tota Roma. Neque id recens & nouum: vetus fuit ille fidelium mos. Romipetæ enim in terram procidui, limina Apostolorum osculabantur. Ità Prudentius in hymno S. Laurentij canit:

Apostolorum ac Martyrum
Exosculantur limina.

Et in hymno S. Hippolyti:

Oscula perspicuo figunt impressa metallo.

Sidonius Apollinar. lib. 1. epist. 5. de se ita scribit: *Triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris malè fortibus explosum esse languorem: post quæ cælestis experimẽta patrocinij conducti diuersorij parte susceptus,* &c. Idipsum docet S. Chrysostom. loco iam citato: quin & hom. 30. in epi. 2. ad Corinth. ait fideles solere ianuas & vestibula templi deosculari: & Cassiodorus, Hist. Tripart. lib. 9. 30. & Fortunatus lib. 4. de vita S. Martini:

Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe,
Fusus humi supplex.

Et Arator Histor. Apost. li. 2. agens de Philippensi templo in honorem S. Pauli:

Quàm bene carcer erat: tota concurritur vrbe,

Qui primus noua tecta petat, quibus oscula figat
Postibus, & tacta sacretur parte cylindri.

Petrus Aruernus Venerabilis lib. 1. de Ecclesijs, agens de liminibus Apostolorū: *Ab eisdem*, ait, *fidelibus dulcissimè ac deuotissimè deosculantur.* Causam dat S. Hieronymus scribens nomine Paulæ & Eustochij ad Marcellam: quia in his *Petrus & Paulus Christiani exercitus duces, sanguinē fudēre pro Christo.* Quin & Paganos in graui clade aut causa idipsum factitasse docet Arnobius lib. 1. *Cùm per omnia supplices irent templa, cùm deorum ante ora prostrati, limina ipsa conuerrerent osculis.* Et Tibullus:

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Miracula ad reliquias S. Pauli.

Audi quid S. Gregorius scribat lib. 3. epist. 30. Constantiæ Augustæ, quæ in honorem S. Pauli ecclesiam in palatio ædificauerat, ad eamque reliquias S. Pauli sibi mitti petebat. *Corpora*, inquit, *S. Petri & Pauli tantis in ecclesijs suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Ego ad sacratissimum corpus S. Pauli aliquid meliorare volui: & quia necesse erat, vt iuxta sepulchrum huiusmodi effodi altius debuisset; præpositus loci ipsius ossa aliqua, non quidem eidem sepulchro coniuncta, reperit: quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis subita morte defunctus est.* Subdit S. Gregorius Orientales fideles voluisse tollere corpora SS. Petri & Pauli; sed per fulmina fuisse dispersos, vti cap. 6. recensui. vnde concludit: *Quis ergo nunc, serenissima Domina, tam temerarius possit existere, vt hac sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere?* Denique ne Augustam vacuam dimittat: *De catenis*, inquit, *quas ipse S. Paulus in collo & in manibus gestauit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere curabo; si tamen hanc tollere limando præualuero.*

Basilica S. Pauli.

Quintò, Constantinus Imp. basilicam S. Paulo Apostolo ex suggestione S. Siluestri, inter viam Ostiensem & Tiberim erexit, & sanctum eius corpus ita recondidit in ære & conclusit, sicut condiderat S. Petri in eius basilica: atque ingentia eidē dona obtulit, quæ recensēt Baronius anno Christi 324. pag. 214. & 206. imò ipsemet Constantin. epist. ad Cathol. quæ habetur tom. 1. Concil. ait, se corpora Apostolorum Petri & Pauli in electro conclusisse: *quia*, inquit, *electro nulla præualet materia elementorum.* vnde Plinius asserit electrum esse pretiosius auro. Hanc basilicam postea Valentinianus iunior Imp. amplissimam effecit anno Christi 386. Extat Valentiniani hac de re rescriptum ad Sallustium præfectum Vrbis l. 2. de decur. Vrb. Roman. Cod. Theodos. Eamdem basilicam in expugnatione Romæ venerati sunt Gothi, vt eò cōfugientibus pepercerint: immò ipsimet Gothi S. Marcellam eusq; filiam Principiam, sanctissimas feminas atque cognitas, ad S. Pauli basilicam perduxerunt, vt custodirentur intactæ, vti refert S. Hieronym. epist. 145. ad Principiam. Eadem basilica postea magnis donis ornata est à S. Gregorio, & à Sergio Pontifice, qui & hospitium S. Pauli Romæ in ecclesiā conuertit: quæ etiamnū extat, estque vicina Collegio nostro Romano. vt multum mihi gratuler, quòd in vicinia S. Pauli habitem, eumque assiduè cominus quasi intuear; ac vocatur *Ecclesia B. Mariæ in via lata.* Plurima alia magnificētissima templa in Italia, Hispania, Germania, Gallia, Anglia, Belgio, & alijs prouincijs in honorem S. Pauli exædificata scimus.

Quinimò S. Paulo memoriam, & trophea à martyrio fuisse erecta, putà ecclesiam ab Anacleto Pontifice, eamq; sæuientibus persecutionibus perduratsse, magisq; inclaruisse docet ex Eusebio & alijs Baronius anno Christi 106. in fine. Ex tot etiam priscis Principum Romanorū stolis & trophæis, Dei prouidentia factum est, vt hæ ingentes columnæ marmoreæ remanserint, Antonini Imp. vna, altera Traiani, vtriusque victoriis & triumphis insignes & cælatæ, quibus duæ Ecclesiæ columnæ à Sixto V. Pontifice imponerentur. Itaque columnæ Antonini statua ex auricalco coruscus insistit S. Paulus, Traiani S. Petrus. Vtraque adeò est illustris, vt in orbe nihil sit simile, siue materiam spectes, siue altitudinem (Traianum enim est 128 pedum), siue cælaturam, siue amplitudinem, siue cochleam, qua ab imo ad culmen per 185. gradus introrsum ascenditur; siue culminis coronicem, eiusque peribolum & cancellos, quæ tam vasta sunt, vt plures simul circumeuntes inambulare, & liberè expatiari possint. Pari modo obeliscus Augusti Cæsaris S. Petro cessit, ac hodie ante eius basilicā erectus instar trophæi vel pyramidis triumphalis consistit: vnde à cuius D. Petri Aguglia nuncupatur. Ita S. Petrus Augustum & Traianum, S. Paulus Antoninū suo solo deiecit. Nam & hic Antonino cognomento Pio, reuera impio, in immensum fuit pientior: & ille Traiano fuit melior, Augusto felicior. Nimirū hæ sunt duæ columnæ, *Iachin* & *Boos*, quas Salomon ante templū erexit, 3. Regum 7. 21. *Iachin* enim, id est, directio & regimē, notat S. Petrū, Ecclesiæ Principē & rectorem: *Boos*, id est, fortitudo & fortis executio, notat S. Paulum, doctorē Gentium.

Denique S. Chrysostomus hom. 8. de laudibus S. Pauli, in fine tomi 3. Paulum rerum gestarū gloria vniuersos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Sanctosq; omnes antecelluisse asseuerat. Cui inquit, *te, ô sancte Paule, iustorum veterū, vel noui Testamenti audeam comparare? omnium quippe virtutes quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cumulo condidisti. Denique etiamsi totum contra te aliquis sigillatim iustorum appendat chorum, inuenict tuam virtutū ponderibus à tua parte depressam. Paulus vel secundus Abel, verùm non semel, sed per dies singulos immolatus: Paulus alter Noë, sed absque arca insurgens aduersus se vndas impietatis enauigans: Paulus alter Abraham, non modò à patria, vel gente, sed post voluntatem suam, ab ipsa etiam vita prorsus abscissus: Paulus alter Isaac, sponte in hostiam colligatus: Paulus alter Iacob, quasi pro vno quodam totius mundi grege semper inuigilans: Paulus alter Ioseph, spirituali fame laborantis mundo veritatis alimenta distribuens: Paulus alter Moses, qui omnes gentes à tyrannide diaboli educens ad Christum.* Non hīc sistit S. Chrysostomus, sed plures & plura. *Paulus alter Aaron, totius mundi populis munctus sacerdos: Paulus alter Phinees, impuritatem Iudæorum atque Gentilium, quasi fornicationum mentiū vno fidei mucrone confodiens: Paulus alter Dauid, qui velut quendam Goliam in certamen diabolum prouocat: Paulus alter Elias, clarius raptus in cœlum: Paulus alter Eliseus, qui Gentes ab interiore lepra vel lutione purgauit: Paulus alter Ezechias, qui ad vnam fidem Christi diuersos populos attraxit: Paulus alter Isaias, qui abominationes Gentilium dissipauit ac perdidit: Paulus alter Ioannes pro Christo capite truncatus.*

Pau-

Paulus alter Petrus, de cælo vocatus ad Euangelium: Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis gentibus nuntiauit: Paulus alter Michaël, qui Christianorum domos sortitus est. Etiamsi angelorum, etiamsi iustorum hominum circumuolem choros, non inuenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat.

ORATIO AVCTORIS AD D. PAVLVM.

ASPICE nos ex alto S. Paule: tu enim es deliciũm animæ nostræ. Suscipe has, exiguas licet primitias operum nostrorum, immò tuorum, quæ tibi toto animo offerimus & reddimus. Impetra clienti tuo maiorem indies sapientiam, lucem & gratiam, vt stadium hoc biblicum decurrere, & vtrumque Testamentũ à te toto orbe prædicatum, tuamq; ac Christi gloriam illustrare, ac sudore, quin & sanguine meo obsignare valeam. Hanc lauream, hanc vnam laborum meorum omnium mercedem, à te enixè efflagito. Fiat in me, obsecro, hic spiritus tuus duplex. Da nobis quoq; multos, si non Paulos, certè Paulinos, qui Belgiũ hocce nostrum, Hollandiam, Frisiam, Zelandiam, totumque Septemtrionẽ, quin & Indias, vniuersumque orbem, quasi Soles, spiritu Apostolico illuminent, conuertant, & igne diuino inflamment: atque in vltimo mundi die nos Christo nostro, cum magna fidelium messe sistas, dicasque: Ecce ego & pueri mei, quos dedisti mihi, Domine, in signum & portentum orbis.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAS S. PAVLI.

Duplex obiectum in genere spectant hæ epistolæ, doctrinam scilicet & mores Christianos: prior enim pars cuiusque ferè epistolæ dogmatica est, in qua res fidei docet Apostolus; posterior ethica, in qua instruit mores fidelium, idq; variè & mistim, more epistolico, & more Hebræorum. Vbi Nota Primò. Res & mysteria fidei qualibet quidem docet hic Paulus, maximè tamen tria inculcat, scilicet, Primò, Christi æconomiam & gratiam, Christumq; solum esse Redemptorem nostrum, à quo omnis gratia, iustitia & salus æterna petenda & exspectanda sit. Secundò, Iudaismum & cæremonias Iudaicas abrogatas esse per legem nouam Christi. Tertiò, cauendas esse hæreses iam tum suppullulantes, quas sæpè hic perstringit & confutat. Missi enim sunt Apostoli post Christum, vt per orbem hac de Christo, Christiq; redemptione & salute promulgarent, explicarent, inculcarent, stabilirent, vtpote noua omnia & orbi inaudita, necessaria tamen ad salutem.

Duplex epistolarum D. Pauli obiectum, dogmaticum & ethicum.

Tria maximè mysteria Paulus in epistolis inculcat.

Vnde Nota Secundò. Quibusdam epistolis Paulus maximè Iudaizantes impugnat, & opera cæremonialia, non Christianas, sed Iudaicas. Id facit epistola ad Romanos, ad Galatas, ad Philippenses, ad Hebræos. Aliis, hæreses nascentes euellit, putà Simonis Magi, cum sua sobole, id est, Menandri, Saturnini, Basilidis, Gnosticorum, Carpocratis, quos etiam viuis coloribus depingit Iudas & S. Petrus epistola secunda. Id facit epistola ad Ephesios, ad Colossenses, ad Timotheum. Reliquis priuatim eos ad quos scribit instruit, eorum dubia resoluit, eosq; in fide & officio Christiano confirmat & perficit. Id facit epistolis ad Corinthios, ad Thessalonicenses, ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem. Hæc autem omnia præstat eximia & admirabili tum sapientia, tum efficacia & spiritu.

Quibus epistolis iudaismum & hæreses impugnet Apostolus: quibus fidem & mores doceat.

Nota Tertiò, hos hæreticos primæuos, quos iam nominaui, coæuos fuisse Apostolis. Nam Epiphanius libro 1. hæres. 28. & Philastrius hæres. 37. docet Cherinthum, qui illis fuit posterior, illam quæstionem de seruandis legalibus Mosis simul cum christianismo, mouisse Antiochiæ: cuius soluendæ causa coactum est primum Concilium Hierosolymitanum, Actor. 15. eundemq; concitasse Hierosolymis seditionem in Paulum, quasi præputiatos adduxisset in templum: de qua Actor. 22. Nec mirum Cherinthum diu adhuc postea vixisse, peruenissèq; ad annum Christi 166. vt docet Cæsar Baronius. Nam & S. Polycarpus, Dionysius, Simeon, S. Ioannes, & alij ea ætate diu vixerunt. Paulus ergo aduersus errores horum Nouatorum, nec non & Philosophorum ac Poëtarum, ex quibus maximè sua dogmata consarcinarat Simonis schola, scripsit epistolam ad Ephesios, ad Colossenses, ad Timotheum, ad Titum. Vnde facilè intelligitur, quo sensu accipienda sint ea quæ decauenda Philosophia de falsa religione angelorũ, de superstitioso delectu ciborum, deq; horum similibus inculcat: videlicet eo sensu hæc accipienda esse, quo illa adstruebãt Simoniani, vt suo loco demonstrabitur. Sicuti vice versa cùm opera eleuat Paulus, vt fidem Christi attollat; opera intelligit illa, quæ lex vetus fieri iubebat & præscribebat, qualia iactabant Iudæi, quasi suis lustrationibus, cæremoniis, sacrificiis iustificaventur, nec indigerent fide, gratia, redemptione, Sacramentis & præceptis Christi.

Qui, & quo tempore vixerint hæretici quos Paulus impugnat.

Contra Simonianos, Nouatores, Philosophos & Poëtas quanam scripta epistola.

Nota Quartò. Posteriore epistolæ parte, Paulus virtutes Christianas & Ethicam Christianam docet,

Quam Philosophiam, quanam opera deprimat Apostolus,

Quomodo & vbi in epistolis Paulus doceat Ethicam.

docet, non per continuos discursus & tractatus, vti fecit Aristoteles, aliiq; in suis ethicis, sed per varias gnomas siue breues sententias, sæpè sine ordine congestas: hic enim fuit mos veterum Hebræorum, vt patet in Prouerbiis, Ecclesiaste, Ecclesiastico; & Græcorum, vt patet ex Phocylide, Hesiodo, Theognide.

Quæ lingua scripta epistolæ.

Nota Quintò. Omnes hæ epistolæ, excepta epistola ad Romanos, & ad Hebræos, de quibus suis locis agendum est, scriptæ sunt græcè, vt pote ad Græcos.

Editio Syriaca epistolarum cuius antiquitatis & auctoritatis.

Nota Sextò. Extat Syriaca versio epistolarum & totius noui Testamenti, in Bibliis Regiis, quæ etiamnum vtuntur Christiani S. Thomæ in India, Babylonij & Aethiopes Abyssini. Guido Fabricius, qui eam in Latinum vertit, tradit Syros putare eam esse S. Marci Euangelistæ. Sed quia veteres, vt S. Athanasius, Cyrillus, Clemens, Hieronymus & alij, immò & S. Damascenus, qui in Syria vixerunt, eius non meminerunt, cùm de Scriptura & Scripturæ editionibus variis tractant, hinc videtur, hisce Patribus, eorumq; ætate Syriaca hæc versio esse posterior. Quædam etiam habet, quæ doctis non admodum placent. Denique idiotismus huius Syriacæ versionis non respondet Syriacæ linguæ, qua vsus est Christus, Marcus & Apostoli, vt ostendam in proœmio epistolæ ad Hebræos. Illud tamen contra Nouantes notandum, in titulis capitum huius Syriacæ versionis præfigi dies ieuniorum, festorum, commemorationes Sanctorum, preces pro mortuis, venerationem crucis, & alios sacros ritus, quos vel hinc patet non esse inuentos à Romanis Pontificibus; sed acceptos ab Apostolis, vt pote quos Asianæ & Syriacæ Ecclesiæ quasi à suis Apostolis acceptos etiamnum seruant, vti faciunt & Africanæ Ecclesiæ Abyssinorum siue Aethiopum, vt testatur Damianus à Goez libro de Fide & moribus Aethiopum.

Ieunia, festa, cultus crucis & Sanctorum, preces pro mortuis, non sunt inuenta Romanorum Pontificum.

Epistola quo loco, ordine, & tempore scripta.

Nota Septimò. Hic videtur esse ordo harum epistolarum. Primò, scripta est à Paulo epistola prior ad Thessalonicenses Corinthi anno Christi 52. Secundò, posterior ad Thessalonicenses scripta est Corinthi anno Christi 53. Tertiò, prior ad Corinthios scripta est Ephesi anno Christi 57. Quartò, prior ad Timotheum in Macedonia, vel, vt communior habet sententia, Laodiceæ (qua de re dicam in proœmio primæ ad Timotheum) scripta est anno Christi 57. Quintò, secunda ad Corinthios scripta est Nicopoli anno Christi 58. Sextò, epistola ad Galatas scripta est anno 58. Septimò, epistola ad Romanos scripta est Cenchris apud Corinthum anno Christi 58. Octauò, epistola ad Titum è Græcia scripta est anno Christi 58. Nonò, secunda ad Timotheum Romæ scripta est anno Christi 59. Decimò, epistola ad Ephesios scripta est Romæ anno Christi 59. Vndecimò, ad Philippenses Romæ scripta est anno Christi 60. Duodecimò, epistola ad Colossenses Romæ scripta est anno Christi 60. Decimotertiò, epistola ad Philemonem scripta est Romæ anno Christi 60. Decimoquartò, epistola ad Hebræos scripta est Romæ anno Christi 60. Ita Baronius Annalium Ecclesiast. fax & pharus: cui per omnia assentior, excepta epist. 2. ad Timotheum, de qua ibi in fine dicendum. Paulò aliter hasce epistolas ordinant Theodoretus, Salmeron, & Pererius. Vbi Nota, sex vltimas scriptas esse Romæ è vinculis; ideoq; plenæ sunt spiritu.

Visum hic fuit commodum fore lectori, si generalia quædam documenta, quasi canones qui facem præferant, epistolis Paulinis præmitterem.

CANONES RERVM.

Primvs.

Scopus & intentio scribentis inuestiganda, ad assequendum sensum epistolarum diui Pauli.

SIT ergo primus canon. Vt quis sensum genuinum tum aliarum Scripturarum, tum maximè S. Pauli assequatur, vestigandus maximè est scopus & intentio eius, videlicet quorsum, quibus, contra quos loquatur, an contra Iudæos, an contra Gentiles, an contra Simonem. Spiritus enim eius sublimis & acer in partem in quam inclinat, ita vehementer fertur, vt in extrema declinare videatur, alterumq; extremum negare. Ita sæpè in lib. Retract. se purgat S. Augustinus, quòd olim contra Manichæos, qui dicebant omnia bona à Deo bono, omnia mala à Deo malo, quasi fato, non autem ab homine liberè fieri, scribens; ita liberum arbitrium prædicarit, vt gratiæ oblitus esse videatur. Contrà postea, orto Pelagio hoste gratiæ, ita gratiam extollit, vt liberum arbitrium deprimere videatur. Sic, cùm Iudaizantes oppugnat Paulus, dicit circumcisionem nihil esse, & vetera sacramenta fuisse infirma & egena elementa, Galat. 4. 9. Sic, vt charitatē extollat apud Corinthios in dono linguarum gloriantes, dicit sine charitate cetera dona omnia nihil esse, nihil prodesse, 1. Corinth. 13. 2. Sic, vt supra Aaronē exaltet Melchisedec, dicit ad Hebr. 7. 1. eum fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia. Non quòd verè talis fuerit Melchisedec, sed quòd derepentè quasi talis, Genes. 14. inducatur & proponatur. Sic, vt Iudæos suis meritis præfidētes deprimat, prouocat ad Dei misericordiam & prædestinationē eamq; exaggerans dicit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Rom. 9. v. 16. & 18. Quæ omnia commodè accipi debent, vt suis quibusque locis ostendam.

Secvndvs.

Hinc sæpè Paulus fidem Christi opponit non charitati, sed legi, id est, gratiam opponit naturæ, Christū Mosi, siue opera facta viribus gratiæ Christi per dictamen fidei, opponit operibus quę fiunt viribus naturæ, per dictamen legis naturalis vel Mosaicæ. S. Paulus enim totus in eo est, vt Christum inculcet, doceatq; eum vnum esse hominū per mortem in cruce redemptorem, & talem ob omnibus credi oportere, ab eoque (non autem à Mose vel à natura) omnia quæ salutis sunt, expectanda esse; qualia sunt gratia & opera ex gratia facta,

facta, Sacramenta & præcepta legis Euangelicæ: hoc enim tunc orbi erat nouum & incredibile. Iu passim Patres, & patet 1. Corinth. 2. 2. Hac de causa dicit subinde Paulus Christi iustitiam nobis imputari, non formaliter, sed efficienter & meritoriè de quo Roman. 4. v. 5. Et Christum factum esse nobis sapientiam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem, 1. Cor. 1. 30. Sic dicit fidem Christi, vel passionis Christi iustificare, scilicet obiectiuè; quia merita passionis Christi, quæ sunt obiectum fidei quod fide credimus, meruerunt nobis iustitiam, & meritoriè nos iustificant.

TERTIVS.

Hinc rursum sub fide non solam fidem, vt hæretici sol spem, charitatem, omnemque gratiam à Christo manantem, quasi ramos in sua radice & causa complectitur. Ita Concilium Trident. sess. 6. c. 8. & patet Rom. 12. v. 3. & c. 14. vers. vlt. & 2. Thessal. 1. v. 11. vbi sic ait. *Impleat* (Deus) *omnem voluntatis bonitatis & opus fidei in virtute.* Quis non videt hic Apostolum præter fidem opus fidei requirere? ergo rectè dicit, quòd fides nos iustificet non sola (vt Lutherus addidit, & peruertit.) *quod alia restituet vas electionis*, ait S. Augustin. lib. de Gratia & libero arbit. c. 7. sed sicuti dicimus: Hæc arbor me aluit, scilicet cum pomis & fructibus suis: hic medicus me sanauit, scilicet per pharmacum illorum, exercitia à se præscripta, quibus sanatus sum. Nam fides est quasi doctor indicans & prescribens opera spei, pœnitentiæ, charitatis, quibus iustificamur. Imò hac ratione rectè dici potest: Sola fides me iustificat; sicuti rectè dicitur, Solus hic medicus me sanauit. Est enim fides in suo genere adæquata causa iustitiæ, sicut medicus salutis; & quia reliqua necessaria ad iustitiam & salutem fides tacitè in se includit, quasi in principio, patet toto c. 11. ad Hebræos.

QVARTVS.

Sic in epistola ad Hebræos sacrificium crucis, quod vnum nos habere ait Apostolus, opponit veteribus Mosaicis, non autem sacrificio Missæ; immò illud sub eo tacitè cõplectitur, quasi vnum & idem in substantia, licet modo diuersum. Tam enim in Missa, quàm in cruce idem principalis est sacerdos, scilicet Christus; eadem numero victima, scilicet corpus Christi. sunt etiam idem repræsentatione, quia Missa repræsentat, immò continet & applicat sacrificium crucis: sed actione & modo sacramentali & incruento; cùm in cruce fuit visibile & cruentum: quamquam, si metaphoricè loquamur, hic modus sit differentia essentialis, & constituat aliam speciem vltimam sacrificij. Sicut *mincha*, quod in lege veteri farreum erat sacrificium, siccum & incruentum, differebat specie ab holocausto, quod cruentum erat & iugulatum. Est tamen in Missa eadem victima, quæ fuit in cruce, vt dixi, & idem sacrificium in substantia saltem generica. Sacrificium enim nouæ testamenti, quod est quasi genus, tam competit sacrificio Missæ, quàm sacrificio crucis. Rursum sacrificium Missæ idem est cum sacrificio crucis analogicè, quia illud repræsentat; sicut imago, quæ imago, siue quoad repræsentationem, idem est cum suo exemplari. De quo plura in epistola ad Hebræos.

QVINTVS.

Sequentes propositiones generales absolutè & sine aliis superaddita conditione intelliguntur: vt,

A *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo.* Affirmãtes verò promissiones, benedictiones & regulæ numquam absolutè, sed commodè, & cum conditione intelligendæ sunt: scilicet, vt significent virtutem & naturam rei; itaque fore, quantum est ex parte rei, nisi quid aliud impediat, aut si cetera requisita adsint. Sic rursum sæpè salus tribuitur fidei, quia scilicet fides, quantum est ex parte sua, nata est perducere hominem ad spem, timorem, inde ad pœnitentiam, charitatem, & tandem ad iustitiam & salutẽ. Id ita esse patet ex eo, quòd aliquãdo salus tribuitur inuocationi Dei, vt Ioël. 2. 32. aliquando spei, timori, charitati, vt 1. Cor. 13. 2. Lucæ 7. 47. alibi passim ad iustitiam & salutem requiritur pœnitentia, vt Lucæ 12. 3. & 2. Corinth. 7. v. 10. Alioquin enim nisi adhibeatur moderatio, concludetur pari modo, ad salutem nec baptismum, nec Sacramenta requiri, & eum qui crediderit, saluum fore, etiamsi postea fiat infidelis. ita S. August. lib. de Fide & operibus, c. 14. tom. 4. Quem librum expresse conscripsit hoc fine, vt mentem Apostoli esse doceat hanc, scilicet, quòd fides non excludat, sed requirat opera ex fide facta. *tes & affirmantes quomodo intelligendæ.*

B

SEXTVS.

Quatuor sunt sensus sacræ Scripturæ, Litteralis, Allegoricus, Tropologicus vel Moralis, & Anagogicus: quos Lyranus prologo in Biblia hoc carmine describit: *Quatuor sunt sensus S. Scripturæ.*

Littera gesta docet; quid credas (scilicet de Christo & Ecclesia) *Allegoria;*
Moralis, quid agas; quid speres, Anagogia.

v.g. Vrbs Ierusalem, ait Eucherius, ad litteram significat vrbem notam Iudææ, allegoricè Ecclesiam, tropologicè animam fidelem, anagogicè patriam cælestem. Hosce quatuor sensus disertè expressit Paulus ad Galatas 4. vbi sic ait: *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera*, en sensus litteræ planus; *quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta*, en allegoria. *Sed quomodo tunc is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum; ita & nunc*, en tropologia. *Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra*, en anagogia. Vbi Nota, omnem Scripturam habere sensum litteralem, non autem semper alios; immò in nouo Testamẽto vix est allegoria; in epistolis rarò tropologia. Porro litteralis sensus est is quem primò littera significat, siue is proprius sit; siue metaphoricus, aut parabolicus: huic autem inniti debet allegoricus & tropologicus, eique apta proportione respondere, vt quasi ex ipso natus videatur. Sicut enim litteralis est is, quem verba primò significant: ita allegoricus est is, quem res per litteralem sensum significatæ significant. Quo ergo meliùs & pleniùs allegoria & tropologia respondet sensui litterali, eo magis apta & genuina est. Ita S. Hieronym. in Oseæ 1. vbi retractat quod alibi dixerat, sensum accommodatitium esse allegoricum, vel tropologicum. *Omnis Scripturæ habet sensum litteralem, non semper alios.*

C

D

SEPTIMVS.

Quæ de Christo vel corpore Christi dicuntur in S. Scriptura, aliquando de solo capite, id est Christo: aliquando de solo corpore, id est Ecclesia: aliquando de vtroque accipienda sunt; & solerter ex adiunctis diligendum est, quid de quo dicatur. ita Augustinus ex Ticonio libro 3. de Doctr. Christiana c. 31. & seqq.

OCTAVVS.

S.Scriptura potest habere varias versiones, lectiones, sensus.

Sacra Scriptura potest habere varias versiones. Addit Leo Castrius prologo in Isaiam, & varias lectiones etiam in Hebræo, intentas à Spiritu sancto. Tertiò, potest eadem habere varios sensus canonicos, etiam litterales.

Primò, quòd S. Scriptura possit habere varias versiones, patet Matth. 12. 19. vbi ex Isaia, iuxta versionem LXX. de Christo dicitur, *Non clamabit*: pro quo tamē Noster interpres in ipso Isaia 42. 2. vertit, *Non accipiet personam*. Sic pro eo quod Oseæ 13. 14. dicitur: *Ero mors tua, ô mors*; Septuaginta, & ex ijs S. Paulus 1. Cor. 15. 55. vertunt: *Vbi est mors victoria tua?* Sic versio nostra discrepat sæpè à versione non tantùm Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, sed & Septuag. interpretum; quorum tamen versionē probauit & recepit Ecclesia, eaque vsa est per quadringentos annos, scilicet donec nostram ex Hebræo versionem cuderet S. Hieron.

Secundò, quòd possit S. Scriptura habere varias lectiones, probatur ex Genes. 47. 31. vbi Noster interpres ex Hebræo vertit: *Adorauit Israel Dominum conuersus ad lectuli caput*: pro quo tamen Septuag. & ex ijs S. Paulus ad Hebræos 11. v. 21. verterunt: *Adorauit Israel fastigium virgæ eius*. Cuius diuersitatis non alia videtur fuisse causa, quàm quòd Noster interpres in Hebr. legerit מִטָּה *mitta*, id est lectulum; Septuaginta verò alijs punctis legerint מַטֶּה *matte*, id est virgam. Sic ad Hebræos 12. v. 6. Paulus citans Prou. 3. 11. cum Septuag. legit יָאֵב *kieb*, id est flagellat; cùm Noster interpres in Prouerbijs legat כְּאָב *keab*, id est, sicuti pater; vertit enim: *Quasi pater in filio complacet sibi*. Pro quo LXX. & Paulus vertunt: *Flagellat omnem filium quem recipit*.

Tertiò, quòd possit S. Scriptura habere varios sensus, patet Matth. 6. 11. vbi Noster interpres vertit sic: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*. Pro quo tamen idem interpres Lucæ 11. 3. vertit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Vtrobique enim in Græco eadē est vox ἐπιούσιον, quam interpres in Matthæo, *supersubstantialem*, in Luca verò *quotidianum* vertit. Idem patet tum ex alijs S. Scripturæ locis, tum ex varijs eiusdem loci Patrum expositionibus, commodis sæpè & litteralibus. Vnde S. Augustl. 12. Confess. 32. *Cùm alius*, inquit, *dixerit, S. Scripturæ scriptor hoc sensit quod ego; & alius, Immò quod ego: religiosiùs me arbitror dicere, Cur non vtrumque potiùs, si vtrumque verum est? & si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem Deus sacras Litteras, vera & diuersa visuris multorum sensibus temperauit?*

NONVS.

D. Paulus frequenter vsurpat ἀνθυποφορὰν.

Solet Paulus frequenter tacitis obiectionibus occurrere. Vnde S. Hieron. ad Hedibiam ep. 150. q. 11. *Paulus*, inquit, *solet quidquid aliis obiicere potest, per ἀνθυποφορὰν, quam Quintilianus vocat Subiectionem, antequam obiiciatur, edisserit*. Vt Rom. 1. cùm dixisset: *Reuelatur ira Dei de cælo super eos qui veritatem Dei in iniustitia detinent*; & vidisset sibi obiici posse: Vnde Gentiles veritatem Dei cognouerūt? subintulit: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit*. Rursum, quia hic alius obiicere denuò poterat, Quomodo Deus se manifestauit Gentilibus, qui S. Scripturam non habuerunt? idipsum præoccupans resoluit & explicat subdēs: *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas*. Hac de causa Apostolus sæpè more Hebræo vtitur interrogatione, idque ad emphasim: interrogando enim suspendit auditorem, suspēdendo attentionē excitat.

DECIMVS.

Rursum eadem de causa solet Apostolus si fortè in argumentatione quapiam, alia necessaria inciderit quæstio, in eam digredi, & postea ad præcipuum scopum reuerti. Sic 1. Tim. 3. cùm multa disputasset de Diaconis, ea occasione ad eorum vxores digreditur, ac paulò pòst rursum ad eosdem Diaconos redit.

VNDECIMVS.

Paulus, vtpote in veteri lege & testamento versatissimus, passim vel expresse, vt patet tota epistola ad Hebræos; vel tacitè, alludit ad dicta & facta veteris testamenti; vt ostendat Christum in Mose, Ecclesiam in Synagoga, & nouum testamentum in veteri fuisse significatum & adumbratum. Magnum enim Christo & veritati perhibet testimonium consensio vtriusque testamenti, siue consensio Mosis & Christi, Prophetarum & Apostolorū, vt docet Tertullianus passim contra Marcionem. Hac de causa Christus & Apostoli citant vetus testamentum, ostenduntque illud nouo præluisse, Christique paranymphum egisse. Ita Paulus 1. Timoth. 3. cùm Ecclesiam vocat columnam & firmamentum veritatis, alludit ad columnas templi Salomonici, Boos & Iachin. Idem facit sæpè alibi, vt in commentariis ostendam.

DVODECIMVS.

Non est in hisce epistolis requirenda semper & vbique connexio tam capitum quàm sententiarum: quia more epistolico scripsit eas Paulus, quo scilicet amici ad amicos varia familiariter sine ordine sæpè & connexione perscribere solent. Id patet ex epist. ad Corinthios, in qua singulis sæpè capitibus nouas materias pertractat, & quæstiones alias & alias à Corinthijs propositas resoluit. vt c. 7. resoluit quæstionem de virginitate & matrimonio, c. 8. de idolothytis, c. 11. de Eucharistia, c. 14. de prophetia, c. 15. de resurrectione.

DECIMVSTERTIVS.

Duplex est prædestinatio, vocatio, electio; vna ad gratiam, secunda ad gloriam. Rursum hæc secunda est duplex, vna inchoata, altera completa & efficax. Tam illius quàm huius meminit S. Scriptura. Vnde subinde vocatos, prædestinatos, dilectos, electos vocat, non eos, qui proximè, absolutè & efficaciter destinati sunt ad gloriam & beatitudinem, sed eos qui ad fidem & gratiam christianismi destinati & vocati sunt, in qua qui perseuerant, gloriam æternam assequentur. Hæc enim prima & insignis est gratia, ac cæterarum fons, quam proinde omnibus epistolis admiratur & extollit Apostolus, opponitq; vanæ fiduciæ, quam Iudæi habebant in ceremonijs legis Mosi, Gentes in suis virtutibus moralibus. Sic Ephes. 1. 5. omnes Christianos Ephesios vocat prædestinatos & electos ad gratiam & sanctitatem. Ait enim: *Qui prædestinauit nos in adoptionē filiorū, &c. in qua gratificauit nos in dilecto filio suo*. Et v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*. Prædestinatio ergo hæc & electio proximè est ad adoptionem, gratiam & sanctitatem, non autem ad gloriam.

Hoc

Hoc sensu omnes iusti sunt electi & prædestinati, scilicet completè ad gratiam & iustitiam, inchoatè verò ad gloriam. Hinc Paulus Christianos passim vocat electos, dilectos & vocatos sanctos; id est electos, dilectos & vocatos ad sanctitatem. Hæc distinctio prædestinationis, siue electionis inchoatæ & completæ non est recens & nouitia, vt aliqui putant, sed antiqua. Nam eam non quoad verba, sed quoad rem & sententiam tradit S. Thom. 1.p.q.24.art.3. vbi docet, aliquos scriptos esse in libro vitæ absolutè & perenniter, alios tantùm ad tempus, scilicet, quoad præsentem iustitiam & hos excidere posse, immò sæpè reipsa de libro vitæ deleri, iuxta illud psalm. 68. *Deleantur de libro viuentium.* Nam scribi in libro vitæ, est esse prædestinatum & electum. Liber enim vitæ, est liber siue catalogus prædestinatorum & electorũ. Iam scribi in hoc libro absolutè, siue prædestinatio absoluta, quid est aliud quàm prædestinatio completa? & prædestinatio quoad præsentem iustitiam quid est aliud quàm prædestinatio inchoata? Hinc S. August. li. 3. contra duas epistol. Pelag. c. 3. docet duplicem esse salutem, vnam inchoatam per gratiam, alteram consummatam per gloriam. Salus inchoata ergo, est præsens gratia & iustitia; consummata, est ipsa gloria & beatitudo. Rursum S. August. lib. de Prædest. Sanct. c. 10. non aliter prædestinationem à gratia distingui, quàm quòd, inquit ipse, *prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio.* cùm ergo gratia sit inchoata, alia completa, erit pariter prædestinatio alia inchoata, alia completa. Denique hanc distinctionem prædestinationis agnoscit Ecclesia, cùm Dominica I. Quadragesimæ in Collecta, quæ tribuitur S. Augustino, pro inchoatè prædestinatis orat, *Vt omnium fidelium nomina hæc prædestinationis liber assciptâ retineat*: nec enim pro completè prædestinatis aptè rectéque oratur, vt retineantur maneantque prædestinati; tam cõpleta eorũ prædestinatio includat & præsupponat eos semper mansuros esse prædestinatos. Est enim hæc Dei prædestinatio immutabilis.

A *mere, frigere, sed ea patimur.* Hæc & plura hác de re habet Aristoteles li. 3. Ethic. c. 1. 2. 3. 5. Tribuit ergo S. Scriptura opera nostra potiùs gratiæ, quàm libero arbitrio: Primò, quòd primas & potissimas partes in ijs teneat Dei gratia, quæ liberum arbitrium præuenit & excitat, eiúque deinde cooperatur. Secundò, hoc sensu totum opus bonum dat gratiæ, quia etiam cooperatio nostra manatà gratia Dei excitante, pendetque à gratia Dei cooperante. Tertiò, quia tota dignitas operis supernaturalis est à gratia: quòd enim opus charitatis sit supernaturale & nobilissimum, Deoque gratissimum, & meritorũ vitæ æternæ, hoc habet à gratia, non à libero arbitrio. Ab eo enim habet tantùm quòd sit liberum, non coactum. Ita passim docet S. Augustinus contra Pelagian. & diserte libro de Spiritu & litera c. 34. & Concil. Trident. B sess. 6. c. 5. imò Apostolus 2. Tim. 2. v. 19. & 21.

Tres rationes, ob quas bona opera potiùs gratiæ quam libero arbitrio tribuat S. Scriptura.

Decimvs sextvs.

Perditionem, obdurationem, reprobationem, damnationem tribuit Paulus & S. Scriptura homini, idq; primò & propriè: Deus enim ex se vult (cùm sit ipsissima bonitas & clementia infinita) omnium hominum iustitiam & salutem. Hinc sæpè Iudæos dicit reprobatos, quia Christum noluerunt recipere, nec in eum credere. Omne enim bonum ex Deo est, malum autem ex nobis. Ac rursum prædestinatio & vocatio, opus est gratiæ Dei, quia omne opus & meritum præuenit. Reprobatio verò opus est iustitiæ vindicatiuæ, quæ ex natura sua non præuenit, vt vult Caluinus, sed sequitur & supponit demeritum siue peccatum. Iudex enim condemnans reum, supponit peccatum rei. Et ex hoc capite subinde S. Scriptura reprobationem, obdurationem & perditionem, æquè ac prædestinationem, vocationem & electionem tribuit Deo, quia scilicet Deus ob præcedẽtia demerita hominem obdurat & reprobat. Hinc ait: *Non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei. Cuius vult, miseretur: & quem vult, indurat. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi Notãdum. Scripturam his fe phrasibus tantùm significare, altissimam & generalissimam Dei prouidentiam circa omnia tam bona quàm mala: nihilque in mundo extra eam esse aut fieri, vt Dei manum effugere possit; quin potiùs Deum sua prouidentia omnia etiam peccata complecti, stringere, regere & ordinare. Prouidentia tamen hæc Dei circa bona & mala in specie diuersa & dispar est. Nam Deus D bona propriè prouidet, prædestinat, intendit, excitat, promouet, protegit & coronat; mala autem ex certa scientia, singula cum suis circumstantijs statuit tantùm permittere, cùm tamen, si vellet, facilè ea posset impedire; eaque iam facta ordinat ad bonum finem & iustam pœnam, qua ea punit. ita S. August. Enchiridij c. 11. & 100.

Obduratio, reprobatio, damnatio quomodo homini & quomodo Deo tribuantur.

Dei prouidentia circa bona & mala quomodo differat.

Decimvs septimvs.

Homo propriè, directè & actiuè seipsum obdurat, excæcat, tradit in reprobum sensum: Deus tamen id magere dicatur, non propriè & directè, vt vult Caluinus. Cæcitas enim mentis non tantùm est simplex carentia lucis, sed affectus prauus, quo quis illustrationes diuinas liberè repellit, vel eis obicem ponit, vt numquam à Deo illuminetur; ac consequenter cæcitas hæc graue est peccatum, vt docet Augustinus lib. 5. contra Iulian. c. 3. sic & duritia cordis siue improbitas & mali-

Obcæcationem & obdurationẽ hominis, impiè Deo asscribit Caluinus.

Fides & vitium, ait Philosophus, in nostra est potestate. Quæ autem sunt in nostra potestate, ea agere & non agere possumus. Et circa hæc versatur lex, laus, vituperium, pœna & præmium; ad ea enim quæ non sunt in nostra potestate, nemo hortatur, præcipit, punit, nemo de ijs consultat, deliberat, eligit; sicut non eligimus fa-

tia sensus, graue peccatum est. Indurat ergo & excæcat hominem Deus: Primò, permissiuè; Secundò, sensum gratiæ non sufficientiam, sed copiam solitam subtrahendo; Tertò, dæmoni potestatem in hominem dando, qui sponte hominem tentat, & in omne scelus & cordis obstinationem impellit; Quartò, obiiciendo homini occasiones, scilicet indendo corpori & animo eas affectiones & cogitationes, aliàs bonas vel indifferentes, aut exteriùs ea proponendo, v. g. species mulierum, opes, honores, plagas, quibus præscit hominem liberè ruiturum in peccata, & se in ijs obduraturum; licet Deus non hoc fine, sed alio bono ea homini obijciat & indat. Sic obdurauit Pharaonem, plagas in Ægyptum immittendo, intendens vt ijs humiliatus, resipisceret Pharao; quibus tamen ille sua culpa magis exacerbatus obduruit, & fortiùs Deo restitit. Et hoc tantùm vult August. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. cùm ait Deum non tantùm patientia, sed & potentia, id est plagis suis, obdurasse Pharaonem, vt doctè & solidè docet Bellarm. li. 2. de Amiss. gratiæ cap 4. Potuisset enim Deus alijs modis agere cum Pharaone, quibus præsciebat eum molliendum & flectendum fore; sed noluit: maluitque ob eius superbiam & duritiem, plagis eum contundere, quibus tamen præsciebat eum magis se obduraturum.

Quatuor modis hominem Deus excæcat & obdurat.

S. Augustinus explicatus.

A

B

Decimvsoctavvs.

Loquitur Paulus, vti & alij scriptores hagiographi aliquando perfectis, aliquando & statim transit ad imperfectos: hinc aliquando laudat, aliquando vituperat. Sic Corinthios laudat quasi sanctos, & tamen mox eorum (putà imperfectorum in eis) schismata, auaritiam, libidinem, alia-que vitia redarguit. Pari modo aliquando blanditur, mox minatur; est-que quasi mater, quæ vt pueris persuadeat, & omnibus se accommodet, se in omnes partes vertit, ex amoris vehementia. Patent hæc Galat. c. 3. v. 10. & c. 4. v. 19. & 20.

Decimvsnonvs.

Libertas Christiana, quam prædicant Apostoli, est exemptio, qua Christus nos exemit, non à seruitute herili, non ab obedientia Decalogi, legum, Principum, Prælatorum, Superiorum; non ab operibus pœnitentiæ & satisfactionis, non ab obligatione votorum, vt volunt hæretici (quos damnat Concil. Trident. sess. 9. can. 19. 20. 21. hæc enim irrationalis, animalis, carnalis, turpis, & contra omne naturæ ius, & contra omnem rectam rationem est libertas;) sed à seruitute tum legis veteris, tum peccati, diaboli & vitiorum hic, tum concupiscentiæ, miseriæ & mortis in cælo. Patet id 1. Petri 2. v. 13. 16. 17. Galat. 5. v. 15. De quo plura 2. Corint. 3. v. 17.

Libera Christiana.

CANONES VERBORVM.

Vigesimvs.

APostolus græcè scripsit, ideo sæpè græcizat; sed quia Hebræus erat, hinc sæpè hebraizat. Notandum enim quòd Spiritus sanctus per eum loquens, suo se organo attemperabat, vti facit naturam gratiæ subseruire tum in angelo, tum in homine. Sic per sanctos scriptores ita accommodè locutus est Spiritus sanctus, ac si ipsi suo nutu, conceptu, voce loquerentur & scriberent, vt patet 2. Machab. 2. v. 27. Luc. 1. v. 3. Hinc Apostolus eloquētia vtitur non phalerata, nec verbosa Græcorum, sed simplici, graui tamen ac neruosa Hebræorum. Vnde in hisce epistolis phrases parum Græcas, quin & solœcismos, & plurimos hebraismos inuenias: sic pariter Hebræam antiptosin reperies 2. Corinth. 8. v. 23. ad Ephes. 2. v. 2. & alibi, quia Hebræi casibus carent, & eodem nomine inuariato per omnes casus vtuntur. *Iste* (Paulus scilicet, inquit S. Hieronymus lib. 2. comment. in epist. ad Ephes.) *qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sapientiam q; concludere, audacter sibi vendicat sapientiam.*

Quomodo scriptorem & stylum hagiographum dirigat Spiritus sanctus.

C

Vigesimvsprimvs.

Hinc sæpè Paulus per heterosin abstracta sumit pro concretis, vt circumcisionem pro circumciso, id est, Iudæo; præputium pro præputiato, id est, Gentili; electionem pro electis, dominationes pro dominantibus, virtutes & potestates pro virtute & potestate præditis. Sic dicit quòd Christus nobis factus est iustitia, sanctificatio, redemptio, id est, factus est nobis iustificator, sanctificator, redemptor, vt dicetur 1. Corinth. 1. v. 3. ita Theophylactus, Anselmus, & alij ibidem.

Frequens heterosis in epistolis Pauli.

D

Vigesimvssecvndvs.

Hinc etiam per hebraismum sæpè omittit notas similitudinis, comparationis, causalitatis, atque quorumuis aduerbiorum & coniunctionum vincula, vt patet 1. Timoth. 1. v. 3. & alibi. Hæc enim Hebræi sæpè significant per litteras seruiles ו ב כ & similes, quas ipsi sæpè subaudiunt.

Vigesimvstertivs.

Verba actiua Hebræorum sæpè passionem vel permissionē significant, scilicet cùm sunt in coniugatione vel significatione Cal. Sic dicit Paulus Rom. 11. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate: concluſit*, id est, concludi permisit. ita Theodor. Ambros. Anselm. Theophyl. ibid. Ratio est, quia permissio eius, sine cuius nutu nil fieri potest, quædam est actio, non autem pura negatio. Sic ergo in Deo non negatiuum, sed positiuum est decretum, quasi Placet aulæ summi Regis, vt dicit Prosper, quo vult permittere peccata, sine quo nullum peccatum fieri posset. Ex cuius decreti vi in executione positiuè laxat Deus habenas malè agere volenti voluntati. omnium enim voluntates Deus arctissimè omnipotentiæ suæ manu tenet, quasi ligatas, vt nec aliud, nec alio modo aut loco aut tempore cogitare, aut velle, aut in vllum omnino motum erumpere possint, quàm ipse positiuè voluerit permittere, immò effectiuè eam concurrere. Hoc enim spectat ad altissimam Dei circa res omnes, etiam illas, quæ peccata sunt, prouidentiam. Hoc ergo exprimit **S.** Scriptura per verba actiua, vt inclinare, inducere, excæcare, tradere. Sicuti qui leonem manu tenet, & dimittit, si is aliquem occidat, dicitur tenens occidisse & immisisse leonem in hominem. Et hoc tantùm vult S. August. lib. de Gratia & lib. arbit. c. 20. & seq. vbi ait, Deus voluntatem Semei & aliorum vitio suo malam in hoc speciale peccatum inclinauit, id est, inclinari permisit, vt malediceret Dauid, non alteri. Aliter ergo permittit malum Deus, aliter homo: homo negatiuè, Deus positiuè: homo sæpè cum peccato, quia tenetur impedire; Deus iustè & sanctè, quia summus omnium Dominus causas secundas sibi permittit, vt libertate sua in

Quare.

quas-

cunque partem vrantur. vim enim naturæ in- A
ferrent, eos necessitaret ad bonum.

VIGESIMVS QVARTVS.

Eadem verba, immò & notæ causalitatis, v. g. *propter quod, propterea*, sæpè non causam, sed eorum & consecutionem significant. Sic enim vulgus antecedentem occasionem causam vocat: vt *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos*. Scriptura autem, quia familiariter loquitur, sæpè vulgatæ se accommodat. ita Cyrillus, Chrysost. Theophyl. Euthymius in Ioan. 13. v. 38. Rursum eiusmodi particulæ, vt *propterea, ideo*, & similes, apud Paulum subinde redundant more Hebræo, & nullam causam reddunt, sed tantùm præcedentia continuant cum sequentibus.

B

VIGESIMVS QVINTVS.

Nihil Apostolo familiarius, quàm enallage præpositionum, conjunctionum & aduerbiorum. Sic more Hebræorum (*in*) sumit pro *per, ex, de, cum, propter, apud*: & per *in*, significat omne genus causæ. v. g. *in Christo*, quod singulis pænè iterat verbis ad Ephes. 1. iam significat per Christum, iam propter Christum, iam ex Christo, iam cum Christo, iam in Christo. ita ibi Theophyl. Sic *in Domino* sæpè significat, in re vel negotio Domini, vel circa Dominum, vel per Dominum, vel à Domino, vel propter Dominum, Domini amore & reuerentia, ad gloriam Domini. Ex hac phrasi S. Paulli in regulis nonnullarum Religionum sæpè dicitur: *Omnes orationi incumbant cum omni diligentia in Domino, omnes inuicem ament in Domino; omnes integrè obediant, studiis vacent, sincerè agant in Domino*. Vbi τὸ *in Domino* est excitamentum virtutis C
& industriæ, idque quadrupliciter. Primò, quasi dicat, Sciant omnes se Domino seruire, se Domini negotium agere, non hominis. Secundò, non præmio, non metu, non cupiditate, sed in *Domino*, id est vnius Dei amore & reuerentia, id agant. Tertiò, vt serui in oculis domini, ita ipsi coram Domino seriò id agant, Dominus eorum oculis obuersetur. Quartò, finem spectent, non hunc, sed vnius Domini gloriam. Sic præpositionem κατὰ, quam Noster interpres sæpè vertit *secundùm*, valdè amplè & variè accipit Paulus. Iam enim κατὰ capit pro διὰ, id est, *per*, vt *Paulus Apostolus secundùm*, (id est per) *imperium*, vel præceptum Dei, scribit Titum 1. 3. Iam pro *in*, vt ibidem v. 4. *Tito filio secundùm communem fidem*, id est, in communi fide. Iam & frequenter per illam designat materiam, siue obiectum, vt *secundùm*, idem sit quod D
circa, vt ibidem v. 2. *Fidem quæ secundùm*, id est circa pietatem est & versatur, vt scilicet pietatem doceat. Iam eamdem capit pro *ante*, vel *coram*, vt 2. Corinth. 10. v. 7. *Quæ secundùm*, id est antè, *faciem sunt videte*. Iam & sæpissimè ac maximè propriè τὸ *secundùm*, accipit pro *iuxta*, vt, *secundùm Deum, secundùm hominem loquor, secundùm carnem*, vel *spiritum ambulant*. Iam τῶ κατὰ vtitur pro *à*, vel *ex*, denotatque illud causam efficientem, vt Coloss. 2. vers. 8. *Ne quis vos decipiat per Philosophiam secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum*. id est, ne quis vos decipiat per Philosophiam quæ manat non à Christo, sed traditione & fictione hominum, qui de mundi elementis & auctoribus mira somniarunt. Denique, τὸ *secundùm*, accipit pro *propter*, vt ad Titum 3. vers. 5. *Deus saluos nos fecit secundùm*, id est propter, *misericordiam suam*. Pari modo voculas *tamen, sed*, & similes sumit Paulus pro *immò, quin immò*. Sic vocem *enim*, non propriè, vt sit causalis, sed aduersatiuè, pro *autem*, sumit Galat. 2. vers. 6. Idem facit Isaias cap. 28. v. 11. quem locum citat Apostolus 1. Corinth. 14. v. 21. Sic copulam &, sumit Paulus pro *id est*, Ephes. 1. 1. Galat. 6. v. 16. Coloss. 2. 4.

VIGESIMVS SEXTVS.

Conduplicat Paulus quædam ad maiorem emphasim, maximè in gradibus comparationis, idque vt plurimum excessum significet; vt Philip. 1. 23. *Multò magis melius*, id est longè melius.

VIGESIMVS SEPTIMVS.

Apostoli & Euangelistæ consarcinant in vnum testimonia ex lege veteri, cùm tamen è varijs locis petita sint. patet Rom. 3. 11. Sic etiam eadem citant subinde non verbotenus, sed eodem sensu. Tertiò, citant eadem iuxta LXX. quia Gentibus græcè scripserunt, quibus Græca Septuaginta versio notior erat Hebraico textu.

VIGESIMVS OCTAVVS.

Vtitur Paulus sæpè verbo induendi, vt dicat hominem induere opprobrium & ignominiam, induere Christum, induere gloriam, immortalitatem, virtutem. Vbi τὸ *induere* significat hominem Christo & virtuti Christianæ studere, eam possidere, eaque largiter vti, & quasi veste decora circumuestiri. Rursum hominem gloria & immortalitate abundare, amiciri & circumfundi. Alludit ad togam Hebræorum, & prætextam Romanorum: cum qua quasi virum & virilem animum, virtutem & decus induebant iuuenes. Vide S. Hieronymum ad Pammach. contra errores Ioannis Hierosolymitani. De hac phrasi dicam plura Rom. 13. in fine. *Verbum induere quid apud Paulum valeat, & vnde desumptum.*

VIGESIMVS NONVS.

Infinitiuos per hebraismum sæpè Paulus sumit pro nominibus, aliquando pro verbis quorumlibet temporum & modorum. Rursum sæpè imitatur Hebræos in eo, quòd cùm careant indicatiuo, pro eo vtuntur participijs, vt 1. Corinth. 12. vers. 2. *Ad simulacra euntes*, id est, ibatis. Similia sunt 2. Corinth 10. v. 2. 4. 5. 12. 15. Subinde quoque Hebræi & Paulus per præteritum significant indicatiuum, vt psalm. 115. *Credidi*, id est, credo, *propter quod locutus sum*, id est, loquor: de quo dicam 2 Corinth 4. v 13. Porro tritum est, Hebræos, præsertim Prophetas, de futuris loqui, per præteritum; quia ea quæ prædicunt, tam certò futura sunt, ac si iam essent præterita, & in altissima amplissimaq; Dei præscientia iam sunt quasi præterita.

TRIGESIMVS.

Nomina, gerundia, infinitiuos subinde actiuè, subinde passiuè capiunt Hebræi: & ex ijs Paulus. vt, *Christus factus est nobis iustitia*, id est, iustificator. Contrà 2. Corinth. 5. vers. vlt. dicit: *Nos facti sumus iustitia*, id est iusti, *in Christo*. ita Chrysostomus & Cyrillus li. 12 Thesauri 3. Sic Deus dicitur amor & timor noster, spes & patientia nostra, scilicet passiuè, id est, obiectum amoris, timoris, spei & patientiæ nostræ; siue is quem amamus & reueremur, in quem speramus, propter quem patimur. Pari modo sæpè ab iisdem Hebræis potentia vel actus sumitur pro obiecto, & contrà. Sic enim Hebræi colorem vocant oculum: quia color oculo videtur & percipitur, estque obiectum oculi: vt Numer. 11. 7. vbi Noster interpres vertit: *Erat manna coloris*

coloris bdellij, hebraicè est, habebat man עין *en*, id est oculum, bdellij. Et Leuitici 13. 55. pro eo quod nos habemus, *Cùm viderit non creuisse lepram*, hebraicè est: Si lepra non mutauerit, עינו *eno*, id est, suum oculum, hoc est, suum colorem. Sic & Galli, Flandri, aliæque gentes loquuntur; vt dicant rem aliquam, putà, gemmam aut vestem, pulchrum habere oculum, obtutum, aspectum; volentes hac phrasi significare gemmam aut vestem pulchram habere formam, aut speciem.

TRIGESIMVS PRIMVS.

Ludunt Hebræi & Paulus, elegantiæ causa, vario sensu in ijsdem vocibus. Sic *peccatum* nunc propriè, mox pro causa vel effectu peccati, scilicet concupiscentia, mox pro hostia pro peccato sumunt. Sic Paulus ait 2. Corinth. 5. v. 21. *Eum qui non nouerat peccatum* (Christum) *pro nobis peccatum* (id est, hostiam pro peccato) *fecit*. Ita S. Augustinus Enchirid. c. 41. Estque antistasis, siue eiusdem verbi contraria significatio; qualis est, si dicam, *Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari*. Sic Plautus in Euclio; *Araneas*, inquit, *mihi ego illas seruari volo*. Locuta erat anus de inani prorsus, præter araneas domo. At senex araneas intelligit thesaurum, qui anum latebat.

TRIGESIMVS SECVNDVS.

Verba Hebræorum subinde actum inchoatum, subinde continuatum, subinde perfectum significant. Inchoatum, vt Rom. 2. 4. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, id est, adducere conatur. Perfectum, vt 2. Corinth. 2. 14. *Deus triumphat nos*, id est, triumphare facit. Ita Ambrosius, & ex eo Anselmus ibi. Continuatum, vt Ioan. 14. 1. *In me credite*, id est, pergite credere, confirmate vos in fide mea. Iam pridem enim antè in Christum crediderant Apostoli.

TRIGESIMVS TERTIVS.

Sicut Christus multis parabolis, ita & Paulus, more suæ gentis, docet per similitudines & metaphoras. Sic sæpè Ecclesiam comparat ædificio, corpori, agro, arbori, Christum Adamo, peccatum fermento. ita S. Hieron. in Matth. 18.

TRIGESIMVS QVARTVS.

Cato *in Scripturis quid significet.*

Caro, ait S. August. epist. 146. ad Consentium nunc propriè sumitur, nunc tropicè: & tunc aliquando carnis corruptionem, aliquando concupiscentiam, aliquando homines carni deditos significat. Sic virtute præstantes, vocantur carnis expertes. *Vos*, ait Paulus Rom. 8. 9. *non estis in carne*. Et Ioan. 3. 6. *Quod natum est ex carne, caro est*, id est, carnale, animale est; *quod natum est ex spiritu, spiritus est*, id est, spirituale est. Rursum Apostolus subinde carnem vocat externam speciem & gratiam, eamque opponit spiritui, id est, internæ gratiæ & efficaciæ. Sic dicit Iudæos gloriari in carne, id est, in carnali circumcisione & prosapia, quòd sint filij Abrahæ. Sic *sapientes secundùm carnem*, & *sapientiam carnis*, vocat sapientiam mundanam, & sapientes mundi: hoc sensu ait se neminem nosse secundùm carnem, id est, externam speciem & carnalem cognationem; de quo plura 2. Corinth. 10 v. 2. Ita S. Chrysostomus, Theophylact. Anselmus, & alij. Sæpiùs verò carnem vocat ipsam concupiscentiã: cuius causa est; Primò, non quòd propriè caro sit ipsa concupiscentia, aut fomes, incentrix & dictatrix peccati (nec enim caro peccati cogitationes & motus suscitat aut format.) sed metonymicè: quia caro est velut officina animæ, quæ in carne quasi figulus in luto, formas suarum concupiscentiarum & turpitudinum idola, per quam ea peragit & consummat.

Caro *pro concupiscentia sumitur, ob quatuor rationes.* 1.

Secunda causa est, quia caro motus concupiscentiæ iuuat & fouet: efferuescentia enim sanguinis iram concitat, motus & concitatio spirituum generationi subseruientium suscitat libidinem. sic varij motus spirituum & sanguinis varias concupiscentias suscitant.

Tertiò, caro non nuda, sed animata & informata anima concupiscente, dicitur concupiscentia: quia concupiscentia, siue anima concupiscens carnem inhabitat, informat, & cum ea vnum efficit compositum.

Denique Quartò, multi Philosophi censent, sicuti sensationes (quales sunt visio, auditio, perceptio gustus & tactus) ita & concupiscentias, motusque appetitus sensitiui esse tam in corpore & organo corporeo, putà oculo, aure, lingua, spiritibus, corde, &c. quàm in anima: licet alij, & fortè subtiliùs ac verius, putent eas, vtpote spirituales, & animales, esse in sola anima. cùm enim hæc sola præcisè viuat & sentiat; sola quoque vitales & animales actiones elicit, ac consequenter sola quoque eas recipit. quod enim vitalium & animalium actionum est efficiens, idem earumdem est recipiens, siue subiectum. Ad has tamen actiones corpus per organa sua, per spiritus & sanguinem, disponit & adiuuat animam, & per sympathiam, similes passiones, sed corporales, in se suscitat & suscipit. vt v. g. cùm in anima & appetitu sensitiuo exurgit concupiscentia iræ & appetitus vindictæ (hic enim præcisè nõ videtur esse in corpore, sed in sola anima) mox per consensionẽ quamdã naturalẽ & sympathiam corporis & animæ ex anima redundat in corpus ira quædã quasi corporalis, scilicet efferuescẽtia sanguinis & spirituum: & ita de alijs concupiscentiæ motibus. vt propter hanc sympathiam & similes vtriusque motus rectè concupiscentia tam in corpore, quàm in anima esse dici possit, adeoque vocari caro, vt doctè docet S. Cyprianus in prologo tractatus de Cardinalibus operibus Christi. *Hoc ipsum*, inquit S. Cyprianus, *quod dico carnis affectus, impropriè dico: quia hæc vitia propria animæ sunt, quæ sentit & mouet & viuit, cui imputatur peccatum: quia ipsi datum est arbitrium, & iudicium, & scientia, & potentia; per quæ possit improbare malum, & eligere bonum. Corpore autem sic vtitur anima, sicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricatur qualibet quarumcumque voluptatum simulachra. Non est caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec disponit agenda; sed officina est spiritus, qui in ea, & per eam quæcumque affectauerit, peragit & consummat. quòd autem ipsa insensibilis sit, spiritu recedente dignoscitur, post cuius discessum nulli apta vsui superest putredinis massa. & paludis aceruus: quidquid enim sentit, à natura corporis alienum probatur.*

Deinde explicat S. Cyprian. quomodo iam dictis non obstet, quòd caro aduersus spiritum concupiscere dicatur. *Quòd verò*, inquit, *caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem contendere dicitur & repugnare, impropriè arbitror dictum; quia soleas animalis ista est, quæ secum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat; certior in huiusmodi quæstionibus quid bonum sit, quid malum, quàm in alijs rerum inquisitionibus, quid verum sit, quid falsum. Sed desidem & veneno mens ebria corpus contumeliis applicat, & sen-*

dit

illis complexibus ambo in mortiferas suauitates elapsi obdormiant, iamq; euigilauerint, serò pœnitentiam adducas inefficacem, & inquinamentorum horror fœdata menti occurrat. Ita in ceteris omnibus, quæ malignè patrata sunt, huiusmodi vltio peccatorem persequitur, & ipse libidinum labe crapulatus se conuomit.

TRIGESIMVSQVINTVS.

Opponit Paulus spiritum carni; interiorem hominem exteriori; legem mentis legi carnis & membrorum; legem Dei legi peccati, id est, gratiam qua per Christum renouamur, virtutem, eiusque motus & dictamen opponit cōcupiscentiæ eiusque motibus & dictamini. Notandum est enim, quòd cōcupiscentiam vocat nunc carnem, nunc legem (id est dictamen) membrorum, carnis & peccati, nunc peccatum, nunc exteriorem hominem, terrenum & animalem, nunc hominem veterem, nunc corpus peccati, id est, peccato obnoxium, in peccatum procliue. E contrario gratiam & spiritum vocat legem mentis, legem Dei, hominem nouum, nouam creaturam, interiorem hominem & spiritualem. cuius phrasis originem & causam assignabo ad Roman. 7. v. 22. & 23. ita Chrysostomus, Ambrosius, Theophyl. & clarissimè Anselmus ibidem.

TRIGESIMVSSEXTVS.

Verba Hebræorum actiua realia sæpè per mentalia exponenda sunt: vt adduxit, id est, adducere voluit & prædestinauit, Hebr. 2. 10. Sic Ieremiæ 1. 10. dicitur: *Constitui te vt euellas & destruas, ædifices & plantes*; Gentes scilicet & regna, id est, vt illa euellenda & destruenda, vel ædificanda & plantanda prædicas & prophetes. Simile 2. ad Tim. 1. v. 9. & ad Titum 1. v. 2.

Rursus Hebræi comparationem exprimunt per negationem, scilicet, vt id quod maius est asserant, quod minus negent. patet Matth. 9. 13. ita Chrysostomus, & Euthymius ibidem, & August. lib. 2. Ciuit. 5. vt 1. Corinth. 15. 10. *Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei, quæ in mè est* (vti legunt Græci:) id est, in operibus supernaturalibus plus fecit gratia Dei, quàm ego. & 1. Cor. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*: id est, parum facit prædicator in conuersione & perfectione animarum, si comparetur cum eo, quod facit Deus interiùs, menti gratiam aspirando.

TRIGESIMVSSEPTIMVS.

Apostolus confusè subindè loquitur, & rem ponit pro adiacentibus rei. Sic *Christum* sæpè vocat Christi fidem, gratiam, institutionem, baptismum, Ecclesiam, religionem, id est, christianismū ipsum, vt ad Colosſ. 2. 6. *Sicut*, inquit, *accepistis Iesum Christum*, id est, Christi fidem, doctrinam, religionem, *in ipso*, id est, in fide & religione ipsius, *ambulate*. Et ad Gal. 5. 2. *Si circumcidamini, Christus*, id est, christianismus, *vobis nihil proderit*. Sic passim ait baptizatos *induere Christum*. id est, Christi virtutes, spiritum & mores, eosque *esse, inseri, viuere, ambulare in Christo*, id est in Christi fide & gratia.

TRIGESIMVSOCTAVVS.

Apostolus, quia spiritu, sapientia, sensu & rebus fruitur; hinc ad verba non æquè respicit. *Etsi imperita* (inquit ipse) *sermone, sed non scientia*; &, *Prædicatio nostra, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*, 1. Corint. 2. Hinc sæpè sententias conuoluit, alias & alias ag-

A glomerat, primas imperfectas relinquit, & quasi aliò abreptus, digreditur, mixtaque interloquitur, ac deinde ad primas & ad propositum redit. Patet id clarè Gal. 2. 6. Ephes. 3. v. 1. 2. & 14. Rursum vtitur crebra ellipsi, enallage, apoſiopesi, hyperbatis, & id genus tropis, qui interpreti suppleudi sunt, vel ordinandi. Causam dat S. Irenæus lib. 3. ca. 7. *Hyperbatis*, ait, *sæpè vtitur Apostolus propter velocitatē sermonum suorum, & impetum spiritus qui in eo est*. Porrò ellipsi vtitur, vel casus, vel præpositionis, vel coniunctionis, vel verbi, vel integræ etiam sententiæ, vt cùm ait initio epist. ad Rom. *Paulus Apostolus, seruus Iesu Christi*. Deest hic, & suppleudū est, *opto*, vel *precor vt multiplicetur gratia in vobis*.

TRIGESIMVSNONVS.

Hinc etiam vtitur epitasi, id est, vehementiori
B verbo pro minùs vehementi. vt Rom. 9. v. 13. *Esau odio habui*, id est, neglexi, post posui, minùs amaui. Simile Gen 29. 31. Ioan. 12. 15.

QVADRAGESIMVS.

Multa verba vsurpat Paulus iuxta phrasim & morem prouinciæ suæ, putà Tarsi & Ciliciæ. erat enim ipse Tarsensis & Cilix. vt 1. Cor. 4. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*. Vbi *diem* posuit pro iudicio, ex Cilicum phrasi: nam dies dici reis consueuit. Sic ad Colosſ. 2. 18. vsus est verbo καταβραβεύειν, quod lingua Tarsensium significat insidiosè alteri palmam præripere, vt annotauit S. Hieron. epist. 151. ad Algasiam, q. 10. Cilices enim græcè, sed corruptiùs quàm alij Græci loquebantur. *Hisce*, inquit Hieron. *& aliis multis verbis vsque hodie vtuntur Cilices: nec hoc miremur in Apostolo, si vtatur eius linguæ consuetudine, in qua*
C *natus est & nutritus, cùm Virgilius alter Homerus apud nos patriæ suæ* (Mantuæ & Mantuanæ linguæ) *sequens consuetudinem, Sceleratum frigus appellet. sceleratum*, id est, horrendè intensum, mordax & noxium; quomodo & Galli nostri loquuntur cùm aiunt: *Il fait meschamment froid*, id est, sceleratè, hoc est horrendè, est frigidum.

QVADRAGESIMVSPRIMVS.

Apostolus subinde nouat quasdam voces, ijsque noua significatione & sensu vtitur. Hunc canonē tradit & exemplis lustrat Gregor. Nyssenus orat. in illud 1. Cor. 15. *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia. Solet*, inquit Nyssen *sapientia magni Pauli, ad id quod visum fuerit, liberè ad arbitrium suum verbis vti, & ad suæ sententiæ seriem verborum significationes adaptare, etiamsi ad aliquas alias mentis conceptiones vsum dictionum trahat consuetudo. Nam vnde sumpsit vsum verbi, ἐκλυθῆναι*, id est, *exinaniuit seipsum*, Philip. 2. & 2. Cor. 11. *Gloriationem meam nemo exinaniet aut euacuabit*. & ad Roman. 4. *Exinanita est fides*. & 1. Cor. 1. *Ne inanis reddatur crux Christi: Ex quonam vsu hæc traxit ad suum propositum? quis item iudicabit eum quòd dixerit ἐμεπόμην ὑμῶν*, id est, *cupidi eramus vestri, vestrig; auidi? per quam dictionem amoris habitum & effectum ostendit, quomodo per dictionem, μὴ πεφθάσητε*, id est, *non agit perperam, charitatē à fastu & superbia alienam demonstrat? studiū item contentionis & vlciscendi cupiditas quo pacto per verbum, ἐριθείας, ab eo significatur?* Rom. 2. 8. *Exercitiū nam; & studium lanæ hoc nomine significatur. Est enim ἡ ἐριθὸς, propriè ancilla quæ lanam tractat, & ἐριωργία, est ipsum lanificium*. Et post pauca docet, cùm Apostolus ait: *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei*, pari modo per subiectionem hanc Filij, abusiuè intelligi non seruilem eius humili-

Quomodo intelligendum quòd Filius subiectus erit Patri.

militatem, sed salutem, felicitatem, incorruptionem, & regnum æternũ, quod Filius à Patre, quasi illi vnitus & glorioſiſſimè ſubiectus, accipiet.

QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Paulus licet græcè ſcribat, ſubinde tamen vtitur vocibus Romanis, eaſque ex Latinis Græcas facit, quia hæ voces vſitatiſſimæ erant, non ſolùm apud Latinos, ſed etiam apud Græcos. Sic enim græcè ſcribens vocat *macellum*, *coloniam*, *ſicarios*, *ſemicinctium*, *membranam*, *penulam*.

QVADRAGESIMVS TERTIVS.

Credere in Deum, & Deo, *quomodo differant.*

Scriptura & Paulus dicunt aliquando nos credere in Deum, aliquando nos credere Deo. S. Auguſt. in pſalm. 77. hæc duo diſtinguit: *Plus*, ait, *eſt credere in Deum, quàm credere Deo: nam & homini cuilibet plerumque credendum eſt, quamuis in eum non ſit credendum.* Hoc iuxta communem Latinorum phraſim verum eſt: verùm iuxta phraſim Hebræorum, Pauli & Scripturæ hæc duo idem ſunt. Idem enim eſt Hebræis הַאֲמִין בַּיהוָה *haamin badonai*, id eſt, credere in Deo, vel, in Deum, & הַאֲמִין לַיהוָה *haamin ladonai*, id eſt, credere Deo. Hæc ergo tria apud Hebræos & in Scripturis idem ſignificant, ſcilicet, credere Deo, credere in Deo, & credere in Deum. Verbum enim *haamin*, id eſt, credere, Hebræis ſignificat contactum quemdam mentalem, quo mens quaſi tangit ſua credulitate & conſenſu rem creditam, illique adhæreſcit. Verba autem contactus ſæpè apud Hebræos cum *bet*, id eſt *in*, conſtruuntur.

QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Verba Hebræorum ſæpè non actum, ſed debitum, vel officium ſignificant. vt Hebr. 13. v. 17. *ipſi enim peruigilant*, id eſt, peruigilare debent, *quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Sic Hebræi dicunt עָשָׂה אֲשֶׁר לֹא יֵעָשֶׂה *aſa aſer lo iaſe*, id eſt, fecit, quod non fieri, hoc eſt, fecit quod fieri non debet, ſiue, quod facere non licet.

QVADRAGESIMVS QVINTVS.

Vtitur Scriptura & Apoſtolus ſæpè metalepſi, id eſt, tranſſumptione: vt ad Philip. 2. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, id eſt, non vt rapinam ſtudioſè retinuit, defendit, oſtentauit, iactauit æqualitatem ſuam cum Deo Patre, ſed eam quaſi Dominus ſponte depoſuit & celauit. Sic etiam vtitur hypallage: vt Iſaiæ 1. *Cognouit bos præſepe domini ſui*, id eſt, cognouit bos dominum præſepis ſui, ſiue dominum ſe alentem in præſepio.

INTERPRETES EPISTOLARVM S. PAVLI.

Origenes.

EX Græcis primus Origenes ſcripſit in epiſtolam ad Rom. Fuſus hic eſt, elegans, & in moralibus excellit, dogmata quædam habet à ſana fide aliena. Vnde S. Hieronymus in epiſt. ad Pammachium & Oceanum de Origene ſic ait: *Laudaui interpretem, non dogmatiſten; ingenium, non fidem; Philoſophum, non Apoſtolum.* Secundus eſt Theodoretus, qui in omnes Pauli epiſtolas ſcripſit. Breuis hic eſt, planus & litteralis. Tertius eſt S. Chryſoſtomus. Excellit hic tum ſenſu litterali, tum morali, tum ſpiritu Paulino. S. Chryſoſtomũ ſequuntur, quaſi diſcipuli, Theophylactus & Oecumenius, in quibus tamen quædam cauenda & ſuis locis monenda ſunt: vtquòd Rom. 9. prædeſtinationem non tantùm ad gloriam, ſed etiam ad gratiam ex præuiſis meritis factam eſſe ex v. 11. planè contra mentem Apoſtoli aſſerere & docere videntur. Theophylactus quoque Photij Patriarchæ Conſtantinopolitani (vtpote à quo creatus fuit Epiſcopus Bulgariæ) errorem ſecutus eſt, docetque Spiritum ſanctum procedere non à Filio, ſed à ſolo Patre.

Theodoretus.

Chryſoſt.

Theophyl. Oecum.

Comment. Ambroſio inſcriptus an verè ſit S. Ambroſij.

Inter Latinos, primò extant commentarij in omnes Pauli epiſtolas inſcripti nomine S. Ambroſij, breues, ſed graues paſſim. Verùm notãdum eſt, eos non eſſe S. Ambroſij. Alibi impreſſi extant, nomine S. Athanaſij; ſed nec eſſe Athanaſij, nec Ambroſij, patet Primò, ex ſtylo: quodque hic auctor græcè ſe neſcire profiteatur; cùm S. Ambroſius optimè Græcam calluerit, vti indicant multa quę ex Origene & Baſilio mutuatus eſt. Secũdò, quòd nec S. Hieronymus, nec S. Auguſtinus, eorum meminerint. Tertiò, quòd quædam habeant ſuſpectæ fidei: vt quod 1. Corinth. 7. docent virum non ita conſtringi legibus matrimonij, ſicut vxor conſtringitur; virum enim poſſe facere diuortiũ, vxorem non. qui eſt manifeſtus error, etiam ipſimet S. Ambrono alijs locis. Sic ad Roman. 4. v. vltimo docent eos, qui baptizati ſunt ante Chriſti paſſionem, accepiſſe remiſſionem peccatorum, ſed non fuiſſe iuſtificatos. Rurſum Rom. 8. v. 28. docent nos vocari ad gratiam ſecundùm propoſitum, non Dei, ſed noſtrum: quod eſt Pelagianum, & contra mentem Apoſtoli. Sunt tamen hi commentarij veteris auctoris. Vnde ipſe 1. Timoth. 3. ait ſe hæc ſcribere Damaſo regente Eccleſiam. Tempore Caſſiodori, hi commentarij nomine Gelaſij vulgabantur, vt patet ex Caſſiodoro lib. De diuinis lectionibus c. 8. non Gelaſij Romani Pontificis, vti putauit Caſſiodorus, qui Damaſo poſterior fuit, ſed illius, vt videtur, Epiſcopi Cæſarienſis, qui vixit ante Concilium Chalcedonenſe, & ſcripſit librum de Duabus naturis.

Alij hoſce commentarios Remigio attribuunt; ſed hic longè poſteriùs vixit, ſcilicet anno Domini 880. fuitque Antiſiodorenſis Epiſcopus, cuius etiam alij in has epiſtolas extant commentarij prorſus ab his Ambroſianis diuerſi. Alij putant illorum auctorem eſſe illum qui ſcripſit Quæſtiones veteris & noui Teſtamenti tom. 4. operum S. Auguſtini, quia in quibuſdam cum eo conſentit, ſed ſtylo, grauitate, doctrina, methodo abeo diſſentit. S. Auguſtinus li. 4. contra duas epiſtolas Pelagian. 4. citat ex hoc commentario in ca. 5. ad Roman. explicationem illius ſententiæ: *In quo omnes peccauerunt*, nomine S. Hilarij. Hinc putant Doctores Louanienſes, quos ſequitur Salmeron diſp. 19. & Cardin. Bellarminus libr. de Scriptor. Eccleſ. in Ambroſio, Hilarium Diaconum vrbis Romæ, eſſe huius cõmentarij auctorem, qui ſchiſmati Luciferi Calaritani adhæſit, & docuit rebaptizandos eſſe hæreticos. Vnde S. Hieronymus ſcribens contra Luciferianos, eum vocat Deucalionem orbis.

Dices, Quomodo ergo S. Auguſtinus eum ſanctũ vocat? Reſp. Fortè deceptus fuit Auguſtinus nomine Hilarij, putauitque; eum eſſe eumdem cum S. Hilario Pictauienſi Epiſcopo; aut nomen *ſancti*, more illius temporis accipit latè pro quouis miniſtro Eccleſiæ. Siue ergo hic fuerit horum cõmentariorum auctor, ſiue quis alius, certè doctus eſt, litteralis, verbis breuis, & ſententijs grauis; ſed, vt dixi,

ri, infarta quædam habet quæ suspecta & erronea sunt.

Secundus est S. Hieronymus, qui scripsit in epistolam ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, & ad Philemonem. Vbi aduerte, solere S. Hieronymum in præfatione dicere, quos veteres secuturus sit, ac deinde in commentario sæpè eorumdem errores transcribere, nec refutare. Quare cautè legendus est in hisce S. Hieronymus, atque Origeni aliisque quos in præfatione nominat, non autem ipsi Hieronymo hi errores tribuendi sunt. Rursum notandum hic est, inter opera S. Hieronymi post commentarium in hasce quatuor epistolas, etiam alios extare commentarios breues in omnes epistolas S. Pauli. Sed certum est intuenti & conferenti priores cum hisce posterioribus, eos non esse S. Hieronymi. Vnde & in ipsa præfatione Heliodoro assumuntur: hic enim posteriorum Auctor repit, nil habet Græci, vel Hebræi, cùm Hieronymus acerrimus & tam Hebræis quàm Græcis abundet. Adde, talem auctorem hunc esse Pelagianum. Nam in cap. 5. ad Roman. negare videtur peccatum originale, tractans enim illud Pauli: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*; sic explicat: Per Adam, inquit, intrauit peccatum in mundum, *intrasse*, inquam, *imitatione, non naturali traduce aut propagine*, quia scilicet posteri Adæ peccatum spontaneum imitati sunt, non autem naturali propagatione ex Adamo peccatum aliquod contraxerunt. quæ expositio fuit Pelagij. Vnde hic Auctor emendationomine S. Hieronymi plures decepit. Nam eum secuti sunt Sedulius, Primasius, & Rupertus, adhuc commentarius Sedulij Scoti in epistolas Pauli idem cum hoc Hieronymiano esse videtur, refectis tantùm plerisque, quæ manifestam Pelagij hæresim continebant. Sic & Primasij Vticensis, qui floruit sub Theodosio Imp. fuitque S. Augustini discipulus, commentarius, eiusdem scripti, S. Hieronymo falsò asscripti, non aliud, quàm lima & castigatio quædam est, licet per omnia non satis semper exacta & diligens.

Tertius S. Augustinus inchoauit commentarium in epist. ad Romanos: *Sed difficultate & prolixitate*, inquit ipse lib. 1. Retract. c. 25. *Apostoli territus destiti.* Scripsit & in epist. ad Galatas & in reliquas sparsim, eaque collegit Ven. Beda. Hos secuti sunt alij post aliquot sæcula. Primus qui cæteris aptiùs, peritiùs, sapidiùs scripsit, est S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, Lanfranci discipulus & successor sub annum Christi 1080. Dubitat tamen Franc. Ribera in epist. ad Hebræos, an hi commentarij sint S. Anselmi: & in antiquis exemplaribus, Herueo Monacho inscribũtur, teste Sixto Senensi in Anselmo. Nonnulla descripsit hic auctor ex commentario Ambrosiano, vt videre est in 2. ad Corinthios c. 8.

Haymo etiam Halberstatensis Episcopus in hasce epistolas breuiter scripsit, simpliciter & clarè anno Domini 830. Cum Primasio ita consentit, vt penè vnus idemque vtriusque videatur esse commentarius.

Hos secutus D. Thomas, in easdem scripsit breuiter, methodicè & theologicè, multumque materiæ legenti suggerit.

Magister Sententiarum Petrus Lombardus ex Patribus more suo commentarium in hasce epistolas cõtexit: in quo hoc vnum desideratur, quòd Patrum loca non annotet aut designet. Huic similis est Glossa ordinaria, quam ex Patribus, tacitis locis, collegit Strabo Rabani auditor. Sicut Anselmus Laodunensis anno Domini 1110. (vt tradunt Sixtus Senensis & alij) auctor est Glossæ interlinealis, quæ multa breuiter & punctim, sed doctè & vtiliter attigit. Huic Glossæ tum ordinariæ, tum interlineali adiunctus est Nicolaus Lyranus ex Iudæo Christianus, & suo tempore nobilis Scripturæ interpres. Scripsit etiam Hugo Cardinalis, qui subinde moralia puncta, eaque multa, sed breuia conglomerat è Scriptura.

Petrus Lõbardus.

Glossa ordinaria. Strabo.

Anselmus Laodunensis.

Nicolaus Lyranus.

Hugo Cardinalis.

E recentioribus præ alijs egregiè scripserunt Caietanus, Dionysius Carthusianus, Contarenus Cardinalis, Ambrosius Catharinus, Claudius Guilliaudus, D. Hasselt, Doctor Louanienſis, qui apud nos Louanij manuscriptus extat. Titelmannus, Adamus Sasbout. Bene etiam Gagneius scripsit, sed immatura morte præuentus commentarium hunc quasi posthumum embryonem alijs formandum, limandum & edendum reliquit. Nouissimè in omnes epistolas scripsit per dubia & quæstiones P. Alfonsus Salmeron fusè & doctè. In epistolam ad Hebræos scripsit Franciscus Ribera singularis sacræ Scripturæ interpres, vltimamque hîc quasi cycnæam vocem edidit.

Caietanus & reliqui recentiores.

Alfonsus Salmeron. Franciscus Ribera.

In epist. ad Rom. scripsit primò Dominicus Soto doctè & theologicè. Deinde per quæstiones selectas P. Pererius. Tertiò, commentarium plenum & exactum, magno iudicio edidit Cardinalis Toletus, qui Apostoli argumenta & rationes acri indagine rimatur, nectit & stringit. Multas hic habet nouas expositiones, easque vestigare & adamare videtur.

Dominic. Soto.

Pererius.

Toletus.

In epist. ad Timotheum & ad Titum fusè & floridè scripserunt noster Magalianus, & Ludouicus Soto Maior: & ante hos Claudius Spencæus, qui prolixas cum hæreticis nostri temporis disputationes interserit. Habet & Erasmus hic suas annotationes, grammaticales sæpè, quibus varias lectiones atque vim & significationẽ Græcæ dictionis expendit. Verùm de nonnullis fidei articulis, vti de diuinitate Filij, de descensu Christi ad inferos, de processione Spiritus sancti à Patre & Filio, de peccato originali, de confessione sacramentali, dubiè & ambiguè loquitur, ouaque ponit quæ postea Lutherus & Arriani excluserũt.

Magalianus. Lud. Soto. Spencæus.

Erasmus multùm fauet hæreticis.

Ex hæreticis scripserunt multi, ac inprimis Caluinus, Beza, & August. Marloratus, qui ex Luthero, Melanchthone, Brentio, Bulingero, Pomerano, Sarcerio, Petro Martyre, & alijs catenam confecit.

Hæretici.

Vatablus Catholicus fuit, sed eius scripta ab hæreticis excusa & deprauata sunt: alioqui vir ipse fuit egregiè doctus, tam in Hebræis, quàm in Græcis. Acutè litteram breuiterque persequitur: sed sæpè à Nostro interprete diuersus est. Habet enim ipse propriam versionem, vel potiùs versionem Tigurinam Leonis Hebræi.

Vatablus Catholicus ab hæreticis corruptus.

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

ARGVMENTVM.

Dua huius epistolæ partes. Prior dogmatica, posterior ethica.

DVæ epistolæ huius partes sunt. Prior, ab initio, vsque ad caput 12. dogmatica est. Posterior, à cap. 12. ad finem vsque ethica est, & mores instruit. In priore dogmatica, vt ait S. Augustin. & ex eo Anselmus, versatur & discutitur quæstio operum legis, & gratiæ; an videlicet Iudæis solis (vt ipsi iactabant) propter merita operum legis, data sit iustitia & salus; an verò omnibus omnino nationibus sine vllo operum legis aut naturæ merito, gratis à Deo concessum sit, vt per fidem in Christum & gratiam eiusdem, iustificentur, ac deinceps fidei & gratiæ cooperando, iustè & sanctè viuant, itaque salutem æternam assequantur. Hac enim de re Iudæi cum Gentibus contendebant, Gentibus Philosophiam & virtutes morales iactitantibus, pro sua iustitia: Iudæis verò venditantibus opera legis, & quòd essent posteri Abrahæ, quibus promissus erat Messias & salus, vt, si ea potiri vellent Gentes, deberent circumcidi, & fieri Iudæi proselyti. Vtrosque retundit hîc Apostolus, ostendens quòd Iudæi contra legem Mosi, Gentes contra legem naturæ grauissimè peccarint, & vtrique indiguerint redemptore; ac proinde vtrisque gratis promissus sit Messias, cuius fide & gratia gratis iustificentur.

Contentio Iudæorum & Gentiũ.

Totius epistolæ distributio quintuplex.

Hæc autem totius epistolæ est distributio. Primis quinque capitibus reprimit Apostolus fastum tam Iudæorum, quàm Gentium, ostenditque tam hos, legem naturæ; quàm illos, legem Mosi violasse. Ideoque omnes esse sub peccato, & consequenter egere Saluatore Christo; quodque ex fide & gratia Christi, non autem ex operibus legis vel naturæ iustitia petenda & spectanda sit.

Secundò, cap. 6. docet, quomodo in iustitia per Christum accepta progredi, vitijsque suis resistere debeant: nam, vt ait c. 7. post iustificationem manet in iusto concupiscentia, quam acuit lex, sed comprimit & superat Christi gratia.

Tertiò, cap. 8. enumerat fructus, quos capimus ex fide & iustitia Christi.

Quartò, cap. 9. 10. & 11 docet Gentes vocatas & electas esse ad iustitiam, ab eaque reiectos esse Iudæos; eò quòd Gentes Christo credere voluerint, Iudæi verò noluerint, sed iustitiam in lege Mosi, non autem in fide Christi quæsierint, eamque sibi quasi Abrahæ posteris, iure hereditario debitam arrogarint.

Quintò, cap. 12. transit ad mores, hortaturque ad exercitia Christianarum virtutum, ac denique cap. 16. salutationibus epistolam claudit.

Quando scripta hæc epistola, & quare ponatur primo loco.

Nota Primò. Scripta est hæc epistola post vtramq; ad Corinthios, vt rectè annotauit S. Chrysost. & patet ex 2. Corinth. v. 8. & 9. vbi collectam fieri hortatur Paulus pro pauperibus Hierosolymitanis: hac verò epistola ad Romanos c. 15. v. 25. collectam illam iam factam esse significat. Ponitur tamen hæc epistola ab Ecclesia primo loco, vel ob præeminentiam Romanæ Ecclesiæ, vt censet Catharinus. Vnde S. Irenæus lib. 3. cap. 1. tradit S. Paulum cum S. Petro Romæ euangelizasse, & cum eo Romanam fundasse Ecclesiam, sicut & eamdem cum eodem suo sanguine & martyrio consecrauit. Vel, vt opinatur S. Augustin. epist. 105. ad Sixtum, eò quòd gratiam fidei commendet, quæ caput est & initium gratiarum: vel, vt vult Theodoret. ob exactam omnis generis doctrinam.

Nota Secundò. Probabiliter Salmeron tom. 1. prolegomeno 35. in fine, censet hanc vnam Pauli epistolam latinè esse scriptam. Primò, quia eam Apostolus scribit Latinis; ipse enim ex dono linguarum sibi infuso etiam latinè norat. Secundò, quia eius amanuensis fuit Tertius, cap. 16. vers. 22. quod nomen Latinum est.

Dices, Cur ergo toties hîc græcizat? Respondeo, Quia hactenus inter Græcos versatus erat ideoque in Græcam erat procliuior. Contrà Bellarminus l. 2. de verbo Dei c. 7. & communiter alij, omnes Pauli epistolas, præter vnam ad Hebræos, græcè scriptas esse contendunt. Certè S. Chrysostomus & Græci Græcum textum quasi autographum sequuntur. Idem facit & Syrus. Adde, Paulum hac epistola Iudæo & Barbaro non opponere Romanum, sed Græcum, c. 1. v. 14. & 16. Scribit enim ex Græcia, vbi inter Græcos ingens Græcæ linguæ iam assueuerat, ideoque scribit græcè etiam ad Romanos, quia his, vti & alijs, lingua Græca tum erat familiaris & elegans, vt dicam c. 1. v. 16. Perinde ergo hîc facit Paulus, atque si Francus, vel Belga aliquis ex Francia in Belgiũ ad Louanienses vel Antuerpienses scriberet francicè. Tertiò, idipsum confirmat, quòd hæc epistola græcismis abundet, quodque Latinus noster textus ex Græco ad verbum, imò ad litteram & apicem sæpè expressus videatur; vt quod c. 1. v. 31. habetur: *Sine affectione absque fœdere, sine misericordia*; quis non videt ex Græcis verbis ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας, ad apicem esse expressum? nam si latinè scripsisset Paulus, latinè & clarè dixisset: *Inhumanos, fœdifragos, immisericordes*. Similes græcismos videbimus c. 1. v. 7. & 8 & deinceps: ita vt hæc epistola planè stylo & phrasi Græca scripta esse videatur.

Quartò, hic videtur esse sensus & consensus interpretum tam Græcorum, quàm Latinorum. Omnes enim prouocant, cùm lectio est dubia, ad textum Græcum, quasi ad Pauli autographum. Quòd si textus Græcus sit ambiguæ & variæ significationis, variant quoque in expositione interpretes, vt tale fit in Latino: v. g. Rom. 1. v. 1. Græcum ὡρισμένος Chrysostomus & Græci vertunt, *qui declaratus est*: Nostri verò interpres & Latini vertunt & legunt, *qui prædestinatus est*. Vtrumque enim signifi-

cat

or Græcum ὁρισθέντος. Quòd si Paulus latinè scripsisset, *qui prædestinatus est*, nulla foret hîc lis, nulla varietas, nullum dubium; causa pro Latinis foret decisa, Latini omnes, Græcos ad Latinum Pauli autographum prouocarent: quod tamen nemo hactenus fecit.

Addo tamen, probabile esse Græcum Pauli autographum mox à Tertio, vel alio interprete, quę, vt alibi dixi, Paulus semper ad manum habebat, conuersum esse in Latinum sermonem, itaque Romanis & Latinis esse trãsmissum; hoc enim suadent rationes prioris sententiæ Salmeronis. Atque hac de causa, nimirum ob duritiem & obscuritatẽ interpretis, putauit Diodorus Tarsensis, hanc epistolam præ alijs tam hiulcè & obscurè esse conscriptam, vt dicam c. 16. v. 22. Pari modo S. Marcum Euangelium, quod Romæ latinè conscriptum fertur Aquileiæ in Græcũ transtulisse, cuius A originale Venetijs etiamnum asseruatur, vti testatur Petrus Episcopus Aquileiensis in catalogo lib. 4. c. 86. Sic & Irenæum, quem vtpote Græcum græcè scripsisse omnes consentiunt, mox à quopiam familiari eius interprete in Latinum esse conuersum opinantur nonnulli; inter quos est Feuardentius proœmio in Irenæum: hoc enim suadere videtur styli illius Latini vetustas & grauitas.

Denique scripta est hæc epistola anno Christi 58. vt ait Baronius, Corinthi, missa per Phœben, vt habent Biblia Græca, Syra, & Latina Regia in fine epistolæ; cùm iam S. Petrus Roma iussu Claudij abijsset in Britanniam, tunc nimirum Paulus Romanos pastore destitutos, & inter se de quæstionibus iam dictis, tumultuantes confirmauit, docuit, & in concordiam redegit. Vnde mirum non est, quòd Paulus hac epistola Petrum, vtpote Romа absentem, non salutet. *Scripta est hac epistola anno Christi 58.*

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAulus commendans suum apostolatum & Euangelium, salutat Romanos, eosq; visere, & eis prædicare exoptat.

Hinc Secundò, v. 16. docet Euangelium & fidem Christi esse virtutem Dei in salutem omni credenti: iustum enim ex fide viuere.

Vnde Tertiò, v. 18. docet Ethnicos ante Christum, licet Deum ex creaturis agnouerint, non tamen eum, sed idola coluisse, indeq; à Deo traditos in reprobum sensum, in abominanda, quæ hîc recenset, scelera incidisse. Docet ergo, omnes ante Christum, peccatis & iræ Dei fuisse obnoxios; vt inde concludat, omnes eguisse Euangelio, fide & gratia Christi Redemptoris.

1 PAulus, seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium
Dei, 2. quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis 3. de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, 4. qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri: 5. per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, 6. in quibus estis & vos vocati Iesu Christi: 7. omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 8. Primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. 9. Testis enim est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio Filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio, 10. semper in orationibus meis obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Desidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos: 12. id est, simul consolari in vobis, per eam quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. 13. Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpè proposui venire ad vos, (& prohibitus sum vsque adhuc) vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus. 14. Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum: 15. ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelizare. 16. Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco. 17. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit. 18. Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent: 19. quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. 20. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. 21. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: 22. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. 23. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

pentium. 24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis: 25. qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. 26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. 27. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu feminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. 28. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, 29. repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, 30. detractores, Deo odibiles, contumelioſos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, 31. insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. 32. Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

VERS. 1. *Paulinomẽ vnde desumptum, quid significet.*

PAVLVS] De hoc nomine multi hîc multa afferunt.

Primò, aliqui putant hoc nomen esse Græcum, & quietem, vel potiùs quietum significare, deducíque ἀπὸ τοῦ παύειν, id est, à quiescendo. Sicut è contrario Saulus (ait Ambrosius) significat inquietudinem: σάλος enim Græcis idem est, quod commotio. Nam Saulus inquietus fuit, turbator & persecutor Ecclesiæ.

Secundò, S. Hieron. in Nominibus Hebraicis, vult nomen *Paulus* esse Hebræum, & significare mirabilem. Hoc enim significat Hebræum פלא *pele*, vnde Paulus. Alij Paulum interpretantur operarium, à radice פעל *paal*, id est operatus est.

Tertiò, alij censent nomen *Paulus* esse mixtum ex Hebræo & Græco, & significare os tubæ, vel potiùs os tibiæ, quasi conflatum sit ex פה *pe*, id est os, & αὐλὸς id est tibia. Rursum S. Damasus in carmine de S. Paulo putat Paulum in baptismo mutasse nomen Sauli in Paulus. Sed contrà facit, quòd post c. 9. Act. vbi Paulus baptizatur, semper vocetur Saulus, vsque ad c. 13. Ergo post baptismũ diu Sauli nomen retinuit: non ergo in baptismo nomen Pauli assumpsit. Denique Origenes putat Paulum fuisse binominem, & in circumcisione illi tam Pauli quàm Sauli nomen impositum esse, sicuti Matthæus vocatus est Leui.

Nomẽ Pauli Romanũ, quando, & qua occasione assumptum.

Verùm respondeo & dico. Verius est, Paulus esse nomen Latinum & Romanum. Rursum Saulum assumpsisse hoc nomen Pauli. Act. 13. v. 9. vbi cum Barnaba segregatus est & designatus Apostolus Gentium; scilicet, mox vt cœpit prædicare Gentibus, putà Paulo Proconsuli Cypri, in quem primò è Gentibus incidit, eumque conuertit: vt enim illi & alijs Gentibus Paulus quasi Romanus ciuis, etiam nomine suo faciliùs se insinuaret, Paulus, inquam, qui omnibus omnia fieri cupiebat, vt omnes lucrifaceret; propterea hac occasione Sergij Pauli, vt dixi, nomen Iudaicum Sauli, leui mutatione vnius litteræ, mutauit in nomen Romanum Pauli,

Id ita esse ex eo conijcitur, quòd vsque ad apostolatum suum ad Gentes, & conuersionem Sergij Pauli, semper vocetur Saulus, vel Saul à Saule primo rege suæ tribus Beniamin; quia inter Iudæos agebat: post illam verò Sergij Pauli conuersionem semper vocetur Paulus, quia deinceps inter Romanos & Gentes, quasi Gentium doctor & Apostolus agit. Ita S. Augustinus lib. 8. Confess. 3. S. Hieronymus in epist. ad Philemonem, Beda & Salmeron hîc, & Lorinus in cap. 9. Act. v. 18.

Non ergo Sergius Paulus Saulo suum Pauli nomen ex amicitia imposuit, vt aliqui volunt, sicut Iosephus fatetur, se Flauii nomen accepisse à familia Flauia Titi & Vespasiani: cùm potius Sergius Paulus, quasi catechumenus & discipulus à Paulo nomen accipere debuerit, quasi à magistro suo: sicuti S. Cyprianus Cæcilij nomen à Cæcilio presbytero, à quo baptizatus est, assumpsit, sed tantùm occasione illius Pauli, qui nomen sibi affine gerebat, quemque primò è Gentibus conuertit Paulus, sponte inter Gentes nomen Pauli assumpsit.

Hinc patet etymon Pauli esse Latinum, & Paulum idem esse quod paruum, pusillum, modicum. Vnde & à parua statura Pauli nomen adhæsisse familiæ Æmiliæ, auctor est Sigonius in nominibus Romanis, quasi dicat Paulus: Ego olim Iudæis fui Saulus, nunc vobis Romanis Romanus sum Paulus: olim ante christianismum altus & superbus eram, quasi alter Saul, nunc Christianus effectus paruus sum Paulus, paruus inquam rum corpore, tum magis animi demissione. Ita S. Thomas, & S. Augustinus lib. de Spir. & litt. cap. 7. Et in psal. 72. *Paulus*, inquit, *primò Saulus, postea Paulus, id est, primò superbus, postea humilis. Saul enim, vnde dictum est nomen Sauli, nostis quia rex superbus & insanis fuit. Non quasi aliqua iactantia nomen sibi mutauerit Apostolus: sed ex Saulo factus est Paulus, ex superbo modicus. Paulum enim modicum est.* Et lib. de Verbis Domini serm. 13. *Tu es ipse Paulus, in tepuus, in Domino magnus: in te infirmus, in Domino inmissimus. Eris exaltatus, quia non es ingratus.*

Quare quòd S. Hieron. loco iam citato, Paulus nomẽ censet esse nomen victoriæ & triumphi, à parte rei verè hoc nomen ita accipi posse, sed hæc non est vera huius nominis ratio ex mente & intentione Pauli, qui, vt dixi, Pauli nomen sibi tam sublimitatis, quàm familiaritatis & humilitatis studio assumpsit. Asscribam hîc verba S. Hieronymi, quia pulchra sunt. *Vti Scipio*, inquit, *subiecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, & Metellus Creta subiugata, Cretici cognomentum reportauit, & Imperatores nunc vsque Romani ex subiectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nũcupantur: ita & Paulus, ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesia sploo Proconsule*

...ab Sergio Paulo, victoriæ suæ trophæa retulit, erecto vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo. Aptiùs S. August. Serm. 25. de Sanctis to. 10. *Patitur*, inquit, *Paulus quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas vna minùs accepit. Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus submissus est in fenestra. Saulus vinxit, Paulus vinctus est. Et dum Paulus fauces querit minuere numerum Christianorum, ecce ipse accessit ad numerum Confessorum.*

Apostolus igitur, vt ipsemet ait, *præsentia corporis fuit infirma.* Fuit enim nomine & corpore Paulus, id est paruus: sed ingenio, animo, virtute & factis magnus. *Animus* enim *non mensuratur corpore*, sed corpus transcendit. Pulchrè & verè Sapiens Eccli. 11. *Breuis (μικρὸς* id est parua *in volatilibus est apis, & initium (ἀπαρχὴ* primas, principatum) *dulcoris habet fructu illum.* Ita corpore paruus, sed animo ...fuit S. Hieron. vt habet eius vita apud Ribadeneram & alios. Idem de se innuit S. August. ho... de trãsfigur. Domini. *Quaso*, inquit, *per Dominũ, ne ...benuncionis fœditas offendat, dummodo qualibet ...cedant de cordibus vestris peccatorũ sordes abstergat.* ...hom. 6. inter commun. *Obsecro*, ait, *vos fratres, &c. vt ...ttũ pro me exiguo & pusillo*, &c. S. Antonius memoriæ portentum, æquè ac sanctitatis & miraculorũ, ab exigua statura nomen accepit: vocatur enim Antonius. Nimirum vt ait Poëta:

Maior in exiguo regnauit corpore virtus.

Et è contrario:

Nulla in tam vasto corpore mica salis.

Et Cicero: *Valentissimo quisq; corpore longissimè abest à sapientia.* Experientia docet cõmuniter in paruo corpore magnos inesse animos. Virtus enim vnita sibiq; est ipsa diuisa. Virtus autẽ animæ in corpore paruo vnitur, in magno diuiditur & dispergitur. Atque hac de causa naturaliter paruis quàm magnis facilior est magnanimitas, difficilior humilitas. Eleganter & cordatè S. Gregorius Nazianz. scribens ad Nicobulum, qui Alypianæ vxori suæ, Gorgoniæ Gregorij sororis filiæ exiguam staturã exprobrabat, ita rescribit epist. 155. *Alypianam apud te cauillo incessis vt paruam, & tua proceritate indignam, à magne & valde ac gigantine tum forma, tum robore. Nunc demum intelligo animum mensura subijci, ac rupes margaritis præstantiores esse, coruosq; luscinijs anteponi. Tu verò magnitudine tua & cubitis fruere.* Deinde subdit: *Quòd si hoc quoque adijcias, eã oratione esse ...ruam esse, ac per ingẽtes mentis agitationes, perpetuam cum Deo consuetudinem habere; quid hic de tua sublimitate, corporisq; mensura te iactabis? Vide ...pectatum silentiũ: loquentem audi, quàm nõ incompta ...animaduerte, quàm vt femina fortis ac strenua, quas ...domestica vtilitates afferat, quàm viri amans. ac ...non aliud Laconii dices: Certè animus in mensuram minimè cadit, atque externum hominem oculos coniectos ...rum habere oportet. Ita eam vt paruam deridere ...ses, & tuum coniugium fastum ac felix iudicabis.*

SERVVS IESV CHRISTI] *Seruus*, scilicet honorarius qui hebraicè vocatur מְשָׁרֵת *mesaret*, id est minister, de quo plura dicam Philip. 1. v. 1.

VOCATVS APOSTOLVS] Id est, vocatus ad apostolatum, vocatione Apostolus. Græcè enim nõ est participium κεκλημένος, id est, vocatus, appellatus, sed nomen κλητὸς, id est, vocatitius. Vnde Syrus vertit קַרְיָא שְׁלִיחָא *karia vaschelicha*, id est, vocatitius & Apostolus q.d. Euocatus Deiq; Apostolus. ita S. Chrysostomus. Sic Hispani gloriantur, quòd

A sint *criados del Rey*, id est, serui Regis, euocati à Rege, vocatitij Regis. Vnde teste Hesychio *vocatus* dicitur nobilis. Alludit ad Isaiæ 48. v. 12. vbi pro eo quod nos habemus: *Audi Israel quem ego voco*, hebraicè est מְקֹרָאִי *mecorai*, id est *vocate mi*, vti vertũt Aquila, Symmachus, Vatabl. & alij. Israel enim typus fuit S. Pauli & fideliũ. Vide ibi dicta. Rursum alludit hîc Paulus per nomen Hebræum & Syrum *scelicha*, id est. Apostolus, ad prius suum nomen regium Saul. Saul enim hebraicè significat vocatum & postulatum, scilicet à Deo ad regnum, sicut Saulus hic noster ex eadẽ tribu Beniamin est vocatus & postulatus ad apostolatum: est que paronomasia Hebraica, q.d. Paulus, Qui olim fui Saulus vel Saul; nunc sum *scelicha*, id est, vocatus ad legationem & munus Apostolicum. Pari modo in voce *karia*, id est vocatus, alludit ad duodecim principes vocatos à Deo & Mose, vt duodecim tribubus præessent, Numer. 1. 16. vti ibi dixi. Quare parerga hîc est Anselmi expositio, qua censet Paulum se non Apostolum, sed vocatum Apostolum nuncupare, ex studio humilitatis. q.d. Ego non voco me Apostolum, sed ab alijs vocatus & dictus sum Apostolus: quomodo S. Bernardus ex humilitate non Abbas, sed vocatus Abbas Claræuallis dici & nuncupari voluit. repugnat enim huic expositioni textus Græcus, vt patet ex dictis.

Nota Primò. Actor 9. vocatus est à Christo Paulus Apostolus, id est legatus, missus à Christo per totum orbem euangelizãre & docere Gentes, fundare & regere Ecclesias Christi. de quo plura dicam v. 5.

B

C Nota Secundò. Præter duodecim Apostolos, qui Matth. 10. à Christo in terris viuente vocati & missi sunt prædicare regnum Dei, nomen Apostoli extẽsum quoque est ad Paulum, Barnabam, Silam, Lucam, Marcum, alios que qui penè idem officium sunt sortiti, quod primi illi duodecim à Christo vocati. Vnde S. Hieron. in c. 1. ad Tit v. 1. Apostoli titulũ in Paulo, & Apostolicam dignitatem suspiciens, inquit, *Quod ait Paulus de se, Apostolus autem Iesu Christi, tale mihi videtur, quale, si dixisset, Præfectus prætorio Augusti Cæsaris, magister exercitus Tiberij. Vt enim iudices sæculi huius, quò nobiliores esse videantur, ex Regibus quibus seruiunt, & ex dignitate qua intumescunt, vocabula sortiuntur: ita & Apostolus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolum se Christi titulo prænotauit, vt ex ipsa nominis auctoritate lecturos terreret, indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subiectos.* Apostoli enim à Christo in totum orbem, & in omnes fideles auctoritatem & imperium acceperunt.

Paulus & alij, titulo Apostoli gaudent, præter duodecim à Christo vocatos Matth. 10.

D Nota Tertiò. Paulus hoc Apostolinomine, quasi titulo muneris, dignitatis & professionis se initio epistolarũ, suis insinuare solet. Sicut enim reges & principes præfantur: Nos Albertus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Brabãtiæ, &c. ita Paulus: *Ego Paulus, Dei gratia & vocatione Christi Apostolus*; non autem per me, vel amicos, vel potestatem lucã in apostolatum intrusus; hoc enim propriũ est pseudoapostolorũ & hæreticorũ, vt docet S. Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ. *Ii sunt*, ait, *qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuina dispensatione præficiũt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt* (Nota nomen, Ordinationis, quæ sanè non à magistratu, sed à Christo Iesu, eiusq; vicarijs Episcopis, manuum impositione ritu veteri in Sacramento Ordinis suscipitur.) *qui nemine episcopatũ dante,*

Paulus in apostolatũ vocatus à Deo, non intrusus.

Episcopi sibi nomen assumunt. Imò S. Paulus ad Hebræos 5. v. 4. *Nec quisquam*, inquit, *sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Et Ieremias de falsis prophetis, se per amicos aut reges intrudentibus, sic ait carpens & culpans eos c. 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Sicut enim magistratus est ordinare ciuilia & ciuicos præfectos; ita Episcoporum est ordinare sacra & sacros Præsules. Hic enim est Hierarchicus ordo Ecclesiæ à Deo institutus. *Scriptum est*, ait Ambros. lib. 5. epist. 33. ad Marcellinam sororem: *Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari; ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem ecclesiæ. publicorum tibi mœnium, ô Imperator, ius commissum est, non sacrorum.* Et Hosius Constantio: *Tibi*, inquit, *Deus Imperium commisit, nobis quæ Ecclesiæ sunt, credidit.*

A

SEGREGATVS IN EVANGELIVM DEI] tamquam in rem arduam & sublimem, quæ omnem naturæ modum & rationem transcendat. Alludere rursum videtur Spiritus sanctus ad etymon Hebræum nominis Pauli. Sicut enim *Saul*, vel *Saulus*, significat vocatum & postulatum ad munus Apostolicum, ita פלא *pele*, (vnde Paulus) significat arduum, excellentem, mirabilem, ideoque à vulgo segregatū. Idem innuit Græcum ἀφορισμένον. ἀφορίζειν enim significat secernere aliquid & segregare tamquam eximium, putà tamquam organum electum, quale fuit Paulus. Vnde & medici ἀφορισμὸς vocant sententias selectas, raras & eximias. Sic Christus Isaiæ 9. 6. vocatur פלא *pele*, id est admirabilis, eximius, segregatus. Et angelus nuncians Manue Samsonis ortum, Iudicum 13. 18. *Quid quæris*, inquit, *nomen meum, quod est mirabile.* hebraicè, quod est פלא *pele.*

B

Nomē Pauli significat hebraicè, excellentē, mirabilem, arduum.

C

VERS. 2. QVOD ANTE PROMISERAT PER PROPHETAS SVOS IN SCRIPTVRIS SANCTIS DE FILIO SVO] q. d. Non nouum, non nuper inuentum, aut ex meo alterius ve hominis cerebro fabricatum est Euangelium, sed ab æterno à Deo institutum & decretū, ideoque iam olim per omnes sanctos Prophetas promissum, tamquam res rara, mira, salutifera, diuina, certissima & verissima; vtpote quæ confirmata est & corroborata tot sæculorum tempore: temporis enim filia est veritas, ait Cicero lib. 2. de Oratore.

VERS. 3. QVI FACTVS EST EI EX SEMINE DAVID SECVNDVM CARNEM] Syrus, Valla & Erasmus vertunt, *qui genitus est*, vel *natus est.* Sed melius vertit Noster interpres, *qui factus est.* Græcè enim non est γενηθέντος, vel γεννωμένου à γεννάω, id est gigno; sed γινομένου à γίνομαι, id est fio. Vnde S. Cyrillus lib. 11. Thesauri sub medium, dicit totam SS. Trinitatem dici & esse ἀγένητον, id est increatam, infectam, siue non creatam, non factam; solum verò Patrem esse & dici ἀγέννητον, id est ingenitum. & ita Patres Christum hîc non natum, sed factum interpretantur; vt Tertull. contra Praxeam, Irenæus lib. 3 c. 32. S. Augustl. lib. 2. de Trinit. c. 5. Vox enim *factus* magis significat humanam naturam Christi contra Marcionem, illamque Christum non è cælo in Virginē intulisse, vt voluit Valentinus; sed in Virgine, & ex Virgine formatam, idque non ex copula viri, vt voluit Ebion, sed virtute Spiritus sancti, factam & productam accepisse: ita vt Christus sit ἀπάτωρ, id est sine patre, secundùm humanitatem, sicut est ἀμήτωρ, id est sine matre, secundùm deitatem.

D

Marcionis, Valentini, Ebionis hæreses de Christo iugulantur.

VERS. 4. QVI PRAEDESTINATVS EST FILIVS DEI] *Qui prædestinatus est*, græcè ὁρισθέντος. quod apte & planè Syrus & Græci vertūt. *qui declaratus & ostensus est Filius Dei.* ita Chrysost. Theophyl. Oecum. Origen. Theodor. imò Toletus sic exponit Latinum, *prædestinatus*, siue *definitus*, scilicet non quoad rem, sed quoad notitiam hominum, vt prædestinatus, idem sit quod *certificatus, certò cognitus hominibus.* q. d. Christus demonstratus & declaratus est præ alijs Sanctis, qui sunt filij Dei adoptiui, quod ipse solus sit Filius Dei naturalis. Sed hoc est torquere Latinum verbum *prædestinatus* ad *prædemonstratus*, vel declaratus. Quare hoc sensu melius Ambros. subaudit hîc verbum, declarari, dum sic exponit: Christus latens in incarnatione, prædestinatus est, vt declararetur Filius Dei in resurrectione. Secundò, rectiùs & profundiùs Noster interpres, quidquid obstrepat Caluinus, Græcum ὁρισθέντος, vertit, *qui prædestinatus est*, & ita legunt S. Irenæus lib. 3. c. 32. Hilarius lib. 7. de Trinit. Augustl. lib. de Prædest. Sanctorum c. 15. Ambros. & alij. Græcum enim ὁρίζειν, licet apud profanos sæpè significet declarare, tamen auctore S. Dionysio lib. de Diuinis nomin. c. 5. passim in Scriptura significat definire, constituere, prædestinare, vt Actor. 2. 23. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditū*, græcè est ὡρισμένῃ βουλῇ. Act. 10. 42. *Ipse est, qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum*, græcè ὡρισμένος κριτής. Actor. 17. 26. *Definiens statuta tempora.* græcè ὡρισμένους καιρούς.

Adde, etiamsi Origenes, Hieron. Tertull. Cyrillus, Theodor. Chrysost. Oecumen. legant in Græco ὁρισθέντος, quod est ad verbum, *destinatus est*, scilicet, ab æterno, quod in re idem est cū eo, quod Noster interpres vertit, *prædestinatus est*; tamē alij, vt Ambrosius, Augustinus, Irenæus locis iam citatis, & Epiphan. hæresi 54. in fine, & Athanas. lib. 3. de Assumpt. hominis, clarè legunt in Græco προορισθέντος. hoc autem ad verbum idem est, quod *prædestinatus est*, non autem *prædeclaratus est.* Sic enim hîc verti non posse patet ex sequentibus. vox enim *præ*, falsum induceret sensum.

Vbi Nota. Putat Origenes Christum solum dici ὁρισθέντα, id est destinatum, quia antequam nasceretur homo, erat Deus, Deique Filius: nos verò dici προορισθέντας, id est, prædestinatos, quia non eramus antequam nascerēmur. Sed hæc distinctio subtilior est, quàm verior & solidior: *destinatus* enim hîc, idem est, quod *prædestinatus*, vt iam dixi. Quare non rectè Origenes hunc locū sic exponit, q. d. Paulus: Christus existens Filius Dei, destinatus est, vt sit princeps & primogenitus ex mortuis, scilicet, vt in eos virtutem diuinam exerceat, eisque det Spiritum sanctificationis & viuificationis.

Origen.

Sensus ergo Apostoli est, q. d. Homo Christus, qui factus est ex semine Dauid, seu cui data est essentia & existentia humanæ naturæ, prædestinatus est ad hoc, vt subsisteret in persona Filij Dei: id est, prædestinatus est Iesus ad hoc, vt scilicet qui futurus erat secundùm carnem filius Dauid, idem secundùm hypostasin esset Filius Dei: hoc est, prædestinatum est, vt hic homo, qui dicitur Iesus, estque filius Dauid, esset simul Filius Dei, quia scilicet prædestinatum est, vt hic homo assumeretur à Filio Dei, illique hypostaticè vniretur, ita vt idem esset homo & Deus, siue filius hominis & Filius Dei. ita S. Augustl. de Prædestin. Sanctorum, cap. 15. S. Anselmus, Concil. Toletan. XI. c. 1. & passim Scholastici 3. p. q. 24.

Dicet,

Dices, Pronomẽ *qui*, refert Filium Dei, qui præ- A cesse. Filius autem Dei non est prædestinatus, vt sit ser Filius Dei, quia semper fuit Filius Dei. Ita Caietanus.

Respondeo, Pronomen *qui*, refert Filium Dei, non formaliter, sed materialiter, scilicet non quatenus est Filius Dei, sed quatenus factus est secundum carnem ex semine Dauid, vti præcessit, id est, vnitur hunc hominem Christum, qui assumptus est à persona Verbi, estque Filius Dei. Hic enim homo non fuit ab æterno Filius Dei, sed prædestinatus est Filius Dei, sicut in tempore factus est Filius Dei.

Vel Nota, S. Scripturam de Christo ita loqui, vt nunc de eius diuinitate loquatur, mox ad eius humanitatem transeat, rursum ad diuinitatẽ redeat. Hinc fit, vt Christo det attributa, quæ Deo sunt propria & mox eidem tribuat alia quæ nonnisi in hominem cadunt. Id clarè videre est Hebr. 1. v. 2. B vbi sic loquitur Apostolus: *Nouissimè diebus istis locutus est* (Deus) *nobis in Filio, quem constituit heredem vniuersorum.* Ecce hîc loquitur de Filio, vt homine est; & mox loquitur de eodem, vti Deus est. Subdit enim, *Per quem fecit & sæcula, qui cùm sit splẽdor gloriæ*; ac rursum redit ad eundem Filium qua homo est, cùm statim subiungit: *Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.*

Dices Secundò, Hic homo non tantùm Christi naturam humanam, sed & personam, quæ Verbum est, includit: & relatiuum *qui*, nõ potest referre naturam humanam; quia sic dicendum esset, qui, ergo refert personam: atqui in Christo non fuit alia persona, quàm diuina Verbi; hæc autem non potuit prædestinari ad vnionem Verbi. Sic enim prædestinatum esset, vt idem cum eodem, siue C vt idem cum seipso vniretur. quod est impossibile. Vide passim Doctores dicunt; solam naturam humanam prædestinatam & eleuatam esse ad hanc vnionem cum Verbo. Est hoc argumentum Toleti, quo probare contendit *prædestinatus*, hîc debere exponi per declaratus.

Respondeo, Relatiuum *qui*, refert naturam humanam Christi in concreto, id est, hunc hominẽ, non subsistentem, sed existentem ex semine Dauid. Licet enim idem materialiter subsistat in persona Filij Dei, vti præcessit, tamẽ in noua hac propositione, mens inde, putà ab hac subsistentia & persona Verbi præscindit, & tantùm in subiecto ha- bet hominem existentẽ, non autem subsistentem siue personatum concipit, donec accedat prædicatum *Filius Dei*. Sic fit in omni propositione essentiali: nam in ea semper subiectum re idem D est cum prædicato, sed conceptu distinctum & quasi præcisum: vt, homo est animal, leo est animal.

Respondeo Secundò, Pronomen *qui* referre potest personam huius hominis, seu hoc suppositum humanitatis Christi confusè, abstrahendo ab eo, quòd idem sit suppositum diuinum Filij Dei. Licet enim in re idem in Christo sit suppositum humanitatis & diuinitatis, tamen in conceptu nostro, quem per enunciationem hanc exprimimus, vnum ab altero seorsum concipi, itaque quasi separari & præscindi potest; vt scilicet idem hoc suppositum in subiecto concipiam tantùm eatenus, quatenus est suppositum humanitatis; in prædicato verò idem concipiam, quatenus est suppositum diuinitatis, siue Filij Dei. vt sensus sit, prædestinatum est vt persona Christi hominis esset non humana, vti est aliorum hominum, sed vt eadem esset cum persona Filij Dei. Ita subtiliter & erudite docet Franc. Suarez 3. p. q. 24. Et hoc sensu patet. Christi non tantùm naturam humanam, sed & personam in confuso, siue in abstracto esse prædestinatã, vt ibidem docet Suarez & D. Thomas. Denique notat D. Thom. 3 p. q 24 & Scholastici, hanc Christi prædestinationem fuisse medium, finem & exemplar nostræ prædestinationis. quia, vt August. lib de Prædest. Sanct. c. 15. ait: *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. De ipso spiritu & hic renatus est, de quo ille natus. Eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo factum est, vt ille nullum habeat peccatum*: scilicet tam Christo, quàm cuilibet Christiano id datur sine vllis alicuius meritis, ex mera Dei gratia.

Christi prædestinatio, medium, finis & exemplar nostra.

IN VIRTVTE SECVNDVM SPIRITVM SANCTIFICATIONIS EX RESVRRECTIONE MORTVORVM IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI] Primò, S. Chrysost & Græci hæc sic explicant, q d. Declaratus est Christus esse Filius Dei, Primò *in*, id est ex, *virtute* miraculorum. Secundò, quia dabat Spiritum sanctum. Tertiò, ex resurrectione ex mortuis, quia inde quasi mortis dominus resurrexit.

Secundò, Theodoretus & Toletus sic explicant, q. d. Christus declaratus est Filius Dei, per virtutem à Spiritu sancto & sanctificante Apostolis collatam, qua miris signis & factis resurrectionem Christi confirmarunt: hoc autem factum est, postquam ipse Dominus à mortuis resurrexit. Huc pertinet Ambrosij expositio: Christus, inquit, prædestinatus est per Spiritum sanctum, vt manifestaretur esse Filius Dei, in virtute, qua resurrexit à mortuis.

Christus per Spiritũ sanctum ex miraculis & resurrectione declaratus est Filius Dei.

Verùm Noster interpres, vt dixi, vertit non, declaratus, sed prædestinatus est. Huius ergo nostræ versionis hic est sensus: Christus *prædestinatus est Filius Dei in virtute*, id est, cum potentia diuina (græcè enim est δύναμις, non ἀρετὴ, & *in* ponitur pro *cum*; sic enim sæpè sumunt Hebræi ב pro עִם) vt scilicet, licet esset filius Dauid secundùm carnem fragilem & infirmam, haberet tamen tam potentiam, quàm hypostasin diuinam; nimirum vt per hanc potentiam, hic homo vnitus Verbo faceret miracula, remitteret peccata, sanctificaret homines: quam potentiam habuit *secundùm*, id est, per, & à natura diuina, qua est *spiritus sanctificationis*, id est, fons omnis sanctitatis; vel planiùs, à Spiritu sancto, qui totum hoc vnionis hominis cum Deo opus in Christo peregit, eumque ita sanctificauit, vt illi virtutem dederit omnes homines sanctificandi. quæ potentia Spiritus sancti maximè se ostẽdit, maximeq; patuit *ex resurrectione* ex mortuis, id est, in resurrectione, qua Christus se & alios mortuos suscitauit. Vnde de ea tunc dixit Christus Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Et Ioannes Apocal. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem & sapientiam.* ita S. Augustinus & passim interpretes.

Aliqui etiam sic explicant: Christus prædestinatus est, vt esset Filius Dei, *in virtute*, id est, in vnione hypostatica, quæ opus fuit præstantissimũ virtutis & potentiæ tum Dei Patris, tum Spiritus sancti, siue sanctificantis: per quam potentem vnionem ipse Deus & Spiritus sanctus resurrectionem mortuorum induxit, fecitque; vt Christus & alij Chri-

In vnione hypostatica declaratur Patris & Spiritus S. potentia.

stiani à morte corporis ad vitam beatam, peccatores verò à morte peccati ad vitam gratiæ resurgerent. Hæc expositio subtilior est; sequitur tamen & cohæret cum priori, quæ planior & solidior est. Vbi Nota Primò, hîc esse ellipses. Supplenda enim sunt verba *habuit, patuit*. Vide can. 37.

Nota Secundò, resurrectionem, græcè ἀνάστασιν, hîc tam passiuè, qua Christus resurrexit, quàm actiuè, qua Christus se & alios resurgere fecit, capi posse. ita Ambrosius.

Nota Tertiò hebraismum, *Iesu Christi Domini nostri*, id est ipsius vel sua: Hebræi enim pro pronomine demonstratiuo, sæpè repetunt nomen antecedens. Addit ergo hîc Paulus τὸ *Iesu Christi*, tum vt exprimat, doceatque hoc nomen esse proprium Filij Dei, de quo locutus est, tum quia hoc dulcissimum Saluatoris nomen in delicijs, ac consequenter in corde & ore semper habebat.

Christus prædestinatus non simpliciter, sed vt resurgeret.

Denique S. Anselm. & ex eo Salmeron. probabiliter, planè & facilè ita hunc locum explicant, vt Christus dicatur hîc *prædestinatus esse Filius Dei* non simpliciter & absolutè, sed cum addito, scilicet, *in virtute resurrectionis*, id est, prædestinatus esse vt resurgeret, *in virtute*, id est, in potentia, gloria & maiestate immortalitatis, vt tunc quasi plenè & perfectè videretur regenerari & renasci Filius Dei gloriosus & immortalis. q. d. Paulus: Prædestinatum & definitum est à Deo, vt Christus homo esset Filius Dei, non in infirmitate & humilitate, qualis initio nascens, viuens & moriens apparuit, sed in virtute & gloria resurrectionis; vt scilicet resurgeret à mortuis, esseteque Filius Dei immortalis, & gloriam deitatis per corpus ostenderet: quod factum est per Spiritum sanctum & sanctificantē; qui sicut in incarnatione animam Christi per gratiam & gloriam, ita in resurrectione corpus Christi per immortalitatem & gloriam, ac consequenter totum Christum plenè & perfectè sanctificauit. *Christus*, inquit Anselmus, *qui prædestinatus est secundùm carnem (quoniam Deus ab æterno prædestinauit, vt Verbum eius caro fieret, quam & resuscitans glorificaret) prædestinatus est vt sit Filius Dei in virtute immortalitatis & potentiæ, de qua post resurrectionem ait: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Nam cùm de electis ipse dicat, quòd sunt filij Dei, quia sunt filij resurrectionis, cur non ipse magis, qui *secundùm diuinitatem naturaliter est semper Dei Filius, in resurrectione secundùm humanitatem factus esse dicatur Filius Dei?* Vnde & Pater resuscitans Filium dixit ei, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Act. 13. 33. Hic sensus planus & speciosus apparet, euaditque difficultates de prædestinatione Christi paulò antè allatas; sed nonnihil coarctat, deflectit, & eneruat generalia Apostoli verba, scilicet, quòd Christus sit Filius Dei non absolutè, sed in virtute & gloria resurrectionis; quodque tunc tantùm habuerit Spiritum sanctificationis quem ei absolutè hîc tribuit Apostolus. Explicatio ergo prior iam allata, licet paulò difficilior, magis tamen genuina, & ex mente phrasique Apostoli, magisque sublimis, solida & vniuersalis esse videtur.

VERS. 5. PER QVEM ACCEPIMVS GRATIAM ET APOSTOLATVM AD OBEDIENDVM FIDEI IN OMNIBVS GENTIBVS PRO NOMINE EIVS] Maldonat. in notis eius manuscriptis quas vidi Romæ, censet esse hendiadim: *gratiam & apostolatum*, id est gratiam Apostolatus. & rectè. Hinc, & ex v. 1. omnium penè epistolarum S. Pauli, cum S. Chrysostomo & Origene Nota, contra Caluinum & Erasmum, apostolatum non tantùm significare legationem & missionem, aut missionis & legationis functionem, vt sonat eius etymon, sed etiam significare officium, potestatem & dignitatem primam & summam in Ecclesia. Sicuti enim iam Legatus Summi Pontificis vocatur Nuncius, vel Legatus Apostolicus; estque hæc magna dignitas: ita pariter Apostoli dicebantur & reipsa erant legati Christi, Matth. 28. 19. atque hoc ipso obtinebant auctoritatem summam in Ecclesia. *Pro Christo legatione fungimur*, inquit Paulus 2. Corinth. 5. 20 Apostoli ergo erant primà à Christo, Christi vices gerebant, & Christi personam repræsentabant: sicut regis legatus regem ipsum repræsentat. Licet ergo Apostoli omnes subditi essent S. Petro, quasi Pontifici, & capiti Ecclesiæ, eique obedire deberent; tamen pares cum eo potestatem habebant, Primò, toto orbe prædicandi Euangelij, *ad obediendum fidei in omnibus Gentibus*, id est, vt obediatur fidei ab omnibus Gentibus, scilicet, vt Apostoli sua prædicatione inducant omnes Gentes, vt se submittant, credant & obediant Euangelio. ita S. Chrysostomus & alij. Secundò fundandi vbique Ecclesias, id est, creandi Episcopos & Presbyteros, instituendi ritum sacrorum & Sacramentorum, totumque ordinem Ecclesiæ disponendi. Tertiò, mandandi, prohibendi, puniendi quosuis fideles. Adde Quartò scribendi libros canonicos. Vnde Paulus hunc dignitatis & potestatis suæ titulum suis præfigit epistolis, dicens, *Paulus vocatus Apostolus*: vt iam faciunt Legati Pontificis, dicendo, *Nos Octauius Dei gratia Legatus Apostolicus.*

Dices, Si in hisce quatuor munijs Apostoli omnes pares erant S. Petro, quomodo ergo Petrus erat eorum & Ecclesiæ totius caput?

Respondeo, Quia S. Petrus poterat alijs Apostolis quasi superior præcipere; &, si errarent, Petri erat eos corrigere; &, si dissiderent, eiusdem erat lites eorum dirimere; onera insuper & prouincias cuique distribuere. Ita S. Cyprianus lib. de Vnitate Ecclesiæ. Sic ἐπισκοπή, siue episcopatus, non tantùm est functio, sed etiam est ipsa dignitas episcopalis, siue præsulatus. Vnde psalm. 108. dicitur: *Episcopatum eius accipiat alter* Vbi hebraicè est, פְּקֻדָּתוֹ *pekuddato*, id est, præfecturam eius accipiat alter.

PRO NOMINE EIVS] Aliqui hæc referunt ad τὸ *obediendum*. Vnde Syrus vertit, *vt omnes Gentes obediant* fidei nominis eius. Verùm aptiùs hæc referas ad τὸ *accepimus apostolatum*. q. d. Nomine & vice Christi apostolatum accepimus, & legatione fungimur. ita Ambrosius; vel, vt Chrysostomus & Theophylactus, *Accepimus apostolatum pro nomine eius*, id est, pro gloria & fide nominis Christi propaganda & diuulganda.

IN QVIBVS ESTIS ET VOS VOCATI IESV CHRISTI] *Vocati*, id est, vocatitij, quasi famuli vel filij Iesu Christi. Sic v. seq. *Vocatis sanctis*, inquit, id est, vocatis ad sanctitatem, vocatis ad christianissimum, vt sint sancti. Omnes enim Christiani vocatione sunt sancti, quia vocati sunt ad sanctimoniam; & si vocationi suæ respondere volint, debent studere sanctitati, esseque sancti. Vide dicta v. 1.

OMNIBVS QVI SVNT ROMÆ] Est hîc hyperbaton & perturbatus ordo. Hæc enim verba referēda sunt ad prima capitis, *Paulus seruus Iesu Christi*

vocē

ende alij qui omnia à v. 2. hucusque per parenthe- A
ses intercipiunt & legunt. Vide can. 37. Deinde
subintelligendum hîc est verbum *optat*, vel *orat.*
q. d. *Optat Paulus vt omnibus qui sunt Romæ, gratia &*
pax. subintellige rursum, *adimpleatur*, vel *multiplicetur*,
aut certè cùm ait, *Paulus omnibus qui sunt Romæ*
subaudi, *scribit hanc epistolam.*

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO] Notat Tertull. lib. 5. contra Marcion. c. 5. quòd Iudæorũ, quos Christus seruauit, hæc erat salutatio: שָׁלוֹם לָכֶם *schalom lachem*, *pax vobis*, id est omnia prospera & fausta sint vobis. Apostolorũ verò hęc erat salutatio: *Gratia & pax vobis*, cò quòd gratiæ per Christũ allatæ precones essent. Idem fecuti Pontifices Romani & concionatores, viriq́ue Religiosi in suis concionibus & epistolis præmittunt gratiam, pacem; Pontifices etiam Apostolicam benedictionem. B

Nota Secundò: *Gratia* non est tantùm beneuolentia & fauor Dei (vt vult Beza) sed & quod ex eo utpote nõinani, sed liberali & efficaci, sequitur, scilicet gratia, & omne Dei beneficium gratuitum, quo homo dirigitur ad salutem: qualia sunt fides, spes, charitas, virtutes, earum augmenta, remissio peccatorum, illuminationes intellectus, impulsus voluntatis ad piam vitam, bona opera, in ijs perseuerantia, & ipsa denique vita æterna.

Pax verò hîc intelligitur illa, quam habet anima iusta cum Deo, item pax conscientiæ, vt conscientiolum cogitatione suorum peccatorum, & terrore iræ Dei perturbata, iam peccatis per gratiam Dei remissis, in quiete sit, & quieta Deo seruiat.

Moraliter notat S. Chrysost. in 2. ad Timoth. 1. Pauli salutationes non tantùm esse signa beneuolentiæ, sed & causas benedictionis & gratiæ. *Suffice*, inquit Chrysost. *sola Pauli salutatio gratia impletum, qui ita salutatur.* Sanctorum enim salutationes sunt tacitæ preces & benedictiones, potẽtes & efficaces, quæ à Deo impetrant ea bona, quæ Sancti ijs, quos salutant, apprecantur. vnde Christus Matth. 10. iussit Apostolis, vt hospitibus sua salutatione benè precarentur & benedicerent. *Ingrate*, inquit, *domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.* Ne verbalem tantùm, ac cæremonialem hanc salutationem putes, subdit eius fructũ & efficacium, dicens: *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniat pax vestra super eam.* Tanti est à Sanctis salutari. Ita B. Virgo sua salutatione Elisabetham & Ioannem Baptistam repleuit Spiritu sancto, Lucæ 1. v. 44. Vide hîc, quàm potens, quamq́ue optanda & ambienda sit Sanctorum salutatio.

PRIMVM QVIDEM GRATIAS AGO DEO] D. Natalis in Apologetico, τάξις, inquit, ἀρξις παντὸς ἀγαθοῦ ἡ λόγε, ἡ καὶ πράγματος, ὅτι θεὸς τε ἄρχεται καὶ εἰς θεὸν ἀποτείνεται. Ordo, inquit, operum incepti & sermonis & negotij est, à Deo incipere, & in Deum desinere; vt Deo canamus, *A te principium, tibi desinet.* D

PER IESVM CHRISTVM] tamquam mediatorem nostrum, à quo fides, gratia, & omnia bona; pro quibus Deo gratias agimus, nobis proueniunt, ait Ambrosius. Et tamquam summum sacerdotem nostrum, cuius oblatione omnia nostra grata sunt Patri ait Origenes; ac consequenter & nostra gratiarum actio grata est Patri per Christum, qui tamquam Pontifex illam Patri offert.

PRO OMNIBVS VOBIS: QVIA FIDES VESTRA ANNVNCIATVR IN VNIVERSO MVNDO] q. d. Gratias ago Deo, cuius gratia est fides vestra. Quòd enim Christo credideritis, non per vos, sed per gratiam Dei effectum est. Rursum gratias ago Deo, quia eius gratia factum est, vt fides vestra, id est, fama, excellentia & constantia fidei vestræ; quòd scilicet vos, qui Romani estis rerum domini, credideritis Euangelio, in eoq́ue generosè persistatis & proficiatis; vulgetur toto orbe Romanis subiecto, siue vbicumque nomen Romanorum est celebre, ait Chrysostomus & Theodoretus. *Romani à Paulo laudati.*

Hanc Pauli de Romanis sententiam & laudem, non tantùm ad præsentes & illius æui Romanos, sed & ad posteros eorum pertinere docet Hieron. l. 3. contra Ruffin. c. 4. *Ad Romanos*, ait, *Apostolico ore laudatos perfidia non habet accessum*, nec à tempore S. Hieronymi hucusque habuit: numquam enim hactenus ad nostra vsque tempora hæresis Romam, sicut alias vrbes occupauit. Verè Tertull. lib. de Præscript. aduersus hæreticos c. 36. *Habes*, ait, *Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est; statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* *Romam numquam occupauit hæresis.*

Quare S. Hieron. in præfat. lib 2. in epist. ad Galat. *Vultis*, inquit, *scire, ô Paula & Eustochium, quomodo Apostolus vnamquamque prouinciam suis proprietatibus denotarit; vsque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent vel errorum. Romanæ plebi laudatur fides: vbi aliquando tanto studio & frequentia ad ecclesias & ad Martyrum sepulchra concurritur? vbi sic ad similitudinem cælestis tonitrui reboat Amen, & vacua idolorum templa quatiuntur? non quòd aliam habeant Romani fidẽ, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesia, sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credẽdum.* *Romæ viget fides & pietas.*

Amplius verò quippiam dicit S. Cyprian. nimirum hæc prophetice dicta esse à S. Paulo, præuidẽte Romanorum futuris sæculis in fide constantiã. Sic enim ait epist. 57. ad Cornelium, vbi eius & populi Romani, tempore persecutionis Decij, fidei robur collaudat: *Dum apud vos vnus animus & vna vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est; clarum, fratres charissimi, fides, quam de vobis B. Apostolus prædicauit, & præconio futurorum merita vestra contestans, dum parentes laudat, filios prouocabat.*

Vlteriùs progreditur S. Chrysost. hîc vrgetq́ue τὸ *annunciatur*; cùm ait Paulus, *Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo*, quòd scilicet sicut Ecclesia Romana Petro & Paulo prædicãte crediderat, ita instar illius quasi matricis, cæteræ Ecclesiæ & nationes credere deberent, quod illa credidisset. *Non dixit Paulus*, inquit Chrysost. *Manifestatur, sed, Annunciatur fides vestra; planum faciens, quòd dictis nihil addendum, vel demendum esset. Angeli seu nuncij hoc est opus, ea sola, quæ dicuntur deferre: ob quod sacerdos angelus vocatur, quòd non sua ipsius, sed ea tantùm nũciat, quæ ab eo acceperit, à quo delegatur: quamquam Petrus mihi prædicauit, sed illius facta, sua esse ducit Paulus.* *Sacerdos angelus.*

Hinc *Romanus* apud veteres, non tantùm orthodoxos, sed & hæreticos, idem erat quod Catholicus. Sic Iocundus Arrianus ad Theodoricum regem: *Si Armogastem*, inquit, *gladio peremeris, Romani Martyrem prædicabunt*; Romani, id est Catholici. Ita refert Victor Vticensis in Persec. Wandalica, vbi & alium Martyrem commemorat, qui ab eisdem Arrianis de fide rogatus, respondit, *Romanus sum*; Romanus, id est Catholicus. Pari modo Ricemer Gothus & Arrianus scribit ad Ligures: *Si est Catholicus, est & Romanus.* Theodosius quoque Imp. epistola ad Acacium Beroënsem: *Decet*, ait, *vos* *Romanus Catholicũ olim significabat.*

pro-

Primatus penes Ecclesiam Romanam.

probatos sacerdotes esse Romanæ religionis. Cuius nomenclaturæ æquè ac præeminentiæ & constantiæ Romanæ Ecclesiæ vera ac iusta causa est, quòd S. Petrus suum episcopatum Antiochia Romam transtulerit, & in Rom. Ecclesia cum episcopatu, primatum quoque ipsum, ipsamque petram fidei & Ecclesiæ constituerit & collocarit: idque *diuino consilio*, inquit S. Leo serm. 1. de Natiu. S. Petri & Pauli, nimirum vt Euangelium & fides à Roma, quasi à capite & arce imperij citissimè per totum orbem diffunderetur, & diffusa conseruaretur. Erat enim Roma ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, quasi epitome & compendium totius orbis: omnium enim nationum inquilini versabantur Romæ: vnde Polemon apud Galenum, vocat populum Romanum δῆμον τῆς οἰκουμένης.

Romæ laus & præeminentia.

Alij veteres Romam compellant παμβασίλειαν, virtutum domicilium, mundi caput, vrbium regina, mater & nutrix heroum, patria legum, terrarum dea Gentiumque, communis nostra patria, patria omnium, quæ, vt canit Poëta Æneid. 6.

Imperium terris, animos æquauit Olympo.
Tu regere imperio populos Romane, memento.

Vnde & appositè Roma græcè ῥώμη robur; hebraicè verò sublimitatem & celsitudinem à radice רום *rum*, id est, altus, excelsus fuit, significat, vt annotauit S. Hieron. libr. 2. contra Iouinian. vbi sic Romam alloquitur: *Te alloquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apostoli voce laudata. interpretare tuum vocabulum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos.*

Ab Ecclesia Romana veritas fidei, & Apostolica traditionis petenda.

Quocirca ab Ecclesia Romana, quasi à matrice, veritatem fidei & traditionis Apostolicæ petendā esse docet S. Irenæus l. 3. c. 3. *Quoniam*, inquit, *valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ & antiquissimæ, omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidē, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per suiplacentiam malam, vel vanā gratiam, vel per cecitatem, malamq; sententiam, præterquàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

VERS. 9. TESTIS ENIM MIHI EST DEVS, CVI SERVIO IN SPIRITV MEO, &c.] Ostendit hîc Paulus suum eximium in Romanos affectum, vt ita facilius se suaque deinceps ijs insinuet & instillet. Hic autem affectus causa erat excitans Paulum, vt gratias ageret Deo, pro fide Romanorum. Hanc enim causam significat vox causalis, *enim*.

CVI SERVIO] quem (Deum) colo latria; græcè enim est ᾧ λατρεύω, quod verbum vsu Ecclesiæ significat, cultum soli Deo, quasi omnium Domino debitum. ita S. August. l. 10. de Ciuit. cap. 1.

Dulia non impedit, sed includit latriam.

Pari modo δουλεία Sanctis datur, vsu Theologico: neque verò dulia elidit latriam, sed potius eam includit. Sicut enim amor proximi non impedit, imò includit & refertur ad amorem Dei: ita & dulia & honor Sanctorum refertur ad honorem Dei; vt is, qui mirabilis est in Sanctis suis, in ijs honoretur; perinde ac rex honoratur, dum principes eius & amici honorantur, honore scilicet inferiori, quàm est honor, quo rex in sua persona honoratur.

Nota *cui* (scilicet Deo) *seruio*, græcè λατρεύω, magna nimirum reuerentia & sollicitudine: ideoque subdit dicens: *In spiritu meo*; nam λατρεύειν dictum volunt à λα, quæ particula auget in compositione, & τρέω, quod est tremere.

IN SPIRITV MEO] q. d. Seruio Deo, Deumque colo spiritu & mente, non cæremonijs Iudaicis. Sic enim Christus iussit Patrem adorari in spiritu & veritate, Ioan. 4. 23. ita Origenes, Chrysostomus, Theophylactus.

Secundò, non malè alij per τὸ πνεῦμα, siue spiritū, hîc spiritum vitalem intelligunt. q. d. Paulus, Ego vitā & omnes spiritus meos, sudorem & sanguinem Deo impendo, ad vltimum vsque spiritū Deo deseruio, pro eoque laboro & decerto.

B QVOMODO TANDEM ALIQVANDO PROSPERVM ITER HABEAM IN VOLVNTATE (id est, per voluntatem) DEI VENIENDI AD VOS, &c. ID EST, SIMVL CONSOLARI IN VOBIS, PER EAM QVÆ INVICEM EST, FIDEM VESTRAM ATQVE MEAM] Pro *simul consolari* græcè est συμπαρακληθῆναι, id est, vt simul consolationem & lætitiam capiamus, per mutuam fidei communicationem. ita Chrysostomus & Theodoretus.

Secundò, aptiùs Origenes τὸ *simùl consolari*, refert ad τὸ *confirmandum*. q. d. Desidero videre vos vt confirmem vos instruendo & docendo in fide Christi; & hęc mea confirmatio fiat mutua consolatio nostra, ex communi fide mea & vestra, iam per me aucta & confirmata. Colligitur hic sensus ex versu sequ. Vnde etiam patet melius Nostrum interpretem, τὸ, συμπαρακληθῆναι, vertere *simul consolari*, quàm Bucerus & Beza, qui vertunt *mutuo exhortari*. nec enim Apostolus exhortationem accipere, sed dare volebat Romanis, vt ait v. seq. Quo simul tacitè premit fastum Romanorum, ait Chrysostomus, & insinuat eos sua instructione & monitis indigere: consolationem autem Romanis & dare, & vicissim ab eis accipere volebat.

C GRÆCIS AC BARBARIS, SAPIENTIBVS ET INSIPIENTIBVS DEBITOR SVM] Barbarus est vox Græca, & à Græcis per onomatopœiam facta. Barbarus ergo à Græcis sapientiæ & eloquentiæ deditis, dictus est omnis is qui alia quàm Græca lingua loqueretur, & hac ratione etiam Romani Græcis erant Barbari: vnde Paulus hîc, qui hactenus inter Græcos egerat, Græcorum more & phrasi, Græcis opponit Barbaros. Sic & Cicero lib. 2. de Diuinat. gentes omnes diuidit in Græcos & Barbaros. Vnde & Plautus in prologo Asinariæ, Latinam linguam barbaram vocat. De quo rursum dicam 1. Corinth. 14. 11.

D Notant hîc Chrysost. & Theophyl. modestiam Pauli, qua ait *Debitor sum*, q. d. Debitū irrecusabile euangelizandi mihi incumbit. Creditum enim & demandatum est mihi à Deo hoc munus prædicandi. Vnde 1. Corinth. 9. 16. ait, *Væ mihi si non euangelizauero.*

ITA (QVOD IN ME) PROMPTVM EST ET VOBIS EVANGELIZARE] q. d. Itaque quod ad me attinet, promptitudo mihi adest; &, vt Syrus vertit, מְרַחֲפָא *merchappat*, satago euangelizare vobis.

NON ENIM ERVBESCO EVANGELIVM] vti erubescunt Iudęi, qui Euangelium de Christo crucifixo & Saluatore contemnunt, habentque pro scan-

scandalo, & Gentiles qui illud idem rident quasi stultitiam, 1. Corinth. 1. 23. Tertull. libr. 5. contra Marcion. cap. 13. legit: *Non enim me pudet Euangelij.* Hanc vocem Pauli generosè æquè ac congruè vsurpat perillustris Palatinides, Paulus Kostka, frater B. Stanislai Kostka, vti refertur in eius vita; qui parentibus demortuis, heres amplorum & nobilium dominiorum, fratrem secutus omnia sua Christi amore contempsit, & in pauperes erogatis quin & hospitalem domum, inter alia, extruxit & dotauit, in qua ipse inter pauperes viuere, mori & sepeliri voluit, vt Christum pauperem, cuiusque Euangelium, quod beatos prædicat pauperes, quàm proximè pauper sequeretur, vetus S. Paulæ Romanæ exemplum æmulatus, ideoque sub terra eos sepulchro inscribi iussit: *Non erubesco Euangelium.* Significans vitam sibi inopem, licet mundo ignobilem, vltrò delectam, quòd scholæ & libro Christi, non mundi, se addixisset: nec rubori sibi sed splendori ducere, quod cælestis Magistri re & oratione optabile & gloriosum demonstrauit immò fecerat. Quocirca apud Principes Poloniæ magnam sanctitatis famam obtinuit, eosque simili pio Euangelicæ paupertatis & perfectionis sensu perstrinxit. Præclarè enim S. Ambros. lib. 1 Offic. cap. 30. *Neminem*, inquit, *debet pudor, & ex diuite pauper fiat, dum largitur pauper: quia Christus pauper factus est, cùm dives esset, vt nos sua inopia ditaret.* Digna ergo principe Christiano vox: *Non erubesco Euangelium.*

A

B

VERVS ENIM DEI EST IN SALVTEM OMNI CREDENTI] q.d. Euangelium, id est, non ipsa vox vel scriptura Euangelij, sed prædicatio & fides, vel potius res prædicata per Euangelium, scilicet Christi mors, merita, Sacramenta, præcepta, promissa licet incredulis pudori sint, scandalo & risui; nobis tamen Dei virtus sunt & potentia (græcè enim est δύναμις) per quam Deus potenter in credentibus operatur salutem, id est, fidem, iustitiam & vitam æternam.

C

Obiicit Lutherus, Ergo fides sola saluat & iustificat. Respondeo neg. consequentiam. Fides enim operatur salutem non se sola & immediatè, sed per spem, pœnitentiam, bona opera, Sacramenta, quæ hominem excitat. Vide canonem 3.

Nota hic obiter, hanc Apostoli sententiam extendi quoque posse ad salutem corporis; est enim generaliter vera: nam Euangelium est virtus & causa instrumentalis salutis & vitæ nō tantùm futuræ, sed & præsentis, idque non solùm voce, sed etiam scripto. Nam, vt docet S. Augustt. tractat. 7. in Ioannem, Euangelij scriptus codex, cùm ægroto applicatur, morbos eorum sanat. *Cùm caput*, inquit, *tibi dolet, laudamus, si Euangelium ad corpus eius apposueris, & non ad ligaturam cucurreris.* Rationem dat D. Thom. 2. 2. q. 96. a. 4. *Verbum Dei*, inquit, *non est minoris efficaciæ, quàm reliquiæ Sanctorum: sed reliquijs vtimur ad salutem; ergo pari modo, immò maiori ad eandem licet vti verbo Dei scripto, siue Euangelio.*

D

Atque hinc orta est consuetudo fidelium, vt Euangelium S. Ioannis contra venena, veneficia, morbos, aliaque incommoda gestent & circumferant. Verùm Apostolus propriè non de corporali, sed de spirituali salute hîc loquitur, quam conciliat Euangelium non solùm voce & prædicatione, quod propriè hîc intendit Apostolus, sed etiam scripto. Hinc de B. Cæcilia canimus: *Virgo gloriosa semper Euangelium Christi gerebat in pectore.* Nimirum vt per illud conciliaret sibi fortitudinē ad martyrium, atque ad maritum, aliosque fidei hostes ad fidem conuertendos: quod & factum est. Hinc etiam in vita S. Barnabæ Apostoli legimus, illius corpus repertum fuisse sub Zenone Imper. in Cypro, habens ad pectus Euangelium S. Matthæi, ipsius Barnabæ manu scriptum: videtur enim Barnabas Euangelium hoc secum sepeliri voluisse, vt illud haberet quasi pignus cæleste resurrectionis Euangelio promissæ. Verùm Apostolus, vt dixi, de Euangelij non scriptura, sed prædicatione hîc loquitur.

Cæcilia & Barnabas Euangelium semper habebant in pectore.

IVDAEO PRIMVM (Quia primùm ac potissimè à Christo & Apostolis, Matth. 10 v. 12. annunciatū est Euāgelium Iudæis, quibus promissus erat Christus) ET] id est deinde, GRAECO] id est, Gentili: quia enim Græci post Alexandrum latissimè linguam cum regno propagarunt; hinc Græcus idem est quod Gentilis. ita S. Augustt. epist. 200.

Nota. Copula *Et*, hîc significat deinde, vel secundò: opponitur enim τῷ primùm. Vide can. 25.

VERS. 17.

IVSTITIA ENIM DEI IN EO (Euangelio) REVELATVR] Quæres, quænam hîc intelligatur *iustitia Dei.*

Iustitiæ Dei triplex significatum.

Respondent Origenes, Ambros. & Chrysost. intelligi illam, qua Deus in se iustus est, scilicet qua iustè retribuit iustis præmium, impijs & iniustis supplicium, vt vult Origenes; aut, vt Ambrosius, qua in se iustus, id est verax, est in promissis; aut, vt Chrysost. qua in se iustus, id est, bonus est & benignus hominibus propter Christum.

Secundò, Theodor. Iustitia Dei, inquit, est illa, qua Christus ex rigore iustitiæ Deo Patri pro nobis satisfecit.

Tertiò, genuinè & aptissimè, S. Augustt. l. de Spiritu & litt. cap. 9. Iustitia Dei, inquit, est iustitia diuina, non Iudaica, non philosophica, qua scilicet nos Deus iustificat per Christum, quæque nos reuera in oculis Dei iustos facit: hæc iustitia reuelatur & clarè docetur in Euangelio Christi. Simili modo sumitur *salus*, psal. 3. vbi dicitur, *Domini est salus*, qua scilicet saluos nos facit. q.d. Domini est saluare & dare nobis salutem.

Octuplex horum verborum sensus.

EX FIDE IN FIDEM] Primò, S. Anselmus hoc tripliciter exponit. Primò, ex fide vnius Dei, in fidem Trinitatis. Secundò, ex fide primi aduentus Christi ad saluandum, in fidem secundi aduentus eius ad iudicandum. Tertiò, ex fide humanitatis Christi in fidem diuinitatis.

Secundò, S. Augustinus l. de Spiritu & litt c. 11. Ex fide, inquit, prædicantium, in fidem audientium & credentium.

Tertiò, S. Thomas: *Ex fide in fidem*, id est, ait, per fidem Christi in omni ætate necessariam ad salutem. q.d. Ex fide patrum, in fidem nepotum.

Quartò, Ambros. Ex fide, inquit, promittentis Dei, in fidem hominis credentis Dei promissis.

Quintò, Theodoret. & Oecumen. Ex fide, inquiunt, rerum præteritarum in Christo, in fidem rerum futurarum in nobis.

Sextò, aptiùs Origenes, Chrysost. Theodor. & Toletus, Ex fide, inquiunt, veteris testamenti obscura, in claram fidem noui testamenti, ad quam vetus illa nos ducit quasi pædagogus.

Septimò, Beda, Ex fide, ait, hîc obscura, in fidem, id est, in claram visionem in cælis. Sic & S. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. c. 39.

Octa-

Octauò & aptissimè Theophyl. Oecumen. Adamus & Pererius: *Ex fide*, inquiunt, incipiente & imperfecta, *in fidem* proficientem, perfectam, charitate formatam, similiue modo augescentem, vel in se intrinsecè, vel extrinsecè per charitatem & virtutes alias, quas fides excitat. q.d. In Euangelio reuelatur vera iustitia, quæ est & proficit ex fide in fidem, id est, quæ incipit, aliter, augescit per fidem indies crescentem, donec credentem ad salutem perducat, quæ Euangelij est virtus, vti præcessit. Et hic sensus optimè cohæret ei, quod sequitur, *Sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit*; vt ibi patebit; estque hebraismus hic simplicissimus & creberrimus. Sic enim Hebræi significant rei profectum & augmentum, per geminationem rei mediante præpositione *in*: vt psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*, id est, ibunt in profectum & augmentum omnis virtutis. Simili sensu 2. Corinth. 2. 26. vocatur *odor mortis in mortem, & odor vitæ in vitam.* Et cap. 3. v. vlt. *Transformamur*, inquit, *à claritate in claritatem*, id est, in maiorem claritatem. Sic in hac epist. c. 6. 20. *Exhibuistis*, inquit, *membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem*, id est, ad incrementum iniquitatis, vt de scelere rueretis in scelus. Eadem phrasis alibi passim occurrit.

Fides viua includit opera.

SICVT SCRIPTVM EST (Habacuc 2. 4.) IVSTVS AVTEM EX FIDE VIVIT] q.d. Vita gratiæ, qua viuit iustus, Primò, incipit à fide sola: Secundò, crescit & perficitur fide, licet non sola, sed crescente ad fidem viuam gratiæ & charitatis, per obseruationem mandatorum, vt ea facias, quæ fides iubet. Nam alioquin implicat viuere sine vita, aut fide viua. Sicut ergo dicitur Prouerb. 4. v. 23. quòd ex corde vita procedit, id est, quòd homo ex corde viuat, & vitam hauriat; quia scilicet coreſt radix vitæ, est que in homine primum viuens & vltimum moriens; per hoc tamen non excluduntur cerebrum, pulmo, iecur, stomachus, & cetera, quin ex ijs quoque viuat & vitam suam hauriat homo: ita pariter dicitur quòd iustus ex fide viuat, quia fides est initium, radix, & quasi cor vitæ spiritualis gratiæ; per hoc tamen non excluditur spes, charitas, aliæque virtutes, quin ex ijs quoque viuat iustus. Vide can. 2. & 3.

Locus Habacuc 2. cap. illustratus.

Citat hîc Paulus Habacuc Prophetam, qui cùm cap. 1. grauiter questus fuisset de prosperitate impiorum, quòd scilicet impij Chaldæi in victorijs & imperijs essent fortunatissimi, adeoque populo Dei, id est Iudæis, tyrannicè dominarentur, quodque Deus populum suum pium & fidelem, adeoque res humanas negligere videretur; respondet ei Deus c. 2. se breui ostensurum suam prouidentiam & iudicium, missurum scilicet se Cyrum, qui Babylonios impios subigat & euertat, Iudæos pios liberet & saluet, vt rectè ibidem annotauit Ant. Gueuara, & patet ex v. 5. & sequ. Sub Cyro verò allegoricè intelligit Christum, eumque hîc præcipuè significare intendit Spiritus sanctus, qui Babylone, id est, regno impietatis & diaboli euerso, inde veros spiritales Israelitas, id est fideles Christianos, eruet & saluabit. *Si moram*, inquit Habacuc 2. 3. *fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet* (scilicet Deus iustus iudex & vindex, tam impiorum, putà Babyloniorum, quàm piorum & fidelium, putà Iudæorum, per Cyrum, & longè veriùs per Christum) *& non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet.* Hæc enim verba allegoricè de Christo explicat Paulus, ad Hebræos 10. 38. dum eos ad constantiam in fide ex Christi secundo ad iudicium aduentu, adhortatur; *Adhuc modicum*, inquit, *& qui venturus* (græcè ὁ ἐρχόμενος) *veniet*, &c. Solet enim Christi dici ὁ ἐρχόμενος, id est, venturus, vt vertit Noster interpres: vt patet Apocal. 1. 4. Matth. 11. 3. Ioan. 1. 15. Actor. 19. 4.

Allegoricè loquitur Habacuc de Christo.

Hinc sequitur Primò, Habacuc loqui de fide generatim, qua Deo quauis in re credimus, quaque propriè credebant Iudæi Deo per Habacuc, aliosque Prophetas promittenti liberationem è captiuitate Babylonica per Cyrum. Hac enim fide in Deum, quilibet iustus piè, iustè, sanctè, pacatè & diuinè viuere incipit, pergit & proficit; dum in quauis tribulatione & miseria, hac fide & spe in Deum, vitam animæ sustentat, conseruat & adauget. Dicit ergo, *Iustus ex fide viuit*; q.d. Qui incredulus & iniustus est, Deo displicet, ac consequenter vera, recta, pacata & felici vita fidei, gratiæ, iustitiæ præsentis & gloriæ futuræ non viuet, quia me habet infensum: & quia non in Deo, sed in hominibus & in humanis præsidijs, rebusque creatis spem metumque suum ponit & defigit; hinc inquietus erit, miserè viuet, ijsque semper agitabitur: fidelis autem & iustus, qui credidit Deo, meisque hisce ex Deo prophetijs de liberatore Cyro, & eius antitypo Christo; hic viuet vita recta, suaui, quieta, felici, sancta & imperturbata; quia in Deo, qui vera est vita, Deique promissis per fidem & spem defixus, Deo charus, Deoque curæ erit.

Sequitur Secundò, quòd Apostolus hanc sententiam Prophetæ, *Iustus ex fide viuit*, rectè applicet fidei in Christum: tum quia fides vera est illa, quam sanxit & instituit Deus; iam autem Deus sanxit fidem veram esse fidem in Christum redemptorem; tum quia fides de Cyro repræsentabat allegoricè fidem de Christo. Intendit enim Spiritus sanctus per Cyrum, Cyrique liberationem repræsentare Christum, Christique redemptionem quæ suis fidelibus Christus vitam, iustitiam, gratiam & gloriam impertit; adeò vt in Christo verissima sit hæc sententia, Iustus ex fide (Christi) viuit.

Sequitur Tertiò, perinde esse, siue legas absolutè cum Paulo, *Iustus ex fide viuit*; siue legas, *ex fide sua*, vti habent Hebræa, Aquila, Symmachus & Theodotion; siue legas, *in fide mea*; vti vertunt LXX. legerunt enim ipsi in Hebræo אֱמוּנָתִי *emunati*, cùm alij legant אֱמוּנָתוֹ *emunato*, id est, in fide sua. Nam fides quæ in seipsa fides est, nostra est subiectiuè, quia nobis inhæret; Dei verò est obiectiuè, quia Deum habet pro obiecto. Credit enim Christum esse redemptorem, quia Deus hoc dixit & reuelauit.

Sequitur Quartò, Prophetam Habacuc loqui de vita non corporis, sed animæ; non naturali, sed supernaturali, gratiæ scilicet & iustitiæ, qua iustus, quatenus iustus est, viuit. De illa enim hanc Prophetæ sententiam explicat S. Paulus hîc, imò Propheta ipse: opponit enim hæc duo, scilicet *viuere*, quod tribuit iusto & fideli, & *non habere rectam animam*, siue displicere Deo, quod tribuit incredulo & iniusto. ait enim: *Qui incredulus est, non recta erit anima eius in semetipso.* pro quo Septuaginta vertunt, *non placebit* (id est displicebit) *anima mea, iustus autem in fide sua viuet.* ergo à contrario viuere intelligit habere animam rectam, qua placeat Deo; ita scilicet, vt exinde à Deo tamquam amico & benefico audeas sperare opem, liberationem

&

& Christum, tum corporalem per Cyrum, tum po- A
tiùs spiritualem per Christum.

Sequitur Quintò, Habacuc & Apostolum lo-
qui tam de inchoatione vitæ supernaturalis, seu
de prima iustificatione, quàm de secunda iustifi-
catione, seu de incremento iustitiæ & vitæ spiri-
tualis, vti patebit ad Hebræos 10.38.

Est enim hæc sententia, *Iustus ex fide viuet*, ge-
neralis & vniuersalis, pertinens tam ad Iudæos,
quàm ad Christianos; tam ad peccatores, qui pri-
mò iustificantur, quàm ad eos, qui iam iustificati
sint. Omnis enim horum vita spiritualis incipit,
conseruatur & crescit per fidem. Licet ergo Ha-
bacuc hanc sententiã ad literam applicet Iudæis
in Babylone captiuis, credentibus Deo promittẽ-
ti Cyrum liberatorẽ; tamen affert eam, quasi ge-
neralem sententiam, & commune quoddam axio-
ma aut prouerbium; quod proinde rectè à Paulo B
Christianis quoque applicatur. Adde, Iudæos illos
fuisse corpus Christianorum. Rursum, Iudæos per
fidem illam suam dictam, non tantùm conserua-
tos esse in vita gratiæ & iustitiæ acceptæ; sed per
eandem fidem inchoasse & disposuisse se ad hanc
vitam, si necdum erant iustificati. Credendo enim
& sperando in Deum liberatorem & protectorẽ,
fiebant accedebant ad Deum, seque disponebant
ad Dei gratiam & amicitiam, præsertim accedens
fide Christi, qui per Cyrum hîc adumbrabatur.
Quare rectè Paulus hanc sententiam tam iustis
iam, quàm iustificandis adhuc applicat. Simili
modo applicat vtrisque illud Gen. 15. *Credidit Abra-
ham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, vt di-
cam cap. 4. v. 3.

Denique cùm in Hebræo dicitur, *Iustus in fide* C
sua viuet, vò sua, significat causam tam inchoantẽ,
quàm conseruantem vitam; sensus enim est, Iustus
in fide sua viuere pergit, vti in eadem viuere cœ-
pit. Sic dicimus, Animal calore suo viuit, id est, vi-
uere pergit, vti cœpit. Hic homo in sua turpitudine
viuit, id est, viuere pergit in eadem turpitudine, in
qua viuere cœpit; eadem, inquam, genericè, licet in
diuersa duo, immò in specie alia & alia sæpè sit tur-
pitudo, in qua viuere pergit, ab ea, in qua viuere
cœpit. Eodem modo, *iustus in fide sua viuit*, id est,
idem, vti cœpit, ita pergit viuere in eadem fide,
eadem inquam, quoad obiectum formale & ge-
nericum, quod est credere Deo, licet quoad ob-
iecta materialia & specifica, alia sæpè sit fides,
quæ inchoat, alia quæ continuat vitam gratiæ &
iustitiæ. Fides enim quæ inchoat iustitiam, pro- D
priè & proximè est fides in Christum redemptorem; fides verò quæ iustitiam continuat & auget,
quælibet alia potest esse fides, vti hîc erat fides,
qua Iudæi credebant Deo promittenti libertatẽ
per Cyrum. Genericè ergo verum est, *Iustus in sua
fide viuit*, id est, iustus credens & sperans in Deum
incipit viuere spiritualiter, incipit habere rectam
animam, qua placeat Deo: ac rursum pergens &
proficiens in hac sua fide & spe in Deum, per-
gat perire & proficit in vita spirituali, in rectitu-
dine & iustitia animæ, in gratia & amicitia Dei, vt
magis magisque Deo placeat.

REVELATVR ENIM IRA DEI DE CAELO SVPER OMNEM IMPIETATEM ET INIVSTITIAM HOMINVM EORVM, QVI VERITATEM DEI IN INIVSTITIA DETINENT] *Enim* ponitur pro autem, & 38 pro δὲ at Maldonat in Notis manuscript. Verùm melius propriè & causaliter accipias. Nam probat hîc

Cornel. in epist. Pauli.

Apostolus id, quod dixit, scilicet quòd Euange-
lium sit virtus Dei in salutẽ omni credẽti; quodq;
iustitia Dei in eo reueletur, id est, probat Christũ,
Christique Euangelium & fidem, necessaria esse
ad iustitiam & salutem. quòd hoc probare inten-
dat, patet ex voce causali *enim*, quæ significat
eum hîc afferre rationem & causam eorum quæ
immediatè antè dixerat. q.d. Rectè dixi iustitiam *Impij, in-*
veram reuelari per Christi Euangeliũ, illudq; esse *credeli, in-*
virtutem Dei in salutem; quia è contrario reuela- *iusti vindi-*
tur tum in eodem Euangelio, tum experientia, *ctæ Dei*
tum maximè reuelabitur in die iudicij impietas *obnoxij.*
& iniustitia hominum infidelium; reuelabitur in-
quam, omnes homines, qui fide Euangelij destitu-
ti fuerunt, veritatem Dei in iniustitia detinuisse,
ideoq; esse peccatores, impios & iniustos, ac con-
sequenter Dei iræ & vindictæ æternæ obnoxios
esse. ita S. Chrysost. Theodor. & Oecumenius.

Est hæc sententia Apostoli, quasi thesis eius ge- *Iudæi in-*
neralis, primumq; principium; ex quo probat om- *creduli, &*
nes homines, vtpote peccatores, indiguisse Chri- *Pagani,*
sto redemptore, Christique Euangelio & fide. *veritatem*
Hanc autem thesin probat inductione; scilicet o- *Dei in in-*
mnes Iudæos sine Christi fide, veritatẽ Dei in in- *iustitia de-*
iustitia detinuisse, esseq; peccatores probat c. seq. *tinent.*
Omnes verò Gentes veritatẽ Dei in iniustitia de-
tinuisse, esseq; peccatores iræ Dei obnoxios, pro-
bat hîc versibus seqq. ex eo quòd omnes coluerint
idola, omnes inquã, non solũ simplices & plebeij,
sed etiam sapientes & Philosophi, quos maximè
& acerrimè hîc insectatur; indeque c. 3. v. 23. con-
cludit, omnibus tam Iudeis, quàm Gentibus ad iu-
stitiam & salutem omnino opus esse fide & gratia
Christi. qui est scopus totius huius discursus Pau-
lini, adeoque totius huius epistolæ.

QVI VERITATEM DEI IN INIVSTITIA DETINENT] Nota. Non ait, Qui veritatẽ Dei in errore *Errores ho-*
& ignorantia detinent, licet & hoc verum fuerit. *minum cir-*
nam homines ante Christum multos errores Deo *ca Deum,*
affinxerunt; vti Deum esse corporeum, agere fato, *ante Chri-*
non curare res humanas: sed ait Paulus, *Qui veri-* *stum.*
tatem Dei detinent in iniustitia. quia scilicet homi-
nes plerique ante Christum, licet agnoscerent ve-
ritatẽ Dei, scilicet vnum esse Deum verum, opifi-
cem & rectorem vniuersi; tamẽ hunc Deum non
coluerunt, sed iustum & Deo debitum cultum
creaturis & idolis iniustissimè dederũt. Ergo qua- *Seris iniq-*
si incarcerarunt veritatem, eamque detinuerunt *uæ voluntatis detinuerunt*
seris iniquæ voluntatis, ne exiret ad effectus & o- *Gentiles*
pera conformia veritati notæ; itaque vim illi intu- *constrictam*
lerunt, illique summam iniuriam irrogarunt. ita *veritatem.*
S. Chrysost. & August. serm. 55. de verbis Domini
secundùm Ioan. Hi ergo quasi in vinculis tenue-
runt iudicem, nec recta dictare permiserunt legis-
latorem menti suæ à Deo impressum, scilicet re-
ctæ rationis & veritatis dictamen.

Idem tropologicè facit quilibet peccator, dum
contra veritatis & rationis dictamen operatur &
peccat. Vnde S. Basil. in Regul. breuior. interrog.
65. quærit: *Quomodò veritatẽ in iniustitia aliquis de-*
tinet? ac respondet: *Quoties cumq; datis sibi à Deo bo-*
nis ad proprias voluntates abutitur. quod vitium in se
fuisse negauit Apostolus, cùm dixit: Non enim sumus sic-
ut plurimi, adulterantes verbum Dei. Et: Neque enim
aliquando fuimus in sermone adulationis, neque in ser-
mone auaritiæ (Deus testis est) nec quærentes ab homi-
nibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.

QVIA QVOD NOTVM EST DEI, MANIFESTVM VERS. 19.

EST IN ILLIS, DEVS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT] Occurrit hîc Paulus obiectioni. Dicet enim aliquis, Gentes non detinuisse veritatem Dei in iniustitia, quia eam non cognouerunt: vnde enim verum Deum agnouissent? Resp. Apostolus, asseritque planè eos Deum Deique veritatem agnoscere potuisse & debuisse; quin & reipsa cognouisse. Quia hæc veritas naturaliter est aperta & manifesta, eamque docet & dictat ipsa natura. Deus ergo per lumen naturæ eis hanc veritatem manifestauit, quam tamen ipsi sua malitia in iniustitia detinuerunt. Ait ergo Paulus, *Quod notum est Dei*, græcè γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, id est, quod naturaliter de Deo est cognoscibile, vt, Deum esse vnum, æternum, mundi principem & vindicem.

Lumen naturæ Dei cognitionē potest attingere.

MANIFESTVM EST IN ILLIS] *In illis*, id est, illis, in illorum mente, intellectu, conscientia. Syrus vertit דירעותה דאלהא בגליא הי בהון *didiute dalaha galia hi behun*, id est, *cognitio Dei patefacta est in ipsis*, idque, vt rectè Chrysost. hom. 9. ad popul. non per angelos, non per Prophetas, non per Euangelistas; sed quia inuisibilia attributa Dei creatoris à creatura intellecta cōspiciuntur. Ita & alij Patres mox citandi. Solus ferè Anselmus, cum aliquot recentioribus, addit Deum hanc veritatē, siue seipsum Gentilibus manifestasse per lumen non tantùm naturale, sed etiam supernaturale, quasi sine lumine supernaturali, & sine fide, non potuerint Gentiles persolū lumen naturæ agnoscere vnum esse Deum verum. Sed hoc est præter mentem Apostoli & Patrum, qui asserunt Deum Gentilibus se manifestasse per creationem & res creatas. Ex illis enim Gentiles per lumen naturæ Deum creatorem agnoscere potuerunt & debuerunt. Addunt aliqui, *in illis*, id est, inquiunt, in ipsorum anima & mente, adeoque toto homine maximè relucet & cognoscitur Dei virtus & maiestas. Est enim homo speculum & imago Dei. Sed hoc arctius est. Subdit enim Apostolus à creatura qualibet generatim cognosci posse creatorem.

Sine lumine supernaturali potest ratio venire in cognitionē vnius Dei, contra Anselmum.

Ex creaturis potuerunt & debuerunt Gentiles Deum agnoscere.

VERS. 20. INVISIBILIA ENIM IPSIVS A CREATVRA MVNDI, PER EA QVAE FACTA SVNT, INTELLECTA CONSPICIVNTVR: SEMPITERNA QVOQVE EIVS VIRTVS ET DIVINITAS] Quæres, Quænam sunt *hæc inuisibilia Dei*, & quæ est Dei virtus & diuinitas?

Respondet Primò, Origenes: Dei inuisibilia, inquit, sunt angeli; virtus Dei est potentia, qua Deus regit omnia; diuinitas est essentia Dei, quæ continet vniuersa. Verùm de angelis hîc nullus est sermo, sed tantùm de Deo: præcessit enim, *Quod notum est Dei*; & sequitur, *Sempiterna quoque eius* (scilicet Dei) *virtus & diuinitas*.

Triplex explicatio inuisibilium Dei.

Secundò ergo, S. Thomas hæc tria sic explicat & distinguit: Inuisibilia, inquit, Dei est essentia diuina inuisibilis, quę cognoscitur per viam negationis; virtus Dei est potentia Dei, quæ cognoscitur per viam causalitatis; diuinitas est esse vltimū finem & summum bonum, quò omnia tendunt, quod cognoscitur per viam excellentiæ. Verùm hæc subtilior quàm solidior est expositio: nam diuinitas non est aliud, quàm essentia diuina.

Tertiò S. Ambros. li. 2. de Spiritu sancto c. 2. & Cyrillus li. 1. Thesauri c. 5. & Anselmus hîc sic explicant: Inuisibilia est Pater inuisibilis, virtus est Filius, diuinitas est diuina bonitas, quæ tribuitur Spiritui sancto. Sed hoc est accōmodatitium; nam ad litterā, certum est Philosophos ex creaturis non cognouisse SS. Trinitatē, atque sine fide, lumine ac reuelatione supernaturali eam non posse cognosci; data tamen fide potest homo in creaturis aduertere vestigia quædam & quasi vmbras SS. Trinitatis. Quod ergo Platonici de Deo & Dei Verbo obscurè & tenuiter cognouerunt, quodque dixit Trismegistus, *Monas genuit monadem, & in se reflexit ardorem*: q. d. Pater genuit Filium, & se reflexè amando spirauit Spiritum sanctum; id totum à Mose & Hebræis didicerunt, vt docet Eusebius lib. 10. de Præparat. Euang. c. 1. & li. 13. c. 10. hinc & Plato vocatus est Moses Atticus.

Philosophi ex creaturis non cognouerunt SS. Trinitatem.

Dico ergo, Inuisibilia Dei sunt attributa Dei spiritualia; vt esse æternum, immensum, omniscium, optimum, maximum: virtus Dei est potentia, per quam Deus omnipotens omnium rerum causa est efficiens, regens & prouidens: diuinitas est essentia Dei & maiestas, scilicet Deum esse primum ens perfectissimum, à quo omnia pendent, à quo omnia bona expetuntur, & mala omnia auertuntur; Deum esse vltimum finem omniū rerum & earum maximè humanorum, ideoque colendum esse latria, precibus, votis, sacrificijs, gratiarū actione.

Vbi Nota. Virtus quasi potentia Dei continetur quoq; inter inuisibilia Dei: est enim æquè vt alia attributum Dei; eam tamen præ alijs hîc exprimit Paulus, quia inter alia maximè relucet & resplendet illa in creatione & rebus creatis. Sic Matth. 15. 7. dicit angelus mulieribus: *Ite, dicite discipulis eius, & Petro*; non quòd Petrus non esset discipulus, sed quòd inter discipulos Christi, quasi primas emineret.

Dices, 1. Corinth. 1. v. 21. dicitur contrarium huius sententiæ, quòd scilicet mundus in sapientia Dei Deum non cognouerit.

Respondeo. Loquitur ibi Paulus de practica cognitione Dei, quę coniuncta est cum Dei amore & cultu, non autem de speculatiua.

Secundò, etiam speculatiuè non cognouit mundus multa Dei attributa, quia mentem ab eo auertit, & vitijs excæcauit: cognoscere tamen illa potuit & debuit.

A CREATVRA MVNDI, PER EA QVÆ FACTA SVNT, INTELLECTA CONSPICIVNTVR] Per *creaturā mundi*, Anselm. intelligit hominem, qui dominus est, participium, nodus & vinculum omnis creaturæ. Homo enim ex seipso, suisque partibus & potentijs tam corporis quàm animæ, vel maximè cognoscere potest creatorem suum Deum.

Secūdò, planiùs, generaliùs & meliùs Chrysost. Theodor. Theophyl. & S. Aug. tract. 2. in Ioan. per creaturā mundi, accipiunt fabricam & creationē mundi, aut potiùs res ipsa creatas in mundo, siue mundum ipsum, qui est creatura Dei. Vtrumque enim significat Græcum κτίσις, scilicet tam creaturam, resque creatas, quàm ipsam creationem.

Nota. Vox *intellecta*, significat opus esse discursu, collatione & illatione, vt per opera sensibilia, resque creatas ascendamus ad cognoscendā inuisibilia Dei. Et hoc est, quod Sapient. 13. 5. dicitur: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter* græcè ἀναλόγως, id est, per analogiam, *poterit creator horum videri*. Syrus vertit ܒܡܘܕܥܐ *beşachala*, id est, intellectu conspiciuntur & videntur, quæ oculis corporis sunt inuisibilia. Pulchra paronomasia idipsum insinuant Græca; habent enim, τὰ ἀόρατα καθορᾶται, id est, inuisibilia videntur, scilicet per creaturas, quasi ὑπὸ κάτοπτρον, id est, per speculum.

Hinc patet Primò, Deum esse, non esse per se notum,

rum, scilicet ex ipsis terminis: sicut cognitis terminis per se notum est, vnum & duo facere tria; sed ad hoc, vt quis scilicet cognoscat Deum esse, opus est discursu, scilicet ex ijs quæ facta sunt, colligendo ipsum factorem Deum. ita Scotus & D. Thomas 1.p.q.2.a.1. Vnde S. Bernard. serm. 31. in Cant. *Tanta hæc*, inquit, *formarū varietas, atque vanitas specierum in rebus conditis, quid, nisi vasa sunt deitatis monstrantes quidem quia verè sit, à quo sint, non tamen definientes prorsus quid sit ita quod desuper sit vides, sed non ipsum. Cùm autem de eo quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere: vt inquirentem non fraudet gratia, quæ autem negligentia non excusat. Verùm hoc videndi genus commune. In promptu enim est iuxta Apostolum, ammirenti ratione inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere.* Hinc idem lib. de Interiori dom. c. 12. & 13. docet, quòd speculum ad videndum Deum sit animus intuens seipsum. *Frustra*, inquit, *oculum cordis erigit ad videndum Deum, qui non idoneus est ad videndum seipsum. Prius enim necesse est, vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quàm possis idoneus ad cognoscenda inuisibilia Dei. Et si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea quæ sunt supra te. Præcipuum & principale speculum ad videndum Deum, est animus intuens seipsum.*

Secundò, ex hoc loco, & ex Sap. 13. 5. patet naturali lumine cognosci posse Deum esse vnū, esse liberum, habere prouidentiā non tantùm in vniuersū, sed cuiusque hominis in particulari. Tali enim soli agendæ sunt gratiæ ab vnoquoq; quod hic urget Apostolus v. sequ. ita S. Chrysost. Ambros. Beda, Anselm. & S. Dionysius c. 7. de Diuin. nom. & S. August. de Spirit. & lit. c. 12.

Idem experientia ipsa didicerūt & docuerunt ipsimet Gentiles: nam Trismegistus dixit mundū esse librum diuinitatis, & speculum diuinorum, in quo mirum Deus seipsum, quasi Apelles summus, clarè expressit & depinxit. In hoc libro non solus studuit S. Antonius, vt de eo testatur Athanasius, alijq; eremi incolæ: nec solus S. Bernardus, Franciscus, alijq; Sancti; sed etiam Plato, Socrates, Aristoteles, omnesq; Philosophi. Idem agnouit & docuit Orpheus cùm ait: *Mundi machina est musica & admirabilis consonantia, prædicans & laudans Deū: cœlum enarrant gloriam Dei.* Hæc etiā est musica cœlestium, quam prædicabat Pythagoras. Vnde Philo lib. de Vnitate Dei, & duplici templo, mundum vocat Dei templum: *Dei*, inquit, *templum alterum, sanctum verumq; existimandū est; mundus scilicet hic perfectus cuius sacrarium sit cælum, in tota rerum natura præstantissimum; donaria verò sint sidera, sacerdotes & ministri sint potestates angelicæ, ratione syncerita-tis veritati similes: alterū verò templum est manufactū*, &c. Vide hac de re pulchrè differentē S. Chrysost. hom. 9. ad pop. & S. Basil. in princ. parab. Salom. Anselm. hic, Bernard. initio li. 5. de Consider. Auctorem Soliloqu. c. 31. to. 9. operum S. August. & Prosperum li. 2. de Voc. Gent. c. 1. qui liber falsò adscribitur S. Ambrosio. *Quod est*, inquit Prosper, *inenarrabile, quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit; nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & enarrabilium beneficiorum eius dines & ordinata largitio? per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ proponuntur, vt in paginis elementorum, & voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur. Cælum ergo, mare, terra, & om-*

Cornel. in epist. Pauli.

A *nia quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisq; concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris; & tamē maximus hominū numerus hanc vocem non intellexit,* &c. Hinc verè & piè S. August. *Cæli*, inquit, *& terra clamant Domine, vt amemus te.* &, *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Ita ipse lib. 1. Confess. 1. *Cælum & terra docet nos amore Dei.*

CVM COGNOVISSENT DEVM, NON SICVT DEVM GLORIFICAVERVNT, AVT GRATIAS EGERVNT (Deo pro mundi fabrica, suisque ac rerum omnium ad suum vsum creatione & conseruatione) SED EVANVERVNT, græcè ἐματαιώθησαν, id est, vani & inanes facti sunt, IN COGITATIONIBVS] græcè διαλογισμοῖς, id est, disquisitionibus & discursibus, quos ex creaturis de Deo creatore fecerant; B quia scilicet ijs relictis, ad vana idola, quæ non erant Deus, colenda deflexerunt. ita S. Chrysost. Origenes, Theodoretus. VERS. 21. *Sapientum huius mūdi stultitia & vanitas.*

Secundò, *euanuerunt* in sua cogitatione & cognitione Dei; quia finem & fructum cognitionis Dei, qui est actio (de qua re pulchrè S. Bernardus disserit serm. 36. in Cātica) honesta & cultus Dei, non sunt affectati. Hinc *& obscuratū est insipiens cor eorum*, adeoq; stulti facti sunt, quia veram sapientiā, quę in praxi & pietate consistit, respuerunt, & stultissimè idola pro dijs habuerunt & coluerunt. *Fructus cognitionis Dei actio honesta.*

Tertiò, ex S. Augustino Anselmus, *euanuerunt*, inquit, id est, superbierunt hac Dei cognitione. Sed primus sensus est optimus & hoc loco genuinus. Ita enim seipsum explicat Paulus v. 13.

MVTAVERVNT GLORIAM INCORRVPTIBILIS DEI, IN SIMILITVDINEM IMAGINIS CORRVPTIBILIS HOMINIS, ET VOLVCRVM, &c.] q.d. Hi sophi, C cæci & stulti gloriosum diuinitatis nomen, adorationem & confessionem, quæ Deo immortali præstare & exhibere debebant, conuerterunt & collocauerunt *in similitudine* (Græcum enim ἐν ὁμοιώματι, potest propriè capi pro, in similitudine) vel, *in similitudinem* (capiendo ἐν pro εἰς, vti sæpè capitur) siue assimilationem *imaginis hominis*, id est, in imaginem hominis, non naturalem, sed arte factam & assimilatam. q.d. Idola pro Deo coluerunt hi sophi. ita S. Chrysost. Theophyl. & Oecumen. Quare non rectè Erasmus & Beza sic exponunt, *in similitudinem* vel *assimilationem*: quia, inquiunt, Gentiles assimilarunt Deum incorporeum rebus corporeis, putà homini, bobus, crocodilis, quia in horum simulacris, quasi in imagine, Deum coluerunt. VERS. 23. *Sophi idola pro Deo coluerunt.*

Vbi Nota. Multi Gentiles putabant ipsa idola lignea & lapidea esse deos; aliqui tamen sapientiores, vti Philosophi, sciebant ipsa idola non esse deos, & tantùm in idolis ipsis deos ipsis repręsentari: verumtamen omnes tam hi, quàm illi non D Deum verum in idolo, quasi in imagine, vt vult Caluinus, sed ipsa idola, vti Deum vel Numen aliquod adorarunt, & adoranda crediderūt: idque, quia putabant idolum esse corpus Dei, aut esse simulacrum Dei, Deumque similem esse idolo, & similia habere membra, aut esse locum & sedem Dei, cui quasi naturaliter adhæreret, & præsens esset Deus. Denique censebant omnes, idolum habere aliquid numinis, vt cùm ad illud irent, ad deos ire se putarēt, ait Cicero li. 1. de Natura deorum; idque quia videbant idolum loqui & oracula dare. Excipe hìc paucos Gentilium sapientissimos, qui idola colebant non ex animo, sed metu *Deum quomodo in idolo colebant sapientiores Gentilium.*

legum suarum, & vt populum metu deorum in officio continerent, vt testatur ibidem Cicero.

Dupliciter peccarunt Gentiles colendo idola.

Peccarunt ergo Primò, quia dæmonem quasi animam idoli pro Deo coluerunt, eumq; ex falsis oraculis, malis consilijs, & sua propria confessione, alijsque circumstantijs, non Deum, sed dæmonem esse agnoscere potuerunt & debuerunt.

Peccarunt Secundò, quia ipsa idola quasi aliquid esset Dei, adorarunt, placarunt, inuocarunt; hoc enim, quidquid neget Caluinus, clarissimum est ex psalm. 113. Baruch 6. & Sapientiæ 14. Idem expressè docent Patres, Tertullian. Lactantius, Iustinus, Athanas. Athenagor. Cyprianus, & alij, qui passim rident Gentiles, quòd lapides & ligna pro dijs colant, vt etiamnum faciunt Indi & Iapones.

Nil commune imaginibus Christianorum cum idolis.

Nil ergo idolo cum imagine Christianorum, quæ nihil habet numinis, sed nudam rationem imaginis, quæ est repræsentare suum prototypon, vt docet S. Basilius & Damasc. B

Socratis & Platonis salus desperata, contra Catharinum.

Nota Secundò. Licet Catharinus de Socratis & Platonis salute bene speret & existimet; tamen Xenophon & Plato docent, Socratem dijs Græcorum sacrificasse, & inter alia gallum Æsculapio. Sic Plato eosdē colendos censuit, quòd lex Gentium ita iuberet, vti testatur Eusebius lib. 13. de Præpar. Euang. c. 8. & 11. Sic & Seneca sacrificia laudat, non quasi dijs placita, sed quia legibus iussa, vti testatur S. August. l. 6. de Ciuit. cap. 10. Idem Plato in Epinomide, diuinum cultum tribuit cælis, astris & dæmonibus. Denique Trismegistus dæmonum simulachra colenda esse docet, vt benefaciant, inquit S. August. l. 8. de Ciuit. c. 23. Eadem colenda esse ob metum legum politicarum docuit Cicero li. 1. de Natura deor. En quò labitur humana, etiamsi docta, infirmitas & cæcitas, si Deum deserat, & à Deo deseratur, vt meritò in eos hîc ita detonet Apostolus. C

Multitudo absurda idolorum & deorum Gentilium.

VOLVCRVM, ET QVADRVPEDVM, ET SERPENTIVM] Nam aues, serpentes, feles, crocodilos, imò allia, porros & herbas, quin & stercutium, cloacinam, pestem, febrem, aliaque his absurdiora veteres pro dijs coluisse fusè docet S. August. lib. 3. de Ciuit. c. 12. & li. 4. c. 10. & seq. & li. 18. c. 15. Vnde & Iuuenalis satyra penultima Ægyptios, quòd sua cepe colerent, quasi numina, ita ridet:

Porrum & cepe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

VERS. 24. PROPTER QVOD TRADIDIT ILLOS DEVS IN DESIDERIA CORDIS EORVM, IN IMMVNDITIAM] *Propter quod*, q.d. Sicut illi gloriam Dei serpentibus, alijsque immundis & ignominiosis creaturis tradiderunt, ita etiam Deus tradidit illos immunditiæ, *vt contumelijs afficiant*, græcè τῷ ἀτιμάζεσθαι, id est, vt ignominia afficiant, *corpora sua*. Nota. Deus hos ita tradidit, non propriè immittendo, vel impellendo eos ad mala, vt vult Caluinus, hæc enim blasphemia est nimis euidens & atrox in Deum, eiusque infinitam bonitatem & sanctitatem: sed tradidit eos Deus in peccata, quia permisit eos suæ concupiscentiæ, dæmoni & occasionibus peccati; vt fornicatione & adulterio corpus suum dedecorarent. Vnde psalm. 80. Dominus idem explicans ait, *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Sic S. Augustinus lib. 5. contra Iulian. cap. 3. & de Grat. & lib. arbitr. cap. 21. docet Deum tradere peccatores in praua desideria, quando non solùm non apponit gratiam, sed etiam ponit occasiones & offendicula peccandi (licet alio & pio fine) in quæ eos per suam malitiam grauiùs ac turpiùs impacturos præuidet, non autem prædefinit, prædeterminat vel impellit. Talis occasio sunt opes, honores, deliciæ, quibus impios Deus cumulat, vt ijs bene vtantur; scit tamen id eos non facturos, sed ijs ad peccata abusuros. Vide can. 14. & 15. D

Deus impios peccare permittit, non prædefinit.

Obijcit Beza, Deus quasi iudex tradit impios carnifici, scilicet peccato, ergo non tantùm permittit, sed positiuè tradit eos peccato.

Respondeo. Aliter permittit homo peccata, aliter Deus: homo negatiuè, Deus positiuè: quia Deus voluntates omnium hominum arctissimè omnipotentiæ suæ manu, quasi lupum, vel ferum fune constrictas tenet, quam positiuè laxare debet, vt malè agere possit. Vnde rectè hæc laxatio & permissio dicitur actio & traditio, maximè quando fit à Deo, vt vindice, ad puniendum præcedens peccatum, vt dixi can. 21.

Hinc docent Theologi peccata sequentia præcedentium peccatorum esse pœnas. ita Magister Sentent. in 2. disp. 36. & Augustinus lib. 5. contra Iulian. cap. 5. vbi sic ait: *Crimina criminibus vindicantur, & supplicia peccantium non tantùm sunt tormenta, sed & vitiorum incrementa.* Et in psalm. 57. in illud: *Supercecidit ignis. Inter primum*, ait, *peccatum apostasiæ & vltimam pœnam ignis æterni, media quæ sunt, & peccata sunt, & pœna peccati.* Et paulò superiùs, in illud eiusdem psalmi: *Iniquitatem manus vestræ concinnant*, docet quamdam esse peccatorum inter se colligationem, & velut catenam, in qua alia sint causa sequentium peccatorum, alia pœnæ præcedentium. qua de re vide quoque S. Gregorium lib. 25. Moral. c. 9.

COMMVTAVERVNT VERITATEM DEI IN MENDACIVM] id est, in mendax falsum idolum. ἔλεος enim Græcis est res vana, inanis, vmbratica, falsa & mendax; sicque idola mentiuntur se esse deos, suntque mendaces vmbræ deorum. de quo plura dicam 1. Corinth. 8.

PROPTEREA TRADIDIT ILLOS DEVS IN PASSIONES IGNOMINIAE] græcè εἰς πάθη, id est, in libidines pathicas & pudendas; vt nimirum contra naturam non tantùm masculi & pathici pueri cum masculis, sed, vt sequitur, & feminæ cum feminis omnes naturæ & honestatis limites transcendentes commistæ sint. ita Ambros. Theodor. Anselm. & alij. Dicitur hæc præpostera & vesana libido κατ' ἐξοχήν, non tantùm quia in ea actiuæ libidini præpostera vt passiua respondet: sed etiam quia hæc passiò ita vehemens est, vt homo illi immersus, adeò ab ea absorbeatur, vt potiùs patiquàm agere videatur, sitque instar equi equæ adhinnientis & ad eam furentis. Iam verò Gentiles, non tātùm plebeios, sed & Philosophos, ac nonnatim Socratem, infami hoc pæderastiæ vitio laborasse, tradit Philo libr. 2. de Vita contempl. Quin & Laërtius in vita Socratis tradit, cum in iudicio, quo ad mortem damnatus est ducentis octoginta sententijs, accusatū fuisse Primò, quòd deos patrios respueret, & noua dæmonia induceret. Secundò, quòd contra fas & ius iuuenes corrumperet. Idem vitium Platoni aſcribit Laërtius, Gellius li. 18. c. 2. & li. 19. c. 11. & Plutarch. lib. de Educandis liber. ante finem: licet Cardin. Bessarion Platonis propugnator, cum ab hoc vitio purgare conetur, li. 4. in calumniatorē Platonis c. 2.

Adde

Addit S. Chrysost. Solonem, & alios Philosophos non tantum pæderastiam feciſſe, ſed & eam quaſi honeſtam laudaſſe & legibus ſanxiſſe, ſtatuiſſéque vt illam exercere poſſent liberi, non autem ſerui: quaſi pæderaſtia non ſeruos, ſed liberos tantum deceat, ſitéque & ipſa ars libera & liberalis. Talia monſtra quoque ab hæreſi nata noſtra vide & protulit ætas. Contra hos fulminat hîc S. Chryſoſt. & Patres ſæpè.

Denique vt videas veriſſimam eſſe hanc Apoſtoli ſententiam, atque Philoſophos fuiſſe impuriſſimos & ſpurciſſimos, audi ex vno Diogene Laërtio, ſeriatim ſingulorũ hac de re emblemata.

Periander, inquit, Cratea propria matre ſua abuſus eſt.

Socrates Alcibiadi in delicijs fuit.

Theodorus ait, ſapientem publicè abſque pudore & ſuſpicione ſcortis congreſſurum.

Phædon captus ab hoſtibus, infami ſe quæſtui addixit.

Stilpo, præter vxorẽ, Micarete pellice vtebatur.

Menedemus notatur nimiùm familiaris fuiſſe ſenſui Aſclepiadis.

Ariſtippus lib. 4. de Antiquis delicijs, ait Platonem captum fuiſſe amore Stellæ aſtrologi & Dionicalij Phædrum addunt, alij etiam Aleximenum. plura deeo habet Laërtius.

Bion Boryſthenites Theodotæ & Philetæ, ſcortis, palàm congrediebatur: item duos adoleſcentes, Demetrium & Myrleanum Leocharem, turpiter amauit. Vnde & ab Ariſtone Chio, Corruptore iuuenum dictus eſt. Idem adoptabat iuuenes, vt eis abuteretur.

Ariſtoteles Hermiæ concubinam amauit, eíque ſacrificauit.

Demetrius Phalereus, qui 360. ſtatuis æreis honoratus eſt, à Cleone turpiter eſt perpeſſus.

Antithenes dicebat, ſapientem formoſiſſimis quibuſque mulieribus congreſſurum.

Diogenes dicebat, debere eſſe communes mulieres & filios.

Zeno vxores cõmunes in republica ſtatuebat.

Chryſippus in libro de Republ. congredi iubet matribus, filiabus & filijs.

Eudoxus fuit in delicijs Theomedonti medico.

Epicurus Leontiam & Themiſtiam meretrices, & Pythoclem formoſum adoleſcentem in delicijs habebat.

Sint nunc politici & naturaliſtæ noſtri, Philoſophos hoſce vt viros probos prædicent, eoſque vt ſanctos & beatos canonizent, quos infandæ Veneris mancipia Aſmodæus auctorauit, Orcodæus addixit. Præclarè S. Bernard. contra Petrum Abailardum platonizantem epiſt. 109. ad Innocentium Pontificem, *Vbi*, inquit, *dum multum ſudet quando Platonem faciat* (Abailardus) *Chriſtianum, ſ. nobat Ethnicum.*

FEMINAE EORVM IMMVTAVERVNT NATVRALEM VSVM IN EVM VSVM QVI EST CONTRA NATVRAM] Nota, diabolico inuento feminas inſtar virorum cum feminis actiuè congredi. Docet id & plura Seneca epiſt. 95. *Feminæ*, ait, *cùm virorum libidinum aquauerint, corporum quoq; virilium vitia aquauerunt: non minùs peruigilant, non minùs potant, ſed & mera viros prouocant, libidine verò nec maribus cedunt nati. Dij illas deæq; malè perdant. adeò perſonam commentæ genus impudicitiæ, viros ineunt.* Græcis hæ feminæ Tribades dictæ, id eſt, fricatrices, Cornel. *in epiſt. Pauli.*

A ces, quarũ meminit Tertull. li. de Pallio. Vnde τριβαδικὴ ἀσέλγεια dicitur, tribadũ illa inſana & nefaria libido, cuius inuentrix creditur fuiſſe Philænis, & ob hanc malè audijt Sappho. De his agit impuriſſimus Lucianus dialog. Chlonarium & Leæna. Hæc inuitus licet ſcripſi ad hoc, vt ſciant confeſſarij quanta ſit libidinum vorago, ſciantq; feminas quoque, vt viros, peccatũ mollitiei committere, vt Galenus, medici & experientia docet; & ſicut illud in ſe exercent, ita & in alios idem exercere modis infandis. *Tribadum, feminarum præpoſtera libido.*

MERCEDEM (QVAM OPORTVIT) ERRORIS SVI IN SEMETIPSIS RECIPIENTES] Pro *mercedem*, græcè eſt ἀνταμοιβίαν, id eſt, recompenſationẽ, ſiue mercedem pro meritis; vt quia contra naturæ ordinem cum ignominia creatoris, eo relicto ad creaturæ idololatriam ſe conuerterunt, hac de cauſa iuſtè à Deo permiſſi ſint naturæ ordinem pariter in actu generationis inuertere, & pudenda libidine ſe dedecorare. ita Anſelmus.

Porro idololatriam eſſe cauſam libidinis & obſcœnitatis, docet quoque Sapiens c. 4. 12. *Initium*, inquit, *omnis fornicationis eſt exquiſitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ eſt*: idque Primò, quia idola ijs cæremonijs colebantur, quæ ad omnem obſcœnitatem homines impellerent; vt patet ex ſacris Priapi, Veneris, Bacchi. Et hoc permittente Deo in ſupplicium idololatriæ, vt ait hîc Paulus. Secundò, quia idololatræ, vt ait hîc Ambroſ. *Deum incurioſum colentes, atque per hoc negligendum, magis hebetati ſunt, & ad omnia mala admittenda facti promptiores.* Exardeſcit enim concupiſcentia, cùm vindicem non timet Deum. Quis autẽ timeat Deum ligneum, aut ſaxeum? Tertiò, quia, vt ait S. Athanaſ. orat. contra idola, *Idololatria inſtituta eſt deſiderio eorum, qui ſtupris & propudiis pleni, figmentis repræſentantur.* Iupiter enim adulter cùm vt deus colitur, quis non putet licere, immò pulchrum eſſe adulterari, quòd ea in re deo ſuo ſimilis ſit? Addit S. Athanaſ. *Et penè omnes ciuitates omnibus libidinibus ſcatent, ob immanitatem morum quam in ſuis diis cõſpiciunt; neque eſt in hoc genere deorum quem caſtum appelles. Olim certè Phœniſſæ mulieres ante idola proſtituebantur, dedicantes numinibus ſuum quæſtum, perſuaſæ meretricatu ea propitiari, ac proſperitatem rerum inde naſci.* Idem factitarunt virgines Babyloniæ, Syræ, Medæ, Perſicæ, Lydiæ, & aliæ, vti dixi Baruch 6. 42. Pergit S. Athanaſius, *Viri quoque abdicato ſexu, nec ſe amplius mares eſſe ferentes, mulierum naturam affectauerunt, tamquam ita honorifica gratagq; matri deorum facturi eſſent. Omnes autem in turpiſſimis viuunt, & certamen inter ſe prauitatis ſuſcipere videntur, &, vt dixit S. Paulus, Mulieres eorum mutauerunt vſum.*

Hinc patet, infidelitatis, impietatis & hæreſis pœnam eſſe monſtroſas libidines. atque huius rei cauſa eſt Primò, quia vbi non eſt fides, ibi non eſt gratia Dei; vbi non eſt gratia Dei, ibi non eſt caſtitas, ſed omnis concupiſcentia: vt meritò dixerit Lutherus, concubitum homini tam neceſſarium eſſe, quàm cibum. & paſſim apud Nouantes perſonat hoc axioma: caſtitatem eſſe impoſſibilem, quia verè Luthero & hæreticis impoſſibilis eſt. Verè ergo dixit S. Hieronym. lib. 2. comment. in Oſee c. 9. *Difficile eſt inuenire hæreticum qui diligat caſtitatem, etiamſi eam verbis cõmendet & præ ſe ferat.* *Infidelitatis & hæreſis pœna, omnium monſtra libidinum, ob duas rationes.*

Secundò, quia hæreſis & infidelitas oritur ex ſuperbia; ſuperbiæ autem pœna eſt libido, ſicut

humilitatis præmium est castitas. Vnde efficacissimum remedium ad castitatem, est humilitas. Hæc enim iusta est Dei ordinatio, vt si mens Deo, & ijs, quibus debet, se subdat, etiam sibi subditū habeat corpus suum: sin Deo, Deique vicarijs subdi nolit, etiam corpus suum sibi sentiat rebelle, vt pulchrè docet Gregor. 26. Moral. 12. *Sic, sic*, inquit, *elati iusta fuerant retributione feriendi, vt quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando vsque ad iumentorum similitudinem deuoluantur: homo enim cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus*, &c. *Intus ergo videt Deus, quod mentem eleuat, & idcirco permittit foris inualescere, quod deponat. ergo per humilitatis custodiam seruanda est munditia castitatis. Si enim spiritus piè sub Deo premitur, caro illicitè supra spiritum non leuatur: & contrà. Vnde & primus ille inobediens Adam, mox vt superbiendo peccauit, pudenda contexit.* Ita virgo illa, de qua Pallad. in Lausiaca ca. 34 à dæmone superbiæ obsessa, deserta fuit ab angelo temperantiæ, & turpiter lapsa.

A

VERS. 28. SICVT NON PROBAVERVNT (græcè οὐκ ἐδοκίμασαν, id est, non placuit eis, non est eis visum, non curauerunt) DEVM HABERE IN NOTITIA, id est, ait Ambros. credere Deum res nostras curare, vel, vt alij, Deum habere præ oculis, vt illi placere & seruire intenderent. Verùm simpliciùs & magis propriè S. Chrysost. Theodor. & Toletus sic explicant, q. d. Sicuti non curarunt Deum verum verè nosse, vt rectè de eo sentirent, sed idolis adhæserunt, eaque pro Deo agnouerunt & coluerunt; ita pariter iustè TRADIDIT ILLOS DEVS IN REPROBVM SENSVM, VT FACIANT EA QVÆ NON CONVENIVNT] Nam, vt docet S. Gregor. 25. Moral. 9. *Qui errant in Dei cognitione, iustè traduntur vt errent pariter in agendis*; qui mentem & rationē ab errore non seruant, exponūt se pecuinis cogitationibus & vitijs. tum quia errante duce errant comites; cognitio autē est dux actionis: tum quia recedentes à Deo, recedunt à virtute & gratia: tum quia vbi non est cognitio Dei & timor, ibi dominatur effrænis concupiscentia.

Errorem in cognitione sequitur error in actione.

C

Nota. *Reprobum sensum* vocat Paulus improbā & peruersam mentē, quæ probat non probanda, & probanda improbat ac reprobat (hoc enim est Græcū ἀδόκιμος.) v. g. quę iudicat & probat mollitiem, fornicationem, vindictam, ebrietatem esse appetenda & sectanda; ac tandem, cùm mens per cōsuetudinem peccandi est excæcata, iudicat hæc ipsa vix esse peccata, esseque licita.

Tota huius loci elegantia consistit in paronomasia, & antithesi verbi δοκιμάζειν, & epitheti ἀδόκιμον, q. d. Quia reprobarunt Dei notitiam & cultum, hinc traditi sunt in reprobam & peruersam mentem. ἀδόκιμον, ergo significat eos, non expertes fuisse iudicij, vt vertit Beza (hoc enim minus est malum, & sæpè naturale) sed prauo, distorto & peruerso fuisse iudicio, quo scelera infanda iudicabant esse licita & honesta.

D

VERS. 29. *Vitia quæ nascuntur ex idololatria & hæresi.*

REPLETOS, id est, vt repleantur: pendet enim τὸ *repletos*, à verbo *tradidit*. q. d. Hoc ipso, quo tradidit eos Deus in reprobum sensum, factum est, vt replerentur, fuerintq́; repleti OMNI INIQVITATE, DOLO, ET MALIGNITATE] Pro *malignitate*, græcè est κακοηθείας; quod, ait Aristoteles, vitium est, quo omnia in deteriorem partem accipiuntur. alij *morum asperitatem* vertunt; sed hanc significat vox *incompositi*, quæ sequitur. Syrus *fraudem* vertit.

DEO ODIBILES] θεοστυγεῖς, id est, Deo odibiles, vel Dei osores, à quibus Deus adhorret, vel qui execrantur Deum. S. Cyprian. epist. 68. legit *Deo abhorrentes*. στυγέω enim abhorrere significat; vnde Styx palus inferni, ita dicta est ab horrore. Vet. Ia.

ELATOS] ἀλαζόνας, id est, glorioſos & insultabundos.

INCOMPOSITOS] ἀσυνθέτους, id est, inciuiles, barbaris moribus, ab omni societate & conuersatione honesta alienos, turbulentos, qui non possint in ciuitate aut familia cum alijs componi. ita ex Demosthene Suidas. Oecumenius vertit, Separantes se ab omnibus, id est, omnes odio prosequentes & auersantes. Vet. Ia.

SINE AFFECTIONE] ἀστόργους, id est, inhumanos, qui neminem, aiunt Theophyl. Oecumen. & Syrus, amant, nec habent amicum. Sic in India versus Peru, Indi quidam sunt Vri nuncupati, qui ita fugiunt homines, vt rogati qui sint, respondeant se non esse homines, sed Vros, vt refert oculatus testis Iosephus Acosta lib. 2. de Nouo orbe. Talis erat ille, de quo Satyricus, *nec amat, nec amatur ab vllo*. Rursum ἀστόργους, verti potest, Sine pietate, hoc est, impios in parentes & cognatos. B

ABSQVE FOEDERE] id est, fœdifragos. Denique hîc Apostolus synathroismum, per rerum congeriem, vt ostendat quantum malum sit Dei ignorantia & neglectus, atque in quot quantaque scelera Gentiles per hunc Dei neglectum inciderint.

SINE MISERICORDIA] id est, immisericordes & crudeles, qui hebr. vocantur אַכְזָרִי *Aczari*. Syrus vertit, cum quibus *nullum est fœdus, nulla charitas, nulla pax, nulla deniq́; misericordia in eis*. Hi ergo sunt fructus idololatriæ, infidelitatis, & à pari hæresis.

QVI CVM IVSTITIAM DEI COGNOVISSENT, NON INTELLEXERVNT (noluerūt intelligere, cōsiderare, & practicè sibi persuadere.) QVONIAM QVI TALIA AGVNT, DIGNI SVNT MORTE: ET NON SOLVM QVI EA FACIVNT, SED ETIAM QVI CONSENTIVNT FACIENTIBVS] Kemnitius, Valla, Erasmus & Faber hîc volunt corruptum esse nostrum textum, quia Græca sic habent: οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι, id est, *qui cùm iustitiam Dei agnouissent, videlicet, quòd qui talia agunt digni sunt morte, non solùm ea faciunt, sed etiam facientibus consentiunt*. Hoc enim consentire maius & peius est, quàm facere. Fit enim ex malitia, cùm facere sæpè ex mera infirmitate promanet. ita quoque legunt & explicant S. Chrysost. Theophyl. & Oecumen. Verùm variare & olim variasse exemplaria Græca patet ex Oecumenio, Origene, & quibusdam manuscriptis. Rursum nostro interponi per omnia consentit Ambros. Sedulius, Hymo, Anselm. Hesychius li. 6. in Leuit. 20. Symmachus Papa in Apologet. contra Anastasium Imp. & S. Cyprian. lib. 1. epist. 4. Denique nostra lectio planior & facilior est intellectu, ideoq́; verisimilior. Videtur enim Apostolus hîc taxare Philosophos sapientiores, qui idolorum cultum, aliaque vitia iam dicta, licet mala esse scirent, nec passim ea facerent & perpetrarent, illa tamen ab alijs facta probarunt, vel dissimularunt, siue metu legum, siue amore suis placendi, & timore eisdem displicendi. Vide dicta v. 23.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IDem docet de Iudæis, quod cap. 1. docuit de Gentibus, scilicet eos esse in peccatis, & egere fide & gratia Christi.

Primò ergo redarguit Iudæos, qui ex data sibi lege Gentiles quasi peccatores condemnabant, cùm ipsi eadem patrarent. Vnde docet Deum iustum iudicem cuique, tam Iudæo, quàm Gentili redditurum secundùm opera.

Hinc Secundò, v. 13. asserit non auditores, sed factores legis iustificari, atque non solos Iudæos, sed & Gentes habere legem à natura sibi inditam.

Tertiò, v. 17. arguit Iudæos, quòd ex lege sua alios doceant, non seipsos; quodq; faciant eadem, quæ in alijs carpunt.

Quartò, v. 25. docet circumcisionem veram esse, non externam, sed internam, quæ consistit in observatione legis, quæ est circumcisio cordis in spiritu, non littera, coram Deo, non coram hominibus.

2. PRopter quod inexcusabilis es, ô homo; omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. 2. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundùm veritatem in eos qui talia agunt. 3. Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? 4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5. Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, 6. qui reddet vnicuique secundùm opera eius: 7. ijs quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: 8. ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. 9. Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci: 10. gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco: 11. non enim est acceptio personarum apud Deum. 12. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. 13. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. 14. Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: 15. qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, 16. in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium meum per Iesum Christum. 17. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, 18. & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per legem, 19. confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, 20. eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. 21. Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: 22. qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: 23. qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. 24. (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.) 25. Circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. 26. Si igitur præputium iustitias legis custodiat: nónne præputium illius in circumcisionem reputabitur? 27. & iudicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem præuaricator legis es? 28. Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: 29. sed qui in abscondito, Iudæus est: & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

PROPTER QVOD INEXCVSABILIS ES, Ô HOMO OMNIS, QVI IVDICAS. IN QVO ENIM ALTERVM IVDICAS, TEIPSVM CONDEMNAS, &c. Iq. d. Quia Gentes quæ non intellexerunt grauitatem & supplicia peccatorum, vti præcessit in fine c. præced. ob peccata tamen, quæ faciunt, aut quibus consentiunt, dignæ sunt morte; hac de causa multò magis vos, ô Iudæi, qui intellexistis ex lege Mosis grauitatem peccatorũ, & pœnas, quas Deus peccatoribus intentat; quique Gentes ob peccata sua iudicatis & condemnatis, & tamen eadem facitis & perpetratis, digni estis morte. Taxauit Apostolus cap. præced. Gentes, Gentiumque scelera, quibus veritatem Dei in iniustitia detinuerunt; hîc eadem, immò potiori de causa taxat Iudæos. Nam, vt dixi cap. præced. v. 18. proposuit thesin, quòd scilicet sine fide & gratia Christi omnes sint peccatis & iræ Dei obnoxij: illam ibidem proba-

uit ostendendo Gentes fuisse & esse in peccatis & ira Dei: hîc eandem probat, idem ostendendo in Iudæis, indeque concludit c. 3. omnes tam Gentes, quàm Iudæos indigere Christo, Christique fide & gratia, vt iustificẽtur & saluentur. Secundò, probabiliter Maldon. in Notis Manuscriptis, Respicit, ait, Paulus ad v. 20. & 21. c. 1. *Ita vt sint inexcusabiles* &c. q.d. Cùm Deus eos qui se cognouerunt, sed non sicut Deum glorificauerunt, tradiderit in passiones ignominiæ, eos inquam, qui veritatem detinent in iniustitia: sequitur eos inexcusabiles esse cùm alios malè agentes damnant: ipsi enim similia, imò peiora & fœdiora faciunt: sed mutat personam tertiam in secundam, quia conuertit se ad eos, eosque alloquitur & redarguit, ad maiorem emphasin. Adhuc enim generatim culpat Apostolus omnes fide & gratia Christi destitutos, tam Gentiles quàm Iudæos, vt patet v. 9. vsque ad v. 17. vbi se conuertit ad Iudæos.

VERS. 4. AN DIVITIAS BONITATIS EIVS ET PATIENTIÆ, ET LONGANIMITATIS CONTEMNIS?] *Diuitias bonitatis* vocat exuberantẽ Dei benignitatẽ. Sic passim per catachresin diuitias sumit Paulus pro copia & abundãtia, vt c. 11. 33. *O altitudo diuitiarũ sapientiæ!* Sic alibi vocat diuitias gloriæ, diuitias gratiæ, &c. Et profani τὸ πλουτεῖν pro ἐμπορεῖν capiunt. *Diuitias bonitatis Dei*, inquit Origenes, *ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terrâ mala quotidie homines gerant, & quomodo penè omnes declinantes & simul inutiles facti, latam & spatiosam perditionis ambulant viam: si quis consideret quanti in Deum quotidie blasphemant, & in cælum extendunt linguas suas. Iam quid de fraudibus, de sacrilegijs & piaculis dicam? Si quis ergo hanc bonitatem Dei, & sustentationem eius, & patientiam contemnit, ignorat quòd per hæc ad pœnitentiam prouocatur. sed nos non dissoluat hoc, & tardos ad conuersionem faciat: quia rursus patientiæ eius & sustentationis certa mensura est.* Vide Plutarch. lib. de sera Numinis vindicta; vbi illud Euripidis de Deo pertractat, *cunctatur; talis est enim Numinis natura.*

Sera Dei vindicta, & peccatorum tolerantia.

AD POENITENTIAM TE ADDVCIT?] Græcè εἰς μετάνοιάν σε ἄγῃ, id est, ad pœnitentiam te agit & impellit? *Adducit* ergo, id est, adducere cupit & conatur, & quantum in se est adducit. Vide canonem 32.

VERS. 5. SECVNDVM AVTEM DVRITIAM TVAM ET IMPOENITENS COR THESAVRIZAS TIBI IRAM] *Thesaurizas*, inquit Bernardus serm. de triplici misericord. *tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, & euacuas in te misericordiã Dei.* Pulchrè S. Augustin. in psal. 100. ad illa verba, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, ex hoc Apostoli loco docet iam tempus esse misericordiæ, futurum autem tempus esse iudicij.

Cordis duri pulchra hypotyposis.

Nota. *Cor durum est*, inquit Origenes, *cùm mens humana velut cera frigore iniquitatis obstricta, signaculum imaginis diuinæ non recipit.* Egregiè verò idipsum depingit S. Bernardus lib. 1. de Consider. ad Eugenium. *Quid est*, inquit, *cor durum? idipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur; ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina; præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi fortè ad vlciscendum prospectio, seu præparatio est: & vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.*

Nota Secundò. *Iram* vocat hîc Apostolus vltionem, quæ more thesauri collecta deprometur, & vniuersa in peccatores in die iudicij effundetur. Simile dat S. Hieron. *Sicut*, inquit, *qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri vt fugiat; qui si fugere nolit, tanto fortiùs sagitta emissa configitur, quãto maiori tempore arcus intensio fuit facta: sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicij grauitate compensat.*

IN DIE IRÆ ET REVELATIONIS IVSTI IVDICII DEI] Hoc est, in die iudicij, quæ dicitur dies iræ, quia tunc Deus omnem suam iram & iustam vindictam in impios effundet, vt videatur ira Dei sua omnia tela, fulmina, tonitrua & tormenta in eos depluere & detonare. Vnde huius diei acerbitatem & terrorem ex Ioële, Sophonia & Isaia graphicè describit hîc Origenes, quem vide, si lubet. Egregiè quoque S. Bernardus, vel quisquis est auctor tractatus de Interiori domo, c. 38. *Attende, quàm citò venit dies vltima. Præsentaberis ante tremendum iudicem, accusaberis multis & magnis offensis non dubijs, sed certis, non breui accusatione, sed tam longa quàm longa est vita tua; non vno accusatore, sed tot quot sunt delicta tua. Ipse iudex erit districtus accusator tuus, omnes etiam spiritus boni & mali coram Deo te accusabunt. Vndique erunt tibi angustiæ: hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia, subtus patens horribilis chaos inferni, desuper iratus iudex, intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Si iustus vix saluabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? latere erit impossibile, apparere erit intolerabile.*

Audi & Christum iudicem in illa die iræ exprobrantem peccatori, apud S. Augustin. serm. 67. de tempore. *Ego*, inquiet Christus, *te, ô homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi meam imaginem conferre dignatus sum; tu vitalia mandata contemnens deceptorem sequi, quàm Deum maluisti. Cùm expulsus de paradiso mortis vinculo propter peccatum tenereris, carnem assumpsi, in præsepio expositus, & pannis inuolutus iacui, infantiæ contumelias, humanosque dolores pertuli, irridentium palmas & sputa suscepi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus expiraui. En clauorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? cur ingrate redemptionis tuæ munera remisisti? cur habitaculum, quod mihi in te feceram, luxuriæ sordibus polluisti? cur me grauare criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, affluxisti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus mortem tuam occisurus, ascendi. Et quia post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari, despexisti enim in iudice veritatem.*

QVI REDDET VNICVIQVE SECVNDVM OPERA EIVS] Nota vocem *reddet*, scilicet, quasi mercedem, vt fatetur Caluinus; sed negat inde sequi meritum, seu iustos bonis operibus meren vitam æternam, quia, inquit, hæc est mala consequentia: Est merces, ergo est meritum. Verùm perperam & imperitè hoc asserit: nam Primò, merces & meritum sunt correlatiua. merces enim meriti est merces, & meritum est mercedis meritum: ergo si vita æterna est merces bonorum operum, bona opera sunt meritum vitæ æternæ.

Secun-

Secundò fatetur Caluinus, malos malis operibus meteri mortem æternam: ergo à pari iusti bonis operibus meretur vitam æternam. atque idipsum clarè & diserè docet Apostolus v. sequenti. Respondet Caluinus, esse disparitatem, quia bona operatio habent valorem, nec proportionem cum gloria æterna, mala verò opera habent proportionem cum sua pœna. Sed errat: nam etsi bona opera non habeant proportionē cum gloria cœlesti, quatenus sunt opera hominis, habent tamen proportionem cum ea, quatenus sunt opera gratiæ Christi. Gratia enim est semen gloriæ tam ex natura sua, tum ex ordinatione & promissione Dei.

Tertiò, idipsum patet ex eo, quòd Apostolus non tantùm dicat, *reddet*, sed, *reddet vnicuique secundùm opera*: nam reddere secundùm opera significat reddere mercedem pro merito operum. ita enim vulgò loquimur, itaque vulgò omnes hanc phrasim intelligunt & explicant, ac nominatim S. Augustinus libr. de Gratia & libr. arbitrio cap. 8. 9. 15. 16. 20.

Nota, per opera etiam passiones hîc intelligi: eam & passiones remunerabitur Deus, quia passiones pro operibus & quidem perfectis reputantur. Difficilius enim est pati, quàm agere. Vnde patientia, vt ait S. Iacobus, opus perfectum habet, id est, operis perfectionem & præmium, vti clarè patet in Martyrum passione & gloria. Adde, passiones non esse sine opere, saltem interno voluntatis. Voluntas enim patiendi, & libera acceptatio passionis ardua & heroicum est opus.

A & sanctum esse operari intuitu mercedis æternæ, vti definit Concilium Trident. sess. 6. c. 11. & can. 31. *Error in merendis æterna.*

Vers. 8.

IIS QVI SVNT EX CONTENTIONE] id est contentiosis. Est græcismus. Sic ἐκ περιτομῆς, id est, *eos qui sunt ex circumcisione* vocat circumcisos, siue Iudæos. Sic & Græci ἐκ πίστεως, Stoicos vocant. Sic & c. 3. 26. οἱ ἐκ πίστεως, id est, fideles, qui sunt ex fide, vocantur fideles. Notat Paulus hisce verbis Iudæos contra Gentes contendentes & rixantes.

IRA ET INDIGNATIO] scilicet reddetur & retribuetur à Deo: vox enim *reddet*, hîc repetenda & reuocanda est ex v. 6. sed per enallagen Hebræam verbi passiui, pro actiuo: *reddetur*, scilicet à Deo, pro *reddet*, scilicet Deus. hoc enim in re idem est.

Notat Photius, de præmijs dici *reddet*, quia Dei proprium est benefacere: de malis verò & supplicijs dici *reddetur*, quia Deus ex se illa nobis non infligit, sed vltrò nos nobis illa accersimus, Deo nolente, imò dolente. Pro *ira & indignatio*, græcè est θυμὸς καὶ ὀργή, quæ duo ita distinguit S. Basilius in psalm. 29. Θυμὸς μὲν γάρ ἐστιν ἡ πρόσκαιρος ἔκπαχυνσις τοῦ περὶ τὸν συνάνθρωπον πρὸς ἄξιον ὀργὴ δὲ ὁ παρὰ τὸν κριτὴν καὶ νομοθέτην κόλασις, ἢ ὀφειλὴ τὰ δικαίως κρίνειν καὶ τὸ μέτρον τῆς ἀδικίας ὑπερβαλλόμενον. *Ira*, inquit, *iudicium est ad infligenda talia & talia atrocia commerito, indignatio verò labor supplicium, est à iusto iudice, pro mensura iniustitiæ inductum.* *Ira & indignationis discrimen.*

Verùm Secundò, simpliciùs dici potest, indignationē ad auxesin addi iræ, & significare iram vehementem & indignantem, vt sit hendyadis: *ira & indignatio*, id est, ira indignabunda, ira indignatione plena, ira spirans ignem & indignationem, quæ fumos naribus efflat.

TRIBVLATIO ET ANGVSTIA (supple, à Deo retribuetur & immittetur) IN OMNEM ANIMAM HOMINIS OPERANTIS MALVM, IVDAEI PRIMVM, ET (id est deinde) GRAECI, id est Gentilis. GLORIA AVTEM ET HONOR ET PAX OMNI OPERANTI BONVM, IVDAEO PRIMVM, ET (id est deinde) GRAECO] id est Gentili. Nota. Per *bonum*, Apostolus intelligit absolutè bonum, quod nos coram Deo bonos & iustos facit; vel bonum constans & cōtinuum, quod est obseruatio totius legis, quæ fieri & obseruari nōn potest sine fide & gratia Christi, vt c. 3. docebit Apostolus; quia *sine fide non est vlla recta & bona vita*, ait S. August. lib. de Fide & operib. cap. 23. & hæc sola meretur gloriam, scilicet veram & æternam, de qua hîc agit Apostolus. Vers. 9. Vers. 10.

Caue hîc errorem Origenis, quo asserit Gentes cum sola naturali Dei cognitione, & naturaliter bona rectaque vita potuisse vitare damnationem, & consequi præmium, scilicet gloriam, honorem & pacem; licet non vitam æternam, quæ solis credentibus datur. Idem asserit de Iudæis, qui persuasione aliqua muniti Christo non credunt, si tamen probè viuant. Hæc enim falsa sunt; nam sine fide nemo acceptus est Deo, nec sine fide vita vlla recta & bona est, quæ vitare possit omne peccatum, & consequenter pœnam æternam euadere, vt docet S. Augustin. loco citato, & alij passim. Apostolus ergo loquitur de Gentibus & Iudæis tum post, tum ante Christum, qui ex Christi fide & gratia bene operati sunt, quales fuerunt Melchisedec, Iob, Niniuitæ, Cornelius Centurio, ait S. Chrysost. nam per *bonum* hîc accipit absolutè & perfectè bonum, vt dixi. *Error Origenis dicentis, Gentiles naturali Dei cognitione, & naturaliter recta vita posse vitare damnationē.*

NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARVM APVD DEVM] Vers. 11.

IIS QVI SECVNDVM PATIENTIAM BONI OPERIS GLORIAM ET HONOREM ET INCORRVPTIONEM QVAERVNT, VITAM AETERNAM] Quæres, quinam hîc dicantur esse *secundùm patientiam boni operis*? Caietanus respondet, esse eos qui ob bona opera, quæ faciūt, multa patiuntur: perfectio enim Christiani in duobus sita est, scilicet in benè agendo, & in, quia benè agis, mala patiaris.

Secundò, Ambrosius censet esse eos, qui patientiam Dei, de qua v. 4. rectè vtuntur, benè operando & pœnitendo.

Tertiò, alij hæc Apostoli verba ita trajiciunt & distinguunt, qui per patientiam quærunt boni operis gloriam & mercedem.

Quartò, & optimè S. Chrysostomus, Syrus & Origenes sic explicant, q. d. Iis qui secundùm patientiam, id est, patientibus, qui patienter & constanter in omni tentatione & molestia perseuerantes in bono opere & vita, quærunt & patienter expectant futuram gloriam, Deus illis eam reddet in vita æterna. Est græcismus. Sic οἱ, vel τὰ κατ' ἐριθείαν ὄντων, sunt qui, vel quæ ad musicam, ad virtutem pertinent scilicet, putà musici, virtute præditi. Sic v. 8. οἱ ἐξ ἐριθείας, id est, qui sunt ex contentione, vocantur contentiosi. Sic hîc τοῖς κατ' ὑπομονὴν, idem est quod τοῖς ὑπομένουσιν, id est, *iis qui sunt secundùm patientiam*, idem est quod patientibus, sustinentibus. Posset etiam sic exponi, *secundùm patientiam*, id est, pro merito patientiæ, vel per patientiam, vti vertit Noster interpres Græcum κατὰ cap. 3. v. 2. Videtur enim respicere & explicare Apostolus id quod dixit: *Reddet vnicuique secundùm opera sua.*

Nota Græcum ὑπομονὴ & patientiam, & perseuerantiam, quæ opus bonum coronat, significat.

Nota Secundò Ex hoc Apostoli loco patet, pium

DEVM] q.d. Non respicit Deus an Iudæus quis sit, an Gentilis; sed vtrumlibet peccantem æquè punit, & vtrumlibet bene agentem præmiat. A

Acceptio personarũ siue facierum, est vitium contrarium iustitiæ distributiuæ.

Nota Primò. Hæc *acceptio personarum*, vel, vt hebraicè est, פְּנֵי֥ *panim*, &, vt Syrus vertit, אַפַּיָּא *appe*, id est, facierum, vitium est contra iustitiam distributiuam, qua iudex vel distributor bonorum, vel onerum communium respicit ad qualitatem personæ vel faciei, v.g. quòd sit amica, grata, speciosa, diues & nobilis, &c. ideoque plus distribuit diuiti quàm pauperi, amico quàm inimico, placenti quàm displicenti. Non ergo acceptio personarum locum habet in his, quæ indebita & merè gratuita sunt: vt si diues det eleëmosynam pauperi amico, non autem inimico, non est acceptor personæ.

In Deum propriè non potest cadere acceptio personarũ.

Nota Secundò. Cùm Scriptura negat in Deo B hanc acceptionem personarum, non accipit eam propriè pro hoc vitio, de quo iam dixi, sed quatenus acceptio hæc personarum opponitur liberali indifferentiæ Dei erga omnes homines. q.d. Deus non respicit personam, non curat an Iudæus sis an Græcus, an diues an pauper, sed indifferenter suas gratias, suaque dona distribuit; tam Gentibus quàm Iudæis, tam pauperibus quàm diuitibus. Id quod dixi patet ex eo, quòd nec Iudæi nec Gentes, nec pauperes nec diuites, ius habuerint ad hæc Dei dona. Si enim Iudæis peccantibus parceret Deus, non autem Gentibus; aut si Iudæos benè agentes præmiaret, non autem Gentes, vel contrà; non faceret contra iustitiam distributiuam, nec peccaret, quia libertate & iure dominij sui vteretur. nec enim cuipiam aliquid debet, ac consequenter nec ordinem, nec indifferentiam personarum in gratiarum suarum distributione seruare tenetur; sicut in regni & reipubl. officijs distribuendis ordinem & indifferentiam hanc seruare tenetur princeps & magistratus. Qua de re plura dicam 2. Timoth. 4. 8. Vide & S. August. epist. 95. & Fulgent. de Gratia Christi c. 21.

VERS. 12. QVICVMQVE ENIM SINE LEGE (scripta scilicet, & Mosaica, vti fuerunt Gentiles) PECCAVERVNT, SINE LEGE PERIBVNT] Id est, sine sententia legis

Grauius supplicium debetur peccanti contra legem scriptam, quã tantùm naturalẽ.

Mosaicæ, quæ mortem suis transgressoribus intentat, damnabuntur: sed mitiùs quàm Iudæi, quia punientur iuxta seueritatem legis, non scriptæ & Mosaicæ, sed tantùm naturalis, in quam cognitam peccauerunt. ita Oecumen. Probat hîc Apostolus, quòd non sit personarũ acceptio apud Deum, quodque Deus indifferenter tribulet & puniat D operantem malum, siue is Iudæus sit, siue Græcus, vt dixit v. 9.

VERS. 13. NON ENIM AVDITORES LEGIS IVSTI SVNT APVD DEVM, SED FACTORES LEGIS IVSTIFICABVNTVR] Nota, Iustificari tripliciter in Scriptura sumi. Primò, significat ex peccatore fieri iustum.

Iustificari tripliciter in Scriptura sumitur.

Secundò, ex iusto fieri iustiorem. Tertiò, modo forensi, iustum, vel iustiorem censeri & pronunciari. Omnibus hisce modis hîc capitur. (est enim indefinita & generalis hæc Apostoli sententia.) sed maximè Tertio. nam τὸ *iustificari*, opponit hîc Apostolus τῷ *perire*, & *iudicari*, siue condemnari, v. præced. Primò ergo *factores legis iustificabuntur*, quia opera fidei, timoris, spei, pœnitentiæ, quæ fiunt ex legis præscripto, peccatorem disponunt & præparant ad iustitiam, itaque dispositiuè & meritoriè de congruo ex peccatore faciunt iustum, eumque iustificant.

Secundò, quia opera charitatis omnisque virtutis, quæ fiunt ex præscripto legis, si fiant à iusto ex charitate aut gratia, de condigno merentur iustitiæ augmentum, atque iustitiam iusti conseruat & augent.

Tertiò denique, quia eadem declarant operantem esse iustum. Qui enim facit iustitiam siue opera iusta, hic est iustus, & ab omnibus habetur iustus.

Nota, Apostolum supponere hæc opera fieri ex fide & gratia Christi; agit enim de tota legis obseruatione, deque operibus verè bonis, Deoque acceptis ad vitam æternam, quæ non possunt esse, nisi nascantur ex fide, vt patebit cap. 3. in fine. Tantùm enim Apostolus hîc probare intendit, solam legis notitiam non sufficere ad iustitiam, sed insuper ad eam requiri bonam actionem & obseruantiam legis. Quod valdè notandum est contra hæreticos, qui solam fidem volunt iustificare. Caluinus vt hoc Apostoli telum effugiat, respondet Apostolum loqui tantùm de iustitia politica, vt scilicet, quis videatur iustus coram hominibus: ad hanc enim requiri opera externa.

Verùm hoc falsum esse patet ex ipsis Apostoli verbis, quibus ait de hisce iustificatis: *Iusti sunt apud Deum*. Deus ergo (non autem homines, vt vult Caluinus) iudicabit eos esse iustos, eò quòd legem & iusta opera legis fecerint, quibus facti sunt iusti vel iustiores reuera apud Deum, & in oculis iudicioque Dei; ac consequenter Deus non nudè credentibus, sed bonum operantibus reddet quasi mercedem gloriam & vitam æternam, vt dixit Apostolus v. 7. & 10. *Iustificari* ergo *apud Deum*, est C apud Deum iustum fieri, & iustum declarari. Apostolus enim τὸ *iustificari*, hoc versu exponit per τὸ *iustum fieri*. cùm ergo dicat, non credentes, sed factores legis iustificari, patet iustitiam non ex fide, qua quis credit, sed ex operibus, quibus facit legem, homini obuenire.

Secundò, idem patet ex eo, quòd, vt fatetur Beza in c. 3. v. 20. iustitiæ Dei repugnet, vt aliquẽ pro iusto habeat, qui verè iustus non sit: prius ergo factor legis iustificari, id est iustus fieri, debet, quàm à Deo iustus declarari possit.

Dices, eum iustum fieri & factum esse per fidem præuiam operibus, quam fidem & iustitiam per fidem iam acceptam, postea iustus per opera bona declarat & demonstrat; ita vt iustificatio propriè fiat per fidem, declaratio verò iustificationis postea fiat per opera bona. Verùm hoc dici nequit; Primò, quia, vt dixi, Apostolus pro eodem habet *iustificari* & *fieri iustum*. ergo cùm ait: *Factores legis iustificabuntur*, τὸ *iustificabuntur* non tantùm significat, Iusti declarabuntur, sed etiam significat, reuera iusti fient & erunt.

Secundò. hæc responsio ex diametro repugnat verbis Apostoli: ait enim, *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*. Sed sumo, atqui dum quis tantùm purè credit per fidem, est tantùm auditor, non factor legis: ergo si credens, hoc ipso quo credit sine operibus, imò ante opera, iustificatur, verum erit quòd audiror legis, non autem factor legis iustificetur: cuius contrarium directè hîc asserit Apostolus.

Tertiò, quia Iudæi credebant Deo & legi; & tamen contra eos hanc sententiã intorquet Apostolus, dicens: *Non auditores, sed factores legis iustificabuntur*. Ergo clarum est ex mente Apostoli, non

per

per solam fidē, sed per opera fidei nos iustificari.

Obiicit Beza, loco iam citato: Si ex operibus iustificamur, ergo Deus non iustificat nos, sed ipsi nosmetipsos iustos per opera nostra. Resp. Primò, idem posse inferri ex fide speciali Bezæ, hoc modo: Si credendo Christum pro me esse passum, hoc ipso iustificor, ergo iustifico me ipsum. hoc enim credere meum est: nam credere est actus non Dei, sed hominis credentis.

Respondeo ergo Secundò, negando consequentiam. enim homo, sed Deus homini præparanti se ad iustitiam, atque pœnitenti gratis infundit iustitiam: homo ergo pœnitens dicitur se disponere ad iustitiam; Deus autem solus propriè dicitur eum iustificare. Quòd si homo iam iustus sit, tum per bona opera meretur quidem augmentum iustitiæ & charitatis & gratiæ; sed illud ipsum solus Deus iusto infundit, ac consequenter & hunc propriè solus Deus magis iustificat.

Ex dictis patet, perperam Caluinum & Bezam hunc locum Apostoli sic exponere, quasi in se quidem verum sit, sed tamen contineat conditionem & rem impossibilem, q.d. Apostolus, Si quis faceret posset legem, hic iustificaretur: verùm, quia nemo potest facere legem, vtpote cùm omnes sint peccatores, hac de causa quærenda est alia iustificatio, vt scilicet iustificemur non ex operibus, sed ex fide Christi, per quam iustitia Christi nobis applicetur & imputetur; itaque fiamus iusti, non iustitia operum nobis inhærente, sed iustitia Christi nobis imputata. Hæc enim sunt tria principia & axiomata Caluini. Primùm, *Impossibile est nobis præstare quæ lex iubet.* Secundum, *Promissio legalis annexa conditioni impossibili nihil probat. Talis est: Si sis factor legis iustificaberis.* Tertium, *Qui præ aliis multum profecisse sunt* (inquit Caluinus lib. 3. Institut. c. 14. sect. 4.) *in via Domini, si legem Domini intueantur, quidquid tentant aut meditantur operis, maledictum esse vident.* Equidem talem esse Caluini edisque sequacium progressum in via Domini facile crediderim. Verùm hæc expositio peruersa, violenta, inepta & blasphema est, planeque euertit & peruertit sententiam & mentē Apostoli. Nam Primò, Apostolus hic nostram iustitiam non in meritis fidei, nec in fide, sed in factura & implemento legis constituit, vti iam ostendi; ergo si nulla, imò impossibilis est hæc iustitia, quæ consistit in obseruatione legis, nulla prorsus erit in homine iustitia, eritque iustitia homini impossibilis.

Rursum planè patet ex ijs, quæ dixit Paulus supra cap. 2. v. 5. 6. 9. ad quos hic respicit & refert se: scribi enim dixit, quòd Deus reddet vnicuique secundùm opera, scilicet, quòd ijs qui sunt secundùm patientiam boni operis, reddet vitam æternam, quodque gloria, honor, & pax sit omni operanti bonum. Si enim bono operi, & benè operati quasi merces redditur gloria & vita æterna, ergo in bono opere sita est iustitia: nam vita æterna quasi iustitiæ est merces & præmium.

Secundò, hæc propositio, *Factores legis iustificabuntur*, non est conditionalis, vt patet, sed assertiua: secus ergo, si dicas, Non spectatores, sed luctatores & victores in agone coronabuntur; rectè ex hac propositione inferam, aliquos posse esse victores, posseque luctari & vincere in agone: ita plane, cùm ait Apostolus, *Non auditores, sed factores legis iustificabuntur*; rectè inde sequitur, aliquos posse esse factores legis, posseque facere & implere legem. Vnde & subdit Apostolus hic, quòd *Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.*

Dei legem implere non est impossibile, contra Caluinum.

Tertiò, si hæc Apostoli propositio est conditionalis, habens conditionem impossibilem, ergo est impossibilis, significatq; rem impossibilem. Nam cùm conditio est impossibilis, etiam id quod hanc conditionem requirit, est impossibile. Vt si dicam, Homo habens alas volare potest; hæc propositio est quidem conditionatè vera, absolutè tamen est falsa & impossibilis. Nam cùm conditio, scilicet habere alas, sit homini impossibilis, impossibile quoque homini est volare, quod hanc conditionem, scilicet alas, requirit. Pari ergo modo iustitia homini erit impossibilis, cùm conditio, quam requirit hic Apostolus, scilicet factura legis, sit homini impossibilis, secundùm Caluinum; ac consequenter, secundùm Caluinum hæc Apostoli propositio, *Factores legis iustificabuntur*, simpliciter & absolutè erit falsa.

Quartò, dicere quòd homini, etiam per gratiam Christi adiuto, legem implere sit impossibile, est ingens blasphemia in Deum, & in Christū: hoc enim reipsa est dicere, Deum esse tyrannum, vtpote qui præcipiat nobis impossibilia; legem enim Dei, siue quam præcipit Deus, implere secundùm Caluinum nobis est impossibile. Rursum hoc ipsum est dicere, Christum non sufficienter nos redemisse, Christique gratiam esse infirmam & inefficacem ad implendam legem, & ad superandum peccatum.

Verè & christianè S. August. & ex eo Concil. Arausican. & Trident. sess. 6. c. 11. *Deus*, inquit, *impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.*

CVM ENIM GENTES, QVÆ LEGEM NON HABENT, NATVRALITER EA, QVAE LEGIS SVNT, FACIVNT, EIVSMODI LEGEM NON HABENTES IPSI SIBI SVNT LEX] Occurrit hic Paulus tacitæ obiectioni: Quomodo Gentes, si legem non habent, possunt contra legem peccare? Respondet, eas aliam habere legem naturaliter inditam, quam faciunt, & contra quam peccant. Itaque sibi ipsi sunt lex, id est instar legis, qua damnantur. Redit enim ad v. 12. quasi ad scopum huius capitis & præcedentis, scilicet, vt probet tam eos, qui sub lege, quàm eos, qui sine lege vixerunt, id est, tam Iudæos, quàm Gentiles, peccatores esse, & opus habere fide & gratia Christi. VERS. 14.

Dices, Quomodo Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt?

Zuinglius Pelagianus, & Origenista.

Origenes semina posuit pelagianismi.

Respondet Primò, Zuinglius: Numa, inquit, Cato, Scipio, & similes Gentiles probi & iusti sine fide Christi salui facti sunt naturaliter, id est, virtute legis naturalis quam seruabant. Sed Lutherus hoc arguit vt Pelagianum, & rectè; id enim docet hic Origenes, qui semina iecit pelagianismi, & ipse Pelagius epist. ad Demetriadem: ac proinde hæc eius expositio damnata est à Concil. Mileuitano can. 5.

Sine cognitione supernaturali impossibile est iustificari.

Secundò, S. Thomas, & mordicus Andreas Vega lib. 6. in Concil. Trident. c. 21. volunt Apostolum loqui de Gentibus, quæ cognitionē quidem Dei, boni & mali tantùm habent naturalem; sed tamen in voluntate habent supernaturale gratiæ auxilium, quo legem totam impleant, & Deo placeant. Verùm hoc acriter oppugnat Michael Medina lib. 4. de Recta fide, c. 7. Nam certum est ex Apostolo Hebr. 11. 6. & ex toto eius discursu hic, atque

atque ex Concilio Trident. sess. 6. can. 3. sine fide & cognitione supernaturali impossibile esse legem implere, & iustificari, ac Deo placere.

Lyrani explicatio reiicitur.

Tertiò, Lyranus censet Apostolum loqui de Gentibus, quibus Euangelium necdum erat prædicatum, habentibus fidem supernaturalem vnius Dei, sed non Christi; qui seruantes legis naturalis præcepta saluabantur. Verùm & hoc falsum est. nam, semper fides saltem implicita Christi, & obseruatio legis charitatis, quæ est supernaturalis, fuit necessaria ad salutem.

Ambrosij expositio contorta.

Quartò, commentar. asscriptus S. Ambrosio hunc locum explicat de Gentibus fidelibus. Hæ, inquit, faciunt legem, id est, credunt in Christum naturaliter, quia recta ratio naturalis testatur eis fidem Christi, tot miraculis & signis testatam, esse amplectendam. Sed hoc contortum est, nec satisfacit: quia licet Gentes sic crederent naturaliter, tamen naturaliter non implerent legem; quod tamen hic asserit Apostolus.

Expositio Augustini & aliorũ.

Quintò, melius S. Augustinus de Spir. & litt. à c. 26. ad 30. Prosper contra Collat. 22. Fulgentius de Gratia Christi c. 26. Anselmus & Pererius putant Apostolum loqui de Gentibus conuersis ad fidem Christi, quæ naturaliter, id est, non ex lege Mosaica, sed natura per Christi gratiam (quæ naturæ conformis est: sicut enim vitium est contra naturam; ita virtus & gratia est secundùm naturam, illique conformis) sanata, reparata & roborata, legem implent. de his enim immediatè antè dixit: *Factores legis iustificabuntur.* Et v. 10. *Gloria & pax omni operanti bonum; Iudæo primùm, & Græco.* De his etiam agit v. 26. & 28.

Explicatio Salmeronis

Huc refertur & Salmeronis expositio: loqui scilicet Apostolum de Gentibus ante Christum piè & sanctè in lege naturæ Deo seruientibus, per fidem & gratiam Dei; quales fuerunt Iob, Iethro, Melchisedec, Naaman Syrus, & alij.

Expositio Chrysostomi planior & plenior.

Sextò, planiùs, & pleniùs ad litteram Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Primasius, Sedulius, Haymo, Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, c. 99. Hieron. ad Algas. q. 8. (S. August. etiam c. 28. iam citato expositionem hanc admittit, licet priorem præferat) D. Soto, Caietan. & passim recentiores, accipiunt hunc locum Apostoli de Gentibus in gentilismo viuentibus; itaque debere accipi, patet ex voce *naturaliter*, & *quæ legem non habent*, scriptã scilicet Mosis, vel Christi (nam Gentes ad Christum conuersæ habent legem Euangelicam, quæ plenior & perfectior lex est, quàm fuerit lex Mosis data Iudæis) sed tantùm conscientiæ legem, & vermem accusantem & defendentẽ habent. Idipsum Secundò, patet ex eo, quòd hîc Apostolus probare velit tam Gentes, quã Iudæos egere gratia & fide Christi; ergo tam hos, quàm illos intelligit, qui sine fide Christi sunt. q. d. Nolite superbire, ô Iudæi, contra & supra Gentes, propter legem Mosaicam, quasi auditores legis iustificentur: Gentes enim non habentes scriptam legem, illam naturaliter habent inditam, quæ eos dirigit & impellit, vt pleraque opera legis naturalis perficiant naturaliter, id est, ductu, lumine & virtute naturæ.

Dices cum S. Augustino: Paulò antè dixit Apostolus, *Factores legis iustificabuntur*: atqui Gentes sine fide non possunt iustificari: ergo cùm eas vocat factores legis, non intelligit illas sine fide, sed conuersas ad fidem.

A Respondeo. *Factores legis*, scilicet totius, *iustificabuntur*; Gentes autem licet faciant ea legis quæ facilia sunt, vt honorare parentes, dare eleemosynam, cauere furta & cædes; non tamen possunt totam legem facere & implere sine fide & gratia Christi; tum quia legem fidei, spei, charitatis, & alias quæ supernaturales sunt, per naturam & naturæ vires implere non possunt; tum quia etiam difficiles leges naturę, vt Non concupisces, diliges Deum magis quàm te, & alias quasuis, si ingruat grauis tentatio, sine ope & viribus gratiæ implere non possunt. Nam graui tentationi diu suis viribus resistere nequeunt, sed ad hoc egent gratia Dei. Vbi diligenter attende: Non dicit Apostolus, Gentes facere, vel implere legem; sed *ea quæ legis sunt*, id est, aliqua, putà faciliora, legis præcepta facere: cùm verò ait, iustificari eos, qui faciunt; non B dicit, ea quæ legis sunt, sed legem, scilicet totam & integram. Hoc autem fieri nequit sine fide & gratia Christi.

QVI OSTENDVNT OPVS LEGIS SCRIPTVM IN CORDIBVS SVIS, TESTIMONIVM REDDENTE ILLIS CONSCIENTIA IPSORVM, ET INTER SE INVICEM COGITATIONIBVS (ita legendum est cum S. Cypriano & Biblijs Romanis, non *cogitationũ*, vt legunt alij) ACCVSANTIBVS, AVT ETIAM DEFENDENTIBVS, IN DIE CVM IVDICABIT DEVS OCCVLTA HOMINVM, SECVNDVM EVANGELIVM MEVM PER IESVM CHRISTVM] Pro *cogitationibus*, græcè est λογισμῶν, id est, ratiocinationibus, vel disceptationibus, *accusantibus*, scilicet hominem, etiam Gentilem, cùm malè agit (vt quòd pollutio sit peccatum, dictat homini naturaliter conscientia; quæ C de ea iuuenes erubescunt, anguntur, & in alijs iudicant illam esse rem à ratione & naturali honestate & pudore abhorrentem, fœdam & turpem) & *defendentibus* hominem, cùm benè agit: quibus scilicet cogitationibus & disceptationibus conscientia vtitur, vt hominem bene aut malè egisse conuincat, quæ conscientia testis est omni exceptione maior; Gentes habere legẽ menti inditam; isque testis maximè apparebit *in die iudicij*, vbi propria cõscientia, vel excusabit, vel accusabit quemque apud Deum, qui iudicabit *per* hominem *Iesum Christum*. ita Theophylactus.

Nota hîc insigne documentum morale: in basilica cordis humani Deus tribunal constituit, legesque in eius tabulis incidit digito suo, rationem creauit iudicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, quæ vel accusant vel defendunt ipsum D hominem reum. Hoc enim hisce verbis clarè significat Paulus. Et hoc voluit Menander, cùm dixit, βροτοῖς ἅπασι συνείδησις θεός, id est, *mortalibus cunctis conscientia est Deus*, id est, *instar & vice Dei* Et Psaltes psalm. 4. 6. cùm ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hinc ad iudicium hoc ipsius hominis causas Deum retulisse legimus: nam Dauidi proposita est causa propria sub specie litis alienæ, & rogatus iudicium tulit contra seipsum sententiam dicens: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui hoc fecit*, 2. Reg. 12. 5. Et ab Achab simili stratagemate extorta est aduersus seipsum mortis damnatio, illis verbis pronunciata: *Hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti*, 3. Reg. 20. 40. Et quorsum ista, rogabis, ænigmata? ne scilicet humani cordis vafricies delictum suum eleuaret, & Dei iustitiam criminaretur; data opera est, vt ipse reus peccati grauitatem liber ab affectu

effectu examinãs, contra seipsum pro meritis suppliciũ decerneret. Atque hoc sibi voluit Dauid, cùm protestatur: *Tibi soli peccaui, &c. vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris*, id est, ego me fateor grauiter deliquisse, vt hac confessione tua resplendeat iustitia, & obtrectatorum ora claudantur.

Meritò fidelis Dauid delictum suum palàm fatetur: audet enim aliquando cor humanum sagax Deo ipsi mentiri velle, vt videre est apud Ierem. c. 2. 23. *Quomodo dicis: Non sum polluta, post Baalim non ambulaui? vide vias tuas in conualle, &c.* Et item v. 33. *Quid niteris bonam ostendere viam tuam? Ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccaui, &c.* Et Petrus ait Actor. 5. 3. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Et Achaz ad Isaiam c. 7. 12. *Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum.* De Deo se bene mereri dixit impius Achaz, quòd nolit illum tentare, cùm reuera illi parùm diffidat. Et Saul gloriatur 2. Reg. 15. v. 20. dicens: *Imò audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam misit me Dominus, &c. Tulit autem de præda populus oues & boues, vt immolet Domino, &c.* Sed infelix se prodit: *Peccaui timens populum, & obediui voci eorum.* His ergo laruatas & mendaces conscientiæ confessiones reuelat & dispellit Deus, cùm conscientiam sibi ipsi ob oculos ponit, vt ipsa se accuset & condemnet. quod maximè faciet in die iudicij, ideoque addit Apostolus dicens: *In die, cùm iudicabit Deus occulta hominum.* ita Hieron. Prado in 3. Ezechiel.

Iam si ita conscientia nostra nosipsos, imò seipsam accusabit in die iudicij, cogita quomodo te accusabunt dæmones tui iurati hostes. Audi S. Augustinum conc. ad Catechumen. to. 6. *Præsto erit aduersarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostræ. Si tale inuentus fuerit quisque, vt debitor ex hac vita exeat, exultabit ille aduersarius in conspectu seuerissimi iudicis, superiorem se esse declamans, agensque talem cum tali iudicem: Æquissime, inquiet, iudex iudicaui sententiam & iudicium præparatio sedis tuæ. Iudicata mea est, quitus esse nolauit; meus est, mecum damnandus est. Post renunciationem, vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renunciauerat? Quid intemperantia, quid auaritia, quid aliud extra meam? Postremò æquissime fugientem à me insequentem ad te, postea cum meis quibus renunciauerat apprehendi, tuaque serem detinui. In ipsa quodammodo mea possessione à me apprehensus est. Quid in altero faciebat renunciator turpium voluntatum? Discruciauit sibi iram in die iræ. Hæc omnia mea post renunciationem inuasit, meus esse voluit, & mea concupiscit iudicia; iudica æquissime, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poteritne os aperire is, qui post professionem suam talis inuenitur, vt iustè diabolo addicatur?* Vnde concludit: *Videte quid agatis, filij mei, fratres mei, videte quid agatis, quomodo hanc professionem vestram custodiatis. Contestamur vobis ipsum iudicem, exercitus potestates cælestes, quæ & nos audiunt admonentes, & vos accipiunt professentes, ne in vacuum gratiam recipiatis, sed corde integro, tota virtute renunciate tam pompæ diaboli hereditatem.*

SECVNDVM EVANGELIVM MEVM] secundùm quod de die iudicij, eiusque pœnis & præmiis euangelizare & docere soleo, edoctus à Christo. ita Theophyl.

Hinc disce, contra hæreticos, ad Euangelium pertinere, non solùm prædicationem fidei, gratiæ & salutis per Christum promissæ, sed etiam iusti iudicij, quo Deus reddet vnicuique secundùm opera sua, vt hîc ait Apostolus. *Ad prædicationem Euangelij pertinet iudicium Dei.*

SI AVTEM TV IVDÆVS COGNOMINARIS, ET REQVIESCIS IN LEGE] Supple ex præced. *& tamen ipsam legem non facis, nec obseruas; grauiùs hac de causa damnaberis.* q.d. Si tu, ô Iudæe, gloriaris, quòd sis Iudæus, quodque legis sis peritus, ita vt in doctrina legis conquiescas, & tamen legem ipsam non facis, non imples, meritò sanè acerbiùs punieris. Pro *si autem*, legit Noster interpres εἰ δὲ. sic etiam legit Origen. Ambros. & Theophyl. Iam legunt græcè ἴδε, *ecce*, ita quoque legunt Theodor. & Oecumen. & sic sententia independēs est & absoluta. VERS. 18.

ET PROBAS VTILIORA] δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, quod alij vertũt, *examinas ea quæ discrepant.* Sed Noster interpres planiùs cum Theophylacto vertit, *probas vtiliora*: quia, vt rectè Budæus annotauit, διαφέρειν aliquando idem est, quod συμφέρειν, id est, vtile esse.

CONFIDIS TEIPSVM ESSE DVCEM CÆCORVM, &c. HABENTEM FORMAM SCIENTIÆ ET VERITATIS IN LEGE] *Habentem formam*, græcè μόρφωσιν, id est, formationem, formulam, regulam agendorum & credendorum. q.d. Putas, ô Iudæe, te habere in lege, qua alios doceas eamdem legem, scientiam & cultum Dei, vt eos ad virtutem & pietatem efformes. ita Theophyl. VERS. 19. & 20.

QVI ERGO ALIVM DOCES, TEIPSVM NON DOCES: QVI PRÆDICAS NON FVRANDVM, FVRARIS] Pulchrè & verè S. Prosper: *Bene*, inquit, *docere & malè viuere, quid aliud est quàm se sua voce damnare?* Et S. Bernard. lib. 2. de Consider. ad Eugen. ante medium: *Monstrosa*, inquit, *res est gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; ingens auctoritas, & nutans stabilitas; facies rugosa, & lingua rugosa.* Idem Bernard. serm. 3. in vigil. Natiuit. Domini, damnat eam doctrinam, quæ operibus bonis destituitur, solamq; veram esse scientiam docet eam, quæ vitam componit, & mores emendat. *Scientia*, inquit, *ista in primo gradu operatur pœnitudinem & dolorem, vt risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem conuertat: & incipiant tibi displicere, quæ vehementer antè placuerant, & illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est: Qui addit scientiam, addit & dolorem, vt veracis & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. In secundo verò gradu operatur correctionem, vt iam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coërceas gulam, iugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias seruire corpus sanctitati, quod iniquitati antè seruierat. Pœnitudo enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait, Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest eis nisi labor? qui enim baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, nihil proficit lauatio eius. Sed quia hæc diutiùs haberi non possunt, nisi circa se multa circumspectione mens indefessa vigilet & attendat, in tertio gradu operatur sollicitudinem, vt iam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel leuissimare, tremendæ illius maiestatis offendatur aspectus. In pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, vt interiùs & exteriùs renouetur.* VERS. 21. *Doctrina bonis operibus destituta damnabilis.* *Pœnitudo sine correctione nihil prodest.*

In vitis Patrum lib. 5. c. 10. ait Abbas Pastor: *Si quis docet aliquid, & non facit quod docet, similis est puteo,*

puteo, qui omnes ad se venientes satiat, & sordes delet, ipsum autem purgare non potest; sed omnis spurcitia & immunditia in eo est.

VERS. 22. QVI ABOMINARIS IDOLA, SACRILEGIVM FACIS] dum scilicet auaritia victus, res idolis consecratas, vel dæmoniis immolatas, contra legem vsurpas, ait S. Chrysost. & Theophyl. vel etiam dum vota violas, aut res sacras suffuraris, aut vendis & profanas. Hoc enim est sacrilegium, & qui hoc facit, est sacrilegus.

VERS. 25. CIRCVMCISIO QVIDEM PRODEST, SI LEGEM OBSERVES] *Circumcisio prodest*, non per se ad iustificandum saltem adultos, sed quia facit te esse ex populo Dei signato, cui Deus credidit sua eloquia, vt ait Paulus cap. seq. v. 2. Erat enim circumcisio Primò, signum distinctiuum populi Dei ab aliis populis, qui verbi Dei ac cultus diuini, veræque religionis & pietatis erat heres.

Circumcisio erat signum quadruplex.

Secundò, erat signum rememoratiuum peccati originalis, quod per generationem in posteros transfunditur: hæc enim generatio, & consequenter transfusio peccati originalis fit membro illo, quod circumcidebatur.

Tertiò, circumcisio erat signum præfiguratiuum Messiæ, pariter & participatiuum: nam circumcisis primò Messias & Euangelium, vti promissum, ita & reuelatum est.

Quartò, erat signum commonitorium circumcisionis spiritalis, vt scilicet vitia à corde suo resecarent.

VERS. 26. SI AVTEM PRÆVARICATOR LEGIS SIS, CIRCVMCISIO TVA PRÆPVTIVM FACTA EST] q. d. Si legem violes, licet circumcisus sis, perinde tamen es, ac si incircumcisus Gentilis esses, ac si præputium haberes, & gentilissimum induisses. Reprimit hîc Paulus arrogantiam Iudæorum gloriantium de sua circumcisione, ita Theophyl.

SI IGITVR PRÆPVTIVM, id est, præputiatus Gentilis, IVSTITIAS LEGIS CVSTODIAT, NONNE PRÆPVTIVM ILLIVS IN CIRCVMCISIONEM REPVTABITVR?] q. d. Si Gentilis legem custodiat, tunc incircumcisio illi non oberit, sed reputabitur potiùs, ac si esset circumcisus, quia custodia legis tantùm, imò ampliùs illi valebit quàm Iudæo valeat circumcisio. quia, vt Theophyl. ait, vera circumcisio est præcisio non carnis, sed peccatorum, siue est ipsa actio vera & bona præcisa à vitiis; præputium verò est mala & turpis actio.

Circumcisio & præputium spiritualiter quid significent.

Nota Præputium hîc posteriore loco capi propriè pro incircumcisione, priore verò capi pro præputiato, id est Gentili. Sic etiam capitur v. 27. & sæpè inferiùs. Per hebraismum enim ponitur abstractum pro concreto. Vide canon. 21. Adde, quòd Iudæi ad maiorem Gentilium detestationem, vocabant eos non præputiatos, sed præputium: se verò ad maiorem honorem, vocabant non circumcisos, sed circumcisionem; vt patet ad Ephes. 2. v. 11.

Nota Secundò. Præcepta moralia vocantur hîc iustitiæ, græcè δικαιώματα, id est, iustificationes legis, quia præscribunt id quod æquum & iustum est, quodque hominem iustum facit, vt dixi psalm. 118. in initio.

VERS. 27. ET IVDICABIT, id est damnabit, ID QVOD EX NATVRA EST PRÆPVTIVM, id est, ex genere & natiuitate præputiatus, siue Gentilis (sic Galat. 2. 15. dicitur: *Nos natura*, id est genere & prosapia *Iudæi*) LEGEM CONSVMMANS, putà, si legem faciat & consummet, TE, QVI PER LITTERAM ET CIRCVMCISIONEM, id est, te, qui habes litteram legis & circumcisionem, & tamen PRÆVARICATOR ES LEGIS.

Nota græcismum, *per litteram*, id est, habens litteram. Sic enim sumitur à Græcis διὰ. Simile est 2. Timoth. 2. v. 15. *Saluabitur per filiorum generationem*, id est, saluabitur filios generans, *si permanserit in fide*, &c.

Secundò tamen, & melius τὸ *per*, propriè hîc capias: quia littera nuda legis sine Christi gratia irritat concupiscentiam & peccatum, vt ait Paulus c. 7. v. 13. Hinc 2. Corinth. 3. v. 6. & 7. ait, litteram legis occidere, & Mosis ministerium in legislatione vocat ministerium mortis & condemnationis, hinc rursum 1. Corinth. 15. 56. dicit, quòd virtus peccati sit lex. Sic ergo Iudæus per litteram siue legem, quasi occasionem incitantem, prævaricator est legis.

Nota Secundò. Solet Apostolus legem Mosaicam vocare γράμμα, id est litteram, vel scripturam.

Primò, quia illa lex à Deo in tabulis lapideis fuit scripta.

Secundò, quia lex hæc indicabat Christum, & ad eum homines deducebat: sicut scriptura & littera indicat conceptum scribentis, ipsamque rem quæ scribitur.

Tertiò, quia lex nuda, & à Christo separata erat, quasi γράμμα, id est, quasi mortua quædam scriptura, quæ ad salutem parum, vel nihil prodesset; quia videlicet morbum, putà peccatum & concupiscentiam in visceribus nostris latentem indicare dumtaxat, non autem sanare poterat: quin verò eamdem magis iritabat & acuebat, vti iam dixi. Hac de causa litteræ huic Apostolus opponit spiritum, & gratiam Christi animas viuificantem.

NON ENIM QVI IN MANIFESTO, IVDÆVS EST (per externam & publicam iudaismi obseruationem & professionem.) NEQVE QVÆ IN MANIFESTO IN CARNE EST CIRCVMCISIO] Subaudi, hic verus Deoque placens Iudæus, hæc vera Deoque placens circumcisio est.

SED QVI IN ABSCONDITO, IVDÆVS EST] qui scilicet in corde & spiritu, per legis obseruantiam, fidem & gratiam; Christum (qui scopus est legis, quemque lex tota clamat & profitetur) confitetur. Subaudi, hic verè apud Deum Iudæus est & filius Abrahæ spiritalis. Alludit ad nomen Patriarchæ Iudæ (ab hoc enim, vtpote Patriarcha, omnes posteri dicti sunt Iudæi, non autem à Iuda Machabæo, vt aliqui opinati sunt,) hebraicè enim dictus est יְהוּדָה *Iehuda*, id est, confitens siue laudans, scilicet Deum, Genes. 29. 35. & 49. v. 8. Sic à Iuda natus Iudæus est confitens Deum, in Christo, quasi Messia à Deo misso, qui tum ex Deo tum ex Iuda & Iudæis natus est: iuxta promissa Iudæ facta, Genes. 49. 10.

ET CIRCVMCISIO CORDIS] quæ cor, id est mentem, circumcidit à vitiis & passionibus; scilicet, hæc vera & Deo grata est circumcisio. Vide S. Cyprianum tractatu de Circumcisionis ratione, tom. 3.

IN SPIRITV, NON LITTERA] Primò, Toletus sic explicat, q. d. Hæc circumcisio cordis fit *in spiritu*, id est, in anima per præcisionem vitiorum, non *littera*, id est, non in corpore, cuius circumcisio iussa est littera legis.

Sequa-

Secundò, hæc cordis circumcisio fit *spiritu*, id A est secundùm sensum spiritalem legis, non autem literalem, qui est de circumcisione carnali. ita S. Augustinus.

Tertiò, hæc circumcisio cordis fit *spiritu*, id est, gratia adiuuante & sanante, non littera docente & imperante, id est, fit per gratiam, non per legem. ita S. Augustinus de Spir. & litt. c. 8. Hoc tertium magis genuinum est, magisque ex mente ac phrasi Apostoli. Sic enim ipse loquitur 2. Cor. 3. 6.

Quartò, concinniùs ad Græca Maldonat. τὸ *in spiritu, non littera*, refert, non ad τὸ *circumcisio* (hæc enim non fit in littera, sed in carne) sed ad τὸ *Iudæus*. q.d. Non qui scripta lege, legisque littera, sed qui animo & spiritu Iudæus est. Iudæum enim esse vocat legem habere. Id constat ex relatiuo ὧν, id est cuius. vti iam dicam.

CVIVS (scilicet Iudæi, non autem circumcisionis. Græcum enim ὧν, cùm sit masculinum, Iudæum respicit, non circumcisionem) LAVS NON EX HOMINIBVS SED EX DEO EST] q.d. Talis absconditi, latentis, & spiritalis Iudæi laudator est Deus cardiagnostes. ita Oecumen. Vel Secundò, *cuius laus est*, id est, cuius laus quæritur & expectatur, à Deo. q.d. Qui se Deo interiùs, non autem hominibus exteriùs probare & placere contendit, qui non ab hominibus, sed à Deo laudari cupit & quærit; hic verè Iudæus est spiritalis, eo sensu, quem dixi v. 28. Hinc tropologicè S. Hieronymus (vel potiùs Paulinus, vt vult Erasmus; aut certè Maximus Taurinensis vt vult Marianus) epist. ad Terasiam, de vera circumcisione, quæ extat to. 4. operum S. Hieronymi, quærit cur Deus, non in aure, digito, aliáve patenti corporis parte, sed in membro, quod abB conditum est, circumcisionem instituerit. Et respondet, hancque dat causam: *Illud*, inquit, *figurauit Dominus, quod postmodum monstrauit, ne iustitiam nostram coram hominibus faceremus; sed in occulto, coram eo solo, cui soli nihil est occultum, & quem solum remuneratorem bonorum nouimus esse factorum. Vnde non in carne palàm, sed in occulto cordis Iudæi esse debemus, non littera, sed spiritu. Nam littera oculis subiacet nostris, spiritus nobis carnalem refugit aspectum, vt laus iuxta Apostolum ex Deo, non ex hominibus acquiratur.*

Cur Deus non instituerit circumcisionẽ in alia parte corporis humani.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EX dictis cap. 1. & 2. concludit, omnes homines, tam Iudæos, quàm Gentiles esse sub peccato, & egere gratia Christi.

Primò ergo, ne Iudæos offendat, dicit eos præcellere Gentibus in eo, quòd Iudæis credita sint eloquia & promissa Dei, quæ Deus fideliter adimplet, etiamsi nonnulli eorum fuerint & sint increduli. est enim Deus verax: omnis autem homo mendax.

Secundò, v. 9. æquat Iudæos Gentibus, in eo quòd omnes sint sub peccato, idq; multis Scripturæ testimoniis probat.

Tertiò, v. 20. docet eosdem à peccato liberari & iustificari, non ex operibus legis, in quibus gloriabantur Iudæi, sed ex fide in Christum propitiatorem.

1. QVid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumcisionis? 2. Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. 3. quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Absit. 4. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas cùm iudicaris. 5. Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? 6. (secundùm hominem dico.) Absit. alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum. 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor? 8. & non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala vt veniant bona: quorum damnatio iusta est. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, 10. sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam: 11. non est intelligens, non est requirens Deum. 12. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. 13. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: Venenum aspidum sub labiis eorum. 14. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: 15. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: 16. Contritio, & infelicitas in viis eorum: 17. & viam pacis non cognouerunt: 18. Non est timor Dei ante oculos eorum. 19. Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: 20. quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. 21. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata à lege & Prophetis. 22. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio. 23. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in

Christo Iesu. 25. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum 26. in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. 27. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. 28. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. 29. An Iudæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Immò & Gentium? 30. quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

VERS. 1. *Iudæi præ Gentili excellentia.*

QVID ERGO AMPLIVS IVDÆO EST?] Occurrit hîc Apostolus obiectioni; q.d. Si vera sunt quæ dixi cap. 2. de inani Iudæorum lege & circumcisione, quodque Deus Gentilem æquè ac Iudæum præmiet, si seruet legem; & puniat, si eam non seruet; ergo in nullo videtur Iudæus præcellere Gentilem. Respondet, negando id ex dictis suis sequi. Ostendit ergo hîc, in quibus Iudæus præcellat Gentilem.

Nota. Pro *quid amplius*, græcè est τί τὸ περισσὸν, id est, quid eximium Iudæo est? quid magni, quid insigne & illustre habet Iudæus præ Gentili? περισσὸν enim aliquando superuacaneum, aliquando ἐξαίρετον, id est selectum & eximium, significat.

VERS. 1. & 2. AVT QVÆ VTILITAS CIRCVMCISIONIS? MVLTVM] scilicet vtilis est circumcisio, multumque amplius habet Iudæus, quàm Gentilis.

VERS. 2. PER OMNEM MODVM] id est omnino, omnimodè.

PRIMVM QVIDEM QVIA CREDITA SVNT ILLIS ELOQVIA DEI] Aliqui putant, τὸ *primùm*, tantùm esse exordium sententiæ sermonis.

Secundò, Origenes censet τὸ πρῶτον esse principium enarrationis & enumerationis, quasi Apostolus in sequentibus multa Iudæorum priuilegia enumeret; quod tamen nusquam apparet.

Iudei præcellebant Gentibus in possessione Scripturarum & eloquiorum Dei.

Vnde Tertiò, optimè S. Ambros. *primùm*, inquit, id est præcipuum, primarium, & vnum è primis est, quòd Deus illis, Iudæis scilicet, tamquam populo præ aliis selecto, & circumcisione distincto, quasi depositariis & custodibus credidit, velut depositum, *eloquia sua*, id est, vt S. Chrysostomus & Theodor. legem suam; &, vt alij, Scripturas sacras, in iisque promissiones & pacta diuina, futurorumque mysteriorum prædictiones: hæc enim sunt eloquia vetera Dei. Vnde græcè est λόγια, q.d. oracula, teste Hesychio; hæc enim primitus Iudæis à Deo sunt reuelata, illisque scripto per Prophetas tradita: ita vt illa non nisi per Iudæos ad Gentiles deuenerint. Hæc ergo eloquia Dei solùm affert Apostolus, quibus Iudæus præcellit Gentilem; licet plura alia afferre potuisset, vt diuinam erga Iudæos beneuolentiam, protectionem & beneficentiam, veram fidem & religionem, miracula, Sacramenta, sacrificia, sanctos Prophetas, Iudices, Reges, Messiam eis promissum, & ex eis natum, atque his similia: hæc, inquam, afferre hîc potuisset Apostolus, sed noluit, quia hæc omnia vel explicitè vel implicitè continentur in eloquiis Dei. Vnde subdit Apostolus:

VERS. 3. QVID ENIM SI QVIDAM ILLORVM NON CREDIDERVNT? NVMQVID INCREDVLITAS EORVM FIDEM DEI EVACVABIT?] Occurrit nouæ obiectioni: Quomodo credita sunt Iudæis eloquia Dei, cùm multi eorum iis non crediderint? Respondet. Esto aliqui non crediderint, Deus tamen ex parte sua credidit eis sua eloquia ac promissa, eaque fideliter adimpleuit: nec enim hominum incredulitas vel infidelitas euacuare vel enseruare potest Dei fidem, id est fidelitatem, vt scilicet Deus non stet promissis, quæ fecit patribus, maximè de Messia ex Iudæis nascituro, omnesque fideles iustificaturo, in eloquiis S. Scripturæ ipsis creditæ. Hîc vides per eloquia Dei, complecti Apostolum promissa Dei.

Deus fidelis in promissis suis, licet homo sit incredulus.

Nota. Obiicit sibi hanc Iudæorum incredulitatem Apostolus, vt quasi aliud agens, pungat & perstringat eorum infidelitatem, qua Christo & Euangelio credere noluerunt.

Nota Secundò. Pro *euacuabit*, græcè est καταργήσει, id est otiosam, euanidam, inefficacem, irritam reddet. Respondet enim Hebræo פֵּרַר *para*, vel הֵפִיר *hephir* De quo plura Galat. 5. 3.

ABSIT. EST AVTEM DEVS VERAX, OMNIS AVTEM HOMO MENDAX] Vox *autem*, ponitur hîc pro *enim*, vt vertit Syrus. Vide can. 25. Dat enim causam, cur incredulitas hominum, Dei fidem euacuare non possit; quia scilicet Deus est verax, omnis autem homo mendax. Græca pro *est* significantiùs habent γινέσθω, id est sit. q.d. Absit, quin potiùs sit & statuatur Deus verax; vt omnis homo est mendax. Vnde Salmeron putat Nostrum interpretem vertisse *esto*, & pro eo iam corruptè legi, *est*. Verùm S. Augustin. Ambros. Cyprian. epist. ad Cornelium, & passim Latini tàm codices, quàm interpretes, constanter legunt *est*, non *esto*.

EST DEVS VERAX] Nota. Veracitas virtus est inclinans hominem, vt in verbis veritatem custodiat, opponiturque mendacio. Fidelitas verò virtus est inclinans, vt pacta, & id quod promissum est seruetur & impleatur. Omnis ergo fidelitas est veracitas, non contrà. Sæpè tamen, vt hîc, pro eodem sumuntur.

OMNIS AVTEM HOMO MENDAX] Hebraicè psal. 115. quem hîc citat Paulus, habetur כָּל־אָדָם כֹּזֵב *col adam coseb*. quod Primò, Theodoretus vertit, *omnis homo deficit*. q.d. ait Theodor. & Euthym. in psalm. 115. *Nihil est stabile in rebus humanis, sed vniuersa vanitas, omnis homo viuens*, psal. 38. 6.

Hinc Secundò, Aquila vertit, *omnis homo est mendacium*. Sic & Hieronymus (legunt hi in Hebræo alio puncto כָּזָב *casab*, pro *coseb*) id est, vt explicat Hieronymus in psal. 115. *Omne quod in hac vita videmus, omne quod intelligimus, mendacium est*, id est, vmbra & imago, & sæpè error est. In Deo enim solo & cælo est veritas, stabilitas, æternitas. Vel, vt alij explicant, *Omnis homo est mendacium*, id est, omnis homo est res nihili, futilis, vana & indigna, cuius Deus curam suscipiat, vt idem sit, quod dicitur psalm. 30. 23. *Ego dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum à facie oculorum tuorum*. q.d. Videar mihi Dauidi in hac mea trepidatione, quòd obliuiscaris mei, ô Domine, quia sum homo mendax, id est vanus, nihili. Vnde huic mox opponit di-

erit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum.* A
q.d. Licet homo sit tamvilis, tamen eos qui sancti sunt non negligit Deus, sed caros habet & curat.

Tertiò, Symmach. vertit, *omnis homo mentitur.* Quod S. Basilius in psal. 115. sic explicat: quia David, inquit, coram Achis coactus est se simulare furiosum, & quasi mentiri; hinc ait, Omnis homo cogitur subinde mentiri, vti ego hîc cogor; vel, vt idem Basilius, *Omnis homo mentitur*, id est spem datam & de se conceptam fallit; sicut seges mentitur, cùm spem & laborem agricolæ fallit. q. d. Homo tantùm habet mendacem speciem & spem & laetam veritatis.

Quartò, optimè Noster interpres vertit, *omnis homo mendax*, id est, ex naturæ corruptæ vitio & pracliuitate, habitu etiam & consuetudine quiuis B
homo potens & pronus est vt mentiatur, & fidem datam fallat: rursum homo sæpè id, quod dicit, nescit, & quod promisit, obliuiscitur, vel per infirmitatem implere non potest, itaque reipsa mentitur. Hinc S. August. in sententiis num. 322. *Nemo, nisi habet de suo nisi peccatum & mendacium. Si quid autem habet homo veritatis atque iustitiæ, ab illò fonte est quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi quibusdam guttis irrorati non deficiamus in via.*

Nota. Citat hîc Apostolus psalm. 115, vbi dicitur *Ego dixi in excessu*, id est, vt explicat S. Basilius, in ecstasi & raptu mentis; vel potiùs, vt ex Hebræo vertunt Hieron. August. & Aquila, in stupore, pauore & perturbatione mentis (hoc enim est חפזי *chippazon*) *omnis homo mendax*. q. d. Ego David, cùm essem in tot malis, vt in me oriretur diffidentia salutis & regni promissi, ex præcipitatione animi perturbati dixi: *Omnis homo mendax*. Ecce enim Samuel promisit mihi regnum, Saul filium, amici & milites, quibus in castris præfui, fidem promiserunt mihi fidem & opem; & ecce ego miser & pauper hîc pereo, omnes me deserunt, & fidem mihi datam fallunt, Saule me persequente.

Dices, Ergo hæc verba non sunt Scriptura sacra, nec Spiritus sancti, sed Dauidis agitati malo & falso diffidentiæ spiritu; quia verè euasit rex postea, hominesque non mendaces, sed veraces expertus est.

Resp. Verum est, scilicet hæc verba non esse Sp. sancti, quatenus dicta sunt à Dauide; sed tamen quatenus illa ipsa hîc dicuntur & confirmantur à S. Paulo, eatenus sunt Spir. sancti, qui D
hæc verba Dauidis hîc sua facit, quia à parte rei vera sunt eo sensu, quem paulò antè dedi. Adde, etiam quatenus dicta sunt à Dauide, esse Scripturam sacram hactenus, quia nimirum Sp. sanctus psalm. 115. testatur, Dauidem ea dixisse, sicut in Euangelio testatur, Iudæos dixisse de Christo, *dæmonium habet*, etiamsi animo turbido, imò maligno idipsum dixerint.

Nota Secundò. Loquitur Paulus hîc de homine secundùm statum naturæ corruptæ. Sic enim est mendax: nam per gratiam homo fit quasi Deus, & desinit esse homo & mendax, ait S. Hieron & S. August. in psal. 115.

Nota Tertiò, hîc morale documentum. ex natura corrupta, quatuor maximè in homine pullulant propensiones ad malum. Prima, est ad voluptatem & libidinem. Secunda est ad excellentiam, & ad excusandum peccata. Tertia, est propensio ad vana, curiosa & caduca bona. Quarta, est propensio ad mentiendum & fallendum, vbi res propria agitur. Vnde Aquila vertit, *omnis homo est mendacium*, id est, ita sæpè mentitur, vt videatur totus consutus ex mendaciis, fraudibus & vanitatibus. Hinc videas, perperam ex hoc loco probare Lutherum, omne opus hominis iusti, etsi sanctum, peccato aliquo infectum esse, esseque peccatum. Ratio Lutheri hæc est: *Facilius*, inquit, *est verum dicere, quàm bonum agere.* atqui nequit homo verum dicere, quia omnis homo mentitur, vt ait hîc Apostolus: ergo nequit quoque homo bonum agere. Sed & fallit & fallitur Lutherus: nec enim semper maior propositio ipsius est vera: nam furi in eculeo, martyri in tormentis difficillimum est fateri & profiteri veritatem; illudque illi longè difficilius est, quàm dare eleëmosynam, orare, aut aliud opus bonum facere. Deinde in minori assumit ipse falsum: non enim dicit Apostolus, omnem hominem semper mentiri, sed tantùm, omnem hominem esse mendacem.

Probatur contra Lutherum, omne opus hominis iusti nõ esse peccatum.

SICVT SCRIPTVM EST] Probat, quòd *Deus sit verax, omnis autem homo mendax*, ex psal. 50. 6. vbi dicitur: *Vt iustificeris in sermonibus tuis. Vt* significat hîc non intentionem, sed euentum homicidij & adulterij Dauidis. q. d. Peccaui, Domine, sed parce & miserere mei, atque ita fiet, vt per peccata mea, quæ condonas, iustus & verax ostendaris, ô Deus, in tuis promissis. ita Theodoret. & hunc esse sensum mox clariùs patebit.

ET VINCAS CVM IVDICARIS] Primò, S. Hieron. in psalm. 50. & Gregor. in psal. 4. pœnitential. hoc de Christo sic explicant. q. d. Tu solus inter omnes C
iudicatos, ô Christe, à peccato immunis, iniustè adiudicatus cruci, vincis; quia à morte glorioſus resurgis, & iudices tuos æternæ morti adiudicabis. *Iudicatus*, ait S. Gregor. *Dominus vicit, quia vnde in passione succubuit, inde maiorem sui gloriam resurgendo manifestauit. Iudicatus vicit, quia quorum ad tempus iudicium moriendo subiit, eos iusto iudicio condemnatos æterna morte mulctauit.* Verùm hic sensus non est litteralis, sed allegoricus, vel potiùs accommodatitius: ad litteram enim sunt hæc verba Dauidis pœnitentis, & petentis à Deo veniam sui peccati, vt patet ex titulo psal. 50.

Hæc verba litteraliter sunt Dauidis: allegoricè tãtum & accommodatitiè conueniunt Christo.

Secundò, Theodoret. Euthym. & Iansenius in psal. 50. sic hæc explicant, q. d. Dauid: In iudicio, quo me homicidij, ô Domine, per Nathan arguis, fateor me à te vinci, & homicidij, adulterij ac ingratitudinis reum peragi & damnari. Hic sensus satis conuenit Dauidi, psalm. 50. sed non bene cohæret hîc apud Paulum, cum præcedentibus. Vult enim per hunc versum psalmi 50. Paulus probare, quòd Deus sit in promissis verax, & omnis homo mendax.

Tertiò, Hesychius & Didymus in catena Græcorum in psal. 50. sic exponunt: *Vt vincas in sermonibus tuis*, quibus dixisti, ô Domine, omnes declinasse & esse peccatores. cùm enim ego Dauid insolentiùs contra hos de mea virtute & constantia gloriatus sim, dicens psal. 29. *In virtute mea non mouebor in æternum*; iam lapsus in cædẽ Vriæ, agnosco me fragilem peccatorem, atque pristinæ meæ gratiæ & constantiæ non me, sed te auctorem fuisse. Verùm Paulus hîc agit de victoria non humanæ arrogantiæ, quã Deus contundit & vincit, subtrahendo suam potentiã & gratiam; sed de victoria fidelitatis Dei, qua Deus nostram infidelitatẽ & ingratitudinẽ vincit & superat. Vt patet ex v. 3. & 4.

Humanæ fragilitas & inconstantiæ Deo subtrahẽte auxilium.

Locus psalmi 50. genuinè & congruentissimè explicatus.

Quartò, aptissimè & congruentissimè tam Dauidi, quàm Paulo hæc sententia sic explicanda est. q.d. Fateor ego Dauid, me coram te, ô Domine, peccasse, sed parce, & promissa mihi olim à te facta restitue, indeque fiet, vt vincas & teipsa euertas iudicia hominum, qui censent & mentiuntur, te non staturum promissis, quibus tum cuiuis pœnitenti veniam (ita S. Gregorius) tum mihi Dauidi propriè regnum perpetuum in Salomone & Messia filiis promisisti. Promissis, inquam, non conditionatis; nam hæc non seruata conditione euacuari & irrita fieri posse constat, salua fide & veritate promittentis, sed absolutis. ita S. Thomas. scilicet vt homines hanc tandem sententiam ferant: Iustus est hic Deus, qui sua pacta seruat, etiam his (putà mihi Dauidi meisque posteris) à quibus post pacta iniuria afficitur. Sicque ego Dauid mendax & fallax ostendor; atque ex me meoque hoc exemplo & similitudine, quiuis alius homo mihi similis pariter mendax, id est, Deo infidelis & peccator; Deus verò verax & fidelis ostenditur. hoc enim probare intendit Apostolus.

A omnia dissimulat; ergo vexemus eum, milleque iniurias ei irrogemus, vt eius patientiam exercemus & illustremus. Hic enim est paralogismus & peruersa argumentatio: nam tam virtus & gloria huius viri ex iniuriis proteruorum, quàm gloria Dei ex peccato nostro, non per se, & natura sua prouenit, sed per sapientiam viri sancti, & per sapientiam Dei, qui malum ordinare nouit ad bonum misericordiæ, vel iustitiæ suæ, vt docet S. Augustin. in Enchirid. cap. 96. & lib. 3. de Genes. ad lit. cap. 24. *Deus*, ait Augustinus, *rerum optimus est conditor, & peccatorum iustissimus ordinator.* Idem docet S. Dionysius de Diuin. nominib. cap. 4. vbi agit de malo, sub finem: & Boëtius lib. 4. de Consol. prosa 6. vbi sic ait: *Diuina est vis, cui mala quoque bona sunt, cùm eis competenter vtendo, alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur. vt quod ab assignati ordinis ratione discedit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati.*

B

Nota hîc cum Caietano, nullum peccatum, nec minimum quidem veniale, medium esse eligibile, aut faciendum, vt peccata etiam grauissima euitentur.

Dices, S. Gregorius 32. Moral. 20. videtur contrarium docere. ait enim: *Dum mens inter minora & maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligatur.*

Respondeo, S. Gregorius loquitur de scrupulosis & perplexis. His enim si videatur se peccatoros, quidquid agant. eligât minus, scilicet id quod eis minus malum esse videtur; si facultas doctos consulendi, aut alia ratio nodum conscientiæ perplexum dissoluendi, non suppetat.

C

VERS. 5. SI AVTEM INIQVITAS NOSTRA IVSTITIAM DEI COMMENDAT, QVID DICEMVS? NVMQVID INIQVVS

VERS. 6. EST DEVS, QVI INFERT IRAM? SECVNDVM HOMINEM DICO] Occurrit hîc Apostolus obiectioni hominum insipientium. Vnde ait: *Secundùm hominem dico*, id est, ea hîc oppono & obicio, quæ homo non sapiens, sed carnalis obiiciat. Scilicet, si Dauidis & nostra iniquitas, in causa est, vt Dei iustitia & fidelitas erga nos magis illustretur; ergo iniquus videtur Deus, si nos iniquos puniat, & non potiùs præmiet, quasi auctores, vt eius iustitia magis eluceat. Respondet Apostolus:

Illustratio diuinæ gloriæ tantùm per accidés sequitur ex peccato.

ABSIT] scilicet vt iniquus sit Deus, vtque iniquitas nostra per se, & natura sua Dei commendet iustitiam. Hæc enim illustratio gloriæ & iustitiæ Dei per accidens ex peccato sequitur. Vnde subdit Apostolus dicens:

VERS. 7. SI ENIM VERITAS DEI IN MEO MENDACIO ABVNDAVIT IN GLORIAM IPSIVS] vt nonnulli colligunt ex eo, quod dixi: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* q.d. Si mendacium & peccatum per se cedit in gloriam veracitatis & fidelitatis Dei, qua hominibus, licet peccatoribus & ingratis, promissa sua seruat Deus;

QVID ADHVC ET EGO TAMQVAM PECCATOR IVDICOR?] & non potiùs laudor, tamquam illustrator gloriæ diuinæ.

VERS. 8. ET CVR NON FACIAMVS MALA, VT VENIANT BONA? SICVT BLASPHEMAMVR, id est, sicut calumniamur, ET SICVT AIVNT QVIDAM NOS DICERE] quasi doceamus, mendacia, & peccata nostra natura sua in gloriam Dei cedere, illiusque fidelitatem & misericordiam prouocare & commendare. Si enim hoc verum esset, vtique peccandum esset, & iniustus esset Deus vlciscens peccatum. ita passim interpretes cum Theophyl. Videntur hi vecordes huius calumniæ occasionem sumpsisse ex eo, quòd sæpè doceret Apostolus, superabundasse gratiam Dei, vbi superabundauit hominum iniquitas, & eam cessisse in laudem gratiæ & iustitiæ Dei.

Ad illustrandam Dei misericordiam & gratiã natura sua nõ ordinantur peccata.

D

QVORVM, scilicet tam ita sentientium, quàm nos calumniantium, DAMNATIO IVSTA EST] Hi enim perinde syllogizant, & perinde faciunt, atque si quis de viro pio & patiente ita concluderet: Hic vir miræ est patientiæ, omnia tolerat,

VERS. 5. QVID ERGO? PRÆCELLIMVS EOS?] Iudæi Ethnicos, quasi ob merita nostra, legem, aut circumcisionem præ eis vocati simus ad fidem & iustitiam Christi? redit enim hîc Paulus ad propositum suum, quod tetigit v. 2. Respondet, *Nequaquam* præcellimus nos Iudæi ipsos Gentiles.

CAVSATI ENIM SVMVS] Id est, causam antea attulimus; vnde Græca clariùs habent, προῃτιασάμεθα, præcausati sumus.

VERS. 10. SICVT SCRIPTVM EST, QVIA NON EST IVSTVS QVISQVAM, NON EST INTELLIGENS, NON EST REQVIRENS DEVM] Docet S. Hieronymus præfat. in lib. 16. comment. in Isaiã, sumptos esse hos versus sequentes, quos hîc citat Paulus, ex variis locis Scripturæ, ex psal. 13. 1. psal. 52. 3. psal. 5. 11. psal. 139. 4. psal 9. 7. Isaiæ 59. 7. Prou. 1. 16. Atq; omnes hi versus ita separati, ex hoc loco Apostoli, qui omnes hîc iungit, simul translati sunt in psalm. 13. Latinæ versionis, etiam in editione Romana, sed sub eodem versu. Pari modo simul omnes habentur in Syra & Ægyptia versione psal. 13. & in codice Anglicani psalterij Hebraici (quem citat Arias in Apparatu, & Lindanus l. 1. de Optimo genere interpret. S. Script.) inuenti sunt omnes hebraicè in psal. 13. Sed codicis illius Anglicani auctoritas & antiquitas est incerta. Nam passim hi versus in Hebræo non extant psal. 13. sed sparsim in Scripturæ locis iam citatis. Vide Franc. Lucam in Notis ad psal. 13.

Nota. Significant hi versus corruptionem hominis & naturæ, per fidem & gratiam non sanatæ, vt mox fusiùs ostendam; hæc enim omnis peccato est subdita, non cuiuis, sed vna huic, altera alteri. Quod enim particulatim c. 1. de Gentibus, & c. 2.

de

de Iudæis probauit Apostolus, scilicet omnes esse sub peccato: hîc more Rhetorum generatim, per enumerationem & exaggerationem concludit & explicit.

NON EST IVSTVS QVISQVAM, NON EST INTELLIGENS NON EST REQVIRENS DEVM]

Nota Primò. Citat hîc Apostolus quædam non quoad verbum, sed quoad sensum. Nam τὸ non est iustus, & vt Græca addunt, οὐδὲ εἷς, id est, *ne vnus quidem*, nusquam scriptum est hisce verbis, sed alijs æquiualentibus, putà his: *Non est qui faciat bonum, non est intelligens, non est requirens Deum.* Itaque videtur Apostolus omnes sequentes Scripturæ versus, in quibus particulatim hominum peccati enarrat, vna generali sententia quasi synopsi & argumento complexus, dicens & præmittens, *Non est iustus quisquam*: eamque deinde quasi in partes diuidit, dicens, *Non est intelligens, non est requirens Deum.* Licet enim hæc verba de quolibet impiô à Psalte psal. 13. dicta esse videantur, tamen *non est intelligens*, propriè conuenit Gentilibus, qui idola coluerunt, & Deum verum non agnouerunt: τὸ verò, *non est requirens Deum*, propriè competit Iudæis, qui Deum quidem agnouerunt, sed Dei legem & voluntatem non requisiuerunt, nec obseruarunt. & hoc videtur hîc velle Paulus. q.d. Quidam non intelligunt, nec cognoscunt Deum, quales sunt Gentiles: quidam verò Deum cognoscunt, sed Dei mandata non requirunt, nec custodiunt, quales sunt Iudæi: atque ideo nec Iudæus, nec Gentilis, adeoque nemo iustus est inter filios hominum.

Nota Secundò. Citat hîc Paulus psalm. 13. v. 2. vbi sic dicitur: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens aut requirens Deum*, q.d. Quæsiuit Deus an quis hominum esset intelligens aut requirens Deum, & quantumcumque quæsierit, neminem tamen inuenit. Nam vti præmissi bidem: *non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Vnde & Paulus non verba, sed sensum reddens vertit, *non est intelligens, non est requirens Deum.* Vocula enim *si*, quæ est in psal. 13. Hebræis sæpè negantis est, idemque valet quod *non*. Id patet in iuramentis Hebræorum, vt, *Hæc faciat mihi Deus, si steterit caput Elisæi super ipsum* 4. Regum 6. id est, Iuro quòd non stabit caput Elisæi super ipsum, iuro quòd demam Elisæo caput. Sic hîc, *Prospexit, vt videat, si est intelligens aut requirens Deum*, idem est, ac si dicat, Prospexit & vidit Deus, eúmque non est intelligens quisquam, aut requirens Deum.

Quæres, an hæc Psaltis verba, *Non est intelligens, non est requirens Deum*, de omnibus omnino hominibus an tantùm de certo hominum genere dicta sint? Genebrardus, Iansenius, & alij in psal. 13. volunt illa dicta esse de solis atheis, quasi Apostolus hanc vniuersalem propositionem, scilicet omnes esse peccatores, probet tantùm per exemplũ atheorũ, qui maximi sunt peccatores, vti omnẽ hominẽ esse mendacem, probauit per exemplum Dauidis v. 4. Nam de solis atheis dicitur ibidem v. 1. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, hebraicè אֵין אֱלֹהִים *non est Elohim*, id est, non est Deus, iudex & vindex bonorum & malorum: &, vt Chaldæus vertit, *non est potestas Dei in terra.* Elohim enim Dei non essentiam significat, sed prouidentiam, qua Deus mundum regit, iudicat, punit, vel præmiat. Homines enim qui negant hanc Dei prouidentiam, sine Numinis aut vindicis metu, ruunt in omnia scelera, quæ ibi deinceps enarrat Psaltes, vt notant Chrysost. & Theodoret. in psal. 13.

Verba Psalmistæ de quibusuis hominibus sunt intelligenda.

Verùm Respondeo & dico, cum Salmerone, Toleto, & aliis, hæc Psaltis verba non de solis atheis, sed de quibusuis hominibus intelligenda esse. Patet id clarè ex hoc Apostoli, qui verus est Dauidis interpres loco. Nam ex hisce Psaltis verbis Apostolus hîc plenè & adæquatè, totoque conatu probare intendit, omnes omnino homines esse sub peccato. Illud autem non plenè, nec adæquatè ex iis probaret, si illa de solis atheis intelligenda essent. Respondèrent enim Iudæi Paulo, hæc Psaltis verba obiicienti; Dauidem de idololatris & atheis loqui, ad se ista non pertinere, vtpote qui sint iurati atheorum hostes, itaque rueret neruus & vis argumenti Paulini. Vnde Paulus vt hoc elidat, v. 19. ait: *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur.*

Insipiens quis sit & dicatur in Scriptura.

Secundò, id patet ex ipso Psalte, qui clarè initio psalmi insinuat se non de atheo tantùm, sed de quouis insipiente loqui: *Dixit*, inquit, *insipiens.* *Insipiens* autem phrasi Dauidis & Sapientis est quiuis impius, qui insipienter Deum suæ concupiscentiæ, & æterna bona caducis, quæ adamat, posthabet & postponit. Vnde de talibus mox subdit: *Non est, qui faciat bonum vsque ad vnum.* Primus ergo insipiens fuit Adam pater noster, qui insipienter credidit Euæ & serpenti, adeoque vno pomo se & nos omnes perdidit; indeque nos omnes insipientes facti & nati sumus.

Insipientia & corruptio naturæ humanæ peccato vitiate.

Describit ergo Psaltes psal. illo 13. insipientiam & corruptionem humanæ naturæ, omniumque hominum, si sola eorum natura peccato vitiata, sine Dei gratia illam reparante & restaurante consideretur. Tali enim statu homines in omnia peccata procliues ruunt, adeoque tandem eò deueniunt, vt vel explicitè, vel implicitè dicant, Non est Deus iudex & vindex malorum, vt scilicet licentiùs, & magis impunè peccent.

Tertiò, idipsum patet ex eo, quòd tam hoc psal 13. 11. quàm alibi Psaltes opponat hunc statum insipientiæ & corruptionis humanæ naturæ, statui gratiæ, quo Deus naturam lapsam sanat, redimit, reparat & iustificat. Ait enim: *Quoniam Dominus in generatione iusta est. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.* Quod ergo dicit Psaltes psalm. 13. 1. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, proponit hoc non quasi argumentum & scopum totius psalmi, sed quasi extremum & summum malorum, ad quod tandem peruenit hominum insipientia. Vnde versibus sequentibus gradus peccatorum explicat, quibus sensim eò conscendunt homines. Aliter respondet & explicat illum versum Salmeron: Omnis, inquit, insipiens, id est impius & peccator, hoc ipso quo peccat, in corde suo implicitè & virtualiter dicit, *Non est Deus*: quia ita liberè & impudenter in Deum peccat, ac si Deus peccatum eius non videret, sed punire non posset, aut non vellet, adeoque ac si Deus iudex & vindex non esset; atque huic expositioni fauet, quòd ita se explicare videatur Psaltes v. 2. dicens, vt hîc vertit Paulus: *Non est intelligens, non est requirens Deum.*

VERS. 12. OMNES DECLINAVERVNT (hebraicè סָר *sar*, id est recesserunt, scilicet à Deo) SIMVL INVTILES FACTI SVNT] Hebraicè נֶאֱלָחוּ *neelachu*, id est

computruerunt, fœtuerunt. Chaldæus vertit, obtorpuerunt, indeque inutiles facti sunt, nullos ferentes bonos fructus fidei & bonorum operum, sed tantùm malos, vanos, putidos & fœtidos gulæ, luxuriæ, superbiæ, aliorumque scelerum.

NON EST QVI FACIAT BONVM, NON EST VSQVE AD VNVM] *Vnum* scilicet Christum qui excipitur, quique solus per se facit bonum, ait S. Augustin. in psal. 13. Verùm hic sensus non respondet Hebræo, psalm. 13. ibi enim hebraicè habetur אֵין גַּם אֶחָד *en gam echad*, hoc est, non est quidem vnus, id est, nullus est.

Vnde Secundò, Caietan. sic exponit, Non est qui faciat per omnia bonum, vt numquam peccet saltem venialiter. Sic & Chrysost. in psalm. 13. qui hanc sententiam nimis laxè extendit etiam ad B. Virginem, quam in Christi passione putat ipse defectum & deliquium fidei cum Apostolis circa Christum Christique resurrectionem passam fuisse. Verùm hic iam est error. Totius enim Ecclesiæ sensus & cõsensus est, B. Virginem numquam ne venialiter quidem peccasse, vti declarat Concil. Trident. sess. 6. can. 23.

Error diui Chrysostomi dicentis D. Virginẽ deliquisse in passione.

Tertiò, S. Thomas censet hic esse hyperbolen, *non est vnus*, siue nullus est, id est, pauci sunt, qui faciant bonum.

Quartò, Ambros. putat Psaltem loqui, non de piis, sed de impiis: horum enim nullus est bonus. Sed hoc non satisfacit. Quia Apostolus ex hoc Psaltis versu probat neminem esse pium & bonum, sed omnes omnino homines esse sub peccato & ira Dei.

Sine Christi gratia nemo potest bonum facere.

Quintò ergo, hic est genuinus huius loci sensus: Non est qui ex se, sine Dei, id est Christi, gratia faciat bonum absolutè, tale scilicet, vt inde bonus & iustus coram Deo dici, dignusque Dei gratia, aut æterna gloria censeri possit; quia omnes ex peccato Adæ corrupti, & concupiscentia infecti in peccata varia proclives declinant. ita S. August. in psalm. 13. Hinc ergo non sequitur, omnia opera infidelium esse mala & peccata, sed tantùm esse inepta ad iustitiam & gratiam Dei promerendam. Hoc enim hîc vocatur *bonum*.

VERS. 13. SEPVLCRVM PATENS EST GVTTVR EORVM] q. d. Quilibet homines peccato & concupiscentia corrupti, instar sepulchri patentis, spurca, tetra, fœtida, dolosa, maledicta exhalant, proloquuntur & eructant. Guttur eorum, quasi sepulcrum patens, fœditatem, putorem & abominationem lethalem mortui cordis, quasi cadaueris intus sepulti, semper exhalat. Addit S. Augustinus in psalm. 13. per *sepulcrum patens* significari voracitatem cibis inhiantis gulæ.

VERS. 14. VENENVM ASPIDVM SVB LABIIS EORVM] q. d. Iidem homines labia & os venenata habent, vt vix aliud in eos quibus irati & offensi sunt proferant, quàm contumelias & maledicta, quin & verbis addant verbera & cædes. Vnde subdit Apostolus: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

VERS. 16. CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORVM] q. d. Viæ, gressus & conatus eorum eò tendunt, vt alios & sese inuicem conterant, miserosque faciant. Patet ex Hebræo. Aliter Theophyl. *Contritio & infelicitas*, inquit, est peccatum, quia peccatum conterit & infelicem facit animam. De corruptione humanæ naturæ, tam quoad animam, quàm quoad corpus, vide S. August. libr. 22. de Ciuit. c. 22.

SCIMVS AVTEM QVONIAM QVÆCVMQVE LEX LOQVITVR, IIS QVI IN LEGE SVNT LOQVITVR] Est occupatio. q. d. Ne dicas, ô Iudæe, hos versus qui omnes homines de tam grauibus peccatis arguit, de solis Gentilibus loqui. nam hi versus, sunt versus legis, putà Psaltis & Prophetarum, qui non tam Gentilibus, quàm iis, qui in lege sunt, id est Iudæis, loquuntur, eorumque vitia increpant & castigant. ita S. Chrysost. & Theophyl.

VT OMNE OS OBSTRVATVR (vt nemo audeat se à peccato excusare) ET SVBDITVS FIAT OMNIS MVNDVS DEO] Pro *subditus*, græcè est ὑπόδικος, id est condemnationi (δίκη enim causam, crimen, condemnationem, vindictam & pœnam significat) obnoxius. ita Syrus, Chrysost. & Theophyl. q. d. S. Scriptura versibus iam citatis ita omnes de peccatis redarguit, vt omnis homo qui est in mundo, fateri debeat, se coram Deo reum esse, seque Dei iræ & vindictæ obnoxium & subditum esse, ob crimina in Deum admissa. Vnde S. Augustin. lib. de Gratia Christi, cap. 8. legit, *Vt reus fiat omnis mundus Deo.* Secundò, Ambros. *Vt mundus*, inquit, *subditus*, id est prostratus & supplex, *fiat Deo, itaque ad suorum peccatorum indulgentiam & Dei gratiam peruenire queat.* Addit Tertiò, Theophyl. vt mundus, inquit, κατάδικος, id est condemnatus, hoc est, libertate ac fiducia carens, & indigus opis alienæ, agnoscat se egere Dei gratia & clementia. Sed primus sensus maximè proprius & genuinus est.

QVIA EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO (omnis homo, est synecdoche.) CORAM ILLO] Est occupatio altera. q. d. Excipiet iterum, ô Iudæe, & obtendes dicendo: Esto sim peccator, & in peccata incidam; tamen habeo opera legis, aspersiones, lustrationes & sacrificia pro peccato, quibus peccatum expiem. Respondet Apostolus, hæc opera posse quidem purgare & expiare carnem, & irregularitatem externam, siue carnalem & politicam, non tamen posse animam purgare & iustificare à peccato: tum quia sacra Scriptura omnes omnino homines etiam qui sub lege sunt, post omnes hasce suas lustrationes, peccati condemnat; tum quia lex & opera legis tantùm indicium & demonstratio, non autem expiatio sunt peccati.

Nota. Cùm Apostolus asserit hîc, neminem iustificari ex operibus legis, veteris intellige, seu iis quæ præscribit lex vetus, secluso fide & gratia Christi, idque patet ex eo, quòd v. 22. & passim opponat hæc opera fidei Christi. Cùm ergo fidem Christi iustificantem iis opponit, non excludit, sed potiùs includit in fide opera facta ex fide. Sic enim pari modo sub lege includit opera legis, seu quæ facienda dictat lex. ita S. August. lib. de Gratia & lib. arbitr. c. 7. Vide can. 2 & 3.

PER LEGEM COGNITIO PECCATI] Lex docet quid faciendum sit, quid cauendum, quid virtus sit, quid vitium & peccatum. Hinc dicitur Prouerb. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ.* Vnde & hebraicè vocatur תּוֹרָה *thora*, id est doctrina & institutio.

Nota. Pro *cognitio*, græcè est ἐπίγνωσις, id est agnitio. Differunt autem cognitio & agnitio: nam cognoscimus noua, agnoscimus vetera. Lex ergo non erat propriè cognitio, sed agnitio peccati. Quia iam ante legem à Mose latam, cognoscebant homines peccatum per lumen & legem naturæ. Verùm quia hæc lex sensim obscurabatur in homine,

homine, hinc Deus per Mosen tulit legem clarè A explicantem, quid licitum esset, quid illicitum & peccatum. Vnde per legem hanc Mosis agnouerunt rursum Iudæi peccatum, quod antea cognouerant licet obscurè per lumen naturæ.

NVNC AVTEM SINE LEGE, (id est, vt Theodor. & Ambros. lege veteri cessante) IVSTITIA DEI, id est iustificatio, qua nos Deus à peccatis absoluit, infundendo nobis suam iustitiam, id est gratiam, charitatem, aliasque virtutes, per Christi Euangelium MANIFESTATA EST, quæ olim ante tot sæcula IVSTIFICATA est A LEGE ET PROPHETIS] Hi enim quasi testes diuini & certissimi hanc iustitiam per Christum dandam prænuntiarunt & obtestati sunt. ita S. August. lib. de Spirit. & litt. c. 9. ET 11. *Non dixit Apostolus*, inquit Augustinus, *Iustitia hominis, vel, Iustitia propriæ voluntatis, sed, Iustitia* B *Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium*, &c. Vnde idem præclarè sentit tract. 120. *Qui*, ait, *dedit legem, ipse dedit & gratiam: ille per seruum suum misit, cum gratia ipse descendit: et quia lex ostendit peccata, non tollit, volentes quidem legem exequi nec valentes, cogantur ad gratiam, qua & impossibilitatis morbum, & inobedientiæ obtineatur.*

IVSTITIA AVTEM (*autem*, id est, inquam, vide tam. 25.) DEI (quæ proponitur & datur) PER FIDEM IESV CHRISTI IN OMNES, dum scilicet omnibus offertur, ET SVPER OMNES (dum scilicet omnibus reipsa datur, & desuper infunditur) QVI CREDVNT IN EVM] scilicet *qui credunt*, non, vt dæmones, fide nuda & inani, sed, vt amici, fide charitate formata: *credunt* inquam Christo; ita vt illi eiusque præceptis obediant: siue *qui credunt* fide hu- C manis efficaci & obedienti, vt faciant mandata, quæ fides docet implenda esse. Sic vulgò dicitur duci exercitus, Si credas huic consiliario, obtinebis victoriam, scilicet si credas practicè, id est, si iuxta eius præcepta acies & bellum instruas. Pari modo credunt non speculatiuè, sed practicè Christo, id est, qui Christi dictis & monitis obediunt, hi iustificantur & saluantur.

Nota. Cùm ait hîc Apostolus iustitiam Dei per Christum esse *in omnes, & super omnes*; *τὸ in omnes* significat vniuersalitatem & diffusionem iustitiæ, quòd scilicet iustitia hæc offeratur & diffundatur in omnes homines qui credunt in Christum: *verò super omnes*, significat sublimitatem bonitatis, quòd scilicet illa supra naturæ vires & merita, desuper è cælo homini infundatur. ita Aug. D

OMNES ENIM PECCAVERVNT, ET EGENT GLORIA DEI] *Egent*, græcè ὑστεροῦνται. quod Syrus vertit *destituuntur*; Chrysost. *carent*. Propriè vertas, *possunt sunt gloria*, id est, gratia Dei gloriosa & meritoria, qua iustificentur; nec eam viribus naturæ assequi possunt, sed egent alia priori & præueniente Dei gratia, qua ad iustificationem se præparent: ideoque gratis iustificantur. Vtraque enim gratia, & præueniens & iustificans gratis datur; præueniens tamen per opera pœnitentiæ ad iustificationem præparat hominem & disponit. ita Cyrill. Theodor. & S. August. de Spir. & lit. c. 9.

Nota. Cùm ait Apostolus, *Omnes egent gloria Dei*, Cyrillus lib. de Recta fide per gloriam intelligit Christum, qui est gloria Patris hoc ipso, quo est redemptor & iustificator noster. q. d. Paulus: Omnes egent Christo redemptore.

Secundò, S. Chrysost. sic vertit & explicat: Omnes, inquit, peccauerunt, & destituuntur gloria Dei, quia ad peccatorem non gloria, sed dedecus & confusio pertinet. Vnde aliqui gloriam hîc propriè accipiunt, beatâ scilicet, quam pro gratia vitaque benè acta rependet iustis Deus in cælis. Hac enim destituuntur & indigent peccatores.

Tertiò, alij, vt dixi, magis genuinè ad mentem Apostoli, per gloriam hîc accipiunt gratiam, qua glorificatur Deus. Vnde S. Hieron. lib. 6. in Isaiam sub fin. & August. lib. 1. de Peccat. meritis, cap. 27. citantes non tam verba, quàm sensum Apostoli, legunt, *Omnes egent gratia Dei*. Quamquam omnes hi sensus eôdem ferè tendunt. Nam Christi gratia est gloria quædam inchoata, sicut gloria est gratia consummata. Egemus enim Christo & gratia Christi ad hoc, vt per eam, gloriam, qua indigemus vt benè beateque semper viuamus, in cælis adipiscamur. *Omnes indigent gloria, id est gratia, quæ est semen gloriæ.*

Hæc est ergo sententia, quam quasi iudicialiter audita vtraque parte, ex ore Dei pronunciat Paulus, qua vtramque partem, scilicet tam Iudæos quàm Gentiles, & prosternit & condemnat. q. d. Vos, ô Iudæi, arroganter contra Gentes insolescitis, vosque iustos ex lege reputatis: vos vicissim Gentes Iudæos quasi recutitos contemnitis, & ob morales virtutes vobis iustitiam arrogatis. ego vestram vtrimque causam, iustitiam, vitam & mores examinaui cap. 1. & 2. atque ex allegatis & probatis iudico: Omnes tam Iudæi, quàm Gentes peccauerunt, & egent gratia Dei.

Hæc sententia sternit omnium hominum superbiam, omnium cristas deiicit, omnesque peccati condemnat, omnes peccatores iræ Dei obnoxios pronunciat, omnes mendicos & egentes Dei gratia, omnes supplices Deo facit; vt nonnisi ad Dei gratiam, clementiam, misericordiam & indulgentiam prouocare & appellare possint. Qui ergo propriæ virtutis aut sapientiæ opinione inflatus tumet, audiat hanc Dei sententiam, *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*: sibique eam applicans, dicat, Ergo & ego peccaui, ergo & ego peccator sum, & egeo magna & gloriosa Dei gratia & misericordia, vt quid ergo superbiam? vt quid tumeam? quid sapientiæ, virtutis, honoris & laudis mihi arrogabo? præsertim si considerem illud, quod ait S. Aug. l. 50. homil. hom. 23. to. 10. *Nullum est peccatum quod fecit homo, quod non posset facere alter homo, si deesset rector, à quo factus est homo.* Rursum, si considerem, quòd sicut in peccato conceptus & natus sum; ita pariter in peccatis viuo, & in peccatis moriar: peccator ergo in mundum veni, peccator viuo, peccator moriar. *Stimulus ad retundendā humanam superbiam.*

IVSTIFICATI, id est, vt iustificentur, fiantque iusti, & sint iustificati GRATIS] Pendent enim hæc verba ab eo quod præcessit, *Omnes egent gloria Dei*. Hinc & græcè est participium præsentis temporis, δικαιούμενοι, quod more Hebræo ponitur pro indicatiuo δικαιοῦνται, quo capent Hebræi. Vnde clarè vertit Syrus, *iustificantur autem gratis*. Simpliciùs tamen veritas, *vt iustificentur gratis*, tum quia in Græco non est *autem*, tum quia, vt dixi, pendent hæc verba à præcedentibus, & Hebræorum participia sæpè capiuntur pro subiunctiuo. Noster interpres ad verbum vertit, *iustificati*, scilicet per participium præteritum, quia Latini carent participio præsenti in verbis passiuis, quale hîc est *iustificati*: cogûtur ergo vti participio præterito pro præsenti. VEL. 24. *Varietas lectionum discutitur.*

GRATIS]

GRATIS] Id est, sola fide, ait Beza; sed perperam: nam *gratis* idem est, quod sine meritis præcedentibus fidem, aut etiam sequentibus. Gratis enim dare significat gratuitò dare sine merito: gratia enim & gratuitum opponitur merito. Vnde cùm dixisset Paulus, *iustificati gratis*, explicans subdit, *per gratiam ipsius*. Vbi alludit ad Hebræum חִנָּם *chinnam*, quod à תְּחִנָּה *techinna*, sicut Latinum *gratis* à gratia deducitur. Itaque vox *gratis*, in hac iustificatione non excludit dispositiones (spei, timoris, doloris de peccatis admissis, propositi noui de vita emendanda) præuias ad iustificationem; quas alibi requirit Scriptura (sic enim & ipsa fides præuia excludenda foret) sed merita sola excludit. ita Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. Sic diues dicitur pauperem gratis adoptare in heredem, etiamsi requirat ab eo, vt priùs bonos mores & disciplinas addiscat: quia hæc non meriti, sed dispositionis locum obtinent. Par enim est vt futurus filius talis tantique viri ad hoc appositè per bonos mores & disciplinas sese disponat. Vide can. 5. Gratis ergo iustificamur, vt dicamus cum Apostolo: *Gratia Dei sum id quod sum.* Et cum Ieremia & Psalte: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et cum Isaia c. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen* (tropologicum gratiæ) *quasi Sodomæ fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.*

Dispositiones præuiæ ad iustificationē non excluduntur à gratia, imò prærequiruntur.

PER GRATIAM IPSIVS (quam nanciscemur) PER REDEMPTIONEM, QVÆ (facta) EST IN CHRISTO IESV] id est, per Christum Iesum. Hebræum enim ב, id est *in*, significat *per*, vel *propter*. Vide can. 25.

Nota τὸ *per redemptionem*. hinc enim inferebat Marcion; ergo homo non est creatura Dei, sed diaboli. Nemo enim emit quod suum est, Deus autem emit & redemit hominem. Ita refert Epiphan. hæresi 42. Respondet Origenes homil. 6. in Exod. *Omnes*, ait, *creatione eramus Dei, sed pretio peccatorum vendidimus & tradidimus nos dæmoni: ideò pretio sanguinis Christi liberati à potestate dæmonis, dicimur* non tam empti, quàm *redempti*.

Error Marcionis hinc inferentis, hominem esse creaturam diaboli.

VERS. 25. QVEM (Christum) PROPOSVIT DEVS PROPITIATIONEM PER FIDEM IN SANGVINE IPSIVS] *Propitiationem*. Ita legunt Biblia Romana. Græcum ἱλαστήριον verti potest cum Theophyl. *propitiatorium*, vt alludat Paulus ad propitiatorium, siue tabulam auream, tegentem arcam, (hanc enim Septuag. quos sequi solet Paulus, vocant ἱλαστήριον) quæ erat quasi thronus clementiæ Dei, ex quo propitiatus dabat responsa, indeque hebraicè vocatur כַּפֹּרֶת *capporet*, id est placatorium, reconciliatorium, propitiatorium: eratque figura Christi propitiatoris, Exodi 25. 17. ita Theodor. Theophyl. Origenes. q. d. Paulus, Pro veteri typico propitiatorio, dedit iam Deus antitypum verum propitiatorium, ipsum scilicet Christum.

Vnde Secundò, clariùs, *propitiatio* hîc idem est, quod propitiator (ita Syrus. vide can. 21.) scilicet victima propitians, & placans Deum hominibus, idque *per fidem in sanguine ipsius*, id est, per fidem sui sanguinis & passionis. q. d. Iis qui fide credunt Christum passum & mortuum esse, itaque factum esse propitiatorem pro peccatis nostris; his voluit Deus Christum esse propitiatorem. ita Anselm. Vel plenius sic, q. d. Propitiationis vel reconciliationis Christi voluit nos Deus participes fieri per fidem, qua credimus eum esse nostrum propitiatorem, qua fide excitamur in spem veniæ, amorem Dei, & peccatorum detestationem; itaque disponimur ad iustificationem. ita Concil. Trident. sess. 6. c. 2. & 6. Pulchrè S. Anselmus libr. *Cur Deus homo, c. 9. Quid*, ait, *misericordius intelligi valet, quàm cùm peccatori damnato æternis tormentis, & vnde se redimat non habenti, Deus Pater dicit: Accipe vnigenitum meum, & da pro te: & ipse Filius, Tolle me, & redde pro te?*

Nihil ergo hîc habent hæretici pro fide speciali iustificante, qua scilicet certissimè credam mihi, mihi inquam, in particulari & in individuo per Christum esse remissa peccata; itaque hoc ipso, quod id credo, peccata mihi remitti, meque iustificari, vt ipsi volunt. Nil enim tale hîc dicit Apostolus; sed verba eius generalia sunt: *Per fidem*, ait, *in sanguine ipsius*, id est, per fidem passionis Christi.

Aliter Chrysost. Theodor. Ambros. & Toletus, τὸ *in sanguine*, referunt ad *propitiatorem*. q. d. Christus sanguine non animalium aut alieno, sed suo factus est propitiator. Sed hi traiiciunt & intercicunt τὸ *per fidem*. Prior ergo sensus planior est. Adde, tunc vertendum esset, *in sanguine suo*, non *ipsius*, vt vertit Noster. Alioqui si Græca solùm spectes, & phrasin Apostoli, sensus hic S. Chrysostomi probabilior est: solet enim Apostolus verba traiicere, vt dixi can. 38.

AD OSTENSIONEM IVSTITIÆ SVÆ] Refert hæc verba ad *quem proposuit Deus propitiationem*, ad hoc scilicet, vt per eum ostenderet iustitiam suam. Iam per *iustitiã* hîc Theodor. intelligit bonitatem, hanc enim vel maximè ostendit Deus in Christo.

Secundò, Ambrosius per *iustitiam* accipit fidelitatem, qua Deus, sicuti hanc propitiationem & iustitiam per Christum dandam nobis promisit, ita & reipsa præstitit & exhibuit.

Tertiò, Origenes *iustitiam* Dei interpretatur iustam peccati vindictam, qua Deus noluit gratis remittere peccata, sed pro peccato voluit iustum pretiũ sanguinis Christi sibi persolui. Verùm quia hæc ostensio iustitiæ Dei consistit in remissione peccatorũ, & iustificatione nostra, vt sequitur, hinc

Quartò, magis genuinè Chrysost. August. Anselm. *iustitiam* hîc propriè accipiunt, vti & paulò antè capitur. hoc sensu. q. d. Proposuit nobis Deus propitiatorem Christum, hoc fine, vt scilicet diuitias iustitiæ, qua Deus in se iustus est, ostenderet, communicando nobis peccatoribus eamdem iustitiam; ostenderet inquam, se esse illum, qui iustificat peccatores per Christum, suamque esse hanc iustitiam, non hominum. Hæc enim iustitia in lege veteri nõ erat ostensa, nec manifestata. Hunc esse sensum patet ex eo, quòd paulò pòst v. 26. ita se explicet Apostolus, dicens: *Vt sit ipse* (Deus) *iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.*

Nota. In hisce Apostoli verbis notari & designari omnes causas iustificationis. Nam prima causa, efficiens est Deus. Secunda, meritoria est Christus. Tertia, instrumentalis est sanguis Christi. Quarta, applicans est fides. Quinta, formalis est remissio peccatorum, per gratiam sanctificantem. Finalis denique, est ostensio iustitiæ Dei.

PROPTER (id est ad) REMISSIONEM PRÆCEDENTIVM DELICTORVM] scilicet Adæ, & aliorum ante Christum, vel *propter*, id est, *per remissionem*. græcè enim διὰ cum accusatiuo apud Atticos significat *per*. q. d. Christus omnia etiam præcedentia peccata aboleuit; iam ergo amplius non est

pectandum, post tantum amorem & pretium nobis exhibitum: sat vitiis, sat veneri ventríque datum, nunc vinite Christo.

Nota. Pro *remissionem*, græcè est πάρεσιν, quod Primò, condonationem significat. Ita explicat Anselm. Origenes & Noster interpres, vt πάρεσιν, idem sit quod ἄφεσιν. Παρίημι enim quandoque significat aliquid de suo remittere & transilire, id est condonare, vt notat Budæus.

Secundò, πάρεσις significat tabem, corruptionem, virium remissionem & debilitatem. ita explicat S. Chrysost. & Theodor. q.d. Διὰ πάρεσιν, id est, propter tabem præcedentium delictorum, vt sobrii antiqua, & quasi tabida peccata & vitia aboleret, & mundum quasi languidum & paralyticum sanaret; hac de causa venit Christus Christique iustitia in mundum.

Tertiò, S. Augustinus de Spir. & lit. c. 3. & Ambros. pro πάρεσιν legunt πρόθεσιν, id est propositum. Iam per propositum præcedentium delictorum, intelligunt ipsi benignam Dei voluntatem & beneplacitum siue εὐδοκίαν, qua placuit Deo peccatoribus subuenire, eosque à præteritis suis delictis liberare. Verùm primus sensus clarissimus & planissimus est.

PRÆCEDENTIVM DELICTORVM quæ fuerunt IN PATIENTIA DEI] q. d. Quæ delicta Deus sustinuit, id est tolerauit, diu expectauit, donec Christus veniret, eaque expiaret, itaque ostenderet iustitiam veram in hoc tempore gratiæ, eamque credentibus daret. ita Anselmus.

VT SIT IPSE IVSTVS, ET IVSTIFICANS EVM, QVI EST EX FIDE IESV CHRISTI] *Iustus*, id est, fidelis in promissis; vel potiùs *iustus*, id est, sanctus & rectissimus. Adeò odit peccatum Deus, vt ideo Filium dederit in mortem, vt pro peccato ex iustitia satisfaceret, & à peccato homines ad sanctitatem & rectitudinem suam originalem, in qua à Deo conditi erant in paradiso, traduceret; itaque ipse iustus suam iustitiam nobis communicaret, nosque iustificaret per Christum. Vide dicta v. 25.

VBI EST ERGO GLORIATIO TVA?] qua, ô Iudæe, gloriaris & arrogas tibi ex circumcisione, sacrificiis aliisque operibus legis Mosaicæ, iustitiam.

EXCLVSA EST. PER QVAM LEGEM? FACTORVM? NON, SED PER LEGEM FIDEI] Nota ex S. Augustino I. de Spir. & lit. c. 13. & passim contra Pelag. Lex factorum est ea, quæ iubet quid sit faciendum; lex fidei est ipsa fides, quæ impetrat gratiam faciendi quod lex iubet.

Lex factorum, est lex vetus; lex fidei est lex nova.

Lex factorum, continet præceptum; lex fidei, auxilium.

Lex factorum dat lucem, vt sciamus; lex fidei dat virtutem, vt faciamus.

Lege factorum dicit Deus, Fac quæ iubeo; lege fidei dicimus, Da quod iubes.

Lex factorum est ea, quæ externa opera & facta, eaque multa præscribit; lex fidei est ea, quæ actiones interiores ordinat, inter quas prima est fides & amor.

Denique quod hîc dicit Apostolus, iustitiam credendam esse ex lege fidei, non autem ex lege factorum, idem est cum eo, quod dixit c. 2. v. 29. circumcisionem cordis fieri spiritu, non littera.

ARBITRAMVR] Græcè λογιζόμεθα, id est, colligimus & ratiocinamur.

ENIM] græcè οὖν, id est igitur: est enim hæc omnium hactenus dictorum conclusio. q.d. Igitur ex dictis colligimus & concludimus, *iustificari hominem per fidem sine operibus legis.*

IVSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM] Lutherus addit *solam*, q.d. Apostolus, Sola fide sine vllis operibus iustificamur. Cumque Catholicus quidam hoc ei obiiceret, eumque quasi falsarium argueret, Lutherus ita respondit, vt patet tom. 4. operum German. Lutheri, quæ excusa sunt Wittembergæ anno Christi 1551. fol. 475. pag. 2. *Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, & dicit, Papistam & asinum rem esse vnam. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum scholares esse, sed iudices. Lutherus ita vult, & ait se Doctorem super omnes Doctores totius Papatus.* Audisti Lucifer. Lutheri ore loquentem. Dico ergo, Apostolus ait nos iustificari per fidem, non solam, sed tamquam radicem, fundamentum & initium iustificationis. Ita Concil. Trid. sess. 6. c. 8. *Per fidem*, inquam, talem, quæ ad spem, pœnitentiam & charitatem se diffundat, vt patet Galat. 5. v. 6. 1. Cor. 13. 3. Adde, iustitiam ab Apostolo fidei præ aliis virtutibus tribui, eò quòd fides clarè ostendat homines iustificari, non propria virtute aut merito, sed Christi, in quē credentes salui fiunt. Hæc enim initio Ecclesiæ maximè inculcanda erat mundo.

Lutherus alter Lucifer.

Fides radix & fundamentum iustificationis.

Vbi Nota. Cùm Apostolus hîc passim fidem ab operibus separat & distinguit, opera intelligit legis, non solùm cæremonialia & iudicialia, vt volunt Ambros. & Theophyl. sed & moralia, siue decalogi (vt rectè docet S. August. de Spir. & lit. c. 4.) solo legis dictamine, & solis naturæ viribus facta. Sub fide verò gratiam, spem, charitatem, cæteraque virtutes Christianas collocat & complectitur. Id ita esse patet Primò, ex c. 12. v. 3. vbi gratias, dona, virtutes, quas Deus variis variè distribuit, vocat Paulus *mensuram fidei*, quam cuique Deus diuidit. Idem clarè patet ex epist. S. Iacobi c. 2. v. 21. & seq. vbi sic ait: *abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? & suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quid clarius contra Nouantes, qui ex sola fide hominē iustificari volunt, dici posset?

Locus contra Nouantes, nō sola fide hominē iustificari.

Secundò, idipsum patet ex scopo Apostoli. Tantùm enim vult Apostolus hîc probare necessitatem fidei & gratiæ Christi, ex eo quòd opera siue legis, siue naturæ sine hac fide & gratia Christi non potuerint nos à peccato iustificare; alioquin enim gratis mortuus esset Christus. Hoc autem non sequitur, si dicamus iustificari nos ex operibus factis ex gratia Christi, quia illa habemus à Christo; vnde de illis, non in nobis, sed in Christo gloriamur, imò per illa magis illustramus fidem & gratiam Christi. ita Patres & S. August. de Fide & operib. c. 4. Agit enim Apostolus cōtra Iudæos, qui iactabāt opera non fidei, sed legis. Vide can. 2. & 3.

Per opera meritoria nostra non minuitur, sed illustratur gratia Christi.

Dices, Non videtur Apostolus hîc agere contra Iudæos: nam Iudæi habuerunt ante Christum fidem Christi venturi, & ex ea iustificati sunt.

Respondeo, Ita est: sed, cùm Christus venit, tunc Iudæi hanc fidem in Christum amiserunt, & sine fide Christi, quem recipere noluerunt, asseruerunt sibi deberi iustitiam ex operibus legis, putà ex circumcisione, sacrificiis, aliisque lustrationibus & obseruantiis legis; itaque à iustitia

S. Iacobus scripsit epistolam suã pro operibus, ne quis ex epistolis Paulii errauet, omnia quasi tribuentis fidei.

& salute exciderunt. Vnde solerter annotauit S. Augustinus loco iam citato; quòd S. Iacobus timens, ne quis ex S. Paulo erraret, putaretque solam fidem iustificare, scripserit suam epistolam hoc fine, vt doceat opera requiri ad iustificationem. Cùm ergo S. Paulus negat opera iustificare, intelligit opera legis & naturæ, quæ fiunt per legem & naturæ vires, secluſa fide & gratia Christi. Cùm verò S. Iacobus asserit opera iustificare, opera intelligit facta ex fide & gratia Christi. Atque, vt ait S. Augustinus libr. 83. quæst. c. 76. Paulus intelligit opera quæ fidem præcedunt, Iacobus verò intelligit opera quæ fidem sequuntur.

Paulus loquitur de operibus ante fidem, Iacobus de operibus post fidem.

Licet verò Paulus generatim loquatur de operibus cuiuslibet legis, etiam naturalis & decalogi, vt patet v. 20. *Per legem, ait cognitio peccati.* & c. 2. v. 12. 13. 14. vbi ait factores legis, non auditores iustificari, & Gentes naturaliter facere ea quæ legis sunt; tamen, cùm ait, nos iustificari per fidem sine operibus legis, per opera legis præcipuè accipit opera cæremonialia & lege cæremoniali præcepta, qualia sunt circumcidere præputium, lustrare se aqua lustrali, offerre victimas pro peccato, &c. Nam loquitur de ea lege quæ opponitur fidei, fidei autem propriè opponitur non decalogus, sed lex cæremonialis, quia figura erat, sicut fides est veritas: figura autem & veritas opponuntur. Id patet ex hoc versu, vbi fidem opponit operibus legis, illique, non his, iustificandi vim tribuit. & v. 30. *Vnus, ait, est Deus, qui iustificat circumcisionem* (circumcisum) *ex fide, & præputium* (præputiatum Gentilem) *per fidem.* & v. 31. *Legem ergo destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus.* Ex quibus omnibus liquet, Apostolum præcipuè agere hîc de lege, quæ tamquam vmbra & figura opponitur fidei, tamquam veritati & corpori: ac consequenter *opera legis* vocari ab eo opera legis cæremonialis potiùs quàm naturalis & decalogi. ita Maldonat. Vult enim nos iustificari per fidem, non per circumcisionem, aliasque cæremonias & sacrificia legis veteris, quibus se iustificari putabant Iudæi.

A

AN IVDÆORVM DEVS TANTVM? NONNE ET GENTIVM?] Est nouum argumentum, quo probat Paulus ex absurdo, nos iustificari, non ex operibus legis, sed ex fide Christi: quia scilicet si ex operibus legis iustificaremur, ergo iustitia alligata esset legi Mosaicæ, & Iudæis, ac consequeretur Deus videretur tantùm Iudæorum habere curam, esseque Iudæorum Deus tantùm, non Gentium. quod est absurdum.

VNVS DEVS, (Iudæorum & Gentium) QVI IVSTIFICAT CIRCVMCISIONEM (id est, circumcisos, putà Iudæos) EX FIDE, ET PRÆPVTIVM (id est præputiatos, putà Gentiles. Vide can. 21.) PER FIDEM.

B

LEGEM ERGO DESTRVIMVS PER FIDEM?] Occurrit obiectioni Iudæorum dicentium: Tu Paule, iustitiam adimis legi, eamque arrogas fidei, ergo legem destruis per fidem. Respondet Paulus:

ABSIT: SED (potiùs) LEGEM STATVIMVS] Quia lex statuitur & confirmatur ex eo, quòd illa quæ lex illa significabat & promittebat, per Euangelium (quod fidem hîc appellat Paulus) completa sunt. Messias enim in lege noua adimplent, & adimplendo quasi stabiliuit & confirmauit, quidquid Moses præfigurauit in lege veteri.

Nota. Opponit Paulus verbum ἱστάω (quod respondet Hebræo הקים *hekim*) id est statuo, stabilio, facio vt aliquid stet, alioqui vacillans & casurum; verbo καταργέω (quod respondet Hebræo הפיר *hephir*) id est destruo, aboleo, irritum facio. q. d. Ego per Euangelium adeò legem nõ destruo, non deiicio, vt eam per hoc stare faciam, stabiliam & confirmem. Euangelium enim est confirmatio, ratificatio, obsignatio legis & Prophetarum. Præclarè S. Prosper in sententiis excerptis ex S. Augustino, quæ habentur in fine tomi 3. S. Augustini num. 44. *Lex, ait, data est vt gratia quæreretur, gratia data est vt lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandũ fuit.*

C

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit probare exemplo Abrahæ, non per opera legis aut naturæ, sed per fidem Christi, omnes iustificari. Ita Origenes & Oecumenius.

Primò ergo vrget illa verba, Genes. 15. Credidit Abraham Deo: & reputatum est illi ad iustitiam.

Secundò, v. 13. docet hæc verba dicta esse Abrahæ, ante datam ipsi circumcisionem, quam postea Abraham accepit, vt esset signaculum iustitiæ iam acceptæ per fidem: indeque concludit nos pari modo, non per circumcisionem, aut legem, sed per fidem iustificari.

Tertiò, v. 13. docet non per legem, sed per fidem nos amplecti & participare benedictionem, id est, iustitiam & salutem Abrahæ eiusque semini gratuitò promissam, adeoque omnes eos, qui Abrahæ fidem imitantur. siue ii Gentiles sint, siue Iudæi, veros esse Abrahæ filios & heredes.

Quartò, v. 18. exaggerat Abrahæ fidem, quòd contra spem in spem crediderit, se senemem Sarã annũ & sterili generaturum Isaac, & semen à Deo promissum; indeque v. 23. infert hanc Abrahæ fidem nobis imitandam esse, si iustificari & saluari velimus.

1. QVid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundùm carnem? 2. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum 3. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum est illi ad iustitiam. 4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. 5. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui

iustificat

iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei. 6. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: 7. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. 8. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. 9. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. 10. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. 11. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio: vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam: 12. & sit pater circumcisionis, non ijs tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed & ijs, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. 13. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt heres esset mundi: sed per iustitiam fidei. 14. Si enim qui ex lege, heredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. 15. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex; nec præuaricatio. 16. Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrùm, 17. (sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. 18. qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei: Sic erit semen tuum. 19. Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum: & emortuam vuluam Saræ. 20. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: 21. plenissimè sciens quia quæcumque promisit, potens est & facere. 22. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. 23. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam: 24. sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, 25. qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

QVID ERGO DICEMVS INVENISSE ABRAHAM?] q.d. Quam iustitiam, an fidei, an operum (quod dicemus?) braham inuenisse, id est, accepisse? & vt Syrus, adeptum esse? hoc enim Hebræis est מצא *matsa*, id est, inuenire. Sic dicitur Lucæ 1. & alibi: *Inuenisti gratiam apud Deum*, id est, nacta & adepta es Dei fauorem & beneuolentiam.

SI ENIM ABRAHAM EX OPERIBVS IVSTIFICATVS EST, HABET GLORIAM, SED NON APVD DEVM] q.d. Si Abraham tantùm habet eam iustitiam quæ ex operibus est legis aut naturæ, secluſa fide, sanè ea parua est & politica, tantùm habens gloriam & laudem iustitiæ apud homines, qui opera externa vident & mirantur; non autem apud Deum, qui internam mentem & fidem videt & exigit, eáque collocat veram iustitiam. Hisce tribus primis capitis versibus nonnulla supplenda sunt: ea ergo sic supple & connecte: *Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum inuenisse secundùm carnem* (sic enim Græca habent, vt verbum *inuenisse* Latino traiiciendum sit & iungendum cum *secundùm carnem*) quasi dicat, Quid fructus intenit, id est adeptus est, Abraham ex circumcisione carnis, & ex cærimonijs nudam carnem tangendo? subaudi nihil. Huius responsionis mox ipse sibi obiicit v. 2. dicens: *Si enim Abraham ex operibus* (ex circumcisione sui & suorum) *iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*, hoc est, si enim ex operibus carnis iam dictis iustitiam consecutus esset, habuisset gloriam, sed non apud Deum; iam autem certum est eum etiam apud Deum gloriam habuisse, scriptum est enim: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Ergo non ex operibus carnis, sed quia credidit, id est ex fide iustitiam consecutus est. Hinc ergo patet Apostolum maximè de operibus cæremonialibus loqui. Possunt tamen generatim opera accipi, quæcumque solis naturæ viribus sine fide & gratia Christi sunt facta, vti communiter exponunt interpretes, sicut dicam v. 4. & 5. hæc enim à negotio iustificationis excludit Apostolus.

QVID ENIM DICIT SCRIPTVRA?] Probat Paulus ex Scriptura, Genes. 14. quòd Abraham iustitiam & gloriam apud Deum adeptus sit, non ex operibus legis, sed ex fide. VERS. 3.

CREDIDIT ABRAHAM DEO, promittenti sibi & Saræ coniugibus, senibus, sterilibus, infirmis, & impotentibus ad generandum, semen, id est, posteritatem tum carnalem ex Isaac, tum spiritualem ex Christo credentium & Christianorum. Vnde hoc credere REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM] quia hic actus fidei in Abrahamo fuit valdè heroicus, vt patebit v. 18. *Mira fides Abrahami.*

ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM Genes. 15. 6. in Hebræo habetur וַיַּחְשְׁבֶהָ לוֹ צְדָקָה *vaiachsceheha lo tsedaka*, id est, & reputauit *illam*, scilicet fidem, *Deus illi ad iustitiam*: non quasi iustitia Christi, id est Christo inhærens, per fidem imputetur Abrahæ, & nobis; nosque iustos formaliter non efficiat, sed denominet, vti fingunt Nouantes. Sic enim dixisset Scriptura, Imputauit Deus Abrahæ iustitiam Christi: iam autem contrarium dicit, scilicet quòd Deus ipsi Abrahæ fidem, non Christi, sed ipsiusmet Abrahæ, imputarit ad iustitiam. *Error Nouantium, qui dicunt nos Christi iustitia iustificari.*

Sensus ergo huius phrasis est: Fides tam Abrahæ, quàm nostra, quæ ex natura sua, vti actus est hominis, non est iustitia, nec iustitiam parere aut producere potest: à Deo tamen acceptatur ad iustitiam tam Abrahæ, quàm nobis tribuendam, vt scilicet propter hanc fidem, Deus Abrahæ & nobis iustitiam largiatur & infundat, reputetque nos

iustos, amicos & filios suos. Et hoc est, quod subdit Apostolus v. 5. *Secundùm propositum gratiæ Dei*, id est, secundùm gratiosam, benevolam, & liberalem Dei voluntatem, quæ statuit, vt per actum fidei formatæ, id est, per contritionem, gratia iustitiaque detur sine operibus, id est, sine merito operum: reputari enim dicitur pro tali, quod in se tale non est, vti voluntas pro facto reputari dicitur. ita Concil. Trident. sess. 6. Vbi Nota. Planè aliud est imputare fidem ad iustitiam, vel pro iustitia, aliud imputare iustitiam, vt patebit v. 6.

Gratia iustitiaque quando & quomodo detur sine operibus.

Fides iustitia inchoata est.

Alij sic explicant, q. d. Paulus: Abrahæ fides reputata est ei pro iustitia, scilicet inchoata, id est, pro via & dispositione ad iustitiam.

Verùm quia S. Iacobus c. 2. 23. addit: *Et amicus Dei appellatus est*, hac de causa, iustitia hîc non inchoata, sed completa accipienda videtur.

B

Abraham iustus per fidem magis iustificatus est: sic & peccator per fidem iustificatur.

Dices. Abraham iam erat iustus, & per hoc credere, tantùm factus est iustior & sanctior: quomodo ergo concludit Apostolus: Si Abraham ex fide factus est iustior, ergo necesse est, vt impius & peccator per fidem pariter iustificetur, fiatque iustus? Alia est enim ratio primæ & alia secundæ iustificationis: alioque modo iustificantur peccatores, alio iusti, dum fiunt iustiores.

Respondent aliqui, negando Abraham fuisse iustum, ita Anselm. & S. August. præfat. in psal. 31. Verùm Abraham ium tum fuisse iustum, sat patet Genes. 15. 1. ad Hebræos 11. 8. & idipsum docent passim alij interpretes.

Vnde respondet Secundò, Pererius, esse hîc argumentum à minori ad maius: Si Abraham iam iustus adeptus est augmentum iustitiæ non per opera legis, sed per fidem, qua credidit Deo promittenti magnam seminis posteritatem, Genes. 15. ergò multò magis initium iustitiæ, seu primam iustificationem adipisci non possumus viribus naturæ, sed gratiæ tantùm & fidei iam in Christum, & per Christum propositæ, vti vers. 5. & sequenti explicat Paulus. Hæc expositio est probabilis.

C

Tertiò & optimè, respondet Toletus: hæc verba, *credidit Abraham*, &c. referenda esse non tantùm ad immediatè præcedentia, sed ad omnia antecedentia, Genes. 12. & 13. Vult enim Scriptura Abrahamum, qui pater est credentium & iustorum, statuere exemplar iustificationis, tum impij, vt docet hîc Paulus v. 5. tum iustorum, vt docet Paulus v. 20. & sequ. & Iacobus c. 2. v. 23. Vult ergo sacra Scriptura dicere & asserere, Abrahamum tam primò iustificatum esse per fidem, cùm primò Deo credidit, quàm secundò iustificatū esse, hoc est, iustiorem factum esse, & in iustitia acceptā creuisse, per fidem, qua secundò & deinceps Deo dicenti, loquenti, promittenti & præcipienti credidit.

D

Fides Abrahami fuit sperans, diligens, inuocans, obediens.

Nota, in Abrahamo non fuisse fidem nudam, sed sperantem, diligentem, inuocantem, obedientem, & vestitam charitatis & obedientiæ operibus, quibus Deum vocantem secutus est, peregrinans tanto tempore, per tot labores in Chanaan, quibusque postea obtulit Deo filium suum Isaac in holocaustum, vt docet S. Iacobus cap. 2. 23. & Paulus ad Hebræos 11. 8. & Moses Genes. 12. 1. & sequent.

Dices, Abraham hîc sua fide non credidit in Christum, sed in Deum promittentem sibi semen, quomodo ergo ex hac Abrahæ fide, qua ipse iustificatus est, infert hîc Apostolus, ad iustificationem nostram requiri fidem in Christum?

A

Respond. Abraham etiam in prima sua iustificatione credidisse in Christum. Hoc enim licet in Genesi non exprimat Moses, tamen ex hoc alijsque Pauli locis, atque ex Euangelijs idipsum certò constat. Passim enim Euangelistæ & Paulus docent, neminem post lapsum potuisse iustificari sine fide in Christum propitiatorem. In secunda verò iustificatione, non est necesse, quòd Abraham actu explicito crediderit in Christum, vti nec iam idipsum in secunda nostra iustificatione necessarium est.

Rursum ex fide Abrahæ in Deum promittentem semen, rectè infert Apostolus fidem nostram in Christum, quia fides iam requisita à Deo ad iustitiam, est fides in Christum; Genes. autem 15. Deus ab Abrahamo tantùm requisiuit & exegit fidem seminis sui.

Adde, Abrahamum, dum credidit hoc semen, implicitè credidisse in Christum, qui primus imò principium & finis erat in hoc semine Abrahæ promisso.

Denique credere ex tam impotentibus parentibus, Abrahamo scilicet & Sara, nasciturum tale semen, tum carnale, tum spiritale, quod credidit Abraham; arduus fuit fidei actus & amplissimus, omnia alia credenda tacitè complectens. Vnde rectè proponitur tam à Mose, quàm à Paulo quasi exemplar fidei, etiam primò iustificantis.

Quæres, an Paulus hîc de eadem iustificatione loquatur, de qua loquitur Iacobus cap. 2. 23. cùm ait, Abraham ex operibus iustificatum esse. Negat Toletus, & alij nonnulli: putant enim Paulum loqui de prima iustificatione, quæ non est ex operibus, id est, ex merito operum: Iacobum verò loqui de secunda iustificatione, seu de iustitiæ augmento; hoc enim meremur per opera bona.

Verùm meliùs censent alij, tam Paulum, quàm Iacobum de vtraque iustificatione, prima scilicet & secunda, loqui.

Primò, quia vterque producit iustificationis Abrahæ exemplum; hæc autem iustificatio Abrahæ, tam prima, quàm secunda accipi debet, vti paulò antè ostendi.

Secundò, quia Iacobus profert exemplum Rahab, quæ impia erat & meretrix. Ergo cùm ipse aut eam adeptam esse iustitiam, primam intelligit. Fusè idipsum ex testimonio S. Augustini, & aliorum Doctorum, probat Gabriel Vasquez tom. 2. in 1. 2. disp. 210. c. 8. Paulus ergo cùm excludit à iustificatione opera, intelligit opera viribus naturæ facta, vt dixi c. 3. v. 30. Iacobus verò dum ad iustificationem requirit opera, intelligit opera ex fide & gratia facta: hæc enim ad vtramque iustificationē requiruntur; quia tam acquirendæ, quàm augendæ iustificationis in hoc æqua est ratio, sed in modo est differentia. ad primam enim iustificationem opera tantùm disponunt; secundam verò merentur non quatenus sunt opera hominis, vel naturæ, sed quatenus fiunt ex fide & gratia Christi (sic enim non hominis, sed Christi, Deique sunt opera.) Vnde sub fide ea Paulus complectitur.

Atque hæc est causa, cur tam secunda, quàm prima iustificatio dicatur fieri gratis. Sicut enim gratis facti sumus iusti, ita gratis quoque magis iustificari dicimur, eò quòd gratis fidem & gratiam, qua meremur secundam iustitiam, id est iustitia

sive momentum, accepimus. *Quid enim aliud* (ait S. August.) *Deus dum nostra opera, quàm sua dona coronat?* Quo sensu Apostolus quoque vitam æternam, quam tamen meremur, vocat gratiam c.6. v.23. Denique hinc docent Theologi, actum bonum esse meritorium in homine iustificato, vti fuit in Abrahamo.

ET AVTEM, QVI OPERATVR, MERCES NON IMPVTATVR SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM. ET VERO, QVI NON OPERATVR (id est, qui non affert sua opera suæ naturæ viribus facta, nec ex ijs quærit aut sperat iustitiam, quasi eam ijs debitam) CREDENTI AVTEM IN EVM QVI IVSTIFICAT IMPIVM, REPVTATVR FIDES EIVS AD IVSTITIAM) id est, hic per fidem iustificatur, vt dixi v.3.) SECVNDVM PROPOSITVM, id est, liberale decretum, GRATIAE DEI] De hoc proposito pluta dicam c.8.28. Hæc est argumentatio Apostoli: Abraham iustificatus est gratis per fidem, quia scilicet credidit Deo, qui sua gratia iustificat impium; non autem, quia bene suo marte operatus est, aut quia suis bonis operibus meritus est hanc iustitiam: ergo & nunc hæc iustificatio impijs & peccatoribus obtingit, non ex eorum operibus & meritis, sed gratis ex fide Christi, quem Deus proposuit nobis redemptorem & propitiatorem. Nam quod datur per fidem & gratiam, non merces est, sed gratia: quod verò datur pro operibus siue pro merito operum, merces est, non gratia. Cùm ergo iustificatio Abrahæ, & nobis obtingat gratis per fidem, sequitur eam non obtingere ex operibus, vt operum & meritorũ nostrorum sit merces.

SICVT ET DAVID DICIT (psal.31.1.) BEATITVDINEM HOMINIS, (græcè μακαρισμὸν, id est, beatificationem, scilicet iustificationem illius hominis esse, id est, beatum & iustum esse hominem illum,) CVI DEVS ACCEPTO FERT, græcè λογίζεται, id est, censet, reputat, asscribit IVSTITIAM; hoc est quem Deus censet & reputat esse iustum, SINE OPERIBVS] id est, non ex virtute aut merito operum, sed ex propria sua gratia.

Nota, hæc tria idem esse Apostolo, scilicet reputari, imputari, & accepto ferre iustitiam, eumque hoc phrasi vti, quia potissimus effectus iustitiæ est Deo placere, Deo esse gratum & acceptũ, à Deo reputari pro amico, iusto & sancto. Deus enim iustificans gratuitò remittit peccata, & acceptat hominem ad suam amicitiam, ideoque infundit homini inhærentem iustitiam, sicut rex munificus, quem Equitem sibi socium creat, dat vellus aureum; idque vel ex eo patet, quòd v.3. dicit Apostolus, fidem, quæ homini vtique inhæret, imputari, id est acceptari, ad iustitiam; & operanti mercedem imputari, id est, computari pro debito; quia reuera omnium iudicio & consensu debetur operario merces, operi promissa. Vide Budæus, λογίζεσθαι, inquit, verbum est arithmeticum, sicut ἁρμόζειν musicorum, ἀναλύειν geometrarum; λόγος enim rationem & computum significat. Sicut ergo merces, quæ computatur & numeratur fossori aut messori, non per heri impositionem, vel æstimationem, sed per propriam laboris computationem, rationem & æstimationem est merces: ita pariter iustitia à Deo nobis computata & annumerata, non per solam computantis imputationem, sed per seipsam, suamque intrinsecam rationem, computatur, æstimatur,

A & reipsa est vera & realis iustitia.

Secundò, idipsum patet ex eo, quòd v.8. simili modo dicit Apostolus, peccata imputari homini. Certum est enim, teste Caluino, peccata reuera inhærere homini peccatori. Sic violatio voti dicitur reputari in peccatum, Deuter. 23. 21. & Deuter. 24. 15. detentio mercedis alienæ dicitur reputari in peccatum. Constat autem hæc non tantùm reputari, sed etiam reuera in se esse peccata. Nec enim Deus, qui iustè iudicat, in peccatum reputare, & quasi peccatum punire potest opus aliquod, quod verè in se non est peccatum. Vnde euidens est, hanc iustitiam, quam Deus nobis reputat, imputat & computat, non esse iustitiam Christi nobis imputatam. hæc enim homini est extrinseca: iustitia autem nostra nobis est intrinseca & inhærens; sicut & peccatum, dum peccamus, nobis intrinsecum est, intimeque inhæret. B

Peccata verè homini peccatori inhærent, non tantũ imputatiuè sic & iustitia.

Dicitur tamen hæc iustitia nobis à Deo reputari, vel imputari; quia Deus in homine verè reputat, imputat & æstimat id quod in homine est & existit, non autem id quod in eo non est, sed inesse putatur & fingitur. Est enim Deus verissimus æstimator ac ponderator omnis iustitiæ & peccati, virtutis & vitij. Imputare ergo Deum alicui iustitiam, est, Deum æstimare eum esse iustum, quia scilicet ei Deus condonauit peccata, & iustitiam inhærentem infudit.

Dices, Si ita est, cur ergo Paulus idipsum hîc clarè non expressit? cur non dixit, inhærere nobis iustitiam potiùs quàm reputari?

Cur Paulus vtatur hîc verbo reputandi.

Respondeo. Paulus toties hîc vtitur verbo imputandi, quia eo vsus erat Moses in fide Abrahæ: hæc enim Abrahæ, vt ait Moses, reputata est ad iustitiam. Hoc enim fidei & iustificationis Abrahæ exemplum hîc perurget Apostolus, ideoque verbis Mosis mordicus insistit: Abrahæ autem non dicitur imputata iustitia Christi, sed fides propria, vt patet ex ipsis Mosis & Pauli verbis. C

Nil ergo habent hîc Nouantes pro sua iustitia imputatiua Christi: imò potiùs contrarium hinc euincitur. Fides enim Abrahæ non fuit imputata illi in se, quasi hæc fides Christi, vel alicui alteri fuerit propria; Abrahæ verò fuerit à Deo imputata: quia hæc fides Abrahæ fuit propria, non aliena, non imputata, illique verè & propriè inhæsit. sed fides hæc dicitur illi imputata ad iustitiam, quia ratione & respectu fidei, quam Deus acceptauit, tribuit ei & donauit iustitiã. λογίζομαι enim, à λόγος, significat cum ratione, vel ob rationem aliquam aliquid æstimare. Sic hîc Deus æstimauit, acceptauit, habuit Abraham iustum, & acceptando fecit eum iustum, iustitiamque inhærentem ei infudit respectu & ratione fidei illius, quia scilicet ipse credidit Deo promittenti rem tam nouam, arduam, naturaliter impossibilem & incredibilem. quod ita Deo placuit, vt eum ad suam amicitiam acceptarit, eumque gratia & iustitia sua dignatus sit. Atque hæc est causa, cur Moses in iustificatione Abrahæ vsus sit verbo חָשַׁב *chasab*, siue λογίζομαι, id est, æstimare, imputare. D

Contra Nouantes, non imputatur nobis iustitia Christi, sed nostra.

BEATI QVORVM REMISSAE SVNT INIQVITATES] gratuita nimirum condonatione, non meritis operum: hoc enim vult probare Paulus, & hoc propriè est remittere offensas & peccata, scilicet gratis ea condonare. VERS. 7.

ET QVORVM TECTA SVNT PECCATA] *Tecta*, non quasi peccata in iusto maneant & lateant, vt

Caluinus & Lutherus perperam hunc locum contra remissionem peccatorum detorquent.

vult Caluinus, vel quòd Deo dissimulante non imputentur ad pœnam, vt vult Lutherus. Hoc enim non patitur perspicax & integra Dei iustitia. Sed *tecta*, id est, obliterata, obruta; ita vt non sint, nec existant amplius: quomodo tegitur hiatus terra iniecta, & nuditas tegitur vestibus, & maculæ atræ teguntur & auferuntur albo colore inducto. Ita se explicat Dauid psal. 50. cùm ait: *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.* Quod enim sic omnino tectum est, vt nec à Deo videatur, hoc omnino non est. ita S. August. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. 13. *Tecta*, ait, *sunt peccata, non quasi ibi sint cooperta, & viuant: sed tecta sunt, & abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere; si noluit aduertere, noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere; maluit ignoscere*; si ignouit peccata, ergo sustulit. Sic & Nazianz. orat. in S. lauacrum, & Gregor. in psal. 2. pœnitentialem dicunt peccata tegi à Deo in iustificatione, eo modo, quo vulnera à medico teguntur emplastro, per quod planè curantur & abolentur, ita vt nusquam appareant. Origenes quoque hîc, & Theodor. in psalm. 31. dicunt tegere peccatum, significare, peccatum ita stirpitus eradicare, vt ne vestigium quidem remaneat.

Deus tegit peccata cùm ea cõdonando abolet.

Tropologicè quomodo teguntur peccata.

Notat Origenes hîc, & S. Ambros. lib. 2. de Pœnitent. cap. 5. peccatum per pœnitentiam remitti, sed per bona opera tegi. Vnde & S. Gregor. hom. 4. in Ezech. *Peccata*, inquit, *tegimus, cùm bona facta malis actibus superponimus; quando ergo abdicamus mala quæ fecimus, & eligimus bona quæ faciamus, quasi tegumen ei rei superducimus, quam erubescimus videre.* Hic sensus tropologicus est.

Omnia peccata reuelabuntur in die iudicij.

Secundò, S. Hieron. in psalm. 31. dicit peccata tegi, quia peccata, inquit, quæ hîc deleta sunt per pœnitentiam, in die iudicij non manifestabuntur, sed tegentur & celabuntur. Verùm hoc sanè accipi debet; nam in die iudicij omnia cuiusque opera reuelabuntur & iudicabuntur. Vnde & peccata, licet per pœnitentiã remissa, tunc manifestabuntur (hoc enim exigit publicum, plenum & exactũ tam de peccatis, quàm de eorumdem pœnitentia, Dei Christique iudicium.) dicuntur tamẽ tegenda, quia per pœnitentiam tecta & condonata declarabuntur; itaque pœnitenti non ad ignominiam, sed ad laudem & gloriam cedent.

Tertiò, Gregor. Nazianz. orat. in S. baptisma, censet peccata tegi tunc, cùm ea remittuntur, sed ita, vt eorum reliquiæ & habitus praui in anima adhuc remaneant; remitti verò peccata tunc, cùm planè peccatum cum suo habitu & radice ex anima euellitur & expurgatur.

Quartò, alij apud Ambrosium in Apologia Dauid cap. 9. dicunt peccata remitti per baptismum, tegi verò per confessionẽ & pœnitentiam. Idem Ambrosius ibid. c. 23. affert peccata remitti ratione gratiæ, tegi ratione charitatis, deleri ratione sanguinis Christi.

Peccata remittuntur per Dei condonationem, teguntur per infusionem gratiæ.

Quintò, & genuinè, peccata dicuntur remitti per Dei condonationem, tegi verò per infusionẽ iustitiæ, id est, gratiæ & charitatis. hæ enim sunt vestes spirituales & pulcherrimæ, quibus animæ nuditas per peccatum inductæ tegitur & ornatur. hæc est enim stola illa prima, qua indutus est filius prodigus, Lucæ 15. hæc etiam est vestis nuptialis, de qua dicit Christus Matth. 22. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*

VERS. 8. BEATVS VIR, CVI NON IMPVTAVIT DOMINVS PECCATVM] Nota, τὸ *non imputauit* non sic esse accipiendum, quasi homo peccet, & tamen Deus ei hoc peccatum non imputet. hoc enim implicat. Sensus ergo est: Beatus est vir cui Deus peccatum condonauit, & consequenter non amplius illud ei imputat; quemq; deinceps Deus protegit ne faciat peccatum, quod illi imputet. ratio enim peccati in eo sita est, quòd sit offensa Dei, quodq; illud Deus nobis imputet ad culpam & pœnam, maximè æternam. Dico æternam: nam remissa culpa, iustus satisfactionem exigit Deus, pro pœna temporaria, quam vult peccantem luere. Cui ergo Deus offensam non imputat ad culpam, hoc ipso eandem illi condonat & aufert. Ita B. Iustinus in fine Dialogi contra Tryphon. *Beatus*, inquit, *cui non imputabit Dominus peccatum, hoc est, cui pœnitenti peccata remittet: non autem, sicut prædicatis vos metipsos fallentes, etiamsi peccatores fuerint, modò Deum nouerint, non imputabit eis Deus peccata.*

Notat Nazianz. oration. in S. baptismã, Deum tunc non imputare peccatum, quando opus in se vitiosum non deputat culpæ, ob ignorantiam, vel rectam intentionem operantis.

Secundò, S. Augustinus libro de Diligendo Deo, cap. 12. asserit, quòd remittere peccata, sit ea non vlcisci; tegere verò peccata, sit eadem non improperare; non imputare autem peccata, sit planè & ex corde illa cõdonare, cùm scilicet Deus eum qui peccauit ita diligit ac si numquam peccasset.

Tertiò, Origenes, Peccata, inquit, remittuntur, cùm ab ijs peccator per pœnitentiam se auertit; teguntur, cùm bonis operibus obruuntur; non imputantur, cùm omnis peccati radix ex animo euellitur. Idem habet quoque Nazianz. suprà.

Quartò, Lyranus, Peccata, inquit, non imputare, est ea non deputare ad æternam pœnam, sed remittere & condonare tam culpam, quàm pœnam æternam.

Quintò, S. Hieron. in psal. 31. Peccata, inquit, remittuntur per baptismum, teguntur per charitatem, non imputantur per martyrium.

Sextò & genuinè, Deum non imputare alicui peccatum, est aliquem non habere peccatum; ex eo enim quòd quis peccatum non habeat, sed vitet & caueat, sequitur quòd Deus illi peccatum imputare non possit. Ponit enim hîc Psaltes duas beatitudines hominis iusti. Prior est, de qua dicit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* q. d. Beati sunt qui à peccatis sunt expurgati, iustificati, & charitatis stola tecti & amicti. Posterior, cùm mox subdit: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* q. d. Beatus, imò beatior est, qui postquam à peccatis expurgatus est, iustè deinceps viuit, omnique studio vitat peccata; ita vt nihil mali faciat, quod ei Deus in peccatum imputare possit.

BEATITVDO ERGO HÆC IN CIRCVMCISIONE TANTVM MANET, AN ETIAM IN PRAEPVTIO] Græcè non est verbum, *manet*, sed tantùm ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν, id est, in circumcisionem, an etiam in præputium, supple, cadit & conuenit hæc beatitudo? q. d. Iustum hæc, quæ, teste, Dauide, nos beat, quæque inchoata est beatitudo, an ad solos circumcisos, putà Iudæos, manauit, an etiam ad præputiatos, putà Gentiles? Interrogatio hæc Apostoli, more Hebræo, non interrogatio, sed acris & vehemens est assertio &

conclusio. q. d. Ex citatis Dauidis verbis, *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*, clarè concludere potestis, ô Iudæi, quòd hæc eius beatitudo & iustitia non ad solos circumcisos, sed etiam ad Gentiles pertineat; tum quia verba eius indefinita sunt & generalia, tamque viro Gentili, quàm Hebræo conueniunt; tum quia dicit beatitudinem & iustitiam nostram sitam esse, non in operibus legis, sed in liberali clementia & condonatione Dei, qui gratis nobis remittit peccata. Iustificatio ergo opus est non legis, quam vobis arrogatis, ô Iudæi; sed gratiæ, quæ communis est omnibus, tam Gentibus, quàm Iudæis.

A

DICIMVS ENIM, QVIA REPVTATA EST ABRAHAE FIDES AD IVSTITIAM] Est secunda ratio, qua probat Paulus, iustitiam non ad solos Iudæos, sed etiam ad Gentiles pertinere: hanc enim suam conclusionem, quæ totius epistolæ est scopus, non tantùm Dauidis, sed & Abrahæ testimonio probat. Est autem hæc Apostoli ratiocinatio: Abraham ante legem, imò ante circumcisionem iustificatus est, non ex circumcisione, aliisque operibus legis, vtpote quæ nondum erant, sed ex fide: vnde & circumcisionem postea accepit, vt esset signum iustitiæ acceptæ per fidem. Ergo iustitia hæc non est ex lege & circumcisione, nec pro lege & circumcisione sola, sed pro omnibus qui fidem Abrahæ sectantur.

B

QVOMODO ERGO REPVTATA EST? IN CIRCVMCISIONE, AN IN PRAEPVTIO? NON IN CIRCVMCISIONE, SED IN PRAEPVTIO] *Quomodo*, id est in quo statu? circumcisionis, scilicet, an præputii? iudaismi, an gentilismi, vti hîc se explicat Apostolus, q. d. Circumcisúsne erat Abraham, an præputiatus, cùm iustificatus est? certum est, quia præputiatus erat: ergo iustitia Abrahæ non tantùm pertinet ad vos, ô Iudæi, sed etiam ad præputiatos Gentiles. Rursum ergo Abraham est iustificatus, non ex circumcisione, nec ex operibus legis, quibus vos, ô Iudæi, dicitis petendam esse eam iustitiam: sed ex fide & gratia, quæ communis est tam incircumcisis, quàm circumcisis. Videsne Apostolum passim tantùm velle à iustificatione excludere opera & cæremonias legis, non autem opera quæ manant ex fide & gratia Christi.

C

ET SIGNVM ACCEPIT CIRCVMCISIONIS, SIGNACVLVM IVSTITIAE FIDEI, QVAE EST IN PRAEPVTIO] Prosequitur suam assertionem Apostolus, eamque probat. q. d. Adeò Abraham non est iustificatus in, vel ex, circumcisione, vt circumcisionem post iustitiam acceperit, ad hoc vt esset signum iustitiæ, quam adeptus est ipse per fidem ante circumcisionem, cùm adhuc esset præputiatus.

D

Nota, ex Genes. 17. circumcisionem primariò fuisse signum fœderis, quòd pepigit Deus cum Abraham, quo sanxit in semine eius, scilicet Christo, benedicendas esse omnes Gentes.

Secundò, circumcisio fuit signum distinguens Abrahæ posteros ab aliis Gentibus.

Tertiò, circumcisio, vt ait hîc Apostolus, fuit signaculum iustitiæ fidei, id est, fuit sigillum, quo dignoscitur & occultabatur quasi secretum ingens iustitia fidei reuelanda per Christum, inquit Origenes.

Quartò, & propriè ad mentem Pauli hîc, S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Augustin. lib. 2. de Nuptijs & concupisc. c. 2. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 51. circumcisio erat *signaculum*, græcè σφραγὶς (quod respondet Hebræo חותם *chotam*) id est, sigillum *iustitiæ*, quo scilicet testificabatur Deus Abrahæ iustitiam certam esse ac legitimam, iustitiam, inquam, adeptam antè per fidem, cùm adhuc esset præputiatus.

Vbi Nota. Licet in Abrahamo ita se res habuerit, in posteris tamen eius secùs fuit: nam in ijs circumcisio non fuit signaculum iustitiæ acceptæ, sed potiùs accipiendæ.

In posteris Abrahæ circumcisio fuit signum iustitiæ accipiendæ.

QVAE EST IN PRAEPVTIO] Addit hoc, vt significet Abrahamum per præputium designatum fuisse patrem omnium gentium (hæ enim habent præputium) id est, ipsum præputium significasse eum fore patrem omnium gentium, sicut circumcisio significauit eum patrem fore Iudæorum, vtpote pariter circumcisorum. Vide simile cap. 6. 4. & cap. 7. 4.

VT SIT (Abraham) PATER OMNIVM CREDENTIVM PER PRAEPVTIVM] id est, omnium in præputio manentium, omnium præputiatorum, putà omnium Gentilium, vt eorum fides eis reputetur ad iustitiam, & ex fide sua illi quoque iustificentur, sicut Abraham ex fide sua iustificatus est.

Nota. Abraham dicitur pater Gentilium credentium, non naturalis & carnalis, sed spiritualis & mysticus: quia scilicet ijs omnibus illustre fidei exemplum dedit. Rursum, quia posteris eius secundùm fidem & spiritum, ijs scilicet, qui fidem Abrahę imitaturi essent, promissa est à Deo benedictio, iustitia & salus; hancque promissionem primus inter omnes patres à Deo accepit Abraham, & nomine omnium posterorum acceptauit; omnium inquam, tam Gentilium, quàm Iudæorum. Nam Abraham cùm hanc promissionem accepit, incircumcisus erat & Gentilis.

Abraham pater omnium credentium, idq; ob duas rationes.

ET SIT PATER CIRCVMCISIONIS, NON IIS TANTVM, QVI SVNT EX CIRCVMCISIONE, SED ET IIS QVI SECTANTVR VESTIGIA FIDEI, QVAE EST IN PRAEPVTIO PATRIS NOSTRI ABRAHAE] q. d. ait Anselmus, *Et sit pater circumcisionis*, id est, circumcisorum, putà Iudæorum; & non tantùm horum, sed etiam omnium credentiũ, licet circumcisi non sint, qui sectantur fidem Abrahæ: vt sit repetitio prioris sententiæ, complectens vtrosque Abrahæ posteros, scilicet, Gentiles, & Iudæos credentes, quorum pater spiritualis est Abraham.

VERS. 12.

Triplex huius loci expositio.

Secundò, S. Chrysost. Theophyl. Oecum. & Toletus sic exponunt. q. d. Vt Abraham sit pater *circumcisionis*, id est, circumcisorum, non eorum, qui tantùm exteriorem habent in carne circumcisionem, sed eorum qui cum carnis circumcisione sectantur quoque vestigia fidei Abrahæ. Si enim hanc eius fidem non sectentur, licet carne circumcisi sint, non censebuntur Abraham habere patrem. Nam, vt ait Apostolus c. 9. 8. *Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Verùm hic sensus non satis verbis Apostoli respondet, planeque inuertit & trajicit voculam *tantùm*.

Tertiò ergo, planè & genuinè, circumcisionem propriè videtur hîc accipere Apostolus, non autem metonymicè, pro ipsis circumcisis. Sic enim dicere debuisset, Et sit pater credentium per circumcisionem, sicuti dixit, *Vt sit pater credentium per præputium*: iam autem ita non loquitur, sed mutat phrasin dicens, *Et sit pater circumcisionis*. Pater ergo

Abraham est pater, id est author circũcisionis.

Cornel. in epist. Pauli.

ergo, id est, auctor & institutor circumcisionis. A q.d. Abraham accepit signũ circumcisionis, vt scilicet esset ipsa signaculum iustitiæ acceptæ per fidem, cùm adhuc esset præputiatus. Vnde factum est, vt Abraham fuerit pater credentium Gentilium; fuerit quoque pater, id est auctor & institutor, circumcisionis, circumcisionis inquam, quæ fuit signum fœderis inter Deum & Abraham, eiusque posteros initi, quo scilicet testabatur Deus, se patrem fore, protectorem & amicum Abrahæ, eiusque posterorum, quodque eos benediceret, iustificaret & saluaret, sicuti benedixerat, iustificauerat & saluauerat Abrahamum.

Circumcisio signum fuit non solis Iudeis, sed etiam Gentilibus.

Porrò circumcisio tale fuit signum, *non ijs tantùm, qui sunt ex circumcisione*, id est, non solis Iudeis, *sed & ijs* (Gentilibus) *qui sectantur vestigia fidei, quæ est* (id est, quæ fuit & apparuit) *in præputio patrũ nostri Abrahæ*, cùm scilicet Abraham adhuc esset præputiatus & Gentilis. Hisce enim verbis explicat Apostolus cur Abrahamo incircumciso circumcisio data sit in signaculum iustitiæ, nimirum vt significaret quòd, sicut Abraham ante circumcisionem est iustificatus & benedictus per fidem, sic & omnes, qui Abrahæ fidem imitarentur, etiamsi circumcisi non essent, iustificandi & benedicendi forent per fidem. Paulus, inquit Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 51. *in signum fidei, quam in præputio habuit Abraham, ei circumcisionem datam asseruit: voluit enim vocationem & iustitiam fidei, omni legali mandato priorem & superiorem ostendere, vt facilius persuaderet Hebræis, ne iustitiam fidei, præuaricationem legis putarent, sed reditum quemdam atque recursum in priorem hominis statum.*

Per circũcisionem intelligit Apostolus omnem legem veterem

Vbi Nota. Sub circumcisione Apostolus intelligit totam legem veterem, omnesque legis cæremonias & opera, quia circumcisio horum omniũ initium erat & professio; sicuti iam baptismus est professio christianismi, totiusque legis Euangelicæ. Dùm ergo Apostolus circumcisionem à iustitia Abrahæ & posterorum excludit, hoc ipso omnia legis opera, omnesque cæremonias à iustitia excludit. Sicut v. 4. ἐργαζόμενον vocauit eum qui circumcisionem aliasque legis cærimonias obseruat, ita nunc πίστιν & πιστεύοντα, vocat eum qui credit, habetque fidem & opera moralia, etiamsi cærimonialia non habeat.

VERS. 13. NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO ABRAHÆ] Supple, contigit, sed ante legem & ante circumcisionem; hanc enim accepit Genes. 17. promissionem verò accepit Genes. 12. licet ea repetita sit, post circumcisionem, Genes. 22. Promissio verò hæc est, quæ sequitur, *Vt heres esset mundi.* Probat Apostolus hîc id, quod præcessit, scilicet Abraham patrem esse omnium credentium, etiam præputiatorum, & consequenter iustitiam nobis obtingere non per circumcisionem & legem, legisque opera, sed per fidem. Probat autem idipsum ex promissione facta Abrahæ, hoc argumento: Abrahæ promissa fuit benedictio, id est, iustitia & salus omnium Gentium, non per legem & circumcisionem, sed ante eam, ex eo, quia credidit Deo; ergo posteri Abrahæ huius promissionis, benedictionis & iustitiæ participes quoque fient, non per opera legis, sed per fidem. In fide enim, non in lege hanc iustitiã constituere voluit Deus; & in fide, non in lege, imò ante legẽ iustitiam hanc accepit Abraham, vt esset exemplar posterorũ, significans eos, non ex lege, sed ex fide pariter iustificandos esse.

Iustitia non per legem aut circũcisionem, sed per fidem.

VT HERES ESSET MVNDI] vt scilicet in semine eius benedicerentur omnes Gentes. Hæc enim est promissio facta Abrahæ, Genes. 22. 18. vt nimirum Abrahæ fides, benedictio, & filius, scilicet Christus, omnes Gentes sibi subigeret, sicque regnum Christi per omnes Gentes dilataretur, vt dicitur psalm. 2. 8. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* ita Chrysostomus, Theophyl. Sic ergo Abraham heres est mundi, quia totum mundum habet per filijs, & sic quasi vniuerso mundo potitur, sed per filium suum, puta per Christum, perque *iustitiam fidei*, id est, fide acceptam. Hæc enim fides & iustitia Abrahæ & Christi, pernasit & occupauit omnes Gentes, & hæc est promissio, benedictio & B hereditas Abrahæ, scilicet Ecclesia toto orbe diffusa, quæ est regnum fidelium, in quo rex est Christus, pater & patriarcha est Abraham.

Abraham heres mundi per filium & per fidem.

Nota hic iustam & amplam mercedem fidei & obedientiæ Abrahæ. Abraham enim credidit & obediuit Deo se euocanti ex Vr Chaldæorum, atque pro Deo paruam quam in Vr habebat hereditatem dereliquit, sed pro ea accepit hereditatem totius Chananææ, immò totius mundi. tam liberalis est Deus, tamque magnificè suos remuneratur.

Deus ideo promissa differt, vt augeat.

SI ENIM QVI EX LEGE, HEREDES SVNT: EXINANITA EST FIDES, ABOLITA EST PROMISSIO] *Heredes*, scilicet promissionis & benedictionis Abrahæ iam dictæ.

Nota. τὸ *heredes* capi potest vel actiuè & propriè, vel passiuè, vt idem sit quod ipsa possessio hereditaria, scilicet populus Christo & Abrahæ in C hereditatem promissus, vti præcessit. Aptius tamen priori modo, scilicet actiuè, capitur. Vrget & perurget Apostolus tam hîc, quàm Galat. 3. v. 18. iustitiam nobis obtingere ex fide, non ex lege & legis operibus: quia si per legem obtingeret, non per fidem; sequeretur ingens absurdum, scilicet fidem & promissionem Abrahæ esse abolitam & abrogatam. Abrahæ enim promissa est benedictio, non ex lege, vtpote ante legem; sed ex fide, quia scilicet credidit Deo promittenti. Rursus si ex lege datur iustitia, ergo non ex promissione: pugnant enim lex & promissio, lex & fides (fides enim respondet promissioni, estque promissionis acceptatio & applicatio) quia promissio libera est & liberalis, quodque promissum est, datur liberaliter, gratuitè & ex gratia; quod verò ex lege & D operibus legis datur, id datur non gratuitè, nec ex gratia, sed ex iustitia, & merito operum.

Vide Gal. 3. 18.

LEX ENIM IRAM OPERATVR] Hic versus non videtur rectè cohærere cum præcedenti, reputius ergo ad v. 13. more Hebræo est referendus. Reddit enim causam cur Abrahæ non potuerit promissio, id est promissa salus & iustitia, per legem obtingere: quia scilicet tantum abest vt lex hereditatem promittat, vt potiùs iram operetur. Est hæc noua ratio probans per legem non obuenire nobis iustitiam; quia scilicet lex non iustitiã, sed iram operatur: quia nimirum lex causa & occasio est, non benedictionis, non iustitiæ, non hereditatis, sed præuaricationis, & consequenter maledictionis, iræ & vindictæ diuinæ. Si enim non esset lex, non esset præuaricatio legis; & quia lex quasi per antiperistasin, concupiscentiam accendit: nam semper nitimur in vetitum, intelliges, nisi lex iungatur fidei & gratiæ, quæ legem ad-

Vide Rom. 5. 20.

set,

bet & concupiscentiam reprimat. quod intendit Apostolus. Scopus enim eius est ostendere necessitatem fidei & gratiæ Christi, ad eamque Iudæos omnesque homines deducere, vt iustitiam & salutem assequantur.

A

IDEO EX FIDE, VT SECVNDVM GRATIAM FIRMA SIT PROMISSIO] Deducit & concludit hunc totum Apostolus ex v. 14. q.d. Ex lege non potuit accidere nobis hereditas & iustitia Abrahæ: sit enim abolenda esset fides, & promissio Dei; ergo certum est nobis obuenit, puta per Christum, non per Mosen; idque *vt secundùm gratiam firma sit promissio*, vel, vt habent Græca, Syrus, & quidam Latini codices manuscripti, *vt secundùm gratiam, vt firma sit promissio*. q.d. Ideò ex fide obtingit nobis iustitia, vt illa sit nobis gratuita, sitque ex gratia, non ex debito & iustitia, vt ita consequenter firma sit promissio, qua Deus, vti per gratiam liberaliter promisit, ita per gratiam gratuitò & liberaliter præstat & donat nobis hanc iustitiam.

B

Nota. Cùm ait Apostolus, *vt firma sit promissio*, non intelligit promissionem remissionis peccatorum in particulari, qua hæreticus credit fide diuina sibi remissa esse peccata per fidem & pœnitentiam, nam nil tale habent verba Apostoli; sed hoc est glossema, quod apponunt Nouantes glossemate inquam, Aurelianense, quod textum euertit. Nam vt alia taceam, nemini certò constat an talem actum fidei diuinæ, vel pœnitentiæ habeat: potest enim credere fide naturali, non diuina, & ag spiritu naturæ, vel dæmonis, putans se agi Spiritu sancto, quin verò sine speciali Dei reuelatione constare nemini potest, se credere fide diuina; multò minùs certò constare potest cuipiam per talem actum, qui sibi incertus est, sibi remissa esse peccata.

C

Loquitur ergo Apostolus de promissione factâ Abrahæ in genere, scilicet quòd in semine eius benedicerentur, id est, iustificarentur & saluarentur omnes gentes, non tantùm Iudæi ex eo carnaliter nati, sed & Gentes, quæ spiritualiter ex eo per fidem nascuntur; quia Abraham quasi patrem in fide imitantur. Tantùm enim vult dicere, hanc benedictionem, id est iustitiam, per fidem, non tantùm promissam esse Iudæis filijs Abrahæ carnalibus, sed & Gentilibus filijs spiritualibus: non autem vult dicere, mihi, tibi, isti in particulari promissam esse iustitiam; sed tantùm in genere, & eo modo sub conditione, & per consequentiam huius syllogismi, *Omnibus, qui credunt, & fidem Abrahæ imitantur, promissa est benedictio, id est, iustitia, atqui ego credo; ergo mihi promissa est iustitia.* Vbi maior est de fide: verùm minor non est certa de fide, sed tantùm certa certitudine quadã morali & coniecturali, ac consequenter nec consequens est de fide, sed tantùm coniecturale.

D

FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI (posteritati Abrahæ) NON EI QVI EX LEGE EST SOLVM (non soli Iudæo,) SED ET EI (Gentili) QVI EX FIDE EST ABRAHÆ (qui Abrahæ patris fidem quasi genuinus eius filius consectatur) QVI PATER EST OMNIVM NOSTRVM] tam Gentilium, quàm Iudæorum. Est, inquam, pater propagatione non carnis, sed fidei & spiritus. Nam dum Abrahæ fidem imitamur, tunc ipse Abraham per Christum suam iustitiam, gratiam & spiritum in nos quasi filios suos transfundit, nosque sibi asciscit & adoptat.

SICVT SCRIPTVM EST (Genes. 17.) QVIA PATREM MVLTARVM GENTIVM POSVI TE] *Posui*, id est, ponam & constituam te: more enim prophetico ob certitudinem rei futuræ ponitur præteritum pro futuro. VERS. 17.

ANTE DEVM CVI CREDIDIT] Primò, Oecumenius hæc verba refert ad τὸ *sicut scriptum est*. q.d. Sicut scriptum est ante Deum, id est, coram Deo, cui nos fides commendat; vel, sicut scriptum est ex persona Dei. *Sextuplex horum verborum expositio.*

Secundò, Origenes sic explicat, *Ante Deum*, id est, à Deo Abraham factus est pater noster.

Tertiò, Anselmus, *Ante Deum*, inquit, quia Abraham per fidem factus est pater, quæ fides Dei oculis patet, non hominum.

Quartò, S. Chrysost. Theodor. & Theophyl. Græcum κατ' ἀντι, exponunt è regione, ex aduerso, id est, ad exemplum & similitudinem. Hanc enim sibi ex aduerso opponunt & proponunt pictores, cùm eam exprimere volunt. q.d. Paulus, Ad exemplum & similitudinem Dei, qui vniuersalis est omnium pater, Abraham pariter factus est pater multarum gentium.

Quintò, alij sic explicant: *Posui te patrem ante Deum*, id est, patrem spiritualem per generationẽ & cognationem spiritualem, quæ coram Deo locum habet, & Deo nos gratos reddit. Sed hoc alienius & obscurius est.

Sextò ergò planissimè: *Posui te patrẽ ante Deum*, id est, in præscientia & decreto diuino, immobili, certo & irreuocabili; necdum enim Abraham actu erat pater multarum gentium, sed tantùm in præscientia & prædestinatione Dei. Vnde explicans subdit Paulus: *Qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* ita S. Augustin. in psalm. 105.

QVI VIVIFICAT MORTVOS] *Mortuos*, id est, peccatores, ait Anselmus: sed hoc mysticum est. *Quid per mortuos intelligat Paulus, quadruplicitur expositum.*

Secundò Ambrosius, *Mortuos*, inquit, id est, ad generandum inualidos senes, imbecilles, penè enectos & mortuos quales erant Sara & Abraham, cùm generarunt Isaac.

Tertiò, S. Chrysost. Propriè, inquit, Deus viuificat mortuos, cùm eos à morte resuscitat. Hisce enim verbis Paulus commendat Dei omnipotentiam. q. d. Sicuti Deus potest suscitare mortuos, ita potest facere, vt Gentes natæ in paganismo, spiritualiter renascantur per fidem, fiantque filij Abrahæ: idque credidit Abraham, cùm credidit Deo dicenti: *Patrem multarum gentium posui te.*

Quartò, Toletus putat Apostolum hîc respicere ad fidem Abrahæ, qua iussus immolare filium Isaac, credidit quòd Deus eum à se immolatum, à morte suscitaret. Verùm de hac Abrahę fide non agit hîc Paulus, nec Moses Genes. 17. sed tantùm de fide, qua credidit Abraham Deo primò promittenti, sibi ex Sara nasciturum esse Isaac, vt patet ex verbis Apostoli, maximè sequentibus, & ex Genes. c. 17. nam immolatio Isaac præcepta fuit postea, Genes. 22. Tertius ergo sensus S. Chrysostomi magis litteralis & appositus esse videtur. Alludit tamen ad Isaac, quem Abraham immolauit, credens posse Deum illum à mortuis suscitare, vt explicat idem Paulus Hebr. 11. v. 19. quæ suscitatio figura erat suscitationis Christi, cuius fide nos eramus iustificandi, vt ait v. 24. Licet enim Gen. 17. necdum reipsa immolatus & suscitatus esset Isaac, erat tamen immolatus & suscitatus in præscientia & prædestinatione Dei; atque

per eum Abraham futurus erat pater multarum gentium.

Quintuplex sensus horum verborum.

ET VOCAT EA QVÆ NON SVNT, TAMQVAM EA QVÆ SVNT] Primò, Deus, ait Anselmus, vocat Gentes, *quæ non sunt*, quia viles erant & nihili, vtpote infideles, à Deo primo ente remotissimæ, vt sint nobiles & fideles, adhærentes Deo primo enti.

Secundò Ambros. Deus, ait, vocat Gentes quæ non sunt semen, vt sint semen & populus Abrahę.

Tertiò, Pererius, Deus, ait, ab æterno homines, qui non erant, elegit ac prædestinauit ad vitā æternā, quasi actu essent, & quasi essent ab æterno.

Dei præscientia claritas & distinctio.

Quartò, alij sic explicant, q. d. Paulus: Deus ita clarè & distinctè videt ea, quæ non sunt, sed longè pòst futura sunt, sicuti videt & cognoscit ea quæ iam actu sunt. *Vocat* ergo, id est, videt & cognoscit, vt ea vocare possit. Hinc dicitur Eccli. 23. *Domino Deo nostro, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sicut & post perfectum respicit omnia.* B

Quintò, planissimè & optimè, Deus vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt; quia Deus æquale habet imperium in ea, quæ non sunt, atque in ea quæ sunt, & ea quæ non sunt facit vt sint: verbi gratia, hìc facit, vt Gentes, quæ non erant, sint filij Abrahæ.

Dei vocare est creare & facere.

Vbi Nota. Dei vocare est creare & facere; omnia enim possibilia cùm nondum actu sunt, sunt tamen & latent in omnipotentia Dei, quasi in virtute & semine, & cùm Deus suo iussu illa inde euocat, hoc ipso facit vt sint. Dei enim dicere & vocare est efficax, idemque est, quod nostrum facere. ita S. Chrysost. Vnde Græcum καλεῖ τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, verti potest, *qui vocat ea, quæ non sunt, quasi sint.* ita S. August. in psal. 105. Sic Deus C è tenebris & thesauris suæ potentiæ vocat (vti loquuntur Prophetæ) famem, gladium, siccitatem, dum facit vt sint; dumque illa quasi famulos & lictores orbi & hominibus immittit. Inde enim

Omnes creaturæ etiam nondum existentes quasi exercitus Deo famulantes ab eo euocantur.

sumpta est metaphora; quasi Deus euocans famē, pestem, gladium, dicat: Tu fames quasi satelles veni, & puni tales impios homines; tu gladie lictor adesto, vade, plecte Flandriam; tu grando adesdum, percelle Franciam. Hoc enim significat Hebræum קָרָא *kara*, id est, vocauit. *Sic stellæ*, inquit Baruch c. 3. *lumen dederunt in custodiis* (id est, stationibus & excubijs: stellæ enim sunt quasi milites Dei, ad eius obsequium semper excubantes) *suis: vocatæ sunt, & dixerunt* (non verbo, sed facto & reipsa) *Adsumus*. atque hinc dicitur Deus sabaoth, id

Deus Sabaoth vnde dictus.

est exercituum, quia omnes angeli, stellæ, & creaD turæ quæuis, etiam nedum existentes, sunt exercitus, Deo ad nutum obsequentes, & pro eo depugnantes.

VERS. 18. QVI (Abraham) CONTRA SPEM (naturæ & naturalis potentiæ generatiuæ) IN SPEM, id est, in rem speratam gratiæ & promissionis diuinæ, CREDIDIT, quòd scilicet, FIERET PATER MVLTARVM GENTIVM] Nota. Sicuti sperare desperata, est sperare contra spem, sic & credere futura, quorum nulla est spes, est credere contra spem; quòd scilicet seni Abrahæ, & sterili Saræ nascetur Isaac, quia idipsum promisit Deus. ita Theophyl. Anselmus, & Theodor.

Abraham pater fidei & spei.

Nota, quantam fidem & spem exegerit Deus ab Abrahamo, & quantam præstiterit Abraham, vt meritò pater fidei & spei appelletur: nimirum, vt contra spem in spem crederet, vt speraret & crederet ea, quæ naturaliter erant impossibilia, vt contra omne Medicorum & Physicorum iudicium, supra naturæ vires, ad Deum Deique promittentis omnipotentiam heroica fide se erigens, certissimò sibi persuaderet, ex sterili & anu Sara, nascituram sibi prolem à Deo promissam, hacque fide meruit & impetrauit non tantùm prolem hanc, sed omnem Dei benedictionem. Adeò grata fuit Deo hæc fides & spes in se: vnde eam in Abrahamo, quasi in speculo nobis imitandam hìc proponit, idque Primò, in rebus & articulis fidei, quæ nostrum captum & naturæ vim transcendunt. v. g. iubet Deus credi se esse Deum vnum in essentia, & tamen trinum in personis: iubet credi, Christi corpus realiter esse præsens in Eucharistia, etiamsi visus & sensus aliud nobis dicterent. Hìc fidelis contra spem naturę credet in spem diuinæ omnipotentiæ, vt transcendat exilitatem dictaminis oculorum, aurium, phantasiæ, & iudicij naturalis, & in Deum se erigens firmissimè credat id quod ipse, qui est prima & infallibilis veritas, quæ nec mentiri nec fallere potest, dixit: nostrum, *Ego & Pater* (pariter & Spiritus sanctus) *sumus: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic est sanguis meus*, &c.

Secundò, & magis ad mentem Apostoli, in rebus arduis, in graui tentatione & tribulatione, in persecutione, in infamia, in morbis, morte, & martyrio, in apostolatu ad Indos, Anglos, Hollandos capessendo, si quis ad eos mittatur, & naturalis suæ infirmitatis conscius trepidet, contra spem in spem credat; cogitet homini Christiano multa supra naturam esse facienda & toleranda; cogitet gratiam superare & transcendere naturam, cogitet Deum, qui olim misit, & mittendo fecit Apostolos & Prophetas, se quoque mittere, & mittendo facturum Apostolum, dicatque: Omnia possum, non in me, sed in eo qui me confortat. Hac spe subnixi & roborati Apostoli orbem subegerunt Christo, hac spe Martyres omnia supplicia & tyrannos vicerunt, hac spe tenerrimæ virgunculæ SS. Agnes, Agatha, Febronia, aliæque innumeræ, carnem & mundum, omniaque diabeli tentamenta & tormenta superarunt. Hæc spes multis deest, ideoque humi repunt, nec ad magna assurgunt. radix huius mali est debilitas fidei, quia non viuè apprehendunt & credunt, sibique planè persuadent Deum esse omnipotentē; Deum neminem sinere tentari supra vires; Deum esse suorum fidelissimum protectorem; Deum nostri curam gerere magis, quàm pater, mater, &c. Et sanè non parua est iniuria Dei, tam paruam de eius bonitate, potentia, prouidentia, & paterna cura habere opinionē; cùm moneat Sapiens, *Sentite de Domino in bonitate*. q. d. Bene, piè, sanctè sentite de Dei prouidentia, clementia, alijsque attributis; non malè & impiè cum Epicureis & atheis, non timidè & contractè cum timidis & pusillanimibus. Vult enim Deus haberi à nobis optimus & clementissimus, æquè ac potentissimus; honorē sibi ducit cùm talis qualis reuera est à nobis creditur, speratur, colitur: sicut rex vult haberi à suis clemētissimus, quodq; in omnes regali vtatur munificētia. magnū ergo gratissimumq; obsequium, reuerentiam ac honorem Deo deferimus; cùm magna ab eo speramus, cùm magnam in eo, quibusuis in rebus quamuis arduis, collocamus fiduciam: ac tum magna largitur, tum magna operatur. Quis enim sperauit in eum, & confusus est?

Vide

Vide quanta fecerit Deus per Athanasios, Gregorios Vincentios, Laurentios; imò per teipsum fidele: modicæ ergo fidei in hac tentatione, in hac difficultate, quid dubitas, quid trepidas? Deus adest, Deus regit & pascit te. Sanè Christiano, præsertim generoso, & ad magna anhelanti, excitanda maximè est spes, vt etiam sæpè contra spem in spem credat, sciatque spem numquam esse nimiam, nec tanta sperari à Deo, quin Deus plura fide sperari velit, itaque faciet admiranda supra vires, supra naturam. *Nescitis*, inquiebat S. Ignatius, *quantas vires habeat spes in Deum. Spes quæ rebur, quæ est spes.* S. Xauerius vna spe adeò armatus fe, vt in rebus difficillimis nihil timeret nisi diffidentiam de Dei ope; hac spe inuasit Indiam solo Deo nixus, hac spe totum Orientem euangelizando percurrit; hac spe vndecim annis, quibus diuixit, quanta, quàm stupenda, supra vires, supra humanam prudentiam aggressus est, & feliciter ad Dei gloriam perfecit?

Vide S. Bernardus serm. 15. in psal. Qui habitat sperate in eo (Deo) inquit, *omnis congregatio populorum cumque enim locum calcauerit pes vester, vester erit, pes vester vtique spes vestra est, & quantumcumque spatio processerit, obtinebit. Si tamen in Deum tota spes, vt firma sit, & non titubet; quid timeat aspidem aut basiliscum? quid leonis rugitus, aut draconis sibilus expauescat? Quoniam in me sperauit, liberabo eum: perua liberatu, ne iterum egeat liberari, protegam eum (inquit) quoniam cognouit nomen meum, ne sibi tribuat, quòd liberatus est, sed nomini meo det gloriam.*

S. Augustin. verò in illud psalm. 102. *Quoniam secundum altitudinem cæli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se*, &c. pulchrè exemplo cæli terram longè superantis, & transcendentis declarat, quàm Dei cura & prouidentia cuncta transcendat omnem cogitationem & spem, ac consequenter, quantum in eam spem nostram erigere & dilatare debeamus. *Confirmauit*, inquit, *Dominus misericordiam suam super timentes se. Secundum quid? secundum altitudinem cæli à terra. Quid licet? si aliquando potest cælum abscedere à prouidentia terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende: cælum vbique atque vndique protegit terram, & nulla pars terræ est quæ non cælo protegatur. Peccant homines sub cælo, faciunt omnia mala sub cælo, & tamen proteguntur. Inde lux ad oculos, inde aër ad spiritum, inde pluuia ad terram propter fructus, inde omnia misericordia à cælo. Tolle auxilium cæli à terra, statim deficiet. Sicut ergo protectio cæli permanet super terram, sic protectio Dei permanet super timentes eum. Times Deum? supra te est protectio ipsius. Sed forte singularis es & putas quia deseruit te Deus: si deseruit prouidentia terram? quoniam secundum altitudinem cæli à terra confirmauit misericordiam suam Dominus super timentes eum. Sicut miseretur pater filiorum, sic misertus est Dominus timentibus eum. Iam sæuiat quantùm vult, pater est, sed affixit nos, sed contriuit nos: pater est.*

SECVNDVM QVOD DICTVM EST EI: SIC ERIT SEMEN TVVM] Citat Apostolus Genes. 15. v. 5. vbi Dominus dicit ad Abraham: *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum*, scilicet, sicut stellæ cæli (vti addunt hîc aliqui Latini codices.) q. d. Posteritas tua, ô Abraham, tum ad litteram carnalis Iudæorũ, tum potiùs allegorica credentium & Christianorum, erit instar stellarum. Primò, innumera & maxima; Secundò, sublimissima & cælestis; Tertiò, constans, ordinatissima & æterna; Quartò, potentissima; Quintò, famosissima; Sextò, splendidissima & glorioſissima maximè post resurrectionem. *Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Daniel. 12. 3. Atque huc alludit Ecclesia, cùm canit pro defunctis: *Signifer tuus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius.*

ET NON INFIRMATVS EST FIDE, NEC CONSIDERAVIT CORPVS SVVM EMORTVVM] Græcè νενεκρωμένον, id est, mortificatum, viribus effœtum, & ad gignendam sobolem ineptum. VERS. 19.

Dices, Quomodo ergo postea Abraham genuit filios ex Cetura.

Respondet August. q. 35. in Genesim, fuisse Abrahæ corpus emortuum respectu Saræ vetulæ, non autem respectu Ceturæ iunioris.

Secundò respondet S. Thomas, verè Abraham tunc fuisse impotentẽ præ senio ad generandum ex qualibet femina, sed diuino miraculo redditâ ei fuisse virtutẽ, qua ex Sara, Cetura, & quacumque alia proles suscitare & generare posset. Prior explicatio est verior, vti ostendi Gen. 17. v. 17. *Emortua vis generandi reddita diuinitus Abrahamo in senio.*

IN REPROMISSIONE ETIAM DEI NON HAESITAVIT] Græcè, οὐ διεκρίθη, id est, non diiudicauit, non disquisiuit, quomodo scilicet id fieri posset. VERS. 20.

Dices, Abraham, Genes. 15. v. 8. audita hac Dei promissione, illam signo confirmari petit & cupit, dicens: *Vnde scire possum, quòd possessurus sim eam* (Chananæam?) ergo videtur hæsitasse & dubitasse Abraham de Dei promissione.

Respondeo, Abraham ibi non dubitat de re & substantia promissionis diuinæ: nam paulò antè ibidem v. 6. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Sed tantùm modum illius in executione seruandum cognoscere, & eius quod crediderat similitudinẽ aliquam sibi ostendi exoptat. ita S. August, Chrysost. & Theodor. in Genes. 5. *Abraham licet signũ à Deo petierit, tamen non dubitauit, sed firmiter credidit Deo.*

Secundò, vt Rupertus & Tostatus ibidem; hîsce verbis cupit & rogat Abraham, vt Deus promissum suum confirmet, nec vllis posterorum demeritis illud irritet & reuocet.

Tertiò, petit Abraham signum, inquit Caietan. ibidẽ, non sibi, sed posteris, vt scilicet ipsi firmiùs idipsum crederent, quod iam firmiter credebat Abraham. Hinc patet, fidem iustificantem non esse fiduciam, quæ est in voluntate, sed esse assensum & actum intellectus: quia per hanc fidem, vt hîc ait Paulus, Abrahã *non consideravit corpus suum emortuum, & plenissimè sciuit, quia quacumque promisit Deus, potens est & facere.* Deinde actum eius non vocat fidere, sed credere Deo promittenti posteritatem. *Fides non est fiducia in voluntate, sed assensus intellectus.*

Dices, Quomodo ergo ait Paulus de hac fide Abrahæ; quòd *non hæsitauit diffidentia?* hæc enim opponitur fiduciæ.

Respond. Diffidentia hîc idem est quod incredulitas, græcè enim est ἀπιστία. Vnde Syrus vertit, *nec de promissione Dei dubitauit, tamquam expers fidei.* Eodem sensu accipitur diffidentia ad Ephes. 5. 6. De quo plura ibidem.

DANS GLORIAM DEO, PLENISSIME SCIENS, QVIA QVAECVMQVE PROMISIT DEUS, POTENS EST ET FACERE] Pro *plenissimè sciens*, græcè est πληροφορηθεὶς, id est, plenissimè persuasus, de quo plura dicam c. 14. 5. q. d. Abraham dedit gloriam VERS. 21.

Deo

Deo, Deumque glorificauit sua fide, scilicet, hoc ipso, quo planè sibi persuasit, Deum sua promissa, quantacumque, & posse & velle implere. Ille enim glorificat Deum, qui de Deo, Deique potentia & fidelitate, vt par est sentit, credit & prædicat.

Nota. Cùm ait Paulus, *Potens est & facere*, est mirosis significans, & potens est, & faciet; vtrumque enim credidit Abraham. de qua phrasi plura dicam 2. Cor. 9. 8. Vbi Aduerte. dicit Paulus, *Potens est*, non autem, Verax est, aut, sapiens, vel, fidelis est; quia potentia diuina præ alijs Dei attributis in rebus arduis proponenda est humanæ infirmitati, vt naturam & omnia hominũ auxilia transcendens in Deum Deiq; potentiam se erigat, ab eaque certò speret opem, & rem promissam. *Ideo*, inquit Fulgent. li. 1. ad Monimum, *in Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotentis est difficultas.* Hinc Patres docent, in tentationibus, & rebus afflictis ac difficillibus, non ad homines, sed ad orationem & Deum confugiendum esse, vt anchoram spei iaciamus, non in mare, sed in cælum, sicque animæ nostræ nauem ab omni turbinum & tempestatum æstu tutam & fixam fore.

In arduis & difficilibus confugiendum non ad homines, sed ad Deum.

VERS. 22. REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM] q. d. Ob tam heroicam fidem Abraham iustificatus est.

VERS. 23. & 24. NON EST SCRIPTVM TANTVM PROPTER IPSVM, QVIA (quòd) REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM: SED ET PROPTER NOS, QVIBVS REPVTABITVR (nostra fides ad iustitiam) CREDENTIBVS (si credamus) IN EVM, QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM A MORTVIS] q. d. Abraham datur & proponitur nobis in exemplar iustificationis: ac proinde sicut ipse, ita & nos non ex circumcisione, lege & Mose, sed ex fide & Christo iustitiam quærere & consequi debemus.

Fides resurrectionis Christi maximè necessaria.

Nota. Hîc & alibi inculcat Apostolus fide credendam esse resurrectionem Christi: quia hic erat articulus mundo tunc incredibilis, & quia hic articulus maximè est necessarius, & compendium quasi cæterorũ: nam qui eum credit, credit Iesum esse Christum & Messiam, Deum & hominẽ, Saluatorem mundi, qui pro peccatis nostris & salute nostra mortuus est, & resurrexit. Tertiò, quia fides & spes resurrectionis maximè nos excitat ad bene & christianè viuendum, omniaq; dura tolerandũ.

VERS. 25. QVI TRADITVS EST (tum à Iuda & Iudæis, tum potiùs à Patre æterno in mortẽ & crucem) PROPTER DELICTA NOSTRA, ET RESVRREXIT PROPTER IVSTIFICATIONEM NOSTRAM] Nota. Christus in passione sua omne meritũ, pretium & lytrum redemptionis nostræ consummauit: vnde per suam resurrectionẽ non meruit nostram iustificationẽ.

Per resurrectionem Christus non meruit nostram iustificationem.

Dices, Quomodo ergo hîc dicitur, quòd *Christus resurrexit propter iustificationem nostram?*

Particula propter significat hic quatuor causas.

Respondet cõmentarius Ambrosio asscriptus, sensum Apostoli esse, q. d. Illi qui baptizati sunt ante passionẽ Christi, solùm tunc remissionẽ peccatorum acceperũt: post resurrectionẽ verò Christi & missum Spiritum sanctũ fuerunt iustificati. Sed hic est error, qui satis arguit hos cõmentarios non esse Ambrosij. Resp. ergo cum Franc. Suarez 3. p. q. 56. præpositionẽ *propter*, quatuor causas hîc posse significare. Primò, materialem seu obiectiuam. ita Caietan. & Adam: q. d. *Christus resurrexit propter iustificationem nostram*, qua scilicet per fidem resurrectionis, qua credere cœpimus Christum esse Dei Filium & Redemptorem mundi, A perducti sumus ad iustificationem; & quia Christus ipse resurrectione sua fidem suæ passionis & deitatis roborando, spemque nostram acuendo, iustificationem nostram procurauit.

Secundò, vt S. Anselmus, Origenes, & S. Thomas, præpositio *propter* significare potest causam exemplarem; q. d. Christus mortuus est, vt eius exemplo moriamur delictis; & resurrexit, vt nos resurgamus ad nouitatem vitæ: resurrexit ergo Christus ad hoc, vt nobis daret typum & exemplar resurrectionis animæ.

Tertiò, τὸ *propter* potest significare causam efficientem. nam, vt docet D. Thom. 3. p. q. 56. a. 2. resurrectio humanitatis Christi est instrumentalis diuinitatis eiusdem, efficiens iustificationẽ nostram, instrumentũ inquam, non physicum, vt volunt aliqui: resurrectio enim, quæ per tot sæcula transijt, quomodo physicè iam agere, influere & operari potest? sed morale, quia scilicet debuit Deus resurrectionem Christi ad nostram iustificationem, decreuitque nos non iustificare, nisi post illam, & quasi per illam: sicut rex qui promittit subditis per coronationẽ filij sui, certa priuilegia, nonnisi post eam, & quasi per eam ea elargitur, & hoc sensu dicitur Ioan. 7. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* B

Quartò, & optimè, præpositio *propter* significat causam quasi meritoriam, Christus enim officium suum & meritum passionis in resurrectione, quasi in termino suo absoluit: resurrectio enim fuit terminus & complementum passionis, meritorum & totius œconomiæ Christi. Vnde resurrectio & passio censentur vnum opus redemptionis & vna actio moralis Christi completa, qua simul & semel meruit Christus tum remissionem peccatorũ, tum iustificationem nostram: sed ob similitudinem appositè Apostolus tribuit remissionẽ passioni, quasi satisfactioni; resurrectioni verò iustificationem, quia per resurrectionem, quam suis meritis & virtute propria adeptus est Christus, factus est plenus redemptor & iustificator; vtpote victor mortis, & consequenter victor regni peccati & iniustitiæ, quod mortis erat causa, tuncque simul suum induxit regnum vitæ, sanctitatis & iustitiæ. Vnde post resurrectionẽ misit Spiritum sanctum iustificatorem, misit & Apostolos, qui vi verbi sui, & sanctis Sacramentis à se institutis nos iustificarent. C

Adde, nisi Christus resurrectione sua mortem vicisset, imbellis & inefficax fuisset ad vincendum & debellandum omnino peccatum, quod mortis est causa, quodque morti quasi effectui suo adiectum & colligatum manet, ac consequenter imbecillis & impotens fuisset Christus ad iustificandum nos. Vnde Syrus vertit, *resurrexit vt iustificet nos.* qua de re plura dicam 1. Cor. 15. 17. D

Denique τὸ *propter* significat causam finalem, eamque mutuam. Nam & Christus resurrexit hoc fine, vt mitteret Apostolos & Spiritum sanctum, qui nos iustificarent, & vicissim finis nostræ iustificationis est, vt laudetur & celebretur resurrectio Christi, siue Christus resurgens, qui eius causa est & auctor. Christus ergo moriens & resurgens, nosque secum suscitans; fuit phœnix, cui proinde recte illud phœnicis ænigma attribuas:

Vita mihi mors est, morior si cœpero nasci.
Sed prius est fatum, lata quàm lucis origo.
Sic solos manes ipsos mihi dico parentes.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus docuit Paulus, nos iustificari non per legem, sed per fidem Christi: nunc ostendit, quanta sit tum excellentia & celsitudo, tum vtilitas huius iustitiæ, quam Christus nobis attulit.

Primò ergo, recenset sex fructus huius iustitiæ, quos enumerabo v. 2. ex quibus fit vt gloriemur non tantùm in spe beatitudinis, sed etiam in tribulationibus, quia charitas Dei & Christi diffusa est in cordibus nostris.

Secundò, v. 12. opponit & præponit gratiam Christi peccato Adæ, docetq́, quòd sicuti per vnius Adæ inobedientiam peccatores facti sumus, & morti obnoxij, ita per Christi obedientiam iustitiam & vitam æternam adipiscamur.

Tertiò, v. 20. docet legem inter Adamum & Christum subintrasse, vt abundaret delictum, idq́, eò, vt vbi abundauit delictum, ibi abundet & gratia Christi.

1 IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: 2. per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. 3. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur: 4. patientia autem probationem, probatio verò spem, 5. spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 6. Vt quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus pro impijs mortuus est? 7. Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. 8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus 9. Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. 10. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. 11. Non solùm autem: sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. 12. Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. 13. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. 14. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. 15. Sed non sicut delictum, ita & donum. si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. 16. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum. nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. 17. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. 18. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. 19. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi. 20. Lex autem subintrauit vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia. 21. vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.

1 IVSTIFICATI ERGO EX FIDE, PACEM HABEAMVS AD DEVM PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM] *Pacem habeamus.* Ita legunt Biblia Romana, Origenes, Chrysost. Theodoret. Ambros. Theophyl. sed Syrus & Græca iam habent ἔχομεν, id est, *habemus pacem.* Hoc enim aptè infert Apostolus ex præcedentibus; q. d. vt Ambros. & Tolerus explicant, *pacem*, id est, reconciliationem & amicitiam cum Deo habemus, ex eo quòd iam simus iustificati per fidem Christi. Verùm legendum cum Romanis alijsque non, *habemus*, sed, *habeamus pacem.* Primò, Occumen. & Anselmus hunc dant sensum; q. d. Paulus: Cùm iam simus iustificati per Christum, hinc par est vt omnes pacem in Christo seruemus, nec Iudæi cum Gentibus de iustitia, deque prælatione contendere pergant; sed huic sensui repugnat vox *ad Deum*, quæ significat Apostolum loqui de pace, quam habemus non cum hominibus, sed cum Deo.

Vnde Secundò, S. Chrysost. & Theodor. sic explicant, q. d. *Pacem*, id est amicitiam cum Deo in iustificatione acceptam, *habeamus*, id est, conseruemus. Hoc valdè litterale videtur.

Tertiò, & maximè genuinè ad mentem Pauli sic

Locus moralis de tranquillitate conscientiæ contra Nouantes.

sic exponemus, q. d. Cùm iam simus iustificati per fidem & gratiam Christi, vti hactenus demonstraui, *pacem habeamus*, id est, pacato & tranquillo simus animo, nullam posthac metuentes Dei vindictam & condemnationem; simus animo à terroribus quos ingerere solet mala conscientia, libero, læto & sereno, vtpote iam reconciliati cum Deo, Deique amici & filij. Pax ergo hæc est tranquillitas, serenitas & fiducia iustæ & bonæ conscientiæ, orta non ex certitudine fidei diuinę, qua quis certissimò credat sibi per Christum remissa esse peccata, vt volunt Nouantes: sed ex coniecturis & signis quæ moralem quamdam certitudinem dant, nos esse iustos; cùm conscientia scelerum remissione & venia in baptismo, aut pœnitentiæ Sacramento, vti confidit, accepta, nullius peccati sibi iam conscia, mentem non angit aut mordet, sed placida & pacata studet puritati & sanctimoniæ, spem & amorem in Deum & cælestia defigens, rectaq́; tendens ad beatitudinẽ, & gloriam æternam. Pax hæc conscientiæ ingens est bonum, vt meritò dixerit S. Tiburtius martyr: *Omnia nobis vilia est pœna, vbi pura comes est conscientia.* De quo plura 1. Timoth. 1. 5. Rursum hæc pax est scutum impenetrabile, quo omnia hostium tela excipimus, & elidimus. Audi S. Leonem serm. 6. de Natiuitate Christi: *Totus mundus in maligno positus est: & insidiante diabolo & angelis eius, hoc innumeris tentationibus laboratur, vt hominem ad superna nitentem aut aduersa terreant, aut secunda corrumpant: sed maior est qui in nobis est, quàm qui aduersus nos est: & pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri cum toto corde dicentibus, Fiat voluntas tua; nulla prævalere certamina, nulli possunt nocere conflictus.* Causam subdit: quia *consensum animi carnis concupiscentiis denegantes, inimicitias quidem aduersus nos eius, qui peccati est auctor, commouemur: sed inexpugnabilem cum Deo pacem gratia ipsius seruiendo firmamus, vt regi nostro non solùm obedientia subiiciamur, sed etiam iudicio copulemur.* Quocirca *ipse iam pro nobis omnia bella conficiet: ipse qui dedit velle, donabit & posse, vt simus cooperatores operum eius, & propheticum illud cum fidei exultatione dicamus: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?*

VERS. 2. PER QVEM ET HABEMVS ACCESSVM IN GRATIAM ISTAM] iustificationis & remissionis peccatorum, ex qua pax ista sequitur.

Nota. τὸ & hîc non tam copulatiuũ est quàm explicatiuum & causale, idemq́; valet, quod *vtpote*. q. d. Iustificati habeamus pacem per Iesum Christum, vtpote per quem accessum habemus ad gratiam istam, ita S. Chrysost.

IN QVA STAMVS] id est, constanter perseueramus, græcè ἑστήκαμεν, id est, erecti consistimus, firmi permanemus.

ET GLORIAMVR IN SPE] ἐπ' ἐλπίδι, id est, sub spe, vel propter spem, seu quia speramus gloriam præparatam filiis Dei. græcè deest τῶν *filiorum*.

Sex fructus & excellentia iustitiæ.

Nota. Primus fructus & excellentia iustitiæ est pax, v. 1. Secundus est, spes gloriæ, v. 2. Tertius est, magnitudo animi, & lætitia in aduersis ob spem gloriæ. *Et facere & pati fortia, non Romanum*, vt aiebat Scæuola, *sed Christianum est.* Quartus est, quòd per eam efficimur Deo amici & dilecti per charitatem, v. 5. Quintus est, quòd per eam à Deo adoptamur in filios, eoq́; patre gloriamur, v. 11. Sextus est, merces vitæ æternæ, v. vltimo.

VERS. 3. NON SOLVM AVTEM, scilicet gloriamur in spe

Lirin. grat. 9 & malis. Ibis ad fin. Hæres. Euseb. l. 9 Hist. c. 17. f. 728.

A ista, inquit Theophyl. SED ET GLORIAMVR IN TRIBVLATIONIBVS] quas propter Christum, siue pro Christo, & vita Christiana patimur, reputantes eas esse insignia Dei dona & beneficia, quibus non ipse donat, perficit, ac promouet ad patientiam, omnemq́ue virtutem, ac præsertim ad spem certam futuræ gloriæ. Hanc enim causam dat ipse Apostolus, cùm subdit: *Scientes quòd tribulatio patientiam operatur.* Eamdem causam dat S. Bernardus serm. 17. in psal. 90. *Siquidem*, inquit, *in tribulatione spes gloriæ, imò & ipsa in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est.* Addit Secundam: quia Deus promittit, dicitq́ue, *Cum ipso sum in tribulatione.* Hæc est quod S. Martinus diabolo Christum se mentienti, & apparenti in gloria, respondit: *Christus sine hac vita non nisi in cruce apparet.* Ita Sulpit. in eius vita. Iam quis non aueat, quis non gaudeat esse vbi Christus, vbi Deus est? *Bonum*, ait S. Bernard. *ibidem, mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in cælo. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Præclarè S. Augustin. in sentent. nu. 226. *In præsenti vita & delicia temporales dulces sunt, & temporales tribulationes amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians bonis vitæ æternæ?*

B

SCIENTES QVOD TRIBVLATIO PATIENTIAM OPERATVR] *Operatur*, vt causa non efficiens, sed materialis, scilicet vt occasio, obiectum & excitamentum patientiæ, de quo vide Chrysost. in moC rali hom. 9. Simili modo & sensu vulgò dicitur, quòd tortores Martyribus, & impij pijs quos torquent, fabricant coronam in cælis. Loquitur enim Paulus de iustis constantibus & cordatis, qui ex tribulatione robustiores & perfectiores euadunt, non de timidis & leuibus, qui tribulationi cedunt & succumbunt. Addit hîc notatq́ue S. Chrysost. Deum in hoc statu lapso, quo concupiscentia exfluimus, necessariò immisisse nobis tribulationes ad eam castigandam & stringendam. Sicut enim siluestres aues cicurantur cauea, equi indomiti fræno, canes loro: sic per tribulationes homo alioqui incompositus & indomitus fit mitis, patiens, flexilis, obediens Deo.

Vnde notat Hugo Cardinalis Apostolum hîc innuere, patientiam esse veluti terram fructiferã, D quam tribulatio operatur, id est arat, colit, vt fructum ferat meritorium; eo sensu, quo Gen. 2. Adam dicitur positus in paradiso, vt operaretur illum. Hinc patet, quàm alacri animo excipienda sit quæuis tribulatio, vtpote quæ velut diligens agricola, nostram patientiam, quasi tellurẽ exercet, vt vberem meritorum segetem proferat.

PATIENTIA AVTEM (operatur) PROBATIONEM] quia scilicet nos nostramq́ue virtutem probat, vt fornax probat aurum. Secundò & melius, *patientia* operatur *probationem*, id est, terminum probationis, experimentum scilicet (hoc enim significat Græcum δοκιμὴν, quod non actiuè, sed passiuè tantùm capitur) vt sit probatus & exploratus animus patientis; pateatq́ue quanti Deum & cælestia faciat (vtpote pro quibus tanta tam generosè patitur) ac consequenter, quàm laudabilis & excelsus sit. ita Caietan. & Toletus. Aliter ergo sumit pro-

probationem S. Iacobus c. 5. cùm è contrario ait, quòd probatio fidei patientiam operetur, scilicet per ipsa tribulatione & persecutione, quæ homines exercet & probat. Hæc enim operatur & extruit patientiam eo sensu, quem paulò antè dedi. Quocirca S. Augustin. in sententijs (quas ex eo excerpsit S. Prosper, & habentur in fine tomi 3. S. Augustini) num. 186. *Non queratur*, ait, *homo, quando in his quæ iustè habet, patitur aliquas aduersitates. Per exercitationem enim inferiorum docetur amare meliora, ut viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat.*

PROBATIO VERO (operatur) SPEM] id est, spei robur & vigorem. ita S. Chrysost. & Anselmus: nam aliqui simpliciter spes præcedit & operatur patientiam & probationem. Hinc contra Nouantes Nota. Licet spes primariò Dei ope & gratia nitatur, secundariò tamen bonis quoque operibus patientiæ, & alijs ex gratia factis nititur. Tria hæc spem roborant, ait Bernard. in sententijs. Primum, et humilitas collata sapientiæ. Secundum, firmitas constantis patientiæ. Tertium, veritas inspirationis occultæ.

SPES AVTEM NON CONFVNDIT] ἡ καταισχύνει, id est, non solet pudefacere: quia scilicet sperantem non frustratur, nec fallit, sed eum certò perducit ad assecutionem rei speratæ à Deo. Secus se habet spes fallax, quam collocamus in hominibus, quæ sæpè fallit, ideoque pudore afficit. ita Theophyl. & Anselm. Quid enim sunt spes mortalium, nisi (vt aiebat Plato) somnia vigilantium, aut potius desiderantium? *Spes*, inquit S. Bernard. serm. 5. in Cant. *non confundit; quia infundit certitudinem. Per hanc enim ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd simus filij Dei.* Verè S. Augustinus in illud psalmi 30. *Odisti obseruantes vanitates supervacuas. Ego autem in Domino speraui. Ego*, inquit, *qui non obseruo vanitatem, in Domino speraui. Speras in pecuniæ obseruas vanitatem; speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ, obseruas vanitatem; speras in aliquo amico potente, obseruas vanitatem. in his omnibus cùm speras, aut tu expiras, & ea hic dimittis; aut cùm viuis, omnia pereunt, & in spe tua deficis. Istam vanitatem commemorat Isaias, dicens: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Ego autem, non quomodo illi qui sperant in vanitates & obseruant, sed in Domino speraui, qui non est vanus, sed ipsa veritas & stabilitas.*

Idem in illud psalm. 9. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum: Ne sperent*, inquit, *in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes, nisi Erit & Fuit. Quoniam quod in illis futurum est, cùm venerit, fit statim præteritum; & quod exspectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliud, quasi nondum sit; aut fuit, quasi iam non sit. Sed est tantum id quod est, & ipsa est æternitas. Desinant igitur sperare & diligere temporalia, & se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen eius, qui dixit: Ego sum qui sum.*

Egregie verò, ex hoc Apostoli fundamento, quòd scilicet spes non confundat, S. Bernard. omnes ad spem in Deum excitat, serm. 9. in psal. *Qui habitat*: *Quoniam*, inquit, *tu es, Domine, spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum. Quidquid agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc vna mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ exspe-*

Cornel. in epist. Pauli.

A *tationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei & æstus, ieiunare se bis in sabbatho dicat; postremò non esse sicut cæteros homines glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Speret qui vult in incerto diuitiarum. Ego verò, ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abieci omnia. Nempe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Deinde in particulari quolibet casu sperandum esse in Deo, ita docet: *Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant aduersum me prælia, si sæuiat mundus, si fremat malignus, si caro aduersus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Qui dicit: Quoniam tu es, Domine, spes mea; iactet cogitatum suum in Domino, sciens quòd enutriendus sit ab illo: sicut scriptum est, Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Vt quid enim, si hac sapimus, vt quæ cunctamur abijcere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, & huic vnitam solidæ, tam beatæ spei, tota deuotione animi inhærere?* Et causam huius soliditatis spei assignans, subdit: *Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres: sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? An verò de facilitate iam non dubitas? sed ipsa tibi est suspecta voluntas? Quando in se speranti defuit illa maiestas, quæ tam studiose monet in se sperare? planè non derelinquit sperantes in se. Adiuuabit eos*, ait, *& eruet eos à peccatoribus. Quære, quibus meritis? quia sperauerunt in eo. Dulcis causa, attamen efficax & irrefragabilis. Quis sperauit in eo, & confusus est?* Atque hic est acer stimulus, qui sanctos Heroës excitauit, & etiamnum excitat ad audendum magna, ad res heroicas arduasq; fortiter pro Deo vel aggrediendas, vel sustinendas. Sciebant enim

B *In quolibet particulari casu sperandum in Deo.*

C *Causa soliditatis spei.*

C se non confundendos: quia spes non confundit. De his S. Bernard. serm. 32. in Cant. *Iam verò*, inquit, *magni patrisfamilias, seu regiæ maiestatis schema apparere existimo his, qui accedentes ad cor altum, de maiori spiritus libertate, & puritate conscientiæ magnanimiores facti, consueuerunt audere maiora.* Dat exempla. *Talis erat Moyses, qui audebat dicere Deo: Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum. Talis Philippus, qui sibi & suis condiscipulis Patrem flagitabat ostendi. Talis & Thomas, qui nisi suæ manu tangeret vulnus & fossum latus, credere recusabat. Pusilla fides, sed de magnitudine animi miro modo descendens. Talis quoque Dauid, qui & ipse dicebat Deo: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt: & quæ audent obtinent, iuxta verbum promissionis ad ipsos, quod est istiusmodi: Quemcumque locum*

D *calcauerit pes vester, vester erit. Magna siquidem fides magna meretur: & quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis.* Et paulò inferiùs: *Igitur istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit sponsus, & magnificabit facere cum eis, ita vt dicat qui eiusmodi est, Quia fecit mihi magna qui potens est. Regem in decore suo videbunt oculi eius præeuntem se ad speciosa deserti, ad flores rosarum, & lilia conuallium, ad amœna hortorum, & irrigua fontium, ad delicias cellariorum, & odoramenta aromatum, postremò ad ipsa secreta cubiculi. Beatus qui impleuit desiderium suum ex ipsis.*

QVIA CHARITAS DEI DIFFVSA EST IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM, QVI DATVS EST NOBIS] Quæres, quænam hîc intelligatur charitas Dei? S. Chrysost. Theophyl. Ambrol. Cajetan. & Toletus respondent, quòd charitas Dei

Primò per charitatem Dei aliqui intelligunt eam qua ipse

sit charitas, quæ est in ipso Deo, qua Deus nos diligit: hæc *diffusa*, vel, vt græcè est, ἐκκέχυται, id est effusa, *est in cordibus nostris*. Quia in ijs efficit charitatem, gratiam, omniaque dona & virtutes Spiritus sancti, huic sensui valdè fauent sequentia, maximè v. 8. Simili modo vulgò dicitur, Liberalitas regis effusa est in hunc principem. q.d. Paulus, Spes non confundit, quia Dei in quem speramus, charitas & liberalitas in nos effusa & profusa est, quia scilicet iam non per legis, sed per fidei iustitiam accepimus ex Dei charitate Spiritum sanctum, quo sumus effecti diuinæ consortes naturæ, Deo amici, chari, dilecti, ab eoque omnibus gratijs & virtutibus dotati & ditati. Si autem antequam tales essemus, Deus dedit pro nobis Filium suum in mortem, multò magis iam postquam tales sumus effecti, dabit nobis quasi amicis & filijs suis, tamquam pater amantissimus, ea quæ speramus & postulamus ab eo, quæque ipse filijs suis promisit.

Secundò per charitatem intelligunt alij habitũ charitatis infusum.

Secundò, S. August. de Spir. & litt. cap. 32. S. Bernardus epist. 107. Ansel. & passim Doctores Scholastici, imò Concilium quoque Trident. sess. 6. c. 7. charitatem Dei hîc intelligunt non eam, quæ est in ipso Deo increata & æterna, sed eam quæ est in nobis à Deo creata & donata in tempore, quam scilicet Deus nobis infundit, vt eum diligamus: illa enim propriè diffundi vel effundi dicitur. q.d. Paulus: Spes æternorum non confundit nos, quia charitatem habemus, qua Deum diligimus, sumusque Dei amici. Deus autem amicos suos in se sperantes non confundet, imò verò ijsdem diligentibus se hæc sperata æterna bona præparauit: nam vocula *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet spes non confundat.

Nota. Verbo effundi, innuit Paulus charitatem ad omnes motus & actus animæ perficiendos se extendere, ita S. Thomas.

Tertiò charitas hîc potest significare charitatẽ creatam & increatam.

Tertiò, plenissimus erit sensus, si charitatem Dei vtramque accipias, scilicet creatam & increatam: & de vtraque hunc locum explicat Origen. Theodor. Oecumen. & D. Thomas; q.d. Paulus, Charitas Dei increata effudit se per charitatem creatam à se diffusam & effusam in cordibus nostris; ideoque spes, quam habemus in Deum, nos non confundet, nec pudefaciet, eo sensu, quem iam dedi.

Non solùm dona, sed & ipse Spiritus sanctus nobis infunditur.

Nota quod ait Paulus, *Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Hinc enim patet, in iustificatione non tantùm gratiam Spiritus sancti, sed & ipsum Spiritum sanctum quasi primum Dei donum nobis dari. non solùm enim Spiritus sanctus nobis charitatem & dona sua communicat, sed & per ea in nobis ipse Spiritus sanctus inhabitat: licet enim antea ipse in anima fuerit per essentiam, potentiam, præsentiam; datur tamen rursum animæ, dum illa iustificatur, vt sit in ea nouo modo; scilicet quasi in templo suo, eamque per charitatem sanctificet, faciatque participem sui amoris. Est enim ipse primus & increatus amor.

Error Magistri Sententiarum docẽtis charitate quæ in nobis est, non esse creatam.

Hinc refellitur error Magistri Sententiarum lib. 1. sent. dist. 16. & 17. docentis, charitatem quæ in nobis est, non esse qualitatem creatam & infusam, sed esse ipsummet Spiritum sanctum, qui per se solùm sine habitu charitatis infuso operatur in nobis, & nobiscum actum amoris. nam Apostolus asserit hîc charitatem diffundi in cordibus nostris: Spiritus autem sanctus diffundi non potest, nisi per charitatem, aliaque dona creata & infusa.

Secundò, quia Apostolus distinguit hîc charitatem à Spiritu sancto, tamquam effectum à sua causa: ait enim, *Charitas Dei diffusa est per Spiritum sanctum*; ergo charitas alia & diuersa est à Spiritu sancto. Sicuti lux effusa in hac domo per lampadem, alia est à lampade lucem diffundente.

Dices, S. Augustinus l. de Trinitate c. 7. & 8. & alibi, dicit charitatem, qua nihil melius est, esse Deum, noscque Deum diligere charitate, quæ Deus est. Hæc sententia Magistro Sententiarum errandi occasionem dedit.

Respondeo, Augustinum loqui more Platonicorum: fuit enim ipse ante conuersionem Platonicus; Platonici autem hac phrasi vtebantur, vt dicerent nos esse bonos bonitate Dei, amantes amore Dei, sapientes sapientia Dei, nos verum cognoscere veritate incommutabili, quæ Deus est. qua phrasi tantùm significare volebant, quòd bonitas, amor, sapientia, veritas, quibus sumus formaliter boni, amantes, sapientes, veri, sint participatio quædam bonitatis, amoris, sapientiæ & veritatis increatæ: quæ est in Deo: non autem quòd per amorem, sapientiam, bonitatem, quæ est in Deo, simus formaliter amantes, sapientes, boni: hoc enim est impossibile. Est ergo metonymia in hac phrasi; cùm enim dicitur, Charitas nostra Deus est, sensus est, Charitas nostra creata manat à charitate increata, quæ est Deus ipse: & sic charitas nostra non formaliter, sed originaliter, causaliter & participatiuè est ipse Deus.

Rursum, ex hoc Apostoli loco probari potest, iustitiam esse qualitatem & donum nobis inhærens. Hoc enim insinuat verbum, *Effunditur in cordibus nostris*: & τὸ *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Ita Concil. Trident. loco iam citato. Vide S. August. l. 3. de Doctrina Christiana. cap. 10. *Charitatem*, inquit, *voco animi motum ad fruendum Deo, propter ipsum; & se atque proximo, propter Deum*. Et libro de Moribus Eccles. iæ: *Virtus*, inquit, *illa (charitas siue dilectio) quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est, fauet vt coniungatur Deo; si in nobis est, ipsa coniungit*. Insuper S. August. sententia 348. ex hoc loco docet multos Christianos per vnum Spiritum sanctum, & vnam charitatem fieri vnum vnitate dilectionis. *Multorum enim, hominum multæ sunt animæ, & multa sunt corda: sed vbi per dilectionem fidemq; adhærent Deo, vna anima, & vnum cor fiunt. Si ergo charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, tantam vnitatem multarum animarum & multorum cordium facit; quanto magis in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, æterna & incommutabilis vnitas manet, vt indifferens Trinitas, vnus Deus, vnum lumen, & vnum principium.*

DIFFVSA EST] tum in baptismo, tum in operibus pœnitentiæ, charitatis, aliarumque virtutum, quibus vel primò, vel magis iustificamur; tum propriè & peculiariter in impositione manuum, vt S. August. l. 6. contra Iulian. c. 11. putà in Sacramento Confirmationis: in eo enim datur & diffunditur robur & plenitudo Spiritus sancti. Nota hunc Augustini locum: ex eo enim contra Nouantes patet, Confirmationem conferre gratiam, imò plenitudinem gratiæ; ac consequenter esse Sacramentum legis nouæ. Hæc enim impositio manuum non est Ordinatio, sed Confirmatio: quia hæc charitatis diffusio, quæ per eam fit, non solis Clericis, sed omnibus Christianis competit. Omnibus enim Chri-

Hæc loquitur hîc Apostolus, qui olim mox à baptismo Sacramentum Confirmationis suscipiebãt, eum soli Clerici Ordinationem susciperent.

Porrò hanc charitatem in nobis diffundit Spiritus sanctus, vt per eam facilem & suauem reddat legem, iugumque Christi. Audi S. Augustin. in Sermonijs num. 222. *Omne præceptum Dei leue est amanti. Nec ob aliud intelligitur dictum: Onus meum leue est; nisi quia per Spiritum sanctum diffunditur charitas in cordibus nostris, vt diligendo liberaliter faciamus: quia quod quis timendo facit, seruiliter facit. Nec est animus rectus, quando mallet, si fieri posset, id quod nollet esse non iuberi.*

VT QVID ENIM CHRISTVS, CVM ADHVC INFIRMI ESSEMVS, SECVNDVM TEMPVS PRO IMPIIS MORTVVS EST?] Est occupatio. Dicet enim quis: Quomodo sequitur, Amicitia & charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: ergo spes non confundit. Sequelam hanc probat hîc Apostolus eo modo, quo dixi ex Chrysostom. iam paulò antè v. præcedenti.

Nota. Infirmos vocat hîc Apostolus peccatores; hi enim infirmi sunt ex morbo peccati, & consequenter impotentes ad opera salutis, ipsamque salutem sibi accersendam. Ita Theodoret.

SECVNDVM TEMPVS] Græcè κατὰ καιρὸν, id est, opportunè, oportuno tempore; cùm scilicet, vt ait S. Hieron. ad Algasiam epist. 151. q. 2. & 7. *Omnia plena essent infidelitate & peccato, & maximè egerent salutem & medico.* Vel, vt Theodor. *Cùm tempus à Patre præscriptum esset expletum.* sic & Theophyl. Vel, vt Sedulius, *Cùm vltima esset mundi ætas.* Sic enim Hebræi dicunt עֵת keet, id est, secundum tempus, pro eo quod nos dicimus, Hoc tempore, hac ætate.

Aliter id explicat Ambros. & S. Anselm. *Secundum tempus*, inquiunt, id est, ad tempus, breue scilicet, mortuus est Christus, quia tertio die resurrexit.

Aliter quoque Chrysostomus, qui hæc nectit cum τῶν ἀσθενῶν; q. d. Cùm infirmi essemus secundum tempus, id est, pro eo tempore, quo eramus infirmi, quando scilicet tempus erat infirmitatis & legis, non gratiæ, tunc mortuus est Christus: sed primus sensus germanior est, magisque congruit phrasi Græcæ, & menti Paulinæ.

VIX ENIM PRO IVSTO QVIS MORITVR: NAM PRO BONO FORSITAN QVIS AVDEAT MORI] S. Hieron. ad Algasiam epist. 151. qu. 7. quinque huius loci affert sensus.

Primus, est Marcionis, qui duos faciens deos, rerum veteris testamenti, secundum noui; illum iubet hîc vocari iustum & seuerum, pro quo nulli vel pauci mortem subierunt; hunc verò bonum & benignum, pro quo plurimi Martyres mortui sunt.

Secundus est Arrij, asserentis iustum esse Christum, bonum esse Patrem.

Tertius est aliorum, quos postea secutus est Eucherius, in quæst. noui testamenti, dicentium iustum, esse legem veterem: hæc enim erat lex iustitiæ, bonum verò esse Christum & legem Euangelicam: hæc enim est lex bonitatis & clementiæ, vnde & plurimos habet Sanctos ac Martyres.

Quartus, est eorum qui censent eumdem hîc vocari iustum & bonum, Christum scilicet.

Quintus, qui S. Hieronymo placet, est, pro iusto & bono, id est, pro iustitia & re bona, v. g. pro tuenda veritate, vix & rarò se morti quis obijcit.

Sextus, est commentarij Ambrosiani, iustum esse virum perfectum, bonum esse simplicem & innocentem, cuius commiseratione faciliùs quis pro eo moriatur. *6. Commentarij Ambrosiani.*

Septimus, est Caietani, iustum esse virtute præditum, bonum esse excellentẽ sanctitate & religione. *7. Caietani.*

Octauus, est S. Thomæ, eundem esse iustum & bonum, hoc sensu, q. d. Vix pro iusto quis moritur. Dixi Vix, quia fieri potest vt aliquis pro bono, id est iusto, moriatur. q. d. Vix sunt; sunt tamen aliqui, qui pro viro bono & iusto morti se exponant. *8. D. Thomæ.*

Nonus, est aliorum, qui sic explicant, Pro iusto, id est pro iustitia, vix aliquis; pro bono viro, id est pro vtilitate propria, nonnulli mori audent. *9. sensus.*

Decimò, optimè & maximè genuinè Catharinus & Varablus censent iustum hîc vocari virum sanctum, bonum verò eum qui beneficus est, quique beneficentia sua multorum amorem sibi conciliat; vt τὸ ἀγαθοῦ, ponatur pro ἀγαθοποιοῦ, vel ἀγαθοποιοῦντος; sic enim ponitur & sumitur 1. Reg. 25. 15. psal. 72. 1. Galat. 5. 22. (vbi bonitas, quæ est fructus Spiritus sancti, idem est, quod beneficentia) 1. Reg. 29. 6. Prouerb. 21. 9. in Hebræo, vbi sic dicitur, טוב עין *tob ain*, id est, bonus oculo; hoc est, vt Noster interpres vertit, pronus ad misericordiam, benedicetur. Sic Codrus, Decij, Samson, & alij pro patria sua sibi bona, id est benefica, mortem oppetierunt. Sic & Leonides rex Lacedæmonum cum trecentis in castra Xerxis irrupturus, cùm ab Ephoris rogaretur, num quid vellet: *Ego*, inquit, *nomine tenus vado, quasi pro Græcis pugnaturus, sed reipsa pro patria moriturus.* & ad suos, *Prandete*, ait, *commilitones, quasi apud inferos cœnaturi*; itaque in hostes irrumpens, & fortissimè dimicans occubuit. *10. Catharini & Vatabli.*

Nota. Pro *audeat*, græcè est τολμᾷ, id est, sustineat.

COMMENDAT AVTEM CHARITATEM SVAM DEVS IN NOBIS (in nos, erga nos:) QVONIAM CVM ADHVC PECCATORES ESSEMVS, CHRISTVS PRO NOBIS MORTVVS EST] Ecce hæc est charitas Dei & Christi in nos, de qua egit v. 5. & deinceps. q. d. Inter homines nullus est tantæ charitatis, vt pro viro iusto mori velit, pauci verò & rari sunt, qui pro benefactoribus suis mortem subeant: atqui Christus ex charitate sua & Patris in nos, pro nobis, ijsque iniustis & malefactoribus peccatoribusque mori voluit: ergo Christus longè omnem omnium hominum charitatem superat & transcendit. VERS. 8. & 9. *Christiche-ritas superat omnem charitatẽ.*

Vide hîc & obstupesce immensitatem amoris Dei & Christi. Obiectum amoris est bonum: nec homines quid amant, nisi quia pulchrum, sapiens, diues, delicatum, nobile, & in summa bonum. Quid in nobis Domine boni inuenisti, quid pulchri quod amares? Fœdi eramus, insipientes, mendici, putidi, viles, miseri & miserabiles. Fœdos amauit, inquit, vt pulchros efficerem: inimicos amauit, vt amicos facerem: insipientes amauit, vt sapientes redderem; mendicos amauit, vt diuites; viles, vt nobiles; miseros, vt beatos & glorioso efficerem. Hæc est celsitudo & nobilitas amoris diuini, qua omnes creatos amores transcendit, vt obiectum non inueniat, sed amando creet. Ratio enim amandi in Deo petitur, & fundatur non in obiecto amato, sed in ipso Deo amante. Ideo enim amat, vt sua bona malis communicet, vt suum amorem in hostes transfundat, eosque ex hostibus faciat amicos, imò filios & heredes, vti docet S. Dionys.

lib. de Diuin. nomin. Porrò hunc Dei amorem facit admirabilem & stupendum, quòd non angelum, non Seraphinum, sed seipsum dederit pro nobis viliſſimis terræ vermiculis: dederit autem non quomodocumque, sed in mortem & crucem. Poterat nos mille modis redimere & saluare, sed vt diuinum & immensum amorem in nos ostenderet, voluit seipsum pro nobis dare lytrum, omnemque sanguinem, spiritum & vitam pro nobis profundere. O amor, quantum amasti nos! ô amor, ô stupor!

VERS. 9. SALVI ERIMVS AB IRA PER IPSVM] *Ab ira*, id est, à iusta vindicta, qua Deus punit & puniet peccatores, maximè in die iudicij. ita S. Augustinus lib. 3. de Trinit. c. 16. Clara est hæc ratiocinatio Apostoli.

VERS. 10. SI ENIM CVM INIMICI ESSEMVS, RECONCILIATI SVMVS DEO PER MORTEM FILII EIVS. MVLTO MAGIS RECONCILIATI, SALVI ERIMVS IN VITA IPSIVS] *In vita*, qua scilicet ipse Christus, postquam à morte resurrexit, iam viuit vita beata & gloriosa. Hæc est argumentatio Apostoli: Si Christus dignatus est mori pro nobis, & moriens per mortem suam reconciliauit nos Deo Patri; multò magis ipse iam viuens in gloria, perficiet opus, quod cœpit, atque saluabit nos iam reconciliatos sibi & Patri, atque quasi mediator efficiet resurrectionem animæ & corporis nostri: iam enim nullus ei mortis aut passionis est labor, est que in summa gloria, potestate & amore nostri, ita vt sine vlla sui fatigatione aut molestia, vnico verbo & nutu, idipsum efficere possit. ita Oecumen. Totus hic Apostoli discursus eò tendit, vt probet spem electorum & probatorum non confundere: ad hoc enim probandum inducit & exaggerat charitatem Dei erga nos. Vide S. Augustinum lib. 13. de Trinit. 10.

Spes electorū propter Christi charitatem & potestatem est incōfusibilis.

VERS. 11. NON SOLVM AVTEM] q. d. Non solùm gloriamur in spe gloriæ, nec in solis tribulationibus, vt dixi v. 3. eò enim redit post longam parenthesin. Vide canonem 38.

SED ET GLORIAMVR IN DEO, id est, gloriamur & prædicamus Deum nos habere patrem, amicum, familiarem, tutorem, protectorem, ac supra modum dilectorem, ait S. Chrysostomus, idque per merita Domini nostri Iesu Christi. PER QVEM NVNC RECONCILIATIONEM ACCEPIMVS] Aliter Anselmus, *gloriamur*, ait, *in Deo*, in eo quòd consideramus nos cum illo futuros in gloria. Denique Theodoretus hæc ad proximè præcedētia refert; q. d. Paulus: Non tantùm in futuro speramus salutem, sed etiam in præsenti in Domino gloriamur. Verùm prima Chrysostomi expositio magis est ex mente & spiritu Apostoli.

VERS. 12. PROPTEREA SICVT PER VNVM HOMINEM PECCATVM IN HVNC MVNDVM INTRAVIT] *Propterea*, quia scilicet tanta charitate, vt iam ostendi, nos Christus amauit, vt sua morte reconciliaret nos Patri. Pergit enim hîc Apostolus ostendere magnitudinem charitatis Christi erga homines, q. d. *Propterea*, id est, iam vt ampliùs declarem charitatem Christi in homines, propterea dico eum esse secundum Adam, eumque propter charitatem, & beneficia in homines collata magis nostrum esse parentem, quàm fuerit Adam; cùm hic mortis, Christus verò vitæ sit auctor filijs suis omnibus.

Christus secundus Adam est magis pater noster quā Adam.

SICVT PER VNVM HOMINEM PECCATVM IN HVNC MVNDVM INTRAVIT] Est ἀνακολούθον. Deest enim altera similitudinis siue collationis pars, eaque supplenda est hoc modo: Ita per vnum hominem, putà Christum, fuit iustitia in mundum ingressa, & per iustitiam vita. Itaque vita in omnes pertransijt, in quo omnes iustificati & viuificati sunt, quicumque ex Christo per baptismum & gratiam renati sunt: hæc enim supplenda esse patet ex v. 15. & sequent. imò, vt rectè annotant Origenes & Caietan. ipsemet Apostolus post longum hyperbaton, quo more suo aliò abripitur, hæc eadem supplet & explet v. 18. Similiter facit ad Ephes. 3. vbi sententiam v. 1. inchoatam, post longam digressionem tandem explet & perficit v. 14. Vide canonem 38. Aliter hæc adaptat Salmeron, scilicet, vt hæc pendeant à præcedentibus e. g. Paulus: *Propterea* (vt scilicet gloriemur de Christo, & per Christum) reconciliationem accepimus per Christum: sicuti è contrario peccatum, mortem & damnationem per vnum hominem, putà Adamum, accepimus & incurrimus. Sed hæc magis difficilis & implexa est præcedentium reuocatio & subintellectio. *Per vnum* Erasmus vertit, *propter vnum*. Sed perperam, & contra omnes interpretes. Græcum enim διὰ cum genitiuo, significat *per*, non *propter*.

Quæres. Quis est hic vnus homo?

Respondet Ambrosius esse Euam. Sed patet ex sequentibus non esse Euam, sed Adamum: hunc enim Paulus opponit Christo. licèt enim prima Eua peccarit, tamen Adam primaria fuit causa, vti generationis, ita & peccati originalis, eiusque propagationis: quia in ipso quasi capite constituta fuit nostra innocentia & iustitia originalis. Vnde valdè verisimilis est sententia eorū qui sustinent Adamo non peccante, licet Eua peccaret, non transfundendum fuisse peccatum originale. Ita 1. 2. qu. 81. art. 5. sentiunt multi, cum D. Thoma: licet aliqui contrarium teneant probabiliter, dicentes sub Adamo etiam Euam accipi. Erant enim Adam & Eua vna caro, & quasi vna persona: vnde videtur consequi quòd tam sola Eua peccante, quàm solo Adamo peccante, peccatum originale ex ea contractum esset omnes eius posteri.

PECCATVM INTRAVIT] Pelagiani negantes peccatum originale, vti & Anabaptistæ, Faber & Zuinglius (quibus viam hîc strauit Erasmus) docent peccatum hîc vel metonymicè accipi, pro pœna peccati, id est morte, quam solam dicunt in omnes pertransisse. vel Secundò peccatum ipsum pertransisse dicunt non propagatione, sed imitatione, quia omnes deinceps peccantes post Adam, etiam inscij ipsum secuti & reipsa imitati sunt. Vide Commentarius S. Hieronymo asscriptus, qui non est Hieronymi, sed Pelagij: *Peccatum*, ait, *intrauit in mundum*, per Adamum; intrauit, inquam, exemplo vel forma, quia scilicet Adam omnibus dedit peccati exemplum & formam. Verùm hæ expositiones, vel potiùs euasiones & effugia non verbis Pauli consistere nequeunt: nam, vt rectè annotauit S. Augustinus lib. 1. de Peccat. meritis, cap. 8. 9. 10, Apostolus dicit peccatum intrasse, & per peccatum mortem: ergo per peccatum non intelligit mortem, sed peccatum propriè dictum, quod est causa mortis.

Secundò, quia Apostolus ait, peccatum intrasse per Adam, sicut iustitia intrauit per Christum: atqui iustitia in mundum per Christum intrauit, non imitatione, nec in solo effectu suo, sed propriè per se, perque propagationem & communicationem

Christ

Christo ergo pari modo peccatum in mundum intrasse per Adamum.

Tertiò, vt omittam Indos & alios Paganos, qui Adami peccatum, de quo nihil audierunt, imitati facile verè dici non possunt; Apostolus docet omnes homines peccasse in Adamo: ergo & infantes in Adamo peccarunt: infantes autem nullum habere possunt peccatum actuale: ergo necessum est vt habeant peccatum originale propagatum ex Adamo.

Quartò, quia Concil. Mileuitanum can. 2 docet hunc Apostoli locum debere intelligi de peccato originali, quod generatione transfunditur. Respondet Erasmus Concil. Mileuitanum fuisse particulare, ideoque se eius decretis non teneri: sed errat. nam approbatum est hoc Concilium ab Innocentio I. vt patet ex eius epistola ad illud Concilium: & idem decretum ijsdem verbis renouauit Concil. Trident. (quod fuit Oecumenicum) sess. 5 can. 4.

Dices, S. Chrysost. ad hunc versum, & ad v. 19. natos ex Adamo peccatores & inobedientes nasci & esse, non propriè, sed impropriè, scilicet peccatores, id est, supplicio obnoxios, & mortis reos, potè mortales, passibiles, miseros.

Respondeo. Vult S. Chrysostomus dicere nos ex Adamo nasci peccatores, non propriè, id est, non proprio actu, sed alieno, scilicet Adæ, ex quo omnium peccati originalis contrahimus, quo sumus rei & obnoxij morti. Nam S. Chrysostomum credidisse & docuisse peccatum originale inhærens cuique homini, patet tum ex alijs eius locis, tum maximè ex homilia ipsius 40. in priorem ad Corinth.

Secunda priori non absimilis, huius loci expositio est Theodoreti, qui asserit peccatum Adæ in posteros transisse non propagatione, sed occasione & imitatione; quia scilicet ex peccato Adæ omnes nascimur mortales, miseri, cupidi; indeque fit, vt in multa peccata labamur. Vnde patet Theodoretum hic peccatum non propriè capere, sed metonymicè, vt nimirum peccatum idem sit, quod propensio & proclinitas ad peccandum, scilicet vt peccatum idem sit, quod concupiscentia.

Verùm hæc expositio ijsdem argumentis quibus prior refellitur. Porro argumentum Theodoreti est hoc: Quia, inquit, Apostolus v. 19. ait, peccatum hoc transisse in multos, non autem in omnes, vt dixisset, si peccatum ipsum originale intellexisset: ergo per peccatum intelligit pronitatem ad peccandum: non enim omnes, sed multi primi sunt ad peccatum. Verùm hæc ratio debilis & nulla est: nam multi hîc, vt & alibi, idem sunt, quod omnes. ita enim explicat ipse Apostolus v. 12. & 18. Nota tamen Theodoretum credidisse peccatum originale, vt patet cap. 12. in Epitome decretorum diuinorum, vbi illud confitetur & adstruit.

Tertiò, Caietanus docet hîc tantùm Apostolum dicere, quòd omnes Adæ posteri incurrant debitum, seu necessitatem contrahendi peccatum originale & mortem: non autem quòd de facto omnes incurrant ipsum peccatum. nam probabile, inquit, est beatam Virginem non incurrisse peccatum originale: rursum probabile est non omnes Adæ posteros incurrisse mortē; nam Core, Dathan & Abiron viui descenderunt ad inferos.

Sed certum est hunc Apostoli locum intelligi

A debere non tantùm de necessitate contrahendi peccatum originale, sed etiam de ipso peccato originali, quod de facto omnes contrahunt. Vult enim dicere, omnes Adæ posteros de facto hoc peccatum ex Adamo trahere & incurrere. Ita enim hunc locum intelligit & intellexit semper Ecclesia, quæ in Concil. Arausicano, Mileuitano sess. 5. can. 2. 3. 4. ex hoc Apostoli loco probat & definit, omnes homines, etiam paruulos, peccatum originale contrahere. Idque patet ex ipsis verbis Apostoli: ait enim ipse, non necessitatem peccandi, sed peccatum ipsum in mundum intrasse, & per peccatum mortem, additque, *Et ita in omnes homines mors pertransiit*; scilicet, sicut peccatum in omnes homines pertransijt: atqui non tantùm necessitas moriendi, sed & ipsa actualis mors in omnes pertransit: ergo pari modo non tantùm necessitas peccandi, sed & ipsum peccatum actu in omnes pertransit.

Non tantū necessitas peccādi, sed & peccatū ipsum in omnes homines pertransijt, contra Caietanum.

Ad argumentum Caietani respondeo: Priuilegium & exceptionem vnius beatæ Virginis, vel paucorum aliorum, de quibus alibi dicendum est, non infirmare legem generalem. Nulla est enim lex tam generalis, quæ non patiatur exceptionem.

Resp̄sio ad argumentū Caietani.

ET PER PECCATVM MORS, ET ITA IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT] Errat ergo Seneca, & cum eo Philosophi, quorum hæc est communis sententia: *Mors homini natura est, non pœna:* imò verò *mors homini pœna est, non natura*, vt hîc docet Apostolus & Sapiens c. 2. *Deus*, inquit, *creauit hominem inexterminabilem*, id est, immortalem & incorruptibilem; græcè ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, id est, immortalitati, vel, ad immortalitatem; vt scilicet esset immortalis, si vellet Deo obedire, & persistere in sua innocentia: *inuidia autem diaboli* peccatum intrauit, & per peccatum *mors introiuit in orbem terrarum*. Malè ergo Cicero naturam, quòd in homines crudelis esset, eosque morbis & morti addiceret, accusauit. Malè rursum Pythagoras, & ex eo Origenes, peccata quæ anima, antequam corpori coniungeretur, in cælo commisisset, mortis & ærumnarum hominis causam esse censuerunt. Pulchrè de ijs S. August. l. 5. contra Iulianum, c. 12. & 15. sic ait: *In libro tertio de Republica Tullius hominem dicit, non vt à matre, sed tanquam à nouerca natura editum in vitam, corpore & nudo & fragili & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen ineesset tamquam obrutus quidam ignis ingenij & mentis.* Hæc Cicero. Post hæc subdit August. *Neque hoc ille auctor dixit malè viuentium moribus effectum, sed naturam potiùs accusauit. Rem vidit, causam nescijit: latebat enim eum cur esset graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepultura. cùm enim sacris Literis eruditus non esset, ignorabat originale peccatum.* Et mox de Hortensio, & alijs paulò altiùs assurgentibus subdit: *Qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videntur; vt verum sit illud, quod est apud Aristotelem: similis nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, cùm in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur. quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis accommodata, quàm aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis esse contunctos.* Verùm hîc & alibi docent Scripturæ, peccatum primi parentis Adæ causam esse mortis ipsius

Mors homini pœna, nō natura, cōtra Philosophos.

Ciceronis & Pythagoræ delira.

Peccata, nō natura, causa sunt omniū malorū, & aerumnarum nostrarum.

Peccatum item causa mortis.

& omnium posterorum, ac consequenter omnium quoque ærumnarum huius vitæ.

Quamdiu viuimus, mortem gerimus & alimus in visceribus nostris.

Vbi Nota Primò. Simul cum peccato introiuit mors in hominem, vt sicuti lictores immittuntur in domos & bona reorum, mox vt peccarūt; ita mors immissa sit in homines reos, eosque sensim arrodat & consumat. dum ergo viuimus, mortem (putà mortis principia & causas) gerimus in visceribus, quæ non cessat nobis morbos & ærumnas procreare, donec planè nos mortificet & absumat. Hinc Apostolus ait, *Corpus mortuum est propter peccatum: mortuum*, id est, mortis necessitati & ærumnis ita obnoxium, vt videatur non tam esse viuum quàm mortuum cadauer. Magna ergo animæ pœna est quòd huic cadaueri sit alligata, & cum eo quasi tabescere & mori debeat, vt aiebat Hortensius apud S. Augustinum.

Effectus & filia peccati est mors.

Nota Secundò. Effectus & quasi filia peccati est mors: peccatum enim suum lictorem procreat, culpa parit pœnam, crimen parens est & causa mortis. Vnde S. Iacobus cap. 1. 15. *Concupiscentia*, inquit, *cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Vbi aduerte: mater peccati est ipsa concupiscentia habitualis, pater est ipsa libera voluntas; semen matris est titillatio & delectatio, quam ingerit concupiscentia, semen patris est ipse consensus voluntatis in fieri; proles est peccatum in ipso facto esse. proles hæc vel est imperfecta, vt embryo, & fœtus incompletus; talis est peccatum veniale ex indeliberatione commissum. vel est proles omnino formata; talis est peccatum mortale deliberatum, & consensu voluntatis consummatum. nepos verò huius patris & matris est mors. tum præsens, tum futura & æterna gehennæ. Hinc Iob 18. 13. dicitur: *Consumat brachia illius* (impij) *primogenita mors.*

Totagenealogia peccati, & gradus consanguinitatis & affinitatis.

Primogenita mors quinque significata habet.

Quæres, Quænam hîc dicitur *primogenita mors*? S. Gregorius superbiam intelligit, quia ipsa est initium peccati; ipsa enim fuit prima mors angeli & animæ hominis. Secundò, Philippus presbyter & Beda in Iob 18. accipiunt diabolum, quia ipse inuexit mortem in orbem terrarum, & ipse suæ mortis inuentor est. Sic capitur mors Apocal. 20. v. 14. Tertiò, Lyranus intelligit mortem præcocem & præmaturam. Quartò, Hebræi intelligunt morbum, qui impium primò corripiet. Vatablus & Titelmannus intelligunt morbum grauissimum & lethalem. Quintò, subtiliter Pineda & Mercerus accipiunt mortem non vulgarem, sed maximè acerbam, funestam & violentam, qualis est mors iuuenum & diuitum: quomodo Isaiæ 14. v. 30. *primogeniti pauperum* vocantur maximè pauperes.

Primogenita dicitur mors, quia filia est peccati primogenita, eiusque ex asse heres.

Verùm sapidior, pientior, magisque genuinus videtur esse sensus, quem dat Chaldæus, vt mors propriè dicta ipsiusmet peccatoris & peccati vocetur *primogenita*, id est, primæua filia, princeps & regina: quia ipsa quasi ex iure primogenituræ, in regno peccati, quasi patris sui heres successit & dominatur: *primogenita* enim refertur ad τοῦ *illius*, scilicet impij, & ad impietatem in impio inclusam, cuius primogenitam filiam Baldad, apud Iob mortem vocat; optatque vt, sicut impietas impio dominata est, sic eidem dominetur mors, quæ est filia & heres impietatis, idque ex asse, vt quàm latè patet regnum impietatis, tam latè pateat & regnum mortis. q. d. Mors, quæ prima per peccatum inuecta est in mundum, adeoque quasi primogenita peccati filia, in regno peccati princeps successit & imperat; illa, inquam, mors deuoret eum, scilicet impium, & instar veræ matrem suam, hoc est peccatum & peccatorem, consumat. Vnde v. sequenti illud ita explicans, subdit: *Calcet super eum quasi rex interitus.* Sic sumitur *primogenitus* psal. 88. 28. *Et ego*, inquit Deus, *primogenitum ponam illum* (Salomonem & eius in typum Christum) *excelsum præ regibus terræ.* q. d. Deus, Salomon & Christus in Israële, & regno meo succedent, & latissimè imperabunt, tanquam primogeniti mei, qui sum Rex regnum, & Dominus dominantium. filij. Verè dixit ille: *Tria potentia sunt, mus, Mars, mors; sed potentissima est mors. Sicut enim Mars marem, ita mors Martem domat.*

Denique moraliter, vide hîc quantum malum sit peccatum, quod generat tot morbos, mortemque ipsam, tum præsentem, tum æternam. Vis scire quid sit peccatum? intuere tantùm vnicum primi Adæ peccatum, & considera quot millionum hominum morbos, fames, ærumnas, neces, hoc vnum peccatum pepererit; quàm multi & paruuli & adulti propter illud damnentur; quòd Dei Filius ad illud expiandum mori debuerit, & videbis quantum malum sit vnum peccatum mortale, deceptque, cùm te voluptas ad peccatum sollicitat, Ego tantillo pretio mortem & æternum perire non emo.

IN QVO OMNES PECCAVERVNT } *In quo*, supple, non peccato, sed vno homine. Græcum enim ᾧ. est masculinum; ἁμαρτία, verò est femininum. ita S. Augustinus lib. de Peccatorum meritis. cap. 10. qui & rationem addit: *Quia*, inquit, *omnes homines fuerunt ille vnus homo*, *scilicet Adam.* quod intellige, non formaliter, sed originaliter, radicaliter, seminaliter, & repræsentatiuè, quia scilicet omnes homines in primo illo homine quasi radice, parente & principio suo contenti, censi ipsi & comprehensi fuerunt; quodque Adam fecit, omnes eius posteri fecisse censentur. Adam enim quasi pater & princeps omnes suos posteros repræsentabat, sicut rex repræsentat regnum, & magistratus repræsentat ciuitatem, ita Origenes, Chrysost. Theophyl. Oecumen. & passim Patres Græci & Latini.

Quare perperam Erasmus, Theodoretus & Pelagiani, τὸ ἐφ' ᾧ, vertunt, quatenus, in quantum, eò quòd scilicet in Adamo omnes peccauerunt. quam expositionem S. Augustinus lib. 6. contra Iulian. 15. ait esse nouam & falsam. Nec rarum aut rarum est, ἐπὶ cum datiuo significare *in*; nam ad Hebræos 9. v. 17. ἐπὶ νεκροῖς, idem est, etiam teste Erasmo, quod *in mortuis*. Simile est hîc v. 14. Sic dicunt Græci, ἐφ' ὑμῖν ἐφ' ἡμῖν, in equo, in vobis. Et patet legenti Paulum & Lucam, eos indifferenter vti ἐπὶ, εἰς, ἐν, pro re fermò ἐπὶ cum datiuo etiam causam significat, conditionem, & pactum. Sic Xenophon, πῶς, inquit, ποιεῖν ἐπὶ τῷ κέρδει, id est, hæc facere lucri causa. Sic passim dicunt Græci, ἐπὶ τῷ μισθῷ, id est, pro mercede, ex pacto mercedis. Sic patet hîc τὸ ἐφ' ᾧ accipi potest, q. d. Paulus, Cuius, scilicet Adami, causa & pacto, quod ipse cum Deo iniuerat, omnes peccauerunt. Et licet vertas & legas, *quatenus omnes peccauerunt*, sat adhuc ex eo colligitur peccatum originale: quomodo enim omnes homines etiam infantes peccauerunt, nisi

per vnum hominem & patrem suum, scilicet Adamum?

Nota. Sicut in peccato actuali actus peccati transit, sed relinquit post se habituale peccatum, scilicet maculam in anima, quæ non est quid physicum, sed moralis quædam turpitudo, & quasi nota & infamia ex peccato admisso reliqua, scilicet est moralis auersio à Deo, & offensa Dei, ex qua homo moraliter censetur auersus à Deo, & Deo hostis, Deusque illi infensus; & ex qua denominatur peccator, estque reus coram Deo, iræque Dei obnoxius, & pœna dignus. Sicuti qui regem offendit aliquo actu rebellionis, post actum adhuc censetur rebellis, hostis, reus, iræque & vindictæ regis subiectus, donec rex illi condonet. Ita originale peccatum partim actuale est, scilicet est actus inobedientiæ Adami, quo pomum vetitum comedit; partim verò est habituale, scilicet est macula cuique homini propria, quam quisque nascendo contrahit ex Adami illo primo peccato. Vnde errant Albertus Pighius, & Catharinus, dum peccatum originale non inhærens cuique, sed tantùm primum ipsum Adæ peccatum esse voluerunt cuique imputatum ad culpam & pœnam. Hic enim error satis refellitur ex dictis v. 12.

Vbi aduerte, iuxta hanc sententiam Pighij de peccato Adæ nobis imputato, pari modo hæreticè docere Christi iustitiam similiter nobis non inhærere, sed tantùm imputari. Verùm ex ipsiusmet Lutheri, Caluini, & aliorum passim Nouantium sententia, potiùs contrarium colligimus, & concludimus hoc modo: Adam verè transfudit in nos concupiscentiam & peccatum, vt ipsimet Nouantes fatuntur & docent: ergo & pari modo Christus verè & propriè transfundit in nos iustitiam inhærentem.

Nota Secundò. Actus ille inobedientiæ Adami tam dictus partim personalis fuit & proprius, ac inhærens ipsi Adamo, & hic est ei remissus per pœnitentiam, vt dicitur Sapient. 10. 1. partim generalis fuit, & communis totius naturæ humanæ, omniumque Adæ posterorum. Hi enim illo actu Adamo actualiter peccante, in eo quasi capite, fonte & seminario contenti, & quasi concluſi originaliter idem peccatum commiserunt: quod enim Adam egit & comedit, nos censemur egisse & comedisse; quia voluntas nostra posita fuit à Deo supremo omnium Domino in voluntate Adami, tanquam communis omnium parentis: sic ergo Adam peccans omnes nos eodem peccato infecit. Et hic peccatum originale nobis voluntarium est, voluntate aliena: dicitur tamen & proprium, tum quia Adæ voluntas censebatur nostra & propria, tum quia cuique propriè inhæret eius macula habitualis, quam post se reliquit & transfudit actus Adami.

Nota Tertiò. Hic actus Adæ, non qua personalis, sed qua toti hominum generi & naturæ fuit communis, scilicet quatenus eodem actu nos originaliter, cùm nondum essemus, peccauimus in Adamo, & per Adamum, causa est, vt, cùm ex Adamo nascimur, auersi à Deo, & maculati, ac peccatores nascamur. Commentum enim friuolum est id, quod fingit Magister Sentent. in 2. dist. 31. scilicet qualitatem quamdam morbidam carni & semini Adæ inhærentem fuisse, quæ deinde inficeret, & indies successiuè inficiat animas prolium

A & posterorum eius peccato originali. Nec enim qualitas corporea parere potest peccatum spirituale in anima. *quæ transfundatur ad posteros.*

Multò maior error est Tertulliani, putantis animam filij esse ex traduce, id est traduci & produci ab anima parentis, sicque simul trahere ab ea peccatum originale: vt enim omittam hoc esse contra philosophiam, & damnatum in Concilio Lateranensi, sub Leone X. sess. 8. vbi definitur animas singulas singulis hominibus creari & infundi à Deo; huic Tertulliani sententiæ obstat, quòd anima filij trahit hoc peccatum à parente, etiam tunc cùm parens iustificatus est ab originali, omnique alio peccato: quomodo ergo peccatum hoc à parentis anima, in qua amplius non est, ad animam filij traduci potest? *Error Tertulliani refutatur asserentis peccatum oriri ex traduce animæ.*

B Hinc Nota Quartò. Aliud est in Adamo peccare, aliud est peccatum Adami in omnes pertransire, siue omnes ex Adamo peccatum contrahere: illud enim actuale fuit, hoc verò habituale est, & cuique proprium ac inhærens peccatum originale, vt dixi. Cùm ergo ait Paulus, *in quo*, scilicet Adamo, *omnes peccauerunt*, sensus est, quòd actus ille Adami quo ipse peccauit, omnibus imputetur, & censeatur omnium fuisse proprius, indeque fit, vt quilibet Adæ filius necessitatem peccati huius ex Adamo, vnà cum natura sua trahat; & necessariò, cùm nascitur, peccator nascatur, nisi à Dei gratia & misericordia præueniatur. Sic B. Virgo in Adamo peccauit, & hanc necessitatem contrahendi peccatum originale incurrit: sed peccatum ipsum originale de facto in se non contraxit, nec habuit: quia à gratia Dei fuit præuenta primo conceptionis suæ instanti, quæ peccatum omne ab ea exclusit. *Omnes necessariò trahunt hoc peccatum ab Adamo, si præueniantur.*

C Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo] Nota. *Peccatum* hîc vocat quodlibet peccatum, scilicet primum originale, & quoduis actuale, quod ex eo secutum est, quod est regnum peccati. Hîc Apostolus probat id, quod dixit, scilicet omnes homines in Adamo peccasse, adeoque probat ipsum peccatum originale. Probat autem hoc argumento: ante legem datam peccatum, & peccati reatus ac corruptio erat in mundo: licet enim peccatum tunc non imputaretur, id est, vix reputaretur, vix æstimaretur ab hominibus, solam naturam & concupiscentiam suam sequentibus nec legem, quæ peccati fœditatem ostenderet, habentibus; tamen peccatum tunc fuisse in mundo, clarè demonstrat ipsa mors omnium hominum: nam effectus, pœna, & comes indiuidua peccati est mors. cùm ergo mors etiam ante legem regnauerit, & extenderit se in omnes homines, sequitur peccatum quoque, quod mortis est causa, in omnes homines regnasse, & se diffudisse. *Ante legem peccatum erat in mundo, quia mors pœna peccati erat in mundo.* Vers. 13.

D Occurres & excipies: ante legem fuisse quidem peccatum in mundo, verùm non originale, sed actuale, quod quisque fecerat & commiserat. Hanc exceptionem disijcit & elidit Apostolus dicens:

Sed regnavit mors ab Adam vsque ad Mosen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae q.d. Ante Mosen & legem, vti mors, ita & peccatum hoc commune fuit etiam ijs, *qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ*, id est, ijs qui non peccarunt actu, sicuti peccant Adam legem præuaricando, putà in instantibus. ita Theoph. Theodor. Vers. 14.

Vid Contarenum q. et Adami Lect. 7 29. f. 291. 1. a

Qui non peccauerũt actu, vt infantes, etiã contraxere peccatum originale.

dor. Anselmus, Chrysost. & S. August. lib. 1. de Peccator. meritis, c. 11. relinquitur ergo, peccatum originale fuisse in infantibus, & in mundo etiam ante legem. Cur enim infantes tunc æquè ac iam mortui sunt, nisi ob peccatum, non actuale, quod perpetrare non possunt; sed originale, quod ex Adamo contraxerunt?

Aliter hæc explicat Toletus, q.d. Paulus, Erat quidem peccatum actuale in mundo ante legem, sed non imputabatur ad pœnam certam, verbi gratia mortis. Hæc enim tantùm statui solet per legem, non naturalem, sed positiuam diuinam vel humanam, quæ tunc necdum erat: ergo cùm videamus ante legem à Deo peccato statutam fuisse certam pœnam, scilicet mortis; omnes enim etiam ante legem ob peccatum mortui sunt; hinc sequitur, adeoque mors ipsa indicat, quòd ante legem in mundo fuerit peccatum aliquod, non actuale, vti iam probaui: ergo originale, cui à Deo iustè decreta & inflicta est certa pœna mortis. Verùm hic sensus plus satis remotus, obscurus & implexus videtur.

Nota τὸ *qui non peccauerunt*: ita enim legendum est cum Græcis & Latinis. malè enim Origenes & Ambrosius tollunt negationem, *non*, leguntque affirmatiuè, *qui peccauerunt*.

Triplex horum verborum explicatio.

IN SIMILITVDINEM PRÆVARICATIONIS ADÆ] S. Chrysost. hæc refert ad *regnauit mors* q.d. *Regnauit mors in similitudinem præuaricationis Adæ*, id est, regnauit mors in nos, quia nascimur similes Adæ præuaricanti, putà peccatores.

Secundò, alij sic explicant, q.d. Regnauit mors etiam in eos, qui non peccarunt contra legem aliquam positiuam sibi datam à Deo, vti peccauit Adam, sed tantùm peccarunt contra legem naturæ.

Tertiò, planiùs vt dixi, similitudo hæc præuaricationis Adæ sita est in actu & peccato actuali, quo peccauit Adam, legem sibi datam à Deo præuaricando. Sensus ergo est, mors regnauit in eos, *qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ*, id est, mors regnauit etiam in eos, qui non peccarunt actu, vti fecit Adam, putà in infantes: ex morte enim infantium rectè colligit Apostolus eorumdem peccatum, quod cùm non possit esse actuale, sequitur debere esse originale contractum ex Adamo.

ADAE, QVI EST FORMA FVTVRI] q.d. Qualis fuit Adam, tales post se genuit filios, putà peccatores, mortales, miseros, inquit S. Augustinus l. 1. de Peccatorum meritis, c. 11.

Christus & Adam contrariũ sibi comparati.

Secundò & magis genuinè sic exponas: Adam fuit forma, typus & figura Christi venturi. q.d. Verterque, scilicet tam Christus, quàm Adam fuit parens noster, sed in contrarium, vti rectè ostendit S. August. lib. 1. de Nuptijs & concupisc. c. 27. Nam Primò, sicut Adam solus sine concubitu maris & fœminæ, ex terra non maledicta, sed pura & integra est formatus; ita Christus ex sola purissima Virgine est natus. Secundò, sicut Adam solus totam posteritatem peccando perdidit, ita Christus solus moriendo reparauit.

Causa cur Deus omnes nostras voluntates posuit in Adamo, est, vt esset Adam typus Christi.

Hinc rectè aduerterunt docti quidam & sapientes viri, causam, cur Deus nostram voluntatem, meritum & demeritum posuerit in voluntate Adæ, præter summum Dei dominium & libertatem, qua quiduis potest facere & statuere; hanc fuisse, vt scilicet Adã hac ratione esset typus Christi, in cuius manu & voluntate Deus ponere voluit nostram salutem, vt ille pro nobis mereretur gratiam & gloriam; sicut Adam nobis meruit reatum & pœnam. Antequam enim peccaret aut crearetur Adam, Deus ab æterno per præscitam conditionatam omnia futura præsciebat & præuidebat, & secundùm eam absolutè voluit & decreuit Adamum & omnia Adami esse propter Christum, essèque typum Christi, rerumq; à Christo gerendarum. Deus enim in Christo omnem suam sapientiam & gloriam ostendere voluit, ideoque statuit & decreuit vt Christus esset omnium non tantùm electorum, sed & operum sacrorum principium, exemplar & finis. Vt patet Coloss. 1. 15. & seqq.

Fuit ergo non tantùm in ipsa executione, sed etiam in ipso decreto diuino mutua contradependentia Adæ & Christi. nec enim Adam futurus fuisset pater omnium hominum ea ratione, vt suum vel iustitiam vel peccatum in eos transfundere posset, nisi hoc ipso simul fuisset typus & figura Christi, qui omnium Dei filiorum futurus erat parens: nec vicissim Christus incarnatus & natus fuisset in mundo, nisi Adam peccasset, nosque perdidisset, vti verior & communior habet Theologorum sententia.

Nota hîc, sacram Scripturam vti aliquando allegorijs in contrarium sensum. Sic Osee cap. 1 & 3. iussus est à Deo fornicariam accipere in vxorem, vt significaret, filios Israel fornicaturos, id est, relicto Deo Synagogæ marito, idolis adhæsuros, eaq; adoraturos: vbi pium Osee factum, & legitimum eius cum fornicaria matrimonium significat impiam Iudæorum idololatriam.

Pari modo, multi Patres explicant allegoricè Dauidis adulterium, per castum amorem Christi, scilicet quòd Dauid permissus sit à Deo adulterã committere cum Bethsabee, vt significaret Christum exarsurum amore Ecclesiæ ex Gentibus & idololatris congregandæ. Hanc enim allegoriam assignat S. August. libr. 22. contra Faustum cap. 27. & S. Ambros. Apologiæ Dauid c. 3. Similemque afferunt Angelomus, Eucherius, & Rupert. in l. 2. Reg. cap. 11. Sic ergo & hîc Adam dicitur forma, siue typus Christi in genere, non in specie; quia contrario modo se habuerunt Christus & Adam: hic mortis, Christus verò vitæ & salutis fuit parens. sed in ipsa contrarietate est similitudo quædam proportionis & propagationis, vti paulò antè ostendi.

SED NON SICVT DELICTVM, ITA ET DONVM] *Delictum*, græcè παράπτωμα. ita vocat Paulus ipsum Adami casum, ruinam & offensam: ex qua quasi causa manat effectus, scilicet ἁμαρτία, id est, peccatum originale, quod est macula & reatus singulis ex Adamo natis inhærens. Huic delicto & offensæ opponit χάριν, δωρεὰν, χάρισμα, id est, gratiam, donationem, & gratuitum beneficium Christi, scilicet eius redemptionem, satisfactionem, meritum gratiæ, & remissionis peccatorum; ex quo, quasi causa, manat effectus τὸ δώρημα & δικαιοσύνη, id est, donum gratiæ & iustitiæ nobis inhærens.

Secundò, Adæ delictum dicitur παράπτωμα, q.d. Non casus, sed quasi casus; non ruina, sed pènè ruina; non lapsus, sed offensio. Præpositio enim παρὰ minuit rem, cui in compositione iungitur. q.d. Paruus fuit & exiguus casus & ruina Adæ præ reparatione & gratia Christi; quia bona & beneficia Christi longè potiora & efficaciora sunt peccato

to Adæ, sicuti paupertas Iri comparata cum diuitijs Cœsaris, eam subleuare & ditare parantis, parui nulla est.

SI ENIM VNIVS DELICTO MVLTI MORTVI SVNT: MVLTO MAGIS GRATIA DEI ET DONVM IN GRATIA (per gratiam) VNIVS HOMINIS IESV CHRISTI IN PLVRES ABVNDAVIT] *Multi*, id est, omnes: dicit tamen potiùs Multi, quàm Omnes, vt multitudinem posterorum significet, quia omnes possent esse pauci. ait S. August. q.d. Paulus, Si per vnius Adæ delictum omnes eius posteri reatum & pœnam mortis, tam præsentis, quàm æternæ incurrerunt; scitote longè maius fuisse beneficium quod Christus nobis exhibuit: nam longè maiora bona & dona nobis contulit gratia Christi, quàm Adam abstulerit, scilicet tot gratias & dona Spiritus sancti, quæ Christus contulit Apostolis, Martyribus, Doctoribus, Eremitis, Episcopis, Virginibus, aliisque filijs noui testamenti, quibus caruit Adam, ac tandem ipsam gloriam & immortalitatem, eiusque dotes maximas, plurimas & diuersissimas. Vide S. Chrysostomum hîc, de Christi gratiarum thesauro.

Alij sic explicant, q.d. Paulus, *Multò magis*, id est, multò maiori potentia, virtute, robore sua dona nobis contulit Christus, quàm Adam eadem abstulerit: quia difficilius est construere, quàm destruere. Hinc rectè Doctores inferunt cum S. Leone serm. 12. de Passione, quòd valor meritorum & satisfactionis Christi longè excedat demeritum Adæ: idque non ex acceptatione diuina; sed ex rigida iustitia, & valore ipsorum operum quem habebant per se, ex dignitate personæ operantis & patientis: sic enim peccatum Adæ, per se sua malignitate & grauitate ex summa æquitate & iustitia Dei, pœnasque præsentes & æternas meruerat.

Nota. Pro *in plures*, græcè est εἰς τοὺς πολλούς, in multos, id est, in omnes iam dictos. q.d. Sicut Adam omnibus nocuit, ita Christus omnibus profuit, sed ampliùs quàm ille nocuerit, ita Theophylactus.

ET NON SICVT PER VNVM PECCATVM, supple, Adam infecit omnes, ITA ET DONVM] supple, Christi ab vno tantùm peccato liberat, sed à multis, quę eorum peccato Adæ addiderunt, & addent. ita Theophyl. Hæc est secunda dissimilitudo Adæ & Christi. Græca habent, ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος: *Sicut per vnum peccantem*, supple mors venit in mundum. Et sic legit August. l. 1. de Peccat. meritis. Sed idem est sensus.

NAM IVDICIVM QVIDEM EX VNO IN CONDEMNATIONEM GRATIA AVTEM EX MVLTIS DELICTIS IN IVSTIFICATIONEM] *Iudicium*, græcè κρῖμα, id est reatus, scilicet fluxit ex vno peccato Adæ, in κατάκριμα, id est, in condemnationem; vt omnes, etiam paruuli, essent obnoxij condemnationi, id est pœnæ damni, etsi non sensus, vt docent plerique Scholastici. E contrario beneficium, & gratia Christi ex multis delictis processit ad iustificationem, vt scilicet non ab vno, sed à multis, imò ab omnibus peccatis nos iustificaret. Opponit Paulus χάρισμα καὶ κρῖμα, id est, gratiam & reatum: rursum δικαίωμα καὶ κατάκριμα, id est, iustificationem & condemnationem. Hinc S. August. l. 2. de Nupt. & concupisc. c. 27. docet peccatum originale sufficere ad condemnationem.

MVLTO MAGIS ABVNDANTIAM GRATIÆ, ET DONATIONIS, ET IVSTITIÆ ACCIPIENTES, IN VITA REGNABVNT PER VNVM IESVM CHRISTVM] *In vitâ regnabunt*. q.d. Adam inuexit regnum mortis. Christus verò eminentius & gratia, iustitia, bonisque omnibus abundantius inuexit regnum vitæ: in quo nos reges fecit, vt vitam hîc gratiâ diuinâ, & postea sine morte æternam & gloriosam adipiscamur in cælis. ita Theophyl.

Nota. Non dicit Paulus, Vita regnauit, sicut dixit, Mors regnauit, quia suauiùs & glorioſiùs sonat, *iustificati regnabunt in vita per Christum*, quàm si dixisset, Vita regnabit in iustificatis per Christum. Præclarè S. Bernard. epist. 190. ad Innocentium Pontif. contra errores P. Abailardi, qui docebat Christum esse nostrum doctorem, non redemptorem. *Si gratis*, inquit, *venumdatus sum; gratis non redimor? Quòd si dixerit: Pater tuus addixit te; respondebo, Sed frater meus redemit me. Cur non aliunde iustitia, cùm aliunde reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui iustificat à peccato. Alter in semine, alter in sanguine. Sed iustitia, inquiet, sit cuius est: quid ad te? Esto. Sed sit etiam culpa cuius est: quid ad me?*

VERS. 18. SICVT PER VNIVS DELICTVM IN OMNES HOMINES, supple, reatus pertransijt, IN CONDEMNATIONEM: SIC ET PER VNIVS Christi IVSTITIAM, græcè δικαίωμα, id est meritum, quod est causa nostræ iustificationis & iustitiæ, IN OMNES HOMINES] supple, donum & beneficium Christi pertransijt, scilicet in omnes qui à Christo spiritaliter descendunt, & baptismo in illo renati sunt. Nam Paulum propriè loqui de gratia iustificante, non præueniente patet tum ex v. sequ. tum quia Christum opponit Adamo, qui omnibus ex se natis efficax est causa damnationis: sicut Christus omnibus ex se renatis efficax est causa iustificationis & immortalitatis.

Loquitur hîc Paulus de gratia iustificante, non præueniente.

Nota. Δικαίωμα, id est meritum Christi, distinguit hîc Apostolus à δικαίωσις, id est, à iustificatione, & à δικαιοσύνη, id est, à iustitia. Hæc enim tertia est in nobis, prima verò est in Christo. Secunda autem effectiuè quidem est in Christo, quasi agente, sed subiectiuè est in nobis, quasi eam recipientibus. Id ita esse constat ex oppositione τῷ δικαιώματος & τῷ παραπτώματος. Παράπτωμα enim Apostolus vocat delictum, & offensam Adæ transfusam in posteros: ergo δικαίωμα illi oppositum vocat obedientiam & iustitiam Christi in posteros eius, putà in credentes transfusam. Vnde quod hoc loco vocat δικαίωμα, v. 19. vocat ὑπακοήν, id est obedientiam. Lege v. 19. qui hunc explicat.

Δικαιοσύνη in nobis, δικαίωμα in Christo, δικαίωσις effectiuè in Christo, subiectiuè in nobis.

IN IVSTIFICATIONEM VITAE] qua à morte peccati ad vitam gratiæ & gloriæ reuocamur. Patet v. 16. ita S. August. libr. de Peccator. meritis, cap. 15.

Aliter hæc explicat Toletus. Putat enim iustificationem vitæ hîc appellari actionem & operationem, qua Deus ex iustitia & merito Christi iustificat omnes homines, etiam reprobos, à morte suscitabit ad vitam perpetuò duraturam, non ipsorum merito ac iustitia, sed Christi, vt dixi; verùm nusquam sic accipitur iustificatio vitæ.

VERS. 19. SICVT PER INOBEDIENTIAM VNIVS HOMINIS (Adæ) PECCATORES CONSTITVTI SVNT MVLTI (omnes Adæ posteri) ITA ET PER VNIVS (Christi) OBEDITIONEM IVSTI CONSTITVENTVR MVLTI] omnes scilicet, qui ex Christo per fidem & gratiam renascuntur.

Aduertè hîc, quis & quàtus fuerit fructus vnius obedientiæ, & vnius inobedientiæ. Ex hoc loco rectè

In Christo fuit vera obedientia, & Christus habuit præceptum sic nos redimendi.

ctè Doctores inferunt concludunt́que hoc modo: in Adamo fuit vera inobedientia, ergo & in Christo fuit vera & propriè dicta obedientia, quæ præcepto Superioris se subijcit & conformat, ac consequenter datum fuit Christo præceptum à Patre moriendi, & sic redimendi nos. Hoc enim fuit obiectum obedientiæ Christi, cui Christus obediuit.

Multiplex Christi & Adami antithesis.

Nota. Ab Apostolo affertur hîc triplex antithesis & dissimilitudo inter Adam & Christum.

Primò, Adam omnes perdidit, Christus omnes reparauit.

Secundò, Adam vnicum peccatum ad posteros transmisit, Christus ab omnibus peccatis actualibus eosdem liberat.

Tertiò, Adam vnum malum, quod nullo modo intendi potest, scilicet peccatum originale, propagauit; Christus abundantiam gratiarum effudit. His adde, vberiorem & potentiorem esse gratiam Christi quàm fuerit peccatum Adæ.

Quartò, quia Adæ peccatum tantùm pœnam damni in nos induxit; Christus & à pœna damni, & à pœna sensus, quæ actualibus peccatis debetur, nos liberat. Rursus ex Adamo trahimus concupiscentiam, sed per Christum illa facta est materia magnæ tam luctæ, quàm victoriæ & triumphi: eamque per gloriam in cælo Christus extirpabit.

Quintò, per Adam amissa est gratia, qua homo perseuerare posset; per Christum datur gratia crebrior & vberior, vt in tanta infirmitate, inter tot hostes fortior stet, & actu perseueret. ita S. August. toto lib. de Bono perseuerantiæ.

Sextò, per Adam omnes morimur temporaliter; per Christum resurgemus ad vitam tum animæ, tum etiam corporis immortalem & gloriosam.

Gratia Christi se extendit ad angelos.

Septimò, non peccatum Adæ, sed gratia Christi se extendit ad B. Virginem, quæ est mare gratiarum; & plus habet gratiæ, quàm omnes homines simul. Addit Pererius, Suarez & alij, etiam ad angelos Christi gratiam se extendisse, eosque per merita Christi iustificatos esse, ad quos peccatum Adæ pertingere non potuit.

Octauò, licet Adam actu plures inficiat, quàm ex Christo renascantur: Christi tamen gratia quoad sufficientiam & oblationem se extendit ad omnes, non tantùm ex Adamo genitos, sed quoquo modo producibiles, v. g. si Deus eos de nouo crearet.

Nonò, per Adamum reducti sumus quasi ad statum puræ naturæ; per Christum eleuati sumus ad statum magis spiritualem & sublimiorem, quàm in quo Adam fuit conditus, & ad vitam planè cæ- D
lestem.

Decimò, per Adam facti sumus similes bestijs, per Christum angelis; imò natura nostra in Christo & B. Virgine exaltata est super omnes angelorum choros.

Adam priuauit nos ligno vitæ, Christus dedit nobis Eucharistiam.

Vndecimò, Adam priuauit nos ligno vitæ; Christus dat panem, qui de cælo descendit, & dat vitam æternam; putà seipsum totum, Deum scilicet & hominem, in cibum dat nobis in Eucharistia.

Christus dat copiam gratiarũ & virtutum.

Duodecimò, Adam priuauit nos gratia iustitiæ originalis; Christus dat copiam gratiarum & virtutum. Primò, quia dat virtutes, quæ non fuissent in statu innocentiæ, scilicet patientiam, pœnitentiam, martyrium, virginitatem, apostolatum, & virtutes religiosas. Secundò, harum & aliarũ omnium maiorem quàm fuisset in statu innocentiæ, dat co- A
piam, intensionem & continuum augmentum.

Nota Secundò. Sicut in Adam omnes peccauimus; sic in Christo omnes iustificati sumus, id est, iustè pro peccatis satisfecimus, & meriti sumus iustitiam: sed sicut ad contrahendum peccatum originale necesse est ex Adamo naturaliter nasci; ita ad iustitiam Christi participandam, necesse est ex eo nasci spiritualiter per baptismum.

Nota Tertiò, hinc sequi cõtra hæreticos quòd, sicut inobedientia & peccatum Adæ realiter inhæret nobis, non autem tantùm imputatur nobis; ita quoque, imò magis, inhæreat nobis gratia Christi, non autem tantùm imputetur nobis: aliquin enim longè efficacius esset peccatum Adæ, quàm gratia Christi, quæ peccatum tollere non posset, sed tantùm abscondere.

B LEX AVTEM SVBINTRAVIT VT ABVNDARET DELICTVM] Nota vocem *subintrauit*. q.d. Obiter & quasi furtim ad tempus breue, scilicet vsque ad aduentum Euangelij, intrauit lex in mundum, vt esset Iudæorum quasi pædagogus ad Christum. Græcum παρεισῆλθεν significat, ait Budæus, irrepere & fallere introeundo, & se insinuando. Sic hîc lex quasi latenter se insinuauit. & vt Noster interpres vertit, *subintrauit*; directè quidem ad hoc, vt dissolutos hominum mores restringeret, eosque duceret ad Christum, qui eos sanaret: sed indirectè ad id, quod sequitur, scilicet, *vt abundaret delictum*. q.d. Vnde factum est, vt abundaret delictum. Vocula enim *vt*, consequentiam significat, non causam. *Nitimur* enim *in vetitum semper, cupimúsque negata.* Vide can. 24. *Lex*. inquit S. August. in psalm. 102. *ideo data est, vt crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur* Idem tract. 3. in Ioan. *Lex*, inquit, *minabatur, non opitulabatur; iubebat, non sanabat. languorem ostendebat, non auferebat.* Quare minùs germanè S. Ambrosius epist. 71. ad Irenæum, *subintrauit*, inquit, lex, quia quasi fortuitò intrauit, vt succederet legi naturali, quæ in mentibus hominum erat obscurata. Nec enim legis naturalis mẽtionem hîc fecit Apostolus, nec ob eam solam instaurandam data fuit lex Mosis.

Dicet, Lex publicè tanta pompa in Sina rogata est & accepta, ergo non furtim intrauit.

Respondeo. Nego consequentiam, quia Deus Hebræos ex Ægypto media nocte, quasi latenter eduxit in desertum Sina, ibique nil tale expectantibus legem promulgauit.

Alij vertunt, Lex præterea intrauit, q.d. Præter morbum ex Adamo contractum, accessit lex quæ morbum auxit.

Occurrit hîc Apostolus obiectioni. Diceret enim aliquis. Dixisti, Paule v. 13. *Vsque ad legem peccatum erat in mundo*: ergo post legem, & per legem Mosaicam ablatum est peccatum: ad quid enim aliud data est lex? Respondet Paulus, adeò per legem non esse ablatum peccatum, vt magis per eam sit auctum, vitio quidem hominum, sed occasione accepta ex lege, quæ multiplicauit præcepta, non tamen hominibus infirmis vires dedit ad ea implenda.

Notat hîc Apostolus tres mundi status. Primus fuit ab Adam ad Mosen; secũdus à Mose ad Christum; tertius à Christo ad finem mundi: in primo regnauit peccatum & mors; in secundo lex, quæ peccatum auxit; in tertio gratia, quæ peccatum & mortem sustulit.

Vide

Vide Apostolus hîc quasi comœdiam instituit in tres scenas distinctam, & per prosopopœiam, cuique scenæ suam personam, quasi choragus assignat, quæ quasi rex dominetur & regnet. Fuerunt reges hîc, qui inter se confligunt, sunt tempora, lex & gratia; siue Adam, Moses, & Christus eorum quisque suum habuit regnum, & regni tempus & spatium.

Pulchrè quatuor hominis status inter se comparat S. August. l. 83. quæst. qu. 69. *Prima*, inquit, *est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege actio, cùm iam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine eius victi peccamus. Tertia actio est, cùm non vincimur delectatione consuetudinis malæ, sed per gratiam ei resistimus. Quarta actio, cùm omnino nihil est in homine, quod resistat spiritui. In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptate. In secunda, quæ est sub lege, pugnamus, sed vincimur. In tertia pugnamus, & vincimus. In quarta non pugnamus, sed profecto & æterna pace requiescimus.*

Secunda hîc est sententia D. Thomæ, de triplici lege fine, respectu triplicium hominum. *Circa primam legem*, inquit, *sciendum est, quòd in populo Iudæorum tria fuerunt hominum genera, sicut & in quolibet alio populo, scilicet duri, id est peccatores & rebelles, proficientes, & perfecti. Quantum igitur ad duros, lex fuit lex in flagellum, & quantum ad præcepta moralia, ad quorum obseruantiam cogebantur, per pœnæ comminationem, vt patet Leuitici 20. & quantum ad cæremonialia, quæ ideo sunt multiplicata, ne liceret eis dijs aliorum alium cultum superaddere, Ezech. 20. In manu valida & brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Sed proficientibus, qui dicuntur mediocres, lex fuit in pædagogum, secundùm illud Galat. 3. Lex pædagogus noster fuit in Christo. Et hoc quantum ad cæremonialia, quibus ad iustitiam promouebantur. Perfectis autem fuit quàtum ad cæremonialia quidem in signum, secundùm illud Ezech. 20. Sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos. Quantum ad moralia verò in solatium, secundùm illud, quod cap. 7. ait Paulus: Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem.*

VBI AVTEM ABVNDAVIT DELICTVM, SVPERABVNDAVIT GRATIA] *Vbi*, id est, postquam in mundo, occasione legis inualuit peccatum; postquam mundus ad summum malorum & peccatorum venerat in statu legis; tunc mox venit Christus, quasi medicus potentissimus & clementissimus, qui abundantiam & efficaciam gratiæ suæ ostendit in curando & abolendo peccato, regnoque peccati.

VT SICVT REGNAVIT PECCATVM IN MORTEM, VERS. 21.
pertrahens scilicet peccatorem in mortem corporalem & æternam: ITA ET GRATIA REGNET PER IVSTITIAM IN VITAM ÆTERNAM] vt scilicet per iustitiam assequamur vitam æternam, ad quam iustitia dat ius. q. d. Gratia Christi superabundauit, ad hoc, vt mortis & peccati regno destructo, regnum iustitiæ & æternæ vitæ instauraretur, & longè lateque propagaretur per Christum. Vide hîc duo regna, vnum mortis, in quo regnauit Adam & Adæ peccatum; alterum vitæ, in quo regnat Christus, Christique gratia, quæ prius regnum mortis euertit. Inter hæc duo subintrauit lex, vt faceret quasi interregnum; sed frustra: nam lex regnum peccati potiùs auxit, quàm suspendit. Vnde necesse fuit venire Christum, qui sua gratia regnum peccati & mortis exscinderet. Præclarè S. Augustinus in sententijs num. 194. *Rationalis anima*, inquit, *est domina corporis sui, quæ inferiori non bene imperabit, nisi superiori se Deo tota charitatis subiectione seruierit.*

Duo regna, mortis & vitæ, inter quæ lex voluit facere interregnū.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite, de more Apostolus, post dogmata, ad mores dogmatibus conformes transit, hortaturq; fideles, vt iustitiæ per Christum acceptæ seruandæ & augendæ studeant.

Primò ergo, docet nos in baptismo Christo consepultos, complantatos, & commortuos esse peccato, vt deinceps in nouitate vitæ ambulemus: sicut Christus semel mortuus, ad nouam vitam, non amplius moriturus resurrexit, vt & nos quandoque cum eo ad gloriam resurgamus.

Secundò, v. 12. docet in Christianis non debere regnare peccatum, vt obediant concupiscentijs eius, vtpote qui per Christi gratiam liberati sunt à peccato, & serui effecti iustitiæ: itaq; par esse, vt membra sua tradant in obsequium iustitiæ, ad vitam, quæ priùs tradiderant immunditiæ, ad mortem nam, vt ait v. vltimo: Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.

1. QVid ergo dicemus? permanebimus in peccato vt gratia abundet? 2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? 3. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus. 6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato. 7. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. 8. Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam viuemus cum Christo: 9. scientes quòd Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà nō dominabitur. 10. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. 11. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse

esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro. 12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. 13. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ Deo. 14. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. 15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. 16. Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? 17. Gratias autem Deo quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis. 18. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. 19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. 20. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. 21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. 22. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. 23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.

VERS. 1. QVID ERGO DICEMVS? PERMANEBIMVS IN PECCATO VT GRATIA ABVNDET?] Est prolepsis, qua Apostolus occurrit quorumdam obiectioni. Dicet enim quis: Si, ô Paule, verum est, quod dixisti cap. superiori in fine: *Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit gratia*: ergo peccata peccatis addenda sunt, vt gratia Dei magis abundet.

Respondet Paulus: *Absit*. ita Patres. Vnde patet peccatum hîc propriè accipi, licet aliqui metonymicè pro fomite peccati accipiant.

VERS. 2. *Duplex horum verborum sensus.* QVI ENIM MORTVI SVMVS PECCATO, QVOMODO ADHVC VIVEMVS IN ILLO?] Nota. τὸ *peccato*, potest hîc accipi dupliciter, scilicet Primò, vt sit ablatiui casus, idemque sit *mortui peccato*, quod mortui per peccatum, quomodo loquitur Apostolus Ephes. 2. 5. Secundò, vt τῷ *peccato*, sit datiui casus, & tunc mori peccato, idem est quod renunciare peccato, abdicare peccatum. S. Chrysost. vtroque modo hîc accipit, vnde duplicem affert expositionem. Primò, *Qui mortui sumus peccato* id est, inquit, qui vitam spiritualem per peccatum amisimus. Vel Secundò, qui peccato deleto amplius ei non obedimus, sed illi iam renunciauimus, illudque abdicauimus. Verùm secundus hic sensus potior est, magisque genuinus; opponitur enim directa antitheti ei, quod subdit Apostolus, *Quomodo adhuc viuemus in illo?*

Quid sit viuere iustitiæ vel peccato. Nota. Viuere iustitiæ, vel peccato, est operationes vitæ circa iustitiam vel peccatum, seu opera peccati vitalia facere & exercere, scilicet cùm homo rationalis per voluntatem, amorem, desiderium, gaudium obedit, delectatur, sequitur, fruitur concupiscentijs & appetitibus, qui sunt contra legem Dei, nec diuinæ, sed suæ voluntati indulget. Sic è contrario peccato mortuus dicitur, cùm hæc opera vitæ, hos amores non habet, sed à se præscindit & abdicat. Mors enim est plena derelictio, & separatio ac præcisio. Sicut ergo Religiosi mortui debent esse mundo, vt non delectentur, nec misceant se rebus mundanis, ita omnes Christiani mortui debent esse peccato. Vide dicta Galat. 6. 14.

Nota. Hoc cap. peccatum & peccati fomitem considerat Apostolus, quasi dominum quemdam, aut regem in homine tunc regnantem, quando prauis eius motibus & desiderijs obsequitur: persistit enim in prosopopœia, de qua dixi c. præcedenti v. 20.

VERS. 3. QVICVMQVE BAPTIZATI SVMVS IN CHRISTO A IESV, IN MORTE IPSIVS BAPTIZATI SVMVS] *Baptizati in Christo*, id est baptizati in virtute, nomine, meritis non Iohannis, sed Christi. ita Origenes & Anselm.

Secundò, Pererius, *in Christo*, inquit, id est, per Christum. Sed Græca habent εἰς Χριστὸν, in Christum, & ita legit Tertull. libr. de Resurrect. carnis, q.d. Paulus, Per baptismum estis inserti in Christum, quasi rami in nouam arborem, & facti estis de eius corpore, mystico scilicet, quod est Ecclesia. Ex hoc loco & similibus putarunt nonnulli validum esse baptismum, si quis hac forma baptizet: *Ego te baptizo in nomine Christi*, omisso nomine Patris & Spiritus sancti. ita censent Magister in 4. dist. 3. Adrianus ibid. qu. 1. a. 2. Caietan. 3. p. qu. 66. a. 6. Idem videtur sensisse vt priuatus Doctor, Nicolaus I. Pontifex respondens ad consulta Bulgarorum. Ait enim: *Hi profectò si in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actu Apostolorum legitur, baptizati sunt, rebaptizari non debent.* Idem docet S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. & Beda in Actor. cap. 10.

Secundò, S. Thomas 3. p. qu. 66. a. 6. censet Apostolos ex Dei dispensatione baptizasse in nomine Christi, ad nomen eius illustrandum; nunc autem id non licere, nec valere baptismum, nisi conferatur exprimendo tres personas SS. Trinitatis.

Verùm alij Patres & Doctores passim censent, non valere, nec vnquam valuisse baptismum, nisi nominentur singulæ personæ SS. Trinitatis. Citat eos Suarez 3. p. qu. 66. ar. 6. Imò idipsum definit Pelagius Pontif. c. *Si reuera*. de consecrat. distinct. 4. vbi talem qui baptizatus est in nomine Domini, id est Christi, dicit esse rebaptizandum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Idem asseuerat Zacharias Pontifex eadem dist. cap. *In Synodo Angelorum*. Cùm ergo ait Paulus, nos baptizati in Christo, & Lucas in Actis, in nomine Iesu; intellige, *in Christo*, id est, Primò, in auctoritate, virtute & meritis Christi. Secundò, in baptismo à Christo instituto, qui confertur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tertiò, in nomine Christi, sed non solo. Quartò, probabile est Apostolos addidisse in baptismo hæc verba, Iesu Christi, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi, & Spiritus sancti. Hoc enim plurimùm conducebat ad illustrandum nouum hoc nomen Christi apud Iudæos & Gentes; præsertim cùm sic

Christus

Christus poneretur cum Patre & Spiritu sancto, A
autore sanctificationis. ita S. Basilius lib. de Spiritu
sancto c. 12. apertè asserit in baptismi forma nul-
lum trium personarum posse omitti: & ideo cùm
Paulus ait, nos baptizari in Christo, vel in Spiritu
sancto, cæteras quoque personas intelligendas es-
se. Siquidē, inquit, *Christi appellatio, totius deitatis est
professio: quippe qua simul declarat & Deum* (Patrem)
*qui vnxit, & Filium qui vnctus est, & Spiritum san-
ctum qui est unctio: sicut à Petro in Actis didicimus: Ie-
sum Nazarenum, quem vnxit Deus Spiritu sancto.*
Item in Isaia cap. 61. *Spiritus Domini super me, eò quòd
vnxit me. Et Psalmes psalm. 44. Propterea vnxit te Deus,
Deus tuus, oleo exultationis, vltra participes tuos.*

[IN MORTE] Græcè εἰς τὸν θάνατον, in mortem, id
est, in similitudinem & repræsentationem mortis
Christi baptizati sumus. Qui enim baptizantur, &
aqua immerguntur, Christum mortuum & sepul- B
tum repræsentant allegoricè, idque vt tropologi-
ca similitudine significent, sicut Christus mortuus
est vitæ temporali, ita se moti peccato, ait S. Chry-
sost. per baptismum, quo peccata merguntur &
sepeliuntur: mori, inquam, peccato tum per vim
& efficaciam baptismi, vt ait S. August. Enchirid.
42. (vbi hinc probat infantes habere peccatum o-
riginale, quia scilicet baptizantur) tum per propo-
situm sanctum nouæ vitæ. quod concipit baptiza-
tus. ita Tertull. l. de Pœnitentia.

Probat hìc Apostolus nos mortuos esse pecca-
to, nec illi viuere debere, ex eo, quòd per bapti-
smum inserti sumus Christo, vt viuamus vita Chri-
sti & Christiana: hæc enim ex diametro peccato
repugnat.

CONSEPVLTI SVMVS CVM ILLO PER BAPTISMVM C
IN MORTEM] Probat Apostolus nos esse mortuos
peccato, ex mystica baptismi sepultura; vnde ait,
consepulti sumus. q.d. Nos, tamquam mortui pecca-
to sepulti sumus in baptismo: sicut Christus mor-
tuus corporaliter, traditus est sepulturæ. nemo e-
nim sepelitur nisi mortuus. Ritus ergo baptismi,
scilicet, trina mersio allegoricè repræsentat tres
dies sepulturæ Christi, & tropologicè repræsentat
sepulturam & mortem peccati. Vnde ex hac causa
& repræsentatione, in die sepulturæ Christi scili-
cet sabbatho sancto, solemnis baptismus celebrari
solet. Vide Damascen. l. 4. de Fide c. 10.

Nota hìc dissimilitudinem inter sepulturam
Christi & baptismum. Christus enim priùs mor-
tuus est, quàm sepultus: hæc verò baptismi sepul-
tura, quia Sacramentum est, mortem peccati in
nobis efficit: itaque morte peccati est prior & an- D
terior, non tempore, sed natura, vt rectè aduertit
Ferarius & Toletus, & hoc est quod ait Paulus,
Consepulti sumus in mortem. q.d. Cum Christo in ba-
ptismo quasi sepelimur, ad hoc vt moriamur pec-
cato: hanc enim peccati mortem affert & inducit
haec sepultura baptismi. Hinc moraliter Patres
monent nos, vt semper ante oculos habeamus pro-
fessionem, quam fecimus in baptismo, dicentes,
Abrenuncio Satanæ, & consequenter peccato.

Ingressus es, inquit S. Ambros. lib. de ijs qui my-
steriis initiantur, cap. 2. *regenerationis sacrarium, re-
pete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis.
Renunciasti diabolo & operibus eius, mundo & luxu-
riæ eius ac voluptatibus; tenetur vox tua, non in tu-
mulo mortuorum, sed in libro viuentium. Præsentibus
angelis locutus es, non est fallere, non est negare.* Et S.
Augustinus lib. 4. de Symbolo ad Catechum. cap.

Cornel. in epist. Pauli.

1. tom. 9. *Exclusus est*, inquit, *inimicus de cordibus ve-
stris; huic vos renunciare professi estis, in qua pro-
fessione non hominibus, sed Deo & angelis eius conscri-
bentibus dixistis, Renuncio. Renunciate non solùm vo-
cibus, sed & moribus; non tantùm sono linguæ, sed &
actu vitæ; nec tantùm labijs sonantibus, sed & operibus
pronunciantibus. Scitote vos cum callido, antiquo &
veternoso inimico suscepisse certamen: non in vobis post
renunciationem inueniat opera sua, non iure vos attra-
hat in seruitutem suam. deprehenderis enim, & detege-
ris, Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris: fi-
delis in nomine, aliud demonstras in opere, non tenens
promissionis tuæ fidem: modò ingrediens ecclesiam ora-
tiones fundere, post modicum in spectaculis cum histrio-
nibus impudicè clamare. Quid tibi cum pompis diaboli,* *Baptizatis sacerdos dat vestem candidam.*
quibus renunciasti? Hinc etiam baptizatis sacerdos
dat vestem candidam, quasi tesseram puritatis &
innocentiæ, dicens: *Accipe vestem candidam, sanctam
& immaculatam, quam perferas sine macula ante tri-
bunal Christi, vt habeas vitam æternam.* Qua de re
ita Lactantius canit in carmine paschali:

Candidus egreditur niueis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Quarè patheticè Muritta Diaconus apud Vi-
ctorem Vticensem lib. 3. Persecution. Wandal. ad
Elpidophorum apostatam, & carnificem tam suū
quàm aliorum orthodoxorum, expandens &
ventilans lintea illa, quibus Elpidophorum olim è
sacro fonte susceperat. *Hæc*, inquit, *sunt lintea, Elpi-* *Pulchra & pathetica reprehensio peccatoris & relinquentis primā innocētiam.*
*dophore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum maie-
stas venerit iudicantis, custodiente diligentia mea ad
testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in
abyssо putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxe-
rant de fonte surgentem. Hæc te acriùs persequentur,
flammantem gehennam cùm cæperis possidere, quia in-
duisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens at-
que amittens veri baptismatis & fidei sacramentum.
Quid facturus es miser, cùm serui patrisfamilias ad cœ-
nam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te a-
liquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum flo-
lam Rex conspiciet nuptialem, dicetq; tibi: Amice, quo-
modo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non
video quod contuli, non noscо quod dedi. Perdidisti mili-
tiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum
decem mensibus texi, & tendiculas crucis, quas exten-
dens aquam mundaui, & purpura mei sanguinis deco-
raui, non conspiciunt oculi mei; characterem non video
Trinitatis; talis non poterit interesse epulis meis: ligate
eum pedibus & manibus, &c.*

VT QVOMODO CHRISTVS RESVRREXIT A MOR-
TVIS PER GLORIAM PATRIS, ITA ET NOS IN NO-
VITATE VITÆ AMBVLEMVS] *Per gloriam Patris*, id
est, per diuinam virtutem: vel, vt Theodor. &
Theoph. per propriam diuinitatem suam: eadem
enim est gloria, siue gloriosa diuinitas Patris
& Filij.

Secundò & aptiùs, Caietan. vt plenior sit cōpa-
ratio inter Christum & nos, sic explicat, *per gloriam
Patris*, id est, inquit, per vitā gloriosam & immor-
talem, quā Christus resurgens accepit à Patre. q.d.
Christus resurrexit ad hoc, vt gloriosam & diuini-
tati conuenientem vitam ageret, qualis decet filiū
Dei. Vnde congruum, vt & nos baptismo resurgē-
tes nouam vitam dignam filijs Dei agamus, idque
continuò & constanter in ea pergendo, & profi-
ciendo: hoc enim significat verbum, *ambulemus*.

Posset Tertiò, Græcum Δόξῃ, verti *propter*, vel, vt Syrus vertit, *in gloriam Patris*. Valdè enim glorificatus est Pater in resuscitatione & resurrectione Christi. Præclarè S. Augustin. in Enchiridio cap. 53. *Quidquid*, inquit, *gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertia die, in ascensione in cælum, & sede ad dexteram Patris, ita gestum est, vt iis rebus non tantùm mysticè dictis, sed etiam gestis, configuraretur vita Christiana, quæ hîc geritur. Nam propter eius crucem dictum est, Qui Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentiis. Propter sepulturam. Consepulti sumus cum Christo per baptismũ in mortẽ. Propter resurrectionẽ, Vt quemadmodũ Christus resurrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Propter ascensionem sedemq́, ad dexteram Patris, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt sapite; non quæ super terram.*

VERS. 5. SI ENIM COMPLANTATI FACTI SVMVS SIMILITVDINI MORTIS EIVS, SIMVL ET (supple, complantati similitudini) RESVRRECTIONIS ERIMVS] Excitat hîc Apostolus ad nouitatem vitæ, per spem resurrectionis.

Nota. Pro *complantati*, græcè est σύμφυτοι, quod non est participium, sed nomen; quasi dicas, *consitii*. Iam sensus est, si Christo insiti sumus, perinde ac rami inseruntur arbori, vt ex ea succum sugant & hauriant; sic vt ex morte Christi, cuius similitudinem gessimus in baptismo, tamquam è radice similem quamdam peccati mortem sugamus, vt nimirum per mortem Christi, in qua baptizati sumus, mortui simus peccatis; si inquã ita inseramur Christo, participes quoque erimus resurrectionis Christi. Ergo τὸ *similitudini* ex hebraismo accipitur pro, in similitudinem, id est, in conformationem mortis Christi. Posset tamen cum Syro sic accipi, *similitudini*, id est per similitudinem, vel in similitudine, putà in baptismo, quæ est similitudo & repræsentatio mortis & sepulturæ Christi.

Christo insiti sumus vt rami arbori.

Verùm antithesis sequens primum sensum exposcit: nam pari modo tacitè subdit Apostolus, quòd aliquãdo complantati & insiti erimus Christo, similitudini, id est ad similitudinem, resurrectionis eius, vt nimirum ex Christo quasi arbore resurgente, similem nos ipsi resurrectionem sugamus & participemus. Perstitit Paulus in metaphora plantæ. Sic enim sacra Scriptura Christum vocat virgultum, & vitem, nos palmites; & Christus in nobis dicitur crescere, nosq́ue in Christo dicimur adolescere, essęque arbores frugiferæ, quas ministri Christi dicuntur plantare & rigare. Dicit ergo; sicut ramus in arbore insitus moriente quasi per hiemem arbore, illi pariter etiam ipse commoritur; & rursum arbore tempore veris quasi resurgente, vnà quoque ramus resurgit: sic qui Christo coinsitus, peccato commoritur, in hieme huius vitæ & passionis; & hic Christo quoque in vere illo vniuersali resurrectionis, cùm nouum cælum & noua terra repullulascent, consurget ad gloriam. ita Origenes. Vnde & Tertull. lib. de Carnis resurrect. c. 47. sic legit: *Si enim consati sumus simulacro mortis Christi, simul & resurrectionis erimus*: illudq́ue sic explicat: *per simulacrum* (per repræsentationem) *enim morimur in baptismo, sed per veritatem resurgemus in carne, sicut & Christus.*

In Christo dicimur crescere.

Sensus ergo est, q.d. Paulus: Sicut mortis & passionis Christi in hac vita consortes facti sumus, ita pariter & resurrectionis Christi in futura vita A consortes fiemus: nam & huic insiti sumus, vtpote cuius, æquè ac mortis Christi, in baptismo gessimus similitudinem. Nam sicut immersione, quæ fit in baptismo, configuramur Christo mortuo, & sepulto: ita vicissim emersione ex aquis baptismi configuramur Christo resurgenti. quòd si autem resurrectionis Christi participes futuri sumus, fierique debemus; ergo pariter in nouitate vitæ, quam resurrectio Christi significat, quamque resurrectio nostra postulat & prætequirit, ambulandum nobis est.

Pulchrè Nazianz. orat. 1. in Pascha: *Heri*, inquit, *cum Christo in crucem agebar, hodie simul unà glorificor: heri commoriebar, hodie simul viuificor. heri consepeliebar, hodie simul resurgo*, &c. Et Tertull. lib. de Corona militis, c. 14. *Christus*, inquit, *fauos postella gustauit, nec antea Rex gloriæ à cælestibus est salutatus, quàm Rex Iudæorum proscriptus in cruce: minoratus primùm à Patre modicum quid citra angelos, ita gloria & honore coronatus est.* ita & nos si hîc fella gustemus, postea fauos cum Christo gustabimus.

B

Aliter hæc explicant Toletus & Adamus; nimirum vt complantari resurrectioni Christi, sit idem, quod in nouitate vitæ ambulare, vti præcessit. q.d. Paulus, Si tamquam furculi quidam insiti sumus Christo per baptismum, sic vt similitudinem mortis eius in nobis habeamus, moriendo peccatis: erimus quoque hoc ipso complantati, insiti, vel ingenerati similitudini resurrectionis eius: quæ similitudo posita est in nouitate vitæ, vt nimirum sicut Christus ad nouam & beatam vitam resurrexit, ita quoque nos ad nouitatem vitæ resurgamus, & in ea viuamus & ambulemus. Verùm si hoc voluisset Apostolus, dixisset potiùs, *simul & resurrectionis sumus*; iam autem non dicit *sumus*, sed *erimus*: vnde magis genuinè & propriè videtur spectare futuram resurrectionem.

C

Nota vim præpositionis σὺν, id est *cum*, in Græcis Apostoli vocibus σύμφυτοι, συνηθήσθαι, συμμορφοῦσθαι, συζῆν, συμπάσχειν, συμμορφοῦσθαι, συμβασιλεύειν, συνδοξάζεσθαι, id est, complantati sumus, consepulti, concrucifixi, conuiuentes, compatientes, conformati, conregnantes, conglorificati Christo. σὺν enim significat Primò, similitudinem nostram in his cum Christo.

Secundò, significat causam omnium horum in nobis esse hanc, quòd scilicet simus vniti Christo, quasi rami arbori, ita vt hæc omnia quasi succum arboris Christi à Christo Christique cruce & passione sugamus.

D

Tertiò, σὺν significat effectum & fructum, quem Christus à nobis requirit, vt scilicet hæc conemur cum Christo in nobis perficere, Christumque in hisce assiduè imitari & prosequi, vt cum ipso pariter glorificemur.

Hoc SCIENTES, QVIA (quòd) VETVS NOSTER HOMO SIMVL CRVCIFIXVS EST] Refert τὸ *hoc scientes*, ad omnia præcedentia; sed maximè ad τὸ *mortui sumus*, & ad τὸ *complantati facti sumus similitudini mortis eius*; *vt in nouitate vitæ ambulemus* q.d. Debemus mortui esse peccato, & in nouitate vitæ ambulare, *hoc scientes*, id est, cùm sciamus (per hebraismum enim ponitur participium pro verbo) quòd vetus noster homo crucifixus sit.

Nota. *Vetus homo*, inquit D. Thomas, Primò est macula ex actu peccati relicta. Secũdò, est ipsa cõsuetudo peccãdi. Tertiò, est concupiscentia. Quartò & clariùs, Toletus, *Vetus homo*, inquit, dicitur

& qui peccatum & concupiscentias. nascendo ex Adamo traxit & sequitur. Putà, vetus vita, veteres mores, vetus in concupiscentijs & peccatis, status veteris Adami, viuendi ratio, vti pluribus dictum cap. 5. Hic ergo iam dictus vetus homo crucifixus est cum Christo. Primò, per repræsentationem: baptismo enim repræsentamus crucē Christi, & reciprocum, scilicet nos cum Christo esse crucifixos, & crucifixisse nostra vitia. Secundò, per effectum: quia scilicet virtute Christi in cruce mortui, per baptismo nobis applicatur, peccata nostra delicta sunt. Crux enim peccatorum nostrorum est mors & destructio.

VT DESTRVATVR CORPVS PECCATI] Primò, Origen. Chrysost. Ambros. Anselm. & Toletus, *Corpus peccati*, inquiunt, est tota peccatorum massa, quasi vnum est corpus hominis veteris, cuius membra sunt libido, auaritia, fornicatio cuiuslibet Christiano mortificanda, vt ait Apostolus Coloss. 3. 5. Hanc peccatorum massam vocat Apostolus corpus peccati, vt persistat in metaphora crucis, de qua dixit *Vetus noster homo crucifixus est*: non enim accidentia, nec spiritus, sed corpora hominum crucifigi solent.

Notabile, peccata non tegi per iustitiam imputatam, sed omnino mori & deleri in baptismo, per gratiam & iustitiam infusam, vt hîc coactus fatetur Caluinus sui oblitus.

Secundò, idem Origenes sic explicat, *vt corpus peccati*, id est, corpus in peccato conceptum, nutritum & peccare solitum *destruatur*, non substantia, sed qualitate, id est, eneruetur: hoc enim est Græcum καταργηθῇ. Vnde & Tertullianus lib. de Resurrect. carnis. c. 47. sic legit, & explicat: *vt euacuetur corpus delinquentiæ, per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ.*

Tertiò, Theodoret. sic legit, *vt corpus nostrum euacuetur peccato*, id est, vt peccatis sit vacuum. Verùm genuinus sensus Apostoli menti & phrasi magis est conformis.

QVI ENIM MORTVVS EST, IVSTIFICATVS EST A PECCATO] Causam dat cur vltrà non debeamus seruire peccato; quia, inquit, qui consepulti sumus Christo crucifixo, & morti Christi in cruce morientis mortuus est peccato, seu vitæ veteri, hic *iustificatus*, id est absolutus est prorsus, à peccato, vt non debeat habere cum eo commercium: sicut homo mortuus absolutus est ab huius vitæ negotijs, vt ijs se miscere non debeat, nec possit.

Secundò, S. Basilius libr. de Baptismo: *Qui*, inquit, *mortuus est, hic iustificatus, id est purgatus, est à peccato per iustitiam à Deo datam & infusam.*

Tertiò, specialiùs & profundiùs, iuxta primum sensum S. Chrysost. & Theodoret. sic explicant; tanquam alludat Paulus ad seruum, qui dum viuit, seruituti astringitur, sed in morte ab eadem absoluitur & liberatur: hanc enim metaphoram ferit v. 16. & sequenti vrget Apostolus. q. d. Sicut seruus mortuus, per mortem iustificatus, id est absolutus & liberatus, est à iure & dominio heri, puta à seruitute, ita vt herus in eum nullum herile habeat ius vel imperium; pari modo & nos à seruitute peccati iustificati, id est liberati & absoluti, fuimus hoc ipso quo eidem mortui sumus per baptismum, vt proinde ampliùs peccato vacare & seruire non debeamus.

SI MORTVI SVMVS CVM CHRISTO, CREDIMVS *Cornel. in epist. Pauli.*

QVIA SIMVL ETIAM VIVEMVS CVM CHRISTO] *Simul viuemus*, in vita, nimirum futura, beata & æterna. ita Origen. Chrysost. Theodor. & Anselm. Secundò, Toletus, Credimus, inquit, id est confidimus, quòd simul cum Christo in noua vita gratiæ viuemus. id est, viuere pergemus. Sed prior sensus planior est: Apostolus enim more concionatoris, identidem Christianis proponit præmium æternæ vitæ, vt eos ad bonam sanctamque vitam alliciat & excitet, ideoque ab anagoge baptismi, salit ad tropologiam, putà à resurrectione salit ad mortificationem vitiorum, & nouitatem vitæ; & mox ab ea ad resurrectionem redit, idque facit secundò & tertiò; sed alijs & alijs verbis. Nam hanc baptismi anagogen siue resurrectionem proposuit v. 5. & eandem hoc v. 8. & rursum v. 9 & 11. alijs verbis inculcat. Rursum eidem tropologiam de nouitate vitæ præposuit, v. 4. & iterum subnexuit v. 6. 7. 9. 11. & seq.

Monet bonis cursum, iam fugâ vitiorum, iam cælestes coronas proponere.

Idem faciendum est cuiuis ecclesiastæ, vt scilicet misceat præmia cum virtutibus; vtque suis auditoribus iam cælum & cælestes coronas, iam fugam vitiorum, & Christianos mores, quibus cælestes coronæ acquiruntur, proponat.

SCIENTES QVOD CHRISTVS RESVRGENS (græcè ἐγερθεὶς, id est, suscitatus, vel qui resurrexit. Est enim præteriti temporis) EX MORTVIS IAM NON MORITVR, MORS ILLI VLTRA NON DOMINABITVR] Pendent hæc à præcedentibus. q. d. Si mortui sumus peccato, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo, in vita scilicet beata & immortali. Scimus enim Christum, postquam resurrexit à mortuis, talem vitam iam viuere, nec ampliùs moriturum, imò mori non posse. Cùm ergo vita nostra beata post resurrectionem similis & conformis sit futura vitæ Christi, sequitur nos quoque tunc ampliùs non morituros, imò mori non posse. Ex quo discursu tacitè Christianis colligendum relinquit Apostolus, eos vtpote iam mortuos peccato, & traductos in nouitatem vitæ, adeoque ordientes hîc beatam vitam, & tendentes ad gloriosam immortalitatem, constanter in hac via vitaque sancta persistere debere, vt in mortem peccati non recidant, sed sanctam & felicem immortalitatem per constantiam vitæ piæ & Christianæ repræsentent atque inchoent. Infert Origenes ex eo, quod ait Apostolus, *mors illi vltrà non dominabitur*; ergo mors antea, putà in cruce, dominata est Christo. Porrò Origenes per mortem intelligit diabolum: sed clarum est ex præcedentibus, mortem propriè hîc accipi. Mors ergo quasi dominus & rex hîc inducitur, quæ Christo, omnibusque hominibus fuit dominata, sed per Christum dominio hoc suo est spoliata.

Christianos cauendum reincidere in pristina peccata.

Error Origenis putantis mortem, id est, diabolū Christo dominatum.

VERS. 9.

VERS. 10.

QVOD ENIM MORTVVS EST PECCATO, MORTVVS EST SEMEL] S. Hilarius lib. 9. de Trinit. putat τὸ *quod*, esse relatiuum, sicque vertit, & legit, *quod mortuum est, peccato mortuum est semel; quod autem viuit, viuit Deo*. q. d. Mortuum est Christi corpus semel propter peccatum, sed viuit & vixit, viuetque semper eius diuinitas. & ita vertendum esse contendit Faber Stapulensis, qui Nostrũ taxat interpretem, quòd vertat *mortuus*, non *mortuum*. Verùm Nostrum interpretem defendit Erasmus, & alij passim, imò & Beza. Græcum enim ὃ, id est, *quod*, pro ὅτι capitur, vel certè subaudiendum est, κατὰ. q. d. κατ' ὃ, id est, in eo quòd mortuus fuit, vel quantum ad mortem Christi attinet, semel

Fabri lectio fauens Nestorio hic reijcitur.

ipse peccato mortuus est: aptiùs enim dicitur Christus mori & viuere, quàm corpus Christi; ne scilicet videamur cum Nestorio separare in Christo corpus & hominem à deitate.

Triplex horum verborum explicatio.

PECCATO MORTVVS EST SEMEL] Hilar. libr. 9. de Trinit. & Oecumen. *Peccato*, inquiunt, id est, corpore, putà corporaliter, mortuus est semel Christus. Corpus enim dicitur peccatum metonymicè, quia peccati est subiectum. Simili sensu vocatur caro peccati, licet in Christo tantùm fuerit similitudo carnis peccati: vel, vt Pererius explicat, *mortuus est Christus peccato*, id est, vitæ passibili & mortali, qualis est in corpore hoc peccatis subdito.

Secundò, S. Ambrosius serm. 18. in psal. 118. v. 7. mortuus, inquit, est Christus peccato, id est peccatori, putà propter peccatores.

Tertiò & optimè, S. Chrysost. & Theodor. mortuus est Christus peccato, id est, propter peccatũ, ad peccatum in nobis mortificandum & abolendum. Hanc enim vim habet lamed datiui Hebræis. Aliter ergo Christus mortuus dicitur peccato, aliter nos: Christus effectiuè; nos subiectiuè: Christus semel ἀπέθανεν, est mortuus; nos autem νεκροὶ nominaliter, quasi semper mortui peccato esse & permanere debemus.

Christus mortuus est peccato effectiuè, nos subiectiuè.

QVOD AVTEM VIVIT, VIVIT DEO] *Viuit Deo*, id est, diuinitate & anima. ita Oecumenius.

Secundò, S. Chrysost. & Toletus, *viuit Deo*, id est, per Dei virtutem.

Tertiò, & optimè, Christus iam post resurrectionem *viuit Deo*, id est, apud Deum, & similem Deo viuit vitam, cælestem, diuinam, beatam, immortalem. Rursum *viuit Deo*, id est, ad Dei gloriam, vt Deum perpetuò laudet & celebret: sicut enim mortuus est propter peccatum, sic viuit propter Deum, & Dei gloriam.

VERS. 11.

ITA ET VOS EXISTIMATE, VOS MORTVOS QVIDEM ESSE PECCATO, VIVENTES AVTEM DEO] Quis sit mortuus peccato pulchrè & minutim explicat S. Prosper lib. de Vita contemplat. cap. 21.

Quid sit mori peccato.

Quid est, inquit, *mori peccato, nisi damnandis operibus omnino non viuere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire? Vt sicut qui mortuus est carne, nulli iam detrahit, nullũ auersatur, despicit, nullius pudicitiã callida circumuentione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur aut opprimit, non inuidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis inseruit, non vinolentiæ deditus in se bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit, non odiorum facibus inardescit, non compendia iniusta sectatur, non potentibus aut diuitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ solicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum iniuriis fatigatur; non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter iactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat, non distentio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium turpitudinis amor inuitat, non rabies insani furoris exagitat, non sumptuosarum deliciarum studium mactat, non ardor animosæ cõtentionis exanimat.* Deinde alio schemate per epitheta singulorum vitiorum propria idipsum prosequitur, dicens: *Quem non facit impudentem audacia, iniquum iniustitia, ferũ inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, delicioſum gula, rebellem inobedientia, vanum iactantia, infidelem perfidia, leuem facilitas, sæuum crudelitas, manducatorem turpis edacitas,*

Pulchra hypotyposis hominis omnibus vitijs dediti: & vicissim hominis omnia vitia mortificantis.

impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, segnem spiritualis infirmitas, iracũdum animositas, suspiciosum peruersitas, verbosum vanitas, iniuriosum malignitas: qui remotus est prorsus à secularibus illecebris, remotus ab immũditiis & inimicitijs, remotus ab insidijs dicam, remotus à rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus à mendacijs, siue periurijs. postremò remotus ab omni genere flagitiorum atque facinorum, quibus carnaliter viuentes, Deum offendunt: sicut, inquam, caro mortua nec facere ea potest, quæ dixi, nec pati, ita & hũ & talibus vitijs omnino non viuunt, qui viuentes Deo, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigunt.

VIVENTES AVTEM DEO] vt scilicet spiritu Dei, siue vita spirituali & diuina, putà vita gratiæ, non peccato, sed Deo seruientes, viuatis, id est, viuere hanc gratiæ in baptismo acceptam conseruetis. vt enim *viuentes* hic significat actum non inchoatum, sed continuatum, iuxta can. 32. Vnde ait *existimate*, id est, reputate, cogitate, perpendite, resolute, concludite, & omnino decernite, vos Deo deinceps semper debere & velle viuere.

IN CHRISTO] id est, per Christum, vel, vt Toletus, ad similitudinem Christi, qui ita viuit, vt amplius non moriatur. q. d. Pari modo, nec vos amplius mori debetis per peccatum. Sæpè Hebræi fmunt ב, id est *in*, pro ב similitudinis, vt *in Christo* idem sit, quod, instar Christi.

NON ERGO REGNET PECCATVM IN VESTRO MORTALI CORPORE, VT OBEDIATIS CONCVPISCENTIIS EIVS] Peccatum intellige, proprie & actum. Sic enim accepit peccatum Apostolus v. 12. 6. 7. 10. 11.

Notat S. Chrysost. & Theodoret. non dicit, Non tyrannizet quasi inuitis vobis peccatum; quia peccatum in nobis regnare non potest, nisi nobis volentibus, illudque sponte acceptantibus, ac consequenter nobis inuitis imperare & tyrannizare non potest.

Alij non improbabiliter, metonymicè capiunt hic peccatum vt idem sit, quod fomes peccati & concupiscentia. Vnde notant S. August. in psal. 35. & Gregor. 14. Moral. 9. non dicere Apostolum, Non sit, non habitet: hoc enim est impossibile, sed, Non regnet in vobis peccatum, vt scilicet illi vos subijciatis, eiusque desiderijs & concupiscentijs obediatis, vt sequitur.

Perperam ergo Beza sic explicat τὸ *non regnet peccatum*; q. d. Apostolus, Peccato & concupiscentiæ reluctetur spiritus, attamen illam non vincat. Sed perperam, vt dixi: nam si in hac luctâ spiritus non vincit carnem & concupiscentiam, ergo concupiscentia ipsa vincit & regnat. Nimirum fallitur Beza, nec videt, quòd aliud est, esse vel existere peccatum, aliud, vincere peccatum & cõcupiscentiam. Est quidem in homine caro & concupiscentia, & in hac vita planè extirpari nequit, sed tamen in iusto vincitur & supprimitur à dominante ratione & spiritu.

Nota τὸ *mortali*: cùm ait Apostolus, *in vestro mortali corpore*, stimulum dat ad pugnam, & ad resistendum concupiscentijs, quia scilicet hæ fluxæ & euanidæ sunt, vnaque cum mortali hoc corpore intermorituræ. Vnde notat hîc S. Chrysost. breue in hac vita & corpore, peccati æquè ac luctæ contra peccatum esse tempus, cùm victoriæ & gloriæ sit æternum & immensum. *Quid ergo ô homo, longa hîc, quid solida gaudia quæris? breue est & caducum, quidquid hîc vides.* Dicit ergo Apostolus Peccatum Christum,

Christum, gratia eius quasi rex regnat in mentibus fidelium: ergo in ijs non regnet peccatum. Grauiter & eloquenter S. Leo serm. 1. de Quadragesima, inquit, *mens rectori suo subdita, & supernis munera delectata, terrena voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non passit, ordinatissimum tenebit ratio principatum, & uentiones eius nulla spiritalium nequitiarum labe sollicitabuntur: quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & anima Deo præside gubernatur.*

NEQVE EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA ARMA INIQVITATIS PECCATO] *Arma*, id est, instrumenta seruientia peccato: sic enim Hebræi vocant כְּלֵי חָמָס *kelechamas*, vasa, id est arma, iniquitatis, quomodo vocantur Simeon & Leui, Genes. 49. 5.

Nota, in anima duplex & contrarium esse regnum, peccati & iustitiæ. Peccatum ad regni sui dilatationem vtitur membris nostris, quasi armis, dum manu ad verbera, lingua ad detractiones, oculis ad curiositatem abutitur. Contrà fit in regno iustitiæ, dum illa, manu ad eleëmosynam, lingua ad Dei laudem, oculis ad studium vtitur. Hac de causa Apostolus membra nostra vocat arma, tam peccati quàm iustitiæ.

SED EXHIBETE VOS DEO, TAMQVAM EX MORTVIS VIVENTES] q. d. Quin potiùs ita viuite, vt ostendatis vos ex morte peccati resuscitatos esse ad vitam gratiæ. Videtur enim Paulus respicere ad v. 11.

Secundò & plenius, q. d. Seruite Deo, vti facere oportet eos, qui semel peccato mortui in baptismo, iam viuunt iustitiæ & Deo, in noua vita Christiana, ad quam cum Christo & instar Christi resurrexerunt. Hunc esse sensum patet ex antecedentibus.

Tertiò, aliqui sic explicant, q. d. Ita exactè, tanquam è & feruidè seruite Deo, ac si à morte naturali ad vitam reuocati essetis. Cogitate quàm piè & sanctè vixerint, Deoque seruierint qui in morte ad Dei tribunal rapti, eius rigorem, æquè ac inferorum pœnas, & cælitum gloriam spectarunt, ac deinde vitæ sunt restituti. Cogitate quantam pœnitentiam egerit S. Diethelmus, quam narrat V. Beda lib. 5. hist. Angl. 13. qui causam tantæ austeritatis rogatus, non aliud respondebat quàm: *Asperiora vidi, frigidiora vidi.* Similia habet Beda de S. Furseo lib. 3. cap. 19. Cogitate quales cruciatus sponte subierit S. Christina mirabilis, à morte redeens ad vitam, quæ se inijciebat in fornaces ardentes, in stagna gelidissima, in rotas molendinorum, vt cum ijs volueretur & laceraretur, &c. ideòque ad hoc, vt animas (quarum horrendas pœnas in raptu viderat) è Purgatorio liberaret, vti refert Card. Iac. à Vitriaco in eius vita. Vos ergo hoc imitamini, ac oculis fidei mentisque spectate mortis horrorem, iudicij terrorem, gehennæ acerbitatem, æternitatis immensitatem; ac ita viuite, quasi ea oculis, æquè ac ipsi, spectassetis, & à morte ad vitam redijssetis. Certo enim certiùs illa vos manent, vti certa fides vos docet. Hic sensus pius est, sed accommodatitius potiùs quàm genuinus, vti patet ex dictis.

PECCATVM ENIM VOBIS NON DOMINABITVR] id est dominari nequit. *τὸ enim dominabitur*, sumitur per hebraismum δυνητικῶς, siue pro modo potentiali. Occurrit Paulus obiectioni huic: Quomodo possumus seruire iustitiæ, non peccato, cùm imbecilles simus ad resistendum peccato eiusque tentationibus; & hactenus totus mundus, adeoque nos ipsi seruierimus peccato? Respondet Apostolus, Licet peccatum in mundo, tempore Adæ, & tempore legis Mosaicæ dominatum sit; vobis tamen, ô Christiani, qui per baptismum mortui estis peccato, & gratia Christi roborati, peccatum dominari non potest: intellige, per se & iure suo, vti dominatum fuit ante Christum, nisi videlicet vos ipsi sponte gratiam Christi abijciatis, & dedatis vos peccato. Vnde explicans, causamque assignans subdit Apostolus:

Peccatum per se & suo iure dominari potest in Christianos.

NON ENIM SVB LEGE ESTIS, SED SVB GRATIA] q. d. Peccatum ijs, qui sub gratia sunt, dominari nequit, nisi ipsi liberè se peccato subijciant; ijs verò qui sub lege sunt, non sub gratia, quasi iure hereditario ab Adamo hucusque præscripto dominatur peccatum. Licet ergo peccatum fideles, qui sunt sub gratia, oppugnet, eisque bellum moueat; tamen ijs suo nutu & imperio dominari nequit, quin verò facilè ab ijsdem per gratiam Spiritus sancti vinci & domari potest. Præclarè S. Leo serm. 7. de ieiunio decimi mensis. *Fremit*, inquit, *aduersarius, & cruentas inimicitias ad quietas conuertit insidias, vt quos vincere fame & gelu, flammis ferróque non poterat, otio tabefaceret, cupiditatibus irretiret, ambitione inflaret, voluptate corrumperet. Sed iis malis, atque aliis omnibus destruendis habet acies Christiana potentes munitiones, & arma victricia, Deo scilicet instruente milites suos, vt spiritu veritatis mansuetudo iram, largitas auaritiam, benignitas extinguat inuidiam. Commutante etenim dextera Excelsi corda multorum, redijt in nouitatem vetustas, & de iniquitatis famulis ministri prodiere iustitiæ. Subegit luxuriam continentia, humilitas arrogantiam propulsauit: & qui impudicitia sorduerant, castitate nituerunt.*

Secundò, Maldonat. in Notis manuscript. sic explicat: *Non estis sub lege*, id est, non accepistis spiritum seruitutis, vt dicit c. 8. sed spiritum adoptionis filiorum Dei. Itaque non debetis permittere, vt quidquam aliud vobis dominetur. Atque ita sequitur, *Quid ergo? peccabimus.*

VERS. 15.

QVID ERGO? PECCABIMVS, QVIA NON SVMVS SVB LEGE, SED SVB GRATIA?] Occurrit nouæ obiectioni. obijciet enim quis: Dixisti, ô Paule, nos non esse sub lege, sed sub gratia, ideoque peccatum nobis non posse dominari, ergo licenter & impunè legem transilire & peccare possumus, atque indulgere nostris concupiscentijs & peccatis, quia liberi sumus, & quidquid faciamus, peccatum nobis dominari nequit: sed nos potiùs peccato & concupiscentijs dominabimur, si pro libito eas accersamus, vel repellamus. hoc enim est argumentum libertinorum etiam modernorum. Respondet Paulus, ABSIT: quia licet simus sub gratia, non sub lege, tamen legem aspernari aut præuaricari non licet, sed potiùs per gratiam legem adimplere debemus. Rursum licet peccatum nobis per se & suo iure dominari nequeat, tamen nobis dominari potest, & de facto dominabitur, si sponte nos illi addicamus, & quasi seruos eius dominio subijciamus. Et hoc est quod subdit Apostolus dicens:

Argumentum modernorum libertinorum pro libertate ab omni lege refutatur.

NESCITIS QVONIAM CVI EXHIBETIS VOS SERVOS AD OBEDIENDVM, SERVI ESTIS EIVS, CVI OBEDITIS, SIVE PECCATI (quod ducit) AD MORTEM, SIVE OBEDITIONIS (quæ ducit) AD IVSTITIAM]

VERS. 16.

TIAM] Proponit hîc Apostolus duos reges, eosque sibi inuicem opponit. Prior rex est peccatum, siue inobedientia diuinæ legis: huius serui sunt omnes peccatores, qui illi obediunt, quorum stipendiũ & finis est mors. Posterior rex est obeditio, siue obedientia Dei & legis diuinæ, putà Euangelij: huius serui sunt omnes fideles, qui Euangelio obediunt, horum stipendium, fructus & finis est iustitia, & vita æterna. Hæc est quasi maior propositio Apostoli, sub qua tacitè hanc minorem subsumendam, & hanc conclusionem inferendam relinquit: Atqui, ô fideles Christiani, in baptismo renunciastis peccato, & deuouistis vos seruos Christo & fidei, ad obediendum Euangelio: ergo non estis serui peccati, nec peccato seruire debetis, sed Christo & obedientiæ, id est, fidei & Euangelio.

Duo reges, inobedientia & obedientia.

Lex Christi, est lex obedientiæ.

Nota. Lex Christi, dicitur lex obedientiæ, quia docet homines obedire Deo. & (quod propriè hîc spectat Apostolus) fidei, Christo, Euangelio. Prælatis, Principibus, facitque sibi subditos flexiles & obedientes, vti experientia constat. & confitentur ipsi quoque Ethnici principes moderni in Iapone & India.

VERS. 17. GRATIAS AVTEM DEO QVOD FVISTIS (esse desiistis) SERVI PECCATI, OBEDISTIS AVTEM EX CORDE IN EAM FORMAM DOCTRINAE, IN QVAM TRADITI ESTIS] Græcè εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. q.d. Obedistis doctrinæ Euangelicæ, in quam, quasi in typum immissi estis à Deo & Apostolis, vt illi, quasi formæ & typo vos apprimatis & conformetis. Sicuti enim charta typis typographorum appressa in se exprimit typorum litteras, & doctrinam litteris contentam: ita pariter vos vestra obedientia Euangelicæ doctrinæ, quasi formæ, typo, & normæ rectè viuendi vos apprimentes & conformantes, vita vestra & moribus eandem exprimitis & repræsentatis.

Doctrina Euangelica moribus exprimenda.

VERS. 18. LIBERATI AVTEM A PECCATO, SERVI FACTI ESTIS IVSTITIAE] Pendet hæc sententia à præcedenti, scilicet, *gratias autem* (ago) *Deo, quòd fuistis serui peccati*, eamque continuat & explet.

VERS. 19. HVMANVM DICO, PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRAE: SICVT ENIM (q.d. Humanum enim est vt sicut) EXHIBVISTIS MEMBRA VESTRA SERVIRE IMMVNDITIAE, ET INIQVITATI AD INIQVITATEM: ITA NVNC EXHIBETE MEMBRA VESTRA SERVIRE IVSTITIAE, IN SANCTIFICATIONEM] Tertull. lib. de Resurrect. carnis, c. 47. legit: *Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiæ & iniquitati: ita & nunc exhibete membra vestra famula iustitiæ in sanctificium.*

Tanto conatu studẽdum virtuti, quãto quis fecatus est vitiis.

Sensus est, Ego à vobis, ô Romani Christiani, rem exigo humanam id est, æquam, moderatam & facilem (similis phrasis est 2. Reg. 7. 14. & 1. Cor. 10. 13.) vt scilicet, tantum, tantoque conatu studeatis iustitiæ *in sanctificationem*, id est, vt in dies magis magisque sanctificemini, quanto olim studuistis *iniquitati ad iniquitatem*, ita scilicet, vt ex vna iniquitate rueretis in aliam, fieretisque semper scelleratiores. q.d. Maiora à vobis, ô fideles, possem exigere cum Baruch. 1. 20. vbi sic ait: *Sicut sensus vester fuit, vt erraretis à Deo, decies tantùm iterum conuertentes requiretis eum*: verùm ego ex humanitate, non tantum, non amplius, sed par studium requiro.

Pulchra exhortatio, qua suadet Anselm. & Orig. tanta

Pulchrè hęc explicat ex S. Augustino Ansel. *Sicut*, inquit, *ad peccandum vos nullus cogebat timor, sed ipsius libido voluptasq; peccati: sic ad iustè viuendum non vos supplicij metus vrgeat, sed ducat delectatio charitatis, iustitiæq;. Sicut ergo ille iniquissimus est, quem nec pœnæ quidem temporales deterrent ab immundis quibusdam fordidæ voluptatis: ita iustissimus ille est, qui nec pœnarum quidem temporalium timore reuocatur à sanctis operibus luminosissimæ charitatis.*

Et Origenes, *Pudorem*, inquit, *hisce verbis auditoribus incutit Apostolus, vt hoc saltem obsequio impendant iustitiæ, quod priùs impenderunt iniquitati, quasi dicat: Currebant priùs pedes vestri ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus priùs vt aliena diriperent, nunc protendantur vt propria largiantur. Circumspiciebant priùs oculi alienum ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserendum. & vnicuique membri ministerium, quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus, & actum quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctitatemq; conuertat.*

Videtur hanc iustitiam hîc pro omnibus simul virtutibus nominasse: sicut è contrario iniquitatem pro omnibus simul vitiis posuisse. Oppositum enim Apostolus à v. 12. hucusque regnum iniquitatis & regnum peccati, siue iniquitatis & iniustitiæ. Quæ nimis arctè aliqui per iniquitatem & iniustitiam intelligunt adulterium, per immunditiem alias libidines, quæ sine proximi iniuria fiunt: per sanctitatem & iustitiam, intelligunt castitatem. Melius vide quoque S. Gregor. 19. Moral. c. 25. & Bernardum tract. de Vita solitaria. Nimirum multi, vt luxuriæ, lucris, crapulæ seruiant, ad ea impetienda fortes sunt: post conuersionem ad virtutem vires sibi deesse causantur.

Alij cum Syro sic explicant: *Humanum dico*, id est, loquor hominum more vt ad vestrum captum me demittam, vtendo nomine seruitutis & libertatis in rebus spiritualibus.

Alij volunt hæc esse verba, quasi præmeditantis & veniam petentis, quia de rebus inhonestis locuturus erat. Sed primus sensus iam datus est genuinus.

CVM ENIM SERVI ESSETIS PECCATI, LIBERI FVISTIS IVSTITIAE] *Iustitiæ*, id est, à iustitia, eique pulcherrimo statu. q. d. Cùm seruiretis peccato, expertes fuistis iustitiæ: subtraxistis enim vos dominio iustitiæ, & quasi omni lege soluti in peccata ruistis, ita Anselmus, quem vide. Dat enim Apostolus hîc causam, cur sub peccato senuerint iniquitati in iniquitatem, curque fuerint effusi in omnia scelera; quia scilicet omnino experteserant iustitiæ, ac proinde quasi omni freno soluti currebant ad omnes voluptates vetitas. Rursum opponitur hæc sententia illi, v. 18. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.*

Obijcit Beza, Hi peccatores sunt serui peccati, eique mancipati, ergo non habent liberum arbitrium. *Miror*, ait, *qua fronte Sophista sunum audeant tueri liberum arbitrium, liberum sanè iustitiæ. seruum autem peccati.* Insulsè, quasi liberum vocetur arbitrium quod peccato seruit. Itaque

Resp. cum S. Bernardo lib. de Gratia & libero arbitr. Triplex est libertas, naturæ, gratiæ, gloriæ: prima opponitur necessitati naturali, facitque liberum arbitrium: tertia opponitur morti, & miseriis huius vitæ, facitque beatum: secunda opponitur peccato, facitque iustum & sanctum. De ea non autem de prima aut tertia hîc agit Apostolus. Alludit enim ad seruos Hebræos septem annis seruientes, Exodi 21. 2. Peccatores enim sponte sua & voluntaria obedientia addicunt se peccato, quia

quis domino, vt hîc docet Apostolus: sicuti vice A versâ, eidem sponte sua addicunt se iustitiæ, quasi libertæ, cùm gratia Dei adiuti ad iustitiæ regnum libere se transferunt.

Hæc iustitiæ libertas, vt ait Anselmus, libertas est & dicitur, propter recti facti iustitiam, & quia liberaliter operatur: eadem tamen etiam est seruitus propter præcepti obedientiam. Sic serui boni libere seruiunt & libenter dominis suis; adeoque omnes & boni & mali in seruitute sua seruant liberum arbitrium: quidni ergo idipsum seruent homines, siue iustitiæ, siue peccato seruiant? Mali peccatores serui sunt suarum cupiditatum, vide dicta Exodi 23. v. vlt.

HABETIS FRVCTVM VESTRVM IN SANCTIFICATIONEM] continuam scilicet, vt eatis de sanctitate in sanctitatem, vt indies magis magisque sanctificemini. Est hebraismus. *In sanctificationem*, id est, B ipsam sanctificationem, eiusque continuationem, & incrementum habetis pro fructu iustitiæ; quia scilicet iustitia facit & parit hunc fructum, vt qui eam habet, purè sancteque viuat, sancta & præclara faciat opera, & continuis virtutum operibus se magis sanctificet, quibus promereatur, & aliquando adipiscatur quasi finem & mercedem, vitam æternam.

STIPENDIA ENIM PECCATI, MORS. GRATIA AVTEM DEI, VITA AETERNA IN CHRISTO] id est per Christum. *Stipendia*, græcè ὀψώνια, quod significat id quod cum pane comeditur, vel quasi ὄψε ὄνιον, pretium quod vesperi datur: quod aptè respondet quod præcessit, *finem verò vitam æternam*.

Secundò, ὀψώνιον, ait Nazianzenus orat. 23. qui inscribitur de suis sermonibus, ad Iulianum tributorum exactorem, significat τὸ βασίλικον σιτηρέσιον, καὶ τὰς ὑπαρχούσας ἐκ νόμου τοῖς ἀξιώμασι δωρεάς, id est, regium commeatum, & dona quæ ex lege dignitatibus tribuebantur: &, vt ait Theophylact. ὀψώνιον, significat cibarium, quod militibus ab imperatore datur. Sic hîc peccatum seruientibus sibi quasi cibarium, scilicet vile stipendium dat mortem. Vnde passim omnes ὀψώνιον, hîc vertunt, stipendium, siue, vt Syrus, תאגורתא *tegurete*, id est, merces, meliùs sanè quàm Erasmus, qui vertit Auctoramentum.

GRATIA id est, gratuitum Dei donum, est VITA AETERNA] Tertull. lib. de Resurrect. carnis, c. 47. legit: *Donatiuum Dei vita æterna*. Donatiuum, est donum quod ab imperatore militi donatur.

Nota. Apostolus hîc describit duplex regnum, D Dei & peccati: in vtroque sunt arma membra nostra, milites & serui illius sunt homines iusti, huius impij; huius stipendium est mors, illius vita æterna. Vnde Secundò, apta antithesis eius quod præcessit, *Stipendia peccati mors*, exigebat vt pari modo diceret, *Stipendium verò iustitiæ est vita æterna*; perinde ac alibi eandem vocat coronam iustitiæ: mallet tamen dicere, *Gratia Dei est vita æterna*; quia hæc epistola contra Iudæos & Gentiles operibus legis vel naturæ præfidentes, necessitatem gratiæ Christi passim inculcat; & quia dissimilis est hîc ratio peccati & iustitiæ: peccato enim non gratis, sed quasi stipendium omnino debitum redditur mors & damnatio; non sic iustitiæ meritis redditur vita æterna. Hæc enim merita manant ex gratia, quasi semine & radice; gratia, inquam, indignis collata, vnde & ipsa vocari possunt, & reipsa sunt gratia S. Augustin. ep. 105. Vnde idem S. Augustin. primam gratiam vocat gratiam; vitam verò æternam vocat gratiam pro gratia: & *Deus cùm coronat nostra merita, quid aliud coronat quàm sua dona?* ait ex S. Augustino Cælestinus Papa ad Episcopos Galliæ, cap. 12. & Concil. Trident. sess. 6. c. 16.

Secundò, vita æterna dicitur gratia, quia licet operibus ex gratia factis debeatur vita æterna, tamen, si labor noster nudè spectetur, ipsa est gratia; quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. ita Theodoret. Gratia ergo est vita æterna, quia exiguis operibus, laboribus & passionibus obtinetur. Sicuti si rex pauperem adoptaret in filium, hac lege, si vellet sibi obedire, diceretur eum adoptare ex gratia. *Merita nostra non sunt condigna vita æterna.*

Tertiò, vita æterna dicitur gratia, quia gratuita sua ordinatione Deus decreuit & promisit iustorum operibus vitam æternam, sine qua promissione vita hæc non esset eis debita. Adde, Apostolum vitam æternam noluisse vocare stipendium; quia græcè est ὀψώνιον, scilicet vile & cibarium stipendium: hoc autem non conuenit excellentissimo præmio iustitiæ, quod est vita æterna.

Sensus ergo Apostoli est hic; sicuti peccatum hominem ducit ad mortem, quasi ad finem & stipendium suum; ita gratia, quæ nos à peccato liberat, facitque seruos Dei, iustitiæ & sanctitatis, ducit nos ad vitam æternam, quasi ad finem, terminum & coronam suam: hoc enim est quod paulò antè dixit, quodque hîc vrget Apostolus, *Habetis*, inquit, *fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*. Gratia ergo est vita æterna, non in se, & formaliter; sed finaliter, quia finem & coronidem habet vitam æternam. Est metonymia. *Gratia finaliter est vita æterna.*

Hinc contra Eunomium, Begardos & Beguinas, patet homines solo naturæ lumine, solisque naturæ viribus non posse videre Deum & beari: alioquin enim vita æterna non esset gratia. *Error Eunomij, Begardorũ & Beguinarũ, hominem posse solis naturæ viribus videre Deum.*

Nota. Præmium Beatorum non vocatur deliciæ, non opes, non honores, sed vita æterna. Primò, quia hæc directè opponitur stipendio & supplicio Adæ & peccatorum, quod est mors æterna. Secundò, quia hæc vita includit quasi radix omne bonum; nec enim vita in tormentis, vita dicitur, sed mors potiùs. Ergo hæc vita vitalis est & perfecta, qua animalis, qua humana, qua angelica, qua diuina est. Viuit ibi memoria, recordatione omnium præteritorum. Viuit ibi intellectus, cognitione & visione Dei. Viuit ibi voluntas, fruitione omnis boni. Pari modo viuunt ibi appetitus concupiscibilis, irascibilis, & sensus omnes, suisque fruuntur delicijs. Includit ergo hæc vita omnes delicias, opes, honores, & omnium vitarum, sensuum potentiarum oblectamenta. *Ob duas rationes præmium Beatorum vocatur vita æterna.*

Secundò, vita hæc non est mille annorum, non mille millionum annorum, sed est æterna. Æterna enim esse debet, vt sit beata. Aud. S. August. lib. 83. quæst. quæst. 35. *Quid* ait, *est aliud beatè viuere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim de quo solo rectè sentitur, quod amanti auferri non potest &c. Omnium enim rerum præstantissimum est quod æternum est. Et propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est mente.* Et mox: *Et quoniam id quod amatur, afficiat ex se amantem necesse est, fit vt sic amatum quod æternum est, æternitate animum afficiat. Quocirca ea demum vita beata, qua æterna est. Quid verò*

æternum est, & quod æternitate animum afficiat, nisi Deus? Vnde Christus ait Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quid est æternitas? est duratio semper præsens, est vnum perpetuum hodie, quod non transit in præteritum aut futurũ. Quid est æternitas? est æuum æuorum, ait S. Dionysius c. 10. de Diuinis nominibus, quod non interit, sed eodem modo semper se habet. Quid est æternitas? est circulus, cuius centrum est semper, circumferentia numquam, quia numquam, nullóve tempore claudi aut terminari potest. Quid est æternitas? est stabilis immutabilitas & immortalitas. Quamdiu durabit æternitas? semper; post mille annos, post centum millia annorum, post mille milliones annorum, necdum finis, necdum medium, necdum principium æternitatis; sed eius mensura est semper: quamdiu durabit semper, tamdiu durabit æternitas. Quamdiu cælum erit cælum, quamdiu terra erit terra, quamdiu Deus erit Deus, qui tempus ab æuo ire iubet, stabilisque manens dat cuncta moueri; tamdiu durabit æternitas, tamdiu Beati erunt beati, tamdiu damnati erunt damnati: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Quid est æternitas? est axis stabilis & immobilis circa quem volvitur rota mundi, temporis, & sæculorum omnium. Quid est æternitas? est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, inquit Boëtius l. 5. de Consolat. prosa 6. *O chara veritas, vera æternitas, æterna felicitas, Deus meus!* ait S. August. O æternitas æternitas! quàm longa es æternitas! quàm rarò versaris in mentibus hominum! Si hanc sæpè cogitaremus, quàm leue videretur & momentaneum quidquid est tribulationis nostræ, quàm nihil esset arduum, quàm alacres essemus ad omne bonum, quàm bene expenderemus momentum hoc, vnde pendet æternitas nostra! Meritò Regius Propheta: *Cogitaui*, inquit, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Nam *durum, quod cruciat, æternum: felix, quæ beat, æternitas. A morte pendent: mori à vita: hæc à momento. elige. Vixisse semel, periisse semel, æternum est.*

Æternitas quid sit.

Locus moralis pro consideratione æternitatis.

Hanc æternam vitam, & huius vitæ bona ac felicitatem pulchrè describit S. August l. 22. de Ciuit. c. 30. *Quanta*, inquit, *erit illic felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus! Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis proficient in laudibus Dei. Vera ibi gloria erit, vbi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed nec eum ambiet vllus indignus, vbi nullus permittetur esse nisi dignus.* Mox præmiũ Sanctorum essentiale describit. *Præmiũ virtutis erit ipse qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo melius & maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per Prophetam dixit: Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs, ego ero quacumque ab omnibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? sic enim & illud recte intelligitur, Erit Deus omnia in omnibus; ipse finis erit desideriorum nostrorum. Atque id etiam beata ciuitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit, sicut in corpore non vult oculus esse, qui est digitus; cùm membrum vtrumque contineat totius carnis pacata compago.* Deinde inferiùs: *Quantum*, inquit, *attinet ad scientiam rationalem, erit anima memor præteritorum malorum suorum: quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor. Exhibit enim præteritu malis, ita vt penitus deleantur de sensu eorum. Ibi perficietur: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Ibi vacantes in sabbato requiei videbimus, quoniam suauis est Dominus, quoniam ipse est Deus. Ibi pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus.*

Æternæ vitæ admirãda felicitas.

Audi & auctorem libri de Spiritu & anima, tom. 9. operum S. August. c. 60. hanc vitam compellans: *Non est in te corruptela, nec defectus, nec senectus, nec ira; sed pax perennis, gloria solemnis, lætitia sempiterna, solemnitas continua. Verè tantum gaudium & exultatio, flos & decus iuuentutis, & perfectæ salutis. Non est in te heri, nec hesternum, sed est idem hodiernum. Tibi salus, tibi vita, tibi pax est infinita, tibi Deus omnia Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei: sicut enim lætantium omnium habitatio est in te. Nullus in te timor, tristitia nulla: desiderium omne transit in gaudium, dum præsto est quidquid optatur, & quidquid desideratur abundat.* Et infrà: *Ipsi verò qui redempti fuerint à Domino, quàm deuotè confitebuntur, & dicent: Quàm bonus Israel Deus! quoniam in sæculum misericordia eius. Lætitia siquidem sempiterna erit in eis, & exultationes Dei in gutture eorum in æternum, & in sæculum sæculi in perpetuas æternitates. Beati omnes, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen: cùm videbimus te in te, & nos in te, & te in nobis visione continua, & felicitate perpetua.*

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quod cap. præcedenti dixerat nos non esse sub peccato, ex eo, quòd non simus sub lege, sed sub gratia: fusiùs hîc probat exemplo vxoris, quæ soluitur à lege viri si is moriatur. Pari enim modo legem nobis, & nos legi mortuos esse docet.

Inde v. 7. docet quòd lex licet in se sancta sit; per occasionem tamen, nimirum indicando & vetando peccatum, magis illud in homine prono in vitia auxerit.

Tertiò, hac occasione v. 14. transit ad concupiscentiam, quæ ex peccato & lege est reliqua, docetque viros etiam iustos, licet inuitos, eandem pati, & contra eam assiduè luctari.

1. AN ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? 2. Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. 3. Igitur, viuente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, libe-

rata

sta est à lege viri: vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. 4. Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi: vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo. 5. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. 6. nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ. 7. Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. 8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit. 10. Ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. 11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. 12. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. 14. Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato. 15. Quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. 16. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. 17. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 18. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. 20. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. 21. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: 22. condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: 23. video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 25 Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei? carne autem, legi peccati.

HOc capite eidem dicit virgetque Apostolus, quòd nos Christiani non simus sub lege: quod S. Chrysostom. intelligit de lege cæremoniali. *Quia*, inquit Chrysost. *non sumus sub cæremonia legis, ideo non sumus sub lege.* Sed hæc expositio non est ad mentem Apostoli hoc loco; nam, vt patet v. 7. & seq. loquitur Apostolus etiam de lege naturali & decalogo. Vnde Nota: aliud est legi teneri, aliud esse sub lege. Nam lege veteri morali, id est decalogo, tenemur, sed non sumus sub illa, id est, sub eius statu & dominio, quod est hominem obligare, nec tamen dare gratiam ad eam implendam, vt quasi seruus ea teneatur, & captiuus possideatur, & tanquam reus ab ea damnetur. Ab hoc enim legis statu nos gratia Christi liberat, quæ charitatis dat spiritum, vt quæ lex iubet faciamus sponte, libenter, amore virtutis, non amore pœnæ.

AN IGNORATIS QVIA LEX IN HOMINE DOMINATVR, QVANTO TEMPORE VIVIT?] *Dominatur* vbendo, terrendo, reum faciendo, accusando, condemnando. hic enim est dominatus legis. *Quanto tempore viuit*, scilicet ipsa lex, inquit Origen. & Ambros. Secundò, *quanto tempore viuit*, scilicet ipse homo. Ita S. Chrysost. Theodoret. S. Aug. l. 83. quæstionum, q. 66. S. Thomas, Theoph. & Oecumen. Sed eòdem vterque hic sensus redit. Tolerus hæc arctat ex sequentibus ad legem matrimonij, sed nihil est quod cogat generalem Apostoli sententiam arctare ad vnam matrimonij legem: quod enim de ea subijcit Apostolus, non per modum plenæ & adæquatæ explicationis, sed per modum exempli subijcit.

A NAM QVAE SVB VIRO EST MVLIER, VIVENTE VIRO, ALLIGATA EST LEGI] Ex vnica lege matrimonij appositè, vt statim ostendam, probat Apostolus ea, quæ in genere de lege dixerat. Nota Primò Pro *quæ sub viro est*, græcè est vnica vox, ὑπανδρος, q. d. Subuira. Nota Secundò, *alligata est legi*, scilicet matrimoniali præcipienti fidem & obedientiam marito. S. Ambrosius legit *viuente viro alligata est lege*; alij vertunt, *viuenti viro alligata est lege*. ita Græca, Syrus & Erasmus. Tertull. lib. de Monogamia c. 13. legit: *viuenti viro vincta est*. Sed eòdem hæc omnia redeunt: nam vxor hoc ipso, quo legi matrimoniali, etiam marito, quamdiu is viuit, alligata est. VERS. 2. *Exemplum obligationis legis in muliere coniugata.*

Apostolus hoc capite pulchra vtitur metaphora, vel potiùs allegoria; nimirum peccatum, mors & lex, quæ occasionaliter peccatum & mortem fouet, est maritus; anima nostra est vxor; proles sunt opera mala: hoc marito mortuo, transijt anima ad secundum maritum, nupsitque Deo, & peperit proles bonorum operum. ita S. August. q. 66. iam citata, & l. 15. contra Faustum, c. 8. Idem docet Theophyl. hancque esse mentem & phrasin Apostoli, patet ex v. 4. & sequent. *Sensus allegoricus insignis.*

B SI MORTVVS FVERIT VIR EIVS, SOLVTA EST A LEGE VIRI] scilicet à lege matrimonij, qua sub viri potestate mulier tenebatur. Græcè est ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός; quod potest etiam verti *à lege viro*, quia lex matrimonialis est quasi legalis vxoris maritus, sicut viciſſim maritus vxori est quasi lex viua. *Lex matrimonij legalis vxoris maritus.*

ITAQVE FRATRES MEI, ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPVS CHRISTI] Vox *itaque*, VERS. 4.

Triplex huius loci sensus.

que significat hanc esse conclusionem, quam Apostolus deducit ex exemplo vxoris iam allato. Hæc enim est argumentatio Apostoli: Vxor marito mortuo soluta est vinculo & lege mariti: atqui lex, quæ erat quasi maritus noster, iam mortua est, & esse desiit per Christum: ergo nos pariter lege liberati & soluti sumus, nec sub lege, sed sub gratia degimus.

Nota. Cùm ait Apostolus *Vos mortificati estis*, est hypallage. q. d. Lex quæ erat quasi maritus vester, iam per Christum mortificata & mortua est, quia scilicet in vobis mortuum est & esse desiit legis illud imperium, quo lex minatur, accusat, terret, damnat, & punit. de quo dixi v. 1. Hæc enim de causa lex homines vitiosos peiores facit, quia dat eis occasionem prævaricationis & contemptus: contrarium facit gratia, contra quam hîc legem distinguit Apostolus.

Sensus D. Augustini.

Hinc Secundò, lex, id est, legis reatus & prævaricatio, quam lex per litteram, cui gratia defuit, faciebat occasionaliter & obiectivè, mortua est, ait S. August. lib. 15. contra Faust. c. 8. Verùm Apostolus prudenter & cautè, ne Iudæos offendat, si dicat legem esse mortuam, & vt ab vtroque coniuge mortuo (per Christum enim sicuti lex nobis, ita nos legi mortui sumus) dissolutum ostendat matrimonium: hac de causa non dicit, Lex mortua est; sed dicit, *Vos quasi vxores mortificati mortuique estis, & soluti lege*, quasi marito iam mortuo, quia Christo iam viuitis, & ei in Euangelica gratia seruitis. ita S. Chrysost. Oecumen. Ambros. Anselm.

Aliter Toletus. Homo, inquit, quoad naturam est vxor; huius mariti sunt homo vetus, cuius lex erat lex vetus: hoc mortuo, succesisit alter huic vxori maritus, scilicet homo nouus, cuius lex est lex fidei & Christi. Sed hoc est obscurius & alienius: nam Apostolus vxoris huius maritum facit non hominem nouum aut veterem, sed ipsam legem.

Nota. Cùm Apostolus dicit, *nos mortuos esse legi, per corpus Christi*, intellige immolatum in cruce, id est, per corporalem Christi passionem & mortem. Per hanc enim mortua est lex vetus nobis, & nos legi.

Lex nō dominatur nisi viuētibus: Christiani autē mortui sunt in Christo, ergo lex eis non dominatur.

Alij *per corpus Christi*, inquiunt, id est, quia incorporati estis Christo per baptismum. Verùm prior sensus planior est & simplicior. Hic est ergo discursus Apostoli: Lex non dominatur homini, nisi quasi viuens viuenti: atqui vos non viuitis, sed estis mortui legi, & lex vobis per Christi crucem & mortem mortua est: ergo non estis sub lege, id est, sub dominatu legis.

Duo matrimonia vnius hominis & animæ.

VT SITIS ALTERIVS, QVI EX MORTVIS RESVRREXIT] Hic clarè patet, Apostolum, vti dixi, distinguere duo matrimonia vnius hominis & animæ quasi vxoris, prius cum veteri homine, vt vult Toletus, vel potiùs cum lege dominante veteri homini. Hic prior hominis maritus (putà lex) mortuus est & mortificatus in passione corporis Christi. Vnde idem homo & anima secundum matrimonium iniit cum homine nouo, id est, cum Christo resurgente; quia illi per baptismum incorporatus, & cum eo quasi factus est vna caro. Ex hoc matrimonio nouas proles concepit: vnde sequitur,

VT FRVCTIFICEMVS DEO] Id est, vt viuas proles ex hoc cum Christo matrimonio pariamus Deo; scilicet opera fidei, spei, charitatis & aliarum virtutum, quæ ex semine, id est gratia Christi & Dei, concepimus, vt illa Christo & Deo quasi eorum parenti offeramus.

CVM ESSEMVS IN CARNE] cùm scilicet carnalibus desideriis astricti teneremur, inquit Anselm.

PASSIONES PECCATORVM] Id est, passiones incitantes ad peccata, putà affectus vitiosi.

QVAE PER LEGEM ERANT] Id est, quæ excitabantur & excitabantur occasione legis.

OPERABANTVR IN MEMBRIS NOSTRIS VT FRVCTIFICARENT MORTI] vt scilicet fructus peccatorum parerent, qui nos ducerent ad mortem æternam.

NVNC AVTEM (per Christi crucem & mortem) SOLVTI SVMVS A LEGE (quæ erat occasio peccati, & consequenter) MORTIS, IN QVA DETINEBAMVR] *Soluti sumus*, græcè κατηργήθημεν, id est, enervati sumus: quod opponit Apostolus τῷ ἐνεργεῖσθαι, id est, intimæ & efficacissimæ operationi passionum, vers. præced. Est hypallage, *enervati sumus*, id est, enervata in nobis est lex; quia lex vires & nervos suos, scilicet dominium & ius quasi maritale, quod in nos habebat, amisit. Simili modo Galat. 5. v. 4. dicit: *Euacuati estis à Christo*, id est, Christus Christique redemptio vobis facta est per iudaismum vacua, cassa & inutilis.

Nota. Pro *mortis*, Noster interpres in Græco legit θανάτου, iam legunt ἀποθανόντες. id est, mortui sumus, scilicet legi, in qua detinebamur. Alij legunt ἀποθανόντος, scilicet νόμου, id est, mortuo lege in qua detinebamur.

ITA VT SERVIAMVS (Deo & Christo) IN NOVITATE SPIRITVS, ET NON IN VETVSTATE LITTERAE] non in veteri viuendi genere, animali & carnali, cuius magistra est legis littera, non gratia. Anselm. Lex enim homini vetustatem suam indicabat quidem & vetabat, sed adeò non auferebat, vt per occasionem etiam eandem auxerit; magis enim refricabat, irritabat & incitabat veteres concupiscentiæ affectus.

QVID ERGO DICEMVS? LEX PECCATVM? ABSIT] Crebras hîc Apostolus interijcit occupationes: ijsque gaudet. Talis est hîc: poterat enim quis ex eo, quòd Paulus v. 5. & 6. legem vocaverit legem mortis, dixeratque passiones peccatorum per legem esse & excitari, obijcere: Ergo lex ipsa est peccatum. Quod enim est causa peccati & mortis, hoc peccatum est. Respondet Apostolus, *Absit*. Non enim lex in se peccatum est.

SED PECCATVM NON COGNOVI, NISI PER LEGEM: NAM CONCVPISCENTIAM NESCIEBAM (esse peccatum,) NISI LEX DICERET: NON CONCVPISCES] Nota. Concupiscentia in Decalogo vetatur speciali præcepto, scilicet IX. & X. ex eo quòd plerique existimarent, sexto præcepto, *Non mœchaberis*; & septimo, *Non facies furtum*, vetari tantùm actum externum: internum autem non esse vetitum aut cauendum. Quin & post datam legem Iosephus l. 12. Antiq. c. 13. & Iudæi alij, quos corrigit Christus Matth. 5. v. 23. & 29. idem putasse videntur: vnde præceptum *Non concupisces*, sic explicabant, quòd illo non vetaretur concupiscentia merè interna, sed tantùm conatus & machinatio exterior ad eam explendam, & ad finem opusque perpetrandum. Verùm hic conatus & hæc machinatio, inchoatio est & pars quædam operis; vnde eodem præcepto vetatur, quo ipsum opus, putà sexto & septimo.

Adde, vt demus illa seorsim vetari præcepta.

&

ri, & nihilominus certum & clarũ est, illa non tam A
tum ideo, quòd exteriùs se prodant, quàm quia
mala voluntate prodeunt. Voluntas enim in se
mala & vetita, virus malitiæ suæ actui externo in-
fidit, eamque propriè hæc verba significant &
prohibent, cùm dicitur: *Non concupisces.* Vnde col-
ligo, omnem alium voluntatis motum præceptis
illis aduersantem ijsdem pariter vetari. Si enim
ipsa concupiscentia, ad quam naturaliter maximè
proclives sumus, tamquam mala & illicita vetatur;
ergo multò magis actus voluntatis, quo volumus
id quod lege vetitum est, ipsa lege vetatur.

Hæretici, Lutherus, & Caluinus in alio sunt
extremo. Putant enim concupiscentiam peccato
originali reliquam, id est, motus appetitus sensitiui
& voluntatis inordinatos, qui præueniunt ratio-
nem & liberum voluntatis assensum, hîc prohibe-
ri. *Mandatur*, ait Caluinus in cap. 20. Exod. *præcepto* B
*Non concupisces, ne quis impurus appetitus animos no-
stros incitet. Hinc perspicitur quibus præstigijs fascina-
ti sint hanc scholæ omnes Papales, in quibus personat
omnia istud: concupiscentiam in baptizatis non esse
peccatum, quia stimulus est ad virtutem.* Et in cap. 6.
Locis. *Quamuis*, inquit, *neque adulteri, neque fures,
neque homicidæ simus, nemo tamen est quem non reatu
astringat vltimum legis præceptum, Non concupisces.*

Verùm hæc esse falsa, & præcepto *Non concupi-
sces*, vetari, non indeliberatam & inuoluntariam,
sed tantùm voluntariam & liberam concupiscẽ-
tiam, siue consensum voluntatis in illicita, patet
Primò. Quia pro, Non concupisces, in Hebræo
est verbum חָמַד *chamad*, quod non significat con-
cupiscere, vel habere concupiscentiam quæ natu-
ræ nostræ vitium est; sed nudè significat tantùm
appetere & desiderare, vnde & rebus cælestibus
tribuitur. Concupiscentia autem, quæ naturæ vi- C
tium est & morbus, propriè significatur nomine
תַּאֲוָה *teschuka*, & nomine אַוָּה *betsa*. Cùm ergo
dicitur, *Non concupisces*, significatur, vt patet ex He-
braeo *chamad*, & prohibetur tantùm libera volun-
tatis appetentia ad sibi vendicandum rem alienam
vel illicitam.

Secundò, idipsum patet ex eo, quòd præce-
ptum hoc, vti & cætera, non detur brutis, non
pueris, sed creaturæ rationali, ratione & libera vo-
luntate vtenti, quæ sola legis est capax, solaque
potest legem implere vel transgredi. Hi autẽ mo-
tus concupiscentiæ rationem & libertatem præ-
eximunt, nec magis sunt humani actus, aut in po-
testate, ratione & arbitrio hominis, quàm ijdem
sint in potestate equi, canis, leonis, alteriúsve
bruti. Sicut ergo leoni imperari nequit, ne irascatur; cani, ne ringat; equo, ne adhinniat: sic nec
homini imperari potest, ne primos similes concu-
piscentiæ motus sentiat, & qui eos puniret, tyran-
nus esset. *Peccatum enim* (inquit S. Augustinus lib. 1.
Retract. 15. estque hic communis hominum & na-
turæ sensus) *ita in sua essentia includit voluntarium,
vt si hoc desit, desinat esse peccatum.* Vnde Apostolus
v. 17. & seq. *Iam*, inquit, *non ego operor illud.* q.d. *Tò*
concupiscere non est actus meus: quia non est hu-
manus & liber: vnde mihi imputari, vitio verti, pu-
niri non potest. Sed potiùs quia, vt idem ait v. 16.
22. 25. *Mente delector, consentio, & seruio legi*: hinc
hic meus actus, vtpote mentis rationalis & liberæ,
emendari debet; quòd scilicet mente detestando
motus concupiscentiæ legi contrarios, legi ipsi ad-
hæream & obediam.

Tertiò, id patet ex eo, quòd Paulus cap. præc. v. *Tertium contra Calvinum in argumẽtum.*
12. & S. Scriptura alibi ita se explicet; vt Eccli. 18.
30. *Post concupiscentias tuas non eas.* Et S. Iacobus
cap. 1. v. 15. concupiscentiam & tentationem non
peccatum esse, sed peccatum parere si videlicet po-
ter peccati consensus voluntatis accedat, disertè
asserit.

Quartò, ita hoc præceptum explicant omnes *Quartum argumentũ ex cõsensu & explicatione Patrum.*
Patres. Vide Chrysost. homil. 12. in Matth. Cyrill.
lib. 3. contra Iulian. sub medium. Basil. de Constit.
monast. cap. 2. Nyssen. l. de octo beatitud. Am-
bros. l. 1. Offic. 21 Hieron. ad Eustoch. de custod.
virgin. Prosperum l. 2. de Vita contemplat. cap 3.
& lib. 3. c. 4. Gregor. 21. Moral. 3. August. lib. 1 con-
tra duas epist. Pelag. 10. & 12. & lib 6. contra Iu-
lian. 11. & lib. 2. de Peccat. meritis c. 4. 33. & 34. ita
denique explicat & definit Concil. Trident sess. 5.

Dices, August. epist. 200. ad Asellicum, dicit
hoc præceptum, *Non concupisces*, in hac vita non im-
pleri, sed in ea nos tantùm tendere & contendere
ad locum, in quo illud compleamus, putà ad cæ-
lum. Idem docet libr. 1. de Nuptijs & concupisc. c.
23 & 29. & lib. de Spiritu & litt. c. vlt.

Respondeo, D. Augustinus in explicatione hu- *S. Augustinus dicit præceptum, Nõ concupisces, hîc nõ impleri, anagogicè intelligendum.*
ius præcepti iungit sensum litteralem & anagogi-
cum: litterali enim sensu hîc præcipitur vt concu-
piscentias & desideria praua non sequamur sed ijs
resistamus; eaque sensim omnino euellere & era-
dicare conemur, eoque conari possumus & debe-
mus in hac vita: anagogico verò sensu præcipitur
vt nulla omnino in nobis talia desideria sint; quo
modo hoc præceptum, vti & omnis alia anagoge
Scripturæ non ad præsentem vitam, sed ad futu-
ram in cælo pertinet. Sic ergo hoc non præcipi-
tur hîc, vt in hac vita impleatur; sed præsentis fu-
ctæ erit merces, fietque tunc, cùm Deus manda- C *Per luctam contra concupiscentiã hic in mũdo, meremur liberari à concupiscentia in cælo.*
bit virtuti suæ, & omni ex parte præcipitabit pec-
catum & mortem in infernum. Vult ergo dicere
S. August præcepto, *Non concupisces*, nobis præci-
pi, vt per virilem & constantem in hac vita luctam
contra concupiscentiam eò tendamus & connita-
mur, vt scilicet mereamur omnino ab ea liberarin
cælo, vtque ibi plenissimè impleatur in nobis τὸ
non concupisces: vt scilicet nec consentiamus, nec
sentiamus motus concupiscentiæ. Simili modo
explicat S. August. præceptum dilectionis Dei,
lib. de Spir. & litt. c. vlt.

OCCASIONE AVTEM ACCEPTA PECCATVM PER VERS. 8.
MANDATVM OPERATVM EST IN ME OMNEM CON-
CVPISCENTIAM. Quæres, quidnam hîc vocetur & *Peccatum hîc potest quinque significare.*
sit peccatum? Respondet Primò Oecum. Ambro- D
sius & Methodius apud Epiphan. hæresi 64. pec-
catum hîc esse diabolum.

Secundò, S. Chrysost. vult esse socordiam: so-
cors enim ex lege accipit occasionem augendi
concupiscentiam.

Tertiò, Anselmus putat peccatum hîc esse con-
cupiscentiam, siue peccati comitem: hic enim qua-
si sopitus & canis dormiens, occasione legis sibi
aduersæ excitatus & iritatus exarsit in omnis ge-
neris prauos motus, iræ scilicet, superbiæ, gulæ, &
cæterorum vitiorum.

Quartò, Hieron ad Algasiam, quæst. 8. censet
peccatum hîc esse legis obiectum, seu id quod le-
ge prohibetur.

Quintò & optimè, Toletus propriè hîc accipit
peccatum. Sic enim paulò antè illud accepit Apo-
stolus, & sensus est, q.d. Homo in statu peccati pec-

catum

catum ipsum occasione legis auxit. Peccatum enim nisi deleatur, in noua peccata hominem pertrahit, quia vires gratiæ & bonorum habituum, quibus peccato resistimus, homini vel adimit, vel imminuit, & sui delectationem animo ingerit, idque magis data lege, per quam peccatum, quasi canis dormiens, vt dixi, excitatus exarsit in omnem concupiscentiam. Ideoque lex peccati & mortis causa, vel potiùs occasio fuit: quod docere & probare hîc intendit Apostolus.

Triplex horum verborum explicatio.

SINE LEGE ENIM PECCATVM MORTVVM ERAT] Primò, Theodoret. & Caietan. sic explicant, q. d. Paulus: Ante legem, putà in statu innocentiæ, peccatum mortuum erat, id est, non erat. Sed quid hoc facit ad rem & rhombum?

Secundò, Ambrosius, Peccatum, inquit, id est, diabolus mortuus erat; quia quasi dormiens, vtpote securus de homine peccatore, quem possidebat, parum curabat eum vlteriùs sollicitare & trahere ad peccatum: sed hoc longè remotius est.

Tertiò & optimè, *sine lege peccatum mortuum*, id est sopitum, *erat*: per legem enim excitatum reuixit, vt dixi v. præcedenti.

VERS. 9. EGO AVTEM VIVEBAM SINE LEGE ALIQVANDO] q. d. Ego aliquando legem non cognoscebam, quando nimirum nondum poteram habere vsum rationis, & tamen motus concupiscentiæ sentiebam: qui tamen defectu rationis peccata non erant. ita S. August. l. 6. contra Iulian. cap. 11. & S. Hieron. ad Algas. q. 8. Vel potiùs, *ego viuebam sine lege*, nimirum tunc, cùm adolescere inciperem & peccare, nec tamen legem Mosis edoctus essem: tunc enim viuebam quasi exlex, ac consequenter peccatum non curabam, non agnoscebam, non æstimabam; hinc ad illud non multùm incitabar.

Duplex sensus huius loci.

Secundò, S. Chrysost. Oecum. Toletus hîc. & S. Augustl. libr. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 9. S. Ambros. libr. 1. de Iacob, & vita beata, censent Apostolum loqui in persona eorum, qui ante Mosen & legem vixerunt. Sed prior sensus planior est, & aptior verbis Apostoli.

SED CVM VENISSET MANDATVM in notitiam meam, hinc PECCATVM, quasi per antiperistasin
VERS. 10. legis se intendit, & REVIXIT, & per illud EGO MORTVVS SVM: itaque INVENTVM EST MIHI MANDATVM QVOD (datum) ERAT AD VITAM (mihi demonstrandam & procurandam) HOC ESSE (cedere mihi) AD MORTEM.

VERS. 11. PECCATVM OCCASIONE ACCEPTA PER MANDATVM SEDVXIT ME (in suas partes me dolosè traxit) ET PER ILLVD OCCIDIT] infligens animæ vulnus culpæ letalis, per exardescentem occasione legis concupiscentiam, vt dixi v. 8. In verbo *seduxit* alludit ad primorum parentum seductionem, quæ occasione mandati facta est, cùm serpens tentaret, diceretque, *Cur præcepit vobis Dominus?* Genes. 3. 2.

ITAQVE LEX QVIDEM SANCTA, ET MANDATVM SANCTVM ET IVSTVM ET BONVM] Id est, mandata legis sancta, iusta & bona sunt; sancta, quia præscribunt quomodo Deus sanctè coli debeat; iusta, quia præscribunt vt proximum non lædas, sed ei quod suum est tribuas; bona, quia præscribunt ea, quibus quisque in se bonus sit, ac bonis moribus virtuteque præditus. Et quia hæc tria appositè fiunt per triplicia legis veteris præcepta, scilicet per cæremonialia, quibus sanctus cultus & religio erga Deum; per iudicialia, quibus iustitia erga proximum; per moralia, quibus bonitas & continentia erga seipsum præscribuntur.

Hinc S. Thomas 1. 2. q. 99. a. 4. putat hîc mandatum legis vocari sanctum, propter præcepta cæremonialia; iustum, propter iudicialia; bonum, propter moralia. & fortè eò etiã respexit Apostolus: propriè tamen videtur agere de quolibet particulari legis mandato; hoc enim significat Græcum ἐντολή, vt sic distinguat mandatum à lege, quæ partem à toto. Respicit enim ad mandatum, *Non concupisces*; quod paulò antè citauit. q. d. Hoc mandatum, *Non concupisces*, & quoduis aliud in se *sanctum est*, quia facit hominem purum, castum, sanctum; & *iustum est*, quia hominem cohibet, ne iustè alienam vxorem, aut rem concupiscat; & *bonum est*, quia hominẽ bonũ facit, omnesque animi vires & motus benè & ritè ordinatæ cõponit.

QVOD ERGO BONVM EST, MIHI FACTVM EST MORS?] q. d. Obijcies: Ergóne mandatum, quod erat bonum in seipso, mutatũ est, factumque mihi mors, id est, causa & occasio peccati, & consequenter mortis? Respondet. ABSIT: non fuit hæc mutatio vitium & culpa ipsius mandati, sed peccati & hominis mandato abutentis.

PECCATVM, VT APPAREAT PECCATVM (vtrobique & vires peccati manifestentur, PER BONVM (per mandatum, occasionaliter) OPERATVM EST MIHI MORTEM, animæ præsentem & æternam: VT FIAT SVPRA MODVM PECCANS PECCATVM PER MANDATVM] S. Hieronymus ad Algas. quæst. 8. legit, *vt fiat peccantius peccatum*. S. Augustinus libr. 1. ad Simplic. quæst. 1. legit, *vt fiat supra modum peccator peccatum*. Græcè enim est ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία, quasi dicas, sceleratum scelus, vel peccatrix peccantia, id est, malitia peccati ingens & exuberans. q. d. Inde apparet ingens peccati vis & malitia, quòd per rem bonam, putà per legem, magis malitia eius increuerit; quodque per eandem hominem magis inuaserit & occiderit. Est prosopopœia: peccatum enim hîc inducitur quasi persona, quæ habeat artem peccandi, & peccata fingendi, suggerendi, machinandi, eamque exerceat, vti faciunt lenones & lenæ. Caue hîc commentarium S. Hieronymo adscriptum, qui negat traducem peccati originalis.

VT APPAREAT PECCATVM] Maldonat. in Notis manuscript. paulò aliter vertit & explicat, nimirũ, sed peccatum dum *apparet peccatum, per bonũ operatum est mihi mortem, dum fit supra modum peccans peccatum*; vt ἵνα, id est, vt, capiatur pro ὅτι, id est *dum*. Sed nostra versio vti propria, ita genuina est. Vbi Nota. τὸ vt non significat causam finalem, putà finem intentum, sed consecutionem, vti paulò antè explicui.

SCIMVS ENIM QVIA LEX SPIRITVALIS EST; EGO AVTEM CARNALIS SVM, VENVNDATVS SVB PECCATO] Probat hîc Apostolus id, quod dixit; scilicet legem esse sanctã, & legem nõ esse causam mortis, sed peccatum lege declaratum & prohibitum hominemque peccato subditum, qui praua carnis & peccati desideria sectatur. Id autem probatur eo, *Quia lex*, inquit, *spiritualis est*, id est, spiritalia præcipit, nõ carnalia: *Ego autem carnalis sum*, id est, sectator ea, quæ carni & concupiscentiæ placent; vtpote *venundatus sub peccato*. Ego ergo sub dominatu peccati viuens mihi ipsi carnalis vitæ & peccati, ac consequenter mortis sum causa, non autem lex.

Nota

Nota. Lex dicitur spiritualis, Primò, vt explicat S. Chrysostomus, quia præscribit ea, quæ spiritui & hominis spiritualis sunt: scilicet virtutes, spiritia fugere. Secundò, quia lex homines dirigit ad cultum vnius Dei, qui purissimus est spiritus, quo etiam data est. ita Ambrosius. Tertiò, quia lex impleri non potest, nisi per spiritum & gratiam à viris spiritualibus. ita S. Augustinus hîc in expositione quarumdam propositionum huius epistolæ, num. 41. Quartò, vt S. Thomas, quia lex cum spiritu hominis congruit, &, vt Caietan. spiritum hominis dirigit & regulat, tam circa Deum, quàm circa seipsum, & proximum. Quintò, quia lex spiritualiter accepta ducit & præparat hominem ad legem Euangelicam, quæ est lex spiritus & vitæ.

EGO AVTEM CARNALIS SVM] Notant Græci, Paulum hîc vsque ad vers. 25. inducere personam hominis peccatoris constituti sub lege, qui nondum gratia Christi liberatus est à seruitute peccati. Origenes, Chrysost. Theophylactus, Basilius regalis breuioribus in respons. ad 16. interrogationem. Ambros. S. Hieron. ad Algas. quæst. 8. Imò S. Augustinus hîc, & ad Simplic. lib. 1. quæst. 1. quos libros ipse scripsit, dum esset noster, & probant ex eo, quod ait Apostolus Primò, *ego carnalis*; Secundò, *venundatus sub peccato*; Tertiò, *video aliam legem captiuantem me in lege peccati*: hæc enim non videntur esse viri sancti & perfecti, qualis erat Paulus, sed peccatoris, aut certè rudis conuersi, vt vult Origenes. *In quo*, inquit, *ostendit infirmitas & proclivitas ad pristina vitia, vt velit ea vincere & facere omne bonum, non tamen suam voluntatem sequatur effectus, sed sæpè cadat, & victus solitis vincatur. v. g. decernit quis, & vult cohibere iram, sed quia longa consuetudine ira ei dominata est, deficit eius voluntati ac proposito, & in solita sibi tristitia vel furoris erumpit. Sic & in virtutibus multa bene agere, sed non statim voluntatem sequitur effectus: sicut qui vult esse sapiens, non statim vt vult sapiens efficitur; sed prius adhibendus est labor studij, secunda vigilia doctrinæ institutio, & vix aliquando longa vita, meditatione continua, sapiens efficitur.*

Secundò tamen, idem S. Augustinus postea senior & doctior effectus, dum scribit contra Pelagianos, docet hunc locum omnino explicandum esse de viris sanctis, ipsoque Paulo; illiusque hîc concupiscentiæ & spiritus luctam graphicè ab eodem depingi. Ita ipse li. 1. Retract. 23. lib. 6. contra Iulian. 11. vbi ait, hanc esse expositionem S. Hilarij, Nazianzeni, Ambrosij (vnde colligitur commentaria in has epistolas, & in hunc locum S. Ambrosio asscripta reuera non esse S. Ambrosij habent enim hoc loco contrarium.) & cæterorum Ecclesiæ Sanctorum, & notorum Doctorum. Sic quoque explicant S. Gregorius libr. 29. Moral. cap. 6. S. Hieronym. lib. 2. contra Pelagianos, Anselmus, Primasius, D. Thomas, Perezius, Adamus, & alij.

Hæc ergo expositio verior & germanior esse videtur. Idque probatur Primò, quia non ait Apostolus *Eram*, vel *viuebam*, vti dixit vers. 9. sed ait, *sum*, *consentio*, *condelector*, in præsenti. Ergo hoc verbo transit à statu præterito legis & peccati ad statum gratiæ, sed cum concupiscentia luctantis. q.d. Vis legis, vel potiùs peccati lege abutentis, quam dixi, ex eo apparet, quòd etiamnum sub gratia licet constitutus, tantos tamen adhuc eius

A effectus & incitamenta concupiscentiæ sentiam, vt videar esse carnalis.

Secundò, idem patet ex eo, quod ait, *Iam non ego operor illud*. hæc enim verba indicant Apostolum non loqui de peccatore: peccator enim operatur peccatum. Loquitur ergo de viro iusto & sancto.

Tertiò, idem indicat, cùm ait: *Condelector legi secundùm interiorem hominem*. &, *Ego ipse seruio mente legi Dei*. & cùm ait c. seq. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*. quæ omnia non cadunt nisi in virum iustum & sanctum.

Tertia explicatio huius loci est Cassiani, qui collatione 23. vult hîc describi luctam Marthæ & Magdalenæ, vitæ scilicet actiuæ & contemplatiuæ. Verùm hoc non litterale est, sed mysticum, vel potiùs accommodatitium. *Lucta vitæ actiuæ & contemplatiuæ.*

B VENVNDATVS SVB PECCATO] Nota Primò, peccatum hîc idem esse, quod antè, sed materialiter tantùm, siue obiectiuè, id est, capi pro obiecto peccati, siue fomite & concupiscentia. Vnde hanc v. 23. vocat *legem in membris repugnantem legi mentis*. ita S. Hieron. & Anselmus suprà. Neque nouum est Apostolũ à peccato formaliter sumpto, transire ad peccatum materialiter sumptum. Sic enim ipse sæpè ludit in vocibus, vt dixi can. 31. *Transit Apostolus à peccato formaliter sumpto ad materialiter sumptũ.*

Vnde Nota Secundò, concupiscentiam hîc dici peccatum, non formaliter & propriè, vt vult Caluinus, sed Primò, quia ipsa est materiale peccatum. Est enim concupiscentia contra Dei legem, illique ad rationem formalem peccati nihil deest, nisi consensus voluntatis. Secundò, quia ipsa incitat ad peccatum. Tertiò, quia ipsa est effectus peccati. ita Concil. Trident. sess. 5. Quartò, C quia ipsa est pœna peccati. Quintò, quia ipsa est instrumentum, quo per actum generationis, peccatum originale transfunditur in posteros Adæ. *Concupiscentia ob 5. rationes peccatum dicitur.*

Hinc S. Augustinus lib. 5. contra Iulian. cap. 3. docet concupiscentiam & peccatum esse & pœnam peccati, & causam peccati. *Sicut*, inquit, *caecitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur; & causa peccati, cùm mali aliquid caeci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientiæ; & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis.* *Concupiscentia secundùm Augustinum peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati.*

D Vbi aduerte, concupiscentiam ab Augustino dici peccatum eodem sensu, quo explicui eandem hîc peccatum dici ab Apostolo: vult enim docere Augustin. concupiscentiam non esse naturalem conditionem, proprietatem, & perfectionem manantem ex natura hominis, vt volebat Iulianus; sed esse peccatum, id est, esse vitium natum & propagatum ex peccato originali, quod negabat Iulianus, vtpote Pelagianus. Vnde cap. seq. docet S. Augustin. concupiscentiam esse perpetuam materiam luctæ, virtutis & victoriæ, ac consequenter non esse peccatum formaliter & propriè, nisi ei succumbat & consentiat libera voluntas. *Error Iuliani Pelagiani putãtis concupiscentiam non esse à natura corrupta.*

Nota Tertiò. Dicit Apostolus de se, quòd *sit venundatus*, scilicet ab Adamo, pretio pomi, & traditus (Hebræum enim מכר *machar*, & vendere, & tradere significat; quod enim venditur, traditur emenți, quasi domino) *sub peccatum*, vt habent *Homines ab Adamo venditi peccato, & traditi concupiscentiæ.*

Græca, id est, in seruitutem peccati originalis; & consequenter, quòd ipse etiamnum, iustificatus licet, sit tamen concupiscentiæ (quæ in locum peccati originalis quasi successit, vt in iustis remaneat) obnoxius, quasi seruus emptitius, vt eius motus, velit nolit, vbique sentiat. Vnde Syrus vertit מְזֻבַּן לְחַטִיתָא *mezabban lachatita*, id est, venditus sum peccato, hoc est, traditus sum concupiscentiæ.

Sic Achab 3. Regum 21. dicitur *venumdatus, vt faceret malum*, id est, sua mala voluntate seruum se addixit peccato, quasi vendidisset se, vel locasset se & suas operas, non ad aliud, quàm ad peccandum. Alludit enim Scriptura hac phrasi ad seruos Hebræorum, qui se vendebant ad opera seruilia dominis præstanda. q.d. Achab tradidit & totum se impendit idolis, quasi eorum mancipium, quasi idololatriæ à dominis suis idolis tamquam seruus addictus esset, non quasi esset rex Israëlitarum liber, & ingenuæ conditionis. Sic S. Augustinus in expositione propositionum huius epistolæ, num. 42. *Quisque*, ait, *peccando animam suam diabolo vendit, accepta tamquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* Concupiscentiæ ergo quasi tyranno traditi sumus, etiam iusti; non tamen propriè peccato: nec enim concupiscentia cogit nos ad peccatum, quia eius motus sentire non est peccatum, sed eis liberè consentire peccatum est, ait S. Bernardus.

Peccando anima diabolo venditur vili pretio.

VERS. 15. QVOD ENIM OPEROR, NON INTELLIGO] Primò, hæc verba sic explicat S. Chrysost. q.d. Peccator quibus modis deceptus sit, vt peccatum operetur, non cognoscit.

Sextuplex huius loci sensus & elucidatio.

Secundò, Theodoretus sic explicat, q.d. Peccator peccati malitiam perfectè non noscit.

Tertiò, Toletus, Peccator, inquit, quod operatur non intelligit, quia contra iudicium intellectus, quo speculatiuè iudicat hoc non esse faciendum, operatur & peccat.

Quartò, Anselmus sic exponit, q. d. In regulis præceptorum Dei non inuenio, quæ concupiscentia mea appetit.

Quintò, Methodius apud Epiphan. hæresi 62. sic, q.d. Qui bonum operatur, sæpè distractiones & malas cogitationes patitur, vt non intelligat suas passiones & suas opera.

Sensus optimus D. Augustini.

Sextò & optimè, S. August. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 11. hunc dat sensum: *Quod operor, non intelligo*, id est, per rationem & voluntatem non approbo opera & motus cõcupiscentiæ meę. Hunc esse sensum patet ex seqq. Sic psalm. 1. dicitur: *Nouit* (id est, amat & approbat) *Dominus viam iustorum*. Et Matth. 7. *Nescio vos*, id est, non amo vos, non approbo: hæc enim est scientia practica. Rursum eosdem concupiscentiæ motus *non intelligo*, quia hi motus rationem & intellectum præueniunt.

Probat hîc Apostolus se venundatum sub peccato, id est, esse seruum concupiscentiæ, ex eo, quòd faciat non illa, quæ sibi facienda videntur, sed illa quæ dominus, scilicet concupiscentia, sibi imperat, putà concupiscere; id deinde probat verbis consequentibus:

NON ENIM QVOD VOLO BONVM, HOC AGO: SED QVOD ODI MALVM, ILLVD FACIO] Ita legunt Biblia Romana, aliaque correctiora (licet Græca non habeant τὸ *bonum*, illud tamen habent v. 19.)

Duplex huius loci sensus.

Iam quod ad sensum, Primò, S. Chrysost. sic explicat, q.d. In peccatoribus est quædam veluti boni & odium quoddam imperfectum mali, etiam dum peccant.

Secundò & meliùs, S. Augustin. & Anselmus, qui hæc exponunt non de peccatore, sed de iusto, qualis erat Paulus, vt dixi; Malum, inquiunt, quod iustus odit, & tamen facit, est concupiscentia, quam iustus naturaliter, sed inuoluntariè operatur, vel potiùs patitur & sentit inuitus. Bonum verò quod iustus non agit, cùm tamen velit, est bonum opus facere alacriter, & totis viribus sine concupiscentia repugnante. Vel breuiùs, non concupiscere bonum est, quod vult & optat iustus; malum verò quod odit est concupiscere. q.d. Paulus: Vellem non concupiscere, & nollem concupiscere, & tamen concupisco.

Nota. *Facio* significat hîc actionem hominis imperfectam, id est, actum concupiscendi appetitus, citra rationis assensum: idque patet ex phrasi Hebræorum, de qua dixi can. 52. Præsertim quia motus concupiscentiæ non tantùm sunt in appetitu sensitiuo, sed & in voluntate, quæ naturaliter ex origine sua in Adamo vitiata propendet in bona delectabilia, honorifica & curiosa. Vnde explicans subdit Apostolus: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Hic actus concupiscendi non est meus, non est humanus, quia non est liber & deliberatus, sed est actus inhabitantis in me peccati, id est, concupiscentiæ. Hinc S. Augustin. in Sententijs, sententia 383. *Approbauit quit, falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente repugnatione carnalis vinculi, non posse ab illicitorum ebriu temperare, non est natura instituti hominis, sed pena damnati.*

SI AVTEM QVOD NOLO, ILLVD FACIO, id est, si concupisco, quod tamen nolo & nolens facio, vel potiùs patior, CONSENTIO LEGI, id est, ratione & voluntate approbo, QVONIAM (quod lex in se) BONA EST] Vnde Syrus vertit, *fateor legi, quòd bona est*. quasi dicat, Si concupisco nolens & inuitus, mens & voluntas mea integra est & intacta; quia legi adhæret, & cum ea consentit.

NVNC AVTEM (nunc ergo) IAM NON EGO OPEROR ILLVD, scilicet humanè, id est deliberatè, SED QVOD HABITAT IN ME PECCATVM] id est, concupiscentia, vt dixi vers. 14. hæc enim habitat in carne mea, non autem ipsa virtus & bonum, id est, bonitas. Hoc est enim quod subdit Apostolus:

SCIO QVIA NON HABITAT IN ME, HOC EST IN CARNE MEA, BONVM. NAM VELLE, ADIACET MIHI: PERFICERE AVTEM BONVM, NON INVENIO] q. d. Facultas & bona voluntas volendi id, quod bonum est, est in me iustificato; sed vix, & non nisi difficulter illud perficere possum. *Spiritus enim promptus est, caro autem infirma*, imò reluctans spiritui. ita S. August. Anselm. S. Thom. Primas. & Syrus. Idem explicat, repetit & inculcat Apostolus vers. 21. Verè S. Bernard. serm. 84. in Canticor. *Iacet*, inquit, *voluntas, vbi non suppetit facultas.*

Meritò B. Gregorius Nazianzenus in carmine ad virgines, carnem vocat echineida, siue Remoram piscículum. Sicut enim Remora nauis, ita caro hominis in cælum cursum inhibet & sistit. Hanc ergo Remoram amouendam esse docet, dum canit:

Ne vita ipsa tua immittas Echineïda, carnem,
Quæ velut iniecta properantem compede puppim
Detinet, ac tantam cogit subsistere molem.

Vide & Abbatem Theonam apud Cassianum collat. 23. vbi fusè hanc Apostoli sententiam pertractat.

INVENIO IGITVR (in meipso) LEGEM, quæ scilicet, QVONIAM (quòd) MIHI VOLENTI FACERE BONVM, MALVM ADIACET,] & inest, malum, inquam, concupiscentiæ mihi innatæ, quæ bono & legi Dei repugnat. Aduerte hîc, & in teipso experire, cùm bonum aliquod, præsertim heroicum, aggredi, maximè senties insurgentem tibi opponentem concupiscentiam.

Nota hîc Hebraicam traiectionem: vox enim quoniam, quam postponit Paulus dicens: *Invenio, velle bonum facere, quoniam mihi malum adiacet*, præponenda est hoc modo, *Invenio, quoniam mihi volenti bonum facere malum adiacet*. Aliter alij hæc explicant, quos vide, si lubet, apud Toletum.

CONDELECTOR LEGI DEI SECVNDVM INTERIOREM HOMINEM] Quæres, quis dicatur interior, quis exterior homo? Primò, Manichæi ex hoc loco docuerunt in homine duas esse animas, vnam bonam, à qua virtutes; secundam malam, à qua vitia manentiae consequenter in ipso homine esse quasi duos homines, vnum interiorem, alterum exteriorem.

Secundò, Illyricus rigidus Lutheranus, Interior homo, inquit, est anima & spiritus Dei: exterior homo est peccatum originale, quod quasi forma substantialis animum afficit. Putat enim ipse peccatum non esse accidens, sed formam & substantiam quandam tetram & horridam, talemque, qualem vulgò imaginamur diabolum.

Tertiò, Caluinus, Interior homo, inquit, est superior pars animæ, siue mens consentiens legi Dei: exterior est eadem mens quatenus concupiscit mala. Putat enim Caluinus in eadem omnino animæ portione & facultate hanc esse pugnam, idemque hominem etiam iustum simpliciter tam esse peccatorem, quàm iustum; quod implicat. Fecò hæc eius doctrina sequitur ex altero eius principio, quo homini re ipsa verè & propriè parti superiorem, id est rationem & liberum arbitrium, admit: tunc enim necessariò sequitur, quod in parte inferiori tam dominetur concupiscentia, quàm virtus; quodque inferior hæc pars non reipsa, sed nomine tenus in superiorem & inferiorem diuidatur. Verùm hæc omnia ἀδύνατα sunt erronea & hæretica.

Quartò, Photius & Toletus sic explicant: Homo exterior est ratio, quæ etiam in peccatoribus tribuitur exteriori, id est, sensui & appetitui.

Verùm Nota. In homine vna tantùm est anima, quæ simul est rationalis & sensitiua; & post primam iustitiæ originalis peccato contractam, hæc contra illam, scilicet sensitiua contra rationalem, maximè gratia imbutam, adeoque ipsa anima contrarijs appetitibus secum pugnat, eam in homine iustificato: ita vt ex operationibus eius duplex in eo videatur esse anima & duplex homo. Cuius rei causa est eminentia animæ rationalis, quæ virtute in se continet animam sensitiuam, & vegetatiuam; facitque in homine vna anima, quod in tribus, scilicet in planta, in equo, in homine faciunt tres animæ, scilicet vegetatiua, sensitiua, & rationalis.

Cornel. in epist. Pauli.

A Dico ergo, vnus ideméque est homo, sed ratione diuersorum statuum, affectionum & operationum, dicitur exterior vel interior. Interiorem Apostolus nunc nouum vocat, nunc renouatum, scilicet à Christo; nunc spiritualem, nunc mentem: exteriorem, animalem vocat, vel veterem, quem scilicet à veteri Adamo traximus; eumdem vocat carnem, vel membra synecdochicè & metonymicè: quia scilicet maximè vim suam ostendit in membris, carne, & appetitu sensitiuo. Hæc enim corruptio deriuata ex carnali Adamo, maximè se pandit & exerit in carne, & carnalibus desiderijs, imò per ea animam sollicitat & commouet, licet propriè in anima resideat. Hinc Apostolus Galat. 5. superbiam, inuidiam, rixas vocat opera carnis, id est, concupiscentiæ & veteris hominis. *Vnus homo ratione diuersorum statuum vocatur exterior vel interior.*

B Interior homo est mens, vt rectè Caietanus; vel aptiùs, ipse homo gratia, charitate & spiritu Dei imbutus & viuens: huius anima, est gratia & charitas: huius lex, est lex diuina, eiusque dictamen; vt Esto castus, sobrius, humilis, obediens, Deum time & ama: huius vitalis operatio, est Deum amare, colere, obedire. *Interioris hominis anima, lex, operatio.*

Exterior, siue vetus homo est concupiscentia, seu vitiositas, omnibus animæ potentijs, ipsique etiam menti & voluntati insidens; vel est mens, aut potiùs est ipse homo omnibus suis potentijs vitiatus & corruptus: huius anima, est concupiscentia: huius lex, est vitiosa inclinatio, vel aliquod dictamen concupiscibile, Dei legi contrarium, v.g. Inebriate, fornicare, superbi: huius operatio vitalis, est concupiscere vinum, opes, delicias, amicas. Concupiscentia ergo, & homo exterior est in C anima, voluntate & mente; sed qua parte naturaliter agunt, & in obiecta sua feruntur motu naturali: virtus verò & homo interior est in eadem anima, voluntate & mente, sed qua parte ratione & libertate vtitur, & suis actibus, ipsique concupiscentiæ dominatur, maximè cùm gratia Dei posset. *Exterioris hominis pulchra descriptio & proprietates.*

Est hic locus moralis, pro lucta concupiscentiæ & spiritus, quam graphicè depingit in se S. Augustin. li. 8. Confess. c. 11. & serm. 45. de tempore, tom. 10. Asscribam hîc verba S. Augustini, quia rem hanc planè ob oculos ponunt, vt qui in se hanc luctam cum Paulo & S. Augustino sentiunt, sed explicare nequeunt, in Augustino expressam & explicatam videant, discantque. qua ratione victoria potiri possint, præsertim cùm vitam cõmutare, & à statu peccati ad statum gratiæ transire moliuntur. *Dicebam*, inquit, *apud me intus: Ecce modò fiat, modò fiat. Et cum verbo iam ibam in placitum, iam penè faciebam, & non faciebam; nec relabebar in pristina, sed de proximo stabam & respirabam: & item conabar, & paulò minùs ibi eram, & paulò minùs iam iamq; attingebam & tenebam; & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, & vitæ viuere: plusq; in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum, punctumq; ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propiùs admouebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem; sed non recutiebat retrò, nec auertebat, sed suspendebat.* Hactenus audiuimus primum concupiscentiæ insultum in Augustino. *Locus moralis de lucta concupiscentia & spiritus.* *Primus concupiscentia insultus*

Sequitur secundus. *Retinebant me nuga nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant:* *Secundus concupiscentiæ insultus.*

bant: Dimittísne nos? & à momento isto non erimus tecum vltrà in aternum? & à momento non tibi licebit hoc & istud, vltrà in aternum? Et quæ suggerebant in eo, quod dixi, Hoc & istud! quæ suggerebant, Deus meus, auertat ab anima serui tui misericordia tua: quas sordes suggerebant, quæ dedecora! Et audiebam eas iam longè minùs quàm dimidius, non tamquam liberè contradicentes, eundo in obuiàm, sed veluti à dorso mussitantes, & discedentem quasi furtim vellicantes vt respicerem; retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis, & transilire quò vocabar, cùm diceret mihi consuetudo violenta, Putánesine istis poteris?

Tertius concupiscentiæ insultus.

En tertius concupiscentiæ insultus, sed remissior, prævalente gratia & constantia S. Augustini. *Sed iam tepidissimè hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et irridebat me derisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis hoc possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas & non stas? Proïce te in eum, noli metuere; non se subtrahet, vt cadas. Proïce te securus, excipiet te, sanabit te. Et erubescebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rursus illa quasi diceret: Obsurdesce aduersus immunda illa membra tua super terram, vt mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. Ista controuersia in corde meo, non nisi de meipso aduersus meipsum.* Hæc Augustinus.

Efficax ad virtutem & continentiam exhortatio.

Luctæ spiritualis vtilitas.

Secundò, luctæ huius vtilitatem docet S. Gregor. lib. 19. Moral. 6. *Optima*, ait, *virtutis custos est infirmitas, vel pressurarum, vel tentationum: & sit certo moderamine, vt dum quisque sanctorum iam quidem interiùs ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exteriùs, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat: sicq; cognoscimus in profectu, quod accepimus; in defectu, quid sumus: & sic subtilissima interni iudicij moderatione infra summa, & supra infima, in quodam medio anima libratur.* Et S. Bernardus serm. in cœna Domini de baptism. & Sacramento altaris. *Ad humiliandos nos ipsam* (concupiscentiam) *adhuc patitur viuere in nobis, & grauiter affligere nos, vt sentiamus quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus: sic & de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, vt non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus, vt, cùm minima cauere non possumus, certi simus quòd non nostris viribus maiora superemus; semperq; timorati, & omnino solliciti simus quomodo eius gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.*

VERS. 23. VIDEO ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS, REPVGNANTEM LEGI MENTIS MEÆ, ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI] *Repugnantem*, græcè ἀντιστρατευόμενον, id est, contrà militantem, rebellantem. Est metaphora à lucta & pugna.

Vitiosas inclinationes sentire coguntur & inuiti.

Rursum, *captiuantem me*, non voluntatis consensione, vt vult Chrysostomus (putat enim ipse hæc omnia de statu peccati, & de peccatore dici) sed commotione, ait S. Augustin. vt scilicet captiuus reddar & subijciat legi peccati, id est concupiscentiæ; ita vt etiam inuitus & reluctans, vitiosas eius inclinationes, dictamina, impulsus sentire cogar, & eius laqueos & motus euadere non possim.

Aliqui ex S. Augustino sic explicant: *Captiantem*, id est, captiuare conantem: sed græcè est ἁλωτίζοντά με, id est, capientem me, & syriacè est שָׁבְאַלִי *sabeli*, id est, quod captiuum me reddit. De facto enim omnes, non sub peccato, sed sub concupiscentia quasi captiui tenemur.

Nota hîc hebraismum, *in lege peccati*, id est, sibi ipsi. Eadem enim est lex peccati & membrorum, scilicet concupiscentia, vt dixi. Sic dicitur Genes. 19. *Plait Dominus à Domino*, id est, à seipso. Dicitur concupiscentia lex peccati, quia est fomes ad peccatū sollicitans, peccatū dictans & suggerens.

B INFELIX, græcè ταλαιπωρὸς, id est, miser, ærumnosus, EGO HOMO, QVIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HVIVS?] id est, à congerie omnium peccatorum, inquit Caluinus, vel, vt Commentarius Ambrosij, ab vniuersitate vitiorum. Sed hæc expositio impropria, remota & aliena est. Vnde dico, *de corpore mortis*, id est, à corpore moribundo, & peccandi affectibus, ac consequenter & morti & corruptioni obnoxio: quodque, vt ait S. Hieronymus, tum corporalem, tum, vt Photius, animæ sæpè spiritualem mortem inducit. ita S. Augustin. libro 1. contra duas epist. Pelag. 11. Est metalepsis. *Liberari à corpore mortis*, inquit S. Augustin. *est omni sanato langore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, sed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur vnquam, quibus in resurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.*

C

Nota. Mors Hebræis per metonymiam & catachresin sæpè morbum, pestem, luem & afflictionem quamlibet grauem significat. Sic Pharao Exodi 10. v. 17. *Rogate*, inquit, *Dominum, vt auferat à me mortem istam: mortem*, id est, plagam locustarum depascentium herbas & germina. Sic 4. Reg. 4. 40. dicitur, *mors*, id est amaricies colocynthidarum, *in olla est*. Pari modo hîc corpus mortis accipi potest corpus obnoxium multis morbis, affectionibus & ærumnis. Est hoc ardens Apostoli ex hoc misero & mortali corpore ad beatam & cælestem vitam anhelantis suspirium.

Audi pari modo suspirantem auctorem (Hugonem Victorinum, si credimus Trithemio) lib. de Spir. & anima, qui extat to. 3. operum S. Aug. c. 62. *Audi*, inquit, *ô anima; qualis sis. onerata es peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, distenta negotiis, contracta timoribus, affecta doloribus, erroribus vaga, suspicationibus inquieta, sollicitudinibus anxia, aduena in terra inimicorū, coniunata cum mortuis, deputata cum iis qui in inferno sunt.* Et c. 60. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini, ad videndum eum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, vt laudetur cum hereditate sua? Quando videbo ciuitatem illam, de qua dictum est, Plateæ tuæ Ierusalem sternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum lætitiæ, & per omnes vicos tuos ab vniuersis dicetur Alleluia? O ciuitas sancta, ciuitas speciosa, de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro; desidero enim videre te, & requiescere in te: sed non finor carne retentus. O ciuitas desiderabilis! murui tui Lapis vnus, custos tuus ipse Deus, ciues tui semper læti; semper enim gratulantur in visione Dei,* &c.

D

GRATIA DEI PER IESVM CHRISTVM] Sup-

ple, liberabit me quandoque à corpore mortis huius, putà in futura resurrectione, dando mihi corpus immortale & glorioſum.

Nota. Pro *gratia Dei* Noſter interpres legit in Græco χάρις δ θεοῦ. Ita quoque legit S. Ambroſ. Origen. Hieron. S. Auguſt. & alij. Verùm S. Chryſ. Theodoret. Oecumen. Theophyl. Hieron. ad Algaſiam, & Græci codices iam legunt εὐχαριστῶ τῷ θεῷ gratias ago Deo, qui ſcilicet me liberabit à corpore mortis, per Ieſum Chriſtum.

Verùm noſtra lectio aptior, ideoque verior eſt: non enim gratiarum actio, ſed gratia reſpicit futura. Nam gratiæ propriè non aguntur pro beneficio futuro & accipiendo, ſed præterito & iam accepto: *liberabit* autem hîc eſt futurum; non præteritum.

Adde, *per gratia Dei*, tacitè includit *τὸ gratias agere Deo*. Nam dicere, Gratia Dei per Chriſtum me liberabit hanc{que} gratiam confiteri & celebrare, & ipſa gratias agere Deo.

IGITVR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI; CARNE AVTEM, LEGI PECCATI] Eo ſenſu, quē iam dixi v. 22. & 23. Totum hunc Apoſtoli locum de lite carnis & ſpiritus, ſiue cōcupiſcentiæ & continentiæ egregiè tractat S. Auguſt. libr. de Continentia to. 4. hunc enim librum non eſſe Hugonis Victorini, vt ſuſpicatur Eraſmus, ſed ipſius Auguſtini, ex Beda, Poſſidio, & alijs docent DD. Louanienſes, qui accuratè & correctiſſimè opera omnia S. Auguſt. ediderūt. In illo ergo lib. docet Primò, Auguſt. ſub fin. cap. 2. in hac vita perpetuam eſſe hanc luctam, & ſufficere nobis, ſi non conſentiamus malis concupiſcentiæ, itaque futurum vt in altera beata vita illam non ſentiamus. *Nunc quando*, inquit, *concupiſcit caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ſat eſt nobis non conſentire malis, quæ ſentimus in nobis. Nam ipſa continentia cùm ſanat cohibetq; libidines, ſimul & appetit bonum, ad eam immortalitatem tendimus; & reſpuit malum, cum eo in hac mortalitate contendimus.*

Deinde docet eos tantùm hanc luctam ſentire, qui concupiſcentiæ reluctantur, non autē eos qui illi cedunt & cōſentiunt. *Hanc pugnam*, inquit, *non experiuntur in ſemetipſis niſi bellatores virtutū, debellatores q; vitiorum. Non expugnat concupiſcentiæ malum, niſi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino neſcientes, malas concupiſcentias nec in hoſtibus deputant, eiſq; miſerabili cæcitate ſeruientes, inſuper etiam beate ſe putant ſatiando eas, potiùs quàm domando.*

Tertiò, docet Chriſtianos quaſi Chriſti milites adhuc pugnam ab Apoſtolo accendi, vt non permittant concupiſcentiam in ſe regnare; quod fit, cùm illi obediunt; ſed illi reſiſtant, eamq́; reſiſtēdo doment & minuant, licet eam extinguere nequeant. ſic enim ait: *Milites Chriſtianos Apoſtolica tuba ille ſonitu accendit in prælium, Non regnet peccatū in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis eius. Tunc autem regnare oſtenditur, ſi deſideriis eius obeditur, quibus non eſt obediendum, ne obedientibus regnet. Cùm hortatur Apoſtolus vt ſpiritu facta carnis mortificemus, tuba vtique canit; bellum, in quo verſamur, oſtendit, & vt acriter dimicemus, & hoſtes noſtros mortiferos, ne ab eis mortificemur, accendit.*

Quartò, hoſtes noſtros deſcribit, & huius pugnæ milites vtrimque recenſet: hinc ſcilicet opera carnis, inde fructus ſpiritus in aciem producens. *Manifeſta autem ſunt*, inquit, *opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, ve-*

A *neficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes*, &c. *In hoc prælio aduerſus carnalem exercitum velut aliam producens aciem ſpiritalem: Fructus ſpiritus eſt*, inquit, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia. Hac eſt actio continentiæ, ſi opera carnis mortificantur.*

Quintò, c. 7. docet non eſſe duas in homine naturas ex contrarijs inter ſe principijs ortas, & inter ſe aſſiduè cōfligentes, vnam boni, alteram mali; vt voluerunt Manichæi. Sed hoc bellum oriri ex languore concupiſcentiæ, quam peccatum in naturam hominis bonam, & bene à bono Deo conditam inuexit. *Languorem autem iſtum*, inquit, *culpa meruit, natura non habuit; quam ſanè culpam per lauacrum regenerationis Dei gratia fidelibus iam remiſit; ſed ſub eiuſdem medici manibus adhuc natura cum ſuo languore confligit. In tali autem pugna ſanitas erit tota victoria, cùm iuſtus dicet, Benedic anima mea Domino, qui ſanat omnes languores tuos.*

In homine non ſunt duæ naturæ, vna à bono Deo, & altera à malo, vt volunt Manichæi.

B

Sextò, oſtendit carni ipſi bonum eſſe, vt eius prauis deſiderijs reſiſtatur, vt ita ipſa caro à ſuis vitijs purgetur. *Audi*, inquit, *Apoſtolum dicentem: Scio quòd non habitat in me (quod vt exponeret, addit) hoc eſt, in carne mea, bonum. Se itaque dixit eſſe carnē ſuam. Non ergo eſt ipſa inimica noſtra; & quando eius vitijs reſiſtitur, ipſa amatur; quia ipſa curatur: nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, vt ipſe Apoſtolus dicit: & ipſe alio loco ait, Mente ſeruio legi Dei; carne, legi peccati. Quomodo carne, legi peccati? numquid concupiſcentiæ conſentiendo carnali? Abſit: ſed motus deſideriorum illic habendo, quos habere nolebat. & tamen habebat: ſed eis non conſentiendo, mente ſeruiebat legi Dei, & tenebat membra, ne fierent arma peccati.*

Bonum eſt carni, vt ei reſiſtatur.

C

Septimò, oſtendit quo ſenſu dicat Apoſtolus ſe propter cōcupiſcentiam, velle quidem bonum, non tamen perficere. *Fiunt*, inquit, *itaque in nobis concupiſcentiæ malæ, quando id quod non licet, libet: ſed non perficiuntur, cùm legi Dei mente ſeruiente libidines continentur. & bonum fit, cùm id, quod malè libet, vincente bona delectatione, non fit: ſed boni perfectio non impletur, quamdiu legi peccati carne ſeruiente libido illic, quamuis contineatur, tamen mouetur, non enim opus eſſet vt contineretur, niſi moueretur. Erit ergo perfectio boni, quando erit conſumptio mali; illud erit ſummum, hoc erit nullum. Quod ſi in iſta mortalitate ſperandum putamus, fallimur: tunc enim erit, quādo mors non erit, ſed ſummum bonum erit*, &c.

Quo ſenſu Paulus dicat ſe velle bonum, non tamen perficere.

Octauò, c. 13. docet continentiam luctari non ſolùm contra libidinem, verùm etiam contra

D

quoſlibet alios concupiſcentiæ motus, eamq́; illos frenare & compeſcere. *Continentia*, inquit, *omnibus prorſus delectationibus concupiſcentiæ, quæ aduerſantur dilectioni ſapientiæ, coërcendis atque ſanandis inuigilat, vt homo non ſecundùm hominem viuens, iam poſſit dicere, Viuo autem non ego, viuit verò in me Chriſtus; vbi enim non ego, ibi feliciùs ego, vt quando ſecundùm hominem reprobus vſus motus exurgit, cui non conſentit, qui mente legi Dei ſeruit, dicat etiam illud: Iam non ego operor illud.*

Continentia non tàm contra libidinem, ſed etiam contra quoſlibet alios concupiſcentiæ motus luctatur.

Nonò, denique demonſtrat per continentiam mortificandos eſſe concupiſcentiæ motus, tum ne in opus exeant, tum ne voluntas in mente & cogitatione ijs inhæreat & conſentiat, vt ijs mortui, Chriſto & iuſtitiæ viuamus. *Mortificate*, inquit Apoſtolus, *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam*, &c. *Et quomodo iſta mortificantur opere continentiæ, niſi cùm eis mente non conſentitur, neque exhibentur eis arma corporis membra?*

Mortificādi ſunt motus, tum ne in opus exeant, tum ne voluntas ijs inhæreat.

Et quod est vigilantiæ maiore continentiæ curandum, ipsa etiam nostra cogitatio, si eorum quadam suggestione, & quasi susurratione tangatur, tamen ab eis, ne obtineatur, auertitur.

Præsentissimum porro concupiscentiæ antidotum est cogitatio & inspectio mortis, & morientium, ac mortuorum.

Abbas Elias apud Sophronium in Prato Spirit. cap. 19. narrat de se, quòd visitatus à femina religiosa post eius abitum grauem senserit tentationem libidinis, à qua victus exiuerit ad eam cum illa explendam. *Cùm verò, inquit, fermè vno stadio ab eius adhuc speluncæ distarem, vrente grauiter æstu libidinis, repentè factus in extasi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ absorptum. Aspicioq; illic cadauera putrida iacentia & resoluta, & incredibili fœtore plena, quendamq; reuerendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri; fruere iam vt vis, & quantum libet concupiscentiæ tuæ: huius tamen voluptatis gratia vide quot labores amittere voluisti: vide propter quod peccatum vos ipsos priuare vultis regno cælorum. Va humanæ miseriæ! propter vnius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo, reuersus sum in locum meum.* Plura vide Numer. 11. v. 20. & 34.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus explicauit Apostolus infirmitatem legis, peccati & concupiscentiæ: hîc vires gratiæ & spiritus Christi explicat, seu quanta bona iustis per Christum Christiq; spiritum dentur.

Primò ergo ex dictis concludit, eos qui Christo per fidem & gratiam sunt insiti, ab omni culpa & damnatione esse liberos, eos scilicet, qui non secundùm carnem, sed secundùm spiritum viuunt.

Vnde Secundò, v. 12. multis probat nos secundùm spiritum, quem accepimus, debere viuere, spiritum, inquam, adoptionis, in quo clamamus, Abba, pater, qui nos Dei filios, ac futuræ gloriæ cum Christo coheredes efficit.

Inde Tertiò, v. 19. ostendit, quanta, quamq; ambienda sit hæc gloria, vtpote ad quam suspiret non solùm omnis creatura, quæ in hac vita vanitati subiecta est, sed & hi, qui spiritus primitias acceperunt. Vnde v. 26 asserit spiritum adiuuare infirmitatem nostram, & postulare pro nobis.

Denique v. 28. exaggerat charitatem Dei, erga se diligentes, qua omnia eis cooperantur in bonum, vtpote, quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri Christo, & pro quibus tradidit Christum in mortem. Ex quo v 35. concludit, Quis ergo nos separabit à charitate Christi?

1. Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundũ carnem ambulant. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. 3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, 4. vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. 5. Qui enim secundùm carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt. qui verò secundùm spiritum sunt: quæ sunt spiritus, sentiunt. 6. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. 7. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet: hic non est eius. 10. Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. 11. Quòd si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. 12. Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus. 13. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. 14. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. 15. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) 16. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. 17. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur. 18. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 19. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. 20. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: 21. quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. 23. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.

del. 24. Spe enim salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? 25. Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. 26. Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundùm Deum postulat pro sanctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. 29. Nam quos præscíuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. 30. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? 32. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? 33. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. 34. Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 36. (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.) 37. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39. neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

NIHIL ERGO DAMNATIONIS, nihil damnatione dignum, nihil damnabile, nulla damnabilis culpa (ita Concil. Trident. sess. 3. can. 5.) etiam si motus concupiscentiæ sentiant, EST IIS, QVI SVNT IN CHRISTO IESV] id est, qui sunt iustificati, Christoque in baptismo insiti per fidem, spem & charitatem. Cum iustitia ergo non consistit reatus culpæ damnabilis, sed bene reatus pœnæ, puta obligatio ad pœnam temporalem. Hinc patet: Primò, nec concupiscentiã, nec aliud quippiam in renatis esse peccatum, damnatione dignum. Secundò, gratiam iustificantem, & baptismum non tantùm tegere aut radere peccata, sed tollere omnino & tollere, ac Tertiò, verè nos iustificari, non tectè, non imputatiuè.

Dices, Quomodo ergo dicit S. Augustinus libr. 1. contra duas epist. Pelag. 13. concupiscentiam in nobis transire reatu, manere actu.

Respondeo. Sensus est, concupiscentiam, quæ peccatum originale erat, vel potiùs cum eo coniuncta erat, reatu peccati huius in baptismo abstersa, remanere actu. Patet enim culpa peccati originalis in baptismo remissa, concupiscentiam alia remanere ad luctã. Videtur enim S. Augustinus putasse concupiscentiam in non renatis esse peccatum originale, cuius contrarium multi Doctores docent, idque videtur verius. Videtur enim peccatum originale, vti & habituale, consistere non in ipsa concupiscentia, sed in morali auersione à Deo, quæ remanet ex actu præterito, vel Adæ vel proprio: sicque explicari potest S. Augustinus, vbi hanc auersionem vocat reatum cum concupiscentia coniunctum, qui transit cùm in baptismo tollitur & remittitur, remanente nihilominus ipsa concupiscentia.

LEX SPIRITVS VITAE IN CHRISTO IESV (id est, per Christum Iesum) LIBERAVIT ME A LEGE PECCATI ET MORTIS] Pro *liberauit*. Tertull. li. de Resurrect. carn. c. 46. legit, *manumisit*. Fuimus enim quasi mancipia peccati & mortis; sed à Christo manumissi, & libertate donati sumus.

Iam *lex spiritus vitæ*, id est, lex spiritus viuificantis, putà, lex gratiæ & charitatis, per Christum liberauit me à lege peccati & mortis, hoc est, à dictamine, iure, dominatu, reatu concupiscentiæ; vt licet eam sentiam, non tamen consentiam. ita S. Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelag. 10. Theophyl. Anselm. & alij. Est enim concupiscentia lex peccati, quia est fomes, vt dixi, ad peccatum sollicitans: consequenter est lex mortis, quia *stipendium peccati est mors*. *Lex peccati duo significare potest.*

Alij *à lege peccati*, id est, inquiunt, à lege Mosi, quæ occasio erat peccati & mortis. sic enim eam vocat c. 7. 6. Verùm prior sensus videtur planior & germanior: nam paulò antè cap. præced. v. 23. & vlt. concupiscentiam vocauit legem peccati; de lege verò propriè dicta, absolutè subdit Apostolus dicens:

NAM QVOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI (Mosaicæ, etiam naturali & decalogo) IN QVO INFIRMABATVR PER CARNEM] q. d. Quatenus lex impotens erat & inualida propter carnem nostram peccato & concupiscentia infectam, quæ sanare non poterat. ita Theophyl. Aliter Origen. qui per carnem intelligit crassam, literalem & carnalem legis intelligentiam; atque istam legis infirmitatem & impotentiam in eo collocat, quòd impossibile fuerit legis cæremonias omnes secundùm carnem, id est secundùm literam, obseruare. Verùm hic sensus impertinens videtur & improprius. Ista enim infirmitas non legis erat, sed hominis. VERS. 3.

DEVS FILIVM SVVM MITTENS (græcè πέμψας, id est, cùm misisset, q. d. misso filio) IN SIMILITVDINEM CARNIS PECCATI] id est, carnis peccatricis. q. d. Deus mittens filium suum, præstitit & supplevit legis & carnis impotentiam; vel hebraismo, mittens, id est, misit Christũ, vt assumeret carnem humanam similem carni peccatrici aliorum hominũ. ita Theophyl. Scilicet Christus natus est mortalis, vitæ nostræ ærumnas mortemque est passus; quæ debentur peccatoribus. Vnde & per æneum serpentẽ à Mose erectum Num. 21. præfignatus est, vtpote qui cùm videretur habere venenum peccati, reuera tamen non haberet. *Christus serpens æneus cùm videretur habere venenum peccati, non habuit.*

Commentarius pseudo Hieronymi, & Manichæorum & Marcionis hæreses circa Christi humanitatem jugulantur.

Quare non bene commentarius Hieronymo A
asscriptus, *caro peccati*, id est, ait, in qua erat non
peccatum, sed procliuitas ad peccatum. Perperam etiam Manichæi similitudinem carnis peccati, carnem non veram, sed apparentem, & similem veræ interpretantur; quia Christus inquiunt, non veram, sed phantasticam carnem assumpsit. Nam, vt bene annotauit S. Basilius epist. 65. non ait Apostolus, In similitudinem carnis humanæ, sed, Carnis peccati. & Tertull. lib. 5. contra Marcion. c. 14. *Similitudo*, inquit, *ad titulum peccati pertinet, non ad substantiæ mendacium. Nam nec addidisset, Peccati, si substantiæ similitudinem vellet intelligi, vt negaret veritatem. Tantùm enim Carnis posuisset, non &, Peccati: cùm verò sic struxit, Carnis peccati, & substantiam confirmauit, id est, carnem, & similitudinem ad vitium substantiæ retulit, id est, ad peccatum.* Et B
paulò antè: *Voluit Deus peccati carnem simili substantia redimere, id est carnea, quæ peccatrici carni similis esset, cùm peccatrix ipsa non esset. Nam & hæc erit Dei virtus, in substantia pari perficere salutem.*

Tres Augustini expositiones in hæc verba.

ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATVM IN CARNE] S. August. li. 3. contra duas epist. Pelag. 6. tres affert expositiones, quarum Prima est, *de peccato*, id est, per peccatum, hoc est, per hostiam expiatricem peccati, scilicet, per corpus suum crucifixum, damnauit, id est aboleuit, sustulit, peccatum. Sic etiam Origen. Ita enim alibi sæpè peccatum metonymicè significat hostiam destinatam expiando peccato, vt dicam 2. Corinth. 9. v. vlt.

Secunda est, *de peccato*, id est, per peccatum Iudæorum, quo Christum crucifixerunt, deletum est peccatum.

Tertia, *de peccato*, id est, per carnem Christi, quæ C
similis erat carni peccati, deleuit peccatum. Sed repugnat Græcum περὶ, quod non *per*, sed *de* significat.

Quarta expositio Anselmi.

Quarta, est Anselmi, *de peccato*, id est, morte sua, quæ erat peccati effectus, Christus damnauit peccatum. Sed & hoc remotum & alienum est.

Quinta Theophylacti.

Quinta, est Theophyl. *de peccato*, id est pro peccato, vel propter peccatum expugnandum & abolendum, *damnauit*, id est destruxit & sustulit, peccatum in carne sua moriens: sed Græcum περὶ non significat *propter*. Adde, quòd hic sensus tautologicus videatur.

Sexta Hilarij.

Sextò, Hilarius in psal. 67. Christus, inquit, damnauit peccatũ, id est diabolum, *de peccato*, in carnem Christi admisso, quia eius mortis fuit auctor. Sed hoc quoque incõmodum & durum videtur, D
vt scilicet ipse dæmon dicatur peccatũ, cùm peccatum paulò antè, & passim hic propriè capiatur.

Septima & optima expositio.

Septimò, optimè S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Christus, inquiunt, in carne patiens & moriens damnauit & sustulit peccatum, quasi reum peccati, eò quòd iniustè vim intulerit Christo, illumque occiderit innocentem; eò quòd videret eum habere similitudinem carnis peccati: hac enim de causa iustè peccatum suo dominio, quod habebat in alios homines, priuatum est. Qui enim manum extendit in aliena iustè priuatur suis. Est prosopopœia. Peccatum enim quasi tyrannus hîc regno priuatur. Sic Christus morte sua damnauit & occidit mortem. Simile est Ioan. 16. 9. vbi dicitur, quòd Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio.

VERS. 4. VT IVSTIFICATIO LEGIS IMPLERETVR IN NOBIS] q. d. Vt totum quod lex præcipit, quasi instum & debitum, impleremus. Alij δικαίωμα pro δικαίωσις accipiunt, q. d. Vt iustificatio à peccatis quam lex exigebat, impleretur in nobis. & hoc planius est. Hinc patet per solam naturam & legem, sine gratia Christi, hominem in hac corruptione non posse totam legem totumq; decalogum implere.

QVI SECVNDVM CARNEM SVNT, QVAE CARNIS VIII
SVNT, SAPIVNT (id est, cogitant, amant, quærunt, ijsque se pascunt & oblectant;) QVI VERO SECVNDVM SPIRITVM SVNT (homines spirituales, secundùm spiritũ viuentes) QVAE SVNT SPIRITVS, SENTIVNT] id est sapiunt: Græcè enim idem est verbum, quòd antè, scil. φρονεῖν. q. d. Homines carnales bona carnalia sectantur, probãt, eligunt, ambiunt: spirituales verò spiritualia ambiunt, vt scilicet per legem charitatis sua studia, curas & actiones dirigant; vt motibus & instinctibus Spiritus sancti obsecundent, & secundũ illos vitam & mores componant; vt bona non terrena, sed spiritualia & æterna adament, omniq; studio conquirant. τὸ enim sentire & sapere hîc actiones sunt non tam intellectus, quàm appetitus & voluntatis.

NAM PRVDENTIA CARNIS, MORS EST] Id est, VIII
sapere ac viuere secundùm carnem mortem affert tum corporis, tum animæ, tum præsentem, tum maximè æternam. Hic sensus patet ex textu Græco, v. 5. vbi φρονεῖν τὰ τῆς σαρκὸς, est sapere carnalia. Vnde φρόνημα, vocat hanc prudẽtiam, siue sapiẽtiam, id est, hoc sapere. Sic prudentia spiritus, est sapere & viuere secundùm spiritum. Vnde eandem prudentiam v. sequenti sapientiam vocat, ibi enim in Græco idem est φρόνημα. Idem ergo hîc sunt hæc quatuor, scilicet sapere, sentire, sapientia & prudentia; quæ non aliud significant quàm amorem, affectum, curam & studium carnis, id est rerum carnalium; vel spiritus, id est, rerum spiritualium.

Nota vocem causalem *nam*; ex illa enim patet Apostolum hîc dare causam præcedentium, scilicet illius, quod dixit v. 4. iustificationem legis impleri in ijs, qui non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulant. Causa hæc est, quòd prudentia, id est amor & studium, carnis mortem afferat: inde enim sequitur, eandem, non iustitiam, sed peccatum afferre. peccatum enim mortis est causa, & inseparabiliter cum morte coniunctum. Prudentia verò & studium spiritus, vitam & pacem afferat: inde enim sequitur eandem afferre quoque iustitiam; vtpote quæ vitæ est causa, & necessariò cum vita & pace coniuncta est.

Prudentia carnis, inquit Anselm. *est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt fallacia demonstrare, honorum culmina quærere, adepta tẽporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere, cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere; cùm virtus possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc impacifica bonitate simulare. Prudẽtia verò spiritus, id est iustorum sapientia, est nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera, vt sunt, diligere, falsa euitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumelias pati lucrum putare.* Vbi Nota, hæc tantùm esse partem prudentiæ carnis, illaq; apud Latinos propriè vocari prudentiam carnis: nam Græcum φρόνημα, vt dixi, ad omnes carnales affectiones, sapores & amores se extendit.

Pau-

PRVDENTIA AVTEM SPIRITVS (est) VITA ET PAX] Id est sapere, amare sectari spiritualia; vitam æternam & pacem, id est, omnium bonorum prosperitatem & tranquillam possessionem conciliat, Rom. 2. 7.

QVONIAM SAPIENTIA CARNIS (sapere carnalia) INIMICA EST DEO] Dat hic causam cur prudentia & sapientia carnis non vitam, sed mortem afferat, quia nimirum ipsa inimica est Deo, & legi Dei: vita autem nostra animæ, maximè beata, à Deo pendet, & donatur Dei amicis, non inimicis: nam inimicos suos Deus æterna morte punit.

QVI IN CARNE SVNT (qui carnis affectibus feruent, eosque explent, qui carnaliter viuunt) DEO PLACERE NON POSSVNT] τὸ *autem* capitur pro nam: dat enim hîc causam cur prudentia & sapientia carnis inimica sit Deo; quia nimirum Deus, qui purissimus est spiritus, impuros carnis affectus & opera odit & execratur, quo fit, vt ij qui carnales sunt, Deo placere non possint.

VOS IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITV] Q. d. Vos carnales non estis, carnalia non quæritis, non amatis, sed spiritualia: anima enim magis est vbi amat, quàm vbi animat. Ita S. Leo serm. 1. de Resurrectione: *Quamuis, inquit, spe salui facti sumus, & corruptibilem adhuc carnem mortalemq; gestamus: recte tamen dicimur in carne non esse, si carnalibus nobis non dominentur affectus; & meritò eius rei depositum nuncupationem, cuius non sequimur voluntatem.*

SI TAMEN SPIRITVS DEI HABITAT IN VOBIS] Esse quid sit esse in spiritu, nimirum spiritum Dei non transire, sed habitare, sedemque permanentem figere in aliquo.

Nota Spiritus hîc tam Spiritum sanctum, quàm spiritum charitatis & gratiæ nobis à Spiritu sancto communicatum & infusum significat: hic enim ab illo separari nequit. nam Spiritus sanctus per spiritum gratiæ inhabitat in anima nostra. Pulchrè S. Augustin. in sententijs num. 168. *Sicut, inquit, non est à carne, sed supra carnem, quod facit eam manere; sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beatè viuere: quia vt vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.*

SI QVIS AVTEM SPIRITVM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EIVS] Nota hîc, eundem esse Spiritum Christi & Dei, & consequenter Christum esse Deum. Rursum si hic est Spiritus Christi atque Dei, ergo Spiritus sanctus à Filio æque ac à Patre procedit, inquit S. Ambrosius li. 3. de Spiritu sancto, cap. 9. Examinet hîc quisque, an habeat in se spiritum, affectus, amores & studia, quæ in se habuit, vitaque sua expressit Christus, vt videat an ipse sit Christi, an verò mundi, vel diaboli. Spiritus enim Christi humilis & cælestis est; spiritus mundi vanus, terrenus & carnalis; spiritus diaboli superbus est, arrogans & inuidus.

SI CHRISTVS IN VOBIS EST] per Spiritum suum sanctum, eiusque gratiam & charitatem.

CORPVS QVIDEM MORTVVM EST PROPTER PECCATVM] *Corpus mortuum*, græcè est νεκρὸν, id est mortale, mortis necessitati subiectum.

Notat S. Augustin. contra Pelag. & Philosophos, qui docent hominem etiam ante lapsum morituram, & mori ex naturæ necessitate (quod idem docet Eugubinus in Gen. 2.) hîc ab Apostolo dici *corpus mortuum*, non propter naturam, sed *propter peccatum*. Secundò, dici *mortuum*, non mortale: A quia ante lapsum poterat esse mortale, licet non moriturum si nimirum in innocentia persisteret. *Mortuum* ergo est post peccatum, id est, mortis necessitati factum est obnoxium, ita breui & cerò, vt quasi iam habeatur & dicatur mortuum. ita S. August. lib. 1. de Peccat. meritis c. 4.

SPIRITVS VERO VIVIT PROPTER IVSTIFICATIONEM] Legit Noster interpres ζῇ, id est, *viuit*. Iam legunt ζωὴ, id est, vita. q. d. Spiritus sanctus, qui in se est viuens, ipsaque vita essentialis & increata, est causa vitæ nostræ spiritualis, eamque nobis communicat, dum nos facit viuere vitam non carnis, sed spiritus in charitate & gratia. Ita legunt & intelligunt S. Chrysost. Ambros. Augustin. & alij: & huic sensui fauent sequentia. Nam v. seq. spiritus intelligitur non noster, sed Spiritus sanctus idem, vt videtur, qui hîc.

B Verùm Noster interpres, Origen. & Theodor. legunt *spiritus viuit*, id est, mens nostra viuit, tum iam vita gratiæ, tum *viuit*, id est viuet, vita gloriæ in resurrectione: sicut corpus iam mortuum est propter peccatum. *Viuit*, inquam, *propter iustificationem*; græcè διὰ δικαιοσύνην id est, propter iustitiam, vt nimirum seruiat iustitiæ, inquit Orig. Putat enim ipse τὸ *propter*, significare hîc causam finalem. Verùm aptiùs τὸ per, vel propter, (vtrouis enim modo vertas) significat vel causam formalē (vitæ enim spiritualis causa formalis est iustitia, siue gratia infusa.) vel meritoriam, hoc sensu. q. d. Viuit, id est viuet, corpus nostrum in resurrectione & cælo propter iustitiam. Iustitia enim meretur hanc vitam, illius enim merces & præmiū est gloria & vita æterna. Pari enim modo dicitur corpus mortuū propter peccatū, quia scilicet merito, vel potiùs demerito peccati pœnā mortis incurrimus.

τὸ propter *hîc causam non finalē, sed formalem & meritoriam significat.*

C QVOD SI SPIRITVS EIVS (Spiritus Patris) HABITAT IN VOBIS: QVI SVSCITAVIT IESVM A MORTVIS (ipse Deus Pater) VIVIFICABIT ET MORTALIA CORPORA VESTRA, PROPTER INHABITANTEM SPIRITVM EIVS IN VOBIS] *Viuificabit*, nimirum in resurrectione, hoc est, donabit vobis corpora immortalia & gloriosa: nam alioquin & reprobi tunc viuificabuntur, sed ad pœnam. VERS. 11.

Nota τὸ *propter inhabitantem spiritum*. Hinc enim patet Spiritum sanctum per spiritum charitatis in nobis inhabitantem esse causam resurrectionis, & vitæ gloriosæ. Est enim hic Spiritus in se vita, omnia animans, vegetans & viuificans: ac proinde sicuti Christi corpus, ita & nostrum viuificabit in resurrectione, si ipse in nobis inhabitet. Significat ergo hîc Paulus iustitiam esse causam moralem & meritoriam resurrectionis. ita Molina de opere sex dierum, disp. 28.

Iustitia, & Spir. sancti gratia in nobis est causa moralis resurrectionis.

ERGO DEBITORES SVMVS NON CARNI, VT SECVNDVM CARNEM VIVAMVS] Supple, Sed debitores sumus spiritui, vt secundùm spiritum viuamus. VERS. 12.

Nota τὸ *ergo*; colligit enim Apostolus hanc conclusionem ex dictis. q. d. Dixi hactenus vos non esse in carne, sed in spiritu, & à Christo translatos esse à carne ad spiritum: Christus enim nouam spiritus vitam induxit. Ergo cùm in baptismo nos obstrinxerimus Christo, quasi parenti & capiti nostro; sequitur pariter nos obstrictos & debitores esse non carni, vt carnaliter; sed spiritui, vt spiritualiter viuamus: Christus enim est & viuit non in carne, sed spiritu.

Christo obstricti tamquam capiti spirituali, spiritualiter viuere debemus.

SI SECVNDVM CARNEM VIXERITIS, MORIEMINI; SI AVTEM SPIRITV (per spiritum) FACTA CARNIS VERS. 13.

Sex argumenta, quibus ostendit Apostolus, Christianis viuendum non secundùm carnem, sed spiritum.

NIS MORTIFICAVERITIS, VIVETIS] Probat hîc Apostolus sex argumentis, Christianis esse viuendum non secundùm carnem, sed secundùm spiritum; eaque proponit sex seqq. versibus. Primum, est hoc versu: quia si secundùm carnem viuant, morientur morte gehennæ & æternâ: si autem secundùm spiritum viuant, non morientur, sed viuent vita beata & æterna.

I. Secundum, est v. 14. quia si secundùm spiritum

II. viuant, & dicentur & erunt filij Dei.

III. Tertium, est v. 15. quia ad hoc acceperunt spiritum adoptionis, vt nimirum secundùm spiritũ viuant.

IV. Quartum, est v. 17. quia si id faciant erunt heredes Dei.

V. Quintum, est v. 18. quia non sunt condignæ passiones, quas pro vita spirituali tuenda patimur, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

VI. Sextum indicat v. 20. quia aliàs, si non spiritui, sed carni & creaturis seruiant; seruient vanitati: omnis enim caro & creatura vanitati & corruptioni subiecta est.

Pulchrè S. Augustin. serm. 13. de verbis Apostoli, Epicuræi, inquit, posuerunt suam beatitudinem in carne, carnisque voluptatibus: Stoici in anima, putà in virtute sua. *Dicebat Epicuræus, Mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoicus, Mihi frui mea mente bonum est. Dicebat Apostolus, Mihi autem adhærere Deo bonum est. Errat Epicuræus, fallitur Stoicus. Tunc enim rectè anima viuit, si non secundùm carnem, nec secundùm seipsam, sed secundùm Deum viuat. Sicut enim anima carnis, ita Deus animæ est vita.*

Nota. τὰ *mortificaueritis.* Viuunt enim in appetitu nostro carnalia desideria, actusque concupiscentiæ, quibus vitaliter concupiscimus vina, veneres, honores, aliasque res carnales. Sed hæc ipsa per cõtinentiam & mortificationẽ domanda, frenanda, eradicanda sunt, ijs scilicet resistendo, eaq; supprimendo: quod fieri nequit, nisi hæc desideria mortificemus, id est, mortem ijs afferamus. Mori enim debent, vt amplius non viuant, sed viuat in nobis virtus & continentia. Atque hinc est quòd hæ concupiscentiæ, vtpote vitales, sine magno animæ sensu & dolore mortificari nequeant. Magis enim vitaliter inhærent animæ, quàm dens capiti, immò quàm anima ipsi corpori: si ergo dens à maxilla, & anima à corpore euelli nequit sine ingenti dolore; sequitur concupiscentias quoque has vitales ex appetitu & anima sine ingenti dolore euelli non posse: necesse est enim, vt tam hîc, quàm ibi mors & dolor mortis interueniat.

Quia concupiscentiæ nobis vitaliter inhærent, sine magno animæ dolore euelli nequeunt.

VERS. 14.

QVICVMQVE SPIRITV DEI AGVNTVR, non vt bruta, sed vt homines, ratione & libertate præditi, II SVNT FILII DEI] Vide S. Augustin. serm. 13. de verbis Apostoli, *Dicet*, inquit, *mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus. Respondeo, immò & agis & ageris; & tunc benè agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, adiutor est agentibus. Nemo autem agitatur, si ab illo nihil agatur. Spiritus enim adiuuat infirmitatem nostram.* Idem lib. de Correpț. & gratia c. 2. *Intelligant*, inquit, *si filij Dei sunt, se spiritu Dei agi, vt quod agendum est agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant; vt quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ, suauitatem quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Vide eundem de pugna animæ tom. 9. Sicut ergo Samson ad heroica fortitudinis opera patranda spiritu Dei correptus agebatur; vnde antequam ea aggrederetur Samson, dicit sacra Scriptura, *Irruit spiritus Domini in Samson*; ita pariter iusti & sancti ad spiritualia opera, vtpote heroica opera, spiritu Dei aguntur.

Agimur & agimus, non agimur, nisi agamus.

NON ACCEPISTIS SPIRITVM SERVITVTIS IN TIMORE] Græcè εἰς φόβον, id est, ad timorem, quidam S. Chrysost. & Theodor. Non accepistis spiritum seruorum ad timendum, vt Iudæi, qui metu pœnæ à peccatis coërcebantur; vt timore supplicioru adigendi sitis ad legem Dei implendam.

Quæres, Quis sit hic spiritus timoris? Est Ier. S. August. serm. 13. de verbis Apostoli. Secundò, & planiùs, est Spiritus sanctus, inquit Anselmus, qui Iudæis dedit legem timoris, quasi seruis; nobis autem dat spiritum amoris, gratiam & veniam, quasi filijs. Tertiò, & planissimè, spiritus timoris est spiritus seruilis, quem acceperũt Iudæi, vt quasi serui legi obedirent. Spiritus ergo timoris est ipse timor Iudæis à Deo iniectus, qui eos quasi seruos agebat & impellebat, ad implendum id, quod præceptum erat; quique eos cohibebat ab opere externo contra legem patrando; sed internam cupiditatem compescere & euellere non poterat.

ACCEPISTIS SPIRITVM ADOPTIONIS FILIORVM, IN QVO CLAMAMVS, ABBA, PATER] *Spiritum adoptionis*, id est, charitatem & gratiam Spiritus sancti, vel potiùs ipsummet Spiritum sanctum, per quem adoptati sumus in filios Dei. Nam de Spiritu sancto subdit, quòd *testimonium reddat spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Vnde ex hoc loco Nota: filiatio & adoptio nostra in eo videtur consistere, quòd, sicuti Deus Christo homini dedit seipsum, id est, deitatem & Verbum, vt hunc hominem qui dicitur Christus, faceret filium Dei; ita nobis dat Spiritum sanctum, eiusque deitatem, vt nos faciat suos filios, nosque adoptet. Sic enim apud homines pater dicitur, qui naturam suam filio cõmunicat. Cùm ergo pari modo Deus dando nobis Spiritum sanctum, naturam suam diuinam nobis communicet: sequitur eum tunc nos facere, & adoptare in filios. In Eucharistia dat quidem nobis seipsum Filius, suamque naturam, sed ad cibum propriè; non autem ad generationem, vel adoptionem; vti in iustificatione facit Deus & Spiritus sanctus. Porrò S. Spiritus nos sibi in filios adoptat dupliciter. Primò, per gratiam, quasi accidentaliter. Secundò, per naturam, quasi substantialiter. In iustificatione enim ipsa natura & substantia deitatis se homini communicat, miroque modo eidem se vnit; vti docet Franc. Suarez lib. 12. de Deo trino & vno c. 5. De qua re plura dixi Osee 1. v. 11. ac rursum dicam 2. Petri 1. 4. ad illud: *Vt diuinæ simus consortes naturæ.*

IN QVO, per quem Spiritum sanctum, CLAMAMVS, non voce, sed filiali & fiduciali affectu, ABBA, id est, PATER] præ dulcedine & teneritudine amoris, quasi infantes teneri, qui carissimum parentem balbutientes blandula & iterata vocula compellare solent, pater, pater. Hinc & manifestè ex v. 26. patet, ait S. August. epist. 105. *Quid sine spiritu fidei non est quisquam rectè crediturus, sta sine spiritu orationis nemo est salubriter oraturus.*

Nota hîc, gratiam, & adoptionẽ, eiusque operationes & effectus, licet communes sint SS. Trinitati, appropriari tamen Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus procedit per voluntatem & amo-

& primus ac notionalis est amor: alioqui re- sicut se dat & cõmunicat iustis Spiritus san- & Pater & Filius, eosque SS. Trinitas sibi filios adoptat, in ijsque habitat. Hoc est enim, quod dicitur Ioan. 14. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

ABBA, PATER] ὁ πατήρ, id est, pater. Est nomina- quem ad auxesin, pro vocatiuo hîc poni Syrus. Vertit enim ipse אַבָּא אַבּוּן *abba abun*, id est abba pater noster.

Secundò & propriè, q.d. Paulus, *Abba*, quod significat *pater*. Pater enim nominatiui est casus, ad- eúmque vt explicet Hebræum, vel potiùs Chal- dæum *abba*. Vnde Biblia Regia & Romana τὸ (*pa-* includunt parenthesi. Sic dicitur Ioan. 1. 28. *Rabbi (quod dicitur interpretatum magister.)* & Ioan. 9. 7 *Siloe (quod interpretatur missus.)* Alludit enim Paulus hîc ad Euangelium S. Marci, quod Romę B fuerat esse conscriptum notumque Romanis. Nam Marci 14. v. 36. dicitur *Abba* (scilicet id est) *pater*. Christus enim non dixit græcè, vel latinè πατήρ, sed tantùm dixit hebraicè, vel potiùs syro-chaldaicè, τὸ *Abba*, quod explicat Marcus dicens, πατήρ. Tangit autem has duas linguas Apostolus hîc & ad Galat. 4. 6. ait S. August. de Spir. & lit. c. 32. & Anselmus, ad hoc vt significetur idem esse Deum eademque apud Deum esse adoptio Iudæ- orum & Gentium. Abba enim Iudæorum, pater Græcorum & Gentium est idioma & vox.

IPSE SPIRITVS TESTIMONIVM REDDIT SPIRI- TVI NOSTRO, QVOD SVMVS FILII DEI] *Testimo- nium reddit*, græcè συμμαρτυρεῖ, id est, contestifica- tur spiritui nostro. Quod Primò, sic potest ac- cipi quasi verbum compositum ponatur pro sim- plici, vt *contestificatur*, idem sit, quod testificatur, vt vertit Noster interpres, & Græci.

Secundò, potest accipi propriè, vt *contestificatur* idem sit, *quod simul cum spiritu nostro testatur*: quasi duos hîc testes filiationis nostræ producat Paulus, nempe Spiritum sanctũ, & spiritum nostrum. q.d. Spiritus sanctus simul cum spiritu nostro te- stificatur nos esse filios Dei, scilicet dum nos excitat & spiritum nostrum, vt dicamus: Abba, pater.

Spiritus sanctus, inquit Bernard. serm. 2. in Pen- tecost. *donat animæ*, Primò, *pignus salutis, scilicet te- stimonium quòd filius Dei sis.* Secundò, *robur vitæ, vt in laboribus, vigilijs, & in omnibus obseruantijs delectabi- liter mereas.* Tertiò, *scientiæ lumen, vt cùm omnia bene feceris, te seruum inutilem putes, & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo omne bonum est.*

Nota. Hoc testimonium Spiritus sancti, quo D nobis testatur nos esse filios Dei, non est certum certitudine fidei, vt volunt hæretici: hoc enim docent Concil. Tridentin. & Apostolus 1. Co- rinth. 4. 3. & alibi; nec etiam certum est certitudi- ne infallibili, vt volunt Catharinus & Caietan. sed tantùm certum est certitudine coniecturali; quæ tamen certitudo cum sanctitate crescit, adeò vt Andreas Vega, Ruardus, & eos secutus Pererius putent, aliquos viros valdè sanctos sine speciali Dei reuelatione, ex signis & effectibus Spiritus sancti, quos valdè crebros & claros & efficaces in se experiuntur, habere certitudinem non quidem infallibilẽ, ita vt ausint iurare se esse in gratia Dei; sed talem, & tantam, quæ omnem metum & for- midinem oppositi excludat, non solùm ab affectu & fiducia, sed etiam ab intellectu & persuasione: vt tales tam certò sciant se esse in gratia Dei, A quàm certò scimus & credimus Constantinopo- lim vel Alexandriam esse, ex eo quòd passim om- nes dicunt illas vrbes esse & existere.

Dices, Testimonium hoc est à Spiritu sancto, ergo est omnino certum.

Respond. In se quidem est certum, nobis tamen non est certum; quia non sumus certi omnino il- lud esse à Spiritu sancto, non autẽ à diabolo. Vnde 1. Ioan. 4. 1. dicitur, *Probate spiritus si ex Deo sint*, an à diabolo, an à natura, & à φιλαυτία. Experientia enim quotidiana docet plurimos hîc falli. Nam hæretici omnes iactant Spiritum sanctum; qui ta- men contraria docent & credunt, suntque in sec- tas quàm plurimas diuisi, & quisque certò sibi persuadet se agi & illuminari à Spir. sancto, cùm constet plerosque, immò omnes, falli: nec enim Spiritus sanctus contraria, præsertim erronea & B hæretica, docet vel inspirat. Si in fide & certitudi- ne fidei suæ falli possunt, multò magis in certitu- dine gratiæ & charitatis falli possunt. Vnde 1. Co- rinth. 4. v. 4. Apostolus de se dubitat dicens: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Apo- stolus ergo hîc per hoc testimonium Spiritus san- cti non vult inducere fidem specialem iustitiæ cu- iusque fidelis, sed tantùm vult corroborare spem nostram. Spes autem non exigit sui obiecti ple- nam certitudinem, sed potiùs cum incertitudine & timore illud amittendi coniuncta est.

Testimonium Spiritus sancti & spes coniuncta habet incertitudinem & timorem.

Quæres, Quodnam est hoc testimonium? Re- spond. Primò, Origen. esse hoc, quòd experimur nos ex amore legem Dei implere, non ex timore.

Testimonium Spiritus sancti quintuplici- ter intelligi potest.

Secundò, Ambros. & Anselm. respondent esse imitationem Dei, & Christi: per illam enim simus C similes Deo, ac consequenter filij Dei.

Tertiò, Theodoret. respondet testimonium hoc esse sacram doctrinam, quæ docet Deo quasi pa- tri obedientes, eumque inuocantes esse filios Dei.

Quartò, Sedulius respondet esse Spiritum san- ctum qui datus est nobis. Hic enim testatur nos esse filios Dei.

Quintò, optimè S. Chrysost. & Toletus respõ- dent, testimonium hoc esse clamorem, de quo lo- cutus est Apostolus versu præcedenti: dum enim clamamus filiali affectu, Abba pater, per Spiritum sanctum; ipse clamor noster, & Spiritus sanctus auctor huius clamoris nobiscum testatur, vt habet Græcus, spiritui, id est, menti nostræ, nos esse filios Dei, maximè si accedat pia vita, mundi contem- ptus, cælestium desiderium, innocentia, pax con- scientiæ, libenter audire & cogitare de Deo & re- bus salutis, zelus honoris Dei, & salutis animarũ, D pro Deo multa pati, ac præsertim, si, vt Caietanus solerter annotauit, quis in se hæc duo sentiat; Pri- mò, amorem Dei, ad promptè obediendum Spi- ritui sancto; Secundò, continuam Dei guberna- tionem, quasi paternam, qua se ad bona opera di- rigat, & à peccatis grauioribus custodiat. Addit Tertiò, S. Gregor. lib. 1. Dialog. 1. humilitatem, si illa cum alijs virtutibus iungatur. Addit Quartò, S. Basilius, odium ingens peccati, ac zelum ad illud in se & in alijs extirpandum.

Quatuor efficacia testimonia, quòd quis sit filius Dei.

Ita enim ipse interrogat, 296. in breuioribus quærit: *Qua ratione*, inquit, *persuaderi possit anima cuipiã, quòd à peccatis sit libera* & expurgata, ac con- sequenter quòd Dei sit amica & filia? ac respõdet, *Si quis in seipso animi affectionem illam similem Dauid ineſſe animaduerterit, apud quem est, Iniquitatem odio habui, & abominatus sum; aut affectum se præceptum illud*

illud Apostoli, qui dixit, *Mortificate igitur membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est simulacrorũ seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis*: vt verè dicere illud possit, *Non adhæsit mihi corprauum, declinantem à me malignum non cognoscebam.* Deinde huius odij peccati hoc dat signum. *Porrò intelligit aliquis se in huiusmodi affectione positum, si etiam aduersus peccantes admirabilem, & horrore plenam sanctorum virorum misericordiam illam imitatus sit, velut Dauid quidem apud quem est, Vidi prævaricantes, & tabescebam: Apostoli verò, qui ait, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Quandocunque igitur quis vel in suis, vel in alienis peccatis eo modo, quo diximus, animo affectum se esse animaduerterit, tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato*, ac consequenter se esse in gratia, adeoque esse filium Dei.

Detestari & abominari peccatum in se & aliis est signum status gratiæ.

Denique tria his similia signa dat S. Bernard. serm. de quatuor orandi modis. At fortasse *quæras*, inquit, *vnde, aut quomodo nosse poteris, vtrùm hanc consecutus sis indulgentiam. Sic nimirum conseruandæ humilitatis gratiã, diuina solet pietas ordinare, vt quãto quis plus profecit, eo minùs se reputet profeciſſe.* Ac post pauca: *Tunc ait Dominus paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & ambula. Et tu ergo* Primò, *si iam surgis desiderio supernorum.* Secundò, *si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiscentiis eius; sed magis ipsa, vt dignum est, regat illud, & ferat quò non vult.* Tertiò *si demum ambulas, quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea, quæ antè sunt, te extendens, desiderio & proposito proficiendi; curatum te esse non dubites: neque enim surgere poteras, si non aliquatenus onus esset alleuiatum, nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis: quia nec ambulare in feruore conuersationis cum peccatorum graui mole possibile est.*

Tria signa à S. Bernardo adferuntur, status gratiæ.

Ex hisce signis & testimonijs oritur in anima nostra certitudo coniecturalis iustitiæ & sanctitatis nostræ, quæ nobis sufficere debet, nec alia quærenda est: Deus enim vult nostrã spem mixtã esse formidine, nosq; sollicitos ac suspensos tenere, vt securitate non torpescamus, sed cum metu & tremore, vigilanter & studiosè nostram salutẽ operemur. Vnde pulchrè S. Gregor. epistola 186. quæ est libri sexti 22. ad Gregoriam cubicularian Augustæ, petentẽ sibi dari plenam certitudinem (qualem pollicentur Nouantes nostri) & reuelationem de remissione peccatorum suorum, ita rescribit: *Quòd verò dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere, quo adusque scribam mihi esse reuelatũ, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem, etiam & inutilem postulasti. Difficilem, quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousque veniat, suspecta semper ac semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.* Deinde idipsum exemplo S. Pauli cõfirmat dicens, *Certè Paulus Apostolus tam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non licebat; & tamen adhuc trepidans dicebat, Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui tam ad cælum ducitur, & tam timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur?* Denique causam huius incertitudinis subdit, dum ait, *Perpende, dulcissima filia, quia mater*

Certitudo coniecturalis iustitiæ, & sanctitatis cur nobis sufficere debeat.

Cur Deus in hac vita noluerit nos habere certitudinẽ & securitatem.

A *negligentiæ solet esse securitas: habere ergo in hac vita non debes securitatẽ, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim, Beatus vir qui semper est pauidus. Et rursus scriptum est: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo huius vitæ tempore mentem vestram necesse est vt tremor teneat, quatenus post securitatis gaudium sine fine postmodum exultet.*

Si autem filii (Dei sumus, ergo) et heredes] Dei sumus. Dices. Ergo non opus est bonis operibus. Si enim vita æterna nobis obtingit ex hereditate, ergo non ex meritis bonorũ operum.

Resp. Nego consequent, quia filiatio hæc accepta in baptismo, & consequenter ius ad hereditatem cælestem conseruanda & augenda sunt per bona opera, præsertim patientiæ, quibus eandem hereditatem & gloriam, atque gloriæ augmentũ mereamur. Sic enim Deus ordinauit, vt qui facit B iustitiam iustus sit, & heres Dei, vtque tanta felicitas & gloria nonnisi per labores, dolores & cruces magnamq; & multam patientiam, cum Christo nobis obtingat. Vnde subdit Apostolus: *Si tamen compatimur* (patimur cum Christo) *vt & (cum eo) conglorificemur.* Neruosè S. Cyprianus serm. de zelo & liuore: *Si hominibus, ait, lætum est & gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis gaudet se delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successiue respondeat; quanto magis in Deo Patre lætitia est, cùm quis spiritualiter nascitur, vt assibus eum & laudibus diuina generositas prædicetur.* Et S. Augustinus epistola 85. ad Consentium: *Cogitemus tanto similiores Deo, quanto esse poterimus eius passionis iustiores.*

Nota. Apostolus duodecim hîc argumentis hortatur fideles ad patientiam, & opera patientiæ, C singula enim eius verba pondus habent, & plerasque notam rationem & stimulum suggerunt.

Primò enim ait: *Si tamen compatimur*, q. d. Christus dux noster in cruce præit, quidni cum quo milites generosi sub crucis vexillo subsequamur?

Secundum est, cùm subdit, *Vt & conglorificemur*, q. d. Non qualem qualem, sed ipsam Christi filij Dei gloriam, pro præmio assequemur, vt, sicut communis fuit nobis passio cum Christo, ita communis sit & gloria.

Tertium est, quod ait v. 18. *Non sunt condigna passiones*. quasi dicat, Modica passione emes gloriam immensam; quasi si obolo emeres totum cebem. Si quis etiam hostis coronatos aut gemmatos in dorsum tuum conijceret, non doleres, sed gauderes, colligeres eas; &, vt aiebat S. Iuniperus: Talibus lapidibus lapidari vellem Parisijs, Aurelianis D vsque. Hæ gemmæ, hi lapides pretiosi, sunt tribulationes.

Quartum est, quod ibidem addit, *Huius temporis*. q. d. Momentanea passione emes beatam æternitatem.

Quintum est, v. 19. *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*. q. d. Omnes creaturæ nobiscum patiuntur & expectant, vt per nostram patientiam nobiscum gloriam & renouationem adipiscantur. Ergo pati oportet illarum exemplo, quàm commodo; quia nostra patientia omnibus hanc gloriam conciliabimus.

Sextum est, quod ait ibidem, *Reuelationem filiorum Dei expectat*. q. d. Cœpimus esse filij Dei, sed perficere oportet hanc filiationem, vt per patientiam adoptionem & hereditatem filiorum Dei in cælis assequamur.

Sept-

Septimum est, quod affert v.22. *Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.* q.d. Aliæ creaturæ ab exordio mundi hucusque patiuntur; homo enim breui tempore vitæ suæ: quidni ergo fortiter ferat brevem crucem, quam constanter creaturæ illæ per tot sæcula tulerunt?

Octauum, quod habet v.23. *Exspectantes redemptionem corporis nostri.* q.d. Corpus hoc miserum & infirmosum per patientiam fiet impassibile & gloriosum: patientiam ergo hanc animosè amplectamur.

Nonum est, v.24. *Spe*, inquit, *salui facti sumus.* q.d. Certam habemus spem, nos breui omni passione liberandos: spes hæc animos excitet ad dura quæque tolerãda. *O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.* & finem celerem.

Decimum est, v.26. *Spiritus*, inquit, *adiuuat infirmitatem nostram, & postulat pro nobis:* quidni ergo tali adiutore & succollatore fortiter crucem nostram humeris excipiamus?

Vndecimum est, v.27. & seqq. *Diligentibus, inquit, Deum omnia cooperantur in bonum.* Feramus ergo fortiter infamiam, morbos, famem, ærumnas, persecutiones, mala omnia; quia hæc omnia nobis Deus in bonum conuertet.

Duodecimum est, v.29. quòd patientes sint prædestinati. Deus enim suos amicos & electos prædestinauit vt sint conformes filio suo, tam in patientia, quàm in gloria. Denique si Deus pro nobis, quis contra nos?

NON SVNT CONDIGNÆ (S. Augustl. legit *indignæ sunt.*) PASSIONES HVIVS TEMPORIS AD FVTVRAM GLORIAM] scilicet quatenus passiones humanæ sunt & temporaneæ: eædem tamen ad gloriam futuram condignæ sunt, quatenus sunt passiones gratiæ Christi meritis innixæ: seu quatenus hæ passiones per gratiam Christi suscipiuntur & tolerantur. Explico si passionum nostrarum naturam, vim, dignitatem, in se, & vt nostri sunt arbitrij, cùm libere & voluntariè sufferuntur; si earumdem acerbitatem, multitudinem, durationem, aliasq; circumstantias naturales spectes, non sunt condignæ ad futuram gloriam: si verò passiones hasce spectes, prout gratia & charitate Dei informantur, ab eaque manant siue prout ex Dei amore, fide, spe, cultu, obedientia & patientia Christiana suscipiuntur & tolerantur, sic condignæ sunt ad futuram gloriam. Sic enim sunt actus gratiæ, charitatis, patientiæ &c. Gratia autem semen est gloriæ. Itaque sicut semen, licet in se exiguum, vim tamen & efficaciam seminalem habet producendi flores, frondes & fructus: ita tam passio, quàm actio manans ex gratia & charitate Dei, licet in se exigua sit, vim tamen habet & efficaciam producendi, tum physicè dispositiuè (est enim gratia dispositio ad gloriam, eique connaturalis) tum potiùs moraliter & meritoriè gloriam cælestem & beatam. Huius sententiæ & axiomatis parallela est ista, quam S. Fursæus audiit concinentes angelos: *Nullus labor durus, nullum tempus longum, quo gloria æternitatis acquiritur*, vti refert Ven. Beda lib. 3. histor. Anglic. cap. 19.

Ergo nihil hîc habent hæretici vt tollant meritum: eodem modo de Christo dicere poterat, quod dixit Apostolus, *Non sunt condignæ passiones huius temporis*, tum Christi, quàm nostræ scilicet, *ad futuram gloriam.* Sicut ergo modicum auri valet æquum aut bouem, tum sui valore & pretio, tum ex

Cornel. in epist. Pauli.

A institutione & æstimatione hominũ: sic modicum in se opus ex gratia factum meretur vitam æternam, tum sua ipsius dignitate & pretio; tum ex promissione & institutione Dei. Pari modo, non sunt condignæ voluptates huius sæculi ad pœnas æternas; quas tamen iustè eos mereri qui ijs indulgent, nemo negat.

Hisce tamen iam dictis ad plenam explicationem sententiæ huius Paulinæ adde: etiamsi opus bonum spectes, quatenus ex gratia & charitate fit, adhuc tamen propriè & adæquatè non est condignum ad tantam gloriam: licet enim cum ea proportionem quamdam habeat, non tamen æquam dignitatem: quæ enim proportio est inter terrenam passionem & martyrium vnius horæ, cum æterna & immensa gloria cælesti?

Passio & opus bonum quam proportionem habeat cum æterna gloria.

Audi S. Augustin. in Sententijs num. 272. *Sæuiat*, B inquit, *& fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis, quidquid fecerit, quantulum illud erit ad illud quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero: hoc quidem sentio, illud spero; & tamen incomparabiliter maius est quod speratur, quàm quod aufertur. Quidquid est quod contra Christi nomen sæuit, si potest vinci, tolerabile est: si non potest, proficit præmio citiùs consequendo; & fidelis fine temporalis mali, trãsit in perceptionem æterni boni.* Eodem dilemmate S. Sebastianus Martyr (vt habetur in eius Actis) S. Marco & Marcelliano acerrimè tentatis à suis parentibus, & iam nutantibus persuasit constantiam in fide & martyrio, dicens: Omnis labor & dolor huius vitæ obitus pro Christo, aut lentus & longus est, aut acer & intensus. Si acer, breuis est, & diu durare nequit, mortemque accelerat. Si lentus, tolerabilis est. State ergo fortiter, tolerate & lentos & acres dolores, quia hi parient vobis coronam & C gaudium immensum, æquè ac internum.

Rursum, *Si quotidie*, ait idem Augustin. serm. 2. de Festo omnium Sanct. *oporteret nos tormenta perferre, si gehennam ipsam paruo tempore tolerare, vt Christum videre digni essemus venientem in gloria, & Sanctorum eius numero sociari; nónne erat dignum pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?* Vide eumdem serm. 37. & 44. de Sanctis. Hinc aiebat S. Franciscus: *Tanta est gloria, quam exspecto, vt omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis.* Et Abibus diaconus, & Martyr, vt habetur in actis eius, cùm in persecutione Licinij sub annum Christi 316. Edessenam ciuitatem obiret, omnes confirmans ad pietatem & constantiam in fide, captus à Lysania, vngulis laceratus, suspensus, omnibusque membris distortus atque luxatus, rogatus à D Præside, quamnam ei vtilitatem tormenta conciliarent, quæ corpus illius tantùm consumebant; respondit Christi Martyr: *Non ad præsens vsque tempus, inquit, nostra consistunt, nec ea solùm sequimur, quæ cernuntur. Quòd si tu quoque volueris aspicere ad spem & promissam nobis remunerationem, fortè etiam dices cum Paulo: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Qua de causa in ignem coniectus ore flammam excipiens, spiritum Martyr Deo reddidit.

SS. Francisci & Abibi de passionũ tolerantia illustria apophthegmata.

Huc quoq; pertinet illud S. Gregorij lib. 6. Moral. c. 8. *Sancti viri*, inquit, *foris despecti sunt, & velut indigni omnia tolerant, sed dignos se supernis sedibus cõfidentes, æternitatis gloriam cum certitudine expectant.* Refert Ioan. Moschus in Prato spirit. (qui liber in Nicena Synodo generali citatur) cap. 130. quòd

Abbas Athanasius audierit choros laudantium Deum, cumque vellet ad eos ingredi, audijt: *Nemo huc ingreditur negligens: abite, certate, contemnite vanitatem seculi.*

Pulchrè & appositè S. Bernard. de Conuersione ad Cleric. cap. 30. *Non sunt condignæ*, ait, *passiones huius temporis ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præsentem consolationis gratiam quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur nobis.* Et alibi: *Propter quatuor totam vitam nostram debemus Christo. Totos nos debemus satisfactioni pro peccatis præteritis, totos Creatori, totos Redemptori, totos futuræ gloriæ. Ecce quatuor creditores, quibus nos totos debemus.*

VERS. 19. NAM EXSPECTATIO CREATVRÆ, REVELATIONEM FILIORVM DEI EXPECTAT] Nota. τὸ *nam*, dat rationem præcedentium. q.d. Certissimò in nobis, totique mundo reuelabitur hæc gloria, quia omnis creatura eam auidissimè exspectat: videturque innatum & insitum à Deo illi hoc desiderium, quod sicut Deus illi inseruit, ita & explebit.

Qualis in creaturis sit exspectatio gloriæ.

EXSPECTATIO] Græcè ἀποκαραδοκία, id est, sollicita, anxia, vt ait Theophyl. & quasi erecto exsertoque capite exspectatio. S. Hilarius libr. 11. de Trinitat. vertit Longinqua; Ambros. Frequens exspectatio, scilicet ab origine mundi. Componitur enim hæc Græca vox, ex ἀπὸ, id est à, & κάρη, id est caput, & δοκεῖν, id est videre; quia qui valdè aliquid videre desiderant, porrecto capite subinde illud prospiciunt, aut suspiciunt in altum, vti in montes aut in cælum, quasi rem desideratam inde exspectent.

Nota emphasim. Non dicit: Creatura exspectat, sed, Exspectatio creaturæ exspectat; q.d. Creaturæ ita auidè hanc gloriam exspectant, vt videantur esse ipsa exspectatio.

Per creaturam nō intelliguntur angeli, vt quidam.

CREATVRÆ] Primò, Origenes, Theodor. & Nazianzen. orat. 1. contra Iulian. & Cyrill. lib. 3. Thesaur. cap. 1. & 7. per creaturam intelligunt angelos, qui vanitati & seruituti corruptionis non suæ, sed hominum, maximè electorum seruiunt, & ab hac seruitute liberabuntur in hominum resurrectione. Verùm hæc expositio distorta, & penè violenta videtur: nec enim angeli, cùm sint beati, propter hominum vanitatem propriè dici possunt subiecti vanitati, & in ea esse inuiti, ab eaque fore liberandi, vt rectè annotauit D. Thomas.

Per creaturā alij intelligūt hominem microcosmū, participantem aliquid de omnibus creaturis.

Secundò, S. August. hîc in expositione proposit. n. 52. & lib. 83. quæst. q. 67. Anselm. Gregor. lib. 4. Moral. 41. And. Masius in Iosue cap. 6. v. 15. Catharinus & Caietan. hîc: *omnis creatura*, inquiunt, id est omnis homo, qui est nodus & vinculum omnis creaturæ, & microcosmus, & mundi miraculum, vt aiebat Trismegistus: quia nimirum homo ab omnibus creaturis aliquid participat, scilicet ab elementis esse, à plantis vegetari, ab animalibus sentire, ab angelis ratiocinari: & sic omnes creaturæ in homine & cum homine patiuntur, optantque inde liberari. Homo enim, qui constantiæ statum volens deseruit, pressus iusto mortalitatis pondere, nolens vanitati, id est mutabilitati, corruptionis suæ seruit. Sic creatura capitur pro homine, Marci vlt. v. 15. Aliter etiam S. Aug. sup. Creatura, inquit, id est homo infidelis, liberabitur à seruitute corruptionis, id est à peccato; quia vocabitur ad fidem, fietque filius, vt postea libertatem gloriæ filiorum assequatur. Verùm Apostolus loquitur hîc de liberatione à corruptione, non peccati in hac vita, sed mortalitatis in futura.

Tertiò, & optimè, creatura hîc propriè accipitur. Nam v. 23. opponitur hominibus, & filijs Dei, vt ita S. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecum. Ambros. lib. 4. hexameron, Hilarius libr. 12. de Trinit. Sotus, Adamus, Pererius, & Toletus. Creatura ergo hîc sunt cæli, elementa, omniaque creata sit prosopopœia. q.d. Paulus, Omnes creaturæ auidissimè naturali appetitu exspectāt tempus, cum filij Dei gloria donabuntur, vt cum eis quibus seruierunt, quasi dominis, ipsæ quoque suam gloriam, renouationem ac perfectionem, tanquam famuli accipiant. Sic arbor per appetitum, non rationalem, nec animalem, sed naturalem, dicitur exspectare suum fructum, & semen suum messem, q.d. Apostolus: Atque hoc magnum est argumentum, gloriam illam nobis præparatam, ingentem esse & inæstimabilem; quòd omnes creaturæ ad eam insensibiles totæ ad illam anhelent.

VANITATI CREATVRA SVBIECTA EST NON VOLENS, SED PROPTER EVM, QVI SVBIECIT EAM IN SPE] *Vanitas* hîc est defectus mutabilitatis, & opera seruilia, labores, passiones & corruptiones, quibus creaturæ occupantur propter hominem, vt patet ex sequent. Hinc Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecum. aiunt cælos esse corruptibiles, intelligo qualitate, non substantia.

Secundò, Erasmus Græcum ματαιότης vertit frustrationem. q.d. Natura non assequitur quod intendit, dum vnum in diuiduum ex alio propagat, ne species intercidat, ea re moliens quasi immortalitatem quamdam; sed frustra: nec enim eam assequetur ante resurrectionem nostram.

Tertiò, Origen. lib. 1. Peri archon 7. Vanitas inquit, hæc sunt corpora, in quæ animæ ante coepere existentes ob peccata sua sunt detrusæ: & talia corpora sunt etiam Sol, Luna, imò & terra & cælum. Hæc enim omnia habent animas quæ ante ea crimina, ac consequenter possunt ipsa peccare, iudiciumque Christi æquè ac homines subibunt. Hæc ergo corpora propriè exspectant resurrectionem, & vt à corruptione liberentur, propriè sperant & ingemiscunt. Hæc est Origenis hæresis, de qua Epiph. hæresi 64. & S. Hieron. ad Auitum, absona sanè & absurda. Est enim contra omnem rationem, philosophiam, experientiam.

NON VOLENS] id est, non sponte (vti legit commentar. S. Hieronymo asscriptus, & Hilarius superiùs citatus) hoc est, non ex naturali inclinatione. quæque enim creatura naturaliter amat suum esse, & conseruari, suamque perfectionem, idcoque abhorret ab hac vanitate & corruptione. ita D. Thomas. Creatura ergo vanitati huic subiecta est non sponte sua, *sed propter eum* (Deum Deique ordinationem) *qui* huic vanitati eam *subiecit*, propter hominem, vt scilicet illi seruiat in hoc exercitij statu.

IN SPE] sub spe liberationis & commutationis in melius in communi hominum rerumque omnium resurrectione, & renouatione.

CREATVRA LIBERABITVR A SERVITVTE CORRVPTIONIS, IN LIBERTATEM GLORIÆ FILIORVM DEI] *In libertatem.* Primò, Ambros. legit *in libertate*. cùm scilicet in illa erit, q.d. Cùm libertatem, id est incorruptionem, adepta fuerit. Sic & Theodoret.

Secundò, S. Chrysost. *in*, id est, propter vel in commendationem libertatis, & gloriæ filiorum Dei. Sicut enim nutrix pueri regij, cùm puer coro-

nitur, & ipsa propter ipsum de bonis regijs participabitur pariter, cùm homo gloria donabitur. hanc eius gloriam cæteræ creaturæ, quæ homini seruiebant participabunt, inquit Chrysost.

Tertiò & planiùs, *in libertatem*, id est, in imitationem, vel ad exemplum libertatis filiorum Dei, vt finem quamdam libertatem, stabilitatem & immortalitatem creaturæ aliæ accipiant. *In* ergo explarem, vel etiam finalem causam significat. Ita Perer. & Toletus.

Nota. Libertas gloriæ hîc idem est, quod libertas gloriosa. Secundò, libertas hæc non naturæ, nec gratiæ, sed gloriæ, est liberatio ab omni miseria, infirmitate, afflictione, corruptione, adeoque ab omni malo animi & corporis, culpæ & pœnæ.

SCIMVS QVOD OMNIS CREATVRA INGEMISCIT ET PARTVRIT VSQVE ADHVC] Hinc hæretici quidam apud S. Augustinum qu. 67. inter 83. multa impia & inepta de angelis tradiderunt. v. g. quòd omnes in dolore & gemitibus sint, donec nos homines penitus ab omni miseria liberemur. Verùm ineptiola sunt: & Apostolus non loquitur de angelis, vt dixi, sed de creaturis inanimis & irrationabilibus. q.d. Omnes creaturæ inanimes anxiè, & magno cum dolore finem malorum exspectãt. Est enim prosopopœia, vt notat S. Chrysost. & Theophyl. per quam Apostolus duo significat. Primò, continuas & magnas passiones, corruptiones & mutabilitates creaturarum. Secundò, ab eis vehementem auersionem, ita vt si haberent sensum, gemerent quasi parturientes, idque ab exordio mundi & lapsus hominis, vsque nunc.

SED ET NOS IPSI PRIMITIAS SPIRITVS HABENTES; ET IPSI INTRA NOS GEMIMVS, ADOPTIONEM FILIORVM DEI EXSPECTANTES] Nota. τὸ *primitias spiritus habentes*, Primò S. August. l. 83. quæst. q. 67. hîc explicat, q.d. Nos Christiani, qui nos quasi primitias Deo obtulimus.

Secundò, & meliùs, S. Ambros. & Anselm. q.d. Nos Apostoli, qui prima & potiora Spiritus sancti dona accepimus, videmurque vobis admirabiles, gemimus tamen sub hoc onere corporis.

Tertiò, & optimè, S. Chrysost. Theodoret. & Cyrill. lib. 14. Thesaur. c. 1. Omnes, inquiunt, Christiani (præsertim primitiuæ illius Ecclesiæ) cum iustitiæ accipiunt primitias spiritus, quia primos fructus & pinguedinem spiritus, scilicet veram Dei cognitionem, & amorem, ac veræ felicitatis spem habent & prælibant, idque sæpè cum affluentia diuinæ consolationis. hæc enim gratia & hæc vita pia & Christiana, sunt primitiæ redemptionis & liberationis à peccato, cui accedet consummata gratia, scilicet felicitatis & gloriæ; & perfecta redemptio ac liberatio ab omni malo, quæ fiet in resurrectione: hæc enim erit corporis nostri redemptio à morte omnique miseria, ad quam gemimus & anhelamus. Nam Paulus hîc non solos Apostolis, sed omnibus Christianis loquitur: vt patet v. 15. & 24.

ADOPTIONEM] Nota. In primo instanti iustificationis infunditur homini charitas & gratia, per quam homo particeps fit diuinæ naturæ, & consequenter acceptus ad gloriam, & heres Dei; ideoque hoc ipso fit filius Dei adoptiuus, sicut Christus est Filius Dei naturalis, vt patet v. 17. Itaque adoptio nostra, qua adoptamur in filios & heredes Dei, contingit nobis in ipsa iustificatione. Quod ergo hîc Apostolus ait, in cælis demum

A dandam esse hanc adoptionem, intellige consummatam, quæ est ipsa possessio iuris & hereditatis, ad quam adoptati sumus, videlicet redemptio corporis nostri, quæ partim erit liberatio à mortalitate & concupiscentia, partim gloria corporis ex animæ gloria dimanans. ita S. Chrysost. & Ambros. epist. 22. Adoptio ergo inchoata fit hîc, sed perfecta erit in cælo: pari modo de salute bifariam loquitur Apostolus: nam ad Titum 3. dicit, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. è contrario verò hîc ait, *Spe salui facti sumus*. Eadem enim ratio est salutis, quæ adoptionis, scilicet salus inchoata est iustitia, qua saluamur à morte animæ, putà à peccato; hæc nobis contingit in baptismo, vt ipse dicit ad Titum 3. Perfecta verò salus ab omni miseria & malo continget nobis in cælo. vnde eam necdum habemus, sed speramus; & hoc est quod B hîc ait, *Spe salui facti sumus*. q.d. Speramus salutem, quam hîc per gratiam inchoauimus, complendam fore in nobis per gloriam in cælo.

Adoptio & salus duplex, inchoata & perfecta.

SPE ENIM SALVI FACTI SVMVS] τὸ *enim* dat causam, cur dixerit nos exspectare hanc adoptionem filiorum in cælis, quia scilicet necdum re. sed tantùm spe salui facti sumus: per spem enim tendimus ad salutem, quam speramus nos adepturos in cælo. Hinc patet non solam fidem, sed & spem requiri ad salutem.

VERS. 24.

Non tàtùm fides, sed & spes necessaria ad salutem.

Tropologicè vide S. Augustinum serm. 25. de verbis Apostoli, de longanimi & constanti spe.

SPES AVTEM QVÆ VIDETVR, NON EST SPES] q.d. Spes, id est res sperata, si adsit, si possideatur, non ampliùs speratur. Transit Apostolus ab actu & habitu spei, ad eius obiectum; vnum enim cum altero connexum est. Pendent hæc à sequẽtibus. His C enim verbis solatur Apostolus fideles, qui hîc multa patiuntur, ob spem gloriæ. suggerit enim sæpè mens afflicta homini afflicto: Vbi est quod speras? vides tua mala quæ pateris; non vides gloriam propter quam pateris. Huic suggestioni occurrit hîc Apostolus dicens, nos mala præsentia videre, sed futura bona necdum videre, verùm ea sperare, & per patientiam exspectare debere.

Bona inuisibilia speranda pro malis præsentibus.

NAM QVOD VIDET QVIS, QVID SPERAT?] cur speret? q.d. Frustra quis sperat id, quod iam videt, tenet & possidet. Est enim hîc catachresis in verbo *videt*; videre enim hîc ponitur pro quouis sentire, cognoscere, frui, possidere. Sic vulgò dicitur quispiam cernere hereditatem, id est, eam adire & possidere. Est enim visus sensuum omnium certissimus & nobilissimus, per quem mens obiecta visa, quasi tangit & possidet. Loquitur enim A- D postolus non de visione Dei, sed de gloria corporis possidenda. hæc enim est redemptio corporis nostri, vti dixi.

Nota. Hæc Apostoli verba pari modo rectè intorqueas contra fidem specialem hæreticorum, si videlicet sic argumenteris: Peccator pœnitens sperare iubetur in Scriptura veniam per Christum, non ergo certus est de ea: quod enim videt quis, quid sperat? Pulchrè S. August. serm. 19. de verbis Apostoli, spem comparat ouo: *Spes* enim, inquit, *nondum peruenit ad rem, & ouum est aliquid, sed nondum est pullus.*

Iugulatur fides specialis hæreticorum.

SIMILITER ET SPIRITVS ADIVVAT INFIRMITATEM NOSTRAM] Quæritur hîc, quò pertineat τὸ *similiter*. Respondeo, Pertinet ad omnes effectus & dona Spiritus sancti, quæ toto hoc cap. hucusque recensuit Apostolus. Dixit enim v. 11. quòd

VERS. 26.

Spiritus sanctus habitans in nobis, viuificabit mortalia corpora nostra & v.14. quòd *Spiritus nos faciat filios & heredes Dei.* rursum ibidem dixit, quòd Spiritus sanctus faciat nos clamare Abba, pater. Denique v.23. (ad quem maximè hîc respicit Apostolus) dixit, quòd nos primitias spiritus habentes gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes. Iam vlteriùs dicit, quòd præterea Spiritus sanctus adiuuet nostram infirmitatem quam patimur. q.d. Dixi hactenus Spiritum sanctum varia in nobis operari, ac præsertim facere vt gemamus & suspiremus ad gloriam cælestem: iam dico eumdem Spiritum, sicuti iam dicta in nobis operatur, ita similiter operari in nobis robur & auxilium, quo adiuuat infirmitatem nostram.

Sp. sanctus operatur in nobis gemitum, robur, auxilium, & scientiam bene orandi.

Rursum τὸ &, hîc idem est, quod *præter*, vel *insuper*. q.d. Spiritus sanctus præter gemitum, spem & patientiam, quæ in nobis operatur, insuper adiuuat etiam in hoc gemitu infirmitatem nostram, vt scilicet magna alacritate & fortitudine toleremus infirmitates animæ & corporis, vitæque huius corruptibilis, propter quas gemimus & suspiramus ad cælum, vtque eas constanter superemus, maximè per orationem. Docet enim nos Spiritus sanctus quid orare, & à quibus infirmitatibus liberari, à quibus non liberari, sed in ijs confortari, petere & orare debeamus. De infirmitate enim orandi hîc vel maximè agi patet ex vocula causali, *nam*, quam subdit dicens, *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Oratio enim proprium remedium est infirmitatum nostrarum ad eas superandas.

Est hîc decimum argumentum, vt dixi v.17. quo fideles excitat Apostolus ad patientiam, scilicet, quòd in omni passione & infirmitate habeamus opem & auxilium Spiritus sancti, qui nos roborat & consolatur in omni tribulatione, quique postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Proprium est Dei nos adiuuare.

Nota Primò. Spiritus sancti & Dei proprium est nos adiuuare. Hinc Cicero libr. 2. de Natura deorum: *Iupiter*, inquit, *id est, iuuans pater, à Poëtis pater diuûmq; hominumq; dicitur; à maioribus autem nostris optimus, maximus, & quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quàm maximus: quia maius est, certeq; gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere.*

Nouæ præcipuæ hominis infirmitates ortæ ex peccato.

Nota Secundò. Nouem sunt præcipuæ hominis infirmitates ortæ ex peccato, contra quas robur dat Spiritus sanctus. Prima, sunt morbi, ærumnæ, & mala quæuis illata corpori vel animo. in his roborat nos Spiritus sanctus, vt ea de manu Dei accipiamus, Deumque in eis laudemus.

Secunda, est in intellectu ignorantia, quid hîc & nunc agere aut fugere oporteat; & improuidentia, quid in futurum prouidere aut cauere homo debeat.

Tertia, est in voluntate infirmitas ad amandum bona solida & æterna, quæ nobis sunt abscondita; & ad contemnendum bona præsentia & caduca, quæ sensus feriunt & alliciunt.

Quarta, est in memoria infirmitas, vt recordemur tum beneficiorum Dei, vt ijs grati simus; tum iudiciorum Dei, quibus malos punit, bonos præmiat; tum præceptorum Dei; tum peccatorum nostrorum, vt ijs compungamur & pœniteamus.

Quinta infirmitas, est in spiritu & appetitu concupiscibili, vt spiritus concupiscentiæ carnis reluctetur.

A Sexta, est in irascibili, vt iram, odium & vindictam contra eos, qui nobis malefaciunt aut maledicunt, compescamus.

Septima infirmitas, est ad aggrediendum opera ardua & heroica.

Octaua, est ad perseuerandum in Dei obsequio & primo feruore.

Nona, est ad orandum Deum, sicut oportet. De nona hac maximè, vt dixi, agit hîc Apostolus.

NAM QVID OREMVS, SICVT OPORTET, NESCIMVS] quia sex modis in orando erratur. Primò, si bonum temporale petamus animæ nocitarum. Quocirca S. Augustin. in Sentent. sententia 111. *Fideliter*, ait, *supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, misericorditer non auditur. Quid enim infirmo vtile sit, magis nouit medicus quàm agrotus. Si enim id* B *postulat quod Deus præcepit & promittit, fiet omnino quod poscit; quia accipiet charitas quod parat veritas.* Secundò, si tentatione aut malo aliquo (vti Paulus stimulo carnis) quod profit nobis ad humilitatem & alias virtutes, liberari oremus. Tertiò, si quid petamus ex ambitione; vti filij Zebedæi petebant primas in regno Christi. Quartò, si quid petamus ex zelo indiscreto; vti ijdem optarunt ignem de cælo mitti in Samaritanos Christum respuentes. Quintò, si petatur id quod vtilius est differri, vt per hanc dilationem studium orationis & meritum perseuerantiæ ac virtutis in nobis accrescat. Sextò, & maximè, si petamus statum, aut vitam, modumque certum: v.g. viuere in religione, sacerdotio, matrimonio; cùm Deus sciat alium statum nobis & nostræ complexioni magis conuenire, vt in eo saluemur, vel plus gloriæ adipiscamur. Plurimi enim in matrimonio & in sæculo C damnantur, qui in cælibatu saluarentur: & contrà. Hinc optima oratio est, petere quotidie vt Deus ijs medijs & vijs nos regat & ducat, quæ peccati non habent scandalum; quibus præuideat nos recta ad finem, id est vitam æternam, peruenturos, & in ea sanctiores ac beatiores futuros, vt in omni negotio, priusquam illud aggrediamur, oremus cum Propheta: *Domine quid me vis facere? paratum cor meum Deus; vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* & cum Iosaphat rege 2. Paralip. 20. *Cùm ignoremus* Domine, *quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te:* tu me dirige per illas vias, officia, exercitia, actiones, & passiones, quibus præuides me ad cælum maioremq; gloriam peruenturum. hæc pie & sapienter Pererius & Salmeron.

D IPSE SPIRITVS POSTVLAT PRO NOBIS GEMITIBVS INENARRABILIBVS] Quæres, quis sit hic spiritus? Respondet Primò, Lyranus, esse angelum: angelus enim Custos postulat pro nobis. Verùm toto hoc capite angeli non meminit Paulus, & cùm toto hoc capite sæpius nominarit spiritum, numquam tamen intellexit angelum.

Secundò, S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. per spiritum accipiunt virum spiritualem, puta ministrum Ecclesiæ, cui in primitiua Ecclesia gratia orandi pro populo, qui sæpè inutilia postulasset, data erat à Spiritu sancto, qualis iam est sacerdos, vel diaconus: illi enim ministro primitiuæ Ecclesiæ iam succedit diaconus pro populo supplicans, & ministrans sacerdoti & Ecclesiæ.

Tertiò, S. Augustin. tractat. 6. in Ioan. *Spiritus*, inquit, *id est, charitas ipsa gemit, charitas ipsa erat*; contra hanc aures claudere non nouit, qui illam dilexit.

S.

Sic etiam explicat S. Anselmus Augustinum de modo orandi.

Quartò, Theodoretus vult spiritum esse gratiam Spiritus sancti, qua excitati oramus; vel esse spiritum orationis.

Quintò alij volunt spiritum esse superiorem animæ portionem gratia Dei illustratam & adiutam, quæ spiritus vocatur, & carni contraria est, Gal. 5. Hæc enim pars docet nos vt petamus *secundum Deum*, id est, ea quæ Deo placent, & vt respuamus ea, quæ carni grata sunt: & quanto magis caro satis voluptates concupiscit, tanto magis spiritus gemit, & petit pro nobis instantiùs ea, quæ videt esse salutaria. vnde Ethnici dicunt mentem precari semper ad optima. Hic sensus aptus est & commodus. sic enim sæpè etiam hoc nomen, spiritus accipit Apostolus.

Sextò, optimè & planissimè spiritus hic est ipse Spiritus sanctus: hic enim est qui adiuuat infirmitatem nostram, quique docet nos quid orare debemus, cùm ipsi hoc sæpè nesciamus: vnde Apostolus hunc spiritum opponit nobis, siue spiritui nostro, qua noster, id est, naturalis & humanus est. Ita clarius est plurimorũ Patrum, vt Origenis hic, Nazianzeni orat. 5. de Theologia, Ambrosij epist. 29. ad Horont. Hilarijin psalm. 64. Augustini epist. 111. quæ est de orando Deo, c. 15. & aliorum.

Quæres Secundò, quomodo Spiritus sanctus postulet pro nobis? Respondent Primò, Arius & Macedonius, quia Spiritus sanctus non est Deus, sed minor Patre, ideoque propriè Patrem orat & postulat pro nobis. Hanc hæresin refellit S. August. lib. contra Maxim. post initium. & alij

Secundò, S. Augustinus epist. 121. de orando Deum cap. 15. Gregor. lib. 2. Moral. c. 22. & Anselm. Spiritus sanctus, inquiunt, *postulat*, id est, postulare & gemere nos facit, vt sit hebraismus, quo Col pro Hiphil. Sic Matth. 10. 19. dicitur, *Spiritus Patris, qui loquitur in vobis*, id est, qui loqui vos facit. Pulchra similitudine hunc sensum illustrat Origenes hic. Sicut, inquit, magister vt eadem plane discipulum literas doceat, ad eius rudiorem se demittit, primusque literas pronunciat, postque præit, vt puer repetens id, quod pronunciauit magister, idipsum addiscat: ita Spiritus sanctus, vbi perturbationibus carnis perturbatum nostrum spiritum viderit & nescientem quid orare debeat, vti oportet, ipse quasi magister orationem præmittit, anunoq; nostro immittit, quam noster spiritus (si tamen discipulus esse Spiritus sancti desiderat) prosequatur; ipse gemitus proponit & excitat in nobis, quibus noster spiritus discat ingemiscere, vt repropitiet sibi Deum. Hæc & plura Origenes.

Tertiò & genuinè, Spiritus sanctus postulat, id est, desideria amicorum suorum, eorumque gemitus inenarrabiles in consistorio SS. Trinitatis quasi procletus, id est aduocatus, noster exponit magna efficacia, magno pondere, & magna auctoritate. Hæc enim omnia significat Græcum ὑπερεντυγχάνει, id est, superexpostulat. nam ὑπὲρ notat præeminentiam Spiritus sancti in postulando, quasi ipse præiret omnibus postulationibus, sitq; quasi magister & præfectus libellorum supplicum nostrorum apud Deum: & Latinum postulare, inquit Vlpianus l. 1. tit. de postulando, est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iuris dictioni præest, exponere. Simili modo v. 34. dicitur Filius

A interpellare pro nobis. ita Nazianz. orat. 2. de Filio, qui pro ὑπερεντυγχάνει vertit, πρεσβεύει, id est, legatione fungitur, legatum agit, & tamquam legatus, internuncius & interpres noster postulat pro nobis Spiritus sanctus. ita quoque exponit D. Thom. 3. p. q. 21. a. 4.

Spiritus S. quomodo SS. Trinitati orationes nostras exponat.

Exponit autem Spiritus sanctus hæc vota, & hos gemitus nostros Sanctissimæ Trinitati, hocipso, quo illa per intellectionem diuinam cognoscit, & intellectu ea proloquitur cum affectu & amore coram SS. Trinitate: licet enim intellectio hæc & locutio essentialis sit, & tribus personis communis; attribuitur tamen vel Filio, cùm nuda est & sola; vel Spiritui sancto, cùm iungitur amori, & ex eo promanat, vti hìc fit. Charitas enim, amor, & gratia attribuuntur Spiritui sancto, vti sapientia attribuitur Filio, potentia Patri. vide D. Thom. & DD. 1. p. q. 37. & 38.

B

Quid intelligatur per gemitus inenarrabiles.

GEMITIBVS INENARRABILIBVS] Primò, S. Ambros. epist. 25. *inenarrabilibus*, inquit, id est, cælestibus & diuinis: hi enim gemitus sunt Spiritus sancti, cuius potentia & efficacia & modus agendi ac postulandi est inenarrabilis.

Secundò, S. August. loco iam citato: *inenarrabilibus*, inquit, id est ignotis. gemimus enim & suspiramus ad gloriam, quam non videmus, nec agnoscimus. Sic & Anselmus.

Tertiò, Toletus, *inenarrabilibus*, inquit, id est, occultis & inexplicabilibus: quia nimirum Spiritus sanctus sæpè per nostros gemitus alia petit & impetrat, imò contraria ijs quæ nos cupimus & petimus. Viæ enim particulares, quæ cuique, vt in cælũ rectà tendat, conuenientes sunt & congruæ, homini sæpè ignotæ sunt & ineffabiles, soliqué Spiritui sancto cognitæ. vnde de eo subdit Apostolus dicens: *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus.*

C

Gemitus dicitur inenarrabiles, quia maior est affectus interior illorum suscitãs omni externo sermone.

Quartò, propriè & genuinè, hi gemitus, quos in nobis excitat, & excitatos proponit SS. Trinitati ipse Spiritus sanctus, dicuntur inenarrabiles, quia maior est affectus interior charitatis suscitans illos gemitus, omni externo sermone; adeò vt eum viri sancti effari & sæpè eloqui non possint, maximè dum cælestem gloriam, eiusque perfectissimam pacẽ flagrantissimo gemitu desiderant. Sic Apostolus gemit ineffabiliter, Primò, ex tædio exilij & corporis huius moribundi, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Secundò, ex desiderio cæli, dicens: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Tertiò, ex dolore & desiderio salutis aliorum, & pereuntium, dicens; *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* &, *Optabam anathema esse pro fratribus* Ex dictis patet hos gemitus inenarrabiles in nobis esse subiectiuè, in Spiritu sancto verò eos esse partim effectiuè, quia eos efficit in nobis, partim obiectiuè, quia eos ipse sibi totiq; SS. Trinitati obijcit & proponit, dum postulat pro nobis.

D

Vis orationis in quo consistat.

Rursum ex hoc loco discę, donum & efficaciam orationis, non in verbis, sed gemitu, affectu, desiderio, orationibus iaculatorijs & suspirijs ignitis consistere.

QVI SCRVTATVR CORDA (putà Deus Pater) VERS. 27. SCIT QVID DESIDERET SPIRITVS: QVIA SECVNDVM DEVM POSTVLAT PRO SANCTIS] Pendent hæc ab immediatè præcedentibus. q. d. Dixi nos nescire quid oremus, sed Spiritum sanctum inspirare nobis orationes nostras, easque offerre Deo, ac postulare pro nobis: idque nobis conuenit &

perutile est. Nam nos ipsi sæpè non intelligimus orationes nostras, & per eas petimus res nobis noxias vel inutiles: Spiritus sanctus autem eas intelligit, & per eas non intendit impetrare nobis nisi id quod nobis proficuum & salutare est. Deus autem scit, respicit & attendit, nõ quid nos desideremus, sed quid desideret & intendat Spiritus impetrare nobis à Deo, per preces quas nobis suggerit. Porro Spiritum sanctum tantùm intendere id quod nobis bonum est & salutare, patet ex eo, quòd ipse *secundùm Deum postulat pro sanctis*, quia nimirum illis postulat ea, quæ sunt secundùm Deum, Deique mentem & voluntatem, quæque Deo grata, sancta & accepta sunt. hæc autem nobis salutaria sunt. ita S. Chrysost. Theodor. Ambros. Aliter Origen. Spiritus sanctus, inquit, postulat secundùm diuinitatem, seu quatenus ipse Deus est: Christus verò postulat secundùm humanitatem, seu quatenus homo est. Sed hoc alienius est, nec satis cohæret cum præcedentibus. quæ enim hæc est ratio, Pater scit quid desideret Spiritus, quia ipse Spiritus qua Deus est, postulat pro sanctis?

Sp. sanctus dirigit & corrigit orationes nostras.

Sensus Origenis.

VERS. 28. SCIMVS AVTEM, QVONIAM DILIGENTIBVS DEVM OMNIA COOPERANTVR IN BONVM, IIS, QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT SANCTI] Toletus hæc connectit proximè præcedentibus: q.d. Paulus, Quòd postulatio Spiritus sancti sit efficax, & proficua ipsis Sanctis, patet ex effectu. nam siue detur Sanctis, siue negetur id, quod ipsi petunt, Spiritus tamen impetrat semper & efficit vt omnia eis cooperentur in bonum, vti de facto fieri scimus & experimur. Verùm iuxta hunc sensum, pro *scimus autem*, dicèdum fuisset, *scimus enim*, vel, *vnde & scimus*. Potiùs ergo videtur Apostolus hæc connectere cum v. 17. 18. & sequ. vbi agit de passionibus, afflictionibus, vanitate, corruptione & ærumnis, quas Sancti patiuntur in hac vita, & propter quas gemunt & suspirant ad cælum. q.d. Multa, vt dixi, Sancti patiuntur in hac vita, verumtamen ijs omnia cooperantur in bonum: animosè ergo & læto animo omnia ista perferant. Est enim hic XI. Apostoli argumentum, quo fideles incitat ad patientiam, vt dixi v. 17. *Omnia* ergo, id est, omnes tribulationes, inquit Ambros. & Hieron. de his enim hactenus egit Apostolus. S. August. l. de Corrept. & grat. c. 1. addit, *omnia* etiam peccata Sanctis cooperari in bonum. *Nam prædestinati*, ait, *ex casu humiliores, cautiores & feruentiores resurgunt*. ita etiam explicat Ansel. & S. Tho. S. Augustinũ secuti. Sic è contrario S. August. serm. 78. de temp. & Soliloq. c. 28. *Improbi*, ait, *& reprobis omnia cooperantur in malum, & ipsa oratio eorum vertitur eis in peccatum*. Quod intellige non propriè & per se, sed per accidens, quia scilicet omnis gratia, omnia quæque dona Dei, ac consequenter ipsa etiam oratio cedit reprobis in grauiorem culpam, & grauiorem damnationem, hoc ipso, quo hisce Dei donis abutuntur, dum ijs vti & per illa se conuertere, suamque salutem procurare nolunt. Est enim hæc ingens eorum ingratitudo, neglectus & contemptus gratiæ Dei.

Omnes tribulationes & passiones Sanctis cooperantur in bonum.

Prædestinatis quomodo omnia etiam peccata cooperentur in bonum, reprobis etiã virtutes in malum.

Adde, reprobos sæpè orare perperam, scilicet, illa, quæ faciunt ad explendas suas concupiscentias & libidines: aut si orent ea quæ bona sunt, non seriò tamen orate, sed esse in sua impietate obstinatos, in eaque indies se magis obdurare; itaque ex oratione, omnibusque rebus adeò nihil proficere, vt potiùs peiores fiant, itaque omnia vertant in maiorem duritiem, & consequenter damnationem suam. Verùm hæc sunt præter mentem Apostoli, qui hîc non de peccatis, sed de tribulationibus agit, vt dixi. Ipsius enim mens est horum fideles & Sanctos, ad omnes tribulationes fortiter perferendas, ex eo quòd eis cedant & cooperentur in bonum.

Nota. Græcum συνεργεῖ, tam verti potest in singulari *cooperatur*, quàm in plurali *cooperantur*, vt sensus sit; Spiritus sanctus diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, facitque vt omnia quantumuis tristia & aduersa, eis cedant in bonum. ita legit & intelligit Theodor.

Notat S. Bernard. serm. de fallacia vitæ præsentis, Sanctis omnia cooperari, non ad libitum, non ad voluptatem, sed ad bonum. Quia sæpè sibi quoque appetitui contraria, dura & molesta perferre coguntur; hæc tamen ipsa, putà molestia, dolor, morbi, mors, omnia quæque acerba Sanctis, licet non ad voluptatem, ad bonum tamen eorum, siue patientiæ, siue humilitatis, siue continentiæ, siue aliarum virtutum, & ad bonum gloriæ tam præsentis, quàm æternæ cooperantur. Ita persecutiones Martyribus in bonum heroicæ fortitudinis & laureæ martyrij cesserunt, atque alijs in exemplum & stimulum, vt ijs semper creuerit Ecclesia. hinc canit Prudentius hymno 4. in Cæsaraug. Mart.

Nec furor quisquam sine laude nostrûm
Cessit, aut clari vacuus cruoris:
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crescit.

Plures efficimur, ait Tertull. in Apolog. *quoties metimur à vobis: semen est sanguis Christianorum*. Et S. Hieron. epist. ad Theophilum: *Persecutionibus*, ait, *Ecclesia creuit, martyrijs coronata est*. Et S. Cyprian. serm. 5. de lapsis: *Adest*, ait, *militum Christi cohors candida, qui persecutionis vrgentis ferociam stabili congressione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis. Repugnastis fortiter saeculo, spectaculum gloriosum præbuistis Deo, secuturis fratribus fuistis exemplo. Quàm vos læto sinu excipit mater Ecclesia de prælio reuertentes! quam beata, quàm gaudens portas suas aperit, vt adunatis agminibus intretis de hoste prostrato trophæa referentes! Cum triumphantibus viris & femina venitis, quæ cum sæculo dimicantes, sexum quoque vicerunt. Veniunt geminata militiæ suæ gloria virgines & pueri annos suos virtutum transeuntes, nec non & circumstantium cætera multitudo vestram sequitur*, &c.

Atque hos triumphos sæpè in hac vita Deus miraculis illustrauit. S. Ioanni Damasceno Leo Isaurus Imper. amputari iussit manum, qua pro SS. imaginum cultu scripserat. recisam hanc ei ad imaginem suam oranti restituit B. Virgo. Arriani in Africa Orthodoxos Confessores lingua mutilarunt: hi postea Dei miraculo sine lingua æquè vt antè locuti, Christi diuinitatem celebrarũt. Theophilus Imp. iconoclasta monachum quemdam Lazarum, pictorem tunc celeberrimum, crudelibus excruciatum modis coniecit in vincula, eò quòd sanctas imagines pinxisset: qui cùm ex plagis recreatus, iterum pio picturarum operi se dedisset, ignitis laminis ei manus aduri iussit: sed Dei nutu factum est, vt nihilominus postea probè pingeret, ac si nihil passus esset.

Quisquis ergo iniquè pateris calumnias, opprobria, verbera, damna, morbos, &c. tolera, superare hæc aduersa fac instrumenta virtutis & gloriæ. Ista,

ait, inquit S. Gregorius, *in tentatione proficiunt, & quod ei diabolus præparat ad ruinam, hoc Deus eis convertit in gloriam.* Fallere enim nequit Apostolus, imò Spiritus sanctus per eum promittens ac dicens: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quocirca S. Augustin. in sententijs sentent. 158. *Inimici Ecclesiæ*, ait, *si accipiant corporaliter potestatem occidendi, exercent eius patientiam: si tantummodo male sentiendo adversantur, exercent eius sapientiam: & vt etiam inimici diligantur, exercent eius benevolentiam: quia Deum ij qui eum diligunt, omnia cooperatur in bonum.*

IIS QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT SANCTI] id est, ijs qui vocati sunt ad sanctitatem. Vide dicta c. 1. v. 1.

Quæres quodnam sit hoc propositum, & quinam dicantur vocati secundùm propositum.

Primò, Origen. Theodoret. & commentarij S. Ambros. & Hieron. asscripti hæc sic explicant: omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum, ijs scilicet, qui ad hanc dilectionem vocati sunt à Deo secundùm propositum non Dei, sed suum; quia scilicet Deus eos solos vocauit ad fidem, gratiam & amicitiam suam, quos proposito suo, id est prompta sua voluntate, fidem hanc & gratiam à Deo oblatam acceptaturos præuidit. Verùm hoc quasi dogma Pelagianum passim, sed maximè in lib. de Prædest. Sanctorum egregiè refellit & confutat S. Augustin.

Secundò, S. Chrysost. Theophyl. & Oecumen. non modo intelligunt hîc propositum non Dei, sed ipsorum hominum, qui à Deo vocati sunt: ita vt bonum hoc eorum propositum non quidem sit causa & ratio cur à Deo vocati sint, sed tamen sit conditio & determinatio eorum qui vocati sunt. q.d. Paulus, Non omnibus vocatis omnia cooperantur in bonum, sed ijs qui suo proposito vocationi Dei consentiunt & obediunt: hoc sine errore dicitur; sed præter mentem Apostoli. nec enim Apostolus hîc propositum hominum, sed Dei ipsius intelligit.

Vide Tertiò, optimè S. Augustin. l. de Corrept. & grat. c. 7. & passim alibi, Anselm. & alij per *propositum* hoc accipiunt æternum Dei beneplacitum, liberale decretum, voluntariam & gratuitam Dei constitutionem, quæ Act. 2. 23. vocatur definitum consilium; idque vel ex eo patet, quòd 2. Tim. 1. 9. & alibi, Paulus opponit opera nostra huic proposito liberali & gratiæ Dei. Propositum ergo hoc est liberale & gratuitum Dei consilium & decretum, quo proposuit, statuit & decreuit Deus ab æterno ex mera sua bonitate & clementia, homines natura perditos per Christum vocare ad gratiam & sanctitatem, sine vllo eorum merito, vti fusè explicat Apostolus Ephes. 1.

Nota τὸ secundùm propositum est epitheton significans causam dilectionis, directionis, & promotionis iustorum, cur videlicet eis omnia cooperentur in bonum, quia scilicet Deus illos amat, diligit & protegit, *secundùm propositum*, id est, seriò, ex animo, & certo proposito. Vnde ijdem hîc sunt diligentes Deum, & ij qui secundùm propositum vocati sunt sancti, vt patet ex Græco, τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν, & τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς. q.d. Diligentibus Deum, & vicissim dilectis à Deo, quippe vocatis à Deo ad fidem & dilectionem ex benevoli cordis proposito, omnia Deo dirigente ad horum dilectorum commodum, cooperantur in bonum. nec Græcum πρόθεσιν, nec latinè propositum aliud includit aut innuit. Sic enim dicimus. Proposui hoc facere, id est, statui, decreui, hoc est meum propositum, vt te vocem ad prandium; quos rex diligit ex proposito, nemo eos lædere aut nocere potest. Hinc Apostolus 2. Timoth. 1. 9. Ephes. 1. v. 5. 9. 11. Roman. 4. 5. & alibi, expressè propositum hocce Dei opponit operibus quæ iactabant Iudæi.

Vocatio prima ad fidē à solo Deo, no à meritis nostris.

Cùm ergo ait nos vocatos secundùm propositum, tantùm vult excludere meritum operum. q.d. Quòd sumus vocati ad fidem, gratiam, sanctimoniam, est tribuendum liberali Dei proposito, voluntati & gratiæ, non nostris meritis. Sic Lucæ 2. dicitur: *Pax (sit) hominibus bonæ voluntatis* græcè εὐδοκίας, id est, beneplaciti & benevolentiæ diuinæ. vbi τὸ *bonæ voluntatis*, non est particula limitans, τὸ *hominibus*. q.d. Pax sit hominibus, non omnibus, sed ijs tantùm, qui sunt bonæ voluntatis; vti aliqui explicant: sed est particula causalis. dat enim causam cur nato Christo pax optanda & dãda sit hominibus; quia nimirum Deus suam bonam voluntatem, id est benevolentiam, reconciliationem & amicitiam hominibus iam per Christum exhibere destinauit & decreuit. ita Theoph. Euthym. & alij ibidem. Quod enim Apostolus hîc vocat πρόθεσιν, id est propositum, Lucas c. 2. vocat εὐδοκίαν, id est beneplacitum.

NAM QVOS PRAESCIVIT ET PRAEDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SVI, VT SIT IPSE PRIMOGENITVS IN MVLTIS FRATRIBVS] Vers. 29.

Explicatio Pelagianorum.

Primò Pelagiani, quibus hic fauere videtur Theodoret. Chrysost. & Theophyl. sic explicabant hunc locum. q.d. Paulus: Quos Deus præscinit & præuidit, sua vocatione & gratia, si illa eis daretur, bene per liberum suum arbitrium vsuros, hos prædestinauit ad hanc vocationem, gratiam, iustitiam & vitæ sanctitatem, vt in ea conformentur Christo. Verùm hunc errorem acriter passim scribens contra Pelagian. sed maximè libr. de Prædest. Sanctor. confutat S. Augustin. Et ratio est, quia prima gratia est mera gratia, nec Deus eam dat nobis, quia præuidet nos fore sanctos, sed vt simus sancti, vt ait Apostolus Ephes. 1. v. 4.

Prima gratia est mera gratia.

Aliquorum Scholasticorũ explicatio, de electione ante præuisa merita.

Secundò, aliqui Scholastici 1. p. q. 23. sic explicant, q.d. Paulus: Quibus gratis Deus dare gloriam decreuit ante præuisa merita, hos prædestinauit, vt merita ad eam promerendam acciperent. Verùm hac ratione alij cum Ambrosio & Haymone, pari iure contrarium supplent, hoc modo, quos Deus præscinit fore deuotos, sanctos, & conformes Christo in vita & passionibus, hos prædestinauit vt sint Christo conformes in gloria; hoc enim propriè innuit verbum *præscinit*. Præscientia enim est rerum nostrarum & operum, quæ facimus, sicut prædestinatio est Dei & diuini arbitrij ac voluntatis.

Explicatio Dion. Carthus. & P. Molinæ.

Tertiò, alij hunc locum exponunt de Dei præscientia conditionata. ita Dionys. Carthus. & Lud. Molina 1 p. quæst. 23. art. 4. disp. 1. memb. 11. q.d. Paulus: Quos Deus præscinit per præscientiam conditionatam, futuros pro sui arbitrij libertate, in sanctitate conformes Christo, futuros, inquam, tales non absolutè, sed ex hypothesi: si nimirum ex parte sua Deus vellet eis dare gratiam suam, eaque auxilia, quæ eis misericorditer postea dedit, hos & prædestinauit, vt tales forent, de-

cernendo nimirum absolutè illam gratiam illaque auxilia suo tempore illis dare & exhibere, quibus de facto sanctificarentur & conformarentur Christo.

Explicatio apposita Gabrielo Vasquez.

Quartò, non improbabiliter, satisque appositè Gabriel Vasquez 1.p.q.23. sic explicat: quos Deus præscivit sibi amicos & dilectos per gratiam suam futuros, hos etiam prædestinavit ad hoc, vt paterentur, & fierent conformes filio suo in patientia, vtpote qui pro nobis tot labores & ærumnas sustinuit. Iam hinc colligendum relinquit Apostolus, quòd sicut Deus omnes passiones & cruces Christi fecit ei cooperari in bonum & gloriam; ita pariter sanctorum & dilectorum suorum passiones, ad quas eos cum Christo prædestinavit, conuertet illis in bonum & gloriam, ita Origen. & Cyril. apud Oecumen. Hoc enim intendit hic probare Apostolus: nam hoc capite hortatur fideles ad passionum tolerantiam ex spe secuturi fructus & gloriæ, patet v.17.18. & omnibus seqq. Subdit deinde Apostolus: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & iustificavit; quos autem iustificavit, illos & glorificavit.* Quibus verbis recenset omnia media, per quæ Deus ipsos fideles ad hunc finem patiendi pro Christo, & ad hanc conformitatem, qua Christo patienti sunt conformes, perduxit. Ad hanc enim patientiam & conformitatem Christi primò illos Deus vocauit: deinde per tribulationes eos magis magisque iustificauit & sanctificauit: ac denique tot laboribus & ærumnis fortiter superatis, eosdem cum Christo glorioso, celebres & magnos effecit. Græcum enim ἐδόξασε, quod Noster interpres vertit, *glorificauit*, alij vertunt, *magnificauit*, vel nos magnos effecit. ita Vasquez.

Ordo mediorum, per quæ Deus ipse fideles ad patiendi cum Christo cõformitatẽ destinat.

Expositio Toleti.

Quintò, Toletus sic explicat, q.d. Quos Deus præscivit fore suos, se diligentes, hos etiam prædestinauit, vt sint conformes Christo; vt, sicut Christus est filius Dei naturalis, ita ipsi sint filij Dei adoptiui, per gratiam, charitatem, amicitiam & patientiam in hac vita, & in ijs perseuerando, per gloriam in futura. Sicque conformentur Christo filio Dei naturali in adoptione gratiæ, patientiæ & gloriæ.

Scire Dei practicum quid & quale.

Vbi Nota. Scire Dei, phrasi Apostoli & Scripturæ practicum est, & connotat fauorem & affectum Dei, vt patet c.11.12. Galat.4.9. 1.Petr.1.2. 2.Tim. 2.15. vnde *præscivit*, est prædilexit, ait Origen. & S. August. & præsciti idem sunt quod prædilecti; vnde & alibi dicit Apostolus, *novit*, id est noscens diligit, *Dominus, qui sunt eius.* Præscivit ergo Deus hic propriè hosce fideles fore suos, quodque Deum essent dilecturi, & vicissim ipsos præscivit, id est, eosdem suos amicos & dilectores fore præsciens, prædilexit. q.d. Omnia diligentibus Deum, Deique; amicis cooperantur in bonum, quia Deus eos præscivit fore suos, suique dilectores, eosque tales fore præsciens, prædilexit: atque hac de causa eosdem prædestinavit, vt sint conformes filio suo, tam in gratia & patiẽtia, quàm in gloria. Sicut ergo Deus filio suo etiam tormenta acerbissima cooperatus est, & conuertit in bonum: sic & his filijs suis adoptiuis omnia quantumuis dura & acerba cooperabitur & conuertet idem Deus in bonum.

Expositio & sententia auctoris.

Verùm mihi sæpiùs & diutiùs hunc locum expendenti, hic visus est esse sensus planissimus, maximeque obuius & congruus, ideoque genuinus: vt nimirum hic versus & hæc sententia iungatur cum versu & sententia proximè sequenti, quasi ab eo pendeat, ibique sensus eius expleatur quia enim de more exspatiatur hîc Apost. in verbo *prædestinauit*, vt explicet qualis & quanta sit hæc prædestinatio, atque ad quid eos Deus prædestinarit, nimirum ad hoc vt sint conformes filio suo; hac de causa hoc versu cœptum sermonem incidit, quem vt perficiat v.seq. eumdem resumit dicẽs: *Quos autem prædestinauit.* q.d. Quos, inquam, præscivit & prædestinauit, vt dixi v.præcedenti, hos & vocauit. Hunc esse sensum probatur Primò, quia dispar est modus loquendi hîc, & v.sequ. hic enim dixerat, *Quos præscivit & prædestinauit*: v.seq. verò ait, *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit.* Ergo τὸ *præscivit & prædestinauit*, non diuellenda, sed iungenda sunt, & referenda ad idem, scilicet ad τὸ *conformes fieri filio suo*, alioqui enim dixisset Apostolus, Quos præscivit, hos & prædestinauit, sicuti paulò pòst dixit: *Quos prædestinauit, hos & vocauit.*

Secundò, hunc esse sensum patet, quia hoc sensu nihil supplendum est, sed ipse sensus seipso constitit, & per se plenus ac perspicuus est; cùm alij multa supplere debeant, vt, *quos præscivit*, scilicet fore diligentes Deum: vbi rursum supplere debent, τὸ *hos & prædestinauit.*

Tertiò, quia hic sensus respondet mori & spiritui Paulino, qui ita excurrere & abripi atque post multa redire, & priùs dicta resumere solet, vt ex Iudi cap.5.v.12. Tantùm huic expositioni obijci posset, quòd hoc sensu vox *autem*, ponatur pro *quam*: quod nouum & inusitatum videtur. Verùm facilè ad hoc respondetur, hanc aduerbiorum collagen non esse nouam, sed frequentem Apostolo, vt ostendi can.23.

Nota Primò, copulam *Et*, hîc dare auxesin, vel causam, idemque valere, quod *imò verò, imò etiam*, vel *quia, quoniam.* q.d. Quos Deus præscivit, imò verò prædestinauit, ad hoc vt sint conformes filio suo; vel quos Deus fore præsciuit conformes filio suo, quia eos ad hoc prædestinauit. præscientia enim hæc vtpote absoluta, posterior est prædestinatione, tamquam effectus sua causa: ideò enim præscit Deus nos fore conformes filio suo, quia ad hoc nos prædestinauit, suaque gratia vocauit & duxit. Vtrumque ergo verbum, scilicet tam *præscivit*, quam *prædestinauit*, directè & expresè respicit τὸ *conformes fieri filio suo*; indirectè verò, obliquè & tacitè vt *præscivit* respicit diligentes Deum: *prædestinauit* verò respicit propositum, de quibus egit Apostolus v.præced. hoc enim Dei propositum æternum est ipsa æterna Dei prædestinatio.

Vnde Nota Secundò. Vox *nam*, dat hîc causam cur diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum; simulque explicat, qui sint sancti vocati secundùm propositum; scilicet ij, quos Deus præscivit & prædestinauit, vt sint cõformes Christo quasi imagini, id est, exemplari suo. Vbi aduerte. Non dicit Apostolus, *Quos præsciuit, hos & prædestinauit*, sed tantùm, *Quos præsciuit & prædestinauit*: vt innuat eosdem esse præscitos & prædestinatos, scilicet diligentes Deum & sanctos, vocatos secundùm propositum & beneplacitum Dei. hi enim diligentes Deum, & sancti vocati secundùm Dei propositum sunt præsciti & prædestinati à Deo, ad hoc vt sint conformes filio.

Sensus ergo est: diligentibus Deum & sanctis vocatis secundùm propositum, omnia etiam tribu-

sua

sint cooperantur in bonum ; quia hi sunt illi, quos Deus ab æterno præsciuit & prædestinauit fore conformes filio suo , tam in dilectione hac, sanctitate, patientia & gratia, quàm in futura gloria: nimirum ipsi in dilectione, sanctitate, gratia & patientia sua perseuerent. Atque sicuti hos ab æterno præsciuit & prædestinauit Deus tales per gratiam suam fore : ita & in tempore eosdem eódem per gratiam suam vocauit; vocatos, vocationi obedientes iustificauit; iustificatos verò, & in iustitia constanter in omni tentatione & persecutione permanentes glorificabit. Vides ergo quomodo in bonum, nimirum ad gloriam cælestem & æternam, diligentibus Deum, ipso Deo dirigente, omnia cooperentur.

Vnde Nota Tertiò , tria argumenta & incitamenta patientiæ, quæ fidelibus tacitè suggerit & obicit hic Apostolus, scilicet Primum , quod ait, *præsciuit & prædestinauit*. q.d. Passiones, cruces & aerumnas nostras non carni, non dæmoni, non hosti, sed Deo asscribere debemus. Ipse enim ab æterno eas præsciuit, imò prædestinauit , & cuique suo dare decreuit , vt per eas quisque conformetur Christo patienti & resurgenti. Deus ergo, qui omnia constituit in numero , pondere & mensura, ipse ab æterno cuique diligenti se , suam crucem definiuit & limitauit, vt tantum, non minus nec amplius pateretur. Ipse per crucem eum in patientia, puritate, gratia & charitate expolire & perficere decreuit. ipse per crucem ad gloriam eum dedicere constituit. Quis ergo horreat aut fugiat crucem à Deo patre amantissimo sibi ab æterno decretam & admensam? Secundum argumentum patientiæ suggerit τὸ *conformes Filio*. q.d. Per crucem conformamur filio Dei & Christo crucifixo, quæ ingens est dignitas & vtilitas. Sicut enim hîc conformamur Christo in tribulatione; ita conformabimur eidem in beatitudine. Quis ergo nõ ambiat crucem cum Christo? Tertium argumentum patientiæ innuit vox *fratribus* q.d. Per crucem non tantùm simus conformes, sed & fratres Christi, ac consequenter simus filij & heredes Dei. Quis ergo non optet crucem? quis patientiam, quæ tanti boni est causa, non amplectatur & exosculetur? vnde Syrus vertit, *& à principio cognouit eos, & ipsos obsignauit in similitudine filij sui*.

CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SVI] D. Thomas & Adamus hæc verba exponunt de Filio, quatenus Deus est. q.d. Nos filij adoptiui imitabimur filium Dei naturalem. Prædestinauit enim nos Deus , vt illi simus conformes in gloria. Vide & Origenes sic explicat: prædestinauit nos Deus vt in sapientia, iustitia & veritate Deo simus conformes.

Verùm meliùs, S. Chrysost. Hieron. Anselm. & alij passim per filium hîc intelligunt Christum, qúa homo est, quia Christus vt homo primogenitus est in multis fratribus. Simile est Philipp. 3. v. vlt. q.d. Paulus, Electi omnes Christo homini conformes erunt in gratia & gloria , idque hoc fine, vt nimirum ipse Christus sit tamquam prima mensura, primáque imago, id est, exemplar ceterorum.

Vide vlteriùs Nota. Origenes , per imaginem Filij Primò, Christi animam accipit, quæ speciali ratione imago filij Dei dicitur , quia Filium , siue Verbum Dei in se integrè susciпit, illumque perfectissimè refert sua sapientia & gratia.

Secundò, Theodor. Ambros. & Hieron. Imago, inquiunt , hæc est corpus , vel humanitas Christi gloriosa.

Tertiò. S. Athanas. ad Serap. de Spiritu sancto, & S. Basil. libr. 5. contra Eunom. Imago, inquiunt, hæc est Spiritus sanctus , qui est imago Filij. q.d. Prædestinauit suos Deus, vt sint conformes imagini Filij. id est, vt sint cõformes ipsi Spiritui sancto, vt nimirum sint puri & sancti , sicuti Spiritus sanctus purissimus & sanctissimus est. Verùm hæc licet ingeniosa, obscuriora tamen & alieniora à phrasi & mente Pauli esse videntur.

Quarta & optima imaginis Filij significatio.

Dico ergo planè & simpliciter , imago filij Dei, est exemplar filij Dei, putà est ipse Filius Dei, qui est nostrum exemplar, ex quo gratia nostra & gloria, quasi imago ex suo exẽplari expressa est. Christus enim qui est filius Dei naturalis, omnibus sanctis hominibus, qui sunt filij Dei adoptiui, est exemplar sanctitatis, gratiæ, virtutum, consequenter & gloriæ ac felicitatis æternæ, adeoque omnis nostra sanctitas, dilectio, patientia, gratia & gloria quasi imago ex Christi sanctitate, dilectione, patientia, gratia & gloria, quasi ex suo exemplari depicta & expressa est. Imago ergo hîc metonymicè capitur pro suo exemplari , cuius est imago, vti & capitur Genes. 1. 26. cùm dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem* (id est, exemplar) *& similitudinem nostram*. Potest tamen imago hîc propriè capi, vti capit Toletus; vt filius hîc dicatur imago non respectu nostri, sed respectu Patris æterni. Christus enim hoc ipso quo est filius Dei Patris naturalis, eo ipso est imago Dei Patris. q.d. Paulus: Prædestinauit nos Deus, vt simus conformes filio Dei, in quantum ipse filius, & consequenter imago est Patris, vt nimirum pari ratione nos ipsimet Patri per Filium assimilemur & conformemur.

Imago hîc metonymicè sumitur pro exemplari.

Propriè etiam sumi potest hic nomẽ imaginis respectu Patris.

VT SIT IPSE (Christus Dei Filius) PRIMOGENITVS IN MVLTIS (in omnibus) FRATRIBVS] putà fidelibus, sanctis, amicis, electis, & dilectis Dei.

Christus ob tres rationes filiorum Dei primogenitus.

Nota. Christus filiorum Dei est primogenitus, Primò, quia ipse est filius Dei naturalis, cùm cæteri sint tantùm adoptiui. Secundò , quia ante omnes prædestinatus fuit Christus ad hanc filiationem & vnionem cum Verbo, & consequenter ad omnem suam gratiam & gloriam. Tertiò, quia Christus finis, scopus & exemplar fuit & est omnium prædestinatorum & electorum : vti ex hoc loco, aliisque docet S. August. lib. de Prædest. sanct. c. 15.

QVOS AVTEM PRÆDESTINAVIT (ab æterno) HOS ET VOCAVIT] in tempore, dando eis gratiam & vocationem, ad quam eos prædestinauit. *Vocauit* inquam eos, tum vocatione externa, per exempla, flagella, conciones; tum maximè interna, per gratiam præuenientem & excitantem , quæ externæ vocationi respondet & commensa est , ex liberali Dei ordinatione. VERS. 30.

Nota *Vocauit*, id est, vocat, vocauit, aut vocabit. Sic & τὸ *iustificauit*, quod sequitur, idem est quod iustificat, iustificauit, aut iustificabit: & τὸ *glorificauit* idem est, quod glorificat, glorificauit, aut glorificabit. Præterita enim hæc more Hebræo ponuntur pro quolibet tempore. vtitur autem Apostolus potiùs præteritis, quàm futuris, quia hæc præterita congruè , vtpote in eodem tempore, respondent primo verbo & præterito *prædestinauit*, ex quo alia hæc præterita , quasi effectus ex sua causa certissimò, quantum est ex parte Dei , manantes deducit & deriuat Apostolus.

Verba præterita hic tam significant præsens quàm futurum.

QVOS AVTEM IVSTIFICAVIT, ILLOS (in iustitia ad finem vitæ perseuerantes) ET GLORIFICAVIT] S. Chrysost. Theophyl. Theodor. & commentarij S. Hieron. & Ambrosio adscripti, gloriam hîc accipiunt non æternam, sed præsentis vitæ, quòd scilicet sint filij Dei. hæc enim ingens Sanctorum & iustorum est gloria, putà adoptio, & filiatio diuina. Vnde Græcum ἐδόξασε id. est *glorificauit*, verti quoque potest, celebres, magnos, glorioſos reddidit, scilicet ærumnis, tentationibus, martyrijs, alijsque patientiæ & virtutum heroicis actibus, & meritis. Origenes tamen, S. Augustin. de Prædest. sanct. Fulgent. ad Monim. cap. 11. & iam passim Theologi, τὸ *glorificauit* accipiunt de gloria beatitudinis æternæ, qui sensus planior est, aptior & sublimior.

Glorificationē hic æternam intelligit Paulus.

Tres effectus prædestinationis.

Hinc Scholastici tres ponunt effectus prædestinationis, nimirum vocationem, iustificationem, glorificationem: ac consequenter colligunt gloriam & beatitudinem æternam esse effectum prædestinationis.

VERS. 31. QVID ERGO DICEMVS AD HAEC? SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS?] Ecce hîc est scutum impenetrabile patientiæ Sanctorum, quo excipiunt & elidunt omnia hostium iacula: nimirum, *Si Deus pro nobis, quis contra nos*, scilicet, dæmonum vel hominum insurgat, vt nostram salutem impediat, cùm Deus eam curet per æternum propositum prædestinationis suæ, perque temporaneam vocationem, iustificationem & glorificationem suam? Deo autem nemo est potentior, supple, si Deum sequi & obedire pergamus, nec impedire salutem nostram: Deus enim non vult nolentes, nec inuitos saluare.

Scutū impenetrabile patientiæ Sanctorum.

Tradunt Hebræi, vti R. Isaac Benhole, Reuchlin. libr. 3. Cabal. Mercerus in abbreuiatur. Hebr. Sixtus Senensis. l. 1 Biblioth. & Genebrard. in Chronolog. simili emblemate pro scuto vsos fuisse Machabæos, nimirum illo versiculo cantici & triumphi Hebræorum, merso Pharaone Exod. 15. 11. *Quis similis tui in fortibus Domine?* quod quasi insigne belli & victoriæ vbique præferebant, hostesque fortissimos & numerosissimos parua manu prosternebant: indeque tradunt eos dictos esse hebr. מכבי *Machabi*, id est, Machabæos, nimirum à literis Hebraicis, quæ sunt initiales singularum dictionum versiculi iam dicti, qui in Hebræo sic habet: מי כמכה באלים יהוה *mi camocha baalim iehoua*. Si enim à prima dictione *mi* capias primam literam M. à secunda primam C. à tertia primam B. à quarta I. easque coniungas, facies *Machabi*, id est, Machabæus.

Machabei dicti à literis initialibus huius sentū, seu sententiæ Hebraæ.

VERS. 32. QVI ETIAM PROPRIO FILIO SVO NON PEPERCIT] Hinc Adrian. Papa epist. ad Episc. Hispan. Concil. Francofurt. & DD. docent Christum, in quantum homo est, id est, secundùm humanitatem, vere ac propriè esse filium Dei scilicet ob gratiam vnionis cum Verbo, siue cum persona filij Dei, quia in quantum homo, traditus est pro nobis in mortem: quod de eo hîc asserit Paulus.

Christus in quantum homo, verè est filius Dei.

QVI MODO NON ET IAM CVM ILLO OMNIA NOBIS DONAVIT?] *Omnia*, quæ scilicet spectant vocationem, iustificationem, glorificationem & salutem nostram, vt nulla aduersa, vel prospera, nulli hostes, nulli persecutores eam impedire possint, nisi sponte ijs cedamus & succumbamus.

VERS. 33. QVIS ACCVSABIT ADVERSVS ELECTOS DEI?] *Electos* hîc & alibi intelligit Paulus, non eos, qui A electi sunt efficaciter & immediatè ad gloriam cælestem, sed eos qui electi sunt ad fidem & gratiam christianismi. Omnes ergo veri Christiani sunt electi, nimirum completè ad gratiam, inchoatè verò ad gloriam, vt dixi v. 28. & cap. 13. vnde sequitur:

DEVS QVI IVSTIFICAT, QVIS EST QVI CONDEMNET?] q.d. Deus est qui hosce electos, putà fideles & suos, veroſque Christianos à peccatis & abiectata peccati & dæmonis actione absoluit, iustosque pronunciat. *Quis ergo diabolus*, ait Anselm. *vel homo contrariam damnationis sententiam in eos ferat?* q.d. Nemo, nisi frustra: aut quid nocent eis accusationes & damnationes hominum, cùm Deus eos iustificat? Alludit Paulus ad Isaiæ 50. v. 8 & 9. vbi sic dicitur, *Iuxtà est qui iustificat me, quis contradicet mihi? Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui* B *condemnet me?* Pro *condemnet me*, hebraicè est ירשיעני *iarscieni*, id est, iniustum vel impium me faciet, hoc est, impium me iudicabit & declarabit? opponit enim hæc duo צדיק *hatsdic*, & חרשיע *harscia*, id est, iustificare & iniustum facere, siue iniustum iudicare, quod est condemnare.

Excitat Paulus omnibus hisce versibus fideles ad fiduciam, patientiam, magnanimitatem, amorem Dei. Vnde duo elidit hîc diffidentiæ iacula. Primum est persecutio exterior hostium, quales tunc erant Ethnici permulti, qui Christianos bonis & vita non rarò spoliabant. ne ergo huic cedant, Deoque diffidant Christiani, opponit illi S. Paulus hîc scutum diuinum, dicens v. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Alterum diffidentiæ iaculum est interior metus, & conscientiæ anxietas ob peccata olim admissa, ne fortè illa à nobis quandoque exigantur & repetantur. C hoc hîc elidit dicens, *Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet?*

CHRISTVS IESVS (supple, est) QVI (pro nobis) MORTVVS EST, IMO QVI RESVRREXIT, QVI EST AD DEXTERAM DEI, QVI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS] Repete ex præcedentibus, *Quis ergo accusabit aduersus electos Dei? quis eos condemnet?* q.d. Christus adeò eos non accusabit, vt pro eis mortuus sit, & resurrexerit ad hoc, vt ad dexteram Dei sedens interpellet pro eis. Dixerat Apostolus v. 26. de Spiritu sancto, quòd adiuuet infirmitatem nostram, & postulet pro nobis. Dixerat quoque de Patre v. 32. quòd proprium Filium tradiderit pro nobis. Supererat ipse Filius: de eo hîc dicit, quòd mortuus sit, quodque interpellet pro nobis. q.d. Tota ergo SS. Trinitas nos fideles suos impensè amat, fouet, tuetur. Quid ergo timeamus, quem metuamus accusatorem? cùm tales, imò tales habeamus aduocatos & patronos, qui nos nostraque curant sedulò; ac consequenter efficiunt, vt omnia nobis cooperentur in bonum, cedantque nobis ad salutem & gloriam æternam.

Notat Caietan. τὸ *pro nobis*, referendum esse ad omnia præcedentia, scilicet ad τὸ *mortuus est*, & ad τὸ *resurrexit*, & ad τὸ *sedet ad dexteram Dei*: magis tamen refertur ad τὸ *interpellat pro nobis*. Vbi aduerte, τὸ *imò qui resurrexit*, habere emphasim & tacitam præoccupationem. ne quis enim diceret Christum quidem mortuum esse pro nobis, sed post mortem nihil amplius pro nobis pati vel agere; occurrit Apostolus dicens, Imò verò post mortem magis satagit pro nobis, curatque; nostra & nostram sal-

fiorem, nam sicuti mortuus est pro nobis, ita mul- A
to magis pro nobis resurrexit, vt nimirum viam ad resurrectionem & beatitudinem cælestem nobis aperiret, vtque post resurrectionem scanderet cælum, ibique sedens ad dexteram Patris interpellaret pro nobis.

QUI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS] Quæres, quomodo Christus in cælis interpellet & oret pro nobis?

Respondeo. Primò, orat Christus oratione impetrativa, scilicet, exhibendo se & cicatrices suas quas in passione acceptas adhuc seruat, & Patri ostentat; ac consequenter orat, sua merita, suos labores, suas passiones allegando diuino conspectui: & hoc est, quod ait Apostolus Hebr. 9. *Introiit (Christus) in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* ita docet D. Thom. ibid. S. Gregor. B
lib. 22. Moral. c. 18. Rupertus lib. 9. de Diuinis officijs, & alij.

Secundò, propriè Christus, quà homo, in cælis orat pro nobis, perinde ac in terra orauit. Est enim ibi æquè vt hic, aduocatus, mediator & pontifex factus, cuius proprium est orare pro populo. Videtur id negare Rupert. loco citato: verùm alij Patres passim idipsum asserunt, imò Christus ipse Ioan. 14. 13. vbi loquens de sua ascensione ad Patrem in cælum: *Ego*, inquit, *ad Patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & dabit Paracletum dabit vobis.* Quid est *rogabo*, nisi postulabo, petam, precabor? Rursum idipsum significat hic Paulus cùm ait, *Interpellat pro nobis.* Quid est enim *interpellat*, nisi intercedit, orat, obsecrat pro nobis? idem patet ad Hebr. 7. 27. Vnde C
Nazianz. orat. 4. de Theolog. *interpellat*, inquit, id est pro nobis mediationis ratione supplicat. & S. Cyprian in psal. 5. pœnit. *Quotidie*, inquit, *orat Christus pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus, quia sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis.* Idem docet S. Augustin. in psal. 29. Theodor. Chrysost. Theoph. Bernard. Abulens. Soto & alij, quos citat & sequitur Franciscus Suarez 3. p. disp. 45. sect. 2.

Vbi Nota. Orat Christus in cælis pro nobis oratione propriè dicta, non qua denuò mereatur vel impetret aliquid, vti fecit in hac vita, in qua omne suum meritum cōsummauit, omniaque quæ impetranda erant impetrauit, ac proinde nihil iam impetrandum vel impetrandum restat; sed qua petendo ius suis meritis debitum, & præsertim à Patre impetratum, scilicet gratiam & salutem nostram, dum illa quasi promerita sibique D
à Patre promissa, reipsa nobis dari, erogari & applicari poscit & exigit; ea tamen reuerentia, humilitate & submissione, quam homo & creatura debet suo creatori. In hac ergo vita Christus orauit Patrem anxius, sollicitus & cum lacrymis, iam verò Patrem orat lætissimus, liberrimus & beatissimus. Omnis enim humilitas, anxietas, & vilitas Christo glorificato indigna, iam ab eius oratione remouenda est, inquit Nazianzen. & August. loco citato.

Obijcies, Christus est iam beatus, cui Pater omnia dedit in manus; ergo non est quod Patrem orare.

Respondeo. Licet Christus sit beatus, omnium-que habens potestatem, tamen est & homo, & quà homo est creatura, quæ Deo creatori ac Domino suo debitum cultum religionis exhibere, eumque agnoscere, reuereri & honorare tenetur, scilicet illum adorando, laudando, gratias agendo; cur non etiam interpellando propriè & postulando? hoc enim est aduocati & pontificis, præsertim cùm Christus, quà homo, omnem suam potestatem, dignitatem & gloriam à Deo continuò accipiat, totusque à Deo pendeat, omnisque gratia & gloria à Deo ad nos deriuari & descendere debeat per merita & preces Christi. Sic ergo Deus Pater omnia dedit in manus Christi, quia Christo nihil negat, sed illi concedit quidquid petit; & sic Christus vt homo, omnia potest, non immediatè & independenter: hoc enim est proprium Dei; sed mediatè & dependenter à Deo, tamquam mediator & pontifex, cuius est à Deo sua petere & impetrare.

Obijcies Secundò, Si Christus in cælis oret pro nobis: ergo licebit orare hoc modo, Christe ora pro nobis. *An liceat orare, Christe ora pro nobis.*

Respondeo, licere, si intelligas Christe, quà homo; Ecclesia tamen ita non orat, quia Christo redemptori tribuit id, quod habet dignius & præstantius, oratque Christum, non vt intercedat quà homo, sed vt det quà Deus, id quod petitur.

QVIS ERGO NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI?] Quæres, Quænam hīc dicitur *charitas Christi*; an illa quæ est in ipso Christo, ipsoque Deo, qua scilicet Deus per Ch[illegible] nos diligit: an verò illa quæ est in nobis, [illegible] nos Christum Deumque diligimus? Hæretici & nonnulli Catholici, vti Toletus & Pererius, intelligunt eb[illegible]ratem, non eam quæ est in nobis, sed eam quæ [illegible] ipso Christo, ipsoque Deo, qua scilicet Deus nos amat per Christum mediatorem, quem pro nobis dr[illegible] in mortem, facitque dilectis suis omnia cooperari in bonum, qua scilicet eos prædestinat, vocat & [illegible]stificat, glorificat: vt pergat Apostolus in commendanda charitate Dei erga diligentes se, & vocatos secundùm propositum. q. d. Nec gladius, nec fames, nec dæmon, nec angelus, nihil denique erit quod possit Deum reuocare ab hoc amore, vt eos desinat diligere, regere, protegere, vt sinat eos à se & salute excidere. VERS. 35. *Quidam hunc locum intelligunt de charitate qua est in Deo.*

Verùm S. Chrysost. Origen. Theodor. Ambros. Theophyl. Anselm. & passim alij Patres, & recentiores intelligunt hīc charitatem non quæ in Deo, sed quæ in nobis est, qua nos Christum & Deum diligimus: hanc enim elicit, protegit, conseruat & accendit in nobis ipsa Christi & Dei charitas. q. d. Si ita (vt ostendi v. 29. & sequent.) nos Christus & Deus dilexit & diligit, quomodo nō vicissim eum diligemus & diligere pergemus? ecquid erit, quod nos ab eius amicitia & amore diuellat? Hunc esse sensum patet, quia sequentia ostendunt animos Pauli & cuiusuis Sancti, amore Dei flagrantis. Nec enim rectè dicitur, quòd angustia, fames, nuditas, gladius charitatem quæ in Deo est, separet à nobis, aut separare possit: de nostra autem charitate optimè dicitur, Nec fames, nec gladius me separabit ab amore Christi; hæc omnia superabo charitate Christi. *Patres intelligunt de nostra charitate.*

Secūdò, quia, si Paulus loqueretur de Christi amore erga nos, non diceret: *Quis nos separabit à charitate Christi?* sed, Quis Christum separabit à charitate nostra?

Tertiò, quia de hac charitate, quæ in nobis est, mox subdit: *Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos,* & clariùs v. vlt. *Certus sum quòd neque*

neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo. S. Bernard. serm. de duplici baptism. & de relinquenda propria voluntate, quærit: *Quis nos separabit à charitate Christi?* ac respondet, Neque mors, neque angeli, nec aliquid quod extra hominem est, sed sola propria hominis voluntas hanc separationem efficere potest. Verùm hoc non est ad mentem Apostoli, quia Apostolus voluntate feruida, resoluta, constanti, de eaque non dubitans, asserit, quòd nemo se suique similes separabit à charitate Christi: perinde ac si amicus amicum ardentissimè amans, & pro eo mori resolutus diceret, Quis me separabit à te, quin te sequar vsque ad mortem? vti de Niso & Euryalo narrat Virgilius. Dicit ergo Apostolus, Christum tam fortiter, quàm suauiter diligens; *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Loquitur Apostolus de voluntate feruida, resoluta, constanti.

TRIBVLATIO?] Certè non, quia gloriamur in tribulationibus.

AN ANGVSTIA?] Multò minùs: quia licet foris instêt pugnæ, intus timores, in omnibus tamen superamus, propter eum, qui dilexit nos. Angustias omnes deuorat, imò absorbet latitudo charitatis Christi; perinde vt balæna paruos deglutit pisciculos, & ignis maximus guttas aquæ vix sentiens haurit: aquæ enim multæ non poterunt extinguere charitatem nec flumina obruent illam.

AN FAMES.] minimè: quia meus cibus est Christus, quo cùm semper vescar, non possum fame perire, imò fames, serpens, sitis, ardor, arenæ dulcia virtuti, dulcia charitati. Charitas hæc omnia non fugit, non patitur, sed ambit & inuadit.

Scribit Seneca de seipso epist. 65. *In quacumque*, inquit, *positione mentis sim, cùm lego Sextium libet operosiora sumere, libet prouocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere paratus sum, illius animum induo, qui quærit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat:*

Spumantemq; dari, pecora inter inertia, votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exercear. Hæc Ethnicus; quid hîc dicat Christianus? quid Paulus? vtique dicet: Cùm Christum in cruce intueor, & lego purpureos toto corpore amoris mei characteres, libet exclamare: Veni inedia, veni dolor, veni crux, venite leones: vos ambio, vt amorem meum in Christum ostendam, vt amorem amori rependam: vobis gaudeo, vobis glorior, vobis exulto.

AN NVDITAS?] Neutiquam: quia vestit me charitas Christi, & libens sequar nudus eum, qui cùm dives esset, & amictus lumine sicut vestimento, propter me egenus & nudus fieri dignatus est.

AN PERICVLVM?] Nequaquam: sum enim miles veteranus Christi, qui pericula non fugio, sed ambio; qui aduersus principatus & potestates tenebrarum harum millies bella suscepi, pugnaui, & vici: tot victorijs assuetus, hostes timere, in periculis trepidare non possum.

AN PERSECVTIO?] Nullo modo: persecuti sunt me Iudæi, Gentiles, Barbari, Græci, principes, magistratus; lapidibus, virgis, verberibus mulctarunt: sed quid? Christum mihi adimere non potuerunt. Ecce viuo vegetior & fortior, Christoque intimiùs amore coniungor.

AN GLADIVS?] Minimè gentium: resecet ille caput à corpore, vt anima ad Christum, qui amor meus est, euolet; mihi viuere Christus est & mori lucrum. Omnibus his alijsque ærumnis & tormentis excelsior est charitas Christi: animus in cælis in Christo, in æternitate defixus ridet omnia quæ sub cælo sunt tamquam vilia & exilia; reges & tyrannos non pluris facit, quàm pulices; plagas & verbera pulicum morsus æstimat, vt ait Chrysost. cruces & mortes, quasi breuem, facilem & certam ad Christum & beatitudinem trãsitum & iactam reputat & ambit. Quid mirum ergo, si charitate Christi flagrans in tribulationibus non tribuletur, sed exultet: in angustijs non coarctetur, sed consolatione diffluat: in fame non esuriat, non sitiat, sed Christi gratia, patientia & fortitudine saturetur sit & ebrius: in nuditate non frigeat, sed ardeat & æstuet charitate: in periculis non metuat, sed securè in Christi protectione obdormiat: in persecutione hostes non fugiat, sed ijs cum Christo liberè & intrepidè se quasi athleta inuictus offerat: in gladio & morte non doleat, non pereat, sed quasi Martyr laureatus triumphet? Idipsum pulchrè & piè canit Prosper in Epigram. de dilectione Christi.

Et quid erit (inquit) quod me separet à Domino?
Ignem adhibe: rimare manu mea viscera tortor,
Effugiunt pœnas membra soluta tuas.
Carcere si caco claudar, nectarq; catenis,
Liber in excessu mentis adibo Deum.
Si mucrone paret cernicem abscindere lictor,
Impauidum inueniet mors cita, pœna breuis.
Non metuo exilium, mundus domus omnibus vna est:
Sperno famem. Domini fit mihi sermo cibus.

Contempserunt Philosophi Gentiles mortem studio humanæ vel virtutis, vel gloriæ. ita Democritus conuersus ad eos qui timebant Philippum Macedonem: *O semiuiri*, inquit, *quid nobis acerbi possit accidere, qui mortem cõtemnimus?* testis est Plutarchus.

Alius tyranno necem comminanti: *Hemina sit, sanguinis in tua est potestate: eam accipe, amplius quod mineris non habes.* Theodorus Lysimacho tyranno mortem minitanti & crucem: *Nihil*, ait, *interest hamine an in sublimi putrescam* ac rursum: *Praclarum*, inquit, *rem effecisti si cantharidis vim consecutus es.* Cantharis enim insectum & animalculum vilissimum suo veneno hominem occidere potest. testis est Cicero Tusc. 5.

Plura de Anaxarcho, Empedocle, & alijs habet Tertul. Apolog. c. 50.

Quid ergo faciet Philosophus & miles Christianus amore Dei & spe cælestis gloriæ? Audi quid fecerint Philosophi Christiani. S. Basilius cum à Valente Imper. in exilium pro fide cogeretur, exhibitus est ad tribunal præfecti, terroribusque & minis maximis actus, vt nisi præceptis principis obediret, sciret sibi impendere interitum. tum ille intrepidus ad præfectum: Atque vtinam aliquid mihi esset dignimuneris, quod offerrem huic, qui maturiùs Basilium de nodo follis huius absoluerit. cumque daretur ei nox quæ erat media ad deliberandum, denuò respondit: Ego crasi idem ero qui nunc sum, tu te vtinam non mutares. ita Eccles. histor. l. 11. c. 9.

Tales tamque celsos & leoninos animos ostendit S. Chrysost. cùm ab Eudoxia in exilium pelleretur, & extrema quæque metueret. Scribens enim ad Cyriacum epist. 3. tom. 5. ita ait: *Ego cùm è ciuitate fugarer, nihil eorum curabam, sed dicebam intra memetipsum: Si quidem vult me Regina exulem, agat in exilium: Domini est terra, & plenitudo eius. Et si vult secare, secet: idem passus est Isaias, subscribat illi. Si vult in pelagus mittere, Ionæ recordabor. Si me lapidare vult,*

vult occidere me: Stephanum habeo primum Martyrem A *meum. Si & caput tollere vult, tollat: habeo socium Ioannem Baptistam. Et si substantiam auferre, auferat: nihil enim de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc, &c.*

Psal. 43. SICVT SCRIPTVM EST (psal. 43. 23.) QVIA PROPTER TE MORTIFICAMVR (in mortem mortisque periculà, plagas & ærumnas tradimur. vnde S. Cyprianus legit, *occidimur*) TOTA DIE, ÆSTIMATI SVMVS SICVT OVES OCCISIONIS.

Nota τὸ *propter te*, q. d. Propter fidem, amorem, confessionem & cultum nominis tui. sunt enim hæc verba Machabæorum, aliorumque Iudæorum ab Antiocho Epiphane afflictorum, & plagis ac morte mulctatorum, vt notat ibidem Theodoret. Allegoricè verò sunt hæc verba Ecclesiæ, Apostolorum & Martyrum, qui à persecutoribus & tyrannis vexantur, & carceribus, verberibus mor- B tisque traduntur. Hunc versum ita legit Tertull. Scorpiac. 12. *Tui causa mortificamur tota die, deputati sumus, vt pecora iugulationis*, id est, vt pecora certæ & proximæ necis destinata, & iamiam iugulanda.

Rom. 5. SED IN HIS OMNIBVS SVPERAMVS: græcè ὑπερνικῶμεν, id est, plus quàm victores sumus, superuincimus, scilicet, insigni & illustri victoria, ait Theophyl. & Oecumen. quam consequimur, dum non resistendo, sed patiendo & moriendo, superamus hostes omnes, & quæuis aduersa, in iisque; gloriamur, idque PROPTER EVM, id est, amore & exemplo Christi, vel, vt Græci & Syrus habent, *per eum*, id est, per auxilium gratiæ Christi, QVI DILEXIT NOS.

Triplicem ergo rationem huius superuictoriæ C dat hîc Apostolus. Prima, est à facilitate vincendi, quia sola ipsa tolerantia contra hostes vbique trophæa erigimus. Secunda, quia per ipsa tormenta & persecutiones superamus: quæ noua est & extra vincendi ratio. Tertia, ob victoriæ certitudinem: plusquam enim superare est, aliquem sic ad certamen descendere, quasi iam victoriæ dominus sit. vnde ait, *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, &c.

Hoc, inquit S. Chrysost. hom. 25. in Matth. *tenebant Apostoli, qui torrente totius orbis in se pariter omnium tyrannorum scilicet atque populorum, Iudæorum atque gentium, suorum & alienorum pulsata flumina rupe firmiùs constiterunt.* Et infrà: *Hoc est enim maximè mirabile, quia cùm plurimas illi paterentur insidias, maximeque in illos tempestatum turbines frequens irrueret, nequaquam tamen eorum animos labefactare potuerunt, nec eis aliquem incutere mœrorem.* D *Fragrat terra vndique inimicis, & afflictionibus mille circumdat, sed clariorem tibi profectò texit coronam. Quod autem præcipuè mirandum est, non modò nihil omnino habent, qui talibus insidias machinantur, sed eos etiam faciunt oppugnatione meliores.* Deinde idipsum probat, eodem appositè comparando adamanti, stimulo & igni dicens: *Et qui aduersus stimulum calcitrat, sine dubio ipse compungitur, suisque propriis ictibus vulneratur; & qui impugnat virtutem tenentes, ipse profectò subruitur, & malitia tanto efficitur infirmior, quanto contra virtutem diutiùs præliatur. Et sicut qui ignem ligat in vestimento, illum quidem non extinguit, reddit autem verò comburit: ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac sæpiùs colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, sibi autem perdebant.*

Rom. 8. CERTVS SVM ENIM, QVIA NEQVE MORS, NEQVE VITA, &c. POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI] *Certus sum*; ergo, aiunt hæretici, electi fide credùt esse se impeccabiles, & ad gloriam electos. Respondent aliqui. Paulum de se loqui, eique reuelatum fuisse se esse prædestinatum & confirmatum in gratia. *Hæreticorum Nouatianorum pro fide peculiari illusio.*

Alij putant Paulum hîc loqui in persona electorum. q. d. Electi finaliter non possunt separari à charitate, aut mori in peccato.

Verùm Respondeo, pro *certus sum*, græcè est πέπεισμαι, id est, certam in Domino spem habeo, persuasum habeo, confido, vt legit Ambros. Hieron. q. 4. ad Algasiam, Syrus, imò Erasmus, Beza & Vatabl. Hoc enim sensu τὸ πέπεισμαι vsurpat Paulus c. 15. 14. Hebr. 6. 9. 2. Timoth. 1. 5. & alibi. Significat ergo Paulus hisce verbis, ait S. Augustin. lib. de Moribus Eccles. c. 11. & sequ. potentiam & efficaciam charitatis. q. d. Nullus est terror, qui possit permouere hominem, qui charitate flagrat, vt Deum offendat; tamen ibidem docet S. Augustin. charitatem posse amitti, & diligentissimè esse seruandam. Sic miles animosus & ardore belli ac victoriæ accensus diceret; Certus & resolutus sum, quòd nec tela, nec saxa, nec ignes me arcebunt à mœnibus, quin ea conscendam, vti de Sinone ait Virgilius:

In vtrumque paratus,
Aut versare dolos, aut certa occumbere morti.

Adde, ipsos hæreticos, qui hunc locum pro sua fide speciali nobis obiiciunt, aliosque Doctores Catholicos hæc accipere de charitate Dei, non nostra. q. d. Paulus, Charitas qua Deus suos dilectos amat, curat, dirigit ad salutem, ita fida, certa & immutabilis est; vt nulla omnino creatura ab ea nos possit diuellere, aut efficere vt illa nos desinat amare, vel vt amor eius frustretur suo effectu, puta gratia, iustitia, salute nostra, *quæ est in Christo*, id est, per Christum, qui hanc Dei charitatem sua morte nobis conciliauit; intellige nisi nos sponte per peccatum ab eius amore auellamus, & nolimus ab eo amari & regi. & hoc est quod ait S. Bernardus: *Nulla creatura à Dei charitate separare nos potest, sed sola propria voluntas id ipsum potest.* Certitudo ergo hæc ex parte Dei summa est, estque certitudo fidei: sed ex parte nostra moralis tantùm est certitudo, qualem affert firma resolutio, firmumque propositum hominis; de quo loqui hîc Apostolum verius est, vt dixi. *Ostenditur hunc locum nihil facere pro fide speciali hæreticorum.*

Exclamat hîc S. Chrysost. *O animam furentem insania, sed quæ sobrietatem pariat! omnia quæ in cælis, quæ in terra, quæ sub terra, quæ supra cælos sunt, visibilia & inuisibilia, pro amore Christi transcendens nihil æstimabat: vnum hoc metuebat, ne à Christi dilectione excideret. Hac charitate Paulus ornatus*, inquit idem Chrysost. homil. 2. de laudibus Pauli, *tyrannos ipsumque adeò Neronem, velut quosdam culices æstimabat; hac mortem, cruciatus, & mille supplicia, ludum putabat esse puerorum; hac Paulus vinctus Iesu Christi, magis quàm diademate coronatus gloriatur. etenim coarctatus carcere cælum habitabat; hac libentiùs verbera excipiebat & vulnera, quàm alij bracia diripiunt; hac labores non minùs quàm requiem, dolores non minùs quàm præmia, quàm triumphales pompas & trophæa diligebat. Ego*, inquit, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus*, &c.

Hac charitate succensus S. Tiburtius Martyr, vt habent eius acta, ad Torquatum iudicem insultans,

Nota mirabilem charitatis suauitatem & violentiam inuictis sanctis & Martyribus.

tans, & quasi triumphans dicebat: *Applica eculeos, suspende Christianos, damna percute, incende vniuersa denique supplicia adhibe: si exilium minaris; hoc philosophantibus est totus mundus: si mortis supplicium; euadimus mundi carcerem: si ignes; maiora his in cupiditatibus incendia vincimus. decerne quidquid libet. omnis nobis vilis est pœna, vbi pura comes est conscientia.* Tiburtium mox secuti Marcus & Marcellianus fratres, cùm pedes eorum clauis acutis stipiti confixi essent, psallebant dicētes: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum! numquam tam bene epulati sumus, quia modò cœpimus esse fixi in amore Christi. vtinam, ô iudex, nos sic esse permutas, quamdiu huius corporis tegimur indumento.*

Pulchrè de hac charitatis suaui vi & violentia, qua amantis cor totum in Deum quem amat, abripitur, S. Bernard. serm. 79. in Cant. in illud cap. 3. Num quem diligit anima mea, vidistis? O amor, inquit, *præceps, vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te; te contentus, captiuam ducis rationem & intellectum, mirabiliter triumphū agens rerum omnium. En omne quod cogitat ista, quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil: ita tibi ipsius & cor vendicasti & linguam. Num quem diligit anima mea, vidistis? Quasi verò hi sciant quid cogitet ipsa, non explicat verbis sponsi nomen, vt perpendas amorem hunc sanctum, non linguæ æstimandum esse & verbo, sed opere & veritate. Et præterea, quoniam sicut idioma Græcum, qui græcè peritus non est, intelligere non valet; sic & proprios amoris terminos ac nomina solus amans intelligit: aliis autem illa loquens apparebit barbarus. At isti vigiles, quia idioma amoris callebant, docent dilectam. Tenui eum, nec dimittam.* Deinde idipsum exemplo Iacobi Patriarchæ declarat: *Dixit Iacob angelo, cum quo luctabatur vsque mane, postulanti vt eum dimitteret, quia viderat appropinquantem auroram: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi; & benedixit ei in eodem loco, & post hoc dimisit illum. Sponsa autem etiam benedictionem consecuta, inuenit eo, quem diligit anima eius, ait: Tenui eum, nec dimittam, dimittere eum non vult, nec ille forsan minùs teneri vult, de quo dicitur: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Quid hac copula fortius, quæ vna duorum tam vehementi voluntate firmata est? Tenui eum, nec dimittam. & tenetur illa, iuxta illud, Tenuisti manum dexteram meam. non teneret, nisi teneretur misericordia Dei.*

Pulchra amoris à Bernardo, eiusq; passionum descriptio.

Mira reciproci amoris diuini vis.

NEQVE FORTITVDO] Ita legunt Biblia Romana. Sed delent hoc Græca, Syra, & Ambros. nec habet sibi respondens quid; vti habent cætera, quæ paria sunt, quodque enim suum habet compar, vt patet cùm dicit, *Neque mors, neque vita, neque instantia* (id est præsentia bona, vel mala, inquit Ansel.) *neque futura.*

VERS. 39. NEQVE ALTITVDO, NEQVE PROFVNDVM] Id est, nulla prosperitas, nulla aduersitas; nulla gloriosa, vel humilia, inquit Oecumen. & ex eo Toletus.

Triplex huius loci explicatio.

Secundò, D. Thomas & Anselmus sic explicant: *Neque altitudo*, scilicet arcis & rupis, ex qua quis minaretur præcipitium, ni à Dei amore recedas: *neque profundum*, putà mare aut flumen, in quo pari modo minaretur quis submersionem, nos separabit à charitate.

Tertiò & efficaciùs, Theodoret. *neque altitudo, neque profundum*, id est, nec cæli, nec inferi. q.d. Etiamsi promittas regnum cæleste, etiamsi gehennam mineris Deum amanti, vt separes eum à charitate, nihil tamen apud eum efficeris, ait S. Chrysostomus. Est hyperbole. Subintelligitur enim, & videlicet hoc promittere, vel hoc minari tali conditione quis posset. q.d. Paulus: Hoc vnum non tam timeo, quàm auersor, abhorreo & detestor, scilicet separationem à charitate & dilectione Dei, *quæ est in Christo* (id est, per Christū; qua scilicet Deo per Christum Christíque fidem, gratiam & amorem iungimur & vnimur. vide can. 25.) præ hac separatione omnia quasi ludicra contemno. nam separari à Christo ipsa gehenna mihi magis horrendum est: sicut viciſſim in Christi charitate perdurare quouis regno mihi iucundius est, inquit S. Chrysost.

S. Agatha amore Christi amata.

Pulchrè, subtiliter & neruosè sigillatim hæc explicans S. Augustinus lib. 1. de Moribus Ecclesiæ c. 11. tom. 1. *Nemo*, inquit, *nos separat à charitate Domini, minando mortem: idipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, cùm mors ipsa sit non diligere Deum. Nemo ab ea separat pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam. Non separat angelus: non enim est angelus, eum inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus quæ potestatem habet in hoc mundo: nam toto mundo omnino sublimior est mens inhærens Deo.* Pergit Augustinus. *Non separant insultantes molestiæ: hoc enim leuiores eas sentimus, quo ei vnde eas separare moliuntur, arctiùs inhæremus. Non separat promissio futurorum: nam & quidquid boni futurum est, certiùs promittit Deus; & nihil est ipso Deo melius, qui iam bene sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo, neque profundum: quid enim mihi cælū pollicetur, vt à cæli fabricatore seiungar? aut quid terreat infernus, vt Deum deseram? quem si numquā deseruissem, inferna nescius essem. Postremò, quis me locus ab eius charitate diuelleret, qui non vbique totus esset, si vllo contineretur loco?*

Ita resoluta & solidata fuit in amore Christi præ aliis Sanctis S. Agatha, virginum heroina, vt, cùm esset nobilissima, ditissima, honestissima & pulchertima, ac Præses Siciliæ Quintianus eius amore captus, non tam iudicem ageret quàm procum, sed frustrà, ideoque tandem eam tradidisset Aphrodisiæ vt eam suis lenociniis flecteret, Præsidióque obsequentem efficeret, illáque quasi titen nocte & die voluptates & delicias illi occineret, S. Agatha quasi surda mentem in Deo defigens immobilis persisteret: cumque illa finem sollicitandi non faceret, demum ei virgo sancta respondit: *Tuæ voces, Aphrodisia, tuamq; linguam, non vt tuam, sed vt dæmonis organum & linguam accipio. Pudeat te mihi hæc fœda & indigna proponere. Si non pudet, at tamen: operam enim perdis, surdo canis. Ego enim ita fundata & firmata sum in amore Domini mei Iesu, tamq; constans in voto virginitatis meæ quod ipsi vouí, vt per ipsius gratiam confidam quòd prius sol deficiet sua lux, igni calor, niui albedo, quàm ego mutem meam voluntatem & propositum. Præparet Quintianus leones, accendat rogum, distendat eculeos, aperiat portas inferni si potest, omnemq; dæmonum vim & tormenta contra me concitet, libens omnia excipiam vt moriar Christiana & virgo. Nullam Quintiani violentiam timeo, quia Deus, cui animam & corpus consecraui, me tutabitur.* Quocirca Aphrodisia referens ad Quintianum ea, quæ in Agatha viderat & exploraverat: Facilius, ait, est lapides molles & teneros facere, aut ferrum in plumbum conuertere, quàm mentem Agathæ à Christi amore & caritate ad te traducere. Ego enim & filiæ meæ per triginta dies, noctu diuq; nihil aliud egimus, quàm eius animum pulsare & tundere, nunc blanditiis, nunc minis, nunc,

nec promissis; sed ipsa omnia quæ sub cælo sunt, A propter Christum non pluris facit quàm terram quam pedibus calcat, imò noctu diuq; non aliud cogitat, non aliud somniat quàm vt moriatur pro Christo. Quintianus ergo Agatham accersens, omnis modis, artibusque cunctis eius rursum animum pertentauit, promittens ei quidquid desiderari potest in hoc mundo, si sibi obsequeretur. Cui Sancta: *Ego extra Christum nec vitam, nec salutem, nec quid aliud opto aut desidero. Nec est, ô Quintiane, quòd putes me tuis minis, sæuitiæ & tormentis peruicere. Sitio enim non esse ceruam fessam & sitibundam, quæ ita desideret limpidam aquam, atque ego desidero & sitio tua tormenta, vt per ea Christum meum amplectar, eiq; vniar. Si velis in me stringere gladium, ecce collũ meum: si flagella, ecce dorsum meum: si ignem, ecce totum meum corpus. Ecce meas manus, meos pedes, membra mea omnia tibi offero, excrucia ea vt lubet. Vre, seca, stringe, lacera, distende, liga, excrucia, occide: quanto in me eris crudelior, tanto maius in me beneficium conferes; tanto plus consolationis & gloriæ à dulci meo sponso accipiam. Quid tardas? quid moraris? animo sitienti omnis mora longa est.* Dixit, & præstitit. Nam mammillæ abscissionem, ignes, testas, aliaq; dira tormenta alacri fortique animo perpessa, Martyr in cælum euolauit die 5. Februarij.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Iudæos reiectos esse à iustitia & salute, ob infidelitatem; Gentes verò ad eam ascitas esse propter fidem.

Primò, ergo ostendit hîc Paulus suum amorem in Iudæos, & dolorem de eorum ruina & repulsa.

Secundò, v. 6. ostendit non propterea irritas esse promissiones à Deo Abrahæ eiusq; filiis siue Israelitis factas; eò quòd illæ non pertineant ad filios carnis, putà Iudæos; sed ad filios promissionis & electionis diuinæ, putà ad Christianos, qui credendo in Christum Abrahæ fidem imitantur.

Tertiò, v. 14. docet hoc non esse iniquum, eò quòd Deus, cùm sit omnium Dominus, cuius vult misereatur, & quem vult induret: induret, inquam, non duritiem eis immittendo, sed sustinendo eos in multa patientia, quasi vasa iræ apta in interitum, vt ipse Apostolus explicans ait v. 22.

Quartò, v. 24. hos filios promissionis docet partim esse Iudæos credentes in Christum, sed paucos; partim Gentes, easq; plurimas.

Denique v. 30. propriam, directam, & adæquatam dat causam, cur Iudæi à iustitia & salute sint repulsi, Gentes verò ad eam ascitæ; nimirum quòd Iudæi noluerint credere in Christum, Gentes verò in eum crediderint. Omnis enim iustificatio & salus nostra (Deo ita volente & decernente) ab vno Christo petenda & expectanda est.

1. VEritatem dico in Christo, non mentior: testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: 2. quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, 4. qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: 5. quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 6. Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ: 7. neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: 8. id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. 9. Promissionis enim verbum hoc est: Secundùm hoc tempus veniam: & erit Saræ filius. 10. Non solùm autem illa: sed & Rebecca ex vno concubitu habens, Isaac patris nostri. 11. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundùm electionem propositum Dei maneret) 12. non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: 13. Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. 14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moysi enim dicit: Miserebor cuius misereor & misericordiam præstabo cui miserebor. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. 18. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. 19. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? 20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? 21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? 22. Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum, 23. vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. 24. Quos & vocauit nos non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus,

25. sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam dilectam: non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26. Et erit: In loco, vbi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui. 27. Isaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. 28. Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram: 29. & sicut prædixit Isaias: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. 30. Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem, quæ ex fide est. 31. Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. 32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, 33. sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

Cur Iudei reiecti à fide & via salutis.

DEscendit hîc Apostolus à thesi ad hypothesin. Hactenus enim docuit, non legalia, sed fidem Christi vnicam esse viam ad iustitiam & salutem: nunc tribus capitibus sequentibus docet, Gentes electas esse ad hanc iustitiam & salutem; quia hanc fidei Christi viam iniuerunt: Iudæos verò ab eadem reiectos esse non defectu vocationis, vt patet c. 10. v. 22. vel gratiæ, vtpote quam maximam, imò Christum ipsum totum soli ipsi habuerunt; sed quia carnali patri Abrahamo & Mosi legislatori, legisque operibus præfisi, inde sibi salutem & iustitiam arrogarunt; Christi verò, quasi hominis abiecti fidem & gratiam contempserunt. Id disertè patet v. 30. & c. 11. v. 20. & seqq.

Filiis non carnalibus Abrahæ, sed spiritualibus promissa benedictio.

Hoc ergo cap. docet Primò, idipsum non esse contra promissa, nec etiam contra iustitiam Dei: nam *Abrahæ semen*, id est filij, cui *benedictio*, id est iustitia, amicitia, Dei protectio, & salus, promissa fuit à Deo, non intelliguntur filij secundùm carnem, putà Iudæi, sed secundùm spiritum & fidem, putà Christiani.

Cur Deus filios Abrahæ non carnales, sed spirituales adoptauerit.

Secundò, docet causam cur Deus filiis non carnis, sed spiritus, id est, non Iudæis, sed Christianis promissam hanc benedictionem consignari voluerit, esse non illorum demeritum, vel horum meritum; sed puram voluntatem, electionem, & misericordiam Dei, qui nouam posteritatem, non carnalem, sed spiritualem, scilicet fidelium Christianorum, eligere & adoptare voluit ad hæc promissa; cùm ad eadem carnalem Abrahæ posteritatem, putà Iudæos, adoptare potuisset si voluisset (vti eos in lege veteri adoptauit sibi in filios) vel alium ordinem & viam benedictionis & iustificationis instituere.

Iudæis non defuere gratiæ interna & externa.

Vnde patet, Apostolum hoc cap. proptiè & directè non agere de vocatione Iudæorum & Gentium ad fidem, sed hanc vtrorumque vocationem præsupponere: nec rursum agere eum de gratia præueniente, eiusque disparitate, quasi docere velit, Iudæis minorem datam esse gratiam, Gentibus maiorem; Iudæis inefficacem, Gentibus efficacem: sed agere de gratia iustificante, vt patet toto cap. præced. & aliis omnibus, hucusque. Vide & lege præ aliis caput III. & IV. & ita esse videbis. Totius enim epistolæ quæstio est hæc, vnde iustificetur homo? Cui respondet Apostolus, hominem iustificari per fidem & gratiam Christi; non per cæremonias aut opera legis. Ex qua responsione rectè hoc cap. & seq. infert & concludit: Gentes iustificatas esse, quia fidem & gratiam Christi amplexæ sunt; non autem Iudæos, vtpote qui eam amplecti noluerunt.

Agit Apostolus de gratia iustificante, non præueniente. Probatur Primò.

A

B

C

Secundò, idipsum, scilicet quòd Apostolus non agat hîc de gratia præueniente, sed iustificante patet ex eo: quia hæc est benedictio promissa Abrahæ & semini eius, scilicet: *Ero Deus tuus & seminis tui*, nimirum ad hoc, vt te & posteros tuos secundùm fidem & spiritum, quasi iustos, filios & amicos meos amem, protegam, complectar: ergo benedictio hæc Abrahæ non est aliud quàm iustitia & amicitia Dei. Secundò.

Tertiò, idipsum patet ex eo, quòd hæc benedictio iam dicta præsupponat & requirat, vt quis natus quis sit filius Abrahæ, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum; putà, vt quis per fidem & baptismum renatus sit in Christo: hic enim est filius Abrahæ, & heres benedictionis, id est iustitiæ & salutis. Promissa ergo hæc Abrahæ benedictio non est fides, nec vocatio, aut gratia præueniens; vtpote quam iam filius hic & heres præsupponitur habere: per hãc enim debet nasci quis filius spiritualis Abrahæ, vt capax fiat huius benedictionis eiusdem: perinde ac in humanis aliquis priùs debet nasci, fierique filius patris sui, antequam eiusdem heres fieri, vel ius ad hereditatem acquirere possit. Tertiò.

Quartò, idipsum clarè patet ex conclusione totius huius disputationis, quam colligit Apostolus hoc cap. v. 30. & sequ. vbi concludit Gentes iustitiam adeptas esse, quia credidêrunt Christo: Iudæos verò ab ea excidisse, quia eam non in fide Christi, sed in lege Mosis quæsiuerunt. Ex his omnibus patet, Apostolum hoc cap. & seqq. proprie non agere de gratia præueniente congrua aut incongrua; multò minùs de electione & electis ad gloriam, deque reprobatione, & reprobis ad pœnas æternas: sed agere de gratia iustificante, quam per fidem Christi adeptæ sunt Gentes, à qua Iudæi excluſi sunt, propter incredulitatem. Atque hoc punctum maximè hîc notandum est. Ex illo enim pendet genuina applicatio pariter & explicatio totius capitis, omniumque illius antithesium, adeoque tota mens Apostoli, vti fusiùs ex capitis decursu declarabo. Quartò.

VERITATEM DICO IN CHRISTO, NON MENTIOR, TESTIMONIVM MIHI PERHIBENTE CONSCIENTIA MEA IN SPIRITV SANCTO] Nota *τὸ in Christo*. q. d. Veritatem dico, vti facere par est eum, qui Christum reuereatur, vel *in Christo*, id est, per Christum, quem testem inuoco. q. d. Testor Christum id ea per Christum me verum dicere. *Beth* enim, id est *in*, apud Hebræos subinde est nota & vox iuramenti, vt patet Genes. 22. 16. Iosue 2. 12. Addunt Theophyl. & Oecumen. Paulum hîc per tres testes in-

scilicet per Christum, per conscientiam, per Spiritum sanctum. Verùm illud *Testimonium perhibente mihi conscientia*, non videtur esse iuramentum, sed tantùm asseueratio se non mentiri, cùm conscientia hoc illi dictet & attestetur; conscientiam inquam, mota & excitata ac impulsa à Spiritu sancto: hoc enim significat τὸ *in Spiritu sancto*, quod idem valet, ac per Spiritum sanctum.

QUONIAM (quòd) TRISTITIA MIHI MAGNA ET CONTINVVS DOLOR CORDI MEO] scilicet ob reiectionem & reprobationem Iudæorum à iustitia & salute. Hanc enim causam doloris sui in seqq. exprimit Paulus, sed hîc initio eamdem artificiosè celat & tegit, vt priùs ostendat suum in Iudæos affectum, itaque eos sibi deuinciat, ne putent eum ex odio legis & Iudæorum hæc dicere, néve initio statim eos tam tristi nuncio percellat.

OPTABAM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBVS MEIS] *Optabam*, S. Chrysost. Oecumen. Theophyl. vertunt, *optarem*, vel *optarim*, videlicet possibile esset, & si diuina dispositio id pateretur. Intelligunt ipsi in Græco ἐὰν, & videntur legisse *ηὐχόμην*. Nam *ηὐχόμην*, vti iam legitur, non video quomodo aliud esse possit, quàm præteritum imperfectum, *optabam*. Optabam ergo idem est ac si dicat, Iam pridem optaui, & continuò opto, & vt ait Anselm. iamdiu optare cœpi. Caietanus verò sic explicat, q. d. Modò non opto, sed optabam in iudaismo existens esse anathema, id est separari à Christo.

Verùm non rectè: nec enim optat quis separari ab eo, à quo omnino iam separatus est. Paulus enim in iudaismo planè erat separatus à Christo, Christique hostis acerrimus. Adde non rectè probari Paulum amorem suum in Iudæos præsentem ex præterito. Nam dixissent Iudæi: Tu quidem Iudæus existens nos Iudæos amasti, sed iam cum religione affectum in nos mutasti.

Nota. Quia Paulus hîc dicturus erat ea, quæ Iudæis sciebat fore valdè odiosa, scilicet eorum repudium à Deo & iustitia; hinc eos initio sibi conciliat tot tamque grauibus verbis, intimum sui dolorem & sensum, indeque eximium suum in eos amorem ostendens: vnde optat pro eis fieri anathema.

ANATHEMA ESSE] Primò, aliqui apud Oecumenium sic explicant: Optarim me nondum esse ad Christum conuersum, sed adhuc esse anathema à Christo, si hoc ad fidem Iudæorum conferret. Sed hoc votum est illicitum & impium.

Secundò, S. Thomas & Lyranus sic explicant: Opto diutiùs abesse à Christi gloria, vt viuens in hac vita Iudæis prosim.

Tertiò, Ambrosius, Anselmus & Toletus hunc dant sensum, Cùm essem Iudæus, eram Christi hostis, adeò vt anathema & velut execratio ac maledictio à Christo & Christianis haberi vellem. Verùm huic sensui obstant ea, quæ paulò antè produxi.

Quartò, Dionysius Carthus. & Abulensis in cap. 32. Exodi censent esse hyperbolen, qua tantùm Paulus velit significare & testari eximium suum in Iudæos amorem, quo quiduis pro eis optet perpeti.

Quintò, Origenes & S. Hieron. ad Algas. q. 9. Optabam, inquiunt, esse anathema, id est, occisionem & martyrium, ac mortem corporis pro Iudæis subire. Sed huic expositioni repugnat vox *à Christo*. Mors enim separat hominem à vita, sed non à Christo: quin imò Martyrem cum Christo maximè coniungit.

Verùm omnes hi sensus pectus & amorem Paulinum non explent, non satisfaciunt illius incenso zelo & spiritui, vt rectè annotauit S. Chrysost. Oecumen. & Theodor.

Vnde Nota. *Anathema* Syrus vertit חֵרְמָא *cherma*; alludit enim Apostolus ad votum חֵרֶם *cherem*, quod Septuaginta vertunt & vocant anathema, quo res Deo consecrata moriebatur, aut ciuiliter, aut naturaliter, atque in æternum separabatur à domino suo, & vsibus profanis. Pro quo aduerte, Hebræum *cherem* significare occisionem, excisionem, succisionem, à radice חָרַם *charam*, id est occidit, excidit, succidit. Inde votum *cherem* dicebatur votum maximum, quo res vota Deo ita consecrabatur, vt destrui vel occidi deberet. *Cherem* ergo idem est, quod occisio, interfectio, consecratio, anathema, siue res ita Deo deuota, & in totum consecrata, vt in eius honorem vel occidi, vel consumi debeat. Patet hoc Leuit. 27. 28. *Omne*, inquit, *quod Domino consecratur* (hebraicè omne *cherem*, quod יַחֲרִם *iacharom*, id est, planè & plenè Deo consecrabitur Domino tamquam *cherem*) *siue homo fuerit, siue ager, non venietur* (non vendetur,) *nec redimi poterit. Quidquid semel consecratum fuerit* (hoc voto & hac consecratione *cherem*, id est anathematis) *sanctum sanctorum*, (id est, omnino sanctum & consecratum) *erit Domino. Et omnis consecratio* (hebraicè omne *cherem*, id est anathema) *quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Cuius exemplum est Numer. 21. 2. *At Israel*, inquit, *voto* (cherem) *se Domino obligans, si tradideris populum istum* (Chananæum) *in manu mea, delebo* (וְהַחֲרַמְתִּי *vehacharámti*, id est succidam, excidam) *vrbes eius; exaudiuitq; Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subuersis vrbibus eius, & vocauit nomen loci eius Horma* (siue *Cherem*. chet enim Hebræum alij pronunciant per H, alij per ch: vnde alij dicunt *herem* & *horma*, alij verò *cherem* & *chorma*) *id est anathema*. Vide dicta Leuit. 27. 28.

Alludit Apostolus ad votũ cherem, quod votum erat maximum.

Votum cherem & anathema quid sit, per ipsum ciuiliter vel naturaliter res deuota mori debebat.

Significat itaque *cherem* vel *anathema*, teste Budæo, separationem, succisionem, exitium æternum & extremum. Optat ergo Paulus heroico quodam excessu, quasi cæcæ charitatis, quæ abstrahit, nec considerat an res sit possibilis, an secundùm Dei ordinationem, nec ne: vel si non abstrahit, optat sub tacita conditione, Si Deus vellet, & si fieri posset (ita S. Chrysost. Origenes, Theophyl. qui legunt *optarem*) optat, inquam, sibi *cherem & anathema*, id est, æternam separationem, non à charitate, sed à beatitudine & gloria futura cum Christo (id enim significat vox, *à Christo*) vt Iudæi saluentur. ita Theodoret. Oecumenius, Anselm. Theophyl. Sotus, Catharinus, imò optat, ait Chrysostomus, in æternum perire; &, vt Cassianus ait collat. 32. c. 6. æternis addici pœnis, idque tum pro gloria Dei, vt ait Chrysost. ne scilicet Deus à Iudæis blasphemetur, sed in æternum laudetur; tum pro salute ipsorum Iudæorum. Optat ergo hîc Paulus illud idem, quod in simili casu optauit Moses Exodi 32. v. 31. dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

Paulus optat sibi cherem & anathema à beatitudine; imò damnationem æternam, exemplo Mosis.

Hinc patet, cuilibet viro sancto idem licere optare,

Licet optare pro multorũ salute æternam damnationem.

optare, scilicet, vt deleatur de libro vitæ, & separetur à fruitione, & beata societate Christi & Sanctorum in cælis, sine tamen sua culpa; dummodo hac ratione & conditione posita, multi alij Deum agnoscerent, diligerent, & beararentur; vt inter alios docet Lud. Molina 1.p. q. 24. in fine. Hoc enim maius est Dei bonum & gloria, quàm sit mea vnius beatitudo; & consequenter hoc optare non minuit, sed auget charitatem & propriam perfectionem, ad quam magis inclinat charitas, quàm ad propriam gloriam & beatitudinem: præsertim quia ipsa nouit & scit, Deum, vtpote liberalissimum, tam liberali animo, qui sua commoda, suamque beatitudinem diuinæ gloriæ & fratrum saluti posthabet & postponit, liberaliter quoque charitatis, gratiarum, & aliorum donorum cumulos & incrementa repensurum; nec passurum vt liberalitate suæ creaturæ vincatur.

Illustre exemplum pro dignitate & zelo animarum.

Nota hîc illustre exemplum pro dignitate & nobilitate animarum earumque zelo. *Quid ais Paule?* ait Chrysost. *nónne iam dixisti, Quis nos separabit à charitate Christi? immò ait, Quia amo Christum, cupio separari à fruitione Christi vt plures, imò omnes eum ament & laudent.* Addit S. Chrysost. *Quia nos*, inquit, *longè sumus ab hac dilectione, idcirco intelligere hæc eius dicta non possumus.* Sic Christus fieri voluit pro nobis maledictum. *Et quid mirum*, inquit Origen. *si, cùm Dominus* (Christus) *pro seruo maledictum sit factus, seruus* (Paulus) *pro fratribus anathema fiat?* Optatio ergo hæc Pauli pia, sancta & efficax fuit ex parte & voluntate ipsius, ex parte tamen obiecti, non fuit omnino absoluta & efficax. Optabat enim rem impossibilẽ & repugnantem ordinationi diuinæ. Deus enim ordinauit vt mea salus & beatitudo sit medium ad Dei gloriam & salutem, ac beatitudinem proximorum promouendam & augendam: non autem ordinauit vt priuatio beatitudinis meæ sit medium & procuratio salutis alienæ. idque optimè sciebat Paulus: vnde simpliciter loquendo actus hic, siue votum & optatio hæc in eo non potuit esse planè absoluta & efficax.

Optatio hæc Pauli non fuit absoluta, vtpote ordinationi Dei repugnans.

VERS. 4. QVI SVNT COGNATI MEI SECVNDVM CARNEM, QVI SVNT ISRAELITÆ] qui sunt posteri Israelis, siue Iacobi magni illius Patriarchæ. Omnia enim hæc quæ sic sequuntur, spectant ad laudem Iudæorum, iisque se Paulus, ad eorum amorem mirificè accendi insinuat.

QVORVM ADOPTIO EST FILIORVM] quos Deus adoptauit in filios, cùm sibi suoque cultui eos addixit. Exodi 4. 22. dicens: *Filius meus primogenitus Israel.* & iam per Christum vult eosdem sibi adoptare præ omnibus in filios & heredes.

Gloria Israelitarũ recipi certe hic potest.

ET GLORIA] Iudæorum gloria, inquit Chrysost. & Anselm. est hæc, quòd ipsi soli præ omnibus gentibus vocati sint, & reipsa fuerint populus & Ecclesia Dei.

Secundò, Theodoret. Iudæorum, inquit, gloria hæc est, quòd Deus Iudæis solis seipsum per tot tamque gloriosa miracula & prophetias, atque per tam singularem protectionem & prouidentiam, perque tot tantaque beneficia, tamquam patrem amantissimum, & tamquam Deum gloriosum, potentissimum æquè ac clementissimum ostendit & exhibuit.

Tertiò, Toletus, Iudæorum gloria, inquit, erat arca testamenti, quæ Dei potentiam & gloriam referebat. Deus enim gloriosus in templo Iudæorum sedebat super propitiatorio sustentato à Cherubinis, ita vt arcam haberet pro scabello pedum suorum. Vnde arca à Philisthæis capta, vxor Phinees parturiens filium quem peperit, vocauit Ichabod, id est, vbi gloria? dicens: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*, 1. Reg. 4. 22. q.d. *Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens gloria Troiorum*, putà Israelitarum. Omnes hi sensus accommodi sunt; secundus tamen planior est & plenior.

ET TESTAMENTVM] q.d. Quibuscum pactum sæpiùs Deus iniit. Græcè enim est διαθῆκαι, id est testamenta. Vel quibus datum est vetus testamentum, & nouum promissum. Tertiò, simpliciùs Noster vertit testamentum, vetus scilicet. Græcum enim διαθήκη, cùm significat testamentum, plerumque pluraliter vsurpatur, inquit Budæus.

Nota. Græcum διαθήκη, & testamentum & pactum significat. Hinc sæpè Noster interpretatur testamentum vsurpat pro quouis pacto, vt etiam ad Hebr. 9. v. 15.

LEGISLATIO] q.d. Qui (scilicet Iudæi) præteritis gentibus legem à Deo, è cælo, in Sina acceperunt & iam nouam accipiunt in Sion. Nam ex populo data est lex vetus, eidem noua promissa est & per Christum exhibita, indeque per omnes gentes propagata.

OBSEQVIVM] Græcè λατρεία, id est, cultus & religio Dei, Deoque soli competens & debitus. q.d. Deus solis Iudæis dedit verum sui cultum, veramque religionem.

PROMISSA] q.d. Benedictio Abrahæ promissa, omnesque aliæ promissiones Dei, quas ipse tam veteri, quàm nouo testamento hominibus fecit, primò & primariò ante omnes alias gentes spectant ad Iudæos. Harum autem promissionum maxima est ipse Messias, siue Christus, petita redemptio, iustitia ac salus præstanda per Christum.

QVORVM PATRES, scilicet sunt illi inclyti & insignes Patriarchæ Abraham, Isaac & Iacob; qui Primò, mira virtutum facinora ediderunt: et Secundò, EX QVIBVS EST CHRISTVS] q.d. Iudæorum patres sunt etiam parentes Christi. Secundò & aptiùs, *quorum*, supple parentes, sunt patres, id est, Patriarchæ nostri celebres, putà Abraham, Isaac & Iacob. Hi enim antonomasticè vocantur & sunt patres.

ET EX QVIBVS, scilicet Israelitis, EST CHRISTVS SECVNDVM CARNEM] Mira enim dignitas Iudæorum est, quòd Christus ex eis sit natus. Ita distinguit hæc Syrus, vt ᾧ *quorum patres*, referat ad precedentem versum: ex τῷ verò *& ex quibus est Christus*, inchoet seq. v. Cùm ergo ait, *Ex quibus* supple non, patribus, sed, Iudæis, siue Israëlitis, de quibus egit à vers. 4. hucusque: atque hæc ita diuidi & explicari postulat coniunctio, *Et*.

QVI (Christus) EST SVPER OMNIA] supple quæ sunt extra Deum. Non ergo est Christus super Spiritum sanctum. ita S. Gregor. hom. 8. in Ezech. Ambros. & alij. Malè ergo hinc inferebant Macedoniani, Spiritum sanctum esse Deo, Christoque minorem, esseque creaturam.

QVI EST SVPER OMNIA DEVS BENEDICTVS IN SÆCVLA] Hinc S. Athanas. August. Hilarius, Tertull. & alij passim probant contra Arrium, Filium esse Deum. Respondet Erasmus, vocem Deus fortè esse additam: nam Hilarius in psalm. 122. & Cyprian. libr. 2. contra Iudæos illam non le-

gunt

erat. Sed erat; nam omnes codices Latini, Græci etiam legunt τὸ *Deum*. Ita quoque legunt Patres primum ac nominatim ipse Hilar. lib. 8. de Trinitate integrum citat hoc testimonium: Cyprianique exemplaria antiqua extant, in quibus hæc addita τὸ *Deo* legitur.

Rursum Erasmus hîc contra omnes ponit punctum post τὰ *omnia*, & sequentia ab eo diuellit. q. d. Paulus: Ex quibus est Christus qui est super omnia punctum. Deus (Pater) sit benedictus in sæcula. Quis non videt hanc nouam, hiulcam, dissonam & absonam esse diastolen?

NON AUTEM QUOD EXCIDERIT VERBUM DEI] *Non autem* græcè οὐχ οἷον δὲ, quod Photius vertit, *non autem verò*, vel, *non autem velut exciderit verbum Dei*.

Secundò, Toletus vertit, *non possibile est autem, quòd exciderit verbum Dei*, itaque explicat nostram sententiam. q. d. *Non autem*, supple, fieri potest, quòd exciderit verbum Dei. Verùm prior Photij explicatio planior est. q. d. Paulus: Hæc autem quæ iam dixi de Iudæorum repulsa & reprobatione à salute, dico, non quasi *exciderit*, id est irritum sit, *verbum & promissum Dei*: nimirum quòd Deus aliis, scilicet Iudæis, promiserit iustitiam & salutem per Christum; aliis verò, scilicet Gentibus, eamdem dederit. ita Theophyl. Occurrit hîc Paulus obiectioni Iudæorum, qui inferebant in Ecclesia & christianismo Gentium idololatras sibi præferri, dictitantes hoc esse contra promissa Dei.

Obiciebant ergo ipsi Paulo: Promissio Messiæ, iustitiæ & salutis à Deo facta est Abrahæ & semini eius: atqui nos Iudæi sumus semen Abrahæ, non autem Gentiles: ergo si hæc promissio à nobis ad Gentes (vt tu, ô Paule, asseris & prædicas, translata est) sequitur quòd promissio Dei reuocata, cassata & irrita facta sit; quodque Deus sit mendax & infidelis in suis promissis. Huic obiectioni & cauillationi Iudæorum respondet Apostolus v. loqu. hanc promissionem factam esse potius Abrahæ, non carnalibus, sed spiritualibus, puta Christianis, non Iudæis.

Nota, Hoc verbum, siue hæc promissa benedictio, est iustitia, salus, & vita æterna promissa credentibus in Christum, eiusque gratiâ amplectentibus. Id patet Primò, ex sequentibus: soli enim credentes censentur filij Abrahæ, scilicet spirituales, ac consequenter heredes eius benedictionis. Secundò, idem patet ex cap. 3. ad Galat. v. 14. & ex hac epistola c. 4 v. 3. & 24. Tertiò, idem ostenditur ex eo, quòd Apostolus non respiciat ad promissionem Abrahæ factam de terra Chanaan possidenda, deque multiplicanda eius sobole adinstar stellarum cæli: vtrumque enim hoc etiam tempore Christi habebant Iudæi, non Gentes: hæ enim nunquam possederunt terram Chanaan. Apostolus autem docet hîc promissam Abrahæ benedictionem non in Iudæis, sed in Gentibus, puta Christianis, adimpletam esse. Ergo respicit ad promissionem, non illam temporalem iam dictam, sed ad aliam spiritualem, nimirum ad illam, quæ continetur Gen. 12. v. 2. & Gen. 17. 7. estque talis: *Benedicam tibi, eriscq; benedictus: ero Deus tuus, & seminis tui post te*: quia nimirum, vt sequitur Genes. 12. 3. & Gen. 22. 18. *In te, & in semine tuo*, scilicet in Christo, per fidem *benedicetur*, id est iustitiam, gratiam, gloriam assequentur, *omnes gentes*.

Vbi aduerte, in Genesi locis iam iam citatis Abrahæ semini promissas esse duplices benedictiones; vnas carnales, datas carnalibus Abrahæ filiis, puta Iudæis, de possidenda terra Chanaan, deque eius fertilitate, & copia prolis; secundas spirituales, promissas spiritualibus filiis, id est credentibus & fidelibus, vt sunt hæ quas hîc citat Apostolus. Rursum vtrasque benedictiones iam dictas in Genesi locis citatis miscet Scriptura, sicuti Prophetæ futuram Iudæorum redemptionem & felicitatem temporalem miscent cum spirituali. Hereditas enim & possessio terræ Chanaan à Iudæis inita significabat hereditatem cæli, ad quam asciscuntur, & ius acquirunt credentes, in fide & baptismo Christi regenerati, quasi filij iustificati & adoptati à Deo. Apostolus ergo relicta temporali Abrahę benedictione (vtpote de qua nulla erat inter Iudæos & Gentiles contentio, quin ea solis Iudæis cederet) solam spiritualem vrget & persequitur: ad hanc enim asciti sunt Gentiles, Iudæis exclusis.

Abrahæ duplices benedictiones promissæ.

NON ENIM OMNES QVI EX ISRAEL SVNT (qui ex Iacob Patriarcha prognati sunt) II SVNT ISRAELITÆ] veri scilicet secundùm mentem Scripturę, ad quos pertineat diuina promissio spiritualis Abrahę & Israeli facta, de qua iam dixi. Pertinet enim hæc promissio non ad carnales, sed ad spirituales Abrahæ & Israelis, siue Iacobi filios, ad eos scilicet, qui Abrahæ & Iacobi fidem imitantur, quos Apostolus v. 8. vocat filios promissionis: idque probat v. 7. & 9. duobus similibus exemplis, scilicet Isaaci & Iacobi, vt ibi videbimus.

Filij promissionis heredes fidei Abrahæ & Iacob.

NEQVE QVI SEMEN SVNT ABRAHÆ, OMNES FILII] *Neque qui*, græcè οὐδ' ὅτι, neque quia semen sunt Abrahę. Sic quoque legunt Syrus & Ambrosius, estque hęc lectio neruosior. q. d. Non omnes qui ex semine Abrahę carnaliter sunt progeniti, eo ipso censentur filij Abrahę: tales nimirum ad quos pertineat benedictio & hereditas Abrahę. nam, vt sequitur: SED, subaudi. dictum est Genes. 21. 12. ad Abraham, id quod sequitur: VERS. 7.

IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN] Est hebraismus. q. d. Isaac erit & vocabitur tuum semen, id est, verus & genuinus tuus filius, ac consequenter tuę benedictionis heres, non autem Ismael. Sic apud Hebręos, & in S. Scriptura super aliquem vocari semen aut nomen Iacob, est aliquem vocari filium Iacobi aut Iacobęum. Simili hebraismo dicitur hîc v. 8. *Æstimantur in semine*, id est, æstimantur semen.

Secundò & simpliciùs, *in Isaac*, id est in posteris Isaac. q. d. Posteritas tua, ô Abraham, censebitur per Isaac, qui Dei promissione & virtute supernaturali natus est tibi seni, & sterili Sarę; non per Ismael, qui filius est carnis, id est, sola naturali virtute generatus; ac consequenter Isaac & Isacidæ erunt heredes tui, non autem Ismael, nec Ismaelitæ, neque alij tui filij, quos ex Cetura genuisti. q. d. Paulus: Ita ergo etiã iam veri spirituales Israelitæ & filij Abrahæ sunt, non quos naturalis generatio eius, sed quos gratia & virtus promissionis spiritualis regenerauit per fidem & gratiam. & sic patet ex illis non excidisse promissam à Deo Abrahæ benedictionem, scilicet iustitiam Dei, gratiam, amicitiam & salutem: hi enim eorum sunt heredes, id est, pauci Iudæi, & plurimi è Gentibus, per baptismum in Christo renati.

Naturalis generatio nihil facit ad hereditatem & legitimam posteritatem Abrahæ.

VERS. 8. ID EST, NON QVI FILII CARNIS, HI FILII DEI] q.d. Non Ismael, nec alij carnaliter ex Abrahamo geniti sunt filij Dei, quos scilicet Deus adoptauit & promisit Abrahę, vt in iis suas promissiones, putà benedictiones Abrahæ & semini eius promissas, adimpleret.

SED QVI FILII SVNT PROMISSIONIS, ÆSTIMANTVR IN SEMINE] q.d. Sed filij à Deo Abrahę promissi æstimantur *in semine*, id est, æstimantur semen, siue filij & heredes Abrahæ, & consequenter ipsius Dei, diuinæque promissionis Abrahæ factæ.

Duplex huius loci sensus. Nota. Duplex est huius loci sensus. Loquitur enim Apostolus de vtraque filiatione & promissione, scilicet tam de spirituali quàm de temporali Abrahę facta. Nam Isaac duplici modo fuit filius promissus Abrahæ: Primò, temporalis, & sic ipse cum posteris Iudęis, non autem Ismael, heres fuit terræ Chanaan, aliarumque promissionum temporalium Abrahę patri suo factarum: atque hoc sensu Isaac & Isacidæ, siue Iudæi vocantur filij & heredes Dei temporales.

Isaac promissus Abrahæ filius temporalis & spiritualis. Secundò, Isaac quoque fuit filius promissus Abrahæ spiritualis, tum quia Isaac secutus est fidem & gratiam patris sui Abrahę, tum quia Isaac heres fuit promissionum spiritualium, quas Deus Abrahę pollicitus erat, nimirum in semine eius (putà in Christo) benedicendas, id est iustificandas & saluandas, esse omnes Gentes. Christus enim ex Abrahamo per Isaac, non per Ismael descendit. Et hoc sensu omnes fideles & Christiani censentur filij Isaac æquè ac Abrahæ; atque de hisce maximè loquitur Paulus. Hi enim propriè vocantur filij Dei, & hi sunt filij non carnis, sed promissionis, horumque typus fuit Isaac & Isacidæ, siue Iudæi ex Isaac temporaliter prognati. Vnde priorem sensum obiter solùm perstringit, & quasi tantùm ad eum alludit hîc Apostolus, vt ex eo assurgat ad secundum, eumque stabiliat. Scopus enim eius est probare, benedictiones spirituales, putà iustitiam & salutem Abrahæ eiusque posteris promissam, non promissam esse carnalibus Abrahæ filiis, putà Iudęis; sed spiritualibus, putà Christianis.

Christiani filij promissionis ob duas causas. Notæ, fideles & Christianos esse filios promissionis, id est, promissos à Deo. Primò, quia promisit Deus per Prophetas fore Christianos, siue gentem Christianorum. Secundò, quia eis à Deo per eosdem Prophetas promissa est iustitia & salus, eò quòd Christo credant & obediant: hęc enim fidelium generatio non naturalis est, sed libera, fitque per gratiam, quasi patrem; & per consensum voluntatis, quasi matrem.

Nota Secundò. Apostolus loquitur hîc non de hoc, vel illo Christiano in particulari, sed in genere de Christianis in Christum credentibus: hi enim reiectis Iudæis incredulis, successerunt in spiritualem filiationem & familiam Abrahæ, & consequenter in hereditatem benedictionis, putà iustitiæ, & salutis illi promissæ.

VERS. 9. PROMISSIONIS ENIM VERBVM HOC EST] scilicet quod sequitur, citaturque ex Genes. 17. Probat hîc Apostolus, id quod dixit, scilicet Isaac fuisse Abrahæ filium, non carnis, id est, carnali virtute genitum; sed promissionis, id est, virtute diuina à Deo promissa conceptum & genitum. Probat, inquam, ex eo quod dicitur Genes. 18.

SECVNDVM HOC TEMPVS VENIAM, ET ERIT SARÆ FILIVS] q.d. Anno proximo, sub hoc anni tempus veniam ad te, & tunc Sara coniux tua, licet sterilis & vetula, filium habebit. Sunt hæc verba angeli ad Abraham promittentis ei filium Isaac ex Sara coniuge sua, Genes. 18. 10.

VERS. 10. NON SOLVM AVTEM ILLA (Sara) SED ET REBECCA] scilicet idipsum experta est, filios nimirum à Deo censeri non carnaliter genitos, sed eos qui diuinitus promittantur, eligantur & adoptentur. Nam Iacob filius eius (Rebeccæ) licet iunior, quia promissus & electus à Deo, prælatus fuit Esau seniori, factusque est successor & heres Isaaci patris sui.

EX VNO CONCVBITV HABENS] scilicet conceptum vel fœtum. Noster interpres in Græco legit ἐξ ἑνὸς κοίτης, ex vno cubili, vel concubitu. Et ita legit S. Hieron. Ambros. Augustin. Anselm. & alij passim. Iam Græci legunt ἐξ ἑνὸς κλιτοῦ ἔχων, id est, ex vno, scilicet Isaac, concubitum habens, id est concipiens. Vnde Beza & Erasmus volunt nostrum textum hîc esse corruptum. Sed verisimile est Nostrum interpretem habuisse emendatius exemplar Græcum, quia Patres eum sequuntur, estque versionis ipsius pressior sensus & ordinatior. q.d. Ne dicas Ismaelem neglectum à Deo, & ab Abrahamo, quia genitus est ex Agar serua; Isaac verò electum, quia ex Sara libera est natus: en Rebecca, vna ex vno eodemque concubitu simul duos edidit filios, è quibus tamen minor, scilicet Iacob, fuit dilectus & electus à Deo, Esau verò senior fuit neglectus & reiectus. ita Chrysostomus & Theophyl.

Sensus ergo est, q.d. Paulus, Gloriaris, ô Iudæe, te filium esse Abrahæ, arrogas tibi eius benedictionem, iustitiam & salutem; quia filius eius es secundùm carnem. falleris. nam filius carnis fuit & Ismael & Esau, hi tamen à familia Abrahæ sunt excluſi: Isaac verò & Iacob electi & adsciti sunt ad eam; quia filij erant non carnis, sed promissionis diuinæ. Quid miraris ergo, si iam Deus Iudęos in filiatione carnali insistentes & gloriantes repellat; Christianos verò credentes, quasi filios promissionis, adsciscat in familiam Abrahæ, vt sint heredes benedictionis, id est iustitiæ & salutis Abrahæ promissę? nónne vides in hisce non excidisse promissa Dei; esto in Iudæis incredulis ea exciderint, vtpote quibus numquam fuerint promissa?

CVM NONDVM NATI FVISSENT (ex Rebecca Iacob & Esau) AVT ALIQVID BONI EGISSENT AVT MALI] Probat hîc Paulus Rebeccæ filium iuniorem, scilicet Iacob, prælatum esse Esau seniori non ex præcellentia ætatis, natiuitatis, aut etiam meritorum, sed ex electione & promissione diuina, quia nimirum ante eorum natiuitatem & operationem dictum est à Deo, *Maior*, scilicet Esau, *seruiet minori*, scilicet Iacobo.

VT SECVNDVM ELECTIONEM PROPOSITVM DEI MANERET] Primò, Theodor. sic explicat, q.d. Paulus, Ideo Iacob prælatus est Esau, vt electio diuina, qua hos probat, illos reprobat, iuxta ipsorum varia proposita bona vel mala præuisa, maneret firma. Sed hoc est contra mentem & verba Apostoli; ait enim ipse, *Vt propositum Dei*, non hominum, *maneret* (firmum) *secundùm electionem*, vtique non hominum, sed Dei pariter, illius enim est electio, cuius est propositum.

Secundò, S. Chrysost. & Ambrosius sic explicant

tatis propositum, sine decrerum Dei, quo Esau repulit, Iacob amauit, maneret secundùm electionem opere electio facta est ex præscientia, qua præuidit Esau malum, Iacob bonum fore. Electio enim inquiunt ipsi, vnius præ alio non potest esse, nisi distinctio in ipsis electis: & constat ex Malachiæ cap. 1. Esau fuisse odio habitos esse à Deo ob suos peccata. Verùm hic sensus pari ferè modo, quo prior, verbis & magis scopo Apostoli repugnat, vt mox patebit.

Tertiò, S. August. l. 3. ad Simplic. q. 2. eodem modo quidem electionem hanc intelligit; sed vt secundùm electionem propositum maneret, nullis præcedentibus: *Cùm nondum aliquid boni esset aut mali*, quasi ea explicet, imò ex iis educaret. q.d. Elegit Deus Iacob, cùm nondum aliquid boni egisset, & Esau repulit, cùm nondum aliquid mali egisset: ita nimirum, vt propositum hoc Dei quo Iacob elegit præ Esau, non potuerit esse & manere secundùm electionem operum; quia scilicet eligi solet is, qui est melior, sanctior & dignior.

Verùm Nota, Dei electionem v. sequ. opponi operibus ac consequenter eam versari circa paria, & non digna vel indigna. Sensus ergo est: Deus Iacob ante natiuitatem & ante eius opera bona præuit Esau. hac de causa, vt nimirum firmum esset id, quod per se & sponte sua elegerat Deus, & secum constituerat, videlicet Iacob extollere & honorare præ Esau: ex tunc enim Deus suo decreto Iacobum præferebat Esau. q.d. Sicut Deus Iacobum, non quia ipse id merebatur, sed quia ipse filius erat electus & promissus à Deo, prætulit Esau fratri, quasi filio secundùm carnem seniori & digniori, fecitque Iacobum solum heredem benedictionum Abrahæ aui sui; ita allegoricè, non carnales posteros Abrahæ, sed spirituales elegit idem Deus, qui essent filij Abrahæ, & benedictionis illius heredes; idque non ex eorum merito præuio, sed ex libera sua electione & dignatione.

Si ergo quæras, ô Iudæe. Cur Deus noluit posteritatem nostram carnalem; sed aliam, quæ secundùm fidem esset, elegit? Respondeo, Quia ita placuit eligere Deo. Si quæras, Cur in posteris Abrahæ non secundùm carnem, putà in Iudæis; sed secundùm fidem, putà in Christianis, benedictiones promissas Abrahæ impleri voluit? Respondeo, Ideò factum est, non quia Iudæi id demeriti sunt; aut Christiani, antequam essent Christiani, id meruerint; sed quia id ita Deo placuit. ita Toletus annot. 21. & sequ. qui primus genuinum sensum Apostoli hic annotauit. Hunc verum esse sensum Apostoli, patebit ex seqq.

NON EX OPERIBVS (Iacob & Esau præuiis & à Deo præuisis) SED EX VOCANTE (ex gratuita Dei vocatione & electione) DICTVM EST EI (Rebeccæ matri) QVIA MAIOR SERVIET MINORI] putà Esau Iacobo seruiet, non in sua persona, sed in suis posteris. Iudæi enim Iacobi posteri soli, quasi heredes Abrahæ, possederunt terram promissam Chanaan, & beneficiis Dei locupletati sunt, eisque seruierunt Idumæi posteri Esau, tempore Dauidis & Salomonis, vt patet 2. Reg. 8. Iam hæc Iudæis sibi applicanda, & allegoriam Iacobi & Esau adaptandam relinquit Paulus, hoc modo. q.d. Pari ergo iniuria qua Iacob & Esau, nec vos, ô Iudæi, propter opera legis aut naturæ adepti estis benedictionem Abrahæ, vt in iustitia præferremini Gentibus, imò verò, vt dicetur v. 31. quia operibus legis superbè prefisi estis, & fidem ac vocationem Christi respuistis; postpositi & reiecti estis. E contrario verò Gentes, quæ in Dei cognitione, cultu & Ecclesia vobis sunt iuniores, quia non operibus suis confisæ, sed gratiæ & vocationi Dei obsecutæ sunt, vobis prælatæ sunt in hereditaria benedictione salutis & iustitiæ Abrahæ promissa, & per Christum exhibita: vt explicat ipse Paulus v. 30. Vnde pariter & proportionaliter ad hunc sensum asserit S. August. libr. 1. ad Simplician. qu. 2. quòd Esau odio sit habitus & reprobatus, ex eo, quòd vocationem Dei contempserit.

Vt hæc pleniùs intelligas: Nota Primò, hîc filios promissionis, quos significat Iacob, allegoricè esse Christianos baptismo & gratia Christi renatos: filios verò carnis, quos significat Esau, esse Iudæos. Cùm ergo ait Paulus: *Maior seruiet minori*, sensus litteralis est, Esau seruiet Iacobo: sensus verò allegoricus, quem hîc directè intendit Apostolus, est; Iudæi seruient & postponentur Christianis, perinde ac lex vetus seruiuit nouæ. ita S. August. l. 16. de Ciuit. c. 35.

Filij promissionis præfigurati à Iacob sunt Christiani, filij carnis sunt Iudæi, quorum typus Esau.

Nota Secundò. Hæc promissio, vti & vocatio Dei, non excludit, sed potiùs includit liberum arbitrium, quod Dei vocationi respondet & consentit, vt filius promissionis nasci & adoptari possit. Opera enim quæ hîc negat Paulus, non sunt ex fide & gratia facta; nec etiam est ipsum opus, quo fidelis fidem & gratiam acceperat, credit, sperat, pœnitet, vt ad remissionem peccatorum & iustitiam se præparet & disponat: sed per opera, quæ hîc excludit Paulus, intelligit opera legis & naturæ sine fide, & ante fidem ac gratiam Christi facta. hæc enim iactabant Iudæi, quasi ob ea eligendi essent ad iustitiam & salutem.

Promissio & vocatio Dei nõ excludit, sed includit liberum arbitrium.

Dices, Iacob, vtpote infans, vocatus est & electus sine vllis operibus; ergo allegoricè Christiani, qui à Deo vocantur vt sint filij & heredes Abrahę, sine vllis operibus, & sine consensu liberi arbitrij vocantur.

Respondeo. Nego conseq. non enim per omnia hîc est similitudo, sed in eo tantùm, quòd neutri ex operibus, id est meritis præuiis, sed vtrique, id est, tam Iacob, quàm Christiani, ex Dei gratia, vocentur, vt sint filij & heredes Abrahę: ita tamen vt Christiani iam, vtpote viri, vocationi Dei liberè consentire debeant, itaque fieri filij Abrahę, quod Iacob, vtpote infans, facere non potuit, vt nimirum suæ generationi & natiuitati ex Abrahamo liberè consentiret.

Vocatio Iacob & Christianorum non supponit merita, sed harum vocatio requirit liberum consensum.

Rursum cùm Apostolus ait, *Non ex operibus, sed ex vocante*, non tantùm excludit opera iam actu facta, licet id velit S. Chrysost. & Theodoret. clarum enim est talia non potuisse esse tunc, cùm nondum nati erant operantes; sed etiam excludit opera futura, quæ à Deo præuisa sunt. Hisce enim omnibus opponit vocationem & electionem Dei; alioqui enim verè ex operibus, & non ex pura vocatione & gratia facta esset hæc electio. Sicuti ex sententia Theologorum docentium, Deum nos elegisse ad gloriam ex præuisis meritis, falsum esset dicere, electionem hanc factam esse ex vocante, & non ex operibus: licet enim non sit facta ex operibus actu existentibus, facta est tamen ex operibus futuris & præuisis, quę in Dei præscientia quasi præsentia sunt & existunt. Verè ergo & absolutè dicendum est, quòd hæc electio

Vocatio prima excludit opera existentia & futura.

facta

facta sit ex operibus,& non ex solo vocante Deo: pari ergo modo per opera hîc non solùm actu existentia,vel facta, sed etiam futura, quæ à Deo præuisa,intelligenda sunt.

Nota duo Apostoli corollaria.

Nota Tertiò,Ex dictis duo hîc tacitè infert Apostolus.Primum,non esse irrita promissa Dei Abrahæ facta, sed in Christianis, quibus promissa sunt, impleri. Hoc enim intendit probare à v.6. hucusque.

Secundum est,reconciliationem cum Deo obtingere homini non ex operibus iustitiæ,sed gratis, per Dei vocationem & gratiam. Ex ea enim Deus iam non carnales posteros Abrahæ,sed spirituales filios elegit & vocauit, qui essent filij Abrahæ, ac consequenter iustitiæ & benedictionis heredes:hæc enim electio & adoptio est ex mera Dei voluntate, neutrius merito vel demerito; placuit tamen Deo eam Christianis & credentibus dare & consignare, cùm æquè eamdem Iudæis & circumcisis, posterisque Abrahæ carnalibus dare & consignare potuisset,si voluisset.

Loquitur hîc Apostolus de electione & vocatione ad filiationem & salutem, non ad gratiam præuenientem.

Nota Quartò. Non loquitur hîc Apostolus, vt dixi initio capitis, de electione & vocatione ad gratiam præuenientem, sed ad filiationem, iustitiam & salutem.Hæc enim est benedictio & hereditas Abrahæ,quæ proinde supponit illos nasci filios, non carnis, sed spiritus: filij autem spiritus nasci non possunt, nisi per fidem baptismo renascantur Christiani:hæc ergo præsupponuntur benedictioni & hereditati, imò & filiationi à Deo iam institutæ & acceptatæ. Deus enim in filios suos iam adoptare & acceptare statuit eos solos, non qui circumcisione & lege, sed qui baptismo & fide Christi spiritualiter renascuntur. Priùs ergo natura sic renasci debent,quàm à Deo in filios Abrahæ adoptentur. Sicut olim Iudæi priùs ex Abraham nasci debebant, quàm eius filij secundùm carnem esse possent.

SICVT SCRIPTVM EST (Malachiæ 1.) Iacob DILEXI,ESAV AVTEM ODIO HABVI]Probat hîc Apostolus,promissionem,qua dixit, Maior seruiet minori, putà Esau seruiet Iacobo, reipsa impletam esse,ex eo, quòd Malachias, vel potiùs Deus per Malachiam dicit:*Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Quintuplex horum verborum explicatio. Prima, Chrysostomi & aliorum.

IACOB DILEXI] Primò,S.Chrysost.Theodoret. Oecumen.Theophyl. sic explicant. q.d.Iacob ad æternam vitam & coronam dilexi & elegi: Esau verò in æternum reprobaui,antequam quidquam boni vel mali actu & reipsa egissent; quia huius opera pessima, illius verò opera optima fore præuidi. Sed hoc est contra mentem Apostoli v.11. & 12. Patet enim non opera facta, quæ satis excludit,cùm ait,*Cùm nondum nati essent*; sed futura omnia à Deo præuisa ab eo hîc excludi: his enim omnibus opponit vnam Dei electionem.ita S.August.& passim alij.

Secunda, Petri Lombardi.

Secundò, alij planè ex aduerso prædestinationem & reprobationem, saltem quoad primum effectum, volunt esse ante omnem præuisionem operis & peccati, etiam originalis. q.d.Sepositа omni præuisione peccati, etiam originalis,Iacob, id est prædestinatos, elegi, *Esau*, id est reprobos, *odio habui*,id est,permisi labi in peccatum & damnari. ita Petrus Lombardus lib.1.Sentent. d.41. & alij.

Tertia, S.Thomæ.

Tertiò, S.Thomas, *Iacob*, inquit, *dilexi*, id est, prædestinaui sine eius meritis, sed *Esau odio habui*, id est,reprobaui & damnare decreui,sed ob præuisa eius demerita. Hinc aliqui sic exponunt, id. Sine meritis Iacob ad gloriam dilexi & elegi: & hoc tantùm, inquiunt, vult hîc probare Apostolus. *Esau autem odio habui*, post præuisa demerita id est, Esau post præuisa eius peccata reprobaui & damnaui. Ponunt enim ipsi duplicem reprobationem: Primam permissiuam vel negatiuam,qua permittitur reprobos peccare,& in peccato mori. Hæc prædestinationi opponitur non contradic, sed contradictoriè, sicuti opponuntur misereri & non misereri. Secundam positiuam, qua Deus mortuum in peccato reprobat & damnat. Iam priorem censent fieri ante demerita, secundam post demerita.

Quartò,Caietan.& alij multi,*Iacob dilexi*,id est, inquiunt,gratiam talem tamque congruam dare Iacobo decreui, qua peccato originali, omnique alio liberetur, & ad vitam æternam perueniret. *Esau* autem ob peccatum originale *odio habui*, id est, sibi permittere decreui, vt in peccata labatur & damnetur: & vtrumque hoc factum est ante præuisa vtriusque merita.Huic sensui fauere videtur S.August.epist.105.

Pro genuino huius loci sensu Nota, nec Paulum, nec Malachiam loqui de Iacob & Esau,personaliter tantùm; sed & vel maximè, de posteris eorum. Rursum non loqui eum de singulis prædestinatis & reprobis, nec de dilectione vel electione ad gloriam, & reprobatione ad infernum; sed ad litteram loquitur directè Malachias de posteris Iacob & Esau; aitque; illos dilectos & electos esse ad bona potissimùm temporalia, præ posteris Esau, vt patet intuenti Malachiam. Nam verisimile est saluatum esse ipsum Esau:& multò magis Iob, eiusque filios, & alios oriundos ex Esau. (S.Iob enim prognatum esse ex Esau, docent S.August. Origenes, Chrysost. Ambros. Gregor. Sedulius, Abulens. & alij, quos citat & sequitur Pineda in Iob c.1.v.1.n.32.) Idem patet intuenti Apostolum hîc, maximè v.præced. Apostolus tamen ex electione Iacobæorum siue Iudæorum præ Idumæis ad bona temporalia, allegoricè assurgit ad prædestinationem Christianorum præ Iudæis ad benedictionem & bona spiritualia.

Sensus ergo est: Quòd dixi Iacob prædestinatum à Deo vocāte, & prælatum fuisse fratri Esau, siue quòd *maior seruiet minori*, id patet ex euentu. ita enim, vt alia priora taceam, euenisse docet suo tempore Malachias;videlicet quòd cùm tamen ô Iudæi, quàm Idumæos propter peccata Chaldæis vastandos tradidissem, vos tamen diligens, dilectionemque pristinam conseruans, ex captiuitate Babylonica reduxerim, & in patriam restituerim: Idumæos autem in vastitate & captiuitate Babylonica reliquerim,& eorum terram in solitudinem redactam draconibus habitandam dederim,vt ait Malachias. Ecce hoc est ad litteram *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Vnde patet hæc verba non referri ad v.11. *Cùm nondum nati essent*: quia tunc Malachias necdum scripserat, *Iacob dilexi*:sed ad illud v.præced.*Non ex operibus sed ex vocante dictum est: Maior seruiet minori.* Quòd enim hæc vocatio & prophetia, quæ dicit, *Minor seruiet minori*, verè impleta sit, probat ex eo quòd de facto Deus dilexerit Iacob, postquam is natus est, Esau autem odio habuerit, vt testatur Malachias.

Dilexi ergo Iacob,non ex operibus,sed ex mera vocatione & dignatione, quia ante omnem prae-

rem meritorum statui eum eiusque posteros A ideoque dilecti: respuerunt Iudæi; & ideo odio sunt habiti. Apostolus enim hîc totus in eo est, & hoc tantùm intendit ostendere, cur scilicet Gentes iustitiam sint adeptæ, Iudæi verò ab ea sint reiecti & reprobati, vti probaui initio capitis.

Rursum idem patet ex eo, quòd hic versus, vti & alij præced. & sequentes pendeant & educantur ex v. 6. Omnes enim eò diriguntur, vt demonstrent filios, non carnis, sed fidei & spiritus, putà fideles Christianos, esse filios & heredes benedictionis, id est, iustitiæ Abrahæ promissæ; ideoque non excidisse promissa Dei Abrahæ facta, vtpote quæ filiis Abrahæ spiritualibus, non autem carnalibus, promissa & præstita à Deo sint. Hæc autem promissa benedictio facta Abrahæ eiusque filiis B secundùm fidem & spiritum, non est alia quàm iustitia & amicitia cum Deo, vti initio capitis ostendi: ergo dilectio hæc Iacob præ Esau pariter est iustitia & amicitia cum Deo. Nam Deus dilexit Iacob ad hoc, vt eum benedictionis Abrahæ faceret heredem. *Iacob* ergo *dilexi*, id est, Iacobo & Iacobi filiis secundùm fidem & spiritum, putà Christianis, contuli benedictionem Abrahæ; hoc est, eos in Christum credentes iustificaui, sanctificaui, & in filios meos adoptaui: *Esau autem odio habui*, id est Idumæos, Iudæos, aliosque infideles, qui sunt posteri Abrahæ secundùm carnem, & quorum typus fuit Esau, repuli à mea iustitia, sanctitate & adoptione.

Non ergo intendit hîc Apostolus ostendere, vt rectè docet Toletus annot. 24. cur aliquis in particulari, Petrus v.g. electus sit ad gloriam, Iudas verò reprobatus sit ad gehennam. *Specialem alicuius in particulari prædestinationem vel reprobationem hic locus non concernit.*

Huic tamen speciali prædestinationi & electioni nonnulli hæc verba Apostoli sic accommodant: Ante præuisionem meritorum Petrum dilexi, id est, Petro gratiam prædestinationis dedi; scilicet talem, cui præuidebam eum cooperaturum, perseueraturum, & cõsequenter saluandum: Iudam verò odio habui, id est, Iudæ gratiam non dedi talem, sed aliam, cum qua præuidebam eum non perseueraturum, sed casurum & damnãdum; licet hoc non intenderem: quia seriò & sincerè dedi ei gratiam, sicuti dedi Petro; intendens vt & ipse cooperaretur & perseueraret, quod ipse tam facilè ac Petrus facere poterat, si voluisset, sed præsciebam ipsum hoc non facturum, idque ex mera sua libertate. Hæc enim præscientia futuræ vel non futuræ cooperationis & effectus, distinguit gratiam prædestinationis, quæ datur electis, à gratia communi, quæ datur reprobis. Hæc autem gratia prædestinationis non datur ex operibus, sed ex gratia & liberali voluntate, proposito & intentione Dei. Verùm, vti iam dixi, hic sensus est accommodatitius, non autem propriè destinatus vel intentus ab Apostolo. *Potest applicari prædestinationi Petri, & Iudæ reprobationi.*

QVID ERGO DICEMVS? NVMQVID INIQVITAS, græce ἀδικία, id est iniustitia, EST APVD DEVM?] Apostolus hîc occurrit tacitæ obiectioni: Si Deus sine merito Iacob dilexit, Esau verò illi æqualem odio habuit; ergo iniustus videtur: hoc autem dicere est impium. Respondet Apostolus: ABSIT, & rationem reddens, atque obiectionem soluens subdit: VERS. 14.

MOYSI ENIM DICIT: (Exodi 33. 19.) MISEREBOR CVIVS MISEREOR] id est, cuius voluero misereri. Est hæc generalis Mosis sententia vbique vera; Apostolus tamen eam applicat ad suum propositum, VERS. 15.

tum, q.d. Prædestinatio hæc & electio Iacobi præ Esau, & allegoricè filiorum fidei Abrahæ, id est Christianorum, præ filiis carnis, id est Iudæis, non est cuipiam debita, nec opus iustitiæ, sed misericordiæ, ac consequenter mihi liberum & gratuitum; numquam ergo iniquum. q.d. Ergo nulla est iniquitas in carnalium Iudæorum repulsa, & credentium acceptatione ad iustitiam, gratiam & salutem, quæ sunt benedictio Abrahæ & semini eius promissa. quia acceptatio hæc nulli est debita, sed planè est in Dei arbitrio, vt eam det gratis & gratiosè, cui voluerit. non ergo Iudæis feci iniuriam, cùm Gentibus feci misericordiam; potui enim, prout volui, in fide collocare benedictionem Abrahæ: sicut poteram in carnali generatione & circumcisione eamdem collocare; sed nolui: volui enim tam Gentes, quàm Iudæos per fidem facere Ecclesiam meam. Quare non genuinè, nec ad mentem Apostoli Anselmus hæc sic explicat, q.d. Cuius miserebor per vocationem, eiusdem miserebor per operationem, id est, faciam vt talis credat & recte operetur.

Nulla in Deo iniquitas, quando Iudaos reiecit, Gentes verò elegit.

VERS. 16. IGITVR NON VOLENTIS, NEQVE CVRRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI] Tollitur, inquit Caluinus, hîc cooperatio liberi arbitrij, interior per (*volentis.*) exterior per (*currentis*) quia totum opus bonum est *miserentis*, id est, gratiæ Dei. Respondeo. Verum est. in hac causa & quæstione quam hîc agitat Apostolus, tollitur liberum arbitrium, quia hæc causa & quæstio solum Deum tangit, non hominem, vti mox ostendam: ergóne illud ipsum in humanis operibus, meritis, conatibus, quæ humani sunt arbitrij & electionis, tollendum est?

Sextuplex huius loci expositio. Prima, Caluini.

Secunda, Origenis, Ambros. Hieron.

Secundò, Origen. Ambros. & Hieron. q. 10. ad Hebræos volunt hæc esse verba obiicientis Iudæi. Vnde & S. Chrysost. & Theodoret. aiunt Paulum his verbis augere quæstionem.

Tertia, Photij & Chrysost.

Tertiò, Photius & Chrysost. sic explicant: Non est volentis, neque currentis tantùm, sed etiam Dei miserentis. Verùm hoc refellit D. Augustin. quia sic pariter dicere potuisset Paulus: Non est Dei miserentis, scilicet tantùm, sed & hominis volentis, atque currentis: intelligit ergo S. Augustin. id, quod hîc ait Paulus, solius Dei miserentis esse. Sed respondere posset S. Chrysost. S. Augustino, Paulum non pari ratione hoc dicere potuisse, quia potiores partes in bono opere, conuersione & iustificatione sunt gratiæ Dei miserentis, ac præuenientis, non hominis volentis: hocque tantùm hac phrasi Hebraica Paulum significare voluisse. Hebræi enim ita comparationem suam efferre solent, vt quod maius est affirment, quod minus est negent; vt *misericordiam volo, non sacrificium*, id est, misericordiam magis volo, quàm sacrificium. Vide canonem 36.

Quarta explicatio aptantium hunc locum prædestinationi singulorum, non ex præuisione operum, sed ex mera Dei voluntate.

Quartò, aliqui Doctores Scholastici ex S. Augustino epist. 105. aptant hæc ad prædestinationem singulorum, quæ non est ex operum præuisione, sed ex sola Dei voluntate. Misereri enim, inquiunt, est dare gratiam congruam, cum qua videt Deus hominem cooperaturum & saluandum: vt autem Deus det talem gratiam nobis, nō aliam incongruam, cum qua præuidet nos non cooperaturos, hoc mereri non possumus.

Quinta, Lud. Molinæ ex S. Augustin.

Quintò, Lud. Molina ex S. Augustin. Enchiridij c. 32. exponit: *Non est volentis, scilicet velle, neque currentis, scilicet currere, sed Dei, qui sua gratia & misericordia nos excitat ad velle, eique cooperatur: nam velle etiam nostrum est; sed præparatur, vt velit voluntas à Domino.* q.d. Velle id quod bonū est, hoc inquam, velle non est vitium naturæ, sed gratiæ; cui tamen gratia & misericordia non excludit, sed includit liberum gratiæ amplexum, siue liberum arbitrium gratiæ consentiens, & per gratiam operans: est enim hic liber gratiæ amplexus gratiæ præcedentis effectus; gratiæ verò cooperantis & comitantis concausa vel potiùs concausatio.

Verùm ex dictis patet, omnes hasce expositiones directè non tangere scopū & sensum S. Pauli. Non enim ipse hîc disputat de causa boni operis, nec etiam de prædestinatione ad gloriam vel ad gratiam congruam; sed disputat de iustitia & gratia iustificante, quæritque vnde ea nobis obueniat, an à nostra bona voluntate & conatu, an verò à gratia & misericordia Dei?

Sextò, ergo optimè & planissimè ad litteram Anastasius in quæst. S. Scripturæ, q. 59. sic explicat, q.d. Paulus: Benedictio Abrahæ & Isaac non fuit Esau volentis & currentis in campum ad venandum; vt, cùm ex sua venatione comedisset patri, benediceret ei; sed fuit Iacobi, cuius Deus misertus est, vt in eum caderet, non in Esau, licet is senior esset & primogenitus. Rursum, vt rectè explicat Toletus, Iacob benedictionem, & ex ea filiationem hereditatemq; Isaaci patris sui, & consequenter Abrahæ aui sui est consecutus, vt nomen Abrahæ & Isaaci familia censeretur esse familia Iacob & Iacobæorum, non autem familia Esau & Idumæorum; idque obtinuit Iacob, non ex eo quòd ipse monitu matris suæ volens & currens citiùs attulit hœdum, quàm Esau; sed quia Deus ita voluit & misertus est eius, non Esau.

Pari modo allegoricè, quòd populus Christianus, cuius typus fuit Iacob, ex Gentibus & Iudæis adunatus per fidem Christi, in posteritatem Abrahæ reciperetur, vt nimirum ipse esset Ecclesia & populus Dei, & consequenter heres iustitiæ & salutis, indeque heres donorum Spiritus sancti amicitiæ & protectionis Dei (quæ fuit benedictio Abrahæ promissa;) Iudæi verò carnales reiicerentur à iustitia, ac consequenter à populo & Ecclesia Dei, vt non essent ex amicis & ex filiis Dei; hoc, inquam, non contigit ex voluntate, aut præuisis operibus horum, vel illorum, sed ex sola Dei voluntate, cui placuit in fide Christi collocare benedictionem & filiationem Abrahæ, vt fideles Christiani sint populus, filij & Ecclesia Dei; sicut olim erant Iudæi secundùm carnem ex Abraham nati, quia tunc ita placebat Deo; nunc autem aliter visum est.

Opera ergo quæ hîc excludit Apostolus, quibusque negat nos meruisse hanc benedictionem & iustitiam, sunt, non opera ex fide facta, sed circumcisio, aliaque opera legis Mosaica præscripta, ex quibus Iudæi hanc filiationem & benedictionem Abrahæ sibi deberi putabant, sed falsò. Vnde hîc ea eorum operibus opponit Apostolus Dei vocationem, dilectionem, misericordiam, gratiam, & fidem per Christum exhibitam & propositam, atque ex hac, non autem ex operibus Mosaicis iustificari & saluari docet, vrget & inculcat. Hic enim est scopus totius capitis, imò totius epistolæ, vti dixi initio.

Dices, In Christianis fides est dispositio ad iustitiam, & meretur de congruo ipsam iustificationem: nam, vt ait S. Augustin. epist. 105. *Nec ipsam fidem*

...peccatorum sine aliquo merito est, sed fides hanc impe-
...tat. Et epist. 106. *Si quis*, inquit, *dixerit, quòd gra-*
...tiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus,
...sed verè gratissimè confitemur. Ergo iustificatio non
...est meræ gratiæ, nec solius miserentis Dei.

Respondeo. Nego consequentiam, quia meri-
...tum hoc de congruo non aliud est quàm dispositio,
...dispositio autem propriè non dat meritū, nec
...vim iustificandi, sed tantùm est dispositio ad iustitiam, quia Deus ita voluit, cùm posset aliter statuere; quinimmò sine dispositione posset nos iustificare. Fidelis ergo licet & pœnitens quis sit, gratis tamen & misericorditer ac indebitè accipit remissionem peccatorum, & iustificatur, quia ita placuit Deo miserenti. Sicuti si rex reis læsæ maiestatis daret veniam, restitueretque in suam gratiam, & pristinam dignitatem; sed eos solos qui ad eius regiam venirent, & veniam peterent: omnes ita veniam adepti, non suo labori aut petitioni, sed regis misericordiæ veniam hanc & restitutionem attribuerent: ita & hîc cum Deo res nostra se habet.

Adde, vt (miserentis) opponi (*volentis & currentis*) scilicet viribus naturæ, & suis, non verò opponi volenti & currenti viribus gratiæ & misericordiæ Dei, sed potiùs illud includere aut præsupponere. Non enim miseretur, id est, iustificat Deus aliquē, nisi quem nasci secundùm spiritum, id est, fidelem & pœnitentem viderit. Hic enim solus est Abrahæ filius, cui hæc misericordia promissa est.

DICIT SCRIPTVRA, Exodi 9. 16. PHARAONI: QVIA IN HOC IPSVM EXCITAVI TE, VT OSTENDAM IN TE VIRTVTEM MEAM] Probauit Apostolus v. 15. & 16. præced. non esse iniquum coram Deus gratuita electione & voluntate Iacob elegerit, eiusque misertus sit, sine illius operibus & meritis. Hic probat secundam antitheſis suæ partem, scilicet quòd Esau odio habuerit, & noluerit eius misereri, id non ex demeritis Esau præ Iacob accidisse, sed ex Dei voluntate, qui noluit eius misereri. Est enim hoc Deo liberum, vt peccet in Pharaone, quem, quia obduratus erat in suis peccatis, sibi suisque peccatis permisit, & dimisit, ac tandem puniuit mergendo eum in mari rubro; cùm tamen misertus sit Nabuchodonosoris & aliorum, qui æquè vt Pharao mali & obdurati fuerunt.

EXCITAVI TE] te, ô Pharao, regem constitui, fabricavi, vt vertit Chaldæus, & LXX. conseruaui, permisique vt in populum meum tyrannus insurgeres, vt ego vicissim in te, quasi hostem, tot plagis potentissimis insurgerem, tandemque te mergerem in mari rubro; vt sic omnes meam iustitiam ac potentiam agnoscant, timeant & colant. ita S. Chrysost. & Photius.

Aliter Anselm. Excitaui, inquit, tuam malitiam coram per mea signa & plagas, vt durior fieres. Sic etiam explicat D. Thom. & S. August. libr. 3. contra Iulian. c. 2.

VT OSTENDAM IN TE VIRTVTEM MEAM] Nota. Hæc non prima & præcipua, sed vna inter alias & vltima causa fuit cur Deus excitarit Pharaonē. Prima enim causa fuit, vt Pharao Deo creatori suo obediret, & benè beateque viueret, qui finis est omni homini à Deo præstitutus. Sed quia præuidebat Deus eum contumaciter monitis suis & potentiæ obluctaturum; hinc hanc eius malitiam ordinauit ad suam gloriam, vt eum per miraculo-

Cornel. in epist. Pauli.

sas plagas castigando comprimeret, corrigeret & conuerteret: sed cùm ijs magis indurari cerneret, plagas plagis addere decreuit, & tandem cum suis mergere eum in mari rubro, ad hoc, vt hæ plagæ & clades omnibus hominibus Dei virtutem, non longanimitatem, vt interpretatur Oecumen. sed, vt græcè est, δύναμιν, id est potentiam, ob oculos ponerent, atque impijs & rebellibus metum Dei incuterent.

Impij à Deo tolerantur vt saluentur.

Nota, Pharaonem & impios tolerari à Deo primaria voluntate ad hoc, vt se corrigant & saluentur. Id enim docet Paulus Roman. 2. v. 4 Vocula ergo *vt*, hîc euentum vel causam remotam significat, vti iam explicui. vide can. 24.

VERS. 18.

ERGO CVIVS VVLT MISERETVR, ET QVEM VVLT INDVRAT] Hinc horrendum suum dogma de reprobatione & prædestinatione deducit Caluinus; docetque quòd Deus post lapsum Adæ, vt efficaciter singulos electos elegit & destinauit ad gloriā, quasi ad finem suum, & consequenter eosdem destinauit ad fidem & gratiam, quasi ad media tali fini congrua; ita pariter singulos reprobos ante omnem præuisionem operum & demeritorum destinauit ad pœnas æternas, quasi ad finem suum, & consequenter eosdem destinauit ad actus malos, quibus has pœnas mererentur: atque ex hac prædestinatione, inquit ipse, manat executio efficax gratiæ & gloriæ in bonis & electis, in malis verò & reprobis manat certus & necessarius lapsus in peccata quælibet, atque in ijs obduratio, excæcatio, mors & damnatio æterna; ita vt homo in negotio salutis vel damnationis suæ æternæ nihil liberè agat, sed agat actus & adactus in omnibus à Deo: perinde ac agitur & adigitur globus à rotante, securis à secante, lutum à figulo, cui renui nequit, imò à quo non tam agit, quàm agitur & patitur. Hoc est fatum Caluini longè generalius, efficacius & violentius fato Stoicorum.

Horrendum dogma Caluini de prædestinatione & reprobatione.

Fatū Caluini violēs eius fato Stoicorum refutatur.

Verùm si hoc fatum demus, vt taceam illius impietatem in Deum, rectè reprobi dicent cum Luciano in Ioue confutato: *Si Parca omnium verū est causa: ergo si quis patrem occiderit, Parca in culpa est. Si Minos rectè velit vti iudicio, multo æquiùs fatum pro Sisypho puniet, & Parcam pro Tantalo. Quid enim illi iniustè egerunt, quando iussis dicto audientes fuerunt?* Sæpè mirari soleo, quomodo tam atrox blasphemia, tam horribilis sententia, imò quæuis aliæ hominibus à Caluino persuaderi potuerint; cùm ex hoc vno quasi ex vngue leonem agnoscere possint & debeant. Hinc enim sequitur, vt alia omittā, hominem necessariò velit nolit, peccare, quoties peccat; necessariò blasphemare & execrari Deū, quoties blasphemat & execratur; ac consequenter omnes eos qui damnantur, damnationem hanc non potuisse auertere, sed necessariò & ineuitabiliter damnari, & æternis ignibus cruciari. Hoc enim Dei decretum præuium, quod ponit Caluinus, homini reprobo est ineuitabile & ineluctabile, eiusque pariter executio ineluctabilis est.

Absurda quæ sequūtur ex Caluini hæresi de reprobatione.

Imò ex hoc eius principio & fato sequitur, non hominem, qui tantùm motum Dei necessariò recipit, sed Deum solum, qui motum imprimit, & ad actum malum impellit & prædeterminat, ex mera & libera sua voluntate: Deum inquam, solum causare actum peccati, & consequenter solum peccare. quæ est blasphemia à sæculis non audita, nimirū quòd aliquis Deum, qui ipsissima est bonitas per essentiā, & omnis boni fons, faceret omnis

malitiæ fontem, id est, ex Deo faceret dæmonem: hoc nostro sæculo fecit Caluinus. ô tempora! ô monstra! horrunt hoc Manes & Manichæi, & ne Deo bono tam essent iniurij, illi Deum quemdam malum opposuerunt, quasi fontem omnis mali. Longè hoc erat tolerabilius.

Manem & Manicheos impietate & blasphemijs superat Caluinus, dum Deum facit auctorem peccati.

Omitto quòd hoc fatum Caluini hominem in desperationem adigat: si enim quos libuit Deus damnationi & gehennæ addixit, sine vllo præuiso eorum demerito, quis non timeat? non percellatur? quis non semper anxius decretum hoc Dei capiti suo imminens suspiciat dicatque. Quid si Deus damnationi me addixerit? quis scit an inter reprobos me collocarit? si ita est, actum est de me; perij, æternùm ero miser & damnatus, vt quid de bona vita laboro? pereundum mihi est, imò peccandum. Ad hoc vrgeor Dei fato, cui reluctari, à quo me subducere tam est impossibile, quàm contra Deum pugnare.

Pulchrè & grauiter S. August. c. 23. de Gratia & libero arbitrio: *Deus*, inquit, *reddit mala pro malis, quia iustus est; bona pro malis, quia bonus est; bona pro bonis, quia bonus & iustus est: solùm non reddit mala bonis, quia iniustus non est.*

Excutitur sensus horũ verborum, Cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat.

Nota. *τὸ reddit* non prædefinit, non præuenit, non prædeterminat. Quod ergo ad verum & orthodoxum sententiæ Paulinæ sensum attinet; putant aliqui hanc eius illationem: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, non inferri ex mente ipsius Pauli, sed ex mente Iudæorum, Paulo aduersantium & obstrepentium, qui hanc sententiam, quasi ingens absurdum, ex dictis Pauli colligant, illique obiectent. ita censet Origen. & S. Hieron. ad Hedibiam q. 10.

Verùm non hæc, sed proximè sequentia verba esse obijcientium Iudæorum, patet ex iis ipsis. Sequitur enim, *Dicis itaque mihi &c.*

Dico ergo, Apostolus hîc ex illo testimonio, *Misebor cuius misereor*, scilicet Iacobi, & allegoricè populi fidelis, siue Christiani, quem dilexi, infert: *Ergo cuius vult miseretur.* Ex illo verò, *In hoc ipsum excitaui te vt ostendam in te virtutem meam*, infert & colligit: *Ergo quem vult indurat*, scilicet Pharaonẽ; & per consequens, non ex operibus, sed quia vult, odio habet Esau, & allegoricè carnales Iudæos, quos repellit à benedictione Abrahæ. Hoc enim est quod toto hoc capite probare contendit, scilicet Dei voluntate credentes adscitos, & Iudæos repulsos esse à benedictione Abrahæ. Omnes ergo hæ sententiæ pendent, & connexæ ac concatenatæ sunt cum v. 13. deducuntur enim omnes hæ antitheses ex prima illa v. 13. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, illiusque probatio & explicatio sunt.

Omnes hæ sententiæ Pauli connexæ sunt cum versu 13. eumq; explicant.

Nota Primò. Deus *indurat*, id est, indurat propriè & consequenter odio habet, vt Esau; & punit ac puniuit, vti Pharaonem. ad hos enim omnes iam dictos, putà Esau, Pharaonem, &c. se extendit *τὸ indurat*, per metalepsin.

Deum indurare peccatorem nihil est aliud quàm iustè non misereri, eumq; in peccato relinquere.

Nota Secundò. Deus indurat peccatorem, quia eius non miseretur, sed eum in sua duritia & peccatis relinquit; eamque aut indulgendo aut flagellando augeri permittit: opponit enim Apostolus hæc duo, misereri & indurare. Ergo indurare est non misereri: cùm ergo misereri sit liberare à peccato (peccatum enim maxima est miseria, quæ maxima indiget misericordia) & iustificare; sequitur quòd non misereri siue indurare sit idem, quod in iustitia & peccatis duritiaque sua peccatorem relinquere & negligere: sic enim se explicat Apostolus v. 22. Nam peccatores se sua malitia propriè & directè obdurare docet Isaias cap. 1. 26. & Dauid psal. 94. 8. Idem patet in Pharaone, qui in Scriptura quasi speculum & exemplar obdurationis proponitur, de quo propriè hîc loquitur Apostolus. Quòd enim Pharao non à Deo, sed à seipso suaque malitia propriè & directè sit obduratus, demonstratur.

Primò, ex eo quòd Deus misso Moyse Pharaoni decies præcepit dimissionem populi Iudaici: ergo voluit vt missum faceret populum; non ergo eum obdurare voluit. Hoc enim propriè velle est velle efficaciter vt Pharao nolit populum dimittere: velle autem vt dimittat, idque præcipere, ac rursum efficaciter id nolle, ideoque obdurare, manifestè inter se pugnant. Rursum si Dei voluntas erat obdurare Pharaonem, ergo Pharao ei se conformans non peccabat: Dei enim voluntas omnis bonæ voluntatis mensura est.

Secundò, Deus reluctantẽ Pharaonem grauissimè punuit: atqui *Deus non est auctor eorũ, quorum est vltor*, inquit S. Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 3.

Tertiò, Pharao ipse paulatim Deo, Moysi & Hebræis cessit, dum Primò eos sine prolibus & armentis; Secundò, cum prolibus, sed sine armentis; Tertiò, omnino cum suis abire permisit: ergo ipse se flectebat & obdurabat. quin verò Pharao ipse non tam impius fuit vt duritiei suæ causam in Deum euomeret, sed sibi eam tribuit Exodi 10. 16. *Peccaui*, inquit, *in Dominum.* Quod enim Caluinus Deum culpa liberare contendat, peccatum Pharaoni, obdurationem Deo tribuendo, tam impiè quàm imperitè id facit; si enim duritiei Pharaonis peccatum est, cur pariter peccatum non sit obduratio, quæ duritiei est causa? causa enim ad peccatum impellens vtique peccat, Ioan. 8. 34. Rom. 1. 32. & vel maximè tunc, cùm efficaciter impellat, ei alter resistere nequeat. At instat Caluinus; obdurare in Deo non esse culpam; quia iustum hoc Dei iudicium est. Sed friuola est & inanis hæc illusio. si enim duritiei culpa est, quocumque fine, quocumque iudicio ad eam impellas, culpam admittis: quod enim in se malum est & culpa, nullo fine licet. ideoque non iustum est hoc, sed impium Caluini iudicium: tantumque est dicere ac si apertè pronuncies, Deus peccati auctor est, sed hoc fine, vt iudicium suum & præcedentium peccatorum vindictam exerceat.

Quartò, non Pharao tantùm sibi, sed & Scriptura culpam & obdurationem eidem tribuit; quin eum iam immunem & liberum à pœna, ad ingenij sponte rediisse narrat Exodi 8. 15. *Videns*, inquit, *Pharao quòd data esset requies, ingrauauit cor suum.* Etc. 9. 34. *Videns Pharao quòd cessasset pluuia, auxit peccatum, & ingrauatum est cor eius*, id est, vt habetur in Hebræo, וַיַּכְבֵּד לִבּוֹ *iachbed libbo*, id est, *aggrauauit ipse cor suum.* Idem patet c. 8. v. vlt. in Hebræo. Vnde quoties Noster interpres in Exodo vertit, *ingrauatum est*, accipe *ingrauauit se, cor*, id est voluntas, *Pharaonis*; sic enim Hebræa vbique veritas. Ipse ergo Pharao propriè & positiuè se indurauit. Deus verò permissiuè & negatiuè: quia cùm voluntatem eius sua manu contineret, illam à malo non compescuit, sed illi laxauit frena, ad Hebræorum oppressionem: sicut qui canem venaticum fumibus ligatum tenet, in leporem eum dicitur immittere, si eum vinculis soluat, & in leporem ferri sinat.

Rursum

Barbara Deus subtrahendo & suspendendo fla- A gellum, quæ Pharaonem molliebant, eum indurat, quia ipse cessantibus ipse mox ad ingenium & duritiem suam rediit. Quando enim Deus plagas iubebat Pharaoni, Pharao promittebat quòd dimitteret Hebræos; quando verò plagas subducebat, rursum indurabatur Pharao. Vnde Exodi 8. 15. dicitur: *Videns Pharao quòd data esset requies, aggravavit cor suum.* ita Anastas. Nicenus in quæstionib. S. Scripturæ, q. 29.

Adde, sicut pueri nequam verberibus fiunt duriores, sic & Pharao verberibus Dei indies factus est durior. Vnde sicut præceptor flagellando puerum pertinacem, dicitur eum flagellis suis obdurare, magisque pertinacem efficere: ita Deus suis plagis dicitur induravisse, & durius reddidisse cor Pharaonis durum & pertinax, non effectivè, sed B obiectivè, id est, non efficiendo & immittendo illi duritiem, sed obijciendo flagella, quibus ipse magis sibi ipsum obduravit, fortiusque Deo restitit. Ita explicant hunc locum Patres omnes, & interpres Catholici.

Nota Tertiò. Misereri hîc in Apostolo generaliter, sed Apostolus illud applicat Iacobo, quòd scilicet Deus è captiuitate Babylonica eum reduxerit, & allegoricè credentibus, quòd scilicet ipsi à seruitute peccati à Deo gratis sint liberati, & iustificati, vt dixi. Poterat enim Deus, si voluisset, credentes, immò & pœnitentes, non iustificare, id est eorum non misereri.

Nota Quartò. Vt omnia dicta in vnum colligamus, hæc omnes antitheses, quas Apostolus à v. 7. hucusque conglomerat, applicandæ & explicandæ sunt per hoc, quòd Christiani, qui sunt filij spiritus promissionis gratiæ & fidei, credendo in Christum, eique obediendo, benedictionem Abrahæ, id est iustitiam, sint adepti: Iudæi verò, qui sunt filij carnis, id est, carnaliter nati ex Abraham, quique ex operibus vi legis & naturæ factis, id est humanis & carnalibus, iustitiam quærebant, eamque parere & producere contendebant, repellendo fidem Christi, à benedictione pariter & iustitia, ac ea iuris sint repulsi. Quod vt clariùs demonstrem, applicabo singulas antitheses.

Prima est v. 7. Nõ Ismael filius carnis, sed Isaac filius promissionis æstimatur filius Abrahæ & heres: ita non Iudæi filij carnis increduli, sed Christiani credentes quasi filij promissionis, æstimantur filij & heredes benedictionis iustitiæ Abrahæ.

Secunda est, v. 12. *Maior seruiet minori*, id est, Iudæi postponentur & seruient Christianis. D

Tertia est, v. 13. *Iacob dilexi, Esau odio habui*, hoc est, Christianos credentes dilexi, Iudæos incredulos odio habui.

Quarta est, v. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: id est, iustitia non est Iudæi volentis & currentis ad eam naturæ viribus & operibus, sed est Christiani credentis, cui Deus iustitiam misericorditer largiri & donare voluit.

Quinta est v. 18. *Cuius vult*, v. g. Isaaci, Iacobi, Nabuchodonosoris, *miseretur; quem vult*, v. g. Ismael, Esau, eorumque posteros & Pharaonem, *obdurat*. Id est, Deus misereretur populi Christiani fidelis, dando ei iustitiam; Iudæos verò fidei rebellionem patrat, id est, in sua iniustitia, duritia, rebellione permittit ac deserit, & à vera iustitia ac salute aeterna repellit.

Sexta est v. 21. 22. 23. vbi Apostolus Christianos credentes vocat vasa in honorem, & vasa misericordiæ: Iudæos verò incredulos vocat vasa in contumeliam, vasa iræ, apta in interitum.

Vbi Nota Quintò, Iudæos semper hîc accipi debere incredulos, & fidem Christi repellentes, sinæque legi insistentes: sicut in Christianis inuoluitur acceptatio fidei & gratiæ, & obedientia erga Christum. nec enim Christiani electi sunt ad iustitiam, nisi priùs præuisa fuerit eorum fides & obedientia: nec Iudæi antè reiecti à iustitia, quàm præuisi sunt fidem & gratiam Christi repellere. Sicut ergo in Christianis fides præsupponitur eorum dilectioni & benedictioni, id est iustificationi: ita in Iudæis semper includitur & præsupponitur eorum incredulitas, quasi obiectum odij. Ob incredulitatem enim suam à Deo reiecti & odio habiti sunt: ita vt à parte rei prius sit eos esse incredulos, quàm odio haberi à Deo; sicuti vice versa, prius est Christianos credere & obedire Christo, quàm diligi & iustificari à Deo. Hæc est ergo perpetua antithesis Apostoli, quam tot probat exemplis; nimirum, *Iudæi increduli repulsi sunt à iustitia, Christiani verò credentes iustitia donati sunt.* Ad hanc omnia collimant, per hanc resoluenda sunt omnia, hic est scopus, hæc mens Apostoli.

Mens & scopus Apostoli est ostendere Christianos ob fidē electos, Iudæos ob incredulitatē reiectos.

Nota Sextò. Apostolus vtrumque horum dicit factum esse ex vocante & miserente Deo, non ex operibus præuijs: quia quòd credentes iustificentur; alij verò non credentes repellantur à iustitia, est misericordiæ Dei, cui placuit in fide cõstituere iustitiam, & credentes gratis iustificare; cùm potuisset non credentes in Christum iustificare, & alia in re iustitiam constituere, aliumque iustificationis modum præscribere, v. g. circumcisionem, aut naturalem descensum ex Abraham, milleque alios modos, quos Deus ipse habet in thesauris suæ sapientiæ & prouidentiæ.

Misericordia Dei est in fide constituere iustitiam.

Ex dictis clarum est, Apostolum non agere hîc de vocatione congrua vel incongrua ad primam gratiam vel gloriam; nec de gratia efficaci, vel inefficaci: sed agere de vocatione ad iustitiam.

Apostolus hîc non agit de vocatione congrua vel incongrua.

Nota Septimò. Apostolus primariò hîc intendit ostendere, quòd Isaac Ismaeli, Iacob Esau fratri suo, id est, Christiani Iudæis sint prælati & prædilecti, non esse ex meritis eorum præuijs; secundariò tamen ostendit, quòd Ismael, Esau & Iudæi sint odio habiti, id est neglecti, postpositi & repulsi à familia, benedictione & iustitia Abrahæ, id non accidisse ex eorum demerito præuio, præuio inquam, ante fidem vel repulsam fidei, quasi in iudaismo demeruerint præ Gentibus repelli; sed vtrumque hoc fuisse voluntatis & electionis Dei, qui ante omne meritum vtriuslibet, voluit Isaac præ Ismael censeri & esse & filium & heredem Abrahæ, ac Iacobum præ Esau benedici ab Isaac, eiusque & per illum Abrahæ censeri filium & heredem; ac consequenter vtriusque posteros, Israelitas scilicet & Iacobæos, præ Ismaelitis & Idumeis, filios esse & heredes Abrahæ.

Electio Isaaci & Iacobi nõ fuit ex meritis præuijs, nec Ismael & Esau repulsa ex demeritis.

Si dicas, postea Idumæos odio esse habitos ob peccata, cùm, vt ait Malachias, capti & euersi sunt; Respondebit Paulus, & Iacobæos peccasse, & captos esse ob sua peccata. Non ergo ex operibus & demeritis, in quibus erant pares, hi præ illis dilecti & reducti sunt; sed quia hos, & horum parentes præillis dilexit & elegit Deus in populum & Ecclesiam suam. Similiter quòd Pharaonem præ Nabuchodonosore & alijs indurarit, id est, in sua

sua malitia & duritia reliquerit & oppresserit Deus, nō fuit ex demerito Pharaonis, quasi durior & deterior fuerit Nabuchodonosore & alijs similiter obduratis: sed quòd voluerit Nabuchodonosoris misereri, eiq́ue regnum restituere, Pharaoni noluerit. Ita planè in sensu allegorico (quem maximè hîc significare intendit Apostolus, ita tamen, vt priorem sensum literalem tantùm obiter quasi perstringat, & præsupponat suæ allegoriæ) quòd Iudæos incredulos præ Christianis credentibus repulerit, & odio habuerit idem Deus, non fuit ex demeritis præuijs, quasi Iudæi in iudaismo præ Gentibus in gentilismo, id demeruerint, cùm vtrique fuerint in peccatis, & magis Gentes: sed fuit ex voluntate Dei, qui voluit credentes eligere ad iustitiam, incredulos ab ea repellere.

Sensus allegoricus in his omnibus à Paulo intentus.

Si ergo quæras, cur Christiani electi sunt ad iustitiam, Iudæi verò ab ea repulsi? Respondet Apostolus v. 30. & sequ. quia Christiani fidem Christi amplexi sunt, Iudæi eam repulerunt. Si pergas quærere, cur Iudæi fidem repellentes reiecti sunt, Christiani verò amplectentes fidē electi? Respondit semper hucusque Apostolus causam esse, quòd Christiani credentes sunt filij promissionis, quos elegit Deus, eiq́ue promisit misericordiam, putà iustitiam. Hoc est, quia placuit Deo in fide Christi collocare benedictionem, & filiationem Abrahæ, ipsam scilicet iustitiam; non autem, quia Gentes hoc meruerunt, vel Iudæi in iudaismo demeruerunt, aut meruerunt ea priuari præ Gentibus. Ecce hoc est quod toties per tot sententias hîc voluit, reuoluit & inculcat Apostolus.

Placuit Deo in fide Christi collocare benedictionem.

VERS. 19. DICIS ITAQVE MIHI: QVID ADHVC QVERITVR?] Græcè μέμφεται, id est queritur, conqueritur, non autem quæritur, conquiritur; licet ita legat & intelligat S. Thomas. Est occupatio querula. Obijciet enim quis, Si Deus *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: cur ergo queritur, conqueritur, & succenset Deus Pharaoni, alijśque impijs per Prophetas, eośque punit? Ipse enim Deus, vt ais, ô Paule, eos indurat.

VOLVNTATI ENIM EIVS QVIS RESISTIT?] aut, vt græcè est, ἀνθέστηκε, id est, restitit vmquam. Hanc obiectionem Apostolus Primò, retundit obiectu absoluti dominij & maiestatis Dei, contra quam nemo queri possit aut debeat. Deinde directè illi respondet v. 22.

Contra Dei absolutum dominium, maiestatē, & reuerentiam superbi & arroganter non possunt queri.

Nota. Statim illi respondere potuisset Paulus, Deum iustè queri de impijs, quia propria voluntate peccant. Verùm quia agit contra superbos & querulos impios, qui irreuerenter & arroganter queruntur, seq́ue opponunt Deo, Deiq́ue voluntati & iudicijs: hinc Primò, eorum superbiam, & superbam querelam retundit obiectu reuerentiæ & celsitudinis diuinæ, maximè quia hoc ipso, licet non respondeat ad ipsam eorum interrogationem & obiectionem, ad originem tamen & causam eiusdem respondet.

Causa hæc est, quòd impij nolint subesse voluntati diuinæ, eiusq́ue imperio, illudq́ue vellent excutere si possent, vtpote per quod sciunt se plectendos & damnandos. Dicunt ergo ipsi: Si Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quid mirum est nos esse miseros & induratos? voluntate enim Dei tales sumus voluntati autem eius quis resistit? Hanc causam aufert & elidit Apostolus dicens voluntatis diuinæ, vtpote sapientissimæ, optimæ & eminentissimæ à creatura non esse quærendam rationem; neminem enim de ea ecce vel illi obstrepere debere, sed illam omnes sic ouenerari, illiq́ue summa humilitate & reuerentia se submittere debere. Ait ergo,

O HOMO, græcè μενοῦνγε, atqui ô homo, TV QVI ES, QVI RESPONDEAS DEO?] Pulchrè S. Gregor. Moral. c. 8. inquit: *Respondere Deo non possumus, qui homo nominatur; qui per hoc quod de humo sumptus est, iudicia superna discutere dignum non est.*

NVMQVID DICIT FIGMENTVM EI QVI SE FINXIT: QVID ME FECISTI SIC? AN NON HABET POTESTATEM FIGVLVS LVTI, EX EADEM MASSA FACERE ALIVD QVIDEM VAS IN HONOREM, ALIVD VERO IN CONTVMELIAM?] Pergit Apostolus reprimere & reprimere importunam & arrogantem impiorum contra Deum obiectionem, dicens, quòd non magis Deo factori & creatori suo resistere vel oggannire debeant, quàm lutum figulo.

Nota Primò. Apostolus hîc Deum comparat figulo, & homines luto, non quasi homines æquè ac lutum electione & libera voluntate destinatur: contrarium enim hîc significat Apostolus v. 22. & v. 24. & quia alioqui pari ratione homines æquè ac lutum anima & ratione carerent, inquit S. Chrysost. sed vt significet, quòd homines non magis Deo miserenti vel induranti, puniri vel præmianti obstrepere debeant, quàm lutum figulo, vt statim planiùs ostendam. Ad hoc ergo tantùm inducitur hæc figuli & luti similitudo: eam alludit hîc Paulus ad Ierem. cap. 18. 6. vbi dicit Dominus, *Ecce sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea.* q.d. Sicut vas luteum est in manu figuli, vt illud frangat, & ex eo faciat aliud vas, vel prius renouet: sic & ego vos, ô Iudæi, à me defectos Chaldaico excidio. si pœnituerit is, reformabo, mutabo sententiam, & calamitatem vestram in felicitatem conuertam. ita Theodor. vt et vas contumeliæ, id est inglorijs, fiatis vasa in honorem, id est honorifica.

Nota Secundò. S. Augustin. & alij censent Apostolum hîc loqui de massa, id est communitate hominum non tantùm originali, sed & actuali peccati respersa (loquitur enim hîc Paulus de impijs & incredulis Iudæis) ex qua hos Deus liberat, & eligit ad gloriam; alios relinquit, & destinat ad pœnam æternam. ita S. Augustin. l. 1. ad Simplicianum, & Fulgent. ad Monimum l. 1. c. 26.

Vbi aduerte. Ex massa peccati originalis, Deus non intendit positiuè facere aliquem vas in contumeliam, vt demonstraui v. 11. sed tantùm permissiuè, imò Deus intendit quantum est ex parte sua, omnes ex hac massa corrupta & perdita eripere & saluare per Christum. Ideo enim Christum mediatorem omnibus dedit, volens quantum est ex parte sua, vt per Christum omnes saluentur. Ex massa verò & complemento peccatorum actualium, quæ peccatores ipsi faciunt, & adijciunt peccato originali, etiam positiuè facit Deus vas in contumeliam; quia destinat eos ad pœnam & opprobrium æternum, quos videt in peccatis hîc suis mori. Ex hoc ergo Apostoli loco et aliis mentem S. Augustini intellecto non rectè ei[illegible] aut concluditur, Deum aliquem reprobasse, vel decreuisse à regno cælorum excludere ob solum præuisum peccatum originale eius, vel ante actualia eius peccata, in quibus præuidebatur ipse moriturus. Imò Gregor. de Valentia 1. p. q. 23. puncto 3. col. 463. docet ad hanc perditionis [illegible]

mente S. Augustini pertinere, & in eam recidere, qui post originale peccatum sibi remissum actualia peccata committunt. Hoc est enim quod ait S. August. Enchir. 29. *Creatura rationalis quæ in hominibus erat, peccatis atque suppliciis, & originalibus, & propriis tota perierat.* Et epist. 105. *Vna, atque eadem massa peccatorum & impiorum, in qua & Iudæi & Gentes, remota gratia Dei, ad vnam pertinebant perditionem.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Propter hoc est inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis vel additamento etiam propriæ voluntatis.* Et paulò post: *in vasis*, inquit, *propter meritum massæ, in contumeliam debitam factis* (id est, in omnibus ijs qui ob peccata destinati sunt ad gehennam) *iniquitatem damnare nouit Deus, non facere.* Et l. 83. quæst. q. 68. docet reprobos non posse dicere Deo, Cur me fecisti in contumeliam? quia iam sunt massa luti, id est peccati, post Adæ præuaricationem. Et concludit: *Si vis hoc posse dicere Deo: Cur me sic fecisti? noli velle, sed efficere filius Dei per ipsius misericordiam.* Quocirca graues Theologi ex mente S. Augustini docent, Deum neminem reprobasse, id est cælo excludere, & destinasse gehennæ, nisi post præuisum finale peccatum; quòd scilicet in originali vel actuali peccato moreretur. Audi Card. Bellarm. lib. 2. de Gratia & lib. arbitr. c. 16. *Dicimus*, inquit, *causam reprobationis esse præuisionem peccati originalis, vel actualis: quia non omnes Deus reprobat propter originale peccatum, cùm illud vere à nonnullis reprobis per baptismi gratiam remittatur; sed alios propter originale tantùm, vt paruulos non baptizatos; alios propter actuale tantùm, vt baptizatos adultos; alios propter vtrumque, vt infideles adultos. de qua re vide Aug. de nupt. & grat. c. 13. & Prosperum in respons. ad c. 2. Gallorum.* Verùm quid quid sit de hac massa peccatorum eorumque electione & reprobatione: dico de ea non loqui hîc Apostolum.

Vt ergo genuinam Apostoli mentem explicem; dico, Deum tantùm in eo comparari hîc figulo; quòd sicut figulus potest ex eodem luto facere vas vnum in honorem, aliud in contumeliam: ita Deus ex eadem massa hominum, cuius vult misereatur, & quem vult indurat. Cuius ergo misereatur, id est, quem à peccato liberat & iustificat, vti Christianos credentes, hos facit vasa in honorem: quem verò indurat, vti Pharaonem, & Iudæos incredulos, hos facit vasa in contumeliam. sed sicuti Deus positiuè & directè misereatur; sic positiuè & directè facit vasa in honorem: & sicut permissiuè & indirectè tantùm indurat; sic permissiuè & indirectè tantùm facit vasa in contumeliam. Non ergo vas in honorem hîc est electus ad gloriam, nec vas in contumeliam est reprobatus ad gehennam: sed vas in honorem est iustificatus, vas in contumeliam est impius qui est in peccato.

Posset Secundò, τὸ *misereri* temporaliter accipi pro dare bona & præmia temporalia, qualia Deus dedit Iacobo & Iudæis; *indurare* verò per metalepsim, vt dixi, pro punire, & malis afficere, vt plagis affecit Deus Pharaonem. Vnde Toletus censet Apostolum hac similitudine tantùm velle significare, quòd Deus pro libito nulla alia causa nisi dominij summi & potêtiæ eminentissimæ, quam habet in homines, possit quæuis bona vel mala cuilibet immittere: sicut figulus pro libito vasa facit aut vilia aut honorifica. Et sic vas in cõtumeliam non est peccator formaliter: sic enim Deus non facit vas in contumeliam: sed est is cui Deus pœnas & mala irrogat, vti Pharao, Esau, Iudæi: contrà is est vas in honorem cui Deus bona & beneficia confert, vti Iacob & Christiani. Sed prior sensus quem dedi, pressior est, profundior, & præcedentibus magis connexus.

Denique in hac antithesi græcè elegans est paronomasia. Vocatur enim σκεῦος εἰς τιμὴν καὶ σκεῦος εἰς ἀτιμίαν, id est, vas decoris, & vas dedecoris.

Tropologicè Nota. Lutum est homo, quia ex limo factus: vt cum timore & humilitate Deo se subdat, in cuius manu est status noster, gloria, diuitiæ, virtus, salus, & omne bonum nostrum; nimirum vt discat homo totus pendere à Deo, quasi figulo suo, illique se totum restituat, cuius potestatem effugere non potest. Sic ergo hac phrasi tacitè iubet & monet nos Deus, vt cum Ierem. c. 18. iam citato, sæpè descendamus ad domum figuli; vt videamus originem patris nostri Adami ex luto, hebraicè Adami ex adama, lutei ex luto, nobisque dicamus: Quid superbis terra & cinis, imò lutum vilissimum, quod pecudum pedibus calcatur?

Sensus tropologicus.

Sæpè descendendum hominis ad domum figuli, & originem suam.

Secundò, sicut lutum tantùm est lutum; sed ex manu figuli hanc vel illam formam sortitur: ita homo ex sua humo nil nisi humum & lutum habet; sed ex Deo habet quòd sit homo rationalis, diues, nobilis, sapiens, felix, gratiosus. Deus enim cuique dat suam formam, & *cuique diuidit sua dona prout vult*, Eccli. 33. v. 10. ipse enim fecit nos, non ipsi nos.

Tertiò, hinc sequitur quòd quisque sua sorte contentus esse debeat: sicut enim lutum non potest dicere figulo, Cur me fecisti sic? sic nec nos Deo dicere possumus, Cur nos fecisti pauperes, ignobiles, rudes, infirmos; illos verò diuites, nobiles, sapientes, validos & fortes?

QVOD SI DEVS VOLENS OSTENDERE IRAM, ET NOTAM FACERE POTENTIAM SVAM, SVSTINVIT IN MVLTA PATIENTIA, VASA IRÆ, APTA IN INTERITVM, VT OSTENDERET DIVITIAS GLORIAE SVAE IN VASA MISERICORDIAE, QVAE PRAEPARAVIT IN GLORIAM] Apostolus hîc perfectè respondet querelæ, quam proposuit v. 19. Si Deus homines indurat, cur queritur & induratos punit? Respondet ergo hîc hoc modo, q. d. Indurati ipsi positiuè se fecerunt, & aptarunt vasa iræ; Deus ergo non fecit eos, sed *sustinuit*, id est, patienter peccare permisit, differens diu supplicium, sicque eos indurasse dicitur. idque duplici de causa. Prior est, vt iram, id est iustam & potentem suam vindictam, in eos ostenderet, vti fecit, dum Pharaonem mersit in mari rubro. Putabat enim Pharao, Dei patientiam, per quam non puniebat eum Deus, impotentiam esse. Posterior est, vt ex hac seueritate Dei in induratos appareat glorioſa Dei misericordia, opulentia, & liberalitas *in vasa misericordiæ*, id est, in sanctos & electos, quibus non pœnam, sed gloriam præparauit.

VERS. 22. & 23.

Duplici de causa Deus permissiuè se habet erga peccatet.

Nota Primò, *Quòd si Deus sustinuit vasa iræ*, supple quid ad te? vel tu quis es, qui respondeas Deo? quid habes quòd queri possis? Est enim hîc aposiopesis, siue reticentia frequens Apostolo.

Nota Secundò. *Vasa misericordiæ* hîc non vocantur efficaciter electi ad gloriam, sed credentes & iusti; quos gratia sua dirigit & ordinat Deus ad gloriam, vt patet ex sequentibus: consequenter vasa iræ sunt mali & indurati, qui se ordinant & disponunt ad iram & pœnam æternam.

Vasa misericordiæ nõ sunt efficaciter electi ad gloriam.

Nota Tertiò. *Vasa misericordiæ* eadem sunt cum ijs, quæ v. præc. vocantur vasa in honorem; sic vasa iræ vocantur ea, quæ sunt in contumeliam.

Vasa iræ propria culpa aptata sunt ad interitum.

Nota Quartò. *Vasa iræ* non aptauit Deus, sed *apta*. græcè κατηρτισμένα. id est, aptata & apparata sunt, propria scilicet culpa & impœnitentia (ita Græci Patres, D. Thomas, & passim interpretes) ad interitum & condemnationem. Vnde & Deus non fecit, sed sustinuit ea in multa patientia, patienter scilicet expectans eorum resipiscentiam & pœnitentiam, quam vtique non exspectasset, nisi ipsa in illorum fuisset manu & potestate; quia scilicet paratus erat Deus eos sua gratia adiuuare, si eam illi implorare, eique cooperari voluissent. E contrario, vasa misericordiæ Deus præparauit in gloriam. bonum enim & prædestinatio à Deo est; malum verò & reprobatio à nobis est: homo solus peccare potest & peccat; Deus verò solus à peccato liberat. B

VERS. 24. QVOS ET VOCAVIT NOS NON SOLVM EX IVDAEIS, SED ETIAM EX GENTIBVS] Nota. τὸ *quos* refert *vasa misericordiæ*, quæ præcesserunt, putà sanctos: τὸ *quos*, ergo idem est, ac si dicat, Hæc vasa misericordiæ, non lutea, sed humana sunt ij, quos Deus ad se, suamque gratiam, amicitiam & filiationem *vocauit*, nempe *nos* fideles, tum ex Iudeis, tum ex Gentibus.

Nō soli Iudæi à Messia vocandi erant.

Putabant Iudei se solos à Messia vocandos esse ad eius regnum, Ecclesiam, & bona omnia. Contrarium hîc probat Apostolus ex Prophetis, nimirum Gentes quoque ab eo ad eadem bona vocandas esse.

VERS. 25. SICVT IN OSEE DICIT: VOCABO NON PLEBEM MEAM, PLEBEM MEAM] q. d. Vocabo Gentes idololatras, quæ non fuerunt plebs mea, ad meam fidem & cultum, vt, cùm fuerint ad me conuersæ, vocem eas plebem meam. S. Paulum rectè citare Oseæ locum, eumque de Gentibus explicare ostendi Oseæ 1. v. 10. C

ET NON MISERICORDIAM CONSECVTAM, MISERICORDIAM CONSECVTAM] Delent hoc Græca, Origen. Ambros. Chrysost. Theoph. Oecumen. Sedul. & alij, sed legunt Biblia Romana, aliaque Latina, & S. Hieron. in Oseæ 1. ibique habent illud Hebræa. Illud verò (*non dilectam*, *dilectam*) quod non habet Syrus, nec Hebræus, habent LXX. quoad sensum in Oseæ, & Græca ac Latina hîc. Vide Notationes Franc. Lucæ in S. Script. Iam sensus hic planus est. Gentes enim, quas paulò antè dixit ex non plebe factas esse plebem Dei, hîc ex statu derelictionis, dicit esse translatas in statum misericordiæ & gratiæ Dei, vt plebs Gentilis, quæ antea non erat misericordiam consecuta, iam vocaretur misericordiam consecuta.

Gētes quomodo ex nō plebe factæ sint plebs Dei.

D

VERS. 26. ET ERIT: IN LOCO, VBI DICTVM EST EIS: NON PLEBS MEA VOS; IBI VOCABVNTVR FILII DEI] q. d. In loco, vbi antea non erat plebs mea, putà in Italia, Gallia, Germania, India, *ibi vocabuntur*, id est, erunt filij Dei. τὸ enim *vocari* per metonymiam sæpè in Scriptura significat, esse. Quod enim reipsa tale est, hoc per sermonem tale dici & vocari potest.

VERS. 27. ISAIAS AVTEM CLAMAT PRO ISRAEL] Probat hîc Paulus ex Isaia priorem partem v. 24. scilicet quòd Deus ad se suamque gratiam vocabit per Christum Iudæos ad Christum conuertendos, sed paucos. Plerique enim omnes, vt ait Paulus v. 32. offenderunt in lapidem offensionis, putà in Christum. Posteriorem partem v. 24. de Gentibus ad Christum vocandis & conuertendis, iam probauit Paulus v. 25. ex Oseæ Propheta. Ait ergo Isaias:

Curtam pauci Iudæorum ad Christū cōuertendi.

SI FVERIT NVMERVS FILIORVM ISRAEL TAMQVAM ARENA MARIS (innumerabilis) RELIQVIA (id est pauci) SALVÆ FIENT] Isaias habet, *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam*. Vnde patet cæteros omnes Iudæos reiectos esse, vti hactenus docuit Paulus, & in eorum locum Gentes surrogatas accepisse promissa Dei; ac proinde ea non excidisse, sed in Gentibus impleta esse, quod à v. 6. hucusque probare intendit & contendit Apostolus.

VERBVM ENIM CONSVMMANS ET ABBREVIANS IN ÆQVITATE] supple, Deus est. Vt patet ex Græco, vbi *consummans* est nominatiui casus; *abbreuians* verò accusatiui. Sic enim habet Græcus, λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων. q. d. Deus consummabit & abbreuiabit verbum, id est, rem, putà numerum fidelium ex Israel breuem, id est exiguum, conficiet: idque *in æquitate* & iustitia; tum qua iustificredulos & impios Iudæos ita abbreuiauit, consumpsit & attriuit (quod propriè hîc spectat Paulus;) tum qua vice versa primos credentes pioque Iudæos, putà Apostolos, & per eos omnes gentes fecit abundare æquitate, iustitia & sanctimonia. Sicut enim Deus iustus est in infideles & impios, eos puniendo & consumendo: ita iustus est in fideles & pios, eos præmiando, faciendo scilicet vt in eis & per eos in alijs gentibus abundet gratia & iustitia. Vtrumque hunc sensum, sed magis posteriorem, significant verba Isaiæ, qui habet: *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.*

Pro quo Nota. Citat hic Paulus Isaiam c. 10. qui ad literam loquitur de Iudæis ex vastatione Sennacherib reliquis; de eisque ait, *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam*. q. d. Tempore Ezechiæ vastatio illa Sennacherib, quæ plurimos Iudæorum consumpsit & abbreuiauit, id est, paucos fecit; faciet vt in paucis reliquis Iudæorum superstitibus, *inundet*, id est instar aquarum exundantis abundet, iustitia, tum puniens impietatem, tū præmians pios, quos hoc terrore & clade perculsos ad Deum verum inuocandum & colendum compulerit; vti reipsa euenisse patet 2. Paralip. 30. 7. Hæc allegoricè (quod maximè hîc intendit Spiritus sanctus) hanc sententiam de suis Iudæis explicat S. Paulus, q. d. *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam*, id est consumam, faciamque finem, & quidem breuissimum iudaismi & Iudæorum per Titum, ita tamen vt pauci ex ijs relinquantur & conuertantur ad Christum; & tum iustitia, quæ ex fide est, inundabit & propagabitur per omnes gentes, orbemque pietatis, quasi altero diluuio obruet. Hoc est ergo *verbum breuiatum*, *quod faciet Dominus super terram*, vti prædixit Isaias.

Secundò, *verbum abbreuiatum* hoc accipi potest de breuissimum Euangelicæ fidei & electionis præceptum, quod pro cunctis lacinioſæ & sinuosæ legis cæremonijs & prophetijs successit. ita Origen. August. Anselm. Oecumen. & alij veteres. Euangelium enim est compendium legis, quia ex duobus eius præceptis, *Diliges Deum & proximum, tota lex pendet & prophetæ.*

Addit S. Chrysost. idem verbum dici consummatum in iustitia, quia iustitia, quam lex dare non poterat, dat Euangelium; aut, vt Ambros. quia verbum hoc fidei & Euangelij consummationem attulit peccatorum: vel, vt Photius, quia Euangelio non succedit aliud Euangelium, sicuti legi successit

Euan-

Euangelium; quia Euangelium plenam docet iu- A stitiam & perfectionem hominis.

Tertiò, S. Hieron. ad Algasiam, quæst. 10. & S. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos 3. *Verbum incarnatum*, inquiunt, *est Verbum ad hominis vsque naturam deiectum, & exinanitum: vt quod cælo non capiebatur, gremio caperetur*, ait S. Bernard. quod saluas fecit reliquias Israel, quodque absoluit & consummauit tot promissiones dilatas, tot historias typicas, tantarum rerum initia & elementa vix delineata veteri testamento, & iustitiæ exundantem induxit orbi. Addit Haymo, consummationem abbreuiatam esse passionem Christi, quæ tribus diebus fuit consummata, itaque abbreuiata, per quam iustitia & sanctitas totum orbem inundauit. Rursum in passione Christus omnia consummauit, dixitque, *Consummatum est*: ipse quoque nunc fuit abbreuiatus in fama & vita, & capite quasi minutus. B

ET SICVT PRAEDIXIT ISAIAS: NISI DOMINVS SABAOTH RELIQVISSET NOBIS SEMEN, SICVT SODOMA FACTI ESSEMVS, ET SICVT GOMORRHA SIMILES FVISSEMVS] q.d. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, id est, aliquos superstites; fuissemus ibi, vt Sodoma, omnino deleti. Loquitur Isaias adhuc eram de Iudæis qui superfuerunt captiuitati Babylonicæ. Allegoricè S. Paulus idipsum explicat hîc de paucis Iudæis, qui in communi cæterorum infidelitate crediderunt in Christum. q.d. Nisi tempore Christi parum reliquiarum, videlicet B. Virginem, Apostolos, & paucos electos ex Iudæis credentes elegisset Deus, reprobatus fuisset totus Israel ob infidelitatem, & periisset, vti Sodoma. ita S. Hieron. Cyrillus, Rupertus, Haymo in Isaiæ 1. & S. August. l. 1. ad Simplician. q. 2. Hoc C tropologicè sibi applicet dicatque pœnitens, & gratia Deo anima: Nisi semen gratiæ & sanctarum inspirationum reliquisset Deus in me, perissem in peccatis meis, vt Sodoma.

Alij, vt Origenes & Photius apud Oecumenium per *semen* hoc accipiunt Christum, vel doctrinam Christi.

QVID ERGO DICEMVS? QVOD GENTES, QVAE NON SECTABANTVR IVSTITIAM, APPREHENDERVNT IVSTITIAM: IVSTITIAM AVTEM QVAE EX FIDE EST. ISRAEL VERO SECTANDO LEGEM IVSTITIAE, IN LEGEM IVSTITIAE NON PERVENIT] q.d. Iudæi sectantes *legem iustitiæ*, id est, legem ipsorum opinione iustificantem, *in legem iustitiæ*, id est, in legem verè iustificantem, venerunt quidem, hoc est per legem quasi radicem) venire cœperunt, sed D non peruenerunt. q. d. Falsus est Israel putans se habere legem iustitiæ, cùm lex iustitiæ non sit lex vera, sed lex gratiæ.

Græca pro *non peruenit*, habent οὐκ ἔφθασε, id est proprie, non anteuertit, non præuenit, scilicet Israel Gentes, in acquirenda iustitia.

Nota. Hic Apostolus post longam totius capitis disputationem resoluit quæstionem, & dat propriam causam cur reiecti sint Iudæi à iustitia & salute. Gentes verò ad eam sint ascitæ & electæ: nimirum quia Iudæi eam quæsierunt, vbi non debebant, scilicet in operibus legis, non in fide Christi, vbi eam posuit Deus: hoc est enim quod subdit Apostolus,

QVARE? QVIA NON EX FIDE, SED QVASI EX OPERIBVS] supple, iustitiam quæsierunt Iudæi: Gentes verò fidem Christi amplexæ sunt, & per hanc fidem quæsierunt & inuenerunt veram iustitiam. Hic versiculus cum sequenti diligentissimè notandus & perpendendus est. Directè enim soluit nodum litis & controuersiæ Iudæorum & Gentium.

Nota. Cùm ait Paulus, *quasi ex operibus*, τὸ *quasi* non est similitudinis, nec comparatiuum, sed assertiuum. Adde, τὸ *quasi* sonare præsumptionem vel fastum: præsumebant siquidem Iudæi sibi propter opera legis deberi iustitiam, sed falsò. *τὸ quasi nō est comparatiuū, sed assertiuum.*

OFFENDERVNT ENIM IN LAPIDEM OFFENSIONIS (in Christum) SICVT SCRIPTVM EST, ECCE PONO IN SION LAPIDEM OFFENSIONIS, ET PETRAM SCANDALI] Citat Paulus Isaiæ c. 28. 16. & c. 8. 14. Cap. 28. sic habet Isaias: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion*, id est, Ecclesiæ, quæ in pentecoste cœpit in Sion, *lapidem angularem*. Cap. verò 8. sic habet: *Timorem eius* (scilicet regis Syriæ Rasin) *ne timueritis, neque paueatis: Dominum exercituum sanctificate* (id est glorificate, sperando in eum, illique placendo & obediendo, sicque vobis eum conciliando) *ipse* (sit) *pauor vester, & ipse terror vester* (tum passiuè, quem vt terribilem reuereamini: tum actiuè, qui faciat vos regi Syriæ & hostibus terribiles) *& erit vobis in sanctificationem*. q.d. Dominus credentes & sperantes in se sanctificabit, & vt sanctos suos proteget, eritque eis quasi sanctuarium & asylum. Hoc enim significat Hebræum מִקְדָּשׁ *micdas*. *Incredulis autem ex duabus domibus*, hoc est, ex duobus regnis, putà Iuda & Israel, siue duarum & decem tribuum Israel, erit *in lapidem offensionis*, in quem impingant. Dicent enim, Deus noster non est tam potens & fortis, quàm putabamus, non potest liberare nos, itaque ab hoste conteremur. Est metaphora ab ijs sumpta, qui per viam incedentes, in lapides quos non vident, pedibus impingunt. *Varia loca Isaiæ explicata & illustrata.*

Allegoricè Apostolus hîc hæc verba Isaiæ de Christo explicat. Nam Christus Iudæis fuit lapis offensionis; quia videntes Iudæi Christi humilitatem, paupertatem, mortem, noluerunt eum agnoscere Messiam, offensi eius abiectione: exspectabant enim Messiam, quasi filium Dauidis & Salomonis opulentum & magnificum, qui eadem pompa regali veniret, & Iudæos ditaret & bearet. Sed iste modus, vtpote nimis carnalis, non placuit Deo. Hinc alium modum iustificandi & salutis elegit, scilicet proponere Christum pauperem, & crucifixum mediatorem, vt per eum iustitiam & salutem speremus; cùm mille alios modos eligere potuisset. Et sic originaliter & remotè est electionis Dei, proximè verò & immediatè est culpa Iudæorum quòd ipsi sunt reiecti à iustitia & salute. Sicut è contrario, obedientia & fides in Christum, in Gentibus causa est quòd ipsæ sint acceptæ & electæ ad iustitiam & salutem. *Allegoricus sensus hîc à Paulo intentus.*

Nota. Idem hîc est *lapis offensionis*, & *petra scandali*. Augustinus tamen in psalm. 45. hæc duo distinguit: Christus, inquit, in vita fuit lapis offensionis, in quem sua incredulitate impegerunt Iudæi; post resurrectionem verò fuit eisdem petra scandali, quando vt grauis petra cecidit supra Iudæos, eosque per Titum & Vespasianum contriuit. *Lapis offensionis & petra scãdali quomodo differant.*

OMNIS QVI CREDIT IN EVM NON CONFVNDETVR] Citat Paulus Isaiæ c. 28. v. 16. vbi pro *non confundetur*, interpres Noster vertit, *non festinet*, scilicet fidelis, volens sibi statim Christum ab Isaia & Prophetis promissum exhiberi; sed expectet patienter, quia certissimè ego Deus promissionem meam de

Christo cõplebo. Septuaginta verò & ex iis S Petrus 1.ep.2.7.& Paulus hîc vertũt, *non confundetur*, scil.tum hîc, tum in die iudicij. q.d. Qui credit in Christum, non cõfundetur, non pudebit, sua fide & spe non frustrabitur; sed certò videbit & assequetur ea, quæ de Christo credidit & sperauit, scilicet iustitiâ & gratiâ in hac vita, & salutem ac gloriam in futura. Hoc enim sensu dixit Apostolus cap.5. quòd spes in Christum non confundat.

Atque hoc idem est, quod significat Isaias dicens: *Qui credit in eum* (Christum) *non festinet*. q.d. A Fidelis non discurrat hucilluc, ad quærendum & videndum Christum, vti solent discurrere homines anxij & metu trepidi. *Non festinet* ergo idem est ac si dicat, *non trepidet*: non enim confunderetur, sed certò consequetur rem à se creditam & spectatam. Itaque in verbo *festinet* est metalepsis. Simile modo loquitur Virgilius de apibus:

Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt.

Qui enim trepidant, festini huc illucque discurrunt, vti faciunt apes.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VEram causam repulsæ Iudæorum à iustitia, quam cœpit dare cap. præced. v. 30. putà Iudæorum infidelitatem in Christum, hoc cap. persequitur & perurget Apostolus. Vnde Primò, vsque ad v. 12. iustitiæ legis opponit & anteponit iustitiam Dei, eamq; sitam esse docet in fide Christi.

Secundò, à v. 12. ad finem ostendit Deum ad hanc fidem & iustitiam vocasse, non solos Iudæos, sed omnes Gentes, ac proinde eis prædicari debuisse Euangelium, idq; probat testimonio Isaiæ, Danidis & Mosis.

Denique v. vltimo, ex Isaia probat Deum vocare Iudæos ad Christum, sed eos Christo nolle credere, eiq; contradicere.

1. FRatres, voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. 2. Testimonium enim perhibeo illis quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. 3. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. 4. Finis enim legis, Christus ad iustitiam omni credenti. 5. Moyses enim scripsit, Quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. 6. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere: 7. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. 8. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. 10. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. 11. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. 12. Non enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. 13. Omnis enim, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. 14. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 15. Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! 16. Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? 17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi? 18. Sed dico: Numquid non audierunt? Etquidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 19. Sed dico: Numquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. 20. Isaias autem audet & dicit: Inuentus sum à non quærentibus me: palàm apparui ijs, qui me non interrogabant. 21. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

VERS. 1. FRATRES, VOLVNTAS QVIDEM CORDIS MEI, ET OBSECRATIO AD DEVM FIT PRO ILLIS (Iudæis) IN SALVTEM] Pro *voluntas* græcè est, εὐδοκία, id est, propensus animi affectus, & vehemens desiderium mihi est erga Iudæos, vt saluentur. Vnde oro & obsecro pro illis, idque, ne putent ipsi hæc tristia de ipsorum repudio & repulsa à Christo me dixisse ex odio, sed potiùs ex commiseratione, ita S. Chrysost. Theodor. Oecumen. B TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO ILLIS, QVOD AEMVLATIONEM DEI HABENT, SED NON SECVNDVM SCIENTIAM] verùm secundùm errorem. q.d. Iudæi zelum errantem prò lege Mosaica tuendo habent, putantque se agi zelo Dei, sed errant; quia verè contra Dei honorem & veritatem agunt, cùm fidem & legem Christi, quæ vera est lex Dei, oppugnant.

IGNORANTES ENIM IVSTITIAM DEI, ET SVAM QVAE-

QUAERENTES STATVERE, IVSTITIAE DEI NON SVNT SVBIECTI] Iustitiam Dei Paulus intelligit eam quæ nos facit iustos, non coram hominibus, sed coram Deo; quæ sita est in reconciliatione hominum cum Deo, per fidem Christi, sicuti Iudæorum iustitia sita erat in impletione legis coram hominibus. Vnde eam Paulus vocat iustitiam suam, id est, ex suis & naturæ viribus & legis operibus partam: huic enim opponitur iustitia Dei, id est, à Deo & Dei gratia proueniens. Pro *non sunt subiecti* Græca clariùs habent, οὐχ ὑπετάγησαν, nō subdiderunt se illi, non obedierunt. q.d. Quia Iudæi suam iustitiam ex lege quæsierunt, hinc noluerunt subdere se fidei Christi, ac consequenter nec veræ iustitiæ Dei. Hanc enim Deus in fide & obedientia Christi constituit. Vnde sequitur, A

FINIS ENIM LEGIS EST CHRISTVS, AD IVSTITIAM OMNI CREDENTI] Quæres, quomodo finis legis sit Christus? Respondet Primò, S. Augustinus, Christus legis vmbras implens eam terminauit, & cessare fecit. Ita ipse libr. 2. contra aduers. legis & Prophet. cap. 7. & S. Gregor. homil. 16. in Ezech. B

Secundò, Chrysostom. & Photius, *Finis*, inquiunt, id est perfectio & consummatio, legis est Christus, quia quod lex non potuit, scilicet iustum facere hominem, hoc fecit Christus. Hebræum enim קֵץ *cala*, perinde vt Græcum τέλος (id est finis) eam consummationem, quàm consumptionem significat.

Tertiò, Anselm. *Finis*, inquit, id est perfectio, legem Christus, quia scilicet sine fide Christi lex perfici & impleri non potuit, nec potest.

Quartò, & aptissimè, Theodor. *finis*, id est, vt Syrus vertit, סוֹפָא *sache*, hoc est scopus, legis est Christus, quia tota lex ad Christum, quasi ad finē, terminum & scopum suū, refertur, tendit, ducit & vocat. Alludit hic elegāter & ingeniosè Paulus in Hebræa voce תּוֹרָה *tora*, id est lex, ad radicem יָרָה id est iacere, sagittare. Quasi lex sit sagitta, quæ collimat in Christum, quasi scopum suum, id-que *ad iustitiam omni credenti*, vt scilicet per fidem Christi omnes credentes in eum iustitiam assequātur. Fidem hîc intellige non nudam & solam, sed quæ se in proles spei, pœnitentiæ & bonorum operum, quasi mater fœcunda porrigit & extendit. vide cap. 3. C

Moraliter S. Augustin. in sentent. n. 106. *Finis*, ait, *filium Christus est, ad quem cùm peruenerit currentis meritum, non habet quod possit amplius inuenire, sed habet in quo debeat permanere.* D

MOSES ENIM SCRIPSIT (Leuit. 18. 5.) QVONIAM IVSTITIAM QVÆ EX LEGE EST, QVI FECERIT HOMINEM VIVET IN EA] Probat hîc Apostolus id quod vers. 3. nimirum Iudæos, eò quòd suam ex lege eam velint statuere, iustitiæ Dei, quæ sola vera est iustitia, non esse subiectos. Probat autem idipsum ex eo, quòd iustitia ex lege planè diuersa, imò diuersa & opposita sit iustitiæ Dei: tum quia hanc suā iustitiam Deus constituit non in lege, sed in fide Christi; tum (quod propriè hîc vrget Apostolus) quia Moses iustitiæ legali, & iustis secundùm legem promisit tantùm vitam temporalem: Deus verò iustitiæ fidei, siue fidelibus suis iustis promittit salutem, & vitam æternam.

Nota. *Facere iustitiam quæ ex lege est*, siue facere iustitiam legalem, est facere & implere præcepta legis. Hæc enim præcepta sunt iustitiæ legalis obiectiua, id est, sunt ipsum iustum legale, siue iustum & æquum, quod lex præscribit, quodque legaliter & ciuicè obseruantem facit iustum, ex eo, quòd ipse se suæ legi & regulæ conformet. Hanc ergo *iustitiam* legalem *qui fecerit homo, viuet in ea*: vita nimirum spirituali per iustificationem, inquit S. Augustin. q. d. Paulus, Atqui lex sine fide Christi impleri non potest; ergo tacitè monet & indicat lex ipsa, vt Christi gratiam flagitemus: hanc enim subsumptionem intelligendam hîc & supplendam relinquere Apostolum, censet S. Augustin. lib. de Spiritu & littera cap. 29. Sic ferè explicat quoque S. Chrysost. & Oecum.

Viuet in ea, id est, non punietur, sed viuet vita temporali.

Verùm aptiùs Theodoret. Ambros. Anselm. sic explicant, q.d. Paulus: Qui fecerit iustitiam legis, putà iustum, quod lege præscriptum est, hîc viuet in ea; hoc est, hic non punietur morte, quam lex transgressoribus sui sæpè intentat; viuetque vita temporali prospera, quam lex seruantibus se promittit Ezech. 20. Leuit. 18. supple hîc alteram antitheseos partem, q.d. E contrario verò qui fidem Christi amplexus fuerit, hîc viuet vita iustitiæ in hoc mundo, & in futuro viuet vita salutis, gloriæ, & felicitatis æternæ. Hanc enim antithesim tacite Paulus significat hîc, & v. 9.

NE DIXERIS IN CORDE TVO, QVIS ASCENDET IN CÆLVM? ID EST, CHRISTVM DEDVCERE: AVT QVIS DESCENDET IN ABYSSVM? HOC EST, CHRISTVM A MORTVIS REVOCARE] Nota. Τὸ *id est*, vel, vt græcè est, τουτέστιν, hoc est, hoc significat, explicat verba Deut. 30. v. 14. per significationem allegoricam, vti mox explanabo. q.d. Moses dixit, *Quis ascendet in cælum?* quod allegoricè significat, Quis ascendet in cælum, Christum deducere? id est, vt è cælo Christum deducat? *Quis descendet in abyssum?* quod allegoricè significat, Quis descendet in abyssum, Christum à mortuis reuocare? id est, vt Christum à mortuis reuocet? Subaudit enim Paulus (in sua allegoriæ Mosis explicatione quam subdit post, *id est*) & legenti repetendum relinquit, τὸ *quis descendet*, & *quis ascendet*. Sic enim explenda est hæc eius sententia; Quis ascendet in cælum? id est, quis ascendet in cælum, Christum deducere? quis descendet in abyssum? id est, quis descendet in abyssum, Christum à mortuis reuocare? Vers 6. & 7.

Exutitur varios sensus & lectio horum verborum.

Vnde clarè Syrus vertit, *quis scandit cælos, & Meschicho*, id est Christum Messiam, *deduxit? quis descendit in abyssum inferorum, & eduxit Meschicho ex mortuis?* Vbi Nota. Rectè & clarè Syrus vertit infinitiuos Apostoli per præterita, quia infinitiuus Hebræus ponitur vice omnium temporum. Sensus ergo est: Ne dicas, Ad cerutudinem fidei, & ad iustificationem opus est Christo præsente, vt eum videamus, eiusque aspectu & præsentia sanemur & iustificemur. Itaque ipse vel cælo, vel inferno reuocandus est. Non putes hoc à te peti: propinquus enim & facilis iustificationis iam modus est, si in Christum credas mortuum & resuscitatum, licet absentem; & corde ac ore idipsum profitearis. q. d. Ne dicas, ô Iudæe, legi assuete, Lex Mosi nobis vicina est, & plana; fides & iustitia Christi salutem quidem promittit, sed obscura est & remota: nam erras & falleris, non enim ita se res habet, quia, vt sequitur:

Non opus est Christo præsente ad iustificationem.

PROPE EST VERBVM (iustitiæ & salutis) IN ORE TVO, ET IN CORDE TVO: HOC EST VERBVM FIDEI, QVOD PRÆDICAMVS] Idque clarius verbis proximè sequentibus explicat Paulus. Hunc genuinum Vers 8.

huius

huius loci esse sensum patet tum ex anteced. & sequent. tum ex ipsis verbis Mosis Deut. 30. 12. quæ hîc citat Paulus, quæq; paulò pòst hîc transcribã.

Parenthesis hîc, & digressio in Paulo.

Nota. Apostolus copia & vehementia sapientiæ ac spiritus quasi abreptus, & in omnes partes sese versans, vt Iudæis fidem Christi persuadeat, eorumque obiectiones & difficultates discutiat & dispellat, parenthesim hanc interserit more suo, vt dixi can. 38. nam antithesin vers. præcedentis de iustitia Dei opposita iustitiæ legis, infrà demum v. 9. ponit & explet.

Aliter Chrysost. hoc explicat, q.d. *Ne dixeris*, id est, ne incredibilis tibi videatur incarnatio & resurrectio Christi, &, vt ait Theodor. ne sis nimis curiosus in ijs scrutandis. Vnde & Anselmus sic explicat. Ne dicas, Nemo in cælum ascendit, quia hoc est negare Christum ascendisse. Nec dicas, neminem descendisse ad inferos, quia hoc est revocare Christum ab inferis, id est, negare eum passum esse & descendisse ad inferos. Sic ferè & Vatablus. Ne dicas, inquit, ô Iudæe incredule, Quis ascendet in cælum, hoc est Christum ex alto deducere? q.d. Dicere Quis ascendet in cælũ? est velle Christum è cælo in terram euocare, & affirmare eum nondum ad nos descendisse. Quis descendet in abyssum, vt inde afferat ad nos Euangelium? id est Christum ex mortuis revocare. q.d. Dicere, Quis descendet in abyssum? est affirmare Christum à morte & inferno, in quem moriens descendit, nondum resurrexisse. Sed hæc omnia coactiora sunt & implicatiora.

Chrysostomi & Vatablí expositio coactior & implicatior.

Caluini & Bez. explicatio.

Longè coactiùs hæc torquent Beza & Caluinus, cùm sic explicant: Ne dicas, Quomodo iustificabor, vt ascendam in cælum, euadam in infernum? quia Christus in cælum conscendit vt tibi viam sterneret eò ascendendi, atque descendit ad inferos, vt te inde liberaret. Hic enim sensus euertit verba Apostoli & Mosis. Illud enim. *quis descendet*, vt alia taceam, optantis est & ambientis, nõ fugientis, æquè vt *tò quis ascendet*. Primus ergo sensus planissimus est & aptissimus. Citat hîc Paulus Deut. 30. 3. Vbi Nota. Pro *quis descendet in abyssum?* Moses habet. *quis transfretauit mare?* quia Paulus non tam citat literam & verba Mosis, quàm allegoricè tantùm alludit ad dicta Mosis: vnde non per omnia verbum verbo reddit.

Deut. c. 30. illustratiõ.

Hinc Nota Secundò. Licet Cajet. Adamus, Pererius, Toletus putent Mosem ad litteram loqui de Christo & Christi iustitia; referunt enim hæc eius verba ad pœnitentiam de qua eodem cap. egerat Moses v. primo. Pœnitentia enim & dilectio Dei, ac consequenter peccatorum venia, ipsaque iustitia sine fide Christi haberi non potest; tamen longè planius est, vt non litteraliter, sed allegoricè tantùm alludat Apostolus ad Mosem. Moses enim ad litteram, siue in sensu litterali loquitur non de Christo eiusque Euangelio, sed de lege data Iudæis, vt patet eum intuenti. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen. Abulens. Soto.

Idque rursum patet ex eo, quod ibidem subdit Moses: *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum: vt diligas Dominum, &c. benedicatq; tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam.* quæ verba Mosen ad Iudæos suos loqui clarissimum est: quæ ergo hisce verbis Moses præmittit, dicens: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere:*

A *Quis nostrùm valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere complearnur? neque trans mare positum, vt causeris & dicas, Quis è nostro poterit transfretare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere quod præceptum est: sed iuxta est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo*, id est, habes legem ad manum; vt in corde, id est memoria & mente, eam rumines, & ore proloquaris: hæc inquam verba æquè ac sequentia Mosen ad suos Iudæos literaliter loqui planè certum, eadem & manifestum est; ita tamen vt eadem hæc eius verba allegoricè Euangelio eiusque catechumenis & fidelibus optimè conueniant. Æquè enim, imò magis, ad manum est omnibus iam Euangelium & fides Christi, quàm olim fuerit lex Mosi cita vt eadem hanc omnes facillimè corde, id est mente, complecti, & ore proloqui, itaque iustificari & saluari possint. Vnde sequitur,

B Si confitearis in ore tuo Dominvm Iesvm, et in corde tvo credideris qvod Deus illvm svscitavit a mortvis, salvvs eris] *Saluus eris*, scilicet à peccato, & consequenter à morte ac damnatione, per beatam & gloriosam cum Christo resurrectionem. Siue *saluus eris*, hîc inchoatè per iustificationem, completè verò saluus eris in cælo per glorificationem. Hæc enim est duplex salus, quam Christus nobis meruit. Hinc patet, fidem iustificantem, non esse specialem, qua credam mihi in particulari remissa esse per Christum peccata. Apostolus enim non docet, illud esse obiectum fidei, esseque credendum, sed hoc, quòd scilicet Christus resurrexit à mortuis.

C Nota. Vt quis iustificetur, non solum Christi resurrectionem, sed plura alia debet credere de Patre, de Spiritu sancto, & de ipso Christo, scilicet quòd ipse pro nobis sit factus homo, quòd sit crucifixus, quòd descenderit ad inferos, quòd sit filius Dei, Redemptor, &c. Apostolus tamen solum hîc ponit resurrectionis Christi articulum, quia ille quasi terminus cæteros præsupponit & complectitur, & difficillimè à Iudæis, qui Christum occiderant, credebatur; quem si crederent, factum suum ipsi retractarent, pœniterent, & omnia de Christo credenda crederent. Videsergo Apostolum cùm vni rei salutem nostram tribuit, alias res æquè necessarias ad iustitiam & salutem non excludere sic, nimirum, cùm ipse fidei iustitiam tribuit, non excludit spem, timorem, pœnitentiam, charitatem. Vide can. 3.

D Corde creditvr ad ivstitiam, ore autem confessio fit ad salvtem] q.d. Fides cordis valet & necessaria est ad acquirendam iustitiam; professio verò fidei, quæ fit ore, valet & necessaria est ad iustitiam hanc conseruadam & augendam, & consequenter ad salutem æternam promerendam & consequendam.

Nota *tò corde*, id est, mente & voluntate. licet enim fides sit actus intellectus, tamen ob eius nidentiam, actusque difficultatẽ, necessarius est concursus & imperium piæ voluntatis quæ intellectum imperet, vt tam obscuta & difficilia credat, eòque actus hic sit liber & meritorius. *Cor* ergo hîc & voluntatem & intellectum significat. Sic ait pro mente & intellectu capitur Eccli. 21. 29. *In ore fatuorum, cor illorum; & in corde sapientium, os illorum.* Et Oseæ 7. 11. *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* Sic dicitur,

Cor

te ferit, & pulmo loquitur. fel commouet iram, pallen videre facit, cogit amare iecur.

Veteres enim putabant, mentis & sapientiæ sedem aut certè fontem esse in corde; vti est iræ in felle, amoris in iecore.

Hinc patet necessitas bonorum operum. Apostolus enim non solam fidem, sed etiam professionem fidei (quæ vnque heroicum est fortitudinis & patientiæ opus) quasi ad salutem necessariam, hoc loco requirit. Hoc telum & argumentum vt defugeret quidam Illyricanus in colloquio Altenburgensi; hanc Apostoli sententiam ita vertit, & peruertit, *Ore confessio fit de salute*: sed imperitè & impiè. Sicut enim corde creditur non de iustitia, sed ad iustitiam: sic & ore confessio fit non de salute, sed ad salutem: hoc enim exigit antithesis Apostoli, & hoc significat Græcum εἰς, scilicet, in; vel ad non autem, de.

Secundò, hanc versionem repugnare Apostoli patet ex voce *enim*, quæ dat causam præcedenti, ea scilicet dixerit: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris.* Huic enim sui dicti rationem & causam Apostolus subdit dicens: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ex hac enim propositione rectè sequitur: ergo, *Si corde credideris & ore confitearis, saluus eris.* Quis non videt hîc vitiosè tam in antecedente, quàm in consequente salutem non soli fidei, sed etiam professioni tribui, ipsamque æquè ac fidem saluare, & saluos nos facere.

Nota Secundò. Hanc propositionem Apostoli licet inuertere & transponere hoc modo, *Corde etiam creditur ad salutem & ore quoque confessio fit ad iustitiam*; antequam enim quis adultus baptizetur & iustificetur, ore profiteri debet fidem Christi. Apertis tamen Apostolus fidei cordis tribuit iustitiam, professioni verò oris salutem: quia fidei & pœnitentiæ propriè respondet iustificatio; professioni verò salus, vti patet in Martyribus, qui per fidei professionem, salutem & gloriam æternam adepti sunt. Adde, Apostolus iustitiam & salutem fere pro eodem accipit. Est enim iustitia salus inchoata, & salus est iustitia completa: suntque hæc duo connexa; iustitia enim iustum perducit ad salutem. Vnum ergo sub alio intelligit Apostolus, repetet ex sequentibus. Sic c. sequ. v. 5. ait reliquias Israel saluas factas, id est, iustificatas esse. Denique hinc S. August. l. de Fide & symbolo, docet fidem exigere officium non tantùm cordis, sed & linguæ, scilicet fidei professionem. *Vide capsa. M.*

Ita S. Gordius Martyr, cùm ob fidem Christi damnatus esset ad rogum, multique ei condolerent, dixit: *Nolite flere super me, sed super inimicos Dei, qui ignem nobis parant, sed sibimet gehennæ incendia thesaurizant. Ego pro nomine Domini mille mortes, si necesse sit, adire paratus sum.* Cumque alij inhiarent, vt Christum ore saltem negaret, corde retineret: *Lingua*, inquit, *quam Christi beneficio retinere adhuc non potest, vt auctorem suum neget. Corde enim credimus ad iustitiam, ore ad salutem confitemur.* Ergo vultu alacri in ignis supplicium volens se immisit. Testis est S. Basilius serm. de Gordio Martyre.

Sic Eleazarus sub Antiocho iussus porcinam contra legem comedere, cùm amici aliam carnem ei afferrent, vt simularet eam esse porcinam, eamque comedens mortem euaderet, *Non*, inquit, *etati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes propter meam simulationem decipiantur. Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar*, 2. Machab. 6. v. 24.

DICIT SCRIPTVRA (Isaiæ 28. v. 16.) OMNIS QVI CREDIT IN ILLVM, NON CONFVNDETVR] non pudefiet, non frustrabitur sua fide & spe, sed iustitiam & salutem speratam omnino assequetur. Hebr. est לֹא יָחִישׁ *lo iachis*, id est *non festinabit*, hoc est *non confundetur*: pudibundi enim dum confunduntur, festinant vt abeant, seque abscondant præ pudore. Fortè pro *lo iachis*, Septuag. legerunt לֹא יֵבוֹשׁ *lo iabos*, id est *non confundetur*. Hîc clarum est sub fide professionem quoque fidei, ac consequenter bona opera intelligenda esse. Vult enim probare Apostolus id quod dixit, scilicet: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* Id probat ex Isaia, qui dicit, *Omnis qui credit in illum* (Christum) *non confundetur*. Ergo cùm ait *Omnis qui credit*, subaudi, & qui ore profitetur, quique obedit Christo, hic non confundetur, sed saluus erit. Tam enim Apostolo hîc probandum est professionem fidei, quàm fidem ipsam requiri ad iustitiam & salutem. Sic vulgò dicimus: Si credideris huic aduocato, causam obtinebis. Si credideris id est, si illi obedieueris, si eius consilium secutus & executus fueris. Vide can 3. & 4.

Sub fide professio fidei, & bona opera intelligenda.

VERS. 11.

NON EST DISTINCTIO IVDAEI ET GRAECI] Vrget Apostolus in verbis Isaiæ vocem, *omnis* q.d. Omnis siue Iudæus, siue Græcus, qui credit in Christum, hic saluus erit. Deus enim in negotio iustitiæ & salutis non distinguit, non curat, an Iudæus sis an Græcus, id est Gentilis. Dicit hoc contra Iudæos, qui sibi solis iustitiam, curam & amicitiam Dei arrogabant. Transit ergo hîc Apostolus à priori capitis parte (qua huc vsque probauit veram iustitiã consistere in fide & obedientia Christi, ideoque Iudæos Christo incredulos à iustitia excidisse;) ad alteram partem, qua probat Gentium vocationem. Sanxit enim decreuitq; Deus, vt Gentes fideles Iudæis incredulis exclusis succederent in Dei Ecclesia, iustitia & salute.

Transit Apostolus à priori parte capitis ad posteriorẽ, de Gentium vocatione.

VERS. 12.

IDEM est DOMINVS OMNIVM, DIVES IN OMNES, QVI INVOCANT ILLVM] *Dives*, id est affluens, liberalis, munificus, & copiosè suas gratias suaque dona elargiens. Est metalepsis.

QVICVMQVE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVVS ERIT] Vides salutem, quam v. 11. tribuit fidei, hîc tribui inuocationi Dei. Quicumque ergo inuocauerit Deum prout oportet, scilicet cum debita fide, spe, contritione & charitate, hic saluus erit. Alioqui enim certum est, Turcas, hæreticos, & improbos Christianos, etiamsi Deum inuocent, non saluandos, sed damnandos esse. Porro hanc sententiam citat Paulus ex Ioele c. 2. 32.

VERS. 13.

Nota. Apostolus hîc opponit Dei inuocationem, fidei internæ. Vnde sub inuocatione professionem, gratiarum actionem, laudem, votum, sacrificium, iuramentum, omnemq; externum cultum Dei intelligit: sicut eundem intelligit nomine iuramenti, psalm. 62. 12. & alibi. Est synecdoche.

Inuocatio Dei hic opponitur fidei.

QVOMODO ERGO INVOCABVNT, IN QVEM NON CREDIDERVNT?] Torquent hæc Nouantes contra inuocationem Sanctorum. Si, inquiunt, in Sanctos non

VERS. 14.

Apostolus forte perperam ad Salutem
non retulit Salutem aliorum hominum,
qui per confessionem oris à credentibus,
ad prædicantibus vel Deum laudantibus
D. Deum, ad Dei collaudationem, ædificatio-
nem in bono, sicque ad Salutem suam
promouentur. Terræ.

Nouantes hanc locũ torquent contra inuocationem Sanctorum.

non credimus, sed in Deum, quomodo eos inuocabimus? Respondeo. Vox *ergo* significat hãc sententiam referri & inferri ex præcedenti sermone Ioëlis, qui habet; *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Hîc ergo repetendum est τὸ *nomen Domini* hoc modo, *Quomodo inuocabunt nomen Domini, in quem non crediderunt?* q.d. Quomodo inuocabunt Deum, quasi Dominum & auctorem salutis, omnisque boni, in quem non credũt? Sic enim solus Deus inuocatur à fidelibus in Ecclesia, scilicet, quasi Dominus, & auctor salutis eorum. Nam alioquin etiam τὸ *inuocari*, hominibus tribui, cùm eorum opem imploramus, patet Isaiæ 34.12. Oseæ 7.11. Et sic Sanctos inuocamus, non quasi auctores, sed quasi opitulatores & intercessores nostros apud Deum.

Differentia inuocationis Dei & Sanctorũ.

QVOMODO ERGO?] q.d. Si non solis Iudæis, sed omnibus sine discrimine Gentibus Deum inuocantibus à Deo promissa est iustitia & salus: ergo necessaria est omnibus fides, & fidei prædicatio. Nemo enim potest inuocare Deum & Christum, in quem non credit. Nemo autem credere potest, nisi ei annuncietur & prædicetur quid credendum sit, quidque credi velit & iubeat Deus. Sensim enim & gradatim eò tendit Apostolus, vt ostendat, non solis Iudæis, sed & quibusuis Gentibus (Deo ita ordinante) prædicandum esse Euangelium, vt non mirentur Iudæi, si ipse Paulus non Iudæorum, sed Gentium sit Apostolus, prædicator & doctor.

Nota. Apostolus hanc interrogationem educit, quasi consequentiam ex vers. præc. Ibi enim dixit: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* ex illa propositione hîc infert, *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* q.d. Si, vt salui sint homines, debent inuocare Deum Saluatorem, ergo priùs in eum credere, eumque agnoscere debent, tamquam suum Saluatorem. Nemo enim inuocat eum, in quem non credit, quem non agnoscit, vtpote à quo nihil opis vel auxilij sperat.

Interrogatio hæc Pauli resoluenda in negationem.

Interrogatio ergo hæc, *Quomodo ergo inuocabũt, in quem non crediderunt?* resoluenda est in negationem hoc modo: q. d. Ergo necesse est credere in Deum, vt eum inuocent, quia nemo potest inuocare Deum, in quem non credit. Si ergo generalis est, omnibusque Gentibus communis hæc Dei inuocatio, erit pariter ijsdem & fides, fideique prædicatio communis. Destruit hîc Paulus errorem Iudæorum, qui vti sibi solis iustitiam, ita & fidem & prædicationem Euangelij arrogabant. Contrarium enim hîc ipse docet, nimirum omnibus Gentibus prædicandum esse Euangelium, vt credant & iustificentur ac saluentur; *quia Deus dives est in omnes qui inuocant illum*: si in omnes, ergo tam in Gentes quàm in Iudæos.

QVOMODO CREDENT EI QVEM NON AVDIERVNT? QVOMODO AVTEM AVDIENT SINE PRÆDICANTE? QVOMODO VERO PRÆDICABVNT, NISI MITTANTVR?]

VERS. 15.

Probat Deũ velle vt omnibus gentibus prædicetur Euangelium.

Est climax, siue elegans & neruosa gradatio, qua ex eo quòd Deus per Ioëlem omnibus se inuocantibus salutem promiserit, colligit Apostolus omnibus gentibus prædicandum esse Euangelium. Probat autem sic: Eius est dives in omnes, vultque omnes saluare: atqui saluari non possunt nisi Deum inuocent; inuocare non possunt nisi in eum credant; credere non possunt nisi eius præcones audiant; audire non possunt nisi præcones prædicẽt; prædicare hi non possunt nisi mittantur: ergo à primo ad vltimum colligendum est, quòd Deus qui vult omnium gentium salutem, voluerit & decreuerit mittere præcones suos, putà Apostolos, ad omnes gentes, vt eis prædicent Euangelium, per quod ipsæ credant, iustificentur, & saluentur.

Nota τὸ *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* vtique non à rege aut ciuili magistratu, sed à Deo, qui ministros suos mittit, vt vocet homines ad fidem, iustitiam, & regnum suum. Hoc enim solum est Dei. Hinc patet, neminem esse audiendum, nisi legitimè mittatur ad prædicandum à Deo, vt satis patet ex Isaia, quem citat hîc Apostolus. A Deo inquam, vel proximè & immediatè, & tunc opus est miraculis, vel signis supernaturalibus, quibus is qui mittitur hominibus probet se missum à Deo; vel mediatè, vt nimirum mittatur à Christi vicarijs & successoribus, scilicet Pontificibus & Episcopis, vti ordinariè fit ex institutione Christi. Vide dicta c.1.v.1.

Nota Secundò. Pulchrè hîc Paulus describit ordinem iustificationis, siue ordinem rerum, quibus peruenitur ad iustitiam & salutẽ. In hoc enim ordine Primò, est missio prædicantium; Secundò, ipsa Euangelij prædicatio; Tertiò, audientium fides; Quartò, eorumdem inuocatio & cultus Dei; Quintò, salus, tum præsens, scilicet iustificatio à morbo peccati; tum futura, scilicet liberatio à morte & corruptione per gloriam cælestem.

SICVT SCRIPTVM EST (Isaiæ 52.v.7.) QVAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIVM PACEM, EVANGELIZANTIVM BONA!] Sensus est, Quàm pulcher, suauis & gratus erit aduentus & discursus annuncians Euangelium, eiusque bona & læta nuncia, scilicet pacem cum Deo, gratiam, iustitiam & salutem! seu, Quàm grati & accepti erunt auditoribus suis Apostoli, hæc bona hominibus per totum orbẽ annunciantes & euangelizantes! Est synecdoche. *pes* enim pro homine ponitur: pedes ergo euangelizantium sunt homines, putà Apostoli discurrentes & euangelizantes per totum orbem.

Notat pulchrè Toletus, Apostolorum pedes posse laudari, Primò, à velocitate, qua celerrimè discurrerunt per totum orbem; Secundò, à fortitudine; Tertiò, à munditia; sed, Quartò & maximè à specie: quia non armis, non minis, sed specie & pulchritudine, id est suauitate sanctissimæ vitæ & doctrinæ, efficaciter hominum mentes ad fidem traxerunt; quin & reges, philosophos & Barbaros, hominesque sceleratissimos conuerterunt; idque toto mundo, & breuissimo tempore quod ingentis miraculi instar est. Species ergo pedum significat splendorem sapientiæ, doctrinæ, virtutis & pietatis Apostolorum. Et huius rei symbolo docet Origen. Christum lauisse pedes Apostolorum in vltima cœna, tumque implere cœpisse hoc Isaiæ vaticinium.

Nota. In Isaia pro *quàm speciosi*, hebraicè est מַה נָּאווּ *ma nauu*, quod Toletus & aliqui alij vertunt, *quàm desiderabiles & concupiscibiles sunt pedes euangelizantium!* vt τὸ *nauu* sit niphal à radice נָוָה *naua*, id est affectauit, desiderauit, concupiuit. Verùm doctiores Hebræi censent τὸ נָאווּ *naau*, non esse niphal, sed cal: idque ita esse patet ex eo, quòd litera nun in *nauu* habeat camets, vti verba in cal habent. Si enim esset niphal, deberet habere chiric vel patach. Rursum id patet ex LXX. S. Hieron. Pagnino, Aria, & alijs passim qui vertunt, quàm

quàm pulchri & *speciosi pedes!* Radix ergo נָאוָה *nauu* A
est יָנָה *naua*, quæ vti literis, ita & significatione
affinis est, & alludit ad radicē אָוַר *aua*. Sicut enim
aua significat desiderare & concupiscere, ita *naua*
significat esse amœnum, iucundum, decorum, for-
mosum, pulchrum, volupe, gratiosum, quodque in-
stet & abblanditur, allubescit & incitat ad con-
cupiscendum: ac proinde *naua* recipit sæpè literam
aleph, vt significetur ista relatio & mutua beneuo-
lentia, qua res pulchra & amœna excitat sui cupi-
dinē & desiderium; ac vicissim cupido & desiderjū
ferue & rapitur in rem pulchram & amœnam.

Tales ergo fuerunt pedes Apostolorum, ipsique
Apostoli, qui suagratia, decore & venustate eloquij
ac morum mundo fuerunt grati, accepti, concupi-
ti & desiderati, omnesque in sui & Christi amorem
& reuerentiam rapuerunt.

LXX. pro *quàm speciosi*, vertunt, ὡς ὡραῖοι, id est, *sic-
ut hora super montes, pedes annunciantis auditum!* Vo-
cabulo ὥρα, ait S. Hieron. significatur tempus, pul-
chritudo, cura, sollicitudo euangelizantium. Vnde
Tertul. l. 4. contra Marcion. c. 13. legit: *Adsum dum
hora est, in montibus, vt euangelizans auditionem pacis.*
Idem verò l. 5. contra Marcion. c. 2. legit: *Quàm tem-
pestiui pedes euangelizantium pacem!* S. Cyrill. ὥραιον
accipit pro vere. q.d. Sicut ver, quod post hiemem
pura luce fulget super montes, homines exhilarat,
omnes agros & montes versicoloribus complet flo-
ribus, & facit omnia vernantia mira amœnitate; sic
Christi & Apostolorum aduentus omnia fecit ver-
nare & florere cælestibus virtutibus & ornamentis.
ita Cyrill. Vnde S. Ambros. ep. 11. ad Irenæum se-
cundum LXX. legit: *tamquam maturitas in montibus.*
Ioan. sic explicat, *Christus nobis*, inquit, *tamquam
maturitas aduenit, vt nihil acerbum, nihil immaturum* C
*in nostro consilio sit, nihil immite, nihil asperum, in ope-
ribus & moribus.* Et Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 5.
legit: *Quàm maturi pedes euangelizantium bona!*

Verùm mihi omnino verisimile est, iam olim
corruptos esse codices Septuag. Videntur enim ip-
si pro ὡραῖοι, vti corruptè iam legimus, vertisse ὡς
ὡραῖον, *quam speciosi.* Sic enim habent Hebræa, &
S. Paulus hic, qui sequi solet LXX. Huius quoque
rei indicium est, quòd Tertul. aliàs legat, Dum ho-
ra est, aliàs, Quàm tempestiui, vel, Quàm maturi
pedes. Vbi satis insinuat quædam exemplaria Græ-
ca legisse ὡς ὡραῖοι. quædam ὡς ὥρας, indeque ipse
fluxit, putans ὡραῖοι ab ὥρα deductum & cor-
ruptum esse, ac significare tempestiuos, vel matu-
ros, cùm significet speciosos & pulchros, vt patet
ex Hebræo. D

SED NON OMNES OBEDIVNT EVANGELIO] Occur-
rit Paulus obiectioni. Dicet enim quis Iudæus: Si
tam speciosi sunt pedes & voces Apostolorum, cur
tam multi eis non credunt, cur Iudæi plerique eos
explodunt. Respondet Paulus, causam esse, quòd
multi suis vitijs, aut suo iudaismo affixi, nolint cre-
dere & obedire Euangelio, ideoque oculos, aures
& animum auertant ab hac specie & pulchritudi-
ne Euangelij & euangelizantium.

ISAIAS ENIM DICIT] Probat hic Paulus non om-
nes credere Euangelio, ex Isaia, qui c. 53. v. 1. dicit,
Domine, quis credidit auditui nostro? q.d. Domine,
quam pauci crediderunt nostræ prædicationi!

Nota 1. *enim*, significat hîc causam non rei, sed
sermonis siue propositionis. Dat enim causam non
incredulitatis & inobedientiæ Iudæorum, sed ve-
ritatis & certitudinis propositionis, siue cur hæc
propositio & assertio Pauli, *Non omnes obediunt Eu-
angelio*, sit vera, certa & infallibilis. Prædictio enim
Isaiæ, qua inobedientiam & incredulitatem Iudæo-
rum prædixit, non fuit causa huius inobedientiæ &
incredulitatis; sed fuit causa cur hæc propositio
verè & certò asseri possit, nimirum quòd Iudæi
sint increduli & inobedientes. Hoc enim prædixit
Isaias vel potiùs Spiritus sanctus, qui falli aut falle-
re nequit. Simile est, si dicam: Hic homo est homi-
cida: nam idipsum testantur Petrus & Paulus. hoc
enim testimonium non est causa cur hic homo sit,
sed cur verè asseri & vocari possit homicida.

DOMINE QVIS CREDIDIT AVDITVI NOSTRO?] *Isaias ex-*
hoc est, sermoni nostro, quem scilicet nos Apos- *plicatus &*
toli à Deo & Christo audiuimus. ita Ambrosius. aut *illustratus.*
potiùs, vt Chrysost. quem ipsi à nobis euangeliza-
tibus audierunt: sequitur enim, *Ergo fides ex auditu.*
B Loquitur Isaias in persona Apostolorū. q.d. Pauci
admodum ex Iudæis crediderunt nostro sermoni,
nostræque euangelizationi. Est hebraismus. שִׁמְעָה
schemua enim, id est auditus, ponitur pro prædica-
tione, quæ auditur, tamquam actus pro suo obie-
cto. Vide can. 30.

ERGO FIDES EX AVDITV: AVDITVS AVTEM PER VERS. 17.
VERBVM CHRISTI] Infert Paulus ex verbis Isaiæ ci-
tatis suam propositionem, quam proposuit v. 14.
scilicet neminem posse fide credere, nisi priùs id
quod credendum est sibi proponi & prædicari au-
diat. Hoc probat ex Isaia qui ait: *Domine, quis credi-* *Fides ex*
dit auditui nostro? Inde enim sequitur, quòd fides *auditu &*
qua credimus Christo & Euangelio, sit ex auditu: *prædicatio-*
auditus autem sit *per verbum Christi*, putà per prædi- *ne.*
cationem Apostolorum, qui quasi legati missi à
Christo, eius verbum prædicant.

Minùs rectè aliqui sic explicant: *per verbum* C
Christi, id est, inquiunt, ex mandato Christi, qui A-
postolos mittit, vt prædicent, itaque Gentes au-
diant Euangelium.

SED DICO, NVMQVID NON AVDIERVNT?] Tò *sed*, VERS. 18.
idem valet quod, *iam verò*, vel, *quin verò*. Instat enim
& perurget Apostolus id quod dixit, scilicet fidem
esse ex auditu, & auditum esse per verbum Christi.
q.d. Dixi fidem debere nasci ex auditu, auditum
autem debere nasci ex prædicatione verbi Dei &
Christi. iam verò, vel quin verò, dico & interrogo,
Numquid non de facto hunc auditum habuerunt,
numquid non audierunt Euangelium omnes gen-
tes? q.d. Omnino audiuerunt nam *in omnem
terram exiuit sonus eorum.* Hisce enim omnibus probat A-
postolus, contra Iudæorum opinionem, Gentibus
prædicandum esse Euangelium.

Nota Primò, τὸ *audierunt*, id est, partim audie-
runt, partim audient, vti mox clariùs ostendam.
Rursum, audierunt, supple, non, Iudæi, vti aliqui
volunt, sed, Gentes; de his enim sequitur: *In omnem
terram exiuit sonus eorum.* Nam de Iudæis subdit v.
19. *Numquid Israel non cognouit?*

Nota Secundò. Hæc opinio, quòd Iudæis solis *Ob trestan-*
prædicandum esset Euangelium salutis, quodque *tas causas*
ipsi soli essent vocandi à Messia ad eius regnum *dubitarunt etiam*
& Ecclesiam, non autem Gentes; ita insedit Iu- *aliquando*
dæorum animis, vt & S. Petrus & Apostoli quan- *Apostoli, an*
doque dubitarint, vt patet Actor. 10. an Gentibus *Gentibus*
liceret prædicare Euangelium: idque Primò, quia *liceret prædicare verbum Dei.*
Abrahæ & semini eius, non autem exteris promis-
sus erat Messias. Secundò, quia hactenus soli Iudæi
habuerant Ecclesiam Dei: vnde eam transferen-
dam esse ad Gentes videbatur incredibile. Tertiò,

quia Iudæi Gentes quasi idololatras & incircumcisas oderant, easque hac gratia omnino indignas esse censebant.

ET QVIDEM græcè μενοῦνγε, id est, atqui, vt vertit Vatablus & Erasmus. Simile vidimus c. 9. v. 20. q.d. Atqui, vel, imò verò, Dauid Iudæus licet, testatur omnes gentes audiuisse prædicationem Euangelij, cùm psal. 18. ait: IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONVS EORVM.

Quis sit sensus litteralis huius versiculi Dauidici.

Quæres, quis sit huius versiculi Dauidici sensus litteralis: & an de facto hoc tempore, quo hæc Paulus scripsit, vox & prædicatio Apostolorum exiuerit in omnem terram, & in omnes gentes?

Primò, S. Chrysost. & Theophyl. putant prædicationem Euangelij factam esse apud omnes gentes ante excidium Hierosolymæ per Titum. Huic sententiæ fauet quod de S. Thoma Apostolo (teste D. Stapletono in eius vita) scribunt veteres, eum plurimis & remotissimis, etiam Indiæ populis euāgelizasse. Vnde & Emmanuel Nobrega Soc. nostræ in Brasilia Prouincialis, scribit in Brasilia extare in ripa fluminis vestigia pedum hominis sancti, qui vt infideles se persequentes effugeret, super fluuium ambulauit & pertransijt, eumque ab incolis vocari Zome, qui non videtur esse alius quàm S. Thomas. Rursum clarius est quod scribit P. Nicol. Trigautius in expedit. Sinens. libr. 1. in fine, S. Thomam conuertisse Sinenses, idque constare ex Breuiario Chaldæo Ecclesiæ Malabaricæ S. Thomæ, quod sic habet: *Per D. Thomam Sinæ & Aethiopes conuersi sunt ad veritatem.* Vnde & Episcopus Ecclesiæ Malabaricæ se vocare solet *Metropolitam Indiæ & Chinæ.* Denique Iosephus Acosta libr. 1. de Nouo orbe c. 11. docet Indias veteribus fuisse cognitas. Christus enim suos Apostolos misit per totum orbem Matth. 28. 18. *Euntes*, ait, *docete omnes gentes*; cui præcepto obedientes ipsi, post Christi ascensionem inter se orbem diuiserunt, & quisque prouincias & gentes sibi assignatas adijt & conuertit. Hoc de plerisque & potioribus eo tempore prouincijs verum est, non tamen vniuersim de omnibus omnino. Quocirca

Quādo ad omnes gentes peruenit, vel pernentura sit Euangelij prædicatio.

Secundò, negat hoc S. Chrysostomi dictum August. epist. 80. ad Hesych. Anselm. Origen. & alij. Idque rectè negari patet ex regionibus & populis Indiæ Occidentalis, ac quotidianis in ea Hispanorum nauigationibus, quibus hoc sæculo nouæ gentes plurimæ & maximæ, hactenus incognitæ, repertæ sunt, quæ nihil de Christo & Euangelio audierunt.

Tertiò, Ambros. & S. Thomas dicunt, quòd ad omnes gētes olim peruenerit fama Euangelij, licet nō prædicatio, nec fundatio Ecclesiarum. Sed hoc non satisfacit, nec videtur verum, vti nauigationum, de quibus iam dixi, experientia constat.

Alij sic explicant; *In omnem terram*, scilicet Romanis subiectam, & nobis nostroque orbi cognitam, exiuit sonus & prædicatio Euangelij.

Sensus litteralis Dauid, est de cælis, allegoricus de Apostolis.

Verùm Respondeo & dico; Psaltem psal. 18. (vt patet ex ipsis eius verbis planis & apertis) ad litteram loqui de cælis materialibus, qui per vniuersum orbem sua pulchritudine, motu, magnitudine, stellarum varietate, splendore, influentijs enarrant & enarrabunt semper gloriam Dei: in sensu tamen allegorico, quem maximè intendit hic Spiritus sanctus, loquitur Psaltes de Apostolis eorumque prædicatione.

Cæli ergo, qui enarrant gloriam Dei, non litteraliter, vti vult Toletus & alij, sed allegoricè siue symbolicè, sunt Apostoli, alijque prædicatores Euangelij: horum sonus exiuit partim, partim exibit in omnem terram. Paulatim enim impletum est, & etiamnum impletur hoc Dauidis vaticinium. Præteritum ergo hic ponitur pro futuro, propheticè more, ob rei futuræ certitudinem: quod enim Prophetæ futurum prædicunt, tam certò fiet ac si iam factum esset. Hisce enim omnibus tantùm probet Apostolus, vt dixi, non solis Iudæis, sed omnibus Gentibus prædicatum aut prædicandum quandoque esse Euangelium.

SED DICO (q.d. Quin verò, vide dicta v. 18.) VERVM NVMQVID ISRAEL NON COGNOVIT?] scilicet Gentibus etiam prædicandum esse Euangelium. Licet enim hoc scire nolit & inuideat; scire tamen debuit & potuit ex Mose & Isaia, qui hoc prædixerunt, vti patet ex eorum verbis, quæ hic cito & subiecto. ita Origenes. q.d. Adeò verum est Gentibus prædicandum esse Euangelium, vt idipsum futurum Prophetæ Iudæis prædixerint, ideoque Iudæis hoc ipsum cognitum est aut esse debet.

Aliter hæc exponit S. Chrysost. ita scilicet, q.d. Paulus: Numquid Israel non audiuit Euangelium? numquid non eius vim & efficaciam cognouit? q.d. Omnino audiuit, omnino cognouit, sed sua pertinacia & obstinatione non vult illi credere, illique obedire.

Verùm priorem sensum esse genuinum, patet ex sequentibus Mosis & Isaiæ verbis, quibus significant Iudæos ex Gentium vocatione ad inuidiam concitandos esse.

PRIMVS MOSES DICIT (Deut. 32. 21.) EGO AD AEMVLATIONEM VOS ADDVCAM (hoc est, ego Deus vos, ô Iudæi, qui repellitis Euangelium, ad iram & inuidiam cōcitabo) IN, id est per, NON GENTEM putà per Gentiles, qui non fuerunt hactenus gentes; quos ad Christi gratiam vocabo, vobisque, ô Iudæi, in hac gratia & Ecclesia mea præponam, IN, id est per, GENTEM INSIPIENTEM, putà per Gētiles, qui hactenus insipiēter vixerunt, & stultè adorarunt idola, IN IRAM VOS MITTAM] bilē & inuidiam iustam vobis commouebo. q.d. Ego Deus per Christum & Apostolos vocabo ad salutē homines vles, putà Ethnicos, Paganos & Barbaros, quos ne gētis quidem appellatione dignamini, ô Iudæi, sed belluas potiùs, vel canes soletis appellare. Vnde vos verecundati ad imitationem eorum prouocemini, si sani & sapientes sitis; sin minùs, ad æmulationem & indignationem concitemini, vti reipsa futurum præuideo & prædico. ita S. Hieron. ad Fabiolam tract. de 42. mansionibus Hebræorum in deserto, mansione vltima.

ISAIAS AVTEM AVDET] audacter & liberè loquitur, non veritus suorum offensionem. Nam propter hæc & similia liberè & animosè à se dicta & prophetata serra dissectus est Isaias à Manasse & Iudæis, vt habet certissima traditio Hebræorum, ut S. Hieron. lib. 15. in Isaiam fine. Idem tradit & cinnit Tertul. lib. 3. carm. contra Marcionem dicens:

Quem (Isaiam) *populus sectū ligno. fine labe reperit,*
Immeritum demens crudeli morte peremit.

Ex eo quòd Tertull. ait sectum ligno, colligit Isaiæ lignea serra dissectum fuisse, itaque lignea crucem Christi typum prætulisse.

INVENTVS SVM, id est, inueniar (propheticè enim ponitur præteritum pro futuro) per cognitionem, fidem, amorem, sequelam, & cultum, A NOBIS QVI-

GENTIBVS ME, putà à Gentibus, quæ antea A non me, sed idola sua quærere, consulere & colere fuerant. Per Apostolorum ergo prædicationem FACTVS APPARVI IIS QVI ME NON INTERROGABANT] pari fere ipsis Gentibus, quæ non me, sed suum Iovem, Martem, Venerem consulebant & interrogabant.

AD ISRAEL AVTEM DICIT] Nota. τὸ *ad Israel*, Erasmus vertit, Contra Israel: sed melius alij vertunt, *de Israel autem dicit*: hoc enim sæpè significat Hebræum אל *el*, cui respondet Græcum πρὸς, & Latinum *ad*. Sic Hebr. 1. 7. dicitur, *ad angelos*, (hoc est de angelis) *dicit*. imò אל *el* potest accipi pro lamed datiui. Vnde Syrus vertit לישׂראל *li Israel*, id est, *Israeli autem dicit*.

TOTA DIE EXPANDI MANVS MEAS AD POPVLVM NON CREDENTEM, ET CONTRADICENTEM] q.d. Toto tempore, quo ego Christus cum Iudæis versatus sum, sed maximè in cruce, ait Theodoret. in Isaiæ 65. expandi, & quotidie expando manus meas, quasi profundens in eos mea munera, vt eos ad me alliciam, eosque in sinum fidei ac gratiæ meæ recipiam: apud Iudæos enim totam vitam docendo insumpsit Christus, plurimaque miracula fecit ipse & Apostoli; vt taceam oracula Script. per quæ assiduè Deus ad Christum eos vocauit, & vocat, Christumq; eis demonstrauit, & demonstrat. Sed frustra: Iudæi enim Mosi suo præfidentes, & iudaismo suo affixi, Christum agnoscere nolunt. ita S. Chrysost. Ambros. Orig. & alij. *Christi amor & beneficentia erga Iudæos.*

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit Paulus c. 9. & 10. Gentes per fidem ad iustitiam & salutem ascitas, Iudæos verò ob infidelitatem, ab eadem repulsos esse: nunc ad Iudæorum solatium monet Gentes, ne Iudæorum incredulitati & repulsæ indignentur & insultent; sed potiùs ei compatiantur & condoleant, vtq; eo ad sui imitationem prouocent, idq;

Primò, quia non omnes Iudæi sunt increduli, & reiecti; nam ipse Paulus & alij, quasi reliquiæ Israel saluæ factæ sunt.

Secundò, v. 8. quia etsi plures excæcati sint, tamen eorum cæcitas salus est Gentilibus. Nam Iudæorum incredulitas causa fuit cur prædicatio Euangelij, iustitia, & salus deflexerit ad Gentes.

Tertiò, v. 16. quia Iudæi sanctorum patriarcharum sunt filij, in quibus ipsi Deo quasi consecrati & sanctificati sunt.

Quartò, v. 17. quia Gentes, quæ erant quasi oleaster paganismi, per gratiam insertæ sunt in oleum Iudæorum, putà in Ecclesiam Dei, à qua facilè per infidelitatem, superbiam & inobedientiam rursum excidere possunt.

Quintò, v. 23. quia Iudæi, si recedere velint à sua infidelitate, rursum inserentur suæ oleæ, id est Ecclesiæ.

Sextò, v. 25. quia in fine mundi, cùm plenitudo Gentium intrarit, tunc omnis Israel credet, & saluus fiet.

Septimò, v. 30. quia ipsæ etiam Gentes ante Iudæos fuerunt incredulæ & neglectæ à Deo, vti nunc Iudæi, increduli & neglecti sunt. Vnde v. 32. concludit dicens: Concludit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur. *Atque hanc vicissitudinem, & successionem Iudæorum & Gentium in obsequio & Ecclesia Dei admirans exclamat,* O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!

1 DIco ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel? 3. Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. 4 Sed quid dicit illi diuina responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. 5. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ saluæ factæ sunt. 6. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. 7. Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: ceteri verò excæcati sunt. 8. Sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem. 9. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. 10. Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua. 11. Dico ergo: Numquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus vt illos æmulentur. 12. Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum? 13. Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, 14. si quomodo ad æmulandum prouocem

uocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? 16. Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. 17. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, 18. noli gloriari aduersus ramos. Quòd si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices ergo: Fracti sunt rami vt ego inserar. 20. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. 23. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam: quanto magis ij, qui secundùm naturam inserentur suæ oliuæ? 25. Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc: (vt non sitis vobisipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, 26. & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. 27. Et hoc illis à me testamentum: cùm abstulero peccata eorum. 28. Secundùm Euangelium quidem, inimici propter vos: secundùm electionem autem, charissimi propter patres. 29. Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. 30. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: 31. ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. 32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: vt omnium misereatur. 33. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! 34. Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? 35. Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 36. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.

VERS. 1. DICO ERGO, NVMQVID DEVS REPVLIT POPVLVM SVVM] Nota. τὸ *dico ergo*, phrasis est Apostoli, qua vtitur, cùm sibi aliquid obijcit, vti hìc facit. Sensus ergo est q.d. Dixi c. 9. & 10. Iudæos repulsos esse à Deo, & à iustitia; Gentes verò ad eam ascitas: verùm ergóne Deus planè repulit populum suum, putà Iudæos omnes? Respondet; *absit*. Nam & ego sum Iudæus & Israelita, fidelis tamen & Christianus. Tales quoque sunt Apostoli, multíque alij, ex Iudæis credentes. Non ergo repulit Deus absolutè populum suum, sed tantùm eos, qui Christo credere nolunt.

Non omnes Iudæos repulit Deus.

VERS. 2. NON REPVLIT DEVS PLEBEM SVAM QVAM PRÆSCIVIT] Nota τὸ *præsciuit*. Quod Primò, S. Chrysost. sic explicat; q.d. Deus non repulit totam plebem Iudæorum, sed eos vocauit ad Ecclesiam, quos præuidit fore dignos. Hoc si de prima vocatione ad fidem & gratiam intelligatur, Pelagianum est; sin de secunda vocatione ad iustitiam intelligatur, sanum est & Orthodoxum: de secunda ergo hac vocatione explicandus est S. Chrysost.

Quadruplex huius loci sensus.

Euitandum hìc, & discernendum dogma Pelagianũ ab Orthodoxo.

Secundò, Oecumen. *Præsciuit*, inquit, Deus Iudæos ante Gentes, quia Iudæi ante Gentes vocati sunt ad Christum, illíque crediderunt. Hos ergo Deus *præsciuit*, id est, sciuit esse suos suamque plebẽ, antequã Gentiles vocaret, & sciret esse suos.

Tertiò, S. Augustl. 1. de Bono perseuer. c. 18. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*; hoc est, inquit, quam prædestinauit, quam scilicet ab æterno decreuit ad se trahere, suamque facere. Vnde alij sic explicãt. *quam præsciuit*, id est, quam prædilexit, quamque multis olim beneficijs affecit.

Quartò, planiùs & simpliciùs, *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, id est, quam præuidit Christi fidem & gratiam sponte sua complexuram, forcque fidelem, ideoque fore plebem suam. Vide dicta c. 8. v. 29.

A ANNESCITIS IN ELIA QVID DICIT SCRIPTVRA?] *In Elia*, hoc est de Elia. Est hebraismus. bet enim ponitur, pro ב *al*: vel *in Elia* hoc est in historia Eliæ. 3. Reg. 19. vbi Elias apud Deum queritur, eumque interpellat aduersum Israelitas, putà aduersum Achab regem Israel, eiusque vxorem Iesabel, eorumque assecias, dicens,

DOMINE, ISRAELITÆ PROPHETAS TVOS OCCIDERVNT, ALTARIA TVA SVEFODERVNT] *altaria* scilicet, in excelsis locis & collibus Deo vero erecta. Vnde hæc altaria vocantur *Excelsa* in Scriptura. Quæ licet lege Deuter. 16. 2. vetita essent, ac proinde de piè ab Ezechia & Iosia euersa sint: tamen impium erat euertere ea ex odio cultus diuini, verique Dei, vti fecerunt Achab & Iesabel idololatræ. VERS.

ET EGO RELICTVS SVM SOLVS, ET QVAERVNT ANIMAM MEAM] Dixit hoc Elias mœrens, afflictus & ex mœstitia pusillanimis, æstimans omnia perdita esse, & longè deteriora quàm reuera erant: vnde B pusillanimitatem eius pariter & errorem corrigit hìc Dominus, dicens,

RELIQVI MIHI SEPTEM MILLIA VIRORVM, QVI NON CVRVAVERVNT GENVA ANTE BAAL] q.d. Ne putes, ô Elia, te solum Dei superesse cultorem; reliquos vel esse occisos, vel ad Baal defexisse. Ecce septem millia mea prouidentia & gratia conseruaui, & à nece & ab idololatria; qui me æquè colant, vt tu. Sic etiam hoc tempore Christi & Pauli reliquias Iudæorum mihi meoque cultui & Ecclesiæ conseruaui, scilicet eos, qui fidem Christi amplexi sunt. Itaque verbum *reliqui* propriè significat, reseruaui mihi in famulos, cultores & amicos; scilicet eos qui noluerunt adorare Baal. Hæc enim antithesis optimè accommodatur scopo Apostoli, qui est ostendere, etiamsi repulerit Deus à iustitia & gratia plerosque Iudæos, quia incredulos Christo; paucos tamen ex ijs sibi, suo cultui ac

amicos

mediæ seruasse, scilicet eos, qui Christo credide-
runt. Iterum per verbum *reliqui* Deus suæ gratiæ
etiam ostendit & innuit. Non enim ait: Ipsi se
seruarunt, sed, ego reliqui, græcè καταλιπον, he-
braicè השארתי *hisarti*, id est, reseruaui; quia licet ip-
si eam seruarint se, tamen potiùs à Dei gratia
seruati sunt. virtus enim gratiæ in opere bono po-
nit et liberi arbitrij concursu. ita S. Augustin. lib. de
Dono perseuer. c. 11.

Nota contra Nouantes nuper ex tenebris nati, hunc locum pro conseruatione & duratione
Ecclesiæ. Nam grauiter hîc errant, Primò, Me-
lanchthon, qui in Locis communibus, c. de Eccle-
sia dicit tempore Eliæ Ecclesiam constitisse in so-
lo Elia, Eliseo, & paucis sacerdotibus. Secundò,
Caluinus, qui in præfatione Institutionum ex hoc
Eliæloco probare nititur, Ecclesiam posse defice-
re. Tertiò, alij Nouantes, qui hæc Ecclesiæ suæ in-
uisibili, id est non existenti ante Lutherum & Cal-
uinum, adaptant, quasi fuerint ante ipsos aliqui
Lutherani, qui eamdem fidem docerent, quam
postea Lutherus & Caluinus docuerunt; sed pau-
ci, quales fuerunt tempore Eliæ incogniti & abs-
conditi.

Primò enim hoc gratis dicunt. Probandum e-
rat, et est, tales reuera fuisse. Dicant quæso, vbi,
quando, sub quo Rege, vel Pontifice exstiterint?
Nominent eos saltem nomine communi suę sectę,
nobis heroicos proferant qui eos exstitisse testetur:
sic enim in Israel fuisse veros deicolas tempore E-
liæ et Eliæ incognitos, testatur sacra historia lib.
3. Reg. cap. 19. quam citat hîc Paulus.

Secundò, licet Ecclesia Dei, cùm persecutionē
Idololatræ pateretur in Israel, id est in Samaria, ibi-
dem paucos haberet fideles eosq; latentes, vel abs-
conditos; tunc tamen eadem Ecclesia spectabilis
erat & florens in Iuda, id est, in duabus tribubus,
vbi sub Iosaphat rege fideli & pio, publicè templo,
sacrificijs, & cæremonijs Deus verus colebatur.
eòq; qui verè fideles erant, se recipiebant, quasi ad
fidei & religionis oraculum & asylum. & hoc est
quod Dominus dicēs, *Reliqui mihi septem millia vi-
rorum qui non curuauerunt genua ante Baal*, signifi-
cat dum subdit, *in Israel*, id est, in Samaria, non au-
tem in Iuda; de eo enim non loquitur.

Licet ergo concederemus, in Israel defeciſſe
nunc Ecclesiam, inde tamen non sequitur eam o-
mnino defeciſſe; quia perstitit in Iuda. Dicat nunc
Lutherus, si ante sua tempora Lutherani fuerint
& floruerint in Saxonia, Germania, Gallia, vbi gen-
tium aut terrarum visibiles & spectabiles fuerint,
vnde se recipere possent qui veram fidem, religio-
nem & Ecclesiam aut sectabantur, aut inquire-
bant? Vbi fuit Ecclesia Lutheri ante Lutherum,
qui Luthero nomen & exordium sumpsit? fa-
cie eadem fuit, vbi fuit Lutherus, antequam na-
sceretur.

Tertiò, in ipso Israel, id est Samaria, Ecclesiam
tempore Eliæ non defeciſſe, sed multos habuisse
veri Deicultores, patet ex eo, quòd paulò antè ex
Iezabel plurimos occiderat Prophetas; ex qui-
bus adhuc superstites erant Elias, Eliseus, Micheas,
Abdæ dispensator ipsius Achab & Iezabelis, & alij
centum Prophetæ, quos abscondit Abdias iam di-
ctos occiderentur à Iezabele, vt patet 3. Reg. 18.
Quique insuper Prophetæ, de quibus fit mentio
3. Reg. 10. v. 11. 28. & 35. Quod ergo dicit Elias ad
Deum, *Prophetas tuos occiderunt, & ego relictus sum
solus*; subaudi, solus qui publicè & intrepidè oppo-
no me Baal & Iezabeli; alij enim Prophetæ, ne oc-
ciderentur, latebant, sicut latebant Pontifices &
sacerdotes tempore Decij & Diocletiani. Ex laicis
verò multò plures tunc fuisse fideles in Israel, pa-
tet ex verbis Domini: *Reliqui*, inquit, *mihi septem
millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.*
Deniq; totus Israel paulò antè sub Dauide & Sa-
lomone, veræ fidei & Dei cultor fuerat, sed sub Ie-
roboam multi cum eo ad idololatriam vitulorum
defciuerunt.

Ostendat iam Lutherus, ostendat Caluinus non
septem millia, non mille, non centum, sed viginti,
sed decē, sed quinque, imò vel vnum, qui ante sua
tempora eamdem secum fidem per omnia docue-
rit; ostendat fidei suæ continuationem, defectum,
& deriuationem per singula sæcula; ostendat qui-
nam Patres singulis annorum centurijs docuerint
in Eucharistia non esse verum corpus, sed tantùm
signum corporis Christi: Pontificem Romanum
esse Antichristum: Sanctos non esse inuocandos:
non esse liberum arbitrium: nō operum merita: so-
lam fidem iustificare: Deum esse auctorē omnium
operum tam malorum, quàm bonorum.

Lutherus & Caluinus originē & cōtinuationem suæ Ecclesiæ & fidei ostēdere non possunt.

Hactenus id præstare, imò promittere ausus fuit
nemo, ne ipsi quidē Centuriatores Magdeburgen-
ses: nimirum hæc est causa, quæ eos in has angustias
compellit, cogitq; eò confugere, vt dicant Eccle-
siam errare & deficere posse, imò defeciſſe per tot
annorum centurias, quot à S. Gregorio (tunc enim
aiunt Ecclesiam defeciſſe, & Antichristum in ea
præsidere cœpisse) ad Lutherum interfluxerunt.
Durum est telum necessitas. Itáne Christus per tot
sæcula sponsam suam Ecclesiam deseruit? Itáne fe-
fellit promissionem suam datam Matthæi 16. *Tu es
Petrus, & super hanc petram* (id est, super hunc Pe-
trum, vt habet Syrus, & Petri in cathedra Romana
successores) *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi
non præualebunt aduersus eam*? Itáne concidit Eccle-
sia, templum & domus Dei, quam Apostolus 1. Ti-
mot. 3. ait esse *columnam & firmamentum veritatis*;
quam Prophetæ docēt esse regnum æternū Chri-
sti? Itáne per tot sæcula delituit inuisibilis Ecclesia,
quæ est magistra fidei, doctrix veritatis, quā Isaias
c. 2. docet esse montem in vertice montium, & ele-
uatum super omnes colles? quam Christus in du-
bijs & difficultatibus adiri & audiri iubet, Matth.
18. *Dic*, inquit, *Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audie-
rit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*? Deus per suā
bonitatem aperiat oculos omnium errantium, &
miserorum, qui à Luthero & Caluino, eorumq; as-
seclis decepti, quasi oues errantes à caula Ecclesiæ
se segregarunt, vt Ecclesiam priscam & stabilem,
Catholicam & Apostolicam, Romanam scilicet, vi-
deant, agnoscant, & ad eam quasi matrem aman-
tissimam postliminio recurrant, cum eaq; in gra-
tiam, & mutuum amplexum redeant. Amen.

Angustiæ & deliria Cēturiatorum Magdeburgensium.

Ecclesia per multa sæcula ante Lutherum delituerit, & inuisibilis esse non potuit.

SEPTEM MILLIA] hoc est multa millia. Septenarius enim numerus significat multitudinem, & He-
bræis est familiaris, propter sabbatum; sicut & de-
narius propter decalogum, ait S. Hieron. in c. 4. &
54. Isaiæ. Sic Eccles. 11. 2. dicitur, *Da partem septem*,
hoc est, multis pauperibus, *nec non & octo*, id est,
multò pluribus. Sic 1. Reg. 2. 5. in Hebræo habetur,
Donec sterilis peperit septem, quod Noster interpre-
vertit, *donec sterilis peperit plurimos*.

Quis numerus intelligatur per septem millia.

QVI NON CVRVAVERVNT GENVA ANTE BAAL] Græcè est femininè, τῇ Βάαλ, τῇ scilicet εἰκόνι, hoc

Baal quis Deus.

est, imagini Baal. Nisi malis dicere. à Iesabele femina Tyria, Astartem deam Tyriorum Israelitis ad cultum fuisse propositam, quasi Baal feminã. Baal enim Hebræis generale deorum nomen est. Verùm facillimè & solidissimè dici potest, hîc, vti & alibi, mendum irrepsisse in textum Græcum, & pro τῇ restituendum esse masculinum τῷ. Sic enim interpres Noster & veteres legisse videtur. Blasphemat hîc Beza, dum ait, Catholicos curuare genua ante Baal, cùm B. Virginem & Sanctos inuocant, eamque communi omnium gentium voce vocant *Dominam nostram*: Baal enim hebr. significat dominum; sed vsu gẽtium significat Deum, qui summus omnium est dominus. Nemo autem B. Virginem vt deam inuocat: cur autem non liceat eam vocare *Dominam nostram*, cùm ciues ita vocent reges & principes, famuli suos heros, imò Beza Caluinum vocet suum dominum & magistrum?

VERS. 5. SIC ERGO ET IN HOC TEMPORE RELIQVIAE, hoc est, pauci Iudæi, credentes Christo; pauci inquam, præ innumeris incredulis, ita vt ex tanta incredulitate & clade videantur hi pauci esse tantùm reliquiæ, & reliqui; SECVNDVM ELECTIONEM GRATIAE, id est gratuitam, SALVAE FACTAE SVNT] id est, iustificatæ sunt. Non enim agit hîc Paulus de electione immediata ad gloriam, vel ad primam gratiam & fidem, sed de electione ad iustitiam, vti initio c. 9. ostendi. Iustitia enim est salus à peccato, estq; salus inchoata, quæ perficietur in cælesti gloria. Electio ergo hæc Dei, est dilectio Dei, de qua dixit c. 9. *Iacob dilexi*, quam & alio nomine ibidem miserationem vocauit, dicens: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Non agit hic Paulus de electione ad gloriam.

Nota, huic electioni gratiæ non repugnare consensum liberi arbitrij, eiusque liberam acceptationem gratiæ, nec etiam fidem, pœnitentiam, aliasque liberas hominis dispositiones ad iustitiam; hæ enim omnes nullum meritum, nullam efficaciam, nullum ius propriè dictum homini tribuunt ad iustitiam. Sed his omnibus positis meræ est electionis Dei & gratiæ, quòd tales iustificet, non alios qui istis careant, vt disertè ait Apostolus c. 4. v. 5. & ex eo Concil. Trident. sess. 5. & 6.

Cur fidelis pœnitens iustificetur præ infideli pœnitente.

Vtrumque ergo verum est, & vtrumque verè responderi potest, si quæras, cur fidelis pœnitẽs iustificetur præ infideli pœnitẽte? Respondebo enim Primò, quia ipse se disposuit, hic non. Respondebo Secundò, quia gratis Deus voluit illum iustificare, & acceptare illius dispositiones; non autem hunc, qui eis caret. Fides enim est dispositio ad iustitiam, non sua natura aut naturali vi & efficacia, sed quia Deus ita voluit & constituit. Et iuxta priorem responsionẽ videtur loqui S. Chrys. cùm ait, Deũ ad iustitiam & salutẽ eligere hunc præ illo, quia hunc suæ gratiæ consensurum præuidit, non illum. E cõtrario S. August. iuxta posteriorem sensum quærẽti cur hic præ illo eligatur à Deo, respondet causam esse non humanum meritum, sed electionem & gratiam diuinam. Vtrumque enim verum est, eo sensu quem dixi.

Apostolus hîc electionem gratiæ opponit electioni ex operibus legis vel naturæ.

Deniq; Apostolus hîc tantùm electionem gratiæ opponit electioni ex operibus legis, vel naturæ; vt patet ex sequẽtibus, & ex tota epistola. Sub gratia ergo amplexum liberum gratiæ, & eos qui per gratiam excitati sponte obediunt & subijciunt se gratiæ, intelligit. Liber enim amplexus gratiæ est quædam gratia: fit enim à gratia præueniente & cooperante. Vnde & ipsi fideles & Sancti qui gratiæ obediunt, filij gratiæ sunt & nuncupantur. Fusius idipsum docet hîc Toletus notat. 4.

Dices. τὸ *saluæ* non legit S. August. & in Graeco tantùm est λεῖμμα γέγονεν, id est, *reseruatio facta est.*

Respondeo *reseruatio*, supple saluatorum, id est eorum qui salui facti sunt, vt vertit Noster, hoc est, eorum qui iustificati sunt, facta est per electionem gratiæ iustificantis.

Si tamẽ cum nonnullis ex S. August. hanc reseruationem, æquè vt τὸ *reliqui* siue reseruati v. pene. velis extendere, & accipere de gratia vocante & præueniente, quasi per hanc facta sit ista reseruatio saluandorum, id est iustificandorum; Respõdeo etiam hoc verè posse dici, scilicet diuinæ electionis & gratiæ vocantis esse, quòd hi conuersi sint, non illi, quia licet vtriq; physicè æqualem habuerint gratiam vocantem; hæc tamen gratia cum libero arbitrio in his operata est conuersionem, non in illis. id est, hi virtute gratiæ se conuerterunt non illi. quòd enim hi se conuerterunt; virtus & efficacia fuit gratiæ, qua vsum & cui cooperatum fuit liberum arbitrium, prout exigebat gratia, & prout intendebat Deus gratiam hanc tribuens: quòd verò alij noluerint conuerti, liberi arbitrij fuit malitia. Iustificati ergo suam iustitiam, licet liberè à se acceptatam, gratiæ tribuere debent; perinde ac pauper diuitis gratiæ tribuit, quòd eius pane sustentetur, non autem sibi hoc arrogat, licet ipse panem à diuite oblatum liberè debeat acceptare & comedere, & ex eo sustẽtari velit. Hæc enim eius acceptatio nihil habet laudis, nihil illustre, præsertim si comparetur cum liberalitate & liberali donatione diuitis.

SI AVTEM (hæc electio est gratiæ, vti dixi ideoq; ipsa est) GRATIA, IAM NON EX OPERIBVS] q. d. & hæc electio ad iustitiam, ipsa scilicet iustificatio, fit ex Dei gratia, ergo non obtingit nobis ex meritis operum nostrorum. Opera hîc intelligo legis naturæ, imò & fidei; quatenus nimirum hæc hominis opera sunt, quia dispositiones fidei, spei, pœnitentiæ, vti actus humani sunt, nec habẽt meritum, nec efficaciam iustificandi; sed tantùm ex gratuita Dei ordinatione disponunt hominem ad iustitiam, vt dixi.

ALIOQVIN GRATIA IAM NON EST GRATIA] Calumniatur Kemnitius detractum esse in nostris codicibus, quod habetur in Græcis, scilicet εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐπὶ ἐξ χάριτος· ἐπεὶ τὸ ἔργον, οὐκέτι ἐστὶν ἔργον· id est, *si verò ex operibus, iã non est gratia; alioquin iam non est opus.* Et ita legit Caietan. & Theophyl. Sed hoc non legunt Origen. Chrys. Ambros & alij, imò Erasmus ait esse superfluum. Et sanè nostra Latina lectio breuior & neruosior, ideoque verior est. Nota τὸ *ex operibus*, semper hîc significat meritum operum. Hoc enim solùm opponitur gratiæ, siue gratuitæ donationi & electioni.

QVID ERGO, supple, dicemus, & ex dictis hucusque cõcludemus? nimirum id quod sequitur, ERGO QVAEREBAT ISRAEL, iustificari, scilicet ex meritis operum legalium, HOC NON EST CONSECVTVS ELECTIO AVTEM CONSECVTA EST] id est, electi secundùm gratiam ex Iudæis, putà Iudæi qui Christo fidem & gratiam amplexi sunt, hi electi à Deo ad iustitiam, eam consecuti sunt. Abstractum ponitur pro concreto, nimirum *electio* pro electis, vt Ioan. 30.

CAETERI VERO, Iudæi scilicet, non electi, sed reiecti & repulsi à Deo & à iustitia, ob suam incredulitatem, EXCAECATI SVNT] propriè & directè à se suaque malitia, qua obstinatè inhæserunt legi Mosis,

P. 6. Additionem Arbonis ad hanc locum v. in fine Cap. 10. Eccl.

Mosis, & Christi fidem contempserunt: indirectè A ctas & transfossas, omnisque audiendi, videndi & intelligendi vis ac sensus in eis esset extinctus. Spiritus ergo compunctionis, id est transpunctionis, est obstinatio & liuor, siue dolor & inuidia à propria malitia, & à dæmone Iudæis aspirata & suggesta, quæ quasi clauus terebrauit, transpunxit & excæcauit eorum oculos & mentem.

Transpunctio significat obstinationem & inuidiam.

Vbi Nota. Sicut vehemētia doloris sensum tandem superat & extinguit, vt homo vi doloris incidat in animi deliquium, fiat stupidus, insensibilis, imò subinde amens & demens; ita liuor hic & dolor inuidiæ adeò vehemēs fuit in Iudæis, vt eorum sensus, oculos, aures & mentem stupefecerit, fecerit́que eos insensibiles, & quasi dementes in rebus fidei & salutis. Et hoc est quod ait S. Cyprian. l. 1. epist. 3. *Iudæi*, inquit, *transpunctæ mentis alienatione* B *dementes Dei præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiam nolunt, ante admissum facinus improuidi, post facinus obstinati.* q.d. Vehementia liuoris & doloris & inuidiæ in Christum & Christianos, tanta fuit in Iudæis, vt eos alienarit à mente, fecerit́que quasi dementes, vt res Christianas ac diuinas non magis capiant, quàm saxa aut bruta, quæ mente destituuntur.

Declaratur similitudine.

Secundò, sicut cacabus aut vas cùm transpungitur & pertunditur, nihil retinet aquæ aut alterius liquoris: & speculum cùm transpungitur, speciem rei visibilis non retinet, sed quasi pertusum finit eam effluere: ita Iudæorum aures, oculi & mens inuidia & obcæcatione transpuncta & pertusa nihil retinent, sed sinunt effluere quæcumque audiunt aut vident de Christo & Christianis. Vnde oculos habentes non vident, & aures habentes non audiunt. Et hoc est quod S. Cyprian. loco iam citato addit & dicit: *Pertusa est illis mens; hebes animus, &* C *sensus alienus à Deo, fide, pœnitentia.*

Altera similitudo.

Tertiò, sicut clauus nummum aliquem transpūgens, eumdem sibi inserit & affigit: ita inuidia hæc, perfidia & obstinatio in sua lege & iudaismo, Iudæorum animos ita transpunxit & penetrauit, vt eisdem quasi clauis trabalibus videantur confixi & affixi; adeò vt à sua perfidia sint immobiles; ac cōsequenter excæcati in fide Messiæ, omne lumen Scripturarum, omnem sensum rerum cælestium amiserunt. Compunctio ergo hæc est pertinacia in sua perfidia, quæ Iudæos penetrauit, transpunxit, sibiq́ue immobiliter affixit. Sic explicant compunctionem hanc S. Chrysost. Theoph. Oecumen. Vide quò hominem adducat liuor, peruicacia, proprij iudicij tenacitas, & obstinata voluntas.

Tertia similitudo.

Quid tandem compunctio hic.

Oculos vt non videant, et aures vt non D audiant] Nota hic quinque signa & effectus obstinatæ mentis. Primum est cæcitas animi, de qua Iob 12. *Palpabunt*, inquit, *quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.* & c. 24. *Ipsi fuerūt rebelles lumini, nescierunt vias eius.*

Quinque signa obstinatæ mētis.

I.

Secundum est voluntaria surditas. Iob 21. *Qui dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Talis fuit Pharao dicēs Exodi 5. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? nescio Dominum.* De vtraque Isaias cap. 42. 19. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum: quis cæcus nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuncios meos misi?*

II.

Tertium est contemptus Dei & hominum. Prouerb. 18. 3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Vicissim talis à Deo contemnitur & despicitur. Prouerb. 1. 33. *Despexistis omne consilium*

III.

Christi fidem contempserunt: indirectè Deo eos deserente, & dimittente suæ infidelitati & obstinationi.

Sicut scriptum est (Isaiæ 6. 9.) Dedit illis Deus spiritum compunctionis] *Dedit*, permittendo, deserendo, & occasiones præbendo, bonas quidem in se, sed quibus illi se magis indurarent suo vitio & culpa. ita S. Augustin. Chrysost. Theophil. Oecumen.

Quæres, quis hìc vocetur *spiritus compunctionis*? Primò, Anselm. per spiritum compunctionis intelligit spiritum impellentem ad malum, instar stimuli compungens boues incitat ad cursum.

Secundò, Ambros. intelligit dolorem Iudæorum ortum ex zelo iudaismi, cùm eum viderent aboleri per Euangelium.

Tertiò, alij intelligunt spiritum æmulationis & inuidiæ Iudæorum in Christum, & Christianorum similitudinem.

Verū Nota. Citat hìc Paulus Isaiæ c. 6. 10. vt vult Origen. & Chrysost. vel potiùs & clariùs, Isaiæ c. 29. 10. vt vidit Ansel. vbi Noster interpres vertit. *miscuit vobis Dominus spiritum soporis; claudet oculos vestros, Prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Cum loci sensus est hic: Deus vobis, ô Iudæi, velabit & operiet Isaiam, & alios Prophetas, ne eos intelligatis. ita Hieron. & Cyrill. ibid. Vbi aduerte. Pro *soporem*, hebr. est תַּרְדֵּמָה *tardema*, quod Theodotion vertit ἔκστασιν, id est mētis excessum: Aquila, κατάνυξιν, id est, grauē somnum; Chaldæus, spiritum errōris; Syrus, spiritum stupiditatis. Hebræum *tardema* significat altissimum veternum, qui homini oculorum & aurium vsum, omnemq́; sensum adimit. Vnde Septuag. quos sequitur hìc S. Paulus, vertentes κατάνυξιν, videntur hoc posuisse pro κατάκλισιν, id est, soporatione. νὺξ enim est nox; & νυστάζω dormire significat. ita Hesychius.

Narrat antiquitas Philosophum quemdam sapientissimum, cerebro lapide percusso oblitum fuisse literarum, ita vt ne quidem legere sciuerit. Et Grammaticum, qui cùm asino, quo vectabatur, excidisset occipito in cerebro vulnere, prorsus omnem Grammaticum oblitum. Et Hermogenem Rhetorem, qui cùm doctissimus suę ætatis esset adolescens, senem factum omnia esse oblitum. Maius miraculum hìc accidit, cùm Deus Iudæorum legis doctores eminentissimos fecit stupidissimos, in pœnam obstinationis suæ in iudaismo.

Verùm Noster interpres, Chrysost. Theoph. Vatabl. Erasmus, & alij propriè κατανύξεως vertunt, compunctionis. Sic Actor. 2. 37. dicitur, *His auditis compuncti sunt corde*; vbi Lucas in Græco posuit idem hoc verbum κατενύγησαν. Excæcationē enim & obdurationem, quam Isaias per soporem & vertiginem significat, LXX. & Paulus per aliam metaphoram, scilicet per compunctionem, significarūt: *compunctio* autem hìc idem est quod transpunctio, & *compungi* idem est quod transpungi. Transpunctio hìc significat excæcationem Iudæorum.

Primò, quia cùm oculus clauo aut cultro transpungitur, tùc effoditur & excæcatur; & cùm auris cultro transfoditur & transpūgitur, auditus extinguitur, & homo fit surdus: sic Iudæi mentem habēt compunctam, id est transpunctam, tū clauo inuidiæ in Christum & Christianos, tum clauo perfidiæ & obstinationis, vt ea quæ Christi, Dei, fidei Christianæ ac salutis sunt, videre & audire non possint, perinde ac si oculos & aures mentis haberent transpū-

ruêum, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit.

IV. Quartum est incorrigibilitas Eccles. 7. 14. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Huic connexa est impudentia & perfricta frons. Ieremiæ 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Prouerb. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

V. Quintum est stupor. Prouerb. 23. 34. *Erit sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dicet: Verberauerunt me, & ego non sensi.* Huic coniuncta est difficultas, & quædam quasi impossibilitas resipiscendi. Ieremiæ 13. 23. *Si mutare potest æthiops pellem suam, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Et cap. 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.*

VERS. 9. *Variè explicatur, Fiat mensa eorum in laqueum.*

ET DAVID DICIT (psalm. 68. 13.) FIAT MENSA EORVM IN LAQVEVM, ET IN CAPTIONEM, ET IN SCANDALVM] Primò, nonnulli hæc sic explicant: *Mensa*, id est esca fellis & aceti, quam mihi Christo apparauerunt Iudæi in cruce, tali & ipsi fruantur in obsidione sub Tito & deinceps.

I. II. Secundò, Theodor. in psalm. 68. mensa, inquit, fiat laqueus, hoc est, lætitia eorum vertatur in tristitiam.

III. Tertiò, S. August. mensa fiat laqueus, hoc est, inquit, fides eorum fiat incredulitas & perfidia.

IV. Quartò, S. Hilar. in eumdem psalm. 68. mensa fiat eis laqueus, hoc est, inquit, sacrificia vetera eis obsint.

V. Quintò, mensa, hoc est agnus paschalis, fiat Iudæis in laqueum, vt nimirum occasione paschatis omnes Hierosolymam conueniant, ibique à Tito obsideantur, & capiantur: ita enim reipsa euenisse narrat Iosephus lib. 7. Belli c. 17.

VI. *explicatio planior.* Sextò, planior & simplicior sensus est, q. d. Sicut aues & pisces escâ hami, vel retis capiuntur: ita Iudæorum mensam, id est cibum, potum & omnem rerum temporalium affluentiam (vsuris sæpè partam) quâ vita sustentatur & recreatur, Deus vertat Iudæis in exitiũ, vt ijs superbiant, lasciuiant, & Romanos prouocent ad sui deprædationem, & excidium; vtque ijs, vtpote per vsuram partis & incentiuis ad omnem luxum & fastum, sibi viam sternant ad infernum. ita S. Chrysost.

Mensa hic est temporalium copia.

Mensa animæ est sacra Script. & lex Dei.

Rursus, mensa spiritalis animæ, ait Anselm. Origen. & Caietan. scilicet mẽsa legis Dei & S. Scripturæ, quas Iudæi vnas reputant delicias, & summum suum bonum, fiat eis in scandalum, & in retributionem, id est, in pœnam demeritorum, vt scilicet iusto Dei iudicio, quia ea abusi sunt, & quia ex ea Christum agnoscere noluerunt, iam inde mortem & excæcationem petant, vnde vitam & lumen captabant.

VERS. 10. *Quid dorsum incurua.* ET DORSVM EORVM SEMPER INCVRVA] q. d. Magis magisque, ô Deus, onera illos, eo modo quo potes, erroribus, scandalis, calamitatibus, seruitute, ait Theodor. vt oneribus pressi, ceu silicernia curuati in terram, incedant.

Secundò, *dorsum eorum incurua*, hoc est, effice vt voluntas affectusque eorum curuati in terram lucro & terræ affigantur, nec adspiciant, aut requirant bona cælestia. Sic Poëta dicit: *O curuæ in terris animæ & cælestium inanes!* tales iam videmus Iudæos.

VERS. 11. DICO ERGO, NVMQVID SIC OFFENDERVNT, VT CADERENT?] q. d. Si hæc dicta Dauidis de Iudæis tam funesta, vera sunt; ergo Iudæi in Christum, A quasi in lapidem offensionis ita impegerunt & offenderunt, *vt caderent*, sine vlla spe resurgendi: hoc est, vt pleno & irreparabili casu elisi & eorruerint. ita S. Chrysost. & Theophyl.

Obijcit sibi (nam τὸ *dico ergo* obiicientis est, vt dixi v. 5.) hoc Apostolus, ad leniendam ruinæ Iudaicæ inuidiam & acerbitatem. Vnde respondet,

ABSIT. SED ILLORVM DELICTO per delictum enim & lapsum Iudæorum, SALVS EST GENTIBVS, VT ILLOS AEMVLENTVR] q. d. Adeò non spreuit omnino Deus Iudæos, vt voluerit vti vocatione Gentium ad Iudæorum conuersionem: ideò enim Iudæis fidei obluctantibus, vocauit ad iustitiam & salutem Gentes; & Apostoli ad Gẽtes suam prædicationem transtulerunt; vt Iudæi Gẽtium sanctimoniam, ac dona fidei, & gratiæ Spiritus sancti videntes, sancta quasi inuidia excitarẽtur ad eos imitandos, fidemque Christi reciperent. Et hoc est quod ait, *vt eos æmulentur*, id est, vt Gentes prouocent eos, scilicet Iudæos, ad æmulationem, & sui imitationẽ. Hoc enim est τὸ *æmulentur*: nam idipsum significat Hebræum קנא *kinua*, id est æmulari, & sic sumitur Græcum παραζηλόω, v. 14. ita Orig. Chrysost. Theodor. & Ambros.

B

Nota. Vno cadente & excidente à gratia & gloria, alius mox à Deo erigitur, & destinatur ad cadentis coronam. Sic Angelis labentibus, hominem Iudæis incredulis, Gentes; vni genti cadenti altera surrogatur & succedit. Hinc Apocal. 3. 11. quisque monetur: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

QVOD SI DELICTVM ILLORVM DIVITIAE SVNT MVNDI, ET DIMINVTIO EORVM DIVITIAE GENTIVM] q. d. Si Iudæorum incredulitas & diminutio, id est paucitas credentium, Gentibus occasio fuit tanti boni, & tantarum diuitiarum spiritualium scilicet prædicationis Euangelij (hæc enim à Iudæis repulsa ad Gentes deflexit) fidei, iustitiæ & salutis, vt quantum Iudæi tum gratia, tum numero credentium imminuti sunt, tantum Gentes tam numero, quàm gratia credentium ditarentur & crescerent.

C

QVANTO MAGIS PLENITVDO EORVM?] cùm videlicet plena eorum multitudo, atque vniuersus Israel in fine mundi crederet Christo, supple, ditabit & prouocabit, confirmabitque Gentes ad se imitandum; maximè cùm multi ex Israelitis ab infantia in sacris Literis versati, cum Elia & Henoch per orbem prædicabunt, & Christum è Scriptura efficaciter & clarè Iudæis demonstrabunt.

D

Nota. Non dicit Apostolus, Conuersio eorum, sed *plenitudo*; quia hanc appositè opponit eorumdem diminutioni. Est argumentum à minori ad maius: hoc enim contingit, & sequitur per se, illud verò per accidens. Magis autem verisimile est futurum esse id, quod per se ex re quapiam natura est sequi, quàm id quod tantùm per accidens sequitur. q. d. Si de malo quod per se aduersatur bono, putà de Iudæorum incredulitate, per accidentariam occasionem diuina sapientia tantum elicuit bonum, putà conuersionem omnium Gentium, quæ millies plures sunt Iudæis; quanto magis ex bono, quod per se ordinatur ad bonum, putà ex Iudæorum fide & conuersione, eliciet idem Deus ingens bonum, putà Gẽtium in fide propagationem & confirmationem, vt ita per Iudæos totus mundus ad florentem optimumque statum; adeoque ad salutem & gloriam æternam perducatur? Et quàm

nalis Apostolus Gentibus facit desiderabilem Iudæorum fidem & conuersionem; vt Iudæis increduliis non insultent, sed ijs condoleant & compatiantur, eosque verbo & exemplo conuertere satagant. Adipsum mox Gentes incitat suo exemplo, dum subdit:

MINISTERIVM MEVM HONORIFICABO] Nonnulli *honorificabo*, id est laudabo, honorificè peragam, illustrabo & exornabo prædicationem Euangelij apud Gentes; vt Spartam quam nactus sum, exque mihi commissa est, hanc exornem. quod Hebræi dicunt אֲכַבֵּד *acabbed*, id est, condecorabo, glorificabo tam verbis quàm factis. Vnde Syrus vertit מְשַׁבַּח *mesabbach*, id est gloriosam efficiam, encomijs celebrabo. ita S. Bernard. epist. 238 ad Ardutionem Gebennensem Episcopum, eumdem verbis exstimulat: *Paulum*, inquit, *imitare in honorificando ministerium tuum. Honorificabo autem gravitate morum, maturitate consilium, actuum honestate. Hæc sunt quæ officium Episcopale maximè nobilitant & ornant.* Et epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepisc. *Non in corrigendo*, inquit, *sis remissior, non seuerior in parcendo, non pusillanimis in exspectando. Nec superfluus in victu, nec notabilis in vestitu. Non citus ad promittendum, non ad reddendum tardus, nec prodigus dator. Illorum consilium longè semper faciet à vobis malum temporis istius, scilicet cupiditatis nouum, simoniam, & matrem eius auaritiam, quæ est idolorum seruitus. Et vt breui omnia seruum concludam, si bis credideritis, in omnibus exemplo apostoli, honorificabitis ministerium vestrum: ministrorum inquam, non dominium. Ipsum itaque honorificabitis, non vos. Nam qui quærit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium.* Nouum deinde modum honorificandi subijcit: *Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificijs, sed ornatu moribus, studijs spiritualibus, operibus bonis. Quàm multi aliter! Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus aut exiguus.* Et paulò pòst: *Non Christi signata sunt hæc, quæ illi Martyrum exemplo circumferunt in corpore suo. muliebria potiùs esse noscuntur insignia.*

SI QVO MODO AD AEMVLANDVM PROVOCEM CARNEM MEAM] putà Iudæos, qui mihi secundùm carnem cognati & consanguinei sunt: q.d. Tanti facio Iudæos eorumque salutem, vt non tam Gentium, quàm Iudæorũ me Apostolum esse profitear. Nam ideo Gentium sum Apostolus, vt nimirum hoc meo apostolatu apud Gentes, prouocem Iudæos ad sanctam quamdam æmulationem; vt scilicet ipsum me, quàm Gentes quas conuerto, imitentur in fide & zelo Christi.

SI ENIM AMISSIO, abiectio, reprobatio: græcè enim est ἀποβολή; S. August. legit, *Si reiectio*. EORVM (Iudæorum) RECONCILIATIO EST MVNDI, putà occasio est conuersionis & reconciliationis omnium gentium totius mundi, iuxta sensum iam dictum v. 12. QVAE qualis & quàm læta erit ASSVMPTIO id est, vt Syrus restitutio & adiunctio Iudæorum ad Christum? sanè non erit alia, NISI talis qualis est VITA EX MORTVIS] si nimirum mortuus quis, vel potiùs plurimi mortui ad vitam resurgãt. q.d. Si Iudæorum incredulitas & abiectio Gentibus & vniuerso orbi attulit occasionem reconciliationis, quia videlicet fides à Iudæis repulsa ad Gentes pertransijt: quàm gaudenda res erit, si etiam ipsi Iudæi tursum assumantur ad fidem? videlicet perinde erit ac si mortuus quis ad vitam reuocetur: imò ac si mundus ipse qui Gentibus constat & Iudæis, altera parte demortuus, integer planè reuiuiscat; quomodo mortuo ad vitam redeunte gaudent omnes, & nemo dolet, aut detrimentum patitur. ita Ambros.

Secundò. *nisi vita ex mortuis*. q.d. Iudæis assumptis & conuersis ad Christum, nihil iam restabit amplius (Gẽtes enim omnes ad Christum iam tum conuersæ erunt) nisi vt veniat finis mundi, & mortuorum resurrectio, & redemptionis hominum cõsummatio. vt nimirum omnes tam Iudæi, quàm Gentes fideles & electi cum Christo transeant ad vitam & gloriam æternam. ita S. Chrysost. Theodor. Anselm. Caietan.

Iudæis conuersis omnia erunt consummata.

QVOD SI DELIBATIO SANCTA EST, ET MASSA] q.d. *Si delibatio*, hoc est primitiæ pastæ, ciborum & panum Deo consecrentur, etiam tota reliqua massa vel pasta censetur quasi Deo consecrata. Alludit enim Apostolus ad Numer. 15. 20. vt patet si Græcos textus vtrobique conferas. Vtrobique enim est ἀπαρχὴ & φύραμα, pro quo Noster interpres ibi pulmenta, hîc massam vertit. Iam sensus est, q.d. Quandoquidem Iudæorum primitiæ, id est, vt Chrysost. Patriarchæ & Prophetæ: &, vt Theodor. Christus: &, vt aptissimè, Ambros. & Anselmus, Apostoli & primi Christiani ex Iudæis, ceu primitiæ oblati sunt Deo, & deputati ad fidem & sanctitatẽ; etiam reliquum corpus Iudæorum Deo censẽtur oblatum & deputatum, atque morali quadam æstimatione, & analogica quadam sanctitatis aspergine sanctificatum, quasi in spe præparatione, semine ac familia, scilicet in sanctis progenitoribus. Est noua ratio, qua Paulus probat Iudæos non esse respuendos, quasi à Deo reiectos & reprobatos, ex eo, quòd ipsi sanctorum patrum sint filij, ideoque sancti, iuxta sensum iam datum.

Locus ex lib. Numer. illustratur.

Delibatio hîc sunt Apostoli & primi Christiani.

Iudæi cur non respuendi.

Nihil ergo hîc habet Caluinus quo probet infantes fidelium esse sanctos, nec egere baptismo, vt sanctificentur: pari enim modo probaret Iudæos incredulos esse sanctos, qui ex eorum parentes fuerunt sancti. De his enim ad literam loquitur Apostolus. Simili modo 1. Corinth. 7. 14. non tantum filios, sed & conjugem vocat sanctum, si alter coniux sit sanctus, id est Christianus; quem tamen propriè per alterum coniugem sanctificari, nemo, ne ipse quidem Caluinus, dixerit.

Reijcitur error Caluini negantis baptismũ infantibus fidelibus esse necessarium.

ET SI RADIX SANCTA, ET RAMI] Idem dicit aliâ metaphorâ: q.d. Si Patriarchæ sancti fuerunt & sunt: ergo filij eorum, putà Iudæi, à sanctitate non sunt repellendi, inquit Theodoretus; imò ipsi in suis parentibus morali quadam denominatione iam sancti & sanctificati esse videntur, adeoque reipsa sancti sunt, si suæ radici, id est, fidei & sanctitati suorum parentum, inhæreant & insistant. Vnde sequitur:

Quomodo filij in parentibus sanctificati dicantur.

QVOD SI ALIQVI EX RAMIS (ex Iudæis) FRACTI SVNT (Græcè ἐξεκλάσθησαν, defracti sunt, putà à sua radice, scilicet à fide & iustitia suorum parentum exciderunt, eò quòd fidem quam in Christum vẽturum habuerunt, in eum venientem abiecerunt. Pendet sensus huius sententiæ à sequentibus, ibique expletur. Subdit enim Paulus, VERS. 17.

TV AVTEM, ô populè Gentilis, CVM OLEASTER ESSES, ἀγριέλαιος, agrestis olea, & infrugifera bonorum operum, ob infidelitatem & impietatem, quia Gentilis; SOCIVS (particeps) RADICIS ET PINGVE-

Gentiles olea agresti cõparantur.

GVEDINIS OLIVAE FACTVS ES]putà fidei, gratiæ & pinguedinis Spiritus sancti, quam Iudæorum parentes habuerunt, maximè Abraham pater credentium, eiusque posteri, qui fuerunt Ecclesia Dei; hæc enim est oliua.

Ecclesia oliua.

Nomen oliuæ, ait Anselm. sumptum est ex Ieremiæ 11.16. vbi de populo Israel dicitur: *Oliuam* (hebraicè זַיִת רַעֲנָן *raanan*, id est, virentem) *pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum.* q.d. O Israel, ô synagoga, eras Domino quasi oliua virens & florens, cùm eum sincerè & fideliter coleres, in summa pace & rerum abundantia felix, beata, ac famosissima inter Gentes. Sæpè Scriptura Ecclesiam & fideles comparat arboribus. Sic Christus est vitis, nos palmites, nos in hac vite & olea illi complantamur, & quasi plantæ & rami adolescimus. Vide dicta c.6.v.5.

VERS. 18. NOLI GLORIARI ADVERSVS RAMOS (iam fractos, putà contra Iudæos incredulos) QVOD SI GLORIARIS: NON TV RADICEM PORTAS, SED RADIX TE] q.d. Tu ô Gentilis fidelis insultas Iudæo infideli: respondebitur, & dicetur tibi; te tantùm insertum esse radici, id est, fidei & Ecclesiæ sanctorum Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum, qui omnes Iudæi fuerunt, ab eaque te omnem gloriam & vtilitatem fugere, idque gratis, ideoque rursum excindi posse; vt & rami naturales, id est Iudæi, ob superbiam effracti & euulsi sunt.

Monentur Gentes non superbire.

VERS. 19. DICES ERGO: FRACTI SVNT RAMI, VT EGO INSERAR]τὸ *vt* hîc & alibi, non finem, aut scopum à Deo intentum, sed tantùm euentum & consecutionem significat. q.d. Fracti sunt & reiecti Iudæi ab Ecclesia: vnde factum & consecutum est, vt ego Gentilis Iudæorum vice illi aggregarer & insererer.

VERS. 20. BENE, & rectè dicis; sed scito, quòd PROPTER INCREDVLITATEM FRACTI SVNT, TV AVTEM FIDE STAS. Malè Erasmus & Caiet. putant vertendum, stetisti, vel, constitisti: nam Græcum ἕστηκας licet sit præteritum, vim tamen habet præsentis. Hoc enim creberrimum est Hebræis. *Stæ* ergo, id est, insertus es oleæ per fidem. NOLI ergo ALTVM SAPERE, id est superbire, SED TIME] Gluten enim quo radici & oleæ iam dictæ vniris, scilicet fides, non est ita firma. quin ab ea excidere, & consequenter à radice separari possis, vti iam multas gentes ab Ecclesia separatas, & à fide excidisse videmus.

Caietani & Erasmi versio reijcitur.

Stanti metuendum ne cadat.

Nota hîc contra Caluinum, hominem posse excidere à fide & gratia; Gentes enim hæ veram habebant fidem, & tamen Apostolus minatur eis excidium à fide & Ecclesia. Sicut Iudæi veram habentes Christi fidem, eo veniente illam perdiderunt.

Rursum locus hic totus moralis est, excitâs quemlibet fidelem ad timorem & diligentiam in officijs christianismi, ne si in ijs negligens sit, à fide vel statu, vocatione & gradu suo excidat, sicuti Iudæi exciderunt, & nostri apostatæ quotidie excidunt. *Optimus virtutum & beneficiorum custos est timor*, ait Anselm. *Ideo*, inquit S. Augustinus epist. 107. *non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, ne regenerati & pie viuere incipientes securi alta sapiamus.* Rursum ex hoc loco docet S. Chrysost. in morali, patrum merita filios degeneres non iuuare. Audi & S. Bernardum epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepisc. *Noli*, ait, *altum sapere, sed time. In alto positum non altum sapere difficile est, & omnino inusitatum: sed quanto inusitatius, tanto glorioſius. Timor de adepta iam altitudine, tadere magis quàm placere facit altiora. Non vos ergo felicem, quia*

Locus de timore perdendi gratiã.

A *præstitis: sed si non prodestis, infelicem putate. Vt autem securè præsse possitis, subesse & vos si cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subiectionis, prælationis reddit indignum. Sapientis est consilium: Quanto maior es, tanto humilia te in omnibus. Sapientia verò præceptum: Qui maior est vestrûm, fiat sicut minor.*

SI ENIM DEVS NATVRALIBVS RAMIS (Iudæis Vulg. expellendo eos à sua Ecclesia, amicitia & salute) NON PEPERCIT, time, NE FORTE NEC TIBI (Gentili insititio, si in fidem aut vitam Christianam peccet) PARCAT.

IN EOS QVIDEM QVI CECIDERVNT SEVERITATEM: (quia incredulos Deus excluſit à se, sua gratia, amicitia & salute) IN TE AVTEM BONITATEM χρηστότητα, id est benignitatem, qua scilicet te ad suam gratiam, amicitiam & gloriam adsciuit & B acceptauit) DEI, SI PERMANSERIS IN BONITATE] hoc est, in fide Christi, ait Clemens Alexand. l. 1. Pædag. c. 8.

Secundò, Anselmus, *In bonitate*, inquit, hoc est, in gratia & bonis operibus. Verùm hæc non sunt genuina: nam bonitas hæc non est hominis, sed Dei. Est enim eadem cum ea, de qua paulò antè dixit: *Vide in te bonitatem Dei.* Græcè enim vtrobique est χρηστότης, id est bonitas, benignitas. Sensus ergo est, q.d. Vide, ô fidelis, Dei erga te bonitatem & benignitatem, si tu in hac Dei bonitate permanseris, nimirum si dignè viuas illa benignitate, quam tibi præstitit Deus, illam laudando, ei gratias agendo, illi seruiendo & obediendo, vt te semper eadem Dei bonitas suis fauoris & curæ paternæ brachijs stringat, teneat, foueat & complectatur. *Alioquin* enim, si huic Dei bonitati ingratus, C inobediens & rebellis, *& tu excideris* ex hac olea Dei, id est Ecclesia.

Nota τὸ *si permanseris*. Hinc enim patet Primò, quòd perseuerantia certum est signum & causa electionis & prædestinationis ad salutem & gloriam æternam. Hinc patet Secundò, quòd de perseuerantia hac nemo sit certus. Vide S. Augustin. lib. 11. de Ciuit. c. 12. *Perseuerantia.*

SED ET ILLI (Iudæi increduli) SI NON PERMANSERINT IN INCREDVLITATE, INSERENTVR (in hanc oleam Ecclesiæ, de qua dixi v. 17. POTENS EST ENIM DEVS ITERVM INSERERE ILLOS] Nota in voce *potens est* mirum: τὸ *potens* enim non nudam Dei potentiam, sed & actum effectumque significat. q.d. Si Iudæi suam perfidiam mutent in fidem, Deus per suam potentiam potest eos inserere, adeoque reipsa potenter rursum inseret eos suæ Ecclesiæ. Similis est phrasis 2. Corinth. 9. 8. D

NAM SI TV EX NATVRALI EXCISVS ES OLEASTRO (putà ex gentilitate & paganismo, qui sterilis, incultus & agrestis fuit instar oleastri, sine oleæ agrestis & siluestris) ET CONTRA NATVRAM (oleastri huius) INSERTVS ES IN BONAM OLIVAM (Ecclesiæ, quæ cultra est, fertilis & suauis, instar oleæ) QVANTO MAGIS HI QVI SECVNDVM NATVRAM (putà Iudæi, qui secundùm naturalem propagationem prognati sunt ex hac olea, putà à fidelibus & sanctis Patriarchis, quibus promissio Messiæ facta est, qui proinde erant populus & Ecclesia Dei. Ab his enim dictæ sunt promissiones & semini eius Iudæi, inquam, si suam perfidiam deserant, & credant in Christum, rursum INSERENTVR SVAE OLIVAE (priſtinæ scilicet Ecclesiæ Dei?

Hunc locum pulchrè tractat S. Augustin. in psal. 72. vbi in hac oleastri in oliuã, putà Gentilis popu-

in Iudaicum & fidelem insitione, duo annotauit
A mirabilis. Prius est, quòd dicat Apostolus olea-
strum insertum esse in oliua; cùm è contrario oli-
ua inseri soleat in oleastro. Posterius est, quòd o-
leaster ille insertus in oliua non oleastri, sed oliuæ
fructus protulerit, cùm in naturali insitione con-
trarium accidat: siquidem id quod inseritur ipsum
est quod crescit, fructumque fert non arboris cui
inseritur, sed surculi proprij qui fuit insertus. Atque
hac de causa Paulus hanc insitionem appellat *con-
tra naturam*.

NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES MYSTE-
RIVM hoc quod sequitur, scilicet, QVIA (quòd) CÆ-
CITAS EX PARTE CONTIGIT IN ISRAEL, DONEC PLE-
NITVDO GENTIVM INTRARET] Probat hîc Pau-
lus id quod dixit, non ita Iudæos esse exclusos ab
B Ecclesia & regno Dei, quin rursum illi inseri pos-
sint ex eo, quòd de facto rursum illi inserendi sint
post conuersionem & insitionem Gentium. Idque
Apostolus vocat *mysterium*, id est mirabile, arca-
num & stupendum Dei iudicium, & dispositio-
nem, prouidentiam, permissionem & ordinati-
onem, qua factum est & consecutum, vt misso
Christo primò Iudæi excæcarentur, hoc consi-
lio vt Gentes vocarentur ad salutem; ac deinde o-
mnes Iudæi illuminarentur, crederent & salua-
rentur.

VT NON SITIS VOBIS IPSIS SAPIENTES] Ne vos
prudentes seu sapientes rati, efferamini, & aliquid
nimis insolenter arrogetis. ita Theodoret. Vnde a-
lij vertunt, Ne sitis insolentes, vel elati. Est ergo
metalepsis, *ne sitis sapientes*, id est superbi. Sapientia
enim parit superbiam. Loquitur Apostolus Gentis
fidelibus, ne de sua fide, sapientia & prudentia
superbiant & insolescant contra Iudæos in sua in-
credulitate & cæcitate manentes.

QVIA CÆCITAS EX PARTE (id est aliquibus) in-
quit S. Chrysost. & Theodor. CONTIGIT IN ISRAEL]
Pro *cæcitas* græcè est πώρωσις, id est obduratio. Sed
πήρωσις subinde idem est quod πώρωσις, id est cæ-
citas, ita Theodoret. Syrus, & alij.

DONEC PLENITVDO GENTIVM INTRARET] τὸ
πλήρωμα per enallagen ponitur hîc pro *intret*. q. d.
Cæcitas erit in Israel, donec numerus eorum, qui
ex Gentibus crediturí sunt, plenè compleatur, in-
troque in ouile Christi. Et sic post eos omnis Is-
rael saluus fiet, & ex vtraque Gentium ac Iudæo-
rum plenitudine, vna plena & perfecta consurget
corpusque Ecclesia.

ET SIC OMNIS ISRAEL SALVVS FIERET] Græcè σω-
θήσεται, id est saluus erit, saluabitur. Aliqui hîc
D Israel non carnalem, sed spiritalem accipiunt, putà
omnes ex Iudæis & Gentibus credentes & saluan-
dos. ita Theodor. Augustin. Hieron. in c. 11. Isaiæ, Cæ-
sarius apud Nazianzen. dialogo 4. Verùm patet A-
postolum toto hoc capite agere de Israele carnali,
non spirituali. ita docent alij omnes Patres & in-
terpretes Græci & Latini.

Vnde Secundò, melius S. Chrysost. Ambros. O-
rigen. & Hilarius in psal. 58. *Omnis Israel*, inquiunt,
hoc est, omnes Iudæi. Quare ex hoc loco S.
Chrysost. S. Thom. Caietan. & Sotus censent om-
nes omnino Iudæos in fine mundi conuertendos
& saluandos esse.

Tertiò & optimè, *omnis Israel*, id est, penè om-
nes plurimi ex singulis tribubus Israel, excepta vna
tribu Dan, in fine mundi conuertentur & salua-
buntur. Excipio tribum Dan, quia ex hac nulli si-
gnatur inter 144. millia signatorum ex 12. tribubus
Israel, Apocal. 7. Vnde multi putant Danitas ad-
hæsuros contribuli suo Antichristo. Sanè S. Hippo-
lytus lib. de Consumm. sæculi, & multi alij docent
quòd Antichristus præcipuos sectatores & propu-
gnatores habebit Iudæos. Idque satis significat Chri-
stus Ioan. 5. 43. & Paulus 2. Thessal. 2. 10. vt ibi di-
cam. Ergo omnes omnino Iudæi in fine mundi
non conuertentur ad Christum.

SICVT SCRIPTVM EST (Isaiæ 59. 20.) VENIET EX
SION, QVI ERIPIAT, ET AVERTAT IMPIETATEM A IA-
COB] putà ab Israel. Iacob enim ab angelo vocatus
est Israel, Genes. 32. 28. indeque omnes eius posteri,
putà Iudæi vocantur familia Iacob, vel Israel.

Nota. Pro *ex Sion*, hebraicè est לְצִיּוֹן *letsion*,
quod Noster interpres in Isaia vertit, *veniet Sion*,
B id est Sion; Septuag. & ex ijs Cyrillus vertunt, pro-
ut iam in ijs legimus, ἥξει Σιών propter Sion. Sed
S. Hieron. docet eos vertisse, ἐκ Σιών, ex Sion: idque
verũ esse, patet hîc ex S. Paulo; & Hebræum ל subin-
de significat *de*, vt patet 2. Regum 15. 19. Iam sen-
sus est, q. d Isaias: Ex gente & tribu Iuda, quæ ha-
bitat in Sion, nascetur Christus, qui Iacobi, id est
omnium tribuum Israel, iniquitatem auferet.

Christus nascetur ex habitatoribus Sion.

ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTVM] hoc est, fœ-
dus (de quo dicam 1. Cor. 11. 25.) quod ego Deus
cum hisce Iudæis credentibus inibo. Hoc fœdus I-
saias c. 59. sequent. verbis explicat, dicens: *Spiritus
meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non
recedent de ore tuo, & de ore seminis tui vsque in sempi-
ternum*. q. d. *Spiritus* sanctus *qui est in te*, ô Christe (ita
C Procop. & Cyrill. ibidem: volunt enim ipsi hæc esse
verba Patris ad Filium) vel potiùs, qui est in te, ô
Iacob & Sion, id est, ô Ecclesia ex Iudæis congre-
gãda, *& verba mea*, id est, lex mea & præcepta mea,
non recedent à te, & ab ore tuo; sed ea exequéris &
præstabis, tum fide, tum fidei professione & vita
sancta, per gratiam & opem eiusdẽ Spiritus: nouum
enim testamẽtum est fœdus gratiæ & Spiritus; sic-
ut vetus testamentum fuit fœdus legis, minarum &
pœnarum, vti fusiùs describit Ieremias c. 31. 33.

VERS. 27.

Locus Isaiæ 59. explicatur.

Addit & explicat non Isaias, sed Apostolus, id
fore, cùm abstulerit Deus peccata eorum, in fine
scilicet mundi, vt ait S. Chrysost. & S. August. l. 20.
de Ciuit. c. 29. per prædicationem Eliæ & Henoch,
vt patet Malach. 4. 5. & Apocal. 11. 3. Ex hoc ergo
Apostoli loco, vti & ex Malachia, certissimè sta-
tuitur traditio Ecclesiæ, de conuersione Iudæorum
ad Christum in fine mundi.

Iudæorum in fine mũdi conuersio cõfirmatur.

SECVNDVM EVANGELIVM, cui aduersantur, Iu-
D dæi INIMICI sunt Dei, PROPTER VOS] vt vos, ô Gen-
tes, hac occasione recipiatis prædicationem & fi-
dem. ita Ambros. & alij. Vrget, repetit & inculcat
hoc Apostolus, vt Gentes beneficium Euangelij, ſi-
bi occasione Iudæorum præstitum agnoscant, id-
coque illis, licet incredulis, non indignentur, sed
commisereantur.

VERS. 28.

SECVNDVM ELECTIONEM AVTEM, qua Deus olim
Iudæos in populum sibi elegit, DEO CHARISSIMI
sunt PROPTER PATRES] scilicet sanctos Patriarchas,
Deo amicos, quibus Deus promisit se filios eorum
in fine mundi ad Christum conuertendos, electu-
rum ad suam amicitiam, Ecclesiam & salutẽ post-
quam Gentium plenitudo intrarit: Deus autem
promissa sua seruabit & complebit, ac propterea,
cùm in fine mundi Iudæi fidem suscipient, lætissi-
mè suscipientur ab Ecclesia propter eorum patres.
ita Ambros. Origen. August.

Deus fœdus Patriarchis promisit cõuersionem posterorũ.

SINE

VERS. 29. SINE POENITENTIA SVNT DONA, ET VOCATIO DEI] *Sine pœnitentia*, græcè ἀμεταμέλητα, impœnitibilia, id est immutabilia. Vnde codex Basileensis legit ἀμετάθετα, & Syrus vertit, *non mutauit Deus donum suum & vocationem.* Sensus est: Licet Iudæi iam sint increduli, Deus tamen non reuocat id, quod absolutè dedit, vel promisit, ac consequenter quod Patriarchis promisit, putà vocationem, protectionem & amorem erga filios eorum, maximè conuertendos in fine mundi, hoc reipsa præstabit. q.d. Deus Iudæos, quos olim ad se per Mosem vocauit, & promisit decreuitque ad Christum vocare, donisque gratiæ & gloriæ afficere, hosce iam de facto vocat, & maximè vocabit in fine mundi, eisque bona spiritualia quæ promisit largietur: tunc enim Iudæi pertæsi tot malorum, & tam lõgæ suæ cæcitatis & desolationis, per prædicationem & miracula Eliæ & Henoch, aperient oculos, credentque in Christum.

Deus stabilis in promissis.

Notat S. Thomas & Caietan. hanc propositionem Apostoli: *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*, veram esse de vocatione efficaci & absoluta, quæ effectum suum consequitur, qualis est prædestinatorum. Hoc verum est, atque hoc loco ex præscientia conuersionis Iudæorum in fine mundi talis efficax intelligitur Dei vocatio. In genere tamen hæc propositio Apostoli etiã de inefficaci vocatione & gratia vera est, quantum est ex parte Dei. Sic Deus vocauit Hebræos, eisq; promisit fertilitatem terræ Chanaan, sub conditione: Si impleatis legem meam. Iudæi hanc conditionem nõ seruarunt; vnde Deus reipsa nõ impleuit subinde promissionem hanc suam. Sed quantum est ex parte sua, promissionem adimpleuit, quia paratus erat dare, & de facto dedisset eis hanc fertilitatem, si ipsi conditione & pactis, id est lege sua, stetissent.

Sententia Apostoli tã vera est de vocatione efficaci,

quàm inefficaci, quãtum est ex parte Dei.

Secundò, Ambros. sic explicat: *Sine pœnitentia sunt dona Dei* q.d. Donũ baptismi non indiget pœnitentia, sed sola fidei professione. quod sic intellige: Baptismus non indiget pœnitentia, scilicet satisfactoria. Nam alioqui baptizandus pœnitere debet & dolere de peccatis admissis. ita S. Thom. Verùm hic sensus non est ad mentem Apostoli.

Explicatio S. Amb. minùs propria.

Nihil ergo hîc habent Nouantes pro sua certitudine gratiæ singulorum fidelium & electorum, etiam teste Caluino: quia, vt ipse fatetur, Apostolus hîc loquitur de electione, non cuiusque, sed totius gentis Iudaicæ. Multò absurdiùs hinc inferat alius quispiam Nouator: *Sine pœnitentia sunt dona Dei*; ergo sine pœnitentia, per solam fidem Deus dat peccatoribus veniam & gratiam.

Refutatur certitudo gratiæ, quã sibi vanè promittunt Nouatores.

VERS. 30. SICVT ALIQVANDO ET VOS (ô Gentes) NON CREDIDISTIS, &c. PROPTER INCREDVLITATEM ILLORVM, (Iudæorum:) ITA ET ISTI (Iudæi) NVNC NON CREDIDERVNT IN VESTRAM MISERICORDIAM, VT VOS, ô Gentes, ea occasione misericordiam prædicationis, fidei & gratiæ à Deo reciperetis: VT ET IPSI (Iudæi) MISERICORDIAM CONSEQVANTVR] vt prouocati scilicet vestro exemplo, maximè cùm viderint plenitudinem Gentium intrasse, credant in Christum, itaque misericordiam, gratiam & gloriam consequantur.

VERS. 31.

VERS. 32. CONCLVSIT ENIM DEVS OMNIA IN INCREDVLITATE, VT OMNIVM MISEREATVR] *Conclusit*, id est, conuicit Deus successiuè omnes homines infidelitatis, inquit S. Chrysost. & Theodoret.

Secundò & melius, Origenes, *Conclusit*, id est concludi permisit, Deus omnes sub peccato, & sub A incredulitate. Peccator enim peccato, quasi carcere vel carcere clauditur; quia ex eo sine Dei gratia egredi nequit.

Concludit Apostolus totam hanc disputationem suam cœptam c. 9. eadem propositione quam proposuit cap. 1. & 2. scilicet, omnes homines tam Iudæos quàm Gentes, esse peccatores, & sub peccati iugo concludi, atque indigere gratia Dei & Christi; vt hac ratione tam Gentes quàm Iudæos humiliet, itaque vtrosque ad concordiam redigat, vtque donum Dei & gratiam, ac beneficium Christi illustret. Sed quod c. 1. & 2. dixit & ostendit de varijs peccatis, id iam fidei necessitate demonstrata, concludit de vno peccato infidelitatis. q.d. Deus tam Iudæos quàm Gentes tenebris longæ infidelitatis successiuè & vicissim concludi permisit, vt eos ad fidem & gratiam suam vocaret ac beneraret; itaque glorioſam suam misericordiam omnibus patefaceret.

B

Nota Primò. *Omnia*, id est omnes, vt habet Græcus & Syrus, scilicet tam Iudæos quàm Gentes.

Nota Secundò. Pro *incredulitate*, græcè est ἀπείθεια, quæ idem est quod pertinacia non credendi etiam auditis quibuscumque rationibus. q.d. Impersuasibilitas. Verùm Apostolus hîc ἀπείθειαν tribuit etiam Gentibus. Vnde videtur ἀπείθειαν pro ἀπιστίᾳ, putà pro infidelitate, sumere.

Nota Tertiò, cùm ait: *Vt omnium misereatur.* *Omnium* intellige non hominum, sed nationum, id est tam Gentilium quàm Iudæorum. Est enim distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum. Ne quis ergo hinc cum Origene concludat, dæmones & damnatos aliquando saluandos fore. ita S. Augustin. l. 21. de Ciuit. c. 24.

C

VERS. 33. O ALTITVDO DIVITIARVM! ô profundas diuitias! græcè ὦ βάθος πλούτου, ô profundum diuitiarum, vel thesauri! q.d. O alta profunditas & profunda altitudo! ὦ βάθος! ὦ ἄβυσσος! ô profundum! ô abyssus! ô profundum abyssi & abyssalem profunditatem *diuitiarum* SAPIENTIÆ ET SCIENTIAE DEI!

D

Nota. *Altitudo* sæpè pro profunditate sumitur, quia profunditas licet respectu nostri climatis descendat, tamen respectu alterius orbis (& hemisphærij) tendit in altum: sic altus puteus, vocatur profundus; & fossa alta, id est profunda.

Nota Secũdò. τὰ *diuitiarum* Ambros. & Augustin. iungunt cum sapientia & scientia Dei, q.d. O alta diuitias! ô profundos thesauros sapientiæ & scientiæ Dei! ô abyssalem & immensam sapientiam Dei! Vide S. Augustin. serm. 11. de verbis Apostoli. Notes enim *diuitiarum* copiam & exuberantiam significat, vti & nomen *altitudo*. Verùm S. Chrysost. Origen. & Theodor. melius ista distinguunt. Græcus enim & Syrus hęc tria distinguunt per copulam, & sic enim habẽt, ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ. *O profundum diuitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei!* Huic distinctioni fauent antecedentia & sequentia. Primò, quia Apostolus hîc diuinæ misericordiæ, de qua præcessit, non minùs quàm sapientiæ abyssum admiratur. Secundò, quia hæc tria ita distincta distinctim probat tribus sequentibus interrogationibus, scilicet profundũ sapientiæ, cùm ait: *Quis cognouit sensum Domini?* profundum scientiæ, cùm addit: *Aut quis consiliarius eius fuit?* profundum diuitiarum, cùm subdit: *Aut quis prior dedit illi?* Vide aduerte. Per diuitias accipit hîc Paulus magnitudinem misericordiæ Dei, qua nos diuites fecit in omnibus donis gratiæ & gloriæ, vt patet Ephes. 1.

Profunditas aliquando in Scriptura. Basilius t. 1. Caric. Col. 10. p. 2.

Sensus ergo est, q.d. O profundam misericordiam sapientiam & scientiam Dei! Misericordiã, qua omnium misertus est; sapientiam, qua, vt ait Gregorius li.29.Moral.28.omnia concludi permisit sub peccato & infidelitate, quaque ita omnia disposuit, vt primò negligeret Gentes, vt sic Iudæos diligeret; deinde Iudæos reijceret, vt sic eligeret Gentes: denique vtrosque in fine eligeret & complecteretur. Scientiam, qua omnia futura disposuit antequam fiant, vt Iudæorum reiectionem, Gentium adoptionem & iustitiam: quæ hoc loco spectat Apostolus. Ob hoc enim exclamat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Et hoc ipsum est, quod à cap.9.huc vsque per tria hæc capita docere & demonstrare intendit.

A

Si enim Deus Messiam misisset cum pompa, B
splendorem, splendidum & magnificũ quasi alterum Salomonẽ Iudæi eum recepissent. Rursum Deus multis alios modos habebat, quibus Iudæos ad se traheret: sed noluit eos Iudæis exhibere, voluitque vnicum hunc iustitiæ & salutis modum proponere, scilicet Messiam pauperẽ & crucifixum, quem sciebat à Iudæis repudiandum, à Gentibus verò acceptandum. Si quæras, Cur ita statuit, elegit & fecit Deus? non aliud respondere possum, quàm quod Paulus hîc respondet: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & Dei!*

Nota Tertiò, quanta sit altitudo diuinæ scientiæ vndecim modis & rationibus Dei scientia excellit & transcendit omnem scientiam angelicam & humanã. Primò, ratione obiecti: Deus enim sua scientia cognoscit omnia præterita, præsentia, futura, omnia possibilia, atq; seipsum quasi principium rerum omnium. Secundò, ratione modi & perfectionis in cognoscendo: cognoscit enim Deus omnia perfectissimè, omni modo quo sunt cognoscibilia, ideoque omnia comprehendit. Tertiò, ratione medij: Deus enim non per species, nec per effectus, sed per suam essentiam, quasi speculum clarissimum omnia cognoscit. Quartò, ratione celeritatis: in instanti enim, & vno mentis ictu Deus omnia simul cognoscit. Quintò, ratione certitudinis: quia omnia, etiam contingentia, per se incerta, certissimè cognoscit. Sextò, ratione æternitatis: quia numquam eius cognitio incepit, numquam desinet. Septimò, ratione vniformitatis: quia cognitio Dei est inuariabilis, & eadem semper, non proficiens, nec deficiens. Octauò, ratione simplicitatis & vnitatis: quia vno & simplicissimo actu intelligẽdi Deus & seipsum, & alia omnia cognoscit. Nonò, ratione entitatis: cognitio enim Dei non est accidentaria, vt est in hominibus & angelis, sed est substantialis Deo, eiúsque ipsemet Deus. Decimò, ratione causalitatis: quia cognitio Dei est idea & causa omnium eorumque fiunt. Vndecimò, ratione fœcunditatis & communicationis: quia Dei sapientia & scientia, quasi lux maxima, seipsam diffundit ad angelos, homines, omniaq; animalia; facitque cognosci & cognoscere omnia. Apostolus hîc maximè considerat & miratur primum, quintum & decimum, ita Pererius.

C

D

Quam incomprehensibilia (Tertull. contra Hermogen. in fine legit, *inuentibilia*) sunt iudicia eius, et inuestigabiles, ἀνεξιχνίαστοι, id est, non vestigabiles, imperuestigabiles, viae, id est consilia, modi, opera, rationes prouidentiæ, etc!

Quis enim cognovit sensum, græcè νοῦν, hoc est, mentem, cogitationem, Domini?] Hæc iudicia Dei sternunt quamcumque superbiam. *Dij* (ait Comicus) *homines quasi pilas habent.* Et Zeno, *Ludibrium Dei est homo*; vt homine quasi pilâ ludat Dei Sapientia in orbe terrarum. Hinc abyssus humanæ miseriæ inuocat abyssum diuinæ misericordiæ, ait S. Augustin. Pari modo abyssus humanæ ignorantiæ & insipientiæ inuocat abyssum diuinæ scientiæ & sapientiæ. Vers.34.

Quid homo respectu Dei.

Aut quis consiliarius eius fuit?] *Consiliarius*, non tantùm qui det consilium Deo, vti explicat Isaias (ad quem hîc Paulus alludit) c.40. 13. sed etiam qui particeps & conscius sit consilij Dei. hic enim est σύμβουλος, q. d. Nemo est conscius consiliorum & arcanorum diuinorũ; ac proinde nemo scrutari debet cur Iudæis relictis Gẽtes sibi iam asciuerit Deus. Pulchrè S. Bernardus epist.107. *Quis*, inquit, *cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? non equidem nullus, sed rarus. Solt sanè qui veraciter dicere possunt: Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Va mundo à strepitu. Clamat in populis ijsdem Vnigenitus tamquam magni consilij angelus: Qui habet aures audiendi, audiat. Et quoniam dignos non inuenit sensus, quibus Patris committat arcanum, texit parabolas turbis; vt audientes non audiant, & videntes non intelligant. Cæterùm amici seorsum audiunt: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Quibus & loquitur: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Qui sunt hi? vtique quos præscinit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij Dei, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Magnum secretum, inquit, inuenit consilium. nouit Dominus qui sunt eius. Sed quod notum erat Dei, manifestatum est hominibus. Nec alios sanè dignatus est tanti participatione mysterij, nisi eos ipsos quos suos præscinit & prædestinauit.*

Omnibus ignota Dei consilia.

Aut quis prior dedit illi] quod non acceperit ab eo, patet ex sequent. tali enim titulo gratitudinis verè & propriè obstringeretur Deus, deberetque illi gratias agere, & par pari retribuere. Sensus ergo est, q. d. Nulli Deus vllo iure aut titulo obstringitur: quia nihil ab vllo accepit, quod priùs non dederit illi. Nulli ergo Deus est debitor: ac proinde non est iniustus, infidelis aut ingratus, si Gentes illuminet, Iudæos verò in sua cæcitate relinquat. Vers.35.

Deus nulli debitor.

Vnde patet nihil hîc contra merita dici. Nam, vt rectè ait S. August. de verbis Apostoli serm.16. *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid à nobis accipiendo; sed quod ei placuit promittẽdo nobis, vt dicamus ei, Redde quæ promisisti; quia fecimus quod iussisti; & hoc ipsum quod fecimus tu fecisti, quia nos laborantes iuuisti.* Hãc sententiã sumpsisse videtur Apostolus ex Iob 41.2. vbi ait Dominus: *Quis antè dedit mihi, vt reddam ei?* Porro neminem Deo quippiam primò dedisse, quod non acceperit ab eo, probat Apostolus illa sententia, quam subdit dicens:

Pulcher locus S. Aug. de eo quod Deus nobis debet.

Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen] *Ex ipso*, scilicet vt primo effectore, omnia esse acceperunt: *Per ipsum*, quasi directorem, omnia disponuntur, diriguntur, perficiuntur: *In ipso*, hoc est eius virtute, omnia conseruantur, durant, operantur. Græcè εἰς αὐτὸν, in ipsum, scilicet omnia respiciunt & tendunt. Vers.36.

Nota. Licet hæc tria conueniant Deo, id est, tribus personis SS. Trinitatis; tamen, vt docet S. Au-

τὸ ex appropriatur Patri,

S. Augustin. li. 1. de Trinit. c. 6. & ex eo passim DD. præpositio *ex* appropriatur Patri, eumque insinuat, tamquam primum omnium principium, à quo omnia promanant, & à quo omnis potestas, actio & effectio profluit.

Per Filio,

Per verò appropriatur Filio, quia *per* significat originem à Patre, & sapientiam per quam facta sunt omnia. Hinc & Gentiles Deum, putà Iouem, vocarunt Δία, id est *per*, de quo audi Aristidem hymno in Iouem: *Est*, inquit, *Iupiter omnium rerum auctor & opifex, & per eum tum cælestia, tum terrestria omnia efficiuntur, vt & nomen ipsum, à causæ vocabulo non procul remotum, declarat, cùm Δία eum vocamus. Ζεὺς quidem vocatur, quòd vitæ omnibus & essentia sit auctor: rursum, efficienti causæ cognominem ipsum dicimus, Δία appellantes, quòd per ipsum facta sint & fiant omnia.* Διὰ enim Græcis idem est quod *per, propter*; vnde notat causam efficientem. Rursum *per* significat mediatorem, ostium, pastorem & viam nostram ad Patrem: quæ omnia competunt Filio. ita S. Basilius li. de Spiritu sancto, c. 5. & 26.

In Spiritui sancto.

In denique appropriatur Spiritui sancto; vtpote cui attribuitur bonitas, amor, vnio & perfectio. Est enim Spiritus sanctus amor notionalis Patris & Filij; estque ipse in SS. Trinitate, quasi finis, à quo ad aliam personam non fit progressus. Denique cùm dicitur, *Ipsi gloria*, significatur vnitas essentiæ, vt Athanas. Hilarius, Augustin. Origen. Gregor. & alij docent contra Arrianos.

Ex ipso ergo Deo sunt *omnia*, scilicet, quæ habẽt verum esse, ait D. Thom. Peccata autem non habent verum esse, sed potiùs ab eo deficiunt; vnde non sunt ex Deo. Hęc enim est ratio formalis peccati, quòd sit defectus à bono, & consequenter ab esse: quidquid tamen materiæ & entitatis est in peccatis, id totum est ex Deo. ita D. Thomas.

Arrianorũ hæresis ex D. Basilio confutatur.

Hunc locum tractat S. Basil. l. de Spiritu sancto contra Arrianos, qui, vt ipse ait, syllabas obseruant. Vnde c. 2. Per *τὸ ex quo*, Arriani, inquit, volunt significari conditorẽ mundi: per *τὸ per quem* operis ministrum & instrumentum: per *τὸ in quo* tempus & locum operis. Ita vt Filius tantùm sit instrumentum Patris: Spiritus sanctus verò tantùm locum aut tempus præbuerit rebus conditis. Contra hos c. 3. & seqq. ostendit S. Basil. indifferenter Scripturam hisce præpositionibus vti, easque singulas omnibus personis tribuere. Vnde c. 5. hunc locum explicat de Deo & omnibus personis iunctim. Ex ipso enim Deo, omnibusq. personis omnia creata sunt; per ipsum omnia conseruantur; in ipsum (græcè enim est εἰς αὐτὸν) vniuersa se conuertunt inuincibili atque insedabili quodam desiderio & arcano affectu, tamquam ad principem suum & gubernatorem vitæ ac totius vniuersi respicientia.

Spir. sanctus quatuor modis est in nobis: non tamen ad mentem Apostoli hic.

Rursum c. 26. ostendit quomodo præpositio *in* tribuatur Spiritui sancto, idque variè. Primò enim Spiritus sanctus in nobis est tamquam forma in materia. Ipse enim in nobis est quasi forma diuina, à qua spirituales dicimur. Secundò, Spiritus sanctus in nobis est, quasi habitus, vel ars in artifice; sic enim ipse adest Sanctis ad opera virtutum & miraculorum exercenda. Tertiò, Spiritus sanctus in nobis est, velut totum in partibus; quia totas suas gratias partialiter in suos fideles distribuit. Quartò, Spiritus sanctus in nobis est, vt locatum in loco: sic enim in Sanctis est, quasi in templo suo. Hæc vera sunt; sed huic loco non A congruunt. Apostolus enim hîc non dicit Spiritum sanctum esse in nobis, sed è contrario nos & omnia esse in ipso, scilicet Spiritu sancto.

Pari modo S. Chrysost. Theophyl. & Oecum. nullam hîc personarum distinctionẽ significare, quasi hæc tria, *ex ipso, per ipsum, & in ipso*, proprie ipsi Deo, & cõsequenter singulis personis competant; idque faciunt ne Arrianis det occasionẽ decendi Filium esse *per*, id est, instrumentum Patris.

Verùm melius Latini censent, quòd, licet hæc tria seorsim posita, dentur cuiuis personæ, tamen cùm iunguntur, singula singulis approprientur. Ita S. Augustin. loco iam citato: vbi ex hisce tribus præpositionibus probat Trinitatem & æqualitatem in vna essentia diuina. Sic & Ambros. Anselmus & Gregor. li. 29. Moral. 28.

B Vnde idem S. Augustin. lib. 1. de Doct. Christ. c. 5. *Nec facilè, ait, inuenio nomen, quod tanta conueniat, nisi quòd melius ita dicitur: Trinitas est, vnus Deus, ex quo, per quem, in quo omnia; eadem res substantia; vnus tamen non est alter; eadem trinitas, eadem æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas, in Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatisq; concordia. Et tria hæc, vnum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum*, scilicet singulis appropriando hæc, quæ tamen ipsa omnibus sunt communia. Vt nimirum omnia dicantur æqualia propter Filium; quia Filius primum est æquale Patri: pari modo omnia dicantur connexa propter Spiritum sanctum; quia Spiritus sanctus procedit, vt nexus, amor & concordia Patris & Filij. Præclarè & subtiliter S. Bernardus li. 5. de Consider. c. 6. C *Quis est*, inquit, *Deus? sanè occurrit melius, quam, qui est. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem inungente: Qui est, misit me ad vos. Quid enim Deus? Sine quo nihil est. Quid est Deus? Principium. Quid est Deus? Cui sæcula nec accesserunt, nec decesserunt, nec coæterna tamen. Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia, creaturaliter, non seminabiliter.* q. d. Deus creauit omnia non ex semine (sic enim semẽ esset increatũ, nec Deo illud, ac cõsequẽter non omnia creasset.) *Per quem omnia, ne alium auctorẽ atq; alium opificem arbitreris. in quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. Ex quo omnia, tamquã vno principio auctore omnium. per quem omnia, ne alterũ inducatur principium artifex. in quo omnia, ne tertiũ inducatur locus. Ex quo omnia, non de quo, quia non est materia Deus. Efficiẽs causa est, causa* D *materialis. Frustra Philosophi materiã quæsiuerunt, non inuenit materia Deus. Non enim officinã quæsiuit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Vnde de nihilo. Nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia.*

IPSI GLORIA] Hinc ex Apostolorum institutione & vsu, vt docet S. Basil. l. de Spir. sancto cap. 7. 27. 29. & ex eo Baron. to. 3. anno Christi 325. cœpit à tempore Apostolorũ hæc doxologia SS. Trinitatis, Christianis mente & ore frequentata: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; cui, vt habet Concil. Vasense cap. 5. Concil. Nicenum addidit: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Idque vt retunderet Arrianos, qui dicebant, *Erat, quando non erat*: id est, erat, scilicet tempus, quando non erat Filius.

Hieron epist. ad Damasum, rogat eum, vt post singulos psalmos iubeat addi: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Sed hæc epistola non videtur esse

Hie-

Hieronymi, videturque confecta. Hic enim mos A gloria Filio, per quem omnis species & pulchritudo; gloria Spiritui sancto, in quo omnis felicitas & fruitio. Gloria Patri, ex quo omnis vnitas; gloria Filio, per quem omnis æqualitas; gloria Spiritui sancto, in quo omnis amor & concordia. Gloria Patri, ex quo omnis potentia; gloria Filio, per quem omnis sapientia; gloria Spiritui sancto, in quo omnis bonitas. Gloria Patri, qui me creauit; gloria Filio, per quem redemptus sum; gloria Spiritui sancto, in quo iustificatus sum. Gloria Patri, qui me prædestinauit; gloria Filio, per cuius sanguinem ablutus sum; gloria Spiritui sancto, in quo glorificabor in æternum. Amen.

gratiam, qui in Horis canonicis sæpè repetunt hoc Gloria Patri, &c.

psalmis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, &c. fuit ante S. Hieron. vt dixi ex S. Basilio. Quo & Cassianus c. 8. li. 1. testis est suo tempore in Occidente post psalmos, quasi ex vsu veteri, totum populum conclamare solitum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.*

Gloria ergo Patri, ex quo omnia; gloria Filio, per quem omnia; gloria Spiritui sancto, in quo omnia. Gloria Patri, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra; gloria Filio, per quem omnis filiatio gloriæ; Spiritui sancto, in quo omnis sanctificatio & sanctificatio. Gloria Patri, ex quo æternitas;

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incipit hic secunda pars epistolæ, qua Apostolus à fide & dogmatibus, trahsit ad mores fidei consequentes: hoc ergo capite monet fideles, vt exhibeant se hostiam Deo, viuã, probent & sapiant quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, nimirum Primò, v. 3. vt de susceptis donis non se efferant, sed sapiant ad sobrietatem, atque in modum membrorum eiusdem corporis, quisque suo dono contentus, eo ritè viatur ad proximorum vtilitatem.

Secundò, v. 9. vt dilectioni sinceræ, prudenti, patienti & forti dent operam. Vnde dilectionis effectus & conditiones recensetur.

Tertiò, v. 16. vt dilectioni iungant humilitatem, qua etiam bonum pro malo reddant, & vincant in bono malum. Christianis enim maximè commendandæ sunt hæ duæ virtutes, scilicet charitas ac humilitas. Hæ enim sunt compendium cæterarum, & in his duabus vita & perfectio Christiana consistit.

Secunda epistolæ pars, ethica.

1. OBsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. 2. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. 3. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. 4. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: 5. ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. 6. Habentes autem donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam secundùm rationem fidei, 7. siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, 8. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. 9. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono: 10. Charitate fraternitatis inuicem diligentes. Honore inuicem præuenientes: 11. Solicitudine non pigri, Spiritu feruentes: Domino seruientes: 12. Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi instantes: 13. Necessitatibus sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes. 14. Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. 15. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. 16. Idipsum inuicem sentientes: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: 17. Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: 19. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus. 20. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. 21. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

OBSECRO ITAQVE VOS FRATRES PER MISERICORDIAM DEI] Διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, per miserationes, scilicet vobis, ô Gentes, à Deo per Christum exhibitas, de quibus dixi totis tribus capitibus præcedentibus. q. d. Docui hactenus vos, ô Gentes, per Dei gratiam & misericordiam asscita esse ad iustitiam & salutem; Iudæos verò ab B ea repulsos esse: nunc, vt à dogmatibus ad mores transeam, obsecro vos, ô Gentes fideles, qui tantam Dei misericordiam, gratiam & iustitiam consecuti estis, vt Deo grati sitis, vt dignè Deo, tantaque gratia viuatis, vt opere præstetis quod fides dictat, quodq; Deus & Christus à vobis efflagitat.

Nota, Οἰκτιρμοί, hoc est miserationes, sunt illæ

quas Hebræi vocant רחמים *rachamim*, id est, viscera misericordiæ, hoc est, visceralis misericordia, & ex intimis visceribus commiseratio; cùm scilicet quis alterius miseria ex intimis medullis commouetur & tangitur, vt videatur velle sua viscera in eum effundere. Talis enim fuit hæc Dei in nos miseratio, cùm viscera sua, ipsumque vnigenitum suum Christum in nos effudit. De qua canit Zacharias Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Viscera hæc ingens habent πάθος. Rursum per τὸ *fratres*, Apostolus gratiam sibi & beneuolentiam fidelium, etiam Iudæorum, conciliat.

Dei erga nos misericordia, ex intimis velut visceribus profecta.

Vis vocis, Fratres.

Secundò, vox *fratres*, vim habet & energiam ad charitatem, aliaque quæ hîc Apostolus fidelibus commendat, persuadendum. Nam, vt pulchrè & verè ait Tertull. Apologet. 39. scribens contra Gentiles: *Fratres*, inquit, *vestri sumus, iure nostræ matris vnius, etsi vos parum homines, quia malè fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis? Rursum ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos (ô Gentiles) pene dirimit fraternitatem. Itaque quia animæ animos, miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscreta apud nos, præter vxores.* Vnde addit ibidem Tertullian. hanc Gentilium de Christianis fuisse vocem & sententiam: *Vide vt inuicem se diligant, & vt pro altero vtro mori sint parati.*

Locus notandus Tertulliani de Christiana & spirituali fraternitate.

VT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA] Græcè παραστῆσαι, id est, vt Syrus תקימון *dattekimun*, hoc est, vt sistatis. q.d. Sistite & offerte Deo corpora vestra, alienate illa à vobis, ac transferte ea tamquam hostiam viuam in Dei dominium, vt ijs vtamini, non ad libitum, sed ad Dei cultum & honorem. ita S. Chrysost.

HOSTIAM VIVENTEM] id est, virtutibus deditam, quia caro vitijs dedita mortua est, inquit S. Gregor. hom. 22. in Ezech. & Ambros. hîc: sic 1. Petri 2. dicitur, *Vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* Verùm hîc sensus mysticus est. Secundò, alij viuentem, inquiunt, id est, charitate formatam. Tertiò, viuentem, id est, quæ viuam, scilicet Christum, in se gerat, & dicat, Mortem Iesu in corpore circumferimus, vt & vita Iesu in corpore nostro manifestetur. Sed & hæc mystica sunt.

Quid hostia viuens mystice.

Dico ergo, alludit hîc Paulus ad veteres Iudæorum & Gentium hostias, quæ occidebantur, illisque, teste S. Chrysostomo, opponit nouas hostias viuentes. q. d. Cùm dico, vt corpora vestra exhibeatis hostiam Deo, non intelligo sic vt illa occidi debeant, vti hostiæ boum mactantur; sed vt ex corporibus vestris, non occisis, sed viuentibus & mortificatis, faciatis hostiam Deo. Corpus ergo fidelium & sanctorum est hostia viuens. Primò, quia manet viuum; Secundò & meliùs, quia se viuum per viua opera nouæ vitæ spiritualis, putà charitatis, eleëmosynæ, orationis, & quarumuis virtutum Deo offert. ita Origenes & S. Chrysostom. Omne enim opus, ait S. Augustin. libr. 10. de Ciuit. cap. 5. quod fit, vt sancta societate Deo inhæreatur, generali nomine sacrificium est & hostia. Tertiò & proprijssimè, per actus mortificationis corpus fit hostia viuens; quia viuens mortificatur, castigatur, & spiritui ad omne spiritus officium exequendum, ad Dei honorem & obsequium subditur.

Hostia viuens, corpus est Christiani hominis & pij.

mortificatione castigatum.

A Est enim mortificatio, viua quædam mortificatio. Nascit enim in corpore mori concupiscentias earum, dum eas truncat per viuos continentiæ, abstinentiæ, patientiæ & pœnitentiæ actus; ita vt corpus propriè sit hostia mortua, quia moritur suis vitalibus concupiscentijs, easque mortificat, occidit & immolat Deo: sit tamen idipsum quoque hostia viua, per viuos contrariarum virtutum actus. Vult ergo Apostolus, nos semper cor nostrum exhibere Deo hostiam viuam; vt scilicet semper mortificationi corporis, id est, concupiscentiarum corporis, incumbamus; itaque ad vitam quietam, sanctam & perfectam, adeoque ad martyrium, si opus sit, pro Christo & pietate subeundum, nos comparemus. Hostes enim nostri sunt concupiscentiæ: si ergo eas vincamus & occidamus, hostiam offeremus Deo. Inde enim dicta est victima & hostia, vti canit Poëta;

B *Victima quæ cecidit dextra victrice, vocatur,*
Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Pulchrè Origenes: *Si superbiam*, inquit, *rectore tui vincas & reseces, immolas Deo vitulum; si voluptatem, arietem; si libidinem, hircum; si vagos & leues cogitationum volatus, columbam & turturem.* Recitat idem Origen. *Prima*, inquit, *post Apostolos hostia est martyrum; secunda, virginum; tertia, continentium, quarta, coniugatorum.*

Similiter notat hîc D. Thomas triplicem esse hostiam: Primam animæ, scilicet orationi; secundam corporis, scilicet mortificationem, ieiunio, abstinentiam, castitatem; tertiam operum, scilicet eleëmosynam. Ita S. Cyprian. li. 3. epist. 24. Mensianianum, cæteros q; ad metalla ob Christi fidem damnatos, dolentes quòd ibidem Eucharistiæ sacrificio destituerentur, cõsolatur dicendo, ipsosmet factos esse hostias viuas Deo. *Celebratis*, inquit, *& offertis sacrificium Deo & pretiosum paratis & glorioſum, & plurimùm vobis ad retributionem præmiorum cælestium profuturum, cùm Scriptura diuina dicat: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostia facti Deo, & vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibetis, sicut Apostolus adhortatur & dicit: Oro ergo vos fratres per misericordiam Dei, vt constituatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, placentem Deo.*

C

SANCTAM] *Sanctum* est, quod Deo & Dei cultui dicatum, & ab omni, non tantùm immundo, sed & profano vsu separatum est. Iubet ergo Paulus hîc corpus nostrum separari ab omni seruitio iniquitatis, vt sanctissimo Dei seruitio & cultui addicatur. q.d. Antea, ô Romani, corpus vestrum seruiuit idolis, veneri, ventri, ambitioni; fuistis martyres mundi & diaboli: iam seruiat Deo soli, quasi Deo sanctum & consecratum.

D

Secundò, *sanctum* idem est quod purum & illibatum. Hostia ergo sancta, est corpus impollutum & incontaminatum, ipsaque corporis castitas, puritas, integritas. Sic virgo dicitur sancta, id est, pura, & corpore & spiritu, 1. Corinth. 7. 34.

DEO PLACENTEM] Τὸ *Deo* potest referri ad *placentem* cum nostro interprete, vel ad *exhibeatis* & ad omnia sequentia: idque aptius est & plenius, vt patet ex Græco. Vult enim Paulus nos sic fieri Deo corpus nostrum, quasi hostiam viuentem, sanctam, placentem, vt nimirum ipsum sit Primò, hostia viua Deo; Secundò, sit hostia sancta Deo;

que sit hostia placens Deo. Sic enim habet Graeca: Παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ θεῷ. Addit Apostolus *placentem*, quia potest esse hostia in se sancta, sed non placens Deo, si nimirum eam offerens Deo displiceat.

Sic multi ieiunant, peregrinantur, mortificant corpora sua, non mentem, non animum; quia superbi sunt, capitosi, rebelles, inuidi, &c. Hinc Deo non placent ipsi nec hostiæ eorum, vtpote quæ à putredine eius, qui in peccatis suis manent, offerunt. Ideoque licet in se bonæ sint, tamen apud Deum nec gratiam, nec gloriam merentur. ita S. Augustinus de Falsa & vera pœnit. c. 15. & S. Greg. lib. 7. epist. 126.

Nota. Alludit hîc Paulus ad conditiones victimarum Iudaicarum. Primò enim, victima Aaronis debebat esse sine macula, integra & sana. Sic viuentem requirit Paulus. Secundò, per eius immolationem sanctificabatur, vt fas non esset eam contingi ab immundis. Sic hîc requirit Paulus sanctam, vt scilicet per deuotionē mentis corpus Deo consecremus. Tertiò, in ipsa crematione victimæ dicebatur ipsa fieri & esse in odorem suauitatis Deo. Sic hîc requirit Paulus Deo placentem. Quartò, sal victimæ addebatur, vt patet Leuit. 2. 13. Sale autem significatur sapientia spiritualis. Vnde Christus Marci 9. 50. dicit: *Habete in vobis sal*, quo scilicet cum ratione & sapientia spirituali omnia agatis, & ad Dei gloriā referatis.

Haec hostiæ altare, inquit Gregor. hom. 22. in Euang. est cor, in quo scilicet ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro consumitur. Et tales, inquit, die in templo videmus, qui æterni iudicij memores se Deo sacrificium in lamentū compunctionis mactant, vt corpora sua castigantes, ea exhibeant hostiam sanctam, Deo placentem.

RATIONABILE OBSEQVIVM VESTRVM] q. d. ait Anselmus. Sic opera bona facite, vt eorum rationem reddere possitis.

Secundò, S. Basilius in breuioribus regul. 230. Rationabile, inquit, sit obsequium vestrum, vt scilicet consideratè & circumspectè, sana ratione, solidoque consilio diuinam impleatis voluntatem; vt rationem ducem sequamini, non animi impetum ac libidinem.

Tertiò D. Thomas sic explicat *rationabile obsequium*, q. d. Paulus: Corporum afflictio non sit nimia, sed moderata & rationabilis. Nam, vt inquit S. Bernardus serm. 49. in Cantica, *Discretio est moderatrix & auriga virtutum, affectuum, morum; omni extraordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.* Vnde idem Bernardus alibi docet, eum, qui in corpore edomando & mortificando indiscretus & nimius est, quatuor hæc iniustè rapere, scilicet, *corpori effectum, animo affectum, proximo exemplum, Deo honorem*: indeque concludit, *eum sacrilegij crimen incurrere, cum templo Dei vitio abutatur, Deoq; debitum honorem derogat: quia nimirum casus vnius alios quàm plurimos terret, & à via spiritualis vitæ retrahit*: cùm enim vident aliquem per nimium vitæ rigorem, nimiasque pœnitentias incidere in morbos, phantasias, ineptitudinem, & subinde mortem ipsam incurrere.

Quartò & optimè, *rationabile*, id est, non corporale, vti olim erat Iudæorum, sed spirituale sit *obsequium*, id est, cultus vester & latria, vt habet *Cornel. in epist. Pauli.*

A Græcus. Rursum cultus vester hic non sit irrationalis, vti erat Gentium stultè idola colentium, sed sit rationabilis, qui scilicet rationales homines decet; nimirum non pecudibus, sed fide, spe, charitate sacrificate: non idolis, sed Deo. ita S. Chrysostomus, Photius & Theodor.

Vnde græcè est, λογικὴν λατρείαν, logicam, id est rationalem, latriam, vel cultum, quo Deus colitur rationaliter, exhibete & præstate Deo. Porrò λογικὴ, siue rationabilis cultus est, quem recta ratio dictat. Recta autem ratio dictat, Deum magis interna fide, spe, pietate, amore & puritate mentis, quàm externis corporis cæremonijs colendum esse. q. d. Paulus: Volo, ô fideles, vt exhibeatis corpus vestrum, quasi hostiam Deo, non corporalem, non irrationalem, sed rationalem & spiritualem; vt scilicet à pura & sancta mente, ratione & spiritu, quasi animatum, viuificatum, directum & gubernatum Deo offeratur ipsum corpus, omnesque corporis motus & actus.

Quintò, alij *rationabile obsequium*, inquiunt, est sacrificium Eucharistiæ, scilicet corpus Christi humanum & rationale, Deo oblatum: quia in Canone Missæ, & in Liturgijs S. Basilij & S. Chrysost. Eucharistia vocatur *rationalis hostia*. Verùm verba præcedentia hîc exigunt alium sensum, scilicet illum quem iam assignaui; ait enim Apostolus, *Vt exhibeatis corpora vestra*, non autem corpus Christi, *hostiam Deo.*

Quinta. Per rationabile obsequium non intelligitur SS. Eucharistia.

ET NOLITE CONFORMARI HVIC SÆCVLO] Dixit Paulus de corporis hostia, iam agit de animæ oblatione; cuius perfectio sita est in duobus. Primò, vt se retrahat à noxijs & maculantibus: Secundò, vt se conuertat ad ea, quibus proficit & perficitur. Vnde de primo ait Apostolus, *Nolite conformari huic sæculo*: de secundo, *Reformamini in nouitate sensus vestri*. Nam, vt ait S. August. lib. 22. de Ciuit. c. 16. *Vbi reformamur ne conformemur huic sæculo, ibi conformamur filio Dei.*

VERS. 2. *In quibus sita anima perfecta oblatio.*

Nota. Non ait, nolite vti sæculo: hoc enim est impossibile. vtendum enim est nobis cibo, potu, quiete, recreatione, hominibus: sed, *nolite conformari*, græcè μὴ συσχηματίζεσθε, ne configuremini, id est, ne figuram mundi induatis, vt tales fiatis qualis est mundus & mundani, scilicet vani, superbi, ambitiosi, terrena tantùm quærentes, non cælestia.

Figura sæculo tribuitur, quia transitoria.

SED REFORMAMINI IN NOVITATE SENSVS VESTRI] q. d. Figuram mundi fugite, & nouam mentis formam assumite, abiicite figuram fragilem veteris & carnalis vitæ, atque nouam & stabilem formam vitæ spiritualis induite. Vbi aduerte. Sæculo tribuit Paulus σχῆμα, id est figuram; figura enim parum durabilis est, & externa. Significat ergo figura, sæculi inconstantiam & apparentiam potiùs, quàm existentiam. Nouitati mentis tribuit μορφὴν, id est formam, qua significatur soliditas rerum spiritualium, ac permanentia: forma enim constantior est & interior, & ad substantiam pertinet. ita S. Chrysostomus.

forma renouationi spiritus, quia permanens.

Pro *reformamini*, græcè est μεταμορφοῦσθε, id est, vt S. Cyprian. legit epist. 77. ad Nemesian. *Transformamini*, vt scilicet, transeatis ex veteri figura in nouam formā. q. d. Studete quotidianæ renouationi mentis vestræ; vt resecando vitia, virtutibus mens quotidie innouetur: sicque hac metamorphosi fiet, vt in dies transmutemini magis & magis in alios homines. Semper enim nobis quantum-

tumcunque profecerimus, hac metamorphosi & transformatione opus est.

Reformationi studendum.

Nota Primò. Non ait, innouamini, noua opera facite; sed, *reformamini*, & formam pristinæ nouitatis assumite. Sicut enim ignis vehementiùs & diutiùs calefacit, quia formam habet & calorem, à quo manat calefactio; ita vult Paulus, vt nouitatem, quasi formam induamus, vt per eam nouitatis opera assiduè operemur. q. d. Induite formam nouitatis sensus, id est, vt græcè est, νοὸς, mentis; vt mentem virtutibus innouetis, vt diligatis & quæratis ea quæ sunt mentis & spiritus, vt opera noua, spiritalia & diuina edatis ex hac noua & diuina forma Spiritus sancti.

Quid vetustas in Scriptura: quid nouitas.

Nota Secundò. Sicut vetustas in Scriptura est peccatum Adæ & omnia ex illo secuta, tum peccata, tum pœnæ & ærumnæ, vti concupiscentia, ignorantia, error, &c. ita ex aduerso nouitas est remissio peccatorum, gratia, charitas, virtutes, alacritas, zelus: atque sicut in vetustatem iam dictam per peccatum recidimus; ita vicissim ab eadem renouamur per pœnitentiam ac feruorem, studiumque nouæ vitæ.

Egregius locus S. Gregorij de studio renouationis.

De qua re pulchrè S. Gregor. 22. Moral. cap. 4. *Animus noster*, inquit, *dum igne amoris excoquitur, semper in se feritat claritatem pulchritudinis quotidiana innouatione feruoris: nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Renouamini spiritu mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi, Nunc cœpi. quia videlicet nisi lassescere ab inchoatis volumus, valdè necesse est vt inchoare nos quotidie credamus.*

S. Antonij moribundi ad perpetuam spiritus renouationem exhortatio.

Quare S. Antonius moriturus suis discipulis hoc vnicum vitæ præceptum, quasi stimulum ad omnem virtutem dedit, teste S. Athanasio in eius vita: *Hoc*, inquit, *sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit. Ego quidem, filioli, secundùm eloquia Scripturarum, patrum gradior viam: iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cælestia. Sed vos ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis; hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.*

Alia Barlaami ad Iosaphat.

Simile præceptũ Barlaam moriturus Iosaphat olim regi, iam discipulo suo & Anachoretæ dedit, teste Damasceno in historia Barlaam & Iosaphat c. 39. *Nunc*, inquit, *quandoquidem mortis meæ tempus instat, atque collactanea & mihi æqualis ea cupiditas, quæ, vt cum Christo essem, semper me tenuit, iam expletur, tu quidem corpus meum terræ conde, pulueriq; pulueremi redde. Pòst autem ipse in hoc loco hære, susceptum spiritualis vitæ genus persequens, meæq; tenuitatis memoriam retinens. Tu verò fili, ne religiosæ exercitationis laborem metuas, neque ad temporis longitudinem, ac dæmonum insidias elanguescas: quin potiùs ipsorum imbecillitatem Christi virtute communitus audax irride.* Addit deinde stimulum dicens: *Ad laborum autem duritiam ac temporis diuturnitatẽ animo ita comparatus esto, tamquam quotidie discessum è vitæ expectans, atque eumdem diem tibi vitæ monasticæ tum initium, tum finem esse existimans. Sic semper ea, quæ à tergo sunt, obliuiscens, atque ad ea quæ à fronte sunt teipsum extendens, ad destinatum persequere, ad brauium supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.*

Simili stimulo se & fratres suos ad vitæ renouationem, & spiritus feruorem sub vitæ finem incitabat S. Franciscus, vt refert S. Bonauentura in eius vita c. 14. *Incipiamus fratres*, ait, *seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus!* Lacrabat etiam S. Franciscus, inquit Bonauentura, *dicens magno ad humilitatis redire primordia, vt sicut à principio, ministraret, corpusq; iam præ labore ad lapsum reuocaret ad pristinam seruitutem. Proponebat Christo duce se facturũ ingentia, & satisfacientibus membris, spiritu fortis & feruidus, nouo sperabat certamine de hoste triumphũ: neq; enim Languor, vel desidia locum habet, vbi amoris stimulus semper ad maiora peruget.*

VT PROBETIS QVÆ SIT VOLVNTAS DEI BONA, ET BENEPLACENS, ET PERFECTA] *Vt probetis*, hoc est, vt exquiratis & consideretis, inquit Origenes.

Secundò & meliùs, *vt probetis*, hoc est, experimini, & quodam iudicio ac gustu spirituali agnoscatis, &, vt Syrus, distinguatis, sapiatis & feratis quid à vobis requirat Deus, quid sit ab eo probatum, puta quid sit bonum, quid beneplacens, quid perfectum.

Vbi aduerte. Quo magis reformamur spiritu mentis nostræ, eo magis illustramur à Deo, magisque purgata mente probamus & sapimus quid sit bonum, melius & optimum, à Deo volitum, Deoque gratum.

Nota. Apostolus hîc distinguit triplicem voluntatem Dei: alia enim est bona, alia beneplacens, alia perfecta.

Quæres, quomodo hæc tria distinguenda sint? Respondet Primò, S. Anselmus: Voluntas Dei bona, inquit, est in incipientibus & congressis; beneplacens est in proficientibus & continentibus; perfecta est in perfectis & virginibus.

Secundò alij, Voluntas bona, inquiunt, est ea quæ non est ab irato Deo. Rursum, voluntas bona est ea, quæ vult id quod absolutè bonum est: talis autem non est ea, quæ vult id quod tantùm permittitur ex indulgentia, quomodo permittuntur secundæ nuptiæ, ait comment. S. Hieron. assciptus.

Tertiò, S. Chrysostom. Voluntas bona, inquit, est lex vetus; beneplacens, est Euangelium, quod præstat legi veteri. Rursum S. Basilius in regulis breuior. interrog. 276. Voluntas Dei bona est, inquit, vt velimus id quod in se, & ex genere suo bonum est. Beneplacens, cùm fit illud Apostoli: Omnia ad gloriam Dei facite. Et: Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant. Perfecta, cùm nulla ex parte manca est, sed quoad omnia recta & perfecta.

Quartò & optimè, Voluntas hîc idem est quod volitum, seu id quod vult Deus à nobis fieri. Sensus ergo est, q. d. Vt sciatis quæ sit voluntas Dei bona, id est, quid Deus à nobis velit fieri bonum & beneplacens, id est melius; & perfectum, id est optimum & sibi gratissimum. Sunt enim hi tres gradus boni voliti à Deo, seu boni quod à nobis requirit Deus. Idipsum clariùs significat textus Græcus, qui sic habet: Τί τὸ θέλημα τὸ θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. Quod S. August. lib. 10. de Ciuit. c. 6. Ambros. & Chrysost. vertunt: Vt probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum, id est, quid sit bonum, melius & perfectum, vt habet comment. Hieron.

Loquitur Apostolus de voluntate signi, siue præcepti & consilij, quam Deus hominibus adimplendam proponit: non autem loquitur de volun-

tate

tum beneplaciti Dei; hæc enim necessariò adimplere. Non bene ergo Caietan. τὸ *beneplacens* refert ad homines, quibus Dei voluntas grata est & sancta, ideoque placet: vult enim Apostolus per gradus sensim in dies nos proficere & ascendere; vt primò bona, secundò meliora, tertiò optima Deoque gratissima sapiamus & operemur.

Videtur autem Apostolus in sequentibus hanc triplicem Dei voluntatem explicare, & in particulari describere; nimirum voluntatem bonam describere à vers. 3 ad 9. quòd scilicet ea consistat in eo, vt sapiamus ad sobrietatem, vtque officio nostro mox gratiam nobis datam ritè & modestè perfungamur: voluntatem verò Dei beneplacentem videtur describere à vers. 9. ad 16. scilicet, quòd illa consistat in dilectione sincera, feruida, sancta & liberali. Denique voluntatem Dei perfectam videtur describere à v. 16. ad finem capitis, scilicet, quòd illa consistat in charitate perfecta, cui sibi coniunctam habet humilitatē insignem, quoniam inimicos amore præueniamus, eisque bonum pro malo reddamus, adeoque vincamus in bono malum. Hæc enim est perfecta charitas & Deo gratissima, ideoque perfecta Dei voluntas. Quòd verò S. Clemens lib. 2 Constit. Apost. ca. 55. hæc referat ad salutem animarum: *Nos*, inquit, *audientes ex ore Domini nostri Iesu Christi, & optimè edocti diuinum, quænam sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, quæ nobis per Iesum Christum declarata est, scilicet ne vllum pereat, sed potius omnes homines, cum ex vno consensu crediderint, laudibus eumdem vna anima & ore celebrantes, idem in sempiternum viuant.* Hinc inter huius bonæ voluntatis actus & effecta Apostolus v. 7. ponit doctrinam, exhortationem, misericordiam, hospitalitatem, &c.

Vult ergo Apostolus, vt primò bene, mox melius, ac demum perfectissimè sanctissimam Dei voluntatem in omnibus cognoscere & complere studeamus: hæc enim Dei voluntas regula est, certa fons & origo omnis virtutis & sanctitatis, cui proinde nostra voluntas planè cōformanda est, si sancti & perfecti esse velimus.

Cuius rei memorabile exemplum narrat D. Taulerus in colloquio Theologi & mendici pag. 58 & quod quia rarum est, & clarè ostendit punctum & apicem perfectionis Christianæ, quem hic tangit & præscribit Apostolus, multisque ad illum magno sunt documento & incitamento, hic adscribam. *Fuit*, inquit, *olim insignis quidam Theologus, qui annis octo precibus continuis à Domino id cupidè obtinere, vt ipsi hominem quemdam ostenderet, qui sibi viam veritatis edoceret. Cumq; vice quadam vehementissimo huius rei flagraret desiderio, vox quædam subitò lapsa, ita ipsum allocuta est: Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edocebit. Exiens igitur inuenit mendicum quemdam sauciatum, sordidis, lutosis pedibus, cuius vestes in vnius fere vix tribus obolis supputarentur. quem salutans ita effatus est: Deus tibi Deus prosperum mane. Respondit mendicus: Non memini me vnquam aduersum mane habuisse. Et Magister: Eia, inquit, vt fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? Respondit mendicus: Sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: Felix esto, ait, quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper: Numquam, ait, infelix fui. Rursus itaque Magister: Saluet, inquit, te Deus. iam nunc apertiùs loquere; neque enim capio quid dicas.*

Audi iam diuinum animum. Tum pauper respondit: Id faciam libenter. Optabas mihi, Magister, prosperum mane, & ego me numquam aduersum mane habuisse respondi: quando enim fame premor, Deum laudo; si frigus patior, si grando, si nix, si pluuia cadit, si aura serena est, vel turbulenta, Deum laudo; si miser sum atq; despectus, Deum similiter laudo, & ideo numquam triste mihi mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, & ego nunquam me infortunatum fuisse respondi: noui enim cum Deo viuere, certusq; sum, quidquid ille facit, non posse non esse optimum. Vnde quidquid ipse vel dabat, vel euenire mihi permittebat, siue gratum id esset, siue contrarium, dulce vel amarum; lætus id tanquam optimum ab ipso suscepi, & ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, vt felicem me faceret Deus; ad quod ego similiter, nunquā me infelicem fuisse subiunxi: soli namque diuinæ voluntati inhærere statui, in quam sic integrè omnem meam transfudi voluntatem, vt quidquid ille vult & ego velim, & meam ipsi voluntatem ex integro resignarim. *Quis fortunatus & verè felix.*

Audi sublimiorē Philosophiam. *Hæc cùm mendicus ille retulisset, ita eum rursus Magister affatus est: Quid, obsecro, dicturus esses, si te Dominus maiestatis in abyssum demergere vellet? Et ille: In abyssum, inquit, me demergeret? Et reuera si id faceret, duo mihi brachia sunt, in quibus eum amplexarer. Vnum est vera humilitas, & hoc illi suppono, atque per ipsum sacratissimæ humanitati ipsius vnitus sum: Alterum, idemq; dexterum, est amor, qui diuinitati ipsius vnitus est, atque per hunc ipsum circumplector, ita vt mecum ad infernum descendere cogeretur. Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo esse, quàm vel in cœlis sine illo. Ex his igitur Magister ille didicit, veram resignationē cum humilitate profunda compendiosissimam ad Deum semitam esse.* *Vbi Deus inueniri queat.*

Audi sapientiæ apicem. *Dehinc iterum ex illo mendico percunctatus est, vnde veniisset. Cui ille, à Deo se venisse respondit. Cumq; Magister, vbi eum reperisset, scisciteretur, ibi, inquit ille, vbi creaturas omnes deliqui. Et Magister, Vbi verò, ait, Deum reliquisti? Respondit pauper: in mundis cordibus, & hominibus bonæ voluntatis. Et Magister: Quisnam, ait, es tu? Respondit ille se Regem esse. Sciscitante Magistro, vbinam esset regnum ipsius; in anima sua id esse respondit. Sic enim, ait, & externos & internos sensus meos regere noui, vt cunctæ affectiones & vires animæ meæ mihi subditæ sint. Quod profectò regnum cunctis mundi huius regnis præstantius esse nullus ambigit. Et rursus Magister: Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Respondit pauper: Nimirum silentium meum, sublimes meditationes, & vnio cum Deo. An nulla re quæ Deo minor foret, quiescere potui. Iam verò Deum meum inueni, & in ipso pacem & quietem habeo sempiternam.*

D DICO ENIM] q. d. Hæc quæ iam dicam sunt opera Deo placentia & perfecta, quæ dixi vos debere facere: nam vox *enim* dat causam præcedentium, cum eisq; hæc sequentia cōnectit. q. d. Dixi, vt probetis quæ sit voluntas Dei. Hęc est enim voluntas Dei, vt non plus sapiatis quàm oportet, sed sapiatis ad sobrietatem, &c. quæ plenè vos facere conuenit, si veri Christiani esse velitis. Addit Apostolus sē hæc dicere *per gratiam* sibi *datam*, hoc est, per peritiam spiritualem & sapientiam à Spiritu sancto sibi aspiratam. ita Ambrosius. VERS. 3.

Secundò, *per gratiam*, qua scilicet se gratum & acceptum esse sciebat Romanis fidelibus, vt liberè quiduis eis dicere auderet. ita Origen.

Tertiò & optimè, *per gratiam*, id est, per apostolatum, vel munus Apostolicum gratis mihi à Deo datum. q. d. Ex munere, officio & auctoritate Apostolica dico & edico ea quæ sequuntur. *Per gratiā datam Apostolo intellige Apostolicum munus.*

NON PLVS SAPERE QVAM OPORTET SAPERE, SED SAPERE AD SOBRIETATEM] q. d. Seruare oportet modum & medium in omni virtute; virtus enim, si in extrema diffluat, fit vitium, inquit Origenes.

Secundò, S. Irenæus li. 5. c. 20. S. Augustin. epist. 47. Gregor. hom. 3. in Ezech. & Anselm. sic explicant, q. d. Ne sitis curiosi in rebus fidei perscrutandis, vt sapere velitis plura & vltrà quàm fides sana doceat aut permittat; hic enim est fons hæresum.

Existimationem suipsius diffundet Apostolus.

Tertiò, S. Chrysostomus sic exponit, q. d. Non plus de se existimare oportet, quàm par est; sed existimare sobriè, parcè, & cum modestia, vt vertit Syrus; maximè ne superbè & petulanter sibi quis aliquid tribuens & arrogans, vt sequitur, vltra sui talenti mensuram sese extendat, & alieno talento officioque se ingerat, v. g. vt Grammaticus iudicium sibi arroget de rebus Theologicis, vt plebeius de rebus sacris decernere velit. ita Ambrosius & Basilius in breuior. regul. 264. Hunc esse sensum patet ex sequent.

Σωφροσύνη varia significat.

SED SAPERE AD SOBRIETATEM] Græcè εἰς τὸ ϛωφρονεῖν, id est, εἰς ϛωφροσύνλω. quod Irenæus li. 5. c. 20. vertit, *Sapite ad prudentiam:* Hieron. li. 1. contra Iouinian. *Sapite ad pudicitiam:* S. Augustin. epist. 47. *Sapite ad temperantiam. Temperantia autem*, ait Augustinus, *est modus & temperamentum, quo quisque vti debet, vt intra suos terminos se coërceat.* Et hoc Noster interpres vult, cùm vertit, *sapere ad sobrietatem.* Hoc enim propriè est ϛωφροσύνη, vel, vt pulchra paronomasia habent Græca, φρονεῖν εἰς τὸ ϛωφρονεῖν, quasi dicas, *Sapere ad sapere sobriè.* Hinc S. Chrysost. & Syrus vertunt, *sapite ad modestiam,* id est, ad humilitatem. Græcum ϛωφροσύνη, ait S. Chrysost. dicitur

Σωφροσύνη vnde dicta.

ἀπὸ τοῦ ϛωὰς τὰς φρένας ἔχειν, id est, ab eo, quòd mentes habeantur sanæ; sanas autem facit modestia & humilitas. nam immodestus & superbus mente valere nequit, id est, firmus consistere, sani & constantis iudicij ac propositi esse nequit, sed desipit, exorbitat, & quouis demente furiosior fit, inquit S. Chrysost.

Hinc moraliter hæc Apostoli verba explicans S. Bernardus serm. in illud Prouerb. 3. *Beatus homo qui inuenit sapientiam: Sobria*, inquit, *sapientia est, in pœnitudine peccatorum præteritorum, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum. Inuenisti planè sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas: si huius sæculi desiderabilia parùpendas: si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam si tibi horum singula sapiunt prout sunt, vt hæc quidem amara & omnino fugienda, illa quoque velut caduca & transitoria contemnenda, illa verò vt perfecta bona totis appetenda desiderijs, intimo quodam animi sapore diiudices & discernas.* Subdit deinde: *Atque hæc quidem sobria est sapientia, & vomitum nescit, vbi & timoris frigus ex recordatione peccatorum, & charitatis feruor ex appetitu diuinarum promissionum, tepiditatem amouet earum quæ nunc sunt pessimarum occupationum: vt nec euomas sapientiam, nec euomatu ab ea.*

ET VNICVIQVE SICVT DEVS DIVISIT] Τὸ & legunt Romana, non Græca, estque legendum vt sensus constet. Sensus enim est, q. d. Dico quemque debere sapere ad sobrietatem, & sapere (τὸ enim *sapere* hic repetendum est) eo modo & mensura sicut Deus vnicuique diuisit.

VNICVIQVE SICVT] Est hyperbaton. Rectus enim ordo exigit vt hæc verba transponas, & dicas: *Sicut vnicuique diuisit Deus*; nisi malis referre hæc altiùs ad verbum *Dico*. q. d. Dico vnicuique vestrûm, vt sapiat sicut Deus ei diuisit & dispertitus est suam mensuram fidei & sapientiæ.

MENSVRAM FIDEI] Primò, S. Augustin. & Irenæus locis iam citatis sic explicant, q. d. Intra fidei mensuram & terminum debet se omnis intellectus humanus continere.

Secundò, Toletus per mensuram fidei accepit mensuram fidelitatis, hoc est, ea talenta, functiones & gratias, quas quisque accepit à Deo & Ecclesia, vt fideliter eas dispensaret & administret: vt sit metonymia, qua functiones contingentes fidei commissæ vocentur fides, siue mensura fidei.

Tertiò & optimè, S. Chrysostom. Theodoretus, Origenes, Ambros. & Oecumen. Fides, inquiunt, metonymicè capitur pro donis fidei & gratiæ, maximè externis & visibilibus, quæ in primitiua Ecclesia fidelibus conferebat Spiritus sanctus. Vnde v. 6. & sequent. hanc mensuram fidei vocat Paulus charismata, id est, donationes Spiritus sancti differentes, scilicet, quòd Spiritus sanctus hic dederit prophetiam, illi doctrinam, tertio exhortationem, quarto ministerium, &c. vti mox patebit. q. d. Quisque se contineat intra mensuram doni, gratiæ, talenti, officij sibi commissi, quod per fidem credendo accepit; nec alia attentet. v. g. cui datum est ministerium, ille ministret, non doceat: vicissim, cui data est doctrina, ille doceat, nec se ingerat ministerio alteri tradito. Ex hoc ergo loco patet, quomodo superiùs tota hæc epistola fidem acceperit Paulus, nimirum pro charitate, gratia, & donis fidem sequentibus. Hæc enim metonymicè dicuntur fides, quia ex fide quasi radice & matrice nascuntur, vt dixi cap. 3.

SICVT ENIM IN VNO CORPORE MVLTA MEMBRA HABEMVS; OMNIA AVTEM MEMBRA NON EVMDEM ACTVM (actionem, functionem, operationem) HABENT] ITA MVLTI (hoc est, omnes nos fideles, qui sumus quasi varia membra, varias gratias & functiones habentia) VNVM CORPVS SVMVS IN CHRISTO] putà vna Ecclesia sumus, cuius nexus interior est per fidem & gratiam; exterior per Sacramenta à Christo instituta. Per hæc enim omnes nectimur & iungimur cum Christo, & in Christo, huius enim corporis, id est Ecclesiæ, caput est Christus.

Nota. Sicut in corpore sunt quatuor; Primò, vnitas corporis; Secundò, diuersitas membrorum; Tertiò, diuersitas officiorum in membris singulis; Quartò, aptitudo & dos cuiusque membri ad suum officium exequendum: ita prorsus per omnia se res habet in Ecclesia, eiusque singulis membris, putà fidelibus Christianis. Probat hîc Apostolus, quemque fidelem debere sapere ad sobrietatem, vtique ea mensura & dono fidei ac gratiæ, quod ei diuisit Deus: non autem vltrà debere sapere, nec sibi arrogare donum & munus alteri commissum. Probat autem hoc à simili, putà à membris corporis humani: hæc enim singula suis munijs & functionibus contenta sunt, nec se officijs alterius membri ingerunt, illaue vsurpant. Pari ergo modo facere debent fideles, qui sunt membra eiusdem corporis Christi, puta Ecclesiæ.

SINGVLI AVTEM ALTER ALTERIVS MEMBRA] Non

membrorum corporis, sed vt commembri, *membra*, id est commembra sumus. quasi dicat, Ergo quodcunque membrum, putà fidelis quilibet, non sibi solùm sed etiam alijs operari debet, vti fit in corpore humano.

HABENTES, id est habemus, AVTEM] Est hebraismus. Hebræi enim benoni, siue participium vtuntur pro indicatiuo, quo carent: vnde patet Hebræum incipere sensum, non autem hæc cum præcedentibus nectenda esse, vti volunt recentiores. Explicat ergo hic Paulus varios actus & functiones membrorum Ecclesiæ: hoc enim exigit similitudo sumpta de corpore, vt sicut in corpore quodque membrum suam habet gratiam & functionem, siue actum: ita in Ecclesia fidelis quisque suum habeat talentum, siue officium & charisma, eúsque functionem. Dicit ergo,

A

HABENTES AVTEM DONATIONES SECVNDVM GRATIAM, QVAE DATA EST NOBIS, DIFFERENTES] *Donationes*, græcè χαρίσματα, id est dona, tabulæ doctæ. Ecce hic explicat Paulus mensuram fidei, quam Deus varijs variè diuidit, vt dixi v. 3. etenim hæc mensura fidei sunt dona & gratiæ differentes, quas Deus variè fidelibus dispertit, vt quisque sua gratia, suóque dono vtatur & contentus sit, nec aliud ambiat. quasi dicat, Hæc gratiarum distributio, hic donorum ordo, & limes Dei est, quique eum perturbat, & plus quàm oportet sapit, donaque quæ non accepit, sibi arrogat, & aliorum officia ambit; hic Dei ordinatio & prouidentiæ resistit in his, quæ omnino non à Deo accepit. Deus enim sua prouidentia cuique suam distribuit & admensus est gratiam & functionem, quam quisque bene & fideliter debet & intra quam se continere debet, nec vltrà sapere, ne audiat, Sutor vltra crepidam. Hæc enim est voluntas Dei vers. 2. qui ita suam cuique gratiam, pensum, ac Spartam distribuit ac locauit.

B

Porrò hæc charismata & dona in sequentibus enumerat Apostolus: ac Primò quidem illa propria, quæ Ecclesiasticas res & personas concernunt: hæc enim ante omnia rectè ordinanda sunt. Deinde vers. 9. recenset illa dona, quæ omnibus Christianis etiam laicis & plebeijs sunt communia. Incipit ergo ab Ecclesiasticis, dicitque:

C

SIVE PROPHETIAM SECVNDVM RATIONEM FIDEI, SIVE MINISTERIVM IN MINISTRANDO] Multi hæc generatim accipiunt de quauis prophetia & ministerio; verùm magis genuinè dicemus Apostolum enumerare hic charismatum & functionum Ecclesiasticarum genera. Sunt enim duo: Vnum est prophetia, secundùm est diaconia, siue ministerium. Prophetiæ nomine intelligit Paulus doctrinam, & ea quæ ad docendi munus pertinent (vt ostendam 1. Corinth. 14. initio.) Diaconiæ verò nomine intelligit alia exteriora Ecclesiastica munia, quæ à se abdicarunt, & in Diaconos reiecerunt Apostoli, dicentes Actor. 6. v. 2. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Vides hic Apostolos Ecclesiasticas functiones stabiles & perpetuas in duo diuisisse, scilicet in doctrinam, siue prædicationem verbi Dei, quæ hîc prophetia vocatur, & in diaconiam: ac priorem, quasi præcipuam sibi reseruasse; posteriorem in Diaconos transtulisse.

D

Ministri Ecclesiæ aut Episcopi aut Diaconi.

Hanc Apostolorum diuisionem sequitur Paulus hoc loco, & 1. Timoth. 3. vbi Ecclesiæ ministros, qui Ecclesiæ munia obeunt, diuidit tantùm in Episcopos & Diaconos; sub Episcopis Parochos & Presbyteros, sub Diaconis cæteros inferiores Ordines intelligens. Episcopi enim sunt prophetæ, id est, doctores Ecclesiæ; Diaconi verò cæterique eis subseruientes, sunt eorum administri. Prophetia ergo, id est doctrina, cessit Apostolis, Episcopis & Parochis: diaconia verò, siue ministerium, cessit Diaconis, eorumque administris.

Diuisio prophetiæ.

Deinde Apostolus hæc duo genera, scilicet prophetiam & diaconiam, in suas species partitur & diuidit: nimirum prophetæ alij sunt doctores, quales erant Apostoli & Episcopi; alij sunt exhortatores, siue pastores, quales sunt Presbyteri & Parochi. Pari modo Diaconi & ministrantes, alij sunt eleëmosynarij, qui eleëmosynas distribuunt; alij præfecti, qui præsunt in sollicitudine; alij hospitalarij, qui ægros & miseros curant. Hæc omnia magis patebunt ex sequentibus.

Diuisio diaconiæ.

Nota. Cùm ait Apostolus, *secundùm rationem fidei*, fides hîc non tantùm est fides, qua credimus articulis fidei, quæ fides est omnibus fidelibus communis; sed potiùs fides hîc est intelligentia perfecta rerum diuinarum, & Scripturarum, quæ non tam humano studio, labore & industria, quàm Dei illuminantis operatione & inspiratione acquiritur. Vnde 1. Corinth. 12. 9. ponitur hæc fides inter gratias gratis datas. *Alteri*, ait, *fides* (datur) *in eodem spiritu.* Dicit ergo, *Habemus prophetiam*, hoc est, gratiam explicandi doctrinam, & Scripturam sacram, *secundùm analogiam*, vt habent Græca, id est, secundùm proportionem & mensuram, *fidei*, id est, intelligentiæ & sapientiæ à Deo nobis concessæ. Ergo iuxta eam quisque prophetet, non plura suo ingenio comminiscatur: inde enim ortæ sunt hæreses. Huc accedit Anselmus, qui ita explicat, *secundùm rationem fidei*, id est, vt nihil extra regulam fidei loquamur, aut sapiamus.

Fides hîc accipitur pro intelligentia rerum diuinarum.

Secundò, Ambrosius vult Apostolum hîc præscribere prophetæ, hoc est doctori, vt doceat *secundùm rationem fidei*, hoc est, prout fides credentium exigit, seu prout fert auditorum capacitas & salus. Huic enim Spiritus sanctus donum suum, quod prophetæ, id est, doctori dat, attemperat, & ab eodem pari modo attemperari vult.

Secunda acceptio fidei.

Tertiò, posset fides hîc capi, vti eam accepit Apostolus v. 5. pro dono & charismate fidei; vt idem sit mensura fidei, quod ratio vel analogia fidei. Verùm quia Apostolus iungit hîc fidē prophetiæ; hinc meliùs, vt dixi, fidem specialiùs accipiemus pro dono intelligentiæ sacræ Scripturæ & mysteriorum fidei, quod initio Ecclesiæ multis communicabat Spiritus sanctus.

Tertia.

SIVE MINISTERIVM IN MINISTRANDO] VERS. 7. Græcè εἴτε διακονίαν ἐν τῇ διακονίᾳ, id est, siue diaconiam in diaconia, repete *habemus*. Priore loco διακονία munus ipsum significat: posteriore verò ipsam muneris functionem. q. d. Fungimur diaconia, id est, ministerio secundùm gratiam aut munus ministrandi. Nemo enim in Ecclesia ministrat, qui ad tale ministerium non habet titulum, gratiam aut ordinem, quo ei deputatur.

Nota. Per diaconiam aliqui accipiunt episcopatum,

Diaconia externis occupatur.

patum, presbyterium, & reliquos Ordines. ita Salmeron. Verùm meliùs, vt iam dixi, Toletus & alij censent, diaconiam, siue ministerium, esse secundum functionis Ecclesiasticæ genus, oppositum prophetiæ, versariq́ue circa res & munia charitatis externa, eaq́ue varia, vt patebit ex sequentibus.

Syrus & recentiores supplent hîc; Qui ministrat, versetur in ministrando; qui docet, versetur in docendo; qui præest, versetur in sollicitudine, & ita de alijs. Verùm Paulus videtur potiùs id quod generatim dixerat: *Habemus donationes secundùm gratiam* & talenta, *differentes*, hîc tantùm per species explicare, enumerando illas donationes, siue charismata, scilicet ministerium, quod consistit in ministrando; doctoratum, qui consistit in doctrina; exhortationem, quæ consistit in exhortando, &c. Inde tamẽ consequenter ex v. 3. repetendum & inferendum relinquit in singulis, Vt quisque sua gratia & talento, ac donis iam dictis vtatur pro mensura sibi data à Deo, vti mox particulatiùs explicabo.

Prophetiæ prior species est gratia docendi.

SIVE QVI DOCET IN DOCTRINA] Hîc duas dat species prophetiæ, prima est, *qui docet*, id est, qui habet functionem docendi, eam habet *in doctrina*, ἐν διδασκαλίᾳ, id est, secundùm gratiam doctrinæ & magisterij, quam à Deo accepit: non enim omnes eandem habent peritiam diuinorum. Secunda est,

VERS. 8. *Altera, exhortandi & consolandi gratia.*

QVI EXHORTATVR IN EXHORTANDO] Græcè ἐν τῇ παρακλήσει, *in exhortatione*, id est, in exhortationis gratia & talento, quod accepit, id facit, putà exhortatur. Sub exhortatione etiam consolationem accipe. Exhortatorem vocat hîc Apostolus eum, quem 1. Corinth. 12. 28. & Ephes. 4. v. 11. vocat pastorem, eum, scilicet, qui ex officio doctrinam cum exhortatione, monitione, adeoq́ue cum Sacramentorum administratione coniungit, vti iam faciunt Parochi. Ex hisce Apostoli sententiis tacitè collige, q.d. Quisque ergo, tam qui docet, quàm qui exhortatur, doceat & exhortetur, suoq́ue talento vtatur, pro gratia & mensura sibi à Deo concessa.

Diaconiæ functio triplex.

QVI TRIBVIT IN SIMPLICITATE] Enumeratis speciebus & functionibus prophetiæ, enumerat hîc functiones diaconiæ, siue ministerij, easq́ue tres, cum suis charismatibus, seu donationibus differentibus. Prima est, *qui tribuit*. q.d. Qui habet functionẽ & officium distribuendi eleëmosynas, vti olim habebant diaconi, Actor. 6. 15. eam habet *in simplicitate*, id est, secundùm gratiam simplicitatis. Hanc enim gratiam simul cum officio tali dare solet Spiritus sanctus. q. d. Videat ergo quisque eleëmosynarius, vt secundùm hanc simplicitatem tribuat & distribuat eleëmosynas.

Prima functio diaconiæ erogare eleëmosynas.

Quæstio, quænam sit simplicitas, secundùm quam erogandæ sunt eleemosynæ

Quæritur, quænam sit hæc simplicitas? Primò, Origenes sic explicat: Qui tribuit, inquit, tribuit in simplicitate, id est, non ex vana gloria. Duplex enim est, qui actu externo videtur alteri dare eleëmosynam, cùm interno proprium cõmodum, scilicet laudem, quærit.

Variæ responsiones.

Secundò, Chrysost. & Theodoret. Simplicitas, inquiunt, est liberalitas. Hæc enim simpliciter dat manu extensa; cùm auarus manum contrahat, & ægrè ac tardè modicum quid eroget.

I.

II.

III.

Tertiò, Theodoret. Qui tribuit, inquit, tribuat in simplicitate, hoc est, simpliciter, liberè & resolutè, nimirum, vt non cogitet an ea quæ habet sibi sufficiant, an ad futuros casus sint necessaria; A sed Deo confidat, quòd ille sibi & futuris omnibus prouidebit.

Quartò, alij recentiores, Simpliciter inquiunt, tribuit, qui non exspectat vt sibi retribuatur. Multi enim dant hoc fine vt maiora recipiant; sed hi non dant simpliciter, neque tam dant quàm reddunt sua dona. qua de re pulchrè Seneca lib. 2. de Benefic. c. 1. *Demus*, inquit, *beneficia, non fœnerem. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret.*

Quintò, alij, Simpliciter, inquiunt, tribuit, qui ita sincerè & purè tribuit, vt non velit aliquem eum, cui tribuit, ad peccatum aut aliam turpitudinem.

Sextò & optimè, Anselm. Simplicitas, inquit, hæc opponitur duplicitati, id est dolo, fraudi, hypocrisi, acceptioni personarum, item & cupiditati. Simplex ergo est, qui non aliud intendit, quàm quod intendi debet: duplex verò est, qui aliud intendit, vel spectat quàm debet. Simplex itaque eleëmosyna danda est, qui non considerat an is cui dat, sit amicus, familiaris, commodus, vel vilis, aut gratus futurus, sed an indigeat. Rursum, qui non nimis curiosè inquirit an bonus sit, an dyscolus, an fictus is cui dat eleëmosynam (de qua re pulchrè tractat hîc S. Chrysostomus in morali hom. 21.) sed, vt ait Ambros. in omnes indigentes puro se fundit affectu; & candidè, prudenter tamen, sua sibiq́ue commissa erogat: tales enim ad functionem eleëmosynarij aptissimi, ideoq́ue eligendi sunt. De hac simplicitate eleëmosynæ iterùm dicam 2. Corinth. 8. 2.

QVI PRÆEST IN SOLLICITVDINE] Id est, qui habet functionem in Ecclesia, vt præsit; eam habeat secundùm gratiam sollicitudinis, græcè ἐν σπουδῇ, id est studij, vt totus seriò illi vigil incumbat; & diligentiæ, vt sedulus & celer sit in executione. qui enim hanc gratiam acceperunt, sunt aptissimi & eligendi vt præsint.

Nota. Per præsidem hunc Apostolus non tam intelligit Pastorem & Prælatum qui præest in spiritualibus (hunc enim, vt dixi paulò antè, intellexit nomine exhortatoris) quàm præfectum qui præest rebus temporalibus & externis, quiq́ue politiam Ecclesiasticam administrat. quales erant Archidiaconi, qui præerant cæteris Diaconis eleëmosynarijs & hospitalarijs. Hunc enim præsidem Apostolus numerat inter Diaconos, qui in ministrando versantur; estq́ue hæc præsidentia secunda species diaconiæ, quam Paulus 1. Corinth. 12. v. 28. gubernationem vocat. Iam ex eo quod dicit Apostolus, *qui præest in sollicitudine*, tacitè colligendum relinquit, q.d. Ergo qui præest, in gratia sollicitudinis se contineat, in eaq́ue præsit, vt debitam eorum qui sibi commissi sunt curam & sollicitudinem gerat.

QVI MISERETVR IN HILARITATE] Hæc est tertia species diaconiæ, maximè pertinens ad hospitalarios, & olim ad viduas illas, de quibus ait Apostolus 1. Timoth. 5. 9. q.d. Qui functionem misericordiæ in tractandis & curandis pauperibus & ægris (de ægris enim & miseris proprie hîc est sermo) in Ecclesia exercent, id faciant secundùm donum hilaritatis; quæ in tribus consistit. Primò, in animi lætitia, vt vincant tædium & nauseam miserorum & morbidorum. Secundò, in vultus alacritate, vt per eam ægros, qui ex ægritudine mœrore laborant, consolentur & sublevent. Tertiò, in verborum affabilitate, qua ægros multum

dentes, & mulcta petentes à se non absterreant, A
vel absistat, vt suam opem & operam fideliter
impertiat. Iam ex eo quod dicit Paulus: *Qui misericordiam in hilaritate*, tacitè colligendum relinquit, q. d. Ergo cum misereris, vtere dono hilaritatis, quod Deus tibi cum officio dedit, vt hilarem te præbeas miseris & ægrotis.

Nota. Hilaritas maximè requiritur in misericordiam, vt ait Chrysostomus, hominibus nihil tam ingrate & indecorum videtur atque esse miserum, indigere, & ab alijs ea quibus indigent, accipere; ac proinde, inquit, nisi excellenti hilaritate hanc molestiam illam sustuleris, ostenderisque quòd magis à miseris beneficium accipias quàm des, non dubium est accipientem, quàm refocillabis.

Huc idem Chrysost. homil. 33. ad pop. *Verè, inquit, ita res sua est: sic dare, vt gaudeas te dare, putans te accipere magis quam dare. Non enim tam pauperibus, quam nobis prosumus, plura accipientes quàm dantes.* Pauper enim Christum repræsentat, & Christo dantur quidquid in pauperem erogatur: Christus autem se liberalitate vinci non patitur, sed plura dat quàm accipiat. Meritò ergo Sapiens Eccli. 35. vers. 11. *In omni, inquit, dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* Et Nazianz. *Benefacite, inquit, gratia promptitudine geminatur.* B

Est tamen hilaritas alibi quoque perutilis; adeoque ipsa est quasi flos ornans, & quasi mel dulcorans ac perficiens omnes alias virtutes. Vnde Basilius ser. 112. *Cum bonum, inquit, facis; hilariter fac. Si enim tristis facis, magis de te fit quàm ex hoc.* S. August. lib. de Perfectione iustitiæ, ac peccare iustum, si in beneficentia ei surrepat tristitia, quo fugiatur hilaritas, in qua datorem C diligit Deus.

Hactenus recensuit Apostolus donationes, sive charismata Ecclesiastica, modumque eis vtendi præscripsit: ita tamen vt laici eumdem modum non facilque officijs multis in rebus adaptare & accommodare possint ac debeant. Deinceps ergo recenset Apostolus charismata & officia virtutum Christianis omnibus & laicis communia. Præscribit ergo eis dilectionem, docetque qualis illa esse, eaque virtutum actus exercere & imperare debeat. Dilectio enim est auriga & regina virtutum omnium, præsertim si coniunctam habeat humilitatem; tunc enim penè omnia officia hominis Christiani comprehendit, eaque rectè ordinat & disponit iuxta voluntatem & beneplacitum Dei. Itaque dicit:

DILECTIO, scilicet sit, SINE SIMVLATIONE] id est sincera sit & candida, & vt græcè est, sit ἀνυπόκριτος, id est, non sit hypocritica & ficta, vt scilicet docet ait S. Ioannes epist. 1. cap. 3. v. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* D

Hactenus ostendit Paulus quæ sit voluntas Dei circa eos qui habent functionem in Ecclesia: nunc in genere omnes Christianis idipsum ostendit.

Vult de dilectione Christianorum docet Primò eam esse debere sinceram.

Secundò, nos per eam ita proximum diligere debere, vt tamen eius mala & peccata odio habeamus: virtutes verò illius amplectamur.

Tertiò, requirit vt hæc dilectio sit fraterna, vt quasi fratres ex vno patre Christo nati, inuicem amemus.

Quartò, vt eadem sit sine superbia & fastu, vt præcedat honore inuicem præuenientes.

Quintò, vt eadem sit celeris & sedula, non pigra. V.

Sextò, vt eadem sit ardens & feruens. VI.

Septimò, vt non sibi suisque commodis & gloriæ, sed Dei seruiat, vt patet v. 11. ita Salmeron. VII.

Sequitur ergo de hac dilectione:

ODIENTES, ἀποστυγοῦντες, abhorrentes, MALVM. Hoc non sufficit, sed requiritur VT ADHAERENTES, græcè κολλώμενοι, id est agglutinati, BONO] & virtuti, supple simus, ita S. Chrysost. & Origenes.

Nota Primò. Sequentia omnia participia vsque ad finem capitis, more Hebræo per imperatiuum, vel optatiuum exponenda sunt, hoc modo: *odientes* id est odiamus, vel odire. *malum: adhærentes*, id est adhæreamus, *bono: diligentes*, id est diligamus: *honore inuicem præuenientes*, id est præueniamus: *spiritu feruentes*, id est ferueamus: *Domino seruientes*, id est seruiamus, vel seruite: & ita de alijs. Porrò vtitur continuò hisce participijs hic Apostolus, vt ostendat hæc omnia virtutum officia, quæ per hæc participia ad finem vsque capitis recenset, pendere à dilectione, illique coniungi, & ab ea imperari, adeoque hæc esse quasi epitheta & emblemata dilectionis. Similiter facit 1. Corinth. 13. dicens, *Charitas patiens est, benigna est* &c. Licet enim sequentes gnomæ, siue sententiæ breues & illustres, sint de varijs & disparatis virtutū officijs, quas more Hebræo mixtim sine ordine & connexione proponere solet Apostolus; tamē hîc, vt dixi, omnes ad dilectionem aliquo modo referri possunt; idque indicant omnia hæc participia. *Participia pro imperatiuo vel optatiuo per hebraismum vsurpata.*

Nota Secundò, τὸ *odientes*: nam in Christiano requiritur ingens odium peccati; quia hoc odium perficit virtutem contrariam, & quantum crescit odium mali, tantum & crescit amor boni. Sunt enim qui amant virtutem, verbi gratia temperantiæ: sed quia ebrietatem non detestantur, hac de causa temperantiam ex animo, seriò ac resolutè non amplectuntur. *Odium peccati inculcatur.*

CHARITATE FRATERNITATIS, græcè φιλαδελφίᾳ, hoc est, charitate fraterna, qua fratres se diligunt; eadem & nos Christiani, quasi filij Dei in Christo, & quasi inuicem fratres, INVICEM DILIGENTES] id est diligamus, eoque magis, quo fraternitas spiritualis perfectior est carnali, ait S. Ambros. serm. 9 & S. Aug. ser. 27. de verbis Apostoli. VERS. 10.

Nota Primò. Malè quidam hîc legunt: *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes*, quasi ipsam charitatē diligi velit Apostolus: nam vox *inuicem*, & clariùs Græcum εἰς ἀλλήλους, clarè significant Apostolum non loqui de amore charitatis ipsius, sed de amore fratrum. *Lectio quorundam reiecta.*

Secundò, fratres hîc vocat non quoslibet proximos, etiamsi Gentiles sint & Pagani, sed Christianos tantùm. Hi enim inuicem olim vocabant fratres, & amabant vt fratres, tamquam qui ex eadem matre Ecclesia, & eodem patre Christo geniti essent. Hos enim, vtpote nobis & Christo coniunctiores, magis quàm infideles & Paganos diligere tenemur nouo dilectionis præcepto, de quo Ioan. 13. v. 34. dicit Christus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, de quo ibidem fusiùs egi. *Christiani fratres inter se.*

Tertiò, φιλαδελφία componitur ex φίλος, id est amicus, & ἀδελφος, id est frater: compositio autem hæc intensam charitatem significat, inquit Theodoretus, scilicet qua inuicem diligamus, non solùm tamquam amicos, sed etiam tamquam fratres coniunctissimos. q. d. Amicitia non qualis *Quid φιλαδελφία.*

qualis

qualis sit inter vos, ô fideles, sed summa, intima & arctissima, qualē decet esse inter fratres amantissimos.

Amor inter Christianos quantus esse debeat.

Quartò, pro *diligentes* græcè est φιλάδελφοι: φιλία autem significat naturalem & ingentem affectum pietatis, quo parentes feruntur in liberos, fratres, cognatos, idque permanenter. Hoc enim est φιλάδελφοι, id est, non, amantes; sed, amatores, scilicet affectuosi & stabiles, quasi ex habitu; est enim nomen, non participium. Vnde Tertull. li. 5. contra Marcion. c. 14. legit: *Amore fraternitatis inuicem affectuosi.* Vult ergo Paulus vt tam dulces affectus sentiant & gerant Christiani erga inuicem, quales gerunt parentes erga filios, & contrà: vtque ex tali affectu omnibus opitulentur & subueniant. Hinc Tertull. lib. 1. contra Marcion. Primasius, Sedulius, Haymo, Comment. Ambrosij & Hieronymi pro *diligentes* legunt *benigni*.

B

HONORE INVICEM PRÆVENIENTES] *Inuicem*, scilicet pares; impares etiam, cùm hoc charitas exigit, vel cùm hoc necesse est, ad auersionem tollendam inter Superiorem & subditum: aut certè cùm ad hoc Superiorem excellens humilitas impellit. Est enim hic heroicus actus humilitatis, qui ordinariè non est præcepti, sed consilij. Non enim ait Apostolus, Honorem debitum reddentes, sed, *honore inuicem præuenientes*, vt scilicet Christiani instar Christi, quo maiores sunt, eo magis se demittant, & alijs submittant, eisque primas deferant in incessu, in mensa, in consciu, alijsque rebus omnibus. Vt hoc exteriùs fiat, oportet interiùs facere id, quod monet Apostolus Philipp. 2. 3. dicens: *Superiores sibi inuicem arbitrantes.* Qua de re plura ibi dicenda sunt.

Submissio exterior ab Apostolo commendatur.

VERS. 11. *Sedulitas.*

SOLLICITVDINE NON PIGRI] q. d. Non tantùm honore, sed & fauore, officio, ope, cura inuicem præueniamus, idque non pigrè, sed sedulò, Græcè enim est ζῆλος, id est studio, diligentia, scilicet inuicem iuuandi, ne sitis pigri. Contra hoc peccant, qui opem præstant, sed seram, cùm proximus vel malo suo liberatus est, vel desperatus, vt iuuari non possit.

SPIRITV FERVENTES] *Spiritu*, id est, charitate, vel Spiritu sancto, quasi igne; vel simpliciùs *spiritu*, hoc est, impetu quodam animi succensi, feruea mus ad faciendum officium: sic enim erimus sollicitudine non pigri.

Apostolus inculcat feruorem ad omne opus bonū.

Nota. Loquitur Apostolus de feruore, non tantùm ad benefaciendum proximo; sed ad omne virtutis officium. Est enim hæc eius indefinita & generalis sententia: & dilectio siue charitas (à qua hæc omnia aliquo modo pendent) dictat & imperat vt ferueamus non tantùm in charitatis, sed etiam in aliarum virtutum officijs omnibus.

Feruor hic in tribus situs est.

In tribus consistit hic feruor, ait S. Basil. in regulis breuioribus respons. 259. Primò, vt in ea re quam agimus sit tota animi intentio; Secundò, vt adsit inexplicabilis cupiditas bene operandi; Tertiò, vt accedat assiduitas & cōtinuatio, qua nullum charitatis erga proximū aut virtutis officium recusemus. Sicut enim olla quæ feruet, non quiescit, sed semper bullit, in altum se erigit, atque ignitas bullas & vapores sursum eiaculatur: ita charitas otiosa esse non debet, nec potest; sed oportet vt continuò ad maiora semper proficiat & exiliat, atque per sinceram intentionē, orationem, desideria ac gemitus, quasi vapores ad Deum ascendat. Opponitur hic feruor tepori, de quo Apocal. 3. 15.

A

S. Bernardus serm. 6. de ascensione, hoc ferme spiritu feruentem sic describit: *Aduerter pene in omnibus ferè religiosis cōgregationibus viros replere solatione, superabundantes gaudio, iucundos semper & hilares, feruentes spiritu, nocte dieq; meditantes in lege Domini, crebrò suspicientes in cælum, & puro mentis oratione leuantes, sollicitos obseruatores conscientiæ, & deuotos sectatores bonorum operum, quibus assidua disciplina, labor manuum delectabilis, & vniuersa denique conuersationis huius austeritas refrigerium ministrat.*

Deinde, vt ex hoc quasi simulacro feruentis hominis tepidus cognoscatur, describit eum tepidi subiungit in hunc modum: *Contrà sanè*, inquit, *inuenire est homines*, primò, *pusillanimes & remissos*; secundò, *deficientes sub onere*; tertiò, *virga & calcaribus indigentes*; quartò, *quorum remissa lacrima, pusillanimis tristitia est*; quintò, *quorum brevis & rara compunctio*; sextò, *animalis cogitatio*; septimò, *stupida conuersatio*; octauò, *obedientia sine deuotione*; nonò, *sermo sine circumspectione*; decimò, *quorum oratio sine cordis intentione*; vndecimò, *lectio sine* (scilicet) *ædificatione*; duodecimò, *quos vix gehenna metus inhibet*; decimotertiò, *vix pudor cohibet*; decimoquartò, *vix ratio frænat*; decimoquintò, *vix disciplina coërcet.*

C

Audi Ruffinum lib. 3. in Vitis Patr. num. 204. *Quidam senex*, inquit, *dixit: Sicut ad succensam olla musca non appropinquant; si verò tepida fuerit, residunt in ea, & faciunt vermes: ita & monachum succensum igne diuini amoris fugiunt dæmones; tepidum verò adludunt & insequuntur.*

DOMINO SERVIENTES] Ambrosius & Erasmus legunt καιρῷ, id est tempori, *seruientes*. q. d. Ne feruor vester sit importunus, sed modestè & honestè suo tempore fidem & charitatem promouete. Sic Pittacus dixit: γίνωσκε καιρόν, nosce tempus, id est, temporis oportunitatem prospice & capta, ne importuno & incongruo tempore quippiam aggrediaris.

Alij sic explicant, *Tempori seruientes*. q. d. Apostolus: Nolite tanta tamque præclara temporis salutiferi oportunitate abuti. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quo Christus in mundum & carnem veniens gratiam & salutem è cælo nobis attulit; sollicitè ergo tempori hoc vtimini, illud iam habetis, paulò pòst non habituri. Ergo tempori seruit, qui temporis occasione vtitur ad bonum, quique diligenter caret re nugis aut rebus parum proficuis se occupans, tempori ad seruiendum Deo, & ad lucra ac præmia in cælis comparanda concessi, iacturam facit. Verùm Syrus, Latina & Græca passim legunt non καιρῷ, sed κυρίῳ, id est *Domino*, scilicet Christo, nec idolis *seruientes*, hoc est seruite, etiam in perfectionibus, per nouam vitam Christianam, ideoque spiritu feruete, vti præcessit.

D

SPE GAVDENTES] Tantorum enim bonorum, quæ suis fidelibus Deus in cælo præparauit, ex spectatio & spes, ingens parit gaudium, ita vt quauis etiam graui tribulatione Christianus gaudeat & exulter. Ita sanctus ille Abbas Apollo apud Palladium in Lausiaca ca. 52. cùm aliquem e fratribus triste ac pusillanimē videret, vt eum ad lætitiam & gaudium erigeret: *Tristentur*, inquit, *mundani, tristentur Iudæi, tristentur peccatores, qui alium spem non habent: nos verò qui tanta spe cælestis gloriæ ditati habiti sumus, quomodo non perpetuò lætabimur?* Hinc Philo *spem* vocat *gaudium ante gaudium*.

In S. Athanasius de S. Antonio scribit, cum A semper tam in aduersis quàm in prosperis lætum fuisse mentisque letitiam prætulisse, atque ex ea eorum fuisse ab ignotis. *Si quis enim*, inquit, *ignarus inter multitudinem monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante, cæteris prætermissis, ad Antonium curreret, & animæ puritatem agnoscebat ex vultu, & per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur: nam semper hilarem faciem gerens, liquidò ostendebat se de cœlestibus cogitare.*

IN TRIBVLATIONE PATIENTES] Tertull. libr. 5. contra Marcion. c. 14. legit, *pressuram sustinentes.*

ORATIONI INSTANTES] προσευχῇ προσκαρτεροῦντες, hoc est, in oratione assiduè perdurantes, vel astantes cum assiduitate. προσκαρτερεῖν enim est cum patientia & perseuerantia quadam insistere, recumbere, multum esse & assiduum in aliquare. Quod 1. Thessal. 5. v. 17. dicitur: *Sine intermissione orate.* & Lucæ 18. v. 1. *Quoniam oportet semper orare.*

NECESSITATIBVS SANCTORVM COMMVNICANTES] Ambros. pro χρείαις, id est *necessitatibus*, legit μνείαις, id est *memoriis*. Ita quoque legit S. Hilarius lib. contra Constantium in fine: *Apostolus, ingenue habet communicare nos Sanctorum memoriis, tu (Constanti) eas damnare elegisti.* Ita quoque legit Origenes (& ex eo Commentar. Hieronymo ascriptus) duplicemque dat sensum. Primò, *Memoriis sanctorum communicate*, hoc est, ex recordatione Sanctorum proficite. Secundò, mementote Sanctos in solemnibus collectis; quomodo Ecclesia eorum meminit in Canone Missæ, cùm ait: *Communicantes, & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum Petri, Pauli &c.* Exqua explicatione Origenis discant Neotates veterem in Ecclesia ritum & morem inuocationis & commemorationis Sanctorum in duplicis Ecclesiæ precibus.

Verum passim Græca, Latina, Syrus, interpretes Græci & Latini, teste Francisco Luca, legunt χρείαις, quod S. Hieron. vertit, *vsibus*; Noster, *necessitatibus*, id est, inopiæ sanctorum, putà Christianorum, communicate. Sancti, fratres, discipuli olim erat nomenclatura Christianorum; quia erant ipsi Deo dedicati, & per baptismum sancti effecti.

Viget S. Chrysost. τὸ *communicantes*, id est communicate, q. d. Communes facite cum Sanctis opes vestras, vt commune cum eis lucrum habeatis & iuris participes meritorum, patientiæ, & coronæ ipsorum.

HOSPITALITATEM SECTANTES] διώκοντες, id est persequentes, scilicet nolentes & recusantes cogendo ad hospitium, vti fecit Abraham. De hospitalitate Christianorum plura dicam Hebr. 13. 2.

BENEDICITE PERSEQVENTIBVS vos] hoc est, benepræcamini, & orate pro eis. Malè ergo Erasmus vertit, Benè loquamini de his qui vos infestant. Non est hoc præcepti, vt vult Caluinus, qui adhùc vix illum hoc præceptum implere: nimirum, cùm docet ipse Deum homini præcipere impossibilia: quod ne tyrannus quidem faceret: sed est consilij, vti & præcedentia, *Orationi instantes: hospitalitatem sectantes: inuicem præuenientes: spe gaudentes: spiritu feruentes.*

ET NOLITE MALEDICERE] Græcè μὴ καταρᾶσθε, id est ne execramini, &, vt Syrus, ne imprecamini ea mala, scilicet ex animo vindictæ cupido: nam ex zelo iustitiæ mala quandoque impiis imprecati sunt Sancti, vt Elisæus, Iob, & ipse Paulus Actor. 23 v. 3.

GAVDERE (ita legendum cum Bibliis Romanis & Græcis, non *gaudete*. *Gaudere* scilicet oportet, vel, potiùs infinitiuus χαίρειν, id est gaudere, atticè ponitur pro imperatiuo χαίρετε, id est gaudete) CVM GAVDENTIBVS] q. d. Ea sit sympathia inter vos, Christiani, vt fratrum bona vel mala æquè vos ac illos tangant. Ita S. Basilius homil. in Iulittam Martyrem: *Flendum*, inquit, *nobis cum flentibus. Tu enim simul atque videris fratrem, ob eorum quæ admisit pœnitentiam, se profluentem lachrymis, huic collugeto & condole: ita enim fiet, vt ex alienis malis castiges proprium. Talis erat, qui dicit: Defectio, siue defectio animi tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Fle igitur super peccatum. Peccatum* B *est animæ ægritudo, peccatum est mors animæ alioqui immortalis, peccatum luctu & implacabilibus lamentis est dignum. Flebat Paulus inimicos crucis Christi. Flebat & Ieremias internecionem pereuntis populi, qui sanè quòd lacryma suapte natura profluentes non satis essent illi ad planctus magnitudinem, cupidè expetebat sibi infundi lachrymarum fontem, & extremum solitudinis diuersorium, dicens: Et flebo, & plorabo populum hunc dies multos, eos qui pereunt. Sanè ilIiusmodi luctum ac lachrymas deprædicat Apostoli sententia, & felices æstruit.*

Sapidè quoque S. Bernard. serm de B. Magdalena: *Verè*, inquit, *meliora sunt vbera sponsæ vino illo: Quænam, au, sunt ista? Procedat in medium Paulus Apostolus, & vbera felici lacte manantia nobis assignet. Gaudete, inquit, cum gaudentibus, flete cum flentibus.* C *O quàm breui sermunculo totius religionis depinxit insigne! quàm eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submouit inuidiam! His vberibus mater Ecclesia lactat proficientes, nutrit perfectos. Gaudete, inquit, cum gaudentibus. Faciat hinc sæcularis plausus insania, & lætitia mundialis absedat: quia non est gaudere impiis, dicit Dominus.* Et mox: *Mens enim ab huius mundi aspergine purè pressa, detersa, & in diuina contemplationis acumen totum desiderij sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, & omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiens requiescit.* Subiicit deinde: *Secunda est flere cum flentibus. Numquid Apostolus præcipit flere rerum amissionem, filiorum mortes, morborum instantiam, &c. Absit. Plorandi enim* D *sunt qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia aut alienum luget peccatũ, aut proprium. Hæc est mammilla compassionis, prior fuit congratulationis.* Et post pauca: *Amator innocentiæ, pacis amicus, patientiæ cibus, patientibus compatiens, & congaudens gaudentibus, perfectionis metam cursu consummato contingit.* Ergo congaudere & condolere sunt signa perfectionis, imò actus virtutis perfectæ.

IDIPSVM INVICEM, græcè εἰς ἀλλήλους, id est, ad alterutrum, SENTIENTES] vt scilicet non sint, ait Anselmus, in vobis schismata, sed animo & affectu mutuo consentiatis. Vnde Maldonatus in Notis manuscr. sic explicat: *Idipsum sentite*, vel *sapite in inuicem*, id est, inuicem consentite, tam iudicio, quàm voluntate, vel vnus sapiat quæ sapit alter, nec velit videri plus sapere quàm cæteri, vt iudicium suum & sententiam cæterorum iudicio, & sententiæ præferat superbè. Hic sensus satis est verisimilis & appositus.

VERS. 15. Duo vbera Platonis C. 1. 1. f. 17. - h.

VERS. 16. *Quid sit idipsum inuicem sentire. Prima expositio.*

Secundò, *Idipsum inuicem sentite*, hoc est, inquit Chrysost. æqualia de inuicem cogitate. Et Ambros. Considera de te quod de aliis; scilicet, quòd homo sis, & Christianus æquè ac proximus tuus; ac consequenter non te efferas, licet alio sis ditior & honoratior. Vnde Syrus vertit, *quæ sentitis de vobis ipsis, de fratribus vestris sentite.* A

Tertia & genuina.

Tertiò & optimè, Origenes sic explicat, q.d. Eodem animo inter vos, & erga vos mutuo sitis affecti; vt quisque quod sibi sentit & sapit, id est, quærit, diligit, curat, vult (hoc enim est Græcum φρονεῖτε) hoc ipsum alteri sapiat, id est quærat, velit. quod sibi non sapit, id est, nollet sibi, hoc nec alteri sapiat, id est velit.

Posset etiam sic explicari, *Idipsum inuicem sentientes.* q.d. Idipsum inuicem sentite, vt, si proximus gaudeat, sentiatis eius gaudium, & cum eo gaudeatis; si fleat, cũ eo fleatis: vt τὸ αὐτὸ φρονεῖτε idem sit, quòd ὁμοφρονεῖτε, vel τὴν αὐτὴν φρένα ἔχετε, id est, eamdem mentem, eumdem sensum habete; mente, animo & sensu consentite. Sed tunc idem diceret Paulus quod dixit vers. præc. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Vnde prius, quod dixi, est aptius, præsertim quia Apostolus, cùm solùm vult significare & commendare eumdem sensum, & affectus consensum, tantùm dicere solet, τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, idem sapite, vel, τὸ ἓν φρονοῦντες, vnum idemque sentientes: hîc verò addit εἰς ἀλλήλους, id est, in alterutrum idipsum sapite. quod non tantùm consensum, sed & beneuolentiam & beneficentiam velin actu, vel in voluntate, desiderio & solicitudine significat. B

Antecedentia ante dictorum ab Apostolo, de quinque virtutibus quæ caritatem perficiunt.

Nota. Apostolus à v. 9. vsque ad 12. describit qualis debeat esse dilectio Christianorum, à v. verò 12. huc vsque describit quibus rebus dilectio hæc adiuuetur, excitetur & roboretur, nimirum Primò, spe cœlestis gloriæ: Secundò, patientia tribulationum: Tertiò, orationis instantia: Quartò, bonis operibus eleëmosynæ, hospitalitatis & dilectionis inimicorum: Quintò, & maximè sympathia, eodemq; sensu & consensu, vt nimirum quis proximi dolores, bona & mala sua faciat, eaque in se sentiat, quasi vnam cum eo habens animã: & hoc est quod de primis Christianis dicitur Actor. 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* C

NON ALTA, non elatè, de vobisipsis SENTIENTES] vt velitis supra alios eminere, vt ambiatis honores. Nota. Prima virtus Christianorum Deo beneplacita est charitas, de qua hactenus egit Apostolus. Secunda est humilitas, quæ charitatis debet esse comes & adiutrix. Docet ergo hîc Apostolus charitatem debere esse humilem, sibique sociare humilitatem, vt sit ambidextra. D

Duæ Christianorum virtutes, charitas & humilitas.

Nouæ actus charitatis humilis, siue humilitatis.

Humilitatis itaque, siue charitatis humilis nouem actus recensel. Primum, non alta sapere; Secundum, humilibus rebus, & personis vilibus delectari; Tertium, apud se non esse prudentem; Quartum, nulli malum pro malo reddere; Quintum, prouidere bona coram hominibus; Sextum, pacem cum hominibus colere; Septimum, se non vlcisci; Octauum, dare locum iræ; Nonum, inimicis benefacere.

Humilitatis indicia decem ex Cassiano.

Simili ferè modo Cassianus lib. 4. Institut. c. 39. alia, sed similia humilitatis indicia & officia enumerat. *Humilitas*, ait, *his indiciis comprobatur.* Primò, *si homo in se mortificatas habeat omnes voluntates.* Secundò, *si non solùm actuum suorum, verùm etiam cogitationum nihil suum celauerit seniorem.* Tertiò, *si nihil suæ discretioni, sed indicio eius vniuersa committat, ac monita eius sitiens libenter auscultet.* Quartò, *si in omnibus seruet obedientiam, mansuetudinem, & patientiæ constantiam.* Quintò, *si non solùm iniuriam conferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur.* Sextò, *si nihil agat, nihil præsumat, quod non vel communis regula, vel maiorum exhortentur exempla.* Septimò, *si omni vilitate contentus sit, & ad omnia se, quæ sibi præbetur, velut operarium malum, iudicarit indignum.* Octauò, *si semetipsum cunctis inferiorem non superficie pronunciet labiorum, sed intimo cordis credat affectu.* Nonò, *si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce.* Decimò, *si non sit facilis ac promptus in risu.*

S. Anselmus verò lib. de Simil. c. 10. humilitatem ponit in sui contemptu, cuius septem gradus ita describit. Primus, inquit, *est contemptibilem se esse cognoscere*; Secundus, *de hoc dolere*; Tertius, *hoc confiteri*; Quartus, *hoc aliis persuadere loco & tempore*; Quintus, *patienter sustinere dum id ab aliis dicitur*; Sextus, *æquo animo ferre se contemptibiliter tractari.* Septimus, *hoc ipsum gratũ habere, appetere & amare.* Ex horum contrariis facile est assignare gradus superbiæ, iisque assignandi sunt retrogrado ordine: sicut enim bonum procedit construendo, ita malum destruendo; id autem quod in constructione est vltimum, in destructione est primũ: v.g. in domo construenda proceditur à fundamento ad culmen; in destruenda à culmine ad fundamentum.

Gradus superbiæ.

Primus ergo gradus superbiæ est, refugere & odisse sui cõtemptum, qui opponitur vltimo gradui humilitatis. Secũdus est, indignè ferre sui contemptum, qui opponitur sexto gradui humilitatis & ita deinceps retrocedendo. Vide & duodecim gradus humilitatis apud S. Benedictum in regula c. 7. qui etiam recensentur apud S. Bernardum appendice 2. pag. 103.

Audi & Climachum gradu 25. cuius titulus est, *De victrice passionum omnium altissima humilitate*: vbi Primò, humilitatem ex variis Patrum sententiis sita describit: Humilitatem alius dicebat esse rectè factorum intentissimam obliuionem. Alius, extremum se omnium magisque peccatis obnoxium putare. Alius, suam imbecillitatem agnoscere. Alius, in iritationibus anticipare proximum, primumque iracundiam soluere. Alius gratiæ Dei & misericordiæ agnitionem. Alius rursum, contriti animi sensum, & voluntatis propriæ abnegationem. Ego verò eam ineffabilem diuitiarum Dei thesaurum esse dico.

Fons virtutum ex variis.

Secundò, proprietates eius ita assignat. Prima & præcipua est, ignominiæ suauissima & iucundissima perpessio, quam anima, vt morbos suos & peccata maxima sedet atque consumat, superis manibus exspectat & complectitur. Secundò, est omnis iracundiæ victoria. Tertiò, vt bonis suis numquam aliquis infideliter credat, iugiterque addiscere desideret. Quartò, sicubi hypocrisis apparet, detractio, vel alius serpens occultus, humilitas statim eum ex cordis cauernis in lucem adducit, & occidit. Denique humilis non increpat, non iudicat, non appetit dominari, est mitis, placidus, ad compunctionem facilis, misericors, super omnia autem tranquillus, serenus, obtemperans, fræni patiens, hilaris, vigil, impiger, placida animi tranquillitate beatus.

Fructus.

Tertiò, humilitatis commoda, merita & præmia ita recensel. Primò, humilitas est protectio

Humilitatis commoda.

dilectæ,

dam, ex qua fit vt rectè facta nostra non videa- A
mur. Secundò, humilitas est vilitatis abyssus, fu-
gies omnibus inuiolabilis. Tertiò, humilitas est
munitissima fortitudinis à facie inimici. Quartò, humilis
mens est vallis inter medium montium sita, sine
arrogantia semper atque immobilis permanens,
nouissimóque frugum parens. Quintò, si quem in-
tra paucos annos altissimam videas acquisiuisse
tranquillitatem, noli hunc existimare aliam quàm
hanc beatam celeremque viam iniisse. Sextò, su-
perbia ex angelis dæmones fecit: humilitas ex
dæmonibus angelos facit.

Quartò, media humilitatem acquirendi hæc
suggerit. Primò, considerare peccata præterita, Se-
cundò, perpendere passionem & humiliationem
Christi. Tertiò, intueri suos quotidianos defectus, B
cogitationes, morbos & lapsus.

Quintò, hos eius actus & quasi gradus ita pro-
phetæ enumerat. Primò, suam voluntatem alteri
subijcere. qui enim mente est humili, voluntatem
suam vt deceptricem detestatur, Deique & Dei
vicariorum voluntati promptè obtemperat, secq;
De curæ fidelissimæ committit, qui per asinam
quoque Balaam docuit & direxit. Secundò, sui
prudentiam, & loquacitatem relegare. Tertiò,
paupertatem colere, & mendicorum vita viuere.
Quartò, nobilitatem, sapientiam, virtutes & dotes
suas occultare. Quintò, sicut summa superbia est
virtutes quæ non adsunt, simulare: ita summa hu-
militas est, culpas quæ nõ insunt, cõfingere. Sextò,
honores & laudes constanter fugere. Hæc omnia
S. Climachus penè ad verbum. Ita S. Hilarion, te-
ste S. Hieronymo, honorem fugiens & importu- C
nitatem, silentium desiderabat & vitam ignobi-
lem: eóque vagus huc illuc semper fugit; vbique
tamen eius sanctitas prodebatur per miracula, &
per energumenos.

SED HVMILIBVS CONSENTIENTES] q.d. Humilis
conditionis hominibus (ita Syrus & Chrysost.)
vos accommodantes, condescendentes & obse-
quentes; non autem eos aspernates. Græcè, τοῖς
ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. q.d. Impetu quodam si-
mul abrepti & abducti cum humilibus, id est, vili-
bus & abiectis. hi enim sunt ταπεινοί. Vnde Ter-
tull. lib. 5. contra Marcion. c. 14. legit, *Humilibus
consentientes.*

Secundò, potest τὸ ταπεινοῖς esse neutrum, & D
opponi altis. q.d. Vilia ambite, non alta, fugite ho-
nores, fugite diuitum & nobilium commercia,
ambite abiectionem, paupertatem, atque plebeio-
rum & pauperum consortia.

NOLITE ESSE PRVDENTES APVD VOSMETIPSOS] Primò, Origenes sic explicat, Ne putetis vos esse
prudentes.

Secundò, Ambrosius, q.d. Prudentiam vestram
non vestros tantùm, sed in aliorum quoque vti-
litatem vertite.

Tertiò, S. Basil. in regulis breuior. resp. 260. q.d.
Ne humanæ prudentiæ innitamini, sed diuinæ.

Quartò, & planè S. Chrysost. & Theodor. q.d.
Ne putetis vestra consilia vobis sufficere, quasi a-
lterius consilio non egeatis, ne nimium vestræ
prudentiæ & iudicio tribuatis.

APVD VOSMETIPSOS] id est, in opinione vestra,
in oculis vestris.

PROVIDENTES BONA NON TANTVM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM OMNIBVS HOMINIBVS] Respicit
Paulus ad Prouerb. c. 3. v. 4. iuxta LXX. qui ita ha-
bet: Προνοῦ καλὰ ἐνώπιον κυρίου, καὶ ἀνθρώπων. *Prouide
bona coram Domino & hominibus*: licet hîc apud
Paulum in Græco excciderit τοῦ *coram Domino*. q.d.
Ita honestè, amicè, iustè & sanctè viuite, vt vita
vestra & conuersatio bona & amicabilis non tan-
tùm Deo, sed & hominibus probetur, nec à quo-
quam iure culpari possit, sed cæteris in exemplum
virtutis luceat & præfulgeat. *Deo debemus*, ait S.
Bernardus, *conscientiam, proximo famam.*

Secundò, Græci iungunt hoc cum eo quod præ-
cessit: *Nulli malum pro malo reddentes*, q.d. Paulus,
Non sufficit vobis malum pro malo non reddere,
sed oportet vt bona quoque prouideatis, id est,
benefaciatis omnibus, etiam inimicis. Verùm hic
sensus arctior est. Succulentè S. Bernard. serm. de
triplici iudicio: *Tribus*, inquit, *modis prouidemus bona
coram hominibus, id est habitu, actione, sermone. Habi-
tu, ne sit notabilis: actione, ne sit reprehensibilis: sermone,
ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo,
cogitatione, affectione & intentione. Nam & cogitatio
debet esse sancta: vnde scriptum est, Cogitatio sancta ser-
uabit te: & affectio pura, & intentio recta.*

Conuersatio sit probabilis.

Deo debemus conscientiam, proximo famam.

NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES CHARISSIMI] Pro *defendentes*, græcè est ἐκδικοῦντες, id est vindi-
cantes. ita S. Chrysost. vnde & Tertull. legit: *Non
vosmetipsos vlciscentes.* ita quoque Syrus & alij. Sic
etiam alibi Noster interpres vertit, vt Iudith 1. 12.
& c. 2. v. 1. Sic Nonius Marcellus ex Ennio: *Serua*,
inquit, *ciues, defende* (id est vindica, vlciscere) *hostes.*
Et Virgilius: *Solstitium pecori defendite.* Et Tertull.
lib. 2. contra Marcion. pro eo quod nos habemus:
Mihi vindicta, & ego retribuam, legit, *Mihi defensa, &
ego defendam.* & Gellius lib. 1. c. 9. *Defendere* inquit,
idem est quod depellere. Vnde patet tempore Nostri
interpretis *defendere* vsitatum fuisse pro vindicare.
Hinc S. Cyprian. libr. de Patientia: *Nec defendi*, ait,
ante Dominum serui irreligiosa festinatione properemus; defendi, id est vindicari.

VERS. 19.

Defendere pro vindicare aut depellere.

Verat ergo Paulus hîc vindictam, & vltionis
appetitum: contra quem egregia documenta &
pharmaca assignat Tertul. l. de Patient. c. 9. & 10.

Locus mor. contra vindictam ex Tertull.

Hæc, inquit, *vlciscendi libido negotium curat aut
gloriæ, aut malitiæ: sed gloria vbique vana est; & ma-
litia Domino odiosa. hoc quidem loco maximè: quia
malum duplicat, quod semel factum est. Quid enim refert
inter prouocantem & prouocatum, nisi quòd ille prior in
maleficio deprehenditur, iste posterior?* I.

*Vterque lasi Domini reus est, qui omnem nequam
prohibet & damnat, quiq; præcipit malum malo non re-
pendendum.* II.

*Quem honorem litabimus Domino, si nobis arbitrium
defensionis* (id est vltionis) *arrogauerimus?* III.

*Quid credimus iudicem illum, si non & vltorem? Hoc
se nobis repromittit dicens: Vindictam mihi, & ego vin-
dicabo; id est, patientiam mihi, & ego patientiam re-
munerabo.* IV.

*Qui vindicat se, honorem vnici iudicis, id est Dei,
abstulit.* V.

*Post vindictam sequitur pœnitentia, fuga, & reatus,
vt pari modo plectamur.* VI.

*Nihil impatientia suscepturn, sine impetu transigi
nouit: quidquid impetu actum est, aut offendit, aut cor-
ruit, aut præceps abiit.* VII.

Si leuiùs defendaris, insanies: si vberiùs, oneraberis. VIII.

*Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non pos-
sum per impatientiam doloris?* IX.

*Si patientiæ incubabo, non dolebo: si non dolebo, vl-
ciscinon desiderabo.* X.

Quid sit dare locum iræ.

SED DATE LOCVM IRÆ]supple diuinæ, ait Chrysost. Theodor. Oecumen. & S. August. in psal. 78. q.d. Relinquite Deo vindictam vestræ iniuriæ. Huic expositioni nonnihil fauent sequentia.

Prima expositio.

Secunda.

Secundò, Ambros. & Anselm. *Da locum iræ*, id est, inquiunt, fuge, tace, cede irato & furenti: &, vt Origenes ait, fer patienter iratum fratrem, nihil contradicendo aut faciendo: sic enim ira eius subsidet; illumque æquè ac te sibi & paci restitues.

Tertia.

Tertiò & perfectiùs, S. Basilius in regulis breuiorib. resp. 244 & ex eo Toletus sic explicant: *Da locum iræ*, donec scilicet ira compleatur, itaq; cesset; vt si iratus dextram tuam maxillam feriat, porrigas ei & sinistram potiùs, quàm vindices te. *Da*, inquit Basilius, *locum iræ quasi torrenti, qui obuia quæque impetu suo rapidissimo deuoluit.* Sic ferè S. Athanasius ad Antiochum qu. 129. *Da locum iræ*, inquit, hoc est, da veniam iræ, iram & iniuriam tibi illatam condona.

Quarta & perfectissima.

Quartò & perfectissimè, Abbas Ioseph. apud Cassianum collat. 16. c. 27. *Date locum iræ, Hoc est*, inquit, *non sint corda sic impatientiæ & pusillanimitatis angustiis coarctata, vt violentam commotionis procellam, cùm irruerit, sustinere non possint: sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersos iracundiæ fluctus in illis extensis sinibus charitatis, quæ omnia suffert, omnia sustinet. Et ita mens vestra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus* (Nota) *in quibus receptus quodammodo, atque diffusus teterrimus iracundiæ fumus protinus euanescat.* Date ergo locum iræ, id est, excipite iracunda verba & verbera in sinibus cordis, patientiæ & charitatis vestræ; ibique ea extinguite & obruite charitate. Sic etiam Liuius dixit lib. 1. Decad 1. *Date spatium iræ.*

Solet enim Paulus ad perfectiora gradatim assurgere. Verùm secundus sensus simplicior est & genuinus.

Hoc Apostoli malagma, imò philtrum suis Constantinopolitis Catholicis inculcauit S. Greg. Nazianzenus: dum enim ipsi ab Arrianis sub Valente Arriano Imper. vexati & oppressi, eo mortuo sub Theodosio Orthodoxo Imp. par pari eis reddere, eosque paribus molestiis afficere cogitarent, hæc ad eos dixit Nazianzenus: *Non hæc, mi grex, à nobis poscit Christus; neque sic Euangelium nos docet. Hæc mea sit vltio, vt qui nos affecerunt iniuriis, salutem consequantur. Præstate illis beneficia qui vos odio prosequuntur. Quòd si animus vehementer exæstuat, neque coërceri se ira patitur; quod ab hoc alterum est præstate, vt hæc Christo permittatis, ac futuro tribunali reseruetis. Mea enim est vltio, ego rependam, ait Dominus.* His dictis populum placauit, & in suam sententiam pertraxit. Neque segniùs re ipsa præstitit quod suos verbo docuit. Cùm enim in Concilio Constantinop. simultates quorundam Episcoporum & dissidia essent exorta, eò quòd Nazianzenus ipsis inconsultis ab aliis esset cõsecratus Episcopus Constãtinopolitanus, loco suo & gradu spõte cessit, atq; ita eos allocutus est: *Suppliciter vos per Trinitatem ipsam oro, vt inter vos omnia recte pacificeq; constituatis: quòd si ego dissensionis inter vos causa sum, nequaquam Iona vate venerabilior videri debeo; abiicite me in mare, ac turbarum tempestas hac inter vos sedabitur. Lubens equidem patiar quidquid volueritis, quamquam innocens, vestræ concordiæ causa. Eiicite me solio, ab vrbe pellite, tantùm veritatem & pacem diligite. Valete pastores sacri, meorumq; laborum perpetuò recordamini.* His dictis abiit ad Theodosium Imp. dimissionem petens: *Supplex*, inquit, *oro vt laboribus hisce liberer, sfo finis inuidiæ, pacem colant Antistites, idq; tua opera. Hoc ego munus à te flagito, hoc mihi postremum beneficium largire.* Admiratus virtutem viri Theodosius vix tandem acquieuit, ac Nectarium ei substituì passus est. ita Greg. presbyter in vita Nazianzeni.

SCRIPTVM EST ENIM: MIHI VINDICTA, supple competit, EGO RETRIBVAM, DICIT DOMINVS] Citat Paulus Deuter. 32. 35. vbi habetur לי נקם ושלם *Dies pro tempore oblat.* *li nakam veshallem*, id est, mihi vltio, & retribuere, siue retributio, subaudi competit. Noster interpres vertit, *mea est vltio*, id est, ad me pertinet, mihi debetur vltio. Vatablus vertit, Meum est vlcisci, q.d. Ego Deus sum omnium iustissimus prouisor, iudex & vindex, cuius proprium munus est iniurias vlcisci, & pœnas de iis sumere.

Est occupatio: occurrit enim hîc Paulus obiectioni, q.d. Obiicies mihi, Si me non vlciscar, ergo mea iniuria manebit inulta. Respondeo, nequaquam, quia Deus vlciscetur, idque grauissimè: erit enim non hominis; sed Dei, cuius opera ingentia, magnifica & terrifica sunt, hæc vltio. Ex eo enim quòd Deus sibi hanc vindictam reseruat, colligimus ingentem & terribilem eam fore. Nam, vt hæc verba rursum citans ad Hebræos 10. 31. eaque explicans subiicit Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Non debet ergo homo seipsum vlcisci: quia hoc esset præripere & inuadere officium Dei, de eiusque vindicta diffidere, quæ tanta erit, vt potiùs commiseratione & compassione digni sint, qui cùm nobis leues iniurias irrogant, in manus Dei viuentis & irati incident, in quas horrendum est incidere. Experientur enim non humanam, sed diuinam, Deoque dignam vltionem. Pulchrè & acutè S. Bernardus serm. 3. de Annunciatione: *Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Ita prorsus est. Ipse retribuet, sed si ei vindictam serues. si non tollas ab eo iudicium. si non reddas retribuentibus tibi mala. Faciet iudicium, sed iniuriam patienti: in æquitate iudicabit, sed pro mansuetis terræ.* Et paulò antè: *Alioquin qui patientiam non seruauerit, perdet iustitiam, hoc est vitam perdet, hoc est perdet animam suam.*

Ex hac Mosis & Pauli sententia, Manichæi, Anabaptistæ, Lutherus & Erasmus docent, apud Christianos non licere magistratui bello, aliòve modo vindicare reipublicæ iniurias, & improborum peccata. Sed errant grauissimè: nam vindicta magistratus est vindicta Dei, vt patet cap. sequenti initio. Priuata ergo vindicta hîc tantùm prohibetur, non autem illa quæ fit per iustitiam & potestatem publicam. Nam, vt ait S. August. epist. 5. *Legenda sunt multa etiam cum inuitis, benigna quadam asperitate plectendis, quorum potiùs vtilitati consulendum est quàm voluntati. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.*

SI ESVRIERIT INIMICVS TVVS, CIBA ILLVM] Hæc sententia sumpta est ex c. 25. Prouer. v. 21. Pro *ciba*, græcè est verbum ψωμιζειν, quod emphasim habet, significatq; indulgenter pascere, velut minutatim insipato pane, siue bolos in os ingerere, sicut matres paruulis, aues pullis cibum in os inserunt; aut frustulatim concisum cibum ad comedendum offerre, id quod apud aliquos fit ergà eos, quibus singulariter fauetur in conuiuio.

Scholastica fuerit Iosephi. Euseb. Mor. l. 7. Hist. Eccl. c. 18. f. 72.
Narcissus fuerit testis quietis edit: sed ignis noctu magis excitat. Euseb. l. 6. c. 7. f. 765. Philastrius c. 89. Aug. l. 3. de Gen. l. 12. c. 11. f. 195.

Meminit S. Augustin. libr. 1. de serm. Domini in monte, c. 33. & 34. sex dat gradus patientiæ erga inimicum. Primus est, nolle lædere aliquem; Secundus, si læsus sit, velle tantum lædere quantum læsus est non ampliùs Tertius, minùs velle lædere, quàm læsus sit; Quartus, nolle lædere, licet læsus sit; Quintus, si læsus sit, paratum se exhibere vt amplius lædatur; Sextus, & perfectissimus est, si læso lædenti benefaciat, & subueniat.

HOC ENIM FACIENS, CARBONES IGNIS CONGERES SUPER CAPVT EIVS] Primò, Origen. Chrysost. Theodor. & Eucherius in quæst. noui Testamenti sic explicant, q.d. Si cibes inimicum, hac ratione eum, si persistat nocere, grauioris pœnæ & ignis æterni reum facies. Sed hoc non est ad rem, & hoc intendere esset grauissimum odium. Nisi dicas hoc tantùm ab Apostolo quasi sponte sua euenturam dici, ad consolationem iustorum patientium persecutionem ab impijs; scilicet quòd impij non caderent vindictam Dei, si in malitia persistãt, iis hoc non intendentibus, sed permittentibus.

Vnde Secundò, simpliciter sic aliqui explicant: *Carbones ignis congeres*, id est, rubore suffundes faciem illius, vt tua beneficentia pudefactus, & charitate victus cedat, odiumque in amorem conuertat. Ita noster Gasp. Sanchez in Isaiæ 13. n. 15. *Carbones*, inquit, *ignis congeres super caput eius, id est, faciem eius ardere facies eo sanguine, quem pudor ad malam euocat; non secùs atque si supra caput carbones ignitos, qui faciem inflammarent. Quomodo enim ille non pudefiat, qui videt tam liberalem atque ingenuum animum à se fuisse offensum, à quo pro iniuria adeptus est beneficium?*

Tertiò, idem Isaiæ 35. in fine alium affert sensum, q.d. *Pro iniurijs acceptis beneficia confer in inimicos: tunc enim beneficia erunt instar carbonum, quos congeres in inimicos: quia eo modo excruciantur inimici, cùm videant iniurias, pro quibus ipsi plagas expectabant, beneficijs compensari. Fert autem omnium linguarum vsus, vt quos aut verbis ignominiosè, aut operibus durè & inclementer accipimus, eos vrere dicamus.*

Quartò & genuinè, idem & S. Hieron. ad Hebdom qu. 1. & S. Augustin. serm. 168. de tempore: *Congeres*, inquiunt, *super caput* inimici (eum cibando) *carbones ignis*, id est ignitos, non iræ, sed charitatis & amoris, qui eum inflamment ad redamandum. *Nulla maior*, ait S. Augustin. tract. de Catechiz. rudibus, *est prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando.* nimirum efficacissimum est philtrum, vt alteris amis.

Hosce duos versus mutuatus est Apostolus ex Prou. 25. v. 22. & 23. iuxta Septuag. qui ibi vertũt: τοῦτο γὰρ ποιῶν, ἀνθρακιὰς πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, id est, *hoc enim faciens, carbones ignis congeres*, vel *coacernabis, super caput eius*; cùm hebr. tantùm sit: *quia prunas tu accipis*, vel *incendis* super caput eius. S. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. legit: *carbones vinos superfundes in caput eius.* Significat Sapiens hac phrasi, prunas (id est amorem & beneficia) sic in aceruum magnum congerendas, vt earum vis caput hominis, putà hostis, excedat, totusque homo calefiat à pedibus vsque ad caput. Si enim prunæ tantùm in imo ponantur, non mox totus homo calescit, sed id fiet, si congerantur super caput eius. A capite enim spiritus, motus, sensus & calor in totum corpus deriuatur. q.d. Ciba & pota inimicum, omniaque in eum beneficia congere: ita fiet, vt quasi prunis aceruatim appositis, earum vis caput excedat, ipsumque & ex eo totum hominem calefaciat, faciatque vt inimicus omni inimicitia deposita, & velut beneficiorum igne consumpta, totus accendatur in amorem eius quem priùs oderat. Hanc vincendi ratione etiam in Cicerone laudauit Valer. Maxim. lib. 4. 2. subiiciens: *Speciosiùs aliquanto iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur.* Ita Iansen. in Prou. 25. Adde, potiùs dicit *caput*, quàm manus, vel pedes: quia caput est sedes sensuum, phantasiæ, mentis, & affectus, verbi gratia amoris vel odij: vnde & facies vel serena & blanda, vel austera & torua, mox amorem vel odium capitis & mentis indicat. Frigus ergo odij in mente & capite, beneficijs quasi carbonibus in caput congestis resoluendum, & in calorem amoris commutandum, appositè dicit & monet.

Denique sicut serpens virus habet in capite, ita & hostis ibidem habet odium; vnde Script. caput eius petendum & conterendum docet. Sicut ergo Hercules dicitur hydræ capita resecando, non potuisse eam interimere; quia vno resecto, mox renascebatur aliud; sed ea vstulando & torrendo, confecisse hydram: ita & hydra hæc inimicitiæ tolli nequit gladijs, perimendo inimicos; quia vno cæso, mox alij filij, vel nepotes succedunt, qui suorum necem vlciscantur. Igne ergo charitatis, & carbonibus beneficiorum in caput eorum congestis, vstulanda, suffocanda & comburenda est hæc hydra, hoc frigidum virus inuidiæ & inimicitiæ. Alludit Salomon ad illud patris sui Dauidis psal. 119. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs*, q.d. Contra linguam hostilem & dolosam vnicum remedium est verbum Dei, acutũ vt sagitta, vrens, consumens & desolans hostilitatem & dolum, vt carbo. ita S. Augustin. ibidem, qui & addit, exempla Sanctorum & actus charitatis, esse carbones desolatorios terrenæ & inimicæ cogitationis: & hoc est quod hîc dicit Salomon, & ex eo Paulus.

Tropologicè, carbones ignis sunt vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur. ita S. Augustin. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 16. *Tropolog.*

NOLI VINCI A MALO] *A malo*, scilicet ab iniuria illata, & consequenter à dæmone, qui iniuriam hanc & iniuriantem excitat, vt & suam & tuam pacem, pariter ac conscientiam turbet. Rursum, noli vinci à malo, à tua scilicet impatientia; nemo enim lædituir & vincitur nisi à seipso, ait S. Chrysost. nam, vt ait S. Ambros. lib. 1. Officior cap. 36. *Vindicare se non est actus fortitudinis, sed abiectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat.* Nam si læsus ab aliquo doleas, & impatienter agas, te ille vicit: si hilariter sustineas, si benefacias, tu vicisti. Nempe *idcirco quis te ledit* (ait Tertull. lib. de Patientia) *vt doleas, quia fructus lædentis in dolore tuo lasi est. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui: tunc tu non modò illæsus abibis, sed insuper & aduersarij tui frustratione delectatus, & dolore defensus.* Hucusque Tertull. VERS. 21.

Imò Aristot. libr. 4. Ethicor. c. 3. docet magnanimi esse obliuiscì iniuriarum. *Sicut enim*, inquit, *debilis stomachi est, cibum duriorem non posse concoquere; ita pusillanimi est, verbum duriusculum non posse sustinere.* Hinc de Iulio Cæsare ait Cicero orat. pro Marcello: *Cæsar nihil obliuiscì solet nisi iniurias*, siue hoc *Obliuio iniuriæ est actus magnanimi.* *Cæsar nihil obliuiscì solet nisi iniurias.*

hoc dixerit verè Cæsarem laudando, siue fictè eidem adulando, ait S. August. epist. 5. Quàm longè ab hac virtute æbest vulgus hominum, qui (vti dicere solet b. Thomas Morus) beneficia pulueri, maleficia marmori insculpunt!

SED VINCE IN BONO MALVM] Id est malefacta benefactis supera, malitiam vince bonitate, tum vt per maleficium alterius beneficentia tua sit illustrior atque augustior; tum vt vincas eius improbitatem beneficiis, vt ex improbo probus & bonus fiat, ex hoste amicus. Porrò S. August. in sent. sententia 247. *Non vincit, ait, in bono malum, qui in superficie bonus est, & in alto malus: opere parcens, corde sæuiens; manu mitis, voluntate crudelis.*

Modus heroicus vincendi inimicos est patientia.

Pulchrè de hac victoria disserit hîc in morali S. Chrysost. vbi docet vinci inimicum non talione, sed patientia, contemptu, risu. *In Olympicis*, ait, *certaminibus diabolo consecratis lex est, malefaciendo vincere; in stadio Christi omnino lex est contraria: hic enim non eum, qui percutit, sed qui percutitur, coronari decretum est. Illud demum est diuinæ virtutis, illud cæleste stadium, illud angelorum theatrum. Si mansuetudinem exhiberemus, essemus omnibus insuperabiles, nec vlla ad nos iniuria perueniret. Roga inimicum, an non doleat, an non censeat se victum, cùm vides, cùm contemnis eius iniuriam?* Vide & Senecam in sapiente.

Audi Cleobuli, qui vnus fuit è septem Græciæ Sapientibus, pium æquè ac prudens diligendi præceptum: *Amicum tibi beneficio adiunge, vt te impensiùs amet: inimicum verò sic tractabis, vt eum tibi aliquando amicum speres. Cautio tamen hic adhibenda erit, vt illorum infamiam, horum verò insidias vitemus.*

Illustria exempla mansuetudinis, siue obliuionis iniuriarum. Phocion.

Narrat Ælianus libr. 12. quòd Phocion innocentissimus, & imperator damnatus ad mortem & ad venenum hauriendum, cùm lictor illi poculum obtulisset, rogatus à propinquis, quidnam filio mandaret; responderit: *Mando, inquit, ei vt obliuiscatur potus huius, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo.*

Lycurgus.

Non minùs rarum & mirabile fuit exemplum Lycurgi regis Lacedæmoniorum, qui cùm à ferocе iuuene Alcandro oculo orbatus esset, eumque à populo accepisset in suam potestatem, vt ad libitum eumdem tractaret & plecteret, nihil grauius in iuuenem statuit: imò verò illum optimè instituit, vitia correxit, & ad omnem honestatem efformauit; itaque bonis moribus iam præditum in theatrum ad populum produxit dicens: *En, iuuenem, quem à vobis iniurium & violentum accepi, iam frugi & popularem vobis restituo.* Auctor est Plutarch. in vita Lycurgi & alij.

Pittacus.

Tyrrhæum Pittaci filium Cumis faber occiderat. Cumani homicidam vinctum miserunt ad Pittacum, vt de eo supplicium sumeret: at ille cognita causa, dimisit hominem dicens: *Ignoscentia potior pœnitentia.* sentiens vtilius esse condonare quàm meminisse iniuriæ & vlcisci.

Antigonus.

Antigonus rex dicere solebat, *clementiam plus posse quàm violentiam.*

Darius de clementia cum Alexandro contendit.

Darius rex inuidebat clementiæ Alexandri Magni, & à diis precabatur, *vt aut superare posset clementia Alexandrum, aut si ipse regno spoliaretur, solus Alexander in Persarum regno imperaret.*

Traianus.

Traianus amicis culpantibus quòd nimis clemens esset, ait: *Talis sum Imperator priuatis, quales mihi Imperators priuatos opto.*

Titus.

Titus Imp. Domitianum fratrem insidias molientem non est vltus, sed his verbis admonuit: *Quid opus te paricidio petere, quod me volente obtinuisti? imò quod iam habes, imperij particeps!*

Theodosius.

Theodosius iunior rogatus cur neminem eorum à quibus lædebatur, supplicio afficeret? respondit: *Vtinam mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare!*

Ad priuatas iniurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum, in eos verò qui lædunt Remp. decet esse seuerum.

Augustus.

Augustus Cæsar Cinnæ machinanti sibi necem condonauit, aitque: *Cinna tibi iterum vitam do, priùs hosti, nunc insidiatori ac paricidæ.* eique consulatum obtulit. Vis exitū? Cinnam habuit perpetuò amicissimum, solus illi fuit heres. Sueton. in August.

S. Basilius hom. 11. de patientia, tria trium illustrium sapientū recenset exempla. Primū: Prohibē, inquit, *plebeius quidam assiciebat Periclem, ille verò eū negligebat: & sanè tota die perseuerabant, ille quidem conuiciando, hic verò nihili pendendo. Deinde cùm iam adueſperasceret, & ille præ tenebris vix discederet, cum lumine ipsum Pericles domū deduxit, ne ipsi inquinaret Philosophiæ studium.* Secundum: *Gaudebat quidam Socratem, in ipsam faciem impetu facto: ille verò non obuiam ibat, sed permittebat, vt se temulentus ille vapularet, ita vt iam intumesceret, & præ plagis sanioſa tum facies esset. Vbi autem ille cadere destitisset. Socrates nil aliud fecisse dicitur, quàm quòd enim fronti suæ, veluti statuæ cuiusdam opificem, inscripserit, atque ita vltus est hominem.* Tertium: *Euclidi quidam mortem minatus est, ac iurauit se eum occisurum: at ille contrà iurauit se eum placaturum, ac ne animo in se hostili sit affecturum.*

Egregiè verò Christiana illa virgo sanctitate illustris apud D. Taulerum in instit. c. 31. mortem rogata, quomodo ad tantam sanctitatem peruenisset? respondit, Primò, *Afflictiones meas nulli vnquam Deo quæsta sum, & statim aut consolabar, aut conferabar à Domino.* Secundò, *Corde semper fui liberalissimo, & si quando opere non poteram, animo saltem dabam.* Tertiò, *Iis à quibus læsa fui, beneficium singulare rependi: quod non fecissem, nisi læsa ab eis fuissem.* Ecce hæc est voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, quam à v. 2. huc vsque per singula persequitur, hicque complet & perficit Apostolus.

Excelluit in hac virtute S. P. N. Ignatius, vt cùm compilatorem pecuniæ suæ Rothomagi ægrotantem & ab omnibus desertum, Parisijs aduolans, toto triduo nec comedens nec bibens, adiit, eleëmosynis à se conquisitis iuuit, sanitati restituit, & in Hispaniam cum literis commendatitiis misit. Rursum cùm accusatorem suum in Societatem recepit. Notum est eum Cardinales, alioſque sibi & Societati infensos vna visitatione ita immutasse, vt qui antea impugnatores, iam patroni & nutricij eius essent. Nónne carbones ignis congessit super capita eorum? Denique in formula orandi præscripsit nobis, vt assiduè pro Regibus, Prælatis, benefactoribus, ac præsertim pro inimicis Societatis oraremus.

CAPVT

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A charitate & humilitate transit hic Apostolus ad obedientiam, docetq; octo rationibus (quas colligam v. 1.) Christianos magistratibus sæcularibus debere parere, non solùm propter iram sed etiam propter conscientiam.

Secundò, v. 8. urget rursùm dilectionem proximi, docetq; quòd plenitudo legis sit dilectio.

Tertiò, v. 11. urget fideles, vt splendente luce Euangelij de somno peccatorum surgant, vtq; fugientes gulam, libidinem, ambitionem, induantur Dominum Iesum Christum. Quare Apostolus prima parte capitis, videtur hominem rectè componere per obedientiam erga superiores: in secunda parte, per charitatem erga æquales & inferiores: in tertia, per temperantiam, continentiam, & modestiam erga seipsum.

1. OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: 3. nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa: 4. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. 5. Ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. 7. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. 8. Nemini quidquam debeatis: nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implet. 9. Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instaurat: Diliges proximum tuum sicut teipsum. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11. Et hoc scientes tempus: quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. 13. Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: 14. sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

OMNIS ANIMA (omnis homo) POTESTATIBVS SVBLIMIORIBVS, id est principibus & magistratibus, qui potestate regendi & imperandi sunt præditi; ponitur enim abstractum pro concreto, *potestatibus*, hoc est, potestate præditis, SVBDITA SIT] scilicet iis in rebus, in quibus potestas illa sublimior & superior est, habetque ius & iurisdictionem, putà in temporalibus, subdita sit regi & potestati ciuili. quod propriè hîc intendit Apostolus, per potestatem enim, ciuilem intelligit, in spiritualibus verò subdita sit Prælatis, Episcopis & Pontifici.

A

Nota. Pro *potestatibus sublimioribus*, græcè est ὑπερεχούσαις, potestatibus supereminentibus, vel præcellentibus, vti Noster vertit 1. Petri 2. *Siue regi quasi præcellenti.* Syrus vertit, Potestatibus dignitate præditis, id est magistratibus sæcularibus, qui potestate regendi præditi sunt, siue duces, siue gubernatores, siue Consules, Præsides, &c.

B

Sæculares enim magistratus hîc intelligere Apostolum patet, quia his soluuntur tributa & vectigalia, quæ hisce potestatibus solui iubet ipse v. 7. vti S. Basilius de Constitut. monast. c. 23.

Nota, ex Clemente Alexandrino libr. 4. Stromatum & S. Augustino in psal. 118. conc. 31. Iudæos ante excidium Ierusalem, quod Christus prædixerat, non fuisse subditos Romanis, sed Romanos Iudæis, quia Iudæi nondum rebellauerant, sed tributa Romanis soluebant, vt Christus docuerat, Matth. 17. Reges terræ à quibus accipiunt tributa? à filiis suis, an à peregrinis? Dixit illi Petrus: à peregrinis. Ergo liberi sunt filii. Quia verò Iudæi, Christo & Apostolis non credentes, rebellarunt, ideò à Romanis capti & seruituti subacti sunt, vt Christus prædixerat, Luc. 19. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Hæc Clemens. Augustinus verò ait, Iudæos ante excidium Ierusalem, non fuisse subditos Romanis, quia nondum rebellauerant, sed tributa soluebant, vt Christus docuerat. Quod si Iudæi ante excidium Ierusalem, non fuerunt subditi Romanis, sed Romani Iudæis, quia nondum rebellauerant, sed tributa

Octo argumentis confirmatur obedientia principibus debita.

Quare octo argumentis probat hîc Apostolus, principibus & magistratibus deberi obedientiam.

Primum est, hoc versu. Quia hæc est ordinatio Dei & præceptum diuinum.

I. Secundum, versu 4. Quia ministri sunt Dei,

II. Dei vices gerunt: iis ergo quasi Dei vicariis reuerentia & obedientia præstanda est.

III. Tertium, versu eod. Quia gladium portant, vt inobedientes plectant.

IV. Quartum, versu 5. Quia eis parendum est propter conscientiam: hæc enim peccati fiet rea, si inobediens eis sis.

V. Quintum, versu 2. Quia Deus iis, qui eis resistunt, minatur damnationem. S. Augustin. in illud psalmi 118. *A verbis tuis formidauit cor meum, Habuerunt*, ait, *principes sua verba, Occido, proscribo, in exilium mitto. Sed hæc non possunt comparari huic: Hic potest corpus & animam mittere in gehennam; ob id à verbis tuis formidauit cor meum.* Iam verbum & præceptum Dei est, vt subpœna damnationis obediamus magistratibus, etiam sæcularibus.

VI. Sextum, versu 6. Quia hanc subiectionem & obedientiam indicant tributa, quæ subditi pendunt magistratibus: his enim tributis testantur & profitentur se eis esse subiectos.

VII. Septimum, versu 8. Quia charitas Christiana hoc exigit, nimirum, vt omnes, quemque pro suo gradu & modo diligamus; pares vt pares amando; superiores vt superiores reuerendo, eisque obediendo.

VIII. Octauum, v. 13 & 14. Quia lex Christiana arcta est, vetat comessationes & libidines, præcipit omnem disciplinam & sanctimoniam, vt induamur Dominum Iesum Christum. Multò ergo magis præcipit obedire magistratui & legi ciuili; quæ ciuilem honestatem tantùm, & communem Reip. pacem & concordiam spectat. Hanc enim tuendam esse, ideoque magistratibus obediendũ esse, dictat lex naturæ & ius Gentium.

His rationibus probat Apostolus Euangelium, & christianissimum regna & magistratus non euertere, sed firmare & stabilire: quia nil regna & principes ita confirmat, ac subditorum bona, Christiana & sancta vita. Adeò, vt etiam nunc principes Iapones & Indi Gentiles ament Christianos, & suis copiam faciam baptismi & christianismi suscipiendi; quia subditos Christianos, magis quàm Ethnicos, faciles & obsequentes, regnaque sua per eos magis firmari, pacari & florere experiuntur.

Christiani subditi regum, etiam Ethnicorũ, robur sunt.

NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO] q̃d. Principatus & magistratus non à diabolo, nec à solo homine, sed à Deo eiusque diuina ordinatione & dispositione conditi & instituti sunt: eis ergo obediendum est.

Potestas secularis est à Deo mediatè, Ecclesiastica immediatè.

Nota Primò. Potestas sæcularis est à Deo mediatè; quia natura & recta ratio, quæ à Deo est, dictat, & hominibus persuasit præficere Reip. magistratus, à quibus regantur. Potestas verò Ecclesiastica immediatè est à Deo instituta; quia Christus ipse Petrum & Apostolos Ecclesiæ præfecit.

Neroni obedientiam debebant Christiani.

Nota Secundò. Nero, Diocletianus, Domitianus, aliique similes, qui legitimè creati sunt Imperatores, licèt tyrannicè imperarint, tyranni tamen non fuerunt, sed veri Imperatores, ideoque potestatem à Deo acceperunt, cui proinde omnes, etiam Christiani, in conscientia parere debebant: quamquam ipsi hac potestate contra Christianos, eos persequendo & occidendo, abusi sunt.

Pulchrè S. Augustl. lib. 5. de Ciuit. c. 21. *Non tribuamus*, inquit, *dandi regni atque imperij potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis, regnum verò terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet.* Et infrà: *Qui dedit*, inquit, *Mario, ipse & Cæsari; qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasiano vel patri vel filio suauissimo Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit; qui Constantino Christiano, ipse Apostata Iuliano.*

QVÆ AVTEM SVNT, A DEO ORDINATÆ SVNT] Ita legunt Biblia Romana, Græca & Syrus. Græcè ergo τὸ ὑπὸ θεοῦ ponitur pro ὑπὸ θεῶν. Dicitque Apostolus hîc Primò, quòd potestates etiam Gentilium, quæ sunt & existunt, à Deo institutæ & ordinatæ sint, ad hoc scilicet, vt homines à multis peccatis retraherent, & vt omnes iustitiam pacemque colerent, nec se more piscium deuorarent. Secundò, asserit hasce potestates earum ataxia, & esse apto ordine inter se distributas, & subordinatas à Deo, vel sub Deo: vtrumque enim significat Græcum ὑπὸ θεοῦ. Tertiò, affirmat hunc earum ordinem non tantùm institutum, sed & præceptum sanctumque esse à Deo; ita vt illi resistere aut contraire non liceat. Græcum enim τεταγμένοι, id est ordinatæ, constitutæ, decretæ, non tantùm ordinem, sed & constitutionem, decretum, & præceptum, illudque stabile & firmum significat.

Hæ ergo potestates non sunt ordinatæ eo modo, quo condita & ordinata à Deo sunt natura & ordines rerum naturalium, v. g. appetitus & societates leonum, luporum, vrsorum, cum quibus hominibus sæpè bellandum est: sed eo modo, quo leges & sanctiones ordinatæ sunt, quibus resistere non licet. Est enim magistratus lex quædam viua & sancta; sicut è conuerso lex est magistratus quidam silens & mutus. Aut eo modo, quo dux ordinat suos milites. hic enim non simplicem eis ordinem ponit, sed cuique suum locum & munus iniungit, in quo firmus ad mortem vsque consistere debet, à quo nemo nisi hostis eum depellere audeat. Pari enim modo Deus potestates has ordinans & subordinans, cuique suum munus iniungit, cui nemo, nisi hostis Dei haberi velit, resistere audeat; ita vt earum τάξις & ordo sit ἀγαθοταξία, id est ordinatio, constitutio & sanctio quædam firma & inuiolabilis, cui omnes auscultare & obedire debeant. Vnde idipsum explicans Apostolus subdit:

QVI AVTEM RESISTVNT, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQVIRVNT] *Damnationem*, tum ab ipsa potestate temporariam, tum à Deo æternam in inferno. ita S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Hinc patet mortale esse peccatum resistere potestati ciuili. ita S. Augustl. epist. 50. Ambros. Bernard. lib. de Præcept. & dispensatione.

NAM PRINCIPES NON SVNT TIMORI, οὐκ ἐισὶ φόβος, non sunt timor & error; BONI OPERIS, SED MALI] Loquitur Paulus de timore supplicij, non reuerentiæ, quem vulgus metum reuerentialem vocat. Hunc enim habent boni, non mali.

VIS NON TIMERE POTESTATEM? BONVM FAC, ET HABEBIS LAVDEM EX ILLA] Tum quia

quàm pœnã malorum quam facit magistratus, A laudi bonorum; tum quia idem magistratus bonos laudat & præmiat. Vnde sequitur,

DEI MINISTER EST TIBI IN BONVM] vt ad bona lege, laude & præmiis te prouocet, & aduersus impios & violentos te tueatur.

SI MALVM FECERIS, TIME: NON ENIM SINE CAVSA GLADIVM PORTAT] *Gladius* enim significat Magistratum habere potestatem vitæ & necis. Hac de causa iis qui habent merum imperium gladius nudus præfertur: & Romani Consules lictores cum fascibus virgarum & securibus ante se ducebant.

DEI ENIM MINISTER EST: VINDEX IN IRAM] Subaudi ad iram, hoc est supplicium sumendum de malefactoribus. Ad hoc enim institutus est magistratus, vt pacem publicam conseruet, & vitæ communis honestatem & societatem tueatur; ideoque B in eos qui eam perturbant, plectit. Metonymicè hîc ira significat pœnam: quia pœna est effectus iræ & vindictæ.

IDEO NECESSITATE (aliqui legunt, Necessitati) SVBDITI ESTOTE] q.d. Ideo necesse est, ideo oportet vos subdi potestati, ita Syrus & Græci. Scilicet tum propter iram, vindictam, & gladium, quem gerit & minatur; tum propter obligationem & ordinationem diuinam, quæ etiam conscientiam ad hanc subiectionem obstringit: vnde sequitur,

NON SOLVM PROPTER IRAM, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM] *Conscientiam* non aliorum, quos scandalo offendis, vti aliqui recentiores explicant; non etiam propter conscientiam beneficiorum, quæ à magistratibus pacem communem C tuentibus recipis, & ob quæ tributa præstas, vt exponunt Græci: sed propriè propter tuam conscientiam, ne scilicet ea fiat rea inobedientiæ coram Deo: Dei enim minister est magistratus, vt præcessit. Vnde conscientia dictat, ei quasi Dei ministro obediendum esse, & consequenter in Deum peccare illum, qui ei non obedit.

Nota ex hoc loco contra Gersonem, leges Ecclesiasticas; & contra Almainum, leges ciuiles, etiam Gentilium, impiorum & infidelium principum, secluso quoque scandalo, obligare in conscientia, sub peccato mortali; si res grauis graui obligatione, vel interminatione præcipiatur ab ea. Apostolus enim loquitur de legibus Impp. Romanorum, qui tum erant infideles.

IDEO ENIM ET TRIBVTA PRÆSTATIS] Est nouum D argumentum à signo, quo probat Paulus magistratibus esse obediendum. q.d. Tributum, quod vos, ô fideles, datis & præstatis regibus & principibus, signum est tum vestræ subiectionis, tum illorum potestatis, ministerij, oneris, peruigiliisque laboris.

MINISTRI DEI SVNT, IN HOC IPSVM SERVIENTES] toti scilicet in hoc ipsum incumbentes. Græcum enim προσκαρτεροῦντες, quod S. Augustl. lib. 4. de Doctrina Christiana c. 29. vertit, *perseuerantes*, significat continuam, diligentem & intensam curam, vt Dei loco bonis sint in tutelam, malis in vltionem, vtque sibi subditos à malis retrahant, & ad virtutes promoueant.

Notent hîc principes, tributis quasi mercede sibi, & conduci à Republ. vt illi seruiant, illamque defendant.

REDDITE OMNIBVS DEBITA: CVI TRIBVTVM debetis, TRIBVTVM reddite; CVI VECTIGAL debetis, VECTIGAL reddite] *Tributum*, græcè φόρος, est tributum, vel census facultatum & personarum. Vnde & latinè *tributum* dicitur à tribuendo, vel contribuendo. *Vectigal*, græcè τέλος, est id quod pro mercibus importatis, vel exportatis penditur. ita ex Strabone Budæus. Vnde latinè *vectigal* à vehendo dicitur: quia soluitur ex his quæ aduehuntur, vel euehuntur, ad securitatem & restaurationem viarum, pontium, aggerum, &c. *Quid tributum.* *Quid vectigal.*

CVI TIMOREM debetis, illi reddite TIMOREM] id est reuerentiam, & inde consequentem obedientiam. ita S. Chrysost. & Theophyl. Est metalepsis. Sic alibi sæpè dicitur: *Timete Dominum*, id est reueremini Dominum.

NEMINI QVIDQVAM DEBEATIS: NISI VT INVICEM DILIGATIS] q.d. Maturè debita vestra exsoluite, statim debitis omnibus vos liberate, excepto debito charitatis, quo numquam exsolui potestis, tum erga pares, tum erga superiores & parentes, quos diligere semper debetis, eos honorando & obediendo. Hoc enim debitum semper manet, vt numquam illi ita soluendo sitis, quin semper vlteriùs debitum restet. ita S. Chrysost. August. & Fulgent. serm. de charitate. Audi S. August. epist. 62. ad Cælestinum: *Semper*, inquit, *debeo charitatem, quæ sola etiam reddita detinet debitorem.* Et rursum: *Mutuam charitatem libens reddo, gaudensq; recipio: quam recipio, adhuc repeto: quam reddo, adhuc debeo.* Nihil ergo hîc habent Anabaptistæ & Trinitarij, vt ex hoc loco apud Christianos aboleant magistratus, & iudices ac iudicia, quibus ciuilia iustitiæ debita repetantur. Charitas enim, & debitum charitatis dictat, ante omnia soluendum esse debitum iustitiæ, si quod sit, vti iam explicui: nam alioqui hic versiculus euerteret omnes versus præcedentes, quibus ciuilem potestatem, iudices & iudicia sanxit & confirmauit Apostolus. VERS. 8. *Debitum charitatis perpetuum est, & insolubile.* *Anabaptistarum & Trinitariorum error exploditur.*

QVI ENIM DILIGIT PROXIMVM, LEGEM IMPLEVIT] *Legem*, scilicet eam quæ proximum spectat, quam subdit Apostolus, dicens: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*

Nota. Pro *proximum* hîc græcè est τὸ ἕτερον, id est alterum. Lege ergo charitatis diligendus est omnis alter homo, siue amicus sit, siue inimicus; siue domesticus, siue peregrinus; siue fidelis, siue infidelis. Id ita esse patet ex eo, quòd rem cuiusuis barbari & Pagani furari, occidere, concupiscere sit contra legem charitatis secundæ tabulæ, quæ proximum & hominum socialem vitam spectat. Hunc genuinum esse huius loci sensum patet ex ratione quam subiicit Apostolus, dum ait: *Quis proximus.*

NAM: NON ADVLTERABIS, NON OCCIDES, NON FVRABERIS, NON FALSVM TESTIMONIVM DICES, NON CONCVPISCES: ET SI QVOD EST ALIVD MANDATVM, IN HOC VERBO INSTAVRATVR: DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TEIPSVM] Vides, vt hîc recenseat tantùm præcepta secundæ tabulæ, quæ proximum spectant, illaque omnia in vno dilectionis proximi præcepto cõcludi asseueret. Cùm ergo exinde inferendum relinquit, quòd *qui diligit proximum, legem impleuit*; non dubium est ipsum eamdem legem, nimirum secundæ tabulæ tantùm, quæ proximum spectat intelligere: de eadem enim lege loquitur in consequente, de qua locutus est in antecedente. VERS. 9.

Secundò tamen S. August. lib. 8. de Trinit. c. 8.

sic

sic explicat: *Qui diligit proximum, legem implevit*; legem, scilicet omnem, tam primæ, quàm secundæ tabulæ. Et ratio est, quia dilectio proximi includit & præsupponit dilectionem Dei, vt sui causam & fontem. Proximus enim diligendus est propter Deum: proximus ergo vera charitate diligi nequit, nisi simul, immò priùs, diligatur Deus. Vnde S. Ioannes senex per singulas collectas hoc solùm prædicabat, *Filioli diligite inuicem*: rogatus causam respondit, *Quia præceptum Domini est: & si solùm hoc fiat, sufficit.* Testis est S. Hieron. in cap. 6. epist. ad Galat.

Omnem legem implet qui proximũ diligit.

Pulchra circuli & centri similitudine idipsum declarat B. Dorotheus to. 3. Biblioth. SS. Patrum doctrina 6. in fine: Circulus, inquit, est mundus, centrum est Deus, lineæ à circumferentia ad centrum ductæ significant hominis varias affectiones, actiones & amores. sicut ergo lineæ, quo magis à circumferentia distant, magisque accedunt ad centrum eo sibi inuicem magis appropinquãt, adeoque tandem in centro coëunt: ita amor noster, quo magis à carne & mundo auellitur, magisq; ad Deum accedit, eo magis & ad proximum accedit, tandemque in Deo ipso coit & vnitur. *Quo enim magis, inquit, à Dei dilectione recedimus, eo magis & à proximi amore distamus: quantum verò Dei charitati adhæremus, tantum & proximi, quantumq; proximo, tantum & Deo coniungimur.*

Charitatẽ proximi inuoluere charitatem Dei, pulchra similitudine circuli & centri ostenditur.

Præclarè quoque S. Augustinus tract. 7. in epist. 1. S. Ioannis: *Semel, inquit, breue præceptum tibi præcipitur: Dilige, & fac quod vis: siue taceas, dilectione taceas: siue clames, dilectione clames: siue emendes, dilectione emendes: siue parcas, dilectione parcas. radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere.* Idem libr. 1. de Doctrina Christ. c. 22. *Cùm autem ait, Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, quasi aliare velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens sicut seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum duci extra se patitur, cuius deriuatione minuatur.*

Dilige, & fac quod vis.

ET SI QVOD EST ALIVD MANDATVM] *Aliud*, videlicet secundæ tabulæ tangens proximum: omittit enim hîc Paulus primum mandatum secundæ tabulæ, scilicet, *Honora patrem & matrem*: idque facit, quia de honore parentibus, putà Superioribus, quos vt parentes colere debemus, debito, hactenus tractauit.

IN HOC VERBO INSTAVRATVR] S. Augustin. epist. 29. legit *recapitulatur*, id est, summatim comprehenditur. hoc enim est Græcum ἀνακεφαλαιοῦται, ad caput, ad summam, ad compendium reuocatur. Et hoc fortè voluit Ambros. vertens, *consummatur*: idem intelligit Noster interpres, dum vertit, *instauratur*. Sic enim Ephes. 1. v. 10. idem verbum Græcum vertit, dicitque omnia instaurari in Christo, tam ea quæ in cælis, quàm quæ in terris sunt: quia nimirum omnia hæc ad Christum, quasi ad caput suum reuocata sunt. Quamquam Salmeron putat Nostrum interpretem hîc in Græco legisse ἀνακαινοῦται, id est instauratur, renouatur. *Meritò*, inquit Tertull. lib. 5. contra Marcion. c. 4. *totam Creatoris disciplinam principali præcepto eius concluſit: Diliges proximum tamquam te.*

A DILIGES PROXIMVM TVVM SICVT TEIPSVM] Citat Apostolus Leuit. 19. 18. vbi habetur: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*: ex quo loco Iudæi contrario sensu colligebant, & inferebant, Ergo inimici odio habendi sunt, vti refert Christus Matth. 5. 43. Verùm illa collectio omnino est inualida. Nec enim consequentia valet, nec antecedens est verum, prout ipsi intelligebant. Nam amicus non significat hîc beneuolum nobis, sed omnem proximum. Id patet ex LXX. qui τὸν πλησίον, id est proximum, vertunt: & ex Chaldæo qui vertit חַבְרָךְ *chabrach*, id est, socium tuum: sic & Hebræum רֵעַ *rea*, non tantùm amicum proprie dictum significat, sed & per metaphoram Hebræis vsitatam, transfertur ad eum qui nobiscum quouis ratione coniunctus est, siue quicum nobis B quidpiam intercedit negotij. Talis autem est omnis homo: nam vt minimùm omnis homo cuiuis alteri communi creatione & similitudine Dei amicus & coniunctus est; vti & communi exemplo parente origine, communi redemptione, communi Ecclesia & Sacramentis, communi gratia, charitate, ordinatione & cursu ad vitam æternam ita Augustin. Hieron. & Theophylact. in Matth. 5. 43. Nam dilectionem inimicorum præceptam esse Iudæis, patet Exodi 23. 4.

Vnde hîc S. Paulus v. 8. vt dixi, hoc Leuitici præceptum vertit græcè, ἀγαπήσεις τὸν ἕτερον, *Diliges alterum*. Quamquam Salmeron valdè probabiliter pro ἕτερον, putet legendum esse ἑταῖρον. Ita enim habent Hebræa, Septuag. & Chaldæus, vti iam ostendi.

Nota. Præceptum hoc, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, explicatur per duo. Primò, per affirmatiuum, Matth. 6. *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis.* Secundò, per negatiuum, Tob. 4 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* C

Vnde patet, τὸ *sicut* non significare æqualitatem dilectionis (nam ordinata charitate magis se diligere debet homo, quàm proximum) sed similitudinem & formam. q. d. Ea officia charitatis exhibe proximo, & eo modo, quæ & quomodo tibi exhibes, & exhiberi cupis, maximè vt ex charitate eum diligas sincero amore amicitiæ, non concupiscentiæ: vt scilicet velis proximo bonum honestum, vtile, delectabile, non quia hoc tibi, sed quia hoc illi bonum est & commodum: sicut hæc eidem bona tibi cupis, non propter alienum, sed propter tuum bonum & commodum. ita Caiet. Sic accipitur τὸ *sicut* Deuter. 18. 15. Ioan. 17. 21. Malach. 3. 4. D

DILECTIO PROXIMI MALVM NON OPERATVR] imò multa bona operatur, præsertim ea quæ iam dicta sunt v. 8. & deinceps: implet enim totam legem, & seruat politiam, conuictumque humanum, atque proximo bona quæ potest procurat. Est miosis.

PLENITVDO ERGO LEGIS EST DILECTIO] *Plenitudo*, hoc est consummatio; Syrus, *adimpletio*. q. d. Ex dictis v. 8. & deinceps patet, quòd totalis adimpletio & plena obseruatio legis est dilectio, & quòd is qui diligit proximum, leges omnes quæ proximum tangunt, quæque nos ad eundem ritè ordinant, adimplet. Sic & qui Deum diligit, implet præcepta primæ tabulæ, quæ Deum concernunt. Sicut ergo odium & charitatis defectus totius legis est dissolutio; ita è

contra-

ceptio charitas est principium, & causa efficiens imperans, vt cæteræ omnes leges impleantur. Est argumentum à proportione: Si dilectio proximi implet legem spectantem proximum; erit dilectio simpliciter implet legem, ita vt sine ea lex omnino impleri non possit; cum ea verò, & per eam omnino impleatur, vti sæpè ex hoc aliisque locis docet & asserit S. Augustinus.

Secundò, Toletus, *plenitudo*, inquit, id est finis & scopus, *legis est dilectio*; quia tota lex intendit nos ducere ad charitatem.

Tertiò, *plenitudo legis est dilectio*: quia charitas impellit hominem vt perfectè legem adimpleat: qui enim charitate caret, imperfectè legē implet, & sæpè ab ea deficit & aberrat. Vnde S. Augustinus in Sermone n. 223. *Plenitudo*, ait, *legis est charitas: quia perhibetur eum lex impletur, non per timorem. In tantum enim sicut mandata iustitiæ, in quantum adiuuat forma gratiæ.*

Quartò, *plenitudo legis est dilectio*, quia qui ex charitate implet legem, meritum habet; qui ea caret, caret & merito & mercede. Hæ expositiones verè sunt & morales; sed prima quam dedi litteralis est, genuina, & ex mente Apostoli.

Ex hoc loco Nota, legem non impleri sola fide, credendo, sed præter fidem requiri charitatis opera, vt hîc se explicat Apostolus: ait enim, *plenitudo legis est*, non fides, sed *dilectio*. Huic Paulinæ sententiæ consentit Aristot. lib. 8. Ethicor. & post eum Tullius lib. de Amicitia, *Amicitia*, inquit, *conciliat voluntates, & si homines sint amici, non est opus iustis: si verò sint iusti, egēt amicitia, & quod est maximi ad amicitiam pertinet.* Et hoc est quod ait S. Augustinus lib. de Natura & grat. c. 7. *Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia est; sed charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Idem lib. 15. de Ciuit. c. 22. sic ait: *Definitio brevis & vera virtutis est, ordo amoris. Vnde scriptum est, Ordinauit, inquit, in me charitatem.* Idem lib. de Moribus Eccles. c. 15. vult omnem virtutem definendam esse per charitatem, perinde ac Socrates omnes virtutes definiebat per prudentiam. Sanctus quoque Chrysost. *Charitas*, inquit, *est virtutum principium & finis: ipsa est radix, fundamentum & fastigium.*

Hinc Primò, errauit Marcion, dum ex hoc loco inferebat veterem Testamentum ita argumentatus est: Lex vetus moralis omnino iam cessauit; quia charitas est plenitudo legis: ergo lex illa iam non est necessaria. Errauit, inquam; nam charitas dicitur legis plenitudo, id est consummatio, compendium, & vt Origen. ait, epilogus: sicut ergo epilogus non tollit præcedentes orationis partes, quin potiùs easdem summatim complectitur; ita & charitas non tollit legem, sed includit. Est enim lex obiectum charitatis, quia charitas inclinat hominem, vt legem, quasi regulam vitæ, intueatur semper & impleat: præcepta ergo legis sunt præcepta charitatis. Amor enim Dei dictat seruanda esse præcepta decem tabulæ, amor proximi præcepta secunda.

Secundò, ex hoc loco patet, errare nostros Nouatores, qui dicunt, in hac vita legem non posse impleri. Apostolus enim non hortatur nos hîc ad legem implendam, quasi ad ideam aliquam Platonicam, vel futuram in cælo; sed tamquam ad rem quam pro infirmitate nostra in hac vita præstare possumus: nam omnimoda & plenissima legis impletio, ita vt ne venialiter quidem in legem vmquam peccet, non hîc præcipitur, sed in futuro, ita Concil. Trident. sess. 6. can. 18.

ET HOC (scilicet quod iam dixi, præstemus) SCIENTES TEMPVS, QVIA HORA EST IAM NOS DE SOMNO SVRGERE] *Et hoc*, est emphasis. q. d. Reddite debita, diligite proximos, vt iam dixi (respicit enim hîc Paulus ad v. 8. & seq.) *Et hoc scientes*, id est, idq; cùm sciamus, *tempus*, græcè καιρὸν, id est opportunitatem, quam nobis affert Euangelium, scilicet ad diligendum proximos, ad reddendum omnibus debita, ad implendam totam legem, iam adesse: & quia iam tempus est & hora de somno peccatorum surgendi. Vtamur ergo hoc tempore & hac opportunitate, dum illam habemus: breui enim eam non habebimus. nam, vt Poëta canit, VERS. 11.

Fronte capillata est, à tergo occasio calua; *Occasioni seruiendū.*

vt postquam illa pertransiit, apprehendi & reuocari non possit.

QVIA HORA EST IAM NOS DE SOMNO SVRGERE] *Hora*, scilicet diei. q. d. Nox, cæcitas, ignorantia, dissimulatio, excusatio, infidelitatis & peccatorum ante Christum transiit. En tempus & opportunitas, scilicet hora diei gratiæ, fidei, & legis Christi iam adest, qua Sol ipse Christus radios & lumen fidei per orbem spargere incepit, tenebris errorum depulsis. Ergo tempus est vt surgamus, græcè ἐξεγερθῆναι, vt excitemur & expergiscamur à somno peccatorum.

Moraliter hinc infert S. Chrysost. hom. 62. ad populum: *Paratos igitur*, inquit, *nos esse & expeditos ad hinc nauigandum, & dicere oportet: Paratum cor meum Deus. in bello enim sumus in mundo: in circuitu impij ambulant, peccatores intendunt arcum. Recordemur fratres, quòd tempus breue est, & iudicium præ foribus est. Nox præcessit, expergiscamur iam à somniis; etenim iucunda sunt præsentia, sed somniis nihilo minùs fallacia. Nemo debet dormire solem cernens.* Et infrà, vigiliam hanc exemplo militis, piscatoris, agricolæ, & pastoris perurget dicens: *Opus est vigilantia, dilecti; nam & miles dormit, non in lecto, sed humi: piscator non dormiens piscatur, stans aliquando peragit noctem: agricola vigilat, ne domini vinea lædatur: & pastor sub dio stans noctem consummat, gregem custodiens, sicut Iacob dicebat: Æstu vrebar & gelu, & somnus fugiebat ab oculis meis. Et quæ ipsius vigiliæ ratio? ne vlla ouis à fera voraretur. Si verò tanta de irrationali pecude cura, qualem esse decet de rationali anima sollicitudinem gerentis? propter hanc Iacob operarius lapidem ad caput sibi posuit dormiens, vt facilius euigilaret: vnde scalam vidit ad cælos vsque pertingentem. Nos esse vult Dominus paratos, propterea q. posuit incertum exitum nostrum, vt continuè vigilemus & pugnemus.* *Cohortatio ad vigilantiam spiritualem.* *Exempla vigilantiæ.*

Pulchrè quoque S. Augustin. à quo hanc vigiliam, qua à somno hoc euigilemus, petere debeamus, explicat in illud psalmi 62. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Quid est*, inquit, *vigilare? vtique non dormire. Quid est dormire? Est somnus animæ, & est somnus corporis; somnum corporis omnes debemus habere, aliàs deficit homo.* Et infrà: *Illud autem cauere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat; malus enim est animæ somnus. Somnus animæ est obliuisci Deum suum. Quæcumque anima oblita fuerit Deum suum, dormiuit. Vita enim vestra & mores vestri vigilare debent in Christo, vt sentiant alij Pagani dormientes, & ad sonum vigiliarum vestrarum excitentur & ipsi, excutiant somnum, & incipiant in Christo vobiscum dicere:* *Somnus animæ excutiendus.*

Deus,

Deus, Deus meus, ad te luce vigilo. De hac hora vide dicta 1. Corinth. 7. 29. & Ephes. 5. 15.

NVNC ENIM, in die & luce Euangelij, PROPIOR EST & præsens, NOSTRA SALVS, iustitiæ & gloriæ, QVAM CVM CREDIDIMVS] id est, quàm fuerit ante Christi aduentum; cùm sola fide absentem Christum, & gratiam, ac salutem futuram crederemus & speraremus. Hunc esse sensum patet ex sequent. & præcedent. Vbi Nota. Loquitur hîc generatim & confusè Apostolus de iis, quæ Christum præcesserunt. Vnde quædam hîc intexit, quæ Iudæis, alia quæ Gentibus magis conueniant. Iudæis conuenit τὸ *credidimus*: soli enim Iudæi ferè credebant, & sperabant Messiam venturum. Gentibus autem magis conuenit τὸ *nox præcessit*, scilicet nox paganismi, idololatriæ, & omnium vitiorum: quamquam Iudæis sua quoque fuerit nox ignorantiæ, cæremoniarum, iudaismi (qui quasi velamen fuit legis nouæ) errorum, & traditionum Pharisaicarum (vti ostendit Christus Matth. 5.) ac denique vitiorum & peccatorum: à quibus liberari non potuerunt nisi oriente Sole, putà Christo Domino, qui noctem hanc dispulit, & illuminauit omnes sedentes in tenebris, & in vmbra mortis.

Nox Gentium qua.

Nox Iudæorum.

Aliter hunc locum explicat S. Chrysost. q.d. Paulus: Quo magis ætate, æquè ac fide & meritis crescimus, eo propiùs fini & beatitudini æternæ accedimus nunc, quàm cùm credere incepimus. Quid enim est aliud vita nostra, quàm cursus, & pernix cursus ad mortem, & per mortem ad immortalitatem? Curramus ergo fratres nostri pernici cursu ad metam hanc grandis enim nobis restat via, & tempus currendi breue est.

VERS. 12. NOX PRÆCESSIT] S. Cyprian. lib. de Zelo & liuore, & Syrus vertunt, *transiuit*, & S. Hieron. in 26. Matth. legit, *præteriit*. Græcum προέκοψεν proprie significat *processit*, vt legit S. August. epist. 80. & ita explicat S. Chrysost. & Theophyl. Origenis interpres hom. 35. vertit, *promouit*, id est progressa est, ad finem tendit, ac fermè iam præteriit. Sed eòdem redeunt hæc omnia, & se inuicem illustrant. Iam sensus esse potest

Variè exponitur τὸ præcessit.

Primò, nox huius vitæ προέκοψεν, id est processit, & ad finem tendit: quia appropinquat dies, scilicet iudicij & resurrectionis: eius ergo metu & spe viuamus honestè. ita Athanasius in quæstion. ad Antioch. q. 90. S. Chrysost. hîc, S. August. epist. 80. ad Hesych. & S. Basil. in c. 13 Isaiæ.

Nox, dies, aurora, relata ad tempus aduentus Christi.

Secundò, S. Gregor. libr. 29. Moral. 2. Nox, inquit, est tempus ante Christum, dies est dies resurrectionis, aurora media est tempus Euangelij: hæc diei vicinior est, quàm nox: ergo nobis vicinior est salus & dies, quàm iis qui fuerunt ante Christũ.

Tertiò, Anselm. & Origen. Nox, inquiunt, est hæc vita; dies est vita post mortem, quæ cuique eo est vicinior, quo magis in dies mors appropinquat.

Quid optimè per noctem & diem intelligatur.

Quartò & optimè, nox est tempus ante Christum, plenum tenebris infidelitatis & peccatorum: dies est tempus præsens Euangelij, quo sol Christus lucis suæ, id est gratiæ & fidei suæ, radios toto orbe diffudit. q.d. Præsente iam Christo, & luce Euangelij, nox peccatorum abiit; dies gratiæ, iustitiæ & salutis adest: ergo in hoc die opera tenebrarum abiicere, atque honestè ambulare, & christianè viuere debemus. ita S. Cyprian. lib. de Zelo & liuore, Ambros. in psal. 45. S. August. & Theodoret. hîc.

A ABIICIAMVS OPERA TENEBRARVM] quæ peccata, quæ tenebras quærunt. Lucemque Dei & hominum fugiunt: nam, vt ait Poëta:

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent. Ouid.
Illa pudore caret; Liber amorq; metu.

Et Iob c. 24. 15. *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum: perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerat sibi, & ignorauerunt lucem. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & sic in tenebris quasi in luce ambulant.*

INDVAMVR ARMA LVCIS] *Arma lucis* sunt opera fidei, gratiæ & virtutum, quibus veluti armis contra hostes tres, mundum, carnem, dæmonem bello tam offensiuo, quàm defensiuo depugnamus. Monet ergo tacitè hîc Paulus vitam Christianam esse militiam, illiq; contra hostes jam dictos hanc B lucis arma suggerit. Secundò, Græci subinde ὅπλα, id est arma, latiùs capiunt. Vnde & Homerus ὁπλίζεσθαι, id est armari, capit pro ἐυτρεπίζεσθαι, id est instrui, apparari. Hîc ergo ὅπλα, id est arma, sunt habitus, vestitus, apparatus, quo homines in die & luce se tegunt & ornant. q.d. Paulus: Dies Euangelij nobis illuxit: ergo par est, vt arma lucis, id est habitu & vestitu qui lucem & diem decet, induamur. Vnde sequitur,

SICVT IN DIE] quo solliciti sunt homines honesti de tegenda nuditate, & cultu ac corporis habitu honesto & decenti: non autem noctu, quia à nemine conspiciuntur.

HONESTE] εὐσχημόνως, compositè, decorè.

AMBVLEMVS] conuersemur, vt omnis noster incessus, motus, gestus, sermo, actio talis sit, qualem decet esse in die & luce Euangelij, in qua spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus.

NON IN COMESSATIONIBVS ET EBRIETATIBVS] Comessationes sunt conuiuia, quæ non horæ tis, sed gulæ causa fiunt.

Nota. Camos idolum fuit Moab, cui Salomon fanum ædificauit 3. Reg. 11. v. 7. Inde deducunt Græcum κῶμος, qui Deus fuit temulentiæ, fecit Bacchus apud Philostratum. Vnde κωμάζειν significat lasciuire. Inde Latinum comessari, & comœdia. Nam ab ebrietate, ait Athenæus libr. 2. de Cænis Sapientum, Comœdia atque Tragœdia inuentæ sunt in Icario, vrbe Atticæ, idque vindemiæ tempore. Vnde & Trygœdia ibidem fuit appellata. Fortè Camos, vt notat Stuckius libr. 1. Conuiual. 10. à Syro-chaldæo, קמס camas, id est occultare, latitare, deducitur, vt per Camos intelligatur Bacchus νυκτήλιος, siue cui nocturna sacra faciebant per comessationes, & consequentes efrænes libidines, teste Plutarcho & Pausania.

Atque huc alludit Apostolus, dum ait: Non in *comessationibus & ebrietatibus* (quæ nocte agitantur) *sed sicut in die honestè ambulemus*. Vnde & κωμάζειν dicebantur, qui coronati & bene potis in alienum conuiuium irruebant, non sine tibiis. hinc κῶμοι quoque vocantur saltationes, & Syrus vertit, cantiones lasciuæ. Hæc ergo omnia id significat, vel importat κῶμος, siue comessatio.

NON IN CVBILIBVS] Hoc est, non in fornicationibus, quæ fiunt in cubilibus & fornicibus. est metonymia.

ET IMPVDICITIIS] Id est aliis fœdioribus speciebus libidinis. Græcum enim ἀσελγείαις est lasciuia, id est petulantior libido.

Hæc verba diremerunt litem & lustam cæ-

v. 13. legit Augustinus apertius.
Studio pt. 3. Gr. l. 1. c. 26. f. pro.

...libidinis in Augustino. *Ego*, inquit ipse libr. 8 Confess. c. vlt. *sub quadam fici arbore straui me nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & prorupere flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi. Et tu Domine vsquequo? Vsquequo irascêris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles: Quamdiu, quamdiu cras, & cras? quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?* Audiant hæc iuuenes, qui cum suis concupiscentijs luctantur, audiant & imitentur. *Dicebam hæc, & fluebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebrò repetentis quasi pueri an puellæ, nescio: Tolle lege, tolle lege, &c. Audieram de Antonio, quòd ex Euangelij lectione, cui forte superuenerat, admonitus fuerit, tãquam sibi dicereturquod legebatur: Vade, vende omnia* B *quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me; & tali oraculo confestim ad te conuersus sum. Itaque redij ad eum locum, vbi sedebat Alypius; ibi enim posueram codicem Apostoli, cùm inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quòd primùm coniecti sunt oculi mei: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs. Nec vltrà volui legere, nec opus erat.* En subitam Augustini mutationem. *Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ dissugerunt &c. Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Quàm suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum! & quas amittere metuebam, eas dimittere gaudium erat: eijciebas enim eas à me, tu vera & summa suauitas; eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.*

Vide quàm facilem & iucundam per gratiam Christi expertus sit Augustinus castitatem, & cælibem, quem priùs vt difficillimum horrebat, imò impossibilem reputabat. Idem sensit & expertus est S. Cyprian. l. 2. epist. 2. & Lactant. l. 3. Instit. c. 16. Vah ergo Luthere, qui doces concubitum hominis tam necessarium esse, quàm cibum. Idem hodie non vnus, sed multa cælibum millia experiuntur, qui Dei gratiam inuocantes, eique collaborantes, tam suauem quàm felicem & sanctam in virginitate & cælibatu vitam degunt.

NON IN CONTENTIONE ET ÆMVLATIONE] Contentio est concertatio pro gloria & honore, cui semper coniuncta est æmulatio, id est inuidia bonorum. Ecce hæc sunt tria capitalia vitia Christiano cruenda, scilicet gula, libido, rixa & inuidia, de quibus vide D. August. epist. 64.

SED INDVIMINI DOMINVM IESVM CHRISTVM] scilicet Iesus, id est Iesu spiritus, gratia, virtus, vita, in nobis eluceãt. Vide can. 37. Induimini ergo & ornate vos Christi virtutibus, maximè vt exteriori vita & professione, quasi veste agnoscãt omnes, vos esse seruos Christi. ita S. Chrysost. Est hebraismus. Hebræi enim לָבַשׁ *labas*, id est indui dicunt aliquem pudore decore, salute, iustitia, maledictione, ad eas rebus repleri, copiosè decorari vel dedecorari. Indumentum ergo significat copiam vndique circumfusam. Cyrill. libr. 9. in Genes. censet Paulum hîc alludere ad illud Isaiæ 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me.* Vel, VT LXX. vertunt, *induit me vestimentum salutis, & tunicam lætitiæ.* Vel, vt alij vertunt, *induit mihi vestimentum Iesum*, id est, induit mihi Iesum, tamquam vestimentum, & tamquam tunicam lætitiæ. Pulchrè S. Basil. in psal. 44. explicans illud: *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumdata varietate. Induite*, inquit, *Dominum Iesum, non secundùm exteriorem hominem, sed mens nostra Dei memoria circumamiciatur. Puto enim spiritalem pertexi tunc vestem, cùm operatio comes attexitur verbo doctrinæ. Sicut enim pallium tegendo corpori tunc pertexitur, dum subtegmen innectitur stamini: sic vbi verbum primas in ordiendo obtinuerit, si mox actiones verbo consentaneæ attexantur, tunc exornandæ animæ decentissimus, & plurimum habens honestatis amictus confici possit: anima, inquam, secundùm virtutem & verbo & opere suam absoluens vitam.* q. d. Sicut textor subtegmen intexit stamini, ita doctor Christianus vitãm congruentem intexat suæ doctrinæ: itaque pertexet sibi vestem Christi, qua vndique tegatur & ornetur.

Nota. Verbum *induendi* multa innuit: nam Primò, Christum induere est Christi virtutes in se exprimere, idque copiosè & perfectè. *Quid sit Christum induere, variis modi eũ induendi.* I.

Secundò, Christum induit, ait D. Thomas, qui Christum imitatur, quia sicut homo continetur vestimento, & sub eius colore videtur: ita in eo qui Christum imitatur, solus Christus, eiusque indumẽti color, id est sanctitas, apparet. Vnde & Chrysost. *Induere*, ait, *Christum, est vndique in nobis per sanctimoniam & mansuetudinem Christum conspicuum esse. Homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est: appareat itaque in nobis Christus.* Christianus ergo quasi viua imago, viua forma, viuus habitus Christi sit oportet, imò sit alter quasi Christus; vt in eius vita, gestu, habitu & moribus omnes se Christum videre putent. Sanè quot sunt Christiani, tot deberent esse & Christi. Cogita qualis & quanta fuerit in singulis dictis & factis Christi modestia, temperantia, circumspectio, charitas, patientia, gratia, quanta morum suauitas, grauitas & decor: hæc indue, hæc moribus exprime; & Christum indues, Christum exprimes, Christus eris. II.

Tertiò, sicut vestes totum corpus contegunt, ita Christi virtutes ad omnes nostras actiones pertingere, easque ornare & formare debent. vt Christum in omni opere & sermone referamus & exprimamus. III.

Quartò, cùm iubemur Christum induere, monemur hoc ipso veterem hominem exuere, Coloss. 3 v. 9. IV.

Quintò, vti vestis pretiosa corpus non tantùm tegit, sed & ornat, ita Christi virtutes animam exornant. V.

Sextò, qui vestes induit, earum pondus non sentit, vti sentit qui eas inuolutas in sarcina gestat; ita qui Christum habet non inuolutum in speculatione, sed explicatum in actione & imitatione, non sentit virtutum Christi difficultatem. VI.

Moraliter vide S. Chrysost. quomodo Christus quoad omnia, tam interna quàm externa sit plenitudo nostra, vndique nos vestibus ornans, coronans. Est enim Christus noster vir, nostra via, sponsus, potus, cibus, vita, sacerdos, præceptor, pater, frater, heres, domus, hospes, amicus noster; vt ei meritò dicamus: *Amor meus, Iesus meus, & omnia.* *Christus est nobis omnia.*

ET CARNIS CVRAM NE FECERITIS IN DESIDERIS] ad explenda desideria, &, vt græcè est, *Immoderata corporis cura fugienda.*

ἐπιθυμίας, id est cupiditates, scilicet, intemperantes & immodicas, carnis: quia, vt aiebat Philosophus ille, *Nimia carnis & corporis cura, magna animi & virtutis est incuria.* Vnde & alter dicebat: *Ad maiora natus sum, quàm vt me corporis mei mancipium efficiam.* Vide S Gregor. libr. 6. Moral. c. 40. Nam alioqui moderatam curam carnis, id est corporis, laudat Apostolus Ephes. 5. 29. dicens: *Nemo vnquã carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.* Efficaciter S. Bernard. de Conuers. ad Cleric. c. 13. *Vnde*, inquit, *hæc tanta pusillanimitas, & abiectio tam miserabilis, vt egregia creatura capax æternæ beatitudinis & gloriæ magni Dei, vtpote cuius sit insculpta condita, similitudine insignita, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, miserari non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere seruitutem?* Meritò planè ne eos quidem apprehendere potest, qui talem deserens sponsum, tales sequitur amatores, meritò filiquas esurijt, & non accepit, qui porcos pascere maluit, quàm paternis epulis satiari. *Insanus siquidem labor pascere sterilem quæ non parit, & viduæ benefacere nolle: omittere curam cordis, & curam carnis agere in deserio: impinguare & fouere cadauer putridum, quod pabulo vermium esca futurum nullatenus dubitatur.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, eos qui sunt in fide firmiores, debere eos qui infirmi sunt fouere, quodq; nec hi, nec illi se inuicem iudicare debeant, si illi cibis lege veteri vetitis vescantur, hi iisdem abstineant: sed vnusquisque, inquit, in suo sensu abundet. Nam omnes eundem habemus Dominum, cui viuimus & morimur, quiq; solus omnium iudex est.

Secundò, v. 13. docet firmiores, quòd, etsi iam nullus cibus sit immundus, nemo tamen quidquam edere debeat, quo proximus scandalizatur.

Tertiò, v. 22. docet infirmos, ne quidquam comedant, aut agant contra suam conscientiam.

1. INfirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. 2. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. 3. Is, qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit. 4. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. 5. Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem: vnusquisque in suo sensu abundet. 6. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. 7. Nemo enim nostrûm sibi viuit, & nemo sibi moritur. 8. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. 9. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: vt & mortuorum & viuorum dominetur. 10. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. 11. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. 12. Itaque vnusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo. 13. Non ergo ampliùs inuicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. 14. Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. 15. Si enim propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. 16. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. 17. Non est enim regnum Dei esca, & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. 18. Qui enim in hoc seruit Deo, placet Deo, & probatus est hominibus. 19. Itaque quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt, in inuicem custodiamus. 20. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. 21. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. 22. Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo: Beatus qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. 23. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.

VERS. 1. INFIRMVM IN FIDE ASSVMITE] id est fouete. Sic sæpè in psalm. dicitur, *Dominus suscepit*, vel *assumpsit me*, & *Dominus est susceptor meus; susceptor*, id est adiutor, fautor & protector meus.

Nota. Iudæi aliqui conuersi ad Christum putabant secundùm legem veterem adhuc abstinendum esse cibis lege vetitis, & idolothytis, id est cibis, qui idolis fuerunt oblati. Hos *infirmos* vocat Apostolus: errabant enim, idque vel quia nondum erant in fide satis instructi; vel certè, quia ab antiqua Gentilitia persuasione de idolis, & idolothytis quasi sacris, & quid numinis habentibus, aut à Iudæis

dam obseruantia & consuetudine ægrè auocari A dum putat, eum vesci contingat. Sic ferè & Anselmus.

Quartò, Ambros. qui infirmus est, olus manducet: quia, inquit, erant tunc aliqui, qui putabant omni carne abstinendum esse Christianis. *Quarta.*

Quintò, Toletus sic explicat, q. d. Aliqui sunt qui, etiamsi nullos alios cibos habeant, præter olera quibus vesci liceat, ijs eligunt potiùs, quàm carne lege vetita, aut idolis immolata vesci. *Quinta.*

Verùm optimè & planissimè. Pererius per olus, hîc accipit herbas, & quidquid veteri lege edi non vetatur quasi immundum. hoc enim infirmus iudaizans comedat licet. Peculiariter *olus* nominat Apostolus; quia nil herbarum vetitum erat Iudæis, cùm multi pisces, & aues ac bestiæ vetita essent. In olere ergo infirmis nil erat periculi, nil scrupuli. q.d. Iudæus qui infirmus est in fide & libertate B Euangelica, putatque cibis lege veteri vetitis adhuc abstinendum esse, ille ijs abstineat, & olera, aliaque lege permissa comedat. *Sexta, & optima.* Olus *Apostolus pro herbis accipit propriè.*

Is QVI MANDVCAT (quidlibet, putà Gentilis) NON MANDVCANTEM (certos cibos lege vetitos, putà Iudæum) NON SPERNAT; ET QVI NON MANDVCAT (Iudæus) MANDVCANTEM (Gentilem) NON IVDICET] non damnet quasi legis transgressorem, vel gulæ addictum. VERS. 3.

DEVS ENIM ILLVM ASSVMPSIT] q. d. Deus illum ad fidem & gratiam Euangelij vocauit, per charismata etiam sensibilia, quæ visibiliter tunc in baptismo dabantur, qualia erant donum linguarum, prophetiæ, &c. q.d. Quis ergo eum iudicet & damnet, quem Deus probauit & aduocauit? Probat hîc Apostolus cauendum esse iudicium temerarium, neminemque debere proximum suum C iudicare, quatuor rationibus. Prima est hoc vers. quia Dominus proximum sibi in seruum assumpsit: seruus autem domino suo stat aut cadit: non ergo ad te pertinet de eo iudicare. Secunda est v. 5. quia in rebus adiaphoris seruanda est regula hæc: *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Tertia est v. 6. quia tam qui manducat, quàm qui non manducat, Domino id facit. Domino enim morimur & viuimus: ergo neuter culpandus, sed vterque laudandus est. Quarta est v. 10. quia vnus omnium est iudex Christus Dominus: non ergo nostrum est inuicem iudicare. Si enim hoc facimus, Christo iudicium suum præripimus. *Iudicium temerariũ esse cauendũ docetur quatuor rationibus.* I. II. III. IV.

TV QVIS ES QVI IVDICAS ALIENVM SERVVM?] Alloquitur Apostolus non manducantem, qui iudicat, id est damnat, manducantem cibos lege interdictos. Patet ex verbis præced. & seqq. τὸ enim *iudicat* refert ad non manducantem. Iubet ergo, vt non manducans Iudæus manducantem Gentilem non iudicet, sed Dei, cuius seruus est, iudicio eumdem relinquat. Vnde subdit, VERS. 4.

DOMINO SVO STAT, AVT CADIT] q.d. Siue malè, siue bene faciat manducando, id ad domini sui, putà ad Dei honorem, vel iniuriam pertinet. ita aliqui. Secundò & genuinè: *Domino suo stat, aut cadit*, hoc est, apud dominum suum causa cadet, & condemnabitur; vel stabit, id est absoluetur. q.d. Dei interest, & illius est iudicium, cuius homo est seruus, ipse videat & iudicet an comedendo quidlibet bene vel malè agat; tua nil interest: tu ergo eum noli iudicare, sed Dei iudicio eum relinque: agit enim Apostolus de vitando iudicio temerario, & ad nos non pertinente. Stare *vsurpatum pro Apostolo pro absolui: cadere pro condemnari.*

STABIT AVTEM: POTENS EST ENIM DEVS STA-

dam obseruantia & consuetudine ægrè auocari D
possent: vnde & alios contra eam facientes damnabant.

Alij verò in fide Christiana perfecti, & plenè edocti contrarium tenebant, & intrepidè faciebant, maximè Gentiles, qui Iudæis, & Iudaïcæ abstinentiæ libertatem Euangelicam opponebant. Itaque hi contra Iudæos sæpè altercabantur de hac abstinentia, deque esu libero; atque liberè comedendo quoslibet cibos, etiam lege Mosaica vetitos, Iudæos scandalizabant: Iudæi contrà eos vituperabant & damnabant, quasi qui iniquè contra legem agerent, & cum idolis adhuc communionem haberent. Vtrosque hoc cap. corripit Apostolus, & hos quidem perfectiores monet ne infirmos abijciant, sed assumant & foueant, ac veritatem libertatemque Christianam edoceant. ita S. August. hîc, & Clem. Alexandr. lib. 2. Pædag. 1. & S. Basilius in breuior. reg. 64.

Succidit ergo hoc capite Apostolus causam practicam dissidij Iudæorum & Gentium; putà differentiam in abstinentia & obseruantijs Iudaïcis: cui initio epistolæ, & deinceps succidit eiusdem dissidij causam quasi speculatiuam; putà differentiam in causa & modo iustificationis, docens non nisi ex lege, sed ex fide Christi iustificari. Itaque sicuti ab hoc Iudæorum & Gentium dissidio, & dissidij succisione cœpit hanc epistolam; ita & in eadem eamdem terminat. hac enim de causa, & hoc scopo ac fine scripsit hanc epistolam.

Et quamuis in epistolis non sit necesse, imò non posse sæpè vnum caput alteri connecti, eò quòd more epistolico res planè diuersas & disparatas tractent: tamen possunt hæc præcedentibus ita C connecti. q.d. Paulus: Inculcaui vobis, ô Romani, cap. 12. & 13. dilectionem proximorum, vtq; omnes induimini Iesum Christum: sed id ita à vobis præstari volo, vt tamen infirmos in fide & charitate Christi, qui Christum necdum plenè induerunt, non aspernemini; sed eadem charitate eosdem assumatis, toleretis, foueatis, doceatis & curetis.

NON IN DISCEPTATIONIBVS COGITATIONVM] id est opinionum. q.d. Assumite infirmos, verùm non ita vt cum ipsis contendatis, & disceptetis vtri bene sentiant aut malè, vos scilicet an illi. Vnde clarius Græca μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν vertas, non in altercationibus disputationum.

ALIVS ENIM CREDIT SE MANDVCARE OMNIA] q.d. Alius putat licere vesci omnibus quasi mundis, eò quòd in lege Euangelica nihil legaliter sit D immundum. τὸ enim *credit*, non significat fidem, sed opinionem, siue credulitatem, vti dicam versu primo.

QVI INFIRMVS EST, OLVS MANDVCET] Ita legunt Biblia Romana; sed Græci, Chrysost. Theodor. Oecumen. Hieron. & S. August. legunt, *olus manducat*. Iam varij varium hîc dant sensum.

Primò, Origenes sic explicat: qui infirmus est, olus manducet, id est, doctrinam facilem & communem, quæ datur infirmis, sequatur.

Secundò, S. Chrysost. qui infirmus est, propriè olus tantùm manducat, prætextu abstinentiæ, ne si carnem comedat, & furilla casu apposita abstineat, deprehendatur ex legis obseruantia abstinere esseque Iudæus, & iudaizare.

Tertiò, S. August. qui infirmus est, olus tantùm manducat, ne, si carne vescatur, fortè ex errore idolothytis, quibus scrupulosè abstinen-

Duplex huius loci sensus.

STATVERE ILLVM] q.d. Ne timeas, ô Iudæe infirme, Gentiles, si vescantur idolothytis & cibis lege vetitis, facilè ad gentilissimum reuersuros: vicissim, ô Gentilis, ne timeas Iudæo, si legem seruet, & cibis lege vetitis abstineat, eum ad iudaismum reuersurum; quia si in iudaismū vel gentilismum cadit, nō tibi, sed Domino Deo, cuius seruus est, cadit: verùm meliora spero, scilicet quòd non cadet, sed stabit in fide & sanctitate, cùm eius Dominus, putà Deus, potens sit eum statuere & stabilire. Ne ergo scrupulosè aliquem iudices aut damnes.

I.

II. Secundò & aptiùs: *Stabit*, id est absoluetur, & non cadet causa in iudicio Domini sui, quia scilicet falsum crimen violatæ legis illi manducanti infirmus imponit: nec enim manducans violauit legem, vtpote quam scit abolitam. potens est enim Deus illum statuere, id est absoluere, & de facto illum absoluet. Hoc enim per miosin significat *τὸ potens est*, vti dixi c. 11. v. 23.

VERS. 5. *Quid sit iudicare inter diem & diem.*

NAM ALIVS IVDICAT DIEM INTER DIEM, ALIVS AVTEM IVDICAT OMNEM DIEM] Vocula *nam*, non dat causam, nec est causalis hoc loco, sed distinctiua: græcè enim est *μὲν*, id est *quidem*.

Prima expositio.

Iam varij varium hîc dant sensum. Primò, Origen. Chrysost. Theodor. Ambros. Anselm. sic explicant, q.d. Alius diebus interpositis ieiunat, alius cunctis diebus: & vterque rectè agit. Sed nulli erant illo tempore ita infirmi, qui ex lege putarent omni die esse ieiunandum.

Secunda.

Secundò, Theodor. & Theophyl. sic explicant, q.d. Aliqui tantùm certa die abstinent suilla, & alia immunda carne, aliqui verò omni die ijsdem abstinent: sed prius hoc non est verisimile, cùm lex suillam & similia vetaret omni die, & absolutè.

Tertia.

Tertiò, August. hîc in propositionibus sic explicat: alius, scilicet homo, cùm iudicet præsentia, iudicat inter diem & diem, quia proximum, quem hodie iudicat malum, cras inuenit & iudicat esse bonum & correctum, vel contrà. q. d. Homo in dies iudicium mutat: alius autem, id est Deus, omnem diem iudicat: quia non tantùm qualis quisque sit hodie, sed etiam qualis omni die futurus sit, præscit & cognoscit: ac proinde neminem, etiam improbum, iudicare debemus; quia qualis futurus sit, ignoramus. Hic sensus subtilior & altior est: verùm non est ad mentem & propositum Apostoli. Apostolus enim de varijs variorum hominum, non autem de diuersis Dei & hominum iudicijs agit.

Quarta.

Quartò, S. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. & Salmeron hunc dant sensum: Alius, scilicet Iudæus, iudicat diem alium præ alio esse festum, & sanctiorem ex legis præscripto, v. g. sabbatum, neomeniam, diem expiationis; alius autem, scilicet Gentilis, putat & iudicat omnem diem esse æqualem, æquè festum & sanctum. Hæc expositio valdè verisimilis est. Verùm quia Apostolus in præced. & seqq. non agit de festis, sed tantùm de delectu ciborum; hinc melius accipias hîc dies, non festos, sed ieiunij & abstinentiæ.

Quinta, & optima.

Abstinentia Iudæis imposita duplex: Perpetua,

Quod vt intelligas. Nota. Duplex abstinentia ciborum Iudæis fuit præcepta, vna perpetua, vt scilicet semper abstinerent suilla, leporina, & omni animali quod vngulam non diuidit, aut non ruminat. Leuit. 11.

Temporaria.

Secunda temporaria, qua certis diebus ieiunabant, vel quibusdā cibis abstinebant, vt in paschate abstinebant fermento; in diebus quibus votum habebant nazaræatus, abstinebant vino, aceto, vua. Numer. 6. Dicit ergo Apostolus de hac secundā abstinētia: Iudæus in fide Christi adhuc infirmus, vno die secundùm præscriptum legis veteris certis cibis abstinet, alijs diebus non abstinet: Gentilis verò iudicat omnem diem esse æqualem, & omni die indifferenter quouis cibo vescitur, fruens libertate Euangelij: & vterque bene facit. Est hebraismus. Hebræi enim verbum simplex sumunt pro compositis, quibus carent: sic hîc κρίνω, id est iudico, sumitur pro διακρίνω, id est discerno, sicut v. 13. sumitur pro κατακρίνω, id est damno, condemno. Sensus ergo est, q. d. Alius iudicat, id est, discernit & separat diem vnum vt sanctum & abstinentiæ dicatum, ab alio, quasi minùs sancto, nec abstinentiæ dicato: alius verò iudicat omnes dies esse æquè sanctos, quibus vel vesci, vel ieiunare liceat, pro cuiusque libito.

Nota, Apostolum tantùm loqui de festis & ieiunijs Iudaicis, vt fatetur Melanchthon, Bucerus & Beza, idque patet ex præced. & quia tum necdum erant Sanctorum festa, vel ieiunia Christianis ab Ecclesia indicta & instituta. Vnde male contra ea torquent hæc Nouantes. Sanè si ea ab Ecclesia tunc instituta ac præcepta fuissent, vtique absolutè ea seruari iussisset Apostolus; vti alia similia Apostolorum decreta iussit seruari, Act. 16. v. 4.

VNVSQVISQVE IN SVO SENSV ABVNDET] *Pro abundet*, græcè est πληροφορείσθω, Budæus, Erasmus & alij vertunt, Plenè persuasus sit, plenam habeat probationem & certitudinem. Noster interpres passim magis propriè & fideliter ad verbum, vt bene probat Ribera in cap. 6. ad Hebræos v. 11. vertit, Plenus sit, plenitudinem habeat, expleat, *abundet*. Græcū enim πληροφορεῖν non declaratur ἐκ τοῦ πλήρης, id est plenus, & φωρᾶν, id est comperire, deprehendere, vt vult Erasmus: nam φωρᾶν per ω scribitur, πληροφορεῖν per ο micron, sed ἐκ τοῦ πλήρης & φέρειν, id est plenū ferre, plenitudinem habere. Sic à φέρειν deducitur & componitur καρποφορεῖν, id est fructum ferre, κερατοφορεῖν, id est cornua ferre, βιβλιοφορεῖν, id est librum ferre, δαφνοφορεῖν, id est laurum ferre, δωροφορεῖν, id est donum ferre: & multa similia. Pari ergo modo πληροφορεῖσθω idem est, quod plenum esse, vel (actiuè) explere, abundare; & πληροφορία idem est, quod plenitudo.

Hæc prima & genuina verbi huius est significatio: inde tamen Græci hoc verbum intellectui & actui mentis attribuentes, sumunt pro plena persuasione fidei, certitudine: quia intellectus, rationis ac iudicij plenitudo est plena eius persuasio. Sicut enim crumena impletur pecunia, stomachus & appetitus expletur cibo, ita intellectus capacitas & cognoscendi auiditas impletur probatione tali, quæ plenam intellectui fidem faciat, illiúque rem persuadeat, itaque eius veri desiderium, quod sciscet habet ad cognoscēdam veritatem, satiet & expleat: quasi πληροφορεῖσθαι sit πλήρη πίστιν φέρειν, id est, plenam fidem & persuasionem afferre.

VNVSQVISQVE ergo IN SVO SENSV ABVNDET] Hoc est, Quisque suo iudicio perfruatur, plenè illud sequatur, quisque suum sensum absque expleat. hoc enim, vt dixi, propriè est Græcum πληροφορεῖσθαι, id est plenum esse, & Latinum *abundare in suo sensu*; atque ita in rebus indifferentibus vulgò dicimus; *Quisque in suo sensu abundet*, id

est

id est, quisque suum iudicium, suum sensum se- A
quatur: in alijs enim, quæ indifferentia non sunt, hoc facere & facere non licet. Hunc esse sensum huius loci patet ex v. seq. vbi Apostolus tam manducantem, quàm non manducantem laudat. Vterque enim suum sensum sequendo bene agit: tam enim qui Domino manducat, vel non manducat. Ita Basilius in moral. reg. 54. cap. 1. & Ambros. Quisque, ait Ambros. *suo consilio remittatur.*

Potest tamen Secundò, cum Erasmo, Budæo, Vatablo, & alijs Græcum πληροφορείσθω verti, *certus esto*, q.d. Paulus: Quisque in sua mente certus esto & plenè persuasus, scilicet, id quod facit manducando, vel non manducando, licitum esse, & Deo gratum. Vnde Syrus, *Quisque*, inquit, *in scientia sua confirmetur*. Sic quoque accipi posset verbum *abundet*, vt idem sit, quod plenè & abundè certus sit, q.d. Quisque abundè & plenè cer- B
tus sit quod agit bonum esse ac licitum, nil agat fortuito, id est fluctuante & dubitante conscientia. Verùm prior sensus, quem paulò antè attuli, elegantior & significantior.

Tertiò S. Augustinus sic exponit: *quisque in suo sensu abundet*, hoc est, quisque quantum humano intellectui concessum est, tantum audeat iudicare: altiora quæ homines superant, non sapiat, non iudicet.

Quartò, recentiores aliqui sic explicant: *quisque in suo sensu*, id est, siue hoc, siue illud sentiat, *abundet*, nimirum in charitate, vt scilicet ex charitate ædificationem id sentiat & faciat. Sed hæc non respondent Græco πληροφορείσθω.

Nota, Apostolum loqui de rebus indifferentibus, q.d. Quisque suum sequatur sensum; siue vt omnibus cibis, si in fide perfectus sit, etiam im- C
mundis, & vel semper, vel certo die per legem vetitis, vescatur, æquè vt cibis in lege mundis & permissis siue vt ijsdem, si infirmus in fide sit & scrupulosus, abstineat, vel ob reuerentiam legis Mosi, vel ob ignorantiam inculpatam, qua putat illam adhuc obligare.

Vnde Nota Secundò. Licet legales cæremoniæ, legisque obligatio abrogata & mortua fuerit post mortem Christi in Pentecoste: non tamen illæ cæremoniæ & obseruantiæ legales statim vbique, & quod omnes fuere mortiferæ, sed tantùm post sufficientem promulgationem, explicationem & cõfirmationem Euangelij & fidei Christianæ. Potest ergo illæ eousque seruari, ob scandalum infirmorum, & ad synagogam cum honore sepeliendam, non autem tamquam necessaria ad salutem, vel tamquam obligantia ex lege veteri, nisi id fie- D
ret ex ignorantia inculpata, quali multi tunc laborabant, etiam Apostoli, vsque ad visionem saltem S. Petri, quæ narratur Actor. 10.

Nota Tertiò. Licet errarent hi Iudæi; tamen in hoc errare permitti eos hoc capite vult Apostolus, ob temporis immaturitatem, donec plenius in fide instruantur, ne, si statim reuocentur à consuetudinibus & obseruationibus, turbati resiliant à fide, quia infirmi. Hinc Apostoli permiserunt Iudæis seruare legem Mosi cum Euangelio ad tempus; tum vt cum honore legem, aliàs bonam & sanctam, sensim commutarent in Euangelium: tum vt Iudæos qui legi assueuerant, faciliùs allicerent ad christianismum.

Dices, Cur ergo Apostolus Galatas tam durè increpat c. 1. quòd legem veterem seruarent?

Respondeo, quia Galatæ Gentiles erant, nõ Iudæi; vnde assumpserant ipsi sacra aliena, scilicet Iudaica, quasi necessaria ad salutem; qui erat exploratus error, & recidendus Apostolo. Vide ergo quàm contra mentem Apostoli Libertini hæc trahant ad libertatem fidei, vt cuique permittatur credere quod volet. Alij verò trahant hæc ad libertatem non ieiunandi, non obediendi præceptis Ecclesiæ: cùm hæc præcepta sint, vti supponitur; Apostolus autem loquatur de rebus, non præceptis, sed indifferentibus, vti iam ostendi.

Libertinorum nimia licentia refutatur.

QVI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT] *Qui sapit*, hoc est, qui iudicat & discernit diem abstinentiæ à die quo non est abstinendũ. Est metalepsis. Sapore enim discernimus cibos: hinc *sapere* hîc significat discernere, & discernendo obseruare diem abstinentiæ. qui ergo ita sapit, & discernit diem abstinentiæ, *Domino sapit*; hoc est, ad Dei legislatoris obsequium id facit & discernit. ita S. Chrysost. Græcè addunt, ὁ δὲ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ οὐ φρονεῖ. *Et qui non sapit, aut discernit diem, Domino non discernit*. q.d. Siue quis discernat diem, siue non, bene de eo existimandum est, & bene interpretandum (nisi contrarium constiterit) quòd scilicet id faciat ad honorem Dei: cuius signum est, quòd gratias agat Deo. Vnde explicando subdit Apostolus:

VERS. 6.

Sapere pro discernere.

ET QVI MANDVCAT (idolothyta, & cibos lege vetitos) DOMINO (ad Domini Dei honorem) MANDVCAT. ET QVI NON MANDVCAT, qui idolothytis & cibis lege vetitis abstinet, DOMINO NON MANDVCAT, id est, ad Domini honorem ijs abstinet: ET GRATIAS AGIT DEO] non tam quia vetitis abstinet, quàm quia lege concessis vtitur.

Vbi Nota, τὸ *non manducare*, non esse puram negationem, sed mistam habere affirmationem, atque idem esse quod vesci cibo lege permisso, reiecto vetito; de hoc enim gratias agit. Nota, Iudæos ex prisco patrum more in cibi sumptione gratiarum actionem vsurpasse. qua de re plura dicam 1. Timoth. 4. 4.

Gratiarum actio in cibi sumptione vsurpata Iudæis.

NEMO ENIM NOSTRVM SIBI VIVIT, ET NEMO SIBI MORITVR] q.d. Non ad nostrum vsum & commodum præcipuè, sed ad Dei obsequium viuimus & morimur: ille enim est dominus nostræ vitæ & mortis, in cuius vsum & laudem omnia nostra, ac consequenter omnis tam abstinẽtia, quàm manducatio nostra tendere debent; sicut serui omnia sua in dominorum suorum vsum & commodum referre solent & debent.

VERS. 7.

SIVE ENIM VIVIMVS, DOMINO VIVIMVS: SIVE MORIMVR, DOMINO MORIMVR. SIVE ERGO VIVIMVS, SIVE MORIMVR, DOMINI SVMVS] q.d. Nos quasi serui, ad Dei quasi Domini creatoris & redemptoris nostri honorem referimus nostram vitam, mortem, & omnia. si omnia, ergo & dierum & ciborum obseruationem & discretionem, vel eorundem indifferentiam & libertatem: ergo hæc non sunt peccata. Peccatum enim est contra honorem Domini, estque inobedientia contra Dominum. q.d. Totum, quod sumus, quod agimus, quod viuimus, quod morimur, est Christi Domini: eius enim serui sumus. Ad eius ergo obsequium & vsum vita, mors, & omnia nostra cedunt & tendunt, eoque sponte, quasi serui eius, referimus omnia: ipse enim est Dominus & iudex noster; ab eo iudicandi sumus: non ergo inuicem iudicemus. Vtrumque enim Apostolum spectare, scilicet Primò, in hoc ciborum delectu, vel abstinentia non

VERS. 8.

Omnia nostra ad Dei obsequium facienda.

esse peccatum: quia vtrumque fit ad honorē Domini, cui viuimus & morimur; patet ex vers. præced. *Domino*, inquit, *manducat*, vel *non manducat: gratias enim agit Deo.* Et Secundò, in hoc delectu non debere fideles se inuicem iudicare, cùm sint serui; sed totum iudicium relinquere Christo Domino, patet ex v. 10.

Gloria Dei sit finis actionum nostrarum.

Secundò, non malè Anselm. sic exponit, q. d. Domini gloriam viuendo & moriendo quærimus, vt possideamur ab eo quasi serui, siue viuentes, siue mortui simus. Hinc pro eius gloria lubentes vitam & omnia impendimus, mortem & sanguinem profundimus: non ergo de cibis ciborumque libero delectu minutè & anxiè disputemus aut tricemur. Hic sensus consequitur ex priori, eumque perficit & complet. Vnde etiam S. Chrysost. *Per hæc verba*, inquit, *ostendit Paulus, quòd maiorem nostri habeat curam Deus, quàm nos ipsi. & quòd vitam* B *nostram diuitias suas, & mortem damnum æstimet: non enim nobis ipsis tantùm morimur, sed & si morimur, Domino morimur: mortem verò hîc eam, quæ ex fide est, vocat.*

Tropolog. Gregor. homil. 22. in Ezech. *Sibi*, inquit, *sancti nec viuunt, nec moriuntur. Sibi non viuunt, quia per omne quod agunt, ad lucra spiritualia anhelant, atque orando, prædicando, sanctis operibus insistendo, cælestis patriæ ciues multiplicare desiderant. Sibi minimè moriuntur, quia in conspectu hominum Deum sua morte glorificant, ad quem peruenire etiam moriendo festinant.*

VERS. 9. IN HOC ENIM CHRISTVS MORTVVS EST, ET RESVRREXIT; VT ET MORTVORVM ET VIVORVM DOMINETVR] Probat Apostolus id quod præcessit: *Siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur:* id est, probat viuos & mortuos esse C

Qua de causa Christus dominetur viuis & mortuis.

Domini, siue Christum Dominum dominari viuis & mortuis. Probat inquam ex causa: hac enim de causa est Christus mortuus, & resurrexit; vt ex morte & resurrectione sua, dominium in viuos & mortuos, vel potiùs dominij huius sui vsum & exercitium adipisceretur, vtque omnibus dominaretur.

Notandum est enim, non dicit, Vt fiat dominus, scilicet vt accipiat ius & potestatem dominandi; sed *vt dominetur*, id est, vt exerceat acceptæ potestatis & dominij vsum. Nam Christus à primo in-

Christus post mortē obtinuit exercitium dominij sui.

stanti suæ incarnationis, ratione vnionis hypostaticæ, fuit Dominus omnium: sed post mortem huius dominij plenum exercitiū accepit. Pari modo Christus potestatem iudiciariam, æquè ac corporis gloriam, licet ratione vnionis hypostaticæ D

Christus sibi corporis gloriam & potestatem iudiciariā meruit.

sibi debitam, patiendo & moriendo meruit, eamque merito suæ humilitatis & mortis adeptus est post resurrectionem. Adde, meminisse Apostolum hîc resurrectionis Christi; quia hæc exemplar est nostræ resurrectionis. Sicut enim Christus mortuus est vt dominetur mortuorum, ita resurrexit vt dominetur viuorum: ergo resurgemus in vitam æternam, vt Christus nobis viuis dominetur in æternum.

VERS. 10. TV QVID IVDICAS FRATREM TVVM? OMNES ENIM STABIMVS ANTE TRIBVNAL CHRISTI] q. d. Vnus erit Iudex, scilicet Christus: ergo inuicem non iudicemus. Non enim sumus domini nostri, vel aliorum; sed omnes alienæ sumus potestatis, omnes serui Christi, ac consequenter omnes ab eo iudicandi; non autem iudices aliorum constituti sumus. Moraliter S. Chrysost. *Recordemur*, inquit, A *perpetuò terribilis illius tribunalis, fluminis ignis, vermiculorum insolubilium, profundarum tenebrarum, fridulorum dentium, venenosique vermis.*

SCRIPTVM EST ENIM (Isaiæ 45. v. 23.) VIVO EGO (iuro per vitam meam) DICIT DOMINVS, QVONIAM (quòd) MIHI FLECTETVR OMNE GENV (omnes gentes me colent & adorabunt. est enim hic loco prophetia de conuersione omnium gentium ad Christum) ET OMNIS LINGVA CONFITEBITVR DEO] q. d. Omnes homines me Christum hominem agnoscent pro Deo & iudice summo, laudabuntque meam clementiam vel iustitiam, sed boni voluntariè, mali inuitè & coactè. Isaias habet: *Mihi iurabit omnis lingua. Iurabit*, id est confitebitur. Est enim iusiurandum, vera ac aperta eius Dei professio, quem vt testem & periurij vindicem appellamus; adeò vt aliquando synecdochicè iusiurandum declaret vniuersum Dei cultum; & iurare in Deo, vel per Deum verum idem sit quod Deum verum colere, vt patet Isaiæ 19. v. 18. psal. 62. v. 12. *Laudabuntur*, inquit Psalmes, *omnes qui iurant in eo*, id est, omnes qui eum colunt.

HOC IVDICATE (decernite, statuite) MAGIS, VT PONATIS OFFENDICVLVM FRATRI, VEL SCANDALVM] Syrus hæc duo pro eodem accipit: sed Apostolus disiungit, & distinguit. *Offendiculum* ergo, Græcè πρόσκομμα, est id, in quod impingis, offendis, cadis & peccas. Vnde πρόσκομμα, ait Budæus, est πταῖσμα, id est casus, offensio, peccatum. *Scandalum* verò est id, in quo impingis, id est turbaris & tentaris; sed non cadis, non corruis, non peccas.

Nota. σκάνδαλον à σκαμβὸς, id est obliquus. Græcis est lignum incuruum, siue obliquum, quo D muscipula sustinetur, cui esca alligatur, vt mus eam arrodens, muscipulam in se euertat. Hinc Theologi *scandalum* vocant id, quod alteri est occasio peccati & ruinæ; vti hîc est comedere idolothyta, vel cibos lege vetere vetitos, coram Iudæis in fide Christi nouellis, qui id putant esse illicitum.

SCIO ET CONFIDO, πέπεισμαι, id est, vt Chrysost. persuasus sum, compertum habeo plenissimè, vel fido, fidenter teneo & doceo, securus sum me non decipi; IN DOMINO IESV, à quo didici, & scio id quod dico & doceo, QVIA (quòd) NIHIL COMMVNE PER IPSVM. q. d. Scio per Christum, id est, per Christi legem & libertatem, nullam esse communem, id est immundam, NISI EI QVI per errorem vel conscientiam erroneam ESTIMAT QVID COMMVNE ESSE, ILLI COMMVNE, id est immundum & vetitum, EST] Quia enim cibis apud Iudæos per legem Mosaicam immundis Gentiles omnes promiscuè & communiter vtebantur & vescebantur, itaque immunda hæc Iudæorum Gentilibus erant communia; hinc *commune* idem est, quod immundum; & *communicare*, siue commune facere idem est, quod polluere & profanare, vt patet Actor. 10. v. 14. Marci 7. v. 18. Vide Hieron. in 15. Matth.

Secundò, Origenes, Chrysost. Theophyl. & Syrus sic explicant, *per ipsum*, scilicet cibum. q. d. Nullus cibus per seipsum est immundus. Vbi Nota. cibum in se mundum, fuisse immundum, quia erat lege vetitus: rudiores tamen putabant cibos prohiberi, quòd in se immundi essent: sed errabant, quia ignorabant veram legis mentem & causam; scilicet

scilicet significationem moralem & mysticam huius abstinentiæ, de qua dixi Leuit. 11. Vide S. August. lib. 6. contra Faust. 7.

SI ENIM (græcè εἰ δὲ, si verò) PROPTER CIBVM FRATER TVVS CONTRISTATVR IAM NON SECVNDVM CHARITATEM AMBVLAS] q.d. Si frater tuus existimat cibum esse communem, & vitandum; & tu tamen eum comedis, itaque fratrem contristas & scandalizas; peccas contra charitatem: prouocas enim illum, vt contra conscientiam eumdem cibum comedat; vel vt hoc tuo scandalo offensus, à te, & tua fide ac religione resiliat, & redeat ad pristinum suum iudaismum, vel gentilismum.

NOLI CIBO TVO ILLVM PERDERE, PRO QVO CHRISTVS MORTVVS EST] Est hic acer stimulus & aculeus, quo Paulus pungit fideles, vt diligentissimè caueant scandala. q.d. Christus dedit vitam pro fratre tuo, tu pro eo da, aut potiùs relinque cibum: Christus ei mortuo vitam sua morte restituit, tu hanc illi tua vili esca noli adimere, noli eum perdere.

NON ERGO BLASPHEMETVR à Gentilibus propter vestram discordiam & scandalum, BONVM VESTRVM] Ita legunt Biblia Romana, & Syrus; sed Græca legunt ὑμῶν, id est vestrum. Quæres, quodnam sit hoc bonum? Respondet Primò, Origenes, est Christiana religio; Secundò, Theodor. est fides, Tertiò, Ambrosius, est doctrina Christi; Quartò, Chrysost. est spes futuri præmij, aut perfecta pietas; Quintò, Anselmus, est manducans bona & licita. Hæc omnia eòdem redeunt. Scilicet bonum hoc est libertas & fides Christiana, quam vt fideles per scandalum non obiiciant blasphemiæ Gentilium, monet & vrget hîc Apostolus cum Anselmo & S. Thomas. Gentes enim scandalizabantur, & à christianismo auertebantur, cùm videbant Christianos ita inter se contendere de cibis, & ciborum delectu.

NON EST REGNVM DEI ESCA ET POTVS; SED IVSTITIA, ET PAX, ET GAVDIVM IN SPIRITV SANCTO] q.d. Pietas, fides & charitas, quibus Deus regnat in nobis, non consistunt per se in certo cibo & potu, quasi hæc per se necessaria sint ad gratiam & beatitudinem assequendam, & per hæc gratiam Deo, cùm sint per se adiaphora. Dico per se; quia ex obedientia possunt esse necessaria, vt patet in Adamo, cui esus ligni scientiæ boni & mali veritus fuit, & cætera concessa sunt: idem patet in ieiuniis Ecclesiæ; cùm enim hæc ab Ecclesia indicuntur, tunc tamquam obedientiæ & temperantiæ vel obiecta, vel actus, pariunt iustitiam, pacem & gaudium Spiritus sancti, in quibus propriè & per se consistit regnum Dei iam dictum.

Adde: non dicit Paulus, Regnum Dei non est abstinentia, sed *regnum Dei non est esca*. quod notent Nouantes, qui vt pro suis escis pugnent, impugnant ieiunia Ecclesiæ. Sic 1. Corinth. 8. *Esca, inquit, nos non commendat Deo.*

Nota. Apostolus hîc & alibi *regnum Dei* vocat gratiam, per quam Deus regnat in nobis, qua peccata delentur, quâque Deo reconciliamur, vel gratiores efficimur, atque ius ad regnum & beatitudinem æternam acquirimus. patet ex sequent. Gratia ergo dicitur regnum Dei inchoatiue, quia per gratiam incipit Deus regnare in nobis, & qua gratia est inchoatio gloriæ & regni cælestis, in quo Deus plenè & perfectè regnabit in nobis.

A Est metonymia. Regnum enim hîc idem est quod modus, ratio, forma regni & regiminis Dei: hæc enim forma & norma non est sita in esca & potu, sed in iustitia, pace & gaudio Spiritus sancti.

II. *Regnū Dei Christianos significat.*

Posset Secundò, alia metonymia *regnum* hîc pro subditis, qui reguntur, capi, vt *regnum Dei* vocet hîc ipsos Christianos & sanctos, quos Deus regit & gubernat; hi non sunt esca & potus, id est, non fiunt per escam & potum: vt vox *sunt* sumatur non formaliter, sed causaliter pro *fiunt*, per metonymiam. q.d. Non propterea reddimur sancti & boni Christiani, in quibus Deus regnet, quòd cibis lege interdictis liberè vescamur; sed iustitia, pace & gaudio Spiritus sancti reddimur sancti, verique Christiani, & consequenter fimus regnum Dei.

B Tertiò, Anselmus propriè accipit regnum cælorum, hoc sensu, q.d. In cælo non erunt carnales deliciæ, non esca, non potus; sed iustitia, pax & gaudium. Verùm hoc anagogicum est.

III. *Regnū Dei est regnum cælorum.*

Moraliter audi S. Bernard. serm. 2. in hæc ipsa Apostoli verba. *Filij hominum vsquequò graui corde? quia corpore pingui. vt quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? Pinguedo carnis, delicia corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas relinquetis. Quoniam (inquit sanctus) cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quàm bene sicut oues? quia detracto vellere mundialium diuitiarum, durè pressos, detonsi sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos: quia semper morientur ad vitam, & semper viuent ad mortem. Ergo hîc caro vermibus, illic anima ignibus deputatur: donec rursus infelici collegio colligati tormentis pœnalibus socientur, qui socij fuerunt in vitiis. O delicate, qui deliciis & diuitiis circumfusus atque confusus, confusionem expectas & mortem; non est regnum Dei esca & potus, non purpura & byssus; quia diues ille vtroque circumfluus, in puncto ad inferna descendit, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.*

C QVI IN HOC (in hisce quæ dixi, putà in pace, iustitia & gaudio Spiritus sancti, in quibus consistit regnum Dei) SERVIT CHRISTO, PLACET DEO. VERS. 18.

NOLI PROPTER ESCAM DESTRVERE OPVS DEI] *Opus*, putà ædificium Dei, scilicet fidem, charitatem & religionem Christianam in proximo. Vel *opus Dei*, hoc est proximum ipsum, quem Deus fecit Christianum, fidelem, pium, immò donum & templum suum. Vide dicta v. 15. Sic Ephes. 2. 10. dicitur: *Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis*, &c. VERS. 20.

D BONVM EST NON BIBERE VINVM, NEQVE aliud quid simile facere, IN QVO FRATER (proximus) TVVS OFFENDITVR] Ita legunt Biblia Romana. alij legunt *offendit*: nam & græcè est προσκόπτει, id est offendit, impingit, hoc est scandalizatur, idem ergo hîc est *offendit* & *offenditur*: qui enim scandalizatur offendit & offenditur. VERS. 21.

TV FIDEM HABES? PENES TEMETIPSVM HABE CORAM DEO] Primò, Toletus *fidem* hîc propriè accipit, scilicet fidem veram & Christianam, qua rectè credis quemlibet cibum esse mundum, itaque eum comedis. VERS. 22.

Secundò & melius, fides idem est, quod persuasio certa & secura. *fidem* ergo *habes*, hoc est, in conscientia certus & securus es, nihil apud Christianos esse immundum legaliter, omnes escas etiam lege *Fides hîc idē est quod conscientia.*

veteri vetitas eis esse permissas. ita S. Chrysost. & Ambros. idque ex mente Apostoli, vt patebit v. vlt. Occurrit hîc Apostolus tacitæ obiectioni dicentium: Fides mihi dictat legales cæremonias esse abolitas, meque licitè quibuslibet posse vesci: sequar ergo fidem meam, escas lege vetitas manducabo, esto infirmiores inde offendantur. Respondet Apostolus: Tu fidem habes, sed eam

HABE PENES TEMETIPSVM]q. d. Noli illam iactare, illaque vti, cum fratris scandalo. Fides enim confitenda est semper, non autem semper profitenda: profiteri enim, est sponte fidem publicare; confiteri, est respondere interrogatum, ait S. Cyprianus epist. 83. Idem dico de fide, id est persuasione, vel credulitate conscientiæ, de qua propriè hîc agit Apostolus.

BEATVS QVI NON IVDICAT SEMETIPSVM IN EO QVOD PROBAT]Occasione eius quod dixit, *Tu fidem habes*, transit hîc Apostolus ad instructionem infirmi, qui vel exemplo doctioris comedentis, vel gula illectus, edebat suillam, aut aliud lege vetitum contra conscientiam, sicque peccabat. Dicit ergo: *Beatus qui non iudicat*, (qui non condemnat scrupulosè. ita Ambros. & Theodor.) *semetipsum in eo quod probat*, quod eligit, quod amplectitur. q. d. Beatus est qui nihil agit contra conscientiam, qui non mouet sibi dubia, & scrupulos in re aliàs licita & adiaphora, qualis est vesci idolothytis, aut cibis Iudæis vetitis.

Instructio pro scrupulosis & infirmis.

Quid beatus qui non iudicat se, &c. *Prima expositio & genuina.*

Secunda. Secundò, Salmeron: *Beatus* est, inquit, *qui non iudicat semetipsum* bene agere, vt sibi de virtute blandiatur, se iustum reputet & sanctum; sed potiùs cum Apostolo dicit, *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.*

Tertia. Tertiò, alij sic exponunt, q. d. Beatus est qui iudicium illius rei, quam approbat, agit, exequitur, non sumit ex se & suo capite, sed à viris peritis, probis & sapientibus: nam in rebus agendis prudentis est non suo, sed sapientum consilio niti.

Quarta. Quartò, Toletus: Beatus, inquit, est qui non iudicat se rectè facere, dum comedit cum scandalo proximi id, quod aliàs probat, id est quod aliàs per fidem approbat, scilicet cibum hunc quem comedit, vti & quemlibet alium, permissum & licitum esse. Verùm primum sensum exigit id, quod sequitur;

VERS. 23. QVI DISCERNIT cibum à cibo, quasi illicitum & vetitum à licito & permisso, SI MANDVCAVERIT, DAMNATVS EST (peccati & damnationis reatum incurrit) QVIA NON EX FIDE]hoc est, quia non ex conscientiæ dictamine & credulitate, qua credit licere hoc cibo vesci, supple *manducat*. q. d. Quia manducat, & agit contra conscientiam, hinc peccato & damnationi se obstringit. ita S. Chrysost. Pro *qui discernit*, græcè est Ὁ διακρινόμενος, quod etiam verti potest, qui disceptat, qui dubitat, sitne licitum, v. g. vesci suilla, nec ne. ita S. Chrysost. Theophyl. Oecumen.

OMNE QVOD NON EST EX FIDE, PECCATVM EST]Nota, fidem hîc non tantùm includere veritatem generalem, & speculatiuam; sed & particularem & practicam. Fides ergo est dictamen conscientiæ, siue persuasio & credulitas, qua iuxta regulas fidei & prudentiæ credis te hîc, v. g. comedendo idolothyta, aut cibos lege veteri vetitos, non malè, sed rectè agere, & Deo placere. quod enim non est secundùm hanc credulitatem, id est, quod est contra conscientiam, hoc peccatum est, ita S. Chrysost. Theodoret. Ambros. Theophyl. Oecumen.

Fides hîc idem est quod dictamen conscientiæ.

Hunc esse sensum, & hoc significare hîc fidem, patet tum ex Græco πίστις. Fides enim græcè dicitur πίστις, id est persuasio, ἀπὸ τοῦ πείθω, id est suadere, persuadere: tum ex ipso discursu Apostoli. Loquitur enim Apostolus infirmis, id est erroribus & scrupulosis, qui ex errore conscientiæ putabant nō licere sibi vesci cibis lege vetitis. Hinc qui discernit cibum hunc, quasi illicitum ab alio licito, si manducat id quod discernit quasi illicitū, damnatus est; quia non ex fide, id est, quia non ex credulitate quòd id liceat, sed contra conscientiæ dictamen manducat. Idem patet ex 1. Corinth. 8. 1. vbi fidem hanc explicans Apostolus eam vocat scientiam. Ait enim: *De iis autem quæ idolis sacrificantur scimus, quia omnes scientiam habemus.* Et v. 4. *De esu autem quæ idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus nisi vnus.* Fides ergo est scientia, qua quis scit idolum nihil esse, ac consequenter idolothyra nihil contrahere numinis falsi, aut vitij ex idolo cui immolantur, vt propterea esus eorum fidelibus sit licitus: ac consequenter licitè fideles iis vesci posse, perinde ac si idolo non essent immolata. Rursum, sicuti fides dicitur credulitas quâ quis credit quid esse verum, & à Deo reuelatum: ita pariter fides dici potest (vti hîc dicitur) credulitas quâ quis credit quippiam esse licitum. hoc enim est verum practicum, quod quasi obiectum spectat fides hanc practicam: sicut prior fides speculatiua pro obiecto habet verum speculatiuum. Insuper Cicero lib. 1. Officior. *Fides*, inquit, *est dictorum conuentorúmque constantia & veritas. Ex quo credamus, quia fiat quod dictum est, appellatam fidem.* Pari ergo ratione dicitur fit, quod in mente dictum est, putà quod mens & ratio faciendum dictat, fides est dicique debet: & qui hoc agit, fideliter, & ex fide, ac fide bona agere dicitur.

Confirmatur ex Cicero.

Hinc Theologi docent, conscientiam, licet erroneam, semper ligare, vt numquam contra eam agere liceat; sed eam deponere per prudentiæ nis, aut viri sapientis consilium; vel, si id non possit, sequi eam oporteat; si videlicet resolutio, & res ipsa differri non possit.

Dices, S. August. lib. 4. contra Iulian. 3. & lib. de Gratia Christi c. 26. & epist. 105. Prosper quoque lib. 3. de Vita contempl. 1. & 5. Bernard. lib. de Precept & dispens. fidem hîc proprie accipiunt: ergo cùm ait Apostolus, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; hinc rectè inferam, quòd omnia omnium infidelium opera, etiam bona, vti sunt eleëmosynæ, cùm non sint, nec fiant ex fide, sint peccata. Admittunt illationem hanc nonnulli Doctores Scholastici, vt Gregorius Arimin. Capreolus, Catharinus.

Verùm Respondeo, S. August. cum suis per *quod non est ex fide*, per miosin fic accipit, q. d. Apostolus, Quod est ex infidelitate, vel quod est contra fidem, quodque fit ad cultum idoli, hoc peccatum est, vti patet. Et quia S. August. putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum; hinc consequenter pleraque eorum opera putauit esse peccata. Sed hoc de omnibus non est verum: imò certum est infideles posse facere, & de facto facere multa opera moraliter bona; vt honorare parentes, dare eleemosynam, seruare promissa, non ad cultum idoli

fia

fas, (& quo sæpè non cogitant) sed tantùm hac de causa, quia illa honesta sunt, quia recta ratio illa dictat, ita vt hæc eorum opera moraliter bona sint, nec vllo malo fine, aut circumstantia vitientur.

Ruffum, Origen. Anselm. S. Leo serm. 2. de ieiunio Pentecostes, & Prosper per auxesin sic exponunt: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est, peccato coniunctum est: quia omnis infidelium virtus vana, inanis & falsa virtus est, nec hominem peccato liberare, aut absolutè bonum coram Deo efficere valet. *Omnis infidelium vita*, inquit Prosper in sentent. excerptis ex S. August. sentent. 106. *peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono. Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.*

A

Verùm, vt dixi, hæc non sunt hoc loco genuina, nec ad mentem Apostoli. Apostolus enim per fidem hîc non intelligit fidem Christianam, sed credulitatem, persuasionem, & dictamen conscientiæ.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Concludit, tam Gentes quàm Iudæos ad fidem & gratiam Christi vocatos, Deo gratias, inuicem gratulationem & pacem debere.

Primò ergo docet, quemque proximorum vtilitati, & mutuæ paci studere debere, quodq; Christum Iudæos ex promissione, quàm Gentes ex misericordia ad se & salutem vocauerit.

Secundo, v. 15. excusat se quòd liberiùs Romanis scripserit, tamquam Gentium Apostolus, ostendens quomodo hoc munus sit executus, nimirum quòd ab Ierusalem ad Illyricum primus ipse vbique euangelizauerit.

Tertiò, v. 24. destinat ire in Hispaniam, priùs tamen deferre eleëmosynam in Iudæam, ac deinde in transitu videre Romanos, petens vt pro se interim orent.

1. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. 2. Vnusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. 3. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. 4. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus. 5. Deus autem patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundùm Iesum Christum: 6. vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi. 7. Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. 8. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: 9. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. 10. Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe eius. 11. Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. 12. Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. 13. Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti. 14. Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere. 15. Audaciùs autem scripsi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, 16. vt sim minister Christi Iesu in Gentibus: sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. 17. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo & factis: 19. in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi. 20. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: 21. Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. 22. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc. 23. Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis: 24. cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero. 25. Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis. 26. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem. 27. Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis. 28. Hoc igitur cùm consummauero, & assignauero eis fructum hunc:

per

per vos proficiscar in Hispaniam. 29. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelij Christi veniam. 30. Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, 31. vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis. 32. vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. 33. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

VERS. 1. DEBEMVS IMBECILLITATES INFIRMORVM SVSTINERE] βαστάζειν, id est ferre, portare instar baiulorum, opitulari illis, &, vt explicat S. Basilius in breuioribus regul. 177. eas curare, *sicut Christus*, inquit Basilius, *nostras infirmitates portauit, id est curauit*. Sic Galat. 6. 2. ait: *Alter alterius onera portate*. Qua de re plura dicam ibi.

ET NON NOBIS PLACERE] non nostro animo morem gerere, vt quæ grata nobis sunt & vtilia, sectemur cum proximi scandalo, vel incommodo, v. g. vt idolothyta & escas lege vetitas comedamus cum offendiculo infirmorum, de quibus egit c. præced. eò enim alludit, imò redit: repetit enim dicta initio capitis præced. vt patet verba vtrimque conferenti.

VERS. 2. VNVSQVISQVE VESTRVM PROXIMO SVO PLACEAT, condescendat, morem gerat, obsecundet, illi se accommodet, non in malum, sed IN BONVM, AD ÆDIFICATIONEM] vt scilicet illum sua charitate, continentia, modestia ædificet, pelliciatque ad omne bonum.

VERS. 3. ETENIM CHRISTVS NON SIBI PLACVIT] q. d. Imitamini Christum. Nam Christus suæ voluntati, naturæ, quieti, & commodis non seruiuit, vt nos & nostra negligeret, sed ea omnia, & vitam suam pro nostra salute exposuit: ita ergo & nos Christiani debemus facere pro fratrum salute, eorumque infirmitates sustinere; &, ne eos scandalizemus, à multis etiam licitis & nobis commodis abstinere, atque impensè eorum salutem procurare.

SED, supple nostris commodis seruiuit Christus, SICVT SCRIPTVM EST. psalm. 68. 10. IMPROPERIA IMPROPERANTIVM TIBI CECIDERVNT SVPER ME] q. d. Opprobria & peccata contra te, ô Deus, facta, ita me Christum afflixerunt, atque si in me facta essent; adeoque pro eis indolui, & me humiliaui, vt susceperim ea in me punienda & eluenda in carne mea, idque Primò, vt honorem tibi per peccata hominum quasi ablatum, mea satisfactione redderem, & restituerem. Secundò, vt iram tuam in homines placarem. Hoc enim secundum hîc innuit Apostolus: primùm verò directè innuit Psaltes, vt rectè annotauit Iansenius in psalm. 68.

VERS. 4. QVAECVMQVE SCRIPTA SVNT, AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SVNT] Hisce verbis ostendit Paulus se versiculum psalmi 68. iam citatum, licet is in persona Christi dictus & scriptus sit, non malè ad Romanorum institutionem hîc citasse, & transtulisse, quia quæcumque scripta sunt in sacra Scriptura, præsertim de Christo, ad nostram qui Christiani sumus doctrinam, institutionem & imitationem scripta sunt.

VT PER PATIENTIAM, ET CONSOLATIONEM SCRIPTVRARVM SPEM HABEAMVS] futuræ gloriæ & vitæ æternæ. Pro *per consolationem*, græcè est διὰ τῆς παρακλήσεως, quod Secundò, verti potest cum Ambros. *per* Scripturarum *exhortationem*, scilicet ad bona opera; hæc enim spem exacuunt.

A Facit hoc Scriptura per exempla, quæ narrat, per exhortationes, per promissiones, & præmia, quæ Deus seruis suis promittit in Scriptura. His enim nos consolatur, exhortatur, & in spem beatitudinis excitat.

Nota. *Patientia Scripturarum* est ea, quam nos docent Scripturæ: consolatio autem, qua nos consolantur. ita Maldon. in Notis manusc. Alij patientiam per se sumunt, & distinguunt à consolatione Scripturarum. Porrò patientiam intelligit, qua instar Christi infirmitates infirmorum sustinemus, vt patet v. 1. & 3.

DEVS AVTEM PATIENTIÆ ET SOLATII] scilicet Vat. auctor, dator. Sic & v. 13. & 33. vocatur *Deus pacis & spei*, scilicet largitor. ita Theophyl.

Secundò, *Deus patientiæ & solatii*. Hoc est Deus patientissimus, & summè consolans, ita vt in sua deitate includat patientiam & consolationem, sitque per essentiam ipse totus consolatio, imò mare & oceanus consolationis, quam in seruos suos etiam in hac vita ita effundit subinde, in acerrimis quoque tribulationibus & doloribus, vt cor mortale illam non capiat, sed exclamare cogatur cum S. Xauerio: *Satis est Domine, satis est*. B

DET VOBIS IDIPSVM SAPERE, consentire, esse concordes, tum iudicio, tum affectu, eundemque affectum, beneuolentiam & beneficentiam inuicem exhibere. Vide dicta c. 12. v. 16. idque SECVNDVM IESVM CHRISTVM] id est, secundùm legem, vitam, exemplum & præscriptum Christi, siue prout requirit Christus & christianismus.

PROPTER QVOD SVSCIPITE INVICEM, SICVT ET CHRISTVS SVSCEPIT VOS] Pro *suscipite*, græcè est προσλαμβάνεσθε, hoc est, vltrò excipite inuicem, mutuo vos iuuate & fouete, remotis dissidijs, tum ex ciborum delectu, tum ex diuersitate nationum, scilicet Iudæorum & Gentium, ortis. Quia Christus vtrosque suscepit, pro vtriusque mortuus est, vtriusque salutis media dedit, vtrosque beare, & in cælo vnire cupit. C

Nota Primò. *Suscipere* in Scriptura, maxime psalmis, significat iuuare, fouere, promouere, vt dixi c. 14. v. 1.

Nota Secundò. Postquam dixit Apostolus, *suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos*, addit, *in honorem Dei*: quia cùm Christi redemptio, qua nos in filios suscepit & adoptauit, cesserit in honorem Dei; tum mutua Christianorum susceptio & concordia, ad quam Christus quasi pater eos suscepit in vnam Ecclesiam & familiam, in Dei honorem tendit & vergit. Multum enim religioni detrahitur ex discordia eorum, qui sub vno militant nomine Christiano, vt notat Ambros. Et contrà ex concordia fidelium plurimum illi accedit; adeò vt Gentilium admirantium & collaudantium olim vox communis de Christianis fuerit: *Videte vt isti inuicem diligant*, vti superiùs ex Tertull. ostendi.

DICO ENIM CHRISTVM IESVM MINISTRVM Vat. FVISSE

PRIOR CIRCVMCISIONIS] non propriè: Christus enim circumcisionem & legem veterem abrogauit, aut potiùs impleuit: sed *circumcisionis*, id est circumcisorum, ministerium, id est prædicator & operator salutis, ac doctor fuit Christus. Intra Iudæorum enim fines docendo & euangelizando se continuit Christus, ita Anselm. Vnde dicit ipse Matth. 15. 24. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.*

Aliter explicant S. Chrysost. & Theophyl. ministrum Christum dici ministrum circumcisionis, eo quòd Christus circumcisus est, & legem veterem seruauit. Iam sensus est, q.d. Paulus: Ergo ô Gentes quasi nouitiæ in fide, humiliter vos gerite erga Iudæos, eosque in iudaismo suo quasi inueteratos tolerate, vtpote quos Christus tolerauit: imò quorum minister fuit & Apostolus; id que *propter veritatem*, id est veracitatem, *Dei, ad confirmandas promissiones patrum*: vt nimirum Deus ostenderet se verum in promissis patribus factis. hac enim de causa Deus Iudæis Christum à se promissum dedit & exhibuit, quasi ex fidelitate & iustitia; Gentibus verò eundem dedit gratis, & ex pura misericordia. Et hoc est quod subdit Paulus dicens:

GENTES AVTEM (repete, dico) SVPER MISERICORDIA [pro misericordia sibi per Christum exhibita] DEBERE HONORARE DEVM, SICVT SCRIPTVM EST, psalm. 17. 50. PROPTEREA, (propter vocationem, gratiam, aliaque beneficia Gentibus præstita, quæ in sensu allegorico recensuit Psaltes psalmo illo 17.) CONFITEBOR TIBI IN GENTIBVS DOMINE] q.d. Inter Gentes, ô Domine, apertè profitebor & celebrabo tuum nomen, misericordiam, & beneficia eis exhibita.

ITERVM DICIT (Deut. 32. 43. iuxta Septuaginta) LETAMINI GENTES CVM PLEBE EIVS] cum Iudæis conuersis. Conglomerat Apostolus hîc testimonia Script. de vocatione Gentium, tum vt Iudæis eam magis persuadeat, tum vt Gentes hoc beneficium magis ponderent, Deoque gratias agant.

ET RVRSVS ISAIAS AIT (cap. 11. 10.) ERIT RADIX IESSE, ET QVI EXVRGET REGERE GENTES] Nota. Metonymicè *radix* hîc est virga ex radice pullulans. Sic Isaiæ 53. 1. de Christo dicitur: *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Et Isaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse.* Radix ergo Iesse, est Christus ortus ex stirpe Dauidis & Iesse.

Subtiliùs & sublimiùs hîc aliqui philosophantur. Apocal. 5. vbi rursum Christus vocatur radix Dauid. Andreas Cæsar. & Rupertus id ita explicant: Christus, inquiunt, quoad diuinitatem est radix Dauid, licet quoad humanitatem ipse fuerit ex radice Dauid. Nam Christus, qua homo, natus est ex semine Dauid; sed qua Deus, fuit radix, id est creator & dominus, Dauidis.

Tertiò, Aretas & Ansbertus ibidem: Christus, inquiunt, est radix Dauid, quia Dauid non fuit radix, sed tantùm semen, ex quo ortus est Christus quasi radix germinans omnes fideles, omnem gratiam & gloriam.

Quartò, Pererius ibidē: Dauid, inquit, fuit radix Christi, quoad humanā naturam: Christus vicissim fuit radix Dauidis, quoad eximiam sanctificationē, exaltationem & glorificationem Dauidis. Ob hoc enim ita exaltatus fuit Dauid, & tot donis cumulatus à Deo, quòd ex eius stirpe nasciturus erat Christus, qui appellandus erat filius Dauid.

A Verùm primus sensus est litteralis & genuinus; tum quia eum exposcit phrasis Hebræa: tum quia ita explicat se Scriptura Apoc. 22. 16. cùm dicit: *Ego sum radix & genus Dauid.*

ET QVI EXVRGET REGERE GENTES, IN IPSVM GENTES SPERABVNT] *Et*, hîc significat id est. q.d. Radix hîc ille est, vel idem est, qui reget Gentes, vti prædixit Isaias c. 11. 10. vbi ad verbum sic habetur: *Qui stat in signum populorum*, hebraicè לְנֵס עַמִּים *lenes ammim*, id est, in vexillum Gentiū, vt scilicet ad Christi regis castra & vexillum Gentes confluant: itaque *ipsum Gentes deprecabuntur.* q.d. Cùm surculus iste ex radice Iessæa germinās, scilicet Christus, in crucem exaltatus & erectus fuerit in signum & vexillum, omnes tam Iudæos quàm Gentiles trahet ad se & sua castra, ait S. Hieron. in 11. Isaiæ, vt in illum credant, sperent, inuocent, & ab eo accipiant gratiam, iustitiam, salutem & gloriam: ac consequenter ipse Christus quasi dux belli, suo vexillo omnes Gentes quasi milites suos sibi subdet & reget, vt pugnent contra diabolum, peccatum, carnem & mundum, ac pugnando vincant & triumphent. *Christus dux & vexillifer Gentium.*

B

DEVS AVTEM SPEI, scilicet auctor cuius gratia factum est, vt in eum speretis. vide dicta v. 5. REPLEAT VOS OMNI GAVDIO ET PACE IN CREDENDO] vt nimirum in fide susceptā nullas contentiones cum fratribus habeatis, vti hactenus habuistis Iudæi cum Gentibus; sed perennem pacem, & concordiam mutuam colatis. Aut, q.d Deus efficiat vt credatis, id est, pergatis credere, & in fide susceptā stabiliter firmi & constantes, vtque ex hac fide vestra gaudio & pace repleamini. ita Maldon. in Notis manusc. VERS. 13.

C VT ABVNDETIS IN SPE ET VIRTVTE SPIRITVS SANCTI] Græcè ἐν δυνάμει, id est, in fortitudine accepta à Spiritu sancto, putà in gratia & donis Spiritus sancti, quibus anima fit robusta & potens ad quodlibet bonum, arduum & magnificum operandum.

CERTVS SVM AVTEM] πέπεισμαι, persuasum habeo, confido in Domino, mihi certò persuadeo. Certitudo hæc ex affectu charitatis bene de suis sentientis, & ex rumore ac sermone hominum fide dignorum oriebatur. VERS. 14.

CERTVS SVM ERGO DE VOBIS, QVONIAM (quòd) ET IPSI PLENI ESTIS DILECTIONE, REPLETI OMNI SCIENTIA, ITA VT POSSITIS ALTERVTRVM MONERE] Nota hîc modestiam Apostoli, qua se mirè insinuat Romanis. q.d. Ego vos, ô Romani, hac epistola doceo & admoneo, non quasi ignaros, torpidos aut improbos, quique non possitis inuicem monere: certus enim sum, vos plenos esse dilectione & scientia; sed tantùm, vt ostendam animi mei affectum erga vos, vtque memoriam eorum quæ scitis vobis refricem, tamquam Apostolus vester, vti ipse se explicat v. sequenti. *Modestia Apostoli.*

D

Nota Secundò, hæc duo in monitore requiri, scilicet Primò, dilectionem, quæ inducat eum ad proximi salutem procurandam, & per quam monendum sibi conciliet, vt monita sua placidè accipiat; vnde pro *dilectione* græcè est ἀγαθωσύνη, id est bonitas, siue benigna charitas. Secundò, scientiam, vt sciat monitor quid, quādo, quomodo monere debeat de quo pulchra & practica documenta dat S. Gregor. in Pastorali. *Monitoris conditiones duæ: 1. dilectio.* *II. scientia.*

AVDACIVS SCRIPSI VOBIS FRATRES EX PARTE, TAMQVAM IN MEMORIAM VOS REDVCENS, PRO- VERS. 15.

PROPTER GRATIAM (apostolatum) QVAE DATA EST MIHI A DEO] Discant hinc Superiores subditis non superbè, sed humiliter imperare, scribere, monere, sicut Apostolus hîc: *Scripsi*, inquit, hæc non docens, sed *in memoriam vos reducens*, vt officio & muneri, putà apostolatui meo, satisfaciam. Monitioni enim & correctioni magnam suauitatem, gratiam & efficaciam dat humilitas.

Humilitas Apostoli in monendo.

VERS. 16. VT SIM MINISTER CHRISTI IESV] *Minister*, supple sacrorum, id est sacerdos: græcè enim non est λάτρης, sed λειτουργός. q.d. Sacerdos sum hoc ipso quòd Apostolus.

SANCTIFICANS EVANGELIVM DEI] Id est, sacris operans prædicando Euangelium sanctum, & per quod Gentes sanctificantur. Græcè enim est ἱερουργοῦντα (quo nomine Septuag. reddunt Hebræum כֹּהֵן *cohen*, id est, sacerdos sacrificans) τὸ εὐαγγέλιον: quod S. August. vertit, *consecrans Euangelium*, id est, Euangelij prædicationem. *Sanctificare* ergo hîc, est sacrificare, siue sanctam victimam (putà Gentes fideles & sanctas per Euangelij prædicationem) facere, consecrare, offerre Deo. Sic Ioan. 17. v. 19. ait Christus: *Pro eis ego sanctifico meipsum*, id est, meipsum in sanctam victimam in cruce consecro & offero pro ipsis. Adde, voce *sanctificans*, significat hîc Apostolus prædicationem Euangelij, quasi rem sacram, non ad sartores & laicos, sed ad presbyteros Deo consecratos pertinere.

Quid sanctificare vel sacrificare Euangelium.

Prædicatio non est laicorum munus.

VT FIAT OBLATIO GENTIVM ACCEPTA, ET SANCTIFICATA IN SPIRITV SANCTO] q.d. Ad hoc sum sacerdos mysticus, putà præco Euangelij, vt nimirum per meam prædicationem Gentiles placeant Deo, & sanctificentur per Spiritum sanctũ, itaque quasi victima munda & acceptissima Deo offerantur, & consecrentur, inquit S. August. ipsiq; deinde opera sancta Deo quasi victimas offerant.

Pulchra allegoria de conuersione Gentium.

Nota. Ex Græco patet hîc esse illustrem metaphoram, vel potiùs allegoriam, petitam ex victimarum immolatione. Est enim hîc Sacrificium, ipsa Gentium conuersio, & oblatio Deo: Victimæ sunt ipsæ Gentes conuersæ, & oblatæ Deo: Sacerdos est Paulus, & quiuis præco Euangelij: Consecratio est ipsa prædicatio Euangelij, qua Gentes conuertuntur, & Deo sanctificantur: Ignis quo Deo incenduntur & comburuntur, est Spiritus sanctus. ita S. Chrysost. & Theophyl.

Simili ergo modo omnes qui conuertunt animas, sunt Sacerdotes: labor docendi & concionandi est Consecratio: Victimæ præstantissimæ sunt ipsæ animæ: Sacrificium est ipsa earumdem conuersio. Vide hîc qua puritate, religione & studio concionatores, alijq; similes tractare debeant suas conciones, suaque munia circa proximorum salutem obire, nimirum perinde ac si sacrificarent, & sacris (vti reipsa faciunt) operarentur.

Concionatores quomodo suo munere fungi debeant.

Prædicationem Euangelij vnicè esse in Ecclesia sacrificium cõminiscuntur hæretici.

Nota Secundò, Ex hoc loco hæretici contendunt non aliud in Ecclesia esse sacrificium, quàm prædicationem Euangelij. Sed errant, quia nemo non videt hæc omnia esse metaphorica. Et simili metaphora v. 25. eleëmosynam vocat Apostolus liturgiam; vti & 2. Corinth. 9. 12. in Græco. Sic & c. 12. 1. corpora nostra vocauit hostiam viuentem. Nam solam Eucharistiam esse sacrificium propriè dictum, patet 1. Cor. 10. 20. & 21. Hebr. 7. 17. Hebr. 13. 10. Actor. 13. 2. in Græco.

VERS. 17. HABEO IGITVR GLORIAM IN CHRISTO IESV AD DEVM] q. d. Ex eo quòd sim minister Christi atque sacerdos, & Apostolus Gentium, vti iam dixi, habeo vnde glorier, non in me, sed *in Christo*, qui per me operatus est, & in dies operatur salutem Gentium; idque *ad Deum*, id est, in ijs rebus quæ ad Deum pertinent, putà in rebus salutis, quæ ad gratiam & gloriam diuinam spectant. Hoc enim est græcè τὰ πρὸς θεόν.

NON AVDEO ALIQVID LOQVI EORVM, QVAE PER ME NON EFFICIT CHRISTVS, IN (circa conuersionem &) OBEDIENTIAM GENTIVM] q.d. Habeo vnde glorier, si cogitem & loquar, non falsa, sed vera, putà ea quæ verè per me efficit Christus, in tam mira & magnifica tot Gentium conuersione. Est miosis. Ex modestia enim Paulus non dicit expressè se mira hæc efficere, sed id tantùm ex contrario colligendum relinquit dicens: *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus*. inde enim rectè à contrario sequitur: ergo quidquid loquor & glorior de ijs quæ per me efficit Christus, idipsum verè loquor & glorior. In verbo *audeo*, respicit ad id quod dixit v. 15. *Audaciùs autem scripsi*, q.d. Audaciùs scripsi ob gratiam, quam vident omnes mihi datam à Deo: non enim audeo scribere & gloriari de meis viribus & gestis, quasi meis, vti faciunt vani & superbi.

IN VIRTVTE SPIRITVS SANCTI] ἐν δυνάμει, hoc est, in potentia, robore, efficacia, putà in potenti & efficaci operatione Spiritus sancti, quam explicat dum subdit:

ITA VT AB IERVSALEM VSQVE AD ILLYRICVM (quæ nunc Sclauonia, vel Bosnia dicitur) REPLEVERIM (plenè annunciauerim vbique) EVANGELIVM CHRISTI] Est Hebraica catachresis. Replere enim Euangelium est plenè illud prædicare. ita Vatabl. Potest Secundò, Euangelium hîc accipi pro prædicatione Euangelij, & implere pro perficere. q.d. Vt impleam & perficiam prædicationem Euangelij. Sic enim 3. Reg. 1. 14. dicit Nathan ad Bethsabee: *Ego complebo*, id est perficiam, *sermones tuos*: sic sæpè alibi *implere* significat perficere.

Tertiò, Toletus sic explicat, q.d. Ego Euangelium quasi rete impleui multitudine Gentium quos conuerti, quasi piscibus. Hic sensus acutior est quàm germanior: potiùs hac ratione per Hebraei hypallagen, replere Euangelium significaret, Euangelio replere prouincias ab Ierusalem vsque ad Illyricum. Sic enim Hebræi loquuntur: replere lapides vel gemmas in Ephod, hoc est, Ephod replere & ornare gemmis & lapidibus pretiosis, vt patet Exodi 39. 10. & Exodi 31. 5. in Hebræo. Indeque Hebræi gemmas Rationalis vocant אַבְנֵי מִלֻּאִים *abne milluim*, id est, lapides plenitudinum, vt patet Exodi 25. v. 7. in Hebræo, quia, vt explicat Chaldæus, hæ gemmæ cælatoras Ephod & Rationalis implebant, perinde ac smaragdus palam annuli implere solet. Pari enim hebraismo dici hîc potest, Paulum Euangelium impleuisse, hoc est, Euangelio quasi gemma pretiosissima impleuisse & ornasse mentes hominum, omnesque prouincias, quæ sunt quasi annuli, Ephod & Rationale Christi. Atque hic sensus fortè pluribus placebit, videbiturq; ad Hebræam phrasim maximè accedere.

Nota hîc ingentem zelum & circuitum Apostoli: duos hoc loco prædicationis suæ terminos statuit, Ierusalem & Illyricum, medias omnes regiones, Arabiam, Damascum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Mysiam,

Macedoniam Troadem. Achaiam. Epirum, & alias, quas Ephesum, omnes fide Christi illustrans & charitate feruentes paucis annis ipse peruasit. A

SIC AVTEM PRÆDICAVI] οὕτω φιλοτιμούμενον, sic magno studio connisus sum & ambitui euangelizare. Græco est hebraismus. Accusatiuus enim per anteptosin ponitur pro nominatiuo. scilicet φιλοτιμούμενος pro φιλοτιμούμενος: idque fit quia præcessit accusatiui, vt nimirum cum illis hic quoque conueniat & concordet.

SICVT SCRIPTVM EST. Isaiæ 52.15. vbi extat de vocatione Gentium prophetia, quam partim per Paulum impleri voluit Christus, partim per alios Apostolos: ait enim Isaias, QVIBVS NON EST ANNVNCIATVM DE EO (putà Gentes Deum & Christum ignorantes) VIDEBVNT] cognoscent eumdem.

QVOTIES DIEBAM PLVRIMVM (τὰ πολλὰ, id est, pluries: B in sensu) VENIRE.

VLTERIVS LOCVM NON HABENS IN HIS REGIONIBVS] Locum, scilicet vacuum, cùm in eis repleuerim, vt dixi v.19. Euangelium, vbique fundatis Ecclesijs, vbique constitutis & ordinatis Episcopis, & presbyteris qui mea cœpta perficiant.

CVM IN HISPANIAM PROFICISCI COEPERO. SPERO QVOD PRAETERIENS VIDEAM (videbo) VOS] Notant plerique omnes Patres docere, Paulum, vti præmisit hîc, ita reuera iuisse in Hispaniam, scilicet post liberationem ex primo carcere Romano sub Nerone, quæ contigit anno Christi 61. vbi Lucas finit acta Pauli & Apostolorum. Postea enim octo annos superuixit Paulus: occisus enim est anno Neronis 14. Christi 69. Licet gesta hisce octo annis nec Lucas, nec quis alius scripserit: ita docent S. Hippolytus. Athanas. Cyrill. Sophron. Epiphan. Chrysost. Theodor. Hieron. Gregor. Isidorus, Beda. Ado, Metaphrast. quos citat & sequitur Baronius anno Christi 61. & Pererius hîc. Negat tamen idipsum S. Thom. ac D. Soto, & videntur fauere Gelasius Papa, & Innocentius I. epist. ad Decentium; sed eos facilè excusat Pererius. Astipulatur & Rom. Martyrol. 25. Septemb. dum ait: *Narbonæ in Gallia natalis S. Pauli Episcopi, quem tradunt fuisse Sergium Paulum Proconsulem, qui ab Paulo Apostolo baptizatus, & cùm in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem episcopali dignitate donatus est: vbi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migrauit in cælum.* C

Audi quæ de Probo, Xantippe, Philotheo & aliis in Hispania à S. Paulo conuersis, narrat ex Sophronio Ioan. Vasæus in Chron. Hispan. Sophronius, inquit, Patriarcha Hierosolymitanus scribit, Italiæ, Galliæ & Hispaniæ trâsitu B. Pauli illustratum, cùm in domo Probi, illustris cuiusdam viri, hospitio susceptus in Hispania fuisset, & Xantippe vxor eiusdem Probi modestiam hospitis sedulùsin eum intentam admiraretur; diuina voluntate factum est, vt, dum sic intenta vultui peregrini inhæreret, apparuerit ante frontē Pauli quasi literis aureis scriptum: *Paulus Apostolus, prædicator Christi.* Quæ cùm pronuncia fama multa de Apostolo audisset, & diu desiderasset vultum eius videre, gaudio pariter re- D solutus & stupore, cum lachrymis corruit ad eius pedes. Edocta autem mysteria Christi, cum viro & familia Christo regenerata est. Sed & traditur Philotheus, eius regionis princeps, Paulo adhæsisse, factus Christi Confessor. Quin & Menologia Græcorum S. Xantippes à Paulo in Hispania conuersæ diem natalem consignant 25. Septembr.

Cornel. in epist. Pauli.

SI VOBIS PRIMVM EX PARTE FRVITVS FVERO] Nota τὸ *ex parte*. q.d. Inexplebile habeo vestri desiderium, vt numquam totum illud saturare possim, sed dumtaxat ex parte; præsertim si tantùm in transitu vos videam & salutem, vti destino. ita Theophyl.

Nota Secundò. Pro *fruitus fuero*, græcè est ἐμπλησθῶ, id est expletus fuero, scilicet iucunditate honestæ delectationis, quam ex vestra præsentia & consuetudine capiam. Hoc enim est frui. Sic enim fruitio distinguitur ab amore, qui abstrahit ab amati præsentia, & à desiderio, quod est rei absentis. ita Theologi ex S. August. libr. 1. de Doctrina Christian. cap. 33. *Frui quid.*

PROFICISCAR IN IERVSALEM MINISTRARE SANCTIS] vt Iudæis Christianis in paupertate & necessitate constituris deferam collectam eleëmosynarum, quam pro eis feci in Macedonia & Achaia. Pro *ministrare* græcè est λειτουργῆσαι quasi eleëmosyna sit liturgia & sacrificium, ipsique eleëmosynarij sint λειτουργοὶ siue sacerdotes & sacrificij Dei: quia eleëmosyna est generale quoddam sacrificium, Deoque gratissimum. Nam de ea dicit Dominus: *Misericordiam volo, non sacrificium.* Vide dicta v.16. VERS. 25. *Apostoli in egentes benignitas.*

IN PAVPERES SANCTORVM] hoc est, in pauperes sanctos. putà in pauperes Christianos. Sic Plinius *honorum oblonga* dixit pro oua oblonga. VERS. 26.

SI SPIRITVALIVM EORVM PARTICIPES FACTI SVNT GENTILES, DEBENT ET IN CARNALIBVS (in temporalibus bonis) MINISTRARE ILLIS] Nota. Spiritualia bona à Iudæis acceperunt Gentiles, Primò, quia Christum, Apostolos, fidem, &c. Gentes à Iudæis quibus hæc promissa & data sunt, acceperunt. Secundò, quia per preces, obsequia, & ministeria sua subseruiebant Christiani qui erant in Iudæa, Apostolis & Euangelio apud Gentes. VERS. 27. *Spiritualia bona à Iudæis in Gentes collata.*

CVM ASSIGNAVERO EIS FRVCTVM HVNC Pro *assignauero* græcè est σφραγισάμενος, obsignauero, id est obsignatam à Gentilibus pecuniam fideliter tradidero; ne quis putet me inde quid vsurpasse. Solent enim veteres annuis suis obsignare ea, quæ fideliter seruata vel translata cuperent. En quàm cautè prouidet Paulus bona coram Deo & hominibus, in pio opere eleëmosynæ. VERS. 28. *Cautela Apostoli in tractandis pecuniis.*

Nota. *Fructum*, vocat eleëmosynam, quæ, vt ait Chrysost. fructus est & commodum, non tam accipienti, quàm danti. Nam Christus inquit: *Beatius est dare quàm accipere. Beatus*, quia liberalius, generosius, virtuosius, & magis meritorium.

Apostolus tamen propriè eleemosynam hîc vocat fructum, non dantium, sed accipientium eam, fructum scilicet spiritualium bonorum, quæ Iudæi communicarant Gentibus, vt dixi v.27. Sicuti præcones fructum suæ prædicationis habent sustentationem & alimoniam.

IN ABVNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII CHRISTI VENIAM] Ita lege cum Roman. & Græco. Per *benedictionem*, Primò, Ambros. accipit miracula; Secundò, Theodor. pericula quæ pâssuruserat Paulus propter Euangelium; Tertiò, Theoph. eleëmosynas, quas Romæ erat collecturus pro Hierosolymitanis; Quartò, Chrysost. sic explicat, q.d. Scio cùm veniam, inueniam vos plenos omnibus donis spiritualibus; Quintò & optimè, benedictio hæc est gratia & charismata Euangelij, q.d. Deus per meum aduentum, prædicationem & conuersationem copiosam vobis impertietur Euangelicorum VERS. 29. *Benedictio Pauli quintuplex.* *Aduentus Apostoli Romanis causa benedictionis Euangelicæ.*

rum mysteriorum cognitionem, amorem, consolationem, gratiam & fructum, ita Origen. & Anselm.

VERS. 30. OBSECRO VOS VT ADIVVETIS ME IN ORATIONIBVS VESTRIS AD DEVM] Pro *adiuuetis me*, græcè est συναγωνίσασθέ μοι, id est, vt concertetis in agone mecum. Præsagiebat Apostolus certamen, quod postea habuit Hierosolymis Actor. 21. 27. vbi captus fuit ab infidelibus Iudæis, contra quos precibus certabat, & Romanorum, vt secum certent, preces hic implorat. ita S. Chrysost.

Inuocationē Sanctorum licitā esse probatur.

Multò ergo magis licet inuocare sine vlla Dei iniuria, opem Sanctorum in cælis cum Christo regnantium. Si enim Paulus hic sine iniuria Dei, id est, honoris, inuocationis, & adorationis Dei petit : O Romani orate pro me ; cur sim Deo iniurius, si dicam : S. Petre ora pro me?

OBSEQVII MEI (ministerij eleëmosynarum, quas defero Christianis pauperibus in Iudæa degentibus) OBLATIO ACCEPTA FIAT IN IERVSALEM SANCTIS] q. d. Orate pro me, non tantùm ad hoc, vt eleëmosyna quam perfero, securè ad Hierosolymitanorum manus perueniat ; sed etiam ad hoc, vt grata sit illis, & hilariter accepta, neue propter me displiceat, aut minùs arrideat. Erat enim Paulus Iudæo-Christianis suspectus, quasi hostis iudaismi, & Gentium patronus.

VT REFRIGERER VOBISCVM] q. d. Vt refociller, & ex tot laboribus recreer videns vestrum profectum in Euangelio, & vos pariter recreemini videntes me, de quo multa inaudistis.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Apostoli humanitas in salutandis amicis Christianis.

TOtum caput continet salutationes. Vnde colligas humanitatem Pauli, beneuolentiam, & charitatem maternam erga singulos. Discant hic Præcones, imò Christiani omnes illud: Saluta libenter, resaluta libentiùs.

Interim Secundò, v. 17. iubet vt caueant eos qui faciunt dissensiones & offendicula.

Tertiò, v. 25. Deo, qui omnes Gentes per Christum vocauit ad Euangelium & salutem, optat & tribuit honorem & gloriam æternam.

1. COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris: 2. vt eam suscipiatis in Domino dignè sanctis: & assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi. 3. Salutate Priscam & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu; 4. (qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium) 5. & domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitiuus Asiæ in Christo. 6. Salutate Mariam, quæ multùm laborauit in vobis. 7. Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos & concaptiuos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo. 8. Salutate Amplia-tum dilectissimum mihi in Domino. 9. Salutate Vrbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum. 10. Salutate Apellen probum in Christo. 11. Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. 12. Salutate Tryphænam, & Tryphosam quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quę multùm laborauit in Domino. 13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam. 14. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis sunt, fratres. 15. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & sororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos. 16. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. 17. Rogo autem vos, fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. 18. Huiusce modi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. 19. Vestra enim obedientia in omnem locum diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. 20. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. 21. Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. 22. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino. 23. Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus, frater. 24. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amē. 25. Ei autem, qui potens est vos confirmare iuxta Euāgelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundùm reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, 26. (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, 27. soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENDO VOBIS PHOEBEN SOROREM NOSTRAM, QVAE EST IN MINISTERIO ECCLESIAE QVAE EST IN CENCHRIS] Nota. Paulus vocat Phœben *sororem*, ob cognationem, non carnis, sed fidei & religionis. Sicut enim omnes viri Christiani vocantur fratres, ita omnes fœminæ Christianæ vocantur sorores. Malè ergo quidam recentiores *sororem* interpretantur vxorem Pauli, cum qua, negant, viuebat iam cælebs. Nam Paulus ipse inter eos se annumerat 1. Cor. 7. v. 8. Phœbe hæc, vt hinc patet, Corintho profecta fuit Romam, atque adeò lator fuit huius epistolæ ad Romanos, vt habent Græca, Syra, & Latina Cõplur. in fine epistolæ.

Nota Secundò. Fuit hæc Phœbe *in ministerio* Ecclesiæ græcè διάκονος, id est, vt explicant S. Chrysost. & Origen. diaconissa: quænam fuerint olim diaconissæ dicam 1. Timoth. 5. 9.

Nota Tertio. Cenchri erat portus & pagus Corinthi, ita Origenes. Ergo etiam in pagis iam tum Christi fides erat peruulgata & celebris.

VT EAM SVSCIPIATIS IN DOMINO] Domini nomine & amore, propter Dominum, vel in Domini gratia & charitate Christiana. Vide can. 25. Vnde fidei Paulus,

DIGNE SANCTIS] scilicet, vti decet Christianos recipere Christianos, qui quasi sancti recipi debent. S. Chrysost.

ETENIM IPSA QVOQVE ASTITIT MVLTIS] προστάτις γέγονε, id est, assistrix fuit, quod Eustathius & Græci veteres exponunt προέστη, id est, præfecta hospitum fuit. Videtur ergo hæc Phœbe fuisse ex illis de quibus 1. Timoth. 5. 10. dicitur: *Si hospitio recepit, si pedes sanctorum lauit*, &c.

SALVTATE PRISCAM ET AQVILAM] Iudæos scenopegos qui nuper Roma à Claudio eiecti, sed iam eò reuersi erant, vt hîc docet Apostolus. Vide Act. 18. 2.

QVI PRO ANIMA MEA SVAS CERVICES SVPPOSVERVNT] q.d. Qui pro vita mea tuenda suam obiecerunt periculo, vel in illa seditione Ephesi per Demetrium excitata de qua Act. 19. 24. vel in Corinthiaca de qua Act. 18. 12. vel in alia simili.

ET DOMESTICAM ECCLESIAM (familiam Christianam) EORVM.

SALVTATE EPAENETVM, QVI EST PRIMITIVVS ACHAIAE] Ita Biblia Romana: nam Syrus & Græca iam habet *Achaiæ* pro *Asiæ*. q.d. Salutate Epænetum qui primus in Asia ad fidem Christi est conuersus. Vnde Græca habent, ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας, qui est primitiæ Achaiæ, ita Chrysost. & Theodor.

ANDRONICVM ET IVNIAM COGNATOS MEOS] cognatos, qui scilicet mecum eiusdem sunt gentis quæ sunt Iudæi. Sic enim Paulus c. 9. 3. omnes Iudæos vocat suos cognatos.

QVI SVNT NOBILES IN APOSTOLIS] q.d. Qui inter Apostolos & doctores sunt insignes & illustres. ita S. Chrysost. & Theodor. Non enim soli illi duodecim vocati à Christo; sed & Paulus, Silas, Barnabas, aliique similes apud Ethnicos & infideles euangelizantes, fuerunt & etiamnum sunt Apostoli. De personis & Sanctis hisce vide Baron. in Annalibus & in Martyrologio.

QVI ET ANTE ME FVERVNT IN CHRISTO] in fide Christi, q.d. Qui ante me crediderunt, & Christiani fuerunt.

SALVTATE APELLEN PROBVM, (græcè δόκιμον, probatum) IN CHRISTO] hoc est, christianismo. vide can. 37.

A SALVTATE EOS QVI SVNT EX NARCISSI DOMO, QVI SVNT IN DOMINO] qui sunt in Domini nostri Iesu Christi fide & Ecclesia. q.d. Salutate ex Narcissi domo omnes qui credunt Christo. Vnde videntur in eadem domo aliqui fuisse infideles, quos salutari non iubet. VERS. 11.

HERMAM] Hic Hermas auctor est libri, qui inscribitur Pastor, cò quòd in ipso angelus pastor, protector & custos ipsius Hermæ, qui & Angelus pœnitentiæ ipsius dicitur, inducatur duodecim præcepta vitæ bene agendæ præscribens: quiliber apud veteres magnæ fuit auctoritatis. VERS. 14. *Hermas.*

SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO] non Gentili, sed *sancto*, id est Christiano, religioso, honesto, modesto, casto, sincero, fraterno. de quo plura dicam 2. Corinth. 13. 12. VERS. 16.

B Quæres, cur S. Petrum non salutet hîc Paulus? An quia Romæ Petrus numquam fuit, vt ex hoc loco contendunt Nouantes? Respondeo, Minimè; sed causa est, vel quòd ad Petrum peculiares literas dederit Paulus, vel quòd Petrus, vtpote Iudæus, ante aliquot annos Roma pulsus à Claudio Imp. etiamnum abesset: discurrebat enim ad alias in Italia, Hispania, Africa & Britania Ecclesias fundandas & iuuandas. vt tradit & docet Innocentius I. epist. ad Decentium, & ex ea Baron. Bellarmin. & alij. Nam alioqui Priscilla & Aquila, aliique Iudæi, quos hîc salutat, Romam redierant, edicto Claudij iam oblitterato, vel reuocato, aut certè illo stante, furtim & clanculum irrepentes. *Cur S. Paulus non saluet hic S. Petrum.* *Regiones à S. Petro per lustrandas, cui Roma pulsus esset.*

SALVTANT VOS OMNES ECCLESIAE CHRISTI] Non quòd ab eis salutandi Romanos acceperit Paulus mandatum: longè enim aberant; sed quia earum charitatem & affectum nouerat, quo Romanos saluere & prosperè agere cupiebant: & quia ipse erat caput omnium Ecclesiarum, omnes Ecclesias repræsentans, sicut rex regnum. Sicut ergo regnum per regem loquitur & salutat: ita & Ecclesiæ per Paulum; vt quod ipse facit, Ecclesiæ censeantur fecisse.

Sic 1. Corint vlt. v. 19. dicit Paulus: *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ*. Sic quoque vulgò & verè amicis & familiaribus scribimus: Salutat te ille vel iste familiaris tuus & meus; etiamsi nobis nil tale dixerit; quia nouimus eius mentem, qua alium saluere & bene agere desiderat. Hæc enim mens est hominum inuicem scribentium, hic vsus communis, verus & mendacij expers.

ROGO OBSERVETIS EOS, QVI DISSENSIONES PRAETER (id est contra, vt vertit Erasmus, DOCTRINAM, QVAM VOS DIDICISTIS, FACIVNT] Sic Gal. 1. 8. dicit C Apostolus anathema ijs qui aliud euangelizant, præter (id est contra) id, quod euangelizatum est. VERS. 17.

HVIVSMODI PER DVLCES SERMONES ET BENEDICTIONES (hoc est, adulationes, assentationes, inquit Theophyl.) SEDVCVNT CORDA INNOCENTIVM] *Per dulces sermones* græcè διὰ τῆς χρηστολογίας. Vbi Nota. à Græco χρηστὸς, id est vtilis vel commodus, Gentilibus vocabantur Chresti, homines vtiles vel benefici. Vnde Lucianus in Philopatro, *Paucí*, inquit, *chresti*, id est frugi, sunt, *quemadmodum vbique video*. Contrà verò chrestologi dicebantur, qui cùm bene loquerentur, malè tamen agebant: qua de causa Pertinacem Imp. Chrestologum esse appellatum auctor est Iulius Capitolinus. Tales chrestologos Apostolus hîc vocat hæreticos & pseudodoctores, eorumque chrestologiam, id est blandiloquentiam, cauendam esse monet. VERS. 18. *Qui sint Chresti & Chrestologi.*

VERS. 19. VESTRA OBEDIENTIA, qua promptè & perfectè Euangelio credidistis, IN OMNEM LOCVM DIVVLGATA EST] q.d. Ergo, ô Romani, vti cœpistis, ita pergite tueri hanc fidem & obedientiam. Vide dicta c. 1. v. 8.

VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO, ET SIMPLICES IN MALO] *Sapientes*, id est prudentes & cautos, ne à bono quod accepistis illorũ seductorum dulcibus & blandis persuasionibus excidatis. Ad malum autem *simplices*, id est rudes, quasi nescientes malè agere, qui nullam nocendi artem teneatis.

Simplex & ἀκέραιος quis.

Nota. *Simplex* græcè dicitur ἀκέραιος, quod deducitur à κέρας, & α, priuatiuo, q.d. Sine cornu, placidus, innocens; vel ἀπὸ τῆς κεράσεως, id est miscere, & α, priuatiuo, q.d. Immistus, purus, sincerus, & exinde metaphoricè, simplex, qui non nouit adulterare, miscere, corrumpere, vitiare. Sic Matth. 10. 16. iubet Christus, vt simus ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί, simplices sicut columbæ.

VERS. 20. DEVS PACIS (amator & auctor) CONTERAT SATANAM (qui magister est omnium dissensionum) SVB PEDIBVS VESTRIS VELOCITER] q.d. Deus conterat citò dissensiones vestras cum suo principe, ita S. Chrysost. & Theodor.

Quid τὸ Deus conterat Satanam.

Prima expositio.

Secundò, Origen. *Deus conterat Satanam*, hoc est, inquit, omnem spiritum qui aduersatur credentibus, quique per suos ministros, quasi serpens insidiatur calcaneo vestro, & vos ad defectionem à fide sollicitat. Alludit ad Genes. 3. 15. *Ipsa* (vel, vt directè habent Hebræa, הוּא *hu*, id est ipsum semen, siue proles mulieris, putà Christus) *conteret caput tuum.*

Secunda.

Tertia. Satanas conteritur cùm potentia principum Gentilium decrescit.

Tertiò, propriè Satan, id est diabolus, conteri, hoc est dejici, calcari ac vinci hîc dicitur, cùm eius populus, scilicet idololatræ & infideles, maximè reges & principes qui Euangelio aduersantur, dejiciuntur. Orat ergo hîc Paulus, vt populus Christianus his omnibus fiat potentior, vt pro Imperatoribus & principibus idololatris Christiani surrogentur, vtque Deus pacis persecutores Ecclesiæ conuertat, eosque illi subijciat. ita Anselm. Sic inter alios S. Sempronius Martyr productus ad Martis simulacrum, iussusque illud adorare dixit: *Conterat te Dominus Iesus Christus filius Dei viui*, ac mox simulacrum ipsum sensim liquefactum defluxit: vt habent acta S. Nemesij Martyris.

Statua Martis à S. Sempronio contrita.

Hic sensus accommodus & illustris est: primus tamen sensus quem dedi, magis respondet præcedentibus, putà versui 17. & sequ.

VERS. 22. SALVTO VOS EGO TERTIVS, QVI SCRIPSI EPISTOLAM IN DOMINO] hoc est, propter Dominum, aut potiùs q.d. Salutem quæ à Christo Domino est & proficiscitur, vobis precor.

Tertius scriba exaravit hanc epistolam dictante Apostolo.

Nota. Pro *Tertius*, aliqui legunt Terentius, sed perperam. Tertius ergo hic nomen est proprium scribæ, qui dictante Paulo epistolam scripsit. Estque hæc eius sententia Scriptura sacra, vti reliqua epistola, quia illam ipsam vel Paulo, vt videtur, vel Spiritu sancto dictante scripsit Tertius. Hunc factum esse Episcopum Iconij Diodorus Tarsensis hîc, & Dorotheus in Synopsi testantur: vbi & martyrio coronatus est 21. Iunij, vt habent Martyrologia. De hoc Tertio ita ex Diodoro Tarsensi scribit Sixtus Senensis l. 2. in Tertio, *Tertius*, inquit, *Iconij Episcopus, Pauli discipulus & amanuensis, scripsit dictante apostolo eam, quæ est ad Romanos epistolam: in cuius fine salutationem quoque suam apponens ait, Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc, in*

Tertius hic postea factus est Episcopus Iconij.

A *Domino. Is cùm esset parum ferme eruditus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, quæ propter multorum sublimitatem ac sublimitatem quæstionum, cæteris Pauli epistolis obscurior est, longè reddidit obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli elocutionibus interdum confusis & inabsolutis sententijs, ac trãsposita nonnunquam ordinis serie conatus est explicare. Diodorus Tarsensis Episcopus in expositione epistolæ ad Romanos huius testis est. Theodolus Cœlesyriæ presbyter in expositione epistolæ ad Romanos, pro Tertio, Terentium legit.*

SALVTAT VOS CAIVS HOSPES MEVS] Ad hunc Caium scripsit S. Ioannes tertiam suam epistolam Catholicam, in qua eum ab hospitalitate & erga pauperes cordia laudat.

ET VNIVERSA ECCLESIA] scilicet quæ est Corinthi; vnde hanc epistolam scripsit Paulus. Videtur ergo ex hoc loco, Caij domus fuisse Ecclesia, & B ue locus ad quem ad S. Synaxes congregabantur Christiani, qui erant Corinthi. Vnde Ambros. Syrus, & Græca legunt, τῆς ἐκκλησίας ὅλης. q.d. Caius est hospes non tantùm meus, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ Corinthiacæ.

ERASTVS ARCARIVS, græcè οἰκονόμος, id est quæstor, CIVITATIS] Corinthi, vt dixi, cui minimum commissa erat cura publici ærarij.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN] Nota. Apostolus passim epistolis suis & præmittit & subiungit apprecationem gratiæ, vt doceat nil ita Christiano in votis esse debere, ac Dei gratiam, gratiæque augmentum, qua scilicet non hominibus, sed Deo grati simus, ac placeamus: sic enim ad omnia virtutum opera validi ac potentes efficimur, degimusque in perpetua pace ac lætitia. Sicut enim famulus qui regi seruit, apud quem gratiosus est, nihil tristitiæ sentit, quidquid inimicitiæ vel aduersitatis aliunde occurrat: ita nos nihil mœroris sentiemus siue atroci alijque nos deserant & infestent, siue pericula & tribulationes ingruant, si in Dei gratia simus, si Deus nos gratia sua roboret & confirmet. C

Sic insuper inquit S. Chrysost. homil. 10. in epist. 1. ad Timot. in morali: *Si in gratia Dei sis, terribilis eris, non tantùm hominibus, sed & dæmonibus. Tales fuere Apostoli, qui calcatis diuitijs Domini sui imperio sunt potiti. Ille, aiebant, morbo liberetur, ille dæmonibus: illum liga, hunc solue. In terris fiebant ista, sed è cælis proficiscebantur.* Et rationem subdit dicens, *Hæc enim honor redundat in Dominum. Quo enim potentior est famulus, eo maiori admirationi est dominus.* Addit deinde Chrysost. nos omni vi & violentia nobis & concupiscentijs illata, ad hanc gratiam assequendam conniti debere. D

EI QVI POTENS EST VOS CONFIRMARE SECVNDVM EVANGELIVM MEVM (supple, sit honor & gloria, vt patebit v. vlt. in fine), ET PRÆDICATIONEM IESV CHRISTI (de Iesu Christo Saluatore) SECVNDVM REVELATIONEM MYSTERII] q.d. Prædicatio Euangelij Christi non est prædicatio veritatis & rei humano lumine cognitæ, sed est prædicatio rei occultæ per reuelationem diuinam, nimirum est prædicatio magni illius mysterij, quod tota hac epistola tractatum est: scilicet omnes omnino homines, etiam Gentiles & Paganos, iustificari ex fide Christi, idque gratis, & sine vllis cuiuspiam meritis.

TEMPORIBVS AETERNIS] Nota, nec mundum, nec tempus esse ab æterno, vti voluit Plato. Dicuntur ergo tempora æterna, non secundùm rem, sed secundùm imaginationem, quæ scilicet fingimus ante

ætern. condum æternitati coëxtitisse. ita Anselm. ad Paulin. Non est recens inuentum Euangelij, sed à æterno semper fuit ipsum Euangelium in secreto diuinitatis consilio, menteque diuina tacitum & occultum, & numquam hactenus in mundo prædicatum aut prædicatum. Vnde subdit,

Qvod (scilicet mysterium iam dictum: Græcum enim ὃ μυστηρίου referri debet ad μυστηρίου) NVNC AVTEM MANIFESTVM EST (declaratum & demonstratũ est) PER SCRIPTVRAS PROPHETARVM, qui Christũ, Christique Euangelium prædixerunt, SECVNDVM PRAECEPTVM AETERNI DEI, AD OBEDITIONEM FIDEI] vt scilicet omnes Gentes Euangelium fidemque Christi audiant, illique credant & obediant.

In CVNCTIS (quibusuis sine discrimine) GENTIBVM COGNITI] scilicet mysterij: eò enim τὸ *cogniti*, referri patet ex Græco, & ex parenthesi Romana, quæ omnia à τῷ *quod nunc patefactum est*, hucusque ducta semicirculis includit. Græcizat ergo hîc Noster interpres; cùm alioqui clarè vti cœperat dicere debuisset: *Mysterij, quod nunc patefactum est, & in omnibus Gentibus cognitum*; vel vt græcè est, φανερωθέντος δὲ νῦν, id est, notificatum & manifestatum est.

SOLI SAPIENTI DEO PER IESVM CHRISTVM] Hæc refert ad *Ei qui potens est*, v. 25. q. d. Soli sapienti & potenti Deo per Christum & Christianam religionem omnis sit honor & gloria sempiterna.

Nota. Gloria sit *soli*, non Patri, vt Arriani; sed Deo, id est, SS. Trinitati, cui per Christum hominem omnis honor defertur. ita S. August. l. 3. contra Maxim. 15. Nam Christus Deus & homo cùm sit, vt Deus honorem recipit cum Patre & Spiritu sancto; vt homo verò illum defert. Detulit autem, cùm prædicauit in mundo SS. Trinitatem, & iussit A baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti omnes gentes.

Nota Secundò. Vox *sapienti* innuit, per nullam hominum sapientiam hominem potuisse viam salutis agnoscere: quia solus Deus à seipso, & per essentiam sapiens est, qui eam per fidem nobis manifestauit. Hinc solus sapiens dicitur: respicit enim Paulus ad mysterium, de quo dixit v. 25. ita Anselm. Vide Baruch 3. v. 32. & 37. *Sapientia solius Dei est.*

CVI HONOR ET GLORIA IN SAECVLA SAECVLORVM. AMEN] τῷ *cui*, hebraismo redundat. ita S. August. Hebræi enim repetunt relatiuum cum antecedente. Vnde Græca & Syrus non habent τὸ *cui*. Sic ergo hæc omnia ordinanda sunt: Ei qui potens est vos confirmare, videlicet soli sapienti Deo, sit honor & gloria. Amen.

B Vide S. Chrysost. hîc in morali hom. vlt. pulchrè & patheticè ostendentem quantum S. Paulus suo zelo, labore & feruore honorarit & glorificarit Deum.

O Rex sæculorum, ô reuelator mysterij temporibus æternis taciti, ô æterne Deus, immortalis & inuisibilis, ô qui habitas in celsis montibus AETERNITATIS, qui ex alto despicis arcta vitæ nostræ, omniumque temporum sub te labentium spatia; tibi honor, tibi gloria in sæcula sæculorum. Tu nobis beatæ AETERNITATIS aditum deuicta morte reserasti: fac nos semper eius memores ita sobriè, iustè & piè viuere, vt eius participes efficiamur: da nobis ita sanctè & heroicè hoc vitæ momentum transigere, vt in sæcula sæculorum te frui, te laudare, te cum omnibus angelis & Sanctis celebrare mereamur, ô vera charitas, ô chara AETERNITAS, Deus meus & omnia, Amen.



COMMENTARIVS IN I. EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM.

Describitur Corinthus.

ACHAIA siue Peloponnesus, quæ nunc vulgò Morea dicitur, olim celebres habuit vrbes; harum metropolis & nobile emporium erat Corinthus, inquit Chrysost. duobus inclyta portubus, quorum Lechæum Ionio, Schonus Ægeo imminet mari. Vnde à duplici hoc mari Poëtæ, *Corinthum bimarem* vocarunt; vt Ouid. 4. Fastor.

Adriacumq́, patens latè bimaremq́, Corinthum.

Fertur autem Corinthus primò à Sisypholatrone Æoli filio condita fuisse, & Corcyra nominata, auctore Strabone l. 8. Geogr. postea Ephyre: deinde euersa, & instaurata à Corintho Marathonis, seu Pelopis (vt Suidæ placet) siue (vt alij malunt) Orestis filio, Corinthus appellata. Hanc vrbem Cicero pro lege Manilia, Græciæ totius lumen appellat. Eò enim potentiæ propter situs opportunitatem peruenit, vt vix Romanæ vrbi concederet.

Corinthiorum diuitiæ & splèdor, fastus & luxus.

Abundabat ergo Corinthus opibus, mercibus & metallis, ac præsertim ære. fuitq́; æs Corinthiacum celeberrimum & laudatissimum; adeò vt Plinius l. 4. c. 2. tradat illud auro & argento æquiparari. Ex hac opulentia manauit Corinthiorum fastus, ingluuies, luxus libido, magnificentia, vt ea abierit in prouerbium: ***Non cuiuis homini cõtingit adire Corinthum.*** Vbi Demosthenes mulierculæ, pro horario vsu corporis, deposcenti octona auri talenta, respondit: ***Ego tanti pœnitere nouemo.*** Hac de causa in hæc eorum vitia subinde, ac præsertim c. 6. inuehitur Apostolus.

Corinthiorum sapiẽtia, & Pauli apud eos prædicatio.

Rursum Secundò, Corinthi erat Oratorum & Philosophorum frequentia; inter quos fuit Periander, vnus è septem Græciæ sapientibus. Adijt ergo Paulus Corinthum, vt in vrbe tam frequenti & celebri disseminaret Euangelium, in eaque annum, & sex menses euangelizauit, ac multos ad Christum conuertit, confirmante eum Domino, qui ei per visionem Corinthi apparens, *Noli*, inquit, ***timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi vt noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate***, Actor. 18. 9. Hac Pauli prædicatione Corinthij Christiani mirè profecerunt, adeò vt eorum sapientiam, prophetiam, aliasque gratias eis à Deo datas c. 1. v. 5. c. 14. v. 26. & alibi celebret ipse Paulus.

Corinthiorum ambitio, contentiones & schismata.

Hinc Tertiò, inter Corinthios orta est superbia, ambitio, & contentiones, præsertim postquam Apollo vir eloquens & potens in Script. superuenit Corinthum, Act. 18. 27. tunc enim nonnulli hunc Apollo prætulerunt Paulo, quasi in sermone minùs eleganti & eloquenti; indeque orta sunt schismata, vno iactante & dicente, *Ego sum Pauli*, altero, *Ego sum Apollo*, &c. Paulus ergo hanc ad eos scribit epistolam, in qua statim per quatuor prima capita, eos ab humanæ sapientiæ & eloquentiæ fastu, atque inani magistrorum suorum Pauli vel Apollo venditatione, ad humilitatem crucis, ad Christi fidem & doctrinam abducit.

Pauli epistola.

Quartò, scripserant Corinthij ad Paulum varia dubia proponentes, vt patet c. 7. v. 1. quæ ipse hac epistola resoluit: vnde postquam primis quatuor capitibus, eorum schismata & vanæ sapientiæ ambitionem retudisset: deinde c. 5. iussisset excommunicari & vitari incestuosum, ac cap. 6. litigia eorum coram iudice infideli, atq; fornicationem insectatus fuisset; c. 7. primum eorum dubium de matrimonio & virginitate enodat, docetq; quæ sint iura matrimonij Christiani, eique opponit & anteponit consilium Euangelicum virginitatis & cælibatus. Mox c. 8. & 10. dubium secundum eorum de idolothytorum esu aggreditur, asseritque illum in se licitum esse, sed cauendum, vbi est scandalum infirmorum. Deinde c. 9. vt ostẽdat, quàm idolothytorum scandala sint cauenda, asseuerat se ob scandalisationem proximorum, abstinuisse stipendiosæ gestationis, sibi euangelizanti debito, ac laborem manuum victum sibi comparasse. Inde cap. 11. tertium Corinthiorum dubium, de mulierum velatione, & quartum de cœna Eucharistica, eiusq́; agape resoluit. Mox c. 12. disputat de gratijs gratis datis, easq́; variè varijs à Spiritu sancto distribui docet. Cap. 13. demonstrat inter Dei dona & gratias excellere charitatem. Cap. 14. quinto Corinthiorum dubio, An donum linguarum præstet prophetiæ? negatiuè respondet. Cap. 15. sextum dubium eorum resoluit, probando multis resurrectionem, eiusque dotes, modum & ordinem docendo. Cap. 16. iubet fieri collectam eleëmosynarum pro pauperibus Hierosolymitanis; ac denique salutationibus dandit epistolam.

Quando scripta.

Nota Quintò. Scripta est tam hæc prima, quàm secunda ad Corinthios, ante epistolam ad Romanos: nam, vt notat Chrysost. Apostolus 1. Corinth. 8. & 9. Corinthios ad collectam, qua subleuent famem pauperum Hierosolymitanorum, adhortatur, quam Roman. 15. v. 25. & 26. iam factam esse docet. Rursum scriptam esse hanc epistolam Philippis, & missam per Timotheum habent Graeca, Syra, & Regia Latina in fine epistolæ: sed è duobus ex cap. 16. v. 8. & alijs Ephesi scripta (Act. 19. v. 1.) anno Christi 57. ita Baronius, Oecumenius & alij.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

GIt gratias Deo, pro gratia Corinthijs data, spondetq; quòd Deus in ea illos confirmabit.

Deinde v. 10 insectatur eorum schisma, quo hic dicebat, Ego sum Pauli; *ille*, Ego sum Apollo; *cùm omnes sint Christi.*

Tertiò, v. 17. radicem schismatis succidit, dum docet non debere Corinthios spectare eloquentiam Apollo, vel alterius prædicatoris, sed rem prædicatam, scilicet crucem, quæ licet Iudæis sit scandalum, Gentibus stultitia, Fidelibus tamen est Dei virtus & sapientia.

Hinc Quartò, v. 26. consequenter docet Deum non vocasse ad prædicationem & fidem crucis & salutis sapientes, potentes, & nobiles mundi, sed stultos, infirmos & ignobiles Apostolos, alios q; primos fideles, idq; ne quis in se, sed tantùm in Deo glorietur.

1 PAVLVS vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater. 2. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro. 3. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: 5. quòd in omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo, & in omni scientia: 6. sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: 7. ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, 8. qui & confirmabit vos vsque in finẽ sine crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi. 9. Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri. 10. Obsecro autem vos fratres per nomẽ Domini nostri Iesu Christi: vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. 11. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab ijs qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos. 12. Hoc autem dico, quòd vnusquisque vestrùm dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi. 13. Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? 14. Gratias ago Deo, quòd neminem vestrùm baptizauì, nisi Crispum, & Caium: 15. ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis. 16. Baptizaui autem & Stephanæ domum: ceterùm nescio si quem alium baptizauerim. 17. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare: non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. 18. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: ijs autẽ, qui salui fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: 19. Perdam sapientiam sapientium & prudentiam prudentium reprobabo. 20. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? Nónne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? 21. Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. 22. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: 23. nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; 24. ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutẽ, & Dei sapientiam: 25. quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 26. Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: 27. sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: 28. & ignobilia mundi, & contẽptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: 29. vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. 30. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: 31. vt, quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

SOSTHENES] Erat hic princeps synagogæ Corinthi; conuersus ad Christum à Paulo, pro fide coram Gallione Proconsule acriter verberatus, Actor. 18. 17. ac post eorum relatus inter Sanctos, 18. Nouemb.

A ECCLESIÆ DEI, QVAE EST CORINTHI; SANCTIFICATIS IN CHRISTO IESV VOCATIS SANCTIS, supple, scribit & salutem dicit Paulus, precando: GRATIA VOBIS ET PAX A DEO] Pro *vocatis sanctis*, Syrus vertit, Vocatis & sanctis. Græcè enim sem- VERS. 2. & 3.

per nō est participium λεγόμενος, aut κεκλημένος, id est vocatus, dictus, appellatus; sed κλητὸς, nomen, q.d. Vocatitius sanctitatis, vel vocatione sanctus, vocatus ad sanctimoniam.

Nota Primò, hoc beneficium vocationis Paulum toto hoc capite, & passim alibi admirari.

Beneficium vocationis cum admiratione & humilitate recensendū.

Secundò, illud & omnia cetera humiliter ac piè diuinæ beneuolentiæ & potestati adscribere. De humilitate locum hîc habet insignem Chrysost. in morali hom. primæ.

Error Pelagij circa vocationē.

Tertiò, hinc patet contra Pelagium, non nostris meritis, sed mera Dei gratia nos vocatos esse ad fidem & gratiam Christi. ita Chrysost. & passim Aug. Rursum hinc omnes Christiani olim dicti sunt Sancti; non actu, sed vocatione, professione, debito.

Quartò, hos Sanctos dicit *in Christo*, id est per Christi merita, sanctificatos; scilicet in baptismo & deinceps.

Quintò, τῇ *Ecclesiæ*, & τοῖς *vocatis sanctis* idem sunt. Est enim appositio, siue explicatio Ecclesiæ: vt si quæras, quid sit Ecclesia? Respondebo hinc ex S. Paulo; Sunt vocati Sancti; siue, est congregatio & cœtus fidelium, qui vocati sunt ad sanctitatem.

Ecclesiam esse visibilē contra hæreticos ostenditur.

Vnde Sextò, hinc patet, Ecclesiam esse visibilem. Scribit enim Paulus hæc non ideæ abstractæ, sed Ecclesiæ, quæ est Corinthi, quæ eius litteras legere & videre poterat, vt patet.

Septimò, ex hoc loco liquet, eamdem vbique esse Ecclesiam, cuius pars erat Ecclesia Corinthiorum. Vnde ait: *Cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum & nostro*, id est, omnibus Christianis vbicumque consistant; siue mecum hoc in loco nostro, siue in alio quolibet suo loco. *Ipsorum* ergo, scilicet Corinthiorum, & *nostro*, scilicet meo & Sosthenis. Addit hoc, ne quis putaret cùm dixit *Domini nostri Iesu Christi*, dicere voluisse, Christum dominum esse solius Pauli & Sosthenis. ita Chrysost. *Eóque*, ait, *tacite innuit Paulus, Corinthios semotis contentionibus debere esse concordes, quasi membra eiusdem Ecclesiæ & capitis Christi.* Deinde innuit se scribere hanc epistolam propriè quidem ad Corinthios, sed tamen cupere esse circularem ad omnes Christianos, vti circulares erant epistolæ aliorum Apostolorum & Episcoporum primis illis sæculis. Nam quod Caietan. τὸ *nostro*, interpretatur, q.d. Nostra iurisdictio se extendit Corinthum, & ad Corinthios, vt vrbs & locus Corinthi sit & ipsorum & noster; coactum est. Denique cur dicatur Ecclesia, vel euocatio, vel cœtus vocatorum ad fidem, quæ olim synagoga, id est congregatio, dicebatur, & quid sit, qualis, quæ eius notæ, vide Bellarm. de Ecclesia l. 1. c. 1. 2. & seq. solidè & doctè edisserentem.

VERS. 4. GRATIAS AGO DEO MEO SEMPER PRO VOBIS IN GRATIA DEI, QVÆ DATA EST VOBIS IN CHRISTO IESV] *In gratia*, Syrus בְּטוּבְתָא *al tabuta*, græcè ἐπὶ τῇ χάριτι, id est propter gratiam Dei, *quæ data est vobis in Christo*, id est, per Christum. Vide can. 25. *Origo*, inquit S. Bernardus serm. 13. in Cantica, *omnium fontium & fluuiorum mare est: virtutum autem & scientiarum origo est Dominus Iesus Christus: continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant; remittatur* (per gratiarum actionem) *ad suum principium cœleste profluuium, quo vlteriùs terræ refundatur; Gloriam meam alteri non dabo*, inquit Deus, Isaiæ 49.

Gratiarū actio frequens debet esse Christiano.

A QVOD IN OMNIBVS DIVITES FACTI ESTIS IN illo (per illum Christum) IN OMNI VERBO (prædicationis Euangelij) ET IN OMNI SCIENTIA] id est, spiritali eius intelligentia. q.d. Gratias ago Deo, quòd vobis copiosam per me & Apollo exhibuerit prædicationem & doctrinam Euangelij, eiusque sensum & intelligentiam.

SICVT TESTIMONIVM CHRISTI CONFIRMATVM EST IN VOBIS] Id est, quibus, cum testimonio & vobis Christiana fides fundata & firmata est in vobis. Nam Græci Græcum καθώς, id est *sicut*, per enallagen interpretantur, δι' ὧν, *per quæ*, scilicet verbum & scientiam. Alij sic explicant, *sicut scimus*, &c. q.d. Quibus rebus, scilicet, prædicationem Euangelij, eiusque scientia, quasi certo testimonio cognoscitur vos esse fideles & discipulos Christi.

B EXPECTANTIBVS REVELATIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] in secundo illius aduentu, quando omnium gratiarum copiam & consummationem in gloria cælesti à Christo accipietis.

QVI ET CONFIRMABIT VOS, quantum ex se et ex parte sua, id est gratiam dabit, quæ vos confirmare possit, & actu confirmabit, si eam recipere, ea vti, & vos confirmare in Christi fide & charitate voletis, de quo rursum v. 9. confirmabit, inquam, ad hoc, vt sitis & persistatis VSQVE IN FINEM (VIDELICET) SINE CRIMINE] græcè ἀνεγκλήτους, id est inculpatos, quos nemo culpare aut criminari possit, quòd crimen aliquod contra fidem & charitatem Christi commiseritis. τὸ enim *sine crimine* refert ad *confirmabit*, patet ex Græco βεβαιώσει ἀνεγκλήτους, id est, confirmabit inculpatos, siue incriminales. vt scilicet tales sint & perseuerent. Loquitur Apostolus

C toti Ecclesiæ, in qua plerique erant sancti & incorrupti, etiamsi pauci aliqui schismata fererent, quos mox versu sequenti redarguit & culpat.

IN DIE ADVENTVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] Est ellipsis, frequens Apostolo; supplendum enim est, vt sitis & appareatis sine crimine, in die aduentus & iudicij Christi: nisi malis τὸ ἀνέγκλητοι poni pro εἰς ἡμέραν, *in die*, pro in diem (sæpè enim ὁ & ἡ confundit Apostolus) vt explicet τὸ *in finem*, per τὸ *in die aduentus Christi*. hic enim vltimus noster & rerum omnium erit finis.

FIDELIS DEVS, PER QVEM VOCATI ESTIS IN SOCIETATEM FILII EIVS IESV CHRISTI] Nota. Fidelis S. Paulo idem est quod constans, verax, vt ostendum 1. Timoth. 1. 15. non quasi, vt vult Caluinus, solùm efficaciter à se vocatos, eosque omnes Deus saluet; & quemque illorum se saluum facere tenere, fide credere iubeat & efficiat. Vt quid enim tunc v. sequenti de Corinthiorum salute sollicitus, schismata eorum incusat? An non crediderant Corinthij? & tamen in schismata lapsi, periculum damnationis incurrerant, ideoque illud ab eis auertere satagit Paulus. Possunt ergo fideles in peccata labi & damnari.

D Dicitur itaque Deus *fidelis*, quia non sine causa suum vobis, ô Corinthij, subtrahet auxilium, quod dare cœpit, & deinceps se daturum promisit, vt persistatis & confirmemini in fide & societate Iesu; nec vos deseret, nisi prius à vobis deseratur, vt docet Concil. Trident. (ex S. Augustino) sess. 6. c. 11. & 13. vbi tria docet eadem quæ hic Apostolus.

Primò, iustificatis omnibus Deum gratiā Christi dare; quia in iustitia perseuerare possunt, si velint. Secundò, eos sua voluntate posse ab ea excidere. Tertiò, neminem scire an sit perseueranter

&

A

sit se de numero electorum, nisi specialem hac de re Dei revelationem habeat.

Nota Secundò. *Societatem filij* hîc vocat Paulus communionem fidei, gratiæ & gloriæ Christi, quæ habetur in Ecclesia Christi; siue ipsum christianismum, in quo habemus societatem filiationis, hereditatis, Sacramentorum, & omnium bonorum Christi, q.d. Vocari estis, vt sitis filij Dei, socij, membra, fratres & coheredes Christi. ita Anselm. Ambros. Theophyl. Chrysost. quem vide. Sic S. Ioannes epist. 1. c. 1. *Vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.*

Vnde uerte. Licet, vt ait Apostolus, omnes fideles Christiani sint de societate Christi, tamen alij alijs magis sunt de hac societate; scilicet, qui magis Christi vitam & gratiam participant; vt qui non tantùm præcepta, sed & consilia Christi sequuntur, sicut de societate Christi magis erant Apostoli, quàm alij Christiani.

B

Insolenter cauillatur hæretici: Paulus omnes Christianos dicit esse vocatos in societatem filij Dei: ergo perperam Iesuitæ sibi solis arrogant nomen Societatis Iesu. Pari enim modo inferrent: Omnes Christiani colunt SS. Trinitatem, B. Virginem, angelos: ergo perperam Ecclesia instituit Ordines & Sodalitates nomine SS. Trinitatis, B. Virginis, angelorum, &c. Hæ enim Sodalitates alios non excludunt ab horum cultu, sed nomen alijs commune sibi appropriant, vt eo excitentur ad maiorem & singularem pietatem erga SS. Trinitatem, B. Virginem, angelos, vtque alios quoque ad eumdem excitent.

C

Sicut verò Iesuitas hoc nomen sibi non dedisse, sed Summos Pontifices Romanos, ipsumque fundatorem S. Ignatium, qui ex humilitate, & gloriæ vitandæ causa, suos non voluit vocari Ignatianos, sed Societatis Iesu, idque ex visione eadem, qua agens de Societate fundata, vidit Iesum crucem baiulantem, sibique dicentem. *Ego volo Romæ propitius ero*: quando diuinitus ita illustratus fuit, vt non dubitaret hanc esse Dei voluntatem, hoc nomen Iesu Societati huic dandum esse. Audiant Ribadeneiram libr. 2. Vitæ S. Ignatij c. 11. *Societatem Iesu appellari voluit, vt qui huc vocati fuerint, non se in Ignatij Ordinem aliquem ascriptos, sed in Societatem filij Dei Iesu Christi Domini nostri, vocari agnoscant: sub illo summo Imperatore mereant; ei soli sequantur, crucem suam cupidè tollant; & in auctorem fidei & consummatorem Iesum aspiciant, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Et ne defatigentur animis deficientes, certum de eius rei persuasum sit, Ducem suum sibi præstò esse; non Ignatio solum & socijs, vt videmus hactenus factum, sed sibi quoque futurum semper propitium speret.* Et Pius V. Pontif. in Bulla Societ. pag. 74. ait. *sicut nomen Sociorum Iesu assumpserunt; ita quoque, doctrina & exemplo D. N. Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur.* Sicut ergo S. Paulus Timotheum epist. 2. cap. 2. v. 3. hortatur vt laboret ac certet, *sicut bonus miles Christi Iesu*: ita Societatis Iesu suo nomine monetur & excitatur, vt pro gloria Dei & salute animarum laboret, *quasi miles, seu legio, seu cohors militum sociata sub duce Iesu.* Plura vide apud Iulium Nigronium de hoc ciculo, & apud hæc. Gretserum, Franc. Monetum, & alios, qui apologias pro Societate hac scripserunt.

Obsecro vos, fratres, per nomen Domini Vers. 10.
nostri Iesv Christi, in cuius vnam eamdemque societatem, familiam, domum & Ecclesiam vocati sumus omnes, quicumque fideles & Christiani sumus, vt idipsvm dicatis omnes] scilicet, quasi fratres germani, verbis & voce consentiatis, dicatisque omnes simul, *Ego sum Christi*; non autem hic dicat, *Ego sum Pauli*: ille, *Ego sum Apollo*. Rursum non tantùm voce, sed & mente consentiatis; alioqui enim ficta & simulata foret verbalis vestra oris confessio. Vnde subdit quasi radicem concordiæ dicens:

Exhortatio Apostoli ad concordiam & fugam discordiæ.

Sitis perfecti in eodem sensv, et in eadem sententia] Legunt aliqui in Græco, γνώσει, id est *scientia*, itaque legunt Latina Plantiniana, sed corrigendum est γνώμῃ, id est, *sententia*: itaque legunt Latina Romana. Pro *perfecti*, græcè est κατηρτισμένοι, id est, vt Theophyl. *Sitis coagmentati, siue perfectè compacti in eodem sensu & in eadem sententia*, vt idem sentiatis, & inter vos consentiatis in Christo, vt vobis inuicem aptè cohæreatis in vna mente & sensu in Christo. καταρτίζειν enim significat ita aptè & congruenter aliquid componere & coagmentare, vt partes inter se, & cum toto congruant; atque quia tunc res perfecta atque absoluta est, cùm concinnè & congruenter hoc modo composita est; hinc hoc verbum significat quoque perficere, vt psalm. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti* (græcè καταρτίσω) *laudem*. 2. ad Corinth. vlt. v. 11. *De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote*, id est, inter vos mutuò & cum capite vestro congruite. Hoc enim significat Græcum καταρτίζεσθε. Psalm. 39. 7. *Aures autem perfecisti mihi*, græcè κατηρτίσω μοι.

Significavm est enim mihi ab iis qvi svnt Vers. 11.
Chloes] Putant aliqui τὸ *Chloës*, esse nomen loci. sed hic locus alibi nusquam legitur: nec Græca satis patiuntur Chloës esse locum. Vnde verius Chrysost. & Syrus putant hoc esse nomen familiæ vel fœminæ. q.d. Ex familia Chloës audiui. Simili græcismo dicitur Rom. 16. v. 10. & 11. *Salutate eos qui sunt ex Aristoboli, Narcissi*, scilicet domo & familia.

D

Qvod vnvsqvisqve vestrvm, hoc est, quilibet ex ijs, qui inter vos contendunt, & schismatis partem aliquam fouent. (Erant enim inter Corinthios multi alij cordati & pacifici; à schismate, & consequenter à verbis sequentibus alieni.) dicit, vicissim, alternatiuè, vel respectiuè; nō enim quisq; dicebat, Ego qvidem svm Pavli, Ego Apollo, Ego vero Cephae] sed vicissim, cùm diceret vnus, Ego sum Pauli; alter dicebat, Ego sum Apollo; alter, Ego sum Cephæ. In voce ergo *vnusquisque*, est acceptatio distributiua & disiunctiua familiaris Hebræis. quisque enim ambitiosè & contentiosè dicebat, Ego sum Pauli; vel, Ego sum Apollo; Ego sum Cephæ. Ego sum Pauli, scilicet discipulus, catechumenus: Ego Cephæ, scilicet à B. Petre Pontifice edoctus, vel baptizatus, Antiochiæ, Romæ, aut alibi. Nam hucusque Petrus Corinthi non fuerat, vt colligitur c. 4. 15. Vnde Baronius vult hæc verba esse eorum, qui declinabant schismata, quæ propriè ob Paulum & Apollo exorta erant: vt patet c. 3. 4. vtque ea vitarent, alijs suos magistros iactantibus, ipli dictitabant se nec Pauli, nec Apollo, sed Petri Præsidis Ecclesiæ esse discipulos, quasi dicerent, Hic dicit & iactat se esse Pauli discipulum; ille Apollo, ego verò dico me

Schismata & contentiones Corinthiorum.

me esse Cephæ, id est, me esse discipulum Petri, qui caput est Ecclesiæ, & vicarius Christi: illi enim adhæreo, illo glorior, ille per Paulum vel Apollo, aliúmve me conuertit & baptizauit. Vnde alius altiùs assurgens dicebat, *Ego sum Christi*, qui scilicet est ipse summus princeps Apostolorum & Ecclesiæ, cuius vicarius est Petrus, cuius ministri sunt Paulus & Apollo. Notandum enim quod addit: *Ego autem Christi*, non malè, sed rectè loquentium esse, si absit contentio, & contemptus Apostolorum & vicariorum Christi, vti iam Anabaptistæ contemnunt Prælatos: omnes enim decebat dicere, Nos sumus Christi, putà Christiani. Taxat ergo Corinthios, ex quibus non omnes, vt par erat, sed aliqui tantùm Christianos se esse dicerent; alij verò aut Pauli, aut Apollo, aut Cephæ sese discipulos nuncuparent. ita Ambros. Theoph. D. Thom. Occasio schismatis videtur fuisse, quòd Apollo, qui eloquens, acer & potens erat in Scripturis, Corinthi tum docebat, Actor. 18. 27. ita vt eius respectu nonnullis Paulus visus sit frigidior & ieiunior, vtpote qui studio sermonis & scientiæ cultum & ornatum vitaret, vt ipse ait c. 2. v. 4.

Rectè loquuntur qui dicũt se esse Christi, modò non contẽnant Prælatos Ecclesiæ.

Denique hinc Hieron. ad Titum 1. putat Episcopum presbyteris iurisdictione esse prælatum, vt schismata hæc tollerentur, cùm antea, ait, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernarentur: quæ verba Hieronymi ad Titum 1. elucidanda sunt.

VERS. 13. NVMQVID IN NOMINE PAVLI BAPTIZATI ESTIS?] q. d. Vnus est Christus, in cuius nomine æquè omnes baptizati estis: ergo frustra pro nobis, baptismi ministris, de præcellentia contenditis. Hinc Theologi docent baptismum & Sacramenta non valere, nec operari ex opere operantis, vel ministri; sed ex opere operato.

Baptismus nõ operatur ex opere operantis.

Vbi Nota. Baptizari *in nomine Christi*, idem est, quod in inuocatione, professione, virtute, merito, & baptismo Christi baptizari; ac consequenter in nomen Christi transscribi, vt à Christo dicamini Christiani, non Pauliani, vel Apolliniani. ita Græci. Vide de potestate excellentiæ, quam habet Christus in baptismo & alijs Sacramentis, S. Thomam.

Baptizari in nomine Christi quomodo intelligendum.

Secundò hinc S. Thomas & alij, adeoque Græcorum historia docet, Græcos accepisse hanc suam baptismi formam, vt non dicant, Ego te baptizo; sed, *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*; ne quis dicat, Ego sum Pauli, Ego sum Apollo.

Forma baptismi Græcorum.

Tertiò, ineptè hinc Erasm. Faber, & Nouantes à pari inferunt: Ergo perperam dicit hic, Ego sum Scoti; ille, Ego D. Thomæ hic, Ego sum Francisci; ille, Ego sum Dominici alũnus & discipulus: quia Apostolus tantùm insectatur contẽtiones de præeminentia, & schismata quibus Corinthij aliqui superbiebant, & Ecclesiam scindebant in studia partium; quasi fidei & baptismi vim & excellentiam tribuerent ipsi ministro, Paulo, vel Apollo, non autem Christo. Neutiquam verò carpit monastica instituta, vel Philosophorum aut Theologorum scholas & academias: quæ licèt exercitijs, ritibus, sententijs discrepent, tamen in eadem fide Christi, caritate, & humilitate Christiana connexa sunt. Si quis aliter faxit, vanus is erit, & huius vanitatem & contentionem cum Paulo ad Corinthios hos amandabimus. hominis hoc vitium est, non Ordinis: vti Corinthiorum quorundam hoc vitium erat, non Ecclesiæ. Legi veriùs aptiusque hæc in schismata Nouantium torqueas: ipsi enim dicunt, Ego sum Caluini, Ego Lutheri, Ego Mennonis, idque id rebus fidei & religionis: aliam enim fidem inducit Caluinus, aliam Lutherus, aliam Menno. Hæc enim Religionum & Ordinum varietas ad maiorem Ecclesiæ tum decorem, tum fortitudinem, tum vnionem inducta est: sic enim castra in suas legiones distributa, sunt magis decora, fortia & vnita. Si enim hac distributione carerent, magna in eis esset confusio. Religiosi variorum Ordinum vniti sunt, non tantùm sub vno capite Summo Pontifice in vna Ecclesia; sed etiam in eo, quòd non in statu laico, vel Ecclesiastico, sed in Religione simul omnes versantur. Religiones enim in Ecclesia vnam quasi legionem, eamque fortissimam constituunt. Sicut ergo vnius corporis membra inter se vnita sunt; & sicut vnius legionis milites magis inter se, quàm cum alia legione uniti sunt: ita prorsus Religiosi qui ad apicem perfectionis contendunt, & arctiori nexu religionis & voti Deo deuincti sunt, arctiùs quoque sibi inuicem astringuntur.

Si quis ergo est inter eos, qui alteri Ordini detrahit, inuidet, impedit, huius vana est religio; hic non Religiosus, imò non Christianus, sed prælatus est; nec spiritu Dei, sed dæmonis agitur.

Verus enim Religiosus cum S. Bernardo in Apolog. dicet: *Vnũ Ordinem opere teneo, cæteros charitate.* Franciscanus sum Ordine, sed charitate Dominicanus, Augustinianus, Benedictinus, &c. itaque omnium Ordinum & Religionum Religiosus sum, vnius opere, reliquorum charitate. Quare omnium Ordinum bonis lætor, omnium prospero successu gaudeo, nulli inuideo. omnes enim mei sunt, & ego omnium. *Numquid diuisus est Christus* in diuersis Religiosorum Ordinibus? Absit. Idem enim Christus omnium Religionum est institutor, auctor & rector, idque ad maiorem earum inter se vnionem. Quod ergo causa esse debet maioris vnionis, non sit causa turpissimæ, Deoque exosæ diuisionis; ne audiamus illud, *Cùm sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis?* & illud, *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Si Deo placuit Ordines alios alijs addere, nouos veteribus in subsidium submittere, nouam eis gratiam & spiritum dare, quis Deum carpat? quis nouis inuideat? quis Ecclesiam talibus operarijs defraudet? Esto palmam ferant; gaudebo Deum per eos honorari, animasque plures saluari; itaque laborum eorum particeps fiam: non enim meam, sed Dei gloriam quæro.

Studia non diuersorum Ordinũ & scholarum, sed Nouantium hæreticorum hic reprehenduntur cõtra Erasmum.

BAPTIZAVI STEPHANÆ DOMVM] Stephanam, Vetait Theophyl. vir erat Corinthi celebris, quem proinde à fide & charitate laudat Paulus c. 16. 15.

NON MISIT ME CHRISTVS BAPTIZARE, SED EVANGELIZARE] Hæc duo sunt officia Pastorum, scilicet prædicatio, & Sacramentorum administratio; sed illud principalius. Vnde Episcoporum, Archiepiscoporum, & Primatum præcipuum munus est prædicatio Euangelij; quod per se, nisi legitimè impediantur, exercere debent, inquit Concil. Trident. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. Baptismum verò, atque Sacramenta Parochis, eorumque adiutoribus cum Paulo committere possunt.

NON IN SAPIENTIA VERBI, id est, cum eloquentia & sermonis ornatu non Euangelico. Cæ-

nimis est σοφία, vnde Sophi & Sophistæ dicti sapientes, maximè forenses, ait Plutarch. in Themistocle. Talis fuit Libanius Sophista, tales hodie & isthi Nouantes spermologi, qui se rectè vetò Magistros indigitant. Non ita Paulus; idque

ET NON EVACVETVR CRVX CHRISTI] id est, inanem reddatur, dum putant homines se salutem assecutos, & sibi fidem persuasam esse vi humanæ eloquentiæ, non vi passionis Christi. Hæc fuit origo schismatis dicentium, Ego sum Pauli, Ego Apollo: quòd scilicet Apollo eloquens placeret nouellis Corinthijs delicatis, & eloquentiæ studiosis, illis verò spiritum magis quàm verba quærentibus, placeret Paulus, imperitus quidem sermone, sed non scientia. Vnde Paulus hîc, & per tria sequentia capita, multis eloquentiam & sapientiam sæcularem insectatur & deprimit. Hinc Secundò, *sapientia verbi*, græcè σοφία λόγου, accipi potest naturalis Philosophia, quasi dicat, rationalis sapientia: hanc enim opponit cruci v. 18. deinde v. 19. 20. 17. explicat illam esse Philosophiam, & humanam rationem ac prudentiam. ita Maldon. in Notis.

VERBVM CRVCIS PEREVNTIBVS STVLTITIA EST] q.d. Sermo de cruce saluatrice, siue quòd per crucem & passionem Christi redempti sumus, incredulis ac peruersis hominibus, ideoq; perituris stultitia appareat. Et hoc est, quod Isaias c. 8. in persona Christi ait: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israel:* de quo plura dicam Hebr. 2. v. 13.

DEI VIRTVS EST] *Virtus*, græcè δύναμις, id est, potentia, robur, fortitudo. de quo plura v. 24.

SCRIPTVM EST ENIM] Isaiæ 29. 14. vbi sic ait, *Perdet sapientia à sapientibus eius, & intellectum prudentum eius abscondetur.* passiuè. Sed LXX. quos sequitur Paulus, vertunt actiuè. ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν κρύψω. *Perdam sapientiam sapientum & prudentiam prudentum abscondam.* Pro quo Paulus habet, ἀθετήσω, *reprobabo*; &, vt Tremel. vertit, *irritam faciam*: estque idem sensus. perdere enim sapientia, quia Deus eam perdet & abscindet. Fortè etiam LXX. pro אֲבַדֶּה *abeda*, id est perdet, legerunt אַבְדָּה *abbeda*, pro אַאֲבִדָה *aabda*, id est *perdam*, per crasim in futuro Piel. Nota, Paulum referre ad vniuersum genus sapientiæ sæcularis id, quod Propheta propriè de Iudæorum sapientia quæ Pharisaica erat, dixit. Est enim par ratio hoc, vtriusque, imò omnis sapientiæ sæcularis ratio. q.d. Faciam vt sapientia sæculari homines ad salutem vti nolint, sed Euangelio & cruci Christi.

VBI SAPIENS? id est, Philosophus Gentilium. VBI SCRIBA? id est, doctor Iudæorum. Citat Paulus Isaiæ 33. v. 18. *Vbi*, inquit, *est litteratus? vbi legis verba pondera?* (id est scriba) *vbi doctor parvulorum?* qui apud eum est *conquisitor seculi.*

Nota. Sicut Græci suos sapientes vocabant Philosophos, Chaldæi Magos; ita Iudæi suos doctores vocabant *Sopharim*, quod LXX. γραμματεῖς, Noster Scribas vertit; à סָפַר *sepher*, id est littera, scripura: quasi dicas, litterati aut scribæ, eò quòd circa sacras Litteras versarentur. Illorum enim officium erat sacram Scripturam incorruptam seruare, correctæ eius descriptioni inuigilare, interpretari, tum scripto, tum voce, & in suis scholis conscribere, vel enarrare. ita Epiphan.

A hæresi 16. Vnde *sopher* potest etiam deduci à סָפַר *saphar*, id est, enarrare, recensere, vt *sopher* idem sit quod enarrator & explicator legis. Sed Noster & LXX. ad *sepher* respiciunt. Sic Grammatici olim dicti sunt, qui grammata & litteras versabant, & dubias Poëtarum sententias explicabant. Iudæorum enim studium omne erat in sacris Litteris, nec alias ferè norant. ita Iansen. Toletus, Maldon. & alij in Euangelia, vbi crebra Scribarum est mentio.

VBI CONQVISITOR SAECVLI?] Physicus, qui naturæ & mundi arcana curiosè scrutatur. q.d. Abiecti sunt Philosophi & Scribæ, omnesque mundi sapientes depressi & confusi sunt, per prædicationem Apostolorum, gloriam Euangelij. ita Chrysost.

Notat hîc Paulus, & in seqq. tum veteres, tum *Philosophi Gentiles, nō Christiani taxantur à Paulo.*
B nouos Philosophos; non Christianos, vt volunt Anabaptistæ. tales enim erant Dionysius Areopagita, Hierotheus, Paulus, Clemens Romanus, Nathanaël, Gamaliel, Apollos; sed Ethnicos, qui hoc eodem tempore, quasi æmuli Apostolorum orbem circumibant, & specie pietatis, sapientiæ & eloquentiæ populos à Christo & Apostolis ad se traducere, quasi ipsi soli docerent veram sapientiam & viam ad virtutem, iustitiam & salutem, conati sunt. qualis fuit Musonius, Dio. Epictetus, Damys, Diogenes minor, Apollonius Tyanæus, qui hoc eodem tempore sua magia ita Græcis admirationi fuit, vt Ephesi statua donatus, & inter diuos relatus sit; testis Philostratus. l. 4. vide Baron. ann. Christi 75. p. 777.

NONNE STVLTAM FECIT DEVS SAPIENTIAM HVIVS MVNDI?] *Stultam fecit*, id est stultam ostendit: ponitur verbum reale pro mentali vel verbali, iuxta
C can. 36. Stultam, inquam, in crucis & Christi ac salutis cognitione: ad hanc enim fide opus est, non acumine. ita Chrysost. Patet ex seq. Vide Baruch 3. 22. *Scientia piscatorum*, inquit Ambros. *stultam fecit scientiam Philosophorum*, cùm scilicet suos & naturæ terminos egressa est.

Sic enim in creatione stultum ostendit Deus *In quibus ostenderit Deus stultā mundi sapientiam.*
illud axioma Philosophorum, quo dixerunt, *Ex nihilo nihil fit*, ideoque putarunt mundum esse increatum & æternum. Sic in incarnatione stultum ostendit illud eorum dictum, *Deus corpore loco, tempore claudi nequit.* In passione illud, *Deus pati & mori non potest.* Sic in Eucharistia, stulta ostendit Deus hæc eorum, vti & Nouantium nostrorum principia: *Accidens non potest esse sine subiecto: corpus nequit esse in puncto: duo corpora non possunt esse*
D *in eodem loco.* Licet enim hæc naturæ non tamen Deo (qui omnipotens est, omnemque naturam transcendit) impossibilia sunt.

Hunc locum Pauli citans S. Paulinus epistola *Mundi sapientia à Deo reprobata; & vicissim mūdo odiosa Dei sapientia.*
27. ad Aprum, ex aduocato ad vitam monasticam conuersum, ideoque hominum ludibrijs expositum; ita eum in proposito confirmat, docetque hominum risus & sannas contemnere. *Gratulor*, inquit, *quòd illam reprobatam à Deo sapientiam respuisti, & cum paruulis Christi quàm cum sapientibus mundi habere consortium maluisti. Inde iam & hanc gratiam mereris à Domino, vt te oderint homines; quod non fieret, nisi verus imitator Christi esse cœpisses.* Et inferiùs, fructum & dignitatem propositi illius demonstrans, *Gaude* inquit, *& exulta, ecce enim merces tua copiosa est in cœlis: non enim te, sed illum, qui in te esse cœpit, oderunt, cuius opus est in te, & humilitas quam contemnunt, & castitas quam detestantur; in*

quo

quo te bono Prophetarum Apostolorumque participem esse latiùs agnosce. Ab initio sæculorum Christus in suis patitur & triumphat: in Abel, occisus est à fratre, in Noe, irriſus à filio, in Abrahàm, peregrinatus; in Isaac, oblatus, in Iacob, famulatus; in Ioseph, venditus; in Mose, expositus & fugatus; in Prophetis, lapidatus & sectus; in Apostolis, terrâ marique iactatus; in Martyribus, toties & tam variè occisus. Ipse & in te patitur opprobria, & ipsum in te odit hic mundus: sed gratias ipsi, quòd vincit cùm iudicatur, & triumphat in nobis. Deinde laudans & admirans vitæ eius commutationem, *Vbi*, inquit, *nunc tu ille es aliquando terribilis aduocatus & iudex? Quis daret mihi pennas, & volarem ad te, videns te, non te, & videns ex leone vitulum; videns in Apro Christum, nunc versa ferocitatis & virtutis vice aprum sæculo, agnum Deo? non enim de silua, sed de segete aperes, qui bonis disciplinarum fructibus opimaris, & in fruge virtutum tibi passus es.*

VERS. 21. QVIA IN DEI SAPIENTIA NON COGNOVIT MVNDVS PER SAPIENTIAM DEVM: PLACVIT DEO PER STVLTITIAM PRÆDICATIONIS SALVOS FACERE CREDENTES] Nota τὸ *in Dei sapientia*, quam scilicet ostendit in sapientissima, & tam stupenda mundi fabrica & gubernatione, ait D. Thomas. q.d. Mundus stultus non cognouit in hac sapienti fabrica Deum practicè, vt auctorem salutis & ducem ad bonam & beatam vitam: nec etiam speculatiuè, quia Deum finxerunt etiam Philosophi impotentem ad creandum, eumque putarunt necessariò agere, carere prouidentia, &c.

Deus cum mũdo quasi stulteſcit, vt ſtulto ſe accõmodet.

Hinc Deus per rem, quæ mundo videtur stulta, scilicet per crucem, mundo se & salutem veram reuelauit, vt stultis se accommodaret, & cum eis quasi stulteſceret, vti præceptor cum pueris repueraſcit & balbutit. Sic Christus, quia non intelligebatur vt Deus, hominibus se reuelauit, vt homo & passibilis. hoc autem ingens est sapientia. ita D. Thom. Anselm. & alij.

VERS. 22. QVONIAM ET IVDÆI SIGNA (miracula) PETVNT: NOS AVTEM PRÆDICAMVS CHRISTVM CRVCIFIXVM] Thebanus ille rogatus quid de Romanis sentiret, respondit: *Romani in lanceis, Graci in eloquentia, Thebani in virtutibus gloriantur.* At Apostolus dicit se & Christianos in Christo crucifixo gloriari. hæc nostra est lancea, hæc eloquentia, hæc virtus.

VERS. 23. NOS AVTEM PRÆDICAMVS CHRISTVM CRVCIFIXVM: IVDÆIS QVIDEM SCANDALVM, GENTIBVS AVTEM STVLTITIAM] Videtur alludere ad paronomasiam Hebræam. q. d. Christi siue Messiæ crux Iudæis est מִכְשׁל *michſcal*, id est scandalum; Gentibus מִסְכָּל *miſcal*, id est stultitia. *Ipsis autem vocatis* ad fidem est שֵׂכֶל *ſechel*, id est, industria, sapientia & virtus, siue potentia (græcè enim δύναμις est) Dei. Hinc auctor Lexici Bibliorum Complutensium, in radice שָׂכַל *ſachal* docet מַשְׂכָּל *maſcal*, tam Chaldæorum, quàm Indorum Christianorum S. Thomæ (qui cùm à Babylonijs Episcopum accipiant, eorum quoque lingua, putà Chaldæa, quæ Hebræę est dialectus, in sacris vtuntur) lingua significare crucem; atque à se. Indum quemdam Christicolam, qui crucem in manu semper gestabat interrogatum, quo illam nomine lingua sua appellaret, respondisse מַשְׂכָּל *maſcal*. quasi dicas, Sapientiam, industriam; indeque se collegisse, Paulum 1. Corinth. 1. v. 24. eò alluſisse, cùm ait: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & sapientiam.* Siquidem hæc vox commutatis tantùm litteris symbolicis & punctis, crucem, scandalum, stultitiam & sapientiam significat.

Locus hic Pauli ex Hebræo illuſtratus per inſignẽ paronomaſiam.

Crux lingua Chaldaicæ & Indica, ſignificat Dei ſapientiam & virtutem.

Nota, cum Chrysost. hom. 4. in moral. hic, & suprà ad v. 17. Virtus crucis non tantùm in se, sed etiam in sui prædicatione eluxit. Primò, in eo, quòd Apostoli pauci, piscatores, pauperes, illiterati, obscuri, Iudæi, toti mundo exosi, orbem tamen cruci subiecerint. Secundò, quòd hostes infensissimos, dæmones, peccatum, mortem, infernum, reges, principes, philosophos, oratores, Græcos, Barbaros, leges, iudicia, religiones antiquissimas, & temporis vetustatem peruicerint. Tertiò, quòd non armis, non sapientia, non eloquentia, sed simplici prædicatione persuaserint. Quartò, quòd tam breui tempore per totum orbem Christi fidem sparserint. Quintò, quòd liberrimè & fortissimè tyrannorum minas, verbera, mortes & tormenta, naturæ viribus intoleranda superarint, per Christi gratiam. Sextò, quòd doctrinam non de Deo glorioso, sed crucifixo, eoque Saluatore credendo & adorando, legemque Christi naturæ & carni non gratam, sed repugnantem persuaserint. Quare pulchrè & aptè Tertul. libr. contra Iudæos, Christi regnum omnium regum & populorum regnis ita confert & præfert: *Salomon*, inquit, *regnauit, sed in finibus Iudæ tantum à Dan vsque ad Bersabee. Babylonij & Parthi regnauit Darius, non vltrà: Aegyptijs Pharao, sed illa tantùm. Nabuchodonosor ab India, vsque ad Aethiopiam latius regni sui terminum. Alexander Macedo numquam Asiam vniuersam, & cæteras regiones, postquam deuicerat, tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperij sui habent terminos. Christi autem nomen & regnum vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus colitur, vbique regnat, vbique adoratur, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus & Dominus est.*

VERS. 25. QVIA QVOD STVLTVM EST DEI, SAPIENTIVS EST HOMINIBVS: ET QVOD INFIRMVM EST DEI, FORTIVS EST HOMINIBVS] Id est, stultitia & infirmitas Dei, id scilicet, quod in Deo & Christo nato & passo putant stultum & infirmum, scilicet Dei humanitas, mortalitas, passio, crux; fuit id, quo sapientissimè & fortissimè Christus quasi victus, vicit homines, Satanam, & totum orbem; ait Ambros. & Anselm. q. d. In eo patet mira Dei sapientia & virtus, quòd per rem stultam & infirmam, scilicet crucem, sapientiam omnem & fortitudinem vicerit. Vide Iud Habacuc 3. *Cornua in manibus eius*, S. Hieron. & Augustin. exponunt sic; Fortitudo & arma, quibus quasi cornibus hostes transfixit Christus, fuerunt brachia crucis, cui affixæ erant manus Christi. Hinc & Constantino Magno contra Maxentium pugnaturo crux è cælo ostensa, cum hac inscriptione, *In hoc signo vinces*, vt testatur Euseb. lib. vitæ Constant. c. 27.

Litteraliter & moraliter Nota. Fortitudo & magis sapientia crucis, vt docet D. Thom. 3. p. q. 46. a. 3. & 4. & S. Augustin. 13. de Trinit. 12. patet Primò, quia summum Deus in cruce nobis ostendit amorem, vt hac arte nos ad se traheret: Deus enim nulla necessitate compulsus, nulla spe proficuæ vtilitatis illectus, solo nostri amore ad crucem usque descendit; ita tamen sapienter, vt per hoc deitatis suæ celsitudini & gloriæ nihil detraheret.

Ecd. 10. 1. f. 289. 1. d.

Deus

Deus enim in se nihil est passa, sed omnem passionem in humanitate assumpta sustinuit. Secundò, quia in cruce redemit hominem, non per potentiam deitatis, sed per iustitiam & humilitatem passionis, vt ait S. Augustin. Tertiò, quia in cruce perfectissimum obedientiæ, constantiæ, pœnitentiæ, patientiæ, fortitudinis, mortificationis vitiorum, omniumque virtutum exemplar nobis imitandum proposuit. Quartò, quia in cruce mundi superbiam & fastum confutauit, deditque hominem ipso per superbiam & delicias, speculum vitæ, docuit modum per humilitatem & crucem reparandi se. Quocirca S. Bernard. ad milites templi cap. 11. *Nec mirum*, inquit, *profuit infirmitas Christi quam sanctæ: quia etsi ex deitatis potentia peccati iugum iniecta submouit, ex carnis tamen infirmitate nostra iura moriendo concussit. Vnde pulchrè ait Apost. Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Sed & ipsa stultitia, per quã ei placuit saluum facere mundum, vt mundi confunderet sapientiam, confunderet sapientes: quid videlicet cùm in forma Dei esset, Deo æquale, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: quid hanc cùm esset, propter nos egenus factus est, de magnorum, de celso humilis, infirmus de potente: quòd clamat, quòd sitiit, quòd fatigatus est in itinere, & cætera quæ ipsa est voluntate, non necessitate: hæc ergo ipsius stultitiæ cùm sint nobis via prudentiæ, iustitiæ forma, sanctitatis exemplum? Ob hoc item Apostolus: Quod stultum est, inquit, Dei, sapientius est hominibus. Mors ergo à morte, vita ab errore, à peccato gratia liberauit. Et quidem mors per iustitiam suam peregit victoriam: quia ipsa exsoluendo qua non rapuit, iure omnino quod amiserat accepit.*

A *structio superborum, malè viuentium pœna, aduersus dæmones triumphus, deuictio diaboli, adolescentum pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, nauigantium gubernator, periclitantium portus, obsessorum murus, pater orphanorum, defensor viduarum, iustorum consiliarius, tribulatorum requies, paruulorum custos, virorum caput, senum finis, lumen in tenebris sedentium, regum magnificentia, scutum perpetuum, insensatorum sapientia, libertas seruorum, Imperatorum philosophia, lex impiorum, martyrum gloriatio, monachorum abstinentia, virginum castitas, gaudium sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum, templorum destructio, idolorum repulsio, scandalum Iudæorum, perditio impiorum, imualidorum virtus, ægrotantium medicus, esurientium panis, sitientium fons, nudorum protectio.*

VERS. 26. VIDETE ENIM VOCATIONEM VESTRAM, FRATRES, QVIA NON MVLTI SAPIENTES SECVNDVM B CARNEM, NON MVLTI POTENTES] Nota. *Apta conuenientia prædicatorum crucis Christi, cum ipsa cruce.* *τὸ enim* dat causam præcedentium: estque hîc alia probatio eius quod dixit v. 21. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*; idipsum enim probat duobus argumentis. Primò, v. 23. ex obiecto prædicationis, quia scilicet Deo placuit per crucem saluos nos facere, hoc autem mundo videtur stultitia. Secundò, idem probat hîc ex ipsis ministris prædicationis, quia scilicet ipsi Apostoli prædicantes crucem & salutem fuerunt homines viles, rudes, abiecti, & stulti coram mundo.

Rursum, *τὸ enim* hunc versum cum v. 25. proximè præcedenti aptè connectit. ibi enim dixerat Apostolus, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. quæ sententia indefinita & generalis vera est, tam in ipsa cruce, quàm in ipsis crucis prædicatoribus, vt docet Athanasius quæst. 129. ad Antiochum.

Adeoque *τὸ enim* hîc significat aptam conuenientiam prædicatorum cum ipsa cruce. quasi dicat, Deus voluit stultitia & infirmitate crucis vti, eaque superare & sibi subdere omnium hominum sapientiam & potentiam. idque patet, non solùm in ipsa cruce, crucisque victoria, sed etiam in Apostolis crucem prædicantibus: nam non elegit Deus sapientes & potentes mundi, sed pauperes, idiotas & stultos coram mundo Apostolos; qui crucis trophæum per totum orbem circumferrent, crucisque fidem toti mundo persuaderent, vt omnes homines crederent & sperarent se per crucem Christi iustitiam & salutẽ adepturos. *Quales elegerit Deus ad fundandam Ecclesiam.*

Est ratio à simili, siue ab analogia; qualis enim fuit crux, scilicet vilis, abiecta & stulta mundo, tales decebat quoque esse crucis præcones. Deus enim cruci prædicandæ ita congruè omnia adaptauit mira sua sapientia, vt tam prædicatores, quàm ipsi credentes quoque cruci congruerent: primi enim credentes & ad fidem vocati, fuerunt homines plebeij, viles, obscuri, peccatores, publicani, & meretrices.

VIDETE VOCATIONEM] id est, rationem & modum vocationis vestræ; quia Apostoli qui vos vocarunt, non sunt sapientes secundùm carnem, id est carnali, terrena, mundana sapientia, quæ spirituale & diuinam nescit. ita S. Thom. loquitur enim maximè de vocantibus Apostolis. Secundò tamen rectè Chrysost. ex v. 2. etiam de vocatis & conuersis accipit: nam plures indocti fuêre conuersi ad Christum, pauciores docti & nobiles, vtpote superbi; vt, *videte vocationem*, idem sit, quod *Vocantes & vocati ad fidem ignobiles, pauperes, rudes: pauci nobiles & sapientes.*

C Vnde Simeon Sãlus, Franciscus, & maximi Sancti quæsierunt stulti haberi à mundo, vt Deo magis placerent; adeoque Religiones nonnullæ hunc quasi apicem perfectionis & sapientiæ Christianæ suis præscribunt, vt tantum ament, cupiant, amplectantur sui contemptum, irrisiones, opprobria, iniurias, quin & stulti haberi exoptent; quantum mundi sectantur sapientiæ famam, honoris, nominis celebritatem. Idque Primò, hac de causa, vt sic mundum perfectè contemnant. Secundò, vt seipsos maximè humilient, & innatum gloriæ, laudis, honoris ac celsitudinis appetitum extirpent. Tertiò, vt magis conformentur Christo, eique vestibus & insignibus induantur, qui propter nos, & vt daret nobis exemplum virtutis & perfectionis, hæc ipsa elegit, voluit haberi stultus, factus est opprobrium hominum, & abiectio plebis. Dicunt ergo ipsi cum Paulo: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

D Hæc omnia docet crux Christi, si eam sæpè contemplemur, nimirum crux est fons sapientiæ. S. Bonauenturæ rogatus, vnde tantam hausisset sapientiam, Crucifixum ostendit osculis penè attritum. B. Iacoponus vir nobilis & literatus, cùm ex cruce Christi didicisset mundo stultescere, rogatus à Christo sibi apparente amicè & familiariter, cur hanc stultitiam ita adamaret; respondit pio lepore, vt solebat: *Quia stultior me fuisti, Domine.* Denique virtutem & elogia crucis paucis ita complectitur S. Chrysost. hom. 4. de cruce & latrone: *Si nosse desideras virtutem crucis, & quanta possim ad eius laudem dicere, audi: Crux spes est Christianorum, resurrectio mortuorum, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrænatio diuitum, de-*

Cornel. in epist. Pauli.

videte vocantes & vocatos, quales scilicet sint. Vide canon. 21. & 30.

Nota. Aliqui sapientes & potentes fuêre vocati, vt Dionysius Areopag. Paulus Proconsul, Nicodemus, Paulus hic noster; sed pauci; & Apostolus loquitur maximè de Apostolis, qui primi vocati sunt, cùm essent pauperes & abiecti. Vnde Ambros. lib. 5. in Lucam ad illud cap. 6. *Elegit duodecim ex eis: Aduerte, ait, caleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxisse prudentia, ne redemisse diuitiis, ne potentia nobilitatisq; auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; vt veritatis ratio, non disputationis gratia præualeret.* Et S. Augustin. de verbis Domini serm. 59. tom. 10. *Magna*, inquit, *artificis misericordia: sciebat enim quòd, si eligeret senatorem, diceret senator, Dignitas mea electa est, si eligeret diuitem, diceret diues, Opulentia mea electa est; si regem, diceret rex, Potestas mea; si oratorem, Eloquentia mea; si Philosophum, Sapientia mea electa est. interim, inquit Dominus, differuntur superbi isti, multum tument: da mihi priùs istum piscatorem: veni tu pauper, nihil habes, nihil nosti, sequere me: tam Largo fonti vas inane admouendum est. dimisit retia piscator, accepit gratiam, & factus est diuinus orator: leguntur modò verba piscatorum, & subduntur colla oratorum.* Vanum ergo videtur, quod de nobilitate & purpura S. Bartholomæi Apostoli fabulantur nonnulli.

Cur Deus non vocauerit initiò reges & nobiles.

VERS. 27. SED QVAE STVLTA SVNT MVNDI ELEGIT DEVS, VT CONFVNDAT SAPIENTES. Nota. *Stulta, infirma, ignobilia mundi*, per auxesim, vocat Paulus ipsos fideles, vocatos ad Christum; vel potiùs ipsos vocantes, scilicet Apostolos, hos enim, quia rudes, pauperes, ignobiles, ideoque coram mundo stultos, mundique ludibria, opponit sapientibus, fortibus & potentibus mundi: eosdem vocat,

Infirma elegit Deus, vt confundat fortia.

VERS. 28. EA QVAE NON SVNT, id est, abiecta, quæ pro nihilo habentur. q. d. Deus elegit Apostolos abiectos, qui pro nihilo habebantur, VT EA QVAE SVNT, id est, ea quæ habentur in pretio, putà sapientes & potentes mundi, DESTRVERET] & quasi annihilaret.

Tria mundi admirabilia à Deo neglecta in vocatione hominum.

Vbi Nota. Tria quæ mundus solet admirari, scilicet sapientia, potentia, & nobilitas, à Deo fuerunt neglecta in vocatione hominum ad fidem, iustitiam & salutem: atque è contrario, tria his contraria fuerunt ab eo electa, scilicet insipientia, impotentia & ignobilitas. Primi enim vocantes Apostoli, æquè ac primi vocati, tam Iudæi, quàm Gentiles, fuerunt secundùm mundum insipientes, impotentes, ignobiles. Idque vt ostenderet Deus diuinum hoc esse opus; Deique gratiæ, non autem humanæ excellentiæ, ascribêdam esse hanc vocationem. Ita secundo post Apostolos sæculo elegit Agnetem, virgunculam tredecim annorum, quæ sua admirabili fortitudine stupefaceret & confunderet Præsides, omnesque Gentiles. Vnde meritò in eius Collecta orat Ecclesia: *Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis vt fortia quæque confundas, concede propitius, vt qui B. Agnetis, virginis & Martyris tuæ, solemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus.* Tales fuere & S. Agatha, Lucia, Dorothea, Barbara, & sexcentæ aliæ, quas ad hoc excitasse videtur Deus, vt in earum debilitate gratiæ suæ vim ostenderet, quodque *virtus* diuina *in infirmitate* humana *perficitur*. Quocirca in earum Collecta orat Ecclesia: *Deus qui inter cætera potentia tua miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti, concede propitius, vt qui beatæ N. virginis & Martyris natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur.*

VT NON GLORIETVR OMNIS CARO] *Non omnis*, id est, nullus. est hebraismus. Rursum *caro*, id est homo. Est synecdoche. q. d. Ideo Deus elegit & vocauit ad Christum non sapientes, nobiles, potentes; sed rudes, ignobiles & impotentes, vt nullus homo glorietur se vocatum ad christianismū ob suam sapientiam, opes, nobilitatem, fortitudinem, merita; sed sciat se vocatum ex mera Dei gratia. ita Anselmus.

EX IPSO AVTEM VOS ESTIS IN CHRISTO IESV] *Ex ipso*, id est, ipsius, scilicet Dei, dono, per ipsam gratiam, & vos vocati estis ad fidem, Christo creditis. ita Anselm. Esse enim in Christo, est Christo esse incorporatum in baptismo, siue esse in Christi Ecclesia & christianismo, iuxta can. 37.

QVI (Christus) FACTVS EST NOBIS SAPIENTIA A DEO, ET IVSTITIA, ET SANCTIFICATIO, ET REDEMPTIO] *Iustitia*, imputatiua, inquiunt Nouantes; quia scilicet non per veram & inhærentem, sed tantùm per externam Christi iustitiam nobis imputatam coram Deo, videmur esse iusti. Sed contrà, insto: ergo sic & Christi redemptio actiua (hanc enim addit Apostolus) nobis imputabitur, ac consequenter erimus nos redemptores nostri. quod est absurdum. Secundò, sapientia nobis inhæret & fides; ergo & iustitia: eodem enim modo ait Apostolus Christum factum esse nobis iustitiam & sapientiam.

Dico ergo ex can. 21. cum Chrysost. Theophyl. Anselm. Ambros. S. Thoma, sensus huius loci hic est: Christus factus est nobis auctor & causa veræ & Christianæ sapientiæ, redemptionis, sanctitatis & iustitiæ, Primò, satisfactione & meritorie. idque maximè hîc spectat Apostolus; quia Christus pro debito humano, iustissimo sanguinis sui pretio satisfecit, & meruit nobis iustitiam, sapientiam & sanctitatem; adeoque factus est nobis iustitia, quia iustitia, id est satisfactio, Christi nostra est, perinde ac si nos Deo satisfecissemus. Vnde, vt Theologi docent, in iustificatione per Sacramenta quasi priùs natura, Christi satisfactio nobis applicatur; vt deinde posteriùs natura propter eam remittantur peccata, & gratia infundatur. Damnatur ergo hic error Petri Abailardi, quem iam sequuntur Sociniani, qui docent Christum fuisse doctorem orbis, non redemptorem, nimirum eum missum esse à Patre, vt daret hominibus exemplum perfectæ virtutis, non autem vt à peccatis eos liberaret, & redimeret. Quem insectans S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium Pont. *Finis legis*, inquit, *Christus, ad salutem omni credenti*, Rom. 10. *Denique, qui factus est nobis inquit iustitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi iustitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non & mea reddita iustitia? Et sanè mihi tutior donata quàm innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum. Illa autem cùm sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi nisi in Domino. Nam & si iustus fuero, non leuabo caput, inquit* Iob cap. 10. *ne videlicet reflexus in me accipiat: Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hæc est iustitia hominis in sanguine Redemptoris, quam homo perditionis* (Abailardus) *exsufflans atque subsannans, in tantum euacuare conatur, vt totum quod Dominus gloria*

sancti-

locis eum extraniuit, &c. quòd passus indigna, &c. ad hoc putet & disputet redigendum, vt traderet hominibus formam vitæ viuendo & docendo, patiendo autem & moriendo charitatis metam præfigeret, &c. Petri Abailardi erat fallax & friuola: diabolus, inquit, nullum ius habebat in hominem: ergo homo non egebat liberatore. Antecedens enim verum est de iure legitimo, non de iure vsurpato, quo homo peccatis sponte subdiderat se diabolo, peccato & inferno.

Secundò exemplariter quia Christi iustitia perfectissimum est exemplar, ad quod omnis nostra iustitia conformari debet: q. d. Paulus *Christus factus est nobis iustitia*, id est, exemplar & speculum iustitiæ.

Tertiò, efficienter, quia iustitiam hanc efficit Christus & producit per sua Sacramenta, & quia dat veram sapientiam ac scientiam Sanctorum; quomodo scilicet bene & christianè viuere, & qua via ad cælum, & ad beatitudinem tendere debemus.

Quartò, finaliter, quia ipse Christus & gloria Dei finis est nostræ iustitiæ & sanctitatis. Symbolicè S. Bernard. serm. 22. in Cantica, hæc quatuor *sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio* adaptat. Primò, quatuor Christi operibus. *Christus, inquit, factus est nobis sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conuersatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione quam sustinuit pro peccatoribus.* Et inferiùs: *Christus factus est nobis à Deo sapientia, docens prudentiam, & iustitia, delicta donans; & sanctificatio in exemplum temperantiæ, continenter viuens; & redemptio in exemplum patientiæ, fortiter moriens. Vbinam quæso vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vnde vera iustitia, nisi de Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione?* Secundò, consequenter S. Bernardus hæc quatuor adaptat quatuor virtutibus cardinalibus, prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ & fortitudini, quas Christus nobis cõmunicat, dum subdit dicens: *Soli ergo qui eius doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui eius vitam imitari student; soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduersis tenent. Incassum prudet qui laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quam à Domino virtutum; cuius doctrina, seminarium prudentiæ; cuius misericordia, iustitiæ; cuius vita, speculum temperantiæ; cuius mors, insigne est fortitudinis.*

VT QVI GLORIATVR, IN DOMINO GLORIETVR. Citat non verba, sed sensum Ieremiæ 9. 23. vt Ambrosius, Theophylactus, Anselmus, D. Thomas. Ieremias sic habet: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, A scire & nosse me:* hoc autem est *in Domino gloriari.* Nota. Loquitur Ieremias de liberatione à manibus Nabuchodonosoris, & clade Chaldæorum, Iudææ imminentium. q. d. Iudæi gloriantur in consilijs suorum sapientium, in robore militum, in opibus Hierosolymæ; quasi ijs tuti futuri sint contra Chaldæos: sed errant. Vera enim gloriatio est scire & nosse Deum, id est Dei prouidentiam; quodque ipse solus est, qui facit misericordiam; & quos vult, misericorditer liberat; non autem homo sapiens, diues, aut fortis: quodque ipse solus iustam pœnam infert, cui vult, à qua nemo sapiens, fortis aut diues liberare potest; sicut vobis, ô Iudæi, inferet, facietque, vt mors, id est Chaldæus hostis mortem inferens, ascendat per fenestras, vt per eas in domos penetrans, paruulos omnesque trucidet. *Locus Ieremiæ 9. illustratus & explicatus.*

Id rectè Apostolus hîc, vocantibus & vocatis ad christianismũ adaptat, vt nemo gratiam christianismi sibi, suis viribus, aut naturę donis tribuat, sed gratiæ Christi, & consequenter tacitè infert, q. d. Non ergo, ô Corinthij, in vobis, non in Paulo, vel Apollo, præceptoribus vestris, sed in Domino gloriamini: hoc enim initio probare proposuit Paulus, eoque omnia referenda sunt. *Ille*, ait Anselmus, *in solo Domino gloriatur, qui cognoscit non suum, sed illius esse, non solùm vt sit, sed etiam vt non nisi ab illo bene sit sibi, à quo habet vt sit.* Rursum, qui habens aliquid, vnde placeat Deo, non id suæ sapientiæ, potentiæ, operibus, ingenio, meritis; sed soli gratiæ Dei acceptum fert. Tertiò, qui in omnibus quæ facit, non suam, sed Domini gloriam quærit. *Triplex gloria Christi in operibus quærenda.*

Scripsit in hæc Apostoli verba insignem sermonem S. Bernard. de triplici gloria. Idem serm. 25. in Cantic. *Propterea*, inquit, *& omnis gloria Sanctorum intus, non foris est, hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino: quòd conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderant, & cui placere sola vera & summa gloria est.* Et serm. 13. in Cant. *Fratres nemo vestrùm velit laudari in vita ista: quia quidquid hìc fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tu enim putride puluis, vnde gloria tibi, vnde?* Et in sententijs: *Nouerat Apostolus gloriam propriam Creatoris esse, non creaturæ: sed considerauit rationalem creaturam adeò affectare gloriam, vt aut vix, aut numquam ab hoc compesci desiderio posset, quippe quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea salubertimum adiuuenit consilium, dicens: Quandoquidem nobis persuaderi non potest, non gloriari; saltem qui gloriatur, in Domino glorietur.* Dicamus ergo iugiter cum Psalte: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et cum vigintiquatuor senioribus mittentibus coronas suas ante thronum: *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.* Apoc. 4. v. 11. & c. 5. v. 13. & 14.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit extollere Christi sapientiam spiritualem super omnem naturalem & animalem. Vnde dicit Primò, se non aliud scire & prædicare, quàm Christum crucifixum; idq; non in dulcibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.

Nihilominus Secundò, v. 5. asserit se sapientiam loqui inter perfectos; sapientiam, inquam, modo absconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, sed solus Dei Spiritus reuelauit.

Hinc Tertiò, vers. 14. docet animalem non percipere ea quæ Dei sunt; spiritalem autem omnia percipere & iudicare.

1. ET ego, cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 3. Et ego in infirmitate, & timore & tremore multo fui apud vos: 4. & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: 5. vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur: 7. sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, 8. quam nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. 9. Sed, sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum: 10. nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 11. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. 12. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: 13. quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. 14. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. 15. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur. 16. Quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.

VERS. 1. ET EGO, CVM VENISSEM AD VOS, FRATRES, VENI NON IN SVBLIMITATE SERMONIS, AVT SAPIENTIÆ.] Descendit Apostolus à thesi ad hypothesin, q. d. Dixi cap. præcedenti Deum in Euangelio prædicando, noluisse vti sapientia sapientum sæcularium, sed eam reiecisse & reprobasse; atque per stultitiam prædicationis voluisse saluos facere credentes, ideoque non multos nobiles & sapientes, sed ignobiles & rudes Apostolos elegisse, ad promulgandum Euangelium; ex hisce infero dicoque: *Et ego*, id est, itaque ego quoque quasi vnus è grege Apostolorum, qui iuxta electionem & voluntatem Dei non sunt vsi eloquentia & sapientia sæculari; ijsdem vti nolui, veniqué ad vos, non in sublimitate, sed in simplicitate sermonis & sapientiæ.

A thesi præcedenti capite posita descendit Apostolus ad hypothesin.

VERS. 2. NON ENIM IVDICAVI ME SCIRE ALIQVID INTER VOS, NISI IESVM CHRISTVM, ET HVNC CRVCIFIXVM.] Nota τὸ *iudicaui*. q. d. Non reputaui, non æstimaui aliam scientiam, quàm eam quæ est de Iesu crucifixo, Saluatore nostro: vnde ita me gessi inter vos, quasi nihil scirem sapientiæ humanæ, cùm tamen multum eius callerem, nam alibi Poëtas Græcos cito: sed apud vos dissimulaui, vt simpliciter, vti alij Apostoli, prædicarem tantùm Christum crucifixum: non quòd alia fidei mysteria non prædicarim, sed quòd præcipuè docuerim & inculcarim in vna Christi cruce esse gloriandum, & sperandam esse iustitiam ac salutem, crucemque, vt addit Anselmus, imitandam esse, ac vitia crucifigenda esse Christiano. In Christo enim crucifixo, præter alia, videre est, hæc tria Christum elegisse & amplexum esse, scilicet summum dolorem, summam paupertatem siue nuditatem, & summam ignominiam. Christus ergo suo dolore crucifixit, nobisque crucifigendam docuit concupiscentiam carnis: pari modo suæ paupertate crucifixit cõcupiscentiam oculorum, siue philargyriam: ac denique sua ignominia crucifixit superbiam vitæ; quæ tria sunt generalia mundi vitia, omniumque peccatorum fontes, vt docet S. Ioannes epist. 1. c. 2. v. 16. Vide de cruce Christi dicta c. 1. v. 23.

In Apostolo fuit humana sapientia, sed ea vti noluit.

Tria maximè docuit nos Christus crucifixus.

ET, itaque, EGO IN INFIRMITATE, id est, in ærumnis, tribulatione, & persecutione, ET TIMORE ET TREMORE MVLTO (ob infestationem Iudæorum & Gentium me persequentium) FVI APVD VOS.] Notat Chrysost. & Anselm. Apostolum hic & epist. 2. c. 11. v. 30. & c. 12. v. 5. 9. 10. & alibi infirmitatem vocare ærumnas ex periculis, insidijs, exilijs, metu quotidiano, calumnijs, odijs. Rursus Paulum ingentes ærumnas & persecutiones passum esse Corinthi, satis patet ex eo, quòd oportuerit eum ibidem à Christo in visione cõtra eas corroborari, Actor. 18. 9. *Noli*, inquit Christus Paulo, *timere; ego sum tecum, nemo apponetur tibi vt noceat te.* Vnde mox ibidem tumultum contra Paulum excitarunt Iudæi, eumque pertraxerunt ad tribunal Gallionis Præsidis Achaiæ, ac publicè coram eo Sosthenem Archisynagogum diuerberarunt, Actor. 18. 12.

ET SERMO MEVS (priuatus & familiaris) ET PRAEDICATIO MEA (concio publica.) ita sermonem à prædicatione distinguit S. Thom. & gloss. quin & Seneca epist. 38. *Plurimùm*, inquit, *refert sermo, qui minutatim irrepserit animo; disputationes præparatæ & effusæ audiente populo* (quas postea nominat conciones) *plus habent strepitus, minus familiaritatis.* Hic ergo sermo noster, æquè ac prædicatio, NON (fuit) IN PERSVASIBILIBVS, id est, persuasorijs, siue exquisitis ad persuadendum (sic *incredibilia* in Scripturis idem est, quod incredulis) HVMANAE SAPIENTIAE VERBIS.] In hisce enim excellebant, Paulumque superabant Oratores &

Philo-

Philosophi qui erant Corinthi. Paulus verò novam philosophiam, novo dicendi & agendi modo Corinthios persuadere debebat; in eoque præcellentibus Oratoribus & Philosophis, scilicet *in ostensione Spiritus & virtutis*. Ita S. Martinus cum Salmeron dicebat: *Regnum Dei non in eloquentia fidei fide constat*. Et S. August. serm. 1. de accedentibus ad gratiam: *Non*, inquit, *vobis tonantia & pulcra verba proferimus, non aliqua grammaticorum arte composita, nec eloquentia seculari diserto sermone fucata, sed prædicamus Christum crucifixum*. Et libro contra Felician. cap. 2. *Nec præsumam*, ait, *vmquam in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi: sed Scripturarum auctoritate contentus simplicitati obedire potius fidem, quam tumori*.

Hæc ergo fuit demonstratio Apostolorum; ostendere nimirum, Primò, magnum zelum & spiritum eruditorem sapientia & arcana; non humana ac fucata, ita vt manifestè cernerent auditores Spiritum sanctum per os eorum loqui. Secundò, ostendere magnas virtutes, id est prodigia & miracula. Vnde Origen. lib. 1. contra Celsum: *Discipulos*, inquit, *nostra propriam quamdam habet demonstrationem, diuiniorem quàm sint Græcorum demonstrationes, quam Apostolum nominat demonstrationem spiritus & virtutis, vtpote Spiritu per prophetias* (ibi explicat Spiritum Origen. quàm explicui, sed videtur, minùs genuinè) *fidem astruentia, quæ de Christo feruntur; virtute verò, per prodigia eos facta credimus*. Nam, vt ait Oecum. *Demonstratio ista per opera est & signa. firmior est ea, quæ ex verbis producitur*. Hæc ergo fuit ratio prædicandi Apostolica, eaque efficacissima, quam sibi proponere ac imitentur nostri concionatores, vt nimirum sermo eorum non sit comptus, fucatus, efficatus *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis*. Ita euadent Apostolici, ac verba eorum erunt quasi ignitæ sagittæ cordis penetrantes. & quasi mallei conterentis petras. Audi S. Hieronymum epist. 2. ad Nepotianum: *Docente*, inquit, *te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ sint. Hic spiritus*, vti & concionis fructus ab oratione à Deo impetrandus est. Vnde Origenes lib. 6. contra Celsum, citans hæc eadem Apostoli verba, *Hæc verba*, inquit, *quid aliud sibi volunt, quàm non satis esse, vt verum sit, & natum ad movendos animos hominum, quod dicimus, nisi doctori divinitus accessit sit vis quædam, & dicti eius adsit gratuita energia? & hoc est quod ait Dauid psal. 67. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*.

VT FIDES VESTRA NON SIT IN SAPIENTIA HOMINVM, SED IN VIRTVTE DEI] q. d. Ideo Deus vult me euangelizare, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis, *vt fides vestra* id est, conuersio vestra ad fidem Christi, tribuatur non hominum sapientiæ & eloquentiæ, sed virtuti, id est potentiæ & efficaciæ, Dei; nimirum vt fides vestra sit fundata, non in hominum, sed in Dei sapientia & potentia. Anselm. & alij.

SAPIENTIAM AVTEM LOQVIMVR INTER PERFECTOS] *Sapientiam*, scilicet Christianam; de Christo, gratia, salute, & gloria æterna nobis acquisita per Christum. *Loquor inter perfectos*, id est fidelibus licet fint simplices, tamen in rebus salutaribus instructis. Aristotele. & quouis alio Philosopho perfectis ipsius. ita Chrysost. & Anselmus. quique

Caetul. in epist. Pauli.

A non solùm baptismo renati, sed etiam Sacramento Confirmationis confirmati, perfectionē christiani nismi adepti, perfecteque Christiani effecti sunt. Inde enim à S. Dionysio & alijs, Sacramentum Confirmationis dicitur τελείωσις, id est perfectio, vel consummatio; ipsique confirmati, vocantur perfecti, vel consummati. ita Salmeron. Idemque insinuat Irenæus li. 5. cap. 6. cùm ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos, dicens perfectos eos qui acceperunt Spiritum sanctum, & omnibus loquuntur linguis per Spiritum Dei, quemadmodum & ipse loquebatur*.

Confirmationis Sacramentū, perfectio dicitur. & consummatio.

Secundò, simpliciùs *sapientiam*, id est secretiora & altiora fidei mysteria, vti de resurrectione, Antichristo, reprobatione, prædestinatione: vel potiùs *sapientiam*, id est, profundiorem & altiorem rerum fidei explicationem, vti de modo, consilio, B & fine incarnationis, passionis & redemptionis Christi: ita enim hanc sapientiam Paulus explicat versibus proximè sequentibus. Hanc non rudibus initio, sed proiectis perfectisque loquor & edisero. Vnde hos perfectos vers. 15. vocat spirituales; eosque animalibus, paruulis ac carnalibus opponit. q. d. Licet, vt dixi v. 4. expers videar sapientiæ humanæ, non tamen diuinæ: tametsi enim vobis, quia paruulis, tantùm lac, id est simplicem & facilem doctrinam, dederim, vt ait cap. seq. v. 2. tamen sapientiam arcanam & diuinam loquor inter perfectos.

Quos per perfectos intelligat Apostolus, & quid per sapientiam.

Tuetur Apostolus hisce verbis suam auctoritatem apud Corinthios, qui audito Apollo, viro eloquente & sapiente, Paulum quasi ineloquentem & imperitum parui facere videbantur.

SAPIENTIAM VERO NON HVIVS SÆCVLI, NEQVE C PRINCIPVM HVIVS SÆCVLI] Anselmus, Ambrol. Caietan. & alij, per *principes huius seculi*, dæmones intelligunt, qui in hoc aëre, & in impijs, filijsque huius sæculi dominantur: indeque probant dæmonem ante passionem Christi, licet sciret Christum esse Deum & Messiam, nescisse tamen, an eius morte dæmonis imperium esset destruendum, & homines redimendi, vt dicitur v. 8. Hoc verum est. verius idipsum est in hominibus.

Principes huius seculi dæmones quid de Messia redemptione scinerint.

Vnde Secundò, simpliciùs Chrysostom. Theophyl. Anselm. Tertull. 3. contra Marcionem c. 6. Origen. homil. 2. in Cantica, per *principes seculi*, accipiunt primores, qui inter homines sapientia, opibus, vel potentia præstant: vnde ait, *Qui destruuntur*, id est, abolentur, transeunt, euanescunt. Hoc enim est Græcum τῶν καταργουμένων. & hi proD prie Christum crucifixerunt; vt dicitur v. 8. Tales fuerunt Pilatus, Herodes, Annas, Caiphas, alijque Principes Iudæorum & Gentium.

Principes huius seculi primores hominum.

SED LOQVIMVR DEI SAPIENTIAM IN MYSTERIO] Est hebraismus. Ponitur enim ב *bet*, id est *in*, pro regimine genitiui. *Sapientiam in mysterio*, id est, sapientiam mysterij, putà magni illius & arcani consilij diuini, de Verbi incarnatione & redemptione hominum per Christum, quæ nulla ratione naturali cognosci potest ab homine; imò nec ab angelo. Patet Ephes. 5. v. 4. & 5. Vnde 1. Timoth. 3. 16. hanc sapientiam mysterij vocat magnum pietatis sacramentum. ita Theophyl. Ambrol. Oecumen. hic, atque Hieron. & Leo Castrius in Isaiæ c. 64. Idem tamen Leo Secundò, etiam hanc sapientiam interpretatur de magnitudine gloriæ Beatorum: hæc enim finis fuit Verbi incarnati & passi, vt sequitur.

VERS. 7.

Per sapientiam in mysterio quid intelligat Apostolus.

Secundò, simpliciùs τὸ *in mysterio*, refer non ad *sapientiam*, sed ad *loquimur*. q.d. *In mysterio*; id est, secretò & apud pauciores, scilicet eos, qui spirituales & perfecti sunt, sapientiam hanc profundiorem & occultam, quæ abscondita est, loquimur. Vnde Syrus vertit, *loquimur Dei sapientiam in arcano*; & Tertullian. *loquimur sapientiam Dei in occulto*: & quia, si voluisset dicere sapientiam mysterij, potiùs dixisset, Quod absconditum est: iam autem dicit, *Quæ abscondita est*. Denique quia hoc proprie est loqui in mysterio: mystæ enim dicti sunt, ait Eustath. Ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, id est, à claudendo os: eò quòd mysteria & arcana religionis suæ non vulgarent, sed celarent, & tantùm ea secretò docerent paucos qui sacerdotes vel sapientiores erant. Hinc S. Dionysius & alij libros scripserunt de mystica Theologia.

Mystæ dicti ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα.

VERS. 8. QVAM NEMO PRINCIPVM HVIVS SAECVLI COGNOVIT] Pronomen *quam* refer tam vel potiùs ad *gloriam nostram*, quàm ad *sapientiam*. q.d. Si hanc sapientiam, vel potiùs gloriam, eiusque per Christum prædestinationē cognouissent Pilatus, Annas, Caiphas, aliique principes Iudæorum, numquam Dominum ipsius gloriæ, scilicet Christum, cuius merito nobis, ante sæcula, putà ab æterno, prædestinata & præparata est hæc æterna gloria, crucifixissent. Aduertit id solerter Gabr. Vasquez 1. p. disp. 2. c. 3. & patet ex sequentibus. Hinc tacitè infert Apostolus, neminem aliorum principum hanc Christi sapientiam & gloriam cognouisse. Est enim argumentum ab exemplo primario: Iudæi enim præ Gentibus erant sapientissimi, maximè in diuinis; si ergo illi non cognouerunt, multò magis alij ignorarunt.

Si principes Annas, Caiphas, & Pilatus hanc sapientiam Christi habuissent, numquam eum crucifixissent.

VERS. 9. SED] scilicet abscondita fuit eis hæc sapientia & gloria, quæ finis est sapientiæ istius; idque probat ex eo, quod de ea scripsit Isaias: *Oculus non vidit, nec auris audiuit*. Est eclipsis, vide can. 38.

SICVT SCRIPTVM EST: QVOD OCVLVS NON VIDIT, NEC AVRIS AVDIVIT, NEC IN COR HOMINIS ASCENDIT, QVAE PRAEPARAVIT DEVS IIS QVI DILIGVNT ILLVM] Nota, Isaiam cap. 64. quem hîc citat Paulus, agere de incarnatione Christi, & vita præsenti. Vnde hunc versiculum de miraculis Christi, deque sapientia, virtutibus, omnique gratia, quam Christus nobis hîc viuens communicauit, accipiunt Chrysostom. Ambros. Theophyl. Oecumen.

Locus Isaiæ 64. explicatus & illustratur.

Secundò & aptiùs, videtur admirans Isaias auolare ab incarnatione & Christo homine, ad gloriam cælestem, quæ fructus est & finis incarnationis Christi. Tales enim raptus & transitus Prophetis, ob lumen propheticum sublime & amplum, sunt familiares.

Loquitur Isaias de gloria Beatorum.

Patet ex ipsis verbis; & quia ait, *Expectantibus*, & *Occurristi facienti iustitiam*. Ergo loquitur de fructu operum iustorū, scilicet vita æterna, quam expectamus: nam fructus incarnationis & fides non occurrit facientibus iustitiam, sed sedentibus in tenebris & peccatis. ita Hieron. in c. 64. Isaiæ, S. Dionys. de Cælesti hierarch. 12. & Vasquez loco citato. Vnde S. Bernard. serm. 4. in Vigil. Natiuit. *Non vidit*, inquit, *oculus lucem inaccessibilē, non audiuit auris pacem incomprehensibilē*, &c. *Sed quid est quod in cor hominis non ascendit? Vtiq; quæ fons est, & ascensum nescit. Scimus enim quia fontium natura est riuos sectari conuallium, montium ardua declinare: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

A De hac beatitudinis magnitudine pie scribit & disseruit Augustin. in Meditationibus c. 22. & seqq. & Soliloquiorum c. 35. & 36. qui libelli collecti videntur ab aliquo pio ex operibus Augustini. Appositè verò ad hunc Apostoli locum auctor libri de Spiritu & anima (qui extat tom. 3. operum S. Augustini.) cap. 36. *Sicut*, inquit, *homo circa ista temporalia quinque patitur sensus efficitur, id est, visu, auditu, gustu, & cæteris; sic interior homo, in beata vita, circa quinque ineffabilia Dei, ineffabili amore afficitur: cùm enim Deum suum amabit, quamdam lucem, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, & quemdam amplexum interiorem amabit: ibi enim fulget, quod non capit locus; ibi sonat, quod non rapit tempus; ibi olet, quod non spargit ventus; ibi sapit, quod non minuit edacitas; ibi hæret, quod non diuellit satietas: ibi siquidem videtur Deus sine intermissione; cognoscitur sine errore, amatur sine satietate, laudatur sine fatigatione.*

B Hæc Apostoli sententia olim S. Adrianū convertit, Martyremque effecit: cùm enim ipse tales esset florenti ætate, scilicet viginti octo annorum, videretque tantam Christianorum Martyrum in tormentis pro Christi fide tolerandis constantiā, interrogauit eos, Quid pro tantis pœnis expectatis? quid est quod vos tanta tormenta superare compellit? respondérunt illi, *Speramus bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Hac voce tactus Adrianus conuersusque, curat se illicò inscribi catalogo Martyrum, durumque martyrium alacer subijt Nicomediæ, (inspectante & incitante eum S. Natalia vxore) sub Diocletiano, anno Domini 306.

C Tertiò, plena erit huius loci intelligentia, si vtrumque sensum iam dictum coniungas, q.d. *Oculus non vidit*, &c. id est, superant omnem sensum, experientiam, cogitationem naturalem, & omne hominis naturale desiderium, ea bona, quæ tu, Domine Deus, præparasti per Christum, expectantibus te, tum in hac vita, scilicet iis qui aliquid de illis iam inaudierunt; tum maximè & præpotissimè in futura gloria: in illa enim Deus, qui est omnia bona, dabit se Beatis, & erit omnia in omnibus, ait Anselm. Hisce enim Isaiæ verbis probat Apostolus id, quod dixerat; scilicet arcanum & absconditam esse sapientiam, æquè ac gloriam Christi, vti dixi paragrapho præcedenti.

D Nota, *in cor hominis non ascendit*, id est, in mentem hominis non venit, siue homo naturaliter cogitare, concipere, aut intelligere nequit: cor enim per catachresin, Hebræis mentem significat, nam quod cor est in corpore, scilicet prima & nobilissima corporis pars, adeoque fons & principium vitæ, hoc mens est in anima: adde, cor subministrat cerebro spiritus animales, qui imaginationi & consequenter intellectioni subseruiunt. Hinc Aristot. de Somno & vigilia ca. 2. refragantibus Galeno, omnibusque medicis, sensum communem non in cerebro, sed in corde collocauit. Paldò quidam vitales hominis partes, per suas functiones distinxit atque secreuit, hoc versu:

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen videre facit, cogit amare iecur.

Rursum Hebræi mentis cogitationem vocant *ascensum*; & cogitare vocant *ascendere in cor*: quia res cogitata & intellecta primò à terra aliéve obiecto ascendit in oculos vel aures, indeque ad sen-

sum

sum communem & phantasiam, inde denique ad mentem quasi arcem & culmen hominis. summum enim in homine est mens.

Nota Secundò. Pro *expectantibus*, vt habet Syrus Paulus habet *diligentibus*, quia expectatio à dilectione manat naturaliter.

NOBIS REVELAVIT DEVS PER SPIRITVM SVVM] qui per Spiritum sanctum. Est prolepsis, siue occupatio, occurrit enim tacitæ obiectioni huic; Si hanc sapientiam & gloriam quam Christus suis misit præparauit, oculus non vidit, nec ea in cor hominis ascendit; vnde ergo tu, Paule, eamdem te callere & prædicare audes? Respondet Paulus: scimulem scire non per visionem, sensationem, vel conceptionem aliquam naturalem, sed per inspirationem & reuelationem Dei. Vnde Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. c. 6. sic interpretatur *τὸ nec aures audiuit. Præter illam*, inquit, *solam, quæ in terram istam tantùm data est*: putà Pauli, qui in paradiso, siue tertium cœlum raptus est, audiuit hæc arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ait ergo Paulus: *nobis autem*, scilicet spiritualibus Prophetis & Apostolis hæc Deus reuelauit, vt vos paruulos, ó Corinthij, aliosque eadem doceamus. Hinc patet, gloriam & beatitudinem nostram, non tantùm esse supernaturalem in actione sed etiam in cognitione; cognitionem quippe, non quidditatiuam, sed obscuram & ænigmaticam, qualis erat Apostolorum & aliorum virorum; & consequenter, non esse in homine perfectum & efficax desiderium, vel appetitum naturalem huius beatitudinis. ita Scholastici 1. p. qu. 12. a. 1.

SPIRITVS OMNIA SCRVTATVR, ETIAM PROFVNDA DEI] Nota Primò, catachresin, *scrutatur*, id est penetrat & perspicit: homines enim vt quid eorum perspiciant, illud scrutari & inquirere solent; Deus autem sine inquisitione omnia vno eoque eernit in ictu & intuitu. ita S. Thomas, Theodor. Theophyl.

Secundò, *profunda Dei* vocat omnia intima & secretissima Dei consilia; inter quæ, maximum est hoc nostrum gloriæ & redemptionis hominum, per Christum: hæc omnia penetrat & peruidet Spiritus sanctus, quia vnus cum Deo est essentiæ & cognitionis, ac consequenter ita profunda Dei scrutatur, vt nihil remaneat in Deo incognitum; sed eius cognitio & visio obiectum suum adæquet. Deumque tantum cognoscat quantum cognosci potest; id est, comprehendat Spiritus sanctus, vtpote Deus, tam Deum & diuinitatem, quàm seipsum. ita Molina 1. part. qu. 14. a. 3. Theodor. S. Thom. Hinc Ambros. & veteres contra Macedonium probant Spiritum sanctum esse Deum, quod Paulus: Hæc mysteria & arcana Dei reuelauerit nobis Spiritus sanctus. ille omnium secretorum Dei est conscius, adeoque scrutatur & peruidet profunda Dei.

QVIS HOMINVM SCIT QVÆ SVNT HOMINIS?] quæ in hominis intimis, putà in corde & mente delitescunt, nimirum cogitationes, volitiones & affectiones, ipsumque fundum cordis humani.

QVÆ DEI SVNT (quæ in Dei mente sunt abscondita, putà cogitationes, consilia, & determinationes diuinæ voluntatis) NEMO COGNOVIT, NISI SPIRITVS DEI] id est Spiritus sanctus qui eadem æquè ac sui ipsius est conscius. est enim Spiritus sanctus Deo intimus, æquè ac spiritus hominis ipsi est intimus: ac proinde sicut spiritus

A hominis humanitatis, ita Spiritus Dei diuinitatis, diuinæque; omniscientiæ & omnipotentiæ est particeps

Nota. Cùm ait, *nemo cognouit nisi Spiritus*, subaudiendum est, & nisi is cui voluerit Spiritus ea reuelare, vti mihi & Apostolis illum ea reuelasse dixi v. 10.

Nota Secundò, cùm dicit, *Nemo nisi Spiritus*, non excludi Filium; hic enim cùm sit Verbum, etiam scit profunda Dei. Nam in diuinis, cùm vox exclusiua vel exceptiua tribuitur vni personæ, respectu essentialium attributorum, non excludit alias personas diuinas, sed essentias alias à diuina; nam tantùm excludit ea, quæ naturæ sunt diuersæ à Deo: q. d. Nemo scit secreta Dei, nisi Spiritus Dei, & illi qui eandem cum Spiritu habent naturam, intellectum, cognitionem, scilicet Pater & Filius; hi soli sciunt profunda Dei, nemo alius.

Particulæ exclusiuæ in diuinis non tangit personas, sed attributa sint essentialia, non notionalia.

NOS NON SPIRITVM HVIVS MVNDI ACCEPIMVS, SED SPIRITVM QVI EX DEO EST] Opponit spiritum mundi, spiritui qui ex Deo est, & hunc sibi & Apostolis, illum mundi sapientibus, & hominibus animalibus attribuit. Spiritus ergo mundi est, qui à mundo suggeritur, à mundana nimirum & animali prudentia, quique ad mundana, terrena & carnalia bona aspirat, facitque homines mundanos & animales; sicuti è contrario spiritus Dei est, qui à Deo & diuina sapientia suggeritur, quique nos ad cælestia & diuina bona sectanda impelit, facitque homines spirituales & cælestes. Vnde subdit Apostolus:

VERS. 12.

Spiritus Dei & mundi sibi contrarij.

VT SCIAMVS QVÆ A DEO DONATA SVNT NOBIS] q. d. Hic spiritus ostendit & reuelat nobis, quæ & quanta bona à Deo nobis, scilicet Apostolis, aliisque diligentibus Deum, donata sunt, nimirum tanta quanta nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, vt dixit v. 9. eò enim redit & respicit hîc Paulus.

VT SCIAMVS] Hinc hæretici stabiliunt fidem suam particularem, qua quisque fidelis & Christianus certò scit, imò fide diuina credere debet, per Christum se habere dona Dei, scilicet remissionem peccatorum, gratiam, iustitiam, &, vt Caluinus, se electum esse ad gloriam æternam. Verùm hæc non est fides, sed stulta & falsa præsumptio, & impostura; quia non certò scimus, an nos ad iustitiam ritè disposuerimus, & an credamus certò, & ita vt oportet, nec vsquam in sacra Scriptura hoc scriptum & reuelatum est, scilicet, me credere vt oportet, vti nec me esse iustum & electum.

Hæreticorum fides particularis stulta est, & falsa præsumptio & impostura.

Respondeo ergo, Apostolum loqui in genere de donis, ipsique tantùm, quæ data sunt Apostolis, & Ecclesiæ. q. d. Vt sciamus nos Apostoli, quibus & quantis donis & beneficijs in genere, nos, id est Ecclesiam suam, ditarit Christus, scilicet, quanta gratia Spiritus sancti, redemptione, virtutibus, & maximè quanta gloria: de hac enim egit v. 9. & hæc sunt in Deo, vt ait v. 11. id est, Dei libera voluntate & prædestinatione: & hæc à Deo Ecclesiæ data esse, per Spiritum eius & reuelationem scimus: hæc enim loquimur & prædicamus, vt sequitur, quasi articulum fidei. sed me esse ex ijs, vel eorum esse participem, non est fidei, sed coniecturæ; nec publicè prædicandum, sed secretò sperandum est. Vide can. 9.

Scimus quæ & quanta dona dederit Deus Ecclesiæ suæ.

Quæ vt clariùs & plenius intelligantur, Nota, *τὸ vt sciamus*, dupliciter, scilicet, Primò, obiectiuè; Secundò, subiectiuè posse accipi: obiectiuè enim

τὸ vt sciamus duplicitèr accipi potest.

sciebant Apostoli & omnes fideles ex prophetijs, miraculis, alijsque signis diuinis Deum suæ congregationi, siue Ecclesiæ, per Christi Apostolos congregatæ, & deinceps congregandæ promisisse, & iuxta promissa dedisse suam gratiam, remissionem peccatorũ, iustitiam, aliaque gratiarum dona, ac denique spem certam vitæ æternæ: Ecclesiæ inquam, in communi; non autem in particulari huic vel illi fidei; quia in particulari nescimus an hic vel ille verè sit fidelis.

Deus reuelauit Ecclesiam esse sanctam, non autem in particulari hunc vel illum.

Hoc modo τὸ *vt sciamus*, idem est, quod vt credamus. Credimus enim Ecclesiam Catholicam esse sanctam, in eaque esse remissionem peccatorum, & vitam æternam. Deus ergo tantùm reuelauit Ecclesiam esse sanctam, non autem me esse sanctum, licet enim reuelauerit & promiserit omnibus in Ecclesia ritè credentibus & pœnitentibus remissionem peccatorum & iustitiam; non tamen reuelauit me ritè credere & pœnitere: ac proinde nec reuelauit, mihi remissa esse peccata, meque esse iustum.

Apostoli moraliter dubitare non poterãt, quin haberent Dei sapientiam & gratiã.

Secundò, τὸ *vt sciamus* subiectiuè capi potest, q. d. Vt nos Apostoli in nobis quasi subiectis, per experientiam sciamus, quantam sapientiam & gratiam nobis donarit Deus: & tunc τὸ *vt sciamus*, non significat *credamus*, sed *vt experiamur*. Nec enim quisquam Apostolorum fide diuina credebat se habere hanc sapientiam & gratiam; sed eius actus & effectus in se experiebatur ita vehementes, crebros, claros & certos, vt moraliter non dubitaret se habere veram Dei sapientiam & gratiam. Erant enim Apostoli pleni gratia & sapientia, eamque alios docere, totique mundo aspirare debebant. Licet ergo Apostoli sciuerint per experientiam, se esse iustos & sanctos, non tamen id sciebant, vel sciunt alij fideles; sed tantùm sperant, atque ex signis probæ & honestæ vitæ coniectant & opinantur. Neutri tamen idipsum credunt fide diuina: omnis enim experientia tantùm generat fidem humanam, non autem diuinam, quæ sola Dei reuelatione nititur & gignitur.

VERS. 13. QVAE ET LOQVIMVR NON IN DOCTIS HVMANAE SAPIENTIAE VERBIS, SED IN DOCTRINA SPIRITVS] *Non in doctis*, id est, non in verbis Ciceronianis, Demosthenicis, Aristotelicis, quæ & qualia docet humana sapientia; *sed in doctrina Spiritus*, id est, in ijs verbis, quæ & qualia docet Spiritus sanctus. Videtur legisse interpres, ἐν διδαχῇ, id est, in doctrina. iam græcè legitur ἐν διδακτοῖς, id est in doctis, vti præcessit, sed idem est sensus.

Qualibus rationibus & discursibus Paulus probauerit fidei mysteria.

SPIRITVALIBVS rebus SPIRITVALIA verba & discursus COMPARANTES] & conferentes. q. d. Doceo hanc spiritualem sapientiam è Scriptura, & alijs spiritualibus discursibus, non autem Philosophicis, Rhetoricis, aut terrenis rationibus, conceptibus & eloquijs. ita S. Chrysostom. v. g. *Si quæritur*, inquit Oecumen. *an surrexerit tertia die Christus? ex Iona probationem & testimonium adduco. Si quæritur an natus sit Dominus ex virgine? ex sterilibus Anna & Elisabeth sumitur probatio & comparatio.* Hic causam & rationem à priori assignat Apostolus, cur Dei nutu abstinuerit ab eloquentia & sapientia mundana in sua prædicatione. Causa hæc est, quòd sapientia humana & diuina plurimùm inter se differant. Cùm ergo sermo debeat rei esse accommodatus, planè decuit sermonem, quo prædicabatur diuina sapientia, illi esse accommodatum, ac differre à sermone humanæ sapientiæ, nimirum vt esset simplex, grauis, efficax & diuinus, tamquam à Spiritu sancto proficiscens, qui omnem orationis fucum respueret: hic enim ornari res ipsa vetat, contẽta doceri. Nam sicuti humanæ sapientiæ verba vehunt secum sapientiam & spiritum hominis dicentis: ita sermones Spiritus sancti inuehunt in animam sapientiam Dei, & spiritus eius, per Apostolos loquentis.

Causa cur abstinuerit Paulus ab eloquentia & sapientia mundana.

ANIMALIS HOMO NON PERCIPIT EA QVAE SVNT SPIRITVS DEI] *Animalis* hic dicitur, qui tantùm sensus & naturale rationis lumen sequitur; siue qui *secundùm animam est, & secundùm animam sapit, quique animæ sensa & cogitata sequitur*: quales erant Apostoli ante Spiritum sanctum, & Corinthij hoc tempore, quærentes eloquentiam, & iam multi fideles etiam non mali, qui adhuc non capiunt.

Nota. *Animalis* dicitur, qui anima vitæ, fruiturque tripliciter. Primò, qui crescit, nutrit & get cibo, vt animalia. Sic Adam, creatus sine gratia, dicitur animalis, 1. Cor. 15. v. 45 & 46.

Secundò, qui sequitur animæ, id est concupiscentiæ, desideria. Sic Iudas vocat animales, spiritum non habentes.

Tertiò, qui scientiam, non spiritualem & sublimem, sed animæ sensibusque obuiam & facilem sequitur. ita hic capitur. *Animalitas*, inquit Fernandus, vel quisquis est auctor tractatus de vita contemplativa, post initium, *est vitæ modus sensibus corporis seruiens, scilicet cùm anima quasi extra se, per sensus corporis circa dilectorum delectationes corporum effluit, eorum fruitione pascit vel nutrit sensualitatem suam, seu cùm intra se regrediens, & corpora quibus sensu gratino amoris & consuetudinis adhæsit, ad loquendum corporea naturæ secum ferre non prævalens, eorum illas secum trahit imagines, & amicabiliter ibi cum eis conuersatur; quibus assuefacta, nihil putat esse nisi vel quale foris reliquit, vel quale intus contraxit: inde quamlibet licet, incundum habet secundùm delectationes corporis viuere; cùm autem ab eis auertitur, nescit nisi corpora imaginando cogitare.*

Sic spiritualis dicitur, qui spiritu viuit

Primò, quasi spiritus, non egens cibo. sic Christus post resurrectionem dicitur spiritualis. 1. Corinth. 15. v. 45.

Secundò, qui spiritus instinctum, dictamen & impulsum sequitur. ita sæpè alibi.

Tertiò, qui spiritus sublimem doctrinam capit & haurit. ita hic vocatur spiritualis, inquit Chrysost. D. Thom. & alij. Moraliter S. Bernard. loco iam citato: *Incipientium*, inquit, *status potest dici animalis proficientium, rationalis; perfectorum spiritualis: sunt enim animales, qui per se nec ratione aguntur, nec trahuntur affectu, & tamen vel auctoritate permoti, vel doctrina commoniti, vel exemplo prouocati, bonum approbant & imitantur: sunt rationales, qui per rationis iudicium, boni cognitionem habent & appetitum, sed nondum habent affectum: sunt perfecti, qui spiritu aguntur, qui à S. Spiritu plenius illuminantur, unde & spirituales nominantur; & quoniam sapiunt ea bonum, cuius trahuntur affectu, sapientes vocantur.* Deinde hæc tria inter se comparans, ex eisque gradus & scalam virtutum conficiens, ista subdit: *Primus status circa corpus se habet: secundus circa animam se exercet: tertius nonnisi in Deo requiem habet. initium boni in conuersione est perfecta obedientia, profectus, subijcere corpus suum; perfectio, vsu bonitatis ad dilectionem, initium verè rationalis est*

intelligenda, quæ in doctrina fidei apponuntur ei; profectus præparare qualia apponuntur; perfectio, cùm in ipsum mentis transit iudicium rationis. Perfectio ergo hominis rationalis initium est hominis spiritualis; perfectio eius, reuelata facie speculari gloriam Dei, per quam non transformari in eandem imaginem à claritate in claritatem, sicut à Domini spiritu.

QUIA SPIRITVALITER, iuxta rationes Spiritus sancti & regulas fidei, EXAMINANTVR] Ita Biblia Romana: malè ergo quidam legunt, *examinatur*, id est examinando reuocatur ad intellectum spiritualem & sublimem: dum scilicet in spiritualibus diligenter, vel cùm spiritualia animali proponuntur, siue cùm animalis in spiritualibus interrogatur & examinatur (hoc enim est ἀνακρίνεσθαι) non potest ea intelligere.

SPIRITVALIS AVTEM IVDICAT OMNIA] Vocat, vt dixi, *spiritualis*, qui fidem & prudentiam, B
id est doctrinam Spiritus sancti sequitur, qui Spiritum rectorem animæ habet & doctorem. ita Chrysost. Anselmus, D. Thomas.

IVDICAT OMNIA] Hinc Caluinus & Anabaptistæque spiritualis, id est fidelis, spiritum priuatum & fanaticum faciunt iudicem controuersiarum fidei & Scripturæ interpretem; sed impetunt, quia non omnes Christiani sunt spirituales, sed tantùm perfecti, vt dixi v. 5.

Secundò, quia alij ignorant an quis habeat hunc spiritum, an sit spiritualis, imò an verè sit fidelis. Ergo spiritus hic priuatus & occultus non potest publicus omnium esse iudex: sed Concilia & Pontifex. Hos enim constat esse spirituales, regi Spiritu sancto, qui eos constituit Doctores, & per eum regit & docet Ecclesiam. C

Tertiò, quia maximè spirituales erant Patres, qui tamen subinde errarunt.

Quartò, quia patet simplices fideles egere Pastoribus & Doctoribus, quos ad docendum posuit Deus in Ecclesia, vt ait Apostolus Ephes. 4. 11.

Respondeo ergo: *spiritualis iudicat omnia; omnia*, inquam, in genere, id est tam spiritualia, putà diuina & sublimia, quàm animalia, putà terrena & facilia; cùm animalis tantùm iudicet animalia: vt sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Sic dicimus, Ego omni, id est quolibet, cibo vescor.

Secundò, *spiritualis omnia iudicat*, id est examinat, redarguit & discernit secundùm regulas fidei, & prudentiæ diuinæ, quæ habet, vt in eo quo spiritualis est, & à spiritu satis instructus, v. g. D
in rebus fidei claris & certis, omnia iudicet secundùm articulos fidei, hæreses q; & errores illi contrarios condemnet. Sin autem noua oriatur quæstio fidei aut moribus, eaque obscura & dubia; eadem prudentia dictat homini spirituali, qui in hac quæstione necdum spiritualis est, nec à spiritu satis instructus, eiusdem Spiritus indicio recurrendum esse ad superiores, ad Doctores, ad Ecclesiam Romanam quasi matricem, vt illa hanc quæstionem decidat & definiat. Hæc enim planè ad mentem Apostoli, spiritualis est, & omnia iudicat per Spiritus sancti directionem & assistentiam. Hanc enim sancto Petro, & in eo, successoribus Petri promisit Christus, Matth. 18. 18. Lucæ 22. 32. Hi ergo maximè spirituales sunt, hique omnia iudicant: secùs est de alijs inferioribus, qui licet spirituales sint, sæpè tamen superiorum iudicium exquirere debent. alioqui enim qui spiritualis est, nec patris, nec magistri, nec Prælati iudicio stare & parere deberet: quatenus ergo spiritualis ductum Spiritus, vel per se docentis, vel ad Doctores mittentis sequitur, eatenus errare non potest. Sic S. Ioannes ait, eum, qui natus est ex Deo, peccare non posse, quatenus videlicet ex Deo natus, in eo manet. ita D. Thom. Anselmus, Ambros. Theophyl. Chrysostom. q. d. Paulus Vir spiritualis de arcanis fidei mysterijs & rebus passim bene iudicat, & si dubitet, scit quid agere, quos consulere debeat, vt instruatur. Sic Aristot. 3. Ethic. 4. *Vir*, ait, *bonus rectè in omnibus iudicat, & virtuosus est regula & mensura omnium humanorum*; quia scilicet iudicium & affectum habet bene compositum, & conformem rationi & legi, inquit D. Thomas: hic tamen in casibus difficilioribus debet consulere prudentiores, & magis legis peritos. id magis patebit §. sequ.

Spiritualis sequitur ductum Spiritus, vel per se docentis, vel ad Doctores mittentis.

ET IPSE A NEMINE IVDICATVR] id est, redarguitur, condemnatur. ita Chrysost. quatenus videlicet spiritualiter iudicat: alioqui enim & Petrus iudicatus, id est redargutus, est à Paulo Galat. 2. 11. Contrà animalis à spirituali spiritualiter examinatur, & iudicatur: licet, vt dixit, non percipiat, nec intelligat: tantùm enim toto hoc loco vult Apostolus per spiritualem excludere animalem & mundanam sapientiam, & conferre ac præferre spiritualem animali, qua gloriabantur Corinthij, & cuius imperitum Paulum postponebant Apollo. Vnde tacitè Corinthios vocat animales, quia quærebant docta humanæ sapientiæ verba, id est, humanam sapientiam & eloquentiam, qualem mirabantur in Apollo: dicitque eos non posse iudicare de spiritualibus, & Pauli sapientia spirituali; se verò & sibi similes viros spirituales iudicare debere tam de sapientia spirituali quàm animali. & hoc, & non aliud vult Apostolus.

Animalis sapientia multis nominibus caret spirituali.

VERS. 16.

QVIS COGNOVIT, per se scilicet, SENSVM DOMINI?] Alludit ad Isaiæ 40. v. 13. vbi pro *quis cognouit?* hebraicè est מי תכן *mi tiken*, id est, quis mensurauit, hoc est, quis plenè & adæquatè perspexit & penetrauit spiritum Domini? q. d. Cùm spiritualis à Deo sit edoctus, eiusque regulas sequatur, hinc quatenus talis est, à nemine iudicari potest (hoc enim quod præcessit probat hic Apostolus) qui enim eum iudicare vellet, deberet spiritu Dei sapientior esse aut maior, vt spiritum Dei penetrare & quasi mensurare posset. at quis is est? sanè nullus. ita Chrysost. Potest tamen & debet sæpè spiritualis iudicari, quia nescitur esse spiritualis in tali re. Vnde c. 14. 29. *Prophetæ*, inquit, *duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent.* Imò multi se iactant spirituales, qui sunt animales; vti Anabaptistæ: secus de Paulo, quem omnes habebant pro spirituali. Vnde sequitur,

Isaiæ 40. locus illustratus ex Hebræo.

Potest & debet sæpè spiritualis iudicari.

NOS SENSVM CHRISTI HABEMVS] *Sensum*, id est, mentem, intelligentiam, sapientiam Christi, putà spiritualem & diuinam, non animalem & humanam: nostra enim sapientia non Platonis est, non Pythagoræ, sed Christi, qui sua ipsius dogmata menti nostræ infudit. ita Chrysost.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INsistit schismati Corinthiorum componendo, per subiectionem & vnionem in Christo & Deo. Vnde Primò, docet, Paulum & Apollo tantùm esse ministros Christi, additq;, Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit.

Secundò, v. 10. docet, Ecclesiæ fundamentum esse Christum: videat ergo quisque, quid illi superædificet: si enim fœnum & stipulam, saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

Tertiò, v. 16. Vos, *inquit*, estis templum Dei: *videte ergo ne per schismata illud scindatis & violetis. Ac tandem concludit, v. 21.* Nemo itaque glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.

1. ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam paruulis in Christo, 2. lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. 3. Cùm enim sit inter vos zelus & contentio: nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? 4. Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nónne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? 5. Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. 6. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. 7. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. 8. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 9. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. 10. Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet. 11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positũ est, quod est Christus Iesus. 12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, 13. vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. 14. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. 15. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. 16. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 17. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 18. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. 19. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. 20. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. 21. Nemo itaque glorietur in hominibus. 22. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: 23. vos autem Christi, Christus autem Dei.

VERS. 1. & 2.

TANQVAM PARVVLIS IN CHRISTO, LAC VOBIS POTVM DEDI, NON ESCAM.] Apostolus cap. præced. vt tueretur suam auctoritatem, & insipientiæ atque infantiæ in dicendo opinionem, de se conceptam, ex animis Corinthiorum eximeret, dixit se sapientiam loqui inter perfectos; sapientiam, inquam, absconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, sed Deus reuelauit: nunc quasi occurrens tacitæ obiectioni, causam dat cur hanc sapientiã non ostenderit apud Corinthios, culpamq; à se in Corinthios declinat; quòd nimirum ipsi quasi paruuli & carnales tantæ sapientiæ necdum essent capaces, ac proinde non escã, sed lacte nutriendi.

Corinthij quare non esca, sed lacte nutriendi.

Quid Apostolus per lac, quid per escam intelligat.

Vbi aduerte. *Lac* vocat Apostolus faciliorem, suauiorem & simpliciorem doctrinam de Christi humanitate & gratia ac redemptione; qualis conuenit catechumenis recèns conuersis, & adhuc carnalibus: *escam*, id est solidum cibum, vocat perfectiorem, robustiorem, & de altioribus mysterijs doctrinam; vti de Deo, de Dei spiritu, & spiritualibus, de crucis sapientia, potentia, amore; de quibus cap. præced. ita Ambros. Theophyl. S. Thom. Anselm. quem vide hîc pro morali. *Idem*, ait, *Christus homini est lac, per incarnationem; angelo solidus cibus, per diuinitatem: idem Christus crucifixus, eadem lectio, eadem concio à carnalibus accipitur vt lac, à spiritualibus vt solidus cibus.* Alludit hic Paulus more suo ad Isaiæ 28. vbi dicitur: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, & auulsos ab vberibus.* & ad Isaiæ 55. 1. vbi sic: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite, venite, emite absque vlla commutatione vinum & lac.* q. d. vt vertit Chaldæus, Omnes discere, & sitim cupiditatis extinguere volentes, venite ad aquas doctrinæ & gratiæ Christi: ab eo accipite, haurite, & bibite spiritum Euangelicum. Vbi Nota. *Vinum* vocat Isaias, id quod Paulus hîc *escam*, siue solidum cibum, qui symbolicè significat sapientiam spiritu-

alem,

dem & plenam perfectorum; sicut lac significat A
cibum imperfectorum & parvulorum. Hinc
illis recèns baptizatis, & alba veste indutis dabatur mel
& lac: qui mos, ait Hieron. in citatum
locum Isaiæ, vsque hodie in Occidentis Ecclesijs
servatur. Abbi iisdem dabatur lac & mel, teste
Tertull. l. contra Marcion. c. 14. vt significaretur
primò eorum infantia & innocentia in Christo. Lac enim vtriusque est symbolum. Vnde Hebræos refert Clem. lib. 1. Pædag. 6. viros innocentes & simplices vocat γαλακτοφάγους, id est, lacte vescentes. Secundò, vt assimilaretur Christo, de quo extat Isaiæ c. 7. 15. *Butyrum & mel comedet*. Tertiò, vt significaretur vitæ Christianæ suauitas, humilitas & mansuetudo infantilis. Vnde & primo Missæ sacrificio, quod audiebant baptizati in pascha scilicet Dominica in albis, recitabatur illa epistola B. Petri: *Quasi modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite*. Hinc B. Agnes dicebat: *Lac & mel ex ore eius suscepi*, teste Ambrosio serm. 91. De hoc lacte fusè disserit Clemens lib. 1. Pædag. cap. 6.

QVA SIT INTER VOS ZELVS ET CONTENTIO, NONNE CARNALES ESTIS?] Nota. *Carnalis* hic vocatur qui non tantùm naturale sensus & rationis habet, sed etiam carnis, id est sensualitatis & concupiscentiæ, dictamen & impulsus sequitur; ideóque recèdit à spiritu. Vide S. Thomas, idem est carnalis, animalis, secundùm hominem ambulans, scilicet sensu Dei destitutus, qui sequitur motus concupiscentiæ, siue naturæ corruptæ.

Vbi Nota. Secundò, hìc & ad Galat. 5. 19. opera carnis id est naturæ corruptæ, non tantùm vocari gulam & libidinem (quæ propriè sunt in carne) sed etiam rem, æmulationem, cõtentiones, quæ sunt rectà contra mentis. Vide dicta Rom. 7. 22. & Galat. 5. 17. q. d. Paulus, Vos, ô Corinthij, estis carnales, id est contentiosi, quia vt pueri inaniter de dignitate magistrorũ contenditis, dum hic suum Paulum, alter suum Apollo præfert & venditat.

MINISTRI EIVS, CVI CREDIDISTIS] Pro *cui*, græcè est. δι' ὧν, per quos credidistis.

ET VNICVIQVE] ministrorum scilicet, competit ministerium tale & tantum, quale & quantũ cuique Dominus dedit. Ergo in vno Deo gloriandum est, non in ministris Paulo vel Apollo: hi enim non sunt domini, vel auctores fidei vestræ, ô Corinthij, sed tantùm instrumenta, per quæ operatur Deus. ita Anselm. Ambros. Theophyl.

EGO PLANTAVI, APOLLO RIGAVIT: SED DEVS INCREMENTVM DEDIT] q. d. Ego primus Corinthiis semina iecì, primus euangelizaui, quæ deinde superueniens Apollo prouexit. patet Actor. 18. 26. *sed Deus dedit incrementum*, id est, interiùs dedit vtam & vigorem gratiæ ad crescendum, & abundandum in fide, virtute & christianismo; hoc enim solius est Dei. Vide August. tract. 5. in Ioannem.

Nota. Deus plantis dat incrementũ, non quasi speciale & quotidianum augmentum per se sõlum eis suggerat vt intelligunt rustici; sed quia ad crescendum vim & vigorem ipsi naturæ seminis, vel radici indidit, & conseruat, id est, quasi continuò addit & instillat (conseruatio enim diuina non est aliud quàm primæ creationis, vel actionis diuinæ continuatio) eique cooperatur; & quia plantam æstum, ventos, aliaque ad fruges oportuna sua dispositione regit ac cõtemperat, quorum A
contemperatione meliori vel minori, melior vel
minor nascitur fructus. Pari modo se res habet in
semine verbi Dei, eiusque messe, fructu & profectu in mentibus hominum.

Hinc patet. Primò, exteriorem concionem, vocationem, exempla, miracula non sufficere ad conuersionem & vitam spiritualem inchoandam, vel promouendam. Secundò, hinc Prosper l. 2. de Vocat. Gent. cap. 6. & 8. probat, quòd licet omnes æqualiter eamdem concionem audiant, alij tamẽ parum, alij verò multùm ex ea proficiant: illi nimirum quos Deus peculiari internâ motione afficit, & quorum corda tangit, vt vitam mutent, vel seriò proficiant in melius. Vnde illi tam concionatores, quàm auditores in concione plurimũ proficiunt, qui pro hac motione Deum sedulò precantur. *Cui tribuenda interior hominis vocatio.*

B NEQVE QVI PLANTAT EST ALIQVID, NEQVE QVI RIGAT: SED QVI INCREMENTVM DAT DEVS. VERS. 7.
q. d. Agricola qui plantat & rigat, parum est, parum affert, & quasi nihil præ Deo. nam tantùm exteriùs agit, & quidquid agit, accipit à Deo, agitque vt instrumentum Dei: Deus autem, per se interiùs, vt principale agens, operatur, vimque & vigorem crescendi sufficit & suggerit. actio enim tribuitur principali agenti, & maximè causæ primæ. Vide canon. 15. & 36. ita S. Thomas, Theophyl. & pulchrè S. August. tract. 7. in epist. 1. Ioannis: *Ministeria forinsecus*, inquit, *adiutoria sunt & admonitiones: cathedram tamen in cœlo habet, qui corda docet: sic sunt hæc verba quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem. Forinsecus enim agricola operatur, quia adhibet aquam diligentiamq; agriculturæ, sed tamen poma non format*, sed ea format Deus cum arbore concurrens, arborique vim poma gignendi indens & suggerens. Pari modo parum facit concionatoris vox: sonat enim tantùm exteriùs; sed Deus est, qui cum ea concurrens interiùs per gratiam suam animam illuminat & cõuertit. *Deus principaliter agit, creatura instrumentum.*

C QVI PLANTAT, ET QVI RIGAT, VNVM SVNT] VERS. 8.
Vnum sunt, officio scilicet & ministerio, inquit S. Thom. Anselmus, & alij, id est, æquè omnes sunt ministri. q. d. Ergo vnus præ alio, putà, Paulus præ Apollo, non est contemnendus aut extollendus. Iterùm ergo omnes eâdem charitate & vnione complecti debetis, non autem propter eos facere schismata; licet enim in se diuersi sint, omnes tamen vnum idemque officium obeunt; vnumque sunt in Christo, qui odit schismata, amat vnionẽ, suosque ministros, licet debiles, fouet ac tuetur, eosque non vt homines, sed vt suos vicarios ab omnibus coli, & in honore ac pretio haberi vult. *Cooperatio mutua in Euangelio.*

D VNVSQVISQVE AVTEM PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECVNDVM SVVM LABOREM] Locus hic clarè docet merita bonorum operum: vbi enim merces est, ibi & meritum est. Hæc enim sunt correlatiua. *Merita bonorum operum.*

Nota. Non dicit, Quisque recipiet mercedem secundùm fructum quem fecit, sed, *recipiet secundùm laborem*; quia fructus non est in nostra, sed Dei dantis incrementum, manu. Itaque integrum laboris præmium essentiale habebis ex concione, vel instructione tua, licet nullus sequatur fructus, nullus hæreticus vel peccator conuertatur; imò sæpè maius, quia difficilius est, & magis arduum concionari, vbi nullus, vel exiguus apparet fructus, quàm vbi concioni multi applaudunt, vel ex concione proficiunt. *Concionator magis sæpè meretur vbi nullus apparet fructus, vel exiguus.*

DEI

VERS. 9. *Concionatoris dignitas.*

DEI ENIM SVMVS ADIVTORES] *Ingens hæc, angelica, imò diuina est dignitas*, ait S. Dionys. Cælest. hierarch. c. 3. *Dei cooperatorem fieri in conuersione animarum, diuinamq; in se operationem palàm cunctis ostendere.*

DEI, non autem Pauli, vel Apollo, vt in ijs gloriari possitis, AGRICVLTVRA ESTIS] Persistit in metaphora agricolæ. Agricola primarius est Deus; famuli sunt Paulus & Apollo; ager sunt Corinthij; semen est gratia; fructus sunt bona opera: Deus colit interiùs per Spiritum; Paulus iuuat exteriùs per vocem. ita Anselmus.

DEI ÆDIFICATIO ESTIS] Idem dicit aliâ metaphorâ ædificij & architecti. primus enim architectus est Deus; secundus, & minister, est Paulus; ædificium est Ecclesia, & quæuis animæ Christianæ. ita Anselmus.

Hebræi & Syri gaudent metaphoris.

Nota, Hebræos & Syros gaudere metaphoris & parabolis, easque miscere & conglomerare, atque ab vna ad aliam transilire.

VERS. 10.

SECVNDVM (id est per) GRATIAM DEI, QVÆ DATA EST MIHI, VT SAPIENS ARCHITECTVS FVNDAMENTVM POSVI] q. d. Non mea est hæc fabrica, non meum est hoc opus Ecclesiæ Corinthiacæ. licet enim ego quasi architectus, prima illius fundamenta, euangelizando iecerim; tamè quidquid ego in ea feci & perfeci, non meis, sed gratiæ Dei viribus effeci: tota hæc Ecclesiæ vestræ fabrica non mihi, sed gratiæ Dei tribuenda est.

Omnia gratia tribuenda.

VERS. 11.

FVNDAMENTVM ENIM ALIVD NEMO POTEST PONERE, PRAETER ID QVOD POSITVM EST, QVOD EST CHRISTVS IESVS] τὸ *enim* dat causam præcedentium. q. d. Fundamentum Ecclesiæ vestræ ego posui: Apollo & alij videant quid illi superædificent, non autem quid de nouo fundent. nam non est quòd in fundamento collocando occupentur: illud enim ego posui; & aliud ab eo poni nequit, cùm hoc fundamentum sit ipse Christus Iesus.

Fundamentum Ecclesiæ & animæ fidelis est Iesus Christus, id est, fides Christi viua per charitatẽ.

Fundamentum ergo Ecclesiæ, & cuiusque in ea animæ fidelis, est Iesus Christus, id est, fides in Christum Iesum Saluatorem nostrum, ac præsertim fides viua per charitatem, super quam ego vos ædificaui. ita Anselm. & S. Greg. li. 7. epist. 47. Hoc sensu solus Christus est Ecclesiæ fundamentum; putà fundamentum fundamentorum, vt ait S. Augustin. in psal. 86. v. 1. quod scilicet seipso consistit, omnia sustinet, etiam Petrum. Alio sensu Petrus est fundamentum Ecclesiæ, idque secundarium, quia scilicet ipse firmus est in fide, vt publicè errorem docere non possit, sed alios semper in ea confirmet & illuminet. ita S. Thom. & passim DD. Catholici. Simili sensu non solus Petrus, sed omnes Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ, psal. 86. v. 1. vbi dicitur, *Fundamenta eius* (Sionis, id est Ecclesiæ) *in montibus sanctis*. & Ioan. Apocal. 21. v. 19. duodecim Apostolos collocat & nominat fundamenta Ierusalem siue Ecclesiæ cælestis.

Petrus secundarium fundamentum Ecclesiæ.

VERS. 12.

SI QVIS SVPERAEDIFICAT SVPER FVNDAMENTVM HOC, AVRVM, ARGENTVM, LAPIDES PRETIOSOS, LIGNA, FOENVM, STIPVLAM, VNIVSCVIVSQVE OPVS MANIFESTVM ERIT: DIES ENIM DOMINI DECLARABIT, QVIA IN IGNE REVELABITVR] Est metaphora à domo per ignem conflagrante; quæ si ex auro & lapidibus pretiosis constructa sit, igne non læditur, sin ex ligno & stipula, aduritur.

Per lapides pretiosos intelligun-

Vbi obiter aduerte, per lapides pretiosos hîc intelligi marmoreos, porphyreticos, & similes, non autem adamantes & gemmas: non enim ex his, sed ex illis, construi solent domus nobilium & Principum: quemadmodum de Roma gloriabatur Augustus Cæsar, *Accepi ciuitatem lateritiam, et linquo marmoream.* Sensus ergo Apostoli est, q. d. Si oriatur incendium, domus ex marmoribus & auro structa, illo non lædetur, sed magis claresce: vicina verò domus è ligno & stipulis ceræ grabit, & qui eam inhabitat, elabetur quidem sed nudus: ita si quis Christianorum, præsertim Doctorum, & Prædicatorum Euangelij (de his enim egit hactenus à v. 4. & de hisce potissimùm hîc agi, patet conferenti v. 6. & 10. ita Ambros. & Anselm.) fidei Christi superædificet aurum & argentum, id est opera sancta (ita Theodoret. & Theophyl.) ac præsertim doctrinam sanam, profundam & sanctam; hic mercedem accipiet. ita Ambros. Anselm. & S. Thom. quem vide. *Aurum, ait ipse, est charitas; argentum, sapientia & contemplatio; lapides pretiosi, sunt virtutes aliæ:* è contrario lignum, fœnum, stipulæ sunt peccata, non grauia illa & mortalia, vt vult Chrysost. Theophyl. & Terminus lib. 4. contra Magdeburg. 13. (hæc enim non sunt & plumbum, vt notat S. Augustin. Enchirid. c. 68. Anselm. & S. Thom. nec etiam superædificantur, sed obruunt & destruunt ædificium, scilicet fidem viuam, quæ meretur mercedem à Christo,) sed leuia & venialia, quibus scilicet mens adhæresit ad vana, v. g. ad carnis commoda, res vanam gloriam. Propriè verò ad mentem & scopum Apostoli, lignum, fœnum, stipula, est doctrina incerta, friuola, pomposa, phalerata, curiosa, inutilis. ita Ambros. S. Thom. Theodor. Anselm. Qui enim hæc superstruit fundamẽto fidei Christi, hic saluus erit, sic tamen quasi per ignem, vt ait Paulus v. 15.

Nota. Hoc vers. & v. 10. digreditur Apostolus, transitque à Corinthijs ad eorum doctores, ac tacitè monet Apollo, & alios Euangelij præcones, maximè eloquentes, quibus periculum est à vanitate, vt eam caueant, & puræ veritatis sint magistri, ne si secùs faciant, igne hoc expiari debeant: nam aliquos tales fuisse Corinthi, eosque contentionis, & schismatis fuisse causam vel occasionem, satis insinuat Apostolus, tum hîc, tum c. seq. v. 6. 10. 15. 18. 19. vt ibi dicam.

DIES ENIM DOMINI] Græcè tantùm est ἡ ἡμέρα, illa dies, scilicet albo, vel atro signanda lapillo, id est, dies iudicij, maximè vniuersalis: quia hæc in igne reuelabitur. Illa enim Domini, tum nostra est dies, ait Anselmus, Theodoret. Ambros. S. Thomas. Et patet 2. Timoth. 4. 8. vbi ait, *Quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* 2. Tim. 1. v. 12. *Potens est seruare depositum meum in illum diem.* hac epist. c. 5. v. 5. *Vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* quibus alijsque locis per illum diem antonomasticè intelligit diem celebrem iudicij vniuersalis.

Nota, sub hac die iudicij vniuersalis, etiam dies particularis iudicij accipi. Est enim vnum & idem vtriusque iudicium, eademq; vtriusque sententia.

IN IGNE REVELABITVR] Quæres, quis hic ignis? de eo enim tria hîc dicit Apostolus. Primò, quòd dies Domini in igne reuelabitur; Secundò, quòd cuiusque opus probabit; Tertiò, quòd ædificantes lignum, fœnum, stipulam per illum transibunt, saluique erunt, *sic tamen quasi per ignem.*

Multi veterum, vt Origen. hom. 14. in Lucam, Ambros. in psal. 36. Lactant. lib. 7. c. 21. Basilius in

Illic

sive 4 Rupert. libr. 2. in Genesim c. 32. accipiunt
ignem illum, quem putant omnes animas, etiam
Petri & Pauli, in cælum euntes transire debere,
ut mundæ sint, per eum purgentur; sive is sit
conflagrationis, in fine mundi, sive purgatorius
ille ignis sive alius in æthere. Nam Beda lib. 3. hi-
stor. 19. ait S. Furseum vidisse in via ad cælum ma-
nentes ignes, per quos necessariò transeundum es-
set. Sed hæc sententia, licet non sit damnata, nec
eam reprobare audeat Bellarm. l. 2. de Purgatorio
ca. 12. caret tamen fundamento. Nam hic locus A-
postoli, quo solo eius auctores nituntur, alium ha-
bet sensum. Visio illa Fursei visio tantùm fuit, quæ
per speciem corpoream ignis, spirituale Dei iudi-
cium cœnasque futuras hominibus carnalibus re-
præsentaret, vti inferiùs declarabo.

Secundò, S. Chrysost. & Theophyl. quos secuti
sunt Græci in Conc. Florentino, respondent esse
ignem inferni, in quo peccator manebit saluus, id
est vrens & incorruptus, vt semper puniatur. Sed
hoc est contortum: saluum enim esse, vbique in
Scriptura significat esse incolumem & felicem,
non autem viuum manere in pœnis. ita omnes alij
Græci, & Patres Latini initio Conc. Florent.

Vbi Nota. Licet Chrysost. hunc locum de infer-
no intelligat, non tamen negat esse Purgatorium,
vt fatò asseruit Marcus Archiepisc. Ephesinus in
Concil. Florent. imò illud disertè confitetur ho-
mil. 32. in Matth. & hom. 3. in epist. ad Philipp. &
hom. 4 in epist. ad Hebræos, & alibi; quibus locis
hortatur fideles vt orent pro fidelibus defunctis
in Purgatorio existentibus: pro illis enim qui sunt
in inferno, vbi non est redemptio, non est orandũ.

Tertiò, hæretici respondent hunc ignem esse
ignem tribulationis huius vitæ (quod etiam insi-
nuat Anselm. & Gregor. 4. Dial. 39. & S. August.
in psalm 37. qui tamen etiam de Purgatorio accipi-
unt) vel confusionis, quam ipsi comminiscun-
tur Spiritum sanctum in vita, vel in morte illu-
strasse sua iniicere Sanctis, qua verbi gratia, vt
ipsi aiunt, S. Bernardo, Francisco, Dominico in
morte demonstrault suos errores de monachis-
mo, Missa, confessione, vt eos agnoscerent & re-
tractarent.

Sed hoc fingitur gratis, nec talis extat retracta-
tio horum aliorumque Sanctorum in morte, imò
potius constans exhortatio ad suos, vt in vita mo-
nastica persistant & proficiant.

Adde, multos subitò esse mortuos, & etiamnum
vsque quosdam in somno, & dormientes qui pec-
catis venialibus inquinati decedunt: vbi hi pur-
gantur? non vtique in cælo, quia nihil coinquina-
tum intrabit in illud, Apoc. 21. 27. non in inferno,
quia hic est locus damnatorum: ergo in Purgato-
rio. Post hanc vitam enim non est locus solitæ mi-
sericordiæ & condonationis, sed iustitiæ, & iustæ
satisfactionis, vel potiùs satispassionis; ne quis di-
cat Deum sic mortuis gratis remittere peccata, id
est omnem culpam & pœnam.

Denique dies mortis non dicitur dies Domi-
ni, sed dies iudicij; nec ignis significat illam con-
flationem, sed verum ignem.

Obiicit Caluinus, Lignum, fœnum, stipula ca-
piuntur metaphoricè, ergo & ignis. Resp. negan-
do consequentiam: quia patet diem Domini igne
propriè dicto reuelandum esse, vt mox pluribus
demonstrabo.

Quartò, Sedulius, Lyran. Caietan. Theodoret.

A Ambros. ignem hunc esse volunt strictum & acre
examen diuini iudicij puniens peccata post mor-
tem per ignem; aut, vt Bellarm. esse ignem partim
Purgatorij, partim iudicij. q.d. Sicut peccatorum
opera suum habebunt ignem exurens, sic & ipsi
malè operantes suum habebunt ignem, sed vltio-
nis in Purgatorio. Figuratè enim & analogicè
ignis vocatur ipsum examen & iudicium, quia in-
star ignis purissimum, sincerissimum, celerrimum,
efficacissimum erit. Malach. 3 2. Hebr. 12. 29. Sed
verba Apostoli eum non nisi ignem sonent, & in-
geminent secundò & tertiò, planè & propriè si-
gnificare videntur ignem verum & vniuocum, at-
que vnum eumdemque, non metaphoricum, æ-
quiuocum & varium.

Quarta, ignem hunc esse examen aque diuini iudicij.

Bellarmini dicit hunc ignem partim Purgatorij esse, partim iud. ej.

Dico ergo Primò, certum est hunc locum in-
telligi de igne Purgatorio. ita Concil. Florenti-
B num, Ambros. Theodoret. S. Thomas, Anselmus
hîc, & passim Patres Græci & Latini, quos fusè
citat Bellarm. & Salmeron hîc, in fine disp. 6. Est-
que hæc traditio & sensus communis Ecclesiæ &
Doctorum, licet verba in particulari alij aliter ex-
plicent, & Purgatorio adaptent.

Prima conclusio: locus hic intelligitur de igne purgatorio.

Dices, Si Concil. Florentinum intelligit hunc
locum de igne purgatorio, ergo de fide est de eo
intelligi debere, & consequenter de fide est non
tantùm esse Purgatorium, sed & in eo igne ani-
mas purgari.

Resp. Nego conseq. quia licet Patres Latini in
Florentino Concil. ita intelligant, ac consequen-
ter certum sit esse ignem purgatorium; noluerunt
tamen definire quasi de fide esse ignem; sed tan-
tùm esse Purgatorium: idque ne Græcos offen-
derent, qui concedebant quidem Purgatorium,
C negabant tamen in eo esse ignem, sed dicebant
esse locum obscurum, & laborum plenum.

Solutio obiectionis cõtra hunc locum.

Dico Secundò, Ignis de quo Apostolus hîc a-
git propriè est ignis conflagrationis mundi. Patet,
quia erit in die Domini, id est iudicij extremi: hic
autem dies passim in Scriptura describitur per
ignem, quo conflagrabit mundus: vt psal. 96. *Ignis
ante ipsum præcedet.* 2. Thessal. 1. dicitur iudex Chri-
stus reuelandus *in flamma ignis.* Idem dicit Ioël c.
2. 3. & S. Petrus epist. 2. c. 3. v. 12. & Ecclesia cùm
canit: *Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, &
seculum per ignem.* Hic enim ignis simul erit con-
flagrationis mundi, & simul probatorius & pur-
gatorius eorum qui tunc viuent. ita passim Theo-
logi eritque præuius, imò comes & lictor Christi
iudicis: & si non omnibus (v. g. puris omnino: hoc
enim nimis durũ videtur, vt rectè aduertit Franc.
D Suarez) certè impuris mortem & pœnam afferet,
acrem magis vel minùs pro meritis cuiusque: da-
mnatos deinde secum hic ignis in infernum con-
uoluet, & sic dicitur, quòd *dies Domini in igne reue-
labitur.* Quod licet Oecumenius referat ad opus
quod sequitur; q.d. Reuelabitur, & vniuscuiusque
opus probabit ignis: alij verò referant ad *Dominus*,
quasi dicant, Dominus reuelabitur in igne, quia
dies non tam reuelari videtur, quàm alia omnia
reuelare; tamen meliùs dicitur, quòd ipsa dies re-
uelabitur, quòd sit Domini: id est, per ignem ap-
parebit quòd sit dies diuinæ vltionis & iudicij.

Conclusio secunda: hunc ignem propriè esse cõflagrationis mundi.

Quomodo dies Domini in igne reuelabitur.

Petes, Quomodo hic ignis purgat opera, quæ
iam transierunt, & non sunt?

Quomodo hic ignis purgat opera quæ trãsierunt, & iam non sunt?

Respondeo, Quia Scriptura sic loquitur, quòd
opera bonorum & malorum sequuntur eos, quasi
adhuc homini post mortem adsint & insint, quia

Quomodo dicuntur ardere opera?

scilicet reatus eorum manet in homine, quo hominem obligant ad pœnam, vel præmium.

Petes Secundò, Quomodo opera dicuntur ardere?

Respondeo dupliciter; Primò, metaphoricè, quia comparantur stipulæ, quæ propriè ardet; opera verò ardent metaphoricè, id est puniuntur, reprobantur, abolentur, vti lignum quod igne consumitur.

Secundò, metonymicè, quia ipse operans propter opera sua ardet & vritur.

Vbi Nota. Vtitur hac metaphora & metonymia Apostolus, vt persistat in metaphora ædificij, quam cœpit à v. 9. hucusque, & quia alludit ad ignem conflagrationis, qui omnia ædificia mundi comburet. Homo enim operibus suis sibi quasi ædificium ædificat, sicut bombyces & erucæ sericò quod nent, folliculos, quasi domos sibi conficiunt, quibus se inuoluunt, vt si folliculum aduras, bombyces aduras, & contrà: ita hîc metaphoricè opus, quasi ædificium aduritur, quia ipse operans & ædificator, cui opera adhærent, & quasi inhærent, aduritur. Adde, opera dici exuri potiùs, quàm operantem, quia operans non exuritur, sed saluus fit, sic tamen quasi per ignem; operum autem reatus hoc igne exuritur & aboletur.

Pulchra similitudo, qua declaratur quomodo opera metaphoricè ardeant.

Petes Tertiò, Quomodo aurum & argentum, id est bona opera, hic ignis probat?

Quomodo hic ignis probat bona opera?

Respondeo; Hoc ipso quo ea non attingit, & operantes quasi omnino puros, illæsos & intactos relinquit, satis probat operum & operariorum perfectionem: lignum verò, stipulam, fœnum manifestabit & vret, id est puniet, cùm eos qui venialia operati sunt, inuadet & vret, & ab iis purificabit, ita vt salui sint, sic tamen quasi per ignem. Sic olim dicebatur & fiebat (quod postea per Canones prohibitum est, quasi tentatiuum Dei) criminis proba per ferrum candens: offerebatur enim illud reo tractandum manibus, vel pedibus nudis: quòd si verè reus erat, vrebatur; si innocens, non lædebatur, vti contigit S. Cunegundi, vxori Henrici Imper. & tribus pueris in fornace Babylonia: illa enim suam castitatem ferro candente, super quo nudis plantis ambulauit; hi suam innocentiam in fornace ignita illæsi probarunt.

Canones prohibuerunt crimnis probam per ferrum candens.

S. Cunegũdis suã castitatẽ ferro candente probauit.

Quomodo hic ignis vniuscuiusque opus probare dicitur, cùm tam mortui illum ignem non experiantur.

Dices, Quomodo ignis vniuscuiusque opus probat? Paulus enim, & omnes iam mortui, non experientur ignem conflagrationis mundi.

Respondeo, Quia Paulus ita loqui solet, quasi sibi & suis instet dies mundi vltimus, & hic ignis; vt scilicet stimulet omnes, vt se parent ad istum diem, quasi incertum & vicinum.

Adde, ille ignis erit purgatorius totius mundi, & omnium quæ sunt in eo, adeoque si quid in aliquo olim mortuo necdum sat purgatum esset, id ab illo igne inuaderetur & expiaretur, & sic cuiusque, etiam olim mortui, opus hic ignis manifestabit: erit enim vltima hæc totius mundi proba & expiatio.

Conclusio tertia. Apostolus per hunc ignem intelligit ignem Purgatorij.

Dico Tertiò, Sicut sub die Domini intelligit Apostolus diem mortis, & sub iudicio extremo intelligit particulare, quasi vnum & idem; ita à pari, sub igne, Christum iudicem ad vniuersale iudicium comitaturo, & purgaturo quidquid illo tempore purgandum restabit, proportionaliter intelligi vult ignem, quo statim animæ purgantur post mortem. Per hunc ignem ergo intelligit ignem Purgatorij.

Nec obstat, quòd ignis conflagrationis sit ante mortem, vt multi volunt, quia post mortem esse deberet: expiabit enim totius vitæ & mortis peccata; sed esse nequit post mortem, ita vt mortuos purget, quia mortui tunc à morte statim resurgent, & rapientur ad iudicium.

Adde, si quis ante mortem non satis expurgatus esset, post mortem eodem igne, quasi Purgatorio, plenè expiabitur. Prob. hæc sententia, quia loquitur Apostolus præsentibus, qui verè ignem conflagrationis non erant visuri, sed suum Purgatorium hîc post mortem, æquè vt illi in morte habituri. Cur enim hi magis, quàm illi sint immunes ab igne, si æquè illum sunt meriti?

Secundò, quia græcè est ἀποκαλύπτεται, id est reuelatur, scilicet in præsenti, dies Domini, puta in præsenti vita cùm morimur.

Tertiò, quia vniuscuiusque opus hoc igne Purgatorij expiabitur, cùm igne conflagrationis tantùm expiandum sit eorum opus, qui tunc viuent.

Quartò, quia de igne Purgatorij hunc locum accipiunt omnes Catholici Patres, & DD. Latini, & Concilium Florentinum initio, estque consensus & traditio Ecclesiæ.

Quintò, quia hoc propriè est opus Purgatorij, probare scilicet & purgare, & de eo proposita dicitur, quòd *saluus erit*, sic tamen quasi per ignem; saluus inquam statim à morte, cùm plenè purgatus ex Purgatorio euolabit in cælum, ante ignem conflagrationis & diem Domini.

Sicut ergo igni conflagrationis rectè competit, quod ait Apostolus, quòd per eum dies Domini reueletur: sic igni Purgatorij propriè competit, quòd vniuscuiusque opus probabit, & quòd iustus qui peccauit, saluus erit; sic tamen quasi per ignem.

Adde, graues Theologos, vt Franciscum Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. sect. 1. negare ignem conflagrationis homines occisurum, & purgaturum, sed tantùm post resurrectionem, in ipso vniuersali iudicio, ignem illum fore, ad terrorem & raptum damnandorum, & vt post iudicium mundum exurat, & renouet: dici tamen subinde, quòd bonos probabit & purgabit, quia testis erit Christo ferenti sententiam innocentiæ, & purgationis animæ factæ in igne Purgatorij: ergo magis certum est probationem, de qua hîc agit Apostolus, fieri per ignem Purgatorij, quàm per ignem conflagrationis mundi.

Totus ergo hic Apostoli locus de die iudicij tam particularis, quàm vniuersalis, deque igne tam Purgatorij, quàm conflagrationis mundi intelligendus est.

Petes Primò, Cur hæc ita commiscet Apostolus, vt nimirum loquatur de vtroque iudicio, & vtroque igne? Causa est, Primò, quia sicut vnum & idem erit vtrumque iudicium, putà vniuersale & particulare, ita quasi vnus & idem est ignis Purgatorij & conflagrationis mundi: hic enim mundum, ille homines purgat; & ignis Purgatorij ad ignem conflagrationis, quasi ad vniuersale mundi purgatorium, tamquam pars ad totum ordinatur, in eumque desinet, & fortè commutabitur, vt idem numero ignis, qui iam est Purgatorij, Purgatorio desinente & finito in fine mundi, fiat ignis conflagrationis.

Secundò, quia ita loqui solet Apostolus de die iudicij vniuersalis, ac si statim à morte, & iudicio particu-

particulari instet & immineat, ac consequenter A
gentes ac si ab igne Purgatorij mox transeatur
ad quem conflagrationis, & consummationis
mundi ignem vt omnes ad illum diem tam terribi-
lem sancte & pie viuendo se comparent. id patet
1. Thessal. 4. 15. Hebr. 11. v. vlt. 2. Corinth. 5. v. 1.
2. Petr. 3. Item modo Prophetæ sæpè, & Christus ipse
Matth. 24. mistim loquuntur de typo & antitypo,
puta de excidio vrbis Ierusalem, & de excidio or-
bis totius, quasi de vno eodemque excidio, &
quia post excidium vrbis Ierusalem, mox secutum
est excidium orbis; adeò vt ita reuera futu-
rum nec cùm hæc diceret Christus, putarent Apo-
stoli: sed postea meliùs edocti contrarium sen-
serint & docuerint.

Per Secundò, Quomodo iudicio particulari
applicari possit, quod ait Apostolus, *Quia in igne*
reuelabitur quis ignis assistet Christo iudici in iu- B
dicio particulari, vt probet & declaret cuiusque
bonum opera?

Respondeo Christo in iudicio particulari assi-
stere ignem Purgatorij, quia Christo iudici ad ma-
nem paratus adest, vt probet, puniat & purget
singulorum opera.

Secunda enim est prosopopœia, qua vtitur
hic Apostolus, dum hoc examen & probationem
tribuit igni Purgatorij; quasi ignis hic esset assessor
ipsius Christi, coram quo omnes mortui transire
debeant, tamquam milites coram suo duce, vt ab
eo lustrentur, vt si quos ineptos & impuros vide-
at, compiat & purget. Facit autem hoc Apos-
tolus primò, vt persistat in metaphora auri, & con-
flatus, qui per ignem omnia probat & purgat. C
Secundò, vt apta proportione respondeat ignis
hic purgatorius igni conflagrationis, & purga-
tionis mundi, ad quem primariò, vt dixi, respicit,
dum ait, *Dies Domini in igne reuelabitur.*

Vbi Nota. Sicuti dum Prophetæ & Christus
typum cum antitypo commiscent, mistimque lo-
quuntur verbi gratia, de Salomone & Christo, de
excidio vrbis & orbis, quædam quæ magis vni,
puta typo; quædam quæ magis alteri, puta anti-
typo conueniunt, commorantibus facit & Pau-
lus hic: nam quod ait, *Dies Domini in igne reuelabi-*
tur, magis conuenit igni conflagrationis mundi;
quod verò addit, *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis*
probabit, & ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem,
magis conuenit igni Purgatorij, vt patet ex
dictis.

Ignis ergo Purgatorij Christo iudici, in parti- D
culari iudicio paratus adest & assistit, tamquam
explorator, lictor, carcer & vindex, vt singulorum
opera examinet, scilicet bonorum aurea opera
intacta relinquendo; aliorum verò lignum, fœ-
num & stipulam, quasi sibi proportionata corripien-
do, rapiendo, puniendo, eo modo quo dixi conclu-
sione secunda: & ita *detrimentum* quisque *patie-*
tur, γεύεται ζημίας, id est pœna mulctabitur,
occidet tamen, vt saluus fiat per ignem, & sic
in die obitus & iudicij particularis, cuique reue-
labitur ignis. Et hoc significat dicta visio Fur-
sei: cum enim ipse quasi mortuus videret ignem
sibi appropinquantem, dixit angelo suo: *Domine*
ignis iste mihi appropinquat. Respondit angelus, Quod
non attigerit, non ardebit te. Licet enim terribilis &
pœnalis ignis videatur, tamen iuxta merita operum sin-
gulos examinat, quia vniuscuiusque cupiditas in hoc
ignis ardebit. Sicut enim quis ardet in corpore per illi-
citam cupiditatem, ita solutus à corpore ardebit per de-
bitam pœnam.

Sensus ergo totius huius loci est, quasi dicat Paulus: Vide ô Apollo, videre ô magistri, videte ô Corinthij, quid doceatis, quid discatis, an fœ-
num, an stipulam, an vana, an ventosa, an curiosa, an terrena: quia ignis Purgatorij Christo iudici quasi explorator assistens, probabit cuiusque opus, & doctrinam, statim post mortem, in iudicio particulari: & consequenter ignis conflagrationis mundi, in quem desinet ignis Purgatorij, in iudicio vniuersali declarabit opus cuiusque igne Purgatorij probatum & purgatum esse, vt in iudicio hoc, coram toto mundo appareat, quale fuerit; adeoque si quod opus necdum plenè probatum sit igne Purgatorij, idipsum igne conflagrationis mundi probabitur & purgabitur. erit enim hæc vltima mundi proba.

Quis eandem sensus sit totius huius loci à v. 12. vsque ad 16.

IPSE SALVVS ERIT, SIC TAMEN QVASI PER IGNEM] Perperam Isidorus Clarius vertit ex Græco: *ipsum*, scilicet *fundamentum saluum erit*. Licet enim Ἰησοῦς & id est fundamentum, sit masculini generis, vt congruere possit cum αὐτὸς, id est *ipse*: tamen id huic loco, & menti Apostoli non conuenit. Vult enim Apostolus hac similitudine ostendere, igne puniendos esse doctores, qui fidei Christi vana & curiosa superædificant.

Taxatur Isidori Clarij versio.

Rursum, τὸ *mercedem accipiet*, non ad *fundamentum*, sed ad *doctrinam* referri debet, vt patet. ergo & quod illi opponitur, scilicet, *ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, ad doctorem pariter, sed vana ædificantem & docentem, referendum est.

Nota. τὸ *quasi* signum est veritatis, non simili-
tudinis, vt & Ioannis c. 1. 14. *Vidimus gloriam eius,*
gloriam quasi vnigeniti à Patre, id est, vidimus eam
gloriam Christi, quæ decebat verè vnigenitum
Patris: & alibi sæpè.

Vox quasi *significat veritatem, non similitudinem.*

Secundò, potest τὸ *quasi* esse nota similitudinis:
q. d. Saluus erit sicut is, qui ex incensa domo ela-
bitur, & transit ambustus per ignem, vt dixi v. 12.
Hinc patet ergo esse Purgatorium, & esse ignem.
Vnde Chrysost. hom. 69. ad popul. *Statuerunt*, ait,
Apostoli, vt in Missa sacrificio oretur pro defunctis. Et
Dionys. Areopagita c. 7. p. 3. Eccles. Hierarch.
tradit has orationes, easque ait se accepisse ab A-
postolis. Nam, vt S. August. in psalm. 37. ait: *Quia*
dicitur, Saluus erit, hinc ignis ille contemnitur. sed gra-
uior erit, quàm quidquid homo pati potest in hac vita.
Et S. Bernard. de obitu Humberti: *Quod hic negle-*
ximus, illic centuplici iter reddemus.

Apostolorū statutum vt in Missæ sacrificio oretur pro defunctis.

Vnde ignem Purgatorij multi volunt eumdem
esse cum igne inferni, cui vicinum est Purgato-
rium, sed ab eo differentem, quòd hic æternus sit,
ille temporarius. Ex quibus prudenter concludit
Anselmus: *Si propter tormenta vitanda hic regi pare-*
mus, pareamus voluntati Dei, vt ignem istum acerbio-
rem omnibus tormentis euadamus. Et S. Chrysost.
homil. 5. de pœnitentia: *Pœnitentiæ*, inquit, *tempus*
nunc est, præoccupet pœnitentia pœnam, præoccupemus
faciem eius in confessione. rogum peccatorum extingui-
mus, non iam aquis multis, sed paucis lacrymis. Sanè
satius & suauius est purgari fonte quàm igne: sa-
tius est in Purgatorio pœnitentiæ per totam vi-
tam degere, quàm in Purgatorio ignis per annum
commorari.

In quo differat ignis Purgatorij ab igne inferni.

Tropolog. totum hunc locum appositè pertra-
ctat S. Bernardus serm. de ligno, fœno & stipula.
Fundamentum, inquit, *Christus est, lignum fragile est,*

fœnum molle, stipula leuis. Lignum sunt, qui fortiter inceperunt, sed fracti non renodantur. Fœnum sunt, qui fugienda mollitie tepefacti, nec summitate digiti (vt dicitur) labores arduos attingere volunt. Stipula sunt, qui leuitatis motibus exsufflati, namquam in eodem statu permanent. Et timendum quidem est de istis, sed non desperandum: quia si in fundamento Christum habuerint, hoc est in hac vita vitam finierint, salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Deinde ignem hunc non literaliter, sed tropologicè explicat. *Ignis*, inquit, *tria habet, fumum, lucem, ardorem. Fumus excitat lachrymas, lux vicina illuminat, ardor adurit. Ita & qui eiusmodi est, fumum, hoc est amaritudinem in mente habere debet: quia tepidus est, quia remissus est, quia leuis, quia ordinem quamum in se est subruit & perturbat. Sed & lucem in ore, vt qualis est in mente, talem se in confessione & dicat & plangat; vt & linguam acuat conscientia, & conscientiam arguat lingua. Necesse est quoque vt* B *ardorem sentiat in corpore, id est pœnitentiæ tribulationem, etsi non multimodam, aliquam tamen. Putas quia sic compunctos corde, ore confessos, corpore fatigatos abiiciet, qui omnes homines vult saluos fieri, & neminem vult perire?* Denique de aliis subdit: *Sunt & alij qui ædificant super fundamentum hoc aurum, argentum & lapides pretiosos; qui vehementer incipiunt, vehementiùs proficiunt, vehementissimè perficiunt, non attendentes quid caro posit, sed quid spiritus velit.*

VERS. 16. NESCITIS QVIA TEMPLVM DEI ESTIS] Respicit & redit Apostolus ad v. 9. *Dei ædificatio estis.* q.d. Estis ædificium non hominis, sed Dei, ac consequenter non profanum, sed sanctum, putà templum Dei, in quo Deus habitat per fidem, gratiam, charitatem & dona sua. ita Anselmus & alij passim. De templo hoc plura dicam 2. Corinth. 6. 16.

Quomodo simus Dei templum.

Quomodo anima dedicetur Deo in templum, C vide S. Bernardum serm. 1. de dedic. Ecclesiæ, vbi ait: Quinque sunt in dedicatione, aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio; hæc & in anima spiritualiter fiunt, quæ fusè deinde explicat.

Quinque fiunt in dedicatione templi.

Nota. Hactenus egit Apostolus de iis doctoribus, & fidelibus qui superædificant ædificio sancto, id est templo: iam de illis agit, qui euertunt illud; vnde subdit,

VERS. 17. SI QVIS AVTEM TEMPLVM DEI VIOLAVERIT, DISPERDET ILLVM DEVS] Pro *violauerit*, græcè est φθείρει, qui corrumpit vel vitiat, vti legit Tertullianus, scilicet per mortalem superbiam sapientiæ animalis & humanæ, per nouam, erroneam & pestiferam doctrinam, per schismata, vti vos facitis, ô Corinthij, inquit Anselmus; & qui quouis alio D modo Ecclesiam, vel animam fidelem, quæ est templum Dei, corrumpit, hunc disperdet Deus. Loquitur Apostolus maximè de corruptione, quæ fit docendo, & persuadendo falsam doctrinam, superbiendo, aliis inuidendo, schismata concitando. De doctoribus enim vti cœpit, ita & finit hoc caput. Patet ex seqq. q.d. Hic corruptor non saluus erit per ignem, sed in igne æterno ardebit.

Quibus peccatis templum Dei violetur potissimum.

VERS. 18. SI QVIS VIDETVR INTER VOS SAPIENS ESSE IN HOC SÆCVLO (sapientia scilicet & eloquentia sæculari, rhetorica philosophica, mundana, terrena, ideoque quasi sapiens superbiat, & ex fastu alios despiciat) STVLTVS FIAT VT SIT SAPIENS] *Stultus*, nimirum humilitatis, fideique & crucis Christi stultitia, de qua dixi c. 1. v. 21. & sequ. coram mundo; quæque tamen coram Deo vera & sola est sa-

Quis sapiens in hoc sæculo quomodo stultus fieri debeat, vt sit sapiens.

A pientia, ait Anselmus. Cùm enim sapientia huius mundi stultitia sit apud Deum, & contrà, sequitur nos non posse aliter verè sapere, nisi secundùm mundum stulti simus, vt licet magni sapientesque mundo videamur, tamen quasi pueri, imò quasi stulti subdamus nos fidei, disciplinæ, cruci & obedientiæ Christi. *Ita tres Magi puerum adorant in præsepio* (inquit S. Bernardus serm. 1. de Epiphania) *infipientes facti sunt, vt fierent sapientes, & indocuit eos Spiritus quod postea prædicauit apostolus: Qui vult sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens. Ingrediuntur stabulum, inueniunt pannis involutum infantulum: non illis sordet stabulum, non panno offenditur, non scandalizantur lactentis infantia; procidunt, venerantur vt regem, adorant vt Deum: sed profectò qui illos adduxit, ipse & instruxit, & qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit.* Quæres S. Basilius in reg. breuior. interrogat. 274. *Quomodo efficitur aliquis stultus in hoc sæculo?* ac respondet: *Si formidauerit iudicium Domini dicentis, Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes: & illum fuerit imitatus, qui dixit, Vt insipiens factus sum apud te: atque abiecta omni cassa opinione prudentiæ suæ, de iis quæ cogitauerit, nihil ante tamquam rectum approbauerit, imò ne initio quidem prorsus quidquam cogitauerit, priusquam ab ipso Domini mandato scire didicerit, quid placeat Deo, siue in opere, siue in verbo, siue in cogitatione.*

SAPIENTIA HVIVS MVNDI, STVLTITIA EST APVD DEVM] quia Deus reprobauit sapientiam sæcularem, & abiecit quasi fatuam; Primò, quia nihil sapit salutare & diuinum, nihil etiam facit ad negotium salutis.

Secundò, Deus ea vti noluit in Euangelio prædicando, sed potiùs rudibus Apostolis. C

Tertiò, quia sæpè contraria est fidei, tum in speculatiuis: vti mysterio Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, mortis Filij Dei, repugnant omnes sæculi sapientes, quasi illa impossibilia & incredibilia sint; tum in practicis & moralibus. Christus enim iubet diligere inimicos; mundana sapientia iubet eos odio prosequi: Christus iubet vincere in bono malum; mundana sapientia iubet in malo vincere malum: Christus beatos prædicat pauperes, mites, flentes, esurientes, persecutionem patientes; mundus verò beatos prædicat diuites, satios, ridentes, epulantes, dominantes.

SCRIPTVM EST ENIM: COMPREHENDAM SAPIENTES IN ASTVTIA EORVM] Citat Iob cap. 5. 13. Pro *comprehendam* hebraicè est לכד *Iocched*, græcè ὁ δεσμεύων, id est, capiens manu iniecta. Participium ponitur pro verbo: capiens, id est capiam, comprehendam. Vide can. 29. D

Sunt hæc verba non Iob, sed Eliphaz, qui falsò disputat contra Iob, volens probare Iob peccasse, & per peccata calamitates suas esse promeritum: vnde redarguitur à Deo, Iob 42. v. 7. ac proinde verba hæc Eliphaz non habent auctoritatem sacræ Scripturæ, sed viri sapientis, vt dixi Iob 4. Probat enim Paulus hanc Eliphaz sententiam, quia in se vera est, & sapienter à sapiente illo dicta.

Nota. Comprehendit Deus sapientes in astutia sua, quando per id, quo astutè volebant euertere consilium Dei, Deus illud ipsum adimplet: vt cùm fratres Iosephi, volentes eius somnia de principatu ipsius futuro euertere, illum deprehenderunt, & quasi seruum vendiderunt in Ægyptum; Deus verò per hoc, ipsum exaltauit, & principem

Ægypti

Egypti constituit fratresq; eum adorare coëgit. Sic modo Deus comprehendit sapientiam Pharaonis in mari rubro: Saülis & Achitophelis volentium perdere Dauidem: Aman in cruce, qua cogitabat perdere Mardochæum. ita S. Thomas.

ITERVM (scriptum est psal. 93. v. 11.) DOMINVS NOVIT COGITATIONES SAPIENTIVM, QVONIAM VANÆ SVNT] Pro *sapientium* psal. 93. 11. habetur *hominum*, scilicet non vulgarium, sed sapientum. In enim sua sapientia multa cogitant & machinantur. Omnibus hisce sententiis & rationibus Apostolus docet Corinthios, vanam & inanem esse sapientiam & eloquentiam sæcularem, in cuius spe gloriabantur, & ob quam Apollo præferebatur Paulo. Veram autem sapientiam esse fidem & doctrinam Christianam, quam ipse eis, simplici licet sermone, ardenti tamen & efficaci spiritu prædicauerat.

A

Morabiter S. Hieron. in psal. 93. *Vultis*, inquit, *fratres quoniam cogitationes hominum vanæ sunt: pater & mater nutriunt filium, promittunt sibi de illo felicitatem, mittunt ad studia, erudiunt, venit vsque ad adolescentiam, disponunt vt etiam militet: cùm omnia cogitarint per annos triginta, vna febricula venit & tollit omnes cogitationes. O curas hominum! ô quantum est vanitatis inane! Vna cogitatio felix est, cogitare de Deum.*

B

NEMO GLORIETVR IN HOMINIBVS, eloquentibus scilicet spectibus putà Apollo, Paulo, &c. OMNIA ENIM VESTRA SVNT, SIVE PAVLVS, SIVE APOLLO, SIVE CEPHAS, SIVE MVNDVS, SIVE VITA, SIVE MORS, SIVE PRÆSENTIA, SIVE FVTVRA] q.d. Noli tu in Paulo, ille in Apollo gloriari, quia tam Paulus quàm Apollo & omnes alij homines, imò omnes creaturæ cuius vestrûm communes sunt, vobisque communiter ad salutem vestram procurandam subseruiunt.

C

Nota, *omnia vestra sunt*, non quasi omnia bona fiant communia, vti erant in statu innocentiæ; aut quasi iusti omnium rerum sint propriè domini, vt dixerunt Hus, Wiclef, & alij: sed *vestra sunt, non possessione, sed fine & vsu*: quia scilicet vobis in ministerium & auxilium salutis deputata & data sunt. ita Ansel. Ambros. Theodor. S. Thom. Chrysost. data inquam ad vsum vel realem, vel mystalem, qui est, in omnibus creaturis agnoscere & laudare creatorem, & hoc est quod vulgò dicimus: *Fidelitate mundus diuitiarum est.* Vide Theodor. serm. 10. de Prouidentia. Vnde Chrysost. ait: *Alia ratione nos Christi, alia ratione Christus est Dei, alia nostra est: nos enim Christi sumus, vt opus; Christus autem est Dei, vt filius charissimus; noster verò mundus est, non vt opus, sed quia propter nos factus est.* Vester ergo est mundus, id est, omnes creaturæ mundi corpori & animæ vestræ seruiunt: vestra est vita, vt in ea merita colligatis: vestra mors, quia per mortem transitis ad vitam æternam; vel mors, id est, martyrium vestrum est: vestra sunt præsentia, tam aduersa quàm prospera, quia illis vtimini in bonum: vestra sunt futura bona, quia illis fruemini. Vnde iam vestra sunt in spe, reipsa erunt in cælo. ita S. Thomas & Anselm. Vestra quoque sunt mala infernus & damnati, vt illis dominemini.

Omnia vestra sunt, non vestra omnia.

Vestra sunt, non possessione, sed fine & vsu.

Mundus est vester, non vt opus, sed vt propter nos factus.

VOS AVTEM CHRISTI] vt membra mystica Christi capitis & domini estis, ac consequenter Christi possessio estis sanguine eius empti. ita Anselmus & S. Thomas. q.d. Ergo vobis ô Corinthij, non in hominibus Paulo, vel Apollo, sed in Christo gloriandum est. VERS. 23. *Mystica membra Christi sumus.*

CHRISTVS AVTEM DEI] simplè, est, idque Primò, quia quà Deus, Dei est Filius. ita Chrysost. Theodor. Anselm. Ambros. qui ait: *Christus est Dei Filius eius faciens voluntatem, vt & nos ipsius faciamus voluntatem.*

Secundò & aptiùs, Christus qua homo, Dei est, quasi Domini & capitis sui, creatura & possessio, ait S. Thomas & Caietanus.

Ex dictis patet, fideles sanctos, & maximè electos esse finem, propter quem Deus omnia creauit: horum verò omnium finis est Christus, vt homo. Hæc enim gloria per se tali homini debebatur, scilicet, vt omnium creaturarum & hominum esset finis, vt omnia illi seruirent, vt omnia ad eius gloriam ordinarentur: Christus autem est propter Deum, & Dei gloriam. q.d. Apostolus: Ergo non in Paulo vel Apollo, sed in solo Deo, ad quem omnia alia reducuntur, est gloriandum. *Omnium creaturarum finis est Christus, vt homo.*

Pulchrè in morali hom. 10. Chrysost. *Omnia*, ait, *nostra à Christo habemus, & quod sumus, & vitam, & lucem, & spiritum, & aërem, & terram; & si quid horum abstulerit, peribimus. inquilini enim sumus & peregrini: Meum quippe & Tuum verba tantùm inania sunt, re autem non existunt* (intellige vt ita sit tuum, sicut est Dei; vt scilicet absolutum, independens & perpetuum rei habeas dominium. Nam ad tempus tantùm tibi concessit Deus dominium, quod si cum Dei dominio comparetur, potiùs vsus est quàm dominium) *Licet domum tuam esse dixeris, inaniter loqueris, siquidem & aër, & terra, & materia, conditoris est, & tu ipse, qui eam effingis, item & alia omnia. quòd si vsus tuus est, incertus tamen est, non tantùm propter mortem, sed ante mortem quoque propter rerum instabilitatem. Duplici namque ratione sumus Dei, creationis, & fidei: & anima tua non est tua, quomodo pecunia, erunt tua; cùm verò non sint tua, sed Domini, in conseruos ea te erogare oportet. Noli ergo dicere, Rem meam consumo: non tua est, sed aliena, imò communia sunt tibi & conseruo, quemadmodum & sol, & aër, & omnia.* hactenus Chrysostomus. *Meum & Tuum sunt verba inania.*

Dei sumus per creationem & fidem.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit in schismate, fastu & gloriatione Corinthiorum, ac præsertim Doctorum aliquorum arrogantium, qui Paulum despiciebant, euellendis.

Id q. Primò, ostendens se non curare, nec curanda esse hominum iudicia, sed solius Dei.

Secundò, v. 7. eorum inflationem redarguit, dicens, Quid habes quod non accepisti?

Tertiò & maximè, vrget eos v. 9. suo & aliorum Apostolorum exemplo, qui in omni humili-

tate, afflictione, & despecti, quasi purgamenta mundi & peripsema, vbique euangelizabant.

Quartò, premit eos v. 15. tamquam filios suos, quòd quasi pater illos genuerit in Christo, minaturq́; se breui venturum Corinthum, vt hos pseudodoctores glorioſos & inflatos redarguat & puniat.

1. SIc nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 2. Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 3. Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. 4. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. 5. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. 6. Hæc autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo, propter vos: vt in nobis discatis, ne suprà quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 8. Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis: & vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus. 9. Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. 10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. 11. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, 12. & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: 13. blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc. 14. Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo. 15. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. 16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni Ecclesia doceo. 18. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. 20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

VERS. 1. SIC NOS EXISTIMET HOMO, VT MINISTROS CHRISTI] *Homo*, id est vnusquisque. Hoc enim est Hebræũ אישׁ *isch*. q.d. Vetui ne in hominibus, Paulo & Apollo, glorieminì, ne quis hinc nos contemnat, dico: sic nos quisque Apostolos existimet, id est æstimet, quasi ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Christi.

DISPENSATORES] Kemnitius cauillatur, hinc Concilium Tridentinum probare, Pontificem posse dispensare in votis & legibus. Sed perperam, inquit, quia hîc dispensare non significat relaxare, vt vult Concilium, sed distribuere. Respondeo, Concilium id optimè intellexisse, sed tantùm ita argumentari: si credita est Pontifici dispensatio rerum Ecclesiæ, ergo potest certis casibus, vbi res exigit, dispensare, id est, soluere vota, iuramenta, pœnitentias, & debitum pœnæ temporariæ remittere. sicut dispensator in domo multa potest, vbi honor vel vtilitas domini id exigit, dispensare, donare, vel relaxare: hoc enim ad regimen domus sibi commissum spectat, modò ea bene dispenset, non temerè dissipet; vt docet S. Bernard. lib. de Præcept. & dispens. & lib. 3. de Consider. ad Eugenium: *Quæritur, inquit, inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est. Vbi vtilitas pronocat, dispensatio laudabilis est. Vtilitas dico communis, non propria: nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Pontifex Rom. potest dispensare in votis & legibus.

Quis sit dispensator fidelis.

Vbi Nota. Pro *dispensator*, græcè est œconomus, qui domus curam habet, in ea omnia regit, distribuit, ordinat, quin & donat, & debita relaxat, vbi sincerè credit hoc domino suo placere, vel vtile esse ad domini sui honorem. Eius enim præcipua virtus est fidelitas & prudentia. Sic Pontifex in Ecclesia quasi domo Dei, omnia ordinat, dat Indulgentias, relaxat vota, quasi œconomus & vicarius Christi.

MYSTERIORVM DEI] mysticæ, arcanæ & diuinæ doctrinæ, atque Sacramentorum Christi. Vtrique enim hæc sunt mysteria Christi, eaque Christus credidit Paulo & Apostolis, quasi œconomis suis. Vnde Corinthiorum contentio, & schisma maximè ex Sacramento baptismi oriebatur, quòd hic iactaret se baptizatum à Paulo, ille ab Apollo, vt patet c. 1. 13.

HIC IAM QVÆRITVR INTER DISPENSATORES, VELLE VT FIDELIS QVIS INVENIATVR] q.d. Auocaui vos Corinthij, à sapientiæ & eloquentiæ humanæ examine, ad simplicem & humilem Christi doctrinam, vt non disputetis an Paulus, an Apollo sit sapientior vel eloquentior, dixique vtrumque nostrûm tantùm esse dispensatorem huius doctrinæ. fortè vos in comparationem nostri procliues estis de fideli nostra dispensatione disputare incipietis, & quærere quod de dispensatore homines quærere solent, an fideles simus, & an Paulus sit fidelior quàm Apollo, an verò Apollo Paulo sit fidelior in suo prædicationis officio. Multi vestrûm dicunt, Paulus est fidelior & efficacior,

sed

sed Apollo eloquentior. Alij alios suos catechistas & magistros, ostentantes suam sapientiam iactant, quasi nobis meliores & fideliores. Quare vt omnem hanc comparationem, & vestra iudicia succidam, dico me non curare vestra & quorumuis iudicia, sed solius Dei. ita ex Chrysost. Theophylacto.

Nota. Præcipua dos dispensatoris est fidelitas, vt notat Christus Lucæ 12.42. *Quis putas*, inquit, *est fidelis dispensator & prudens?* ad quam Christi sententiam alludit hîc Paulus. *Fidelis autem est*, inquit Theophyl. *si herilia bona sibi non vendicet & attrahat, vt non veluti dominus res tractet, sed veluti alienas & herilia dispenset; non sua esse dicens, quæ sunt heri, sed à diuerso quæ sua sunt, heri esse.* Talis est doctor & prædicator, qui non suam, sed Dei vnius gloriam & animarum conuersionem salutemque quærit & spectat, eamque omni diligentia, non A
B
tantum prædicatione sua, sed & sanctimonia, perfectoque vitæ exemplo procurare satagit.

MIHI PRO MINIMO EST (parui æstimarim) VT A VOBIS IVDICER, AVT AB VLLO HUMANO DIE] id est, ab humano iudicio. Sic enim dies Domini vocatur dies iudicium Domini. sic reis dicitur dies, cùm citantur vt sistant se iudicio, metonymicè. ita Hieron. ad Algas. qu. 10. Vbi addit, Paulum vtpote ex Tarso Ciliciæ oriundum, ex Cilicum phrasi Græca humanum diem vocasse humanum iudicium.

Verùm potius Paulus Hebræus, ab Hebræorum idiotismo hanc phrasin mutuatus videtur: alludit enim ad Ierem. 17. v. 16. vbi Ieremias à suis irrisus & afflictus ob suas prophetias, sic ait: *Diem hominis non desiderauî.* Domine, *tu scis.* Vbi Nota. Dies hominis est ille, quo homo prosperatur, & tamquam potens, felix & gloriosus honoratur & laudatur ab omnibus. q.d. Ieremias: Non desideraui vitam longiorem, prosperitatem, opes, honores, delicias, plausus hominum: si enim hæc spectassem, non tristia & dira eis prophetassem: sed eorum gloriæ & opinionibus applausissem: iam autem id minimè feci. nec diem & plausum hominis desideraui. Scio enim quòd homo sit אֱנוֹשׁ *enosch*, id est mollis, fragilis, & citò cum suo plausu, omnibusque bonis periturus & moriturus: hoc sciens & cognitans, non homini, sed tibi soli, ô Domine Deus, in meis prophetiis & concionibus seruire, placere, obedire, & à te solo commendari desideraui: ideoque te iudicem & testem vnicum huius mei desiderij invoco, dicens: *Tu scis*, perinde, ac Iob invocat dicens c. 16. v. 20. *Ecce enim in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.* ita S. Hieron. Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus in Ierem. 17. Ieremiam ergo imitatus Apostolus ait: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, id est à potentia & sapientia huius mundi, ab hominum fauore & commendatione, ab humano iudicio. Nihil timeo quid vos de me iudicetis, aut potentissimi & clarissimi huius mundi. Felix qui dicere potuit. *Diem hominis non desideraui*; ita vt huius rei testem habeat Deum: hæc summa perfectio est, qua omnia vt stercora reputamus, vt Christum lucrifaciamus. Id Moses iam grandis effecit (gradum enim hæc res est) negans se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem Hebr. 11.

Egregiè S. Chrysost. in morali hîc: *Ne igitur*, inquit, *aliorum laudes requiramus. Hoc enim illi* (Domino Deo) *iniuria est, si tamquam non sufficiat ad nos laudandum, eo omisso, ad conseruos festinemus, quemadmodum enim qui in paruo theatro certant, magnum sibi inquirunt, ac si illud non satis sit ad præbendum de se spectaculum: sic qui in Dei conspectu certantes, inde hominum sibi famam quærunt, maiori omisso theatro, minoris cupiditate magnum sibi supplicium accersunt. Hoc igitur omnia peruerit, hoc vniuersum orbem terrarum perturbauit, quoniam hominum respectu omnia facimus, & in bonis operibus nulla nobis cura est, vt laudatorem Deum habeamus, sed laudem nobis à conseruis nostris inquirimus. In scelcribus rursum Deo contempto homines formidamus: & homine præsente nemo scortaretur, sed licet maiorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia pudore hominum vinceretur. Cùm autem Deus videat, non modò adulterantur, non modò scortantur, verùm & alia longè grauiora & ausi sunt, & audent. Nonne hoc vel solum satis esset, quò caelitus innumeris peteremur fulminibus. Hinc omnia orta sunt mala, quòd scilicet in rebus turpibus non Deum, sed homines timemus.* *In scelcribus hominem formidamus magis quàm Deum.*

Idem Chrysost. homil. 17. in epist. ad Roman. *Quemadmodum*, ait, *pueri ludentes ex fœno coronas inuicem imponunt, coronatum autem sæpenumerò, eiusrei ignarum, post tergum irrident: ita sanè & nunc, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant, atque ita quid aliud fit, quàm quòd & nobis inuicem fœnum coronantes imponimus? Et vtinam nihil aliud quam fœnum! Nunc autem multo etiam nocumento plena est hæc nostra corona: nam omnia nostra rectè facta perdit. Considerata itaque ipsius vtilitate, damnum illud effugito. Quòd si centum, vel mille, vel innumeri extiterint laudatores qui applaudant, nihil tamen illi omnes à graculis desuper garrientibus differunt. Imò si angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores, illorumq; præconium, aranearum textura, fumisq; & somniis infirmius. Dic ad animam tuam quemadmodum Paulus dixit: Ignoras quòd angelos iudicabimus, atque ab hoc cœno excitatam increpato deinceps, ac dicito: Angelos iudicatura es, & vis ab immundis iudicari?* *Laus hominum fœnum est.*

Prudenter quoque S. Hieron. ad Pammach. de obitu Paulinæ: *Prima*, inquit, *monachi virtus est, contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Tale quid & Dominus loquitur ad Prophetas: quòd posuerit faciem eorum quasi vrbem æneam, & lapidem adamantinum, & columnam ferream, ne paterent ad iniurias populi, sed impudentiam subsannantium frontis rigore contererent.* *Prima monachi virtus est contemnere hominum iudicia.*

Denique Anselmus hîc: *Iusti*, inquit, *non humana iudicia, sed æterni iudicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba cum Paulo despiciunt.* Hoc est ergo quod quidam Sanctorum dixit: *Si vis esse beatus, disce contemnere & contemni.* C
D

SED NEQVE MEI IPSVM IVDICO] Græcè ἀνακρίνω, diiudico, q.d. Non possum certò iudicare me, mea opera, intentionem, conscientiam.

NIHIL MIHI CONSCIVS SVM, SED NON IN HOC IVSTIFICATVS SVM] q.d. Non iudico me. Nam licet nullius infidelitatis in munere Apostolico mihi conscius sim, non ideo tamen reuera iustus sum, non coram hominibus: horum enim iudicium non curo, vt dixi, sed coram Deo: Ipse enim fortè in me peccata videt, quæ ego non video. Vnde S. Basilius in Constitut. monast. c. 1. *Cùm in multis rebus*, inquit, *offendamus omnes, maiorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco* VERS. 4.

Apostolus dicebat: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum; quod idem est ac si diceret: Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam etiam Propheta ait: Delicta quis intelligit? Quare nihil mentitus sis, si te peccatorem appellaueris.

Iusti non certò sciunt se esse iustos, idq; ex hoc loco demonstratur.

Hinc patet contra Nouantes, iustos non certò scire, multò minùs credere, se esse iustos. Respondentipsi, Apostolum nescisse se iustum esse, spectando tantùm opera sua, id tamen sciuisse ex fide, & sacra Scriptura, quæ promittit omni in Christum credenti iustitiam. q.d. Scio me esse iustum, non quia vito peccatum, & sanctè viuo, sed per misericordiam Dei, quia credo Christum gratis me iustificare. Sed hæc responsio friuola est & commentitia: subdit enim Apostolus:

VERS. 5. QVOADVSQVE VENIAT DOMINVS, QVI ET ILLVMINABIT ABSCONDITA TENEBRARVM] id est tenebrosas, obscuras & occultas hominum cogitationes & actiones. Ergo vult soli Deo arcana hominis maximè intentiones, secretas inclinationes, & fundum cordis, qui homini est profunda abyssus, ac consequenter iustitiam certò patere ita vt nemo alterum, imò nec seipsum iudicare debeat, siue ex fide, siue ex operibus, siue ex gratia Christi, nisi solus Deus. Putamus enim sæpè nos bene agere, cùm malè agimus; nos ex gratia & Dei amore facere, quod amore nostræ gloriæ, vel cupiditatis facimus. ita Chrysost. Ambros. hîc, & Hieron. dial. 2. contra Pelag. initio, ac Basil. Constitut. monast. c. 2. vbi sic ait: *Cùm multis in rebus offendamus Deum, maiorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. idcirco Apostolus dicebat: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. quod idem est ac si diceret, Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam Propheta ait: Delicta quis intelligit?* Pulchrè quoque hac de re disserit S. Augustin. in psalm. 41. ad illud: *Abyssus*, scilicet humanæ miseriæ & cæcitatis, *abyssum* diuini luminis & misericordiæ *inuocat*.

Solus Deus est cardiagnostes.

Confirmatur Primò, quia etiam Deus non scit nos esse iustos ex operibus, sed ex fide; & hoc tam scimus nos, quàm Deus, quia fide credimus secundùm Nouantes: ergo secundùm ipsos falsum est quod ait Apostolus, nos id non scire, sed solum Deum.

Secundò, quia Deum illuminare abscondita tenebrarum, & manifestare consilia cordium, non est Deum peruidere & manifestare fidem, sed machinationes, intentiones & opera cuiusque.

Tertiò, quia sicut opera nostra nobis incerta sunt, ita & fides, quæ sola iuxta Nouantes iustificat, quia non certò scit homo, se credere in Christum fide firma & diuina; ergo multò minùs scit se per illam esse iustum. Idem alibi sæpè docet Spiritus sanctus, vt Ecclesiast. 9. v. 1. *Nescit homo vtrùm amore, an odio dignus sit.* Prouerb. 20. 9. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum?* Iob 9. 21. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Ierem. 17. v. 9. *Prauum est cor omnium & inscrutabile.*

VERS. 6. HÆC AVTEM TRANSFIGVRAVI IN ME ET APOLLO PROPTER VOS, VT IN NOBIS DISCATIS, NE SVPRA QVAM SCRIPTVM EST (quàm scripsi c. 1. v. 2. 3. Secundò, S. Chrysost. *ne supra*, id est contra, sacram Scripturam, quæ docet non esse superbiendum. Insulsè ergo hoc loco abutuntur Nouantes contra traditiones) VNVS ADVERSVS ALTERVM INFLETVR PRO ALIO] *Hæc autem*, scilicet quæ dixi contra inanem discretionem, & gloriationem magistrorum, & de non curanda laude & iudicio hominum, sed Dei solius, *transfiguraui*, græcè μετεσχημάτισα, in figuram transtuli, typum & exemplum eorum constitui in me & Apollo, q.d. illorum personam in nos duos transposui, & de iis sub nostro nomine locutus sum, ne quos magistros, qui infideles sunt dispensatores, vanique doctores (contra quos maximè ago hoc cap.) eorumue discipulos apud vos vel nominando, vel generatim perstringendo offenderem. *Vt in nobis*, id est, sub persona & nomine nostro, qui primi vestri patres sumus, multò magis alios magistros (qui huius schismatis vestri sunt occasio, cùm ego & Apollo ab illo simus immunes & innocentes) intelligatis: vtque nostro exemplo, modestiâ, concordiâ vos, ô Corinthij, non inflemini, nec gloriemini *pro alio*, scilicet catechista, vel præceptore, docendo: Ego ab Apollo baptizatus sum, ego à Paulo conuersus. Vel potiùs vos, ô magistri, non superbiatis, & quasi aliis magistris sapientiores & eloquentiores, *pro alio*, id est, pro discipulis vestris quasi sapientioribus, præ aliorum magistrorum discipulis, non inflemini, suprà quàm à me iam scriptum est; non vos iactetis de vestra schola & disciplina, nec discipulis iactandi detis occasionem.

Deinceps enim magis ipsos magistros, quam Corinthios arguit, sed modestè & tacito nomine, magistros inquam, qui huius vanitatis, contentionis & schismatis inter discipulos suos Corinthios erant causa & fomes. Patet v. 15. 18. 19. & c. prec. v. 10. & 12. & c. 11. toto epistolæ 2. Nam iidem videntur esse pseudodoctores, quos hîc modestè, vtpote latentes, & necdum satis se prodentes, & quos epist. 2. c. 11. acriùs, vtpote iam impostura, iudaismi & pseudodoctrinæ conuictos, taxat & redarguit. Vnde in Græco, vt notant ex Chrysost. Theophyl. & Oecumen. priùs Paulus taxat magistros. Habet enim, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται φρονεῖν, id est, vt discatis (vos ô magistri) in nobis Paulo & Apollo magistris, non sentire supra id, quod scriptum est, scilicet à me, qui nos (& multò magis vos) tantùm esse dispensatores Dei. deinde consequenter comprimit discipulos dicens: ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, id est, vt vnus non infletur contra alterum, pro alio, scilicet præceptore suo, quasi sapientiore vel eloquentiore. Videtur ergo Paulus hîc ad Corinthios continuare sermonem; sed in eis & per eos obiurgat hîc eorum doctores, &, vt ait, pædagogos: sicut solers & discretus pædagogus volens filios principis increpare, honoris & reuerentiæ causa, eorum famulos increpat, quasi facti auctores, vt idipsum sibi filij principis attribuant.

INFLETVR] id est superbiat & intumescat typho elationis & arrogantiæ. Nota. Aptè superbus dicitur inflatus, & inflari, id est superbire, metaphora sumpta ab vtribus. Vtres enim dicuntur inflari, cùm intus licet inanes & vani, flatu tamen ac vento ita distenduntur & tument, vt corporis crassi molem & speciem præ se ferant. Pari modo superbus, qui ob scientiam, eloquentiam, similemue dotem turget & extollitur, intus vera scientia, sapientia & virtute vacuus, exteriùs vanæ præsumptionis & arrogantiæ vento ita inflatur & tumet, vt vti inflato & ventoso quàm simillimus sit.

Quis

QUIS ENIM TE DISCERNIT?] Græcum Διακρίνει tantum reponit & præfert, quàm discernit, segregat, secernit significat. Theophyl. vertit, ὑπερέχει, id est Cuius suffragio tibi hæc discretio & præcellentia tribuitur? Iam sententiam hanc Chrysost. & Theophyl. sic explicant: *Quis*, nimirum non homo sed Deus, *te discernit*? vt redeat Paulus ad v. 3. & 4. Idem enim hîc græcè est verbum Διακρίνω, quod hîc q.d. Dei est te discernere, id est iudicare, hominum iudicia curare non debes.

Secundò & melius, q.d. Quis te discernit, id est segregat, aut eximit à cæterorum grege, tanquam illa præstantiorem, ô Corinthie catechumene? q.d. Nullus, nisi tu qui inflaris. licet enim à sanctiore, eloquentiore, doctiore esses baptizatus aut edoctus, non ideo es sanctior aut doctior. Ad hanc enim discipulorum discretionem Apostolum proprè respicere, patet ex omnibus præcedentibus, & docet Ambros. Anselm. Theodoret.

Tertiò & maximè ad mentem Apostoli, qui vidente, vt dixi, potiùs magistris loqui, quàm discipulis, hîc videtur genuinus huius loci esse sensus: Quis te, ô magister, discernit, quasi in christianismo aut euangelizando maiorem & meliorem, nisi tu qui ob sapientiam & eloquentiam te vanè præ aliis extollis, & tui, quos quasi Psaphonis aues, te esse suum magistrum extollere & laudare docuisti? Si dicas: Labor, studium, industria mea me discernit ab aliis, quibus præsto. Respondeo: *Quid habes quod non accepisti?* q.d. Tuum laborem, & ingenium, & alia naturæ dona, in quibus gloriaris, accepisti à Deo; multò magis supernaturalia accepisti à Deo; ergo Deo dare debes omnem gloriam. Sapienter S. Ephrem tract. de Pœnitentia: *Præbe*, inquit, *Deo non tua, vt tibi det quæ sunt sua.* Hinc Concil. Arausicanum can. 22. definit nos à nobis nihil habere, nisi mendacium & peccatum. Hic est sensus literalis, & mens Apostoli.

Vbi tamen Nota, quòd S. Augustin. sæpè, Prosper. Fulgent. & Concil. Arausican. II. can. 6. hanc generalem Apostoli sententiam: *Quis te discernit?* de discretione donorum naturalium, putà sapientiæ & eloquentiæ, de qua propriè loquitur hîc Apostolus ex paritate rationis transferunt ad discretionem donorum supernaturalium gratiæ & prædestinationis diuinæ. tam enim alia naturæ dona, & bona opera solis naturæ viribus facta, quàm labor, studium & sapientia magistrorum impertientia sunt ad gratiam & sanctitatem: & si illa donaret discernunt hominem, vt in naturalibus gloriari possit, quasi sapientior, eloquentior, excellentior; multò minùs eadem discernent hominem in supernaturalibus rebus, vt glorietur, quòd ex iis factus sit sanctus vel sanctior. Hac de causa itaque S. Augustin. cum suis, τὸ *Quis te discernit*? refert ad gratiam & prædestinationem, hoc sensu, quòd nemo se à massa perditionis & peccatorum secernere possit, & ordiri initium salutis suæ, per se, & viribus naturæ suæ, vti volebant Pelagiani & Semipelagiani.

Si ergo Deus discernit iustum à non iusto, non naturæ vires, quia Deus est prima & præcipua causa donorum, quæ sunt in iustificato: ita vt nil habeat iustificatus, quo à non iustificato discernatur, quod à Deo non acceperit, atque adeò de eo gloriari possit, quasi id non acceperit: id tamen non tollit, quin illud ipsum simul pendeat à libera cooperatione voluntatis nostræ, sine qua illud ipsum non esset. Nam per liberum arbitrium adiutum gratia discernere se eum qui convertitur, ab eo qui non convertitur, docet S. Augustin. de Spir. & lit. c. 34. vbi sic ait: *Consentire vocationi diuinæ, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est: quæ res non solùm non infirmat quod dictum est, Quid enim habes, quod non accepisti? verùm etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei est: accipere autem & habere vtique accipientis & habentis est*, putà consentientis liberè Dei vocationi & gratiæ, vt antè dixit S. Augustin. Breuiter quoque & neruosè S. Bernard. tract. de Gratia & lib. arbitr. *Quod*, inquit, *à Deo soli datur libero arbitrio, tam absque consensu non potest esse accipientis, quàm absque gratia dantis.*

Si ergo quæras: Quis discernit credentem à nolente credere, posito quòd parem cum eo à Deo acceperit gratiam excitantem ad credendum? Respondeo. Credens sua libera voluntate, non per vires naturæ, vti voluit Pelagius, sed per vires gratiæ se discernit à non credente: in ipsius enim arbitrio erat gratiæ assentiri, vel non assentiri, ac consequenter credere, vel non credere. cùm ergo credit, liberè credit, liberè gratiæ Dei assentitur, liberè se à credente discernit.

Acceptæ gratia credens sua libera voluntate se determinat ad credendum.

Dices: Ergo in eo quòd se discernit, gloriari potest.

Respondeo, non ita posse gloriari, quin præcipuum, imò totum tribuat Deo, & in eo glorietur, cuius gratia se discernit. Ratio est, quia neque actum illum quo se discernit, neque gratiæ amplexum, qui non distinguitur à consensu, neque vllum omnino conatum, motum aut nutum in illum actum fecit, aut facere potuit aut voluit virtute naturali, sed tantùm viribus gratiæ. Nam in eo actu ne minima quidem est ratio formalis, quæ solis liberi arbitrij viribus sit effecta. Totū enim illud opus secundùm substantiam suam, & omnes modos reales est à gratia, & totum à libero arbitrio: sicut quodque opus totum à Deo est, vt causa prima, & totum à causa secunda: sed à gratia habet, quòd sit supernaturale, meritorium, omnemque suam dignitatem; à libero arbitrio tantùm habet, quòd sit opus liberum. Sic ergo quia ipse actus, & cooperatio liberi arbitrij est à gratia excitante, & cooperante; hinc non magis gloriari potest in sua cooperatione & electione homo, quàm pauper cui offeruntur centum aurei, gloriari potest se eos acceptasse. Et hoc tantùm vult Apostolus, scilicet neminem in aliquo ita gloriari posse, quasi suum sit, & à Deo ipsum non acceperit. Alioqui enim omnis virtus, & virtuosus per se laude & gloria est dignus; sed laus hæc vltimò, vti & virtus, Deo est danda: viribus enim non naturæ, non suis, sed gratiæ, id est viribus Dei, se discernit & conuertit, quicumque se conuertit & discernit.

Nullū motum, conatum, nutū in actum supernaturalem fidei, potest homo facere viribus naturæ.

Actus fidei à gratia habet, quòd sit supernaturalis & meritorius; à libero arbitrio, quòd sit liber.

Omnis virtus & virtuosus, laude & gloria est dignus.

Nec aliud velle Apostolum patet, quia, vt dixi, loquitur ad literam de discretione in sapientia, eloquentia, & aliis donis naturalibus, quæ clarum est hominem posse suo labore, industria ac studio parare, vt in iis excellat, ac se ab aliis minùs doctis secernat; ac consequenter posse illa suo labori & studio tribuere, in eoque gloriari, sed modestè. Tantùm ergo gloriationem illam excludit Apostolus, quæ ex superbia & aliorum contemptu oritur; si videlicet ita superbè glorieris, quasi hæc

Gloriatio ea tantùm qua ex superbia, & aliorũ contemptu oritur, hic exaluditur.

hæc dona de quibus gloriaris, à te habeas, nec à Deo acceperis, vtin Deũm quasi primum auctorem illa non refundas: hoc enim est, quod se explicans disertè subdit Apostolus, dum ait: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergo si eamdem hanc Apostoli sententiam (*Quis te discernit?*) accommodes gratiæ, ac rebus supernaturalibus: tantùm excludet illa ex vsu & mente Pauli secretionem & gloriationem similem, scilicet ortam ex superbia, qua alios contemnas, omnia tibi tribuas, nec vltimatè in primum fontem Deum, Deiq́ue gratiam referas. hoc autem non facis, si dicas te viribus ac robore gratiæ liberè teipsum discernere & secernere à peccatoribus, volentibus in peccato remanere: tunc enim primam & vltimam laudem & gloriam das Deo, & gratiæ Dei; etsi liberum arbitrium suam quoque laudem & gloriam habeat, sed à gratia & à Deo acceptam.

Ex dictis sequitur, eum qui conuertitur, ab eo qui non conuertitur discerni, & conuerti tum per gratiam, tum per liberum arbitrium: licet enim gratiam præuenientem, cum alio sæpè physicè æqualem tantùm habeat, tamen insuper habet gratiam cooperantem, quam non habet ille qui non vult conuerti: cum ea enim liberè se discernit, & conuertitur. Rursum gratia eius præueniens, præuisa est hîc & nunc in eo fore efficax; & cùm hoc præuideret Deus, illam illi destinauit, cum qua sciebat certissimò illum cooperaturum & conuertendum: talem autem non dedit alteri, qui non conuertitur. hoc autem in genere moris æstimandum est, vtpote quo reipsa conuertimur & saluamur. Est enim hæc gratia efficax propria prædestinatorum & electorum, si nimirum in finem vsque vitæ efficax perseueret. ita S. Augustin. Vnde patet non tam liberum arbitrium, quàm gratiam discernere iustum à non iusto: quia gratia operatur conuersionem & iustificationem in iusto, qui non impedit efficaciam & operationem gratiæ, sed illi consentit & cooperatur. Id autem gratia non operatur in non iusto: quia is ponit obicem & impedimentum gratiæ in eo, quòd illi consentire & cooperari renuit; itaque fit vt gratia in ipso sit inefficax & cassa. Quocirca sapienter monet S. Ephrem tract. in illud, *Attende tibi*, c. 10. *Charitatem*, ait, *cum omnibus habe, & ab omnibus abstine.* Hæc enim duo, beneficentia & continentia, summa sanctitatis sunt indicia, quæ homines, quantumuis barbaros emolliunt, sibiq́ue deuinciunt.

VERS. 8. IAM SATVRATI ESTIS] oppleti scilicet sapientia, gratia, & donis Spiritus sancti, quibus vos iactatis non tam Corinthij, quàm magistri, quasi nil discendum vobis restet in christianismo, sed quasi doctores sitis perfecti: cùm vix sitis discipuli veræ & perfectæ sapientiæ. Est ironia. ita Chrysost. Theophylact. Anselm. *Paucis saturari*, ait Chrysost. *imbecillis est anima, & parua accessione putare se ditescere, nauseabunda est & misera: siquidem pietas insatiabilis est.*

Ironia Apostolus vtitur ad Corinthios.

Quatuor superbiæ species in magistris Corinthiorum.

Notat S. Thomas Paulum hîc in Corinthiis, vel potiùs eorum magistris, tangere quatuor superbiæ species. Prima est, cùm quis bonum quod habet, id se non à Deo, sed à seipso habere putat: hanc tangit cùm ait: *Quid gloriaris quasi non acceperis?* quibus verbis etiam tangit Secundam, quæ est, cùm quis bonũ, quod habet, suis meritis asscribit. Tertia est, cùm quis iactat se habere quod non habet; hanc tangit, cùm ait, *Iam saturati, iam ditati estis.* Quarta est, cùm quis alios despectui, sibiq́ue haberi singularis: hanc tangit, cùm ait, *Sine nobis regnatis.*

SINE NOBIS REGNATIS, sine nostro auxilio omnibus Dei bonis excellere & triumphare vos putatis, ô Corinthij, & magis vos, ô magistri, quàm discipulos quasi comparato regno, summa dignitatem vobis vendicatis, nobis exclusis. ET VTINAM REGNETIS, VT ET NOS VOBISCVM REGNEMVS] quasi sequaces & æmuli vestri, aut potiùs quasi patres vestri; hoc enim reuera sumus. ita Theophyl. Ansel. & Chrysost. q.d. Non recuso socium regno Christi, id est, in regenda Ecclesia, modò regant vt oportet, hoc est, saluti fidelium incumbant.

PVTO QVOD DEVS NOS APOSTOLOS NOVISSIMOS OSTENDIT, TAMQVAM MORTI DESTINATOS] Opponit se & sinceros Apostolos vanis magistris, suamq́ue gloriam & commoda quærentibus, q.d. Dixi, Vtinam nos Apostoli vobiscum regnemus: adeò enim nos non regnamus, non triumphamus, vt putem, quòd nouissimos, id est, postremos & abiectissimos, *ostendit*, id est exhibuit, nos Deus, quasi sontes morti destinatos.

Secundò, & simpliciùs. *Deus nos Apostolos nouissimos*, id est, qui sumus nouissimi, quos scilicet vltimos vltimis hisce temporibus misit in mundum, *ostendit*, græcè ἀπέδειξεν, id est designauit, ἐπιθανατίους, tamquam homines morti destinatos & addictos, v.g. damnatos ad bestias. vnde Tertull. legit, *velut bestiarios.* q.d. Deus designauit & destinauit nos non regno & triumphis, sed morti, persecutioni & martyrio.

Nota. Apostolos *nouissimos* vocat, respectu priorum, scilicet Isaiæ, Ieremiæ, & aliorum Prophetarum, quos Deus quasi Apostolos misit ad Iudæos, Isaiæ 6. 9 & alibi; & maximè se vocat nouissimum, quia post cæteros Apostolos à Christo in terris viuente vocatos & missos, ipse à Christo regnante iam in cælis, vocatus est ad apostolatum.

Rursum, *ostendit* id est Primò, designauit; Secundò, effecit exhibuit, &, vt Syrus, *constituit.* Sic *ostendere* in Scriptura significat sæpè exhibere, & facere, vt psal. 59 5. *Ostendisti populo tuo dura*, psal. 70. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes? ostendisti*, id est immisisti, exhibuisti. Tertiò *ostendit*, id est in ostentum & exemplum aliorum proposuit. Vnde sequitur,

SPECTACVLVM FACTI SVMVS MVNDO, ET ANGELIS, ET HOMINIBVS] *Spectaculum*, græcè θέατρον. vnde S. Hieron. in Epitaphio Paulæ legit: *Theatrum facti sumus*, q.d Facti sumus vt damnati, qui in theatro morituri, vel cum bestiis pugnaturi ab omnibus spectantur. Videtur alludere ad bestiarios, qui Romæ & alibi inclusi caueis, spectanti populo bestiis obiiciebantur. q.d. Mundus spectare nos gestit, quasi stultos, magos, aut nouitium circumforaneos, vel potiùs vt homines ad bestias damnatos.

Nota. *Mundo*, id est angelis & hominibus. hi enim soli in mundo nos spectant. Vnde angeli & homines carent Græco articulo, quem habet mundus: τῷ κόσμῳ, καὶ ἀγγέλοις, καὶ ἀνθρώποις. Angelis bonis spectaculum facti sumus compassionis, & pariter dignæ admirationis ac venerationis; malis autem odij & gaudij (gaudent enim mali angeli & homines de nostra contumelia, afflictione & morte) sed & pariter cõfusionis & terroris horribilis

boni-

bris spectaculum sumus & exemplum fortitudinis, fidei, innocentiæ, patientiæ, mansuetudinis, conuersationis & sanctæ conuersationis, ait Titelm.

Melius vide de theatro huius vitæ, in quo coram Deo omnia agimus, Chrysost. in morali homil. 12. Sic Augustus moriturus, ait Sueton. ad amicos vltantes: Satisne, inquit, commodè personam nostram hæc scena, hoc theatro egimus? Commodè, responderunt amici; tum ille: Valete & plaudite, & reductis cortinis animam efflauit. Melius & aptius Edmundus Campianus nobilis Angliæ Martyr, verè Campianus, verè pugil & athleta Christi, iam martyrio afficiendus in theatro hoc vltimum concionis suæ thema proclamauit: Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Tale enim theatrum & spectaculum hic ad literam intelligit Apostolus. *Nullum theatrum virtute & conscientia* (ac præsertim apud Christianos martyrio) *maius est*, inquit Cicero quæst. 2. Tuscul. A B

Apte quoque & piè magna illa Paula, vt refert Hieron. in eius epitaphio, cuidam susurroni suggerenti, quòd præ nimio feruore virtutum quibusdam videretur insana, & cerebrum illius diceret confouendum, respondit; *Theatrum seu spectaculum facti sumus Deo, & angelis, & hominibus. &, Nos stulti propter Christum; sed stultum Dei, sapientius est hominibus. Vnde & Saluator loquitur ad Paulum: Da veniam stultitiæ meæ, da insipientiam meam. Et iterum: Tamquam prodigum factus sum multis, & tu adiutor fortis. Vt monstrum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Denique S. Chrysost. hom. 17. in epist. ad Roman. hinc docet, nos fugere debere ophthalmodulian, id est, oculorum humanorum seruitutem, vt in oculos Dei oculos nostros coniiciamus, & in illius conspectu theatroque perpetuò versemur. Deo, inquit, sunt theatra: alterum amplissimum, vbi Rex regum, hoc est Deus, nobilissimis angelis suis, ad spectandum sedet: alterum angustissimum, vbi æthiopes pauci, rerum ignari stant, id est homines. Magna igitur insania est, amplissimum Dei angelorumque theatrum repudiare; in paucorum verò æthiopum theatro versari, illorumque oculis magno labore inseruire: cùm habeas in cælis theatrum constitutum, cur in terra spectatores tibi colligis? Paulò aliter, appositè tamen ad mores, hæc verba tractat S. Bernard. serm. 32. inter paruos: *Spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Ita planè, & malis & bonis pariter. Illos enim sollicitat inuidiæ passio, istos compassio misericordiæ, vt in nos incessanter intendant: illi quidem defectum nostrum, isti profectum desiderantes. Nimirum in probatione sumus, inter paradisum & infernum interuedij, velut inter claustrum & saeculum constituti. Diligenter consideratur vtrimque quid agitur vtrimque dicitur, O si ad nos transeat! intentione quidem dissimili, sed non dispari forsitan voluntate. Quid sibi omnium oculi in nos, nostri quò abierunt, aut quare soli recesserunt à nobis?* Et mox: *Exurgamus aliquando fratres, nec in vano accipiamus animas nostras, pro quibus alij tanto zelo, vel in bonum vigilant, vel in malum.* C D

NOS STVLTI PROPTER CHRISTVM, VOS AVTEM PRVDENTES IN CHRISTO] Pergit in ironia v. octaui, q.d. Nos stulti reputamur propter Christum crucifixum, quem prædicamus, & cuius causa temere videmur nos obiicere tot periculis: hoc enim Gentibus videtur stultitia. Vos autem videmini vobis ipsis esse prudentes in Euangelio Christi, ob eloquentiam & Philosophiam, quæ illi miscetis, & quia sic prædicatis Christum, vt cautè caueatis, ne quid periculi eius causa incurratis: hinc

NOS INFIRMI] quia multa grauia & aduersa, putà famem, sitim, nuditatem, labores, calumnias, maledicta, persecutiones, vt sequitur v. 11. sufferimus, nec resistimus: quod infirmitatis videtur.

VOS FORTES, & validi; quia vestra sæculari eloquentia, sapientia, amicitia, mala & aduersa quæ occurrunt, facilè auertitis. hinc VOS NOBILES, id est gloriosi: NOS IGNOBILES] inglorij, inhonorati, ignominiosi. Modestè, sed acriter, suo vtpote magistri exemplo docet, non in gloria, opibus, sapientia, eloquentia, hominum fauore, sed contumelia, gloriæ contemptu, Christique cruce gloriandum esse Christiano, præsertim doctori & prædicatori. ita Chrysost. Itaque ruborem iniicit & ipsis magistris delicatis, vanis & mollibus, & Corinthiis, qui tales potiùs sectarentur, quàm Christi Apostolos, qui labores, opes, famam, & vitam pro ipsis profundebāt. Sic Isaias in persona tum sua & Prophetarum, tum Pauli & Apostolorum c. 8. 18. ait: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in portentum Israel.* Et, vt habent Annales Minorum, S. Franciscus dicebat se esse fatuellum Christi in mundo, ad hoc à Christo ipso delectum.

In cruce Christi gloriandū est Christiano.

VSQVE IN HANC HORAM ET ESVRIMVS, ET SITIMVS, ET NVDI SVMVS, ET COLAPHIS CÆDIMVR, ET INSTABILES SVMVS] Pro *instabiles sumus*, græcè est, ἀστατοῦμεν, certam sedem non habemus incertis sedibus erramus & vagamur. ita Syrus, Chrysost. & alij. Nota hic insignem descriptionem vitæ Apostolicæ. similis est c. 11. v. 23. epist 2. quam sibi præfigere debent & æmulari, qui ad eamdem vocantur; vti faciunt magno zelo viri Apostolici in Anglia, Hollandia, India, Iaponia. VERS. 11.

Insignis descriptio vitæ Apostolicæ.

Præclarè S. Chrysost. hom. 52. in Acta Apost. exponens verba illa S. Pauli Actorum 26. *Opto omnes, qui audiunt, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his. Talis*, inquit, *est anima cælesti amore sublimis, vt pro ingenti ducat gloria, vinctum esse pro Christo. Sicut enim procus non spectat nisi amasiam, & amasia sit ei omnia: sic qui igne Christi captus fuerit, talis sit, qualis esset homo solus super terram habitans, qui nihil curat gloriam & ignominiam. Tentationes enim sic contemnit ac flagella & carceres, quasi in alieno corpore pateretur, quemadmodum si adamantinum posideret corpus. Ea autem quæ suauia sunt in hac vita, ita ridet, & non sentit sicut nos, vel ipsi mortui corpora mortua: tantum autem abest ne ab affectione quadam capiatur, quantum aurum, quod igne probatur, à macula abscedit. Hæc omnia operatur amor hominis ad Deum, si ingens fuerit.* Nos autem hæc non capimus, quia frigidi sumus, & cælestis huius philosophiæ imperiti. Vidit hoc, sed eminus, & per vmbram Diogenes Philosophus, qui interrogatus, quinam essent hominum nobilissimi? respondit, *Contemptores opum, gloriæ, voluptatis, & vitæ; contrariis autem, putà paupertate, obscuritate, fame, labore ac morte superiores.* testis est Laërtius & alij in eius vita. Vidit hoc Diogenes, sed præstare non potuit: fuit enim & ipse vanitatis & gloriæ mancipium.

Amor Dei magnus quanta operetur in homine.

Diogenis γνώμη.

MALEDICIMVR, ET BENEDICIMVS] q.d. Infideles & Iudæi nos subsannant, nobisque malè precantur, dicendo; Mactentur, pereant, eant in malam crucem isti noui Dei crucifixi præcones: at nos iis bene precamur, vt Deus iis suam lucem, gratiam VERS. 12.

tiam & salutem impertiatur. S. Basil. in regul. breuior. reg. 226. notat, hîc vlteriùs per *maledicere* & *benedicere* significari malefacere & benefacere: *Nimirum*, inquit, *monemur, vt patientia vtamur aduersus omnes, & vt eos qui iniquè nos insectantur, benignè factis remuneremur: vt videlicet hoc non aduersus maledictis tantùm seruemus. sed aduersus quemcumque, qui maleuolentiam suam aduersum nos exerceat, & dicto illi pareamus: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

VERS. 13. BLASPHEMAMVR] probris afficimur, vocamur magi & malefici. *Blasphemare* ergo est maledicere, conuiciari. Sic ad Titum 3. v. 2. *Neminem blasphemare*, id est conuiciari.

ET OBSECRAMVS] mansuetè eos compellamus more obsecrantium. ita Græci: vel Deum pro iis obsecramus. ita Caietan. sed prius melius respondet Græco παρακαλοῦμεν. Aliter S. Basil. reg. 226. paulò antè citata, vbi παρακαλοῦμεν more communi vertit *consolamur*, id est inquit, explemus animos eorum in veritatis perceptione. Sic sumitur consolari Rom. 1. *Vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritalis ad confirmandos vos: id est simul consolari in vobis, per eam quæ inuicem est, fidem vestram atque meam.*

TAMQVAM PVRGAMENTA HVIVS MVNDI FACTI SVMVS] *Purgamenta* vocat fæces, excrementa, sordes, inquit Theophyl. & Theodoret. vnde Syrus vertit נְפָתָא *nephata*, id est, tamquã stercus mundi facti sumus. idque non semel, sed semper, vsque ad hanc horam. ita Theophyl. Græcè est ὡς περικαθάρματα. q. d. Tamquam sordes vndique euerrendo collectæ facti sumus: hoc enim notat περί, q. d. Habemur contemptissimi, abiectissimi, indigni hominum consortio, mundo euciendi & exterminandi.

Alludit Paulus ad Ieremiam, qui Thren. 3. 45. ait: *Eradicationem & abiectionem posuisti me in medio populorum.* vbi hebr. est סְחִי וּמָאוֹס *sechi vmaos*, id est abrasionem siue rasuram, & reprobationem siue sordes. quæ reprobantur & eiciuntur, feciſti me: quod Paulus clarè expressit, dum *sechi* siue abrasionem, vertit *purgamenta*; *maos* siue reprobatam scobem & sordes vocat *peripsema*. Ieremias enim à Iudæis incarceratus, abrasus & reprobatus, adeoque damnatus ad mortem, fuit typus Pauli & Apostolorum, qui à Iudæis & Gentibus incarcerati, abrasi, reiecti & tandem occisi fuerunt.

Secundò. Gagneius & alij legunt per diastolen ὥσπερ καθάρματα, quasi piacula, aut piaculares hostiæ. vnde Ambros. in psal. 118 serm. 8. legit: *Facti sumus lustramenta mundi.* Vbi Nota. καθάρματα, vel anathemata Gentilibus erant scelesti & exitiales homines qui famis, tempestatis, alteriusue publicæ calamitatis sedandæ causa immolabantur: quales se fecerunt Decij deuouentes se pro patria, & Curtius qui ad luem communem sedandam. & numen placandum hostiam pro salute patriæ se deuouit, atque armatus Romæ in terræ hiatum insiliit. Sic Seruius in illud Æneid 3. *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames!* notat famem dici sacram ex more Gallorum. Cùm enim Massilienses peste laborarent, vnus è pauperibus se offerebat alendum anno integro publicis & purioribus cibis, postea verbenis vestibusque sacris ornatus circumducebatur per vrbem, cum execrationibus, vt in eum inciderent omnia mala ciuitatis; sicque mactabatur, vel in aquas proiiciebatur. Vnde Budæus ex Suida & aliis: καθάρματα, ait, erant homines sacri, quos quasi onustos omnes ciuitatis sceleribus in mare proiiciebant, & Neptuno sacrificabant, addentes hæc verba: περίψημα ἡμῶν γένοῦ, Esto nostrum peripsema, id est, nostra piacularis victima. Tale piaculum fuit apud Hebræos, caper emissarius, Leuit. 16. v. 21. Sed vt dixi. Noster & Græca passim legunt περικαθάρματα, id est purgamenta. vnde prior sensus verior & simplicior est: agit enim Paulus de sui & suorum contemptu, quòd quasi sordes, & res viliſſimæ omnium linguis & pedibus calcarentur. Vnde sequitur,

Quid sit καθάρμα vel anathema.

Massilienses peste tempore pauperem immolabat omnibus mensibus ciuitatis onustum.

OMNIVM PERIPSEMA VSQVE ADHVC] Peripsema est abiecta scobs, ramenta, resque viliſſimæ, quæ abiiciuntur, & calcantur ab omnibus. ita Chrysost. Theophyl. Ansel. περιψᾶν enim abstergere, limare, radere significat. Oecumen. per *peripsema* intelligit vilem panniculum, vel strophiolum, quo sudores absterguntur. Secundò, alij ex Budæo, vt dixi *peripsema* vertunt piacularis hostia. vnde & Syrus transtulit, כּוֹפְרָא דְכָל נָשָׁא *cuphara de cullenas*, id est, piaculum omnium.

NON VT CONFVNDAM VOS HAEC SCRIBO. (vt scilicet vobis hæc exprobrem.) NAM IN CHRISTO IESV PER EVANGELIVM EGO VOS GENVI] ac per consequens, ego solus vobis sum pater spiritualis; cæteri verò doctores vobis tantùm sunt instar pædagogi, qui puerum à patre genitum formant & instruunt. Subindicat Paulus reuera Corinthios pudendum fuisse, quòd postpositis Apostolis, qui ipsos ad Christum conuerterant, quique ipsorum causa tanta patiebantur, sectarentur gloriosulos quosdã magistros, eorumq; discipuli dici vellent.

QVI VOS COMMONEFACIET VIAS MEAS] mearum scilicet doctrinam, & vitam Christianam, inquit S. Thomas & Anselm.

IN CHRISTO] in Christi religione, in christianismo. vide can. 37.

COGNOSCAM NON SERMONEM (facundiã) REGNVM, SED VIRTVTEM] Græcè δύναμιν, id est energiam.

NON ENIM IN SERMONE EST REGNVM DEI, SED IN VIRTVTE] id est virtus, energia spiritus & perfectio Christiana, & maximè Apostolica, qua Deus regnat, & Euangelij, suæque gratiæ & spiritus efficaciam ostendit in nobis & in Ecclesia, non est sita in eloquentia, sed in potenti operatione Spiritus sancti; scilicet in efficacia sermonis, potestate miraculorum, expulsione dæmonum & potiùs, inquit Theophyl. & Caietan. in tolerantia & vita Apostolica (quam descripsit v. 9. 10. 11.) morum conuersione, & sanctimonia. Sic & Chrysost. & Anselm. nam S. Ioannes Baptista nullum fecit miraculum, & tamen regnum Dei prædicare cœpit in virtute sanctæ vitæ, spiritu & efficacia sermonis & prædicationis. Simile est ad Romanos 14. 17. *Regnum Dei non est esca & potus.*

QVID VVLTIS? IN VIRGA VENIAM AD VOS?] quæ me quasi patrem vestrum, vt dixi v. 15. decet. *Virga*, inquam, id est seueritate correptionis, & potestate puniendi, ita Chrysost. Theoph. Ansel.

Nota hîc potestatem puniendi in Ecclesia, & Prælatis Ecclesiæ, quam cap. sequ. exercet Paulus. Oecumen. & Caiet. hæc Apostoli verba referunt ad caput sequens, in quo acriter obiurgat Corinthios, ob incestum fornicarij. Rectè tamen hæc verba aptari possunt præcedentibus, in quibus taxauit inflationem Corinthiorum.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Apostolus à schismate Corinthiorum, ad scandalum incestus; itaq; Corinthios reprehendit, quòd in incestu publicè viuentem tolerarent: quare ipse eumdem iubet excommunicatum tradi Satanæ.

Secundò, v. 6. mandat vt hoc & quodlibet aliud peccati fermentum expurgent, quò puri pascha pœnæ celebrent, & iugiter epulentur in azymis sinceritatis & veritatis.

Tertiò, imperat eis, v. 9. ne commisceantur Christianis palàm criminosis: nam quod ad infideles & Ethnicos attinet, asserit eos non subesse suo & Ecclesiæ iudicio.

1. OMnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. 2. Et vos inflati estis: non magis luctum habuistis vt tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit. 3. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est, 4. in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu 5. tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. 6. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 7. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. 8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis. 9. Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicarijs. 10. Non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exijsse. 11. Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere. 12. Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? Nónne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? 13. Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobismetipsis.

OMNINO, non vago rumore, sed certa fama & iudicio, AVDITVR INTER VOS TALIS FORNICATIO, QVALIS NEC INTER GENTES, ITA VT VXOREM PATRIS SVI, id est nouercam, ALIQVIS HABEAT scilicet sibi concubinam. Nota, Gentes, non barbaras, sed ciuiles & honestas, ex dictamine & pudore naturali, auersatas esse congressum priuigni cum nouerca. Vnde Poëtæ laudant Hippolytum, qui maluit patris Thesei iram incurrere, quàm Phædræ nouercali libidini parêre: sollicitatus enim à Phædra, cùm renuisset facinus, accusatus ab ea falsò, quòd se sollicitasset, apud patrem, ab eo quatuor equis discerptus fuit. Extat tamen apud Valer. Max. libr. 5. c. de parentum amore in liberos, huius copulæ exemplum in Seleuco rege, qui Antiocho filio Stratonicem vxorem suam tradidit, cùm Antiochus amore illius ægrotaret ad mortem, idque ex medico cognouisset Seleucus.

Notat Secundò, Theodor. in præfatione epist. & Chrysost. hic hunc fornicarium fuisse insignem, potentem, & ducem factionis & schismatis inter Corinthios. Vnde & ex schismate c. præced. statim ad eum transit hoc cap. 5.

Quæritur, an hic fornicarius, vel potiùs incestuosus, vxorem patris viuentis, an mortui acceperit? Respondent aliqui, mortui: sed videtur potiùs viuentis patris fuisse vxor: hæc enim proprie dicitur vxor patris. Et quia v. 12. c. 7. epist. 2. ait: *Hæc scripsi non propter eum, qui fecit iniuriam, nec eum qui passus est*, scilicet pater. Ergo viuebat adhuc pater. ita Anselm. & alij. Erat ergo hic incestus simul, & adulterium, in quo contumaciter hic homo permanebat; sine contumacia enim non potuisset excommunicari. A

ET VOS INFLATI ESTIS] q.d. Et vos interim in vestris superbis contentionibus occupamini, & negligitis correctionem huius incestus, nec curatis vt reus tollatur, id est expellatur, è cœtu vestro, & excommunicetur, ita Chrysost. Theophyl. Anselm. Discite hîc quanta cura satagere debeant non tantùm Prælati, sed etiam fideles quique, vt scandala & scandalosi de Ecclesia tollantur. VERS. 2.

EGO QVIDEM ABSENS CORPORE, PRAESENS AVTEM SPIRITV, (vti Pastorem & Episcopum Ecclesiæ suæ cura sua & vigilantia præsentem semper esse oportet, etiamsi corpore ab ea sit absens) IAM IVDICAVI, id est, statui, & de facto hisce verbis statuo, iudico, & impero eum excommunicari, & tradi Satanæ, idque IN NOMINE CHRISTI] id est, auctoritate & vice Christi, qua fungor, dum impero & iudico. B VERS. 3. & 4. *Excommunicatur à Paulo fornicarius.*

Chrysost. verò *τὸ in nomine Christi*, refert ad id quod sequitur, *congregatis vobis*, q.d. Nomine Christi vos congregante, pro quo conuenistis. Vult enim Paulus, vt congregatis omnibus, siue in publica Corinthiorum congregatione & Ecclesia excõmunicetur hic fornicarius. Potest Certiò, *τὸ in nomine Domini nostri Iesu Christi*, referri ad *tradere Satanæ*. Quia traditio hæc & executio sententiæ fit virtute, nomine & vice Christi.

CONGREGATIS VOBIS ET MEO SPIRITV CVM VIRTVTE DOMINI NOSTRI IESV, TRADERE HVIVSMODI SATANAE]q.d. Iudico & iubeo, vt dum vos, ô Corinthij, in Ecclesia estis congregati, quibus *meo spiritu*, VERS. 4. & 5.

ritu, hoc est animo, affectu & auctoritate sum præsens cum potestate & virtute Christi mihi data, excommunicetur, & tradatur incestuosus Satanæ, qui extra Ecclesiam regnat, ibique excommunicatos solet in anima, & etiam in corpore hoc tempore affligere. Hinc patet, hoc non dici à Paulo, quasi in Ecclesia, id est tota congregatione, & plebe ac laicis sit potestas excommunicandi, non autem in Prælatis, vt volunt hæretici. contrarium enim dicit: *Ego*, inquit, *iudicaui*; sed tantùm, quòd velit Apostolus publicè excõmunicationem fieri per præpositum Ecclesiæ, ad terrorem aliorum. Vnde non dicit: Vt vos congregati tradatis eum; sed, *congregatis vobis*, id est, in congregatione & Ecclesia vestra, iudicaui tradere eum Satanæ, scilicet per illum, cuius est tradere, putà qui nomine Christi vice mea præest Ecclesiæ vestræ. Sic enim in omni rep. iudicium facit respublica, non voce populari, sed per suos iudices & magistratus.

Non est plebi & laicis potestas excommunicandi.

Adde, hac phrasi vti Apostolũ, vt significet hanc potestatem & spiritum Ecclesiæ esse datum, & sic ac Prælatos nomine Ecclesiæ illa potestate fungi, eamque exercere: hoc sensu, non quòd tota Ecclesia immediatè eam à Christo acceperit, sed quòd Christus hanc potestatem dederit Paulo & Prælatis non propter se, sed ad bonum Ecclesiæ, vt quia Ecclesia tota non potest eam exercere (sic enim in ea esset magna confusio, si singuli deberent rogari & dicere sententiam) eam saltem exerceat per sua capita, & rectores. Denique, quia res odiosa est excommunicatio, vult Paulus eam ex communi Ecclesiæ consensu & spiritu fieri, vt sic omnes sibi conciliet, ne quis fornicarium virum potentem tueatur, & Paulum nimiæ seueritatis accuset. Vnde sponte sua defert illis tacitè quasi iudicium, & ex modestia Corinthios sibi adsciscit, quasi iudices, id est, approbatores & executores sententiæ à se latæ, vt fornicarium hunc publicè excommunicent per Ecclesiæ propositum. Sic enim solent modesti principes, & duces exercitus in causa ardua & periculosa, si primarius aliquis miles plectendus sit, ne exercitum exacerbent, primariorum militum sententiam exquirere, imò illis quasi iudicium deferre. ita Chrysost. Ambros. Theophyl. Anselm.

Quare Paulus Corinthios sibi adsciscat quasi iudices ad excõmunicandũ fornicariũ.

CVM VIRTVTE DOMINI NOSTRI IESV] Refer ad *tradere*, vel potiùs cum Ambrosio ad *Congregatis vobis & meo spiritu*. q.d. In hac actione, putà excommunicatione, Christi spiritus vobis adest, & maximè meo spiritui adest. Christus enim Ecclesiæ suam virtutem & potestatem communicauit, vt Ecclesia per suos rectores & Prælatos posset contumaces excommunicare, & tradere Satanæ.

VERS. 5. TRADERE SATANAE] Putat Theophyl. his verbis Paulum actu excommunicare fornicarium; sed verius est, tantùm ijs iubere Paulum, vt excommunicetur à Prælatis in ipsa Corinthiorum Ecclesia. ita Syrus. Hoc emm est, *Iudicaui tradere*, id est, vt tradatur: alioqui dixisset, Trado. Hoc etiam significat *tò congregatis vobis*, q.d. In vestra congregatione & Ecclesia tradatur Satanæ.

Vbi Nota, veteres hunc locum accipere de excommunicatione & potestate excommunicandi, quæ est in Prælatis Ecclesiæ. ita Chrysost. Anselm. Auguſt. &c. quos vide apud Baron. anno Christi 57. pag. 448.

Quare excommunicati

Nota Secundò. Excommunicati dicuntur *tradi Satanæ*, quia electi extra societatem Christi & Ecclesiæ, eiusque bonis priuati, scilicet orationibus, suffragijs, sacrificijs, Sacramentis Dei præcipue cura pastorali; tyrannidi & incursibus diaboli, cuius regnum est extra Ecclesiam, ita exponuntur, vt in eos magis quàm antè grassetur, & in omne malum impellat. ita Ambros. Auguſt. l. 3. contra epist. Parmen. c. 2. Hieron. epist. 1. ad Heliodor. Item apud S. Auguſt. epist. 51.

IN INTERITVM CARNIS] vt ægritudine corporis, vulneribus, aut plagis ipsum maceret diabolus, vt caro eius atteratur, carnisque vigor intereat, vt ita humiliatus resipiscat. ita Theodor. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Anselm.

Secundò. Ambros. & Anselm. hîc, & S. Aug. loco paulò antè citato sic explicant. q.d. *In interitum carnis*, id est, vt carnalis voluptas in eo intereat, per hanc confusionem & pudorem; hac de causa tradendo eum Satanæ. Verùm quia pudor hic dicet cohibere hominem ab actu externo, si periculum sit, quòd is in vulgus erumpet, non tamẽ internam carnis concupiscentiam interimit: hinc prior plurium Patrum sensus est verior & aptior.

Ex quibus Patribus colligitur, excommunicatos olim dæmoni traditos (vt discerent excommunicationem timere,) etiam ab eo corporaliter (quod aliqui hîc negant) fuisse diuexatos, & quasi possessos. Id enim disertè docet Theodor. tum hîc, tum 1. Timoth. 1. v. 20. & ibidem Ambros. dicit hanc esse maiorum traditionem, idque propriè significat hic interitus carnis. hoc etiam illa phrasis innuit, qua excommunicati dicuntur possideri à diabolo, vt habetur c. *Audi*, & c. *Omnis*, 11. qu. 3. Hæc enim phrasis ex illa corporali vexatione, quam in primitiua Ecclesia dæmon in excommunicatos exercebat, manasse videtur. Exempla crebra sunt in vitis Patrum, ac nominatim in vita S. Ambrosij scripta per Paulinum. Cùm enim Ambrosius quendam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens, discerpere cœpit. Et hac de causa Matth. 10. dedit Christus Apostolis potestatem spirituum immundorum, scilicet tum ad eos expellendum, tum ad eos immittendum, ad vexationem corporis, ait D. Thom. Denique excommunicatos traditos ab Ecclesia Satanæ, possessos, vexatos fuisse à dæmone multis exemplis docet Delrio de Magia lib. 3. p. 1. qu. 7. Petr. Thyræus de Dæmon. p. 2. cap. 30. Serarius in Tobiam cap. 6. quæst. 10.

VT SPIRITVS SALVVS SIT IN DIE DOMINI] q.d. Vt anima & mens hac pœna resipiscens & rectificata, salua sit in die iudicij. Hinc patet, finem excommunicationis eò ferri debere, vt pudorem & affectionem excommunicato injiciat, quo humiliatus, vt recipi oret, veniamque roget Ecclesiam & Deum, vtque fideles pro eo secretò orent, & curent vt fructus sibi vniatur.

NON EST BONA GLORIATIO VESTRA] iactantia vestra, qua vos iactatis de sapientia sæculari, quaque dicitis; Ego sum Pauli, ego Apollo, mala est & intempestiua: cùm potiùs oculos & animos demittere deberetis, eò quòd tantum scelus inter vos sustineatis. ita Anselm. Addit ex Chrysost. Theophyl. *Obscurè*, inquit, *& clanculum subindicat, quòd ipsi Corinthij non permiserint hunc fornicarium resipiscere, gloriantes eius nomine; erat enim vnus ex ipsorum sapientibus.*

MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT?] Græcè ζυμοῖ, id est, fermentat, putà-

tur

massæ conspersæ massam sapore & acore suo A
vertit. Vide Tertul. vertit, *desipit*, id est, desipidam
facit. Est ergo sensus Pauli, q.d. Hæc vnius formi-
cationis omnes vos quasi fermentum peruadit
& depravat. Primò, vt propter vnum ira Dei in
vos omnes, totamque Ecclesiam, quæ illam tole-
rabiliorem, sanire possit. ita Ambros. & Anselm.
Secundò ne vnius hoc exemplum, si inultum ma-
neat, alios sequantur, & scandalum hoc alios infi-
cit. Ita Chrysost. q.d. Agite ergo, scandalum hoc
tollite, & separate ab Ecclesia per excommunica-
tionem.

EXPURGATE VETVS FERMENTVM] putidum istum
fermentum e cœtu vestro, ne eum totum quasi
fermentum inficiat, ejicite. Ergo non soli prædes-
tinati aut peccatores occulti, sed & publici (qua-
lis hic fornicarius) sunt in Ecclesia, donec ex-
communicentur. ita Chrysost. & Anselm. qui Se- B
cundò ipsè, generalius etiam accipiunt fermen-
tum pro fornicatione, eiusque dissimulatione, &
quam malum ac vitio, quod pari ratione iubet A-
pollos ex anima cuiusque & tota Ecclesia au-
ferri. Vers. & seq. & 11. q.d. Expurgate, & ejicite à
vobis hoc fornicationis, & quoduis aliud peccati
aternum fermentum: propriè tamen & directè re-
pete Apostolus (vt iam dixi) ad fornicarium e-
jiciendum cœtibus.

VT ESTIS NOVA CONSPERSIO] id est, noua mas-
sa hoc est, vt sit vestra Ecclesia noua & pura. *Con-
spersio* enim græcè dicitur φύραμα (ἀπὸ τοῦ φυρᾶν,
id est, miscendo) hebraicè בָּצֵק *batsac*, id est, fari-
nam mixta & macerata, massa conspersa, quæ
vulgò pasta dicitur.

SICVT ESTIS AZYMI] Id est, vt Chrysost. & An-
selm. sicut per baptismum facti estis *azymi*, id est, à
fermento peccati puri, & consequenter deinceps
vocatione & professione estis, hoc est esse debetis, C
azymi puri scilicet & sancti. Hebræis enim fieri di-
citur quod fieri debet; &, quod non fiet, significat
id, quod fieri non debet. Sic Christiani vocantur
Sancti, quia debent esse sancti. Alij propriè accipi-
unt τροπικῶς, q.d. Sicut præter vnicum incestuosum,
reliqui fere omnes reipsa estis azymi, id est puri.

Hæc vitæ & morum azyma tam verbis, quàm
ceremonijs in baptismo cuique proponit Ecclesia,
dum post signatum chrismate verticem, baptiza-
tum induit veste candida, & porrigens ardentem
cereum dicit illi: *Accipe vestem candidam, sanctam &
immaculatam, quam perferas sine macula ante tribu-
nal Domini nostri Iesu Christi, & habeas vitam ater-
nam & vivas in sæcula sæculorum, Amē.* Vel, vt S. Hie-
ron. habet in epist. ad Damasum: *Accipe lampadem* D
*ardentem irreprehensibilem, custodi baptismum tuum,
sine Dei mandata, vt cùm Dominus venerit ad nuptias,
possis occurrere ei vnà cum omnibus Sanctis, in aula cæ-
lesti habesq; vitam æternam, & vivas in sæcula sæcu-
lorum, amen.* Tam enim candela ardente, quàm ve-
ste candida significatur Primò, pura & exemplaris
vita & conuersatio. Secundò, manumissio & liber-
tas à potestate peccati & diaboli. Tertiò, de eisdem
victoria & triumphus. Romani enim veste candi-
da donabant seruos, cùm eos in libertatem asseré-
bant; candida etiam triumphantes vtebantur. De
hac vestе S. Ambros. l. de ijs qui initiantur myster.
c. 7. iam baptizatum alloquens: *Accepisti*, inquit, *ve-
stimenta candida, vt esset indicium, quòd exueris inuo-
lucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta vela-
mina.* De eadem Paulinus sic canit:

Carmel. 11 epist. Pauli.

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Vide S. Augustin. Lactant. & Victorem Vticensem, quorum verba recitaui Rom. 6. 4.

Hinc & sabbatum primum à festo paschæ, Sab- *Vnde dica-*
batum in albis, & sequens dies Dominica in albis *tur Sabba-*
vocatur, quòd tunc candidam vestem neophyti *tum in albis,*
deponebant: ita tamen vt (sicuti rectè annotauit *& Domini-*
Baronius anno Christi 58. pag. 606.) candidum a- *ca in albis.*
gnum Dei (vt vocant) ex cereo paschali cōfectum,
& à Pontifice benedictum acciperent, eumque ex
collo suspensum gestarent, vt perpetuò admone-
rentur puritatis & innocentiæ, atque à Christo A-
gno paschali discerent deinceps in omni opere es-
se azymi, puri, mites & humiles corde.

ETENIM PASCHA NOSTRVM IMMOLATVS EST
CHRISTVS] Nota τὲ *etenim*, q.d. Iure exigo vt sitis
azymi & puri, quia pascha agitis, in quo omnia Iu-
dæis erant azyma: sicut enim pascha typus erat
Christi, ita panes azymi erant typus Christianorum *Panes azy-*
& innocentiæ baptismalis, ac vitæ puræ & Chri- *mi eiusmodi rei*
stianę. Argumentatur Apostolus à sensu allegorico *typus fuit.*
paschæ & azymorum.

PASCHA] Nota ex Hebræo פֶּסַח *pesach*, Syri & Chaldæi de more addentes ע, formant *pischa*, vel *paschа*: Noster Exodi 12. v. 11. & alibi transfert *phase*, vt sit facilior vox, & magis vicina Græcis & Latinis; hi enim nullas habent voces quæ desinant in ch. vnde Hebræum chet finale Septuag. in dissyllabis in E vertere solent. Sic pro Noach Hebræo vertunt Noë, pro Corach Core, pro Therach Thare; ita hic pro pesach, phase. Est ergo *Paschа* He- *Derivatio*
bræa, vel potiùs Chaldæa vox, non Græca ἀπὸ τοῦ *nominis*
πάσχειν, à patiendo, quasi pascha idem sit quod *Paschа.*
passio Domini, vt nonnulli linguarum imperiti o-
pinati sunt. deducitur enim ab Hebræo פָּסַח *pa-*
sach, quod transire, vel potiùs transilire significat; inde enim פִּסֵּחַ *pisseach*, hebraicè dicitur claudus, quòd quasi saltitans incedat. Vnde Symmachus & Iosephus pascha vertunt, ὑπέρβασιν, id est transcensum: S. Hieron. in Nominib. Hebraicis, trāsgres- *Quid sit*
sum vel transcensionem. Pascha ergo dicitur, id *paschal*
est, transcensus, quia angelus vidēs postes Hebræo-
rum sanguine agni, pro hoc transitu vel transcensu
immolati, illitos, transiliebat Hebræorum domos,
vt in eis nullum primogenitorum percuteret, & in
vicinas Ægyptiorum domos sanguine agni non
notatas insiliebat, in ijsque omnia primogenita oc-
cidebat. Hinc à felici hoc transitu vel transcensu,
agnus pro eo immolatus, dicitur phase, vel pascha,
id est hostia paschalis, hoc est hostia pro hoc trans-
itu & transcensu immolata. Exodi 12. v. 11. & sequ.
Inde & dies ipse, & festum quo hoc contigit, quo-
que annua eius memoria recurrit & celebratur,
propriè dicitur Pascha.

Allegoricè hic agnus significabat Christum. *Pa-* *Agnus pa-*
schа ergo *nostrum*, id est, agnus paschalis noster pro *schalis alle-*
nobis immolatus est Christus, vt quicumque eius *goricè est*
sanguine & passione in baptismo & Sacramentis *Christus.*
tinguntur, tuti sint & immunes à deuastante an-
gelo, qui eos transiliat, & insiliat in infideles & im-
pios, qui non sunt tincti sanguine Christi, vt eos
morte æterna occidat: tinctos enim à Pharaonis, id
est diaboli & peccati, iugo eripuit Christus, eosque
omni libertate, donis & gratijs cumulauit, & indies
cumulat. Græci addunt ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis, vt
hæc sit sententia: *Etenim pascha nostrum pro nobis*

immolatus est Christus. Vide de paschæ origine & ritu dicta Exod. 12.

Moraliter S. Bernard. serm. 1. in die Paschæ: *Pascha*, inquit, *nostrum immolatus est Christus. Amplectamur commẽdatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam & charitatem. In hac quoque tam præcipua solemnitate quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensemus: nempe resurrectio, transitus & transmigratio. Christus enim, fratres, non recidit hodie, sed resurrexit: non redijt, sed transiit: transmigrauit, non remeauit. Denique & ipsum quod celebramus pascha, transitus, non reditus interpretatur: & Galilæa, vbi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem.* Deinde illa applicans subdit: *Luximus his diebus, compunctioni & orationi, grauitati & abstinentiæ dediti. Si negligentias planximus, quid causa est vt nunc recidamus in easdem? Inuenietur nunc iterum curiosi vt antè, verbosi vt antè, pigri & negligentes vt antè, vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæteriſq; impliciti vitijs quæ tam anxiè deplorauimus his diebus? Laui pedes meos: quomodo iterum inquinabo eos? Proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi, facta est resurrectio Saluatoris. Ex hoc nempe confessiones & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur: quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis ad iustificationem nostram. Non est hic transitus, sed reditus. Propter hoc (vt ait Apostolus) multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Propter hoc crebra in diuersis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus.* Idem notat S. Anselm. in 1. Corinth. 11. 30. scilicet in paschate grassari morbos, & multos mori, ob indignam multorum communionem, & peccata vel non ritè expiata, vel repetita.

VERS. 8. ITAQVE EPVLEMVR] Græcus, Syrus, & Ambros. legunt: *Itaque festum agamus*: hoc enim est Græcum ἑορτάζωμεν. Noster tamen vertit, *epulemur*, quia solebant festa solemnibus epulis celebrari, in signum lætitiæ.

Vespera 14. lunæ siue paschæ propriè nõ fuit festum.

Nota. Epulum & festum hoc, est vel agni paschalis, vel azymorum. Pro quo aduerte ex Exodi 12. vesperam 14. lunæ, siue paschæ propriè non fuisse festum, sed sequens mane, quod dicebatur solemnitas primi azymorum, quæ durabat dies septem, quibus nonnisi azymis vesci licebat, illisque diebus vice agni paschalis priùs, putà præcedente decima quarta luna, siue die (Hebræi enim vti menses, ita & dies habebant lunares: nam nouilunium erat prima dies mensis, & ab eo consequenter cæteros dies numerabant) mensis primi Nisan immolati, immolabant alias victimas paschales, putà holocausta & pacifica, de quibus Numer. 28. 19. Sensus ergo est: Christus pro nobis quasi phase immolatus, nos redemit, nobisque initiauit solemnitatem azymorum. Itaque post hoc pascha, post Christi immolationem & redemptionem, agamus festum hoc azymorum spirituale, vt simus azymi & puri, ac consequenter vescamur azymis, id est, fruamur puritate vitæ per septimanam nostræ vitæ, id est, per totum eius decursum (septem enim diebus reuolutis omne nostrum tempus decurrit. vnde septenarius vniuersitatis est symbolum) eoque memoriam redemptionis Christi, agni paschalis nostri, puris & dignis moribus, sacrificijs & laudibus celebremus.

Quid sit vesci azymis, & agere pascha. Prima expositio.

Verùm, quia vespera paschæ poterat etiam referri ad sequens mane primi azymorum: nam à vespera in vesperam celebrabant Iudæi sua festa; hinc etiam hæc vespera festũ dici potest, vt crastinum vocari festa, id est, festiua immolatio, & epulum agni. Vnde Noster vertit hîc, *epulemur*. Hinc colligi potest secundus sensus, videlicet. q. d. Percute habeamus pascha, vnus continuusque sit nobis dies festus paschæ, vt Christo agno paschali eiusque beneficijs & donis quotidie vescamur, & festiue epulemur spiritualiter fide, spe, charitate: nec etiam realiter in Venerabili Sacramento, idq; in azymis, id est cum azymis, sinceritatis & veritatis. Vide Chrysost. & Ansel. Nam licet agnus paschalis ordinatus ad immolationem, figura esset sacrificij Christi in cruce; tamen quoad azyma & esum magis erat figura sacrificij incruenti, in Eucharistia. Iuxta pascha hîc, Christum in Eucharistiæ sacrificio immolatum & manducatũ intelligunt S. Cyprian. serm. de cœnâ Domini, Nazianz. orat. de pascha, Chrysost. serm. de prodit. Iudæ, Ambrosius in 1. Luc. Hieron. & Origenes in 26. Matth. Vnde S. Andreas Apostolus ad Ægeam tyrannum: *Ego, ait, quotidie Agnum immaculatum immolo, cuius carnem cum omnis populus comederit, agnus tamen qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus.* Hinc etiam Ecclesia hîc locum Apostoli, pro epistola legit in solemnitate paschæ, quãdo omnes communicare, & de hoc Agno paschali manducare præcipit; cùm in præsentia Ecclesia de eodem fideles quotidie manducarent, vti hîc hortatur Apostolus.

Moraliter Chrysost. epulandum dicit, non quia pascha est, aut pentecoste, sed quia omne tempus, tempus epulationis est Christianis, ob collatorum beneficiorum excellentiam: *Quid enim boni, inquit, non concessit filius Dei pro te natus, mortuus vt liberauit, & in regnum vocauit, quomodo ergo non semper epularis?* Hinc S. Siluester omnes dies vocauit feriatos, vt dicamus feria prima, secunda, tertia, quia omni die Christiani à peccato feriari debent. & Deo vacare, & festum agere spirituale. hinc & Clemens Alexandr. l. 7. Stromat. *Vniuersa*, inquit, *vita viri iusti est quidam celebris ac sanctus dies festus.*

NON IN FERMENTO MALITIÆ ET NEQVITIÆ] *Nequitia*, græcè πονηρία, quod Vatablus recte versutiam, alij prauitatem vertunt; nequam enim est, qui mediatè, & cum dolo ac fraude malè agit. Veteres Latini per malitiam & nequitiam significabat omnia hominum vitia & scelera. Hinc illud Publij Africani apud Gellium l. 7. c. 11. *Omnia mala, ambra, flagitia quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia, atque nequitia.*

SED IN AZYMIS SINCERITATIS ET VERITATIS] Est hebraismus. q. d. Epulemur, non in panibus azymis, non triticeis, sed spiritualibus, qui sunt sinceritas (id est puritas) & veritas, non intellectu oris tãtùm; sed veritas vitæ, id est, iustitiæ Christianæ, hoc est, debitum quoduis Christianæ virtutis, seu id ad quod obligantur Christiani, quod est omnis virtutis honestas, maximè simplicitas, sobrietas, veracitas. Opponitur enim hîc *sinceritas*, id est sincera ac pura vita, *malitiæ*, *veritas* verò, vel vera *nequitiæ*, vel, vt Vatabl. vertit, *versutiæ*, id est, hypocrisi, dolo, fraudi. ita Theoph. Alludit ad cenas puras paschatis, in quibus non fermento sed azymo, id est, puro pane vescebantur, quæ symbolum erant absolutissimæ puritatis.

SCRIPSI VOBIS] nimirum v. 2. huius c. ita Theod. Vict. & Chrysost. licet D. Thom. Glossa, Lyran. Cajet. putent alia anteriori epistola, quæ intercidit, id ipsisse Paulum; scripsi inquam, id quod sequitur,

N 2

NE COMMISCEAMINI, ne habeatis consortium cum fornicariis, NON VTIQVE FORNICARIIS HVIVS TEMPORIS, q.d. Cùm dixi & scripsi, Ne commisceamini fornicarijs, non intellexi fornicarios Paganos esse, quos DE ALIO QVIN DERIVATIS DE HOC MVNDO EXISTIT] totus enim mundus plenus est Paganis, eósque vel fornicarijs, vel auaris, vel idolis seruientibus: sed *is qui frater est*, id est, si sit Christianus, ait Ambros. & publicè malè audiat, quasi fornicator, auarus.

SI IS, QVI FRATER NOMINATVR, EST FORNICATOR] *Nominatur*, refer ad *frater*, quamquam ex Greco cum Oecumen. referri potest ad *fornicator*; q.d. Qui publicè nominatur fornicator. Vnde Augustin. lib. 3. contra Parmen. c. 2. *Nominatur*, inquit, id est, iudicatur, condemnatur in iudicio de fornicatione tamquam fornicator.

AVT AVARVS: AVT RAPAX] *Auarus* est qui clàm alterum capit per fraudes; *Rapax* qui per vim apertam. Nec enim auarus qui tenaciùs sua retinet, cæli excluditur, nisi neget eleemosynam pauperi in extremo, vel graui necessitate; multò minùs à societate fidelium est excludendus: quod tamen hîc iubet Apostolus. *Auarum* ergo intelligit furem, vel raptorem, vt dixi. Vnde pro *auarum*, græcè est πλεονέκτας, quod idem est atque πλεονέκτικους. Πλεονέκτης autem Aristoteli dicitur fraudator, & circumscriptor, ait Budæus. Πλεονεκτεῖν enim fraudare significat, vt patet 1. Cor. 7. v. 2. & c. 12. v. 18.

QVID MIHI DE IIS, QVI FORIS SVNT, IVDICARE? NONNE DE IIS, QVI INTVS SVNT, VOS IVDICATIS?]

A Nota. *Iudicare* hîc vti & alibi, idem est quod damnare & punire fornicarios, v. g. pœnâ separationis & vitationis, quasi excommunicationis cuiusdam, quæ fertur hoc ipso, quo alijs puris & innocentibus præcipitur vt cum fornicarijs hisce non commisceantur. q. d. Hoc ipso quo edico, ne commisceamini fornicarijs, indirectè & consequenter iudico & damno ipsos inet fornicarios, quasi fontes & noxios cauendos & fugiendos; idque hac de causa, vt nimirum ipsi, cùm vident se hac lege ab alijs vitari, confundantur & resipiscant: damno, inquam, fornicarios, non eos qui foris, id est extra Ecclesiam, sunt, putà Paganos (hi enim cùm sint extra Ecclesiam, pariter extra meam iurisdictionem sunt) sed eos qui in Ecclesia sunt, putà fideles, qui meæ curæ

Paganos nō iudicat Ecclesia.

B & iurisdictioni sunt subiecti.

Dices, Si eos qui foris sunt non possumus iudicare: ergo Ecclesia non potest iudicare & punire hæreticos & schismaticos; hi enim sunt foris, id est, extra Ecclesiam.

Resp. eos esse extra Ecclesiam, quia bonis Ecclesiæ sunt priuati: intus tamen sunt, quia eius iurisdictioni subsunt. hoc ipso enim quo characterem baptismi retinent, manent sua prima professione Ecclesiæ deuincti, obligati, subiecti. vnde tenentur ieiunijs, festis, aliísque legibus Ecclesiæ: sunt que in Ecclesia, sicut mancipia in familia, & rei incarcerati in vrbe.

Quaratione hæretici & schismatici sint in Ecclesia.

AVFERTE MALVM EX VOBIS IPSIS] eijcite è cœtu vestro fornicarium: nam græcè est τὸν πονηρόν. VERS. 13.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Apostolus ad litigia & iudicia, arguitq; Corinthios, quòd lites instituant coram iudice Ethnico, easq; subinde iniquas & iniustas.

Inde Secundò, v. 9. docet iniquos, quorum varias species enumerat, regnum Dei non possessuros.

Tertiò, v. 13. transit ad fornicationem, eamq; insectatur multis argumentis. Colligam ea in fine capitis.

1. AVdet aliquis vestrûm habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? 2. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? 3. Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia? 4. Sæcularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. 5. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? 6. Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? 7. Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8. Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. 9. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, 10. neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 11. Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. 13. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori. 14. Deus verò & Dominum suscitauit: & nos suscitabit per virtutem suam. 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. 16 An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim

nim (inquit) duo in carne vna. 17. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. 18. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 19. An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? 20. Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.

VERS. 1. *Quid hic sit iudicari?*

AVDET ALIQVIS VESTRVM HABENS NEGOTIVM (litem) ADVERSVS ALTERVM (putà fratrem, siue Christianum. ita Syrus.) IVDICARI] Syrus דַּיָּנוּן *dannun*, id est, iudicio experiri, iudicio contendere: sic enim Hebræi dicunt נִשְׁפַּט *nisphat*, iudicatus est, pro iudicio contendit, vt 1. Regum 12. 7. dicit Samuel, *Nunc ergo state, vt iudicio contendam*, hebraicè אִשָּׁפְטָה *isphapheta*, id est iudicer, *aduersum vos coram Domino*. Et Ezech. cap. 20. 35. *Adducam vos in desertum populorum, & iudicabor* (id est, iudicium subibo, litigabo) *vobiscum ibi facie ad faciem. sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto terræ Aegypti*. Et Ieremias c. 2. 35. *Ecce ego iudicio contendam tecum*, hebraicè נִשְׁפַּט אוֹתָךְ *nisphat otach*, id est, iudicabor tecum. Pari modo Græcum κρίνεσθαι, id est iudicari, verbum medium est, tam actiuæ quàm passiuæ significationis: hîc autem actiuæ est. Nam Apostolus non carpit eos, qui ad tribunalia Ethnicorum trahebantur. hi enim ea declinare non poterant; sed eos, qui fratres ad hæc tribunalia trahebant, aut communi vtriusque litigantis consensu eadem adibant.

IVDICARI APVD INIQVOS putà apud Gentiles, infideles. iniquos enim opponit sanctis, cùm ait, ET NON APVD SANCTOS] Sancti autem vocabantur fideles & Christiani, vti sæpè iam dixi. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. Græcè est, ἐπὶ τῶν ἀδίκων, id est, apud iniustos, quia infideles carent fide, qua iustus viuit, ac consequenter iniusti sunt, & sæpè propriè iniustitiam committunt. q.d. Cùm sint iniusti hi iudices, ab eis iustitia non est exspectanda, cùm sæpè vti fidem, ita & iustitiam peruertant.

VERS. 2. *Mundus iudicabitur per Sanctos & Christianos.*

SI IN VOBIS IVDICABITVR MVNDVS, INDIGNI ESTIS QVI DE MINIMIS IVDICETIS?] q.d. Si per vos Christianos & sanctos iudicabitur totus mundus, quanto magis per vos, quasi arbitros, minimæ vestræ lites componi debent?

VERS. 3.

NESCITIS QVONIAM ANGELOS IVDICABIMVS?] Aliqui per *angelos* sacerdotes intelligunt: hi enim à Malachia c. 2. vocantur *angeli Domini exercituum*. Sed hoc alienum est à mente Pauli. Vnde & Patres passim hîc propriè angelos accipiunt.

Nota hîc agi de die iudicij generalis. ita Chrysost. Theodor. Ambros. Anselm.

In generali iudicio iudicādi sunt homines & angeli tam boni quàm mali.

Hinc sequitur Primò, illo die iudicādos esse non tantùm homines, sed & angelos bonos & malos: (de malis angelis hunc locum accipiunt Chrysost. Theodor. Theophyl. Anselm.) Est enim vna Ecclesia hominum & angelorum, vnumque caput & iudex Christus. Hoc etiam pertinet ad publicā gloriam diuinæ iustitiæ, & ad laudem angelorum.

Sequitur Secundò, quòd Christus & Sancti non impropriè, quomodo dicitur Matth. 12. 41. quòd regina Austri, & Niniuitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem istam, gentem scilicet Iudæorum; sed iudicio propriè dicto (tali enim iudicabant sæcularia Corinthij) iudicabunt A sua potestate & auctoritate angelos, vti & homines; bonos quidem iudicio approbationis laudis & glorificationis; malos verò proprijssimè iudicio condemnationis & exprobrationis; quòd scilicet pœna ipsi, cùm homines essent in corpore fragili, Dei cultum omnemque puritatem amplexi sint; quod illi, cùm essent incorporei, & puri spiritus, facere noluerunt, ait Theophyl. & Theodor. Rursum, quia Sancti victores dæmonis in hac vita fuerunt, hinc pro præmio in iudicio malitiam eius, ignobiam & imbecillitatem coram toto mundo traducent, & quasi victo, vili, contemptibili, à Deo proiecto, & in æternum damnato insultabunt; vt & Christus, Coloss. 2. 15. Quæ res dæmonibus superbissimis maxima & molestissima pœna erit, vt pulchrè docet Franc. Suarez 3. p. q. 59. disp. 47. sect. 8. Adde Apostolos & viros Apostolicos, qui relictis omnibus Christum proximè secuti sunt, iudici Christo proximos fore, quasi primores & assessores regni: itaque vna & eadem cum Christo sententia, vti Cardinales cum Papa, omnes alios subcabunt, Matth. 19. 28.

B

QVANTO MAGIS SÆCVLARIA?] scilicet negotia, quæ ad communem hominum vsum pertinēt (hoc enim significat Græcum βιωτικὰ) subaudi, digni & apti sumus iudicare: si nimirum hoc iudicium ad nos deferatur à partibus litigantibus, aut si huic iudicio præficiamur ab Ecclesia, vel à republica. Quasi angelos iudicare valemus, quidni & sæcularia? Angeli enim tantum sæcularibus præstant, quantum cælum terræ præcellit.

C

CONTEMPTIBILES IN ECCLESIA, potiùs quàm Gentiles, iudices siue arbitros CONSTITVITE AD IVDICANDVM] ita Theodor. Vnde subdit:

SIC NON EST INTER VOS QVISQVAM SAPIENS QVI POSSIT IVDICARE INTER FRATREM SVVM? Est mycterismus, siue ironia cum stomacho, & tacita subsannatione, & exprobratione. Paulo liter hæc, quasi seriò dicta accipiunt Sedulius, & Gregor. libr. 19. Moral. 11. *Contemptibiles*, inquiunt, *qui sunt, constituite ad iudicandum. Quasi dicat, Qui minoris sunt meriti in Ecclesia, & nullis magnarum virtutum donis pollent, ipsi de terrenis negotijs iudicent: quatenus per quos magna nequeunt, bona minora impleantur.*

Nota. Hoc iudicium causarum sæcularium postea inter Christianos commissum fuit presbyteris & Episcopis, vt patet ex Clemente 2. Const. 49. 50. 51. & epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini. *Si qui*, inquit, *fratres negotia habent inter se, apud cognitores sæculi ne iudicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ quidquid est illud dirimatur, & omnimodo obediant statutis eorum.* Idque postea lege Cæsarea, quæ exstat 11. q. 1. can. *Quicumque*. & can. *Volumus*, statuit Theodosius Imper. & confirmauit Carolus Magnus, nimirum vt quisque, siue reus, siue actor possit relicto tribunali sæculari, etiam post litem contestatam, adire iudicem Ecclesiasticum. Vnde hoc munere iudicis inter fideles suos functi sunt Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensis Epis-

D

patriarcha ex Nysseno in eius vita: S. Ambrosius, vt patet lib. 2. Offic. c. 29. vbi etiam Imperatorum iudicium contemnere se dicit: S. August. vt patet de Opere monachor. cap. 26. Synesius, vt patet epist. 57. & 58. Sed crescente nimis numero Christianorum & Iudæorum, Episcopi hoc iudicium ad iudices seculares, sed Christianos reiecerunt: idque ex doctrina & institutione S. Petri, qui ad Clementem, & in eo ad quosuis Episcopos ita loquitur epist. 1. Clementis iam citata: *Nec enim iudicem*, inquit, *aut exactorem secularium negotiorum hodie te ordinatum vult Christus, ne præfocatus præsentibus non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bona à malis.*

Dices: Cur ergo Apostolus iudicium non demandat hic Episcopo? Respondet Ambros. quia is nondum erat Corinthi: *Necdum*, ait, *rector in eorum habebatur constitutus*; recenter enim à Paulo conversi erant Corinthij, erantq; fideles adhuc pauci.

SIC NON EST, græcè οὕτως ἔνι, pro οὐκ ἔνεστι, INTER VOS SAPIENS, QVI POSSIT IVDICARE INTER FRATRES] Sabaudi, & fratrem, hoc est, inter fratres, puta Christianos litigantes.

IAM QVIDEM OMNINO DELICTVM EST IN VOBIS, *Iudicium*, græcè ἥττημα, quod Theophyl. vertit condemnatio & pudor. Secundò, simpliciùs ἧττημα, id est minoratio, diminutio, defectus; vt cùm quis ab alio vincitur, & per hoc viribus aut animo enervatur, q.d. Imperfectio, deiectio, impotentia animi est in vobis, quòd scilicet iræ, lucri, cupiditatisque affectu vincimini, & quòd nihil pati & sufferre potestis. Parui enim & abiecti est animi, ira, ab iniuria, ab auaritia, ab impatientia vinci: magnanimus enim animum habet supra hæc omnia elatum, & excelsum; omnia vt se minora & indigna despicit, ideoque iniurias non curat, sed contemnit. Impotentia inquam animi, & lucri cupido sunt, quæ vos impellunt, vt in fidelium tribunali litigetis, cum scandalo aliorum, tum fidelium, tum infidelium, qui sic Christi fidem contemnunt.

QVARE NON MAGIS INIVRIAM ACCIPITIS?] Id est, vt græcè ἀλλὰ οὐχὶ μᾶλλον, damnum patimini, vt decet Christianos nouos in tanta paucitate, primo ferire pacis & perfectionis professione.

Vide Nota. Hic locus non fauet Anabaptistis, qui hinc volunt omnem potestatem iudiciariam auferre Magistratibus. Nam, vt Chrysost. Apostolus hîc non iudicium taxat, sed Primò, impatientiam litigantium; Secundò, quòd fratribus, id est Christianis, iniuriam faciant: hoc enim est quod ait v. 8. *Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Tertiò, quòd de his iudicium infidelibus & iudicibus permittant. Quartò, quòd apud eos per calumniam pauperes opprimant. Quintò, quòd pacem fraternam, vinculum charitatis, fidemque ipsum hoc scandalo lædant. Addit Caietan. alterutrum litigantium semper delinquere, quia alteruter fouet iniustam causam, nisi per ignorantiam excusetur. Quare S. August. Enchirid. 78. litem sic ab vtroque sumi ait sine peccato, saltem veniali: quia fere procedunt ex nimio amore rerum temporalium, & vix carent periculo odij, malevolentiæ, calumniæ. Accedit iactura temporis, pacis, animique quallitatis internæ, quæ nisi bono maiore compensentur, non sine peccato lites etiam iustæ suscipiuntur. Hinc Christus Matth. 5. 40. ita sancit: *Et qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam*

A *tollere, dimitte ei & pallium.* Bonum maius est necessitas propria, publica, familiæ, pietas, iustitiæ obligatio; vt cùm monasterij, aut pauperum bona vis tutari aut recuperare publico iudicio. Sic Paulus ad iudicium Cæsaris appellat. Actor 25. 11. Denio; Apostolus non reprehendit hîc iudicia ex parte iudicis, sed ex parte litigantium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset iudicare; iudicia enim finem imponunt litibus. quod valdè bonum est.

NEQVE FORNICARII, NEQVE ADVLTERI, &c. REGNVM DEI POSSIDEBVNT] Hinc patet, non tantùm adulterium, sed etiam fornicationem, qua solutus cum soluta peccat, esse contra legem, tam Christi quàm naturæ. Erravit turpiter in hac re R. Moses Ægyptius l. 3. More cap. 50. vbi congressum Iudæ cum Thamar Genes. 38. excusat hoc nomine, quòd ante legem Mosis licitum esset meretricari. Turpiùs errant nostri politici, qui licet concedant lege Christi vetitam esse fornicationem, negant tamen eam lege Mosis fuisse vetitam. Id enim admittit R. Moses, & alij Rabbini passim docent, Exod. 20. sexto Decalogi præcepto. *Non mœchaberis*, non solùm mœchiam siue adulterium, sed etiam incestū, sodomiam, fornicationem, omnemque concubitum, & libidinem, quæ limites matrimonij egreditur, esse vetitā. ita Tobias c. 4. *Attende*, inquit, *fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Ita Apostolus hîc fornicationem annumerat adulterio, idololatriæ, alijsq; peccatis quæ sunt contra legem naturæ & Decalogi, hominesque natura sua excludunt à regno Dei. repugnat enim fornicatio primæ creationi hominis, & institutioni matrimonij, qua Deus naturæ omniumque dominus alligauit vsum membrorum generationi seruientium, matrimonio, & extra illud homini vtendi facultatem ademit: repugnat & fidei coniugali, atque bono prolis, quæ rectè educari nequit in fornicatione, sed tantùm in matrimonio. Hinc Deuter. 22. 21. iubetur lapidari puella, quæ ante nuptias in domo patris fornicata est. Et Sapiens Eccli. 19. 3. ait: *Qui se iungit fornicariis, erit nequam, putredo & vermis hereditabunt illum.* Denique vt alia taceam, Num. 25. 9 ob fornicationem Hebræorum cum filiabus Moab, cæsa sunt ex eis 24. millia.

Vers 9. & 10.

Malè politici negant lege Mosis vetitam fuisse fornicationem.

B

Quare fornicatio est contra legē naturæ.

C

Grauissima punitio fornicationis.

MOLLES] Mollities est pollutio.

Qui molles, auari,

AVARI] Hi sunt qui per fraudes, iniustos contractus, & dolosas lites aliena expilāt. Distinguuntur enim hîc à furibus, & à rapacibus. Vide dicta cap. 5. 10.

D

EBRIOSI] Græcum μέθυσοι tam ebrium, quàm ebriosum significat. quare *ebriosi* hîc non propriè frequentiam, vel consuetudinem se inebriandi, sed actum denotat; sic enim & cetera hîc, vt fur, maledicus, adulter, actum significant. Vnus enim eorum actus eos à cælo excludet. Idem patet Galat. 5. 21. Vna ergo perfecta ebrietas est peccatum mortale, quia priuat hominem vsu rationis, vt sit quasi bestia; & hominem exponit periculo rixæ, libidinis & multorum peccatorum. Aliter S. Thomas, Ebrietas, inquit, non est peccatum mortale, ob ignorantiam fortitudinis vini, vel debilitatem proprij capitis, quæ tamen excusatio tollitur per frequentem experientiam: ideo signanter ait Apostolus, *Ebriosi*, non Ebrius, sed prior explicatio est solidior.

& ebriosi.

Quare perfecta ebrietas sit peccatū mortale.

SED ABLVTI ESTIS, SED SANCTIFICATI ESTIS, VERS. 11.

SED IVSTIFICATI ESTIS per baptismũ, IN SPIRITV DEI NOSTRI] per Spiritum sanctum. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Pulchrum huius ablutionis, & mutationis morum per baptismum & christianismum factæ exemplum de seipso narrat S. Cyprian. epist. 2. ad Donatum; vbi candidè confitetur, qualis fuerit ante baptismum, qualis subitò euaserit per gratiam baptismi, quidque sibi contulerit christianismus. qui, vt ipse ait, est *mors criminum & vita virtutum.* Similia habet Nazianz. orat. funebri in laudem Cypriani, vbi enarrat mirabilem eius conuersionem, & cordis vitæq; commutationem, quam baptismo percepit.

VERS. 12. OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIVNT] *Omnia mihi licent*, per liberum arbitrium, inquit Theodor. & Oecumen. putà licet, & in mea potestate est fornicari, rapere, inebriari, & cætera, quæ hîc præmisit Apostolus: verùm hæc non expediunt saluti animæ meæ quia peccata sunt.

Quid Paulus velit per τὸ omnia mihi licét.

Sed hunc sensum rectè refellit Ambrosius, *Quomodo*, inquit, *licet quod prohibetur? aut certè si omnia licent, nihil potest esse illicitum.* q.d. Ambros. Illud dicitur licere quod nullâ lege est prohibitum; non autem id quod est liberi arbitrij facere, vel omittere. Sensus itaque huius loci est: *Omnia mihi licent. omnia*, nimirum adiaphora, & lege non prohibita. ita Chrysost. qui cum Theophyl. hæc refert ad v. sequent.

VERS. 13. ESCA VENTRI, ET VENTER ESCIS] q.d. Licet mihi omnibus cibis vesci, sed non sinam gulam alicuius cibi mihi dominari, vt fiam mancipium ventris.

Secundò, Ambros. & S. Thom. referunt ad sumptus. q.d. Licet mihi euangelizanti à vobis accipere sumptus & victum; sed ego eos non accipiam, ne vlli fiam obnoxius, & meam libertatem perdam; vt more epistolico varia misceat Apostolus, quæ sciebat illos ad quos scribit, aliũde intelligere.

Tertiò & aptissimè, Anselm. & S. Thom. referunt hanc sententiam ad superiora de iudicijs. q.d. Hæc contra iudicia dixi, non quasi illicitum sit ex se in iudicio sua repetere, sed quòd nolim sub aliorum, scilicet iudicum, aduocatorum, procuratorum, maximè infidelium, potestatem vos redigi. Vnde vertit Syrus, *nemo in me potestatem exercebit.*

Quæ cõsideranda in omnibus nostris operibus.

Moraliter S. Bernard. l. 3. de Consider. ad Eugen. *Spiritualis*, inquit, *homo omne opus suum trina consideratione præueniet. primò, an liceat; deinde, an deceat; postremò, an expediat. Nam etsi constat, in Christiana vtique philosophia non decere nisi quæ licent, non expedire nisi quæ decent & licent; non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit.*

ESCA VENTRI, scilicet destinata est, æquè ac VENTER ESCIS] q.d. Cur lites suscipitis ob temporalia, quæ ferè ad escas & ventrem tenduntur? Esca enim res caduca est & vilis, ad hoc facta vt in ventrem proijciatur: venter autem vilissima pars hominis tantùm est ad hoc, vt escas coquat, digerat, egerat, corrumpat, estque vas sordium; & tam esca quàm venter peribunt, quia in morte fiet esca vermium: & licet venter resurget, non tamen amplius escas admittet. Simul Secundò, transit hîc ex composito ad gulam Apostolus, quia gula est mater libidinis, quam deinceps insectatur. ita Theophyl. Vnde S. Athanas. vel quisquis est auctor (nam non esse S. Athanas. Alexandrinum, patet ex eo quòd qu. 23. citet ipsum Athanasium, & ab eo diuersam sequatur sententiam; & ex eodem citet Epiphanium & Gregorium Nyssenum, qui S. Athanasio fuerunt posteriores) Athanas. in ad Antiochum qu. 133. per ventrem hîc intelligit ingluuiem, & crapulam. q.d. *Esca ventri & venter escis, id est, ad crapulam venter habet desiderium, & ad illum: verùm qui crapulæ ventriq; deditus est, non potest seruire Deo, sed sui ipsius ventris seruus est, ideo abolebit illum Deus.*

Venter vilissima pars hominis.

DEVS ET HVNC (ventrem) ET HAS (escas) DESTRVET] καταργήσει, abolebit, in morte & resurrectione, vt scilicet non sit amplius venter escarum, qui escis pascatur; nec escæ sint ventris, vt venter non esca ineſcent & impleant.

CORPVS NON FORNICATIONI, destinatum & datum est, vt fornicemur, SED VT DOMINO, casto corpore seruiamus, Christumque vt caput casto & sanctis moribus sequamur. ita Anselm. & Chrysost. Vnde sequitur, ET DOMINVS CORPORI] Christus scilicet corpori nostro datus est in caput, vt illi quasi immineat. q.d. Ergo corpora nostra non fornicationi, sed Christo capiti quasi membra, potiùs seruire debent, semperque caput suum Christum, Christique puritatem æmulari. Secundò, *Dominus corpori*, id est, Christus corpori casto & puro erit præmium, eique incorruptionem & immortalitatem donabit. ita Ambros. & Anselm. Prior sensus est simplicior, nam de resurrectione sequitur, cùm subdit:

DEVS VERO ET DOMINVM, Christum & crucifixum & mortuum, SVSCITAVIT: ET NOS, si cum Christo gulæ & libidini moriamur, eique crucifigamus, SVSCITABIT.

NESCITIS QVONIAM CORPORA VESTRA MEMBRA SVNT CHRISTI?] Vos ipsi enim, ac consequenter corpus & anima vestra, estis membra Ecclesiæ Christi. Pulchrè S. August. serm. 18. in hæc Apostoli verba: *Vita*, inquit, *corporis anima est, vita animæ Deus est. Spiritus Dei habitat in anima, & per animam in corpore, vt & corpora nostra templum sint Spiritus sancti, quem habemus à Deo.*

TOLLENS ERGO MEMBRA CHRISTI FACIAM MEMBRA MERETRICIS? ABSIT] *Tollens*, non quasi auellens & separans à Christo. Christi enim & Ecclesiæ membrum manet fornicator, quamdiu fidem veram retinet. Sed *tollens*, id est, accipiens, &, vt D. Thom. iniustè subtrahens sua membra generationi destinata, obsequio & seruitio Christi, cuius sunt. Fidelis enim fornicans hæc generationis membra & corpus suum, quasi membrum, Christo, cuius est, suffuratur, & dat meretrici. Tollit ergo à Christo corporis sui vsum, non dominium.

QVI ADHAERET MERETRICI, VNVM CORPVS EFFICITVR. ERVNT ENIM, INQVIT, DVO IN CARNE VNA] *Vnum corpus*, per corporum vnionem & commixtionem, vt, sicut mercatores in societate vnas habent opes, quia communes, sic fornicarij vnum habeant corpus, quia vtriusque corpus est vtrique commune, ait Caietan. Et sic sunt *duo in carne vna*, id est, duo sunt vna caro. q.d. E duobus fiet velut vnus homo, non spiritalis, sed carnalis, & quasi totus caro.

ERVNT ENIM, INQVIT Scriptura sacra, DVO IN CARNE VNA] Citat hæc verba Paulus ex Gen. 2. 24. vbi dicuntur de coniugibus: benè tamen Apostolus ea refert ad fornicantes, quia actus externi seu coniugum, seu fornicantium secundùm speciẽ naturæ,

ge differunt, licet in genere moris specie, imò genere differant: horum enim actus sunt libidinis & vitiosa: verò actus sunt temperantiæ, iustitiæ & virtutis. Ita S. Thom.

Vers. De coniugibus dicitur, quòd *erunt duo in carne vna*: id est, duo erunt vna caro. Primò, per coniugium carnale, vt hîc explicat Apostolus. Secundò, *erunt vna caro*, synecdochicè: id est, vnus homo, vna persona: vir enim & femina ciuiliter vnum sunt, & censentur vna persona ciuilis. Tertiò, quia coniux est dominus corporis sui comparis, & sic vnius caro est alterius caro. Patet cap. seq. v. 3. Quartò, effectiuè, quia vnam carnem, scilicet prolem, generant.

Vers. Secundò. Hac phrasi vtitur Scriptura hoc loco, vt ostendat inter humanas necessitudines arctissimum & inuiolabile esse vinculum matrimonii. Hinc ex Adami costa fecit Deus Euam, quasi vir & femina non tã duo quàm vnus sint, debeantque vnum esse amore & voluntate, adeoque si sit opus, coniux coniugis causa debeat patrem & matrem deserere, vt dicitur Genes. 2. 24. Citat ergo Apostolus hunc locum, vt demonstret quantum se deliciæ & infamet fornicator, vtpote qui tã arctè coniungatur cum meretricula viliſſima, vt vnum fiat cum illa, & in ipsam, in scortum scilicet & meretricem se quasi transformet.

QUI AUTEM ADHAERET DOMINO, [cum eo fit] ET EST VNUS SPIRITUS] *Vnus*, non essentialiter, vt volebat Almaricus, & illuminati quidam fanatici, teste Trithemio libr. de Alta contemplatione, sed accidentaliter: vnus, inquam, charitate, voluntatis consensu, gratia & gloria, quæ hominem faciunt quasi diuinum & Deum, vt cum Deo quasi vnus liat, & sit spiritus. ita Ambros. Anselm. Oecumen. Vide ex hoc loco S. Basilius libr. de Vera virgin. demonstrat animam castam & sanctam esse sponsam Dei, eamque in diuinæ imaginis excellentiam transferri, vt cum Deo vnus fiat spiritus: atque ex hac cum Deo coniunctione haurire omnem puritatem, virtutem, incorruptionem, pacem & tranquillitatem. *Quocirca*, inquit, *anima quæ Christo copulata est tamquam sapientiæ Verbi Dei sponsa, sapiens ac prudens sit necesse est, vt omni stultitiæ & insipientiæ noxa iugi diuinarum rerum meditatione explosa, sapientia, cui coniuncta est, ornetur pulchritudine, donec eandem sapientiam sibi penitus iungat, vnumque cum eo, cui inhæsit effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita prudens ac sapientissima, tamquam Verbi cui adhæsit costa, atque (vt breuiter dicam) ex hominis mortali immortalis Deus; sic vt ille, cui coniuncta est omnibus manifestetur.*

Præclarè verò S. Bernardus serm. 7. in Cantica hoc Dei cum anima (quæ pura & casta dilectione Deo adhæret) connubium, & ex eo manantem bonorum communionem ita describit: *Anima*, inquit, *quæ diligit Deum, sponsa vocatur. hæc enim duo nomina sponsa & sponsus, maximè indicant internos affectus. hu enim omnia communia sunt, vna hereditas, vna domus, vna mensa, vnus lectus, vna caro. Propter hũc relinquet homo patrem & matrem, &c. & erunt duo in carne vna.* Deinde eorumdem amorem & osculum prosequitur dicens: *Sponsa itaque dicitur illa, quæ amat: amat autem quæ osculum petit, non petit libertatem, non mercedem, non hereditatem, sed osculum more planè castissimæ sponsæ, ac sacrum spirantis amoris, nec omnino valentis flammam dissimulare, quam patitur. Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui. Quasi dicat, Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Denique huius amoris puritatem & vehementiam ita explicat: *Amat profectò castè quæ ipsum, quem amat, quærit, non aliud quid præter ipsum. Amat sanctè: quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Amat ardenter, quæ ita proprio inebriatur amore, vt maiestatem non cogitet. Quid enim? respicit terram, & facit eã tremere; tangit montes, & fumigant; & illa se ab eo postulat osculari: ebria est: ebria certè, quia fortassis de cella vinaria egressa erat. O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia! Perfecta charitas foras mittit timorem. Nec dicit: Me osculetur iste, vel ille sponsus, vel amicus, vel rex, sed indeterminatè loquitur, Osculetur me: quemadmodum & Maria Magdalena dixit, loquens de Christo Domino, quem in monumento non reperiens, sublatum credidit: Si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum? & ego eum tollam. Quem eum? non aperit: quia palam omnibus esse credit, quod à suo corde nec ad instans recedere potest. Sic sponsa: Osculetur me, ait, ille, qui numquam à corde meo absens est: quia amore accensa credit nomen sponsi omnibus conspicuum esse.* Plura de hac animæ Deo adhærentis cum Deo desponsatione & coniunctione dicam 2. Corinth. 11. v. 2.

Excellentia & vilitas hominis cũ Deo vniti.

Rursum idem Bernard. siue auctor tract. de Vita solitar. ante finem: *Vnitas*, inquit, *spiritus cum Deo hominis cor sursum habentis, proficientis in Deum voluntatis est perfectio. Cùm iam nõ solùm vult quæ Deus vult, sed sic est non tantùm affectus, sed etiam in affectu profectus, vt non possit velle nisi quod Deus vult; velle autem quod Deus vult, hoc iam simile Deo esse est: non posse velle nisi quod vult Deus, hoc est iam esse quod Deus est, cui iam velle & esse idipsum est. Vnde bene dicitur, quòd tunc videbimus eum sicuti est: cùm sic similes ei erimus, hoc erimus quod ipse est. quibus enim potestas data est filios Dei fieri, data est potestas, non quidem vt sint Deus, sed sint tamen quod Deus est.*

Vnitas spiritus cum Deo est similitudo Dei.

Deinde prosequitur Bernard. triplicem similitudinem hominum cum Deo, ac deinde subiungit: *Dicitur autem hæc similitudo Dei vnitas spiritus, non tantùm quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus sanctus, sed quia est ipsa Spiritus sanctus, Deus charitas: qui cùm sit amor Patris & Filij, & vnitas, & suauitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quidquid commune potest esse amborum in summa illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis; hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali vnitate Filio est ad Patrem, & Patri ad Filium; cùm in amplexu Patris & Filij mediã quodammodo se inuenit hominis beata conscientia: cùm modo ineffabili incogitabiliq; fieri meretur homo Dei, non Deus; sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia.*

Vers. 18. *Sola libido fugiendo vincitur.*

FVGITE FORNICATIONEM] Quia, vt Anselm. Cassian. & passim Patres docent, alia vitia pugnando, sola libido fugiendo vincitur, scilicet fugiendo feminas, obiecta, occasiones libidinis, diuertendo oculos & mentem, vt alia videat & cogitet. Si enim turpi tentationi te opponas, & cogitationi repugnes, cogitando magis commoues imaginationem eorumdem, indeque carnem & concupiscentiam innatam, & in libidinem profusam magis accendis.

OMNE PECCATVM EXTRA CORPVS EST] corpus proprium non maculat, non polluit.

Dices, Si quis se occidat, mutilet, castret, hic in corpus suum peccabit: ergo non omne peccatum à fornicatione distinctum extra corpus est.

Respondeo, Omne peccatum, id est, omne genus

nus peccatorum, quod communiter & ordinariè committunt homines, extra corpus est. Septē enim sunt vitia capitalia, quæ Theologi ex S. Paulo diuidūt in spiritualia, & corporalia, siue carnalia. carnalia duo sunt, gula, & libido: spiritualia sunt quinque, putà superbia, auaritia, ira, inuidia, acedia. ex quibus ira & inuidia subinde per se prorumpunt in necem proximi, non autem in necem propriam nisi per accidens, rarò & extraordinariè; ac consequenter iracundus per se & ordinariè non peccat in corpus proprium, sed alienum, quod lædit, vel occidit. q.d. Apostolus: *Omne peccatum*, id est, pleraque omnia peccata, quæ ordinariè & communiter faciunt homines, extra corpus sunt. Non ergo sub τὸ *omne peccatum*, comprehendit sui mutilationem, vel occisionem, quæ per accidens, rarò, & extrauaganter fiunt: non etiam comprehendit gulam, vti mox dicam.

Vitia capitalia dupliciter diuidunt Theologi.

Quomodo omne peccatū præter fornicationem extra corpus sit.

B

QVI FORNICATVR, IN CORPVS SVVM PECCAT] S. Hieron. epist. ad Amandum to. 3. duas huius loci expositiones affert, quarum Prima est: fornicator peccat in corpus, id est, in vxorem suam. Secunda, in corpore defigit stimulos veneris, qui etiam post peccatum, cùm vult pœnitere, ad pristina eum titillent. *Alia*, ait S. Hieron. *peccata forinsecus sunt, quæ post factum pœnitudinem habent, & licet inuitet lucrum, mordet conscientia. Sola libido etiam in ipso tempore pœnitendi, præteritos stimulos patitur, & titillationem carnis & incentiua peccati, vt per hæc quæ corrigi cupimus cogitantes, rursum sit materia peccandi.* Id expertum se fatetur S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium. Experta idipsum est & sancta Maria Ægyptiaca, quæ totidem annos quot veneri seruierat, scilicet 17. hos stimulos pœnitens C est passa, vt narrat Sophronius Hierosolymorum Patriarcha in eius vita.

Quas scintillas relinquat libido, eiusq; exemplum.

Oecumen. decem alias huius loci habet expositiones. Verùm sensus proprius & genuinus huius loci est: *Qui fornicatur in corpus suum peccat*, hoc est, qui fornicatur, corpori suo iniurius est, corpori suo grauem iniuriam irrogat; Primò, quia corpus suum polluit, coinquinat & maculat: ita Nyssen. oratione in hanc Apostoli sententiam.

Quare fornicator in corpus suū peccet. Prima causa.

Secundò, quia corpus suum fornicando debilitat, exhaurit, & sæpe iue venerea, aliisque morbis inficit & consumit. ita S. Athanas. apud Oecumen. Vtroque modo gulosus quoque & ebriosus in corpus suum peccat: quia illud phlegmatibus, vomitu, aliisque sordibus sæpè dedecorat, illiusque vires & calorem naturalem debilitat, lædit & obruit. Vnde sub fornicatione hîc gula & ebrietas quasi illi D affinis, imò mater, intelligi potest: qua de causa de gula paulò antè v. 13. egisse videtur Apostolus. hæc enim duo, scilicet gula & libido, propria sunt vitia corporis; vnde & peccata carnalia vocantur: reliqua vitia sunt spiritus & mentis, vti paulò antè dixi.

Secunda.

Quare ebriosus & gulosus in corpus suū peccet.

Tertia.

Tertiò, fornicator corpori suo iniurius est, quia ipse solus corpus suum liberum, purum & nobile vilissimæ meretricis iuri, seruituti & potestati subijcit. vt cum ea quasi vnum quid fiat, perinde enim ac si quis corpus nobile, sanum & speciosum colligaret corpori alicuius putidi leprosi, diceretur iniuriam grauem facere corpori tam nobili & pulchro: ita qui corpus suum liberum, purum ac nobile à Deo creatum, & sanguine Christi redemptum & ablutum meretrici sordidæ, abiectæ & infami commiscet, grauem corpori suo iniuriam irrogat:

Similitudo declarans quàm fœdū sit meretricium.

A hanc enim iniuriam omnibus hisce verbis exaggerat Apostolus.

Quartò, fornicator in corpus suum peccat, & iniurius est: quia in corpore fœdam & pudendam libidinem excitat, quæ ita mentem absorbet, vt in illius actu nihil aliud homo cogitare possit. Facit ergo fornicator corpus suum mancipium libidinis & concupiscentiæ, vt in eo fœdā libido desæuiat, illudque totum sibi vendicet: nec gula, nec aliud vitium in corpore tam pudendam & tam vehementem concupiscentiam excitat, quæ ita sibi corpus manciper, vt libido. Sola ergo libido damnatur corpori, illudque sua concupiscentia & peccato inficit, subiugat & corrumpit.

EMPTI ESTIS PRETIO MAGNO: GLORIFICATE ET PORTATE DEVM IN CORPORE VESTRO] q.d. Magni æstimate, magni facite vestra corpora, cùm ea licetur dæmon turpi & breui corporis voluptate. Ne corpus tuum vilipendas, ne gratis vendas, imò eximi ducas: hæc est enim gloria Dei, si magni sint illa corpora, quæ Deus tanto sibi pretio comparauit, scilicet sanguine suo. Hinc nomen gloriosum Christiani est Emptus, & Redemptus, scilicet à peccato & gentilismo, idque pretio sanguinis Christi. Sic olim filij Christianorum empti Turcis, & à christianismo ad turcismum traducti, vocabantur *mamluchi*, id est, empti. Cùm enim Tartari subegissent Armeniam, vendiderunt pueros Christianorum: hos Melech-Sala Ægypti Sultanus emit magno numero, ipsosque in militia exerceri curauit, & vocauit *mamluchos*, id est emptos. Nam *malac* enim arabicè significat emere, & acquirere. Post mortem Sultani Melech-Sala cœperunt Mamluchi ex suo collegio, quod solis Christianis apostatis constabat, regem constituere anno Christi 1251. Vt autem cœperunt Mamluchi sub Frederico II. Imp. ita extirpati sunt à Selymo Ægyptum occupante, anno Christi 1516. Tunc enim Mamluchi regnare & esse desierunt.

GLORIFICATE DEVM IN CORPORE VESTRO] castum illud seruando in obsequium spiritus & Dei.

Nota. τὸ *portate*, non est in Græco. Vt equus ait D. Thomas, portat dominum & sessorem, & ad eius voluntatem mouetur; ita corpus, Dei voluntati & obsequio mancipetur. Græci addunt: καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν ἅτινά ἐστι τοῦ θεοῦ, & in spiritu vestro quæ sunt Dei. q.d. Glorificate & portate Deum, & in corpore, & in mente, quia vtraque sunt Dei.

Nota, Corinthios fuisse in venerem, ac consequenter in gulam propensos. Id patet ex Suida verbo *Corhys*, qui ait: *Corhys dæmon apud Corinthios colitur, præses effeminatorum & impudicorum.* Idem docet Herodotus in Clio, & Strabo libr. 8. *Festum Veneris*, ait Strabo, *Corinthi ita fuit celebre, vt plures quàm mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresq; dedicarunt.* Inde in prouerbium abijt κορινθιάζειν, hoc est, lasciuire, genio & libidini vacare. Hinc Apostolus impensè Corinthios dehortatur à solita fornicatione, idque variis rationibus ex diuersis locis petitis. Primò, à creatione; Secundò, à resurrectione corporis; Tertiò, à fœditate libidinis, & iniuria in corpus; Quartò, à dignitate corporis.

Ex quibus colligas sex argumenta, quibus eos deterret à scortatione. Primum est, quia corpus non est nostrū, sed Domini, v. 13. Secundum, quia si castū sit, resurget in gloria, v. 14. Tertium, quia corpus nostrum membrum est Christi, v. 15. Quartum, quia

corpus castum templum est Spiritus sancti; vt per castitatem Deo adhærens fiat vnus spiritus cum Deo, v.17. Quintum, quia libido corpus dedecorat & contaminat, v.18. Sextum, quia corpus nostrum Christi sanguine emptum est: ergo indignum est & Deo, Christo ac Spiritui sancto iniurium, si quis illud det meretrici, v.20. Vide Chrysost. in locum.

Moraliter & S. Bern. in psal. *Qui habitat*, serm. 7. *Gloriate*, inquit, *dilectissimi, & portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suaue pondus, sarcinam salutarem, etiamsi premere aliquando fortè videtur, etiamsi interdum latera tundit, & flagellat recalcitrantem, etiamsi aliquando in camo & fræno maxillas constringit, & coërcet omnino feliciter. Esto vt iumentum, minimè tamen iumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens: sapienter & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quàm propriam vtilitatem.* Sic S. Ignatius Martyr vocatus est Deifer & Christifer, idemque B. Virginem in suis ad eam epistolis *Christiferam* consalutat, ait Bernard.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Respondet Corinthiorum quæstionibus de iure matrimonij, & consilio virginitatis ac cælibatus. *Quinque quæstiones Corinthiorum circa matrim. resoluit hic Apostolus.*

Prima quæstio est, An Christiano, vtpote iam renato, & sanctificato, liceat matrimonium, eiusq; vsum? Respondet Paulus, licere, imò coniugi petenti debitum reddi debere: Vxori, *inquit*, vir debitum reddat, & vxor viro: *adeoq; melius esse nubere, quàm vri.*

Secunda est v.10. de diuortio, An liceat facere diuortium? respondet Paulus negatiuè.

Tertia est v.12. Quid si fidelis coniugem habeat infidelem, potéstne cum eo manere & habitare? Respondet posse, imò debere, si infidelis consentiat pacificè habitare cum fideli.

Quarta est v.17. An ob christianismum mutandus sit status? vt coniux, v.g. qui seruus fuit in paganismo, per christianismum fiat liber; qui Ethnicus fuit, fiat Iudæus. Respondet negatiuè, adeoq; quemque in suo statu manere debere.

Quinta est v.25. An saltem illæ quæ virgines conuertuntur ad Christum, manere debeant virgines? Respondet, virginitatem nemini præcipi, sed omnibus consuli, quasi matrimonio meliorem ob sex rationes.

Prima est, ob necessitatem præsentis temporis, quod breue nobis datum est ad lucra, non temporalia, sed æterna comparanda: hisce autem comparandis tota insistit virgo, v.26.

Secunda v.27. quia coniugatus, coniugio quasi vinculo alligatus est vxori: cælebs autem solutus est & liber.

Tertia v.28. quia cælebs caret tribulatione carnis, quæ est in coniugio.

Quarta v.32. quia virgo tantùm cogitat quomodo placeat Deo; coniugatus diuisum habet cor & curam in vxorem & Deum.

Quinta v.34. quia virgo sancta est & corpore & spiritu; coniugatus nec corpore, nec spiritu sæpè.

Sexta v.35. quia cælibatus facultatem præbet virgini sine impedimento Dominum obsecrandi; cùm coniugatus mille habeat impedimenta deuotionis & pietatis.

1. DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: 2. propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. 3. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 5. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. 6. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. 8. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. 9. Quòd si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri. 10. Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: 11. quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. 12. Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illâ, non dimittat virum, 14. sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 15. Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater,

frater, aut soror in huiusmodi: in pace autem vocauit nos Deus. 16. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? 17. nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sic in omnibus ecclesijs doceo. 18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. 19. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. 20. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 21. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. 22. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. 23. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. 24. Vnusquisq; in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. 26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. 27. Alligatus es vxori? noli quærere solutionē. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. 28. Si autem acceperis vxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. 29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint: 30. & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: 31. & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. 32. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. 34. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. 35. Porro hoc ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. 36. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. 38. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. quòd si dormierit vir eius liberata est: cui vult nubat: tantùm in Domino. 40. Beatior autem erit si sic permanserit secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.

VERS. 1. DE QVIBVS AVTEM SCRIPSISTIS MIHI] q.d. Quod attinet ad quæstiones quas mihi proposuistis de matrimonij & cælibatus iure, vsu, fructu, sic respondeo: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Vbi Nota ex S. Anselmo & Ambros. Pseudoapostoli quidam, vt sanctiores viderentur, docebant nuptias esse spernendas, idque ex verbis Christi. Matth. 10. v. 12. *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum:* quod ipsi de omnibus Christianis dictum interpretabantur; maximè cùm actus fornicationis, quem tantopere insectatus est Apostolus c. præced. non multùm distare videatur, imò physicè idem sit cum actu coniugij. Quæsierunt ergo Corinthij per literas à Paulo, an Christiani tam sancti esse deberent, itaq; vacare orationi, pietati, castitati, vt à re vxoria prorsus abstinere tenerentur. etiam coniugati?

Pseudoapostoli quidā dixerunt nuptias esse spernendas.

BONVM EST HOMINI MVLIEREM NON TANGERE] *Bonum*, græcè καλὸν, id est, pulchrum, res præclara, eximia est. ita Theophyl. *Bonum* ergo non est hîc idem, quod vtile, vel commodum, vt vertit Erasmus; sed est bonum morale & spirituale, quod per se facit ad concupiscentiæ victoriam, pietatem & salutem. vt patet v. 32. 34. 35. Rursum tangere, vel cognoscere mulierem Hebræis honestè & modestè loquentibus idem est, quod exercere actum coniugij.

Quale bonum sit homini mulierem non tangere.

Addit S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Apostolum dicere *tangere*: quia vel ipse mulieris tactus quasi contagiosus est & viro fugiendus. Aug. & Hieron. *Non dicit Apostolus, Bonum est vxorem non habere, sed, Bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quòd qui illam tetigerit, non cadat; nempe quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit adolescentium euolare corda. Alligabit quis ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur: ita viri tactus & femina sentit naturam suam, & diuersitatem sexus intelligit. Narrant & Gentilium fabulæ, Mithram & Erichthonium, vel in lapide, vel in terra, de solo æstu libidinis esse generatos. Vnde & noster Ioseph, quia tangere eum voluerat Aegyptia, fugit ex manibus eius; & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat, abiecit.* Hucusque S. Hieron. Notent hoc viri, notent adolescentes.

Refert Cardinalis Vitriaco vir grauis & doctus de S. Maria d'Oignies, quòd ipsa iuuenis ita corpus macerarit & siccarit, vt per plures annos ne primos quidem libidinis motus senserit; cumque quidam grauis vir casto & spirituali affectu manum eius stringeret, indeque sentiret carnis motus, illa hoc ignorans audiuit vocem de cælo, *Noli me tangere*, nec intellexit, sed eam narrauit alteri qui rem intellexit, & deinceps tali contactu abstinuit.

Narrat S. Gregorius l. 4. Dialog. c. 11. S. Vrsum presby-

genitorum ab vxore separatum castè vixisse: A eamque moriturus vltimum traheret spiritum, accersitâ vxore naribus eius aurem admouens, vt sentiret si quod adhuc ei vitale spiramen inesset. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quamuis raluit nisu vocem collegit, dicens: *Recede à me mulier, adhuc ignis ille viuit, paleam tolle.* Verè poeta:

Ingulus vt visu Siren Acheloia cantu,
Et necat affrictu Thessala saga leni:
Sic oculis manibus, sic vrit femina cantu;
Sic trifidum salmen Vaiouis esse queat.

Infert hinc rectè S. Hieron. l. 1. contra Iouinian. ergo malum est homini mulierem tangere: non dixit peccatum, vt Iouinian. & alij calumniati sunt S. Hieron. sed *malum est*: quia hoc tangere actus est concupiscentiæ, & carnalis prauæque delectationis, quæ tamen excusatur per bonum coniugij, B sed plane tollitur per bonum cælibatus.

Dices Genes. 2. dicitur: *Non est bonum hominem esse solum*, ergo bonum est homini mulierem tangere.

Respondeo, Deus in Genesi loquitur de bono speciei, Paulus de bono individui: Deus tempore innocentiæ, Paulus pleni: Deus de bono temporis, Paulus de bono vitæ spiritalis & æternæ. Illud enim bonum est homini mulierem non tangere.

PROPTER FORNICATIONEM AVTEM, ne scilicet in eam incidat, si cælebs sit, & tamen castè viuere nolit. VNVSQVISQVE SVAM VXOREM HABEAT] Si vnusquisque, ergo & sacerdos & monachus, aiunt Melanchthon & Bucerus, vxorem habere debet. Respondeo, *Vnusquisque*, liber scilicet, nec voto, nec sexu, aliove impedimento adstrictus: hic enim est incapax matrimonij. Leges autem & documenta accipienda sunt pro subiecta materia, & tunc illa dantur capacibus, non impeditis: ei ergo qui liber est & solutus ac habilis, Apostolus non præcipit, sed consulit & permittit, vt si timeat fornicationem, vxorem ducat, vel ducta vtatur, potius quàm in periculum fornicationis incidat. ita Patres quos citabo v. 9. in fine. & patet: quia alioquin sibi ipsum pugnaret Apostolus. Nam toto capite laudat castitatem.

Addo, Apostolum propriè tantùm loqui coniugatis, non autem iis qui cælibes sunt: hi enim loqui incipit v. 8. vt patet ex coniunctione aduersatiua *autem*, cùm ait, *Dico autem non nuptis & viduis*: ex eo quòd hîc dicit *habeat*, non autem ducat, quæ scilicet loquebatur illis qui iam duxerant vxores. ita Hieron. lib. 1. contra Iouinian. q. d. *Vnusquisque* coniugatus *vxorem suam habeat*, id est, habere pergat, retineat, non eam dimittat aut repudiet, sed potiùs ea legitimè & castè vtatur. Τὸ enim *habeat* significat actum, non inchoatum, sed consummatum. Sic 2. Timoth. 1. 13. *Formam*, inquit, *habe sanorum verborum. habe*, id est, retine & conserua ea quæ habes & accepisti à me. Sic Lucæ 19. v. 26. *Omni habenti* (id est, talento suo vtenti) *dabitur: ei autem qui non habet* (id est, qui non vtitur, non exercet talentum suum) *& quod habet auferetur ab eo*: alioquin non propriè non potest auferri à quoquam id, quod non habet. vide can. 32. Hunc esse sensum patet ex sequentibus, subdit enim explicans se Apostolus, *Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro*, &c.

VXORI VIR DEBITVM REDDAT] *Debitum*, græcè ὀφειλὴν τὴν εὔνοιαν, debitam benevolentiam: ita honesta periphrasi debitum coniugale circumscribit Apostolus.

MVLIER SVI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED VIR] *Sui corporis*, scilicet, secundùm ea membra quæ sexum distinguunt, & quatenus ea seruiunt actui coniugali *potestatem*, vt pro sua voluntate possit continere, vel alteri se coniungere, *non habet mulier*, putà vxor, sed maritus, idque sibi tantùm non alteri. ita S. August. libr. 5. contra Iulian. c. 4. Vnde pro *potestatem non habet*, græcè est, οὐκ ἐξουσιάζει, id est, ius non habet, scilicet ad continendum, vel vt alteri corpus suum tradat. VERS. 4. *Quomodo mulier non habeat potestatem sui corporis.*

SIMILITER ET VIR (maritus) SVI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED MVLIER] Vnde patet, licet in administratione familiæ vxor inferior, & subiecta esse debeat marito; in iure tamen & debito coniugali exigendo & reddendo eamdem parem esse marito, & æquale cum eo ius mutui corporis habere, idque ex contractu matrimonij, in quo alter alteri æqualiter tradidit potestatem corporis sui, & parem potestatem in corpus alterius, putà coniugis, accipit: tam ergo maritus vxori, quàm vxor marito in fide & debito coniugali obstringitur. Ita disertè ex hoc Apostoli loco docent S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Primas. Ansel. hîc, & S. Hieron. citatus 32. q. 2. c. *Apostolus*: *Ad paria*, inquit Hieron. *iudicantur vir & vxor. Cùm ergo*, inquit Chrysost. hîc homil. 19. *ad tentandum meretrix accesserit, dicat non esse tuum corpus, sed vxoris; itidem & vxor dicat iis, qui volunt expugnare pudicitiam, Corpus meum non est meum sed viri.* *In quo vxor marito, & maritus vxori obstringatur?*

NOLITE FRAVDARE INVICEM, negando debitum coniugale, NISI FORTE EX CONSENSV AD TEMPVS, VT VACETIS ORATIONI] Græcè addunt ἐκ συμφώνου, & ieiunio. Hinc Nicolaus I. c. 50. in responsis ad quæstiones Bulgarorum, scribit eisdem, vt tota Quadragesima vsu vxorum abstineant. Hoc consilij est. VERS. 5.

ET ITERVM REVERTIMINI IN IDIPSVM] Græcè ἦτε τὸ αὐτὸ συνέρχεσθε, in idem conuenite, scilicet ad consuetum debitum coniugale reddendum. Hinc P. Martyr, & Magdeburgenses volunt, non licere coniugibus ex mutuo consensu vouere perpetuam continentiam. *Paulus permittit vsum coniugij, non præcipit, idque patet quinque rationibus.*

Verùm Respondeo, Apostolum hîc non præcipere, sed permittere coniugibus vsum coniugij. Patet id Primò, nam subdit:

HOC AVTEM DICO SECVNDVM INDVLGENTIAM, NON SECVNDVM IMPERIVM] q. d. Copulam indulgeo, non præcipio; imò S. August. Enchirid. c. 78. legit: *Hoc dico secundum veniam.* Græcum enim συγγνώμην ignoscentiam, siue veniam significat, & inde colligit S. August. esse peccatum veniale misceri coniugi, non filiorum, sed carnalis voluptatis causa, ad vitandas tentationes Satanæ: peccato enim datur venia, sic & indulgentia est de peccato, vel certè minori bono, vt rectè annotauit D. Thomas. Secundò, quia permittit Apostolus, vt coniuges ad tempus, quo vacant orationi & ieiunio, contineant se. Ergo si tota vita velint vacare orationi & ieiunio, permittit eis, vt tota vita se contineant. Tertiò, *Reuertimini*, ait: & causam affert, *ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram*, vt scilicet periculum sit, ne labamini in adulterium, vel alias libidines, eò quòd sitis incontinentes. Ergo si cesset causa, scilicet periculum incontinentiæ, vti cessat in iis, qui eam generosè frenant & domant, permittit, vt se semper cõtineant. VERS. 6. *Permittitur vt coniuges tota vita se contineant.*

Quartò, quia ait v.7 *Volo enim omnes esse sicut meipsum*, id est, non castos quomodolibet, sed omnino continentes, cælibes, imò virgines, vti ego cælebs sum. ita Ambros. Theodor. Theophyl. Ansel. Chrysost. Oecumen. hîc, & Epiphan. hæresi 78. Hieron. epist. 22. ad Eustochium. Quintò, quia primis Ecclesiæ temporibus multos coniuges iuxtà hæc monita Pauli, ex mutuo consensu perpetuam seruasse castitatem, docet Tertul. lib. 1. ad vxorem c. 6. & lib. de Resurrect. carnis c. 8. & li. de Veland. virgin. 13. Idem testatur auctor commentariorum de singularitate Clericorum apud S. Cyprianum.

Exempla coniugum qui virginitatem seruarunt.

Accipe exempla coniugum, non è plebe, sed illustrium tam genere, quàm sanctitate & gloria, qui in coniugio continentiam & castitatem illibatam seruarunt.

Primum sit B. Virginis & Ioseph, qui vexillum castitatis non tantùm virginibus, sed & coniugatis erexerunt. Secundum, S. Cæciliæ & Valeriani nobilium Martyrum, vt meritò S. Cæciliæ corpus hoc sæculo à Clemente VIII. post tot annorum centurias illæsum & integrum sit repertum. Tertium, S. Iuliani & Basilissæ, quorum vita illustris extat apud Surium. Quartum, S. Pulcheriæ Augustæ sororis Theodosij Imp. quæ cùm perpetuam Deo vouisset virginitatem, mortuo Theodosio, ea conditione nupsit Marciano, eumque creauit Imperatorem, vt suam castitatem Deo votam conseruaret, quod & præstitit, teste Cedreno & aliis. Quintum, Henrici II. Imp. & Cunegundis, quæ vt suam virginitatem probaret, illæsa super ferrum candēs ambulauit. Sextum, Boleslai V. Polonorū Principis, qui inde Pudici nomen accepit, & Cunegundis Belæ Hungarorum Regis filiæ. Septimum, Conradi Regis filij Henrici IV. Imper. cum coniuge sua Mathilde. Octauum, Alfonsi II. Asturum Regis, qui cum coniuge sua continentiam seruans, Casti nomen accepit. Nonum exemplum det Richardis Regina, quæ cum marito Carolo Crasso Rege, cælebs permansit. Decimum det S. Pharaildis neptis S. Amelbergæ æquè ac Pipini, perpetua in coniugio virgo. Vndecimum det Eduardus III. & Egitha virgines & coniuges. Duodecimum det Ethelreda Orientalium Anglorum Regina, quæ bis coniugata, semper virgo permansit. Denique decimumtertium dent duo coniuges Aruernenses, de quibus narrat Gregor. Turonens. lib. de Gloria Confess. c. 32. quòd cùm vxor obiisset, maritus eleuatis in cælum manibus dixerit: *Gratias tibi rerum omnium artifex ago, quòd sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddo ab omni voluptatis coniugio impollutam. At illa subridens ait: Sile, sile vir Dei, quia non est necesse prodere nostrum secretum. Paulò pòst mortuus est maritus, alioq; loco sepultus: & ecce manè facto, inuenta sunt pariter esse sepulchra, quæ vsque hodie sic perdurant: idcirco nunc incolæ, Duos amantes vocitant, & summo venerantur honore.* Hodie quoque exempla non desunt.

VERS. 7. VOLO ENIM OMNES ESSE SICVT MEIPSVM] quoad cælibatum & continentiam, vti iam dixi.

Nota *volo*, id est vellem, cuperem, optarem, si commodè fieri posset. *Volo* ergo significat hîc actum volendi inchoatum & imperfectum, iuxta can. 32. Id patet ex eo quòd hoc *volo* corrigens Apostolus subdit, *Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo.* Rursum *omnes*, id est singulos, siue *omnes* seorsim, non collectim. Nam si collectim omnes abstinerent, nullum esset matrimonium, &

Omnes, id est singuli.

A species humana ac mundus interiret. Sic dicimus posse vitare omnia peccata venialia; omnia, non collectim; sed seorsim, hoc est singula. Alij omnes collectim accipiunt: quia si Deus omnibus hanc mentem continendi inspiraret, signum esset iam compleri electorum numerum, Deumq; velle mundo finem inducere. Sed Paulus sciebat Deum pro illo tempore velle contrarium, scilicet vt adhuc Ecclesia Dei cresceret & propagaretur per matrimonia. Prior ergo explicatio verior est.

SED VNVSQVISQVE PROPRIVM DONVM HABET EX DEO: ALIVS QVIDEM SIC, ALIVS VERO SIC] *Proprium donum* habet, scilicet propriæ voluntatis, inquit liber de Castitate falsò ascriptus Sixto III. Pontif. qui extat tom. 5. Biblioth. SS. Patrum. Est enim Pelagiani alicuius. Nam toto libro docet castitatem esse opus liberi arbitrij & propriæ voluntatis, non gratiæ Dei. Vide Bellarm. libr. 2. de Monachis c. 31. & lib. 1. de Clericis c. 21. ad 4. Verum hîc est error Pelagij: propria enim voluntas, si abea tollas gratiam Dei, non potest dici proprium Dei donum. Nam propria voluntas non est aliud, quàm electio libera propriæ volūtatis. Deus enim voluntatem liberam, similem & æqualem omnibus indidit: quare quod hîc eligat castitatem, ille matrimonium, non potest dici donum Dei, si tollas Dei gratiam; sed idipsum tribuendum est cuiusque liberæ electioni, quæ proinde in diuersis dispar est & diuersa. Dico ergo *proprium donum*, castitatis nimirum cōiugalis, virginalis, aut vidualis: Ergo, inquiunt hæretici, Sacerdotes & monachi, si non habent donum virginitatis, possunt inire matrimonium. Sed sic pariter inferam; Ergo coniuges, si non habent donum castitatis coniugalis, vti sunt multi qui adulterantur, poterunt adulterari, vel cùm adulteris secundas inire nuptias. Rursum, si vxor absit, nolit, vel ægrotet, poterit maritus aliam adire, si dicat se non habere donum viduitatis: quod licet admittat furens Lutherus, horrent tamen omnes, & instar monstri habuerunt Romani, aliiq; Gentiles ex ipso naturæ instinctu & dictamine.

Respondeo ergo cum Chrysost. & Patribus citatis, Apostolus hîc consolatur & indulget infirmioribus & coniugatis, quòd donum & statum castitatis coniugalis amplexi sint, cùm antea viginalis amplecti potuissent. Nam de aliis non nuptis subdit, *bonum esse si sic permaneant*, id est, permanere velint. q. d. *Volo*, id est velim, *omnes esse sicut meipsum*, hoc est, esse virgines, vti ego virgo sum; sed nolo id præcipere, imò consolor coniuges, eisque vsum coniugij indulgeo, vt se solentur cogitando, quòd vnusquisque proprium donū habet ex Deo, se verò habere donum coniugij, id est castitatem coniugalem: nam & coniugium est donum Dei & à Deo institutum. Vult enim Deus ad complementum vniuersi aliquos, sed in genere & indeterminatè, esse in coniugio: licet donum hoc coniugij minus sit dono virginitatis.

Dices, Non tantùm donum coniugij est à Deo, sed & quòd illud sit huic homini proprium, aliud alteri, v.g. quòd hic sit virgo, ille coniugatus, est à Deo.

Respondeo, Hoc subinde verum est, vt cùm Deus huic inspirat animum ad cælibatum, illi ad coniugium, v.g. reginæ alicui, quæ prolem probam & regno & Ecclesiæ perutilem gignere potest: non tamen semper id facit Deus, sed indifferentes

...ter sæpè se habet, ita vt in multorum arbitrio A ...rint relinquat vt eligant vel matrimonium, vel ...libatum.

Obiicies. Quomodo ergo ait Apostolus: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo*? Respondeo, Donum hoc dupliciter accipi potest. Primò, status ipse, matrimonij, cælibatus, religionis. Secundò gratia necessaria & propria huic, vel illi statui. Si primo modo sumas, tunc donum cuiusque proprium est à Deo; sed materialiter tantùm: quia donum id, quod quisque elegit & sibi proprium fecit, est à Deo. Deus enim coniugium, cælibatum, religiosque status vel per se, vel per Ecclesiam inducit, & volenti hunc illumue amplecti, hunc statum tribuit & concedit; atque sic proprium donum quisque habet partim ex Deo, partim ex se & suo arbitrio amplexu. Nam propriè & formaliter quòd donum illud huic vel illi sit proprium, B hoc est à libera electione: potest tamen eatenus dici Deo esse, quatenus omnis directio causarum secundarum, & omnis boni prouidentia est à Deo. Deus enim communi sua prouidentia dirigit eumque per parentes, socios, confessarios, præceptores, & alias occasiones & causas secundas, quibus se vt huic matrimonio, ille sacerdotio se addicat libere. Nam omnis hæc directio, non necessaria est ei, sed libera.

Vis Nota. Potuisset dicere Apostolus, Quisque proprium statum habet ex se, quem sua libertate eligere voluit tamen dicere, *Quisque donũ proprium habet ex Deo*, quia vult coniugatos consolari. Ne ergo eorum pusillanimis & pœnitens excrucietur & dicat: Paulus vult nos esse similes sui, virgines & cælibes; vt quid ergo ego miser & infelix C coniugium inij? mea est culpa, quòd statum virginitati meliorem non sim amplexus, quòd tanto bono me fraudauerim, quòd in distractiones has & molestias coniugij me coniecerim. Hic enim mos est hominum pusillanimium, afflictorum & melancholicorum: maximè cùm in suo statu difficultates experiuntur, ideoque meliora & perfectiora appetunt; vt se excrucient, dum sibi & suæ familiæ tribuunt lucri, vel boni alicuius iactura, & molestias quas incurrerunt. Paulus ergo, vt huic obuiet, dicit non hominis hoc esse, sed Dei (in sensu quo dixi) donum, vt quisque in suo statu & vocatione quasi Dei dono conquiescat, lætus in sese exerceat, Deoque gratias agat.

Secundò, potest hoc donum esse gratia propria cuique statui: nam enim gratiam requirunt coniugio, vt in fide coniugali: illam virgines, vt in vir- D ginitate viuant. & hæc gratia propria cuique, fortasse est à Deo; quia posito quòd elegeris statum certum, v. g. matrimonij, aut cælibatus, Deus debet tibi gratiam & donum proprium illi statui, vt ipso recte viuere possis si velis. Hoc enim spectat ad rectam & ordinatam Dei prouidentiam, vt cùm nolint singulis statum certum præscribere, sed status electionem, vti & alia pleraque hominis arbitrio & electioni reliquerit; vbi is elegerit eum, hominem non deserat, sed gratiam illi statui necessariam ad honestè viuendum ipsi tribuat. Deus enim & natura non desunt in necessariis; maximè, quia Deus, vt ait Apostolus, vult omnes homines, in quouis statu, saluos fieri; ac cõsequenter omnibus media ad salutem necessaria suppeditat, quibus si vti velint, sanctè viuere & saluari possint. Aliquin enim multis impossibile esset saluari, putà

Religiosis, aliisque qui se voto castitatis; coniugibus, qui se matrimonio cum certa persona, difficili, infirma, vel exosa astrinxerunt: ad quod superandum & præstandum gratiam propriam & sufficientem à Deo non acceperunt. nec enim coniuges matrimonio, nec Religiosi voto suo absolui possunt, vt alium statum sibi magis conuenientem capessant.

Hoc modo sensus huius loci, *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo*, est. q.d. Elige statum quemuis, & Deus dabit tibi gratiam competentem & propriam, vt in illo statu decenter & sanctè viuas. ita Ambros. Et hoc propriè hîc intendit Apostolus, vt patet ex voce, *Volo autem*. q.d. Dixi me coniugatis vsum coniugij indulgere, non imperare: vellem enim omnes eo abstinere, & colere castitatem, exercereque cælibatum; sed quisque proprium habet donum, eo se soletur, illud exerceat, vt scilicet cælebs, qui castitatem virginalem, vel vidualem accepit, id est gratiam qua possit se continere, eam acceptet quasi donum Dei; coniugatus, qui castitatem cõiugalem accepit, id est gratiam castè vtendi coniugio, eam acceptet quasi donum Dei, eâ contentus sit, eâ se soletur, eâ vtatur quasi dono Dei. *Quisque suo proprio dono contentus sit.*

Hinc sequitur Primò, Deum Monachis, etiam apostatis, dare donum & gratiam sufficientẽ, quâ casti esse possint si velint; si videlicet Deum orent, vacent ieiunio, piæ lectioni, labori, perpetuæ occupationi: alioqui enim obligarentur ad impossibile. & Deus deesset in necessariis, nec haberent ipsi suo statui proprium donum, quod tamen hîc asserit Apostolus: *Vnusquisque*, inquit, scilicet, tam cælebs, tam virgo, quàm coniugatus, *donum habet* castitatis, sibi & suo statui proprium. *Monachi, etiam apostatæ, gratiam sufficientem habent, vt casti viuere possint si velint.*

Sequitur Secundò, si quis statum mutet in melius, Deum etiam mutare, & dare ei maius donum, & maiorem propriamque illi statui gratiam. Hoc enim ad statum perfectiorem necessarium est. ita definit Concil. Trident. sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit*, inquit, *clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares, castitatẽ solemniter professos, qui non sentiunt se castitatis habere donũ, posse contrahere matrimoniũ, anathema sit; cùm Deus id. rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.* *Canon Trident. de castitate clericorum & regularium.*

DONVM HABET EX DEO] Nota, duplicia Dei esse dona. Primò, quædam tota sunt ex Deo. Sic dona naturæ, id est Dei, quatenus est auctor & opifex naturæ, sunt ingenium, iudicium, memoria, bona indoles. Dona verò gratiæ sunt fides, spes, charitas, omnesque virtutes infusæ à Deo, quatenus est auctor gratiæ. *Duplicia sunt Dei dona.*

Secundò, alia dona sunt quidem à Deo, sed requirunt quoad suum effectum nostram cooperationem: sic gratiæ præuenientes & inspirationes bonæ sunt dona Dei; sic opera bona & actus omnium virtutum sunt dona Dei, ait S. August. quia Deus gratiam dat, primò, præuenientem, qua excitat ad hæc opera & hos actus; secundò, cooperantem, qua cum homine eadem operatur & producit; sed ita vt velit ea liberè fieri ab homine, esseque in eius potestate, vt ea faciat vel non faciat, vt gratia data vtatur, vel non vtatur. Sic ergo opera bona sunt dona Dei; sunt tamen homini libera, & in arbitrio hominis ac potestate. Tale donum castitatis, scilicet secundi generis, intelligit hîc Apostolus. Donum ergo hoc castitatis propriè est habitus infusus, vel acquisitus castitatis in iis, qui *Omnia bona opera sunt dona Dei.* *Omnia bona opera sunt homini libera.*

habent hunc habitum: in iis verò qui nondum habent habitum, est sufficiens auxilium gratiæ, tum internæ, tum externæ, singulis præparatum à Deo, vt cum libera sua cooperatione castis in suo statu esse quisque possit, si velit illo auxilio vti. quod patet, quia, vt dicitur v. 25. 35. 38. cælibatus est consilium Dei & Christi, qui illum omnibus proponit & consulit: non consulit autem, nisi quod in cuiusque est potestate; in potestate autem cuiusque non est cælibatus, nisi voluntas à gratia Dei adiuuetur. Ergo Christus cuique hanc gratiam ad cælibatum & virginitatem necessariam præparauit, & paratus est dare. Si cuique paratus est dare castitatem virginalem, ergo multò magis maritalem. Quisque ergo sui status proprium donum, id est, propriam gratiam habet in actu primo, in Dei præparatione, & habebit eamdem in actu secundo, si velit seriò & constanter Deum orare, vt gratiam sibi præparatam exhibeat, & si gratiæ exhibitæ strenuè velit cooperari.

Cælibatus in cuiusque est potestate, si Dei gratiam inuocare, eiq; cooperari velit: idq; probatur.

VERS. 8. DICO NON NVPTIS, ET VIDVIS: BONVM EST ILLIS SI SIC PERMANEANT, scilicet innupti vti sunt, SICVT ET EGO] innuptus permaneo. Hinc clarissimum est S. Paulum non habuisse vxorem, sed cælibem fuisse. ita Patres citati v. 7.

VERS. 9. SI NON SE CONTINENT NVBANT. MELIVS (satius) EST ENIM NVBERE, QVAM VRI] Videtur Apostolus alludere ad verba Noëmi, quibus nurus suas Moabitidas hortatur, vt in patriam suam Moab redeant, ibique nubant, dicens, Ruth cap. 1. v. 13. חלכן תעגנה לבלתי היות לאיש, *halaken teagena lebilti heioth leisch*, id est, *numquid aduremini absque marito?* Præstat vos iuuenculas redire & nubere marito, quàm mecum manere cælibes absque marito & vri; licet S. Hieron. vertat, *vetulæ eritis antequam nubatis*: accipit enim aduſtionē pro senecta, quæ vt caloris consumpto humido radicali aduſta & consumpta videtur. Nam quod Pagninus & alij vertunt, *numquid eritis clausæ absque marito?* commentum videtur R. Kimchi, quem sequuntur: qui fingit radicem תעגנה *teagena* esse עגה *aga*, eamque significare claudere; cùm nusquam alibi nec significatio hæc, nec radix hæc *aga* inueniatur. Radix ergo *teagena* non est *aga*, sed עגג *agg* vsitata Hebræis, quæ significat vrere, vstulare, adurere: vnde עגות *eggot* vocantur panes subcineritij, qui sub prunis sunt cocti & vstulati.

Paulus eum ait: Melius est nubere quàm vri, alludit ad Ruth 1. 13.

Iam *melius est nubere quàm vri*, scilicet, nisi iam per votum nupseris Christo. Vide S. Ambros. ad virgin. lapsam c. 5. Voto enim castitatis obstrictis, eamque proli sis, atque vt maritis, satius est vri & fornicari, quàm secundò nubere. Nuptiæ enim hæc, permanens sacrilegium sunt, vel adulterium, quod peius est fornicatione, vel sacrilegio transeunte: sicut satius est peccare, quàm esse in statu continuo peccati, & peccare ex obstinatione & contemptu. Verum optimum est nec nubere, nec vri, sed continere, inquit Ambros. quod possunt facere omnes castitatem professi, vt dixi v. 7. licet grauissimè tententur, vti fecit in sua tentatione tam molesta Apostolus, 2. Corinth. 12. v. 9. aliique Sancti plurimi, ac nominatim ille, cui fortissimè graui tentationi resistenti acclamarunt dæmones ab eo victi & confusi: *Vicisti, victis: quia in igne fuisti, & non ardebas.*

Quo sensu melius est nubere quàm vri?

Nota *vri*, non significat calere, aut tentari libidinis ardoribus, sed iis lædi, vinci, cedere & consentire: nam vri dicitur ab igne, non qui eius calorem sentit, sed qui ab eo lædituꝛ & adurituꝛ: sic de Didone, quæ superata & capta erat amore Æneæ, canit Virgil. 4. Æneid.

Vritur infelix Dido, totaq; vagatur
Vrbe furens.

Et Ecclesiasticus c. 23. v. 22. *Anima*, inquit, *calida æstuans libidine, quasi ignis ardens non extinguitur donec aliquid glutiat.* Apostolus enim dat causam, cur velit incontinentes & fragiles nubere, ne scilicet vrantur, id est fornicentur: nam alios generosos pugiles vult continere, q. d. Qui se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm non continere. ita Theodor. Ambros. Anselm. S. Thom. August. de Sancta virgin. c. 34. Hieron. apol. pro libris contra Iouin. Melius, inquit Hieron. est nubere quàm vri, id est, melius est maritum ducere quàm fornicari. Et Ambros. *Vri*, inquit, *ea dicimur agi, vel vincit cùm enim voluntas caloris carnis consentit, vritur: nam desideria pati & non vinci, illustris viri est & perfecti.*

In igne cōcupiscentiæ esse & non ardere, magna est victoria.

Dices, S. Cyprian. epist. 11. l. 1. ad Pomp. de virginibus Christo dicatis: *Si perseuerare nolunt aut non possunt, melius est nubere, quàm vri.*

Respondet bene ex Turriano & Holio Pamelius, non loqui Cyprianum de virginibus Christo iam dicatis, sed dicendis; has monet, ne se Christo dicent & denoueant, si perseuerare nolint: nam eadem epistola docet illas esse adulteras Christi, si post votum castitatis viris copulentur. Loquitur ergo de liberis & solutis, nec voto astrictis, quæ vt Apostolus hic. Perperam ergo & impudenter Erasmus more suo ad citatum Cyprianum locum in margine annotat hæc verba: Virginibus facta permittit Cyprianus nubere.

Dices Secundò, S. August. lib. de Sancta virgin. c. 34. ait, quòd illæ quæ voto adstrictæ fornicantur, melius facerent si nuberent, quàm vrerentur, id est, flamma concupiscentiæ vastarentur.

Respondeo Primò, Obiter hoc dicit S. August. hoc sensu, quòd nimirum talibus melius id est minus malum sit nubere, quàm fornicari: non ergo negat eas peccare nubendo, sed tantùm affert eas minus peccare nubendo, quàm fornicando. Sic dicere mus latroni, melius est hominem spoliare, quàm occidere: melius, id est, minus malum est. Secundò, talibus etiam absolutè melius est nubere, quàm vri, si videlicet legitimè has nuptias ineant, putà cum consensu Ecclesiæ, & dispensatione Pontificis in voto cōtinentiæ. Tertiò, fortè S. August. fuit in hac sententia, quæ non videtur improbabilis, scilicet, quòd etiam secluſa dispensatione talibus, voto licet astrictis, satius sit nubere, quàm fornicari, videlicet assiduè; quia nimirum vsuæ & degunt in statu fornicationis & concubinatus. Et ratio est, quia talis si nubat, peccat quidem grauiter contra votum, nubendo; post nuptias tamen potest seruare votum castitatis, ita vt non peccet, si videlicet non exigat, sed tantùm reddat debitum, vti ferè fit in mulieribus de quibus loquitur S. August. sin autem talis assiduè fornicetur, tunc assiduè iteratis actibus violat votum, ac consequenter grauiùs peccat quàm si nuberet. Illicitus actus fornicationis assiduè iterati, videntur longè grauius esse malum & grauiora esse peccata, quàm vnus actus & contractus matrimonij contra votum continentiæ initus: licet enim hic vnus actus virtute & implicitè includat multos, putà petitionem & redditionē debiti coniugalis quotiescunq; coniugi lubebit; tamen hoc tantū fit remotè & implicitè,

de Voto S. Hannæ nūptali V. Cont. 1. f. 65. 1. b. Benedicta Spi, nis resistit li bidini, Bern. in Hexa. pt. 2. Op. 1. 3. c. 12. f. 482.

rebus autem assiduè fornicatur, proximè & ex- A plicitè peccat, & quotidie iterat hosce actus; ergo grauius peccat, prius enim est explicitè & multis actibus peccare, quàm vno tacito & implicito.

Vbi aduerte. Tempore S. Augustini illæ quæ vouerant & professæ erant castitatem, licet peccarent nubendo, validum tamen contrahebant matrimonium: necdum enim illo tempore ab Ecclesia votum solenne constitutum erat impediens dirimens matrimonium, vti satis hîc insinuat Augustinus. Denique, quòd S. Augustinus censeat tales simpliciter & absolutè debere seruare votum sanctum & continere, patet ex sequentibus, subdit enim: *Ita quæ pœnitet professionis, & piget confessionis, ipsarum cor dirigant, & Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt.*

Ad extremum, quòd Apostolus hîc loquatur de his qui liberi sunt, non autem de iis qui voto astricti B sunt, diserte docet Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen. hîc, Epiphan. hæresi 61. Ambros. ad virginem lapsam c. 5. August. l. 1. de Adulter. coniug. c. 15. Hieron. libr. 1. contra Iouinian. Exactissimè verò S. Ephremante 1300. annos rogatus, ad quem perueniat hæc Apostoli sententia, *Melius est nubere quam vri*; hac de re tractatum scripsit, in quo multis demonstrat, eam non ad Religiosos aut clericos, eosque qui castitatem vouerunt, sed ad sæculares qui liberi & soluti sunt pertinere.

IIS AUTEM QUI MATRIMONIO IUNCTI SUNT] Transit Apostolus à quæstione de matrimonio ad quæstionem de diuortio. Proposuerant enim Corinthii Paulo, vt patet ex eius responsione hoc versu secundam hanc de diuortio quæstionem; nimirum, posito quòd in matrimonio licitus, imò debitus sit vsus illius, vti iam respondit Paulus, an C saltem non liceat fideli coniugi matrimonium soluere, ac facere diuortium. Rursum, an facto diuortio non possit alteri nubere, vel aliam ducere. Huic quæstioni respondet hîc Apostolus dicens:

IIS QUI MATRIMONIO IUNCTI SUNT, PRÆCIPIO NON EGO SED DOMINUS, VXOREM A VIRO NON DISCEDERE: QUOD SI DISCESSERIT, MANERE INNUPTAM, AUT VIRO SUO RECONCILIARI] *Manere innuptam*, hîc sequitur diuortium etiam iustum & licitum, non soluere matrimonij vinculum, sed tantum thori consortium, vt, si coniux sit adultera, non liceat viro innocenti aliud inire matrimonium. Eadem est ratio vxoris, si vir sit adulter.

Hæc Nota contra hæreticos & Erasmum, Caietanum & Catharinum, qui dicunt id è Scriptura non posse probari, sed tantùm è Canonibus. Verùm errant, vt patet ex hoc loco Pauli: nam Apostolus hîc de iusto diuortio, (quod facit vxor cùm est innocens, & læsa à marito, v. g. quia adulter est,) loqui patet, quia permittit, vt separata maneat, aut vt reconcilietur viro: si enim de diuortio iniusto (v. g. cùm vxor fugit à marito sine vlla mariti culpa) loqueretur, non separationem permitteret, sed omnino reconciliationem imperare deberet.

Dices, Vox (*reconciliari*) notat offensam & iniustitiam in vxore, quæ fecit diuortium: ergo incidit diuortium iniustum.

Respondeo, negando antecedens: nam *reconciliari* significat tantùm in gratiam mutuam redire, & cum offendens dicitur reconciliari offenso, quàm offensus offendenti, vt 2. Machab. 1. 5. *Vt Deus vos reconciliatus, & reconcilietur vobis.* Ita hunc locum ex-

Cornel. in epist. Pauli.

plicant Concilia & Patres, indeque docent fornicationem soluere matrimonium quoad thorum & cohabitationem, non autem quoad vinculum, ita vt liceat aliam ducere. Sic explicant & docent Concil. Mileuit. c. 17. Elibertinum c. 9. Florent. in instruct. Armenor. de matrim. Tridentin. sess. 24. can. 7. Euaristus Papa epist. 2. S. August. libr. 2. de Adulterinis coniug. c. 4. Hieron. epist. ad Amandum, Theodoret. Oecumen. Haymo, Anselm. & alij hîc. *Adulterium thorum soluere, non vinculum, Patres & Concilia docent.*

Dices, Ambros. hîc ait Apostolum tantùm nominare vxorem, quia huic numquam licet alteri nubere post diuortium; viro autem licet, postquam adulteram vxorem dimiserit, aliam ducere, quia est caput mulieris.

Respondeo, Ex hisce & similibus patet, hunc commentarium in Epistolas non esse S. Ambrosij, aut certè hæc ei inserta esse. Nam in matrimonio & diuortio par esse iustam vxoris, quàm viro, docet verus Ambros. lib. 8. in Lucam, & l. 1. de Abraham c. 4. Apostolus ergo quod de vxore dicit, pari iure de viro intelligit: loquitur enim iis omnibus qui matrimonio iuncti sunt, vt ipse ait; & v. 4. docuit par esse vxoris & viri in matrimonio ius, & parem mutui corporis potestatem. *Idem docet S. Ambros.*

ET VIR VXOREM NON DIMITTAT] sine graui & iusta causa. Nam ob fornicationem & aliis iustis de causis licet dimittere.

NAM CÆTERIS EGO DICO, NON DOMINVS. SI QVIS FRATER VXOREM HABET INFIDELEM, ET HÆC CONSENTIT HABITARE CVM ILLO, NON DIMITTAT ILLAM] *Cæteris*, scilicet coniugibus disparis cultus, *ego dico, si frater*, putà fidelis Christianus, habeat vxorem infidelem, &c. q. d. Versu 10. & hactenus tacitè locutus sum coniugibus vtrimque fidelibus, vti satis innui v. 5. dicens, *Vt vacetis orationi*: hîc autem iis loquor, quorum alter fidelis est, alter infidelis. Ita multi explicant cum S. Augustino mox citando. VERS. 12.

Verùm si ita est, valdè mirum est cur hoc non clariùs expresserit Apostolus, quod vnico verbo addito facere potuisset dicendo: *Fidelibus autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus: cæteris verò*, putà infidelibus, videlicet si fidelis ducat infidelem, *ego dico, non Dominus.* Iam verò dicendo, non *fidelibus*, sed *iis qui matrimonio iuncti sunt*, videtur generatim & abstractè loqui de omnibus coniugatis, siue ii fideles sint, siue infideles: nam quòd v. 5. ad fideles obiter se conuertat, mirum non est. Excipit enim ibi à generali lege debiti coniugalis coniuges fideles, cùm ex mutuo consensu vacant orationi. Hæc autem exceptio ad generales coniugij leges, quas hîc omnibus coniugibus præscribit Apostolus, non est extendenda. Adde, hactenus Apostolus ne verbum quidem fecit de infideli, vel de dispari cultu. D

Vnde Secundò & meliùs, *cæterùs*, scilicet, qui matrimonio iuncti non sunt. Opponit enim hunc versum versui 10. vt patet ex voce *nam*, & ex voce *cæteris*, quod mox clariùs patebit.

EGO DICO, NON DOMINVS] *Ego dico*, id est, ego præcipio, inquit Theodoret. Secundò & meliùs, S. August. lib. 1. de Adult. coniugis c. 13. & sequ. Anselm. & S. Thom. *ego dico*, id est, ego consulo id quod sequitur, scilicet, vt fidelis infidelem coniugem pacificam non dimittat. *Fidelis infidelem cõiugem pacificam non potest dimittere.*

Tertiò & optimè, Romana Plantiniana, aliaq; correctissima Biblia sic distinguunt, vt post τὰ *nam*

cæteris ego dico, non Dominus, ponant punctum sicq; hæc verba à sequentibus disiungant; quasi referenda sint ad superiora, *Cæteris*, scilicet matrimonio non iunctis & non nuptis, non Dominus præcipit (τὸ enim *præcipit* subaudiendum relinquit ex antithesi versus præcedentis, vbi sic ait: *Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus: cæteris autem*, id est, non iunctis matrimonio, *Dominus non præcipit*) sed ego dico & consulo id, quod paulò antè dixi & consului v.8. scilicet: *Bonum est si sic permaneant*, putà innupti. Ad præcedētia enim debere hæc referri, non ad sequentia, patet ex puncto interiecto, vt dixi, & quia τὸ *cæteris* opponit Apostolus præcedentibus scilicet iis qui matrimonio iuncti sunt: ergo cæteri sunt qui matrimonio non sunt iuncti, id est innupti, non autem coniuges disparis cultus; horum enim hactenus ne meminit quidem. Denique ita se explicat v.25. cùm ait: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, quod idem est cum eo quod hîc ait: *Cæteris ego dico, non Dominus.*

Virginitas non est præceptum, sed consilium.

Tertia quæstio Corinth. an fidelis possit coniungi & cohabitare infideli.

SI QVIS FRATER VXOREM HABET INFIDELEM] Tertia est hæc quæstio à Corinthiis Paulo proposita, an coniux fidelis possit cohabitare coniugi infideli. S. Augustin. & alij, vt dixi, nectunt hæc præcedētibus. *Cæteris ego dico, non Dominus*, q.d. Quamuis Christus fideli permiserit dimittere vxorem infidelem; tamen ego dico & consulo vt eam non dimittat: quia eam dimitti non expedit saluti prolium & coniugis infidelis, si illa consentit, scilicet sine contumelia creatoris & fidei, fideli cohabitare. Hinc multi DD. quos citat Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8. colligunt indirectè per antithesin: ergo cùm Paulus vetet quod Christus permittit; poterit ex Christi permissione fidelis coniunx coniugem infidelem nolentem conuerti dimittere, & alias inire nuptias. Sicut è contrario cùm vterque fidelis est, neutrum licet, vti præcessit. Sed si disiungamus hæc, vti Romana, aliaque passim per punctum interiectum disiungunt, nihil tale hinc probari potest. Imò Thomas Sanchez to. 2. de matrim. disp. 73. n. 7. qui legit sine puncto, vt S. Augustin. ad sequentia hæc referendo, tantùm vult hinc præcisè euinci, Christum fideli coniugi permittere thori diuortium, non autem matrimonij cum infideli initi dissolutionem. Posset Tertiò, aliquis sic explicare. *Ego dico, non Christus*: quia Christus hac de re nihil statuit, sed permisit statuendum Apostolis & Ecclesiæ, pro varietate temporum, vti postea Ecclesia irritauit matrimonium fidelis cum infideli, si fidelis existens ducat infidelem. ergo secundùm lectionem S. Augustin. hæc sententia ex hoc loco obscurè & dubiè elicitur: secundùm verò lectionem Romanam & veriorem, nullo modo hinc elici potest. Tantùm enim vult Apostolus vt fidelis infidelem non dimittat, si consentit infidelis habitare cum fideli. De quo plura v. 15.

Nota. Infidelitas tempore S. Pauli nec erat impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens contrahendū aut contractum, si fideli non erat periculum peruersionis, sed infidelis consentiret cum fideli manente fideli pacificè habitare, vt hîc docet Apostolus. Iam autem consuetudine inductū est in Ecclesia, vt non hæresis, sed infidelitas, non tantùm impediat, sed & dirimat matrimonium, quod fidelis existens fidelis contrahere vellet cum infideli.

Iam infidelitas (non olim) impedit & dirimit matrimonium.

A SANCTIFICATVS EST ENIM VIR INFIDELIS PER MVLIEREM FIDELEM] q.d. Matrimonium & coniunctio ista sancta est: vnde non profanatur, nec polluitur fidelis per contactum infidelis, vt vos scrupulosè timetis; sed potiùs infidelis quadā denominatione, & quasi sanctitatis aspergine, ait Anselm. inde sanctificatur tum quia vir est sanctæ, id est fidelis, coniugis: tum quia eam in fide sua non impediendo, & benevolè cum ea viuendo, quasi viam sternit sibi, vt per preces, merita, verba & exempla fidelis coniugis conuertatur & ipse, fiatque sanctus: sicut S. Cæcilia maritum suum Valerianum conuertit, Theodosinnium, Clotildis Clodouæum. ita Anselm. Theophyl. Chrysost.

B Illustris fuit S. Natalia vxor S. Adriani Martyris, quæ maritum non tantùm ad fidem, sed & ad gloriosum pro ea martyrium obeundum peruexit. Cùm enim audisset vetitum esse fœminis seruirent Martyribus, neúe ad eos in carcerem aditus illis aperiretur, totondit capillos suos, & veste virili induta carcerem ingressa Martyres sui officiis recreauit. Quam pòst se quæsunt alie matronæ habitu similiter mentito. Ac cum hoc cum Maximianus tyrannus id comperisset, iussit eandem in carcerem inferri, & Martyrum pedibus subiici, vecteque ferreo manus ac tibiæ illorum confringi. Fecerunt lictores quod iussi fuerant. Id vt vidit B. Natalia, occurrit eis, rogauitque vt ab Adriano inciperent. Obtemperarunt carnifices. & cùm imposuissent Adriani tibiam super incudem, C B. Natalia pedem eius apprehendens extendit super incudem. Carnifices verò multa vi cæderent, amputarunt pedes eius, & crura confregerunt. Porrò B. Natalia ait ad Adrianum: *Precare, mi Domine, serue Christi, dum adhuc in te hæret spiritus, extende etiam manum, vt amputent eam, vt sanctis Martyribus similis efficiaris per omnia: maiora enim supplicia illi perpessi sunt, quàm tu.* Extendit ergo manum beatissimus Adrianus & porrexit eam Natæliæ. illa imposuit illam incudi, & carnifices similiter eam amputarunt. Deinde amouent ab illo incudem, & mox spiritum reddidit. Ita habet vita eius 8. Septembr.

Memorabile est quod scribit Gennadius Patriarcha Constantin. in expositione Concilij Florentini sess. 5. de Theophilo Imp. non Pagano sed hæretico, Michaëlis Balbi filio, precibus Augustæ vxoris eius saluato. Cùm enim ipse sacras imagines D oppugnasset, os eius admodum diductum est, vt viscera eius conspicerentur; ad mentem ergo rediit, & sacram imaginem osculatus est. Paulò pòst inde ad Dei tribunal raptus est, pro quo cùm adduæ preces à sanctis viris & à regina effunderentur, ei venia data est. Nam Theophilum in somnis regina conspexit vinctum tractumque ab innumerabili præcedentium & subsequentium multitudine. Ante illum ferebantur diuersa instrumentorum genera ad torquendum accommodata, ipsaq; videbatur eos sequi qui ad pœnam adducebantur, quousque ad conspectum terribilis Iudicis peruenerunt, Theophilumq; ante ipsum statuerunt. Prouoluta igitur ad iudicis illius tremendi pedes, enixè multis lachrymis Augusta pro viro suo deprecabatur. Ad quam terribilis Iudex dixit: *Mulier, magna est fides tua, propter te, famulumq; tuorum preces coniugi tuo do veniam.* Tunc ministris suis dixit: *Soluite eum, vxoriq; eius tradite.* Si-

minister

ctor & Patriarcha, Methodius scilicet, omnium haereticorum, Theophiliq́ue ipsius adnotatis scriptisque nominibus, haec eadem sub sacra mensa collocauit, eademque nocte qua regina visionem aperit, vidit & ipse diuinum angelum magnum templum ingredientem, qui dixit: *Episcopo, exaudita sunt precationes tuae, & venia Theophilo impetrauit.* Somno ergo expergefactus ad sacram mensam aduenit, ibiq́ue dum legeret paulò antè conscriptum libellum, inuenit (ô Dei iudicia!) Theophili nomen abolitum. ita Gennadius suprà citatus, & Baron. tom. 9. Annal. ad annum Christi 842.

ALIOQVI FILII VESTRI IMMVNDI ESSENT. q.d. Si ab infideli coniuge faceretis diuortium, filij vestri haberentur quasi nati ex illicito thoro, adulterini, illegitimi. NVNC AVTEM SANCTI SVNT] id est, mundi. ita enim *sancti* opponitur immundis; mundi autem, id est, ex honesto & legitimo matrimonio concepti & nati. ita Ambros. Anselm. August. lib. 2. de Peccat. meritis c. 26.

Secundò, propriè *immundi* essent, quia à parentibus infideli, in odium coniugis fidelis facientis diuortium, pellicerentur & educabuntur in infidelitate, praesertim si infidelis sit pater; quia in repudio plerumque proles sequuntur patrem. Nunc autem manente fideli cum infideli in coniugio *sancti* sunt, quia conniuente infideli, facilè fidelis parentis fide, diligentia ac cura, sanctificari, baptizari & christianè educari possunt. ita S. August. lib. 3 de Peccat. meritis c. 12. & ex Tertull. Hieronymus epist 153. ad Paulinum.

Hinc Caluinus & Beza suum dogma de traduce infidelitatis hauserunt, docentq́ue fidelium filios propriè esse sanctos, & sine baptismo saluari: quia hoc ipso quo fidelium sunt filij, censentur esse in Ecclesia nati, iuxta foedus diuinum, *Ero Deus tuus & seminis tui*, Genes. 17. v. 7. Quemadmodum iure ciuili censentur liberi, qui ex altero parente libero nascuntur.

Sed errant: quia pariter ait Apostolus, sanctificari virum infidelem per coniugem fidelem: talis autem vir per coniugem suam praecisè & propriè non sanctificatur, vt patet; ergo nec filius. Secundò Ecclesia non est ciuilis Respubl. sed supernaturalis, & in ea nemo nascitur Christianus, sed baptismo, vt & olim circumcisione, Genes. 17. spiritaliter renascitur quisque, & fit sanctus, non ciuiliter, sed realiter per fidem, spem & charitatem animae infusam. ita Patres & tota Ecclesia. Tertiò, quia Ioan. 3. v. 5. absolutè dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo falsum est, quòd aliquis non renatus ex aqua, scilicet, qui natus est ex parentibus fidelibus, possit introire in regnum Dei.

QVODSI INFIDELIS DISCEDIT, DISCEDAT] si nimirum infidelis dissolutionem quaerit, vel non vult cohabitare sine Creatoris iniuria: quia scilicet, vult coniugem pertrahere ad infidelitatem, aut aliud crimen vel blasphemias iactat in Deum, fidem, aut Christum, ait ex communi Doctorum sententia Thom. Sanchez tomo citato, disp. 74. hoc enim ipso moraliter censetur velle discedere & quaerere separationem. tunc discedat & fidelis alij coniuge infideli: quia melius est, inquit Chrysostomus, diuortium nuptiarum facere, quàm pietatis.

Nota Apostolum permittere hoc casu non tantum thori diuortium, vt vult Dominicus Soto in 4. d. 39. a. 4. sed etiam matrimonij, ita vt possit coniux fidelis aliud matrimonium inire. Hoc enim in gratiam fidei concessit Christus. Alioquin enim seruituti subiectus esset frater aut soror, id est, Christianus aut Christiana: magna enim seruitus est teneri matrimonio, & obstrictum esse infideli, ita vt alteri nubere non possis: sed, etiamsi discedat infidelis, continere debeas & viuere caelebs. ita S. August. l. 1. de Adult. coniug. c. 13. S. Thom. & Ambros. qui ait: *Non debetur ei reuerentia coniugij, qui horret auctorem coniugij. sed potest alteri se iungere.* Et patet cap. *Quanto*, & c. *Gaudemus*, tit. de diuort. & c. *Si infidelu*, 28. q. 2.

trimonij, non tantùm thori, cum infideli coniuge facere.

Imò multi DD. quos citat Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8. post initium, inter quos est S. August. lib 1. de Adulter. coniug. c. 19. & sequ. ex hoc v. & ex v. 12. colligunt, fidelem, cuius coniunx infidelis non vult conuerti, licet sine contumelia Creatoris velit fideli cohabitare, hoc ipso habere ius aliud matrimonium ineundi.

Multi DD. hinc colligunt fideli, hoc ipso quo infidelis cõiux nõ vult conuerti, licere aliud inire matrimoniũ.

Sed S. Paulus & citata Iura canonica tantùm exprimunt casum, quo infidelis vult discedere, vel est in fidem blasphemus. Vnde alij DD. quos citat Henriquez, putant hoc tantùm casu licere fideli nubere alteri. Idq́ue sanè verius est, quia, vt dixi, hoc tantùm vult sanctus Paulus & canones citati. Et quia priores Doctores contrariae sententiae tantùm nituntur glossis in capitula quae paulò antè citaui, quae glossae subinde Aurelianenses sunt, & textui deformes ac reformandae.

Addę, Glossam per se non posse condere ius aut legem nouam: cùm ergo constet fuisse verum matrimonium, quod coniuges infideles contraxerunt, nec constet per conuersionem alterius coniugis illud solui, eò quòd necius diuinum, nec Ecclesiasticum extet, quod illud soluat; sequitur in matrimonio iam contracto, quod natura sua est insolubile, illis esse persistendum. Confirmatur, quia vterque coniunx est in possessione bonae fidei: ergo ea depelli nequit, nisi constet, ad matrimonium hoc, alterutrum, vel vtrumque nullum ius habere, aut hoc iure excidisse per conuersionem alterius: hoc autem non constat, sed vt summum dubium est; in dubio autem melior est conditio possidentis, nec possessor ob dubium superueniens possessione iusta depelli potest.

Glossa per se non potest condere ius aut legem nouam.

Possessor ob dubium superueniens possessione iusta depelli non potest.

Addit tamen Sanchez disp. 74. n. 9. licere fideli conuerso alteri nubere, quia Ecclesia iam illi vetat, ne maneat cum infideli qui non vult conuerti, ob periculum peruersionis, quod ferè semper est: tunc enim censeri infidelem discedere, quia non vult licito & debito modo fideli cohabitare. Hoc autem, scilicet, ne maneat fidelis cum infideli, vult Sanchez, Ecclesiam iam passim vetare. Sed id negant Nauarrus & alij: quia licet Concil. Tolet. IV. can. 61. vetet coniugi fideli manere cum infideli, si infidelis sit, & manere velit Iudaeus, quia Iudaei peruicacissimi sunt, & in sua secta peruersissimi, non tamen id vetat si infidelis coniunx sit Paganus. nec alia extat lex id vetans.

Adde, Concil. Toletan. fuisse particulare, & illum canonem variè à variis explicari, vt refert Sanchez disp. 73. n. 6. Et sanè nimis durum esset & scandalosum, si in India, Iaponia, China, vbi iam primùm inducitur fides, sub regibus infidelibus cogerentur Christiani dimittere vxores, quas in infidelitate duxerunt; aut si vxores cogerentur deserere maritos, praesertim nobiles &

principes, nolentes ad fidem Christi conuerti, qui inde caperent occasionem eliminandi Christianos, & Christianam fidem. Secùs est in Hispania & inter Christianos, vbi Ecclesia hoc statuere posset sine scandalo, idque vel lege generali, qualis tamen nulla extat scripta, vt dixi; vel ex vsu & consuetudine, vetando singulis in particulari, ne maneant cum infideli coniuge, ob periculum peruersionis: cui præcepto parere debebit fidelis, & consequenter non ipse erit in culpa, sed infidelis (qui secundùm legem coniugis fidelis & Ecclesiæ præceptum cum eo habitare non vult) cur fiat diuortium, censebiturque hoc ipso infidelis velle discedere, ac consequenter fideli fas erit, ad aliud matrimonium transire, vt doctè dixit Sanchez. Ita Cæsara regina vxor Arnulphi Persarum regis, tempore Mauritij Imper. Constantinopolim secretò fugiens, ibique conuersa & baptizata, cùm maritus eam repeteret, ad eum redire noluit, nisi ipse Christianus fieret: quare ipse Constantinopolim veniens, ibique baptizatus, & ab Augusto de fonte leuatus, accepta coniuge lætus ad suos rediit. Id contigit sub annum Domini 593. vti ex Paulo Diacono, & Gregorio Turon. refert Baron. Hæc omnia quæ dixi intellige de matrimonio, quod vterque coniux in infidelitate contraxit, si alter postea ad fidem conuertatur, alter verò nolit conuerti. Nam matrimonium quo fidelis nubit infideli, non à Paulo, sed ab Ecclesia postea irritatum est: vnde cultus disparitas est impedimentum dirimens matrimonium. Quare Theresia sor. Adelphonsi regis Legionis, Abdallæ regi Arabum nubere noluit, nisi ipse Christianus fieret; promisit ille, sed fictè. Ergo Theresiæ aduenienti & reluctanti vim intulit; sed morbo à Deo percussus sanari non potuit, nisi Theresiam ad fratrem remitteret. ita refert Roder. Vazæus, & Baron. anno Christi 983.

In quibus locis Ecclesia possit statuere, vt fidelis deserat vxorem infidelem.

Cultus disparitas est impedimentum dirimens matrimonium.

Et S. Eurosia Bohemiæ regis filia capta à Maurorum principe, mori maluit quàm ei nubere, cumque ferientis gladium patienter expectaret, audita est hæc angelica vox: *Veni electa mea, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit; & donum, vt quotiescumque pro pluuia, vel contra quamcumque tempestatem fueris à Christi fidelibus inuocata, erit eorum oratio exaudita.* Cùm hoc audisset, brachiis detruncatis & pedibus, expirauit miraculis celebris, vt refert Lucius Marinæus Siculus lib. 5. de rebus Hispan.

IN PACE AVTEM VOCAVIT NOS DEVS] *In pace*, id est, vt Syrus, ad pacem (ἐν de more ponitur pro εἰς) scilicet conscientiæ cum Deo, & concordiæ cum hominibus. q.d. Ergo ex parte nostra à maritis infidelibus non discedamus, sed, quàm possumus pacificè maneamus. Secundò, & aptius, per pacem hîc accipias quietem, vitamque quietam, quam coniugi fideli suadet Apostolus, vt eam in diuortio & solitudine præferat coniugio & coniugi infideli, qui vult discedere, dum suis iurgiis & litigiis fidelem incessit, pacemque illius perturbat: sic enim melius cum discessione, de qua proximè præcessit, hæc cohærent. de quo mox plura.

VERS. 16. VNDE SCIS MVLIER, SI VIRVM SALVVM FACIES?] Sequendo priorem iam dictam pacis significationem, sensus erit, q.d. In pace mane & viue, quoad potes, ô fidelis, cum coniuge infideli, quia nescis bonum, quod inde consequi potest, fortè manendo cum coniuge infideli eum conuertes & saluum facies. ita Chrysost. Ambros. Anselm. Theophyl. & alij.

Pax in coniugio causa esse potest, cur cõiunx infidelis cõuertatur.

Nota hebraismum. *Si*, id est fortè: simile est Ioëlis 2. v. 14. & alibi. Dat enim causam, cur in pace vocarit nos Deus, velitque pacificè coniugem fidelem cum infideli manere & viuere, vt scilicet per pacem hanc fidelis infidelem conuertat.

Secundò & planiùs, sequendo posteriorem iam dictam pacis acceptionem, aptior sensus erit hic: *In pace vocauit nos Deus. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies?* q.d. Donum Christi est pax ad hanc, non autem ad seruitutem inquietam & noxosam, vocati sumus à Christo. Si ergo infidelis rixis, probris, minis in fidem & fidelem coniugem, discessionem quærit, discede, ô coniunx fidelis ab eo, vt pacificè viuas: neque prætendas spem conuersionis eius. Vnde enim id speres in homine Pagano, blasphemo, rixoso? ac consequenter, vnde scis, vel vnde speras quòd eum saluum facies?

NISI VNICVIQVE SICVT DIVISIT DOMINVS, VNVMQVEMQVE SICVT VOCAVIT DEVS, ITA AMBVLET] Hæc clara syntaxi ita construe: Ita ambulet quisque, sicut vnicuique diuisit Dominus, & sicut vnumquemque vocauit Deus.

Nota. Τὸ *nisi* hîc, vt vertit Syrus, idem est quod אֶלָּא *ella*, id est sed, verumtamen, vel, hoc tamen saluo. vide can. 25. q.d. Hæc dixi de coniugio fidelis cum infideli, deque discessione & diuortio, si infidelis illud quærat, deque pace & pacifica vita; ita tamen, vt nolim diuortium quæri, aut pacem turbari, per cupidinem & desiderium mutandi statum, quòd videlicet fidelis, quia fidelis & in Christianam libertatem assertus, cupiat & prætendat mutare statum & conditionem suam seruilem in liberam, Gentilem in Iudaicam. Edico ergo, vt quisque fidelis statum & conditionem, quam dedit Dominus, quamque habuit antequam esset fidelis, retineat, siue Iudæus sit siue Gentilis, siue seruus sit, siue liber, quisque in sua sorte ambulet, ea contentus christianè viuat, nec ob christianismum statum mutet inquietè, & cum scandalo Gentilium. Græcè pro *nisi*, est εἰ μή, quod recentiores vertunt, an non, & ad præcedentem sententiam referunt. q.d. Vnde scis si mulierem saluam facies, an non? Sed Græcum εἰ μὴ significat etiam *nisi, alioqui*. ita Noster, Erasm. & alij, qui idipsum iungunt sequentibus.

Videtur hæc quarta fuisse quæstio, quam Corinthij proposuerunt Paulo: An scilicet Christiani, si ante conuersionem fuissent serui, per christianismum fierent liberi, adeoque, an omnes serui & mancipia, si conuerterentur ad Christum, hoc ipso assererentur in libertatem? hoc enim fundere & exigere videtur Christiana libertas, in quam à Christo redempti & asserti sumus. Rursum, an Gentiles, facti, vel futuri Christiani, deberent circumcidi, fierique Iudæi: quia enim Apostoli & primi Christiani fuerunt Iudæi, & ex Iudæis cepit christianismus; hinc putabant nonnulli, neminem posse esse Christianum, nisi prius iudaismo initiaretur. vtrique quæstioni respondet hîc Paulus negatiuè.

CIRCVMCISVS ALIQVIS VOCATVS EST? NON ADDVCAT PRÆPVTIVM] Græcè μὴ περιτεμνέσθω, id est, non attrahat, scilicet ferro, præputium. ita Theophyl. & Photius.

Nota,

Vel circumcisis præputium potuisse reduci, per instrumentum attractorium, quod spatium vocant adducta, vt glandem rursus operiret, docet Celsus l. 7. c. 25. Idque eos, qui à Iudæis transibant ad Gentes, facere solitos, patet 1. Machab. 1. v. 18. & ex Iosepho lib. 12. Antiquit. c. 8. & ex Epiphanio lib. de Ponderibus & mensuris, cuius reductionis auctorem ponit Esau, deque dictum esse, *Esau odio habui*. Indeque doluisse Iudæos, cùm ad Samaritas transirent, vel contrà secundò circumcidi solitos, & sic secundò se remachillæ Symmachum, qui æquè ac Aquila & Theodotion celebris fuit sacræ Scripturæ interpres, circumcidisse Anabaptistæ suos transfugas secundò baptizant.

Inde paruit interpres apud Martialem, explicans illud epigrammatis 1. in Cæliam,

Sic mentitorum fugis inguina Iudæorum;

mentiri dicit Iudæos, ita dictos: quoniam, inquit, illis pueris cutis inguinis rescindebatur, postea cum eis succrescereret, dicebantur Recutiti. Et Festus sexto 5. *Recutita sabbata*, vocat Iudaica sabbata. Vnde interpres Iud. eos, inquit, vocat recutitos, quibus noua cutis restituta est. Aliis tamen hoc nomen ipse, quàm alij appellant recutitos, id est circumcisos, quasi recisos cute, vt recutire idem quod apella, id est, sine pelle, de quo Poëta:

Credat Iudæus apella,
Non ego.

Idque verius est, nam non est verisimile, naturaliter per se recrementa cutem circumcisione præcisam, maximè in viris; & quia alioqui non arte, sed natura factum esset: cùm tamen Celsus & Epiphanius id tribuant eamque describant.

Aliter hunc locum explicat S. Hieron. in c. 53. Esaiæ: *Circumcisio*, inquit, *aliquis vocatus est, non adiecit præputium, id est, vt alijs verbis subdat Apostolus: Alligatus vxori vocatus es, non ducas vxorem.* Sed hic sensus mysticus & symbolicus est, non litteralis & genuinus.

CIRCVMCISIO QVIDEM EST] q. d. Circumcisio nec prodest, nec obest ad salutem homini Christiano: nec enim de Iudæis ad christianissimum conuersi, et paulò ex præced. Vide Caietan. Ambros. Iustin.

VNVSQVISQVE IN QVA VOCATIONE VOCATVS FVERIT IN EA PERMANEAT] Vt si circumcisus, seruus, conjugatus venerit ad christianissimum, propter eam, vitam non mittet, sed maneat circumcisus, seruus, conjugatus, q. d. Statum tuum retine, quicunque ille fit: scilicet si status sit honus & honestus; nam aliàs S. Cyprianus noluit histriones ad Ecclesiæ Sacramenta admitti.

Præclarè S. Ephrem adhortatione 4. tomo 3. *Ne quæras, vocatus es operi: firma anchoras ac funes* (vt vir quidam in portu à procellis tutus consistas) *ne in pelagus vitæ nauis impellatur.*

SERVVS VOCATVS ES? NON SIT TIBI CVRÆ] ne de ea re sis sollicitus, quòd seruus sis, quasi seruitus conditio Christianis hominibus indigna: sed eo potiùs te consolare, quòd à misera seruitute peccati ac mortis, sis per Christum manumissus. Deinque seruus effectus, licet in hac vita homini seruias, quamdiu Deo visum fuerit. patet ex seq. Vide hac de re apophthegmata quæ citat Exod. 1. v. 12.

Aurea est gnome S. Augustini in sententiis nu.

A 53. *Iustus*, ait, *quidquid malorum aliquis dominus irrogat, non pœna est criminis, sed examen virtutis. Nam etiam bonus si seruiat, liber est: malus autem etsi regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed, quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum.* Et num. 124. *Libera semper est seruitus apud Deum, cui non necessitas seruit, sed charitas.*

SED ET SI POTES FIERI LIBER, MAGIS VTERE] scilicet ipsa seruitute, ad Domini gloriam, humilitatis causa. Vnde Theodoret. sic exponit: gratia, inquit, non nouit differentiam seruitutis & dominij. Ne fugias ergo seruiturem tanquam fide indignam. Quòd si fieri possit, vt libertatem assequaris, perge seruire, & expecta remunerationem. Sic quoque explicant S. Chrysost. Theophyl. & D. Thomas. Huic expositioni aptè cohæret id quod sequitur: *Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini.*

B Secundò aptius & planiùs: *Si potes fieri liber*, si potes à seruitute liberari, *magis vtere*, hac scilicet potestate & commoditate, ac seruitutem exerce. q. d. Si potes fieri liber, libertatem amplectere, eaque fruere. hoc enim planè significat τὸ *magis vtere*: hocque præ alio suadendum, æquè ac optandum est. Quis enim non malit fieri liber, quàm manere seruus, præsertim si infideli seruiat, ita vt liberè Christo seruire non possit. hoc etiam mox clarè sequitur Paulus dicens: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.*

Paulus mancipiis suadet vt libertatem amplectantur si possint. si non, consolentur se fide Christiana.

Nota. Seruos hîc intelligit Apostolus, non mercenarios, quales iam sunt apud Christianos, sed mancipia, qualia habebant Gentiles, etiam conuersi ad Christum, & etiamnum ex Turcis & Mauris habent Christiani. Opponit enim seruos liberis.

C

S. Hieron. in Apolog. pro libris ad Iouinian. ex Origene initio libri 1. in epist. ad Roman. aliter hæc explicat, tantùm de seruitute matrimonij. q. d. Si tanquam seruus alligatus es matrimonio, *non sit tibi cura*, id est, non te excrucia quasi in matrimonio piè viuere & salutem assequi nequeas. *Sed & si potes fieri liber, magis vtere.* q. d. Si tamen potes persuadere vxori, vt separatim cælibes viuatis, magis hoc amplectere. Verùm prior sensus planior est & germanior.

QVI ENIM IN DOMINO VOCATVS EST SERVVS] VERS. 22.
Hæc verba non ad proximè præcedentia: *Sed & si potes fieri liber, magis vtere*, sed ad præcedentia more Hebræo referenda sunt, scilicet ad illa, *Seruus vocatus es? non sit tibi curæ*. hoc enim præcipuè intendit hîc Apostolus, scilicet, vt seruos doceat suæ seruili conditione esse contentos, eamque patienter ferre, donec Dei prouidentia aliud statuat, eosque seruitute liberet. Iam *in Domino*, id est, à Domino, & ad fidem gratiamque Domini Iesu. Vide cap. 25.

D

LIBERTVS EST DOMINI] à Domino, scilicet Christo, est manumissus, & in libertatem Christianam assertus. q. d. Serui heriles si fiant Christiani, non ambiant fieri liberi à seruitute herili, sed glorientur, quòd à seruitute peccati asserti sint in libertatem gratiæ & adoptionis filiorum Dei. Vide Chrysost. hîc & in moral. hom. 19. quàm seruitus liberrati Christianæ non obsit.

PRETIO EMPTI ESTIS: puta sanguine Christi, qui antonomasticè dicitur pretium, vtpote ingens & immensum. ita Ambros. q. d. Christus vos pretio maximo è seruitute peccati emit & redemit, fecit- VERS. 23.

Sanguis Christi antonomasticè dicitur pretium.

fecitque sibi liberos: ergo NOLITE FIERI SERVI HOMINVM] ne vos in seruos vendatis, aut seruituti mancipetis, si possitis libertate gaudere; hæc enim ciuilis libertas decet Christi libertum, vt eo meliùs toti Christo seruiatis, quo minùs vlli hero, Ethnico præsertim seruitis.

Constantinus Magnus sanxit ne Iudæus Christianũ seruum haberet.

Hinc postea Constantinus Magnus, sub annum Christi 330. in honorem Christi & fauorem Christianæ religionis sanxit, ne vllo modo Iudæus Christianum seruum haberet, aut possideret: Iudæum autem qui secùs faceret, iussit capite plecti, & seruum talem libertate donari, vt patet l. vnica libr. 1. Codicis, tit. Ne Christianum mancipium hæreticus, vel Iudæus, vel Paganus habeat: neque enim fas esse censebat, Christi Redemptoris occisoribus, Christianos Christi morte redemptos, seruitutis iugo subiici. Quam legem tres Constantini filij deinde confirmarunt, teste Sozomeno l. 3. c. 17. Sic S. Gregorius sanxit, vt seruus Iudæi volens conuerti ad christianissimum, hoc ipso fieret liber, vt patet libr. 3. epist. 9. Similia habet Concilium Toletanum IV. c. 64.

Hæc intellige de Iudæis & Paganis, qui iurisdictioni alicuius Principis Christiani subiecti sunt: talium enim serui Christiani hoc ipso fiunt liberi, ac proinde possunt dominum deserere; imò, si sint infideles, possunt fugere ad Ecclesiam, vt fiant Christiani, & consequenter liberi. De his enim leges loquuntur: *In illis verò infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ, vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, licet posset instituere de iure. Habet enim auctoritatem Dei; & infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Verùm hoc non facit Ecclesia, ad scandalum vitandum*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 10. ar. 10.

Secundò, alij non malè sic quoque explicant: *Nolite fieri serui hominum*; ita videlicet, vt hominibus seruiendo Dei obsequium negligatis. Illi enim fiunt serui hominum, qui homines præcipuè respiciunt, eisque adulantur etiam cùm malè agunt, atque eis per omnia obediunt & seruiunt, etiamsi peccata præcipiant. ita S. Chrysost. & Hieron. in cap. 6. ad Ephes. Sic enim Apostolus ad Ephes. 6. præcipit seruis, vt seruiant heris, non sicut hominibus, sed sicut Domino, & propter Dominum.

VERS. 24. VNVSQVISQVE IN QVO VOCATVS EST, FRATRES, IN HOC PERMANEAT APVD DEVM] q.d. Verumtamen quisque in suo statu, siue herili, siue seruili, in quo vocatus est, & venit ad christianismum, permaneat.

Nota *vt apud Deum*, cui scilicet seruit & adhæret in christianismo & Ecclesia. q.d. In eodem statu, in quo vocatus & conuersus est, quisque permaneat in christianismo & Dei obsequio, ne Gentes causentur per christianismum seruos fieri inquietos, & ambire libertatem.

VERS. 25. DE VIRGINIBVS (vt scilicet maneant virgines, & seruiant Deo in virginitate) PRÆCEPTVM DOMINI NON HABEO: CONSILIVM AVTEM DO] vt id faciant. Vide can. 38. Est hæc quæstio quinta Corinthiorum, An virgines in christianismo debeant manere virgines? Respondet Paulus, lege Christi nulli præcipi virginitatem, sed eamdem omnibus consuli.

Quinta quæstio Corinthiorũ, An virgines debeant manere virgines?

Ex hoc loco probatur communis illa Patrum sententia, qua asserunt cælibatum esse in potestate nostra, si illum à Deo petamus, & ad eum conemur heroica fortitudine, cooperemurque Dei gratiæ per debita media, ita vt quilibet sine peculiari dono cælebs viuere possit, si velit, quamuis natura vel habitu in libidinem proclivis sit ita docet Tertull. libr. de Monogamia prope finem, Chrysost. Origen. & Hieron. in c. 19. Matth. Nazianz. orat. 13. Ambros. libr. de Viduis, Augustin. in Psal. 137. *Qui te hortatur*, inquit Augustinus, *ne nubas, ipse adiuuat vt reddas.* Et lib. 6. Confess. c. 11. *Tribue dares continentiam, si gemitu interno pulsaremus aures tuas.* Idem satis insinuat Paulus hoc versu & 7. vbi omnibus communiter consulit virginitatem: non consulitur autem, vti nec præcipitur, nisi id quod est in nostra potestate, id est, nisi id, quod possumus facere cum gratia Dei, quam scilicet Deus nobis præparauit & offert, si eam implere, eique cooperari velimus.

Idem docet Christus Matth. 19. vbi Apostoli dicentibus, ob onera & difficultates matrimonij non expedire nubere; Christus illud approbans, subiungit Primò, *Non omnes capiunt verbum* istud, græcè, οὐ χωροῦσιν, quod Origen. & Nazianz. orat. 31. de tribus eunuchorum generibus, vertunt, *non omnes sunt capaces*; per capacitatem intelligentes propensionem naturalem ad castitatem, quam non omnes habent. Verùm melius alij passim, πᾶς οὐ χωροῦσιν vertunt, Tamquam vela non suscipiunt in se, non approbant, non complectuntur, non amplectuntur castitatem, vtpote difficilem.

Hinc Secundò, subdit Christus: *Sunt eunuchi qui se castrauerunt*, sua scilicet libera voluntate se castos effecerunt, idque perpetuo voto firmarunt. hoc enim significat vox *eunuchi*, scilicet impotentiam moralem: idem significat vox *castrauerunt*. Alioqui enim potiùs dixisset Christus: Sunt qui se castrant, aut, castrare nituntur, vt S. Hieron. ibidem, Epiphan. hæresi 58. Fulgent. lib. de Fide ad Petrum c. 3. Augustin. de Sancta virgin. c. 30.

Tertiò, addit Christus: hos eunuchos ita se castrasse, non propter molestias rei vxoriæ, nec etiam propter Euangelium, vt meliùs illud prædicent, quemadmodum detorquent hæc Christi verba hæretici, sed propter *regnum cælorum*, scilicet promerendum. ita Origen. Hilar. Chrysost. Euthym. ibidem, & S. Augustin. c. 23. lib. de Sancta virgin.

Denique concludit Christus dicens: *Qui potest capere, capiat.* quæ verba sunt cohortantis & exhortantis ad heroicam virtutem, æquè ac ad præmium illustre. Hisce ergo verbis Christus proponit omnibus consilium castitatis, quasi rem valdè heroicam & eximiam. Non dicit Christus, inquit Chrysost. Non omnes possunt, sed, non omnes capiunt. id est, omnes quidem capere possunt, sed tamen non omnes capere volunt. & Hieron. *Hic*, inquit, *datum est à Deo castrare se, qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt.*

Dices, Quomodo ergo ait Christus: *Qui potest capere, capiat?* Hisce enim verbis significat, non omnes posse hoc capere. Respondeo, *Qui potest*, tantùm significat rem hanc esse arduam & difficilem. q.d. Qui vult sibi vim inferre, qui vult omnibus viribus ad rem tam arduam conniti, ille eam capiat & apprehendat. Sic ille apud Comicum: *Non possum*, inquit, *mater hanc vxorem accipere. Non possum*, id est nolo, quia mihi difficile est, quia hæc vxor mihi non placet. & sic in Scriptura sæpe

sæpè impossibile vocatur id, quod est difficile. Rursum, non omnes possunt continere potentia propinqua, remota tamen possunt; quia possunt orare, & oratione & cooperatione parere sibi potentiam propinquam continendi.

Licet ergo non omnes habeant donum continentiæ quo actu contineant, sicut non omnes iusti habent donum perseuerantiæ, quo actu in gratia perseuerent: tamen sicut omnes iusti habent donum perseuerantiæ, quo possunt perseuerare si velint, ita omnes possunt habere donum continentiæ, scilicet vires ad hoc à Deo petant, & Dei gratiæ per debita media cooperentur. Secùs est de dono prophetiæ, aliisque gratiis gratis datis, quæ sæpè nec orando, nec collaborando impetrare possumus. Quia tamen nonnulli natura & consuetudine in libidinem proclives, non eos habent animos, nec eum adhibent conatum & constantiam heroicam, quam cum Dei gratia possent, sed facilè sinunt se à natura & consuetudine abduci, & temptationi venereæ succumbant, hinc talibus & tam infirmis præstat inire matrimonium: *Melius enim nubere, quàm vri.* ita Apostolus v. 2. 5. & 9.

TAMQVAM MISERICORDIAM CONSECVTVS A DOMINO, VT SIM FIDELIS] Virginitatem, inquit, consilio, tamquam is, qui misericorditer assumptus sim ad gratiam Apostolici muneris apud Gentes, vt fideliter illis consulam. ita Ambros. Anselm. Theodor. q. d. Quo præ aliis Apostolis indigeo, maiori gratia & misericordia vocatus sum ad apostolatum, eo magis in eo decet me esse fidelem & fideliter consulere iis, ad quos à Christo missus sum Apostolus.

EXISTIMO ERGO HOC BONVM ESSE] *Hoc*, scilicet virginitatem, ita Ambros. & alij. Vel aptiùs *hoc*, vt scilicet sint & maneant virgines, vti dixi v. præced.

PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM] euangelizandi & discurrendi per totum orbem, inquiunt omnes: hoc enim cum vxore & multa prole non fuisset difficile. Verùm Paulus non scribit hæc Apostolis aut Euangelistis, sed Corinthi ciuibus. Vnde alij accipiunt necessitatem persecutionum & fugarum in primitiua Ecclesia: virgines enim facilè, coniugati verò ægrè, vtpote vxore & prole gravati, tyrannos effugere poterant. Tunc ergo ab hac pericula & fugas satius erat esse cælibem, quàm coniugatum. ita hæretici.

Sed hoc carpit Caluinus: fatetur enim ipse, Apostolum *hoc*, putà virginitatem & cælibatum, omnibus sæculis, etiam pacatis & nostris, toto orbe iam Christiano consulere: necessitatem ergo intelligit Caluinus inquietudinem & afflictionem varias, quibus Sancti in hac vita agitantur, ob quæ magis consulendus est cælibatus, quàm matrimonium. Sed hoc quoque remotius est & generalius.

Dico ergo: Instans hæc necessitas est illa, quam in seqq. determinat & explicat Apostolus v. 28. & 29. eaque duplex.

Pro quo Nota. Græcum ἐνεστῶσαν, duo significat, Primùm instantem, id est, præsentem necessitatem. Sic enim Paulus opponit ἐνεστῶτα καὶ μέλλοντα, præsentia futuris, Rom. 8. 38. & 1. Corinth. 3. 22. & Græcis ἐνεστὼς χρόνος, est præsens tempus. Secundò, proprie ἐνεστὼς, id est instans, imminens, instans, vrgens, incumbens necessitas. Vtraque significatio hîc conuenit. Rursum, necessitas Hebræis idem est quod angustia, afflictio, tribulatio,

A & quidquid hominem arctat, angustiat, stringit. Vnde Psaltes: *De necessitatibus*, id est de angustijs, *erue me*. Et sic Apostolus suas angustias, sæpè vocat necessitates.

Primò ergo instans hæc necessitas est imminens & incumbens matrimonio, vrgensque rei vxoriæ difficultas, molestia, afflictio, scilicet onera vteri, partus dolores, educationes liberorum, curæ, timores, zelotypia, rixæ, familiæ apparatus; opum, affinitatum, statuum curandorum & augendorum sollicitudo; mariti dominatio, cholera, ebrietas, prodigalitas, paupertas, orbitates, & ex his perpetua animi distractio, & circa hæc occupatio. Hæc enim explicans v. 28. vocat tribulationem carnis, quam coniugij voluptati opponit. ita Ambros. Anselm. Chrysost. Theophyl. *Incommoda matrimonij.*

B Secundò, simpliciùs & planiùs, *instans necessitas*, vel, vt vertit Erasmus, Vatablus & alij, *præsens necessitas* est, vt Syrus אנגקי דהבא *anankî dehabua*, necessitas temporis, id est, angustia præsentis vitæ, quæ nobis vitæque nostræ incumbit & imminet, eamque arctat & vrget, vt properet ad mortem & æternitatem. *Instans* ergo *necessitas*, est breuitas temporis, quod nobis datur ad æternitatis conquisitionem; quæ proinde non mundo, non coniugi, sed animæ & Deo danda est. ita Chrysost. Anselm. & S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. *Necessitas*, ait, *hæc est breui moriendi*. q. d. Paulus: In hac breui vita necessitas est placendi Deo, & studiosè parandi victum & necessaria, scilicet bona opera, vt inde viuamus beati in tota æternitate. Ergo cõsulo virginitatem: hæc enim vni Deo intendere potest, cùm coniugati per onera coniugij distrahantur: sicut formica tota æstate colligit grana in hiemem, ita tu collige merita in æternitatem. Hanc enim necessitatem explicans v. 29. ait: *Hoc itaque dico, fratres, tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tamquam non habentes sint, &c. præterit enim figura huius mundi*. q. d. Ambis sponsam, prolem, vxorias voluptates? iis inhias, in eas omnes cogitationes & curas defigis? moliris perpetuare familiam, nomen, genus? opes congeris, fundos coëmis, domos construis quasi perenniter hîc victurus? memineris illius Horatiani: *Alia explicatio instãtiæ necessitatis.*

C *Linquenda tellus, & domus, & placens*
Vxor.

Primò, quid te fatigas, & laboribus excrucias? breuem voluptatem, fumos nominis & familiæ, quantis doloribus emis? quid longa speras? breue D est quidquid hîc vides, quidquid ambis: arcta est præsens vita. Ex sæculorum & temporum decursu viceni, tricèni anni vitæ tuæ assignati & circumscripti sunt. Audi Poëtam: *Vita summa breuis spem nos vetat inchoare longam.* *Bona coniugij quàm caduca sint & citò peritura.*

Secundò, vrget te imminens mors: ad eam curris pernici cursu; instat iudicium, instat æternitas, longa inquiam, & numquam finienda æternitas: arctat te Deus, cogitque vt ad eam te compares & festines.

Tertiò, præsentem hanc vitam, hoc breue tempus tibi dedit Deus, non vt hîc in coniugio voluptueris, non vt familiam stabilias, non vt præsentibus fruaris, non vt sedem figas, quasi hîc diu vel in æternum mansurus; sed tantùm ad hoc, vt in eo quasi stadio virtutum decurras ad metam & brauium, ad beatam inquam æternitatem; vt in illam oculis, animo, mente intendas & contendas, vt hunc tibi omnibusque actionibus tuis *Quare Deus hoc breue tempus vitæ in coniugio dedit.*

scopum

scopum præfigas. Quare licet mundus plenus sit insania, nulla tamen maior aut patentior est, quàm quòd adeò negligat summa & sempiterna, & tanto studio sectetur infima & transitoria, cum tanto æternæ damnationis periculo.

Pulcher locus de brevitate vitæ & de morte instante.

Quartò, indies cogites: Tantum iam vitæ meæ demptum est, fortè non tantum supereſt: quot diebus viuo, totidem arctor & vrgeor ad mortem: quid si hodie, si cras illa obueniat? itáne vixi, vt mori non dubitem? cibósne comparaui, merita inquam bonorum operum, quibus in omnem æternitatem mihi viuendum est? in hoc vertitur cardo salutis tuæ: quin ergo in id totus incumbis?

Quintò, quid alia tractas? quid partiris animum in vxorem, proles, familiam, vt per diem vix semel de Deo, de cælo cogites? quin totum colligis in illud vnum quod est necessarium, vt cum Maria optimam partem eligas? quid lucro, quid opibus, quid statibus, quid iungendis affinitatibus inhias? *O curas hominum, ô quantum est in rebus inane! Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Succedent immemores filij, pro quibus sudasti, laborasti, corpus morti, animam inferno oppigneraſti, relinques ea ingratis heredibus: si grati sint, te ex inferno liberare non poterunt.

Salus animæ procuranda hoc breui tempore vitæ.

Sextò, quin misereris animæ tuæ; quin, inquam, vnius animulæ tuæ, quam Deus tibi curandam & saluandam dedit, curam geris? quin animum à coniugio, à sponsa, à liberis, cogitationes à familia, à negotiis & curis vxoriis, quæ te terræ & terrenis immergunt, distrahunt, absorbent, auocas?

Fructus & commoda cælibatus.

Septimò, quin cælibatum quem suadeo, amplecteris? dabit ille otium cogitandi, non quomodo mundo, sed quomodo Deo placeas, quomodo ad iter in cælum te compares, quomodo rationes tuas ad iudicium futurum componas & adæques, quomodo Deo te sistas: scilicet dabit ille facultatem sine impedimento, liberè & expeditè Domino seruiendi, Dominum assiduè obsecrandi, vt orationibus, ieiuniis, eleëmosynis insistendo merearis pariter in cælo, in gloria excellere, & vicinus Deo assistere, eoque beatissimè frui in omnem æternitatem, vbi cum B. Agnete apud S. Ambrosium serm. 90. semper canas: *Illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Et, regna mundi, & omnem gloriam eorum contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi, in quem credidi, quem dilexi, in quem speraui.*

Denique Maldonatus in Notis manuscr. *Propter instantem necessitatem*, id est, ait, propter instantem finem mundi, vt ad eum nos comparantes, non implicemur matrimonio & terrenis negotiis. vnde v. 29. de eo ait: *Tempus breue est.*

Ex dictis ruit argumentum Iouiniani & Caluini: Apostolus, inquiunt, instans vel præsens opponit futuro: ergo, si cælibatus bonus est tantùm propter instantem necessitatem, non erit bonus ob futuram mercedem.

Respondeo, falsum est antecedens; imò, vt dixi, instans vel præsens necessitas est, quæ nos vrget, vt per cælibatum in hac breui vita cogitemus & parcamus nobis æternam mercedem. Quinimò S. Hieron. libr. 1. contra Iouinianum: Addit, inquit, Apostolus præsens futuro, ne quis putet virgines feliciores esse quidem quoad spiritualia, non autem quoad carnalia, cùm in vtroque coniugatis præstent, & in vtraque vita, tam in tempore, quàm in æternitate. Idem docet, & diserte refellit hoc argumentum Caluini S. Augustinus libr. de Sancta virginit. c. 22. tom. 6. & Apostolus hîc 33. & 35. vt ibi fusiùs ostendam.

Duplicitèr virgines coniugatis præstant.

QVONIAM BONVM EST HOMINI SIC ESSE] id *quoniam*, non causam reddit: redderet enim causam suiipsius, quasi diceret, *Bonum est quoniam bonum est*: vox ergo *quoniam* respicit & recenset id quod præcessit. Apostolus enim per epanalepsin repetit id quod dixit, vt illud inculcet, quod Deo mo bonum esse manere virginem propter instantem necessitatem; *quoniam*, id est, quòd inquam homini sit bonum sic esse, scilicet in virginitate.

SI NVTSERIT VIRGO, habilis scilicet ad nubendum, putà libera & innupta, nec Deo consecrata, vt Theodoret. Theophyl. Photius, & S. Hieron. suprà: talis, nubendo, NON PECCAVIT] vide dicta v. 2.

TRIBVLATIONEM TAMEN CARNIS HABEBIT HVIVSMODI] aperientes sibi per coniugij copulam dolorum officinam, inquit S. Basilius lib. de Sancta virginit. ante fin. Vocat Apostolus *tribulationem carnis*, coniugij, liberorum & familiæ curas, quæ iam dixi, de quibus S. Augustinus lib. de Sancta virginit. c. 16. S. Ambrosius lib. 1. de Virgin. & S. Hieronymus contra Iouinian. Tribulationem ergo carnis appellat eam, quæ circa carnem & carnalia versatur, quæque carnem affligit. Hanc opponit voluptati carnis, quæ est in coniugio: ista enim per hanc tribulationem, vtpote longè grauiorem, ita opprimitur & elidítur, vt vix [illegible]. Voluptas enim quæ est in actu coniugali celerrima est, brutalis, faciens hominem epilepticum, vt dicebat Alexander Magnus, & verecundiæ plena, & momento transit, statimque innumeris incommodis compensatur. Mox enim à conceptu subeunt fastidia, insomnia, vertigines, melancholiæ, præcordiorum angustiæ, absurdi appetitus, & esturæ totius perturbatio. Sequuntur partus dolores acerrimi, qui multis mortem afferunt. Secundò, proles edita mox quotidie & continuò curanda est, cibanda, fasciandæ, vestienda, reponenda, cunis agitanda vt dormiat, eximenda vt fleat, disponenda vt exoneret, verbis & cantu assidue mulcenda ne ploret: ita vt matres totos dies & noctes circa infantes occupentur, nec aliud ferè facere aut cogitare possint. Omitto sordes, odorem, eiulatus, morbos, pericula tam matrum quàm paruulorum. Tertiò, proles grandior effecta maiores affert curas & dolores. Quantus dolor si contingat eam extingui, si malo consortio adolescentia & dedecora abripi? si rebellem parentibus se præbeat? si alea & poculis bona parentum consumat? si inconsulto matrimonio se inuoluat? Etsi enim parentes sint sanctissimi, tamen sæpè contingit, vt filij sint scelerati, itaque grauissimè parentes crucient. Exempla sunt in Adamo & Cain, in Noë & Cham, in Abrahamo & Ismael, in Isaac & Esau, in Iacob & Ruben, cæteríque eorum ferè eius filiis, in Dauid, Amnon & Absalom, aliísque plurimis.

Ob hæc coniugum onera, hancque tribulationem S. Augustinus secutus S. Ambrosium nullam vnquam coniugem & coniugium suadere voluit. *Hæc, tria homini Dei seruanda monebat*, inquit Possidonius in vita S. Augustini c. 27. *Primum, vt rem cuiquam numquam posceret. Secundum, vt militare volentem ad hoc non commendaret. Tertium, vt*

...ferre petitur ad cōiuuium non ierit, causamq; sin-
...ulorum salut. Primi, ne, dum inter se coniugati iur-
...gant, nos maledicant, per quem coniuncti sunt. Se-
...cundi, ne militia commendatus malè agentis, suam cul-
...pæ reprobatori tribueret. Tertij, ne per frequentiam in
...certa castrorum constitutus, temperantiæ amitteretur
...modo.

EGO AVTEM VOBIS PARCO] quòd eligatis sta-
...tum coniugalionum, scilicet matrimonium, indul-
...geo, non retraho, ita Ambrosius.

HOC AVTEM DICO, FRATRES: TEMPVS BREVE
EST] ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶν, tempus, id est, vitæ no-
...stræ spatium, contractum est; &, vt Tertullian legit,
...modicum est: vt cogitemus nos hîc non quasi in-
...colæ vxoribus, & rebus quibusuis præsentibus
...frui, sed tanquam peregrinos ad breue tempus vti
...debere, vt tendamus ad gloriosam illam ciuitatē,
...in qua quasi ciues æterni cōscribemur. Amplius
...hoc tempus accipit Ambros. scilicet tempus sæculi
...huius, q.d. Breue est omne hoc tempus, & imminet
...diei iudicij: non ergo temporaneis sæculi voluptā-
...tibus immoremur, sed cōparemus nos ad iudiciū.

RELIQVVM EST, VT ET QVI HABENT VXO-
RES, TANQVAM NON HABENTES SINT] vt scilicet
...non magnopere rei vxoriæ afficiantur, vt animū,
...mentem atque amorem magis in Domino, quàm
...mulieres defigant. ita Ambros. & Anselm. Addit
...Augustin. lib. 1. de serm. Domini in monte ca. 14.
...fieri, vt pari consensu, si fieri potest, castitatem
...seruent.

ET QVI EMVNT, TANQVAM NON POSSIDENTES]
...pergunt nimirum, sed tanquam vsufructuarij ad
...tempus. Vetat enim Paulus hîc immodicum rerum
...studium & affectum, quasi non illas possideamus,
...sed ab illis possideamur, vt scilicet non apponamus
...cor rebus momentaneis, nec nimio affectu
...inhæreamus vlli creaturæ ita fluxæ. ita Anselm.
...Pulchrè S. Augustin. tractatu 40. in Ioannē, cuiuis
...domum vtendi pecunijs præscribens: *Vtere*,
...inquit, *nummo quemadmodum viator in stabulo* (in
...hospitio. hinc olim hospes vocabatur stabularius,
...vt patet Lucæ 10. 35.) *vtitur mensa, calice, vrceo; di-*
...*mittes, non permansurus.*

Hoc ipsum vt Iudæos efficaciter doceret Deus,
...iubet annum quinquagesimum iubilæi, sanxit-
...que, vt illo anno omnes agri & prædia coëmpta
...domino redirent sine pretio ad priorem do-
...minum, qui ea vendiderat, cuius sanctionis cau-
...sam dat Leui. 25 dicens: *Terra quoque non vendetur*
...*in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei*
...*estis: tanta regio possessionis vestræ sub redemptio-*
...*nis conditione vendetur.* q.d. Ego Deus altum, tran-
...scendens, rerum ac proprium in terram vestram
...habeo dominium; quare licet mihi quas volo con-
...ditiones conditioni eius apponere, maximè cùm
...eas eam vos, tanquam aduenas & colonos induxe-
...rim, tales que semper manere velim. Quare volo
...statuo, vt possessiones quælibet anno iubilæi
...redeant ad priores dominos, idque hac de causa:
...*vt intelligant sciatis*, inquit Philo lib. de Cherubim,
...*solum Deum propriè rerum omnium esse domi-*
...*num & possessorē; homines verò, earum tantùm*
...*habere vsumfructum ad vitam, non verò domi-*
...*nium. Hinc loquet*, inquit Philo, *nos alienis vti posses-*
...*sionibus: nec gloriam, nec diuitias, nec honores, nec im-*
...*perium, nec aliud quidpiam, vel corporis vel animi proprium,*
...*quod ius iuris & dominij nostri sint, possidemus; sed eo-*
...*rum vsumfructum, dum hîc viuimus, habemus solum.*

...Carol. in epist. Pauli.

A ET QVI VTVNTVR HOC MVNDO, TANQVAM NON VTANTVR] ὡς μὴ καταχρώμενοι, id est, *tanquā non abutentes*, scilicet non nimiùm eorum vsui adhærentes. Noster interpres verbum compositum in Græco accepit pro simplici, vti sæpè Græci faciunt: *tanquam non abutentes*, id est, *tanquam non vtentes*, scilicet vsu firmo & tenaci, quod est abuti, Vtendum enim est re taliter, qualis est: mundo ergo fluxo fluxè & quasi obiter vtendum est, tanquam eo non vtaris: sin mundo adhærere vis, eo abuteris; quia re fluxa quasi non fluxa, sed firma, solida & stabili vteris. Abusus enim, ait Theophyl. est superfluus vsus, & modum ac naturam rei exuperans. Hinc Syrus vertit, *qui vtuntur hoc mundo, prater æquum vsum non vtantur*. Sic abuti, pro plenè vti capitur c. 9. 18. Quocirca S. Basilius in reg. breuior. interrog. 70. *Abusum*, inquit, *damnat Apostolus, cùm dicit: Tanquam vtentes hoc mundo, non tanquam abutentes. Vsus enim modum, ipsa ineuitabilis rerum ad vsum pertinentium necessitas definit. Qui autem vltra necessitatem progreditur, is aut intemperantiæ habendi cupiditatis, aut voluptatis libidinis, aut inanis gloriæ morbum habet.* *Quid sit abusus.*

B PRAETERIT FIGVRA HVIVS MVNDI] *Præterit*, Græcum παράγει, verti etiam potest, decipit, vel transuersum agit figura & species mundi. nam, vt ait Augustin. epist. 39. ad Licentium: *Vincula huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum timorem, timidamq; quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem: his tu inseras manus & pedes?* Idem serm. 23. de verbis Apostoli: *Temporalia*, inquit, *bona non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia: concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt.* Et S. Bernardus: *Noli*, ait, *amare præsentia, quæ possessa onerāt, amata inquinant, amissa cruciant.* Rursum D. Gregorius lib. 6. epist. 26. ad Andream: *Vita*, inquit, *nostra nauiganti est similis: is namque qui nauigat, stat, sedet, iacet, vadit, quia impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes per momenta temporum ad finem quotidie tendimus. Cùm igitur finis nostri dies aduenerit, vbi nobis erit omne quod modò cum tanta cura quæritur, & cum solicitudine congregatur? Non ergo honor, non diuitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus: si autem mala pertimescimus, illa timeamus, quæ reprobis sine fine tolerantur.* Vnde eidē Andreæ mox consulit paruo huius vitæ & peregrinationis tempore *sacris lectionibus vacare, cælestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere, de terrenis rebus secundùm virer. bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione sperare. Sic autem viuere iam in æternitatis vita partem habere est.* Ita S. Hilarion, ait S. Hieron. in eius vita, *singulos hortabatur præterire figuram mundi, & eam esse veram vitam, quæ vita præsentis emeretur incommodo.* *Falsa mundi delectatio.*

C Præclarè S. Leo serm. 5. de ieiunio 7. mensis: *In dilectione Dei*, inquit, *nulla nimia: in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Vt ideo æternis bonis inseparabiliter est inhærendum, temporalibus verò transeunter vtendum est; vt peregrinantibus nobis & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebræ mansionis. Ideo Apostolus prædicat dicens: Tempus breue est; reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, &c. præterit enim figura mun-*

D

di huius. Sed quod de specie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinatur, nisi in illa visibilium pulchritudine creator potius, quàm creatura diligatur. Idem serm. 11. de Quadrag. citatis hisce Apostoli verbis subdit: *Beata enim mens, quæ peregrinationis suæ tempora, castis sobrietate transcurrit, & in ijs per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, vt hospita magis quàm domina terrenorum, nec affectibus sit innexa humanis, nec promissionibus desit diuinis.*

FIGVRA] Græcè σχῆμα, id est habitus, species ac status mundi fugax. ita Ambros. & Anselm.

Nota. Mundo non tribuit Apostolus formam: hæc enim solidior est & constantior; sed figuram, quæ mobilis est, fugax, euanida, vt dixi Rom. 12. v. 2. *Nolite*, ait Anselmus, *constanter mundum diligere, quando ipse, quem diligitis, non potest constare. incassum cor, quasi manenter figitis, dum fugit ipse, quem amatis.* Simundus fugit, ergo & nuptiæ, & omnia quæ mundo clauduntur.

Præterit ista dies, nescitur origo secundæ;
An labor, an requies. sic transit gloria mundi.

Et vt noster Lipsius vir tam sapiens, quàm homine, & humanis cunctis celsior, cùm de scientiarū & rerum humanarum vanitate sæpè & familiariter colloqueremur, magno animi sensu solebat dicere, quod diu præmeditatum suo sepulchro inscribi iussit.

Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta, fumus, vmbra, vanitas,
Et scenæ imago, &, verbo vt absolnam, NIHIL.

Mundale, quàm breue sit mundi gaudium & fallax.

Est enim mundus instar scenæ, in qua peragitur fabula vitæ huius, homines personæ sunt, intrant, abeunt: locus theatri est terra. *Generatio præterit*, inquit Ecclesiastes cap. 1. v. 4. *& generatio aduenit; terra autem in æternum stat.* Duæ in scena sunt portæ, ingredientibus ortus, egredientibus occasus, siue mors; vestes quisque hîc commodato accipit: qui regem agit, non auferet secum purpurā, quam hîc gestauit. breui finitur hæc comœdia. Audi Senecam: *Prima quæ vitam dedit hora carpsit.* Vulgò dicimus, Dic mihi, ô villa, ô domus, ô præbenda, ô pecunia quot dominos habuisti, & quot adhuc habitura es? Dic, vbi Salomon ille rex sapientissimus, vbi Samson fortissimus, vbi Absalom pulcherrimus, vbi Cicero disertissimus, vbi Aristoteles acutissimus? Tot clari proceres, tot rerum spatia, tot ora Præsulum, tot membra fortia, tot mundi principes, tanta potentia? in ictu oculi clauduntur omnia. O esca vermium, ô massa pulueris! ô ros, ô vanitas, quid sic extolleris? quid quæris? quid ambis? felix qui potuit mundum contemnere.

Omnia sunt transitoria.

Pulcherrimè & breuissimè singularum rerum quæ sunt in hoc mundo fugacem vanitatem, sigillatim & quasi punctim perstringens describit Nazian. tract. de vitæ itineribus, qui extat sub finem operum eius: *Quis sum*, inquit, *vnde in vitam veni? quis rursus, postquam aliquantisper terræ gremio retentus, à puluere ad vitam rediero, futurus sum? vbinam tandem me Deus collocabit? multa quippe erumnosa vita huius via sunt, nec vllum bonum apud homines est, quod non aliquid vitij admixtum habeat. Atque vtinam non maiorem quoque partem mala sibi vendicarent! Insidiæ sunt opes, sublimiumq; thronorum & dignitatum fastus mera sunt insomnia. Imperio alterius subesse, graue ac molestum; pauperias pedica; pulchritudo porro breuis, atque fulgetri similis; iuuentus nihil aliud, quàm temporis feruor; canities, tristis vita occasus. Sermones verè alati, gloria aër, nobilitas vetus sanguis, robur apris commune, satietas petulans, matrimonium vinculum, liberorum copia curæ necessariæ mater, vrina morbus, forum vitiorum schola, quies imbecillitas, ante abiectorum hominum, angustus alienus panis, agricultura labor, nauigantium maior pars in orco, patria proprium barathrum, externa regio probrum.* Deinde omnia simul complectens eorum vanitatē multis aptisque similitudinibus spectandam proponit, aitque: *Omnia denique mortalibus laboriosa sunt, humana omnia, metus, risus, lanugo, vmbra, ros, flatus, platus, vapor, insomnium, fluctus, nauis vestigium, aura, puluis, orbis quidam perpetua conuersione similia omnia volueus, nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, nocte, mœroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus, fecundisq; rerum successibus. Nunc verò non sine magna sapientia hoc à te, Christe, constitutum est, vt res omnes huius vitæ incertæ atque instabiles sint: nempe vt rerum firmarum stabiliumq; amore ac desiderio inardescamus, vtq; discamus à stultæ carnis cogitatione mentem abrumpere, imaginemq; illam quam diuinitus accepimus, puram atque integram conseruare, vitam ab hac vita alienam ducere, ac denique cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes huius vitæ molestiasq; forti animo perferre.*

Singularū rerum humanarum vanitatem & fugacitatem pun-ctim tangit Nazianz.

Aptè quoque S. August. in psalm. 109. ad illud: *De torrente in via bibet*: Torrens, inquit, *professio mortalitatis humanæ est: sicut enim torrens pluuialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit, id est, cursum finit: sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, viuunt, moriuntur, & aliis morientibus alij nascuntur. Quid hîc tenetur? quid hîc non decurrit? quid non quasi de pluuia collectum it in mare, in abyssum?*

Figura hæc mundi facit eum personatum & laruatum. Sicut ergo si quis tibi equum phaleratum venderet, phaleras demeres, equi corpus & membra considerares, antequam eum emeres: ita & hîc facito. Personatos tibi honores, laruatas voluptates, phaleratas diuitias mundus vendit: tolle phaleras, tolle larnas: introrsum quid lateat, considera: videbis omnia exilia, gracilia, inania esse.

Patheticè verò Sapiens c. 5. v. 8. impiorum querelam, & seram pœnitentiam huius vanitatis admiratæ describens, eamdem comparat tenui vmbræ, nuncio percurrenti, naui mare secanti, aui transuolanti, sagittæ emissæ, lanugini, spumæ, fumo, vento, hospitio vnius diei. Hæc ipsa fusiùs explicat S. Hieron. epist. ad Cyprianum, explanans verba illa psalm. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit. Æternitati*, inquit, *comparata, breuis est omnium temporum longitudo.* Et inferiùs explicans v. 6. *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat, vespere decidat, indurescat & arescat. Sicut enim*, inquit, *manè virens herba, & suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimq; marcescens amittit pulchritudinem, & in fenum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernat in paruulis, floret in iuuenibus, viget in perfecta ætate virisq; & repentè dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis priùs extenta contrahitur, & extremo fine, quod hîc dicitur vespere, id est senectute, vix moueri potest: ita vt non cognoscatur qui prior fuerit: sed penè in alium commutetur. ac denique, vt Symmachus vertit psalmo illo 89. v. 10. succidimur rapti, & auolamus.*

VOLO, velim (vide dicta v. 7.) AVTEM VOSSIVS

SOLICITVDINE ESSE] ac consequenter in virginitate & cælibatu viuere.

QVI CVM VXORE EST, SOLLICITVS EST QVOMODO PLACEAT VXORI] Mulier, inquit Plautus, & nunquam satis ornantur: qui ergo opus habet vxorem ducat, & nauim instruat.

ET DIVISVS EST] in multas nimirum curas distractus, vt vni Domino vacare non possit, sed partim Deo, partim & potiorem vxor & filij sibi vendicent, ita Ambros.

Nota Græcos, Chrysost. Oecum. Theophyl. Euth. & Syrum hæc sequentibus iungere. sic: μεμέρισται γυνὴ καὶ παρθένος, diuisa est mulier. sic enim & virgo. q.d. Diuersa sunt vxoris & virginis studia, sua: vt Chrysost. virginem à non virgine definit & diuidit otium & negotium; virgo enim, non virgo negotium agit. Sed S. Hieron. lib. contra Iouinian. asserit hanc lectionem non esse Apostolicæ veritatis: iamque Græca & Latina inter se distinguunt eo sensu, quem iam dedi.

ET MVLIER INNVPTA ET VIRGO COGITAT, μεριμνᾷ, sollicitè meditatur, & curat QVAE DOMINI SVNT, VT SIT SANCTA ET CORPORE ET SPIRITV] sola id est, pura & immaculata. *Virgo*, inquit Oecumen. *corpore sancta est, propter castitatem, spiritu sancta est, propter familiaritatem cum Deo, & Spiritus sancti inhabitationem.*

Nota hic locum apertissimum pro consilijs Euangelicis, & nominatim virginitatis: hanc enim crebrò hic commendat & consulit Paulus, vt 7. 8. 25. 26. 34. 35. 40. Vnde Petrus Martyr & Beza hic fatetur virginitatis custodiam, non tantùm ad vitandas temporarias curas & molestias, meliorem esse matrimonio, vti voluit Lutherus; sed eam hoc præstare, quòd aptior sit cultui Dei. Addunt tamen, eandem in se non esse Dei cultū vel ornā non maiorem, nec meliorē matrimonio. Verùm certum est virginitatē in hoc statu esse & esse virtutem illustrem, qua Deus honoratur & colitur longè meliorem & præstantiorem matrimonio, & præmia longè maiora mereri, adeoque coronam propriam in cælis. Dico in hoc statu: nam in statu innocentiæ virginitas non fuisset virtus, imò non fuisset, vti nec concupiscentia.

Iam quod dixi probatur Primò, quia Apostolus docet hic virginitatē esse sanctitatem corporis & spiritus, & per eam nos placere Deo. Sensus enim est: Sicut mulier coniugata cogitat quomodo se pulchram conseruet & ornet, vt viro placeat; ita virgo cogitat quomodo seruet corporis integritatem & sanctitatem, vt sit casta corpore & mente, vt ita placeat Deo (ita Anselm. Theophyl. Oecum. Chrysost. & alij passim) vtque hanc castitatem orationibus, aliisque virtutibus ornet & augeat, quò magis placeat Deo, vt innuit Ambrosius. Ergo per castitatem virginalem virgo placet Deo, adeoque ipsa castitas & virginitas est sanctitas. Ita enim eam hic vocat Apostolus: si virginitas est sanctitas, profectò est & Dei cultus.

Secundò, vers. seq. Apostolus cælibatum vocat honestum, id est, honestiorem matrimonio: ergo cælibatus est virtus. Virtutis enim proprium obiectum est bonum honestum.

Tertiò, virginitas & cælibatus per se est pars temperantiæ, eiusque actus heroicus, elicitus scilicet à summa castitate, fortitudine & lucta, estque perfecta refrænatio concupiscentiæ; & sæpè à charitate, religione, voto imperatur. Vnde sic argu-

Cornel. in epist. Pauli.

mentor: Sicut concupiscentia, maximè libidinis, in se mala est, ita eam frænare in se bonum est, & Deo gratum; & magis eam frænare, magis bonum est & magis Deo gratum: atqui virginitas magis, imò in totum refrænat concupiscentiā, cùm coniugium illi indulgeat: ergo virginitas maius bonum est, & Deo gratior ac melior matrimonio. idque disertè docet Apostolus v. 38. *Qui matrimonio*, inquit, *iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit*: quia nimirum facit opus melioris & præstantioris virtutis. Vnde Fulgent. epist. 3. c. 4. *Adeò*, inquit, *virginitas virtus est, vt à virtute nomen acceperit virgo.* Et S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. *Virginitas*, ait, *hostia Christi est.* *Nomen virgo à virtute deriuatur.*

Denique id expresse contra Iouin. Caluinum, & similes docent S. Ambros. Augustin. Chrysost. Athanas. Basil. libris quos ad hanc rem probandam de virginitate ex professo scripserunt, atque S. Thomas 2. 2. q. 152. & ibidem Scholastici, omnesque Catholici Doctores.

Præclarè S. Aldhelmus Occidentalium Saxonum Episcopus sub annum Domini 680. tom. 3. Bibliothecæ SS. Patrum, in libello de Laudibus virginitatis c. 9. *Cùm tres*, inquit, *sint status in Ecclesia, virginitas, cælibatus, & coniugium, ex reuelatione angelica didicimus, si meritorum ratio habenda est, cum his inter virtutes constituendum esse ordinem, vt sit virginitas aurum, cælibatus argentum, coniugium æramentum: virginitas diuitiæ, cælibatus mediocritas, coniugium paupertas: virginitas pax, cælibatus redemptio, coniugium captiuitas: virginitas sol, cælibatus lucerna, coniugium tenebræ: virginitas regina, cælibatus dominus, iugalitas ancilla.* Hæc ille. *Inter tres in Ecclesia status virginitas præstat.* *Virginitas est aurum, cælibatus argentum, coniugium æramentū.*

Tertull. quoque lib. de Pudicitia: *Pudicitia*, inquit, *flos morum, honor corporum, decor sexuum, fundamentum sanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis: quamquam rara, vix q, perpetua, tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si disciplina persuaserit, si censura compresserit.* *Laus pudicitia.*

Denique *S. Martinus videns pratum, cuius vnam partem boues depauerant; secundam porci suffoderant; tertiam illæsam, quæ diuersis floribus quasi picta vernabat, dixit: Prima pars speciem gerit coniugij, quæ à pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatē. Secunda, quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis fœdam imaginem præfert. Tertia, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit: vnde herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat.* ita Sulpit. dial. 2. c. 11.

Ex hisce collige octo prærogatiuas virginitatis & vitæ cælibis. Prima est, quòd sit imitatio vitæ & integritatis angelicæ. Angeli enim non nubunt, sed toti Deo intendunt & famulantur: idem faciunt & virgines. Audi S. Athanasi. de Virginitate sub finem: *O virginitas opulentia indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus sancti, margarita pretiosa, mortis & inferni profligatrix, Angelorum vita, corona Sanctorum*, &c. Et S. Chrysost. lib. de Virginit. c. 11. *Virginitas*, ait, *tanto nuptijs præstat, quanto cælum terra, quanto hominibus angeli antecellunt.* Et S. Augustin. lib. de Sancta virgin. c. 13. *Virginalis*, ait, *integritas angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Rursum hæc est angelorum familia illa noua, quam Christus in terra instituit; vt docet S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium. *Statim*, inquit, *vt si-* *Octo excellentiæ virginitatis.* 1.

lius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab angelis adorabatur in cælo, haberet angelos in terris. vide S. Fulgent. epist. 3. ad Probam cap. 9.

II. Secunda est, quòd virginitas sit holocaustum, vt ait S. Hieron. in psalm. 95. corpus enim, & cum corpore mentem addicit & consecrat Deo, rebusque diuinis. vnde S. Ignatius epist. ad Tarsenses, *virgines* vocat *sacerdotes Christi. Eas*, inquit, *quæ in virginitate degunt, in pretio habete, tanquam Christi sacerdotes.* Hinc S. Ambros. in psalm. 118. 5. *virgines* vocat *Martyres*: grauiorem enim sæpè habent luctam quàm Martyres, cùm amores & vitales animæ concupiscentias pro Deo obtruncant.

III. Tertia, quòd virgo connubium spirituale ineat cum Christo, vti dicam epist. 2. cap. 11. v. 2. Proles huius coniugij sunt non corporales, sed spirituales; puta primò, opera virtutum: secundò, eleëmosynæ, aliaque officia charitatis: tertiò, exempla sancta, quibus plures animas ad Christi obsequiũ adducunt, itaque eas Christo pariunt. Ita S. Cæcilia Valerianum maritum, Tiburtium fratrem, aliosque non tantùm Christianos, sed & virgines & Martyres effecit. Vnde de ea canit Ecclesia: *Domine Iesu Christe seminator casti consilij, suscipe seminum fructus quos in Cæcilia seminasti.* Et: *Cæciliæ famula tua quasi apis tibi argumentosa deseruit.*

IV. Quarta, quòd virgines plus cæteris à Christo amantur. Christus enim quasi sponsus, virgines quasi sponsas suas adamat, vti docet S. Ambros. lib. 1. de Virgin. Rursum amat eos tanquam milites suos. vnde ibidem Ambrosius: *Hæc est*, inquit, *militia illa cælestis, quam laudantium exercitus angelorum promittebat in terris.* de his militibus S. Chrysost. hom. 71. in Matth.

V. Quinta, quòd virgines sint nobilissima pars Ecclesiæ. Audi S. Cyprian. lib. de Discipl. & habitu virgin. *Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, eo maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum & incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Et S. Hieron. lib. 2. contra Iouin. *Virginibus*, ait, *& continentibus quasi gemmis pulcherrimis Ecclesiæ monile decoratur.* Et Ecclesiast. c. 26. *Omnis*, inquit *ponderatio non est animæ continentis* in cõiugio (de eo enim loquitur) multò ergo magis omnino cõtinentis in cælibatu.

Hinc S. Athanas. lib. de Virgin. docet virginitatem esse notam veræ religionis & Ecclesiæ. nam vera religio virginitatem & cælibatum suadet, complectitur, extollit: infidelitas & hæresis dissuadet, abijcit, deprimit.

Et S. Ambros. lib. de Viduis: *Illi*, ait *qui deorum suorum adulteria & probra venerantur, cælibatu & viduitati statuêre pœnas, vt æmuli criminum multarent studia virtutum.*

Quare hæretici & infideles non sunt, nec esse possunt virgines, sine gratia enim Dei (cuius initium est fides) impossibile est inter tot carnis illecebras & tentationes, virginitatem seruare & tueri. vnde S. Athanas. in apolog. ad Constantinum Imp. *Nusquam alibi*, inquit, *sanctum illud & cæleste æternæ virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi dumtaxat apud Christianos.*

VI. Sexta, quòd, vt ait S. Cyprian. suprà, *Nuptiæ repleant terram, continentia cælum*; adeoque, vt ait S. Basilius, *Virgines anticipent gloriam resurrectionis.* in hac enim, vt ait Christus, non nubent, neque nubentur.

VII. Septima, quòd virgines in cælis eximium habeant præmium & coronam, quodque sequantur Agnum quocunque ierit, cantantes canticum nouum, quod nemo alius canere potest, Apocal. 14. v. 3. & 4.

VIII. Octaua, quòd virginitas faciat hominem similem Deo & S. Trinitati, de quo v. seq. Atque hæc omnia tam locum habent in virginibus quæ domi, atque in ijs quæ in monasterio degunt. Tempore enim S. Pauli & Ignatij nec dum erant monasteria. cùm ipsi ergo consulunt & laudant virginitatem, consulunt & laudant eam quæ domi seruabatur. Ita Philippus diaconus domi habebat quatuor filias virgines. Act. 21. 9. quæ etiam spiritu prophetico præditæ fuerunt, vt ibidem dicitur, idque in præmium virginitatis, ait S. Hieron. ad Demetr. Philippus Apostolus ante apostolatum tres genuit filias, quarum duæ in virginitate consenuerunt, vt ait Polycrates apud S. Hieron. lib. de Script. Eccles. in Polycrate. S. Thecla hortatu S. Pauli coluit virginitatem, vti testatur S. Ambros. l. 2. de Virgin. Eamdem coluerunt S. Iphigenia filia regis hortatu S. Matthæi, vt testatur Abdias eius vita; & S. Flauia Domitilla filia Clementis Consulis Romani, hortatu S. Clementis teste Beda in Martyrologio Maij 7. & S. Pudentiana & Praxedes filiæ Pudentis Senatoris, aliæque plurimæ; adeò vt S. Ambr. lib. 3. de Virgin. dicat: *In Ecclesia Orientali & Africana plures consecrari virgines, quàm Mediolani, & in Italia nascantur homines: inde tamen non minus genus humanum, sed multiplicari.* Cuius ratio est, quia Deus non vult vinci liberalitate: si parentes ipsi vnam vel alteram prolem offerunt, ipse octo vel decem reponit, fœcundans & felices partus tribuens, & domum sua benedictione replens. ita Annæ pro Samuele sibi oblato, quinque alias proles repositit, ita diuitibus eleëmosynam Deus maiores opes, agrisque eorum maiorem fertilitatem tribuit, vt ait S. Augustin. serm. 219. de Tempore.

PORRO HOC AD VTILITATEM VESTRAM DICO] ad maiorem scilicet perfectionem, & profectum vestrũ in spiritu & virtute, cælibatũ vobis consulo.

NON VT LAQVEVM VOBIS INICIAM] non quòd vobis imponere velim necessitatẽ continendi, & vos eò cogere. ita Oecumenius, Theophyl. Chrysost. Hoc enim præceptum laqueus esset iis, qui ægrè se continere possunt, quia spoliaret eos remedio suæ incontinentiæ, scilicet coniugio, & adigeret eos in peccatum fornicationis. Patet ex seq. quia laqueum. id est præceptũ, opponit consilio, dum ait: *Sed ad id quod honestum est*, scilicet vos adhortans; *ad honestum*, id est, honestiorem & meliorem viuendi conditionem in cælibatu, q. d. Hæc dico de cõmodis virginitatis, non vt laqueũ iniiciam, id est, quasi eam imperans, sed quasi consulens. ita Theodor. Theophyl. Anselm. Oecum.

Perperam ergo Petrus Martyr. & Bucerus putant laqueum hunc esse necessitatem voti: hanc enim non Apostolus aut alius, sed sibi quisque iniicit, dum sponte vouet castitatem: qui autem sponte vouet, non magis inijcit sibi laqueũ, quàm is qui sponte illigat se matrimonio, & vti dicitur coniugi sæpè molestæ & rixosæ.

Adde, vota non suscipi nisi post experimentum, & non nisi præuio maturo consilio & deliberatione;

seruari in monasterijs nouitijs datur annus probatorius, vt vires suas explorent, & deliberent an velint vouere, nec ne. Quòd si hunc annum habeant coniuges, vt eo se inuicem probarēt ante matrimonium credo plures resilirent; & tamen iam contracto matrimonio manere coguntur cum ignoto aut inexperta & ingrata coniuge: quidni ergo ij qui solemni promissione Deo factā professionem castitatem, quam priùs experiri potuerunt & debuerunt, adigantur vt reddant vota, quæ sponte vouerunt Domino Deo suo?

Longè venùs est laqueus hoc dogma Buceri & Vuantim: castitatem scilicet esse impossibilem ac consequenter licere post vota nubere. Hoc enim laqueo multæ Religiosorum animæ, quin & sacerdotum, strangulant se, vt adulterentur, damnentur & damnentur: dum enim persuadent sibi impossibilem esse castitatem virginalem aut coniugalem, necessum est vt in adulteria & sacrilegia hac sua persuasione & phantasia adigantur.

QVOD FACVLTATEM PRAEBEAT vobis virginibus SINE IMPEDIMENTO DOMINVM OBSECRANDI sitzcè, πρὸς τὸ εὐπάρεδρον (Erasmus & Robert Stephanus legunt eodem sensu εὐπαρεδρευτον) τοῦτο ἀπερισπάστως. q. d. Ad id quod assideat Deo distractè, seu vt in cælibatu indiuulsè semper adhæreatis & adhæreatis Deo. ita Theophyl. & Theodor, scilicet vt sit vobis facultas *Dominum assidue obseruandi*, vt legunt Romana. Sed Plantiniana & alia passim legunt *Dominum obseruandi*. S. Gregor. lib. 3. Curæ pastor. admon. 38. legit *Domino famuli*. Omnes hæ lectiones Græcæ phrasi huic dictæ respondent: nam & per obsecrationem, & per obseruationem, & per seruitium Deo adhæremus & assidemus; atque ad hæc omnia magnam facultatem præbet cælibatus, vt hîc ait Apostolus. Sic Magdalena sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, Lucæ 10. v. 39.

Secundò, S. Hieron. contra Iouinian. vertit, *Quod intentè facit seruire Domino absque vlla distractione.* εὐπάρεδρον enim duo significat. Primò, esse assessorem constantem; Secundò, esse assiduum in aliqua re. Sicut ergo Socrates dicitur suum habuisse genium paredrum, cuius consilio & monitu omnia agebat; & magi in annulis, atque hæretici in sua hæresi fabricāda (vt docet Irenæus lib. 2. c. 19. & 20.) suggestores habent dæmones paredros, id est familiares: ita hîc vice versa casti vocantur paredri, id est familiares, & quasi assessores Dei, tanquam angeli quidam terrestres, qui semper ob castitatem vident faciem Patris. Hinc passim Patres comparant castos angelis. S. Bernardus epist. 42. *Differunt*, inquit, *homo pudicus & angelus sanctitate, non virtute: angeli castitas felicior, hominis forsan.* Climachus gradu 15. & Basilius de Sancta virginitate dicunt nos Deo similes per castitatem fieri, & habere speciem incorruptionis cælestis & diuinæ. Imò Gentilis Cato aiebat vitam nostram sine vxore fere vitæ deorum, si sine vxore esse posset; atque vxorem malum esse, sed necessarium. Neque errauit Cato. S. Paulus enim docet per gratiam Christi non esse necessariū, sed liberum quiduis cum coniugium, quàm cælibatum. Vnde sensit & acutè b. Thomas Morus Martyr roganti eum ratum duxisset vxorem, respondit se è duobus liberè & prudenter elegisse minimum. Vetus Sapiens Sapientiæ 6. v. 20. *Incorruptio*, inquit, *facit esse proximum Deo*: nam, vt ait Nazian. in *Carmine de virgin.* SS. Trinitas prima est virgo, quam omnes virgines imitantur:

SS. Trinitas prima virgo.

Prima (inquit) *Trias virgo est; siquidem Patre natus anarcho*

Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab vllo.

Et, vt ait Ambros. li. 1. de Virginibus: *Virginitas è cælo accersiuit, quod imitaretur in terris. hæc nubes, aëra, angelos sideraq; transcendens Verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit. Elias etiam quia nullius corporei coitus fuisse permistus cupiditatibus inuenitur, ideo curru raptus ad cælum.* Atque hac de causa virgines non in monte, sed supra montem Sion à S. Ioanne conspecti sunt, Apocal. 14. ante thronum Dei cantantes canticum nouum, & sequentes Agnum quocunque ierit. Hinc & vitam cælibem dici quasi cælitem, illudque verum cælibis esse etymon censet S. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. in fine (quidquid ibidem S. Hieronymo obstrepat Erasmus) & Caius Iurisconsultus, & nuper Lipsius. *Caius*, inquit Quintil. lib. 1. c. 10. *calibes dixit quasi calites & cælestes, quòd onere grauissimo vacent nuptiarum. Per continentiam quippe colligimur & redigimur in vnum, à quo in multa defluximus.* Hoc præclarè & intellexerunt & præstiterūt quatuor illæ heroinæ & reginæ sorores Theodosij Imp. inter quas eminuit Pulcheria, quæ virginitatem Deo vouerunt, ad quas B. Cyrillus scripsit librum de Fide ad reginas, de quibus Nicephor. lib. 14. c. 2. pag. 612. tom. 1. additq; Nicephorus de hisce reginis: *Diu*, inquit, *noctuq; hymnis laudibusq; celebrabant Deum: institutum namque, propter quod virginitatē erant complexæ, nec ignauiam, nec otium decere existimabant.*

Cur Elias curru raptus ad cælum.

Calibes dicti quasi calites.

Atque hinc consequitur, cælibatum aptissimū esse ad sapientiam omnem acquirendam; quod Aristoteles quoque & Philosophi docuerunt, & Cicero reipsa præstitit: cùm enim Terentiā vxorem repudiasset, rogatus cur aliam non duceret, respondit, se non posse simul philosophari & vxori operam dare. Nam cælebs ab alijs curis liber totus sapientiæ intendit: rursum, animum purum ac sapientiæ capacem habet. Tertiò, à Deo cui familiaris est, mirè illustratur. Cùm enim castus paredrus & assessor sit Dei, vt hîc ait Apostolus, sequitur castum quoque esse assessorem diuinæ & æternæ sapientiæ: hæc enim paredrus & assessor est Dei. *Da mihi* (inquit Salomon Sapient. 9. v. 4.) *Domine, sedium tuarum assistricem* (græcè πάρεδρον, id est assessricem) *sapientiam.* Vnde S. Hieron. li. 1. contra Iouinian. asserit Sibyllas ob virginitatem obtinuisse à Deo donum prophetiæ.

Calibatus aptissimus ad omnem sapientiam acquirendam.

Dictum Ciceronis de non ducenda vxore.

Hinc sapientia & castitas quasi sorores S. Gregorium Nazianz. complexæ sunt. nam, vt narrat Russinus in prologo apolog. & S. Aldhelmus de Laudib. virgin. c. 13. *Cùm B. Nazianzenus Athenis studijs vacaret, vidit per soporem sedenti sibi, & legenti duas decoras dextra leuaq; feminas assedisse: quas ille castitatis instinctu oculo toruiore inspiciens, quænā essent, quidnam vellent percūctabatur. at illæ familiariùs cum & ambitiosiùs complectentes aiunt: Ne molestè accipias iuuenis, nota tibi satis & familiares sumus; altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur, & missæ sumus à Domino tecum habitare, quia iucundum nobis & mundum in tuo corde habitaculum præparasti.* En tibi sorores gemellæ castitas & sapientia.

Visio B. Gregorij Nazianzeni de sapientia & castitate.

Hinc Secundò, consequitur tanta Dei & angelorum cum virginibus communicatio, familiaritas & protectio, qua illarum vicissim quasi paredri eosdem virgines illæsas & inuiolatas ab omni

Dei & angeli paredri sunt virginum.

vi & petulantia tyrannorum seruauerunt: cuius rei testis est S. Basilius de Vera virgin.

Illustre exemplum S. Theophilæ de virginitate.

Illustre exemplum extat in vita S. Theophilæ, quæ sub Maximiano Imp. ad prostibulū damnata, cùm eò duceretur, ita orabat: *Mi Iesu, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vitæ, vide eam quæ tibi desponsata est. Sessima ne lupi tuam pecudem lanient, serua sponse sponsam, meam conserua castitatem sponsi castitatis.* Ingressa ergo prostibulum librum Euangeliorum è sinu protulit attenteque legit: assistit mox angelus, qui primum iuuenē procacem ad eam ingredi volentem morte, secundū cæcitate, alios alijs pœnis mulctauit; ita vt nemo amplius ad eam ingredi auderet. Sed libidine in reuerentiam versa, cùm plures religione tacti docum intrassent, viderunt Theophilam honestè sedentem, & libro incumbentem: adolescentem autem quendam prope eam stantem, luce quadam ineffabili, pulchritudine verò incredibili, veluti quædam fulgūris tela emittentem ex oculis; qui tandem Theophilam educens ad ecclesiam, eamque in vestibulo statuens, cùm *pax tibi*, dixisset, recessit, attonitis Gentibus & exclamātibus: Quis est sicut Christianorum Deus? Similia sunt in vita S. Agnetis, Cæciliæ, Luciæ, & aliarum virginum. Adeoque mirum hoc & notatu digoum in vita & martyrio SS. Virginū, quòd, cùm pulcherrimas virgines ab impurissimis tyrannis promissis, metu & vi ad stuprum sollicitatas, imò publico iudicio damnatas sæpissimè legamus; nullam tamen violatam, sed omnes Deo & angelis tutoribus virginitatem conseruasse, adeoque auxisse martyrio consipiciamus.

Deus & angeli tutores virginum.

VERS. 36. SI QVIS TVRPEM SE VIDERI EXISTIMAT SVPER VIRGINE SVA] εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει, id est, si quis indecens esse putat, & apud mundanos homines se suamq; filiam despici, ait Syrus: quasi turpe sit & indecorum, quòd illa virgo plus æquo sit superadulta, græcè ὑπέρακμος, superætanea, super ætatem sit nubilis, nec tamen viro tradatur; quasi florem ætatis, vel ætatem maturā coniugio prætereat. ita Theoph. & Syrus.

ET ITA OPORTET FIERI] & ita potiùs fieri debere putat pater, vt collocet illam viro in matrimonium, vel quia ipsa non vult continere, vel quia stirpem & prolem ex ea quærit, vel alias ob causas.

QVOD VVLT FACIAT] filiam tradat nuptui si vult; vel seruet virginem, si id malit.

Nota, hanc Apostoli sententiam non significare in patris potestate esse filiam seruare virginem, etiamsi ipsa nolit; aut patrē posse filiam dare marito cui ipsi libuerit, etiamsi filia in eum non consentiat; aut consensum filiæ in maritum non sufficere ad matrimonium, nisi & pater aut tutor in illud consentiat, vti statuerūt Iura ciuilia, dum sanxerunt filiorum vel filiarum familias matrimonia esse irrita, nisi is consentiat qui habet eos in potestate. vt habetur Instit. de nuptijs, & ff. de iure nuptiarum. Contrarium enim sanxit ius naturale, diuinum & canonicū. Tantùm ergo innuit Apostolus hìc, & v. 37. consultum & congruum esse, vt parentes videntes filiæ vel filij propensionem ad nubendum, tanquam sapientiores coniugem idoneam, more veterum, quærant illi, filiumq; ac filiam in hac re debere parentum consilium & voluntatem sequi, si prudenter sibi & familiæ consulere velit, nisi iustam afferat excusationem. Sic Abraham, Isaac, Tobias filijs suis sponsas designarunt, quas filij parentis voluntatem & consilium secuti sponte amplexi sunt.

Non est in patris potestate filiam seruare virginem, aut matrimonio iungere si ipsa nolit.

consulere tamen potest.

SI NVBAT] Græca post *non peccat* ponunt participium, & pro *nubat* habent γαμεῖτω, ut sit matrimonio, si videlicet illud eligant & ineant. Vtitur plurali, vt & virginem, & procum comprehendat, quem significauit aliquid in eam re honestum committere, vt in procis & amatis fieri soleme hoc vlteriùs fiat, dicit γαμείτωσαν id est, copulétur matrimonio. ita Maldon. tum in Notis.

NAM QVI STATVIT IN CORDE SVO FIRMVS, NON HABENS NECESSITATEM, &c. SERVARE VIRGINEM SVAM, BENE FACIT] τὸ *nam* dat causam eius, quod dixit, *Quod vult faciat*: nam siue nubat, non peccat; siue non nubat, sed virgo seruetur, bene facit, imò melius facit, tam pater, quàm virgo filia. Vnde Græca clariùs habent ὃς δέ, qui verò non dat nuptui, sed seruat virginem, bene facit. q.d. Pater non malè, hìc verò bene, imò melius facit.

Non habens necessitatem.

NON HABENS NECESSITATEM] dare filiam nuptui, ob carentiam doni continentiæ, aiunt heretici. q.d. Qui cogitur filiam dare nuptui, eò quòd careat dono continentiæ, si eam seruet virginem, malè facit; qui autem non cogitur dare, eò quòd filia habeat donum continentiæ, si eam seruet virginem, bene facit.

Sed erant, quid τὸ *non habens necessitatem* sibi & τὸ *habens potestatem* refertur ad *seruare virginem*. q.d. Bene facit qui seruat filiam virginem, non necessitate cogatur eam seruare virginem sine coniugio, ob inopiam, infamiam, aut quia nemo eam vult coniugem, alijs sūe de causis. Hoc enim necessitatis est, non virtutis: virtutis verò est, si nulla cogat necessitas, sed impellat pietas, vt virginitatem eligat liberā voluntas. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen.

POTESTATEM AVTEM HABENS SVÆ VOLVNTATIS] vt possit pater quod vult, id est, vt ei sit liberum seruare virginem, quia videlicet virgo consentit manere virgo.

Nota hæc Apostoli verba, & ex ijs disce hominem habere liberum arbitrium, etiam in rebus supernaturalibus, vti hìc est perpetua virginitas. Pater enim non potest eam velle in filia, nisi filia eam eligat, & amplectatur liberè.

Posset Secundò, simpliciter sic accipi, *non habens necessitatem*, scilicet præcepti, sed *potestatem voluntatis*, id est, liberam electionem, vt sine peccato eligat quod vult. q. d. Virginitas non præcepti est, sed consilij: qui ergo vult filiam seruare virginem, ad id nulla lege cogitur; bene tamen facit, quia consilium Christi & meum adimplet.

QVOD SI DORMIERIT] mortuus sit. Mors fidelium dicitur somnus; ex eo enim euigilabunt in resurrectione. Hinc pij Christiani cùm quis defunctus est, Obdormiuit, inquiunt, in Domino, id est, mortuus est.

CVI VVLT NVBAT, TANTVM IN DOMINO] Graci Patres sic accipiunt τὸ *in Domino*, q.d. Secundùm Dei legem, quæ iubet vt cum temperātia, & pudicitia, non libidinis, causa matrimonium contrahat. ita S. Basilius lib. de Vera virginit. *Quid, ait, est in Domino nubere? non vt vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi, sed iudicio & cum moderatione vitæ ratione nuptias eligere. Ideo enim & matrimonij necessitatem Creator in natura constituit.*

Secundò, *in Domino*, id est religiosè, cum Dei timore, & ad Domini gloriam: quod fiet maximè,

fidelem virum probum & Christianum.

Vnde Tertul. propriè ad mentem Apostoli (*in Domino* id est, in Domini Ecclesia & christiana fide) *tantùm in Domino*, id est, nubat viro Christiano. vide can. 25. & 37. ita Ambros. Theodoret. Euthym. Anselm. Sedulius, D. Thom. August. lib. de Adulter. coniug. c. 21.

Hinc Ecclesia postea omnino vetuit ob periculum perversionis, & ob indecentiam, matrimonium Catholici cum hæretica, & irritauit matrimonium Christiani cum Pagana: estque peccatum mortale contrahere cum hæretico vel hæretica. excipe Germaniam, Poloniam, Galliam, vbi cum Catholicis permixti sunt hæretici; ibi enim id licet, modò mulier Catholica liberè permittatur, & absque perversionis periculo in fide permanere, & in casu prolem educare, vt docet Thom. Sanchez lib. 7. d. 73. n. 3. tom. 2. Sed quia hoc difficile fit, hinc illæ cautelæ & dissuadendæ sunt talium coniugia. Hinc denique contra Tertull. Montanistas, Ambrosium pater licitas esse secundas nuptias.

BEATIOR AVTEM ERIT, tum hic in quieta & tutiore vita; tum in futuro, maiori beatitudine gaudens & gloriosior erit in cælo, ait Ambrosius, quæ (separata in viduitate) PERMANSERIT. Hoc erat consilium viduitatis, tanquam melioris matrimonio, & patet ex dictis, & ex Patribus omnibus. vide S. Augustin. lib. de Bono viduitatis tom. 4. & Ambros. lib. de Viduis tom. 1.

A

Quartò *nubat in Domino*, hoc est secundùm leges & ritus Ecclesiæ, ab ipsis Apostolis (qui Domini vice & auctoritate fungebantur) traditos. Ritus autem ab Apostolis instituti, & à tota Ecclesia recepti, hi sunt potissimi. Primò, vt contrahatur in præsentia sacerdotis ad id legitimè deputati. *Decet* enim, vt ait S. Ignatius ad Polycarp. *vt & ducentes vxores, & nubentes cum Episcopi arbitrio coniungantur, vt nuptiæ iuxta præceptum Domini, non autem ob concupiscentiam coire videantur.* Secundò, vt in celebratione matrimonij sacrificium Missæ offeratur. Tertiò, vt contrahentes Eucharistiam percipiant, &c. Vnde Tertull. li. 2. ad Vxorem in fine: *Vnde*, ait, *sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio* (Missæ sacrificium) *& obsignatum angeli* (id est sacerdotes) *renunciant?*

B

PVTO AVTEM, QVOD ET EGO SPIRITVM DEI HABEAM] nimirum spiritum consilij, secundùm quem puto me ista fideliter suadere. ita Anselm. & alij.

Nota τὸ *& ego*, q. d. Sicut alij Apostoli, ita & ego Spiritum Dei habeo. Modestè suam auctoritatem interponit, ne videatur hæc humano, non diuino spiritu dicere & consulere. Secundò, notat S. August. tract. 37. in Ioann. τὸ *puto* non dubitantis esse, sed asseuerantis & inerepantis.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tractat secundam quæstionem generalem sibi à Corinthiis propositam de idolothytis, an iis vesci liceat.

Respondet Primò, per se id non esse illicitum, cùm idolum nihil sit.

Secundò, tamen docet id esse illicitum, si fiat repugnante conscientia, aut cum scandalo infirmorum, quod valde cauendum esse inculcat.

Respondet Paulus secundæ quæstioni generali Corinthiorum.

1 DE ijs autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat. 2 Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. 3 Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 4 De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi vnus. 5 Nam etsi sunt qui dicantur dij siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt dij multi, & domini multi:) 6 nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. 7 Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia eorum cùm sit infirma, polluitur. 8 Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. 9 Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 10 Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nónne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? 11 Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? 12 Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 13 Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

PRO intellectu trium sequentium capitum Nota. Idolothyta sunt idolis immolata, putà oues, panis, vinum, &c. quæ idolis offerebantur: dicuntur ἀπὸ εἰδώλων καὶ θυσιῶν, ab immolando idolis. Hæc idolothyta comedere per se non erat peccatum, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. Erat tamen peccatum, Primò, si id fieret ex intentione, vt si quis idololatra ad idoli cultum ea manderet, vel si id fieret ex infirmitate fidei,

C

quod crebrum erat tempore Pauli. nam multi recèns conuersi & rudiores erant, qui vel non plenè abiecerant opinionē suam de idolis & idolothytis, quasi aliquid numinis vel diuini haberent: vel certè ex pristina consuetudine non poterant vincere phantasiam suam de dijs suis, Ioue, Minerua, Marte, (quos paulò antè quasi deos coluerant) & de sanctitate ciborum illis consecratorum. Semper enim cibos hos quasi sanctos & consecratos

V. Eccl. 1. 13. f. 57. 1. b

imaginabantur, etiamsi fides Christi illis contrarium dictaret.

Secundus. Secundò, ex conscientia erronea; si quis putans esse illicitum comedere idolothytum, illud contra conscientiam comederet, putans scilicet hoc esse participationem cum idolis, & professionem idololatriæ; vel carnem ab idolo, siue dæmone cui oblata est, esse contaminatam, & comedentem contaminare, vt docuit Apostolus Rom. 14.

Tertius. Tertiò, ex scandalo; si quis sciens idolum nihil esse, tamē ad ostendendam suam scientiam & libertatem coram infirmis idolothyta comedat, itaque eos prouocet (ait Paulus v. 10.) vt & ipsi cōtra conscientiam eadem comedant, vel vt putent eum qui illa comedit peccare in fidem, vel redire ad idolorum cultum, & alios eōdem trahere.

Quartus. Quartò, ex præcepto Apostolico, quo Act. 15. v. 29. vetant Apostoli idolothytorum esum.

Quintus. Quintò, sic eo modo, & ijs circumstantijs quis ea comedat, v. g. in idolio, cùm peragitur sacrificium idololatricum, vt censeatur id fieri ad idolorum cultum, & comedens censeatur profiteri idololatriam, perinde atque is qui accedit ad cœnam Caluinisticam, censetur profiteri caluinismum. De quo casu ait S. August. li. de Bono coniugal. c. 16. quod citatur 32. q. 4. c. *Sicut satius: Satius est fame mori, quàm idolothytis vesci.*

Quare Iulianus Imper. coegit Catholicos vesci idolothytis. Quomodo Iulianus Imp. vt Catholicos Constantinopolitanos ad speciem quandam externā idololatriæ compelleret, omnes idolothytis vesci coëgit. Rem gestam ita narrat Nectarius Episcopus Constantinop. oratione quam habuit in exordio ieiunij Quadragesimalis: *Cuncta* inquit, *cibaria, quæ venum publicè in foris exponi solerēt, sacrificijs diis immolatis infecit ac polluit, vt sic omnes illi cogerentur vesci cibis immolatitijs, nisi fame confici vellent; cùm oraculo Theodori Martyris, quonam modo consulendum esset fidelibus fame periclitantibus, fuit diuinitus demonstratum: nempe, vt tunc loco panis cocto frumento omnes vterentur in cibum. quod ditiores pauperioribus liberaliter elargiti sunt per totam hebdomadā; quando Iulianus desperans se quod volebat perficere posse, victus Christianorum continentia & constantia, rursus puros cibos absque vlla labe in foris apponi iussit.* Vbi

Constantia Christianorum contra Iulianum. Nota, quod ait *victus continentia Christianorum*: magna enim & spontanea fuit hæc eorum abstinentia. Licitè enim potuissent cibis à Iuliano cōtaminatis vesci, tanquam cibis communibus, sed noluerunt, idque in odium Iuliani & idolorum. Quòd licitè poterant ijs vesci, patet, quia non poterat Iulianus cibos communes hoc contactu vitiare, vel dæmonibus sacros efficere, ita vt qui illis vesceretur, censeretur idola colere, & idololatriā profiteri. Esto enim Iulianus hoc intenderet, tamen vinus ipse erat, nec poterat commune hominum iudicium mutare, qui censebant rem hanc non esse idololatricam, sed adiaphoram. Vnde Antiocheni ciues, cùm simili modo cibum & potum eorum infecisset Iulianus, liberè & sine scrupulo eundem manducarunt & biberunt, vt narrat Theodoret. li. 1. histor. c. 14. Hinc S. August. epist. 154. docet licere vesci olere, quod in horto idoli nascitur, & bibere de puteo, vel fonte, qui est in templo idoli, vel in quem cecidit idolothytum. De hac re plura dicam c. 10. v. 21.

Licet bibere de puteo qui est in templo idoli.

Nota Secundò, Corinthi erant aliqui doctiores qui sciebant & sentiebant quod res erat, scilicet idola cum idolothytis nullam vim habere: itaque comedebant illa etiam cum scandalo infirmorum & infirmorū, idque vt ostentarēt suam scientiam & libertatem. Alij verò rudiores, vel non plenè abiecerant opinionē suam de idolis & idolothytis, vel certè ex pristina consuetudine de eis quasi sanctis & sanctificatis, non poterant vincere phantasiam suam, vti dixi; vnde facilè ad ea relabi poterant. Hinc Apostolus timens illis periculum idololatriæ c. 10. v. 14. ait, *Fugite idololatriam.* Proposuerunt ergo Corinthij quæstionem hanc Apostolo, an liceat idolothytis vesci? Vnde

Nota Tertiò. Apostolus illi quæstioni hic respondet. Primò, idolum & idolothyta nullam vim habere. Secundò, idolothytis abstinendum esse, vbi est scandalum, idque agit hoc capite.

Nota Quartò, Apostolum hic tantùm reiecisse responsionē ad quæstionē de idolothytis comedendis: illam enim absoluit, & perfectè respondet c. 10. v. 20. & 21. nam non tantùm ob scandalum non licet ijs vesci, sed etiam cessante scandalo absolutè in idolijs, id est templis, arte, vel mensis idolorum, vbi illa comedi solebāt, coram idololatris illa offerentibus, ijs vesci non licet. Hoc enim esset profiteri idololatriā, & colere idolum epulo, quo consummatur sacrificiū illis oblatum: hoc enim epulum pars quædam etat & perfectū sacrificij. Et sic intelligendus est Apoc. 2. v. 14. & 20. vbi angelus, id est Episcopus, Pergami & Thyatiræ redarguitur, quòd permiserit suos membra care de idolothytis, nimirum quasi cibis sacris & diuinis, idque in honorem idolorum. Hoc enim fuit scandalum, quod Balac rex infra 10 Balaam misit coram filijs Israel: hisce enim idolothytis pellecti sunt filij Israel ad cultum & adorationem Beelphegor, Num. 25. 2. Eadem de causa vetantur idolothyta in Concil. Gangrensi cap. 2. & in Conc. III. Aurelian. c. 19.

Nota Quintò, Apostolum subticere præceptum Apostolorū Actor. 15. quo absolutè vetant eam idolothytorū, quia illud præceptum tantùm erat ingebatur ad Antiochenos, eorumq; vicinos (vt patet ex v. 23. ibidem) vbi plurimi erant Iudæi, qui idola & idolothyta execrabantur. Hi enim cum Gentibus miserant legatos Hierosolymam ad Apostolos, vt quæstionē de legalibus seruanda decideren: quibus Apostoli respondent legalia non esse seruanda; sed tamen abstinendum esse abesu idolothytorum, idque concordiæ Iudæorum cum Gentibus causa: licet postea etiam aliæ Gentes ab Antiochia remotissimæ hoc præceptū Apostolicū amplexę sint sponte, ob reuerentiā Apostolorū, vt ostendit Baron. an. Christi 51. post medium p. 441.

DE IIS AVTEM QVÆ IDOLIS SACRIFICANTVR, Vt SCIMVS] quòd, scilicet immolata idolis ab alijs cibis non differant, nec plus habeant numinis vel religionis, vt quidam vestrūm, ô Corinthij, persuasi videntur. Vide Chrysost.

QVIA OMNES (bene & plenè in fide Christi instituti) SCIENTIAM (id est, sufficientem rerum Christianarum cognitionem) HABEMVS] ex qua scimus idolothyta esse adiaphora.

SCIENTIA INFLAT] q. d. Scientia hæc vestra qua scitis idola nihil esse, & consequenter licitum idolothytis vesci, ijsque vescimini cum scandalo ignorantium hoc: hæc, inquam, scientia facit vos superbire contra ignorantes, eosque despicere. Pro *inflat* græcè est Φυσιοῖ, id est, tumet, turget instar follis vento distenti. Talis enim est vento-

sanctis. Hinc superbus diabolus dictus est δαίμων quasi δαήμων, id est doctus, peritus, sciens, inquit Plato in Cratylo. Verè S. August. in sentent. 241. Euangelium, ait, *virtus est, de scientia non gloriatur. Humana est omnibus sicut lucis, ita participatio nocua.*

CARITAS VERO ÆDIFICAT] scilicet infirmos in gratia, vt eos enim in fide & pietate Christiana confirmet & promoueat, id quod eis obesse potest scilicet idolothytorum esum, dimittit. Superbus ergo facit ventosa scientia nisi charitate temperetur, ita Anselmus.

Hinc patet, hanc scientiam inflantem contrariam esse charitati: inducit enim contemptum proximorum, cùm charitas pro proximis sollicita sit eos ædificet. Appositè S. Bernard. serm. 36. in Cant. ex: *Sicut*, inquit, *cibus indigestus malos generat humores, & corpus non nutrit, sed corrumpit, ita ex scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria Christi decocta non fuerit, & sic per quosdam exitus, mores scilicet atque actus, transfusa atque digestione reputabitur in peccatum, tanquam cibus quidam pravos noxiosq; humores?*

SI QVIS SE EXISTIMAT SCIRE ALIQVID NONDVM COGNOVIT QVEMADMODVM OPORTEAT EVM scire. Id est, qui putans se aliquid scire inde intelligit necdum scit quis sit finis, vsus & modus scientiæ, videlicet vt per scientiam non superbias, profectibus possis, nemini obsis, neminem scandalizes; & sic à Deo agnoscaris & ameris. vt sequitur. Notat ostentantes suam scientiam de idolothytis quòd liceret ijs vesci, quodque ijs vescentem cum scandalo rudiorum.

Pulchrè S. Bernard. serm. 36. iam citato explicat hunc Apostoli locum: *Videt*, inquit, *quoniam non prodest multa scientem, si modum sciendi nescierit. modus est, vt scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque sint agenda. Quo ordine? vt id prius quod maturius ad salutem. Quo studio? vt id ardentius quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut lucrum aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namq; qui scire volunt, curiositatem vt sciant, & turpis curiositas est: & sunt qui scire volunt vt sciantur & ipsi, & turpis vanitas est; qui profectò non euadent subsannantem Satyricum,*

Nostrum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Sunt qui scire volunt vt scientiam suam vendant, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt vt ædificent, & charitas est: & item scire volunt vt ædificentur & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo non committuntur in abusione scientiæ; quippe qui ad hoc solum intelligere vt bene faciant. Idem lib. de Conflictu c. 2. *Multi*, ait, *quærunt scientiam, pauci conscientiam. Si verò tanto studio & sollicitudine quæreretur sapientia, quanto quæritur secularis & vana scientia, citius apprehenderetur, & vtilius retineretur.*

SI QVIS DILIGIT DEVM] & propter Deum proximum, vt eum idolothytorum esu aliaue re non scandalizet, sed ædificet; HIC COGNITVS EST à Deo est huic à Deo approbatus & dilectus est, quia scientia complacitum est Deo.

Nota. Qui diligit Deum, diligit & proximum, quia dilectio Dei iubet & imperat vt proximus diligatur propter Deum; & in dilectione proximi probatur & cernitur dilectio Dei, vt ait S. Ioannes 1. c. 4. 20.

DE ESCIS QVÆ IDOLIS IMMOLANTVR SCIMVS QVIA NIHIL EST IDOLVM. q. d. Idolum non

A est id, quod existimatur, & quod repræsentat. non est Deus. Vnde explicans subdit: ET QVOD NVLLVS EST DEVS, NISI VNVS] q. d. Idolum nihil est. id est, nihil tale est quale præse fert, quia nihil habet numinis; materialiter est lignum, formaliter nihil: quia imago est falsæ rei, siue Dei qui non est; ac consequenter idolothytum qua tale, nihil est, id est, nihil habet numinis vel sanctitatis ex idolo, cui est oblatum. *Quid & idolum in se.*

Alludit Apostolus ad Hebræum אֱלִיל *elil*: nam idolum dicitur אֱלִיל *elil*, id est vanitas, res vana, inanis: vel potiùs, vt *elil*, sit diminutiuum ab אֵל, id est, Deus fortis, q. d. *Elil*, id est deiculus, forticulus: vel, vt alij, *elil* quasi אַל אַל *al el*, id est, non Deus, non habens potentiam, fortitudinem Dei, inops ad consolandum & iuuandum. q. d. Idolum non B est Deus, sed vana, falsa & inanis vmbra Dei. Sic idolum Græcis priscis erat imago quæuis inanis & mendax, qualia sunt vana phantasmata, spectra, vmbræ mortuorum, &, vt Virgil. ait: *Tenues sine corpore vitas, & cana sub imagine formæ.* Id patet ex Platone in Theæteto, ex Luciano in dialogo de mortuis, ex Homero Odysseæ 11. & Eustathio ibidem. εἴδωλον *& græcè formam sonat, ab eo per diminutionem εἰδώλιον deductum idem est quod formula*, ait Tertul. lib. de Idolol. c. 3. Vnde sacra Scriptura & scriptores Ecclesiastici nomen idoli arctarunt ad imaginem Dei qui habetur Deus, reuera non est; vt patet hìc ex Apostolo. Et passim simulacra, & deos Gentium LXX. in veteri testamento vertunt & vocant idola. *Idolum hebraicè dicitur* elil, *quare.* *Quid idolum apud priscos.*

Quare falluntur & fallunt Henricus Steph. & C Ioannes Scapula in lexicis suis asserentes idolum apud scriptores Ecclesiasticos vocari omne simulacrum numen aliquod repræsentans, quod honore & cultu dignamur. Non enim omne simulacrum, vel imago numinis cuiuslibet est idolum, sed tantùm numinis falsi. ita Cyprianus de Exhort. mart. c. 1. Tertul. lib. de Idololatria, Athan. orat. contra idola sub finem. *Falsò idolum vocatur omne simulacrum numen aliquod repræsentans.*

Fraus ergo illa Nouantium cauenda, qui idolum cum imagine confundunt, vt cùm idola in Scripturis vetantur, inde concludant omnes imagines vetari. Vide Bellarm. li. 2. de imagin. c. 5. vbi solidè demonstrat quòd idolum sit similitudo rei falsæ, imago verò rei veræ. *Idolū cum imagine non confundit.*

NAM ETSI SVNT QVI DICANTVR DII, à Paganis, & apud eos sunt dij & domini multi, vt sequitur: dij inquã tam cælestes, vti Sol, Luna, stellæ; quàm terrestres, vt Iupiter, Apollo, Hercules: NOBIS TAMEN VNVS EST DEVS, PATER, EX QVO OMNIA, ET NOS IN ILLVM] in illius scilicet gloriam & cultum creati sumus. VERS. 5. *Qui dij cælestes, qui terrestres.* VERS. 6.

Nota. Scriptura tribuit Patri præpositionem, D *ex*, vt primo principio; Filio, *per*, quia idea est & Verbum, per quod omnia facta sunt. Vnde ait hic Apostolus, *Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*, scilicet creati & redempti sumus. Spiritui sancto tribuit, *in*: quia Spiritus sanctus est vinculum & amor Patris & Filij. Vide dicta Rom. 11. v. vltimo. *Quare Scriptura tribuat Patri præpositionem ex; Filio, per; Spiritui sancto, in.*

Nota contra Arrianos. Cùm ait Paulus, *Vnus Deus*, excludit tantùm falsos deos, non Filium & Spiritum sanctum: sic cùm subdit, *Vnus Dominus Iesus*, excludit tantùm falsos dominos, putà deos, non Patrem & Spiritum sanctum.

SED NON IN OMNIBVS EST SCIENTIA] iam di-VERS. 7.

dicta, quòd idolum & idolothytum nihil sit, nam vt sequitur:

QVIDAM AVTEM (id est, quidam enim, iuxta can. 25.) CVM CONSCIENTIA IDOLI (ex erronea conscientia putantes quòd idolum habeat aliquid diuinitatis) QVASI IDOLOTHYTVM MANDVCANT] id est, cum reuerentia, quasi venerandum, quòd numini in idolo latenti sit oblatum & sanctificatum. ita Anselmus.

Aliter explicat Theophyl. q.d. Paulus, Quidam comedunt idolothytũ cum erronea conscientia, quà putant, quòd idolothytũ ab idolo sit immutatum, & physicè à dæmone afflatum, perinde ac si halitu diabolico infectum esset, vel certè ac si moraliter vitiatum & pollutum esset ex eo, quòd censeatur iam esse res diaboli & cibus dæmonis, itaque comedentẽ immutet & contaminet: comedunt ergo idolothytum cum conscientia quòd per illud polluentur & inficientur.

Hic sensus etiam commodus & probabilis est: nam non est dubiũ inter Corinthios recèns conuersos, alios nimis scrupulosos, alios nimis superstitiosos fuisse.

CONSCIENTIA EORVM CVM SIT INFIRMA (non plenè in fide instructa circa idolothyta) POLLVITVR] quia contra conscientiam, aliorum exemplo manducant idolothyta. ita Chrysost.

Refutatur doctrina Libertinorum de cõscientia peccati.

Insaniunt Libertini, dum ex hoc loco docent nec fornicationẽ, nec ebrietatem, nec quid aliud esse peccatum, nisi quis ea in re sibi formet peccati conscientiam & scrupulum. Suadent itaque ipsi deponendam esse omnem conscientiam vt non pecces, quidquid agas. Libertini ergo nullam habent conscientiam; ac proinde videntur & hominem, & rationem, & virtutem omnem exuisse: quæ verò dementia est hoc Apostolo tribuere? Quis enim non videt Apostolum hîc loqui non de peccatis rebusue illicitis, sed adiaphoris, quale est manducare idolothyta?

VERS. 8. ESCA AVTEM NOS NON COMMENDAT DEO] q.d. Idolothytorum, vel aliorum ciborum esus per se nihil facit ad pietatem, qua Deo placeatur; ideoque non debemus nos firmiores, quasi pietatis causa, velle passim omnibus indifferèter vti. Conuertit enim hîc se Apostolus ad perfectiores, eos monens, vt vitent scandalum infirmorum.

Quomodo esca non commendet nos Deo.

Ineptè ergo, imò perperam abutuntur hoc loco hæretici contra delectum ciborum & ieiunia Ecclesiæ: esca enim non commendat nos Deo, quia non est virtus: sed abstinentia ab esca vetita est actus temperantiæ, obedientiæ & religionis, ideoque nos Deo commendat, sicut commendauit Danielem cum socijs, Rechabitas, Ioannem Baptistam, & alios. Vide dicta Rom. 14. 17.

NEQVE ENIM SI MANDVCAVERIMVS (idolothyta) ABVNDABIMVS] scilicet virtute, merito & gratia, quæ nos commendet apud Deum, vti præcessit. q.d. Per esum idolothytorũ nihil magnum, abundans, copiosum, nihil gratiæ spiritalis nobis accedet, vt iis inhiare nõ debeamus. ita Chrysost.

Secundò, & simpliciùs, vt sit noua ratio dissuadens esum idolothytorum. Sensus est, q.d. Siue edamus idolothyta, non ideo escis & delicijs, bonisque abundabimus; siue non edamus, non ideo escis & delicijs deficiemus: alijs enim vesci licebit. Sic vulgò dicimus, siue ad conuiuium hoc vocer, siue non, non ideo saturabor vel esuriam, non ideo pinguior ero vel macrior, ditior vel pauperior.

A Ostendit quàm escæ sint res viles & exiles, ideoque omittendæ ob scandalum, & postponendæ ædificationi proximorum. ita Anselmus.

VIDETE, NE HÆC LICENTIA VESTRA (comedendi idolothyta) OFFENDICVLVM FIAT INFIRMIS. SI ENIM QVIS VIDERIT EVM, QVI HABET SCIENTIAM (idolothytum nihil esse) IN IDOLIO RECVMBENTEM: NONNE CONSCIENTIA EIVS, CVM SIT INFIRMA, AEDIFICABITVR AD MANDVCANDVM IDOLOTHYTA?] *In idolio*, id est, inquit Erasm. in epulo idolorum; Secundò, propriè, *in idolio*, id est, templo, vel mensa idolis consecrata: nam ibi accumbebant comesturi idolothyta; tales enim epulas, vtpote sacras, in templo inferri solere, docet Herodotus in Clio, Virgil. 8. Æneid. in sacrificio Euãdri & epulo cum Troianis. Sic & Iudæi victimas pacificas comedebant in templi, Deuter. 16. v. 11. Hinc Syrus hîc vertit: Si quis te viderit accumbentem inter idola.

Vnde patet, idolothyta edere in idolio, non tantùm esse malum propter scandalum, sed etiam per se, quia est professio idololatriæ, vt dicetur cap. 10.

Tropologicè, Anselm. Scientia idolothytorum est scientia vanitatis Philosophorum, Poetarum, Oratorum Gentilium: hæc cauenda est. Aliter vt ore Christiano sonet: Iupiter omnipotens, & me Hercules, & me Castor, & cætera portenta magis quàm numina.

Nota. *Aedificabitur*, id est prouocabitur, erigetur vt comedat idolothyta quasi sacra, & quasi quid gratiæ inde accepturus, aut sacrificaturus numini cuipiam, sicque redeat ad idololatriam.

C Alij *adificabitur*, inquiunt, id est prouocabitur, vt contra conscientiam, qua putat cibum idolo oblatum ab eo esse afflatum & contaminatum, indeque se contaminandũ, eum manducet, vt dixi v. 7.

SIC PECCANTES IN FRATRES, ET PERCVTIENTES (scandalizantes & per scandalum vulnerantes) CONSCIENTIAM EORVM INFIRMAM, IN CHRISTVM PECCATIS] Christus enim sibi factũ arguit quod vni ex minimis suis factum fuerit, Matth. 25. 40. Rursum qui scandalizant proximum, in Christum peccant: quia Christi fabricam, proximorum probitatem & salutem, quam Christus suo sanguine construxit, malo suo exemplo destruunt & euertunt.

QVAPROPTER SI ESCA SCANDALIZAT FRATREM MEVM: NON MANDVCABO CARNEM IN AETERNVM] *Hoc Magistri* (inquit Chrysost.) *ipsorum est officium, suo exemplo docere quæ præcipit. Et non dicit, siue iustè, siue iniustè, sed quomodocumque. Et non dico, inquit, idolothytum, quod & propter aliam causam prohibetur: sed si quod licet & permittitur, scandalizat, etiam illo abstineo; neque vna aut altera die, sed toto vitæ tempore. Non enim manducabo, inquit, carnem in aeternum. Et non inquit, Ne perdam fratrem, sed simpliciter, Vt non scandalizem. Etenim vltima audacia est, quæ Christo pretiosissima sunt, & talia, vt etiam gratia mortem obire non recusauerit, ita nos despicatissima arbitrari, vt escis propterea non abstineamus.*

Vide de scandalo S. Basil. in regulis breuioribus reg. 64. vbi in fine ait, eo scandalum esse maius, quo is qui illud dat maiori scientia aut gratia præditus est: additque quòd Deus de manu sanguinem peccantium, qui illius malum exemplum sequuntur, requiret & reposcet.

CAPVT

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit suo exemplo docere, quàm sint cauenda scandala, narratq; se stipendium, siue alimenta prædicatoribus debita accipere noluisse, idq; maioris tum meriti, tum ædificationis causa.

Hoc Secundò, v. 7. probat sex argumentis (quæ colligam v. 12.) hæc alimenta sibi aliisq; euangelizantibus deberi.

Tertiò, v. 20. eadem de causa ostendit se omnibus omnia esse factum, vt discant Corinthij, quàm curæ ædificatio & salus proximi curanda sit.

Quartò, v. 24. ad eamdem ædificationem incitat, docens vitam nostram esse stadium, & agonem certatis, in quo semper ad meliora, & ad brauium ingi abstinentia, & corporis castigatione currendum & certandum est.

1 NOn sum liber? Non sum Apostolus? Nónne Christum Iesum Dominũ nostrum vidi? Nónne opus meum vos estis in Domino? 2. Et si alijs non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. 3. mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est. 4. Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? 5. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? 6. Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? 7. Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 8. Numquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? 9. Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? 10. An non propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. 11. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 12. Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? sed non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. 13. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altari deseruiunt, cum altari participant? 14. Ita & Dominus ordinauit ijs: qui Euangelium enunciant, de Euangelio viuere. 15. Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc vt ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. 16. Nam si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non euangelizauero. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. 18. Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio. 19. Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. 20. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucraret. 21. ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. ijs, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. 22. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. 23. Omnia autem facio propter Euangelium: vt particeps eius efficiar. 24. Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. 25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. 26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: 27. sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

NON SVM LIBER? NON SVM APOSTOLVS?] Quæres, Quomodo hæc cohærent præcedentibus? videtur enim ex abrupto hîc loqui Paulus.

Resp. Dixerat Paulus in fine c. præced. omnino cauenda esse scandala: hîc vt illud persuadeat, proponit se in exemplum, quòd tam ad cauendũ scandalum, quàm ad dandum raræ virtutis exemplum iure suo, tot nominibus sibi debito, cesserit, A nolens recipere stipendiũ prædicationis suæ, sed proprio labore victum sibi parans; vt & Corinthij suo iure decedant, ac præsertim non vescantur idolothytis, in gratiam proximorum, cùm vident eos inde scandalizari, aut in periculum peccati induci. Simul tamen Paulus tacitè, & quasi aliud agens contra pseudoapostolos suæ prædicationis sinceritatem & auctoritatem hac narratione tuetur, vtpote qui gratis tanto labore euangelizarit, cùm

cùm pseudoapostoli sua lucra ex Euangelio captarent. Dicit ergo, *Non sum liber? non sum Apostolus?* q.d. Nonne mei iuris sum, vt tanquam Christi Apostolus sumptus & alimoniam à vobis exigere & accipere possim? hoc tamen non facio, vt ostendam, quanti sit facienda proximi salus, & consequenter quàm vos scandala idolothytorum, & alia quæuis vitare debeatis. ita Chrysost. quem vide in moral. hîc homil. 20. de cauendo scandalo.

Quare Hebræi sæpè vtantur interrogatione.

Nota. Vtitur hîc crebra interrogatione Apostolus, tum ex phrasi Hebræorum, qui ea gaudent, cùm se insinuare, vel aliquid inculcare volunt; tum ad maiorem emphasim & energiam orationis.

Probat Paulus se esse Apostolum.

NONNE CHRISTVM VIDI? NONNE OPVS MEVM VOS?] q.d. Hinc patet me esse Apostolum, quia Christum vidi, & ab eo ad euangelizandum missus sum, Actor. 9. v. 5. & Actor. 22. v. 18.

B

Secundò, quia vos meum estis opus in Christo Domino, id est, quia ego per Euangelium in Christo vos genui; vestra Ecclesia à me ædificata est, vos estis mea structura. Alludit ad Hebræum בֵּן *ben*, id est filius: dicitur enim בֵּן *ben* quasi בִּנְיָן *binian*, id est fabrica, vel ædificium, à radice בָּנָה *bana*, id est ædificauit, quasi filius sit fabrica & ædificium patris. q.d. Vos estis mei filij, mea fabrica, meum ædificium in Christo.

Vnde dicatur hebraicè ben?

VERS. 2. NAM SIGNACVLVM APOSTOLATVS MEI VOS ESTIS IN DOMINO] *Signaculum*, græcè σφραγὶς, sigillum, id est, testimonium apostolatus mei extat in vobis, scilicet in euangelizando, in edendis miraculis, in labore & periculis, quæ vel suscepi, vel feci apud vos ad vestram conuersionem, quibus quasi sigillis diuinis consignaui, confirmaui & corroboraui apostolatum meum. Hæc enim clarè testantur me esse verum Apostolum, à Deo missum ad vos docendos & saluandos.

Quibus signis se probet Paulus Apostolum.

C

VERS. 3. MEA DEFENSIO APVD EOS, QVI ME INTERROGANT (qui inquirunt de mea vocatione & apostolatu) HÆC EST] quæ extat in vobis, vt dixi vers. præcedent. ita Anselmus. Sed Chrysost. & Ambrosius æquè appositè hæc referunt ad sequentem versum.

Nota. *Interrogare*, id est inquirere, est iudiciale verbum. Latini enim dicunt, interrogare aliquē de legibus, id est, examinare secundùm leges.

VERS. 4. NVNQVID NON HABEMVS POTESTATEM MANDVCANDI?] scilicet de sumptibus vestris. q.d. Hæc est gloria & defensio mea, & mei apostolatus, quod nullo pretio, vt pseudoapostoli; imò nec vllo sumptu accepto, vti Apostoli alij, sed gratis euangelizem, cùm tamen ad sumptum hunc ius ac potestatem habeam, æquè ac alij.

Quomodo se Paulus distinguat à pseudoapostolis.

D

VERS. 5. NVNQVID NON HABEMVS POTESTATEM MVLIEREM SOROREM CIRCVMDVCENDI, SICVT ET CAETERI APOSTOLI,] *Mulierem sororem*, græcè ἀδελφὴν γυναῖκα: quod Beza, Petrus Martyr, Vatablus & Valla vertunt, Sororem vxorem. Ergo, inquiunt, Paulus fuit coniugatus, licet enim Græcum γυναῖκα & mulierem, & vxorem significet; hîc tamen significare vxorem, patet ex verbo *circumducendi*. Virorum enim est circumducere vxores, non sorores.

Hinc falsò Paulus dicitur coniugatus fuisse.

Sed errant: Christus enim circumduxit mulieres, non vt maritus vxores, sed vt doctor discipulas & quasi famulas, vel vitæ & victus administras, Lucæ 8. v. 3.

Secundò, quia ineptè dicitur soror vxor, & redundat vox *soror*.

A

Tertiò, quia in Græco non est articulus ἡν designans certam mulierem, scilicet vxorem.

Quartò, quia Paulum fuisse virginem, patet 1. Cor. 7. v. 8. Ita disertè docent & explicant hunc locum S. Augustin. de Opere monachor. c. 4. Hieron. li. 1. contra Iouin. Chrysost. Ambros. Theodoret. Theoph. hîc, & alij Patres passim, præter vnum Clem. Alexand. lib. 3. Strom. Imò S. Hieron. docet inter Apostolos solum Petrum habuisse vxorem, idque tantùm ante conuersionem: idem docuit Tertull. lib. de Monogamia ante medium. Petrum, inquit, *solum inuenio maritum*.

Dico ergo, *sororem mulierem*, esse Christianam matronam (sic in Actis Apost. dicitur, *Vir fortis*, id est, vir Christianus) quæ scilicet Paulo ministraret necessaria de suis facultatibus. q.d. Possem matronam quæ me aleret, circumducere, æquè ac Petrus, sed nolo; quia scilicet hæc res Gentilis, quorum Paulus erat Apostolus, offendere, eisque malam suspicionem indere potuisset. ita Ambros. Chrysost, Theodor. Oecumen. Anselmus.

Dices, S. Ignatius epist. ad Philadelph. ponit Paulum inter coniugatos. Respondet Baronius anno Christi 57. pag. 518. & alij, Paulum nomen ibi insertum esse à Græcis clericis posteriorib. vt suo coniugio Pauli exemplum prætexerent: nam exemplaria epistolarum S. Ignatij Vaticana, Sfortiana, & alia antiquissima & correctissima non habent nomen Pauli.

Dices Secundò, Clem. Alexand. 3. Strom. hîc per γυναῖκα intelligit vxorem Pauli. Resp. Pauli. Verum est; sed addit illum post apostolatum non habuisse eam vt vxorem, sed vt sororem: quod est contra hæreticos. Secundò, contra Clementem sunt omnes Patres.

FRATRES DOMINI] Est hebraismus: frater, id est, cognati Christi, scilicet Iacobus, Ioannes, Iudas, ita Anselmus.

ET CEPHAS] imò Petrus princeps Apostolorum & Ecclesiæ.

QVIS MILITAT SVIS STIPENDIIS VNQVAM] q.d. Sicut æquum est milites ali & viuere ex stipendijs, vinitorem pasci fructu suæ vineæ, pastorem lacte gregis quem pascit: ita par est prædicatores Euangelij viuere ex Euangelio, putà ex sua vinea, scilicet Ecclesia, & ex suo grege, id est, Christianorum bonis, sumptus & alimoniam accipere. Incipit hîc Apostolus multis ius suum de accipiendo prædicationis stipendio probare, vt posteri omnes sciant illud planè prædicatoribus verè Dei deberi, vtque ostendat, quanto & quàm claro ipse suo cesserit ipse, dum hæc stipendia recusauit in gratiam Corinthiorum, vt eos hac liberalitate & generositate sua pelliceret ad Christum, & ad salutem promoueret. Rationes eius omnes colligam & digeram v. 12.

NVNQVID SECVNDVM HOMINEM HÆC DICO?] an humanis tantùm rationibus & similitudinibus militis, vinitoris, pastoris iam allatis mea dicta probo & confirmo? minimè. Quin verò illa ex lege diuina stabilio & communio.

SCRIPTVM EST IN LEGE MOYSI: (Deut. 25.) NON ALLIGABIS OS BOVI TRITVRANTI] quia animalia laborantia comedunt: vnde ego Deus veto claudi capistro ora boum triturantium ne comedant ex sua tritura. Solebant enim in Palæstina, vt etiamnum in Cæsarijs, & nonnullis regionibus fit, per boues,

tractu vngulis pedum suorum segetes tere- A
rent grana excutere. Vnde Poëta:

—*Bobus q; triturant.*

Hinc esse sensum litteralem patet ex verbis, quæ hanc duris Iudæis insinuant.

Dicit, Apostolus hîc videtur excludere hũc sensum: nã enim, *Numquid de bobus cura est Deo?* Respõdet Abulensis in Deut. 25. huius sententiæ, *Non alligabis os boui trituranti*, duplicem esse sensum litteralem. Primum planum de bobus, vt verba sonant, quem iam dedi, qui tamẽ minùs præcipuus est. Secundum quem hîc affert Apostolus de prædicatoribus, eumque esse præcipuum & magis intentum à Spiritu sancto. q.d. Apostolus, minùs præcipuam Deo curam esse de bobus; præcipuã verò de prædicatoribus, ideóque magis ad litteram præcepisse vt prædicatores alantur, quàm vt boues, cùm dixit: *Non alligabis os boui trituranti.* B

Verùm non esse vtrumque hunc sensum litteralem, sed primum tantùm, patet. Nam bos litteraliter non significat prædicatorem, sed tantùm verum bouem, prædicatorem autem tantùm significat typicè. alioqui enim omnis allegoria esset sensus literalis: quod planè est falsum. Nam sensus literalis est is, qui primò per sententiam aliquam significatur; allegoricus autem vel typicus, qui secundò, seu mediante sensu litterali. Sicut ergo vmbra corporis non est corpus, ita typicus sensus non potest esse litteralis, sed tantùm litterali sensu adumbratus.

Deo ergo, sensum litteralem esse quẽ diximus, typicum autem, vel tropologicum esse quem dat Apostolus, videlicet prædicatoribus dandam esse alimoniam, eosque posse viuere ex Euangelio; sic- C
ut bos alitur sua tritura: quorũ quia præcipua Deo est cura, vt præcipuè hac lege intenderet significare typicè, prædicatores alendos esse; hinc Apostolus ait: *Numquid de bobus cura est Deo?*

Vbi Nota. De fide est, Deo curã esse de bobus: Deus enim sua prouidentia curat, & prospicit pascuis de victu rebusque necessarijs, Matt. 10. 29. & pullis coruorum inuocantibus eum. psalm. 146. cæterisque animalibus & creaturis. vt docet Psaltes non alibi, tum toto psal. 103. Sensus ergo Apostoli est, q.d. Præcipua cura Dei in hac lege non fuit bouum, sed altius quid spectauit, videlicet nos, & nostri similes, qui sumus boues typici laborantes & triturantes in agro & area Dominica, ex Euangelio posse viuere. & hoc est quod subdit:

AN NON PROPTER NOS VTIQVE HOC DICIT? NAM PROPTER NOS SCRIPTA SVNT] Apostolus er- D
go hîc vti sæpè aliàs, argumentatur ex sensu non litterali, sed allegorico; vel potiùs ex sensu litterali argumentatur ad allegoricum, per argumentum à minori ad maius. q.d. Si bos viuit ex tritura: ergo multò magis Apostolus ex Euangelio. ita Tertull. l. 5. contra Marc. 7. & Theodor. qu. 21. in Deuter. Vbi

Nota, licet sensus litteralis sit primus, allegoricum tamen posse esse primarium, & præcipuum, ac magis intentum à Spiritu sancto, vti hîc fit.

QVONIAM DEBET IN SPE, QVI ARAT, ARARE] Est ratio ab exemplo aratorum, & triturantium. q.d. Qui arant & triturant, arant & triturãt in spe, speantes scilicet mercedem, & quòd participes erunt messis & trituræ suæ. Ergo & prædicator spe- potest alimoniam ex sua prædicatione. Pulchrè de hac spe canit Ouidius l. 1. de Ponto,

Cornel. in epist. Pauli.

Spes fouet agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

Hinc à proportione minoris ad maius deducitur, & euincitur esse actum spei & virtutis, si quis spe mercedis æternæ operetur, & consequenter actum hunc bonum esse, & meritorium. Vnde Facultas Parisiensis, vt testatur in hunc locum scribens Claudius Guiliaudus, ex hac, & similibus Apostoli sententijs, definiuit hunc articulum cuiusdam (*Qui præmij causa certat, non certaturus nisi sciat dandum præmium, is seipsum præmio frustratur.*) erroneum esse. Idem definit Concil. Trident. sess. 6. can. 31. *Operari spe mercedis æternæ, bonũ est & meritorium.*

SI ALII POTESTATIS VESTRAE PARTICIPES SVNT, QVARE NON POTIVS NOS?] *Potestatis vestræ*, id est, iuris sui quod habent in vos. Vnde græcè clariùs dicitur, ἐξουσίας ὑμῶν, potestatis vestrum, id est, quam habent in vos. *Vestræ* enim passiuè capitur, iuxta can. 30. q.d. Si alij vsi sunt iure accipiendi alimoniam, quod habent in vos, cur non & ego vti possim? P. Salmeron Græcum ἐξουσίας, id est potestatis, accipit pro οὐσίας, id est substantiæ. q.d. Si alij participes sunt vestræ substãtiæ, facultatum & opum, cur non & ego? Sed velim videre locum & exemplum, vbi ἐξουσία significet opes. VERS. 12.

Nota. Apostolus probat hîc sex argumentis licere sibi alijsque ministris verbi Dei & Ecclesiæ, à suis sumptus accipere. Primò, exẽplis aliorum Apostolorũ, v. 5. Secundò, similitudinibus militũ, pastorum & agricolarum, v. 7. Tertiò, ex lege Moysis, v. 9. Quartò, v. 13. ex exemplo sacerdotum & Leuitarum veteris testamenti, qui ex victimis & oblationibus altaris, cui seruiebant, viuebãt. Quintò, v. 14. ex Dei & Christi ordinatione. Sextò, v. 11. ex ipsa rei natura, siue iure, non tantùm diuino positiuo, sed etiam naturali, quod dictat, sicut operario debetur merces, ita ministro verbi & Ecclesiæ deberi stipendium, non quasi pretium rei sacræ (hoc enim indignum esset & simoniacum) sed quasi stipendium sustentationis quod vocant, quo scilicet sustentetur, vt suas functiones sacras pro populo obire possit. Vnde hoc stipendium ei debetur ex iustitia. ita Chrysost. *Sex argumẽtis Paulus probat licere ministris Ecclesiæ à suis sumptus accipere.*

SED NON VSI SVMVS HAC POTESTATE (iure accipiendi stipendium:) SED OMNIA SVSTINEMVS] omnem scilicet penuriam, & omnem laborem, quo penuriam leuemus, laborando manibus nostris, suscipimus & toleramus. *Quo titulo debeatur merces ministris verbi Dei.*

NE QVOD OFFENDICVLVM DEMVS EVANGELIO CHRISTI] *Offendiculum* græcè σκάνδαλον, id est, interruptionem, interpellationem, remoram. q.d. Ne accipiendo sumptus demus occasionem, qua homines tenaces & indiscreti abutantur, & remorentur Euangelium, illique obloquantur. Nam non fuisse hîc scandalum ab Apostolis datum, sed acceptum ab alijs; in Apostolo autem fuisse opus liberæ supererogationis, quòd noluerint stipendium sibi debitum accipere, patet ex omnibus antecedentibus, & v. 15. vbi ait: *Bonum est mihi magis* (id est, meliùs & satius duco) *mori, quam vt gloriam meam* (quòd gratis & liberaliter euangelizem) *quis euacuet.*

NESCITIS QVONIAM QVI IN SACRARIO, id est VERS. 13.
in templo, OPERANTVR, id est, sacris funguntur, aut subseruiunt, vt sacerdotes & Leuitæ; QVAE DE SACRARIO SVNT, id est, hostias aut templi prouentus, putà decimas & primitias, participant & EDVNT] Nota τὸ *operantur*. Sacerdotum enim

Officia sacerdotis in lege antiqua.

erat iugulare, excoriare, secare, coquere, comburere victimas, quod operosum est, estque alias opus lanionum. Græca iam habent, οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι ἐσθίουσιν τὰ ἱερὰ ἔσθιουσιν, qui sacris operantur, de sacrario comedunt. Noster & Syrus aptiùs legerunt, οἱ ἐν τῷ ἱερῷ ἐργαζόμενοι, qui in sacrario operantur.

ET QVI ALTARI DESERVIVNT] Græcè τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες, id est, sacrario assistentes siue assidentes. Non dicit, ait Chrysost. sacerdotes. sed, qui assidet altari, vt intelligamus assiduum cultum sacrorum requiri à ministris templi Christi, qui de bonis templi participant. Contrà hodie nulli magis absunt ab altari, quàm aliqui qui maximè participes sunt altarium & decimarum, quos Concilium Trident. damnat.

Diligentia commendatur ministris Ecclesiæ.

CVM ALTARI, de oblationibus altaris, PARTICIPANT] Est metonymia.

VERS. 14. ITA ET DOMINVS ORDINAVIT IIS QVI EVANGELIVM ANNVNCIANT, DE EVANGELIO VIVERE] Ita enim sancit Christus Lucæ 10.7. *In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Similia habet Matth. 10. v. 10. 11. & 14.

VERS. 15. BONVM EST MIHI MAGIS (melius est) MORI, QVAM VT GLORIAM MEAM QVIS EVACVET] *Gloriam meam*, euangelizandi scilicet ἀδαπάνως, sine sumptibus: siue *gloriam* de opere liberali, indebito & supererogationis. patet ex v. 18. Hinc patet esse cõsilium Euangelicum, euangelizare gratis non accipiendo sumptus, quod modò nonnulli viri Apostolici & Religiosi sequuntur. ita Theophyl. Theodor. Anselm. Vide Chrysost. & Anselm.

Consilium Euangelicũ est gratis euangelizare.

Nota. Pro *gloria* græcè non est δόξα, id est gloria, sed καύχημα, id est gloriatio, qua scilicet gloriari poterat Paulus apud Deum, vel potiùs apud homines, maximè pseudoapostolos. qui Corinthijs graues erant & sumptuosi, se eis ἀδάπανον prædicasse Euangelium. Vnde contra hos gloriatur cap. 11. epist. 2. 7. & sequ. se nulli in sumptu oneri fuisse.

Sub mortali peccato fuit præceptũ Apostolis euãgelizare.

VÆ MIHI EST, SI NON EVANGELIZAVERO] Hinc patet graui præcepto præceptum fuisse Apostolis Matth. 28. 20. vt euangelizent, & doceant omnes Gentes, adeò vt si neglexissent euangelizare, peccassent mortaliter: talibus enim intentatur væ iræ Dei & gehennæ. Eodem præcepto iam tenentur Pastores, Episcopi, Archiepiscopi, vt dixi cap. 1. 17.

Eodẽ præcepto tenẽtur Pastores, Episcopi, Archiep.

VERS. 17. SI ENIM VOLENS HOC AGO, MERCEDEM HABEO] Id est, vt Chrysost. Theophyl. Oecumen. Anselm. si voluntarius, liberaliter & gratis prædicem, habeo non qualem qualem mercedem operis præcepti, scilicet prædicationis, vti alij Apostoli; sed mercedem per excellentiam, scilicet copiosam gloriam operis indebiti, & heroici (quale est gratis prædicare) animique sponte sua tam liberalis apud Deum.

SI AVTEM INVITVS] Græcè ἄκων, non vltroneus, nec liberaliter aut gratis prædicem, sed quasi coactus præcepto Dei, vel metu pœnæ. Opponit enim Apostolus hæc duo ἄκων & ἑκών: atqui ἑκών Græcis idem est quod sponte sua, sua voluntate, electione, & motu proprio rem agere: ergo ἄκων idem hîc est, quod iussum, motum, & quasi coactum alienâ voluntate & præcepto operari.

DISPENSATIO MIHI CREDITA EST] q.d. Tunc non habeo gloriam illam singularem, sed neque pecco, quia officio fungor meo, & facio quod iubeor. Nam commissa est mihi & demandata hæc dispensatio, siue administratio Euangelij. Tunc non pecco, sed seruiliter ago, sicut agit dispensator sibi credita non sponte, sed propter præceptum domini, eo quasi adactus; quia quod debuit facere fecit, vt ait Christus in parabola Lucæ 17. v. 8. Ita Patres citati, & patet ex antecedentibus & sequentibus.

Aliter aliqui explicant, nimirum sic: Si volens hoc ago, id est euangelizo, habeo meritum & mercedem, quia libera voluntate præceptum Christi impleo: sin inuitus & voluntate reluctante, carebo merito & mercede, quia præcepto ad hoc cogor. Dispensatio enim Euangelij mihi credita est, commissa & præcepta: & sic per me licet inuitum dispensatur & propagatur Euangelium Christi, vt alijs proficiam, licet non mihi: quia hoc verba propriè & simpliciter sonare videntur. Et huic explicationi fauet S. Thom. Lyran. & comment. Ambros. Sed antecedentia & sequentia priorem sensum, qui est Græcorum & communis, reuincunt. mercedem enim nõ vocat qualem qualem, sed *gloriam*, id est, gloriosam & singularem ex opere tam heroico, indebito & liberali, quale est euangelizare gratis.

QVAE EST ERGO MERCES MEA?] gloriosa illa & vna singularis iam dicta.

Nota. Merces ponitur hîc pro merito, siue opere heroico & meritorio magnæ mercedis per metonymiam. Sequitur enim: *Vt Euangelium proponam, sine sumptu ponam*, tradam & annunciem: Græca ἀδάπανον, id est à sumptibus immune, reddam Euangelium. immunes enim ciuitates vocat Cicero, quæ nullum soluunt vectigal. Ecce merces, id est meritum, Pauli, scilicet sine sumptu prædicare Euangelium.

Ex hoc ergo loco clarè patet, non omnia opera bona esse præcepti, sed nonnulla esse consilij & supererogationis, taliaque insignem & illustrem gloriam & coronam apud Deum promereri. Inter cõsilia itaque Euangelica ponit hîc Apostolus prædicare gratis, vt dixi v. 10. ita S. Chrysost. Ambros. & S. August. lib. de Opere monachor. c. 5. vide Bellarminum lib. 2. de Monachis c. 9.

Nota. Alij Apostoli, vtpote zelo Dei pleni, atquè ac Paulus gratis euangelizassent, si inde maiorem animarum fructum, & gloriam apud Deum sperassent. Verùm hæc non sperabant: nam fideles in eos erant liberales, ac Iudæi eis erant addicti, sponteque omnia sua eis offerebant, vt patet Actor. 4. 34. Paulus autem quasi extra ordinem & numerum duodecim Apostolorum, post mortem Christi ad apostolatum vocatus, auctoritatem sibi conciliare debebat, ad eamque rem perutile fore censuit, si gratis prædicaret. Rursum Corinthij, licet diuites, tenaciores tamen erant: ne ergo illi putarent Paulum non se, sed sua bona quærere, hac de causa Paulus gratis eis prædicauit. At Thessalonicensibus verò & Philippensibus, vtpote liberalioribus, alimoniam accepit, vt infrà videbimus. Denique voluit Paulus hac ratione subtrahere quibus inuisus erat, & pseudoapostolis os claudere. Hanc causam ipsemet assignat epist. 2. cap. 11. v. 12. vbi ait, *Quod autem facio*, (quod gratis prædico) *& faciam: vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, vt in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos.*

VT NON ABVTAR POTESTATE MEA IN EVANGELIO] Id est, vt non vtar summo iure, & libertate mea

is meus bonum Euangelij. Non quòd recipere stipes pro prædicatione reuera sit abusus, sed quia non recto boni est vsus. Vnde rectè Theophyl. *Licet*, id est, inquit, omnino vtar omni iure meo: sic enim κατάχρησιν pro χρῆσιν, abusum pro pleno vsu dicit c. 7. v. 31. in Græco, vt ibidem annotaui. Ita declarat capit S. Paulinus epist. 11. cùm ait: *Ita prompto filij Imperatoris assensu, mater Augusta, pecunias ad opera bona thesauris, toto abusa fisco est.*

Deus Ambros. hîc abusum intelligit propriè tantum sit peccatum. ait enim: Qui vtuntur iure suo cùm non expedit, seu cùm alius detrimentum patitur ex ei sunt: ergo peccant. Resp. Hoc verum est cùm facilè possunt cedere iure suo, & ni hoc faciat, alij graue damnum patientur: tùc enim charitas iubet vt cedas. Quod Ambrosio adscriptus commentarius hîc videtur putare locum habuisse in Paulo & Corinthijs.

Verùm contrarium est longè verius: nam valdè facile erat Apostolo cedere iure sustentationis sibi à Corinthijs debitæ; quia cedendo debebat ipse manibus laborando noctes ducere insomnes, vt sibi & suis victum compararet, cùm Corinthij qui diues erant & permulti, facilè eum alere potuissent: debuissent in eo scandalizari, quia alij Apostoli ita faciebant, & omnis lex & ratio dictat esse æquissimum, vt qui pro alio laborat, ab eo alatur. Voluit ergo Apostolus dare illustre exemplum puritatis, sinceritatis, zeli, ad maiorem apud teneros in fide & diuites auaros, fidei & christianissimi commendationem & propagationem. Hoc autem tam heroicum opus charitas non præcipit, sed consilium. Vnde v. seq. dicit se in hisce fuisse liberum.

NAM CVM LIBER ESSEM EX OMNIBVS, ab omnibus, q.d. Cùm nemini essem obstrictus, OMNIVM tamen ME SERVVM FECI] ad omnia me demisi, etiam ad inopiam & famem; omnium infirmitatibus me accommodaui, vt, cùm Corinthios viderem in dandis Apostolis sustentatione tardiores & parciores, ego haud quaquam ab eis in sumptum acciperem, sed eorum infirmitati condescenderem, & sic omnes lucrifacerem.

IIS QVI SVB LEGE SVNT (Iudæis factus sum) QVASI SVB LEGE ESSEM] Mosaica nimirum. Factus est Paulus quasi sub lege, cùm Timotheum circumcidit. Oecumen. cùm purificatus voti causa templum adijt, Actor. 21. 26.

IIS QVI SINE LEGE ERANT (Gentilibus factus sum meique exhibui) TAMQVAM SINE LEGE ESSEM] quasi naturam tantùm ducem & lucem sequerer, vt faciunt Gentiles, ita Oecumen. & Theophyl. ex Chrysost.

OMNIBVS OMNIA FACTVS SVM] non mentientis, vel peccantis actu, sed compatientis affectu, vt omnium morbis me contemperans quantum honestas & Dei lex patitur, omnium morbis mederi possem. ita S. August. epist. 9. & 19. *Non mentiendo, inquit, sed compatiendo; non simulantis æstu, sed communis affectu omnibus omnia factus est Paulus.*

Non ergo vult Apostolus id quod volunt & agere politici, vt nimirum per fas & nefas omnibus se accommodent, & simulent se cum hæreticis hæreticos, cum Turcis Turcas, cum castis castos, cum obscœnis obscœnos. Id enim reprobat Paulus ad Galat. 1. v. 11. & sequent. Quocirca prudens est dicta S. Ephrem in illud, *Attende tibi*, c. 10. *Charitatem cum omnibus habe, & ab omnibus abstine.* Et illud S. Bernardi, quod omnem virtutem comple-

Cornel. in epist. Pauli.

A ctitur: *Viue cautus tibi, vtilis alijs, gratus Deo.* S. Iordanes successor S. Dominici in Generalatu Ordinis, solebat dicere, vt habet eius vita, *Si cuicumque scientiæ aut disciplinæ tantum studuissem, quantum studui huic sententiæ S. Pauli, Omnibus omnia factus sum; essem doctissimus & eminentissimus in illa: quia tota vita mea studui me accommodare cuilibet, vt essem miles cum milite, nobilis cum nobili, plebeius cum plebeio, procurando semper hac ratione ipsorum emendationem, atque aduigilando ne perderem aut læderem animam meam per lucrum alienæ.*

OMNIA FACIO PROPTER EVANGELIVM, VT PARTICEPS EIVS EFFICIAR] vt nimirum fructum prædicati Euangelij suo tempore percipiam & particeps cum alijs prædicatoribus. Græcè enim pro *particeps*, est συγκοινωνός, q.d. Comparticeps, consocius. Vnde Secundò, Chrysost. Euangelij, inquit, B id est, fidelium Euangelij. q.d. Vt coronarum fidelibus repositarum fiam particeps. Vbi rectè aduertit Chrysost. miram Pauli humilitatem, vtpote qui alijs, etiam communibus fidelibus se æquat, cùm omnium non tantùm fidelium, sed etiam Apostolorum labores superasset, vt patet 1. Corinth. 15. v. 10. VERS. 23. *Mira Pauli humilitas.*

II QVI IN STADIO CVRRVNT, OMNES QVIDEM CVRRVNT, SED VNVS ACCIPIT BRAVIVM] q.d. Ideo sine sumptu euangelizo, ideo omnibus omnia fio, ideo laboro; quia in stadio hoc curro, quia ad brauium concerto pro præmio, etiam primo & maximo. VERS. 24.

VNVS ACCIPIT BRAVIVM] q.d. Sicut in stadio, ita in via & vita Christiana non omnes currentes accipient brauium, sed tantùm bene & rite currentes ad metam vsque. Rite, inquam, secundùm leC ges stadij; quas agonotheta Christus cursoribus præscripsit, & secundùm quas rite currentibus brauium promisit. Cùm ergo ait *vnus*, non negat pluresaccipere brauium. Non enim vult dicere, vt rectè aduertit Chrysostomus, quòd vnus tantùm Christianus cæteris omnibus præcurrens, & feruentior ad opera virtutis, brauiũ sit accepturus. Nam similitudo non debet per omnia esse similis, sed tantùm in eo, in quo fit comparatio: hîc autem fit in eo, quòd sicut in stadio qui rectè currit, accipit brauium, sic & qui rectè currit in christianismo, coronam gloriæ accipiat. quod patet, quia sic explicat se dicens: *Sic currite vt comprehendatis*, non vnus, sed singuli. Adde: in stadio sæpè non tantùm illi qui primò metam attingit, & velocissimè currit, sed & secundo, tertio, quarto, suum dari brauium. *Quomodo intelligendũ est.* VNVS ACCIPIT BRAVIVM.

D Apostolus tamen dicit *vnus*, non, tres vel quatuor, quia propriè respicit ad brauium, id est aureolam, & excellens præmium, quod non omnibus electis, sed paucis heroicè certantibus datur, vt ijs qui non tantùm præcepta, sed & consilia Christi heroicè sequuntur. Respicit enim Paulus ad brauium, quod sibi exspectat ex eo, quòd vnus ipse præ omnibus Apostolis euangelizasset gratis, ingenti labore & charitate, *omnibus omnia factus*, v. 18. & 22. q.d. O Christiani currite non tantùm ritè, vt comprehendatis, sed & quàm optimè & velocissimè currite, vt primum & nobilissimum gloriæ brauium reportetis. Socordis enim animæ est dicere: Sufficit mihi si saluer, si ad cælum perueniam. Quisque enim conari debet vt in cælo sit primus, primumque ibidem referat brauium, inquit Chrysost. *Quisq. debet conari vt primus sit in cælo.*

Alij hæc de mansionibus, vel coronis, & brauijs singulis electis præparatis accipiunt. q.d. Vnusquisque sic currat, vt suum brauium comprehendat. Sed id acutius est, quàm simplicius.

Aliter quoq; Anselmus, Currunt inquit Ethnici, hæretici, reprobi, sed vnus Christianorum & electorum populus brauium accipit. Verùm Apostolus solis Christianis loquitur quasi currētibus, eosque incitat vt currant, & comprehendant brauiū, ad quod per Christi Euangelium vocantur.

SIC CVRRITE VT COMPREHENDATIS] scilicet coronam gloriæ, & brauium victoriæ. Alludit ad stadiodromos, qui cursu certantes in stadio, coronam ex edito appensam, & certātibus propositam currendo manibus prendebant, itaque victores euadebant, eaque coronabantur, vti ex Agonisticis lib. 2. cap. 7. Petri Fabri ostendi Apocal. 3. ad illud v. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Vox *sic* notat rectitudinem, diligentiam, celeritatem & perseuerantiā, quæmaximè in cursu ad brauium requiritur. Talis fuit cursus Christi, quem omnes Christiani imitandum sibi proponere debēt, *Ipse* (inquit Bernard. epist. 254. ad Garinum) *hominis sæculiq; auctor, quamdiu cum hominibus conuersatus est, numquid stetit? & quidem tecte Scriptura pertransiit benefaciendo & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento gradu, sed, quemadmodum de eo scriptum est: Exultauit vt gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit: & quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite vt comprehendatis. Ibi Christiane fige tui cursus profectusq; metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si vsque ad mortem non peruenerit, brauium non apprehendes. Brauium Christus est.* Deinde docet quòd in stadio virtutis non currere, sed sistere, sit deficere & regredi. *Quòd si,* inquit, *illo currente tu gradum fistis, non Christo appropriat. sed te magis elongas, timendumq; tibi est quod ait Dauid: Ecce qui elongant se à te, Domine, peribunt. Itaque si proficere currere est, vbi & proficere, ibi & currere desinis: vbi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, nonnisi deficere est. Vidit scalam Iacob, & in scala angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit: sed vel ascendere vel descendere videbantur vniuersi, quatenus palàm daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri: sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè aut crescere constat aut decrescere; sic necesse sit & spiritum aut proficere semper aut deficere.*

Que requirātur in cursu ad brauium.

Qualis Christi cursus fuerit, bene Bern.

Sistere in stadio virtutis est deficere & regredi.

Inter profectū & defectū in hac vita nihil medium est.

VERS. 25.

OMNIS QVI IN AGONE CONTENDIT, ἀγωνιζόμενος, id est agonizans, in agone decertans, gymnasticam exercens, AB OMNIBVS, scilicet eum in agone impedientibus, SE ABSTINET] Nota. Alludit ad agones Olympicos, aliaque certamina Græcorum, maximè Isthmia, quæ Corinthi celebrabantur in honorem Neptuni & Melicertæ, in quibus victor donabatur corona pineæ: de quibus Archias Poeta ita canit:

Sacra per Argiuas certamina quattuor vrbes,
Sunt duo facta viris, & duo cœlitibus:
Vt Iouis & Phœbi, Melicertaq;, Archemoriq;,
Præmia, oleaster, pomia, apium, picea.

Alludit Paulus ad Isthmia certamina, & quanam illa?

Varia genera certatorum.

Hinc Secundò, consequenter alludit ad athletas palæstritas & pugiles, qui pugnis; ad stadiodromos, qui cursu in stadio certabant; ad acrochiristas, qui summis inter se manibus depugnabant, ad pancratiastas, qui toto corpore, manibus pedibusque certabant. Vbi

Nota Tertiò. Hi omnes delicatis cibis abstinebant, & certo necessario victu vtebantur; quem Aristoteles ἀναγκοφαγίαν, quasi cibi sumēdi necessitatem appellat: & panis eorum coliphium dicebatur διὰ τοῦ κώλου ἡ ἰσχύς, id est, à robore membrorum. Hinc Iuuenal.

Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca.

Idemque ex Quintiliano, Cicerone, Aristotele docet Budæus in Pandectis, pag. 180. Inde dictus est victus athleticus, valetudo pugilica & athletica, id est firmissima. Et hoc est quod ait Apostolus *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet,* grece πάντα ἐγκρατεύεται, per omnia temperans est, & vt Cyprianus, continens. Addit Clemens Alexand. libr. 3. Stromat. secutus Platonem l. 8. de Legibus, athletas abstinuisse venere. Sicut enim libido corpus debilitat, eneruat & exhaurit; ita continentia & castitas roborat corpus, ac multò magis mentem: & ita hoc Apostoli dictum, *ab omnibus,* id est, ab omni libidine se abstinet. explicat S. Ephrem tractatu in illud Apostoli: *Melius est nubere, quàm vri.*

Nota Quartò. Stadium est vita præsens, vel christianissimus, vel cuiusque status, maximè euangelizandi; stadiodromus & pugil est quisque Christianus. Vnde S. Dionysius de Ecclesiast. hierarch. c. 7. p. 3. docet eos qui baptizantur, oleo inungi, vt intelligant hoc signo se inūgi quasi athletas Christi, ac consequenter vocari ad sacra certamina pro fide & pietate obeunda: additque etiam mortuis eisdem solere oleum infundi, quasi athletis mortuis consummatis. *Atque tunc quidem,* inquit, *oleo nullo baptizandum auocabat ad sacra certamina: nunc autem* (in morte) *infusum oleum designat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicq; fuisse consummatum.*

Nota Quintò. In hoc stadio & certamine agonista est mundus, caro, dæmon; coliphium est victus sobrius & ieiunium: pugna est castigatio corporis, & omnia ardua virtutis officia, quæ cum conflictu interno vel externo peraguntur, maximè autem talis est Euangelij prædicatio, & propagatio ex quibus oritur victoria contra mundum, carnem, dæmonem. Brauium est corona incorruptæ, id est, gloria æterna, ad quam iam victor anhelat Paulus 2. Timoth. 4. *Bonum,* inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Pœna victi est reprobatio & effusio æterna v. vlt. q.d. Sicut athleta corpus abstinentia, exercitio, labore subigit, exercet, parat ad cursum & luctam, vt in ea legitimè & generosè decertās vincat, & quasi victor coronam corruptibilem adipiscatur: ita multò magis pro corona æterna nos Christiani, & ego inprimis Apostolus reddet corpus meum inedia, labore, fatigatione subigo & exerceo, acerbè à me omnia officia pugilum ego, quasi athleta certaminis diuini; ne corpus meum continentiæ, & seuerioris vitæ lacertos in delicias mutet, & in imbelliam varietat licentioris vitæ. Sed potiùs vt luctaturus cum dæmone, carne & mundo athleticis viribus decertem, vincam, atque coroner. Agite ergo, ô Corinthij, in stadio hoc mecum decurrite, & non tantùm idolothytis ob scandalum, sed & delicijs, vino & venere abstinere,

vt

...ligaturi victoriam & brauium reportetis. Occasione enim idolothytorum, vt ijs abstineant Corinthij, hæc dicit & hucusque excurrit Apostolus, vt sup. cap. 8. initio.

Epaminondas dux Thebanus fortissimè in bello dimicans, læsus ad mortem, moriens rogauit, an hostes clypeus esset saluus, & an hostes essent cæsi: & illum saluum, & hostes cæsos audisset; *Nunc*, inquit, *vita mea: sed melius & altius initium aduersus me Epaminondas nascitur, quia sic moritur.* ita Valerius Max. Si Epaminondas pro victoria temporali, pro laude & gloria corruptibili ita certauit, tam lætè & gloriosè mortuus est; quid faciet miles Christi pro corona incorruptibili, pro gloria sempiterna?

Præclarè Tertul. ad Martyres c. 4. *Si tantum*, inquit, *terrena gloria licet de corporis & animi vigore, ferarum, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnere: ob præmia laudis humanæ; possum dicere: Modica sunt ista passiones ad consecutionem gloriæ cælestis. Quis vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum ea pro falso?*

Iunio Bruto iubente occidi filios, qui cum Tarquinijs contra Romanos conspirauerant, dixit Virgilius,

Vincat amor patriæ, laudumq; immensa cupido.

Christianum ergo

Vincat amor Christi, cæliq; immensa cupido.

Audiat pugil Christi, classicũ S. Chrysostomi serm. de Martyribus to. 3. *Delicatus es miles, si putas te posse sine pœna vincere, sine certamine triumphare. Exsere te, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam tuæ pactum, quod spopondisti, conditionem, qua accessisti militiam, cui nomen dedisti.*

Hinc patet, ait Chrysost. non solam fidem sufficere ad salutem, sed etiam opera requiri, imò labores athleticos, atque in primis insignem continentiam ab omnibus mundi illecebris. Nam, vt ait S. Hieron. epist. 34. ad Iulianum: *Difficile, imò impossibile est, vt præsentibus quis & futuru fruatur bonis, vt hoc ventre & ibi mœrem explet, vt de delicijs transeat ad delicias, vt in vtroque sæculo primus sit, vt in cælo & in terra appareat gloriosus.*

Mirabiliter S. Augustin. athletas Christi piè ex Dei re consolatur & animat serm. 105. vbi sic ait: *Adiuuat certantes, qui certamen indixit: non te sic spectat Deus in agone certantem, vt populus solet athletam. clamore enim populus monet athletam, adiuuare non potest. Coronam parare potest qui indixit certamen, vires autem subministrare non potest. Deus autem quando spectat certantes suos, adiuuat eos certantes & inuocantes. Nam vox athletæ ipsius est psalm. 93. Si dicebam, Motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuat me.*

Et S. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 2. sub finem: *Certantibus*, inquit, *Dominus præmia proponit vt Deus; ipse autem certaminis tulit vt sapiens, præmiaq; victoribus decora constituit & pulcherrima: & quod est præstabilius divinius, ipse vt est summè clemens & bonus, in sua bellatoribus vincit, dum in illis habitans, pro illorum salute atque victoria aduersus mortis & corruptionis imperium pugnat.*

EGO SIC PVGNO, NON QVASI AEREM VERBERANS] Pugno, id est, prælior in bello, inquit S. Thomas. Vertit græcè πυκτεύω, id est, pugilem ago, pugnis certo. Persistit enim in palæstra & athletis.

Cornel. in epist. Pauli.

A NON QVASI AEREM VERBERANS] Id est, frustra & inaniter laborans: sed hostem verbero, scilicet corpus & carnem meam subigo, qua subacta facilè duo reliqui hostes, scilicet dæmon & mundus, subiguntur. Nec enim dæmon & mundus nos, nisi per corpus nostrum, putà per oculos, aures, linguam, alioſq; sensus aggredi, tentare, ferire, sauciare, occidere possunt. *Aërẽ verberare est frustra laborare.* *Dæmon & mũdus per sensus nostros nocent nobis.*

SED CASTIGO CORPVS MEVM, ET INSERVITVTEM REDIGO] *Castigo*, græcè ὑπωπιάζω. quod Erasmus ex Theoph. & Paulinus epist. 58. ad S. Augustin. vertunt, liuidum facio, vel liuoris & sanguinis nota suggillo oculos. Græci enim ὤπας, oculos vocant: ὑπώπια tales oculorum notas, teste Hesychio & Suida. Et in gymnicis pugil, qui antagonistam in humum deijciebat, eum supplantare dicebatur; suggillare verò, cùm notam insignem faciei inflixisset. VERS. 27. *Quid ὑπωπιάζω, id est castigo.* *Quid sit supplãtare antagonistam, quid sit suggillare.*

Verùm alij omnes generaliùs accipiũt hîc ὑπωπιάζω, vt sit idem quod ὑπωπτεύω, id est, subigo, coërceo, contundo. Nostrum *castigo* vtrique sensui conuenit, sed meliùs secundo, qui planior & simplicior est, & Græco conuenientior. Nam iuxta priorem sensum ὑπωπιάζω non per o micron, sed per ω mega scribendum esset: deriuatur enim ab ὤπας, vt dixi. Iam autem communiter etiam veteres legunt hîc per o micron; Theophyl. tamen Oecumen. & Erasmus legunt per ω mega: quæ lectio satis aptè pugili congruit.

Porro castigatio corporis fit per ieiunia, cilicia, humiliationes, plagas, aliaſq; carnis macerationes & afflictiones. Hinc nonnulli censent Paulum corpori suo plagas & verbera inflixisse. Hoc enim propriè significat τὸ *castigo*, & ὑπωπιάζω, quod Beza, Melanchthon, Castalion, & Henricus Stephanus vertunt, contundo: contusio autẽ non fit sine percussione & verbere, siue baculo, siue flagellis, alioúe instrumento & modo illa fiat. Et quia ieiunium (quod nonnulli, vt Ambros. Gregor. & Chrysost. mox citandi putant fuisse hanc Pauli castigationẽ) non tam pugna & luctatio est, quàm præparatio ad luctam: de illo enim dixit, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Pluribus id probat Iacobus Gretserus l. 1. de Disciplinis c. 4. *Quomodo fit castigatio corporis.*

Rursum, vt notat Anselm. & S. Gregor. loco mox citando, Apostolus dum carnem castigat & flagellat, hoc ipso simul dæmonem antagonistam suũ, cum concupiscentia nostra carnali cõfœderatum, & in lustro carnis delitescentem, per eamque nos tentãtem & oppugnantẽ, flagellat & verberat.

NE REPROBVS EFFICIAR] id est reprobatus. q. d. Ne reprober & reijciar à Deo, cæloq; excludar. Erudite Maldon. in Notis manuscr. ἀδόκιμον, ait, id est reprobum. vocari arbitror hoc loco, qui in certamine vincitur, quia de pugilibus agitur. q. d. Ne cũ ego doceam alios vincere, ipse vincar. Loquitur Apostolus non de reprobatione æterna, quæ est in mente diuina, sed temporali, quæ est executio æternæ. Hanc enim significat verbum, *efficiar*. Alludit ad Ierem. c. 6. v. vlt. vbi sic dicitur: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit* (hebraicè מָאַס maas, id est reprobauit) *illos*. *Duplex reprobatio, æterna & temporalis.*

Vnde patet, Apostolum non loqui, vti aliqui volunt, de reprobatione hominum, de qua loquitur epist. 2. cap. 13. v. 7. q. d. Quod doceo, hoc facio, nimirum non lautè viuo, sed castigo corpus meum, ne ab hominibus reijciar & reprober, quasi qui non faciam ea quæ doceo. Ieremias enim clarè lo-

quitur de reprobatione, non hominum, sed Dei, & hanc passim alibi significat reprobatio, & reprobus, cùm absolutè ponitur, & ad homines non restringitur, vti restringitur citato c.13. epist.2. Hinc patet incertitudo gratiæ & prædestinationis. Paulus metuit damnari, tu fide credes te saluandum?

Incertitudo gratiæ & prædestinationis etiam in Paulo.

Secundò hinc colligitur, Paulum non habuisse reuelationem de sua salute. ita S. Gregor. l.6. epist. 22. ad Gregoriam.

Tertiò, non ita fuisse confirmatum in gratia, quin ab ea excidere potuisset.

In quibus cõsistat luctа Christiana?

Ex hoc Apostoli loco patet, pugnam & luctam Christianam, tum in alijs conflictibus, tum maximè in corpore & carne subigenda & castiganda sitam esse. Hic enim est internus & grauissimus noster hostis, ideoque præ cæteris omnibus carnis insidiæ formidandæ sunt, vt ait Orig. in c.8. ad Rom. in fine. Atque ad hanc luctam per coliphium, id est sobrietatem, nos comparare debemus, adeoque in ipsa sobrietate hanc luctam inchoare, in eaq; quotidie increscere, roborari & perfici. A gula ergo debellanda Christiano incipiendum est: ea enim debellata faciliùs cætera vitia profligabit, vt Cassianus alijque docent. Hinc ergo patet, pugili & militi Christiano castigandum esse corpus, ne illius concupiscentiæ eum in perditionem abripiant, adeoque corporis castigationem per vigilias, ieiunia, aliasque afflictiones & austeritates rectam esse ad salutem viam, esseque instrumentum aptissimum ad virtutem & perfectionem, plenamque vitiorum victoriam, si sit discreta, & viribus ac valetudini commensurata, vt docet S. Thomas 2.2.q.188.a.7.

A gula debellandain choandũ est Christiano.

Morale de castigatione corporis.

Austeritates sunt recta via ad salutem.

Sed veteres Ecclesiæ Doctores hac de re audiamus. Ambros. epist. ad Eccles. Vercellensem: *Audio,* inquit, *homines qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum, deliciare eos qui castigant carnem suam, vt menti subditam faciant: quod numquam fecisset, neque scripsisset Paulus, si deliramentum putasset.* Notent hoc Nouantes nostri. *gloriatur autem dicens: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim ipse reprobus inueniar. Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare alijs, ipsi reprobi habentur. Quæ istos Epicuros noua schola misit, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant? Dominus Iesus volens nos aduersus diaboli tentamenta fortiores reddere certaturus ieiunauit, vt sciremus quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Qua causa Christus ieiunauerit, hi astruant, nisi vt nobis exemplo esset eius ieiuniũ.*

Egregius locus S. Amb. contra hæreticos delicias suadentes.

Pulchrè Gregorius de gula refranauda.

S. Gregor. lib.30. Moral. c.26. *Muros Ierusalem coquorum princeps* (Nabuzardan) *destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quòd Paulus contra Ierusalem mœnia decertanti vires coquorum principi* (id est ventri) *subtrahebat, cùm diceret: Castigo corpus meum, & seruituti subijcio. Vnde præmiserat: Sic pugno non quasi aërem verberans, quia cùm carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus, non aërem, sed immundos spiritus verberamus; & cùm hoc quod est intra nos subijcimus, extra positis aduersarijs pugnos damus. Hinc est quòd cùm rex Babylonis succensa fornacem iubet, stuppæ & picis ministrari congeriem præcepit, sed tamen abstinentes pueros hoc igne minimè consumit: quia antiquus hostis licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat; bonis tamen mentibus superni Spiritus gratia insibilat, vt à carnalis concupiscentiæ æstibus illæsa perdurent.*

Basilius de corpore castigando.

Basilius hom. de Legendis Gentilium libris, *Est,* inquit, *corpus castigandum, ac feræ cuiusdam instar cohibendum, & ab ipso aduersus animam furentes, ratione veluti flagello compescendi, ne frenum voluptati omnino laxando, mens velut auriga ab equo contumacibus, & minimè obtemperantibus, feratur ac rapiatur, ac inter cætera Pythagoræ meminisse decet oportet, qui videns quemdam exercitationibus, ac cibis lautè appositeq; sese curantem ac saginantem, Hem, inquit, miser, non desinis continuò duriorem tibi carnifices præparare. Ideo & Platonem dicunt, cognito quod ex corpore est nocumento, Academiam Athenis loco pestilenti elegisse, vt nimiam corporis prosperitatem, velut vitem palmite luxuriantem amputaret. Ego verò bonam valetudinem quæ in summo sit, ex medicis sæpe audiui fallacem esse. Quando igitur ipsa corporis diligentia & corpori pariter & animæ inutilis esse apparet, hanc sarcinam deliuire, & illi famulari, manifesta fuerit insania. Si autem hoc contemnere studeamus, nihil aliud rerum humanarum facilè admirabimur.* Idem Basilius in regul. fusiùs disp. reg.17. *Vti,* inquit, *optimus corporis habitus, & coloris bonitas pugilem à cæteris distinguit: sic Christianum à cæteris secernit macilentia corporis, pallor, defloreſcens, qui continentiæ velut aliquis est comes. indicio est enim Christi mandatorum rectè pugilem esse, qui in infirmitate corporis aduersarium suum in lucta prosternit; & quàm potens sit in pugnæ certaminibus, declarat conuenienter verbu illu. Cùm infirmor, tunc potens sum.*

S. Chrysost. hîc: *Castigo corpus meum. q.d. Multum sustineo laborem, vt sobriè viuam; si quidem intractabilis est cupiditas, ventris voracitas: verumtamen eam cohibeo, & non trado meipsum affectibus, sed omnia comprimo, & ipsam naturam multis sudoribus [illegible] hæc autem dico, vt nemo à certando desperet propter virtute: nam laboriosum est. Quare inquit, Castigo, & in seruitutem redigo; non dixit, Perdo & punio: non enim inimica caro est. sed, castigo & redigo in seruitutem, quod domini est, non hostis; magistri, non inimici excitatoris, non aduersarij: ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus inueniar. Quòd si Paulus horrescit, cùm talis esset præceptor, & post prædicationem, & vita terrarum susceptum patrocinium formidauit, quidnam nos dicemus?*

S. Hieron. contra Iouinianum hæreticum hostem ieiunij, castitatis & austeritatis, hæc ipsa mirè tuetur & deprædicat, adeoque sub finem libri 2. *Quòd multi,* inquit, *acquieſcunt sententiæ tuæ, ô Iouiniane, indicium voluptatis est; & pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gebenna succidiæ* (vel, vt alij legunt, succendio) *nutriat. Basilides magister luxuriæ, & turpißimorũ complexuum post tot annos in Iouinianum, quasi in Euphorbum transmutatus est, vt Latina quoque lingua haberet hæresin suã. Vexillum crucis, & prædicationis austeritas (quæ hæc Nouantes) idolorum templa destruxerat. Et ergo luxuria penis, ventris & gutturis subuertere nititur fortitudinẽ crucis. Semper pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & modicum placent. Amara est veritas, & quæ eam prædicant replentur amaritudine.*

Porro non tantùm ad libidinem, sed & superbiam, omniaque vitia frangenda, & quasuis virtutes comparandas, castigandum esse corpus, docet idem S. Hieron. epist.14. ad Celantiam: *Qui, ait, probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenẽt, castigant carnem suam, quò animæ frangant superbiam, vt quasi de quodam fastigio contemptus sui atque arrogantiæ descẽdant ad implendam Domini voluntatem, quæ maximè in humilitate perficitur. Idcirco à variis ciborum desideriis mentem retrahunt, vt totam eius vim accipi-*

Excitatt virtutum. tamq́, minùs ieiuniorum & abstinentiæ laborem caro sentit, anima esuriente iustitiam. Nam & castlectionis Paulus, dum castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne alijs prædicans ipse reprobus inueniatur, non ob solam, vt quidam imperiti putant, incontinentiæ castitatem: non enim huic tantummodo, sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur.

Denique prisci illi sanctissimi in eremo patres huius perfectionis ita corpus castigarunt, vt penè

A doretum in vita Simeonis Stylitis, qui 80. annos perpetuò noctu diuque sub dio stetit in columna, vix cibum, vix somnum capiens; aliorumque plurimorum. Adeoq́; à viris prudentibus in vitis Sanctorum solerter obseruatum est, nullos penè Sanctos miraculis, & gestorum rerumque admirandarum gloria claruisse, nisi illos qui ieiunijs & vitæ austeritate excelluerunt, quique corpus afflixerũt, aut à Deo morbis, vel ab hostibus & tyrannis tormentis & ærumnis afflicti fuerunt; cæteros Sanctos qui communem vitam egerunt, multùm quidem sibi & Ecclesiæ profuisse, sed miracula aut nulla aut rara patrasse.

Soli Sancti austera vita claruerunt miraculis.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occasione agonis, in quo abstinentes riteq́, certantes præmiantur, inertes luxuriq́, diti reprobantur & confunduntur, de quo egit in fine capitis præcedentis; digreditur hic Apostolus ad veterum Hebræorum mores, concupiscentias, & vitia, maximè idololatriam; punitionem pariter & reprobationem; vt horum exemplo doceat Corinthios, quàm cauenda sint vitia & tentationes, maximè idololatria.

Hinc consequenter v. 18 descendit & redit ad idolothyta, quæstionemq́, de ijs c. 8. inchoatam absoluit. Primò, docet ijs non licere vesci, quatenus idolothyta seu idolis immolata sunt: hoc enim esset immolationi & sacrificio idololatrico consentire, & profiteri idololatriam.

Secundo, v. 22, docet non licere idolothytis vesci, vbi infirmiores hac re scandalizantur. vnde v. 31 edificationem maximè Corinthijs commendat, vtq́, omnia in gloriam Dei, & salutem proximorum faciant.

1. NOlo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt: 2. & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: 3. & omnes eamdem escam spiritalem manducauerunt, 4. & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spirituali, consequente eos. petra autem erat Christus) 5. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto. 6. Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. 7. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. 8. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. 9. Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. 10. Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. 11. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. 12. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. 13. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. 14. Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. 15. Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? 17. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus. 18. Videte Israel secundùm carnem: nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? 19. Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? 20. Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: 21. non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 22. An æmulamur Dominum? Nũquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 24. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 25. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter cõscientiam. 26. Domini est terra, & plenitudo eius. 27. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscien-

scientiam. 28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite mãducare propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam: 29. conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? 30. Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quòd gratias ago? 31. Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite 32. Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: 33. sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis: vt salui fiant.

VERS. 1. NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES, QVONIAM PATRES NOSTRI OMNES SVB NVBE FVERVNT] Vox *(enim)* causam dat dictorum in fine cap. præcedentis. q.d. Ideo dixi post baptismum Christianis esse certandum in agone, ne reprobi fiant, & brauium amittant; quia sic Hebræi post typicum baptismum, & escam cælestem, scilicet mãna, terram promissionis & brauium inertes per peccata amiserunt, & è sexcentis millibus solus Iosue & Caleb terram promissam ingressi sunt. Cauete ergo vos ô Corinthij, ne pariter ob inertiam, & vitam fidei & baptismo dissormem cælo excludamini. ita Chrysost. & Ansel. Argumentatur à typo seu figura ad rem figuratam.

Certãdum est post baptismum Christianis.

PATRES NOSTRI] patres Iudæorum, è quibus ego sum, & multi inter vos, ô Corinthij.

Quid sit nubes sub qua patres fuerunt.

SVB NVBE] Nubes hæc, fuit columna per diem obumbrans Hebræos vt nubes, per noctem lucens vt ignis, quæ eos duxit per desertum quadraginta annis arcæ incubans, & castra eorum præcedens, eaque protegens ab æstu, super castra vniuersa se expandendo, cuius motor & quasi auriga erat angelus: de qua plura Exod. 13.

ET OMNES MARE (rubrum, siue sinum Arabicum) TRANSIERVNT] sicco pede Mose per virgam suam aquas percutiente, & diuidente.

VERS. 2. ET OMNES IN MOSE BAPTIZATI SVNT, IN NVBE ET IN MARI] Exod. 14. Nota, transitum maris rubri typum fuisse baptismi, in quo sanguine Christi rubricamur, & mergimus Ægyptios, scilicet peccata: Moses typus est Christi; nubes est Spiritus sanctus æstum concupiscentiæ refrigerans, nosque illuminans. Vnde Theodoretus, *Illa*, inquit *erant nostrorum typus: mare enim imitabatur piscinam seu lauacrum, nubes autem gratiam spiritus. Moses verò sacerdotem, virga autem crucem; Israel verò significabat eos qui baptizabantur; persequentes verò Aegyptij implebant figuram dæmonum; ipse autem Pharao erat imago diaboli.*

Transitus maris rubri typus fuit baptismi.

Nota Secundò. Pro *in Mose*, græcè est, εἰς τὸν Μωυσῆν, in Mosen, scilicet legislatorem, id est, in legem Mosaicam, specie quadam baptismatis transeundo mare, initiati sunt Hebræi; vti nos in Christum baptizamur, id est, Christo & christianismo per baptismum initiamur & incorporamur. Vnde Exodi 14. subditur post transitum maris rubri: *Crediderunt Domino, & Mosi seruo*, id est legislatori, *eius*. ita aliqui.

Verùm baptismus noster non fuit typus baptismi Hebræorum in mari rubro; sed contrà Hebræorum transitus in mari, fuit typus nostri baptismi.

In transitu maris nondum erant Iudæi initiati legi Mosaicæ.

Adde, in hoc transitu Hebræos non esse initiatos legi Mosaicæ, imò nondum eam accepisse, sed postea in Sina.

Omnes Hebræi baptizati.

Dico ergo simpliciùs, *in Mosen*, id est, in Mosen: εἰς enim sæpè ponit Apostolus pro ἐν. Iam *in Mose*, id est, vt Syrus, Chrysost. Theophyl. per Mosem, duce Mose. Sensus itaque est, q.d. Omnes Hebræi per Mosem baptizati sunt spiritualiter & typicè, A seu typum gesserunt baptismi nostri, eo ipso quòd cùm viderunt per Mosem mare diuisum, & primum Mosem mare transeuntem, ait Chrysost. etiam ipsi mari se credere ausi sunt; id que *in nube*, id est, subducatu & protectione nubis præeuntis, *& in mari*, scilicet, in quo demersis Ægyptijs in signum futuri baptismatis, ab Ægyptiaca seruitute in libertatem & vitæ nouitatem transibant, sicut nos per aquas baptismi transimus à seruitute diaboli in regnum Christi. ita Anselm. Chrysost. Ambros. Theophyl.

Vbi aduerte cum Chrysost. Scripturam nomen typi antitypo tribuere, & contrà; ita hîc transitus maris rubri vocatur baptismus, quia erat typus baptismi. Vnde explicatur v. 6. *Hæc*, inquit, *in figura facta sunt nostri*. B

ET OMNES EAMDEM ESCAM SPIRITALEM MANDVCAVERVNT] *Eamdem*, non nobiscum, vt vult Caluin. quasi tam Christiani quàm Hebræi non verum Christi corpus sed typicum comedant.

Dices S. August. tract. 26. in Ioannē & S. Thom. explicant, eamdem nobiscum. Respondeo. Intelligunt eamdem, analogicè, quia Hebræi in signo recipiunt, quod nos reipsa. Sed hoc est præter mentem Apostoli qui intelligit *eamdem*, non nobiscum, sed inter se. q.d. Omnes Hebræi tàm boni quàm mali comederunt eamdem escam id est idem mãna. Patet ex textu & sequent. ait enim, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*. q.d. Licet omnes idem manna comederint, eamdem aquam de petra biberint, tamen non omnes placuerunt Deo. Sicut ergo illi vnum habuere baptismum & vnam escam spiritualem, vti & nos; & tamen non omnes salui facti sunt, sed multi ex ijs perierunt: sic & verendum est, ne multi ex nobis pereant, quamuis eadem inter nos Sacramenta communia habeamus. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. & alij: cum quibus Aduerte, manna hîc dici escam spiritalem, id est, mysticam, siue typicam; quia manna erat typus & figura Eucharistiæ. Sic aqua petræ dicitur potus spiritalis, quia typus erat sanguinis Christi. Alij spiritalem interpretantur miraculosam, scilicet non vi naturæ, sed spirituum, putà Dei & angelorum productam. Tale enim fuit manna, de quo canit Psaltes: *Panem angelorum manducauit homo*, psal. 77. 5. C D

Nota. *Manna*, allegoricè significabat Christum in Vener. Sacramento, vt patet Ioan. 6. v. 49. & 50. maximè verò manna significabat rem contentam & effectum Sacramenti, vt fusè in citatum locum Ioannis docet Chrysost. Theophyl. & Cyril. Vnde & Apostolus hîc ait: *Omnes eamdem escam spiritalem manducauerunt, & eumdem potum spiritalem biberunt*. quod de sacra cœna etiam Caluinus accipit, dicitque manna fuisse typum corporis Christi. Ex quo rectè colligas in Vener. Sacramento verè esse carnem Christi, si quidem manna rei veræ existentis, non autem chimericæ fuerit symbolum: aliquin enim tam nos quàm Iudæi escam spiritalem,

ra, id est, carnem typicam & symbolicam, manducarunt, neque plus veritatis significatæ habentem quàm ipsi Iudæi, imò longè minus. Manna enim spiritus erat nostro pane, & longè clariùs representabat Christi corpus quàm aridus panis. Concedam hanc, vtpote claram quidam nuper ex nostro hoc grege Minister concessit: sed quis non videt id repugnare & S. Scripturæ, & rationi? lex enim nouæ præstantior est lege veteri; ergo & Sacramenta nouæ præstant veteribus. Vnde Apostolus ait: *Hæc in figura facta sunt nostri.* Res autem figurata figura nobilior est, sicut corpus sua vmbra, homo sua imagine nobilior est: ergo Sacramenta legis nouæ, & præsertim Eucharistia, quasi res figurata, nobiliore esse debet Sacramentis legis veteris, ipsoque manna, quod tantùm typus fuit & figura Eucharistiæ nostræ. Rursum Ioan. 6. Christus dicit simè corpus suum in Eucharistia præfigi per manna, v. 48. & 58. *Hic est panis*, inquit, *qui de cœlo descendit: non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quòd autem manna clariùs repræsentet corpus Christi, quàm panis, quis non videt? id enim multis ostendi potest.

Vide Nota Secundò. Aptissimè congruit manna cum corpore Christi in Eucharistia, illudque palàm & manifestè adumbrauit. Primò, idem est color hostiæ Eucharistiæ & manna. Secundò, sapor cibis vtriusque. Tertiò, nonnisi relictis ollis Ægyptiis, & carnis voluptatibus inuenitur, aut sapit vtrumque. Quartò, infidelibus & auaris in vermem & tabidum vertitur vtrumque. Quintò, manna non datum est nisi post transitum maris, Eucharistia non datur nisi post baptismum. Sextò, post manna Hebræi cum Amalec pugnarunt, cùm antè illos proeis Deus pugnasset contra Ægyptios, pugnarunt inquam & vicerunt: sic vitæ cælestis impedimenta & tentationes, quas nonnisi solidioribus adhibi patitur Deus, Eucharistiæ virtute superantur. Septimò, manna panis erat absque semine, absque ratione, aut alio humano opere ab angelis factus: sic Christi corpus ex sola Virgine & Spiritus Sancti irroratione natum est. Octauò, manna omnis & pro omnem saporis varietatem dabat. Vnde Sap. 16. 20. dicitur de manna: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illi sine labore, omne delectamentum in se habentem & omnem saporis suauitatem*: ita & Christus paruulis est lac, infantibus olus, perfectis solidus cibus, ait Nyssen. Nonò, mãna erat minutum, Christus parua hostia est circumscriptus. Decimò, manna pilo tusum fuit, Christus pilo crucis mortificate exutus est. Vndecimò, fideles admirabundi manibus quid hoc, vt nobiscum sit Deus! exclamant. Duodecimò, omnes de manna æqualem mensuram, nimirum gomor vnum, colligebant: sic tantum Christum æqualiter omnes recipiunt, etsi species siue hostia maior sit aut minor. ita Rupert. Decimotertiò, sex diebus tantùm colligebatur in deserto manna: sic in sabbato æternitatis & in vera promissionis velamen Sacramenti cessabit, Christoque facie ad faciem in summa quiete perfruemur. Decimoquartò, sole liquescebat manna, sic resolutis calore speciebus Sacramẽtum dissolutur. Hæc & plura dixi & ostendi Exod. 16.

BIBEBANT AVTEM DE SPIRITALI, id est typica,

A CONSEQVENTE EOS PETRA] Petra enim quæ dedit aquam Hebræis erat typus Christi, qui est vera petra, è qua fluxit sanguis sitim concupiscentiæ nostræ restinguens. Sed quomodo hæc petra consequens, id est secuta, dicitur Hebræos? *Petra apud Hebræos typus erat Christi.*

Respondent & tradunt Hebræi, & Chaldæus Num. 21. v. 16. petram hanc per miraculum Iudæos in deserto assiduè secutam fuisse vsque in Chanaan, eisq; aquam dedisse. Vnde & Syrus hîc vertit: *Bibebant de petra spirituali quæ cum ipsis veniebat.* Et Tertul. lib. de Baptismo cap. 9 hanc petram vocat comitem. *Hæc est*, inquit, *aqua, quæ de comite petra populo defluebat*: sed mox petram hanc interpretatur Christum, qui quoad diuinitatem comitabatur, & deducebat Hebræos per desertum. Vnde idem lib. 3. contra Marcion. c. 5. *Petram*, inquit, *potui submittendo comitem, Christum adleget suisse.* Et S. Ambros. in psal. 38. tomo 2. *Vmbra*, inquit, *in petra, quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nónne vmbra erat aquæ de petra, quasi sanguis ex Christo, qui fugientes se populos sequebatur, vt biberent, & non sitirent; redimerentur & non perirent?* Idem tamen pariter per petram accipit Christum lib. 5. de Sacramentis c. 1. *Non immobilis petra*, inquit, *quæ populum sequebatur. Et tu bibe, vt te Christus sequatur.* Sed velim huius traditionis certiores habere auctores. Illi enim obstat, quòd post hanc aquam è petra, Num. 20 v. 11. rursum murmurarunt ob aquæ inopiam, Numer. 22. v. 5. Vnde v. 16. dedit eis Deus puteum aquæ. *Tradũt Hebræi petram in deserto miraculosè Hebræos secutam.*

Hinc alij iam hoc emolliunt, & sic explicant: *De petra consequente*, quia, inquiunt, aquæ ex petra erumpentes per longum spatium fluebant, ac quasi torrentem faciebant, qui sequebatur Hebræos donec venirent ad locum, vbi aquarum erat copia: nã si fuisset hoc vnius diei beneficium, fuisset postero die, & tertio, ac quarto iterum semper percutienda petra, ad aquas ex ea eliciendum. Et probatur hæc expositio: nam manna materialiter hîc accipitur, ergo & petra, & potus materialis intelligi debet: sed illa quæ diximus obstare priori sententiæ, etiam huic obstant. *Aquæ ex petra erumpentes lõgo tempore secutas Hebræos quidã putant.*

Tertiò, Photius pro *consequente*, vertit *obsequente*, q. d. Petra hæc obsequebatur Hebræorum siti & desiderio: sed Græcum ἀκολουθεῖν propriè sequi & consequi significat, non obsequi.

Quartò, ergo certiùs & aptiùs accipio hæc de petra spiritali, id est typica, sed significata, non significante, scilicet Christo (vide can. 3.) q. d. Paulus, Christi diuinitatis virtute, quæ erat petra spiritalis significata per petram dantem Hebræis aquam, quæque Hebræos semper comes per desertum sequebatur, data est Hebræis aqua de petra illa materiali, ita S. Chrysost. Ambros. Ansel. Oecum. *Quid proprie sit hîc petra consequens.*

Dices, Peresecam spiritalem Apostolus accipit manna, non corpus Christi, & per potum spiritalem accipit ipsam aquam significatem sanguinem Christi, nõ autem ipsum sanguinem significatum: ergo pariter per petram spiritalem accipit petram realem significantem Christum, non autem ipsum Christum per petram significatum.

Resp. neg. consequ. quia Apostolus in petra inuertit phrasim, & transiit à signo ad significatum. Id patet, quia explicans hanc spiritalem petram ait: *Petra autem erat Christus.* q. d Cùm petram spiritalem dico, Christum intelligo: quid clarius? non enim materialis, & significans, sed spiritalis & significata petra erat Christus. *Obiectiones duæ de petra consequente solũtur.*

Insta-

Instabis: Græca pro *bibebant autem*, habent ἔπινον γάρ, *bibebant enim* : ergo talem petram qualem potum intelligunt. q.d. Bibebant potum spiritalem, id est typicum : nam & petra dans hunc potum erat spiritalis, id est typica. Quæ enim esset connexio & ratio dicere? Bibebant potum typicum, quia petra typica erat Christus.

Respondeo. Apta est connexio & ratio, quia vox *enim* dat & assignat causam efficientem tanti miraculi, & potus tam miraculosi. q.d. Bibebant Hebræi aquam typicam : Christus enim per petram typicam, quæ hanc aquam eructabat, adumbratus hãc aquam typicam miraculosè eis dabat, vt Christum eam dantem agnoscerent & colerent : quod tamen, vt sequitur, plurimi eorum non fecerunt.

Quid petra illa allegoricè significaret.

Nota. Petra illa dans aquam, allegoricè significabat Christum, quia scilicet Christus quasi petra firmissima sustinet Ecclesiam, & *percussus*, id est occisus, *à Mose*, hoc est à Iudæis, idque *virga*, hoc est cruce, *aquas* vberrimas gratiarum effudit, incredulis *contradictionis*, fidelibus *sanctificationis*; maximè aquas sanguinis sui in Eucharistia, quibus nos in hoc vitæ deserto potat, vt ijs roborati tendamus ad ciuitatem nostram in cælis. Vnde ipse Christus dicit Ioan. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* & Ioan 4. 14. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* ita S. Augustin. libr. 16. contra Faustum c. 15.

Dices, Nonnulli Catholici iuxta primam expositionem datam sic explicant : *Petra erat Christus*; id est, typus Christi; ergo pariter de Eucharistia dici poterit, *Hoc est corpus meum*, id est, figura corporis mei.

Hoc est corpus meum, non significat, hoc est figura corporis mei.

Resp. Primò. Nego conseq. Quia petra est res disparata à Christo, qualis vna non potest esse alia, vt lapis non potest esse lignum : pronomen autem *hoc* non est disparatum à Christi corpore. imò designat ipsum corpus: sed simile esset, si Christus dixisset, Hic panis spiritualis siue typicus est corpus meum; tunc enim exponi deberet sic, Hic panis est figura corporis mei.

Adde, Apostolum explicare se de petra non vera, sed spiritali. ait enim, *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem*, scilicet spiritalis illa iam dicta, *erat Christus*. Dicitur enim petra spiritualis, id est typica, quia typus erat Christi, & Christum typicè repræsentabat : non ita loquitur Christus, nec S. Paulus de Eucharistia; sed tam ipse, quàm omnes Euangelistæ constanter narrant Christum dixisse, *Hoc est corpus meum*; non autem, Hoc est spiritale vel typicum corpus meum. Secũdò, ad antecedens Respondeo illam aliquorum explicationem parum esse probabilem: nam petra illa spiritualis, id est typica & significata, verè erat Christus, non typus Christi, vt dixi. Id enim clarè conuincunt verba S. Pauli, vt iam ostendi.

VERS. 5. *Qui ex Hebræis terrã promissam ingressi sint.*

NAM PROSTRATI SVNT IN DESERTO] Omnes enim Hebræi, qui duce Mose egressi sunt ex Ægypto, ob peccata sua, præsertim murmurationem, mortui sunt in deserto, dempto Iosue & Caleb, qui soli cum noua mortuorũ sobole ingressi sunt terram promissam Numer. 14 v. 29.

VERS. 6.

HÆC AVTEM IN FIGVRA FACTA SVNT NOSTRI] *Figura*, hîc tam exemplum, quàm typum significat. Voluit enim Deus Hebræos statuere Christianis in exemplum, vt ex ipsorum punitione discerent Deum reuereri, illique obedire, de quo plura v. 10. Vnde sequitur:

A SICVT ET ILLI (patres nostri, de quibus dixit. 1. scilicet prisci Hebræi) CONCVPIERVNT] delicias carnium, in loco qui inde dictus est Sepulchra concupiscentiæ, eò quòd Hebræi ibidem ob hanc carnium concupiscentiam cæsi sint à Deo, Numer. 11. v. 33. & 34.

NEQVE IDOLOLATRÆ EFFICIAMINI SICVT QVIDAM EX IPSIS: QVEMADMODVM SCRIPTVM EST. Exodi 32. v. 6. SEDIT POPVLVS MANDVCARE ET BIBERE, ET SVRREXERVNT LVDERE] cùm scilicet vitulum aureum conflarunt Hebræi, dedicarunt, adorarunt : tunc enim huius sui idoli & festi lætitiam clauserunt læto epulo. Vnde cœpit populus manducare ex hostijs pacificis vitulo immolatis, vt ita solemnitatem noui huiusce dei sui mere Ægyptiorum aliorumq; Gentilium communi & sacro conuiuio, æquè ac ludis celebrarent & consummarẽt.

B Vnde & *surrexerunt ludere*, saltando nimirum, & choros agendo : hos enim paulo pòst descendens è monte vidit Moses, Exod. 32 v. 19. sic enim Gentiles post sacrificia, in honorem deorum suorum hos agebant, eosque sæpè obscœnissimos. Vnde Rabbini & Tertul. l. de Ieiunio contra Psychicos, lusum hunc Iudæorum interpretantur fornicationem & impudicitiam. Edebant & publica spectacula, quæ quia idolis, æquè ac idolothyta dicata, vetita esse Christianis docet Tertul. l. de Spectaculis, quem ea de causa scripsit. Verùm mox ira Dei in populum vitulantem & lasciuientem desæuit, cæsis per Leuitas iubente Mose, viginti tribus hominum millibus. Inculcat hæc Corinthijs Paulus, quia est verisimile eos in gentilissimo simile ludos & conuiuia agitasse, atque idolothyta comedisse in honorem deorum suorum, ac præsertim Veneris, C cui mille puellas quotidie ad meretricandum exponebant, erantque in luxum & venerem propensissimi. Vnde eos tantopere v. seq. & c. 6. v. 9. & seq. à scortatione deterret, vt ibi dixi. q.d. Paulus : Videte ergo, ô Corinthij, ne ad idola redeatis, neve idolothyta eis immolata comedatis, vt sacrificorum idololatricorum participes efficiamini; nec lasciuis, luxui & luxuriæ vos dedatis : alioqui æquè ac Hebræi, quasi apostatæ & idololatræ, quasi helluones & ventres à Deo puniemini.

SICVT QVIDAM EX IPSIS FORNICATI SVNT] scilicet Hebræi coluerunt Beel-phegor, id est Priapum, & in eius gratiam & cultum fœdam fornicati sunt cum filiabus Moab. Numer. 25.

ET CECIDERVNT VNA DIE VIGINTI TRIA MILLIA] Chrysost. Anselm. Caietan. referunt hoc ad plagam ob fornicationem cum filiabus Moab, & D qua iam dixi, quæ recensetur Num. 25. sed ibi v. 4. dicuntur cæsa viginti quatuor millia; hîc autem fuerint tantùm viginti tria millia : licet aliqui respondeant, vno die tãtùm cæsa esse viginti tria millia; mille autem vnum priore die esse cæsum. Sed hoc gratis dicitur : nam nihil tale dicit Scriptura. Secundò, Caietanus respõdet errore scribarum poni 23. pro 24. Tertiò, Oecumenius ait quosdam legere 23. Num 25. æquè vt hîc. Quartò, alij respondent Apostolum dicere verum, quia maior numerus scilicet 24. includit minorem, scilicet 23. Sed planius & apertiùs dicemus, Apostolum respicere ad Exodi 32. v. 28. vbi ob adoratum vitulum cæsa dicuntur 23 millia, vt habẽt Biblia Romana. Hanc ergo poenam non refert Paulus ad fornicatores proxime præcedentes, sed remotiùs more Hebræorum ad idololatras, de quibus egit v. 7 nam oblitus poenæ

scelerisillatam exponere, quasi post liminio illorum dicit. sic enim in sequentibus sceleribus pœnam semper subnectit; idque vt magis Corinthios ab idolis & idolothytis auertat: maximè, quia idolatria mali & luxus, cum cultu & fornicatione Beel-phegor, vti in culpa, ita in pœna valdè cõsentiunt. Sanè Græca Pauli verba consentiunt cum Græca Exodi verbis, vt putem omnino olim Græca in Exodo ita habuisse, vti iam habet Paulus: scilicet, ἐφ' τοὺς χιλιάδες, id est, vigintitria millia; non ἕως τριακοσίους, id est, ad tria millia, vti iam habent Græca in Exodo, deprauata, vt videtur, facili eaque literarum lapsu.

NEQVE TENTEMVS CHRISTVM] quasi diffidentes promissis, vt aliqui Corinthiorum dubitabant de resurrectione, vt patet c. 15. ideoque signa petant. 2. Petri 3. v. 4.

SICVT QVIDAM EORVM TENTAVERVNT] Citat Numer. 21. 5. vbi dicitur: *Et tædere cœpit populum itineris & laboris, locutusque contra Dominum & Mosen est: Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine: Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* Vbi Nota 1. *contra Dominum*. Hunc enim Dominum Paulus explicat hîc esse Christum; ergo Christus est Dominus & Deus. Hinc Græci Patres docent angelum, qui Abrahæ, Isaac & Iacob apparuit, & Hebræos ex Ægypto eduxit, vtpum gessisse Christi in carne venturi, id est secundæ personæ in SS. Trinitate, scilicet Filij. hic enim est Christus.

ET A SERPENTIBVS PERIERVNT] Patet Num. 21. vbi post murmur Hebræorum iam dictum hanc pœnam eis influxit Deus v. 6. *Quamobrem*, inquit, *misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Vbi Nota, ignitos dici serpentes, non quòd essent naturæ igneæ; hoc enim repugnat naturæ serpentum; sed ab effectu, quia suo morsu & afflatu calidissimo tantum calorem inducebant, vt qui ab eis erant morsi sibi vri viderentur: qua de causa Græcis Prisciores & Causones vocantur, quales gignuntur in Libya, & Arabia, per quam transibant Hebræi in Palæstinam. Vnde pro *ignitos* hebraicè est שְׂרָפִים *seraphim*, quod Vatablus Vrentes vertit, Septuag. vertunt θανατηφόρους, id est, morte afficientes.

SICVT QVIDAM EORVM MVRMVRAVERVNT, ET PERIERVNT AB EXTERMINATORE] angelo scilicet, per quem Deus pœnas Hebræis murmurantibus infert, vt Core cum suis à terra viuus absorbetur, alii 14. millia & 700. igne perirent, Numer. 16. v. 30. 35. 41. 49. ita Anselm. & patet Sapient. 18. 24. Hic angelus videtur fuisse Michael, dux populi, & legis in Sina dator, & vindex, Exodi 23. 21. typusque Christi, vt dixi v. 9. Alij exterminatorem hunc putant fuisse angelum malum, siue dæmonem, & fatere videtur psalm. 77. 49. vbi dicitur: *Misit in eos, Ægyptios iram & immissiones*, putà plagas à Mose inflictas, *per angelos malos.* Verùm loquitur ibi Psalmus de plagis Ægyptijs; Paulus verò de ea quæ Hebræis à Deo est irrogata. Adde, verius est plagas Ægyptijs inflictas fuisse ab angelis bonis, non malis, vt notat S. Augustin. in citatum v. psalmi 77. Nam constat per bonos angelos Mosen vertisse aquas in sangu nem, ranas & cyniphes produxisse. Hic enim prodigiosis pœnis certabat Moses angelique boni cum Magis Pharaonis, eorumque dæmonibus, vnde illi in tertio cyniphum prodigio vehi exclamarunt, *Digitus Dei est hic.* Boni ergo angeli vocantur psalm. 77. 49. *mali*, id est mala & supplicia inferentes, per eaque nocentes Ægyptijs. Vnde hebraicè est מַלְאֲכֵי רָעִים *malache raim*, id est, per angelos malorum, &, vt Symmachus vertit, per angelos mala infligentes.

Nota. Sæpiùs murmurarunt Hebræi in deserto, & ferè semper puniuit eos Deus, vt ostenderet quã præ alijs peccatis sibi displiceat murmur & rebellio. Sic Num. 11. murmurantes ob concupiscentiam carnium occidit, indeque locus dictus est Sepulchra concupiscentiæ. Sic omnes murmurantes ob relationem exploratorum, dicentium terram Chanaan esse inexpugnabilem, illa exclusit & interfecit in deserto, & è sexcentis millibus solus Iosue & Caleb eam ingressi sunt, Num. 14. 29. Sic clarissimè & seueriss imè puniuit murmur Core cum suis, vt dictum est. *Deo valdè displicet murmur & rebellio.*

HÆC AVTEM OMNIA IN FIGVRA CONTINGEBANT ILLIS] *Hæc omnia*, nimirum quæ iam dixi; non autem absolutè omnia quæ veteri testamento describuntur, quasi nihil in eo sit, quod non figuratè aliquid futurum in nouo testamento significet. Verè enim ait S. Augustl. 17. de Ciuit. c. 3. *Mihi sicuti multum errare videntur, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud, prater id quòd eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur; ita multùm audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis inuoluta esse contendunt.* VERS. 11.

IN FIGVRA] Notat rectè Gabr. Vasquez in 1. p. qu. 1. a. 10. disp. 14. c. 6. *figuram* hîc non tam sensum allegoricum, vel mysticum significare, quàm exemplum, quod per accommodationem plurimùm valet ad suadendum. Vnde figuram explicans Paulus subdit: *Scripta sunt autem ad correptionem*, vel, vt græcè est, νουθεσίαν, id est admonitionem, *nostram*, q. d. Deus puniuit Hebræos in figura nostri, hoc est, ad exemplum nostrum; vt eorum pœna sapiamus. Vnde Græca hoc v. & v. 6. habent, ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. quod Syrus vertit: Hæc nobis fuerunt figura, typi; &, vt Vatablus, exempla, vt essent scilicet nobis exempla vitæ, & fugæ peccatorum & suppliciorum, quæ Deus peccatis infligit.

IN QVOS FINES SÆCVLORVM DEVENERVNT] *Fines sæculorum* sunt vltima mundi ætas. Hinc enim tempus Messiæ Prophetæ vocant *tempus nouissimũ*, & Ioan. epist. 1. c. 2. 18. *horam nouissimam*; *horam*, id est tempus, synecdochicè. Addit Ambros. & Chrysost. Apostolum ita solere loqui, tamquam instet finis mundi, vt teneat omnes suspensos, metuentes ne instet dies iudicij, vt assiduè ad eum singuli se parent. De quo plura 1. Thessal. 4. 17.

QVI SE EXISTIMAT STARE, VIDEAT NE CADAT] Vtile est, inquit S. Augustl. de Bono perseu. c. 8. omnibus, vel pænè omnibus, vt quales futuri sunt, scire non possint; vt quisque, dum nescit an sit in bono perseuraturus, humiliter & solicitè Dei gratiam imploret, cum eaque casum cauere, & in gratia perseuerare satagat. VERS. 12.

TENTATIO VOS NON APPREHENDAT, NISI HVMANA] Græca iam, Chrysost. & Syrus legunt, εἴληφεν in præterito, id est apprehendit, non εἰλήφατω in imperatiuo, id est apprehendat. Vnde & S. Cyprianus libr. 3. ad Quirinum cap. 91. legit, *Tentatio vos non occupauit, nisi humana.* q. d. Esto, ô Corinthij, tentemini, & solicitemini ad schismata, ad litigia, ad luxum & venerem, ad idola & idolothyta; constantes tamen estote: quia hæ tentationes, quæ vos apprehendunt & occupant, com- VERS. 13.

communes sunt & humanæ, quas facilè, si velitis, vincetis.

Sed corrige cum Romanis, & lege *non apprehendat*. hoc est, Cùm, vt sæpè fit, tentatio aliqua ex ijs quas iam commemoraui, aut alia quælibet in animum irrepit, nolite eam fouere, & apprehendere, ita vt sensim increscat, fiatque tandem insuperabilis: nam humanas & leues tentationes omnino excludere, vt eas numquam sentiatis, est impossibile. Dæmoniacum enim est, ait Anselm. maligna tentatione vinci, & peccare ex malitia; angelicum, eam non sentire; humanum sentire & vincere. Idem habet S. Gregor. p. 1. Pastoral. c. 11.

Angelicum est, tẽtationem nõ sentire; humanũ est, eam sentire & vincere.

FIDELIS DEVS EST, QVI NON PATIETVR VOS TENTARI SVPRA ID QVOD POTESTIS] Hinc Primò infero, si non patitur Deus nos tentari supra vires; ergo multo minùs, imò nullo modo impellit nos Deus ad peccata, vt vult Caluinus.

Septem corollaria.

Secundò, ergo Deus non præcipit impossibilia, vt vult Lutherus, imò nec permittit.

Tertiò, hinc sequitur, nos posse tentari tam validè à dæmone & carne, vt resistere non possimus, nisi Dei gratia succurrat. ita Chrysost. Anselm.

Quartò, de facto tentationem nullam esse tantam, quin Dei gratia vinci possit.

Optimum tentationis remedium oratio.

Quintò, optimum tentationis remedium esse orationem, vt Dei opem & gratiam inuocemus nostris diffisi viribus, Matth. 26. 41.

Sextò, hanc gratiam non solùm electis, hîc & alibi promitti, sed omnibus Deum rite inuocantibus. ita Conc. Trident. sess. 24. can. 9. & sess. 6. c. 11. Loquitur enim Apostolus fidelibus, qui erant Corinthi, quorum multi non erant electi, sed aliqui contentiosi, scandalosi, ebrij, vt patet c. 11. v. 21. imò nemo eorum sciebat se electum, vt posset hanc consolationem sibi appropriare.

Quisque habet auxilium sufficiẽs ad vincendas tentationes, saltem mediatè.

Septimò, hinc sequitur, in Christiani cuiusque potestate esse habere auxilium sufficiens, ad vincẽdas omnes tentationes & peccata. Deus enim ad hoc, quasi fidelis, ijs fidem suam obligat, vt docet hîc Apostolus. q. d. Tentatio vos non apprehendat ex parte & negligentia vestra, nisi humana. nam ex parte Dei spondeo, quòd Deus qui fidelis est, sicut promisit, sic & præstabit, vt non patiatur vos tentari supra id quod potestis, hoc est, nonnisi humana tentatione tentari vos permittet. Intellige, si eius gratiam & opem, vt par est, imploretis, eique cooperemini. *Deus*, ait S. August. l. de Natur. & gratia c. 43. & ex eo Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. *Deus*, inquam, *impossibilia non iubet* (cùm iubet vt cuiuis tẽtationi resistamus) *sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.* Hinc Christus Matth. 11. *Iugum*, inquit, *meum suaue est, & onus meum leue* & 1. Ioan. 5. v. 3. dicitur: *Mandata eius grauia non sunt.* Pulchra similitudine iumentorum, & vasorum figuli hanc Apostoli sententiam declarat S. Ephrem tractat. de patientia: Si enim, inquit, homines suis iumentis non plus oneris imponunt quàm ferre queant, multò minùs hominibus plus tentationum imponet Deus, quàm ferre queant. Rursum, si figulus vasa sua igne excoquit eousque, dum rite coquantur, nec antè ea eximit, ne minùs cocta & solida sint, nec rursum vlteriùs ea finit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia: multò magis idem faciet Deus, vt igne tẽtationum eousque nos coquat, dum percoquat & perficiat, vlteriùs verò tentatione aduri & consumi nos non sinet.

Similitudines duæ, quibus ostẽditur neminẽ tentari vltra vires.

A SED FACIET ETIAM CVM TENTATIONE PROVENTVM, VT POSSITIS SVSTINERE] Græcè est, ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν, *Faciet cum tentatione etiam euasionem*, &, vt S. Aug. in psal. 61. & epist. 89. legit, *exitum*: &, vt Erasmus, *euentum*, q. d. Deus qui finit vos incidere in tentationem, idem faciet, vt tentatio bene eueniat: &, vt Ansel. eam prouisibis & vestræ saluti expedit, faciet prouenire, vt ea euadere possitis sine læsione, imò cum victoria & gloria. & hoc significat nostrum (*prouentum*.) Itaque Græcum ἔκβασις significat

Primò, vt Theoph. Oecum. & Græci, scilicet exitum tentationis, vt ea bene cadat, & ad bonũ proueniat: quia Deus faciet, vt aut citò cesset tentatio, nec permittatur quarto die eã pati, qui scitur eam vltra triduum non posse tolerare, ait Ambros. aut, si prolixior fuerit, det tolerandi facultatem, ait B dem Ambros. & Anselm.

Secundò, Græcum ἔκβασις non qualem cunque euasionẽ significat, sed qua miles è prælio vel duello euadit victor, glorioſior & fortior: tales enim Sancti è tentatione euaserunt; quod Noster aduertens solerter vertit *prouentum*. Vnde Græcum ἔκβασις in re hîc idem est, quod πρόβασις vel προκοπὴ, id est progressus. q. d. Deus faciet, vt tentatio adeò vobis non obsit, vt cedat etiam in progressum, id est, in fortitudinis, virtutis, gratiæ, victoriæ & gloriæ augmentum, vt magis in via virtutis, & via ad cælum & gloriam progrediamini. ita Phothius. Vnde sequitur, *Vt possitis sustinere*. vbi pro *sustinere* græcè est, ὑπενεγκεῖν, id est, ita sustinere, vt supersint adhuc vires ad plus aliquid sustinendum: itaque tale tantumque auxilium Deus confert, vt cum magno excessu possit quis tentationem C superare. Hinc notant Patres passim, per tentationes hominem maximè progredi in virtute, & per eas virtutes augeri & roborari. & ratio est, quia is resisti non potest, nisi per contrarios virtutum actus, eosque fortes & intensos, quos dum elicit tentatus, per eos magis habitus earum corroborat & intendit.

Secundò, quia iustus per tales actus meretur, impetrat & accipit à Deo infusum sibi earumdem virtutum & gratiæ augmentum.

PROPTER QVOD, CHARISSIMI MIHI, FVGITE AB IDOLORVM CVLTVRA] non tantùm, vt ea expressa sacrificio vel inuocatione non colatis, sed etiam ne idolothyta, id est sacrificia eis immolata, comedatis, quasi sacra & sacrificia, vti ea comedunt Gentiles peracto sacrificio ad aras, vel in templis idolorum: sic enim participaretis hisce eorum sacrificijs, & censeremini ijs consentire, & tacitè ea laudare, imò & offerre. Ad idolothytorum enim esum descendit Apostolus in sequentibus. Ex quibus patet, Apostolum post longas digressiones, q. de stipendijs & gratuita prædicatione, deq; Christiano agone, brauio, & athletis, & hoc cap. 10. de factis & pœnis Hebræorũ, ad quæ occasione idolothythorum digressus est, hoc loco ad eadem redire, atque quæstionem de idolothytis c. 8. inchoatam hîc absoluere. Vnde per τὸ *propter quod*, significat se omnia præcedẽtia dixisse, ad hoc, vt abstineat eos ab idololatria & idolothytis.

CALIX BENEDICTIONIS, CVI BENEDICIMVS, NONNE COMMVNICATIO SANGVINIS CHRISTI EST?] Sensus est, q. d. *Calix benedictionis*, id est, potus calicis benedicti à sacerdote, & consequenter ipse calix continens hunc potum benedictum, videre ipsum

sem Christi sanguinem nobis communicat? Po- A vocat potum spiritalem : carnem verò Christi in
stremò, dici calix benedictionis, quia nos be- Eucharistia vocat corpus, sanguinem vocat sangui-
nedicit & gratia cumulat. ita Anselm. & Chrysost. nem. Quis ergo dubitet, sicut manna fuit verè ty-
Verùm & præcisè, dicitur *calix benedictionis*, quia pus & vmbra, sic in Eucharistia verè esse sangui-
Christus in consecrationem benedixit, id est, Dei nem, carnem, & corpus Christi?
omnipotentiam futuram trāsmutationem tam pani quàm
vino precatus est. Matth. c. 26. 26.

Vide Nota ex historia vltimæ cœnæ Christi, quam describit Matth. c. 26. Lucas cap. 22. & Pau- Probatur idem Tertiò, ex eo, quòd sic, vt dixi, *In Eucharistia verè est corpus Christi.*
lus c. 11. Christum ante cōsecrationem Eucha- hunc locum disertè explicant Theodor. Theoph.
ristiæ primò gratias egisse Deo Patri, vti habēt Lu- Anselmus, S. Thomas. *Non dixit*, inquit Theophyl.
cas & Paulus, idque oculis de more suo in cælum *μετοχὴν, id est participatio, sed κοινωνίαν, id est commu-*
conuersis, vt habetur in Canone nostro, & Liturgia *nicatio, vt aliquid excellentius indicet, putà summam*
S. Iacobi. Vnde hoc Sacramentum dictum est Eu- *vnionem. quod autem dicit huiusmodi est, Hoc quod*
charistia, id est gratiarum actio, quia ipsum maxi- *in calice est, illud est, quod effluxit de latere Christi,*
mè est gratia, ac consequenter cum maxima gra- *& ex eo accipientes communicamus, id est vnimur*
tiarum actione sumendum. *Christo : non pudet itaque vos, ô Corinthij, ad idolo-*
rum calicem recurrere, à calice hoc, qui nos ab idolis
liberauit?

Secundò Nota, Christum benedixisse, non Pa- Apertissimè verò S. Chrysost. hîc in morali ho- *Insignis S. Chrysost. de reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, oratio.*
nem, vt volunt hæretici; sed panem & vinum, vt B mil. 24. vbi per S. Synaxin exhortans Christianos
manifestè habet hic Paulus, *τὸ ποτήριον*, inquit, *τῆς* ad charitatem mutuam, ita ait: *Hæc ergo cùm intel-*
εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, id est *calix benedictionis quem* *ligamus, dilectissimi, velimus quoque inuicem vnita-*
benedicimus. Benedixit autem Christus panem & *tem seruare : ad hoc enim inducit sacrificium illud for-*
vinum, hoc est, Dei benedictionem & omnipotē- *midandum & admirabile, quod iubet nobis, vt concor-*
tiam super panem & vinum inuocauit, vt præstò *dia & charitate maxima ad se accedamus, & aquilæ in*
esset, iam, & in futuris omnibus consecrationi- *hac vita facti, ad ipsum cælum euolemus, vel potiùs su-*
bus, panem conuertendum in corpus, & vinum *pra cælum.* Et infrà, quod & quale sit corpus Chri-
eius in sanguinem Christi, quando legitimè pro- sti in Eucharistia ita explicat: *Si hominis vestem ne-*
nuntiantur verba consecrationis. Similis fuit be- *mo temere attingeret, quo pacto Domini corpus purum*
nedictio panum, Lucæ 9. v. 16. Non ergo benedi- *& immaculatum, quod diuinæ illius naturæ particeps*
ctio hæc fuit consecratio, licet id velit D. Thom. 3. *est, propter quod & sumus & viuimus, propter quod*
part. q. 78. a. 1. ad 1. sed præuia oratio, ita Concil. *portæ inferi fractæ sunt, & cælorum apertæ, tanta cum*
Tolet. sess. 13. c. 1. Vnde in Liturgia S. Iacobi, Ba- *ignominia susc ipimus? Hoc corpus affixum, verberatum,*
silij, & nostra, Christi exemplo petimus vt Deus *morte victum non est : hoc corpus Sol crucifixum videns*
benedicat hæc dona, vt diuina virtus in panem & *radios auertit ; propter hoc velum templi scissum est, &*
calicem descendat ad perficiendam consecratio- *petræ, & vniuersa terra tremuit : hoc idem corpus cruen-*
nem & hinc dicitur *calix benedictionis*, id est, à Chri- C *tatum, & lancea vulneratum, sanguinis & aquæ fontes*
sto benedictus. *vniuerso orbi salutares scaturiuit.* Et inferiùs, Christi *In Eucharistia est corpus idem quod Magi adorarunt in præsepi.*
corpus in Eucharistia idem esse cum eo, quod fuit
NOVI COMMVNICATIO SANGVINIS CHRISTI in præsepi, ita docet : *Hoc corpus in præsepi reueriti*
κοινωνία, id est communio, vel communicatio *sunt Magi, & cum timore & tremore plurimo adorauc-*
corporis & sanguinis Christi, non solùm significat *runt : tu verò, non in præsepi, sed in altari, non mulierem*
nos fieri idem corpus, & eumdem sanguinem *quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem & spiri-*
Christi, sed etiam nos fieri vnum corpus, & vnum *tum perabundè super proposito Sacramento diffusum vi-*
sanguinem, vti explicat v. 17. Ergo, non typus san- *des. Excitemur ergo, horrescamus, & maiorem quàm*
guinis, vt vult Caluinus, sed ipsissimus sanguis Chri- *barbari illi, præ nobis feramus pietatem.* Et nonnullis
sti est, & nobis communicatur in calice Eucharis- interiectis, nos in Eucharistia Deum ipsum tange-
tiæ. Si dicam, Do tibi aureum ; verum intelliges, re, & manducare, & ab eo omnia bona percipere
non pictum. Si te inuitassem ad cœnam & epulum clarissimè asseuerat, dicens: *Hæc mensa animæ nostræ* *Effectus sanctæ communionis.*
non in venatione leporis, vel cerui, & pro lepore *vis est, nerui mentis fiducia vinculum, fundamentum,*
forsan imaginem leporis, & pictum in scutella *spes, salus, lux, vita nostra. Si hinc hoc sacrificio muni-*
eorum tibi proponerem ; an non ridiculus tibi es- *ti migrabimus, maxima cum fiducia sanctum adscende-*
sem? an non impostor audirem? nonne ergo ridi- *mus vestibulum. & quid futura commemoro? nam dum*
culi sunt Nouantes, qui sanguinē & carnem, quam D *in hac vita sumus, vt terra nobis sit cælum, facit hoc my-*
Christus se dare asserit, in typum & figuram san- *sterium. sicut enim in cælo, ita in terra regium corpus*
guinis & carnis transformant ? nónne Christum *tibi videndum proponitur : non angelos, non Archange-*
impostorem faciunt?

Secundò, si calix hic typus tantùm est sangui- *los, non cælos, non cælos cælorum, sed ipsum horum om-*
nis, vt volunt Nouantes, ergo non plus, imò minus *nium Dominum tibi ostendo, neque eum conspicaris tā-*
habemus in Eucharistia, quàm Iudæi in manna, & *tùm, sed tangis, & comedis, nō hominis regium puerum,*
petra aquæ miraculosæ habuerūt, & Apostolus de- *sed vnigenitum Dei filium accipis. quomodo non horre-*
buisset dicere, nos edere corpus spiritale, & bibere *scis? & omnium secularium rerum amorem abijcis?* hæc
sanguinem Christi spiritalem, id est typicum, sicut & plura S. Chrysost.
patres dixit comedisse escam spiritalem, id est
manna, & bibisse potum spiritalem, id est aquam è
petram : verò opponit sanguinem & carnē Chri- Respondit nuper quidam nouus noui Dei verbi *Refutatur insulsum effugium cuiusdam Nouatiani Ministri.*
sti in Eucharistia, quasi corpus & rem significatā, i- præco, hæc cōcionatoriè à S. Chrysost. dicit: sed tam
psi manna & aquæ, quasi figuræ & typo spiritali, insulsum, quàm nullum est hoc effugium. Nam
carnem & sanguinem Christi significanti; & man- S. Chrysost. orator est, fateor, sed est & doctor: ora-
nnaque vocat escam spiritalem, id est typicam, & aquam tor est; sed Christianus, & verax orator. Hinc in i-
psō commentario dogmaticè loquitur, quia agit
litteralem Apostoli interpretē: in morali verò sub-
inde oratoriè amplificat, sed ita vt nō amplificet su-

pra & contra veritatem rei, vt dicat verbi gratia, lapidem esse lignum, hominem esse brutum, panem esse carnem: alioqui enim non concionator esset, sed impostor & mendax, idque in rebus fidei. Sicut enim concionator mendax esset & stolidus, qui aquam baptismi diceret esse ipsissimum Christi sanguinẽ, qui è latere Christi fluxit, quem Iudæi suis clauis & plagis è corpore Christi elicuerunt, esse ipsum Deum ac Dominum omnium, intelligendo nimirum, aquam baptismi esse typum sanguinis Christi, eumque nobis applicare ad abluenda peccata; ita sanè mendax est & stolidus, qui panem & vinum dicit esse ipsum sanguinem, ipsum corpus Christi, quod in præsepi adoratum est à Magis, quod in cruce suspensum, quod à Iudæis flagellatum, cruentatum, crucifixum est, imò esse ipsum rerum omnium Dominum, atque vnigenitum Dei filium, vti S. Chrysostomus hîc loquitur. Appello te lector, qui sincero oculo, & æquamente hæc Chrysostomi verba legis, de manna, de agno paschali, aliáve figura & typo. hæccine vera sunt? hæccine de illis typis dixisset Chrysostomus? hæccine de sua cœna diceret Caluinus? Viretus? Zuinglius? aut alius ex eorum grege, quantumuis concionator facundissimus? Si ita auctorum sententias, Patrum dicta eleuare & inuertere licet, omnem fidem, omnem historiã, omnia eorum dogmata inuertere, & planè in contrarium sensum torquere licebit. Denique hæc omnia magis patebunt versibus sequentibus.

PANIS, QVEM FRANGIMVS, NONNE PARTICIPATIO CORPORIS DOMINI EST?] Sensus est, communicatio, vel esus panis, quem frangimus, communicat nobis ipsum Christi corpus, vt illud reuera singuli in Eucharistia participemus.

Dices, Eucharistia hîc dicitur panis, ergo non est caro Christi.

Eucharistia dicitur panis per hebraismum.

Respondeo, Panis hebraismo significat quemuis cibum, vt patet 4. Reg. 6. v. 22. & 23. Sic Ioan. 6. v. 31. manna, & v. 41. ipse Christus vocatur panis: panis enim communis omnium, & necessarius est cibus. Adde, non dici nudè panem, sed, *panem quem frangimus*, id est Eucharisticum, siue transsubstantiatum, qui est corpus Christi, panis tamen speciem & operationem retinet. ita omnes Patres, & Doctores orthodoxi.

Nota. Christus tum aliàs, tum in vltima cœna dicitur panem fregisse, & distribuisse ex more Hebræorum, apud quos paterfamilias mensæ benedicens, discumbentibus conuiuis panem frangere, ac cibos diuidere solebat: habebant enim Orientales non panes eleuatos, vt nos habemus, ita vt ad scindendum cultro esset opus; sed latos pinsebant, atque subtiles instar placentæ, vnde manibus eos frãgebant, vt inter alios annotauit heterodoxus licet Stuckius l. 2. Conuiual. c. 3. Hinc in Scriptura frangere panem significat conuiuari, & fractio panis significat quoduis conuiuium, cœnam, refectionẽ; & in nouo testamento appropriatur ad hoc vt significet cœnam & communionem Eucharistiæ. Hinc *frangere panem*, est verbum Ecclesiasticum & sacramẽtale. Vnde Paulus hîc Eucharistiam vocat *panem quem frangimus*, scilicet in Sacramento species corporis Christi frangentes, & comedentes; & in sacrificio illas offerentes, sumentes & consumentes, de quo plura c. seq. v. 24.

Quales panes Orientales habuerint.

VERS. 17. QVONIAM VNVS PANIS, VNVM CORPVS MVLTI SVMVS, OMNES QVI DE VNO PANE PARTICIPAMVS]

A Vt sicuti ex multis granis fit vnus panis, ita ex multis fidelibus fiat vnus panis sacer & vium, potà vnum corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, non tantùm generaliter & mysticè, sed propriè & corporaliter, quia omnes realiter vniuntur corpori Christi, cum eoque fiunt vnum in Eucharistia, sicut cibus fit vnum cum comedente. Hoc rectè contra Nouantes inferri potest; ergo idem numerus Christi omnes verè comedimus. Respondent ipsi, in Eucharistia omnes Christianos fieri vnum, quia eumdem panem sacramẽtalem, qui est typus corporis Christi, omnes manducant. Sed contrà, Quis vmquam de talibus conuiuis dicet quòd fiant vnum corpus, & vnus panis, eò quòd de eadem mensa & pane comedant? hoc enim falsò & ineptè dicitur: verè autem & rectè dicitur de corpore Chri-
B sti, quòd idem numero omnes manducamus, maximè quia hic panis sacer, vt ait S. Augustinus, non mutatur in nostram substantiam, sed nos potiùs in se transmutat, sibique vnit, & similes facit, quod non facit panis communis. Vnde Cyrill. Alexandr. l. 4. in Ioan. c. 17. *Sicut*, inquit, *cera miscetur ceræ, & fermentum pani, sic & nos corpori Christi*: & Cyrill. Hierosolymit. catechesi 4. *In sacra communione*, inquit, *fimus non tantùm Christiferi, sed & consanguinei Christi*; quia in ea & Christus nobis, & nos carni Christi, ac consequenter personæ, & diuinitati, & omnipotentiæ eius realiter commiscemur. Idem asserit Irenæus lib. 4. c. 34. Hilar. de Trinit. l. 8. Chrysost. hîc.

Hac de causa à Patribus Eucharistia dicitur communio, quia realiter omnes vnit corpori Christi, vt in eo, & cum eo omnes vnum sint. q. d. Communio, id est, communis vnio fidelium, qui edendo
C dem corpus Christi verum in Eucharistia, vnum corpus Christi mysticum, id est vna Ecclesia, efficiuntur. ita ex S. Augustino, Beda. Vnde & Cõcil. Trident. sess. 13. c. 8. ait: *Hoc Sacramentum* (Eucharistiæ) *est signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis & concordiæ symbolum*: quia nimirũ singulari modo significat & perficit vnitatem corporis Christi, scilicet fidelium Ecclesiæ. Hinc etiam infantibus olim ministrabatur Eucharistia post baptismum, vt perfectè incorporarentur Christo: nam, vt ait Christus Ioan. 6. 53. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Denique hac de causa Eucharistia à S. Dionysio dicta est Synaxis, id est congregatio, eò quòd solerent fideles cõgregari in ecclesiam ad sumẽdam Eucharistiam: imò Tertull. l. de Oratione c. vlt. ait soluendam esse orationem corpore Domini accepto. Vnde c. sequ. v. 20.
D ait Apostolus, *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare.* Licet enim Ecclesia per fidem & baptismum fiat corpus Christi magis tamen realiter & propriè fit ipsum corpus Christi in Eucharistia.

Obijciunt hæretici, Ergo soli boni & iusti sunt partes & membra Ecclesiæ, quia Apostolus dicit, *Panis vnus omnes sumus*: atqui panis fit ex grano tritici, non ex paleis: ergo & Ecclesia conflatur ex iustis, & non ex iniustis: iusti enim sunt grana, mali sunt paleæ.

Respondeo Primò: Nego consequentiam, quia similitudo non per omnia similis esse debet.

Secundò. Nego antecedẽs, quia sæpè paleæ arenæ, lentes miscentur tritico, & cum eo conflant panem. Vnde Apostolus c. 11. 29. ait etiã malos de hoc pane edere: atqui hîc ait, omnes qui de hoc pane parti-

...ticipant esse vnum corpus Christi, quod est Ecclesia: ergo & mali, qui hunc panem comedunt, sunt de Ecclesia. Vide S. Cyprianum l. 1. epist. 6. ad Rogum.

[VIDETE ISRAEL SECVNDVM CARNEM: NONNE QVI COMEDVNT HOSTIAS, PARTICIPES SVNT ALTARIS?] *Altaria* dicit hostias in altari oblatas: *altare* enim ponit pro sacrificio quod in altari offertur. Est metonymia. Hæc omnia eò spectant, vt probet Apostolus esse comedenda idolothyta, sensusque est: Vidistis Christiani Corinthii, carnales Israelitas: nonne illi dum comedunt hostias Deo oblatas, cēsentur participes esse sacrificij in altari Deo oblati, & communicare ipsum sacrificium, ac per hoc quodāmodo sacrificare? q.d. Eodem modo qui comedūt apud Eucharisticō, participes sunt sacrificij Eucharistici: & qui comedunt idolothyta, participant idolothysij idololatricis, illoque consummant, ac ...hoc quasi sacrificant idolis. Probat ab exemplo Ideorum, eos qui vescuntur idolothyris, consentire sacrificijs idolorum, & quasi tacitè sacrificare idolis. ita Patres.

QUID ERGO? DICO QVOD IDOLIS IMMOLATVM, ET ALIQVID? AVT QVOD IDOLVM, SIT ALIQVID?] q.d. Minimè. idolum enim & consequenter idolothyton nihil est, nihil habet numinis vel virtutis vt dixi c. 8. 4.

Sed dico, quòd ea QVÆ IMMOLANT GENTES, DAEMONIIS IMMOLANT, ET NON DEO. NOLO AVTEM VOS SOCIOS FIERI DAEMONIORVM: NON POTESTIS CALICEM DOMINI BIBERE, ET CALICEM DAEMONIORVM: NON POTESTIS MENSAE DOMINI PARTICIPES ESSE, ET MENSAE DAEMONIORVM] *Mensa*, sacræ hostiæ, id est altaris, quæ est quasi mensa Dei, in qua Deus quasi conuiuatur nobiscum. vt dixi l. 1. & patet Malachiæ 1. 12. ita Ambros. Anselm. & Concil. Trident. sess. 22. c. 1. vbi ex hoc loco docet Eucharistiam esse sacrificium. De ea enim Apostolum agere, non de sacrificio crucis, patet. Prius enim crucis victima transijt, & iam diu desijt: hic autem agit Apostolus de sacrificio, cuius Corinthij indies erant participes.

Secundò, ex voce *panis*, & *mensæ Domini*, id est altaris: vbi enim est altare, ibi est & sacerdos & sacrificium. hæc enim tria sunt correlatiua. si ergo Corinthij habebant altare, habebāt & sacrificium; neque enim aliud quàm Eucharistiæ.

Tertiò, *calix Domini* non aliud significat quàm calicem Domino sacrificatum: nam *calix dæmoniorum* non aliud est quàm ijs oblatus & sacrificatus.

Quartò, ex ipsa comparatione & argumentatione Apostoli, quæ talis est: sicut Iudæi comedentes hostias pacificas, participant & consentiunt eorum sacrificio, in altari Deo oblato; ita & idolothyta comedentes in idolio participant & consentiunt eorum sacrificio in altari dæmonibus oblato. Sic & Christiani Eucharistiam sumentes, participes sunt sacrificij Eucharistici, & per sacerdotem Deo Eucharistiam sacrificant; ac consequenter indecens omnino est vt ijdem dæmoni sacrificent, hocipso quo idolothyta participant, aliquam partem & consummationem sacrificij idololatrici. Nemo enim potest sacrificare Deo simul & dæmoni. ita S. Augustin. libr. 1. contra aduersarium legis & prophet. c. 19. & 6. Chrysost. in morali, Anselmus: quos sequuntur Theoph. Oecumen. Ambros. Theodor. Idem, verò idipsum docet, multisque exemplis ostendit, qui postquam idolothyta comedissent, ac-

A cedentes ad Eucharistiam à Deo puniti sunt, confirmant S. Cyprianus serm. de lapsis, additque: Non ferret terrenus Imperator aliquē ex militibus suis, per fugam in castris aduersariorum agere, quanto minùs permittat Deus, vt sui accedant ad epulas dæmoniorum?

Nota Primò. Post sacrificium peractum transferebantur ex altari mensaque idoli carnes illi immolatæ, ad mēsam hominum, iuxta altare vel templum positam, vt ex ijs comederent illi, qui eas obtulerant, cum suis amicis & inuitatis. Solebant enim sacrificia & festa epulo hoc sacro claudere. Sic Æneid. 8. post sacrificium, Euandrum & Æneam fecisse, docet Virgilius dicens:

Sacrificia & festa olim epulo claudebantur.

B *Tunc lecti iuuenes certatim, aræq; sacerdos*
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantq; canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumq; ministrant:
Vescitur Aeneas, simul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Sic & Iudæi de sacrificijs quæ obtulerant, comedebant in atrio ante templum, vt patet 1. Regum 9. 13. & alibi. Sic & Christus sacrificium Eucharisticum, eiusdem epulo & distributione inter Apostolos concluſit: hinc & in primitiua Ecclesia omnes fideles in Missa communicabant, vt sacrificij participes fierent, illudque hoc epulo clauderent. Rursum Gentiles qui offerebant & immolabant victimas idolis suis, post sacrificium ex eis μερίδας, id est partes, secum domum asportabant, vt eas domesticis distribuerent, & ad amicos transmitterent, sicque absentes sacrificij participes facerent, vt ex Herodoto & alijs docet Gyraldus de dijs Gentium, in fine operis. Pari modo Christiani tempore persecutionis Eucharistiam domum deferebant, imò ad absentes mittebant, in symbolum amicitiæ & communionis, vtque eos sacrificij participes facerent. testis est Euseb. libr. 5. histor. c. 24. & 29.

Quare olim omnes fideles communicarēt in Missa?

C *Quare olim Christiani domū deferrent Eucharistiam*

Nota Secundò. Præcisè hic Apostolus respondet quæstioni de idolothytis; an ijs vesci liceat? respondet autem, numquam licuisse, nec licere idolothytis vesci, quasi idolothytis, id est, quasi idolo sacris, seu eò quòd illi immolata & cōsecrata sunt. qui enim sic ea comedit, ipso facto tacitè profitetur idolum esse sacrum, esse numen, & per idolum carnem illi oblatam esse sacram, tanquam numini alicui oblatam: quod est idololatria. Hoc autem fit, quando eo loco, modo, & circumstantijs idolothytum comeditur, vt moraliter censeatur comedens ad idoli honorem & reuerentiam illud comedere, vt cùm has partes quasi sacras ea mente, scilicet idolum colendum, mittebant offerentes, & recipiebant ac comedebant amici. Rursum & clariùs, si statim à sacrificio iuxta aram vel templum, in idolio cum offerentibus & sacrificantibus, coram idololatris idolothytum comedas, censeris in honorem idoli illud comedere: secùs est, si postea & solus ex fame, aut etiam ex cupiditate illo vescaris, siue domi, siue etiam in idolio. tunc enim non censeris illo vesci quasi sacro ad honorem idoli, sed tantùm videris velle satisfacere fami, aut cupiditati tuæ.

Quomodo non liceat vesci idolothytis?

D *Quomodo licuit vesci idolothytis?*

Dices, S. Augustinus epist. 154. & libr. de Bono coniug. c. 6. & libr. 3. contra Faust. 13. quærit, an Christianus viator fame pressus, si nihil inueniat, nisi cibum in idolio positum, & nemo adsit, possit illū edere, an satius sit emori? ac respondet; Aut certū est, idolothytum esse, aut certum est non esse, aut igno-

ignoratur: si certum est esse, melius Christiana virtute respuitur: si autem non esse scitur, vel ignoratur, sine vllo conscientiæ scrupulo in vsum necessitatis assumitur; aliàs, vt dixi melius respuitur, ne comedens idolis communicasse videatur. Ergo idolothyto, si constet esse idolothytum, abstinendum est.

Explicatur Augustin. de esu idolothytorum.

Respondeo, Non dicit S. August. Abstinendum est idolothyto, si certum est esse; sed dicit, *Melius Christiana virtute respuitur*: satis ergo insinuat, licitum esse eo vesci, melius tamen & generosius cum facturum, qui eo abstineat, & malit mori quàm eo vesci. Simile est in Carthusiano: huic enim in extrema necessitate licet carnibus vesci, vt vitam tueatur: melius tamen & sanctius ipse faciet, si ex professione sua ijs abstineat, itaque moriatur, vt docet Victoria relect. de temperantia num. 8. Azor libr. 5. Moral. c. 6. in fine, & alij. Non enim tenetur vitam omni modo & tempore conseruare, sed potest eam voti, aut potius professionis suæ sanctitati postponere, idque ad dandum alijs virtutis exemplum, & sanciendam Ordinis sui disciplinam & rigorem: nec enim votum expressum abstinendi carnibus faciunt Carthusiani, sed tantùm abstinentia hæc constitutionibus eorum præscribitur.

Licet vitam sanctitati voti aut professionis suæ postponere.

VERS. 22. AN ÆMVLAMVR DOMINVM?] Græcè παραζηλοῦμεν, id est, an prouocamus Dominum ad iram & zelum? an Domino æmulum riualemque opponimus? vt eo quasi sponso relicto, dæmoni, eiusque idolothytis adhæreamus, vel certè vtrique adhærere, & dæmonem Deo iungere velimus. ita Chrysost. Anselm. Theophyl. Alludit Paulus ad Deuter. 23. v. 21. vbi dicitur, *Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & iritauerunt in vanitatibus* (idolis) *suis*. Rectè S. Hieron. in 2. Habacuc ait, omnibus idolis assidere immundos spiritus, qui idola inuocantibus respondent, dantque oracula, vel opem ferunt.

Assidèt idolis spiritus immundi.

NVMQVID FORTIORES ILLO SVMVS?] q.d. Minimè. ergo non impune nobis cedet illa æmulatio, & Dei ad iram prouocatio, de qua iam dixi.

VERS. 23. OMNIA MIHI LICENT] *Omnia* scilicet adiaphora, quale est comedere idolothyta, non quasi sacra, aut quasi idolothyta, sed tamquam communes cibos.

Vbi Nota. Hactenus egit Paulus de idolothytis, qua talibus, sicque vetuit ea comedere. vnde v. 14. *Fugite*, ait, *ab idolorum cultura*, scilicet, ne sitis mensæ & calicis dæmoniorum participes, vt explicat v. 20. putà, comedendo cibos idolis oblatos, eo modo & ijs circumstantijs, quibus censeamini eos quasi sacros, seu quasi idolothytum in honorem idoli velle comedere: hoc verò versu transit ad secundum casum, scilicet, quo idolothytum nō formaliter qua idolothytum, sed materialiter qua cibus vel caro est, comeditur. & de hoc ait, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, quia, vt sequitur, non omnia ædificant. q.d. Materialiter licet vesci idolothyto per se, per accidens tamen non licet, si sequatur scandalum. patet ex v. 27. 28. 33. Verè dixit Clemens libr. 3. Stromat. post principium, *Qui faciunt quidquid licet, facilè dilabuntur vt faciant quod non licet*. aliter hæc explicat Theoph. sed præter mentem Apostoli.

VERS. 24. NEMO QVOD SVVM EST QVÆRAT, SED QVOD ALTERIVS] q.d. Nemo quærat emátue carnem, v.g. idolis immolatam, sibi commodam, gratam, sapidam, vilis pretij; sed in hac re alijsq; similibus quærat alterius, proximi scilicet ædificatione, vtilitatem cum eius scandalo, & damno spirituali [illegible] & comedat. ita Theophyl.

VERS. 25. OMNE QVOD IN MACELLO VÆNIT, MANDVCATE, NIHIL INTERROGANTES] *Omne*, scilicet carnium idolis immolata, quàm non immolata indifferenter comedite. *Nihil interrogantes*, græcè μηδὲν ἀνακρίνοντες, id est nihil dijudicantes, vel discernentes; Ambros. nihil disquirentes; Theophyl. nihil hæsitantes.

IN MACELLO] Græcè ἐν μακέλλῳ, pro ἐν κρεωπωλίῳ. sic & Syrus retinet vocem Latinam macellum. prætorium, Cæsar, denarius, speculator, &c. quæ vsurpant Euangelistæ, cùm sint Latina: quia Græci à Latinis & Romanis sibi dominantibus ea, quæ vulgò trita acceptarunt.

Nota ex Herodoto in Clio, & S. August. in positione inchoata epist. ad Roman. ad cap. 14. Solebant Gentiles carnes idolis sacrificatas & consecratas, post sacrificium & epulum superfluas, mittere ad macellum vendendas, quarum lucrum ad sacerdotes deriuabatur. In macello ergo exponebantur, vti aliæ carnes, ad profanum & communem vsum redire. *Quidam*, inquit S. Augustinus, *infirmiores illo tempore abstinebant à carnibus, & à vino, vt ne vel nescientes inciderent in ea quæ idolis sacrificabantur: omnis enim tunc immolatitia caro in macello venundabatur, & de primitijs vini libabant Gentes simulacris suis, & quidam in ipsis vasculariis sacrificia faciebant.* Vnde Apostolus hunc scrupulum dispellens, monet vt promiscuè omnia & comedant quæ in macello proponuntur, nihil discernentes, vel interrogantes, an veniant ab idolio nec ne, propter conscientiam, quasi illa ipsa macellanda sit, si veniant ab idolio. Hoc Apostoli documentum sunt secuti Antiocheni Christiani tempore Iulianus Apostata eos per idolothyta, ad idololatriam quasi cogere & irretire vellet. Rem gestam ita narrat Theodoret. libr. 1. cap. 14. *Iulianus*, inquit, *primò fontes sceleratis victimis contaminauit, quò singuli qui aquam gustarent, tetra nequitiæ labe inficerentur. Deinde quæ in foro exponebantur, eadem sceleris macula inquinauit; nam panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia esculenta aqua lustrali aspergebantur. quæ cùm viderent Christiani, etsi non possent non gemere, & scelera illa detestari, tamen eisdem vescebantur. legi Apostoli obsecuti, ita iubenti: Quidquid in macello venit, comedite, nihil interrogantes propter conscientiam.*

PROPTER CONSCIENTIAM] quasi scrupulusit faciendus, si vendant idolothyta, illudque emere debeatis, an scilicet carnes quas emere vultis, fuerint idolis oblatæ, nec tales emere & comedere liceat. ita Anselm. Ambros. Theodor. Vnde patet Paulum non loqui de ieiunijs Ecclesiæ, quasi quilibet die, etiam ieiunij, liceat comedere carnes quæ in macello venales exponuntur. Hæc enim omnia & abstinentiæ non sunt adiaphora, sed præcepta ab Ecclesia. Quare Paulus Actor. 15. & 16. iussit seruari decretum abstinentiæ à sanguine & suffocato, quod merè est positiuum, & à solis Apostolis sancitum.

DOMINI EST TERRA, ET PLENITVDO EIVS] q.d. Omnis creatura, quia Domini est, bona est & munda: & sic idolothyta, non immunda sunt, vt vos putatis esse, ex eo quòd dæmoni sunt oblata; sed munda sunt, quia à Domino creata sunt. ita Chrysost. Theo-

Theophyl. Anselm. Alium insuper sensum affert Theophyl. q.d. Abstine à cibo isto idolis immolato, vniuersa enim terra Domini est, ac licet tibi alunde abunde satiari & impleri. in Græco enim habet Theophyl. pro ἄνωθεν, id est è supernis, corrigendum videtur ἀλλοθεν, id est aliunde. Sed hic sensus non aptè cohæret cum eo quod præcessit, *Omne quod in macello venit, manducate.*

SI QVIS VOCAT VOS (ad prandium vel cœnam, habent hîc nonnulli codices manuscripti) INFIDELIVM, ET VVLTIS IRE: OMNE (etiamsi idolothytum sit) QVOD VOBIS APPONITVR, MANDVCATE, NIHIL INTERROGANTES PROPTER CONSCIENTIAM] scilicet eo sensu, quem iam attuli. idque, ut Theophyl. *Ne sollicitiore cura, nimiáue curiositate quemlibet formidare idola, vtq; liberam & illæsam mihi retineatis conscientiam.* Si enim rogetis, & respondeatur esse idolothytum, conscientia vestra constringetur, eoque vesci non poterit: vnde sequitur.

SI QVIS AVTEM DIXERIT (in prandio vel cœna) HOC IMMOLATVM EST IDOLIS; NOLITE MANDVCARE, PROPTER ILLVM QVI INDICAVIT] carnem scilicet hanc esse idolis oblatam & sacram, ac consequenter religiosè edendam, si videlicet indicans sit infidelis, quite ad prandium vocauit, aut alius idololatra: si enim post illius indicium ea comedis, putabit ille te secum idololatriæ participem fieri; sin indicans sit Christianus, & scrupulosus, putans non licere ea vesci, tamquam per idololatriam polluta, post illius indicium noli ea vesci, ne eum scandalizes. alioqui enim si omne cum fidelium quàm infidelium scandalum cessat, idolothytis etiam indicatis & cognitis vesci licet, vt dixi c. 8. initio.

ET PROPTER CONSCIENTIAM] ne scilicet lædas conscientiam fratris tui in fide infirmi, tibi in mẽ fidentis, dum eum tuo exemplo prouocas, vt contra conscientiam suam idolothyta comedat. Vade explicans subdit Apostolus, *Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.*

VT QVID ENIM LIBERTAS MEA IVDICATVR AB ALIENA CONSCIENTIA?] q.d. Quare vtar libertate mea cum scandalo, vt damner ab aliena conscientia? illa enim cùm infirma sit & rudis, putat me rem damnabilem facere, si comedam idolothyta. q.d. Neutiquam id faciendum est. ita Ambros.

SI EGO CVM GRATIA PARTICIPO, QVID BLASPHEMOR PRO EO QVOD GRATIAS AGO?] q.d. Etsi licet mihi vesci idolothytis ex gratia Euangelicæ libertatis gratias agendo Domino, quorsum tamẽ cum scandalo id faciens, *blasphemor*, id est, aliorum maledictis me exponam, vt malè de me loquantur quasi idolatra sim, aut idolorum communione polluar? Posset Secundò, sic accipi *cum gratia*, id est, cum gratiarum actione. Vnde sequitur explicationis ergò, *Pro eo quod gratias ago.* Hinc colligitur veterum morem fuisse, vt ante mensam illi benedicerent, & post eam Deo gratias agerent qua de re plura dicam 1. Timoth. 4. v. 4. & 5.

SIVE MANDVCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIVD QVID FACITIS: OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE] Consilij hoc est, non præcepti: nec enim tenemur omnia actu, imò nec virtute in Dei gloriam facere, licet id valdè pium sit. Simili modo c. 15. ait, *Omnia vestra in charitate fiant.* Secundò, si quis præceptum esse velit, cum Anselmo, Ambros. & Caietano de aptitudine & habilitate exponat. q.d. Ita manducate, bibite, omniaque vestra ita facite, vt apta & habilia sint ad gloriam Dei promouendam, scilicet vt talia sint, ex quibus glorificari possit Deus, nemo offendi, nec Dei gloria lædi; sed potiùs omnes ædificari, & consequenter Dei gloria celebrari & propagari. Et secundum hîc aptius esse, patet ex præcedentibus, vbi agitur de vitando scandalo. Vnde & sequitur, *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.* Opponit enim Paulus gloriam Dei gloriæ dæmonum, cui seruiunt qui idolothyta comedunt in honorem idoli, vel cum scandalo proximorum; cùm è contrario gloriæ Dei seruiant, qui idolothytis abstinent, eaque manducant & agunt, quæ Dei honorẽ & cultum, salutemque proximorum iuuant & promouent.

Aliter S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 10. ad 1. respondet, præceptum esse vt aliquãdo homo se & omnia sua in genere referat ad Dei gloriam, quasi ad vltimum finem. Verùm Apostolus hîc non de vno aut altero actu, sed de eo quod continuò & semper facere oportet, loquitur. *Responsio S. Thomæ.*

Tertiò, plenior sensus erit, si exponas, q.d. Ita studiosè Dei gloriã promouete in omnibus (quod est consilij) vt omnino caueatis, ne quid faciatis quod gloriæ Dei aduersetur, aut scandalum in idolothytorum comestione (ad hanc enim propriè respicit) aut alia re detis, quo Deus vituperetur, quod est præcepti. licet enim sit affirmatiuum hoc dictum & consilium Apostoli, tamen negatiuum præceptum includit. Vnde non sequitur hinc, omnia infidelium opera esse peccata, eò quòd non faciant ea ad gloriam Dei veri, vtpote quem ignorant: quia, vt dixi, omnia sua opera facere, actuque ea referre ad Dei gloriam, non est præcepti, sed consilij. *Tertia & plenissima explicatio.* *Omnia infidelium opera non sunt peccata.*

Moraliter hinc Tertull. lib. de Corona militis, & S. Hieron. ad Eustochium asserunt, moris tunc fuisse apud Christianos, vt initio operis cuiusque se signarent cruce, quasi dicerent: Hoc opus fiat ad gloriam Dei, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quærit S. Basilius in breuior. regula 196. Quomodo quis manducat & bibit ad gloriam Dei? Respondet, si beneficiorum Dei memor, ita animo & corpore sit compositus, vt non tamquam securus omnino manducet, sed vt qui inspectorem habeat Deum, & si proponat, non vt ventris mancipium ob voluptatem manducare, sed vt operarius Dei, vt vires habeat ad fortiùs ei seruiendum, & opera ac mandata Christi exequendum; hoc est (vt breuissimè dicam) si comestionẽ & potum referat ad laudem Dei, non quærens cibi voluptatem, sed ordinans eam & offerens ad Dei gloriam. quod sanè facere & consuescere deceret omnes, non tantùm Religiosos, sed & Christianos veroque Dei cultores. Quare pulchrè idem Basil. homil. in Iulittam Martyrem citans hunc Apostoli locum, *Siue comeditis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite*; ita nos adhortatur; *Accumbens mensæ opera: efitans panem largitori gratiam rependito: bibis vinum, memento eius qui illud tibi dedit ad lætitiam, & infirmitatum solamen: tunicam induens, gratias agito benigno datori: suspicis in cælum & siderum pulchritudinem, procide Deo, & colo eum qui cuncta hæc insapientia condidit. pari modo, oriente sole & occidente, in somno & vigilia, Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creauit & ordinauit, vt creatorem agnoscas, ames & laudes.* *Morale.* *Christiani olim in initio operis se crucesignabant, cur?* *Quomodo quis possit manducare ad gloriam Dei.* *Pulchrè S. Basil. docet quòmodo in particulari omnia ad Dei honorẽ sint facienda.*

VERS. 33. Placeo. *id est placere conor.*

SICVT ET EGO PER OMNIA OMNIBVS PLACEO] id est, placere conor & satago, vt omnes ædificem, neminem offendam & scandalizem; licet actu nonnullis velignaris, vel æmulis, vel peruersis dis- A pliceam. *Placeo* enim significat hîc actum inchoatum, siue studium placendi, iuxta can 32. Vnde explicans subdit Apostolus, *Non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quinque rationibus probat Paulus velãda esse capita mulierum.

TRansit Apostolus à secunda quæstione de idolothytis ad tertiam quæstionem principalem, de velamine mulierum. Quæsierant enim Corinthij à Paulo, an mulieres Christianæ essent velandæ necne? Respondet hic Paulus eas debere caput velare, maximè dum publicè orant, idq; probat quinque rationibus. Prima est, v. 5. & 14. quia hoc exigit honestas & verecundia mulieris. Secunda, v. 7. & seq. quia subditæ sunt viris. Tertia, v. 10 quia si nudo capite prodeant, offendent angelos. Quarta, v. 15. quia natura dedit illis comam pro velamine. Quinta, v. 16. quia hæc est Ecclesiæ consuetudo.

Altera parte capitis v. 17. agit de cœna Eucharistiæ, carpitq; in ea abusum, quòd scilicet in agape siue cœna communi diuites excluderent pauperes, & seorsim quisque cum suis genio & ebrietati indulgeret. Vnde v. 23. recenset Eucharistiæ à Christo institutionem, & scelus ac pœnam indignè ad illam accedentium, iubetq; vt priùs quisque seipsum probet, antequam accedat.

1. IMitatores mei estote, sicut & ego Christi. 2. Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 3. Volo autem vos scire quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput verò Christi, Deus. 4. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. 5. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum, vnum enim est ac si decaluetur. 6. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi, aut decaluari, velet caput suum. 7. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. 8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. 9. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. 10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos. 11. Verumtamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino. 12. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo. 13. Vos ipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum? 14. Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: 15. mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. 16. Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 17. Hoc autem præcipio: non laudans quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. 18. Primum quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. 19. Nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 20. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. 21. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. 22. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. 23. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. & gratias agẽs fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis, donec veniat. 27. Itaq; quicumq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini. 28. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 29. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: non diiudicans corpus Domini. 30. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. 31. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur. 32. Dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. 33. Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem exspectate. 34. Si quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem, cùm venero, disponam.

IMITATORES MEI ESTOTE, SICVT ET EGO CHRISTI] Coherent hæc cum fine capitis præcedentis. Imitamini me, ô Corinthij, in eo, quòd dixi & egi non quod mihi vtile est, sed quod multi vt salui fiant: in hoc enim animarum zelo ego Christum imitor, qui non sua commoda quæsiuit, sed nostram salutem, cùm pro ea è cælis in terram, & carnem nostram descendit, laborauit, sudauit, mortuus & cruci se obtulit.

LAVDO VOS FRATRES, QVOD PER OMNIA MEI MEMINERITIS] Est hæc transitio, & præmunitio ad sequentem quæstionem & admonitionem: quia enim Paulus sequenti mox versu carpere incipit Corinthiorum abusus, de non velandis mulieribus, & quòd ad cœnam Eucharisticam temulenti ac dissoluti accederent; hinc correptionem suam de more præmollit, vt quasi pilulam saccharo oblitam facilius & suauius eam capiant & hauriant Corinthij. Dicit ergo, *Laudo vos, quòd per omnia mei memores*, græcè ὅτι πάντα μου μέμνησθε, id est, vt Erasmus, quòd omnia mea memoria tenetis; vel, vt Eutymius, quòd omnium quæ mea sunt memores estis. Noster intelligit τὸ κατὰ, id est secundùm, per; sed ibi est sensus. *omnia*, intellige præcepta, documenta, monita, vt sequitur. Rursum hæc omnia, id est pleraque omnia, non quidem ab omnibus, sed plerisque melioribus & potioribus vestrûm obseruantur: nam alioqui hac epistola nonnulla Corinthiorum vitia, ac in primis hoc cap. abusum circa Eucharisticæ, quasi à suo & Christi præcepto dissidentem, Paulus carpit & redarguit.

SICVT TRADIDI VOBIS PRAECEPTA MEA] Græcè, καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις, id est, vt etiam Beza reddit, traditiones. Vnde cùm hæ non sint scriptæ ab Apostolo; nec enim alia prior hac (est enim hæc prima) Pauli ad Corinthios extat epistola qua hasce traditiones eis præscripserit: hinc manifestè sequitur, non omnia quæ fidem & mores spectant, esse scripta in sacra Scriptura, sed multa viua voce tradidisse Paulum & Apostolos, vt disertè docet Paulus hoc vers. & clariùs v. 23. & 2. Id̃que patet, quia antequam scripta essent ea, quæ de cœna alij sq̃ue hîc scribit Apostolus, eadem tamen à Paulo & à Christo, vt ipse ait v. 23. præcepta seruare tenebantur Corinthij. Eadem est ratio eorum, quæ solùm tradita, nec vmquam scripta sunt: lex enim tradita æquè obligat atque lex scripta ex Chrysost. Theophyl. & alij.

VOLO AVTEM VOS SCIRE, QVOD OMNIS VIRI CAPVT CHRISTVS EST: CAPVT AVTEM MVLIERIS, VIR: CAPVT VERO CHRISTI, DEVS] Hîc materiam de velandis mulieribus aggreditur Apostolus. Pro quo Nota. Corinthiæ mulieres non tantùm luxui, sed & cultui Veneris erant addictissimæ, adeò vt quotannis mille puellas in honorem Veneris, ad ipsius templum lenonibus & lenocinio exponerent, vt dixi c. 6 in fine, idq̃ue sibi honori & pietati ducerent putarentq̃ue se hoc modo deam Venerem sibi faciliq̃ue ad felix matrimonium ineundum, vel continuandum conciliaturas. Hinc consequenter erant impudentes, & amasiorum illices, quos vt ad sui amorem allicerent, aperto vultu, oculis & capite incedebant, suam formam ostentantes; adeò, vt hic mos Corinthi honestus, decens & elegans haberetur, & Christianæ mulieres eumdem morem, quasi patrium, sibi retinendum censerent. Monuerant hac de re Paulum nonnulli Corinthij cordati, hanc̃que quæstionem ei proposuerunt, an Christianis feminis liceat, vel conueniat nudo capite incedere, vel versari, maximè in Ecclesia? Paulus respondet id non decere, nec licere, id̃que incipit hîc probare; est q̃; hæc prima eius ratio: mulier est subiecta viro, quasi capiti suo; ergo velanda est: è contrario vir est subiectus Deo, tamquam gloria & imago Dei; ergo vir non est velandus. consequentiam vtramque probabit v. 7. & 10.

Non licet mulieri nudo capite incedere.

Nota. *Caput* hîc idem est quod dominus, superior, rector: sic Christi homiuis, siue humanitatis Christi caput & rector est Deus, caput, scilicet heterogeneum, siue alterius naturæ, & transscendẽs: Christus verò proprium & homogeneum est caput Ecclesiæ, id q̃; quatuor modis, ait D. Thomas. Primò, ratione conformitatis naturæ cum alijs hominibus: Christus enim vt homo, est caput Ecclesiæ. Secundò, ratione perfectionis gratiarum. Tertiò, ratione sublimitatis super omnem creaturam. Quartò, ratione influentiæ in omnes, & maximè in Ecclesiam. Sic vir quatuor modis est caput mulieris, inquit D. Thomas. *Nam Primò, vir est perfectior muliere, non solùm quantum ad corpus, quia, vt Philosophus dicit in libro de Generatione animalium, Femina est mas occasionatus: sed etiam, quantum ad animæ vigorem, secundùm illud Eccles. 7. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Secundò, quia vir naturaliter supereminet feminæ, secundùm illud Ephes. 5. Mulieres viris suis subiectæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris. Tertiò, quia vir influit gubernando mulierem, secundùm illud Genes. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Quartò, vir & femina conformes sunt in natura, secundùm illud Genes. 2. Faciamus ei adiutorium simile sibi.*

Quatuor modis Christus est caput Ecclesiæ.

Quatuor modis vir est caput mulieris.

OMNIS VIR ORANS, AVT PROPHETANS VELATO CAPITE, DETVRPAT CAPVT SVVM: OMNIS AVTEM MVLIER ORANS, AVT PROPHETANS NON VELATO CAPITE, DETVRPAT CAPVT SVVM] Est hæc secunda ratio: Turpe est viro velari, adeoq̃ue honestas, libertas & virilitas viri requirit vt vir caput nõ velet, sed illud apertum liberumq̃; exponat. è contrario turpe est mulieri non velari: nam honestas & pudor muliebris requirit vt mulier velet caput suum; ergo mulier velanda est, non autem vir. VERS. 4. VERS. 5.

Nota τὸ *mulier orans aut prophetans. prophetans* enim hîc non sumitur propriè, vt idem sit quod prophetiam proloquens aut explicans; sed impropriè, idemq̃ue est, quod sacris hymnis & psalmis Deum laudans, eosq̃ue Deo decantans. Nam loquitur hîc Paulus de publico conuentu, vbi non permittit mulieri loqui, nec docere, sed bene canere, cùm scilicet totus cœtus canit. Sic prophetapro cantore capitur 1. Paralip. 25. v. 1. & 1. Reg. 10. 10. Sic Saul dicitur fuisse inter prophetas, id est, inter cantores, Dei laudes canentes. Sic filij prophetarum in libris Regum dicuntur ij, qui Dei laudibus & cultui seruiebant.

Propheta hic idem est quod cantor

Aliqui sic explicãt, *prophetans*, id est prophetiam audiẽs. Verùm nusquam sic capitur *prophetare* passiuè, sed semper actiuè. Rursum mulierẽ hîc quamlibet intelligit Apostolus, scilicet tam virginem & innuptam, quàm nuptam & corruptam. omnes enim omnino velari iubet, vt docet Tertull. libr. de Velandis virgin. c. 4. & 5. additq̃ue ita Paulum intellexisse Corinthios, qui vsque hodie, inquit, ex Pauli præcepto velant non tantùm coniuges, sed & virgines suas.

DETVRPAT] Græcè κατισχύνει, id est dedecorat, probro afficit caput suum. q.d. Si non velet se mulier

mulier in templo, facit contra naturalem honestatem & verecundiam illi inditam à Deo.

VNVM ENIM EST (perinde est, æquè turpe est mulieri si non veletur) AC SI DECALVETVR.

VERS. 6. NAM SI NON VELATVR MVLIER, TONDEATVR] Τὸ *nam* hîc non est causale, sed continuativum cum emphasi, idemque valet, quod Atque adeò, si non velatur mulier, tondeatur.

TONDEATVR] Græcè, κὰι κειρέσθω, id est, etiam tondeatur, quia par est turpitudo: scilicet tam turpe est mulieri non velari, quàm tonderi, vel decaluari. Hinc inferunt hæretici: ergo perperam & turpiter Religiosæ virgines tondentur.

Nō est turpe Religiosas mulieres tonderi.

Resp. Neg consequentiam: quia Apostolus loquitur in genere de mulieribus sæcularibus, maximè maritatis, ijs scilicet, quæ publicè in templo spectantur, non autem loquitur de Religiosis aut reclusis. Hæ enim rectè comam deponunt, vt ostendant Primò, se omnem sæculi ornatum contemnere. Secundò, se non esse sub potestate viri, sed sponsum habere Christum. Isque mos fuit tempore S. Hieronymi, vt ipse ait epist. 48. ad Sabinianum. Idem faciebant Nazaræi Numer. 6.

Quæ mulieres Conc. Gangrense vetet tonderi?

Dices, Conc. Gangrense can. 17. vetat religionis prætextu virgines tonderi.

Respondeo ex Sozomeno libr. 3. c. 13. Canon iste loquitur nō de Religiosis, sed de hæreticis mulieribus, quæ relictis & inutis maritis, quasi religionis prætextu, caput tondebant, & virilem habitum assumebant; has enim excommunicat, vt rectè demonstrat Baronius in fine tomi 4. Annal. Adde, Religiosas pro coma habere sacrum velum.

Quæ Theodosius vetuit tōderi?

Vbi Notandum est, licet Theodosius Imp. l. 27. de Episcop. & Cler. Cod Theodosiano, vetuerit in Occidente virgines tonderi, illas nimirum quæ iuniores essent, quæque extra monasterij claustra, in sæculo publicè castitatem & vitam quasi religiosam profiteri vellent, idque ob periculum scandali, si, vti subinde fiebat, contingeret, eas resilire, & labi. (nam, vt bene aduertit Baronius ann. Christi 390. (hanc quoque legis huius causam assignat Sozomen. libr. 7. c. 16.) eodem anno lata est à Theodosio lex hæc, quo Constantinopoli matrona illa nobilis & iuuencula, diaconissaque, vt videtur, à diacono in ecclesia vitiata, cùm de more iussu cōfessarij, publicam quorumdam peccatorum confessionem perageret, longiùs progressa, etiam hoc fornicationis peccatum confessa est, magno populi scandalo: qua de causa Nectarius hunc publicum pœnitentiarium, & publicam confessionem sustulit:) tamen communis vsus semper fuit in Ecclesia, vt virgines dum Religionem ingrediuntur, tondeantur. Vnde in Ægypto & Syria crines resecare solitas virgines Deo sacras, docet Hieron. dicta epist. 48. *Moris est*, inquit, *in Aegypti & Syriæ monasterijs, vt tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renunciantes omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea, contra Apostoli voluntatem, incessuræ capite, sed ligato pariter atque velato.* Tabennesiotas quoque sanctissimas virgines, quas S. Pachomius ab angelo monitus instituit, idem factitasse, auctor est Palladius in Lausiaca; imò S. Basilius in reg. monachorum præscribit, vt in ipsa initiatione cōuersionis monasticæ capita radant. Hūc enim habitum decere eum, qui luget peccata.

Quare publica cōfessio sublata sit.

Mos fuit in Ægypto & Syria Religiosas tonderi.

VERS. 7. VIR NON DEBET VELARE CAPVT SVVM: QVONIAM IMAGO ET GLORIA DEI EST] Est hendyadis. Sicut enim dicit Poëta, *Aurum frænosq; momordit*, id est, frænos aureos momordit: sic dicit hîc Apostolus, quòd vir sit Dei imago & gloria, id est, imago gloriæ vel gloriosa, in qua scilicet maxime lucet Dei maiestas & imperium. est enim vir in supremo rerum gradu collocatus in hoc mundo, & tamquam secundarius aliquis Deus, dominans omnibus. Hæc est maior propositio syllogismi Paulini, sub qua hanc subsume minorem: Atqui gloria Dei reuelanda est, hominis verò gloria occultanda est; ergo cùm mulier sit gloria viri, vir verò Dei, sequitur quòd mulier velanda sit, non vir. S. Augustinus epist. ad Episcopos Galliæ hanc Apostoli sententiam intelligit maximè de viris qui sunt in choro, seu de sacerdotibus, qui ex ordinatione Apostolorum non tantùm aperto capite, sed & tonso instar coronæ esse debent, vti fuit S. Petrus, ut Beda libr. 5 histor. Angl. c. 22. & Gregor. Turonensis lib. de Gloria Confess. c. 18. vt scilicet repræsentent & quasi gestent coronam spineam Christi, & opprobrium S. Petri, aliorumque Apostolorum, ac exinde coronam gloriæ in cœlis exspectent.

Vbi Nota. In veteri testamento sacerdotes nudis pedibus, & tecto capite, tiara redimitus, sacrificia & sacra peragebat, vt patet Exod. 28. 17. in nouo verò testamento sacerdotes Missæ sacrificium calceati, & nudo capite peragunt, quia, vt docet Epiphan. hæresi 80. quæ est Melitianorum, in nouo testamento Christus, qui caput nostrum est, nobis conspicuus & manifestus est, qui in lege veteri Iudæis erat velatus & absconditus. Apostolus tamen hic non solis clericis, sed omnibus viris in genere loquitur, vt patet.

Nota. Non est contra hoc præceptum Apostoli, quòd sacerdotes nostri dum celebrant, amicta vtuntur inter vestes sacras. numquam enim illo inter sacrificandum caput tegunt, *sed super ea illa reuoluunt*, vt ait Rupertus lib. 1. de Diuin. offic. cap. 16. Non est ergo amictus ad tegendum caput, sed ad repræsentandum superhumerale pontificis in lege antiqua, vt scribunt Alcuinus & Rabanus, vel ad significandum velum quo Iudæi texerunt oculos Christi, Matth. 26. vt docent Domin. Soto in 4. dist. 13. q. 2. ar. 4. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. cap. 4. & alij.

Sed vult Paulus abolere Gentilium morem, qui (quemadmodum primus instituerat Æneas, vt scribunt Plutarchus & Seruius) velato capite diis suis sacrificabant & supplicabant. Quod discrimen inter Christianos orantes & Gentiles annotauit in Apologetico Tertull. adeoque ipsas feminas Romanas inter sacrificandum fuisse capite velatas testatur Varro l. 4. de Lingua Latina his verbis: *Aruspex ita est dicta, quòd Romano ritu, sacrificium femina cùm faciant, capita velant.*

MVLIER AVTEM GLORIA VIRI EST] id est, mulier facta est ad gloriam viri ex viro, velut eius opificium & imago: vnde illi subiecta est, & insigne subiectionis velanda.

Nota. Mulier, putà coniux, est viri gloria, id est, glorioſa imago, vt dixi suprà: quia Deus mulierem, scilicet Euam, formauit ex viro, ad viri similitudinem, vt virum tamquam suum exemplar ipsa quasi imago repræsentaret. Sita est hæc imago in mente & ratione; quòd scilicet mulier instar viri sit prædita anima rationali, intellectu, voluntate, memoria, libertate, capaxque sit omnis sapientiæ, gratiæ & gloriæ, æquè ac vir. ac proinde mulier est imago

ria proprie : nam mulier in anima rationali A
est æqualis viro, & vterque, scilicet tam mu-
lier quàm vir, factus est ad imaginem Dei; sed im-
proprie & analogicè, quia scilicet mulier tamquam
subdita & inferior facta est ex viro, illíque simi-
lior est. Vnde Apostolus non expressè dicit,
Mulier est imago viri, sed tantùm, *Mulier est gloria*
viri quia similitudo, vt rectè annotauit Salmeron,
non sit insigne viri ornamentum, vtpote quæ
non data est, tum in adiutorium ad propagandum
genus, & ad familiam gubernandam, tum in mo-
destiam, & quasi ditionem, in quam vir exerceat
suam ditionem & dominium. Dominium e-
nim viri non tantùm se extendit ad inanima, & a-
nimalia bruta, sed etiam ad rationalia, putà ad mu-
lieres & coniuges.

NON VIR EX MVLIERE EST, SED MVLIER EX VI- B
RO] Probat duabus rationibus vel indicijs, quòd
mulier sit gloria viri, quasi capitis sui.

Primum est, quia mulier est viro posterior, & ex
eo producta, ac consequenter vir est origo &
principium, ex quo orta est mulier.

Secundum est: ETENIM NON EST CREATVS VIR
PROPTER MVLIEREM, SED MVLIER PROPTER VIRVM]
scilicet esset viro in adiutorium, ad vitæ societa-
tem & prolis propagationē: sicut ergo vir est prin-
cipium ex quo, ita est & finis propter quem pro-
ducta est mulier: ac consequenter mulier est gloria
viri, non autem vir est gloria mulieris.

IDEO DEBET MVLIER POTESTATEM HABERE SV-
PER CAPVT] Ita Græca & Romana legunt, scilicet,
velamen; non autem *velamen*, vti legunt aliqui.

Nota Primò. *Potestas* significat hîc auctoritatē,
imperium, principatum, non ipsius mulieris, sed
super mulierem. alludit enim ad Gen. 3. 16. *Sub viri*
potestate eris, & ipse dominabitur tui.

Nota Secundò. *Potestas* metonymicè hîc signi-
fica signum potestatis viri, id est velamen, quod
mulier gestat mulier, vt significet se subiectam
potestati viri, ac quasi virum suo capiti insidere, &
dominari. *Potestas* ergo hîc actiuè ex parte viri,
passiuè verò ex parte mulieris capitur. vide can.
10. Velamen enim gestamen est illius, qui potesta-
tem in eo reueretur: sicut enim caput nudum &
liberum signum est potestatis & dominij; ita si quis
illud velet, signum est hanc potestatem in eo quasi
velari, constringi, ac alteri astringi & subijci. Quam
ob causam Tertull. libr. de Corona milit. c. 14. hoc
velamen mulierum, vocat *humilitatis suæ sarcinam*,
& lib. de Veland. virgin. c. 17. *iugum illarum*. Chry-
sost. vocat *insigne subiectionis*, Concil. Gangrense c.
21. vocat *memoriam subiectionis*.

Nota Tertiò. Ab hoc velamine factum est, vt
Latinè dicantur nubere mulieres, id est caput ob-
uelare, hoc velare, cùm in viri potestatē transeunt:
erat in viro etiam olim pileus libertinæ condi-
tionis insigne, teste Liuio in fine libr. 45. vnde
serui in necessitate militiæ asscribendi, ad pileum,
id est ad libertatem, vocari dicebantur.

PROPTER ANGELOS] Primò, ad literam sensus est,
mulieres debere habere velamen super caput, ob
reuerentiam angelorum: non quòd illi corpus ha-
beant, & ad libidinem incitentur, vti senserunt o-
lim Iustinus, Clemens, Tertull. Hic enim est error,
vt dixi Genes. 6. sed quia mulieres angelos habent
vbi honesti pudoris aut impudentiæ, item obe-
dientiæ & inobedientiæ suæ. ita Chrysost. Theo-
phil. Theodor. S. Thomas, Anselmus.

Secundò, Clemens lib. 2. Hypotypos. per ange- *Qui per angelos hic intelligantur.*
los viros bonos & sanctos accipit.

Tertiò, Ambros. Anselmus, S. Thomas accipiunt
sacerdotes & Episcopos, qui Apoc. 2. vocantur an-
geli, ne scilicet eos mulieres non velatæ forma sua
ad libidinem prouocent. Vnde Clemens lib. 2. Pæ-
dagogi c. 10. hîc præcipi putat, non tantùm vt ca-
put tegant, sed & frontem vultumque velamine
obumbrent, quod honestiores in templis facere vi-
demus. Verùm primus sensus maximè litteralis est
& genuinus.

Est hæc tertia ratio, qua probat Paulus mulie-
res esse velandas, videlicet quia id exigit reueren-
tia angelorum, præsertim in templo: angeli enim
templum oberrant, & singulorum habitum, gestus
& vota exploraut. Audi quid hac de re S. Chryso-
stomo contigisse, non semel, sed sæpiùs narret S. *Angeli sunt in templo & sacrificio Missæ.*
Nilus S. Chrysostomi discipulus epist. ad Anasta-
sium: *Ioannes*, inquit, *sacerdos admirandus Ecclesiæ*
Constantinopolitanæ, & totius orbis splendor, vir animi
perspicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini
refertam angelorum cœtu, & tunc in primis cùm diui-
num & incruentum sacrificium offerebatur, quo quidem
tempore stupore & lætitia plenus, rem præcipuis amicis
enarrauit: Cùm cœpisset, inquit, *sacerdos sanctissimum*
sacrificium, plurima statim ex illis virtutibus descen-
dentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intē-
tis oculis, prona altare magno cum silentio & reueren-
tia, quoad reuerendum illud mysterium expletum fuit,
circumsteterunt. Deinde huc illuc singulæ diffusæ, per to-
tam domum Episcopis, Presbyteris & Diaconibus distri-
butionem corporis, & pretiosi sanguinis ministrantibus
adhæserunt, & satagentes & sedulò adiuuantes.

Idem S. Chrysost. hom. de sacra mensa, admi- *Qua reuerentia angeli intersint sacrificio Missæ.*
rans ait: *Ad quam assistunt Cherubini, descendunt Se-*
raphini, qui senis alis præditi vultus demittunt: vbi om-
nes angeli cum sacerdote pro te legationem obeunt. S.
Ambros. in c. 1. Lucæ loquens de angelo qui appa-
ruit Zachariæ: *Vtinam*, inquit, *nobis quoque adolenti-*
bus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, imò
præbeat se videndum. Non enim dubites assistere ange-
lum, quando Christus assistit, Christus immolatur. S.
Gregor. lib. 4. Dialog. c. 58. *Quin*, ait, *fidelium habere*
dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis
vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelo-
rum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestī-
bus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibili-
bus fieri? S. Dionys. Areopagita Cæles. hierarch. c. 5.
& 9. ait angelos extremi ordinis præesse Eccle-
siasticæ hierarchiæ, & comministrationi sacrorum.
Tertull. lib. de Orat. c. 13. reprehendens abusum se-
dendi in Missa, sic ait: *Siquidem irreuerens est assi-*
dere sub conspectu, contra conspectum eius, quem maxi-
mè reuereari ac venerari es; quanto magis sub conspectu
Dei viui, angelo adhuc orationi astante, factum illud
irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quòd nos o-
ratio fatigauerit? Narrat Ioan. Moschus in Prato
spir. c. 150. Episcopum Rumeliæ celebrantem co-
ram Agapito Papa, cùm sisteret, eò quòd non vi-
deret Spiritus sancti descensum, quem videre so-
lebat, rogatum ab Agapito moræ causam, respon-
disse: Diaconum, qui flabellum tenet, remouete ab
altari. Eo remoto, solita signa apparuerunt, ipséque
sacrificium perfecit. Idem S. Chrysostomo contigi-
sse, ob diaconum oculos conijcientem in mulie-
rem, narrat Metaphrastes in vita S. Chrysost.

Nota, ad pudorem & honestatem, olim etiam
ante Christum, velamine vsas esse mulieres Iudæo-
rum

Mulieres nō solū Christianæ, sed & Iudææ atq; Gētiles solent velare caput.

rum & Gentium, Troianas, Romanas, Arabes, Lacænas. Vnde Valer. Maximus libr. 6. c. 3. horridum narrat C. Sulpitij maritale supplicium, qui vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat.

Sulpitius vxorem dimisit quia capite aperto foris versabatur.

Tertullianus libr. de Veland. virginib. c. 17. *Iudicabunt nos*, ait, *Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput tantùm, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo librato contētæ sint dimidia frui luce, potiùs quàm totam faciem prostituere.* Idem Tertull. de Corona militis c. 4. *Iudaïs fœminis*, inquit, *tam solemne est velamen capitis, vt inde cognoscantur.*

Fœminæ Arabicæ totā faciem tegebant.

De Lacænis Plutarchus in Apophth. Laconicis in Charilla, testis est, quòd earum virgines aperta facie, viris iunctæ mulieres velata facie prodire solitæ sint; vt scilicet illæ maritos inuenirent, istæ viros habentes aliis placere non curarent. Sed sicut & probro adscribitur Lacænis, ait Clemens libr. 2. Pædagogi cap. 10 quòd super genua tantùm vestes deductas induerent, ita nec earum virgines aperta facie prodeuntes laudantur; quòd hic virgineus pudor quasi venalis expositus proderetur.

Culpantur virgines tenui velo vtentes.

Rursum Secundò, Tertull. de Veland. virgin. c. 2. culpat eas, quæ tenui velo vtebantur, quòd illud fritamentum magis sit libidinis, quàm tegumentum pudoris, Gentilium potiùs feminarum vsu, quàm Christo credentium comparatum: & cap. 12. nundinatrices quasi pudicitiæ habetillas, quæ consilium formæ à speculo peterent: & speculum olim vitasse Christianos, satis indicat S. Iustinus ad Seuerum de vita Christiana. Deniq; hoc fine scripsit Tertullianus librum de Velandis virginibus, vt probet omnes, non tantùm nuptas, sed & innuptas, etiam sæculares, non obstante quauis consuetudine, velandas esse: quia id præcipit hîc Apostolus; & sic, ait c. 4 intellexerunt Corinthij, qui vsque hodie velant virgines suas: & rationes Apostoli omnibus omnino mulieribus conueniunt; vt meritò abusus cēseri & corrigi debeat, quòd nonnullis in locis virgines nudo planè capite incedāt, scilicet vt formam ostentent, & sponsum captent, cùm reuera tum alios, tum seipsas castitatis periculis exponant, & lenonum fraudibus sese in dies obijciant; vnde tot pudicitiæ naufragia videmus & audimus.

Virgines nudo capite incedētes se & alios periculo castitatis exponunt.

Veletur igitur virgo, vt tecta in publicum prodeat; ne vel ipsa videat quæ non decent, vel in aliorum aspectum vultus eius incurrat. Innumerabiles enim per aspectum vel ipsæ perierunt, vel alios occiderunt, vt summa cautio oculis meritò sit adhibenda. Vnde Tertul. loco mox citando, *Omnis*, ait, *publicatio virginis bona, stupri passio est*: nimirum quia quæ aperto vultu oculis suis liberè vagatur, vt videat & videatur, facilè in spiritu violatur. Et hæc ipsa euagatio index est animi non satis casti. Vnde subdit Tertullianus, *Induc armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo fitue qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Huic officio optimè seruiunt calyptræ Brabanticæ (quas Heucas vocant) supernè coopertæ pileis, quos honestiores ita demittunt, vt penè totam faciem tegant & obumbrent.

Flammeū virginum.

Hinc Tertiò, olim habitus sacrarum virginum fuit flammeum, seu sacrum velum, de quo Tertul. de Velandis virgin. cap. 15. *Pura*, ait, *virginitas semper timida oculos fugit, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, contra ictus tentationum, contra iacula scandalorum, contra suspiciones & susurros.* addit.

A que hæc vela solemniter solere benedici, indeque virgines dici Deo nuptas & desponsatæ. Videat Innocentius I. ad Victricium epist. c. 12. *Quæ quia Christo spiritualiter nubunt, & à sæculo velantur* Adhæc olim hæ virgines pulla veste indebantur, & operiebantur pallio. E contrario Christiani habitum priscum ita putant Lucianus in Philopatro, *Pallium purum, sine calceo*, (quibus ergo, vel certè soleis olim incedebant Christiani, vti iam Capucini) *& tegmine, vbi capite detonsa coma.*

B VERVMTAMEN NEQVE VIR SINE MVLIERE, NEQVE MVLIER SINE VIRO, IN DOMINO] Recte hæc non ad versum proximè præcedentem (quam proinde aptè Biblia Plantini parenthesi interceptam) sed ad superiorem, vers. nonum: quod enim dixit, mulierem creatam esse propter virum, ne vir superbiendi, mulieribus sibi indignandi occasionem dedisse videatur Apostolus; hîc monet, decens, neque mulierem sine viro, nec virum sine muliere esse posse in coniugio: alter enim alterius, vtpote coniugis, ope indiget, idque *in Domino*, id est Domino ita volente & disponente vel per Dominum, & Domino auctore. ita Ambrosius, & patet ex v. seq.

Posset Secundò, sic accipi, *in Domino*, scilicet Christo, hoc est, in re & lege Christiana. Videem. 25. & 37. q. d. Ad normam Christianæ legis & ordinationis diuinæ vir & mulier inuicem se iungant, filios procreent, eosque piè educent. Videtur enim submonere coniuges sui officij, & Christianæ pietatis.

C NAM SICVT MVLIER (prima. Eua.) DE VIRO] Formata est, ITA ET VIR PER MVLIEREM concipitur, formatur, nascitur, propagatur: OMNIA AVTEM EX DEO] fiunt, ordinantur & disponuntur.

NEC IPSA NATVRA DOCET VOS] id quod præcedit, scilicet decere mulierem non velari atque, sed potiùs eius contrarium, scilicet id quod sequitur: *Quòd vir si comam nutriat, ignominia est illi; mulier verò si comam nutriat, gloria est ei.* Hebræi enim, qualis erat Paulus, concisè loquuntur, & multa subaudiunt, vt dixi ex cap. 38. Vnde Græca, & quædam Latina clariùs per interrogationem hæc legunt, ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς; hoc est, vt Syrus, anne, vel nonne ipsa natura docet vos? Noster interpres non legit ἢ οὐδὲ, sed οὐδὲ tantùm.

D VIR SI COMAM NVTRIAT, IGNOMINIA EST ILLI] Quia alere comam est contra decus virile, est animi mollis & effeminati, ni fiat valetudinis, aut frigoris causa. hinc S. August. libr. de Opere monach. refellit monachos quosdam, qui comam promissam habebant vsque ad humeros, vt speciem & nomen sanctitatis captarent. Rursum virum decet aperto capite orare, mulierem velato, vti hactenus probauit Apostolus: ergo mulier comam alere debet, non autem vir: coma enim à natura data est illi pro velamine. Comam longam & promissam intellige, qualis est mulierum.

Nota. Vt mulier comam alat, nō autem vir, non est absolutè præceptum naturæ, aut diuinum, aut Ecclesiasticum. Vnde, vt dixi v. 6. fœminæ religiosæ comam resecant: è contrario gentes nonnullæ comam in viris habebant pro decore & ornamento, vt Galli, à quibus dicta est Gallia Comata; & Achiui, quos passim Homerus vocat καρηκομόωντας Ἀχαιούς, id est crinitos Achæos. Romani quoque pue-

pella

...pulorum alebant, & serò, nimirum sub tem-
...ncipioris Africani, tonsoribus vti cœperunt.
...tonsores ex Sicilia, inquit Plinius l. 7. c. 59. in
...ierunt, anno post Romam conditam
...entonsi fuere. Lycurgus quoque Lacedæ-
...uit comam retinere. Paulus ergo non
...rum hic, sed honestatem & decentiam na-
...ænat, scilicet naturaliter decere, vt femina
...in publicũ prodit, comata & velata prodeat,
...nemvir: hanc tamen naturæ decẽtiam Pau-
...lit fieri & instar præcepti à Corinthijs seruari,
...de subdit:

SI QVIS AVTEM VIDETVR CONTENTIOSVS ESSE] Contentiosus, vt scilicet contendat, non veritatis & gloriæ & victoriæ studio (hoc enim significatur Græcum φιλόνικος) feminas Christianas velatas esse, cùm in templo orãt, sed pristinum Gentilium morem & nuditatem retinere debere.

B HOC AVTEM PRAECIPIO] Est hæc quarta ratio probans mulieres esse velandas, petita ab ipsa natura, quæ mulieri comam dedit pro velamine, vt inde eam esse velandam.

HOC AVTEM PRAECIPIO: NON LAVDANS, QVOD NON IN MELIVS, SED IN DETERIVS CONVENITIS] Adhuc de velandis mulieribus ita præcipio, vt in eo non laudem in eo quod sequitur, scilicet, *quod non in melius, sed in deterius conuenitis*: quod quæ sit explicat v. seq. dicens:

CONVENIENTIBVS VOBIS IN ECCLESIAM, AVDIO SCISSVRAS ESSE INTER VOS] Vbi Nota nomen ecclesiæ: inde enim sequitur, iam tunc tempore Pauli fuisse ecclesias & templa. Vide de prisca ecclesiæ forma, picturis, cruce, distinctione loci fœminarum, virginum, virorum, Baronium in hunc Apostoli locum.

Transit hic Apostolus à velamine mulierum ad abusus Corinthiorum in cœna Eucharistica corrigendos.

C NAM OPORTET ET HÆRESES ESSE] Spectata nimirum humana inconstantia, superbia, nouitate & pruritu, qualis erat Corinthiorum, vt dicerent. Ego sum Pauli, ego Apollo, Deo permittẽte ad suorum probationem, necesse est & oportet, sequi hæreses. Caietanus, Ambros. Chrysost.

HÆRESES] hoc est, schismata & sectas, tum in fide, tum in moribus, quales erant hîc apud Corinthios cœna Eucharistica, nimirum de loco recumbendi, de tempore cœnæ inchoandæ, de cibis & potibus, de sorijs & conuiuijs: nam in cœna Dominica & agape Corinthij diuites excludebãt pauperes & seorsim illam peragebant, vt patet ex seq.

D VT QVI PROBATI SVNT (qui probi, solidi ac fideles sunt) MANIFESTI FIANT] Tempore enim hæreseos & schismatis manifestatur quinam in fide & pietate fundati & constantes sint: vti hîc apud Corinthios manifestabatur constantia & patientia pauperum, quos diuites aspernabantur; rursus modestia & charitas diuitum illorum, qui odiebant schismata, & pauperes ad cœnas & agapes suas adiocabant. ita ex Chrysostomo Theophyl. & Oecumen.

CONVENIENTIBVS ERGO VOBIS IN VNVM, IAM NON EST DOMINICAM COENAM MANDVCARE] q.d. Dum conuenitis tali modo ad Eucharistiam, & cœnam Christi Domini, iam vestra cœna non est cœna Dominica, vti esse solebat; & vestrum manducare, iam non est Dominicam cœnam manducare, vt olim erat; non instituitis cœnam Domini (qui omnes Apostolos, quin & Iudam cœnæ suæ sobriæ & piæ adhibuit) sed Bacchi aut Martis. Cõuenitis enim ad vos inebriandum, & pauperes excludendum: itaque quilibet in se ebrius, in pauperes verò violentus est. ita Anselm. Chrysost. Theophyl.

Potest Secundò, cum Vatablo & Erasmo Græcum οὐκ ἔστι, capi pro οὐκ ἔξεστι: *non est*, hoc est, nõ licet vobis Dominicam cœnam mãducare, ob rationem quam subdit. sed prior sensus penitior est & neruosior, magisque pungit Corinthios.

VNVSQVISQVE ENIM SVAM COENAM PRAESVMIT] Primò, S. Augustin. epist. 118. *præsumit*, inquit, hoc est, sumit ante synaxim. hoc enim propriè est præsumere: & quia ad hanc præsumptionem tollendam, iubet v. 33. vt inuicem sese exspectent, scilicet in cœna ante sanctam synaxin. nam in ipsa sacra synaxi, vel post eam, nõ videtur opus fuisse exspectatione, cùm ea non celebraretur, nisi postquam omnes conuenissent, eamque promiscuè sumebant pauperes misti diuitibus. VERS. 21. *Quid τὸ præsumit? Prima explicatio & genuina.*

Vbi Nota. Tempore Pauli, Christiani, vt imitarẽtur Christum (qui post cœnam agni, & communem, Eucharistiam instituit) ante cœnam Eucharisticam, instituebant cœnam communem omnibus Christianis, tam pauperibus, quàm diuitibus, idque in mutuæ & Christianæ charitatis symbolum. Perdurauit hic mos in nonnullis Ecclesijs per multa sæcula: nam Sozomeni adhuc tempore, vt ipse narrat lib. 7. histor. c. 29. in Ægypto, multis vrbibus & pagis, sumpta cœna vulgari, exẽplo Christi celebrabant & sumebant sanctam synaxin. Idem de alijs quibusdam Ecclesijs indicat Concilium Carthag. III. can. 29. Hunc morem, vbi & quamdiu permissus fuit, non taxat hîc Apostolus, sed eius abusum, in ijs, qui in hac cœna se inebriabant, sinentes alios pauperiores esurire. Hoc enim taxans, subdit: *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est*. &, *Qui manducat indignè*, hoc est, in peccato mortali ebrietatis, & cõtemptus pauperum, *reus erit corporis & sanguinis Domini*. Rursum concludẽs v. 33. *Itaque fratres*, inquit, *cùm conuenitis ad manducandum, inuicem exspectate. si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis*; scilicet, dum conuenitis, vt cœnam Dominicam, siue Eucharisticam manducetis, vt dixit v. 20. Ergo loquitur de conuentu qui fiebat ante, non autem post cœnam Eucharisticam. *Quare olim ante Eucharistiam instituerint Christiani cœnã communem.*

Secundò tamen, alij accipiunt *τὸ cœnam suam præsumit*, de agape post sanctam synaxin. Pro quo Nota, in primitiua Ecclesia, ad imitationem cœnæ Christi, solitos ditiores post sanctam communionem, cœnam in Ecclesia instruere omnibus, tam diuitibus, quàm pauperibus, in charitatis symbolũ, ideoque agape vocabatur, quasi dicas, charitas: sed refrigescente charitate, crescente multitudine fidelium, res abijt in abusum. Diuites enim priuatim suam cœnam præoccupabãt & instruebant sumptuosissimè etiam ad ebrietatem, pauperibus vel exclusis, vel non exspectatis, multò minùs inuitatis, vt significatur v. 33. & hoc videtur hîc taxare Apostolus. Vide Chrysost. in moral. sub finem homil. 27. Tertul. Apolog. 29. & Baronium hîc. Hac de causa Concil. Laodic. can. 28. agapes in Ecclesia fieri vetuit. *Secunda explic.* *Quid sit agape & quo tempore fiebat.*

Verùm prior explicatio verior & solidior est, ob rationes ibi allatas. agape enim hæc tempore Pauli fiebat, non post, sed ante sacram synaxin: licet paulò

Quādo, & quare præceperit Ecclesia sanctissimā Eucharistiam à ieiunis sumi

paulò post prima hæc Ecclesia tempora, scilicet cùm Ecclesia sanxit, vt Eucharistia ob reuerentiam, nonnisi à ieiunis sumeretur, post Eucharistiam celebrata sit hæc agape, vt patet ex Tertulliano & Chrysostomo iam citatis, & ex Augustino epist. 118. Vnde pari ratione hic Apostoli locus, ijs qui post Eucharistiam celebrarūt agapem, accommodari potest. Apostolus enim taxat ebrietates & arrogantias diuitum in agape, siue ea fit ante, siue post Eucharistiam. Quare ineptè Nouantes aliqui hunc Apostoli locum torquent contra Missas priuatas, in quibus solus sacerdos communicat, quia scilicet nemo alius vult communicare; eos enim non excludit: imò optat Ecclesia, ait Concil. Tridentinum sess. 22. c. 6. & can. 8. vt qui Missam audiunt, etiam communicent. Nam Apostolus hac de re hic non agit, nec de cœna Eucharistica loquitur, sed de vulgari & communi, siue agape, vti ostendi.

Malè hunc locum torquent Nouantes contra Missas priuatas.

PRÆSVMIT AD MANDVCANDVM] præsumit manducare, vel præsumit manducando, scilicet suam cœnam. Est hebraismus.

VERS. 22. NVMQVID DOMOS NON HABETIS AD MANDVCANDVM ET BIBENDVM? AVT ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS: ET CONFVNDITIS EOS, pudore afficitis pauperes, QVI NON HABENT] opes & delicias, quas in commune symbolum cum diuitibus conferant? q.d. Si vultis conuiuari, & genio indulgere, inter æquales domi id facite, non in Ecclesia. Si enim in Ecclesia id facitis, dupliciter peccatis;

Primò, quòd Ecclesiam vestra crapula contaminetis & polluatis.

Secundò, quòd pauperes negligendo & pudefaciendo, Ecclesiam Christianam, quæ communis est pauperibus & diuitibus, diuidatis & dissindatis.

VERS. 23. EGO ENIM ACCEPI A DOMINO, QVOD ET TRADIDI VOBIS] non scripto, vt patet, sed viua voce. Nota hunc locum pro traditionibus, quas orthodoxi verbo Dei scripto adiungendas docent.

Vsus & veritas traditionum.

VERS. 24. DOMINVS IESVS IN QVA NOCTE TRADEBATVR à Iuda & Iudæis in mortem & crucem. ACCEPIT PANEM, ET GRATIAS AGENS FREGIT, ET DIXIT: ACCIPITE, ET MANDVCATE: HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS TRADETVR] Nota hîc quinque actiones Christi. Primò, Christus accepit panem; Secundò, gratias egit Patri; Tertiò, panem benedixit, vt habet S. Matth. c. 26. 26. Quartò, panem fregit; Quintò, porrexit, & inter porrigendum dixit, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Hæc enim verba tam porrigentis sunt, quàm consecrantis.

Quinque actiones Christi in institutione Eucharistiæ.

Obiectio Caluini.

Hinc ruit argumentum Caluini: Omnia, inquit, verba hîc, scilicet, *accepit, benedixit, fregit, dedit*, respiciunt, & referunt panem: ergo panem acceperunt & comederunt Apostoli, non corpus Christi.

Resp. & ostenditur quæ ratione hæc verba, Accepit, benedixit, fregit, *&c. ad panē referantur.*

Respondeo ad antecedens. Hæc verba referunt panem, non qui manebat panis, sed qui inter dandum, vi verborum & consecrationis Christi, conuertebatur in corpus Christi. Sic dicere potuisset Christus in Cana Galilææ: Accipite, & bibite, hoc est enim vinum; si per hæc verba mutare voluisset aquam in vinum. Sic vulgò dicimus, Herodes S. Ioannem incarcerauit, occidit, sepeliuit, vel sepeliri permisit, cùm tamen non incarcerauit eumdem, quem sepeliuit: quia hominem incarcerauit, cadauer verò occisi sepeliuit. Talis ergo, & consequenter æquè vulgaris, est hæc Euangelistarum & Pauli de Eucharistia locutio.

Nota Secundò, ex eo quod Christus ait, *Accipite, hoc est enim*, &c. hinc videri Christum vnum panem accepisse, eumque inter consecrandum fregisse in duodecim partes, simulque singulis Apostolis vnam distribuisse, quam quisq; videtur sibi nu accepisse. Vnde & diu in Ecclesia Christi fidelibus Eucharistia in manus data fuit, vt patet ex Tertul. l. de Spectaculis, ex Cyrillo Hierosolym. catechesi 5. mystagogica, ex S. Augustin. serm. 44. Postea tamen, periculi & reuerentiæ causa, in os data fuit. est Eucharistia.

HOC EST CORPVS MEVM] Hæretici tropum, alij metonymiam, alij alium esse volunt, & hunc esse sensum: Hoc est figura corporis mei, aut Hoc significat corpus meum.

Sed nullum hîc esse tropum, patet Primò, ex demonstratione pronominis *hoc*, & ex voce, *corpus meum*, & *sanguis meus*, adeoque ex tota sententia, quæ clarissimè hoc significat, vt clarius dici non potuerit. Accedit, quòd Christus in vltimo hoc vitæ suæ die suum testamentum cōdiderit & nouum æternumq; fœdus instituerit cum rudibus & charissimis suis discipulis, quodque præstanti ferme Sacramentum, dogma pariter ac mysterium Christianæ religionis fundarit, & exhibuerit; quæ omnia verbis clarissimis proponi solent & debent. Quis enim credat summam Christi sapientiam ac bonitatem vltimis suis verbis dedisse inexcusabilem occasionem falsi dogmatis, & perpetuæ idololatriæ? quod sanè fecit, si verba hæc tam clara: *Hoc est corpus meum*, tropicè tantùm & figuratè intelligi voluerit. Si enim ita est, ergo tota Ecclesia vsa per 1500. annos in grauissimo errore & idololatria versata est, idque occasione verborum Christi ipsa aperta sunt, vt Lutherus ad Argentinenses scribat: *Quòd si Carolstadius mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem & vinum esse nihil, magno beneficio me sibi deuinxisset: hac enim re valdè pœnas incommodassem. Verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta: textus enim Euangelij nimis aperte est & potens, qui facilè connelli non potest, multò minùs verbu aut gloßu è capite vertiginoso confictis subuerti.* ita Lutherus. Et Philippus Melanchthon ad Fredericum Myconium: *Si pro corpore*, inquit, *figuram corporis acciptas, quid non poterit eludi hac arte? Sic licebit totam religionis formam transformare.* ita Philippus. Scilicet sic cum Serueto Patrem, Filium, Spiritum sanctum tria tantùm esse nomina vnius Dei, non tres personas; Christum assumpsisse cunem, sed phantasticam, passum mortuumque, sed tantùm per imaginem & phantasma cum Manichæis interpretari licebit: deniq; dicere à pari quis poterit, non nisi per tropum Euangelia esse Euangelia, Christum esse Christum, Deum esse Deum, vt tandem, quod multis eorum contingit, nil credant. Vide quam hîc fenestram atheismo Sacramentarij aperiant. Verissimè dixit & prædixit Cardinalis Hosius, hæreticos tandem fore atheos, & hæresis omnis finem esse atheismum. Nimirum dum à Catholica fide ad hæresim desciscunt, in eaq; nihil inueniunt stabile, nihil constans, nihil solidum, quid restat, nisi vt hæresim abijciant, nihil credant, fiatque id quod cecinit Psaltes psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Vtinam id in diebus nostris non experiremur!

Rursum non solùm Paulus, sed & alij omnes, videlicet Matthæus, Marcus, Lucas, eodem modo ijsdemque verbis, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, hanc cœnam & historiam enarrant, &

Syria

Sem interpres disertissimè Marci 14. vers. 22. A τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *hoc est ipsum corpus meum*: nullus est qui tropum explicet, vel insinuet, vt alibi solet vnus alium, cùm obscurior est, explicare. Quo argumento conuictus Erasmus, Conrado Pellicano, à quo ad zuinglianismum sollicitabatur, ita rescribit: *Ad id*, videlicet non esse in Eucharistia verum corpus Christi, *negauit semper mihi animum inducere, præsertim cùm Euangelicæ atque Apostolicæ litteræ tam euidenter nominent corpus quod datur, & sanguinem qui effunditur.* Et infrà: *Si mihi persuasum est, in synaxi nihil esse præter panem & vinum, ego membratim discerpi malim, & omnia perpeti, quàm profiteri idem quod tu profiteris, nec patiar vt tuo isthuc dogmatis me auctorem faciat, vel comitem. Deus omnipotens faciat numquam à Christo seiungi, amen.* Ita Erasmus.

Secundò, si in Eucharistia est & manet panis; ergo figura panis successit figuræ agni. Quis autem poterat id fieri, & dici non videt? agnus enim occisus in lege veteri, clariùs significabat Christum patientem quàm panis in lege noua. Tandem frigidè & ineptè agnus fuisset typus Eucharistiæ, quæ nudus est panis secundùm Caluinum. Quis enim non mallet agnum habere tam in lege quam in figurâ Christi, potiùs quàm panem?

Tertiò, id magis patet in consecratione calicis: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur*, quod clarissimum est in Græco apud Lucam Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine, quod, scilicet poculum, pro vobis effundetur. τὸ enim ad ποτήριον referri debet, non ad αἷμα, cùm αἷμα C sit tertiæ casus, τὸ verò nominatiui. Ergo poculum, siue calix sanguinis Christi pro nobis effusus est: ergo in calice hoc verè erat sanguis Christi, erat enim calix hic effunderetur, non effunderetur vinum, quod fuit ante consecrationem, & post eum manet, vt volunt hæretici; sed effunderetur sanguis Christi, qui erat in eo post consecrationem. Hoc enim significat, *calix sanguinis qui pro nobis effunditur.* Alioqui calix vini, non sanguinis pro nobis effusus esset, nosque calice vini redemisset Christus, quod est absurdissimum. Id magis patebit ex v. seq. Nec dici potest cum Beza textum Græcum esse corruptum: quandoquidem omnes tam codices, quàm interpretes ita legunt, olimque legerunt.

Quartò, omnes Euangelistæ, & Paulus, corpus hoc explicant, cùm addunt, *quod pro vobis datur*; aut, vt Paulus, *quod pro vobis tradetur*; vel, vt græcè D τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, *quod pro vobis frangitur*. atqui non figura corporis, sed verum Christi corpus pro nobis datum, traditum, fractum est: ergo verum Christi corpus à Christo datum est Apostolis. Rursum dicit Paulus, quòd *qui manducauerit hunc panem indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*: ergo hîc verè est corpus & sanguis Domini, cui iniurius est qui illud indignè tractat ac sumit.

Denique ita propriè vt sonant, hæc verba consecrationis explicant Patres Græci & Latini omnium seculorum. Hic fuit sensus totius Ecclesiæ vsque ad Berengarium per annos 1050. tunc enim cœpit Berengarius, qui homo indoctus, sed gloriæ cupidus, vt noui Doctoris nomen assequeretur, primus publicè contrarium docuit. Nam Ioannes Scotus & Bertramus, qui ante Berengarium idem senserunt, obscuri fuerunt, & statim à Paschasio, Rabano, & aliis repressi sunt. Berengario hoc dogma quasi nouum in lucem proferenti, statim se opposuerunt Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, Guidmundus, Algerus, & totus orbis Catholicus. Vnde damnatus est Berengarij error in Concilio Vercellensi sub Leone IX. rursum in Turonensi sub Victore II. vbi præsens conuictus Berengarius publicè hæresim eiurauit: sed relapsus, in Romano Concilio 113. Episcoporum sub Nicolao II. rursum conuictus, libros suos cremauit, & palinodiam cecinit, quæ habetur de consecrat. dist. 2. c. *Ego Berengarius*. Mox secundò relapsus, tertiò in Romano Concilio sub Gregorio VII. errorem suum damnauit hac fidei professione, quam refert Thomas Waldensis tom. 2. de Sacramentis cap. 43 B *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum conuerti in veram & propriam ac viuificatricem carnem & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & post consecrationem esse verum corpus, quod natum est de Virgine; & verum sanguinem Christi qui de latere effluxit, non tantùm per signum, sed etiam in proprietate naturæ, & veritate substantiæ.* Vtinam qui hoc tempore Berengarium errantem secuti sunt, sequantur & pœnitentem. Berengarij hæresim primus hoc sæculo reuocauit Andreas Carolstadius, cui statim sese Lutherus opposuit. Carolstadium secutus est Zuinglius, Zuinglium Caluinus: & tamen nullus fidei articulus ita omnium Patrum, totiusque Ecclesiæ consensu firmatus extat, vt hic de veritate corporis Christi in Eucharistia.

a Quando damnatus Berengarij error.

In quibus Conciliis conuictus Berengarius hæresim abiurarit.

Professio fidei Berengarij circa Eucharistiam.

Carolstadius primus secutus est hoc sæculo hæresim Berengarij, & qui illum secuti.

Eumdem Ecclesia in octo Conciliis generalibus definiuit, scilicet in Niceno I. Niceno II. Romano sub Nicolao II. in Lateranensi, Viennensi, Constantiensi, Florentino & Tridentino: in prouincialibus etiam plurimis. Videat qui dubitat Ioannem Garetium, qui per singulas, hoc est sedecim à Christo, annorum centurias testimonia omnium Patrum & Conciliorum cuiusque sæculi ordine recenset, quibus omnes apertè & vnanimiter hanc veritatem confitentur: affert etiam professionem eiusdem fidei Ecclesiæ Syriacæ, Æthiopicæ, Armeniacæ, Indicæ. Videat & Bellarminum de Eucharistia, exactè singulorum verba proferentem & discutientem. Sanè qui hos leget, videbit hanc omnium ætatum omniumque sæculorum Ecclesiæ fidem fuisse; vt meritò scripserit Erasmus ad Ludouicum Berum: *Numquam*, inquit, *mihi persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui veritas est & charitas, tamdiu passurum fuisse dilectam D sponsam suam hærere in errore tam abominando, vt crustulum farinaceum pro ipso adoraret.*

In octo Conciliis est definita vera & realis præsentia corporis Christi in Eucharistia.

Efficax argumentum Erasmi pro veritate Eucharistiæ.

Atque hîc apparet Zuinglij, Caluini, & similium ars & ingenium. Nouam illi inuehûnt sectam & sententiam de Eucharistia; docent in ea reuera non esse corpus Christi, sed corporis tantùm figuram. Vnde probant? è Scripturis: consulantur verba, legantur omnes Euangelistæ, legatur & Paulus; illisne fauent, an potiùs nobis, ac receptæ in Ecclesia sententiæ? quid aliud omnes ingeminant quàm corpus? idque pro nobis traditum, quàm sanguinem? eumque pro nobis effusum. Vbi hîc vmbra? vbi figura? vbi typus? Atqui, inquiunt, per figuram hæc verba exponi debent: fateare ergo verba Scripturæ non tibi fauere, tibi, inquam, qui non aliunde, quàm ex Scripturæ verbis Scripturæ mentem scrutandam doces. Vnde igitur probas

Quàm ineptè errent hæretici circa veritatem Eucharistiæ sibiq; contradicant.

Carnel. in epist. Pauli.

ea per figuram exponi debere? si dubia essent & ambigua, vnde expositio petenda? quis litem dirimeret, nisi Ecclesia, quæ columna est & fundamentum traditæ sibi à Patribus veritatis? quis nisi veneranda Patrum antiquitas, maiorum traditio, & sæculorum priorum consensus? Citamus & proferimus per singulas annorum centurias Patres, maiores omnes, Concilia nationalia, & œcumenica quoque sæculo: omnes & omnia verba Christi, vt sonant, accipiunt, damnant tropum & figuram. Quid ergo restat, nisi vt plana Scripturæ verba, planam & claram Patrum & totius Ecclesiæ sæculis omnibus expositionem sequamini? & tamen mordicus in vestra tropica expositione persistitis, quæ Scriptura? quæ auctoritas? quæ ratio suadet? nulla, nisi hæc vna, quòd hæresis vestra ita elegerit, quodque Lutheri buccinam sequamini: Sic mihi videtur, sic placet, *sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Hæc vna hoc ipsum, & vestra omnia vobis & suadet & persuadet.

Pertinacia hæreticorũ.

Melius proinde & sanius hac in re Philippus Melanchthon lib. de Veritate corporis & sanguinis Domini: *Si ob rationes humanas*, inquit, *neges Christum esse in Eucharistia, quid dicet in tentatione conscientia? quam afferet causam discedendi à recepta sententia in Ecclesia? tunc ista verba, Hoc est corpus meum, fulmina erunt. quid his opponet mens perterrefacta? quibus Scripturis, qua voce Dei se muniet, ac sibi persuadebit, necessariò hic fuisse interpretandam metaphoram, cùm verbum Dei præferri debeat iudicio rationis?* ita Melanchthon.

Bene Melanchthon de veritate Eucharistiæ.

Sanè in hora mortis, in die illa terribili, cùm sistemur tribunali Christi de fide & vita examinandi, si me roget Christus, Cur credidisti corpus meum in Eucharistia? fidenter dicam: Domine credidi quod tu dixisti, quod me docuisti: tu verba tua per tropum non explicuisti, nec ego per tropum explicare ausus fui. Ecclesia ea simpliciter accepit, & ego simpliciter accepi. hanc fidem, hanc reuerentiam me verbis tuis, me Ecclesiæ tuæ debere planè mihi persuasi.

Catholici credentis veritatem Christi in Eucharistia securitas in die iudicij.

Si Calumistam roget Christus, Cur tu verba mea à proprio sensu in tropum detorsisti? quid dicet? Ita mihi faciendum videbatur, quòd ratio mea non caperet, qui id fieri posset, aut deceret. Atqui, inquiet ille, vtri potius assentiri debebas, rationi tuæ, quæ humana est & infima; an verbo meo, quod omnipotens est & veracissimum? Ratio Gentilibus dictabat, me, vtpote Deum, in carne natum, passum, crucifixum credere, stultum esse; & tamen tu hoc credendum putasti, & credidisti, idque solis Scripturæ verbis, quæ hoc simpliciter asserunt, persuasus. Quid ergo in hoc vno Eucharistiæ articulo id, quod de illo tam disertè dixi, ad rationem tuam exigere, & iuxta cerebrum tuum, tam depressum, infirmum & exiguum interpretari præsumpsisti? cur saltem Ecclesiæ omnium sæculorum expositioni & auctoritati non acquieuisti? cur plus omnibus illis sapere voluisti? Quid respondebit ad hæc? quî se excusabit? quò se vertet? Cogitet iam quisq; hoc seriò, & verbo Dei atque Ecclesiæ humili fide & obedientia, suum iudicium submittat, ne in illa die Domini confundatur, ne cum incredulis partem accipiat in stagno ignis ardentis pice & sulphure, ne fulmen illud audiat: *Ite maledicti, ite increduli in ignem æternum.*

Confusio hæretici.

A Nec miretur tam mirabile mysterium in Eucharistia, cùm Christus in omni vita & mysteriis suis fuerit & sit admirabilis. Isaiæ 9. v. 6. & de eo dicat idem Isaias cap. 45. v. 15. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* Si angelus sermocinaretur hostiæ, reuera in ea esset, sed absconditus, non angelum, sed tantùm panem videres, sentires, gustares; angelum tamen in eo latere crederes, si angelus aut Propheta quispiam id tibi asseueraſſet. cur ego pari modo non credis Christum sub hac hostia latere, sed absconditum, cùm Christus idipsum asseueret, qui mentiri non potest? modum enim hunc existendi spiritualem, inuisibilem & indiuisibilem, qui naturalis est angelo, Deus, cùm sit omnipotens, potest supernaturaliter dare corpori Christi in Eucharistia.

B Nemo ergo incredulus dicat, Quomodo potest Christus esse totus in tam parua hostia? cogitet Christum ibi esse instar angeli, nec modum inquirat, sed amplectatur potiùs immensam Christi charitatem, cuius deliciæ fuerunt esse cum filiis hominum, qui transiturus de mundo ad Patrem, vt ait S. Ioannes cap. 13. *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, quos, vt canit S. Thomas,

Se nascẽs dedit socium,
Conuescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium:

vt nos sua charitate cogeret ad se redamandum, vt quoties hæc mysteria videmus, agimus, cogitemus illum nos hisce verbis alloqui: Ecce Christus hîc se totum tibi, tu te totum da, imò redde Christo.

C Dices: Eucharistia subinde vocatur *panis* & *genimen vitis*, id est vinum, vt patet Ioan. 6. v. 58. Matth. 26. 29.

Respondeo. In ipsa narratione institutionis Eucharisticæ à nemine vocatur panis, sed alibi: & tum *panis* significat omnem cibum, vt dixi c. 10. v. 17. Sic posset & *vinum* significare omnem potum, quia apud Iudæos, vti & in Hispania, Italia, Gallia, Germania communis potus erat, non cereuisia, sed vinum.

Sed verius est Christum *genimen vitis* vocasse, non id quod erat in calice Eucharistico, sed quod erat in calice agni paschalis. Nam sicut de agno dixit, vt habet Lucas: *Non manducabo ex hoc donec impleatur in regno Dei*; ita & de calice agni dixit, *Non bibam de hoc genimine*, vel generatione, *vitis, donec veniat regnum Dei.* Ita enim disertè, quod Matthæus & Marcus conuoluunt, distinguit S. Lucas, narratque vtrumque dixisse Christum ante Eucharistiam c. 22. v. 17. Tantùm enim voluit Christus dicere, se deinceps eum illis non visurum, communemque cœnam non sumpturum, vt hactenus vixerat & sumpserat, quia pergebat ad mortem. ita Hieron. Theophyl. & alij in illum locum.

D Dices Secundò, τὸ *hoc est corpus meum*, est sacramentalis locutio, ergo typica, ergo figurata & tropica.

Respondeo, Nego consequentiam. Est enim hæc sacramentalis locutio, quia per eam confictur Sacramentum verum, vt videlicet sub speciebus panis & vini, velut signo visibili, adsit verum Christi corpus: non autem est sacramentalis,

id est typica, figurata, tropica: Sacramenta enim A
propriè significant id quod continent & efficiunt.
Nam Sacramentum est signum visibile rei inuisi-
bilis, quam causat & efficit: vt cùm dicitur, *Ego te*
abluo, id est abluo, non est sensus, Ego do si-
gnum, vel figuram ablutionis: sed propriè, Ego
per hoc Sacramentum abluo corpus, & per hoc
abluo animam à suorum sordibus peccatorum.
Sic eùm dicitur: Ego te absoluo, confirmo, inun-
go, non significatur figurata, sed sacramentalis, id
est realis & propria, absolutio, confirmatio, inun-
ctio corporis & animæ.

Itaque si Christus hìc per corpus intellexisset
figuram corporis, debuisset se explicare, & dicere:
Ego loquor non tantùm sacramentaliter, sed fi-
guratè & metonymicè: alioqui Apostolis & toti
Ecclesiæ dedisset occasionem manifestam erroris
grauissimi. Itaque non valet hæc consequentia: B
Christus est in Eucharistia, quasi in Sacramento,
& signo vel figura, vt comment. Ambrosio asseri-
pta hìc, & subinde Patres alij loquuntur: ergo
reuera ibi non est, sed figuratè tantùm & tropicè.
Item contrarium inferendum est, scilicet: Ergo
non tropicè, sed verè & propriè ibi est Christus.
Quia Sacramentum signum est rei veræ & præ-
sentis, non falsæ & absentis. Sicut ergo bene sequi-
tur: Ibi est fumus, ergo ibi est ignis, quia fumus
est signum ignis præsentis: In hoc corpore est ha-
litus, ergo in hoc corpore est vita, quia halitus
signum est vitæ præsentis: ita rectè sequitur, Cor-
pus Christi est in Eucharistia, quasi in Sacramen-
to, ergo verè ibi est; quia Sacramentum & spe-
cies sacramentales significant se quasi Sacramen-
tum verum corporis Christi, verè illud ipsum C
continere.

Dices Tertiò, Ioan. 6. agens de hoc Sacramen-
to Christus dicit: *Spiritus est qui viuificat, caro non*
prodest quidquam. Ergo caro Christi non est præ-
sens, nec comeditur in Eucharistia.

Respondeo, id non posse dici: quia hoc sensu
inane esset dicere, quòd caro Christi pro nobis
passa & crucifixa non prodesset quidquam; cuius
contrarium toto illo cap. 6. disertissimè docet &
inculcat Christus, scilicet se carnem suam datu-
ram pro mundi vita & redemptione: ergo mul-
tùm mundo & profuit & prodest caro Christi.
Sensus itaque est, vt rectè Cyrillus, Primò, virtu-
tem viuificandi, quam habet caro Christi in Eu-
charistia, non à se habere, sed à spiritu, id est diui-
nitate Verbi, cui hypostaticè coniungitur.

Secundò, vt Chrysostomus, hanc manducatio- D
nem carnis Christi in Eucharistia, non fieri modo
carnali, eam laniando dentibus, instar carnis bu-
bulæ; sed modo spirituali, & spiritui accommo-
dato, scilicet occultè, sacramentaliter, inuisibiliter.
Perinde enim hìc carnem Christi comedis, ac si
angelum latentem comederes, & transglutires.
Cognitiũ enim vtriusque ex verbis Christi crassè
intellectis colligebant & auersabantur crassi Ca-
pharnaitæ, contra quos tantùm hæc dicit & affert
Christus, vt patet ex præcedentibus. Vnde sequi-
tur: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*
Spiritus, id est, spiritualia sunt & spiritualiter in-
telligenda, quia scilicet carnem meam non modo
carnali, cruentam, dissectam, masticatam; sed mo-
do spirituali, quasi spiritus esset, inuisibiliter & in-
diuisibiliter, in Venerabili Sacramento latentem
comedetis: itaque *verba mea vita sunt*, id est vitalia
sunt, & vitam audienti, credenti, & carnem meam
comedenti conferunt.

Dices Quartò, Impossibile esse videtur, vt *Obiectio quarta.*
Christus tantus sit in tam parua hostia, & tot di- *Quòd videatur esse impossibile, vt Christus totus sit in tam parua hostia: secundò, quòd videatur indignum.*
uersis altaribus. Videtur Secundò, incredibile, *Responsio.*
quòd Christus ibi sit, vt comedi possit à muribus,
conspui, euomi.

Resp. ad prius, *Non erit impossibile apud Deum*
omne verbum. Hinc dicimus, *Credo in Deum Patrem*
omnipotentem. Plura potest Deus facere, quàm mi-
ser homo, imò omnes homines & omnes angeli
possint concipere: alioqui non esset Deus. Rursum
fides superat humanum captum: credenda sunt
ista mysteria, non intellectu penetranda. *Fides*, in-
quit August. tract. 27. & 40. in Ioan. *est credere quod*
non vides. & S. Gregorius hom. 26. in Euang. *Fides*,
inquit, *non habet meritum, cùm humana ratio præbet*
experimentum. Præclarè ergo S. Thomas de hoc Sa-
cramento canit: *Quod non capis, quod non vides, ani-*
mosa firmat fides præter rerum ordinem.

Rursum in Eucharistia non esse impossibile, vt *Possibilitas huius rei demonstratur simili.*
Christi corpus sit in tam parua hostia, ex simili
demonstrari potest. Nam Christi corpus natum
est ex Virgine, clauso scilicet matris vtero: ergo
penetrauit matris vterum, ita vt dum nasceretur
Christus, in eodem loco esset, in quo erat vterus
matris. Similiter Christus resurrexit clauso sepul-
chro, & ingressus est ad discipulos ianuis clausis;
ergo tunc in eodem loco fuit cum lapide sepul-
chrali, & cum ianuis.

Nunc sic argumentor: si duo corpora tota pos- *Clara eiusdem rei demonstratio.*
sunt esse in eodem loco, v. g. Christus & lapis; ergo
& duæ partes eiusdem corporis, v. g. caput & pe-
des Christi, possunt esse in eodem loco, in eadem
videlicet hostia. si duæ possunt esse simul, ergo &
tres, & quatuor, & quinque, & quotquot Deus in
eodem loco ponere volet. Idem docet Christus
Matthæi 19. 24. vbi ait, *facilius esse camelum per fo-*
ramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum
cælorum: atqui Deus absolutè potest diuitem du-
cere ad cælum, ergo & camelũ per foramen acus,
ergo & corpus Christi per paruam hostiam.

Iam si duo corpora possunt esse in eodem lo-
co: ergo à pari idem corpus, scilicet Christi, po-
test esse in diuersis locis & hostiis: vtrumque enim
paris est difficultatis, & paris potentiæ ac virtutis.

Tertiò, idipsum esse possibile patet ex alio si-
mili. potest enim Deus angelum (imò angelus se-
ipsum) in puncto existentem & contractum dila-
tare, & expandere, vt totum cubiculum occupet
localiter: ergo à contrario potest Deus corpus
per spatium expansum, contrahere in punctum.
Si enim illud potest, cur non & hoc? præsertim
cùm sit omnipotens. par enim vtrobique est ratio
& difficultas; nec vnum magis inuoluit contra-
dictionem, quàm aliud.

Vlterius, non tantùm in angelo (ne excipias
angelum esse spiritum, non corpus) sed & in cor-
poribus naturaliter idipsum facit Deus, putà in
rarefactione & condensatione. Ignis enim modi-
cam aquam, v. g. vnius scyphi, calefaciendo ita na-
turaliter rarefacit & extendit, vt totum cacabum,
qui decem scyphos continet, impleat, imò exube-
ret & effluat: ac rursum frigus eamdem aquam
ita rarefactam & extensam, depositò ab igne ca-
cabo, ita condensat & stringit, vt eam redigat ad
quantitatem decuplo minorem, putà vnius scy-
phi. Cur ergo Deus, qui in infinitum superat

activitatem naturæ, non possit corpus Christi, quod sex pedum est, redigere ad quantitatem vnius hostiæ, imò vnius puncti? Deus enim, vti potest in infinitum rem vnam augere, ita potest & imminuere. tam enim ad hoc, quàm ad illud requiritur & sufficit virtus infinita, quam habet Deus.

Denique Christus seipsum, suumque Euangelium, ac Sacramenta comparat Matth. 13. 31. grano sinapis, quod paruum quantitate, maximum est latente substantia, quæ sua vi & energia in amplissimos ramos se dilatat, fitque ingens arbor. Si hoc in grano sinapis naturaliter efficit Deus, quidni simile efficere possit, ac reipsa, vti promisit & dixit, efficiat in Eucharistia?

Non est indignitas: quia Christus in Eucharistia nihil patitur.

Ad secundum Respondeo. Christus hic nihil patitur, sed tantùm species. Est enim Christus hic modo indiuisibili & arcano, instar spiritus. Sicut ergo angelus hostiæ se includens, aut Deus qui est realiter in omni corpore & loco, nihil patitur si hostia, vel corpus aliud conspuatur, comburatur, rumpatur; sic nec Christi corpus in Eucharistia quidquã patitur: quia est ibi instar angeli. *Deus*, inquit Erasmus præfat. in libros Algeri, *qui iuxta naturam non minùs est in cloacis, quàm in cælo, non ladi potest, nec inquinari: ita nec corpus Domini glorificatũ.* Idem Erasmus ad Conradum Pellicanum: *Hactenus*, ait, *cum omnibus Christianis adorauí Christum pro me passum in Eucharistia, nec adhuc video quidquam, cur ab hac opinione debeam recedere. nullis humanis rationibus abduci potero à concordi sententia Christiani orbis: plus enim valent apud me quinque illa verba, In principio creauit Deus cælum & terram, quàm omnia Aristotelis cæterorumq; philosophorum argumenta, quibus docent mundum carere initio. Sic hic litteras diuinas habemus: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*, &c.

Insignis confessio Erasmi de veritate Eucharistiæ.

Hæc paulò fusiùs pertractaui, ob rei grauitatem, & modernas Nouantium controuersias, quibus non paucos vicinos nostros, præsertim Hollandos, alioqui in fidem priscam & orthodoxam prochues, ob hunc Eucharistiæ articulum, quasi incredibilem & impossibilem, à vera fide & salute auertunt, cùm tamen nullus alius in sacra Scriptura, Patribus, Conciliis ita fundatus & stabilitus sit, atque iste.

In Eucharistia panis non manet.

Ex dictis patet Primò, in Eucharistia panem non manere, sed transubstantiari in corpus Christi, & vinum in sanguinem, vti loquitur Conc. Lateran. & semper sensit Ecclesia: ac consequenter patet Secundò, sola panis & vini accidentia hîc remanere sine subiecto. Patet Tertiò, corpus Christi hîc esse per modum substantiæ spiritalis, inuisibile, indiuisibile, totum in tota, & totum in qualibet parte hostiæ, vti docent passim Theologi. Iam singula hæc consecrationis Eucharistiæ verba expendamus.

Corpus Christi totum est in tota, & totũ in qualibet parte hostiæ.

Hoc] Nota, pronomen *hoc* non tam esse substantiuum, & indiuiduum vagum (vt volunt nonnulli, quasi *hoc* significet hoc ens, hanc rem, vel hoc contentum sub his speciebus, siue panis adsit, siue corpus Christi) quàm esse adiectiuum, idem, sed confusè significans, quod distinctè & nominatim significat *corpus meum*. Sic enim accipitur in consecratione calicis: *Hic est sanguis meus*. alioqui dicendum fuisset, Hoc est sanguis meus. sic dicitur, Hic est seruus, hic est homo, &c. vbi τὸ *hic* quasi adiectiuum non aliud demonstrat, quàm seruum & hominem, quem certiùs significat.

Dices, Cùm Christus dixit, *hoc*, nondum erat corpus Christi: ergo τὸ *hoc* non poterat pro eo supponere. Respondeo, hanc orationem, vti est consecratoria, non esse enunciatiuam, sed practicam & efficacem; ac proinde (*hoc*) demonstrare id, quod nondum est, sed quod per orationem fit, eique finita erit.

Instabis, Hæc oratio practica, *Hoc est corpus meum*, significat, hoc transsubstantiatur in corpus meum: ergo *hoc*, designat panem; panis enim solus transsubstantiatur. Respondeo, Nego minorem, scilicet transsubstantiationem hîc primò & directè significari: tantùm enim primò significatur corpus Christi hîc fieri & esse, ita vt designando speciem designetur corpus: inde tamen secundò & consequenter sequitur, panem esse transsubstantiatum & desiisse. Patet hoc ex verbis calicis, *Hic est calix sanguinis*. Si enim hæc primò significarent transsubstantiationem, deberet dici, *hoc*, scilicet vinum, est sanguis, vel est calix sanguinis mei, id est, conuertitur in calicem continentem sanguinem meum. Si tamen sic indirectè velis exponere: hoc est, id est, hoc transsubstantiatur in corpus meum: tunc concedo, quòd *hoc* designet panem: hic enim transsubstantiatur. Nec mirum est, pronomen *hoc* hîc aliud & aliud designare, cum hæc vna propositio, Hoc est corpus meum, ex ambiguitate significationis sit multiplex, scilicet practica est & enunciatiua, imò dupliciter practica est.

Quæ omnia vt clarè demonstrentur, & intelligantur, Aduerte. si Christus accepisset solas species panis, subtracta panis substantia, eaque deinde consecrasset; imò si nullas accepisset species, sed eas simul cum consecratione sui corporis creasset ex nihilo, dicendo, *Hoc est corpus meum*; tunc primariò prorsus idem fecisset quod iam fecit, cùm accepto pane eum consecrauit & dixit, *Hoc est corpus meum*: atqui in vtroque priori casu non transsubstantiasset, cùm nulla præfuisset, siue præexstitisset substantia panis, nec pronomen *hoc* designasset panem, aliamue substantiam, sed tantùm corpus Christi, quod ibi simpliciter & nudè produceretur & fieret: ergo quoque in posteriore nostro casu, nostraque consecratione, non significatur primariò transsubstantiatio, nec pronomen (*hoc*) demonstrat panem, sed corpus Christi.

Simili modo in Genesi potuisset Deus creando cælum dicere, *Hoc est cælum*, id est, hoc creatur, producitur, fit, & est cælum: Hæc est terra, id est, hæc creatur, fit, simulque hoc ipso est & existit terra: Hæc est Eua, id est, hæc producitur & fit, dumque fit, eodem instanti est & existit Eua. Pari ergo modo hîc, dum dicitur, *Hoc est corpus, hic est sanguis meus*, sensus est: hoc consecratur, producitur & fit corpus & sanguis meus, vt in termino siue, completa consecratione reipsa sit corpus meum, & sanguis meus.

Hæc ergo oratio & consecratio, *Hoc est corpus meum*, vt patet ex ipsis verbis, propriè & primariò non significat terminum à quo, scilicet panem conuerti & desinere, sed significat productionem & positionem termini ad quem, scilicet corporis & sanguinis Christi, eumque demonstrat pronomen *hoc*, & *hic*. q.d. Hoc quod sub his speciebus panis & vini producitur, & fit, simulque dum fit, est & existit, est corpus & sanguis meus: secundò

dali tamen hæc eadem oratio innuit, inuoluit & A significat definitionem termini à quo, scilicet panis, eiusque transsubstantiationem: quia enim sub speciebus hisce priùs existit substantia panis & vini, quæ cedere debent corpori & sanguini Christi, ne hac oratione & consecratione producitur & suscipitur vt per τὸ *hoc* non aliud quàm corpus, & per τὸ *hic* non aliud quàm sanguis Christi designetur & demonstretur; hinc quando hac oratione significatur produci corpus Christi, hoc ipso significatur panem definere, & transsubstantiari in idem corpus. nam pronomen *hoc* non aliud designat quàm corpus Christi: demonstrat enim facta consecratione hîc non esse aliam substantiam, quàm corporis Christi, quod solum demonstrat.

Hæc ergo oratio, *Hoc est corpus meum*, Primò, simpliciter practica est, significatque: Hoc fit corpus meum.

Indeque Secundò, est enunciatiua, significans: Hic in fine consecrationis est corpus meum; sic vt pronomen *hoc* in vtraque designet, non panem, sed corpus Christi in confuso.

Tertiò, est conuersiua & transsubstantiatiua, significatque *hoc*, putà hæc panis substantia, sub his speciebus contenta, conuertitur & transsubstantiatur in corpus Christi; ita nimirum, vt facta consecratione, conuersione, & transsubstantiatione panis non maneat, sed sit conuersus in corpus Christi, adeoque iam hîc non sit panis, sed esse desierit, eiusque loco sit corpus Christi, & tunc pronomen *hoc* designat panem, qui conuertitur in corpus Christi.

Est] Nota, Christum non videri dixisse *est*: quia Hebræi & Syri non vtuntur verbo substantiuo, B sed aliud subticent, imò præsentis temporis non habent. Vnde etiamnum Syrus interpres hîc, & Matth. 26. 26. & Lucæ 22. 19. eo caret: vertit enim, הדין *hanapagri*, hoc corpus meum. Sic & Lucæ 22. 20. in consecratione calicis: Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶ τῷ αἵματί μου. *Hic calix nouum testamentum in meo sanguine.* Ac consequenter in Græca etiam & Latina lingua non videtur verbum *est* esse de essentia formæ consecrationis: in præsenti tamen omitti non debet, & sine graui peccato non potest; imò dubia esset forma & consecratio si omitteretur.

Nota Secundò. Aptè tamen & clarè illud verbum *est*, quia subintellectum, expressit interpres, potiùs quàm *fit*. Primò, quia non est transitus hîc à non esse, ad esse, quem communiter innuit τὸ *fit*: iste enim Christi antè fuit.

Secundò, quia *est* significat instantaneam mutationem transsubstantiationis, in qua simul sunt fieri & factum esse.

Tertiò, quia pronomen *hoc* propriè demonstrat id quod est, non id quod fit: quod enim nondum est, propriè videri & demonstrari nequit; consequenter tamen dicitur subinde demonstrari, cùm demonstratur fieri, & produci vt sit, existat, & videatur.

Quartò, quia per *est* significatur constans veritas huius Sacramenti.

Quintò denique, quia aptiùs dicitur, *Accipite, comedite, hoc est enim corpus meum*, quàm, *Hoc fit corpus meum.*

Nota Tertiò, Christum non antè, cùm panem benedixit, sed hisce verbis, *Hoc est corpus meum*, C consecrasse; quia illis ex Christi imitatione sacerdotes iam consecrant, vt contra Græcos docet Concil. Florent. & Trident. & passim omnes Patres. Vnde hæc verba à sacerdote dicuntur, Primò historicè, intendit enim sacerdos narrare quid egerit Christus. Secundò personaliter, quia intendit sacerdos simul eadem imitari, perinde ac si ipse esset Christus. Vnde consecrans & transsubstantians induit personam Christi. *Christus iisdem verbis consecrauit, quibus nos.*

Corpvs] Nota, *corpus* hîc non totum hominem significare, sed carnem tantùm ab anima distinctam, quæ sola vi verborum hîc ponitur; sicut in calice solus sanguis: anima verò & diuinitas ponuntur per concomitantiam vtrobique; sicut & sanguis cum corpore sub specie panis, & vicissim corpus cum sanguine in calice per concomitantiam ponitur ita Concil. Tridentinum. *Caro Christi sola vi verborum hîc ponitur, & in calice solus sanguis, reliqua vtrobique per concomitantiam.*

Nota Secundò, Christum hîc instituisse Sacramentum Eucharistiæ, quod omnes sumerent. & simul sacrificium, quod sacerdotes Deo offerrent. ita ex Apostolica traditione docet Ecclesia, & Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. idque vnicum est legis nouæ sacrificium, quod omnibus veteribus successit: ac proinde hoc vnum simul est eucharisticum, est pro peccato, est holocaustum, est pacificum. *Christus Eucharistiam instituit & Sacramentū & sacrificium.*

Tradetvr] Græcè κλώμενον, id est, quod frangitur. ita Ambros. scilicet, vt Theophyl. frangitur iam sub speciebus, vel per species panis, quæ franguntur, sumuntur, consumuntur, itaque Deo *datur*, vt habet Lucas, id est immolatur corpus Christi. Hæc enim omnia significat τὸ *frangere* per metalepsim. Olim enim in sacrificio *mincha*, cùm panis Deo sacrificabatur, debebat ipse panis frangi, benedici, & comedi, vt notat D. Thom. 1, 2. q. 85. a. 3. ad 3. Hinc confessio Catholica Berengarij, qua suum errorem de Eucharistia primò reuocauit, habet, quòd corpus Christi in veritate manibus sacerdotum tractatur, frangitur, & dentibus fidelium teritur, scilicet per species sacramentales panis, quæ tractantur, franguntur, teruntur. Hæ enim species non sunt ampliùs species panis, sed corporis Christi, quæ sola hîc est substantia sub talibus speciebus, siue accidentibus: quo fit, vt dum hæ species videntur, tanguntur, designantur, non alia substantia quàm corporis Christi videatur, tangatur, designetur: sicut ante consecrationem per easdem species, non alia quàm panis substantia videbatur, tangebatur, designabatur. *Quid significet hîc vox frangitur. Prima expositio.*

Secundò, *frangitur*, id est, paulò pòst frangetur. & immolabitur in cruce. ita Anselmus. vnde Noster vertit, *tradetur*. Idque quia hoc frangi & immolari non tam futurum, quàm præsens erat. Dies enim paschæ & passionis Christi inchoatus erat, cùm hæc dixit Christus: vnde erat tunc confusum præsens. frangetur autem, flagellis in cute, clauis in manibus & pedibus, lancea in latere, ait Caietanus. D *Secunda.*

Tertiò, Bellarm. l. 1. de Missa c. 12. in Eucharistia, inquit, corpus Christi *frangitur*, id est diuiditur & destruitur, dum scilicet sub distinctis & diuersis speciebus panis & vini Deo immolatur, sumitur, consumitur, vt Christum passum & occisum repræsentet. Hinc Chrysost. *Fractio*, inquit, *corporis in Sacramento significatio est passionis & fractionis in cruce.* Vnde & tropologicè hæc fractio significat mortificationem. Vide S. Dionysium Ecclesiast. hierarch. c. 3. *Tertia.*

VERS. 25. SIMILITER ET CALICEM (accepit Christus) POSTQVAM COENAVIT, DICENS: HIC CALIX NOVVM TESTAMENTVM EST IN MEO SANGVINE] Nota. Christus postquam cœnauit cœnam mysticam agni paschalis, & deinde communem aliorum ciborum, tunc demum tertiam cœnam Eucharisticam instituit. Nota Secundò. Gentiles post epulum sacrificabant; scilicet pro epulatione quasi gratias agentes Deo suo, illi libabant, illiusque laudes coronati decantabant. Vide Athenæum lib. 1. c. 9. & li. 15. c. 20. sic Æneid. 8. Euander Herculi libat:

Calicis cōsecratio.

Postquam exempta fames epulis, mensæq; remotæ, &c.
Quare agite, ô iuuenes, tantarum in munere laudum,
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
Communemq; vocate Deum, & date vina volentes.

Vide & Gyraldum de diis Gentium in fine operis. Idem Iudæos fecisse in sacrificio agni paschalis docent Ritualia antiqua Hebræorum: scilicet peracta cœna paterfamilias accipiebat tortam azymam, eamque frangebat in tot partes, quot erant discumbentes, sicque diuisam singulis porrigebat, dicens: *Iste est panis arumnæ, quem comederunt patres nostri in terra Aegypti: quisquis esurit, accedat, & peragat pascha.* Deinde ipse poculum accipiebat, & benedicebat, dicens: *Benedictus es Domine, qui fructum vitis creasti*, &c. Sicque illud gustabat, gustatum dabat proximo, ille dabat vicino suo, & sic deinceps, donec per omnes circumferretur.

Ritus Iudæorum in sacrificio agni paschalis.

Horum morem Christus hic sequitur instituens Eucharistiam, idque vt hoc quasi vltimum vale, ac testamentum, atque extremæ charitatis suæ symbolum & demonstrationem discipulis & nobis daret, vtque typus agni præiret veritatem Eucharistiæ. Atque hæc est causa cur prius Christus cœnauerit, & postea vltimo loco celebrauerit & instituerit Eucharistiam. Iam autem (vt superius dixi) ob reuerentiam tanti Sacramenti ex Apostolica traditione nonnisi à ieiunis sumitur Eucharistia.

Cur ante institutionē Eucharistiæ Christus cœnauerit.

HIC CALIX NOVVM TESTAMENTVM EST IN MEO SANGVINE] q. d. Hic calix est instrumentum authenticum, & quasi charta, in qua scriptum & consignatum est nouum testamentum, id est, sanctum est nouum fœdus, nouaque promissio diuina, & vltima voluntas mea consignata est, de æterna hereditate vobis danda, si mihi credatis & obediatis: scriptum est, inquam, non literis atramenti, sed in sanguine meo, quem continet hic calix, sicut charta continet scripturam testamenti.

Sanguis Christi est nouum testamētum, quo sensu.

Dices, Matth. & Marc. habent, *Hic est sanguis testamenti*; quomodo ergo Paulus ait, *Hic calix*, id est sanguis in calice contentus, *est testamentum*?

Dupliciter sumitur testamentū.

Resp. Testamentum dupliciter sumitur. Primò pro vltima voluntate testatoris: sic Matthæus & Marcus vocant sanguinem testamenti, id est sanguinem, quo confirmata est vltima voluntas Christi.

Secundò, Testamentum significat scripturam, vel instrumentum huius vltimæ voluntatis. sic sumit hic Paulus, ideoque ipsum sanguinem vocat testamentum.

Alludit Christus ad fœdus Mosis cum Deo Exodi 24.

Nota. Alludit hic Christus ad fœdus Mosis inter Deum & populum, sanctum sanguine victimarum Exodi 24. quod allegoricè hoc fœdus Christi sanguine sanctum significabat.

Pro quo Nota Secundò. Solebant veteres fœdera victimis & sanguine sancire. Vnde Liuius lib. 1. loquens de fœdere inter Romanos & Albanos inito: *Positis*, inquit, *fœderis legibus audiat iuuenis. Populus Romanus prior non deficiat: si prior defexit publico consilio, dolo malo, tum illo die, Iupiter, populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam, tantoq; magis ferito, quanto magis potes polles q;. & sic porcum saxo silice percussit.* Et Virgilius lib. 8. Æneid. de Romulo & Tatio:

Armati Iouis ante aram, paterâsq; tenentes,
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Vnde & putant nonnulli fœdus dictum à foedo, scilicet animali, putà porco, qui in fœdere mactabatur, indeque phrasim manasse, qua fœdus ferire, percutere, icere dicimur. Idem & multò ante inter fideles, & veri Dei cultores vsu receptum fuit. hinc Genes. 15. v. 9. 10. 27. Dominus in signum & confirmationem fœderis cum Abraham initi iussit immolari bouem, arietem & caprum, diuidique per medium: quo facto lampas Dei significans per medias diuisiones pertransiit, indicans ita diuidendum fore, qui fœdus rumperet. Vide Ieremiam c. 34. v. 18. vnde ברית berit, id est fœdus, hebraicè plerique à בתר batar, id est diuidere, per metathesin deducunt. Hinc Cyrill. lib. 10. contra Iulian. sub finem, ex Sophocle docet apud posteriores id seruatum, scilicet vt equites per medium ignem, & ferrum manibus fercentes facerent iuramenta. Idem factum in fœdere Dei cum Mose & Iudæis Exod. 24. Sanguis enim victimarum diuisus est, vt significaretur eum, qui pactum violaret, simili modo sanguine suo violatam fœderis fidem luiturum. quia verò pactum feriebatur inter Deum & populum, oportebat vt tam Deus, quàm Israel sanguinem diuiderent eique aspergerentur; & cùm Deus sit incorporeus, vt sanguine adspergi non possit, hinc altare sacrificiorum eius vice sanguine tinctum fuit.

Simili modo Christus Dominus nouum fœdus & testamentum sanciuit seipso, & sanguine suo, quasi victima & sanguine victimæ fœderatus, præsertim quia hac victima & sanguine promeruit nobis redemptionem, gratiam, hereditatem, & omnia bona, quæ in hoc fœdere suo nobis promisit, ad Hebr. c. 9. v. 15. & sequ. Idque expresse hic in institutione Eucharistiæ, dicens: *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, id est, vt S. Matth. clariùs explicat, *Hic est sanguis noui testamenti*. Vnde contra Sacramentarios validum pro veritate corporis Christi intorqueas argumentum: si enim vero sanguine vetus sanctum est fœdus, isque intelligitur cùm dicitur Exod. 24. 8. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Deus*, vtique & vero sanguine sanctum est fœdus nouum, isque intelligitur cùm dicitur, *Hic est sanguis noui testamenti*. hic enim vetus, noui & veri erat typus, ad quem certum est Christum hîc respexisse.

Dices, Christus vocat sanguinem noui testamenti, non fœderis, vti suum vocat Moses Exodi 24. ergo dissimilis est hæc sanguinis lustratio.

Respondeo, Testamentum dupliciter accipi. Primò, speciatim pro vltima testatoris voluntate, vel eius instrumento authentico, quæ quandò conditionata est, promissio illius fœderis vel pactionem induit: imò licet absoluta voluntas sit, semper tamen mutuam inuoluit obligationem, testatoris quidem ad dandam hereditatem, heredis verò ad debita, voluntatem, & onera testato-

libens fit. Quia ergo testamentum vltim. in
A Eucharistiæ.vt omnes docent,sequitur & Eucha-
ristiam esse sacrificium.

Tertiò,vox testamenti innuit idem Eucharistiæ *Tertium.*
sacrificium: sanguis enim quo fœdera sanciebantur,erat sanguis victimarum. Sicut ergo cùm dicitur Exodi 24.v.8. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*, intelligitur sanguis victimarum,& sacrificij,quo sanctum est fœdus vetus; ita cùm dixit Christus *Hic est sanguis testamenti*,debet intelligi sanguis sacrificij, quo sanctum est nouum testamentum,quod per vetus fœdus,sanguinem & sacrificium fuit præfiguratum. *Quartum.* Denique in sola Eucharistia Christus propriè & perfectè est sacerdos secundùm ordinem Melchisedec. Nam in cruce(si victimam eiusque mactationem, *Christus perfectè fuit sacerdos duplicitèr.*
oblationes & sanguinis effusionem spectes) Chri-
B stus non fuit sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, sed secundùm ordinem, id est similitudinem,Aaron. Ita Patres,quos vide apud Bellarm. l.1.de Missa,c.6.& 12.estque hic sensus Ecclesiæ, & consensus omnium sæculorum.

Dices Eucharistia est commemoratio sacrificij *Obiectio solvitur.*
crucis:ergo non est sacrificium. Resp. Nego consequentiam: sic enim veteres sacrificia erant vera sacrificia, etiamsi repræsentarent sacrificium crucis. Pari modo Eucharistia est verum sacrificium, etsi fiat in commemorationem sacrificij crucis.

QVOTIESCVMQVE MANDVCABITIS PANEM HVNC, VERS.26.
ET CALICEM BIBETIS, MORTEM DOMINI ANNVNCIABITIS] tum verbo (hinc in Canone Missæ dicitur: *Vnde & nos memores tam beatæ passionis*) tum potius factis & rebus, repræsentabitis non tam vobis quàm populo mortem Christi. ita Anselm.
C Theophyl.Ambros.Pro *annunciabitis*, Syrus vertit, In memoriam reuocabitis: Hebræum enim יַגִּידוּ *hazkir*, significat commemorare, annunciare, concionari,prædicare.

Moraliter Theophyl. *Eo*, inquit, *affectu debetis* *Quo affectu sumenda sit Eucharistia.*
esse imbuti cùm sumitis Eucharistiam, perinde quasi in illa ipsa Christi essetis vespera, adeoq; cœna, eidem q; accumberetis thoro, & ab ipso Christo acciperetis sacrum illud: illa enim ipsa est cœna. & illam ipsam mortem annunciamus,id est demonstramus, vsque ad secundum eius aduentum.

Nota. Mortem suam præ vitæ suæ gestis aliis *Quare Christus maximè iubeat annunciari mortem suam.*
iubet Christus annunciari, quia morte consummatum est Christi testamentum & victima voluntas, ac redemptio nostra, & extremus Christi in nos amor, quo pro nobis mortem subijt, quorum omnium memoriale est Eucharistia.

Tropologicè, S. Basilius in breuior. reg. 234.
D *Mortem Domini annunciamus cùm morimur peccato, viuimus Christo,seu,cùm mundus nobis crucifixus est, & nos mundo.* Denique Nota cum S.Hippolyto,tract. de Consummat.sæculi, Chrysost. Theophyl. Eu- *Eucharistia sacrificium publicè duraturum vsque ad finem sæculi & Antichristum, qui illud tollet, saltem ne publicè fiat, fierive possit, vt prædixit Daniel c.12. v.11. Hoc significat Paulus dum ait: Donec veniat, supple ipse Dominus glorioſus ad iudicium. Vnde, vt ait D. Thomas, patet ritum hunc Eucharistiæ duraturum vsque ad finem mundi.*

QVICVMQVE MANDVCAVERIT PANEM HVNC, VERS.27.
VEL BIBERIT CALICEM DOMINI INDIGNE: REVS ERIT CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI] violati nimirum, indignè sumpti & tractati, vt à Iuda & Iudæis tractatus fuit,ita Photius,Theophylact.&

Chrysost. *Reus est talis*, ait Chrysost. & Theophyl. *cadis Dominicæ, ac si Dominum occidisset, & Christi sanguinem effudisset*; quod commodè & per proportionem quamdam accipit. nam absolutè maius peccatum fuit homicidium, imò deicidium Christi, quàm communio & sumptio Eucharistiæ indigna: sicut maior iniuria est regem occidere, quàm conspuere, aut conspurcare. Chrysostomo consentit Ambros. in c. 10. Hebr. *Hoc peccato*, ait, *conculcatur corpus Domini*. Et Cyprian. serm. de lapsis: *Vis*, inquit, *infertur corpori Domini, & ore ac manibus in Dominum delinquitur*. Vide eum & optimè id tractantem Basil. serm. 2. de baptismo c. 3. Sicut enim regi grauem iniuriam facit, qui eius mensæ accumbit, retinens hostilitatem contra eum in animo; sic & qui cum peccato mortali accumbit mensæ Christi; & longè magis, quia ipsum Christum manducat, & in corde hostili recipit.

Vim infert corpori Christi qui illud indignè sumit.

Nota τὸ *vel biberit*: ergo sufficit altera species in communicãdo & manducando S. Eucharistiam.

Secundò hinc patet, in Eucharistia verum esse Christi corpus. non enim de nudo signo verum est quòd qui illud indignè sumit, reus erit corporis & sanguinis Domini. Adde, si cum Caluino dicas eum qui indignè communicat, reum esse corporis Domini, non quia illud in se, sed quia eius imaginem, scilicet Eucharistiam, violauit: inde saltem sequitur, imagines (qualem aiunt esse Eucharistiam) esse venerandas, & iconoclastas qui eas violant, reos esse corporis & sanguinis, tum Christi, tum Sanctorum: quomodo ergo Caluinus cum suis eas frangere & temerare audet?

Egregiè hic capitur Caluinus, & cogitur venerari imagines.

VERS. 28. PROBET AVTEM SEIPSVM HOMO, ET SIC DE PANE ILLO EDAT] *Probet*, hoc est, se examinet, num aptus sit, & dignè dispositus ad tanta mysteria: atque ad ea decenter & congruè se purget, & præparet, non vt examinet an habeat fidem, (vt vult Caluinus: illam enim præsupponitur habere; loquitur enim Apostolus de fidelibus Corinthiis: & secundùm Caluinum quisque certissimus est, & fide diuina credere debet se habere hanc fidem, vt secundùm Caluinum examine non sit opus) sed an sibi sit conscius alicuius peccati, maximè mortalis, v.g. ebrietatis ac superbiæ, vt dixit v. 21. illudque purget contritione & confessione. Hanc enim confessionis probationem ex iure diuino, seu Christi institutione requirere & intelligere Apostolum docet Concil. Trident. sess. 13. can. 7. idem MCC. annis ante Concil. Trident. docuit S. Leo ep. 91. ad Theodor. Foroiul. & Cyprian. serm. de lapsis. Deinde *probet se* ita, vt venialia peccata, eorumque radices serio proposito, & pia ad Deum oratione euellere conetur. ita Chrysost. & Ambros. Hinc Christus post cœnam agni & communem, ante Eucharistiam, lauit pedes discipulorum, etiam Iudæ, vt significaret qua puritate ad tanta mysteria accedendum sit, Ioan. 13. Ad hanc probationem stimulus acer est, si seriò cogitetur id, quod ait S. Gregorius lib. 4. Dialog. 58. *Hæc singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat, qui licèt resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur; tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur.* Et paulò inferiùs: *Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri.* Vnde mox cap. 59. subdit: *Sed necesse est, vt cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia quia passionis Dominicæ mysteria celebramus, id nos imitari quæ agimus. Tunc enim verè pro nobis hostia erit Deo, cùm nosipsos hostiam fecerimus.* Cogitetur & istud nostri Thomæ Theodidacti lib. 4. de Imitat. Christi c. 2. *Ita magnum, nouum, & iucundum tibi videri debet, cùm celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primùm in vterum Virginis delabens homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur & moreretur.* Hoc cogitabat, hoc faciebat S. Cassius Narniensis Episc. Cui, vt scribit S. Gregor. hom. 37. in Euang. *mos erat quotidianas Deo hostias offerre, cumq; ad horam sacrificij venisset, velut totus in lacrymas defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat.* Vnde à Domino audire meruit: *Age quod agis, operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: vt cæli Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Mortuus ergo in festo S. Petri & Pauli euolauit in cælum. Ita & S. Gregor. quotidie Missam magna cordis compunctione & præparatione celebrabat: cumq; quadam vicè comperisset eumdam pauperem in loco semoto mortuum esse repertum, Missa per aliquot dies abstinuit, dedique se lamentis vt expiaret culpam, quasi sua negligentia pauper ille fame mortuus esset; cùm tamen ipsius charitas & sollicitudo esset tanta, vt omnibus pauperibus non tantùm Romæ, sed & totæ pene Italiæ de necessariis vitæ prouideret. Ita & S. Thomas de Aquino, etiam moriturus, per vberes lacrymas ad S. Synaxim se comparabat.

Quomodo homo debeat se probare ante sanctæ communionem.

VERS. 29. QVI ENIM MANDVCAT ET BIBIT INDIGNE, IVDICIVM SIBI MANDVCAT ET BIBIT, id est damnationem, ait Chrysost. NON DIIVDICANS CORPVS DOMINI] sed eo tamquam promiscuo, communi & indifferenti cibo vtens. ita Photius & Anselm. Nam, vt ait S. Iustinus in orat. ad Antonin. Pium Imper. *Nos Christiani Eucharistiam non vt communem cibum sumimus, sed credimus, quòd sicuti per verbum Dei, Dei Filius factus est homo, ita per verba consecrationis in Eucharistia fiat & sit caro & sanguis Christi.* Quocirca S. Franciscus scribens ad sacerdotes Ordinis sui, vt habetur tom. 5. Biblioth. SS. Patrum in fine: *Audite*, inquit, *fratres mei, si B. Virgo honorificatur (vt par est) quæ ipsum portauit in sanctissimo vtero suo: si B. Ioannes Baptista contremuit, & non audebat tangere Domini verticem: si sepulchrum, in quo per aliquod tempus iacuit, sic veneratur; quantum debet sanctus, iustus & dignus, qui non iam moriturum, sed in æternum victurum, & glorificatum, in quem desiderant angeli prospicere, contrectat manibus, corde & ore sumit, & aliis ad sumendum præbet, percelli & extremiscere?* Et mox: *Magna & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat: totus mundus contremiscat, & cælum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus filius Dei viui.*

IDEO INTER VOS MVLTI INFIRMI] Sic hodie ait Anselm. multi post pascha variis morbis corripiuntur, quia indignè corpus Domini acceperunt.

ET DORMIVNT MVLTI] præmaturè moriuntur, vel potiùs mortui sunt (ob indignè, & sine probatione sumptam Eucharistiam) & in morte quiescunt: hi enim propriè dormire dicuntur. Sic Anselm. & Chrysost. Imò ob hoc peccatum vexab-

rentur à dæmone. testis est S. Chrysost. in 1. ad Timoth. hom. 5. Exempla habet S. Cyprianus lib. de lapsis; scilicet quidam qui gustarat idolothyta post Eucharistiæ, obmutuit: alius linguam dilacerat: puella gustatis idolothytis reuomuit Eucharistiam. Hinc notat prudenter & pié Franc. Sonnet, linguam sacerdoti, & communicaturo maximè esse custodiendam; quia lingua primum est membrum, quod Christum recipit, & quasi vehiculum illius in stomachum.

QVOD SI NOSMETIPSOS DIIVDICAREMVS] *Diiudicarem*, id est Primò, puniremus. ita Latini. Secundò, condemnaremus. ita Græci. Tertiò, probè nos examinaremus, discuteremus, vt si quid peccati inuenissemus, illud contritione & confessione expiemus, vt fusius v. 28. ita Caietanus & Cajetanus. Hoc tertium est aptissimum; nam hoc est proprie διακρίνειν, diiudicare.

NON VTIQVE IVDICAREMVR] non in iudicio diuino puniremur. Græcè, *εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, ἐν ἑαυτοῖς ἂν ἐκρινόμεθα*, si nos ipsos iudicassemus, non vtique iudicati, id est per iudicium Dei morbis & morte vrgeremur v. 30. puniti fuissemus. ita Erasmus, Vatablus & alij. Verè S. August. in sententiis, sent. 212. *Peccata*, ait, *siue parua, siue magna, impunita esse non possunt; quia aut homine pœnitente, aut in iudicio Deo dicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si seuerior præcurrat humana. Amat enim Deus in famulis suis parcere, & eos qui semetipsos iudicant, non iudicat.*

DVM IVDICAMVR AVTEM (dum scilicet puniremur in præsenti vita per morbos & mortem) A C DOMINO CORRIPIMVR, VT NON CVM HOC MVNDO, id est, cum infidelibus & peccatoribus mundi, DAMNEMVR] sed vt hac Dei castigatione admoniti, pœnitentiam peccatum hoc indignæ communionis expiemus, itaque saluemur. Ita S. Augustin. in sententiis nu. 274. *Quando*, ait, *corripit Deus genus humanum, & flagellis pia castigationis exagitat, eamus ante iudicium disciplinam, & plerumque diligit eius flagellat, nolens inuenire quem damnet.*

ITAQVE FRATRES MEI, CVM CONVENITIS AD MANDVCANDVM, INVICEM EXPECTATE. SI QVIS ESVRIT, DOMI MANDVCET] Nota. Iubet hic Apostolus, vt post synaxim, inuicem omnes expectent pro agape celebranda, vel potiùs, vt dixi v. 21. vt inuicem expectent pro cœna præuia synaxi; vt scilicet ante synaxim simul ad cœnam hanc omnes conueniant communi charitate & concordia, in eaque modestè & sobriè sese reficiant, vt non indigni, scilicet in ebrietate & discordia, accedant deinde ad corpus Domini sumendum. Si quis commune hoc prandium, vel potiùs cœnam, expectare non possit, iubet Apostolus vt egrediatur potiùs domum, ibique comedat. Ad ruborem eorum hoc dicit. ita Theophyl. Oecum. Chrysost.

Hinc deducitur moris tum fuisse, vt communicaturi toto eo die ieiunarent vsque ad cœnam communem; ideo enim esurientes ad eam veniisse ait Apostolus. Aliter Anselm. Si inquit, non potest quis expectare sanctam synaxim ieiunus, domi manducet, sed ita vt postea non communicet in ecclesia. Verùm prior sensus genuinus est.

VT NON IN IVDICIVM, putàin condemnationem, ob superbiam, gulam, ebrietatem, inobedientiam, CONVENIATIS.

CÆTERA AVTEM CVM VENERO, DISPONAM] *Cætera*, nimirum quæ spectant ad dignam & honestam Eucharistiæ celebrationem. Est hic locus illustris pro traditionibus Ecclesiasticis. Vide S. Augustin. epist. 118. *Talis*, ait Augustin. *traditio est, vt Eucharistia sumatur à ieiunis, cùm tamen Christus post cœnam eam instituerit.* Rursum, vt vino aqua immisceatur. ita S. Cyprian. epist. 63. ad Cæcilianum. Rursum, vt Missa pro viuis & defunctis offeratur, idque tali ritu, ornatu sacerdotis, altaris, &c.

Locus egregius pro traditionibus.

Nota, olim hoc ritu Christianos communicasse. B Primò, ieiunabant vsque ad cœnam Dominicam, vt colligitur v. 34. *Si quis esurit, domi manducet.* Secundò, populus panem & vinum offerebat in ecclesia certo loco Diaconis; hi ferebant ad altare; communicaturis apponebantur tabellæ, quasi mensulæ, vti hodie ad mensam linteo stratam communicat populus. Ante communionem clamabat præco: *Sancta sanctis.* tum sacerdos dabat dicens: *Corpus Christi.* Respondebat accipiens: *Amen.* Illud autem accipiebant non ore, sed manu, viri nuda dextera superposita sinistræ per modum crucis: vnde & manus ante lauabant; feminæ verò manu velata mundo linteo, quod Dominicale vocabatur: vt iubet Concil. Altisiodorense, can. 36. *Non licet*, inquit Concil. *mulieri nuda manu Eucharistiam sumere.* Et can. 39. *Vnaquæque mulier, quando communicat, dominicale suum habeat. Quòd si non habuerit, vsque in alium diem Dominicum non communicet.* Et Cyrillus Hierosolym. catechesi 5. mystagog. *Accedens autem ad communionem*, inquit, *non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subiicias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen.* Quinimò idipsum sanxit VI. Synodus Constantinopol. can. 101. qui sic habet: *Si quis immaculati corporis, in synaxi tempore esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio, manus in crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat: eos enim qui ex auro vel alia materia, quadam loco manus receptacula efficiunt, & per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minimè admittimus; vt qui inanimatam materiam Dei imagini præferant.* Deinde quisque manu sua acceptam Eucharistiã, in os ingerebat, scilicet sub vna specie panis, eamque quotidie ieiuni sumebant. Tempore S. Cypriani sumebant quoque Eucharistiam sub specie vini, vt in persecutionibus per susceptionem sanguinis Christi magis animarentur ad martyrium, & sanguinis effusionem pro Christo. Vnde & S. Cyprianus epist. 56. ad Thibaritanos: *Grauior*, inquit, *nunc & ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta, & fide robusta parare se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere:* quia, vt ait S. Chrysost. *quasi leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti dæmonibus terribiles.*

Vetus ritus Christianorum in cõmunicãdo, elegans & notandus.

Quid fuerit Dominicale.

Quo tempore & quare Eucharistia sumebatur sub specie vini.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

TRansit Apostolus, & tribus seqq. capitibus disputat de gratiis, tum gratis datis, tum gratum facientibus. Hoc capite docet Primò, gratias gratis datas variè à Spiritu sancto distribui.

Secundò, v. 12. ad hoc vtitur exemplo corporis humani, quod licet vnum sit, multa tamen & varia habet membra: indeq; concludit, quemlibet in Ecclesia suo gradu & gratia contentum, debere illo fungi & vti ad commune bonum; vt quasi membra inuicem se omnes iuuent & foueant.

Hinc Tertiò, v. 28. asserit Christum prouidisse Ecclesiæ de variis hominum statibus, vt alij sint Apostoli, alij Prophetæ, alij Doctores, &c.

1. DE spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres. 2. Scitis quoniam cùm Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. 3. Ideo notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. 4. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus. 5. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: 6. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. 7. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. 8. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum: 9. alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: 10. alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. 11. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. 12. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamē corpus sunt: ita & Christus. 13. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno Spiritu potati sumus. 14. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. 15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 16. Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 17. Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus. 18. Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. 19. Quòd si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? 20. Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. 21. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij. 22. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: 23. & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. 24. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, 25. vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem solicita sint membra. 26. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. 27. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. 29. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? 30. numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? 31. Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

AGit hîc Paulus de gratiis gratis datis, vt prophetia, dono linguarum, gratia curationum, &c. hæc enim fidelibus initio Ecclesiæ affatim à Spiritu sancto donabantur, vt donata sunt Apostolis in Pentecoste. Occasio agendi de iis erat, quia Corinthij de his donis se iactabant, alij illis inordinatè vtebantur, alij dolebant, quòd ea non acceperant, quæ aliis data erant. Docet ergo Apostolus, quæ, quales, quantæ sint istæ gratiæ, & quomodo iis vti quisque debeat.

A DE SPIRITVALIBVS, donis scilicet Spiritus sancti, NOLO VOS IGNORARE FRATRES] sed docco vos ea quæ hîc subtexo. ita Anselm. Vtilis.

SCITIS QVONIAM CVM GENTES ESSETIS, AD SIMVLACRA MVTA PROVT (seu quædam mancipia) DVCEBAMINI (à consuetudine, institutione maiorum, & sacrificulorum, atque à dæmonis impulsu) EVNTES] id est ibatis. Græcè ἀπαγόμενοι, abducti, id est abducebamini. Ponitur hîc de more Hebræorum participium pro verbo, scilicet præ- Vtilis.

imperfecto, iuxta can. 29. Sic Rom. 12. 11. A
Zelo instruit: *feruentes*, id est feruete: *Domino seruientes*, id est seruite: *spe gaudentes*, id est gaudete, inquit S. Chrysost. q. d. Memento te, ô Corinthij, cùm Gentiles essetis, colebatis idola, id est lapides & ligna muta, quæ nihil habent spiritus, sensus, loquelæ, vigoris, aut virtutis, & multò minùs sui cultoribus illa communicare possunt. Iam verò facti Christiani colaris Deum, qui est pure spiritus, plenus omni gratia & sapientia, eique hæc ipsa spiritalia sua dona abunde in vos effudit, vt experimini: agnoscite ergo gratiam à Christo vobis factam, agnoscite mutationem vestram, agnoscite & colite horum omnium auctorem Christum, & Spiritum sanctum. Patet ex eo quod sequitur:

IDEO NOTVM VOBIS FACIO, QVOD NEMO IN SPIRITV DEI LOQVENS, DICIT ANATHEMA IESV] Nota, vi idèo deducit hunc versum ex præcedentibus, eosque finem & scopum indicat & explet. q. d. Idèo renouaui vobis memoriam vestri gentilissimi & verorum idolorum mutorum, vt nimirum agnoscatis, & dignè ponderetis, æstimetisque statum vestrum ex gentilismo, vbi simulacra eum inuocabatis; & gratiã Spiritus sancti quam adepti estis in christianismo, vbi non idola muta, sed Christum & Spiritum sanctum aditis & inuocatis, eique dona linguarum, aliaque recipitis, vt sitis secundum & facundum esse Spiritum sanctum, præ mutis idolis, qui vos facit tam diserte tam sapientes, tam diuinos; agnoscite ergo Spiritus sancti potentiam, vt non contendatis amplius vti loletis, de gratiis gratis datis, cùm omnia habeatis à Spiritu sancto, quia sua dona distribuit, prout vult: & qui minora accepit, non doleat; & qui maiora non superbiat, ita Chrysost. B

NEMO IN SPIRITV DEI (per Spiritum, vel habens Spiritum Dei) LOQVENS, DICIT ANATHEMA Iesu] id est, maledicit Iesu, execratur Iesum. Græcè enim est accusatiuus, λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν, id est, non dicit anathema esse Iesum (ita legit quoque Hilarius & Tertull.) Sed potius talis Iesum agnoscit & inuocat, quasi auctorem gratiæ, salutis omniumque donorum spiritualium: hoc enim per medium intelligendum reliquit Paulus.

Nota. Hæc Corinthiis dicit & inculcat Paulus, partim propter Iudæos, qui etiam hodie perhibentur in synagogis suis dicere *Herma*, id est anathema, Iesu & Christianis, ait Caietan. partim & potiùs propter Gentiles, inter quos viuebant Corinthij, hi enim, & horum vates, sacerdotes præsertim maledicebant Iesu: imò hoc signo explorabant Gentiles, maximè Præsides, an quis esset Christianus nec ne; iubebant enim maledicere Christo, vt iussisse se fatetur Plinius epist. ad Traianum: *Propositus*, ait, *est libellus multorum nomina continens* (qui accusabantur quòd essent Christiani) *qui negant se esse Christianos, aut fuisse, cùm præsente me deos appellarent, & imagini tuæ* (quam propter hoc iussam cum simulacris numinum adferri) *thure ac vino supplicarent: præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reuera Christiani, ego dimittendos putaui. alij se Christianos fuisse dixerunt, sed esse desisse, hi omnes imaginem tuam, & deorum simulacra venerati sunt, & Christo maledixerunt.* Hactenus. C

NEMO POTEST DICERE, DOMINVS IESVS, NISI IN SPIRITV SANCTO] Pro *Dominus Iesus*, græcè est κύριον Ἰησοῦν, Dominum Iesum. ita Syrus, Ambrosius, Hilarius l. 2. de Trinitat. Prosper 2. de Vocat. Gent. 2. Origen. hom. 17. in Genes. Opponit enim Apostolus hæc duo, dicere anathema Iesum, & dicere Dominum Iesum, id est agnoscere, credere, inuocare, & prædicare nomen Domini Iesu, eiusque fidem profiteri, scilicet Iesum, esse Dominum nostrum, vt vertit Syrus: profiteri, inquam, & inuocare, vti oportet, & vti proficuum est ad salutem. hoc facere nemo potest, *nisi in Spiritu sancto*, id est, nisi per Spiritum sanctum: fides enim, spes, & oratio sunt dona Spiritus sancti.

Nota. Non negat hîc Paulus infideles, cum solo concursu Dei generali, posse proferre nomen Iesu, aut de eo habere cogitationem aliquo modo bonam; sed tantùm neminem absque gratia Christi & Spiritus sancti posse per veram fidem, & pium affectum seriò & ex corde, inuocare Dominum Iesum, illumque confiteri esse Dominum & Redemptorem nostrum; aut etiam dicere in corde suo, & cogitare aliquid de eo, quod in suo gradu & ordine, ad remissionem peccatorum, gratiam & finem supernaturalem, id est ad beatitudinem, conferat & disponat. ita Anselm. & Ambros. Et patet, quia loquitur Corinthiis fidelibus, eorumque fastum, quo in donis & gratiis suis superbiebant, reprimit ex eo quòd fidem Christi omniaque dona non à se habeant, sed à Spiritu sancto. q. d. Hæc dona adeò non sunt vestra, sed Spiritus sancti, vt nec Iesum agnoscere & inuocare ex vobismetipsis possitis: sed agnitio hæc & inuocatio sit Spiritus sancti donum. D

Quomodo nemo possit dicere Iesus *nisi ex Spiritu sancto.*

DIVISIONES VERO GRATIARVM SVNT] gratiæ diuisæ sunt per Ecclesiam, hæc vni, illa alteri datur, & diuiditur. Hæ enim Hebræis vocantur מחלקות *machlecot*, id est diuisiones. VERS. 4.

IDEM AVTEM SPIRITVS] scilicet est gratias has distribuens.

ET DIVISIONES MINISTRATIONVM (græcè διακονιῶν, ministeriorum) SVNT] q. d. Ministeria sacra variè distributa sunt per Ecclesiam. VERS. 5.

IDEM AVTEM DOMINVS] scilicet Iesus Christus est, à quo vt Deo, & per quem vt hominem illa accipimus, quique variè ministeria sua distribuit, vt ei variè à variis ministretur. ita Anselm.

ET DIVISIONES OPERATIONVM SVNT, IDEM VERO DEVS, QVI OPERATVR OMNIA IN OMNIBVS] Nota. Aptè Apostolus gratias, seu dona tribuit Spiritui sancto seu fonti bonitatis; ministeria Filio, seu Domino; operationes Deo, scilicet Patri, quasi primo omnium principio. ita Theophyl. Anselm. & alij. VERS. 6.

Nota Secundò. Gratiæ hîc intelliguntur gratis datæ; ministeria sunt officia ministrandi Ecclesiæ, vt episcopatus, diaconatus, præfectura & cura pauperum; operationes sunt miracula, vt expulsio dæmonum, sanatio ægrorum, resuscitatio mortuorum: hæc enim propriissimè dicuntur ἐνεργήματα, &, vt v. 10. se explicans addit, ἐνεργήματα δυνάμεων. quod Erasmus vertit, *efficaciæ potentiarum*; Noster, *operatio virtutum*. Nam δύναμις est potentia, virtus, facultas; ἐνέργεια verò actio; ἐνέργημα opus, vt ex analogia linguæ Græcæ liquet, & ipse Paulus declarat, dum subdit: ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν, *qui operatur omnia in omnibus*. ita Maldonat. in Notis manuscr.

Quænam hîc sint gratiæ, quæ ministeria, quæ operationes.

Prima sententia.

Quid ἐνεργήματα.

Verùm planiùs & apertiùs dicemus Apostolum omnes gratias gratis datas vocare, Primò, gratias

Secunda & melior.

gratias, quia gratis dantur. Secundò, easdem vocare ministrationes, vel ministeria, quia per eas quisque ministrabat Ecclesiæ. Tertiò, illas ipsas vocare operationes, græcè ἐνεργήματα, q.d. efficacias: quia per illas mirificam vim accipiebant fideles à Spiritu sancto, vt ea dicerent & facerent, quæ vim naturæ & captum hominum superant. Has ergo gratias operatur tam Spiritus sanctus, quàm Pater & Filius. omnia enim opera ad extrà, vt loquuntur Theologi, quæ scilicet in res creatas dimanant, sunt tori Trinitati communia: eadem tamen aptè, qua operationes sunt, appropriantur Patri; qua ministrationes, Filio; qua gratiæ, Spiritui sancto, vt dixi.

Opera ad extrà toti Trinitati sunt communia.

QVI OPERATVR OMNIA] Primò, operatur Deus omnia naturalia per concursum vniuersalem, concurrentibus tamen effectiuè causis secundis, vti contra Gabrielem Biel docent Theologi. Sic Deus operatur omnia bona naturæ & fortunæ; & quòd hic sit diues, ille pauper, Dei iudicio & voluntati tribuendum est, ait Chrysost. de quo vide eum in morali homil. 29.

Deus operatur omnia naturalia concurrendo effectiuè cũ omnibus causis secundis.

Secundò, operatur Deus omnia supernaturalia, tum gratum facientia; tum, quod propriè hic intendit Apostolus, gratis data, vt putà, miracula, quæcumque Sancti petunt & impetrant à Deo, vel nomine Dei fieri imperant, Deus ad preces vel nutum eorum eadem physicè operatur propriè & per se.

Secundò, operatur Deus per se omnia supernaturalia, præsertim gratis data.

Non ergo hinc sequitur, concursum Dei præcurrere & prædeterminare concursum causæ secundæ & liberi arbitrij in operibus bonis, & gratiæ gratum facientis: quia in his Deus operatur omnia per gratiam præuenientem, qua excitat voluntatem, & per gratiam cooperantem, quæ cum voluntate & libero arbitrio liberè operante, simul operatur opus bonum; sed, vt dixi, Apostolus non agit propriè de operibus gratiæ gratum facientis, sed gratis datæ, vt patet ex sequentibus.

Concursus Dei nõ prædeterminat.

Nota. Pro *operatur*, S. Hilarius lib. 8. de Trinitate legit *inoperatur*. Græcum enim ἐνεργεῖ significat intimam præsentiam, vim & efficaciam, qua Deus intimè omnia operatur, maximè miracula, & dona gratuita. de his enim agit toto cap. Paulus.

VERS. 7. VNICVIQVE AVTEM DATVR MANIFESTATIO SPIRITVS, donum scilicet Spiritus sancti, quo manifestatur ipse Spiritus sanctus, qui doni est auctor: datur inquam AD VTILITATEM] non propriam, sed totius Ecclesiæ.

VERS. 8. ALII QVIDEM DATVR SERMO SAPIENTIÆ] facultas scilicet explicandi sapientiam, id est altissima mysteria Trinitatis, incarnationis, prædestinationis, vt explicat c. 13. 2.

ALII AVTEM datur SERMO SCIENTIÆ] vt scilicet explicet quæ ad agenda, moresque pertinent. Ita sapientiam à scientia distinguit S. August. libr. 12. de Trinit. c. 14. & 15. & sic capit scientiam Apostolus c. 8. Alij scientiam intelligunt, qua res fidei per exempla, comparationes, rationes humanas & philosophicas explicantur.

VERS. 9. ALTERI FIDES IN EODEM SPIRITV] Paulus hîc fidem intelligit, non theologicam, quam omnes Christiani habent, sed eam quæ mater est miraculorum, quæ excellens est fides, quæq; fidem theologicam includit; est q; insuper constans fiducia in Deum, ad quiduis impetrandum, & ad miracula operandum, v. g. vt Christus ait, ad montes transferendum. patet id c. 13. v. 2. ita Chrysost.

Fides triplex. Prima, miraculorum; quæ illa est.

Secundò, Ambrosius & Anselmus per fidem accipiunt donum intrepidè profitendi & prædicandi fidem.

Tertiò & optimè, fides hîc, est intelligentia magna mysteriorum fidei ad ea contemplanda, & explicãdum. Sic enim ad Rom. 12. 6. dicit Prophetas habere prophetiam, & debere prophetare, hoc est docere *secundùm rationem fidei*, id est, iuxta mensuram intelligentiæ rerum fidei sibi à Deo datam. Fidem ergo hîc illustrem intelligit, quæ in paucissimis est, qua qui præditi sunt, facilè rebus diuinis assentiuntur, ait Maldonat. in Notis manuscr. Nam fides miraculorum videtur includi in operatione virtutum, quæ sequitur v. seq. vt inter alios rectè aduertit Toletus in Rom. 12. 6.

ALII GRATIA SANITATVM IN VNO SPIRITV] per vnum & eumdem Spiritum sanctum.

ALII OPERATIO VIRTVTVM] maiorum scilicet miraculorum, quæque non corpus, & morborum curam; sed animam & quæuis alia spectant; qualia sunt excitare mortuos, dæmones eiicere, punire incredulos & impios per miraculum, vti S. Petrus Ananiam & Sapphiram miraculosa morte punit, Act. 5. ita Chrysost. & Ambrosius. & sic distinguitur operatio virtutum à gratia sanitatum.

ALII DISCRETIO SPIRITVVM] cogitationum scilicet, & intentionum cordis, & consequenter actionum & sermonum, vt sciat an à naturæ, an à dæmonis, an à Dei vel angeli spiritu & instinctu proficiscantur. ita Chrysost. Ambros. Anselm. Tale donum habuit S. Hilarion teste S. Hieronymo in eius vita, & S. Monica apud S. August. l. 3. Confess. cap. 11. & S. Vincentius Ferrerius, atque nonnulli hodie, præsertim qui animas regunt & dirigunt: estque confessariis hoc donum perutile, & à Deo expetendum, in quantum conscientiarum plena cognitio & cura illud requirit.

ALII INTERPRETATIO SERMONVM] obscurorum, maximè sacræ Scripturæ. Hinc olim in Ecclesia Interpretes erant: quorum officium erat interpretari Primò, eos qui in cœtu Ecclesiæ ex dono linguarum peregrina lingua prophetabant, vel hymnos canebant. Secundò, illos qui obscura & alta mysteria afflati Sp. sancto eructabant. Tertiò, epistolas S. Pauli & aliorum ad plebem suam missas publicè exponere. Quartò, eas vertere in alias linguas. sic multi censent S. Clementem epistolam ad Hebræos, ex Hebræo in Græcum versisse. Hinc patet sacram Scripturam non esse claram omnibus, nec priuato cuiusuis spiritu interpretandam, vt volũt hæretici; cùm ad hoc posuerit Deus in Ecclesia interpretes.

Aduerte hîc. Illis interpretibus iam successerunt professores linguæ Hebrææ, Græcæ, & sacræ Scripturæ.

Ex hoc cap. & seq. Theologi acceperunt diuisionem gratiæ in gratum facientem, quæ perficit ipsum subiectum, vt sit Deo gratũ, qualis est charitas, castitas, pietas, aliæque virtutes: & gratis datam, quæ ordinatur ad perfectionem aliorum: & licet Apostolus hîc tantùm nouem numeret gratias gratis datas, plures tamen esse possunt.

Vbi Nota. Verisimile est ex nouem hîc ab Apostolo recensitis gratiis, quinque esse habitus permanentes, scilicet sapientiam, scientiam, fidem, genera linguarum & interpretationes sermonum, & aliquando etiam discretionem spirituum: reliquæ quatuor non sunt habitus, sed motiones trans-

rendum est scilicet gratia sanitatum, operatio virtutum prophetia, & discretio spirituum, vt rectè Bellarminus annotauit lib. 1. de Gratia c. 10.

DIVIDENS SINGVLIS PROVT VVLT] Pro *diuidens singulis*, græcè est Διαιρῶν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, id est, diuidens vnicuique priuatim, peculiariter, propriè, vel propria, scilicet cuique dona & charismata, vt S. Hieronymus dialogo 1. contra Pelagianos.

PROVT VVLT] non homo, vt intelligebat Origenes, sed Spiritus sanctus: ergo, ait Theophyl. Spiritus sanctus est Dominus & Deus, neque efficitur, sed effert omnia æquè vt Pater: quia operatur omnia in omnibus, vt dixit Apostolus v. 6. Operari enim omnia, quod v. 6. tribuit Patri, hîc tribuit Spiritui sancto.

Hinc patet Secundò Spiritum sanctum, vt Deum, esse liberi arbitrij, ac liberè operari. B

Tertiò hinc refellas Abailardum, Wiclef, Calvinum, qui docent Deum non posse facere nisi id quod facit: hoc enim est tollere omnipotentiam à Deo, Deumque æquè ac hominem subijcere fato, adeoque Deum diuinitate spoliare, eamque fato conferre: sic enim Deus non operaretur prout vult sed prout voluerit fatum, rebus omnibus ipsique Deo dominans.

SICVT ENIM CORPVS (naturale & animale, putà hominis) VNVM EST, ET MEMBRA HABET MVLTA; OMNIA AUTEM MEMBRA CORPORIS CVM SINT MVLTA, VNVM TAMEN CORPVS SVNT: ITA ET CHRISTVS] vnum scilicet corpus habet, putà Ecclesiam, cuius varia sunt membra, & ipse est caput. Vtitur enim Apostolus sæpè ellipsi, & multa subaudit, vt dixi cap. 10. 8.

Sed obijcit S. Augustinus lib. 1. de Peccat. meritis. c. C 28. si hoc vellet Apostolus, tunc dicere debuisset: *Ita & Christus*, potiùs quàm, Christus: Christi scilicet corpus est Ecclesia, multa habet membra.

Vide Secundò, Iac. Faber Stapulensis hinc docere Christi corpus, vtpote toti diuinitati indiuulsè vnitum, localiter replere cælum & terram, quasi sint locum & corpus: vt, sicut Plato Deum dixit esse animum mundi, & per consequens esse quasi totum mundum; sic Christi corpus, vtpote deitati arctè coniunctum, sit instar diuini Spiritus diffusum per totum mundum, cuius quasi partes & membra sint singula locorum spatia & corpora, quæ tamen respectu vnius deitatis & corporis Christi quasi animæ suæ, vnum sint corpus, putà vnus mundus. Atque hinc suam hæresim, quòd corpus Christi sit vbique, sumpsisse putantur Vbiquetarij: quod insulsum dogma multi, sed exactissimè D Gregorius de Valentia refellit libris quinque contra Vbiquetanos.

Dico ego Tertiò, simpliciter cum S. Augustino huius loci est: *Ita & Christus*, scilicet est corpus vnum, putà Ecclesia. Christus enim non tantum est caput Ecclesiæ, sed & corpus: quia omnia Ecclesiæ membra sustentat, & in omnibus operatur; per doctorem docet, per ministrum baptizat, per fidelem credit per pœnitentem pœniter. Sic etiam Christus non localiter, sed mysticè & virtualiter siue operatiuè, & per efficientiam est corpus, hoc est vitæ anima & spiritus totius Ecclesiæ: & sic Ecclesia est corpus Christi, quasi capitis; sic vicissim Christus est corpus Ecclesiæ, quasi in omnia Ecclesiæ membra se per gratiam & operationem transfundens. Sic Apostolus sæpè ait nos vnum esse in Christo, nos per baptismum incorporari & complantari Christo. Et Christus ad Paulum: *Quid me*, id est Christianos meos, qui sunt membra mea, *persequeris?* Actor. 9. Sic rursum Paulus: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* adeoque quod aiebat S. Franciscus, *Deus meus, amor meus, & omnia*; aiebat de Christo Paulus, *Amor noster, Christus noster, & omnia.*

IN VNO SPIRITV (per vnum eumdemque Spiritum sanctum) OMNES NOS IN VNVM CORPVS BAPTIZATI SVMVS, SIVE IVDÆI, SIVE GENTILES; SIVE SERVI, SIVE LIBERI] Probat Christum esse vnum corpus habens multa membra, ex baptismo: quia scilicet per baptismum in vnum corpus, scilicet Ecclesiæ, & consequenter Christi, renati & inserti sumus, in quo eadem anima, scilicet spiritu Christi, viuimus; & eadem esca, scilicet Eucharistia, alimur omnes, siue Iudæi, siue Gentiles; siue serui siue liberi. VERS. 13.

Nota τὸ *in vnum corpus*, scilicet Christi mysticum, quod est Ecclesia, ac consequenter in ipsum Christum, qui, vti iam dixit, est quasi corpus totius Ecclesiæ.

BAPTIZATI, id est baptismo incorporati, SVMVS, ET OMNES IN VNO SPIRITV POTATI SVMVS] scilicet in calice Eucharistiæ vnum Christi spiritum cum sanguine hausimus. Vnde Græca quædam habent, vt legit Clem. Alexand. libr. 1. Pædagogi c. 6. πάντες ἓν πόμα τὸ Πνεῦμα, *omnes vno potu potati sumus*, vt scilicet vnum eumdemque ex eo Christi spiritum participemus, qui per omnia permeans singula membra viuificat, & suis functionibus reddit idonea: q. d. Non tantùm nati sumus, & quasi membra inserti in idem corpus iam dictum; sed & eodem alimento vtimur, scilicet carne & sanguine Christi in Eucharistia. nam ex vna specie Eucharistiæ, scilicet vini, alteram panis, id est, ex potu cibum intelligit: vtiè contrario ex panis specie vini speciem intelligit c. 10. 17. ita Chrysost. & pulchrè Caietan. hîc.

Hinc patet omnes baptizatos, siue boni sint, siue mali, esse corpus Christi, id est, esse de Ecclesia, illique quasi membra per baptismum esse insertos: anima enim huius corporis, scilicet Ecclesiæ, est fides, quam habent omnes fideles, etiamsi improbè viuant, de quo plura dicam Ephes. 5. 27. *Omnes baptizati, siue boni sint, siue mali, sunt in Ecclesia.*

SED MVLTO MAGIS QVAE VIDENTVR MEMBRA CORPORIS INFIRMIORA ESSE, NECESSARIORA SVNT] S. Chrysost. & Theoph. per hæc membra oculos accipiunt, qui parui sunt & imbecilles, sed tamen maximè necessarij. Verùm, quia versu præcedenti oculum inter nobiliora membra, quæ corpori dominantur, retulit; meliùs alij per membra infirmiora accipiunt ventrem & ventre contẽta. Venter enim quasi culina & nutrix totius corporis, quæ singulis membris cibum concoquit & dispertit, maximè necessarius est vitæ & corpori. VERS. 22. *Membra infirmiora sunt venter & intestina.*

ET QVAE PVTAMVS IGNOBILIORA MEMBRA ESSE CORPORIS, HIS HONOREM ABVNDANTIOREM CIRCVMDAMVS] Membra ignobiliora sunt pedes, ait Chrysost. Ambros. & Theophyl. *His honorem abundantiorem circumdamus*, id est, diligentiùs eos custodimus, vestimus, calceamus, elegantibus crepidis, calceis, vel ocreis eos ornamus & communimus, ne in saxa impingant, ne incedendo lædantur, ne nimio frigore vel humore aliquam intemperiem noxiam, quæ in stomachum & caput redundet, contrahant. VERS. 23. *Membra ignobiliora sunt pedes.*

Carnel. in epist. Pauli.

Honor hic vocatur ornatus pedū.

Nota. *Honor* hîc vocatur, tum ipse vestitus, tum ornatus pedum per calceos, vel ocreas, in quibus multi, præsertim iuuenes nobiles & milites, curiosi sunt & elegantes: qua de causa Homerus vocat εὐκνημίδας Ἀχαιούς, id est, benè, vel eleganter ocreatos Achiuos.

Membra inhonesta sunt verenda, cur.

QVÆ INHONESTA SVNT NOSTRA, ABVNDANTIOREM HONESTATEM HABENT] *Inhonesta*, intelligit verenda. ita Chrysost. Ambros. & Theophyl. Vocantur, ait S. Augustin. libr. 2. Retract. 7. verenda *inhonesta*, non ex naturæ prima institutione, sed quia post peccatum in ijs maximè regnat concupiscentia, quæ legi mentis repugnat, ideoque homini pudenda est: pudet enim hominem quasi dominum, quòd membrum hoc ita sibi sentiat rebelle. Hæc *abundantiorem honestatem habent*, id est, hæc diligentiùs & honestiùs tegimus atque vestimus, vt, etiamsi quis toto corpore nudus sit, hæc tamen membra nudari nō patiatur, ait Theophyl. Rursus hæc membra honestantur in coniugio, tamquam illa quæ ad liberorum propagationem, & generis nostri æternitatem necessaria sint, ait Chrysost. Vnde & legibus Romanis quisquis ea præscidisset, & se euirasset, grauissimè puniebatur, quasi qui communi generi offecisset, & vim naturæ intulisset.

Id Romanis grauiter puniebatur qui se euirasset.

Alij eadem accipiunt membra infirmiora, ignobilia & inhonesta, scilicet ventrem, & membra vētri subiecta: sed Apostolus ea distinguit, & quasi distincta connectit per copulam &. Iam sensus est, q. d. Sicuti in corpore hæc membra infirmiora, & ignobilia, & inhonesta præ alijs curamus, quasi magis vtilia, vel necessaria: ita & in Ecclesia qui minores sunt, licet infirmi, ignobiles, contemptibiles videantur; subinde tamen magis sunt vtiles, magisque iuuandi, & curandi. ita Chrysost. Theoph. Anselm. Vide, quàm mendici vtiles sint Ecclesiæ, apud Chrysost. in moral. homil. 20. & contra inuidiam homil. 31. Sic apologo ventris à membris deserti, Senatus Romani à plebe deserti causam apud plebem, quæ in Sacrum montem ex vrbe secesserat, egit & peregit Menenius Agrippa, teste Liuio l. 2. dec. 1. *Tempore*, inquit, *illo, quo in homine non, vt nunc, omnia in vnum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, sua lingua, sermo fuerat: feruas indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quari, ventrem in medio quietum nihil aliud quàm datis voluptatibus frui; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent. hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa vnà membra totumq; corpus ad extremam tabem venisse: inde apparuisse ventri quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus vigemusq;, diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. comparando hinc, quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in Patres, flexit Menenius mentes hominum.*

Mendici vtiles sunt Ecclesiæ.

Apologo vētris à membris deserti reduxit Menenius plebem Romanam ex Sacro monte in vrbem.

VERS. 24. *Quæ membra honesta corporis.* HONESTA AVTEM NOSTRA (putà oculi, facies, manus, quæ sunt membra honestiora & nobiliora corporis) NVLLIVS EGENT] quia per se satis decoris & honoris habent.

ABVNDANTIOREM TRIBVENDO HONOREM] maiorem scilicet custodiam, curam, amictum, ornatum, vt dixi v. 22.

VERS. 25. VT NON SIT SCHISMA IN CORPORE (quale iam retuli ex Menenio) SED IDIPSVM PRO INVICEM SOLLICITA SINT MEMBRA] *Idipsum*, vt scilicet eandem & mutuam pro sese inuicem sollicitudinem gerant: vel *idipsum*, id est in idem, scilicet bonum commune totius eiusdem corporis, sollicita sint singula membra.

ET SI QVID PATITVR VNVM MEMBRVM, CONPATIVNTVR OMNIA MEMBRA] *Compatiuntur*, vt si membrum patiens dolore leuetur, *non per commune claudium, sed per solatium charitatis*, ait S. Augustin. epist. 133. Vnde S. Basil. in reg. breuior. reg. 174. docet ardentem signum dilectionis esse duplex. Primò si pro proximi vtilitate lætetur, & pro eius bono. Secundò, si de eius malo & peccato tristetur & moereat. Qui hæc non habet, non diligit.

Hinc colligunt Doctores, animas beatas, vt pote charitate nostri flagrantes, nos in miseris & periculis nostris orationibus suis iuuare; & nos vicissim iuuare debere animas in Purgatorio detentas, patiuntur enim illæ acrem ignem, ac proinde crudelis sit oportet, qui eis non compatitur, easque iuuet & liberet.

SIVE GLORIATVR] gloria afficitur, græcè συνχαίρει, id est, vt Ambrosius, glorificatur; *sym fae exultat vnum membrum, exultabunt omnia membra.* Pulchrè ex S. Chrysostomo Salmeron: *Quamuis*, inquit, *habet quidquid est in corpore, tollite inuidiam & tuum est quod habeo. Rursus patiatur oculus*, inquit Chrysost. *omnia dolebunt, omnia cessabunt, non pedes ibunt, non manus operabuntur, non frui iam consueto cibo ventri libebit, oculorum luat ipsa dolor. Quid ventrem oculo mordes? quid pedes remoraris? quid manus vincis? quia innexa natura sentimus, modoq; ineffabili compatiuntur.*

VOS AVTEM ESTIS CORPVS CHRISTI, ET MEMBRVM DE MEMBRO] Nota, τὸ *membra de membro* quid sit. Imò, D. Thomas sic explicat: *Vos estis membra de membro principali*, quod est Christus: est enim Christus caput Ecclesiæ. Secundò, Anselmus, *membra de membro*, id est, estis membra Christi per ministerium alterius membri, scilicet Petri, per quem Christo capiti & corpori Ecclesiæ vnimini.

Verùm Nota. Pro *de membro*, græcè est μέρος, id est ex parte (& sic legūt hîc aliqui Latini, vt ad inuicem, seu vicissim, vt interpretatur Ambrosius) q. d. Estis membra ex parte, id est membra partim quod Noster vertit, *estis membra de membro*, id est membra membrorum, hoc est commembra, compares, q. d. Estis cōfratres eiusdem societatis, & corporis mystici, scilicet Ecclesiæ. ita Chrysost. Syrus vertit, *membra* בְּרוּחְמֵהּ *beduchathehun*, id est, *in loco suo*, ac si dicat, Quisque in parte sua & loco est membrum Ecclesiæ.

D Aduerte hîc. Sicut in corpore, Primò, est vnitas & vnio corporis & animæ; Secundò, diuersitas membrorū; Tertiò, diuersitas officiorum in membris singulis; Quartò, aptitudo & dos cuiusq; membri ad suum officium; Quintò, communio membrorum, qua quodque non sibi soli, sed & alijs operari debet, idque quia sunt membra vnius corporis; Sextò, quies, qua quodque suo gradu & officio contentum est, non ambit aliud, nec inuidet nobiliori; sed omnium summa est vnio & concordia, compassio, & gaudium: ita & omnino se res habet in Ecclesia, in qua quisque à Christo, quasi anima, suum habet charisma, suum talentum, suum officium & gradum, suam functionem, qua nō sibi modò, sed & alijs prosit, suum cuique & limitem à Deo: quem qui perturbat, & ambit, Dei ordinationi & prouidentiæ

habeat gratis à Deo accepit. q.d. Estis, ô Corinthij, membra eiusdem corporis Christi, putà Ecclesiæ; ergo non sint schismata inter vos, vnus alium non spernat, non inuideat, non doleat; sed imò amet, gaudeat; quisque suo loco, gradu, officio se contentus: quia sic particeps erit non tantùm sui boni, sed & aliorum; sicuti pes ambulat pro oculo, aure, ventre: sic vicissim oculus videt, auris audit, venter cõcoquit pro pede. Quòd si inuideat, & nolit oculus pro pede videre, auris audire, venter concoquere; non tantùm illud membrum, sed & seipsum lædet, inquit Chrysostomus; perinde ac si vna manus aliam amputet, seipsam debilitat & debilitat: robustior enim est, si habeat auxilium ab alia manu. Rursum, si natura Deus in corpore inter singula membra concordiam parit & fermat, nec finit inter ea vllam discordiam, aut seditionem; quantò magis gratia Dei, quæ multò est potentior, animorum concordiam efficiet, in Christi Ecclesia? neque perferet in vno hoc corpore aliquod membrum sit sedosum, aut discors? Si magistratus in ciuitate, vrbe regno seditionem non tolerat, sed acerrimè punit, quid faciet Christus schismaticis Ecclesiam suam scindentibus?

A

B

Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, vt caput, secundò Prophetas, vt oculos, tertio Doctores, vt linguam. Vnde non primos sæculares, vt Brentius vult, sunt primi & caput Ecclesiæ; sed Apostoli, & eorum successores Papa & Episcopi. Deus enim in Ecclesia primùm Apostolos posuit, ait Paulus. Deinde virtutes, gratias curationum, id est potestates, hoc est, miraculorum operatores. hi sunt quasi manus Ecclesiæ. ex hoc gratias curationum] curatores scilicet morborum.

C

Opitulationes] qui alijs opitulantur, exercentque circa ægros, pauperes, miseros, peregrinos & hospites opera misericordiæ. Græcè ἀντιλήψεις, subsidiones, hoc est, vt alij legunt, subsidia, suffragationes.

Gubernationes] qui alios regant & corrigant, vt Parochi, ait D. Thomas. vel potiùs gubernationes sunt, vt Theophyl. & Caietan. qui præsunt gubernationi rerum temporalium, quas fideles offerebant Ecclesiæ. Hi enim vltimi sunt quasi pedes in corpore Christi, scilicet Ecclesia. tales fuerunt Diaconi electi ab Apostolis, vt viduis & mensis præessent Actor. 6.

D

Nota, abstracta hîc poni pro concretis, *virtutes*, id est operatores virtutum: *gratias curationum*, hoc est curatores, vel potentes curare: *opitulationes*, id est opitulatores: *gubernationes*, hoc est gubernantes: *genera linguarum*, id est peritos linguarum variarum. hosce enim omnes subnectit Paulus Apostolis Prophetis, Doctoribus, quasi alia membra Ecclesiæ. Vide can. 21. ita Chrysost.

Numquid omnes Apostoli?] q.d. Minimè: quisque ergo suo gradu, in quo à Deo in Ecclesia collocatus est, suaque gratia quàm gratis à Deo accepit, contentus sit, Deoque gratias agat, & sua gratia ad Dei gloriam, & Ecclesiæ commodum vtatur,

Vers. 30.

Numquid omnes gratiam habent curationum] *Ita*, ait S. Augustin. epist. 137. *nec in omnibus memorijs Sanctorum Deus miracula fieri voluit, qui diuidit vnicuique, prout vult.* Itaque non mirum Deum hoc loco, hoc templo, ad hanc, aut illam Deiparæ Virginis statuam miracula operari, non autem alio loco, templo, imagine: rursum huic Sancto hanc gratiam, alteri aliam cõcedere. v.g. vt S. Antonium inuocantes peste; Apollonian. dolore dẽtium; Barbaram, subitanea morte ne sine confessione moriantur, liberentur: quia, vt ait Apostolus, Deus has gratias diuidit prout vult. sic Deus in probatica piscina, non alibi, ægros & aridos miraculosè sanabat, Ioan. 5. sic per virgam Aaronis, non alterius miracula fecit, Numer. 17. sic ad imaginem ænei serpentis, non autem rei alterius, Iudæos ignita lue liberauit, Num. 21. 9.

Variat morbos per inuocationem variorum Sanctorum curat Deus.

Vers. 31.

Æmulamini, sectamini, scilicet petite à Deo, exercete si accepistis, è iam dictis v. 8. charismata meliora] hoc est, vtiliora; putà apostolatum, prophetiam, sapientiam, scientiam, non autem donum linguarum, quod ambire, & in quo inaniter gloriari soletis vos, ô Corinthij. ita Anselm. Alij legunt per interrogationem, & in tempore præsenti *æmulamini*? hoc est, si æmulamini meliora, ecce ostendo vobis viam excellentiorem. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen.

Quæ sint charismata meliora.

Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro] *viam* scilicet charitatis, quæ via est ad Deũ, ad vitam, & gloriam æternam, de qua cap. sequ.

Excellẽtior via ad Deũ est charitas.

Nota. Commẽtarius Hieronymo adscriptus hîc docet, charitatem separari ab Apostolo à charismatibus, hoc est, gratijs gratis datis, quòd hæc gratis dentur à Deo, charitas verò nostro labore & naturæ viribus acquiratur. Vnde colligas hunc Commentarium non esse S. Hieronymi, sed Pelagij vel Pelagiani alicuius, vt dixi initio. Correxit hoc Primasius, qui multa ex hoc Commentario transtulit. & patet charitatem esse donum Dei, Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vnde hîc ait Paulus: *excellẽtiorem viam*, ὁδὸν καθ' ὑπερβολὴν, per hyperbolen, per excessum, id est excessiuè meliorem & præstantiorem viam, scilicet charitatis, vobis ostendo. ita ex Chrysostomo Theophyl. Vnde & Cassianus collat. 11. c. 12. sic legit, *Et adhuc excellentiorem supra modum viam vobis demonstro.* Si ergo gratiæ gratis datæ, quæ minores sunt, à Deo dantur, multò magis charitas, quæ excessiuè illis est melior & eminentior, à Deo peti & dari debet. In hoc ergo distinguit Apostolus charitatem à charismatibus; quòd hæc gratis dentur ad vtilitatem Ecclesiæ, non ad sanctificationem eius cui dantur: charitas verò detur ad hoc, vt is qui illam habet, sanctus & gratus Deo fiat. *Ille*, inquit S. Augustin. serm. de Laudibus charitatis, *tenet & quod patet, & quod latet in diuinis eloquijs, qui charitatem tenet in moribus.*

Error Pelagij, charitatẽ esse donum, non Dei, sed nostrum.

In quo charitas distinguatur à charismatibus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet inter omnia dona & gratias excellere charitatem. Primò, ergo asserit sine charitate nullum donum aut virtutem prodesse.

Secundò, v. 4. enarrat charitatis sedecim conditiones, siue officia in proximos.

Tertiò, v. 8. ostendit charitatis præcellentiam ex eo quòd etiam permaneat in cælo, cùm fides mutanda sit in visionem, spes in fruitionem.

1. SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 2. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 4. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, 5. non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, 6. non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: 7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 8. Charitas numquam excidit: siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. 9. Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus. 10. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. 11. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. 13. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.

Charitas virtutum omnium est regina.

EST toto hoc capite encomium charitatis. Agit verò de charitate tam fusè Apostolus, tum quia charitas omnium virtutum est regina, tum quia vult per charitatem quasi medicinam efficacissimam sanare Corinthiorum fastum & schismata. Charitas enim facit, vt superiores non contemnant inferiores, & vt inferiores non indignentur superiores sibi præferri. Maximè verò commendat eis charitatem, quasi donum præstantissimum, vt illam, non autem donum linguarum, prophetiæ, aut miraculorum, quæ maximi facere solebant Corinthij, consectentur. Et hoc est quod preparans transitum suum ad charitatem, dixit in fine capitis præcedentis: *Aemulamini autem charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam*, charitatis, *vobis demonstro.*

VERS. 1. *Angelorum linguâ aliqui Hebraïcâ accipiunt.*

SI LINGVIS HOMINVM LOQVAR ET ANGELORVM] Angelorum linguam aliqui Hebræam accipiunt, qua Deus, angeli & Adam locuti sunt in paradiso, de quo plura v. 8. Secundò, Glossa, Durandus, Greg. Ariminensis in 2. dist. 9. q. 2. & Molina 1. p. q. 106. art. 1. ex hoc Apostoli loco putant angelos loqui vt homines, non tantùm per species angelo audienti impressas, sed etiam per nutus & signa, sed spiritualia (quæ sint quasi spirituales quidam sermones & loquelæ) illis indita in creatione, sicut Adæ lingua Hebræa fuit indita. Hinc Franciscus Albertinus lib. Corollariorum Theologicorum, corollario 11. quemque angelum ait propriam suam habere linguam, à cuiusuis alterius angeli lingua distinctam: quia Apostolus inquit, *Si linguis loquar angelorum*, nō, Lingua. Verùm hinc sequi videtur, quòd, si angeli hæc signa exhibeant, & loquantur vni, alios illa celare non possint: nihil enim naturale celare possunt, sed tantùm id quod liberum est. hæc autem signa naturalia sunt, eisque cum natura indita & concreata.

Ex hoc loco Franc. Albertinus docet, quemque angelū propriam linguā habere.

Vnde alij cum D. Thoma putant angelos loqui, vt conceptus suos ad alium dirigant, vtque illi innotescere: tunc enim ex congrua Dei ordinatione & concursu fieri obiectum proportionatum, & poni quasi intra sphæram cognitionis, fierique intelligibile illi, cui volunt loqui, non alteri: ita vt ille obiectum hoc quasi ium ob oculos positum videat, & intelligat, non aliuy. Ex quo aliqui concludunt, angelos natura sua non posse mentiri. Sed contrarium videtur verius, scilicet posse eos mentiri: quia possunt angeli concipere falsum, & menti dissonum in intellectu suo formare, eumque dirigere ad alium, cui hoc modo loquuntur: sicut homo format loquelam falsam, & menti dissonam cùm mentitur. Non enim angeli ipsos actus voluntatis in se, id est ipsas volitiones & intentiones suas videndas exhibent: sed horum actuum conceptus in mente effomant, vel veros, vel falsos, prout volunt, eosque repræsentant illi, cui loquuntur. Verùm hæc Scholasticis fusiùs disputanda & diiudicanda relinquimus.

Angelorum ergo hîc linguæ nō sunt sensibiles, vt vult Caietan. sed intelligibiles, scilicet hæ linguæ sunt ipsi conceptus angelici, perfectissimi & pulcherrimi. Vel certè est prosopopœia, & hyperbole, *Angelorum lingua*, id est, elegantissima lingua. Sic vulgò dicimus: Diuinè loquitur. Simili hyperbole dicitur: Facies angeli, vel angelica, id est pulcherrima. ita Theodor. & Theophyl. cum scilicet angeli in se sunt pulcherrimi, & pulcherrimos se exhibent & visu & voce, dum corpus assumunt. Sic ergo hîc, vt & alibi subinde, per hyperbolem lo-

Supra Paulus ex hypothesi, maximè emphaseos causa, q.d. Si essent linguæ angelorum super humanas Hebræam, Græcam, Latinam, & ego eas callerem, neque tamen eis vterer ad commodum proximi, quod esset aliud quàm inanis & obstrepera loquacitas? Ita Græci & Latini. Sic Galat. 1. 8. Si quis inquit *angelus descendat de cælo*. Sic Rom. 8. 38. cum omnes res creatas, summas, imas, medias enumerasset, addit per hyperbolem: *Nec creatura alia*. Nec hîc Paulus Corinthios, qui donum linguarum præ cæteris admirabantur.

CYMBALVM TINNIENS] inconditum & confusum edens: græcè ἀλαλάζον. est onomatopœia. Sonans alala, alala. Sic Apion Grammaticus grammaticatem dictus est *Cymbalum orbis*, teste Suidâ lib. de præclaris Grammaticis.

ET HABVERO OMNEM FIDEM, ITA VT MONTES TRANSFERAM, CHARITATEM AVTEM NON HABVERO, NIHIL SVM] Erasmus vult esse fictionem hyperbolicam, q.d. Charitas longè excellit fidem; sicuti etiam Nobilitas sola est atque vnica virtus.

Sed hoc nimis frigidum est: nam de eleëmosynâ & martyrio, si absit charitas, versu sequenti dicit: *nihil mihi prodest*. Ergo *nihil sum*, id est nullius momenti & gratiæ coram Deo, & in veritate: quia nihil est aliquid coram Deo, reliqui homines in suis oculis & æstimatione Dei sunt quasi nihil. Sine charitate nihil prodest, nihil facit amicitiam cum Deo, nihil est quod homini conciliet iustitiam & salutem, ne fides quidem maxima & excellentissima, quæ montes transferat, qualis fuit in Gregorio Thaumaturgo, qui sua fide montem loco mouit, vt ecclesiæ ædificandæ locum faceret, vt refert Eusebius lib. 7. histor. c. 25.

Dices: Ergo si pœnitens in bonis operibus se exercet ante reconciliationem, illa nihil ipsi prosunt. Respondent aliqui, prodesse, quia pœnitens, quamuis habet charitatem, non infusam quæ facit iustum, sed charitatem, id est affectum sinceri amoris erga Deum, quo ad reconciliationem aspirat. Verum hic affectus nō est, nec dici potest charitas: charitatē enim hîc & alibi sacra Scriptura vocat eminentissimam virtutem, fide & spe maiorem, quæ nos Dei amicos facit.

Secundò, quia affectus timoris, spei & fidei disponunt ad iustitiam, ergo sunt aliquid, etiam sine affectu amoris illius.

Dico ergo: Nihil prosunt bona opera peccatori pœnitenti, nisi sequatur charitas. sic enim ait, eleëmosynam non prodesse, vt patebit v. 3. Dispositio enim, qua dispositio, frustra est & nihil, nisi sequatur forma ad quam disponit: opera ergo sine charitate nihil sunt, id est, nullam iustitiam aut salutem conferunt: & homo sine charitate *nihil est*, scilicet secundùm esse spirituale, quo per regenerationem supernaturalem accipit esse supernaturale & diuinum, fitque noua Dei creatura, filius & heres Dei.

Hinc patet, fidem solam non iustificare.

Respondet Beza, hîc agi tantùm de fide miraculorum. *Nam fides*, inquit, *iustificans, quæ scilicet Dei misericordiam in Christo apprehendit, cogitatione quidem à charitate secerni potest, reipsa numquam, non secùs quàm lux ab igne.*

Sed contrà: quia fides miraculorum includit & supponit fidem propriè dictam, quæ principium est iustificationis; imò fides miraculorum excellentissima est fides, vt hîc significat Apostolus dicens, *Si habuero fidem, ita vt montes transferam*. ergo si fides miraculorum esse potest sine charitate, etiam iustificans esse poterit. Secundò, quia ait Apostolus, *omnem fidem*, quod fraudulenter Beza vertit, totam fidem: si omnem, ergo etiam iustificantem. Tertiò, quia v. 8. & vltim. docet Apostolus, fidem, vti & spem, vtique Theologicam & iustificantem, in hac vita tantùm manere, cùm charitas maneat etiam in futura: ergo fides à charitate separatur. ita Chrysost. Anselm. Theophyl. & alij, ac in primis S. August. lib. 15. de Trinit. c. 18. *Fides*, ait, *iuxta Apostolum sine charitate esse potest, prodesse non potest*. Et sermone de tribus virtutibus, fide, spe, charitate, tomo 10. de sola charitate dicit, *quòd distinguat inter filios Dei, & filios diaboli; inter filios regni, & filios perditionis*. ac rursum libr. de Natura & gratia c. vlt. *Charitas inchoata*, inquit, *inchoata iustitia est, charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est*. Vide Bellarminum lib. 1. de iustificatione c. 15. Quæ sit fides miraculorum dixi c. præcedenti v. 9. Qua ratione fidei tribuenda sit operatio miraculorum, docet diuus Thomas de potentia q. 6. a. 9.

Fraudulēter Beza pro omnē, vertit totā fidem.

Fides sine charitate esse potest, nō prodesse.

Quæ ta in homine est charitas, tanta est & iustitia.

ET SI DISTRIBVERO] Græcum ψωμίζω significat frustulatim quasi concisum panem aut escam ingerere ori puerorum, vel ægrotorum, vt dixi Rom. 12. v. 20. hîc verò significat omnem substantiam suam in talem vsum expendere. VERS. 3.

SI TRADIDERO CORPVS MEVM, ITA VT ARDEAM; CHARITATEM AVTEM NON HABVERO, NIHIL MIHI PRODEST] Græca quædam pro καυθήσομαι id est ardeam, legunt καυχήσωμαι, id est glorier, & ita legit Hieron. in fine cap. 5. ad Galatas: sed communis Græcorum, Latinorum, & Syri lectio est: ἵνα καυθήσομαι, vt ardeam.

Dices, Ergo martyrium esse potest sine gratia & charitate, cum peccato & damnatione.

Quæst. An Martyr possit esse sine charitate & damnari?

Nota Primò. Sicut eleëmosynam dare, ita & tradere quis potest corpus varijs modis & motiuis; v. g. pro patria, pro proximo, pro corporis castigatione, ex vana gloria: rursum pro fide, pro Christi & Dei amore; & tunc est martyrium.

Quid sit martyrium, & cuius virtutis actus.

Secundò, martyrium est actus elicitus à virtute fortitudinis, imperatus sæpè à charitate, potest tamen non à charitate, sed ab alia virtute imperari, vt à religione vel obedientia; putà, si quis se offerat martyrio, vt Deum honoret, vel illi obediat: quæ tamen manant etiam ex generali quadam dilectione Dei.

Martyrium cōfert gratiam iustificantē etiam primā quasi ex opere operato.

Tertiò, martyrium ex quacumque virtute obitum confert gratiam iustificantem, etiam primam, quasi ex opere operato, vt docent Theologi, & cōsequenter confert charitatem, nec ab ea vt termino suo separari potest.

Conclusio prima.

Dico ergo Primò, Apostolum loqui in genere de quauis traditione corporis vt ardeat: siue id faciat quis pro patria, vti fecit Mutius Scævola, qui volens occidere regem Porsenam Romam obsidentem, cùm errasset, esset{que} iam in potestate hostium, vt ostenderet quàm mortem pro patria cōtemneret, manum combussit, *Vt scias* (aiebat ipse Porsenæ) *quàm vile nobis sit corpus gloriam spectantibus*. Siue id faciat quis ob inanem gloriam, vti fecit Peregrinus, qui ob immortale nomen sibi compararet, in certaminibus Olympicis se in rogum comburendum iniecit, vt testis est oculatus Lucianus in Peregrino. Siue etiam quis se igni tradat ob fidem Christi, simul tamen seruando odiū proximi, aut

Mu. Scæuola manum pro patria combussit.

Peregrinus ob nomen immortale in rogum se coniecit.

Martyriũ materiale potest esse sine charitate & cum peccato mortali. Conclusio secunda.

aut voluntatem peccandi mortaliter : quod martyrium est materiale, non formale, tum enim est sine charitate & nihil prodest. ita D. Thom. Anselm. Theodor.

Hinc dico Secundò, Apostolum loqui quoque de traditione corporis in martyrio materiali & etiam formali, sed conditionatè. q.d. Si martyrium esse posset sine charitate, nihil prodesset. ita S. Chrysost. & Theoph. Vnde Theodor. & S. Basilius epist. 75. ad Neocæsarienses notant hîc esse hyperbolen: si velis non tantùm conditionatè, sed & absolutè Apostolum loqui.

Conclusio tertia.

Martyriũ antecedenter, quatenus est opus operantis, potest esse sine charitate: consequenter ex opere operato semper adducit charitatẽ.

Dico Tertiò. Martyrium antecedenter siue ex opere operantis quatenus nimirum spectatur tantùm opus ipsum in se, siue meritum eius qui patitur martyrium, potest esse sine charitate. Vt si quis existens in peccato mortali pro fide Christi mori velit, necdum habens charitatem: & sic nihil prodest martyrium: consequenter tamen ex opere operato, in sui termino semper martyrium adducit charitatem. hoc enim ipso quo quis, etiam peccator, pro fide occiditur, infunditur ei quasi ex opere operato charitas & iustitia; & sic martyrium plurimùm prodest. Hoc ergo modo sensus Apostoli hic erit: Martyrium nihil prodest, nisi vel antecedat, vel sequatur, vel adsit charitas, siue vt principium, siue vt terminus & effectus martyrij. ita D. Thomas, Caietan. & Francisc. Suarez 3. p. qu. 69. disput. 29. sect. 2. q.d. ait Anselmus, Sine charitate nihil, licet excellens, prodest; cum charitate verò omnia, licet vilia, prosunt, fiuntque aurea & diuina.

Sensus Apostoli.

NIHIL MIHI PRODEST] οὐκ ὠφελοῦμαι, non iuuor, non capio vtilitatem (scilicet vt iustificer & saluer.) ita Syrus. *Tanta est charitas, quæ si desit, frustra habentur cætera: si adsit, habentur omnia*, ait S. August. sententia 326. in fine tomi 3.

VERS. 4.

V. Const. c. 4. f. 90. 1. d.

CHARITAS PATIENS EST, BENIGNA EST] Ambros. legit: Charitas magnanima est (ita quoque sæpè legit S. Cyprian. & Tertull. libr. de Patientia cap. 12.) iucunda est. Græcè pro *patiens est*, habetur μακροθυμεῖ, longanimis est. ita & Syrus.

Patiens est charitas, quia parit patientiam.

Nota. *Charitas patiens est*, non formaliter, sed causaliter, quia parit patientiam & benignitatem: quia patientia æquè ac benignitas non est actus elicitus, sed imperatus à charitate. Pulchrè Tertull. l. de Patientia cap. 11. docet nullam esse perfectam virtutem quæ non habet comitem patientiam, itaque in omnibus beatitudinibus quas Christus Matth. 5 enumerat, patientiam quoque intelligendam esse. Et c. 12. docet thesaurum charitatis disciplina patientiæ contineri, & ipsam charitatem à patientia quasi à magistra eruditi. Expendens enim hæc Apostoli verba: *Charitas patiens est*, sic ait: *Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, cuius nisi patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis est, ita patientiam sumit: benefica est, malum patientia non facit: non æmulatur, id quidem patientiæ proprium est: nec proteruum sapit, modestiam de patientia traxit: non inflatur, non proteruit, non enim ad patientiam pertinet. cæterùm quid impatientia reliquisset? ideo, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, vtique quia patiens est.*

Nulla perfecta virtus sine patientia.

Charitas à patientia quasi à magistra erudiuntur.

Hinc S. August. l. de Morib. Eccles. c. 15. fortitudinem sic definit: *Fortitudo est amor omnia propter Deum facile sustinens.* Pari modo tres cæteras virtutes cardinales per amorem definit, scilicet eas esse varios amoris affectus: *Vt temperantiam*, inquit, A *dicamus esse amorem, Deo se integrum incorruptumq; seruantem. Iustitiam esse amorem, Deo tantùm seruientem, & ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subiecta sunt. Prudentiam esse amorem, bene discernentem ea quibus adiuuetur in Deum ab ijs quibus impediri potest.* Ibidem c. 22. *Amor*, inquit, *ille, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in eum appetendum illis temperans, & in amittendis fortis existat.* Et paucis interiectis: *Nihil tam durum, tam ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cùm se anima rapit in Deum, super omnem carnis officinam, talens & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innitatur.* Omnis ergo virtus est amor & charitas, pulchè actus charitatis, non elicitus, sed imperatus: quia à charitate imperatur, dirigitur, formatur & perficitur. Adde, virtus per se est amor honesti. Talis fuit charitas Christi in cruce erga suos crucifixores, de qua B S. Bernard. serm. de Passione Domini, ait: *Flagellæsus est, spinis coronatus, clauis confossus, asperis patibulo, opprobrijs saturatus: omnium tamen dolorum immemor, Ignosce, ait, illis, quia nesciunt quid faciunt. O quàm multus es ad ignoscendum, ô quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! O quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris!, O quã firmata est super impios misericordia tua! Mira res: ille clamat, Ignosce, Iudæi, Crucifige. Molliti tibi sermones eius super oleum, & isti sunt iacula. O charitas patiens, sed & impatiens! Charitas patiens est, sufficit, Charitas benigna est, cumulus est: quia benigna charitas etiam quos tolerat amat, & amat tam ardenter.* Et paulò infrà: *O Iudæi lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis. Quomodo potabis Domine desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ?* C

NON ÆMVLATVR] non inuidet. Nam, vt ait S. Gregor. hom. 5. in Euang. *Voluntas bona* (quæ parit charitas) *est, sic aduersa alterius, sicut nostra permescere; sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari; aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare.* Ratio est, quia charitas non respicit meum & tuum, sed quæ Dei sunt. nam vt ait ibidem S. Gregor. *Quidquid in hoc mundo concupiscimus, hoc proximo inuidemus.* Videtur enim nobis decedere, quod alteri accedit. Hanc ob causam charitas friget, vbi cupiditas viget: è contrario fraterna charitas regnat, tunc cupiditas euolat, nam, vt ait S. August. lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. *Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur.*

NON AGIT PERPERAM] peruersè, procaciter, petulanter, litiosè: Græcè οὐκ ἀσχημονεῖ, quod alij vertunt: Non indecenter agit; Non garrit; Secundò, Vatablus vertit, Non adulatur, Tertiò, Clemens lib. 3. Pædag. c. 2. Non est fucata, non nimis compta. *Perperam enim*, inquit Clemens, *agere dicitur cultus, qui superfluitatem & inutilitatem apertè indicat. Nimium enim ornatus studium alterius est à Deo, ratione & charitate.* Quartò, Caietan. vertit, Non est inconstans. Quintò, Theoph. Non est præceps, leuis, temeraria, stolida; Sextò Syrus, Non est tumultuosa; Septimò, Theoph. rursum, Non est contumax, tollit. q.d. Οὐ φιλόνεικός ἐστι. Sic etiam videtur exponere S. Basilius reg. 29. inter breuiores. *Quid est*, inquit, περπερεύεται? quod interpres Latinus sic vertit: *Quid est impotenter gloriari & se iactare?* Respondet: *Id quod non ob necessitatem, sed errans superflui causa assumitur, puerilis actus habet.*

Veritas

Videtur hisce verbis sat patet interpretem non
esse secutum mentem S. Basilij, nec Basilium per
ἀσχημοσύνην, intellexisse iactantiam & impoten-
tem gestationem, sed fucum & nimium ornatum,
vt modestè Clemens Alexand. loco iam citato. Or-
dinariè certè Chrysost. vertit, *charitas non est pro-
terua, vti est amor carnalis procorum, amasio-
num & meretricum.* Vnde Tertul. lib. de Patientia
ex lege: *Charitas non facit proteruum.* Sumpta est
vox Græca, ἀσχημοσύνη, & Latina, *perperam*, à Per-
sonis fatibus, ait Erasmus, qui & Cecropes sunt
dicti, quorum procacia & improbitas fabulis Poë-
tarum est nobilitata.

NON EST AMBITIOSA] Græcè ἀγχημονεῖ, quod
Syrus vertit, Non patrat, quod pudendum est; Cle-
mens l. 3. Pædag. c. 1. vertit, Non indecorè se gerit;
Sedulus interpres cum Chrysost. Theodor. Theoph.
Oecum. sic accipit, q.d. Charitas nihil putat sibi es-
se dedecus, vel indecorum, licet vile, licet ignomi-
niosum, aut contumeliosum quid patiatur vel agat.
Ast hoc minus: Non pudebit charitas, quia nihil nul-
lumque decus ambit. Noster ergo ex effectu in-
telligit & vertit causam; cur enim quis non pude-
bunda est, quia nullum honorem vel decus am-
bit. Vide Chrysost. & Theophyl. putant hoc dici à
Paulo contra fastuosos: *Probrum*, ait Chrysost. *&
dolus quid sit, ignorat charitas, alis aureis omnium
quæ complectitur vitia tegit.* Sic Christi charitas me-
rentes non est aspernata, non sputa, non flagella,
non pedum lotionem. S. Basilius in regul. breu. reg.
sic vertit. *Charitas ab habitu & forma non discedit.*
Oecum. verò vertit, *charitas non acerbè rem agit
cum eo qui sibi inimicus est.*

NON COGITAT MALVM] Id est, si lacessitur ab a-
liquo charitas, non æstimat iniuriam, nec petit vin-
dictam, sed dissimulat, excusat, ignoscit. Græcè e-
nim est λογίζεται, id est, vt Vatablus & Græci ver-
tunt, non imputat cuiquam malum.

CONGAVDET AVTEM VERITATI] *Veritati*, non
tamen vt mentis, quàm vitæ, id est iustitiæ. q.d.
Charitas cùm proximos videt iustè & rectè viue-
re, aut profecere non inuidet, sed quasi de augmen-
to proprij profectus gaudet & hilarescit, ait ex S.
Gregorio Anselm. Opponitur enim hîc veritas ini-
quitati enim, *Non gaudet super iniquitate, congau-
det autem veritati.* Veritas ergo hîc est æquitas, pro-
bitas, iustitia. Aliter explicant Græci, q.d. Non gau-
det charitas, cùm videt inimicum quid iniquè vel
male pati, sed dolet; & congaudet veritati, si vi-
deat id quod suum est dari.

OMNIA SVFFERT] instar trabis, quæ impositum
sibi onus sustinet; vel potiùs instar palmæ, quæ nō succumbit oneri suo, sed magis instar fornicis erigi-
tur. S. Cypr. tractatu de Simplicitate Prælatorum
legit *Omnia diligit*, στέγει pro στέγει. Verè S. Augustin.
Enchirid. cap. 29. *Fortitudinem*, ait, *Gentilium mun-
dana cupiditas, fortitudinem autem Christianorū Dei
charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spi-
ritum Sanctum, qui datus est nobis, non per voluntatis
arbitrium quod est à nobis.*

OMNIA CREDIT] scilicet quæ prudenter potest
sine erroris periculo credere, facilè alijs assentitur,
charitas non est suspicax. Ait ergo Paulus: *Omnia
sperat omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* q.d.
Charitas omnia mala & iniurias suffert, omnia me-
lora de proximo credit & sibi persuadet, omnia
bona de proximo sperat, & ab eo mala verba &
verbera sustinet, ita Chrysost. & Græci. Aliter ex-

A plicant Anselm. D. Thom. Lyranus. q.d. Charitas
facit cuncta credenda credere, speranda sperare, &
per patientiam exspectare. Nam alioqui de quibus-
uis alijs rebus verū est illud Senecæ l. de Moribus:
*Perinde vitium est omnia credere, ac vitium est nihil
credere.* Sic quoque exponit S. Augustin. qui ex hisce
Apostoli verbis facit quadrigā charitatis, quatuor
scilicet virtutum charitatis, putà fidei, spei, patien-
tiæ & perseuerantiæ. vnde in serm. de quatuor vir-
tutibus charitatis sic ait: *Omnis qui pie tolerat rectè
credit, & omnis qui rectè credit aliquid sperat, & qui
sperat sustinet, ne à spe cadat.* Sed prior sensus genui-
nus est. Agit enim Apostolus toto hoc loco de offi-
cijs charitatis, non erga Deum, sed erga proxi-
mum, docetque qualem se charitas per omnia ex-
hibeat proximo.

Quibus virtutibus cōstet quadriga charitatis.

B Notat Chrysost. hom. 34. initio hæc esse sedecim
bona & fructus charitatis, quos Corinthiorū mor-
bis quasi remedia opponit. *Charitas*, inquit, *patiens
est, contentiosos notans: benigna, factiosos & clandesti-
nos: non inuidet, aduersus eos qui agrè superiorei ferunt:
non est procax, perstringit dissolutos: non inflatur, super-
bos: non est fastidiosa, contra eos qui se demittere &
proximo inseruire nolūt: non quærit quæ sua sunt, in eos
qui cæteros despiciunt: non iritatur, non cogitat malum,
in contumeliosos: non gaudet super iniquitate, congau-
det autem veritati, in inuidos. Rursum, omnia suffert,
ad solatium circumuentis & oppressis: omnia sperat, ad
solatium reiectis & desperatis: omnia sustinet, & num-
quam excidit, in eos qui leui causa seditiones souēt.* Hæc
officia charitatis ita describit S. Gregorius libr. 10. & S. Greg.
Moral. c. 8. *Charitas patiens est, quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna verò est, quia pro malis bona
largiter ministrat. Non æmulatur: quia per hoc, quòd in
præsenti mundo nihil appetit, inuidere terrenis successi-
bus nescit. Non inflatur, quia cùm præmium interna re-
tributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non
exaltat. Non agit perperam, quia quæ se in solum Dei ac
proximi amorem dilatat, quidquid à rectitudine discre-
pat, ignorat. Non est ambitiosa, quia quæ ardenter intus
ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit. Non
quærit quæ sua sunt, quia cuncta, quæ hic transitoriè
possidet, velut aliena negligit, cùm nihil sibi esse propriū,
nisi quod secum permaneat, agnoscit. Non iritatur, quia
& injurijs lacessita, ad nullos se vltionis suæ motus excita-
tat, cùm pro magnis laboribus maiora pòst præmia ex-
spectat. Non cogitat malum, quia in amore munditiæ
mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, ver-
sare in animo quod inquinet, nescit. Non gaudet super
iniquitate, quia quæ sola dilectione erga omnes inhiat,
nec de perditione aduersantium exultat. Congaudet au-
tem veritati, quia vt se cæteros diligens, per hoc quod
rectum in alijs conspicit, quasi de augmento proprij pro-
fectus hilarescit.*

Sedecim tūs fructus charitatis quos explicat Chrysost.

Cælo ergo similis est anima charitate flagrans.
Sicut enim cælum amplissimum totā complectitur
terram, eamq; per solem calefacit & fœcundat, at-
que per pluuias etiam spinis horrentia loca irrigat:
sic talis anima totius terræ incolas, etiam barbaros,
etiam hostes, charitate amplectitur, & quibus va-
let benefacit; atque spinis odij & vitiorum hor-
rentes sua dulcedine irrigat & confouet.

CHARITAS NVMQVAM EXCIDIT] non intermo- VERS. 8.
ritur, numquam cessabit, cæterā dona in gloria cæ-
lesti cessabunt. Inferunt hæretici, Si charitas num-
quam excidit, ergo qui eam habet, peccare non
potest, estque certus de sua salute. Resp. Nego con-
sequentiam. Charitas enim numquam excidit, scili-

Charitas sua sponte hominem non deserit, nisi priùs ab eo per peccatum deseratur.

cet per se : nam sponte sua numquam hominem deserit, nisi priùs ab eo per peccatum deseratur. *Charitas*, inquit Cassian. collat 3. c. 7. *est quæ sectatorem suum numquam finit cadere supplantatione peccati.* Quamdiu ergo charitati studebis, eamque retinere voles, numquam illa excidet, numquā peccabis: sin peccas, per se non excidet charitas, sed per vim eam ipse eijcies.

SIVE PROPHETIÆ EVACVABVNTVR, SIVE LINGVAE CESSABVNT] non tàm ob obscuritatem, quàm quia hîc datæ sunt ob imperfectionem audientium, vt scilicet ipsi rudiores per prophetiam & linguas erudiantur. Sic in cælo cessabit fides, quia ob incuidētiam imperfecta est; & spes, quia & ipsa ob rei speratæ absentiam imperfecta est: charitas verò nihil horum habet, sed in se perfecta est; vnde manebit in cælo.

Fides & spes cessabunt in cælo, nō autē charitas.

SIVE LINGVAE CESSABVNT] Non dicit: Lingua cessabit, sed, *Linguæ cessabunt*, quia in cælo cessabit varietas linguarum, non tamen omnis lingua; nam non tantùm mente, sed & sensibili lingua vnanimiter laudabimus Deum. vna ergo remanebit lingua, qua omnes vtemur in cælo, eamque fore Hebræam, qua vsus fuit Adam in statu innocentiæ, omnesque Patriarchæ, Prophetæ, & Sancti ante Christum, imò totus mundus ante diuisionem & confusionem linguarum in Babel, docet Haymo, Remigius, Caietan. hîc, Galatinus lib. 12. de Arcan. fid. cap. 4. Viguerius in Institut. cap. 9. 1. v. 8. vbi agit de dono linguarum. Vnde in Apocalypsi græcè scripta, dicitur quòd Sancti in cælo canent hebraicè *Amen, Alleluia*: in cælo enim sublato peccato, auferetur quoque confusio linguarum, atque vti ad primæuum innocentiæ statum, ita & ad linguam illius, ac labium vnum ac primum redibimus. Sanè si qua in cælo remaneat lingua ex his, quibus in hac vita vtimur, crediderim illam Hebræam fore. Sed an vlla remansura sit, non constat. Nam Apostolus tantùm dicit, *Linguæ cessabunt*: quod sic intelligi potest, vt omnes cessent quæ iam inter homines in vsu sunt. Cum quo tamen consistit vt alia de nouo infundatur Beatis in cælo sensibilis lingua, eaque omni hac nostra longè nobilior & cæleſtis, quæ deceat os & corpus glorioſum, qua Deū corporaliter laudent. quod an verius sit, felix nos docebit experientia. Verius id esse censet noster Ioan. Salas in 1. 2. tom. 1. qu. 5. art. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 14. n. 106. Quia, inquit, lingua Hebræa suauitate, copia & perspicuitate caret; ergo non sola retinenda est post generalem resurrectionem. In cælo ergo erit labium electum, vt ait Sophon. cap. 3. 9. hoc est, specialis quędam lingua summè suauis, breuis & perspicua, communis omnibus nationibus, docenda à Deo. Vnde S. Bernard. in Meditat. c. 4. Vna, inquit, erit lingua omnium iubilatio indefessa, &c. non erit in illa pace diuersitas linguarum, scilicet ad communem vsum. Præter hanc autem, loquentur cùm libuerit, alijs linguis: omnes enim habebunt donum linguarum, & scient omnia idiomata reuelatione diuina. Addit noster Salmeron, & alij, in cælo Deum omnibus linguis esse celebrādum: quia hoc videtur spectare ad maiorem Dei gloriam, vt omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Et sic omnis lingua erit vna, quia vnum ideinque sentiet & prædicabit: sicut Martialis epigram. 1. blandiendo Cæsari dixit:

Vna in cælo lingua erit, eamq; Hebræam fore multi putant.

Vox diuersa sonat populorum, est tamen vna,
Dum verus patriæ diceris esse pater.

Fortasis Beatis infundetur noua lingua cælestis & nobilior quauis terrena.

SIVE SCIENTIA DESTRVETVR] *Scientia* græcè γνῶσις, id est cognitio, scilicet vt Chrysost. Theodoret. Theoph. imperfecta, obscura & ænigmatica, vt ait Paulus v. 12. putà fides & quidquid fide nititur, qualis scientia est Theologia nostra, quæ ex principijs fidei conclusiones deducit: hæc omnis in cælo cessabit. Nam erit ibi alia specie Theologia, videlicet ex visione Dei & principijs euidentissimis euidentissima. ita Caiet. Molina, Vasquez, & alij initio primæ partis.

Nota, Apostolum potiùs de actu scientiæ quàm habitu loqui. Vnde subdit: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Et: *Cùm essem paruulus, sapiebam vt paruulus.* Et: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Ex actu tamen cessante colligendum relinquit & habitum cessaturum: frustra enim esset habitus, cuius nullus erit vsus, quia non exibit in actum. Et hoc significat verbum, *Euacuabitur, & destruetur*, vt scilicet scientia, prophetia & linguæ planè & quoad actum, & quoad habitum intereant. Secundò, non male Photius sic explicat: *Scientia*, græcè γνῶσις, id est doctrina & disceptia. euacuabitur: in cælo enim nec docebimus, nec discemus. Tertiò, alij, Scientia, inquiunt, id est, vsus sermonis scientiæ, quo hîc res fidei per scientias naturales explicantur & illustrantur, in cælo cessabit.

EX PARTE ENIM COGNOSCIMVS, ET EX PARTE PROPHETAMVS] *Ex parte*, hoc est, imperfectè; Syrus vertit, Modicum ex multo cognoscimus: hoc enim modicum & imperfectum, quod partim per scientiam, partim per prophetiam cognoscimus, opponit perfecto, v. sequ. id est, perfectæ visioni & cognitioni Dei in se, & omnium in Deo. quia reuera totum quod est Dei, & omnia eius attributa & perfectiones in hac vita non cognoscimus, sed soli & omnes Beati illa cognoscunt. id que probat exemplo paruuli, qui vti ætate, ita scientia adolescit; Beati enim scientia sunt quasi viri, cùm ineramus pueri. Rursum scientia nostra Theologica licet certa sit, est tamen inuidens & obscura, quia fide nititur, ideoque tantùm scientia est ex parte, siue imperfecta; Beati verò clarè & euidenter omnia cognoscunt, imò cominus vident & intuentur.

CVM ESSEM PARVVLVS] Græcè νήπιος, hebraicè dicitur עולל *olel*, id est, puer, qui nunc incipit loqui, cogitare, moliri, conari, studere, ludere & agere aliquid, vti faciunt nostri paruuli. Hoc enim significat Hebræa radix עלל *alal*. Vnde subdit Paulus:

LOQVEBAR VT PARVVLVS, SAPIEBAM VT PARVVLVS, COGITABAM VT PARVVLVS] *Sapiebam*, græcè ἐφρόνουν, id est sentiebā. ita Vatablus. Paruuli enim, vel, vt græcè, νήπιοι, id est infantes, non habent sapiēntiam, sed sensum. q. d. Sicut paruulus existens cogitaui & sapui & sensi vt paruulus, sed factus vir cogitaui & sapui vt vir: ita, *Cùm venerit quod perfectum est*, id est perfecta in cælo sapientia; euacuabitur partialis & imperfecta scientia, quam in hac vita habemus; vt qui hîc scientia sumus pueri, in cælo idem simus viri: alteram enim similitudinis partem ita supplendam relinquit Paulus ex v. præc.

VIDEMVS (scilicet Deum & diuina, quibus fruimur & beati fimus, vt patet ex sequ.) NVNC PER SPECVLVM IN AENIGMATE: TVNC AVTEM FACIE AD FACIEM] Dices, Si per speculū hîc Deum videmus, ergo eum clarè videmus, & non in ænigmate: ita

nem non rei imaginem, vt vulgus putat, A ita Anselm. Theophyl. Caietan. Ambros. & Theodor. *Cognoscam*, inquit, *sicut & cognitus sum, id est, sicut notus & familiaris, qui vultum amici clarè intuetur.* Extendit hæc Apostoli verba S. August. etiam ad cognitionem eorum, quæ hîc in terris fiût, & ad Sancti alicuius statum spectant. Vnde ipse ex hoc loco probat, quòd Sancti res nostras perfectiùs intelligant in cælo, quàm intellexerunt olim in terra, vnde sequitur ipsos & preces nostras, quibus eos inuocamus, cognoscere. ita ipse lib. 22. Ciuit. cap. 29. Aliter Chrysost. & Oecumen. Tunc, inquiunt, cognoscam practicè, & accurram ad eum per amorem & iustitiam, sicut ipse me gratia sua præuenit & præcucurrit.

Sancti perfectius res nostras intelligunt in cælo, quàm in terra intellexerunt.

Tertiò, alij sic explicant: Tunc cognoscam eo perfectionis gradu, ad quem ab æterno cognitus B & prædestinatus sum à Deo. Sed primus sensus est genuinus: opponit enim cognitionem claram & plenam cognitioni ex parte, hoc est, imperfectæ & ænigmaticæ.

NVNC AVTEM MANENT, FIDES, SPES, CHARITAS, VERS. 13.
TRIA HAEC: MAIOR AVTEM HORVM EST CHARITAS] *Nunc*, græcè est νυνὶ, & v. præced. est ἄρτι, id est adhuc, scilicet in præsenti vita. Clarè enim hoc capite docet Paulus fidem, spem & charitatem hîc manere, sed in patria solam charitatem. ita Patres. Vide Gregor. de Valentia disp. 1. q. 5. de subiecto fidei, puncto 2.

In patria maior sola charitas.

Dices. Irenæus libr. 2. c. 47. Tertul. de Patientia c. 12. *Nunc* intelligunt in cælo: ergo in cælo etiam erit & manebit tam spes quàm fides.

Obiectio ex Irenæo & Tertull.

Resp. Hi Patres per fidem accipiût omnem firmam cognitionem, qualis est visio Dei; per spem C verò firmam adhæsionem in Deo amato, quæ est fruitio Dei. Hoc enim est quod ait Tertull. *Permanent*, inquit, *fides, spes, dilectio: fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia exspectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.* Sed hæc non sunt ad mentem Apostoli hîc, vt patet.

Resp.

MAIOR, id est maxima, EST CHARITAS] Sic Catullus:

Hesperе qui luces cælo iucundior igne,

id est, iucundissima stella.

Hinc patet fidem non esse fiduciam hæreticorum de remissis peccatis: quia illa fiducia non est aliud quàm spes roborata; si quid est amplius, scilicet propriè dicta fides, qua certissimò credas te esse iustum, te esse saluandum, sicut credis Deum esse; tunc superflua est spes. Quod enim certò credis, id non speras, nec sperare potes: sicut non speras Deum esse, Christum esse passum pro nobis. D Spes enim quæ verè spes est, habet adiunctum metum & formidinem de opposito, qualis nulla est in fide. Insuper Apostolus hîc spem siue fiduciam à fide distinguit, & tam spem quàm fidem in hac vita requirit: ergo fides non est fiducia illa, quam iactant hæretici.

Fiducia hæreticorum de peccatis remissionem est fides.

Spes habet adiunctam formidinem de opposito.

Patet rursum, charitatem omnium virtutum esse maximam & eminentissimam. Sicut enim inter elementa eminet ignis, inter metalla aurum, inter cælos empyreum, inter planetas sol, inter angelos Seraphini: ita inter virtutes quasi regina eminet charitas. Ea enim est ignis cælestis, qui animos omnium circum se inflammat: est aurum fulgentissimum, quo cælestes merces emimus: empyreum cælum est, in quo habitat Deus & Beati: sol est, qui omnia illuminat, fœcundat, viuificat: seraphica virtus est, quæ Seraphinos ardentes efficit-

ÆNIGMATE] per ænigma, id est, per obscuram orationem, cogitationem, phantasiam. ita Anselm. Ænigma enim est quæstio, quæ cum inuolucris verborum proponitur.

TVNC AVTEM FACIE AD FACIEM] Alludit ad Moysen, de quo dicitur Exodi 33. *Loquebatur ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Et Numer. 12. *Ore ad os loquor ei palàm, & non per ænigmata & figuras* (vt alij Prophetæ) *Dominum videt.*

NVNC COGNOSCO EX PARTE (imperfectè) vt dicitur. TVNC AVTEM COGNOSCAM SICVT ET COGNITVS SVM] q. d. Tum in cælo perfectè cognoscam & intuebor Deum sicuti est in sua essentia, & arcana Dei & fidei mysteria, sicut ipse me nouit & intuetur hoc quod sum per meam essentiam.

efficit. Vide dicta Deuter. 6. v. 5. *Quod est in nauigio A gubernator, quod in ciuitate magistratus, quod in mundo sol; hoc inter mortales est amor. Nauigium sine gubernatore labascit, ciuitas sine magistratu periclitatur, mundus sine sole tenebricosus efficitur; & mortalium vita sine amore vitali non est. Tolle ex hominibus amorem, solem è mundo sustuleris. Venustè Plautinus senex amorem appellat Deum mundicientem, id est, omnia munda & elegantia reddentem,* inquit Beroald.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dono linguarum præfert prophetiam. Primò, quia prophetia perutilis est ad ædificationem aliorum: linguæ verò non, nisi quis eas interpretetur.

Secundò, v. 21. quia prophetia datur fidelibus: linguæ verò datæ sunt in signum, non fidelibus, sed infidelibus, idq; probat ex c. 28. Isaiæ.

Deinde v. 23. tradit normam qua his donis ritè vtantur, præscribitq; ordinem qui seruari debeat in sacro Eccl-siæ conuentu, in quo v. 34. omnino mulieres silere iubet.

1. SEctamini charitatem, æmulamini spiritalia: magis autem vt prophetetis. 2. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria. 3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. 4. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat. 6. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? 7. Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia, siue cithara: nisi distinctionem sonituum dederint quomodo sciet ur id, quod canitur, aut quod citharizatur? 8. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? 9. Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis: quomodo scietur id, quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes. 10. Tam multa, vt puta genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est. 11. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. 12. Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite vt abundetis. 13. Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. 14. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. 15. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. 16. Cæterùm si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit. 17. nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. 18. Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrùm lingua loquor. 19. Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quàm decem millia verborum in lingua. 20. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote. 21. In lege scriptum est: Quoniam in alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus. 22. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. 23. Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nónne dicent quòd insanitis? 24. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: 25. occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd verè Deus in vobis. 26. Quid ergo est, fratres? cùm conuenitis, vnusquisque vestrùm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. 27. Siue lingua quis loquitur, secundùm duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. 28. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, & Deo. 29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. 30. Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. 31. Potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur: 32. & spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. 33. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus Ecclesijs sanctorum doceo. 34. Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. 35. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. 36. An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit? 37. Si quis

videtur

viderur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur. 39. Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. 40. Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant.

COgit Apostolus c. 12. agere de varijs donis & gratijs gratis datis, quæ variè varijs Spiritus sanctus distribuit: atque vt Corinthijs iactantiam de illis, & maximè de dono linguarum eximeret, idcirco cap. 13. hortatus est omnes ad charitatem, quasi reginam omnium gratiarum & donorum: hoc verò capite redit ad gratias gratis datas, docetque non tantùm charitatem, sed & prophetiam præcellere dono linguarum.

Quæres, quid hoc cap. intelligat Apostolus per prophetare, per Prophetas? hæc enim est præcipua huius capitis difficultas.

Nota. Propheta, græcè προφήτης, propriè dicitur is, qui ex Dei instinctu rem, antequam eueniat, prædicit. Deriuatur enim *Propheta*, non à Latino Pro & fari; sed ex Græco πρὸ, id est antè, & φημὶ, id est dico, loquor: non autem, vt aliqui, ex πρὸ & εἶδον, vt sit Propheta is, cui priùs aliquid appareat quàm fiat. Hinc Propheta hebraicè dicitur נָבִיא *nabi*, quasi à radice, נָבָא *bo*, id est venit, vt notant doctiores Hebræi, tamquam *nabi* sit is, qui id quod venturum est, præloquitur. Hæc origo est nominis: extenditur tamen à pari nomen Prophetæ, vt significet eum qui arcana cordis aut alia secreta reuelat, & eum qui conscius est mentis diuinæ, interpres videlicet & internuncius cælestis numinis, quique abstrusa & arcana volũtatis ingenijque diuini perfecta habet & enunciat. Sic Abraham Deo familiaris & carus, quem Deus suo colloquio dignatus est, dicitur Propheta, Genes. 20. 7.

Itaque prophetia generatim in Scripturis dicitur facultas illa Dei consilia & placita plenius ac certiùs tum cognoscendi, tum enarrandi ad Ecclesiæ profectum, quam Spiritus sanctus afflat & aspirat hominibus certis, qui inde Prophetæ vocantur. Huius pars quædam est præsensio ac prædictio futurorum, aut etiam quorumuis reconditorum, siue præsentium, siue futurorum. Pars altera, & quidem diuinior & principalior, est de Deo, deque natura & virtutibus dexteriùs & diuiniùs disserendi facultas, non studio parta, sed ab eodem Spiritu data: nam si studio parta est, scientia est & doctrina, non prophetia. Itaque S. Paulus, qui Euangelium suum non ab homine accepit, sed per reuelationẽ Iesu Christi, Galat. 1. ex perpetua potiùs prophetia, quàm doctrina docuit & prædicauit.

Primò, ergo Prophetæ vocantur, qui futura vel arcana instinctu Spiritus sancti proloquuntur.

Secundò, doctores, non quiuis, sed qui eiusdem Spiritus sancti instinctu docent & exhortantur ad pietatem.

Hinc Tertiò, Prophetæ dicebantur, qui arripiebantur vi quadam spiritus, vt hymnis Deum celebrarent, & populum ad pietatem prouocarent. Sic 1. Reg. 10. Spiritus insiluit in Saul, & prophetauit, vt dicitur c. 19. deposuit vestes, & nudus cecidit per diem & noctem. Rursum, quia Prophetæ Elias & Elisæus suos habebant discipulos, qui quasi vti religiosiores certis temporibus, tum decantandis psalmis, orando & laudando Deum, tum audiendo, meditando & docendo legem Domini, præ alijs se studiosè occupabant, quique interdum singulari afflatu Spiritus arripiebantur; vt ille qui Iehu in Regem vnxit; hinc omnes hi dicti sunt Prophetæ, horumque filij vel discipuli dicti sunt filij Prophetarum, de quibus sæpè fit mentio lib. 4. Regum: præsertim quia inter eos semper erant aliqui veri Prophetæ. *Qui dicti sint filij Prophetarum.*

Hinc Quartò, extenditur Prophetæ nomen ad cãtores quosuis, vt prophetare sit idem quod psallere & Dei laudes simpliciter canere. Sic 1. Paralip. 25. filij Asaph, Heman, Idithun dicuntur prophetare in psalterijs, citharis & cymbalis, hoc est, hæc instrumenta pulsare & Deo psallere. Erant tamen inter hos cantores veri Prophetæ, scilicet principes cantorum, Asaph, Heman, Idithun, qui ex afflatu sancti Spiritus composuerunt psalmos eorum nomine inscriptos, vt tradunt Hebræi. *Quartò, Propheta est cantor.* *Principes cantorum Asaph, &c. veri Prophetæ erãt.*

Quintò, per catachresin Prophetæ vocantur deliri, qui ex afflatu spiritus mali insolentiùs delirant & insana proloquuntur. Sic 1. Reg. 18. *Inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ*, hoc est, delirabat & insolẽtia loquebatur, quasi actus enthusiasmo. Vnde & profani poëtas vocabant Vates & Prophetas, eò quòd & ipsi viderentur Musarum quodam furore agi, instar Sibyllæ in componendis & decantandis carminibus. ita Ouid. l. 6. Fastor. *Quintò, Propheta est delirus.*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Quare poëta vocẽtur Propheta.

Sic ad Titum cap. 1. Epimenides poëta dicitur Propheta.

Sextò, *prophetare* significat miracula facere. Hoc enim erat opus Prophetarum, qui erant viri sancti & diuini, & quasi organa Dei, diuinæque sapientiæ & potentiæ. Sic Eccles. iast. 48. dicitur corpus mortuum Elisæi prophetasse, quia suo contactu mortuum resuscitauit, 4. Reg. 13. 21. Sic etiam sumitur Propheta, Lucæ 7. 16. *Sextò, prophetare significat miracula facere.* *Corpus mortuũ Elisæi prophetauit, id est, mortuũ resuscitauit.*

Septimò, *prophetare* est prophetiam cõfirmare. Sic Eccli. 49. ossa Ioseph dicuntur post mortem prophetasse, id est, quãdo per castra, & cum castris Hebræorum egredientium ex Ægypto efferebantur simul ossa Ioseph, tacitè testabantur & loquebantur pristinam eius de hoc egressu prophetiam veram esse, eamque confirmabant. *Septimò, prophetare est prophetiam confirmare.*

Ex his patet, veram & propriè dictam prophetiam, qualis erat ante Christum, & in primitiua Ecclesia frequens, iam magna ex parte cessasse, & apud pauciss imos viros egregiè sanctos, in testimonium sanctitatis eorum reperiri. Eorum enim donorum frequentia, quæ miraculo homini contingebant, qualia erant loqui linguis, prophetare, & similia, ferè cum Apostolis finem accepit, scilicet vt promiscuè iam illa non dentur, vti tum dabantur, sed tantùm paucis & raris. Miracula enim illa maximè propter infideles ad Euangelij inquisitionem & cõfirmationem, Dominus voluit coruscare; iam verò quia satis fides est stabilita & mundus conuersus, ea subtrahit, vultque Ecclesiam solita docendi & exhortandi ratione perficere & proficere. Hæc Iansen. in c. 47. Concordiæ. *Vera prophetia iam magna ex parte cessauit.*

Quæres Secundò, Quonam horum modorum hoc cap. accipitur à Paulo nomẽ Prophetæ? Resp. Primò, Chrysost. & Theoph. propriè hîc capiunt, pro eo qui futura prædicit. Sic enim accepit hoc nomen *Quomodo à Paulo Propheta hic accipiatur.*

nomen Paulus c.12. Secundò, Theodor. prophetiam hîc accipit pro cogitationum, aliorumque occultorum manifestatione: fauet versus 24.

Nomine prophetiæ & linguarū, Paulus cōprehendit omnia quæ fiebant in conuētibus Ecclesiæ.

Verùm Nota, Apostolum hoc cap. describere omnia quæ fiebant olim in conuentibus fidelium in Ecclesia, eaque comprehēdere nomine linguarum & nomine prophetiæ. Nam Spiritus sanctus olim in Ecclesia afflabat multos, vt exoticis & peregrinis linguis cantica spiritualia, preces, hymnos, orationes, psalmos, aliaque coram simplici & promiscua plebe canerent aut recitarent, vti factum erat in pentecoste ab Apostolis. Actor. 2. Id patet ex S. Dionysio c. 3. de Diuinis nomin. & Tertull. Apolog. 29. & hoc vocat hîc Apostolus donum linguarum, siue linguis loqui. Alijs verò Spiritus sanctus dabat exponere S. Scripturam, vel docere, vel verba facere de diuinis, vel prædicare & exhortari, vel hymnum aut psalmum canere, vel orationem insignem populo vulgari lingua præire; subinde etiam, vt notant Chrysost. & Theodor. hîc, arcana cordis, aliaque occulta, imò & veras prophetias proloqui. Et hæc omnia comprehendit hîc Paulus nomine prophetiæ, maximè concionem & doctrinam, opponitque dono linguarum. Id patet v. 4. 5. 6. 31. sed maximè v. 25. 26. Nam & prisci Prophetæ non tantùm futura prædicunt, sed & docent & cōcionantur, & psalmos orationesque miscent. Vnde prophetiam hanc Apostolus hîc linguis præfert, & ad eam toto cap. hortatur, ordinatque quo modo & ordine fieri debeat, id est, ordinat modum quo fieri debeant conuentus & collationes spirituales in Ecclesia, tum ante, tum post sacram synaxim. In his enim vnus explicabat sacram Scripturam, alius exhortabatur, tertius hymnum, quartus psalmum canebat, etiam lingua subinde peregrina, ita Ambros. Anselm. & pulchrè Philo lib. de Essæis, ita Essæos has collationes instituisse docet. Sic & superiùs c. 11. v. 4. & 5. accepit nomen Prophetæ.

Paulus ordinat quo modo collationes spirituales in Ecclesia fieri debeāt.

Propheta hîc sunt, qui docent, vel exhortantur ex afflatu Dei.

Nota. Paulus hîc non vocat Prophetas omnes illos, qui simpliciter explanant obscura Prophetarum & sacræ Scripturæ; nec omnes illos, qui alios docent, vel exhortantur, vt quidam putant; sed tantùm eos qui id agunt ex afflatu Dei, & proprio instinctu Spiritus sancti, non autem ex eruditione studio & labore acquisita. Patet hoc v. 30. *Quòd si alij*, inquit, *reuelatum sit, prior taceat.* Et v. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.* Ergo Prophetas hîc intelligit eos, qui Sp. sancto agebantur, & ab eo reuelationem doctrinæ, vel exhortationis aut orationis alicuius accipiebant: quod tum frequens erat, vt patet v. 26. Iam autem illo Spiritus sancti afflatu cessante in eius locum successit sacra lectio, concio, psalmodia ante Missam, in Missa, & post Missam, vt dicam v. 26.

VERS. 1. SECTAMINI CHARITATEM] Græcè διώκετε, id est, persequimini charitatem. Significat ardens studium charitatis, vt eam insectemur, perinde vt venator feram insequitur.

ÆMVLAMINI SPIRITALIA] Hoc est, vt Chrysost. dona Spiritus sancti, scilicet gratis data, vti est donum linguarum, gratia sanitatum, & alia, de quibus cap. 11. desiderate & ad ea conamini, maximè orando; non studio excellendi, vt vos præ alijs hisce donis iactetis, sed ex charitate, vt alijs & Ecclesiæ per ea prositis.

MAGIS AVTEM VT PROPHETETIS] vt scilicet ex afflatu Spiritus sancti doceatis, dicatis, vel canatis ea, quæ alios ad pietatem excitent,

A Hoc enim est hîc *prophetare*, vti iam dixi.

QVI ENIM LOQVITVR LINGVA (alia & peregrina) NON HOMINIBVS LOQVITVR, SED DEO. causam explicat & subdit, dicens: NEMO ENIM AVDIT. SPIRITV AVTEM LOQVITVR MYSTERIA] q.d. *Nemo audit*, id est, nemo intelligit loquentem lingua peregrina, licet ipse Spiritu afflatus loquatur subinde alta mysteria. Vers. 2.

Nota. S. Augustl. lib. 12. de Genesi ad litt. c. 8. Primas. & Caietan. legunt in nominatiuo: *Spiritus autem loquitur mysteria.* q.d. Paulus: Spiritus sanctus in sacra Scriptura, arcana loquitur mysteria, quæ intelligi nequeunt, nisi quis Propheta, vel Doctor illa interpretetur. Verùm hic sensus non facit ad rem & mentem Apostoli, planeque legendum est in ablatiuo: *Spiritu autem loquitur mysteria.* iuxta sensum iam datum: ita enim legunt passim Græci, B Latini & Syrus.

NAM QVI PROPHETAT, HOMINIBVS LOQVITVR AD ÆDIFICATIONEM ET EXHORTATIONEM ET CONSOLATIONEM] Ecce quod dixi, prophetare hîc est loqui ea quæ alios ædificant, exhortantur & consolantur: ac proinde præstat prophetare quàm loqui linguis peregrinis, vtpote quas nemo intelligat, vt proinde nemo ijs instrui, ædificari, vel consolationem aliquam accipere possit. Vers. 3.

VOLO AVTEM, hoc est, velim, optarim, OMNES VOS LOQVI LINGVIS, MAGIS AVTEM PROPHETARE; vt scilicet alios ad pietatē excitetis. NVNC AVTEM, FRATRES, SI VENERO AD VOS LINGVIS LOQVENS QVID VOBIS PRODERO, NISI VOBIS LOQVAR AVT IN REVELATIONE: id est, nisi loquar reuelationem, Vers. 4. 5. 6. puta expositionem reuelationis mihi factæ. AVT IN SCIENTIA: id est, ea quæ scio per scientiam, vel a C Deo infusam, vel studio partam. AVT IN PROPHETIA: id est, ea quæ scio per prophetiam, tum propriè dictam, tum impropriè, scilicet *prophetiam* hoc est, occultorum & obscurorum, maximè sacræ Scripturæ, explicationem. AVT IN DOCTRINA] scilicet per eam docendo & accommodando rem sermonem ad captum auditorum. Sic ferè D. Thomas & Theophyl. Supple, atqui nihil horum facere potero loquēs linguis, nisi interpretationem adhibeam, vt intelligatis: ergo præstat prophetare quàm linguis loqui, nisi quis linguā interpretetur.

Secundò & melius, aliter hæc accipiemus. Pro quo Nota. Hîc scientia refertur & iungenda est cū doctrina, sicut reuelatio iungenda est cum prophetia. sicuti enim ex scientia sua cognoscebant scientes & docti ea, quæ alijs communicarent per doctrinam, eos scilicet docendo: ita ex reuelatione percipiebant ea, quæ alijs per prophetiam enuntiarent. In hoc enim differt prophetia à doctrina, quòd prophetia accipiatur per reuelationem, doctrina per scientiam. Docemus enim id quod per scientiam & studium scientiæ assecuti sumus. Sensus ergo est, q.d. Paulus: Si linguis peregrinis loquar, nec vos instruam & doceam, vel per doctrinam labore & scientia partam, vel per propheticam reuelationē acceptam, nihil vobis prodero. ita Tolet. & Iansenius loco citato.

Tertiò, Cassianus collat. 14. c. 8. per hæc quatuor intelligit quatuor sensus sacræ Scripturæ: scilicet per doctrinam sensum litteralem, per reuelationem allegoricum, per scientiam tropologicum, per prophetiam anagogicum: sed hoc mysticum & symbolicum est.

TAMEN] Græcè ὅμως. q.d. Etiam, quin etiam ex Vers.

manifestis hoc quod dico cognosci potest, scilicet A
lingua nihil prodesse, nisi intelligantur: nam pari
modo cithara & tibia nisi distinctum dent sonum,
ut intelligantur, nemini proderunt. Nemo enim
scit quid canatur, aut citharizetur, ac proinde ne-
mini se pascet, vel oblectabit, aut mouebitur ad
organum, vt ad numeros saltet. Gagneius pro
ἐμμελῶς legit ἐμμόνως, id est similiter.

ITA ET VOS PER LINGVAM NISI MANIFESTVM SERMONEM (bene significantem, intelligibilem) DEDERITIS, QVOMODO SCIETVR ID QVOD DICITVR? Lingua enim est character, imago, index & nuntius mentis. Nam, vt ait Aristotel. lib. 2. de anima, voces sunt notæ earum affectionum, quæ in anima delitescunt. Hinc Socrates ex voce hominem & animum cuiusque qualis esset explo-
rabat & perui debat, dicebatque: *Loquere adolescens vt videam.* Hoc autem fieri nequit nisi lingua lo- B
quentis audienti sit nota & manifesta.

TAM MVLTA, VT-PVTA, GENERA LINGVARVM *Vt-puta*, id est nempe, græcè εἰ τύχοι, vt res ferunt, vti varias linguas audire contingit. ita Oecumen. Sed Erasmus & Vatablus non ad verbum, sed eodem sensu, εἰ τύχοι vertunt, *verbi gratia.*

LINGVARVM] Græcè φωνῶν, vocum, hoc est, linguarum, idiomatum vocalium.

ET NIHIL SINE VOCE EST] nulla gens, nullus homo est sine voce. Alij, nullum instrumentum ut v. g. cithara, tibia, quin propriam vocem & sonum reddat. ita Oecumen. Alij propriè, *nihil*, id est nulla res, est sine voce. Nam, vt canit Auson. ad Paulinum,

Sic mutum natura dedit, non aëris ales,
Quadrupedésve silent, habet & sua sibila serpens,
Cymbala dant ictu sonitum; dant pulpita saltu
Tacta pedum; tentùm reboant cava tympana tergis. C

Quærò & optimè, *nihil*, id est nulla linguarum, id est voce. Græcè enim est οὐδὲν αὐτῶν, scilicet φωνῶν, ἄφωνον, nihil vocum, hoc est linguarum, id est voce. q. d. Multæ sunt linguæ, & quæque suas habet voces.

SI ERGO NESCIERO VIRTVTEM (hoc est vim & significationem) VOCIS, ERO EI, CVI LOQVOR, BARBARVS] Hoc est, vt ait Ouid.

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor vlli.

Nota. Barbarus primò dictus est à Græcis per onomatopœiam is, qui aliam linguam quàm Græcam sonaret. deinde à Romanis, qui aliam quàm Græcam, vel Romanam: postea qui aliam quamvis à patria lingua diuersam loqueretur, dictus est Barbarus, quia à suis non intelligebatur. Vnde Anacharsis Scytha cùm ab Athenienſibus ridere- D
tur quasi barbarus, aptè respondit: *Scythæ barbari sunt apud Athenienses, & aquè hi barbari sunt apud Scythas.*

ÆMVLATORES ESTIS SPIRITVVM] donorum scilicet Spiritus sancti & gratiarum, de quibus c. 12.

AD AEDIFICATIONEM ECCLESIAE QVAERITE, VT ABVNDETIS] q. d. Petite & poscite à Deo hæc dona: deinde vobis donari; sed ita vt ijs vtamini, non ad ostentationem, sed ad ædificationem Ec-
clesiæ.

QVI LOQVITVR LINGVA, ORET VT INTERPRETETVR] Nota. Paulus hîc loquitur de publica oratione, qua vnus, priuatus licet, afflatus Spiritu eam omnibus alta voce orabat, cæteris audientibus & cum eo deprecantibus, suaque vota iungentibus. patet ex seqq. Aliter Chrysost. Ambro-
sius, Anselmus, oret, inquiunt, vt donum linguas interpretandi accipiat, vt se & suam linguam interpretari possit: sed orare aliter capitur vers. seq. ergo & hîc.

SI OREM LINGVA, SPIRITVS MEVS ORAT, MENS AVTEM MEA SINE FRVCTV EST] *Spiritus meus orat*, hoc est, spiritu meo reficior. Secundò, Chrysost. *Spiritus meus*, inquit, id est, Spiritus sancti donum, quod est in me, *orat*, id est, facit me orare, publicèque orationem pronunciare. Tertiò, *spiritus*, hoc est vox mea spiritu vitali & vocali prolata, *orat*, *mens autem mea sine fructu est*, quia significationem sermonis & orationis à se prolatæ non intelligit. Ita ex S. Basilio Theoph. & Erasm. qui pro *spiritu* halitum vertit. Vnde & Primasius: *Spiritus*, inquit, *hîc sermo intelligendus est, qui nonnumquam mente aliâ cogitante precatur.* Sed primus sensus est genuinus, vt patet ex sequentibus. Aliter D. Thom. hîc spiritum tripliciter accipit (quem vide si lubet) sed non ad mentem Apostoli. *Triplex explicatio illius* Spiritus meus orat.

MENS AVTEM MEA SINE FRVCTV EST] S. Chrysost. Theophyl. Ambros. D. Thom. & Caietanus, putant Apostolum hîc loqui de ijs, qui donum linguarum acceperant, quas tamen ipsi non intelligebant, instar asinæ Balaam; vel certè mysteria verbis contenta non penetrabant. Ita & S. Augustin. lib. 12. de Genesi ad litt. cap 8. & 9. & colligitur ex v. 28. Hi enim sine fructu orabant talibus linguis, quia licet spiritus pia deuotione in Deum pasci posset, non tamen mens pascebatur intelligentia precum verbalium.

Verùm dico, *Mens*, græcè νοῦς, hîc idem est quod sensus, vt vertit Noster v. 19. & c. 2. v. vlt. imò Aristot. τίς ἐστι, inquit, τούτων τῶν ῥημάτων νοῦς; quis est horum verborum sensus? sic etiam sumitur νοῦς Apocal. 17. v. 9. ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν, id est, vt vertit Noster interpres & alij passim: *Hic est sensus* (visionis bestiæ) *qui habet sapientiam.* νοῦς enim hîsce locis respondet Hebræo חָכְמָה *sechel*, vti declarabo v. 15. νοῦς ergo hîc idem est quod διάνοια. & sicut Rhetores opponunt inter se statum ῥητῆς καὶ διανοίας: ita Apostolus opponit hîc γλῶσσαν καὶ νοῦν, id est, linguam & mentem, siue verbum & sensum. *Sensus* autem hîc idem est quod intelligentia, non actiua, qua scilicet sentiam, hoc est, intelligam; sed passiua, scilicet, qua sentiar, id est, intelligar ab omnibus. Passiuè enim hîc capitur *sensus*. vide can. 30. Hæc ergo mens, id est sensus, significatio & intelligentia linguarum mearum, est sine fructu, quia nemo eam capit intelligitve, vt inde ad pietatem excitetur. hoc enim intendit Apostolus, vt mox pluribus dicam. Itaque hîc sensus est genuinus, eumque tradere videtur S. Basil. in Reg. breu. interrog. 278. *νοῦς, id est mens, hîc est sensus.* *Mens siue sensus hîc est intelligentia passiua, qua scilicet loquens intelligitur ab audientibus.*

Secundò, non improbabiliter Oecum. Mens, inquit, id est scopus & intentio, mea est sine fructu, non loquentis, sed audientis, quem intendit loquens ad pietatem excitare. Nam de fructu audientium loqui Apostolum patet ex v. 14. 16. 19. Ita quoque Theodor. Loquitur enim Apostolus de orationibus & canticis spiritualibus, quæ priuati quique ex dono Spiritus sancti componebant, & publicè pronunciabant, vel canebant in Ecclesia tempore collationum spiritualium; idque in consolationem, instructionem, vel exhortationem populi: vnde vult illa vulgari lingua fieri, vt ab omnibus intelligantur; alioqui enim sine fructu ea fore asserit. *Secundò. Oecumen. Mens, inquit, est intentio.*

Paulus intendit docere, non Missam, sed priuatas preces componendas esse ad excitationem populi, lingua vulgari.

Dices, Ergo Missa & Horæ canonicæ iam cani debent vulgari lingua.

Respondeo, Nego consequent. quia Apostolus loquitur de precibus, quas priuatus quisque componebat ad ædificationem & excitationem populi, non de diuinis & publicis officijs, quæ iam approbatione, imò ordinatione & nomine totius Ecclesiæ & populi obeunt Clerici, ad colendum, & graui ac vniformi quadam maiestate latinè laudandum Deum. Si enim vernacula lingua dicerentur. Primò, rudes malè res tam diuinas apprehenderent, malè intelligerent, errores & hæreses conciperent. Secundò, singulis prouincijs, imò penè vrbibus varianda esset lingua. Licet enim eadem communi lingua loquantur Germani omnes, tamen diuersum linguæ idioma habent singuli: aliud enim habent Westphali, aliud Heluetij, aliud Hassi, aliud Iuliacenses, &c. atque ita si vernaculè diceretur diuinum officium, in tanta idiomatum varietate schisma oriretur, risus & contemptus sacrorum.

Diuina officia quare non sint dicenda idiomate vulgari.

Dices Secundò, populus non intelligit latinè, quem ergo fructum ex Missa Latina percipit?

Fructus quos populus ex Missa percipit, licet eam non intelligat.

Respondeo Primò, particeps est istius sacrificij, & etiam Sacramenti, si velit. Secundò, particeps est omnium precum, quas pro omnibus, maximè præsentibus, fundit sacerdos. Tertiò, per ritus & cæremonias tam decoras ad deuotionem & mentem priuata oratione ad Deum eleuandam excitatur, docetur & accenditur; præsertim cùm illa in concione populo Parochi explicare debeant, vt iubet Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. Vide Bellarm. li. 2. de verbo Dei, c. 16.

VERS. 15. QVID ERGO mihi vobisque faciendum EST? ORABO SPIRITV (vt spiritus meus oratione mea pascatur) ORABO ET MENTE] Id est, orabo sensu & intelligentia, orabo intelligenter, vt alij me sentire, id est intelligere, possint. Alludit Paulus ad illud psalm. 46. 8 *Psallite sapienter*: pro quo hebraicè est מַשְׂכִּיל *maskil*, id est, in intelligentia: quod Septuag. vertunt συνετῶς id est, *psallite intelligenter*, vt nimirum vos ipsi intelligatis & sapiatis ea quæ psallitis, & vt alij qui vos audiunt, ea quæ psallitis intelligant. Hoc enim est communis psaltæ officium, ita nimirum psallere, vt possit ab alijs intelligi. Vox enim νοῦς, qua vtitur hic Paulus, respondet Hebr. שֶׂכֶל *sechel*, siue מַשְׂכִּיל *maskil*, & בִּינָה *bina*: quæ passiuè capiuntur subindè, vt Isaiæ 33. 19. pro eo quod Noster interpres vertit, *Populum alti sermonis, vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia*; hebraicè est, *populum blæsum labiis*, in quo non est בִּינָה *bina*, id est intelligentia, qui scilicet ita blæsus est, vt non possit intelligi. Sic Nehemiæ 8. 8. dicitur Esdras legisse coram populo in libro legis distinctè & apertè ad intelligendum: hebraicè שׂוֹם שֶׂכֶל *som sechel*, id est, ponendo vel dando intellectum, hoc est, intelligibiliter, ita vt omnes possent intelligere.

Quid sit psallere sapienter.

Distinctè canendum est, vt intelligatur. νοῦς est hebr. sechel.

VERS. 16. CÆTERVM SI BENEDIXERIS SPIRITV: QVI SVPPLET LOCVM IDIOTAE, QVOMODO DICET, AMEN, SVPER TVAM BENEDICTIONEM? QVONIAM QVID DICAS, NESCIT] *Si benedixeris*, id est, si Deum laudaris tua lingua & spiritu. Aliter S. Thom. Si sacerdos, inquit, publicè benedixerit populo: sic quoque explicat Primasius, Haymo & Salmeron, qui multis contendit probare Apostolum loqui hîc de sacrificio Missæ, qua sacerdos benedicit non tam populum, quàm Deum. Nam id videtur significare verba Græca hîc εὐλογῇς & εὐχαριστῇς, quibus pariter vtuntur Euangelistæ & Paulus in institutione Eucharistiæ, quæ inde dicta est εὐλογία, id est benedictio; & Eucharistia, id est gratiarum actio. Accedit quòd in omnibus Latinorum Missæ, tam Iacobi & Clementis, quàm Basilij & Chrysost. post consecrationem panis & vini populus acclamare soleat, Amen. Videtur ergo hîc velle Apostolus, vt publicæ benedictiones, precum & Missæ in Ecclesia non celebrētur ignoto populo & peregrino sermone; sed vt apud Græcos celebrentur græcè, apud Hebræos hebraicè, apud Latinos latinè. Nam magna ex parte hæc idiomata ab his, qui sunt eiusdem linguæ, intelliguntur: cùm enim fieri non possit, vt vna lingua ab omnibus, etiam diuersis nationibus, qui eamdem fortè Missam audiunt, intelligatur; oportuit seligi vnam magis communem, quæ à plerisque honestioribus intelligatur, qualis est apud nos Latina, ita vt multi in Missa Latina apud nos loco idiotæ respondere possint, Amen. quod hîc requirit Apostolus.

Verùm Apostolum non loqui de publica & solemni benedictione Missæ, sed quauis alia, quæ quisque priuatim afflatus spiritu per hymnum, psalmum, vel orationem dictabat & recitabat, patet Primò, ex voce *Ceterùm*, pro qua græcè est ἐπεί, id est, quandoquidem; quæ vox dat causam cur v. præc. dixerit, *Orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente*. Loquitur ergo Paulus de benedictione non Missæ, sed psalmorum & orationum, quas quisque ex spiritu fundebat. Idem indicat Græcum σῇ σοῦ, id est tuâ, scilicet propriâ & priuatâ, εὐχαριστίᾳ, id est benedictione. Secundò, idem patet ex decursu totius capitis, ac præsertim ex conclusione totius discursus Paulus v. 26. vbi sic ait: *Quid ergo est fratres? cùm conuenitis, vnusquisque vestrùm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet; omnia ad ædificationem fiant*: ergo loquitur Paulus de benedictione, psalmis & linguis, non sacerdotis & publici ministri; sed de priuatis, quas vnusquisque ex spiritu proferebat ad communem fidelium ædificationem. Tertiò, idipsum patet ex v. 31. vbi ait: *Potestis omnes per singulos prophetare. Et* v. 29. *Prophetæ*, inquit, *duo aut tres dicant, & alteri dijudicent*: ergo loquitur de noua & priuata cuiuslibet prophetia & benedictione; hæc enim examinanda & diiudicanda est. Nam communis Ecclesiæ oratio & liturgia à tota Ecclesia probata & instituta examinari & diiudicari non debet. Hæc omnia magis patebunt §. sequ.

IDIOTAE] Gagneius ex Seueriano: Idiota, inquit, est catechumenus. Secundò, Primasius, Idiota, inquit, est neophytus. Tertiò, & optimè, idiota, est indoctus, rudis, linguarum expers. ita Chrysost. Syrus, Theophyl. S. Thom. & alij.

Nota. S. Thom. Primas. & Haymo per idiotam hunc accipiunt ministrum, qui in Sacro & collectis pro populo respondet, Amen. Vnde significant hi Patres Paulum velle, vt saltem Missæ & sacrorum minister intelligat sacerdotem, illumque qui publicè lingua alia, quàm vernacula orat, vt pro populo respondere possit, Amen. Hoc consilium & documentum bonum & conueniens est, non tamen absolutè necessarium, nec genuinum ex mente Pauli.

Vide

Vide dico, idiotam hîc non significare ministrum sacrorum, sed quemuis è plebe. Græcè est: ἀναπληρῶν ὁ τόπον τοῦ ἰδιώτου, qui implet, vel occupat locum idiotæ, id est, qui sedet inter idiotas, qui est idiota (alio enim loco sedebant Prophetæ & doctores, alio idiotæ & populus) vel est plebeius quisque & tota plebs indocta. Ita Occum. & Theophyl. Tota enim plebs, & consequenter quilibet idiota olim in sacris conuentibus respondebat, Amen, vt patet ex Iustino Apolog. 2. in fine. Vnde Hieron. in fine commentarij in epistolam ad Galat. *In Ecclesia Romana*, ait, *adinstar casus tonitrui reboat, Amen.* Id tam plebis vice facit dicere, vt sacerdoti oranti respondeat, Amen, ne orationis vox plebis Ecclesiam turbet.

A

Nota Secundò. Loquitur hîc Apostolus, vt dixi de oratione noua & priuata alicuius particularis, quæ profectebatur ad populi excitationem & B edificationem, & cui subesse poterat error, vt patet v. 29. Hanc enim vult vulgari lingua fieri, vt non intelligat populus, ne respondeat, Amen, ad orationem alicuius, qui in oratione quam facit peregrina lingua, ridicula, absurda, errores & hæreses profert: non autem loquitur Apostolus de oratione publica ab Ecclesia probata & recepta, quæ non nomine huius, vel illius, sed nomine totius Ecclesiæ profertur, in qua certum est nihil errorum contineri, cui vnus minister respondet Amen pro populo; atque interim populus, qui huius orationis est particeps, potest insuper alia oratione priuata Deum orare. Adde, Concil. Trident. vt diximus, iubere, vt pro concione hæ orationes populo explicentur.

Denique licitum est orare lingua quam non intelligis, cùm certò scis preces esse bonas; sicuti C Monachi latinè recitant horas: & sic idiotæ, orante sacerdote latinè, possunt cum illo orare, & mentem Deo iungere, ac petere, vt Deus concedat id, quod sacerdos pro se & toto populo nomine totius Ecclesiæ, optima & vtilissima oratione rogat & supplicat. quia licet eam non intelligant, non percipiunt intelligentia & sensu precum; habent tamen fructum deuotionis erga Deum & reuerentiæ erga preces sacras: imò plus merentur & impetrant, quàm illi qui eas intelligunt, si maiori humilitate, pietate & feruore orent.

Ita S. Iordanes rogatus, an placerent Deo hæ Monachorum preces? respondit appositè: *Sicut gemma in manu rustici, qui non nouit pretium eius, tantum valet, quantum in manu aurifici & gemmarij, qui pretium nouit: sic & preces tantum valent in ore indocti quas non intelligit, quantum in ore docti qui intelligit:* perinde ac libellus supplex qui à rustico & idiota regi porrigitur, tantumdem à rege impetrat, quantum impetraret alius qui à viro docto & literato porrigeretur. Scriptum est enim: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Et, *Si hi, inquit, tacuerint, lapides clamabunt*, Matth. 21. Simili modo in Vitis Patrum, Abbas Pastor, cùm quidam ei conquerendo diceret: *Ecce oro, & non est oratio in corde meo: quia nescio virtutem* (significationem) *verbi.* Respondit: *Et tu tamen orare perge; quamuis sint incantatori licet virtutem verborum quæ dicit ignorat, serpens tamen audit & intelligit ea, illoque fascinatur incantanti, & humiliatur: sic & nos, quamuis ignorem virtutem eorum quæ loquimur, dæmones tamen audientes ea intelligunt, terrentur atque discedunt.* Vide D. Thom. & Caietan.

Secùs est de oratione Dominica, quam quisq; vernaculè discere, dicere & intelligere debet; vt sciat distinctè quæ & qualia à Deo petere debeat, vti iam in multis Synodis Episcoporum statutum est. Infert hinc aliud Caietan. scilicet satius esse organa & musicam excludi templis, vt sic Hora & Missæ intelligibiliter canantur, ita vt ab audientibus responderi possit, Amen: sed vsus iam Christianorum habet contrarium, vt cum Dauide ad excitandam deuotionem populi, qui æque vocem Latinam non intelligeret, organis subinde & musica in sacris vtantur, idque

Quisque orationem Dominicã discere & intelligere debet.

Primò, vt sicut non tantùm spiritu, sed & corpore constamus, Deumque laudamus: sic non tantùm voce, eaque concordi & pulcherrima, qualis est musica, sed & instrumentis Deum laudemus. Omnis enim spiritus, omnis creatura, omne instrumentum laudare debet Deum, quem omnis laus decet.

Ob tres rationes, vsus musicæ in templis commendatur.

I.

Secundò, vt audientes, præsertim plebeij, ad deuotionem excitentur, sicut Dauid & Elisæus per psaltes & psalteria excitabantur, & sicut excitabant Saulem & alios per musicam ad Dei laudẽ.

II.

Tertiò, vt maior sit sacrorum decor, solemnitas & maiestas. Ita Prudentius in Apotheosi cõtra Iudæos, & Facultas Parisiensis in sua censura tit. 19. propos. 6. ita hunc Pauli locum explicat: *Scribens Paulus, In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, quàm decem millia verborum in lingua; de concionibus, seu sermonibus, qui habentur ad populum, tractat, in quibus inutilis est copia verborum non intellectorum; non de cantibus Ecclesiasticis, quorum alia est ratio.*

III.

Cauenda tamen est in hisce leuitas, vt iubet Concil. Trident. Vnde S. Aug. in psal. 32. conc. 1. dicit repulsas ab Ecclesia citharas & organa theatrica: quia scilicet Gentiles ijs ad luxum & libidinem in theatris, conuiuijs & sacrificijs vtebantur eo tempore. Vti ergo organis in ecclesia, & subinde alijs instrumentis musicis, si fiat sobriè, piè, modestè & grauiter, Dauidis exemplo & exhortatione, psal. 150. v. 3. 4. 5. 6. patet esse pium: vnde & S. Iohannes in Apoc. c. 5. v. 8. & c. 14. v. 2. in cælo, vbi omnes sunt perfecti, audiuit citharas, licet nostris grauiores & diuiniores.

Quare organa theatrica olim ex templis eiecta.

Amen] *Amen* (ait Hieron. ad Marcellam epist. 137. tom. 3. & in fine Commentariorum in epist. ad Galat.) Aquila, Symmachus, & Theodot. verterunt, πιστωθήτω, id est fideliter, siue verè: Lxx. vertunt, γένοιτο, id est fiat. Significat ergo *Amen*, verè, vel etiam firmiter; radix enim אָמַן *aman* firmare & stabilire significat. Vnde nomẽ אֱמֶת *emeth*, id est, firmitas, veritas. *Amen* ergo, non est particula iurantis, vt vulgus putat: sed affirmantis & confirmantis. Affirmantis est, cùm orationi præponitur, vt, *Amen, amen dico vobis*. Et hoc sensu S. Aug. tract. 41. in Ioan. *Amen* vocat iurationem Christi; quia Christi iuratio non fuit propriè iuramentũ, sed simplex affirmatio & asseueratio, dicendo, *Amen, amen, dico vobis*, Matth 5. v. 37. *Amen* verò est nota confirmantis cùm oratiom postponitur. Rursum cùm postponitur & significat cõsensum audientis; nunc asserentis est & concedentis, nunc optantis. Concedentis est, Deut. 28 vbi ad benedictiones legis seruatæ, & maledictiones violatæ, populus quasi eas acceptans, respondet, *Amen*. In prece verò tantùm est optantis. Sic in oratione Dominica subiungitur *Amen*, quasi signaculum orationis. & passim alius quasuis orationes Ecclesia

Quid Amẽ significet, & vnde dictum.

Vid. Sam. Petitum l. 1. Var. lect. c. 9. p. 79.

Amen non est particula iurantis.

Amen cùm orationi postponitur, est assertiui, concedentis, vel optantis.

Amen est signaculum orationis.

sia obsignat per *Amen*, q.d. Verũ sit, verè fiat quod hac oratione petimus. Talmudici dicunt, *Amen* aliud esse perfectum, aliud imperfectum, idque triplex. Primò, *Amen pupillum*, cùm dicens *Amen*, precem non intelligit, sed quasi pupillus ab orante sinit se & precem suam dirigi. Secundò, *Subreptitium*, cùm ante finem orationis respondet *Amen*. Tertiò, *sectile*, cùm aliud agens animo distracto respondet *Amen*.

Triplex Amen, pupillum, subreptitium, & sectile.

VERS. 18. GRATIAS AGO DEO MEO, QVOD OMNIVM VESTRVM LINGVA LOQVOR] *Omnium vestrûm*. Paulò aliter iam habẽt Græca: πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν. quod Syrus, Chrysostomus, Hieron. ad Hedibiam & alij vertunt, *magis quàm omnes vos, linguis loquor*. Sic ferè posset & accipi Noster interpres, dum vertit, *omnium vestrûm*, q.d. Omnes linguas, quas vos calletis, & ego calleo, & magis quàm vos.

Quomodo Paulus linguis omnibus Corinthiorum loqueretur, cùm tantũ una esset lingua Corinthiorum.

Dices, Quomodo aït, Omnium vestrûm linguis, vt habent Græca, cùm in Græcia, & maximè Corinthi, vna tantùm esset lingua. Respondet Haymo: Omnium vestrûm linguis, id est dialectis, loquor. Secundò & meliùs, Omnium, quia nimirum Corinthum confluebant aduenæ & mercatores omnium gentium & linguarum, quasi ad celeberrimum emporium; sicut etiam hodie Antuerpiæ, Parisijs, Venetijs, Gallorum, Germanorum, Italorum, Hispanorum, Anglorum, aliarumq; gentium viget lingua æquè ac mercatura. *Omnium* ergo vestrûm, id est, omnium gentium, quæ vobiscum & inter vos versantur, *linguis loquor*. q.d. Non eluo, nec vitupero donum linguarum, nam & ipse eo vtor, sed non eo modo, quo vos in Ecclesia ad ostentationem, sed ad ædificationem.

VERS. 19. SED IN ECCLESIA VOLO] Id est, malo. pendet enim τὸ *volo* à voce *quàm*, quæ sequitur. Est hebraismus.

QVINQVE (paucissima) VERBA SENSV MEO (id est intelligentia, qua intelligar) LOQVI, VT ET ALIOS INSTRVAM; QVAM DECEM MILLIA VERBORVM IN LINGVA] peregrina, quam audientes non intelligant.

Quomodo hic accipiendum sensu meo.

Nota. *Sensus* hîc idem est quod intelligentia passiua, qua scilicet intelligor tam ego, quàm sermo meus: vnde explicans subdit, *Vt & alios instruam*. Opponit enim sensum hunc linguæ peregrinæ, quam nemo intelligit. Vide dicta v. 14.

Prima explicatio & genuina.

Secunda.

Aliter Anselmus, Sensu, inquit, meo, id est, intelligentia mea, sed actiua; scilicet, qua ego ipse intelligam ea quæ ipse loquor, vt ita meliùs eadem alijs exponere possim.

Tertia.

Tertiò, Chrysostomus, *In sensu*, inquit, id est, cum iudicio, vt scilicet discretè & cum iudicio loquar & doceam, ita vt audientes licet rudes & imperiti, eadem intelligere, capere & retinere possint. Verùm primus sensus est genuinus, vt ex dictis patet.

VERS. 20. NOLITE PVERI EFFICI SENSIBVS, SED MALITIA PARVVLI ESTOTE: SENSIBVS AVTEM PERFECTI ESTOTE] Nota. Hîc aliud significat *sensus*, quàm v. præced. hîc enim græcè non est νοῦς, vti habet versus præcedens, sed Φρήν, id est, vt Chrysost. & Syrus, *mens*. q.d. Mente, iudicio & ratione nolite effici pueri, vt pueriliter ostentetis donum vestrum linguarum.

Sensus hîc accipitur pro mente, iudicio, & ratione.

SED MALITIA PARVVLI ESTOTE] Id est, in malitia estote simplices, vt illa sit vobis incognita quasi infantibus. græcè enim est νηπιάζετε, id est, vt Chrysost. Theophyl. & Syrus, *infantes sitis in malitia*, &, vt S. Augustin. li. 83. quæstionum q. 61. legit, *sicut infantes sitis expertes malitiæ*; nimirum, vt sicut infans dicitur, qui fari non potest, nihil mali nos nosse malitiam aut quidquam aliud; & græcè νήπιος dicitur, quasi νὴ εἰπεῖν, q.d. sine loqui, infans, elinguis: sic & Christianus in malo sit infans, vt illud non norit, nec de eo fari aut disserere possit. v.g. non sciat quid sit æmulatio, pollutio, fornicatio. ita ex Chrysostomo Theophyl. Pulchrè Tertull. li. contra Valent. c. 2. *Repuerascere*, inquit, *nos Apostolus iubet secundùm Deum, vt malitia infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simus.*

Quod etiam notauit Clemens Alexandr. lib. 1. Pædag. c. 5. his verbis: *Hîc autem par est attendere appellationem huius vocabuli* νήπιος, *quod infantiã significat; vt intelligatur τὸ* νήπιον, *non dici de insipiente. qui est enim insipiens, dicitur* νηπίνος: νήπιος *autem, qui est* νήπιος, *vt* ἤπιος, *qui est leni ac molli animo.* Vide eum hoc toto capite pulchrè disputantem, quales pueri debeant esse omnes Christiani.

IN LEGE] Isaiæ 28. 11. Aliquando enim lex vocatur non solus Pentateuchus, sed & Prophetæ, totumque vetus testamentum, ita Chrysost.

SCRIPTVM EST: QVONIAM IN ALIIS LINGVIS ET LABIIS ALIIS LOQVAR POPVLO HVIC] Locus hic est difficilis, qui vt intelligatur, oportet locum Isaiæ, quem hîc citat Apostolus, explicare. Sic habet Isaias cap. 28. 9. *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum: ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Quia manda, remanda; manda, remanda, exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi: in loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populũ istum.* q.d. Deus docere solet scientiam & sapientiã eos, qui auulsi à delicijs puerilibus & vita imperfecta, quasi viri capaces sunt scientiæ: hi autem Iudæi, qui, vt apud Isaiam præcessit, hîsce delicijs vitæ & ebrietatis gaudẽt, nec supernas & solidas capiunt, quasi pueri sunt, & consequenter doctrinæ & veræ sapientiæ incapaces; quia scilicet hi Iudæi nolenti, ridendo me Isaiam & alios Prophetas, qui eis ebrietatis aliorumq; peccatorum pœnas & supplicia è cælo intentamus, dicunt, *Manda remanda*, hebr. צַו לָצָו צַו לָצָו *tsaf latsaf, tsaf latsaf*, manda mandando, hoc est manda, remanda: קַו לָקַו קַו לָקַו *kaf lakaf, kaf lakaf*, exspecta exspectando, id est, exspecta, reexspecta.

Notat S. Hieron. Haymo & Lyranus, in his verbis esse mimesim, siue ethopœiam, quæ est relatio dictorum alienorum cum derisu. Isaias enim & Prophetæ sæpè edicebant: *Hæc mandat Dominus.* Hinc isti vino diditi in conuiuijs per irrisionem hæc repetebant dicentes, *Manda, remanda*, id est, iterum manda: *exspecta, reexspecta*, id est, iterum exspecta. Quasi dicerent, Prophetæ obtundunt nobis aures toties repetendo, *Hæc mandat Dominus*, & minantur aut promittunt ea, quæ non cernimus, iubent exspectare modicum, nunc hîc, nunc illic, & nihil sequitur. Sic subinde etiamnum contemptoribus fit, vt improbi eorum conciones & minas rideant, repetant & subsannent. Quare hæc Isaiæ verba frigidè Iudæi R. Dauid, R. Abraham, & post eos Vatablus, Isidorus Clarius, Pagninus & Forerius vertunt sic, *Lineam post lineam, præceptum post præceptum; parum ibi, parum ibi.* q.d. Isaias: Hi tamquam pueri ruditer & sensim lentissimè docendi sunt lineam post lineam, præceptum post præceptum, perinde ac pueri docentur alphabetum: nam non puerorum docendorum, sed insanorum & sannionum, hæc esse verba patet ex pa-

tagnam v. sequ. eorum sannis intentat Isaias. Vnde LXX. sic vertunt, *tribulationem super tribulationem, spem super spem, adhuc parum, adhuc parum propter irrisionem labiorum, & linguam alteram, qua loquentur populo huic dicentes eis: Hæc requies esurientibus, & hæc est contritio, & noluerunt audire.* Vbi Nota, Septuag. pro צו *tsaf*, id est manda, legerunt צר *tsar*, id est tribulatio: vafenim & resch Hebræis vicina sunt literæ. Hinc subdit Isaias: *In loquela aetus labij*, hebr. בִּלְעֲגֵי שָׂפָה *belaage sapha*, id est, vt Iunius, Forerius, Pagninus, *in balbutiem labij*; Arias, *in blæsitatibus labij*. vti solent irridentes cum gestu linguæ & labiorum ad balbutiem compositi. Quod Noster vertit, *loquelam labij*. Blæsi enim & balbi videntur labijs penè solis loqui, & pueri: vnde clarè LXX. & alij vertunt, *in irrisione, vel subsannatione labij*. Hebraicum enim לַעַג proprie competit balbis, blæsis, sannionibus; forte alludit Isaias ad Ephraimitas, qui blæsi erant vnde Iudicum 12. v. 6. pro *scibbolet*, dicebant blæsè *sibbolet*. sic hic pro *tsaf*, id est, manda, dicebant ludæi sanniones blæsè *saf*. S. Paulus hæc Isaiæ verba non ad verbum, sed ad sensum reddit, dicens *in aliis labiis*, quia locum Isaiæ adaptat dono linguarum Apostolis dato, qui alijs linguis non ad irrisionem, sed ad ædificationem loquebantur. Quanquam Salmeron tom. 1. pag. 33. putet in Hebræo vitatè gimel pro vicino zain irrepsisse, & pro בִּלְעֲגֵי *belaage*, vti iam legitur in Isaia, legendũ esse בִּלְעֲזֵי *belaaze*, id est, in barbaris linguis, ac consequenter alijs & diuersis à vestra lingua: Hebræum enim לַעַז *loez*, barbarum significat.

Sensus ergo est, q. d. Isaias, vel potiùs per Isaiam Deus: Mea exhortatio ad pœnitentiam facta Iudæis per Isaiam, aliosque Prophetas, visa est vobis, ô Iudæi, molesta & ridicula, perinde ac si labijs blæsis, & lingua barbara locutus vobis fuissem: hanc Prophetarum quasi balbutiem imitando, & subsannando blæsè & balbutientes dicitis, & repetitis *manda, remanda*. Quare ego per Chaldæos (qui videntur vobis blæsi & balbi) milites, & ministros iustitiæ meæ, vos puniam, vt sannis peregrinæ linguæ Chaldaicæ vos incredulos arcessant & compescant, vosque iam deuictos & captiuos irrideant, vestraque Hebraica verba suis Chaldaicis subsannent & reprobent: & horum typo, figura & similitudine, tempore Christi, mittam Apostolos, qui dono variarum linguarũ vestram pariter, ô Iudæi, incredulitatẽ arguant, vobisque videbuntur blæsi, & à vobis mundique sapientibus quasi stulti praedicatores crucis Christi subsannabuntur.

Vbi Nota, Isaiam loqui ad litteram de suo tempore, & de Chaldæis qui euersuri erant Ierusalem: allegoricè verò loqui de dono linguarum dato Apostolis, quod proinde Apostolus non fidelibus, sed infidelibus docet esse signum, scilicet maledictionis, qua incredulos Deus vlciscitur, non benedictionis, qua suos erudit. Hunc esse sensum Isaiæ, patet ex hoc loco Apostoli. ita S. Hieron. & Cyrillus in Isaiæ 28.

Nota Secundò, Vox *enim*, non propriè, sed adsertiuè hic accipitur pro *sed*: nam cùm ait, *In loquela enim labij*, perinde est ac si diceret, *sed*, vel *verumtamen in loquela labij & lingua altera loquetur* (Deus per Chaldæos & Apostolos) *ad populum istum*, vt eum arguat, compescat & puniat.

ITAQVE LINGVAE IN SIGNVM SVNT, NON FI-

A DELIBVS, SED INFIDELIBVS] Ex citato Isaiæ loco, & punitione Iudæorũ per linguas tam Chaldæorum, quàm Apostolorum, infert Apostolus, Ergo linguæ sunt in signum, scilicet maledictionis, qua incredulos Iudæos (his enim propriè loquitur Isaias & Apostolus, non Gentibus) Dominus vlciscitur, vt dixi: ac proinde hoc signum à vobis fidelibus vsurpandum non est ad inanem iactantiam. *Lingua sunt signum maledictionis infidelibus.*

PROPHETIAE, id est, doctrinæ verbi Dei, & exhortationes, signum sunt NON INFIDELIBVS, SED FIDELIBVS] *Signum*, inquam, benedictionis, qua Deus suos erudit & benedicit, id est, ad omne bonum incitat & promouet. Vide v. 3. Non ergo signum hîc idẽ est, quod miraculũ. nec enim Chaldæi miraculum fecerunt, dum sua lingua Iudæos increpuerunt; sed signum hîc est signum, siue symbolum & nota correptionis, doctrinæ & institutionis. Intellige ea, quæ de fidelibus & infidelibus dixi, primariò & præcipuè: nam secundariò sicuti linguæ etiam fidelibus, sic vicissim prophetiæ infidelibus quoque seruiunt, vt patet v. 23. & 25. *Prophetiæ sunt signũ benedictionis fidelibus.*

B

SI CONVENIAT VNIVERSA ECCLESIA IN VNVM, ET OMNES LINGVIS LOQVANTVR (simul, mistim, confusè & tumultuariè; INTRENT AVTEM IDIOTAE, AVT INFIDELES: NONNE DICENT, QVOD INSANITIS? SI AVTEM OMNES PROPHETENT, id est, doceant fidem ex Scripturis alijsque testimonijs, & concionentur de vita rectè instituenda (vide dicta de prophetia initio capitis.) INTRET AVTEM QVIS INFIDELIS, VEL IDIOTA, CONVINCITVR AB OMNIBVS, DIIVDICATVR AB OMNIBVS] quia nimirum ab omnibus Prophetis, id est doctoribus & concionatoribus, de sua infidelitate, malis moribus & vitijs arguitur & increpatur. VERS. 23. VERS. 24.

C

OCCVLTA CORDIS EIVS MANIFESTA FIVNT] q. d. Ex dono discretionis spirituum, siue Deo ipsius Prophetæ, id est concionatoris, linguam regente, tangentur & arguentur occultissima cordis eius vitia, vt putet sibi concionatorem prophetice loqui. quod tum frequens fuisse hinc patet. Proinde hos Prophetas, id est doctores & concionatores, etiam verè ac propriè Prophetas fuisse liquet. VERS. 25.

Simile exemplum est in vita S. Augustini per Possidon. c. 15. vbi narrat S. Augustinum in concione quadam præter mentem à sua materia deflexisse, & inuectum esse in manichæismum, idque Deo flectente Augustini mentem & linguam ad Manichæi cuiusdam tum fortè præsentis conuersionem, vti postea reipsa cognouit S. Augustinus. *Deus in concione linguam S. Augustini flexit ad conuersionẽ cuiusdam Manichæi.*

D Vnde S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. c. 15. ante concionem docet esse orandum, vt Deus accommodè ad auditorum captum & motum, mentem & linguam concionantis flectat. *Ante concionem orandum, cur?*

Alij *occulta*, intelligunt peccata, quæ in infideli, vel idiota latent, quæque ipse nescit esse peccata, v. g. cùm nescit idololatriam & fornicationẽ esse peccatum; hoc ipsum sciet, cùm Prophetas ea arguentes & peccati insimulantes audiet. Sed prior sensus planior & simplicior est.

QVID ERGO (faciendum) EST, FRATRES? CVM CONVENITIS (in Ecclesia) VNVSQVISQVE VESTRVM PSALMVM HABET, DOCTRINAM HABET, APOCALYPSIM HABET, LINGVAM HABET, INTERPRETATIONEM HABET; OMNIA AD AEDIFICATIONEM FIANT] Vox *vnusquisque*, sumitur hîc distributiuè: nec enim vnus omnia iam dicta habebat, sed vnus psalmum, alius doctrinam, alius aliud. q. d. Quisque VERS. 26.

vestrûm vel psalmum habet, vel doctrinam, vel apocalypsin, vel interpretationem, vel donum linguarum, vt lingua peregrina Dei laudes, preces, aliaque proloquatur aut decantet.

PSALMVM HABET] gratiam psallendi, qua psalmum, vel hymnum dictet aut canat. Sic Plinius ad Traianum scribit, Christianos solitos canere antelucanos hymnos Christo.

APOCALYPSIM HABET] puta reuelationem & explicationem aliquam vel loci alicuius S. Scripturæ obscuri, vel rei futuræ aut occultæ.

In conuentibus Christianorum olim quis ritus & ordo. Nota octo conuentuũ Ecclesiæ olim exercitiũ.

Ex hoc autem Pauli loco Nota. In Ecclesia primæua hic erat ritus & ordo sacrorum in sacris Christianorum conuentibus (vt patet ex Iustino Apologia 2. ad Antoninum in fine, & Tertulliano in Apologet. c. 39. & alijs) à Paulo & Apostolis institutus: Primò, canebant psalmos, etiam populus. Secundò, legebantur prophetiæ & sacra Scriptura. Tertiò, Episcopus prædicabat. Quartò, fiebat cœna & Sacrum, quod tunc ferè tantùm oblatione, consecratione, communione, canone, & Pater noster, ac oratione aliqua, cui populus respondebat, Amen, constabat. Quintò, omnes communicabant. Sextò, quidam psalmos & hymnos in laudem Dei varijs linguis quasi afflati spiritu dictabant & canebant: alij prophetabant. Septimò, alij more Iudæorum sacras Scripturas interpretabantur, vel exhortabantur, iisque duo vel tres, præsertim Prophetæ aut viri spirituales: alij audiebant, & subinde interrogabant, etiam feminæ, (sed per abusum, quem Paulus hîc corrigit) aliquid circa id quod dicebatur; cumque aliquid boni & pij pulchrè dicebatur, simul inclamabant, Amen, Amen. Octauò, claudebat omnia agape, siue conuiuium omnibus commune in symbolum charitatis: post quod rursum succedebant hymni & orationes. Hæc enim ordine ita recenset Iustinus loco paulò antè citato. *In omnibus*, inquit, *quas offerimus oblationibus benedicendo laudamus* (en primum; scilicet psalmodia & hymnodia) *factorem omnium per Filium eius Iesum Christum & Spiritum sanctum. Et Solis qui dicitur die, omnium, qui in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit, & commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum leguntur.* En secundum, scilicet lectio sacræ Scripturæ.

Ritus Christianorum olim in cõuentibus ex Iustino.

Deinde lectore quiescente, præsidens orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. En tertium; scilicet concio præsidentis, siue Episcopi.

Sub hæc consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus, & sicut retulimus, precibus peractis panis offertur, & vinum, & aqua: & præpositus item, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus faustè acclamat dicens, Amen. En quartum; scilicet Eucharistiæ oblatio & consecratio in Missa.

Et distributio communicatio, fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti; absentibus autem per Diaconos mittitur. En quintum; scilicet communio omnium.

Ritus Christianorum in conuentibus ex Tertulliano.

Sextum, septimum, & octauum ita mistum describit Tertullianus loco citato. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos est. Non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Post aquam manualem, & lumina, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere: æque oratio conuiuium diuimit.* Similia habet Philo libro de Essæis.

Nota Secundò, hæc dona, & hunc feruorem non diu durasse in Ecclesia, sed euanuisse; ita tamen vt ordinis iam dicti typum & methodum quoad potuit, retinuerit Ecclesia. Vnde octo rebus & ritibus iam dictis hæc nostra successerunt.

Primo, putà cantui & psalmodiæ, successit Matutinum, Laudes, & Horæ canonicæ.

Secundo, scilicet prophetijs, successerunt lectiones tum in Horis canonicis, cum sua expositione & homilijs, tum in Missa lectio Epistolæ & Euangelij.

Tertiò, successit concio post Euangelium.

Quartò, æquè vt olim etiam nunc fit Sacrum, in quo post Collectas clericus loco populi respondet, Amen.

Quintum intepuit, sicut & sextum & septimum & octauum, nisi quòd hymni & Horæ minores post Sacrum canantur; & quòd Monachi in suis cõuentibus de rebus spiritualibus colloqui soleant, vt patet ex Cassiano in Collationibus Patrum.

SIVE LINGVA QVIS LOQVITVR, SECVNDVM DVOS, AVT VT MVLTVM TRES, ET PER PARTES, ET VNVS INTERPRETETVR] Pendet hic versus ab eo, qui proximè præcessit, *omnia ad ædificationẽ fiant.* q. d. Siue quis psallat, siue doceat, siue linguas loquatur, omnia fiant ad ædificationem, ita tamen, vt si loquendum sit linguis, id fiat *secundùm* (id est per) *duos, aut vt multum tres.* q. d. In singulis conuentibus bini dumtaxat, aut vt summum terni linguis loquantur (est græcismus:) idque *per partes*, putà viciſſim, ne fiat confusio: *& vnus interpretetur*, vt audientes intelligant.

PROPHETAE DVO AVT TRES DICANT] suas prophetias scilicet, siue dogmata, lumina, monita sibi à Deo aspirata. Vide dicta initio capitis.

ET CETERI (non vulgus, sed Prophetæ vt præcessit) DIIVDICENT] ex dono sibi concesso, an id quod dicit Propheta, siue Doctor, sit verè prophetia, id est, doctrina sana & vtilis, necne.

Non ergo ad vulgus & laicos spectat iudicare de doctrina religionis, vt hinc volunt hæretici. Tam enim ineptum & insulsum est, quòd vulgus diiudicet prophetias, Prophetas, Doctores, Pastores, quàm si discipulus suum præceptorem, oues suum pastorem, miles suum ducem diiudicare & arguere vellet.

QVOD SI ALII aliquid melius REVELATVM FVERIT SEDENTI & audienti, surgat ille & loquatur, ac PRIOR Propheta TACEAT] & sedeat. *Hæc traditio synagogæ est*, ait Ambrosius, *quam non Paulus vult sectari, vt seniores dignitate disputent sedentes in cathedris, sequentes in subsellijs, nouissimi in pauimento supra mattas; quibus si quid reuelatum fuerit, dandum locum præcipit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt.*

POTESTIS ENIM OMNES PER SINGVLOS PROPHETARE. q. d. Possunt omnes Prophetæ singillatim hac ratione, si nimirum seruent modum & ordinem, quem iam præscripsi, exhortari, VT OMNES DISCANT ET EXHORTENTVR id est, exhortationem & consolationem accipiant. Passiue enim capitur παρακαλῶνται, id est exhortentur. Simile est epist 2. c. 1. 6. Alij exponunt actiuè, hoc modo, q. d. Vt omnes discant, cùm audiunt, & doceant, dum loquuntur & exhortantur.

ET SPIRITVS PROPHETARVM PROPHETIS SVBIECTI SVNT] vt possint Prophetæ spiritum prophetiæ

plebem cohibere & tacere cùm volunt, aliisque prophetis dare locum dicendi. Non enim agunt ad verba eo impetu, quo fanatici idololatræ. Nam spiritus, vel donum prophetiæ, ait D. Thomas, non est habitus, sed partim est instinctus, & impressio lucis & veritatis, qua Deus illuminat mentem Prophetæ circa res futuras, obscuras, vel diuinas: partim est vis, seu impetus, quo Deus cor tangit, mouet & impellit ad prophetandum, sed libere. Vnde Ionas & Ieremias illi ad tempus restiterunt, vti & Moyses Exodi 4.

Alter exponit Chrysost. q. d. Paulus, Donum prophetiæ, quod habet Propheta, ipseque Prophetes subiacet iudicio & censuræ collegij Prophetarum. Sed prior sensus aptior est. Dat enim hic causam Paulus, cur Prophetæ sibi inuicem cedere & tacere debeant, quia nimirum spiritus propheticus eis subiectus est.

B NON ENIM EST DISSENSIONIS DEVS] vt cogat simul & semel prophetare, tumultuari & inuicem perturbare.

DISSENSIONIS] ἀκαταστασίας, id est, confusionis & turbati ordinis, vti esse solet in tumultu & sedition.

MVLIERES IN ECCLESIIS TACEANT] etiam Prophetissæ, quia contra ordinem naturæ est & legis Genesis 3. v. 16. vt in conspectu virorum fœminæ eis subditæ loquantur. ita Ambros. & ex eo Anselmus.

Secundò, quia idipsum est præter earum verecundiam & humilitatem. ita Anselm.

Tertiò, quia vir melioris est iudicij, rationis, discursus & discretionis, quàm femina.

Quartò, iure, ait Anselmus, tacere iubetur femina, quæ cum loqueretur, viro suo suasit peccatum, Genesis 3.

Quintò, vt frænum inijciatur eius loquacitati. Nam

Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas
Pulsari,

cùm duæ mulieres litigant; quod facilè in Ecclesia contingeret, si eis docere permitteretur. De hoc mulieris silentio plura dicam 1. Timot. 2. v. 2. Quid enim contra Apostolum, contra fas omne, nefas & decus est, si mulier caput sit Ecclesiæ alicuius?

Tropologicè, mulier est passio & concupiscentia, vir est ratio; illa ergo taceat, & rationi se subdat. Vide Chrysostomum hom. 37. in morali.

Mulier inquit Aristot. lib. 9. de Natura animal. cap. 1. *misericors magis, & ad lacrymas propensior est, quàm vir: inuida item magis, & querula, & maledicentior, & mordacior: præterea anxia, & desperans magis quàm mas, atque impudentior & mendacior, quos etiam facilior decipi.*

SI QVID VOLVNT DISCERE, DOMI VIROS SVOS INTERROGENT] Hinc ait Primasius: Viri adeò docti esse deberent, vt vxores suas docere, & in rebus fidei instruere possent: sed, quid si indocti sint, vt sæpè fit, à quibus instruentur mulieres? Respondet Primasius, Habent concionatores, confessarios & magistros, qui eas instruant. Secundò, melius est illis quædã non necessaria ignorare, quàm cum scandalo & inuerecundia in Ecclesia ea rogare & discere.

Dices, Anna Prophetissa in templo loquebatur omnibus de Christo, Lucæ 2. Respondeo, Loquebatur omnibus, id est, singulis priuatim, non in

A Ecclesia, id est, Ecclesiastico conuentu, nec in templo propriè dicto: nam templum Iudæorum nec mulier, nec vir, sed soli sacerdotes ingredi poterant. Loquebatur ergo Anna mulieribus singulis in atrio feminarum; nam atrium distinctum ab atrio virorum habebant feminæ, teste Iosepho.

mulierum loquela in templo.

Atrium feminarum ab atrio virorum fuit distinctum in templo.

Dices Secundò, Moniales in ecclesiis suis canunt. Respondeo, Ibi non est Ecclesia, id est, fidelis populi conuentus, sed est chorus Monialium tantùm. Apostolus enim non vetat mulieres loqui aut canere inter mulieres, sed tantùm id fieri vetat in cõmuni Ecclesia, vbi scilicet tam viri, quàm mulieres conueniunt. ita Caietan. Rursum loquitur Paulus de locutione, non publica & approbata, sed propria & priuata, quæ fit docendo, exhortando, interrogando.

Moniales canunt in suo choro, non in conuentu fidelis populi.

Adde, Apostolum propriè tantùm loqui de mulieribus coniugatis: has enim iubet in Ecclesia tacere, & subijci maritis, eosque domi interrogare.

AN A VOBIS VERBVM DEI PROCESSIT?] Est acris obiurgatio concludens dicta hoc cap. & præcedenti. q. d. Nónne ante vos credidit Ecclesia Iudaica, Samaria, Palæstina, Cyprus & Syria; inspicite ergo ordinem & morem illarum Ecclesiarũ, an ita de suis donis contendant, an ita linguas suas iactitent, de ijsque tam pueriliter glorientur; sicuti vos facitis? ita Ambros. & Anselm. VERS. 36.

SI QVIS VIDETVR PROPHETA ESSE AVT SPIRITVALIS, COGNOSCAT QVAE SCRIBO VOBIS, QVIA DOMINI SVNT MANDATA] Domini non per se, sed per me iubentis, vt hic ordo in vestris cœtibus & collationibus seruetur. VERS. 37.

Nota hoc Pauli exemplũ pro canonibus Pontificijs & legibus Ecclesiæ.

Hic locus canones Pontificios commẽdat.

C Respondet Melanchthon, non posse Episcopos condere nouos canones, quia postquam conscripta iam est omnis sacra Scriptura, habent Episcopi verbum Dei plenum & sufficiens, quod sequantur; magistratum verò ciuilem posse nouas leges condere, quia non habet verbum Dei, quod sequatur.

Sed hæc friuola sunt, quia magistratus habet non solùm ius naturæ, sed etiam ius Cæsareum amplissimum & plenissimum; ergo si omnia eo non sint statuta & definita, sed magistratus & Principes debeant plura statuere & definire, cur non & Episcopi? Nec enim verbo Dei omnia statuta sunt & definita, vt patet ex ijs, quæ addidit Ius Canonicum.

Episcopi nouos canones condere possunt.

Secundò, Paulus hic leges condit non diuinas, sed humanas & Ecclesiasticas, vt ex illis ipsis patet: atqui Paulus habebat verbum Dei, non quidem scriptum, sed traditione, vel reuelatione diuina acceptum, ad Galatas 1. idque tam plenum & perfectum, immò plenius & perfectius, quàm nos habeamus: ergo si ipsi licuit verbo Dei suas addere leges, idem licebit Pontifici & Episcopis Pauli successoribus.

Paulus hic leges humanas condit.

D SI QVIS AVTEM IGNORAT, IGNORABITVR] q. d. Qui non vult agnoscere has leges, & potestatem meam, *ignorabitur*, id est, improbabitur à Deo, dicente, *Nescio vos*. Nam *qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Legit Noster interpres, ἀγνοῶν-ειται, cum Ambrosio, Hieron. Syro: iam legunt, ἀγνοείτω, id est, ignorans esto. Quod perinde est atque illud, Qui in fordibus est, fordescat adhuc. Aut, vt alij, *qui ignorat, ignorans esto*, id est, qui ignorat, agnoscat & gerat se tamquam ignorantem, VERS. 39.

nec

nec ingerat se vt iudicet illos & illa quæ nescit: sed potiùs sequatur alios, qui duces sunt prophetiæ & doctrinæ. Sed prior lectio Nostri interpretis, vti planior, ita verior est & communior.

VERS. 40. OMNIA HONESTE, ET SECVNDVM ORDINEM FIANT] Magna cura fuit Paulo, vti & S. Ignatio, epist. ad Philippenses, Tarsenses & alios, sive boni ordinis in Ecclesia, etiam in rebus indifferentibus: tum quia hic ordo in se venustus est & decorus; tum quia confusionem & perturbationem excludit; tum quia alios, etiam infideles, rudè ædificat. Vide dicta Coloss. 2. 5.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Probat resurrectionem mortuorum contra pseudodoctores eam negantes.

Primò, ex eo quòd Christus resurrexit. Deinde v. 2. tradit ordinem resurrectionis.

Secundò, v. 29. resurrectionem probat auctoritate eorum qui baptizantur pro mortuis.

Tertiò, v. 35. docet, quale futurum sit corpus in resurrectione. Vnde v. 42. assignat quatuor dotes corporis glorioſi.

Quartò, v. 51. docet, quòd omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, quodq; in resurrectione, quæ fiet in momento canente tuba, mors planè absorbebitur.

1. NOtum autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, 2. per quod & saluamini: qua ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. 3. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas: 4. & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas: 5. & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim: 6. Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt: 7. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: 8. Nouissimè autem omnium tamquam abortiuo, visus est & mihi. 9. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. 10. Gratia autem Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. 11. Siue enim ego, siue illi: sic prædicamus, & sic credidistis. 12. Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? 13. Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. 14. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: 15. inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium dixímus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum; quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. 16. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. 17. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. 18. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. 19. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 20. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, 21. quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. 22. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 23. Vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. 24. Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. 25. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. 26. Nouissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat: 27. Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. 28. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. 29. Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? 30. vt quid & nos periclitamur omni hora? 31. Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. 32. Si (secundùm hominem) ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. 33. Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. 34. Euigilate iusti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor. 35. Sed dicet

dicat aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? 36. Insipiens, tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. 37. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, semines, sed nudum granum, vtputa tritici, aut alicuius ceterorum. 38. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. 39. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. 40. Et corpora cælestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium. 41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: 42. sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. 43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute. 44. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est & spirituale, sicut scriptum est: 45. Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. 46. Sed non priùs quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. 47. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. 48 Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælites. 49. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. 50. Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. 51. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 52. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. 54. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. 55. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? 56. Stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. 58. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.

NOTVM VOBIS FACIO: in memoriam vobis A reuoco (ita Græci) EVANGELIVM.

QVA RATIONE PRÆDICAVERIM] Repete, *Notum facio*; vel refer hæc ad sequens, *Si retinetis*, vt sit anacoluthon.

QVONIAM CHRISTVS MORTVVS EST PRO PECCATIS NOSTRIS, SECVNDVM SCRIPTVRAS; ET QVIA [quòd] SEPVLTVS EST, ET QVIA RESVRREXIT TERTIA DIE SECVNDVM SCRIPTVRAS] Nam Osee 6.3. de Christo dicitur: *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos*, scilicet quâdo ipse à morte ad vitam tertio die resurget. Resurrectio enim Christi causa fuit cur nos suscitati simus à morte peccati, & cur suscitandi simus à morte corporis, vt instar Christi resurgamus in die iudicij ad vitam immortalem. Vide dicta Rom. 4. v. 25. Ita Anselmus, Doroth. in Synopsi initio; imò veteres Hebræi apud Galatin. lib. 8. cap. 22. Addit ex S. Chrysostomo Theophyl. quòd Christus tertia die resurgeret, scriptum esse allegoricè in Iona: Ionas enim tertia die è ventre ceti eductus, præfigurat Christi ex morte & inferis tertia die reductio ad vitam.

Rursus idipsum scriptum est Gen. 22. in Isaac, qui immolandus à patre præseruatus fuit à morte, tertiaque die viuus & sanus redditus est matri suæ: Isaac enim fuit figura Christi à Patre in mortem tradendi & immolati, ac tertia die resuscitati. Sed hæc testimonia petuntur ex sensu allegorico: prius verò Osee petitur ex sensu litterali.

ET QVIA VISVS EST CEPHAE] Petro. Hanc primam apparitionem Christi ponit Paulus; vnde inuit Christum, inter viros primò apparuisse Petro. Meminuit Lucas c. 24. 34. Dico, inter viros; nam Magdalenæ Christus apparuit priùs quàm Petro, Marci vlt. v. 9.

ET POST HOC VNDECIM] scilicet in octaua paschæ, præsente iam Thoma. Christus apparuit vndecim Apostolis. nam duodecimus Iudas iam se suspenderat. Vel potiùs *vndecim*, id est; toti Apostolorũ collegio, quod iam erat redactum ad vndecim (licet vnus Thomas abesset) apparuit Christus ipsa die paschæ, siue resurrectionis Christi. Græca habent εἶτα τοῖς δώδεκα, deinde visus est duodecim. Ita quoque legit August. l. 1. quæstionum Euangel. q. 117. Quia (ait) licet Iudas esset mortuus, censentur tamen duodecim, quia fuerũt duodecim. Sic dicuntur Decemuiri conuenire, licet septem, vel octo tantùm ex eis sint præsentes. Aliter Chrysost. Duodecim, inquit, quia Christus apparuit duodecimo Matthiæ post ascensionem. Sed nec hoc vspiam scriptum est, nec Paulus hic alias Christi commemorat apparitiones, quàm quæ ante Christi ascensum contigerunt. *Christus apparuit vndecim.* *Græca habent duodecim.*

B DEINDE VISVS EST PLVSQVAM QVINGENTIS FRATRIBVS] Græcum ἐπάνω significat Primò, plusquam; Secundò, significat è cælo, sursum; & ita vertit hîc Chrysost. & Theophyl. Visus est enim, inquiunt, illis Christus, non quasi è terra gradiens, sed super caput illorum, quasi è sublimi lapsus, idque vt eis non tam resurrectionẽ, quàm ascensionem suam ostenderet & firmaret: vnde quis colligat, putasse Chrysostomum hanc Christi apparitionem post eius ascensionem contigisse. Verùm id nec verum est, neque necessariò ex Chrysost. verbis colligitur. VERS. 6. *ἐπάνω, id est, plusquam, vel è cælo.*

Planè enim videtur hæc Christi apparitio ante ascensionem contigisse, Christo è loco superno quasi è cælo, vel aëre quingentis fratribus se ostẽdente. Estque hæc communis Doctorum sententia; nam de apparitione aliqua publica post ascensionem facta nihil vspiam legimus.

QVIN-

Apparuit Christus 500. fratribus ante ascensionē in Galilæa.

QVINGENTIS FRATRIBVS] Multi putant, hanc esse celeberrimam, & toties à Christo ante promissam apparitionem in monte Galilææ. Vnde præmonitti eò confluxerunt omnes Christiani: fuitque non in ascensione, sed ante: nam Christus non in Galilæa, sed in Iudæa ex monte Oliueti ascendit in cælum. Ita Hieron. qu. 7. ad Hedibiam, & interpretes in Matth. 28. 16.

VERS. 7.

DEINDE VISVS EST IACOBO] Alphæi, qui frater Domini dicitur, fuitque primus Episcopus Hierosolymitanus: vouerat enim Iacobus (ait Hieron. lib. de Script. Ecclesiast. in Iacobo) se non comesturum, donec videret Christum resurgentem. Vnde ei apparens Christus ait, *frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis.* Sed incerta est hæc traditio, & ex aliquo apocrypho deprompta. Vnde Hieron. non approbat eam; adeoque videtur hæc falsa & ficta traditio. Nam Primò, ex hoc Pauli loco patet, Iacobo apparuisse Christum post quingentos fratres, id est diu post resurrectionem, quousque inedia Iacobi naturaliter extendi non poterat.

Visio Iacobi apocrypha.

Probatur Primò.

Secundò.

Secundò, quia Apostoli omnes (inter quos erat Iacobus) in morte dubitarunt de resurrectione; non ergo Iacobus iurauit se vsq; ad eam non comesturum.

Tertiò.

Tertiò, quia hanc historiam ait Hieron. se sumpsisse ex Euangelio secundùm Hebræos, quod est apocryphum. Vnde & quod ibidem additur, Christum sindonem tunc habuisse, eamque dedisse seruo sacerdotis, videtur esse falsum. Nam Christi lintea remanserunt in sepulchro, Matth. 28. & corpus gloriosum, quale erat Christi, non sindone aut vestibus, sed splendore & radijs vestitur.

DEINDE APOSTOLIS OMNIBVS] & discipulis in ascensione ad cælum. ita Anselm. & alij.

VERS. 8.

Cur Paulus se vocet abortiuum. Prima expositio.

NOVISSIME AVTEM OMNIVM TAMQVAM ABORTIVO, VISVS EST ET MIHI] *Abortiuo*, id est, contempto & abiectitio. ita Theophyl. & Theodor. quia abortiui fœtus, vtpote imperfecti, tenuiores & graciliores esse solent.

Secunda.

Secundò, *Abortiuo*, quia extra tempus, Christo scilicet in cælos recepto, natus in Christo Paulus, nouissimus apostolatum accepit. ita Ambros. & Chrysost.

Tertia.

Tertiò, *Abortiuo*, quia, vt ait Anselmus, vi diuina prostratus in terram, coactus, & violenter renatus est Paulus: abortiui enim naturæ violentia eijciuntur.

Quarta.

Quartò, *Abortiuo*, quia, vt idem Anselm. annotat, fœtus abortiui semimortui, & cæci sæpè nascūtur. Sic Paulus in conuersione cæcitate percussus est.

Quinta.

Quintò, abortiuus Iudæorum fuit Paulus, quia non ad suos Iudæos, sed ad exteras gentes missus est Apostolus. ita aliqui apud Chrysost.

Sexta.

Aliter Baronius anno Christi 44. pag. 377. Censet enim Paulum vocari abortiuum, scilicet Apostolum, eò quòd præter & extra numerum duodecim Apostolorum, Apostolus creatus sit. Solebant enim Romæ Senatores, teste Suetonio in Octauio ca. 35. *abortiui* vocari, qui supra numerum per gratiam in senatum allegebantur. Sed an huc alludat Paulus, incertum est; nam ipse Græcis græcè hæc scripsit, Corinthijs scilicet, non Romanis.

Abortiui Senatores qui.

Hinc patet, Christum apparuisse Paulo, non per angelum, vt vult Haymo in Apocalypsis c. 2. sed per se; nec per imaginationem, vti apparuit eidem Paulo Actor. 22. 18. nec in raptu, vti eidem A contigit 2. Corinth. 12. 2. sed in aëre corporaliter. Sic enim apparuit Christus Cephæ, Iacobo, & Apostolis, vt præcessit: & quia alioquin non sufficienter Paulus ex hac apparitione probaret resurrectionem Christi.

Nota. Facta est hæc Christi apparitio Paulo in eius conuersione, Actor. 9. v. 3. vbi Paulus vidit Christum, sed mox lumen eum excæcauit.

Hinc rursum patet, Christum tunc è cælo descendisse: nam Paulus audiuit vocem Christi loquentis in aëre. ita S. Thomas, & alij. Vnde iterum sequitur, Christum tunc fuisse in duobus locis, licet in cælo empyreo, & in aëre auxta Paulum. Nam cælum empyreum, ad quod ascendit Christus, numquam exinde reliquit, vt dicitur Actor. 3. v. 21. Si Christus hic fuit in duobus locis, cur non possit esse in Eucharistia simul & in cælo?

B Sic pariter visus est Christus B. Petro Romæ, cùm è fuga ad martyrium eum reuocauit dicens, *Iterum venio crucifigi*, vt narrat Hegesippus lib. 3. excidij Hierosolymitani c. 2. & alij.

EGO SVM MINIMVS APOSTOLORVM, QVI NON SVM DIGNVS VOCARI APOSTOLVS] *Dignus*, græcè ἱκανὸς, id est idoneus. quasi dicat, Non tantùm minimus, & indignus ob peccata, sed & inidoneus sum ad apostolatum; qui enim persecutor fuit Ecclesiæ, inidoneus est vt in ea fiat princeps & Apostolus.

Moraliter. Nota hîc humilitatem S. Pauli qui se vocat minimum, & eo ipso erat maximus. Præclarè S. Bernard. serm. 13 in Cant. *Magna & vera virtus profectò est, vt magna licet operantem, magnum te nescias; & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. hoc ego ipsis virtutibus mirabilium indico. Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuæ manibus adhærere contingat. Quamobrem audi me: Euge serue bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

C GRATIA DEI SVM ID QVOD SVM] quòd sum Vas Apostolus, & Doctor Gentium.

GRATIA EIVS IN ME VACVA (græcè κενὴ, inanis, otiosa, id est sine opere & fructu) NON FVIT] Ambrosius legit, Gratia eius in me pauper non fuit. q. d. Licet persecutus sim Ecclesiam Christi, non tamen ideo pauperem, exiguam, & minorem alijs Apostolis, sed potiùs maiorem apostolicam gratiam accepi. ita Ambros.

SED ABVNDANTIVS ILLIS OMNIBVS LABORAVI] Pulchrè S. Hieron. epist. ad Paulinum: *Salubriter quit calor longum vincit teporem; Paulus Apostolus de persecutione mutatus, nouissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laborauit.* Nam, vt ait S. Gregorius p. 3. Pastor. c. 29. *Feruorumque gratior Deo amore ardens post culpam rei, quàm securitate torpens innocentia.*

D NON EGO (solus) AVTEM, SED GRATIA DEI MECVM] Nota Primò. Ex hoc loco contra Lutheranos & Caluinum, manifestè patet esse in homine liberum arbitrium, nec Deum solum omnia in nobis operari, sed ei cooperari liberum arbitrium, etiam in operibus supernaturalibus. Dicit enim Apostolus *Mecum*, nō, in me, &, *Tu omnibus laborem.*

Dices, Græca hîc aliter habent, scilicet οὐκ ἐγὼ δὲ ἀλλὰ χάρις θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, id est, *Non ego vero, sed gratia Dei, quæ mecum est.* ergo soli gratiæ suum laborem attribuit Paulus.

Respon-

Respondeo, Cùm ait Paulus, *ἐγὼ οὐκ ἐμοὶ*, id est A quæ mecum, supple, non, *τὸ est*, sed *τὸ laborauit*. Hoc enim verbum *κεκοπίακα*, id est *laborauit*, quod præcedit hîc intelligendum & repetendum est. Nec enim tunc mutari personam: hæc enim enallage crebra est Apostolo, vt dixi can. 38. Sensus ergo est, q.d. *Non ego solus, sed gratia Dei est, quæ mecum laborauit.* Id ita esse patet ex verbo, *Laborauit*, scilicet ego. Cùm ergo subdit Paulus: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, non excludit propriam liberi arbitrij cooperationē, sed tantùm gratiæ vt digniori operis causæ, operis laudes asscribit. Nec alius erit sensus, etiamsi cum Græcis nonnullis, & S. Hieronymo, legamus: *Non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est*. Subintelligitur enim, *gratia quæ mihi in auxilium adest, & operatur*, mecumque operatur. q.d. Ego quidem libero meo conatu valdè laboraui, non tamen ita laboraui, vt laboris huius decus & laus mihi tribuam, vel arrogem; sed gratia Dei est, quæ ad hunc laborem me excitauit, adiutuit, roborauit, cui proinde primam & potissimam laboris eiusdem tribuo; dicoque & palàm profiteor, non me, quàm gratiam Dei, quæ mecum est, laborasse, opusque ipsum confecisse. Vide can. 36.

Verùm nostra Latina lectio aptior est, ideoque melior: nam Græca verba in speciem secum pugnare videntur. si enim laboraui, ergo non laborauit gratia, nisi addas cū Nostro interprete *mecum*, scilicet *laborauit gratia*. Vnde alibi passim gloriatur Apostolus in laboribus suis. patet 2. Corinth. 11. 23. & seqq.

Fere S. Bernardus lib. de Gratia & libero arbitrio sub finem dicit, *Paulus inquit, Non ego, sed gratia Dei mecum, præsumens se non solùm operis esse minister per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum. Denique & Paulus de se pronunciat, Dei adiutores sumus. 1. Cor. 3. Hinc & promeritores nos ac esse præsumimus, quòd per consensum, vtique voluntarium, diuinæ voluntati coniungimur.*

Idem docet Anselm. hîc, Chrysost. Theodoret. Haymo. lib. 2. contra Pelagianos ante medium, Greg. 16. Moral. c. 10. & S. Aug. li. de Libr. arbitr. ad Valentinum c. 17. & serm. 13. de verbis Apostoli. Vnde ipse inquit *operator, Deus non esset cooperator.*

SIVE EGO, SIVE ILLI, SIC PRAEDICAMVS, ET SIC CREDIDISTIS] q. d. Tam ego, quàm alij Apostoli omnes, vt dixi v. 3. prædicamus, & asseuerauimus unquam oculati testes, scilicet Christum mortuum esse, & à mortuis resurrexisse, nobisque visum & apparuisse. Eò enim post longam digressionem quasi ad scopum totius capitis redit Apostolus, vt scilicet ex communi & concordi omnium Apostolorum sententia & prædicatione probet resurrectionem Christi aliorumque mortuorum, ita Chrysost. Anselmus, & alij.

SI CHRISTVS PRAEDICATVR QVOD RESVRREXIT A MORTVIS, QVOMODO QVIDAM DICVNT IN VOBIS QVONIAM RESVRRECTIO MORTVORVM NON EST] *Quidam.* Hic fuit Cerinthus cum suis, qui primus post Simonem Magum hæresiarcha tempore S. Pauli negauit resurrectionem. Nam, vt refert Eusebius li. 7. historiæ c. 23. & lib. 3. cap. 28. ex Dionysio Alexand. & Epiphanius hæresi 28. Cerinthus pro Iudaismo pugnans, ex Iudaicis traditionibus quæcumque de Ecclesia & felicitate legi Euangelicæ prædicta fuerant, referebat ad regnum terrenum, & ad diuitias, ac corporis voluptates: ad hoc postea abusus est Apocal. 20. 4. & factus est parens Chiliastarum, siue hæreticorum Millenariorum. Vnde aliqui putarunt Cerinthum auctorem Apocalypseos, ideoque eam reijciendam esse. Vide Eusebium. *Cerinthus fuit pater Chiliastarum.*

Hunc errorē cum auctore taxat etiam S. Ignatius epist. ad Smyrnenses, & epist. ad Trallianos. Resurrectionem quoque negarunt Hymenæus & Philetus, teste Apostolo 2. Timoth. 2. 17.

SI AVTEM RESVRRECTIO MORTVORVM NON EST: NEQVE CHRISTVS RESVRREXIT] Tum quia Christus fuit vnus ex mortuis, tum quia hæc primaria mortis & resurrectionis Christi causa fuit, scilicet plena abolitio mortis, vitæ reductio, fuitque Christi resurrectio exemplar nostræ, scilicet vt alij homines resurgant ad iustitiam in hac vita, & ad gloriam in altera. Alias quinque causas, cur necesse fuerit Christum resurgere, vide apud D. Thomam 3. p. q. 53. a. 1. VERS. 13. *Christi resurrectio fuit abolitio mortis.* B

QVOD SI CHRISTVS NON RESVRREXIT, VANA EST FIDES VESTRA: ADHVC ENIM ESTIS IN PECCATIS VESTRIS] Rectè sequitur, Si Christus non resurrexit, quòd adhuc sumus in peccatis. Nam Primò, si Christus non resurrexit, ergo fides in Christum resuscitatum, quæ iustificationis est radix, falsa est; fides autem falsa non potest esse remissionis peccatorum, & veræ sanctitatis initium & fundamentum. VERS. 17. *Si Christus non resurrexit, adhuc sumus in peccatis, cur* *Prima causa.*

Secundò, quia mors Christi inefficax fuit ad remissionem peccatorum, si Christus in morte manssit, ab eaque victus est. Si enim resurrectione sua nequiuit vincere mortem, ergo nec peccatum: hoc enim vincere grauius est & difficilius quàm vincere mortem; adeoque peccatum plenè non aboletur, nisi eius effectus, id est mors, aboleatur. Ita Chrysost. *Secunda.* C

Tertiò, quia resurrectio Christi causa est iustificationis nostræ, vt dixi Rom. 4. v vltim. Sublata autem causa tollitur effectus: sublata ergo resurrectione Christi, tollitur nostra iustificatio à peccatis, ac consequenter adhuc sumus & manemus in peccatis pristinis. *Tertia.*

ERGO ET QVI DORMIERVNT IN CHRISTO, qui scilicet in spe, fide, gratia & charitate Christi mortui sunt, PERIERVNT] Quia si corpus non resurgit, sed planè in mortè interit, interibit & anima, quæ in æternum sine corpore esse nequit, cùm natura sua forma sit corporis; vt, nisi violentè animæ suam quasi naturam, & naturalem statum adimat Deus, debeat ei suum corpus reddere, de quo rursus v. seq. VERS. 18.

SI IN HAC VITA TANTVM IN CHRISTO SPERANTES SVMVS, MISERABILIORES SVMVS OMNIBVS HOMINIBVS] Nota Primò, τὸ *sperantes*, significat hîc non actum spei, (hunc enim certum est existere tantùm in hac vita) sed obiectum spei, nimirum rem speratam. q.d. Si in Christo sperantes sumus tantùm illa bona, quæ sunt in hac vita, tunc omnibus hominibus sumus miserabiliores, id est, miserrimi sumus omnium hominum; putà, hominum stultissimi sumus, vtpote qui falsa & inani spe resurrectionis, quæ numquam continget, ieiunia, mortificationes, persecutiones, aliaque dirissima patimur; mundi carnisque voluptates abdicamus, cùm alij ijs indulgeant. Licet ergo ijs feliciores simus ob bonum virtutis abstinentiæ, charitatis, & serenæ conscientiæ, miseriores tamen ijs sumus quoad spem in Christum, imò stulti ex stulta spe. ita Anselm. & Chrysost. Vnde non VERS. 19. *Si mortui non resurgunt, Christiani sunt miserrimi hominum, cur*

dicit

dicit Apostolus, Peiores, sed, *Miserabiliores sumus.* miserabile enim est, ob virtutem se affligere, si non sequatur præmium; præmium autem Christianæ virtutis est resurrectio.

Obiectio. Dices, Anima potest suum habere præmium esseque beata, licet corpus non resurgat.

Responsio Prima. Respondeo, Potuisset Deus instituere vt anima sola præmiaretur & beatur visione Dei; sed noluit: nam de facto aliter instituit, scilicet vt, si anima beetur, beetur & corpus; si non corpus, nec anima: quia alioqui Christus non plenè vicisset peccatum, quod in morte tam corporis, quàm animæ dominatur.

Secunda. Secundò, erat ea tum (vt dixit Paulus v. 17.) hominum opinio; vt, si eis animæ immortalitatem probasses, statim resurrectionem corporis admisissent: quia hæc naturaliter connexa sunt, vt dixi versu præcedenti. Est enim in anima naturalis ad corpus propensio, vt sine corpore nisi violentè, & præter naturam esse non possit. Vnde resurrectio quoad substantiam, & naturæ humanæ exigentiam, quasi naturalis est, licet in modo & executione sit supernaturalis: nec enim anima separata vlla creata vi, sed sola supernaturali Dei virtute rursum vniri potest corpori. Paulus ergo ex negatione resurrectionis, & beatitudinis corporis, rectè, tam secundùm opinionem communem hominũ, quàm secundùm ipsam rei naturam & veritatem, infert negationem immortalitatis & beatitudinis animæ, ita nimirum, vt Christiani si non resurgãt, sint omnium hominum miserrimi.

Resurrectio quoad substantiam est naturalis, quoad executionẽ supernaturalis.

VERS. 20. CHRISTVS RESVRREXIT A MORTVIS PRIMITIAE DORMIENTIVM] q. d. Primus resurgentium fuit & est Christus, primus inquam, ordine dignitatis & meriti.

Quomodo Christus vocetur primitiæ dormientium. Secundò, quia in diuina voluntate & intentione fuit primus.

Prima expositio. Tertiò, causalitate. Per Christum enim omnes resurgemus.

Secunda. *Tertia.* Quartò, propriè, primus tempore inter resurgentes ad vitam immortalem fuit Christus. Licet enim aliqui ante Christum suscitati ab Elia & Elisæo resurrexerint, tamen illi tantùm resurrexerunt ad præsentem vitam mortalem, rursumque mortui sunt: Christus verò primus fuit, qui resurrexit ad vitam beatam, gloriosam & æternam; ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Ambros. Anselm. & alij passim. Hoc enim propriè significat vox *Primitiæ*, & indicant sequentia. Sic dicitur Christus *primogenitus mortuorum*, id est, ante omnes resurgens, & quasi renascens ex mortuis.

Quarta & genuina.

De fide est, neminem ante Christum resurrexisse ad vitam immortalem. Hinc de fide esse videtur neminem ante Christum resurrexisse ad vitam immortalem: qui ergo Christo moriente dicuntur resurrexisse Matth. 27. v. 52. non resurrexerunt nisi post Christum, saltem posteriùs natura, quia ipsorum resurrectio fuit dependens à resurrectione Christi tamquam à sua causa, vt inter alios rectè aduertit Franciscus Suarez 3. p. q. 53. a. 3.

Christus resurgens quasi primus terræ fructus Deo oblatus. Nota. *Primitiæ* dicuntur primus terræ fructus, qui olim in lege veteri Deo offerebatur. Sic Christus post resurrectionem quasi primitiuus fructus è terrâ, in quam quasi granum frumenti ceciderat, repullulans & renatus per resurrectionẽ Deo oblatus est.

VERS. 21. QVONIAM PER HOMINEM (Adamum) MORS inducta est in homines, sic ET PER HOMINEM (Christum) inducta est RESVRRECTIO MORTVORVM] A Vox *quoniam* dat causam cur Christus sit primus resurgentium, quia scilicet per Christum, quasi autesignanum, & mortis dominatorem, in orbem reuecta est resurrectio mortuorum.

ET SICVT IN (id est per, & propter) ADAMO OMNES MORIVNTVR, ITA ET IN CHRISTO OMNES VIVIFICABVNTVR] Quæritur, an etiam reprobi per Christum Christique merita, sint resurrecturi, & viuificandi? Negat S. August. epist. 28. quia horum resurrectio ad damnationem, non vita, sed mors potiùs dicenda est. Sic & D. Thomas ait Christum solis bonis esse causam meritoriam resurrectionis, sed efficientem omnibus.

Verùm Respondeo, Omnibus, etiam reprobis, resurgendi causa est Christus. Primò, quia Christus omnino mortem ex toto humano genere abolere voluit per resurrectionẽ (hæc enim totius naturæ ingens est bonum) ergo etiam ex reprobis; non qua reprobi, sed qua homines sunt, hoc abstrahendo à reprobatione. ita S. Ambrosius lib. de Resurrect. c. 21. & clarius Cyril. lib. 4. in Isa. c. 12. Adde, Christum reprobis, qua reprobi sunt, meruisse resurrectionem, tamquam hostibus suis in iustam vindictam, scilicet vt gloria Christi hostium suorum æternâ pœnâ celebraretur. B

Verùm hæc omnia sunt præter mentem Apostoli: Apostolus enim propriè agit non de malis reproborum, sed de beata Sanctorum resurrectione, vt patet ex sequentibus.

Nota. Huc vsque probauit Apostolus sex rationibus Christum resurrexisse, vt inde concluderet nos quoque à mortuis resurrecturos. Harum rationum Prima est, v. 5. petita à testibus, eique talis, Christus post mortem viuus apparuit Petro, Paulo, Iacobo, alijs Apostolis, & quingentis fratribus: ergo verè resurrexit. C

Secunda est, v. 14. Si Christus non resurrexit, ergo falsa & inanis est tam prædicatio Apostolorum, quàm etiam fides Christianorum.

Tertia, v. 17. Si Christus non resurrexit, ergo adhuc sumus in peccatis. Probatur consequentia, quia fides iustificans, & peccata expians est illa, qua creditur Christum pro nobis esse mortuum, & resurrexisse.

Quarta, v. 18. Si Christus non resurrexit; ergo omnes, qui in Christo dormierunt, perierunt, & tam corpore, quàm anima interierunt: anima enim sine corpore semper esse nequit.

Quinta, vers. 19. Si Christo tantùm seruimus in hac tam arcta vita, & lege Christiana sine spe resurrectionis, ergo miserabiliores sumus omnibus hominibus.

D Sexta, v. 21. Per Adamum omnes moriuntur, ergo per Christum omnes resurgent, & viuificabuntur: quantum enim nocuit Adam, tantum & magis nobis profuit Christus, qui ad hoc venit vt omnes Adæ & posterorum in eo lapsus & damna non tantùm repararet, sed & altiùs eosdem euheret & sublimaret.

VNVSQVISQVE IN SVO ORDINE] vt scilicet is iustus sit, inter beatos; si impius, inter reprobos resurgat. ita Chrysost. Theodor. Theophyl.

Secundò, commentarius S. Hieronymo affictus: *Vnusquisque*, inquit, *in suo ordine*, quia scilicet altior & beatior resurget, qui hic sanctior fuerit.

Tertiò, Oecumen. & Primasius sic explicant: Omnes in Christo viuificandi hoc ordine resurgent, vt scilicet Christus sit primus, tum tempore,

tum

tur signatè; secundò, iusti resurgent; tertiò, secundi consummatio. Hic sensus est genuinus. Ita enim se in sequentibus explicat Apostolus, cùm subdit: *Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi in aduentu eius crediderunt. Deinde finis.* Simili modo loquitur Paulus 1. Thessal. 4. 16. vt ibi diximus fusiùs tradendum.

A

QVI IN ADVENTV EIVS CREDIDERVNT] Nota *Primi crediderunt* nō habent Græca, sed Rom. & in Græco intelligitur. Ἀπαρχὴ, inquit, Χριστὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, id est, *Primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi in eius aduentu*, supple *credētes, & ipsum resurgent.* licet Vatablus, & alij simpliciùs sic accipiant: *in eius aduentu*, supple *resurgent.*

DEINDE FINIS] supple, *erit*; finis inquam totius dispensationis Christi de salute generis humani; ac consequenter finis erit tunc sæculi, temporis, generationum, corruptionum, & totius vniuersi. ita Ambrosius. Totius enim vniuersi finis est Christus, cuius electi, vt si hi finiantur, finiatur & vniuersum.

Secundò, Græcum τέλος, quod Noster vertit *finis*, potest etiam verti *consummatio*, hoc est, vt Theodor. generalis & consummata omnium etiam impiorum resurrectio; tunc enim finem accipient omnia.

CVM TRADIDERIT REGNVM, id est, Ecclesiam fidelium, & congregationem electorum, DEO ET PATRI] Non quasi in ea iam non regnet Deus, cùm Christus dicat, *Regnum Dei intra vos est*; sed quòd nonnihil in ea dominentur peccata, diabolus, & mortalium ærumnæ. q. d. Tunc erit finis, cùm obtulerit Christus Ecclesiam electorum, & quasi reddiderit illam Patri, quæ in huius vitæ luctu regenda illi & custodienda commissa fuerat, vt in ea gloriosè in æternum regnet, dicendo Patri, *Pater, tu me miseras in mundum, & postquam assumsi in cælum ad te, hos semper rexi, & à dæmonii, carnis, mundi potestate & impugnatione protexi. Ecce hi mei sunt, qui iam tibi præstò sunt. Hæc est possessio mea, mihi à te tradita; hic labor meus, meo sudore ac sanguine partus: hoc regnum meum, & tuum, iam omni peccatorum tentatione, perturbatione, afflictione liberum, purgatum, expolitum, vt in illis per gloriam & triumphum regnem in æternum.* ita Ambros. & August. c. 8. & 10. lib. de Trinitate tom. 3.

B

Nota Secundò, *Deo & Patri*, id est Deo Patri: est enim hendyadis, qua hæc duo diuidit Paulus, vt significet Christum, qua homo est, fideles suos Deo patri filio est Patri suo oblaturum.

CVM EVACVAVERIT OMNEM PRINCIPATVM, ET POTESTATEM ET VIRTVTEM] q. d. Cùm aboleuerit omnem dæmonum potestatem, & subordinationem, vt amplius Ecclesiam, quæ est regnum Dei, impugnare non possint: de qua impugnatione plura dicam Ephes. 6. 12. ita Chrysost. Theodor. Theophil. Ambros. Oecumen.

C

Nota, *Principatus, Potestates & Virtutes*, tria sunt diuersum angelicorum nomina. Ex quibus, hinc patet aliquos cecidisse, & factos esse dæmones, qui eadem nomina retinuerunt; quia, vti eamdem naturam & naturæ præcellentiam, ita & eumdem ordinem, gradum ac potentiam, præsertim in impugnanda Ecclesia singuli seruarunt. q. d. Cùm abolerit Christus omnem principatum dæmonū, qui sunt & vocantur Principatus & Virtutes, ne amplius fideles lacessant; tunc tradet regnum iam dicto Patri, eritque omnium finis & consummatio.

Aliter, nimirum de bonis angelis, hæc explicat S. August. l. 1. de Trinit. c. 8. q. d. *Cùm euacuauerit*, hoc est, cùm amplius necessaria non fuerit, ideoque abolita, dispensatio & gubernatio Ecclesiæ per angelicos Principatus, Dominationes & Virtutes. *Aliter S. Augustinus hoc exponit, scilicet de angelis bonis.*

Sed prior sensus est verior. Nam de hostibus Christi hîc agi, patet ex versu seq. vbi sic ait,

OPORTET ILLVM REGNARE; hoc est, Christum oportet regere Ecclesiam, DONEC PONAT (Deus Pater) OMNES INIMICOS) dæmonas, & omnes reprobos) SVB PEDIBVS EIVS] *Donec*, id est, cousque, non tantùm, sed vlteriùs in æternum, quia victis hostibus non dubium est quin Christus vel maximè regnabit, licet alio modo, & alia gloria quàm iam, ita Chrysostomus. VERS. 25.

Nota. *Donec* significat tantùm quid antea sit factum, de quo dubitari poterat, non quid postea factum sit. Sic Ioseph Matt. 1. 25. dicitur non cognouisse Mariam cōiugem suam, donec peperit filium; non quasi postea cognouerit, vt impurus inferebat Heluidius, sed quòd vsque ad conceptionem & partum non cognouerit. Tātùm enim voluit Matthæus asserere rem miram, & naturaliter incredibilem, scilicet Christi conceptionem sine patre ex matre virgine. Sic hîc asserit Paulus, Christum etiamnum, cum hostibus colluctante Ecclesia, in ea regnare: quod dubium esse poterat. Alterum verò, quod hinc consequitur, scilicet post luctam & triumphum Christum regnaturum, quasi certum omnibus relinquit, & præsupponit. Præclarè S. August. in sententijs n. 169. *Quamdiu*, ait, *vitijs repugnatur, plena pax* (malè aliqui legunt *nox*) *non est: quia & illa quæ resistunt periculoso debellantur prælio, & illa quæ victa sunt nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio.* *Donec significat quid antea, non quid postea factum sit.*

NOVISSIMA INIMICA DESTRVETVR MORS] *Mors* quæ scilicet adhuc aliquatenus regnat in corporibus Sanctorum, omnino abolebitur in resurrectione. ita Anselm. Potest Secundò, hic locus cum Hieronymo multis locis in Isaiam, cum Vatablo & alijs sic verti ex Græco, Vltimus inimicus destruetur mors. Est hysterologia: sensus enim est, q. d. Inter hostes mors vltimò destruetur; hoc enim significant Græca: ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. Primus enim inimicus Christi & Christianorum est diabolus, qui à Christo in cruce victus est. Secundus est peccatum, quod à Christianis per gratiam Christi in hac vita vincitur. Tertius est mors, quæ in resurrectione, vltima vincetur. VERS. 26. *Tres hostes Christi, diabolus, peccatum & mors.*

OMNIA SVBIECIT SVB PEDIBVS EIVS] q. d. Omnes homines & angelos, bonos & malos, in resurrectione planè subijciet Deus Christo.

Nota. Prophetice *subiecit*, idem est quod certissimò subijciet, ac si iam subiecisset.

CVM AVTEM DICAT: OMNIA SVBIECTA SVNT EI; SINE DVBIO, PRAETER EVM, QVI SVBIECIT EI OMNIA] *Dicat*, id est dicit. Est enallage modi: Noster interpres fideliter ad verbum vertit græcè enim est εἰπῇ. Addit hæc Paulus, ne quis putet Patrem ita concessisse omnia Filio, vt seipsum eorum dominio exuerit, ita vt iam Pater sit minor Filio, eique quasi subiectus. Sic enim apud homines, parentes aliqui dum senescunt, solent se bonis & statibus suis exuere, eaque transferre in filios: sed planè aliter facit Deus Pater, vti dixi. VERS. 26. & 27.

TVNC ET IPSE FILIVS SVBIECTVS ERIT EI, QVI SVBIECIT SIBI OMNIA] Aliqui Primò, *subiectus*, VERS. 28.

Christus subiectus erit Patri, non qua Deus:

ctus, accipiunt secundùm diuinitatem. q. d. Christus qua Deus, ostendet se à Patre omnia ipsamque diuinitatem accepisse; itaque quasi subiectum se esse Patri declarabit. Verùm hoc duriùs dicitur: nec enim Filius ex eo quòd omnia sua habet à Patre, ideo Patri est subiectus, sed honore per omnia par. Vnde passim alij accipiunt hæc de Christo secundùm humanitatem; idque

sed qua homo, id est Primo.

Primò, vt Chrysostomus: *subiectus erit*, id est, subiectum se ostendet, tunc q; omnibus patebit quàm perfecta fuerit hîc Christi obedientia & subiectio. Vide can. 36.

Secundò, & genuinè.

Secundò & aptiùs, Anselmus, Christus vt homo subiectus erit, id est, subijciet & offeret se cum electis suis ad æternam Dei laudem, & participationem diuinæ bonitatis, dominij & gloriæ. Idem enim est hoc subijci Christi, cum eo quod dixit v. 24. scilicet, quòd tũc tradet Christus regnum Deo & Patri „ vt in se & suis omnibus Deus Pater plenissimè & glorioſissimè regnet. Hæc enim Christi & Sanctorum subiectio erga Deum non misera est & seruilis, sed beata & glorioſa. Nam qui in cælo Deo subiecti sunt, eos Deus habet pro filijs, quibus imperat & benedicit, quoſque summa felicitate & gloria beat. Meritò ergo sic subijci & seruire Deo regnare est, atque talis seruitus optanda est cum Dauide psalm. 61. *Nónne Deo*, inquit, *subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* E contrario, reprobi, qui non erunt Deo subiecti, hoc ipso hostes Dei erunt, omniumque hominum infelicissimi; estque hîc in nomine, *subiectus*, quædam antistasis, siue eiusdem verbi contraria significatio, de qua dixi can. 31. ita Gregor. Nyssenus orat. in hæc Apostoli verba, in qua sic ait: *Dei subiectio est perfecta & omni ex parte absoluta à malo abalienatio. Christus ergo in resurrectione subijcietur Patri: quia in ea omnes fideles & electi Christi semoti erunt ab omni malo, tuncq; suscipient boni principatum, & arctissimè coniungentur cum deitate, eiúsque immortalitate, regno & felicitate: atque tunc Deus erit omnia in omnibus, quando nullum erit malum in ijs quæ sunt. Non potest enim Deus esse in malo, sed necessariò est in omni bono. Christus ergo subijcietur Patri, cùm Ecclesia Christi Patri subijcietur, itaq; liberabitur ab omni malo. Ecclesia enim subiectio, Christi dicitur subiectio.*

Subijci & seruire Deo, regnare est.

Quid sit subijci Deo ex Nysseno.

Tertia expositio.

Tertiò ex can. 32. potest accipi verbum *erit* in actu continuato: *subiectus erit*, id est, in subiectione Patris quam nunc habet Christus, in æternum perseuerabit. Scripsit de hac Apostoli sententia contra Arrianos Hilarius l. 11. de Trinit. S. Hieron. epist. ad Principiam, S. Augustin. q. 66. inter 83. & l. 1. de Trinitate c. 8. vbi sic ait, *Christus, in quantum Deus est unum illo, nos subiectos habet, in quantum sacerdos, nobiscum illi subiectus.*

In cælo Deus erit omnia in omnibus, quomodo?

VT SIT DEVS OMNIA IN OMNIBVS]Vt, scilicet, Deus sit omnem potestatem in omnia habens, & ostendens; vel, vt Deus in electis sit omnia, id est, vice rerum omnium; scilicet, vt sit ipse nostra vita, salus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, & finis ac satietas desideriorum nostrorum. ita Anselm. Sic in omnibus tunc per omnia dominabitur Deus, omniaque sibi, & suæ gloriæ subijciet. Ex hoc loco infert S. Augustin. libr 22. de Ciuit. cap. 9. quòd Sancti preces & res nostras cognoscant in cælo.

Appositè S. Hieronymus epist. ad Amandum: *Quid* inquit, *Apostolus ait: Vt sit Deus omnia in omnibus, hoc sensu accipiendum est. Dominus atque Saluator noster nunc omnia non est in omnibus, sed per singula: verbi gratia, in Salomone, sapientia, in Dauide bonitas, in Iob, patientia: in Daniele, cognitio futurorum; in Petro, fides; in Phinees & Paulo, zelus, in Ioanne, virginitas, in cæteris cætera. Cùm autem omnium finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, vt singuli Sanctorum omnes virtutes habeant, ipse Christus totus in cunctis.* Ex hoc loco, vt refert S. Augustin. l. 1. de Trinit. cap. 8. aliqui sunt opinati Christi humanitatem regnaturam vsque ad diem iudicij; tunc verò conuertendam in diuinitatem. & hanc conuersionem esse illam subiectionem Christi ad Patrem, de qua subdit Paulus. Hoc dictum est. est enim & secundùm fidem, & secundùm naturam ἀδιαίρετον.

Perperam ergo quidam contemplatiui (quo miam quamdam & impossibilem vnionem cum Deo consecuti sunt) imò fanatici homines ex hoc & similibus Scripturæ locis opinati sunt, quòd a resurrectione omnes homines, omnesque res creatæ redituræ sint ad suum esse ideale & diuinum, quod ab æterno habuerunt in Deo, adeoque conuertendæ sint in ipsum Deum; ita vt tunc omne esse creatum euanescere debeat, & absorberi ab ipso esse increato, putà ab ipsa diuinitate. Quem errorem fusè impugnat Gerson. eumq; impingit Ruisbrochio. Sed ab hoc errore se purgat ipse Ruisbrochius, eumdemque errorem acriter insectatur & ipse libr. de Vera contempl. c. 19. & libr. qui inscribitur Samuel, siue de alta contemplatione, & vnione cum Deo, l. 2. 3. & 4.

Hic verò Apostoli locus huic errori non fauet, sed potiùs contrariatur: nam si in resurrectione Deus erit omnia in omnibus; ergo omnia, id est omnes res creatæ, erunt & permanebunt. Alioquin enim Deus non esset omnia in omnibus, sed esset solus omnia in nullis, siue in nihilo. Porro qua ratione & modo Deus sit futurus omnia in omnibus Beatis, rectè declaratur per similitudines. Prima est, sicut aliquot guttæ aquæ infusæ dolio ingenti vini potentissimi, illico à vino absorbentur & incorporantur; ita & Beati omnes per visionem & amorem in Deo quasi se perdent, vt à Deo quasi summo bono summè amato absorberi & incorporari videantur. Secunda est, lucis solaris. Sicut enim lux solis totum occupat aërem, vt aër iam non aër, sed lux esse videatur; ita & Deus lumine gloriæ ita replebit Beatos, vt non tam homines quam dij quidam esse videantur. Tertia est, ferri ardens & igniti. Sicut enim ferrum vi ignis igniri, & in ignem quasi transformari videtur; sic & Beati Dei amore & fruitione ita accendentur, vt in Deum transformari videantur. Quarta, sicut ingens ea sacchari, vel mellis infusum in modicam puluerem eam non tantùm melleam, sed quasi mel & saccharum efficit; ita Deus sua dulcedine adeò dulcorat & inebriat Beatos, vt videantur esse ipsa dulcedo. Deus enim est pelagus dulcedinis, & oceanus gaudij & consolationis. Quinta, sicut suauissima musica & harmonia omnium audientium aures implet & mulcet. Rursum, sicut idem adamas, carbunculus, vel smaragdus omnium intuentium oculos implet & rapit: ita & Deus omnium Beatorũ mentes in se rapit, mulcet & implet. Septima, ut speculum omnium ante se positorum faciem & species exhibet, repræsentat & continet, vt omnes videantur in speculo existere, viuere & moueri in

Beati

tes omnes in Deo existunt, viuunt & mouentur. Deus enim rerum omnium est speculum lucidissimum, æquè ac ardentissimum.

Denique pulchrè & piè S. Bernard. serm. 11. in Cant. *Quis*, inquit, *comprehendat quàm magna multitudo dulcedinis in breui isto sermone comprehensa sit: Deus omnia in omnibus? vt de corpore taceam, in anima intueor, rationem, voluntatem, memoriam: & horum ipsam animam esse. Quantum cuique horum in præsenti seculo desit de integritate sua & perfectione, sanè omnis qui ambulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus modum est omnia in omnibus? Hinc est quòd & ratio ipsissimè in iudicijs fallitur, & voluntas quadruplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subiecta est non volens, in spe tamen. Nam qui rationi bonum desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata & beatificans Trinitas, ad te mea misera anima mirabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat.* Et paulò inferiùs: *Spero in Deo, quoniam adhuc videbor illi: cùm error videlicet à ratione, à voluntate liber, atque à memoria timor omnis recesserit: & fruebor illa quam speramus mira serenitas, plena suauitate æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, vt sit Deus omnia in omnibus ratione recipiente lucem incommutabilem, voluntate pacem imperturbabilem cõsequente, memoria fonti indeficienti, æternaliter inhærente. Videritis vos, rectène primum illud Filio, Spiritui sancto sequens, Patri vltimum assignetis.*

ALIOQVIN QVID FACIENT, QVI BAPTIZANTVR PRO MORTVIS, SI OMNINO MORTVI NON RESVRGVNT? *Baptizãtur*, scilicet metaphoricè, baptismo pœnæ afflictionum, lacrymarum, precum, &c. vt subleuentur mortuis, vt à baptismo ignis in Purgatorio liberentur. *Baptizantur*, inquam, etiam ij qui tales antes, qui resurrectionem negant, vt Cerinthus, & similes, aut certè eorum symmystæ Iudæi, aliq; ex recepta fide & more Hebræorum: nam Hebræos suffragia facere solitos pro defunctis, patet ex 2. Machab. 12. 43. & ex modernis eorum ritualibus. Hic sensus optimè cohæret cum sequentibus. Hoc sensu sæpè alibi baptismus accipitur, vt Matth. 20. 18. Lucæ 12. 50. psalm. 31. 6. Passim enim in Scripturis aquæ & fluctus significant tribulationes & afflictiones.

Potest Secundò accipi sic, *Baptizantur* id est, purificantur ad sacrificia, quæ offeruntur pro mortuis: solebant enim Iudæi baptizari ante sacrificium preces, omnemque rem diuinam. Vide Marc. 7. 9. Hebr. 6. 12. & c. 9. 10.

Aliorum varias interpretationes fusè prosequitur Bellar. l. 1. de Purgatorio c. 4. & Suarez 3. p. q. 56. disp. 49. sect. 1. illæq; omnes ferè referuntur ad baptismum propriè dictum. Atq; vt eas compendio complectar, Primò, D. Thomas sic explicat, *Baptizantur pro mortuis*, id est, pro peccatis abluendis, quæ sunt opera mortua.

Secundò Theodoretus, *pro mortuis*, id est, instar mortuorum à morte resurgentium, vt scilicet dum baptizantur, & è baptismo, quasi è sepulchro emergunt significent resurrectionem ex mortuis.

Tertiò Epiphanius hæresi 28. *pro mortuis*, id est, cum immunet mors, & quasi habentur pro mortuis. Tunc enim qui baptismum distulerant, omnes baptizari volebant ob fidem & spem æternitatis & resurrectionis. Vnde baptizandi recitabant Symbolum, in quo est hic articulus: *Credo resurrectionem mortuorum.*

Quartò, Claudius Guiliaudus Doctor Parisiensis, *Baptizantur*, inquit, *pro mortuis* Martyres, qui patiuntur & affliguntur pro fide & articulo resurrectionis mortuorum. Hic sensus cohæret aptè cum sequentibus: sequitur enim: *Vt quid & nos periclitamur omni hora?* *Quartò.*

Quintò, alij sic explicant, q.d. ad hominem; Vt quid è vobis quidam (vti Marcionistæ postea fecerunt) errantes & superstitiosi suscipiũt baptismum pro mortuis, qui defuncti sunt sine baptismo? ita Ambros. & Irenæus hæresi 28. & Tertull. l. de Resurrect. c. 24. item Chrysost. *Quintò.*

Sextò, idem Chrysost. aliam expositionem profert & præfert, videlicet, q.d. Paulus. Vt quid propriè baptismum suscipiunt omnes fideles pro spe resurrectionis ex mortuis, vel pro statu mortuorum, vt in eo illis post mortem sit bene, si mortui non resurgunt? Vtique frustra hoc faciunt. Atqui hoc non est credibile, cùm hic sit communis omnium fidelium sensus; adeò vt multi iam baptismum differant vsque ad finem vitæ, & in lecto baptizentur, vt plenè baptismo ab omni culpa & pœna purgati euolent in cælum, beatam resurrectionem adepturi. Vnde & Clinici dicuntur, quasi dicas *Lectularij*, de quibus à baptismo non repellendis multi canones exstant. *Sextò, & optimè.* *Qui Clinici & Lectularij.*

Hic sensus omnium videtur simplicissimus, & planissimus, hoc enim propriè significat vox, *Baptizantur*. Innuit etiam τὸ *pro mortuis: dum enim Sacramentum baptismi impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati*, ait Tertullianus.

VT QVID ET BAPTIZANTVR PRO ILLIS?] scilicet, vt Græca habent, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, pro mortuis; si nimirum à morte non est resurrectio ad vitam, nec mortui resurgunt, vt quid pro ijs, id est, pro statu mortuorum, proque resurrectione ex mortuis baptizantur? ita passim omnes.

VT QVID ET NOS PERICLITAMVR OMNI HORA?] q.d. Stultè nos obijcimus tot periculis & persecutionibus ob spem resurrectionis, si non est resurrectio. Est hæc noua ratio, vel potiùs noua pars rationis annectenda præcedenti parti & rationi, vt ex vtraque integra hęc ratio confletur. q.d. Nos omnes resurrecturos esse, patet ex communi omnium fidelium sensu & instinctu, quem tum natura, tum fides eis indidit. Nam propter hanc resurrectionis spem omnes anhelant ad baptismum: rursum alij, ac nos in primis, propter eamdem spem, omnia pericula & labores audacter adimus, imò inuadimus. Natura ergo & Deus, qui hunc sensum & hos animos nobis indidit causa & spe resurrectionis, liquidò hoc ipso testantur nos esse resurrecturos. VERS. 30. *Communis fidelium sensus dictat nos resurgeros.*

QVOTIDIE MORIOR] Id est, mortis periculis quotidie pro Euangelio & Gentium conuersione me obijcio. VERS. 31.

PER VESTRAM GLORIAM] Id est, propter gloriam vobis obuenturam in cælis, vt scilicet eam vobis conciliem; vel potiùs, *Per vestram gloriam*, id est, per gloriationem, qua glorior de vobis, quasi meis in Christo filijs, tamquam Apostolus & pater vester, iuro, & Deum in testem voco, quòd *quotidie morior*, & morti me offero pro spe resurrectionis: græcè enim est νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. νὴ autem Græcis est particula iurantis, & καύχησις non tam gloriam, quàm gloriationem significat. Hinc S. Augustinus. τὸ *per vestram gloriam est iuramentum.*

gust. epist. 89. probat licitum esse iurare. Vnde Syrus vertit, *iuro ego per gloriam vestram*; Ambrosius legit, *pro gloria vestra*.

QVAM HABEO IN CHRISTO] Hoc est, quam scilicet gloriam futuram in vobis habere spero, fretus Christo Domino. ita Ansel. Vel potiùs, quam gloriam, putà gloriationem, habeo, id est, qua glorior in Christo: glorior enim, quòd illa mihi per Christi merita obuenerit. Aliter exponunt Gagneius & Photius, vt νὴ sit non tantùm iurantis, sed & obtestantis. vertūt enim, *quotidie morior propter vestram*, vel, vt aliqui Græci legunt, nostram, *gloriationem*, vt scilicet gloriari possim de vobis, per me conuersis, & Christo acquisitis.

Apostolus ex immortalitate animæ probat resurrectionem.

Memento semper hîc Apostolum, etiam ex sola immortalitate animæ probare corporum resurrectionem: quia hæc duo naturaliter sunt connexa, & quia homines tum non tam de resurrectione in se, B quàm de immortalitate animæ dubitabant; ita vt si quis animæ immortalitatem eis demonstrasset, resurrectionem statim admisissent. ita S. Thomas.

VERS. 32. *Quid τὸ* secundum hominem. *Prima expositio. Secunda, & genuina.*

SI (SECVNDVM HOMINEM) AD BESTIAS PVGNAVI EPHESI] *Secundùm hominem*, id est, inquit Photius, quantum homini fuit possibile.

Secundò, & meliùs, *secundùm hominem*, hoc est, humana tantùm spe, humano spiritu, audacia, temeritate, studio gloriæ, quo acti homines præcipites in pericula ruunt.

Tertia.

Alij exponunt sic, *secundùm hominem*, vt scilicet hominum more loquar, qui libenter narrant suas pugnas & certamina.

PVGNAVI AD BESTIAS EPHESI] Theophyl. Anselm. Primasius & Baron. per bestias accipiunt Demetrium, & socios ferinos & barbaros pro Diana contra Paulum atrociter & ferinè depugnantes, Actor. 19. Vnde Græcum νὴ ἄνθρωπον, verti potest, *si in hominem pugnaui, quasi in bestiam*. sic Neronem Paulus vocat leonem, 2. Timoth. 4. 17. Tales alibi vocantur *tauri*, vt psal. 67. 31. *Congregatio taurorum in vaccis populorum*. Sic S. Ignatius epist. ad Romanos, *Pugno*, ait, *quotidie cum bestijs*, id est, militibus & custodibus.

Paulus bestijs fuit obiectus.

Verùm Chrysost. Ambros. & alij, propriè Paulum Ephesi bestijs obiectum, cum eisq; depugnasse, putant: hoc enim propriè significat Græcum ἐθηριομάχησα. Deinde quia pugna illa cum Demetrio Ephesi contigit post hanc epistolam scriptam. nam post illam tragœdiam, Demetrius cum suis tumultuans coëgit statim Paulum Epheso excedere, vt tempus hæc scribendi Ephesi Paulus non habuerit; antea ergo hæc scripsit Ephesi: nam epistolam hanc Ephesi sub idem illud tempus ab eo esse scriptam verius est, & docet Baron. ergo pugna hęc cum bestijs, de qua hîc scribit, non fuit illa cum Demetrio, vtpote nondum facta, sed alia anterior.

Obiectio soluitur.

Dices, Mirum est, rem tantam, tamque atrocem Pauli pugnam, Lucam in Actis siluisse.

Respondeo, Clarum est plura alia non minoris momenti Lucam tacuisse; vt quæ de se narrat Apostolus 2. Cor. 11. 25. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci*, &c. Hæc penè omnia omisit Lucas, vt ibi dicam. Vnde pugnam hanc Pauli cum bestijs, ad litterā, vti gesta est, traditione, vt videtur, acceptam narrat Nicephorus l. 2. hist. c. 25.

Pugnam Pauli ad bestias enarrat Nicephorus.

Quid θηριομαχεῖν.

Notat Gagneius, θηριομαχεῖν non tantùm esse ad bestias pugnare, sed vsque ad extremum spiritum, vtpote pro vita, cōtra bestias pugnare. q. d. Paulus: Pro defensione Euangelij obiectus bestijs, cum ijs A pugnaui vsque ad vltimum halitum, & Deo iuante eas vel vici & occidi, non armis & pugnis, sed side & oratione, vel effugi & euasi.

MANDVCEMVS, ET BIBAMVS, CRAS ENIM MORIEMVR] Vtimur Paulus verbis Isaiæ c. 22. 13. q. d. Qui resurrectionem negatis, vel non creditis, petite abeſtis ab hisce verbis impiorum apud Isaiam. Si enim resurrectio non est, dicere nobis licebit, quod Epicurus dixit & Epicurei: *Ede, lude, bibe, post mortem nulla voluptas.*

CORRVMPVNT MORES BONOS COLLOQVIA MALA] Vers. 33. dicti, scilicet, erroris, putà colloquia cum atheis & incredulis, qui negant resurrectionem. Versus hic est senarius Menandri, ait S. Hieronymus. Græcum ὁμιλίαι non tantùm colloquia, sed & commercia, omnemque conuersationem significat: hæc enim æquè ac colloquium cum malis est mala & noxia.

EVIGILATE IVSTI] expergiscimini à peccato, Vers. 34. B vt iusti sitis. Quapropter Græca habent, ἐκνήψατε δικαίως, hoc est iustè; Syrus, *excitate corda vestra iustè*, id est, ad iustitiam. Vnde sequitur, *Et nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent.*

AD REVERENTIAM VOBIS LOQVOR] Græcè πρὸς ἐντροπὴν, id est, ad pudorem vobis loquor: pudore- Rom. 6. nim est Christiano, dubitare de resurrectione, & potentia diuina. Sic Psaltes ait, *Tu scis confusionem meam, & reuerentiam meam*, id est, pudorem meum. Et sæpè in Psalmis *reuerentia* sumitur pro confusione & verecundia.

SED DICET ALIQVIS: QVOMODO RESVRGVNT MORTVI? QVALI AVTEM CORPORE VENIENT? INSIPIENS, TV QVOD SEMINAS NON VIVIFICATVR, NISI PRIVS MORIATVR] Tangit hîc Apostolus radicem vlceris, & causam erroris; scilicet, nonnulli despe- C rabant & negabāt corporum resurrectionem, quia videbant ea in terra putrefieri, quasi incredibile & impossibile esset putrida corpora reformari & resuscitari. Hanc causam succidit hîc Paulus, exemplo grani, quod seminatur, illud enim priùs putrefit & moritur in terra; inde quasi renascens germinat, & ex grano vno non vnum, sed multa producit; vt granum vnum nudum, quod seminatur, in messe spicis & granis vestitum ac cumulatum videatur in maiori gloria resurgere. Pari modo corpora nostra putrescent, inde resurgent ad maiorem gloriam.

ET QVOD SEMINAS, NON CORPVS, QVOD FVTVRVM EST, SEMINAS] q. d. Dum seminas, non seminas corpus ex semine nasciturum, putà arboreum aut spicam, sed nudum semen, & granum pomi, v. g. vel tritici; & tamen Deus huic grano seminato & D è terra renascenti reddit non aliud granum, sed integrum & pulchrum corpus, putà arboreum vel spicæ, quod suo culmo, floribus, aristis & grano instruitur & ornatur. Hinc, vt ait S. August. epist. 146. tacitè infert Apostolus, *Si Deus potest addere quod non erat in nouo semine, multò magis potest in resurrectione reparare quod erat in hominis corpore.* Vnde subdit Apostolus,

DEVS AVTEM DAT ILLI (semini & grano) CORPVS SICVT VVLT: ET VNICVIQVE SEMINVM PROPRIVM CORPVS] *Proprium*, id est, propriæ naturæ & speciei, quia grano, v. g. tritici, Deus spicam & corpus dat, non hordei, vel auenæ, sed tritici: & sic de cæteris. Vers.

NON OMNIS CARO, EADEM CARO] Probat id quod præcessit, scilicet Deum dare cuique semini & ei proprium corpus, prout Deus ipse vult & statuit. Vers.

Probat,

habet inquam, exemplo: Deus, inquit, aliam & A
propriam carnem dat homini: aliam pecori, aliam
volucribus aliam piscibus; aliud corpus dat cælis &
stellis astris, aliud rebus terrestribus. q.d. Sic &
dabit in resurrectione, quasi in regeneratione &
generatione proprium dabit Deus corpus, quale
volunt & quale decet homines beatos & glorio-
sos, inquam, cuique tale, quale meritus est.
Est enim similitudo & analogia inter naturam &
gratiam; quòd sicut natura talis, v.g. hominis, ta-
lem dat corpus, scilicet humanum; ita tale meri-
tum tale exigat corpus glorioſum, vt qui minùs
meritus est, minùs; qui magis, magis glorioſum
corpus recipiat.

ALIA CLARITAS SOLIS, ALIA CLARITAS LVNÆ, ET ALIA CLARITAS STELLARVM] Hinc Chryſoſt. Theo-
doret. Theophyl. Primaſius, Oecum. Beda, Auguſt. l.
de Virgin. c. 26. Hieron. l. 2. contra Iouinian. pro-
bant non tantùm glorioſam Sanctorum reſurre- B
ctionem, ſed & præmiorum diſparitatem in cælo,
quæ hîc diſparia ſunt ſemina meritorum.

SIC ET RESVRRECTIO MORTVORVM] q.d. Sicut
alia est claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum: ita pa-
tiuntur corporum, & pro meritis diſpar, Deus cuique
Beato dabit corpus beatum & glorioſum, vti ex-
plicat Paulus in ſeqq.

Apte Sancti & Beati comparantur ſtellis, ob cauſas quas attuli Roman. 4. 18. in fine. Rurſum ſicut una ſtella alteri, ita & vnus Beatus alteri, vi-
gentia & meritis, ita gloria & præmijs præful-
gebit atque

Micat inter omnes
Virginis ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Ita S. Dominicus adhuc puer, nobili cuidã matro-
næ viſu apparuit, luculentam ſtellam in fronte C
gerens, cuius immodico ſplendore totus orbis irra-
diabatur, vt habet eius vita l. 1. c. 1. & c. vlt. in fine. Et
de Simone pontifice Oniæ filio dicitur Eccli. 50. 6.
Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna
plena diebus ſuis lucet, & quaſi ſol refulgens, ſic ille ef-
fulſit in templo Dei. Similia de pluribus alijs Sanctis
legimus. Notent verò viri docti, & Doctores iuſti-
æ & ſanctitatis illud Daniel. 12. *Qui docti fuerint,*
fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam
erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Il-
luſtre Sap. 5. *Fulgebunt iuſti.* Hinc & Chriſtus Ap.
2. 28. dicit, *Ego ſum ſtella ſplendida, & matutina.*
Et hoc 1. 20. *Septem ſtellæ, ſeptem angeli* (hoc eſt,
Doctores & Epiſcopi) *ſunt ſeptem Eccleſiarum.* Et Ap.
12. 1. apparuit S. Ioanni Eccleſia, quaſi mulier
habens in capite *coronam ſtellarum duodecim*, putà D
duodecim Apoſtolorũ, qui Eccleſiæ vt ſtellæ præ-
fulgerent, idque in capite, id eſt, in ipſo ortu & ini-
tio Eccleſiæ Chriſtianæ, vti id exponunt Primaſius, Aretas, Andreas Epiſc. Cæſarienſis, Beda & a-
lii ibidem. Denique Apoc. 2. 28. *Qui vicerit*, inquit
Chriſtus, *dabo illi ſtellam matutinam*, id eſt gloriam
& viſionem beatificam, quæ ſtella dicitur propter
claritatem luminis & viſionis: dicitur matutina,
tum quia datur poſt noctem huius ſæculi, tum
propter inchoationem beatitudinis, quæ comple-
bitur in reſurrectione corporum. ita Richardus
Victorinus, Primaſius & Aretas ibidem.

SEMINATVR IN CORRVPTIONE, SVRGET IN INCOR-
RVPTIONE] *Seminatur*, ſcilicet in creatione, cùm vel
à Deo, vel à ſemine parentis corpus hominis cor-
ruptibile producitur. ita Anſelm.

Secundò & aptiùs *ſeminatur* corpus humanum, dum ſcilicet ſepelitur, & quaſi ſemen in terram abijcitur, vt corrumpatur in vermes & cineres. Sic e-
nim granum, dum ſeminatur in terram, abijcitur, ſepelitur, corrumpitur. ita Chryſoſtomus, Ambro-
ſius, Anſelmus. *Secundò, & melius, ſeminatur dum ſepelitur.*

Hinc errarunt quidam putãtes reſurrectionem fore per vires naturæ, noſque reſurrecturos virtu-
te naturali; quaſi in pulueribus cadaueris reſoluti ſint rationes quædam ſeminales effectiuæ reſurre-
ctionis, vt refert hîc D. Thomas. Hic enim error eſt contra fidem, veram philoſophiam, quæ docẽt reſurrectionem eſſe ſuper omnes naturæ vires: nec Apoſtolus in eo ponit ſimilitudinem; ſed tantùm in hoc, quòd ſicuti Deus vnicuique ſemini dat pro-
prium corpus, vt ex tritico, v.g. triticum, non hor-
deum, naſcatur; ſic Beato cuique corpus dabit ſe-
cundùm opus & meritum. id ita eſſe patet ex ſeq. v. Ad hoc idem declarandum adduxit Paulus v. 39. & 40. ſimilitudinem carnis, & corporum, quæ in variis animalibus & creaturis eſt varia, vt ibi dixi. *Error dicẽtium in corpore eſſe ſemina reſurrectionis.*

Nota. Inſignis imago & argumentum reſurre-
ctionis eſt in ſemine moriente, & repullulante, ac quaſi reſurgente. Vnde S. Auguſt. ſerm. 34. de ver-
bis Apoſtoli: *Tota*, inquit, *huius mundi adminiſtratio teſtimonium eſt reſurrectionis futuræ. Videmus certè hiemis tempore vel aduentu, arbores ſpoliari pomis, nu-*
dari foliis: ſed eas etiam verno tempore ſpeciem reſurre-
ctionis exprimere; quæ primò quidem incipiunt turgere
in gemmis, tunc ornari in floribus, veſtiri & foliis, &
poſtmodum pomis grauari. Interrogo te, infidelis homo,
qui de reſurrectione dubitas, vbi ſunt iſta, quæ tempore,
quo Deus diſpoſuit, producuntur? Dic mihi, vbi latitant,
antequam producantur? quæ nuſquam quidem videntur:
ſed tamen Deus, qui omnipotens eſt, & ea ex nihilo con-
didit, ſecreta ſua virtute producit. Hinc iam ad campos
& prata reſpicite, quæ æſtate tranſacta herbis ſuis ſpolia-
tur ac floribus, & nuda remanent ipſa ſpatia terrarum:
ſed iterum verno tempore reueſtiuntur, & nouo vbique
germine incipiente lætatur agricola. Certè herba, quæ
antè vixit, & moritur, rurſus reuiuiſcit ex ſemine: ſic
etiam & noſtrum corpus reuiuiſcit ex puluere. *Imago reſurrectionis eſt in ſemine repullulante, ex S. Auguſtino.*

SEMINATVR IN IGNOBILITATE] Putà corpus hu-
manum dum ſepelitur, & quaſi ſemen in terram abijcitur, eſt ignobile, craſſum, ſpiſſum, opacum. S. Ambroſius legit, *Seminatur in ignominia*; S. Au-
guſtinus verò epiſt. 140. *Seminatur in contumelia*; Tertull. lib. de Reſurrect. carnis c. 52. legit, *Semina-*
tur in dedecoratione. VERS. 43.

SVRGET IN GLORIA] reſurget glorioſum, clarum, fulgidum. Succidit hîc Apoſtolus alteram radicem erroris: fuerunt enim illo tempore, qui negarent reſurrectionem corporum hoc argumento, quòd corpora, vtpote craſſa & carnea, incongrua eſſe di-
cerent animabus beatis, & vita diuina iam fruenti-
bus, vt teſtatur eos refellens S. Dionyſ. c. 7. Eccleſ. hierarch. Hoc reſecat hîc Apoſtolus, dicens, in re-
ſurrectione animæ glorioſæ conſimile dandum eſ-
ſe corpus glorioſum. *Altera radix erroris negantium reſurrectionem.*

SEMINATVR IN INFIRMITATE] putà infir-
mum, tardum, lentum, pigrum corpus moritur & ſepelitur.

SVRGET IN VIRTVTE] ἐν δυνάμει, in potentia, id eſt potens, celer, agile.

SEMINATVR CORPVS ANIMALE] id eſt, quod vi-
uat, aut potiùs quod vixit vita vegetatiua & ſenſi-
tiua, vt animalia, egens cibo & potu; item craſſum, durum, cedere neſcium & impenetrabile. Tale VERS. 44. *Quodnam corpus animale.*

enim fuit Adæ corpus etiam in paradiso. Corpus ergo animale est, quod edit, bibit, dormit, digerit, egerit, laborat, fatigatur, sucóque pondere grauat & resistit.

Quodnam corpus spiritale. Error Eutychij.

SVRGET CORPVS SPIRITALE] Non quòd corpus in spiritum, aut in corpus aëreum sit vertẽdum, vt voluit Origen. & Eutychius Patriarcha Constant. tempore S. Gregorij (à quo cõuictus reuocauit errorem) sed *spiritale*, id est spiritui subditum omnino & conformatum; vt cibo & potu non egeat, non laboret, non fatigetur, sed quasi cæleste sit & deificatum, atque, vt Tertull. ait, quasi in angelicum habitum sit commutatum. ita S. Augustin. de Fide & symbol. c. 6. *Spiritale*, ait, *dicitur corpus, non quasi in spiritum vertatur; sed quia ita spiritui subditum erit, vt cælesti habitationi conueniat, omni fragilitate ac labe terrena in cælestem stabilitatem mutata atque conuersa.* Idem tamen ibid. c. 10. videtur dicere in resurrectione fore non carneum corpus, sed angelicum; vnde id retractat c. 17. l. primi Retract. & fusiùs l. vlt. de Ciuit. c. 5. & 21.

Primò, spiritale est spiritui subditum.

Secundò, spiritale, id est subtile.

Secundò, *spiritale*, id est subtile, carens scilicet crassitie illa & duritie repletiua, hoc est, proprietate illa quantitatis corporeæ, qua hîc quantitas ita locum replet, vt omne aliud corpus ab eo excludatur. erit enim corpus hac proprietate carens, subtile, vt instar spiritus omnia alia corpora penetret & peruadat. ita Damasc. l. 4. de Fide c. 28. Epiph. in hæresi Origen. Sicuti enim Deus potest ab homine auferre suam proprietatem, scilicet esse risibile, & ab igne potest auferre calorem igni proprium; sic à quantitate potest auferre hanc duritiem repletiuam, quæ est quantitatis naturalis proprietas.

Dos subtilitatis non est qualitas, sed assistentia omnipotẽtiæ Dei ad penetrandã alia corpora.

Nota. Non erit hæc dos subtilitatis qualitas animæ infusa; hæc enim non videtur possibilis: sed erit assistentia diuinæ omnipotentiæ, intima animę beatæ, vt per eam possit anima ad libitum deponere illam duritiem repletiuam, & aliorum corporum exclusiuam, cùm vult aliud corpus penetrare; possit & illam retinere, cùm vult locum replere, & alia corpora excludere. Et sic hæc assistentia diuinæ potentiæ videtur esse quasi dos animæ beatæ inexistẽs: sicuti gratia miraculorum in Christo fuit assistẽtia Dei, qua Deus assistebat humanitati Christi, vt per eam posset ipsa ad libitum miracula facere. Vide Franc. Suarez 3. p. q 54. a. 3.

Quatuor dotes corporis gloriosi.

Hinc Theologi colligunt quatuor dotes corporis gloriosi: impassibilitatem ex prima Apostoli antithesi, qua ait, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Claritatem ex secunda antithesi, qua ait, *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Agilitatem ex tertia, qua ait, *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Subtilitatem ex quarta, qua ait, *Seminatur corpus animale, surget spiritale.*

An angeli & Beati ab extremo in extremum trãsire possint, non transeundo medium.

Addit Suarez agilitatem beatorum corporum talem & tantam fore, vt Beati in instanti ab vno loco in alium transire possint, non transeundo spatium medium; quia probabile est angelos naturaliter ita moueri. Sed alij & fortè verisimiliùs vtrumque negant. Et sanè mens hominis vix concipere potest, quomodo quis ab extremo in extremum possit moueri, nisi transeat spatium medium quod interiacet.

S. Bonauent. in 4. dist. 49. parte 2. art. 2. quæst. 1. censet has quatuor dotes significari Sap. 3. 7. cùm dicitur: *Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Nam *in fulgore*, inquit, significatur *claritas: in iustitia, impassibilitas, quia iustitia est perpetua & immortalis: in scintillæ subtilitas, in discursu agilitas.* Addit deinde subtiliter, quòd eorum harũ quatuor dotiũ deduci possit ex duplici causa, scilicet formali, & materiali, sed magis ex materiali. Primò ex formali, quia cùm in corpore nobili, inquit, sit natura & forma duplex, scilicet elementaris, quæ modò dominatur; & cælestis, quæ erit natura lucis, quæ erit sicut formalis & cõplectiua corporis glorioſi, hæc dominabitur in resurrectione. *Igitur quia lux habet quatuor istas proprietates, sunt patet in radio; scilicet claritatem quia illuminat: impassibilitatem, quia nihil ipsam corrumpit: agilitatem, quia subitò vadit: penetrabilitatem, quia corpora diaphana sine eorum corruptione pertransit: sic etiam in corpus glorioſum, in quo dominatur natura lucis, quatuor habet dotes. Secũdo modo numerus dotium accipitur secundùm causam materialem sic: corpus nostrum est compositum ex quatuor elementis. Et quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis defectibilitatem. Ab aqua quæ est elementum humiduum & passibile, habet passibilitatem & corruptionem. A terra verò habet obscuritatem, quia est elementum opacum. Ab igne autem agilitatem, quia calor consumit continuè: ideo continua indiget alimonia ciborum. Ab aëre verò habet infirmitatem: aër enim facillimè immutatur, & cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor istis defectibus debent per bona opposita remoueri adhoc, quòd corpus sit perfectum perfectione completa; ideo quatuor sunt dotes: contra corruptionem impassibilitas, contra obscuritatem claritas, contra animalitatem spiritualitas, id est agilitas; contra infirmitatem virtus, siue penetrabilitas, id est subtilitas. Et hæc vltima sumptio conuenientior est inter omnes, quoniam correspondet auctoritati & rationi. Auctoritati Apostoli. Ita enim sumit Apostolus dicẽs: Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione, ecce impassibilitas. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, ecce claritas. Seminatur in infirmitate, surget in virtute: ecce penetrabilitas, id est subtilitas. Seminatur animale, surget spirituale: ecce agilitas. Vnde Apostolus sumit dotes per comparationem ad illos quatuor defectus, quos remouent. Similiter S. Augustinus de Ciuit. Dei: Aberit, ait, à corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, omnis infirmitas per subtilitatem, vel penetrabilitatem; omnis corruptio per impassibilitatem.* Hucusque S. Bonauentura.

SICVT SCRIPTVM EST] Noster interpres legit ὅτι ὡς, id est, *sicut*. Iã legunt ὅτι καὶ, id est, ita & scriptum est. Nota, hæc verba tantùm referẽda esse ad priorem partem versus seq. scilicet ad τὸ *Factus est primus homo Adam in animam viuentem*; non autem ad posteriorem, scilicet *Nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Hoc enim nusquam in Scriptura scriptum est: tantùm enim probat hîc ex Scriptura Paulus, quòd feminetur hîc corpus animale, ex eo quòd Adam parens omnium factus sit in animam viuentem, ac consequenter fuerit animal, habueritque corpus animale tam in morte quàm in vita. vnde commodiùs & planiùs per hyperbaton Apostolo vsitatum, hæc verba hoc modo trajicias & transponas: *Factus est primus homo Adam, sicut scriptum est* (Genes. 2. 7.) *in animam viuentem.*

Possent tamen Secundò, cum Theoph. hæc verba, *Sicut scriptum est*, ad totum vers. sequentem referri, essetq; quasi explicatio & probatio eius quod immediatè præcessit, scilicet, *si est corpus animale, est & spirituale*, vt sit sensus: In vniuerso hoc, vbi est

corpus

corpus animale, oportet sit & spirituale. Hoc enim A in anima habuit reipsa à principio natiuitatis & conceptionis suæ; in corpore verò eamdem tunc habuit in actu primo, qui illi debita erat & connaturalis; sed ob passionem suspensa & dilata fuit, vt in actu secundo illam assumeret in resurrectione: obiter tamen ante mortem assumpsit Christus subinde hanc gloriam, siue quatuor dotes corporis glorioſi, nimirum claritatem in transfiguratione; agilitatem, cùm ambulauit super mare; subtilitatem, cùm penetrauit vterum matris suæ; impassibilitatem, in Eucharistia. Sic è contrario Adam dicitur terrenus, quia ex terra est factus, & inde atque ex peccato mortalitatem, aliasque qualitates corporis terreni, animalis, mortalis & corruptibilis contraxit, ita S. Chrysost. Augustl. 13. de Ciuit. c. 23. Tertull. de Resurrect. c. 49. Agit enim hîc Apostolus de resurrectione, & corporum beatorum gloria, quorum exemplar est Christi corpus glorioſum, eaque de causa vocat Christum cælestem & Christi corpus cæleste.

Christus ante mortē obiter quatuor dotes glorioſas assumpſit.

Adam quadrupliciter terrenus.

B

QVALIS TERRENVS, TALES ET TERRENI] sicut Adam è terra terrenus mortuus est & in terram redijt; ita & omnes terreni ab eo nati in terram redibunt: contrà, QVALIS CÆLESTIS, TALES ET CÆLESTES] vt sicut Christus per resurrectionem adeptus est corpus cæleste, id est, immortale & glorioſum: ita & ex eo renati Sancti fiant cælestes, id est immortales & glorioſi. VERS. 48.

SICVT PORTAVIMVS IMAGINEM TERRENI, PORTEMVS ET IMAGINEM CAELESTIS] *Portemus*, legit Noster interpres φορέσωμεν per ω; iam per ο, legunt φορέσομεν. *portabimus* (scilicet in resurrectione, vt præcesserit) imaginem Christi cælestis, vt ei in corpore cæleſti, id est glorioſo, configuremur: sicut in hac vita, Adamo terrestri, in vita animali comedendo, dormiendo, moriendo, configurati fuimus. Verùm Noster interpres aptiùs ad sequētia, legit *portemus*, quia Apostolus more suo à littera transit ad tropologiam, & ad mores. q. d. Sicut aliquando viximus in infidelitate & peccatis quasi homines terreni, terræ affixi, & animales more animalium brutorū, similes Adæ terreno & peccatori: ita iam renati in Christo, & vocati ab eo ad societatem immortalis vitæ & gloriæ, totis viribus ad illam conemur & aspiremus, ac consequenter portemus imaginem Christi cælestis, vt cælestem hîc vitam ineamus: nimirum Primò, simus, vt ille, impassibiles, id est imperturbabiles inter prospera & aduersa, vt dicamus illud Socraticum, *In cælum mente conscendi, solem hūc solumq; hoc despicio.* Secūdò, simus clari instar Christi, vt luceant coram omnibus opera nostra bona. Tertiò, simus agiles, vt Christus, ad opera charitatis, obedientię & aliarū virtutū. Quartò, simus subtiles sicut Christus fuit, id est, penetremus cælos per orationem & contemplationem, vt mente à terra in Deum & cælestia eleuati, iūgamur Sanctis, Deoque vniamur. Paulò aliter S. Cyrillus libr. de Fide ad Theodosium Imper. *Sicut*, inquit, *portamus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Imaginem terreni peccandi propensionem & mortem, quæ hinc oritur, vocat. At verò per imaginem cælestis, hoc est Christi, constantiam in sanctitate, reditumq; & instaurationem ex morte & corruptione ad vitam & immortalitatem designat.*

VERS. 49.

Apostolus trāsit à littera ad tropologiam.

Imaginem Christi cælestis portabimus si simus Primò, impassibiles, id est imperturbabiles; Secundò, clari virtutibus; Tertiò, agiles ad bona opera; Quartò, subtiles per orationem.

Pulchrè S. Bernard. explicās hæc Apostoli verba serm. 30. inter paruos: *Duo*, ait, *homines sunt, vetus & nouus: Adam vetus, Christus nouus. Ille terrenus, ille cælestis: illius imago vetustas, istius imago nouitas.* Est

---

IMAGO ANIMALE, oportet sit & spirituale] Hoc enim ad maiorem perfectionem & complementū requirit, vt omnes rerum species & gradus sibi inuicem conuenientes complectatur; *sicut scriptum est*, id est significauit Scriptura Gen. 2. 7. Nam ideo explicè dicit: *Factus est Adam in animam viuentem*, vt inde & implicitè innuat, quòd Christus qui secundus est Adam, priori oppositus, futurus sit in spiritum viuificantem.

FACTVS EST PRIMVS HOMO ADAM IN ANIMAM VIVENTEM, hoc est Adam factus est anima, id est animal rationis vita sensitiua & vegetatiua; ac proinde cibo potu, aliisque fomentis alendum, & in animali hac vita sua conseruādum est. est synecdoche. ECHATVS VERO ADAM, id est Christus, factus est IN SPIRITVM VIVIFICANTEM, vt scilicet haberet post resurrectionem animam glorioſam, quæ in B te vnifici spiritus corpus planè viuificaret, illudque redderet spirituale, id est instar spiritus, glorioſum, cibi expers, impassibile & immortale; corpus quam tum suum, tum nostrum. Est rursus hîc synecdoche: Christus enim dicitur factus in spiritum viuificantem, id est, factus est spiritus viuificans, quia recepit spiritum, id est animam viuificantem tam se quàm suos.

Vide Theoph. Chrysost. Theodor. notant non *in spiritum viuentem*, sed *spiritum viuificantem*: anima enim siue spiritus Christi non tantùm viuit per se ipse, sed etiam viuificat, & eadem vita gloriosa donat tam animas quàm corpora nostra. Hebraicè pulchriùs opponuntur נֶפֶשׁ חַיָּה *nepheſch chaia*, id est, anima viuens, & נִשְׁמַת חַיִּים *niſmat chaim*, id est, spiritus vitarum siue viuificans. Rursus *niſmat* alludit ad שָׁמַיִם *ſchamaim*, id est cæ- C lum, vnde subdit, *Secundus homo de cælo cælestis.*

PRIMVS HOMO DE TERRA, TERRENVS: SECVNDVS HOMO DE CAELO CAELESTIS] Græcè ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ, secundus homo Dominus dicit, quod ita deprauatum esse à Marcione, patet ex Tertull. l. 5. c. 5. contra Marcionem. Vnde patet Latina Biblia præ Græcis esse incorrupta. Vera ergo lectio est, *secundus homo de cælo cælestis.*

Valentinus & Gnostici hinc voluerūt Christum habuisse corpus, non elementare & humanum, sed de cælo cæleste attulisse, transijsseque per B. Virginem non quasi per matrem; sed sicut aqua pluuia transit per canalem. Verùm hæc est hæresis iam pridem damnata, vt testatur S. Augustl. hæresi 11. & Irenæus l. 1. c. 5. Verè ergo Tertull. de carne Christi c. 18. & Beda, Christus, inquiūt, dicitur cælestis, quia D cælestem vitam duxit, semperque fuit impeccabilis. Adam verò dicitur terrenus, quia peccato fuit subditus. Vnde sequitur, *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes.*

Secundò, Christus dicitur *cælestis*, quia supra totam naturæ ordinem, cælesti virtute Spiritus sancti ex Virgine conceptus & natus est. ita S. Ambrosl. 1. de Trinit. post principium, & S. Augustl. dialogo ad Orosium q. 4.

Tertiò, Christus dicitur *cælestis*, ratione diuini & cælestis suppositi: sic dicitur Christus filius hominis qui est homo, qui de cælo descendit, Ioan. 3. 13. Sic fere Nazianz. orat. 51. circa medium, & indicat Augustl. epist. 57. ad Dardanum.

Quartò, genuinè & aptissimè, Christus dicitur cælestis, id est glorioſus & incorruptibilis, vti sunt corpora cælestia. Hanc cælestem gloriam Christus

autem triplex vetustas, & è contrario triplex novitas. Est enim vetustas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccauimus, cogitatione, locutione & opere. In corde sunt desideria carnalia & secularia, id est amor carnis & amor sæculi. In ore est gemina vetustas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia & facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis, & hæc omnia renouanda sunt in nobis. Vnde concludit: *Habitans igitur in corde est sapientia, habitans in ore est veritas habitans in corpore iustitia.*

VERS. 50. HOC AVTEM DICO FRATRES: QVIA CARO ET SANGVIS REGNVM DEI POSSIDERE NON POSSVNT] Primò, Origen. & Euthymius sic explicant: quia in cælo Beati, inquiunt, non habebunt corpus carneũ, sed aëreum. Verùm hic est apertus error repugnãs versui 35. vt ibi ostendam. Secundò, Theophyl. & Ambros. *caro*, inquiunt, id est opera carnis regnum Dei non possidebunt. Tertiò, & genuinè, *caro & sanguis*, scilicet, naturalis & corruptibilis qualis fuit terreni Adam, & qualem habemus in hac vita, regnum Dei non possidebunt. quod enim v. 46. & 47. Apostolus vocauit corpus animale & terrenum, hîc vocat *carnem & sanguinem.* tantùm enim vult ostendere, in cælo non fore corpus animale & carnale, quale hîc est; sed spirituale & cæleste, eo sensu quo explicui v. 47. Vnde explicans subdit: *Neque corruptio*, id est caro animalis & corruptibilis *incorruptelam possidebit.* ita Theodor. Theoph. Ambros.

Quomodo caro & sanguis regnũ Dei nõ possidebunt. *Prima explicatio.* *Secunda.* *Tertia & genuina.* *Tria hîc docet Paulus.*

I. Secundò, hisce verbis Apostolus colligendum reliquit, in cælo non fore vitam carnalem & animalem, quæ consistit in vsu ciborum, & generatione filiorum, qualem vitam & beatitudinem exspectant post resurrectionem Iudæi & Mahometani.

II. Ac Tertiò insinuat eos qui ad regnum Dei tendunt non secundùm carnem & sanguinem, sed secundùm spiritum Christi viuere debere, vt sic portent imaginem non Adam terreni & carnalis, sed Christi cælestis & spiritualis; vt mereantur cum Christo regnare, & agere in cælo vitam beatam & cælestem. Sic *caro* sæpè alibi carnis corruptionem significat. vide August. epist. 146. ad Consentium.

VERS. 51. ECCE MYSTERIVM VOBIS DICO] Hisce verbis Apostolus excitat attentionem legentium, atque insinuat se quid magnum, tremendum, secretum de resurrectione dicturum. ita Theophyl.

OMNES QVIDEM RESVRGEMVS, SED NON OMNES IMMVTABIMVR] Nota triplicem hîc esse lectionem. Prima est Græcorum & Syri: *non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.* quam sequentes Chrysost. Theodor. Theophyl. Origen. lib. 2. contra Celsum, Theodor. Heracleotes, & Apollinarius apud Hieron. epist. ad Minerium & Alexand. Tertull. de Resurrect. carnis c. 41. & 42. August. qu. 3. ad Dulcitium, putant non omnes homines morituros; videlicet non eos qui in fine mundi viui obuiàm rapientur Christo Domino, itaque glorificabuntur. Hæc enim mutatio, inquit ex Chrysostomo Theophyl. ipsis morserit. morietur enim in eis corruptio mutata in incorruptibilitatem.

Triplex hîc lectio. *Prima.*

Secunda lectio est: *omnes dormiemus, sed non omnes immutabimur.* extat hæc apud S. August. l. 20. de Ciu Dei c. 20. eamque probat S. Hieron. loco iam citato.

Secunda.

Tertia est nostra: *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, per gloriam scilicet. hanc lectionem præfert alijs S. August. suprà: & sine dubio hæc lectio planior, verior, certiorei, & aptiùs cohæret præcedentibus & sequentibus, & alijs locis S. Pauli, quibus docet stare tutum esse omnibus hominibus semel mori. Nam, vt ait ipse hic v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Tertia.

Prima sententia licet non videatur vera, tamen ob auctores, temeritatis, vt vult Soto & Catharinus, nec erroris damnanda. Vnde Franc. Suarez loco suprà citato, & alij dicunt, hanc sententiam, quæ docet omnes omnino homines morituros & resurrecturos, tantùm esse probabilem contraria.

IN MOMENTO] Repete *resurgemus*, quod præcessit. Græcè ἐν ἀτόμῳ *in atomo*, id est indiuisibili, vti est punctum temporis, & ictus siue motus oculi, vt sequitur. *Atomus*, inquit S. Hieron. *est punctum temporis quod secari & diuidi non potest.*

IN ICTV OCVLI] ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, in iactu celerrimo oculi: ῥιπὴ enim iactum significat telorum vel teli, à ῥίπτω, quod est iacio. Alij legunt ῥοπῇ teste S. Hieron. ad Minerium, quod significat motum, propensionem, deuergentiam lancis vel libræ, quæ celerrimè ad pondus attollitur vel deprimitur; vnde vocatur *momentum statera* à Sapiente Sap. 11. 22. Hinc ῥοπὴ etiam momentum significat, vt ῥοπὴ χρόνου, vocatur momentum temporis.

Ex hoc loco Theodor. Oecum. Anselmus, Nyssenus orat. de resurrect. Hieron. epist. ad Minerium iam citata. August. epist. 49. c. 1. colligunt resurrectionem non in tempore breuissimo, sed in instanti futuram: quod de corporum formatione, organizatione, animatione, viuificatione verum est, idque hæc Apostoli verba significant, cùm ait *in momento*: sed de motu locali, v. g. vt partes corporis resuscitandi à varijs locis in vnum colligantur momento, valdè dubium est. Asserit S. August. & fieri posse docet Suarez p. 3. qu. 53. disp. 44. sect. 4. vt scilicet Dei virtute hæ corporis partes ab extremo ad extremum transeant sine medio, itaque in vnum locum momento temporis simul omnes coëant. Verùm, vt dixi v. 44. natura spatij & motus non videtur id pati: sed exigere vt ab extremo in aliud extremum res moueri non possit, quæ priùs transeat spatium medium.

Hinc alijs verisimilius videtur. Dei virtute in instanti posse mobile pertransire media omnia spatia, ficq; in instanti posse ab extremo in extremum per medium tamẽ moueri. sicut enim à sole lumen per totum hemisphærium vniformiter differenter in instanti diffunditur; cur similiter non posse corpus, Dei virtute, per varia loca in instanti transfundere? si enim instantanea est hemisphærij illuminatio, cur etiam non possit esse instantanea corporum per varia loca transfusio.

Sed responderi commodè potest, esse disparem rationem luminis & corporum. licet enim vtraque similis videatur esse diffusio; tamen in lumine non idem, sed aliud & aliud lumen, in aliud & aliud spatium suo ordine emittitur; hîc verò in corpore idem omnino corpus in eodem instanti deberet transire spatium vicinum, & in eodem instanti illud spatium relinquere, & transire per sequens. rursum in eodem instãti deberet relinquere hoc secundum spatium, & transire per tertium, & ita consequenter per 4. 5. 6. & omnia media vsque ad extremum. quod videtur fieri non posse: sic enim in eodem instanti corpus idem spatiũ trans-

et relinqueret; esset in spatio hoc, & non esset; vel in omnibus spatijs medijs esset, & non esset. Vide melius D. Thomas & alij negant hanc partem corporis ad eumdem locum translationem fieri in instanti, præsertim quia illa fiet per angelos, qui corpora mouent non in instanti, sed tempore brevissimo. Apostolus ergo hîc loquitur de sola resurrectione, non autem de translatione corporum resurgendorum, cùm ait eam fore in ictu oculi, vel in momento.

IN NOVISSIMA TUBA] Dicitur tubâ hæc nouissima respectu omnium præcedentium; nam vt patet Apocal. cap. 8. & 9. in fine mundi septem angeli, quibus demandata est vniuersalis hominum cura, septem tubis clangent, vt ijs extremas omnium calamitates & pœnas tubali voce prænuncient & quasi euocent, efficiant, & proferant. Post hos sequetur hæc tuba nouissima clangens, *Surgite mortui, venite ad iudicium*: de qua plura dicam 1 Thessal. 4. 16.

OPORTET ENIM CORRVPTIBILE HOC INDVERE INCORRVPTIONEM, ET MORTALE HOC INDVERE IMMORTALITATEM] Nota τὸ *hoc*: inde enim patet contra Origenem, quòd idem numero corpus resurget. ita S. Hieron. ad Pammachium & Oceanum. pronomen enim *hoc*, idem indiuiduum corpus demonstrat.

TVNC FIET SERMO QVI SCRIPTVS EST: ABSORPTA EST MORS IN VICTORIA] Quæres, Vbi hoc est scriptum? Respondent aliqui scriptum esse Isaiæ 25. 8. vbi dicitur, *Præcipitabit mortem in sempiternum*; vbi Septuaginta vertunt, κατέπιεν, id est, *deuorauit mors præualens. deuorauit* per hebraismum idem est, quod deuorata est. ita Eusebius l. 4. Demonstr. c. 12. & Athanas. lib. de Passione & cruce. Vel *deuorauit mors*, scilicet Christi, mortem mundi. ita Ribera in Osee 13. n. 27.

Sed hæc nonnihil obscura & torta videntur. Nam in Isaia disertè Septuag. actiuè vertunt κατέπιεν id est deuorauit: Paulus verò hîc habet κατεποθη id est, deuorata est, absorpta est: quæ contraria videntur. Quare aptiùs dicemus Paulum citasse Isaiæ locum iam dictum non secundùm Septuagint. sed secundùm textum Hebræum, atque pro בִּלַּע *billa*, id est præcipitauit, absorpsit, alijs punctis legisse בְּלַע *bulla*, id est absorpta est mors; nempe *Lanetsach*, quòd Primò, verti potest, *in victoria*, vt vertit hîc Paulus; Secundò, *in perpetuum*, vt vertit S. Hieron. Isaiæ 25. vide nostrum Gasparem Sanchez ibidem.

Secundò, alij censent hæc sumpta esse non ad verbum, sed quoad sensum ex Osee 13. 14. vbi dicitur, *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*; hoc enim in re idem est cum eo quod hîc ait Apostolus, *absorpta est mors in victoria*. Nam patet ex eodem Osee petita esse sequentia Apostoli verba, quæ continuò hisce subiungit, dicens:

VBI EST MORS VICTORIA TVA? VBI EST MORS STIMVLVS TVVS?] Citat Paulus Osee cap. 13. 14. vbi Noster vertit, *ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne*. Vnde patet hîc duplicem esse ex Hebræo versionem, vtramque canonicam: tam enim nostra in Osee, quàm LXX. quos sequitur hîc Paulus, est canonica.

Vbi Nota Primò. Hebræum אַיֵּה *ehi* significat *ubi*, vt vertit Noster in Osee c. 13. 14. iam citato. Secundò, vt R. Iona, *ehi* per metathesin sumitur pro

A אַיֵּה *aiie*, id est *vbi*, vti vertunt Septuaginta, & Paulus hîc: & ita τὸ *ehi* vertit Noster, Septuag. & Chald. Osee 13. 10.

Nota Secundò. Pro *mors tua*, hebr. est דִּבְרֵךְ *deuarecha*, quod si à דֶּבֶר *deber* deducas, significat *pestes tuæ*, q. d. O mors, ero plenissima pestis, & mors tua: &, vt Symmachus vertit, *ero plaga tua*. Sin à דָּבַר *dabar*, id est verbum, deducas, significat, *vbi verba tua*, vel *sermones tui*? vt vertit Aquila & quinta editio. LXX. vertunt δίκη, hoc est causa; pro quo Paulus hîc habet νῖκος, id est victoria. Vnde putant aliqui Paulum apud LXX. legisse νῖκος, vel νίκη, pro δίκη. sed omnia vetera exemplaria LXX. interpretum, teste Hieronymo, habent δίκη, id est causa. Melius ergo dicemus, Apostolum immutasse verba non sensum; cùm pro *causa* posuit *victoriam*. Deber & Dabar.

B Græcum enim δίκη quatuor significat. Primò, causam forensem: &, vt Hieron. in Osee 13. vertit, contentionem. q. d. Vbi est, ô mors, causa tua contentiosa, qua in Dei iudicio homines ob peccatum mortis reos peragebas & vincebas? Secundò, significat δίκη sententiam, q. d. Vbi est, ô mors, sententia tua, qua scilicet omnes tibi, id est morti, adiudicati sunt? Tertiò, significat ius, q. d. Vbi est ius quod olim habebas in omnes? Quartò, significat pœnam, q. d. Vbi est pœna illa durissima qua homines puniebas & perdebas? & hoc quartum alludit ad Hebræum *deber*, id est pestis; priora tria alludunt ad *dabar*, id est verbum. Ex quibus patet in re causam idem esse quod victoriam. δίκη quatuor significat. Primò, causam forensem; Secundò, sententiam; Tertiò, ius; Quartò, pœnam.

Nota Tertiò. Pro *morsus tuus*, hebraicè est לְקָטָבֵךְ *katabcha*. quod Symmachus *occursum* vertit; Theodotion & quinta editio, *plagam* & *conclusionem*; Septuag. κέντρον, id est stimulus, aculeus, quo scilicet mors homines confodiebat & occidebat. Propriè *katabcha* significat excisionem, qua Christus mortem omnia succidentem succidit. Hoc enim est קָטוֹב *katob*, scilicet euulsio, excisio, excidium, seu exitium, hoc est lues subitò euellens & exscindens, qualis est febris valida, pestis, apoplexa, quæ subitò mortem adfert; ipsaque mors subitanea, quæ hominem auellit & exscindit. Pro morsus hebr. est katob, id est excidium.

Noster aptè vertit *morsum*. Vbi aduerte. *morsus* hîc tam passiuè quàm actiuè sumi potest, q. d. Ego Christus mordebor à te, ô mors, & ô inferne; sed ita, vt à te morsus te vicissim mordeam, ita vt à te quasi absorptus viscera tua disrumpam, itaque fideles electos educam è ventre tuo. Christus morsus momordit infernum.

Nota Quartò. Pro *inferne*, vt habent Hebræa, &
D Noster in Osee, & Græca hîc: πῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος; *vbi est, ô inferne, victoria tua*? interpres Noster hîc vertit, *vbi est mors victoria tua*? eodem sensu; infernus enim & mors significât statum mortuorum: omnes enim olim ante Christum, post mortem in limbum descendebant. Sic Act. 2. 24. & alibi Græcum θανάτου, id est *mortis*, Noster interpres vertit *inferni*. Eôdem ergo redit versio LXX. quam sequitur Paulus, cum nostra & Hebræo Osee 13. Sensus ergo est: *Vbi est mors victoria & stimulus tuus*, quo soles homines occidere eisque dominari? q. d. Perijt, confractus est à Christo, qui est mors tua, ô mors, & morsu suo te, ô inferne, disrupit & absorpsit. Infernus & mors significat statum mortuorum. Sensus Osee & Pauli.

Vbi Aduerte. Hoc cœptum est impleri cùm Christus resurrexit, & animas sanctorum è limbo reduxit; sicque ex inferis quasi morsu, hanc partem abstulit. ita Anselm. & Origen. hom. 12. in Euangelia, & August. serm. 137. de tempore: perfectè autem

Verb tod, ενι τοῦτο δ' ἀρχὴ
1. S. Jer. Germ. f. 292. b.

S. Hieron. & Sancti insultant morti.

autem implebitur in communi resurrectione, vt hîc docet Apostolus. Pulchrè S. Hieron. in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, mortem alloquens, illiq́ue cum Paulo insultans: *Qui*, inquit, *per Oscè quondam tibi rigidus minabatur. Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, inferne; illius morte tu mortua es; illius morte nos viuimus; deuorasti, & deuorata es; dumque assumpti corporis Christi sollicitaris illecebra, & auidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente* (vel, vt alij legunt, vnco) *confossa sunt. Gratias tibi, Christe Saluator, tua agimus creatura, quòd tam potentem aduersarium nostrum dum occideres, occidisti.*

Ita S. Franciscus cùm grauissimis arderet corporis doloribus, nullum aliud fomentum habebat, quàm vt ipse diuinas laudes caneret, & alios canentes audiret; cumq́ue obiurgaretur ab Helia dicente, illud tempus extremum pœnitentiæ dandum, non gaudio, respondit: *Non licere sibi aliud facere, cùm sciret se breui cum Deo fore.* B. Reginaldus vnus è primis S. Dominici socijs, cùm moneretur, vt extrema se vnctione, vt moris est, ad luctam cum dæmone præpararet: *Ego*, inquit, *hanc luctam minimè reformido, quin potiùs letus exspecto. Iam enim dudũ mater misericordiæ me inunxit, in qua plurimùm confido, & ad quam cupidè proficiscor.* S. Bernar. serm. 26. in Cant. loquens de morte fratris sui Gerardi, qui animam agens in illam Psaltis vocem erumperat: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis*, sic ait: *Iam tibi frater mi nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, insultantem morti: Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & moriendo cantat.*

A

B

STIMVLVS AVTEM MORTIS PECCATVM EST] Stimulus, per quem scilicet mors nobis præcipuè nocet, & pungit: sicut enim scorpius licet paruus sit, per aculeum, ita mors per peccatum omnes occidit, ait Theophyl. quæ sine peccato nihil poterat. Rursum, mors per peccatum, & per peccati conscientiam quasi stimulum nos stimulat & pungit, dicens animæ, Meritò moreris, meritò pœnas, quia peccasti. Vide

VIRTVS VERO PECCATI LEX] q.d. Peccatum maximè vires exerit per legem, id est, per occasionem legis vetantis: semper enim nitimur in vetitum, cupimusq́ue negata, vt fusiùs dixi ad Rom. 7. v. 8. & 13. ita Theodor. Theophyl. Ambros. Anselmus.

DEO GRATIAS agimus QVI DEDIT NOBIS VICTORIAM] de peccato & morte. Vide

ITAQVE FRATRES MEI STABILES ESTOTE] in fide scilicet resurrectionis, vt abundetis in operibus bonis, quæ Domino Deo placent, ad ea vos excitando per spem resurrectionis & præmij æterni: scientes quòd labor vester non erit inanis, nec mercedis expers apud Dominum. Hoc enim est *in Domino.* Vide

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet fieri collectam pro pauperibus Hierosolymitanis.

Secundò, v. 10. commendat eis Timotheum, & v. 15. Stephanam, Achaicum, & Fortunatum.

Tertiò, v. 19. suos salutat, & v. 22. ijs qui non diligunt Christum intentat anathema maranata.

1. DE collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. 2. Per vnam sabbati vnusquisque vestrûm apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: vt non, cùm venero, tunc collectæ fiant. 3. Cùm autem præsens fuero: quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem. 4. Quòd si dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt. 5. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. 6. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo: vt vos me deducatis quocumque iero. 7. Nolo enim vos modò in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. 8. Permanebo autem Ephesi vsque ad pentecosten. 9. Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens: & aduersarij multi. 10. Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. 11. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: exspecto enim illum cum fratribus. 12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multùm rogaui eum vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas eius, vt nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum fuerit. 13. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. 14. omnia vestra in charitate fiant. 15. Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos: 16. vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti. 17. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt: 18. refecerunt enim & meum spiritum & vestrum.

Cogno-

cognoscite ergo qui huiusmodi sunt. 19. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum. Aquila & Priscilla cum domestica sua Ecclesia: apud quos & hospitor. 20. Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in osculo sancto. 21. Salutatio mea manu Pauli. 22. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema. Maran Atha. 23. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. 24. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.

DE COLLECTIS AVTEM (eleëmosynarum) QVÆ A
FIVNT IN SANCTOS, SICVT ORDINAVI ECCLESIIS GALATIÆ. ITA ET VOS FACITE] *In sanctos*, hoc est, ad Christianos pauperes Hierosolymis agentes, de quibus v.3. & Rom.15.26. Christiani enim qui fuerant, à contribulibus suis, vtpote fidelibus, acerbissimis Christi hostibus, suis bonis spoliati, & valdè afflicti, vt patet Hebr.10.34. Vide S. Paulo in Concilio Hierosolymitano ita Gētibus mandata fuit cura, vt tamen pauperum Iudæorum memor esset, Gal.2.10. Hinc studiosè pro his collectam fieri imperat, quæ deinceps perdurauerit ad tempora Theodosij, vt dicam 2. Corinthiorum cap.8.

PER VNAM SABBATI, id est, in primo die hebdomadæ, videlicet Dominica, VNVSQVISQVE VESTRVM APVD SE SEPONAT] id, quod volet dare ad hanc collectam.

Non *vnam*, id est primam: hebraïsmo enim ponitur numerus cardinalis pro ordinali. Secundò, *Sabbatum* hic idem est quod hebdomada, quia à Iudæis quasi præcipuo die, in sabbatum sequens numerabant Iudæi dies hebdomadæ, ipsasq; hebdomadas scilicet, vt prima sabbati, siue post-sabbati esset Dominica. ita Ambros. Chrysost. Theodoret. Oecum. & omnes alij. Simile Actor.20.7. Vnus ergo, siue prima, sabbati vel hebdomadæ, est dies Dominica: Dominica enim conueniebant fideles Ecclesia, & faciebant suas oblationes, vti eamdem faciunt. Nam ex hoc Apostoli loco patet, ex Apostolica institutione collectam fieri solitam die Dominico. Vnde cùm Constantinopoli ea consuetudo exoleuisset, Chrysostomus eam restituit, deq; hac re insignem habuit orationem de eleemosyna & collationibus. Rursum notabile Chrysost. aptè iuberi vt hæc collecta fiat die Dominica; quia illo die Deus mundum creauit Gen. & perditum recreauit, dum Christus die Dominica resurrexit, & die Dominica misit Spiritum sanctum; vt memores tantæ misericordiæ accepti die, in alios quoque indigentes nos ipsi misericordes & liberales simus.

Quæ ineptè Magdeburgici *per vnam sabbati*, intelligunt sabbatum ipsum; quod non Christianorum, sed Iudæorum erat festum.

Hoc rursum patet, tempore Apostolorum mutatum esse sabbatum in Dominicum, idque clare significat Apoc.1.10. *Fui*, inquit Ioannes, *in spiritu in Dominica*. Hinc Secundò, sequitur, contra Nouatores, seruandas esse traditiones etiam non scriptas: nec enim vsquam Scriptura iubet Dominicum seruari pro sabbato.

REPONAT RECONDENS QVOD EI BENE PLACVERIT] S. Thomas & Caietanus putant quemque fidelem domi seposuisse in Dominico die hāc collectam, vt non eodem die, sed postea eam daret in Ecclesia, tunc scilicet cùm esset mittenda ad pauperes Hierosolymitanos. Verùm contrarium dicemus, vt dixi, qua ad altare, ipso die Dominico hæc oblationes; & Apostolus cùm addit, *Vt non, cùm venero, tunc collectæ fiant*. Vult ergo eas antè fieri, nimirum vt dixit, *vna sabbati*, hoc est Dominica, vt scilicet ante cœnam & agapen quisque apud se seponat, quod mox veniens in Ecclesiam ad cœnam offerat in eleëmosynam & collectam. Nota. Pro *recondens* græcè est θησαυρίζων, id est *thesaurizans*. Qui enim aliquid recondit & thesaurizat pauperibus, hic sibi ipsi thesaurum comparat & reponit in cælo.

QVOD EI BENE PLACVERIT] ὅτι ἂν εὐοδῶται, id est, vt Vatablus, *quod ei prosperè à Deo obuenerit*. q.d. Offerat pro fortunis suis, pro prosperitate, quam à Deo accepit. Noster videtur legisse εὐδοκῇ, id est, *bene placuerit*. Sanè, vt vidimus cap. præced. Græca multis in locis sunt corrupta.

B MITTAM GRATIAM (eleëmosynam) VESTRAM IN IERVSALEM] Notat Oecumen. non vocari hic eleëmosynam, quæ reuera talis erat, quia miserum est nomen eleëmosynæ, & indignum sanctis qui eam accepturi erant; sed ciuiliùs vocari gratiam, benedictionem, communicationem. VERS.3.

QVOD SI DIGNVM FVERIT VT ET EGO EAM, MECVM IBVNT] Hisce verbis Paulus Corinthios stimulat ad largiorem collectam, vt scilicet tantam faciant, quam dignum sit vt ipsemet perferat. VERS.4.

PERMANEBO AVTEM EPHESI VSQVE AD PENTECOSTEN] quia scilicet Ephesi erat celeberrimum illud Dianæ templum, ibique residebant Asiæ Minoris Primarij. Vnde Ephesi habitabat Proconsul Asiæ, &, vt Philostrat. l.8. vitæ Apollonij testatur, plurimum Ephesi vigebat sapientia; itaque maior C ibi messis erat S. Paulo: quæ causa fuit cur Ephesi morari & permanere statueret. VERS.8.

OSTIVM MIHI APERTVM EST MAGNVM] magna scilicet Ephesi mihi se aperit occasio & aditus Euangelij seminandi, & conuertendi multos. ita Ambrosius. VERS.9.

VENIET AVTEM (ad vos, ô Corinthij, Apollo) CVM EI VACVVM, id est opportunum, FVERIT] ita Ambrosius. VERS.12.

OMNIA VESTRA IN CHARITATE FIANT] *In charitate*, non supernaturali, sed *in charitate*, id est, sincero affectu & dilectione, qualem etiam pœnitentes, imò & infideles habere possunt. Ita aliqui. Verùm hæc non est charitas, quam Scriptura & Paulus fidelibus commendat, sed tantùm amor naturalis, D quem etiam habent Ethnici & Pagani. Sensus ergo propriè est, q.d. Paulus: O Corinthij non in contentione, non cum ambitione & schismate (vt dixi c.2. & 14.) sed cum charitate Christiana, quæ virtus est diuina à Christo vobis infusa, omnia vestra facite. Est hoc partim præceptum, partim consilium, vt dixi c.10.31. VERS.14.

OBSECRO VOS FRATRES] Est hoc versu hyperbaton, quod sic cum Theophylacto ordinandum est: *Obsecro vos fratres, vt subditi sitis Stephanæ, Fortunato, Achaico (& omni cooperanti & laboranti.) nostra enim domum*, id est, domos, putà familias, *eorum, quoniam* (quòd) *primitiæ sunt Achaiæ*, primi scilicet qui ex Achaia crediderunt Christo, *quique se* suaque VERS.15. & 16.

ordi-

ordinauerunt & addixerunt ministerio sanctorum, vt scilicet exerceant hospitalitatem in Christianos, egenos & peregrinos, maximè qui laborant in Euangelio. A

Nota τὸ *subditi sitis*, nimirum honorando eos, eorum monita & exempla sequendo. Rursum *cooperantes & laborantes* vocantur hîc illi, qui viros iam dictos adiuuabant, eisque cooperabantur in re Euangelica, & pro ea cum ijs laborabant.

VERS. 17. GAVDEO IN PRÆSENTIA STEPHANÆ, ET FORTVNATI, ET ACHAICI] *In præsentia*, quia scilicet hi viri vobis præsentes sunt, vt quod vobis deest in fide & doctrina Christiana, ipsi suppleant & doceãt, vosque in ea confirment. ita Anselm. Secundò & aptius, Theophyl. *gaudeo in præsentia*, quia scilicet hi viri mihi Paulo præsentes sunt. Quoniã id quod vobis deerat circa meum ministerium, ipsi suppleuerunt, vt pro vobis mihi ministrarent, suisque opibus & facultatibus me remque Christianam iuuarent & promouerent. hoc est enim quod subdit Paulus: *Refecerunt enim meum spiritum, & consequẽter vestrum* quoque: quia mea refectio vestra quoque refectio & recreatio est. Putat Theophylactus hos viros à Paulo Corinthijs tam impensè commendari, eò quòd hi Corinthiorum schismata & vitia ad Paulum detulissent, vt eis nihil austerum vel triste ostendant; sed potiùs vt eos cognoscant, id est, ament, colant, honorent. B

VERS. 22. SI QVIS NON AMAT DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, SIT ANATHEMA MARAN ATHA] *Anathema* est res quæ cum execratione separatur, abijcitur, & destinatur ad extremum exitium; quod in hominibus est æterna damnatio. Non sunt ergo verba excommunicantis, sed execrantis & denunciantis æternam damnationem ijs, qui Christum non amant, & infidelibus. Hoc enim est Hebræum חֵרֶם *cherem*, vt vertit Syrus, de quo dixi Rom. 9. 3. C

Quid anathema.

Quid cata-thema.

Anathemati proxima censura erat catathema, quę erat propriè eorum qui se damnatis coniungerent. Vnde Iustinus qu. 121. *Anathema*, inquit, *dicitur id quod reconditum est & secretum Deo, nec iam ad communem vsum sumitur*, (vt Hebræis cherem) *aut quod vitij culpaq; causa à Deo abalienatum est. Catathema autem est assentiri ijs qui anathematizant, id est, diris se deuouent.*

MARAN ATHA] Ita Romana. non enim vna est dictio *maranata* (vt pleraque Biblia hîc malè legunt) sed duæ: *maran atha*, vt mox patebit.

Quid Maran ata.

Opinio Erasmi, Bezæ & Bullingeri.

Quæres, quid sit *maran ata*? Primò, Erasmus, Beza & Bullingerus, putant idem esse quod anathema, vt ficuti dicitur *abba pater*; ita è conuerso dicatur *anathema maran ata*, legendumq; esse non *maran ata*, sed מָרַתָּם מוֹתָה *macharam mota*: vt sit idem quod Hebræum חֵרֶם *cherem*, id est, anathema, siue res addicta מוֹתָה *mota*, hoc est morti. Sed hoc tortum est, & longè distat *macharam mota* à *maran ata*. Nam *maran ata* hîc constanter legunt omnes Latini, Græci & Syrus. D

Refellitur.

Rursum patet linguarum peritis, *maran ata* esse vocem Hebræo syriacam, esseq; illud ipsum quod habet hîc Syrus interpres מָרָן *maran*, hoc est, Dominus noster, אֲתָא *eta* hoc est venit, vti passim omnes hîc vertunt; quod purè hebraicè diceretur מָרָנָא אֲתָא *morenu ata*, hoc est, magister vel Dominus noster venit. *More* enim hebraicè magistrum & dominum significat, pro quo Chaldæi dicunt *mar*, Arabes *mir* unde *mara* vel *maria*, id est domina. *mar* ergo idem est quod *sar*, pro quo Arabes dicunt *se* (vnde Galli suum *Sire* acceperunt *sid* est dominus. Inde dicitur *Sara*, id est domina. Sic etiam Christiani S. Thomæ in India & Babylonia Præfectos suos & Episcopos Chaldæos vocãt *mar*, vt Mar Abraham, Mar Ioseph, Mar Simeon, id est, vt Galli dicunt *Monsieur*, vel Sire Abraham, Sire Ioseph, Sire Simeon.

Maran ata id est quod, Dominus noster venit.

Dices, Quid facit *maran ata*, id est, *Dominus noster venit*, ad rem & scopum Apostoli? *Cornel. ad hunc Matth. Cap.*

Respondet Chrysost. & Theoph. Paulũ hac voce vti, vt ex Christi ad nostram carnem aduentu & charitate, nos ad omnem virtutis ingressum incitet, & vt *insinuet*, ait S. Hieron. *quòd super stultũ & obstinatis pertinacibus aduersus eum velle cõtendere, quem venturum constet.* Vnde Græci legũt ἤλθεν, id est, venit re peracto. q. d. ait Chrysost. Ratio cur anathema denũcietur eis, qui non amant Iesum, est quòd ipse ille venit, videlicet in humilitate ad saluandũ, vt nullus possit esse eum non diligentibus excusatio. Christi enim aduentus & passio adeò amorem conciliat, vt venia dignus non sit, qui eum non amauerit.

Verùm hæc ratio frigidior videtur. Ergo Nota, *Maran ata* esse Syro hebraicum, Hebræis vsitatum, sicut Græcis anathema, & sicut Hebræis vsitatum erat *Amen. Osanna Alleluia*, quæ proinde apud Latinos manserunt. Vide S. Hieron. epist. 117. ad Marcellam, & S. August. epist. 178. Subijcit itaque Paulus post *anathema, maran ata*, quia Hebræi quempiam condemnantes solebant id facere sub comminatione & contestatione præsentis diuini iudicij, vt patet Dan. 13. 55. & 59. psal. 9. 20. & d. *Maran ata*, id est, Dominus noster venit, scilicet vindex ad iudicium, aut potiùs *maran ata*, id est, venit Dominus iudex, vt eum qui Christum non amat, anathemate feriat, damnet & puniat.

Vbi Aduerte. Per euphemismum, boni ominis causa, solent Hebræi punitionẽ hanc tacere & subaudire. Sic dicunt iurando per execrationẽ: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, non addẽtes nec exprimentes, quam pœnã, ignem, aut mortem sibi addi velint, sibiq; imprecentur, si iuramentum violent, idq; ex summa iuramenti religione & reuerentia, atq; ex sacro quodam horrore timentes verentesque ne execratio hæc vel nominata quoquomodo eos afflet & inuadat: sicuti apud nos qui exhorrescunt, dum execrãtur, vel grauem pœnam aut cladem alicui sibi amico imprecantur, solent eam addere, Deus hoc auertat, Deus prohibeat, Deus custodiat nos. Pari modo & hîc cùm dicitur, *maran ata*, hoc est, Dominus noster venit, siue venit, supple & subaudi, ad iudicium, vt scilicet extremam & æternam cladem & calamitatem infidelibus Christiq; hostibus afferat & infligat. Est enim *maran ata*, sicut & *anathema*, vox execrantis & condemnantis. Vnde Anselmus. *Si quis*, inquit, *non diligit Dominum Iesum, sicut ei non est vtilis aduentus eius, qui iam completus est; sic ad damnationem sit ei secũdus, qui hoc futurus est.* Huc pertinet & illa Titelmanni expositio: *sit anathema*, id est execratus, *maran ata*, id est, in aduentu Domini, vel cùm Dominus veniet ad iudicium. Vnde & S. Clemens ita videtur interpretari *maran ata*, cùm huc alludens ita ait in hac epist. 2. *Hæc frater Iacobe de ore S. Petri iubentis audiui: si quis præcepta hæc integra non custodierit, sit anathema, vsque ad aduentum Domini nostri* Iesu Christi. Quibus vltimis verbis quid aliud explicat, quam Petri & Pauli *maran ata*?

Allelu-

Alludit Paulus ad illud Malach. vlt. v. 6. *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate:* & primum ad prophetiam Henoch, quam citat Iudas v. 14. & 15. *Ecce,* inquit, *venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios.* Simile anathema est apud Rabbinos שמתא אתא *hasschem ata,* & contractè שמתא *schamata* id est, Dominus venit. licet enim אתא *ata,* id est venit, sit præteritum, tamen hic accipitur propriatiuo *veniat.* Hebræi enim sæpè communiter tempora, vt præteritum pro præsenti, vel futuro, optatiuo capiant.

In hoc *maran ata* Hispani Christianoiudæos Mauros, cùm à christianismo apostatarunt, & reflexerunt ad suum iudaismũ vel mahometismum, A vocant Maranos, quasi anathemata. Ita ex diplomatibus antiquorum regum docet Ioannes Mariana l. 7. historiæ Hispaniæ, & Baron. tom. 9. in fine anni Christi 775. Maranus ergo idem est quod ἀνάθεμα, & excommunicatus ob apostasiam, qui scilicet à christianismo recidit in iudaismum, vel mahometismum. Errat ergo vulgus, quod dici putat, Maranus, quasi Mauranus, id est Maurus vel Iudæus, qui abstinet porcina, quam vulgus Hispanorum inde vocat *marana.* *Maranæ quis & vnde dicat.*

CHARITAS MEA, qua vos diligo, CVM OMNIBVS VOBIS sit, vt simili charitate sincera vicissim me & inuicem diligatis, IN CHRISTO, & propter Christum. ita Ambrosius & Anselmus. AMEN. VERS. 24.

ÆTERNITATEM cogita, Anathema, Maranatha.



COMMENTARIVS IN II. EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM.

Materia & obiectum huius epistolæ.

CONSOLATVR Corinthios, quos obiurgabat priori epistola, & fornicarium excommunicatum iam pœnitentem absoluit. Hinc agit de vera pœnitentia, de dignitate ministrorũ noui testamenti, de infidelium societate cauenda, de patientia, de eleëmosyna in pauperes Hierosolymitanos, de fuga pseudoapostolorum, qui Pauli æmuli, Corinthiis se insinuarant, Paulumque deprimebant, contra quos apologiam, se laudando, texit; ac demum nonnullis Corinthiorum necdum resipiscentibus Apostolicam potestatem & minas intentat. Adeoque tota ferè epistola hæc, est apostolatus Pauli apologia & encomium.

Vbi scripta fuerit hæc epistola.

Scriptam Philippis in Macedonia, missam per Titum & Lucam, habent Græca, Syrus, & Latina Complut. in fine epistolæ: Baronius tamen A scriptam vult Nicopoli anno Christi 58. cum scilicet Apostolus Epheso, vbi primam scripsit epistolam, post tumultum Demetrij, cedere coactus, relicto Ephesi Episcopo Timotheo, venit Troadem, vt hîc ait cap. 2. vbi non inueniens Titum, perrexit in Macedoniam, ex Macedonia perrexit in Græciam, mari scilicet Ægeo Cycladas deuitans attigit Cretam, vbi Titum reliquit, ad Titum 1. v. 5. Inde tandem in Græciam Nicopolim, vbi scilicet statuerat hiemare & quiescere, deuenit, ad Titum 3. v. 12. ita Baron. tom. 1. pag. 575. Estque probabile ibidem in quiete & otio hanc epistolam scripsisse: nil tamen certi hic dici potest. potuit enim Apostolus per Asiam cursitans ire & redire Philippos, ibique hærere tandem per dum hanc scriberet epistolam: nec enim omnes Apostoli moras, cursus & recursus narrat Lucas, Actorum 20.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, ostendit Paulus, ex quantis in Asia tribulationibus eripuerit eum Dominus, vt ipse alios consolaretur.

Secundò, v. 12. insinuat se Corinthiis, declarando cordis sui & doctrinæ sinceritatem.

Tertiò, v. 17. amolitur à se leuitatis & inconstantiæ notam: quòd ad eos, vti promiserat, non venerit: simulque asserit firmam & constantem esse suæ prædicationis veritatem.

1. PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia. 2. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, 4. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo. 5. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. 6. Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute, siue consolamur pro vestra consolatione, siue exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur: 7. vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. 8. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. 9. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos: 10. qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, 11. adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum personis, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. 12. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei: & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos. 13. Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis & cognouistis. Spero autem quòd vsque in finem cognoscetis, 14. sicut

sicut & cognouistis nos ex parte, quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die Domini nostri Iesu Christi. 15. Et hac confidentia volui priùs venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis: 16. & per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. 17. Cùm ergo hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, vt sit apud me EST, et NON. 18. Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo EST & NON. 19. Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & per Siluanum, & Timotheum, non fuit EST & NON, sed EST in illo fuit. 20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo EST: ideo & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. 21 Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus: 22. qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 23. Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni vltra Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri: nam fide statis.

TIMOTHEVS FRATER] *Frater*, id est coapostolus, vti Papa Episcopos, Episcopus Canonicos, Abbas Monachos fratres vocant.

PATER MISERICORDIARVM] misericordissimus est hebraismus, de quo dixi Rom. 9. f.

Doctè & piè S. Bernard. serm. 5. de natali Domini. *Rectè*, inquit, *non, Pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, sed, Pater misericordiarum: non modò pius pater videatur misereri potiùs, quàm indignari, & quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se: sed eò magis quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio; iudicandi, vel vltiscendi, magis autem ex (ex nostris scilicet peccatis.) Sed si propter hoc Pater misericordiæ, quare Pater misericordiarum? Apostolus nobis in vno verbo, in Filio vno ipsum quoque duplicem misericordiam commendat, Patrem dicens, non vnius tantùm misericordiæ, sed misericordiarum; & Deum non vnius, sed totius consolationis; qui consolatur nos non modò in hac vel illa, sed in omni tribulatione. Misericordia Domini multa, ait quidam: quia videlicet multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberatio Dominus. Vnus est Dei Filius, vnum Verbum, sed miseria nostra multiplex non modò magnam misericordiam, sed multitudinem quærit miserationum. Fortè tamen propter substantiam duplicem, qua subsistit humana condicio, cùm sit vtraque tam misera, non inconuenienter duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex in vtraque. Siquidem corporis & cordis nostri tribulationes multiplicatæ sunt: sed ab vtriusque necessitatibus eruit, qui totum hominem saluum facit.* Vbi aduerte. S. Bernardus videtur τὸ *Pater misericordiarum* appropriare Filio, & rectè, sed non ad mentem Apostoli. Apostolus enim illud tribuit Deo Patri. ait enim: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum*, &c. Pater ergo Christi est Pater misericordiarum.

SICVT ABVNDANT PASSIONES CHRISTI IN NOBIS: ITA ET PER CHRISTVM ABVNDAT CONSOLATIO NOSTRA] *Passiones Christi* vocat Primò, quas pro Christo patimur. ita Ambros. Secundò, *Christi*, id est quales passus est Christus. Tertiò, *Christi*, id est, quas vt suas reputat Christus, dicens, *Quod cumque fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis*; & Saulo Act. 9. *Quid me persequeris?* ita Oecumen. sic Christus patitur in membris suis. Theophyl. addit hic *abundant*, quia Christus plura in membris, quàm in seipso passus est. Extensiuè hoc verum est, non intensiuè. Sic in Laurentio ignem passus est Christus, in Stephano lapides, in Ignatio bestias. Christi enim passio & dolor his omnibus fuit

Cornel. in epist. Pauli.

A maior in se, & intensior. Sensus ergo est q.d. Theophyl. Ne despondeas animum, quisquis pateris afflictiones & mala, quia quantum exuberant mala, tantum exuberant consolationes.

Vbi Nota Primò, cum Theophyl. non dici, *Æquatur consolatio passionibus*, sed exuberat & longè maior est consolatio ipsis afflictionibus, vt qui affligitur, eas patienter, imò lubenter & hilariter ferat, iis gaudeat & dominetur. Secundò, id habent passiones Christi, vt pro earum mensura det Christus & mensuram consolationum, vt quantum crescit passio, tantum crescat & consolatio. E contrà passiones mundi sunt fel sine melle, & quantum illæ crescunt, tantum crescunt & desolationes, mœrores, angores. Tertiò, hinc sequitur, quòd non fugienda, sed ambienda sit crux & passio (vtpote tot diuinis consolationibus & B gaudiis condita) cum S. Andrea, Ignatio, Xauerio, qui quotidie orabat pro cruce, nec vlla liberari volebat, nisi Deus illi grauiorem immitteret.

Consolationes diuinæ maiores semper sunt passionibus.

SIVE TRIBVLAMVR, PRO VESTRA EXHORTATIONE] q.d. Tribulationes patimur, vt vos consolemur & saluemus, & vt patientia nostra, spe in Deum, eiusque consolatione vos animemus, ad afflictiones nobiscum pro fide fortiter ferendas. ita Ambros. Vide Chrysost. in moral. hom. 1. de spe & fortitudine in tentationibus seruanda. VERS. 6.

QVÆ (scilicet salus, quasi finis exoptatus) OPERATVR TOLERANTIAM] Sic Græcè etiam Erasmus legit: Τῆς ἐνεργούσης ἐν ὑπομονῇ, quæ operatur in tolerantia, vel, hebraismo, tolerantiam, vt sit ב, bet contactus. Alij passim legunt: Τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ, id est, vt Theophyl. quæ, scilicet salus, efficitur in tolerantia. Ambrosius. per patientiam; C meritoriè scilicet, ac proinde efficit tolerantiam in genere causæ finalis: efficiens enim & finis inuicem sibi sunt causæ. sic ergo salus quasi finis imperat & operatur patientiam, & vicissim patientia quasi efficiens operatur salutem. Adde: ἐνεργέω, licet terminatione sit passiuum, significatione tamen, quasi verbū medium, sæpè est actiuum, vt patet 1. Thessal. 2. v. 13. Galat. 5. v. 6. & sic cum Vatablo optimè vertit Noster: *Quæ operatur in tolerantia*, id est *tolerantiam*. Sic enim Hebræi loquuntur: Tango in baculo, id est, tango baculum. Sensus ergo est, *Quæ*, scilicet tum exhortatio, tum salus, *operatur tolerantiam*, q.d. Exhortatio nostra excitat & animat vos ad spem salutis, vt propter eam nobiscum pro fide Christi aduersa quæque fortiter toleretis. Exhortatio ergo operatur tolerantiam effectiuè ad eam excitando; salus verò inde sperata operatur tolerantiam obiectiuè: per-

Salus æterna operatur in nobis tolerantiã in genere causæ finalis.

inde ac intentio finis operatur amplexum & exe- A
cutionem mediorum.

VERS. 8. *De qua tribulatione hic loquatur Paulus.*

QVÆ (tribulatio) FACTA EST IN ASIA] Ephesi à Demetrio argentario Dianæ, qui seditionem populi contra Paulum excitauit, qua penè oppressus fuit Paulus, Actor. 19. v. 28. ita S. Thom. & alij passim, vnico excepto Caietano, qui putat huius tribulationis nusquam alibi in Scripturâ fieri mentionem.

SVPRA MODVM GRAVATI SVMVS: SVPRA VIRTVTEM] Hoc est, supra vires naturæ & corporis. non gratiæ & animi: nam ope gratiæ, inuicto animo tribulationem hanc Paulus pertulit & superauit. *Fidelis enim Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (per vires & auxilium non naturæ, sed gratiæ) inquit ipse 1. Corinth. 10. v. 10. Adde: non dicit tentatio, sed grauamen, siue afflictio fuit supra virtutem, quia hæc corpus obruit & extin- B
guit, licet animus seruet patientiam, & patientia tentationem vincat.

ITA VT TÆDERET NOS ETIAM VIVERE] *Tæderet*, per se scilicet seu naturaliter, ita vt natura maluisset mori, quàm tantas afflictiones pati; non autem tædebat spectando charitatem & gratiam Dei, qua fortissimè & libentissimè ad Dei obsequium quasuis afflictiones tolerabat Paulus. Tale tædium fuit in pluribus Sanctis, vti S. Iob c. 10. v. 1.

Tædium vitæ fuit in aliquibus Sanctis.

Tædet, inquit, *animam meam vitæ meæ.* Et Elia in persecutione Iesabelis 3. Reg. 19. 4. vbi sic orat, *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quàm patres mei.* Græcum ἐξαπορηθῆναι significat tædere, significat & anxium & perplexum esse. Hinc Chrysost. vertit, *vt dubitaremus*; Vatablus, *vt de vita desperaremus.* Vnde sequitur: C
In nobismetipsis responsum mortis habuimus.

Nota. Pro *nos*, græcè est ὑμᾶς, vos. sic & v. 11. facilè ex ἡμᾶς corruptum ὑμᾶς: nam sensus exigit Nos, non Vos. Græcus enim textus multis in locis corruptus est, vt alibi ostendi.

VERS. 9. *Per responsum mortis via hic possunt intelligi.*

SED (ἀλλὰ, id est *sed*, ponitur pro ἀλλὰ καὶ, id est, quin etiam) IPSI IN NOBISMETIPSIS RESPONSVM MORTIS HABVIMVS] vt natura & animus aliud nihil præsagiret & expectaret, quàm mortem; mihique de vitæ statu cogitanti responderet mens & cogitatio mea, esse (ni Deus mirè succurreret) moriendum. ita Ambros. & Theophyl.

Græcè est ἀπόκριμα, quod Primò, responsum significat. Secundò, Photius accipit pro crisi medicorum. q. d. Adeò afflicti fuimus, vt à natura, & ab aliorum opinione, à viris, inquam, rerum peritis, quasi à medicis, ex morbi & afflictionis crisi D
desperatæ vitæ iudicati simus. Tertiò, ἀπόκριμα potest capi pro κρῖμα, id est, sententia damnationis. q. d. Damnationis sententiam visi fumus accepisse, tamquam essemus à iudice damnati & destinati ad certam mortem. ita Syrus.

VERS. 10. *Ingentia pericula Hebræi vocant mortem.*

QVI (Deus) DE TANTIS PERICVLIS NOS ERIPVIT] Græcè ex τηλικούτου θανάτου, ex tali tantaque morte, id est, mortis periculis tam patentibus & euidentibus. ita Theophyl. Ambros. legit: *De tantis mortibus.*

Est hebraismus. Hebræi מָוֶת *mauet*, id est mortem, vocant ingentia discrimina, vehementissimas afflictiones, luctas & agones morti proximos, ipsamque mortem iam iam affore denunciantes. ita Chrysost. Sic psalm. 17. v. 5. & 6. *Circumdederunt me dolores mortis & inferni, præoccupauerunt me laquei mortis.* Et Paulus 2. Corinth. 11. v. 23. ait se fuisse in mortibus (id est, mortis periculis) frequenter.

VT EX MVLTARVM PERSONIS FACIERVM] Italo- Vulg.
gunt multa Biblia. Primasius verò ita legit. *Vt ex multarum comitatu personarum* (videlicet infantium, iuuenum, senum) *pro eo quòd vobis donum sanctum, Domino gratia referantur.* sed corrige cum Romanis & Græcis, *Vt ex multorum personis*, vel in græcè, ἐκ πολλῶν προσώπων, ex multis personis, id est, vt multæ personæ gratias agant Deo pro dono in nos collato. Græcè enim πρόσωπον & faciem & personam significat; hîc magis personam. Ambros. legit: Ex multorum facie. id est, vt multæ facies & ora multa Deo gratias agant. q. d. Vt per multos in magna hominum frequentia publicè agantur gratiæ Deo pro liberato & recepto Paulo communi omnium parente & Apostolo.

EIVS QVÆ IN NOBIS EST DONATIONIS] Refer ad *gratiæ agantur*, scilicet *donationis*, id est, vt Vatablus pro dono in nos collato gratiæ agantur per multos pro nobis. Sicut enim sunt creationis, redemptionis, iustificationis, educationis, promotionis, & quorumlibet beneficiorum gratiæ, quæ pro quolibet beneficio benefactori ex gratitudine sunt debitæ: ita & donationis sunt gratiæ, quæ pro donatione, siue dono liberationis, vel cuiuslibet rei alterius donanti agendæ & referendæ sunt.

NAM GLORIA NOSTRA HÆC EST, TESTIMONIVM Vulg.
CONSCIENTIÆ NOSTRÆ] Vocula *nam* dat causam præcedentium, cur scilicet Corinthii pro Pauli liberatione Deo gratias agere pro eoque orare debeant. Causa hæc est, quòd Paulus sit eorum Apostolus, qui sincerè, magnaque gratia & efficacia eis euangelizauit, eosque conuertit: atque huius rei conscientiam tum suam, tum ipsorummet in testem vocat.

Nota hîc quanta sit vis & quies bonæ conscientiæ. *Nullum theatrum*, inquit Cicero in Tusculana, *virtuti conscientia maius est.* & Iuuenal. sat. 3.

Hæc est summa boni, mens quæ sibi conscia recti est.

Atque S. Augustin. libr. contra Secundinum Manichæum c. 1. tom. 6. *Senti*, inquit, *de augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accusat.* Vide de hac re plura 1. Timoth. 1. 5.

NON IN SAPIENTIA CARNALI] non humana philosophia aut eloquentia prædicau, sed gratiæ, zelo, efficacia, ac spiritu diuino.

GLORIA VESTRA SVMVS, SICVT ET VOS NOSTRA Vulg.
id est, materia & obiectum gloriæ vestræ sumus, sicut vos nostræ estis; vt scilicet gloriemini nobis magistris, & nos gloriemur vobis tam bonis & morigeris discipulis. quod maximè patebit IN DIE DOMINI] id est, in die iudicij, quo Dominus iudicium exercebit in omnes.

VOLVI VENIRE AD VOS VT SECVNDAM GRATIAM Vulg.
HABERETIS] Vocat *secundam gratiam* duplex beneficium & geminatum: vnum per priorem epistolam, secundum per suum ad eos aduentum & præsentiam. ita Theophyl. vel prima gratia est primus Pauli aduentus Corinthum, quo eos conuertit: secunda gratia est secundus eius aduentus Corinthum ad eos in fide & gratia confirmandos.

PER VOS TRANSIRE IN MACEDONIAM] scilicet Vulg.
obiter, vt iterum ex Macedonia venirem ad vos, diutiùs vobiscum mansurus, & omnia visitaturus. & hoc est quod ait 1. epist. c. 16. 5. se venturum ad eos postquam Macedoniam pertransisset, scilicet venturum vt apud eos moraretur: hîc verò vi-

addit se etiam in transitu ad Macedoniam voluisse eos salutare. ita Græci. Aliter Lyranus & D. Thomas hæc loca conciliant, sed non satis probabiliter. Vide quales gyros, cursus & recursus (quos Lucas in Actis tacet) Euangelij causa fecerit Apostolus, vt dixi in argumento epistolæ.

CVM ERGO HOC (venire scilicet ad vos) VOLVISSEM (nec tamen id præstiterim) NVMQVID LEVITATE VSVS SVM?] Pro *leuitate*, græcè est ἐλαφρίᾳ, quæ ab ἐλαφρὸς, id est ceruus, deducitur. Nota est enim ceruorum leuitas & mobilitas, æquè ac serpentis astutia, columbæ simplicitas, asini tarditas, elephantis grauitas.

AVT QVÆ COGITO (quæ delibero, statuo. græcè enim est ἃ βουλεύομαι) SECVNDVM CARNEM COGITO] id est statuo, humana prudentia & leuitate, quæ ob carnis commoda, lucra, personas nobiliores, non ob solam naturæ & ingenij mobilitatem, mutabilitatem, & inconstantiam facilè consilia mutat. ita Ambros.

VT SIT APVD ME EST ET NON] vt in promissis infallibilis sim & vanus, vt modò affirmem me ad venturum, modò reuocem & negem, vt pueri facere solent. ita Anselm. *vai* affirmantis, *ou* negantis.

FIDELIS DEVS, QVIA SERMO NOSTER QVI FVIT APVD VOS, NON EST IN ILLO, EST, ET NON] q.d. Deum veracem testor, vel nouit Deus, qui fidelis & verax est testis, me vos docendo non fefellisse, proinde nec iam non veniendo ad vos, vti staturam fallere voluisse.

Nota. Concionatori leuitas morum & inconstantia cauenda, ne ex ea populus fidei & veritatis, quam prædicat, inconstantiam inferat & mendacium.

NON EST IN ILLO (sermone qui præcessit) EST ET NON] id est, affirmatio & negatio, vt scilicet antea, & quod promisi, negem.

DILECTVS FILIVS, q.d. Doctrina & prædicatio mea de Christo Dei Filio. vide can. 37. NON FVIT EST ET NON] id est varia, inconstans, & sibi contraria.

SED EST IN ILLO FVIT] q.d. Fuit constans assertio: quia idem semper de Christo affirmaui & docui.

QVOTQVOT ENIM PROMISSIONES, in veteri testamento de Messia SVNT, IN ILLO EST] in Christo constantes & veraces fuere, in eoque impletæ sunt.

Nota, Apostolum pro *Est, est*; *Non, non*; vsum paronomasia Hebræa אן אן, 𝔏𝔏 *ken, ken, en, en*; *vai, vai; lo, lo.* & sic habet Euangelium Hebræum apud Matth. 5. v. 37, quod Noster interpres vertit *Sit sermo vester Est, est*; *Non, non*. *Ken* autem, cui respondet Græcum *vai*, & Latinum *est*, significat primò, sic, etiam; secundò rectum, verum. Itaque triplex est eius vsus. Primò, notat constantem assertionem, vti hîc passim v. 17. 18. 19. opponiturque inconstantiæ & fallaciæ. Secundò, notat veritatem seu id quod res est, opponiturque falsitati. ita hoc v. 20. Tertiò, notat simplicem affirmationem, opponiturque iuramento. ita capite Matth. 5. v. 37. *Sit sermo vester Est, est*; *Non, non. quod autem his abundantius est*, (iuramentum scilicet) *a malo est*. Sic & Iacobi 5. v. 12. Rursum Noster *Est*, significat affirmationem, quia *est* affirmationis enunciatione facit & significat eam esse

A affirmantem; vt enim sit propositio negans, debet *est* copula propositionis negari. Secundò, *est* significat veritatem, scilicet id quod res est, reique constantiam.

IDEO ET AMEN] supple, dicimus. Id est, confirmamus, & veros illas fuisse declaramus. *Amen* enim Hebræis vox est confirmantis. ita Chrysost. & Ambros. De *Amen* dixi epist. 1. c. 14. 16.

Voci Amen significatio, officium, & vsus.

Quibus adde, *Amen* communiter esse aduerbium, & significare verè, firmiter, fideliter, stabiliter: subinde tamen esse nomen, vt sit idem quod veritas, firmitas, fidelitas, stabilitas. Sic accipitur Isaiæ 65. 16. *Iurabit in Deo amen*, id est, veritatis, putà, in Deo vero: hoc enim exigit Hebræum regimen genitiui בֶּאֱלֹהֵי אָמֵן, *belohe amen*, id est, in Deo veritatis, q.d. Tempore Christi, Gentilis quisque non iurabit per Iouem & deos falsos, vti solebat, sed iam Christianus effectus iurabit per Deum verum, per Christum, Christique Euangelia. Sic Deum amen LXX. vertunt, Deum verum, Ieremiæ 11. 6. Sic Isaiæ 25. v. 1. vocat cogitationes Dei fideles amen, q.d. Cogitationes, quæ sunt amen, hoc est ipsa veritas & firmitas, id est, verissimæ & firmissimæ. Sic Christus vocatur *Amen* Apocal. 3. v. 14. *Hæc dicit amen* (græcè ὁ ἀμὴν, *qui est amen*, id est stabilis, constans, verus, ipsaque stabilitas, constantia, veritas) *testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei*. Sic Apocal. 7. 12. angeli laudantes exclamant Deo: *Amen* (id est veritas) *benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro* (sit) *in sæcula sæculorum amen*. id est, verè ita sit & fiat. hîc enim vltimum *amen* est aduerbium, cùm paulò antè fuerit nomen. Sic & hîc accipitur: *Per ipsum* (Christum) *Amen*, (id est veritatem, fidelitatem, constantiam) *Deo*, supple, damus & tribuimus, dicentes: Omnia quæ Deus de Christo promisit, sunt amen, id est verissima, & verissimè à Deo impleta.

AD GLORIAM NOSTRAM] Noster vertit ἡμῶν, iam legunt *δι' ἡμῶν*, per nos; Amen, scilicet dicitur Deo ad gloriam, non nostram, sed Dei.

QVI AVTEM CONFIRMAT NOS] Putant aliqui hîc esse ellipsim & supplendum esse: ipse (scilicet Deus qui nos confirmat) impediuit executionem promissionis meæ, scilicet aduentum meum ad vos. Longè melius alij hoc referunt ad id quod proximè præcessit. q.d. Per Christum impletæ sunt promissiones Dei. Qui autem sua potestate & imperio eas adimplet & præstat, est Deus ipse. Deus enim sicut promisit, ita reipsa nos confirmat, vngit & signat in Christo. Possent Tertiò, non malè hæc referri ad id quod dixit v. 18. *Sermo noster non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit*. q.d. Ego in sermone & prædicatione æquè ac promissis meis non sum variabilis & inconstans. Deus autem est is qui hanc constantiam mihi præstat, ne quis putet me illam meis viribus & fortitudini arroganter asscribere, cùm illam non à me, sed à Deo me habere profitear. Sicut enim Deus est in se & promissis suis *est*, id est, stabilis perstat, firmus & immutabilis; ita & nos confirmat, vt simus in fide & promissis firmi & stabiles.

VERS. 21.

VERS. 21. & 22.

QVI VNXIT NOS DEVS, QVI ET SIGNAVIT NOS, ET DEDIT PIGNVS SPIRITVS IN CORDIBVS NOSTRIS] Hoc signaculum siue sigillum, ait Caluinus, est fides specialis & diuina, qua quisque certò

Fides specialis Caluinistica deliria & mendax.

scit & credit se esse prædestinatum : sed hoc sigillum incertum est & fallax, & hæc fides mendax est. & stulta præsumptio. Nam Apostolus qui maximam habebat fidem, reprobari timet, 1. Corinth. 9. v. 27. non ergo fide diuina credebat certò se esse prædestinatum. Vnde & passim inculcat, vt omnes fideles & sancti sollicitè, cum metu & tremore suam salutem operentur: adimit ergo eis salutis suæ fidem & certitudinem.

Adde: nemo certus est talem se fidem diuinam habere, & semper habiturum: imò multi à fide etiam hac Caluini defecerunt, qui antequam deficerent, putabant & credebant cum Caluino se esse prædestinatos.

Quinam dicantur secundùm Apostolum signati à Deo.

Dico ergo, *signauit* id est, confirmauit quasi sigillo impresso promissiones suas Deus, dando iuxta eas pignus futuræ hereditatis, scilicet gratiam, qua nos vnxit & signauit in filios Dei, discreuitque à filiis diaboli. ita Chrysost. Theodor. Oecumenius: quod sigillum Deo omnino certum est & notum, nobis tantùm probabile ex coniecturis. Sic ergo confirmatio hæc, vnctio, & signatio fit per vnam eamdemque gratiam. ita enim Ephes. 1. v. 13. ait nos esse signatos Spiritu sancto quasi pignore.

Secundò, accipi potest hic locus de baptismo. nam Primò, in baptismo vnxit nos Deus oleo gratiæ suæ. Secundò, dedit pignus Spiritus, testimonium scilicet bonæ conscientiæ. Tertiò, signauit nos charactere baptismi. Vide Bellarminum l. 2. de effectu Sacramentorum c. 20. Huc refertur expositio Theophylacti & Chrysost. *Vnxit*, ait, *nos, & signauit in Reges, Prophetas, & sacerdotes.* Vide Chrysost. in morali hic homiliæ tertiæ, quomodo Christiani, qui cupiditatibus suis imperant, sint reges à Deo vncti.

Tertiò, & maximè appositè dici potest, respicere hic Paulum ad Sacramentum Confirmationis, quod statim à baptismo omnes fideles olim suscipiebant ad se roborandum contra persecutiones. ait enim : *Confirmauit nos, dedit pignus Spiritus, vnxit, signauit*, quæ singula distinguit Apostolus: hæc autem alibi, quàm in Sacramento Confirmationis, distingui non possunt.

Sacramentum Confirmationis hic respicit Paulus.

Hisce ergo verbis Sacramenti Confirmationis quatuor significat effectus. Primus est fidei, qua firmamur in Christo. q. d. Ideo, vt dixi v. 18. & 19. fides & prædicatio nostra de Christo firma est & constans, quia in ea per Sacramentum Confirmationis roborauit nos & confirmauit Deus in Christo. id est per Christum & Christi merita. Secundus effectus est charitatis & gratiæ, qua copiosè vngimur quasi chrismate spirituali. Hinc græcè pro *vnxit*, est χρίσας. vnde deducitur Chrisma, Christus & Christiani, id est vncti. Hinc S. August. in sententiis n. 342. *Christi*, ait, *nomen à chrismate, id est ab vnctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, vt intelligat se non solùm sacerdotalis & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem.* Tertius fructus est pignus Spiritus, quod est testimonium bonæ conscientiæ, suggestum à Spiritu sancto, quodque est quasi arrha futuræ gloriæ à Spiritu sancto promissæ & datæ. Quomodo Spiritus sanctus dicatur pignus, vel, vt græcè est arrha, dicam Ephes. 1. v. 14. Quartus fructus est. *signauit*, græcè ἐσφράγισεν, id est sigillauit, scilicet signo ac sigillo crucis in fronte, & in anima charactere, quo nos obsignauit quasi seruos, imò quasi milites & duces suos. ita Ambros. l. de his qui mysteriis initiantur, c. 7. & Suarez 3. p. q. 63. a. 1. & 4.

Sacramenti Confirmationis quatuor effectus & fructus.

TESTEM DEVM INVOCO IN ANIMAM MEAM] Ergo licet Christiano iurare, ait August. qu. inter 83. Iurat enim hîc Apostolus, idque iuramento execratorio. q. d. Si mentior, Deus vindex puniat & damnet animam meam.

QVOD PARCENS VOBIS, NON VENI VLTRA CORINTHVM] ne scilicet vti cogerer auctoritate Apostolica contra vitia, & delinquentes in vobis; sed parcens vobis abstinui, ne cum correctione ad vos veniens, vos contristarem. ita Anselm. & patet c. 2. v. 1.

Hîc Paulus assignat, veram causam mutatæ suæ promissionis, siue propositi veniendi Corinthum, fuisse scilicet ipsosmet Corinthios, qui à vitiis suis, de quibus priori epistola eos admonuerat, nec dum planè abstinentes, merebantur acriùs redargui & puniri: sed Apostolus humaniter cum eis agens, hac tantùm absentia sua tacitè, atque per hanc epistolam apertè voluit eos officij sui denuò admonere, itaque leniter castigare & emendare. Discant Prælati non importunè semper carpere & increpare suorum vitia, ne subditi obsurdescant & callum obducant. Adde, quorumdam, præsertim honestorum & verecundorum, vitia meliùs emendari, si patientia & dissimulatione quodam indicio tantùm notentur, quàm si aperta reprehensione aut punitione perstringantur & vindicentur : vt docet S. Gregorius 3. p. Pastoral. c. 8. & 9.

VLTRA] post primam scilicet vicem aut epistolam.

NON QVIA DOMINAMVR FIDEI VESTRÆ, SED ADIVTORES SVMVS GAVDII VESTRI] Est figura, quæ ab oratoribus correctio dicitur, qua emollit suæ correptionis potestatem iam dictam. q. d. Dixi me parcere vobis, nolle me vos punire, vt ita submoniti sponte vos ipsi corrigatis; id dixi, non quasi imperiosi simus, & quidquid pro arbitratu in religione statuamus, sed vt vos emendemus: itaque correcti gaudeatis & hîc & in cælo. Correptio ergo hæc non tam correptio est quàm procuratio & promotio gaudij vestri. ita Anselmus.

NAM FIDE STATIS] *Quæ per dilectionem operatur, non per dominium cogitur*, inquit Anselmus. q. d. In fide vestra non habeo quod corrigam, sed tantùm in moribus, quos, quia fideles estis, non imperiosè redarguam, sed leni monitione hac epistola reformabo, vt leniter emendati mecum vel omnes gaudeatis : quia enim verè fideles estis, hinc non dubito vos statim meis monitis obsequentes fore.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primò, asserit se ad eos non venisse, ne tam sibi quàm illis esset occasio tristitiæ.
Secundò, v. 6 hortatur vt fornicarium à se excommunicatum epist. 1. c. 5 iam pœnitentem in gratiam reciptant, eumq; v 10. ab excommunicatione & pœnitentia absoluit.
Tertiò, v. 14. docet se vbique bonum Christi odorem spargere, eumq; bonis & fidelibus esse ad vitam, malis & incredulis ad mortem.

1. STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. 2. Si enim ego contristo vos: & quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? 3. Et hoc ipsum scripsi vobis, vt non cùm venero tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrùm est. 4. Nam ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas: non vt contristemini: sed vt sciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis. 5. Si quis autem contristauit, non me contristauit: sed ex parte, vt non onerem omnes vos. 6. Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: 7. ita vt econtrariò magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est. 8. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem. 9. Ideo enim & scripsi, vt cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. 10. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, 11. vt non circumueniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes eius. 12. Cùm venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, 13. non habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam. 14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: 15. quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: 16. aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? 17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

STATVI AVTEM HOC IPSVM] scilicet non venire ad vos, & parcere vobis vestrisque delictis, vt dixi c. 1 v. 23. A

SI ENIM EGO CONTRISTO VOS] Hoc est, etsi contristo vos per epistolam primam obiurgatricem, tamen lætificor vobiscum in fornicarij & vestra pœnitentia & tristitia. Nota. τὸ *si enim*, non est dubitantis sed διεζευγμένον & explicatiuum.

ET QVIS EST QVI ME LÆTIFICET NISI QVI CONTRISTATVS EX ME?] q d. Maximè me lætificat is, qui ad meam obiurgationem dolet & pœnitet, scilicet incestuosus ille fornicarius, quem excommunicaui epist. 1. c. 5. ita Ambros.

VT NON CVM VENERO TRISTITIAM SVPER TRISTITIAM HABEAM] q d. Volui per epistolam præmissam vos obiurgare & corripere, ne coràm vos cogerer obiurgare, quod mihi valdè triste foret. B

CONFIDENS IN OMNIBVS VOBIS] omnino confidebam fore, vt quod mihi displicere intelligerem, tolleretis: quia mea gaudia existimatis vobis esse communia, & consequenter dolores vestros æstimatis esse vestros, vt quod mihi displiceat, & vobis displiceat. Hæc omnia eò spectant, vt intus Corinthij se præparent ad Pauli aduentum, seque emendent, ne, si videat eos necdum emendatos, tristetur plurimùm.

QVAM CHARITATEM HABEAM IN VOBIS] εἰς ὑμᾶς scilicet erga vos.

NON VT] scilicet solum] CONTRISTAVIT] fornicarium de quo epist. 1. c. 5.

SED EX PARTE] quia mecum multos alios bonos contristauit, ait Ambrosius, qui eum excommunicatum à me, è cœtu suo cum obiurgatione eiecerunt.

VT NON ONEREM OMNES VOS] hac infamia & suspicione, quasi putem non esse multos qui doleant propter illum incestum. Priori enim epistola c. 5. v. 2. videbatur omnes culpasse, quasi consentientes vel dissimulantes illum incestum: *Et vos*, ait, *inflati estis, & non magis luctum habuistis.*

SVFFICIT ILLI OBIVRGATIO] hæc illa publica scilicet separatio & confusio, qua à tota Ecclesia eiectus est incestuosus. Hinc patet eum post excommunicationem pœnituisse. Vnde laxat & absoluit eum Apostolus hîc. VERS. 6.

ITA VT MAGIS DONETIS] hoc est, condonetis illi incestuoso longiorem hanc suam pœnitentiam canonicam, eum ad communionem vestram admittendo, & moras diuturnioris pœnæ relaxando; de quo plura v 10. VERS. 7.

VT CONFIRMETIS IN ILLVM CHARITATEM] Id est, vt publico Ecclesiæ consensu declaretis vos denuo illum pro fratre complecti. Græcè enim pro *confirmetis* est κυρῶσαι, id est vt ratum faciatis & decernatis quasi publicis Ecclesiæ comitiis illius restitutionem: κυρία enim sunt comitia, & stati iudiciorum dies, ita Erasmus & Budæus. VERS. 8.

IDEO ET SCRIPSI] scilicet hanc epistolam, vt confirmetis in illum charitatem, vt præcessit. VERS. 9.

VT COGNOSCAM EXPERIMENTVM] vt habeam obedientiæ vestræ experimentum.

CVI AVTEM ALIQVID DONASTIS: cui gratiam & VERS. 10.

& remissionem fieri per Titum rogastis, ET EGO] scilicet donari illi & condonari rogo. ita Theodoret. & colligitur ex c. 7. v. 7. vide can. 36. Græcè est ᾧ δέ τι χαρίζεσθε, κἀγὼ ἐγώ: *cui donatis, & ego*, scilicet dono. nam condonationem hanc necdum fuisse factam patet v. 7. vbi eam fieri imperat. q. d. Sicut congregatis vobis & meo spiritu, illum excommunicaui epistolæ 1. c. 5. sic nunc me vobis adiungo, vt quod me hortante ei condonabitis, & ego condonem.

Prælatis Ecclesiæ, nō laicis negotium absolutionis cōmittitur à D. Paulo.

Nota contra Lutherū, hoc scribi Ecclesiæ præfectis, vel potiùs ipsi Ecclesiæ, non vt per omnes, etiam laicos. sed vt per Prælatos hanc potestatem absoluendi exerceat; ita tamen vt ex quadam humanitate velit laicos huic absolutioni cooperari, & suo consensu, voto, desiderio, precibus, commiseratione, conuictu quodammodo etiam ipsos condonare hoc scandalum sibi & Ecclesiæ suæ datum, illiusque iustam pœnam siue pœnitentiam canonicam. vide dicta epist. 1. c. 5. v. 4. vnde sequitur: *Nam & ego quod donaui, propter vos in persona Christi.* Ex quo patet Paulum propriè per potestatem & iurisdictionem quasi Christi vicarium condonasse, idque publicè in Ecclesia Corinthiorum per Episcopum vel alium Prælatum declarari & promulgari iussisse; Corinthios verò condonasse tantùm per preces, consensum & executionem sententiæ & absolutionis Paulinæ.

Id clarè docet hic Chrysost. *Sicut*, ait, *cùm iubebat hominem resecari, non passus est penes illos esse auctoritatem condonandi, dicens, Decreui tradere eiusmodi Satanæ; ac rursus assumpsit eos in consortium, dicens, Congregatis vobis tradere illum. duas res curans, vt & proferretur sententia, & ne fieret absque illis, ne videretur hic illos hoc facto ladere: ac neque solus eam pronunciat, ne videretur Apostolus esse præfractus, ipsosque contemnere: itidem & hic facit.*

EGO QVOD DONAVI, SI QVID DONAVI, PROPTER VOS IN PERSONA CHRISTI] *Donaui*, id est, donare statui, & rogaui v. 7. & verò nunc per litteras has, perque harum latorem Titum, vel quem alium, dono. vide can. 36. & est hebraismus, quo præteritum ponitur pro præsenti, *donaui*, id est dono: Hebræi enim carent indicatiuo, proque eo præterito vtuntur.

Absolutionem ab excommunicatione, & indulgentiā plenam donauit Apostolus incestuoso.

Quæritur quid donarit Apostolus? Respondeo, Absolutionem ab excommunicatione, & simul, imò magis, indulgentiam plenam illius incestus, scilicet remissionem omnis pœnæ illi debitæ. Patet, quia hoc erat vinculum illi iniectum epist. 1. c. 5. scilicet excommunicatio, & simul pœna tum infamis electionis ex Ecclesia, tum carnis, qua scilicet corporaliter affligeretur à Satana. Hic autem ab omni vinculo quo eum alligarat, absoluit. ita Ambros. Anselm. Chrysost. S. Thomas, Primas.

Secundò, quia donare, id est condonare, &, vt Syrus, remittere, propriè dicimur culpam vel pœnam: nam de excommunicatione sola melius dicitur, Absoluo. ita Ambros. Id clariùs significant Græca: ᾧ δέ τι χαρίζεσθε, *cui aliquam gratiam & indulgentiam præstatis.*

Tertiò, quia in gratiam & ob zelum Corinthiorum, obque fornicarij contritionem, pœnam eius & confusionem, &, vt ait v. 6. obiurgationem relaxat, ne nimia tristitia desperet, vt patet v. 6. & 7. & c. 7. v. 7. & 11. ergo dat ei Indulgentias, & has significat vox *aliquid*, cùm ait, *Cui aliquid donastis, & ego.* q. d. Aliquam pœnæ partem, quam ei condonari rogastis, & ego dono & condono.

Quartò, quia non tantùm coram Ecclesia, vt vult Caluinus, sed in iudicio diuino coram Deo, pœnam remittit. hoc enim significat *in persona Christi*; quia alioqui non fuisset hic indulgentia, aut misericordia fornicario exhibita: præstat enim hic infamia, & quauis pœna corporali potest, quàm ad Dei tribunal & ignem vel inferni vel Purgatorij remitti.

Hinc ergo D. Thomas & alij rectè docent Apostolum & Ecclesiam dare indulgentias. Sic olim Martyres in carcere detenti lapsos mittebant ad Episcopos, orantes vt pœnam eis relaxarent, vt patet ex Tertul. ad Martyr. c. 1. & Cyprian. ep. 11. 22. & 22. & Concil. Nicen. c. 11 & 12. concedit vt lapsis pro animi ardore, quo iniunctam pœnā subeunt, possit Episcopus indulgentiam præstare. Vide Baron. to. 1. pag. 592. Nota, causam dandæ indulgentiæ esse ne pœnitens desperet. Hinc olim non dabatur Indulgentia, nisi bona pars pœnitentiæ esset expleta, idque ne satisfactionis quarta pœnitentiæ est pars, & disciplinæ vigor laxaretur. ita Cyprian. ad Martyr. l. 3 epist. 6. & Concil. Trident. sess. 25. in decreto de Indulgentiis, iubet in Indulgentiis moderationem adhiberi iuxta veterem Ecclesiæ vsum, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur.

SI QVID DONAVI] Modestè extenuat suam liberalitatem. Vnde Græca addunt: εἴ τι κεχάρισμαι κεχάρισμαι, *si quid donaui cui donaui*, *in persona Christi*, scilicet hoc feci, & donaui.

IN PERSONA CHRISTI] Græcè ἐν προσώπῳ, quod Primò, verti potest, in facie Christi, coram Christo. ita Theodor. Vatabl. quod audè arripit Calvinus & Beza. q. d. *Coram Christo* ex animo, verè & non fucatè condono. Secundò, & propriè, πρόσωπον est vera persona. q. d. Condono vice & auctoritate Christi, cuius personam gero, qui dixit: *Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cælo*, inquit Ambros. Ansel. Syrus, Theophyl. Theodor. Hinc pulchrè & neruosè vertit Theophyl. ὡς ἀποκρινόμενος ὧν χριστός. quod interpres eius, vel teste Erasmo rectè vertit, ac si Christus ei donasset, cùm propriè ad verbum sonet, *quasi persona existens Christi*, vti prorex dicitur Regi esse protex & propersona; quia vice, auctoritate & quasi in persona Regis mandat, sancit, regit, imperat, absolut & remittit. Sicut enim Paulus epist. 1. c. 5. v. 4 hunc fornicarium excommunicauit in nomine & virtute Iesu Christi, vt ibidem ait: ita hic eumdem absoluere non potuit, nisi in nomine, virtute & persona Christi, perinde ac damnatus à prorege, non nisi à prorege absolui potest.

VT NON CIRCVMVENIAMVR A SATANA] ne decipiamur, ne scilicet fornicarius ille ob nimium rigorem à Satana in desperationem impellatur. Græcè, ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν, ne occupemur & vsurpemur velut ab iniusto possessore Satana. Ni πλεονεκτεῖν, est fraudare, extorquere, occupare quod tuum non est, vt faciunt auari, fœneratores & tyranni. vide Chrysost. & Theophyl. Vnde Ambros. vertit: Ne possideamur à Satana. nō enim, ait Theophyl. Satanas ad se pertinentia, sed nostra & quæ Christi sunt, rapit, cùm animas & capit & decipit. vnde pro eo quod sequitur: *Non enim ignoramus cogitationes eius*; Tertul. l. de Pudicit. c. 13 legit, *Nō enim ignoramus iniectiones eius*. putà rapinas eius.

NON ENIM IGNORAMVS COGITATIONES EIVS] Diuus

Dei: & verè. *Optimus est imperator, qui maximè cognitas habet ab hostium* Pari modo optimus est dux, pariter & miles Christianus qui optimè nouit consilia & machinationes hostium, præsertim Satanæ. ipse enim transfigurat se in angelum lucis, vt videatur nobis esse amici & angeli consilium & suggestio, cùm ea sint inimici & diaboli. Experimur sæpè nobis fugere suspiciones siniſtras, amaritudines animi, tristitias noxias, pusillanimitates, &c. putamusque nos iusta causa & ratione moueri, hæcq; nobis prouenire, cùm proueniant & suggerantur à diabolo in nostram perniciem. Quare Christianus in talibus reflectat, an tales suggestiones fiant secundùm charitatem, humilitatem, patientiam, gratiam & legem Christi; siq; videat eis esse contrarias, sciat esse diaboli. si dubitet, cum superiore, confessario aut viro prudente conferat. Longa experientia id didicit & docuit S. Antonius, qui proinde assiduè has diaboli cogitationes & technas suis discipulis detegere & explicare, modumque eas dissipandi suggerere solebat, vti patet ex eius vita apud S. Athanas. Idem sæpiùs fecit S. Franciscus, itaque multos è suis diabolica tentatione liberauit, vti refert S. Bonauent. libr. 1. vitæ eius c. 11.

Ita ergo Satanas hîc concitabat primores Ecclesiæ Corinthiorum ad iram & indignationem in hunc fornicarium, quasi qui primum nitorem hæc Ecclesiæ hac tam turpi nota maculasset, vt ei & duror & rigidos præberent; itaque ipse omni consolatione & spe destitutus, animum abiiceret, & desperaret. Hoc Satanæ consilium vidit Paulus, illudque hîc discutit, monens vt in gratiam eum recipiant, eique iam pœnitenti veniam & remissionem indulgeant.

CVM VENISSEM TROADEM ET OSTIVM (aditus magnus) MIHI APERTVM ESSET IN DOMINO (in negotio Domini, scilicet ad propagandum eius Euangelium. ita Anselm.) NON HABVI REQVIEM SPIRITV MEO (in spiritu, id est in animo, meo) EO QVOD NON INVENERIM TITVM (interpretè meum, ait Hieron. ad Hedibiam, qui diuinorum sensuum meorum maiestatem Græci eloquij digno explicaret sermone. Fuit & alia causa cur Paulus Troade perrexerit in Macedoniam ad occurrendum Tito: quòd scilicet à Tito quem Corinthum miserat, audiebat cognoscere statum Corinthiorum antequam Corinthum, vti promiserat, rediret. Vnde c. 7 v. 8. dicit se in Macedonia consolatum fuisse in aduentu Titi referentis Corinthiorum fletum & desiderium Pauli. Videtur autem Titus renunciasse Paulo necdum esse maturum tempus redeundi Corinthum. Vnde Paulus iter suum ad Corinthios distulit, & hanc ad eos præmisit epistolam, quæ viam sibi ad eos sterneret, defectusque Corinthiorum corrigeret.

DEO GRATIAS, QVI SEMPER TRIVMPHAT NOS IN CHRISTO] *Triumphat*, id est, triumphare facit. vide can. 32. ita Ambros. Anselm. Huc pertinet versio Syri & Theophyl. *triumphat nos*, id est, conspicuos facit & ostendit. triumphus enim dicitur, per quem victam vrbem cum trophæis, aliisque victoriæ signis progressio imperatoris victoris: sic & Deus nos victoria & trophæis de diabolo relatis conspicuos quasi triumphare facit. quæ enim videtur passiones esse & contumeliæ, sunt gloria & triumphus noster, ait Theophyl. Secundò, idem Anselmus

A *triumphat nos Deus*, id est, de nobis, vel per nos triumphum agit de dæmone. Colos. 2. 15. ita & Græci.

Videtur Apostolus in Macedonia acres persecutiones pertulisse, vnde c. 7. 5. dicit se ibi omnem tribulationem passum: foris pugnas, intus timores: sed Dei gratia hæc omnia superauit cum gloria & triumpho. Pulchrè S. Hieron. epist. 150. ad Hedibiam q. 11. docet Apostolum hîc agere gratias Deo, quòd dignum se elegerit, in quo ageret triumphum Filij sui, in victoria tot persecutionum & malorum, quæ subibat in Gentium conuersione ad Christum. *Triumphus enim Dei est*, inquit Hieron. *passio Martyrum pro Christi nomine, cruoris effusio, & intertormenta letitia. Cùm enim qui viderit tanta perseuerantia stare Martyres atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari: odor notitiæ Dei disseminatur in Gentes, & subit tacita cogitatio quòd, nisi verum esset Euangelium, numquam sanguine defenderetur.* Sic ergo triumphat in Apostolis prædicatio Euangelij, in quâ fides vincit infidelitatem, veritas mendacium, charitas Christi maleuolorum odia, patientia cruces omnes, persecutiones & mortes. *Triumphus Dei est passio Martyrum.*

B ET ODOREM (famam & suauissimam cognitionem) NOTITIÆ SVÆ MANIFESTAT.

CHRISTI BONVS ODOR SVMVS (bonam Christi famam verbo & exemplo spargimus in honorem Dei. VERS. 15.

C Nota. Bonus odor ex præstantibus herbis, vel pretiosis aromatibus exhalatur. Talis est Apostolorum & prædicatorum fama, gloria, & decus ex virtutibus ipsorum ortum, & meritis ipsorum debitum. Hinc sponsa, id est Ecclesia, Cant. 6. 1. seipsam comparat areolis aromatum, in quibus videre est venustatem, amœnitatem & pulchrum ordinem vernantium herbarum & odoratorum florum, ex quibus fragrantes spiritus exhalantur. Et hoc est quod iubet Christus Matth. 5. 16. cùm ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum* Vbi alia metaphora gloriam & bonam famam appellat splendorem ex bonorum operum luce manantem & productum.

Præclarè S. Bernard. serm. 12. in Cantic. *Paulus*, ait, *vas electionis, reuera vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni puluere pigmentario. Christi enim erat bonus odor in omni loco. Multa profectò suauitatis fragrantiam longè lateq; spargebat pectus illud, quod sic affecerat sollitudo omnium Ecclesiarum. Vide enim quales species & aromata coacerbarat sibi. Quotidie, inquit, morior propter vestram gloriam. Et rursum: Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

D Vbi Nota Secundò. Sicut aromata quo magis conteruntur, eo maiorem spirant fragrantiam: ita Christus, Apostoli, Martyres, omnesque Sancti, quo magis persecutionibus & tribulationibus pressi & quasi contriti fuerunt, eo suauiorem virtutis suæ sparserunt odorem.

Vide Ambrosium & Anselmum, vide & Bernardum serm. 71. in Cant. de spirituali colore & odore virtutum, in illud: *Ego flos campi, & lilium conuallium. Habent* inquit, *mores colores suos, habent & odores; odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi tuo dat eius bonitas, & cordis intentio; odorem modestia & virtutis exemplum. Iustus lilium est in se candidum, sed proximo odoratum: proximo enim famam, nobis debemus & prouidemus conscientiæ.* Huc alludens S. Hieron. *Ea*, inquit, *debet esse cõuersatio & vita Pontificis* (pastoris & doctoris) *vt omnes motus & gressus, atque vniuersa eius opera cælestem redoleant gratiam.* *Mores quos colores & odores habeant.*

Quin

Quin & ita subinde profani scriptores, odoris metaphoram in moribus taxandis vtuntur. Sic Martialis,

Postume non bene olet, qui bene semper olet.

insinuans, eum de pudicitia esse suspectum, qui peregrino semper odore, morbi sui pudendi fœtorem moliebatur dissipare. Certè de S. Catharina Senensi virgine accepimus, eam solitam nares occludere, cùm sibi fortè quis obscœnior, & venereis criminibus obnoxius occurrisset. tam scilicet grauis ei erat etiam ipsorum scelerũ odor, Deo id in virgine illa castissima permittente. D. Basilius refert epist. 175. aucupes quosdam consueuisse columbarũ cicurum pennas inficere odore quodam qui columbis aliis gratissimus sit, quo pellectæ pleræque in decipulam abducũtur. Ita faciendum Christiano, vt suarum virtutum odore perditos ad Christum adducat. Quemadmodum Cæcilia virgo Valerianum sponsum suum lucrata est Christo, cùm ille prima nuptiarũ nocte fragrantissimum castitatis odorem instar vernarum rosarum, in conclaui sponsæ suæ esset odoratus.

VERS. 16. ALIIS QVIDEM ODOR MORTIS IN MORTEM, ALIIS AVTEM ODOR VITÆ IN VITAM] q.d. inquit Theophyl. *Sumus velut acerra* (thuribulum) *regia, & quocumque abierimus, odorem spiritalis vnguenti circumferimus, cognitionis videlicet Dei bono suffitu in omni loco homines afflamus.* Rursum, *Sicut fragrantia vnguenti columbam vegetat, scarabæum necat*, inquit ex Niceno Oecumen. *& sicut lumen Solis oculos sanos recreat, debiles offendit; ignis aurum purgat, stipulam absumit: sic Christus malis in ruinam est, bonis in resurrectionem.* Apostoli bonis odor vitæ fuerunt; malis, odor mortis; & Eucharistia *mors est malis, vita bonis.* Nota hebraismum: *Odor mortis in mortem*, id est, odor mortifer, mortem afferens: *Odor vitæ in vitam*, id est, odor vitalis, vitam afferens. Fragrantia enim & fama vitæ, prædicationis & conuersationis Apostolorum, bonis aspirabat vitam, improbis mortem: quia tantum sanctitatis fulgorem improbi non ferentes, in sua improbitate, inuidia, odioue sese magis obfirmabant. Porro Clemens Alexandr. libr. 2. Pædagog. legit, *odor ex morte, & odor ex vita*, q.d. Prædicatio crucis & mortis Christi est odor ex morte incredulis, qui oritur ex morte Christi, & cedit in eorum exitium qui mortem Christi tantùm vt mortem considerant, quibus illa videtur esse stultitia, vel scandalum: credentibus verò est odor ex vita, quia ipsi vitam in hac morte propositam amplectuntur. Hæc enim mors in Christo fuit causa resurrectionis ad vitam gloriosam, in nobis verò est causa resurrectionis ad vitam gratiæ in hoc sæculo, & ad vitam gloriæ in futuro.

Sancti sunt acerra Christi.

Eucharistia mors malis, vita bonis.

ET AD HÆC QVIS TAM IDONEVS?] q.d. Quàm pauci tam idonei ministri, qui vbique sint bonus odor Christi? ita Ambros.

VERS. 17. NON ENIM SVMVS SICVT PLVRIMI, ADVLTERANTES VERBVM DEI] Significat vox *enim* Paulum cum paucis aliis Apostolis per Dei gratiã idoneam esse ministrum Christi, qui Euangelij bonum odorem passim dispergat, vti præcessit: cùm plurimi alij sint Euangelij præcones inidonei, mali odoris & famæ.

Varia genera adulterandi & corrumpendi verbum Dei.

Nota τὸ *adulterantes*. Adulterat, inquit Salmeron, qui se vxori non suæ coniungit: adulterat ergo verbum Dei, qui veritati falsitatem coniungit. Vnde S. Gregor. 22. Moral. c. 12. *Adulterari*, inquit, *verbum Dei, est aut aliter de illo sentire quàm est, aut ex eo non spirituales fructus, sed adulterinos foris quærere laudis humanæ. Ex sinceritate verò loquitur, si vel in eloquio extra quàm oportet, scilicet & auditu & creatoris gloriam quærere.* Idem lib. 16. Moral. c. 25. *Adulter*, ait, *non prolem, sed voluptatem quærit. Et peruersus quisque ac vanæ gloriæ seruiens, rectè adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Dei filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quàm generationi operam impendit.*

Verùm pro *adulterantes* in Græco non est μοιχεύοντες, quod propriè mœchiam & adulterium significat, sed καπηλεύοντες, id est cauponantes, qualibus opponit Paulus sinceros & sinceritatem. Cauponantur verbum Dei, qui instar cauponum prædicant Euangelium ad quæstum ex eo colligendum, illudque referunt ad sua lucra. Noster tamen rectè vertit *adulterantes*. quia sicuti caupones sæpè vina aliaque quæ vendunt, aliis rebus cõmiscent, vitiant & adulterant pro quæstu: ita & auari pseudopræcones Euangelij, sua lucra miscent Euangelio, itaque Euangelicam prædicationem quæ pura esse debet, pureque referri ad vnius Dei gloriam, sua auaritia vitiant, contaminant & adulterant, dum ea ad quæstum abutuntur: vti exposuit S. Gregor. Sic *Non cauponantes bellum, sed belligerantes*, aiebat Pyrrhus rex. Capitanei enim ignaui metuentes prælium, illud transactione & pretio redimunt: alij fidem suam duci datam, vrbes & arces sibi creditas, pretio quasi caupones, hosti qui eam eis cauponatur, vendunt.

Pseudopræcones cauponantur verbum Dei.

Rursum iidem pseudopræcones, vt hæc sua lucra hominumque gratiam captent, sæpè docent & concionantur placentia Principibus aut populo, cuius aures scalpunt, itaq; vana & falsa dogmata miscent Euangelio, illudque corrumpunt & adulterant. Videtur enim Apostolus hic obiter taxare hostes suos pseudoapostolos, qui christianismum iudaismi mixtione adulterabant, quos acriter & ex professo insectatur c. 10. & 11. Vnde καπηλεύοντες, id est, adulterantes cap. 4. 2. exponit δολοῦντες, id est dolosè tractantes verbum Dei. Hinc etiam hisce dolosis & falsariis c. 3. sequenti opponit se aliosque sinceros Christi Apostolos, de quibus mox hîc subdit:

SED EX SINCERITATE, SED SICVT EX DEO, CORAM DEO, IN CHRISTO LOQVIMVR] q.d. Non sum caupo, vt pseudoapostoli, sed sincerus verbi Dei præco, qui non alia prædico quàm à Deo didici, quamque ex Dei ore quasi illius legatus accepi, quique scio, & assiduè memor sum, cogitoque me coram Deo stare & prædicare; omnia mea aboo videri, audiri & notari, vt à me in hora mortis omnium rationem exigat.

Nota. τὸ *in Christo*, idem est quod pro Christo, ait Hieron. ad Hedibiam, vel de Christo, de re & doctrina Christi, de religione Christiana. q.d. Vnius Christi doctrinam & religionem prædico, vnius Christi honorem & gloriam propago & specto. ita Ambros. & Anselm.

Potest Secundò, τὸ *in Christo* accipi efficaciter, pro in Christi veritate, fidelitate & sinceritate, scilicet loquor & prædico. Vide can. 25. & 37. Alter S. Chrysost. *In Christo*, inquit, id est, per Christum & Christi gratiam.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primò, asserit Paulus se non captare, nec indigere commendatione hominum, vti pseudoapostoli iudaizantes eamdem captabant: cùm fructus suæ prædicationis se satis commendet.

Secundò, v. 6. causam huius rei adfert, quòd scilicet Apostoli aliiq; ministri noui testamenti ac spiritus maiori honore & gloria à Deo decorati sint quàm Moses, aliiq; ministri veteris testamenti & litteræ.

Tertiò, v. 13. docet quòd Iudæi velamen adhuc habeant super cor suum in lectione veteris testamenti, vt Christum in eo non agnoscant; illum agnituri, cùm velamen hoc in fine mundi per Christum auferetur.

1. INcipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? 2. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus. 3. Manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 4. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: 5. non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: 6. qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti: non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem viuificat. 7. Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: 8. quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? 9. Nam si ministratio damnationis gloria est: multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. 10. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. 11. Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multò magis quod manet in gloria est. 12. Habentes igitur talem spem, multa fiducia vtimur: 13. & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius quod euacuatur, 14. sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, (quoniam in Christo euacuatur) 15. sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. 16. Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17. Dominus autem Spiritus est. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18. Nos verò omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.

CAP. III. INCIPIMVS ITERVM NOSMETIPSOS COMMENDARE?] Quia in fine præc. capitis visus erat Apostolus se laudare captareque Corinthiorum gratiam: hinc suspicionem cenodoxiæ hîc à se amolitur.

NVMQVID EGEMVS COMMENDATITIIS EPISTOLIS AD VOS, AVT EX VOBIS?] Ex, id est, à vobis scriptis epistolis, quibus apud alios commender?

EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS] Vos, ô Corinthij mea opera conuersi, estis mihi instar epistolæ commendatitiæ ab omnibus lectæ & intellectæ, quam pro mea commendatione exhibeo, quibus vobis. Sicut enim opus commendat opificem, & sigillum rei signatæ facit fidem: sic vos quasi epistola commendatitia à vobis obsignata me commendatis. Omnes enim sciunt quales fueritis ante conuersionem, scilicet intemperantes, gulæ libidini, aliisque vitiis & cupiditatibus addicti (erat enim Corinthus emporium celeberrimum, vti omnium mercium, ita & vitiorum.) Iam verò vident vos per meam prædicationem totos esse mutatos in alios homines, temperantes, castos, mites, humiles, pios, eleëmosynarios. Hæc ergo vestra conuersio est, est mea epistola commendatitia, id est, testimonium & commendatio publica meæ prædicationis apud omnes gentes.

RVRSVM: EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS SCRIPTA IN CORDIBVS NOSTRIS] q. d. Vos à me conuersi estis indelebiliter animo meo inscripti insculptique. Vbi Nota. Paulus hanc epistolam bis scripsit. Primò, in seipsa; cùm in Corinthiorum mente fidem & spiritum Christi inseruit & inscripsit. Secundò, eamdem scripsit & impressit in corde suo per eorum curam & amorem. Tertiò, vos etiam *estis epistola Christi*, quorum scilicet in cordibus, ministerio meo quasi calamo, inscriptus est Christus, ipseque Christus in iis per me, & meam prædicationem suam fidem, spem, charitatem, & reliqua bona inscripsit non atramento, sed spiritu Dei viui, id est, Spiritu sancto, eiusque afflatu & aspiratione, qua spiritum charitatis & virtutum mentibus vestris inseruit. ita Anselm. & passim Græci & Latini.

SCRIPTA IN TABVLIS CORDIS CARNALIBVS] Vers. 3. Græcè σαρκίναις, id est carneis, putà in corde molli, ductili, docili, non in lapide duro; vt lex Moysi. Alludit ad Ierem. 31. v. 33. ita Ambros.

Nota. Distinguit Apostolus hæc duo σάρκινα &

σάρκινος & σαρκικὸς quomodo differant.

& σαρκικὸς. σάρκινον vocat carneum, constantem carne, siue naturali carnis conditione & teneritudine. σαρκικὸν verò vocat carnalem, qui carnis habet vitia & corruptelas, vt Rom. 7. v. 14. *Ego autem carnalis (σαρκικὸς) sum, venundatus sub peccato* 1. Corinth. 2. 3. *Cùm sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales (σαρκικοὶ) estis?* Sic alibi carnalia vocat desideria. Alij tamen auctores hæc non distinguunt. Vnde Nazianz. τὸ σαρκικὸν τοῦ Χριστοῦ vocat incarnationem & humanitatem Christi.

VERS. 4. FIDVCIAM TALEM HABEMVS PER CHRISTVM AD DEVM] Pro *fiduciam* græcè est πεποίθησις, quæ est persuasio cum animi confisione & confidentia, qua animus se erigit, tenditque in bonum aliquod arduum quod concupiscit, quasi certò idipsum consecuturus sit. Talis est fiducia quæ suggeritur Sanctis à Spiritu sancto ad facienda miracula, vel opera virtutum heroica, quam Deus non tantùm in patrante, sed etiam in suscipiente miraculum aliudúe Dei donum, quasi congruam dispositionem exigere & præmittere, priusque donare & inspirare solet, vt anima per confidentiam hanc se dilatans & erigens, miraculi vel doni illius fiat capax. q. d. Persuasionem hanc & confidentiam, quòd scilicet vos sitis epistola nostra scripta spiritu Dei viui, habemus per gratiam Christi apud Deum, scilicet in Deum sperantes, & certò confidentes, quòd ipse, vti cœpit, ita perget epistolam hanc spiritu suo perscribere & perficere. Hinc Secundò, *fiduciam*, id est confidentiam, habemus ad Deum, quia confidenter gloriamur in Deo de hac Dei, nostraque epistola, deque ministerij nostri dignitate & fructu præ ministerio Mosis & aliorum veteris testamenti ministrorum, ita Anselm. & patet ex sequentibus.

Fiducia Sanctorum qualis sit ad patrãda miracula.

VERS. 5. NON QVOD SVFFICIENTES SIMVS COGITARE ALIQVID A NOBIS] *Aliquid*, scilicet boni, quod spectet & ordinetur ad fidem, gratiam, meritum, & salutem æternam, vt quis idoneus sit minister noui testamenti, vt præcesserit. Quòd si ex se nemo potest cogitare tale aliquid; ergo multò minùs operari. ita Concil. Arausicanum can. 7. & D. August. de Prædest. Sanctorum c. 2.

Fides salutisque initium non est ex libero arbitrio.

Hinc Primò, contra Semipelagianos docet ibidem August. & ex eo Scholastici, voluntatem credendi, & omne fidei salutisque initium ac desiderium non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia præueniente. Vnde falsò hîc Beza impingit Scholasticis, quasi hinc doceant nos à nobis principiũ habere boni, sed infirmum & insufficiens: omnes enim docent principium bonæ & sanctæ vitæ, cogitationis, actionis & salutis esse supernaturale, & à Dei gratia oriri, non à natura aut bonitate voluntatum.

Pelagij, Bezæ, & Calvini errores confutati.

Secundò, falsò Caluinus ex hoc loco putat in libero arbitrio nullas esse vires quas exerat in operibus gratiæ; sed omnem sufficientiam, id est, omnes vires, omnemque conatum & actionem esse gratiæ: nam Apostolus tantùm ait, liberum arbitrium ex se esse insufficiens, non autem nullas habere vires sicut ergo homo infirmus debiles habet vires, sed insufficientes, ad ambulandum; sufficientes autem, si quis eas erigat, iuuet & sustentet, sicque motui & ambulationi det initium & adiumentum: ita & liberum arbitrium ad bona opera ex se debile est & infirmum; sed sufficiens, si à gratia præueniente excitetur, roboretur, adiuuetur.

Dices, Sufficientia hîc capi potest pro virtute, viribus & potentia cum Theophyl. & Syro. Respondeo, Et hoc verum est. nam potentia & vires liberi arbitrij ad opus supernaturale & gratiæ, qua supernaturale est, Deo gratum & dignum meritorium vitæ æternæ, non sunt ex libero arbitrio, sed ex gratia excitante & cooperante, qua habita sufficiens est liberum arbitrium vt libeat credat, amet & quiduis supernaturale operetur. Nam liberum arbitrium in omne opus vires habet naturales, vt producat opus liberum: ergo duæ hîc concurrunt causæ ad idem opus: vna naturalis, scilicet liberum arbitrium, secunda supernaturalis, scilicet gratia. & cuique suus respondet effectus; gratiæ respondet, quòd sit opus virtute supernaturalis; libero verò arbitrio, quòd sit liberum & humanum. Vide can. 15. Sic homo valdè infirmus non tantùm insufficiens, sed & impotens est ad ambulandum, quia supra vires eius est ambulare; fit autem potens si robur ei aliud à socio aut aliunde addatur, tunc que viribus ipse suis (licet infirmis) simul influit cum viribus socij vel roboris sibi additi in motum & ambulationem: sed ita vt robur additum eum præueniat. & quasi ambulationem inchoare debeat, omnisque vis & energia ad ambulandum hîc & nunc sit in robore addito. Quòd enim supra vires suas infirmus conetur ambulare, & ambulet, id habet non à se, aut viribus suis, vt patet, sed à robore addito: eo tamen addito ipse viribus suis simul connititur ambulare, & in ambulatione facit quod potest, nisumque & motum viribus suis respondentem & commensurarum efficit & producit. ita planè simili modo liberum arbitrium gratiæ cooperatur excitanti, eiusque influxui supernaturali in opus supernaturale concursum præbet naturalem, sibi suæque naturæ viribus commensuratum.

Moraliter ex hoc loco discimus in omni opere bono agnoscere infirmitatem nostram, omnemque illius bonitatem & dignitatem tribuere gratiæ Christi. Ita S. Gregor. lib. 22. Moral. c. 19. *Nemo inquit, se alicuius virtutis æstimet etiam cùm quid fortiter potest: quia si diuina protectio deserat, ibi repente eneruiter obruetur, vbi se valenter stare gloriatur.* Et S. August. lib. 2. contra Iulianum c. 8. laudat hanc S. Cypriani vocem, qua Pelagianos confutat dicens: *Ipsi* (Pelagiani) *confidunt in virtute sua, & clamant, Perfectio nobis virtutis à nobis est: tu* (ô Cyprianie) *autem reclamas: Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est.* Idipsum canit Psaltes psal. 58. *Fortitudinem*, ait, *meam ad te custodiam*, id est, fortitudinem meam apud te quasi custodiæ locum securè reponam, sperãs non meis sed tuis viribus fore me semper hostibus meis superiorem, quia tu es fons omnis virtutis & fortitudinis; vt ait ibidem S. August. Vnde Cassiodorus sic exponit, Fortitudinem meam per te custodiam; Genebrardus verò sic, Fortitudinem meam ad te referam, eamque tibi acceptam feram. Peccauit in hoc Pharao Rex Ægypti dicens Ezech. 29. v. 3. *Meus est fluuius* (Nilus fœcundans, sapiens, & tutans Ægyptum) *& ego feci memetipsum* (Regem tam potentem Ægypti) ideoque audiuit à Deo v. 5. *Proiiciam te, bestiis terræ & volatilibus cæli dedi te ad deuorandum.*

Rursum ex hoc Pauli loco discimus orare Deum assiduè vt nostras cogitationes dirigat, piasque & sanctas immittat. Illæ enim omnium bonorum operum fons sunt & principium. Quare ita ora-

in Ecclesia: *Largire nobis, quæsumus Domine, semper ea cogitandi quæ recta sunt, propitius, & agendi ea quæ tibi esse non possumus, secundùm te vivere valeamus.* Denique doctè & piè S. Bernard. serm. 32 in Cant. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis (subaudi bonum) sed sufficientia nostra ex Deo est. Cùm ergo mala in corde nostro nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est. Illa cor nostrum dicit, hæc audit. Audiam, ait, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Itaque pacem, iustitiam, pietatem Deum in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterùm homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ, & his similia de corde exeunt, nec audimus ea, sed facimus*: aut certè diabolus ea nobis immittere & suggerit.

A lem dat animæ. Secundò, quia impellit & indit motum & agilitatem ad bona opera, & ad legem implendam. Tertiò, quia dirigit ad vitam æternam, quam suis obseruatoribus lex promittit. huius vitæ & spiritus ministrà Christo missi fuerunt Apostoli.

QUI ET IDONEOS NOS FECIT] Græcè ἱκάνωσεν, fecit nos sufficientes, vt vertit Noster v. præced. B Syrus, *fecit nos dignos ministros noui testamenti.*

NON LITTERA, SED SPIRITV] non lege, sed gratia, q. d. Minister sum noui testamenti, non ita vt tabulæ legis & fœderis, eiusque verba & voces aëreas, vti in veteri testamento fecit Moses: sed vtpote verba mea Deus spiritum suum sanctosque ignitos vobis immittat. ita Ambros. Ansel. Chrysost. Vide August. lib. de Spiritu & litt. to. 3. Vnde Græca clarius habent, Διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, fecit nos ministros noui testamenti, non litteræ, sed Spiritus.

LITTERA ENIM OCCIDIT] Primò, Chrysost. Ambros. August. l. 3. de Doctrina Christiana c. 4. sic explicant, q. d. Littera legis redarguit, & pœna mortis condemnat eos, qui huic litteræ, id est, legis præceptis iustitiæ & charitatis, non obsequuntur: hæc enim littera legis dicitat, itaque sanc. *Qui legem violarit, morte moriatur*, Leuit. 20 & alibi. Secundò, idem August. ibidem: *littera occidit*, si videlicet nudis verbis, neglecto vero Scripturæ sensu, ad errores abuteris, vti faciunt hæretici & Iudæi. Tertiò, idem c. 5. & 6. *littera occidit*, si quæ metaphoricè dicuntur, ad litteram vt sonat capiantur. Quartò, idem ibidem: *littera occidit*, si quæ in lege veteri quasi typi nouæ legis dicuntur, tam ad litteram seruanda intelligantur. Et hoc sensu explicandi sunt Origen. l. 3. contra Celsum, Didymus l. 3. de Spiritu sancto, & alij veteres, dum aiunt, litteram id est litteralem legis sensum occidere: spiritum verò, id est spiritalem & allegoricum, viuificare. Quia videlicet iam Christianis cæremonias & ritus lege veteri præceptos D ad litteram seruare non licet sub pœna mortis; sed id est faciendum est quod illæ cæremoniæ allegoricè significabant, vt vitam gratiæ & gloriæ assequantur. Quintò, idem August. lib. de Spiritu & litera c. 4. & seq. *littera* tam legis nouæ quàm veteris *occidit*, si à spiritu separetur: sed ideo de sola lege veteri hic dicitur, *lex occidit*, quia Moses eam legem dedit, nil nisi litteram dedit; Christus autem simul cum lege spiritum dedit. Vnde hinc docet August. legem non posse impleri solis naturæ viribus, sed ad hoc Christi gratiam requiri. Item Augustinus ibidem & Anselm. hîc, *littera occidit*, per occasionem: occasionaliter enim lex auget & incitat concupiscentiam & peccatum, quod occidit animam. Hic sensus & primus maximè sunt litterales.

Sic contrà: SPIRITVS VIVIFICAT] Primò, quia spiritus gratiæ & charitatis vitam supernatura-

SI MINISTRATIO MORTIS ET DAMNATIONIS, id est, si ministerium & promulgatio legis veteris mortem & damnationem comminantis & inferentis, FVIT IN GLORIA, vel, vt Syrus vertit v. 9 *fuit gloria*, id est valdè glorioſa; scilicet cùm tonitru, tuba cælesti, terræ motu montis Sina, splendore vultus Mosis, gloriosè magnificeque lex vetus promulgata fuit. & DEFORMATA] Græcè ἐντετυπωμένη, impressa & inscripta tabulis lapideis, Exodi 19. 20. & 34. VERS. 7. & 9.

Nota. Paulus hîc legem veterem vocat mortis ministram, & quasi lictorem: eò quòd ipsius esset occidere quidem reos, non autem viuificare obsequentes. Ex hisce satis patet Paulum hæc scribere contra pseudoapostolos, eosque fuisse Iudæos, atque iudaismũ voluisse inducere, & miscere cum christianismo. Hac enim de causa Iudæos ita hîc deprimit & pungit Paulus, adeoque tam legem veterem, quàm Mosem vocat ministros mortis & damnationis: se verò & Apostolos, legemque Euangelicam vocat ministros iustitiæ, spiritus & vitæ. Idem magis patebit cap. 10. & 11. vbi aperto marte hosce Iudæos obtrectatores suos insectatur. *Lex vetus mortis ministra.*

QVOMODO NON MAGIS MINISTRATIO SPIRITVS ET IVSTITIÆ (id est, ministerium & promulgatio legis Euangelicæ spiritum & iustitiam afferentis) ERIT IN GLORIA?] ita Chrysost. Ambros. Ansel. Patet hæc gloria legis nouæ in spiritu vehementi, ac linguis variis & igneis, quæ in Pentecoste, cùm lex noua est promulgata, Apostolos omnibus gentibus glorioſos effecerunt, Actor. 2. Rursum in dono linguarum, prophetiæ, & aliis, quæ olim in baptismo visibiliter recipiebant Christiani, vt patet 1. Corinth. 14. 26. vti iam inuisibiliter gratias, virtutes, & dona Spiritus sancti accipiunt. VERS. 8. & 9.

ITA VT NON POSSENT INTENDERE FILII ISRAEL IN FACIEM MOSI, PROPTER GLORIAM VVLTVS EIVS] Nota. Exodi 34. v. 29 & sequ. Deus Mosi & Iudæis tabulas legis à se scriptæ daturus, & cum Mose hac de re in Sina monte colloquens, quasi sol radiantissimus Mosi suam gloriam, id est radios suæ lucis afflauit adeò fulgidos, vt Iudæi in faciem Mosis quasi in alterum solem intueri non possent, sed ab eo facies suas auertere cogerentur. Hinc Moses, vt cum eis loqui posset, velamine suam velabat faciem & gloriam. Vnde Exodi 34. 29. dicitur: *Cùm descenderet Moses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Vbi Nota, cornutum metaphoricè sumi: non enim cornua habebat in fronte Moses, vt ei affingunt pictores, sed ita lucida erat facies eius, vt radios luminis vibraret, eiusque quasi cornua emitteret. Vide dicta Exodi 34. 29. VERS. 7. *Cornua & splendor Moysi quale fuerint, & vnde Moysi affulgerit.*

QVÆ EVACVATVR] *Quæ*, scilicet gloria, auferenda erat à Mose; hi enim radij, & hic splendor, vti & vita, Mosen morientem deseruerunt, vt significarent legem veterem desituram, eiusque gloriam aduenientè noua emorituram.

NAM NEC GLORIFICATVM EST, QVOD CLARVIT VERS. 10.

EVIT IN HAC PARTE] *Nam*, hebraismo hîc assertiuum est, non causale, iuxta can. 24. & 25. q. d. Atque adeò gloria Mosis in Sina non est dicenda gloria hac in parte, si videlicet comparetur cum Apostolici muneris gloria, propter eius gloriam excellentem, qua longè præcellit Mosi. ita Chrysost. Sicut, ait Theodor. lux lucernæ noctu fulget, sed in meridie à sole obscuratur: sic gloria Mosis à Christo obscurata est. Hoc enim significat τὸ *propter excellentem gloriam*, scilicet Christi & noui eius testamenti.

Vbi Nota. Pro τῷ *propter* græcè est ἕνεκεν, quod perperam Beza vertit, *quod attinet*. Meliùs Maldon. vertit, *respectu*. vt ἕνεκεν respondeat Hebræo נֶגֶד *neged*, id est coràm, respectu. q. d. Lex vetus claruit, sed tantùm ex parte, si respicias & conferas eius gloriam cum gloria legis nouæ: illa enim exigua fuit & obscura, hæc verò excellens est & illustris. Propriè ἕνεκεν significat causam: vnde Noster optimè vertit, *propter*, iuxta sensum iam datũ.

VERS. 11. SI ENIM QVOD EVACVATVR, (Moses scilicet & lex euacuanda & abolenda per Christum) PER GLORIAM EST (in gloria est, glorioſa est:) MVLTO MAGIS QVOD MANET (scilicet lex noua Christi) IN GLORIA EST.

VERS. 12. HABENTES IGITVR TALEM SPEM] quòd Dominus per nos Apostolos spiritum gratiæ diffundat, nosque ita glorificabit deinceps præ Mose, vti fecit hactenus. ita Chrysost.

MVLTA FIDVCIA VTIMVR] confidenter euangelizamus, cũ libertate, ingenuè, apertè. ita Chrysost. Græcum enim παῤῥησίᾳ, alij fiduciam, alij libertatem, alij euidentiam vertunt: omnia enim hæc significat, omniaque huic loco conueniunt.

VERS. 13. ET NON SICVT MOSES PONEBAT VELAMEN] q. d. Moses velabat faciem suam; nos contrà, non velamus faciem Christi, sed illum magna libertate omnibus proponimus. Nota. Exodi 34. 33. dicitur de Mose: *Impletisq; sermonibus* (id est præceptis quæ audierat à Domino in Sina, vt præcessit) *posuit velamen super faciem suam*. Ex quo loco colligitur, quòd Moses præcepta Dei populo promulgauit primo colloquio aperta facie & radiante ob maiestatem, reuerentiam, & testimonium legis: sed post primam illam promulgationem deinceps quando loquebatur cum populo, velabat faciem, vt colloquij liberioris daretur copia; quando verò tabernaculum adibat, de quo c. 33. 8. collocuturus cum Domino, velum auferebat.

Christus abstulit velamen veteris legis.

Allegoricam huius velationis causam dat Apostolus hîc v. 14. 15. 16. Iudæis enim vetus testamentum est velamine obductum, vt non videant internam eius lucem noui testamenti & Christum eo contentam: hoc velamen nobis in lege noua abstulit Christus, & auferet in fine sæculi à Iudæis ad fidem conuertendis.

Tropologicè, Greg. p. 3. Pastoralis c. 5. Necesse est, inquit, vt prædicator (instar Mosis) auditori se attemperet: alta etenim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri.

Triplex huius loci interpretatio.

VT NON INTENDERENT FILII ISRAEL IN FACIEM EIVS] *In faciem*. Ita legunt iam constanter Latini, alioqui videri posset (*faciem*) pro (*finem*) hîc irrepsisse: nam Græca hîc, Syrus, & veteres etiam Latini, vt Ambros. legunt εἰς τέλος, in finem, id est Christum mysticè significatum per faciem reuelatam, & splendentem Mosis vti explicant Ambros. & Theodor. Alij verò magisque ad litteram: *in finem*, inquiunt, id est, in perfectionem & consummationem splendoris faciei eius, faciet Mosis; vel *in finem*, id est extremitatem, fuse extremam superficiem faciei Mosi intendere non poterant filij Israel. Vnde Noster clariùs vertit, *in faciem eius*. Tertiò, aliter Theophyl. Rudes inquit, Israelitæ videre non potuerunt quòd finem haberet lex, esseturque abroganda: sed hoc nondum erat; secundus ergo sensus litteralis est.

QVOD EVACVATVR] q. d. Qui Mosis splendor abolendus erat, vel quæ facies Mosis tam splendens glorioſa abolenda erat. Græcum enim τὸ καταργούμενον tam ad πρόσωπον, id est faciem, quàm ad κάλυμμα, id est velamen, referri potest: sed Noster aptiùs retulit ad κάλυμμα, velamen, non ad faciem; sic enim vertere debuisset *quæ*, non *quod*. q. d. *Quod*, scilicet velamen Mosis, abolendum erat per Christum: de velaminis enim huius reuelatione per lucem & legem noui testamenti agit ita seqq. ita Anselm. Ambros. Theophyl.

Nota cum Theodoret. Splendor vultus Mosis instar solis significabat claritatem & gloriam Christi & legis nouæ; velamen verò significabat vmbram, craſſas cæremonias, obscuritatem legis Mosis. Iudæi non nisi velatam faciem Mosis videre potuerunt, quia increduli suis vmbris cæremoniisque insistunt, & à luce Euangelij excæcantur. Vnde subdit:

SED OBTVSI SVNT SENSVS EORVM] Id est, vt habent Græca, ἐπωρώθη, occalluerunt, hoc est, obduruerunt, occæcati sunt Iudæorum oculi à splendore vultus Mosis, & allegoricè excæcati sunt à splendore Euangelij. τὸ enim *sed obtusi sunt* refertur & opponitur tum litteraliter, tum allegoricè illi quod dixit: *Vt non intenderent in faciẽ eius*. Mosis.

VSQVE IN HODIERNVM ENIM DIEM IDIPSVM VELAMEN IN LECTIONE VETERIS TESTAMENTI MANET] Prosequitur hîc Apostolus allegoricum sensum & causam velaminis Mosis, eiusque splendoris, quo repercussi & quasi obtusi, excæcantque sunt Iudæorum oculi. q. d. Moses & vetus testamentum vsque hodie Iudæis est velatum, vt Christum illo testamento per tot figuras, prophetas, cæremonias & sacrificia significatum non intelligant, non videant, non agnoscant. Rursum veteris testamentum eis velatum est, quia illud legunt, sed non intelligunt, nec eius sensum, finem, scopum, lucem & splendorem, qui Christus est, perspiciunt, quasi obtusos & hebetatos haberent mentis oculos, vti olim obtusos habuerunt corporis oculos, cùm in fulgentem Mosis faciem intenderent.

QVONIAM IN CHRISTO EVACVATVR] q. d. Per gratiam & fidem Christi euacuatur & tollitur hoc velamen, vt clarè vetus testamentum, Christumque eo significatum intelligamus & videamus.

SED VSQVE IN HODIERNVM DIEM, CVM LEGITVR (à Iudæis in Synagoga) MOSES] lex, & vetus testamentum.

VELAMEN POSITVM EST SVPER COR EORVM] Hoc velamen est pertinax & craſſa ac obstinata inhæsio, qua Iudæi mordicus adhærent carnalibus sacrificiis & ritibus legis veteris, itaque excæcantur, vt non videant Christum per illos ritus adumbratum. Hoc ergo est Iudæorum velamen: nam legis velamen est ipsa eius obscuritas & vmbra.

DOMINVS AVTEM SPIRITVS EST] Primò, Pa-

ne Filius & Spiritus sanctus, non corpus, sed spi- A ritus sanctus; vt *spiritum* sumatur essentialiter, sitque communis toti SS. Trinitati ita Ambros. Secundò, personaliter sumi potest pro Spiritu sancto. vnde Græca habent articulum τὸ πνεῦμα, q. d. Ille Spiritus & Biblia Romana, aliaque (Spiritus) per magnum S, scribunt quasi proprium nomen. Nam Iudæi agnoscunt vnum Deum & Dominum, sed negant plures personas, & Spiritum sanctum esse Deum. q.d. Cùm Iudæi ablato hoc velamine legis conuersi fuerint ad Dominum, vt credant SS. Trinitatem, adeoque Spiritum sanctum esse Dominum & Deum; tunc huic Deo & Domino seruient non littera, crassis corporalibusque cæremoniis, sed spiritu. hic enim Dominus ad quem conuertentur, est Spiritus, & Spiritus sanctus dabit eis legem spiritus & libertatis; vt spiritualibus oculis & sensibus videant Christum B in lege velatum & absconditum, illumq; adorent & colant in spiritu & veritate. Hoc est enim quod dicit Christus Ioan. 4 v. 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Quem locum S. Athanasius ad Serapionem sic explicat: Oportet, inquit, adorare Patrem in veritate, id est in Filio & Spiritu sancto. q. d. Oportet adorare tres personas SS. Trinitatis Patrem. Filium, & Spiritum sanctum. Verùm hoc mysticum est.

Vide ad literam Nota hæc dicere Christum contra Samaritanos & Iudæos. Samaritani enim falso & à se conficto cultu Deum adorabant, adeoque Deum cum idolis adorabãt. ac consequenter Deum non verum, sed falsum & fictitium, vt- C pote qui esset idolorum socius adorabant. Iudæi verò colebant quidem verum Deum, sed certis & corporeis signis, quæ erant vmbræ futurorum. His vmbris opponit Christus Christianos, qui pro signis corporeis, in spiritu; pro vmbris falsitate & ignorantia, in veritate Deum, qui incorporeus & purissimus est spiritus, adorant. Spiritus ergo hic significat spiritalem cultum fidei, spei, charitatis, & aliarum virtutum, quibus non per vmbras, sed in veritate, id est verissimè, rectissimè & propinquissimè Deus colitur. Quare Sacramenta nouæ legis & cæremoniæ, cùm non sint vmbræ legis veteris, sed ornamenta & adiumenta spiritus, ad spiritum pertinent. Ita hunc locum explicant Theophyl. Theodor. Chrysost. qui ex eo probant contra Macedonium Spiritũ sanctum esse Deum.

Dicere Idem Spiritus mox dicitur Spiritus Do- D mini; quomodo ergo est Dominus? Resp. Est Dominus, quia Deus: est Domini, quia à Patre & Filio procedit, q.d. Est Spiritus Domini Patris, & Domini Filij.

VBI AVTEM SPIRITVS DOMINI, IBI LIBERTAS] Pro *libertas*, græcè non est παῤῥησία, vt antè, sed ἐλευθερία, id est spontanea, ingenua, libera, & clara illuminata voluntas; vt scilicet ablato legis Mosis velamento clara & spontanea voluntate ambulemus secundùm legem Dei. ita Theophyl.

Vnde Nota. Libertas hîc opponitur non obligationi legis humanæ, vel diuinæ, vt volunt hæretici, sed tum velo Mosis, id est obscuritati & crassitiei legis veteris, cum literæ, id est legis seruili coactioni, timori & torpori, de qua dixit v. 6. *Minores nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu.* ac consequenter duplex est hæc libertas.

Prima, vt Chrysost. est intellectus, estque clara notitia mysterij Trinitatis, incarnationis, &c. quæ Iudæis obscura erant: item veræ religionis & diuini cultus, quem Iudæi putabant consistere in mactatione boum & arietum, cùm Deus coli velit & adorari in spiritu & veritate, Ioan. 4. 23. Vbi Aduerte. Sicut crassities, hebetudo, obscuratio, ignorantia intellectus, qua mens, quasi tenebris, vinculis & carcere constricta tenetur, rectè dicitur seruitus & seruilis conditio; ita è contrà, illuminatio, claritas, & clara intellectus cognitio rectè dicitur libertas: quia mens ignorantia, erroribus, crassisque rerum speciebus libera, liberè veritati, Deo, rebusque diuinis & spiritualibus vacat & intendit. Vnde Aristoteles, Plutarchus, Seneca & alij dixerunt solos sapientes esse liberos. *Duplex libertas, intellectus & affectus.*

Secunda libertas, vt docet S. August. est affectus estque amor iustitiæ, non timor vindictæ, vt scilicet sponte & liberè legem impleamus ex amore virtutis, non ex formidine pœnæ. Hæc enim libertas & spiritus amoris Christianorum opponitur seruituti & timori seruili Iudæorum. Patet ex antecedentibus & sequentibus hîc. Tam ergo impiè, quàm imperitè & insulsè ante 300. annos Begardi, & iam Suencfeldiani, & Libertini hinc, & ex versu 6. respuunt verbum Dei scriptum, quasi litteram occidentem, soloque spiritu interno dictante nos regi volunt. Secundò, hominem sanctum & perfectum liberum esse à lege, nec peccare etiam fornicando. Tertiò, hinc malè alij passim abolent leges humanas. Vide can. 9 & Bellarm. lib. 4. de Iustificatione c. 3. & 4. & Belliolan. libris 15. quos scripsit de Libertate Christ. Præclarè August. libr. de Continentia c. 3. *Non sumus*, ait, *sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante: sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex iubet, faciens nos amare, potest liberis imperare.* Vide eumdem de Spiritu & litt. c. 10. & de Natura & gratia c. 57. *Errores Begardorum, Suenefeldianorum, & Libertinorum hæreticorum.*

NOS VERO REVELATA FACIE (Christi scilicet incarnati, & mysteriorum fidei) GLORIAM DOMINI (gloriosam diuinitatem & gratiam, opusque nostræ redemptionis in Mose & veteri testamento adumbratum) SPECVLANTES] *A speculo, non autem à specula dixit, speculantes, id est per speculum videntes, non de specula prospicientes*, inquit S. August. libr. 15. de Trinit. cap. 8. Et patet ex Græco. Nam græcè est κατοπτριζόμενοι, id est quasi in speculo intuentes. Erasmus verò vertit, In speculo repræsentantes, quia, inquit, hoc est speculum gloriæ Dei: sed vox Græca propriè significat in speculo intueri, vt dixi, non autem repræsentare: nam de repræsentatione hæc subdit, cùm ait, *In eamdem imaginem transformamur.* q.d. Cùm Dei gloriam in Christo, eiusque Euangelio, quasi in speculo intuemur, per hoc, quasi in eamdem Dei gloriam transformamur, eamque in nobis repræsentamus. speculum ergo hoc & speculatio, causa est repræsentationis, non autem ipsa repræsentatio. VERS. 18.

Nota. Apostolus speculum hîc vocat Verbum carne vestitum, & spectabile factum, quodque in Euangelio & Ecclesia spectandum proponitur, & Mosi velato opponitur. Vnde cap. sequ. vocatur imago Dei: Christus enim, qua Deus, est Verbum & speculum Patris; qua homo, est speculum deitatis, eiusque gratiæ & gloriæ: ac *Verbum carne vestitum cur hîc vocetur speculum.*

consequenter Euangelium Christi non est aliud quàm speculum gloriæ Dei, idque clarissimum & lucidissimum. Hinc S. August. suas sententias ex Euangelio & S. Scriptura collectas de vita & moribus Christianis vocat Speculum, quod extat tom. 3. operum August.

Potest Secundò, per speculum hoc accipi fides, per quam quasi speculum, sed ænigmaticum & obscurum, Deum & diuina contemplamur, de quo speculo dixi 1. Corinth. 13. 12.

IN EAMDEM IMAGINEM TRANSFORMAMVR] *Transformamur* non essentialiter, quasi essentia nostra transformetur in essentiam diuinam, siue in suum esse ideale, quod habuit antequam crearetur, in Deo ab æterno: de quo dicit S. Ioan. c. 1. *Quod factum est in ipso vita erat.* Hic enim est error Almarici, & aliorum Phanaticorum, quos refellit Gerson epistolis duabus contra Ruisbrochium scriptis, & ipse Ruisbrochius lib. de Vera contemplatione: sed *transformamur* accidentaliter, vt scilicet quasi per reflexionem radiorum lucis Christi quasi speculi in nos, fiamus lucidi luce fidei & gratiæ Christi (hoc enim significat κατοπτριζόμενοι) adeoque fiamus quasi specula iubar diuinum emittentes, & quasi soles quidam alios illuminantes, inquit Chrysost. & Theoph. imò fiamus quasi dij, diuinæ consortes naturæ, vt ait S. Petrus, quos, vt ait Paulus Rom. 8 præsciuit & prædestinauit (Deus) conformes fieri imaginis Filij sui. Alludit ad Mosen, qui intuens Deum, cum eoque colloquens, reflexos à Deo lucis radios accepit, vt dixi v. 7. nec enim Moses Deum in se vidit, sed in corpore glorioso assumpto quasi in speculo. Tertullianus lib. 5. contra Marcion pro *transformamur* legit *transfiguramur*. quasi alludat Paulus ad Christi transfigurationem in monte Thabor, qua Christus sua gloria & luce coruscus, eadem Mosem, Eliam & Apostolos aspersit, & quasi transfigurauit. Pari enim modo nos per Euangelium, fidem & gratiam Christi transformamur & transfiguramur, dum per eam fimus diuinæ veritatis, splendoris & gloriæ participes, adeò vt eamdem aliis aspergamus & communicemus, tandemque in Deum ipsum à quo primò manauit, eamdem reflectamus.

Error Almarici, & Phanaticorum, de transformatione hominis essentiali.

Tota vita Christi, ait S. August. per hominem quem in terris gessit, morum disciplina & speculum fuit. Vide eum lib. de Vera religione cap. 26. tom. 1. Quàm sapientes sunt qui hoc speculum assiduè intuentur, illique mores suos conformare satagunt, itaque transformantur in alios viros, cælestes, angelicos & diuinos!

A CLARITATE IN CLARITATEM] à claritate Christi in claritatem nostram, vt fiamus clari & lucidi sapientia & gratia adinstar Christi. Secundò, à claritate fidei, in claritatem speciei & visionis. Tertiò, Anselm. à claritate creationis in claritatem iustificationis. Quartò, & optimè, vt dixi Rom. 5. 17. *à claritate in claritatem*, id est, claritate in dies ac clariùs, & vsque ad claritatem visionis beatificæ. ita Ambrosius. Porro Maldon. in Notis manuscript. sic explicat, q. d. Progredientes *à claritate*, id est à gloria veteris testamenti, *in claritatem*, id est gloriam noui. Simili modo dixit Rom. 1. 17. *Ex fide in fidem.*

TAMQVAM A DOMINI SPIRITV] Id est, idque per Spiritum Domini. Vox *tamquam*, redundat hebraismo: vel potiùs cum Chrysost. & Ambros. significat causam congruam & dignam tantæ transformationis. q. d. *Tamquam*, id est, sicut decet spiritum Dei nos transformare. S. Basil. lib. de Sp. sancto, & Chrysost. hîc legunt: Tamquam à Domino Spiritu; sic enim verti possunt Græca sed κυρίου πνεύματος. Vnde hinc contra Macedonium probant Sp. sanctum esse Deum, eumque auferre velamen, dareque intellectum Scripturarum. Denique Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 11 legit, *tamquam à Domino spiritum.*

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, ex eo quod docuit c. 3. tam nobile & glorioſum esse munus prædicandi Euangelium, hoc c. 4. infert, asseritque se caste, sincerè & clarè illud prædicare: ideoque illud omnibus cognitum esse & manifestum, præterquam iis quorum mentes excæcatæ sunt.

Secundò, v. 7. asserit se & Apostolos pro Euangelio multa aduersa pati, nec succumbere, sed fortiter semper mortificationem Iesu circumferre in corpore, propter spem melioris vitæ & resurrectionis.

Tertiò, v. 17. docet, quòd momentanea & leuis sua nostraque tribulatio, æternum gloriæ pondus operetur.

1. IDeo habentes hanc ministrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus; 2. sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 3. Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est opertum: 4. in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 5. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per Iesum: 6. quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. 7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 8. In omnibus

nibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur. 9. persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimur. 10. semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 11. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum: vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. 12. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. 13. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: 14. scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. 15. Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. 16. Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. 17. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 18. non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

IDEO HABENTES HANC MINISTRATIONEM] τὴν διακονίαν ταύτην, tale ministerium, apostolatus scilicet noui testamenti, de cuius excellentia hactenus dixi, ad quod per suam misericordiam nos indignos Deus gratis assumpsit.

NOS DEFICIMVS] οὐκ ἐγκακοῦμεν, non cedimus, non frangimur malis & afflictionibus, non fatigamur, non segnescimus, vt vertit Erasmus; ἐγκακεῖν enim subinde significat inertem & segnem.

SED ABDICAMVS (græcè ἀπειπάμεθα, abnegamus, renunciamus; Syrus, ܐܣܠܝܢ *aslinan*, id est eiuramus) OCCVLTA DEDECORIS] occulta dedecora & crimina: turpitudo enim amat latebras, adeò vt etiam impudica quærentibus illud sit in ore Si non castè, saltem cautè. q.d. Nihil admitto ne occultè quidem quod culpari possit, non sum hypocrita, vti multi pseudoapostoli. ita Ambros. Pulchrè idem lib. 2. Officior. cap 3. alludens ad annulum Gygis, quo ipse omnes videns, & à nemine visus stuprum reginæ, necem regi intulit, itaque Lydiæ regnum adeptus est: *Da*, inquit, *hoc annulum sapienti, vt beneficio eius possit latere, cùm deliquerit; non minùs fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Non enim latebra sapientiæ est impunitatis, sed innocentiæ. Denique lex nulla non est posita, sed iniustis: quia iustus legem habet morum suæ & æquitatis, ac iustitiæ suæ normam.* Hinc aurea illa vox Senecæ, *Etiamsi scirem homines ignoraturos, & Deum ignoscieturum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem.* Adde, etiamsi peccantes lateamus homines, Deum tamen oculatissimum iudicem & vindicem latere non possumus. Hinc quisque cum Paulo abdicet à se occulta dedecoris, itaque castè viuat, castamque mentem seruet, ac si coram Deo consisteret.

NON AMBVLANTES IN ASTVTIA] vt aliud palam ostendamus, aliud occultè faciamus. Notat libidines pseudoapostolorum, & voluptates occultas. Nam, vt ait Ephes. 5. 12. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.*

NEQVE ADVLTERANTES] Græcè δολοῦντες, cum dolo tractantes; Erasmus, falsificantes verbum Dei, vti faciunt pseudoapostoli; quia scilicet illud permiscent cum lege Mosis, & iudaismo, aut quia pro loco, tempore & personis aliud & aliud docent: quæ tria fecit egregiè Lutherus. Primò, falsificauit illud Roman. 3. 28. *Arbitramur hominem iustificari per fidem*; addendo *solam*. Ibid 2. Petri 1. 10. *Magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*; demendo, *per bona opera*. Secundò, traxit ad suas cupiditates Dei verbum, quando mulierculæ cuidam persuadere tentauit, dormiente marito, secum eam posse concumbere: ita explicans illud 1. Corinth. 7. *Quod si dormierit vir eius, liberata est.* Tertiò, pro loco, tempore & personis aliter & aliter exposuit verba consecrationis; ita vt Gasparus Querhamer Saxo, in tabula Contradictionum Lutheri, triginta sex contradictiones ipsius de sola communione Eucharistiæ vulgarit, collectas ex eius operibus, etiam tum viuente Luthero.

COMMENDANTES NOS AD OMNEM CONSCIENTIAM] q.d. Qui student conscientiæ, & ex conscientia rem iudicant, hi vident me vera dicere, vt si velint dicere quod sentiunt, negare non possint me sincerè prædicare, & quasi coram Deo, ac si vbique Deum inspectorem, testem & iudicem intuear & reuerear.

SI ETIAM OPERTVM EST (vt non intelligatur, non credatur) EVANGELIVM NOSTRVM] Alludit ad velamen Mosis, de quo c. 3 v. 13. Est occupatio. q.d. Dicet aliquis, Si tu ô Paule, manifestas, vt dicis, in veritate Dei verbum, commendans te ad omnem conscientiam; quî fit ergo quòd hoc tuum Dei verbum non sit omnibus manifestum? cur non omnes illi credunt? Respondet, illud bonis & fidelibus esse manifestum, impiis autem & infidelibus opertum & incognitum, vtpote perditis & reprobis. VERS. 3.

EVANGELIVM] non scriptura Euangelij, vt volunt hæretici, quasi illa sit clara omnibus electis; sed mysteria Euangelij seu articuli fidei cuiuis Christiano obuij & cogniti, vt Christum esse natum, passum, resurrexisse, &c. quæ euangelizabat Paulus & Apostoli, etiam antequam Euangelia essent conscripta; vti, cùm hæc scriberet Paulus, quædam necdum erant conscripta.

IN IIS QVI PEREVNT] in reprobis & infidelibus. q.d. Illud est signum & causa reprobationis illorum, quòd velamen cæcitatis & infidelitatis habeant super cor, vt non videant nec credant Christo, eiusque mysteriis in Euangelio & nouo testamento propositis tam clarè & euidenter.

IN QVIBVS DEVS HVIVS SÆCVLI EXCÆCAVIT MENTES INFIDELIVM] Quæres, quis dicatur *Deus huius sæculi*? Primò, Marcion apud Chrysost. hinc VERS. 4.

Quis sit & creatur Deus huius sæculi quinque sententiæ.

docebat Deum quemdam esse iustum, non tamen bonum, qui sit opifex sæculi. Secundò, Manichæi respondebant esse diabolum; hunc enim esse opificem sæculi, rerumq; corporalium. Tertiò, Chrysost. Anselm. Theodor. Theophyl sic ordinant: Deus, scilicet verus, qui huius sæculi infidelium mentes excæcauit, vel Deus verus, sæculi auctor & opifex infidelium mentes excæcauit. Quartò, Oecumen. & S. Thomas: Deus, inquiunt, huius sæculi est diabolus, qui Deus est sæculariter viuentium, non creatione, sed sua peruersitate, exemplo, imperio & suggestione; & hoc videtur simplicissimum. ideo enim non Deum vocat, sed alienando, Deum huius sæculi, id est sæcularium, qui temporalia & caduca præferunt cælestibus & æternis bonis. Simile est Ephes. 6. 12. Quintò, S. Thomas, *Deus huius sæculi* est mammona, siue opes & pompæ, in quibus sæculares vltimum finem & omne bonum quasi in Deo constituunt. Sic Philip. 2. dicitur: *Quorum Deus venter est.*

INFIDELIVM] Refer ad *In quibus*. est hebraismus; q.d. *Infidelium, quorum Deus excæcauit mentes.* Hebræi enim sæpè repetunt & iungunt antecedens cum relatiuo, quod præcessit. sic ergo hæc connecte: *Euangelium in iis infidelium, qui pereunt, opertum est; in quibus*, id est quorum, *Deus huius sæculi excæcauit mentes.*

VT NON FVLGEAT ILLIS ILLVMINATIO EVANGELII] Pro *fulgeat*, græcè est αὐγάσαι, irradiet. Syrus, Oriatur. αὐγὴ, ait Chrysostomus & Theoph. est sublustre quiddam, & prægustus claræ lucis, siue φωτισμὸς, hoc est illuminationis & gloriæ diuinæ, quæ reuelabitur in cælis. Sicut enim aurora & lucifer, siue stella Veneris præit & prælucet soli: sic fides in hac vita quasi lucifer præit & præ- C lucet clarissimæ gloriæ & visioni in cælis. simile est 2. Petri 1. v. 19.

EVANGELII GLORIÆ CHRISTI] Est appositio. Euangelium enim dicitur gloria Christi; quia illo glorificatur Christus, Christi redemptio, resurrectio, diuinitas. ita Anselm.

Quare & quomodo Filio Dei proprium sit, esse imaginem.

QVI EST IMAGO DEI] Nota Primò. Filio proprium est quòd sit & procedat à Patre quasi imago Patris. Secundò, *imago* dicitur, quia ita producitur à Patre, vt ex vi productionis suæ simillimus sit Patri, eumque perfectissimè repræsentet. Est enim Verbum diuinum siue terminus intellectionis Patris, qua se Pater notionaliter intelligit; Verbum autem mentis est conceptus & imago rei intellectæ, & sic distinguitur à Spiritu sancto, qui licet Patri sit simillimus, tamen hoc non habet ex vi productionis suæ: nam ex ea tantùm habet D quòd sit amor notionalis, id est terminus voluntatis & amoris Patris & Filij. Tertiò, Filius est imago Patris ratione essentiæ diuinæ, quatenus scilicet eam Filius à Patre accipit: quatenus enim eam accipit à Patre, realiter ab eo diuersus est, sicut imago diuersa est à suo exemplari; quatenus verò eamdem habet cum Patre, illi simillimus est, eumque per omnia repræsentat. Vide Scholasticos 1. p. q. 27. & 39.

Nota profunditatem Apostoli. q.d. Mundus ab Apostolis fidei lucem accipit; hi à Christo, vti Moses ab angelo, qui Christi typus erat; Christus à Patre, quasi lumen de lumine, & radius à sole emanat.

DEI] Complutensia addunt, ἀοράτου, inuisibilis.

A NOS AVTEM SERVOS VESTROS PER IESVM] Ἰησοῦν, propter Iesum. (ita Syrus, Oecumen. Ambros.) supple exhibemus: vel potiùs repete, *prædicamus nos seruos vestros.* Licet enim Græcum διὰ cum accusatiuo atticè significet, per; communiter tamen significat, propter.

QVONIAM DEVS, QVI DIXIT DE TENEBRIS LVCEM SPLENDESCERE, IPSE ILLVXIT IN CORDIBVS NOSTRIS] *Qui dixit*, scilicet Genes. 1. v. 2. Fiat *lux.* Nota, in genesi & creatione mundi ante omnia formatam esse lucem, quia lux qualitas est nobilissima, iucundissima, lætissima, commodissima, efficacissima & potentissima. Vide Dionys. de Diuinis nomin. c. 4. vbi triginta quatuor proprietates lucis & ignis recenset. Deo diuinisque rebus mirè congruentes. quæ & quales fuerit hæc lux dixi Genes. 1. 2.

B Allegoricè, Hugo lib. de Sacram. p. 1. cap. 10. & alij notant, primo die, cùm facta est lux, & à tenebris diuisa, bonos angelos esse in bono confirmatos, malos in malo, & à bonis esse segregatos, atque ita, quod agebatur in mundo sensibili, imago erat illorum quæ in intelligibili agebantur: quin imò Augustinus passim vult hunc de angelis sensum esse litteralem.

Tropologicè. lucem hanc explicat hîc Apostolus, q.d. Vti Deus olim produxit de tenebris lucem, ita nunc ex infidelibus nos fideles fecit, & deique luce illustrauit. Sic & Augustin. lib. 1. contra aduers. leg. c. 8. per hoc, quòd tenebris, siue nocti, quæ luce fuit prior, lux & dies successit, & huic successerunt rursum tenebræ; significari docet, quid in homine fiat spiritualiter, peccato scilicet gratiam, & gratiæ peccatum, cùm in illud recidimus, succedere. Vide S. Dionys. suprà.

AD ILLVMINATIONEM (vt scilicet illuminemur à Deo. Ita Græci. & vicissim, vt illuminemus & alios, vt ait Ambros.) SCIENTIA & cognitionem CLARITATIS (hoc est, clara & glorioſa) DEI (id est quæ est de Deo) quæ resplendet IN FACIE CHRISTI] hoc est, in clara, vel per claram cognitionem Christi, & redemptionis eius: vulgò enim clarè cognoscitur quisque per faciem. Hinc cognoscere in facie. significat cognoscere clarè & apertè. Sicut ergo noctu teda, vel fax accensa omnia tenebrosa illuminat, ideoque ambulantibus præfertur, vt viam præeat & illustret: ita & Christus quasi fax nos illuminat in nocte huius sæculi vt Deum certò & manifestè cognoscamus, viamque ad eum videndum, ad beatam inquam vitam, in cælum ineamus. Vnde Glossa symbolicè sic explicat: *in facie Christi Iesu, id est per Christum Iesum, qui est facies Patris: quia sine ipso nō cognoscitur Pater.* Perstitit in allusione velaminis, & faciei Mosis velatæ, & Christi apertæ, de qua c. 3. v. 15. ita Chrysost. Græcè ἐν προσώπῳ, quod Noster hîc & cap. præced. v. 18. rectè vertit, *in facie*: potest verti cum Syro, *in persona*, id est nomine, vice & auctoritate Christi, quasi eius vicarij, illuminamus alios. ita Gagneius, Faber, & alij. Vnde S. Cyrill. libr. de Fide ad Theodos. Imp. *Illuxit*, inquit *ipse cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Ecce apertè euidenterq; illuminatio scientiæ Dei Patris in persona Christi effulsit.*

HABEMVS AVTEM THESAVRVM ISTVM] id est, Euangelij ministerium & prædicationem mihi creditam à Deo. Patet initio capitis v. 1. & quia de hac immediatè antè egit v. 5. & 6.

Ir

IN VASIS FICTILIBVS] Grecè, ὀστρακίνοις, testaceis, id est in corpore luteo, fragili, caduco. q.d. Paulus, Vas fictile corpus nostrum est. Sicut enim vas fictile non est aliud quàm lutū igne coctum: ita & corpus nostrum nihil est aliud quàm lutum animæ calore solidatum. Tolle animam, corpus lutum ex quo formatum est, redibit. *Ipse cognouit* inquit Dauid psal. 102. *figmentum nostrum, recordatus est quoniam puluis sumus.* ita Chrysost. Vel Secundò, *in vasis fictilibus*, id est in nobis, qui licet simus Apostoli, sumus tamen homines personæq; luteæ & fragiles, tam anima, quàm corpore, quique quasi testacea vasa, viles sumus, ignobiles, inepes, abiecti, contempti, calcati, omniumque inimis expositi.

Huic sensui fauent sequentia. Sequitur enim, *In omnibus tribulationem patimur, angustiamur, aporiamur*, &c. Sic epist. 1. c. 1. v. 27. ait, Deum Apostolos quasi infirma, ignobilia, & contemptibilia mundi elegisse. & c. 2. v. 1. Paulus ait se ad Corinthios venisse non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, sed in infirmitate, timore & tremore. Et c. 4. v. 9. ait: *Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tamquam morti destinatos: vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur*, &c.

Symbolicè, Origen. hom. 9 in Numer. Thesaurus hic est Spiritus sancti gratia abscondita in vasis fictilibus, id est, in sermonibus rudibus, & impolitis & inelegantibus legis & Euangelij.

VT SVBLIMITAS SIT VIRTVTIS (δυνάμεως, id est potentiæ & fortitudinis) DEI, ET NON EX NOBIS] Pro vt *sublimitas*, Ambros. legit, Vt eminentia: sic & Augustinus sæpè. Græcè enim est ὑπερβολὴ. q.d. Ideo vult Deus me thesaurum istum habere in vase fictili, vt excellentia quæ in me est, & fructus quem facio in conuersione tot gentium, non mihi, sed potentiæ & efficaciæ Dei, ac gratiæ Christi adscribatur. S. Hieron. in dialog. Contra Pelag. legit: *vt abundantia fortitudinis nostræ sit ex Deo.* Vide Chrysost. hîc in moral.

IN OMNIBVS TRIBVLATIONEM PATIMVR, SED NON ANGVSTIAMVR] Pro *non angustiamur* græcè est οὐ στενοχωρούμεθα, non coarctati, non anxij redditi. alioqui necessarium est, vt qui premitur, is adigatur in angustum, & angustietur: sed Apostolo rebus in angustijs mens erat lata, ampla & excelsa. Syrus vertit, *premimur, sed non suffocamur.* ita canit & Dauid psal. 4. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi* (me.)

APORIAMVR, SED NON DESTITVIMVR] Hoc est, vt Ambros. Theoph. Erasm. Caiet. rerum omnium penuria premimur, at non opprimimur. Patet ex Græco, ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. est paronomasia, quâ imitatur Budæus dum vertit, Egentes, sed egestati non succumbentes. Egestas enim in animo patienti, sapienti, tranquillo, & in Deum defixo, quietem, sufficientiam, imò & copiam parit. Vt Christianos taceam, docuit hoc Fauorinus Philosophus apud Gellium l. 9. c. 8. *Verum est*, inquit, *quod obseruato rerum vsu sapientes viri dixere: multum egere qui multa habeat, magnamq; indigentiam nasci non ex inopia magna, sed ex magna copia. Multa enim desiderari ad multa quæ habeas tuenda. Quisquis igitur multa habens cauere atque prospicere velit ne quid egeat, néue quid desit, iactura opus esse, non quæstu, & minus habendum esse vt minus desit.*

Possunt Secundò, Græca iam dicta sic verti, Inopes consilij & perplexi sumus in mediis malis & difficultatibus; attamen neciis, necanxietate & tædio vincimur: non desperamus; sed in Deo consilium, remedium, exitum speramus, inuenimus & vincimus. ita Theophyl. Chrysost. Oecumen. & hoc magis significat Græcum *aporiamur*. Est enim aporia, inopia non tantùm corporis, sed & animi, putà consilij inopia, dubitatio & perplexitas, cùm mens vndique se malis obseptam videns anxia hæret, nesciéque quid consilij capere, quid aggredi debeat. Sed Deus Apostolis, suisq; in hac aporia succurrit, suggeritque viam euadendi. Id se, suosque in Indorum conuersione experiri testes sunt S. Xauerius & Gaspar Barzæus, dictitantes in India plus in quauis re & dubio docere Spiritum sanctum, quàm apud nos omnes doctores & sapientes docere possint.

Aporia est inopia mentis & cordis.

PERSECVTIONEM PATIMVR, SED NON DERELINQVIMVR] Acutè & piè S. Gregorius Nyssenus in lib. de Beatitudinibus, explicans vltimam beatitudinem, quæ est: *Beati qui persecutionem patiuntur*, expendit vocem illam, *persecutionem*, quæ currentium, imò præcurrentium est. ponit ergo ob oculos virum pium & tribulationem quasi duos esse cursores qui simul currant; sed cùm ille tribulationi non cedit, quasi victorem antecedere & percurrere: tribulationem verò à tergo viri pij subsequi, & post eum currere, ideoque appellari *persecutionem* non consecutionem, quia persequitur virum pium, sed eum non assequitur. Docet ergo hac voce indicari, Sanctos per patientiam velocissimè currere ad brauium gloriæ, & in persecutionibus maximè elucere Sanctorum in currendo vigorem & fortitudinem. *Martyrium*, inquit, *nobis stadium ostendit, & fidei cursum designat: nam persecutio vehemens studium celeritatis significat, imò verò etiam in currendo victoriam indicat: non enim aliter currendo quis vincere potest, nisi post se reliquerit eum qui simul currit. Quoniam igitur qui propter præmium ab inimico exagitatur, à tergo habet persequentem (hi autem sunt, qui martyrij cursum in certaminibus pro pietate susceptis conficiunt, quos inimici quidem persequuntur, sed non assequuntur) videtur caput & summam in spem propositæ beatitudinis, velut coronam quamdam in postremis proposuisse verbis: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

VERS. 9.

Ii qui persecutionem patiuntur, vincunt, quia præcurrunt.

DEIICIMVR, SED NON PERIMVS] Alludit ad vasa fictilia, de quibus dixit v. 7. quæ mirum est ex altissima turri deiici, & tamen non frangi, non perire. q.d. Licet simus vasa fictilia, & ex altissimis quasi persecutionum turribus deiiciamur; non tamen frangimur, nec perimus: quia igne charitatis decocti, durati, & solidati à Deo, frangi & perire non possumus. Quidam addunt: *humiliamur, sed non confundimur*: sed hoc non habent Græca, nec Latina Romana.

SEMPER MORTIFICATIONEM IESV IN CORPORE NOSTRO CIRCVMFERENTES] Grecè νέκρωσις, id est mors, vt legit Ambros. vel potiùs, vt Noster vertit, mortificatio. Iesu est passio mortis similis passioni Iesu Christi, quæ via est & inchoatio mortis, adeoque longa & viua mors, siue mori in fieri, non in facto esse. Passio hæc est, de qua v. 8. & 9. ait: *Tribulationem patimur, sed non angustiamur*, &c. scilicet externa, & ab alio illata: licet etiam extendi possit ad quamuis sponte assumptam

VERS. 10.

Tribulatio cur dicatur mors & mortificatio Iesu Christi.

mentis & corporis castigationem. ita Anselmus. Dicitur ergo mors, vel mortificatio Iesu, quia illius exemplo toleratur. Secundò, quia pro eius fide & Euangelio subitur. Tertiò, & optimè, vt Ambros. quia ipsam Christi mortem & passionem nos eius ministri in corpore nostro quasi repræsentatione quadam gestamus & circumferimus, vt serui gestant insigne & stigma domini sui, Galat. 6. v. 17. Sic Hebr. 11. 26. ait Mosem tulisse improperium Christi, illudque adamasse præ thesauro Ægyptiorum. Vide ibi dicta. *Dubium non est*, ait Ambros. *quin in Martyribus occidatur Christus, & in iis qui pro fide vincula aut verbera patiuntur, quin eadem in iis patiatur & Christus.*

Dat hîc causam Paulus cur in tribulatione & mortificatione non angustietur & moriatur, sed dilatetur & viuat. Causa hæc est, quòd per tribulationē similis fiat Christo tam crucifixo & mortificato, quàm resuscitato & viuificato: itaque in ea gaudeat & sibi placeat.

Nemo miser est qui sua miseria est contentus.

Hinc moraliter Saluianus lib. 1. de Vero iudicio & prouidentia Dei docet neminem esse miserum, qui sua miseria est contentus: imò potiùs in ea esse beatum, quia ex voto suo in miseria viuit. Nam labor, ieiunium, paupertas, humilitas, infirmitas, persecutio non sunt molesta patientibus, sed pati nolentibus. Ita Gentilibus quoque Fabriciis, Fabiis, Regulis, Camillis paupertas & afflictio onerosa non fuit. *Nemo*, inquit, *aliorum sensu miser est sed suo: & ideo non possunt esse falso iudicio miseri, qui sunt verè sua conscientia beati.* Et rursum: *Nulli, vt opinor, beatiores sunt quàm qui ex scientia sua atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt: pauperes sunt, pauperie delectantur: sine ambitione sunt, ambitum respuunt: inhonorati sunt, honorem respuunt: lugent, lugere gestiunt: infirmi sunt, infirmitate lætantur. Cùm infirmor, inquit Apostolus, tunc potens sum. Itaque quidquid acciderit iis quicunque verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quantumlibet aspera nulli lætiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt.*

VT ET VITA IESV MANIFESTETVR IN CORPORIBVS NOSTRIS] *Vita*, scilicet tum futura, vt nimirum cum Christo resurgamus ad gloriam, vt sequitur v. 14. tum præsens, vt scilicet ad instar resurrectionis Christi corpora nostra, licet afflicta, vegetiora fiant ex Spiritu ob spem resurrectionis, & opem Dei, qua nos à tot in dies periculis liberat & roborat. Vnde sequitur:

VERS. II.

SEMPER ENIM NOS, QVI VIVIMVS, IN MORTEM TRADIMVR] q.d. In media hac quali quali vita perpetuis mortis periculis & ærumnis exponimur. ita Chrysost.

Quòd in tribulatione cōformemur Christo, nos in tribulatione debet consolari.

Hoc est ergo quod nos in omni tribulatione animat, consolatur & roborat, scilicet quòd cogitemus in ea nos conformari Christo patienti & resurgenti. Nam sicuti in corpore nostro tribulato & mortificato repræsentatur mors Christi: ita in eodem liberato, saluato & roborato repræsentatur vita & resurrectio Christi: vt cùm obijcimur leonibus aliisque bestiis quasi certissimò ab iis deuorādi, illæ verò nobis parcunt & abblandiuntur: cùm proijcimur in ignem, ignis autem à nobis refugit, imò leni aura nos recreat: cùm deijcimur in mare submergendi, sed mare nos sustentat, seruatque incolumes: cùm lapidarer Lystræ, & pro mortuo relinquerer, mox tamen inuentus sum viuus, Actor. 14. 18. In hisce, inquam, & similibus plagis & afflictionibus particeps sum, conformor, & repræsento corpus Christi passum, mortuum & sepultum: quod tamen mox Dei virtute ad vitam eamq; beatam & gloriosam reuocatum fuit. Atque hac de causa in omni tribulatione fortis sum, imò lætor & glorior. Ex hisce enim spem certam concipio futuræ vitæ immortalis & gloriosæ. *Propterea*, inquit Oecumen. *à Deo permittitur tradi in mortem, vt manifestetur quòd à morte surrexit Christus. Qui enim indies nos suscitat certè ipsum quoque excitauit, nosq; aliquando planè ad immortalitatem suscitabit.*

VT ET VITA IESV (tum sancta hîc, forti, læta & alacris, ex forti vegetoque spiritu; tum beata in cælis, vt dixi v. præced.) MANIFESTETVR IN CARNE NOSTRA MORTALI.

ERGO MORS IN NOBIS OPERATVR, VITA AVTEM IN VOBIS] q.d. Vestra spiritualis vita per fidem & gratiam, id est salus animæ vestræ, nostra corporali morte procuratur. ita Ambros. nam Apostolorum & Martyrum passio & mors vita est Ecclesiæ. *Sanguis Martyrum semen est Christianorum*, ait Tertullianus. Aliter Chrysost. q.d. Vos quiete vuitis, nec illas pro fide persecutiones sustinetis, quas ego; itaque vos viuere videmini, ego verò mori quotidie videor.

HABENTES AVTEM EVMDEM SPIRITVM FIDEI] q.d. Sicut Dauid tentationibus immersus, & à solo Deo ereptus, dixit: *Credidi*, id est credo, *quòd Deus iuxta promissa sua me à meis malis liberabit semper.* Vnde & idem audacter *locutus sum, & etiamnum proloquor*: ita & nos credimus & speramus, ac animosè profitemur, opem, robur, liberationem & resurrectionem nostram à Deo vti promissam, ita & certissimò præstandam. ita Theophyl. Chrysost. Oecumen.

Nota. Psalmus 115. quem hîc citat Paulus, est eucharisticus, quo Dauid Deo liberatori suo gratias agit. Vnde incipit: *Credidi*, q.d. Ego Dauid cùm in mediis periculis & malis; hinc Saule cum suis me persequente, inde Achis & Philisthiim meum caput petentibus; constitutus essem, viderēq; omni humana ope destitutus, & quasi desperatus; credidi tamen Deo, mihi salutē, imò & per Samuelem regnum promittenti: quare idipsum intrepidè locutus sum, me scilicet credere, nec dubitare, quin Deus ab omnibus hisce malis me liberaret, & ad regnum à se promissum proueheret, vt me de facto iam liberauit, & ad regnū vel prouexit, vel disponit. Vnde subdit, *Pretiosa in cōspectu Domini mors Sanctorum eius.* q.d. Rara & magni ponderis ac pretij apud Deum est mors mea, aliorumq; Sanctorum: ideoq; illi curæ & cordi est, vt eam mihi aliisq; Sanctis vix & rarò, nec sine magna causa & lucro permittat Deus, sed nos magis passim liberet & tutetur: vti ego Dauid in spelunca, & aliàs sæpè, cùm manibus Saulis aliorumq; hostium concluderer, expertus sum, ideoq; cum laude & gratiarum actione exclamo: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam*: vel, vt hebraicè est, *salutem* יְשׁוּעוֹת *ieschuot*, id est salutum, scilicet multarū; gratè calicē qui testis sit & profestio publica, me multas à Deo salutes consecutū esse, meq; sæpiùs à morte, & mortis periculis à Deo saluatum esse, *accipiam*.

Vbi Nota Primò. Iudæi triplex habebant sacrificium. Primò, holocaustum; Secundò, pro peccato; Tertiò, pacificum, siue salutare pro pace & salute:

salute alicuius vel priuati, vel familiæ, aut reipubl. A spe, charitate, animi alacritate, & fortior & fulgidior, quasi aurum in igne euadit, ait Chrysost.

obtenta, vel obtinenda. Nota Secundò. In omni sacrificio quasi epulo Dei adhibebant libamen quasi potum; *calix* ergo *salutaris* est calix vini, qui pro salute accepta Deo libabatur, offerebatur & sumebatur ab offerentibus. Nota Tertiò. Hic calix figura erat calicis Eucharistiæ, qui salutis per Christum factæ non tantùm memores, sed & participes nos facit.

Tropologicè calix hic est martyrium & afflictiones, & pertinax conatus, ait Basilius in psalm. 115. quo ad mortē vsque peccato resistimus; Paulus enim, ait idem Basil. martyrium ardenter sitiebat. vnde non crucem, sed calicem salutaris vocat. q.d. Promptè hauriam quidquid mihi Dominus immiserit, etiamsi mortem & martyrium; ideoq. sciens, ait August. martyrium non esse meæ virtutis, sed gratiæ Dei, hinc eam per nomen Domini *inuocabo*, vel, vt aptiùs verti potest Hebraicū אֶקְרָא *ecra*, vocabo, publica voce prædicabo & celebrabo gratiam & nomē Domini. Pari modo Christus suam passionem & mortem calicem vocat, quem Apostolis, Martyribus, nobisq; omnibus propinat Matth. 20. 26. & Matth. 26. 42. Sic ergo, vti Christianus quiuis Christo liberatori in gratiarum actionem offert calicem & sacrificium eucharisticum: ita Paulus hic passiones suas, mortificationes & mortem eidem Christo, quasi calicem gratissimum libat & sacrificat; vti Martyres, cordis fidem ore profitendo, pro eaque moriendo, omnes eidem Christo calicem sui martyrij libarunt & consecrarunt.

CREDIDI] הֶאֱמַנְתִּי *heemanti*, id est credidi, in præterito, & credo in præsenti: Hebræi enim præsenti tempore carent, & pro eo vtuntur præterito. Secundò, credidi vel credo, id est credere pergo; iam pridem enim Deo crediderat Dauid. *Credo* ergo non tam actum inchoatum, quàm continuatum significat, vt dixi can. 22. maximè quia Dauid non tantùm in sua persona, sed & Pauli, vt hic patet, & nostra omnium dixit, *Credidi*, suumque (*credidi*) nobis imitandum & repetendum quouis tempore, proponit.

CONSTITVET VOBISCVM] in gloria cum vobis resuscitatis. Nota. Ex modestia ait, non Vos nobiscum, sed Nos vobiscum, quia vos causa & obiectū vti Euangelij mei, ita & gloriæ meæ estis.

VT GRATIA ABVNDANS (refer ad *abundet in gloriam Dei*) PER MVLTOS IN GRATIARVM ACTIONE] id est, per gratiarum actionem multorum, vel cùm multi propter illam gratiam, gratias agunt D Deo. Vnde clariùs Græca sic habent: ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν, περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, vt gratia illa copiosa per multorum gratiarum actionem, exuberet in gloriam Dei. Et Syrus: vt, cùm abundet gratia per multos, multiplicetur pariter gratiarum actio ad gloriam Dei.

PROPTER QVOD NON DEFICIMVS] οὐκ ἐκκακοῦμεν, non cedimus, non succumbimus afflictionibus Syrus, *non est nobis tedium*, vide dicta v. 1.

SED LICET IS, QVI FORIS EST, NOSTER HOMO CORRVMPATVR: TAMEN IS, QVI INTVS EST, RENOVATVR DE DIE IN DIEM] Id est, vt Theophyl. Ambros. Anselm. Licet externus homo, id est corpus, corrumpatur pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate, flagellis & morbis; tamen *qui intus est*, id est anima & spiritus, renouatur & proficit fide,

Nota, aliter hæc accipi Rom. 7. 22. nam ibi exterior homo est concupiscentia, vel homo concupiscens: interior est charitas, & spiritus, vel homo spiritu renouatus: hîc autem homo exterior est corpus, interior est mens. Vel appositè magis: homo exterior est ipse homo corporalis, siue quatenus corpore visibilis, tangibilis, passibilis, & iniuriarum extrinsecus illatarum susceptibilis est; interior verò homo est idem homo animatus, siue quatenus anima & mente inuisibili constat, qua afflictiones corpori inflictas fortiter & alacriter sustinet. homo enim quia duabus partibus adeò contrariis constat, corpore scilicet externo, & anima interna, ipsaque anima in homine quasi duplex esse videtur (quatenus enim animat, seque in B corpore exteriùs per operationes & passiones spectandam præbet, externa, animalis & corporata videtur; quatenus verò in se consistens, menti & mentalibus operationibus insistit, interna videtur & inuisibilis;) hinc & homo hac duplici parte constans, iuxta priorem externus, iuxta posteriorem internus est, & dicitur.

Hinc patet contra Illyricum, peccatum originale, & concupiscentiam non esse substantiam malam ex homine à dæmone formatam, hominisque substantiæ coniunctam quasi formam: hæc enim deberet esse interior homo, isque in se corruptissimus, vt renouari non possit, cuius contrarium dicit hîc Apostolus. *Illyrici error peccatum originale faciens substantiam malã.*

Malè etiam hinc Tertul. ait S. Thomas, censuit animam esse corpoream, suamq; habere figuram C & membra ad modum corporis, vt interior homo respondeat exteriori. Sic Iohannes Huartus Medicus nuper in suo Examine ingeniorum censuit damnatorum animas torqueri igne, quia, inquit, habent sua quasi membra siue membrorum simulacra, habent suos sensus & sensationes. Hinc dines Epulo dicit se lingua torqueri Lucæ 16. *Error Tertulliani cẽsentis animam corpoream, quem secutus videtur Ioan. Huartus.*

Verùm hoc de membris falsum est. anima enim vti non est corporea, ita propriè nulla membra habet: sed de sensu & sensatione est probabile. Anima enim rationalis cùm simul sit sensitiua, habet in se radicem sensus & sensationis, verbi gratia tactus, vt calorem, ignem, vstionem, eiusq; dolorem sentiat: quam sensationem licet naturaliter sine corpore exercere non possit, supernaturaliter tamen Deus potest in anima separata hunc sensum & sensationem educere: eius enim radicem & D inchoationem habet & retinet in se anima. Ita censent iam multi subtiles Philosophi; eaque ratione facilè explicāt, quomodo ignis agat in animam. Et fauet ratio: quia tota sensatio est in anima. cùm enim oculo videmus, aure audimus, manu tangimus; ipsa visio, auditio & tactus perceptio non est in oculo, aure, manu, sed in anima. Non enim corpus sed anima est quæ per oculum videt, per aures audit, sentitque per manum; cur ergo anima separata à corpore eadem sensationes per Dei virtutem & omnipotentiam elicere & recipere non possit? licet enim oculus, auris, manus sit organum & conditio requisita, vt naturaliter fiat sensatio, supernaturaliter tamen eam Deus supplere potest; sicut supplere potest præsentiam & approximationē obiecti, vt quis oculo corporeo videat per murum ea quæ in cubiculo clauso geruntur, vel ea quæ remotè fiunt in India; *Quomodo animæ sentiant ignem inferni.*

India; vti S. Anselmo, aliisque Sanctis concessum legimus.

DE DIE IN DIEM] q.d. Sicut externus homo, id est corpus, in dies per tot plagas & ærumnas deficit & senescit: ita interior, hoc est mens, in dies renouatur & iuuenescit, idque ob spem resurrectionis. Vnde subdit: *Id enim quod in præsenti*, &c. Ita Abbas Barnabas apud Sophron. in Prato spir. cap. 10. spinam infixit pedi, nec tolli voluit. hinc putruit pes: mirantibus ait, *Quanto magis homo exterior patitur, tanto magis interior viget.* Ibidem c 8. Myrogenes hydropicus, *Orate*, ait, *pro me patres, ne interior homo hydropicus fiat: ego enim Deum oro, vt in hac infirmitate diutiùs durem.* Nimirum hi Sancti hanc Apostoli sententiam generalem rectè adaptarunt morbis & mortificationi.

Vnde crescat Martyrum robur in tormentis.

Ita admirabilis ille Martyr Clemens Ancyranus cum Agathangelo sub Imper. Diocletiano, B cùm omnis generis tormentis cruciaretur, corpore licet confracto, animo tamen indies fiebat valentior & robustior, vt noua semper appeteret tormenta, ad eaque excipienda vitam sibi quàm diutissimè prorogari à Deo petierit & obtinuerit, scilicet ad vigintiocto annos, quibus assiduè tortus & excarnificatus fuit: cumque Diocletianus & Præsides stuperent ad tantam Martyris fortitudinem & animi magnitudinem, rogarentque eum in tormentis quî sese haberet, quomodo illa tolerare posset? respondit hanc Pauli sententiam, *Licet is qui foris est noster homo, corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.*

VERS. 17. ID ENIM, QVOD IN PRÆSENTI EST MOMENTANEVM ET LEVE TRIBVLATIONIS NOSTRÆ] Græcè τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, quod in momento est leue, vel potiùs ad verbum, momentanea leuitas afflictionis nostræ: vt π' ἐλαφρὸν ponatur pro nomine substantiuo, sitque idem quod leuitas; & τὸ παραυτίκα fungatur vice adiectiui, sitque idem quod momentanea: quod Græcis est perfamiliare. Sic Demosthenes ait: ἡ παραυτίκα ἡδονή, id est momentanea voluptas.

Vbi Nota. Τὸ *in præsenti* non est in Græco expressè, sed tacitè includitur in momento, vel momentaneo. Secundò, ἐλαφρὸν, ait Erasmus, id est leuitas, hîc dicitur de afflictione, non quasi leuis sit toleratu, sed quòd leuiter & citò transeat. Sic & βάρος, id est pondus, quod leuitati opponit; non vocat id quod grauat, sed quod solidũ est, & permanet. Sic enim Græcis ἐλαφρὸς dicitur quasi ἐλαφηρὸς ab ἔλαφος, id est ceruus, q.d. Leuis & celer instar cerui. Verùm sic tautologiam cõmitteret Apostolus, & quod clariùs dixit: *Momentaneũ & æternum*; idem obscurioribus verbis repeteret, D dicens, & explicans *momentaneum* per *leue*, *æternum* per *pondus*. Vnde aptiùs ἐλαφρὸν significat hîc, vti & alibi sæpè, id quod in se facile est & leue; opponitur enim graui, siue ponderi. Sic dicitur ἐλαφρὰ ἐσθὴς, leuis vestis, nõ ponderosa, apud Xenophontem. Sic dicunt Græci ἐν ἐλαφρῷ τιθέσθαι, hoc est, leue ducere, parui æstimare. q.d. Omnis nostra tribulatio momentanea est & leuis, si cum æterno illo & grauissimo gloriæ pondere conferatur, perinde ac si plumam vnam, vel fauillam leuissimam cum plumbo totius vniuersi conferas.

Leuitas tribulationum huius vitæ.

Hinc pulchrè S. Augustinus in psal. 59. explicans illud Christi: *Iugum enim meum suaue est, & onus* (pro quo Augustinus legit sarcina) *meum leue*, sic ait: *Alia* (mundi) *sarcina premit & aggrauat te; Christi autem sarcina subleuat te: aliæ sarcina pondus habet; Christi sarcina pennas habet. Nam & aui si pennas detraha quasi onus tollis, & quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit: redeat onus, & volat. Talis est Christi sarcina.* Hoc cogitabat S. Ioannes Chrysost. cùm in exilium Cucusum duceretur. Vnde cùm debili & infirmo corpore, febri æstuans, nocte & die à militibus cogeretur proficiscì cõtinuò per septuaginta dies (qui eum hac ratione conficere & occidere volebant, vt gratificarentur Eudoxiæ Imperatrici, prout eum confecerunt & occiderunt, ita vt reuera sit Martyr) in summa fame, sitì, paupertate, solis ardoribus, periculis Arabum; hæc omnia alacriter & generosè superabat, ita vt suis obiter nobiles matronas, Olympiadẽ, Pentadiam aliosque amicos propter se afflictos consolaretur & erigeret, ad fortiter carceres, ac dura quæuis pro Christo toleranda. Scripsit tunc quoque tractatum illum diuinum, *quòd nemo lædatur nisi à seipso*, in quo seipsum superauit. Viuis enim rationibus ostendit, omnem veri doloris causam & materiem non ab alio, sed à nobis ipsis proficiscì. Eò quòd veri doloris materia & causa tantùm sit peccatum (hoc enim solum verum est malum, ideoque de eo solo dolendum) quod non nisi propria & libera voluntate quisque admittit. Cætera enim mala & dolores, quicũque in mundo sunt, si cum peccato comparentur, non veros, sed pictos tantùm & fictos esse, vtpote leues, exiles & breues; cùm peccatum inducat grauissimos, plurimos & æternos.

SVPRA MODVM IN SVBLIMITATE] q.d. ait Anselm. Vt sublimetur ad cælorum angelorumque celsitudinem. Sed Nota. Græcè est καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, secundùm excellentiam ad excellentiam, id est excellenter excellens, ait Theophyl. siue mirè, & supra modum celsum, sublime C & immensum, gloriæ videlicet pondus ita Oecumen. Sic enim Hebræi per geminationem vocis significant vehementiam & superlatiuum, vt מְאֹד מְאֹד *meod meod*, id est valdè valdè, hoc est supra modum, & plurimùm. q.d. Incomparabiliter maius & excellentius est pondus gloriæ futuræ tribulatione, quam hîc patimur.

Nota Chrysost. & Theodor. pulchra antithesi momentaneo opponi æternum, leui pondus, in præsenti in sublimitate, tribulationi non quietem tantùm, sed insuper & gloriam. Sic v. seq. opponit τὰ βλεπόμενα, καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα, ea quæ videntur, & ea quæ non videntur; πρόσκαιρα, & αἰώνια, temporalia siue ad tempus duratura, & æterna. Sic Machabæis, Vincentio, Laurentio, Stephano, lapides, sartagines, eculei & tormenta omnia præ gloria cælesti erant quasi momentum respectu infiniti temporis; quasi pluma, vel bulla leuissima, respectu cæli, vel vniuersi alicuius plumbei, aut potiùs aurei; quasi punctum, respectu totius mundi. Pulchrè S. Augustinus in psal. 93. Deum dicere ait, *Venale habeo: quid Domine? regnum cælorum. quo emitur? paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Scriptum est enim: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnũ cælorum: beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur*, &c. Apposite ergo Paulus gloriæ pondus attribuit, tribulationi leuitatem: huic momẽtaneam durationem, illi æternitatẽ: huic præsens tempus & locum, illi sublimitatem & perennitatem: huic nostram esse tribulationẽ; quippe quam quasi manu apprehendimus,

dimus & pugno concludimus'; illi verò, vt supra A modum, supraque omnem mensuram, sine vlla intermissione operetur in nobis.

ÆTERNVM GLORIÆ PONDVS (Syrus, *gloriam infinitam in sæcula sæculorum*) OPERATVR] non physicè & efficienter, sed moraliter & meritoriè. Hinc patent merita bonorum operum. Negat id Calu nus & ex eo Beza, tantumque ait hîc significari ordinem, vel quo itinere ad gloriam perueniatur, scilicet per tribulationes. Sed hoc nimis est frigidum: nec enim iter, siue via dicitur operari ipsum itineris terminum nisi per iter, non viam, sed ipsam itinerationem, siue profectionem accipias, quæ sanè termini est causa, non tantùm moralis, sed & physica, propriequè efficiens: quam si concedat Caluinus in operibus bonis & meritis respectu mercedis æternæ, plus iis dabit, quàm dicit Catholici, qui non physicam & propriam, B sed moralem tantùm & meritoriam eis dant causalitatem & efficientiam. Deinde non tantùm ordinem hîc significari patet ex Græco κατεργάζεται, id est peroperatur, conficit, perficit: quod vtique causam non qualem qualem, sed potentem efficacemque significat. Ita Ambros. & maximè Chrysost. in morali: *Deus*, ait, *iustus iudex eo modo reddit iusto beatitudinem, quo malis infernum.* sicut malis reddit infernum, quasi meritas scelerum pœnas: ergo & iustis reddit beatitudinem, quasi meritam bonis operibus mercedem & præmium. Et S. Bernar. in psal. 90. serm. 17 *Non dixit*, inquit, *Remunerabitur, sed, Æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione: in momentaneo hoc latet æternitas in hoc leui pondus sublime & supra modum.* q.d. In leui tribulatione latet & continetur pondus C gloriæ, sicut messis latet & continetur in semine: vnde cùm hoc suam vim exserit, tunc illam operatur & producit. Vnde subdit: *Interim ergo festinemus nobis emere agrum istum, emere thesaurum istum, qui absconditus est in agro. Omne gaudium existimemus cum in varias inciderimus tribulationes. Dicamus in animo: Bonum magis ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.*

Dices, Quomodo ergo passiones vocat leues, & alibi ait, *Non sunt condignæ?*

Resp. Non sunt condignæ, quatenus passiones, seu, quatenus opera pœnalia naturæ, quia sic proportionè non habent cum tanta gloria: condignæ tamen sunt, quatenus passiones hæ tolerantur ex gratia & charitate: sic enim sunt opera gratiæ & charitatis; hæc enim gratia semen est gloriæ. Sicut D ergo semen messi condignum est & commensuratum, ita & gratia gloriæ. Secundò, condignæ sunt, quatenus sunt passiones Christi, id est ex Christi meritis profectæ, eisq; subordinatæ: Christus enim meruit nobis hanc patientiam passionū & afflictionum; itemque meruit vt hac patientia nostra quasi sua, & ex se suisque meritis manante, æternam gloriam mereremur.

Prælatè S. Bernard serm. 1. de diuersis singula verba Apostoli perurgens, *Verge ergo*, inquit, *murmurare & dicere: Longum est, graue est, non possum tam immania & tam diuturna portare. Apostolus momentaneum & leue perhibet esse quod tolerat: & certè necdum à Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepisti, necdum plus omnibus laborasti, postremò necdum vsque ad sanguinem restitisti. Vide ergo quàm non sunt condignæ passiones ad gloriam.* Primò, *quid in incertum dies & horas numeras? transit hora, transit & pœna: nec accedunt sibi, sed cedunt potiùs & succedūt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laborum: nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, & manet in æternum.* Secundò, *guttatim pœna bibitur, liquando sumitur, per minutias transit. Nam in remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis.* Tertiò, *nō enim nobis gloriosa vestis, non gloriosa domus, sed ipsa gloria promittitur. Nam in veritate iustorum expectatio, non aliquod lætum, sed ipsa lætitia est. Gaudent in cibis, gaudent in pompis gaudent in diuitiis, gaudent & in vitiis homines: sed luctus extrema occupat eiusmodi gaudiorum. Nobis autem non fauum mellis, sed purissimum & liquidissimum mel reposuit Deus, ipsam planè lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, iucunditatem & exultationem thesaurizauit nobis Dominus Deus noster: & hæc omnia vnum, vt sit participatio Ierusalem in idipsum. Et hoc vnum & idipsum non nisi ipse, dicente Apostolo, Quoniam erit Deus omnia in omnibus. Hæc merces nostra, hæc corona nostra, hoc brauium nostrum: ad quod vtinā sic curramus, vt comprehendamus!*

Moraliter Auctor libri de Anima & spiritu, qui extat tom. 3. operum S. Augustini (Trithemius putat esse opus Hugonis Victorini. nam non esse S. Augustini patet ex cap. 37. vbi citat Boëthium qui Augustino fuit posterior) graphicè hoc gloriæ pondus, & hæc gaudia Beatorum c. 57. & seq. depingit, ac Primò, describit mutuam omnium Beatorum charitatem, & exinde mutuum gaudium, quo quisque non sua solius, sed & singulorum aliorum beatitudine gaudebit, eritque beatus non semel, sed centies millies. Secundò, describit delectationē quam Beati percipient ex visione Dei. Tertiò, ob oculos ponit plenissimam eorum pacem & suauitatem. Quartò, c. 64. exaggerat possessionē immensi boni, quod est ipse Deus Quintò, affert pulchritudinis, sanitatis, sapientiæ, melodiæ, honoris, diuitiarum, & omnium bonorum, quæ hîc vel gustare, vel concipere possumus, copiam & affluentiam. *In cælo*, inquit, *est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectet pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol. si velocitas aut fortitudo, erunt similes angelis Dei. si longa & salubris vita, ibi est sana æternitas, & æterna sanitas. si satietas, satiabuntur cùm apparuerit gloria Domini. si ebrietas, inebriabuntur ab vbertate domus Dei. si melodia, ibi angeli sine fine concinunt Deo. si qualibet mundi voluptas, torrente deitatis suæ potabit eos Dominus. si sapientia, omnes erunt docibiles Dei. si concordia, cibus erit illis voluntas Dei. si potestas, introibunt in potentias Domini, & omnipotentes erunt suæ voluntatis, vti Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum: ita poterunt illi quod volent per illum. si honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles super multa constituet. si vera securitas, certè ita certi erunt nusquam illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt nec se sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis inuitis ablaturum.* Ex quibus omnibus rectè infert S. Gregorius homil. 32. in Euangel. *Ad magna*, inquit, *præmia peruenire non potest nisi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator dicebat: Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Tempus enim præsens, vt quidam Sanctorum ait, est laboris & pœnitentiæ: futurum verò erit quietis & lætitiæ.

Graphica gaudij Beatorum & ponderis gloriæ descriptio.

QVÆ

QVÆ ENIM VIDENTVR, TEMPORALIA SVNT: QVÆ AVTEM NON VIDENTVR, ÆTERNA SVNT] Præclarè S. Augustin. in Sententiis n. 270. *Inter temporalia, ait, atque aterna hoc interest, quòd temporalia plus diligantur antequam habeantur, vilescunt autem cùm aduenerint. Non enim satiat animum, nisi incorruptibilis gaudij vera & certa æternitas. Æternum verò ardentiùs diligitur adeptum quàm desideratum. Nemo enim plus de illo æstimat quàm de se habet, vt fiat vilior, quia speratum est amplius. Sed tanta est ibi excellentia, vt multò plus adeptura sit charitas quàm vel fides credidit, vel spes desiderauit.* Vide S. Greg. homil. 36. in Euang. initio, vbi idē discrimen inter voluptates carnales & spirituales assignat, fusiusq; pertractat.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, pergit inculcare futuram gloriam, ad eamq; ex hoc exilio & tabernaculo suspirat, optans peregrinari à corpore, & præsens esse ad Dominum.

Secundò, v. 9 ostendit se contendere, non vt hominibus sed vt vni Christo, vtpote nos iudicaturo, per omnia placeat.

Tertiò, v. 14. docet se ad hoc vrgeri charitate Christi, qui sua morte nos reconciliauit, itaq; se iam neminem nosse secundùm carnem, sed tantùm si quæ in Christo noua creatura.

Quartò, v. 18. profitetur se esse ministrum & legatum Christi, ac pro Christo obsecrat vt reconcilientur Deo.

1. SCimus enim, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes: 3. si tamen vestiti, non nudi inueniamur. 4. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita. 5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. 6. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: 7. (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) 8. audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. 9. Et ideo contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. 11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse. 12. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. 13. Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. 14. Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: 15. & pro omnibus mortuus est Christus: vt, & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. 16. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem. Et si cognouimus secundùm carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. 17. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. 19. quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 21. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

VERS. 1. SCIMVS ENIM, QVONIAM SI TERRESTRIS DOMVS (id est scimus, si corpus mortale, in quo breui tempore quasi in tabernaculo (hoc enim Græcum σκήνη significat) tamquam peregrini & viatores morámur) DISSOLVATVR; QVOD DOMVM, &, vt Syrus, ædificium, putà firmum & stabile, HABEMVS NON MANVFACTAM] putà gloriam animæ, & vitam æternam Ita Photius, Anselmus, S. Thomas, Lyran. & ita respondet versui 6. & 8. vbi ait, *Audemus peregrinari, & præsentes esse ad Dominum.* Vnde ex hoc sensu & Patrum explicatione, & certiùs ex v. 8. contra Tertull. Græcos, Armenos, Lutherum, Caluinum euincitur beatitudo animarum statim à morte, nec eas dormire sub altari vsque ad resurrectionem.

Secundò, & aptiùs: *Domum*, id est, corpus resurrectione glorificatum, *habemus*, id est habebimus certò in resurrectione: & hoc magis respondet versui 4. & cap. præced. excitat enim Apostolus ad mortificationis & passionis corporalis tolerantiam per spem resurrectionis, in qua recipiemus corpus glorioſum. Sic 1. Cor. 15 dicit, *Seminatur*, scilicet corpus, *in ignobilitate, surget in gloria*, id est glorioſum: & tale corpus propriè domus est animæ

Animæ beatæ, sicut corpus mortale domus est animæ hîc viuentis & patientis. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Ambros.

Dices: Ipsi gloriæ, in quam intrat anima beata, accipotest animæ domus; sic enim dixit Christus, *Intra in gaudium Domini tui.* Respondeo, dici *Intra in gaudium*, non quasi gaudium sit domus in quam intratur, vt volunt aliqui; sed gaudium metonymicè dicitur locus ipsæ gaudii, q.d. Intra in nuptias cœlestes, intra in cælum, vbi locus est gaudiorum plenissimorum & æternorum: minùs enim rectè ipsa gloria, vel gaudium dicitur domus, in quam intrabunt Beati.

Moraliter Chrysost. hom. 5. in epist. ad Hebræos, Eadem, inquit, facilitate corpus exuere debemus qua vestem, vti Ioseph pallium reliquit Ægyptiæ: & B. Aloysius Gonzaga moriturus ita de morte sua loquebatur, quasi de vna domo tantùm in aliam migraret.

NAM ET IN HOC INGEMISCIMVS, HABITATIONEM NOSTRAM QVÆ DE CÆLO EST, SVPERINDVI CVPIENTES] Id est, vt Syrus, ad hoc gemimus & suspiramus; scilicet vt domus hæc terrestris & misera, id est corpus hoc mortale, dissoluatur, & habitationem, id est domum nostram, quæ de cælo est, corpus videlicet beatum & gloriosum, superinduamus, vt sequitur. Secundò & meliùs: propter hoc, scilicet mortem & dissolutionem, quæ interuenire debet, vt à vita hac transeamus ad æternam, ingemiscimus: nam mors hæc contra naturam est, optaramus enim superindui gloria, non spoliari vita, vt sequitur v. 4. Hic sensus magis constabit ex v. seq. Vnde S. Gregorius l. 31. Moral. 26. *Ecce*, inquit, *Paulus & mori desiderat, & tamen carne expoliari formidat. Cur hoc? quia etsi victoria in perpetuum latificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat. Sicut enim vir fortis cùm vicino iam belli certamine armis accingitur, & palpitat & festinat, tremit & sauit; quasi pauere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer vrgetur: ita vir sanctus cùm passioni se propinquare conspicit, & natura sua infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur; & de vicina morte trepidat, & tamen quòd moriendo verius viuat, exultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire: & idcirco confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit; & gaudens metuit, & metuens gaudet.*

Dices, Quomodo metaphora domus & habitationis congruit cum veste quæ superinduitur? Resp. Apostolus duas hîc metaphoras coniungit: vna petitur à domo, secunda à veste. Solent enim Hebræi, quos hîc imitatur D. Paulus, multas metaphoras simul implicare & conuoluere. Id videre est tum in Prophetis, tum in Psalmis, tum in parabolis Christi.

SI TAMEN VESTITI, NON NVDI INVENIAMVR] Pro *vestiti* nonnulli legunt *exspoliati*. facilis enim lapsus est Græci v. in κ. vt pro ἐνδυσάμενοι, scribatur ἐκδυσάμενοι. itaque legit August. & ex eo Beda hîc, Ambros. Tertull. & Paulinus mox citandi, sicque explicat Augustinus, q.d. Superuestiemur cælesti gloria, si quidem expoliati hoc corpore Christum fuerimus induti, eoque vestiti.

Nota. Distinguit hîc tria Apostolus; Primò, esse nudos & expoliatos; Secundò, esse indutos; Tertiò, superindui, vt clariùs patet ex Græco: sicut enim v. præcedenti gloriam cælestem vocauit domum & habitationē: sic etiam hîc eamdem alia metaphora vestem vocat. Iam locum hunc sic explicant aliqui,

A q.d. Cupimus superindui cælestem habitationem, scilicet corpus cæleste & incorruptibile, sic tamen vt cum immortalitate gloria quoque donemur, gloriaque non nudi, sed vestiti inueniamur. Nam, vt ait Apostolus 1. Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus* ad immortalitatem, *sed non omnes immutabimur* ad gloriam. Verùm de solis reprobis & damnatis hoc verum est. Illi autem licet habituri sint corpus immortale, non tamen dici possunt habituri corpus cæleste. Soli enim Beati hoc habituri sunt. Cæleste ergo corpus est, quod ita est immortale, vt pariter sit & glorioſum: ac consequenter qui illud habent, necessariò vestiti, & non nudi inueniuntur. Apostolus autem hîc ab ijs qui cupiunt habere corpus cæleste, excipit, & conditionatè dicit: *Si tamen vestiti, non nudi inueniamur.*

Damnati licet corpus habituri, erunt tamen sine veste.

B Secundò ergo, aliter explicant hunc locum S. Chrysost. Theophyl. Theodor. Ambros. q.d. Domus illa, id est cælestis gloria, nobis obtinget, si ea digni inter electos, non inter reprobos inueniamur; videlicet si gratia, charitate, & bonis operibus vestiti, non autem ijs nudi inueniamur, &, vt ait S. Paulinus epist. 8. ad Seuerum Sulpit. *Si dispoliatus à corpore, non inueniarìs nudus ab opere.* si enim ijs simus vestiti, tunc Deus nos superinduet, quasi noua veste induta, stola gloriæ immortalis. Verùm quia v. seq. nuditatem hanc explicat separationem animæ à corpore: ait enim, *Nolumus exspoliari*, scilicet corpore, vt anima nuda solaque beetur, *sed superuestiri*; videtur potiùs, vt rectè notauit Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 41. nudos & expoliatos nos vocare, cùm mortui sumus, & anima corpore spoliata est; ac consequenter vestitos, cùm anima corpori C est coniuncta, illudque quasi vestem induit; superindutos verò, vel superuestitos, cùm corpus gloria cælesti quasi veste induitur & ornatur; vt sicut anima corpore, ita corpus gloria vestiatur: sic enim anima corpore vestitur, sed gloria superuestitur & superinduitur. Cupimus ergo ea superindui, *si tamen vestiti, non nudi inueniamur.*

Quis hic nudi, vestiti & superuestiti?

Vbi Nota Secundò. Vox *si* aliquid peculiare exigit, non commune omnibus electis, sed aliquibus proprium, videlicet ijs, qui in fine mundi viui, & corpore vestiti inuenientur; sicque viui, vel ita morientes, vt mox resurgant, videanturque non esse mortui sed viui, superuestientur immortalitate. Sensus itaque est, vt rectè Caietanus, q.d. Nobis continget non dissolui, non mori, quod naturaliter abhorremus, & propter quod gemimus, sed gloria superindui, quod tantopere cupimus, si inueniamur in fine mundi residui, nondumque mortui, sed vestiti corpore, non eo nudati, vt non, vel non nisi breuissimo tempore, moriamur, sed transeamus ex hac vita ad æternam. Patet ex sequentibus.

An illi qui inuenientur in fine mūdi, sint morituri.

NAM ET QVI SVMVS IN HOC TABERNACVLO (corporis scilicet) INGEMISCIMVS GRAVATI, scilicet, vt Syrus, ob eius (corporis) onus & pondus; ita tamen, vt cum S. Gregor. Nazianz. dicamus: *Domine aufer à me tunicam hanc ita grauē* (corpus scilicet terrestre, ponderosum, ærūnosum) *sed & da mihi leuiorem.* EO QVOD NOLVMVS EXPOLIARI] Græcè ἐκδύσασθαι, exui, scilicet corpore, sed ἐπενδύσασθαι, superindui, scilicet gloria: si tamen ἐνδυσάμενοι, id est, vestiti carne & corpore, non ea nudati per mortem inueniamur. Apostolus enim ita loqui solet de resurrectione & die iudicij, quasi ea instet, & quasi eam ipse cum alijs tunc viuentibus sit visurus. Vnde

VERS. 4.

1. Thessal. 4. v. vlt. *Deinde*, inquit, *nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiàm Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus*. de quo ibi.

Error Platonicorum de sepulchro animæ.

EO QVOD NOLVMVS EXPOLIARI] corpore scilicet. Errauit ergo Plato, qui σῶμα, id est corpus, quasi σῆμα, id est sepulchrum, dici putauit, & ex illo Origen. qui animas ob peccata in corpus hoc quasi carcerem detrusas censuit; quis enim non cuperet suo carcere spoliari? anima autem non cupit corpore spoliari; est ergo corpus animæ amicum, socium & compar, animaque corpus expetit, sicut forma materiam: & contrà. Videtur ergo Platonis & Platonicorum, quorum scholæ florebant Corinthi, errorem hunc perstringere hîc Apostolus.

VT ABSORBEATVR QVOD MORTALE EST, A VITA] B mortalitas ab immortalitate.

VERS. 5. QVI AVTEM EFFICIT NOS IN HOC IPSVM, DEVS] Græcè ὁ δὲ κατεργασάμενος, qui operatus est, perfecit, formauit nos, scilicet *qui* Primò, creauit *nos in hoc ipsum*, scilicet ad hanc beatitatem, & vitam immortalem, Deus est. Secundò, qui æterno suo decreto parauit & destinauit nos ad eamdem illam beatitatem, idem Deus est. Tertiò, & optimè, qui per suam gratiam, voluntatem, intellectum, totumque hominem nostrum ita formar, præparat, componit, quique facit nos ita viuere, vt digni simus, qui hac immortalitate beemur, ille idem est Deus. ita Ambros.

Triplex huius loci sensus.

QVI DEDIT NOBIS PIGNVS SPIRITVS] Id est, vt Ambrosius legit, *spiritum*. q. d. Non dedit nobis Deus pignus auri vel argenti, id est aurum, vel argentum in pignus, sed dedit nobis Spiritum sanctum, cùm eius charitatem, virtutes, & sanctitatis C spiritum, quo fiducialiter Deum Patrem inuocamus, clamantes quasi filij, *Abba pater*, nobis infudit. Hic enim Spiritus pignus est futuræ gloriæ & hereditatis nostræ cælestis: ad hoc enim dedit nobis Deus hunc Spiritum, vt per illum, quasi pignus & arrham certos nos faceret de futura hereditate, si pergamus quasi morigeri filij Deum Patrem inuocare, illique obedire, eiusque Spiritum quasi pignus retinere & conseruare.

VERS. 6. AVDENTES] θαῤῥοῦντες, confidentes, id est audemus, confidimus, audacter & fidenter pericula & mortem pro Christo & Euangelio suscipimus, imò optamus. ita Theophyl. Hebræi enim participium præsens vsurpant pro indicatiuo, iuxta can. 29.

IGITVR Quia scilicet hanc gloriam, & vitam æternam quasi hereditatem speramus, eiusque pignus Spiritum sanctum accepimus: ideo audemus D quæuis ardua & agere & pati.

SCIENTES QVONIAM, DVM SVMVS IN CORPORE, PEREGRINAMVR A DOMINO] Hoc est, quamdiu sumus in hoc corpore, tàdiu à Domini Dei patris nostri conspectu & hereditate elongati & absentes, quasi peregrè in terra aliena, scilicet in vita hac & corpore mortali, versamur. q. d. Hîc peregrini sumus, quia conscripti sumus ciues cæli, & heredes Dei; festinamus ergo ex peregrinatione hac tendere, & consequi patriam nostram cælestem, Deique patris nostri hereditatem adire: vnde audacter in pericula & necem ruimus, eaque quasi viam in cælum inuadimus. Secundò, per metalepsin, *peregrinamur*, id est absentes sumus, à Domino (de quo v. 9.) festinamus ergo, & peroptamus illi præsentes esse.

A Vnde S. Bernard. tract. de Præcepto & dispens. c. 27. *Illa*, inquit, *circa corpus occupatio quid est, nisi à Deo quædam absentatio? & absentatio quid, nisi peregrinatio? Et peregrinamur ergo à Domino, & in corpore peregrinamur, cuius nostra nimirum & intentio præditur ærumnis, & curis charitas fatigatur.*

PER FIDEM ENIM AMBVLAMVS, ET NON PER SPECIEM] quia scilicet necdum ipsam speciem, id est naturam & pulchritudinem Dei, in se contemplamur facie ad faciem, ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum.

Perperam ergo hinc quis doceat videri Deum a Beatis non se solo per essentiam, sed per speciem mediam, quæ essentiam repræsentet, sicut species coloris oculo impressa, oculo colorem, qui in pariete est, repræsentat: nec enim talem speciem hîc intelligit Apostolus, sed speciem, qua res in se coràm clarè spectatur. opponit enim speciem fidei, qua non spectamus, sed obscurè credimus futura & absentia.

AVDEMVS AVTEM] audemus, inquam: repetit enim & inculcat id quod dixit v. 6. *Audentes igitur*.

ET BONAM VOLVNTATEM HABEMVS (græcè εὐδοκοῦμεν, bene volumus; Syrus, Peroptamus; Chrysost. vertit, Φιλοδοξοῦμεν, omnibus votis cupimus) MAGIS, id est malentes PEREGRINARI A CORPORE, ET PRAESENTES ESSE AD DOMINVM] id est. eligentes potiùs abesse à corpore, vt liceat adesse Deo, eiusque præsentia, specie & facie perfrui.

Hinc probatur, animas à morte statim videre Deum: ideo enim ait nos malle peregrinari à corpore, vt præsentes simus ad Dominum, vel, vt Græcum ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον, ad verbum propriè vertit Erasmus & Vatab. *vt domi simus apud Dominum*, quasi in patria patri nostro cælesti præsentes. si enim peregrinantes, & separati à corpore, domum ad Deum patrem nostrum statim non veniremus, sed alibi in via hærendum nobis & peregrinandum esset, non desideraremus peregrinari à corpore, imò ea, vtpote loco naturali animæ, peregrinari mallemus, quàm alibi loco incognito. sed de Græco ἐνδημέω plura v. 9.

ET IDEO CONTENDIMVS] φιλοτιμούμεθα, certatim, omni studio, ministerio, conatu & nisu nostro contendimus, certamus & ambimus Deo placere, vt in hoc studio non patiamur nos à quoquam superari.

SIVE ABSENTES, SIVE PRAESENTES] Deo scilicet, & consequenter corpori, sed per antithesin: hoc enim ipso, quo sumus absentes Deo, præsentes sumus corpori; & hoc ipso, quo præsentes sumus Deo, absentes sumus à corpore, vti præcessit v. 6. & 8.

Vbi Nota. Græcum ἐνδημεῖν, propriè significat domi, in populo suo agere, δῆμος enim populum significat; huius contrarium ἐκδημεῖν, significat foris, extra populi sui fines agere, siue peregrinari. Vnde Vatablus & Erasmus vertunt: siue domi præsentes, siue foris peregrè agentes. Sed Apostolus paulò generaliùs hæc sumere videtur: tam enim in corpore quàm apud Deum nos dicit ἐνδημεῖν & ἐκδημεῖν. non possumus autem propriè domi esse, & in corpore existentes, & separati à corpore. Deoque præsentes: sicut vicissim nō possumus dici esse peregrè, & in corpore, & apud Deum. Itaque ἐνδημεῖν sumit pro incolere, inhabitare, esse præsentem; ἐκδημεῖν verò pro migrare, abire, absentem esse: dum enim corpus hoc præsentes incolimus; abimus, & absentes sumus à Domino: & contrà, dum cælum inco-

incolimus præsentes apud Dominũ; tum abimus, & absentes sumus à corpore. Vnde Noster clarè vertit, *siue absentes, siue præsentes*, scilicet siue à Deo, siue à corpore, vt præcesserit.

Verùm nil obstat, quo minùs ἐνδημεῖν, & ἐκδημεῖν, propriè capiat Apostolus pro domi esse, & peregrè esse.

Pro quo Nota. Apostolus v. 1. dixit nos duas habere domos, vnam terrestrem, aliam cælestem, & vtrobique nos esse domi, scilicet tam in corpore, quasi domo naturali, quàm in cælis apud Deum, quasi domo Dei gratuita & gratis nobis data. Cõsequenter duplex est peregrinatio nostra, duobusque locis peregrinamur. Vno, cùm in hoc corpore & exilio à patria cælesti & Deo semoti quasi peregrè agimus, & viuimus. Secundò, cùm à corpore quasi domo separati per mortem peregrè in aliam regionem & orbem, in cælum ad Deum concedimus. Hinc ergo Apostolus ait nos ἐνδημεῖν, domi esse, & in corpore apud Deũ; ac rursum, ἐκδημεῖν, peregrinari, peregrè agere, & in corpore, & apud Deum. Id patet ex verbis ipsis expressis Apostoli v. 6. & 8. Hoc verò v. 9. vbi simpliciter dicit, εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, siue domi agentes, siue peregrè agentes; licet non addat nec exprimat τὸ in corpore, vel apud Deum; refert se tamen ad illa eadem quasi iam præmissa v. 6. & 8. indeq; hîc eadem addenda & supplenda relinquit. q. d. Ideo, siue absentes à Deo, & corpori præsentes, siue præsentes Deo, & à corpore absentes, id est vbicũque, & in quocumque statu simus, contendimus placere Deo, vt scilicet possimus præsentes esse apud Dominum, eiusq; præsentia & facie perpetim frui. nisi enim Deo placeamus, nec hîc corpori præsentes, & à Deo absentes tendere poterimus ad eius præsentiã; nec à corpore absentes & Deo præsentes poterimus in eius præsentia permanere, eaque frui & beari: vtrumq; autem contendimus peragere & perficere, dum sumus in hac vita; quia scilicet in hac vita per omnia conando Deo placere, tendimus ad eius præsentiam & visionem, ac secundò meremur, vt eius præsentia semel donati in eadem perpetuò maneamus: qui enim hîc Deo placet, illîc non displicebit, ait Ambros. & Anselmus.

Alij planiùs vertunt εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, siue incolentes, siue migrantes à corpore ad Dominum. q. d. Tota vita vsque ad mortem & vltimum halitum, quo anima migrabit à corpore, Deo placere satagimus: vnde & Tertull. l. de Resurrect. carn. c. 43. legit: *Et ideo gestimus siue peregrinantes siue immorantes placibiles illi esse.* sed hi verba Apostoli generalia, & tam Deo quàm corpori cõmunia, vt dixi, restringunt ad solum corpus; prior ergo sensus, quem dedi, genuinus videtur.

10. OMNES ENIM] Vox *enim* dat causam præcedentium. q. d. Contendimus placere Deo in omni opere nostro, vt in tribunali Christi, cui sistendi sumus, donemur gloria corporis, & beata Dei præsentia (vt dixit v. 8.) ac visione; non autem ea priuemur cum illis, qui Deo per opera mala displicuerunt.

NOS MANIFESTARI OPORTET tum Iudici Christo, tũ omnibus hominibus, ANTE TRIBVNAL CHRISTI] vt quisque singulorum & bona, & mala videat. Hinc patet Paulum quoque & Apostolos iudicandos esse, sed ita, vt simul ipsi aliorum sint iudices, & condemnent eos qui sibi credere noluerunt, Matth. 19. 28.

A VT REFERAT VNVSQVISQVE PROPRIA CORPORIS (scilicet gesta & facta) PROVT GESSIT] πρὸς ἃ ἔπραξεν, secundùm ea quæ fecit & gessit per corpus proprium. Vatablus, *pro eorum, quæ fecit, portione*, id est pro disparitate meritorum demeritorumque, disparem quisque gloriam recipiet, vel pœnam.

Propria corporis in hac vita sunt etiam propria animæ.

Nota. Quæ propria sunt corporis, sunt & animæ propria: nam anima in hoc statu & vita nihil agit, nec agere potest sine corpore; adeò vt ad cogitationem & intellectionem ipsam corporali phantasmate indigeat: itaque propria corporis sunt, quæ anima propriè per corpus gerit & operatur.

Aliena merita non inuabunt.

Notat Secundò, Chrysost. dici propria, quia aliena & parentum merita in tribunali Christi filios non iuuabunt, adeoque, vt ait Ezech. c. 14. v. 14. & 20. Noë, Daniel & Iob, non liberabunt filium & B filiam, sed tantùm animas suas. Si tribunal hoc cogitaremus, cùm à socijs, à libidine, à fastu, à gula tentamur; facilè omnia superaremus, nulloque metu aut cupiditate à Dei lege & obedientia nos abduci pateremur. Vide Chrysost. in morali homiliæ 10.

Refutatur error Pelagianorum ex hoc loco negantium peccatum originale.

Hinc inferebant Pelagiani, infantes nullum habere peccatum, necesse peccatum originale: quia Christus in iudicio tantùm examinabit peccata propria quæ quisque gessit in corpore; atqui infantes nihil gesserunt, nec gerere potuerunt quasi proprium: ergo peccatum non habent, quod Christus examinet & iudicet.

Respondet S. August epist. 107. hanc Apostoli sententiam etiam ad infantes pertinere; peccatum enim originale habituale esse eis proprium & inhærens; ipsum verò actuale Adami, ex quo propagatur in singulos ex Adamo nascentes peccatum C originale habituale, licet Adamo fuerit proprium, id est physicè inhærens (fuit enim esus pomi vetiti, quod comedit Adam:) tamen & paruulis moraliter dici proprium, quia actus hic Adami ad eos pertinuit, censeturque eorum actus proprius fuisse, sicque peccatum hoc gesserunt & commiserunt, non per se, sed per Adamum: voluntas enim Adami censebatur omnium posterorum etiam paruulorum esse voluntas.

Sed planiùs magisque ad Apostoli mentem responderi potest, Apostolum non loqui de infantibus, sed adultis: illos enim exhortatur vt satagant Deo per omnia placere, vt referant præmiũ à Deo, quisq; pro gestis: infantes enim licet in Christi iudicio comparituri sint, operum tamen examine non indigebunt, nec demeritis, sed soli originali D peccato debitam pœnam recipiet, vt docet S. August. serm. de omnibus Sanctis to. 1. & Nazianz. orat. 60. quæ est de sancto lauacro.

VERSAT. SCIENTES IGITVR hæc quæ dixi de Christi tribunali, à quo quisq; referet prout gessit. Secundò, & simpliciùs, *scientes* TIMOREM DOMINI, id est, quia scimus timendum esse Dominum iudicem & vindicem, hinc eumdem hunc timorem HOMINIBVS SVADEMVS] vt eo Dominum timeant.

Duplex timor Domini, & varia eius acceptiones in Scriptura.

TIMOREM DOMINI] Timor capi potest duobus modis. Primò, actiuè, quo Dominum timemus; Secundò, passiuè, quo Dominus est timentibus quasi iudex terribilis. Vnde Syrus & Vatablus vertunt, *scientes igitur terrorem illum Domini, suademus hominibus.* Sic Iacob Deum vocat timorem patris sui Isaac, id est timoris obiectum, seu, quem timuit Isaac pater suus, Genes. 31. 24. Ita hîc timor voca-

tur obiectum timoris, res timenda, terror. q.d. Scientes timendum, id est terribilem, esse Deum; siue, scientes timendum & formidandum esse Dominum. vide can. 30. Sic Isaiæ 8. 13. dicitur: *Dominum exercituum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester.*

DEO AVTEM MANIFESTI SVMVS] q.d. Deus scit me sincerè Deum timere, & timorem hunc alijs suadere: quia enim Paulus ex hoc timore & cupidine Deo placendi, & fruendi quam hîc præ se fert, aliquibus, maximè æmulis & pseudoapostolis, qui occasionem eum calumniandi quærebant, videri potuisset se quasi sanctum laudare; hinc vanitatem hanc laudisque cupiditatem hîc & in sequentibus à se amolitur.

VERS. 12. VT HABEATIS] occasionem scilicet gloriandi (hoc enim repetendum relinquit) de me.

AD EOS (contra eos) QVI IN FACIE GLORIANTVR] B qui externa se specie iactant, cùm sibi non sint in conscientia bene conscij, sintque hypocritæ & pseudoapostoli.

VERS. 13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMVS, DEO: SIVE SOBRII SVMVS, VOBIS] Aliqui manuscripti codices legunt: *si mente excidimus.* Græcum enim ἐξέστημεν, significat raptum, quo mens emota extra se abripitur, siue vehementia naturæ, morbi, choleræ, melancholiæ aut apprehensionis in obiecta noua & insolita; siue à Deo in contemplationem & exstasin: siue à furore & insania in delirium. Omnibus his modis ac cipi hîc potest. Imò Syrus, Chrysost. Theoph. Vatablus, Erasm. vertunt, *siue insanimus:* huic enim opponit εἴτε σωφρονοῦμεν, siue sana mēte sumus. q.d. Siue desipimus, siue sapimus. Nam, vt ait Plato libr. 1. de Republ. τὸ σωφρονεῖν ἐναντίον ἐστὶ τῷ μαίνεσθαι, id est, sapere siue sana mente esse contrarium est illi quod est desipere vel insanire. C sic μανίαν, siue insaniam opponit τῷ σωφρονεῖν Paulus Actor. 26. 25. *Non insanio,* inquit, *optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.* Sic de Christo dicunt consanguinei Marci 3. 21. *Quoniam in furorem versus est,* vbi græcè est idem verbum ἐξέστη, quod hîc.

Sapere & desipere quomodo opponātur.

Rursum, raptus hic & insania accipi potest, vel laudis propriæ, vel amoris diuini & contemplationis. De laude propria propriè & genuinè loqui videtur Apostolus, vt sentit Ambros. & Chrysost. de ea enim præcessit. Verùm quia hæc laus est de excellentia ministerij noui testamenti, deque excessu amoris, & claræ speculationis Dei; hinc consequenter & Secundò, de illo etiam intelligendus est, videturque alludere ad raptum Mosis, quo in Sina legem accepturus vidit gloriam Dei, vt dixit D c. 3. 7. Laudauit enim se Apostolus præ Mose, Mosisque raptu c. 3. 16. *Nos verò,* inquit, *omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Hinc c. 4. & 5. laudat se à tribulationibus & laboribus pro Euangelio susceptis, quibus ad hanc gloriam, Deique præsentiam aspirat.

Sensus ergo est Primò, q.d. *Si* nostri obliti vehementia aliqua aut zelo abripimur, quem mundani putant insaniam, vt scilicet quasi insani abripiamur in laudes ministerij nostri, ac glorioſiùs diuiniusque de nobis loquamur (superbia enim & iactantia videtur, & est insania, ait Ambros. seipsum laudare.) *Deo,* hoc est ad Dei honorem, id facimus. *Siue sobrij sumus,* in sermone scilicet, laudibusque nostris; *vobis* id fit, vt nimirum vos modestiam docearnus. ita Chrysost. Hinc consequenter, vt dixi. A Secundò, S. Augustin. Anselm. Theophyl. & alij sic explicant, q.d. Si rapimur in excessum vel exstasin diuini amoris, contemplationis & locutionis, dicentes: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes:* &, *Contendimus, siue absentes, siue præsentes placere illi:* &, *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum;* qua in re gloriari, & nos laudasse visi sumus. Vel, vt vertit Chrysost. *Si insanimus,* hoc est, si videmur quandoque amore & contemplatione ebrij & insani, vti Apostoli Act. 2. 13. & Actor. 26. 14. *Deo,* id est ad Dei gloriam, id facimus, &c.

Nam Plato in Phædro quadruplicem docet esse furorem siue insaniam; Primò, Vatum; Secundò, mystarum; Tertiò, poëtarum; Quartò, amantium, hancque quartam esse optimam & felicissimam. *Diuina,* inquit, *insania siue mania quatuor species statuuntur, quibus totidem præsunt dij. Et vaticinij quidem inspirationem tribuunt Apollini; mysteriorum vim atque efficaciam Libero; poëticam verò Musis; amatorum furorem Veneri & Amori. Optimum illud præstantissimumq; furoris genus quarto loco attribuimus.* Hunc quartum furorem fuisse in Paulo docet hîc Theoph. vtpote qui non in se, sed quasi captus & mente emotus in Christo dilecto suo vixerit (amantis enim anima non tam est vbi animat, quam vbi amat) quique pro fratribus optarit fieri anathema. Sic enim habet Theophyl. *Si insanimus Dei causa, ita insanimus vt vos ad ipsum perducamus. Insaniebat itaque Paulus amatoria quadam insania Deum amans, ac amatorius instar illi viuens, nempe ab amato extra seipsum raptus, ac totus in Deum transiatus, nec suam ipsius vitam viuens, sed illius quem amat, amatoriam, pla nè dilectam & valdè charam.*

Sanctus verò Augustinus, Beda & Anselm. qui hunc locum accipiunt non de insania, sed de raptu & exstasi Pauli, sic explicant. *Quid est,* inquit Augustin. apud Bedam, *Mente excedimus Deo?* vt illa videamus quę non licet homini loqui. *Quid est, Temperantes sumus* (sic legit Augustin. pro eo quod nos habemus, *Sobrij sumus*) *vobis: Non,* inquit, *iudicauimus me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Idem Augustinus in psalm. 103. *Quid est, mente excessimus Deo? Excessimus omnia ista carnalia, & quod vidimus effari non possumus. Quid est, temperantes sumus vobis? Sic loquimur vt capere possitis: quia & Christus talem se fecit nascendo & patiendo, vt possent de illo homines loqui.*

Excessus, inquit Anselmus, *mentis, est intentio ad superna,* ita vt quasi de memoria labantur infima. In hoc mentis excessu Sancti omnes fuere, quibus arcana Dei, mundum istum excedentia, reuelata sunt. Sic Apostolus hîc excedens mente omnem humanam fragilitatem, & sæculi temporalitatem, omnia, quæ nascendo & occidendo vanescunt, transeuntia; habitabat corde in ineffabili quadam contemplatione eorum de quibus dicit, quòd audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui: sed propter alios descendit. Vnde ait, *sobrij sumus vobis,* q.d. Licet alta contemplemur, sobriè tamen de ijs loquimur, vt vos ea capere possitis. ita Anselmus.

Pulchrè piam hanc Pauli insaniam describit S. Bernard. lib. de Natura & dignitate amoris c. 3. *Audi,* inquit, *sanctam insaniam: siue mente excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis. Vis ad hæc audire insaniā? Si dimittis, inquit, eis peccatum, dimitte: sin autem, dele*

me

me de libro vitæ, Exodi 32. Vis aliam? Ipsum audi Apostolum: Optabam, inquit, anathema esse à Christo pro fratribus meis. Nónne mentis bene affectæ sanâ quadam videtur insania, cùm impossibile sit effectu, habere finem in affectu, pro Christo anathema velle esse à Christo? Hæc ad sancti Spiritus aduentum Apostolorum fuit ebrietas, hæc Pauli insania, cùm diceret ad eum Festus, Insanu Paule. Rationem subdit: *Mirumne erat si insanare pronunciabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos iudices suos, à quibus pro Christo iudicabatur, ad Christum conuertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ literæ in eo faciebant, sicut dicebat rex veritatem intelligens, sed dißimulans, sed (vt dictum est) sancti Spiritus ebrietas, in qua & in paruo & in magno similes eos sibi facere gestiebat, qui eam iudicabant. Et vt cætera omittam, quæ maior, quæ magis inopinata insania, quàm hominem relicto sæculo desiderantem & ardentem inhærere Christo, per Christo rursum necessitatis obedientiæ & charitatis fraternæ inhærere sæculo; tendentem in cælum semetipsum mergere in cœnum? Hic est Beniamin adolescentulus, qui in mentis excessu nec se, nec suum aliquid sentit, sed eum solum in quem totus excesit. Hac insania insani erant Martyres inter tormenta ridentes. Ita insanire libet.*

Etidem serm. 85. in Cantic. in fine, *Pergat*, inquit, *quis forsitan quærere à me verbo frui quid sit? Audi expertum. Siue, inquit, mente excedimus Deo, siue sobry sumus vobis, hoc est: Aliud mihi cum Deo, solo arbitro Deo: aliud vobiscum mihi. Illud licuit experiri, sed minimè loqui: in hoc ita condescendo vobis, vt & ego dicere, & vos capere valeatis. O quisquis curiosus es scire quid sit verbo frui, para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc lingua, sed gratia. Absconditur à sapientibus & prudentibus, & reuelatur paruulis.*

CHARITAS ENIM CHRISTI (non tam passiua, quàm actiua, qua scilicet Christus homines dilexit, seque totum ijs impendit) VRGET NOS] vt & nos Christi exemplo & amore idem faciamus, noſque totos hominibus impendamus, vt eos faciamus saluos à morte; ideoque, prout eis expedit, nunc mente excedamus, nunc sobrij simus. Vnde sequitur.

QVONIAM SI VNVS, scilicet Christus, PRO OMNIBVS MORTVVS EST, ERGO OMNES MORTVI SVNT] Pendet hic totus versus à sequ. qui eius sensum & connexionem cum v. 13. significat & explet. Sensus verò est, q.d. Tanta fuit Christi charitas, vt pro omnibus moreretur. Vnde sequitur nos fuisse mortuos; ideo enim mortuus est, vt nos à morte, & corporis, & animæ, quam per peccatum incurreramus, eam in se suscipiendo, liberaret. Ex quo magis patet Christi miseratio & charitas, quòd scilicet è tanta mortis miseria, eam in se suscipiens nos eripuerit, quæ profectò *vrget nos*, vt Christum redamemus, eiusque amore in proximi salutem modis omnibus incumbamus, & neminem excludamus, sed pro omnibus, etiam miseris & paupertibus, laboremus, vti fecit Christus. Aliter S. Thomas, *Omnes mortui sunt*, id est, inquit, omnes mortui esse debent vitæ veteri, seseque mortuos æstimare, vt non sibi, sed Christo viuant: sed hoc obscurius est & remotius, idemque cum eo quod clarè dicit versu sequenti, quem ab hoc distingui verba indicant.

OMNES MORTVI SVNT] dempta B. Virgine, ait Anselm. quæ peccatum originale, & animæ mortem numquam incurrit. Secundò, & potiùs, *Omnes mortui sunt*, scilicet in Adamo, quia in eo peccati & mortis necessitatem contraxerunt omnes, etiam Deipara, ita vt & ipsa, & omnes omnino homines Christo redemptore, eiusq; morte eguerint; peccauit ergo & mortua est B. Virgo in Adamo, sed in seipsa peccatum & animæ mortem non contraxit, quia à Deo Deique gratia fuit præuenta, vt dixi Rom. 5. 12.

ET, repete ex v. præced. (*æstimantes quoniam*) PRO OMNIBVS MORTVVS EST CHRISTVS, VT ET QVI VIVVNT, IAM NON SIBI, non suæ gloriæ, voluntati, voluptati, VIVANT, SED Christi, QVI PRO IPSIS MORTVVS EST ET RESVRREXIT] quique nos omnes iure redemptionis sibi seruos effecit, vt sicut seruus non sibi laborat & viuit, sed domino; ita & singuli nostrûm possint dicere: *Viuo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus*: &, *Anima mea illi viuet. Debet enim*, ait Anselmus, *anima humana in se deficere, & proficere in Christo, qui mortuus est, vt nos moreremur peccatis; & resurrexit, vt ad iustitiæ opera resurgeremus. & quid est aliud: Non sibi, sed ei viuant, quàm vt non secundùm carnem viuant in spe terrenorum & corruptibilium bonorum, sed secundùm spiritum in spe resurrectionis, quæ iam ex ipsis in Christo facta est?* Hactenus Anselmus. *Christo viuere debemus iure seruitutis ei debito.*

ITAQVE NOS EX HOC NEMINEM NOVIMVS SECVNDVM CARNEM] q.d. Quia Christi tanta in nos est charitas, noſque vrget, idcirco nihili æstimamus carnalia, id est externa & præsentia, extra Christum; putà famam, valetudinem, amicitias, cognationes. ita Chrysost. vt sit persona pro re; *neminem*, hoc est nihil, ait Vatabl. Ita pariter τὸ *neminem* accipit S. August. l. 9. contra Faustum c. 7. sed per *carnem* intelligit carnis corruptionē & mortalitatem, q.d. Paulus, *Neminem nouimus secundùm carnem*, hoc est, non nouimus amplius vitam hanc carnalem & mortalem: quia certa spe meditamur & ambimus vitam futuram, spiritalem, & beatam post resurrectionem, in qua iam est Christus nobisque locum parat. Hic sensus aptus est, sed paulò remotior. Apostolus enim opponit carni siue homini carnali nouam creaturam, quæ in hac vita est, & viuit per fidem & gratiam in Christo: ait enim, *Si quâ ergo in Christo noua creatura.*

Quare Tertiò, sic magis vicinè & propriè explices: *ex hoc*, id est amplius, *neminem nouimus, secundùm carnem*, id est speciem externam, scilicet quòd nobis sit cognatus, amicus, Iudæus, nobilis, elegans, doctus; his affectibus naturalibus mortuus sum, quia in Christo regeneratus illi soli viuo, ipsum solum, & omnes in ipso secundùm charitatis spiritum, non secundùm carnem amo. q.d. Ego non quæro placere hominibus, aut laudes & gloriam hominum, sed Dei. Quia enim pseudoapostoli Iudæi, æmuli Pauli, vt patebit cap. 11. gloriabantur se esse Hebræos, & semen Abrahæ, quod cap. 11. 18. vocat secundùm carnem gloriari; hinc eos tacitè perstringens, ait se neminem nosse notitia amoris & gloriationis, id est, in nemine gloriari secundùm carnem, seu carnalis propinquitatis & amicitiæ causa, ne quidem in ipso Abraham. Sic ad Philipp. 3. 3. *Gloriamur*, inquit, *in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes.* q.d. Aliquando gloriati sumus nos esse Hebræos, & nobiles secundùm carnem, iam illis affectibus mortui sumus, quia laus omnis nostra & gloriatio est Christus. ita Gagneius.

ET SI COGNOVIMVS SECVNDVM CARNEM CHRISTVM] Hoc est, si aliquando Christum æstimauimus

Quadruplex huius loci sensus.

& vidimus,(si non ego Paulus, certè alij Apostoli nostri) præsentem, mortalem, carnis passionibus, fami, frigori obnoxium, hominem nobis similem; nunc non nouimus nisi immortalem & impassibilem. ita Chrysost. Theodor. & Synodus VII. generalis actione 6. & fauent sequentia.

Secundò, & potiùs, Gagneius, vt dixi, Si olim nouimus, hoc est, magni æstimauimus, & gloriati sumus de Christo secundùm carnem, hoc est, Christum carnali generatione esse Iudæum contribulem nostrum, & nos esse Hebræos Christi cognatos secundùm carnem, vti pseudoapostoli gloriantur, quodque cum Christo præsente viximus, aut etiam familiariter conuersati sumus; iam illis terrenis affectibus mortui sumus, & per Christum recreati augustiùs de eo sentimus, & Christum tantùm nouimus secundùm spiritum, id est, vt hominem diuinum, orbis redemptorem, doctorem, auctorem gratiæ & salutis, atque vt tali viuimus & seruimus, talemque orbe toto prædicamus.

Tertiò, alij non improbabiliter putant Paulum de se loqui pro eo tempore, quo Christum persequebatur. q.d. Etsi aliquando secundùm carnem, id est carnaliter iudicantes, indignam de Christo æstimationem habuimus, v.g. quòd Christus futurus esset rex temporalis, qualem Messiam Iudæi exspectant, iam tamen non ita nouimus vel existimamus.

Hinc Quartò, perperam Faustus Manichæus explicabat sic. q.d. Ego Paulus in principio putaui Christum veram habuisse carnem, sed errorem post ea correxi. Vnde & Philipp. 2. ait, *In similitudinem hominum factus*. q.d. Similem & phantasticam, siue apparentē nobis habuit carnem, non veram, non humanā. Rursum Eutyches sic ad suam hæresin hunc locum torquebat; *Non nouimus*, inquit, *Christum secundùm carnem*, quia incarnatione caro & humana natura Christi absorpta fuit à diuinitate. ponebat enim ipse in Christo vnam naturam æquè ac personam, eamque diuinam.

Vides hîc quàm hæretici Scripturam, quasi nasum cereum, quouis ad sua phantasmata flectant trahantque. Sic olim Iconomachi, & nuper Caluinus admonitione de reliquijs, hæc Apostoli verba detorserunt contra venerationem reliquiarum & imaginum Christi & Sanctorum: quasi diceret Apostolus, Iam post resurrectionem non nouimus Christum secundùm carnem, id est, quidquid in Christo carnale fuit, obliuioni tradendum est, & missum faciendum, vt in eo secundùm spiritum quærendo & possidendo omne studium ponamus. Sed hoc non velle Apostolum clarissimum est: quia sic vellet nos obliuisci carnis, mortis & passionis Christi, eiusque esse immemores & ingratos; cuius contrarium voluit & sanxit Christus, quando in mortis suæ memoriam perpetuam instituit Eucharistiam. Vnde ipsemet Paulus 1. Cor. 11. *Quotiescumque*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Non ergo hoc quod vult Caluinus, sed illud quod dixi, intendit hoc loco Apostolus. ita Concil. II. Nicenum act. 6. ex Epiphanio & Cyrillo.

VERS. 17. SI QVA ERGO IN CHRISTO NOVA CREATVRA. q.d. Si quis ergo mecum est in Christo regeneratus, & quasi in alium hominem & nouam creaturam est recreatus & transmutatus (vti ego iam non sum ille qui fui, putà Saulus, sed Paulus.) in hoc VETERA TRANSIERVNT] veteres scilicet, tum iudaismi ritus, tum potiùs affectus & iudicia, quale est nouisse aliquem secundùm carnem, quod præcessit. Ecce enim in tali facta sunt omnia noua, vt nouos habeat affectus, noua iudicia de re & spe Christiana, nouam vitam, nouam spem resurrectionis, nouam gratiam, sanctitatem, iustitiam. Vide de hac nouitate Ansel. & S. August. tract. de Caritate nouo to. 9.

Causam dat S. Bernardus ser. 5. de Assumptione B. Mariæ: *Facta*, inquit, *sunt omnia noua, id est, nouum castellum veteri euerso. Sublata quippe cupiditate expanditur ingens sinus desiderij: vt ad eius aduentum multò magis anhelet mens ad cælestia, quàm prius terrenis incubuerat. Iam ponitur murus continentiæ, antemurale patientiæ. Surgit autem hoc opus à fundamento fidei, & crescit per dilectionem proximi vsque ad charitatem Dei.*

OMNIA AVTEM noua iam dicta EX DEO, (ex Dei donatione & gratia facta & data sunt) QVI NOS RECONCILIAVIT SIBI PER CHRISTVM, ET DEDIT NOBIS MINISTERIVM RECONCILIATIONIS] vt per nostram prædicationem persuadeamus hominibus Christi fidem & pœnitentiam, nouam & Christianam vitam, itaque ipsos Deo reconciliemus.

QVONIAM DEVS ERAT IN CHRISTO] quasi Filio per vnitatem essentiæ. ita Ambrosius & Primasius. vnde S. Ambros. l. 3. de Fide ad Gratian. *Deus*, ait, id est *sempiterna diuinitas*, *erat in Christo*. q.d. Christus reconciliauit mundum, quia erat Deus. Secundò, & meliùs, *Deus erat in Christo*, id est per Christum, *mundum reconcilians sibi*. Ita Græci. Tertiò, Caietanus, *Mundum in Christo*, hoc est mundum Christo credentem, reconciliauit sibi Deus. Sed hoc coactum & distortum videtur.

NON REPVTANS ILLIS DELICTA IPSORVM] q.d. Non imputans, sed gratis remittens delicta per iustitiæ Christi, non imputationem, vt volunt hæretici, sed realem infusionem. ita Chrysost. & Anselmus.

Nota hebraismum. Scriptura dicit Deum statuere, imputare ad peccatū, vel non imputare, non quasi in re ita non sit; sic enim falleretur Deus: sed potiùs, quia sinceriſſimum est Dei iudicium, reputatque res & peccata verè vt sunt. Secundò, quia ex Dei iudicio, putà ex lege æterna quæ est in mente Dei, pendet omnis lex, ac consequenter peccatum contra legem. Tertiò, & maximè, quia omnis peccati remissio pendet ex Dei condonatione; condonare autem est quasi non imputare: peccatum enim ens morale est, offensa scilicet Dei, quæ præter morali causa, scilicet condonatione, tollitur. sed Dei liberalis clementia cum hac simul gratiā, charitatem, & virtutes omnes infundit, vt ijs quasi realibus Dei donis ornemur, iustificemur, fiamusque digni amicitia Dei.

ET POSVIT IN NOBIS VERBVM RECONCILIATIONIS] prædicationem scilicet verbi Dei, quo Deo homines reconciliemus, vt dixi v. præcedenti. Posset Secundò, *verbum* pro re metonymicè, quasi signum pro signato accipi. sic *verbum reconciliationis* esset ipsa reconciliatio, siue potestas de ministerium, vt dixi v. præced. reconciliandi homines Deo.

OBSECRAMVS PRO CHRISTO, RECONCILIAMINI DEO] q.d. Obsecramus vice Christi, quasi legati Christi,

Christi. & quasi Christus per nos vos obsecret, vt reliris Deo reconciliari. En qua industria, efficacia, zelo vtitur Apostolus, vt Corinthios conuertat.

EVM QVI NON NOVERAT PECCATVM] scilicet per experientiam, qui tamen nouerat illud per simplicem notitiam, ait D. Thomas, id est Christum, qui peccatum numquam fecerat.

PRO NOBIS PECCATVM FECIT] qui eramus peccatum, ait Illyricus; quia peccatum, inquit, est substantia & forma animæ nostræ: sed hoc de nobis dicere, delirium est; de Christo, blasphemia. *Peccatum* ergo, id est hostiam pro peccato nostro, fecit Deus Christum pro nobis, ne nos quasi victimæ piaculares, illud æterna morte & igne lueremus. Ludit ergo Apostolus in voce *peccatum*, quia dum ait, *Eum qui non nouerat peccatum*, peccatum proprie; dum verò addit, *Pro nobis peccatum fecit*, peccatum metonymicè accipit iuxta can. 3. ita Ambros. Theoph. Anselmus. Hinc Christus psal. 21. 2. nostra delicta sua vocat. ita Theodor. ibi. Secundò, *peccatum*, ait D. Thomas, id est in similitudinem carnis peccati, vt esset Christus passibilis, vti peccatores ex Adæ peccato passionibus sunt obnoxii. Tertiò, *peccatum*, id est, vt Christus æstimaretur ab hominibus peccatum, id est peccator insignis, dum quasi infamis latro suspensus & crucifixus est. ita Græci.

Ex hisce tribus sensibus primus cæteris plenior, significantior & neruosior est, magisque ex vsu & phrasi Scripturæ, quæ sæpè *peccatum* vocat ipsam victimam piacularem siue expiatricem peccati: vt Osee 4. 8. *Peccata* (id est hostias pro peccato oblatas) *populi mei comedent* (sacerdotes.) Leuit. 4. 24. *Quia* חַטָּאת הוּא *chattat hu*, peccatum est, id est *hostia pro peccato*: vti vertit Noster interpres. Ibidē v. 21. חַטָּאת *chattat*, peccatum, id est, *victima pro peccato multitudinis est*. Ezech. 44. 29. *chattato*, peccatum suum, id est, *victimā pro peccato suo, ipsi comedent* (peccatum enim in se comedi nequit: est enim cibus nimis durus, nec vlli stomacho digestibilis.) Cuius phrasis & metonymiæ ratio hæc est, quòd in hostiam piacularem tota peccati pœna, noxa & vltio transcribatur, itaque in eamdem peccatum ipsum transcribi & transponi videatur. Noxa enim caput nocens sequitur.

Huius rei symbolo solebat sacerdos hostiæ manus imponere, illique peccata populi imprecari.

A Per manus enim significantur actiones & peccata, vtpote quæ manibus plerumque peraguntur, inquit Theodor. in Leuitici c. 1. Manuum ergo impositio super victimam, & symbolum erat oblationis, & testimoniū reatus in hostiam translati, vt hostia fieret piaculum, itaque peccatum ipsum, id est omne pondus, pœnam & vindictam peccati, in se susciperet. Hoc modo in die solemni expiationis pontifex hirco emissario peccata totius populi imprecabatur, eumque deinde quasi peccatis onustum per certum hominem extra castra deducebat, & dimittebat in desertum à feris deuorandum. De quo ita scribitur Leuit. 16. 10. *Offerat hircum viuentem. & posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumq; portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in desertum, reuertetur Aaron*, &c. *Hircus emissarius portās peccata populi.*

B

VT NOS EFFICEREMVR IVSTITIA DEI IN IPSO] q.d. Vt nos efficeremur iusti apud Deum, iustitia à Deo infusa per merita Christi. Vide can. 21. & 30. ita Chrysost. Dicit *iustitia*, non iusti, ait Theophyl. vt excellentiam gratiæ significet, qua fit vt nullus in iusto sit nævus, nulla peccati macula, sed omnis & tota gratia ac iustitia. Secundò, iustitia Dei, id est, vt effectus, vel similitudo iustitiæ Dei increatæ, nobis per creatam & infusam iustitiam communicaretur. ita Cyrillus 12. Thesauri c. 3. Tertiò, iustitia Dei, quia Deus debet non nobis, sed Christo, & Christi meritis, vt iustitiam nobis infundat, & peccata remittat. ita August. Enchirid. cap. 41. Simile 1. Corinth. 1. v. vlt. *Triplex sensus horum verborum.*

C

Obijciunt hæretici: Christus factus est pro nobis peccatum, quia peccatum nostrum illi imputatum est, & in illo punitum: ergo nos efficimur iustitia Dei, quia illa nobis imputatur. *Ridicula Nouatorum ex hoc loco Pauli illatio.*

Resp. non esse simile. nec enim Christus verè potuit esse peccator, vti nos verè possumus esse iusti; neq; hanc analogiam vrget Apostolus, sed tantùm quòd Christus ideo susceperit nostra peccata, vt nos per eum iustificaremur. Adde: Christus verè factus est peccatum, id est hostia pro peccato (hanc enim significat hîc peccatum) ergo & nos verè simus iustitia Dei: sic enim aptè & solidè hoc argumentum in ipsos Nouantes retorquemus.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, hortatur ne oblatam reconciliationis (quam in fine cap. præcedentis commendauit) gratiam negligant.

Secundò, v. 4. docet, quales esse debeant ministri, præsertim Apostoli, & prædones Euangelij.

Tertiò, v. 11. cor suum charitate in Corinthios dilatatum pandit, eosq; ad similem charitatis dilatationem prouocat.

Quartò; multis antithesibus docet quàm cauenda sint fidelibus infidelium commercia & connubia.

1. ADiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 3. nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum: 4. sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiētia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, 5. in

plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, 6. in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, 7. in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris; 8. per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famã: vt seductores, & veraces; sicut qui ignoti, & cogniti: 9. quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati. 10. quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. 11. Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. 12. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris: 13. eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filijs dico: dilatamini & vos. 14. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? 15. Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? 16. Quis autem cõsensus tẽplo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. 17. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: 18. & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

VERS. 1. ADIVVANTES AVTEM] Græcè συνεργοῦντες id est cooperantes Deo, vt propositam reconciliationem, de qua dixi cap. præced. v. 18. 19. & 20. quòd *Deus nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis*, &c. assequamini.

EXHORTAMVR, NE IN VACVVM GRATIAM DEI RECIPIATIS] In vacuum gratiam recipit, qui cum ea non laborat, ait Anselmus, nec ei suum studium adiungit, quique per desidiam facit vt in se gratia sit otiosa; dum eam bonis explere operibus nõ satagit. q.d. Ne putetis quòd sola fides sit reconciliatio, quia ad eam bona vita & opera sunt necessaria. ita Theophyl. ex Chrysost.

Nota. *Gratiam* vocat generale beneficium reconciliationis mundi, & redemptionis Christi: de illo enim egit in fine capitis præcedentis; sub illo tamen intelligit gratiam particularem, quam cuique meruit Christus, & quam cuique dat Deus, vt huius generalis Christi redemptionis quisque particeps fiat.

VERS. 2. AIT ENIM (Deus per Isaiam c. 49. 8.) TEMPORE ACCEPTO EXAVDIVI TE] Probat Apostolus nunc esse tempus gratiæ & reconciliationis, vt hanc gratiam non in vacuum recipiamus, ex eo quòd Isaias tempus hoc fore gratiæ prædixerit. Estque tacita hîc occupatio. Dicere enim quis poterat: Non est in mea potestate Dei gratiam recipere: nam gratiam dare vel non dare pendet à libera voluntate Dei: quomodo ergo, ô Paule, ad eam recipiendam me hortaris? Resp. Paulus: En tibi tempus acceptabile, en tempus salutis, en tempus gratiæ; quo, vti Isaias prædixit, Deus suam gratiam omnibus offert, omniumque preces & vota exaudit.

Tempus Euangelij tempus est gratiæ.

TEMPORE ACCEPTO] id est placito, vel placabili, vt habet Isaias. Nota. Hoc tempus est legis gratiæ, siue præsens Christianorum vita, in qua bene operandi merendique tempus est, & post illam non dicitur placitum; quia in hoc placuit Deo gratiam suam, beneuolentiam, reconciliationem & salutem per Christum omnibus proponere. Dicitur acceptum & acceptabile, id est acceptissimum, maximè acceptandum, dignumque quod ab omnibus plausu & exultatione mira suscipiatur, vtpote salutem adferens mundo per Christum.

Nota Secundò. Sunt hæc verba Patris ad Filiũ, A q.d. *Exaudiui*, id est exaudiam (propheticè enim ponitur præteritum pro futuro) te, Filii mi, pro membris tuis, & in membris fidelibus deprecantem, opem, gratiam & salutem postulantem: *& in die salutis*, id est, in illo tempore gratiæ, quo omnes homines per te, ô Christe, vocabo ad æternam salutem, *adiuui*; id est adiuuabo te, vt in tuis membris, scilicet Christianis, salutem eis à te propositam assequaris. ita Ambros. Chrysost. Anselm. Vnde Christus Isaiæ 61. 1. à Spiritu sancto vnctum, & missum se dicit, *vt prædicarem*, inquit *annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro, vt consolarer omnes lugentes*. Pro *annum placabilem*, hebraicè est שְׁנַת רָצוֹן *schenat ratson*, quod LXX. εὐδοκίας, vertere solent, quasi dicas, annum diuinæ beneuolentiæ & liberalitatis, qualis erat iubileus, ad quem B alludit; iubileus enim typus erat huius anni Euangelici. Totum ergo tempus prædicationis Christi, & deinceps totum legis nouæ tempus Christo obedientibus, eiusque liberalitatem acceptantibus, annus fuit & est iubileus. id est annus misericordiæ, pacis, remissionis, salutis, libertatis: in quo post longam iram Dei in nos, restituimur in eius gratiam, acceptationem, beneuolentiam, hereditatem, gloriam, omniaque bona pristina, quæ in paradiso in statu innocentiæ habuimus. Idem tempus, & annus hostibus fuit vltionis dies; (dies enim hîc synecdochicè ponitur pro tempore) quo scilicet Deus genus humanum vltus est de inimicis suis, putà dæmonibus, illos sua tyrannide expellendo.

NEMINI DANTES (nemini date, vel demus, est C hebraismus: ponimur enim participium pro præsenti coniunctiui vel imperatiui) VLLAM OFFENSIONEM (vllum scandalum. q.d. Cùm illum diem agimus, quo omnes ad salutem à Christo vocantur, caueamus ne cui scandalum demus, ne quis licentiori vita, aut morositate, vel impatientia nostra offensus viam salutis, scilicet christianismum, suscipere, aut in ea progredi recuset:) VT NON VITUPERETUR MINISTERIVM NOSTRVM] quo nos Apostoli prædicatione, verbo, vita omnes ad hanc salutem pellicere satagimus.

EXHIBEAMVS NOS] Græcè συνιστῶντες, quod Erasm. vertit, *cõmendantes*; alij, *declarantes*; optimè Syrus, *præstantes*, siue *exhibentes*. Rursum hoc participium capitur pro verbo siue indicatiui modi, *præstamus*, id est præstamus, exhibemus, &, vt legit Ambrosius, com-

commendamus, vt hisce omnibus Paulus se contra pseudoapostolos commendet & laudet: siue potius pro optatiuo modo, *præstantes*, id est præstemus; exhibentes, id est exhibeamus & commendemus nos. Hæc enim omnia sunt adhortantis, simul tamen & tacitè laudantis se suumque apostolatum. Nam exhortatur hîc Paulus omnes Christianos, sed maximè Euangelij præcones, quales multi erant Corinthi, ad vitam Euangelicam & Apostolicam; & simul hoc ipso tacitè se, suam vitam, passiones, patientiam & virtutes hîc describit, vt illas imitentur, easque pseudoapostolorum arrogantiæ, mollitiei, impatientiæ & vitijs opponant: contra hos enim sui æmulos & calumniatores sese hac epistola laudare cogitur, vt patebit cap. 11.

Proponit ergo hîc viuam veri & genuini Apostoli & doctoris Euangelici imaginem, quam omnes Doctores & Pastores imitentur, & ad quam quisque doctores de fide & integritate suspectos examinet; vt videant Corinthij, quàm iniquè ventosos suos pseudoapostolos & thrasones prætulerint Paulo eiusq; socijs verbi Dei Apostolis, vtpote in quos solos omnes sequentes genuini Apostoli notæ apprimè conueniant.

SICVT DEI MINISTROS IN MVLTA PATIENTIA] Exhibitio enim & ostensio patientiæ non vnius, sed multæ, est demonstratio, quæ hominibus clarè ostendit & demonstrat nos esse ministros Dei.

Nota τὴν *in patientia*, referri ad sequentia. q.d. Exhibeamus nos quasi Dei ministros patientes in multis tribulationibus, necessitatibus, angustijs, plagis, alijsque. quæ sequuntur: hanc enim patientiam quasi altiorem se philosophiam mirantur homines (qui in vexationibus irasci, indignari, verbis & verberibus vlcisci se solent) ex eaque colligunt veram doctrinam, fidem, religionẽ, Dei spiritum. Ita B. Xauerius, & socius eius Iohannes Fernandes in Iapone diu concionantes nihil profecerunt, donec à Iapone sputo in faciem appetiti, modestè detersо sputo, quasi nihil passi in concione sua perrexerunt, probra, irrisiones, aliaque plurima patientissimè pertulerunt. hanc enim patientiam admirati Iapones ingenio acres, quasi homines cælo lapsos colere, eorumque doctrinam & fidem certatim amplecti cœperunt. Idem intellexit Gentilis Epictetus suosque docuit, vt se suamque sapientiam non tam per verba quàm per opera, præsertim patientiæ & constantiæ, ostenderent & docerent. Ita enim præscribit suis Enchiridij c. 29. *Et tu igitur ne verba celeriter offendas imperitis, sed opera quæ verborum concoctionem sequuntur. Nam & eues non fænum afferunt opilionibus, vt demonstrent quantum comederint, sed pastu intra se concocto extrà ferunt lanam & lac.* Ita Christus Matth. 7. 16. de falsis prophetis ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Et Luc. 8. 15. loquens de Euangelij semine, quod in terram bonam cadit, *Hi sunt*, inquit, *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

IN NECESSITATIBVS] egestatibus scilicet, cibi, potus, vestium, ait Anselmus. Secundò, generalius Theophyl. necessitatem, inquit, vocat tribulationis intentionem & exaggerationem; cùm illa adeò inualescit, vt inextricabilis videatur, hominemque in extremam necessitatem adigit, & quasi suffocat.

IN SEDITIONIBVS] ἐν ἀκαταστασίαις, in agitationibus & expulsionibus crebris, vt locum non habeam vbi pedem figam, sed cogar huc illucque discurrere. ita Theoph. Secundò, tamen vertì potest, In tumultibus, confusionibus, seditionibus; ita enim capitur ἀκαταστασία Luc. 21. 9.

IN CASTITATE] ἐν ἁγνότητι, in puritate, scilicet omnibus in rebus, tum quòd munerum corruptelam Paulus non admiserit, & à suis admitti vetuerit, tum quòd citra sumptum aliorum prædicarit, ait Theophyl. Noster pressiùs vertit, *in castitate*. pura enim & plena castitas, vt scilicet omni libidinis vsu abstineas, & castitatem angelicam colas, vt fecit Paulus & Apostoli, signum est hominem esse diuinum, Deique ministrum. omnis enim hæresis & infidelitas putat, & verè putat, sibi esse impossibilem castitatem; solis enim Catholicis, fide vera, Deique gratia præditis possibilis est. Hinc apud hæreticos non est inuenire virgines, & virginum contubernia, nec monachos & monasteria, imò nec sacerdotes aut cælibes ministros, vti à Paulo & Apostolis quasi ducibus & magistris didicit & habuit omni ætate Ecclesia Catholica & Romana.

Virginitas & castitas est nota Ecclesiæ veræ, quæ non inuenitur apud hæreticos.

IN SCIENTIA] q. d. Demus operam, ne videamur nonnullis rudes & indocti rerum Christianarum agendarum & vitandarum: sed potiùs ostendamus nos hæc scire docendo alios, quæ bona agere, quæ mala vitare debeant, vt salutem assequantur: ex quo omnes agnoscant nos esse Dei ministros, præcones & Apostolos. ita Ambros. Non malè etiam Anselm. per *scientiam* intelligit cognitionem sacræ Scripturæ.

IN SVAVITATE] ne per rancorem ijs, qui nos vexant, simus asperi, sed per suauitatem mentis, verborum & operum ijs simus dulces, benigni, benefici. sic dicent omnes nos esse ministros Dei. Adamantini enim planè animi est, ait Theophyl. si quis, cùm vndique exacerbatur & pungitur, non solùm longanimis sit, verùm etiam mitis & benignus; supra hominem hoc est, Christianum est, diuinum est.

Mitem esse & benignũ, Christianiũ & diuinum est.

Talis fuit S. Athanasius, de quo Nazianzen. orat. in laudem eiusdem. *Athanasius*, inquit, *vita sublimis erat, verùm animo humilis: ea erat comitate, vt ad eum aditus omnibus pateret, clemens, ab ira alienus, miseratione præditus, sermone iucundus, moribus iucundior, forma angelicus, animo magis angelicus, in obiurgando placidus, in laudando eruditi vim habens, ne aut mollities dissoluta, aut seueritas fastidiosa & importuna esset: erat denique percutientibus adamas, dissidentibus magnes.*

IN SPIRITV SANCTO] in donis & operibus ope & instinctu Spiritus sancti factis. q.d. Omnia tam pio, benigno, sincero, incenso spiritu agamus, vt pateat nos non vanitate, aut superbia agi, sed à Spiritu sancto. ita Anselm. Theophyl. Chrysost.

IN VERBO VERITATIS] vt veritatem Euangelicam verè & sincerè prædicemus. VERS. 7.

IN VIRTVTE DEI] ἐν δυνάμει, in potentia, faciendo scilicet miracula, aut potiùs. vt Chrysost. in constantia Christiana & fortitudine in tot aduersis, totque laboribus, & in vehementia sermonis, & concionis efficacia: hæc enim per Dei potentiam nobis aspirata, probant nos veri Dei ministros esse potentes & admirabiles.

PER ARMA IVSTITIAE A DEXTRIS, ET A SINISTRIS] Refer ad v. 4. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*; indè enim omnia sequentia pendent vsq; ad

ad v.11.q.d. *A dextris & à sinistris*, hoc est, tam in prosperis, quàm in aduersis, vbique iustitiæ, id est iustæ ac sanctæ vitæ, virtutumque actionibus tamquã armis vtamur, vt nec prosperis eleuemur, nec turbemur aduersis, aut desperemus. ita Anselmus.

Aliter Chrysost. & Theoph. Arma, inquiunt, sinistra sunt aduersa, dextera sunt prospera quæ alternando Dei seruos quasi arma communiunt, vt nec in superbiam erigantur, nec in pusillanimitatem deprimantur.

VERS. 8. PER GLORIAM, ET IGNOBILITATEM] q.d. Siue honoremur & laudemur, siue inhonoremur & vituperemur: vt cùm Lycaonij voluerunt Paulum vt Deum adorare, & mox vt impostorem lapidare, Actor. 14. Τὸ enim *per* capitur pro *in*, de quo plura 1. Timoth. 2. 15.

PER INFAMIAM, ET BONAM FAMAM] siue infamemur, siue fama simus celebres. B

VT SEDVCTORES] quasi seductores æstimati, cùm veraces simus, ita Ambros.

SICVT QVI IGNOTI, ET COGNITI] quasi qui infidelibus & improbis habemur ignoti & obscuri; cùm noti simus Deo & conscientijs vestris. ita Ambros.

VERS. 9. QVASI MORIENTES] quasi qui videmur propter quotidiana pericula, flagella & ærumnas semper mori; cùm Deus ecce nos viuos conseruet, illæsos & vegetos.

VT CASTIGATI, ET NON MORTIFICATI] ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι, vt correpti, vel castigati, & non occisi; siue, vt qui corripiamur & castigemur, sed non occidamur: omnia enim pendent à v. 4. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*, vt dixi.

VERS. 10. SICVT EGENTES, MVLTOS AVTEM LOCVPLETANTES] tum diuinis & cælestibus, tum terrenis bonis: colligebat enim Paulus eleemosynas pro pauperibus, maximè Hierosolymitanis. C

Triplex huius loci sensus.

TAMQVAM NIHIL HABENTES, ET OMNIA POSSIDENTES] Necessaria enim habeo, nec plura opto, imò quasi ima, mihique subiecta, contemno. Vnde perinde habeo ac si omnia possiderem. Secundò, quia licet pauperes simus nos Apostoli, principes tamen sumus fidelium, qui ditissimi ad nostros pedes omnia deponunt. ita Ambros. & Anselm. Vide Chrysost. hîc, & in morali. Posset Tertiò, sic accipi: *Omnia possidentes*, scilicet libros, vestes, omniaque necessaria, vt sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, *omnia* id est, aliqua ex omnibus; putà ex cibo, calceis, vestibus, alijsque omnibus, quantum sufficit. Alij, Deum, qui est omnia, & in Deo omnia possidentes: sed hoc mysticum est & symbolicum. D

Gaudium Sanctorum & gaudium impiorum quomodo differant.

Notat Anselm. in tristibus hîc addi *quasi* non in prosperis, quia omnis tristitia Sanctorum hîc *quasi* habet: nam breui & in somnis quasi transit: videturque esse quasi vmbra & somnium, nec esse tristitia, sed quasi tristitia. gaudium autẽ Sanctorum non habet *quasi*; quia solidum est ob spem certam æternæ beatitatis. Contrà verò impiorum gaudium hîc habet *quasi*, quia breue & vmbraticum videtur esse somnium; sed tristitia eorum non habebit *quasi*, quia solida erit & æterna.

Vita Pauli & Apostolorum fuit vita religiosa & cœnobitica.

Nota Secundò hîc, qualis fuerit vita Pauli & Apostolorum; nimirum talis, qualẽ Cœnobitarum & Religiosorum (quales quorumque parentes fuerunt Apostoli) vitam esse scribit Nazianz. orat. 1. de Pace, dum ait: *Vita eorum sunt opes in egestate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in infirmitate, proles egregia in cælibatu: qui deliciis asperuari pro deliciis habent, qui regni cælestis causa humilitatem amplectuntur, qui in mundo nihil habent, & mundo superiores sunt, qui cùm in carne sint, extra carnem tamen viuunt, qui pro portione Deum habent, qui propter regni spem inopia laborant, & propter inopiam regnant.* Talis fuit vita Episcoporum & virorum Apostolicorum. S. Martinum laudat Sulpitius, quòd ita impleret Episcopi dignitatẽ, vt manachi propositum, paupertatem & officium non desereret. De S. Augustino memorat Possidonius, eum in mensa tam frugalem fuisse, vt ad panem olera semper, carnem verò rariùs & nonnisi propter hospites adhiberet: cumque morti esset proximus, nullum testamentum condidisse. *Quia*, inquit, *vnde conderet, pauper Christi non habebat.* Hic tamen vir Arrianos, Manichæos, Donatistas, Pelagianos debellauit, & ex primis fuit Ecclesiæ columnis & Doctoribus. De Exuperio Tolosæ Episcopo ita scribit S. Hieron. *Esuriens*, inquit, *pascit alios, & orepallens ieiunijs fame torquetur aliena.*

Hæc ergo est norma & forma vitæ Apostolicæ præscripta à S. Paulo, quam omnes sectentur perfectionis & salutis animarum studiosi: ex qua desumptum est breuiarium Instituti Societatis nostræ, quod typis cusum singuli nostrùm circũferre, iugiterque oculis & menti præfigere solent quasi domesticum monitorem, & tamquam acrẽ virtutis & zeli stimulum, imò quasi viuum vocationis & professionis suę speculum. Estq; tale: *Homines mundo crucifixos, & quibus mundus ipse sit crucifixus, vita nostræ ratio non esse postulat: homines inquã nouos, qui sui se affectibus exuerint, vt Christum induerent; sui mortuos, vt iustitiæ viuerent. Qui, vt D. Paulus ait, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant: & per arma iustitiæ à dextris & à sinistris; per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam; per prospera denique & aduersa magnis itineribus ad cælestem patriam & ipsi contendant, & alios vtcumque possunt ope studioq; compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes. Hæc est summa, hic scopus nostrarum Constitutionum.* Iesus.

OS NOSTRVM PATET AD VOS, O CORINTHII] ecce Verba meum gestio in sinum vestrum effundere. q.d. Os meum patet, hiat, plura vult dicere, totumq; meum in vos affectum expromere, nec valet: quidquid enim & quantum dicam, minus est affectu meo, nec illum dicendo æquare & expromere, illive satisfacere possum.

Dicit hoc Apostolus, vt ostendat se ea quæ iam dixit de sua patientia, tribulationibus & virtutibus, non ex philautia, sed ex amicitia, confidentia, intimoq; gaudio & amore Corinthiorum dixisse. Solent enim amici inuicem sua secreta gaudia, mœstitiamq; omnia tam bona quàm mala communicare, & in amici sinum confidenter effundere, eique internum beneuolentiæ affectum testari & patefacere: quem, cùm ingens est, exprimere magis magisque satagunt, nec tamen dicendo exequare possunt. ita facit hîc Paulus.

COR NOSTRVM DILATATVM EST] amore erga vos. q.d. Vehementissimè vos amo.

Nota. Hebræi opponunt passim hæc duo צָרַר *tsara* & רָחַב *rochab*, id est θλίψιν & ἄνεσιν, angustiam & latitudinem vel dilatationem. Per latitudinem

intelligunt cor lætum, amicũ liberale, munificum: per angustias cor triste, pusillanime, suspicioſum, auarum. Sicut enim tristitia & auaritia cor, frontem & manus arctant & contrahunt; ita lætitia, alacritas & charitas eadem dilatant & diffundunt. Sic psalm. 118. dicitur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Sic 3. Reg. 4. 29. dicitur Deus Salomoni dediſſe *latitudinem cordis*, id est, cor lætum, liberale, regium, magnificum & magnanimum: *quasi arenam quæ est in littore maris*, vt scilicet instar arenæ in maxima esset quantitate, copia & abundantia.

12. NON ANGVSTIAMINI IN NOBIS] sed plenè & spatioſè in corde meo habitatis, latissima vos cordis charitate complector. Loquitur de corde & animo, quasi domicilio.

ANGVSTIAMINI AVTEM IN VISCERIBVS VESTRIS] angustam vos & exiguam charitatem habetis in corde & viscеribus vestris, præcordia vestra angusta sunt, vt parum in eis loci habeam. q.d. In amore & beneuolentia mihi non respondetis. Videntur Corinthij obtrectatione pseudoapostolorum nõnihil auersi fuisse à S. Paulo; vnde tantam charitatem in eos ostendit, vt vicissim eorum in se amorem prouocet & accendat.

Rursum videbatur Paulus priore epistola arctasse Corinthios prohibendo eis idolothyta, litigium coram iudice infideli, agapes & conuiuia opulentiora: & v. 14. erat eos arctaturus ad matrimonium cum fideli (licet impari) ineundum: præmunit ergo & excitat eos, vt latis charitatis Christi viscеribus hæc in speciẽ arcta, non tam sua, quàm Christi præcepta excipiant.

EANDEM AVTEM HABENTES REMVNERATIONEM (parem amorem rependentes mihi) DILATAMINI ET VOS] Græcè τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν, *eamdem remunerationem*, scilicet amoris, supplet Theophyl. εἰσεύγκατε, *adferte*, vel vt Noster, *habentes*. Secundò, Chrysost. refert ad sequentia ὡς τέκνοις λέγω, *tanquam filijs dico*, edico, præcipio & exigo à vobis hanc charitatis remunerationem. Tertiò, & planissimè, vt intelligatur κατὰ, id est, secundùm eamdem remunerationem charitatis, πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς, dilatamini & vos. q.d. Eamdem charitatis mensuram & latitudinem mihi reddite & reponite; pari mensura cor & charitatem vestram in me extendite & dilatate. Aliter etiam Vatabl. nam subintelligit, *propter*: itaque vertit, *propter eamdem remunerationem dilatamini & vos*. hoc est, propter repensionem beneuolentiæ nostræ amplificate cor vestrum, vt nos æqua latitudine capiat & diligat.

Nota. Loquitur de remuneratione & redditione amoris, non præmij cælestis, vt volunt aliqui, qui hunc dant sensum. q.d. Cùm idem præmium & mercedem in cælis mecum sitis habituri, dilatate & vos charitatem vestram in me. Sed alium esse genuinum sensum patet ex dictis.

14. NOLITE IVGVM DVCERE (participationem & commercium habere) CVM INFIDELIBVS] in ijs quæ ad religionem pertinent, aut ita arctè & familiariter, vt vos sensim inclinemini ad eorum infidelitatem & vitia; quale est ijs matrimonio iungi. q.d. Separate vos ab infidelium cœtibus, templis, sacrificijs, conuiuijs, coniugijs, omniq; eorum commercio vel per se impio aut iniusto, vel periculoso aut scandaloso. Nolite facere vti Iudæi, de quibus dicitur psalm. 105. 35. *Commisti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum.* ita Chrysost. Ambros. Theophyl. S. Hieronymus verò libr. 1. contra Iouin. accipit de matrimonio cùm infidelibus cauendo. Videtur Apostolus alludere ad psalm. 105. 28. *Initiati sunt Beelphegor*: ibi enim hebr. est יִצָּמֶד *iitsamedu*, id est, iugati sunt Beelphegor. צָמַד *tsemed* enim idem est quod par, vel coniugatio duorum boum, v.g. vel hominum. Sicut enim Hebræi Num. 25. fornicando cum Madianitis in honorem Beelphegor, illi quasi iugati, & iugo religionis, copulati sunt; ita & qui arcto commercio, v.g. coniugio, copulatur cum infideli, videtur quasi Beelphegor, id est dæmoni, qui infidelium est præses, copulari. Aliter Anselmus: infideles enim (græcè ἀπίστους, id est, vt vertit Syrus, incredulos) intelligit pseudoapostolos iudaizantes, qui fidem Christi euacuare, & legis Mosis cæremonias statuere conabantur; vt horum societatem velit vitari Apostolus: hi enim magis pernicioſi Christianis sunt magisque vitandi quàm Gentiles ipsi & infideles. Hic sensus bonus est, sed partialis; Apostolus enim quorumuis infidelium & incredulorum commercia vitari vult.

Transit hic Apostolus more & licentia epistolari ad aliud punctum Corinthijs tum necessarium, scilicet, vt vitent arctas familiaritates infidelium. Frustra ergo quis quærat, quomodo hæc cum præcedentibus connexa sint.

Nota. Græcè est μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες, quod probè, ait Erasmus, Noster vertit: Ne iungamini eodem iugo cum infidelibus. Nam si Christianus ducat vxorem Ethnicam, aut Christianus in gerendo magistratu collega sit Ethnico, dicetur ἑτεροζυγῶν. Huiusmodi matrimonia Hieronymus impariа vocat.

Vbi Aduerte. ἕτερον apud Græcos interdum significat alterum è duobus, interdum diuersum, siue è duobus, siue è pluribus. Sic dicitur ἑτερόφθαλμος, qui altero caret oculo; ἑτερόδοξος verò, qui diuersæ est opinionis. Vnde incertum est an Paulus dicat ἑτεροζυγοῦντες, qui alteram iugi partem sustinent, an qui cum diuersæ conditionis homine iugum ducunt.

Triplex horum verborum intellectus.

Priorem ἑτέρου acceptionem, scilicet communem, sequitur Budæus, qui ἑτεροζυγοῦντες interpretatur per ὁμοζυγοῦντες, qui simul cum socio alteram iugi partem trahunt. q.d. Nolite cum infidelibus alteram iugi partem trahere, vti in Campinia. eamdem carrucam trahunt duo boues, in idem iugum vnus à dextera, alter à sinistra parte, caput inferentes.

Secundò, posteriorem acceptionem ἑτέρου, sequuntur alij, & propriè vertit, Nolite aliud, diuersum, vel impariugum trahere; quod fit, quando iunguntur diuersæ conditionis homines æquè iumenta, vt equus & asinus in eodẽ curru. quod olim lege veteri Deuter. 22. 10. vetitum erat: quò fortè alludit Apostolus. & hic secundus sensus est probabilior ex his quæ sequuntur, *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?*

Tertiò, Theoph. vertit, Nolite in alterã iugi, vel lancis (de libra enim ipse accipit) partẽ vos inclinare, coniugi vestro, scilicet infideli, impio & iniusto, vos inclinando & accommodando: nam ἑτεροζυγεῖν, ait, est alteri lanci incumbere, & de iniusta libra dicitur, quando videlicet altera lanx grauior est, vt libra in alteram partem magis pendeat. q.d.

Sic

Sic pariter iniusto coniugi & compari infideli, nolite vos inclinare.

V. Eccl. 2. 15ª fol. 97. 2. c.

QVAE ENIM PARTICIPATIO IVSTITIAE CVM INIQVITATE?]id est, iustis cum iniquis, putà fidelibus cum infidelibus.

Nota. Durum erat Corinthijs in tanta paucitate Christianorum arctari ad commercia & coniugia cum fidelibus ineunda. Multi enim inter eos sibi nec genere, nec opibus, nec statu, nec alijs dotibus pares inueniebant: itaq; vel coniugio eis abstinendum erat, aut ducenda coniux nobilitate, gradu & diuitijs impar & inferior. Rursum iure naturæ & diuino eis alijsque fidelibus simpliciter & absolutè prohibitum non erat ducere infidelem coniugem. erat tamen id indecens & periculosum, ideoque ab Apostolo hîc prohibetur. Apostolus ergo vt hanc duritiem emolliat, eisque legem hanc suam persuadeat, quinque vtitur rationibus siue antithesibus ab ipsa rei repugnantia petitis.

Quinque rationes adferũtur à Paulo, ob quas Corinthijs fidelibus prohibet consortium infidelium.

Primam affert cùm ait: *Nolite iugum ducere*, scilicet impar & dispar (hoc enim est Græcum ἑτεροζυγεῖν, vt dixi) *cum infidelibus*. q.d. Coniugium dispar ingens est onus & iugum, perinde ac si bos & equus idem currus iugum subeant, ingens vterque ob disparem & incongruum socium, iugum & laborem subit. Ergo nolite illud iugum vobis ipsis imponere. Secundam affert cùm ait: *Quæ societas luci ad tenebras?* q.d. Lux & tenebræ in eumdem locum aut subiectum conuenire simul nequeunt: ergo congruè fieri nequit vt fidelis habens lucem fidei in idem iugum conueniat cum infideli, qui plenus est tenebris infidelitatis. Tertia est, *Nulla*, inquit, *est conuentio Christi ad Belial*: atqui fideles pertinent ad Christum, infideles ad Belial: ergo hi conuenire nequeunt. Quarta, fidelis cum infideli nullam habet partem aut communicationem, sed ab eo toto genere dissidet, tantumque distat quantum fides distat ab infidelitate, cælum ab inferno. Ergo hi coniungi non possunt. Quinta, templum Dei non potest associari idolis & templis dæmonum: ergo nec fidelis infideli. Fidelis enim est templum Dei, infidelis verò est templum & simulacrum diaboli.

VERS. 15. QVAE CONVENTIO CHRISTI AD BELIAL] Græcè συμφώνησις, id est, quæ consonantia, quis concentus, quæ concordantia, quod coniugium Christi, qui est omnis disciplinæ, obedientiæ, iustitiæ pater, *cum Belial*, id est diabolo, eiusque asseclis infidelibus?

Etymologia & explicatio nominis Belial.

Nota. Non Beliar, vt Græci corruptè legunt, sed *Belial*, hebraicè dicitur, vt vult R. Kimchi, quasi בְּלִי יָעַל *beli iaal*, id est, sine vtilitate, qui non prodest, qui inutilis est: quò alludit Noster interpres Prouerb. 6. 12. *Apostata homo Belial* (ita enim est in Hebræo) id est, *vir inutilis*. Vel potiùs à בְּלִי עוֹל *beli ol*, id est, sine iugo: ita enim vertit S. Hieron & Aquila. Hinc Belial significat Primò, inobedientiam, rebellionem, impietatẽ; Secundò, inobedientes, rebelles, impios. Tertiò, significat diabolum, qui princeps fuit omnis apostasiæ & inobedientiæ, quique primus apostata, legis, fidei & inobedientiæ Dei iugum excussit. Hinc *viri*, vel *filij Belial* vocantur apostatæ. q.d. Filij diaboli, vel filij inobedientiæ, rebellionis, impietatis, hoc est, improbissimi & impijssimi.

QVAE PARS FIDELI CVM INFIDELI?] quid commune habet fidelis, quod participet cum infideli?

A Sic 3. Regum 12. 16. dicitur: *Quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hereditas in filio Isai?* q.d. Nulla communicatio, nulla participatio nobis est cum Dauide, nihil commune, nullam partem, aut hereditatem cum eo communem habere volumus. Hæc antithesis explicat tres præcedentes; vult enim dicere: non cõuenire, vt fidelis iungatur infideli, sicut non conuenit, iustitiam iniquitati, lucem tenebris, Christũ Belial, templum Dei idolis iungi & sociari.

VOS ENIM ESTIS TEMPLVM DEI VIVI] per Synecdochen, gratiam, sanctitatem. Præclarè S. Cyprian. tract. de Orat. Domin. *Conuersemur*, ait, *quasi Dei templa, vt Deum in nobis constet habitare, vt qui cælestes & spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia & cælestia cogitemus & agamus.* VERITAS.

Nota. Templum, hebraicè dicitur הֵיכָל *hechal*, a radice יָכוֹל *iachol*, id est potuit, præualuit. q.d. *Hechal*, id est basilica, dominica, regia, palatium, in quo dominus aut rex præpotentem se ostendit, quodque illius maiestatem & potentiam ostentat, tum ædificij apparatu, tum auri copia, tum instrumentorum supellectile, numero, pretio, tum ministrorum dignitate & sanctitate. Hinc Chrysost. homil. 17. in epist. ad Hebr. Iussit, inquit, Deus templum Salomonis cum magna magnificentia fieri, vt Hebræi, qui corporalibus magis attrahebantur & alliciebantur, per illud Dei maiestatem conciperent & agnoscerent. Quidni ergo Christiani ornent templa vt domum Dei, Deumque honorent, ac Christi præsertim corpus præsens; aliosque excitent ad Dei reuerentiam & deuotionem? Tale templum, talis basilica regia, imò diuina, allegoricè est Ecclesia, tropologicè quæuis anima sancta, vt hîc docet Apostolus, in qua Deus per magnificam gratiam, magnifica & honorifica virtutum opera, magnifica Sacramenta, magnificam gloriam, magnificentiam suam ostendit. B C

Templum, hebraicè hechal, vnde appellatur Ecclesia, & anima sancta. Basilica templum Dei.

Potest Secundò, vt docet Villalpando in Ezech. tom. 2. pag. 256. per metathesin הֵילָךְ *hechal*, dicì quasi הָלִיךְ *halich*, à rad. הָלַךְ *halach*, id est ambulauit, ingressus est, quia tabernaculum vetus erat quasi templum mobile, in quo habitans Deus ambulabat cum Hebræis per desertum in terrã promissam; additque Villalpando *hechal*, propriè dici sanctum, quia per illud ibatur in Sanctum sanctorum, vt huc alludat Psaltes psal. 67. 25. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.* Et Paulus hîc, cum subdit: *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.* Sic latinè templum, Primò, vt vult Isidor. libr. 15. c. 4. dicitur quasi tectum amplum, q.d. Basilica. Secundò, vt Varro, templum dicitur à tuendo, quia Deus templum quasi domum suam intuetur, tuetur & curat; & in templo, Dei tutela protegimur ab omnibus iniurijs: homines etiam in eo quasi Deum intuẽtur, illudq; quasi Dei domum tuentur ab iniuria. Sic cælum, ait Varro, quod tuemur, id est intuemur, dicitur templũ. Huc alludens Paulus cùm dixisset: *Vos estis templum Dei*, causam assignans subdit: *Sicut dixit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo. & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*, quem scilicet inter eos, quasi in templo meo inhabitans, intueat, tuear & protegam. D

Byzantius Lector in Dictionario.

INAMBVLABO] Anthropopathῶs, id est vndique vos protegam, quasi vndequaque custos inambulans, & spiritualiter per potentias & virtutes animæ inambulabo.

Nota.

Nota cum Anselm. Citat Apostolus litteraliter Ezech. 37.27. Tropologicè Leuit. 26.12. vbi sic dicitur: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijcit vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vos q; eritis populus meus.* Vbi ad litteram loquitur de tabernaculo fœderis, quod erat quasi mobile templum & domus Dei ambulantis cum Hebræis per desertum. q. d. In hoc tabernaculo præsens vobis adero, & illo per desertum ambulante, vobiscum & ego ambulabo, tantamque vestri curam geram, ac si inter vos corporaliter ambularem vndequaque, vt nullus hostibus vos oppugnandi locus detur, cùm circumquaque vos protegens inambulem.

Allegoricè, hoc tabernaculũ significabat Christi Ecclesiam, vt explicat Ezech. 37. v. 27. quem citat & sequitur hîc D. Paulus: *Et erit* (in diebus Messiæ) *tabernaculum meum*, id est Ecclesia mea, *in eis*, inquit Ezech. *& ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Consequenter tropologicè hoc tabernaculum est anima sancta, quæ templum est Dei, & ab hoc exilio in cælum perambulat.

Vbi Nota. Deus inambulat in anima quasi in tabernaculo suo, cùm ex memoria in intellectum, inde in voluntatem transit per actus fidei, spei & charitatis. est enim anima sancta quasi templum, imò cælum, in quo sol est intellectus, vel zelus iustitiæ, luna, fides & continentia; astra, reliquæ virtutes, ait Bernard. serm. 27. in Cant. Secundò, Deus inambulat in anima, id est, inambulare eam facit per virtutes, cùm scilicet sua gratia efficit, vt eamus de virtute in virtutem, ait Anselm. & Theoph. & sicut in tabernaculo ibatur in Sancta sanctorum per sanctum, scilicet per altare thymiamatis, mensam & candelabrum: ita facit vt eamus in cælũ per vitæ, sanctitatem, scilicet per orationem, eleëmosynam, castitatem & puritatẽ vitæ: altare enim thymiamatis symbolum erat orationis, mẽsa eleëmosynæ, candelabrum puritatis & splendoris vitæ. Tertiò, Deus in anima inambulat cõtemplatione, quia facit vt mente sequamur sua templa, scilicet Christum salientem è templo cæli in templum & vterum Virginis; inde in templum & montem Caluariæ, inde in infernum, inde in cælum. Quartò, corporaliter, ait Ambros. *Verbum caro factum habitauit* & ambulauit *in nobis*, & quotidie per sanctam communionem habitat, & per membra nostra, omnemque locum nobiscum inambulat.

PROPTER QVOD DICIT: EXITE DE MEDIO EORVM] Nota, Isaiam c. 52. v. 11. iubere ad litteram, vt Apostoli & fideles exeant de infideli & immunda non Babylone, vt aliqui, sed Ierusalem per Titum vastanda. Verùm Apostolus tropologicè, vel à pari hinc fidelibus iubet, vt in fidelium nimia commercia virent, & *immundum*, id est immundos infideles, non tangant, hoc est, cum eis non conuersentur, ne eorum immunda vitia, putà crapulam, luxuriam, fastum, impietatem & improbitatem sibi affricent, ipsoque tactu & conuersatione contrahant. ita Hieron. cum Cyrillo in Isaiæ 52. & Chrysost. Ambros. Anselm. hîc. Vers. 17

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primò, ostendit amorem, sinceritatem & confidentiam erga Corinthios.
Secundò, gaudium de eorum pœnitentia & emendatione, v. 6.
Tertiò, v. 10. dat signa & actus veræ pœnitentiæ Corinthiorum.
Quartò, v. 13. huius pœnitentiæ, amoris & obedientiæ Corinthiorum testem allegat Titum.

1. HAs ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. 3. Non ad condemnationem vestram dico. prædiximus enim quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum, & ad conuiuendum. 4. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5. Nam & cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. 6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. 7. Non solùm autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem. 8. Quoniam etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit; 9. nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. 11. Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. 12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est: sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis 13. coram Deo: ideo consolati sumus. In consolatione autem

tem nostra, abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. 14. & si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, 15. & viscera eius abundantiùs in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrûm obedientiam: quomodo cum timore & tremore excepistis illum. 16. Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.

VERS. 1. HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES] nimirum, Christianos fore templa Dei, eiusque filios & filias, atque habituros Deum in se inhabitantem & inambulantem, vti præcessit.

Duplex peccatū, carnale & spirituale.

MVNDEMVS NOS AB OMNI INQVINAMENTO CARNIS ET SPIRITVS] Hinc Theologi sumunt divisionem peccati: in carnale, quod versatur circa obiectum carnale, facitque hominem quasi bestiā, vti est gula, libido, ebrietas; & spiritale, quod versatur circa obiectum spiritale, facitque hominem quasi dæmonem, vt est ira, superbia, invidia.

Secundò, appositè S. Basil. reg. 53. inter breviores. Inquinamentum, inquit, carnis est, carnalia agere: inquinamentum spiritus est, talia agentibus se miscere, cum ijsque versari & communicare; vti Corinthij hi miscebant colloquia, & communicabant cum fornicario, quem omnino vitari volebat Apostolus.

PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM] ἁγιωσύνην, sanctimoniam, vt mens purgata omni inquinamento carnis & spiritus, perfectè sit sancta & pura, sanctisque operibus dedita in timore Dei: quia timor Dei, inchoatio & perfectio est veræ sapientiæ & sanctitatis, Ecclesiastici 1. v. 20. & 19. v. 18. & quantum crescit timor Dei, tantum crescit & sanctimonia, adeoque perfectus Dei timor est perfecta sanctimonia. Præclarè S. Basil. reg. 53. iam citata, *Sanctificatio*, inquit, *est, Deo ex toto continenter dedicatum adhærere, ijs sollicitè exquirendis, & in studio habendis, quæ ipsi grata sint. Siquidem etiā in his quæ dona Deo offeruntur, ea repudiantur vt minimè grata, quæ curta aut mutila sunt: aut quod semel Deo dedicatum donum est, id deinceps in communem vsum humanum retrahere, nefarium est ac sceleratum.*

VERS. 2. CAPITE NOS] Græcè χωρήσατε, id est, amplexamini nos latis visceribus charitatis, sicut ego vicissim toto vos animo complector. ita Theophyl. vide c. 6. v. 11. 12. & 13. Propriè χωρήσατε ἡμᾶς, significat *locate nos*, facite locum nobis, vt scilicet apud vos locum inueniam, non arctum, sed amplum, vt excipiar lato sinu charitatis vestræ, quod Noster dixit, *capite nos*. Maldonat. in Notis manuscr. vertit, *ferte nos æquo animo si quid de me laudabilius dixero.*

NEMINEM CIRCVMVENIMVS] οὐδένα ἐφθείραμεν, neminem fraudauimus, nullius rem extorsimus, vel vi aut fraude occupauimus. vide dicta c. 2. v. 11.

VERS. 3. NON AD CONDEMNATIONEM VESTRAM DICO] quasi damnem, culpem & arguam vos talia de me suspicari, quòd scilicet aliquem læserim aut circumuenerim. ita S. Anselm.

IN CORDIBVS NOSTRIS ESTIS AD COMMORIENDVM, ET AD CONVIVENDVM] q. d. Ita vos amo, vt vobiscum, & pro vobis & mori & viuere paratus sim. Quomodo hæc cohæreant cum præcedentibus, patebit vers. 4. Alludit ad arctissimè amantes & amasios, quibus vti vita communis erat, omniaque in vita communia, ita communis erat & mors, vt vno occumbente, occumberet & alter: A quales fuerunt Nilus & Euryalus apud Virgilium 9. Æneid. vbi capto Euryalo inclamat Nisus:

Me, me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli; mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit,
Tum super exanimem sese proiecit amicum:
Confossus, placidaq; ibi demum morte quieuit.

Quales etiam in bellis fuerunt illi, quos Galli Soldurios vocant, Cæsar deuotos interpretatur lib. 3. de Bello Gallico. Talis quoque erat apud Thebanos ἱερὸς λόχος, sacra cohors, cuius meminit Plutarchus in Pelopida. Addit Erasmus & alij, Apostolum alludere ad illud veteris amicitiæ genus, quo amico fortè extincto, amicus alter vltrò sibi B mortem consciscebat, quod Soldurios etiam fecisse narrat Cæsar. quale amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mæcenate. Vnde dicti sunt συναποθνήσκοντες, *commorientes*, vti & hic habet Paulus. Sic etiamnum in Peru & Mexico vxores & famuli chariores, marito, vel domino defuncto, in rogum, vel sepulcrum viui se cum domini cadauere inijciunt. Et apud Iapones, nobiles morte damnati, sibi cum intimis suis ventrem dissecando, mortem consciscunt. Quorum sui homicidium damnat Apostolus, amicitiam laudat & amplexatur. q. d. Sicut illi inuicem ad mortem vsque diligunt: ita & ego vos ô Corinthij, vsque ad mortem amo, cupioque vobiscum viuere, vobiscum mori, non autem vt illi, cupio mihi mortem consciscere. Sed necesse non est tam longè Apo- C stoli verba & amorem, præsertim ad illicitas & parricidales amicitias extendere: horum enim amicitia in simultanea morte, suique interemptione maximè consistebat, ac proinde à parricidio separari non potest. scelesta ergo fuit, non laudanda, sed damnanda.

MVLTA MIHI FIDVCIA EST APVD VOS] Græcè παρρησία, id est libertas, confidentia, quæ oritur ex amore. q. d. Liberrimè me apud vos effundo, admoneo, corripio; quia intimè vos amo, vti iam dixi. Vnde *glorior pro vobis*, id est, de vobis mihi tam addictis & obsequentibus. ita Theophyl. & Ambros. Hæc omnia dicit Paulus, vt; Corinthijs eximat diffidentiæ suspicionem, ne scilicet ex diffi- D dentia videatur dixisse: *Neminem læsimus*, &c. q. d. Hoc non dixi quasi diffidens vestræ de me bonæ opinioni, sed ex animi quadam libertate & confidentia, quam parit ingens amor vestri. Hinc solet de vobis gloriari. Discant hinc à S. Paulo, Superiores cauere, ne subditi sibi diffidant, putantes Superiorem sibi non credere, non fidere, vel non confidentes se & sua Superiori committere, quasi minùs sibi fauenti; curentq; potiùs, vt fidenter secum agant, ac sciant se amari, ostendant illos sibi esse curæ & cordi, bonamque se de eis ac eorum virtute habere opinionem: ita eorum animos sibi deuincient, & quocumque volent, inflectent.

SVPERABVNDO GAVDIO IN OMNI TRIBVLATIONE] Quia scilicet vos correxistis ea, quæ priori epistola condemnaui, replestis me tanta consolatione,

vt

erat non solùm abundem, sed superabundem: A
græcè enim est ὑπερπερισσεύομαι, id est superexubero, vt hæc gaudii exuberantia omnem afflictionum sensum, non secùs ac copia aquarum modicum ignem extinguat. ita Theophyl.

Nota, amicitiam in animis amicorum quatuor affectus gignere. Primus affectus est fiduciæ, de quo Paulus hîc ait, *Multa mihi fiducia est apud vos.* Secundus est gloriationis, de quo subdit, *Multa mihi gloriatio pro vobis.* Tertius est consolationis, de quo subiungit, *Repletus sum consolatione.* Quartus est exuberantis gaudij, de quo sequitur, *Superabundo gaudio in omni tribulatione.*

FORIS PVGNAE] ab infidelibus aperta inimicitia mihi fuit.

INTVS TIMORES] in animo habui anxietates & solicitudines tum ob falsos fratres, tum pro infirmis Christianis, ne ob tot meas & suas persecu- B
tiones à fide abducerẽtur. ita Anselm. & Ambros.

CONSOLATVS EST (consolationem accepit Titus) IN VOBIS] τὸ *consolatus* capitur hîc passiuè: Græcum enim παρεκλήθη passiuum est.

REFERENS NOBIS VESTRVM DESIDERIVM (emendationis) VESTRVM FLETVM (propeccatis pœnitentiam) ITA VT MAGIS GAVDEREM, quàm scilicet antè tristatus fuerim ob schismata vestra & peccata, videns audiensque tantam AEMVLATIONEM VESTRAM PRO ME] qua scilicet me, meumque honorem & apostolatum zelatis contra obtrectatores tueri & propugnare.

CONTRISTAVI VOS IN priori EPISTOLA, vitia vestra arguens: VIDENS QVOD EPISTOLA ILLA (ETSI AD HORAM) VOS CONTRISTAVIT] Est ellipsis supplendum enim est, Tamen profuit vobis, volque commouit ad agendam pœnitentiam, quæ C
vobis iugem conscientiæ pacem & lætitiam conciliauit.

ETSI AD HORAM] etsi ad breue tempus. q. d. Epistola mea tantùm ad breue tempus vos contristauit & excitauit ad pœnitentiam. Vnde gaudeo & de epistola mea & de vestra pœnitentia.

CONTRISTATI ESTIS AD POENITENTIAM] tristitia hæc adduxit vos ad pœnitentiam; ad fletum v. 7. ad indignationem & vindictam v. 11. ergo pœnitentia non est nuda resipiscentia, vti mox pluribus ostendam.

QVAE ENIM SECVNDVM DEVM TRISTITIA EST] Nota. Apostolus ponit hîc & distinguit duplicem tristitiam, vnam secundùm Deum, secundam sæculi. Tristitia sæculi, vel carnalis est, quæ nascitur ex nimio amore & amissione bonorum D
sæculi, vt propter opes & voluptates amissas, amicos vel potentes offensos. Hæc sæpè mortem animæ operatur, quia incitat vt per Dei offensam hæc bona recuperes. Non rarò etiam operatur morbos & mortem corporis: multi enim dum nimis suos vel suos lugent luctu opprimuntur, tabescunt & moriuntur. *Multos*, inquit Eccles. c. 30. 25. *occidit tristitia, & non est vtilitas in ea.* Tristitia secundùm Deum, vel diuina est, quæ concipitur propter Deum offensum (inquit S. Basil. in Reg. breu. interr. 192. & 194.) hæc est contritio, & parit *pœnitentiam*, id est sui castigationem, *in salutem stabilem*, id est salutarem, firmam, solidam, græcè ἀμεταμέλητον, impœnitibilem, & vt August. impœnitendam. Vnde rectè Chrysost. & Erasmus *stabilem* referunt ad *pœnitentiam*, non ad *salutem*.

Nota Secundò. Tristitiam hanc distinguit Apostolus à pœnitentia tamquam causam ab effectu: tristitia enim, id est contritio, efficit pœnitentiam, id est, sui castigationem.

Pœnitentia nõ est nuda resipiscentia, vt volunt Nouatores.

Hinc patet tristitiam hanc & pœnitentiam non esse nudam resipiscentiam & nouam vitam, vt volunt hæretici; nec, vt Erasmus, nudam esse retractationem præteritorum peccatorum, sed esse contritionem, suique castigationem.

Patet Secundò, non sola fide, sed etiam pœnitentia peccatores iustificari & salutem assequi.

Patet Tertiò, pœnitentiam hanc includere cõtritionem, peccati agnitionem siue confessionem & satisfactionem: hasque esse tres partes pœnitentiæ. Vnde vers. 11. pœnitentiam explicans Apostolus: *Operatur*, inquit, *sollicitudinem*, scilicet reconciliandi & satisfaciendi Deo, *vindictam*, &c. de quo v. 11.

Vsus & fructus tristitiæ.

Quare notanda est aurea sententia D. Chrysost. hom. 5. ad populum, de vsu, fine & fructu tristitiæ: *Tristitia*, ait, *ob id nobis data est, non vt in morte, aut alia re doleamus, sed vt deleamus peccatum, quasi morbi illius remedium: sicuti ergo remedium lippitudinis illam tollit, non alios morbos; sic tristitia peccatum tollit, non alias ægritudines. verbi gratia, pecunia quis multauatus est, doluit, non emendauit; filium amisit, doluit, non resuscitauit mortuum; contumelijs affectus est, doluit, non reuocauit contumeliam; infirmatur, dolet, morbum non aufert; imò auget. at peccauit quis, tristatus est, peccata deleuit: nam quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. ergo tristitia tãtùm facta est propter peccatum, à quo nata est, ideo vt tinea ipsum corrodit & absumit.*

VT IN NVLLO DETRIMENTVM PATIAMINI EX NOBIS] Præceptor enim, ait Theophyl. tum discipulo damnum infert, quando delinquentem non obiurgat; lucrum verò adfert, si eumdem increpet & corrigat.

VERS. 11.

QVAE ENIM SECVNDVM DEVM TRISTITIA EST] Distinguit, vt dixi, tristitiam secundùm Deum à tristitia sæculi. Priorem ex S. Chrysost. magistro suo ita describit Cassian. l. 9. c. 10. cùm ait: *Vtilis nobis vna re tantùm tristitia iudicanda est, cùm hanc vel pœnitudine delictorum* (de hac propriè agit hîc Apostolus) *vel desiderio perfectionis accensi, vel futuræ beatitudinis contemplatione concipimus.* Deinde c. 11. eius notas, signa & effecta ita describit. *Hæc*, inquit, *tristitia, quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suauis ac patiens, vtpote ex Dei charitate descendens & ad omnem dolorem corporis ac spiritus contritionem, insatigabiliter semetipsam desiderio perfectionis extendens, & quodammodo læta, ac spe profectus sui vegetata, cunctam affabilitatis & longanimitatis retinet suauitatem, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti, quos enumerat idem Apostolus: Fructus autẽ Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia.* Tristitiæ verò sæculi hæc dat emblemata: *Asperrima est, impatiens, dura, plena rancore & mœrore infructuoso, ac desperatione pœnali; eum quem complexa fuerit, ab industria ac dolore salutari frangens ac reuocans, vtpote irrationabilis, & intercipiens non solùm orationum efficaciam, veràm etiam vniuersos quos prædiximus fructus spirituales euacuans, quos nouit illa* (prior) *conferre.*

Tristitiæ diuinæ quæ?

Tristitia sæculi qualis.

ECCE ENIM HOC IPSVM, SECVNDVM DEVM CONTRISTARI VOS, QVANTAM IN VOBIS OPERATVR SOLICITVDINEM? SED DEFENSIONEM, SED INDIGNATIONEM, SED TIMOREM, SED DESIDERIVM, VERS. 11.

RIVM, SED AEMVLATIONEM, SED VINDICTAM] A Ponit hîc, teste Caluino, septem effectus tristitiæ secundùm Deum & veræ pœnitentiæ, videlicet quòd operetur Primò, *solicitudinem* expiandi offensam, & in gratiam cum Deo redeundi. Secundò, *sed defensionem. Sed*, idem est quod *sed &*, vt legit Anselm. id est, imò. q.d. Pœnitentia operatur in vobis *solicitudinem*, imò & defensionem vt me scilicet defenderetis contra pseudoapostolos & obtrectatores. Pro *defensionem*, græcè est ἀπολογίαν, quod Ambros. vertit, *excusationem*, Erasm. *satisfactionem*, Maldon. *refutationem obiecti criminis*, quæ, inquit, non verbis, sed factis, putà bene viuendo fit. Tertiò, *sed*, id est imò &, *indignationem*, vt iam agnoscentes vestra schismata, dissimulationem incestus, aliaque peccata, quæ prima epistola redarguit, dolentes & pœnitentes vobisipsis indignemini, vosque ipsi redarguatis dicentes: Quid feci? quem offendi? quò prolapsus sum? vbi fuit mens B mea, vbi sensus? itáne demens fui? Quartò, *sed*, id est imò, *timorem*, vt timeatis deinceps non tam me, quàm Deum offendere. Quintò, *sed*, hoc est imò, *desiderium*, vt desideretis vos corrigere, mihique ac potiùs Deo satisfacere. Sextò, *sed*, id est imò, *æmulationem*, hoc est zelum Dei, vt Dei honorem zelantes, incestuosum illum ex Ecclesia ejiceretis, ait Anselm. & Chrysost. Septimò, *sed*, id est imò, *vindictam*, vt desidiam & peccata vestra vindicaretis, tum dolore & lacrymis, vt dixit v. 7. vos affligendo, tum alijs modis corpora animasque vestras macerando & puniendo. ita Theodor. Theoph. Ambros. S. Thomas, imò & Caluinus l. 3. Instit. c. 3. §. 16. *Postrema*, ait, *est vindicta; quo enim seueriores in nos sumus, & acriore censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium* C *ac misericordem Dominum. Et certè fieri non potest, quin anima diuini iudicij horrore perculsa, partes vltionis in exigenda de se pœna occupet.*

Septem effectus tristitiæ.

Nota. In hisce septem effectis & fructibus pœnitentiæ est gradatio. Gradatim enim à minoribus ad maiores ascendit Apostolus, idque indicat vocula *sed*, quæ ponitur pro *imò*. q.d. Tristitia hæc de Deo offenso non tantùm induxit solicitudinē reconciliationis, sed & defensionem Pauli; imò indignationem contra peccatum, insuper timorē sanctum cauendi deinceps peccata, quin imò desiderium satisfactionis, immò verò æmulationem & zelum contra peccatores, adeoque tandem vindictam & castigationem peccatorum, qui summus est pœnitentiæ gradus & fructus.

Hic ergo locus apertè docet pœnitentiam non D esse nudam vitæ mutationem, & propositum nouæ vitæ, sed & veteris detestationem, castigationem, satisfactionem. Vnde Concil. Trident. sess. 14. c. 8. ex veteri Ecclesiæ vsu iubet, vt confessarij in enarranda satisfactione non tantùm respiciant ad nouæ vitæ custodiam, sed etiam ad peccatorum missi vltionem, licet per absolutionem remissi quoad culpam.

Pœnitētia non cōsistit in nuda vitæ mutatione, sed & in castigatione & satisfactione.

Idem clarissimè docet vetustissimus Tertull. l. de Pœnitentia c. 9. *Exhomologesis*, inquit, *est professionis & humilificandi hominis disciplina, conuersationem iniungens misericordiæ illicem: de ipso quoque habitu & victu mandat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare, pastum & potū pura nosse, non ventris, sed animæ causa, ieiunijs preces alere, ingemiscere, lacrymari & mugire dies noctesq; ad Dominum, presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere.*

Sic & Climachus de pœnitentia gradu 5. *Pœnitentia*, ait, *est ipsum condemnans cogitatio, est consultationis corporeæ perpetua repudiatio, est voluntaria rerū omnium quæ affligunt toleratio, est cruciatuum sibi semper optiex, est valida ventris afflictio, animæq; in suæ firmissimo iugis reprehensio, est abyssus humilitatis.*

Hinc docti censent dici pœnitētiam quasi pœnæ tenentiam. Vnde Ausonius inducens Metanœam, id est pœnitentiam, loquentem sic ait:

Sum dea, quæ facti non factiq; exigo pœnas,
Vt te pœniteat, sic Metanœa vocor.

Aduerte quàm hæc repugnent genio molli Lutheri & Caluini, qui pro omnibus peccatis quantumuis plurimis & enormibus non aliam pœnitentiam iniungunt, quàm fidem. Crede, inquiunt, Deum tibi condonasse peccata per merita Christi, & hocipso omnem tibi culpam & pœnā condonabit. Scilicet crede te esse in campis Elysijs, crede te esse regem, & hocipso eris; vtique non reipsa, certè per tuam imaginationem & phantasiam. Ita sanè & amantes sibi somnia fingunt. Credat ita, qui non tam fide, quàm cerebro & cerebro indiget, quique non arctam pœnitentiæ viam quæ ducit ad vitam, sed latam & spatiosam multorum, quæ ducit ad perditionem, imò suo malo & periculo cupit ac destinat. Nimirum vt Sibylla canit apud Virgilium:

Facilis descensus Auerni:
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est: pauci, quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dijs geniti potuere.

Audiant Nouantes Hieronymum, vel auctorē epistolæ (quisquis est, certè grauis est & antiquus, imò Erasmus & Marianus ex stylo suspicantur esse S. Augustinum) ad Susannam lapsam, illi & cuiuis pœnitentiæ lamentationis & pœnitentiæ formam præscribentem: *Quis consolabitur te, virgo filia Sion, quia magna facta est sicut mare contritio tua? Effunde cor tuum sicut aquam coram facie Domini, extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum, & primò quidem nullo die quinquagesimus psalmus prætermittatur, qui in negotio tali cantatur, quem vsque ad versiculum illum, Cor contritum & humiliatum Deus non despicies; gemitu lacrymisq; percurre.* (Nota. pœnitēti quotidie psalmus *Miserere* cum gemitu & lacrymis recitandus est.) *Insuper hanc lamentationem, non sine compunctione cordis in conspectu Dei iudicij funde, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt defleam vulnera animæ meæ? Heu me, quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorrha! Quo mihi rebitur cinerei meo? Durius offendi quàm Sodoma, quæ legem nesciens illa deliquerat, ego accepta gratia peccaui. Si homo peccet in hominē, erit qui interueniat, si peccauī in Dominum, quem propitiatorem inueniam? quàm acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! Quomodo facta sum in desolationē? subitò & non, periī propter iniquitatem meā, velut somnia surgentium. Ideo in ciuitate Domini vilificata est imago mea, delectum est de libro nomen meum. Væ diei illi, in quo me infelicem genuit vterus, & lux ista crudelis accepit. Operuerat me potius fuisse non natā, quam sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio & improperium factū est famulis Domini & ijs digne colentibus. Lugete me montes & flumina, quia fletus filia ego sum. Meū peccatum*

& mea iniquitas non sunt similia offensis hominũ, quia horribilis est hæc impietas, carne polluere virginem & castitatem professam. Mentita sum in Dominũ altissimum, verumtamen clamabo ad Dominum: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ, &c. Similia præscribit Ambros. virgini lapsæ, Cyprian. serm. de lapsis, Chrysost. homil. 41. ad pop.

Exempla verò & mores pœnitentiũ Climachus loco citato enarrans hæc habet, quæ meritò cuiuis peccatori acres compunctionis stimulos admouent. *Cùm peruenissem,* inquit, *ad pœnitentium monasterium, imò verò ad Religionem fugientium, vidi reuerentiã & verba, quæ Deo vim inferre possent: quosdã ex eis vidi nostribus totis vsque sub diem stare peruigiles, pedes q; immobiles tenere, contra somnum vim naturæ inferre, nullam sibi ipsis requiem indulgere, sed seipsos increpare. Alios in oratione eorum more vinctis post terga manibus humi luridas facies suas inclinantes, indignos se, qui cælum aspicerent, vociferantes, nihil petentes, sed tacitam mutamq; Deo mentem offerentes confusione plenam. Nonnullos in pauimento strato cilicio & cinere sedentes, & faciem genibus operientes, & frontem in terram collidentes. Alios pectora iugiter tundentes, animamq; suam ac vitam suspirio ingenti reuocãtes, alios lacrymantes, alios quòd id non possent lamentantes. Vidi nonnullos veluti æneos ex mœrore effectos, & insensibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terram caput assiduè mouere, & leonum rugitum edere.* Et paulò pòst cùm multa eorum verba & facta verè admirabilia retulisset, subiũgit, *vidisse se in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alij sub ardentissimo solis æstu seipsos cruciabant, alij acerrimo frigore se affligebant, quidam modicum aquæ gustantes, ne omnino siti arescerent, ita quiescebant; aliqui cùm panis exiguũ quid accepissent, reliquum tamquam illo indigni proijciebant. Quem locum apud illos risus habuit? quem sermo otiosus? quem iracundia? quem furor? vbi tenuis vini cogitatio? vbi pomorum degustatio? Iugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur.* Qui plura desiderat, apud eumdem leget rara & mira ad stuporem vsque. Concludit ibidem: *Vidi, & feliciores existimaui, qui post lapsum ita lugẽt, quàm qui vnquam lapsi sunt, & seipsos non sic deflent.*

Audi denique nobilis illius S. Paulæ ob parua delicta pœnitentiam & planctum apud Hieron. in eius Epitaphio: *Mollia, etiam in grauissima febre, lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratu ciliciolo, quiescebat. Si tamen illa quies dicẽda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesq; iungebat, illud implens Psalmistæ: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meũ rigabo. In qua fontes crederes lacrymarum, ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes reã. Cùmq; à nobis crebriùs moneretur, vt parceret oculis, & eos fortiter Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quæ contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi. Affligendum est corpus, quod multis vacauit deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. Quæ viro & sæculo placui, nũc Christo placere desidero.*

Hæc paulò fusiùs in gratiam tum Nouantium, tum pœnitentium deduxi, vt locus hic Apostoli de pœnitentia tam illustris magis illustraretur.

A

B

C

D

In omnibvs exhibvistis vos, incontaminatos esse negotio] Syrus, *ostendistis quòd puri sitis in illo negotio*, id est, à fornicarij peccato alieni & immunes: licet enim id initio punire neglexeritis, iam tamen dissimulantiam eius ostendistis illud vindicando & pœnitendo. ita Anselm. & Theophyl.

Scripsi vobis, non propter evm qvi fecit inivriam (non propter fornicarium) nec propter evm qvi passvs est] ἀδικηθέντος, id est, qui iniuria affectus est, nimirum pater, cuius vxore, sua scilicet nouerca, ille incestuosus abusus est. Hinc patet ipsius patrem fuisse superstitem. q. d. Cùm priore epistola acriùs scripsi, non particulares incestuosi, vel parentis eius iniurias persequi volui; sed ostendere solicitudinem, quam pro communi Ecclesiæ vestræ salute gero, vt scilicet ab ea commune hoc scandalum & publicam infamiam depellerem. Vers. 12.

Ideo consolati svmvs] ob vestram pœnitentiam, zelum, æmulationem, &c. vt dixi v. 6. 7. 9. 11. Græca iam pleraque (dico pleraque, nam quædam habent vt Noster, teste etiam ipso Beza) aliter hæc distinguunt, sicque habent: Διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα· ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν περισσοτέρως δὲ μᾶλλον ἐχάρημεν ἐπὶ τῇ χαρᾷ Τίτου, ὅτι ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἀπὸ πάντων ὑμῶν. id est, Ideirco consolationem accepimus ex consolatione vestri; quin vberiùs insuper gauisi fuimus ob gaudium Titi, quòd recreatus sit spiritus illius ab omnibus vobis. Vers. 13.

Vbi Nota, quod ait ex consolatione vestri, id est, quia vos pœnitentes, & in pœnitentia lacrymis consolationis perfusos, ac spiritu feruidos, vt dixi v. 11. inaudiui. *Lacryma pœnitentium vinum sunt angelorum*, ait S. Bernard. imò verò vinum sunt & pœnitentium: nihil enim animam ita lætificat atque compunctio. O quàm dulce pœnitenti cum Magdalena ad Iesu pedes flere, eos lacrymis rigare, tergere, deosculari, ibique audire, *Remittuntur tibi peccata tua!* Hoc nemo nisi expertus nouit. *Lacryma pœnitentiũ vinũ sunt angelorum.*

Refectvs est spiritvs eivs] recreatus fuit vestra correctione, fletu, zelo, vt dixi v. 7.

Gloriatio nostra, qvae fvit ad Titvm, veritas facta est] patuit Tito veram fuisse gloriationem nostram, qua apud illum gloriari soleo de vobis tam morigeris bonisque discipulis. Vers. 14.

Viscera eivs abvndantivs in vobis svnt] cor & viscera eius magis iam in vos propendent, quàm antè: plus iam vos diligit Titus, quàm antè. Vers. 15.

Confido in vobis] Græcè θαῤῥῶ. q. d. Audeo & liberè loquor & ago vobiscum, siue laudando, siue arguendo: semper enim mihi obeditis, vt proinde audeam quoque & securè possim optima sentire & gloriari de vobis. ita Chrysost. Theoph. Ambros. Notat Anselm. Pauli prudentiam quasi medici, qui iam penè sanata vulnera leniissimis medicamentis consolationis & laudis curat, vt prioris increpationis vstura sanetur. Vers. 16.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, hortatur Corinthios ad eleëmosynam pauperibus Hierosolymitanis faciendam exemplo Macedonum, qui in eosdem tam liberales fuerunt.

Secundò, v. 9. exemplo Christi, qui propter nos egenus factus est, vt nos sua inopia ditaret.

Tertiò, v. 10. ex ipsorum proposito & quasi promissione vrget, vt eam iam quisque reipsa pro sua facultate præstet.

Quartò, v. 19. ex eo quòd per eleëmosynam fiat æqualitas diuitum & pauperum, qui pro temporalibus bonis rependunt spiritalia.

Quintò, v. 16. ex eo quòd Titum alios q; Apostolos ad eam colligendam miserit, ne, si parci sint, eos pudefaciant, ipsiq; coram eis pudefiant.

1. NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ: 2. quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum: 3. quia secundùm virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarij fuerunt, 4. cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerij, quod fit in sanctos. 5. Et non sicut sperauimus, sed semetipsos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei, 6. ita vt rogaremus Titum: vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam. 7. Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & charitate vestra in nos, vt & in hac gratia abundetis. 8. Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. 9. Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. 10. Et consilium in hoc do: hoc enim vobis vtile est, qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: 11. nunc verò & facto perficite: vt, quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis. 12. Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet. 13. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. 14. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas sicut scriptum est: 15. Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. 16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis in corde Titi, 17. quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cùm solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. 18. Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: 19. non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram: 20. deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis. 21. Prouidemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. 22. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpè solicitum esse: nunc autem multò solicitiorem, confidentia multa in vos, 23. siue pro Tito, qui est socius meus, & in vos adiutor, siue fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi. 24. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.

Origo eleëmosynarũ & collectarum in primitiua Ecclesia.

NOta. Originem huius eleëmosynæ, ad quam hoc capite & sequenti hortatur Apostolus, narrat Lucas Act. 11. v. 28. *Surgens*, inquit, *vnus ex eis* (Prophetis Antiochiæ) *nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio* (anno eius 4. vt multi, vel, vt Baronius, anno eius 2. qui fuit Christi 44.) *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.* Ita Lucas. Vbi Nota. Antiocheni Christiani ex feruore preuenerunt famem mittentes eleëmosynam per Barnabam & Paulum: nam multis annis pòst, hæc collecta, de qua hîc Apostolus, facta est Corinthi & locis vicinis, anno Christi 58. Adde Secundò, potiorem & magis durantem causam paupertatis Hierosolymitanorum fuisse, quòd à nece Stephani persecutionem à Iudæis ibi passi sint Christiani & patria pulsi, ac bonis priuati, Act. 8. v. 1. & Hebr. 10, 34. vbi dicitur: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Itaque deinceps Christiani à Iudæis istam Christi hostibus acerbissima assiduè passi sunt; ideoque, & quia Hierosolymitana Ecclesia fuit pri-

ma & quasi matrix cæterarum, perdurauit hic mos apud Christianos, vt, ad pauperes istius Ecclesiæ fouendos, fideles ex toto orbe eleëmosynas mitterent. quem morem ad Theodosij tempora durantem cùm carperet Vigilantius, ita eum confirmat & laudat Hieron. contra Vigilant. *Hac in Iudæa*, inquit, *vsque hodie perseuerante consuetudine, non solum apud nos, sed & apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra nisi solum Deum, synagogarum & totius orbis foueantur ministerijs.* Hîc ergo ad eleëmosynam hanc excitat Apostolus Corinthios, vtpote diuites: erat enim Corinthus emporium Græciæ celeberrimum, & in ea mercatores opulenti, vti sunt iam Fuggeri Augustæ Vindelicorum.

NOTAM AVTEM FACIMVS VOBIS, FRATRES, GRATIAM DEI] putà patientiam magnam, liberalitatem & misericordiam, quam Deus dedit Christianis Macedoniæ. Hoc enim est quod explicans subdit:

QVOD IN MVLTO EXPERIMENTO TRIBVLATIONIS ABVNDANTIA GAVDII IPSORVM FVIT] q. d. Cùm in variis tribulationibus quasi experimentis probarentur, erant in magno gaudio, eoque abundabant.

ET ALTISSIMA (κατὰ βάθους, id est profundissima, & quasi ad fundũ vsque exhausta) PAVPERTAS EORVM ABVNDAVIT, IN DIVITIAS SIMPLICITATIS EORVM] hoc est, in copiam & abundantiam benignitatis & eleëmosynæ eorum. q. d. Macedones copiosissimè & benignissimè sua elargiti sunt, cùm essent pauperes.

Nota. Simplicitas hîc, & c. 9. v. 11. & 13. significat candidam, liberalem & alacrem elargiendi voluntatem: non enim ex donorum multitudine, sed ex animi promptitudine liberalitas æstimatur, ait Chrysost. & Theophyl. *Simplicitas*, ait Ambros. epist. 10. *nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum, nihil fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu.* Vide dicta Rom. 12. v. 8.

QVIA SECVNDVM VIRTVTEM] secundùm vires & opes suas, imò supra eas, vt sequitur.

VOLVNTARII FVERVNT] αὐθαίρετοι, non rogati, non prouocati, motu proprio, sponte & vltro tam liberales fuerunt, vt supra vires facultatesque contribuerent.

OBSECRANTES NOS (intellige, quod addunt Græci, δέξασθαι ἡμᾶς, vt susciperemus) GRATIAM ET COMMVNICATIONEM MINISTERII] id est, gratiosum hoc ministerium colligendi eleëmosynas, vt scilicet in eo communionem & partem caperemus: hanc enim vocat communicationem ministerij. q. d. Obsecrarunt nos, vt in partem oneris veniremus, & participaremus in ministerio colligendi eleëmosynas pro pauperibus Christianis Hierosolymitanis: hos enim vocat sanctos.

Nota. χάριν, id est *gratiam*. Apostolus hîc & alibi sæpè vocat gratuitum munus, beneficium, munificentiam; & sic sæpè Cicero sumit nomen gratiæ: itaque hîc ministerium ipsum & obsequium conquirendi eleëmosynas, vocat *gratiam*: vers. verò 7. & alibi, ipsam eleëmosynam vocat *gratiam*.

ET NON SICVT SPERAVIMVS] supple fecerunt. q. d. Multò amplius dederũt quàm sperauerамus; sua largitate spem nostram superarunt.

SEMETIPSOS DEDERVNT PRIMVM DOMINO, DEINDE NOBIS] q. d. Macedones resignarunt se primò Domini voluntati, deinde nostræ, parati facere & dare, quidquid voluissem.

Nota hîc, eos qui faciunt eleëmosynam, vt cõgruè eam faciant, debere primò seipsos & cor suũ dare Deo, atque in signum huius, quòd scilicet seipsos iam Deo tradiderint, facere eleëmosynã, qua quasi profiteantur se iam cor suum resignare Deo, idque velle hac eleëmosyna, quam in honorẽ Dei faciunt, quasi tributo quodam testari. *Cor suum debent dare primũ Deo, qui faciunt eleëmosynam.*

PER VOLVNTATEM DEI] διὰ θελήματος θεοῦ, ex voluntate Dei, id est, Deo ita volente, vt scilicet Dei voluntatem circa hanc eleëmosynam, per meam agnoscerent, interpretarentur & sequerentur. vult enim Deus nostræ quasi vicariorum suorum voluntati populum obedire, nosque esse interpretes suæ voluntatis, vt quod nos volumus, idem Deus velit à nostris subditis fieri: ipse enim dicit, *Qui vos audit, me audit.* ita Anselm. & Theophyl.

ITA VT ROGAREMVS TITVM: VT, QVEMADMODVM COEPIT, ITA ET PERFICIAT IN VOBIS ETIAM GRATIAM ISTAM] Syrus, Hanc beneficẽtiam, colligendi scilicet eleëmosynas. q. d. Rogauimus Titum, vt, sicut nos in Macedonia, ita ipse colligeret Corinthi eleëmosynas; non dubitantes, quin vos diuites & liberales Macedonibus pauperibus in promptitudine & liberalitate non cederetis. Stimulat exemplo Macedonum Corinthios, vt largi sint in contribuendo. VERS. 6.

VT ET IN HAC GRATIA ABVNDETIS] supple, rogo, vel curate. q. d. Curate, vt sicut fide, solicitudinẽ, charitate erga me abundatis, ita pariter & eleëmosyna in pauperes abundetis. ita Anselm. vide can. 37. VERS. 7.

NON QVASI IMPERANS DICO: SED PER ALIORVM SOLICITVDINEM] scilicet per exemplum Macedonum, qui tam soliciti fuerunt subuenire pauperibus. VERS. 8. *Laudat Apostolus Macedonũ & Corinthiorum charitatẽ.*

ETIAM VESTRAE CHARITATIS INGENIVM BONVM COMPROBANS] Pro *ingenium bonum*, græcè est, γνήσιον, id est, ingenuum (vt legit hîc Primasius, Sedulius, Gagneius) germanum, genuinum. q. d. Hæc dico, vt charitatis vestræ ingenuitatem, germanitatem, bonitatem comprobem, experiar, perspiciam, eamque aliorum exemplo acuam & accendam. Non ergo *ingenium* hîc significat charitatem ingeniosam, vt vult Anselm q. d. Vt comprobem & ostendam vestram charitatem habere bonum ingenium, cùm sine iussu meo, sua sponte, facit quod bonum illi ingenium suggerit, dictat & suadet. Græcè enim γνήσιον non tale ingenium, sed ingenuum, seu germanam indolem significat: hanc enim Noster vocat *ingenium*. Secundò, pro *comprobans* græcè est δοκιμάζων, quod Primò, verti potest propriè, vt probem, explorem, experiar, perspiciam germanam vestram charitatem. ita Syrus & Vatablus. Secundò, vt eam quasi probatam & exploratam quòd Macedonibus non cedat, imò superet, approbem, laudem & prædicem, &, vt inquit Theophyl. probatiorem & fulgentiorem demonstrem. Vnde Maldon. in Notis manusc. vertit, *probare alijs cupiens*: δοκιμάζειν enim, inquit, hîc non effectum, sed affectum significat. VERS. 9.

SCITIS ENIM GRATIAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] Nouo argumento, Christi scilicet exemplo, ad eleëmosynam incitat. q. d. Christus Rex regum propter vos egenus factus est, cùm natus in stabulo, *quia non erat ei locus in diuersorio*, pro throno regali, habuit præsepium; pro culcitris, fœ- *Exemplum Christi incitans ad eleëmosynã.*

num; pro igne, halitum bouis & asini; pro peri- A stromatis, aranearum telas; pro odoramentis, excrementa boum; pro purpura, viles panniculos; pro equitatu, bouem & asinum; pro procerũ turba, Ioseph & Mariam. Sic & tota deinceps vita egenus fuit Christus, &, vt græcè, ἐπτώχευσε, hoc est, mẽdicauit, inquit Erasmus. Vnde patet Christum non tantùm pauperem fuisse, sed & verè mendicasse, fuissèque mendicum.

Vngroes labi nota beneficentia. C. 11. f. 255. 2 C

VT ILLIVS INOPIA VOS DIVITES ESSETIS] spiritualibus diuitijs, doctrina scilicet pietatis, peccatorum remissione, iustitia, sanctimonia, alijsque virtutibus. q.d. Ergo & vos, ô Corinthij Christiani, exemplo Christi eleemosyna vestra pauperes ditate, imò vos depauperate, vt alios ditetis, si Christo esse velitis simillimi. Vide Anselm. de diuitijs & paupertate Christi, & Chrysost. in moral. homil. 17. vbi docet quàm non sit erubescenda B Christiano, nec extimescenda paupertas.

Christus nobis laboribus suis via est ad omnẽ quietẽ & beatitudinem.

Pulchrè etiã Gregor. Nazianz. orat. 1. in pascha, hæc Christi beneficia per antitheses oculis subijcit. *Pauper*, inquit, *factus est Christus, vt nos illius paupertate ditescamus: serui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus: descendit, vt euehamur: tentatus est, vt vincamus: contemptus est, vt nos gloria afficiat: mortuus est, vt seruet: ascendit, vt ad seipsum trahat humi prouolutos in peccati lapsu.* Pulchrè quoque S. August. *Quid facturæ sunt*, inquit, *diuitiæ eius, cuius paupertas nos diuites fecit?* Denique ex hisce Apostoli verbis sic infert Beda hîc: *Omnes ergo boni fideles sunt diuites, nemo se contemnat: pauper in cella, diues in conscientia, securior dormit in terra, quàm auro diues in purpura.*

VERS. 10. ET CONSILIVM IN HOC DO] Græcè γνώμην, quod Beza vertit, *sententiam meam edo*; sed perpe- C ram: non enim fert sententiam, sed consulit. Nam consilium hoc opponit præcepto, de quo dixit v. 10. *Non quasi imperans dico.* Adde, si sententiam significaret, non dixisset δίδωμι, id est do; sed λέγω, id est dico.

HOC ENIM VOBIS VTILE EST, QVI NON SOLVM FACERE, SED ET VELLE COEPISTIS] *Velle*, vltrò scilicet, ac nemine impellẽte: hoc enim, vt insinuat Paulus, plus est, quàm *facere*, scilicet rogatum. ita Anselm. Sic Gregor. hom. 18 in Ezech. *Habet*, inquit, *improperiũ hæc ipsa consolatio, dũ dicitur, Ab anno priore. Bonum quippe, sed tardè fecerant, atque ideo hoc magister non sine reprehensione laudat. Medicus quippe est qui medicamentũ vulneri apponit, quod & ea quæ purgata sunt resouet, & ea quæ putrida inuenitur mordet.*

VERS. 11. VT, QVEMADMODVM PROMPTVS EST ANIMVS VOLVNTATIS, ITA SIT ET PERFICIENDI EX EO, QVOD HABETIS] Nota. Cùm ait, *Promptus animus voluntatis*, græcizat: græcè enim est, προθυμία τοῦ θέλειν, quòd latiniùs & clariùs vertas, Vt, quemadmodum inest vobis promptitudo volendi, sic insit & exequendi: id est, vt Syrus, vt, sicut incessit vobis voluntatis huius cupido, sic & facto exequamini *ex eo quod habetis*, id est, pro facultate vestra & opibus. Scitum est illud Luciani:

Celeres gratiæ dulciores: quòd si tardior fuerit,
Cuiusgratia vana, neque gratiæ nomine digna.

Et illud:

Bis dat qui citò dat.

VERS. 12. SI ENIM VOLVNTAS PROMPTA EST: SECVNDVM ID, QVOD HABET, ACCEPTA EST, NON SECVNDVM ID, QVOD NON HABET] *Secundùm id, quod habet*, vt scilicet det secundùm facultates & opes suas. q.d. Date quod potestis. ita Ambros. Chrysost. Anselm. Græcè est κατὸ ἐὰν ἔχῃ τις, εὐπρόσδεκτος, id est, *secundùm id quod habet quis, acceptus est, non secundùm id quod non habet.* Et ita in Latinis Bibliis legendũ censet Maldon. in Notis manuscr. Verùm Romana, & alia Biblia passim legunt, *secundùm id quod habet accepta est*, scilicet προθυμία, id est prompta voluntas; idque significantius est & neruosius, ac proinde germanius.

Nota hîc, perfectionem & meritum eleemosynæ, omnisque virtutis consistere in promptitudine voluntatis, nõ in multitudine donorum & magnitudine; ita vt coram Deo, vbi promptitudo hæc maiòr est, ibi maior sit & virtus, etiamsi ob paupertatem, aut aliam causam in actum externum, siue donationem exire non possit. Vnde ait, Promptitudo accepta est, non donum. Idem patet Marci 12. v. 43. Secundò tamen, vt hæc promptitudo sit accepta Deo, ait D. Thom. quasi vera, seria & efficax, debet exire in actum, secundùm id, quod habet, id est ita, vt pro viribus & opibus det quod potest. Alioqui tantùm velleitas esset, non seria & prompta voluntas; non ergo exigitur ab eo, vt det id, quod non habet, vt ait Apostolus. q.d. inquit Theophyl. Qui habet, opus impleat; qui nõ habet, iam sua volũtate opus impleuit. Hinc S. Leo serm. 4. de ieiunio 10. mensis: *Subinde*, ait *æquatur meritis qui distat impẽdio: quia potest par esse animus, vbi dispar est census.* Et Anselmus: *Hic omnes*, ait, *tam pauperes quàm diuites æqualiter dant, si quisque ex tanto det, quantum habet.* Hinc Tertiò, inter æquè diuites, vel æquè pauperes liberalior est, & plus meretur qui plus dat; inter inæquales verò, hoc est inter ditiores, vel pauperiores plus meretur, qui proportionaliter secundùm suas opes plura dat, licet geometricè minus det quàm is qui ditior est. Patet Marci 12. 43. Sensus ergo est, q.d. vt v. 11. diximus, *facio perficite ex eo quod habetis*: quia προθυμία, promptitudo & voluntas accepta est & meritoria, *secundùm id quod habet, non secundùm id quod non habet*, id est, si det id quod habet: non enim requiritur vt id det quod non habet. Ita Tobias c. 4. filio suo præcipit: *Quomodò potueris*, inquit, *ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude.* Et S. August. in psal. 103. *Si potes*, ait, *dare, da: si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, Non habeo: charitas de sacculo non erogatur.* Vnde & subdit hîc Paulus,

NON ENIM VT ALIIS SIT REMISSIO, VOBIS AVTEM TRIBVLATIO] *Remissio*, id est relaxatio. q.d. Nõ impero vt tãtam eleemosynam detis, qua pauperes lautiùs viuant, vos necessitatem subeatis; sed vt quisque pro viribus ita alienæ consulat necessitati, vt suam non negligat. ita Theophyl. Dico, nõ impero: quia id consulere possum: est enim consilium Euangelicum, dicit D. Thomas & Anselm. ideoq; maioris perfectionis, si omnia bona des pauperibus, ipseq; omnino fias pauper. ita enim consulit Christus Matth. 19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; idque non tãtum si Religionem ineas, sed etiam si maneas in seculo, vti fecit vidua illa dans duo minuta, Marci 12. quæ viuebat labore quotidiano, totumque lucrum dabat templo, vt ipsa cum Christo pauper fieret, & paupertatis incommoda forti animo subiret. Intellige quæ dixi: dummodo tamen quis in extremam necessitatem se nõ conijciat, nec familiam habeat cui prouidere teneatur. Addit Theophyl. v. seq.

Apostо-

Apostolum hortari Corinthios vt dent supra vires cùm ait, *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat*: q.d. Si vis non parum, sed abundantè mercedē habere, da abundanter; si totum, datotum: vt *abundantia* significet eleëmosynam profusam, & supra vires abundantem, qualem in Macedonibus laudauit Paulus v. 3. Ratio est, quia hic est actus summæ & heroicæ eleëmosynæ, paupertatis, fortitudinis, & spei in Deum.

Ita fecit S. Paulinus Nolanus Episcopus, qui suis omnibus in pauperes erogatis, seipsum demū pro viduæ filio in seruitutem Wandalis tradidit; cuius liberalitatem laudat S. August. l. 1. de Ciuit. Dei c. 10. & gratā Deo fuisse exitus declarauit; cùm seruus existens, Dei monitu declaratus & agnitus à Wandalis, honorificè cum suis omnibus domū remissus est. Idem fecit S. Paula Romana, quæ ita profusa fuit in pauperes, vt, quod toties Deū oraverat, ex voto ei contigerit, nimirum vt moriens debuerit aliena veste & sumptu sepeliri, cùm ne tantillum quidem quod ad funus necessariū esset, sibi reliquū fecisset: qua de causa mirè eam laudat S. Hieron. in eius Vita. Idem fecerūt S. Martinus, S. Iohannes Eleëmosynarius, & alij multi. Verùm *abundantia* hic magis & aptiùs significat abundantes opes Corinthiorum: hasce enim opponit Paulus inopiæ Hierosolymitanorum, quam ex ijs leuari & suppleri cupit.

SED EX ÆQVALITATE. IN PRAESENTI TEMPORE VESTRA ABVNDANTIA ILLORVM INOPIAM SVPPLEAT] q. d. Non impero tantam eleëmosynam, qua fiat vobis res angusta domi, pauperibus ampla & laxa: sed qua superflua (hæc enim sunt propria eleëmosynæ materia, quam ipsa erogare in pauperes non tantùm suadet, sed etiam præcipit) quibus abundatis, eis communicando, suppleatis eorum inopiam, vt vtrique habeatis vitæ necessaria, neutri nimis angusta, vel nimis laxa; sicque vtrique inter duo extrema inopiæ & abundantiæ ad mediocritatem quandam & æqualitatem redigamini, vt & dantium copiæ nihil superfit, quasi superfluum, & accipientium inopiæ nihil desit, quasi necessarium. ita Theophyl.

VT ET ILLORVM ABVNDANTIA, in fide, spe, & omni gratia VESTRAE INOPIAE spiritualis SIT SVPPLEMENTVM] dum oratione, & meritis suis eam apud Deum subleuant in hac vita: in altera verò vos morientes recipient in æterna tabernacula: pauperum enim Christi est regnum cælorum. ita Anselm.

VT FIAT AEQVALITAS] tam in remuneratione, & eleëmosyna spirituali, quàm temporali, eo modo quo explicui v. 13.

SICVT SCRIPTVM EST] Exodi 16. 18. iuxta Septuag. Ex quo loco probat Paulus per exemplum collectionis & comestionis manna, Deum velle vt homines in communione bonorum quandam colant æqualitatem.

QVI MVLTVM (scilicet manna collegerat) NON ABVNDAVIT præ eo qui minùs collegerat: ET QVI MODICVM manna collegerat, NON MINORAVIT [id est, non minùs habuit illo qui plus collegerat.

Nota ex hoc Exod. 16. 18. ita continuo miraculo per 40. annos Deum in deserto pro tot centenis millibus Hebræorū pluisse mānā, vt, licet maxima eius esset copia, singuli tamen illud colligentes, siue auariores multum, siue pigriores parum, cùm domum reuersi illud metiebantur, vnam tamen mensuram gomor, quæ ad diurnum victum cuique sufficeret, omnes reperirent, Deo vel angelo inuisibiliter addente, si minus quàm gomor; demente, si amplius quàm gomor collegissent. Sic ergo vna tunc cibi mensura erat paruulis, viris, feminis, scilicet gomor, quæ mensura tantum continebat, quantum communiter homo per diem comedere solet. Ita Nyssen. de vita Moysis, Chrysost. hîc, Anselm. Vatabl. Theophyl.

Causa erat Primò, vt Iudæorum auaritiā, gulā, nimiamque cibi & rerum terrenarum curā Deus hac ratione compesceret, ait Chrysost. & Theoph. Secundò, vt hoc continuo miraculo testaretur Deus in omni necessitate ad eius prouidentiā esse recurrendū, Deumque suā cuique sufficientem victus mensurā cōparare, etsi laboribus minùs consequi posse videatur, vt cùm assidemus mensæ, cogitemus Deum nobis pluere è cælo mānā. Sicenim & hodie non diuitibus modò, sed & pauperibus, ægris etiam & debilibus, insuperque multa prole oneratis quotidianam tamen annonam, quæ satis sit vitæ omnium tuendæ, Deus suppeditat. quæ res consideranti mirabilis & incredibilis videtur, si censum & lucrum exiguū quod faciunt, cū sumptu tanto, & expensis tot capitum familiæ conferat, vt vel ex hoc solo experimento colligere liceat suauem & mirā Dei in omnes prouidentiam. Hinc pauperes suā sortem non doleant, nec multa desiderent. *Nam cùm omnes*, ait Chrysost. *vnum ventrem impleamus, & vno tempore viuamus, & vnū corpus tegamus, nihil magis habet dives ex abundantia, neque ex paupertate minus habet pauper; sed vterque victum habet, & amictum, & in hoc sunt æquales.*

Deus omnibus necessaria prouidet secundùm mensuram suæ prouidentiæ.

Nota Secundò. Ex allegoria mānæ Exodi 16. 18. iuxta Septuag. pulchrè inuitat Apostolus ad eleëmosynā. q.d. Deus æqualem omnibus mensuram dabat manna; ergo par est vt & Christiani paritatem quamdam colant, vt qui abundant opibus, egentibus tribuant, itaque illos in vitæ necessarijs sibi æquent, vt ita omnes suis contenti, & necessaria habentes æqualiter viuant. ita Theophyl. ex Chrysost.

Vbi aduerte. Sicuti diuites superflua dando pauperibus eos sibi pares faciunt: ita & pauperes communione meritorū diuites sibi adæquant non omnino & geometricè, sed proportionaliter: ita vt neutri in neutro deficiant, vel nimis præ alijs abūdent. Nam alioqui nec diuites dando pauperibus tantum dant, vt eos sibi æquè diuites faciant; nec pauper reddendo diuiti preces & spiritualia, dat æquale, sed multò amplius quàm temporale quod accepit: nec rursus tantum dat spiritualiū, quantum habet. ita D. Thomas.

Anagogicè, Chrysost. & Anselm. hæc referunt ad gloriam cælestem; in qua omnes erunt æquales: quod intellige de beatitudine obiectiua. omnes enim eumdem Deum videbunt, illoque erunt satiati & beati: sed in hac visione ac consequenter in gaudio & gloria gradus erunt & disparitas pro ratione meritorum; sicut idem erat manna, imò æquale & æqualiter omnes satians, aliter tamen his, aliter illis sapiebat.

In beatitudine qualis futura æqualitas & inæqualitas.

GRATIAS DEO QVI DEDIT EAMDEM SOLICITVDINEM PRO VOBIS IN CORDE TITI] vt scilicet Titus solicitus pro vobis vestroque profectu ac lucro spirituali vos exhortetur ad beneficentiam in pauperes, vt sequitur. VERS. 16.

Nota *Eamdem*, scilicet mecum, qua videlicet

&

& ego solicitè ad hãc contributionẽ vos exhortor.

VERS. 17. QVONIAM EXHORTATIONEM. putà munus exhortandi vos ad eleëmosynam, TITVS SVSCEPIT] ita Anselmus.

SVA VOLVNTATE (αὐθαίρετος, sponte sua, me non iubente, aut rogante) PROFECTVS EST AD VOS] vt ad hoc opus tam pium vos exhortaretur.

VERS. 18. MISIMVS ETIAM CVM ILLO FRATREM CVIVS LAVS EST IN EVANGELIO] prædicando, scilicet Barnabam: hic enim Actor. 13. v. 3. ordinãtus est socius Pauli. ita Theodor. Chrysost. Oecum. Verùm, quia iam Paulus à Barnaba secesserat, assciuerátque sibi Silam Actor. 15. v. 40. hinc melius cum Baronio Silam accipe. aut simpliciter cum Anselmo & Hieron. Lucam: hic enim non Apostolus, sed frater vocatur, scripsitque Euangelium, & indiuiduus fuit Pauli comes. Vnde & S. Ignat. ad Ephesios scribens hoc idem elogium Lucæ tribuit dicens: *Vt testatur Lucas, cuius laus est in Euangelio.*

Laus D. Lucæ in Euangelio.

VERS. 19. NON SOLVM AVTEM (supple laudem habet in Euangelio) SED ET ORDINATVS EST AB ECCLESIIS COMES PEREGRINATIONIS NOSTRAE, IN HANC GRATIAM] hoc est, ad gratuitum hoc ministerium colligendi eleëmosynas, vt dixi v. 4.

Nota. Pro *ordinatus est*, græcè est χειροτονηθείς, manus ei impositæ sunt, id est, consecratus est diaconus, vel etiã sacerdos. Diaconi enim erat habere curam pauperum, ijsque distribuere eleëmosynas: sacerdotis verò erat iuuare Apostolum peregrinãtem in prædicatione & Sacramentorum administratione. χειροτονία enim à Græcis vocatur ordinationis Sacramentum; eò quòd in illo Episcopus ordinandis manus imponat, vt patet 1. Timot. 4. v. 14. & c. 5. v. 22. Ita Actor. 14. 22. vbi Noster vertit, *& cùm constituissent illic per singulas Ecclesias presbyteros*, græcè est χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. id est, Cùm manus imposuissent presbyteris per singulas Ecclesias. Vnde patet quòd manus imponere presbyteris, idem sit quod ordinare, & ordinando constituere presbyteros.

Pro *comes* græcè est συνεκδήμος, id est socius, collega.

QVAE MINISTRATVR A NOBIS AD DOMINI GLORIAM, ET DESTINATAM VOLVNTATEM NOSTRAM] Hoc est, ad alacritatem animi nostri declarandam in hoc tam pio Dei & pauperum obsequio: græcè enim est προθυμία, id est, animi promptitudo, vt dixi v. 11. *Destinatam* ergo non significat hîc prædestinatam à Deo, vt exponit S. Thomas, sed promptam, paratam, alacrem.

Nota. Pro ἡμῶν, id est nostram, iam Græci legunt ὑμῶν, id est, vestram promptitudinem. q. d. ait Theophyl. Hanc gratiam, hoc ministerium eleëmosynarum suscepimus ad hoc, vt Deus hac eleëmosyna glorificetur, & vos ad eam promptiores reddamini per exhortationem Titi & Lucæ.

VERS. 20. DEVITANTES HOC, NE QVIS NOS VITVPERET IN HAC PLENITVDINE] eleëmosynarum & pecuniæ collectæ. Græcè ἐν ἁδρότητι, in abundantia, in exuberantia, nummorum scilicet. q. d. Misi Titum & Lucam ad eleëmosynas tam largas colligendas, ne quis suspicetur eas me mihi ad priuatos vsus colligere. ita Anselm. Solet enim magna pecuniarum vis obnoxia esse fraudis suspicioni;

Paulus à se auertit suspicionem auaritiæ.

A quia ex tanta copia facilè multa clàm demi possunt, ita vt nemo sciat, vel persentiscat.

PROVIDEMVS BONA NON SOLVM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM HOMINIBVS] Græcum καλὰ significat & bona & honesta, vt vertit Vatabl. q. d. Procuro & satago honestè agere non tantùm coram Deo, sed & coram hominibus, ne homines etiam suspicaces occasionem habeant aliquid mali, vel inhonesti de me suspicandi. Quapropter vt iustè & honestè me hanc collectam administrare ostendam, testes mihi adsciscо Titum & Lucam, illis pecuniam bursamque committo, ego eam tractare nolo. Hinc Nota, & discе hoc practicum axioma: Conscientiam Deo, proximo famam debemus: & qui famam negligit, in proximi salutem crudelis est. Vide Anselm.

B MISIMVS AVTEM CVM ILLIS ET FRATREM NOSTRVM] Incertum quis hic. Aliqui suspicantur esse Apollo, ait Anselm. Sed suspicantur tantùm, quia Paulus eum nec nominat, nec describit, sed Corinthiis ex præsentia cognoscendum relinquit.

CONFIDENTIA MVLTA IN VOS. q. d. Confidens multùm, & sperans, illos, vti par est, à nobis honestè & amanter excipiendos, idque SIVE PRO TITO] id est, partim ob amorem & venerationem Titi, qui socius est meus & adiutor apud vos. hinc patet Titum, cùm hæc scriberet Paulus, fuisse Corinthi: eò enim ad eleëmosynas hasce, aliasque peragenda miserat eum Paulus.

Porro Maldon. supplens verbum ἐνδείξηται, id est *ostenderit*, sic vertit: *siue pro Tito aliquid charitatis ostenderit, erga me ostenderit: socius enim meus est.* Verùm non est necesse hîc quippiam supplere: sensus enim per se constat, vti iam ostendi.

SIVE FRATRES] hoc est, siue pro fratribus ceteris qui sunt Apostoli. est antiptosis: Hebræi enim carent casibus. vide can. 37. ita Theophyl. q. d. Partim propter fratres cum Tito submissos, qui sunt Apostoli Ecclesiarum; partim propter Titum ipsum confido, quòd illos dignè, vt par est suscipietis.

GLORIA CHRISTI] q. d. Qui Apostoli sunt gloria Christi, id est, promouent & illustrant gloriam Christi. Siue ergo, inquit Chrysost. eos vt fratres volueritis excipere, siue vt Apostolos Ecclesiarum, siue vt aliquid in gloriam Christi facientes, multas habebitis occasiones beneuolentiæ erga illos.

D Est metonymia, *gloria*, id est causæ & curatores gloriæ Christi.

OSTENSIONEM, QVÆ EST CHARITATIS VESTRÆ, ET NOSTRÆ GLORIÆ PRO VOBIS, IN ILLOS OSTENDITE] Pronomen *quæ* habet epitasin. q. d. Charitatem ostendite insignem in Titum & socios, scilicet eam, quæ decet vos, vestramque tam liberalem charitatem pariter & gloriam, id est, gloriationem nostram de vobis, vt habent Græca. Noster interpres solet ad verbum vertere *pro vobis*, quod nos latiniùs vertimus, de vobis; græcè enim est ὑπὲρ ὑμῶν.

OSTENDITE IN FACIEM, in conspectum scilicet omnium ECCLESIARVM] ita Anselmus. significantiùs tamen dicitur *ostendite in faciem*, quàm, Ostendite in conspectum.

CAPVT

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, pergit hortari Corinthios ad eleëmosynam, ex humano pudore & laude, ne scilicet coram Macedonibus, qui tam liberales fuerant, erubescant.

Secundò, v. 6. ex fructibus eleëmosynæ, quòd scilicet ipsa suos eleëmosynarios ditet bonis & præsentibus & futuris.

Tertiò, v. 11. ex gratiarum actione inde in Deum redundante, & lætitia pauperum Christianorum eam excipientium, atque pro Corinthijs suis benefactoribus obsecrantium.

1. NAm in ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. 2. Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio prouocauit plurimos. 3. Misi autem fratres: vt, ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, (vt quemadmodum dixi) parati sitis: 4. ne, cùm venerint Macedones mecum, & inuenerint vos impáratos, erubescamus nos (vt non dicamus vos) in hac substantia. 5. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic, quasi benedictionem, non tamquam auaritiam. 6. Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 7. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, 9. sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. 10. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: 11. vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. 12. Quoniam ministerium huius officij non solùm supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, 13. per probationem ministerij huius, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Euangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes, 14. & in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 15. Gratias Deo super inenarrabili dono eius.

NAM DE MINISTERIO, QVOD FIT IN SANCTOS. q. d. Commendaui vobis in fine cap. præced. Titum cum socijs, non autem eleëmosynam, pro qua veniunt: *nam de ministerio*, id est, submministratione huius eleëmosynæ, quæ fit in sanctos, id est pauperes Christianos, EX ABVNDANTI EST] id est, superfluum est scribere vobis, cùm ad illam prompti sponte vestra procurratis. ita Anselm. Nota artem emendicandi eleëmosynas commodam esse, si laudes dantium liberalitatem. hanc callent egregiè publici viarum & templorum mendici.

QVONIAM ET ACHAIA PARATA EST. Refer ad *glorior*. q. d. Glorior apud Macedones, quòd vos, ô Corinthij, & reliqua Achaia parati sitis ad hanc contributionem eleëmosynæ, ita vt VESTRA AMVLATIO, id est, zelus misericordiæ vestræ, quê apud alios prædico, & de quo glorior, PLVRIMOS ad imitationem PROVOCARIT] videte ergo, vt ipso facto ostendatis, me verè gloriatum esse, ne & ego confundar & vos.

NE QVOD GLORIAMVR DE VOBIS, EVACVETVR IN HAC PARTE] Græca clariùs, ἵνα μὴ τὸ καύχημα ἡμῶν τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κενωθῇ, ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat in hac parte, ne scilicet falsa appareat, ne inaniter videar gloriatus & falsò, vos esse tam promptos & liberales; si parcos & imparatos vos inueniant Macedones.

A IN HAC SVBSTANTIA] in hac materia laudis & vituperij circa eleëmosynas & tenacem auaritiam. VERS. 4.

VT PRÆVENIANT AD VOS] Ita Romana; hoc enim est Græcum προελθωσιν. malè ergo passim, etiam Plantiniana, legunt, Perueniant. *Præueniant*, inquam, meum & Macedonum ad vos aduentum. VERS. 5.

ET PRÆPARENT REPROMISSAM BENEDICTIONEM] beneficentiam & eleëmosynam vestram.

PARATAM ESSE] vt parata sit: græcismus.

SIC, QVASI BENEDICTIONEM] vt videatur spõtanea & liberalis beneficentia, non verò ab auaris extorta. ita Anselm. & Theophyl. ex Chrysost. Cur liberalis eleëmosyna vocetur benedictio, dicam v. sequ. Græcum εὐλογία tum benedictionem, tum bonam vberemque collationem siue eleëmosynam significat. ita hic Erasm. εὐλογία enim deriuatur ab εὖ, id est benè, & λέγω, id est, dico vel colligo. Vnde hasce eleëmosynæ collectiones & collationes λογίας vocauit Apostolus 1. Corinth. 16. v. 1. & 2. Vtraque significatio hic locum habet, hortaturque Apostolus Corinthios tam ad vltroneam & hilarem (quod significat benedictio) quàm ad vberem & liberalem λογίαν, siue collationem eleëmosynarum. Docet hîc Apostolus quo animo danda sit eleëmosyna; nimirum alacri & liberali, non coacto, constricto, auaro & sordido.

Liberalis eleëmosyna est benedictio.

QVI

VERS. 6. QVI SEMINAT IN BENEDICTIONIBVS (id est, largiter & liberaliter, vt scilicet multas benedictiones, id est beneficentias, quasi semina in pauperes effundat; hic eadem METET] Deus enim, qui sibi factum putat quod pauperibus fit, non sinit se liberalitate nostra vinci, sed in liberales longè liberalior est, reddítque eis maiori copia bona tum corporis, tum animæ.

Magni fructus & fœnora eleemosynæ.

Nota duplicem hebraismum. Primò, εὐλογία hebraicè בְּרָכָה *beracha*, id est benedictio, significat beneficentiã; & in plurali benedictiones significãt multas & copiosas beneficentias: has enim opponit parcitati, siue parcè seminanti. Sic Axa Iosue 15.19. patri Caleb dicit: *Da mihi benedictionem*, eamque explicat subdẽs, *Terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Sic Abigail 1. Reg. 25.27. offerens sua dona Dauidi: *Suscipe*, inquit, *benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua.* B Sic Iacob Gen. 49.v.25. Ioseph filio suo imprecatur dicens: *Benedicet tibi Deus benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ.*

Atque hæc causa est, quam hîc innuit Iacob, quare Hebræi beneficentiam vocent benedictionem. Quia nimirum sermone pio imitari & significare volunt Dei beneficentiam, quæ omnis nostræ beneficentiæ fons est & origo, ab eiusdem benedictione promanare: Dei enim benedicere est efficax, idemque in re quod benefacere, adeoque Deus solo dicto & iussu suo nobis bona cuncta largitur. Secunda causa est, quòd Patriarchæ & prisci fideles, vti & Eremitæ alíque Sancti noui testamenti sua dona cum fausta apprecatione & benedictione communicarent. Vnde ea vocabant εὐλογίας. Tertia causa est, quòd suauius & molliùs C tam dando quàm petendo donum quoduis vocetur benedictio potiùs quàm beneficentia. Sic enim & petentes & dantes donum suum modestè extenuant. Vnde pauperes honesti eleemosynam petentes quasi rem facilem & exiguam vulgò petunt benedictiones, & diuites vicissim eam dantes quasi rem paruam, vocant pariter benedictionem. Addit Theophyl. hac voce Paulum incitare ad eleemosynam hilarem. q. d. Benedictio est quod das: benedictio inquam tam pauperis quàm tua. Nemo autem benedictionem dans contristatur, sed hilariter eam impertit.

Tres causæ ob quas eleemosyna vocatur benedictio.

Secundus hebraismus pariter & græcismus est, cùm ait ἐπ' εὐλογίαις, in benedictionibus, vel beneficentijs, id est, valdè beneficè, vel beneficentissimè: Græcum enim ἐπί cum nomine pro aduerbio ponitur, vt in iustitia, id est iustè, in sanctitate, D id est sanctè.

Nota Secundò. Apostolus hîc alludit ad Prou. 22.8. vbi dicitur: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* q.d. *Qui parcè seminat, parcè & metet*; & è contrario, qui beneficè seminat, beneficè & metet. Idem suadet Sapiens Eccles. 11.v.1. *Mitte*, inquit, *panem* (eleemosynam) *tuum super transeuntes aquas*, id est pauperes, qui in hac vita viuentes pręterfluunt vt aquæ, 2. Reg. 14.v.14.) *quia post tempora multa inuenies illum.* q. d. Semina eleemosynam vt metas eius fructus: atque licet pauperes sint, aut videantur fore ingrati vel impotentes, ad reddendum, vt beneficium tuũ in eos quasi in aquas iactum ac proinde periturum videatur: benefac tamen eis, quia ingens & certa ab eisdem, vel certè à Deo tibi merces reddetur. *Da partem septem* (id est multis) *necnon & octo* (id est pluribus. q.d. Da multis, imò multò pluribus, da tot pauperibus quot potes) *quia ignoras quid futurũ sit mali super terram*, à quo scilicet per eleemosynam poteris liberare. Eccles. 11.v.3. *Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent.* q. d. Vti nubes fœcunda copiosam effundit pluuiã: pari modo oportet vt cor plenum vti diuitijs, ita & charitate magna & multas eroget eleemosynas. ita Olympiodorus, Gregor. Neocæsar. & Vatablus in illum locum.

Ingẽs merces eleemosynæ etiam ingrato & immerenti data.

Nota Tertiò, verba *seminat & metet.* q.d. Eleemosyna, vti & alia bona opera sunt semen, quod producit messem gratiæ, imò & bonorum temporalium, vt explicat v.8. & 10. Vnde infera contra Caluinum, bona opera efficere & meteri præmium. semen enim virtute sua naturali producit fructum & messem: ergo & eleemosyna vere parit præmium, non physicè, vt patet, ergo meritorie.

VNVSQVISQVE PROVT DESTINAVIT IN CORDE SVO, NON EX TRISTITIA, quam parit auarus animus, AVT EX NECESSITATE [confusendi suæ famæ & pudori. q.d. Quisque det parte quod vult, non inductus, & quasi coactus mea vel Titi auctoritate; non quia pudet eum minus alijs dare, vt suo honori consulat.

HILAREM ENIM DATOREM DILIGIT DEVS] Citat Prou. 22.8. iuxta LXX. Pro *diligit* editio Septuaginta Caraffæ legit, εὐλογεῖ, benedicit. De hilaritate vide dicta Rom. 12.8. Pulchrè S. Augustin. psal. 42. *Si panem*, inquit, *dederis tristi, & panem & meritum perdidisti.* Idem serm. 45. *Si bona semina sunt bona opera, quare seminantur cum lacrymis?* Et D. Chrysost. tom. 4. hom. in dictum Pauli, *Oportet hæreses esse: Si alacriter*, inquit, *demus, duplex erit eleemosyna; & quia damus, & quia hilariter damus.* S. Gregor. quoque Mor. 21. c. 11. exponens illud Iobi: *Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: Petentem*, inquit, *viduam expectare voluit, vt non solùm ex munere, sed ex celeritate quoque muneris bonorum operum merita augeret.* Vnde Prouerb. 3. scriptum est: *Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Et Ecclesiastici 35.v.11. *In omni*, inquit, *dato hilarem fac vultum tuum.* Hilari ergo animo, non tristi, non torpido, non tardo danda eleemosyna; itaque imitabimur Deum, qui hilariter sua bona communicat & effundit.

Charites, seu Gratias deas pingunt Ethnici veluti tres sorores, mutuo se amplectentes, aliò respectantes. Qua pictura significabant dona quomodo sint distribuenda. Prima appellatur Aglaia, generositatem significãs. melius est enim dare quam accipere. *Nam beneficium qui accipit libertatem vendit*, ait P. Syri mimus. Secunda Thalia nuncupatur, id est in medio florens cursu. Tertia autem Euphrosyne, gaudium indicans. Lætatur enim in beneficijs, qui dat, & qui accipit. *Hilarem* quippe *datorem diligit Deus.* vide Senecam de Beneficijs.

POTENS EST AVTEM DEVS OMNEM GRATIAM ABVNDARE FACERE IN VOBIS] Occurrit obiectioni. Dices, inquit, mihi, Si multa tribuero, fiam pauper, non potero deinceps domesticis, alijsque magis indigentibus succurrere. Ita Theophyl. Huic respondet Apostolus: Ne id metuas; crede & spera in Deum, qui *potens est omnem gratiam* (id est, vt Syrus, beneficentiam) *abundare facere in vobis*, vt semper sufficientiam bonorum habeatis, ex qua abundetis in omne opus bonum,

VT

vt scilicet assiduè, continuè & abundè facere possitis eleëmosynas, alijsque & alijs benefacere. q.d. Deus eleëmosynarios ditare potest, & assiduè ditat, cùm eis continuò sufficientia bona suggerit & tribuit, vt habeant semper quod erogent, sicque in beneficentia abundent. Id verum esse docet experientia, & patebit v. 10.

Vbi Nota. *Τὸ potens est facere*, non tantùm potẽtiam Dei, sed & actum significat. q.d Deus potens est facere, & faciet *abundare omnem gratiam & sufficientiam in vobis*, vti exponit v. 10. est enim miosis & metalepsis. Sic rex dicere solet duci belli: Vade, bellum confice, nullis parce sumptibus, ego potens sim & eos ferre, & te ditare, id est, ego eos feram, & te insuper ditabo ac promouebo.

Nota Secundò. In Græco pulchrè & emphaticè Paulus ludit in verbo πᾶς, illud duplicãdo, imò triplicando, *ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν* B *ἔχοντες*, vt in omni, scilicet negotio, omni tempore, omnem sufficientiam habentes. q.d. Non in aliqua, sed in omni necessitate; non in aliquo, sed in omni tempore occurrente; non aliquam, sed omnem sufficientiam, ex qua abundè cuiuis succurratis, dabit vobis Deus.

Nota Tertiò. Non dicit, ait Theoph. abundantiam vel exuberantiam, sed *αὐτάρκειαν*, id est sufficientiam habebitis. *αὐτάρκεια* est sufficientia, qua quis sibi sufficit. Vel Secundò, qua quis sua sorte contentus, sibique ac suis sufficiens plura non desiderat. Sic Deus solus propriè dicitur *αὐτάρκης*, vt qui nullo egeat, & totus in seipso acquiescat: talis est eleëmosynarius. Auarus contrà insatiabilis est: nam *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*, sic & diuitiæ. Hinc *semper auarus eget* Αὐτάρκειαν, id est sufficientia, inquit Clemens l. 2. Pædag. c. 12. est C virtus per quam contenti sumus; siue, est habitus contentus rebus ijs, quibus oportet, & qui per se ea acquirit quæ ad beatã vitam conferũt. Vnde Hippias (teste Suida verbo *Hippias*) finem bonorũ constituebat *αὐτάρκειαν*, id est, animum sua sorte contentum. Quin & Epicurus dicere solebat: *Sufficientiam res est omnium ditissima*, vti narrat Clemens Alexand. l. 6. Stromatum. Quo sensu dixit Cicero paradoxo 1. *virtutem ad beatè viuendum seipsa contentam esse*. Et Socrates apud Platonem dialogo 3. de Legibus ita precatur & optat: *Tantum mihi sit auri, quantum ferre queat non alius quàm vir temperans.* De hac sufficientia plura dicam 1. Timoth. 6. 6. & Philipp. 4. 11.

SICVT SCRIPTVM EST (psal. 111. 9.) DISPERSIT] scilicet vbique, omni necessitate, loco, tempore, vir misericors (qualis fuit S. Laurentius, vti de eo canit Ecclesia) D suã bona & suas eleëmosynas: sicut qui seminat, vndiq; spargit suum semen. Vult enim Apostolus probare quòd Deus in eleëmosynarijs faciat abundare omnem gratiam, id est beneficentiam, & ad illam det omnem sufficientiam, vti præcessit. Id probat, quia ex hac sufficientia eleëmosynarius *dispersit*, id est, vndequaque sparsit & spargit suum eleëmosynæ semen, non in conuiuas, non in veneres; sed in pauperes. Vnde Oecum. verbo *Dispersit*, inquit, significat exuberãtiam eleëmosynæ. Secundò, ita *dispersit*, vt tamen non abiecerit, aut perdiderit, quia, vt sequitur:

IVSTITIA EIVS MANET IN SAECVLVM SAECVLI] *Manet*, scilicet in Dei memoria & æterna mercede, quasi segete & messe. Sicut agricola dũ spargit semen, non perdit illud, sed terræ mandat, vt cum

A fœnore decuplum recipiat. Immortalis ergo est eleëmosyna, & eleëmosynarium immortali gloria beat. Vnde & subijcit, *In memoria æterna erit iustus; ab auditione mala non timebit, & cornu eius*, id est dignitas, robur, vt ait ibidẽ Theodor. ac potẽtia eius, *exaltabitur in gloria*; id est, gloriosè accrescet indies, vsque dum summè exaltetur in gloria cælesti. *Eleëmosyna est immortalis.*

IVSTITIA] Id est, beneficentia eius non perit, sed manet coram Domino, vt eam remuneretur præmijs & præsentibus & æternis. *Mercatura & negotiatio, cælum est: da panem, & accipe paradisum: parua da, & magna suscipe: da mortalia, & recipe immortalia*, ait S. Chrysost. hom 9. de pœnitent.

Nota, in Script. eleëmosynam, quæ est actus misericordiæ, vocari *iustitiam*, tum quia magna pars est iustitiæ generalis, quæ est complexio omnium virtutum, tum quia iustitiæ & sanctitatis indicium est: sancti enim sunt misericordes; contrà viscera impiorum crudelia, inquit Sapiẽs Prouerb. 12. 10. Tertiò, quia ad iustitiam disponit, eam meretur, (primam quidem de congruo, secundam autem, hoc est, augmentum iustitiæ, de condigno) conseruat & auget. Vnde solis misericordibus Christus dat coronam iustitiæ, Matth. 5 35. Hinc duris & obstinatis in malo suadenda est quasi vltimum remedium eleemosyna, vti Daniel superbo Nabuchodonosori suasit: *Peccata tua eleëmosynis redime*, Dan. 4. 24. *Eleëmosyna cur vocetur actus iustitiæ.*

QVI AVTEM ADMINISTRAT SEMEN SEMINANTI: ET PANEM AD MANDVCANDVM PRÆSTABIT, ET MVLTIPLICABIT SEMEN VESTRVM] Occurrit secundæ obiectioni ortæ ex versu psalmi iam citato, *Dispersit, &c. iustitia eius manet in sæculum*, &c. q.d. Obijciet rursum aliquis ex illo versu psalmi: Bene probas, Paule, eleëmosynam manere in mercede cælesti, sed nondum video, quomodo inde probes nos per eleëmosynam non depauperãdos; manet ergo prior obiectio nostra, Si largam dem eleëmosynam, fiam pauper, nec potero alijs deinceps succurrere. Huic respondet, contrarium tacitè significari & educi ex eodem versu psalmi citato: sicut enim herus, qui colono suo semen administrat, vt suum agrum seminet, eidem panem ad manducandum præstat; & in messe, cùm messis eum facit participem, multiplicat ei semen, id est grana seminata, vt pro vno modio quem seminauit, tres recipiat, quos rursum seminare possit, vt rursus longè plura in messe recipiat, & ita deinceps seminãdo semper amplius, semper longè plus metat: ita multò magis Deus, qui eleëmosynarijs dat bona quæ dispergant in pauperes, dabit & panem cæteraq; vitæ necessaria; insuper & multiplicabit semen, id est, bona quæ rursum seminent, & dispergant in pauperes. est enim Deus, quasi herus noster; nos, coloni eius, ager Dei, sunt pauperes; semen, eleemosyna. Deus itaque nos quasi colonos suos vult hoc semen, id est eleëmosynam, in hunc agrum, hoc est in pauperes, dispergere; multò ergo magis dabit nobis ipsis alimoniam & messem, id est bona, quæ rursum & assiduè in hunc agrum vult seminari. Notent hic diuites opes sibi datas à Deo quasi semẽ, quod assiduè in pauperes disseminent, non vt ijs arcas impleant, vel in vestium, domorum ac conuiuiorum luxum profundant. *Est liberale officium*, inquit Cicero, *serere beneficium, vt possis metere fructum.* VERS. 10. *Nõ depauperãtur qui largas dant eleëmosynas.*

Tiberium Imp. Christianũ ab eleëmosyna mirè laudat Greg. Turon. libr. 5. hist. Gall. c. 39. eiusque

ait fuisse hanc vocē Imperatore dignam: *Non deerit fisco nostro, tantùm pauperes eleëmosynam accipiant, aut captiui redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino: Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cælo, vt Dominus nobis augere dignetur in sæculo.* Hinc Deus eius opes mirè adauxit: cùm enim crucem in pauimento sculptam, ex veneratione attolli iuberet, ingentem sub ea reperit thesaurum, in quo erant plus quàm mille auri centenaria. Cumque inde copiosiùs solito largiretur pauperibus, Deus alium maiorem thesaurum à Narsete duce Italiæ olim paratum, ei dedit. Inuentus fuit is in cisterna quadam, quam dum effodiunt, tantam auri argentique repererunt, vt per multos dies vix euacuari posset. de hoc thesauro lege Baron. to. 7. anno Christi 582. n. 6. & 7.

A nō haberet quod erogaret, suo eleëmosynæ studio non rarò per miraculum stannum & melin aurum mutabat, & quo plus dabat, eo plus ei offerebatur quod erogaret, adeoque tam ipse cum Deo, quàm Deus cū ipso de liberalitate decertare videbatur. Tandē moriens cùm dimidium nummi illi restaret. Hoc, ait, fratribus ac dominis meis, meis pauperibus dari iubeo, vt totum Christo reddam.

Sic Sophron in Prato spirituali (qui liber citatur & laudatur in Synodo Nicena II. generali actione 4.) c. 185. narrat marito cuidam rem suam augere volenti consilium ab vxore datum, vt id quod habebat in pauperes erogaret; fore enim vt cum lucro illud reciperet. Hoc ipse secutus solidos suos distribuit in egenos, & pro quinquaginta recepit trecentos.

Pulchrius verò exemplum habet idē Sophronius c. 195. de Euagrio philosopho, qui cū audisset in ecclesia, centuplū dari in cælo pro eleëmosyna, libras sexaginta dedit Synesio Episcopo distribuendas pauperibus, accepta ab eo syngrapha quòd pro vna centum in cælo esset accepturus, iussitque moriens filijs, vt syngraphā hanc manu sua data sepeliretur insererent. Quo facto die tertio à morte apparuit Euagrius in somnijs Episcopo dicens: Vade ad sepulchrum meum, & recipe chirographum tuum, nam debitum commune recepi, imò centuplū à Christo & à te promissum. Mane Episcopus cum clero iuit ad sepulchrū, ex manu Euagrij syngraphum accepit, cuius hic erat tenor: *Euagrius Philosophus Episcopo suo. Noluerim te pater ignorare quòd pecuniam omnem quam tibi viuens dedi, centuplicatam, sicut promiseras, recepi, quare nulla debiti ratione mihi astringeris.*

PRÆSTABIT] Græcè est χορηγήσει, πληθῦναι, αὐξήσει. quod Theophyl. Erasm. & Vatabl. vertunt per optatiuum, præstet, multiplicet, augeat. Noster cum Syro vertit in futuro, Præstabit, multiplicabit, augebit, idque meliùs; nam vult eis metum eximere paupertatis, vt dixi: hunc autem nemo eximet optando, sed asserendo, & promittendo panem, semen & fruges. Videtur ergo Noster legisse χορηγήσει, πληθυνεῖ, αὐξήσει, in futuro, aut, vt Erasmus, intellexit μέλλει, futurus est præstare, id est, præstabit: vel potiùs, vt Vatab. respicit ad δυνατὸς ἦ ὁ θεὸς v. 8. vt idem hīc repetendum relinquat. q. d. *Potens est Deus* χορηγῆσαι, πληθῦναι, αὐξῆσαι (qui sunt infinitiui) præstare, multiplicare, augere semen vestrum, &c.

B

MVLTIPLICABIT SEMEN VESTRVM] id est bona temporalia. *Sicut enim semen* (ait Basil. homil. 13. de eleëmosyna) *in terram iactum fructum fert centuplum: ita & eleëmosyna data pauperi. Si ergo*, ait, *vnus tantùm tibi sit panis, & ad fores rogatur, deprome illum, & tollens manus in cælum dic: De modico da fratri, & tu Domine da mihi periclitanti; nec dubita, quin panis, quem in hac dabis penuria, agriculturæ semen ad copiam ministrabit.* Idem Basilius in illud Luc. 12. *Destruam horrea mea: Sicut*, ait, *putei continuò exhausti, & copiosiore & pulchriore fluunt aqua: dimissi verò & quieti, facile putent: sic & opes reconditæ inutiles sunt, trāslatæ in pauperes fructum pariunt.* Idem eadem putei similitudine confirmat Clemens Alexand. l. 3. Pædag. c. 7. qui & aliam adhibet vberum similitudinē: Sicut, inquit, ad vbera quæ suguntur, vel mulgentur, lac solet confluere; ita & opes confluunt ad eos qui erogant illas.

Eleëmosyna ditat, & opes cōfluunt ad eos qui erogāt illas.

C

Similia sunt in vita S. Liduinæ, & aliorum Sanctorum. Hinc Chrysost. *Eleëmosyna*, ait, *dicitur semen, quia non est sumptus, sed reditus.* Quod probè intellexisse credibile est S. Deus dedit, qui, vt refert Martyrologium Romanum x. die Augusti: cùm ipse inops esset, tota tamen hebdomada quæstum omnem, quem fecerat labore manuum suarum, erogabat in pauperes die sabbati, spe reditus illius cælestis adipiscendi.

Si prolis tuæ curam geris, relinque eis chartulam scriptam (bona scilicet pauperibus testamento relicta) *in qua Deum debitorem habes*, inquit S. Chrysost. Cuius rei exemplum illustre exstat in Sophronio cap. 201. de nobili quodam patricio Constantinopol. qui moriens bona sua relinquens pauperibus, filio dedit curatorem Christum. nec spes eum fefellit: Christus enim filio nobilem & diuitemque ac piam sponsam procurauit. Et homilia 11. ad populum Chrysost. scripsit hoc titulo: Quòd eleëmosyna est ars omnium quæstuosissima. Ars ergo fœnerari, fœnerare Deo dando eleëmosynam: quia, vt scriptum est Prouerb. 19. 17. *Fœnerat Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem reddet ei.*

D

Idem docet S. Cyprianus tract. de Opere & eleëmosyna, additque optimam hereditatem, quam parentes liberis relinquunt, esse eleëmosynam, & quo plures sunt filij, eo maiorem faciendam eleëmosynam: idque probat exemplo viduæ Sareptanæ 3. Reg. 17. Tobiæ 4. v. 7. Hinc Sapiens ait Prouerb. 28. 27. *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Et Dauid psal. 33. 26. *Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit.*

Exempla eorum qui non depauperati, sed ditati sunt dando eleëmosynas.

Exempla sunt plurima & stupenda apud Leontium in vita S. Iohannis Eleëmosynarij, qui cū Tito Imp. diem se perdidisse deflebat quo non dedisset eleëmosynam. *Et si totus*, ait, *orbis veniret Alexandriam, non arctaret nostram & liberalitatem & opes*: idq; didicit ex visione quadam virginis, id est misericordiæ, quæ Deo astans omnia ab ipso visa est sibi impetrare. Hinc sanctus hic Iohannes, cùm

ET AVGEBIT INCREMENTA FRVGVM IVSTITIÆ VESTRÆ] augebit prouentus iustitiæ & charitatis vestræ, scilicet dabit incrementū gratiæ hīc, & gloriæ in cælo ita Theophyl. *Fruges* enim intelligit diuinæ & æternæ remunerationis, ait Anselm. Triplicem enim eleëmosynæ fructum hīc videtur assignare Apostolus. Primum, cùm ait, *Panem ad manducandum præstabit.* Secundum, cùm subdit, *Et multiplicabit semen* (opes) *vestrum.* Tertiū spiritalem, cùm concludit, *Et augebit incrementa fruguum iustitiæ*

iustitiæ vestræ. Hoc sensu S. Anselmus (vt refert Edmerus in eius vita) cùm Cantuariensium vrbem ingressus ad visitandum Lanfrancum Archiepiscopum, magno honore & amore à ciuibus exciperetur, eis charitatis laudem & meritum explicans & rependens dixit, *eos qui charitatem faciunt, aliquid maius habere quàm is cui charitas fit & exhibetur. Hic enim, inquit, recipit aliquid temporale tantùm: illi verò recipiunt spiritalia, & æternas gratias à Deo respectant.* Hoc significat Christus illo suo apud mudanos diuites paradoxo, cùm ait: *Beatius est magis dare quàm accipere*, Actor. 20. 35.

Secundò, idem Anselm. simpliciter hîc accipit fruges bonorum temporalium. q.d. Deus fruges & opes vestras crescere faciet, vt semper magis ac magis eleëmosynam dare sufficiatis, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Id est, multò abundantiora dabit incrementa frugibus, quas prometeretur iustitia vestra; iustitia enim est, vt quia Deus homini dat, retribuat ex eo homo, & det illi, cui deest: & quia vos huiusmodi iustitiam seruatis, vt sicut Deus vobis non habentibus tribuit, ita & vos alijs qui non habent tribuatis, idcirco diuinitus augentur incrementa frugum vestrarum. Hinc rectè eleëmosyna dicitur *semen*, quia semel eam seminans bis metet, in hoc scilicet sæculo, temporalium, in futuro cælestium bonorum copiam. Hactenus Anselm. & rectè: videtur enim Apostolus explicare quod dixit, *multiplicabit semen vestrum*, illudque inculcare, quòd scilicet eleëmosyna dantem non depauperet, sed ditet, vt omnem paupertatis timorem, qui passim homines ab eleëmosyna auertit, quemque passim concionatoribus & monitoribus obijciunt, ex animis Corinthiorum, omniumque Christianorum euellat.

Vbi tamen Nota. Simpliciùs fruges iustitiæ hîc intelliguntur fruges beneficentiæ, siue natæ ex beneficentia, videlicet opes, quas beneficis Deus quasi messem seminantibus reddit. Incremẽta enim frugum non sunt aliud quàm seges & messis quæ ex semine iam dicto succrescit. Cùm ergo clarum sit Apostolum dum dixit, *Multiplicabit semen vestrum*, per semen intellexisse opes in pauperes erogandas, clarum quoque esse videtur, dum mox subdit, *Et augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*, cum per hoc non aliud intelligere quàm segetem & messem similium opum, bonorum temporalium ex semine eleëmosynæ Dei nutu succrescentem. Quale enim est semen, talis est & seges, siue messis. Hanc enim semini quasi correlatiuum opponit Apostolus; perinde vt merces merito opponitur & correspondet. Atque hic videtur esse genuinus sensus & mens Apostoli: idque patet tum ex iam dictis, tum ex eo quòd hoc, vt dixi, respondeat obiectioni auarorum, qui se ab eleëmosynis excusant, quòd per eam redigendi sunt ad paupertatem bonorum non spiritualium, sed temporalium. Vnde cõtra eos asserit hîc Paulus, eleëmosynam non depauperare, sed potiùs eos qui eam dant, ditare bonis temporalibus: tum denique ex eo quòd de bonis spiritualibus quæ affert eleëmosyna, iam egerit v. 8. & 9. eaque rursum resumat v. 11. vt patebit ibidem ex Græco. Idem clariùs significant Græca hoc versu: καὶ πληθυνει τὸ σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσει τὰ γενήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν. multiplicabit semen vestrum, & augebit fruges, vel fructus iustitiæ vestræ. Γενήματα enim est fructus, qui à iustitiæ, id est beneficentiæ, semine generatur, semen scilicet ip-

Cornel. in Epist. Paul.

A sum in messe cum fœnore auctum & redditum, dum pro vno seminato semine viginti aut triginta succrescunt & renascuntur. idem ergo in eleëmosyna solere Deum facere, & rependere docet hîc Paulus.

Nota Secundò. Alludit ad diuitum possessiones & latifundia. q.d. Beneficentia est quasi ager, & prædium fertilissimum, quod eleëmosynarijs copiosas & perennes fruges profert & progerminat ex semine suæ eleëmosynæ. Primò, enim dat panem, id est victum, eleëmosynario. Secundò, multiplicat semen, id est opes seminandas in pauperes. Tertiò, auget insuper incrementa frugum, dando copiosam messem & opes, quibus eleëmosynarius in se suaque familia & statu accrescat & locupletetur. Hæc enim tria herus temporalis præstat colono suo fideli & sedulo: multò ergo magis
B eadem præstabit Deus eleëmosynario, qui est quasi Dei colonus, vt dixi v. 10. *Eleëmosynarius est Dei colonus.*

VT IN OMNIBVS LOCVPLETATI ABVNDETIS] Τὸ *vt* non est in Græco, sed tantùm, ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι, in omnibus locupletati: quod referendum est & connectendum cum v. 8. (versum enim nonum & decimum quasi per parentheses interijcit Apostolus.) q.d. Vt abunderis in omne opus bonum πλουτιζόμενοι, *locupletes & copiosi, abundetis*, inquam, *in omnem simplicitatem.* Simile hyperbaton est c. 8. v. 20. & c. 9. v. 4. Vide can 37. VERS. 11.

SIMPLICITATEM (candidam liberalitatem, ità Chrysost. Vide dicta c. 8. 2.) QVAE OPERATVR PER NOS GRATIARVM ACTIONEM DEO] q. d. Hæc vestra simplicitas & liberalitas facit, vt ego, omnesq; mei, imò & Christiani, apud quos eam deprædico, gratias agant Deo quòd vobis tam pium misericor-
C diæ affectum indiderit.

QVONIAM MINISTERIVM HVIVS OFFICII NON SOLVM SVPPLET EA QVAE DESVNT SANCTIS; SED ETIAM ABVNDAT PER MVLTAS GRATIARVM ACTIONES IN DOMINO] *Ministerium huius officij*, administratio, scilicet huius collectæ eleëmosynarum, græcè est, ἡ διακονία τῆς λειτουργίας, hoc est, diaconia huius liturgiæ: quasi in hoc officio, id est, in collecta eleëmosynarum, sit liturgia, id est, Missæ sacrificium, scilicet mysticum, in quo Corinthij quasi offerentes victimam eleëmosynæ, sint sacerdotes; altare, sint pauperes; sacrificium, sit eleëmosyna; Paulus, sit diaconus, hoc est, minister exhortãs, procurans, colligens, deferẽs, distribuens eleëmosynam, per quem omnes tũ pauperes eleëmosynam recipientes, tum diuites eam dantes, Christiq; gratiam & spiritũ videntes & collaudantes, excitentur ad gratiarum actionẽ in Domino, id est, apud Dominũ. *Quoniam dum gratiarum actio ad Deum pro eleëmosynis atque operationibus nostris pauperũ oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur*, ait S. Cyprian. tractat. de Opere & eleëmos. ita Chrysost. qui in morali hom. 20. *Cùm vides*, inquit, *pauperem, corpus Christi, aram Christi te videre putà, & reuerere, ac eleëmosynæ sacrificiũ offer; ex quo gloria, & gratiarum actio quasi fumus ascendat ad Deũ.* Sic eleëmosyna est εὐχαριστία, id est gratiarũ actio & sacrificium eucharisticũ non propriè dictum, vt patet, sed metaphoricum & mysticũ: sic prædicationem Euangelij, & Gentium conuersionem vocat sacrificium, vt dixi Rom. 15. 16. Hinc pulchrè Nazianz. orat. de cura pauperum: *Nulla*, inquit, *ex omnibus re Deo perinde ac misericordia colitur: quoniam nihil aliud tam peculiare est Deo, quàm illa; vtpote ante quem* VERS. 12. *Eleëmosynã dans offert Deo sacrificium.*

misericordia & veritas gradiuntur. Mox idipsum probat exemplo Christi, qui factus est pauper, vt nos eius deitate locupletemur. Deinde ostendit nos per misericordiam Deum imitari, & quasi deos fieri. *Fias,* inquit, *infortunato Deus misericordiam Dei imitando. Nihil enim adeò diuinum habet homo, quàm benefacere. Discas ergo viscera aperire indigentibus. Da pro magno promptitudinem, si nihil aliud habes, vel lacrymulam. Magnum enim remedium afflictis est misericordia.*

VERS. 13. PER PROBATIONEM MINISTERII HVIVS] id est, Dum probant & collaudant homines hoc ministerium eleëmosynarum, excitantur, vt Deum Christumque glorificent, eique gratias agant, vtpote cuius lex & gratia hanc vobis Christianis eleemosynam suasit & persuasit. Secundò, sic accipi potest, *per probationem,* id est, exprobationem & experientiam, & hoc etiam significat Græcum δοκιμή. q.d. Dum probant & experiuntur vestram charitatem & eleëmosynam, quam eis ministramus, tunc Deum glorificant.

GLORIFICANTES] dum glorificant Deum. est hebraismus. Participium ponitur pro præsenti iuxta can. 29. & intelligitur, Deum. Hebræi enim sæpè litteras seruiles, aduerbia, & coniunctiones subaudiunt.

Obedit Euangelio & consilijs Christi, qui dat eleëmosynam.

IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRÆ, IN EVANGELIVM CHRISTI] Est hypallage, pro, in confessione obedientiæ vestræ. q.d. Glorificant Deum, quia vos factis & eleëmosynis confitemini & profitemini obedientiam erga Euangelium Christi, id est, vos obedire Euangelio, præceptis scilicet & consilijs Christi, qui tantopere suadet & præcipit charitatem & misericordiam. ita Chrysost. Secundò, si quis propriè, eoque ordine quo posita sunt, verba hæc accipere velit, sensus erit: glorificant Deum in obedientia vestra qua confitemini & profitemini Euangelium Christi. Vnde Syrus: Glorificant Christum quòd subditi sitis confessioni Euangelii Christi.

Notes hebraismum. *in Euangelium,* id est, erga Euangelium vel Euangelii. Hebræum enim ל, id est, l, sæpè ponitur pro regimine gentilitii.

ET SIMPLICITATE COMMVNICATIONIS IN ILLOS, ET IN OMNES] q.d. Non solùm in obedientia vestra glorificant Deum, sed etiam in eo quòd vos simpliciter, id est, candidè & liberaliter communicatis vestra bona ipsis, omnibusque alijs egentibus. Quod sit simplicitas dixi c. 8. 2.

ET IN IPSORVM OBSECRATIONE PRO VOBIS] *Et ipsi deprecantes Deum.* q.d. Pauperes Hierosolymitani, qui vestram eleëmosynam recipiunt, dum pro vobis orant & obsecrant, glorificant etiam Deum: sicque *dum gratiarum actio* (ait Cyprian. serm. de Opere & eleëmos.) *ad Deum pro eleëmosynis pauperum oratione dirigitur, censum operantis Dei retributione cumulatur.*

DESIDERANTIVM (refer ad *ipsorum*, nimirum pauperum Hierosolymitanorum) VOS] videre, videlicet, vobisque frui.

GRATIAS DEO SVPER INENARRABILI DONO EIVS] Dono scilicet charitatis & eleëmosynæ vestræ, ex quo tam multa bona, totique Dei laudes vndequaque redundant, vt meritò dicatur inenarrabile. Vide Chrysost.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, hoc cap. & duobus sequentibus Paulus pro suo apostolatu apologiam texit contra pseudoapostolos, qui Paulum quasi vilem & abiectum deprimebant, eumq; nimiæ seueritatis, audaciæ & insolentiæ accusabant. Hîc ergo docet Paulus arma sua non esse carnalia, sed spiritualia, ijq; potentissima, vtpote quibus tum omnes mundi munitiones, consilia & sapientiam prosternat, tum vlciscatur omnem inobedientiam.

Secundò, v. 12. pseudoapostolis se opponit, quòd illi falsò prouincias à se obitas & conuersas iactarent, cùm ipse verissimè plurimas obiuisset & conuertisset.

1. IPse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autē confido in vobis. 2. Rogo autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundùm carnem ambulemus. 3. In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. 4. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, 5. & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 6. & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia. 7. Quæ secundùm faciem sunt videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos. 8. Nam, & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis Dominus in ædificationē, & non in destructionem vestram: non erubescam. 9. Vt autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas: 10. quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis: 11. hoc cogitet qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto. 12. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. 13. Nos autem non

in

in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram regulæ, qua mẽsus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos: vsque ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi. 15. non in immensum gloriantes alienis in laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundùm regulam nostram in abundantiam, 16. etiam in illa, quæ vltra vos sunt, euangelizare, non in aliena regula in ijs quæ præparata sunt gloriari. 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. 18. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

Agit contra pseudoapostolos.

NOta, hos pseudoapostolos gloriæ Pauli inuidisse, eamq; eleuare, & sua eloquentia, iactantia, calumnijs obscurare voluisse. Hos fuisse Iudæos patet c. 11. v. 22. fuisseque lucri & gloriæ auidos, iactabundos ac importunos homines, patet c. 11. 20. Christum prædicasse falsum in speciem, patet c. 11. v. 4. sed sensim occultè & subdolè iudaismum voluisse inducere, & errores suos ac hæreses, patet c. 11. v. 3. 12. 13. Tales fuere Cerinthus, Ebion, alijque iudaizantes, qui Paulum quasi legis suæ apostatam dirè sunt insectati. vnde & contra Cerinthum toto cap. 15. epistolæ 1. resurrectionem fore demonstrauit, vt ibi diximus.

IPSE AVTEM EGO PAVLVS] q.d. Hactenus aliorũ, scilicet pauperum, personam & negotium egi, iam meum ago, & ex meo affectu loquor.

OBSECRO VOS] vt monita mea & iussa de recta & Christiana vita, quæ præscripsi quasi vester Apostolus, obseruetis.

PER MODESTIAM (ἐπιείκειαν, comitatem, lenitatem, humanitatem) CHRISTI] Obsecrat per mansuetudinem & lenitatem Christi, ait Theophyl. vt eam reuereantur, eiusq; reuerentia & amore Paulum obsecrantem amanter audiant, excipiant, obediant. Secundò, vt significet se Christi mansuetudinem imitari, non seueritatem. q. d. Non impero, cùm ex apostolatu id possem, sed obsecro per mansuetudinem Christi, quam imitor, & præ me fero: Christus enim in corripiendis, docendis, dirigendisque hominibus, miram ostendit patientiã, clementiam, modestiam, vt cùm Matthæum, Magdalenam, alios que peccatores in gratiam recepit, omnem eis culpam & pœnam sine vlla verberum aut verborum asperitate benignissimè condonauit.

IN FACIE QVIDEM HVMILIS SVM (quando præsens sum, facie & specie externa humilis & abiectus videor, de quo v. 10.) ABSENS AVTEM CONFIDO IN VOBIS] Græcè θαῤῥῶ, liber & audax sum erga vos. Est mimesis: ita enim dicebant, vt v. seq. colligitur, Pauli detractores pseudoapostoli: Quid tanti facitis Paulum? humilis est, vilis, abiectus homuncio inter vos; Apollo verò & alij longè plus habent gratiæ & eloquentiæ; ipse coram illis cõparere non audet; illis comparatus, imperitus videtur & barbarus: quid ergo sibi arrogat, quid præsumit absens; cùm tam minaces ad vos mittit litteras, cùm ita arguit, imperat, obiurgat, excommunicat? Sunt ergo hæc pseudoapostolorum verba, quæ vsurpat, repetit & imitatur Paulus. q.d. Non sum tam imperiosus, tam audax, tam seuerus, tam minax, cùm absens sum, vt ipsi me, mihi detrahentes, describunt: sed obsecro vos per mansuetudinem Christi. Simile v. 9. & 10. ita Chrysost.

ROGO AVTEM VOS (vt mea monita amanter excipiatis, vti v. præced. obsecraui) NE PRAESENS quotumdam videns inobedientiam, rebellionem, con-

A tumaciã, AVDEAM (audacia ac potestate mea vtar, eisque excommunicationem, aliámve pœnam spiritalẽ infligam) PER EAM CONFIDENTIAM, id est libertatem, QVA EXISTIMOR AVDERE IN QVOSDAM] hoc est, quam putant me insolentiùs in quosdam exercuisse. ita Ansel. Sed Theoph. Græcũ λογίζομαι, non passiuè, id est existimor, sed actiuè accipit pro existimo. q.d. Cogito & in animũ induco audere, & audacter punire quosdam maleuolos,

QVI ARBITRANTVR NOS, TAMQVAM SECVNDVM CARNEM AMBVLEMVS] tamquã carnaliter viuamus. Secundò, & genuinè ad mentẽ Apostoli, tamquam carnalibus medijs, carnali, scilicet, humanaque ac politica prudentia, industria, astutia vtar, vt, cùm non ausim præsens comparere, vel imperare, absens id faciam per audaces & minaces litteras.

B Nota. Apostolus, secundùm carnem ambulare, militare, gloriari dicit eos, qui carnalium & politicorum hominum more animaliter viuunt, ambulant, gloriantur in specie & apparentia externa, in rebus & dotibus externis, videlicet in nobilitate, prosapia, eloquentia, gratia, prudentia, ijsque quasi armis nituntur ad fauorem & plausum hominum, vt omnes sibi concilient ac subijciant; aduersarios verò deijciant, confundant, supplantent. Patet: quia armis hisce carnalibus opponit v. 4. spiritalia, id est, internam ac spiritalem suam potestatem ac gratiam, quam à Christo accepit. Sic c. seq. v. 18. ait pseudoapostolos gloriari secundùm carnem, id est carnali, externa, humana nobilitate, prosapia, eloquentia, gratia, &c. Sic c. 5. v. 15. & 16. dixit se neminem, ne Christum quidem nosse secundùm carnem. Sic c. 2. epist. 1. animalem & carnalem philosophorum oratorumque sapientiam, Christi & Christianorum, ac maximè Apostolorum spiritali sapientiæ opponit. Sic ad Galatas 3. 3. ait: *Sic stulti estis, vt, cùm spiritu* (id est spirituali doctrina & lege Christi) *cœperitis, nunc carne* (hoc est carnali circumcisione & lege Mosis) *consummemini*, ait Chrysost.

Pulchra eorum descriptio qui secũdùm carnem ambulant.

C NAM ARMA MILITIAE NOSTRAE NON CARNALIA SVNT] *Carnalia* vocat, quæ seruiũt militiæ aut vitæ carnali & corporali, vt honores, voluptates, potentia sæculi huius; hisce enim non sunt vsi Apostoli vt mundũ expugnarent, Christoque subijcerent. Vel potiùs, vt dixi, *arma carnalia* sunt artes, scientiæ, rationes, praxes humanæ, facundia, adulationes, iactantia, simulationes, affectata grauitas & prudẽtia, quibus mundi homines vtuntur, vt apud suos sibi auctoritatem parent, & reuerentiã concilient; cùm vera & seria auctoritas sit donum Dei, & non tam donis externis, vel assumpta grauitate, quàm virtutis, prudentiæ & sanctimoniæ ostensione & opinione comparetur, vt Paulus & Apostoli sibi eam compararunt.

VERS. 4. *Quænam sint arma carnalia.*

SED POTENTIA DEO] valida & efficacia per Deum, &, vt Syrus, חיל *chaila*, id est virtus sunt Dei: quia Deus per ea potenter operatur in animis audien-

audientium, eosque ad fidem conuertit, & prædicationem nostram persuadet. nobisque & Christo subijcit, & dicto audientes facit, vt quidquid volumus, dicimus, suademus, eis persuadeamus, & ab eis impetremus. Hæc arma, ait Anselm. sunt Primò, vehementia spiritus & zeli; Secundò, efficacia prædicationis, vt Deus videatur verbis nostris pondus ac energiam indere & inflare; Tertiò, sapientia; Quartò, comitas; Quintò, sanctitas; Sextò, miracula; Septimò, crebra oratio; Octauò, pura intentio; Nonò, patientia; Decimò, charitas, scilicet cùm vident homines nos innocentissimæ vitæ non opes eorum, non honores, sed salutem tantùm quærere, idque tot laboribus, impendijs, afflictionibus, quotidiana morte & martyrio; eisque concionari tanto zelo, tanto ardore vt omnes Christum agnoscant, eumque & Patrem glorificent: hisce omnibus quasi telo efficacissimo in conscientia feruntur, penetrantur, vulnerantur, vt cedant, credant, & nostris dictis, doctrinis, concionibus. Hisce ergo armis vitia, diaboli regnum, totumque orbem expugnarunt Apostoli. Vnde patet apostolatum & Euangelij prædicationem rectè vocari militiam, de quo plura 1. Timoth. 1. 18.

Arma Apostolorũ qualia fuerint.

ADDESTRVCTIONEM MVNITIONVM] *Munitiones* vocat omnes rationes, syllogismos, sophismata, eloquentiam, virtutes philosophicas, sæcularem potentiam, gratiam, amicitiam, & quidquid Gentiles ac dæmones obiecerunt & oppositerunt Apostolis & Euangelio. ita Chrysost. Anselm. & alij.

Munitiones contra Euangelium quanã sint.

CONSILIA DESTRVENTES] Quibus, scilicet armis, consilia destruimus: hoc enim duplici hebraismo sæpè vtitur Apostolus. Primò, vt intelligat Hebræum relatiuum אֲשֶׁר *ascher*, id est qui, quæ, quod, quibus, quos, &c. Secundò, vt participium ponat pro indicatiuo, *destruentes*, pro destruimus. Simile vidimus c. 8. v. 13. & hoc c. v. 5 6. 12. 15. Vide can. 29. Nisi quis referri velit ad *arma*, dicatque esse antiptosin, non casus, sed generis masculini pro neutro: *destruentes* pro destruentia. q. d. Arma nostra potentia sunt, & consilia destruentia. Verùm Tertiò, facillimè & planissimè hæc referas ad v. 3. *Non secundùm carnem militamus*. q. d. *Militamus nos ipsi consilia destruentes*, hoc est destruendo, vt τὰ *nam arma militiæ*, &c. vsque ad *munitionum*, quasi per parenthesin inferatur, ad hoc vt militiæ iam dictæ arma explicet.

Nota. Pro *consilia* græcè est λογισμὸς. quod Theoph. vertit Syllogismos, & humanas Philosophorum rationes; Syrus & Erasm. Cogitationes; Noster, Cõsilia. q. d. Nostris armis destruimus omnia prudentium huius sæculi consilia, quibus Euangelium nostrum euertere, suum gentilismum, suos doctores & Philosophos statuere & stabilire, Christoque & nobis præferre moliuntur.

VERS. 5.

ET OMNEM ALTITVDINEM] omnem celsitudinem tum sapientiæ humanæ & philosophicæ, tum magiæ diabolicæ Simonis Magi & similium, tum nobilitatis & potentiæ, etiam regalis, vel imperialis. Nota. Duas hasmachinas quasi turres Ethnici Christo oppositerunt & Apostolis, consilia scilicet, & altitudinem, quarum illa callida suâ machinatione, arte, dolo; hæc sublimitate & robore suo videbatur inexpugnabilis; vtraque tamen Apostolorum armis cessit & expugnata est.

Duæ machinæ, quas Ethnici Christo & Apostolis semper obiecerunt.

EXTOLLENTEM SE ADVERSVS SCIENTIAM DEI] *Scientiam*, græcè γνῶσιν, id est, cognitionem Dei, quam attulit & docuit Christus, quamque; nos Christi Apostoli toto orbe docemus, fidem scilicet de Deo trino & vno, de Dei Filio, eiusque incarnatione, morte, cruce, redemptione.

A

ET IN CAPTIVITATEM REDIGENTES] Refer, quemadmodum & τὸ *consilia destruentes*, ad *militamus*, vt dixi v. 4. q. d. Hac militia nostra vincimus & captiuamus omnes hostes nostros. Græcè αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, id est, vt Syrus, captiuum ducimus omnem intellectum; vel ad verbum, omnem cogitationem, ad obedientiam Christi, vt scilicet omnis cogitatio, omnis intellectus quantumcumque in consilijs versutus, quantumcumque in sapientia altus & sublimis, quasi hostis nostris deiectus armis, se dedat obediatque Euangelio Christi.

Nota. Per hoc quod dicit *omnem cogitationem, omnem intellectum*, non vult significare omnes philosophos, sapientes, potentes, qui prædicationem Apostolorum audiuerunt, fuisse conuersos; hoc enim falsum est: sed quòd arma Apostolorum fuerint tam potentia, vt quasuis cogitationes & rationes naturalis intellectus quantumuis artificiosas, quantumuis sublimes, fidei Christi subijcere potuerint, & de facto subiecerint in illis qui hæc arma exceperunt, & in cor ac mentem admiserunt, quique ijs conuersi sunt. Est ergo commoda acceptio, *omnem intellectum* id est quælibet intellectum, quantumuis validum ac sublimem, eorum scilicet, vel in ijs, qui ex gentilismo ad christianismum traducti, ex infidelibus fideles facti sunt. multi enim ex quolibet genere sapientum & oratorum prudentia & sapientia illustres Apostolicis armis captiuati Christo credidere: quales fuere Dionysius Areopagita, Clemens Rom. Paulus Proconsul, Iustinus Philosophus, Athenagoras, & alij.

B

C

ET IN PROMPTV HABENTES VLCISCI OMNEM INOBEDIENTIAM] Dixit Paulus arma sua potentia esse ad debellandum quosuis Ethnicos & sapientes Gentium; hîc eadem potentia esse ostendit ad vlciscendum quosuis fideles inobedientes & hæreticos. q. d. Promptum quoque mihi est & facile vlcisci rebellum & pseudoapostolorum, qui mihi detrahunt, inobedientiam, eos scilicet excommunicando.

VERS.

CVM IMPLETA FVERIT VESTRA OBEDIENTIA] Nolo enim vos eadem pœna inuoluere; malo vt vosipsi quæ corrigenda sunt, corrigatis, exspecto vt plenè impleatis quod iussi; eousque vindictam differo, donec vos planè correcti & obedientes fitis, tum denique in contumaces illos obtrectatores ostendam & exeram gladium excommunicationis: quem nonnisi in inobedientes, & præmissis monitionibus rebelles & contumaces exerendum esse, hinc docent Doctores.

D

QVÆ SECVNDVM FACIEM SVNT, VIDETE] videte quæ apertè & manifestè sunt vera, vestrisque oculis euidenter subiecta, me scilicet non tantùm esse Christi discipulum, sed & Apostolum cum tanta gratiæ efficacia ac potestate, quantam ipsi oculis vestris videtis. ita Anselm. Est catachresis: nam quæ in facie videntur, clarè videntur; homines enim per faciem dignoscuntur.

VERS.

DE POTESTATE (vlciscendi, puniendi & excommunicandi) QVAM DEDIT NOBIS DOMINVS IN ADIFICATIONEM] Hinc Concil. Trident. sess. 25. c. 3. monet gladium excommunicationis sobriè & cautè ad ædificationem esse exerendum: aliàs enim videmus eum magis contemni quàm formidari, &

per-

perniciem parare potiùs quàm salutem, non excommunicati modò, verùm etiam aliorum fidelium totiusque Ecclesiæ.

10. QVONIAM QVIDEM INQVIVNT (mei obtrectatores & pseudoapostoli (EPISTOLAE, quas ad vos scribit Paulus. ô Corinthij, GRAVES SVNT ET FORTES, hoc est duræ & acres, seueræ & minaces: PRAESENTIA AVTEM (græcè ergo legendum παρουσία, non παῤῥησία, id est libertas, vt habent Regia) CORPORIS INFIRMA] vilis, abiecta, pusilla, contracta. Staturam & figuram Pauli ita Niceph. l. 2. c. 37. ex traditione & priscis imaginib. describit: *Paulus, ait, corpore erat paruo & contracto atque incuruo, & paululùm inflexo, facie candida, annosq; plures præ se ferente, capite modico: oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versus vergebant, nasus pulchrè inflexus, idemq; longior, barba densior & satis promissa, eaq; non minus, quàm capitis coma canis erat respersa.* Vnde patet, Paulum paruo & abiecto corpore fuisse. Hinc & Chrysost. homil. de Princip. Apost. tom. 5. *Paulus, ait, tribulatio est, & calos transcendit.* Lucianus insuper Paulum quasi recaluastrum ridet in Philopatro.

ET SERMO CONTEMPTIBILIS] rudis, inconcinnus, inelegans. Vide dicta epist. 1. c. 2. v. 1. & 4.

11. HOC COGITET QVI EIVSMODI EST, obtrectator, qui iactat de me: *Epistolæ Pauli graues sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma*; cogitet hoc, QVIA (id est quòd) QVALIS SVM VERBO PER EPISTOLAS ABSENS, TALIS sum ET PRAESENS IN FACTO.

12. NON ENIM AVDEMVS INSERERE (id est annumerare) AVT COMPARARE NOS QVIBVSDAM QVI SEIPSOS COMMENDANT (pseudoapostolis, qui se suaq; supra veritatem extollunt, q.d. Non ea iacto, quæ non habeo, vt ipsi:) SED METIENTES ET COMPARANTES NOSMETIPSOS NOBIS] id est, metior me meo pede, meis dotibus, & Dei donis, rebusque à me per Dei gratiam gestis, ait Photius, illis me comparo, confero & adæquo, vt non amplius mihi arrogem quàm reuera à Deo acceperim & gesserim. Pro *non enim audemus*, græcè est, οὐ γὰρ τολμῶμεν, quod Maldon. in Notis vertit *nihil audacter*, aut *arroganter facimus*, dum nos cum illis comparamus, qui sese magnopere commendant. Verùm magis aptè & magis propriè vertit Noster, *non enim audemus inserere*, &c.

Est ironia, & primum quasi scomma in pseudoapostolos. Eleuabant illi Pauli dicta & facta, quasi in eo nihil esset grande præter epistolas, quæ nescio quid magniloquum spiratent, sed cùm ad rem ventum esset, ac præsens compareret Paulus, sermone, vultu, forma, nihil illo esse abiectius: se in hac parte illi longè præstare. Ergo, inquit Paulus, fastum illorum ridens, non ausim ego homuncio istos inter gigantes comparere, eis me inserere, nedum me cum illis comparare: sed nimirum falsò se tantos iactitant; ego verò de me quidquid prædico, verè prædico, meque mea magnitudine, mea gratia & factis, quæ verè gessi, metior.

Nota. Græca addunt οὐ συνιᾶσιν, non intelligunt. Vnde Syrus, Vatablus & alij hæc non de Paulo, sed de pseudoapostolis accipiunt, vt sit hyperbaton, quod οὐ συνιᾶσιν præponendo, sic ordinant & vertunt: pseudoapostoli seipsos commendant, sed non intelligunt quòd se ipsi seipsis metiantur, & se sibi comparent. q.d. Ineptè ipsi se attollunt, & gigantes faciunt: nam perin- A de faciunt ac si quis sese non externa aliqua mensura, (putà vlna) sed seipso vellet metiri: vt si quis pumilio iactet se gigantem esse, nec aliam iactantiæ suæ causam rationémve adferat, quàm quòd ita sit, ita asserat, ita sibi persuadeat. Vnde Photius supplet, Non intelligunt, quàm scilicet omnibus sint ridiculi. vel, vt S. Augustin. in psal. 34. *non intelligunt*, ea scilicet, quæ loquuntur, quæ affirmant, quæ iactant.

NOS AVTEM NON IN IMMENSVM GLORIABIMVR. Est secundum scomma & antithesis Pauli & pseudoapostolorum: pseudoapostoli in immensum se suaque iactant, adeoque, ait Theophyl. se vsque ad fines orbis euangelizasse, sed falsissimè iactant. Ego autem glorior, non falsò, non in immensum, SED SECVNDVM MENSVRAM REGVLÆ, B QVA MENSVS EST NOBIS DEVS. id est, ego me vera mensura ac regula metior, donorum videlicet & prouinciarum, quam mihi sua designatione quasi mensoria regula admensus est & attribuit Deus, *mensura* inquam, vel *secundùm* MENSVRAM PERTINGENDI VSQVE AD VOS] id est, euangelizandi à Iudæa per interiacentes omnes prouincias, Corinthum vsque. q.d. Glorior, & verè glorior, de mea mensura ac magnitudine, id est, multitudine prouinciarum, quas Christo & Ecclesiæ adieci, quòd scilicet à Iudæa Corinthum vsque me meamque prædicationem extenderim. Sicut ergo gloriantur principes, si longissimè latissimeque imperium propagarint; ita Christi Doctor Paulus gloriatur, quòd eousque principis sui ditionem propagarit, sperans fore, vt longiùs etiam imperium proferat.

Antithesis Pauli & pseudoapostolorum.

Nota. Regulam hîc intelligit mensuram qua limites agrorum & locorum mensurant geometræ, vt dicam v. 16. Mensura verò significat Primò, illud quo quippiam metimur, vti est regula, vlna, cubitus, pes, &c. Secundò, significat huius mensuræ mensurantis quantitatem: alia enim est mensura, id est quantitas vlnæ, alia cubiti. Tertiò, ipsam mensurandi actionem. Quartò, ipsum mensuratum, seu id quod per mensuram nobis admensum est, vt cùm modium frumenti, iugerum terræ, id est, frumentum ad modium, terram ad iugerum admensam, frumenti & terræ certam mensuram vocamus. Hic tribus vltimis modis accipi potest, sed optimè in secunda acceptione. C

Mensura quatuor habet significationes.

NON ENIM QVASI PERTINGENTES AD VOS, SVPEREXTENDIMVS NOS] Est tertium scomma & sales, quibus pseudoapostolos aspergit. Ipsi, inquit, se extendunt & superextendunt suis verbis D & bombis, sed age, in re quid afferunt? quos conuertunt? quas vrbes, quas prouincias obiuerunt? nullas sanè, cùm è patria & vestris finibus numquam excesserint. Fortè vos Corinthios ad fidem & Ecclesiam adduxerunt? atqui vos non illorum, sed meum opus estis in Domino, vos ego cepi, vos debellaui, vos mea sors, mea possessio estis mihi à Domino attributa; de vobis reliquisque prouincijs, Iudæam vsque, à me subactis triumphare possum: & sicut Imperatores gentium bello domitarum nomina sibi assumebant, verbi gratia, vt P. Scipio diceretur Africanus, L. Scipio Asiaticus: ita & ego Paulus dici possum, Corinthiacus, Achaicus, Macedonicus, Thracicus, Asiaticus, &c.

Paulus meritò Corinthiacus, Achaicus, Macedonicus, Thracicus, Asiaticus dici potest.

IN EVANGELIO] prædicando, &, vt Anselm. propagando.

VERS. 13.

VERS. 14.

VERS. 15. NON IN IMMENSVM] Græcum τὰ ἄμετρα, & immensum significat, & ea, quæ non sunt nostræ mensuræ, regiones scilicet, quas Deus nostræ prædicationi non destinauit, nec admensus est. Rursum notat pseudoapostolos, qui falsò gloriabantur de regionibus multis à se obitis & conuersis.

Numquam hæretici zelo Euangelij & martyrij infideles adierunt.

GLORIANTES IN ALIENIS LABORIBVS] Est quartum scomma in pseudoapostolos, qui Corinthi, vbi Apostolus fundamenta fidei iecerat, subintrarunt in eius labores. ita Chrysost. Sic notant Doctores, quòd hæretici numquam zelo Euangelij & martyrij infideles adierint, eosque primò ad hæresin conuerterint, sed tantùm fideles, eosque peruerterint.

Dices, Valens Imper. Gothis cupientibus ad christianismum conuerti, submisit Arrianos Episcopos, qui eos Arrianos fecerunt, teste Freculpho to. 2. l. 4. c. 20.

Resp. Verum est, sed ipsi Arriani sua sponte Gothicam barbariem non adierunt zelo fidei, vt, Apostolorū more, in fame, siti, persecutionibus, mortibus fidem plantarent: vocati enim à Gothis volentibus Valenti Imp. Arriano reconciliari, venerunt: nulla autem difficultas est volentibus venenum instillare. Adde, Gothos plerosque antea orthodoxos fuisse, sed ab Vlphila suo Apostolo ab Arrianis decepto, pariter deceptos & ipsos, factosque Arrianos, vt expresè docet Theodor. libr. 4. histor. c. vlt.

SPEM AVTEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRAE] Spero, quòd, cùm fides vestra crescet, me vlteriùs nō egebitis, quōdq; per vos aditus mihi fiet ad vicinas gentes, vt possim vlteriùs euangelizare, & superextendere me meamque prædicationem. ita Chrysost.

IN VOBIS MAGNIFICARI] vt per vos maiorem laudem & meritum apud Deum consequar. Vnde Gagneius vertit: Spero crescente fide vestra nos non parum ex vobis magnificatum iri, & spero in illis etiam regionibus, quæ vltra vos sunt, prædicare, ac multam inde reportare gloriam. tunc enim magni fit præceptor, ait Theophyl. cùm discipuli proficiunt & in sapientia crescunt.

Secundò, & aptiùs, refer *magnificari* ad sequentia, *secundùm regulam nostram in abundantiam*. q.d. Spero per vos in fide crescentes magnificari secundùm regulam nostram, id est maiorē facere & extendere regulam nostram, putà fines & terminos apostolatus mei vltra vos in vicinos vestros; vt scilicet illi videntes vestram fidem, sanctimoniam, gratiam, prouocati vestro exemplo auidè me expetant, & Euangelium excipiant.

Vnde Græca sic habent: Ἐλπίδα δὲ ἔχοντες ἀυξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν ἐν ὑμῖν μεγαλυνθῆναι κατὰ κανόνα ἡμῶν εἰς περίσσειαν. quæ clariùs sic verti possunt: *Spem habentes fore, vt crescente fide vestra in vobis amplier* (hoc est, ampliùs & vlteriùs me extendam) *in assignata mea mensura & regula in abundantiam* (hoc est admodum) ad euangelizandum ijs regionibus, quæ vltra vos sunt.

Vbi Nota. *Regulam*, vt dixi, vocat regiones sibi suæq; prædicationi addictas, & quasi ad regulam admensas à Deo: cuique enim Apostolo suas Deus in orbe prouincias quasi ad mensuram diuiserat attribuerat que. Adeoq; sicuti duodecim tribubus, & filijs Iacob partitus erat olim certis funibus & mēsuris terram sanctā: qua de re dicitur psal. 77. *Sorte*

Sicut olim Deus duodecim tribubus partitus est terram in funiculo distributionis: ita pariter eorū antitypo duodecim Apostolis diuiserat quasi per mensuram totum orbem terrarum, vt eum sibi & Christo subiugarent. ita Thomas Indiam, Andreas Achaiam, Iohannes Asiam, alij alias prouincias subiecerunt Euangelio.

IN ABVNDANTIAM] id est abundè, vt scilicet ampliùs semper & vlteriùs regulam & terminos Euangelij proferret. q.d. Necdum mihi certum terminum prouinciarū constitui, nec Deus ipse præstituit, sed vlteriora semper specto & molior.

ETIAM IN ILLA QVAE VLTRA VOS SVNT. εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν, quæ vlteriora sunt vobis, *quæ vltra vos sunt*, id est longiùs in alias gētes ac populos, EVANGELIZARE] spero. Hæc enim referenda sunt ad *spem habentes*.

NON IN ALIENA REGVLA] non attingo limites & terminos, id est, prouincias & plagas, quæ admensæ sunt & assignatæ, vel occupatæ ab alijs Apostolis, vt in ea quæ ab alijs *præparata sunt*, subintrem, & sic de alienis laboribus quasi meis glorier: *præparata* enim vocat regiones ab alijs præparatas & excultas prædicatione Euangelij ad ferendum fructum. q.d. Nolo aliorum noualia excolere, sed priùs mea ipse noualia facio, deinde excolo, ipse primus vbique fidem planto & prædico, Rom. 15. 20.

Nota. Κανόνα Græci vocant regulā mensoriam, qua geometræ & agrimēsores agros dimetiuntur. ita hîc Apostolus regulam suam vocat omnes suas regiones, seu quidquid terrarū Deus velut regulam illi admensus erat, vt totum illud spatium excoleret, sereret verbo Dei, suaque prædicationi & Christo adijceret. Secundò, hanc regulam & mensuram in dies protendebat Apostolus, cupiens vbique prædicare, *quasi ad possessionem terrarum & opimam hereditatē accessisset*, ait Chrysost. *& tamquam fabricator*, ait Theophyl. *orbis terrarum esset Paulus, vt illum suæ regulæ dimetiretur, & ad suam regulam ædificaret*. Græcè enim κανὼν etiam regulam significat, ad quam architecti muros, trabes & opus suum exigunt & metiuntur, atq; talē regulam hîc intelligit Theophylactus: magis tamē genuinè videtur ad regulā agrimensorum Paulus alludere, vt dixi.

QVI AVTEM GLORIATVR, IN DOMINO GLORIETVR] *In Domino*, id est in veritate, & coram Domino. Secundò, & melius, *glorietur in Domino*, id est, cùm illa gloria illi fuerit à Domino delata & approbata: subdit enim rationē; *Non enim qui se ipsum commendat* sua falsò iactando, vt faciunt pseudoapostoli, *ille probatus est, sed quem Deus commendat*. id est, commendabilē facit & ostendit ex miris, quæ per eum operatur. Hic sensus est genuinus: opponit enim hæc duo, gloriari in se, & gloriari in Domino. Gloriari in se, est seipsum commendare: in Domino autē gloriari, est à Domino commendari, & in Domini commendatione gloriari. vnde tamen consequenter Tertiò, sequitur, vt qui verè gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur, illi scilicet, cuius dona sunt, omnia accepta ferendo, illi omnem gloriam dando, & ad illius laudem & gloriam omnia dirigendo. ita Chrysost.

Nota. His verbis ostendit vbi, quando, qua in re sit gloriandum; simul tamen Secundò, admonitus se Apostolus ostentationis, & vanæ gloriæ cupidinem. q.d. Hæc tam ampla & speciosa de me dico, non quòd in me rebusque meis, sed quòd in Domino gloriari velim, à quo omnem gloriam, & gloriæ materiam accepi. vide dicta 1. Cor. 1. 31.

Moral.

Moral. Disce hîc veram laudem & gloriam non esse nisi apud Deum, eamq́ue omni humanæ longè præstare. Nam Primò, laus & gloria hominum & parua est & exilis. quid enim sunt homines nisi cælices terræ? gloria verò Dei immensa est, quia ipse immensus est. Secundò, gloria hominum externa est & in speciem tantùm; intus enim inanis est & euanida: gloria verò Dei interna est & solida, hinc animam replet & satiat. Tertiò, gloria hominum infida est, fucata & laruata. laudant multi te in facie, à tergo irridēt te. gloria Dei fidelis est & sincera. Quartò, gloria hominum instabilis est, & minima rumoris aura mutatur quasi arundo. qui hodie te laudant, cras vituperabunt; qui hodie tibi applaudunt, cras subsannabunt. gloria verò Dei stabilis est & constans. Quintò, gloria hominum breuis est & momentanea. laudant te mortales cras morituri, & cum morientibus morietur laus tua. Vbi sunt laudes Cæsaris, Pompeij, Augusti? transierunt, vt fumus euanuerunt. laus verò Dei perpetua est & æterna. Deus coram sanctis angelis & Beatis in omnem æternitatem laudabit te, quòd vanam mundi gloriam contẽpseris, quòd veram & perennem apud Deum consectatus sis. Sextò, gloria hominum manca est, mutila & mista. qui enim laudatur ab his, culpatur ab illis. quot enim sunt homines, tot sunt sensus, tot iudicia. gloria verò Dei integra est, omnimoda & perfecta. quem enim Deus laudat, hunc omnes Cælites laudant. Septimò, gloria hominum erronea est & mẽdax. homines enim glorificant nobiles, diuites, potentes, imò sæpè scurras, sceleratos & tyrannos. gloria verò Dei verissima est & certissima: Deus enim non laudat nisi vera sapientia & virtute prædituin. Rursum gloriantur homines in seipsis, in sua prudentia, virtute, fortitudine, quæ nullæ sunt; ac proinde gloriantur in falso, in eo quod est nihil, quod non est: gloria verò Dei, est in Deo, cuius omne est bonum, & à quo omnia in nos dimanant; gloriari, ac dicere, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: in te laudabimur tota die. Octauò, gloria hominum consistit in ore laudantium, nihilq́ue tibi confert, nihil boni imprimit: quare non est in te, sed in glorificante; sicut honor non est in honorato, sed in honorante. gloria verò Dei est & in Deo & in te. est enim efficax & fœcunda. Nam beat te in animo lumine gloriæ, & in corpore dotibus glorioſis, adeoq́ue Deus Beatis ipsissimam suam gloriam diuinam & increatam fruendam & possidendam communicat. O cæci & insensati filij Adæ, natura auidi laudis, creati & nati ad gloriam, quid non gloriam, sed fumos & vmbras gloriæ sectamini? quid gloriam non veram, sed falsam & fallacem captatis? quid ambitis, quid quæritis gloriam, vbi ipsa non est? quæritis eam in terra; ipsa non est in terra, sed in cælo: quæritis eam apud homines; ipsa non est apud homines, sed apud Deum & angelos: quæritis eam in tempore & sæculo; ipsa non est in tempore, sed in æternitate. Tu ergo ô Domine es gloria mea, tu exultatio cordis mei: in te gloriabor & exultabo tota die; pro me autem nihil nisi in infirmitatibus meis. Quærant Iudæi, quærant mundani gloriam quæ ab inuicem est: ego hanc requiram quæ à solo Deo est. Omnis enim gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ tuæ gloriæ comparata, vanitas est, stultitia est, vituperium est. O veritas mea, misericordia mea, gloria mea, Deus meus, Trinitas beata, tibi soli laus, decus & gloria; tibi soli benedictio, claritas, sapientia & gratiarum actio: tibi Deo nostro honor, virtus & fortitudo in sæcula sæculorum, Amen.

A

B

NON ENIM QVI SEIPSVM COMMENDAT, ILLE PROBATVS EST: SED QVEM DEVS COMMENDAT] Dices, Quomodo ergo Sancti subinde seipsos cõmendarũt? vt Ezechias Isaiæ 38. *Obsecro*, inquit, *Domine memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto: & quod bonũ est in oculis tuis fecerim.* Et S. Paulus c. seq. sua enarrans præclarè gesta seipsum commendat. Et 2. Timoth. 4. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

C

V. Q. qui se laudauerint.

Respondeo, Hi quidem seipsos commendant, sed omnem commendationem in Deum Deiq́ue gratiam quasi primã causam tacitè simul referunt, dicunt q́ue, *Gratia Dei sum id quod sum.* Secũdò hæc ipsorum sui commendatio non ab ipsismet, sed à Spiritu sancto, qui per os illorum loquebatur, manabat, eisq́ue suggerebatur. Sic enim Spiritus sanctus singulis scriptoribus S. Scripturæ ea quæ scriberent suggessit.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, ostenso suo erga Corinthios amore, pergit suum apostolatum contra pseudoapostolos tueri, v. 4. quòd ipsi nihil maioris spiritus vel doctrinæ Christianæ afferant, quàm Paulus tradiderit.

Secundò, v. 7. quòd ipsi pro lucro, Paulus gratis euangelizauerit.

Tertiò, v. 22. quòd æquè vt illi, Hebræus sit, & plusquam illi minister Christi. Vnde apostolatus sui insignia recensẽt, labores scilicet pro Christo, persecutiones, pericula, plagas, passiones, sollicitudines & curas pro Ecclesiis omnibus, in ijsq́; gloriatur.

1. VTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. 2. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. 3. Timeo autem, ne sicut serpens Heuam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. 4. Nam si is, qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicauimus: aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis: aut aliud Euangelium, quod non recepistis: rectè

ctè pateremini. 5. Existimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis. 6. Nã etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis. 7. Aut numquid peccatum feci? me ipſum humilians, vt vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis? 8. Alias Eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. 9. Et cùm eſſem apud vos & egerem; nulli onerоſus fui: nam quod mihi deerat ſuppleuerunt fratres qui venerunt à Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo. 10. Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringitur in me in regionibus Achaiæ. 11. Quare? quia non diligo vos? Deus ſcit. 12. Quod autem facio, & faciam: vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, vt in quo gloriantur, inueniantur ſicut & nos. 13. Nam eiuſmodi pſeudoapoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. 14. Et non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. 15. non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum. 16. Iterum dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier) 17. quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientia in hac ſubſtantia gloriæ. 18. Quoniam multi gloriantur ſecundùm carnem: & ego gloriabor. 19. Libenter enim ſuffertis inſipientes: cùm ſitis ipſi ſapientes. 20. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. 21. Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego: 22. Hebræi ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: Semen Abrahæ ſunt, & ego: 23. Miniſtri Chriſti ſunt, (vt minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. 24. A Iudæis quinquies, quadragenas, vna minùs, accepi. 25. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, 26. in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: 27. in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate. 28. præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. 29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror. 30. Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. 31. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quòd non mentior. 32. Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum vt me comprehenderet: & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.

VERS. 1. VTINAM SVSTINERETIS MODICVM QVID INSIPIENTIÆ MEÆ.] id eſt gloriationis, quæ videtur eſſe inſipientia, ego tamen ſapientiſſimè eam vſurpo ex zelo, vt Euangelium meum & fidem apud vos tuear contra pſeudoapoſtolos ita Anſel. & Chryſoſt. Eſt præoccupatio; ſe enim laudaturus, præoccupat & excuſat, ne vanus vel ambitioſus videatur. Græca habent, ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρὸν ἐν ἀφροσύνῃ, ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου, id eſt, vtinam ſuſtinuiſſetis vel toleraſſetis me pauliſper in imprudentia; imò & ſuffertis ſiue toleratis me. ἀνέχεσθε enim hîc potiùs videtur eſſe indicatiui modi quàm imperatiui. Corrigit enim id quod dixerat: Vtinam ſuſtineretis vel ſuſtinuiſſetis me: imò, inquit, ſuſtinetis me, & quod opto factum, idipſum facitis.

Quomodo Paulus aggrediatur ſuas laudes.

Paulus hîc ſeipſum laudare incipiens, iterum iterumque reſilit, ac ter ſe excuſat. Primò, cùm ait, *Vtinam ſuſtineretis.* Secundò, cùm vocat ſe inſipientem. Tertiò, cùm ſubdit, *Sed & ſupportate me, amulor enim vos*: idque vt oſtendat quantam ſibi vim inferat cùm ad laudes ſuas deſcendit. *Sicut*, inquit Chryſoſt. *equus præcipitium aliquod præruptúmque cliuum tranſiturus ſe colligit, quaſi hunc vno ſaltu exuperaturus; verùm profundum diſpiciens hiatum obſtupeſcit: deinde equite vrgente rurſum aggreditur, neceſſitatemq; & vim iudicans ſubſiſtit aliquamdiu, tandem reſumpto animo ſe vltro fidenter adigit: ſic & Paulus quaſi ſe daturus in præceps in laudum ſuarum recitatione, ſemel, iterum ac tertiò retrocedit, ac tandem adigit ſe ad ſuas laudes.*

ÆMVLOR ENIM VOS DEI ÆMVLATIONE] Græcè ζηλῶ, zelor, zelotypus ſum erga vos zelo Dei. q.d. Non patior æmulos pſeudoapoſtolos, qui vos quaſi virginem mecum ambiunt. Appellat enim Paulus zelum, ingentẽ & immodicum quemdam amorem; quaſi ambiat, vt apud Corinthios in amore & zelo ſit primus, nec quiſquam ſibi in eo præferatur. Vnde Maldonat. in Notis manuſcr. vertit, *zelotypia laboro.*

Notat Chryſoſt. *æmulationem*, id eſt zelum Dei dici. q.d. Non ambio mihi hanc ſponſam, ſed Chriſto & Deo; non meæ gloriæ, commodis, lucris, ſed Chriſti, omnia hæc adorno: Chriſtus enim ſponſus eſt, ego tantùm ſponſo ductor & paranymphus.

DESPONDI ENIM VOS VNI VIRO] ἡρμοσάμην, id eſt aptaui, vt legit Auguſt. l. 2. de Gen. contra Manich. Ambroſ. pataui; Theophyl. agglutinaui. ἁρμόζειν enim eſt aptè & concinnè applicare & connectere, exempli cauſa, ea quæ glutino, vel ferrumine committuntur. Poteſt ergo ἡρμοσάμην vertì. Primò, conciliaui; Secundò, deſpondi; Tertiò, connubio iunxi; hæc enim ſunt tria munia paranymphi

nymphi & pronubi. Primò, vt virginem conciliet illi sponso, cui eam in matrimonium dare satagit. Secundò, vt illi despondendam curet. Tertiò, vt despōsam matrimonio iungat. Noster optimè vertit, *Despondi*: quia sequitur, *Vt exhibeam*, scilicet in matrimonio, cùm nuptiæ celebrabuntur, *virginem castam*. q.d. Ego quasi paranymphus spiritualium nuptiarum mea prædicatione, *despondi vos vni viro*, scilicet Christo, & despondendo persuasi, *exhibeti*, id est, vt vos exhibeatis Christo quasi sponsam virginem. Vel potiùs, vt Anselmus & Theoph. per fidem, baptismum, christianismum, iam despondi vos Christo, vt ego ipse vos exhibeam in die iudicij virgines, id est, integros fide, spe & charitate nuptiali thalamo gloriæ Christi.

Notat Chrysost. in hac vita sponsalia agi, thalamum in futura, quando Ecclesia sponsa, id est electiomnes, ad Agni nuptias, & regnum æternum inducentur. Apoc. 11. 2.

Aduerte. Ecclesia Corinthiorum, & quæuis anima est quasi virgo & sponsa Christi sponsi, cuius paranymphus est Paulus. Vnde Christi ipsius sponsi zelotypiam in se transfert, nec patitur Christo sponsam surripi, & pseudosponsis, falsis Apostolis & hæreticis violandam tradi: sunt enim sinceri Apostoli & prædicatores, quasi Ecclesiæ & Christi paranymphi, Ioan. 2. 17. Sicut è contrario pseudopræcones sunt lenones Satanæ.

Est hic locus de virginis, id est Ecclesiæ, & animæ cuiusque, fidelis desponsatione illustris, maximæque consolationis, & à plerisque Patribus egregiè pertractatus, quique etiamnum sæpè vsurpatur, & in cathedris pulpitisque pertractatur. Vt ergo genuinè & plenè intelligatur, hic paulò fusiùs explicandus est. Vnde Nota Primò. Desponsatio hæc fit per fidem, spem, aliasque virtutes. Nam, vt ait S. August. tract. 13. in Ioan. to. 9. *Virginitas mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas.* Contrà meretrix & adultera fit anima, cùm infidelitati, peccatis, suggestionibus, & voluntati dæmonis consentit. *Si ergo*, inquit Origenes hom. 12. in Leuit. c. 2. *susceperis, ô homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus iræ, si inuidiæ, si superbiæ, si impuditiæ, ingressus fuerit ad animam tuam, & receperis eū, & consenseris ei loquenti, & in corde tuo delectatus fueris his quæ tibi secundùm suam mentem suggerit, meretricatus es cum eo.*

Nota Secundò. Hæc desponsatio communia facit vtriusque coniugis bona, adeoque bona Christi sponsi immensa communicat sponsæ, scilicet Ecclesiæ & cuique animæ fideli. Hinc quia sponsus est rex, sponsam animam, siue serua, siue vilis & pauper sit, facit reginam. *De qua*, inquit Basil. lib. de Vera virg. *dicitur* psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Quare quæ nunc panno so vestitu, ac seruili habitu vilis putatur, in regno cælorum regina, & nobilis regi astans reperitur. Contemnat igitur quidquid oculis apparet, & nuda mēte, amore sponsi satietur, totas vires suas proprij sponsi ancillas faciens, & in nulla parte oportet virginem adulteram esse. Non lingua, non auribus, non oculo, non alio omnino sensu, imò neque cogitatione, sed corpus quidem velut templum quoddam aut thalamum sponsi habeat præparatum: non enim latet aliqua adulterans illum conspectum de quo dicitur psalm. 93. Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat?* Et Bernard. serm. 2. Dom. 1. post Epiphan.

A Primò, huius sponsæ electionem, dignitatem & gloriam ita describit: *Propter æthiopissam istam Filius Dei de lōginquo venit, vt sibi desponsaret illam. Moses quidem æthiopissam duxit vxorem, sed non potuit eius mutare colorem: Christus verò quam adamauit iguobilem adhuc & fœdam, glorioſam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Vnde tibi ô humana anima, vnde tibi hoc? Vnde tam inæstimabilis gloria, vt eius sponsa merearis esse, in quem desiderant angeli prospicere? Vnde tibi hoc, vt ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, ad cuius nutum vniuersa mutantur?* Secundò, sponsæ obligationem ad gratiarum actionem & amorem reciprocum ita prosequitur: *Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, vt sis socia mensæ, socia regni, & socia thalami, vt introducat te rex in cubiculum suum? Vide quibus brachijs vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit,* B *imò qui tanti te fecit. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, consuetudines noxias obliuiscere: quid enim putas? nónne stat angelus Domini, qui secet te mediam, si fortè (quod auertat ipse) alterum admiseris amatorem?* Tertiò, harum nuptiarum prandium & cœnam ita distinguit: *Iam enim desponsata es illi, iam nuptiarum prandium celebratur. nam cœna quidem in cælo paratur: sed ibi vinum non deficiet, inebriabimur enim ibi ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabimur. Paratum est profectò illis nuptijs flumen vini, vini inquam, quod lætificat cor: siquidem fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.*

Spōsæ Christi electio, dignitas & gloria.

Sponsæ obligatio ad amorem & gratiarum actionem.

Harum nuptiarum prandium & cœna.

Nota Tertiò. Ex hac desponsatione & animæ cum Deo connubio pulcherrimæ concipiuntur & nascuntur proles, quas describit Origen. hom. 20. in 25. Num. cùm ait: *Dum igitur anima adhæret sponso suo, & audit verbum eius, & ipsum complectitur, si-* C *ne dubio ab ipso semen suscipit, & sicut ille dixit, De timore tuo Domine in vtero concepi & parturiui, & spiritum salutis tuæ fecisuper terram. Inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orietur, inde iustitia, inde patientia, inde mansuetudo & charitas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet.* Deinde è contrario conceptionem & proles quas anima concipit è diabolo, explicat dicens: *Quòd si infelix anima diuini Verbi dereliquerit sancta connubia, & in adulterinos se complexus diabolo tradiderit, generabit sine dubio etiam inde filios, sed illos, de quibus scriptum est: Filij autem adulterorum imperfecti erunt, & ex iniquo concubitu semen exterminabitur. Omnia ergo peccata filij sunt adulterij, & filij fornicationis.*

Proles quæ cōcipiuntur & nascitur ex spirituali animæ cū Christo connubio.

Nota Quartò. Licet, vt dixi, hæc desponsatio fiat per quasuis virtutes, maximè tamen fit per charitatem: hæc enim secum in Deum rapit omnes D animæ vires & affectiones, & quo magis crescit in homine charitas, eo magis crescit hæc animæ cum Deo vnio & desponsatio, ita vt animæ charitate flagrantes, in eaque se assiduè exercentes, nuptijs cum Deo, & nuptialibus bonis ac gaudijs diuinis fruantur. est enim charitas connubium, conspiratio & conformatio duarum voluntatum, humanæ scilicet & diuinæ, in vnam, qua sibi mutuo in omnibus consentiunt & conformantur Deus & homo. Hinc oritur communicatio & familiaritas animæ cum Deo, oritur quies & mira voluptas animæ, æstusque tantus diuini amoris, vt eo absorbeantur, & in Deum immergantur omnes aliæ animæ affectiones. *Talis consormitas*, inquit D. Bern. ser. 38. in Cant. *maritat animam Verbo, cùm cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsa*

Desponsatio animæ fit per charitatem.

se

se exhibet per voluntatē diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? qua fit vt humano magisterio non contenta per temet ipsa, anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consulteſq; de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualia sanctiq; connubij contractus est iste. Parum dixi, Contractus; complexus est. Complexus planè, vbi idem velle & nolle idem, vnum facit spiritum de duobus. Nec verendum, ne disparitas personarum laudicare faciat conuenientiam voluntatū, quia amor reuerentiam nescit. Amor sibi abundat, amor vbi venerit, cæteros in se omnes traducit & captiuat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud nouit nihil. Sponsus & sponsa sunt. Quam quæris aliam inter sponsos necessitudinem, vel connexionem, præter amari & amare?

Imparitas huius coniugij nihil de eius felicitate imminuit.

Si dicas, animæ conditionem & amorem longè inferiorem & imparem esse Deo, ac consequenter inter Deum & animam non posse esse amicitiam, (hæc enim est inter pares) inultò minùs connubium ac desponsationem; Respondet S. Bernard. *Non planè pari vbertate fluunt amans & amor, anima & Verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis quàm sitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur nuptiæ votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum sole, charitate cum eo qui charitas est? Non. nam etsi minùs diligit creatura, quoniam minor est, tamen si ex tota se diligit, nihil deest, vbi totum est. Propterea dixi, Sic amare nupsisse est: nisi quis dubitet, animam à Verbo & prius amari, & plus. Prorsus & præuenitur amando, & vincitur. Felix quæ meruit præueniri in tanta benedictione dulcedinis.*

Desponsatio animæ perfectissimè fit per virginitatem, & vota Religionis.

Hinc consequenter Quintò, hæc desponsatio perfectissimè fit per virginitatem, & vota castitatis ac Religionis. ita S. August. tract. 9. in Iohan. *Quæ virginitatem*, inquit, *Deo vouent, quamquam ampliorem honoris & dignitatis gradum in Ecclesia teneant, sine nuptijs non sunt: nam & ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptijs sponsus est Christus.* Et ratio est, quia sicut sponsa totum amorem omniaq́ue sua secum tradit marito, ita virgo & Religiosus se suaq́ue omnia consecrat & tradit Christo. Hinc Religio vocatur & est status perfectionis, siue perfectæ charitatis. Secundò, sicut sponsa contrahens matrimonium cum sponso dicit, Accipio te in meum: ita Religiosus dicit, Voueo Deo paupertatem, castitatem, obedientiam quibus ita astrictus & deuinctus est Christo, sicut vxor obligata est marito. Hinc Tertull. de Velandis virg. c. 16. *Nupsisti*, inquit, *Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi desponsasti viaturitatem tuam, incede secundum sponsi tui voluntatem.* Hac de causa S. Hieron epist. 27. matrē virginis Deo consecratæ Dei socrum ausus est nominare, quod, Hieronymum cirpere volens Ruffinus, nimiùm criticus, inter alia ei obiecit. In signum nuptiarum dabatur virginibus annulus, quo quasi desponderentur Christo: *Annulo*, inquit S. Agnes apud Ambros. serm. 90. *fides sua fabarrhauit me.* Adhæc velabantur virgines (sicut velantur illæ, quæ maritis nubunt) idq́ue solemni pompa à sacerdotibus, & nonnisi certis diebus, vt docet Gelas. ad Episcopos Lucaniæ c. 14. & Optatus Milevit. lib. 6. *Spirituale*, inquit, *nubendi hoc genus est: in nuptias sponsi iam venerant voluntate, & professione sua, & vt secularibus nuptijs se renūciasse monstrarent, spirituali sponso seruare crinem, iam cælestes celebrauerāt nuptias.* Et Ambrosius ad virg. lapsam: *Cæterùm*, inquit, *quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere communi lege, adulterium perpetrat, ancilla mortua efficitur.* Sic Cyprianus epist. 62 eadem vocat aliàs Christi. Ex quibus omnibus patet, recte Ecclesiā (quidquid ogganniat hîc Marloratus) hanc Apostoli locum accommodare virginibus, ideoq́ue legere in Missa pro epistola SS. virginum.

Perpendant hæc virgines, suamq́ue dignitatem agnoscant, vt has nuptias religiosè colant & tueantur, vniq́ue sponso Christo intendant. *Audi*, inquit Hieronymus ad Eustochium, *filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. Non sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliuiscaris populi tui, & domus patris tui, vt carne contempta sponsi iungaris amplexibus. Dices: Exiui de domo infantiæ meæ, oblita sum domum patris mei, renasci in Christo. Quid pro hoc mercedis accipio? Sequitur: Et concupiscet rex decorem tuum. Hoc ergo magnum illud est Sacramentum: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo, iam non, vt ibi, in carne vna, sed in spiritu vnus. Non est sponsus tuus arrogans, æthiopissam duxit vxorem: statim vt audire volueris sapientiam veri Salomonis & ad eum veneris, confitebitur tibi cuncta, quæ nouit, & inducet te rex in cubiculum suum; & mirum in modum colore mutato sermo tibi ille conuenit. Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Et infrà sponsam comparat arcæ fœderis, dicens: *Sponsa Christi arca est testamenti, intrinsecùs & extrinsecùs deaurata, custodiæ Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ testamenti, ita & in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc propitiatorium quasi super Cherubim sedere vult Dominus. Cur tu te sæcularibus soluere vult Dominus, vt paleas & lateres Ægypti derelinquens Moysem sequaris in eremo, & terram repromissionis intrioeas. Vbi in pectore virginali sæcularium negotiorum cura æstuat, statim velum templi scinditur, sponsus consurgit vatus, & dicit, Relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et inferiùs sponsi & sponsæ colloquia ita describit: *Tu semel sæculi onere proiecto, sede ad pedes Domini, & die: Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Et ille respondebit: Vna est columba mea, perfecta mea. Semper te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Oras, loqueuaè sponsum, legis, ille tibi loquitur. Et cùm te somnus oppresserit, veniet post parietem, & expergefactā dices, Vulnerata charitate ego sum: & rursus ab eo audies, Horta conclusus soror mea sponsa.*

Virginitatē vouentibus olim eadem

VIRGINEM CASTAM EXHIBERE (S. Cyprianus legit *assignare*) CHRISTO] Nota quid mirum in hisce nuptijs. In mundo, ait Theophylact. ex Chrysostomo, sponsæ post nuptias non manent virgines; Christi autem sponsæ quasi priùs virgines nō fuerint, post nuptias cum Christo virgines fiunt, id est, purissimæ in fide, ac moribus integræ & incorruptæ. Ecclesia tota est virgo. *Virginitas carnis, corpus intactum: virginitas animæ, fides incorrupta*, ait S. August. in Sent n. 79.

Ita nobilis illa virago & Martyr sub Diocletiano tyranno apud Homeritas, cùm primò duas filias per virginitatem Deo desponsisset, secundò eadem eidem per martyrium vnà secum desponsit &

con-

consecrauit. Cùm enim eas ense confodi videret, A
earumque sanguinem sibi à tyranno porrigi; eum
accipiens, gustans, & in cælum suspiciens, *Tibi*, in-
quit, *Christe Domine, hoc meum offero sacrificium, &*
tui Martyres exhibeo castas virgines, quæ egressæ sunt
ex utero meo, cum quibus me quoque connumeratam in-
troduc in tuum thalamum, & ostende matrem propter
filias lætantem. Quare & ipsa per martyrium Chri-
sto copulata est. Rem fusè narrat ex Procopio Ba-
ron. tom. 7. an. Christi 522. pag. 91.

Ita S. Paulus Iconij Theclam nobilissimam vir-
ginem ad Christum conuertit, à coniugio auocau-
it, Christoque despondit. Testis est S. Gregor.
Nyssen. hom 4. in Cant. *Talem*, ait, *myrrham olim*
Paulus infundebat ex ore suo, mixtam cum puro pudici-
tiæ lilio, in sanctæ Virginis aures. Ea verò erat Thecla,
quæ præclarè animo suo defluentibus de lilio guttis ho-
minem externum morte opprimit, omni cupiditate ex- B
tincta. Et S. Epiphan. hæres. 78. *Thecla*, ait, *incidit in*
S. Paulum, & à nuptiis exoluitur, cùm sponsum haberet
formosissimum, ditissimum, generosissimum & illustris-
simum. Et S. Aug. l. 30. contra Faust. c. 4. *In vita*, ait;
contemnit terrena Sancta illa (Thecla) *vt cælestium*
potens fiat, & oppignorata thalamo in amorem perpetuæ
virginitatis Pauli eloquio succensa est. Quocirca The-
cla ignes, leones, tauros & serpentes superauit: at-
que ob virginitatem in medijs flammis, quasi amia-
antus, illæsa permansit. Ita S. Paulus Poppæam
pellicem, & virgines contra Neronis illecebras ar-
mauit, vt eius thalamo spreto Christo se consecra-
rent: quocirca à Nerone ad gladium damnatus,
virginitatis & martyrij laureas adeptus est, ideo-
que ex ceruice eius abscissa pro sanguine rubeo
lic candidum & virgineum emanauit.

3. TIMEO AVTEM NE CORRVMPANTVR, à pseudo- C
apostolis quasi stupratoribus virginitatis vestræ,
SENSVS VESTRI (νοήματα, sensa, iudicia vestra) ET
EXCIDANT A SIMPLICITATE QVÆ EST IN CHRI-
STO à natiua & germana doctrina Christiana, sim-
plicem scilicet fidei veritatem errorum mistione
corrumpendo, ita Anselm. & Theophyl. q. d. Ca-
uere pseudoapostolos quasi lenones Satanæ, &
quasi adulteros genuinæ Christi doctrinæ, conse-
quenter & Ecclesiæ, & animarum vestrarum.

4. SI ALIVM CHRISTVM PRAEDICAT] id est prædicaret. est enallage: ponitur enim indicatiuus pro subiunctiuo. q. d. Si pseudoapostoli aliam doctri-
nam perfectiorem de Christo, vel Christi prædi-
carent, quam ego non prædicaui; quasi prædicatio
mea ad salutem & christianismi perfectionē non
sufficiat. Est metonymia: Christus enim ponitur
pro christianismo eiusque perfectione. vide can. D
37. eandem mox vocat aliud Euangelium. Nam
alioqui non modò non tolerari, vel audiri, sed &
anathemati deuoueri iubet eum, qui contrarium
afferat Euangelium, Galat. 1. 8. Aliud ergo Euan-
gelium hîc vocat aliam clariorem, vel sublimio-
rem Euangelij explicationem.

SI ALIVM SPIRITVM ACCEPISTIS (q. d. Si alia do-
na Spiritus sancti, quæ per me non accepistis, ac-
ciperetis à pseudoapostolis istis) RECTE PATERE-
MINI] Taxat pseudoapostolorum factum, qui se
matus quiddam quàm Paulus adferre iactabant.
ita Theophyl. q. d. Vbi est ille alius Spiritus, alia
dona, quæ iactant? sanè nusquam comparent.
Testes vos appello, qui nihil aliud, quàm ventosa
verba ab eis accepistis.

5. EXISTIMO ENIM NIHIL ME MINVS FECISSE,
Cornel. in Epist. Pauli.

græcè μηδὲν ὑστερηκέναι, in nullo inferiorem fuisse,
τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, ijs, qui sunt supra modum
excellentes & eximij Apostoli, quod Noster vertit,
A MAGNIS APOSTOLIS sed est præ magnis, vel, quā
magni Apostoli. Obijcit Beza, si in nullo Paulus
inferior est eximijs Apostolis, ergo nec Petro in
potestate & auctoritate; ac consequenter Petrus
non est primus Apostolorū & Ecclesiæ. Respond.
In nullo scilicet dictorum v. præced. scilicet in
prædicatione Christi, in donatione Spiritus, in sin-
ceritate Euangelij, putà in laboribus, & in gratijs
Apostolicis nulli cedo, vt explicat v. 22. Non ergo
agit de potestate & primatu: sic enim eum sibi ar-
rogaret. quod est vanissimæ ambitionis. Adde: li-
cet per magnos Apostolos Chrysost. Theophyl.
Oecum. intelligant Petrum, Iacobum, Iohannem,
idque simplicius videatur, & verius: recentiores
tamen plerique accipiunt pseudoapostolos qui se
quasi magnos iactabant, vt sit ironia.

Quomodo hæc verba Pauli nihil derogent primatui & excellentiæ D. Petri supra alios Apostolos.

IMPERITVS SERMONE] scilicet Græco, polita VERS. 6.
nempe & verbosa eloquentia Græcorum, qualis
est Isocratis, Demosthenis, Luciani. Vnde in Pau-
lo tot sunt hyperbata, eclipses, quin & solœcismi
Græci. ita Chrysost. Theophyl. & Hieron. epist.
151. q. 10. ad Algasiam Vbi sic ait: *Illud quoque quod*
crebrò diximus, Etsi imperitus sermone, non tamē scien-
tia, nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscien-
tiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos
enim & reconditos sensus lingua non explicat: & cùm
ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures plura non po-
test sermone transferre. Idē asserit epistola ad Hedi-
biam, vbi addit, quòd hac de causa Paulus Titum
græcè doctum penes se habuerit; sicut & B. Petrus
Marcum. Vide dicta epist. 1. c. 2. v. 1. & 4. Contrà
S. Aug. li. 4. Doct. Christ. c. 7. putat Paulum se hîc
vocare imperitum sermone, non ex sua, sed ex ob-
trectatorū sententia: ibi enim fusè August. osten-
dit eloquentiam Apostoli, scilicet neruosam artis
& rerum, suaque habere schemata: quod etiam ve-
rum est. Rhetorica enim Apostoli non verbosa est,
sed seria, efficax, mascula, diuina, adeoque Apos-
tolus imperitus fuit non tam Rhetoricæ, quàm Grā-
maticæ: patet enim Apostolū sua Rhetorica om-
nes cōmouisse, Dei metu perculisse, ad fidem, pie-
tatem, misericordiam, adeoque quocumque vo-
luisset, miro artificio, ac dicendi vi perpulisse.

Paulus imperitus in Grammatica, sed non Rhetorica.

Præclarè S. August. in sententijs n. 266. *Bono-*
rum, ait, *ingeniorum clara est indoles, in verbis differen-*
tium verum amare, non verba. Quid enim prodest cla-
uis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid
obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi
patere quod clausum est?

AVT NVMQVID PECCATVM FECI?] Græcum ἢ VERS. 7.
significat *an* & *aut*. Hic aptiùs vertas cum Syro, &
alijs, *an peccatū feci meipsum humilians*, dejiciens ad
scenopegiam, & labores manuum, quibus victum
mihi pararem, humiliter nempe & tenuiter, sum-
ptu meo victitans; ne vobis essem oneri, sed vos potiùs exaltarē & honoratē hac mea humiliatione?
q. d. An hoc ipsum quòd gloriæ est & beneficen-
tiæ, improperatis mihi? Patet ex seq. ita Anselmus.
Est ironia aut potiùs sarcasmus. Exprobrat enim
Paulus Corinthijs in faciem eorum ingratitudinē,
quòd cùm potuisset euangelizando petere & ac-
cipere ab eis stipendium alimoniæ, nec tamen fe-
cerit, sed ab alijs Ecclesijs pauperioribus sustentari
voluerit agens & prædicans Corinthi: ipsi nihilo-
minùs Corinthij hæc Pauli beneficia parui pen-

derint, magisque auscultarint pseudoapostolis A Pauli æmulis, qui ipsorum bursas emungebant.

VERS. 8. ALIAS ECCLESIAS EXPOLIAVI] ἐσύλησα, deprædatus sum, accipiens scilicet ab eis stipendium & subsidia vitæ, vt vobis inseruirem, & aliunde accepto sumptu, gratis vobis prædicarē. Vtitur epitasi iuxta cano. 39. vt grauius pungat Corinthios. q.d. Videte continentiam meam & charitatem: alias Ecclesias etiam pauperes quasi dispoliaui, vt vobis parcerem, vosque ditarem, idque ne putaretis (vti diuites & mercatores, quales erant Corinthi, sæpè putant) me non vos, sed vestra quærere, vtque pseudoapostolis os clauderem: agnoscite ergo me vestrum sincerum & germanum Apostolum.

VERS. 9. NVLLI ONEROSVS FVI] Græcè κατενάρκησα ὑδενός, quod verbum ductum est à torpore & otio: nam otiosi premunt & imminent alijs assiduè precando: quod est onerosum esse; ναρκᾶν enim est B torpere. Vnde & νάρκη dicitur torpedo piscis. Ad verbum vertas κατενάρκησα ὑδενός, non obtorpui in aliquem, vt scilicet mea torpedine incumberem in aliquem, qui me aleret, eique essem oneri, sed strenuè meis manibus laboraui: nec tamē in prædicatione obtorpui, sed æquè diligenter omnibus & singulis, docendo, monendo, consulendo me impendi, atque si nihil aliud, nulla vitæ sustentandæ necessitas curaue mihi incubuisset.

Paulus laborauit manibus, ne cuiquam esset onerosus.

VERS. 10. EST VERITAS CHRISTI IN ME] in veritate Christi loquor, testor Christi veritatem; vobis ego per Christum (Ambrosius, sub Christi testimonio) verè sancteque affirmo ac iuro, me nihil pro sumptu à vobis accepturum. ita Theophylactus.

Duplex huius loci expositio.

HÆC GLORIATIO, quòd gratis vobis euangelizauerim, NON INFRINGETVR (græcè οὐ φραγίσεται), id est, non sigillabitur, non occludetur, IN ME] εἰς C ἐμὲ, Vatabl. cōtra me, vel potiùs circa me, ista mea, scilicet libertas & liberalitas, ac consequenter nec os meum, quin de ea glorier. Metaphora à fontibus & fluminibus, quæ obice occludi non possunt. ita Chrysost. & Theophyl. Vnde Maldonatus in Notis manuscr. vertit, *nemo os meum obstruere poterit, quo minùs verè de hac re gloriari possim.*

Secundò, & meliùs ex hebraismo, ponitur simplex pro composito, φραγίζω, pro ἀναφραγίζω, vel ἀποφραγίζω, id est, signo vel sigillo pro resigno, signum tollo; quod Noster vertit, *infringo*. Hebræi enim carent compositis, sed illa per simplex exprimunt. q.d. Concluſi firmo decreto me nihil à vobis accepturum, illudque constantiæ & iuramenti mei sigillo ita communiui, vt numquam sigillum hoc fim resignaturus, nec propositum hoc-ce meum infracturus, quæcunque egestas aut ne- D cessitas mihi ingruat.

VERS. 11. DEVS SCIT] an vos non diligam.

VERS. 12. QVOD AVTEM FACIO (ὃ δὲ ποιῶ, sed quod facio) ET FACIAM (etiam deinceps faciam) non quia vos non diligo, sed VT AMPVTEM OCCASIONEM] carpendi me, quòd nihil singulare, nihil alijs amplius afferam.

VT IN QVO GLORIANTVR, INVENIANTVR SICVT ET NOS] Gloriantur in prædicatione se esse mihi pares cùm sint inferiores: ego enim gratis, ipsi lucri causa euangelizant. patet v. 20. ita Anselm. Chrysost. & Theophyl.

VERS. 13. TRANSFIGVRANTES SE IN APOSTOLOS CHRISTI] Hinc patet hos obtrectatores Pauli fuisse non fideles, qui sola vanitate, aut Pauli inuidia laborarent, sed fuisse hæreticos: vocat enim eos pseudoapostolos, & ministros Satanæ, vers. 15.

Secundò, notat eorum dolum, quòd scilicet, vt Christianis imponerent, assumebant sibi figuram, speciem, nomen Apostolorum Christi, quasi Christi forent, Christianæque pietatis præcones, vti nostri Caluinistæ, qui omnia sacra, ritus, Sacramenta, templa, monasteria, sacerdotia, altaria, pietatem, Dei cultum & religionē deformant ac profanant, reformatores tamen haberi dicique volunt.

IPSE ENIM SATANAS TRANSFIGVRAT SE IN ANGELVM LVCIS] Dicit *lucis*: solent enim angeli boni, vtpote beati, lucidi & glorioſi apparere, cùm se ostendunt hominibus. Secundò, *lucis*, id est, veritatis, iustitiæ, pietatis: hæc præ se fert Satanas, hæc promittit hominibus, quorum vel oculis visibiliter apparet, vel phantasiæ se suaque consilia insinuat, ostendit, imprimit, cùm vere sit angelus tenebrarum; quia nonnisi peccata, errores, dolos suggerit: quem vt detegas, eiusque dolos agnoscas, non lumen (vt Patres, vt viri sancti, vtque ipsa docet experientia) consilium est, quàm si tuas cogitationes & suggestiones viro prudenti, pio, docto, præsertim Superiori aut confessario aperias, eiusque iudicium sequaris. Sed Satanas lucifuga, qui prodi non vult, hoc odit, hoc suis dissuadet & prohibet. Vnde huius consilij neglectu multi, etiam Eremitæ, ab eo grauissimè decepti sunt. In Vitis Patrum multa & luctuosa huiusce rei exempla extant: vti inter alia, Hieronis monachi, cui diabolus persuasit, vt in puteum se præcipitē daret, affirmans fore, vt inde cùm Deus ob sua merita glorioſè educeret. Sic quàm fœda, horrenda & abominanda diabolus persuaserit Ophitis, Artotyritis, Caianis, Circumcellionibus, alijsque hæretieis, videre est apud S. Epiphan. Irenæum, & August. in eorum hæresibus.

Ita dæmon boni angeli specie, decipere conatus fuit S. Abraham eremitam, teste S. Ephrem in eius Vita. Cùm enim media nocte psalleret, lux instar Solis in cella eius refulsit, & vox audita est dicens: *Beatus es Abraham, nullusq; tui similis, qui omnes voluntates meas explesti.* Sed vir humilis agnoscens dolum diaboli exclamauit: *Obscuritas tua tecum sit in perditionem, ô plene dolo atque fallacia. Ego enim homo peccator sum: sed nomen Domini mei Iesu Christi, quem dilexi & diligo, mihi murus est, in quo te increpo immunde canis.* Et mox vt fumus ab oculis eius euanuit.

Simili modo dæmon fulgens in splendore, cum equis igneis & quasi currus igneus apparuit iuxta columnam, in qua stabat S. Simon Stylites, dicens: *Dominus misit me angelum suum, vt rapiam te, sicut rapui Eliam. Ascende ergo mecum in currum, & eamus in cælos: optant te videre sancti Angeli, Apostoli, Martyres & Propheta cum Maria matre Domini.* cumque Simeon eleuans dextrū pedem vt ascenderet in currum, faceret signum crucis mox dæmon disparuit. Testis est Antonius eius discipulus in ipsius Vita.

Alius quoque audiens à dæmone, *Ego sum Christus*, clausit oculos, dicens, *Ego in hac vita Christum nolo videre, sed in altera vita.* Hinc Patres monebant dicentes: *Etiamsi angelus in veritate tibi appareat, non suscipias facilè, sed humilia te dicens: Non sum dignus angelum videre viuens in peccatis.*

S. Iohannes, qui Theodosio Imp prædixit victoriam contra tyrannos, vidit dæmones instar exercitus & currus ignei, dicentes: *In omnibus te, ô homo, rectè gessisti: de cætero me adora, & quasi Eliam te*

esse-

assumam. Cui Iohannes: *Dominum meum & Regem habeo Deum, quem semper adoro: tu autem non es rex meus*. mox ille euanuit. Testis est Palladius in Lausiac. cap. 46.

S. Pachomio apparuit diabolus specie Christi, dicens: *Pachomi, ego sum Christus, & venio ad te fidelem amicum meum*. Agnouit inspiratione diuina fraudem Pachomius, cogitans intra se, *Aduentus Christi tranquillus est, ego autem nunc turbatus variis cogitationibus æstuo*. Ergo formans signum crucis, & exsufflans in eum dixit: *Discede à me diabole: quia maledictus es tu, & visio tua, & artes insidiarum tuarum, nec habes locum apud famulos Dei*. Mox ille relicto fœtore discessit, dicens: *Lucratus te fuissem, nisi præcelsa virtus Christi impediisset: verumtamen quantum possum, vos impugnare non desinam*. ita Dionysius in vita Pachomij.

Valentem monachum decepit dæmon, crebrò B ei apparens quasi angelus. Inde enim superbia intumuit Valens, quasi qui cum angelis versaretur. Tandem dæmon apparuit ei fingens se esse Christum, cum mille angelis lampades tenentibus, & totam igneam; dixitque ei vnus, *Christus dilexit tuam viuendi libertatem & confidentiam, & venit vt videat te: egredere ergo & adora eum*. Egressus est, & pro Christo diabolum adorauit. vnde factus est ita emotæ mentis, vt ecclesiam ingressus diceret; *Ego non opus habeo communione: Christum enim vidi hodie*. Quare Patres cum vinxerunt, & in ferreas compedes coniecerunt. Testis est Palladius c. 31.

Vers. 16. ALIOQVIN VELVT INSIPIENTEM ACCIPITE ME] q. d. Quòd si aliud impetrare non possum, accipite me velut insipientem, tantùm vt mihi paululùm gloriari liceat: nam, vt Cato:

Non te collaudes, nec te culpaueris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. C

Nota. Valdè præmollit, vt ostendat quàm inuitus, & non nisi coactus descendat ad laudes suas. ita Chrysost.

Vers. 17. QVOD LOQVOR] quod loqui propono & inuendo, meas scilicet laudes. Vide can. 31.

NON SECVNDVM DEVM] erit, si secundùm se spectetur; erit tamen *secundùm Deum*, si charitas & necessitas spectetur, ne videlicet, me contempto, pseudoapostolos glorificetis.

IN HAC SVBSTANTIA (in hoc subiecto, in hac materia) GLORIÆ] qua gloriari de meis laboribus in sequentibus intendo.

Vers. 18. QVONIAM MVLTI GLORIANTVR SECVNDVM CARNEM, in rebus carnalibus & externis (putà in nobilitate, diuitijs, sapientia, circumcisione, parentibus Hebræis gloriantur pseudoapostoli) hinc ET EGO ijsdem GLORIABOR] ita Chrysost. vide dicta c. 10. v. 2. D

Vers. 19. LIBENTER ENIM SVFFERTIS INSIPIENTES: CVM SITIS IPSI SAPIENTES] Est ironia. q. d. Sustinuistis insipienter iactantes se gloriabundos illos pseudoapostolos, sustinebitis spero & me apud sapientes sapienter & vtiliter gloriantem. Theophyl. tamen & Anselm. seriò hoc dictum putant ad exaggerationem & increpationem. q. d. Cùm sitis in Christo sapientes, deberetis pseudoapostolorum insipientiam explodere, quomodo ergo libenter eos suffertis?

Vers. 20. SVSTINETIS ENIM SI QVIS VOS IN SERVITVTEM REDIGIT] Notat pseudoapostolorum insatiabilē arrogantiam, auaritiam, tyrannidem. q. d. Sustinetis pseudoapostolos, qui imperiosè vobis vtuntur A vt mancipijs, quique vos deuorant, id est, bona vestra extorquent; quique extolluntur, hoc est, seipsos laudant, se suaque magni faciunt & deprædicant; quinq; vos in faciem cædūt, non alapis, sed contumelijs. Vnde sequitur, *Secundùm ignobilitatem dico*, de quo mox. Est ergo hîc acris obiurgatio. q. d. Illi emungunt vestras opes, libertatem & honorem auferunt, vos insuper quasi seruos onerant conuicijs: ego autem humiliter me gessi, meo sumptu vixi, leue iugum Christi vobis imponere volui, & tamen illos præfertis mihi, quasi non satis nobilis, non satis potens, non satis facundus præ illis tam imperiosis dominis, imò tyrannis forem. Vnde S. Bernard. li. 1 de Consid. cap. 3. *Sustinetis si quis vos in seruitutem redigit. Non bona*, inquit, *patientia, cùm possis esse liber, seruum te permittere fieri. Nolo dissimules seruitutem, in quam certè indies dum nescis* B *redigeris. Hebetati cordis indicium est, propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectum auditui, sed si nimia non fuerit: nam si sit, non intellectum dat, sed contemptum*.

Mores pseudoapostolorum.

Solentur se Superiores & Prælati exemplo Pauli, cùm ritè officio suo fungentes à suis contemnuntur alijsque posthabentur. Fuit hæc semper mundi consuetudo, eritque in finem vsque (vt rectè aduertit hîc noster Salmeron) contumaciter resistere Dei seruis, ad minimas occasiones, obstrepere & obmurmurare, de seueritate moderata conqueri, abhorrere ab omni disciplina; impostoribus autem, libertinis & pseudoapostolis seruiliter se subdere, omnia illis permittere, quidquid oneris imponere ipsis libuerit, patienter sustinere. Ita Israelitæ contempto Samuele sancto ac modesto maluerunt ferre iugum fastuosi & tyranni- C ci regis, 1. Reg. 8.

Seueritas moderata Superiorum Ecclesiasticorum solet esse odiosa subditis, cùm tamen seruiliter subdant se impostoribus libertinis.

SECVNDVM IGNOBILITATEM DICO] κατὰ ἀτιμίαν λέγω: quod propriè vertas, Quantum ad ignominiam & contumeliam dico; sic enim Græci vsurpant κατὰ. hæc referenda sunt ad ea quæ præcedunt. q. d. Cùm dico pseudoapostolos in faciem vos cædere, non simpliciter dico, sed quoad ignominiam & conuitia, quæ in vos iactant, & in faciem exprobrant: quæ sanè non minor est iniuria, quàm si vos instar mancipiorum alapis cæderent. Vers. 21.

Nota. Per *ignobilitatem* Noster intelligit ignominiam, contumeliam: hanc enim significat Græcum ἀτιμία. Alij sic explicant, q. d. Ad vestram ignominiam & contumeliam hoc de illorum tyrannide & auaritia dixi dicoque, vt vos pudeat, qui me legitimum Apostolum vestrum tam modestum contemnitis præ illis spurijs & tyrannis. ità Chrysost. Sed tunc, non κατὰ, id est secūdùm, sed πρὸς ἀτιμίαν, id est, ad ignominiam, potiùs dixisset. Vnde Maldonatus in Notis manuscr. κατ' ἀτιμίαν λέγω, sic vertit, *ignominiosè de me loquor, quasi ego vos in seruitutem redegerim, quasi deuorauerim, quasi acceperim*, id est spoliauerim, &c. Nam quæ v. 20. dixerat de seipso, dixerat ex aduersariorū persona, qui S. Paulū esse talem criminabantur. ita ipse.

QVASI NOS INFIRMI FVERIMVS IN HAC PARTE] Refer hæc ad *sustinetis*, &c. q. d. Sustinetis fortes, audaces & minaces & imperiosos pseudoapostolos; me verò non sustinetis, sed contemnitis tamquam infirmum, pusillanimem & timidum, quasi qui imperiosius agere non potuerim quàm feci. Est mycterismus, siue ironica naso velut contracto subsannatio, qualis erat illius qui aiebat: *Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis*. q. d.

Paulus, Potui sanè eadem licentia & imperio in vos vti, quo pseudoapostoli vsi sunt: sed nolui ex humilitate, modestia & charitate eximia. ita Chrysost.

IN QVO QVIS AVDET, supple gloriari (IN INSIPIENTIA: id est, quasi insipiens, vel insipienter, DICO) AVDEO ET EGO] scilicet gloriari. Sic enim Hebræi aduerbia per nomen & præpositionem exprimunt, vt dicant: in iustitia, id est iustè; in sanctitate, id est sanctè.

VERS. 22. HEBRAEI SVNT, ET EGO] Nota. Hebræi dicuntur vel à radice עבר *abar*, id est transiuit, quia scilicet ex Chaldæa oriundi transierunt Euphratem, vt habitarent in Palæstina, q. d. Transamnani, vti nos dicimus transmarinos, transalpinos. Vnde primus Abraham, post transitum Euphratis Gen. 14. v. 13 dicitur Hebræus. vbi LXX. & Aquila vertunt περάτην, id est transitorem; S. August. q. 29. in Genes. vertit transfluuialem; ita & Chrysost. Origen. Theodor. ibi. Vel certè *Hebræi* dicti sunt, quia posteri fuerunt Heber ataui Abrahæ, qui in confusione linguarum in Babel Gen. 10. 21. & c. 11. v. 1. & sequentibus, solus cum suis cum vera fide, religione, pietate, linguam Hebræam primæuam retinuit. Malè ergo quidam Hebræos quasi Abrahæos dictos putant. Ita sensit aliquando S. August. li. 1. de Consensu Euang. c. 14. sed id retractat l. 2. Retractationum c. 14. Sensus ergo est, q. d. Apostolus: Pseudoapostoli hi gloriantur de sua nobili stirpe, se videlicet Hebræos esse posteros Heber, Abrahæ, Isaac, Iacob, ac sanctæ patrum illorum & auitæ religionis & vocationis, æquè vt linguæ tenaces & sequaces: sed & ego Hebræus sum, & Abrahæus prosapia, idiomate, fide, religione.

Hebraei nominis radix & significatio

Luther de se intat. y Pontific. cios. Zach. 1. 5. Gen. 9. fo. 162. b.

MINISTRI CHRISTI SVNT] Per concessionem hoc dicit: esto vocent se Christi ministros, & ego sum, imò plus quàm ipsi.

VERS. 23. VT MINVS SAPIENS DICO] Hoc est quasi insipiens, vt dixi v. 21. interpres Chrysost. vertit, Delirans loquor.

IN LABORIBVS PLVRIMIS] ἐν κόποις περισσοτέρως, in laboribus abundantiùs, id est pluribus, quã pseudoapostoli. Notent hoc Pauli exemplũ Prælati & Doctores, vt auctoritatem apud suos non pompa externa, sed cum Paulo laboribus & vita concilient. ita suadet & decernit Conc. Carthagin. IV. cap. 15. *Episcopus*, inquit, *vilem supellectilem, mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide ac vita meritis quærat.*

Non pompa, sed laboribus auctoritas cõciliandæ pastoribus.

S. Bernard. citans hunc locum lib. 2. de Consid. ad Eugenium Pont. cap. 6. exclamat: *O præclarum ministerium! Quo non id gloriosius principatu? si gloriari oportet, forma tibi Sanctorum præfigitur, Apostolorum proponitur gloria. Paruáne tibi illa videtur? Quis mihi tribuat similem fieri in gloria Sanctorum? Clamat Apostolus: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Agnosce hereditatẽ tuam* (ô Eugeni Pont.) *in Christi cruce, in laboribus plurimis. Felix qui dicere potuit: Plus omnibus laboraui. Gloria est, sed nil in ea inane, nil molle, nil resupinum. Si labor terret, merces inuitet. Et si ille plus omnibus laborauit, non tamen totum claborauit, & adhuc locus est, exi in agrum Domini tui, & considera diligenter quantis hodie de veteri maledicto siluescat spinis ac tribulis. Exi inquã in mundum: ager est enim mundus, iste creditus tibi. Exi in illum non tamquam dominus, sed tamquam vilicus, vide & procura are vnde exigendus es rationem.*

IN PLAGIS SVPRA MODVM] ὑπερβαλλόντως, exceſſiuè, supra quàm dici vel credi potest. A

IN MORTIBVS] mortis periculis, vbi comites mei, aut alij vel à latronibus, vel à seditiosis cædebantur, aut iugulabantur. simile habes cap. 1. v. 10. & 1. ad Corinth. c. 15. v. 31.

VERS. 24. A IVDAEIS QVINQVIES, QVADRAGENAS, VNA MINVS, ACCEPI] Iusserat Dominus Deut. 25. 3. vt plagarum numerus quadragenarium non excederet: cui vt certiùs & pleniùs satisfacerẽt Iudæi, non 40. sed vnam minùs, scilicet 39. reis infligebant. ita Talmudici.

VERS. 25. TER NAVFRAGIVM FECI] ἐναυάγησα, naufragatus sum, naufragium passus sum.

IN PROFVNDO MARIS FVI] Græcè ἐν βυθῷ, in profundo, quod tam de puteo & carcere, quã de mari dicitur. Vnde Primò, aliqui, ait Theophyl. intelligunt de puteo, cui à profunditate nomẽ erat Bythus, in quo tradunt Paulum, postquã periculum B apud Lystrios effugerat, latuisse, Actor. 14. 18.

Secundò, Baronius an. Christi 58. ex Beda & Theodor. per *profundum* intelligit profundissimũ & teterrimum omnium carcerem Cyzicenum, in quem coniectus sit Paulus famosissimo illi carceri simílem, qui Athenis dictus est Barathrum, illíque Romano, quem Tullianum appellabant.

Tertiò, meliùs Noster vertit, *in profundo maris*: explicat enim naufragij ærumnas, quòd scilicet facto naufragio νυχθήμερον, inquit, ἐν βυθῷ πεπλεκα, noctẽ & diem in profundo egi, q. d. Tam immani tempestate iactatus sum, vt dies ac noctes sub profundo maris viderer esse, ait Maldon. in Notis manuscr. Aut post naufragiũ non in naui aut tabula, sed natans in profundo, id est alto & medio mari, diem noctemq; vndis iactatus egi. ita Theophyl. Paulo C Ambr. S. Thom. Imò Anselm. hinc docet sub aquis in profundo, id est maris alueo, diem noctemque egisse Paulum, & miraculo non præfocatũ aquis, non deuoratum à piscibus, sed viuum inde à Deo quasi alterum Ionam in littus eductum: hæcque, inquit Haymo, est traditio SS. Patrum.

Nota. De fustigatione, de naufragio hucusque, scilicet vsque ad tempus quo hæc scripsit Paulus, nihil habetur in Actis Apostolorũ: nam Melitense naufragium Actor. 27. diu pòst contigit, cùm scilicet vinctus Paulus Romam missus est; flagellationem tantùm vnam inuenimus, Actor. 16. lapidationem pariter vnam Lystris, Actor. 14. Multa ergo silentio præterit Lucas in Actis.

PERICVLIS EX GENERE] ex gente mea. Insidiæ Vers. intelligit, quas sæpè ipsi Iudæi struxerũt. ita Ansel.

IN LABORE] ἐν κόπῳ, in fatigatione. Vers.

IN AERVMNA] καὶ μόχθῳ, Ambros. & Vatabl. D in molestia. *Aerumna*, ait Cicero, est *ægritudo laboriosa*, veluti cùm deiassatus aliquis pro quiete cogitur labores nouos capessere. Vnde μοχθηροὶ vocantur calamitosi.

En, quibus in rebus glorietur Apostolus, ijs scilicet, de quibus iam multi non modò Christiani, sed & clerici Ecclesiæque ministri erubescerẽt, vti multis deplorat S. Bern. in declamat. in illud: *Ecce nos reliquimus omnia.* Quò abijmus? quò abijt spiritus Apostolicus? quò simplicitas Christiana? quò humilitas, labores, passiones, zelus primitiuæ Ecclesiæ? Apostoli Principes Christi, primates Ecclesiæ non in palatijs, non in rhedis, non in sericis togis, non in nobilium, famulorũ, militum, equorũ, canum venaticorum turba, non in conuiuijs & symposijs, non in opimis Beneficijs, non in molli, deli-

delicata ac splendida vita triumphant: sed exultant & gloriantur in fame, in siti, in labore & ærumna, frigore & nuditate, in perenni ad barbaras gentes pergrinatione, persecutione, prædicatione, fustigatione, flagellatione, lapidatione, morte, martyrio, fatigationibus nocturnis & diurnis; omnibus omnia fiunt, neminem aspernantur; patres sunt pauperum & afflictorum; barbaros, rudes, inopes docent, euangelizant, solantur, eleëmosynas corrogant. Hæc Apostolorum fuit vocatio, hæc Principum Ecclesiæ dignitas, de qua ita gloriatur Paulus; hic spiritus fuit primorum Ecclesiæ tum ministrorum, tum Christianorum: nec adhuc (Deo laus) hoc æuo deferbuit. Habuit & habet nostra ætas suos Borromæos, Pios, Xauerios, Menesios, Gaspares, Hosios.

Non ergo te pudeat, ô Antistes, ô Præposite, ô Doctor, ô Pastor, hosce imitari, horum exemplo pauperes adire, hospitalia & carceres inuisere, rusticorũ audire confessiones, miseris consulere, simplices ac rudes instruere, omnibus omnia fieri, omnium salutẽ zelari. In his non pigeat laborare, fatigari, desudare vsque ad mortẽ, pro hac causa ludibria, quin & verbera perpeti libeat & delectet. hæc ipsa fecit & passus est Christus, fecit Paulus, fecerunt Apostoli. In his eorum virtus, sanctitas, apostolatus constitit. In vltimo illo & decretorio mundi die, cùm princeps ille Pastorum & Doctorum Doctor iudex cõsidebit singulorũ facta examinaturus; & singulis æternitatis vel felicissimæ, vel miserrimæ sententiam laturus, non te rogabit quot Beneficia, quot opes, quot famulos, quãtum scientiæ habuisti? sed quomodo ijs vsus es? quot ijs conuertisti? quot pauperes cibasti? potasti? quot in carcere visitasti? quantùm Euangeliũ, fidem, gloriam meam propagasti? quot pro ea labores, pericula, quot irrisiones & persecutiones, quantum famis aut frigoris, quantum ærumnarũ pro ea tolerasti? Faxit Deus hæc, dum tempus habemus, cogitemus, hæc agamus, vt primæuum Ecclesiæ & Apostolorũ spiritum in nobis nostrisq; omnibus excitemus, Christũ ducem, Apostolos principes sequamur, mundum senescentẽ & frigescentẽ ignita charitate & zelo succendamus; vt cum Apostolis aliquando audiamus: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.*

Vide has passiones, victorias & animos Pauli laudantem Chrysost. in moral. hom. 25. & 26. vbi inter cætera, *Paulus*, ait, *luctator orbis & pugil omni lucta genere certat & vincit: hic ei Apostolicus character, hisce luctis contexuit Euangelium, & quasi flamma inextinguibilis ignis si in mare lapsa fluctibus vndiq; mergitur, & iterum fulgida ascendit: sic & S. Paulus vndique pressus, nec oppressus, cedere nescius, clarior semper redit patiendo victor, & millies Martyr.*

Idem Chrysost. hom. 2. de laudibus S. Pauli in fine to. 3. *Paulus*, ait, *præ deuotionis abundantia dolores pro virtute susceptos quodammodo non sensit; quin etiam virtutem ipsam pro mercede pensauit: quotidie celsior, quotidie assurgebat ardentior, ouans in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus & iniuriis affectus triumphabat, mortem potius appetens, quàm vitam; paupertatem potius, quàm opulentiam; multò amplius laborem desiderans, quam alij requiem; vrbes, gentes, prouincias, potestates, quasi arenam vilia reputabat; horum, quæ hic habentur, nihil asperum, nihil etiam suaue*

Cornel. in Epist. Pauli.

A *æstimabat; tyrannos quasi culices quosdam reputabat; mortem, cruciatus, mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret; adamas erat, imò adamante durior & fortior; tamquam pennatus totum docendo peruolauit orbem, & velut incorporeus labores omnes periculaq; contempsit, & quasi iam cælum possidens cuncta prorsus terrena despexit.* Hactenus Chrysostomus.

PRAETER ILLA QVAE EXTRINSECVS SVNT: INSTANTIA MEA QVOTIDIANA] *Instantia*, hoc est, negotiorũ moles mihi instans, circumstans & incũbens. Patet ex sequentibus. Græcũ enim Ἐπισύστασις teste Budæo significat agmen cogere, factionem ciere, v. g. cùm plebs agmine facto coit, & in nobiles ac magistratus inuolat. Inde Ἐπισύστασιν hîc vocat Apostolus curas multiplices, quæ quasi agmine facto vndique irruebant, ipsumq; penè obruebãt, idq; non semel, sed assidue. Vnde Aug. in psal 98. legit: *Incursus in me quotidianus*, scilicet solicitudinũ omnium Ecclesiarum: & Ambrosius, Vrgentes, inquit, omniũ Ecclesiarũ curæ, A liter explicat Chrysost. Theophyl. & Syrus. q. d. Factiosa conspiratio in me, seditiones, tumultus, turbationes, obsidiones populorũ, vrbium insidiæ vndique in me concitantur: hoc enim, vt dixi, significat etiam Græcũ Ἐπισυστάω & Ἐπισύστασις. Sed hæc satis iam enarrauit v. 26. in tot vndequaque periculis suis, prior ergo sensus melior est. Vnde explicans subdit, *Solicitudo omnium Ecclesiarum.* Pulchrè Anselmus & Theophyl. *Docet vbique Paulus, sed & tanta patitur: patitur sua, & simul aliorum infirmitates tolerat & solatur: tolerat infirmitates singulorum, & simul de communi salute & de toto orbe solicitus est.* VERS. 28.

Præclarè S. Chrysost. hîc hom. 18. suo exemplo docet nihil esse hac solicitudine, cura, studio, labore & dolore boni Pastoris pro Ecclesiâ suauius: *Nam & mater*, inquit, *pro filio dolore dolens delectatur, solicita gaudet: cura in se amara licet sit, pro liberis tamen impensa voluptatis multum habet.* Auent viri magni & cælestes perpetuis laboribus curisq; agitari, atque instar cordis aut cæli semper moueri, &c, quod Vespasianus teste Suetonio dixit, *stantes mori.* Quocirca Pacatus in Panegyr. Theodosij: *Gaudent*, ait, *diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat æternitas, & quidquid homines votamus laborem, vestra natura est: vt indefessa vertigo cælum rotat, vt maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit; ita tu Imperator continuis negotijs, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.* *Cura & solicitudo Ecclesiarũ suauis est.*

QVIS INFIRMATVR, dolet, affligitur, ET EGO NON INFIRMOR, non doleo, non affligor? QVIS SCANDALIZATVR, ET EGO NON VROR] Græcè πυροῦμαι hoc est, vt Theophyl. ignesco, incendor, ardeo, tum dolore, quasi meum esset malum, quod subit proximus cùm scandalizatur; tum zelo, vt illum curem, & scandalum tollam. VERS. 29.

Vnde S. Greg. hom 12. in Ezech. in illud c. 4. *Sume tibi sartaginem ferream*, putat per sartaginem significari animũ Ezechielis, qui conspecta Hierosolymæ euersione per compassionẽ quasi in sartagine frigeretur, eiusq; rei à Deo admoneri, cùm iubetur inter se & vrbẽ sartaginẽ ponere. talemq; fuisse Paulum cùm dixit, *Quis scandalizatur, & ego non vror? Ipsum suum cor* (inquit Gregor.) *quod animarum zelo succenderat, sartaginem fecerat Paulus, in quo amore virtutum contra vitia ardebat*, & proximorum miserijs per compassionẽm frigebatur. *Locus c. 4. Ezech. illustratus.*

QVAE INFIRMITATIS MEAE SVNT, id est, de afflictio- VERS. 30.

flictionibus, flagellis, persecutionibus & passionibus pro Christo susceptis GLORIABOR] ob quæ videor infirmus, hoc est abiectus, afflictus, imbecillis & contemptibilis. ita Chrysost. Nota. Gloriatur Paulus, non in suis miraculis, sed infirmitatibus, quia in his relucet potentia & efficacia gratiæ Dei. Secundò, quia his superabat pseudoapostolos. Tertiò, quia hæc sunt signa veræ virtutis & Apostoli.

VERS. 32. PRAEPOSITVS GENTIS ARETAE] Græcè ἐθνάρχης Ἀρέτα, satrapa Aretæ regis. fuit hic socer Herodis, ait Theophyl. Herodes enim Antipas qui Iohannem Baptistam occidit, filiam Aretæ vxorem duxerat, teste Iosepho.

VERS. 33. PER FENESTRAM IN SPORTA DIMISSVS SVM] Nota. Contigit hæc Pauli fuga per sportam, Damasci, Actor. 9. 25. an. Christi 39. tunc enim Aretas rex Arabiæ, & vicinæ Damasci dominus, ait Iosephus, intulit bellum Herodi, quia Herodes repudiauerat Aretæ filiam, vt duceret Herodiadem. In bello hoc succubuit Herodes; ergo cæsus ab Areta, in eum incitauit Tiberium Cæsarem, qui misit Vitellium Syriæ præfidem, vt Aretam caperet vel occideret, teste Iosepho lib. 18. Antiquit. c. 7. Hac occasione vsi Iudæi, infensi Paulo, eum apud præfectum Aretæ accusasse videntur, quòd per speciē & prætextum Euangelij turbas moueret, & ciues à gentilismo, & consequenter ab Areta auerteret, foreque vt ille Damascum Iudæis & Vitellio proderet. Hinc præfectus timens & credulus Paulum quærit. ille monitus per sportam è muro dimittit dilabitur. ita D. Baron. tom. 1. pag. 304 & alij.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, vt se Corinthiis præ pseudoapostolis commendet, narrat suum raptum in tertium cælum.

Secundò, v. 7. ne inde extollatur, datum sibi ait stimulum carnis: nam virtus in infirmitate perficitur.

Tertiò, v. 11. à philautia se excusat, quòd ipsi compulerint eum, vt se laudaret, cùm ab illis potiùs debuisset commendari à patientia, miraculis, prædicatione gratuita, charitate & solicitudine.

Quartò, v. 17. refutat calumniam sibi obiectam, quòd dolosè non per se, sed per Titum à Corinthiis pecunias corrogarit.

Quintò, v. 21. metuit ne ad eos veniens inueniat aliquos dissensionibus aliisq; vitiis inuolutos: quos tacitè hoc ipso monet ne eos cum luctu & dolore castigare cogatur.

1. SI gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. 2. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, (siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit; raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. 3. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit) 4. quoniā raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 5. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. 6. Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me exstimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. 7. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me: 9. & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum. 11. Factus sum insipiens, vos me coēgistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab ijs, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum: 12. signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus. 13. Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesijs, nisi quòd ego ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam. 14. Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. 15. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minùs diligar. 16. Sed esto: ego vos non grauaui: sed cùm essem astutus, dolo vos cepi. 17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? 18. Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nónne eodem spiritu ambulauimus? nónne ijsdem vestigijs? 19. Olim putatis quòd excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationē vestram. 20. Timeo enim, ne forte cùm venero, non quales volo, inueniā vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos: 21. ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

Scio

SCIO HOMINEM IN CHRISTO] hominem Christianum, vt pateat, ait Theophyl. raptum esse Paulum Christi gratia, non ope dæmonis, vti raptus fuit in aërem Simon Magus.

ANTE ANNOS QVATVORDECIM] Hinc deducitur, raptum hunc Pauli contigisse nouem circiter annis ab eius cõuersione, quæ contigit anno Christi 36. Raptus ergo fuit Paulus anno Claudij Imp. 2. Christi 44. qui fuit nonus ab eius conuersione; quo anno iubente Spiritu sancto ordinatus est cum Barnaba Apostolus & Doctor Gentium, Actor. 13. 2. paulò videlicet antè quàm hunc apostolatum ordiretur. Id patet, quia (vt dixi initio epistolæ) hæc scripsit Paulus anno Christi 58. qui fuit Neronis 2. à quo si retrorsum computes annos 14. vt ipsemet hîc ait, incides in annum Christi 44. Non ergo hic raptus contigit anno conuersionis Pauli (Actor. 9. 12.) qui fuit Christi 36. licet id putarint aliqui cum S. Thoma.

Notat Theophylactus Apostoli modestiam, quòd per quatuordecim annos rem tantam siluerit. Secundò, si tantus & tam altæ contemplationis fuerit Paulus ante annos 14. quantus ergo iam fuit tot annorum, laborum, meritorum incrementis adauctus? ita Chrysost. & Theoph.

SIVE IN CORPORE, NESCIO; SIVE EXTRA CORPVS, NESCIO] Licet Apostolus asserat se hac de re nihil certò scire, probabiliter tamen D. Thom. 2. 2. q. 175. a. 5. & alij opinantur Pauli animam quasi formam mansisse vnitam corpori: alioqui enim Paulus mortuus fuisset, & mox resurrexisset; Deũ autem non decet, vt, cùm homines in extasin rapit, eos occidat; imò sic non fuisset hîc raptus & extasis, sed occisio & mors, multaque hîc interuenissent miracula, quæ frustra multiplicamus, cùm sine ijs suauiùs & naturaliùs manens in corpore rapi potuerit, vti alij Sancti rapti sunt.

RAPTVM] *Raptus*, ait D. Thomas, *est ab eo quod est secundùm naturam, in id quod est supra naturam ex vi superioris naturæ eleuatio.* Vnde angeli, & animæ beatæ non rapiuntur cùm Deum vident: quia licet supra naturam eleuentur, non tamen alienantur ab eo, quod est secundùm naturam, id est, à naturali animæ statu qui est in homine, vt per sensus corporeos, & phantasmata sua obiecta cognoscat & intelligat: in raptu ergo alienatur & abstrahitur anima à sensibus & phantasmatibus, & sic ab ijs abstractus fuit Paulus; alioqui enim sciuisset se esse in corpore. Hæc autem abstractio, ait D. Thomas, fieri potest vi morbi, cùm tantus est, vt homo incidat in deliquium mentisque alienationem; vel etiam virtute dæmonum, vt fit in arreptitijs. sed non dicitur raptus vel extasis, nisi fiat virtute diuina, qua scilicet mens abstracta à sensibus eleuatur ad supernaturalia contemplanda.

VSQVE AD TERTIVM CAELVM] Quæritur: quodnam hoc cælum? Primò, hinc Basilius homil. 1. hexameron docet non vnum, vt Chrysost. non duos, vt Theophyl. sed tres vt minimum esse cælos. Addunt alij tantùm esse tres: tertium enim hîc esse summum. Sed his litem intentabunt veteres omnes Astronomi, qui vt minimum octo; & moderni, qui vt minimum vndecim cælos statuunt.

Secundò, D. Thomas 2. 2. qu. 175. art. 3. ad 4. *Alio modo*, inquit, *per tertium cælum potest intelligi aliqua visio supermundana, quæ potest dici tertium cælum triplici ratione. Vno modo, secundùm ordinem po-*

tentiarum cognoscitiuarum; vt primum cælum dicatur visio supermundana corporalis, quæ fit per sensum, sicut visa est manus scribentis in pariete, Danielis 5. Secundum autem cælum sit visio imaginaria, putà quam vidit Isaias, & Ioan. in Apocal. Tertium verò cælum dicatur visio intellectualis, vt Augustinus exponit 12. super Genes. ad litteram.

Secundo modo potest dici tertium cælum secundùm ordinem cognoscibilium, vt primum cælum dicatur cognitio cælestium corporum: secundum, cognitio cælestium spirituum: tertium, ipsius Dei cognitio.

Tertio modo dici potest tertium cælum contemplatio Dei secũdum gradus cognitionis, qua Deus videtur: quorum primum pertinet ad angelos infimæ hierarchiæ, secundum ad angelos mediæ, tertium ad angelos supremæ. Hactenus D. Thom. vt raptus fuerit Paulus ad *tertium cælum*, hoc est, ad tertiam & summam angelorum hierarchiam, ibique cum Seraphinis existens clarissimè viderit Dei essentiam, indeque ardorem illum, & charitatis ignem concepent, quo deinde orbem vniuersum accendit.

Sed Resp. dici *tertium cælum*, id est summum, scilicet empyreum, quod est Beatorum sedes. Vnde v. 4. vocatur paradisus. Dicitur *tertium* hebraismo: ternarius enim numerus significat omnia, & complementum rei, siue summum; tria enim sunt omnia, de quibus scilicet primò dicitur quòd sint omnia: nam non de vno aut duobus, sed de tribus primò dicimus quòd sint omnia. Hinc Poëta, *O terque quaterq; beati*, id est, summè beati. Amos 1. 3. *Super tribus*, id est omnibus, *sceleribus Damasci.* Et hîc v. 8. *Ter Dominum rogaui; ter*, id est sæpissimè, ad vltimum vsque, donec respondit mihi, *Sufficit tibi gratia mea.* *Per tertiũ cælum intelligitur empyreum.*

Secundò, & simpliciùs, vt docet D. Thomas loco citato: *Primum cælum est sidereum, secundum crystallinum, tertium empyreum*: vel potiùs, *cælum primum est aëreum, secundũ sidereum, tertium empyreum.* ita Theophyl. Iulianus Pomerius apud Theophyl. Damascenus lib. 2. de Fide c. 6. & iam alij passim: aër enim in Scriptura ex vulgi phrasi dicitur *cælum*, vnde vocantur *volucres cæli*, hoc est, aëris: aër ergo cælum primum est, nimirum aëreum, orbes omnes cælestes sunt cælum secundum, videlicet æthereum, tertium verò est empyreum. Vnde male Caietanus reiecto cælo empyreo, tertium & summum cælum, in quo Beati habitant, vult esse crystallinum in quo sunt aquæ, quæ Genes. 1. & alibi dicuntur esse supra cælos. *Error Caietani de cælo empyreo.*

Mysticè S. Bern. tract. de Gradibus humilitatis, tres cæli sunt tres personæ SS. Trinitatis: item tres virtutes & dotes, quibus ad eas, & ad gratiæ & gloriæ culmen ascendimus, scilicet humilitas, charitas & perfecta vnio. *Nam*, inquit, *quos verbo & exemplo prius Filius humiliauit, super quos deinde Spiritus sanctus charitatem effudit, hos tandem in gloria Pater recepit. Filius facit discipulos, Paracletus consolatur amicos, Pater exaltat filios. Primò, scilicet instruit vt magister. Secundò, consolatur vt amicus vel frater. Tertiò, astringit vt filios pater. Ex prima coniunctione Verbi & rationis, humilitas nascitur. Ex secunda coniunctione Spiritus Dei & voluntatis humanæ, charitas efficitur. Ac tandem gloriosam sibi sponsam Pater conglutinat; ita vt nec ratio de se, nec voluntas de proximo cogitare sinatur; sed hoc solùm beata illa anima dicere delectetur, Introduxit me rex in cubiculum suum. Putas hos gradus Paulus non transierit, qui vsque ad tertium cælum se raptum fuisse testatur?*

An raptus hic fuerit verus, vel tantùm imaginarius.

Quæres Secundò, Veréne & realiter raptus fuerit Paulus in cælum empyreum; vt in eo localiter existeret, an verò tantùm imaginariè, vel intellectualiter; vt scilicet per imaginationem videretur sibi esse in cælo, videretq; ea quæ ibi geruntur, licet corpore & anima maneret in terris? Putant aliqui probabiliter; non verè, sed imaginariè raptum fuisse: quia vocat hunc raptum visiones, & reuelationes Domini v. 1. & 7. Potest enim facere Deus, vt ego existens in Belgio videam ea quę fiunt in India, imò & ea quæ fiunt in cælo, videam inquam, vel per intellectum, vel per imaginationē, vel etiam oculis corporis, eleuando scilicet eos, & cum illis concurrendo supra naturam, itaque roborando & extendendo vim visiuam, vt se porrigat in cælū vsque. si enim illa conspicilijs, & pharmacis vltra naturales vires aliquò vsque protendi potest, & si naturaliter hinc stellas in firmamento videmus; cur non vlteriùs, & vltériùs vires has augere & extendere possit Deus? Ita concurrit cum S. Anselmo, vt visu corporeo cerneret per murum ea quæ post murum gerebantur, illorum speciem eius oculis indendo. Sic S. Diethelmus apud Venerabilem Bedam, & alij per imaginationem viderunt pœnas Purgatorij. cur non & Paulus cælum empyreum, eaque quæ in eo gerebantur, ità viderit?

Aliquorum Sanctorum visus mirabiliter confortatus.

Alij, & fortè probabiliùs, censent verè & realiter raptū fuisse in cælum empyreum. Primò, quia græcè non est ἐξέστη, id est, raptus est in exstasin, sed ἡρπάγη, quod merè & simpliciter raptum abreptumque fuisse significat. Ergo non exstasin tantùm, sed raptum realem est passus.

Secundò, quia Paulus dubitat an anima rapta sit cum corpore, an sine corpore: ergo eam reuera & realiter raptam præsupponit: nam in visione imaginaria tantùm, nullum est dubium, sed certum, non corpus, sed animam solam per imaginationem rapi.

Tertiò, quia ibi reuera audiuit arcana verba, vt scilicet orbis iam doctor futurus, è cælo prodire videretur, ibique visa & audita quæ volebat Deus illum hominibus communicare, enarraret, cælestemque sapientiam quasi è cælo hominibus afferret, de quo plura v. 4.

Paulus verè cum corpore & anima raptus fuit.

Iam si realis fuit raptus animæ, & anima mansit corpori coniuncta (vt dixi huius versus initio ad illud, *siue in corpore*) videtur & Pauli corpus cum anima raptum esse in paradisum: hoc enim Deo æquè est facile, atque solam animā rapere; & congruum dignumque Paulo, qui non Iudæorum tantùm, vt Moses, sed & gentium omnium cælestis futurus erat doctor & Apostolus, vt totus è cælo & Dei alloquio quasi alter Moses prodiret.

VERS. 3. *An Paulus verè nescivit modum sui raptus.*

SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPVS, NESCIO] S. Athanas. serm. 4. contra Arrianos putat Paulum sciuisse modum quo raptus fuit: dicere tamen, Nescio; quia illum alijs reuelare non poterat. quomodo Christus Marci 13. v. 32. ait se nescire diem iudicij. Licet enim illum in se sciat; tamen quoad nos eum nescit: nobis enim illum indicare non potest. Verùm alij meliùs simpliciter accipiunt 7ª *Nescio*, quasi Paulus verè & propriè nescierit an in corpore, an extra corpus raptus sit, illudque exigit simplex narratio ipsius.

VERS. 4. *Semel tantùm raptus est Paulus.*

IN PARADISVM] Ambros. Oecum. Haymo, Anselm. & Theophyl. putant Paulum bis raptum fuisse; primò, in tertium cælum; secundò, altiùs in paradisum: sed sic tertiū cælum foret cælum Lunæ, Solis aut stellarum: ibi autem quid egisset Paulus? vnde alij passim dicunt eundem esse raptum, idemque esse tertium cælum & paradisum.

Dices: Quare ergo post raptum in tertium cælum, ait Paulus se raptum in paradisum quasi altiùs? Resp. quia in cælo empyreo vastissimo separatus est paradisus, id est locus Beatorum, quasi pars cæli nobilior & eminentior, vtque innuat se non tantùm intellectu raptum altissima vidisse mysteria, sed & voluntate ineffabilem inde voluptatem hausisse: hanc enim significat græcè & latinè paradisus, locum scilicet voluptatis.

Nota. *Paradisus* non est vox Græca, vt vult Suidas, ἀπὸ τοῦ δένδρων, id est, ab irrigando, quasi dicas hortus irriguus, nec, vt alij, ἀπὸ τῶν δένδρων πολλῶν, id est, ab herbarum collectione, q. d. Hortus herbidus: sed est vox Persica, vt vult Pollux; vel potius Hebræa significans hortum amœnis arboribus & fructibus consitum, vt patet Ecclesiastæ 2. 5. Nehemiæ 2. 8. in Hebræo. Cant. 4. 11. *Emissiones tuæ paradisus pomorum punicorum*; פַּרְדֵּס *pardes* ergo hebraicè (vnde Græcum & Latinum *Paradisus*) deducitur à radice פָּרָה *para*, id est protulit, fructificauit, & חָדַס *hadas*, id est myrtus: quia myrtus odore saporeque recreat, & in hortis excellit. *pardes* ergo est hortus myrtorum. inde ad quosuis hortos, siluas & saltus voluptuarios, & tandem ad quæuis loca amœnissima hoc nomen translatum est. Vnde hîc tertium cælum vocatur Paradisus.

Quæres, An Paulus hîc diuinam viderit essentiam. S. Aug. epist. 112. c. 13. to. 2. Clemens 5. Stromaton, Anselm. D. Thom. 2. 2. q. 175. a. 5. affirmant, estque probabile: ideo enim raptus est in paradisū, id est, locum Beatorum videntium Deum. Secundò, ideo audiuit arcana quæ homini loqui non licet, &, vt græcè est, ἄῤῥητα, hoc est ineffabilia; reliqua enim præter diuinam essentiam effari licet.

Dices, Tunc dicere debuisset se vidisse res, non audisse verba.

Resp. Hebraismo *audire verba* significat videre res, ait Theodor. ergo sicut in Prophetis visio vel videre, & audire, idē sunt, ita & in beatis mētibus.

Sed contrarium videtur probabilius: propriè enim audire etiam animæ separatæ, non significat clarè rem intueri, sed Dei, angeli aut hominis locutionē excipere; alioqui enim clarè dixisset, Vidi ineffabilia, vidi Deum. Secundò, quia 1. Tim. 6. 16. de Deo dicit: *Quem nemo vnquam vidit*. Tertiò, quia si Deum vidit, vidit & statum suum, an in corpore esset, nec ne; quod tamen hîc negat. Quartò, quia, parcè suas hîc visiones recenset, maioraque se subticere ex humilitate docet v. 6. ita S. Gregor. li. 18. Moral. c. 5. Hieron. Cyrillus, Chrysostomus, & passim alij Patres & Scholastici. Vide Ludou. Molinam 1. p. q. 12. a. 11. disp. 2. Denique quia de Mose clariùs innuit Scriptura, quòd Dei essentiā viderit, & tamē satis clarè demonstrauit Exodi 33. Mosen non petijsse Dei essentiam videre, neque si petierit, impetrasse: diserte enim v. 20. negatiuè respondet ei Dominus, *Non poterù videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet*. Ac tantùm v. vlt. concedit ei, vt posteriora, id est, tergum corporis ab angelo, qui Deum repræsentabat, assumpti videat: petebat enim Moses, vt Deus, vel potiùs angelus vice Dei nube se tegens, & per nubē cum ipso colloquens, eam explicaret, vt clarè eum videre, & facie ad faciem cum eo colloqui posset.

Re-

Respondet ei angelus, hominis oculos non ferre, nec posse videre faciem suam, sed dorsum tantùm. facies enim illa ab angelo assumpta radiantissima erat, & tam admirando lumine ac maiestate augusta, vt Deum Deique gloriam quadamtenus referret: vincebat ergo solis splendorem, quem cùm oculis directis & irretortis homo intueri non possit, quin potiùs ab eo præstringatur, & quasi excæcetur; sequitur multò minùs faciem hanc angeli longè splendidiorem à Mose videri potuisse, quin ab ea statim excæcaretur. In dorso verò corporis illius à se assumpti ita lumen angelus attemperauerat, vt Mosis aspectus ferret. Vnde permisit posteriora sua, hoc est dorsum suum, ab eo videri: quo mirisi è recreatus est Moses, tantoque lumine perfusus & aspersus, vt facies eius pariter radiaret, lucisque radijs quasi cornibus quibusdam cornuta videretur, vt ibi dixi. Hæc itaque Mosis visio fuit corporalis; corporeis enim oculis vidit corpus hoc angeli à tergo: longè ergo abfuit Moses à visione diuinitatis essentiæque diuinæ. Si Moses abfuit, ergo & Paulus, qui multo obscuriùs & humiliùs de sua visione loquitur.

AVDIVIT ARCANA VERBA, QVAE NON LICET HOMINI LOQVI] Quæres, quæ arcana viderit, vel audierit Paulus in paradiso. Resp. Narrantur hæc in libro, qui inscribitur Apocalypsis, id est reuelatio, Pauli: sed hic liber falsò asscribitur S. Paulo, plenusque fabulis est. Ita August. tract. 98. in Iohan. Beda, Theophyl. & Epiphan. librū hunc tribuit Cainis in eorum hæresi.

Dico ergo, mihil hîc certò dici posse, cùm ea Paulus siluerit; opinari tamen licet Paulum vidisse & audisse mira de angelorum natura, dotibus, gratia, gloria, ordinibus, ait S. Gregor. hom. 4. in Ezechiel. Vnde S. Dionysius de Cælesti hierarchia ex S. Pauli doctrina ita ordines angelorum describit, quasi oculis omnia spectarit. Rursum audisse mira de diuinis quibusdā attributis nobis hîc incognitis; vidisse insuper gloriam Christi: à Christo enim doctus est Euangelium. Galat. 1. 12. Raptus enim fuit, vt ei auctoritas adderetur, ne minor esset alijs Apostolis, qui Christum in carne viderant, ab eoque edocti erant, ait Chrysost. Addit Theodor. vidisse paradisi pulchritudinem, Sanctorum choreas & gaudia, numerosam ac modulatam hymnorum cælestium vocem audisse. Vnde postea admirabundus exclamauit: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.*

Secundò, & potiùs, videtur audisse arcana de secreto, ratione, modo, ordine diuinæ reprobationis & prædestinationis, ac vocationis hominum, maximè Gentiū & prouinciarū per se conuertendarū: hoc enim secretum passim miratur Paulus, Rom. 11. 33. & alibi, hocq, maximè ad ipsū attinebat, eoque proximè mittendus erat. ita Baronius.

Rursum audiuit, vt videtur, arcana quædam Christi redemptionis ac Euangelij mysteria: hoc enim per reuelationem, in hoc scilicet raptu, accepisse se dicit à Christo, Galat. 1. v. 12. Denique audierit, vt apparet, arcana de œconomia, regimine ac successu Ecclesiæ præsentis ac futuræ: hoc enim ad ipsius & status & officium pertinebat; iam enim designatus erat Ecclesiæ doctor & rector: sicque ineffabilia vocat, tum, quæ fari prohibitum est, tum, quæ fando adæquare, & plenè explicare nequiuimus.

PRO HVIVSMODI (ὑπὲρ τοῦ τοιούτου, pro tali, scilicet homine à Deo rapto) GLORIABOR: PRO ME AVTEM NIHIL] Loquitur de se rapto quasi alio à se, suaque naturali conditione, ad φιλαυτίαν vitandam, ait Oecumen. VERS. 5.

NISI IN INFIRMITATIBVS] calamitatibus, passionibus. Nota. Per Hebræam metonymiā passim hîc infirmitas ponitur pro dolore: sic Hebræi infirmari ponunt pro dolere, quia eius causa est, vel effectus, vel vtrumque, de quo rursum v. 9. Sic Micheæ 4. 10. dicitur: *Dole & satage filia Sion quasi parturiens.* Vbi pro *dole* in Hebr. est חוּלִי *chuli*, id est infirmare. Sic Osee 4. 3. *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur* (id est dolebit) *omnis qui habitat in ea.* Sic Isaiæ 53. 3. Christus vocatur *vir dolorū, sciens infirmitatē* Quæ duo in re idē sunt, adeoq; more Hebræo posterius explicat prius. Vir enim dolorū est qui scit, id est experitur, infirmitates, id est dolores. Sic psal. 15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates* (id est dolores) *eorum, postea acceleruerunt.* *Infirmitas phrasi Hebraica pro dolore ponitur.*

PARCO AVTEM, NE QVIS ME EXISTIMET SVPRA ID QVOD VIDET IN ME] ne videlicet quis me angelum, vel Deum aliquem putet, vt Lycaonij, qui de me & Barnaba dixerunt, *Dij hominibus similes effecti ad nos descenderunt*, Actor. 14. 10. Nota. Potuisset de se mirabilia magis referre, sed ea modestiæ humilitatisque studio tegit & opacat: omnes enim Sancti, ait Anselm. non modò gloriam supra modum omnino non appetunt, sed & hoc ipsum refugiunt, quod esse meruerunt. Præclarè S. Bern. epist. 18. ad Petrū, *Laudamus*, inquit, *mendaciter, delectamur inaniter, vt & vani sint qui laudātur, & mendaces qui laudant. Alij adulantur, & ficti sunt: alij laudant quod putant, & falsi sunt: alij vtrorūque præconijs gloriantur, & vani sunt. Solus sapiens, qui cum Apostolo dicit, Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* VERS. 6.

ET NE MAGNITVDO REVELATIONVM EXTOLLAT ME] Hinc patet Paulum quasi cælestem orbis doctorem multas & magnas habuisse reuelationes, ijsque quasi assuetum & enutritum fuisse. Illarum nonnullas describit Lucas. Primam, qua conuersus est Paulus, Actor. 9. 3. Secundam, qua vocatus est in Macedoniam, Actor. 16. v. 9. Tertiam, Actor. 18. v. 9. qua Corinthi contra Iudæos iussus est constanter euangelizare, Quartam, Act. 22. 17. qua ad Gentes missus est. Quintam, Actor. 27. 23. qua didicit se cum suis naufragium euasurum. Vnde S. August. illud psal. 77. *Ibi* (scilicet inter Apostolos) *Beniamin in mentis excessu*, de Paulo intelligit, qui fuit ex tribu Beniamin. VERS. 7.

DATVS EST MIHI STIMVLVS CARNIS MEAE ANGELVS SATANAE, QVI ME COLAPHIZET] *Datus est*, non à diabolo, sed à Deo; non quòd Deus tentationis sit auctor, sed quia diabolo tentare Paulum parato, id permisit, idque tantùm in specie & materia libidinis, ad eum humiliandum. ita August. de Nat. & grat. c. 27. *Hic monitor*, ait Hieron. ep. 25. ad Paulā de obitu Blæsillæ, *Paulo datus est ad premendam superbiam, vti in curru triumphali triumphāti datur monitor suggerens: Hominē te esse memento.* Vti & Pontifici cùm inauguratur, stupa accensa & mox extincta, accinitur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi.* Vnde optimū remedium ad euadendas tentationes carnis, est humilitas; si in ea tanto te magis fundes & profundè demittas, quāto te magis Deus donis suis & gratijs attollit: si enim tu ipse id facias ac præuenias, Deo non erit

opus

opus hunc stimulum, vt te in humilitate conser- A uientes excitando & inflammando, Pauli phantasiæ turpes imagines obijciendo, concupiscentiam quasi sopitam, totq́ue laboribus, inedijs, ærumnis penè mortificatam suscitabat, & ad turpes libidinis motus commouebat & acuebat.

Quid fuerit ille stimulus carnis, & angelus Satanæ, quatuor sententiæ.

STIMVLVS CARNIS] Tertul. lib. de Fuga in persecut. c. 2. legit *fudes*. Quæritur, quis hic? si enim est stimulus, quomodo colaphizat vt colaphus? quomodo est angelus Satanæ? Respondet Augustin. de Nat. & grat. c. 16. se nescire, quis sit. Duo hic certa sunt. Primum, fuisse dæmonis vexationem: *Datus*, inquit, *mihi est angelus Satanæ, qui me colaphizet*, vt me vexet. Vnde orat vt discedat, vel, vt græcè, ἀποστῇ, id est desistat. Secundum, fuisse aliquid instar aculei carni eius infixum, quod eum assiduè pungeret & cruciaret.

Verùm in particulari quid fuerit, certum non est. Primò, Anselm. Beda, Sedul. & Hieron. in 4. Galat. 13. (vbi infirmitatem carnis in se agnoscit Apostolus) putant fuisse corporis ægritudines, siue capitis perpetuum dolorem, vt vult Hieron. si- B ue viscerum iliacos dolores, vt alij apud S. Thomam: siue renum infirmitatẽ, & podagram, vt vult Nicetas in orat. 30. Nazianzeni, quam habuit in mortem S. Basilij: siue, vt alij, stomachi ægritudinem: siue aliquem alium morbum. Vnde & S. Basil. in Reg. fusiùs disp. c. vlt. & Augustin. in psal. 130. stimulum hunc putant fuisse morbum Paulo æquè ac S. Iob à dæmone immissum: sed nusquam alibi de morbis suis queritur Apostolus, & morbi magno illi fuissent impedimento, in sua prædicatione, Euangelijq́ue propagatione.

Secundò, Chrysost. Theophyl. Theodoret. Oecum. Ambr. Erasm. stimulum hunc putant fuisse persecutiones & aduersarios Pauli, de quibus sequitur v. 10. sed hi externi erant stimuli, non carnis, & interni; & de his gloriari solet, non queri.

Tertiò, alij probabiliùs censent, Satanam sæpè C pugnis ac verberibus Paulum (vti & aliquando S. Antonium & alios) impetiuisse: ita vt dolor remaneret in corpore quasi stimulus, ex colaphis & plagis à dæmone acceptis: hoc enim planè & propriè verba significant. sed tunc apertiùs & ordinatiùs dixisset. Datus est mihi angelus Satanæ, qui me colaphizet & stimulet; nec de hoc ita quereretur generosus Pauli animus, qui omni hominum dæmonumq́ue verberatione excelsior, de ea solet gloriari.

Stimulum fuisse tentationes libidinis, probatur sex rationibus.

Quartò ergo, communiter alij censent stimulum carnis fuisse concupiscentiæ motus, libidinisq́ue tentationes: hæc enim concupiscentia stimulo teliue instar carni nostræ ita infixa est, vt euelli in hac vita non possit. Vnde græcè dicitur σκόλοψ, id est palus, stipes præacutus, stimulus, spiculum, aculeus, τῇ σαρκί, hoc est carni, videlicet impressus D & infixus, &, vt Syrus, stimulus in carne mea. Noster vertit, *Stimulus carnis*, hoc est, carni inhærens, in carne, & à carne excitatus.

Dices, Quomodo ergo vocat eum angelum Satanæ, id est, Luciferi ministrum, vel, vt Caietan. ex Græco vertit, angelum Satanam; Satan enim est indeclinabile, & omnis casus apud Hebræos.

Quare stimulum carnis vocet Paulus angelum Satanæ.

Respondeo, Angelum Satanæ, vel etiam Satanam vocat ipsum dæmonem, hunc stimulum & concupiscentiam suscitantẽ & accendentem; vel potiùs ipsum stimulum & concupiscentiam à dæmone Satana, id est suo, suæq́ue pudicitiæ aduersario, suscitatam & accensam; vt sit metonymia, qua causa pro effectu, & auctor pro opere suo ponitur. Dæmon enim humores commouendo, sanguinem accendendo, spiritus generationi subser-

Probatur Secundò, quia hanc concupiscentiam fuisse in Paulo, patet Rom. 7. 23. vbi propter eam æquè, & magis quàm hic, luget & gemit. Hinc etiam castigat corpus suum, 1. Corinth. 9.

Tertiò, quia si quid aliud fuisset, clarè explicasset: iam autem rem ita verecundam & pudendam tegit, vocatq́ue metaphoricè stimulum.

Quartò, quia hic stimulus datus est ei ad eum humiliandum; nihil autẽ castos ac virtutis amantes ita humiliat, atque hæc carnis tentatio, nihilq; eos ita continet, vt cum metu & tremore suam salutem operentur, atque dum carnis suæ fragilitati lapsum in tam periculosa, & procliui ad consensum tentatione semper timent: in morbis enim, verberibus, persecutionibus, & alijs ærumnis gloriantur potiùs & exultant, præsertim si pro Christo, Christiq́ue fide & gloria illa patiantur, vti patiebatur Paulus.

Quintò, quia hæ tentationes carnis propriè Sanctos non lædunt, sed colaphizant, id est, ruborem ac mœrorem incutiunt, sicut qui à socio colaphum accepit, non tam dolore, quàm pudore suffunditur.

Sextò quia contra has tam instanter & toties rogat obsecratq́; vt ijs liberetur; in alijs, non liberationem, sed fortitudinem & constantiam petijsset: hæc enim solæ non tam fortiter patiendo, quàm fugiendo vincũtur. Rogat igitur ab ijs liberari, auditq́ue, *Sufficit tibi gratia mea*: quæ in hac materia vnicè est necessaria, & tentatis assiduè implorãda, vt hosti domestico, & in visceribus suis latenti, semperq́; bellum mouenti resistant, eumq́; superent.

Denique ita sentiunt S. Augustin. concione 2. in psal. 58. Hieron. ad Eustochium de custodia virginitatis, Saluianus serm. de circumcis. qui ascribitur (sed falsò) S. Cypriano, Haymo, Theoph. Anselm. Beda, S. Thom. Lyran. & alij: videturq́ue communis fidelium sensus, qui hinc libidinis tentationem stimulum carnis vocant: vox autem populi est vox Dei.

Quod verò addit Hugo Cardinal. hanc carnis tentationem in Paulo ortam fuisse ex familiaritate pulchræ virginis S. Theclæ, quam à se baptizatam circumducebat, falsum est & commentitium. Nullam enim mulierem circumdixit Paulus, vt ipse docet 1. Corinth. 9. v. 5. Et licet circumducere eam cœpisset, debuisset tamen sub pœna peccati eam dimittere, cùm tantæ tentationis & vexationis illi fuit occasio & fomes. Rursum quid opus erat Paulo Deum tam instanter orare, vt hic stimulus discederet à se, cùm ipse eum dimittere facillimè potuisset? Adde, hæc fabella sumpta est ex libro, qui inscribitur *Pauli & Theclæ periodi*, quem S. Hieron. Tertullianus & Gelasius quasi apocryphum reijciunt.

Obijciunt Erasmus & Faber Primò, stimulum libidinis indecorum & indignum fuisse tanto Apostolo, eoq́ue iam sene.

Respond. In statu lapso non esse indignum, imò vtilem. Vide Gregor. 19. Moral. c. 5. & 6. & ex eo Anselm. quàm vtili & prudenti consilio electi inter raptus & eleuationes, hinc inde inter infirmitates & depressiones iam in altum elati, iam quasi

in

in abyssum demersi quasi ancipites librentur, ne
A perderet materiam merendi & augendi coronam
suam. Sic Alexander Magnus, & similes duces optabant validissimos hostes, vt eo gloriosiorem de
ijs reportarent victoriam, quo acrius cum ijs iniissent certamen. Narrat Palladius Abbatem Pastorem cuidam dicenti, Orauit Deum, & liberauit me
ab omni tentatione, respondisse: *Orà Deum, vt tibi tentationes tuas reddat, ne fias desesi & negligens.* Retulit id ipse ad Deum. Cui Deus Recte dixit tuus magister Pastor, simulque ei tentationem restituit.

PROPTER QVOD TER (id est, sæpè & frequen- VERS. 8.
ter. Ternarius enim symbolum est multitudinis & 9.
& vniuersitatis.) DOMINVM ROGAVI; ET DIXIT
MIHI: SVFFICIT TIBI GRATIA MEA] vt in te licet debilis, in me tamen fis fortis ad hanc tentationem superandam. Hinc patet Paulum non fuisse
in sua prece exauditum, nec hoc stimulo liberatū. *Paulus non fuit exauditus.*
B Causam dat S. August. in psal. 130. Sicut, inquit,
æger cùm ei applicatur pharmacum molestum &
ardens, rogat medicum vt illud auferat: medicus
autem ægrum consolatur & hortatur ad patientiam, quia nouit quàm vtile sit quod appositi: patri modo egit hic Deus cum Paulo.

NAM VIRTVS IN INFIRMITATE PERFICITVR] VERS. 9.
Sententia generalis est, & quasi axioma morale
de quauis infirmitate, propriè tamen & proximè
ad stimulum carnis, qui præcessit, id est concupiscentiæ infirmitatem, respicit. Pro *virtus*, græcè est
δύναμίς μὰ, potentia, fortitudo mea (quam scilicet ego Deus tibi ô Paule, alijsque Sanctis communico & indo. Sunt enim hæc verba Dei precibus Pauli respondentis:) hæc in infirmitate perficitur: quia quo maior infirmitas, id est carnis tentatio, eo maior à Christo fortitudo contra eam
C suggeritur. Vnde sequitur, *Vt inhabitet in me virtus Christi:* &, *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Hoc propriè vult Apostolus.

Vbi Nota Primò. Virtus hæc & fortitudo est *Virtus & fortitudo est Dei donantis, hominis accipientis.*
Pauli quasi accipientis: sed est Dei tamquam eam
efficientis, & donantis. *Virtus* ergo *in infirmitate perficitur*, id est, virtus & potentia diuina maximè
illustratur. Primò, cùm in infirmis tantam fortitudinem, patientiam, aliaque mira opera operatur.
Secundò, cùm is per quem operatur, infirmitatis
suæ conscius nihil inde sibi vendicat, sed vniuersam laudem vni tribuit Deo. Vbi Aduerte: diuer- *Potentia mundi & Dei quomodo differat.*
sam esse virtutem & potentiam mundi, & Dei; illa vi viribusque, hæc contrà tolerando innotescit.
Tertiò, *Virtus in infirmitate perficitur*, quia infirmitas est obiectum patientiæ, fortitudinis & temperantiæ, vt nimirum infirmi magis sint sobrij si ægrotent. Quartò, quia infirmi sibi diligentissimè
D cauent, ac contrarijs cautè resistunt, sicque fiunt
exercitatiores & fortiores, ait S. Thom. Nimirum
crescit aduersis agitata virtus, adeoque in tenta- *Virtus crescit aduersis.*
tione constans castitas, & quæuis virtus robustior
fit, vt patet in Patriarcha Ioseph, Susanna, Paulo
& alijs. Quintò, spiritualiter S. Aug. lib. de Gratia
Christi cap. 12. & Anselm. *Fortitudo*, inquiunt, *nostra est infirmitatis in veritate cognitio, & in humilitate confessio.* Et Hieron. ad Ctesiphontem: *Hæc vna præsentis vitæ perfectio est, vt te imperfectum agnoscas*, vt scilicet tibi diffidens, vt de tuis viribus desperans, te totum per spem firmam in Dei potentiam conijcias: Deus enim humiles, & in se sperantes roborat, & quasi omnipotentes facit, ait S. Bern. serm. 85. in Cantica, vt nullis tentationibus, laboribus, periculis frangantur.

Obijciunt Secundò, Apostolus statim subdit, *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis*: de libidine autem & concupiscentia non licet gloriari ergo non hanc, sed alias infirmitates & stimulos intelligit.

Respond. Apostolus non tantùm ad stimulum carnis immediatè præcedentem, sed etiam, & quidem magis, respicit ad omnes passiones pro fide obitas, quas numerauit cap. præced. in ijsque gloriatus est, & assiduè gloriatur; amplè enim sumit nomen *infirmitatis*, & in eo ludit, vt dicam v. 10. Adde, de hac carnis tentatione gloriari licet, non in se, quatenus incitat ad malum, sed vt afflictio est à dæmone immissa. Secundò, quatenus in ea perficitur virtus Christi: vti Iulius Cæsar gloriabatur, & optabat hostes validissimos, vt in eos suam virtutem & fortitudinem bellicam ostenderet. Sic Sancti plures Deum orarunt, & petierunt habere tentationes, in ijsque gloriati sunt. Hinc dicitur Iacobi 1. 2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* & v. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, &c.

Moral. Nota, tentationem viris iustis non esse causam ruinæ, sed stimulum virtutis: sic enim eam hic vocat Apostolus. Sicut enim calcari stimulati equi etiam generosi, animosiùs & velociùs progrediuntur: ita & Sancti stimulo tentationis excitantur, vt animosiùs pergant in virtute, ne succumbant & pereant. Hinc nonnulli Sancti generosi non tristabantur, sed gaudebant in tentationibus. Ita in Vitis Patrum lib. 3. cap. 8 narratur de quodam Seniore, qui videns discipulum grauiter tentari fornicatione, *Si vis*, inquit, *ô fili, deprecor Dominum, vt auferat à te istam impugnationem.* Cui discipulus: *Video pater, quia etsi laborem sustineo, sentio tamen fructum in me perficere bonum: quia per occasionem impugnationis huius & amplius ieiuno, & amplius in vigilijs & orationibus tolero. Sed deprecor te, vt exores pro me misericordiam Domini, vt det mihi virtutem, quatenus possim sustinere, & certare legitimè.* Mox Senior, *Nunc*, ait, *cognoui fili, quia fideliter intelligis, quòd hoc spirituale certamen per patientiam ad salutem æternam animæ tuæ proficiat. Ita enim S. Apostolus dixit: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

Narrat S. Dorotheus de quodam sancto Monacho, quòd dolebat tentatione se liberatum, plangebatque dicens & orans: *Ergòne Domine non sum dignus qui patiar, modicumq; affligar & tribuler pro amore tuo?* Climachus gradu 29. narrat de S. Ephrē, quòd videns se in altissima pace & tranquillitate animi, quam ipse vocat impassibilitatē & cælum terræstre, rogauerit Deum vt sibi restitueret pristinas tentationum impugnationes & bella, vt non

Exem-

Infirmorũ exemplo virtus accenditur.

Exemplum de se narrat S. Augustin. lib. 8. Confess. cap. 11. *Cùm diceret*, inquit, *mihi consuetudo violenta: Putasne sine istis* (concubinis quibus iam assueuisti) *poterùs* (viuere?) *aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem; & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Proijcete in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet te, & sanabit te.* Hæc ille.

Infirmitatum & tribulationũ vtilitas.

Virtus denique *in infirmitate perficitur*: quia, vt ait S. Bern. epist. 254. in robusto ac vegeto corpore animus mollior atque tepidior iacet; ac rursum in corpore debili & infirmo fortior viget promptiorque spiritus. Scilicet quemadmodum ingenio pollet, cui vim natura negauit; sic cui corporeas vires negat, illi dat Deus animi robur & vigorem; & mens in corpore infirmo afflicta ad cælum & resurrectionẽ anhelat, aspernatur quidquid fluxum est, turbulentum, interituique obnoxium, nec præsenti sed futuro æuo viuit, mortisq; meditationem, vt aiebat Plato, hanc vitam existimat, denique totam se Deo & cælestibus addicit. *Anima morbo affecta Deo propinqua est*, ait Nazianz. orat. ad ciues Nazianzenos. Audi quid illustris senex in Vitis Patrum l. 3. n. 157. discipulo suo infirmato dixerit: *Non contristeris, fili, ex infirmitate vel plaga corporis tui; summa enim religio est, vt in infirmitate quis agat Deo gratias. Si ferrum es, per ignem æruginem amittis: si verò aurum es, per ignem probatus à magnis ad maiora procedis. Ne anxieris ergo, frater: si enim Deus te vult in corpore torqueri, tu qui es, qui molestè feras? Sustine ergo, & roga Deum, vt quæ ipse vult, illa concedat.* Anno Domini 816. B. Theophanes Abbas Sigriani ægrotus, Leoni Armeno Imp. Iconoclastæ minanti dira quælibet, nisi damnaret cultum imaginum, respondit, *Si vt pueros parum generosos magistri scutica perterrefaciunt, ita tu me morbo* (laborabat autem calculi doloribus, adeò vt non posset incedere) *& senectute confectum, minis territum iri speras: rogus accendatur, parentur tormenta, & omnia cruciatuum genera, vt scias planissimè Christi virtutem in meis infirmitatibus perfici. Ego qui per humum iter facere nequeo, valetudinis infirmitate superata, in ignem insiliam.* Dixit, & præstitit: nam post alias tentationes carceri incluſus, cùm nulli ad eum aditus concederetur, fame, squalore & morbo acerrimo sensim confectus, post biennium animam, quasi suauem hostiam, Deo obtulit, ac post mortem miraculis claruit: quocirca eius memoriam annuam recolit Ecclesia die 12. Martij. Ita Baron. tom. 9. anno Christi 816. Vide de infirmitatum & tribulationum vtilitate Chrysost. in mor. hom. 26. & S. Thom.

Denique piè S. Bernard. tract. de Grad. humil. *Virtus*, ait, *in infirmitate perficitur. Qua virtus? Ipse Apostolus respondeat: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Sed nondum forsitan intelligis, de qua specialiter dixerit, quia Christus omnes virtutes habuit. Sed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen vnam, id est humilitatem, nobis in se commendauit, cùm ait: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Libenter igitur & ego Domini Iesu, gloriabor, si potero, in infirmitate, in nerus mei contractione, vt tua virtus, id est humilitas, perficiatur in me. Nam sufficit mihi gratia tua, cùm defecerit virtus mea.*

LIBENTER IGITVR GLORIABOR IN INFIRMITATIBVS MEIS, VT INHABITET IN ME VIRTVS CHRISTI] Nota. Ex humilitate gloriatur non in fortitudine sua, sed in infirmitate, vt sic prouocet in se virtutem ac fortitudinem Christi, tacitè quasi in eam se conijciens, eamque inuocans. Hinc per *infirmitatem* significat omnem passionem, tribulationem, tentationem, humiliationem, vt explicat v. sequent. *Infirmitas* enim generatim sumitur pro quouis dolore & afflictione, quæ vel corpus vel animum premit, deijcit, ægrum & infirmum reddit. Vnde Primò, infirmitas hæc complecti potest morbos, quos fuisse stimulum carnis in Paulo docet Basil. Augustin. Anselm. Secundò, labores de quibus c. præced. v. 27. Tertiò, tentationes carnis, de quibus v. 7. & alias quasi suis. Quartò, ieiunia, vigilias, alias q; carnis castigationes, quibus eam macerabat infirmabatq; vt spiritui subderet, c. præc. v. 27. Quintò, contumelias, persecutiones, pericula, verba, omnesque ærumnas, quas pro fide & Euangelio tolerabat, de quibus fusè gloriatur cap. præc. & has præcipuè hîc intelligit, vt explicat v. sequent. Solentur se infirmi in infirmitatibus suis, quòd in ijs quasi in domo propria, & tabernaculo suo inhabitet virtus, græcè δύναμις, id est, fortitudo Christi. Græcum enim ἐπισκηνώσῃ, significat inhabitare quasi in tabernaculo suo: ibi enim maximè se ostendit Dei potentia, vbi maxima est infirmitas & inopia, ibique succurrit maximè, vbi maxima est necessitas. *Tibi*, ait Propheta, *derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Licet enim naturaliter *imbecillitas corporis animæ quoque vires secum trahat*, vt ait S. Hieron. præf. in l. 2. comẽt. in Amos; ac *corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, Sap. 9. 15. tamen supernaturaliter secùs fit. Per gratiam enim roborata anima roborat & corpus. Ita in S. Francisco cum languore corporis, crescebat vigor mentis, in tantum vt gratias agens Deo, oraret morbos in centuplum augeri. *Nam tua*, inquiebat, *ô Domine voluntatis adimpletio, mihi est consolatio superplena*, vti refert S. Bonauent. in eius Vita.

Notat S. Bernard. serm. 34. in Cant. *Non dicit*, inquit, *patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse, quòd humiliaretur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Etenim sola gratiam quam præfert meretur læta & absoluta* (non tristis, non coacta) *humilitas.* Et serm. 25. *Optanda*, ait, *infirmitas, quæ Christi virtute compensatur. Quis mihi dabit non se iam infirmari, sed & destitui ac deficere penitus à memetipso, vt Domini virtutum virtute stabiliar? Nam virtus in infirmitate perficitur. Quod cùm ita sit, pulchrè sponsa conuertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modò formosam, sed & nigram se esse glorians. Nil sibi gloriosius proinde putat, quam Christi portare opprobrium. Grata ignominia cruce ei, qui crucifixo ingratus non est.*

PROPTER QVOD PLACEO MIHI IN INFIRMITATIBVS] Non quòd eæ per se expetendæ sint, & oblectent, aut etiam menti placeant, si tentationes sint; sed placeo mihi in eis, quatenus per illas perficitur & inhabitat in me virtus Christi, vt præcessit. Verùm, vt dixi, alias potiùs infirmitates hîc intelligo.

telligit, quas explicat, dum subdit: *In contumeliis, in necessitatibus* (famis, sitis, nuditatis, frigoris, ac similium) *in angustiis pro Christo.* Pro *placeo*, græcè est ἁρέσκω, delector. q.d. Non tantùm eas fortiter fero, sed & ijs pascor & oblector. ita Theophyl.

CVM ENIM INFIRMOR, cùm affligor, eaque quæ iam dixi patior, TVNC POTENS SVM] tunc roboror, potens, fortis & validus fio, gratiæ, patientiæ, magnanimitatis, humilitatis, spei ipsiusque Dei viribus, qui tunc adest, viresque suas exerit, ac mihi suggerit. ita Chrysost. Aliter Oecum. *tunc potens sum*, hoc est, etiã tum, licet infirmus, potenter edo miracula. Aliter & S. Basil. in psal. 32. *Cùm*, ait, *infirmor, tunc potens sum: virium enim corporis multitudo salutí spiritus est impedimento.* Pulchrè & verè S. Bern. ser. 29. in Cant. *Vides*, inquit, *quia carnis infirmitas robur spiritui augeat, & subministret vires? Ita è contrario noueris carnis fortitudinem debilitatem spiritu operari. Et quid mirum si hoste debilitato, tu fortior efficeris? Nisi fortè illam tibi insanissimè ducas amicam, quæ non cessat concupiscere aduersus spiritum.* Subdit: hinc *prudenter sagittari & impugnari salubriter postulet Sanctus: Confige timore tuo carnes meas. Optima timoris iste sagitta, qui configit & interficit carnis desideria, vt spiritus saluus sit. Sed & qui castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, nónne is tibi videtur etiam maxime contra se pugnantis ipse iuuare?*

A

B

C

D

11. FACTVS SVM INSIPIENS] laudando me videor fuisse insipiens, sed vos qui minorẽ, quàm par erat, de me opinionẽ habuistis, & magis pseudoapostolis hostibus meis, quàm mihi credidistis, coëgistis me ad hanc laudem, vt scilicet per illam, opinionem & auctoritatem meam apud vos reciperem.

NIHIL ENIM MINVS FVI (οὐδὲν ὑστέρησα, nihilo inferior fui, in apostolatu scilicet, Apostolicis laboribus, gratijs, passionibus) AB IIS, QVI SVNT SVPRA MODVM, id est, ab ijs, qui eximij sunt, & excellentissimi APOSTOLI] Non ergo negat præeminẽtiam iurisdictionis Petri, nec cum eo dẽ primatu contendit, vt dixi c. 11. v. 5.

TAMETSI NIHIL SVM] ex me: quòd enim sim Apostolus, non meum est, sed gratiæ Christi. ita Anselmus.

12. SIGNA APOSTOLATVS MEI FACTA SVNT SVPER VOS IN OMNI PATIENTIA, IN SIGNIS ET PRODIGIIS ET VIRTVTIBVS] Nota hîc genuinum apostolatus signum esse Primò, patientiam in sui contemptu, paupertate, persecutionibus, plagis, periculis. ita Anselm. Secundò, esse miracula. Hæc enim vocat signa veræ fidei, cælestis & diuinæ doctrinæ, siue signa Dei supra naturã omnipotenter operantis, ac consequenter testantis Pauli doctrinã à se hisce signis confirmari, esseque veram, & à Deo profectam; eadem vocat *prodigia*, id est portenta, stupenda & portentosa facta. Denique eadem nuncupat *virtutes*, græcè δυνάμεις, potentias, fortitudines, id est, potentia gesta, omnipotentiæ opera, quæ Deus solus potenter operatus est per me.

Nota Secundò. Apostoli nouam mundo asserentes doctrinam Euangelij, debuerunt miraculis quasi signis suum apostolatum, suamq; doctrinam probare: alioqui fidem hominum temere exegissent, & temerè eis credidissent fideles, nec ab impostoribus & pseudoapostolis secerni potuissent; miraculis ergo probare debuerunt se esse Apostolos, hoc est à Deo missos ad orbem reformandum, & luce Euangelij illuminandũ. Notent hoc Nouantes, & à suis nouis Apostolis, Caluino, Luthe-

ro nouam doctrinam & reformationem inducentibus, miracula exigant. quæ cùm numquam exhibuerint (nisi miraculum putent, quòd spondentes se mortuum suscitaturos, ex viuo mortuum effecerint: sed à talibus miraculis, talibusque Apostolis liberet nos Dominus) certò sibi persuadeant, non Apostolos, sed impostores fuisse. *pro sua fide facere miracula.*

QVID EST ENIM, QVOD MINVS HABVISTIS PRÆ CÆTERIS ECCLESIIS (à me & Apostolis fundatis) NISI QVOD EGO IPSE NON GRAVAVI VOS] ἃ κατενάρκησα ὑμῶν, non obtorpui, torpens non incubui vobis, vt à vobis alerer, sed ipse nocte vigilans & laborans victum mihi cõparaui. Vide dicta c. 11. 9. Est ironia, quasi tacitè exprobrãtis: hoc ipso enim non minor, sed maior erat Apostolus, pluriſque à Corinthijs æstimandus, quòd scilicet eis gratis euangelizasset. Vnde ironicè subdit, *Donate mihi hãc iniuriam*: quia reuera non est iniuria, sed insignis & generosa abstinentia & beneficentia, ob quam, si cordati essetis, ô Corinthij, me magis amare, colere & suspicere deberetis. VERS. 13.

ECCE, TERTIO HOC (tertia hac vice) PARATVS SVM VENIRE AD VOS] Primò veni, cùm vos conuerti: Secundò, venire paratus, iusta de causa distuli c. 1. 23. Tertiò, paratus fui cùm scriberem, & reipsa post hanc epistolam veni ad vos. ita S. Thom. & Lyranus. VERS. 14.

NEC ENIM DEBENT FILII PARENTIBVS THESAVRIZARE] Est euphemismus. q. d. Carnales parentes filijs thesaurizant, spirituales à filijs suis, id est catechumenis & fidelibus, alendi sunt: ego vobis ita spiritualis sum pater, vt & carnalis esse velim, nec opes modò, sed & me meaque omnia pro vobis impendere. Tangit eos, vt intelligant quantus sit Apostolus, quam excelso animo, quantæ charitatis; vt confundantur quòd eum non redament, sed potiùs colant pseudoapostolos, se suaq; lucrã aucupantes, eorumque bonis inhiantes. *Magna Apostoli erga suos charitas.*

EGO AVTEM LIBENTISSIME IMPENDAM mea omnia, ET POST OMNIA, LIBENTISSIMÈ SVPERIMPENDAR] ἐκδαπανήσομαι, expendar, vt meum sanguinem, meos spiritus, ac vitam insumam, exhauriam & profundam pro vobis. ita Anselm. VERS. 15.

SED CVM ESSEM ASTVTVS, DOLO VOS CEPI] D. Th. 2. 2. q. 55. a. 4. ad 1. putat abusiuè hîc astutiã & dolum in bonam partẽ capi. q.d. Artificiosâ solertiâ, & cautâ prudentia ego vos à gentilismo ad christianismũ conuerti. Sed Resp. hæc esse verba detractorũ; ea enim per mimesin vsurpat Apostolus, q.d. Ipsi obtrectant mihi dicentes, Paulus per se quidẽ nihil in sumptũ exigit admittitve, sed dolo vos capit, quia scilicet Titum & alios submittit, qui vos vestraque emungant. ita Chrysost. Patet ex sequentibus: hæc enim refellens subdit: VERS. 16.

NVMQVID PER ALIQVEM CIRCVMVENI VOS?] *Circumueni*, ἐπλεονέκτησα, fraudaui, occupaui & extorsi; Vatabl. expilaui; Ambr. auarus in vos fui. VERS. 17.

OLIM PVTATIS QVOD EXCVSEMVS NOS APVD VOS] Græcè πάλιν, id est, rursum. Noster legit πάλαι, hoc est, olim. q.d. Sunt inter vos qui putent ab olim, ab oliranis & antiquis temporibus hæc à me dici in excusationem admissi criminis auaritiæ & fraudulentiæ, vel quasi subdolè excusem & recusem dona vestra, vt maiora offeratis. VERS. 19.

CORAM DEO IN CHRISTO LOQVIMVR] q. d. Sine fuco, sincerè & verè loquimur, vti par est eum loqui, qui se in Christo, id est Christi membrũ & discipulum, profitetur. Vel Secũdò, *in Christo*, id est, *Apostoli religiosa sinceritas.*

in Christi & Christiana sinceritate & veritate loquimur, vt Christus pro Christi attributis, scil. virtutibus sumatur. iuxta can. 37. Posset Tertiò, sic accipi: *coram Deo*, supple, sincerè veritatem *loquimur in Christo*, id est per Christum, quem testem inuoco. Sicut enim nos Latini iuramus dicentes, Per Deum, per Christum: sic Hebræi iurant dicentes *in Deo, in Christo*; est enim ב *bet* iurantis. Vnde Vatabl. vertit, Testis est Deus & Christus eorum quæ loquimur. Simile est Rom. 9. 1. *Veritatem dico in Christo.* Aliter Anselm. *Loquimur in Christo*, id est, secundùm Christum, Christiq́ue doctrinam, quæ nos docet candidè & veraciter loqui. Aut *in Christo*, id est per Christum, qui in me, & per me loquitur. Sed primus sensus est simplicissimus, ac maximè genuinus.

VERS. 20. TIMEO, &c. NE FORTE ANIMOSITATES SINT INTER VOS] Θυμὸς Græcis est ea pars animi, quæ dicitur vis irascibilis, quam Plato ponit in præcordijs, quæq́ue obstrepit rationi, cui sedem tribuit in cerebro. Inde θυμοὶ dicuntur animositates, iræ, audax arrogantia, impetus animi efferuescentis, cùm quis à sua sententia decedere non vult, sed eam mordicus tuetur, alijsq́ue omnibus feruidè sese opponit, vt suos animos ostentet: hos enim actus vis irascibilis, cùm ei indulgetur, producit.

SVSVRRATIONES] Ψιθυρὸς significat susurrum, vel sibilum, qui tenuiorem & exiliorem sonum edit. Inde ψιθυρισμοὶ vocantur susurrationes, id est, occultæ & clandestinæ obtrectationes, quibus maledici & inuidi quos volunt, in odium adducunt, & amicorum amicitias dissociant; dū vicissim alteri apud alterum detrahunt, eaq́; insusurrant, quæ inimicitiam concilient. Talis susurro fuit Antipater Herodis filius, qui vt in regnum patri succederet, seniores fratres suos ita exosos & suspectos suis susurris fecit Herodi, vt eos occideret. Verùm iustas numini vindici pœnas dedit Antipater, cùm fraude detecta ipse ab Herode patre iam animam agente, pariter occisus est, vt fusè narrat Iosephus. Antipater Herodis filius

INFLATIONES] Φυσιώσεις, tumores, fastus, quibus tument, turgent, inflantur superbi, elati & tumidi.

NE ITERVM HVMILIET ME DEVS (id est, vt Chrysost. contristet, deprimat, affligat me, ET LVGEAM VESTRVM LVCTV] hoc est, lugere cogar & castigare cum luctu: quia scilicet in peccatis suis persistunt; vt nimirum eos excommunicare, vel publicam pœnitentiam iniungere cogar. ad publicam enim pœnitentiam illorum, qui inde olim propriè Pœnitentes dicebantur, hæc Apostoli verba spectare, docet August. ad Saluinam epist. 108. sub finem.

Nota. Sicut Apostolus, & prædicator maximè exultat in suorum profectu, vt dicat, Vos estis gaudium meum, corona mea: ita maximè dejicitur & mœret in suorum defectu, & in vitia prolapsu, cùm exhortationum suarum fructum videt deperire, seq́ue in vanum laborasse.

Rursum talis inuitus, & cum luctu ad vindictam descendit: hoc est enim animi principis & regij. Celebris est illa Neronis in imperij sui initijs mansuetissimi vox, qua sententiæ mortis in reos latæ subscribere coactus exclamauit: *O si nescirem literas!* Neronis mansuetissimi vox.

QVI ANTE PECCAVERVNT, ET NON EGERVNT POENITENTIAM SVPER IMMVNDITIA] id est, mollitie alijsq́ue libidinibus, quibus contra naturam peccatur, naturaq́ue vis & iniuria infertur. Distinguit enim Apostolus immunditiam, à fornicatione.

ET IMPVDICITIA] Græcum ἀσέλγεια, est petulantior libido in libidinosis osculis & tactibus.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ERant Corinthi aliqui libidini, alij superbiæ & contentionibus (vt patet c. 11. v. 20. & 21.) alij alij vitiis dediti, Pauliq́; monita parui pendebant: hisce comminatur, vt eos ad pœnitentiam prouocet.

Secundò, v. 3. monet, vt gratiam & potestatem à Christo sibi datam, eiusq́; opera mirabilia edita considerent & reuereantur.

Tertiò, v. 7. orat vt nihil mali agant, ne in eos suam potestatem puniendi exercere cogatur.

Quartò, v. 11. hortatur ad perfectionem, dilectionem, pacem & osculum sanctum; eosq́; salutat.

1. ECce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. 2. Prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens ijs, qui antè peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. 3. An experimentū quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? 4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis. 5. Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. 6. Spero autem quòd cognoscetis, quia non sumus reprobi. 7. Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus, sed vt vos quòd bonum est faciatis: nos autem vt reprobi simus. 8. Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate. 9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationē. 10. Ideo hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionē. 11. De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idē sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis

ctionis erit vobiscum. 12. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

ECCE TERTIO HOC (tertia hac vice) VENIO (venire propono) AD VOS] vide can. 32. vt scilicet puniam eos, qui per duos vel tres testes peccasse, nec pœnitentiam egisse conuincentur. ita Anselm. & Caietan.

IN ORE DVORVM AVT TRIVM TESTIVM STABIT OMNE VERBVM] per dicta & depositionem duorum vel trium testium *stabit*, græcè σταθήσεται, statuetur, rata erit, confirmabitur omnis accusatio, omnis quæstio, omnis causa & crimen: vt scilicet crimen per duos vel tres testes quasi satis superque probatum & confirmatum sententia mea condemnem, puniam & plectam. Aliter hoc explicāt nonnulli, quòd scilicet tres testes vocet Apostolus tres suos aduentus Corinthum. Respicere enim videtur id quod præcessit, *Ecce tertio hoc venio ad vos.* q.d. Ego vnus sum, sed tertiò ad vos aduenies (Primò, reipsa; Secundò, per epistolam priorem; Tertiò, rursum reipsa) trium quasi testium habebo auctoritatem. Vnde Maldon. in Notis manusc. quæ in Collegio Romano exstant, sic habet: Quod autem addit *In ore duorum aut trium testium*, testes vocat promissiones, q.d. Cùm tertiò iam promittam, non possum expectationem vestram fallere, & vt hispan. dici solet, *A tres va la venida.* Verùm hoc frigidius est: amplius aliquid & augustius spectat mens alia Apostoli. Rursum hoc alienius videtur. Citat enim Apostolus Deut. 19. 15 vbi sic dicitur, *Non stabit testis vnus contra aliquem, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Cuius loci planus sensus est hic. Ex testimonio non vnius, sed duorum vel trium testium, in iudicio reus quisque, vel condemnabitur, vel absoluetur.

Vbi Nota. Licet lex hæc, quatenus iudicialis est legis veteris, cum reliquis iam per Christum sit abolita: tamen quatenus ius naturæ vel potiùs ius gentium eamdem dictat, eatenus adhuc viget, iureque tam ciuili quàm canonico recepta est. Ratio enim naturalis omnes gentes docuit æquum esse & conuenire, vt nemo vnius, sed duorum minimùm testium depositione damnetur. Vnus enim testis facilè corrumpi, falli & fallere potest: duo non item. Legem ergo hanc vti sonat, in plano suo sensu accipit hîc & sequitur Paulus: vti & Christus Matth. 18. 16.

PRAEDIXI, ET PRAEDICO, VT PRAESENS, (subaudi, ita) ET NVNC ABSENS] q. d. Vti præsens prædixi, ita & nunc absens prædico. Hebræi enim caph similitudinis sæpè subticent. id videre est in Prouerbijs, singulis sæpè versibus. Græca addunt τὸ δεύτερον, iterum, vertuntque Græci sic: prædico vt præsens, iterum, & nunc absens scribo. q.d. Idé quod antè præsens prædixi, nunc iterum absens tamquā præsens, pari scilicet auctoritate & interminatione ac si præsens essem, prædico & scribo.

AN EXPERIMENTVM QVAERITIS EIVS, QVI IN ME LOQVITVR] q.d. Vultisne præcepta mea negligere, vt experiamini, an audeam & possim inobedientes punire per potestatem mihi à Christo datam? sic præceptor dicit discipulo rebelli: Visne experiri brachium meum? virgas meas?

QVI IN VOBIS NON INFIRMATVR] non infirmum se, sed potentem ostendit, cùm scilicet in vobis per me tot mirabilia potenter est operatus,

A & nouissimè fornicarium excommunicatione mea ita puniuit, & Satanæ quasi tortori cruciandum tradidit: hanc enim puniendi potentiam, & vindicandi potestatem maximè significare & ostendere intendit.

NAM ETSI CRVCIFIXVS EST (Christus) EX INFIRMITATE, humanitatis & carnis: SED VIVIT, id est, viuit tamen & resurrexit, EX VIRTVTE DEI] ex potentia diuinitatis. VERS. 4.

NAM ET NOS INFIRMI SVMVS IN ILLO] *In illo*, id est, cum illo, & pro illo, nimirum Christo; infirmamur, hoc est, patimur & affligimur. Nota. Secundum hoc *nam* non caussam, sed similitudinem significat, idemque valet quod *sic*. Respondet enim & assimilatur priori *Nam*. Est Hebraismus. Hebræi enim similitudinem explicant per copu-

B ctionem copulatiuam, aut quamuis aliam, præsertim si illa geminetur: quia geminatio significat similitudinem in vtroque, vt כָּמֹנִי כָּמֹכָה *camoni camocha*, sicuti ego sicuti tu, id est, ego sum sicuti tu, vel similis tui.

SED VIVEMVS CVM EO EX VIRTVTE (ἐκ δυνάμεως, ex potentia) DEI IN VOBIS] Hoc est, per illum, & cum illo ostendemus vitam & vigorem, putà potentiam Christi, de qua iam dixit, vim scilicet & spiritum Euangelij, ac nominatim potestatem puniendi contumaces, in vobis ita Theophyl. Aliter Anselm. & Theodor. q.d. Resurgemus vobiscum per Dei virtutem ad beatam æternamque vitam. Sed prior sensus magis est ex mente Apostoli: tum quia græcè est εἰς ὑμᾶς, quod licet verti possit *in vobis* (Apostolus enim sæpè sumit εἰς,

C pro ἐν) tamen propriè significat In vos, vitam scilicet, & vigorem meum, putà potentiam Christi iam dictam eiusque vindictam, exercebo: tum quià intendit demonstrare & inculcare non resurrectionem, sed hanc suam Apostolicam potestatem & energiam tum in docendo & persuadendo, tum in operando tot signa, tot miracula, tum in vindicando ac puniendo rebelles. q.d. Sicut Christus in se licet infirmus, potenter tamen resurrexit ad vitam beatam & immortalem: ita pariter in nobis, & per nos Apostolos, licet infirmos, potenter tamen operatur & operabitur deinceps miras virtutes, conuersiones, miracula, punitiones & vindictas. *Duplex horum verborum sensus.*

VOSMETIPSOS TENTATE SI ESTIS IN FIDE] Est acris obiurgatio, q d. Videmini, ô Corinthij, à pseudoapostolis infatuati non habere fidem, esseque infideles: tentate ergo vos, & probate an ita sit, an credatis, nec ne. si enim fidem retinetis, & in ea perstatis, credetis, immò videbitis, Christum, vt præcessit ac sequitur, in vobis esse potentem, potenter per me operari tot miracula, tot hominum cōuersionem, tātam etiam vindictam incredulorum & inobedientium: videbitis Christum per me loqui, meque viuere & vigere in vobis: quia vos ad fidem conuerti, ac omnium Dei donorum tam largè participes feci. q.d. Si Christo & Euangelio creditis, & mihi credetis, quia ego Christi ac Euangelij minister sum: & sicut miraculis alijsque signis probo ac confirmo Euangelij veritatem, sic ijsdem consequenter demonstro me verum esse Apostolum Christi, ac veritatis doctorem. VERS. 5. *Triplex huius obiurgationis sensus.*

Aliter Theophyl. & Gagneius. q.d. Tentate. id est periculũ facite de vobis ipsis, an non per Christum habitantem in vobis potentes sitis, adeò vt per illum miracula faciatis: nam in primitiua Ecclesia etiam laici credẽtes miracula faciebant. Itaque intelligunt ipsi hîc miraculorum fidem, cum prophetiæ & linguarum dono coniunctam: quæ fides signum est inhabitantis Christi in eo fideliũ cœtu, in quo ipsa viget. Tertiò, alij sic explicant, Tentate vos an fidem habeatis, quæ per charitatem operatur, id est, an sitis in charitate & amicitia Christi. Sed primus sensus genuinus est, magisque præcedentibus connexus simul & sequentibus, vt iam dictum est. A

Nota verba Apostoli, *Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate*: ex illis enim patet non certò scire fideles, multò minùs credere debere aut posse, se fidem habere, ac consequenter certos non esse de sua iustitia. B

Dices: Subdit, *An non cognoscitis, quia Christus in vobis est?*

Resp. Non est sensus: *quia Christus est in vobis*, hoc est, in cordibus vestris, vel in fide vestra vos iustificante, vel in vobis, scilicet singulis; sed in vobis, scilicet omnibus simul, hoc est, in Ecclesia vestra. videbant enim suæ Ecclesiæ tot miracula, tot gratias ac dona collata, vt non dubitarent Christum in ea esse & operari. q.d. Singuli ergo Corinthij huic Ecclesiæ ac Christo per fidem omnino adhærere debetis, ac consequenter & mihi eius præconi & vicario, meque vt talem reuereri. ita Theophyl.

Ostenditur contra hæreticos obiectum fidei non esse hoc, Me esse iustum.

Patet hinc Secundò, obiectum fidei non esse hoc: Me esse iustum; sed, Christum Iesum esse in nobis, id est, in Ecclesia nostra, in eaque per Paulum & Apostolos potenter operari, ac consequenter nos esse veram Christi Ecclesiam, verosque doctores esse Paulum & Apostolos, eorumque sequaces. C

Dices: August. l. 3. de Trinitate c. 1. & S. Thomas hîc, dicunt nos habere certam scientiam, quòd fidem habeamus. Resp. Certò scimus nos credere, & adhærere Christo, verùm an hoc faciamus fide diuina an humana, an tam seriò, firmiter, diuinè, & ita vt opus est ad iustitiam & salutem, hoc nescimus, sed tantùm ex coniecturis opinamur.

NISI FORTE REPROBI ESTIS] *Reprobi*, id est improbi, *Reprobus*, ait Anselm. *est qui probitatem fidei, & bonæ opinionis, quam in baptismo accepit, vel ignorat, vel deseruit.* Vnde Theophyl. Tacitè, ait, innuit Corinthios vita & moribus corruptos esse. D q.d. Ideo Christum non agnoscitis esse in vobis, quia improbi & corruptis moribus estis: corrupti enim mores sunt initium & causa apostasiæ & hæreseos. Ita libido & superbia Lutherum, Caluinum, Bucerum, Ochinum, omnesque primos illos Nouantes vel sacerdotes, vel monachos Catholicæ fidei, & Ecclesiæ Romanæ excucullarunt, exauctorarunt, in sacrilegas nuptias, apostasias & hæreses adegerunt.

Corinthij vita & moribus corrupti.

Libido & superbia initiũ apostasiæ.

Secundò & meliùs, vt patebit v. 7. *Reprobi*, id est reprobati, reiecti, adeoque viles, inglorij, abiecti, contempti. q.d. Ex signis gratiæ & miraculorum, quæ Christus potenter operatur in vobis, cognoscitis quòd Christus est in vobis, nisi forte à Christo reiecti, & reprobati, eius fide, gratia, luce ac cognitione priuati, in tenebras pristinas ignorantiæ vel infidelitatis retrusi & repulsi recidistis, & relapsi estis, itaque viles & abiecti effecti estis. Hinc dixi: *si estis in fide, ipsi vos probate*, probate scilicet an vestra fides sit proba & sincera. si enim proba est, cognoscetis quòd Christus est in vobis: quia si hoc non cognoscitis, signum est reprobum esse, vitiatam, corruptam, vosque à Christi fide reiectos & reprobatos excidisse, nec fideles amplius, sed infideles esse.

SPERO AVTEM QVOD COGNOSCETIS, QVIA NOS NON SVMVS REPROBI] à Christo reprobati, reiecti, eiusque gratia, efficacia & potestate priuati, ideoque viles & inglorij: contrarium enim videtis, Christum scilicet per me potenter operantem, Gentiles conuertentem, rebelles punientem, meaque omnia probantem, mihi cooperantem, & in omnibus felicem successum dantem, ita vt me toti Achaiæ, imò toti orbi conspicuum & gloriosum efficiat.

ORAMVS AVTEM DEVM VT NIHIL MALI FACIATIS] Hinc S. August. contra Pelag. docet non tantùm gratiam requiri vt bona operemur, sed etiam vt nihil mali faciamus, scilicet vt tentationibus resistamus, vel ab ipsis præseruemur, & illæsi euadamus mundi & carnis illecebras. Tentationes enim graviores superare solis naturæ viribus, & sine gratia Dei est impossibile.

NON VT NOS PROBATI APPAREAMVS, δόκιμοι, probi, probati, insignes, celebres. q.d. Non laboro de mea fama & potestate, vt à vobis mea probentur, egoque vobis virtutem meam & auctoritatem probem ac ostendam, præsertim efficaciam puniẽdi illos, qui inter vos delinquunt; spectati, probati, celebrari non ambio, honoris punctum non curo: vnum curo, VT VOS QVOD BONVM EST FACIATIS: NOS AVTEM VT REPROBI SIMVS] *Vt*, græcè non est ἵνα, sed ὡς, id est quasi, tamquam, velut. q.d. Nos autẽ tamquam reprobi simus & æstimemur. *Reprobi*, id est improbi, inquit Gagneius. Secundò & genuinè, *reprobi*, græcè ἀδόκιμοι, reiecti, abiecti, potestate priuati, inglorij, ignobiles reputemur, quasi qui non habeamus potestatem puniẽdi & vindicandi, cùm eam ostẽdere non possimus in vos, si obsequẽtes sitis, & quod bonum est faciatis, quod vnice optamus. Hinc patet reprobũ hîc non opponi prædestinato, nec etiam pio & sancto, sed probato, spectato, honorato. ita Theophyl. Anselm. & alij. Habear, inquit Theophyl. reprobus, id est, infirmus & abiectus, potestate vacans: quippe qui non inueniam locum puniendi vos, vtpote iam vel bonos & probos, vel pœnitentes & emendatos. Sic quoque *reprobum* pro vili & abiecto accipitur, 1. Reg. 15. 9. opponiturque electo, pulchro & pretioso, cùm dicitur: *Pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, &c. quidquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.* Et psal. 117. 22. *Lapidem*, inquit, *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*: id est Christum, quẽ quasi lapidem vilem, rudem, impolitum & ineptum æstimarũt, & à sua fabrica, id est à sua Synagoga, reiecerunt Scribæ & Iudæi; hunc ipsum Deus fecit in domo sua, id est in Ecclesia Christiana, lapidem angularem, primarium & capitalem.

NON ENIM POSSVMVS ALIQVID ADVERSVS VERITATEM, SED PRO VERITATE] Nota. *Veritas* hîc intelligitur non oris aut mentis, sed vitæ auctiustitiæ: veritas ergo hîc est æquitas & iustitia, siue officium hominis Christiani, vt bonum faciat. sicut dixit

v. præc. q.d. Non possumus aliquid contra iustitiã, contra iustè & christianè viuentes, contra faciẽtes id quod bonum est, vt scil. in eos ostendamus nostram puniendi potestatem: sed pro veritate, id est æquitate, iustitia, honestate possumus quiduis, vt scilicet puniamus eos qui illam violant, laudemus & præmiemur illos qui illam sectantur.

Secundò, Theophyl. *Non possumus*, ferre scilicet sententiam aduersus veritatem, vt nimirum puniamus eũ, qui verè puniri nõ meretur, quia id quod bonũ est operatur, sed possumus & debemus ferre sententiam pro veritate, vt plectamus eum, qui reus est, vereq́ue plecti meretur. Hic sensus sequitur ex priori, & planior est ac facilior.

Alij sic explicant, q.d. Sicuti nõ possumus, scilicet dissimulare si quid aduersus veritatem faciatis, hoc est aduersus æquitatem & officium; ita, si secundùm veritatem, hoc est officium, agatis, punire B non possumus, quia nihil contra veritatem possumus, sed omnis nostra potestas pro veritate est in æquitate iam dicta tuenda & sancienda.

VERS. 9. GAVDEMVS ENIM, QVONIAM NOS INFIRMI SVMVS] q.d. Gaudeo si infirmus habear & abiectus, quasi qui non possim ostendere potestatẽ vindicandi in vos, vtpote potentes gratia & virtutibus, culpaq́; vacuos. ita Theodor. Theoph. Anselm.

Innocentes quidam sunt potentes, & pauci. Nota. Innocentes vocantur & sunt potentes, quia non est quòd metuant vel Apostolum, vel dæmonem, vel angelum, vel mortem, vel infernum, vel quidquam in mundo. Pro *quoniam* græcè est ὅταν, id est quando, vel, vt legit Ambros. cùm nos infirmi sumus, vos autem potentes: non enim asserit se esse infirmum, illos verò potentes; sed conditionatè loquitur, Gaudeo si ita sit; vel, quando sic C se res habet, gaudeo.

HOC ET ORAMVS, nempe VESTRAM CONSVMMATIONEM] Græcè κατάρτισιν, id est perfectionem, vt sitis perfecti & consummati in omni gratia & virtute. ita Theophyl.

VERS. 10. VT NON PRAESENS DVRIVS AGAM] ἵνα μὴ παρὼν ἀποτόμως χρήσωμαι. ne rigidè, præcisè, seuerè me geram: χρῆσθαι enim non tantùm vti, sed & subinde gerere, & res administrare significat, vt καλῶς χρῆσθαι φίλοις, honestè se gerere erga amicos.

VERS. 11. PERFECTI ESTOTE] καταρτίζεσθε. significat hoc vestem laceram sarcire & reconcinnare. Notat vitia, solutos mores, maximeq́ue desidiam Corinthiorum. q.d. Redintegramini, integri estote, corrigite priora vitia, stringite vitæ licentiã, resarcite discissam amicitiã, vnionem, concordiam, vt nihil habeatis quod corrigere, & in quo potestatẽ meam exercere debeam. Rursum καταρτίζεσθε significat, aptè inter vos mutuo & cum capite vestro cõgruite, sicut in corpore aptè artus & membra tam capiti quàm alijs membris congruunt & coagmentantur. Vide dicta 1. Cor. 1. 16.

EXHORTAMINI] inuicẽ ad meliora græcè παρακαλεῖσθε. quod Vatabl. vertit, Consolationem habete, in mutua scilicet concordia & amicitia.

IDEM SAPITE] iudicijs & voluntatibus consentite, vnanimes & concordes estote.

PACEM HABETE, ET DEVS PACIS auctor, donator & remunerator, cui complacitum est in pace, vt quasi Deus paci præsit & præsideat, ERIT VOBISCVM] Hinc Anselm. (teste Edinero in eius vita) dicere solebat, eos qui in hac vita salua æquitate se conformant aliorum voluntati, & pacem colunt, id à Deo mereri, vt Deus post hanc vitam se ac-

commodet eorum voluntati, & cum eis pacem & amicitiam colat. E contrario verò eos qui hîc ab alijs voluntate discordant, pari modo post hanc vitam neminem reperire qui suæ concordet volũtati. Hanc enim esse iustam diuinæ iustitiæ censuram: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Idem in alijs virtutibus præmiandis, & vitijs puniendis pari modo facit Deus. *Merces & præmium concordiæ.*

SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO] Quæritur: quodnam hoc osculum? Nota. Gentiles sibi inuicem obuiantes sese inuicem osculo salutabant in signum amicitiæ, teste Xenophonte libr. 1. Pædiæ Cyri, & Herodoto in Clio: quod frustra vetare conatum Tiberium docet Suetonius. Idem mos fuit apud Hebræos, vt patet ex osculo Amasæ & Ioab, 2. Reg. 20. 9. Item ex osculo quo Iudas quasi de more Christum exosculans eum prodidit. Magis verò solemne fuit primis Christianis, vt tum aliàs, tum præsertim in sacris conuentibus ante sacram synaxim sese osculo siue amico amplexu salutarent dicentes: Pax tecum. Erat hoc communicaturis reconciliationis ac iniuriæ omnis remissę puræq́ue charitatis symbolum, vt docet Cyrill. catech. 5. mystagogica. Vnde & Tertull. l. de Orat. osculum vocat orationis symbolum. VERS. 12. *Mos Gentilium & Hebræorum inuicem osculo salutandi.* *Osculata ita fuere olim apud Christianos visitatu.*

Mysticam causam dat hîc Cyrillus: quia per os nostrũ ingreditur corpus Christi; illud ergo osculamur, perinde ac ianuas osculamur, per quas in ecclesiam ingredimur. (Vbi Nota: Olim Christiani osculabantur ianuas templorum, ex reuerentia loci sacri.) Vide eum, quomodo hoc os à turpibus custodire, & Dei laudibus dedicare debeamus. Hoc osculum etiamnum in quibusdam Ecclesiis ante sacram synaxim vsurpant Canonici. Verùm, quia olim fraus irrepsit, cùm viri, licet locis à mulieribus distincti, furtim tamen irrepentes, eas oscularentur, hinc pro osculo oris successit osculum tabellæ pacis, quam vocant. *Quare mos osculandi ab Ecclesia sublatus.*

Osculo ergo *sancto*, id est, non Gentili, non carnali, non ficto, sed Christiano, religioso, casto, sincero. ita Chrysost & August. serm. 83. de diuersis. Vide Baron. anno Christi 45.

Notat auctor libri de Amicitia, qui extat tomo 4. operum S. August. quatuor de causis honestè dari osculum. Primò, in signum reconciliationis, cùm inimici in mutuam gratiam & amicitiam, redeunt. Secundò, in signum pacis, vt fit in sacrificio Missæ. Tertiò, in signum lætitiæ, & quasi renouatæ dilectionis, vt cùm amicus amicum post longam absentiam peregrè redeuntem osculo salutat. Quartò, in signum Catholicæ communionis, vt D cùm hospes suscipitur & excipitur osculo; sed in his quid ferat cuiusque regionis mos, & gentis conditio, spectandum & sequendum est, cauendumq́ue ne osculum hoc proserpat nimis, & in sensuale ac carnale degeneret. *Quatuor de causis honestè datur osculum.*

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET CHARITAS DEI, ET COMMVNICATIO S. SPIRITVS SIT CVM OMNIBVS VOBIS] Notant Chrysost. Ambros. Theod significari hîc SS. Trinitatem ὁμοούσιον, consubstantialem, eam scilicet eiusdem esse naturæ, potentiæ, operationis, præsertim in opere redemptionis & salutis nostræ, de quo propriè hic agit Apostolus. *Trinitatis*, ait Ambros. *hæc complexio est, & vnitas potestatis, qua totius salutis perfectio est. dilectio enim Dei misit nobis Saluatorem Iesum, cuius gratia saluati sumus: & vt possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facit Spiritus sancti.* VERS. 13. *S. Trinitatis ὁμοούσιον.*

Vbi Nota Primò. Cùm ait *charitas Dei*, scilicet Patris, Dei nomen Patri appropriatur: quia Pater est primum principium in deitate, ac fons & origo cæterarum in SS. Trinitate personarum.

Propria singularum personarū.

Nota Secundò. Aptè charitatem tribuit Patri, gratiam Filio, communicationem Spiritui sancto: quia à Patre, Patrisque charitate cœpit nostræ redemptionis exordium, Patris inquā, qui *sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret* pro nobis in mortem. Per Filium venit gratia, vtpote qui nos nihil promeritos, imò malè meritos sua morte redemit, omnemq; gratiam promeruit: gratiæ verò, gratiæque donorum distributio, communicatio & participatio per Spiritum sanctum facta est. Vnde Anselsic explicat: *Gratia Domini nostri Iesu Christi*, qua gratis peccata condonantur, atque salus tribuitur: (*& charitas Dei*) Patris, qua pro nobis Filium dedit: (*& cōmunicatio sancti Spiritus*) qui in vtraque re, id est, in prædicta gratia & charitate, cōmunicauit Christo & Deo, communiter & pariter operans cum illis humanam salutem, (*sit cum omnibus*) maioribus atque minoribus. *Amen.* sic ille.

Communicatio actiuè & passiuè sumi potest.

Nota Tertiò. *Communicatio* tam passiuè, quàm actiuè accipi potest. Passiuè communicatio idem est, quod participatio. q.d. Vt cōmunicetur vobis Spiritus sanctus, vt eius gratiam & dona participetis, imò in Spiritum sanctum quasi permutemini non essentia, sed participatione Spiritus sancti, ait Theophyl. Secundò, actiuè, q.d. Spiritus sanctus, qui cum Patre & Filio vti essentia, ita charitate, potentia & operatione communicat, communiter cum eis gratiam suā, charitatem, & dona eis connexa vobis communicet & infundat: maximè vt sublatis dissidijs & contentionibus (de quibus in fine capitis præcedentis, & sæpè alibi hac epistola & præcedenti) communi vnione & charitate iungamini, vti Spiritus sanctus est κοινωνία, id est, quasi communis & socialis vnio Patris & Filij, & consequenter omnium fidelium, qui communicant & participant eumdem Spiritum sanctum, in eoque ciusq; charitate connectuntur & vniuntur. Communicationem ergo eis optat, quæ Corinthiorum schismata tollat; κοινωνία enim est mutua communio, societas, consortium, coniunctio, commercium.

Gratia, charitas & cōmunicatio duplex, creata & increata.

Nota Quartò. Gratia, charitas, communicatio, tam creata, quàm increata accipi possunt. Gratia & charitas increata est beneuolentia & amor Patris & Filij, qua nos amāt: sic dicimur inuenire gratiam, id est beneuolentiam & fauorem, in oculis Dei. Sic Tit. 2. 11. *Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei*, dum scilicet ex suo in nos amore dignatus est pro nobis carnem nostram assumere: similiter & communicatio Spiritus sancti increata, est communio & societas, quam habet Spiritus sanctus cum Patre & Filio: siue, est ipsa participatio diuinitatis, omniumque bonorum diuinorum, quæ Pater & Filius cum essentia communicat Spiritui sancto, quæque deinde Spiritus sanctus nobis communicat. Creata verò gratia est, quæ nobis infunditur, facitque nos Deo gratos: creata charitas est, qua nos Deum diligimus: creata communicatio Spiritus sancti est, participatio donorum eius nobis communicata.

Primò ergo de increata gratia, charitate, cōmunicatione Spiritus sancti hæc verba accipiēdo, hic est sensus. q. d. Gratia, id est beneuolentia, Christi, & charitas qua Pater vos amat, & communicatio, id est, communis ille amor & diuina societas ac participatio Spiritus sancti, qua scilicet ipse cum Patre & Filio communicat & participat omnia bona diuina, quæ deinde nobis communicat, sit & maneat vobiscum; vt eumdem amorem & societatem omniaque bona diuina vobis communicet, & communicare pergat.

Secundò, si de creata gratia, charitate, communicatione Spiritus sancti, quæ ex increata manat, accipias, æquè aptè hic erit sensus: gratia, quam Christus; & charitas, quam Pater; & dona, quæ vobis communicat Spiritus sanctus, sint semper & maneant vobiscum: & præsertim sociale ille amor, siue dilectio mutua & fraterna, quæ clarissima est, Deo gratissima, & vobis, ô Corinthij, maximè necessaria Spiritus sancti communicatio. Similiter vtroque modo accipitur charitas Dei ad Rom. 5. cùm dicit, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

Da nobis iugem tuam gratiam ô Iesu Christe, redemptor noster: tuam iugem charitatem ô Pater, creator & glorificator noster: tui iugem communicationem ô Spiritus sancte, iustificator noster; vt in tempore & ÆTERNITATE amemus & glorificemus te Deum Patrem, te Deum Filium, te Deum Spiritum sanctum, ô vna deitas, ô diuina TRINITAS, ô trina ÆTERNITAS. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in* AETERNVM.



COM.

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD GALATAS.

ARGVMENTVM.

GALATAE Gentiles erant, qui è Gallia in Græciam commigrarunt; vnde Gallo-græci dicti sunt. Putat Suidas hos Gallos fuisse Senonenses, qui duce Brenno Romam inuaserunt, sed à Camillo repulsi in Græciam traiecerant, cumque Delphos spoliare conarentur, imbre & grandine obruti sunt: pauci verò, inquit, qui euaserunt. Gallo-græci, siue Galatæ dicti sunt. Sed diuersa ab his tradit Iustinus l. 25. S. Hieron. & alij. Galatæ ab Oriente habent Cappadociam, ab Occidente Bithyniam, à Meridie Pamphyliam, à Septentrione Pontum Euxinum. Tresque habuerunt nobilissimas ciuitates Tauium, Pessinuntem & Ancyram, inquit Plinius lib. 5. c. vlt. Quod ad eorum linguam, *Galatæ*, inquit Hieron. in fine prooemij in l. 2. comment. in epist. ad Galat. *excepto sermone Graco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam tamdem penè habent, quam Treuiri*, Germanicam scilicet. Vnde Gallos olim (inde enim hanc linguam, vti & originem sortiti sunt Galatæ) germanicè locutos nonnulli opinantur; adeoque; Francos ex Franconiâ Germaniæ prodijsse, & nomen accepisse asseuerarunt. Quin & Clodouæus primus in Gallia Francorum rex Christianus, Sicamber vocatur Sic enim eum ad baptismum accedentem allocutus est S. Remigius: *Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti*, vti refert Gregor. Turonensis l. 2 de Gestis Francor. c. 31. constat autem Sicambros Germanos fuisse, præsertim Geldrenses. Denique S. Hieronymus, Iosephus & Isidorus tradunt Galatas ortos esse ex Gomer, putà ex Gomaris siue Cimbris, qui vel Germani, vel Germanis affines fuerunt.

Hos Galatas nonnulli è Iudæis ad Christum conuersi commouerant ad iudaismum vna cùm Euangelio suscipiendum, allegando ad hoc exemplum Petri aliorumque Apostolorum, qui legem Mosis seruabant. Illos hîc acri cum obiurgatione reuocat Apostolus, docetque Christianos liberos esse à seruitute legis veteris, nec ei posse subijci: licet enim Iudæi legem illam suam ad tempus seruare possent, vt eam cum honore sepelirent; Gentes tamen, quales erant Galatæ, nec hanc, nec aliam iustam habebant causam legis Mosis amplectendæ. Vnde si eam fuissent amplexæ, censæ fuissent id facere hoc nomine, quòd lex videretur ad salutem cum Euangelio esse necessaria, maximè cùm Iudæochristiani tum ita sentirent, vellentque Gentes cogere ad iudaismum, æquè ac christianismum: qui exploratus est error. hæc enim professio iudaismi, est euersio christianismi: nam Christiana religio docet iudaismum abrogatum esse, nec aliam religionem admittendam esse, præterquam Christi, hanc enim solam & necessariam esse & sufficere ad salutem profitetur. Hunc ergo errorem acriter hîc insectatur Apostolus. *Iudæochristianismus vitandus, vt hæresis.*

Vnde idem argumentum spectat Apostolus in hac epistola, quod in epistola ad Romanos, adeoque hæc illius ad Rom. est quasi epitome & compendium, & multas easdem cum illa habet sententias, rationes, phrases & discursus. ita Hieron. Anselm. Theophyl. Chrysost. nisi quòd in epistola ad Romanos tam Iudæos, quàm Gentes arguat, in hac solas Gentes: ibi reijcit opera tam legis, quàm naturæ, hîc legis tantùm, vt fidem Christi & fidei opera stabiliat. Hoc igitur facit priori parte epistolæ à c. 1. ad c. 5. Posteriori deinde, videlicet à c. 5. v. 13. vsque ad finem mores instruit. *Argumentum huius epistolæ.*

Scriptam Romæ habent in fine Syrus, Græca, Hieronymus c. 5. Athanas. in Synopsi, Theodor. præfatione in epistolas Pauli & alij. Negant id Chrysost. & Baron. to. 1. pag. 657. quia non meminit vinculorũ, vti solet in alijs Romæ scriptis. Eam ergo scriptam volunt ante epistolam ad Rom. idq; vel Ephesi, vel in alia vrbe Græciæ. Verùm de tempore & loco scriptionis huius epistolæ nihil certi ex ipsa, vel aliunde definiri potest, estque quoad hoc omnium epistolarum Pauli incertissima. Extat in hanc epistolam genuinus ac fusus commentarius S. Hieron. vti & Augustini.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, increpat Galatas, quòd ab Euangelio à se prædicato ad iudaismum abduci se sinerent à nouantibus, aliterq; euangelizantibus, quibus dicit anathema.

Secundò, v. 11. certitudinem sui Euangelij ostendit ex eo, quòd à Christo illud immediatè ipse acceperit.

Tertiò, v. 13. narrat quomodo à iudaismo, quẽ acerrimè propugnabat, conuersus sit ad Christum, abeoq; segregatus ad euangelizandum, Arabiam, Damascum, Syriam & Ciliciam peragrarit.

1. PAVLVS Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis: 2. & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesijs Galatiæ. 3. Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo, 4. qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundùm voluntatem Dei & Patris nostri, 5. cui est gloria in sæcula sæculorum: Amen. 6. Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium: 7. quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. 8. Sed licet nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. 9. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. 10. Modò enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. 11. Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: 12. neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. 13. Audistis enim conuersationem meam aliquãdo in Iudaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, 14. & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum. 15. Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, 16. vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini, 17. neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam: & iterum reuersus sum Damascum: 18. deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: 19. alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. 20. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. 21. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. 22. Eram autem ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo: 23. tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: 24. & in me clarificabant Deum.

VERS. 1. PAVLVS APOSTOLVS NON AB HOMINIBVS] Quia scilicet cæteri Apostoli missi sunt à Christo mortali adhuc homine, Paulus verò à Christo iam toto quasi deificato, hoc est, ex omni parte immortali. ita S. Augustin. Verùm simpliciùs accipias: *Non ab hominibus*, scilicet puris, sed à Christo homine, ac Deo.

Quadruplex est missio, ait Hieronym. Alij à Deo solo mittuntur, vt Paulus; alij à Deo per hominem, vt Iosue per Moysen; alij per hominem solum, vt qui hodie per amicos promouentur ad abbatias, decanatus, episcopatus; alij à seipsis, vt hæretici. Præpositio ergo *ab* hîc causam principalem, *per* verò instrumentalem significat. Vult enim dicere se non ab homine, neque à Deo per hominem, sed immediatè ab ipso Deo vocatum esse.

VERS. 4. QVI DEDIT SEMETIPSVM] in victimam piacularem, in lytrum & pretium redemptionis nostræ, in mortem & crucem.

PRO PECCATIS NOSTRIS] *Vt iniustitiam*, ait Hieron. *quæ erat in nobis, iustitia ipse subuerteret; tradidit se sapientia, vt insipientiã expugnaret, sanctitas & fortitudo seipsa obtulit, vt spurcitiam infirmitatemq; deleret.*

Pulchra aliquot rationes cur sæculũ vocetur nequam.

DE PRAESENTI SAECVLO NEQVAM] Cur *sæculum* vocat *nequam*? Respondent Manichæi: quia mundus hic corporeus malus est & creatus à diabolo. Sed hoc stultum est. *Sæculum* ergo *nequam* est sæcularis & carnalis vita & conuersatio, qualem agit, & ad quam inuitat hic mundus, mundanique homines, qui huius tantùm sæculi bona, opes videlicet, honores ac voluptates per fas & nefas aucupantur. Est metonymia: *sæculum* ponitur pro ijs, quæ sunt & fiunt in sæculo. hoc enim est Hebræus עוֹלָם *olam*, & Græcis αἰὼν, id est sæculum. Sic, inquit Hieron. S. Iohannes epist. 1. c. 5. ait, *Mundus omnis in maligno positus est: non quòd mundus ipse malus sit, sed quòd mala in mundo fiunt ab hominibus. Et ipse Apostolus: Redimentes, inquit, tempus, quoniam dies mali sunt. Infamantur & saltus, cùm latrocinia plena sunt: non quòd terra peccet & siluæ, sed quòd infamiam homicidij loca quoque traxerint: ita & sæculum, quod est spatium temporum, non per semetipsum, aut bonum, aut malum est, sed per eos qui in illo sunt, aut bonũ appellatur aut malum.* ita Hieron. Anselm. Theophyl.

Nota. Pro *nequam*, græcè est πονηροῦ, quod S. Hieron. vertit, *malo*; Augustin. *maligno*; Erasmus, *noxio*, vel misero & laborioso; Vatabl. *erumnoso*, maximè scilicet ob peccata, quæ admittimus in præsenti vita, quæ tot peccandi occasiones habet, cùm futura vita & sæculum, ad quod nos ducit Christus, à peccato sit immune & impeccabile.

Hinc suos æones, id est sæcula, confinxit Valentinus, dicens hos æones esse animalia, & per quadradas, ogdoadas, decadas & dodecadas tot edidisse numeros sæculorum, quot Æneia fœtus scropha generauit, ait Hieronymus.

MIROR QVOD SIC TAM CITO TRANSFERIMINI] Græcè est, μετατίθεσθε: quod ad verbum significat, Transponimini, à christianismo scilicet in iudaismum, à libertate Euangelij in seruitutem legalium ceremoniarum, ab Ecclesia in Synagogam. Alludit, ait Hieron. ad radicem Hebræam גָּלַל *gala*, id est transmigrauit, & גָּלַל *galal*, id est voluit, reuoluit, putà globum aut rotas. q. d. Estis Galatæ id est,

est, transmigrantes & volubiles instar globorum & rotarum, quòd tam citò vos finitis transferri & transponi ab Euangelio Christi, ad legem Mosis. Alioquin idem Hieron. proœmio in l. 2. comment. in epist. ad Galat. ex Lactantio: *Galli*, inquit, *antiquitus à corporis candore Galatæ nuncupabantur* (Græcè enim γάλα, lac vocant, inde Galli & Galatæ, q.d. Lactei.) *quod significare voluit Poëta cùm ait:*

Tum lactea colla
Auro innectuntur.

cùm enim dicere posset Candida, maluit dicere Lactea, vt insinuaret fuisse Gallos siue Galatas.

A

AD EO QVI VOS VOCAVIT] q. d. Apostatatis ab Euangelio, imò à Deo & Christo Iesu, idque in summam iniuriam & contemptum Dei & Christi, qui vos vocauit sine meritis, imò cum demeritis vestris ex liberali amore ad gratiam, reconciliationem, amicitiam Dei & salutē. Vnde pro eo, quod habemus, *ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi*, B græcè est, Ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ. quod pressiùs & ordinatiùs sic inuertens ordinat & vertit S. Hieron. & Vatablus, Miror quòd à Christo, qui vos vocauit per gratiam (ex puro scilicet amore & gratuita benevolentia) tam citò transferamini in aliud Euangelium. q. d. Miror quòd apostatatis tam facile à Deo & à Christo, qui vos vocauit tam gratiosè & amanter, quòd gratiæ eius sitis tam ingrati & immemores, eamque aspernemini.

IN ALIVD EVANGELIVM] in aliam doctrinā de salute & Saluatore Christo, quasi mea non sufficiat, nec Christi; sed Christo addendus sit Moses, & Euangelio iungenda sit lex cæremonialis. licet ergo hi Iudaizantes prædicarent Euangelium amplectendum esse cum lege Mosis, hoc ipso tamen aliud Euangelium prædicabant & verum Pauli C Euangelium destruebant, vt dicit v. sequ. Pauli enim & Christi Euangelium doctrina hæc erat: Euangelium, siue lex Christi necessaria est & sufficit ad salutem, nec alia lex est admittenda; qui aliam inducit, vel admittit, Christo, Christique legi, quasi insufficienti, iniurius est, adeoque Christum sua Redemptoris vnici dignitate dispoliat, aliumque Saluatorem inducit. Iudaizantes verò contrarium prædicabant, scilicet, Lex Christi non sufficit, illi addenda est lex Mosis, sine ea saluari & beari non potestis. afferebant ergo aliud, imò contrarium Euangelium, & Pauli Christique Euangelium euertebant. Vnde sequitur,

7. QVOD NON EST ALIVD] S. Hieron. & Syrus legunt, *quod non est*. q.d. Transfertis vos ad aliud Euangelium, quod profectò non est Euangelium: Græca tamen & Noster legunt, *quod non est aliud*, vt sit hebraismus, quo antecedens relatiuo superadditur. q.d. Transfertis vos ad aliud Euangelium, quale tamen aliud non est; nullum enim verum Euangelium aliud est ab eo quod ego vobis prædicaui. Addit Syrus: *Sed prout sunt aliqui, illud est*. q. d. Quales sunt doctores, videlicet apostatæ, Iudaizantes, mendaces, fallaces, tale est & eorum Euangelium, scilicet apostaticum, Iudaizans, mendax & fallax. Si Iudaizantes, qui Euangelium & doctrinam Pauli atque Ecclesiæ intactam relinquebant, solùm ei addendo legem Mosis, euertebant Euangelium & Christi Ecclesiam; longè magis Nouantes, qui noua dogmata afferunt contraria Ecclesiæ Catholicæ, eam euertunt.

NISI SVNT ALIQVI] Refer ad *miror*. q.d. Miror quòd tam citò deficitis ab Euangelio, nisi quòd sunt aliqui qui vos conturbant: quod dum cogito, ex parte mirari desino, nec tam vobis, quàm illis hanc defectionem imputo: non enim defecissetis, nisi ab illis illecti & decepti.

QVI VOS CONTVRBANT, ET VOLVNT CONVERTERE EVANGELIVM CHRISTI] *Conuertere*, id est subuertere, vt Græcum μεταστρέψαι, ponatur pro καταστρέψαι. ita Chrysost. Secundò, propriè *conuertere*, id est inuertere, sicut vestis exteriùs detrita conuertitur dum inuertitur, vt pars interior & integrior fiat exterior. Vel, vt Hieronym. dum id quod in facie est, post tergum ponitur; & ea quæ post tergum sunt, in faciem vertuntur. Sic Ecclesia est quasi vestis vna, cuius pars anterior, vel extima & iam detrita erat Ecclesia vetus, siue Synagoga cum sua lege Mosis: pars posterior, vel interior & integrior erat Ecclesia noua & Euangelium Christi. Christus ergo eam transposuit, vt extimam, vtpote detritam, interiori supponeret, & posteriorem, vel interiorem, scilicet Euangelium, faceret anteriorem & exteriorem, illamque omnibus quasi iustitiæ ac salutis vestem spectandam & amplectendam proponeret. Hi pseudodoctores contrà vestem hanc à Christo inuersam rursum volebant conuertere, & legem præferre, illique Euangelium supponere, denique spiritum pietatis, quam aspirat Euangelium, ad Iudaicas cæremonias inuertere. Sic ergo Iudaizantes conuertebāt, id est inuertebant, Christi Euangelium, dum pro eo legem Mosis substituebant, eamque Euangelio præponebant, ac consequenter Euangelium aliud inuehebant. ita Hieronymus.

Ecclesia vetus est, cuius pars detrita est Synagoga.

SED LICET NOS, AVT ANGELVS DE CÆLO EVANGELIZET VOBIS PRÆTERQVAM QVOD EVANGELIZAVIMVS VOBIS, ANATHEMA SIT] Supple, si id fieri posset: nam de facto, hoc est impossibile; angeli enim vti in beatitudine, ita & in omni veritate confirmati sunt. Est hyperbole similis illi 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & angelorum*. Hinc, vt ait Hieron. eleganter Tertull. aduersus Apellem & eius virginem Philumenem, quam angelus quidam diabolici spiritus & peruersus impleuerat, hunc esse scribit angelum, cui multò antè quàm Apelles nasceretur, Spiritus sancti vaticinio anathema per Apostolum prophetatum fuit. Talis fuit angelus, qui Lutherum docuit, & qui Zuinglium de Eucharistia instruxit, de quo ipsemet lib. de Supplemento Eucharistiæ scribit, nescire se an albus, an ater fuerit: sed hinc certum est atrum fuisse, illique quasi nouum Euangelium, nouam fidem, noua dogmata receptæ fidei contraria afferenti ab Apostolo intentatum esse anathema.

VERS. 8.

Qualis fuerit angelus qui Lutherū docuit.

Nota, quāta sit certitudo fidei ab Apostolis traditæ, tot signis, tot miraculis à Deo confirmatæ, & ad nos per continuam, tot iam sæculorum traditionem transmissæ, quamque in illa firmi & constantes esse debeamus; vt scilicet id potiùs negemus, quod sensus, quod ratio, quod demonstratio, quod auctoritas omnium hominum & angelorum (etiamsi facerēt miracula ad id probandum; quod tamen est impossibile) suggerit, quàm id negemus quod fides docet: quia fides primæua Dei reuelatione, qui prima est & immutabilis veritas, nititur; reliqua omnia falli & fallere possunt. imò si per impossibile Deus reuelaret contrarium fidei nostræ, quam iam primò reuelauit, primæ eius reuelatio-

lationi credendum foret, non secundæ: quia si A reuelaret contrarium, mutaretur, & consequenter desineret esse Deus & prima ac infallibilis veritas. quæ omnia cùm sint impossibilia, sequitur Deum contrarium reuelare non posse, ac consequèter qui contrariam doctrinam afferunt, nõ illam Dei, sed cerebri sui, vel dæmonis reuelatione accepisse.

Hic est ergo canon fidei, quem tradit hîc Apostolus: si nouum dogma oriatur alicubi, examinetur, an concordet cum recepta & antiqua Ecclesiæ Catholicæ fide, quam primitus prædicauit Paulus & Apostoli; quòd si inueniatur ab ea dissentire, habeatur hæreticum & anathema. Hunc canonem sequuntur Patres omnes.

Canon veræ fidei ab antiquitate & immutabilitate.

B. Irenæus l. 3. c. 4. *Si de aliqua modica quæstione disputatio orta fuerit, nónne oportebit in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione quod certum & liquidum est?* B

Tertull. de Præscript. c. 21. *Quid prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelarit & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis & matricibus, & originalibus fide conspiret, veritati deputandam, reliquam verò omnem de mendacio præiudicandam.* Et c. 31. *Ex ipso ordine monstratur id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum; id autem extraneum esse & falsum, quod sit posteriùs immissum.*

Origenes in Matth. hom. 19. *Hæreticus habendus est omnis ille, qui Christo quidem credere se profitetur, aliud tamen de fidei veritate credit, quàm habeat definitio traditionis Ecclesiæ.*

S. Hieron. epist. ad Pammachium & Oceanum: *Quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas humanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos* (dicamus nos, Cur post mille quingentos annos, ô Luthere, ô Caluine, ô Menno) *docere nos uteris, quod antè nesciuimus? vsque in hanc diem, sine vestra ista doctrina, Christianus mundus fuit.* C

Vincentius Lirinensis aureo illo libello Præscriptionum aduersus profanas hæresum nouitates nõ aliud facit, quàm vt regulam hanc sanciat: *Retinenda est antiquitas, explodenda est nouitas. Cùm tales quidam* (Nouantes, inquit c. 12. l. 1.) *circumeuntes prouincias & ciuitates, atque errores venalitios circumferendo, etiam ad Galatas deueniissent: cumq; his auditis Galatæ nausea quadam veritatis adfecti, Apostolicæ Catholicæq; doctrinæ manna reuomentes, hæretica nouitatis sordibus oblectarentur, ita sese Apostolica potestatis exeruit auctoritas, vt summa cum seueritate decerneret: Sed licet aut nos, inquit, aut angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Quid est quod ait: Sed licet nos? cur non potiùs, Sed licet ego? Hoc est, etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Iohannes, postremò etiamsi omnis Apostolorum chorus euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Tremenda districtio: propter asserendã primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris coapostolis peperciisse, parum est: Etiamsi angelus, inquit, de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Non sufficiebat ad custodiam tradita semel fidei humanæ conditionis commemorasse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset. Licet nos, inquit, aut angelus de cælo. Nõ quia sancti cælestesq; angeli peccare iam possint: sed hoc est, quòd dicit: Si etiam, inquit, fiat, quod fieri non potest, quisquis ille sit qui traditam semel fidem mutare tentauerit, anathema sit.* D

S. Iohannes Damascenus quasi leo rugiens contra Leonem Isaurum Imp. Iconoclastam orat. 2. de Imagin. *Audite, inquit, populi, tribus, linguæ, viri, mulieres, pueri, senes, adolescentes, infantes, gens Christianorum sanctæ: Si quis euangelizauerit vobis præter id quod Ecclesia Catholica à sanctis Apostolis, à Patribus atque Concilijs acceptum ad hunc vsque diem seruauit, cum ne audieritis, néve serpentis consilium acceperitis, sicut fecit Eua, ex quo mortem est assecuta. Licet angelus, licet rex euangelizet vobis præter id quod accepistis, aures occludite. Vereor enim illucusque progredi, quò progressus est Paulus, Anathema, inquiens, sit.* Id ideo dicit, quòd sciret esse Episcoporum, non Monachorum (qualis ipse erat) inferre anathema, vti doctè obseruauit Cardin. Baronius in fine anni Christi 730.

S. Augustl. libr. 2. contra Cresconium cap. 31. & 32. *Non accipio quod de baptizandis hæreticis B. Cyprianus sensit: quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.* Ita & reliqui Patres, estque ratio euidens: quia *Ecclesia*, vt ait Apostolus 1. Timoth. 3. v. 15. *columna est & firmamentum veritatis.* Qui ergo noui aliquid contra eius sententiam ac dogmata comminiscitur, à domo veritatis, ipsa veritate abscedit & aberrat, vt neruoso dilemmate concludit S. Augustl. lib. 2. contra Gaudentium c. 8. *Respondè*, inquit, *verùm Ecclesia* (oriente Donato) *perierit, an non perierit? Elige quod putaueris. Si iam perierat, Donatum quæ peperit? si autem tot in eam sine baptismo aggregatis perire non potuit, responde quæso, vt ab ea se, tamquam malorum communionem deuitans, pars Donati separaret, quæ dementia persuasit?*

Pari modo iam concludam: Oriente Luthero, Caluino, Mennone, & quouis alio Nouatore, vel Ecclesia veraque fides perijt, vel non perijt: hæc enim duo necessariò connexa sunt vera fides & vera Ecclesia, adeò vt, si vel in vno puncto, verbi gratia, Sanctos esse inuocandos, à vera fide aberraret Ecclesia, hæretica fit oportet, nec Ecclesia Dei, sed Satanæ; sicut priuatus quisque, qui vel vnam hæresim tuetur, licet in cæteris articulis rectè credat, & alijs orthodoxis consentiat, non orthodoxus est, sed hæreticus. Dico ergo: Oriente Caluino, vel perijt Ecclesia, vel non perijt; si perijt, adeoque perijt à tempore Gregorij Magni, vt aiunt Nouantes; ergo per 900. annos extincta fuit Ecclesia; ergo mundus per annos 900. vera fide, religione, Sacramentis, Ecclesia, saluteque caruit, ergo Christus per annos 900. sponsam suam deseruit; ergo æternum Christi regnum concidit; (regnat enim Christus in Ecclesia) ergo aduersus Ecclesiam portæ inferi præualuere; ergo Caluinus natus est extra Ecclesiam, nec Ecclesiæ membrum fuit, sed infidelis, hæreticus, vel Paganus; ergo à populo, à mundo quasi fidelis recipi audirique non debuit, sed tamquam infidelis ad Ecclesiam non pertinẽs, contemni ac reiici. Si non periit, sed in vera fide & Ecclesia natus, baptizatus, educatus, institutus est Caluinus, cùm ergo in Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia natus, baptizatus, educatus, institutus fuerit, illa vtique vera erat Ecclesia, veram habens fidem; ergo cùm ab ea discessit, ac segregauit se per noua dogmata Caluinus, à vera se fide & Ecclesia separauit, ab eaque apostatauit; ergo cùm aliam Ecclesiam reformatam instituit, non veram & Apostolicam, sed apostaticam, schismaticam, hæreticam, non fidei, sed nouorum dogmatum, sed hæresum magistram & scholam instituit.

Æquus

Æquus lector, qui fidem veram, extra quam saluari non potest, sincerè quærit & fluctuat, consideret ac perpendat hoc dilemma, an non hæc rectè consequantur, an non concludat ac conuincat hæc ratio? an non hæc regula sit Lydius lapis veri dogmatis, veræque fidei?

PRAETERQVAM QVOD EVANGELIZAVIMVS VOBIS, ANATHEMA SIT] Inferunt Nouantes: ergo Conciliorum decreta & Pontificum canones sunt anathema, quia multa afferunt quæ non habentur in Euangelio, & consequenter sunt præter Euangelium.

Respondeo, *Præterquam* hîc idem est quod contrarium fidei acceptæ & receptæ, qualia afferunt hæretici.

Id patet Primò, quia loquitur Paulus contra Iudaizantes, qui iudaismum *præter*, id est contra, Euangelium inducere volebant: non secùs ac si quis christianismo vellet ingerere caluinismum, vel turcismum, is præter christianismum, id est contra christianismum, nouam legem & sectam induceret. Vnde v. 6. vocat hoc aliud Euangelium, eiusque præcones v. 7. dicit conuertere, id est, vt Chrysost. euertere, Euangelium Christi.

Secundò, quia clarum est & certum non angelum modò, sed & Paulum plura sciuisse, & consequenter euangelizare potuisse quàm fecerit, vt patet 2. Corinth. 12. v. 1. & 6.

Tertiò, quia Paulus passim, vti & Christus, iubet seruari præcepta Apostolorum & Superiorum, Act. 16. v. 4. Hebr. 13. v. 17. & alibi.

Denique ita explicant hunc locum Hieron. Augustin. Ambros. Chrysost. Oecum. Sic Apostolus 1. Corinth. 3. v. 11. παρά, id est præter, accipit pro contra, cùm ait, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter* (id est contra) *id quod positum est, quod est Christus Iesus.* qui enim alium Christum induceret, Antichristum induceret: sicut qui alium Papam inducit, antipapam inducit; qui alium in regno regem inducit, veri regis hostem inducit & tyrannum.

Sic ad Rom. 11. v. 24. *Situ ex naturali excisus oleastro, & contra naturam* (græcè παρὰ φύσιν, hoc est, præter naturam) *insertus es in bonam oliuam.* Imò sic latinè sæpè loquimur per miosin cum Terentio in Andria: *Præter ciuium morem atque legem*, id est, contra morem ac legem. Sic & Græci, vti Aristoteles 1. de Cælo c. 1. loquuntur: παρὰ φύσιν, præter, id est contra, naturam; παρὰ νόμον, præter, id est contra, legem.

Simili modo Deuter. 4. 2. dicit Dominus: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, id est, ad præcepta, quæ ego præcepturus sum, non addetis aliquid eis repugnans, noui præsertim numinis, vel idoli cultum & religionem inducens; hæc enim excludere toto illo capite, & passim in Deuter. intendit. Secundò, *non addetis*, vt dicatis esse verbum meum, quod est vestrum: nam nulli hominum licet scripta, aut præcepta sua venditare pro præceptis à Deo datis, aut Scripturis sacris.

Similis est phrasis Apocal. vlt. v. 18. *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super eum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ.* Alioqui enim Prophetæ & Apostoli huic scripturæ & præcepto multa addiderunt. Imò secum pugnaret Moyses: nam infrà c. 17. v. 10. iubet sub pœna mortis, sacerdotis decreto obediri. Quare præclarè S. Augustin. tract. 99. in Iohannem hunc locum ita explicat: *Non ait* (Apostolus) *Plusquam accepistis, sed Præterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, præiudicaret sibi ipsi, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet quod minus erat, addit, non quod inerat tollit: qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.*

Dices: Cur ergo Apostolus non dicit, Contrarium, sed *præterquam*? Respondet Chrysost. vt ostendat anathema esse eum qui vel indirectè minimũ Euangelij dogma labefactat. Secundò, quia Iudaizantes, contra quos hîc agit propriè, præter Euangelium inducebant iudaismum, Iudaica sacra & sacramenta, quæ tamen hoc ipso erant contra Euangelium & legem nouam Christi, vt dixi.

EVANGELIZAVIMVS] scilicet verbo vel scripto; non ergo excludit, sed includit traditiones solo verbo traditas, quas disertè seruari iubet 2. Thess. 2. v. 19 & alibi.

ANATHEMA] Syrus חֵרֶם *cherem*, de quo vide dicta ad Rom. 9. v. 3.

MODO ENIM HOMINIBVS SVADEO, AN DEO?] VERS. 10. Græcè ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν, num homines suadeo an Deum? id est, vt Theophyl. Vatablus, Erasm. an humana suadeo, an diuina? quasi velit Apostolus ostendere, non cui, sed quid suadeat, id est, quid credendum proponat, neque de auditoribus, sed de doctrina ipsa loquatur: iactabant enim Iudaizantes se sequi Petrum, Iohannem, Iacobum, qui legem veterem seruandam suo exemplo docere videbantur. Contrà clamat Paulus se non homines, hominúmve doctrinam, sed Deum, Deique doctrinam sequi, ac alijs suadere. quasi dicat: A Deo accepi quod euangelizaui, Deus mihi Euangelium meum reuelauit, Dei, non hominum dogmata prædico, non humana, sed diuina doceo.

Secundò, non malè, quidquid obstrepat Beza, imò meliùs vertit Noster, *Modò* (id est, nunc) *hominibus suadeo, an Deo?* id est, vt Chrysost. vertit, an apud homines causam dico, an apud Deum? Græcum enim πείθω (id est, suadeo, vt etiam notauit Erasmus) verbum est foreńse & aduocatorũ, quo dicũtur πείθειν κριτάς, hoc est, suadere Iudices, in accusatiuo personæ, dum eis suam causam, suũ ius persuadere conantur. Vnde S. August. hîc *suadeo*, interpretatur, vt idem sit quod *probatũ me reddere cupio*. Et Ambros. *suadeo*, interpretatur per satisfacio. Sic Xenophon Hellinicon 6. Καὶ ἦσαν μέν τινες οἱ τὸν Ἀγησίλαον ἔπειθον, erant, inquit, qui Agesilaum, id est Agesilao, suadebant. Vnde Henricus Stephanus in Lexico docet, πείθω, cùm significat suadeo, recipere & regere accusatiuum personæ. Adde: Græcum πείθω, vt docent Græci, & fatetur Beza, cùm significat persuadeo, constituitur cum accusatiuo non rei, sed personæ. Hîc autem πείθω ἀνθρώπους, hoc est, homines suadeo, idem est quod persuadeo, hoc est persuadere conor, in actu scilicet inchoato, iuxta can. 32. Hoc autem idem est quod suadeo, vt vertit Noster.

Sensus literalis indagatur.

Hic sensus aptior est. Primò, nã suadere Deum & homines significat non rem, quæ suadetur, (sic enim obscura valdè & intricata foret hæc phrasis) sed propriè personas, quibus persuadetur. Secundò, quia explicãs subdit: *An quæro hominibus placere?*

q. d.

q.d. Hominibus vti placere, ita & suadere non A quæro. Vnde S. Hieronymus, *Suadere*, inquit, *quis dicitur, cùm id quod ipse habet & semel imbibit, cæteris etiam conatur inserere.*

Sensus ergo est: Ego Paulus ita audacter & sincerè loquor, & Iudaizantibus, aliudque euangelizantibus, anathema intento: quia licet olim acerrimè pro Iudæis ac iudaismo Euangelium impugnarim; *modò* tamen, id est nunc, Euangelij luce illustratus, non hominibus, præsertim Iudæis, me & causam hanc meam, meumque hocce Euangelium probare satago, sed Deo, cui vni placere contendo: vt in illius tribunali sincerè & fidenter illius reddam rationem. q.d. Non curo quid de me Iudæi, aliíve homines censeant, quasi rigidior sim, aut patriæ & iudaismi hostis: quæro enim vni Deo placere; cùm enim illis olim placui, Deo displicui. quòd si adhuc eis placere vellem, Deo B displicerem, quia legem Mosis statuerem, Christique gratiam destruerem.

ἀνθρωπαρέσκειαν vitium quale sit.

SI ADHVC HOMINIBVS PLACEREM, CHRISTI SERVVS NON ESSEM] Notat S. Hieron. & Anselm. ἀνθρωπαρέσκειαν, id est studium placēdi hominibus, vitium esse, quo quis ita hominibus assentatur, hominum fauorem & gloriam captat, vt paratus sit Dei legem violare, Deumque offendere: qui enim hominibus placere studet hoc modo & fine, vt eos ad Deum Deique cultum trahat, non tam hominibus, quàm Deo placere studet. *Homo*, inquit S. Augustin. *hic non placet vtiliter, nisi cùm propter Deum placet, id est, vt Deus placeat & glorificetur, cùm dona eius attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur. Cùm autem sic placet homo, non iam homo, sed Deus placet.* Sic Paulus 1. Corinth. 9. v. 21. C omnibus omnia factus est, vt omnes Christo lucrifaceret. Vide Chrysost. in moral homil. 29. in epist. 2. ad Corinth. quàm fauor & gloria mundi huius vmbratica sit & contemnenda. Piè & cordatè S. Hieron. ad Asellam: *Gratias*, inquit, *ago Deo quòd dignus sim, quem mundus oderit.*

VERS. 11. QVIA NON EST SECVNDVM HOMINEM] q.d. Non est humanum, sed diuinum Euangelium meum, non est hominis, sed Dei, &, vt Syrus, non est ab homine; non est scilicet ab hominum opinione vel inuentione profectum, sed Dei. vnde explicans subdit:

VERS. 12. NEQVE ENIM EGO AB HOMINE ACCEPI ILLVD, SED PER REVELATIONEM IESV CHRISTI] Tunc scilicet cùm ab eo raptus fui in tertium cælum, vt dixi 2. Corinth. 12. v. 1.

VERS. 13. PERSEQVEBAR ECCLESIAM DEI, ET EXPVGNABAM ILLAM] Hoc est, expugnare & euertere satagebam, siue expugnabam in actu inchoato, id est impugnabam illam, iuxta can. 32. Sic psal. 128. dicitur: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea*, id est, sæpè oppugnauerunt me, non autem re ipsa expugnauerunt: sequitur enim, *Etenim non potuerunt* (id est præualuerunt) *mihi*. S. Hieron. & Syrus vertunt, Vastabam, vel deuastabam illam, quasi videlicet quidam grassator & prædo, inquit Hieron. Vnde Græcum ἐπόρθουν venit à πέρθω, quod affine est, & vt aliqui volunt, deducitur per metathesin à πήθω, id est incendo, quòd hostis vrbes expugnās & agros vastans, omnia circumquaque populetur incendijs: licet alij, inquit Erasmus, πέρθω, dictum velint quasi πορθέω, id est, circumcurso, vti facit hostis omnia vastans: sic & Paulus cursitabat per vrbes & synagogas, vt Christianos caperet, vinci-

Paulus ante conuersionem persecutor Ecclesiæ.

ret, occideret. Dicit hæc Paulus, vt amoliatur à se suspicionem odij Iudæorum. q.d Impingunt mihi quòd sim hostis Iudæorum & iudaismi, sed falsò, vt patet ex vita mea anteacta. Nam ego ipse Iudæus sum, & pro iudaismo acriùs quàm ipsi pugnaui, donec Deus vocatione sua cor meum immutauit, & Christi fide ac luce illustrauit.

IN GENERE MEO (in gente mea, scilicet inter Iudæos; Syrus. In cogitatione mea) ABVNDANTIVS AEMVLATOR] id est, ardentior amator & imitator. Secundò, & melius. q.d. Ardentior zelator fui pro patrijs institutis mihi à maioribus traditis, græcè enim est ζηλωτὴς. zelotem ergo se vocat legis, eò quòd, vt vertit Syrus, maiorem in modum zelauerit doctrinam patrum suorum: nimirum zelotes fuit legis per ignorantiam, putans se rectè facere: ita multò magis cognita veritate zelotes fuit Euangelij, & zelum falsum zelo vero, eaque ardentiore expiauit. Hinc videtur Paulus natura & ingenio acri fuisse præ alijs Iudæis coætaneis suis; eaque fuit illi administra & eos virtutis, seruida enim natura non humi repit, sed ad magnas ignis instar extollit, arduaque molitur.

Pulchrè & solerter S. August. 22. contra Faustum c. 70. *Anima*, inquit, *virtutis capaces ac fertiles non* [illegible] *prauittunt sæpè vitiis, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accōmodatæ, si fuerint præcepto excultæ. Sic ille animi motus, quo Moses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem multum esse non pertulit, non seruato ordine potestatis, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Sic cùm Saulum Ecclesiam persequentem Deus de cælo vocauit, prostrauit, erexit, implicuit, tamquam percussit, amputauit, inseruit, fœcundauit: illa namque Pauli sæuitia, cum fœcundùm æmulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium Deo se facere, tamquam siluestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis indicium.* Hactenus August.

CVM AVTEM PLACVIT EI] Ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ θεὸς. Vat. Vatablus, *Cùm Deo visum est*: sed plus significat εὐδοκία, beneuolentiam scilicet, amorem & beneplacitum Dei, quo Deo complacuit in nobis, vt gratis & beneuolè nos vocaret ad suam gratiam ac salutem. Hoc enim significat Hebræum חָפֵץ *chapetz*, quod Septuag. vertunt εὐδόκησεν. Vnde subdit:

QVI ME SEGREGAVIT EX VTERO MATRIS MEAE: Deus scilicet, qui per dictam suam beneuolentiam segregando me ex vtero matris in hunc mundum nasci me fecit, & in hanc lucem edidit, eo scilicet fine, VT REVELARET FILIVM SVVM IN ME] vt dicitur v. seq. eò enim hic præcedens totus versus refertur, vt indicant Græca; quòd scilicet Deo placuit, & quòd me Deus ex vtero segregauit, & quòd vocauit me, hoc scilicet fine, *vt reuelaret Filium suum in me*. q. d. Deus ante omne meū meritum, me necdum natū prædestinauit, & prædestinatum segregauit ex vtero, nascique fecit ac natum vocauit, *vt reuelaret Filium suum in me*, hoc est, vt me ad Christi & Euangelij agnitionem adduceret, & consequenter ad apostolatum, vt euangelizarem Christum in Gentibus ita Ambros. Anselm Theophyl.

Sic de Ieremia, ait Hieron. dicitur cap 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in Gentibus dedi te*; eoque alludit hic Paulus: fuit enim Ieremias typus Pauli. Vnde pro *sanctificaui* est קִדַּשְׁתִּיךָ *kidaschtiche*, quod & sanctificaui & segregaui significat: re-

enim

enim sancta dicitur quasi segregata à parte, mare, rebusque terrenis, vt Deo dicetur & consecretur. Sic Paulus ab vtero per Dei prædestinationem fuit quasi Deo segregatus & consecratus Euangelio, vt esset Propheta, Doctorq; Gētium.

Mysticè, ait Anselm. *ex vtero matris*, id est ex cæcitate Synagogæ, *segregauit me Deus*, vt vocatus ab eo Euangelij lucem intuerer.

Nota *Segregatus* dicitur, qui est è grege selectus; sic prædestinati ex hominum grege Deo seliguntur: sic multò magis Apostolus & præco verbi Dei segregatur à vulgo, itaque vulgaribus præstare debet. Si ut gregem vniuersum pastor excellit, inquit ibi Chrysost.

Hac de causa Isaias Propheta c. 6. v. 5. gemens exclamat: *Væ mihi, quia vir pollutis labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* q.d. Miserum me, qui nihilo sum ciuibus sanctior, cùm ipsi sint merè profani. Alludit hìc Paulus ad B eymon sui nominis פלא *pele*, id est excellens, eximium, mirabile, ideoque à vulgo segregatum, vt dixi Roman. 1. 1.

16. VT REVELARET FILIVM SVVM IN ME] *In me*, id est mihi, in anima mea. est hebraismus: *bei* enim Hebræis est adhæsiuum.

Nota. Dicit potius *in me*, quàm Mihi, vt significet se non nudam auribus, vel oculis reuelationē excepisse, sed Christum, Christique doctrinam & spiritum intimo totoque corde imbibisse, ita vt Christus in eo esset, & per eum loqueretur. ita Theoph. Vnde Secundò, Hieron. & Vatabl. aptè vertunt: Vt reuelaret Filium suum per me. Addit Tertiò, S. Hieron. non dici Mihi, sed *in me*, quia in Paulo iam erat Christus: erant enim in ipso principia virtutum & Dei, ac fidei semina; sed hæc C non agnoscebat, nec iis credebat Paulus, donec hæc in ipso, eiusque corde reuelaret Deus. Hoc subtilius est, quàm germanius.

NON ACQVIEVI CARNI ET SANGVINI] q.d. Non adiunxi me vlli homini, non contuli de hac mea vocatione & reuelatione, modoq; eam exequendi, nec in consilium adhibui consanguineos vel vllum hominem; sed certò sciens me à Deo vocari & doceri, Deum vnum doctorem & ductorem secutus sum. Græcè est προσανεθέμην, quod Noster c. 2. v. 2. & 6. vertit, *non contulerunt.* ἀνατίθεσθαι, ait Budæus, est consilia & arcana communicare, & in sinum amicorum effundere, vt illi quasi consiliarij, ac sinceri iudices, ea probent, improbent, addant, demant, suadeant ac dissuadeant prout eis è re nostra esse videbitur. Sic & Hieron. Chrysost. Theophyl. & Syrus, qui vertit: D Non patefeci carni & sanguini, id est, vlli homini.

Nota. *Caro & sanguis* significant synecdochicè hominem carne & sanguine constantem. Sic Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, id est, nullus homo, *sed Pater qui in cælis est.* q.d. Ab homine Euangelium non sum edoctus, quia cum nullo homine illud contuli, sed à Deo solo illud per reuelationem accepi. Videte ergo, ô Galatæ, ne illud repellendo, & iudaismi mistione contaminando, contaminetis & repellatis Dei verbum, Deumque ipsum, qui illud mihi reuelauit, & præcauendum demandauit.

Dices: Cur ergo postea Paulus venit Hierosolymam videre Petrum v. 18. imò cum eo Euangelium contulit c. 2. v. 2. Respondeo, contulisse non

A quasi dubium, aut non satis instructum, vt plenius ac certius instrueretur; sed vt fideles quos docebat, cernerent eum in fide & doctrina communicare & consentire cum Petro, aliisque Apostolis, sicque plus fidei eius Euangelio tribuerent.

Aliter respondet Hieron. illud, *continuò*, referendum esse ad præcedentia; sicque esse dispungendum: *Vt reuelarem illum in Gentibus continuò, non acquieui carni & sanguini.* q.d. Cùm statim iuberer à Deo Gentibus euangelizare, statim acquieui, ita vt tum cum nullo mortalium conferrem, aut consilium inirem; postea tamen contuli cum Petro, Iacobo, Iohāne. Sed prior solutio solidior est. Rursum τὸ *non acquieui carni & sanguini*, sic exponi potest. q.d. Non inutsi, non adiunxi me parentibus carnalibus & consanguineis, sed illis relictis, Deum vocantem secutus sum. ita Augustin. & Oecumen.

Moraliter, hoc S. Pauli exemplum sequatur is, B qui à Deo ad apostolatum, ad Religionem, ad perfectionem Euangelicam, ad heroica opera vocatur, vt non acquiescat carni & sanguini, sed statim abeat ad id, ad quod vocari se sentit. Audiat S. Hieron. ad Heliodorum: *Quid facis*, ait, *in domo paterna delicate miles? vbi vallum? vbi fossa? vbi hiems acta sub pellibus? Recordare tirocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri. Ecce, aduersarius in pectore tuo Christum occidere conatur. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet parvulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater iaceat. per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Et infrà: *Facilè rumpit hæc vincula amor Dei & gehennæ timor. Si credunt Christo, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos.*

Mor. Vocatio Dei non est acquiescendum parentibus.

Idem ad Furiam viduam nobilissimam: *Contristabitur pater, sed lætabitur Christus: lugebit familia, sed angeli gratulabuntur. Faciat pater quod vult de substantia sua: non es cui nata es, sed cui renata, qui te grandi pretio redemit sanguine suo. Caue nutrices & gerulas, & ejusmodi venenata animalia, quæ de corio tuo satiare ventrem suum cupiunt: non suadent quod tibi, sed quod sibi prosit.*

Audiat & S. Bernard. serm. *Ecce nos reliquimus omnia. Quantos*, ait, *mundi sapientia maledicta supplantat, & in eis conceptum extinguit spiritum, quem volverat Dominus vehementer accendi? Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, magnum est quod proponis, experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Domino vomitū prouocare.*

NEQVE VENI HIEROSOLYMAM] Dices, Actor. 9. VERS. 71.
v. 26. mox à conuersione cùm Damasco fugeret Paulus, venisse Hierosolymam. Respondet Hieron. & Lorinus in Actor. 9. venisse Hierosolymam statim à conuersione necessitate fugæ compulsum, non autem vt Petrum videret, cum eoque conferret Euangelium; hoc enim tantùm hìc negat. Aliter respondet Baron. Act. 9. non dici Paulum statim à conuersione venisse Hierosolymam, sed post dies multos: putà post triennium, partim in Arabia partim Damasci exactum; cùm scilicet eò venit videre Petrum, vt hìc dicit v. 18. indeque

An Paulus à conuersione statim venerit Hierosolymam.

venit in partes Syriæ & Ciliciæ, vt hîc dicit v. 21. quod Lucas Actor. 9 declarat dicens v. 30. *Deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum, quæ est metropolis Ciliciæ.* Ita vt Lucas Act. 9 taceat Pauli profectionem in Arabiam, quia in eam nihil memorabile acciderat.

Vtraque sententia est probabilis. Priori fauet id, quod subdit Lucas: *Omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus. Barnabas autem apprehensum duxit illum ad Apostolos, & narrauit illis quomodo in via vidisset Dominum.* Conuersio enim tam miraculosa Pauli non videtur potuisse per triennium latere Apostolos & alios fideles Hierosolymis. Quod si ita est, vide & admirare cum Chrysost. gratiam Dei, quæ ex Paulo persecutore tanto tantum subitò doctorem effecit, vt statim à conuersione publicè docere & disputare cum Iudæis inciperet.

AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS] πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους, ad eos qui ante me fuerunt Apostoli, id est, qui ante me vocati sunt à Christo ad apostolatum.

VERS. 18. DEINDE POST ANNOS TRES VENI HIEROSOLYMAM VIDERE PETRVM] Græcè, ait Chrysost. & Theophyl. non est ἰδεῖν, sed ἱστορῆσαι, quòd dicitur de iis, qui visunt & lustrant splendidas vrbes, v. g. Romam, & cum obseruatione intuentur eius reliquias, Pontificem, Cardinales, clerum, viros{que} sanctos. q. d. Paulus: Veni Hierosolymam *videre Petrum*, non vt ab eo aliquid discerem (licet id quoque Græco ἱστορῆσαι significari velit Erasmus) qui diuinitus eram edoctus, sed vt tantum virum, Apostolorum scilicet principem, viderem ac honorarem. ita Theodor. Chrysost. Ambros. Hieron. (Aliam etiam causam suæ Hierosolymam profectionis dat Apostolus c. 2. v. 2.) *Petrus*, inquit Chrysost. homil. 87. in Iohannem, *os erat Apostolorum & princeps, propterea & Paulus eum præter alios visurus adscendit.* Et Hieron. hîc: *Venit Paulus videre Petrum, non vt oculos, genas, vultum{que} eius aspiceret: vtrùm macilentus an pinguis, adunco naso esset an recto, & vtrùm frontem vestiret coma, an (vt Clemens in Periodis eius refert) caluitiem haberet in capite. Nec puto Apostolicæ fuisse grauitatis, vt post tantam triennij præparationem aliquid humanum in Petro voluerit aspicere. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc à prudentibus quibus{que} Paulus ipse conspicitur. Quòd si cui non videtur, cum superiori sensu iungat hæc omnia, quòd nihil sibi Apostoli contulerint. Nam & quòd visus sit ire Hierosolymam, ad hoc isse, vt videret Apostolum; non discendi studio, qui & ipse eumdem prædicationis haberet auctorem; sed honoris priori Apostolo deferendi.* Hinc patet Paulum non vidisse Petrum, vt ab eo doceretur, vt volunt Erasm. & Vatabl. hoc enim negat c. 2. v. 6. *Mihi*, inquit, *nihil contulerunt.* Et hîc v. 11. & 12. disertè asserit se non ab homine, sed à solo Deo edoctum esse.

Duæ causæ ob quas Paulus inuiserit Hierosolymis Petrum.

ALIVM AVTEM APOSTOLORVM VIDI NEMINEM, NISI IACOBVM FRATREM DOMINI] Christi scilicet consobrinum, vel cognatum; Hebræi enim cognatos vocant fratres. Addit S. Hieron. præ aliis Apostolis etiam Christo cognatis Iacobum vocari fratrem Domini ob egregios mores, incomparabilem fidē & sapientiam, quibus videbatur Christo similis quasi frater. Vnde & Iacobus hic cognomento dictus est Iustus. Secundò, quia filius matris suæ, primos scilicet in Iudæa credentes, huic Iacobo quasi fratri Christus ad Patrem videns commendauit, ait Hieron. Fuit enim hic Iacobus Alphæi, filius Mariæ vxoris Cleophæ vnus è duodecim Apostolis, primus Episcopus Hierosolymorum. Vnde & in primo Concilio Hierosolymitano primus post Petrum sententiam dixit Actor. 15. 13. Huius Iacobi extat epistola canonica, ita Chrysost. Theophyl. Anselm.

Innuit tamen S. Hieron. tam hîc, quàm libr. de Script. Eccles. in Iacobo, hunc Iacobum non fuisse ex duodecim Apostolis, dici verò hîc Apostolum, quia Christum viderat, eumque prædicarat. ita vt tres fuerint Iacobi. Primus, frater Iohannis, quem Herodes occidit. Secundus, Alphæi, ambo Apostoli. Tertius, hic frater Domini. Sed cùm hic frater Domini vocetur Apostolus, nihilque cogat alium hunc facere à Iacobo Alphæi Apostolo, imò multa, multiq; eumdem esse suadeant; hisce de causis prior sententia verior videtur.

CORAM DEO (supple, affirmo & assero) QVIA, id est quòd, NON MENTIOR] Vnde breuiùs & planiùs vertit Vatabl. *quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo*, scilicet scribo, *non mentior*; Græcum enim ἰδοὺ tantùm habet vim asseuerandi, non ita Latinum, *quia*: vnde omisso *quia* faciliùs nuda hæc asseuratio intelligitur apud Latinos. ita Theophyl. Ambrosius tamen & August. putant esse formulam iurantis: *coram Deo*, id est, Deum testor.

Nota. Tam seriò & grauiter asserit se alios Apostolos non vidisse, ne quis dicat Paulum secretò eos adiisse, & ab eis, non à Deo edoctum esse. ita Hieron.

ERAM AVTEM IGNOTVS FACIE] secundùm faciem non viderant me Christiani, qui erant in Iudæa. Id dicit, ait Chrysost. vt probet se in Iudæa non docuisse, nec prædicasse circumcisionem & legem veterem, sicut illi Iudaizantes obiectabant.

QVÆ ERANT IN CHRISTO] in Christi fide & religione, id est, quæ erāt Christianæ. vide cap. 3. 7.

AVDITVM HABEBANT] rumorem habebant. Græcè ἀκούοντες ἦσαν, audientes erant, auditum ab illis erat, id est audierant.

EXPVGNABAT] oppugnabat. Vide dictum v. 13.

CLARIFICABANT] Græcè ἐδόξαζον, glorificabant; Ambrosius legit, magnificabant.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Paulus se suum Euangelium cum Petro, Iacobo & Iohanne contulisse, illudq; ab eis approbatum esse per omnia, ita vt nihil ab eis doctrinæ illius additum, aut demptum sit.

Secundò, v. 7. docet se ab eis accepisse dextras societatis, vt ipsi Iudæis, Paulus verò Gentibus euangelizaret.

Tertiò v. 11. narrat se palàm Petrum reprehendisse, quòd incautè Iudaismum simularet, itaq; Gentes ad iudaizandum incitaret.

Quarto,

Quartò, v.16. probat nos iustificari non ex operibus legis, sed ex fide Christi, adij. tribus rationibus. Prima est, v 17. quia alioqui Christus legem abolens esset peccati minister. Secunda, v.19. quia lex ipsa profitetur se in Christo desinere & mori. Tertia, v.21. quia alioqui gratis Christus mortuus esset.

1. DEinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. 2. Ascendi autem secundùm reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est circumcidi: 4. sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent. 5. Quibus neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos: 6. ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. 7. Sed econtrà cùm vidissent quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis: 8. (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes) 9. & cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Iohannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: vt nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem: 10. tantùm vt pauperum memores essemus: quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere. 11. Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. 12. Priùs enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. 13. Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. 14. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè: quomodo Gentes cogis iudaizare? 15. Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. 16. Scientes autem quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. 17. Quòd si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit. 18. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: prænaricatorem me constituo. 19. Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam. Christo confixus sum cruci. 20. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus. Quòd autem nunc viuo in carne: in fide viuo filij Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 21. Non abiicio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

POST ANNOS QVATVORDECIM ITERVM ASCENDI HIEROSOLYMAM] Petes: Vnde hi anni inchoandi sunt, an à vocatione Pauli, de qua dixit c.1.v.15. an à triennio post eam acto Damasci & in Arabia, de quo c.1.v.18. S. Hieron. numerat à triennio post vocationem exacto, cui adde hos quatuordecim annos, fiet annus à vocatione Pauli 17. Christi 54. (à Christi enim anno 36. quo conuersus est Paulus, si septemdecim annos numeres, pertinges ad annum Christi 54.) Claudij Imp. 12. quo hic Pauli ascensus contigit.

Verùm cùm Claudius sequenti anno 13. regnare desierit, eique statim successerit Nero, cuius anno 2. Paulus vinctus missus est Romam, vt describitur Actor. 21. hinc sequeretur, omnia gesta Pauli quæ describuntur ab Actor. 15. (idem enim est iter Pauli hîc, & Act. 15. vt mox dicam) ad cap. Act. 21. gesta esse biennio, ab anno scilicet Claudij 13. ad Neronis secundum. quod non videtur verisimile; illa enim gesta tot & tanta plus temporis exigunt: cùm præsertim ex Act. 18. 11. constet post hæc acta Hierosolymis, Paulum permansisse Corinthi anno cum dimidio, rursumque tres annos egisse Ephesi, vt patet Actor. 20. v. 31. Quare Baronius & alij verius putat, hos quatuor decim annos inchoandos esse à Pauli vocatione, de qua dixit c.1.v.15. eò enim respicit: à vocatione enim sua tam illustri annos numerat & consignat, sicuti nos vocationis ad papatum, episcopatum, Religionem annos numeramus, & cuique hanc quasi æram statuimus

Nota. Hæc Pauli Hierosolymam profectio eadem est cum illa, qua Actor. 15. ad Concilium Hierosolymitanum profectus est: eadem enim causa, idem locus, eædem personæ sunt vtrobique. Ita Patres, præter Chrysost. cuius hoc est argumentum: Act. 15. missus est Paulus Hierosolymam ab hominibus, Christianis scilicet Antiochenis. hîc verò v.2. ait se Hierosolymam adscendisse, *secundùm*, id est per *reuelationem*; ergo hoc iter non fuit idem, sed diuersum. *Profectio hæc Pauli Hierosolymam est eadem cum ea qua describitur Act. 15.*

Respondeo. Neg conseq. vtrumque enim verum est, missum scilicet Paulum ab Antiochenis, & ascendisse secundùm reuelationem: quia scilicet, vt notat Beda, monitus fuit oraculo diuino, vt missionem hanc & legationem ab Antiochenis delatam pro eis susciperet; idque tum communis illius quæstionis de seruandis legalibus, vt habetur Act. 15 decidendæ, tum propria suiipsius causa, vt scilicet cum Apostolorum Principe, primatúsque

riisque Apostolis conferret suam doctrinam & Euangelium, vt hic dicitur v. 2.

Ex dictis sequitur, Concilium Hierosolymitanum celebratum esse post 14. annos à conuersione Pauli, putà anno 16. à passione Christi, qui fuit annus Claudij Imp. nonus, Christi 51. ita Baron.

VERS. 2. CONTVLI CVM ILLIS EVANGELIVM, QVOD PRÆDICO] ἀνεθέμην, contuli, communicaui, in medium proposui Euangelium meum Petro & Apostolis, illos quasi iudices Euangelij mei cõstituens, vt quod illi de eo decernerent, ac communi consilio probarent, improbarẽt, adderent, demerentque, id ego sic credendum, sic docendum susciperem. Vide dicta c. 1. v. 16.

Nota, Apostolum non contulisse cum Apostolis suum Euangelium, quòd dubitaret de eius veritate, vel integritate, aut certè an concordaret cum Petri aliorumque Apostolorum Euangelio: sciebat enim certissimò, Deo reuelante, se idem cum cæteris Apostolis Euangelium plenum & perfectum à Deo accepisse, vt patet c. 1. v. 11. & 12. Contulit ergo cum Apostolis Euangelium non propter se, sed propter alios ad Christi fidem conuersos, apud quos à pseudoapostolis iudaïzantibus diffamatus erat Paulus, quòd apud Gentes legi Mosi detraheret, cùm contrarium docerent & facerent Petrus, Iacobus & Iohannes, imò ipse Paulus apud Iudæos iudaïzaret: Paulus ergo vt contrarium ostendat, suamque doctrinam doctrinæ Apostolorum consentientem, pariter & auctoritatem tueatur, confert cum eis Euangelium: *Ne fortè*, inquit, *in vacuum currerem, aut cucurrissem.*

Paulus cur cum aliis Apostolis contulerit Euangeliũ.

CVM ILLIS] putà Hierosolymitanis primis ac primariis Christianis: nam illud adiectiuum latens in substantiuo Hierosolyma, quod præcessit, more Hebræo demonstrat pronomen *illis*, scilicet Hierosolymitanis ad quos Hierosolymam ascendi.

QVI VIDEBANTVR ALIQVID ESSE] id est, qui videbantur esse columnæ (vt ait v. 9.) Ecclesiæ, ac primarij Apostoli. ita Hieronymus. Græca hîc, & v. 6. tantùm habent, τοῖς δοκοῦσι, qui videbantur, id est, vt Oecumen. qui habebantur in pretio. Græci enim δοκοῦντες vocant eos, qui magnæ sunt auctoritatis; ἀδόξους, quorum nulla, vel parua est auctoritas.

NE INVACVVM CVRREREM] ne pseudoapostolis iactantibus doctrinam meam ab Apostolis reprobari, mihi, fideique meæ fideles non credant, & sic meus omnis labor cassus reddatur. ita Hieron. epist. 11. ad August. inter epist. August. Tertull. 4. contra Marcionem, & disertè August. 28. contra Faustum c. 4. vbi hinc contra Lutherum docet verbum Dei etiam sincerissimum, omnesque eius præcones opus habere testimonio & auctoritate hominum. *Quis est*, ait S. August. loco citato, *tam demens, qui hodie credat esse epistolam Christi, quam protulerit Manichæus, & non credat facta, vel dicta esse Christi, quæ scripsit Matthæus? Aut si etiam de Matthæo, vtrùm ipse ista scripserit, dubitat, de ipso quoque Matthæo non potiùs id credat, quod inuenit in Ecclesia, quæ ab ipsis Matthæi temporibus ad hoc vsque tempus certa successionum serie declaratur: & credat nescio cui transuerso de Perside, post ducentos vel amplius annos venienti, & suadenti, vtilli potiùs, quid Christus dixerit fecerit ue credatur: cùm ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cælo vocatus, si non inueniret in carne Apostolos, quibus communicando Euangelium, eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet?*

Verbum Dei & eius præcones opus habent testimonio & auctoritate hominum contra Lutherum & Nouantes.

Notent hæc, sibique applicent Nouantes, qui Caluino post 1500. annos venienti, & dogmata noua afferenti potiùs quàm Ecclesiæ, totique seculorum consensioni credere maluut.

Nota, testimonium hoc non pertinere ad laicos etiam Magistratus, sed ad Petrum & Apostolos, id est, ad Romanum Pontificem & Episcopos Apostolorum successores, siue seorsim, siue in communi eorum Concilio: hoc enim suæ & doctrinæ & apostolatus testimonium petiit Paulus ab Hierosolymitano Concilio, in quo iudices erant Apostoli, Petrus quasi Præses præloquebatur & sententiam dictabat. Sic à tempore Apostolorum hucusque orbis Christianus vniuersus in fidei dubiis, nouis dogmatibus, subnascentibusque hæresibus à Pontifice Romano & Conciliis, quibus vel per se, vel per legatos præest Pontifex Romanus, veritatis decisionem & testimonium petiit, ab eisque damnata dogmata, vel doctores pro hæresibus ac hæreticis habet. Soli hæretici, qui hæretici, ab ea damnandi, hoc iudicium, hoc testimonium declinarunt, omnique ætate subterfugerunt. Vnde non mirum si nostri Nouantes idem defugiant: nimirum hoc ipsum nouitatis, malæ fidei, hæresis certum est argumentum.

NEQVE TITVS, CVM ESSET GENTILIS COMPVLSVS EST CIRCVMCIDI] Nota. ait *compulsus est*, q.d. Vrgentibus licet, & quasi impellentibus Iudæis falsis fratribus, nolui cedere & concedere, vt Titus, vtpote Gentilis, circumcideretur: sic enim visus fuissem ipso facto Gentilibus asserere necessariam esse circumcisionem & legem Mosis. Vnde quòd postea Act. 16. 3. Timotheum circumcidi, non id compulsus, sed sponte feci, ne Iudæos irritarem: erat enim Timotheus non purè Gentilis, sed ex Iudæa matre semiiudæus, & ex Gentili patre semigentilis.

GENTILIS] Græcè ἑλλὴν, Græcus, id est Gentilis: nam tempore Alexandri Græci inter Gentiles celeberrimi & notissimi erant Iudæis.

SED] Repete hebraismo *neque* ex v. præced. q.d. Ne quidem vrgentibus Iudæis, qui erant falsi fratres, Titus est circumcisus. ita Chrysost. Oecum. Secundò, S. Hieron. tollit *sed*, vt cohæreat cum v. præced. q.d. Neque Titus compulsus est circumcidi propter subintroductos falsos fratres. Tertiò aptissimè & clarissimè Græcum ἀλλ' ὅτι, quod Noster vertit, *sed propter*, accipias pro ὅτε, vel ὅτε τοῦ, id est nempe, cuius enallages Budæus habet exempla. q.d. Non compulsus est, nempe, vel, vt Gagneius vertit, etiam cùm falsi fratres vrgerent eum circumcidi.

Quòd enim aliqui cum Primasio voculam *sed*, propriè & aduersatiuè accipiunt, quasi velit dicere Paulus, Titum ab Apostolis quidem non fuisse compulsum circumcidi, sed tamen propter importunitatem falsorum fratrum fuisse circumcisum, planè repugnat tum sequentibus verbis, cùm ait, *Quibus neque ad horam cessimus*: tum sanæ fidei. Iam enim abrogata circumcisione, & promulgato Euangelio ac baptismo, illicitum erat Gentilibus circumcidi: Titus autem planè & vtroque parente Gentilis erat. Ita de Tito disertè præter alios docet S. August. epist. 19. ad Hieron. & lib. de Mendacio c. 5.

SVBIN-

SVBINTRODVCTOS, παρεισάκτους, quod Vatablus A vertit, Obiter ingressos; melius Noster, *subintroductos*, id est subinductitios, QVI (scilicet nobis aliud agentibus, quasi exploratores insidias molientes) SVBINTROIERVNT] παρεισῆλθεν, id est, clanculò & insidiosè irrepserunt: hoc enim innuit ἐῆλθε, quod sæpè in vitium accipitur, notatque fraudes & insidias, de quo dixi Rom. 5. 20.

EXPLORARE LIBERTATEM NOSTRAM à seruitute & onere tam multiplicium cæremoniarum & obseruantiarum legalium, QVAM HABEMVS IN CHRISTO IESV] per Christum, in Christi fide, Ecclesia, religione.

Vers. 5. QVIBVS NEQVE AD HORAM CESSIMVS SVBIECTIONE] per subiectionem, subiiciendo nos Iudaizantibus. Malè quidam legunt in datiuo: *subiectioni*.

Vers. 6. AB IIS AVTEM QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID, B supple, nihil, doctrinæ mihi collatum est. abripitur enim more suo Apostolus, & interiicit subdens (QVALES ALIQVANDO FVERINT, NIHIL MEA INTEREST) & mox redit, sed priore casu mutato in eum, quo abreptus fuerat, dum subiicit: NIHIL ENIM QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID, (scilicet, Petrus, Iohannes, Iacobus primarij Apostoli) NIHIL CONTVLERVNT] ita Anselmus.

QVALES ALIQVANDO FVERINT] quòd scilicet hi primarij Apostoli, qui videntur esse aliquid, fuerint indocti, piscatores, pauperes, abiecti, cùm ego ciuis Romanus zelo & scientia legis excellerem ita Ambros. & Anselm. quia enim aliorum Apostolorū quasi iudaizantium auctoritate premebatur Paulus, eam eleuat, vt suam auctoritatē, & consequenter doctrinā erigat, modestè tamen. Vnde subdit, *Deus personam hominis non accipit*, vt C hîc patet, cùm piscatores in Apostolos elegit.

Secundò, Augustin. *quales*, scilicet peccatores. q. d. Non est ergo quòd mihi quis obiiciat peccata persecutionis meæ, aut certè & Petro obiiciat, quòd Christum in passione negarit.

Tertiò, Chrysost. & Hieron. *qualescunque fuerint*, scilicet in doctrina, & obseruatione circumcisionis & legalium, nihil ad me, Deo reddente rationē; Deus enim nullius personam accipit. Primus sensus maximè planus videtur esse ex mente Apostoli.

DEVS PERSONAM HOMINIS NON ACCIPIT] *Personam*, id est, personæ conditiones, quæ impertinentes sunt ad gratuitam Dei vocationē: has enim attendere in conferendis beneficiis ac officiis, in homine vitium est oppositum iustitiæ distributiuæ, quod προσωποληψία, hoc est personarum acceptio, dicitur; in Deo non esset vitium, sed minùs congruum eius liberalitati & celsitudini, vt D dixi Rom. 2. 11.

MIHI NIHIL CONTVLERVNT] Valla, Nihil addiderunt: sed græcè est, οὐδὲν προσανέθεντο, nihil communicarunt, contenti mea sufficienti communicatione & expositione doctrinæ meæ, quam euangelizo. Vide dicta c. 1. v. 16.

Vers. 7. CREDITVM EST MIHI EVANGELIVM PRÆPVTII (id est, Gentium præputiatarum) SICVT ET PETRO CIRCVMCISIONIS] id est, circumciforum Iudæorum. ita Theophyl. Vide can. 11.

Dices: Ergo Petrus non fuit caput Ecclesiæ, sed tantùm Iudæorum Apostolus & Papa ita Illyricus & alij. Respondent aliqui, hæc tantùm dici de cura & diuisione patrocinij: Petrum scilicet esse constitutum, vt Iudæos; Paulum, vt Gentiles protegerent: sed quia subdit, *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis*, id est, vt circumciforum Apostolus foret, *operatus est & mihi inter Gentes*, vt scilicet Gentiū essem Apostolus; munus habere gratias, charismata Apostolica inter Gētes.

Hinc melius respondet Hieron. illo tempore, initio scilicet Ecclesiæ, quo Iudæi à Gentibus naturaliter adhuc, vt patet v. 12. abhorrebant, Petrus & Paulus partiti sunt non potestatem, sed operas, vt Paulus Iudæis exosus primò ac præcipuè Gentibus prædicaret, Petrus Iudæis: nam alioqui & Paulum Iudæis euangelizasse, patet Act. 9. & Petrum Gentibus, patet Act. 10. & quia sedem suam Romam ad Gentes transtulit, vt historici omnes, Patres, chronica & monumenta consentiunt. Vide illa apud Bellarminum: adeò vt hac de re & traditione velle dubitare, non sani sit cerebri, sed mentis emotæ, aut certè frontis perfrictæ.

QVI OPERATVS EST PETRO (ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ, qui inoperatus est Petro, qui in Petro suam energiam, vim & efficaciam ostendit) IN APOSTOLATVM CIRCVMCISIONIS] id est, vt fieret Apostolus Iudæorum circumciforum; is eamdem in me Paulo ostendit apud & inter Gentes. Syrus vertit: Qui efficax fuit in Petro, in me quoque efficax fuit, in tot videlicet miris & miraculis patrandis, in tanta sermonis efficacia, in tot Gentium per me facta conuersione. Vers. 7.

CEPHAS] Putauit Clemens Alexandrinus apud Euseb. lib. 2. Hist. c. 12. & Dorotheus in Synopsi, Cepham hunc non fuisse Petrum Apostolum, sed vnum è LXX. discipulis. Verùm alium Cepham nec nouit, nec celebrat Ecclesia, quàm S. Petrum, eumque hîc designari patet ex eo quod subdit, *Qui videbātur columnæ esse*; erat ergo Apostolus, imò princeps Apostolorum. Vnde illi, quasi primario præ Iacobo & Iohanne opposuit se hîc Paulus v. 14. Qui ergo Syriacè in Syria, nimirum Antiochiæ, Cephas vocabatur, idem græcè à Græcis dictus est Petrus. Vnde quem hîc Cepham, v. 7. Petrum vocat. ita Hieron. Anselm. Baron. Bellarmin. & alij. Vers. 9. *Cephas & Petrus idem est.*

DEXTERAS DEDERVNT MIHI, ET BARNABÆ SOCIETATIS] id est, dextras sociales in societatis symbolum, quia in fide & dogmate vtrique eramus concordes & associati. ita Anselm.

VT NOS IN GENTES (ad Gentes, erga Gentes; Syrus, Inter Gentes, supple apostolatu fungeremur) IPSI AVTEM (Iacobus, Cephas, Iohannes) IN CIRCVMCISIONEM] id est, apud circumcisos Iudæos. Vt, sicut Iudæis quasi primis & primariis promissus & datus est Christus, qui inde vocatur Minister circumcisionis, id est circumciforum, ad Rom 15. v. 8. ita primarij Apostoli primas suas operas apud eosdem collocarent.

TANTVM (supple submonuerunt, vel rogarunt) VT PAVPERVM MEMORES ESSEMVS] *Pauperum*, scilicet Iudææ, qui propter Christi fidem à Iudæis spoliati erant bonis, ad Hebr. 10. 34. ita Chrysost. Idipsum euincit particula *tantùm*, quæ alioqui non bene cohæreret. Vel, vt Hieron. voluntariè *pauperum*, qui possessiones suas vendiderant, pretiumque dederant Apostolis inter fideles, maximè pauperes, quorum magna erat copia, distribuendum, Actor. 2. 45. Vers. 10.

QVOD ETIAM SOLLICITVS FVI HOC IPSVM FACERE] Redundat hebraismo *hoc ipsum*. Hebræi enim repetunt antecedens cum relatiuo.

VERS. II. IN FACIEM EI (Cephæ) RESTITI] *In faciem*, id A est, in speciem, exteriùs, simulatè, & ex composito. ita aliqui cum Erasmo. Secundò, planiùs & veriùs, *in faciem*, id est, vt vulgò dicimus, in os, in barbam, apertè, palàm Petro restiti, idque vt hac ratione scandalum eius publicum publica correptione emendaretur. ita Augustin. Ambros. Beda, Anselm. & alij passim.

Quadruplex sensus horum verborum, quia reprehensibilis erat.

QVIA REPREHENSIBILIS ERAT] ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, quia reprehensus erat, ab aliis scilicet fratribus, qui hoc Petri facto fuerant offensi, ignorantes legitimam Petri mentem & causam, ait Chrysost. & Hieron. Vnde & Syrus vertit, Quia offendebantur in eo.

Secundò, vt Theophyl. & Oecum. reprehensus erat Petrus ab aliis Apostolis, quòd cum Cornelio Gentili sumpsisset cibum Cæsareæ. Hinc veritus ne rursum ab eis aliisue Iudæis reprehenderetur, subduxit se à Gentium mensis & conuersatione. B

Tertiò & meliùs, Ambros. reprehensus erat scilicet à veritate, & libertate Euangelica, quæ Gentes à iudaismi vmbris & seruitute liberat & eximit.

Quartò, optimè Noster vertit, *reprehensibilis*: hebraismo enim participia passiua sumuntur sæpè pro verbalibus terminatis in *bilis*, quibus carent Hebræi. Ita Latini passim, & patet ex anteced. & consequentib. dat enim causam cur restiterit ei, scilicet hanc: *quia reprehensibilis erat*, putà in simulatione iudaismi, vt sequitur.

An Petrus verè à Paulo reprehensus.

Quæritur, an verè reprehensibilis, & reprehensus fuerit Petrus à Paulo. Acris hac de re per multos annos fuit dissertatio inter S. Hieron. & August. vt patet ex epistolis vtriusque to. 2. operum Augustini epist. 8. 9. & sequentibus. Negant Hieron. Chrysost. Theophyl. Baron. putantque tantùm vtrimque simulatam fuisse reprehensionem: Petrus scilicet, qui Hierosolymis cum Iudæis iudaicè vixerat, idque licitè, veniens Antiochiam cum Gentibus gentiliter vixit; sed superuenientibus Iudæis à Iacobo Hierosolyma Antiochiam missis, ne eos offenderet, vtpote primos & primarios in fide & Ecclesia Christi, vt dixi v. 9. à Gentibus ad Iudæos se subduxit; simul vt daret occasionē Paulo Gentium Apostolo se reprehendendi; vtque, ei cedens, ipso facto doceret Iudæos, non esse ampliùs iudaizandum. E contrariò S. August. asserit Petrum verè fuisse reprehensibilem, & reprehensum à Paulo; id enim verba clarè significant. C

An liceat aliquando simulare & mentiri.

Hinc Secundò, inter Hieronymum & Augustinum orta est quæstio de simulatione & mendacio. Hieron. enim asserit licere subinde simulare instar Petri hîc. Negat August. Petrum simulasse docetque numquam licere mentiri aut simulare, præsertim in negotio fidei & religionis. Sed in hac secunda quæstione non videntur Hieron. & August. satis se inuicem intellexisse. non enim dixit Hieron. Petrum mentitum esse, aut simulasse iudaismum exteriùs, quem interiùs in corde detestaretur, vti Hieronymum videtur intellexisse Augustinus, cùm in eum tam acriter insurgit, quasi doceret Petrum licitè iudaismum simulasse: sic enim cuilibet fideli licita foret falsæ fidei hæreseosque professio, qui est error in fide. Sed tantùm docet Hieron. vt & Chrysost. non veram, sed simulatam fuisse reprehensionem Petri à Paulo. ex composito enim vtriusque consensu Paulum reprehendisse Petrum incautæ, non simulationis, sed dissimulationis iam dictæ, Petrumque reprehensionem hanc admisisse ex composito, vt Petro in speciem reprehenso iudaizantes verè reprehenderentur, & cum Petro agnoscerent non esse iudaizandum: quod licitum esse non negat August. negat tamen ita accidisse, cùm ex eius sententia, vera, & non simulata fuerit hæc reprehensio. D

Quare malè ex hoc loco Cassianus collat. 17. c. 17. vsque ad 25. Origenes, Clemens, Erasmus, & alij apud Sixtum Senensem libr. 5. annotat. 105. putant licere subinde mentiri, approbantque illud Platonis axioma: *Licet res mala sit mendacium, eo tamen aliquando vtendum est, perinde ac vtimur helleboro, vel alio medicamine.* Hic enim iam certus est error damnatus ab Innocentio III. *tit. de vsuris, c. Super eo.* Imò ab Eccles. c. 7. v. 21. *Noli*, inquit, *velle mentiri omne mendacium.* Et contra eum disertè scripsit August. lib. de Mendacio, & l. Contra mendacium. Neque est, quòd quis obiiciat Hieron. & Chrysost. hîc: quia illi, vt dixi, nō mendacium in Petro, sed facti, putà reprehensionis simulationem, vel potiùs occultam compositionem tantùm admittunt, & excusant: hæc enim subinde licita est, vt patet in stratagematibus militum, quibus hostes, fugam simulando, in latentes insidias pelliciunt.

Fuit & tertia quæstio inter S. Hieronymum & Augustinum, quando cessarit lex vetus, & legalia præcepta. Sed hæc aliò spectat, de qua tamen dico breuiter: Quoad obligationem lex vetus cessauit in Pentecoste; tunc enim promulgata fuit lex noua, cœpitque obligare; ac proinde abolita est lex vetus, desitque obligare, non tamen ita cessauit, quin adhuc ad tempus seruari posset, donec Iudæi sensim & suauiter ab ea abducerentur, eamque cum honore sepelirent. In hoc dissidio Augustini & Hieronymi, verior videtur S. Augustini sententia.

Dico ergo Primò. In hoc Petri facto fuit aliquod peccatum, non erroris in fide, vt quidam temerè asseruerunt; sed in facto, incautæ videlicet simulationis & professionis iudaismi, quodque scandalum daret Gentibus vt secum iudaizarent, subducendo scilicet se à Gentibus, quibus hactenus conuixerat, & ad Iudæos aduenientes subitò transiens, cum eisque iudaicè viuens. Vnde Gentes iure opinari poterant iudaismum tam sibi, quàm illi esse necessarium ad salutem, & Christianos obligare. licet enim necdum mortiferæ essent lex & cæremoniæ veteres, seruarique possent ad legem suauiter & cum honore sepeliendam, & Iudæorum animos ad Christi fidem alliciendos; erant tamen mortuæ, & insuper mortiferæ, si quis eas seruaret putans, vel ita se gerens, quasi ad eas teneretur; & quasi lex vetus Christianos obligaret. Petrus autem licet id non putaret, ita tamen incautè se gessit, vt Gentibus hoc suspicandi iustam occasionem dederit.

Patet, quia id clarè secundò & tertiò hîc docet Paulus: Ei, inquit, *restiti, quia reprehensibilis erat.* Et v. 14. *Cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ: Quomodo Gentes cogis iudaizare?* tua scilicet simulatione, &, vt græcè, hypocrisi: quæ omnia Petrum peccasse euincunt; vel (quod absit) mentitur Paulus, ait S. August. epist. 8. 9. & 19. ad Hieron. Cyprian. epist. ad Quintum, Gregor. homil. 18. in Ezechielem, Ambros.

brosi & passim Latini veteres & moderni.

Dico Secundò. Hoc tamen peccatum Petri leue fuit & veniale, aut materiale tantùm, ex inconsideratione nimirum vel defectu luminis & prudentiæ; putabat enim bona fide Petrus se Iudæorum, quorum præcipuè hactenus fuerat doctor & Apostolus, offensionem cauere debere potiùs quàm Gentium, & Gentes idipsum scire, aut facilè cogitare posse. Sed in hac sua opinione erauit Petrus: licèt enim, ait D. Thomas, Spiritus sanctus in Apostolos descendens in Pentecoste, eos deinceps confirmauerit in prudentia & gratia, vt euitarent omnia peccata mortalia, non tamen vt omnia venialia effugerent.

Nota, vti in verbis, ita & in factis esse mendacium. Verbi gratia si quis exteriùs se gerat vt amicum vel probum, cùm sit inimicus vel improbus; hic mentitur, estque hoc mendacium facti, quod propriè dicitur hypocrisis. Sic si quis Christianus Romæ gestet pileum flauum, mentitur se esse Iudæum.

Vbi tamen Aduerte cum Caietano, facta facilius quàm verba excusari à mendacio, vel hypocrisi. Ratio est, quia verba propriè & expresè sunt signa conceptuum mentis, & ad illos significandos sunt instituta; facta non item, sed latiorem patiuntur interpretationem. Vnde si milites metum & fugam simulent, vt hostem pelliciant in insidias, non est propriè hypocrisis vel mendacium: esset tamen mendacium, si idipsum verbo enunciarent, dicentes, Nos fugimus, quia timemus vestrum, ô hostes, robur.

Vbi Nota Secundò hanc regulam: cùm in facto aliquo iusta est causa veritatem tegendi & dissimulandi, nulla in eo est hypocrisis vel mendacium. Sic in hoc facto & dissimulatione sua Petrus ex parte iustam habuit causam, scilicet metum ne offenderet Iudæos: abducere enim se à Gentibus, & accedere ad Iudæos, non est dicere absolutè, Ego sum Iudæus, & iudaizo; sed est dicere, Ego malo Iudæis seruire & adhærere, quàm Gentibus: huius enim rei iustam habeo causam; scilicet quòd sum Apostolus & doctor Iudæorũ potiùs quàm Gentium. Dico ex parte aliqua: nam omni ex parte & in totum non fuit iusta hæc causa: debebat enim Petrus ita curare Iudæos, vt tamen nõ negligeret, nec offenderet Gentes; erat enim omnium tam Iudæorum, quàm Gentium pastor & rector. Vnde hac ex parte, quòd scilicet Gentes offenderet, peccauit Petrus ex inconsideratione & veniabiliter. Vix enim potest humanæ mentis infirmitas in rebus perplexis omnes circumstantias ita considerare & librare, vt non aliquando deficiat, eligatque id quod sibi bonum videtur respectu vnius, non considerans id malum esse respectu alterius.

Dices: Ergo Paulus vtpote corripiens ac corrigens Petrum, Petro auctoritate par fuit, vel superior, ac consequenter Petrus Pauli & Apostolorum caput & princeps non fuit.

Resp. Nego consequentiam: nam ab inferioribus corrigi posse superiores cum humili charitate, pro veritate tuenda, hinc docet Augustinus epist. 19. Cyprian. Gregor. S. Thomas & alii suprà, quibus ego docent Petrum superiorem à Paulo inferiore correptum esse. Vnde infero: cùm Paulus ceteris Apostolis fuerit par, hos etiam Petro inferiores fuisse, ac consequenter Petrum Apostolorum totiusq; Ecclesiæ, cuius Apostoli sint capita, caput esse. Vnde aptè Gregor. hom. 18. in Ezech. *Tacuit Petrus, vt qui primus erat in apostolatus culmine primus esset in humilitate.* Et Augustin. epist. 19. ad Hieron. *Rarius, ait, & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent minores maioribus pro defendenda veritate, salua charitate, resistere.*

A

CVM GENTIBVS EDEBAT] sine delectu fuillam alioſque cibos, quos Iudæis vetuit Moses Leuit. 11. hoc facto docens, huius delectus totiusq; legis obseruationem non esse necessariam ita Anselm. VERS. 12.

ET SIMVLATIONI EIVS CONSENSERVNT CÆTERI IVDÆI] q. d. Cæteri Iudæi simulabant cum Petro: ita Græci. VERS. 13.

B

Quæritur, quæ & qualis fuerit hæc simulatio? Resp. Hieron. Chrysost. Oecumen. fuisse dispensationem, prudentiam & cautionem, ne scilicet Iudæos offenderent, prudenterque texisse immunitatem à lege. Melius Augustin. Anselm. & Latini censent vitium fuisse hypocrisis, quòd simplicitati ac veritati opponitur. Vnde Græcè est ὑποκρίνεσθαι, hypocriticè egerunt cum ipso; simulabant enim legis obseruationem, cùm verè non intenderent eam seruare: sciebant enim eam abolitam esse. se tamen aliis Iudæis accommodare intendebãt. Hos secutus Barnabas & ipse finxit, id est, ita se gessit, ac si cibos cum Iudæis discerneret, & Gentium conuersionem abhorreret quasi Iudæi præferendi essent Gentibus conuersis, & quasi lex vetus ad salutem esset necessaria: ita enim se gerebant, vt iure ex eorum facto id opinari possent Gentes, licet id non intenderent, imò fortè non aduerterent Petrus & Barnabas. *Simulatio iudaismi in Apostolis vitium hypocrisis.*

C

SED CVM VIDISSEM QVOD NON RECTE AMBVLARENT AD VERITATEM EVANGELII] Pro *rectè ambularent*, significantiùs græcè dicitur ὀρθοποδοῦσι, quod respõdet Hebræo יָשַׁר *isscher* & יָשָׁר *iascher*, significatque recto pede incedere, recta dirigere gressum, vt non cespites, neque ad dextram, vel sinistram deflectas. VERS. 14.

DIXI CEPHÆ: SI TV CVM IVDÆVS SIS, GENTILITER VIVIS, ET NON IVDAICE, QVOMODO GENTES COGIS IVDAIZARE?] *Gentiliter viuis*, id est, communi cibo & mensa indifferenter cum Gentibus hactenus vixisti, sciens nimirum abolitas esse legis cæremonias per Christum, & mortuas esse, licet necdum mortiferas, donec sufficienter promulgetur Euangelium. ita Anselmus. q. d. Si tu, ô Petre, cùm sis Iudæus, cum Gentibus gentiliter viuere soles, & hactenus vixisti; quare iam eos fugis, viuisque iudaicè, ac tuo exemplo cogis Gentes iudaizare?

D

NOS NATVRA (naturali generatione, origine, prosapia) IVDÆI sumus, NON EX GENTIBVS PECCATORES] non Gentiles peccatores. Iudæi enim Gentes, quia idololatræ erant, vocabant arroganti contemptu *peccatores*, quasi ipsi essent iusti, aiunt August. & Anselm. VERS. 15.

NON IVSTIFICATVR HOMO EX OPERIBVS LEGIS, NISI PER FIDEM IESV CHRISTI] *Nisi*, id est sed; Græcum enim ἐὰν μὴ respondet Hebræo אִם לֹא, id est verùm, verumtamen: sic etiam Latini vsurpant voculam *nisi*. vt Cicero li. 13. epist. Famil. *De re*, inquit, *nihil iudicare possum, nisi* (id est sed) *mihi certò persuadeo te talem virum nihil temerè fecisse.* Ita Syrus, & passim alij, Beza quoque & Oecumen. & VERS. 16. Nisi *pro* sed.

patet ex antithesi: vult enim iustificationem non tribui operibus legis, sed fidei Christi. Cùm ergo hanc antithesin significet per *nisi*, eoque opponat fidē operibus, sequitur *nisi* hîc esse aduersatiuum, idemque esse, quod *sed*. Secùs esset, si simpliciter sine antithesi poneretur. Verbi gratia, cùm dico: Homo non viuit, nisi per animam, Nisi, hîc idem valet quod tantùm: hæc enim propositio exceptiua idem valet, quod hæ duæ, per quas exponi debet; scilicet, Homo viuit per animam, & per nullam aliam rem viuit homo, quàm per animam. Malè ergo Nouantes hîc exponunt *nisi per fidem Christi*, id est, inquiunt, sed tantùm per fidem Christi.

Nouantes malè ex hoc loco probant solam nudā fidē requiri ad salutem.

Adde: licet id vellet ac diceret Apostolus, nihil tamen diceret pro eorum fide sola iustificante; hanc enim propositionem hîc admittit D. Thomas & Adamus Sasbout: Homo non iustificatur ex operibus legis, sed tantùm ex fide Christi: hîc enim vocula, Tantùm, solùm excludit opera legis, non spei, timoris, charitatis, pœnitentiæ, quæ fides gignit & producit; hæc enim sub fide quasi filiæ sub matre intelliguntur, vt dixi can. 3.

Quomodo differant credere in Deum, & credere Deo.

NOS IN CHRISTO IESV CREDIMVS] Græcè εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, in Christum Iesum. Nota. Idem est Hebræis credere Deo, credere in Deo, & credere in Deum: sic idem est credere Christo, credere in Christo, & credere in Christum, credere scilicet illum esse Christum, id est Messiam, saluatorem & redemptorem mundi. est enim hebraicè ב contactus mentalis scilicet. Itaque dicunt Hebræi הֶאֱמִין בַּאדֹנָי *heemin badonai*, credidit in Domino vel in Dominum, id est, credidit Domino. Id pluribus exemplis demonstat Franc. Ribera in Ionæ 3. 29.

CREDIMVS VT IVSTIFICEMVR] Græcè ἐπιστεύσαμεν, credidimus vt iustificaremur. ita Hieron. Vatabl. & alij. Et hoc aptiùs respondet v. sequ. qui hinc pendet, quasi ex conditione iam posita & præterita.

PROPTER QVOD (διότι, id est quia, propterea quòd) EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO] id est, nullus homo; non omnis enim Hebræis idem est quòd nullus, & *caro* synecdochicè idem est quod homo.

VERS. 17. QVOD SI QVÆRENTES IVSTIFICARI IN CHRISTO, INVENTI SVMVS ET IPSI PECCATORES, NVMQVID CHRISTVS PECCATI MINISTER EST?] q.d Si adhuc sumus in peccato, quia peccati remissionem & iustitiam quæsiuimus in Christi fide, cùm ibi non sit quærenda, sed in lege, vt volunt Iudaizantes, ergo Christus peccatum fouet; sustulit enim legem, quæ sola peccatum tollit. *Numquid* ergo *Christus peccati minister est*. q.d. An Christus peccato inseruit illud fouendo & conseruando, hoc ipso quo legem tollit ad iustificationem, & peccati deletionem, vt ipsi aiunt, necessariam, & suam statuit legem gratiæ, quasi quæ sola iustificet, cùm, vt ipsi aiunt, sine lege iustificare non possit? ac si dicat: minimè. ita Hieron. Chrysost. Primas. Anselm. Theophyl.

Triplex huius loci sensus.

Secundò, Vatabl. peccatorem, ait, inueniri, est, docere cum lege Euangelica Mosaicæ legis obseruationem esse necessariam ad iustificationem: hoc enim docere, peccatum est & error in fide. q.d. Si ita aliquando (vt nobis imponunt Iudaizantes, sed mendaciter & per calumniam) falsò nos docuimus, numquid propterea Christus peccati minister est? numquid Christi lex & doctrina Euangelica ministra est peccati? vt scilicet idem doceat, putà legem Mosi necessariam esse ad iustitiam; hoc enim docere, peccatum est.

Tertiò, alij, q.d Quòd si nos quoque, qui nos iactamus per Christum iustificatos, inueniamur peccatores, quia scilicet non minùs indulgemus cupiditatibus nostris, quàm Iudæi vel Gentes Christo alienæ, num idcirco dicendum erit falsam esse hanc doctrinam de iustificatione ex fide Christi? quasi Christus nisi legi coniunctus peccatores, non autem iustos nos reddat. Absit; quòd enim aliqui Christi fidem sequentes carni indulgent, & peccant, non id Christi, nec fidei, sed eorum qui Christi gratia abutuntur, vitium est.

Primus sensus, qui est Patrum, præstior est & melior, quia nihil aliunde supplet, vti secundus supplet, peccatores dici, quòd doceant legem cum Euangelio seruandam esse; tertius, quia cupiditatibus indulgent. Deinde, quia magis est ex mente & scopo Apostoli: vult enim probare ex fide Christi, non ex lege Mosis nos iustificari; aliqui si fidem Christi sectantes adhuc inueniuntur peccatores, sequitur quòd Christus nos decepit, promittens iustitiam ex fide, quam præstare non potuit; eritque peccati non victor, non destructor, sed fotor, fautor & minister, præsertim quia legem, vt ipsi aiunt, iustificantem, & peccati victricem, aboleuit, & cōsequenter peccati regnum restituit & stabiliuit.

Nota hebraismum. Hebræi enim consequentiam enunciant per interrogationem, præsertim cùm absurdum quid inferunt. *Numquid Christus peccati minister est*? id est, vt Syrus & alij, ergo Christus peccati minister est, quod est absurdum. Vnde id explicans subdit: *absit*. Sic *numquid* pro ergo capitur, Rom. 3. 5. Ioan. 8. 53. Ierem. 18. 20. Adde: ἄρα, si non circumflexo, sed acuto noterur accentu, significat vtique, ergo. igitur, vt patet hîc v. vlt. cum circumflexo enim significat numquid, nónne, vt legit & vertit hîc Noster & Græci.

SI ENIM QVÆ DESTRVXI (si vim iustificandi, quam detraxi legis obseruantiæ) ITERVM HÆC ÆDIFICO, id est, rursum legi eam asséro, vt calumniantur Iudæi me occultè iudaizare, ergo PRÆVARICATOREM ME CONSTITVO] quia quasi Proteus ad omnem ventum fidem muto. Est aliud argumentum probans perstandum esse Christianis in abolitione legis, vel potiùs occurrit tacitæ obiectioni, & mentali calumniæ. Dicetis, inquit, vel cogitabitis id quod Iudæi, sed falsò, vobis inculcant, me apud Iudæos, & secretò iudaizare; sed absit hæc à me hypocrisis: si enim quæ publicè destruo, hæc eadem priuatim vel apud meos reædifico, sanè prævaricator sum, quia hypocrita & impostor. quod nemo dixerit.

EGO ENIM PER LEGEM (ostendentem Christum, in eoque desinentem & mortuam) LEGI MORTVVS SVM] id est, desij legi obnoxius esse; cæremonialì quidem absolutè & omnino, morali verò, & decalogo non absolutè; sed quatenus lex illa pædagogus tantùm, accusator ac vindex erat scelerum. Per legem ergo legi mortuus sum, quia lex ipsa dictabat moriendum esse legi, viuendum autem Christo. ita August. Vide Chrysost. Est hæc secunda (prima enim fuit v. 17.) ratio probans nos iustificari non ex lege, sed ex fide Christi. q.d. Lex

ipsa

ipsa mihi Christum indicauit & ostendit, ipsa me ad Christum remisit, imò deduxit, ipsa se in Christo desinere, mori & finiri testata & professa est. Cur ergo, ô Iudæi, legem sponte sua mortuam, Christoque cedentem resuscitare & restituere vultis inuitam? Hinc tamen nullo modo sequitur, legem decalogi quoad obligationem per Christum desitisse, essequé abrogatam. Est enim lex illa hac parte non vetus, non Mosaica, sed naturalis, æterna & immutabilis. Vide dicta Rom. 7. 1.

Quare impiè Lutherus in hunc locum, & rursum in c. 4. huius epistolæ: *Legi*, inquit, *mori, nihil aliud est, quàm ad legem non esse obligatum, ab eaq; liberum esse, siue cæremonialis sit, siue moralis; certum enim est decalogum solis Iudæis esse datum, & non nobis.* Idem lib. de Libertate Christiana: *Christiano*, inquit, *neque opera, neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege.* Idem rursum to. 1. Wittenberg. editionis, fol. 189. & 190. *Oportet*, inquit, *tor humanum legem Dei, atque adeò Deum ipsum supra modum odisse.* Audite hæc, qui ab eo eiusque affectis miserè decepti estis, & exhorrescite vocem non hominis, sed Satanæ: quid enim Satanas Dei & hominum iuratus hostis, de Deo magis blasphemum & horrendum dicere, ac hominibus in suam perniciem suggerere posset?

Non absimilis est Caluinus, cuius hic est dialogismus l. 3. Instit. c. 19. §. 2. 4. 7. *Conscientia dicente Peccasti, respondet, Imò peccaui, ergo Deus puniet & condemnabit: Non at lex hoc dicit: Sed nihil mihi cum lege. quare? Quia libertatem habeo.*

Hoccine est purum putum Euangelium? Hoccine sensit docuitue Paulus? *Legem*, inquit ad Roman. 3. v. 31. *destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus.* Audi S. Augustin. libr. 3. contra epist. Pelag. c. 4. *Quis*, inquit, *ita impius est, vt dicat se propterea præcepta non seruare, quòd Christianus sit, non sub lege, sed sub gratia?* Quis credat Lutherum & Caluinum doctores & reformatores Ecclesiæ à Deo missos, qui iugum omne, legem omnem, non modò humanam, sed & diuinam ac naturalem excutiunt, eneruant, abolent?

CHRISTO CONFIXVS SVM CRVCI: VIVO AVTEM IAM NON EGO, VIVIT VERO IN ME CHRISTVS] q.d. Ego per baptismum cum Christo crucifixus, atque peccato & veteri vitæ, cæremoniis, ac legi, vt iam dixi, mortuus sum, indeque quasi ab arbore veteri resectus sum, vt arbori nouæ crucis Christi nouus quasi ramus inserar, ab eaque vitam ac succum gratiæ sugam, ita vt non tam ego quàm viuat in me Christus: quia non lex, non natura, non concupiscentia, non voluntas propria, sed Christus ipse suæ gratiæ quasi animæ, & virtutum quasi potentiarum motibus me agit ad omne bonum, & ad vitales virtutum actiones, vt Christi humilitas, fortitudo, sapientia, gaudium, pax, aliæque virtutes in me viuant & vigeant. ita Hieron. Chrysost. Anselm.

Vnde S. Bernardus serm. 7. in Quadragesima, *Viuo*, inquit, *iam non ego, viuit verò in me Christus. Ac si diceret: Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo: si quæ verò sunt Christi, hæc viuum inueniunt & paratum. Nam si non aliud possum, saltem sentio: placet quod ad eius honorem fieri video, displicent quæ aliter fiunt. Imò viuo non tam ego, quàm Christus in me.*

Christus ergo in me docet, concionatur, orat, laborat, patitur, omniaque opera mea in me ope-

Ecstasis. Cant. 1. 1. f. 12. 2. a. et 6. 2. 5. 32. 2. d.

A ratur: ita vt Paulus non tam Paulus quàm Christus, & Paulus in Christum, ac vicissim Christus in Paulum transformatus videatur. *Talis enim quisque nostrûm est, qualis est eius dilectio. terram diligis, terra eris: Deum diligis, Deus eris*, ait S. Augustin. tract. 2. in epist. 1. Iohan. Amor enim transformat amantem in rem amatam, vt ait S. Dionys. Vnde & Osee c. 9. 10. *Facti sunt*, ait, *abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* *Christus si à nobis amatur, in nos transformatur, & nos in Christo.*

Est metaphora, vel allegoria. Lex vetus est quasi arbor vetus, lex noua & crux quasi arbor noua; ab illa præcisi sumus, vt huic inserti, nouam ab ea gratiæ vitam sugeremus. Sic Rom. 6. dixit nos complantatos, consepultos, conerucifixos, commortuos, conresurgentes Christo, vt ibi dixi. Vnde clariùs ad verbum vertas ex Græco, Χριστῷ συνεσταύρωμαι, Christo concrucifixus sum, B quasi arbori crucis Christi insertus & complantatus, vt communem arboris succum & vitam hauriam, gratiam videlicet & charitatem. Hinc S. Ignatius epist. ad Roman. ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, amor, inquit, meus crucifixus est, Christus scilicet, qui est amor meus, vita mea, anima mea, ita nimirum, vt cum Christo simul quasi amor meus, anima mea, ipseque ego totus crucifixus sim. Amor meus crucifixus est, *ait S. Ignatius.*

Nota hic amoris & charitatis proprietates. Prima est, quam tradit S. Dionysius de Diuin. nomin. cap. 4. *Amor*, inquit, *est virtus faciens vnionem.* Hanc significat Apostolus hîc cùm ait: *Christo confixus sum cruci.* q.d. Vnitus sum & quasi vnus cum Christo crucifixo. *Charitatis & amoris proprietates quatuor.*

Secunda proprietas amoris est, mutua inhæsio, qua se mutuo amant & redamant Deus & homo, sibique vicissim bona volunt & procurant, vt dicant cum sponsa in Cant. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Hanc significat hic Paulus, cùm ait se in Christo, & Christum in se viuere. C

Tertia charitatis proprietas est, cogitare assiduè, & in oculis mentis habere Christum & Deum: est enim amor nexus animorum. iam nectere non potest animos, si non iungat cogitationes. Hanc significat Paulus per verba *viuo* & *viuit*, vtique vita rationali memoriæ, intellectus & voluntatis.

Quarta est, exstasis. *Exstasin*, inquit Dionys. loco citato, *facit diuinus amor, amatores suo statu dimouet, & sui iuris esse non sinit, sed in ea quæ amant penitus transfert. Idcirco & Paulus ille magnus, cùm diuino amore flagraret, excessiuè illius virtutis particeps factus, Viuo, inquit, iam non ego, viuit verò in me Christus; tamquam verus amator, mentis excessum patiens.* D *Audebimus & id loqui, quòd ipse quoque actor omnium pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra se sit, ad omnia quæ sunt pertingendo multiplicis prouidentiæ ratione.* Nimirùm exstaticus amor rapuit Deum, tum vt se suaq; bona cõmunicaret creaturis per creationẽ, tum potiùs vt suam Verbi hypostasin cõmunicaret humanæ creaturæ quam assumpsit per incarnationẽ: *exinaniuit* enim *semetipsum pro nobis formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Exstasis ergo Verbum transformauit in hominem, eumq; crucifixum, ac habentem speciem peccatoris, quia nos peccatores eramus, reiq; mortis & crucis: nostram enim formam, excepto peccato, quoad omnia Christus assumpsit ex ingenti & exstatico nostri amore. *Exstasis amoris Verbum transformauit in hominem.*

Hæc exstasis amoris Pauli cor in cor Christi dilatando transmutauit, & Paulum in Christum

quasi

quasi transformauit; perinde vt de Catharina Senensi legimus, eam ex vehemētia amoris Christi ab eo flagitasse, vt cor suum, proprio sublato, ei communicaret: Christumque ei annuentem cor exemisse, nouumque Christiforme ei indidisse. Hoc est quod ait S. Chrysost hom. 23. in epist. ad Roman. in morali, vbi citans hæc verba Pauli, *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.* subdit: *Cor itaque Christi erat cor Pauli, tabulaq; Spiritus sancti, atque charitatis volumen.* Vnde idem paulò superiùs cor Pauli vocat *cor orbis*, datq; rationem: *Cor enim istud adeò fuit latum, vt in se susceperit & integras vrbes, & populos, & gentes. Cor enim meum, inquit, dilatatum est. Verum tamen vt vt latum fuerit, tamen sæpè occupauit & pressit illud, quæ ipsum dilatabat dilectio. Ex multa quippe tribulatione, inquit, & anxietate cordis scripsi vobis. Et dissolutum etiam, vellem videre cor istud, erga vnumquemque pereuntium accensum & ignitum, secundò parturiens filiorum abortus, cor Deum videns, cælis ipsis sublimius, orbe latius, radiis solaribus exhilaratius, igne feruentius, adamante solidius, fluuios emittens aquæ viuæ, vbi erat fons exiliens, & irrigans non terræ superficiem, sed animas hominum.*

Sancti extatici.

Hanc Christi extasim Sancti in Christi amorem abrepti persensērunt. S. Dominicus in Missa Christi corpus eleuans in altum sublatus est, & ab igne quo intus ardebat, corpus eius subuectum velut in ignem conuersum, terram deserens in cælum ferebatur, vt Christo amori suo iungeretur & immergeretur. S. Franciscus ab illo Seraph, qui sibi in nocte apparuerat, mirabilem in mente, vt ait S. Bonauent. recepit ardorem, & in carne non minùs mirabilem admisit effigiem, vt iam non tam terrestris homo quàm cælestis Seraph, & imago crucifixi crederetur, cùm quinque Saluatoris vulnera, quasi totus in Christum transformatus, & quinque ignis charitatis Christi vstiones de monte detulit, toti mundo prodigium & portentum factus.

Audi & Gregor. Nyssen. hom. 15. in Cant. *Mihi vita Christus est: Hisce verbis, ait, tantùm non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam viuere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non iniuriarum memoriam, non inuidiam, non vindictæ, auaritiæ, honoris aut gloriæ cupidinem; sed his omnibus abrasis, solus (inquit) ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus Sanctorum.*

Christi crucifixi mente & corpore.

Ita in cruce Christi gloriabatur, eamque ambiebat S. Andreas Apostolus. Dum enim crucem prædicat, ad crucem ab Ægea Proconsule Achaiæ damnatus, accedens ad crucem sibi paratam exclamauit, & dixit: *O bona crux diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando concupienti animo præparata, securus & gaudens venio ad te: & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te magister meus; vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Cruce ita salutata, & oratione facta, expoliauit se vestibus, easque tradidit carnificibus: qui accedentes, leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius (quasi in eculeo) suspenderunt. In qua cruce suspensus populum docens biduo superuixit: & rogato Domino, ne eum sineret de cruce deponi, circumdatus magno splendore de cælo, abscedente postmodum lumine, emisit spiritum. Ita habent Acta eius fidelissima.

Ita S. Petrus ad crucem à Nerone damnatus, petiit & impetrauit, ne capite sursum vt Christus, sed deorsum inuerso corpore suspenderetur.

Apud Hierapolim Asiæ ciuitatem, Claudio imperante, S. Philippus Apostolus Scythis fidem annunciauit, multisque baptizatis, ab infidelibus tandem crucifixus, & lapidibus obrutus, felici martyrio mortem obiit. ita Eusebius, & ex eo Baron. anno Christi 54.

In maiori Armenia sub Astyage rege S. Bartholomæus Apostolus, per Lycaoniam verbo Dei disseminato, templo Astaroth in inferiore India vero Deo dicato, & rege Polemio cum vniuersa regia ciuitate baptizato, paucis pòst diebus comprehensus, fustibus primùm cæsus, deinde cruci suffixus, è viuo corpore detracta pelle, die vigesimaquarta sequenti, abscisso capite, extinctus est.

Romæ Decio & Valeriano Impp. S. Sixtus Papa in Tullianum carcerem coniectus, deinde cruci affixus est, teste Prudentio Περὶ στεφάνων in hymno 2. de S. Laurentio, vbi sic ait:

Fore hoc sacerdos dixerat, iam Sixtus affixus cruci,
Laurentium flentem videns crucis sub ipso stipite:
Desiste decessu meo fletum dolenter fundere.
Præcedo frater, tu quoque post hoc sequeris triduum.

Parisiis sub Adriano Imp. S. Dionysius Areopagita, flagellis primùm contusus, deinde igni ferisque obiectus non læditur, mox in crucem tollitur, è qua sublatus & cæsus iterum, amputatum caput suum ad duo millia passuum propriis manibus gestauit. ita Baron. in Martyrol. 9. Octobris.

S. Calliopius, pius adolescens ad conuiuium in deorum celebritatem paratum inuitatus, respondit: *Christianus sum, & Christum ieiunus celebro, nec quæ sunt flagitiosis atque impuris idolis immolata, licet in os eorum qui Christum colunt, ingredi.* Quod cùm audisset Præses, iussit eum immaniter cædi: & tandem dixit post multa verbera & increpationes, Nunc saltem ab insania discede, & Imperatorum decretis obtemperans, diis sacrifica, vt viuas: alioquin vt magister tuus, suffigeris in crucem. *Admiror*, inquit Calliopius, *impudentiam tuam, qui, cum sæpè ex me audieris Christianum me esse, & Christianum esse moriturum, & in Christo victurum, tam impudenter pergis veritatem oppugnare. Festino eandem, quam magister meus pertulit, mortem oppetere.* Hæc cùm ille dixisset, Præfectus ex responsis Martyris animaduertens eum à proposito deduci non posse, sententiam tulit, vt quinta sabbatorū paschæ in crucem ageretur. Quod mater eius intelligens, quinque nummos ministris dedit, vt eum contraria ratione, quàm Christus Dominus crucifixus fuit, affigerent cruci. Quinto igitur sabbatorum pronus in caput crucifixus est, & die parasceues animam egit. Et vox de cælo audita est, ita sonans: *Veni ciuis Christi, & coheres sanctorum angelorum.* ita habet eius Vita apud Surium 7. Aprilis.

Mirus verò fuit S. Wernheri pueri crucis amor, & in ea martyrium: hic enim confessus, & communione sacra percepta, furtim captus à Iudæis, in die parasceues instar Christi, in eius odiū, ab eis ad columnam ligneam suspensus, acriter flagellatus, cultro per totius corporis venas barbara immanitate incisus, forficibus quoque summo cruciatu in pedibus, manibus, collo & capite insectus fuit, vt omnem sanguinem exprimerent, ita vt totus vulneribus confectus videretur.

Martis

Mansit autem sanctus puer ita triduo ad columnam suspensus, donec sanguis fluere desineret. Hos cruciatus tolerans summa patientia, in laudibus Dei spiritum Christo crucifixo reddidit. Ita habet eius vita apud Surium 2. Aprilis. Similia de pueris à Iudæis crucifigi solitis scribit Socrates lib. 7. Histor. c. 16.

Ado in Martyr. 22. Maij, & ex eo Baron. anno Christi 440 narrat simile de Iulia ancilla sancta. hæc capta fuit à Felice principe, cumque ei Felix blanditiis non posset suadere, vt idolis sacrificaret, præcepit eam alapis cædi, deinde crinibus torqueri, flagellari, & tandē crucifigi, & sic in cruce sanctum efflauit spiritum, de cuius ore columba exiuit & in cælum euolauit. *Mulierem fortē quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.*

Nuper in Iapone à Taicosama rege sex fratres Franciscani, tres è nostra Societate, septemdecim laici Iapones, inter quos erat Aloysius puer annorum duodecim, & Antonius annorum tredecim, singuli singulis crucibus affixi, mucrone dextero latere transuerberati, hilares & exultantes martyrij agonem peregerunt.

A passione ac morte gratias eas agere debet, ac si pro se solo passus fuisset, quia singulis tantum profuit, quantum omnibus, & pro vno solo redimendo æquè mori debuisset Christus. *Beatus multumq; felix*, ait Hieronymus, *qui viuente in se Christo per singulas cogitationes & opera potest dicere: In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Christus se totum tibi, tu te totum da, imò redde Christo. *v. hementia & delicia diuini erga nos amoris.*

NON ABIICIO GRATIAM CHRISTI] οὐκ ἀθετῶ, non reiicio, non repello, non aspernor. Ambros. *non sum ingratus gratiæ Dei*; August. *non irritam facio gratiam Dei*, vt faciunt illi, qui volunt statuere legem & iustitiam ex lege, ait Hieron. vt & illi, inquit, qui post baptismum peccatis sordidantur. Sed hoc morale est, prius verò litterale, & ex mente Apostoli. VERS. 21.

SI ENIM PER LEGEM IVSTITIA, ERGO GRATIS CHRISTVS MORTVVS EST] quia mortuus est Christus ad iustitiam suæ mortis pretio nobis comparandam. hoc autem pretium frustra dedit, frustra impendit, si ex lege eamdem iustitiam habere poteramus. Est argumentum tertium ab impossibili, q.d. Nemo tam vecors est, vt dicat Christum frustra tot & tanta passum, ac mortuum: atqui hæc omnia passus, & mortuus est pro iustitia nobis promerenda: ergo hæc iustitia non contingit nobis à Moyse, sed à Christo; non ex lege, sed ex fide. *Tertium argumentū pro legis abolitione.*

1. O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? 2. Hoc solum à vobis volo discere: Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? 3. Sic stulti estis, vt, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? 4. Tanta passi estis sine causa: si tamen sine causa. 5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? 6. Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. 7. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filij Abrahæ. 8. Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus prænunciauit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes. 9. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. 10. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim, Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. 11. Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit. 12. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fecerit ea, viuet in illis. 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno. 14. Vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. 15. Fratres (secundùm homi-

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit probare quinque rationibus, nos iustificari non per legem & opera legis, sed per fidem Christi.

Prima petitur ab experientia v. 1. quia scilicet expertierant Galatæ se non in circumcisione, sed in baptismo Spiritum sanctum eiusq; dona accepisse.

Secunda, v. 6. ab exemplo Abrahæ, qui iustificatus est, quia credidit Deo. id est, ex fide.

Tertia, v. 10. quia qui sub lege sunt, sunt sub maledicto, quod lex omnibus sui præuaricatoribus intentat, à quo Christus nos liberauit factus pro nobis maledictum.

Quarta, v. 11. ex Habacuc, qui dicit, Iustus ex fide viuit.

Quinta, v. 16. quia Abrahæ & posteris eius promissa est benedictio, id est iustitia & salus: ergo ex promissione, quam fide apprehendimus, non autem ex lege iustificamur: lex enim, vt ait v. 24. tantùm data fuit ad hoc, vt quasi pædagogus Iudæos duceret ad Christum, vt ex fide Christi iustificarentur, Christumq; induerent, & vnum cum eo omnes fierent.

hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus. 17. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. 18. Nam si ex lege hereditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. 19. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. 20. Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est. 21. Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. 22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. 23. Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. 24. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. 25. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. 26. Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. 27. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. 28. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. 29. Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissionem heredes.

VERS. 1. O INSENSATI] Græcè ὦ ἀνόητοι, ô stulti. ita August. Syrus אֲוֹ חַסִירֵי רְעָיוֹנָא *o chascre reiana!* ô destituti mente! *Quæque prouincia*, ait Hieron. *suas habet proprietates: Cretenses mendaces notat Epimenides; vanos Maluros, feroces Dalmatas Latinus pulsat historicus; timidos Phryges omnes Poëta lacerant. Græcis, inquit Tullius pro Flacco, ingenita inest leuitas, & erudita vanitas: in hunc modum arbitror Apollonium Galatas regionis suæ proprietate pulsasse, quòd vitio gentis indociles sint, vecordes, & ad sapientiam tardiores.* Idem Hieron. proœmio lib. 2. comment. in epist. ad Galat. *Sic*, inquit, *& Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse, & Pictauis genitus in hymnorum carmine Gallos indoctiles vocat* (sui scilicet æui, cùm plerique adhuc infideles essent, indeque barbari.) Et infrà: *Scit mecum qui vidit Ancyram Galatiæ metropolim, quòd nunc vsque schismatibus dilacerata sit. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manichæos. Quis vnquam Passalorincitas, & Ascodrobos, & Artotyritas, & catera magis portenta, quàm nomina in aliqua parte Romani orbis audiuit? Antiquæ stultitiæ vsque hodie manent vestigia.* ita Hieron. quibus verbis Galatas stolidos fuisse probat, ex eo, quòd tot stolidas inuenerint vel admiserint hæreses.

Variarum gentium vitia & proprietates.

Nota. Est hoc conuicium Apostoli non indignationis, sed charitatis, cõtumelia scilicet materialis, non formalis, quia non conuiciandi animo prolata, sed ex amore & zelo, vt duros Galatas feriat, molliat, corrigat. ita Greg. 3. p. Pastoral. c. 8. Sic enim parentes, qui filios verberibus castigant, multò magis verbis eosdem castigare possunt, & conuicio, eorum vitium quasi mordaci sale inurere. Sic Christus Matth. 22. 18. Scribas vocat hypocritas. Sic Paulus Elymam vocat filium diaboli, Actor. 13. 10.

Superioribus licet subditos verbis mordacibus castigare.

Nota Secundò. Conuicium hoc emollit, cùm dicit: *Quis vos fascinauit.* q.d. Vestram cæcitatem non tam vestræ dementiæ, quàm fascino Iudæorum tribuo.

QVIS VOS FASCINAVIT?] Græcum βασκαίνειν, significat Primò, inuidere, q.d. Quis Iudæus vobis inuidit Euangelij libertatem. ita Theophyl. & Anselm. Secundò, significat fascinare, incantare, & perstringere oculos, vt putes te videre, quod reuera non vides, vel vt non videas quæ coram te sunt, quæque alij vident. Id aptiùs huic loco A conuenit. Vnde sequitur: *Ante quorum oculos præscriptus est Christus.* oculis enim maximè teneris fascinum hoc imponi per oculos & intuitum fascinantis solebat, indeq; Græci βασκαίνειν dictum putant ἀπὸ τὸ φάσκειν καίνειν, quòd oculis, & per oculos noceat. Vnde Virgilius:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

q.d Quis oculus nequam & inuidus vos in fide Christi teneros & nouellos, ô Galatæ, in hanc fraudem, cæcitatem, & errorem iudaismi induxit? it a Hieron. & Anselm. *Dicitur enim fascinum*, ait Hieron *propriè infantibus nocere, & ætati paruulæ, & his qui firmo necdum vestigio figunt gradum.* Ait ergo Paulus: Quis vos, ô Galatæ, fascinauit, vt clarissimam Euangelij lucem ante oculos vestros radiantem non videatis? vnde subdit:

B ANTE QVORVM OCVLOS IESVS CHRISTVS PRÆSCRIPTVS EST IN VOBIS CRVCIFIXVS] S. Anselm. & alij legunt, *proscriptus*, id est exheredatus, &, vt Ambrosius, spoliatus & condemnatus. q.d. Vos Christum Ecclesia vestra quasi sua hereditate priuastis & expulistis: sed corrige cum Roman. *præscriptus.*

Quod Primò, S. Augustinus, inquit Erasmus, accipit de præscriptione iuris, qua bona per possessionem certi temporis, putà triennij in mobilibus, decennij in immobilibus à possessore præscribuntur, & in eius ius ac dominium transeunt; Christus ergo præscriptus est, id est, præscriptione legis veteris, quæ per tot centenos annos nomen veræ legis, veræque Dei Ecclesiæ possidens præscripsit, Christus exclusus est sua possessione, Ecclesia scilicet vestra, ô Galatæ, à Iudaizantibus. ita enim in Augustino toto hoc loco vult legi Erasmus, Præscriptus pro Proscriptus. sed fallitur: nam omnes codices, tam Basileenses, quàm Louanienses correctissimi hoc loco August. habent *proscriptus*, non Præscriptus; sicque explicat Augustinus, cùm ait, *Iudæis illam* (scilicet hereditatem) *auferentibus, eumq;* (scilicet Christum) *excellentibus*: quod sanè non præscribentium, sed proscribentium est.

Secundò, S. Hieron. *præscriptus*, id est, inquit, iam antè descripta sunt in Prophetis & Sacramentis legis veteris, ô Galatæ, passio, crux & mors Christi.

Tertiò & optimè, maximeque genuinè *præscriptus*, id est, præ oculis vestris scriptus, &, vt Syrus,

rus, pingendo depictus est (Græcum enim προεγράφη commune est scripturæ & picturæ) in vobis id est ante vos, in oculis vestris, Christus crucifixus. Est hyperbaton: sic enim verba ordinanda sunt, *Ante quorum oculos Christus in vobis est præscriptus crucifixus.* q.d. Christus velut depictus in cruce pendens vobis exhibitus est: neque enim verè apud Galatas fuit Christus crucifixus, sed illis per prædicationem & fidem repræsentatus est crucifixus. Τὸ enim *crucifixus*, idem est quod *vt crucifixus*: subauditur enim vocula similitudinis *vt*, vel *sicut*, more Hebræorum.

Vbi Nota, τὸ *in vobis* per pleonasmum Hebraicum, quo antecedēs cum relatiuo repetitur, interijci; idem est enim οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς, id est, quibus coram oculis, & ἐν ὑμῖν, in vobis. Vnde clariùs illud omittens Syrus, ita vertit, *ecce quasi pingendo depictus fuerat coram oculis vestris Iesua Meschicho crucifixus*: nam multa alia interijcit & traijcit sæpè Apostolus, vt dixi can. 38.

Sensus ergo est, q.d. Licet Christus Hierosolymæ crucifixus sit, tamen per prædicationē meam quasi viuam & expressam imaginem depicta vobis est, ô Galatæ, passio, vita & crux Christi, vt in illa prædicatione mea per fidem Christum crucifixum in vobis quasi præsentē ante oculos vestros intuiti sitis; ita vt fidei oculis videritis exactiùs crucē Christi, quàm ipsi Iudæi, qui Hierosolymæ crucifixerunt, Christumque in ea pendentem conspexerunt, inquit Theophyl. & Chrysost. q.d. Qui potuerunt oculi vestri fascinari, quibus ad viuum prædicatione mea depinxi & repræsentaui Christum crucifixum?

Potest Quartò, accipi planè vt verba sonant, idque efficaciùs. q.d. Nuper vestra hac ætate, quasi ante oculos vestros, ac fortè aliquibus vestrûm Hierosolymæ præsentibus & spectantibus Christus descriptus & depictus est, cùm scilicet in vobis, id est, vestra ætate, vestro tēpore & sæculo, vel in vobis, id est, in vicinia vestra, scilicet in Iudæa, penè inter vos, & ante oculos vestros est crucifixus, in cruce enim Christus clauis, spinis, flagellis, lancea, quasi calamis; sanguine, quasi atramento descriptus & depictus est quasi victima mactata pro peccatis nostris, vt ab eis iustificaremur, id est, depictus est quasi redēptor, iustificator, propitiator & saluator noster. q.d. Fierine potest, vestros sic oculos fascinari, vt Christum redemptorem vestrum penè adhuc ante oculos vestros pendentem non intueamini, vt tam viui recentisque beneficij, redēptionis, inquam, vestræ obliuiscamini? vt Christum non agnoscatis viuis adeò coloribus, imò sanguine proprio in cruce depictum? quomodo enim ita pingitur, nisi quia peccati expiator & iustificator est peccatoris? ita Chrysost.

Hoc sensu Christus ipse crucifixus quasi imago vel liber proponitur, in quo sanguineis literis descriptus & depictus est ipse Christus. Vis scire quis qualisve sit Christus? librum hunc lege, crucem inspice, in ea scriptum leges libri titulum: Iesus Nazarenus, id est seruator, vel sanctificator, & cōsecrator, qui scilicet nos Deo consecrauit & sanctificauit, Rex Iudæorum. Leges, *Christus factus est pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*; solus enim ipse peccatum nostrum in se suscepit & expiauit. quid enim est peccatum, nisi christicidiū, nisi deicidium? Leges quoq; in libro hoc, in Christi inquam vulnere, vibice, liuore: Amor, amor, amor

A tui, ô homo, ita me pinxit, ita me rubricauit, ita me figurauit. Cernis vt in toto corpore scriptus, imò sculptus amor? Hic deniq; liber omnem Christi sapientiam ipsumq; Christianæ philosophiæ apicem legenti & contemplanti demonstrabit.

EX OPERIBVS LEGIS SPIRITVM ACCEPISTIS, AN EX AVDITV FIDEI?] *Spiritum*, id est, Spiritum sanctum cum visibilibus suis donis linguarum, prophetiæ, & alijs, quæ olim in baptismo dabantur, quasi indices Spiritus sancti, eiusque donorum inuisibilium, scilicet gratiæ, charitatis, aliarumque virtutum, quas in baptismo infundit Spiritus sanctus. q.d. Vnde, ô Galatæ, accepistis Spiritum gratiæ, iustitiæ, & donorum Spiritus sancti? clarum est, quòd non ex circumcisione, & operibus legis, sed ex auditu fidei, putà in baptismo Christi, non antè. VERS. 2.

B EX AVDITV FIDEI] Id est, ex prædicatione fidei, quam audistis, vel ex auditu, quo fidē audistis, eiq; obedistis: auditus enim & actiuè & passiuè sumi potest hîc, vti & Isaiæ 53. 1. Vide can. 30.

VT CVM SPIRITV COEPERITIS: cùm spirituali Christi doctrina, baptismo, Sacramentis, spiritualibus gratijs ab eo acceptis, spirituali vita & conuersatione cœperitis viuere; CARNE, id est circumcisione, & alijs carnalibus legis cæremonijs, CONSVMMEMINI] Alij, *carne*, inquiunt, id est, carnalibus vitijs, gulæ, libidinis: sed hoc est præter scopum & mentem Apostoli. Vnde S. Bernardus serm. 33. in Cantic. hæc explicat, vel potiùs applicat ijs, qui indiscreto feruore per nimias orationes, pœnitentias, labores, &c. ita vires exhauriunt, vt fiant inutiles: hi enim postea fiunt ignaui, & carne consummantur, dum toti student valetudini, itaque fiunt C sensuales & carnales. Vide de carne dicta 1. Corinth. 10. 2. VERS. 3. *Per spiritū hic doctrina Christi, per carnem circūcisio intelligitur.*

CONSVMMEMINI] Græcè ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε, *qui cœpistis spiritu, carne consummamini*; Syrus, *absoluitis*. q.d. Carne finitis, & in eam desinitis. Notat Theoph. non dici actiuè, consummetis, perficiatis, sed passiuè *consummemini*, perficiamini, vt innuat quòd brutorum instar paterentur se concidi & circumcidi à Iudaizantibus. Secundò, non dicit τελεῖσθε, id est consummamini, sed ἐπιτελεῖσθε, id est, post consummamini. q.d. Post consummationem à Christo acceptam, aliam ex veteri lege, quasi quintam in curru rotam, vultis superinducere, ita Chrysost.

TANTA PASSI ESTIS, scilicet ab infidelibus propter Christi fidem, SINE CAVSA] id est frustra, si videlicet ab illa ad Mosen transeatis. VERS. 4.

D SI TAMEN SINE CAVSA] id est, si tamen frustra; supple, quod erit nisi resipiscatis. q.d. Hortor ergo vt resipiscatis, & in Christi fide persistatis. ita Hieronymus.

QVI ERGO TRIBVIT, ὁ ἐπιχορηγῶν, qui (scilicet Deus vel Christus) subministrat, suggerit, &, vt Syrus, indit, ET OPERATVR] ἐνεργῶν, qui inoperatur per intimam & diuinam suam energiam, vim & potentiam. Vide dicta 1. Cor. 12. 6. VERS. 5.

VIRTVTES] miracula. Supple: facítne ea ex lege, an ex fide? q.d. Clarum est, & experientia scitis, quòd non ex lege, sed ex fide, id est, per fidem Christi. Vnde subdit:

SICVT SCRIPTVM EST: ABRAHAM CREDIDIT DEO, ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM] Est secundum argumentum petitum ab exēplo Abrahæ, quo probat nos non iustificari ex lege, sed ex fide; VERS. 6.

non à Moſe, ſed à Chriſto. q.d. Abraham incircumciſus, & ante legem accepit Spiritum, & iuſtificatus eſt non ex operibus legis, quæ necdum erat, ſed ex fide Chriſti venturi: ita & vos ex Chriſti fide iuſtificamini. ita Anſelm.

REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM] id eſt, inde iuſtificatus eſt. Vide de hac phraſi, deque ipſa Abrahæ iuſtificatione, dicta ad Rom. 4. 3.

VERS. 7. ERGO QVI EX FIDE SVNT. græciſmus, id eſt, fideles, Abrahæ fidem imitantes, II SVNT FILII ABRAHÆ] ſpirituales ſcilicet, non per generationem, ſed per imitationem, ac conſequenter ad eos pertinet benedictio, iuſtitia & ſalus Abrahæ promiſſa. ita Hieron.

VERS. 8. PROVIDENS SCRIPTVRA] longè antè proſpiciens. hoc enim eſt Græcum προϊδοῦσα.

PRÆNVNCIAVIT ABRAHÆ] προευηγγελίσατο, B prævangelizauit, lætiſſimum ei tulit nuntium hoc de futura poſterorum eius, id eſt fidelium, benedictione per Chriſti fidem. q.d. Ergo non eſt nouum Euangelium de Chriſto, fide, iuſtitia fidei, ſed Abrahæ tempore notum.

QVIA (quòd) BENEDICENTVR IN TE OMNES GENTES] Notat Caiet. Gen. 12. Deum, cùm Abrahamum euocaret, vt egrederetur de terra ſua, ſcilicet Chaldæa, & de cognatione ſua, veniretque in terram, quam illi monſtraturus erat, ſeptem Abrahamo benedictiones, ſiue bona ingentia promiſiſſe. Septenarius autem ſymbolum eſt vniuerſitatis, id eſt omnium bonorum.

Septem Abrahamæ benedictiones promiſſæ.

Primum, quod promiſit, fuit principatus, ſeu paternitas magnæ gentis, cùm ait, *Faciamq; te in gentem magnam.* Secundum, frugum opumque copia, cùm ait, *Et benedicam tibi.* Tertium, nominis celebritas & gloria, cùm ait, *Et magnificabo nomen tuũ.* C Quartum, complexio omnium benedictionum & bonorũ, cùm ait, *Eritq; benedictus.* Vbi hebraicè eſt תְּהִי בְּרָכָה *tehi beracha*, ſis benedictio, id eſt, ita plenè per omnia ſis benedictus, vt ipſa videaris eſſe benedictio, vtque homines cuipiam benedicere volentes te in exemplum ſtatuant, dicentes: Fiat tibi, benedicat tibi Deus, ſicut fecit & benedixit Abrahæ: quemadmodum inaugurando Cæſari acclamabãt, Sit Auguſto felicior, ſit Traiano melior. Quintum, quòd non ſolùm tibi, ô Abraham, ſed & amicis tuis benefaciam, inquit Dominus, cùm ait, *Benedicam benedicentibus tibi.* Sextum, quod inimicos tuos, tuaſque iniurias vlciſcar, cùm ait, *Maledicam maledicentibus tibi.* Hæc ſex ferè corporalia ſunt & temporalia. Septimum verò ac præcipuum, ſpiritale eſt & æternum, cùm ait, *In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.* D

Pro quo Nota. *In te*, id eſt, in ſemine tuo, vt exponitur Gen. 22. 17. hoc eſt, in Chriſto, qui ex Abraham natus eſt, vt hîc exponit Apoſtolus v. 16. q.d. Per Chriſtum filium tuum, perque fidem in Chriſtum omnes gentes benedicentur, id eſt iuſtificabuntur, fientque amici & filij Dei, ac conſequenter heredes regni Dei, vt aliquando audiant: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Eſt ergo quòd gaudeas Abraham; quia per Chriſtum filium tuum pater eris omnium credentium, iuſtorum, & electorum. ita Hieron. Anſelm. & alij.

Poſſet Secundò, etiam ſic accipi: *in te*, id eſt, inſtar tui, ad tui imitationem & exemplum. q.d. Sicut tu per fidem, ita & omnes Gentes per fidem, non per opera legis, *benedicentur*, id eſt iuſtificabuntur. Hebræi enim literam ב *bet*, id eſt in, ſæpè ſumunt pro affini ſeruili litera כ *caph* quæ eſt nota ſimilitudinis & comparationis. ita Chryſoſt. Auguſt. Theoph. Oecum. S. Thom.

Aduerte hîc. Sicut dicere Dei, vtpote efficax, idem eſt, quod facere (ipſe enim dixit, & facta ſunt) ita benedicere Dei, idem eſt, quod benefacere & bona largiri, quę quo maiora ſunt, eo maior eſt benedictio. Iam quia maximum bonum eſt gratia & iuſtitia, per quam ſimus diuinæ conſortes naturæ, amici, filij, heredeſque Dei & gloriæ cæleſtis: hinc benedictio abſolutè poſita eamdem per antonomaſiam ſignificat. Hæc ergo Abrahæ benedictio propriè hanc Abrahæ iuſtificationem ſignificat, ac poſterorum eius, hoc eſt, fidelium, qui per Chriſtum renati Abrahæ fidem imitantur. Vnde rectè explicant Patres: *benedicentur*, id eſt, inquiunt, iuſtificabuntur, benedictionem, id eſt iuſtitiam, aſſequentur; nec enim maius bonum benedictionémve Deus nobis donare poteſt, quàm ſuam iuſtitiam, amicitiam, filiationem.

Deniq; hinc patet, non benè Pagninum vertiſſe, *in te benedicent ſe omnes gentes* dicendo ſcilicet: Vtinam ſim tã felix & benedictus quàm Abraham fuit. Hebręum enim נִבְרְכוּ *nibrechu*, purè paſſiuum eſt, coniugationis ſcilicet paſſiuæ niphal, propriéq; ſignificat *benedicentur*; non ergo ſignificat actionem reflexam agentis in ſeipſum, ſcilicet, *benedicent ſe*: hæc enim ſignificatur vltima coniugatione hitpael. Rurſum verſionem ac ſenſum Pagnini planè hîc excludit verſio ac ſenſus S. Pauli.

IGITVR QVI EX FIDE SVNT, BENEDICENTVR CVM FIDELI ABRAHAM] Infert hanc concluſionem ex antecedente præmiſſo v. præced. q.d. A Deo prædictum & promiſſum eſt Abrahæ, *In te*, id eſt in ſemine tuo, ſcilicet Chriſto, id eſt, per Chriſtum, ac Chriſti merita, *omnes Gentes*, quæ illi credent & obedient, hac Chriſti fide & obedientia, *benedicentur*, hoc eſt, iuſtificabuntur; igitur verè hæc eis benedictio & iuſtitia obueniet. Probatur conſequentia: quia Dei prædictio ac promiſſio falli aut fallere non poteſt. Ex ſecundo ſenſu iam dicto v. 8 ſimile eſt argumentum: prædictum & promiſſum eſt Abrahæ, *In te*, id eſt inſtar tui, *benedicentur omnes Gentes*: atqui tu ô Abraham ex fide iuſtificatus es, vt v. 6. probaui ex verbis Geneſeos c. 15. ergo & Gentes per fidem iuſtificabuntur, ac conſequenter, qui ex fide ſunt, id eſt fideles, *benedicentur*, hoc eſt iuſtificabuntur, *cum fideli Abraham.* Hunc ſecundum ſenſum magis innuit τῷ *cum fideli Abraham*. q.d. Inſtar fidelis Abrahæ Gentes per fidem æquè ipſæ iuſtificabuntur.

Nota rurſum græciſmum: *Qui ex fide ſunt*, hoc eſt fideles; ſic *qui ex circumciſione ſunt*, id eſt, Iudæi circumciſionis legiſque veteris ſectatores. Eoſdem v. ſequ. vocat eos *qui ſunt ex operibus legis*, hoc eſt, qui opera legis ſectantur, ijs nituntur, ex ijs ſperant & arrogant ſibi iuſtitiam. Secundò, pro *benedicentur*, græcè eſt εὐλογοῦνται, id eſt benedicuntur, in præſenti.

VERS. 9.

VERS. 10. QVICVMQVE EX OPERIBVS LEGIS SVNT, SVB MALEDICTO SVNT] Quæſiuit v. 5. vnde iuſtitia obtingat, an ex lege, an ex fide? tacitè reſpondit ex fide, idque hucuſque probauit exemplo Abrahæ: iam idem probat Tertiò, alteram aduerſamque partem deſtruendo, videlicet quòd non ex lege. *Quia*, inquit, *quicumque ex operibus legis ſunt* (id eſt, qui ijs nituntur, fidunt, iuſtificari volunt,) *ſub maledicto*

dicto sunt, hoc est maledictioni & execrationi, putà æternæ damnationi, sunt obnoxij: ergo lex non benedictionem, sed maledictionem adfert.

Antecedens probat hoc syllogismo: quicumque non facit totam legem, est maledictus à lege: atqui nemo sine fide & gratia Christi facit totam legem, vti suppono, tamquam vobis experientia notum; (scitis enim legem sine gratia impleri non posse, & legem non dare gratiam, sed Christum, legemque tantùm docere, minari & punire) ergo sine fide nemo est immunis à maledicto legis, quod lex sui violatoribus intentat, sed omnes maledicti sunt à lege: q.d. Ergo lex maledicit, sola fides bene dicit.

Magis dialecticè, videlicet in prima figura in Barbara, ita hoc argumentum dispones: quicumque aliquam legem violat, est maledictus à lege: atqui omnes, qui sub lege sunt secluso à fide & gratia Christi, legem violant: ergo omnes qui sub lege sunt, sunt ab ea maledicti. Maiorem probat verbis sequentibus, sententia scilicet Deuter. 27. 26. Minorem, vt dixi, supponit vt certam & notam; infert ergo conclusionem æquè certam & infallibilem. Vbi Nota, necessariò hanc minorem supplendam esse: si enim sola maior ponatur, nihil concludet, potuissentque dicere Galatis Iudaizantes: Nos sumus tam sub benedictione quàm sub maledictione. sicut enim lex sui violatores maledicit, ita sui obseruatores benedicit, Deuter. 28. 2. si ergo legem veterem seruaueritis, eritis nobiscum benedicti: sed hoc necessariò minore iam dicta suppleta corruit.

SCRIPTVM EST ENIM: MALEDICTVS OMNIS QVI NON PERMANSERIT IN OMNIBVS, QVAE SCRIPTA SVNT IN LIBRO LEGIS] Aquila vertit, *maledictus, qui non statuerit*; Symmach. *qui non firmauerit*; Theodot. *qui non suscitauerit verba legis huius, vt faciat ea.* id est, vt Syrus, qui ea non præstiterit. Septuag. non verbum, sed sensum reddunt: ὃς οὐκ ἐμμένει, *qui non immanserit.* sed maior vis est in Hebræo קָם bekim, id est, stare fecerit. qui enim firmiter & cõstanter per omnia legem obseruat, eam facto & exemplo quasi stabilit, statuit, erigit, firmat & sancit. Vnde vt vim vocis exprimant LXX. & Paulus, addunt πᾶσι *in omnibus* quod non est in Hebræo. Hæc est maior syllogismi suprà dicti.

Nota. Relinquit minorem vt experientia notam, non hanc, vt vult Caluinus: Atqui nemo potest facere legem; ergo lex impossibilis est, & omnes necessariò sunt sub legis maledicto: hoc enim impium est. sed istam: atqui nemo sine fide & gratia Christi facit vniuersam legem: ergo sine fide Christi, omnes sunt sub maledicto. ita Hieron. Sic enim lex non est impossibilis, & Deus non præcipit impossibilia; licet enim per naturæ legisque vires tota impleri non possit, potest tamen tota impleri per vires gratiæ, quam Deus credentibus & orantibus omnibus tam Iudæis, quàm Gentibus per mediatorem Christum paratus est dare.

Nota Secundò, non omnes, qui aliquam legem violabant, fuisse maledictos; quædam enim leges etiamsi diuinæ essent, & à Deo latæ, tamen ob materiæ paruitatem tantùm obligabant sub peccato veniali, vt lex vetans in nido capi matrem simul cum pullis, Deuter. 22. 6. & lex vetans vineam seri altero semine, ibid. v. 9. & lex vetans vestem ex lana linoque contextam, v. 11. Loquitur ergo lex Deuter. 27. quam citat hîc Paulus, de legibus Decalogi, quæ graues sunt, ac de rebus magni momẽti: ideoque obligant sub peccato mortali, quarum qui vel vnam violat, maledictus est. Inspice citatum c. 27. Deuter. ac ita esse videbis. Supponit Apostolus sine gratia Christi totum Decalogum à nemine impleri posse: ideoque concludit, omnes, qui sub lege sunt, esse ab ea maledictos.

QVONIAM AVTEM] Est noua & quarta ratio, probans nos non ex lege, sed ex fide Christi iustificari: conglomerat enim Apostolus rationes & Scripturæ loca, vt Galatis id persuadeat. Vnde sicut v. 6. vsus est argumento petito ab exemplo Abrahæ, & v. præced. idem probauit ex maledictione quam lex suis intentat Deut. 27. ita hîc idẽ probat ex Habacuc c. 2. 4. vbi dicitur: *Iustus* non ex lege, sed *ex fide viuit*, quem locum explicaui Rom. 1. v. 17. VERSAT.

LEX AVTEM NON EST EX FIDE, lex non docet, non affert fidem & gratiam, qua legem impleamus, iustificemur, iustè, sanctè ac beatè viuamus: sed (supple, tantùm de lege dicitur Ezech. 20. 11. Leuit. 18. 9. QVI FECERIT EA (videlicet quæ lex iubet) VIVET IN ILLIS] id est, non punietur morte, quam lex transgressoribus intentat; sed donabitur vita & bonorum temporalium abundantia, quam lex sui obseruatoribus promittit. Idem dixit Rom. 10. 5. est enim hæc epist. ad Galatas epistolæ ad Rom. vt dixi, quasi compendium. VERS. 12.

Vbi Nota antithesin fidei & legis. De fide dicitur: quia iustus, qua scilicet talis, ex ea viuet, putà vita iustitiæ, gratiæ & gloriæ, quæ absoluta, perfecta & beata est vita. De lege verò non dicitur absolutè, quòd qui eam fecerit viuet, sed, Viuet in illis, q.d. Viuet ea vita, ijsque bonis, quæ præcepta legis suis promittunt, scilicet in abundantia frumenti, vini & olei. *Antithesis fidei & legis.*

CHRISTVS FACTVS est PRO NOBIS MALEDICTVM] Græcè κατάρα, maledictio, execratio. Nota. Christus in se suaque persona benedictus, factus est maledictio, quatenus personam subijt peccatorum, quorum peccata & execrationes in se luendas & expiandas suscepit: non secùs ac si quis debitum tertij in se suscipiat, debitor fit & dicitur; sic & hîc Christus pro nobis fit & dicitur maledictum & peccatum, licet non tam propriè: nam debitum pecuniarium verè in alium transferri potest, peccatum verò in alium propriè transferri nequit, sed dicitur transscribi æstimatione & denominatione ciuili in eum, qui pœnam peccati subit. Est ergo catachresis, & metonymia. Quemadmodum ergo 2. Corint. 5. Christus dicitur factus pro nobis peccatum, id est, hostia pro peccato, cui olim manuum impositione peccata omnia imponebantur: sic dicitur hîc factus maledictum pro nobis, hoc est, maledictus, execrabilis: quia, vt Rupert. maledictiones humani generis Deus in Christum transposuit, vt videlicet pro nobis infame & execrabile crucis supplicium subiret, idque; tum ad ostendendam peccati enormitatem, quamque; peccatum sit res execranda, tum ad patientiæ omniumque; virtutum exemplum. *Vt non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus Christiana libertas, sicut Iudaica seruitus formidaret*, ait S. August. l. contra Adimant. 21. & Tertull. l. de Patientia c. 8. *Dominus*, inquit, *ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum in serui consequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti esse possimus.* VERS. 13. *Christus quemodo pro nobis factus maledictum & peccatum.*

QVIA SCRIPTVM EST (Deut. 21. 23.) MALEDICTVS

CTVS OMNIS QVI PENDET IN LIGNO] Deut. 21. 23. dicitur, *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno*, hebraicè קְלֻלַת אֱלֹהִים תָּלוּי *killat elohim talui*, id est, vt Aquila & Theodot. *maledictio Dei est suspensus*; Symmachus *in blasphemiam Dei est suspensus*; Ebion hæresiarches semiiudæus, & semichristianus, ait Hieron. vertit, ὕβρις θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id est *iniuria, siue contumelia Dei est, qui pendet.* Alius vertit, λοιδορία, hoc est, *conuicium Dei est suspensus.* Hebræa enim radix in piel scilicet קִלֵּל *killel*, significat conuiciari & blasphemare. Addit Hieron. *Dicebat Hebræus qui me docuit* (Barhanina nomine) *etiam sic posse verti: Contumeliosè Deus suspensus est.* Paulus omittit nomen Dei. Vnde S. Hieron. putat Dei nomen in Deuter. olim non fuisse, sed postea, ab aliquo Iudæo insertum, vt infamiam nobis inureret, qui in Christum à Deo maledictum credimus. Sed hoc non videtur probabile: omnes enim codices Hebræi, Latini, Græci, & LXX. (teste S. Hieron. quos sequi solet Paulus) habent in Deuter. nomen Dei, vel à Deo. Paulus ergo studio Dei nomen omisit propter Iudæos, ac propter Galatas à Christo semiauersos, ne eos magis ab ipso auerteret, si audirent eum à Deo fuisse maledictum.

Locus Deut. 21. explicatus & illustratus.

Quatuor notabilia de supplicio crucis.

Nota Primò. Hinc & alijs locis, vt Num. 25. 4. Iosue 8. v. 29. 2. Reg. 21. v. 9. patet Iudæos, vt lapidatione, gladio, igne, ita & crucis pœna in plectendis sontibus vti potuisse: quòd malè negarunt nonnulli.

Secundò. Pœna crucis vtebātur in summis sceleribus puniendis, videlicet blasphemiæ, idololatriæ, tyrannidis, vti Christum quasi Iudææ regnum affectantem crucifixerunt. Hinc præ alijs sontibus suspensi habebantur execrabiles, & maledicti à Deo & hominibus, vt hîc dicitur, eratque non solùm Romanis, sed & Iudæis hac ex lege crux supplicium summè infame, ignominiosum & execrandum.

Hinc Tertiò Nota. Loco Deut. citato, ita de cruce & suspensis sancit Deus: *Quando*, inquit, *peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam.* quod licet Abulensis argumento à simili extendat ad lapidatos, gladio, alióve instrumento peremptos, quasi lex velit omnes occisos quolibet supplicio tamquā maledicta sepeliri ante vesperam; tamen contrarium longè verius est: lex enim præcisè tantùm suspensis hoc assignat & irrogat; hi enim præ alijs habebantur execrabiles.

Quæres, quæ fuerit causa huius legis, cur videlicet voluerit Deus corpora suspensorum ante vesperam sepeliri? Respondet Andreas Masius in Iosue 8. 28. *Quia*, inquit, *cadauer hoc censetur contaminare terram; imbuit enim homines terræ habitatores impijssima & pernicioſissima mortalitatis animæ opinione, dum scilicet, humana corpora beſtiarum instar honore sepulturæ carere, negligi & projci vident.* Hæc ratio sublimior est, quàm germanior: nec enim est adæquata suspensis, sed omnibus quacumq; morte peremptis: lex autem iubens cadauera sepeliri tantùm de suspensis loquitur. Melius ergo Caiet. & alij causam dant, quòd scilicet vellet Deus suspensos, vtpote facinorosissimos omnino deleri de terra, adeò vt nec eorum cadauera superessent; in pœnam scilicet & infamiam tantorum scelerum, ob quæ omnino interimi, & quasi annihilari merebantur, vtpote toti execrabiles, & indigni terram tangere & afflare: sic veneficæ, incendiarij, falsarij, sodomitæ flammis puniuntur, & in cineres rediguntur, quasi sceleratissimi & abominabiles, ideoque omnino de terra eradendi, ac in nihilum redigendi.

Duæ causæ ob quas corpora suspensorum ante vesperam sepeliebantur.

Vbi notanda est Scripturæ phrasis: solet enim dicere terram sceleribus pollui, gemere, clamare, irasci, vindictam expetere, imò habitatores suos euomere, vti de Chananæis dicit Leuit. 20. 28. Per prosopopœiam enim ad maiorem emphasim rei inanimæ, scilicet terræ, tribuitur vita, sensus, gemitus, ira, vomitus; vt significetur enormitas criminum incolarum terræ, quæ tanta fuit, vt ipsa terra, elementa, aliæque creaturæ irrationales suo semper creatori obedientes, & pro illo pugnantes, tantos peccatores detestārentur, eosque quasi euomerent, cùm illi ab ea per Deum ac Hebræos expulsi sunt; detestarentur, inquam, appetitu naturali, quo naturæ pondere in ordinem suum, ac totius vniuersi bonum, Deique vindicis voluntatem implendam feruntur, & auersantur ea, quæ his sunt contraria, putà peccata, idem facturæ appetitu rationali, ac humana detestatione, si eam haberent, eiusque capaces ac compotes essent.

Denique iuxta hanc legem Deut. Christus, vtpote suspensus, eadem die, qua crucifixus est, ante vesperam, quia sabbatum & requies ab operibus incipiebat, à cruce depositus, & sepultus est, quamquam nec Christus, vtpote innocentissimus ac iniustissimè ad crucem & suspendium condemnatus, hac lege Deut. contineretur. Vnde Hebræus ille iā dictus S. Hieron. præceptor ex Hebræo prophetice ita verti posse censuit: *Non permanebit cadauer eius* (Christi) *in ligno, quia contumeliosè Deus suspensus est.* Nec etiam Iudæi hanc legem Christi de cruce depositioni prætexuerunt, sed potiùs indecori speciem, ne scilicet sabbati insequentis celeberrimi, vtpote paschalis, decorem tam infami spectro Christi crucifixi funestarent, vt patet Iohan. 19. 31.

Vbi Aduerte. Hæc Deut. lex, iudicialis fuit, ideoque iam per Christi legem & mortem abrogata est, vti & ahæ omnes iudiciales & cæremoniales leges veteres. Hinc iam nec præ alijs sontibus suspensi sunt maledicti, nec eadem die sepeliuntur, sed per dies, menses & annos pendent in patibulo ad terrorem cæterorum malefactorum.

Moraliter ac piè S. Hieron. hîc: *Domini* (Christi) *iniuria*, inquit, *nostra est gloria. Ille mortuus est, vt nos viueremus. Ille descendit ad inferos, vt nos ascenderemus in cælum. Ille factus est stultitia, vt nos sapientia essemus. Ille se de plenitudine, & de forma Dei euacuauit, formam serui accipiens, vt in nobis habitaret plenitudo diuinitatis, & domini essemus è seruis. Ille pependit in ligno, vt peccatum, quod commiseramus in ligno scientiæ, ligno deleret appensus. Crux eius amaras aquas vertit in dulcem saporem, & securim perditam, in profundum demersam, missa in fluenta Iordanis leuauit. Ad postremum factus est ille maledictio, factus, inquam, non natus, vt benedictiones quæ promissæ fuerunt Abrahæ, ipso auctore & præuio transferrentur ad Gentes, & spiritus repromissio per fidem illius compleretur in nobis.* Vide & Chrysost. & Anselm.

VT IN GENTIBVS BENEDICTIO ABRAHÆ ESSET. Pendet ex v. præced. Christus nos redemit de maledicto legis *factus pro nobis maledictum*, vt pro maledictione induceret in Gentes benedictionem

Nota-

Abrahæ promissam: nimirum VT POLLICITATIONEM SPIRITVS, id est Spiritum sanctum nos iustificantem & sanctificantem, filijs Abrahæ, id est credentibus, promissum ACCIPIAMVS PER FIDEM] qua credimus in Christum Abrahæ filium, in quo hanc benedictionem constituit & consignauit Deus, dicens Abrahæ: *In te* id est in semine tuo, quod est Christus, *benedicentur omnes gentes* Vt dixi v. 8.

SECVNDVM HOMINEM DICO] id est, iuxta morem & consuetudinem hominum loquor. κατὰ enim *secundùm* respondet Hebræo caph, quod est nota similitudinis, significans sicut, iuxta, secundùm, ad instar. Sic Iob 31. 33. dicitur: *Si abscondi quasi homo* (hebraicè כְּאָדָם *caadam*, id est, secundùm vel iuxta hominem, instar hominis, vti homines facere solent,) *peccatum meum*. & psal 81. 7. *Vos autem sicut homines* (hebraicè *caadam*, id est, iuxta hominē, more hominum) *moriemini*. & Oseæ 6. 7. *Ipsi autem sicut Adam* (hebraicè *caadam*, id est, secundùm Adam vel hominem, vti Adam fecit, & homo facere solet) *transgressi sunt pactum*.

Sensus ergo Pauli est, q. d. In hac spirituali diuinaque re, humano ac vulgari vtor exemplo testamenti, & testatoris, vt probem nos benedictionem Abrahæ iam dictam hereditare non per legem, sed per fidem Christi, iuxta Dei pactum cum Abraham initum; vt meritò pudere vos debeat, ô Galatæ quòd minus tribuatis Dei, quàm hominis testamentis & pactis. Est hîc noua & quinta ratio, petita ex Dei pacto & promissione, qua probat nos iustificari, non ex lege, sed ex fide.

TAMEN (tametsi) non nisi HOMINIS TESTAMENTVM, id est pactum, sit CONFIRMATVM, NEMO illud SPERNIT AVT SVPERORDINAT] id est immutat, aliter ordinat, & disponit vltrà quàm à testatore ordinatum & dispositum est, hoc est, nec demit, nec addit, nec derogat, nec arrogat. Nota. Græcū ὅμως, id est tamen, subinde tametsi significat. Vnde Vatabl. & alij passim vertunt, *hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo illud reijcit aut aliquid illi addit.*

ABRAHAE DICTAE SVNT PROMISSIONES, ET SEMINI EIVS] scilicet Gen. 22. 16. & sequ. vbi dicitur: *Quia fecisti hanc rem* (vt mihi obediens velles immolare filium tuum Isaac) *benedicam tibi*, &c. *& benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Vnde colligunt interpretes Abraham hac obedientiâ, filijque victimâ meruisse, vt ex sua potiùs stirpe, quàm alia, imò ex eodem Isaac, quem immolare voluerat, nasceretur Christus, per quem omnes gentes benedicerentur, & implerentur benedictiones & promissiones Abrahæ factæ. Vnde rectè Apostolus docet hîc promissiones has factas Abrahæ & semini, id est filio, videlicet Christo ex Abrahæ semine nascituro. Licet enim Gen. 22. tantùm dicatur eas Abrahæ factas in semine, non autem, & semini eius: hoc ipso tamen, quo factæ sunt Abrahæ in semine, non tam Abrahæ, quàm semini eius factæ sunt, non secùs ac si Rex Comiti promittat ac dicat, In filio tuo exaltabo familiam tuam, faciamque eum Ducem & Principem; non tam Comiti, quàm Comitis filio benedicit, & Ducatum familiæque exaltationem pollicetur: ita & hîc Deus dicens Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; non tam personæ Abrahæ, quàm Christo hanc benedictionem, hoc est iustificationem ac salutem gentium omnium, pollicetur, illarum scilicet, quæ Christi fidem amplectentes Christo credent, & obedient.

NON DICIT: ET SEMINIBVS, QVASI IN MVLTIS; SED QVASI IN VNO: ET SEMINI TVO, QVI EST CHRISTVS] Dices: Semen idem est, quod posteritas, & posteri; ergo multos significat numero etiam singulari: est enim collectiuum nomen sicut populus; quomodò ergo Apostolus concludit, Dicit Scriptura Semini, non Seminibus; ergo in vno, scilicet Christo, non in multis, Abrahæ promissiones implentur?

Respondeo, *Semen*, subinde collectiuum est, & posteros omnes significat, vt cùm dicitur: *Erit semen tuum sicut stellæ cæli*; subinde verò certam tantùm personam significat, idque ex adiunctis colligi debet: sic sumitur Gen. 21. *Sed & filium ancillæ tuæ* (Ismael) *faciam in gentem magnam, quia semen tuum*, id est filius tuus, *est*. sic & hîc debere sumi patet tum ex S. Pauli hoc loco, & communi omnium interpretum, veterumque Rabbinorum expositione, qui omnes per *semen* hoc intelligunt Christum, per quem Deus omnes gentes benedicet; tum quia alioqui, si *Semen* priore significatione vt collectiuum acciperetur hîc, falsa esset hæc prophetia & promissio. constat enim in posteritate Abrahæ, id est, in populo Iudaico, omnes gentes non esse benedictas, imò Iudæos aliæ omnes gentes auersabantur, erantque Iudæi probrum & maledictum Gentium.

Semen subinde est nomen collectiuū, subinde certam personam significat.

HOC AVTEM DICO, TESTAMENTVM CONFIRMATVM A DEO: QVAE POST QVADRINGENTOS ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX, NON IRRITVM FACIT AD EVACVANDAM PROMISSIONEM] q. d. Si, vt dixi v. 15. hominis testamentum & pactum nemo irritare audet aut potest: multò ergo minùs testamentum, id est, pactum Dei cum Abrahamo initum *in Christum* (vt addunt Græca) id est, de Christo omnes gentes benedicturo, irritare potuit lex longè posterior, vtpote quæ demum post 430. annos ab hac promissione data est in Sinai ita Oecum. VERS. 17.

Nota. Hîc & alibi hæc tria, scilicet Hebræum בְּרִית *berit*, Græcum διαθήκη, & Latinum *testamentum*, idem sunt, significantque quoduis pactum. Hoc enim adæquatè in Scriptura significat Hebræum *berit*, quod Septuag. vertunt διαθήκη, scilicet vt sit idem quod συνθήκη, ita Hieron. Chrysost. Theophyl. Oecum. idem ex Aristophane & Demosthene ostendit Budæus, de quo plura dixi 1. Corinth. 11. 25. S. August. tamen proprie capit hîc testamentum Dei: *Quia*, inquit, *quod mors testatoris valet ad confirmandum testamentum, hoc immutabilitas promissionis Dei valet ad firmandam suam promissionem.*

Hebræum בְּרִית, *Græcum* διαθήκη, *& Latinum Testamentū idem sunt & significant.*

QVAE POST QVADRINGENTOS ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX] Grauis hîc quæstio est de hisce annis, vnde inchoari debeant: nam de fine & termino illorum satis constat, terminari scilicet illo anno, quo data est lex Iudæis in Sinai per Mosen, vt hîc dicitur. Videtur enim hîc Paulus annorum computus pugnare cum Exodi 12. 40. vbi dicitur, *Habitatio autem filiorum Israel, quo manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*: habitare enim cœperunt in Ægypto cùm Iacob vrgente fame vocatus à Iosepho filio eò descendit. ab hoc Iacobi in Ægyptum descensu vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, sunt 430. anni; quomodo ergo Apostolus ab Abraham totidem tantùm numerat, cùm ab Abraham vsq; ad descē-

Vnde inchoandus computus horū annorum.

* *Cornel. in Epist. Pauli.*

sum hunc Iacobi effluxerint plusquam ducenti anni ; & consequenter ab Abraham vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto non tantùm 430. sed 630. numerare debuisset?

Inchoanda computatio ab anno 75. vitæ Abrahami, quo ipse vocatus à Deo est è patria.

Dico breuiter cum August. qu. 47. in Exod. cum Athanasio, vel potiùs Anastasio in Synopsi S. Scripturæ in Exodo, cum Eusebio in Chronic. cum Ruperto, Abulensi, Caietano in Exodi 12. eosdem esse annos quos Paulus hîc numerat, cum illis quos Moses computat loco Exodi citato, 12. scilicet cap. v. 40. ac vtrosq; inchoandos esse non à descensu Iacobi in Ægyptum, sed ab anno 75. Abrahami, quo anno Abraham vocatus à Deo cœpit à domo ac patria sua, Haran scilicet, peregrinari versus terram Chanaam: hoc enim anno 75. vitæ suæ benedictiones & promissiones illas, de quibus hîc Apostolus, accepit, vt patet Genes. 12. initio capitis.

Probatur primò.

Patet hoc Primò. nam clarum est Hebræos à descensu Iacobi non habitasse 430. annos in Ægypto, ex eo quòd Caath descendit cum auo suo Iacob in Ægyptum, Caath autem vixit 133. annos, cuius filius Amram 137. annos vixit. Hic Amram genuit Mosen, Mosis autem anno 81. egressi sunt Hebræi ex Ægypto: quæ omnia patent Exodi 6. v. 18. & 20. & Exodi 7. 7. quos annos si simul omnes iungas, non summam 430 sed 331. tantùm conficient. Ab hisce verò annis demendi sunt anni Caath, quibus vixit postquã genuit Amram, & anni Amram, quibus vixit postquam genuit Mosen: illi enim anni Caath in annis Amram, & reliqui illi anni Amram, in annis Mosis quibus patri suo Amram conuixit, continentur. Hinc sequitur hos annos 430. Exodi, non à descensu Iacob, sed longè anteriùs, à peregrinatione scilicet Abrahæ ex Haran versus Chanaan, arcessendos & inchoandos esse, idque disertè exprimunt Septuag. Exodi 12. cùm vertunt, *at habitatio filiorum Israel, quam habitarunt ipsi & patres eorum in terra Ægypti & Chanaan, fuit quadringentorum triginta annorum.*

Probatur secundò.

Prob. Secundò, quia Apostolus hîc post 430. annos non à Iacobi, sed ab Abrahæ vocatione, peregrinatione & promissione numerandos factam ait legem: atqui lex eodem anno est data, quo egressi sunt Hebræi ex Ægypto, mense videlicet tertio post egressum, vt dicitur Exodi 19. v. 1. Vide quæ dixi Exodi 19. 40.

VERS. 18. NAM SI EX LEGE HEREDITAS (si ex lege Mosis heredes efficimur benedictionis Abrahæ, hoc est, iustitiæ & salutis) ergo NON EX PROMISSIONE] Sed hoc est falsum, quia hanc benedictionem donauit Deus per repromissionem, promittens scilicet Abrahæ semen, id est Christum, in quo, & per quem omnes gentes quæ in eum crederent, benedicerentur: si ex promissione Christi, ergo ex fide Christi, non ex lege Mosis hæc benedictio Abrahæ promissa gentibus omnibus obtigit: promissio enim iam dicta fidem Christi inuoluit, vt patet eam perlegenti.

VERS. 19. QVID IGITVR LEX?] ad quid lex post promissionem subinducta fuit, si Dei non explet promissionem, si promissam Abrahæ benedictionem non complet? Respondet, legem à Deo positam & datam esse propter transgressiones, scilicet puniendas & coërcendas, ait Hieron. & Chrysost. hoc enim directè intendit legislator Deus, cùm legem tulit; indirectè verò, vt ait August. propter transgressiones, scilicet declarandas posita est lex, vt nimirum populus superbus visa lege, agnosceret peccata sua, quæ contra legem committit, sibique Christi gratia opus esse ad eam implendam, itaque lex tacitè homines ad Christum transmittebat. Vnde subdit:

DONEC VENIRET SEMEN, hoc est Christus, CVI PROMISERAT] Deus scilicet, per eum benedicendas esse gentes, hoc est iustificandas, vt piè deinceps ac iustè viuere, legemq; implere possint, q. d. Data est lex quasi pædagogus noster, vsque ad Christum; ergo Christo iam præsente, officio suo perfuncta est, quid ergo vlteriùs eam prorogare vultis, ô Iudæi? ita Chrysost.

PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST (προσετέθη, disposita est suo ordine. vti miles suo loco & ordine in acie à duce disponitur: sic & lex suo & apto ordine, tempore, loco, modo disposita, & quasi in acie ordinata fuit.

Primò, suo ordine, quia inter legem naturæ & Euangelium, quasi media intercessit: quia perfectior fuit lege naturæ, sed imperfectior Euangelio, fuitque via & præparatio ad Euangelium.

Secundò, suo tempore, quia populo illi rudi, mox vt Ægypto eductus in vnam gentem, temp. & Ecclesiam ab alijs gentibus separatam coalescere cœpit, data est lex, ne ad idololatriam & libertatem aliarum gentium diffluaret.

Tertiò, suo loco, quia in Sina ante ingressum in Chanaan facta est quasi conditio fœderalis: promisit enim Deus se Hebræos in Chanaan inducturum, eamque illis in possessionem traditurum, si legem quasi præuium ducem sequerentur, eamque quasi pacti ac fœderis conditionem obseruarent.

Quartò, suo modo, quia legem illam angelus ex Sina voce tubali, cum terrifico terræ motu, fulguribus actonitru toti populo proclamauit & promulgauit, quasi legem timoris & terroris ad duros ac rebelles Iudæos quasi seruos eius metu & pœnis in officio continendos. His quatuor modis exteriùs ordinata fuit lex.

Quintò, interiùs ordinata fuit, quia ipsa legis præcepta rectissimè ordinata sunt, ordinabantque Hebræos Primò, ad Deum per cæremonias & sacrificia ritè colendum; Secundò, ad proximum non lædendum, vel, si læsus esset, ad ei iustè satisfaciendum per leges iudiciales; Tertiò, ad hominem in seipso ritè componendum per leges morales decalogi.

Consequenter simili modo longè ordinatior fuit lex noua Christi, quæ veteri successit. Primò, quia data fuit suo ordine, vltimo scilicet loco quasi perfectissima, & apex legum omnium.

Secundò, suo tempore, vltima scilicet mundi ætate, cùm venit Christus eius legislator, data est & promulgata in pentecoste, quinquagesima scilicet die à paschate, quæ plenæ remissionis, libertatis, felicitatis, æternitatis, æterniquè iubilei est symbolum.

Tertiò, suo loco, scilicet non in Sina, sed in Sion, quæ typus est ac quasi specula gloriæ cælestis, ad quam hæc lex nos inducit, de quo cap. sequ.

Quartò, suo modo, quia cum spiritu vehemẽti, & linguis igneis, Spiritusque sancti efficacia ac zelo prædicandi, & conuertendi gentes quasliber data & lata est, quasi lexigniti amoris & incensæ charitatis.

Quintò,

Quintò, quia in se ordinatissima est per præcepta fidei, spei, iustitiæ, charitatis & Sacramentorum.

ORDINATA PER ANGELOS] Hinc patet, Deum non per se locutum fuisse Mosi: sed per angelum, qui tamen Dei personam sustinuit, loquiturque quasi Deus, cùm ait, *Ego sum Dominus Deus tuus*, Exodi 20.1. sicut legatus Regis loquitur in persona, nomine & auctoritate Regis sui. Angelus ergo vice Dei immediatè legem decalogi ex Sina promulgauit toti populo, Exodi 20. Alias verò ceremoniales leges de fabrica tabernaculi, arcæ, Cherubim, de sacrificijs, de lustrationibus, quæ Leuitico enarrantur, & iudiciales, quæ Exodi 21. & 22. & sparsim in Pentateucho præscribuntur, angelus cum Mose in Sina colloquens Mosi tradidit, vt ipse eas populo promulgaret.

IN MANV MEDIATORIS] Nota hebraismum *in manu*, id est per. q d. Per mediatorem. quia enim manus est membrum, per quod operatur homo, & quasi organum organorum, hinc *manum* Hebræi vocant quoduis instrumentum per quod Deus, vel angelus, vel homo operantur: sic dicitur verbum Domini factum in manu Eliæ, Isaiæ, & aliorum Prophetarum. id est, per Eliam, Isaiam, & alios Prophetas tamquam Dei organa & instrumenta.

MEDIATORIS] μεσίτου, Vatabl. *intercessoris*; Erasmus, *conciliatoris*; Noster ad verbum & adæquatè vertit, *mediatoris*. mediator enim latiùs patet, quàm conciliator, qui enim mediat inter duos & interuenit, siue quasi internuncius, siue quasi interpres, siue quasi conciliator, vtriusque dicitur mediator.

Quæritur, quis hîc intelligatur mediator? S. Hieron. Chrysost. August. Ambros. intelligunt Christum Dominum: licet enim Christus tempore Mosis necdum esset actu, ac consequenter necdum mediator esset, erat tamen in decreto & destinatione Dei, q.d. Lex vetus data fuit potestate & auctoritate Christi mediatoris iam prædestinati à Deo: ergo sicut in Christi potestate fuit legem per Mosen dare, ita & in eiusdem potestate fuit eamdem per se iam natum abrogare.

Secundò, & melius Cyrill. 12. Thesauri c. 10. Nazianz. orat. 6. coram Gregor. Nysseno, Catharinus, Adamus, & alij, immò & Beza, intelligunt Mosen, qui Deut. 5. 4. dicit se sequestrum fuisse & medium inter Deum & populum.

Patet Primò, quia Christus dici non potest mediator vt Deus, sed vt Deus homo factus: atqui tempore Mosis necdum erat homo: ergo necdum dici poterat mediator. Maior patet, quia Christus qua Deus tantùm, sicut & qua homo tantùm, pars est & alterum extremorum; ergo vt sic, mediator non est. sed vt est Deus homo: vt enim est Deus homo, sic vtramque partem & extremum, scilicet tam Deum, quàm hominem in se quasi medio iunxit & vnuit, atq; qua Deus, mediatoris auctoritatem & dignitatem; qua homo, mediatoris opera, passiones & merita exercuit.

Dices, Tempore Mosis Christus erat non actu, sed potestate & prædestinatione Dei. Contrà Apostolus mediatorem hîc intelligit non potestate, sed actu; quia per mediatorem hunc dicit ordinatam esse legem veterem, actu scilicet cùm illa lex data est Hebræis: atqui Christus, vtpote necdum existens, non potuit illam legem ordinare cùm data est Hebræis in Sina; ergo non potuit tunc esse mediator illius legis: quod enim non est, operari non potest, aut quidquam ordinare.

Secundò, *mediator per angelos in manu mediatoris* significat angelos per ministerium mediatoris dedisse legem: atqui Christus dici non potest minister angelorum, sed angelorum dux est & princeps, ad Hebr. 1. ergo hic mediator non est Christus. *Probatur secundò.*

Tertiò, lex vetus propriè data est per Mosen, sicut noua per Christum; ergo sicut Christus nouæ legis & noui testamenti est mediator, ita Moses veteris. *Probatur tertiò.*

Quartò, id docet Apostolus ad Hebr. 8. v. 5. & 6. & c. 9. v. 15. 19. 20. *Probatur quartò.*

Quod Nota contra Nouantes. si enim Moses dicitur μεσίτης, id est mediator, sine Christi mediatoris iniuria, vt etiam Beza fatetur, mediator, inquam, non quia conciliator, pacificator & redemptor Hebræorum fuit, sed quia eorum internuncius fuit apud Deum; cur non magis Sancti mediatores nostri, sine Christi mediatoris & redemptoris iniuria, dici possint, qui suis meritis & precibus gratiam Dei nobis conciliant? Mirum sanè est Nouantes ita de hoc nomine tricari, & plebi fucum & vmbras facere, cùm de sensu & re ipsa, imò & de nomine, vt hîc patet, constet. *Sancti mediatores nostri dici possunt contra Nouantes.*

Sensus ergo Apostoli est, q.d. Lex vetus ab angelis data est, & lata per Mosen, noua verò per Christum ipsum, qui Deus est & homo, quique vti qua Deus legem veterem per Mosen tulit, ita potuit eamdem, cùm natus est homo, per se abrogare, vt iuxta promissiones Abrahæ factas, in semine eius, hoc est, in seipso ex Abraham nato, Gentes omnes benediceret, id est, iustificaret & saluaret.

MEDIATOR AVTEM VNIVS NON EST] sed duorum, scilicet populorum, putà Iudæorum & Gentium mediator est Christus, ait Ambros. VERS. 20. *Quintuplex horum verborum sensus.*

Secundò, *mediator Christus vnius non est*, naturæ scilicet, sed duarum, putà humanæ & diuinæ.

Tertiò, *mediator* Moses *vnius non est*, scilicet voluntatis, decreti & consilij, sed est mutabilis, quia homo est; Deus autē in sua voluntate & promissione est immutabilis. In hanc propendet Adamus. Sed hæc omnia remota sunt à phrasi Scripturæ, & mente ac scopo Apostoli; ergo

Quartò, & melius, *mediator est Christus, non vnius*, sed duorum, non Deorum, quasi vnus sit Pater, alter sit Filius, vti commenti sunt Arrius & Nestorius: Deus enim vnus est & idem, non duo. Non etiam Christus mediator est duorum, scilicet Dei & angelorum, vt videlicet angelos Deo conciliet, quia angeli sancti eo non indigent, dæmones verò, vtpote damnati, eo iuuari non possunt: sed mediator duorum, vel inter duos, videlicet Deum & homines. q. d. & inferat: Ergo non lex, sed Christus nos homines redimit, iustificat, Deoque reconciliat. ita August. Theoph. Anselm.

Quintò, & planissimè hæc videtur Apostoli esse mens, vt *mediatoris* nomen explicet. q.d. Mediator, quem dixi, Moses, non est vnius, sed duorum certorum & determinatorum, Dei scilicet & Hebræorum, non autem Christianorum (ad quos vel maximè spectat benedictio, id est iustitia & salus, Abrahæ promissa) Moses fuit mediator & interpres: Deus verò vnus est, non duo. itaque in

hisce verbis vim argumenti non ponit Apostolus, nisi obliquè & inchoatè, sed tantùm in ijs explicandis ludit per antithesin, vt scilicet opponat mediatorem qui duorum est, Deo qui vnus est, in quo facit præcipuam vim, vti iam dicam.

Vnus est Deus Iudeorum & Christianorum.

DEVS AVTEM VNVS EST] q.d. Non sunt duo dij, quorum vnus sit Deus legis & Iudæorum, alter sit Deus Abrahæ & Christianorum, vti voluerunt Manichæi & Iudæi: sed vnus est Deus Iudæorum & Christianorum, idem auctor legis & Euangelij, ac consequenter hic vnus & idem Deus per legem, quam dedit Iudæis, noluit promissionem suam Abrahæ factam reuocare, de benedictione nimirum & iustitia acquirenda per semen Abrahæ, id est, per Christum Christique fidem & Euangelium: aliàs enim fuisset inconstans & sibimet contrarius, quod vel cogitare est impium; sed potiùs legem dedit, vt per eam quasi pædagogum ad Christum nos perduceret, vt à Christo benedictionem & iustitiam Abrahæ promissam consequeremur. Vnus ergo idemque Deus fecit Mosen mediatorem inter se & Hebræos; modò eo reuocato alium, putà Christum, fecit mediatorem inter se & Christianos omnium Gentium, atque per Christum benedixit & iustificauit omnes Gentes, vti promiserat Abrahæ.

Hunc esse sensum Apostoli patet ex simili loco 1. Timoth. 2. 5. vbi ex eo quòd vnus est Deus omnium gentium & hominum, probat illum velle omnes homines saluos fieri, & ex eodem principio deducit quòd vnus sit mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. q.d. Deus vult non solos Iudæos, sed & omnes Gentes saluas fieri. Rursum non soli Iudæi, sed & omnes Gentes in peccatum prolapsæ indigent redemptore & mediatore. Is autem non potest esse Moses, vtpote qui tantùm Iudæorum fuit mediator, ergo is sit Christus oportet illi ergo Moses cedere debet. Christus enim est semen illud Abrahæ, in quo promisit Deus benedicendas esse omnes Gentes, ita Gennad. apud Oecum. & ex eo Salmeron.

VERS. 21.

In lege non est viuificatio, sed in fide Christi.

LEX ERGO ADVERSVS PROMISSA DEI?] Occurrit obiectioni, vt rectè Hieron. cuius occasionem dedisse videtur v. 19. cùm ait: *Lex propter transgressionem posita*, vel, vt græcè προσετέθη, *adiuncta est, donec veniret semen.* inde enim quis colligat: si lex promissioni adiuncta est, & quasi adreplit, videtur quòd sibi vsurparit officium viuificandi & iustificandi homines, vt scilicet illud, quod promissio continebat, exequeretur, eoque fungeretur donec veniret Christus; ad quid enim aliud adiungeretur promissioni? ad quid aliud præueniret Christum? nisi, vt tu ipse ais, *propter transgressiones*, scilicet abolendas per viua virtutum opera, quæ lex præscribit, vt ijs iustificemur. Quod si ita est, ergo lex aduersatur promissis Dei: Deus enim hanc viuificationem & iustificationem promisit fidei in Christum, non legi, imò hoc ipso ab ea legem excluit.

Hunc esse sensum, patet ex seqq. hanc enim interrogationem & obiectionem excludens subdit: *Absit*, id est, hoc de lege dici non potest. *Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia.* q.d. Lex non potest viuificare; ergo non est contra Dei promissa, quæ vitam spiritalem promittunt dandam per Christum. Antecedens prob. quia si lex viuificare posset, posset & iustificare: hoc autem non potest, quia *conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Lex itaque tantùm data est, vt esset pedagogus noster ad Christum, vt ex fide iustificaremur. q.d. Cùm dixi legem positam propter transgressiones, intellexi, vt scilicet eas metu pœnæ coerceret, ne in opus externum prorumperent, non autem quasi internam concupiscentiam potuerit sola lex compescere, suggerendo spiritum vitalem gratiæ, quo viuaci amore, gratia & spiritu legem impleamus.

ABSIT] q.d. ait Anselm. Fieri hoc nequit vt dederit Deus legem, quæ aduersaretur promissis suis, quia iam in hoc sibi ipsi Deus foret contrarius. numquam lex subsequens aduersata est præcedentibus promissis, sed vt homines dignè se præpararent ad ea à Christo Christique fide accipienda, iugiter admonuit. Hactenus Anselmus. ergo lex non est contraria promissioni, sed potiùs eam iuuat, stabilit, & firmat.

SI ENIM DATA ESSET LEX, QVAE POSSET VIVIFICARE, VERE EX LEGE ESSET IVSTITIA] *Viuificare*, hoc est, animæ vitam, nempe iustitiam, tribuere sed quia ex vita hac infert iustitiam quasi distinctam; hinc Secundò & melius *viuificare*, est facere vt vita sint hominis opera, quod fit dum homo vitali opera & actiones virtutum ex interno charitatis & gratiæ spiritu exercet. Argumentatur ab effectu ad causam, à vitali scilicet opere ad vitam, siue animam. sicut enim rectè sequitur: Hic homo corredit, loquitur, discurrit; ergo habet animam & vitam: ita similiter, si lex posset in nobis vitalia spiritus opera edere, sequeretur posse eandem nobis spiritum charitatis & gratiæ, ipsamque iustitiam tribuere. nec enim opera spiritus edi exercerive possunt sine spiritu, sicut nec opera vitæ sine anima.

SED (ex lege non est iustitia, quia) CONCLVSIT id est, declarauit, & sententiæ suæ auctoritate pronunciauit SCRIPTVRA, OMNIA, id est omnes, concludi SVB PECCATO, hoc est, omnes esse peccatores, peccati reos, peccato obnoxios. Est hebraismus. verbum reale ponitur pro mentali vel vocali iuxta can. 36. Scripturam hoc concludentem & pronuntiantem citat Rom. 3. 10. Nota: ad auxesin pro omnes dicit *omnia*.

VT PROMISSIO (promissa Abrahæ benedictio, id est iustitia, salus & hereditas) EX FIDE, hoc est, per CHRISTI fidem, DARETVR CREDENTIBVS] ita Anselm.

PRIVS AVTEM QVAM VENIRET FIDES, SVB LEGE CVSTODIEBAMVR CONCLVSI, quasi serui in disciplina, in custodia & carcere onerosæ legis, quæ suis pœnis quasi cancellis & sæptis nos à peccato continebat, & coërcebat IN EAM FIDEM, QVAE REVELANDA ERAT] vt scilicet per legis reprehensionem, minas & ostensionem pœnarum formaremur, præpararemur, aspiraremus ad fidem, libertatem & iustitiam per Christum dandam. ita Anselm. & Theoph.

ITAQVE LEX PAEDAGOGVS NOSTER FVIT] *Pædagogus*, id est, puerum agens & ductans, ait Hieron. Græcis dicebatur seruus, qui puerum quocumque iret, ducebat, curabat, regebat, quique primam eius ætatem lasciuientem, & in vitia procliuem, virgis coërcebat, formabat, disciplinis puerilibus imbuebat, & ad altiora præparabat. Talis fuit lex, quæ Hebræos quasi pueros instituit, coërcuit, formauit, præparauit.

Is

IN CHRISTO. græcè εἰς Χριστὸν. ad Christum, VT FIDE eius renati IVSTIFICEMVR] Pulchrè per prosopopœiam pædagogi personam tribuit legi & Mosi; fidei verò & Christo personam patris, quia Christi fide renascimur, fimusque Christi ac Dei filij. atque ex paruulis, quales eramus sub lege, subitò quasi transformamur in ætatem, staturam & formam virilem.

26. OMNES ENIM, siue Iudæi, qui fuistis sub lege, quasi pædagogo, siue Gentiles, qui hoc pædagogo caruistis, hoc ipso, quo credidistis per fidem Christi, FILII DEI ESTIS] Nota. Coniunctio causalis *enim*, causam significat cur non simus sub lege, quasi pædagogo, quia scilicet sumus filij Dei. pueri enim cùm sint quasi serui, vt ait c. 4. v. 1. imò quasi animalia & bestiolæ, quæ solo sensu reguntur, pædagogo egent: qui verò sunt pueritiam hanc transgressi per fidem Christi, factiq; filij Dei, creuerunt in virum perfectum. ridiculum ergo esset eos quasi infantes adhuc & pueros pædagogo, id est legi, subijci: perinde enim esset, ait Theophyl. ac si, cùm dies illuxerit, solem quis videre nollet, sed lucernam. Id magis explicat Apostolus initio c. seq. Pungit Iudaizantes, q.d. Christus quasi pater nos quasi filios adultos regit & prouehit, quid ergo ad legem & Mosen quasi pædagogum recurritis? quid rursum tamquam pueri ferulæ manum subditis?

PER FIDEM QVÆ EST IN CHRISTO] in Christum; idem enim est credere Christo, in Christo, & in Christum, vt dixi c. 2. 16.

OMNES ENIM ESTIS FILII DEI PER FIDEM] non solam, sed baptismo, vt patet v. sequ. & alijs fidei actibus declaratam & protestatam. vide can. 3.

27. QVICVMQVE ENIM IN CHRISTO (hoc est, in fide ac baptismo Christi, non Mosis, non Iohannis Baptistæ baptismo) BAPTIZATI ESTIS] Nota. Mutat personam primam in secundam, vers. enim præced. dixit, *non sumus*, scilicet nos Iudæi, sub pædagogo: hîc autem in secunda dicit, *Omnes enim estis*, quia à se & Iudæis transit ad alios, Galatas videlicet & Gentes.

CHRISTVM INDVISTIS] copiosam Christi gratiam, dona, virtutes accepistis in baptismo, ijs quasi veste circumfusi & amicti estis (Hebræis enim induere significat copiosè & abunde aliqua re perfundi & imbui, vt dixi can. 28.) ita scilicet vt facti sitis consortes diuinæ naturæ & filiationis, ac consequêter diuinarum operationum, per quas Christus in vobis moribusque vestris reluceat; *Vt conuersatio vestra quasi vestis splendida sit sanctitas Christi & christianitatis*, ait Anselm.

Hinc Secundò, & meliùs: sicut materia formam, corpus animam quasi vestem substantialem induit, vt ea suam deformitatem, nuditatem & ruditatẽ tegat & ornet: ita vos in baptismo Christum per gratiam induistis, vt Christi spiritus sit quasi forma & anima vestra; ac consequenter ad vnam cum Christo cognationem, compositionem & filiationem reducti estis, vt sicut Christus Filius Dei est per naturam, ita vos sitis filij Dei per gratiam & adoptionem. ita Chrysost. & Theophyl. Vult enim (vt patet ex rationali *enim*) probare eos esse filios Dei ex eo, quòd Christum, qui Filius Dei est naturalis, induerint, sintque vnum cum ipso, & quasi ipse Christus, de quo dixi 1. Corinth. 12. 12.

Nota efficaciam baptismi, quòd non tantùm gratiam & dona, sed & ipsum Christum nos induat, vt ait Apostolus, eoque nos vestiat & ornet. Quid ad hæc Nouantes, qui docent baptismum nudum esse signum iustitiæ per fidem acceptæ? *Efficacia baptismi contra Nouantes demõstratur.*

Pulchrè de hac veste baptismali Christi tum interna & spirituali, tum externa & corporali, quæ pulcherrima adultis olim in baptismo dabatur in signum & symbolum internæ, S. Agnes apud S. Ambros. serm. 90. *Ornauit me*, inquit, *inæstimabili dextrocherio, dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis, posuit signum in facie mea, vt nullum præter ipsum amatorem admittam; induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me.* Et infrà: *Iam mel & lac ex ore eius suscepi; iam amplexibus eius castis astricta sum; iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas*, scilicet Eucharistia, quæ olim baptizatis dabatur, vt perfectè vnirentur & incorporarentur Christo: ijsdem dabatur lac & mel in symbolum suauitatis Christi, & legis Christianæ, quam inibant.

NON EST IVDAEVS, NEQVE GRAECVS] Supple *in Christo*, vt sequitur, id est in christianismo, ait Hieron. In baptismo & fide Dei iam dicta nulla apud Deum est differentia generis, conditionis aut sexus: sed omnes, siue Iudæi, siue Græci, id est Gentiles; siue serui, siue liberi; siue masculi, siue feminæ, vnum sunt corpus mysticum, scilicet Ecclesia, cuius caput est Christus. VERS. 28.

Secundò, & aptiùs: *vnum*, vel, vt Chrysost. legit, *vnus estis*, id est, vnam formam, vnam vitam & animam, quasi vestem iam dictam, vnam eamdemque figuram, scilicet non angeli alicuius, sed Christi, induistis & habetis omnes, putà fidem, charitatem, Christique mores, vt videamini omnes esse vnus homo, esse vnus Christus. ita Chrysost. Theophyl. & Anselm. qui inquit, *Vnum estis vnitate fidei & charitatis Christi*. q.d. Apostolus: Nihil ergo Iudæi ex iudaismo peculiare habent, quo ipsi vos Galatas, alioquè Gentiles inuitent ad iudaismum, cùm tantum ex Christo & christianismo participent Gentes, quantum Iudæi. *Duplex horum verborum intelligentia.*

SI AVTEM VOS CHRISTI, scilicet quasi capitis estis membra, & quasi animæ estis corpus mysticum iam dictum; ERGO vti Christus, ita & vos SEMEN, id est filij, ABRAHAE ESTIS] ac consequenter benedictionis Abrahæ promissæ, id est, iustitiæ & salutis estis heredes. Vnde clariùs & apertiùs sic præcedentia legit Ambros. *Si ergo vos vnum estis in Christo; ergo semen Abrahæ estis.* VERS. 29.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur id quod dixit in fine cap. 3. scilicet Iudæos quasi paruulos & seruos sub lege quasi tutore & pædagogo fuisse: Christianos autem quasi filios iam adultos non lege, sed spiritu adoptionis agi, & clamare, Abba Pater; ac proinde indignum esse si ad infirma & egena legis elementa reuertantur.

Secundò, v. 13. ostendit, quanta auiditate, studio & reuerentia Galatæ se, suamq; prædicationem antea complexi sint, vt pudeat eos, si tam leuiter ab ea resiliant.

Tertiò, v. 21. nouum argumentum adfert ex allegoria Abrahæ, cuius ex Sara libera filius & heres Isaac significabat Christianos, quasi ingenuos Dei filios, liberos esse à lege veteri, & benedictionis Abrahæ fore heredes: Ismaël verò ex serua Agar genitus & eiectus, significabat iudaizantes à benedictione Abrahæ Deiq; excludendos.

1. Dico autem: Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium: 2. sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre: 3. ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, 5. vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. 6. Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum filij sui in corde vestro clamantem: Abba, Pater. 7. Itaque iam non est seruus, sed filius. Quòd si filius: & heres per Deum. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt dij, seruiebatis. 9. Nunc autē cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? 10. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. 11. Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. 12. Estote sicut ego quia & ego sicut vos: fratres obsecro vos: Nihil me læsistis. 13. Scitis autē quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem: & tentationem vestram in carne mea 14. non spreuistis, neq; respuistis: sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. 15. Vbi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. 16. Ego inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? 17. Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. 18. Bonum autem æmulamini in bono semper: & non tantùm cùm præsens sum apud vos. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 20. Vellē autem esse apud vos modò, & mutare vocē meam: quoniam confundor in vobis. 21. Dicite mihi qui sub lege vultis esse: legem non legistis? 22. Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. 23. Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionē. 24. quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans: quæ est Agar: 25. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis. 26. Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. 27. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. 28. Nos autem fratres secundùm Isaac promissionis filij sumus. 29. Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ita & nunc. 30. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ; qua libertate Christus nos liberauit.

VERS. 1. DICO AVTEM] Redit ad dicta c. præced. v. 24. & 25. vbi dixit, *Lex pædagogus noster fuit in Christo, at vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Id latiùs hîc probat & prosequitur, incipitq́ue ab exemplo paruuli, qui sub tutoribus est: græcè enim pro *dico autem*, est λέγω δέ. quod clariùs verti potest: quod dico, tale est; aut, illud autem est, quod dico. sic enim solet loqui Paulus cùm sua dicta interpretari incipit, dicitq́ue λέγω δέ.

QVANTO TEMPORE HERES PARVVLVS EST, græcè νήπιος, id est infans, hoc est, ea qua nondum sapit ætate, NIHIL DIFFERT A SERVO] quia quasi seruus regitur à tutore & pædagogo, nec dominio hereditatis suæ vti potest, perinde atque si seruus esset, non dominus; imò seruo, scilicet pædagogo suo, subiectus est, estq́ue sub tutoribus & actoribus.

ACTORIBVS] οἰκονόμοις, id est, œconomis & dispensatoribus, qui res & bona paruuli administrant; Syrus, Procuratoribus. Vers.

AD

AD PRÆFINITVM TEMPVS] Græcum προθεσμίας significat, teste Budæo, diem præscriptam, ad quam durabat ius & administratio tutorum, eaque adueniente expirabat, scilicet, qua paruulus annorum erat viginti quinque: vti multis in locis etiamnum moris & iuris est.

ITA ET NOS] scilicet Iudæi, de quibus dixit cap. præc. v 25. *Iam non sumus sub pædagogo*: eò enim redit, vt hoc cap. dixi v. 1.

CVM ESSEMVS PARVVLI] pueri rudes & imperfecti, tum in cognitione, tum consequenter in amore Dei, iustitiæ & salutis. ita Anselm.

SVB ELEMENTIS MVNDI ERAMVS SERVIENTES] id est sub littera, & quasi alphabeto legis veteris: lex enim imperfecta primò data est mundo, hoc est Iudæis, & per Iudæos omnibus mundi gentibus, vt totius mundi homines doceret fidei & pietatis rudimenta: Euangelium verò, quod legi B succesſit, horum perfectionem docet. ita Hieron. Sicut ergo Iustinianus suas Institutiones vocat *elementa iuris*, id est principia & rudimenta; & sicut vocamus elementa Grammaticæ, Philosophiæ, Musicæ, harum artium principia: ita hîc *elementa* vocat Apostolus elementalem, introductoriam & institutoriam legem. Sicut enim pueri, ait Anselm. discunt elementa, & coniunctionem elementorum, sed ipsas voces & sententias ex elementis conflatas non intelligunt, donec ad altiores disciplinas perueniant, ad quas non peruenissent, nisi elementa præmisissent: ita Iudæi elementa habuerunt suarum cæremoniarum, quarum significationem non intellexerunt, donec ad Christi fidem per hæc elementa, quasi eleuamenta perueuerunt.

Nota. *Mundum* vocat homines mundi. Primò, Iudæos, deinde alios omnes metonymicè: voluit enim Deus in vno mũdi angulo, Iudæa scilicet, scholam aperire, vbi rudimenta fidei & pietatis doceret homines, donec doctissimas veritatis scholas uperiret per Christum in toto mundo.

Secundò, magis propriè & naturaliter *elementa mundi* dicuntur illa, quæ v. 10. explicat dicens: *Dies*, scilicet festos Iudæorum, *obseruatis, & menses, & tempora, & annos*. hos enim dies, mẽses & annos vocat *elementa mundi*: tum quia alludit ad Gen. 1. vbi per dies septem Deus elementa mundi creauit & produxit, ac deniq; die septimo, id est sabbato, requieuit; ideoq; in creationis illius & quietis memoriam iussit à Iudæis obseruari & coli sabbatum; vt dies hi dicantur *elementa*: tum quia in illis elementa sunt creata, & die sabbati eorum creatio metonymicè est repræsentata; tum quia per dies, menses & annos, quasi elementa tempora mundi omnia, & omnium, quæ in mundo sunt, generatio, corruptio, successio, mundusque ipse decurrit, regitur, proficit, perficitur. Vnde in memoriam & gratiarum actionem diuinæ prouidentiæ, & gubernationis Dei, qua singula tempora, totumque mundum per Solis ac Lunæ vices, per dies, menses & annos disponit, regit, gubernat & perficit Deus, voluit sabbata, neomenias, aliosque dies & menses festos coli à Iudæis; vt per hæc quasi rudimenta corporalia discerent Deum creatorem & gubernatorem omnium agnoscere & colere, donec per Euangelium melius edocti, altiusque prouecti & promoti scirent Deum adorare in spiritu & veritate.

Aliter Erasmus: *Mundum*, inquit, vocat per catachresin quidquid est visibile, caducum, temporarium, visibiles scilicet & corporales cæremonias legis veteris. nam hæc vocat *elementa mundi* Colos. 2. 20. in quibus sita erat Iudaizantium superstitio, dicentium: Ne gustaueritis, ne tetigeritis, ne contrectaueritis, vt ibidem refert Apostolus. sed nomen *mundi* non ita accipitur; nec eo ita abuti solet Apostolus, & Colosſ. 2. alio sensu accipit *elementa mundi*, vti ibi ostendam. Dicam etiam plura de his elementis v. 9. *torta explicatio.*

ERAMVS SERVIENTES] Græcè δεδουλωμένοι, in seruitutem redacti. Theophyl. hîc adaptat parabolam paruuli, qui sub tutoribus est. q.d Sicut paruulus nihil differt à seruo, & seruit quasi ac regitur à suis tutoribus & actoribus: ita & nos cùm essemus paruuli in Christi cognitione & amore Dei ac salutis, quasi serui sub elementis mundi iam dictis, & lege veteri quasi tutoribus & actoribus seruiebamus.

AT VBI VENIT PLENITVDO TEMPORIS] quæ est VERS. 4. quasi præfinitum tempus à patre, vt dixit in parabola v. 2. q.d. Vbi impletum est tempus à Deo Patre præfixum fini legis, & initio gratiæ ac Euangelij, quo à lege quasi pædagogo, tutore & actore, hoc est, à statu & conditione seruili, transferremur in libertatem fidei & filiationis Christi, ita Anselm. Theoph. & alij. Aliter S. Bernard. serm. 1. de Aduentu. *Quando venit*, inquit, *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Nimirum plenitudo & abundantia temporalium, obliuionem & inopiam fecerat æternorum. Oportune ergo tum aduenit æternitas, quando magis temporalitas præualebat.* Verùm hoc symbolicum est, non literale. Ad literam enim plenitudo temporis non est copia temporalium, sed temporis præfixi adimpletio.

MISIT. Græcè non est ἔπεμψε, sed ἐξαπέστειλεν, id est emisit, legauit quasi legatum vel Apostolum cum mandatis suis DEVS Pater legans & mittens FILIVM SVVM] ad homines. misit ergo Filium, non vt Filius locum mutaret, cælum relinqueret, terram adiret; sed vt maneus vbi priùs erit, tam scilicet in terra, quàm in cælo, nouã personam, scilicet hominis & legati pro Deo apud homines, assumeret.

FACTVM EX MVLIERE] S. Augustin. 3. de Trinit. legit, *Natum ex muliere, factum sub lege*; & sic habent Græca Regia: γεννώμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον. sed Noster cum Theophyl. & alijs Græcis, legunt vtrobique γενόμενον per o micron, id est factum, idque melius, vt dixi Rom. 1. 3.

Nota. *Mulier* hîc non corruptionem, sed sexum muliebrem significat, competitque virgini, qualis fuit beatissima virgo Maria. Secundò, *Factum ex muliere*, significat, Christum sine patris semine cõceptum & formatum ex sola matris substantia, & purissimis sanguinibus. Hinc Tertiò patet, Christum non sumpsisse corpus è cælo, quod transeundo per beatam Virginẽ quasi per canalem in terram detulerit, vti olim docuerunt Valentiniani, & iam Anabaptistæ; sed Christi corpus ex Virgine factum ac formatum esse. *Christus nõ traxit corpus è cælo, sed è Virgine sine corruptione.*

FACTVM SVB LEGE] quia Christus licet legi, etiã qua homo, non esset subiectus, vtpote persistens in persona Filij Dei, qui legis fuit dator & conditor; tamen eam sponte sua seruauit, sponte se circumcisioni, alijsq; cæremonijs lege præceptis submisit ac subiecit. *factum* ergo significat, non obligationem, sed vsum; non ius, sed factum. ita Anselm. *Christus factus, nõ obligatione legi subiectus.*

VT EOS QVI SVB LEGE ERANT REDIMERET] VERS. 5. ἐξαγο-

ἐξαγοράσῃ, id est mercaretur, inquit Erasmus, emendo eximeret, ac dato pretio in Christianam vindicaret libertatem, &, vt Noster vertit, *redimeret*, non à peccato, *sed à seruitute legis veteris*, de qua præcessit. A

VT ADOPTIONEM FILIORVM RECIPEREMVS] Nota voculam, *vt*. q.d. Ideo Filius Dei factus est ex muliere filius hominis, vt filios hominis faceret & adoptaret filios Dei. *Ideò*, ait Bernard, *Deus factus est homo, vt homo fieret Deus.*

Nota Secundò. Hæc adoptio fit per gratiam, qua non tantùm ius ad hereditatem Dei Patris, sed & naturæ diuinæ participationem, ipsumque Spiritum sanctum, ac Dei filiationem nanciscimur, vt dixi Rom. 8. 15.

Iusti ante Christum quomodo filij adoptiui, & quomodo serui.

Nota Tertiò, omnes iustos, etiam ante Christū, fuisse filios Dei adoptiuos; Apostolos tamē omnes ante Christum vocat seruos. Primò, quia licet iusti B verè essent filij Dei, non habebant tamen statum filiorum, sed seruorum, quia erant sub lege, ac consequenter sub spiritu timoris ac seruitutis. Secundò, quia ius filiationis non habebant ex lege, sed ex fide & gratia Christi venturi, & sic magis ad legem nouam quàm veterem pertinebant; vt fusè & eleganter docet S. Augustin. l. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 4. Tertiò, quia pro illo statu carebant fructu adoptionis: nec enim poterant cælestē hereditatem cernere, antequam Christus eam aperiret. Quartò, quia Christus à iugo & seruitute legis nos liberando, ijs vnicum adoptionis & amoris spiritum in lege noua substituit, ita Chrysost. Anselm. & Augustin.

VERS. 6. QVONIAM AVTEM ESTIS FILII, MISIT DEVS SPIRITVM FILII SVI] id est Spiritum sanctum, qui à Filio æquè atque à Patre procedit.

Nota. Est argumentum à signo vel effectu ad causam, vel potiùs ad causæ ostensionem, vt cùm dico, Quia ibi fumus est, ibi ignis est: licet enim ignis sit prior & causa fumi; fumus tamen prius ostēdit se nobis, vt ex eo colligamus ibi esse ignem: ita hîc prius est Deum in nos mittere Spiritum suum, quàm nos esse filios Dei, quia per Spiritum filij simus; ex eo tamen quòd sumus filij, quasi à posteriori rectè colligimus Deum iam antè misisse in nos Spiritum suum. vox ergo *quoniam*, vel Quia, non causam in se, sed causam cognitionis, vel potiùs necessariam consequentiam & connexionem significat. *Causa nostræ adoptionis & filiationis.*

Secundò, & simpliciùs, *Quoniam* propriè significat causam non filiationis, & clamoris. q.d. Quia estis filij Dei, Deus misit Spiritum suum, non qui filios vos faciat, sed qui vos filios iam factos doceat clamare, Abba, Pater. Aliter hoc ex Græco vertit Maldonat. in Notis manusc. ὅτι enim, id est *quoniam*, accipit pro *quòd*; sic ergo transfert, *quòd autem filij estis* (hinc apparet quòd) *misit Deus* (in vos) *Spiritum filij sui*. Verùm sic multa supplenda & addenda sunt, quæ non habentur in textu, scilicet omnia parēthesi hîc inclusa. Melius ergo Noster, magisque propriè ὅτι, vertit *quoniam*.

CLAMANTEM] hoc est clamare (id est, magnæ piæ mēis deuotione precari) facientem, vt scilicet deuotè, ardenter & fidenter, filiali affectu inuocemus Deum Patrē: hic enim est non tam oris quàm mentis clamor, de quo Dominus ad Mosem licet silentem, *Quid*, inquit, *clamas ad me?* Exodi 15, ita Theodōr. Anselm. & alij.

ABBA] Hebraicè אב *ab*, chaldaicè & syriacè *Abba*, & terminatione Latina & Græca *Abba*, idem est quod pater. Vide dicta Rom. 8. 15. Hic locus vi terret torpidos & repidos, qui rarò hunc spiritum filiationis & filialis clamoris experiuntur; itaque & feruentes qui eum persentiscunt, consolatur, & in spem salutis & cernendæ hereditatis paternæ, scilicet diuinæ, erigit.

ITAQVE IAM NON EST SERVVS] aliquis scilicet inter vos, ô Christiani Galatæ. Est enallage personæ, transit enim à secunda ad tertiam, idque familiare est Apostolo, vt dixi canon. 38. Græca tamen quædam habent in secunda persona, sed singulari, οὐκέτι εἶ δοῦλος, *non es* (scilicet quisquis per Christum Dei filius factus es) *amplius seruus*, sed filius. VERS. 7.

QVOD SI FILIVS ET HERES PER DEVM] Ita legit quoq; Augustin & Ambros. sed S. Hieron. legit, *Heres per Christum*; Græca verò & Syrus κληρονόμος διὰ Χριστοῦ, heres Dei per Christum. idque plenius est: per Christum enim cui inserti sumus, hereditas æterna Dei, & omnia bona obueniunt nobis à Deo, Deique gratia & misericordia.

SED TVNC] cùm infideles & Pagani essetis. hoc VERS. 8. enim ex antithesi sequente, & tempore præterito, quo versabantur in ignorantia Dei, intelligendum relinquit Apostolus.

IIS QVI NATVRA NON SVNT DII, sed fictione falsaq; opinione hominum, putà idolis, SERVIEBATIS] id est, colebatis ea latria & sacrificijs.

NVNC AVTEM CVM COGNOVERITIS DEVM, IMO COGNITI SITIS A DEO: QVOMODO CONVERTIMINI ITERVM AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA?] Nota, *cogniti sitis a Deo*, scilicet quasi nisi à patre cogniti & dilecti. ita S. Augustin. & Hieron. *Nullum*, inquit, *ignorat Deus, sed tamen eos cognoscere dicitur, qui errorem pietate mutauerint.* Secundò, & melius, *cogniti*, id est scire facti, edocti à Deo; est enim hebraismus, siue significatio participij passiui hophal. הוֹדַע *hodia* enim in hiphil, significat scire fecit, docuit; in passiua verò hophal הוּדַע *huda* significat scire factus, id est edoctus, est. Iam Latini & Græci, quia idem verbum per hiphil & hophal transferre non possunt in tam actiuam & passiuam significationem; hinc suo verbo, vel participio sæpe neutro, vel passiuo illud exprimūt; sed vim eius & energiam adæquare non possunt. Simile 1. Corinth. 8. 3. Sic & alibi dicitur Deus cognoscere, cùm nos cognoscere facit. Sic Spiritus sanctus dicitur clamare, postulare, cùm nos clamare facit & postulare, Rom. 8. 26. Hæc enim verba sunt significationis hiphil. q.d. Cùm edocti sitis ab ipso Deo, qui interiùs per illustrationem gratiæ suæ, exterius per os nostrum vos docuit, Christi fidem ac viam ad iustitiam & salutem, quomodo iterum ad rudimenta legis conuertimini, vt ab eis edoceamini? ita Chrysost. Ambros. D. Thomas. Vnde Græca Regia v. sequ. habent, ὅις πάλιν ἄνωθεν, quibus denuo ab alto, id est ab initio, seruire vultis, veluti si vir repuerascat, ad pædagogum redeat, eiq; seruiat & subsit, aut veluti si metaphysicus ex Metaphysica ad primam Grammaticæ classem descēdat, aut cursor à meta ad carceres recurrat. q.d. Metæ, id est iustitiæ & saluti, eratis proximi, quomodo ad carceres recurritis? eratis Theologi edocti à Deo, quomodo ad legem, quasi ad Grammaticæ elementa postliminiò reuertimini?

Con-

CONVERTIMINI] ἐπιστρέφετε, conuertimini, reuertimini, gressum cursumque reflectitis, retrogredimini.

AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA] Quæritur, quænam hæc? Resp. Primò, August. & Ambr. Solem, Lunam & idola accipiunt, quæ olim Galatæ, cùm Gentiles essent, adorabant, de idolis enim falsisque ipsorum dijs egit v præc. Hinc Tertul. lib. de Præscriptionibus c. 33. *Notat Apostolus*, inquit, *Hermogenem, qui materiam non natam introducens, eam Deo non nato comparat, & ita matrem elementorum deam faciens, potest ei seruire, quam Deo comparat.* Verùm obstat, quòd Galatæ non volebant reuerti ad gentilismum, sed ad iudaismum, quodque tota epist. Apostolus non contra idola, sed contra Iudaicas cæremonias agit.

Secundò & probabiliùs, Chrysost. Theoph. Oecumen. hæc *elementa*, inquiunt, sunt Sol & Luna, ad quæ volebant conuerti Galatæ, non vt ijs seruirent quasi dijs, vti olim fecerant ante susceptum christianismum; sed vt per eorum cursum sabbata, neomenias, aliaque festa Iudaica describerent & obseruarent. Vocat hæc *infirma & egena*, respectu Dei, cuius ope & influxu assiduo egent vt firma consistant, & sine quo infirma, egena, immò euanida sunt: si enim Deus manum suam cõseruantem subtraheret, statim in nihilum, ex quo venerunt, recciderent. Quòd de Sole & Luna loquatur, patet: hæc sunt propriè elementa mundi, id est, primæ mundi partes, vti ea vocauit v. 3. Secundò, quia ait, *Quomodo iterum conuertimini*, ad ea scilicet, quæ priùs colebatis? Galatæ autem, vtpote Gentiles, numquam Iudaicas cæremonias, sed Solem & Lunam antè coluerant.

Verùm Tertiò & optimè, Hieron. Theodor. Anselm. & Tertul. li. 5. contra Marcion. c. 4. per hæc *elementa* intelligunt sacramenta & obseruantias dierum & mensium festorum, ac aliarum cæremoniarum legis veteris, quæ quasi prima religionis & pietatis rudimenta data fuerunt Iudæis, ac per eos toti mundo, quæque creationis & gubernationis mundi sunt elementa, principia, symbola, vt dixi v. 3. Hæc sunt egena, &, vt Tertull. legit, *mendica*, quia gratiam, sanctitatem, Dei cultum & religionem non continent, nec conferunt, sed ad hoc Christi fide, gratia, Sacramentis indigent. Sunt & infirma, quia per se inefficacia ad iustificandum, vt iustos, pios, sanctos spiritu & virtute præditos efficiant: nam sine fide Christi iustificare neminem poterant. imò cum ea non iustificabant per se, & ex opere operato, vti nouæ legis Sacramenta, sed tantum ex opere operantis, id est, ex fide & deuotione ea suscipientis: vnde & quasi infirma abolita sunt per mortem & legem Christi.

Patet hic sensus clarè ex sequentibus: has enim cæremonias Iudaicas explicans subdit, *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.* q. d. Hæc sunt elementa, quibus seruitis, quæque colitis, videlicet dies, menses, & anni Iudaici.

Secundò, quia hic sensus planus est & proprius. hæc enim elementa, nimirum hos dies ex lege festos colebant & obseruabant, non autem Solem & Lunam: valdè enim impropriè dicitur, quòd qui primam diem mensis festam colit, Lunam colat & nouilunium; aut qui diem Dominicum colit, colat & Solem, cui quasi primo & nobilissimo planetæ prima ac nobilissima dies tribuitur, scilicet Dominica, quæ inde Solis dies dicitur.

Cornel. in Epist. Pauli.

Dices, Huic sensui obstat vox *iterum*, cùm ait, *Conuertimini iterũ ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis*: quia Galatæ, vtpote Gentiles, antea non sacris, non sacrificijs Iudaicis, sed Soli, Lunæ, idolisque seruierant: vnde dici poterant ad hæc, non autem ad illa, iterum se conuertere. *Occurritur obiectioni contra tertiam explicationem.*

Resp. *Conuertimini iterum*, id est, conuersione cultuque vestro, sacra Iudaica iam abolita, iterum stabilire vultis: respicit enim ad statum legis, de quo vers. 2. promiscuè dixit omnes fuisse sub lege quasi pædagogo. q. d. Fuimus primò sub lege; nũc Christus eam aboleuit, quomodo ergo iterum eam stabilire, & ad eam vos conuertere vultis?

Secũdò & melius respondet Adamus: vox *iterũ* non ad totam orationẽ, sed tantùm ad partem refertur. tantùm enim significat iteratam seruitutem in genere, licet in specie alia fuerit & alia. Primò enim idolis seruierant, Secundò iam iudaismo seruiebãt: vnde c. 5. v. 1. in genere ait, *Nolite iterum iugo seruitutis contineri.* q. d. Nolite iterũ fieri serui, seruistis dæmonibus, nolite iterum seruire vmbris legalibus: sic Lutherano cõuerso ad Catholicam fidem si postea labatur ad caluinismum, dicere possumus, Quomodo iterum ad caluinismũ, hoc est, iterũ ad errores relaberis? vox enim (iterum) non afficit, nec denominat caluinismũ, sed vocem (rẽlaberis;) est enim relapsus in hæresim, licet aliam & aliã, quia primò fuit Lutheranus, nunc Catholicus factus relabitur in hæresim, & fit Caluinistã.

DIES OBSERVATIS, ET MENSES, ET TEMPORA, ET ANNOS] S. August. epist. 119. & Enchirid. 79. & Anselm. vti per elementa acceperũt Solem, Lunam, & idolã, ita per dies hos consequenter accipiunt dies fastos, vel infastos iuxta astrologiam iudiciariam, vel Gentiliũ superstitionẽ. Secundò & melius, Chrysost. Hieron. & alij suprà sic explicãt: *Dies obseruatis*, scilicet Iudaicos, vti sabbata. Secundò, *& menses*, id est, neomenias siue nouilunia, atque mensem septimũ, qui totus penè sacer erat & festus in lege veteri. Tertiò, *& tempora*, stata scilicet festa quatuor temporũ anni, putà festum veris, videlicet pascha; festum æstatis, scilicet pentecostes; festum autumni, nimirum festum expiationis; festum hiemis, videlicet enceenia. Quartò, *& annos*, annum scilicet septimum remissionis & quinquagesimũm iubilei: hi enim anni festi erant. Nota synecdochen. per obseruantias dierum, mensium, annorum intelligit omnes cæremonias legis veteris, quasi ex parte totum. VERS. 10. *Duplex huius loci sensus.* *Quatuor festa anni apud Iudæos.*

Hinc patet contra hæreticos, festa Christianorũ hîc non damnari: nam sic & dies Dominicus damnaretur, quem tamen & ipsi seruant hæretici; sed tantùm damnari festa Iudæorũ, quæ à Christianis pulchrè distinguit Nazianz. orat. in sanctã pentecosten dicens, *Festos dies Iudæus agit, verum iuxta literam: legem enim corpoream consectans, ad spiritalem legem non peruenit: festa etiam Gentilis agit, verùm iuxta corpus, luxu scilicet & comessatione.* (vnde Lucian. in Saturnal. *Ne quid intra festi tempus agito, neque publicum, neque priuatum, nisi quæ ad lusum, quæ ad voluptatem, animiq; oblectationem pertinebunt*: immò sæpè festa & sacra Gentiũ obscœna erant, vt sacra Veneris, Priapi, Bacchi, in quibus omnem turpitudinem exercebant.) *Festos Christiani agimus, verùm vt spiritui gratum est.* ita Nazianz. *Festa Christianorum hic non damnantur.*

Et disertè Hieron. *Dicat*, inquit, *aliquis: si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos: nos quoque simile crimen incurrimus quartam sabbati*

obseruantes, & parasceuen, & diem Dominicam, & ie- A *iunium Quadragesimæ, & paschæ festiuitatem, & pentecostes latitiam, & pro varietate regionum, diuersa in honore Martyrum tempora constituta. Ad quod, qui simpliciter respondebit, dicet, non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros: nos enim non azymorum pascha celebramus, sed resurrectionis & crucis; nec septem iuxta morem Israel hebdomadas in pentecoste numeramus, sed Spiritus sancti veneramur aduentum.* Hæc ille. Vbi Nota, tempore S. Hieron. ab Ecclesia festa Martyrum celebrari solitâ, eaque laudari hîc à S. Hieronymo.

Festa Martyrum tempore S. Hieron.

VERS. 11. TIMEO VOS] id est, vobis, vel de vobis. est antiptosis Hebraica, iuxta can. 20.

VERS. 12. ESTOTE SICVT EGO] vt, sicut me videtis Iudaica festa, cæremoniasque negligere, nec obseruare, vtique Euangelica libertate: ita & vos ea non obseruetis, sed eadem mecum libertate vtamini. q.d. Ego, Iudæus licet, ducem me libertatis vobis præbeo, intrepidè ergo me sequimini, quidquid alij Iudæi de necessitate legis veteris vobis suggerant & iactent.

QVIA ET EGO SICVTI VOS] ego gentiliter viuendo, me vobis Gentilibus accommodo quantum possum salua conscientia. ita Hieronymus.

NIHIL ME LÆSISTIS] sed vosipsos lætistis. q.d. Non iratus hæc dico, sed vos amans, & vestri miserans. Notat Hieron. Apostolum increpationem cap. 3. v. 1. factam, blanditijs hîc & obsecratione emollire.

VERS. 13. PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS] Primò, S. Hieron. sic explicat, q.d. *Prima & infirma tantùm fidei rudimenta vobis dedi*, atque per hæc rudimenta rudes vos tantùm ruditer eruditui. Secundò, idem Hieron. accipit, per *infirmitatem carnis*, Pauli morbos & capitis dolorē. Tertiò, optimè idem accipit persecutiones, labores, paupertatē, ærumnas, afflictiones, pericula, vt videretur omnino abiectus Apostolus, vilis, infirmus & miserabilis. Eandem vocat tentationem in carne, quia inde Galatæ tentari potuissent, Paulumque cum suo Euangelio abijcere. ita & Chrysost. Theophyl. & alij.

Triplex carnis infirmitas.

VERS. 13. & 14. ET TENTATIONEM VESTRAM IN CARNE MEA NON SPREVISTIS] πειρασμόν μου, tentationē meam, siue mei. *Tentationem* actiuè accipit Erasmus, qua scilicet ego Paulus vos Galatas sermone humili & incondito tentaui: sed meliùs passiuè capitur, vt tentatio sit idem, quod obiectum tentationis, per metonymiā, iuxta can. 30. q.d. *Tentationē vestram*, id est, me tot contumelijs oneratum, persecutionibus agitatum, flagris cæsum, pauperem, afflictum & abiectum, qui vobis poteram esse tentationis obiectum, vt me meumque Euangelium aspernaremini, non spreuistis, sed tamquam angelum, immò tamquam Christum ipsum excepistis.

VERS. 15. VBI EST ERGO] Græcè ποῦ οὖν, quæ ergo erat: sed Noster, vti & Syrus legit ὃς, idque melius est & significantius, & facilè ὃς vicino litterarum lapsu in τίς verti & deprauari potuit.

Mediolani etiam, [illegible] Ambrosium amicum habuit. malunt. Cal. l. 11. Hæ. c. 15. f. 85. Graz. Valentiniani [illegible] Amb. Cl. Hilar. l. 4. f. 1. l. 7. c. 8. Frig. De Beato Eusebio Sa. mos. pr. l. 9. l. Tria vota desideria S. Augustin. f. 307. Propter Chrysost. Hi equites sponte facti. l. 1. 10. c. 20. f. 327.

BEATITVDO VESTRA?] Græcè μακαρισμὸς, id est beatificatio vestra, qua me tanta fidei causa patientem beatum, ac vos propter me, beatos prædicabatis, atque ab alijs prædicabamini. ita Theophyl. Nimirum dicebatis: O nos beatos, qui talem habemus Apostolum! ô felices, quibus Paulum videre & audire contigit! Vti fertur S. Augustinus tria in votis habuisse, scilicet Primò, videre Christum in carne conuersantem. Secundò, Romam in flore imperij triumphantem. Tertiò, Paulum in cathedra concionantem & fulminantem. quasi ergo dicat: Vbi sunt pristinæ vestræ de me voces, laudes, iudicia, ô Galatæ? quomodo tam citò, tam temere animos erga me & Euangelium mutastis? ita me deperibatis, vt oculos vestros, si fieri potuisset, mihi dedissetis. quò abijt amor & ardor? *Ergone inimicus factus sum vobis verum dicens vobis?* neminem scilicet ex lege, sed omnes ex Christi fide iustitiam petere debere.

ÆMVLANTVR VOS] Iudaizantes depereunt vos, VERS. ambiunt vos, vos sibi conciliare, sibi suæque legi subijcere satagunt. Est metaphora à procis deducta, qui sponsas ambiunt cum zelo & zelotypia; græcè enim est ζηλοῦσιν, zelantur vos, de quo dixi 2. Corinth. 11. v. 2.

NON BENE, quia non ad bonum & profectum vestrum: SED EXCLVDERE VOS VOLVNT] à Christo & Christiana libertate. Noster & alij passim legunt in Græco ἐκκλεῖσαι, id est excludere; quædam tamen, vt Regia, legunt ἐγκλεῖσαι, id est includere; quæ lectio sensum habet aptum & commodum. nam alludit ad procos callidos, qui cùm diuites ambiunt sponsas, eas quasi dominas honorant, eis seruiunt, per omnia se eis accommodant; sed vbi eis potiti sunt, matrimoniumque cum eis inierunt, illas cubiculis includunt, custodes apponunt, habentq; quasi seruas captiuas. q.d. Sicuti proci iam dicti, sic Iudaizantes blandiendo, mira & magna pollicendo vos ambiunt, vt iudaismo subijciant, & includant legi & seruituti legis quasi ergastulo & custodiæ, sicque libertatē vos priuent, & excludant à christianismo.

VT ILLOS ÆMVLEMINI] q. d. Non æmulantur, non insectantur vos amore amicitiæ, vt vobis consulant, sed amore concupiscentiæ, vt scilicet ad se, & sui amorem illiciant, vt illos insectemini, vt de vobis quasi suis discipulis & asseclis apud plebem iactare se possint. q.d. Suam gloriam, non salutem vestram æmulantur, ideoque vos excludere volunt à Christo, vt non Christum, sed illos æmulemini & consectemini.

BONVM AVTEM AEMVLAMINI IN BONO SEMPER] VERS. Græca iam habent, καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε, hoc est, bonum autem, scilicet est, æmulari in bono semper. ita legit Aug. & Syrus. q.d. Bonum est alios imitari & sectari, sed non in quauis re, verùm in re bona. vel simpliciori hebraismo bonum est æmulari in bono, id est bonum, vt sit *beth* contactus: sic enim Hebræi dicunt tangere, percutere in manu, id est tangere, percutere manum; sic hic æmulari in bono, est, æmulari bonum. Noster legit ζηλοῦσθε, per epsilon, in imperatiuo: *bonum æmulamini*, id est, ambite & ardēter sectamini, sed *in bono*.

Vbi Nota. *Bonum* potest accipi vel in genere neutro. q.d. Id quod bonum & honestum est zelate, sed eatenus, qua bonū est, qua bene & honestè fit. Secundò, & aptè ad præcedentia & sequentia, *bonum* hîc accipi potest in genere masculino. q.d. Nolite Iudaizantes æmulari in malo, videlicet in iudaismo: ibi enim non bene æmulantur vos, quia excludere vos volunt à Christo; sed viros bonos & Christianos imitamini & æmulamini, me videlicet meique similes; sicuti me non Iudaicè, sed gentiliter viuentem, in bono, putà in libertate vitaque Christiana (hîc enim *bonum* capi debet in genere neutro, scilicet, *in bono*, id est in re bona) æmulari eius

estis cùm præsens essem vobis: idem ergo facite cùm absens sum. bonum enim semper sequendũ est, etsi absit is qui illud docuit. Innuit Apostolus absentiam suam fuisse in causa vt aliò dilaberentur, & à Iudæis in iudaismum abducerentur. ita Chrysost.

19. FILIOLI MEI (VOS enim ego per Euangeliũ genui Christo) QVOS relapsos à Christo eiusque adoptione ad iudaismum, ITERVM PARTVRIO, vt à Iudaismo reuocem, Christoque rursum pariam, DONEC FORMETVR CHRISTVS, id est Christi fides, spes, libertas, IN VOBIS [vt scilicet non à lege, sed Christo, & Christi fide omnem gratiam, iustitiam, salutem expectetis. *Apostolus hic*, inquit Chrysost. *matrem refert de liberis trepidantem: vides paterna, imò materna viscera, vides anxietatem, vides qualem emittat ululatum multò tristiorem, quàm solet esse parturientium.* q.d. Vti B. Virgo Christum corporaliter peperit, at sine dolore, sic & ego quasi spiritalis puerpera Christi, pario, immò ingenti cum labore & dolore parturio & enitor, vt Christum, Christique fidem & spiritum in vobis efformem, vt Christus sit omnia in omnibus vobis.

Notent, qui animas conuertere, Christoq; patere studeut, sibi laborandum & sudandum esse parturientis instar. Hinc illud Iob 39.1. & 3. *Numquid parturientes ceruas considerasti? incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitum emittunt* (ceruarum enim partus, de quo ad litteram loquitur, difficillimus est, teste Aristot. & Plinio, ideoque seseli herbam illum adiuuant ceruæ) mysticè accipit S. Gregor. in cit. Iobi locum de prædicatoribus, qui quasi ceruæ in dolore, lacrymis & rugitu parturiunt Christo proles. *Video*, inquit, *Paulum, quasi quandã ceruam quosdam in partu suo magni doloris rugitus emittentẽ: ait enim, Filioli mei, quos iterũ parturio, &c. Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris: quæ & postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare.* ita Gregor. 30. Moral. c. 21.

Rursum à S. Paulo discant Episcopi & Prælati, vt non tam patres, quàm matres suis subditis se exhibeant. Pulchrè S. Bernard. Prælatos alloquẽs serm. 25. in Cant. *Discite*, inquit, *subditorum matres vos esse debere, non dominos. Studete magis amari, quàm metui: & si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica.*

20. VELLEM AVTEM ESSE APVD VOS MODO, ET MVTARE VOCEM MEAM] vt affectus, quos epistola scripta non capit, voce viua exprimerem, vt scilicet quasi mater nunc blandirer, nunc gemerem, nunc obsecrarem, nunc obiurgarem vos, vt solent matres naturales se in omnes affectus versare, nũc orare, nunc plorare, nunc gemere, nunc arguere, vt filios permoueant, eisque persuadeant id quod cupiunt: viua enim vox longe est efficacior litteris mortuis. ita S. Hieron. Chrysost. & D. Thom.

Ecce quò se dimittit amor; Paulus quasi pater videtur cum pueris suis hîc puer fieri & repuerascere Agesilaus rex, vt filiolo suo blandiretur, deposita purpura & sceptro solebat cum ipso ludere, & equitare in arundine: cumque hac de causa à quodam è suis leuitatis notaretur, *Nunc*, inquit, *tace, cùm verò filios & ipse habueris, tunc tibi per me licebit regũ insaniam illudere.* Idem hîc diceret Paulus: modum nescit, pudorem nescit, laborem nescit maternus amor, nil sibi puerile, nil indecorum æstimat.

CONFVNDOR IN VOBIS] pudore suffundor, e-

A rubesco. Ita aliqui: sed malè. nam græcè est ἀπορῶμαι ἐν ὑμῖν, id est hæreo, inops sum consilij, perplexus sum, nesciens quomodo debeam scribere appositè vobis, vt vos permoueam, quod Noster propriè vertit *confundor*. Aliud enim est pudere & erubescere, aliud confundi, hoc est animo turbari, vt nescias quid sit agendum. Rursus Maldon. in Notis manus. duas alias affert explicationes. Prior est, *confundor in vobis*, id est, non sum consecutus fructum prædicationis meæ quem expectabam, itaque confundor. Secundus, ἀπορῶμαι, id est hæsito & dubito an Christiani sitis, an Iudæi.

LEGEM NON LEGISTIS?] νόμον οὐκ ἀκούετε, legem non auditis? hoc maioris est energiæ. q. d. Si me non audistis, legem ipsam quam ambitis, audite; ipsa vos à se ad Christum amandabit. VERS. 21.

B ABRAHAM DVOS FILIOS HABVIT, VNVM, scilicet Ismael, DE ANCILLA, videlicet Agar, quæ, vtpote ancilla, secundaria erat vxor Abrahæ; VNVM, scilicet Isaac, DE LIBERA] nimirum Sara, quæ primaria fuit vxor Abrahæ, domina, & materfamilias, cuius filius erat heres: nam concubinarum, qualis erat Agar, filij non erãt heredes, sed eis pater dabat munera, quæ volebat, vt dicitur Gen. 25. v. 5. & 6. VERS. 22.

SED QVI DE ANCILLA, SECVNDVM CARNEM NATVS EST] Ismael genitus est naturaliter, nimirum per carnis vires, per carnalem ac naturalem generationem, quæ habet, vt ex iuuencula, qualis erat Agar, Abraham, licet senex, posset suscitare proles. VERS. 23.

C QVI AVTEM DE LIBERA, PER REPROMISSIONEM] Isaac genitus est non virtute carnali & naturali, quia hæc in anu & sterili Sara defecerat, vt ex ea naturaliter suscitare prolem non posset senex & ipse Abraham; sed *per reprom ssionem* genitus est, putà per virtutem diuinam & supernaturalẽ Dei, qui Abrahæ ex Sara supra naturam generationem Isaaci promiserat, Genes. 17. v. 18. *Isaac genitus per repromissionem.*

QVAE SVNT PER ALLEGORIAM DICTA] Allegoria Rhetoribus est continua metaphora, estque in verbis & vocibus; hîc verò, & passim apud Ecclesiasticos scriptores significat typum & figurã, qua non voces, sed res & gesta in veteri testamento significabant res & Sacramenta noui testamẽti. Vnde subdit: VERS. 24.

D HAEC ENIM, græcè αὗται, ipsæ. Sara videlicet & Agar, SVNT, id est per allegoriam significant, DVO TESTAMENTA] nouum scilicet & vetus. ita Hieron. Chrysost. Theodor. Anselm. Vide can. 6. vbi dixi hoc loco quatuor esse Scripturæ sensus. Primus, litteralis, est planus litteræ sensus, scilicet Abraham ex Agar genuisse Ismaelem naturaliter, Isaacum ex Sara supernaturaliter. Secundus, allegoricus, cùm ait, *Quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta.* Tertius, tropologicus, cùm ait v. 29. *Sed quomodo tunc is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum: ita & nunc.* Quartus, anagogicus, cùm ait v. 26. *Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* *Explicatur allegoria & typus Saræ & Agar.*

SVNT DVO TESTAMENTA] duo pacta, duo fœdera: hoc enim significat Græcum διαθήκη, vt dixi 1. Cor. 11. 25. Prius pactum & fœdus fuit initum cum Mose & Hebræis in Sina, quo Deus promisit se Hebræorum fore Deum, tutorem & protectorem, daturumque se illis terram Chanaan: Hebræi vicissim acceptantes tam benignum Dei pactum, eique consentientes promiserunt se dẽ- *Duplex testamẽtum, vnum cum Moyse à Deo initũ, alterum cum Christo.*

calogum, aliasque Dei leges iudiciales & cæremoniales seruaturos, Exod. 24. Secundum pactum & fœdus fuit initum cum Christo & Christianis in Ierusalem & Sion, quo Deus Christo promisit se fore Christianorum Deum, amicum, patrem, eisque quasi filijs daturum hereditatem suam cælestem: Christiani vicissim per Christum & Apostolos tacitè tam liberale Dei pactum amplectentes, Christi quoque voluntati, dictis, promissis & præceptis consentientes, promiserunt se Christi fidem & præcepta seruaturos, vt patet ex toto Euangelio, sed maximè ex vltima Christi cœna, quam describit S. Iohan. cap. 13. & sequ. in qua sanguine suo in Eucharistia, fœdus hoc sanxit & firmauit, vt narrant S. Matthæus, Marcus, Lucas, & S. Paulus.

A

VNVM QVIDEM A MONTE SINA. ita Græca, Syrus, & passim Latina, Latinique, Hieron. Ambros. & alij; aliqui tamen legunt, *In monte Sina*: sed idem est sensus. q.d. Vetus testamentum à monte Sina traditum & promulgatum est, IN SERVITVTEM GENERANS] hoc est, seruos generans, videlicet Iudæos, seruientes vmbris multiplicium, onerosarum & prægrauium cæremoniarum, idque timore pœnarum, ac spe bonorum terrenorum, abundantiæ videlicet frumenti, vini & olei, quæ Deus promisit Iudæis, si legem pactumque seruarent.

B

Agar serua testamentū vetus & seruile significat.

QVAE EST AGAR] Augustin. & Ambros. paulò clariùs legunt: *quod est Agar*. q.d. Quod testamentum vetus & seruile significat Agar serua. ita Hieron. Chrysost. Anselm.

VERS. 25. SINA ENIM MONS EST IN ARABIA] Græca addunt, Agar; sic enim habent τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, hoc est, Agar enim Sina mons est in Arabia: & ita legunt Syrus, Chrysost. Theophyl. Oecumen. qui docent Agar esse montem Sina; montem enim Sina ab Arabibus vocari Agar. q.d. Aptè Agar serua significat montem Sina, & testamentum in Sina conditum pro seruis, vnde & Arabes Sina vocant Agar. Sed hoc vt ita sit, hiulcum est & distortum: nam v. præced. dixit Agar esse, id est significare, testamentum vetus, quomodo ergo mox subderet Agar esse montem Sina? Videntur ergo Græca hîc, vti & alibi, esse corrupta, legendumque; vt Noster legit, vti & Beza fatetur: hæc enim lectio plana est, vera & certa.

C

Græca lectio hic est corrupta.

IN ARABIA] q.d. Etiam Arabes hanc Iudaicam seruitutem significant. soliti enim sunt ipsi seruire: vnde adagium, *Arabs tibicen*, cuius meminit Iulius Pollux, quia olim sola mancipia musicam exercebant, quæ plerumque ex Arabia producebantur. Vnde congruè in Arabia, nimirum in Sina, vetus seruorum testamentum edidit Deus. Addit Chrysost. *Agar hebraicè significat incolatum, Sina tentationem, Arabia occasum; Ismael idem est quod auditio Dei. Significatur ergo*, ait Hieron. *per Agar, vetus testamentum non fore perpetuum; per Sina, tentationem fore; per Arabiam occasurum; per Ismael, qui tantùm audiat præcepta Dei, non faciat, hominem scilicet rusticũ, sanguinarium, qui fratribus hostis sit, significari Iudæos duros, feros, hostes Christianorum, qui legem audiunt & non faciunt.*

D

Musici olim soli serui.

Sensus literalis & tropologicus verborum, Agar, Sina, Arabia, Ismael.

Tropologicè, idem Hieron. *Christiani de Agar nati sunt, qui sacræ Scripturæ corticem tantùm sectantur, & in timore seruiunt; de Sara verò nati sunt, qui spiritum & allegoriam legis veteris sectantur, seruiuntq; ex amore.* Vide hac de re differentem S. Augustin. li. 3. contra duas epist. Pelag. c. 4. vbi docet Abraham, Noë, Moysen, omnesque; iustos in veteri testamento, filios esse noui testamenti; quia eadem fide incarnationis & passionis Christi iustificati sunt, eodem spiritu, eadem gratia, eodem Christi amore vixerunt; contrà Christianos, qui iam timore pœnæ & coacti faciunt legem, filios esse veteris testamenti, non noui.

Christiani eiusdem spiritus, fidei, gratiæ, sed filij noui testamenti.

QVI CONIVNCTVS EST EI QVAE NVNC EST IERVSALEM] q.d. Sina mons confinis, conterminus & vicinus est Hierosolymæ. ita Hieron. Chrysost. Syrus. Idque Primò, & propriè quoad locum: quia, vt tradunt Borchardus, Adrichom. Zieglerus in Descriptione terræ sanctæ, Iudæa, in qua est Ierusalem, confinis est deserto, in quo est Sina; tantùm enim interiacet mons Idumææ: sed mons hic tota est Idumæa, quæ montosa est, & bene magna, ideoque Iudæa non tam coniuncta, quàm longè à Sina disiuncta dicenda videtur.

Tropologia huius loci, Sina.

Secundò, S. Thomas, coniuncta est Sina Hierosolymæ non vicinia loci, sed continuatione itineris, quia Hebræi ex Ægypto recto & continuo itinere per Sina iuerunt in Iudæam: sed & hoc remotius est: sic enim mare rubrum, ipsaque Ægyptus, id est, Ægypti limites & fines, quæ transierunt Hebræi euntes in Chanaan, dicerentur coniuncta Iudææ.

Vnde Tertiò & melius, Theophyl. Vatablus & alij passim coniunctionem non loci, sed similitudinis accipiunt.

Hinc Glossa ordinaria, *coniunctus*, inquit, *hoc est similis*. Græcè enim est συστοιχεῖ, id est, cognationẽ & similitudinem habet; στοίχειν enim est ordine progredi, siue in serie stare. Inde Grammatici literas vocant στοιχεῖα, quòd certa serie vna alteri iungatur; Philosophi rerum elementa vocant στοιχεῖα, putà terram, aquam, aërem & ignem, quòd horum quodque suo ordine & consistat, & alijs nectatur. Item versus στίχοι dicuntur, & acies ordine compositæ στίχοι vocantur. Vnde συστοιχα, inquit Budæus, vocantur cognata, & συστοιχία, est series & dispositio rerum inter se cognatarum & similium. Sic ergo mons Sina συστοιχεῖ, id est cognationem habet & similitudinẽ, estque in eadem quasi serie, proportione & ordine rerum cum Hierosolyma: quia scilicet illam apta quadam conuenientia & allegoria significat & repræsentat.

Elementa vocantur στοιχεῖα.

Primò, quia sicut Sina mons sterilis est in deserto, ita Ierusalẽ in cæremonijs sterilis est & anda. Rursum in Sina data est lex, in Ierusalem seruata. Secundò, sicut Sina est extra terram promissionis. ita Ierusalem hæc legalis est extra Christi Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem. Tertiò, & magis ad mentem Apostoli: sicut Sina genuit & aluit seruos tum Arabes, tum Iudæos, qui in Sina seruilem legem acceperunt cum tuba, tonitru, terræmotu, vt ijs quasi serui terrerentur, & horum, aliarumque pœnarum, metu ac timore ad legem seruandam adigerentur: ita iam Ierusalem quoad vitam & doctrinam Sinaica & legalis generat Iudæos seruos, qui vmbris seruiant, & timore pœnarum, æquè vt illi Sinaici, ad custodiẽdam legem compellantur. Denique Sina cognationem habet cum Ierusalem, quia Sinaici illi Iudæi qui in Sina legem acceperunt, parentes fuerunt Iudæorum, qui iam viuunt in Ierusalem; & sicuti in natura, sic & in indole seruili, moribusque Iudaicis vtrique conueniunt.

Est metonymia, qua Sina & Ierusalem suos incolas

colas ciuesque significant, scilicet Iudæos. q.d. Quemadmodum Agar serua significabat seruile testamentum Iudæorum; sic & mons Sina Iudæos seruos generans, significabat Ieruſalem Iudæos seruos generantē: hoc siquidem innuit vox *enim*, nimirum vt probet testamentū vetus Iudæorum, A quorum metropolis erat Ieruſalem, à Sina ortum in seruitutem, hoc est, seruos generare. Sic autem probat: Qualis fuit Sina, talis fuit & Ieruſalem: atqui Sina genera uit seruos, vti iam declaratum est; ergo & Ieruſalem seruos genuit, & generat, veteris scilicet testamenti.

Accipe schema huius συστοιχίας, æquè ac ἀντιστοιχίας illi oppositæ.

συστοιχία	ἀντιστοιχία	συστοιχία
Seruitus		Libertas
	Vxores duæ	
Agar serua		Sara libera
	Filij duo	
Ismael ex carne, seruus		Isaac ex promissione, ingenuus
Lex in Sina	Testamenta duo	Euangelium in Sion
	Ciuitates duæ	
Ieruſalem terrestris, Synagoga Iudæorum, serua		Ieruſalem cælestis & diuina, per gratiam mater omnium fidelium, libera
	Filij duo.	
Iudæi qui in cæremonijs & vmbris legis manent.		Fideles qui gratiam Christi amplectuntur.

Accipe simile schema in Elementis.

συστοιχία	ἀντιστοιχία	συστοιχία
Ignis		Aqua
Aër		Terra

Hinc Physici ἀντιστοιχα elementa vocant symbola, ἀσυστοιχα vocant asymbola.

Accipe simile in Numeris.

Impar	ἀντιστοιχα	Par
1		2
3		6
5		10
7		14
9		18

ἀρτιάδα — ἀρτιάδα

Numeri enim pares imparibus sunt ἀντιστοιχοι: pares autem paribus sunt συστοιχοι, æquè ac impares imparibus.

QVAE NVNC EST IERVSALEM] q.d. Quæ nunc B appellatur Ieruſalem, cùm olim dicta sit Iebus & Salem, deinde velut ex vtrisque composito vocabulo Ieruſalem quasi Iebusalem vocata est, quod nomen nunc retinet: postea ab Ælio Adriano Ælia est dicta. ita Erasmus.

Secundò & melius, *quæ nunc est Ieruſalem*, id est, præsens Iudaica Ieruſalem: hanc enim opponit Ieruſalem illi, quæ sursum est, versu sequenti, hoc est Ecclesiæ Christi.

Tertiò, *quæ nunc est*, id est quæ mortalis est, caduca & breui peritura.

Adde nomen *Ieruſalem* non esse conflatum (vt vult Erasmus & alij) ex Iebus & Salem, sed ex יראה *iire*, id est videbit, & antiquo vrbis nomine C *Salem*. quia enim Abraham Gen. 22. immolaturus filium Isaac in monte Sion roganti Isaac vbinam esset victima holocausti immolanda, respondit, Deus videbit & prouidebit sibi victimam, fili mi; hinc mons ille dictus est Dominus videbit, vel Moria, id est, visio Dei, vt patet Gen. 22. v. 3. 8. & 14. ac consequenter vrbs monti huic Sioni, siue Moria subiecta, dicta est Ieruſalē. Ego conflatur ex *iire*, id est videbit, & *Salem*, hoc est pacem. q.d. Visio pacis. ita Andreas Masius in Iosue 10. Vnde patet scribendum esse Ieruſalem, non Hieruſalem, per I, videlicet, vt habet origo Hebræa, non per H.

ET SERVIT CVM FILIIS SVIS] scilicet Agar, hoc enim requirit Græcum pronomen femininum αὐτῆς. Vnde Louanienſia Biblia correctissima, verba illa, *Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ieruſalem*, parenthesi includunt, vt sequentia, *& seruit cum filiis suis*, referantur ad finem versus præc. *quæ est Agar*. q.d. Sicut Agar serua Ismaelem, & posteros eius seruos generat, ita allegoricè significat testamentum vetus generare seruos. E contra, sicut Sara libera liberum genuit Isaac, & posteros eius (partus enim sequitur ventrem) ita allegoricè significat, nouum testamentum generare liberos, vt sequitur.

Nota. Seruitus veteris legis & testamenti consistebat maximè in duobus. Primò, quòd cogeret homines metu pœnæ, non amore iustitiæ, Deo & legi obsequi. Secundò, quòd crassis & corporalibus cæremonijs ad iustitiam & salutem inutilibus occuparentur sub illa lege Iudæi, earumque multitudine & grauitate, quasi seruì onerarentur, & quasi opprimerentur. *Seruitus veteris testamenti consistebat in duobus, vti & libertas Christiana.*

Contrà libertas Euangelij & legis Christianæ in eo sita est. Primò, quòd amore & spiritu nos ducit ad Deo legique seruiendum. Secundò, quòd nos docet Deum in spiritu veritateque colere, ac licet suas ipsa etiam cæremonias habeat, eæ tamen spiritui subseruiunt, eumque excitant & acuunt.

VERS. 26. ILLA AVTEM QVAE SVRSVM EST IERVSALEM, LIBERA EST, QVAE EST MATER NOSTRA] Ita vocat præsentem Ecclesiam noui testamenti. Pro quo Nota, Ecclesiam Christianam, quam significat Sara, id est, princeps vel domina, quæque opponitur Synagogæ Iudæorũ, quam significat Agar serua, quatuor his notis insigniri. Primò, quòd sit desursum; Secundò, quòd sit Ierusalem; Tertiò, quòd sit libera; Quartò, quòd sit mater fœcunda.

Ecclesia Christianorũ quatuor notis insignitur.

Quæritur Primò, Quomodo de sursum est? Resp. Primò, quia Christus eius caput è cælo descendit, ac rursum in cælos ascendit, indeque Ecclesiam regit. Secundò, quia perfectio Ecclesiæ in superis ac cælestibus rebus est, nimirum in fide, spe, charitate. Tertiò, quia virtus Sacramentorum eius è sursum prouenit, & Deum ipsum in Ecclesia quasi de sursum aduenientem, præsentem habet. Quartò, quia disciplina & conuersatio eius in cælis est, cor & thesaurum habet in cælo apud sponsum suum. Quintò, quia ad æternam coronam & quietẽ in cælo anhelat ac tendit. ita Hieron. Ambros. Anselm. vide Apocal. 21. v. 2.

Ecclesia cur vocetur Ierusalem.

Quæritur Secundò, Cur dicitur Ierusalẽ? Resp. quia Ierusalem, vt dixi v. præc. idem est quod visio pacis: hanc enim Ecclesiæ prouidet ac procurat Deus, vt scilicet gaudeat pace, non terrena, sed spiritali & cælesti; quam Christus abiens Ioan. 14. v. 27. ei legauit dicens, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: quæ est pax conscientiæ cum Deo, secum, & cum omnibus hominibus quantum est ex parte sua. Secundò & magis ad litteram; quia sicut in Sina lata est lex vetus, ita in Sion & Ierusalem lata est lex noua, ibique cœpit Ecclesia noua & Christiana. Hinc passim Prophetæ Ecclesiã Christianam vocant Sionem, vel Ierusalem.

Cur libera.

Quæritur Tertiò, Cur vocatur libera? Nota. Quadruplex est libertas. Prima, ciuilis, quæ opponitur seruituti ciuili mancipiorum. Secunda, moralis, quæ excludit seruitutem cupiditatum & vitiorum, metumq; rerum aduersarum, in qua Stoici perfectionem & beatitudinem ponebant, si videlicet quis de seipso verè dicere posset: *Etiamsi fractus illabatur orbis, impauidũ ferient ruinæ.* Tertia, spiritualis ex perfecta charitate, quæ foras pellit timorem, prouenies; per quam non seruili timore, sed amore filiali, reuerentiaque seruitur Deo, idque non corporalibus cæremonijs, sed in spiritu & veritate, vt dixi v. præc. & hoc est, quod propriè hic spectat Apostolus. Quarta, cælestis, quæ excludit omnem corporis & animi seruitutẽ, quæ quibusuis ærumnis corporis & animi subiacet, estque consummata hominis felicitas. Dico ergo: Ecclesia iam habet libertatem moralem & spiritualem, spe verò ac voto cælestem præcipit & prægustat, illam reipsa post resurrectionem adeptura.

Cur mater fœcunda.

Quæritur Quartò, Cur nuncupatur mater fœcunda? Resp. quia ex sterili gentilitate, quæ dæmonibus seruiebat, collecta Ecclesia Christi multos ei filios spiritales peperit, & parit; non ex solis Iudæis, vt Synagoga, sed ex omnibus & Iudæis & Gentibus, eosque Christo ad cælum transmittit. Vnde sequitur:

VERS. 27. LAETARE, ô Ecclesia ex Gentibus vocata & collecta, quæ eras STERILIS antea, & deserta à Deo, fide & lege, QVAE NON PARIS, quæ hactenus non soles Deo filios parere; Deo iam desponsata, ERVMPE ET CLAMA] Ita LXX. quos sequitur Paulus, &, vt habet ad verbum Isaias, *decanta laudem*, vel, vt hebraicè est, *iubilum & hinni*, quia per Christum Christique fidem *fœcundata es*, vt multos ei parias filios spiritales præ ea, *quæ habet virum*, id est, præ Synagoga, cuius maritus erat lex vel ipse Deus, non qua clemens pater, sed qua terribilis legislator & vindex. Synagoga enim quoad carnem genuit solos Iudæos; Ecclesia verò quasi mater omnes Gentes credentes in Christum complexa est: quoad spiritũ verò longè pauciores Deo peperit Synagoga, Prophetas scilicet, Patriarchas, & paucos alios viros sanctos, idq; non viribus suis, sed gratia & virtute Christi, qui parens est noui testamenti. ita Hieron. Anselm. Theophyl.

Citat Apostolus caput Isaiæ 54. quod licet Iudæi interpretentur de restauratione terrenæ Ierusalem: Chiliastæ verò, siue Millenarij, de mille annis felicitatis, quos fingunt Sanctos post diem iudicij in terra acturos in omni carnis voluptate, vt testis est ibidem Hieron. tamen ex hoc Pauli loco patet Isaiam loqui de felicitate & fœcunditate Ecclesiæ Christianæ. De qua pulchrè S. Ambrosius lib. 1. de Virginibus: *Sancta*, inquit, *Ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo est castitate, mater est prole: parturit itaque nos virgo non viro plena, sed spiritu; parit nos virgo, non cum dolore membrorum, sed cum gaudio angelorum; nutrit nos virgo non corporu lacte, sed Apostolorum: virgo est sacramentis & virtutibus, mater est populo, cuius fœcunditatem Scriptura testatur, Quoniam plures filij deserta, quàm eius quæ habet virum & sponsum; eò quòd siue Ecclesia in populo, siue anima in singulis Dei verbo, sine vllo flexu pudoris quasi sponso innubit æterno.* Et S. Hieron. hîc: *Ecclesia*, inquit, *diu sterilis non peperit, antequam Christus de Virgine nasceretur: sed cùm Christum quasi Isaac, id est risum, mundo peperit de Abrahamo, id est, de electo patre cum voce sublimium dogmatum resonante, proles plurima Deo peperit.* Abraham enim Hieronymo dicitur hebraicè quasi אַב בָּר הָמוֹן *ab bar hamon*, id est, pater electus cum sonitu.

Nota. Abraham primò vocatus fuit Abram, quasi dicas אַב רָם *ab ram*, id est, pater excelsus: tũcque ex Agar genuit Ismael. Deinde fœdus iniens cum Deo, accipiensque promissionem de Isaaco à se generando, & terra Chanaan ab eo possidenda, mutatum illi à Deo fuit nomen, & pro Abram, vt Genes. 17. 5. dictus est Abraham. q. d. אַב רַב הָמוֹן *ab rab hamon*, id est, pater magnæ multitudinis, scilicet ex Isaac secundùm carnem, & ex Christo secundùm spiritum nascituræ & descensuræ ab Abraham. Hæc genuina est ratio & significatio nominis Abraham. S. Hieron. tamen vult etiam alludere aliò nomen Abraham, scilicet ad אַב בָּר הָמוֹן *ab bar hamon*, id est, pater electus cum sonitu & tumultu, vel cum turba & multitudine; hæc enim omnia significat *hamon*.

Nota Secundò. Symbolicè Abraham est Deus; hic ex Agar serua, hoc est ex Synagoga, genuit Ismael seruum, id est Mosen & Iudæos seruos legis veteris, eisque fuit Abraham, id est pater excelsus, qui ab alto tonuit legem ex Sina, eisque exhibuit quasi Dominum maiestate venerandum & vindicta terribilem: Abraham verò, hoc est idem Deus ex Sara, id est Ecclesia, libera genuit Isaac (hoc est, risum & gaudium) quasi liberum & heredem, putà Christum & Christianos, eisque fuit Abraham, id est pater magnæ multitudinis, scilicet ex omnibus Gentibus per Christum, Christique fidem & baptismum regenerandæ; vel, vt Hieron.

fuit

fuit Abraham, id est pater electus cum sonitu, quia per Iohannem Baptistam, Christum & Apostolos magna voce prædicauit regnum Dei, omnesque credentes eò vocauit, & ad illud elegit omnes, qui in fide & obedientia Christi, in qua baptizati & renati sunt, persistunt.

Vbi Nota Tertiò, Isaac, id est Christum, dici natum ex Sara, hoc est Ecclesia, non quasi Ecclesia fuerit à parte rei mater Christi, aut prior Christo, cùm à Christo cœperit & fundata sit; sed quòd in mente Dei & idea diuina quodammodo Ecclesia fuerit prior, ac Christi mater. Deus enim voluit primò existere Synagogam, deinde ei surrogare Ecclesiam: itaque habuit Deus primò in mente & intentione ideam Synagogæ, deinde Ecclesiæ, & ex hac voluntate, decreto & intentione voluit & decreuit quasi in secundo instanti & signo rationis, vt loquuntur Scholastici, creare & producere Mosen, quasi primum ideæ huius filium, qui reliquum ideæ exequeretur, ipsamque Synagogam inchoaret & institueret. Pari modo ex voluntate ac decreto condendi Ecclesiam voluit creare & producere Christum quasi primum ideæ huius, id est Ecclesiæ, prout erat in mente Dei, filium, qui reliquum ideæ exequeretur, ipsamque Ecclesiam quasi primus & angularis illius lapis inchoaret, fundaret, instrueret. Sic Christus & Christiani vocantur v. lequ. & alibi, *filij promissionis, & prædestinationis Dei*: quia eorum, vti & matris, id est Ecclesiæ, productio purè & merè fuit opus & creatio solius Dei, diuinæque voluntatis & prædestinationis tanquam patris, & diuinæ conceptionis ac ideæ tanquam matris.

28. NOS AVTEM FRATRES SECVNDVM ISAAC, instar Isaac, qui non virtute carnis, sed promissionis diuinæ natus est ex anu & sterili Sara, PROMISSIONIS FILII SVMVS.

29. SED QVOMODO TVNC IS, QVI SECVNDVM CARNEM NATVS FVERAT, hoc est Ismael carnali virtute & generatione prognatus ex Agar, PERSEQVEBATVR EVM QVI SECVNDVM SPIRITVM] id est Isaac, qui natus est ex Spiritus sancti promissione & virtute supra naturam ex Sara, quasi typus fideliũ & spiritualium filiorum legis nouæ. ita Anselmus.

Nota. Alludit Apostolus, vel potiùs citat rem gestam Gen. 21. 8. vbi dicitur, *Creuit itaq; puer* (Isaac) *& ablactatus est. fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius. cumq; vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ* (Ismaelem) *ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius; non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac.*

Vbi Aduerte, lusum hunc Ismaelis cum Isaac fuisse irrisionem, subsannationem, vexationem, imò persecutionem, vt hîc interpretatur Apostolus. sic ludunt canes cum felibus, & feles cum muribus: A sic duellũ Ioab cum Abner vocatur lusus, 2. Reg. 2. v. 14. *Surgant*, inquit Abner, *pueri, & ludant coram nobis*, id est, coram nobis digladientur, pugnent, duellent. Cur Ismael irriserit & persecutus sit Isaacum, causam fuisse putat Hieron. & alij, quòd inuideret conuiuio in ablactatione Isaaci celebrato, ac cõsequenter primogenituræ ac hereditati Isaaci, itemq; promissioni de semine benedicto, id est Christo, ex Isaac nascituro. Agar verò Ismaelem filium irridentem non repressit, vnde tam in eam, quàm in Ismaelem excanduit Sara, & tam Agar, quàm Ismaelem eiici voluit.

ITA ET NVNC] q. d. Vti olim Ismael ironicè lusit cum Isaac, eum vexando & persequendo, ita nunc Iudæi Christum Regem libertatis irriserunt, vexarunt, crucifixerunt, eiusque libertos Christianos pertinaci odio persequuntur, vti iam vos Galatas vexant & persequuntur, vt sibi subijciant, B pessundent atque peruertant. ita Ambros. Ansel. Vide Hieron. & clarissimè Rupert. in Genes. 21. 9. *Ismael deridens Isaac figura fuit irrisionis & persecutorum Ecclesiæ.*

SED QVID DICIT SCRIPTVRA? EIICE ANCILLAM] Sunt verba Saræ Genes. 21. quibus petit ab Abraham marito, vt eiiciat Agar cum Ismaele vexante suum Isaac. quod licet Abraham ægrè tulerit, Deus tamen hæc verba & postulata Saræ probat, iubetque Abrahamo, vt Saræ in illis obsequatur, tum quia in se æqua erant & iusta, tum ob typum & significationem futurorum. volebat enim Deus hac eiectione Agar & Ismaelis ex domo & hereditate Abrahæ, significare, pari modo repudiandam à Deo Synagogam cum Iudæis, eosque benedictione, iustitia, amicitia, Ecclesia & hereditate Dei expellendos esse, quia Christum & Christianos persequuntur. ita Patres iam citati. VERS. 30. *Expulsio Ismaelis ex domo Abrahæ typus fuit reprobationis Iudæorum.*

Nota. Pro eo, quod habet Paulus, *Non erit heres filius ancillæ cum filio liberæ*; Sara in Genesi dixit, *Non erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac*. Non ergo C verba, sed sensum sacræ Scripturæ reddit Paulus, idque ad maiorem energiam & antithesin: Isaac enim solus mansit heres, quia liber, & filius liberæ; Ismael verò expulsus fuit, quia seruus, & seruæ filius, inuidens ac persequens fratrem suum liberũ, ideoque heredem Isaac.

Sic allegoricè Christiani, quia liberi, sunt heredes benedictionis & iustitiæ Abrahæ; Iudæi verò ab ea repelluntur, quia serui sunt inuidentes, & Christũ Christianosq; persequentes, qui liberi sunt, ideoque heredes. idque hîc voluit significare Paulus, ideoq; Isaac non vocauit Isaac, sed filium liberæ.

QVA LIBERTATE CHRISTVS NOS LIBERAVIT] Pro *liberauit* Tertull. legit *manumisit*. q. d. Non nostris meritis, prosapiæ, talentis, sed Christi gratiæ tribuendũ est, quòd simus filij noui testamenti & Ecclesiæ quasi liberæ, liberi, & liberati à veteris legis, testamẽti & Synagogæ quasi ancillæ seruitute. VERS. 31.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit vrgere Galatas, vt iugum legis veteris non admittant, ne expertes fiant fructus & iustitiæ Christi, in quo nec proderit circumcisio, nec præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.

Hinc Secundò, v. 13. vocat eos ad libertatem Christianam, eamq; sitam esse docet in charitate & spiritu, itaq; à priori epistolæ parte, scilicet dogmatica, transit ad alteram, putà ethicam.

Vnde Tertiò, v. 17. docet carnem concupiscere aduersus spiritum, & contrà atque tam carnis quàm spiritus opera recenset.

1. STate, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. 2. Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. 3. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniã debitor est vniuersæ legis faciendæ. 4. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis. 5. Nos enim spiritu, ex fide, spem iustitiæ expectamus. 6. Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur. 7. Currebatis bene; quis vos impediuit veritati non obedire? 8. Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit. 10. Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille. 11. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis 12. Vtinam & abscindantur qui vos conturbant. 13. Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicem. 14. Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 15. Quòd si inuicem mordetis, & comeditis: videte ne ab inuicem consumamini. 16. Dico autem: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. 17. Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis. 18. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. 19. Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, 20. idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, 21. inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. 22. Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23. mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. 25. Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

VERS. 1. STATE] firmi & constantes persistite in fide & libertate Christi, de qua præcessit in fine cap. præced. imò Græci, Ambros. Syrus, August. nectunt *state* cum vltimis verbis cap. præced. sicque ordiuntur hoc caput: τῇ ἐλευθερίᾳ ἧ, (hanc enim notam illationis habent Græca!) ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, hoc est, libertate igitur, qua Christus nos liberauit, state.

NOLITE ITERVM IVGO SERVITVTIS CONTINERI] q.d. Olim seruistis idolis & dæmonibus, cur iterũ seruire vultis, non idolis, sed vmbris, & crassis onerosisq; cæremonijs legis Mosi? Nota. Pro *contineri*, græcè est ἐνέχεσθε, id est, vt Vatabl. Ne implicemini; Erasmus, Ne illaqueemini. q.d. Iudaizantes ad legẽ vos quasi ad retia & laqueum pelliciunt, ijsque vos illaqueant, ac ita implicant, vt vos è tot tamque varijs sinuosæ legis præceptis & ambagibus expedire & extricare non possitis.

VERS. 2. SI CIRCVMCIDAMINI, CHRISTVS VOBIS NIHIL PRODERIT] si circumcisionem apprehenditis, vt necessariam ad salutem, si spem iustitiæ & salutis in ea ponitis, Christus, id est Christi redemptio, fides, gratia, baptismus, religio, scilicet christianismus ipse, nihil vobis proderit. Hoc autem videmini facere, ô Galatæ; hocque vobis Iudaizantes persuadent: cùm enim sitis Gentiles, & in gentilismo baptizati, factique Christiani, cur baptismo circumcisionem adiungitis? nullam sanè iustam aliam causam huic vestro facto prætexere potestis, nisi quòd putetis circumcisionem ad iustitiam & salutem prodesse, nec baptismum ad eam sufficere. nec enim prætexere potestis quod Iudæi prętexunt, videlicet ad honorem suæ legis & gentis adhuc se circumcidere: hic enim adhuc iustus est titulus & causa seruandæ legis, modò salutis spem in ea non ponant. ita Anselmus.

Assumere circumcisionẽ quare Iudæis licuerit, non Gentibus.

TESTIFICOR (μαρτύρομαι, contestor quasi testis fidelissimus & verissimus, imò quasi vester apostolus denuncio) OMNI HOMINI CIRCVMCIDENTI SE, QVONIAM DEBITOR EST VNIVERSAE LEGIS FACIENDAE] quia per circumcisionem adscribi se curat militiæ Ecclesiæq; Iudaicæ, ac illam, illiusque leges & onera, sponte sua subit, amplectitur & profitetur: est enim circumcisio tacita legis veteris onerosissimæ professio, quemadmodum baptismus est professio legis nouæ & christianismi. ita Anselm. & alij. Est noua ratio petita ab obligatione tot onerum legis penè importabilium. q. d. Vt quid circumcidimini? vt quid leges veteres tam multas, tam duras, tam molestas suscipitis? vt quid sponte iugum hoc induitis? quid enim aliud est circumcisio, quàm harum legum, & horum onerum spontanea susceptio & obligatio?

EVACVATI ESTIS, scilicet per vos ipsos, vos ipsi euacuastis VOS A CHRISTO] id est, à Christi redemptione, gratia, salute, omnique efficacia & influxu meritorum eius, vt amplius nihil boni in vos influere & deriuare possit, sed vos omnibus suis beneficijs quasi vacuos relinquat.

QVI IN LEGE IVSTIFICAMINI: id est, qui iustitiam ex circumcisione alijsque legis operibus quæritis. Vnde explicans subdit: A GRATIA, id est, à gratuita significatione, quam per Christi fidem & gratiam in baptismo adepti estis, EXCIDISTIS] quia scilicet gratiæ Christi, diffidendo illi, & ad legem recurrendo, fuistis & ingrati & iniurij, vt propter iniuriam hanc grauem & mortiferam, Christus gratiam suam & iustitiam datam vobis subtraxerit.

Nota. κατηργήθητε, id est, euacuati estis, passiuum est, sed hic accipitur in coniugatione & significatione hitpael, vt scilicet passionem ab eodem agente

agente significent, siue actionem reflexam in seipsum, in qua idem est agens & patiens, q.d. Euacuati estis à vobis ipsis, ipsi vos euacuastis.

Hinc Secundò, dicit *à Christo*. sicut enim puteus ruderibus obrutus, ab eis euacuatur & exhauritur: ita vos Christo, Christique gratia antea pleni iam eam è cordibus vestris euacuastis & exhausistis, itaque fructum omnem passionis ac redemptionis Christi perdidistis & abiecistis. Rursum *euacuati estis à Christo*, quia Christus in sua Ecclesia antea vos continens, iam ab ea vos reiecit, & quasi euacuauit. Vnde Græcũ καταργεῖσθε planè & clarè verti posset, Aboliti estis à Christo & christianismo, id est, non estis amplius Christiani; &, vt Syrus vertit, desciuistis à Christo.

Posset Secundò, per hypallagen accipi cum Vatablo: *euacuati estis à Christo*, id est, Christus euacuatus est à vobis. q. d. Christus factus est vobis vacuus, id est otiosus, inefficax, inutilis, & quasi enervatus (hoc enim est καταργεῖσθε, illique respondens Hebræum בָּטֵל *para*) Christi labor vobis inanis est & cassus, Christi passio & redemptio in vobis est irrita, quia vim nullam, nullam efficaciam, nullumque fructum, hoc est nullam gratiam, in vos transfundit, vacant in vobis Christi insignia, nomen & dignitas Christiani: ergo vel ista ponite, si legem ambitis; vel, si retinere vultis, valedicite legi: alterutrum enim vacet necesse est. Similis hypallage in hoc eodem verbo Græco est Rom. 7. v. 6. vt ibi dixi.

Vers. 5. NOS ENIM SPIRITV EX FIDE SPEM IVSTITIAE EXPECTAMVS] Probat. Iudaizantes, qui iustificari volunt ex lege, excidisse à Christo & christianismo, nec esse amplius Christianos: quia *nos*, inquit, qui veri & puri Christiani sumus, non ex lege, circumcisione, alijsue corporalibus cæremonijs, sed *spiritu*, id est, per spiritum gratiæ & charitatis, *ex fide*, scilicet Christi, acceptum, *spem iustitiæ*, id est iustitiam sperata*m*, *expectamus*.

Nota. Vocat *spiritum ex fide*, quia fides est, quæ hominem excitando ad spem, pœnitentiam & orationem, impetrat spiritum gratiæ Dei quo iustificamur. Rursum *spem iustitiæ* aliqui accipiunt gloriam æternam, quam speramus per iustitiam nostram adipisci. Secundò & melius, per hypallagen *spem iustitiæ* explices iustitiam spei, id est speratam. q.d. Iustitiam, quam omnes speramus, quam omnes habemus in votis, ad quam omnes anhelamus, illam Iudæi expectãt ex lege carnali, sed falsò: nos verò Christiani verè illam expectamus, quærimus & accipimus ex spiritu, quem accepimus ex fide Christi.

Vers. 6. NAM IN CHRISTO IESV, in Christi doctrina, Ecclesia, religione, id est in christianismo (iuxta can. 37.) NEQVE CIRCVMCISIO ALIQVID VALET (supple, ad iustitiam, Christianam*que*, hoc est sanctam & beatam, vitam) NEQVE PRAEPVTIVM, id est, neque iudaismus, neque gentilismus. Vide quàm deprimat iudaismum cùm ei gentilismum æquiparat. ita Chrysostom. SED FIDES, QVAE PER CHARITATEM OPERATVR] id est, fides non sola, nec inanis & otiosa, sed quæ charitate perficitur, vt vertit Syrus, & in charitatis opera se diffundit, qualis fuit fides Magdalenæ pœnitentis, Christique pedes lacrymis abluentis. nam fides, quæ charitatem & opera non habet, fides est dæmonum, non Christianorum, ait Anselmus. Quod notent Nouantes, qui soli fidei iustitiam arrogant. Quocirca hoc syllogismo hinc deducto noster Campianus, Angliæ Martyr (vt habet eius Vita) in carcere disputans cum Lutheranis, eos conuicit: Fides quæ valet coram Deo ad iustitiam Deique amicitiam, siue in qua est vis & valor iustificandi, est illa, teste Apostolo, quæ per charitatem operatur, ideoque charitati planè vnita & coniuncta est: atqui fides sola iustificans quam statuunt Lutherani, non est fides quæ per charitatem operatur; præsupponitur enim ab ijs esse sola, ideoq; à charitate seiuncta in valore iustificandi: ergo fides sola iustificans quam statuunt Lutherani, non est fides quæ coram Deo valet ad iustitiam Deique amicitiam. adeoq; contradictionẽ inuoluunt hæc duo, fidem esse solam, & tamen esse iustificantem: vt enim iustificet fides, sibi iungi postulat charitatem: non ergo est sola quæ charitati est sociata.

fides se habeat ad alias virtutes.

Nota. Fides non operatur per charitatem, sicut causa efficiens operatur per instrumentum sũum; sed sicut dispositio operatur per formam ad quam disponit: vti calor per formam ignis dicitur operari ligni inflammationem, lignumque ignire & in ignem conuertere: ita fides per charitatẽ operatur opera bona, efficiendo scilicet actus charitatis Dei & proximi, ac imperando actus aliarum virtutũ. Charitas enim est quasi forma non essentialis, sed accidentaria, quæ fidei & omnibus bonis operibus vitam, valorem & meritũ tribuit in ordine ad vltimum finem. Charitas enim fidei, & reliquis omnibus virtutibus dat Primò, statum virtutis: vbi enim est charitas, ibi exulat vitium, regnat virtus, suumq; habet statum & regnum, aliasque virtutes hoc eodẽ statu & regno suo donat, vt inde homo absolutè virtute præditus, iustus, sanctus denominetur. Secundò, charitas tribuit eisdem dignitatẽ, vim & efficaciam merendi: facit enim hominẽ diuinum, Dei amicũ & filiũ, ac consequenter opera illius efficit diuina, digna & grata Deo, vt ijs Deus promittat æterna præmia. Tertiò, tribuit eisdem ordinem ad vltimum finem: charitas enim totum hominem omniaq; quæ in eo sunt, dirigit ad Deũ, Deique amorem & laudem. ita D. Thomas.

Charitas tribuit tria singularia fidei & cæteris virtutibus.

Nota Secundò. Pro *operatur*, græcè est ἐνεργουμένη. quod verbum significat internam vim, occultam efficaciam & energiam. q. d. Fides charitate formata, eaque quasi anima sua animata per intimam quandam vim & spiritualem suum influxum opera virtutum vitalia operatur.

Vers. 7. CVRREBATIS BENE] in vita & doctrina Christiana, quasi in via & stadio ad æternæ gloriæ consequendum brauium.

QVIS VOS IMPEDIVIT, græcè ἀνέκοψε, id est, interpellauit à cursu hoc, eumque incidit: S. Anselm. legit, *Quis vos fascinauit?* NON OBEDIRE. vt à cursu auersi, eumque reflectentes non obediretis VERITATI] doctrinæ Christi & Christianæ: sed delaberemini & decurreretis ad errores iudaismi? Notat Hieronymus, in vetustis codicibus non inueniri τῇ, *non obedire veritati*, & sine eo sensus planè sibi constat.

NEMINI CONSENSERITIS] Iudaizanti scilicet, volenti vos pellicere à cursu Euangelij ad iudaismum. Sed Nota. Hæc verba delenda sunt; delent enim ea Biblia Romana & Græca.

Vers. 8. PERSVASIO HAEC (qua vobis persuasum est, aut potiùs qua Iudæi, qui vos in cursu Christianæ vitę impediunt, vobis persuadere conantur, legalia necessaria esse Christiano ad salutem) NON EST EX

EO,

EO, QVI VOCAT VOS] id est, non est ex Deo Patre, qui vos ad fidem, gratiam & salutem vocauit per Christum: sed potiùs ex diabolo est eiusque ministris. ita Anselmus.

VERS. 9. MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT] Græcè, μικρὰ ζυμὴ ὅλον φύραμα ζυμοῖ, id est, vt Hieron. cõment. vertit, *modicum fermentum totam conspersionem*, (id est, farinam conspersam & subactam, quam vulgò pastam vocant) *fermentat*, hoc est suo acore imbuit, inficit, corrumpit & acidam facit. Est adagium significans paruum alicuius partis vitium, totum peruadere ac deprauare. Vnde ad varia aptari potest. Hinc 1. Cor. 5. 6. aptat illud fornicario, qui quasi fermentum totam Corinthiorum Ecclesiam suo exemplo & infamia aspergebat & corrumpebat: ita & hîc aptat Iudaizantibus. q. d. *Modicum fermentũ*, &c. hoc est, pauci Iudaizantes & errantes totam Ecclesiæ vestræ, ô Galatæ, multitudinem corrumpunt: de hisce enim Iudaizantibus agit in præcedentibus & sequentibus v. 7. 8. 10. 12. ita Anselm. & Hieron. qui ait: *Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est: quia sermo eorum vti cancer serpit in corpore, & vnius pecudis scabies totum commaculat gregem.*

Fornicarius exemplo suo totam Ecclesiam quasi fermentum aspergit & corrumpit.

Secundò, rectè ac valdè aptè hoc adagium accipi potest de ipsa doctrina & errore Iudaizantium. q. d. *Modicum fermentum*, &c. id est modicus, imò vnus error in fide, qualis est hic de seruandis legalibus, totam fidei substantiam, ipsamque religionem, ac christianismum euertit: vel, vt magis præcisè & propriè Chrysost. & Theophyl. modicum fermentum est circumcisio, quæ sola, si eam recipiatis, in perfectum iudaismum vos traijciet, sicuti fermentum, licet modicum, totam massam ad se rapit, & in suum saporem & acorem transmutat. de circumcisione enim egit v. 2. 3. 6. & de ea dixit v. 2. quòd qui se circumcidit, debitor est vniuersæ legis: videntur enim Iudaizantes præcipuè Galatis circumcisionem persuasisse, quasi rem modicam & leuem, sed tacuisse reliqua legis onera, quæ circumcisi subibant & profitebantur. Vnde ea hîc deregit Paulus, dicitque circumcisionẽ esse professionem totius iudaismi, totiusque christianismi corruptionem, vti fermentum exiguum massam totam inficit & corrumpit.

VERS. 10. CONFIDO IN VOBIS, id est, de vobis, IN DOMINO, in clementia & gratia Domini, quòd ipse vos in fide Christi, ad quam vos vocauit, stabiliet, quo fiet QVOD NIHIL ALIVD SAPIETIS] id est, quòd non credetis aliud scilicet, quàm quod à Domino per os meum accepistis, & edocti estis de lege & libertate Christiana; non sequemini nouitios doctores nouasque eorum persuasiones.

QVI AVTEM CONTVRBAT VOS, iudaismum nouasque sectas inducendo, itaque totam Ecclesiam vestram turbando & lacerando, PORTABIT IVDICIVM] id est pœnam & vindictam Dei, quam scilicet Deus acerrimus hæresum vindex iusto suo iudicio illi infliget. Est metonymia: *iudicium*, id est condemnationẽ & pœnam iudicio & iudicis sententia irrogatam.

Deus acerrimus hæresum vindex.

VERS. 11. EGO AVTEM, FRATRES, SI CIRCVMCISIONEM ADHVC PRAEDICO, QVID ADHVC PERSECVTIONEM PATIOR?] Fingebant Iudaizantes Paulum apud Iudæos iudaizare, apud Gentes iudaismum impugnare. hoc figmentum hîc refellit Paulus; Cur enim, inquit, Iudæi tam acerbis odijs me persequuntur, nisi quia publicè contrarium doceo, & vbique Euangelium stabilio, circumcisionem tollo & aboleo quantum possum.

Rursum ERGO EVACVATVM (κατήργηται, abolitum est) SCANDALVM CRVCIS] q. d. Si ita est de me, vt ipsi fingunt, ergo non est quòd ipsi scandalizentur in cruce Christi, quam prædico: crucem enim & ipsi admittunt, voluntque videri Christiani, modò simul cum cruce Christi lex Mosis admittatur. Imò & puri Iudæi, qui non nisi pro iudaismo pugnant, non adeò curant prædicationẽ crucis, nisi quia per illam euertitur lex & iudaismus; adeò, vt si crucem cum iudaismo combinarem & prædicarẽ, me non persequerentur. Iam verò cùm ita in mea prædicatione crucis Christi scandalizantur & offenduntur, patet me passim & apertè docere, per crucem Christi legem esse abolitam, atque ex cruce, non ex lege nos iustificari, ideoque eos mihi tam esse infensos, me vbique infectari, quia scilicet ita prædico crucem Christi vnam & solam viam & medium ad iustitiam & salutem, vt tollam legem & circumcisionem.

VTINAM ET ABSCINDANTVR QVI VOS CONTVRBANT] *Abscindantur* scilicet ab Ecclesia, vestroque consortio, ne quasi fermentum totam Ecclesiam corrumpant: sic enim fornicarium ab Ecclesia abscindi iussit 1. Cor. 5. v. 3. Hic sensus planus est, & grauitate Apostolica dignus.

Aliter tamen Ambros. Chrysostom. Theophyl. Hieron. Augustin. & alij. q. d. Vtinam excecentur omnino membro genitali, cuius occasione delinquunt, dum se & vos circumcidere volunt.

Dices: Quomodo Apostolus mala Iudaizantibus imprecatur? hoc enim est contra charitatem, ac indiciũ animi impatientis, & vindictæ cupidi. *Tam enim detestanda*, ait Hieron. *est abscisionis passio, vt & qui inuitis eam intulerit, legibus publicis puniatur; & qui seipsum castrauerit, infamis habeatur.*

Respondet Primò, Hieron. Apostolum vt hominem hoc ex passione dixisse: sed absit non modò ab Apostolo, sed & à Spiritu sancto, hæc passio maledicentiæ.

Vnde aliam responsionem addit Hieron. scilicet non ex odio, sed partim ex zelo iustitiæ (quomodo S. Petrus Simoni Mago Actor. 8. 20. & Elisæus pueris se irridẽtibus maledixit, 4. Reg. 2. 24.) partim ex amore exsectionem eis imprecatũ esse, vt scilicet in eo, quo peccant, scilicet in sua circumcisione puniantur, & puniti, hac ignominia corrigantur & emendentur.

Respondet Tertiò, S. Chrysost. & Theophyl. non esse maledicentiam, sed astysmum & licentiam: Apostolus enim festiua vrbanitate iocatur in circumcisos. q. d. Si volunt, non solùm circumcidantur, sed & exsecentur.

Quartò, S. Augustin. & Anselm. putant non esse maledictionem, sed benedictionem. q. d. Vtinam Iudaizantes spadones fiant & castrent se spiritualiter per castitatem & continentiam propter regnum cælorum, vt sic desinant cogitare & prædicare Iudaicam circumcisionem, incipiantque cælum ac cælestia cogitare, & ad ea per legem & consilia Christi tendere. Inter has quatuor responsiones secunda planior est & solidior.

Denique hinc Origenes castrauit se, ne concupiscentiæ motus eius castitatem turbarent: sed perperam, vt rectè Chrysost. Nec enim hæc mens Apostoli, nec membra corporis, sed vitia resecan-

da sunt; alioqui & oculos & aures & linguam resecare liceret. Adde, hac castratione, membrum, non concupiscentiam truncari: hæc enim in castratis sæpè etiam magis, quàm in viris (vt docet S. Basilius lib. de Virginitate) in turpia desideria & tactus inardescit. Vnde Ecclesiastici 20. v. 2. dicitur, *Concupiscentia spadonis deuirginabit iuuenculam.* & cap. 30. v. 21. *Videns oculis, & ingemiscens, sicut spado complectens virginem, & suspirans.*

QVI VOS CONTVRBANT] οἱ ἀναστατοῦντες, id est, vt Chrysost. qui vos statu, scilicet libertatis, Euangelij & christianismi dimouent & labefactãt. Ambros. legit, *Qui vos subuertunt.*

13. VOS ENIM IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS] vt per Euangeliũ sitis liberi ab onerosa & inutili seruitute tot legalium cæremoniarum: hæc enim est libertas Christiana, quam totâ epistolâ opponit seruituti Iudaicæ.

Vide ergo quàm contrà mentem Apostoli hæc torqueant Nouantes, dum volunt Christianos esse liberos ab omni lege positiua, id est, non debere obedire Prælatis & Magistratibus, ac consequenter nec parentibus, hoc enim est contra legem naturæ & decalogi, quæ iubet honorari patrem & matrem, estque euertere omnem politiam, omnem rempublicam, omnem ordinem hierarchicum, omnemque societatem, & coniunctum humanum: cùm nulla vnquam gens fuerit quantumuis barbara, quæ non suos habuerit Magistratus, quorum legibus & directioni se subijceret. Videbant enim omnes aliter pacem & quietem publicam seruari non posse, nec gentem posse subsistere. Si enim semel persuasum sit hominibus, legem Præpositorum siue ciuilium, siue Ecclesiasticorum non obligare in conscientia, sed tantùm ad pœnam in foro exteriori luendam; libertimè homines legem violabunt, quandocunque putabunt id se vel secretò, vel impunè facturos. Vnde Christus, Paulus, & Apostoli passim iubent Christianis vt obediant Cæsari & Magistratibus etiam infidelibus, non modò propter eorum iram & vindictam, sed etiam propter conscientiam, Rom. 13. 5. Vide can. 29.

Dices, Saltem à pari. Christiani cùm sint liberi, non debent grauari tot canonibus & legibus, quia alioqui par subeunt onus & parem seruitutẽ, atque si subijcerentur tot legibus veteris testamenti.

Respondeo, non esse paritatem. Primò, quia pauciores longè sunt leges Ecclesiæ quæ populum spectant; omnes enim ad quinque Ecclesiæ præcepta reuocantur: canones verò, qui clericorum vitam, mores ac ritus spectant, plures sunt; sed nemo eos subire cogitur, nisi qui sponte sua vult fieri clericus. & Pontificis ac Episcoporum est prouidere, ne nimis multi edantur canones & censuræ, sed potiùs contrahantur: quod multi viri cordati exoptant ne nimis graue iugem, quale fuit Iudæorum, clericis imponatur, illorumque conscientiæ illaqueentur. Secundò, quia leges veteres onerosiores erant ac difficiliores, vt patet in tot sacrificijs & lustrationibus. Tertiò, quia vmbræ erant legum noui testamenti; hæ ergo faciliores in illarum locum succedũt, & tolerabilius est veritati, quàm vmbris seruire. Quartò, veteres leges inutiles erãt, quia internam pietatem & iustitiam non promouebant, sed populum continebant; ne ad idola & idololatriam deflueret, vt passim docent Patres: leges verò Ecclesiasticæ ad spiritum deuotionis, pietatis, charitatis excitandum feruntur & ordinantur, vt patet ex lege ieiunij, lege audiendi Sacri, lege confitendi, & communicandi.

TANTVM, scilicet cauete, & prouidete, NE LIBERTATEM hanc à Iudaicis cæremonijs IN OCCASIONEM DETIS CARNIS] vt occasione huius libertatis volentes (vt fit, & vt iam faciunt Nouantes) nimiùm eam extendere, liberè ruatis in omnia carnis desideria, vt caro, & carnalis concupiscentia ex hac libertate occasionẽ accipiat plura concupiscendi, magisque suas cõcupiscentias explendi. Vnde Græca clariùs habent τῇ σαρκὶ, ne carni, supple detis occasionem, liberè scilicet quiduis concupiscendi, & carnaliter viuendi, quasi iam libera sit, nullisque præceptis teneatur, sed velut equus indomitus facere possit quidquid libuerit. ita Hieronymus. *Libertas à lege occasio peccati.*

SED PER CHARITATEM SPIRITVS SERVITE INVICEM] Vocem *spiritu* non habent iam Græca, neq; S. Augustinus, nec Hieron. rectè tamen additur, vt opponatur tum carni, tum cæremonijs legis.

Cùm legis iugum, inquit Chrysost. *detraxisset, ne substitueret, aliud illis imponit iugum, nimirũ charitatis, illo quidem validius, sed multò leuius ac iucundius.* q. d. Nolo vos seruire cæremonijs, nec carni, sed ab eis esse liberos, vt seruiatis inuicem per spiritum charitatis, & ex spiritali charitate alter alteri succurrat, opituletur, seruiat. Charitas spiritus opponitur charitati carnis, quam obscœni & infames Adamitæ alijque carnales iactant & exercent. *Legis iugũ commutauit Christus cum iugo charitatis.*

Notat Primò, Chrysost. Apostolum hîc tangere mali, putà erroris & schismatis, radicem, cui scilicet aliqui Galatarum alios ad iudaismum abducere voluerint, fuisse arrogantiam, & dominãdi studium: illi hic adhibet remedium, scilicet charitatem, q. d. *Quoniam dum aliis alij vultis dominari, dissecti fuistis, seruite vobis inuicem, sic denuò in vnum redigemini: sicut enim ignis admotus ceræ facilè mollit eam, sic & amoris calor omnem fastum & arrogantiam vehementiùs quàm ignis soluit.* hucusque Chrysost. *Amor soluit fastum, sicut ignis ceram.*

Notat Secundò, Chrysost. non dici, Amate, sed, Seruite, quia charitas liberos facit seruos non coactionis, sed charitatis, vt ex charitate qui ea flagrat, ad infima & seruilia obsequia quibuslibet, præsertim afflictis, ægris & pauperibus, exhibenda se demittat: quæ seruitus spontanea & sancta, non seruitus, sed ingenua & ambienda Christianis libertas est.

Nota Tertiò Commoda transitione à libertate legis ad libertatem carnis transit ad alteram epistolæ partem, id est, à dogmate ad ethicam & mores Galatarum componendos.

OMNIS LEX, scilicet proximum spectans, qua, vt præcessit, per charitatem seruitur inuicem, IN VNO SERMONE IMPLETVR: DILIGES PROXIMVM TVVM SICVT TEIPSVM] Patet ex dictis Rom. 13. 8. Aliter S. August. 8. de Trinit. S. Thom. Anselmus. q. d. Omnis lex est de charitate vel Dei, vel proximi: charitas autem proximi indicat, includit & præsupponit charitatẽ Dei. propter Deum enim amandus est proximus; ergo qui diligit proximũ, & implet legem, quæ dicit, *Diliges proximum*, &c. diligit & Deum, impletque legem, quæ dicit, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. VERS. 14. *Charitas proximi charitatem Dei includit.*

SI INVICEM MORDETIS, ET COMEDITIS: Ambrosius pro *comeditis*, legit *exterminatis*. q. d. Si inuicem roditis & laceratis detractionibus, odijs, calumnijs, inuidijs, VIDETE NE AB INVICEM CONSVMAMINI] Sicut enim duo canes rixantes inuicem VERS. 15.

Constantinus laudat gladiam Ministrorum in Concil. Nic. Hedio pt. 2. Hist. Eccl. l. 2. c. 5. f. 192.

Inuidia & obtrectationis mala.

cem mordent & conficiunt, ita & duo inuidi, duo obtrectatores, duo rixantes inuicem, imò seipsos ipsi conficiunt. Verè Poeta:

Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit excruciatq; suum. Ideoque
Inuidiâ Siculi non inuenere tyranni
Tormentum maius.

Vide inuidiæ proprietates, quas enumero Philipp. 1. v. 18. Sapienter & piè S. Aug. in Sententijs n. 179. *Homini*, ait, *religioso parum esse debet inimicitias non excitare, vel excitare malè loquendo; nisi etiam eas extinguere studeat bene loquendo.*

A

VERS. 16. DICO AVTEM, q. d. Epitome, fundamentum, radix, caput & summa totius epistolæ, meæque scriptionis est hæc: SPIRITV AMBVLATE] non lege, non carne. q. d. Radix omnis vestri mali est defectus spiritus: si enim eum haberetis, excluderetis tam legalem quàm carnalem vitam.

B

SPIRITV AMBVLATE] vitam, actiones & mores instituite secundùm dictamẽ, instinctũ, impulsum Spiritus, ac gratiæ immissæ & inditæ vobis à Spiritu sancto, qui suadet & monet vos vt spiritualiter viuatis, spiritualia virtutum opera, orationis, fidei, spei, charitatis, misericordiæ, pietatis edatis. Hunc Spiritum copiosum & vehementem acceperunt in Pentecoste Apostoli, & primi Christiani, eique obsequendo, ac feruenter cooperando, angelicè scilicet viuẽdo, ignea charitate & zelo prędicando, discurrendo, laborando, patiendo, fatagendo omnes trahere ad Christum & salutẽ, hunc spiritum in dies magis auxerunt & accenderunt. Quò iam abijt ille spiritus? Accende, Domine Iesu, illum ignem in nobis quem venisti mittere in terras, voluistique vehementer accendi.

Spiritu ambulandum, & ei obsequendum.

VERS. 17. CARO CONCVPISCIT ADVERSVS SPIRITVM] C

Hinc Manichæi voluerunt in homine duas esse animas; vnam spiritalem & bonam, à bono Deo datam; secundam carnalẽ & malam, à malo Deo. Philosophi nonnulli volunt in homine duas esse animas, vnam sensitiuam, qua cum bestijs sentit, comedit, generat; secundam rationalem, qua cum angelis ratiocinatur & intelligit: hoc enim videntur arguere contrarij appetitus & operationes in eodem homine.

Vna tantũ est in homine anima contra Manichæos & aliquos Philosophos

Verùm Nota Primò. Certum est tantùm in homine vnam esse animam rationalem, sed quæ simul eminenter contineat animam vegetatiuam & sensitiuam. Vnde in seipsa habet vtriusque potentias, appetitus & functiones; ergo non mirum in eadem anima esse appetitus contrarios, eosque ferri in contraria obiecta, ijsque præsentibus excitari & iritari: quia anima hominis virtute duplex est, imò triplex.

D

Concupiscentia residet in appetitu etiam rationali.

Nota Secundò. *Caro* metonymicè significat concupiscentiam, quæ in carne, quasi figulus in figulina & luto, suas ideas & imagines imprimit, sua desideria excitat, & format causas, vt dixi can. 34.

Nota Tertiò. Concupiscentia hæc non tantùm residet in appetitu sensitiuo, scilicet in concupiscibili & irascibili, sed etiam rationali, vt docet S. Augustinus 8. Confess. cap. 5. Nam sicut in concupiscibili excitat appetitũ gulæ & veneris, in irascibili appetitũ inuidiæ, iræ, rixæ; ita in rationali, id est in voluntate & ratione, suscitat appetitum excellentiæ, curiositatis, vanæ scientiæ: omnes enim potentiæ per peccatum originale hoc concupiscentiæ fermento infectæ sunt: dicuntur tamen caro, vel carnalis appetitus per synecdochen à potiori parte, quia hic est potissimus, creberrimus, vehementissimus appetitus in homine, qui ferè semper carnales concupiscentiæ motus in eo suscitat. Hinc *opera carnis*, id est concupiscentiæ, vocat hîc Apostolus non tantùm fornicationem, ebrietates, comessationes, quæ verè carnalia sunt opera appetitus sensitiui & carnalis; sed etiam idolorum seruitutem, inuidias, &c. quæ sunt opera spiritualia, id est, mentalia appetitus rationalis: hæc inquam vocat opera carnis, id est concupiscentiæ, quæ residet non in appetitu sensitiuo, sed rationali.

Nota Quartò, *Caro concupiscit aduersus spiritum*, quia carnalia concupiscit: *& spiritus aduersus carnẽ*, quia spiritalia, cælestia & æterna bona appetit. Hoc bellum, vel potiùs duellum in anima gerit hinc caro, inde spiritus: vnde vtriusq; ducis aciem & milites disponit, & inuicem opponit Apostolus ac primò carnis, dicens, *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia*, &c. Deinde spiritus aciem instruit, subdens: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax.* Vide hoc bellum graphicè descriptum à Prudentio in Psychomachia. Idem in se ad viuum depingit S. Augustinus 8. Confess. c. 11. Audi & de eo Cassianum collat. 4. c. 11. *Caro*, inquit, *luxuriæ ac libidine delectatur: spiritus ne ipsi quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa concupiscit satiari somno; repleri cibo: hic vigiliis & ieiunijs ita fatiginatur; vt ne ad ipsum quidem necessarium vitæ vsum, somnum cibumq; velit admittere. Illa cupit exuberare copijs vniuersis: hic ne ipsius quidem exigui panis quotidiani substantiam habere contentus est. Lauacris illa nitescere, & quotidianis adulantium cuneis appetit constipari: hic squalore sordium & inaccessibilis eremi vastitate congaudet. Honoribus illa & laudibus consouetur: hic irrogatis sibi persecutionibus iniurijsq; lætatur.* Vide & Thomam à Kempis in aureo suo libello de Imitat. Christi lib. 3. c. 59. motus naturæ & gratiæ, hoc est carnis & spiritus, simplici stylo, sed solerter & solidè opponentem.

Hinc rectè dixit Abbas Pimenius in Vitis Patrum li. 7. c. 25. *Concupiscentia, putà voluntas mala, est dæmon nos impugnans*: aut, vt ibidem ait Abbas Achilles, *est manubrium dæmonis.*

Denique duellum hoc intelligi & geri putat Augustinus in homine peccatore sub lege non sub gratia constituto: verùm id retractat 1. Retractationum c. 24. Patet enim etiam in Sanctis hoc duellum, hanc luctam esse, eoque maiorem & sensibilem magis, quo magis spiritualiter viuere, & carni resistere nituntur. Vnde idẽ Aug ser. 43. de verbis Domini: *Spiritus*, inquit, *concupiscit aduersus carnem, in hominibus bonis, non malis, qui Spiritũ Dei non habent, contra quem caro concupiscat.* Præclarè verò idẽ in illud psal. 75. *Et factus est in pace locus eius*, huius luctæ modũ describit: *Indicitur*, inquit, *tibi bellũ non solùm aduersus suggestiones diaboli, sed aduersus teipsum. Quomodo aduersus teipsum? aduersus tuam consuetudinem malam, & aduersus vetustatem vitæ tuæ malæ, qua trahit te ad solitam consuetudinẽ & refrenatur à noua. Indicitur enim tibi quædam noua vita, & tu vetus es; nouitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægrauaris, incipit tibi esse bellũ aduersum te: sed ex qua parte tibi displices, iungeris Deo; & ex qua parte iam iungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est qui omnia superat. Attende quod dicit Apostolus: Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Vnde mente? quia displicet tibi vita tua mala. Vnde carne? quia non desunt suggestiones, & delectationes malæ: sed*

ex eo quòd mente iungeris Deo vincis, quod in te non vult sequi; (scilicet tuam carnem & concupiscentiam reluctantem.) *Praecessisti enim ex parte, & ex parte tardaris. Trahe te ad illum, qui te sursum tollit: pondere quodam vetustatis grauaris, clama & dic, infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius, ab eo à quo grauor? corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam.* Deinde huius luctæ causam & finem modumque victoriæ ita describit: *Quare autem permittitur vt diu contra te litiges, donec absorbeantur omnes cupiditates malæ? vt intelligas in te poenam tuam. In te ex teipso est flagellum tuum, fit rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem aduersus Deum, vt ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Sed tene membra tua aduersus concupiscentias tuas malas: surrexit ira, tene tu manum coniunctus Deo. Potuit surgere, sed non inuenit arma. Apud iram tuam impetus est; apud te arma sunt, fit impetus inermis, & discit iam non surgere, qui frustra surrexit.* Vide dicta Rom. 7. in fine.

HAEC ENIM SIBI INVICEM ADVERSANTVR, VT NON QVAECVMQVE VVLTIS, ILLA FACIATIS] Velletis enim non concupiscere, non sentire motus iræ, gulæ, libidinis, ijs non impediri à prompta & perfecta charitate, temperantia, castitate, oratione; & tamen hoc non facitis, nec facere in hac vita potestis. Rursum multa heroica virtutum opera feruidè & alacriter facere velletis, sed sæpè non potestis, quia resistit nimis & reluctatur caro. Pulchrè Anselmus, *Concupiscentiæ non permittunt vos implere quod vultis, nolite & vos eis permittere implere quod ipsæ volunt: & ita nec vos, nec illæ facietis quod vultis. Quamuis ergo concupiscentiæ fiant in vobis, non tamen perficiuntur, quia eis non consentitis: sic & quamuis bona spiritus opera fiant, non tamen perficiuntur, quia sine dolore, luctu & resistentia concupiscentiæ, plenè, hilariter & perfectè ea facere non potestis.* Hæc & plura Anselmus.

QVOD SI SPIRITV DVCIMINI, NON ESTIS SVB LEGE] Occupatio: Obijcere poterant Galatæ: Tu nos soluis à lege veteri, & ecce grauiori seruituti subijcis, dum perenni concupiscentiæ eiusque rebellioni nos facis obnoxios, vt sub ea, ac consequenter sub lege, quæ motus hos concupiscentiæ prohibet, gemamus. Respondet Apostolus: *Si spiritu ducimini*, si spiritus ac gratiæ instinctum, ductum, impulsum sequimini, non estis sub concupiscentia, sed illi dominamini, ac consequenter non estis sub lege: quia non coactione legis, aut metu pœnæ, quam lex minatur, & transgressoribus intentat, sed spontaneè ac proprio motu & spiritu, facitis quæ lex iubet, & cauetis ac restringitis concupiscentiæ motus quos lex prohibet.

NON ESTIS SVB LEGE] cogente scilicet & terrente, ac multò minùs estis sub lege accusante & damnante: estis tamen sub lege obligante, sed ita vt sponte & liberaliter ex spiritu faciatis ea quæ lex iubet. Hinc potiùs videmini esse extra, vel supra legem; nec esse sub lege, sed sub spiritu. Vnde enumeratis fructibus Spiritus, subdit: *Aduersus huiusmodi non est lex.* ita Anselm. & Theophyl.

MANIFESTA SVNT OPERA CARNIS] Hoc est opera & actus ad quos excitat caro, hoc est concupiscentia, vt dixi v. 17.

FORNICATIO] Græca addunt μοιχεία, πορνεία, adulterium, fornicatio: & sic legit Ambros. De singulis carnis operibus vide Hieron. Anselm. & D. Thomam.

Cornel. in Epist. Pauli.

A IMMVNDITIA] Est mollities, qua se molles contra naturam polluunt & contaminant.

IMPVDICITIA] Gestus, oscula, tactus impudici. Huic nihil iam respondet in Græco.

LVXVRIA] ἀσέλγεια, lasciuia, quæuis alia libido petulantior, &, vt Hieron. extraordinaria, qui addit: *Ipsarum quoque opera nuptiarum si non verecundè & honestè, ac quasi sub oculis Dei fiant, vt tantùm liberis seruiatur, immunditiam & luxuriam nominauit Apostolus.* Quod accipe, si inuerecundia & libido sit mortalis; putà si in opere coniugali vtantur alio vase & membro, quàm illo quod natura generationi destinauit, aut si extra vas naturale semen profundant, vel profusionis periculo se exponant. tunc enim coniuges peccant mortali libidine, quæ eos excludit à regno cælorum: aliàs ferè in coniugio venialis tantùm est libido. *In coniugio quando mortalis & quando venialis libido.*

B IDOLORVM SERVITVS] Græcè εἰδωλολατρεία, idololatria; seruitus ergo idem est quod cultus idolorum. ita Syrus. VERS. 20.

IRÆ] Ira est appetitus vindictæ; si grauem vindictam & graue malum appetas, optes, vel pares ei cui irascaris, ira est mortifera, & excludet te à regno cælorum; non autem, si ira tantùm sit venialis, id est, si sit excandescentia tantùm animi, vel appetitus vindictæ & mali, sed leuis. Apostolus ergo iram, rixam, dissensiones, &c. sumit in actu & gradu perfecto: tunc enim excludunt hominem à regno cælorum, vt ait vers. sequ. *Ira quando mortalis, quando venialis.*

SECTAE Græcè αἱρέσεις, hæreses, id est electiones, cùm quis communem Ecclesiæ doctrinam relinquens, nouum dogma eligit, vt in religione malit suam opinionem & electionem; quàm maC iorum traditionem sequi. quæ magna est temeritas & præsumptio.

COMESSATIONES] Dices, Ergo comessari, hoc est, intempestiuè epulari & conuiuari, est peccatum mortale, quia excludit à regno Dei, vt ait Apostolus. VERS. 21. *Excessus in comedendo an possit esse mortalis. & quãdo.*

Respondeo Primò. Hinc ex Apostolo aliqui censent tam gulam in comedendo, quàm in bibendo ebrietatem esse peccatum mortale, non tantùm si rationem adimat, sed & si grauis sit ingurgitatio & ingluuies. Probatur Primò: quia diues Epulo damnatus est, non quia ebrius, sed quia quotidie epulabatur splendidè. Secundò, quia Isaias 5. v. 22. *Væ*, id est damnationem æternam, minatur ijs qui potentes sunt ad bibendum. Tertiò, quia potest esse tanta cibi ingurgitatio, vt sit valdè turpis & difformis rationi, sitque plusquam bestialis; si ergo pollutio est peccaD tum mortale, quæ tamen rationem non eripit, cur non sit ingurgitatio, quæ æquè difformis rationi videtur?

Verùm communis Doctorum sententia mitior est, docetque comessationem & excessum in comedendo non esse peccatum mortale, nisi quis grauiter sanitatem lædat, & grauem morbum incurrat: aut nisi quis sponte ita se ingurgitet vt vomere cogatur, (quod ipsum adhuc nonnulli asserunt non esse peccatum mortale) vel certè si satur & repletus, ea mente ac fine vomat vt rursum se ingurgitare possit. hoc enim valdè turpe est & bestiale. Vnde cum communi horum sententia respondeo, &

Dico Primò. Pro *comessationes*, græcè est κῶμοι, id est temulenta & lasciua ebriorum dicta & facta, vt sunt turpes cantiones, saltationes, verba,

Comus & comessationes quid.

tactus, oscula, contumeliæ. Vnde Comus apud Philostratum dicitur Bacchus, & κωμάζειν est comessari, vel, vt alij dicendum volunt, comassari, & lasciuire. ita Theophyl. Photius, Hesych. & Græci in Lexicis, fauetque Hieron. quin & Anselm. *Comessationes*, ait, *id est inhonesta & luxuriosa conuitia.* Vide dicta Rom. 13 v. 13.

Secundò, si cum Latinis *comessationes* solas & propriasintelligere hic malis, completas accipe, id est, longa & nocturna conuiuia, quibus ita sese ingurgitant, vt à mensa non recedant, nisi & mentem & corpus cibo & potu obruerint, vti gentes aliquæ satis notæ faciunt; de quibus Isaias cap. 28. v. 8. *Omnes mensæ eorum plenæ sunt vomitu.* hi enim rationem, tempus, & sæpè castitatem ac valetudinem prodigunt, & consequenter peccant mortaliter. Sicut ergo in præcedentibus Apostolus iræ subiungit rixas quasi iræ perfectionem, & dissensionibus sectas, inuidiæ homicidia: ita & ebrietati comessationem subiungit, quasi ebrietatis perfectionem. de qua Prouerb. 23. v. 20. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum.*

Excessus in comedendo communiter est tantùm venialis.

Ad Primum Respondeo. epulari splendidè per se tantùm esse veniale; sed, si excessus sit ad vomitum vsque & crapulã, esse mortale, vt dixi. Secundò, per accidens sæpè esse mortale, quia coniungitur cum ebrietate, libidine, detractione, fastu, immisericordia, contemptu pauperum & aliorum; vti dies Epulo negligebat Lazarum in graui necessitate constitutum.

Ad Secundum Respondeo eodem modo. Adde, Isaiam se explicare, dum subdit: *Væ vobis qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*, vel, vt hebraicè est, *ad miscendam siceram*, id est inebriatiua varia, verbi gratia, varia vina fortia, quæ commista magis inebriant; posterius enim hemistichium more Hebræorum explicat prius. ergo idem est esse potentes ad bibendũ vinum, quod fortes ad miscẽdam ebrietatem: quales multi sunt, qui se suosque conuuas inebriare student, vt, nisi è conuiuio ebrij, suique & mentis impotes recedant, nec hospes conuiuas bene excepisse, nec conuiuæ bene se exceptos arbitrentur. qui sensus & opinio brutalis est, nec hominum, sed porcorum.

Ad Tertium. Ingluuies est res fœda in se, vti & egestiones fæcium per nares, os, aluum, in homine fœdæ sunt: sed tamen bono hominis & rationi non ita repugnat, vt ei grauiter contrariari censeatur; nisi rationem homini adimat, vel crapulam aut morbum conciliet, vti iam dixi. Secùs est de pollutione: seminis enim effusio à natura & à Deo tantùm ad prolis productionem ordinata & permissa est, ideoque matrimonij septis & legibus inclusa, aliàs enim proles ritè concipi & educari non posset, ac proinde qui extra matrimonij vsum semen effundunt, rem valdè fœdam valdeque differmem rationi, naturæ, & Dei ordinationi faciunt, ideoque peccant mortiferè.

REGNVM DEI NON CONSEQVENTVR] *Βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν, regnum Dei non hereditabunt*, vel, vt Ambros. *regni Dei hereditatem non consequentur.*

VERS. 22. FRVCTVS AVTEM SPIRITVS EST: CHARITAS, GAVDIVM] Opponit operibus carnis, id est concupiscentiæ, *fructus*, id est opera, *spiritus*, quæ scilicet à spiritu gratiæ procedunt, quæque Spiritus sanctus per suam gratiam in nobis parit & producit, vt ijs Dei regnum mereamur & consequamur, à quo opera carnis suos operantes excludunt.

Nota, hos fructus esse habitus, vel potius actus (fructus enim actum & opus significat) diuersissimos variarum vel virtutum vel proprietatum & effectuum, quos virtutes in anima pariunt, vti est gaudium, pax, &c. Secundò, non omnes fructus Spiritus hic numerantur; (omnes enim virtutes sunt fructus spiritus & gratiæ, ipsiusque Spiritus sancti.) sed tantùm aliqui vulgo magis conspicui, & operibus carnis iam enumeratis oppositi. Vnde Tertiò, notat Anselm. & Theophyl. primum fructum Spiritus poni charitatem: quia primus & nobilissimus est, ac cæterorum parens: reliqui enim sequentes charitatis sunt fructus.

GAVDIVM] quod oritur ex conscientia serena, sancta, purgata à peccatis, vitijs, animi perturbationibus: *secura enim mens est quasi inge conuiuium.*

Et Cyprianus lib. de Disciplina & bono pudicitiæ, *Voluptatem*, inquit, *vicisse voluptas est maxima: neque enim vlla maior est victoria, quàm qua cupiditatibus refertur.* E contrario fructus carnis & concupiscentiæ est dolor & tristitia. Nam, vt docet Chrysost. hom. 13. in Acta Apostolorum: *Impura voluptas similis est voluptati qua afficiuntur scabiũ cùm se scalpunt. Huic enim voluptati, qua breuis, succedit longior dolor & molestia.*

PAX] qua tranquilla mens nullis passionibus perturbatur, ait Hieron. Sancta enim anima sentiens se terrore peccatorum & pœnarum liberatam, esse in gratia & Dei amicitia, mira animi pace & tranquillitate perfruitur, eamque in proximos deriuat, vt cum omnibus, quantum potest, pacem colat. Hæc pax tantum est bonum, vt exuperet omnem sensum, ait Apostolus Philip. 4. 7. adeoque licet nullam aliam Deus virtuti posuisset mercedem quàm pacem hanc, præmium dignissimum foret, quod meritò omnes excitaret ad quosuis etiam arduos virtutis labores subeundos, vt pace hac fruerentur.

PATIENTIA] Vt pacem habeas & cum alijs seruies, patiẽtia est opus, & vt aduersa quæuis, & maximè mores aliorum tibi differmes sæpè & inconditos, præsertim cholericos & fastuosos, prudẽter & patienter feras. Pro *patientia* græcè est μακροθυμία, id est longanimitas, vel, vt Ambros. lenitas: itaque *patientia* propriè non est in Græco iam.

BENIGNITAS] χρηστότης, suauis & benignus affectus, vt in loquendo, respondendo, benefaciendo benignum te ostendas. potest enim quis esse bonus & beneficus, qui tamen non sit benignus, cuius scilicet natura & modus agendi est rudior, rusticior, asperior: contra quæ militat benignitas, vt naturam & conuersationem flectat ad comitatẽ, ciuilitatem & dulcedinem verborum & morum. Hæc magnum est indicium sanctitatis, & Spiritus sancti, qui, vt dicitur Sapient. 7. v. 22. sanctus est, suauis, benignus, humanus; adeoque vulgus benignitate, hominis sanctitatem metitur, eaque trahi, capi, flecti & regi vult.

BONITAS] Græcè ἀγαθωσύνη, id est bonus & beneuolus affectus ad benefaciendum proximo. *bonitas* ergo idem est, quod beneficentia, quam Zeno ita definit, ait Hieronymus, *Bonitas est virtus, quæ prodest, siue virtus ex qua oritur vtilitas, aut effectus, qui sit fons vtilitatum.* Hæc euidenter est nota Spiritus sancti, eaque insignis fuit in Christo. *Vel*

sanus

Virtutes se ipsa vestis Christi. Cant. 4. 11. f. 202. 2. d.

spiritu, ait Petrus Actor. 10. v. 38. *Iesum à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Si vis habere spiritum Christi, nemini malefac, benefac omnibus.

MANSVETVDO] *Mansuetus*, ait Anselmus, *dicitur, quasi manu assuetus, tractabilis, ductilis, flexilis; tractari, duci, pati, facere, ferre assuetus.* Opponitur iræ & animositati, quæ nihil vult pati, nullius iugum aut mores ferre, sed statim sese vindicare, imò pro verbis verbera reddere.

FIDES] Est virtus Theologica, ait Hieron. quæ hæresi opponitur, qua credimus omnia credenda, etiamsi naturam, sensum, & rationis captum superent: sed hæc fides non tam est fructus, quàm radix & principium spiritus & gratiæ. Vnde Secundò, & aptiùs Anselmus, *Fides*, inquit, *est fidelitas & veracitas in promissis*, quæ opponitur fraudi & mendacio: Spiritus enim sanctus, vt dicitur Sap. 7. 23. est *stabilis, certus, securus*, ac consequenter fidelis, suosque stabiles, veraces, fideles, hoc est sui similes facit. Tertiò, non improbabiliter cum nonnullis accipi potest fides, vt sit idem quod credulitas; qua facilè & simpliciter quis proximo credit, non eum suspicatur fallere, vel mentiri. sic enim 1. Corinth. 13. dicitur, *Charitas omnia credit*, quia scilicet non est suspicax. hæc enim fides ac candida simplicitas indicium est animi candidi, columbini & sancti, ac consequenter Spiritus sancti.

MODESTIA] Virtus est, quæ modum ponit, & moderatur omnes actiones exteriores, scilicet incessum, vestitū, sermonem, risum, lusum, ac totum hominem exteriùs rectè componit, prouenitque ex interna mentis & passionum moderatione. nā, vt ait Ambros. 1. Offic. 18. *Ex actibus exterioribus homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut grauior, aut constantior, & purior, & maturior æstimatur.* Et vt Sapiens Eccli. 19. v. 27. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, enuntiant de illo.* Hinc rectè præcipit S. August. in regula 3. *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.*

CONTINENTIA] à nimio cibo & potu, id est temperantia, vt vertit Vatablus. Secundò, vt Anselm. *continentia* à venere & libidine, & differt à castitate: quia *continentia*, ait Anselm. *in luctamine est, castitas in pace.* non enim castitas, sed continentia dicitur, vbi adhuc ei resistit aduersitas voluptatis. continentia ergo est inchoata & militans ac pugnans castitas. Tertiò, & meliùs, *continentia* iuxta Aristotelem generalis est virtus, aut potiùs complexio virtutum, qua continens vitiorum omnes illecebras & tentationes frænat ac cohibet. *Continentiam*, ait Hieron. *non solùm in castitate debemus accipere, sed etiam in cibo & potu: in ira quoque & vexatione mentis, & detrahendi libidine. Inter modestiam autem & continentiam hoc interest, quòd modestia in viris perfectis est, consummataq; virtutis, de quibus Saluator ait, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. & de seipso, Discite à me, quoniam mitis sum & humilis & mansuetus corde. Continentia verò in via quidem virtutis est, sed necdum peruenit ad calcem: quia cupiditates adhuc in eius, qui se continet, cogitatione nascuntur, & mentis polluunt principale, licet non superent, nec ad opus pertrahant cogitantem: non solùm autem in desiderijs & cupiditate, continentia necessaria est, sed etiam in tribus reliquis perturbationibus, dolore scilicet, Lætitia & timore.*

Cornel. in Epist. Pauli.

Nota. Græca hîc, vti & alibi, decurtata sunt: in Græco enim deest *patientia, modestia, castitas.* Vnde nouem tantùm fructus numerant Græca, vt & August. & Hieron. De his fructibus & virtutibus tractat Augustinus tract. 78. in Iohan. & D. Thomas 2. 2. vbi agit de singulis virtutibus.

ADVERSVS HVIVSMODI NON EST LEX] nulla est lex quæ hos fructus Spiritus & eorum obseruatores arguat, compescat, condemnet: ac proinde *si spiritu ducimini, non estis sub lege*, vt dixit v. 18. cò enim respicit ac redit.

QVI SVNT CHRISTI, CARNEM SVAM CRVCIFIXERVNT CVM VITIIS ET CONCVPISCENTIIS] Vers. 24. Est complexio præcedentis antitheſis siue belli, quod est inter opera carnis & fructus Spiritus. q. d. Hi sunt milites, hæc acies, hæc opera tam carnis, quàm spiritus; qui verò miles est Christi, eiusque spiritu agitur, viuit, militat, hic carnem suam crucifixit cum vitijs & concupiscentijs, id est, non tantùm vitia & concupiscentias, sed ipsam carnem corruptam, quasi fomitem concupiscentiarum castigat & crucifigit per ieiunia, cilicia, labores, pœnitentias. ità Anselmus.

Secundò & meliùs, *caro* non carnem propriè, hoc est corpus, sed concupiscentiam in carne residentem significat: ita enim carnem accipit v. 17. & deinceps. q. d. Qui Christi spiritu aguntur, hi carnem, id est concupiscentiam & naturam vitiatam, cum suis habitualibus vitijs, & cum suis motibus actualibus, scilicet concupiscentijs, crucifixerunt & *compresserunt*, inquit S. August. *timore illo casto, qui permanet in seculum seculi, quo cauemus offendere illum, quem toto corde, anima, mente diligimus.* *Caro est concupiscentia in carne residens.*

Nota. Concupiscentia est quasi anima; vitia sunt eius quasi potentiæ; concupiscentiæ, illius sunt actus. Hæc Christiani crucifigunt, id est comprimunt & mortificant cum dolore instar Christi crucifixi, qui propter ea in cruce summo dolore mortificatus fuit. Alludit enim ad carnem Christi crucifixam quasi ideam & exemplar mortificationis.

Nota Secundò. Sancti crucifigunt & comprimunt vitia hæc, Primò, per metum gehennæ & Dei; Secundò, per rationem & voluntatis constantiam ac fortitudinem, firmumque Deo placēdi propositum; Tertiò, per custodiam oculorum & sensuum; Quartò per orationes; Quintò, per ieiunia, vigilias, aliasque austeritates. *Sancti quintupliciter carnē crucifigunt, & vitia comprimunt.*

SI SPIRITV VIVIMVS] si internam habemus vitam & animam gratiæ, spiritus & iustitiæ. Vers. 25.

SPIRITV ET AMBVLEMVS] secundùm spiritus & gratiæ dictamen ductumque incedamus, conuersemur, agamus, operemur. Græcum enim στοιχῶμεν significat certo ordine, serie & norma incedere, de quo dixi cap. 4. v. 25. Aliter Chrysost. & Theophyl. q. d. Ordine, lege & norma Spiritus Christi & christianismi incedamus, extra hunc ordinem ad legem, ad iudaismum non deflectamus, pedem non efferamus.

NON EFFICIAMVR INANIS GLORIÆ CVPIDI] κενόδοξοι, id est inanis, vel vanæ gloriæ cupidi. qui enim laudem quærit apud homines, inanem, id est vacuam, laudem quærit: quia hæc gloria est quasi bulla tumida & vento inflata ac turgida, sed inanis & vacua, quæ nihil habet rei, soliditatis & substantiæ, qua mentem & appetitum hominis implere Vers. 26.

& explere valeat: plena enim & solida gloria, quæ A mentem explet, tantùm est apud Deum. *Plena gloriæ*, ait Hieron. *cupidi sunt qui gloriam Dei desiderant, & laudem virtute condignam*, à Deo scilicet commendari & laudari.

Plena & solida gloria à Deo.

INVICEM PROVOCANTES] ad rixas, lites, iurgia, pugnas: has enim vti & inuidiam suscitat cupido gloriæ & excellentiæ, dum, verbi gratia, Pompeius non patitur parem, Cæsar non patitur superiorem.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, hortatur ad bona opera, præsertim misericordiæ & beneficentiæ in Christianos, maximè doctores & catechistas, vtq; non quærant laudes & gloriam hominum, sed studeant seminare bona opera, quibus metant vitam æternam.

Secundò, v. 12. gloriationi Iudæorum in circumcisione opponit suam in cruce Christi, dicens: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.

1. FRatres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. 2. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. 3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. 4. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. 5. Vnusquisque enim onus suum portabit. 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. 7. Nolite errare: Deus non irridetur. 8. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. 10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. 11. Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. 12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm vt crucis Christi persecutionem non patiantur. 13. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, vt in carne vestra glorientur. 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 15. In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. 16. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. 17. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. 18. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.

VERS. 1. FRATRES, ET SI PRAEOCCVPATVS FVERIT B HOMO IN ALIQVO DELICTO, VOS, QVI SPIRITVALES ESTIS, HVIVSMODI INSTRVITE IN SPIRITV LENITATIS] Nota. Præcipit hîc Apostolus correptionem fraternam cuiuslibet delicti: (hoc enim significat, cùm ait, *in aliquo delicto*) oculos tamen maximè intendit, vt rectè annotauit Hieron. ad delictum, quod tota epistola est insectatus, scilicet iudaismum; iubet ergo Iudaizantes corripi, sed leniter. Idem iussit Rom. 14. v. 1. quem enim ibi vocat infirmum in fide, hîc vocat præoccupatum in aliquo delicto; illum ibi iubet assumi, hîc instrui: est enim hæc epistola quasi epitome & compendium epistolæ ad Rom. cum eaque in sententijs, rationibus & discursu valdè consentit, vt dixi in proœmio. Vnde sicut prioribus capp. epistolæ ad Rom. acriter iudaismum est insectatus, ita & hîc. & sicut vltimis, id est, c. 14. & 15. ad Roman. lenit istam acredinem, iubetque Iudaizantes tolerari: ita & hîc iubet eosdem leniter instrui.

Nota. Non loquitur de obstinatis in malo: hi enim docente S. Gregor. quia destinata malitia & voluntate peccant, durè sunt increpandi: duritia enim, ait Tertull. frangenda est & vincenda, non suadenda, sed de præoccupatis, qui in fide & moribus fragiles, recentes & imbecilles falsa Iudæorum persuasione seducti, & in iudaismum aliaque vitia impulsi sunt: hi enim dicuntur præoccupati, id est præuenti, antequam lapsum aduertere, vel cauere possent. Vnde pro *delicto* græcè est παράπτωμα, quod lapsum non destinatum, sed casualem significat, cùm quis aliò respiciens, vel non aduertens, in lapidem impingens, vel in fossam incidens, ruit & collabitur.

INSTRVITE] καταρτίζετε, id est, vt Syrus, erigite, vel, vt magis genuinè Vatabl. instaurate, redintegrate, restituite. q.d. Sicuti restaurantur artus & membra hominis lapsu luxata: ita fidem & mores luxatos proximorum restaurate. Hinc Erasmus putat Nostrum interpretem vertisse *Instaurate*, & corruptè iam legi, *Instruite*, pro *instaurate*. Sed non est verisimile: omnia enim exemplaria habent *instruite*: itaque rectè, non verbotenus, sed clariori sensu vertit Interpres. nam instauratio fidei & morum, non est aliud quàm in ijsdem lapsorum instructio.

IN SPIRITV LENITATIS] id est, cum mansuetudine, blandè, leniter. Nota. *Spiritum* vocat affectum

cum internum lenitatis, qui est donum Spiritus sancti, ait Chrysost. quique spirare, & quasi inhalare dicitur verbis monitorijs suam lenitatem & dulcedinem, vt ipsa verba & gestus spirent internam quamdam lenitatem & suauitatem corripientis. correptio enim est quasi pilula per se amara, quia correpti vitium detegit & incusat; hinc saccaro & dulcedine vocis, & commodæ insinuationis, vel etiam extenuationis culpæ oblinenda est, & amarities illius dulcoranda.

Pulchrè & verè S. Chrysost. hom. 51. ad populum, asserit linguam nostram quasi fieri linguam Christi, si in loquendo, docendo, corripiendo, imitemur Christi mansuetudinem. Et S. Dionys. epist. 8. ad Demophilum, quæ est de benignitate, docet Mosen propter mansuetudinem (erat enim teste Scriptura mortalium mitissimus) meruisse colloquium & familiaritatem Dei tantam, vt Dei famulus καθ' ἑξοχὴν diceretur, cum quo præ cæteris Prophetis Deus ore ad os, facie ad faciem quasi amicus cum amico loqueretur. Moxque subiūgit: Hoc eximiæ in se dilectionis argumentum Christus capit, si pascamus gregem ipsius modestissima gubernatione. Atque in fine addit pulchrū exemplum visionis cuiusdam S. Carpo ostensæ, qua Christus Carpi indignationē & vindictæ appetitum contra Gentiles quosdam, qui duos à fide Christi abduxerant, redarguens eidem dixit: *Pertute aduersum me, paratus enim sum etiam iterum pro saluandis hominibus pati: gratum mihi illud est, dum non alij homines peccent.*

Hinc & S. Augustin. hoc loco in praxi hunc correptionis modum perutilem præscribit: *Numquam*, inquit, *alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium, nisi cùm internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere*, scilicet sola dilectione proximi nos moueri ad eum corripiendum. additque, *Dilige, & dic quod voles, nullo modo malè dictum erit, quod speciem maledicti sonuerit, si memineris, serenissimq; te in gladio verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum.* Quòd si quis impatientiæ motus nobis surrepat, noscque, dum nobis bene monentibus resistitur, irasci contingat, cogitemus, inquit, *quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quando & ipsa eorum obiurgatione peccamus, cùm facilius nos ira peccantis iratos, quàm miseria misericordes facit.* Et S. Basil in Reg. fusiùs disputatis reg. 51. docet, Superiores, alioscque qui animarum morbos curare satagunt, debere imitari probos medicos, videlicet *vt ægris non irascantur, sed aduersus morbum ipsum pugnent.*

CONSIDERANS TEIPSVM, NEET TV TENTERIS] Est enallage numeri: nam transit à plurali numero ad singularem. consequenter enim dicere debuisset, Considerantes vos, ne & vos tentemini: sed quia pluralis hîc distribuit, & supponit pro singulis (vos enim, id est, singuli vestrum) hinc apte hanc distributionem explicat dicens in singulari, *considerans teipsum ne & tu tenteris.* Præsertim, quia hoc molliùs dicitur: duriùs enim dicitur toti communitati, Considerate vos, ne & vos tentemini; quia hoc est totam Ecclesiam, vel communitatem monere & monendo tacitè culpare & incusare. Efficax hæc est ratio persuadens misericordiam, & misericordem ac lenem correptionem, si cogites te eiusdem tentationis & miseriæ eopsortem & obnoxium, Deumque solere permittere tentari eos, qui in lapsos duri sunt & inclementes. Hinc sæpè in Vitis Patrum legimus Seniores, qui duriùs discipulos suos libidine alióve vitio tentatos arguerant, eadem mox tentatione pulsatos fuisse; vt discerent misereri, & tentatis compati, ac eos consolari & animare. Refert Cassian. lib. 5. de Institut. renunc. 2. 30. Abbatem Machetem dixisse, Tribus in rebus iudicaui fratres meos, & in eosdem tres defectus prolapsus sum, *vt sciant gentes quoniam homines sunt.* Alius ex Patribus antiquis quoties audiebat aliquem cecidisse, flebat amarè dicens: *Ille hodie, & ego cras.* Ita quisque dicat dum proximi lapsum videt: Homo sum, & humanum à me nihil alienum puto. Nam, vt ait S. Gregor. homil. 34. in Euangel. *Vera iustitia compassionem habet, falsa iustitia dedignationem.* Narrat Cassianus collat. 2. cap. 13. quòd Monachus quidam iunior grauiter tentatus spiritu fornicationis, Seniorem quemdam, sed rudem & indiscretum adierit; cumque tentationem ei declarasset, ab eo duriter acceptus & obiurgatus, desperans decreuerit redire ad sæculum, & vxorem ducere. Rem ex vultu Monachi deprehendit Abbas Apollo; igitur suauiter eum demulcens consolatus est, & in proposito corroborauit: ac mox adiens cellam Senioris, qui iuuenem ita durè acceperat, orauit Deum vt Seniori tentationem iuuenis immitteret. Vt in senectute, inquit, discat compati iunioribus dum tentantur. Mox tentatio Seniorem inuasit, adeò vt quasi amens huc illucque discurreret. Rem eminus spectabat Apollo, ac Seniorem adiens, Scito, ait, Deum permisisse te hac tentatione pulsari, vt per experientiam discas compati iunioribus in tentatione, nec austerè eos repellas, adigasque in desperationem, vti istum iuuenem pene adegisti, vtpote qui te ipsum iam videas parua tentatione ita agitatum, ac penè superatum fuisse; sed benignè eos excipias, consoleris & corrobores, iuxta illud Isaiæ 50. vers. 4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo.* Sic enim fecit Christus, de quo prædixit Isaias cap. 42. v. 3. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*: idque reipsa præstitisse Christum refert Matth. c. 12. 20.

Tres regulæ correptionis fraternæ.

Quare prudenter & appositè S. Augustin. libr. 2. de serm. Domini in monte cap. 20. in particulari hasce tres regulas corripiendi proximum assignat. *Piè*, inquit, *cauteq; vigilandum est, vt, cùm aliquem reprehendere, vel obiurgare nos necessitas coëgerit*, Primò, *cogitemus vtrùm tale sit vitium, quod numquam habuimus, vel quo iam caruimus: & si numquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse.* Secundò, *si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat: vt, siue ad correctionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit (nam incertus est exitus) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus.* Tertiò, *si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus; sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus.*

ALTER ALTERIVS ONERA PORTATE] Græcè VERS. 2. ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, id est, alij vicissim aliorum onera baiulate. quasi dicat, vt Chrysost. Anselm. Theophyl. Infirmitatum mutuarum ponde-

Per onera hic tria possunt intelligi.

ra ferre, ea vicissim tolerando, eis compatiendo. A verbi gratia tu feras proximi choleram & verba cholerica, ille ferat tuam melancholiam, & phlegmaticos mores; *vt qui celer est & iracundus*, ait ex Chrysostomo Theophyl. *ferat segnem tardúmque, segnis autem ferat vehementem illius impetum*; nimirum cogitet esse onus, quod proximum grauat magis quàm se, illique compatiatur.

Secundò & generaliùs, *onera*; vel, vt græcè est, βάρη, hoc est, grauamina quæcumque proximum grauant, siue vitia, siue morbi, siue curæ, siue melancholia, seu quiduis aliud cum grauans: feras cum eo, ei compatiendo, illum adiuuando, roborando, sustentando, & quasi oneri cum eo succollando, vt nimirum sis pes claudo, oculus cæco, baculus seni: de qua re vide S. Augustinum in psalm. 126.

Tertiò, & genuinè ad mentem Apostoli, Basil. in Regul. breuior. regul. 278. *Peccatum*, ait, *est onus graue animam premens, imò deprimens & detrahens ad infernum.* sicut enim iumentum baiulans onus nimis graue, ac viribus suis impar, sub eo collabitur: ita sub peccato quasi sub onere collabitur anima in reatum gehennæ, & sub hoc onere gemit, nec ab eo se releuare & resurgere potest. De peccato enim hîc agi patet ex versu præced. vbi hoc onus vocauit *delictum*, & ex eo quod subdit v. 5. *Vnusquisque enim onus suum*, peccatorum scilicet suorum, *portabit.*

Ex quo patet omne peccatum quidem hîc vocari onus; Apostolum tamen propriè oculum intendere ad peccatum apostasiæ & iudaismi; ad hoc enim propriè respexit vers. 1. Vnde iudaismũ aptè vocat *onus*, sicut cap. 5. v. 1. vocat eumdem *iugum seruitutis*, quia onerosas leges & cæremonias suis subditis iudaismus imperabat. q. d. Si quis præuentus sit aliquo delicto, præsertim infidelitatis aut iudaismi, vt sub eo collapsus quasi sub onere gemat, noli eum durè increpare, pungere, stimulare; sed leniter eum instrue & subleua, & quasi porta cum eo onus tua doctrina, consilio, consolatione, confortatione, vt à peccato & iudaismo resurgat, sibique, Ecclesiæ & Christo restituatur: explicat enim quod dixit v. 1. *Huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* q. d. Tanta debet hæc esse lenitas, vt quasi cum eo, quem corripitis, portetis & baiuletis illius onus & delictum, vel potiùs hoc onus ab eo deuoluatis, & deuoluendo quasi in vosipsos suscipiatis, vt is qui lapsus est, à peccato resurgere possit, sicut qui asinum sub onere lapsum subleuat, onus ab eo deuoluit, illudque inter brachia quasi in se suscipit, vt hoc onere leuatus asinus resurgere possit.

Vnde S. Basilius suprà, *Hoc onus*, ait, *inter nos vicissim alij ab aliis tollimus* (& tollendo quasi in nos suscipimus) *quoties operam damus, vt hi, qui peccarunt, & lapsi sunt, resipiscant.* Sic Christus, inquit Isaias c. 53. v. 4. *verè languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit:* quia peccata nostra & peccatorum pœnas in se suscepit, baiulauit, ac baiulando soluit & expiauit.

Ergo portamus onus, id est peccata proximi, eumque hoc onere leuamus, Primò, per compassionem & lenitatem, lenemque instructionem & correptionem; & hoc propriè intendit Apostolus hîc. Secundò, per orationem, si oremus pro eo, vt eum Deus hoc onere leuet. Tertiò, & perfectissimè per pœnitentias, si Christi exemplo proximi peccata voluntarijs ieiunijs, cilicijs, alijsque pœnis luenda & expianda suscipiamus.

Nota, hîc peccata esse & dici onera, eaque maxima & grauissima. *Videte*, inquit S. Augustinus homil. 22. in hęc Apostoli verba tom. 10. *hominem onustum sarcina auaritiæ, videte illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, & laborando sarcinam addentem. Quid exspectas, ô auare, amplectens onus tuum & sarcinam sub humeros tuos? Quid exspectas? Quid laboras? Quid inhias? Quid concupiscis nempe satiare auaritiam. Illa te potest premere, tu illam non potes satiare. An fortè non est graue? Vsque adeò sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? Non est graue auaritia? Quare ergo te de somno excitat, qua te aliquando etiam dormire non finit? Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ, & ista duo nequissima onera sunt, secúmque pugnantia premunt te & dilaniant te.* B *Non enim paria imperant, non enim similia iubent. Pigritia dicit, Dormi: auaritia dicit, Surge. pigritia dicit, Noli pati frigidos dies: auaritia dicit, Tolera in mari etiam tempestates. illa dicit, Quiesce: illa non sinit quiescere, iubet non solùm Procede, sed & Nauiga transmare, quære terras quas ignoras.* Addit S. Augustinus Christum nobis excutere hanc sarcinam cupiditatis, & suam charitatis imponere, quæ non grauat, sed leuat, sicut alæ auem non grauant, sed leuant.

Nota Secundò, quomodo hæc onera inuicem portare debeamus, hocque esse charitatis proprium officium, pulchra similitudine ceruorum docet S. Augustinus ibidem homil. 21. & lib. 83. quæst. q. 71. vbi ait: *Dilectionis officium est inuicem onera nostra portare. Sicut enim de ceruis nonnulli scripserunt, cùm fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia,* C *sic se ordinant, vt onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super inuicem portent: ita vt posterior super anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia necesse est vnum esse, qui ceteros præcedens non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; vt lassatus suis capitis onere ille qui præcedit post omnes redeat, & ei succedat, cuius ferebat caput, cùm ipse præiret. Ita inuicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem istam. Fortasse ceruorum naturam intenderat Salomon, cùm ait, Cerua amicitiæ & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum: nihil enim sic probat amicum, sicut oneris amici portatio. v. g. iram fratris tui tunc portabis, cùm tu aduersus eum non iraſceris, vt rursus eo tempore quo tecum præoccupauerit, ille te tranquillitate sua supportet. Et item si quis loquacitatem in se vicerit, & pertinaciam nondum vicerit; alius verò adhuc loquax sit, sed iam pertinax non sit; debet ille huius loquacitatem, & iste illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in isto sanetur, charitate portare.* D Deinde exemplo Pauli & Christi idipsum demonstrat, dum subdit: *Et Paulus dixit: Non quæ sua sunt vnusquisque quærat, sed quæ aliorum. Cui sententiæ connexuit, Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu; ad hoc dumtaxat, vt quemadmodum in eo quòd Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & sine peccato cùm esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua, sed nostra; ita & nos libenter ad eius imitationem inuicem onera nostra portemus. Hoc ergo exhibeamus illi, cuius infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si fortè nos in ea essemus, & ipse non esset. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem, ait Paulus. Omnibus omnia factus est, cogitando scilicet, etiam in eo vitio se esse potuisse, vnde cupiebat illum liberare.*

Hos onerum & infirmitatum proximi baiulos

los eleganter ossibus comparat S. Basil in psalm. 33. ad illa verba: *Custodit Dominus omnia ossa eorum. Quemadmodum*, inquit, *ossa ingenita sibi vi pratenerâ carnis molliciem suffulciunt, & pressuris contrahunt: itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint sua ipsorum constanti firmitudine debilium fulcire ac ferre imbecillitatem. Et sicuti ossa inter se connectuntur secundum commissuras articulorum, & hæ consortiones nervis firmantur & ligamentis, quæ ossibus adhærescunt: idem prorsus contigerit, si charitatis pacisque colligatio in Ecclesia Dei veluti cognationem quamdam conficiet spiritualium ossium, & in vnum conspirantem. De eiusmodi ossibus à concordi partium harmonia emotis solutisque, & quasi à commissuris suis & artubus eluxatis, Propheta inquit: Dispersa sunt ossa nostra secus infernum. Et quidem ossa hæc si qua interim turbela, si qua conquassatio occupauerit, orans ait: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Vbi verò propriam seruauerint harmoniam, à Domino custodita, ait: Ne vnum quidem ex his conteretur. Quum sanè digna sunt, quæ in Deum transcribant gloriam ac referant, inquit: Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Vidisti itaque ossium naturam ratione præditorum.*

Hinc sequitur Tertiò, eos qui aliorum onera portant, aliorum infirmitatibus condolēt & compatiuntur, esse in virtute osseos & robustos, & cōsequenter hanc compassionem signum esse perfectionis Christianæ; sicut è contrario non compati, sed rigidè proximum peccantem arguere & condemnare, signum est latentis alicuius vitij & imperfectionis. Docet id Cassian. col. 11. cap. 11, *Euidens*, inquit, *indicium est animæ necdum vitiorum sæcibus eliquatæ, in criminibus alienis non affectu misericordiæ condolere, sed rigidam iudicantis tenere censuram. Nam quemadmodum perfectionem cordis poterit obtinere, is qui non habet illud quod Apostolus plenitudinem legis consummare signauit? Alterutrum, inquiens, onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi: sed nec illam virtutem possidet charitatis, quæ non irritatur, non inflatur, non cogitat malum, quæ omnia suffert, omnia sustinet, omnia credit. Iustus enim miseretur animas pecorum suorum, viscera autem impiorum sine misericordia; ideoq; ijsdem vitijs monachum subiacere certissimum est, quæ in alio inclementi atque inhumana seueritate condemnat. Rex enim rigidus incurret mala, & qui obturat aures suas, ne audiat infirmum, & ipse inuocabit, & non erit qui exaudiat eum.* Citat hæc verba Cassianus ex Prouerb. c. 21. iuxta Septuag. Exempla compatientium & supportantium alios attuli Numer. 11. v. 11.

ET SIC ADIMPLEBITIS LEGEM CHRISTI] Legit noster Interpres ἀναπληρώσατε per e, id est adimplebitis: iam Græca habent ἀναπληρώσατε in imperatiuo, hoc est adimplete: sed idem est sensus, si videlicet mutuos defectus & peccata toleremus, portemus, subleuemus, nos adimpleturos legem Christi, quæ iubet, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Vbi Nota. Lex Christi est amor. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*, Iohan. 13. v. 35. & cap. 15. v. 12. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* In hac autem dilectione mutua difficillimū, quodque maximè exigit à nobis Christus, est, vt alter alterius onera portemus; vt si hoc impleamus, legem dilectionis proximi, ac consequenter legem Christi simus impleturi, qui magnus est stimulus, vt idipsum faciamus: non enim dicit, Facietis, sed planè *adimplebitis legem Christi.*

Notat Secundò, Chrysost. & Theophyl. non dicere Apostolum πληρώσατε, id est implete: sed, ἀναπληρώσατε, hoc est readimplete, denuo implete, vel simul ac communiter omnes implete, vt scilicet quod alterius cholera, vel delicto diminutum fuit in legis obseruatione, id aliorum sarciat charitas; sic vt quisque quod proximo deest in implenda lege, suppleat sua tolerantia & charitate legem implendo. v. g. Qui verbis asperis & cholericis proximum offendit, violat legem, quæ dicit, *Diliges proximum tuum.* Si proximus hoc vitium patienter ferat, condonet, compatiatur, supplebit, in quo alter defecit, & pro eo implebit legem, quæ dicit, *Diliges proximum tuum.* Rursum & magis ad mentem Apostoli: qui iudaizantem & peccantem portat, instruit, corrigit, eius in lege defectum adimplet, quia illum tollit & emendat, hominemque fidei & legi restituit, vt eam rursus faciat impleatque. Sic S. Bernard. tract. de Præcepto & dispens. paulò post init. docet eum qui peccando legem violauit, pœnitendo, veniam petendo, orandoque, *Dimitte nobis debita nostra*; lapsum hunc & violationem legis rursum sarcire & implere. *Illum*, inquit, *sane dico securum, qui etsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ: pars siquidem regulæ* (legis monasticæ) *est regularis correctio, & in ea reperitur non solùm bonæ vitæ institutio, sed & emendatio pravæ.* *Tolerans supplet defectum peccantis.*

NAM SI QVIS EXISTIMAT SE ALIQVID ESSE, CVM NIHIL SIT, IPSE SE SEDVCIT] Si quis existimet se esse spiritualem, egregium, magnum & perfectum in virtute & christianismo, ideoque superbè, durè & contemptim proximum peccantem, ac præsertim iudaizantem, increpet ac redarguat; hic nihil est: quia suo fastu, arrogantia, duritie, contemptu ostendit se nullius esse virtutis. ita S. Hieron. (Aliter Anselm. *Nihil est*, scilicet, *ex se: quia quidquid habet, à Deo habet*: sed prior sensus plus habet energiæ & connexionis.) ideoque talis *se seducit*, græcè φρεναπατᾷ, id est, vt Hieron. mentem suam decipit, quæ deceptio maxima est & peruersissima, cùm scilicet quis sibi cæcè blandiens, sibi ipsi imponit, persuadens sibi se esse, quod reuera non est. VERS. 3.

OPVS AVTEM SVVM PROBET VNVSQVISQVE] q. d. Quisque non lapsum, vitam, mores, opera alterius examinet, vt instar Pharisæi considerans publicani vitam, putet se præ eo sanctum esse: sed potiùs quisque probet & exactè examinet suum opus, id est singula sua opera, num ea faciat ex vana gloria, ex simulatione, ex odio & inuidia, an verò purè vt placeat Deo: sic enim multos videbit defectus, vt non existimet se esse aliquid. quòd si nullos, vel paucos videat, videaturq; opus suum esse purum & perfectum, gloriā, id est, vt græcè, καύχημα, gloriationem habebit in semetipso, vt scilicet, in conscientia, in se fuisque operibus gloriari possit; sed in Domino & Dominī gratia, cuius virtute ea fecit: *& non in altero*, id est, non per respectum ad alterum, græcè οὐκ εἰς τὸν ἕτερον, non in alterum: quod Chrysost. explicat, non contra alterum. q. d. Non gloriabitur respiciens alterum grauiter lapsum, quòd eo sit melior, vti Pharisæus gloriabatur contra publicanum eum contemnendo, & se præ eo laudando: sed modestè in se suaque conscientia in operibus Dei VERS. 4.

gratia factis gloriabitur. ita Chrysost. Theophyl. A Anselm.

Spiritualis homo non alterius imbecillitatē, sed suam debet considerare.

Et pulchrè Hieron. *Sensus*, inquit, *iste est: Tu qui te æstimas spiritualem, & de alterius infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem iacentis, sed tuam fortitudinem considerare: neque enim, si alius perfectè non potest ad christianismum à iudaismo transire, ideirco tu perfectus es Christianus: sed si te propria conscientia non remordet, habes in temetipso gloriam, & non in altero, Athleta non ideo fortis, quia vicit infirmum, & languida aduersarij membra superauit: sed si robustus es, & in sua fortitudine, non in infirmitate alterius gloriatur. Intelligi potest & aliter: Qui conscientiam habet operis boni, & seipsum considerans, opus suum non reprehendit, non debet de hoc apud alium gloriari, & laudem suam foras fundere, & communicare cum cunctis, & ex hominum fauore quærere iactantiam: sed in semetipso habeat gloriam, & dicat, Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Sed prior sensus est genuinus, & intimè connexus præcedentibus.

VERS. 5. VNVSQVISQVE ENIM ONVS SVVM PORTABIT] Ambros. *sarcinam suam*: græcè enim est, ἕκαστος τὸ ἴδιον φορτίον βαστάσει, id est, vt Vatabl quisque propriam sarcinam baiulabit.

Dices, Hæc sententia videtur contraria iam dictæ v. 2. *Alter alterius onera portate.*

In iudicio quisque suum onus portabit.

Respondet Hieron. illam v. 2. loqui de præsenti sæculo, hanc v. 5. de futuro, deque iudicij die: quia scilicet in hoc sæculo alter alterum cōsilijs & precibus iuuare possumus, cùm verò venerimus ante tribunal Christi, nec Iob, nec Daniel, nec Noë poterunt liberare animas filiorum suorum, vt dicitur Ezech. 14. v. 14 sed quisque operum & peccatorum suorum onus, id est meritas operum pœnas & præmia, feret & portabit. q. d. In die iudicij Christus non examinabit te de lapsu, vel delicto proximi, aut an eo melius minusue malè vixeris, sed te tibi comparabit, statuet te ante faciem tuam, opera tua ad legem mentis & rationis tuæ exiget, iudicabit, puniet, vel præmiabitur. vide ergo, ne te putes esse aliquid præ eo qui cecidit in peccatum aut iudaismum: sed opus tuum proba, & compara tibi ipsi & legi diuinæ, vt explores an coram Deo tale, tam purum & perfectum sit, quale exiget Christus in suo tribunali.

Nouantes perperam abutuntur hoc loco, contra Purgatorium.

Perperam ergo hæc Nouantes torquent contra Purgatorium, & suffragia quæ facimus pro ijs qui sunt in Purgatorio: non enim loquitur Apostolus de Purgatorio, sed de iudicij, in quo quisque suum onus portabit, & à nemine defendi aut iuuari poterit: ante diem enim iudicij inuicem precibus & meritis, tam viuos quàm mortuos in Purgatorio existentes iuuare possumus: hoc enim requirit cōmunio Sanctorum, quæ est in Ecclesia, ad quam vtique pertinent illi qui sunt in Purgatorio.

Opera sunt sarcina viatorum pergentium ad tribunal Christi.

Nota Quisque cum hac vita & mūdo discedit, nihil secum effert, nisi opera sua. Vnde opera sunt quasi sarcina viatorum pergentium ad tribunal Christi, vt ibi illa denudetur, examinetur, & ferentem vel cælo, vel inferno dignum ostendat: qualis enim erit sarcina, talis censebitur esse & eius baiulus, imò opifex homo qui hanc sarcinam sibi confecit, id est, onus operum suorum, & consequenter onus suppliciorum, vel præmiorum, siue onus pœnæ oneri culpæ commensuratum, & debitum sibi quasi sarcinam confecit & imposuit.

COMMVNICET IS QVI CATECHIZATVR VERBO, ET QVI SE CATECHIZAT, IN OMNIBVS BONIS] Vetus.

Nota Primò, *catechizatur verbo*, id est, per verbum, vocem & doctrinam catechizantis siue docentis, quam catechumenus siue discipulus haurit & excipit. ita S. Ambros.

Secundò, τὲ *in omnibus bonis*, refer non ad proximè præcedens, *qui se catechizat*, sed remotius ad *communicet*: non enim vult catechistam, sed catechumenum sua bona, victum & opes communicare cum suo catechista. ita Hieron. Theophyl. & alij.

Ambros. tamen refert ad *qui se catechizat*. q. d. Communicet catechumenus suas opes cum catechista, si tamen *in omnibus bonis*, scilicet disciplinis & moribus, se catechizet: nam si mala catechizet, audiet id quod sequitur, *Nolite errare, Deus non irridetur.* B

Rursum Marcion, ait Hieron. sic explicabat: in oratione, bonis moribus & *omnibus bonis* spiritualibus communicet catechumenus cum suo catechista & magistro, vt eius doctrinam & mores imitetur, & in se exprimat: sed primus sensus planior est & communior.

CATECHIZATVR] *Catechizo*, vox Græca est ἠχέω ἠχεῖν, id est, voce sonare. inde vox Echo. inde κατηχεῖν idem est, quod voce instruere, quia olim mysteria religionis viua voce tradebantur, & nefas erat ea scriptis committere, ne in infidelium manus & notitiam deuenirent, propalarentur & profanarentur ac riderentur. Inde catechista dicitur, qui hæc mysteria docet; catechumenus, qui ea audit & discit; catechismus, ipsa doctrina & instructio. C

Vnde patet catechismi & catechizationis antiquitas: tempore enim Pauli fiebat hæc catechesis, iubetque hîc Paulus catechumenis, vt bona sua omnia communicent cum suis catechistis; imò conciones Apostolorum ferè tantùm erant catecheses. Talis catechista fuit Paulus 1. Corinth. 14. v. 19 *In Ecclesia*, inquit, *volo quinque verba sensu meo loqui, vt alios instruam*, græcè est κατηχήσω, id est, catechizem. Apostolos secuti sunt Patres, vt Cyrillus Hierosol. cuius extant catecheses, & August. qui scripsit librum de Catechizandis rudibus, Gregorius Nyssenus, qui edidit orationem catecheticam, quæ dicitur Magna; & alij. Vnde patet munus catechizandi esse primæuum Ecclesiæ & Apostolicum; vt meritò D. Iohannes Gerson, Cancellarius licet Parisiensis, eo quasi honorifico vereque Christiano perfunctus sit, ipseque pueros erudire, eorumque confessiones assiduè audire voluerit, vti etiamnum faciunt viri insignes & Religiosi, quin & Doctores magno Ecclesiæ bono & fructu. Est enim hoc munus necessarium in Ecclesia: multi enim ita simplices etiamnum & ignari sunt, vt SS. Trinitatis & incarnationis ac redemptionis Christi mysteria nesciant, Symbolum non intelligant, sed illud recitent vt psittacus suum χαῖρε; quibus sanè magis vtilis & necessaria est catechesis, quàm quæuis alia concio. Quare Episcopi & Parochi iuxta præceptum Concilij Trident. sess. 24. cap. 4. & 7. necessariò illos vel per se, vel per alios hæc docere & catechizare debent: alioqui væ illis. si enim simplices ob ignorantiam pereant & damnentur, multò certè magis damnabuntur Parochi, qui docere illos noluerunt aut neglexerunt.

Scri-

Scripsit D. Gerson iam citatus tractatum de pueris ad Christum trahendis, qui extat part. 2. operum eius; vbi multa in hanc rem habet, seque summique factum de pueris catechizandis defendit, atque inter cætera sic ait: *Adeò iam indignū videtur apud multos, si quis ex Theologia aut famosiu in litteris, vel Ecclesiastica dignitate præditus ad hoc se opus inclinauerit, præsertim circa paruulos, quòd mihi in fabulam & improperium cesserit. Conuincit autem illos exemplum Christi, qui, Sinite, inquit, paruulos venire ad me, talium enim est regnum cælorum. O piissime Iesu, quis vltrà post te verecundabitur esse humilis ad paruulos, quando tu, qui es Deus, vsque ad cælissimos puerorū amplexus brachia mansuetus inclinas atque circūligas? Da mihi aliquem, qui spiritualis est, qui quærat non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quem totum repleuerit charitas, humilitas & pietas, & nullum in eo locum inueniat vanitas & cupiditas, cuius conuersatio in cælis sit, qui tamquam vnus ex angelis Dei, nec benedictione, nec* B *maledictione moueatur, qui nullis stimuletur aut alliciatur formis corporum; sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate versetur; & hæc intelliget.* Deinde obtrectatorum obiectionibus ita respondet: *Sed dicunt occupationem meam (tamquam Cancellarij) in maioribus esse debere. Nescio prorsus si quidquam maius esse potest, quàm animas ab ipsis inferni portis eripere, & tales paruulorum animas quasi plantare aut rigare, partem non indignā horti Ecclesiastici. Sed asserunt me in prædicationibus publicis ista magnificentiùs operaturum. Id quidem fortè pomposiùs, sed meo iudicio non efficaciùs, neque fructuosiùs: nam quo semel est imbuta recens, seruabit odorem testa diu. Venite ergo ad me paruuli, ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis: sic angelos nostros vicissim lætificabimus.* Hæc sparsim, & plura Gerson citato tract. Plura de catechesi vide apud C Anton. Possevinum lib. 4. Biblioth. sanctæ cap. 6. 7. 8. 9.

NOLITE ERRARE] in hac scilicet communicatione bonorum vestrorum, ait Anselm. vt ab alimonia catechistarum vos excusetis, prætextu paupertatis, necessitatis familiæ & prolium: quia licet hominibus hæc obtendere possitis, videte tamen ne vos fallatis, falsoque hæc obtendatis; Deum enim omnia videntem fallere & irridere non potestis. ita Hieron. Theophyl. Anselm.

Secundò, generaliùs & meliùs, hæc verba more Hebræo paulò superiùs referenda sunt ad id, quod dixit superiùs v. 4. *Opus autem suum probet vnusquisque.* q. d. Quisque sincerè & coram Deo opera sua probet, hac in re non erret; quia licet hominibus fucum facere possit, Deo tamen illudere non po- D test. nam generatim de quouis opere hæc esse accipienda, patet ex v. seq. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem.*

DEVS NON IRRIDETVR] Pro *irridetur*, græcè est μυκτηρίζεται, quod significat nasum suspendere, irridere suspenso naso, vti faciunt, qui cùm alios deceperint, à tergo in eos linguam, nasum, digitum in signum irrisionis extendunt.

QVAE ENIM SEMINAVERIT HOMO, HAEC ET METET] Nota metaphoram. vita nostra est quasi agricultura, tempusque seminandi, futura vita, metendi tempus est, id est, mercedem recipiendi pro ratione seminis, hoc est, meriti. Sic vulgò dicitur:

Quod sibi quisque serit præsentis tempore vitæ,
Hoc sibi messu erit, cùm dicent, Ite, venite.

A cùm scilicet Christus & Apostoli electis dicent, *Venite benedicti, possidete regnum*; reprobis verò, *Ite maledicti in ignem æternum.*

QVI SEMINAT IN CARNE SVA, DE CARNE ET METET CORRVPTIONEM. q. d. Qui operatur carnalia, eaque quasi semen conijcit in carnem suam, vt habent Græca, vt scilicet carnem suam pascat & oblectet, hic *de carne*, id est carnali opere & voluptate, *metet corruptionem*, & mortem, tum præsentem, tum æternam. Alludit ad carnales voluptates gulæ & veneris, quarum messis & finis est corruptio: vertuntur enim in phlegmata, sordes, menstrua, saniem, omnemque corruptionē. Contrà: QVI SEMINANT IN SPIRITV, id est, operantur spiritualia, quibus spiritum foueant & acuant; hi DE SPIRITV, id est, de opere hoc spirituali, METENT VITAM ÆTERNAM] Secundò licet generalis sit sententia Apostoli, tamen, vt dixi, oculum intendit & respicit propriè semen & opus beneficentiæ, & præsertim eleëmosynæ, qua catechumenus alit suum catechistam. q. d. Qui opes suas profundit in carnem suam, vt eam splendidè vestiat, alat, infarciat; hic de carne metet corruptionem: qui verò opes suas seminat & profundit in opera pia & spiritualia, in eleëmosynas præsertim, vt suos alat catechistas & magistros; hic ex hac eleëmosyna & opere spirituali metet vitam æternam. ita Hieron. & Theophyl.

BONVM AVTEM FACIENTES] *Bonum*, id est, bona opera, præsertim eleëmosynæ & liberalitatis, maximè in catechistas & præcones Euangelij. Sic enim omnibus hisce verbis in genere loquitur de bono opere, vt tamen eius mens maximè feratur, & respiciat bonum hoc, quo quis alium in fide labantem instruit & confirmat, & vicissim quo is, qui in fide instruitur, communicat suas opes suo instructori, vt inde viuat, ne cogatur doctrinam relinquere, vt sibi victum quærat & comparet. VERS. 9.

NON DEFICIAMVS] græcè μὴ ἐκκακῶμεν, non fatigemur, non lassemur, non segnescamus.

TEMPORE SVO (videlicet in die iudicij & retributionis extremæ) METEMVS NON DEFICIENTES] μὴ ἐκλυόμενοι, id est, vt Theophyl. indefatigabiles. q. d. ait Theophyl. Non fatigemur hîc bene operando & seminando, vt pro mercede perfectam quietem in qua nulla erit fatigatio, in messe cælesti & æterna assequamur. in hac enim vita, in messe corporali, v. g. tritici aut frumenti, multus est labor & fatigatio; sed nihil tale erit in messe cælesti. Vel clariùs & concinniùs, *metemus non deficientes*, id est metemus incessanter & sine fine: quia sicut non defecimus in hac vita seminando, inquit Anselm. sic non deficiemus in altera metendo fructus vitæ & gloriæ æternæ. Hæc enim est congrua, par & æqua merces, vt qui hîc sine cessatione perpetuò laborauerunt infatigabiles, ibi sine cessatione insatiabiles epulentur, omnibusque bonis affluant in æternum. *Duplex sensus horum verborum, Metemus non deficientes.*

Posset Secundò, non malè sic accipi, *Non deficientes*, id est, si non defecerimus. Græcè μὴ ἐκλυόμενοι, non dissoluti, non languentes, id est, si nō elanguerimus, sed strenuè perseuerauerimus in beneficiendo: sola enim perseuerantia coronatur, & finis coronat opus.

ERGO DVM TEMPVS HABEMVS, seminandi, benefaciendi, merendi in hac vita, OPEREMVR BONVM AD OMNES, hoc est, omnibus, non modò catechistis, vt dixi v. 6. sed omnibus omnino, etiam Gen- VERS. 10.

Gentilibus, MAXIME AVTEM AD DOMESTICOS FIDEI] hoc est, Christianis, qui in domo Dei, id est Ecclesia, quasi domestici nobiscum versantur, benefaciamus, charitatem eis ostendamus, omni ope & opera iuuemus, siue docendo, siue monendo, siue consulendo, siue eleëmosynam dando, siue alio quouis modo opitulando. Pulchrum hac de re documentum S. Iohannis Apostoli narrat hîc S Hieron. *Beatus Iohannes Euangelista*, inquit, *cùm Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset vocem in plura verba contexere: nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Iohanne sententiam: Quia præceptum Domini est, & si solùm fiat, sufficit.* Addit S. Hieron. moneri hîc omnes vt tempus bene collocent. *Breue*, inquit, *est curriculum huius vitæ. Titus Vespasiani filius, cùm quadam nocte serò recordaretur in cœna se nihil boni illa die fecisse, dixit amicis, Hodie diem perdidi: nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates, cùm otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij.*

Pulchrum documentũ S. Iohannis Euangelistæ de mutua charitate.

Τέμπος breue bene impendendũ.

Καιρὸν, id est tempus siue occasionem, pulchrè describit Posidippus, & ex eo b. Thom. Morus, & Girald. syntag. 1.

Tu quis? καιρὸς ego, omne domans.
Cur summis instas pedibus? Semper rotor. Alas
Cur plantis gestas? Vt leuis aura feror.
Dextræ cur inserta nouacula? Signum homini hoc est,
Vis conferri acie quòd mihi nulla potest.
Cur coma fronte iacet? Venientem vt prendere possis.
Parte est cur caluum posteriore caput?
Quòd, postquam leuibus præceps effugero pennis,
Ne valeat tergo qui reuocare velit.

O si bene cogitaremus quàm breue tempus sit agonis & cursus nostri, quàm volet irreuocabile tempus, quàm ab hoc momento pendeat æternitas; quàm feruidi & assidui essemus in omni bono opere! quod enim iam negligimus, per omnem æternitatem recuperare non licebit: quia breui finietur omne tempus viuendi, agendi, merendi. *Iurauit angelus*, inquit Iohan. Apocalyp. 10. v. 6. *per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius:* sed æternitas & æterna retributio eorũ, quæ in tempore hoc gerimus. S. Chrysostomus homil. 17. in Iohan. *Breue*, inquit, *tempus nobis in præsenti vita præstatur: quo nisi in necessarijs vtamur, quid illic migrantes faciemus?* Æternis ergo sanctisque rebus tribuendum est tempus, non malis, non vanis, non otiosis. Suadet id Ethnicus Seneca Lucilio epist. 1. *Turpissima*, inquit, *temporis iactura est, quæ per negligentiam fit; & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

Hinc S. Gregorius Nazianz. in Iambicis ait vitam hãc esse mercatum, in quo omnes opes, putà virtutes, comparare possimus, eo exacto, nullus emendi & comparandi supersit locus. Mercatus hic durat tantùm vno die, putà vita nostra, quæ non est nisi vnus dies, imò nisi pũctum respectu æternitatis. Videergo vt hoc die copiosè merceris, & lucra tua in æternum duratura adaugeas.

VERS. 11. VIDETE QVALIBVS LITTERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANV] *Qualibus*, id est, quàm deformibus. q. d. Licet ineleganter & insciтè pingam, tamẽ ex vestri amore hanc epistolam mea manu & charactere licet deformi scripsi. ita S. Chrysost. Theophyl. Secundò, Augustin. *qualibus*, id est, quàm apertis, quàm liberis litteris, Iudaizantes nihil veritus, hæc scripsi. Tertiò, *qualibus*, id est, quàm sublimibus. ita ex S. Hilario in Psalmos nonnulli. Quartò, S. Hieron. putat S. Paulum hãc epistolam hucusque è vinculis aliena manu scripsisse: hinc verò ad finem vsque sua manu scribere, ne Iudæi dicerent, quod aliàs dixerant, suppositiam esse hanc Pauli epistolam. Quintò, & optimè: *qualibus*, græcè πηλίκοις, id est, quantis, quàm longis litteris vobis scripsi mea manu. q. d. Ego Paulus, qui aliàs aliena manu soleo scribere, & tandem mea manu subscribere, hanc epistolam ad vos totam (vt fatetur S. Chrysost. Ambros. Theophyl.) licet bene magnã scripsi mea manu, vt ostendam quàm mihi curæ sit vestra salus, putà fides & religio, vt à Iudaismo ad christianismum vos reducam.

QVICVMQVE VOLVNT PLACERE IN CARNE] Pro *placere*, græcè est εὐπροσωπῆσαι, id est, bonam faciem, bonum vultum ostendere, speciosum apparere, secundùm faciem & speciem externã placere. q. d. Iudaizantes, qui bonam faciem & speciem ostendere, eaque placere volunt *in carne*: est hebraismus, id est carni, hoc est, carnalibus Iudæis, suis secundùm carnem cognatis. ita Chrysost. & Theophyl. itaque se explicat Paulus v. sequenti. Secundò, non malè alij, *in carne*, id est, in obseruantia carnalis circumcisionis, aliarumque carnalium cæremoniarum. sic enim τὸ *in carne* accipit v. seq. cùm ait, *Vt in carne vestra glorientur*: sed non est necesse hîc accipere vt ibi accipitur, præsertim cùm hîc desit persona, cui placeatur; nisi *in carne* hîc aliter explices, vt scilicet idem sit, ac carnalibus Iudæis, vti explicui.

HI COGVNT VOS CIRCVMCIDI, VT CRVCIS CHRISTI PERSECVTIONEM NON PATIANTVR] scilicet à Iudæis, qui pro suo Mose & lege pugnant, & persequuntur crucem Christi, & crucis Christi præcones ac defensores. Græcè est, ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ διώκωνται, ne cruce Christi, id est ob crucem Christi, persecutionem patiantur, ne crux illos in persecutionem inducat.

NEQVE ENIM, QVI CIRCVMCIDVNTVR, LEGEM CVSTODIVNT. q. d. Iudaizantes cùm volunt vos pertrahere ad iudaismum, non faciunt hoc zelo legis & iudaismi: neque enim ipsi licet circumcisi legem custodiunt; SED TANTÙM VOLVNT VOS CIRCVMCIDI, VT IN CARNE VESTRA GLORIENTVR] vt scilicet apud Iudæos glorientur de vestra carnis circumcisione, quòd scilicet vos ad circumcisionem & iudaismum conuerterint. ita Theophyl. Anselm. & alij. Sic & hodie multi alios ad suam hæresim & sectam pertrahere conantur, non zelo salutis ipsorum, sed vt glorientur se multos habere assecias, se multos in suam sententiam traxisse. Ita ludunt, & aleam iaciunt super alieno corio, imò anima, temeritate & fraude inexpiabili.

MIHI AVTEM. Nota coniunctionem aduersatiuam, *autem*. q. d. Iudaizantes volunt gloriari coram Iudæis *in carne* & carnali vestra circumcisione, iactantes quòd ad iudaismum vos traduxerint: *mihi autem* ABSIT GLORIARI, hoc est absit vt glorier, *in carne*, aut alia re, NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] id est, in fide, grata memoria, meditatione, deprædicatione beneficij crucis, vtpote per quam redempti & iustificati sumus,

à qua gratiam piè & sanctè viuendi, & ad beatitudinem aspirandi accepimus. In cruce ergo patet magnitudo peccati nostri, & immensus Dei in nos amor. Hinc in ea sola glorior. ita Chrysost. Vide Augustinum serm. 20. de verbis Apost. *Poterat*, ait, *Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret; poterat in maiestate, poterat in potestate, & verum diceret: sed dixit, in cruce. Vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo: vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita: si vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere: ideo in fronte, tamquam in sede pudoris signum crucis accepisti.* Hactenus August.

Et S. Bernard. serm. 25. in Cant. *Nihil*, ait, *sibi gloriosius putat, quàm Christi portare opprobrium. Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est.* Et serm. 1. de S. Andrea: *Crux*, inquit, *pretiosa est, & crux amari potest, & crux habet exultationem. Ita est, fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum latitiæ stillat, balsamum sudat temporalium charismatũ. Non est silvestris ia arbor, lignum vitæ est apprehendẽtibus eam. Arbor fructifera, arbor salutifera est, alioqui quomodo Dominicam occuparet terram? Illam dico pretiosissimã glebam, cui clauorum est infixa radicibus.* Et epistola 190. ad Innocent. Pont. *Tria*, ait, *quædam præcipua in hoc opere salutis nostræ* (in cruce Christi) *intueor: formam humilitatis, in qua se Deus exinaniuit: charitatis mensuram, quam vsque ad mortem, & mortem crucis expendit: redemptionis sacramentum, quo ipsam mortem quam pertulit, sustulit.*

PER QVEM MIHI MVNDVS CRVCIFIXVS EST] q.d. Vti mundus horret crucem, vel crucifixum aliquod cadauer, ita & me exhorret; & vice versa, deliciæ & pompæ mundi mihi crux sunt, easque, vt crucem illi, auersor & horreo. ita D. Thom. Et S. Bernard. *Quæcumque*, ait, *mundus reputat crucem, ego delicias reputo; & quæ mundus delicias, ego reputo crucem.*

Secundò, simpliciùs, *crucifixus*, id est mortuus, per metalepsim: ex cruce enim & crucifixione necessariò sequitur mors eius, qui crucifixus est; dicit tamen Apostolus, *crucifixus* potiùs, quàm Mortuus, vt perstet in cruce Christi, ex qua omnis hęc illi mutatio obuenit, q.d. Ego Christo concrucifixus noua creatura, nouus homo esse cœpi, & ex arbore crucis Christi nouam gratiæ & mortificationis vitam sugere. Vnde *mundo crucifixus*, id est mortuus, sum, hoc est, non teneor, non delector, non tangor mundanis Iudæorum (ad eos enim propriè respicit, vt patet ex præcedentibus) & quorumuis aliorum opinionibus, fauoribus, odijs, opibus, delicijs, gloria, vti isti Iudaizantes tanguntur. Et consequenter vice versa *mihi mundus crucifixus*, id est, mortuus est: quia eadem ista mundana me non tangunt, non tenent, non delectant, ac si mortua essent. *Mundus*, ait, *mihi crucifixus est, vt non me teneat: & ego mundo, vt eum non teneam, id est, vt neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam.* ita August. ita & Ambros. Theophyl. Anselm. D. Thom. Haymo, & S. Ignatius epist. ad Rom. *Amor*, ait, *meus crucifixus est, non mihi placet cibus corruptionis neque voluptas vitæ huius; panem Dei volo, panem cælestem, qui est caro Christi, Christo concrucifixus sum.*

Pulchrè Pinufius Abbas apud Cassianum l. 4. de Institutis renũciantium cap. 34. & 35. nouitium, quem ad suum monasteriũ admittebat, instruens, hanc vitæ monasticæ ideam, Christum scilicet crucifixum, ei proponit, dicens: *Abrenunciatio nihil est aliud, quàm crucis ac mortificationis indicium. Ideóque noueris hodierno die te huic mundo, & actibus eius ac desideriis esse defunctum, teq; secundùm Apostolum mundo huic esse crucifixum, tibiq; hunc mundum. Considera ergo conditiones crucis, sub cuius te deinceps sacramento oportet in hac luce versari: quia iam tu non viuis, sed ille viuit in te, qui est crucifixus pro te. Eo ergo habitu ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere, vt scilicet secundùm Dauid affigentes de timore Domini carnes nostras, vniuersas voluntates ac desideria, non nostræ cõcupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa: sic enim Domini præceptum implebimus dicentis, Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* *Christus crucifixus idea virt. religiosi.*

Deinde modum, quo Christo concrucifigi debeat, in particulari ita declarat: *Sed fortè dicas, Quomodo potest homo crucem suam iugiter portare, vel quemadmodum viuens quis possit esse crucifixus? Audi rationem breuiter: crux nostra timor Domini est. sicut ergo crucifixus quis, iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi, vel conuertendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras ac desideria non secundùm id, quod nobis suaue est ac delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quò nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino solicitudine curáque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permouetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniurijs, non præteritarum iam recordatur, seq; cùm adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat illico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solùm carnalibus vitijs, verùm etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos.* Hucusque Pinufius apud Cassianum. *Modus quo quis Christo concrucifigi possit.*

Nota hîc, Apostolum non loqui solis Religiosis, sed seipsum exemplum statuere Galatis, & consequenter omnibus Christianis, qui pompis sæculi renunciarunt in baptismo; itaque debent mundo esse mortui, vt leges mũdanas de hypocrisi, de politica simulatione, de luxu, de honore, de vindicta, aliasque similes Christo Christiique cruci repugnantes, quasi ad se non pertinentes non curent. v.g. mundi lex dicit: Vtere foro, omnibus te accommoda; cum hæreticis simula te hæreticum; cum politicis, politicum; si cum eis in mensa verseris, die licet vetito, carnes comede. Sed Christianus respondebit se huic legi esse mortuũ, se Christi legi, religioni, obedictiæ astrictum viuere: esto, vocetur Papista, hypocrita, Iesuita, non curabit, non sentiet, ac si mortuus esset. Rursus mundus & mundi lex dicit: Nisi duellum ab æmulo oblatum acceptes, ignauus, vilis, inglorius habebere. Christianus, si ei duellũ offeratur, huic legi se mortuum esse respondebit per legem Christi, quæ duellum vetat, dicetque se minimè curare, imò contemnere mundi stolidi stolida indicia: sed sequi se sapientissimum Dei, Christi, virorumque Christianorum iudicium, qui duellum rem esse infamem, temerariam, stultam, animæ & corpori, ipsique *Non soli Religiosi, sed & omnes sæculares Christo debent concrucifigi.*

Reip. quæ duellis exhauritur, virisque fortissimis & nobilissimis spoliatur, nocentissimam censent: veram autem fortitudinem Christianam spectari in tolerantia iniuriarum, mortis, martyrij; tum in forti defensione patriæ, Reip. fidei, quin & propriæ personæ, ita vt sibi insultanti, & ad duellum prouocanti resultare & regerere possit, Si me aggrediaris, experieris vires meas, meos animos, meam in pugnando industriam.

Tres gradus quibus mori debet mundo & carni Christianus.

Moraliter S. Bernard. serm. 7. in Quadragesima, qui est de peregrino, mortuo, & crucifixo, tradit tres gradus quibus mori debet mundo & carni Christianus qui ad perfectionem aspirat. *Primus est, vt in hac vita se gerat tamquam peregrinum, qui,* inquit, *si fortè iurgantes viderit, non attendit: si nubentes aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes; nihilominùs transit, quia peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus. ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum & victum habens non vult aliis onerari. Secundus est, vt se gerat tamquam mortuum, qui non sentit, sed sic vituperantes vt laudantes, sic adulantes audit vt detrahentes: imò verò nec audit, quia mortuus est. omnino felix mors, quæ sic immaculatum seruat, imò penitus alienum facit ab hoc sæculo. Sed necesse est, vt qui non vult in se, viuat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus, Viuo autem iam nō ego, viuit verò in me Christus, ac si diceret, Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, nō curo: si qua verò sunt Christi, hæc viuum inueniunt & paratum. Tertius est, si non tantùm mortuus sit, sed & crucifixus, vt dicat, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt; putà delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominū laudes; quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu.* Addit deinde Bernardus aliam huius loci & crucifixi explicationem, non litteralem, sed accommodatitiam. *Quamuis,* inquit, *& in his verbis Apostoli non incongruè posset intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipsum verò mundo crucifixum compassione: crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum.*

Per abrenunciationem homo mundo crucifigitur.

Et ego mvndo] B. Dorotheus tom. 3. Biblioth. SS. Patrum doctrina prima, quæ est de renunciatione, quærit, *Quo pacto mundus crucifigitur homini?* ac respondet id fieri, *cùm homo abrenunciat mundo, mundum deserit, & exinde solitarius sit relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia.* Quærit deinde, *Quo pacto homo crucifigitur mundo?* ac respondet id fieri *per abrenunciationem, cum scilicet homo postquam mundi rebus excessit, certat aduersus mundi concupiscentias, aduersus voluptates, aduersus propriam voluntatem, subigitq; innatas passiones & vitia.* Ac subdit suos Religiosos exhortans ad hanc abrenunciationem: *Nos,* inquit, *videmur quidem nobis ipsis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, & ad monasterium diuertimus: at nolumus nos mundo crucifigere. Adhuc enim in animo nostro vigent illius blanditiæ, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus, compatimur illius gloriæ, compatimur delitiis & voluptatibus, compatimur ornamentis & vestibus, & ob viles & inanes res delabimur plerumque in pristinas eius passiones. quòd sanè nonnisi ex amentia multa prouenit, vt, qui pretiosas ac magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur. sitq; id a nobis pessimè: vt enim mundo & rebus eius abrenunciauimus, ita & pristinis eius passionibus abrenunciare debemus.*

Verùm hæc arctior est expositio: Apostolus enim non solis Religiosis, sed omnibus Christianis Galatis loquitur, seque eis in exemplum proponit, vt secum omnes crucifigant se mundo, & mundus vicissim eis crucifigatur: hæc enim non diuersa sunt, vt videtur velle B. Dorotheus, sed eadem & in eodem sibi contrapositа, vti iam explicui.

In Christo, in Christi fide, religione, Ecclesia, id est, in christianismo, in Christiana vita, ad christianè scilicet, bene beateque viuendum, NEQVE CIRCVMCISIO ALIQVID VALET, NEQVE PRAEPVTIVM, id est, impertinens est gentilismus & iudaismus, vt non aptior sis, non dignior in christianismo & Christiana vita, si sis Iudæus; non ineptior, non indignior, si Gentilis: SED NOVA CREATVRA] id est, anima baptismo & gratia Christi regenerata & renata, imò recreata, & quasi noua creatura spiritualis effecta, nouam gratiæ vitam sortita, vt deinceps in nouitate vitæ ambulet; hæc scilicet plurimùm valet ad Christianam vitam ineundam & prosequendam. Vnde Apoc. 3. v. 14. Christus dicitur *principium creaturæ Dei*: & Isaiæ 9. 6. *Pater futuri sæculi*: qui à Christo cœpit noua gens, nouus mundus, &, vt canit Sibylla Cumana apud Virgil. eclog. 4. qui adulando transtulit carmina Sibyllina, quæ apertè loquuntur de Christo nascente, ad Salonium Asinij Pollionis Consulis Romani filium recèns tunc natum:

Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, & toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina.

Gentem auream vocat gentem Christianorum aureis virtutibus, gratijs & donis à Christo acceptis splendentem ac fulgentem instar auri.

Et qvicvmqve hanc regvlam secvti fverint] Græcè ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι, id est, vt Vatablus, quicumque ad hanc incedent regulam, quam scilicet tradidi de iustificatione, libertate, doctrina, vitaque Christiana, vt extra hāc regulam & orbitam non exorbitent, & deflectant ad legem & normam iudaismi, velintque vtraque via incedere, vel potiùs discurrere & vagari sine ordine & semita à christianismo ad iudaismū: hoc enim significat Græcum στοιχέω, scilicet ordine, recta via & tramite incedere, vt dixi c. 5. v. 25.

Pax svper illos, Gentiles scilicet, et svper Israel] hoc est, & super Iudæos credentes Christo, ait Ambros. Secundò & meliùs, & hîc, vti & Ephes. 1. 1. Coloss. 2. 4. & alibi sæpè, significat, id est, *pax super illos*, &, id est, *super Israel Dei*. q. d. Qui sequuntur hanc regulam christianismi à me præscriptam, ij pacem habent, id est tranquillitatem conscientiæ, item misericordiam, scilicet Dei, vt Deus in eos misericors sit & beneficus, suamq; gratiam & cōsolationem misericorditer in eos effundat; ijque scilicet sunt *Israel Dei*, id est, ij sunt populus Israeliticus, non secundùm carnem descendētes ex Israel, id est ex Iacobo patriarcha, vti Iudæi sunt & dicuntur Israel, id est, Israelis siue Iacobi filij: sed sunt Israel, id est populus Dei, qui ex Israele, hoc est Iacobo, & consequenter ex Abrahamo, descendunt secundùm fidem & spiritum; quia Iacobi & Abrahæ fidem & sanctitatem imitantur.

Rursum alludit Apostolus ad significationem Hebreæ vocis *Israel*: *Israel* enim hebraicè significat *videns Deum*, ait Theophyl. Dicit ergo: qui hanc Christi legem & regulam sequuntur, ij sunt Israel, id est, videntes Deum per fidem, & in cælis visuri Deum per speciem. q. d. ait August. Ii sunt qui ad visionem Dei in cælis præparantur, & recta contendunt.

tendunt. Secundò & meliùs, *Israel* hebraicè dicitur quasi יִשְׂרָה אֵל *Isra el*, qui dominatur, vel prævalet Deo. cùm enim Iacob Patriarcha timens & fugiens insequentem Esau fratrem suum, angelum, qui Deum repræsentabat, se confortantem vidisset, cum eoque luctaretur, eique prævaleret, nolens eum dimittere, eumque retentans donec sibi benediceret; sinens se vinci angelus & Iacobo benedicens, *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Genes. 32. v. 28. q. d. Ne timeas Esau fratrem tuum, ô Iacob: nam violentis tuis precibus apud Deum licet renitentem obtinuisti, vt contra Esau, & quoslibet hostes animo sis futurus infracto, insuperabilis & victor: hæc enim est petita à Iacob, data ab angelo benedictio. Dicit ergo Apostolus, qui hanc Christi regulam sequuntur, ii sunt Israel Dei, id est populus Dei, dominans vitiis, mundo, Iudæis & iudaismo, (quos repræsentabat Esau carnalis frater Iacob) quin etiam ipsimet Deo, vt ab eo impetrent quidquid volunt, ac petunt ab eo. ita D. Thom. Haymo, & alij.

VERS. 17. DE CETERO NEMO MIHI MOLESTVS SIT] *Nemo*, scilicet Iudæorũ, rogando me an seruus sim Christi, an Mosis, me molestet: nam cuius sim seruus, patet ex stigmate meo; ego non stigma circumcisionis præfero, vti faciunt serui legis, sed Christi stigmata. Maldon. in Notis manuscr. sic vertit, *nemo mihi ob apostolatũ meum litem intendat*; meum enim apostolatum stigmata pro Christo inusta satis probant.

EGO ENIM STIGMATA DOMINI IN CORPORE PORTO] Nota. Stigmata Græcis dicuntur notæ alicui inustæ, quales seruis inurunt domini, vt, si fugiant, ex hisce notis agnoscantur esse serui talis domini. Secundò, stigmata dicũtur cicatrices, v. g. militum vulneratorum. Paulus ergo *stigmata Christi* hic vocat plagas & cicatrices ex verberibus, vulneribus & afflictionibus propter Christũ susceptis, corpori suo impressas, de quibus 2. Cor. 11. 23. quæ stigmata coram Deo non dedecora sunt, sed summæ laudes. Vnde vti milites, vexilliferi & capitanei sua vulnera & cicatrices ostentant quasi signa fortitudinis & gloriæ bellicæ: ita ego Paulus hæc stigmata, has plagas, quasi trophæa militiæ Christi non tantùm habeo, sed *porto*, inquit, & ostento. ita Hieron. Chrysost. Anselm. D. Thom. Haymo, Theophyl.

Simili modo in suis vibicibus & stigmatibus pro defensione sanctarum imaginum susceptis gloriabatur B. Theodorus Studita anno Domini 824. Cùm enim Leo Armenus Imp. Iconoclasta eum sibi resistentem flagellari iuberet, ipse ilico sponte zonam soluit, positaque veste corpus nudum obtulit ad verbera. *Voluptati enim*, inquit, A *mihi est corpusculi huius flagellatio, atque ista demum eius suprema depositio, quò citiùs nuda anima evolem ad eum quem desidero.* Acriter ergo flagellatus, post verba exultans scripsit ad Naucratium: *An non*, ait, *diadema gestantium gloria mirabilius stigmata ferre Christi, vivificas eius passiones seu coronas?* ita Michael Studita in eius Vita, & ex eo Baron.

Quinam moraliter portent stigmata Christi.

Moraliter stigmata Christi in corpore suo portant, ait Hieron. qui corpus macerant & affligunt amore Christi, vtque se Christi cruci & passioni configurent & conforment. Rursùm ii, qui à Deo morbis & ærumnis afflliguntur, vt Christo hîc in cruce, post hanc vitam in gloria conformentur. Sic S. Franciscus, vt narrat Bonauentura c. 13. Vitæ S. Francisci, ab angelo Seraphino crucifixum alis suis continente, Christi crucifixi stigmata, id est, clauos per pedes & manus vulnusque lateris instar Christi accepit, quia totus in Christi crucifixi amorem, imitationem & obsequium transire gestiebat. Erant hi claui non è ferro, sed è carne mortua calli, instar clauorum, capite scilicet crassiore existante, & cuspide acuta interiùs reflexa, qui sanctum virum ita cruciabant, vt vix incedere posset: sicut nos torquent in incessu calli pedum è carne mortificata, quos Flandri *exteren ooghen*, Galli *nids d'agache* vocant. *Excreuerat*, ait S. Bonauentura, *in Francisco insuperabile amoris incendium boni Iesu in lampades ignis atque flammarum, vt Seraphicis desideriorum ardoribus ageretur, & per Seraph stigmata sibi imprimentem cognouit se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum.* Hæc stigmata se propriis oculis in S. Francisci corpore mortuo conspexisse testatus est Alexander IV. Pontifex, ex cuius ore id ipsum audiuit S. Bonauentura.

S. Fräciscus habuit vera stigmata.

Stigmata C. portant martyres, De qb. alrd Hed. ff. 2 Hist. Eccl. l. 2. c. 1. f. 190.

Paulus non habuit stigmata in manibus & pedibus.

Facessat ergo impia Bezæ blasphemia, qui hoc loco S. Franciscum hisce stigmatibus notatum vocat horrendum stigmaticum idolum, idque falsum & confictum. Verùm de hisce stigmatibus non loquitur hîc Paulus, nec constat talia, qualia S. Franciscus habuit, in Paulo fuisse: imò illa, eius itinera & labores valdè impediuissent. Vnde nec imagines Pauli antiquissimæ ea nobis exhibent. Imò Sixtus IV. in bulla quadam, quam refert Henricus Sedulius in Notis ad vitam S. Francisci, vetuit sub pœna excommunicationis, ne quis Sanctum alium, quàm S. Franciscum pingat cum quinque stigmatibus: qui tamen nuper è S. Dominici familia ediderunt vitam S. Catharinæ Senensis per imagines expressam, asserũt postea Pium V. concessisse, vt & S. Catharina Senensis cum iisdem pingatur, vti habent & testantur recentissimæ illæ eius imagines: sed nulla Pauli imago ea nobis exhibet, vt dictum est.

S. Catharina Senensis etiam habuit stigmata.

Mihi absit gloriari nisi in cruce Iesu Christi.
Crux est scala beatæ Æternitatis.
O longa & fortunata Æternitas!

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

ARGVMENTVM.

Prior epistolæ pars dogmatica tractat de prædestinatione.

PRIOR epistolæ huius pars dogmatica est, disputatque profundissimè vsque ad c.4. de arcano diuinæ prædestinationis, illiusque beneficium admiratur. Scilicet Primò, quòd Deus prædestinarit nos homines sibi inimicos reconciliare, idque per mortem filij sui. Secundò, quòd Gentes atheas in hac prædestinatione prætulerit Iudæis Deum colentibus. Tertiò, quòd ita Deus ab æterno sua prouidentia res dispoſuerit, vt inter tot myriades hominum, qui tunc in mundo erant, & ante Christum fuerant, soli Ephesij, aliiq; pauci fideles acceperint prædicationem & doctrinam Euangelij, fidem, remissionem peccatorum, omnemque benedictionem Christianam.

Deinde eos in fide stabilit, carpitq; Philosophorum ac Poëtarum, & suborientes Ephesi Simonis Magi, eiusq; asseclarum errores. nam, vt ait Chrysost. multi Philosophorum in hac vrbe (Epheso) fuerunt. Dicitur & Pythagoras hinc prodiisse. Illinc est omnis schola Ionica, è qua prodiit Plato. Vnde & Platonicorum errores Ephesi grassantes carpit & perstringit hîc Paulus, vt ex epistolæ decursu patebit.

Ephesiorum ciuitas, mores, idola, conuersio.

Erat enim Ephesus Asiæ minoris metropolis, idololatriæ, & quæ ex ea sequitur, magiæ, & præstigijs magicis ac erroribus dedita. Vnde Ephesij conuersi à Paulo, coram eo libros magicos plurimos combusserunt, vt dicitur Act. 19.19. Fuit quoque Ephesi celeberrimum templum Dianæ, quam πολύμαστον, id est multimammeam, vocabant: ita enim pingebatur, vt multas haberet mammas, quo significarent eam omnium bestiarum & viuentium esse nutricem, ait Hieron. in prologo.

Posterior epistolæ pars ethica.

Posterior epistolæ pars ethica est, qua à c.4 ad finem epistolæ cuique hominũ ætati & conditioni rectè & christianè viuendi modum præscribit. Stylus profundus est & grandiloquus; quia sapientissimus sapientibus scribit contra sapientes Philosophos.

Vbi & quãdo scripta hæc epistola.

Missa est Roma è carcere per Tychicum diaconum, vt patet c.4.v.1. & c.6.v.20. anno Christi 59. vt ait Baronius.

Vbi Nota. Epistolæ, quas scripsit Apostolus è carcere, quasi concluso vtre, plus eructant sapientiæ & spiritus: anhelans enim ad martyrium, eiusque desiderio æstuans illas scripsit, quasi vltimas & cycnæas suas cantiones. Talis est hæc, talis ad Colossenses, talis ad Philippenses, talis denique ad Timoth. secunda. Ex hac sanè epistola, quæ, inquit Hieron. subtilissima est, agnoscas Pauli seruorem, profunditatem, spiritum, indolem. Videtur enim musto plenum hîc pectus eius altissima spirare & conuoluere, vt sublimitatẽ conceptuum A suorum sermo eius assequi non possit, nedum exprimere. Hinc præ aliis epistolis hæc longas, implexas, conuolutas habet sententias; abundat hyperbatis, anantapodotis, ellipsibus, aliisque quæ dixi can. 38.

Denique occasio scribendæ huius epistolæ fuit, quòd, sicut prædixerat Ephesiis ad se Miletũ euocatis Paulus Act. 20. inquiens: *Ego scio, quoniam introibunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. & ex vobismetipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se: propter quod vigilate:* ita reuera acciderit; nimirum ex Iudæochristianis (cùm aduerterent per Euangelium suam legem & synagogam aboleri) qui erant Ephesi, & in reliqua Asia, plures factos esse apostatas & hæreticos, qui Pauli hostes infensissimi, eius & Euangelium & studia omnia euertere conabantur.

B Id patet Primò, ex eo, quòd qui ex Asia erant Iudæi, primi fuerunt, qui Hierosolymis contra Paulum turbas concitarunt, & in ipsum manus iniecerunt, vt dicitur Act. 21.27. Secundò, ex eo, quòd ipse Paulus ad Timotheum cum querela scribit epist. 2. c. 1. *Scis*, inquit, *hoc, quòd auersi sunt à me omnes, qui in Asia sunt* (Iudæi scilicet & Iudaizantes) *ex quibus est Phigellus, & Hermogenes.* Addit Metaphrastes in sermone de S. Petro & Paulo, Phigellum à S. Petro factum (quod tamen non videtur probabile) Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ, eumque Iudæos credentes à fide auertisse.

Timens ergo Paulus, ne Gentiles Asiani & Ephesini ad fidem Christi à se conuersi ab hisce lupis seducerentur, ad eos, adhuc in Christi fide constãtes, hanc scribit epistolam (ad Gentes enim, non autem ad Iudæos, esse scriptam patet c.3.v.1. & cap.2.v.11.) vt eos in fide & officio contineat, C quod & fideliter præstiterunt.

Testis est S. Ignatius, qui post quadraginta annos ad eosdem Ephesios scribens, eorum in fide constantiam, & hæreseos ac hæreticorum odium hisce verbis dilaudat: *Noui nonnullos per vos transeuntes habere peruersam doctrinam peregrini & maligni spiritus, quibus negastis transitum, ad spargendam zizaniam, obturatis auribus ne reciperetis errorẽ quem docent.* Et vnde hoc habeant Ephesij, superiùs indicat, cùm ait: *Vos itaque estis eiusmodi à talibus instructoribus eruditi, à Paulo Christi pleno, & fidelissimo Timotheo.* Et iterum: *Honestissimum supra modum laudat* (Onesimus Episcopus vester) *vestrum decentem compositumq; ordinem, quodq; omnes secundum veritatem viuitis, & quòd nullus sit inter vos hæresis locus, sed nec auditur nomen vllius, quàm solius Iesu Christi veri pastoris & magistri, & estis, vt Paulus vobis scripsit, vnum corpus, & vnus spiritus, propterea quòd vocati estis in vna spe vocationis vestræ.*

CA-

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

BEnedicit Deum, quòd per Christum nos prædestinarit, & omni gratia cumularit, itaq; instaurarit omnia quæ in cælis & quæ in terra sunt.

Secundò, v. 11. excitat Ephesios ad laudem Dei, vtpote qui eos ad hanc gratiam præ aliis sorte vocauerit.

Tertiò, v. 15. agit gratias Deo ob fidem & charitatem Ephesiorum, orans vt perfectam in Christo sapientiam adipiscantur; scilicet vt penetrent magnitudinem suæ vocationis, Deiq; potentiam qua eos ad Christum conuertit, quaq; Christum à morte suscitauit, & supra omnes angelos exaltauit, constituitq; caput supra omnem Ecclesiam.

1. PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu. 2. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo, 4. sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. 5. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: secundùm propositum voluntatis suæ, 6. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, 8. quæ superabundauit in nobis in omni sapientia, & prudentia: 9. vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, 10. in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso: 11. in quo etiam & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: 12. vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in Christo: 13. in quo & vos, cùm audissetis verbum veritatis, (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, 14. qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. 15. Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, 16. non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: 17. vt Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius: 18. illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis, 19. & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, 20. quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus: 21. supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. 22. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, 23. quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

OMNIBVS SANCTIS] Id est, omnibus Christianis, qui sancti sunt vocatione, baptismo, debito & obligatione: quia in baptismo sanctificati, vocati sunt ad sanctè viuendum, debentque in omni vita & conuersatione esse sancti, vt dixi Rom. 1. 7. Vnde explicans subdit:

ET FIDELIBVS IN CHRISTO IESV] Id est credentibus in Christum. Est hebraismus. Hebræum enim נאמן *neeman* & nomen est significans fidelem, & participium significans credentem. Rursum, credere in Christo, & credere in Christum, idem sunt, vt dixi. Vbi Nota. Coniunctio *&*, est hic explicatiua, & significat id est, vti & Galat. 6. 16. & Colos. 2. 4.

BENEDICTVS DEVS] Dupliciter, ait Hieron. hic locus legi potest: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi: vt sit benedictus Deus, qui vniuersorum conditor est. & hucusque distinctio deinceps inferatur, qui est & Pater Domini nostri Iesu Christi. Vel ita, vt Deus, & Pater, ad Dominum nostrum in commune referatur. Benedictus Deus eius, qui assumptus est, hominis; & Pater eius, qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quo alius assumptus homo, & alius sit sermo qui assumpserit: sed quo vnus atque idem pro varietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis prædicetur.* Simili sensu dicit Christus Magdalenæ: *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, Iohan. 20. 17. Et secundus hic sensus planior est, magisque fluit. Vnde correctissima exemplaria inter *Deus* & *Pater*, nullam diastoles notam, aut comma interiiciunt.

QVI BENEDIXIT NOS] id est, qui benefecit nobis,

bis, copiosè cumulauit nos suis bonis & beneficiis. Dei enim dicere, non est aulicum (aulici enim aurea sæpè promittunt, sed parum reipsa præstant,) sed simplex est, sincerum & efficax: Deus enim plura facit & præstat, quàm promittat. Idem imitantur viri fideles & cordati.

Benedictio Christi multiplex, & qualis.

OMNI BENEDICTIONE, id est, omni bono, beneficio & dono, non terreno, vti sunt honores, opes, forma, robur, voluptates (has enim non venit conferre nobis Christus) sed SPIRITVALI [putà fide, gratia, peccatorum remissione, iustitia, amicitia Dei, virtutibus, bonis operibus, per ea nos destinando, & si in iis perseueremus, nos ad gloriam æternam eligendo, vt dicatur nobis, *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, ait Chrysost. hæc enim summa est & extrema benedictio. Vnde addit:

IN CÆLESTIBVS] scilicet donis, putà cælesti gratia, cælesti vita, & moribus nunc, & postea cælesti gloria. Secundò, S. Hieron. *in cælestibus*, scilicet locis, inquit, & sedibus (sic enim capitur v. 20.) quas nobis Deus præparauit, & ad quas nos destinat, *in*, id est, per Christum, per Christi sanguinem & merita, non per Simonem Magum, qui se iactabat esse mediatorem, esse Dei virtutem, Actor. 8. 10.

Omnis gratia, & dispositio ad iustificationem est ex meritis Christi.

Hinc patet, omnem gratiam, omnemque dispositionem ad iustificationem, ipsumque fidei initium non tantùm esse gratiæ Dei, sed etiam (quod malè de fide & fidei initio negarunt nonnulli) esse ex meritis Christi. Apostolus enim dicit, quòd Deus nos benedixit omni benedictione spirituali in Christo; ergo per Christum omne bonum spirituale nobis obuenit: atqui fides & gratia excitans nos ad credendum, est bonum spirituale, imò omnis boni fons & initium: ergo fides & prima gratia, ipsumque fidei initium obuenit nobis per merita Christi. ita Augustt. de Prædest. Sanctorum c. 19.

Nota, *benedictionem* non tantùm beneficentiam, bonum & donum significare, sed largitatem, copiam & abundantiam bonorum & donorum, vt dixi 2. Corinth. 9. 6.

Rursum, pro *in cælestibus*, græcè est, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, in supercælestibus: quod aliqui ad Deum referunt. q. d. Deus existens in supercælestibus, id est, in cælo quod est super omnes cælos, imò existens super cælum empyreum in spatiis illis vacuis, quæ supra cælum & mundũ sunt, benedixit nos. Secundò & meliùs, vt dixi, refertur ad *nos*. q. d. Deus nos in cælestibus donis, vel locis benedixit, vt scilicet per cælestia gratiæ dona perueniamus ad cælestia gloriæ loca.

Nota Tertiò. Pro *in Christo*, Erasm. & Vatabl. legunt in Græco Χριστῷ, Christo. q. d. ait Vatabl. Deus benedixit nos omni dono supernaturali, vt tandem locum habeamus in cælo cum Christo. Sed hæc lectio, vti dura & obscura est, ita est & falsa. Vnde Chrysost. Theophyl. Ambros. Hieron. & passim alij legunt ἐν Χριστῷ, *in Christo*. Hinc rursum videas Græca exemplaria noui testamenti magis dubia, varia & corrupta esse quàm Latina.

VERS. 4. SICVT ELEGIT NOS IN IPSO] q. d. Deus actu benedixit, id est benefecit, nobis donando suas gratias & dona: sicut ab æterno ad ea nos prædestinauit, & elegit in ipso, id est per ipsum, scilicet Christum & Christi merita præuisa.

Ex hoc capite insignes & graues Theologi contendunt singulos electos ad gloriam ex solo beneplacito Dei ad eam electos esse: ita vt ab æterno Deus ante præuisa merita non tantùm propria, sed & ipsius Christi, singulos, qui saluabuntur, ad gloriam & salutem hanc efficaciter elegerit. Deinde decreuerit illos Christo nascituro repræsentare, vt Christus pro iis passionem suam & merita offerret. Tertiò, Christo iam incarnato Deus illi proposuerit singulos à se ab æterno electos, vt pro iis merita sua Christus offerret, quibus eis gratiam ac omnia salutis media impetraret; & mox Christum Patri obedientem pro iis merita sua obtulisse dicunt. Inde Quartò singulos ex Christi meritis accepisse gratiam à Christo petitam & impetratam, cui ipsi electi cooperantes per propria merita reipsa gloriam sint adepti: hunc enim prouidentiæ ordinem censent esse optimum, & probatur maximè ex v. 11. vbi sic ait: *In quo etiam & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Ecce, inquiunt *in quo*, scilicet Christo, *vocati sumus*: quia vocatio & gratia actualis est ex meritis Christi: sed *prædestinati sumus secundùm propositum & consilium voluntatis Dei.* Ecce solum Dei propositum ponit causam prædestinationis nostræ, non ergo illa facta est ex meritis Christi.

Verùm omissa quæstione de meritis propriis, quæ alij non pauci graues Theologi censent esse præuisa, & causam electionis singulorum ad gloriam, de qua re alibi dicendum est; quod ad præsentem locum & quæstionem de Christi meritis attinet, verius videtur id quod alij illustres Theologi docent, nimirum Christi solius prædestinationem, electionem & incarnationem factam esse sine vllius, etiam ipsius Christi merito, ex solo Dei beneplacito, vt docet D. Augustt. de Prædest. Sanctorum c. 15. cæterorum verò hominum prædestinationem, & quatenus est prædestinatio siue prædilectio omnibus communis, & quatenus electio est vnius præ aliis, siue aliis neglectis, esse ex meritis Christi, ob quæ placuit Deo prædestinare eos, & eligere tam ad gloriam, quàm ad gratiam, hoc enim exigunt merita, honor & dignitas Christi, vt scilicet electorum omnium & prædestinatorum primus sit, per quem eligantur cæteri omnes & prædestinentur.

Probatur hæc sententia Primò, quia v. 3. dixit Apostolus, *benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo*, id est, per Christum: atqui magna, imò maxima, benedictio spiritalis est hæc prædestinatio & electio efficax ad gloriam: quam enim maiorem benedictionem à Deo desiderare possim, quàm vt sim electus ad beatitudinem, ac consequenter, certissimò hac beatitudine donandus? ergo hæc prædestinatio & electio per Christum & Christi merita facta est nobisque obtigit.

Secundò, si electio cuiusque ad gloriam non est ex meritis Christi, ergo nec prædestinatio gratiæ & mediorum ad eam assequendam erit ex meritis Christi: hoc autem est falsum; ergo & antecedens, ex quo id sequitur. Sequela maioris probatur: efficax intentio finis necessariò imperat & elicit electionem mediorum ad finem necessariorum: atqui hic finis est gloria, media necessaria ad eam sunt gratia, adoptio & merita; ergo si Deus ante præuisa Christi merita efficaciter eos intendit glorificare, efficaciter etiam intendit eos in

in filios adoptare, gratiam & merita dare, quibus A gloriam nobis prædestinatā assequeremur. Sicut qui intēdit ire Romam, hoc ipso tacitè & in confuso tendit transire Alpes, quia Alpium transitus est via & medium necessarium, vt finem, id est Romam attingas: pari enim modo gratia, iustificatio & merita, sunt media necessaria & connaturaliaad finem, id est, gloriam assequendam: incarnatio autem & merita Christi ad hunc finem, id est ad gloriam nostram, non sunt medium necessarium & connaturale, sed arbitrarium ex Dei libera voluntate, qui hoc medium elegit & instituit, cùm alia multa eligere & instituere potuisset. Ergo hoc ipso, quo Deus intendit nos glorificare, intendit & nobis gratiam & iustitiam, quasi medium per se ad glorificationem necessarium, dare: non autem hoc ipso intendit dare nobis gratiam & iustitiam per merita Christi, qui ea nondum instituit & elegit; ergo si ante merita Christi nos prædestinauit ad gloriam, etiam ante merita Christi prædestinauit ad gratiam, iustitiam & adoptionem. Minor probatur hîc v. 4. *Prædestinauit*, inquit, *nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*; ergo non tantùm adoptio nostra, sed & prædestinatio adoptionis facta est per Christum. quia quando Deus nos elegit ad gloriam, hoc ipso prædestinauit & statuit nos sibi in filios adoptare. Rursum: hîc ait, *Elegit nos in ipso*, scilicet Christo: ergo non tantùm executio electionis, sed & ipsa electio nostra per Christum facta est.

Dices, Elegit nos in Christo, non qua Christus homo est, sed qua Deus, & Verbum, ac Sapientia Patris.

Contrà: omnibus penè versibus vocat eum *Iesum Christum*: Iesus autem nomen est, non Verbi qua Deus est, sed qua incarnatum, ait S. August. C est enim nomen huic homini, Christo scilicet, in circumcisione impositum; ergo loquitur de Christo vt homine, non vt Deo. Secundò, v. 7. ait, *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum*; ergo clarum est, eum loqui de Christo homine, qui suum pro nobis sanguinem effudit. Tertiò, v. 10. docet quòd Deus proposuerit omnia instaurare in Christo, scilicet lapsum hominem restaurando (per hominem enim angelos & omnia restaurauit) hoc autem factum est per Christum hominem: vt homo enim, mediator fuit & redemptor omnium. quæ omnia rursum magis confirmant sententiam, quam hîc probare conamur: si enim Deus proposuit instaurare nos in Christo, ergo etiam prædestinauit & elegit nos in Christo: ipsa enim prædestinatio & electio Dei, est ipsum Dei propositum instau- D randi nos.

Dices Secundò, *Elegit nos in ipso*, id est, ad habendam fidem in ipso, vel vt nos ipsi, id est Christo & Christi Ecclesiæ incorporaret.

Contrà: nihil dicit Apostolus de fide, nec de incorporatione: vnde ergo illa hîc accersis & supples, cùm verba Apostoli per se & nudè sumpta plana sint? Secundò, *in Christo*, idem esse, quod per Christum & Christi merita, docet Ambros. Chrysost. Photius, & alij passim, imò ita se explicat Apostolus v. 5. 7. 10.

Probatur Tertiò, exc. 3. v. 11. vbi Apostolus ait præfinitionem sæculorum (id est prædestinationem, qua quos voluit quolibet sæculo prædestinauit & prædefiniuit saluare) factam esse per Christum, id est, per Christi merita præuisa.

Ad argumentum petitum ex v. 11. Resp. illud *in quo*, scilicet Christo, non tantùm referri ad *vocati sumus*, sed etiam ad *prædestinati*, quod sequitur. q. d. Per Christum vocati sumus in tempore, sicut ab æterno per Christum ad hanc vocationem prædestinati sumus ex consilio & beneplacito Dei: id enim clarè dixit v. 3. 4. & sequentibus. cùm enim toties nomen Christi hîc repetiisset Apostolus, noluit hoc v. 11. semel positum iterare. Adde, non loqui Apostolum hîc de electione & prædestinatione immediata ad gloriam (quam satis constat factam ex meritis Christi) sed ad gratiam. Vnde ait, *Sicut elegit nos vt essemus sancti*, id est, elegit nos ad gratiam, iustitiam & sanctitatem. Id magis patebit v. 5. Vide can. 13.

ANTE MVNDI CONSTITVTIONEM] πρὸ καταβολῆς κόσμου, id est, vt Hieron. ante iacta mundi fundamenta. Hoc addit contra Platonicos dicentes Deum creasse omnia non ex nihilo, sed ex materia sibi coæterna & increata. B

VT ESSEMVS SANCTI] q. d. Elegit nos, non vt ventri & veneri seruiamus, vti seruiunt Epicurei, sed *vt essemus sancti*, id est puri, casti, immaculati.

Perstringit hîc Primò, Platonicos, quos secutus Origenes docuit animas ante corpora extitisse, & vixisse in cælo inter angelos, illasque electas à Deo, quæ ibidem sanctè vixerant, vt in sancta corpora in terram mitterentur, ibique fierent magistræ animarum peccatricum, quæ è cælis in corpora sibi similia deiectæ sunt, vti refert hîc S. Hieron. Contrà ait Apostolus nos electos, non quia sancti eramus, sed *vt essemus sancti*. *Platonicorū & Origenis error de creatione animarum ante corpora.*

Secundò, perstringit errorem Semipelagianorum, qui docuerunt Deum illos elegisse ad fidem C & gratiam, quos præuidebat eam desideraturos, acceptaturos, ea bene vsuros, itaque sanctificandos; contra quos docet Apostolus Deum nos elegisse non ex præuisa sanctitate vsuque gratiæ, sed *vt essemus sancti*, vt gratia bene vteremur, & sanctificaremur. Vnde & v. 11. ait nos prædestinatos secundùm beneplacitum, non nostrum, sed Dei, nosque à Deo non ex præscientia futuræ bonitatis sed sorte vocatos esse. *Error Semipelagianorū de gratia refutatur.*

Rursum Tertiò, Chrysost. & Theophyl. sic exponunt. q. d. Elegit nos Deus ob virtutē nostram, vt permaneamus sancti: non enim, inquiunt, eligitur vnus præ altero, nisi qui melior est. Sed Respondeo, hoc verum esse apud homines; hi enim meliores eligunt ad officia & dignitates; (ac vtinam semper) non tamen apud Deum: Dei enim electio à gratia, & mero eius beneplacito pendet, eligitque Deus hominem, non quia est melior, sed vt fiat bonus & melior. Secundò, non ait Apostolus, vt permaneremus, sed, vt *essemus sancti*; loquitur ergo de prima gratia, eamque docet purè & gratis dari à Deo. *Prima vocatio, & Dei electio non pendet ab hominis dispositione.*

ET IMMACVLATI] Græcè ἀμώμους, id est inculpati, irreprehensibiles; μῶμος enim græcè reprehensionem significat. Inde μῶμος deus est, inquit Hesiodus, nocte natus, & somno patre progenitus, qui nihil operis edit, sed aliorum deorum opera curiosè contemplatur, & si quid in iis viderit omissum, aut perperam factum, id summa cum libertate carpit. Vnde opus perfectum dicitur, in quo Momus nihil habet quod redarguat, & irreprehensibile vel iudice Momo: sic hîc dicitur, *Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* q. d. *Momus quis?*

Vt essemus omnino sancti & puri, vt, non homo aut momus, sed Deus ipse, cuius sincerissimum & exactissimum est iudicium, quique omnia dicta, facta, imò & cogitata, cordisque fundum penetrat, nullam in nobis grauiorem maculam, næuum aut culpam cernat, quam arguat.

Tria corollaria ex superiori doctrina.

Hinc patet Primò, in homine iusto & sancto peccata non tegi per iustitiam Christi illi imputatam, sed omnino tolli, ita vt Deus ea videre & carpere non possit. Secundò, concupiscentiam in homine iusto non esse peccatum, quod Deus culpare possit. Tertiò, ita sanctè, integrè ac perfectè nos omnia nostra opera facere debere, quasi memores in conspectu Dei nos ea facere, vt Deus eorum inspector nihil in eis inueniat quod iudicet & damnet.

Quadruplex horum verborum expositio.

IN CHARITATE] Adamus refert ad *elegit*. q.d. *Elegit nos in charitate*, id est, per charitatem, quia scilicet dilexit nos. Secundò, Chrysost. & Theophyl. referūt ad sequētia ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς, *in charitate*, id est per charitatem, qua nos amauit, *prædestinauit nos*. Vnde & Syrus vertit, *per charitatem præsignauit nos sibi*. Tertiò, planiùs & faciliùs refertur ad proximè præcedentia. q.d. Elegit nos Deus vt in sanctitate sine macula & culpa seruiamus illi, non ex timore pœnæ, sed ex charitate, & liberali amore, *Vt amor Dei* inquit Ambros. *sanctam faciat nostram conuersationem*. Sic & Anselmus.

VERS. 5.

QVI PRÆDESTINAVIT NOS IN ADOPTIONEM FILIORVM PER IESVM CHRISTVM IN IPSVM] Nota. Idem est, *elegit nos vt essemus sancti*, & *prædestinauit nos in adoptionem filiorum*: nam Sancti sunt filij Dei adoptiui; Apostolus tamen idem repetit & inculcat, tum quia plenus erat recordatione suauissima tantæ dilectionis & electionis Dei, tum quia hæc electio & prædestinatio Dei licet vna sit, multa tamen inuoluit: quia per illam Deus elegit & prædestinauit nos ad sanctitatem, ad suam amicitiam, ad suam filiationem, ad suam hereditatem: nam formaliter aliud est esse sanctum, aliud esse Dei amicum, aliud esse filium Dei; potuissetque Deus nos eligere ad sanctitatem, & tamen nolle nos adoptare sibi in filios, imò nolle nos euehere ad suam amicitiam. Quis enim est homo quantumuis sanctus, qui sibi deberi putet vt Deus secum amicitiam ineat, aut foueat, & quasi amicus cum amico agat & conuersetur? Dei ergo clementiæ, gratiæ & liberalitatis fuit, quòd per gratiam & charitatem simul & sanctos, & amicos, & filios nos efficere voluerit, quodque hæc tria charitati indiuulsè annexuerit, scilicet iustitiam, siue sanctitatem, amicitiam & filiationem Dei.

Prædestinatio Dei licet vna, multa inuoluit.

Charitati annexuit Deus, Primò, iustitiā; Secundò, amicitiam; Tertiò, filiationem Dei.

Definitio prædestinationis ex Augustino.

QVI PRÆDESTINAVIT] Nota ex S. August. de Prædest. Sanctorum cap. 10. *prædestinatio est gratiæ per Deum præparatio*, qua scilicet creatura rationalis instruitur, dirigitur & ordinatur vt perueniat ad vitam & hereditatem æternam: est enim hæc prædestinatio liberale Dei decretum, quo ab æterno decreuit Deus & angelos & homines per casum Adami lapsos ad se vocare, & sine vllis meritis propriis sanctificare, sibique in filios & heredes adoptare, id est, decreuit eos vocare & adducere ad fidem, gratiam, sanctitatem, omnemque perfectionem, & tandem ad gloriam & hereditatem æternam.

Duplex prædestinatio, completa & incompleta.

Estque duplex hæc prædestinatio. Alia completa Sanctorum & Beatorum, tota scilicet illa series prouidentiæ Dei, gratiarum & mediorum omnium, ex quibus effectum & consecutum est, vt prædestinati à Deo vocarentur, vocati iustificarentur, iustificati in iustitia liberè perseuerarent, perseuerantes vitam finirent, itaque beararentur & glorificarentur. De hac loquitur sæpè S. Augustinus.

Altera prædestinatio est non completa, sed inchoata, scilicet ex parte Dei, qua Christianos omnes Deus prædestinat ad gratiam christianismi, in qua si perseuerare velint, Christique gratiæ vti, eique in finem vsque cooperari, complebunt suam prædestinationem, & beatitudinem, ad quam creati & prædestinati sunt, assequentur.

De hac secunda loquitur hic Apostolus idque Primò, colligitur ex eo, quòd totam hanc epistolam inscribit Ephesiis, non electis ad gloriam certoque beandis, sed *sanctis & fidelibus in Christo Iesu*, vt ipse ait v. 1. Omnes ergo Ephesios Christianos vocat prædestinatos, inter quos quis asserat neminem fuisse reprobum, aut postea damnatum? quis asserat Apostolum voluisse omnes Ephesios fideles certos reddere de sua perseuerantia, de sua salute & gloria, eamque omnibus reuelare & propalare?

Secundò, ex eo quòd de ipsis dicit v. 5. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum*, &c. *in qua gratificauit nos in dilecto filio suo*. & v. 4. *Sicut elegit nos in ipso, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*. Vbi clarè vides eum loqui electis, non ad gloriam, sed ad gratiam & sanctitatem, per quam adoptamur in filios Dei.

Tertiò, ex eo quòd c. 4. v. 3. & sequent. prædestinatos non securos, non certos esse velit, sed vigiles & solicitos, vtpote quorum incerta & dubia sit salus, & in quorum arbitrio sit virtus & vitium, perseuerare & cadere, saluari & damnari, vti pulchrè docet S. Chrysost. hîc homil. 2. in morali. Vide can. 13.

Nota hîc notari omnes causas prædestinationis; Primò, efficientem, cùm ait: *qui*, scilicet Deus, *prædestinauit*; Secundò, meritoriam, *per Christum*; Tertiò, materialem, *nos*; Quartò, exemplarem, *in ipsum*, Christum scilicet, vt Christo quasi capiti & exemplari conformemur, hîc per Dei cognitionem, amorem & gratiam; in futuro, per gloriam. ita Anselm. Ambros. D. Thom. & doctè August. de Prædestinatione sanctor. c. 15. Posset Secundò, sic accipi *in ipsum*, id est, in gloriam Christi. q.d. Christi gloria finis est nostræ prædestinationis. Tertiò, Erasmus & Adamus *in ipsum*, id est, in se. q.d. Vt Deus nos duceret in seipsum. & faceret nos vnum cum seipso: sed hoc duriusculum est, nec enim filij sunt vnum cum patre, sed patri coniuncti sunt, non per identitatem naturæ, aut personæ, sed per filiationem vel adoptionem, vt præcessit. Quintò, notat causam formalem, cùm ait, *Secundùm propositum voluntatis suæ*: hæc enim prædestinatio non est aliud, quàm propositum, siue decretum liberale voluntatis Dei. Sextò, finalem, cùm ait, *in laudem gloriæ gratiæ suæ*. id est vt laudetur gloria, splendor, &, vt, Ambros. legit claritas gratiæ Dei, vel gloriosa gratia Dei, qua nimirum mirabilior Deus apparuit in redimendo homine, quàm in creando. Septimò effectus sunt, redemptio, peccatorum remissio & quòd *gratificauit nos*, id est gratos & charos sibi reddidit, gratia, amicitia, charitate sua nos donando.

SECVN-

SECVNDVM PROPOSITVM (S Hieron. vertit *secundum placitum*) VOLVNTATIS SVÆ] græcè enim est εὐδοκία, quo nomine LXX. Hebræum רָצוֹן *ratson* vertunt & explicant, nouis rebus noua verba fingentes, inquit Hieron. addit́q; *εὐδοκία componitur ἀπὸ τοῦ δοκεῖν καὶ τὸ ἀρέσκειν, id est, à bene & à placito, quod nos dicere possumus beneplacitum; quia non statim quicquid quod placuit & bene placere potest: sed ibi tantùm εὐδοκία id est beneplacitum dicitur, vbi quod placuit rectè placitum comprobatur.* ita Hieron.

Vbi Nota. *Propositum*, quod propriè v. 11. Apostolus vocat προθεσιν v. 9. vocat εὐδοκίαν, hoc est, beneplacitum, & v. 11. rursum vocat βουλὴν, id est, consilium voluntatis diuinæ: idem ergo sunt *propositum, beneplacitum & consilium Dei*, liberale scilicet Dei decretum, quo prædestinauit, id est statuit & proposuit, nos vocare ad fidem & sanctitatem christianismi per Christum; quod non solis electis, sed omnibus Christianis competit. B

Propositum, beneplacitū & consilium Dei idem sunt.

Vers. 6. INQVA (gratia) GRATIFICAVIT NOS IN DILECTO FILIO SVO] Græcum ἐχαρίτωσεν, Caluinus vertit gratiosos vel acceptos habuit. Hinc enim stabilire nititur suam iustitiam imputatiuam, q.d. Apostolus. Nos reipsa in nobis sumus peccatores; ideoque Deo odibiles, sed in Christo, id est, cooperti iustitia Christi nobis imputata, gratiosi & amabiles simus in oculis Dei.

Refellitur Caluini error de iustitia imputatiua.

Verùm Respondeo, ἐχαρίτωσεν non significat gratiosos habuit, vt vult Caluinus, sed gratiosos fecit, &, vt Noster vertit, gratificauit, scilicet gratiam suam nobis communicando & infundendo. ita Chrysost. *Gratiosos*, inquit, *nos reddidit, hoc est, non solum peccatis liberauit, sed & dilectos effecit. Sicut enim si quis scabrosum quemdam pelle, morbo, senio, paupertate partter ac fame corruptum nactus, formosum ac adolescentem reddat, qui quosuis venustate superet, & vehementem splendorem ex genis emittat, ipsaq; fulgura oculorum repercussionibus obscuret: quem deinde & in ipso ætatis flore constituat, atque insuper & purpura & omnigeno mundo vestiat atque exornet: non aliter animam nostram Deus & elaboratam, & pulchram, & desiderabilem ac dilectam reddit.* C

IN DILECTO FILIO SVO] q. d. Gratiam hanc adepti sumus non meritis nostris, sed per merita dilecti filij Dei, vel per amorem quo Pater Filium diligit, cui nos fratres esse voluit, cuique pro nobis, nostraque gratia & adoptione ad hanc suam fraternitatem roganti & oranti Pater omnia concessit & indulsit.

Nota. Græcè non est *filio suo*, sed tantùm ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, in dilecto, scilicet absolutè in omnibus, ac præ omnibus, sine quo nemo cæterorum D diligitur, quique causa est cur cæteri omnes diligantur. ita Hieron. Sic Christus psal 28. 6. quò fortè alludit hic Apostolus, vocatur *dilectus quemadmodum filius vnicornium*: quia sicut hinnuli vel pulli vnicornium valdè amabiles sunt & gratiosi, ita & Christus. Secundò, quia Christus quasi monoceros potentissimus solo B. Virginis sinu captus est, vt dixi Numer. 23. 22. ibi enim de eo dicitur, *Cornu fortitudo similis rhinocerotis*, vel *monocerotis*: Hebræum enim רְאֵם *reem* & rhinocerotem, & monocerotem siue vnicornem significat. Tertiò, quia vnicornis cornu habet bifurcum instar crucis, ait Iustinus Martyr, estque medicum & validum talis est & crux Christi. Quartò, vnicornis tactu sui cornu aquas purgat à veneno serpentũ: sic Christus tactu Iordanis aquas baptismi, peccati purgatrices & expiatrices effecit. Quintò, quia Christus quasi vnicornis, cornũ id est fortitudinem omnem suam, habet in capite, id est diuinitate, inq; cõmunione & vnione cum Deo. Sextò, sicut deiectis cedris per tonitru, apparent & exiliunt hinnuli vnicornium, quod ad litteram significat Psaltes citato psal. 28. 6. ita allegoricè Christus mundo apparuit post deiectas cedros, id est, superbiam, impietatem, idololatriam per vim tonitrui Euangelij, tunćq; patuit eius species, decor & gratia. Ipse ergo est dilectus Patris, dilectus noster, amor noster, desiderium, gaudium, exultatio, quies, saties, salus animæ nostræ, vt cum sponsa in Canticis dicamus, *Dilectus meus similis est capreæ hinnuloq; ceruorũ. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinẽtur vmbræ.*

Vers. 7. IN QVO HABEMVS REDEMPTIONEM] non tam actiuam (hanc enim non habemus nos, sed Christus) quàm passiuam, qua scilicet Christi sanguine quasi pretio redempti sumus à seruitute peccati, mortis & inferni. Vnde per epexegesin explicans subdit:

REMISSIONEM PECCATORVM] Hæc ergo redemptio est remissio peccatorum, & iustificatio nostra.

Vers. 8. QVÆ (scilicet gratia) SVPERABVNDAVIT IN NOBIS (abundè in nos à Deo effusa est) IN, id est cum, OMNI SAPIENTIA ET PRVDENTIA] q.d. Non per scholas Philosophorum, sed per gratiam christianismi, veram sapientiam & prudentiam adepti sumus.

Nota. Prudentiam Christianam & veram intelligit eam, quæ nos docet rectè, piè & christianè viuere, quæque mores nostros Christo, Christique legi & spiritui conformat, vt vitam beatam assequamur, quam Sapiens vocat *scientiam sanctorum*, & angelus ad Zachariam *prudentiam iustorum*, Luc. 1. v. 17 Pari modo sapientiam intelligit Christianam, quæ summa est, fidem scilicet Dei trini & vnius, aliorumque diuinorum mysteriorum, quibus iustificari & saluari debemus: maximè autem intelligit fidem Christi redemptoris. Vnde explicans subdit, *Vt notum faceret sacramentum quod proposuit, instaurare omnia in Christo.* Hoc etiam Græca clariùs hîc, & magis connexè significant: sic enim habent, ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει γνωρίσας ἡμῖν, &c. *quam* (scilicet gratiam) *abundè effudit in nos cum omni sapientia & prudentia* (vel, vt Vatablus vertit, *de qua liberalitate nobis effudit omnem sapientiam & prudentiam*) *patefaciens nobis*, &c. ἐπερίσσευσεν enim non passiuè hîc capitur, vt significet abundauit; sed actiuè, vt significet abundè effudit, vt notat Chrysost. & Theoph. Et patet quia alioqui γνωρίσας, quod sequitur, non habebit suppositum, nisi scilicet idem subintelligas quod subintelligitur in verbo ἐπερίσσευσεν, si actiuè capiatur, abundare fecit, scilicet Deus, patefaciens nobis mysterium, &c.

Quid sit scientia sanctorum.

Nota. Gratiæ copiam significat per *diuitias*, & per *superabundauit*.

Vers. 9. VT NOTVM FACERET] Noster legit γνωρίσαι, iam legunt γνωρίσας, id est, vt Hieron. notum faciens; vel potiùs, cùm notum fecisset: est enim aoristus participij.

SACRAMENTVM VOLVNTATIS SVÆ] sacram & arcanam voluntatem suam. *Sacramentum* enim hîc idem est, quod arcanum vel mysterium, altum scilicet & secretum Dei consilium & decretum

Vocatio Gentium æquè ac Iudaorũ sacramentũ voluntatis diuinæ.

de vocandis Gentibus æquè ac Iudæis ad salutem per Christum: hoc enim hactenus incognitum fuerat mundo, putabantque Iudæi hanc salutem & benedictionem Abrahæ ad se solos pertinere: iam verò notum fecit Deus illam etiam ad Gentes extendi.

Qvod (scilicet sacramentum) PROPOSVIT (statuit, decreuit exequi, supple, & implere) IN EO] dilecto scilicet filio suo, vt dixit vers. 6. eò enim omnia hæc referuntur, vt patet ex initio v. 7. q. d. Non per Simonem Magũ, vt ipse iactat, non per Platonem, non per Pythagoram, alioqui; Philosophos, qui veram sapientiam & viam ad beatã vitã se docere profitentur & falsò iactant: sed per dilectum filium suum verũ mediatorem, & vnicum redemptorẽ nostrum suam voluntatẽ de redimendis Iudæis & Gentibus Deus implere decreuit.

Nota. ἐν αὐτῷ, per spiritum lenem significat, in ipso: sed per spiritum asperum, vti iam legunt, ἑν αὑτῷ, significat, in seipso. q. d. In seipso proposuerat & decreuerat hoc sacramentum Deus. ita Vatablus. Vel, vt Syrus, hoc arcanum proposuerat Deus exequi in seipso, id est, per seipsum. Sed prior interpretis Nostri sensus magis est è mente & spiritu Pauli, qui hic præsertim nihil nisi Christum spirat, magisque versui 6. & 7. connexus est. ita Theophyl. & passim alij.

S. Hieron. hic distinguit prædestinationem & propositum, quòd prædestinatio sit rei, quam multò antè, quàm fiat, in animo facere destinamus: propositum verò sit rei vicinæ, vt penè cognitionem & propositum sequatur effectus. Hoc verum est apud homines, quorum breuis est vita, ac consequenter proposita arcta & breuia. Hinc vulgò prædestinationem Deo, propositum hominibus tribuimus, vt Deus prædestinet, homo proponat: in Deo verò idem est propositum, & prædestinatio. omne enim decretum Dei, omneque propositum, æternum est, & ab æterno. hoc ergo propositum ab æterno parturiit Deus, inquit Chrysost. ac consequenter nos nostramque adoptionem parturiit ab omni æternitate clementissimus & optimus pater.

In Deo idem est propositũ & prædestinatio.

VERS. 10. IN DISPENSATIONE PLENITVDINIS TEMPORVM] q. d. Cùm dispensata, id est constituta, distributa & ordinata ab eo tempora, essent euoluta & impleta; vt sit hypallage: *in dispensatione plenitudinis*, id est, in plenitudine dispensationis, id est distributionis, temporum. ita Anselm. & D. Thom. Secundò, & melius, q. d. Cùm dispensata, id est erogata, expensa, euoluta esset plenitudo temporum, id est plenum & omne illud tempus, quod ex Dei ordinatione præcurrere debebat Christum. sic Christum dixit missum in plenitudine temporis, id est, impleto tempore, quod Pater ab æterno incarnationi eius præfinierat, Galat. 4. 4.

Quanam anacephalæosis Christi. Prima expositio.

INSTAVRARE OMNIA IN CHRISTO] Græcè ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est recapitulare, vt legit S. Hieron. q. d. Proposuit Deus omnes homines & angelos, cùm inter se admodum essent disiuncti, imò inimici, vnire, & ad vnum caput Christum reuocare & coniungere: Christum enim dedit caput super omnem Ecclesiam, vt ait v. 22. Et hinc c. 2. v. 19. infert, *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei.* q. d. Christus nos reuocauit ad societatem angelorum, vt eorum simus fratres, & ciues cælestes in eadem Dei domo, id est Ecclesia, sub eodem duce & capite, qui est ipsemet Christus. Hic sensus genuinus est. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. imò & S. August. Enchiridij 62. qui legit & explicat nostrum *instaurare: In Christo*, inquit, *instaurantur quæ in cælo sunt, cùm id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terrã sunt, cùm ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur.* Instaurat ergo Christus ea quæ in cælis sunt, cùm sedes gloriæ, dæmonum lapsu vacuas, & numerum angelorum hoc eodem lapsu imminutum, per homines restaurat & implet, cùm, vt ait S. Gregorius lib. 31. Moral. c. 35. *Illuc humiliati homines redeunt, vnde apostatæ angeli superbiendo ceciderunt*; sicque homines & angelos ad vnam domum, scilicet Ecclesiam, & ad vnum caput reuocat. Dissociata enim & diuisa per Adæ peccatum erat hæc Ecclesiæ domus, & vno pariete, angelorum scilicet societate, integro & perfecto, inquit Chrysost. paries alter corruerat, nos scilicet homines ab Ecclesia & societate angelorum collapsi eramus in societatem iugumque dæmonis: Christus ergo hunc domus parietem, id est nos homines, Ecclesiæ restituit, sicque totam domum, scilicet Ecclesiam angelorum & hominum restaurauit, vt iam vna ex vtrisque integra (vti ante lapsum Adæ fuerat) & perfecta sit domus, sibi, quasi capiti, & lapidi angulari deuincta, astricta & vnita: hoc enim significat Græcum ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est recapitulare. *Tanto itaque dono, tanto honore*, ait Chrysost. *tanta benignitate cùm nos dignatus sit Deus, ne dedecoremus benefactorem, ne tantam gratiam inanem reddamus: vitam angelicam, angelicam planè, oro ac supplico, virtutem & conuersationem ostendamus.*

Secundò, ἀνακεφαλαίωσιν, id est recapitulationem, ait Hieron. vocant oratores, cùm in epilogo ea, quæ tota oratione sparsim ac fusè dicta sunt, summatim reperuntur, & simul iudici in memoriam reuocantur. Hebræi quoque summam rei vocant caput rei, vt patet Numer. 1. v. 2. & sic de Christo dicitur Hebr. 10. 7. *In capite* (id est in summa) *libri* (S. Script.) *scriptum est de me.* Sic ergo Christus fuit caput & recapitulatio omnium operum Dei visibilium & inuisibilium: omnia enim Christi aduentum præsignarunt, vel ad eum directa sunt & diriguntur, omnesque eorum dotes, gratias, perfectiones vnus in se cõplectitur Christus; vt, si Christum intueris, non sit quod scruteris & recorderis alicuius veterum patrum, aut gestorum, aut alicuius operis Dei: omnia enim tibi exhibet Christus. q. d. Quæcũque olim gesta sunt in cælo & in terra, quæcumque in eis sunt vel fuerunt (in Græco enim non est, Sunt, sed tantùm, *quæ in cælis & quæ in terra*, supple, sunt vel fuerunt) quidquid in Mose, Iosue, Abrahamo, Dauide, omnibusque; veteribus historiis, regibus, Prophetis, Patriarchis excellens est & laude dignum, quidquid gratiæ, quidquid virtutis, quidquid præclare dictum, quidquid heroicè gestum; si quid in lege est memorabile, si quid in templo Salomonis speciosum, si quid in sacrificiis Deo gratum; imò si quid inter cælestes spiritus est sanctum, glorioſum, illustre; id multò excellentiori ratione, breuiorique compẽdio habemus in Christo. ita Hieron. Chrys. & Theoph. *Christus enim*, inquit Theoph. *est verbũ consummãs & abbreuians in iustitia.* Hic sensus sublimis est, & bene respondet tũ Græco ἀνακεφαλαιώσασθαι, tũ spiritui, sesui & amori D. Pauli in Christũ.

Christus rerum omnium instaurator & reparator.

Ecclesia quæ prius alium angelis cum lapsis.

Secunda.

Christus finis omnium & recapitulatio omnium operum Dei visibilium & inuisibilium.

Tertiò

Tertiò, Irenæus l. 3. c. 18. docet in Christo omnia esse recapitulata: quia in natura humana omnes res, & rerum species ac gradus quasi in summa continentur. Vnde homo dicitur microcosmus, ac consequenter cùm Verbum diuinum humanam naturam assumpsit, tunc quasi res omnes in summam redactas sibi conjunxit, & ad se quasi ad auctorem, & primam originem, ad Verbum scilicet, quo creata sunt, reuocauit, sicque incarnatione sua Christus magnam rebus omnibus attulit dignitatem, omnesque quasi deificauit. Hic sensus symbolicus est. Primus maximè est litteralis: agit enim Paulus de restauratione lapsi hominis & Ecclesiæ. Vnde subdit, *In quo etiam nos sorte vocati sumus.*

IN IPSO] Redundat, more Hebræo. Vnde illud hîc non legunt Ambros. Hieron. Chrysost. Hebræi enim repetunt pronomen cum suo antecedente. B Idem ergo hîc est *in ipso*, quod *in Christo*, vti paulò antè dixit. Nimirum ita satiari nomine Christi non poterat Paulus, vt eum, vt ita dicam, superfluè, & singulis sæpè versibus nominaret. Hinc nomen *Iesu* in paruis & paucis hisce quatuordecim epistolis suis repetit ducenties decies nouies, *Christi* nomen quadringenties & semel.

IN QVO] ἐν ᾧ potest referri ad ἀνακεφαλαιώσασθαι, vt *in quo* significet, ad quod, scilicet *recapitulare*, vocati sumus, nimirum vt recapitulemur, & instauremur, & ad Christum quasi caput nostrum reuocemur. Secundò & planiùs, referas ad immediatè præcedens, *in ipso*, scilicet Christo, *in quo*, id est per quem, vocati sumus, supple ad instaurationem, recapitulationem & vnionem iam dictam cum Christo in christianismo.

SORTE VOCATI SVMVS] Chrysost. & Theoph. sic explicant, quasi Deus prudenti suo consilio nos ad sortem hanc vocauerit: quia priusquam vocaret nos, illa iam sorte nos esse dignos præuiderat. Verùm hoc non est sorte vocari, sed merito, & hoc dicere de vocatione ad primam gratiam, est Pelagianum: sed excusandus est Chrysost. quòd loquatur de vocatione non ad primam gratiam & fidem, sed ad iustitiam: de hac enim egit Apostolus v. 4 5. 7. & de hac verum est dicere quòd Deus neminem vocet ad iustitiam, suamque amicitiam, nisi quem per actus fidei, spei, pœnitentiæ, &c. ad illam se præparare, & dignum, id est idoneum, se efficere præuiderit. Sed hoc non est ad mentem Apostoli: Apostolus enim loquitur de vocatione prima ad fidem & christianismum: ad hanc enim sorte vocati sumus, &, vt græcè ἐκληρώθημεν, id est, sortiti sumus, hoc est, sine merito vocati sumus. est enim metaphora ab aleatoribus, qui aleæ iactu de lucro, alia ue re sortiuntur: sic enim Deus hîc inducitur quasi dixisset, Iaciant omnes homines sortem, & sorte ac aleæ iactu decidatur, qui vocandi sint ad fidem & salutem, qui non vocandi & negligendi; iactaque super omnes alea & sorte, cecidit super nos Ephesios sors hæc & alea, vt vocaremur, ita vt ex parte nostra fuerit sors & fortuitum vocari ad fidem, gratiam, baptismum & christianismum: quia nihil agebamus vt vocaremur, ac ne cogitabamus quidem de vocatione, imò aliqui eam fugiebant & auersabantur; ex parte tamen Dei non fuit sors, sed electio, & destinatum propositum nos vocandi, vt sequitur. ita Anselm. D. Thomas, & passim Latini cum S. August. in psalm. 34. vbi ait: *Sorte, id est gratia: nam vbi sors est, non est electio, sed voluntas Dei: vbi enim dicitur, iste fecit hoc, iste non fecit; merita considerantur: & vbi merita considerantur, electio est, non sors. quando autem Deus merita nulla inuenit, sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus; hæc est sors.* *Ex parte sua sortes ex parte Dei, electio. & vocantur homines.*

Hinc patet totam prædestinationem. primumque eius effectum, hoc est vocationem, non ex bono vsu liberi arbitrij, sed ex mera Dei voluntate pendere; habito tamen primo hoc effectu cæteros qui ex eo consequuntur, mereri possumus, scilicet iustificationem ex congruo, glorificationem ex condigno.

Potest Secundò, ἐκληρώθημεν, id est sortiti sumus, cum Ambros. & Hieron. sic accipi. q. d. In sortem filiorum, & ad partem hereditatis Dei sumus asciti: inde enim hereditaria sors dicitur hereditas, quòd olim illa inter heredes sorte diuideretur; vti sorte diuisa est terra sancta inter duodecim tribus Israel, Iosue 15. & fortè ad illam sortem Israel alludit hîc Paulus. Sic ad Coloss. 1. 12. dicit nos vocatos in partem sortis Sanctorum, id est, ad partem hereditariam, siue ad hereditatem Sanctorum. *Secundò, sors est hereditas filiorum Dei.*

SECVNDVM PROPOSITVM EIVS, QVI OPERATVR OMNIA SECVNDVM CONSILIVM VOLVNTATIS SVÆ] Hinc patet, sortem iam dictam, id est, vocationem ad fidem & gratiam, licet nobis sit sors fortuita & immerita; in Deo tamen procedere ex proposito & decreto non casuali, sed prudenti, adeoque ex consilio diuino, quod hac de re habitum est in consistorio SS. Trinitatis: habuit enim Deus rationes iustissimas, licet nobis sæpè ignotas, hos vocandi, non alios. v. g. cur Iudæos primò vocauerit ante alias Gentes, causa fuit, C quia iis propriè & primò promissus fuerat Christus; cur deinde secundo loco vocarit Samaritanos, Palæstinos, Syros, causa fuit, quia hi Iudæis erant vicinissimi, & ex parte Iudæorum fratres; cur tertiò proserpente paulatim Apostolorum prædicatione, Paulus in Græcia prædicarit Ephesiis, Corinthiis, Philippensibus, eosque ad Christi fidem vocarit, potiùs quàm Megarenses, Thebanos, Lacedæmones; causa videtur esse, quia Ephesus, Corinthus, Philippi, primariæ erant vrbes, eaque ætate florentissimæ, tum opibus, tum copia hominum. Itaque eò se contulit Paulus, quia maiorem in eis sperabat messem & fructum prædicationis suæ. Vnde 1. Corint. 16. 8. ipsemet Paulus hanc causam dat: *Permanebo*, inquit, *Ephesi vsque ad pentecosten; ostium enim mihi apertum est magnum & euidens.* *Cur Deus hos vocet & non alios. & vnam nationem ante aliam.*

Sic cur Romani præ cæteris Occidentalibus vocati sint primi, causa fuit, quia Roma erat caput orbis; eò ergo statim se contulit S. Petrus, & deinde Paulus, vt Roma quasi capite conuersa, fides per vniuersum orbem facillimè propagaretur, &, vt inquit S. Leo serm. 1. de natiuitate Apostolorum Petri & Pauli, *vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundum effunderet*: vti clarissimè factum videmus, cùm Constantinus, & Romani Imperatores fuerunt conuersi. erant enim Romæ omnium gentium homines, ita vt quod Roma audiret & disceret, hoc omnes gentes audirent & discerent. Pari modo, cur Itali priùs Germanis, Anglis, Francis vocati sint, causa est, quia viciniores erant Romæ, ex qua *Cur Romanos primò vocauit & conuertit Deus.*

Pontifex

Pontifex ibi residens præcones Euangelij primò in proximas vrbes & gentes misit, vt ita sensim vlteriùs in alias & alias, & tandem ad nos, ac denique ad remotissimas in Norvegia, Islandia, Moscouia proserperent, & fidem propagarent. sic enim caput humanum primò in collum sibi vicinissimum, deinde in pectus, tertiò in femora, ac deinde in pedes sensum & motum influit. hic enim est naturalis & commodissimus ordo.

Hæ rationes nobis notæ sunt & probabiles: sed in his, & aliis magis particularibus vocationibus tam gentium & vrbium, quàm hominum singulorum, v.g. cur Magdalenam tam illustri ratione & modo vocauerit præ aliis meretricibus; cur Paulum præ aliis Iudæis persecutoribus; Deus alias plures & sublimiores habet rationes, intentiones & fines nobis incognitos secundùm consilium voluntatis suæ, vt inquit Apostolus. & in his dicendum est illud Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

VERS. 12. VT SIMVS IN LAVDEM GLORIÆ EIVS] vt per nos laudetur & celebretur gloria Dei, eiusque gloriosa misericordia; vt simus Deo laudi & gloriæ, vt laudemus & glorificemus Deum, gloriosam eius in nos clementiam admirando, ac vbique deprædicando.

Triplex huius loci expositio.

NOS QVI ANTE SPERAVIMVS IN CHRISTO] Primò, S. Hieron. refert hæc ad præscientiam diuinam, in qua ante mundum conditum præsciuit Deus nos credituros & speraturos in Christo. Secundò, Theophyl sic explicat: Speramus in Christo bona, quæ nobis contingent in futuro sæculo, speramus inquam nunc, antequam illud & illa adipiscamur. Tertiò & genuinè: *Nos*, scilicet Apostoli, & Iudæi, qui ante alias Gentes credidimus, & credendo sperauimus bona promissa à Christo (per metalepsim enim sub spe intelligit fidem, nimirum per *sperauimus*, intelligit credidimus) q.d. Nos Iudæi, quibus antea promissus à Prophetis, & iam ante alias Gentes exhibitus & euangelizatus est Christus, & apud quos cœpit Ecclesia, & per quos propagatur, primi sumus per quos laudatur & celebratur gloria Dei, gloria Euangelij Christi. ita Ambros. Anselm. & Tertull. l. 5. contra Marcion. Hic sensus patet ex antithesi v. sequentis.

VERS. 13. IN QVO, supple Christo, speraßtis ET vos] ô Ephesij Gentiles, sicut & nos Iudæi ante vos sperauimus in ipso. Secundò & potiùs, refer ad vers. 11. *In quo*, id est per quem, vos, ô Ephesij, supple sorte vocati estis, vt sitis in laudem gloriæ eius; sicut nos Iudæi, qui ante vos credidimus, & sperauimus in Christo, per ipsum ad hanc fidem & spem sorte vocati sumus.

CVM AVDISSET IS VERBVM VERITATIS, EVANGELIVM SALVTIS] Græcè τὸν λόγον τῆς ἀληθείας τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας, id est, vt Syrus, verbum veritatis, quod est Euangelium salutis. q.d. Qui Simonem Magum, qui Platonē, qui veteres poëtas ac Philosophos docent, falsò veritatē promittunt: solum enim Euangelium docet veritatē veramq; viam ad salutem; solum Euangelium est verum nuncium, vera doctrina salutis & veritatis.

IN QVO ET CREDENTES SIGNATI ESTIS] Græcè, πιστεύσαντες, id est, postquam credidistis; hoc ergo signaculum spiritus non est ipsa fides, sed fidem consequitur.

SIGNATI ESTIS] ἐσφραγίσθητε, hoc est, sigillati estis, sigillo obsignati estis: sicut enim sigilli impressione obsignantur litteræ regis, ac tabulæ publicæ, vt authenticæ à dubiis, genuinæ à falsis secernantur, certoque constet has esse litteras & tabulas regis: ita vos Christiani Ephesij, quasi *epistola Christi, scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*, signati, id est obsignati, estis Spiritu sancto quasi sigillo, vt constet vos esse non fictam, sed authenticam Christi epistolam, vos verè esse fideles conscriptos à Deo, verè esse populum & Ecclesiam veri ac summi Dei.

Dices: Ergo fideles ex hoc sigillo certi omnino sunt se esse in vera fide & gratia.

Resp. Nego conseq. quia sicut sigillum hoc non est eis physicè & omnino certum & euidens (quis enim certò scit, quis iurare audeat se signatum esse Spiritu sancto tamquam sigillo?) sed tantùm probabile, & subinde moraliter quasi certum ex signis & coniecturis: ita pariter non est eis certum & clarum, se esse in vera fide & gratia Dei. Vide dicta Rom. 8. 16.

SPIRITV PROMISSIONIS] q.d. Signati estis non signo corporali, putà circumcisionis, quasi pecudes, ait Chrysost. vti Iudæi signati sunt: sed quasi Christiani, & filij rationales signati estis *spiritu promissionis*, id est promisso, quē scilicet per Prophetas Deus promisit, vt per Ezech. c. 36. 26. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum.* per Ioelem c. 2. 28. & alios. Hic spiritus promissus à Deo, est charitas, iustitia, pax & gaudium cōscientiæ, quæ accepistis, postquam credidistis, in baptismo, quæq; iam experimini, & ostenditis in conuersione morum, & sanctitate ac innocētia vitæ Christianæ. Aliqui sic intelligunt, *signati estis Spiritu*, id est, donis Spiritus sancti, linguarum, prophetiæ, & similibus visibilibus, quæ olim dabatur in baptismo. Sed hæc non dabantur omnibus, sicut iam nemini dantur, imò incertum est an Ephesij hoc tempore ea receperint: paruo enim tempore, & tantùm in primordiis Ecclesiæ hæc dona visibiliter data sunt.

SANCTO] Hinc Didymus lib. de Spiritu sancto probat Spiritum sanctum non participatione alterius, sed suapte natura bonum ac sanctum esse, ac consequenter esse Deum; quia nimirum insigillo, quo character bonitatis & sanctitatis imprimitur, Spiritus archetypus est bonitatis & sanctitatis; vt qui signatur Spiritu sancto, formam & speciem sanctitatis eius assumat. Vbi aduerte, sicut imago cerę impressa refert, & planè conformatur suo sigillo, quod imaginem illam imprimit; ita sanctitatem in anima nostra expressam à Spiritu sancto illi quasi sigillo imprimenti, & quasi archetypo sanctitatis conformari, planeque exprimere & repræsentare sanctitatē Spiritus sancti. Quanta ergo animæ nostræ est dignitas? quanta cura sanctitas hæc tuenda & conseruanda est?

QVI EST PIGNVS HEREDITATIS] q.d. Signati estis Spiritu sancto quasi sigillo; non tantùm vt constet vestræ fidei tabulas esse veras, à vero Deo cordi vestro inscriptas, sed etiam vt tabulas spei vestræ obsignet, vt scilicet ex hoc quasi sigillo certam habeatis spem & ius ad futuram hereditatem. Vnde hic Spiritus & sigillum est, & etiam pignus hereditatis cælestis.

Nota. Pro *pignus*, græcè est ἀρραβών, id est arrha: nam, vt docet S. Hieron. Chrysost. & ex August. Beda, Spiritus hic, melius dicitur arrha, quam

pignus:

pignus: quia pignus datur in mutuo, & soluto debito repetitur & aufertur; arrha autem datur in contractu vendentis & ementis, vt firmus sit contractus, datur inquam quasi pars anticipata futuræ plenæ solutionis: hic autem Spiritus datur quasi pars & prægustus futuræ nostræ hereditatis & felicitatis. Adduntalij, Spiritum sanctum esse pignus quoad fidem & spem; hæc enim dona deficient, & in cælo transibunt in visionem & possessionem Dei: arrham autem dici quoad charitatem quæ numquam excidit, sed permanebit & perficietur in beatitudine. Si tanta, & tam suauis est arrha, quam Deus hîc suis elargitur, quanta erit hereditas ipsa, quam suo tempore præstabit?

A

IN REDEMPTIONEM ACQVISITIONIS] id est, vt perfectè redimatur, & in perfectam libertatem vindicetur ipsa acquisitio, scilicet vt, cùm hereditatem iam dictam cernemus & adibimus, liberemur ab omni malo, tentatione, morbo, morte, ærumna nos, qui sumus acquisitio, id est, acquisita possessio Dei & Christi.

B

Nota Primò. Redemptio hîc tam actiua accipi potest, qua scilicet nos redemit Spiritus sanctus & Christus, quàm passiua, qua nos redimimur: hæc enim terminus est actiuæ. Nota Secundò. Redemptio nostra est duplex. Prima, inchoata, qua hîc redimimur à seruitute peccati, & asserimur in libertatem gratiæ filiorum Dei. Secunda, completa in cælo, qua ab omni prorsus concupiscentia, pœna, miseria liberati asseremur in libertatem gloriæ Beatorum. Hanc secundam hîc intelligit Apostolus: hoc enim significat præpositio *in*. q.d. Spiritus sanctus est pignus hereditatis, *in*, id est ad, redemptionem perfectam assequendam. Nota Tertiò. Pro *acquisitionis* græcè est περιποιήσεως. quod nonnulli vertunt, vindicationis, assertionis: melius Noster, Theophyl. Photius, quin & Vatablus, Budæus, Erasm. *acquisitionis*. περιποιεῖσθαι enim, non tantùm asserere, sed & comparare ac acquirere significat, vti omnes Græci fatentur. Iam *acquisitio* vocatur acquisita possessio, substantia, peculium, scilicet populus Christianus, quem Christus tot laboribus, doloribus, lacrymis, imò sanguine & morte sua sibi & Deo acquisiuit.

C

15. EGO AVDIENS DILECTIONEM (quam scilicet ostenditis) IN OMNES SANCTOS] id est Christianos.

16. NON CESSO GRATIAS AGENS] Græcismus, pro non cesso gratias agere, vt legit Hieron.

17. VT DEVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] hoc est, Deus Pater, qui est Deus tam omnium hominum, quàm Christi secundùm humanam naturam; ita vt omnes gloriemur nos eumdem cum Christo homine habere Deum patrem.

D

PATER GLORIÆ] Adamus & alij putant esse hyperbaton, vt genitiuus *gloriæ* pertineat, non ad, *Pater*, sed ad, *Deus*, sicque legunt, & parenthesi intercipiunt cum Plantinianis Bibliis: *vt Deus (Domini nostri Iesu Christi pater) gloriæ*. q.d. Vt Deus gloriæ, id est glorioſus, qui est Domini nostri Iesu Christi pater, det vobis, &c. Sed hæc lectio nimis implexa & obscura, repugnat Græcis & Romanis: Græca enim sic habent, ἵνα ὁ θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης, id est, vt Romana distinguunt, *vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ* & ita legunt & distinguũt S. Hieron. Chrysost. Theoph. Anselm & alij.

Quæres: Quomodo Deus dicitur *pater gloriæ*? Resp. Anselm. esse patrem gloriæ, id est Christi, qui est gloria Patris. Sic & Nazianz. apud Theophyl. per gloriam accipit diuinitatem Filij, vt Pater æternus dicatur Deus respectu humanitatis Christi, dicatur verò Pater respectu diuinitatis eiusdem: sed hoc obscurius videtur & remotius.

Dico ergo: *Pater*, id est, auctor omnis gloriæ & glorioſæ nostræ redemptionis per Christum: pater enim Hebræis auctorem & causam efficientem significat, tribuiturq; Deo respectu creaturarum inanimatarum. Sic dicitur Iob 38.28. *Quis est pluuiæ pater?* id est productor. Sic Apostolus vocat Deum, patrem, id est auctorem, misericordiarum. ita Theoph. *Dicitur*, ait, *pater gloriæ, quia ingentia, celebria & præclara nobis bona dedit.*

Vbi Nota. Aliud est esse Deum gloriæ, vti Deum vocat Stephanus Act. 7 2. vel Dominum gloriæ, vti eum vocat Apostolus 1. Corinth. 2.8. vel Regem gloriæ, vti eum vocat Dauid psal. 23.7. aliud verò est esse patrem gloriæ. Dicitur Deus, Dominus vel Rex gloriæ, id est glorioſissimus, plenus gloria & maiestate: q.d. Regalis, dominica, diuina gloria. sicut enim Regem vocamus regiam maiestatem: sic Deus dicitur diuina gloria & maiestas, hoc est, glorioſa & augusta diuinitas. gloria ergo idem est, quod maiestas glorioſa; ipsa enim maiestas & diuinitas est origo & fundamentũ gloriæ: gloria verò ex maiestate & diuinitate emanat & resultat, sicut radius à sole. est enim hæc gloria, Dei & diuini nominis claritas & celebritas, qua ab angelis, hominibus creaturisque omnibus dignus est Deus laudari, celebrari, glorificari, ob immensam suam sapientiam, potentiam, sanctitatem, maiestatem. sicut enim dux belli per fortitudinem suam, præclarasque victorias, egregij sibi ducis nomen & gloriam acquirit: ita Deus ob naturalem suam perfectionem & excellentiam, immensam habet in se gloriam, ob quam dignus est debetque ab omnibus glorificari. Hinc in veteri testamento Deus Mosi & Iudæis per ingens lumen se spectandum exhibuit, dicunturque Moses & Hebræi vidisse gloriam Domini, id est, corpus mirè lucidum, quod luce sua repræsentabat gloriam Domini, id est, Deum glorioſum: & à Psalte dicitur Deus *amictus lumine sicut vestimento*. lumen enim & radij symbolum sunt claritatis & gloriæ: vnde Sanctis quasi beatis & glorioſis radios appingimus.

Gloria idẽ est quod maiestas vel diuinitas glorioſa.

Lumen & radij sunt gloria Domini.

Pater verò *gloriæ* dicitur Deus, quia gloriam immensam, quam in se habet quasi Dominus, Rex, fons & origo gloriæ, creaturis communicauit, & communicat, dum scilicet cælos, solem, elementa, homines, angelos, aliasque creaturas excellentes & glorioſas produxit; dum (quod propriè hîc spectat Apostolus) per Christum gloriosè nos redemit, & de diabolo, morte, peccato ac inferno triumphauit; dum glorioſam gratiam, Sacramenta & miracula partim per Christum, partim per Apostolos, (vnde 2. Corinth. 3.7. docet apostolatum noui testamenti esse ministerium gloriæ) contulit, instituit, patrauit, quibus ad æternam beatitatem & gloriam regni cælestis dirigamur: hoc enim propriè est præsentis loci. Vocat ergo Apostolus Deum, patrem gloriæ, ob glorioſam fidem, sapientiam, cognitionem, spem & gratiam noui testamenti per Christum exhibitam Ephesiis, aliisque Christianis. Hinc explicans subdit:

Vt

VERS. 17. & 18. VT PATER GLORIÆ DET VOBIS SPIRITVM SAPIENTIÆ ET REVELATIONIS, IN AGNITIONE EIVS ILLVMINATOS OCVLOS CORDIS VESTRI] q.d. Oro, vt Deus pater & auctor gloriosæ sapientiæ, fidei, spei & gloriæ cælestis, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, quo scilicet inspiret vobis & reuelet hanc suam arcanam gloriam & sapientiam; *in agnitione eius*, id est, vt agnoscatis illum esse patrem gloriæ iam dictæ, *illuminatos* inquam vobis det, ait Ambros. *oculos cordis vestri*, vt eius lumine illustrati, agnoscatis eum talem, vt dixi.

Simonis Magi error de Deo patre incognito.

Taxat Simonem Magum, qui inducebat Deum quemdam & patrem incognitum, teste Epiphanio hæresi 27. q.d. Adeò noster Deus & Pater non est incognitus, non celat, non abscondit se, vt sit pater gloriæ & claritatis, tamquam ipsa increata gloria & claritas, quæ sui notitiam & claritatem vbique diffundit; oro ergo eum, vt clara sui cognitione vos, ô Ephesij, illuminet, vt eum clarè agnoscatis.

Hieronymus hic cautè legendus, transscripsit errorem Origenis de animarum reminiscentia.

IN AGNITIONE] Cautè hîc legendus S. Hieron. qui distinguit ἐπίγνωσιν, id est agnitionem, qua agnoscimus olim cognita, sed quæ iam nosse desimus; siue qua olim cognita recordamur; à γνῶσις, id est cognitione, qua priùs incognita nosse incipimus: quia, inquit, quidam sic intelligunt, quòd patrem olim in cælo cognouerint animæ, sed detrusæ in corpora, rursum per reuelationem spiritus illius cœperint recordari, illumque denuo agnoscere.

Verùm hic est error Origenis, & ex eius sententia, non autem ex sua dicit hoc Hieron. Vbi Nota. Solet Hieron. in comment. multa ex aliis transscribere. vnde solet eos, quos secuturus est, in proœmio nominare & præmittere: sicut in proœmio huius epistolæ nominat Origenem, eiusque commentarium in hanc epistolam. Ita ipse se excusat in sua Apologia contra Russinum. Dico ergo: *agnitio* hîc idem est quod cognitio prima, vel certè *agnitio* est illa, qua Gentiles & Philosophi Deum Patrem, quem priùs in gentilismo obscurè, inuolutè, & in confuso cognouerunt, iam per Euangelium penitiùs, clarè, explicatè & distinctè, vt auctorem gratiæ & gloriæ agnoscere cœperunt.

VERS. 18. VT SCIATIS QVÆ SIT SPES VOCATIONIS EIVS] vt scilicet sciatis, quæ & quanta bona sperare debeatis ex vocatione, qua vos vocauit ad christianismum, id est, ex christianismo ipso ad quem à Deo vocati estis.

QVÆ DIVITIÆ GLORIÆ HEREDITATIS EIVS IN SANCTIS] Id est, quàm diues, copiosa & abundans sit gloria hereditatis, id est, hereditas gloriæ (est enim hypallage) quam Deus promisit & confert sanctis, id est, Christianis qui iuxta Christi doctrinam & legem christianè ac sanctè viuunt.

VERS. 19. ET QVÆ SIT SVPEREMINENS MAGNITVDO VIRTVTIS EIVS IN NOS QVI CREDIMVS] τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος, id est, vt Hieron sublimis magnitudo, Ambros. excelsa magnitudo: *virtutis*, græcè δυνάμεως, id est potentiæ, *eius in nos*. q.d. Vt sciatis quantam potentiam Deus ostenderit in nostra conuersione à gentilismo ad christianismum, qua scilicet nos ex idololatris, fecit Dei veri cultores; ex ebriis sobrios; ex libidinosis, castos; ex superbis, humiles; ex lupis, oues; ex iracundis, mites; ex barbaris, comes & humanos, vt cor barbarum, carnale, ferum nobis abstulerit, & pro eo dederit nobis

Mira Dei virtus eluet in hominum conuersione.

A cor mentemque Christianam, spiritualem, humanam, imò angelicam & diuinam. Hanc potentiam & potentem sui mutationem mirantur etiamnum Indi & Iapones, cùm ab idolis conuertuntur ad Christum, & ex ea agnoscunt veritatem fidei, & vim gratiæ Christi.

SECVNDVM OPERATIONEM POTENTIÆ VIRTVTIS EIVS] κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, id est, secundum energiam, hoc est efficaciam & vim potentiæ fortitudinis eius.

QVAM OPERATVS EST, græcè ἐνήργησεν, id est, Vulgat. per energiam potenter & efficaciter operatus, vel, vt Tertull. vertit, *inoperatus est*, IN CHRISTO, SVSCITANS ILLVM A MORTVIS] q.d. Illa Dei virtus, potentia & energia, qua nos resuscitauit ab idololatria, peccatis, morte & inferno, similis illi est, quam Deus ostendit in Christo, cùm illum à B morte suscitauit, & ad suam dexteram euexit. nam, vt ex S. August. & Chrysost. docet S. Thom. Dist. 1.2.q.113.a.9. difficilius est, maioriq; potentiæ peccatorem iustificare, quàm cælum & terrã creare: quia magis contraria sunt peccatũ & gratia, quàm aliquid & nihil; & longè magis distat à Deo, illiq; contrarium est peccatum, & peccator, quàm nihil: sunt enim duo extrema summè & in immensum distantia & contraria, Deus & peccatum. Deniq; gratia & iustitia est ordinis supernaturalis & diuini, vbi summa potentia opus est, vt peccator per peccatũ depressus & abiectus infra omnes creaturas, supra omnes attollatur, & assurgat ad iustitiã, fiatq; Dei amicus, filius, & consors diuinæ naturæ.

ET CONSTITVENS AD DEXTERAM SVAM IN CÆLESTIBVS] Græcè ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ, id est, sedere eum fecit in dextera, id est, ad dexteram suam. ita Hieron. De hac sessione dicam ad C Coloss 3.1.

SVPRA OMNEM PRINCIPATVM, ET POTESTATEM, ET VIRTVTEM, ET DOMINATIONEM] Adamus putat Apostolum hîc non recensere ordines angelorum, sed tantùm contra Gnosticos docere Christum supra omnes, quantumuis principes, potentes, dominantes, & supra omnia quantumuis potentia & eminentia euectum esse. Verùm S. Dionys. S. Pauli discipulus, Hieron. Chrysost. Theophyl. & passim Patres & Scholastici ex hoc loco, & c. 1. Coloss. v. 16. accipiunt & distinguunt quatuor choros angelorum imò Ecclesia hinc inter nouem angelorum choros ponit Principatus, Potestates, Virtutes & Dominationes: nec enim aliunde illi colligi possunt.

Nota. Coloss. 1. 16 alio ordine hos angelorum ordines enumerat Apostolus: descendendo enim D sic ait, *siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates*. Vnde S. Greg. S. Thom. & alij Latini putant Virtutes esse inferiores Potestatibus, & Virtutes esse primos in tertia hierarchia. Rursum Principatus ponunt medios in secunda, vt illa constet Dominationibus, Principatibus & Potestatibus; tertia verò Virtutibus, Archangelis & Angelis. Cõtrà S. Dionys. Virtutes immediatè subiicit Dominationibus, ponitq; eos medios in secunda hierarchia, vt ea cõstet Dominationibus, Virtutibus, Potestatibus. In tertia verò primos ponit Principatus, secundò Archangelos, tertiò Angelos. Huic sententiæ fauet hic locus & S. Dionys. qui Cælestis hierarc. c. 6. se hæc accepisse ait à magistro suo, scilicet Hierotheo, vel certè Paulo qui in tertium cælum raptus hæc ibi audiuit, imò conspexit.

Nota

Nota Secundò. Pro *Virtutem*, græcè non est ἀρετὴ, sed δύναμις, id est potentia, robur, fortitudo. Rursum pro *Dominationem*, græcè est κυριότης, id est dominium, siue auctoritas, & ius dominij in seruum, vel in rem suam.

Nota Tertiò, hæc abstracta sumi pro concretis, *Principatus*, id est principes; *Potestates*, id est potestate præditi; *Virtutes*, id est robusti, fortes; *Dominationes*, id est dominantes. sunt enim nomina angelorum. Vide can. 21.

ET OMNE NOMEN] Id est, omne quod nominatur & celebratur; sic enim Hebræi vocãt אַנְשֵׁי חַשֵּׁם *anse hasschem*, viros nominis, id est celebres. Perstringit nomina deorum, quos fingebant Gnostici & Poëtæ, Hesiodus, Orpheus, & alij Gẽtium Theologi, qui mira fabulabantur de rebus cælestibus. Perstringit etiam triginta Æones Valentini; qui tantùm erant nominum portenta, & crimina potiùs quàm numina, quos describit D. Pamelius in Tertul. initio libri contra Valentinianos. hos Valentinus videtur sumpsisse ex Platone, qui in Timæo mundum dixit factum esse ex cubo ternarij, qui est viginti septem. Nam ter tria faciunt nouem, & ter nouem faciunt viginti septem, eò quòd in hoc numero omnis harmonia & consonãtia consistat. Tot enim ferè Æones confinxit Valentinus, nimirum triginta. Hisce omnibus Apostolus opponit & anteponit nomen Christi.

Tropologicè, vide Chrysost. hom. 3. in moral. quàm per Christum supra omnes angelos exaltati sint homines, quamque turpe sit, se, cùm membra sint Christi, subdere ventri, iræ, dæmoni, quamque dignè ad sacram communionem se comparare debeant, vt adeò sublimato Christi corpori vniantur.

QVOD NOMINATVR NON SOLVM IN HOC SAECVLO, SED ETIAM IN FVTVRO] Hinc discimus, nomina quædam, gradus, & distinctiones angelorum & spirituum cælestium nobis hîc esse incognita, quæ in cælo reuelabuntur, ait Theoph.

OMNIA SVBIECIT SVB PEDIBVS EIVS] Hinc patet angelos subiectos esse Christo homini, & Christum, vt homo est, regem esse ac Dominum cæli & terræ, hominum & angelorum. ita Chrysost. & Theophyl.

ET IPSVM DEDIT CAPVT SVPRA OMNEM ECCLESIAM] Græcè ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, super omnia ipsi Ecclesiæ, id est, Christum dedit caput Ecclesiæ, qui est super omnia visibilia & inuisibilia præsidens & dominans. Hieronym. Chrysost. & Theophyl. vnde Syrus vertit, *ipsum qui est super omnia, dedit caput Ecclesiæ.* Hinc rursum exclamat Chrysost. *Papæ! quò rursus & ipsam Ecclesiam* (imò consequenter vnum hominem sanctum, qui est quasi vnus culex & pulex, vt alibi ait Chrysost.) *euexit? quasi quadam machina trahens in magnam ipsam sublimitatem sustulit, inq; ipsum cælestem thronum sedere fecit: nam vbi est caput, ibi est & corpus, supra omnia visibilia & inuisibilia,* &c. Sed Latina Biblia passim, etiam Romana legunt, *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, angelorum scilicet & hominum, militantem & triumphantem. ita S. August. & alij.

Putant aliqui Christum qua homo est, caput esse hominum; qua Deus est, esse caput angelorum: sed ex hoc loco rectè colligunt Doctores, Christũ etiam vt homo est, caput esse angelorum sicut & hominum: quia ex angelis & hominibus vna Ecclesia, & vna quasi resp. constituitur. nã de Christo non qua Deus, sed qua homo est & redemptor, agit Apostolus hoc capite. est ergo Christus vt homo, angelorum caput; quia vt homo angelis præest & imperat.

An Christus fuerit causa gratiæ & gloriæ, non tãtùm hominibus, sed & angelis.

Secundò, quia, vt multi volunt, Christus vt homo, angelis gratiam & gloriam meruit: nam D. Th. Albertus, Ruardus, Arboreus, & alij quos citat & sequitur Suarez 3. p. disp. 42. sect. 1. Gregor. de Valentia, & alij, docẽt probabiliter Christum esse causam gratiæ non tantùm hominum, sed & angelorum, eamque triplicem, scilicet finalem, exemplarem & meritoriam: ac consequenter angelos, per fidem Christi, id est in Christum mediatorem, sanctificatos & gloriã adeptos esse: eos verò, qui Christo homini hãc mediatoris dignitatem superbè inuiderunt, sibique arrogare voluerunt, factos esse dæmones, & hoc fuisse peccatum Luciferi, quòd scilicet Christi mediatoris officium ambiuerit: non enim potuit diuinitatem in se sibi appetere Lucifer; hoc enim sciebat fieri non posse, imò inuoluere contradictionem, vt scilicet creatura in creatorem, Lucifer in Deum transmutetur.

Prior pars affirmatiua, Christũ meruisse angelis gratiam.

Probant hanc sententiam ex hoc loco, *Dedit*, inquit, *eum caput supra omnem Ecclesiam*; caput enim in sua membra influit. vnde subdit, *Quæ*, scilicet Ecclesia, *est corpus ipsius, plenitudo ipsius, qui omnia in omnibus* (membris suis, ergo & in angelis) *adimpletur*, & adimplet. Et v. 10. dixit in Christo instaurata esse omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra; quia scilicet sicut Christus Adamum & homines lapsos instauravit, ita & dæmonibus labentibus, eorum lapsum per angelorum gratiam & perseuerantiam instaurauit & compleuit.

Secundò, quia hæc dignitas Christum, qui est vnigenitus Dei filius, decuisse videtur, & eadem opera, qua hominibus potuit & angelis mereri.

Probatur Christum angelis non meruisse gratiam.

Alij tamen graues Theologi contrarium docẽt, Christum scilicet solis hominibus, non autem angelis meruisse gratiam & gloriam, eumque dici caput angelorum tantùm hac ratione, quòd illis emineat, eorumque sit superior.

Probant Primò, quia Scriptura & Patres docẽt Christum propter homines, non autẽ propter angelos natum & passum esse. Sed responderi posset, Christum primariò ad hoc venisse, vt homines lapsos sua cruce & morte repararet, adeoque non moriturum fuisse, imò nec nasciturum, nisi peccasset Adam, quem sua morte redimeret: posito tamen quòd propter hominem vẽturus erat Christus, Deum voluisse, vt merita ipsius etiam ad angelos se extenderent: id enim nihil tollit de misericordia Dei in homines lapsos, & maximè decebat Christum Deo hypostaticè vnitum, qui tam angelorum, quàm hominum rex erat & caput. Et sic responderi posset ad locum Apostoli ad Hebr. 2. 11. *Qui sanctificat*, scilicet Christus, *& qui sanctificantur*, scilicet à peccato, putà homines lapsi (de his enim agit: nam vox *enim* dat causam, cur, vt dixit v. præced. propter eos Christus debuerit consummari, id est, mori in cruce) *ex vno*, scilicet Adamo, *omnes* prognati sunt. Vnde non sequitur: Angeli non sunt prognati ab Adamo: ergo non sunt sanctificati, id est, primam suam gratiam non acceperunt à Christo.

Deus potuit intendere gratiam angelorum propter Christum.

Probant Secundò, quia angelus priùs est creatus, & gratiam accepit quàm homo aut crearetur, aut peccaret: Christus autem non venisset, nisi pec-

peccasset homo ; ergo priùs decreuit Deus dare gratiam angelo, quàm Christum incarnari.

Responderi rursum posset negando consequ. licet enim in executione priùs dederit Deus gratiam angelo, quàm Adæ aut Christo ; in Dei tamen præordinatione & decreto omnia hæc facta sunt vnico diuinæ voluntatis actu , quo totum hunc rerum ordinem, qui de facto extitit, simul & semel elegit & instituit cum mutua contradependentia per præscientiam conditionatam ; vt v.g. decerneret in hoc rerum ordine non creare angelos, nec Adam, nec permittere eum labi, nisi simul prænidens & præordinans Christum, qui eius lapsum repararet, & qui consequenter sua merita & gloriam ad angelos extenderet: quia decreuit totum hunc rerum ordinem instituere propter Christum, eumque primò intendit, & ad eum cætera ordinauit : quia in Christo statuerat maximè ostendere suam potentiam & gloriam. sed hæc quæstio exactiùs alibi discutienda est.

Contradependentia angelorum, Adami & Christi.

VERS. 23. PLENITVDO EIVS] πλήρωμα, id est, complemẽtum. q.d. Ecclesia tamquam corpus, est complementum Christi tamquam sui capitis : caput enim corpore completur & perficitur. cùm enim caput habet omnia corporis membra , ità vt nullum desit , tunc completum planè est & dicitur. ita S. Chrysost. Ambros. Oecum. D. Thomas, Anselm.

Amor Christi in Ecclesiam.

Nota hìc vnionem & amorem Christi in Ecclesiam : licet enim in se plenissimus sit & perfectissimus, tamen mancum se, & quasi membris mutilum caput esse putat , nisi habeat Ecclesiam instar corporis sibi adiunctam. Hinc Christus aliquando vocatur tota Ecclesia, vt dixi 1. Corinth. 12. 12. Hinc toties dicitur nos esse, nos crescere, nos agere, nos pati in Christo. Hinc Apostolus ait Christum in se, seque in Christo viuere. Hinc illa Christi vox, *Saule, Saule, quid me persequeris?* vide Coloss. 1. 24. Hinc omnis spes & consolatio nostra.

Triplex huius loci sensus.

QVI OMNIA IN OMNIBVS ADIMPLETVR] Est græcismus: *omnia*, id est, quo ad omnia; intelligitur enim κατὰ. Sensus est Primò, Christus in præsenti vita completur omnibus suis membris : singuli enim fideles conferunt ad Christi complementum. completur, inquam, quoad omnia, id est, quoad omnes gratias, virtutes, non quòd singuli habeãt omnes, sed quòd singuli singulas; ita vt simul collecti habeant omnes: nam in hoc excellit charitas, in illo patientia, in isto castitas, & sic singuli singularum virtutum excellentiam & plenitudinem ipsi Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, ac consequenter ipsi Christo, conferunt. ita Hieron. Chrysost. Anselm. *Sicut*, ait Hieron. *adimpletur Imperator, si quotidie eius augeatur exercitus , & fiant nouæ prouinciæ: ita & Christus.* Et Theophyl. *Christus*, ait, *quoad manum , impletur in homine misericorde; quoad pedem, in eo , qui Christi amore peregrinatur , vel visitat agros; quoad linguam, in doctore:* sicque Christus in omnibus proficit sapientia , gratia & omni virtute, ait Hieronymus.

Secundò, in futura vita Christus omni gloria & omnibus suis electis membris implebitur. ita Hieron. & Theodor.

Potest Tertiò , verti cum Vatablo & Erasmo, *Qui omnia in omnibus implet*: Græcum enim πληροῦν est vocis mediæ, vnde tam actiuè quàm passiuè verti potest. Implet ergo Christus omnia in omnibus, quia scilicet facit, vt omnes & singuli omnibus virtutibus proficiant & impleãtur. ita Hieron.

Secundò, quia, vt Chrysost. in morali, implet Christus omnes Eucharistia & seipso, in quo sunt omnes gratiæ : ipse enim est fons gratiarum. Sed prior sensus est genuinus. q.d. Christus non indiget hoc supplemento corporis Ecclesiæ, vt qui omnia in omnibus impleat; sed amoris est, quòd sibi tam arctè Ecclesiam vniat.

Nota. Christus per se non omnia completit, sed Apostolis , alijsque verbi Dei præconibus multa complenda reliquit , procurationem nimirum salutis omnium hominum, vt Christus omnibus suis electis quasi membris compleatur. Qui ergo saluti animarum incumbunt , quot animas Christo lucrifaciunt, tot membris Christi corpus, Christumque perficiunt & complent. quæ sanè magna est dignitas, magnus stimulus, vt singuli totos se conuersioni animarum impendant, easque Christo inserant, compleantque Christi corpus ea parte adhuc mancum. Sic Coloss. 1. 24. dicit : *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Patiendo ergo & laborando pro salute proximorum, passiones & labores Christi , ipsumque Christi corpus, & Christum ipsum adimplemus.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, docet, Gentiles peccatis mortuos per Christum viuificatos esse , non merito operum , sed gratis per fidem Dei, qui in Christo nos denuò quodammodo creauit ad opera bona peragenda.

Secundò, v. 11. ostendit, quòd Christus Gentes , quæ priùs alienæ erant à Deo Deique promissionibus, Iudæis in vna Ecclesia sibi & Deo coniunxerit.

Inde Tertiò, v. 19. concludit, nos iam non esse hospites & aduenas; sed esse conciues sanctorum, & domesticos Dei, atque in Ecclesia superædificatos esse supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

1. ET vos, cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, 2. in quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi huius, secundùm principem potestatis aëris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, 3. in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: 4. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, 5. & cùm

cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) 6. & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu: 7. vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. 8. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est: 9. non ex operibus, vt ne quis glorietur. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. 11. Propter quod memores estote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta: 12. quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. 13. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: 15. legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, 16. & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. 17. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem ijs qui propè. 18. quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu ad Patrem. 19. Ergo iam non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei: 20. superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: 21. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, 22. in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

21. ET VOS, CVM ESSETIS MORTVI DELICTIS ET PECCATIS VESTRIS] Supple, *Conuiuificauit Christo, conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus*, vt dicit v. 5 & 6. ibi enim post longam parenthesin (qua de more digreditur & abripitur Paulus vi spiritus & copia rerum, vt dixi can. 38.) regreditur & explet sententiam v. 1. inchoatam, mutata tamen persona secunda in primam. pro *vos* enim dicit *nos*.

Nota. Pendet hic locus totus à cap. præced. quia enim ibi v. 19. dixerat potentiam, quam Deus in Ephesiorum à gentilismo ad christianismum conuersione ostendit, esse similem illi potentiæ, qua Christum suscitauit à mortuis, & constituit ad dexteram suam. Hinc hoc loco idipsum declarat, dicens ipsos per hanc conuersionem cum Christo resurrexisse, & cum eo collocatos esse ad dexteram Patris in cælo.

CVM ESSETIS MORTVI, priuati vita gratiæ, DELICTIS ET PECCATIS VESTRIS] per delicta & peccata vestra ita Hieron.

Quæres, quomodo distinguantur delicta & peccata.

Respondet S. Hieron. delicta esse peccata in cogitatione inchoata; peccata esse, cùm opere consummantur. Verùm Apostolus in lege versatus omnino ad eam respexit; in lege enim Leuit. 7. v. 7. & 37. distinguitur delictum à peccato, & hostia pro delicto ab hostia pro peccato. Vbi Rabbini Iudæorum Hebræum חַטָּאת *chattat*, quod LXX. ἁμαρτίαν, Noster *peccatum* vertit, explicant esse illud quod committitur contra præcepta legis affirmatiua, quæ ipsi tot numerant, quot sunt ossa in corpore humano, nempe 248. אָשָׁם *aſcam* verò, quod Septuag. παραπτώματα, id est erratum, Noster *delictum* vertit, esse illud quod committitur contra præcepta negatiua, quæ ipsi numerant tot, quot sunt dies in anno, videlicet trecenta sexaginta quinque.

Secundò, contrariè S. August. qu. 20. in Leuit. Lyran. Abulens. & alij per peccatum intelligunt culpam commissionis; per delictum, omissionis.

Sed verius videtur, peccatum, cùm à delicto distinguitur (sæpè enim confunduntur, vt patet Leuit. 4. v. 5. & 6.), esse id, quod scienter contra legem committitur; delictum, quod ignoranter, vel per obliuionem, præsertim iuris & præcepti. ita ex Procopio & S. Hieron. Ribera l. 4. de Templo c. 5. Et probatur: quia pro delicto Septuaginta vertunt πλημμέλειαν, id est erratum, & ἄγνοιαν, id est ignorantiam. Secundò, quia ita vertit Noster Leuit. 5. v. vlt. *Quia per errorē deliquit Domino*, vbi hebraicè est אָשָׁם *aſcam*, id est delictum. Tertiò, id patet psalm. 18. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Ecce delicta dicit non intelligi, non cognosci, esseque occulta, quasi scilicet per ignorantiam vel obliuionem commissa sint. Et psal. 68. 6. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Ergo delicta sunt, quæ per insipientiam, id est imprudentiam & inaduertentiam, commissa, nobis, sed non Deo, sunt abscondita. Et hoc innuit Græcum παράπτωμα, quo Apostolus hîc vtitur, quod Noster *delictum* vertit: Græcum enim παρά significat præter, cùm scilicet quis præter mentem, obiter, inaduertenter impingit, labitur & delinquit. Contrà S. Iacobus c. 4. 17. *peccatum* vocat quod scienter committitur: *Scienti*, inquit, *bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*

IN QVIBVS ALIQVANDO AMBVLASTIS] conuersati estis, vt explicat versu sequenti: ambulatio enim significat peccati iterationem & consuetudinem. Vnde subdit: VERS. 2.

SECVNDVM SÆCVLVM MVNDI HVIVS] id est, secundùm consuetudinem sæcularium, qui sæculariter & mundanè viuunt in hoc mundo.

SECVNDVM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HVIVS] q. d. Secundùm voluntatem & impulsum principis, qui potestatem suam exercet in hoc aëre, vel potius, qui est princeps potestatis, id est dæmonum, qui dicuntur *potestates*, quia potestatem exercent in hoc aëre. potestas enim, vti est nomen ordinis angelorum, qui potestatem exercent in terra; ita est & dæmonum, qui eamdem, quam habuerunt cùm essent angeli, retinent iam facti dæmones, sed in malum, vt hominibus noceant.

ceant. Id patet cap. 1. 21. & cap. 6. 12. Colos. 1. 16.

Quis sit Princeps aëris.

Nota. Hic princeps est Lucifer, vel alius dæmon, qui sub eo præest potestatibus, id est, dæmonibus qui in hoc aëre dominantur.

Secundò, dicitur *potestas aëris*, quia in aëre miscet ventos, tonitru, fulgura & tempestates, quibus frugibus, bestijs & hominibus nocet: vel potiùs, quia in aëre, id est in mundo hoc (vt sit synecdoche) inter homines potestatem suam exercet, eos tentando, vexando, & quoquo modo nocendo. ita D. Thomas. Vnde Patres docent aërem hunc vsque ad diem iudicij plenum esse dæmonibus, qui homines exerceant, vt boni probentur & perficiantur, mali indurentur, & cum dæmonibus in die iudicij ad communem damnationem in tartara detrudantur. Præclarè S. August. in Sententijs nu. 150. *Cùm homo*, ait, *secundùm se viuit, non secundùm Deum, similis est diabolo: quia nec angelo secundùm angelum, sed secundùm Deum viuendum fuit vt staret in veritate, & veritatem de illius, non de suo mendacium loqueretur. Vnde non frustra dicitur, omne peccatum esse mendacium: quia non peccatur nisi ea voluntate, quæ contraria est veritati, id est Deo.*

Aër vsque ad diem iudicij plenus dæmonibus.

B

Spiritvs] Græcè est πνεύματος, id est, spiritus in genitiuo, quem aliqui per appositionem, vt aër cohæreat cum spiritu, sic explicant: *Secundùm principem potestatis aëris*, qui scilicet aër, est spiritus. Sed obstat quod sequitur, *Qui operatur in filios diffidentiæ*; nec enim aër in eos operatur.

Quintuplex huius textus ordinatio.

Secundò, Erasmus sic ordinat: *Secundùm principem, cuius potestas est & aëris & spiritus*, id est, & in aëra, & etiam in spiritum, *qui operatur in filios diffidentiæ.*

Tertiò, Adamus refert ad *aëris*. q.d. Secundùm principem aëris huius, in quo degunt spiritus, id est dæmones; princeps enim hic in aëre quasi in spiritu spiritus versatur, ait Theoph.

C

Quartò, Vatabl. refert ad *principem*. q.d. Secundùm principem spiritus, id est spirituum, putà dæmonum. Sed hi omnes supplere debent copulam &, vel aliquid simile.

Quintò ergo, planè & simpliciter, per appositionem & epexegesin, *spiritus* refertur ad *potestatis*: explicat enim quid sit potestas aëris, nimirum dicit eam esse spiritum, *qui operatur in filios diffidentiæ*, id est, esse spiritus (est enallage numeri; singularis enim ponitur pro plurali) putà esse dæmones, *qui* quasi spiritus maligno suo impulsu & afflatu *operantur*, id est vim, energiam (græcè enim est ἐνεργοῦντος) & malignitatem suam exercent (incitando scilicet, & impellendo ad gulam, crapulam, fornicationem, superbiam, vindictam, hæresim, omniaque scelera) *in filios diffidentiæ*, græcè ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. quod clariùs vertas, *in filios incredulitatis*, impersuasibilitatis & inobedientiæ, id est incredulos, indociles, rebelles. ita Syrus, ἀπείθεια enim est insuasibilitas, cùm quis est intractabilis, contumax, non vult regi disciplina, sed pro arbitratu fertur quò lubet. Vnde S. Basilius, aut potiùs eius interpres in Reg. breu. reg. 268. vertit, *filios contumaciæ*, hoc est, inquit, qui opera quæ contumaciæ sunt exercent, aut qui faciunt voluntatem & opera diaboli: hic enim est contumacium princeps & pater, vt iure vocari possit ipsa contumacia. Cæterùm idem sunt filius contumaciæ, & filius iræ. Nam Christus ait: *Qui contumax est in Filium, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum.* Hucusque S. Basilius.

D

A Noster vertit *diffidentiæ*, quia tales Deo non fidunt, id est non credunt, practicè scilicet, hoc est, non obediunt: qui enim credit dicenti, facilè illi obedit, illique fidit, & ab eo se regi patitur. Hinc *credere* in Scriptura per metalepsin sæpè significat obedire, vt psalm. 118. 66. ac consequenter *non credere*, significat non obedire. Potest Secundò, propriè sumi diffidentia, quia tales ob inobedientiam & vitia sua, Deo salutique suæ diffidunt, deque ea desperant.

Græcè fides, fidere.

Nota. Vox, *filius*, cùm iungitur genitiuo vitij aut virtutis, significat deditum vitio aut virtuti: sic dicitur filius inobedientiæ, id est, addictus, deditus inobedientiæ, vt ex ea quasi prognatus, eamque quasi proles matrem imitari videatur, id est, planè inobediens & rebellis. Cùm verò *filius* iungitur genitiuo pœnæ, vel præmij, idem est, quod dignus: vt filius mortis, filius gehennæ, filius resurrectionis, id est, dignus morte, gehenna, resurrectione.

In qvibvs (inter quos) et nos omnes aliqvando conversati svmvs.

Vetus.

Facientes voluntatem carnis] Græcè θελήματα, id est voluntates. q.d. Explentes appetitus & desideria concupiscentiæ, siue ea quæ carni, id est concupiscentiæ carnali, cogitationi & phantasiæ libebant, quæque concupiscentia volebat, id est appetebat.

Nota. Voluntas hîc appetitum significat, non rationalem tantùm, sed & sensualem, animalem, carnalem & brutalem: caro enim, id est concupiscentia, tam in rationali, quàm in animali appetitu residet, vt dixi Galat. 5. 17.

Caro in scripturis carnalis concupiscentia frequenter.

Nota Secundò. Pro *cogitationum*, græcè est διανοιῶν, quod Ambros. vertit, *consiliorum*; S. Hieron. *mentium*: quia, inquit, alia sunt peccata carnis, vt gula, libido; alia mētium, vt hæresis, sectæ, inuidiæ, &c. Sed simpliciùs accipiemus carnem pro concupiscentia qualibet, siue carnali, siue mentali; cogitationes pro ipsa imaginatione, quæ varias concupiscentiæ species & modos imaginatur, concipit, effingit: nam qui concupiscunt, perinde vt qui amant, sibi somnia fingunt.

Et eramvs natvra filii iræ] Quia, inquit Illyricus, peccatum originale, quod nos facit filios iræ, non est accidens, sed forma, substantia & natura nostra. Sed hoc tam stolidum est, & contra Aristotelem, omnesque Philosophos, quàm impium: si enim peccatum Adæ est substantia; ergo cùm omnis substantia à Deo creata sit, sequetur, peccatum à Deo eoque solo esse creatum, & Adæ posteriséque inditum.

Illyricus error, ex hoc loco affictus originali peccato substantiam.

Dico ergo: *eramus filij iræ natura*, non in se & sua substantia, vti à Deo est condita, sed in sua naturali qualitate & conditione, vti per Adam & peccatum originale corrupta est: tunc enim vitium pro natura inoleuit, ait S. August. Secundò, *natura*, id est, à natiuitate & ab ortu naturæ, ita Chrysost. D. Thom. Tertiò, *natura*, id est, naturali ingenio, indole, procliuitate, quàà puero quasi naturaliter sumus in mala procliues. ita Hieron. Græcum enim φύσις, Primò, naturam; Secundò, nascentiam, ortum, generationem; Tertiò, naturalem indolem & propensionem significat. Hinc Quartò, aduerbialiter τῇ φύσει, id est *natura*, idem est quod planè, omnino, per metalepsin: quod enim natura est tale, hoc planè & omnino est tale. Hinc vice versa quod omnino est tale, natura dicitur

Græca vox φύσις, quid significet.

citur esse tale: sicque homo totus addictus ebrietati, dicitur natura sua, id est omnino, esse ebriosus. Dicit ergo Paulus, *Eramus natura*, id est, ex naturæ nostræ corruptione & propensione, ita carni & concupiscentijs eramus dediti, vt *natura*, id est omnino, essemus peccatores & filij iræ. ita Hieron. Syrus & alij. Hic plenus est Apostoli sensus: nec enim tantùm spectat corruptionem naturæ in Adamo; sed etiam & multò magis quod ex ea secutum est, scilicet vt singuli ex Adamo nati, carni & peccatis seruiant toti quasi naturaliter, itaque sint filij iræ, donec Christi gratia liberentur, & reformentur: agit enim de peccatis actualibus, vt patet ex præcedentibus.

FILII IRÆ] Id est, digni & obnoxij iræ ac vindictæ Dei. Vide dicta in fine v. 2. sic enim dicitur filius mortis, id est, dignus morte.

Vbi Nota prosopopœiam Hebræam: mors enim quasi mater, peccatorem talem, qui dignus est morte, fingitur genuisse ad mortem, vt seipsam illi communicet, illique mortem inferat, vt mors peccatoris à morte, quasi à matre prognata, morsque illum quasi filium suum quem gignat & ducat ad mortem, amplecti videatur. Aliter Chrysost. & Theophyl. *Eramus filij iræ*, id est, eramus ipsa Dei ira, & nihil aliud: sic enim filius hominis non est alius quàm homo. Alij Tertiò, apud Hieron. *filij iræ*, id est diaboli, qui dicitur mors & ira ob feritatem, quam in homines exercet. Sed primus sensus simplicissimus est, & optimè respondet idiotismo Hebræorum.

Pulchrè S. Bernardus serm. 1. de Purificatione B. Mariæ: *Eramus*, inquit, *& nos filij iræ: cuius iræ filij? nempe filij ignorantiæ, ignauiæ, captiuitatis. Ignorantia mulieris seductæ excecauerat nos; mollities viri abstracti & illecti à propria concupiscentia eneruauerat nos; malitia diaboli expositos iustè à Deo captiuauerat nos. Sic ergo nascimur vniuersi primùm quidem vitæ ciuitatis habitaculi prorsus ignari, deinde imbecilles & ignaui, vt, etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur & detineremur inertia: postremò captiui sub pessimo crudelissimoq; tyranno, vt, licet prudentes esemus atque robusti, ipsa tamen miseræ seruitutis opprimeremur conditione.*

PROPTER NIMIAM CHARITATEM] Græcè διὰ τὴν πολλὴν, *propter multam charitatem*: & ita legit Hier. & Ambros. *multam*, id est magnam, per enallagen, qua quantitas discreta ponitur pro continua, id est, multitudo pro magnitudine, magnam inquam, per emphasim, id est, immensam & nimiam. *Nimia* dicitur respectu hominum tam miserorum & indignorum, non respectu Dei: Deum enim, qui est ipsa bonitas increata, decet hæc immensa sui communicatio & nimia charitas in homines. Sic Agesilaus rex cùm ingens donum cuidam plebeio daret, illeque ex verecundia recusaret, dicens hoc esse nimis magnum pro se: At, inquit rex, non est magnum nimis pro Agesilao.

ET CONVIVIFICAVIT NOS IN CHRISTO] Coniunctio, *Et*, nectit sequentia: dicit enim, *Et conuiuificauit, & conresuscitauit, & consedere fecit*: per anadiplosin enim conduplicat & ad emphasim. Secundò, *conuiuificauit nos*, id est, nos ad similitudinem Christi communi cum eo vita spirituali donauit. Tertiò, *in Christo*, id est cum Christo, vel, instar Christi. Vnde Græca & Latina multa tantùm habent *Christo*.

ET CONSEDERE FECIT IN CÆLESTIBVS] quia nos, id est carnem nostram, Christus in suo corpore cælis inuexit. ita Chrysost. Verùm quia loquitur Apostolus de nostra, qui per peccata mortui eramus, suscitatione & sessione; hinc Secundò, aptiùs dicitur Christus nos cælis inuexisse, ibique collocasse & sedere fecisse per spem, affectum, tendentiam & vitam cælestem, per quam reipsa post mortē nos cælis inuehet, & sibi consedere faciet: hoc enim præteritum *consedere fecit*, partim præteritum, partim futurum significat, *fecit* scilicet, id est, & fecit & faciet. Simili modo Prophetæ de futuris ob eorum certitudinem loquuntur in præterito, quasi iam facta essent: licet enim futura sint in re, tamen in Dei præscientia iam facta sunt. Deus ergo inchoatè nos consedere fecit Christo in cælis, quia locum & cathedram ibi iam nobis parauit, ad eamque nos sua gratia dirigit, vt certa spe locum illum præcipiamus, nobis vindicemus, quasi iam illum occuparemus, ibique sederemus: iam perfectè & propriè faciet nos consedere, cùm ex hac vita transferet nos in cælum. ita Hieron. Quid ergo hîc quasi talpæ, terræ & terrenis inhiamus, cùm domus & sedes nobis parata sit in cælo, ibique iam Christo quasi assideamus?

Deus per spem inchoatè nos consedere fecit in cælestibus.

Notat S. Gregor. lib. 6. Moral. c. 8. Paulum cùm in carcere catena vinctus esset, ob spei tamen certitudinem & animositatem dixisse se & nos sedere cum Christo in cælestibus. *Sancti itaque viri*, inquit, *foris despecti sunt, & velut indigni omnia tolerant; sed dignos se supernis sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine exspectant, cumque laborant foris aduersitate persecutionis, ad munitam recurrunt intrinsecus arcem mentis, & inde cuncta sub se ire despiciunt, inter quæ transire corporaliter etiam seipsos cernunt: minas non metuunt, quia & tormenta patiendo contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur, Iustus quasi leo confidit; &, Non contristabit iustum quidquid acciderit ei.*

Paulus vinctus in cælo habitans vincula despicit.

IN CHRISTO] cum Christo. Hebræum enim ב, id est *in*, subinde valet idem quod עם *im*, id est cum.

VT OSTENDERET IN SÆCVLIS SVPERVENIENTIBVS (in sequentibus temporibus) ABVNDANTES DIVITIAS, id est, excellentem exuberantiam, GRATIAE SVAE, IN BONITATE, græcè ἐν χρηστότητι, id est, per benignitatem (supple, quam ostendit) SVPER NOS, id est, erga nos, IN CHRISTO IESV] hoc est, per Christum Iesum. VERS. 7.

GRATIA ESTIS SALVATI (id est, gratis iustificati estis) PER FIDEM: iustitia enim est salus inchoata, sicut salus plena & perfecta, est iustitia consummata: vt dixi Roman. 11. 5. ET HOC NON EX VOBIS] Pronomen *hoc*, demonstrat, non τὸ *estis saluati*, sed τὸ *per fidem*. q.d. Quòd per fidem saluati sitis, hoc non ex vobis est, quia fides non est ex vobis, sed Dei donum est. Vnde Vatabl. hæc per parenthesin intercipit hoc modo (*& hoc non est ex vobis, Dei enim donum est*) tunc enim sequens antithesis *non ex operibus*, optimè cohæret, vt non redundet, sed opponat opera fidei. q.d. Per fidem iustificati estis, non per opera, *vt ne quis glorietur* se suis operibus adeptum esse & meruisse iustitiam & salutem. VERS. 8.

Hinc patet Apostolum hîc excludere non opera fidei, & quæ ex fide profluunt, vti sunt actus spei, pœnitentiæ, charitatis, &c. sed quæ sunt sine fide, & fidei opponuntur, sicut natura opponi-

Apostolus hic non excludit bona opera.

tur gratiæ ; id est, excludere opera facta propriis naturæ viribus, in quibus gloriabantur Philosophi & Gentiles, quasi suo marte factis & gestis. Vide can. 2. & 3.

VERS. 10. IPSIVS ENIM SVMVS FACTVRA] Græcè ποίημα, id est, vt Ambros. *figmentum*; Vatabl. *creatura*; Erasmus, *opus*. Loquitur non de prima creatione hominis, qua creati sumus omnes in Adamo; sed de secunda, quam explicat subdens, *Creati in Christo Iesu*. Quod licet Nazianzen. apud Theophyl. sic exponat, *per Christum, qui est Verbum*, id est, per Christum non hominem, sed Deum, in Adamo creati sumus in gratia : melius tamen alij passim intelligunt Christum hominem ; hic enim dicitur Iesus. q.d. Per Christum redemptorem rursum quasi creati sumus, quia in baptismo spiritu Christi regenerati & velut creati, factique sumus fratres Christi, noua creatura, filij Dei, & ciues Sanctorum.

Per Christū iterū creati sumus in baptismo, ob duas rationes.

Nota. Iustificatio impij dicitur creatio, non physica, quia non fit ex nihilo; sed moralis, quia nullo impij merito, vel opere illi obtingit. Secundò, quia tota meritis Christi tribuitur, sicut creatio tota omnipotentiæ Dei attribuitur. ita Chrysost. Iustus ergo per nouitatem vitæ, & sublimitatem gratiæ est quasi nouus mons, inquit Hieron. imò quasi nouus mundus virtutum, creatus & conditus à Christo.

Error Bezæ ex hoc loco malè lecto & intellecto.

Argutatur hîc Beza : pronomen *ipsius*, cùm ait Apostolus, *Ipsius factura sumus*, scilicet Dei, cæteros excludit : falluntur ergo qui naturam debilem fingunt à gratia adiuuari; hinc enim discimus, inquit ; opera bona in solidum Deo & gratiæ Dei deberi.

Sed mirum est Bezam non aduertere Apostolum loqui de iustificatione : hac enim simus noua factura & creatura Dei ; non autem de operibus, quæ iustificationem sequuntur. Vnde sicut secundum naturam sumus factura & opus Dei solius, qui nos creauit, & tamen accepta à Deo natura multa opera naturalia & moralia facimus liberè tam bona, quàm malaita prorsus in iustificatione, iustitiam, per quam recreamur & simus quasi noua creatura, à Deo solo infusam accipimus; ea tamen accepta per eamdem liberè opera fidei, spei, charitatis & iustitiæ Christianæ operamur. Adde, aliter nos creari, aliter recreari, siue renouari, per iustificationem. *Qui* enim *creauit te sine te*, ait S. Augustin. *non saluabit*, ac consequenter non iustificabit, *te sine te*: quia scilicet tuam cooperationem & liberam dispositionem, qua ad iustitiam te per actus fidei, spei & pœnitentiæ disponas, à te requirit.

Liberum nobis est exercitium bonorum operum.

CREATI IN CHRISTO IESV IN OPERIBVS BONIS. In, id est, ad opera bona facienda. Vnde sequitur: QVAE PRAEPARAVIT DEVS, VT IN ILLIS AMBVLEMVS] Si enim Deus opera bona præparat, si in ijs ambulamus, ergo Deus ea non creat in nobis, sed tantùm ad ea nos destinat & dirigit, vt in ijs liberè nos exerceamus. hoc enim significat vox *ambulemus*. ita Chrysost. Syrus, Oecum. imò & Beza, Vatabl. & Erasm. Hebræi enim sæpè ב *bet*, id est *in*, sumunt pro ל *lamed*, id est *ad*. hic 1. Corinth. 7. 15. *In pace*, id est ad pacem, *vocauit nos Dominus*. Similia sunt Iacobi 4. 1. Coloss. 3. 23. & 2. Corinth. 7. 15. Et Græcum, ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, tam, ad opera bona, quàm, in operibus bonis, verti potest. ἐπὶ enim cum dativo sæpè significat *ad*, teste Budæo: sic Isocrates dicit, ἐπὶ θανάτῳ συμπεσεῖν, id est, ad mortem rapere; & Homerus, πέσοντες ἐπ' ἄνθεσιν, id est, prouolant ad flores.

Notat Chrysost. hoc addere Apostolum, ne quis ex eo quòd excluserit opera à salute & iustitia, addens, *Non ex operibus*, putet pariter à vita Christiana ea excludere voluisse, vt Christiano sola fides sufficiat. Dicit ergo nos creatos esse ad opera bona q.d. Christiani facti sumus, non vt in otio, aut in carnalibus voluptatibus gulæ & libidinis vitam inertem & epicuream deinceps agamus; sed vt bonis operibus insistamus : hoc enim insinuat vox *ambulemus*, scilicet non sufficere ordiri & inchoare bona opera, sed in ijs nos debere esse assiduos & continuos, vt in ijs ambulemus, non per duos vel tres annos, sed per omnem vitæ nostræ viam & cursum. Hoc enim significat Græcum περιπατήσωμεν, id est circumambulemus, inquit Theophyl. & Chrysost. qui addit in morali homil. 5. *Non*, inquit, *vt vnum dumtaxat, sed vt omnia operemur præcipit. Nam sicut quinque nobis sensus sunt, quibus omnibus pro rerum exigentia vti oportet, ita & omnibus vtendum est virtutibus.*

QVAE PRAEPARAVIT DEVS] Nota. Præparat nobis Deus bona opera, cùm præparat & dat nobis gratiam, tum habitualem, tum actualem, putà cùm piosindit instinctus & impulsus voluntati, ac pias illuminationes intellectui : hisce enim intellectus & voluntas præparantur, flectuntur, incitantur ad bona opera capessenda. sic effectus præparantur, cùm eorum causa paratur & ponitur : sic præparatur messis, cùm semen in terram iacitur : præparatur bellum, cùm milites arma, quibus bellum gerendum est, parant.

Vnde Secundò, per hypallagen præparat nobis Deus bona opera, id est nosipsos, putà intellectum & voluntatem, præparat ad bona opera modis iam dictis.

Tertiò, præparat nobis bona opera, cùm bonos socios, præceptores, confessarios, concionatores, sancta exempla, aliaque incitamenta & occasiones bene agendi nobis obijcit. v.g. dum pauperem mendicantem & languidum diuiti misericordi obijcit, præparat illi materiam & obiectum inuitans ad actum eleemosynæ. Vnde Græcè οἷς προητοίμασεν, propriè verti potest: quibus, scilicet bonis operibus, præparauit Deus, supple materiam, occasionem, causam, vel viam. q.d. Deus strauit viam bonis operibus, vt in hac via bonorum operum, ac consequenter in ipsis bonis operibus ambulemus & conuersemur. Aptiùs tamen Noster vertit, *quæ præparauit*. ficut enim via dicitur parari regi, vt in illa ambulet : ita Deus dicitur præparare nobis bona opera, vt in ijs ambulemus; ipsa ergo sunt via ad cælum, non autem operibus fit via, nisi dicas fieri viam viæ, seu ad viam, sicut enim fit via ad hortum vt in eo rex ambulet : ita Deus facit nobis viam & introitum ad bona opera, vt in ijs ambulemus. Denique hæc omnia iam dicta non tam parat Deus cùm in tempore ea actu & reipsa dat & suggerit, sed etiam in mente sua præparauit ea ab æterno, cùm præordinauit & prædestinauit illa cuiuis homini suo tempore dare & exhibere. Quàm sapiens & felix est, qui has bonorum operum occasiones, vias, modos, gratias, impulsusque, quos illi indies præparat & suggerit Deus, sollicitè obseruat, aduertit, amplectitur, exequitur?

PROPTER QVOD MEMORES ESTOTE] q.d. Quia tantam

tantam per Christum redemptionem & gratiam Deus vobis fecit & exhibuit, hinc hortor vos, ô Ephesii, vt tota vita sitis illius memores, præsertim quòd è gentilismo, idololatria, omnibusque sceletibus ad hanc christianismi gratiam vos euocarit, vt illi quas potestis gratias & laudes referatis.

ERATIS GENTES IN CARNE] Opponit *Gentes in carne, circumcisioni in carne*, id est Iudæis. cùm ergo constet Iudæos vocari circumcisionem in carne, quia carnem, id est, præputium carnis habebant circumcisum; sequitur Gentiles vocari *Gentes in carne*, quia, vt Vatablus, præputium habebant gentilitium & incircumcisum, ac consequenter quasi Gentiles & Pagani incircumcisi viuebant gentiliter secundùm carnem in idololatria, gula, libidine, &c. Vnde sequitur, *Qui dicimini præputium*, id est præputiati, *ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta*, id est, à Iudæis, qui vocantur circumcisio ob carnem præputij circumcisam.

Nota. Sicut metonymicè *scelus* vocamus scelestum: ita ad maiorem contemptum & detestationem, Iudæi Gentes præputiatas, vocabant *præputium*, se verò circumcisos extollendo, vocabant *circumcisionem*. Secundò, τὴν *manu facta*, non refertur ad *carne*, sed ad *circumcisio*; hæc enim manu fiebat. Patet ex Græco. Addit *manu facta*, vt eam distinguat à circumcisione spirituali, quæ fit per spiritum & gratiam Christi, de qua ad Roman. 2. vit. ita Hieron.

Nota. Circumcisio apud Iudæos maximum erat decus & gloria, sicuti præputium maximum erat dedecus & ignominia. Vnde & apud Ægyptios qui Iudæis vicini sunt, circumcisio nonnisi sacerdotibus, sapientibus & nobilibus concedebatur. *Apud Aegyptios*, inquit Origen. in cap. 2. ad Roman. *nullus geometriæ, astrologiæ & geneseos, qua nihil diuinius putant, secreta rimabatur, nisi circumcisione susceptâ. Sacerdos apud eos, aruspex, aut quorumlibet sacrorum minister, vel, vt illi appellant, Propheta, omnis circumcisus est. Literas quoque sacerdotales, quas hieroglyphicas vocant, nemo discebat nisi circumcisus. Omnis hierophantes, omnis vates, omnis coli (vt putant) infernij, mystes & conscius apud eos esse non creditur, nisi fuerit circumcisus.*

QVIA ERATIS. Ita legendum cum Ambros. Hieron. & Græcis, non *qui*, vel *quod eratis*: dat enim causam cur Ephesii & aliæ Gentes & essent & vocarentur præputium & Gentes in carne: *quia* scilicet *eratis* SINE CHRISTO, hoc est, sine Christi cognitione, lege, gratia, religione, vita, id est, sine christianismo; ALIENATI A CONVERSATIONE ISRAEL] Græcè τῆς πολιτείας, id est, Primò, à ciuilitate, vel à republ. Israel, inquit Eras. Secundò, Syrus, *à gubernationibus Israel*; significat enim politia ipsam rep. administrationem & gubernationem, qua scilicet hîc Deus Israelem quasi populum suum sanctis legibus, cæremonijs & prophetijs gubernabat. Tertiò, & melius, Noster, *à conuersatione*, hoc est, à ratione & norma viuendi Israelitarum, patrum & patriarcharum, præsertim Iacobi, qui dictus est Israel, à quo Israelitæ descendunt, qui vnum Deum sanctè colebant, & secundùm eius legem sanctè viuebant; cùm vos coleretis idola, essetisque sine lege, & concupiscentiæ ductum ac impulsum sequeremini: Græcum enim πολιτεύεσθαι, significat conuersari. ita Budæus & alij.

A HOSPITES TESTAMENTORVM] Id est peregrini, siue extranei & alieni à testamentis, id est à pactis, quæ Deus cùm Iudæis iniuit: testamentum enim significat quoduis pactum, vt dixi 1. Corinth. 11. 25. Alludit ad remp. & conuersationem Israel iam dictam. Vnde *hospites* vocat alienos à iure ciuium, ciuitatis & reipublicæ.

PROMISSIONIS SPEM NON HABENTES] Chrysost. Theophyl. Oecumen. referunt vocem *promissionis* ad præcedentem *testamentorum*. q.d. Eratis hospites & alieni à testamentis & pactis promissionis, id est promissorijs, quæ tot bona promittunt Israeli. Verùm longè plenius & concinniùs hæc per comma diuidunt Biblia Romana & alia correctiora, vt τῆς *promissionis*, nectatur cum eo quod sequitur, *Spem non habentes*. Promissionem intelligit resurrectionis & vitæ beatæ ac æternæ, B vti se explicat coram Agrippa rege Paulus Actor. 26. 6. *Et nunc*, inquit, *in spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto iudicio subiectus; in quam duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes sperant deuenire; de qua spe accusor à Iudæis, rex. Quid inirabile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* Vnde hanc spem vocat *spem Israelis*, Actor. 28. 20. *Propter spem*, inquit, *Israel, hac catena circumdatus sum.* q.d. hîc Paulus: Vos, ô Gentes, beatitudinis Iudæis promissæ spem nullam habebatis in gentilismo.

Spes promissionis apud Apostolum est spes resurrectionis.

SINE DEO] vero. Colebatis enim idola & deos falsos; multi etiam erant inter vos athei, qui diuinitatem è mundo tollebant.

NVNC AVTEM IN CHRISTO IESV (per Christum Iesum) VOS QVI ALIQVANDO ERATIS LONGE à Deo, à spe promissæ beatitudinis, à testamentis & C pactis, à republica & conuersatione Israel, à Christo deniq; & salute, FACTI ESTIS PROPE (id est propinqui Christo, Israelitis, beatitudini & Deo) IN SANGVINE, id est per sanguinem, putà per merita passionis & mortis CHRISTI. VERS. 13.

, IPSE ENIM EST PAX NOSTRA] PAX, id est pacem faciens, vti explicat v. seq. & ad Coloss. 1. v. 20. *Pacificans*, inquit, *per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Per metonymiam ergo effectus pro causa ponitur. Hinc videas quo sensu, & qua figura Apostolus dicat Christum esse nostram iustitiam, sapientiam, redemptionem; simili nimirum qua hîc dicit Christum esse pacem nostram, non formalem, vti patet, sed causalem. Vnde explicans subdit: VERS. 14.

Christus iustitia & pax nostra non formalis, sed causalis.

QVI FECIT VTRAQVE VNVM] id est, vtrumque populum, Iudaicum & Gentilem, concihauit & D uniuit in sua Ecclesia. ita Hieron.

Nota. Non dicit *vtrumque* in masculino, sed *vtraque* in neutro: quia, vt patet ex sequentibus, hoc v. & 20. respicit ad metaphoram domus vel vrbis & reipubl. ac politiæ, vt dixi v. 12. eiusque gemina membra, partes & parietes: ἀμφότερα ergo, id est vtraque, tacitè respicit τεῖχη (quod græcè est neutrius generis) id est, muros & parietes. q.d. Duo sunt symbolici parietes, Iudæi scilicet & Gentes, olim muro distincti, quos Christus, muro, qui medius erat, disiecto, coniunxit in vnam domum, scilicet Ecclesiam. Hinc sequitur:

Duo parietes Iudæi & Gentes à Christo coniuncti.

ET MEDIVM PARIETEM MACERIAE] græcè μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, id est, vt Vatabl. interstitium maceriæ, hoc est septi, sepis aut muri, putà sepem aut murum, qui medius erat & diuidebat parie-

tem vnum ab altero. Propriè autem *maceria* est sep-
tum, vel interstitium factum ex congerie lapi-
dum vel lignorum, quod hebraicè גָּדֵר *geder* dici-
tur. Sic apud Comicum iubet Mitio maceriam di-
rui, vt fiat vna domus.

SOLVENS] id est, soluit & diruit Christus: Hebræi enim carent indicatiuo, & pro eo vtuntur partici-
pio. vide can. 29.

Medij parietis quadruplex expositio.

Quæres', quis hic paries & murus medius, siue interstitium separans Iudæos à Gentibus, quod sol-
uit & diruit Christus?

Primò, respondet S. Hieron. & Chrysost. esse peccata & inimicitiam inter Deum & homines, siue Iudæos, siue Gentiles. Verùm quia sequitur, *Vt duos*, scilicet populos, *condat in semetipso*, hinc melius alij passim accipiunt dissidium, quod erat inter Iu-
dæos & Gentes.

Vnde Secundò, Ambros. & Hieron. respondent B hoc interstitium fuisse disparem Iudæorũ & Gen-
tilium fidem, legem, cultum; idololatriam scilicet, ex parte Gentium, ex parte verò Iudæorum, fidu-
ciam in lege & cæremonijs suis.

Tertiò, Theod. & Anselm. interstitium hoc vo-
lunt fuisse legem Mosaicam, quam complexi sunt Iudæi, auersati Gentiles.

Quartò, & optimè, Vatabl. Adamus, Erasmus, & alij, respondent Apostolum hunc medium pa-
rietem explicare, dum statim per appositionem & epexegesin subdit, *Inimicitias*. q.d. Medius pa-
ries diuellens Iudæos à Gentibus, erant inimicitiæ mutuæ, mutuus contemptus, & odium quo Iu-
dæi Gentes omnes quasi idololatras & præputia-
tas contemnebant & auersabantur; Gentes pari-
ter Iudæos quasi à communi Gentium lege, ritu & vita abhorrentes oderant, vti cæteræ aues ode-
runt & persequuntur noctuam. Hæc odia, has inimicitias dissolut & aboleuit Christus *in carne sua*, moriens pro vtrisque, & vtrisque afflans com-
munem charitatis legem & spiritum, tollensque occasionem inimicitiarum, legem scilicet manda-
torum.

Odia & inimicitiæ mutuus{q;} contemptus inter Iudæos & Gentes.

Primò enim lex mandabat circumcisionem, quam ridebant Gentes, & ex ea Iudæos vocabant *verpos, recutitos, apellas*. Hinc illa: *Verpe iuta mihi per Anchialum*; &, *Credat Iudæus apella, Non ego*. Con-
trà, Iudæi spernebant Gentes vt profanas, quia in-
circumcisas.

Rursum Gentiles nixi lege naturæ & rationis, ridebant Iudæos quasi fidentes legi scriptæ & ta-
bulis lapideis, dicentes se habere legem non in la-
pide, sed in mente. ita Ambros. Contrà, Iudæi spernebant Gentes, quasi sine lege viuctes, imò qui de- D calogum in multis ignorarent & violarent.

Denique Gentiles ridebant tot ritus, baptismata, abstinentias, cæremonias & sacra Iudæorum. Iu-
dæi execrabantur Gentes, quòd porcina, alijsque cibis per legem Mosis immundis vescerentur, mul-
tisque alijs immunditijs per eamdem legem vetitis se contaminarent.

VERS. 15. LEGEM MANDATORVM DECRETIS EVACVANS] Nota. Lex Mosis dicitur *mandatorum*, quia nihil continet, nisi mandata, eaque plurima, nec ad ea implenda auxilium & gratiam conferebat. Lex ergo τῶν ἐντολῶν, id est *mandatorum*, idem est, quod lex imperiosa, mandans, nec gratiam confe-
rens: sic enim Hebræi per duo substantiua efferunt, quod nos per substantiuum & adiectiuum, siue e-
pithetum efferimus: sic *templum sanctitatis* vocant A templum sanctum; *viros misericordiæ* vocant viros misericordes; *vasa belli* vocant arma bellica. Hanc legem Christus *euacuans*, id est, euacuauit & abo-
leuit, *decretis*, hoc est, per alia decreta: quia illa Eu-
angelicis decretis & dogmatibus (hoc enim est Græcum δόγμασι) commutauit, ait Hieron. Chry-
sost. Theoph. Oecum.

Nota Secundò. Græcè est ἐν δόγμασι. Vnde Va-
tabl & Erasm. vertunt, *legem mandatorum in decretis sitam abrogans*: sed melius Noster cum Chrysost. Theoph. & Græcis exponit *in decretis*, id est, per de-
creta, scilicet Euangelij.

Nota Tertiò. Græcum δόγμασι, idem est quod Latinum dogmatibus. Vnde Chrysost. Theophyl. Oecum. intelligunt fidem & doctrinam fidei. q.d. Apostolus: Christus aboleuit legem Mosis per fi-
dem, quia iustitiam annexuit fidei, non legi. Secun-
dò, vt Hieron. B *Lex mãdatorum subuersa est in dogma-
tibus, postquam circumcisio & sabbatismus, qui relictus est populo Dei, & pascha, & pentecoste, & non apparere in conspectu Dei vacuum, sunt altius intellecta quàm re-
sonant, & ab occidente littera recedentes cœpimus viui-
ficantem spiritum sequi*. q.d. Deus mandata legis car-
nalia euacuauit per eorum intelligentiam spiritua-
lem, siue per dogmata Euangelij.

Verùm Nota, *dogmata* Græcis non tantùm do-
cumenta & doctrinam, sed etiam præcepta & de-
creta significare: & ita accipit Apostolus ad Colos. 2. v. 14. & 20. qui locus huic similis est: est enim lex lux & dogma. *Lucerna*, inquit Psaltes, *pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Vocat ergo præ-
cepta Euangelij non mandata, sed dogmata, quia Christianos illuminant, docentque quomodo Deum per fidem agnoscere, per spem, charitatem & religionem colere & inuocare, eique seruire & C viuere debeant.

VT DVOS CONDAT IN SEMETIPSO IN VNVM NO-
VVM HOMINEM] vt scilicet duos populos, Iudaicum scilicet & Gentilem, quasi duos homines, sibi & corpori suo, id est, Ecclesiæ suæ, cuius ipse caput est, inserat & incorporet, faciatque vtrumque hunc hominem, id est populum, velut nouum quemdam hominem in nouitate vitæ ambulantem. Vnde pro *condat*, græcè est κτίσῃ, id est creet.

Nota. Hic explicat metaphoram præcedentem parietum, maceriæ & domus, per aliam metapho-
ram, scilicet hominis & corporis humani: Iudæi e-
nim & Gentes sunt quasi duo homines, qui Christo incorporati coaluerunt in vnum hominem mysti-
cum, id est, in vnum populum Christianum. Vnde a genere neutro, quo vsus est v. præced. transit hic ad masculinum: quia res figurata, scilicet homo & populus, est masculini generis.

ET RECONCILIET AMBOS, scilicet homines, id VERS. 16. est populos, Iudæorum videlicet & Gentium, IN VNO CORPORE, mystico scilicet, id est Ecclesia, vnitos. q.d. Vt ambos hos populos effectos iam vnum corpus mysticum, id est, vnam remp. & Ec-
clesiam, *reconciliet* DEO PER CRVCEM, INTERFI- Crux Chri-
CIENS, id est, planè perimens, INIMICITIAS, quæ e- fi inimi-
rant inter Iudæos & Gentes; ac rursum, quæ erant tiarum in-
inter vtrosque & Deum, IN SEMETIPSO] id est, per ter Deum.
semetipsum, putà, per crucem & passionem suam. Idem est, quod dixit v. præced. *In carne sua*. Noster interpres legit græcè ἐν αὐτῷ spiritu aspero: sed S. Hieron. Erasm. Vatabl. legunt spiritu leni, & ver-
tunt, *in ea*, scilicet cruce; σταυρὸς enim, id est crux, Græcis est masculini generis; vnde aptè respondet

mascu-

masculino pronomini αὐτῷ. Hinc Syrus vertit, & *cruce sua enecauit odium*. Sed eôdem redit sensus, siue ad Christum, siue ad crucem referas; Christus enim per crucem hæc fecit.

Ex hoc loco moraliter docet S. Leo serm. 6. de Natiuit. Christianos vbique debere colere pacem, eamq; quasi victimam gratissimam Deo offerre. *Qui ergo*, inquit, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, offerant patri pacificorum concordiam filiorum, & in primogenitum nouæ creaturæ, &c. vniuersa adoptionis membra concurrant: quoniam gratia Patris non discordes, neque dissimiles, sed vnum sentientes, vnumq; amantes, adoptauit heredes. Natalis Domini, natalis est pacis. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, &c.

Ius ciuium in Ecclesia Dei quale, & quantum.

ET VENIENS EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS (Gentibus) QVI LONGE FVISTIS (à Deo, Christo & salute) ET PACEM IIS QVI PROPE] Iudæis scilicet. hac enim periphrasi ex Isaia c. 57. 19. petita, describit Iudæos & Gentes. Vide dicta v. 12. & 13. Alludit ad vocem angeli ad pastores in Christi natiuitate, *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum*, &c. *gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2.

QVONIAM PER IPSVM (scilicet Christum) HABEMVS ACCESSVM, προσαγωγήν, id est, vt Vatabl. & Erasm. aditum, introductionem, AD Deum PATREM, AMBO (scilicet tam Iudæi, quàm Gentiles) IN VNO SPIRITV] id est, per eumdem Spiritum ductorem & impulsorem. Secundò, in vno & vnanimi spiritu, id est, voluntate & studio fidei, religionis & charitatis Christianæ, vt sit nobis cor vnum, & anima vna. ita Anselm. Alludit ad reges, ad quos non patet accessus, nisi per principes, qui sunt regi à cubiculis, gestantq́ue clauem auream regij cubiculi, quiq́ue ingressuris suum procurant ductorem & instructorem, vt sciant quo gestu, reuerentia, forma, modo debeãt alloqui & compellare regem. Ita hîc rex est Deus Pater, princeps parans aditum est Christus, ductor est Spiritus sanctus.

IAM NON ESTIS (vt eratis in gentilismo) HOSPITES ET ADVENÆ] ξένοι καὶ πάροικοι, peregrini & accolæ, vel aduenæ, qui scilicet aliunde venientes commigrarunt in alienam ciuitatem, & prouinciam, quos Romani Colonos vocabant. ex vna enim vrbe, v.g. Romana, in alias regiones colonias deducebant: sicut Agrippina Neronis mater ad Rhenum apud Vbios, vbi genita erat, coloniam ex veteranis deduci imperauit, quæ inde Colonia Agrippina etiamnum dicitur, vrbs opibus & religione inclyta. Tales apud Iudæos erant Proselyti, seu aduenæ, qui quasi alieni, vtpote è Gentibus oriundi, conuertebantur ad Iudaismum, & aggregabantur Iudæis & Ecclesiæ Dei. q.d. Iam non estis Proselyti, sed inquilini Ecclesiæ, vt sequitur:

SED ESTIS CIVES (συμπολῖται, conciues) SANCTORVM, cùm angelorum, tum potiùs Patriarcharum Abrahæ, Isaac & Iacob, siue Israelis, & posterorum eius sanctorum Israelitarum, vti Dauidis, Samuelis, Isaiæ, & aliorum Prophetarum, à quibus in gentilismo fuistis extranei & alienati, vt dixit v. 12. ET DOMESTICI DEI] q.d. Estis de domo & familia Dei, putà de Ecclesia Dei, àqua fuistis ante Christum extorres; estis de familia regis Messiæ, qui tam Deus est, quàm homo, deq́ue Christiana republica, in qua habetis ius ciuicum ad Ecclesiæ Sacramenta, & bona omnia Christi & Christianorum, atque conscripti estis ciues & heredes eiusdem ciuitatis cælestis, scilicet Ierusalem. ita Chrysost. Anselm. Theophyl Idq́ue pulchrè explicat Apostolus Hebr. 12. 22. *Accessistis*, inquit, *ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quàm Abel.*

Audi & S. Augustin. in Sententijs, sententia 156. *Ciues terrenæ ciuitatis parit peccato vitiata natura, qui sunt vasa iræ: ciues verò cælestis patriæ parit à peccato naturam liberans gratia, qui sunt vasa misericordiæ.*

SVPERÆDIFICATI. redit ad metaphoram fabricæ & domus, de qua v. 14. hæc enim domus Deo sacra, siue templum, est Ecclesia, quæ ædificata est SVPER FVNDAMENTVM APOSTOLORVM ET PROPHETARVM] id est, super Apostolos & Prophetas, qui sunt fundamentum Ecclesiæ: Apostolorum enim & Prophetarum fidei, doctrinæ, prædicationi, institutioni quasi fundamẽto Ecclesia incumbit. q.d. In fundamentum Ecclesiæ positi sunt Apostoli; vos Ephesij, cæteriq́ue Christiani, illis superædificati estis, & reliquam structuram domus huius & templi completis. ita Chrysost. Theophyl. Oecum. & pulchrè Augustin. in illud psalm. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.*

VERS. 20.

Apostolorũ & Prophetarũ doctrina & fides fundamentum est Ecclesiæ.

Aliter Anselm. *Super fundamentum*, inquit, id est, super Christum, qui est fundamentum Apostolorum, Prophetarum, ac totius Ecclesiæ. quod auidè arripit & sequitur Beza. Antichristiana, ait, vox est aliud fundamentum ponere: fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Sed respondet S. Augustin. suprà, Christum esse fundamentum fundamentorum, siue primum, cui ipsi Apostoli & tota Ecclesia incumbit; Apostolos verò post Christum esse secundarium fundamentum: sicut in fundamentis domus, sua est latitudo, vt aliud sit imum fundamentum sub terra, aliud superius in ipsa terræ superficie, nec hoc secundum priori officit aut repugnat.

Christus quomodo fundamentum Ecclesiæ quomodo Apostoli?

Nam Apostolos hîc dici fundamenta, non autem Christum, patet, quia Christus vocatur lapis angularis fundamenti, cui fundamentum incumbit. Id clarius est in Græco: ἐπὶ, inquit, τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ vbi Χριστοῦ (qui est genitiuus) non potest referri ad θεμελίῳ (qui est datiuus) sed ad ἀκρογωνιαίου genitiuum, id est, ad *angulari lapide*, non autem ad *fundamentum*. q.d. Fundamentum sunt Apostoli, sed fundamenti lapis angularis est Christus. Sic & Apoc. 21. S. Iohannes videns *sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo*, id est Ecclesiam Christi, subdit v. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Vides fundamenta Ecclesiæ duodecim esse duodecim Apostolos? ideo enim cuiusque nomen sub fundamento, vel lapidi fundamentali inscriptum, vidit Iohannes, vt sciret hæc fundamenta duodecim significare duodecim Apostolos. Sic Matth. 16. 18. dicit Christus Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si Petrus est petra hæc, ergo est fundamentum Ecclesiæ: petra enim, supra quam ædificatur

Locus Apocalypsis de duodecim nominibus Apostolorũ illustratus.

Eccle-

Ecclesia, alia esse non potest, quàm petra fundamentalis Ecclesiæ.

IPSO SVMMO ANGVLARI LAPIDE (scilicet existente) CHRISTO IESV] q.d. Christus quasi lapis angularis validissimus continet fundamẽtum & structuram totam Ecclesiæ, eiusque vtrumque parietem, Iudæos scilicet & Gentes, ipse quasi medius in se quasi angulo in pacis osculo nectit & vnit, ita Hieron. Auguſt. Beda.

Christus quomodo summus & imus lapis fundamentalis Ecclesiæ.

Dices: Fundamentum in imo ponitur, quomodo ergo hîc dicit lapidem angularem esse in summo. Villalpando in Ezechielem in fabrica templi, pag. 477. admittit summum lapidem hîc intelligi eum, qui in orientali facie contegit, exornat & continet omne ædificium in domus fastigio, quem frontispicium vocamus. Vnde psal. 117. quò alludit hîc Apostolus, vocatur *anguli caput*: si caput, ergo in summo est, non in imo.

Prima expositio.

Sed in contrarium facit, quòd Apostolus hîc dicat in hoc lapide superædificari Ephesios & Ecclesiam; & ædificationem constructam crescere in templum sanctum in Domino: non ergo intelligit summum lapidem, qui ædificium claudit, sed imum, qui fundamentum & totam fabricam sustinet, & à quo quasi firmissimo incipit tota Ecclesiæ structura. Hinc à Psalte dicitur ראש פנה *rosch pinna*, id est, caput anguli, per metaphoram: quia sicut à capite dependent reliqua membra & totum corpus, ita à lapide angulari dependet totum ædificium, sed diuerso situ. caput enim in corpore summum tenet locum, lapis verò angularis in domo tenet imum; sed in imo id præstat ædificio, quod caput in summo præstat corpori, ideoque *caput* dicitur. Vnde ראשית *reseit* Hebræis, & caput Latinis, significat id, quod in quaque re primum est ac præcipuum.

Secunda.

Secundò ergo respondet S. Auguſt. in psal. 86. & ex eo Anselm. lapidem hunc angularem esse in summo, quia hæc fabrica & domus Ecclesiæ non corporalis est, sed spiritualis & cælestis: est enim, vt ait S. Iohan. Apoc. 21. Ierusalem noua de cælo descendens; ergo fundamentum & lapis eius angularis in summo est, vt pote in cælo. *Si ad terram*, inquit Auguſt. *ædificaremur, in imo ponendum esset fundamentum nostrum: iam verò, quia cælestis est fabrica nostra, hinc ad cælos præcessit fundamentum nostrum*; quia scilicet origo & principium Ecclesiæ est è cælo. Sed hoc symbolicum est & mysticum.

Fundamẽtum Ecclesiæ in cælo ponit S. Auguſt.

Tertia & genuina.

Dico ergo. Pro *summo angulari*, græcè est ἀκρογωνιαίῳ, id est, extremè angulari, hoc est imo, siue infimo: extremum enim in ædificio & fundamento est imum, siue infimum fundamenti; ἄκρον enim græcè extremum significat, siue id summum sit, siue infimum. Hîc autem infimum debere accipi, patet ex fundamento quod lapis hic angularis sustentat. Sic latinè, mare altum, siue summum, significat profundum, siue imum. Alludit Paulus ad saxa illa ingentia & durissima, quæ è rubrica aliâve petra instar massæ in imo fundamenti ponuntur, & immediatè terræ solidæ substernuntur, quibus deinde fabri alia saxa, rudera, lateres injiciunt, contundunt, & calce conglutinant, altitudine quatuor, sex, aut etiam decem pedum, prout moles & altitudo domus fundamentum maius aut minus exigit. prima enim illa saxa ingentia vocantur hîc lapis summus, id est, imus fundamenti, isq; angularis, vt vtrumque parietem sustineat & nectat, ideoque cæteris validior esse debet, estque in fabrica primarius & capitalis.

Angulus symbolice est rex vel princeps.

Nota S. Hieron. in illud Isaiæ 19. *Deceperunt Aegyptum angulum populorum: Idioma*, inquit, *est Scripturæ, vt angulum pro regno ponant, eò quòd populos contineat, & quòd in tota domo fortissimum sit.* Cùm ergo anguli fiant ex lapidibus maioribus & solidioribus, hinc principes siue duces populorum vocantur anguli, quemadmodum nos Heluetiorum duces & respublicas vulgari voce Cantones (quasi angulos) vocamus. ita Zachar. c. 10. 4. ait, *Ex ipso angulus*, id est, ex Iuda prodibit Christus lapis angularis, & princeps Iudæorum & Gentium. Et Ierem. c. 51. 26. ait de Babylone mox euertenda, *Non tollent de te Lapidem in angulum*, id est, *vt* Chaldæus vertit, non tollent ex te regem in regnum, & principem in principatum. Sic psal. 117. (ad quem hîc Paulus alludit,) de Christo dicitur *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Vbi Lyran. & Abulensis putant alludi ad verum lapidem, qui initio à Iudæis quasi inutilis reiectus sit à fabrica templi, postea verò receptus, accommodatus sit, positusque loco honestissimo, scilicet in caput anguli. Verùm hoc est commentum Iudæorum, ait Burgensis. Est ergo metaphora, ab angulis ædificiorum petita, de qua iam dixi: quod enim est angulus, præsertim fundamentalis, in ædificio, hoc est rex in regno, putà Christus in Ecclesia. Simili phrasi & sensu dixit Christus Petro, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Princeps populorum vocatur angulus quare.

IN QVO (per quem, scilicet Christum qui præcessit) OMNIS (tota) AEDIFICATIO (ædificium, fabrica) CONSTRVCTA, συναρμολογουμένη, id est, vt Hieron. compaginata; vt Ambros. compacta; vt Vatabl. & Erasm. coagmentata, CRESCIT IN TEMPLVM SANCTVM (in Ecclesiam, quæ est domus sancta & templum Dei) IN DOMINO] per Dominum: vel potiùs *in Domino*, id est Domini, vt sit templum sanctum Domini: Hebræum enim *bet*, id est *in*, sæpè significat regimen genitiui. Vide cap. 5.

Vers. 22.

IN QVO (per quem, scilicet Christum iam dictum, vel *in quo*, scilicet templo) ET VOS COAEDIFICAMINI IN HABITACVLVM DEI (in templum Ecclesiæ iam dictum, in quo, quasi in domo sua habitat Deus) IN SPIRITV SANCTO] per Spiritum sanctum.

Vers. 22.

Nota. τῷ *sancto* non est in Græco, nec Romanis, sed Plantinianis, & intelligitur in Græco. Spiritus enim hîc est gratia quam Sanctis aspirat Spiritus sanctus. q.d. Ecclesia est domus & templum Dei, cuius fundamentum sunt Apostoli, lapis angularis est Christus, parietes sunt Iudæi & Gentes, qui indies assurgunt cùm plures ex Iudæis & Gentibus Christo & Ecclesiæ inseruntur & inædificantur. Vos ergo, ô Ephesij, cum alijs Christianis simul inædificemini huic fabricæ, vt fitis lapides, partes & membra huius templi, vt illud in dies altius assurgat & crescat, fiatque ingens templum & habitaculum Dei, idque per Spiritum sanctum, qui sua gratia & charitate quasi glutino & calce fideles omnes conglutinat & coagmentat, vt faciant vnum parietem, vnam domum, vnam Ecclesiam.

S. Ignatius tamen in epist. ad Ephesios asserens eandem metaphoram fabricæ, Spiritum sanctum comparat perpendiculo. *Iesus Christus*, inquit, *fundamẽ-*

duit vos super petram, vt Lapides electos, aptos ad diuinum ædificium Patris, sublatos in altum per Christum qui pro nobis crucifixus est, perpendiculo vsos Spiritu sancto, fide verò subductos, & charitate eleuatos à terra in cælum.

Tropologicè, S. Hieron. *Cùm fuerimus viui lapides ex omni parte dolati, læues, politi, nullam habentes scabredinem* (vitiorum) *ædificabimur in templum, & simus habitaculum Deo, condeturq; in nobis arca testamenti custos legis Domini, & Cherubim scientiæ multitudo, vt interiora pectoris nostri in nouum vocabulum transeant, dicamurq; דְּבִיר debir, id est, oraculum siue responsorium & locutorium Dei.*

B. quoq; Dorotheus to. 3. Biblioth. SS. Patrum, doctrina 14. ad ædificationem vel restaurationem domus spiritualis suos ita instruit. *Primùm*, inquit, *iacienda sunt fundamenta, quæ fides est, sine qua impossibile est placere Deo. Constitue deinde supra fundamentum ædificium excellentissimum. Intercidit obedientia? adijce lapidem obedientiæ. Irascaris fratri à quo iniuriam accepisti? apponas virtus alterum patientiæ lapidem: singula deinde adiectæ virtutes singuli lapides erũt. Charitas annectet parietem parieti. Bitumen humilitas est, quæ cæteris virtutibus vt tales sint, efficit. Tectum amor Dei. Corona, quæ supra tectum præcipitur in lege adhiberi, ne paruuli cadant, prudentia est. In hoc ædificio exstruendo nostra desudet industria, vt habere inhabitantem Spiritum sanctum possimus. Ille domum conseruabit, nisi desides ipsi fuerimus, ne spirantibus mundi à quatuor angulis flatibus subitò in terram cadat.*

Rursum S. August. in psal. 86. docet nos Ecclesiæ quasi cælesti fabricæ debere conquadrari, vt illi inædificari possimus, ac consequẽter Christianum quemque debere esse instar quadrati lapidis. *In omni*, inquit, *tentatione sua Christianus non cadit, etsi impellitur, & si qua vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat. Cadere visi sunt Martyres cùm percuterentur: sed quid dixit vox psalmi 36. Cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam? Sicergo conquadramini ad omnes tentationes parati, quidquid impulerit, non vos euertat. Stantem te inueniat omnis casus.*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primò, pergit mirari vocationem Gentium, docetq; hoc mysterium hactenus incognitum reuelatum fuisse Apostolis; scilicet quòd Gentes æquè ac Iudæi per Christum participes essent gratiæ, Ecclesiæ & promissionum Dei.

Secundò, v. 7. huius mysterij se ministrum esse gloriatur, putà quòd à Deo constitutus sit doctor Gentium.

Tertiò, v. 14. orat Deum, vt Ephesios in Christi fide & spiritu corroboret, vt in charitate radicati ad plenum in diuinis hisce Christi mysterijs edoceantur, scilicet vt comprehendant quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum; sciant etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.

1. HVius rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro vobis Gentibus, 2. si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: 3. quoniam secundùm reuelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut suprà scripsi in breui: 4. prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: 5. quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu. 6. Gentes esse coheredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium: 7. Cuius factus sum minister secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis eius. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, In Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, 9. & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit. 10. vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, 11. secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro: 12. in quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius. 13. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. 14. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, 15. ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, 16. vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati, 18. vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: 19. scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. 20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quæ operatur in nobis: 21. Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

VERS. 1. HVIVS REI GRATIA, EGO PAVLVS VINCTVS] Deest verbum, quod sententiam expleat. Vnde S. Hieronymus putat esse solœcismum. Secundò, Erasmus & Anselm. supplent verbum *sum* q.d. Huius rei gratia vinctus sum: sed articulus ὁ, cùm ait, ὁ δέσμιος, q.d. Ille vinctus, id ægrè patitur. Vnde Tertiò, melius Vatabl. & Ambros. supplent: legatione fungor. Sed longè verius est, sententiam hanc post longam parenthesim (quam Apostolus suo more à v. 2. ad 14. interijcit de beneficio vocationis Gentium, cuius admiratione absorptum erat cor eius, itaque plenum, vt eò identidem recurreret, illudque alijs & alijs verbis assiduè eructaret) expleri v. 14. ibi enim prima capitis verba repetens, subdit, eaque explet dicens: *Huius rei gratia flecto genua*, &c. Hæc enim optimè cohærent cum initio huius capitis, & fine præcedentis: cùm enim ibi dixisset, *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*, mox suo more initio huius capitis conuersus ad Dei laudem, gratiarum actionem, & inuocationem, subdit, *Huius rei gratia ego Paulus vinctus Christi Iesu, flecto genua*, &c. Simile hyperbaton vidimus Rom. 5. v. 12. & 18. Vide can. 38.

VINCTVS CHRISTI IESV] ὁ δέσμιος, est epithetum non conditionis seruilis, sed gloriæ & honoris: gloriatur enim Paulus de vinculis suis pro Christo susceptis, quasi de insignibus sui apostolatus & martyrij: sicut rex gloriatur suo torque aut diademate. *Vinctum esse propter Christum*, inquit Chrysost. hîc hom. 8. *illustrius est, quàm siue Apostolum, siue doctorem, siue Euangelistam esse. Magna dignitas hæc, & regno quouis ac consulatu maior. qui diligit, & ardet Christum, eligit potiùs vincula ferre propter Christum, quàm cælos inhabitare: non enim caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, vt catena ferrea, quæ propter Christum fertur. Quòd si quis mihi vel vniuersi cæli, vel huius catenæ copiam & optionem largitus esset, catenam hanc ego planè elegissem; si mihi cum angelis, & ijs, qui prope thronum Dei sunt, standum fuisset sursum, aut cum Paulo vincto, carcerem vtique præoptassem. Nihil hac catena beatius. Non ita beatum dico Paulum, quòd in paradisum raptus, atque quòd vincula sustinuit, potius mihi habetur malè affici pro Christo, quam honorari à Christo. O beata vincula! ô beatas manus, quas catena illa exornauit!* Pergit deinde hæc vincula exemplis & miraculis exornare, cùm ait: *Sic Petrus vinctus fuit, & ab angelo solutus. Hic si mihi quispiam dixisset: Eligo vtrum velis: vis esse angelus Petrum soluens, an Petrus vinctus? Petrus vtique esse maluissem. Maius hoc vinculorum donum est, quàm solem sistere, aut mundum mouere, aut dominari dæmonibus, eosq; expellere. Commotus est carcer vincto Paulo, solutaq; sunt omnium vincula, Actor. 16. Vides naturam vinculorum vincula soluentem. nam sicut mortem interemit mors Domini: ita ligatos soluerunt vincula Pauli, carceremq; concusserũt, ac ianuas aperuerunt. Paulus ergo vinctus, vinctis dominatur. Rursum Actor. 28. Paulus vinctus nauigabat, & naufragiũ soluebat. & tempestatem ligabat, & à vipera lædi non potuit.* Hæc & plura Chrysost. homil. 8. & rursum in eius morali. Hac de causa Babylas, Antiochenus Episcopus & Martyr, post fidei confessionem in vinculis vitam finiens, iussit discipulis suis, vt catenas, quasi suæ pugnæ testes, & victoriæ decora, secum sepelirent.

Vincula Pauli sunt insignia gloria.

Laus & miracula vinculorũ D. Pauli.

VERS. 2. SI TAMEN: non dubitantis, sed asserentis est. Vnde clariùs Vatabl. Erasm. & alij vertunt græcum εἴγε, siquidem. q.d. Pro vobis Gentibus vinctus sum, siquidem pro vobis euangelizo, propter Euangelium autem vinctus sum, vti omnibus, maximè vobis, notum & clarum est: siquidem AVDISTIS DISPENSATIONEM (græcè οἰκονομίαν, œconomiam, administrationem) GRATIAE DEI, QVAE, scilicet dispensatio, DATA EST MIHI IN VOBIS] inter Gentes. Nota. Per dispensationem hanc & administrationem intelligit suum apostolatum, siue munus prædicandi Euangelium; id est, munus promulgandi redemptionem & gratiam Christi propositam & paratam omnibus qui credunt in eum.

QVONIAM: pendet ab *audistis*. q.d. *Audistis quoniam*, id est quòd, SECVNDVM REVELATIONEM NOTVM MIHI FACTVM EST, græcè ἐγνωρίσθη, notum mihi fecit, scilicet Deus. Noster cum Chrysost. verius & aptius videtur legisse ἐγνωρίσθη, id est, notum factum est, SACRAMENTVM] græcè τὸ μυστήριον, mysterium, scilicet Christi, vt explicat v. 4. putà arcanum illud & magnum pietatis sacramentum, quod passim prædico & admiror, de Christi incarnatione, redemptione, prædestinatione, saluatione, & ad eam vocatione, non tantùm Iudæorum, sed & Gentium: hanc enim Gentium vocationem potissimùm hîc & alibi admiratur & celebrat Paulus.

VERS.

SICVT SVPRASCRIPSI] de hoc sacramento & mysterio. si quis enim legat cap. 1. & 2. videbit hoc Christi mysterium iam dictum, præsertim circa vocationem Gentium, clarè & profundè Paulo fuisse reuelatum. ita Hieron.

IN BREVI] ἐν ὀλίγῳ, in modicõ, id est, paucis & breuiter. ita Chrysost. & Hieron. *Mysteriorum Christi*, ait Hieron. *partem modicam suo sermone perstringit Apostolus, non tam totum, quod nouerat, proferens, quàm ex modico ostendens quid taceret.* Vnde sequitur:

VERS.

PROVT POTESTIS LEGENTES (cap. 1. & 2.) INTELLIGERE PRVDENTIAM (σύνεσιν, id est intelligentiam) MEAM IN MYSTERIO CHRISTI] de quo iam dixi v. 3. *Nulla enim*, inquit Hieron. *epistolarum Pauli tanta habet mysteria, tam reconditis sensibus inuoluta est, atque hæc.* Propriè autem Apostolus hîc intelligit mysterium vocationis Gentium ad fidem & gratiam Christi, vt explicat versibus proximè seqq.

Loquitur hîc Paulus de mysterio vocationis Gentium.

Nota. Paulus sæpè sumit pro eodem prudentiam, sapientiam, intelligentiam, cognitionem, scientiam; idque ex phrasi Hebræa, in qua imitatur Sapientem, qui in Prouerbijs suam ethicam & præcepta de moribus, vocat nunc sapientiam, nunc prudentiam, nunc intellectum, nunc disciplinam, nunc eruditionem, nunc doctrinam, nunc scientiam: quæ nomina licet connotato, etymo & propria significatione distinguantur, vt patet intuenti; Sapiens tamen ea confundit, & pro eodem, scilicet ethica iam dicta, sumit, idque facit copiæ causa.

VERS.

QVOD ALIIS GENERATIONIBVS, id est, vt Ambros. alijs sæculis, NON EST AGNITVM FILIIS HOMINVM (id est hominibus) SICVT NVNC REVELATVM EST APOSTOLIS ET PROPHETIS, noui scilicet testamenti, IN SPIRITV] id est, per Spiritum sanctum.

Quæritur, quomodo hoc fit verùm: nam Isaias, & alij Prophetæ clarissimè prophetarunt de Gentium vocatione ad fidem Christi?

Respon-

Respondet Primò, S. Hieron. & Chrysost. per filios hominum intelligi homines vulgares & animales: nam Patriarchæ & Prophetæ non vocantur filij hominum, sed filij Dei: sed hoc subtilius & acutius est, ac præter mentem Apostoli.

Vnde Secundò, idem Chrysost. respondet Prophetas quidem cognouisse Gentes esse vocandas ad Christum, sed non cognouisse eas in vocatione, fide & gratia pares fore Iudæis; quod cognouerūt Apostoli: & hoc est, quod ait Apostolus *Gentes esse coheredes & concorporales*, scilicet Iudæis. Sed nec hoc verum esse patet intuenti Isaiam, qui hac in re Gentes sæpissimè præfert Iudæis, vt patet cap. 34. c. 35. c. 49. c. 54. c. 60. imò Iudæis reprobatis, docet surrogandas esse Gentes.

Vnde Tertiò, idem Chrysost. Hieron. D. Thom. Anselm. & alij respondent vocationem Gentium ad eamdem Ecclesiam gratiam & dignitatem cum Iudæis, priscis Prophetis innotuisse quidem, sed paucis, idque obscurè & in confuso: Apostolis verò & Prophetis noui testamenti, qui illam curare & exequi debebāt, omnibus clarè & distinctè eandem à Deo reuelatam esse. Vnde vis est in voce *sicut*. q.d. Non ita planè & particulatim hoc mysterium vocationis Gentium innotuit Prophetis antiquis, sicut reuelatum est Apostolis, qui illius modum, locum, tempus, ordinem, aliasque circumstantias in particulari, & Spiritu Dei reuelante præuiderunt, & experientia ac reipsa viderunt, cùm eisdem Gentes conuerterunt: plenius enim cernitur res dum opere completur, quàm dum spiritu futura à longè præuidetur. Vnde Paulus raptus est in tertium cælum, vt iamiam futurus doctor Gentium, eas conuertendi modum & praxim plenè & sigillatim doceretur, vt dixi 2. Corint. 12. Sic & S. Petrus Actor. 10. longè expressiùs & particulariùs, quàm Isaias aut Prophetæ hoc mysterium cognouit, quando visionem lintei & esum animalium immundorum reipsa per legatos à Cornelio Gentili missos, perque ipsius Cornelij cum tota sua familia conuersionem explicari & compleri vidit.

GENTES ESSE COHEREDES. q.d. Mysterium, de quo loquor, hoc est, nimirum vt Gentes sint coheredes, id est, æquè vt Iudæi, heredes PROMISSIONIS] Abrahæ factæ de Christo Christique Euangelio, salute, gratia, gloria. sicut enim Gentes æquè vt Iudæi per fidem Christi fiunt filij spirituales Abrahæ, qui pater est credentium: ita & Gentes æquè vt Iudæi heredes sunt benedictionis, id est, iustitiæ & salutis Abrahæ & semini eius, id est Christo & Christianis, promissæ. de quo dixi Roman. 4. v. 17 Galat. 3 v. 7. & 8.

ET CONCORPORALES] σύσσωμα, id est, vnius eiusdemq; corporis; vt scilicet vnum corpus mysticum, putà vnam Ecclesiam, constituant Gentes Christianæ cum Iudæis ad Christum conuersis.

ET COMPARTICIPES PROMISSIONIS EIVS: vt Gentes æquè ac Iudæi participes sint *promissionis eius*, scilicet Spiritus sancti, qui immediatè præcessit, vt Ambros. vel potiùs *eius*, scilicet Dei, quem nominauit v. 2. A versu enim secundo hæc omnia pendent, explicantque gratiam Dei, quam v. 2. de prædicauit. hæc ergo promissio Dei, est illa, qua Deus promisit suam amicitiam, remissionem peccatorum, salutem & possessionem regni cælorum Christianis credentibus & obedientibus sibi, IN CHRISTO IESV, id est, per Christum Iesum, qui hanc Dei promissionem promulgauit PER suum EVANGELIVM, CVIVS, scilicet, Euangelij Christi, VERS 17. FACTVS SVM EGO MINISTER] græcè διάκονος, id est, diaconus sacriministerij & quasi liturgiæ, putà prædicationis Euangelij: hanc enim vocauit liturgiam, siue Missæ sacrificium, Rom. 15. 19.

SECVNDVM DONVM GRATIÆ DEI] Id est, per donum gratiæ Dei. Sic enim Apostolus Græcum κατὰ, id est secundùm, quasi respondens Hebræo כְּ al, amplè & variè sumit, iam pro *iuxta*, iam pro *per*, iam pro *cum*. Vnde hîc subdit:

SECVNDVM OPERATIONEM (græcè, ἐνέργειαν, id est efficaciam, & efficacem operationem) VIRTVTIS (græcè δυνάμεως, potentiæ) EIVS] quasi dicat, Apostolatum non inanem, otiosum & vacuum accepi; sed talem qui potenter & efficaciter operetur conuersionem Gentium etiam barbarum.

Notat hîc duo Apostolus. Primò, officium ministerij siue apostolatus se accepisse per donum & gratiam Dei. Secundò, illius officij actum, vsum & exercitium potens esse, & potenter efficaciterque operari fidem & salutem Gentium per eamdem diuinæ gratiæ vim, potentiam & energiam. *Officium & efficacia apostolatus S. Pauli.*

MIHI OMNIVM (non tantùm Apostolorum, ait Chrysost. sed &) SANCTORVM (id est Christianorum) MINIMO] Hieron. infimo, græcè ἐλαχιστοτέρῳ, id est, infimiori q.d. Inferior & infimior sum infimo, minor sum minimo. VERS. 8.

Nota hîc miram Apostoli humilitatem: nam non tantùm se minimum, vel infimum vocat, sed minorem minimo & inferiorem infimo. Hinc ex superlatiuo format comparatiuum, scilicet ex ἐλάχιστος ἐλαχιστότερος, sicuti si ex minimo formares minimior, ex infimo infimior: infimiorem ergo se vocat, vt magis infra omnes se demittat & diminuat: & per hanc humilitatem Paulus meruit euehi ad apostolatum, ait Hieron. *Mira dini Pauli humilitas.*

Dices, Hæc humilitas videtur ficta & mendax: sciebat enim & videbat Apostolus sibi plus gratiæ & virtutum à Deo datum esse, quàm Ephesijs alijsque Christianis, quos ipse conuertebat.

Respondet S. Hieron. sciuisse Paulum se ijs esse sanctiorem, sed tamen se ita gessisse ac demisisse, ac si ijs esset inferior. Sicuti princeps subinde modestiæ causa primas in mensa, & in incessu dat amicis & alijs nobilibus longè se inferioribus.

Verùm hoc non satisfacit: nec enim de praxi & submissione externa in gestu aut incessu, sed de sensu suo loquitur Paulus, dicens ac reuera in animo sentiens se esse omnium Sanctorum minimum; alioqui enim mentiretur & hypocrita esset, quod absit.

Dico ergo, id dixisse Apostolum eo sensu, quo S. Franciscus solebat dicere se maximū esse peccatorem, q.d. Licet maiorem à Deo quàm alij gratiam acceperim; si tamen me, meam negligentiam, infirmitatem, malitiam tum præsentem, tum præteritam, qua fui persecutor Christi & Ecclesiæ (ad hanc enim maximè solet respicere dum se humiliat Apostolus) spectem; reuera videor mihi maximus peccator, indignus apostolatu, ac minimus Christianorum verè & reipsa censendus: puto enim quòd, si Deus illam gratiam quam mihi dedit, daret latroni vel maximo peccatori, magis is quàm ego illi cooperaretur, foretque longè melior. hoc enim iudicium licet fortè speculatiuè non esset verum, practicè tamen erat verum; *S. Pauli humilitas non est ficta, & quo sensu se minimum dicat.*

quisque enim non alios, sed seipsum & suam infirmitatem considerans, potest & debet ita humiliter de se sentire: hoc enim est dictamen virtutis, quod suggerit & suadet prudens humilitas, & qui verè humilis est, ita de se sentit, talisque sibi esse videtur. de quo plura Philip. 2. 3. & 1. Tim. 1. 15. A

DATA EST GRATIA HAC, IN GENTIBVS EVANGELIZARE INVESTIGABILES (græcè ἀνεξιχνίαστον, imperuestigabiles, inscrutabiles, &, vt Ambros. incomprehensibiles) DIVITIAS CHRISTI] Ita passim Apostolus vocat copiam gratiarum & bonorum, quæ Christus nobis attulit.

Triplex Pauli gratia ad euangelizandum.

Notat Chrysost. in morali hom. 6. Paulum triplicem accepisse gratiam ad euangelizandum, triaque ad prædicationem attulisse mirè ad persuadendum efficacia; Primò, animum alacrem, audentem, feruentem, & ad omnia intrepidum; Secundò, cælestem quamdam sapientiam; Tertiò, potentiam spiritus cum vita inculpata. B

VERS. 9.

Tria officia angelis, Apostolis & doctoribus communia, illuminare, purgare, perficere.

ET ILLVMINARE OMNES] Sicut angelorum officia tria sunt, ait S. Dionys. scilicet homines illuminare, purgare & perficere: ita non tantùm Christus, sed & Apostoli alijque Doctores hæc tria faciunt quasi angeli quidam terrestres & homines angelici. illuminare ergo non significat in lucem proferre id quod reconditum erat, vt vertit Syrus & Erasmus; sic enim ineptè diceretur, *illuminare omnes*, vt habent Græca & Latina: sed significat alios docere, alijs lucem veritatis & fidei impertiri. sicut enim sol sua luce tenebrosa loca illuminat: ita doctores clara sua doctrina illuminant tenebrosas & ignorantes hominum mentes. Vnde & aptè præmio singularis claritatis & splendoris in cælo donabuntur. *Qui docti fuerint*, inquit Daniel cap. 12. *fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* C

QVAE SIT DISPENSATIO SACRAMENTI ABSCONDITI A SAECVLIS IN DEO, QVI OMNIA CREAVIT] Pro *dispensatio* aliqua Græca legunt κοινωνία, q. d. Quæ sit communio vel communicatio sacramenti, quòd scilicet hoc sacramentũ redemptionis hominum non tantùm Iudæis, sed & Gentibus communicatum sit. Verùm legendum est hîc, vt suprà v. 2. οἰκονομία, *quæ sit dispensatio*, & ita legunt Biblia Regia, Noster interpres, Chrysost. Theophyl. & Græci.

Oeconomia duo significat.

Vbi Nota. οἰκονομία, id est dispensatio, duo significat. Primò, ipsam dispositionem, & ordinationem rei alicuius faciendæ vel dandæ. Secundò, ipsam rei dispositæ vel ordinatæ dispensationem, id est erogationem, donationem, distributionem. Iuxta primam significationem sensuserit vt illuminem & doceam omnes quàm admiranda sit œconomia, & æterna Dei dispositio circa vocationem Gentium per natiuitatem, mortem & resurrectionem Christi. Iuxta secundam verò hic erit sensus, isque simplicior, vt dixi c. 1. v. 10. q. d. Mihi data est gratia illuminandi omnes Gentes, vt scilicet eas doceam, quàm sapienter dispensatum, id est distributum, & omnibus propositum sit hoc tempore à Deo sacramentum redemptionis Christi & vocationis Gentium ad Christum: vel potiùs per hypallagen, *quæ sit dispensatio sacramenti*, id est, quod, quale & quantum sit sacramẽtum, siue mysterium hoc, *quod* hactenus per tot sæcula, imò ab æterno, *absconditum fuit in Deo*, in Dei scilicet mente, consilio & prædestinatione; D iam verò dispensatum, id est erogatum, distributum est, omnibusque propositum & oblatum.

QVI (scilicet Deus) OMNIA CREAVIT] Notat & elidit dogma Simonis Magi, qui docebat mundum ab angelis esse factum. Græca addunt, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. per Iesum Christum, & ita legit Chrysost. Theophyl. & Græci: sed hæc non habet Hieron. nec Ambros. nec vetusti codices Latini.

VT INNOTESCAT PRINCIPATIBVS (ita legunt Romana, Græca & Syrus; Plantiniana tamen cum Hieron. legunt *principibus*) ET POTESTATIBVS] illis scilicet ordinibus angelorũ, qui dicuntur Principatus, id est principes, & Potestates, hoc est potentes, vt dixi c. 1. v. 21. Sub his per synecdochen cæteros angelorum ordines intellige. ita Hieron. Chrysost. Theoph. Vnde licet Ambros. malos hîc angelos intelligat, qui in cælestibus, hoc est in aëre & cælo hoc aëreo, versantur; melius tamen S. Hieron. Chrysost. Anselmus, bonos angelos accipiunt: hoc enim significant Principatus & Potestates, cùm absolutè ponuntur. Nam cùm dæmones intelliguntur, solet addi, Principes tenebrarũ, aut aëris huius, aut similis particula restringens & alienans. Deinde hos propriè significat vox, *in cœlestibus*, scilicet locis, commorantes.

PER ECCLESIAM MVLTIFORMIS SAPIENTIA DEI] Quæritur, quomodo hoc sit verum: nam angeli illuminant Ecclesiam & homines, non autem ab eis illuminantur & docentur.

Primò, Augustin. li. 5. de Genesi ad litteram, c. 19. tom. 3. intelligit Ecclesiam cælestem, quæ constat Deo & angelis, q. d. Angelis inferioribus innotuit mysterium hoc redemptionis Christi, & vocationis Gentium per reuelationem Dei, & illuminationem angelorum superiorum, innotuit inquam à sæculis, id est, ab initio sæculorum & mundi: sed obstat quod ait Apostolus, *Vt innotescat nunc.* Si nunc, ergo non ab initio mundi. Secundò, per *Ecclesiam* non intelligi cælestem, sed terrestrem patet: quia ait, Mihi data est gratia euangelizare & illuminare omnes, vt innotescat per Ecclesiam, cui scilicet euangelizo, & quam illumino, multiformis sapientia Dei.

Secundò, S. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. sic explicat, *vt innotescat Principatibus*, non absolutè, sed per visionem & experientiam. q. d. Vt videant: quod enim angeli antè per reuelationem sciebant futurum, hoc in Ecclesia viderunt fieri, cùm res facta & gesta est: sed tum dixisset Apostolus, Vt videant, vel vt appareat angelis, sicut dixit 1. Timoth. 3. v. 16. non autem. *vt innotescat*: nam innotescere dicitur, cùm notum fit quod antè erat ignotum. Vnde & Apostolus v. præcedenti dixit mysterium hoc antea fuisse absconditum in Deo; ergo latebat angelos.

Dico ergo per *Ecclesiam*, id est, per ea quæ gesta sunt à Christo & Apostolis in Ecclesia, perque gratias & dona Ecclesiæ ab ijs cõmunicata, multa mysteria Christi & Christianorum angelis innotuisse, quæ priùs ignorabant. licet enim mysterium incarnationis & redemptionis nostræ, quo ad substantiam ex reuelatione à principio suæ beatitudinis cognouerint; non tamen omnes eius partes, species, causas, effectus, modos & circumstantias cognouerunt, sed didicerunt, cùm ea in Ecclesia fieri, exhiberi & geri viderunt. Talia fuerunt institutio Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ; modus & ratio iustificandi peccatores;

diuisio & missio Apostolorū in tales ac tales prouincias; ordo hierarchicus Apostolorum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque ministrorum Ecclesiæ; vocatio Gentium, de qua propriè hîc loquitur Apostolus.

Vbi Nota, licet Chrysost. & Theoph. dicant angelos ignorasse quòd Gentes vocandæ essent ad christianismum, donec eas vocari à Paulo & Apostolis viderunt; tamen non videri dubium quin in genere hoc angeli cognouerint: si enim Isaias & Prophetæ id cognouerunt, ergo & angeli, qui vel hoc reuelarunt Prophetis, vel ex vaticinijs Prophetarum tam claris id facilè intellexerunt. Quod ergo Apostolus hîc ait eos illud non cognouisse, intellige eo modo quo v. 5. negauit Prophetas id cognouisse, scilicet in particulari, clarè & distinctè, v. g. quomodo vocandæ essent Gentes, an simul cum Iudæis, an in locum Iudæorum, cùm illi respuissent Euangelium, & à Deo reiecti essent; quo ordine, per quos, quibus modis & medijs: hoc enim ante angelos passim cognouerunt ex Dei reuelatione Apostoli, præsertim Paulus, tum ab initio conuersionis suæ, quando ante alios Apostolos electus fuit à Deo & declaratus doctor Gentium Actor. 9. v. 15. tum potiùs & plenius, quando proximè mittendus ad Gentes raptus fuit in tertium cælum, vt dixi 2. Corinth. 12. ita Hieron. Ambros. Anselm. Theophyl. Chrysost. *Paulus*, inquit Chrysost. *angelorum Euangelista hic eos illuminauit*: & D. Thomas opusc. 1. cap. 26. ex Cyrillo docet, prædicante Paulo angelos didicisse circumstantias Euangelij & vocationis Gentium.

Nota Secundò, hæc dici contra Simonem Magum, qui nimis angelis tribuens, docebat eos esse adorandos quasi ipsi mysterij redemptionis nostræ consciij & mediatores fuissent. de quo Coloss. 2. v. 13.

MVLTIFORMIS SAPIENTIA DEI] πολυποίκιλος, id est, multiuaria, siue valdè & multipliciter varia. Aliqui legunt πανποίκιλος, omniuaria, maximè varia sapientia Dei; vt ea non solùm varia sit, sed & multa varietate distincta. ita Hieron. *Respice*, inquit, *cunas Christi, vide pariter & cælum. Vagientem in præsepi intuere infantem: sed simul angelos auscultа laudantes. Herodes persequitur, sed adorant Magi. Ignorant Pharisæi, sed stella demonstrat. Baptizatur à seruo, sed vox desuper Dei intonantis auditur. Aquis mergitur, sed columba descendit, imò Spiritus in columba. Ad passionem venit, & pati timet, sed vult transire calicem; & Petrum, quia calicem timebat, accusat. Quid hac stultitia prudentius, varietate distinctius, sapientia obscurius, quam fecit Deus in Christo Iesu Domino nostro?* Hactenus Hieronymus. Propriè tamen Apostolus respicit ad sapientiam Dei, quam varijs modis ostendit in vocatione Gentium, reprobatione Iudæorum, modo & ordine eas vocandi, vt dixi §. præced. & c. 1. v. 11.

SECVNDVM PRÆFINITIONEM SAECVLORVM] κατὰ πρόθεσιν, id est, vt Hieron. secundùm propositum *sæculorum*, id est, à sæculis, vel ante sæcula factum. q. d. Secundùm decretum æternum, quo proposuerat, decreuerat, præfinierat Deus hoc facere & exequi. Vnde Syrus vertit, *quæ futura erat à sæculo, facta verò est in Iesehua Domino nostro.*

Secundò, *Secundùm præfinitionem sæculorum*, id est, quam fecit de sæculis futuris, de serie sæculorum, deque hominibus, qui quolibet sæculo à primo vsque ad vltimum sunt futuri, scilicet præfiniens sæculum status innocentiæ, deinde sæculum legis naturæ, tertiò sæculum legis Mosis, quartò sæculum legis Christi & gratiæ, decernensque & præfiniens in eo omnes omnium illius temporum gentes & nationes successiuè vocare ad fidem & salutem per Christum: & hoc est, quod ait, *Quam fecit in Christo Iesu*. Rursum præfinies primo sæculo legis naturæ vocare ad se omnes Gentes, secundo per Mosen solos Iudæos relictis Gentibus, tertio per Christum solas ferè Gentes, quas hactenus vocare neglexerat, & vice versa negligere Iudæos incredulos: hic enim fuit circulus & conuersio sæculorum quoad fidem, gratiam & salutem, & quasi annus sæcularis & circularis Dei. ita Chrysost. & Theophyl. Hic secundus sensus est pulchrior & aptior: in eo enim propriè spectatur multiformis & varia sapientia Dei. Ab hac multitudine & varietate cognitionis & sapientiæ, Christus ipse vocatur πολυφίλαμος, id est multioculus, & Cherubim, inquit Anastasius Sinaita libr. 1. hexameron.

QVAM FECIT IN CHRISTO IESV] Pronomen *quam*, referre potest Primò, *Ecclesiam*; Secundò, *sapientiam*, vt Hieronymus; Tertiò & planissimè, *præfinitionem*. q. d. Hæc præfinitio sæculorum iam dicta, facta est per Christum & Christi merita. Hinc patet, quod dixi cap. 1. non tantùm fidem & gratiam, sed & prædestinationem ipsam æternam, quæ est in mente Dei (hæc enim est præfinitio, de qua hîc Apostolus) factam esse ex meritis Christi præuisis. q. d. Apostolus, Quòd primo sæculo vocarentur omnes Gentes ad salutem, secundo Iudæi, tertio Gentiles. id factum est ex meritis Christi præuisis, ob quæ Deus decreuit ab æterno prædestinare, vocare, iustificare & glorificare credentes in Christum, siue Iudæos siue Gentes quolibet sæculo.

Vocatio Gentium & Iudæorum ex meritu Christi.

IN QVO (per quem, scilicet Christum) HABEMVS FIDVCIAM, græcè παῤῥησίαν, id est, vt Syrus, audaciam liberè loquendi, libertatem euangelizandi. q. d. Cuius, scilicet Christi, ope audacter, liberè & intrepidè euangelizo Secundò, melius hîc Noster vertit *fiduciam*, qua animus per Christum peccatis expiatus, & innocenter iam viuens, bene sibi conscius, confidit se esse in gratia & amicitia Dei. Vnde cùm dixisset, *In quo habemus fiduciam*; huius fiduciæ effectum subdit, ET ACCESSVM IN CONFIDENTIA] vt scilicet confidenter quasi amici, imò quasi filij, accedamus ad Deum Patrem, dicamusque *abba Pater*. VERS. 12.

PER FIDEM EIVS] Refer non tantùm ad *in confidentia*. q. d. In confidentia, cuius principium & origo est fides Christi: sed potiùs ad *fiduciam & accessum*. q. d. Fiduciam & fiducialem accessum habemus ad Patrem per fidem Christi, qua remissionem peccatorum & iustitiam assecuti confidimus nos esse in Dei gratia & fauore, & confidenter ad Deum quasi patrem amantissimum accedimus. fides enim parit hanc fiduciam & confidentiam. ita Chrysost. Theophyl. & Græci.

PROPTER QVOD] quia scilicet habemus hanc fiduciam & accessum ad Deum Patrem nostrum, qui potentissimus est, vt in omnibus tribulationibus nos roboret, easque propulset. VERS. 13.

PETO NE DEFICIATIS IN TRIBVLATIONIBVS MEIS] Græcè, μὴ ἐκκακεῖν, id est, non deficere, non lassescere, non segnescere. quod Primò, potest referri ad primam personam, quasi Paulus de se dicat,

cat, Peto & oro Deum ne ego deficiam in tribulationibus, ne ijs vincar & cedam. ita Hieron. & Syrus. Secundò, Noster interpres refert ad secundam personam: ne vos, scilicet, ô Ephesij, deficiatis & cadatis animo, videntes me tribulari & vinciri, PRO VOBIS] quia scilicet vobis alijsque Christum & salutem euangelizo. Hæc secunda versio verior est: magis enim Ephesijs pusillis & nouellis in fide timebat Apostolus in persecutione, ne animis caderent, quàm sibi, qui quasi generosus pugil & athleta Christi in ea solet gloriari.

Nota. *Peto* non à Deo, sed à vobis; græcè enim est αἰτοῦμαι, id est peto, posco, exigo. Vnde S. Augustinus serm. 7. in hæc Apostoli verba: *Peto*, ait, *à vobis propter arbitrium voluntatis, sed quia hæc infirma est, Deum rogo, vt idem det vobis propter auxilium omnipotentiæ.* Vnde subdit Apostolus: *Huius rei gratia flecto genua ad Patrem.*

Gloriatur D. Paulus in passione.

QVAE EST GLORIA VESTRA] q. d. Quòd ego Apostolus & præceptor vester dignus sim tanta pro Christo & vestra salute pati; non turbari, non animis cadere, sed exultare & gloriari debetis. ita Chrysostomus. hæ siquidem passiones stigmata sunt & insignia Christi, Galat. 6. v. 17. suntque præludia martyrij.

VERS. 14. HVIVS REI GRATIA] Redit post longum hyperbaton (quo à versu secundo hucusq; abreptus fuit in Dei dignationem, & beneficium vocationis Gentium) ad versum primum, vt ibi dixi.

FLECTO GENVA AD PATREM] flexis genibus in signum reuerentiæ & humilitatis oro & obsecro Deum Patrem. Est metalepsis.

VERS. 15. *Paternitas græcè & hebraicè vnde desumatur.*

EX QVO OMNIS PATERNITAS IN CAELIS ET IN TERRA NOMINATVR] Nota. Sicut græcè à πατὴρ πατριὰ, & syrè ex אַב *ab* אֲבָהוּתָא *abahuta*: ita latinè à pater, *paternitas* dicitur & deriuatur. Vnde rectè, quidquid cauillentur Erasm. & Beza, interpres Noster nouum nomen πατριὰ, nouo Latino nomine *paternitas*, vertit, & ita verterunt S. Hieron. Damasc. 1. de Fide cap. 9. Syrus, interpres Theophylacti, & alij qui Græcæ linguæ fuerunt peritissimi.

Vnde Primò, Damascenus sic explicat: *Nomen paternitatis ex diuinis ad humanos patres translatum est.* Quod intellige metonymicè, *nomen*, id est, res nomine paternitatis significata, siue ipsa paternitas, quæ est in hominibus & creaturis, descendit à Deo Patre, qui primus increatus & immensus Pater ipsis suam paternitatem communicauit, vt & ipsi fierent & dicerentur patres. nam nomen ipsum patris priùs hominibus imposuerunt homines, & inde idem transtulerunt ad diuina, & ad Deum Patrem: ex humanis enim, vtpote sibi notioribus, homines imposuerunt nomina diuinis, vt passim alij Patres & Doctores docent. Non ergo de nomine Patris, sed de re hoc nomine significata intelligendus est Damascenus. Et hoc est quod docet D. Thomas, & Scholastici, paternitatem omnem creatam deriuari ab increata, quæ est in Deo Patre. Huc accedit S. Hieron. *Sicut*, inquit, *solus bonus* (Deus) *bonos facit, & solus immortalis, immortalitatem tribuit, & solus verus, veritatis nomen impertit: ita solus Pater, quia creator est omnium, & vniuersorum causa substantiæ præstat cæteris vt patres esse dicantur. De terrenis cælestia contemplemur. Adam quem primum plasmauit Deus, & creator ipsius, & pater fuit, certè Deo patri scit se debere quòd subsistit. Rursum hi qui geniti sunt ex Adam, patrem illum intelligunt, ex quo orti sunt. Vnde Lucæ 3. ait Script. Filij Seth, filij Adam, filij Dei; vt paternitatis in terra vocabulum à Deo primùm ortum esse monstraret.* Et inferiùs: *Ex eo quòd Deus Pater Domini nostri Iesu Christi iuxta substantiam pater est, & Vnigenitus non est adoptione filius, sed natura, cæteræ quoque creaturæ paternitatis nomen adoptione meruerunt.* Addit S. Hieron. dicit: *Ex quo omnis paternitas nominatur, non verò nata est. Aliud est enim appellationem paternitatis mereri, aliud naturæ habere consortium.* q. d. Ipsa increata & diuina Dei paternitas nobis communicari nequit, sicut nec ipsa Dei essentia: sic enim verè & propriè essemus dij; sed tantùm participatio quædam tenuis eiusdem, ex qua fit vt patres nominemur sicut & Deus, sed analogicè & participatiuè. Igitur ex prolixo discursu S. Hieron. & cæterorum hanc colligas sententiam: Paternitas, inquit, in cælis est generatio Filij, paternitas in terra est generatio hominum & animalium, quæ omnis à Dei paternitate manat: omnes enim ab eo vim habent generandi, vt sint & nominentur patres.

Paternitas omnis à Deo descendit

In cælis vera paternitas.

Dices, In cælis nulla est paternitas quæ à Dei paternitate descendat. Respondet S. Hieronymus, angelos æquè ac homines habere sui generis principes, quos Patres gaudent appellare: princeps enim est & dicitur subditorum pater, & principatus est quædam paternitas. Sic serui Naaman eum vocant *patrem*, id est, dominum & principem, 4. Reg. 5. v. 13. Sic Patres Latinis vocantur Senatores, imò Romani eos ferè vix alio nomine compellabant quàm Patres conscripti. Hic sensus est appositus, sed non proprius & adæquatus.

Vnde Secundò, Nota cum S. Hieronymo, S. Paulum Græcum πατριὰ, quod Noster vertit *paternitas*, accepisse à LXX. qui hoc nomine solent vertere Hebræum מִשְׁפָּחָה *mispacha*, id est familia, vel tribus, (has tribus LXX. alibi vocare solent φυλὰς) quæ ab vno capite & parente descendit. quia enim duodecim filij Iacob apud Iudæos capita & patres fuerunt duodecim familiarum & tribuum à se descendentium; hinc LXX. tribum à quolibet hoc patre descendentem vocant πατριὰν, & à πατριὰ vocant Patriarchas ipsos tribuum patres & primos progenitores: q. d. τὴ πατριὰς ἀρχὰς, id est, tribus principia. Itaque πατριὰ siue paternitas, aut, vt vertit interpres Chrysostomi, paterna cognatio, est familia, vel tribus aut gens, quæ ab vno communi patre prognata est, quam Hieronymus contra Heluidium parentelam vocat, & ita vertit hîc Vatablus. Sic Noster interpres retinens Græcum πατριὰ psalm 95. v. 7. vertit, *Afferte Domino patriæ*, id est familiæ, tribus, stirpes, *gentium, afferte Domino gloriam & honorem.* Paternitas ergo non sumitur hîc pro relatione patris in abstracto, quam Philosophi paternitatem vocant: hæc enim græcè, Damasceno teste loco citato, potiùs πατρότης quàm πατριὰ dicenda esset; sed metonymicè paternitas hîc idem est quod parentela, quæ ab eodem patre, vel paternitate descendit. sunt enim quasi correlatiua pater siue paternitas, & parentela, vnumque includit alterum; pater enim est parentelæ pater, & parentela est patris parentela. quasi dicat Apostolus: Deus Pater non tantùm Christi, sed & omnium est pater, tam hominum quàm angelorum, ita vt Deo communi parente affines sint Iudæi & Gentes, homines & angeli: ipse enim pater est omnium familiarum, non solùm

lùm corporalium, sed & spiritualium, putà Seraphim, Cherubim, Thronorum, & cæterorum ordinum. Licet enim hæ familiæ suos proprios & distinctos habeant patres & principes; omnes tamen communem patrem & principem habent Deum, à quo omnes descendunt: ideoque Deo Patri non tantùm paternitas & generatio æterna, respectu filij sui; sed & temporalis, per creationem in omnes cælestes & terrestres tribus & cognationes convenit, ac consequenter ab omnibus in cælo & in terra quasi Pater est nominandus, celebrandus (vt dixi c. 1. v. 21.) colendus & redamandus. ita Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecumenius, imò & S. Hieronymus.

Nota Tertiò. Apostolus vnum Deum Patrem opponit multis principijs & dijs Simonis Magi & Hesiodi (qui suam Theogoniam, id est deorum generationem conscripsit) aliorumque Poëtarum & Philosophorum Gentilium. Rursum, ne Iudæi iactent Deum verum suum esse Deum, non Gentium, Gentesque alium debere quærere Deum; Apostolus eos retundens dicit Deum esse patrem communem omnium tam Gentium, quàm Iudæorum: ac proinde non mirari debere Iudæos, si Gentes æquè, ac Iudæi iam à communi parente ad salutem per Christum, Christique Apostolos vocentur, & vicissim Gentes fideliter æquè ac Iudæos ad Christum & Deum quasi ad communem parentem accedere debere.

NOMINATVR] Id est existit, suum habet esse & suam originem, deriuatur & descendit; vt iure à Deo Patre nomen accipere, & ab eo nominari possit familia, tribus vel parentela Dei, quæque Deum habet patrem, à quo quasi à primo exemplari & efficiente omnes familiæ & parentelæ, omnesque familiarum patres & capita, omnis denique generandi vis, fœcunditas & paternitas tanquam à patre omnium magno & vniuersali profluit & dimanat: sic enim Hebræi metonymicè Vocari aut Nominari sumunt pro esse. Sic Isaiæ 7. vers. 4. Christus dicitur vocandus Emmanuel, id est, erit Emmanuel, quia nobiscum erit Deus, quod significat Emmanuel. Sic Isaiæ 8. v. 3. Christus dicitur vocandus *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, id est, celer erit dæmonum & hostium suorum spoliator, eorumque festinus prædator. nec enim hæc duo nomina Christo imposita, Christumque ita nominatum vspiam legimus; rem autem vtroque nomine significatam Christo conuenire notissimum est.

16. VT DET VOBIS SECVNDVM DIVITIAS GLORIAE SVAE, id est, glorioſæ gratiæ suæ, VIRTVTE (græcè δυνάμει, id est fortitudine, constantia & robore spiritus contra omnes persecutiones & tentationes) CORROBORARI, scilicet vt corroboremini in infirmitate naturæ vestræ, PER SPIRITVM EIVS IN INTERIOREM HOMINEM] vt interior homo, id est, mens gratia & spiritu Dei regenerata (hic enim ab Apostolo vocatur *interior homo*, vt dixi Rom. 7. vers. 22.) in eadem gratia, & spiritus fortitudine crescat.

Nota Præpositio *in* cum accusatiuo significat augmentum. Sic dicimur ire de virtute in virtutem: sic dicitur iustitiam Dei in Euangelio reuelari ex fide in fidem. Vide dicta Rom. 1. vers. 17. Regia tamen Biblia, & alia nonnulla legunt *in interiori homine*: & sic Græcum εἰς, cum accusatiuo, sæpè sumitur pro ἐν, id est in, cum ablatiuo. tum-

A que planus est sensus, vt scilicet optet eos corroborari in interiori homine, id est in mente, intellectu, voluntate, cæteriſque internis animæ viribus & potentijs. hæc enim, vel potiùs homo, quatenus ijs constat ijsque viuit, dicitur homo interior: sicut è contrario exterior dicitur idem homo, quatenus sensibus membrisque externis constat, viuit, ijsque operatur & indulget. Hoc ergo sensu homo exterior & interior sumitur naturaliter; priore verò sensu sumitur supernaturaliter. Vide dicta 2. Corinth 4. v. 16. *Quis dicatur homo interior.*

CHRISTVM HABITARE repete, *det vobis Deus* Pater, vt Christus habiter PER FIDEM, &c. VERS. 17.

IN CHARITATE RADICATI ET FVNDATI] supple, Vt ita; aliàs dicendum erat. Radicatis & fundatis. Verùm Romana, & Anselm. iungunt hæc sequentibus sic: *In charitate radicati & fundati vt possitis comprehendere, &c.*

VT POSSITIS COMPREHENDERE, id est animo concipere & intelligere, CVM OMNIBVS SANCTIS] id est Apostolis, ait Ambrosius, Prophetis & Christianis, tum militantibus hic adhuc, tum potiùs in cælo triumphantibus, Deique visione beatis. VERS. 18.

QVAE SIT LATITVDO, ET LONGITVDO, ET SVBLIMITAS, ET PROFVNDVM] Nota Primò, Apostolum hic cum dimensionibus iungere differentias positionum: nam tres tantùm sunt dimensiones, longitudo, latitudo, crassities, altum verò & profundum respondent sursum & deorsum, quæ sunt differentiæ positionum; crassum ergo hîc resolutur in altum & profundum quasi in sua extrema. Itaque hæc quatuor iungenda & distinguenda sunt, non vti sunt in corpore, sed vti sunt in domo, vbi profundum sunt fundamenta, altitudo est tectum, longitudo est longius latus, vel paries, latitudo est breuius latus.

Nota Secundò. Apostolus videtur perstringere fabulas hæreticorum & poëtarum, vti deorum βάθη &c. siue profundum Hesiodi, & dimensiones Christo ab Elxai affictas, de quibus Epiphan. li. 1. cap. 19. & 30. *Elxai*, ait, *describit Christum esse quandam virtutem mensura vigintiquatuor schœnorum in longitudinem, id est, milliariorum nonaginta sex. in latitudinem si hœnorum sex, id est, milliariorum vigintiquatuor. & crassitiem similiter emetitur, & pedes, & fabulamenta reliqua.* Tales etiam fuerunt triginta Æones Valentini. quasi dicat Apostolus: Poëtæ, Valentinus, & hæretici iactant suum deorum βάθος, id est profundum, suum πλήρωμα, id est plenitudinem, longitudinem, latitudinem, altitudinem; sed fabulosè: ego verò hæc ipsa in Christo Christianorum Deo esse prædico & demonstro. *Profundum deorum, & dimensiones Christo affictæ ab Elxai sugillantur ab Apostolo.*

Nota Tertio. Scripturas generalissimè capiendas esse; quia auctor earum Spiritus sanctus vti amplissimum habet intellectum & conceptum, ita & locutionem. Vnde varios intendit sensus etiam litterales, si rei locoque conueniant, maximè si subordinati sint & connexi, omnesque in vnum quasi scopum conspirent & dirigantur. ita S. Augustin lib. 12. Confess. cap. 31. Vnde Apostolus generatim & indeterminatè dicit: *Quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum*, non explicans, nec determinans cuius rei intelligat longitudinem, latitudinem, &c. Quare hunc locum variè admodum & multipliciter explicant Patres, omnesque probabiliter. Vide hîc fœcunditatem sanctæ Scripturæ. *Quintuplex huius loci expositio.*

Prima de dimensionibus & magnitudine mysterij incarnationis Christi.

Dico ergo Primò. Apostolus loquitur hîc de beneficio œconomiæ & redemptionis Christi, qua non tantùm Iudæos, sed & Gentes omnes vocauit ad salutem, gratiam & beatitudinem, vultque hac phrasi significare quàm magnum fuerit hoc mysterium Christi, quamque omnibus numeris & partibus absolutum. sequitur enim, *Scire etiam supereminentē scientiæ charitatem Christi.* Christi ergo, vel charitatis Christi dimensiones hîc describit. Idem patet ex anteced. vers. 3.4.6.8.11.& cæteris, quibus non facit aliud, quàm hoc sacramentum & mysterium Christi deprædicare & admirari. Vnde patet, hunc sensum esse genuinum & propriè intentum ab Apostolo. ita Chrysost. Theoph. Theodor. Oecum. Si singula velis singulis adaptare, ita poteris: *quæ sit latitudo*, id est, quàm latè se extendat hoc mysterium, charitas & beneficentia Christi, videlicet ad omnes gentes & homines, qui ante legem, in lege, post legem, fuerunt, sunt & erunt; *qua longitudo*, id est, quàm longè mysterium hoc prædefinitum fuerit, scilicet ab æterno; *quod sit profundum*, id est, quàm profundè, nimirum ad inferos, virtus Christi se extendat; *quæ sit sublimitas*, id est, quàm sublimiter, putà super omnes cælos, primitias nostras in se Christus euexerit nosque euehet. ita Oecum.

Secunda de dimensionibus diuinitatis.

Possunt Secundò, hæ dimensiones accipi de Christo qua Deus est: vnde sequitur, *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* vbi græcè est πλήρωμα, quod erat vnum ex Æonibus, siue dijs Valentini, cui suum verum πλήρωμα, id est plenitudinē Dei, opponit Apostolus: licet enim omnes dimensiones in Deo vnum sint, vna scilicet immensitas, sitque Deus quasi sphæra quædam intelligibilis sine dimensionibus, vt explicat Ambros. Vnde etiam Empedocles rogatus quid esset Deus, respondit: Est circulus cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam; quia scilicet Deus vbique est totus: nullo tamen cæli terræue ambitu concluditur, sed super cælos per immensa illa spatia vacua in immensum se porrigit eius immensitas. Hinc rectè eam describens Iob c.11.v.8. *Excelsior*, inquit, *cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* Et sic Ambros. hîc per longum, latum, sublime, profundum intelligit immensitatem Dei. has tamen dimensiones in Deo distinguere possumus per analogiam & similitudinem ad creaturas, seu ita vti illæ in creaturis distinguuntur: & sic Dei longitudo est æternitas, latitudo est omnipotentia, vt D.Thom. vel, vt Bernardus & Gregor. est charitas, sublimitas est Dei maiestas, profundum est abyssus iudiciorum & sapientiæ Dei. ita Anselm. D.Thom. Caietan.

Deus sphæra est & circulus.

Deus omnibus excelsior, profundior, longior, latior.

Differentiæ positionum & dimensionum in Deo analogicè explicata.

Et pulcherrimè S.Bernard. lib.5. de Consider. in fine, *Diuina*, ait, *essentia, res vna cùm sit, est tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam. hæc quadriga Dei; comprehendimus hanc duobus brachiis, timoris, & amoris; timor sublimi & profundo, amor longo latoq; respondet. vel quatuor virtutibus; longitudinem enim tenemus & comprehendimus perseuerantia, latitudinem charitate, maiestatem veneratione & adoratione, sapientiam & abyssum iudiciorum timore & humilitate. His etiam quatuor species contemplationis respondent: longitudinem enim comprehendit meditatio promissorum, latitudinem recordatio beneficiorum, sublimitatem contemplatio ma-*

iestatis, profundum inspectio iudiciorum. Hæc Bernardus. Paulò aliter S.Gregorius 11.Moralium c.10. & 11.in illud, *Excelsior cælo*, &c. per latitudinem, accipit charitatem Dei; per longitudinem longanimitatem; per sublimitatem, incomprehensibilitatem Dei, qua à Sanctis in cælo, licet clarissimè visus, nequit comprehendi; per profundum, incomprehensibilitatem iudiciorum Dei in puniendis damnatis.

Tertia de positione dimensionibus crucis Christi.

Potest Tertiò, hic locus accipi de dimensionibus crucis: fuit enim crux instrumentum redemptionis Christi. Vbi Nota. Tres lineæ rectæ tantùm esse possunt, quæ perpendiculariter, id est, ad angulos rectos sese inuicem intersecant, scilicet duæ in plano iacentes, & tertia illis insistens, & vtramque in concursu penetrans in profundum, siue deorsum versus. & hæ tres lineæ faciunt trinam crucem: reliquæ enim præter has tres laterales lineæ sese intersecantes angulos faciunt non rectos, sed acutos. Et hinc Mathematici tres dimensiones, siue quantitatis species collegerunt, longum, latum, crassum, vel profundum, quod hîc habet Apostolus, vt rectè noster Clauius in 1.Euclidis annotauit; hæ ergo dimensiones fiunt per trinam crucem. Vnde & hîc aptè de cruce Christi, & de ea explicari possunt.

Tres lineæ rectæ sese inuicem secantes faciunt trinam crucem.

Pro quo rursum Nota. Gregorius Nyssenus orat.1. de resurrectione vult Apostolum alludere ad quatuor cornua crucis, summumque cornu dici altitudinem, imum dici profundum, & transuersum vnum dici longitudinem; alterum latitudinem. Addunt Basilius, Damasc. & Sedul. apud Iacobum Gretser. lib.1. de Cruce cap.3. causam, cur quatuor has dimensiones & cornua crux habuerit; vt scilicet significaretur, quatuor orbis plagas totumq; terrarum orbem ad crucem seu pertinere, seu vocari. Ideoque Nyssenus crucem vocat vniuersitatis vinculum. Vnde Secundò, Sedulius, *Summum crucis siue altitudo*, inquit, *est Oriens, profundum siue imum, est Occidens; cornu dextrum, est Septentrio; sinistrum, est Meridies.* Tertiò & optimè, longitudo est hastile crucis, latitudo est minus lignum transuersum pro brachijs; altitudo accedit, si crucem erigas (est enim altitudo summitas crucis erectæ) profundum est imum crucis in terra defossum. Sic ferè August. in psalm.103.& epist. 102. *Erat*, ait, *latitudo in qua porrectæ sunt manus, longitudo à terra surgens, in qua erat corpus infixum, altitudo ab illo deuexo sursum quod eminet* (in hoc tantùm nonnihil à nobis differt August.) *profundum vbi fixa erat crux, & ibi spes omnis vitæ nostræ.* De cruce ergo hunc Apostoli locum accipiūt S.Hieron. Nyssen. Beda, Anselm. & pulcherrimè August. serm.7. de verbis Apostoli.

Quatuor cornua crucis, altitudo, profundum, longitudo, latitudo, quæ & via analogiæ.

De cruce interdum intelligunt hunc locum aliqui Patres. Vide disputat. Primò.

Idque Primò, litteraliter iuxta sensum genuinum, quem primo loco dedi, vt longitudo crucis sit æterna eius prædestinatio, latitudo sit vis eius & virtus, quæ ad omnes omnium temporum homines se extendit; profundum sit, quòd vis crucis ad infernum descendit, cùm animas patrum è limbo & Purgatorio liberauit; sublimitas sit, quòd eadem, aliasque complures, in cælum subuexerit.

Rursum iuxta secundum sensum de Christo Deo datum, possumus eadem, quæ ibi dixi, cruci adaptare, vt scilicet communicationem idiomatum Dei in Christo homine crucifixo spectemus, & admiremur in cruce Dei longitudinem, id est, æternum decretum; latitudinem, id est, charitatem

tem & potentiam; altitudinem, id est, maiestatem; profundum, id est, sapientiam, seu hæc omnia quasi cruci affixa, quia eadem cum Deo crucifixa. Adhæc Deum communicasse cruci suæ longitudinẽ, id est æternitatem, vt virtus crucis æterna sit, & quod multi volunt, vt crux Christi quasi trophæũ in cælis in æternum perduret, quodque sic Deus quasi æternarit suam crucem: sic etiam Deum cruci communicasse suam latitudinem, id est potentiam; quia per infirmitatem crucis & mortis potentissimos hostes vicit & contriuit: sic communicasse suam sublimitatem, id est maiestatem, vt scilicet crux ab omnibus adoretur: sic suum profundum, id est sapientiam; quia non potentia, sed summa æquitate, mira arte & sapientia adinuenta, scilicet in carne assumpta crucem & mortẽ subiens, Christus satisfecit Deo pro nostra offensa, sicque per crucem redemit hominem, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.

Secundò, propriè hæ dimensiones crucis vt crux est, accipi possunt. quia enim v. 13. Ephesijs dixerat Apostolus, *Ne deficiatis in tribulationibus meis; sed in iis*, vt ait v. 14. *virtute corroboremini*; hinc stimulum eis addit proponens Christi exemplum, q.d. Oro Deum vt in vestra cruce & tribulatione det vobis cogitare, ac mente comprehendere crucis Christi (vt eâ vos solemini & animetis) profundum, id est, intensionem dolorum & ignominiarum Christi crucifixi: & longitudinem, qua scilicet per triginta quatuor annos, quibus vixit, hanc crucem, hos dolores, vel in corpore, vel in animo, vel in spiritu eos sibi imminere præuidens passus est: & latitudinem, qua scilicet omnibus membris, & animæ potentijs, ab omni hominum genere, imo à Deo, & angelis, à quibus fuit derelictus, & omnia pœnarum genera passus est Christus, omnibusque bonis & fortunæ, & famæ, & honoris, & vitæ est spoliatus: & sublimitatem, qua Christus crucifixus sublimi consideratione, & perfectissima cognitione tum Dei offensi, tum grauitatis offensæ nostræ, tum crucis, & pœnarum sibi suæque personæ, vel illatarum, vel inferendarum, tum plurimorum damnandorum, quibus omnes sui dolores inutiles futuri erant, non solùm in cruce, sed & tota vita grauissimè doluit, & discruciauit se.

Vnde tropologicè, hæc in nos deriuans Anselmus libr. de Mensuratione crucis sub finem: *Crux*, inquit, *est cruciatus cordis quòd Deo non meliùs seruiamus. Debemus ergo habere cruciatum, quòd non tantum*, inquit, *humiliamur ô Domine, quantum debemus, & hoc est profundum crucis; quòd non tantum laudamus & amamus te, quantum bonitas tua exigit, & hæc est sublimitas; quòd non sumus tam fideles, vt alios ad tuam laudem trahamus, & hæc est latitudo; quòd non semper continuamus laudem tuam & hæc est longitudo.*

Tertiò, moraliter hæ dimensiones crucis accipi possunt cum S. Augustino, vt longitudo crucis tum Christi, tum nostræ sit perseuerantia, latitudo sit charitas, sublimitas sit religio, spes, amor, oratio, & omnis cum Deo communicatio & coniunctio, profundum sit arcanum prædestinationis, cur crux vni prosit, alteri non. vnde oritur timor & humilitas profunda. Hæ tres expositiones de cruce possunt accommodari pari modo alijs duabus expositionibus iam dictis, & duabus sequentibus, quartæ scilicet & quintæ iam dicendis.

Igitur potest Quartò, accipi hic locus de dimensionibus spiritualis ædificij, id est, de quadruplici perfectione tum Ecclesiæ Christi, tum animæ cuiuslibet Christianæ, tum charitatis, & consequenter cuiuslibet virtutis Christianæ: præcessit enim, *In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere.* &, *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*, vt scilicet eò referantur hæ dimensiones Vnde de hoc ædificio cap. præced. v. 20. dixit, *Superædificati super fundamentum Apostolorum*, &c. & rursum de eodem agit cap. sequ. v. 12. & 16. ita S. Hieron. August. Anselm. Gregor. homil. 6 in Ezechielem in fine. Ecclesiæ ergo dimensiones hæ sunt: altitudo eius, est cælum, siue cælestis & beata Ierusalem; profundum eius, est infernus: hicenim est Ecclesiæ carcer, cuius sunt partes limbus & Purgatorium; longitudo Ecclesiæ est, quòd sit omnium temporum & sæculorum; latitudo est, quòd sit omnium terrarum & gentium, vel mathematica, vt S. Hieron. Ecclesiæ longitudo est eius diffusio, qua ab Oriente in Occidentem; latitudo, qua à Meridie in Septemtrionẽ porrigitur.

Ecclesiæ, animæ, charitatis, & virtutum.

Quatuor dimensiones Ecclesiæ locales.

Rursum, vt Anselmus, spiritalis Ecclesiæ longitudo, est spes longanimis; latitudo, est charitas; altitudo, est vita cælestis inter angelos: nostra enim conuersatio in cælis est; profundum, est fides, baptismus, & reliqua Ecclesiæ Sacramenta. Pari proportione animæ longitudo est fides, latitudo est spes, altitudo est charitas, profundum est humilitas Vel Secundò, longitudo est perseuerantia, latitudo charitas, altitudo est spes cæli, profundum est timor iudiciorum Dei. Vnde S. August. tom 10. homil 3. inter 50. *Ego*, ait, *hæc Pauli verba sic intelligere soleo, in latitudine bona opera charitatis, in longitudine perseuerantiam vsque in finem, in altitudine spem cælestium præmiorum, in profundo inscrutabilia Dei iudicia, vnde ista Dei gratia in homines venit*: ex quo oritur timor, humilitas, ac solidiras cuiusuis virtutis.

Quatuor spiritales Ecclesiæ dimensiones.

Quatuor animæ dimensiones.

Huc referri potest & altera Hieronymi expositio de nouissimis: *Sublimitas*, inquit, *est cælum, profundum est infernus, media longitudo, & Latitudo est accessus ad vnum vel alterum.*

Quatuor hæ dimensiones sunt quatuor nouissima.

Denique charitati hæc aptari possunt: de ea enim præmisit Apostolus, *In charitate radicati.* & de eadem subdit statim, *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*, quam scilicet Christus in se habet, Christianisque suis communicat. Vnde hæc Vatablus sic explicat: *quæ sit longitudo*, &c. id est, quàm longa, lata, profunda & sublimis sit bonitas Dei. charitatis ergo longitudo, est eius continuatio, & constans perseuerantia; latitudo, est extensio, qua se charitas ad omnes tam angelos, quàm homines, tam inimicos quàm amicos, omnesque creaturas extendit; profundum, est eius intensio & feruor; altitudo, est eius excellentia, & heroici actus v.g. martyrium, quod est quasi apex charitatis; vel altitudo est eius obiectum, & eleuatio, qua charitas ad vnum Deum, quem diligit, se eleuat, & sub eo cuncta continet. Hæc omnia pari ratione applices cuiuis alteri virtuti Christianæ.

Dimensiones bonitatis diuinæ.

Quatuor dimensiones charitatis & cuiuslibet virtutis.

Potest Quintò, accipi hic locus cum Anselmo, quasi anagogicè (præcedens enim fuit quasi tropologia: sed ita, vt vtraque, scilicet tam hæc anagogia, quàm illa tropologia sit litteralis) de dimensionibus ciuitatis, & beatitudinis cælestis, de qua Apocal. 21. v. 16. dicitur: *Longitudo, latitudo, & altitudo eius, æqualia sunt.* sub altitudine etiam profundum accipe: longitudo enim significat æternitatem gaudiorũ, latitudo extensionẽ, altitudo sublimita-

Quinta ea, anagogica harum dimensionum explicatio.

mitatem profundum intensionem, & immersionē in abyssum diuinitatis. Hæc æqualia sunt, quia æquo semper tenore durāt. Vnde hîc ait Apostolus, *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis.* Hoc enim est Beatorum: & hæ dimensiones gaudiorum cæli aptè respondent dimensionibus dolorū crucis Christi, de quibus diximus in tertio sensu. Ex cruce enim, charitate & meritis Christi omnes dimensiones iam dictæ dimanant. quocirca Christi crux & merita earumdē sunt mensura, qua magnū illud ædificium mensuratur. Quocirca qui claram operum & meritorū Christi haberet cognitionē, vti habebat Paulus, ille rectè comprehenderet multiplicē hanc latitudinē, longitudinē, sublimitatem & profunditatē. Hoc insinuat Paulus dum dixit v 8. *Mihi omnium sanctorū minimo data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.* Diuitiæ enim Christi sunt merita, quibus nobis omnes has dimensiones gratiæ & gloriæ promeruit, vt rectè notauit Alcazar Apoc. 21. 15.

Omnes hi sensus veri, omnes satis appositi videntur huic loco, & indefinitæ propositioni Apostoli. Vnde videntur intenti omnes à Spiritu sancto, & diuersis Patribus suggesti: primus tamen maximè videtur genuinus. Sic ergo breuiter & ordinatè omnes complectere, & in vnum collige, vt sensus sit, loquaturque Apostolus de dimensionibus Christi, tum Dei, tum hominis, & peculiariter crucis eius, itemque fructus eius & conformitatis in nobis tum in hac vita, tum in futura: eædē enim sunt dimensiones Christi & Ecclesiæ, quæ Ecclesiæ & animæ cuiuis fideli & sanctæ in Ecclesia à Christo sunt communicatæ.

Omnium sensuum præcedentium anacephalæosis.

VERS. 19. SCIRE ETIAM SVPEREMINENTEM SCIENTIAE CHARITATEM CHRISTI] S. Augustin. epist. 120. & Ambros. legunt, *cognoscere supereminentē scientiam charitatis Christi*: sed Græca & Latina Biblia habent *scientiæ*, non scientiam.

Secundò, S. Hieron. Erasm. & Vatabl. *Scientiæ* accipiunt in genitiuo, q.d. Oro Deū vt det vobis eximiā dilectionē cognitionis & scientiæ, vt aueatis scire & cognoscere mysteria fidei Christianę.

Tertiò & meliùs, alij passim *scientiæ* accipiunt in datiuo; regitur enim à *supereminentem*. q.d. Charitatem, quæ supereminet & præstat scientiæ. Vnde S. Augustin. de Gratia & lib. arbitr. c. 19. *Cùm*, inquit, *dicat Apostolus, Supereminentem scientiæ charitatem Christi, quid insanius, quàm putare ex Deo esse scientiā, quæ subdenda est charitati; & ex hominibus esse charitatem, quæ supereminet scientiæ?* Vbi S. Augustin. hunc locum de scientia & charitate in genere explicat. q.d. Apostolus: Charitas longè antecellit omnem scientiam, vt fusiùs docuit 2. Corinth. 13. Verùm quia Apostolus non absolutè dicit *charitatem*; sed limitat addens, *charitatem Christi*, & quia toto hoc capite deprædicauit charitatem in Christo nobis exhibitam; hinc Quartò & simplicissimè, *charitatem Christi*, id est, quam Christus nobis exhibuit, vocat *supereminentē scientiæ*, id est, maiorem quàm vt sciri, intelligi & comprehendi possit. q.d. Charitas Christi tanta est, vt superet omnem humanam cognitionē & scientiam. ita Theophyl. Oecumen & Ambros. qui ait: *Post Dei Patris infinitam & incomprehensibilem cognitionem, & inenarrabilem clementiam, Christi quoque nos vult agnoscere charitatem, quæ supereminens* (ita enim legendum videtur in Ambrosio, non autem, Supereminentis) *est scientiæ: quis enim potest colligere mysterij huius charitatis rationem, vt & Deus hominis causa homo nascatur, deinde moriatur pro hominibus, pro seruis dominus, pro creaturis creator, pro impiis pius?*

Charitas Dei incomprehensibilis.

VT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITVDINEM DEI] Primò, aliqui apud Theophyl. & Oecum. plenitudo Dei, inquiunt, est sacra Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus. q.d. Vt plenè SS. Trinitatem, eiusque attributa, & dimensiones iam dictas cognoscatis, ametis, adoretis & colatis. Secundò & meliùs, Theophyl. & alij, q.d. Vt sitis pleni omni sapientia, virtute & perfectione, maximè charitate qua plenus est Deus: seu, vt Dei cognitione, amore, omniumque bonorum diuinorum plenitudine impleamini.

EI AVTEM, QVI POTENS EST OMNIA FACERE SVPERABVNDANTER QVAM PETIMVS AVT INTELLIGIMVS] Græcè est clarior sensus & efficacior spiritus: τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, id est, ei, qui potest super omnia facere ex abundanti super ea quæ petimus aut intelligimus, id est, qui potest facere omnia eximiè meliùs, ampliùs & abundantiùs quàm petamus aut intelligamus. q.d. Spero quòd Deus, qui tam liberalis est vt vota nostra superet, & hocce meum votum, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei, implebit & superabit; vtque impleat & superet tacitè eum rogo & obsecro. Nota miosin *potens est*, id est, potest, & reipsa facit, & facere solet. Simile est 2. Corinth. 9. vers. 8. vt ibi dixi.

SECVNDVM VIRTVTEM, QVAE OPERATVR IN NOBIS] κατὰ τὴν δύναμιν, secundùm vim & potentiam, id est, gratiam & spiritum, qui nos potenter ad ardua virtutum opera impellit. quasi dicat, Quòd Deus potens sit, imò velit facere plura quàm petam aut intelligam, patet ex tanta vi & potentia gratiæ ipsius, quam actu dat, quamque in dies experimur super omnem spem & cogitationem nostram.

IPSI GLORIA IN ECCLESIA, ET IN CHRISTO IESV] Græca non habent coniunctionem. &, sicque plenior est sensus. q.d. Glorificetur Deus in vestra Ecclesia per Christum Iesum, à quo tanta bona tantasque gratias accepistis.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ALtera epistolæ pars, scilicet ethica, qua hortatur Ephesios ad mores Christianos, ac imprimis ad vnionem & concordiam, tum in fide, tum in charitate Christi, idq; quinque argumentis.
Primum est, v. 4. quia sumus vnum corpus, & vnus spiritus in Christo.
Secundum, ibidem, quia omnes ad eadem cæli bona quæ speramus, vocati sumus.
Tertium, v. 5. quia omnes vnum habemus Dominum, vnam fidem, vnum baptisma.

Quar-

Quartum, v.6. quia omnes fratres sumus eiusdem Dei Patris.

Quintum, v.7 quia Christus ascendens in calum cuique suam gratiam distribuit, qua quisque contentus sit oportet, nulli inuidens, nihil ambiens, deditq; alios Apostolos, alios doctores, &c. vt singulos fideles, vsque ad finem mundi quasi Christi membra perficiant; itaq; totum Christi corpus, scilicet Ecclesia, in Christi fide, vnitate & charitate crescat & compleatur.

Hinc v.17. hortatur eos vt damnata pristina cæcitate, & carnali immundaq; vita Gentilium, veterem hominem exuant, nouum in Christo induant, vtriusque partes explicans v. 25. scilicet, vt deponant mendacium, loquendo veritatem; abdicent iram, furtum, sermonem malum, amaritudinem, &c. per benignitatem, misericordiam, & condonationem iniuriarum.

1. OBsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, 2. cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, 3. soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. 4. Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. 5. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. 6. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. 7. Vnicuique autem nostrùm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. 8. Propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? 10. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia. 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores, 12. ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: 13. donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: 14. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. 15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: 16. ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. 17. Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, 19. qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. 20. Vos autem non ita didicistis Christum, 21. si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu. 22. deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. 23. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, 24. & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. 25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. 26. Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram. 27. Nolite locum dare diabolo: 28. qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. 30. Et nolite contristare Spiritum sanctũ Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. 31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. 32. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.

1. OBSECRO ITAQVE] q.d. Quia Deus per Christum nos tantis beneficijs affecit, & vos, ô Ephesij, cùm essetis Gentes, æquè ac Iudæos ad suam fidem, gratiam, gloriam vocauit, vt tribus præcedentibus capitibus ostendi; hinc par est, vt tantæ vocationi grati sitis, eaque dignè & christianè viuatis, ac Deo sanctè seruiatis, quod vt faciatis, vos oro & obsecro.

[EGO VINCTVS IN DOMINO] propter Dominum & Domini Euangelium. vide can. 25 De dignitate & gloria horum vinculorum vide hîc Chrysostomum. Symbolicè S. Hieronymus, *Corpus hoc, vinculum & carcer est animæ, è quo exire cupiebat Apostolus, & esse cum Christo.*

A VT DIGNE AMBVLETIS VOCATIONE QVA VOCATI ESTIS] Id est, vt viuatis dignè ad spem, dignè ad Christum, dignè ad Ecclesiam, dignè ad angelos, dignè ad gloriam cælestem: ad hæc enim omnia vocati estis.

Nota, *ambuletis*, id est conuersemini: nam qui ambulat, gressus suos iterat & continuat, vt eodem passu & tenore in via cœpta progrediatur & pergat, itaque ambulet. Hinc *ambulare* Hebræis significat viuendi & agendi consuetudinem, vitæ tenorem, actionum mores.

Interrogabat se crebrò S Bern. *Bernarde ad quid venisti?* interroget se crebrò Christianus: Ad quid Petre venisti? ad quid vocatus es? ambula dignè

voca-

vocatione tua, ambula dignè nomine tuo. Vocatus es ad humilitatem, sobrietatem, sanctimoniam: noli superbire, inebriari, fornicari. Vocatus es ad opus: noli vacare otio. Vocatus es ad colendam vineam, id est animam tuam: vide ne illam lolio & sentibus vitiorum, in gehenna exurendis, repleas. Vocatus es ad bona opera: illis stude, mala fuge. A Christo Christianus appellaris, vt Christum Christianus imiteris: imitare Christum, viue vt Christus vixit, patere quæ Christus passus est.

VERS. 2. *Humilitatis motiua.*

CVM OMNI HVMILITATE ET MANSVETVDINE] *Qui terram*, inquit Hieron. *& cinerem se esse nouit, & post paululum in puluerem dissoluendum, numquam superbia eleuabitur: & qui Dei aeternitate perspecta, breue, & penè ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitarit; ante oculos suos semper habebit interitum, & erit humilis atque dejectus* (vnde & Anselmus, *Humilis*, inquit, *dicitur quasi humi alitus, & mansuetus quasi* B *manu assuetus & ductilis*:) *omnis autem humilitas non tam in sermone, quàm in mente est, vt humiles nos esse conscientia nouerit, & numquam nos vel scire, vel intelligere, vel esse aliquid æstimemus.* Hactenus Hieron. Vnde pro *humilitate* græcè non est ταπείνωσις, id est humilitas, vilitas, abiectio, sed ταπεινοφροσύνη, id est humilis de seipso sensus, siue virtus, qua quis humiliter & modestè de se sentit, opposita superbiæ, quæ magnificè & arroganter de se sentit, magni sua æstimat, alios ac aliorum facta paruipendit. Humilitatis filia est mansuetudo: qui enim humilis est, & mitis, mansuetè cum omnibus agit ac loquitur.

Patientiam quomodo exprimant Hebræi.

CVM PATIENTIA] μακροθυμίας, id est longanimitate, qua homo sit lenis & lentus ad iram; hunc enim Hebræi vocant אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim*; longum naribus, id est longum, siue lentum ad iram. C ira enim vultu & naribus maximè se prodit. Ambrosius vertit, magnanimitatem: qui enim longus est, magnus est, & longanimitas est magnanimitas. Hinc, vt docet Seneca libro de Clementia, viri magnanimi & principes longanimes sunt, nulla re

Virtus est regia.

turbantur vel offenduntur, læsi non se vindicant, sed potiùs omnibus etiam hostibus clementiam exhibent: contrà viles, plebeij, alijque, qui paruo & contracto sunt animo, parumque habent cerebri & iudicij, rebus paruis, parua iniuria, vno verbulo asperiore concitantur ad iram & vindictam, erumpuntque in iurgia & verbera.

SVPPORTANTES INVICEM, vt alter alterius mores ferat, licet sibi suæque conditioni dissimiles, licet rusticos, licet asperos, licet petulantes, licet morosos, licet iracundos, sicque alter alterius onus ferat, vt dixit ad Galatas c. 6. 2. idque IN CHA- D RITATE] id est, per charitatem.

VERS. 3. SOLICITI] σπουδάζοντες, id est studentes, studiosè id agentes, magno studio huic rei incumbentes. S. Augustl. 2. contra litteras Petiliani c. 69. legit, *solicitè agentes*; Syrus vertit, *satagite*.

SERVARE (vt seruetis) VNITATEM SPIRITVS] id est charitatem mutuam, cuius auctor est Spiritus sanctus, inquit Chrysost. Secundò, simplicius, *vnitatem spiritus*, id est, vnitatem mentis, & animi, vt scilicet corporibus licet diuisi & disparati, mente tamen & animis coniuncti, vniti, & quasi vnum sitis. Hæc enim vnio homines etiam debilissimos conseruat, sicuti schisma fortissimos dissoluit: nam concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Vide quàm vnitati & concor-

Quantum sit schismaticum peccatū.

diæ studendum sit, quamque cauendum sit schi- A sma, docentem Chrysost. in morali homil. 11. vbi inter cætera ait, schismatis peccatum ne martyrio quidem posse expiari. quod intellige, si in schismate manens quis pro fide occidatur, & Martyr fiat; tunc enim licet materialiter sit Martyr, formaliter tamen non est: martyrium enim requirit vt Martyr sit in Ecclesia, nec ab ea per schisma se separet. Hanc pacis solicitudinē tuebatur S. Bernard. qui ad Abbatem Præmonstratensem ei offensum ob quemdam è suis monachis ab eo receptum, ita scribit epist. 252. in fine: *Ego*, inquit, *fratres quidquid faciatis, decreui semper diligere vos, etiam non dilectus. Adhærebo vobis, etsi nolitis: adhærebo, etsi nolim ipse. Olim me alligaui forti vinculo, charitate non ficta, illa quæ numquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar iurgiis, vincam obsequiis. Inuitis præstabo, ingratis adiiciam, honorabo & contemnentem.* B *Et nunc tristis est anima mea, quòd quacumque occasione offenderim vos, eritque tristis vsque dum vestra indulgentia releuetur*, &c.

IN VINCVLO PACIS] ἐν συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης, id est, vt Erasmus, in colligatione & concatenatione pacis; S. Augustl. in coniunctione pacis. Vinculum ergo hîc non est vnius, sed duorum, vel plurium, quod scilicet duos vel plures vincit & connectit. Secundò, *in vinculo pacis*, id est, in vinculo quod est ipsa pax: pax enim quasi catena, imò quasi gluten, animos tibi inuicem connectit, consociat, constringit & colligat.

VNVM CORPVS: supple, est omnium fidelium, putà Ecclesiæ, cuius caput est Christus. ET VNVS SPIRITVS] scilicet est, qui per singula membra huius corporis, id est per singulos fideles, discurrens, singulis vitam & motum spiritualem adfert. ita Adamus. Secundò & melius, *vnum corpus & vnus spiritus*, supple sitis. ita Syrus, Theophyl. Vatabl. & alij: omnia enim hæc non asserentis, sed exhortantis sunt. Vnde subdit:

SICVT VOCATI ESTIS IN VNA SPE VOCATIONIS VESTRAE] q. d. Ita seruate vnitatem spiritus, vt sitis quasi vnum corpus & vnus spiritus, vt videamini omnes esse vnus homo, constans eodem corpore, eadem anima, eodem spiritu: *sicut vocati estis in vna spe*, id est, ad vnam eamdemque spem salutis, immortalitatis & gloriæ cælestis. sic enim respublica & Ecclesia dicitur esse vnus homo ciuilis, vel vnum corpus ciuicum & politicum, quod eadem lege, concordia, charitate & spiritu vnitur & animatur, atque ad eumdem finem, scilicet bonam beatamque vitam, tendit & conspirat.

Nota. Magnus stimulus ad vnionem & concordiam est spes vocationis, qua omnes vocati sumus ad cernendam eamdē æternam hereditatem Dei Patris; cùm ergo illa breui fruituri simus, & à terra in cælum vocemur, ibique amicissimè, lætissimè, felicissimè in omnem æternitatem simul victuri simus, quid hîc de gleba terræ albæ, vel rubræ litigamus? quin ad cælum omnes simul connitimur? Si quis hanc spem aspexisset, si quis in cælo consisteret cum beatis illis mentibus, & terram hanc exiguam dispiceret, exclamaret sanè: Hoc est punctum quod inter mortales ferro & igne diuiditur. O quàm anguſti sunt mortalium termini! quàm anguſti mortalium animi!

VNVS DOMINVS, VNA FIDES, VNVM BA- VER. 5. PTISMA] supple, est. q. d. Omnibus Christianis vnus est Dominus, vna est fides Christiana, vnum

Rome damnati Ung Vog Ung Bo. nrg baptis-
Eph. Hecho pl. 2 Gron. f. 243.

baptisma, quo renati & Christiani effecti sunt. cùm ergo vnum omnes habeamus Dominum, vnam fidem, vnum baptisma; quid restat nisi vt tot vinculis colligati, imò vniti, amemus, colamus & seruemus hanc spiritus vnitatem? ita Parisijs (quæ Christianissimi regis est regia) hoc vnitatis tam regis & legis quàm Dei & fidei emblema & symbolum portæ S. Antonij inscriptum visitur:

Vn Dieu, vne foy;
Vn Roy, vne loy.

Nota Primò. Deus Hebræis vocatur אֲדֹנָי *Adonai*, id est Dominus, quia vnus ipse est vniuersalis & summus cæli & terræ, angelorum hominumq; Dominus. Hinc Attalus Martyr, à tyranno per cõtemptum rogatus, quod nomen Deus haberet? respondit: Qui plures sunt, nominibus discernuntur; qui autem vnus est, non indiget nomine, testis est Eusebius lib. 6. histor. c. 3.

Nota Secundò. Vna est fides, quæ ad Deum & salutem nos ducit, non multæ, vnus est Dominus, non multi. planè ergo aberrant, & in errorem ac æternam perniciem abducunt Politici & Libertini nostri, qui tam in fide Lutheri, Caluini, Mennonis, & quauis alia, quàm in vna vera Catholica Romana fide salutem suis promittunt, dummodo Christum redemptorem esse credant, & honestè viuant; certum enim est has non vnam esse, sed alias & alias fides: Apostolus autem docet vnam tantùm esse fidem veram, quæ recta est ad salutẽ via. Vnde sequitur, alias & diuersas ab hac vera fide, imò illi contrarias, non fidem, sed perfidiam esse, quæ ducit non ad cælum, sed ad gehennam.

Rursum, sicut vnus Dominus noster & redemptor Christus diuinitate & humanitate constat, vt qui vel deitatem, vel humanitatem, vel animam aut mentem, aut voluntatem humanam ei ademerit, hic vnum hunc Dominum nostrum de medio tollat. Et sicut vnum baptisma suis integratur partibus; vt qui non aqua, sed vino baptizare velit, aut non in nomine Trinitatis, sed solius vel Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti, aut in nomine angelorum; hic vnum & verum baptisma euertit, & de medio tollit: ita qui vnum fidei articulum, aut vnam propositionem fidei essentialem pertinaciter negat, hic vnam veramq; fidem euertit, nec fidelis, sed infidelis est. Sicut enim Christus & baptisma suis partibus, ita & fides suis articulis integratur & componitur. Quisquis hîc hæres & fluctuas, hæc sedulò perpende, & quàm tibi curæ & cordi est æterna salus tua, tam seriò & studiosè hanc vnam, veram, canam & priscam omnium sæculorum fidem quære, amplectere, sectare.

Ita S. Valerianus sponsus S. Cæciliæ, ab ea missus ad S. Vrbanum Pont. vt ab illo baptizaretur, cùm eumdem adiret, vidit senioremnitentem vestibus, qui hunc titulum aureis literis scriptum manu tenebat: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super omnia, & in omnibus nobis est.* Additq́ue, *Credis ita esse?* Respondit Valerianus, *Non est aliud, quod verius possit credi sub cælo.* Mox S. Vrbanus eum baptizauit. Est ergo hæc sententia fidei orthodoxæ tessera, & Symboli Apostolici breuiariũ. Sic rem hanc narrant Acta S. Cæciliæ, quæ ex antiquissimis Roman. biblioth. exemplaribus, pura & sincera edidit Antonius Bosius I.V.D.

Ita Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Rusticus & Seruus subdiaconi, Rogatus, Septimus & Maximus monachi, ex monasterio Carthaginem pertracti, primùm blanditijs ad Arrianã perfidiam solicitati sunt. Illi verò vno ore & animo suam coram omnibus confessi sunt fidem dicentes: *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: nec poterit in nobis iterari, quod in doctrina Euangelij semel dari præceptum est: Quia qui semel lotus est, non habet necesse vt denuò lauetur, sed mundus est totus. Satius est momentanea perferre supplicia, quàm æterna subire tormenta.* Iubet rex nauem sarmentis impleri, confessoresq́ue ligatos superimponi, igneq́ue subiecto, & naui in pelagi medium promota concremari. Illi magna cum fiducia cantabant, *Gloria in excelsis Deo. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Dei nostri supplicia perferemus, ne acquisita fidei vadumentum amittamus.* Ignis cùm accenderetur sæpiùs, extinctus est. Ergo rubore & furore perculsus rex mandauit eos remorum vectibus necari. ita Victor Vticensis lib. 3. Wandal. persecut.

Ephes. 4.

Ioan. 13.

Monachorũ pro fide Catholica constantia.

VNVM BAPTISMA] *Contra Valentinum hoc fecit,* inquit Hieron. *qui duo baptismata esse contendit; & contra omnes hæreticos, vt sciant non habere se baptisma, sed in vna Christi Ecclesia fontem esse vitalem.* Vbi Hieron. videtur dicere hæreticos non habere baptismum, nec eorum baptismum esse validum, ac cõsequenter qui ab eis baptizantur, debere rebaptizari: qui error fuit S. Cypriani, scilicet vnum baptisma dici, quod ab vna & in vna Ecclesia Catholica confertur; ac proinde hæreticos, qui extra Ecclesiam baptismum conferunt, non verum, sed falsum baptisma conferre, ac consequenter ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sed ab hoc errore excusandus est S. Hieronymus; tantùm enim vult asserere contra Valentinum, non duo, scilicet hæreticorum vnum, secundum Catholicorum; sed vnum tantùm esse baptisma, illud scilicet quod est in Ecclesia Catholica; quod tamen si vsurpent hæretici, verum baptisma vsurpant, vereq́ue baptizant: sin aliud suum baptisma, putà aliam baptismi materiam, vel formam inducant, baptismum falsum & qui non est, inducunt, vt qui sic baptizati sunt, non sint baptizati, sed rebaptizari, imò primò baptizari debeant.

Error Valentini de duplici baptismate.

S. Hieronymus abest ab errore S. Cypriani de baptisma hæreticorum.

Secundò, S. Augustin. *Vnum baptisma vocatur,* inquit, *quod iterari non debet: semel enim baptizatus, secundò baptizari non debet.*

Tertiò, S. Hieron. *Vnum baptisma* dicitur, quia licet ter baptizemur (id est, ter mergamur, vel tingamur aqua in baptismo) propter mysterium Trinitatis; tamen vnum baptisma reputatur.

Variæ rationes ob quas baptisma vocetur vnum.

Quartò & genuinè: sicut est vna vera fides sic vnum tantùm est verum baptisma, scilicet illud, quod Ecclesiæ datum est à Christo, suam habens materiam, scilicet aquam, & suam verborum formam, à Christo institutam, vt abluendo corpus, dicendoq́ue Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, baptizati animam à peccatis omnibus abluamus: qui enim alium baptismum, vel aliam baptismi materiam aut formam afferret, vnum veruméque baptisma tolleret, & secundum falsum mendacemq́ue baptismum induceret.

Hæc est ergo tessera fidei nostræ: *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* Sicut tessera mahometismi est: *Vnus est Deus & Mahomet consiliarius eius.* Tessera Arrianorum erat: *Filius est ὁμοιούσιος, non ὁμοούσιος Patri*, hoc est, Filius est similis substantiæ cum Patre, non eiusdẽ. Hinc Arriani nouum quasi Deum, nouam

nouam fidem, nouum baptisma inuexerunt, atque adeò curabant Catholicos rebaptizari suo more, vt ita inchoarent & profiterentur arrianismum. Suggessit impium hoc consilium Hunerico regi Cyrilla Episcopus Arrianus. Hunericus ergo iussit omnes Catholicos ab Arrianis rebaptizari, sub pœnis exilij, carceris & mortis. Sed Catholici licet extrema paterentur, in fide steterunt.

VERS. 6. VNVS DEVS, ET PATER OMNIVM, QVI EST SVPER OMNES, ET PER OMNIA, ET IN OMNIBVS NOBIS] Supple id, quod hinc intendit inferre Apostolus, Ergo omnes fratres sumus & filij eiusdem Dei Patris, ac proinde tamquam fratres inuicem diligere, & spiritus vnitatē seruare debemus, quia in eadem Dei patris nostri domo, scilicet Ecclesia, versamur viuimusque.

Quomodo Deus super omnes, per omnia & in omnibus.

Nota. Deus est *super omnes* per maiestatem, potentiam & imperium diuinum & transcendens: est *per omnia*, quia per potentiam & sapientem gubernationem, operationem, efficaciam, per omnia commeat & transcurrit: est *in omnibus* per essentiam, amicam vnionem, & cōtinentiam omnium: *in nobis* etiam Christianis & iustis est per gratiam & sanctitatem. ita Hieron. Theoph. Anselm.

Æones Valentini & dij Poëtarū perstricti.

Nota Secundò. Græcum ὅτι πάντων, verti potest, qui est super omnia; Noster tamen interpres maluit vertere, *qui est super omnes*, scilicet deos, vt perstringat Æones Valentini, deosque Simonis Magi, Hesiodi & Poëtarum: quod hac epistola sæpè facit Apostolus, vt in præced. annotaui.

Pater hîc significat Deum trinum.

Nota Tertiò. Per Deum & Patrem accipiunt aliqui primam personam Sanctissimæ Trinitatis, illique hæc tria attribuunt, quòd sit super omnia, per omnia, & in omnibus. Verùm melius Hieron. & alij, nomen Patris hîc non respectu Filij, & Verbi æterni, sed respectu creaturarum accipiunt, vt sit commune toti Sanctissimæ Trinitati: hæc enim est Deus, & pater omnium. illius deinde tres personas designat, cùm ait, *Qui est super omnia, per omnia, & in omnibus. Super omnia* enim appropriatur Patri, & respondet illi, quod dixit Rom. 11. v. vlt. *à quo omnia*; qui enim est super omnes & omnia, hic auctor est omnium: *per omnia*, appropriatur Filio: *in omnibus*, Spiritui sancto. ita Hieron.

Deo Filio tribuitur διὰ, id est per.

Nota Quartò. Deo Filio tribuitur διά, hoc est, *per*, quia sicut per ipsum creata sunt omnia, ita & per ipsum omnia gubernantur, diriguntur, perficiuntur. Sic Zeno Stoicorum parens apud Laërtium, Δία μὲν γάρ φασι δι' ὃ τὰ πάντα ζῇ, Ζῆνα δὲ καλεῖσι παρ' ὅσον ζῆν αἴτιός ἐστιν: vocant, inquit, Iouem Δία, quòd per ipsum sint omnia, eumdē verò vocant Ζῆνα, quòd vitæ sit auctor. Vnde concludit & canit Virgilius,

Deum ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, cælumq; profundum.

Ex eo enim quòd per Deum creata sint omnia, sequitur omnia per Deum conseruari, consistere & gubernari, Deumque per omnia penetrare & peruadere tum potentia & efficacia, tum præsentia & essentia sua.

VERS. 7. VNICVIQVE AVTEM NOSTRVM DATA EST GRATIA SECVNDVM MENSVRAM DONATIONIS CHRISTI] Id est, cuique data est gratia non vna & par, sed varia & dispar, huic maior, illi minor; data inquam non ex merito, vel mensura meritorum nostrorū, sed ex mensura gratuitæ donationis Christi, cui placuit donare huic illam mensuram gratiæ, illi istam, alteri aliam.

Mensura gratiæ non datur ex meritis.

A Est hîc quintum argumentū, quo Paulus, vt dixi initio, Ephesios excitat ad charitatem mutuam, q.d. Non est quòd minor in gratia inuideat maiori, nec est quòd superbiat maior, & minorē contemnat, (hæc est enim radix discordiæ, quæ omnē vnionem & concordiam disturbat) quia tam donum, quàm doni sui mensuram vterque accepit à Deo, qui cuique suam doni mensuram quam illi conuenire præuidit, admensus est ex infinita sua liberalitate & sapientia, in qua omnes conquiescere debent, illique gratias agere, eamque tam in suis, quàm in aliorum donis laudare & celebrare: non enim nisi optimè & sapientissimè sua dona emetiri & distribuere potuit is, qui spirituum ponderator est & Dominus.

B Nota tamen, sæpè Deum mensuram gratiæ suæ admetiri mēsuræ dispositionis nostræ; vt quo maior, vel minor fuerit dispositio, eo maiorem vel minorem det gratiam: sed & hæc dispositio à Dei gratia inchoari & manare debet. *Deus*, inquit Hieron. *cuius magnificentiæ non est numerus, non dat spiritum ad mensuram, sed iuxta mensuram vasculorum infundit liquorem, tantum muneris largiens, quantum potest ille cui donatur accipere.* Addit & similitudinē: *Sicut*, inquit, *mare in se immensum est, sed quisque ex eo haurit, quantum capere potest & portare: sic Spiritus sanctus in se immensus est, sed cuique ex eo datur tantum, quantum expedit, & capere potest.*

PROPTER QVOD, vt scilicet ostendat Christum ex sua liberalitate donare & distribuere cuique mensuram suæ gratiæ, DICIT sacra Scriptura, & Spiritus sanctus per os Dauidis psalm. 67. ASCENDENS IN ALTVM CAPTIVAM DVXIT CAPTIVITATEM] Nota. Psalm. 67. Regius Propheta sub typo triumphi Israelis de suis hostibus (quem obiter quasi ad eum alludendo perstringit) canit Christi & Ecclesiæ triumphū de Christi ascensione, Spiritus sancti missione, Gentium per Apostolos conuersione. Sic psalm. 71. & 88. regnum Messiæ per typum regni Salomonis depingit. Sic Isaias c. 14. casum Regis Babyloniorum, & Ezechiel c. 28. casum regis Tyri describit per casum Luciferi, & diaboli. Itaque hisce & similibus locis sacra Scriptura duos habet sensus litterales: vtrumque enim sensum, scilicet tam typi, quàm antitypi, tam allegoriæ vel parabolæ, quàm rei per illam significatę complectitur, vnumq; refert & ordinat ad alium, quod alibi pluribus demonstraui.

Sic hoc psalmo 67. sensus typi est triumphus Israelis, tum de Pharaone per Moysem, tum de Philistæis, alijsque hostibus per Dauidem. Vnde ait, *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis, in Sinai, in sancto.* q.d. Currus, quibus Deus ad pugnam & triumphum inuehitur, in infinitum multiplicati sunt; quia hi currus sunt infinita angelorum lætantium millia, quibus victoriam nobis peperit. Dominus enim in eis inequitat in templo sancto suo, cuius symbolo Cherubini efficti sunt in eo quasi currus Dei; sicut olim in Sina (more enim Hebræo intelligitur caph similitudinis, id est sicut; *in Sina*, id est, sicut in Sina) dans legem, hunc currum Cherubim primò fieri iussit, eique inequitauit quasi triumphans de Pharaone iam contrito: Cherubini enim Mosis, vti & Ezechielis c. 1. erant quasi currus regalis & triumphalis Dei.

Sequitur in psalmo: *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* q.d. Victi Do-

Domine, & triumphasti, & quasi victor & triumphator in altum capitolium ascendisti; quando Pharaone occiso primùm in Sina, deinde Philistæis prostratis in Sion cum arca & populo tuo ascendisti. *Cepisti captiuitatem*, id est Hebræos, qui à Pharaone, quique à Philistæis tenebantur captiui, liberasti, tuos captiuos fecisti, tibi asseruisti & subiecisti, ipsos etiam Philistæos altosque hostes tuos & Dauidis captiuos fecisti. *Accepisti dona in hominibus*, id est, diripuisti manubias & spolia Ægyptiorum & Philistinorum, vt ea quasi dona dares hominibus, & populo tuo Israel.

Iam Secundò, sensus antitypi, siue rei per typum iam dictum significatæ est triumphus Christi per triumphum Mosis, Dauidis & Israelis adumbratus & significatus: Christo enim cum triumpho in cælum ascendenti longè verius & clarius hæc conueniunt, quàm Israeli. Vnde ait, *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis, in Sina in sancto.* q.d. Currum Christi Dei nostri triumphalem stipant aguntque multæ angelorum myriades instar curruum & phalangum innumerabilium, lætantes & iubilantes iô triumphe; & Dominus Christus inter eos & super eos quasi inequitans in sanctum suum cælum & thronum gloriæ inuehitur cum tali, imò longè maiori pompa & maiestate, quàm olim ijsdem stipatus de Pharaone triumphans, in Sina se gloriosè per fulgura, tonitrua, tubæ clangorem, fumum flammamque ostendit, & legem dedit Israeli.

Sequitur: *Ascendisti*, quasi triumphator, *in cælum* empyreum, *cepisti captiuitatem*, vel, vt Apostolus, *captiuam duxit captiuitatem*, (mutat enim secundā personam in tertiam, cœperat enim de Christo loqui in tertia persona) duplicem scilicet, vt rectè Theophyl. Primò, actiuam, scilicet peccatū, mortem, diabolum, infernum, idola, tyrannos, qui nos captiuauerant, Christus in triumphum duxit, ita Chrysost. & Vatablus. Secundò, passiuam, vt Hieron. & alij, scilicet Patriarchas, Prophetas altosque Sanctos erutos captiuitate inferni, sanctaque & beata iam Christi captiuitate captiuos Christus triumphans secum in cælum duxit. Ita passim Patres, & patet hîc ex Apostolo.

Nota. *Captiuitas* in abstracto ponitur pro concreto, pro captiuis scilicet passiuè, vel actiuè pro captiuantibus, vt dixi.

Secundò, *capere captiuitatem* Hebræis non est aliud quàm capere, captiuos facere, vinctos ducere, siue hi captiui antea ab alio capti fuerint, siue non. Vnde in libris Regum Dauid & alij dicuntur capere, vel abducere captiuitatem, cùm hostes suos liberos, quibuscum conflixerant, à se deuictos primò captiuos sibi faciunt.

Tertiò, Euthymius sic exponit: *ascendisti, ô Christe, in altum*, id est, in altam & triumphalem crucem, qua vicisti & triumphasti, omnesq; nos, quos redemisti, cepisti, & tuos captiuos fecisti. Vnde ipsemet ait, *Cùm exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Hic sensus non est litteralis, sed accommodatitius & præambulus litterali: ad litteram enim agit de triumpho Christi post mortem & crucem, cùm victor ascendit in cælum, vt explicat hîc Apostolus.

Quartò, pro *ascendens*, græcè est ἀναβὰς, *cùm ascendisset*, &c. *dedit dona*; non enim propriè de ascensu Christi intendit agere Apostolus, sed de distributione donorum quæ post ascensum ex cælo misit, & distribuit in Apostolos aliosque fideles.

DEDIT DONA HOMINIBVS] Dices, Psal. 67 19. dicitur, *Accepisti dona in hominibus.* quomodo ergo pro *accepisti* vel *accepit*, Apostolus dicit *dedit*? *Cur Apostolus hîc pro accepit dona dixerit dedit? quinque rationes.*

Respondet Primò, S. Augustinus. Christus accepit hæc dona non in se, sed in corpore suo, quod est Ecclesia, dedit verò eadem Ecclesiæ suæ, quatenus illius est caput. Hoc verum est, sed quæstioni non videtur satisfacere: nam alium sensum Pauli, aliū Dauidis inducit, cùm vnum eumdemque esse oporteat. Adde, reuera sic mutari personam: alia enim est persona Christi, alia Ecclesiæ; hic autem vnus idemque est, qui in psalmo dicitur dona accepisse; & qui à Paulo dicitur eadem dedisse.

Secundò, S. Hieron. Loquitur, inquit, Psaltes ante Christi incarnationem; tunc enim Christus qua Deus dona hæc à Patre accepit, vt post incarnationem ea daret hominibus. Vnde & iam natus dedit ea hominibus, vt hîc ait Apostolus.

Tertiò, Iansenius in psalm. 67. Mutat, inquit, Apostolus *accepit* in *dedit*, vt significet quòd Deus non accepit dona in hominibus, & ab hominibus, nisi quæ priùs illis dedit.

Quartò, Theodoret. Christus, ait, dat dona, & dona accipit, quia hæc dona à Christo data, in Christi gloriam cedere & expendi debent. Et Euthymius in psal. 67. A quibus, inquit, Deus accepit fidem, fidelem scilicet donorum vsum, & fidele obsequium ac gratiarum actionem, hisce dat sua dona. Sic & Theophyl. Christus, inquit, qui hominibus dat sua charismata, ab ijsdem accipit ministerium, quique charisma accipit non vt otietur, sed vt negotietur, Christoque cum fœnore reddat, illud accipit. Sed & his obstat ratio contra primam explicationem allata.

Quintò, planè & genuinè, *accepisti dona in hominibus*, id est, pro hominibus, propter homines. Hebræū enim *bet*, id est in, sumitur hîc, vti & aliàs, pro בַּעֲבוּר *baabur*, id est propter, vel pro ל *lamed* datiui q.d. Accepit Christus à Patre dona, quæ daret, quæque de facto dedit hominibus, vti explicat hîc Paulus, & sic idem est accipere, quod dare: Christus enim hæc dona accepit, non vt sibi seruaret, sed vt ea daret hominibus.

Vnde Hebræum לָקַח *lacach*, id est accipere, subinde significat dare, seu afferre, teste Aben Ezra & R. Salomone, vt Genes. 38. v. 6. *Dedit Iudas vxorē primogenito suo*, pro *dedit* hebraicè est *lacach*. Exodi 25. v. 2. hebraicè est וְיִקְחוּ לִי תְּרוּמָה *vaickechu li terumа*, id est *accipient* (hoc est dent vel afferāt) *mihi oblationem*. Sic 3. Reg. 17. v. 10. *Da mihi paululū aquæ.* hebraicè pro *da* est *accipe*. Sic Osee vlt. 3. *Omnē tollē iniquitatem, & accipe* (id est da) *bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*. Sic hîc *accepisti*, id est dedisti vel adauxisti dona hominibus. ita Chaldæus. Est metalepsis: quia enim dona daturi, vt pecuniā, solemus priùs eam ex arca aut aliunde accipere; hinc *accipere* ad dandum sumitur pro *dare*.

Posset Secundò verti, *emisti dona hominibus*, vel *propter homines*. *Emisti*, scilicet pretio sanguinis tui, ô Christe. *lacach* enim subinde emere significat, vt patet Prouerb. vlt. 16. & 4. Reg. 5. 26. Hinc ea quæ venduntur & emuntur, purà merces, vocantur מִקָּחוֹת *mickechot*. *Dona quæ Christus dedit, sunt dona Spiritus sancti.*

Dona hæc sunt dona Spiritus sancti, quæ in Pentecoste, & deinceps Christus triumphator in

Apostolos & Christianos sparsit, vt solét in triumpho ad commune omnium gaudium missilia munera, & pecunia in populum spargi. ita Genebrardus in psal. 67. Ambros. & Hieron. hic. Scilicet hæc dona sunt quæ sequuntur; putà apostolatus, doctoratus, prophetia, &c. quæ ad hoc distribuit Christus, vt singulos fideles, ac consequenter totũ corpus suum, nimirum Ecclesiam, in vna veraque sua fide & charitate ædificent & perficiant: omnia enim hæc spectant ad excitandam in Ephesiis vnionem & concordiam in fide & charitate, vt dixi in argumento.

VERS. 9. QVOD ASCENDIT, QVID EST, NISI QVIA ET DESCENDIT PRIMVM IN INFERIORES PARTES TERRÆ?] Id est, quod Dauid psal 67. iam citato dicit Christum ascendisse, quid innuit, nisi quòd antè iam Christus descenderat *in inferiores*, εἰς τὰ κατώτερα, id est, in infimas (vt vertit Vatablus, quin & ipsemet Beza) partes terræ?

Hoc loco & alijs similibus confirmatur ille fidei articulus quo credimus, & dicimus de Christo, *Descendit ad inferos*; quòd scilicet corpore Christi sepulto anima eius descenderit ad inferos, putà ad limbum patrum. Negant hoc Caluinus & Beza, qui per inferos intelligunt sepulchrum, vt idem sit, *descendit ad inferos*, quod *sepultus est*. Sed sic Apostoli absurdam committerent tautologiam in Symbolo, cùm dicunt, *passus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos.* vocem enim *sepultus*, quæ clarissima est, explicarent per obscuram & ambiguam, scilicet per *descendit ad inferos*.

Error Caluinistarum & Bezæ circa articulum, Descendit ad inferos, eò confutatur.

Rursum Apostolus ait hîc Christum descendisse in infimas partes terræ: quæ sunt infimæ partes terræ, nisi infernus propriè dictus, qui est in medio terræ circa eius centrum? Respondet Beza, infimas partes terræ vocari terram ipsam, quæ est infima pars mundi. Contrà Apostolus non ait Christum descendisse in infimas partes mundi, sed terræ; ergo inuertis, ô Beza, & distorques verba Pauli, si non imas terræ, sed mundi partes accipias. mundi enim Paulus ne meminit quidem; cur ergo illud Pauli verbis in se claris & perfectis adijcis & apponis? Si hoc dicere voluisset Paulus, quod tu ipse vis, debuisset profectò dicere, Christum in terram, quæ mundi pars vltima est, descendisse. Sic cùm dico, Prætor descendit in imas partes carceris, intelligis, & intelligunt omnes me dicere eum descendisse in profundissima loca carceris, non autem domus in qua carcer est: cur non hîc similiter per imas terræ partes, imas, non mundi, sed terræ, vt verba sonant, intelligamus? Vide, quæso, Nouantes istos, qui vni Scripturæ, eiusque verbis niti volunt, quàm ea suis interpretationibus lancinent & distorqueant, ac proinde quàm non Scripturæ, sed suo commento, suique cerebri figmentis nitantur, ad eaque Scripturam volentem nolentem trahant cogantque.

Christus verè descendit ad inferos, & non tantùm ad sepulchrũ.

Rursum subdit Apostolus: *Qui descendit*, supple in infimas partes terræ, vt præcessit, *ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* q. d. Christus altissimè ascendit super omnes cælos, quia profundissimè se humiliauit, & descendit ad imas partes terræ, scilicet ad infernum, ficque summa & infima compleuit, & per consequens intermedia quoque, atque adeò omnia: si enim Christus non descendit ad limbum patrum, vbi erat potior pars Ecclesiæ, totque Sanctorum millia, omnium scilicet, qui ab Adamo ad Christum vsque vixerunt per quatuor penè annorum millia; ergo non adimpleuit omnia, quod tamen asserit Apostolus. Denique ita explicant Patres. S. Hieronymus. *Inferiora terræ*, inquit, *infernus accipitur, ad quem Dominus noster Saluator que descendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret.* Et hoc innuit Apostolus, cùm ait, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, quam scilicet ad infernum descendens inde liberarat. Ambrosius. *Descendit*, inquit, *Christus in cor terræ, vt occisio eius prædicatio esset mortuorum. vt quotquot eius essent cupidi, liberarentur.* Chrysostomus, & Theophylactus, *Descendit*, inquiunt, *ad infimas partes, posti quas non est aliud quid; & ascendit super omnia, vltra quæ non sunt alia.* Anselmus inferiores partes terræ vocat loca inferorum, *Illuc enim*, inquit, *secundùm animam descendit Christus, vt suos omnes potenter inde educeret.*

In limbo, ad quem Christus descendit, erat potior pars Ecclesiæ.

Dices: Christus descendit in limbum patrum, non autem in infernum damnatorum; ergo non descendit ad infima terræ.

Respondeo, Limbus, Purgatorium, infernus, generaliter loquendo, vnus sunt locus, scilicet terræ infimus, vnoque nomine vocantur & dicuntur Infernus. Ita Patres citati.

Quæres: Cur inferni meminit hîc Apostolus, quidue hic Christi descensus facit ad eius scopum, qui est hortari Ephesios ad vnionem & concordiam? Respondet Theophylactus, per hunc descẽsum Christi hortatur Apostolos Ephesius ad humilitatem quæ est mater concordiæ, sicut superbia mater est inuidiæ & discordiæ. Tangit ergo Apostolus radicem mali: cur enim in Ecclesia, vrbe, familia iurgia sint & schismata, causa est, quòd alij alijs eminere velint, alij id pati nolint. q. d. ait Theophylactus, Sicut Christus non recusauit descendere profundissimè: sic & vos, ô Christiani, per humilitatem dimittite, alijsque condescendite & obsecundate, vt vnionem mutuam conseruetis: nec est quòd timeatis hunc descensum honori vestro nociturum; quemadmodum enim Christo nõ nocuit, ita nec vobis nocebit. Imò sicut Christus ideò altissimè super omnes cælos ascendit, quia profundissimè infra terram se demisit, ac descendit: ita quo profundiùs vos demiseritis, eo altiùs exaltabimini. Ita contigit S. Francisco cæteris que Sanctis.

VERS. QVI DESCENDIT, IPSE EST ET QVI ASCENDIT SVPER OMNES CÆLOS] *Descendit & ascendit*, sunt hîc præteriti temporis: hoc enim significat Græcum καταβὰς & ἀναβὰς. *Curiosi hominis*, inquit Beza, *hic disceptant super cælos nullum esse locum, itaque corpus Christi esse ἀπερίγραπτον. at nos*, inquit, *credimus Christi corpus finitum, & animam in cælos ascendisse, & ad dexteram Patris sedere, nec ante diem iudicij inde venturum. cætera curiosis sophistis vexanda relinquamus.* Verùm, curiosum non est Scripturæ sensum rimari, quem ipsa suggerit & obijcit, imò exprimit. Secundò, ex terminis patet, *super cælos* non esse idem quod *in cælos*, vt ipse vult. Tertiò, non ideo ἀπερίγραπτον, id est incircumscriptum, hoc est infinitum, Christi corpus est, quia in illis est spatijs vacuis, quæ super cælos sunt: suis enim dimensionibus, figura & quantitate circumscribitur & terminatur, licet extrinsecus ab aëre alioue corpore ambiente non circumscribatur.

Est

Est ergo secunda sententia nonnullorum Catholicorum, qui dicunt Christum ascendisse supra, id est super omnes cælos, eo sensu quo quis dicitur ascendere super arborem, cùm supra partem arboris, putà supra truncum in ramos ascendit, etiamsi totam arborem, ipsumque arboris verticem non superet aut transcendat. Verùm Græcum ὑπερέχω plus significat: est enim compositum ex ὑπὲρ, id est super, & ἄνω, hoc est supra. q.d. Super supra, id est, omnino super omnes cælos Christus ascendit. Vnde Beza vertit, *longè super omnes cælos ascendit*. Sed responderi posset ὑπερέχω pro ὑπὲρ capi, sic enim capitur alibi. Vnde hæc sententia est probabilis, eamque sequitur noster Lessius libr. 3. de Summo bono cap. 8.

Tertiò, probabiliter dici potest, per omnes cælos hic intelligi omnes cælos æthereos, vulgo & Philosophis cognitos. q.d. Christus super omnes cælos æthereos ascendit in ipsum cælum empyreũ. Verùm cùm Apostolus absolutè omnes cælos nominet, cur vocem *omnes* restringamus ad solos æthereos? Adde, sic nihil rari aut proprij de Christo dici: omnibus enim Sanctis hoc commune est, vt super omnes cælos æthereos ascendat ad cælum empyreum.

Dico ergo Quartò, Si propriè & simpliciter accipiamus verba Apostoli sicuti sonant, vti accipiẽda videntur, cùm nihil obstet, admittendum esse Christum super omnes cælos, etiam empyreum, ascendisse, vt super illud emineat, sitque in spatio illo inani quod est super cælum, vel parte corporis sui, vel etiam toto corpore, ita vt pedibus suis insistat conuexæ superficiei cæli empyrei. Ita D. Thomas, Anselmus, Paludanus, Caietanus, quos citat & sequitur Franc. Suarez 3. p. quæst. 58. & videntur idem sentire Chrysost. Theophyl. Oecumen. cùm, vt suprà dixi, asserunt Christum ascendisse supra omnia, vltra quæ non sunt alia. Est ergo ibi Christus, vt impleat omnia, vtque ipse totius vniuersi dominus & iudex vniuerso emineat, & super illud etiam in spatijs illis vacuis gloriam suam & dominium ostendat. Denique, vt, sicut infra imam terram descendit, ita supra omnes Sanctos & supra summum cælum ascendens, ibi thronum gloriæ suæ collocet.

Beati ergo sunt in ipso cælo empyreo: Christus verò eorum rex eis eminet, insistitque cælo empyreo; ita tamen vt totum cælum empyreum coram se habeat, quasi vnam aulam vel basilicam amplam, in qua omnia & singula distinctè videt & perspicit, eoque meliùs quo ipse altiori est loco: sicut si rex in altissimo throno considens videat omnia quæ geruntur in aula throno subiecta; & hoc ipso censetur rex esse & habitare in ipsa aula. præsertim quia aula integra Christi est amplissima, nec tantùm cælum empyreum, sed & immensa illa spatia vacua quæ supra illud sunt, complectitur. In his enim Christus dominari, ibique nouos mundos creare, nouum cælum empyreum, noua Beatorum habitacula, nouas sedes & choros condere potest.

Nec obstat, quòd sic Christus in illis spatijs sit quasi in vacuo: tum quia Deus sua potentia facilè efficit, vt ipse per vacuum videat, audiat, loquatur: tum quia verisimiliter exiguum illud spatium, in quo est Christus, quod antè vacuum erat, iam vacuum non est, sed æthere cæli empyrei, qui circum Christi corpus Dei nutu se fundit, plenum.

Cornel. in Epist. Pauli.

A Ex dictis patet, Christum in conuexa illa cæli superficie degere, non perinde ac si quis in terra degeret extra domum suam in tecto domus. Nec enim illa superficies est tectum cæli, sed est thronus Christi regalis & magnificus: vnde censeri debet non esse extra, sed intra cælum in eius culmine. Sicut ergo princeps vt ludos spectet, residet in culmine amphitheatri, ita vt capite & collo amphitheatro emineat, indeque spectacula meliùs conspicit, & plura videt quàm illi qui in medio, vel in imo amphitheatri versantur; imò & ipsos residentes, eorumque ordines, ac spectantes omnes & singulos clarè contemplatur; & nihilominus censetur esse, & est in ipso amphitheatro: ita se habet res de Christo insistente cælo empyreo. Ipse enim quasi mundi dominus, mundo est superior, vt totum mundum coram se præsentem, sibique subiectum habeat, recreet, dirigat & moderetur.

B

Mysticè S. Hieron. *Christus*, inquit, *ascendit super omnes cælos, id est, super omnia inuisibilia*, putà supra omnes angelorum ordines.

VT IMPLERET OMNIA] vt scilicet dominans in cælis & toto mundo, mittensque Spiritum sanctum, regna omnia sua fide, religione, cultu impleret, inquit Anselmus.

Septem rationes, ob quas Christus descendit infra omnia, & ascendit supra omnia.

Secundò, vt omnes electorum angelorum & hominum sedes ac numerum restauraret impleretque. ita idem Anselmus.

Tertiò, descendit Christus ad inferos, & ascendit in cælum, vt superis & inferis, sicut & terrestribus sanguinem suum ostenderet profuisse, itaque se fructu sanguinis sui implesse omnia mundi loca. ita Hieron.

C Quartò, vt omnia impleret quæ de ipso prophetata erant: inter hæc enim vltima sunt, descensus eius ad inferos, & ascensus in cælum. ita Chrysost.

Quintò, vt planè concluderet suam peregrinationem & opus redemptionis nostræ, cuius finis & terminus est ascensus tum Christi, tum noster in cælum. ita D. Thomas. Christus enim suo ascensu viam nobis in cælum aperuit, & primitias nostras, scilicet sanctos Patriarchas & Prophetas, eò secum inuexit.

Sextò, vt è cælo omnis generis gratiarum & donorum, ac angelorum Custodum missione, pro sua & maiestate & munificentia Ecclesiam impleret. ita Ambrosius epist. 16. & D. Thomas.

Septimò & planissimè, descendit & ascendit D Christus successiuè ex vno in alium locum, scilicet ex inferis cælum transeundo, vt in imo, summo & medio mundi spatio suam declararet gloriam & virtutem, vbique suos electos liberans, hostesque suos spolians & debellans, sicque indicaret se imperium in omnes omnino creaturas habere, regnique totius mundi plenam possessionem iam adire & capessere, idque merito infimæ humilitatis, qua sub omnibus hominibus & creaturis, & ad inferos vsque descendit. q.d. Descendit Christus & ascendit, vt impleret omnia sua tum potentia, tum maiestate, victoria, gloria, triumpho, possessione, regno, imperio, & quasi inauguratione: quemadmodum rex vrbes omnes quasi implet sua potentia, comitatu & pompa, dum in eis inauguratur, aut eas triumphans ingreditur. ita Theophyl. & Oecumen. Vnde S. Bernardus serm. 2. de Ascensione: *Ascendit Christus*, ait, *super omnes*

Christus ascendit super omnia vt probaret se dominũ omnium.

omnes cælos, vt adimpleret omnia. iam enim cùm se Dominum vniuersorum quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno probasset, non restabat visi vt aëris & cælorum se esse Dominum, argumentis similibus, vel certè potioribus approbaret: terra enim cognouit Dominum, quia ad vocem virtutis eius, cùm clamasset magna voce; Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognouit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius, ita vt Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognouit infernus, cuius ipse portas æreas & vectes ferreos confregit; vbi & ligauit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur Diabolus & Satanas. Profectò qui mortuos suscitauit, leprosos mundauit, cæcos illuminauit, claudos firmauit, & omnem exsufflauit infirmitatem, Dominus omnium fuit, & eadem qua fecerat manu, quæ defecerant reficiebat. Et infrà: *Ad claudendam igitur tunicam tuam inconsutilem Domine Iesu, ad perficiendam fidei nostræ integritatem, reflat, vt videntibus discipulis per medium aëris, sicut aëris dominus, ascendas super omnes cælos. Ex tunc probabitur, quia dominus vniuersorum tu es, quia omnia in omnibus adimpleuisti, & iam tibi profectò debebitur, vt in nomine tuo omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria & in dextera Dei Patris.*

Error Vbiquetariorū de corporis Christi vbiquitate refutatur.

Hinc perperam Vbiquetarij colligunt Christi corpus æquè ac diuinitatem, cui coniunctum est, vbique esse, omniaque mundi loca simul implere reali sua præsentia. Ex dictis enim patet aliam esse Apostoli mentem, imò id menti Apostoli repugnare: dicit enim Christum ascendisse in cælum; ergo antequam in cælum ascenderet, non erat in cælo: frustra enim eò ascenderet si ibi iam erat. Rursum Christum ait descendisse ad inferos; ergo ant equam eò descenderet, ibi non erat. *Ascendit* enim & *descendit* significant loci mutationem, qua quis vnum locum deserens ad alium se transfert.

Adde: Apostolus docet per & post descensum & ascensum Christum implesse omnia, idipsum ergo non habuit ex vi vnionis cum deitate; vt quia deitas est vbique, hinc & corpus deitati vnitum, sit vbique, & impleat omnia loca; quod tamen volunt Vbiquetarij, hæcque eorum est ratio fundamentalis. sic enim hanc vbiquitatem (vt loquuntur Scholastici) habuisset corpus Christi à primo instanti incarnationis, quo vnitum fuit deitati; non autem acquisiuisset eam per descensum ad inferos, & per ascensum ad cælum; quod tamen hîc docet Apostolus. si per implere omnia, intelligat hanc vbiquitatem, vt ipsi volunt. pugnat ergo Apostolus cum eorum vbiquitate eiusque principijs.

VERS. 11. ET IPSE DEDIT QVOSDAM QVIDEM APOSTOLOS, QVOSDAM AVTEM PROPHETAS, ALIOS VERO EVANGELISTAS, ALIOS AVTEM PASTORES ET DOCTORES] Enumerat dona non omnia, sed pauca, sub quibus cætera intelligit, quæ, vt dixit v. 8. Christus ascendens in altum hominibus dedit, & gratias quæ cuique datæ sunt secundùm mensuram donationis Christi, vt dixi v. 7. scilicet hæc dona & gratiæ gratis datæ sunt, apostolatus, prophetia, munus euangelizandi, pastoratus, doctoratus: sub quibus accipe gratiam gratum faciētem, quæ cuique pro suo munere, & officio quod à Deo accepit, idonea & congrua datur, vt eo sanctè, piè & fructuosè ad suam aliorumque salutem perfungi possit.

Enumerantur dona quæ Christus reliquit Ecclesiæ.

Nota. *Apostoli* erant & vocabantur, qui toto orbe mittebantur ad prædicandū Euangelium Gentibus, vt vbique instituerent & fundarent Ecclesias: quales erant duodecim illi quos Christus viuens elegit, & Apostolos nominauit; item Paulus, Barnabas, Silas & alij. *Quinam fuerint Apostoli.*

Prophetæ erant, qui futura prædicebant, vt Agabus & alij: hisce successerunt, ait Ambros. sacræ Scripturæ interpretes. Propheta enim est non tantùm qui futura, sed & qui occulta & obscura pandit & explicat. Addit Anselm. aliam causam, quia scilicet hi interpretes sacrarum Litterarum, per eas futura iustorum gaudia, malorumque supplicia hominibus prænunciant. *Qui Prophetæ.* *Interpretes sacræ Scripturæ.*

Euangelistæ sunt quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes, qui Euangelia conscripserunt, ita Anselm. & Theophyl. Secundò, LXX. discipuli & similes, qui Apostolis subseruiebant in prædicando Euangelio, quique, vt Theophyl. non vbique circumibant, nec omnia loca peragrabant, sed hinc inde prædicabant Euangelium: quales fuerunt Priscilla & Aquila, Stephanus & Philippus diaconi. hi enim Apostolis subseruiebant, sicut presbyteris subseruiunt diaconi, & sicut catechistæ subseruiunt concionatoribus: erant enim quasi catechistæ, qui articulos fidei & Euangelij necessarios ad salutem docebant infideles, eosque præparabant ad baptismum. Vnde Ambros. Theophyl. Anselm. per Euangelistas intelligunt diaconos. *Euangelistæ*, ait Ambros. *sunt diaconi, sicut fuit Philippus: nam quamuis non sint sacerdotes, euangelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum & Stephanus & Philippus memoratus.* Hinc etiamnum hodie in Missa Euangelium canunt diaconi, inquit Ansel. & dum ordinantur potestatem accipiunt ad annunciandum Euangelium. Vnde eis ex ordine videtur competere potestas prædicandi, vt docet S. Gregor. l. 4. Registri cap. 88. quam tamen exercere non debent dum adest sacerdos, qui prædicare possit, & nonnisi accepta licentia ab Episcopo, vt Silvester verb. Diaconus, & alij docent. *Qui sint Euangelistæ.* *Diaconi.*

Pastores sunt Episcopi, & propriè dicti Pastores, qui in vna parœcia vel diœcesi, cui præsunt & quam regunt, se continent, seu quibus commissæ sunt Ecclesiæ certæ, vti Timotheo commissa fuit Ephesus, Tito Creta. ita Theophyl. *Qui sint Pastores.*

S. August. epist. 59. S. Hieron. & Anselm. volunt eosdem esse pastores & doctores, qui enim pastor est, debet esse doctor. *Nec in Ecclesiis*, inquit Hieron. *quisquam, quamuis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere quos pascit.* Vnde Apostolus non dicit, *alios pastores, alios doctores*: vti de præcedentibus dixit, *alios Apostolos, alios Prophetas*, sed dicit, *alios pastores & doctores*. Quasi iidem sint, vel vnius & eiusdem præsidis Ecclesiæ duo hæc sint munia & officia. Syrus tamē & alij hæc distinguunt, vti etiamnum in Ecclesia alios videmus esse pastores, qui in Ecclesia plebem; alios doctores qui in scholis litteratos docent, vt sincera dogmatum doctrina in Ecclesia retineatur: quales Alexandriæ fuerunt Heraclas, Pantenus, Origenes, Clemens, & alij. *Qui sint Doctores.*

Nota Secundò. Hæc Hierarchiæ Ecclesiæ & ordinibus qui sunt in Ecclesia, ita adaptat Ambros. vt Apostoli sint Episcopi, Prophetæ sint interpretes sacræ Scripturæ, Euāgelistæ sint diaconi, pastores sint lectores, qui sacris lectionibus sagināt populum, doctores siue magistri sint exorcistæ, qui in Ecclesia coërceant ac verberent inquietos. *Hierarchiæ Ecclesiæ ordinibus.*

Paulò

Paulò aliter Anselm. Apostolis, inquit, respondent Primates & Archiepiscopi, Prophetis Scripturæ interpretes, Euangelistis Diaconi, pastoribus Episcopi, doctoribus Presbyteri. Sed hic sensus accommodatitius est, non litteralis.

12. AD CONSVMMATIONEM SANCTORVM] Græcum καταρτισμὸν descendit ἀπὸ τοῦ καταρτίζειν, quod duo significat. Primò, rem collapsam restaurare & reparare. Secundò, perficere, absoluere, consummare. Iuxta priorem significationē Erasmus & Vatablus vertunt, *ad instaurationem sanctorum*, vt scilicet homines per peccatum prolapsi reparentur, restaurentur & renouentur ad primæuam sanctitatem. Secundò, meliùs Noster interpres, Ambros. Oecumen. vertunt *consummationem*, id est completionem & perfectionem sanctorum. q.d. Deus in Ecclesia dedit Apostolos, Prophetas, pastores, &c. vt sancti & electi in Christo tum numero, tum meritis compleantur & perficiantur, itaque ex omnibus sanctis quasi membris suis Ecclesia, quæ est ædificium & domus Christi, omnibus partibus suis absoluatur, vt eius fabricæ nihil desit, sed tota quaquauersum sit consummata. ad hanc enim ædificationis Ecclesiæ consummationem Apostolum respicere patet ex seqq. cùm subdit, *In ædificationē corporis Christi.* vnde & Hieron. legit, *ad instructionem & perfectionem sanctorū.* nam per instructionem non intelligit institutionem & doctrinam, sed perfectionem: sicut dicitur domus rebus omnibus instructa cùm ei nihil deest, habetque omnem suam perfectionem; hanc tamē suam perfectionem acquirit Ecclesia per instructionem propriè dictam, id est doctrinam. Vnde subdit S. Hieronymus: *Si quis non ædificat Ecclesiam Christi, nec subiectam sibi plebem instruit, vt de subiecto populo Christi Ecclesia constituatur, iste nec Apostolus, nec Propheta, nec Euangelista, nec pastor, nec magister est appellandus.*

IN OPVS MINISTERII] vt scilicet quisque Apostolus, Propheta, pastor, doctor, plenè & strenuè opus ministrationis sibi creditæ exerceat: si enim vnus faceret omnia, non perfectè faceret singula, ait Anselmus. Vnde Vatabl. vertit, *in opus dispensationis*, vt scilicet dispenset prophetiā, Euangelium, doctrinam, aliaque talenta sibi à Deo credita.

Hæc sententia Pauli premit Apostolos, pastores, doctores, ne sua dignitate insolescant, sed cogitent se esse populi ministros & dispensatores, suaque sibi dona data esse non propter se, sed vt ea in alios dispensent, memineruntque Deum huius dispensationis exactam ab eis rationem exacturum. Vnde S. Gregorius homil. 9. in Euangel. *Lectio*, inquit, *Euangelij sollicitè considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæterū in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi grauiùs inde iudicemur: cùm enim augentur dona, rationes quoque crescunt donorum. tanto ergo esse humilior, atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Vide dicta 1. Corinth. 12.

IN ÆDIFICATIONEM CORPORIS CHRISTI] Ecclesiæ scilicet, vt illa seu ædificium Christi spirituale sensim assurgat, numeroque ac virtutibus proficiat, donec tandem absoluatur, & omnibus suis partibus, omni ornatu & perfectione compleatur & consummetur. ita Anselmus.

13. DONEC OCCVRRAMVS OMNES IN VNITATEM FIDEI, ET AGNITIONIS FILII DEI, IN VIRVM *Cornel. in Epist. Pauli.*

A PERFECTVM, IN MENSVRAM ÆTATIS PLENITVDINIS CHRISTI] q.d. Hi gradus, & hic Hierarchicus Ecclesiæ ordo, vt alij sint Apostoli, alij Prophetæ, alij Euangelistæ, alij pastores & doctores, manebit durabitque, donec infideles omnes ad vnam Christi fidem & Ecclesiam vocentur, vt in Christum filium Dei credant, eumque agnoscant omnes, quotquot Deus credituros præsciuit & prædestinauit, & donec in eius cognitione & dilectione omnes qui credidimus, crescamus ad perfectam ætatem & solidam in Christo Christique spiritu.

Quomodo omnes etiā diuersissimæ nationes conueniant in vnam Ecclesiam.

Nota. In verbo *occurramus*, est metaphora sumpta ab ijs, qui diuersis locis egressi in vnum locum conueniunt: sic enim ex Oriente vocantur Sinæ & Iapones, ex Meridie Africani, ex Septemtrione Germani, Galli, Poloni, ex Occidente Mexicani & Perüenses, vt sibi inuicem occurrant in eadem fide & spiritu, conueniantque in eadem Ecclesia Christiana.

B

Aliqui senserūt feminas in sexu virili resurrecturas.

IN VIRVM PERFECTVM] Ex hoc loco multi putarunt, feminas non in proprio sexu, sed in virili resurrecturas & in viros transformandas, vt testatur S. Augustin. l. 22. Ciuit. c. 17. & seqq. Et videtur hæc esse sententia S. Hieron. Basilij in psalm. 114. Hilarij in illud Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur*, &c. Athanasij serm. 3. contra Arrian. sub finem, & aliorum, qui dicunt in resurrectione non fore sexuum diuersitatem. Inter Scholasticos verò Scotus in 2. dist. 20. expressè docet omnes feminas, excepta vna B. Virgine, resurrecturas in sexu virili.

Probatur.

Ratio eius est, quia sexus femineus est accidens C & imperfectio hominis; in resurrectione autem omnis imperfectio tolletur. Rursum femina est mas occasionatus, ait Philosophus. Vnde in femina producenda videtur errasse natura, vt, cùm vellet producere marem quasi hominem perfectum, deficiente virtute generatiua seminis (eò quòd non satis esset potens ad marem efformandum) pro mare feminam produxerit; inde enim femina dicitur (vt apparet) mas occasionatus.

Femina in suo sexu rēsurgent.

Verùm hic est error, cuius contrarium, feminas scilicet in suo sexu femineo resurrecturas, docet S. Augustin. loco citato, Tertull. l. de Resurrect. carnis cap. 60. Hieron. epist. 61. ad Pammachium contra errores Iohannis Hierosolymitani, & communiter Scholastici in 4. d. 44. Ratio est, quia in resurrectione resurget idem numero corpus; ergo in eodem sexu resurget. Si enim idem numero resurget; ergo habebit eadem accidentia, & easdem D conditiones indiuiduantes, inter quas non minima, imò vna ex præcipuis, est sexus certus & determinatus.

Probatur.

Respōdetur ad primam rationem contrariæ sententiæ.

Hinc refellitur ratio fundamentalis Scoti. Falsum enim est sexum femineum esse imperfectionem. Est enim perfectio, licet minor quàm virilis; nec vitium est, sed natura & naturalis conditio. Si enim esset imperfectio & vitium, non fuisset in paradiso & statu innocentiæ: iam autem constat Deum in paradiso ex viro feminam, ex Adamo Euam formasse. Nam femina necessaria est ad sobolis propagationē, & consequenter ad speciei humanæ conseruationem. Vnde pariter falsum est, feminam esse marem occasionatū, quia per se Deus & natura intendit producere Euam & feminam, vt per marem & feminam species humana propagaretur. Hoc tamen sensu posset femina dici mas

occasionatus; quia mas perfectior est quàm femina. Natura autem in genere intendit producere id quod perfectius est: ergo in genere intendit producere potiùs marem quàm feminam. Dico in genere: nam in specie & individuo sæpè intendit producere id quod minùs perfectum est; vti intendit generare infantem, non virum perfectum. Sic hîc & nunc ex tali semine intendit producere feminam, non virum. Resurgent ergo feminæ in suo sexu, quasi in naturali conditione & perfectione sua.

Respõdetur ad secundã. Dices, Matth. 22.30. dicit Christus: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælo.* Resp. Tantùm negat hîc Christus in cælo fore nuptias & nuptiarum vsum, non autem fore feminas; imò eas in cælo fore satis insinuat cùm ait, *neque nubent*, scilicet viri, *neque nubentur*, scilicet feminæ.

Instabis, Addit Christus quòd erunt sicut angeli Dei: angeli autem sexu carent. Respondeo, Erũt sicut angeli non quoad naturam, vel sexus priuationem, sed quoad puritatem, vitam spiritalẽ, immortalem & beatam. Hãc enim opponit Christus nuptijs, quæ inter homines mortales necessariæ sunt ad perpetuandam speciem, vt homo qui moritur, perduret quasi immortalis in filio quem genuit, & post se viuum relinquit. Vnde S. Lucas subdit: *Neque enim vltrà mori poterũt, & sunt filij Dei, cùm sint filij resurrectionis.* q.d. Sancti corpore & anima erunt Deo simillimi, & ad resurrectionem beatam pertinebunt, eruntque immortales; ac proinde nuptijs & vsu nuptiarum, qui adhibetur ad speciem perpetuandam, & immortalitatem quamdam acquirendam, illis in cælo opus non erit.

Vbi Nota hebraismum: vox enim *filius* cum genitiuo pœnæ vel præmij apud Hebræos significat reum, vel dignum & destinatum. Sic dicuntur filij mortis, gehennæ, regni, resurrectionis, id est rei mortis & gehennæ, digni regno & resurrectione. Et hoc tantùm voluntHieron. Basilius, Athanasius & alij Patres, cùm negant in cælo fore sexuum diuersitatem, scilicet negant eam fore quoad vsum, non autem quoad substãtiam: Apostolus verò hoc loco nil tale dicit, sed longè alia est eius mens, vt mox dicam.

Quomodo Patres negent in cælo fore sexuum diuersitatẽ.

Vnde Secundò, alij hunc locum sic explicant: *in virum perfectum*, q.d. Resurgemus quasi viri ad iudicium maturum & perfectum, quale est virorũ, etiamsi in hac vita mortui simus in ætate & iudicio puerili. Vnde, nomine viri quasi dignioris cõprehendit & feminas. Sicuti & psal. 1. *Beatus vir* (id est beatus vir, & beata femina) *qui non abijt in consilio impiorum.* Verùm Apostolus non agit hîc propriè de resurrectione, vt iam patebit.

Verus sẽsus Apostoli, quomodo occurremus omnes in virum perfectum.

Dico ergo Tertiò, *in virum perfectum*, id est, vt in Christi fide, agnitione, amore non simus infantes & pueri, sed viri, id est prouecti, viriles, perfecti, constantes. ita Chrysost. Hieron. Theophyl. Ambros. Oecumen. Sic 1. Cor. 13 dicit: *Cùm essem paruulus, sapiebam vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Vbi, vti & hîc, *vir* nõ sexum, sed partim ætatem, partim perfectionem, robur & constantiam virilem per catachresin significat. Vir ergo perfectus est adultus, constans & robustus. Vnde quasi explicans subdit, *In mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrina.* Vbi vides virum perfectum opponi paruulo A fluctuanti & instabili in fide & doctrina; ac consequenter virum perfectum hîc vocari eum qui in fide & doctrina constans & perfectus est. q.d. In Ecclesia alij erunt Apostoli, alij pastores & doctores, &c. donec omnes Christiani, qui prædestinati sumus, occurramus in vna fide & Ecclesia, in eaque non simus infantes & paruuli, sed adulti in Christi fide & dilectione, sicque in Christo plenam & perfectam ætatem spiritalem, id est perfectum intellectum, cognitionem & amorem Dei, nanciscamur.

Secundò, dicit *in virum perfectum*, non, In viros perfectos, quia loquitur Apostolus non tantùm de singulis & omnibus Christianis; sed etiam & magis de tota Ecclesia, eamque & omnes qui in ea sunt, vocat & comparat vni viro perfecto. Vnde Syrus vertit, *donec omnes simus vnus vir perfectus.* Sicut enim v. præced. Ecclesiam vocauit ædificium Christi: ita mox, vt ostendat hoc ædificium non esse inanime & lapideum, sed viuum & humanum (sic enim Hebræi בֵּן *ben* id est filium, vocant, quasi fabricam & ædificium patris, à radice בָּנָה *bana*, id est ædificauit:) vocat eam corpus Christi, hominẽ Christi, virum perfectum Christi; ita scilicet vt Ecclesia huius hominis & viri sit corpus, Christus eiusdem sit quasi anima, aut potiùs caput, vt ait v. 15. de quo dixi 1. Corinth. 12.12.

Itaque sicut crescente corpore, organisque corporis crescit robur & vegetatio animæ, & contrà: rursum sicut crescente corpore crescit caput, & contrà, vt scilicet totus homo crescat, donec ad iustam & consistentem ætatem, staturamque virilem perueniat: ita pariter Ecclesia singulis suis membris, id est nobis fidelibus, crescit & adolescit in Christo, id est Christi fide, gratia & virtutibus, & vicissim Christus adolescit in nobis, donec Ecclesia ad iustam perfectionem & staturam quasi virilem perueniat. Vnde Clemens in Pædagogo, viri nomine Christum ipsum intelligit, qui nobis crescentibus quasi nobiscum & in nobis crescit in virum perfectum. Sic Galat. 3 v. 28. dicit, *vnum*, vel, vt Chrysost. legit, vnus (scilicet homo politicus) *estis in Christo.* Christus ergo est vnus homo, & vnum corpus politicum, id est, Christus est vna Ecclesia Christiana. Ecclesiæ enim suæ Christus est quasi hypostasis, anima & vita, vt dixi 1. Corinth. 12. Sicque omnes Christiani in Ecclesia sunt quasi vnum, imò vnus homo ciuilis & politicus in Christo. Et hæc est radix illius regulæ Ticonij apud S. Augustinum, quæ docet Scripturam sacram tribuere Christo illa quæ sunt Ecclesiæ Christi; & contrà, tribuere Ecclesiæ illa quæ sunt Christi: quasi sit communicatio idiomatum inter Christum & Ecclesiam, sicut est inter Christum hominem & Christum Deum.

Vbi Aduerte. Loquitur Apostolus hîc de Ecclesia tamquam de homine singulari & viro vnico; tum vt vnitatem illam declaret & inculcet, ad quã hortatus fuit Ephesios à v. 3. huc vsque; tum vt singuli meminerint hanc doctrinam sigillatim ad se pertinere, seque in Christo debere crescere in virũ perfectum, seu in membra viri perfecti, vt sic singulis crescentibus consequenter tota Ecclesia crescat in virum perfectum, vt ita perfecta & consummata fiat Ecclesiæ & singulorum Ecclesiæ membrorum statura, proportio & perfectio. quod fiet in fine mundi & resurrectione communi, non antè; ac proinde eousque durabit hic ordo hierarchicus,

chicus,& hæc munia,vt alij fungantur apostolatu, alij pastoratu, alij doctoratu,&c. Hisce enim crescit,proficit & perficitur Ecclesia *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Nota Primò. Hisce verbis explicat *virum perfectum* quem dixit. Secundò,hebraismo ætas plenitudinis vocatur ætas plena & perfecta, scilicet adulta & virilis. Tertiò, licet ætas propriè hîc capi possit, tamen clariùs metonymicè accipiemus ætatem pro statura,quam ætas secum affert,quæque esse solet in ætate virili: Græcum enim ἡλικία ab ἥλιξ, id est quantus,tam quantitatem, magnitudinem & staturam,quàm ætatem significat. Vnde Noster subinde *staturam* vertit:vt Matth.6.27.Luc. 19. & Syrus hîc vertit קוֹמְתָא *kometa*, id est statura. q.d. Donec crescamus, *& occurramus omnes in virum perfectum*,id est,in mensuram & magnitudinem ætatis, id est staturæ, *plenitudinis*,id est plenæ & virilis, *Christi*,seu quam habuit Christus in ætate adulta & virili: vt , sicut Christus anno ætatis suæ 34.iustam habuit viri staturam;ita & eamdem analogicè & proportionaliter acquirat & habeat in nobis,id est, in nostræ fidei, gratiæ, spiritus & virtutum incremento & perfectione. ita Ambros. Hieron. Chrysost. Persistit in metaphora, qua, vt dixi,Ecclesiam vocat vnum virum perfectum,cuius membra sunt singuli fideles,cuiusque anima & caput est Christus;ita vt crescente corpore crescat caput , & ipsa etiam anima, id est extensio, vis & vigor animæ, & contrà; id est, crescente Ecclesia crescat in ea Christus,& contrà: vt Christus dicatur iustam & plenam suam staturam in nobis acquirere, dum nos in fide & gratia Christi iustam perfectionem & magnitudinem acquirimus. Statura enim, magnitudo & perfectio nostra, est statura, magnitudo & perfectio Christi, vt patet ex dictis. Posset etiam τὸ *Christi*, exponi in Christo. q.d. Donec in Christo,id est Christi fide, gratia & corpore, quod est Ecclesia , iustam mensuram & staturam plenam & virilem nanciscamur.

Secundò, aliter explicant Anselmus, Gagneius, S.Thomas & Scholastici in 4.dist.44. q.d. Donec resurgamus omnes in mensura , magnitudine & statura corporis plena & perfecta,qualis fuit Christi in ætate plena & perfecta. vt sicut Christus anno ætatis 34. iustam habuit humani corporis staturam: ita & in resurrectione omnes homines, etiam qui hîc in ætate infantili aut puerili mortui sunt , habeant iustam corporis sui magnitudinem & staturam: non quasi omnes statura corporis æquales futuri simus Christo;sed quòd omnes ea erimus magnitudine & statura , quam habuimus, vel habuissemus(si natura vegeta fuisset,& nō impedita)in ætate virili,putà anno ætatis 34.quæ fuit ætas Christi, estque stata hominis ætas. S Augustam hanc quàm præcedentem explicationem affert l.22.Ciuit.c.15.& tribus seqq. sed magis probat præcedentem , & sine dubio præcedens planè genuina est & ex mente Apostoli. Potest tamen cum auctoribus citatis ad secundum hunc sensum extendi: quia illa spiritalis Ecclesiæ mensura & statura plena & perfecta, de qua propriè hîc agit Apostolus, erit solùm in resurrectione,quando pari proportione Ecclesia corporalem suam habebit staturam plenam & perfectam;cùm scilicet Sancti qui sunt in Ecclesia, sicut animæ & spiritus; ita & corporis iustam habebunt magnitudinem & perfectionem.

Pulchrè S.Augustin. de Vera religione c.26.tom. 10. incrementa & ætates septem homini interiori æquè vt exteriori tribuit , putà infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilitatem, senectutem & decrepitam. *Iste*, inquit,*dicitur nouus homo,& interior & cœlestis,habens & ipse proportionem non annis, sed profectibus distinctas quasdam spirituales ætates suas. Primam,in vberibus vtilis historiæ,quæ nutrit exemplis. Secundam,iam obliuiscentem humana,& ad diuina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur,sed ad summam & incommutabilem legem passibus rationis innititur. Tertiam iam fidentiorē & carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemq; intrinsecus in quadam dulcedine coniugali; cùm anima menti copulatur,& velamento pudoris obnubitur, vt iam rectè viuere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant,peccare non libeat. Quartam,iam ipsum multò firmiùs ordinatiusq; facientem,& emicantem in virum perfectum, atque aptam & idoneam omnibus etiam persecutionibus,& mundi huius tempestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam viuentem in opibus & abundantia incommutabilis regni, summæ atque ineffabilis sapientiæ. Sextam, omnimodæ mutationis in æternam vitam, & vsque ad totam oblitionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei. Septima enim iam quies æterna est , & nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua: vt enim finis veteris hominis mors est,sic finis noui hominis vita æterna.Ille namque homo peccati est, iste iustitiæ.* *Septem incrementa & ætates hominis interioris & exterioris.*

VT IAM NON SIMVS PARVVLI FLVCTVANTES, ET CIRCVMFERAMVR (græcè περιφερόμενοι , id est circumacti) OMNI VENTO DOCTRINÆ IN NEQVITIA HOMINVM] Ecce hîc explicat quod dixit, *in virum perfectū, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. q.d. Vt non simus quasi pueri,qui omni vento, impulsu, persuasione agitantur,ait Syrus,& in omnem partem abripi se sinunt: sed potiùs cōtra omnes Nouatorum impulsus , suasiones & dogmata noua,quasi viri firmi & constantes in vera fide & Ecclesia Christiana persistamus. Alludit Paulus ad Hebræum פְּתִי *peti*,id est paruulus & insipiens,cui quiduis persuadetur: radix enim פָּתָה *pata*, (vnde Græcum πείθω)significat suadere,persuadere,pellicere,flectere,inclinare. VERS.14. *Paruuli sunt qui quiduis suadētibus Nouatoribus credūt.*

Nota *in nequitia hominum*,id est,per nequitiam hominum, per homines nequam & dolosos, scilicet pseudoapostolos & hæreticos, qui faciunt vos fluctuare in fide, & nouis doctrinis vos ventilant. Græcè ἐν τῇ κυβείᾳ ἀνθρώπων,in alea, vel aleatione hominum, id est, in fallacia dolosis aleatoribus vsitata, quam S.Augustinus suprà *illusionē*, Noster *nequitiam* vocat.Κυβεύειν enim significat tesseris siue alea ludere: in quo lusu arte opus est, & lusor nititur circumuenire collusorem si possit; suum enim tantùm commodum spectat. inde κυβεία, id est aleatio,significat versutiam,fallax artificium,& artificem fallaciam,ait Erasmus. Falsos ergo doctores comparat fraudulentis aleatoribus, inquit Theophyl. qui doctrinam fidei adinstar aleæ & taxillorum transponunt ad plausum hominum. Itaque sensus est, q.d.Ne circumferamur omni vento doctrinæ quocumque nos & homines nequam & veteratores impulerint. *Fallacia hæreticis vsitata.*

Itaque Primò , per metaphoram aleæ & aleatorum notat incertitudinem hæresis & hæreticorum.

Eorumdem inconstantia in dogmatibus fidei.

Secundò, inconstantiam & desultoriam leuitatem, quòd quasi aleam de fide iaciant, & quasi ad iactum aleæ doctrinam mutent, vt his illisue gratificentur, aut vt sui cerebri commentis, phantasiis & somnijs nouis indulgeant; idque tanta arte, vt nonnisi ab oculatis cerni & redargui possint: sicut periti aleatores aleam ita dextrè inuertunt, vt socium cum quo ludunt fallant, & vix quisque aduertat. Sic nostro hoc sæculo Lutherus, Philippus, Caluinus, alijque Nouantes paucis annis suas catecheses, institutiones & confessiones mutarunt sæpiùs, aliaque imò contraria dogmata ediderunt & commenti sunt: hinc qui illos sequuntur, ab eis circumaguntur omni vento doctrinæ; vt meritò Georgius Saxoniæ Dux rogatus à Catholicis quid Lutherani sui crederent, responderit, Quid nunc credant, scio; quid sequenti anno crediturі sunt, prorsus ignoro. Idipsum de Arrianis docet S. Hilarius libr. ad Constantium & Constantem Imperatores: *Periculosum*, inquit, *nobis atque etiam mirabile est, tot nunc fidei existere, quot voluntates; tot nobis doctrinas esse, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum audita fides scribitur vt volumus, aut ita vt volumus intelligitur. Sic plurimæ cœperunt esse fides, ne vlla sit; imò verò annuæ mensträque de Deo fides decernuntur: nouis subuertuntur vetera*, &c. A B

Eorumdem blandiloquentia errorum pallium.

Tertiò, per aleam & aleatores, vt Chrysost. Theoph. Vatablus, notat Apostolus fraudes pseudodoctorum, quibus per suas captiones & blandiloquentiam, hæreses & errores suos tegunt, eosque pro fidei articulis substituunt, ac vulgus in illos pelliciunt. Vnde sequitur,

IN ASTVTIA AD CIRCVMVENTIONEM ERRORIS] vt scilicet simplices & incautos astutè circumueniendo ac decipiendo in errorem inducant. Pro *circumuentionem*, græcè est μεθοδείαν, id est, insidias fallendi, & insidiosas fallacias: S. Augustinus suprà vertit, *machinationes*. μεθοδεύειν enim significat hominem in via furtim & ex insidijs adoriri. Hæc autem omnia ingens sunt nequitia, vti rectè vertit Noster, non verbum verbo, sed sensum reddens & transferens. Secundò, pro *erroris* græcè est πλάνης, id est impostura, vt sua impostura scilicet simplices circumueniant & decipiant. q. d. Impostores sunt hi Nouatores, suis imposturis conantur omnibus imponere. C

VERS. 15. VERITATEM AVTEM FACIENTES] ἀληθεύοντες δὲ, id est, sed veritatem sectantes. ita Vatabl.

Quadruplex est veritas. Prima mentis.

Nota Quadruplex est veritas. Prima mentis, qua mens mentisque conceptio ac iudicium conforme est obiecto & rei eamque ita concipit ac de ea ita iudicat, sicut reuera res in se est: huic opponitur falsitas, qua mens de re iudicat aliter quàm res in se habet. D

Secunda oris.

Secunda veritas est oris, id est veracitas, qua sermo noster conformis est menti & animo, vt os loquatur id quod reuera animus cogitat & intendit, & lingua respondeat menti: huic opponitur mendacium, quo aliud loquimur, aliud cogitamus vel intendimus. Estque hæc veritas duplex, vna assertoria, qua asserimus id quod verum est: altera promissoria, quæ est fidelitas qua præstamus quod promisimus. Vtraque hæc veritas tam oris quàm mentis est quasi formalis.

Tertia obiecti.

Vnde Tertia veritas est obiectiua, putà veritas doctrinæ & fidei, qua doctrina & fides in se vera est, vt si illi assentiaris eamque docceas, veritati assentiaris, & veritatem doceas.

Quarta actionis vita.

Quarta est veritas actionum & vitæ, quæ non est aliud quàm rectitudo & cõformitas qua actiones nostræ respondent suæ regulæ, vt scilicet conformes sint vero iudicio practico, rationi, legi, voluntati Dei, & præscripto virtutis. Itaque hæc veritas est debitum & officiũ cuiusque, siue id quod quemque facere decet: vnde illi opponitur prauitas & peccatum, quod aberrat & difforme est rationi & legi. Sic dicitur Iohannis 8 44. *Ille* (scilicet diabolus) *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*, id est, non stetit in integritate & rectitudine naturæ in qua conditus erat, nõ permansit in suo gradu & officio, non fecit quod æquum erat, rectum & iustum, non egit quod decebat angelum & creaturam tam sapientem & nobilem agere, vt scilicet agnosceret, coleret, subderetse suo creatori, eique pro tantis in se donis gratias ageret: vnde consequenter à veritate excidit, vt patet ex eo quòd iam *veritas in eo non est*, quodque *mendax est, & pater eius*, scilicet mẽdacij. Hoc enim abstractum tacitè latet & continetur in concreto *mendax*: sicque Hebræi sua relatiua referunt sæpè ad antecedens non expressum, sed tacitum & latens in alio quod expresserunt. Sic sæpè alibi in Scriptura veritas sumitur, vt cùm in Psalmis toties dicitur, quòd omnia opera Domini sint vera, vel veritas: sensus enim est, recta, æqua, iusta, sancta sunt opera Domini.

Apostolus tertiam veritatem quartam

Hìc intelligit Apostolus partim tertiam veritatem, scilicet doctrinæ; opponit enim illam errori qui præcessit. q. d. Nolite errores Nouatorum & impostorum sequi, sed sectamini veram fidem & doctrinam. partim quartam: vult enim non tantùm nos veritatem credere & docere, sed & facere; vt vertit Noster: vt scilicet iuxta fidem nostram christianè viuamus, & veritatem doctrinæ veritate & rectitudine vitæ exprimamus. vnde ait, *Veritatem autem facientes*, id est debita christianismi officia exequentes, *in charitate*, id est per charitatem & charitatis opera, *crescamus*: græcè αὐξήσωμεν, augescamus; Vatabl. *adolescamus*; alij, *grandescamus*; Theophyl. *augeamus*, scilicet tam bona opera, inquit, quàm fidem, tam sanctã vitam quàm dogmata. Ita & Chrysost. qui triplex augmentum hìc significari vult. Primum, quo corpus augmentum facit, dum in singulis membris operatur spiritus, iuxta cuiusque membri modum & exigentiã. Secundum, quo singula membra capiunt augmentum ex subministratione spiritus. Tertium, quo spiritus ipse augetur, dum à capite fluens meat per omnia membra contingens & connectens singula: hoc est enim quod ait, *Crescamus in illo per omnia*, scilicet membra. Rursum *per omnia*, id est quaquauersum, in longum, latum, crassum, omni augmento, scilicet omnibus donis, gratijs & virtutibus. charitate enim crescente, crescunt pariter in homine omnia dona & virtutes.

Nota, *in illo*, scilicet Christo: vnde explicans subdit, *Qui est caput Christus*: hebraismo enim redundat antecedens *illo*. Latinè enim dicere debuisset: Crescamus in Christo, qui est caput. Christus enim quasi caput influit gratiam & vim crescendi & augescendi in singula membra totius corporis, id est Ecclesiæ: ita vt corpus hoc & singula eius membra crescant in Christo, id est Christi capitis sui virtute & influxu; & vicissim Christus quasi caput in Ecclesia quasi in suo corpore. Dum enim

Ecclesia

Ecclesia crescit, crescit quasi Christus, id est Christi influxus, fides, gratia, operatio, gloria & regnum. Id planè explicat versu sequenti.

16. Ex QVO (scilicet capite Christo) TOTVM CORPVS (Ecclesiæ) COMPACTVM, συναρμολογούμενον, id est coagmentatum & compaginatum; ex capite enim omnia membra compaginantur, & per suas compages descendunt. Sic ex Christo Christiani omnes tam Galli, Hispani, Belgæ, Itali, quàm Africani, Syri, Indi descendunt, & in vnum Ecclesiæ corpus compaginantur. ET CONNEXVM, vt scilicet membrum membro, fidelis fideli per eamdem fidem & spiritum cohæreat, fiatque ex omnibus vnum corpus, scilicet Ecclesia, PER OMNEM IVNCTVRAM, id est commissuram, qua vnum membrum alteri committitur & iungitur. Græcum enim ἁφῆς significat artuum mutuos inter se contactus, qua parte scilicet committuntur. Vnde S. Augustin. suprà legit, *per omnem tactum* SVBMINISTRATIONIS, id est, per omnem iuncturam subministrantem, scilicet spiritus animales & vitales, id est, per mutuam vnionem, qua nobis subministratur spiritus & gratia Christi capitis nostri. SECVNDVM OPERATIONEM, κατ' ἐνέργειαν, ex vi & efficacia intus agente & operante. Vim Christi intellige, qui instar capitis influit, & singula membra vegetat. IN MENSVRAM VNIVSCVIVSQVE MEMBRI, id est pro modo, mensura, & exigentia cuiusque membri, vt scilicet singula membra, putà singuli fideles, iuxta suam naturam, statum & conditionem à vi animæ vegetantis, id est à Christi gratia & spiritu, iustâ mensuram & incrementum accipiant: itaq; AVGMENTVM CORPORIS FACIT, supple ipsum corpus: hoc enim suppositum ex initio huius versus sibi deposcit verbum *facit*. Est hebraismus: corpus facit augmentum corporis, id est sui ipsius. q.d. Seipsum ædificat & perficit corpus hoc, scilicet Ecclesia, vt æqualiter totum crescat, sed vniformiter difformiter, vt loquuntur Philosophi: quia scilicet singula membra crescunt æqualiter, sed proportionaliter, quodque scilicet pro sua natura & conditione. Licet enim, verbi gratia, pes & brachium absolutè magis crescant quàm oculi; tamen oculi proportionaliter tantum crescunt, quantum pes & brachium. IN ÆDIFICATIONEM SVI, vt seipsum ædificet, compleat & perficiat hoc corpus, quod est Ecclesia, IN CHARITATE]id est per charitatem. q.d. Charitas est illa membrorum iunctura siue commissura, per quam singulis membris suggeritur nutrimentum, spiritus, vegetatio, & vis crescẽdi, vt ita singulis membris crescentibus totum corpus Ecclesiæ crescat, ædificetur & perficiatur.

Nota Primò. Hæc *charitas* est vnio, ad quam à v. 3. hucusque hortatus fuit Ephesios. Sicut ergo membrum vnum non potest communis nutrimẽti & accretionis in corpore particeps esse, nisi reliquis membris & toti corpori sit vnitum: ita fidelis non potest communis Ecclesiæ spiritus, gratiæ & incrementi particeps esse, nisi reliquis fidelibus, & toti Ecclesiæ per vnionem & charitatẽ cohæreat. Sicut enim artuum iunctura, siue commissura, singulis membris; ita charitas singulis fidelibus subministrat communem corporis putà Ecclesiæ, spiritum, vigorem & vitam. ita Chrysost. Secundò melius, *charitas* hîc non accipitur vt iunctura, sed vt anima Ecclesiæ, vt mox ostendam.

Nota Secundò cum S. Hieron. corpus hoc Ecclesiæ dici, & debere esse *compactum*: quia si membrum ab eo sit diuisum & dissectum per schisma, nil vigoris aut spiritus accipiet à corpore. Rursum debere esse *connexum*, vt scilicet quodque membrum suo loco, nexu & ordine consistat. Si enim pes luxetur, vt extra suam iuncturam & os exeat, seipsum & totum corpus dolore afficit: ita si quis relicto suo gradu, officio, statu, alium inuadat; nihil fructus, sed plurimum molestiæ sibi & alijs afferet. ita Chrysostomus.

Iunctura & compago membrorũ Ecclesiæ vnde & quæ sit.

Nota Tertiò. Cùm dicitur, *iunctura subministrationis*, vox *subministrationis*, tam actiuè quàm passiuè, capi potest. Primò, passiuè, vt significetur iunctura subministrata, id est suppeditata, cuiq; membro à toto corpore, & à capite; siue vt iunctura subministrationis, sit iunctura membrorum, quibus subministratur communis corporis spiritus, vigor & vita. quasi dicat, ait Chrysost. Membra corporis si iuxta propriam suam mensuram, necessariam subministrationem alimenti & spirituum acceperint; ita crescent: vel spiritus è cerebro infusus, & cuique membro iuxta eius captum subministratus, incrementum ita facit, primò ipsius membri, deinde consequenter totius corporis.

Secundò & significantiùs actiuè, vt *iunctura subministrationis* sit iunctura subministrans per venas & arterias tum influxum cordis, scilicet spiritus vitales, & sanguinem; tum concursum & opem mutuam, qua per iuncturam vnum membrum alteri deuinctum, illud omnibus in rebus fouet & adiuuat, vt, dum quodque suam partem, facultatem & operationem subministrat, & quodammodo suum symbolum in commune affert, inde & alia membra participent, & totum corpus crescat & perficiatur: tum maximè influxum capitis, eiusque spiritus animales necessarios ad motum, sensum & vitam. Sic enim Christus quasi caput nostrum, motum, sensum & vitam spiritualem in nos influit per iuncturas, id est per mutuam vnionem, qua vnum membrum alteri, id est vnus fidelis alteri iungitur & subordinatur, tum per internam vnionem animorum, tum per externam vnionem, communionem & communicationem in ijsdem Sacramentis, sacrificijs, orationibus, concionibus, lectionibus, conuentibus. Ad hanc enim vnionem externam pertinet omnis proximorum societas, instructio, ædificatio, quibus in spiritu & pietate promouemur mutuis exemplis, exhortationibus, consilijs, precibus, &c.

Caput, corpus, membra, iunctura, anima, spiritus vitales Ecclesiæ mystica.

IN CHARITATE] Nota. Huius corporis politici, de quo hîc agit Apostolus, caput est Christus, corpus ipsum est Ecclesia membra sunt singuli fideles, iunctura est mutua fidelium vnio & communicatio, anima est fides & charitas, & spiritus vitales & animales sunt gratiæ præuenientes & excitantes, quæ à cerebro, id est à Christo, descendunt, & singulis membris, id est fidelibus, aspirantur. Hinc Secundò, licet Chrysost. & aliqui alij, charitatem, in hoc corpore adaptent iuncturæ, quasi explicet Apostolus id quod dixit *per omnem iuncturam*, per id quod subdit, *in charitate*, id est per charitatem. q.d. Charitas quam dixi, est illa iunctura, quæ omnibus membris omnem corporis spiritum subministrat, ac membrum membro iungit & addit, vt ita dilatetur & crescat, omnibusque suis membris, id est fidelibus, compleatur corpus Christi, quod est Ecclesia. Tamen alij melius iuncturam accipiunt mutuam vnionem, concordiam,

cordiam, communicationem : charitatem verò censent esse animam huius corporis, id est Ecclesiæ. id enim clarè significant verba Apostoli: *Augmentum*, inquit, *corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Vbi Syrus vertit, *ad incrementum ipsius corporis, cuius ædificium charitate perficitur.* Nec enim alia potest fingi huius corporis, scilicet Ecclesiæ, anima, quàm fides & charitas: nec vlla pars in hoc corpore est nobilior quàm charitas. Vnde v. præced. dixit Apostolus, *In charitate crescamus in Christo, qui est caput per omnia.*

Charitas est spiritus & anima Ecclesiæ.

Charitas ergo quasi anima facit nos crescere in Christo, vt crescente charitate, crescat totus homo in Christo, & singulis hoc modo in fide & charitate crescentibus crescat totum Ecclesiæ corpus. q.d. Videte ergo, ô Ephesij, vt vnionem mutuam, ad quam ab initio capitis huc vsque vos exhortatus sum, studiosè colatis, seruetis, augeatis, vt per eam spiritus Christi & Ecclesiæ participes fiatis, crescatisque in fide & charitate, itaque singulis crescentibus, tota Ecclesia crescat perficiaturque. Magnitudo enim, profectus, incrementum & perfectio cuiusque fidelis, ac consequenter totius Ecclesiæ, sita est in profectu, incremento & perfectione fidei & charitatis, & consequenter aliarum virtutum quæ charitatem comitantur: ita vt, quantum in actibus fidei & charitatis, ac consequenter in earumdem habitibus quisque fidelis proficit, tantum crescat illius magnitudo spiritalis: ac quantum in ijsdem crescunt omnes fideles, tantum crescat & perficiatur magnitudo totius Ecclesiæ.

Quomodo peccatores charitate destituti sint pars Ecclesiæ.

Dices, Si charitas est spiritus & anima Ecclesiæ, ergo peccatores qui charitate carent, non sunt membra & partes Ecclesiæ : pars enim, quæ non informatur forma corporis, & in viuentibus quæ non animatur anima corporis, non est corporis pars & membrum.

Pro responsione; Nota Ecclesiam esse quasi hominem ciuilem & politicum, suamque habere animam, & suum corpus. Corpus Ecclesiæ sunt ipsi fideles, qui exteriùs & visibiliter eamdem Christi fidem profitentur, quique inter se cum eodem capite visibili, scilicet Pontifice Romano, qui in terris est Christi Vicarius, communicant in ijsdem Sacramentis, sacrificijs, doctrina, regimine & politia. Hæc enim est exterior forma corporis Ecclesiæ, prout est respublica visibilis. Et sic presbyteri & Episcopi, qui occultè sunt hæretici, quamdiu hanc externam veræ fidei professionem & communicationem Ecclesiæ iam dictam retinēt, sunt membra eiusdem corporis & reipublicæ, eique cohærent, ac retinent iurisdictionem, quam in Ecclesia acceperunt. Anima huius corporis, scilicet Ecclesiæ, est fides; ita vt quicumque habent fidem, viuant anima Ecclesiæ.

Exterior forma corporis Ecclesiæ est fidei professio.

Peccator similis embryoni.

Est tamen & alia nobilior & perfectior Ecclesiæ anima, scilicet charitas. Sicut enim embryo priùs viuit anima sensitiua, diciturque viuus & sentiens, quàm viuat anima rationali: ita fidelis per fidem priùs viuit, vereque est viuens pars Ecclesiæ, etiamsi necdum habeat charitatem; ea tamen habita, longè nobiliori anima & vita viuit. Quantum enim anima rationalis excedit sensitiuam, tantum charitas excedit fidem. Et de hac secunda forma hîc & subinde alibi loquitur Paulus, vt solos Sanctos charitate præditos vocet corpus & Ecclesiam Christi: non quasi fideles qui in peccato sunt, velit ab ea excludere, sed quòd Sancti qui charitate pollent, sint perfectissima membra, & corpus Christi, perfectissimamque Ecclesiæ formam & animam habeant, viuantque vita gratiæ, quæ est perfectissima vita Christi. Alij autem fideles, qui charitate carent, sint quidem membra Christi; sed imperfectiora, vtpote quæ viuant tantùm anima fidei. Sicut ergo in homine alia membra tantùm exercent officia animæ sensitiuæ, vnum verò caput exercet officia animæ rationalis, vt meritò solum caput dici possit corpus animæ rationalis, qua rationalis est & ratione vtitur: ita fideles peccatores exercent officia fidei, suntque membra Ecclesiæ, quæ non est aliud quàm cœtus & congregatio fidelium; soli tamen Sancti exercent officia charitatis, quæ est quasi anima rationalis & perfectissima vita Christi & Ecclesiæ: indeque hi soli dicuntur à Paulo esse corpus (id est Ecclesia) Christi, intelligenobilissimum & perfectissimum. Hinc rursum Ecclesia dicitur esse sancta; quia scilicet nobilissima eius pars, quæ est iustorum, sancta est, de quo rursum c. seq. v. 27.

Non omnia membra hominis erant sua capiti ratione animæ rationalis, sed ea tantùm quæ erant nobilissima.

Vera fides tantum.

HOC IGITVR DICO ET TESTIFICOR IN DOMINO (μαρτύρομαι, id est testor & obtestor per Dominum) VT IAM NON AMBVLETIS (non conuersemini) SICVT ET GENTES AMBVLANT (conuersantur) IN VANITATE SENSVS SVI] ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν, id est mentis suæ. Mens enim in homine & anima principatum tenet, reliquaque regit ac dirigit: ac proinde si mens sit corrupta, & vanitati dedita; reliquæ animæ potentiæ totusque homo corrumpatur & vanescat necesse est. Sic videmus mercatorem, qui mente & animo nonnisi lucra versat & quærit, totum occupari in auro & argento; sic ebriosum, qui mente non Deum, non cælū, sed pocula versat & cogitat, totum occupari in vino & symposijs, nō alia cogitare, phantasiari, somniare, loqui: sic superbum in honoribus, spurcum in libidinibus, iracundum in vindicta, & ita de alijs. Significat ergo Apostolus, Gentes quia mente nonnisi vana tractabant, totas vanitati studuisse, & vanis rebus ac bonis sese occupasse.

Mens est hominis principium.

TENEBRIS OBSCVRATVM HABENTES INTELLECTVM] Hic est fons vanitatis Gentium, quòd scilicet intellectum, græcè διάνοιαν, id est cogitationem, habeant obscuratam infidelitate, aliisque erroribus practicis, qui ex ea sequuntur, vt scilicet nec Deum, nec Christum agnoscant; sed idola lignea & lapidea putent esse deos, dæmones colāt, & ad dæmonum suggestionem & instinctum putent fornicationem, ebrietatem, furta, rapinas non esse peccata. Sic enim corrupto intellectu, quasi duce & luce hominis, necesse est appetitum, & actiones omnes hominis corrumpi, vt liberè fornicetur, furetur, inebriet se, dum putat hæc non esse, aut certè exigua esse peccata.

Vera fides tantum.

Fides vera tantum.

ALIENATI A VITA DEI, à viuendi modo, quē Deus instituit, præcepit, & sibi gratum ac placitum declarauit, idque PER IGNORANTIAM] quia scilicet Deum, Dei legem & voluntatem ignorant.

PROPTER CÆCITATEM CORDIS IPSORVM] διὰ τὴν πώρωσιν, *propter excæcationem.* Verti etiā posset, *propter obdurationem*, vel, vt Ambrosius, *duritiam cordis eorum* : & sic hæc pars à præcedentibus distinguitur, ne idem repetat Apostolus. q.d. In Gentibus sicut obscuratus est per ignorantiam intellectus: ita consequenter cor, id est appetitus mala viuendi cōsuetudine obduratum est, & callū (πῶρος enim

enim callum significat) obduxit. Hinc, vt sequitur, in desperationem, indolentiam, & omne scelerum barathrum præcipites corruerunt.

QVI DESPERANTES] scilicet salutem, & viam virtutis ac beatitudinis. Legit Noster interpres, & cum eo Syrus, ἀπηλπικότες. ἐλπίζω enim idem est quod spero; ἀπελπίζω idem quod despero. q. d. Gentes cùm non crederent, nec sperarent animam esse immortalem, Deum esse vindicem malorum, ac bonorum remuneratorem, Sanctos esse beandos æterna vita, putarentque nullam post hanc vitam aliam superesse pœnarum, vel præmiorum; audacter & quasi impunè se voluptatibus & libidinibus dediderunt. Vnde & Erasmus hanc lectionem optimè huic loco quadrare censet, vt scilicet legamus *desperantes*: siquidem qui desperant esse vitam aliam à morte corporis, auidissimè rapiunt huius vitæ voluptates, ijsque se ingurgitant, velut amissis illis nihil habituri suaue.

Verùm Græca iam habent ἀπηλγηκότες, & ita legit Hieron. Chrysost. & Græci, id est *indolentes*; &, vt Hieron. vertit, *indolorios*, qui scilicet dolere desierunt, quique omnem doloris sensum perdiderunt. ἀλγέω enim significat dolere: ἀπαλγέω, dolorem deponere & perdere: quod Comicus vocat perdolere; Ouidius dedolere:

Optimus, inquit, *ille fuit vindex, lædentia pectus*
Vincula qui rupit, dedoluitq; semel.

id est, qui semel omnem doloris sensum deposuit & abiecit (sic enim deferbuisse dicitur olla, cùm feruere desierit, sicque desipere dicitur is, qui sapere desinit) quod Cicero vocat callum obducere dolori: *Consuetudo*, inquit ipse ad Varronem, *callum iam obduxit stomacho meo*. Sicut ergo consuetudo sensui quasi callum inducit, vt non sentiat morbū & dolorem cui assueuit: sic & animo callum inducit, vt non sentiat remorsum aut dolorem in peccatis, quibus assueuit. Itaque ex consuetudine & impudentia peccandi, oritur in animo ἀναλγησία, id est indolentia, vel dedolentia, qua animus ita obsurduit & obduruit in malis, vt peccata non sentiat, vt cùm peccat, omnem conscientiæ remorsum amittat, & quasi conscientia amputata non pœniteat, nihil doleat; sed quasi brutum in omne id quod libet, quamuis turpissimum & abominandum, præceps ruat, in eoque delectetur & glorietur, ait Hieron. Quia ergo indolentia oritur ex consuetudine peccandi, & consuetudo peccandi oritur ex desperatione, illique connexa est; hinc vtrumque verum est, scilicet & quòd desperantes, & quòd dedolentes Gentes in gentilismo tradiderint se omni immunditiæ. Vide in quod barathrum abducat hominem desperatio, & peccandi libertas ac consuetudo.

SEMETIPSOS TRADIDERVNT IMPVDICITIÆ, IN OPERATIONEM IMMVNDITIÆ OMNIS, IN AVARITIAM] S. Ambrosius legit, *in operationem immunditiæ omnis & auaritiæ*, & propriè accipit nomen auaritiæ. q. d. Gentiles non habentes spem vitæ futuræ dederunt se omni immunditiæ & auaritiæ, vt aliena appetant & inuadant insatiabiliter. Verùm græcè est, εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης, ἐν πλεονεξίᾳ, id est, vt vertit Noster, *in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam*: vt græcè est, in auaritia.

Vbi Nota, auaritiam hîc tribui immunditiæ, & pertinere non ad cupiditatem opum, sed ad libidinem atque luxuriam, inquit Hieronymus: græcè enim non est φιλαργυρία, sed πλεονεξία, quam Vatablus & Erasmus vertunt, *auiditatem*; Theophyl. *immoderatam concupiscentiam*. Propriè ad verbum πλεονεξία, est nimia habendi cupido, siue hæc cupido sit opum, siue honorum, siue libidinum, vti hîc est, aliarumque voluptatum. q. d. Apostolus: Gentiles qui non habent spem alterius vitæ, inexplebili auiditate & cupiditate, vel auidissimè & cupidissimè (est enim hebraismus *in auaritiam*, id est auarissimè & cupidissimè) operantur omnē immunditiam, in eamque toto impetu feruntur; sicut auari mercatores toti feruntur in lucrum, vt de eo certent, & quisque studeat illud alteri præripere, & in lucro ac opibus omnes alios excellere: ita hi Gentiles adeò auarè & intemperanter agūtur in immundas voluptates, vt quisque eas alijs præripere, & in iis alium superare studeat, sic vt libido eorum non habeat terminum, quia voluptatibus huius vitæ frui, ijsque se explere & beari volunt, cùm alias non exspectent. *Auara cupiditas & immoderata cupido rerum delectabilium, hostis omnis honestatis.*

Auaritia ergo significat hîc auaram cupiditatē libidinis & voluptatum, quæ temperantiæ & continentiæ repugnat semper: subinde etiam iustitiæ, vt cùm quis non contentus vxore sua, alienam inuadit, nec vnam, sed plures, vt voluptatis satietatē vitet, eiusque fastidium personarum mutatione tollat. Et hæc est πλεονεξία, de qua 1. Thessal 4. 3. *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq; vestrum vas suum* (vxorem suam) *possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorant Deum, & ne quis supergrediatur, neque circumueniat* (græcè πλεονεκτεῖ, idem quod hîc) *in negotio fratrem suum* (vt eius vxorem secretò ambiat & solicitet) *quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

VOS AVTEM NON ITA DIDICISTIS CHRISTVM] *Christum*, id est Christi doctrinam, vel christianismum. Christus enim pro Christo adiunctis sumitur, iuxta can. 37. q. d. Hoc non didicistis in doctrina Christi, non ita edocti estis in christianismo, scilicet ita luxuriari, vt faciunt Gentes. ita Hieron. & Anselm. Discere Christum, inquit Hieron. est discere temperantiam, sapientiam, virtutē Christi: & Theophyl. Christum, inquit, discere est rectè viuere: qui enim scelerate viuunt, Christum ignorant: *Deum* enim (inquit alibi Apostolus) *confitentur se nosse, factis autem negant.* VERS. 20. *Discere Christum est discere omnes virtutes.*

SI TAMEN ILLVM AVDISTIS] Vocula *si*, non est dubitantis, sed affirmantis, hoc loco, vti & 1. Thessal. 1. 6. *Si tamen* (id est, sicut omnino) *iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.* ita Chrysost. q. d. Apostolus, Sicut omnino Christum Christique doctrinam audistis & didicistis. VERS. 21.

ET IN IPSO, scilicet Christo, Christique schola & disciplina, EDOCTI ESTIS.

SICVT EST VERITAS IN IESV] q. d. Sicut veritas, id est, sicut verum est, per Iesum, iuro scilicet. ita Vatablus. nam præpositio *in*, Hebræis est particula iurantis: *in Iesu*, id est per Iesum, quem testor & iuro. Sic enim nos iuramus dicentes, Per Deum, Per animam. *Quadruplex horum verborum sensus.*

Verùm melius Syrus vertit, Si tamen audistis & didicistis, quanta sit veritas in Iesu. sic ferè & Vatablus, Si tamen, inquit, edocti estis, quænam sit veritas doctrinæ ipsius Iesu, quæ docet deponendam esse pristinam conuersationum, vt sequitur. q. d. Si tamen edocti estis ea doctrina quæ est veritas

ritas, & vera doctrina *in Iesu*, id est Iesu Christi (*in* enim Hebræis significat regimen genitiui, in Domino, id est Domini; in Christo, id est Christi.) Vel planiùs; Si tamen edocti estis ita verè, sicut veritatem docemur à Christo, qui est via, veritas & vita. Vel Tertiò vt alij, si tamen edocti estis ita, vt edocti sunt qui verè & seriò Iesum, Iesuque doctrinam cognoscunt. Sic enim Græcum καθώς, quod Noster vertit *sicut*, commodè explicatur. Hic ergo Syri sensus & Græcæ phrasi, & Pauli stylo aptè respondet, & præcedentibus apprimè connexus est.

A

Quartò, potest accipi hic cum S. Chrysost. Theophyl. & Anselmo, veritas tam vitæ quàm doctrinæ, de qua dixi v. 25. q.d. *Sicut est veritas in Christo*, id est, sicut in Christo Christique schola, scilicet Ecclesia, nil nisi verè, id est iustè, piè, sobriè & castè viuere docemur. Vnde ex S. Chrysostomo Theophyl. *Quod autem ait, Sicut est veritas, sic intelligi; quòd non, sicut Gentes in vanitate circumambulant, sic & vos ad eadem vana estis compositi atque comparati. Quæ enim Christi sunt tum dogmata, tum vita, non sunt vanitas, sed veritas: peccatum autem est vanitas & mendacium, vt quod substantia & subiecto careat, nec habeat perfectionem. Virtus autem veritas est, vt quæ subsistat, & perfectionem finemq; habeat. Quid autem docti estis? & quid est veritas secundùm Christum? nempe vt abijciamus veterem hominem, hoc est priorem vitæ conuersationisq; nostræ mores.*

B

Vers. 22. Deponere] Theophyl. Vatablus & alij referunt ad, *Edocti estis*. q.d. Edocti estis à Christo deponere veterem hominem.

Secundò, potest esse græcismus & hebraismus, quo per enallagen modorum infinitiuus ponitur pro imperatiuo, *deponere*, id est deponite: sic enim sequentes infinitiuos, in Græco ἀνανεοῦσθαι καὶ ἐνδύσασθαι, Noster interpres vertit per imperatiuos, *renouamini & induite*.

C

Tertiò, & optimè ad morem & spiritum Pauli, *deponere*, refer ad v. 7. *Hoc igitur dico, & testificor deponere*, id est, vt deponatis veterem hominem. Sæpè enim Apostolus, & præsertim in hac epistola, copia rerum ac vi spiritus abripitur, vt sermonem cœptum aliò deflectat, & post longam parenthesim ad se & ad cœptum sermonem redeat. Sic vidimus eum fecisse c. 3. vbi versus primus pendet & expletur v. 14. Sic hîc cùm versui 17. cogitaret Apostolus hunc 22. immediatè subnectere, abreptus fuit in Gentium vanitatem, cuius meminerat v. 17. vt eorum cæcitatem & turpitudines explicaret, vsque ad v. 22. quò redit ad sententiam v. 17. inchoatam.

D

Deponere vos secvndvm (id est quoad) pristinam conversationem veterem hominem] q. d. Dico & cupio vt deponatis veterem hominem, non quoad naturam & substantiam, sed quoad pristinam viuendi, concupiscendi & peccandi cõsuetudinem. Vnde Syrus non verba, sed sensum reddens, clarè vertit dicens, *vt deponatis à vobis conuersationes vestras priores, hominem* (inquam) *illum veterem, qui corrumpitur concupiscentijs erroris.*

Quid sit vetus homo.

Veterem hominem] Nota. *Vetus homo* est vetus hominis peccatoris vita, & mores, quos ex veteri siue primo Adamo traxit, scilicet veteres concupiscendi, & concupiscentias suas sequendi ac peccandi consuetudines. Qualis enim fuit vita veteris Adami peccantis, talis est & eorum, qui ex eo prognati, vetus illud concupiscentiæ fermẽtum ex eo traxerunt. Siue magis propriè & concinnè, vetus homo est ipse homo, qui olim Gentilis & peccator, ac quasi veterem Adamum protoplastũ indutus & imitans, sequebatur suas veteres concupiscentias, & inolitas prauas consuetudines; vt magis patebit v. seq.

Qvi corrvmpitvr secvndvm desideria erroris] Quia scilicet concupiscentiæ, dum ijs homo indulget, corpus & animam corrumpunt ac destruunt, inquit Theophyl. Secundò & genuinè, vetus homo corruptus est & corrupit integritatẽ primi Adæ & hominis, qui creatus fuit, vt sequitur, in iustitia & sanctitate veritatis: hic ergo vetus homo iam dictus, ita corruptus indies magis corrumpitur & veterascit, dum pergit sequi desideria erroris, id est, concupiscentias carnales erroneas & rationi contrarias, siue cupiditates deceptrices. Vnde notat S. Hieron non dicere Apostolum, *veterem hominem* qui corruptus est, sed *qui corrumpitur*: quia per singulas horas & momenta magis & magis corrumpitur, & ab homine humanaque vita in brutalem brutumque degenerat.

Addit Tertiò, Theophyl. dici hîc veterem hominem corrupi: quia, sicut homo ipse vetus, ita & hæ illius concupiscentiæ morbo, senio & morte dissoluuntur ac pereunt. Sed secundus sensus genuinus est: addit enim Apostolus, *Qui corrumpitur secundùm desideria erroris*: suis ergo desiderijs & concupiscentijs, non morte aut senio corrumpitur hic vetus homo.

Renovamini, ἀνανεοῦσθαι, id est *renouari*, in infinitiuo, qui pendet à v. 17. vt dixi. q.d. Dico renouari, id est, vt renouemini, quod Noster clarè vertit, *renouamini*, spiritv mentis vestræ] id est, viuifica illa vi gratiæ & spiritus mentibus nostris indita, qua Spiritus sanctus nos regenerat, & in nouos homines, Christianos scilicet & sanctos, transformat. Idem est quod dixit Rom 12. 2. *Reformamini in nouitate sensus vestri.* vnde explicans subdit hîc:

Et indvite novvm hominem, qvi secvndvm Deum creatvs est in ivstitia et sanctitate veritatis] Vbi Nota Primò *Nouum hominẽ* intelligit Christum, vt Hieron. & Anselm. vel simpliciùs Adamum nouè & recenter à Deo creatũ, vt sequitur, in gratia, innocentia & iustitia, quem per peccatum veterascentem renouauit Christus, & in primum nouum hominem, vti à Deo creatus erat, restituit, nosque in baptismo & pœnitentia quasi veterem Adamum exuit, & nouum rursum induit, cùm primi & noui Adæ nouam gratiam, innocentiam & sanctitatem nobis reddidit.

Nota Secundò, phrasim Apostoli: ponit hîc duos homines inuicem contrarios, eosque dicit nos induere, vt dum vnum exuimus, induamus alium. Simili phrasi dicit nos induere Christum, vt dixi Rom. 13 14. Sicut ergo veterem vestem exuimus, vt nouam induamus: sic veterem hominem, id est, veteris Adæ consuetudines & vitia, exuimus, vt nouum hominem, id est, noui Adæ in gratia creati, Christique nouitatem eius reparantis nouos mores, puritatem scilicet & sanctimoniam Christianam, induamus.

Nota Tertiò. Sicut Christum, sic & Adamum dicimur induere. Adamum inquam, non vt particularis erat persona; sed vt erat parens & caput omnium posterorum. Sic enim nouus homo creatus est, & nouitatem gratiæ & sanctitatis accepit,

non

non pro se tantùm, sed etiam pro omnibus posteris; quam nouitatem & nouum hominem, si non peccasset, ad omnes posteros transmisisset. Sic ergo loquitur hîc Apostolus de nouo homine, vti & de veteri, quasi abstracto vniuersali & communi, quem singuli induere possumus & debemus, quique singulis communicatur instar ideæ Platonicæ. Sic enim Plato censuit ideam hominis communicari huic, illi, & cuiuis alteri homini in particulari, eique communicare suum esse hominis, vt per eam quisque homo particularis fiat homo: sic per hunc nouum hominem quasi abstractum & vniuersalem, quisque particularis Christianus fit nouus homo, vt loquitur Apostolus; non quòd verè fit aliquis homo vniuersalis instar ideæ Platonicæ: sed vt significetur nouitas hæc noui hominis esse communis, singulisque Christianis communicari, vt per eam renouentur. Hic enim nouus homo (id est nouitas noui hominis iam dicta) datus erat Adæ, vt per eum quasi caput humani generis communicaretur omnibus posteris: sed eo peccante hic nouus homo datus est Christo, vt per Christum quasi parentem omnibus Christianis communicaretur. Hinc Christus Isaiæ 9. vocatur *pater futuri* (noui) *sæculi*, & de eo canit Sibylla:

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Iam noua progentes cælo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, & toto surget gens aurea (Christianorum) *mundo,*
Casta fave Lucina.
Ille Deûm vitam accipiet, Diuisque videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis.

* Nota Quartò. *Renouamini* & *induite* significant nos, etiamsi baptismo innouati, regenerati & induti simus, tamen indies magis nos debere innouare & induere nouitatem, magisque deponere & exuere veterem hominem (id est concupiscentiam) qui nobis ita innatus est & adhæret, vt in hac vita planè deponi & omnino innouari non possit. Vult ergo Apostolus, vt quilibet Christianus indies magis & magis veteres malas consuetudines, vitia ac propensiones ad malum quas quisque in se sentit, mortificet & extirpet; ac contrarias Christi, & primi nouique Adæ virtutes animæ suæ inserat, innouet, adaugeat per feruorem ac studium proficiendi & perficiendi se. *Mens enim*, inquit S. Gregorius 22. Moral. 4. *dum igne amoris excoquitur, semper in se seruat claritatem pulchritudinis, quotidiana innouatione feruoris. Nescit enim mens veterascere, quæ semper per desiderium studet inchoare.* Vide dicta Rom. 11. 12. Pulchrè etiam Hieron hîc: *Induite nouum hominem, id est*, inquit, *vt alio loco dixit*, (Rom. 13.) *induite vos Iesum Christum. Ipse quippe est nouus homo, quo vniuersi credentes debemus indui atque vestiri. Quid enim in homine qui à Saluatore nostro assumptus est, non nouum fuit? Conceptus, natiuitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes, & ad extremum crux & passio expoliantis in se principatus, & contrarias fortitudines ostentui habentis, resurrectio quoque & ascensus ad cælum. Hic ergo verè creatus est in iustitia & sanctitate veritatis: quia Deus verus, Dei veri filius fuit: & tota in illo religio atque iustitia Dei veritate completa est. Qui igitur conuersationem illius imitari potest, & vniuersas in se exprimere virtutes, vt sit mansuetus, sicut ille fuit mansuetus & humilis corde: & ponat animam suam pro*

Cornelius Epist. Pauli.

amicis, vt ille posuit pro omnibus suis: verberatus non respondeat: maledictus non maledicat, sed vincat in humilitate superbiam. Iste indutus est nouum hominem, & dicere eum Apostolo potest, Viuo autem non iam ego, viuit verò in me Christus.

QUI SECUNDUM DEUM CREATUS EST] Græcum κατὰ, id est *secundum*, respondet Hebræo כ, quod est nota similitudinis & assimilationis, qua imago assimilatur suo exemplari, ex quo expressa est. q.d. Induite nouum hominem, qui ad Dei exemplar creatus est. Alludit enim ad Genesis 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

In quo sita sit imago Dei in homine.

Vnde quæritur hîc, in quo sita sit hæc imago Dei in homine. Oleaster in 1. Geneseos & Eugubinus in Cosmopœia putant Deum cùm hominem crearet, induisse formam humanam, vt ad eam eiusque similitudinem hominem crearet. Sed hoc frigidum est & Iudaicum.

Nota ergo Primò, imaginem hîc metonymicè sumi pro exemplari ex quo imago expressa est, quodque; refert & repræsentat. Quasi diceret Deus: Faciamus hominem ad nostrum exemplar, vt sit imago ex nobis, nostraque natura quasi ex exemplari expressa, quæque nostram diuinitatem referat & repræsentet. Potest tamen Secundò, *imago* hîc propriè capi, si per hebraismum sic exponas: *Faciamus hominem ad imaginem*, id est, vt sit imago nostri, quæ nos tamquam suum exemplar exprimat & repræsentet.

Nota Secundò. Imaginem & similitudinem multi distinguunt; sed dico esse hendyadin. q.d. Faciamus hominem ad imaginem similitudinis nostræ, (vt loquitur Sapiens Sapient 2. 24.) id est ad imaginem valdè similem, aut simillimam nobis. Hinc sacra Scriptura modò vnum, modò alterum, modò vtrumque vsurpat; vt modò dicat hominem creatum ad Dei imaginem, modò ad similitudinem, modò ad imaginem & similitudinem: vt patet Genes. 5. 1. Eccli. 17. 1. Coloss. 3. 10. Vnde colligitur imaginem à similitudine non distingui.

Imago Dei in viro, angelo & femina.

Nota Tertiò. Hæc imago Dei non est in solo viro, vt vult Theodor. sed & in angelo, & in femina. Tam enim Eua, femina & angeli, quàm Adam & viri creati sunt ad imaginem Dei; vt fusè docet S. Augustinus 12. de Trinitate 7. & Basil. hom. 10. Hexameron.

Sita est in hominis mente.

Dico ergo, hæc imago Dei sita est in hominis mente, siue in eo quòd homo sit in summo rerum gradu, in quo est Deus & angelus, scilicet quòd sit naturæ intelligentis, putà animal rationale. Ex quo sex eximiæ hominis proprietates oriuntur & consequuntur, in quarum iam vna, iam alia Patres ponunt hanc Dei imaginem in homine: ponunt, inquam, non plenè & adæquatè, sed partialiter & incompletè. Prima est, quòd homo habeat animum incorporeum & indiuiduum; Secunda, quòd anima hominis sit immortalis; Tertia, quòd eadem prædita sit intellectu, voluntate & memoria; Quarta, quòd sit liberi arbitrij; Quinta, quòd capax sit sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis & visionis Dei, omnisque boni, vt ait Nyssenus; Sexta, quòd cunctis animalibus præesse possit & dominari. Vnde cùm alia omnia creasset Deus, dixit, *Faciamus hominem* quasi regem creatorum, vt iis præsit: nimirum,

Octo eximiæ hominis proprietates.

Sanctius his animal mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.

Quibus adde Septimam, sicut in Deo sunt omnia & omnes rerum gradus vel formaliter, vel eminenter; ita & proportionaliter sunt omnia in homine. Omnes enim rerum spiritalium & corporalium gradus in se habet & nectit homo: cum angelis enim intelligit, cum brutis sentit, cum plantis vegetatur, cum inanimis est & subsistit: estque homo vnam habens animam in tribus potentiis, mundi increati, id est Sanctissimæ Trinitatis, imago, & eius infinitæ artis & sapientiæ testimonium, ac opus perfectissimum: creati verò mundi homo rex est, finis, compendium, vinculum, nexus & microcosmus. Octaua, homo est imago sapientiæ Dei, quia omnia contemplari & intelligere potest: rursum omnipotentiæ Dei, quia homo quasi est omnipotens, dum omnia mente, multa etiam arte efformare & effingere potest. Præterea sicut Deus finis est rerum omnium, totiusque mundi: ita suo modo finis omnium est homo. Denique sicut Deus est totus in mundo, & totus in qualibet mundi parte, estque quasi anima mundi, non propriè, vt Platonici; sed metaphoricè: quia scilicet, vt canit Poëta,

Homo imago SS. Trinitatis.

Spiritus intus alit: totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet;

ita anima hominis tota est in toto corpore, & tota in qualibet corporis sui parte. Hæc ergo Dei imago homini est naturalis, quæ peccato perdi non potuit; vt contra Origenem docet S. August. libr. 2. Retract. 24. vbi retractat id quod dixerat libr. 6. de Genes. ad litt. c. 17. Adamum peccando imaginem Dei perdidisse; Quod, inquit, sic accipe: non quasi in Adamo nulla remanserit Dei imago; sed quòd tam deformis illaper peccatum effecta sit, vt reformatione indiguerit.

Imago Dei in homine supernaturalis sita est in iustificatione, gratia, sanctitate, visione Dei.

Dico Secundò, est & alia Dei imago in homine, scilicet supernaturalis, quæ sita est in hominis iustificatione, sanctitate & gratia, qua diuinæ fit consors naturæ, quæque in gloria cælesti firmabitur & perficietur. Vnde S. Iohannes epist. 1. c. 3. 2. *Scimus*, ait, *quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* In hac enim imagine supernaturali conditum esse Adamum, eamque ad litteram intelligi, cùm dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; æquè ac priorem illam quæ naturalis est, de qua paulò antè dixi, patet ex hoc loco Apostoli, & Colost. 3. 10. estque communis sententia Patrum. Hoc enim clarè verba Apostoli significant, *Qui*, inquit, *secundùm Deum*, id est, ad Dei exemplar, *creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Ergo imago hominis sita est in iustitia & sanctitate, in quibus creatus est ad exemplar iustitiæ & sanctitatis, quæ est in Deo.

Adam in gratia creatus.

Imago supernaturalis ab hominis voluntate dependet.

Nota. Hæc imago Dei supernaturalis ab hominis voluntate pendet, eaque peccante deperditur (& sic subinde August. vt dixi, & Patres alij dicunt peccato perditam esse Dei imaginem, scilicet hanc supernaturalem, non autem priorem illam naturalem, de qua paulò antè dixi) sed per gratiam & iustificationem reparatur. Per gratiam ergo & sanctitatē magis propriè & perfectè homo est imago Dei, quàm per naturam animæ rationalis & liberi arbitrij: quia per gratiam participat homo, & in se exprimit summum gradum entis, qui est in Deo, scilicet ipsum esse diuinum & supernaturale, quo in se Deus sanctissimus est, perfectissimus & glorioissimus, estque fons bonorum omnium non naturalium, sed supernaturalium, siue gratiæ & gloriæ omnis, quæ omnem naturam hominis & angeli, imò creaturæ cuiuslibet, quæ à Deo creari potest, transcendunt.

Accipiunt in baptismo.

Hanc imaginem supernaturalem accipiunt omnes Christiani in baptismo, eamque indies perficiunt, dum per actus gratiæ & virtutū crescunt in sanctitate. Vnde Apostolus hîc hortatur Ephesios iam baptizatos & sanctificatos, vt magis indies se renouent, & magis induant & assumant nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in sanctitate & iustitia veritatis.

Induite enim hîc significat non actum inchoatum, sed continuatū, proficientem & perfectum, iuxta can. 32. q. d. Induite, id est pergite induere, vestire, perficere vos, noua, iusta, Christiana & sancta vita, quam induistis, assumpsistis & inchoastis in baptismo.

Huc multum iuuat documentum Agathonis Abbatis libr. 7. in Vitis Patr. c. 42. *Observa*, ait, *præ omnibus hoc, vt qualis primo die ingrederis in conuictum fratrum, talis reliquum peragas tempus, & cum quiete adimplebis peregrinationem tuam. Custodi enim nequando fiduciam loquendi assumas.* Et alterum quod dedit alius ibidem cap. vlt. *Ex quo*, ait, *renunciani terræ, mihi dixi, Hodie renatus es, hodie cœpisti seruire Deo, hodie hîc inhabitare cœpisti: sic esto quotidie peregrinus, & crastino liberandus. hoc mihi quotidie consultebam.*

Quid sit sanctitas.

IN IVSTITIA ET SANCTITATE VERITATIS] id est, in sanctitate vera, non fucata, non seruata non imputata, qualem Nouantes inducunt. ita Chrysost. *Sanctitas*, inquit S. Dionysius, & ex eo Anselmus, *est omni inquinatione libera, incontaminatissima & perfectissima puritas.* Hinc 1. Corinth. 7. 34. dicit virginem debere esse *sanctam* (id est, castam & puram) corpore & spiritu. Hinc rursum *sanctum* dicitur ἅγιον, quod, inquit Origenes, componitur (symbolicè) ex γῆ, id est terra, & ἀ priuatiua, quasi dicas sine terra, vt ἄγιον, id est sanctum, sit, quod à terra terrenisque fæcibus est secretum, purum, cæleste, diuinum, ac Deo cohærens, addictum & consecratum. Hîc tamen græcè non est ἁγιωσύνη, sed ὁσιότης, quæ tamen idem significant.

Ὅσιος enim, inquit Chrysost. & Theophyl. dicitur is, qui est ab omni scelere & labe immunis, purus & mundus.

Secundò, qui implet & soluit omne debitum. Inde enim dicuntur ὅσια, id est parentalia, exequiæ, iusta funeralia quæ debentur defunctis.

Tertiò, ὁσία significat expiationem inde ἁφοσιῶ, propriè est facere aliquid causa soluendi animum religione, vt cùm id quod vouimus persoluimus. ita Budæus. Rursum ἁφοσιῶ significat expiare, dicare, consecrare: sic ergo ὁσιότης, id est sanctitas, Primò, est puritas & innocentia; Secundò, est iustitia; Tertiò. pœnitentia & expiatio peccatorum; Quartò, religio & religiosus Dei cultus, quo anima se Deo dicat & consecrat.

Vera.

PROPTER QVOD DEPONENTES MENDACIVM LOQVIMINI VERITATEM] Descendit hîc ad veteris hominis partes & membra, eisque noui hominis partes & membra opponit. Doctor enim & concionator à thesi ad hypothesim debet descendere.

dere. Conciones enim quæ in genere tractant de vitiis & virturibus, parum sunt vtiles populo, qui rudis est, & nescit ea quæ generaliter dicuntur, sibi applicare. Vnde qui bene eum docere, illique concionari volunt, debent in particulari ei regulas viuendi practicas præscribere, vt sciat in particulari, hîc & nunc, quid sibi agendum sit, quid cauendum. Particularia ergo membra veteris hominis, quæ deponi & exui vult Apostolus, sunt mendacium, fraus, ira, iniustitia, furtum, libido, & cetera quæ sequuntur. His opponit membra noui hominis, eaque assumi & indui vult, scilicet veritatem, mansuetudinem, iustitiam, liberalitatem, castitatem, &c.

LOQVIMINI VERITATEM VNVSQVISQVE CVM PROXIMO SVO] vt proximum non fallatis, non decipiatis, sed fideliter præstetis quod illi promisistis.

QVONIAM SVMVS INVICEM MEMBRA] q.d. Vnum membrum non mentitur alteri, non decipit alterum, sed quodque alteri fidele est, illudque sincerè adiuuat, quantum potest: v g. manus non decipit pedem, non obiicit ei scopulum in quem impingat & cadat; sed potiùs admonet, curatque ne pes fallatur: ita & Christiani singuli qui sumus inuicem membra, neminem decipere, sed omnibus fideles esse, omnesque fideliter & sincerè adiuuare debemus.

Errat ergo Plato, qui libr. 3. de Republ. docet subinde viro bono & sapienti, ac præsertim principi & magistratui, mentiri fas esse. *Diis*, inquit, *inutile est mendacium, hominibus autem pro medicamento est vtile. Quare publicis medicis concedendum, priuatis autem hominibus minimè attingendum. Igitur rempublicam administrantibus mentiri licet vel hostium, vel ciuium causa, ad communem ciuitatis vtilitatem; reliquis autem à mendacio abstinendum est.* Longè verius & sanctiùs hîc Paulus, cuique homini vniuersim veritatem præcipit, & mendacium interdicit. quod ita primis sæculis imbiberunt Christiani, vt scribat Iustinus Martyr Apologia 2. Christianos malle mori quàm vel semel mentiri.

IRASCIMINI] Citat psalmi 4. vers. 6. vbi hebraicè est רִגְזוּ *rigsu*. quod licet Hebræis significet *contremiscite*, Syris tamè (quorum idiotismum subinde in psalmis quasi in carmine ad elegãtiam vsurpat Psaltes) significat *irascimini*, scilicet voluptati, inquit Hesychius in Catena Græc. in psal. 4.

Secundò, Theophyl. Irascimini scilicet vobis ipsis peccatis & vitiis vestris, ea per pœnitentiam puniendo.

Tertiò, Si Prælati aliique præpositi estis, vitiis subditorum delinquentium iram, id est seueritatem correctionis, exhibete. Vnde Eusebius in Catena Græcorum in psalm. 4. ad litteram vult hæc esse verba Dauidis ad inclytos suos, vt vertit Hieron. scilicet ad Ioab, Abisai, alios que duces & milites indignantes, & parantes se ad conflictum cum Absalone parricida. q.d. Dauid: O Ioab, vosque milites mei, irascimini Absaloni, pugnate contra eum, sed cauete ne ira vestra & vindicta modum iustæ pugnæ & belli excedat.

Quartò, optimè & maximè genuinè: hoc psal. 4 Dauid loquitur hostibus suis, & hortatur illos vt Deum suorum cultorum protectorem agnoscant, colant, inuocent, nec Sanctos eius persequantur; sed si quando ad iram cõcitentur, illisq; irascantur, caueant tamen ne peccent. q.d. Si ô Philisthæi aliique hostes mei & iustorum, ira in vobis contra me aliúmve iustũ aut innoxium insurgat, sique (vt Aquila vertit) turbamini, scilicet contra me, aliúmve quempiam; nolite tamen peccare, id est, nolite iram fouere & perficere: sed eam metu diuini numinis & mortis, ait Chaldæus, comprimite. ita Origen. Chrysost. Theodoret. in Catena Græcorum: qui hinc docent iram quæ rationem præuenit, non esse peccatum. Secundò iram, si ratione regatur, esse cotem virtutis. Ideo enim iræ passio data est homini, vt ardua aggrediatur & superet.

Ira, si ratione regatur, cos virtutis.

Dicit ergo *Irascimini*, q.d. Si contingat vos pro naturæ fragilitate & procliuitate concitari ad iram, & subitò irasci (Græcum enim παροργισμὸς, commotionem, iritationem & concitationem, id est iram subitam, significat: idem significat Hebræum רִגְזוּ *rigsu*, à quo nonnulli Græcum ὀργίζεσθε deducunt) tamen nolite peccare, id est, nolite iræ per voluntatem & rationem consentire, vt illi inhæreatis & indulgeatis vindictam machinando & perficiendo; sed quàm citissimè per rationis dominium, perque Dei metum iram abrumpite & compescite ita vt

SOL NON OCCIDAT SVPER IRACVNDIAM VESTRAM] Est prouerbium significans iram statim esse compescendam: nec enim ad litteram permittit Apostolus vt toto die quis iræ indulgeat & se vindicet, modò sole occumbente eam deponat: sic enim per diem omnem vindictam machinari & perficere permitteret. sed, vt dixi, prouerbium est significans statim comprimendam esse iram, ne, vt sequitur, locum demus diabolo.

Pulcher locus moralis de ira domanda, eiusq; exempla & motiua.

Primus ergo gradus iræ domandæ est, vt statim illam frænemus, ne in animo hæreat, vel in verbum, aut factum aliquod asperius erumpat. Secundus est, si hæserit, vel eruperit, vt ante solis occasum, id est, statim vt possumus, ad mentem & tranquillitatem redeamus: ita Anselm. Genebrardus ac Iansenius in psal. 4.

Ira domanda gradus varij.

Potest Secundò, propriè accipi hîc solis occasus. q.d. Si ira per diem menti inhæserit, & semper recurrerit etiam inuitæ, saltem ante noctem illam excutite; tum ne noctu recurrat, & vos vestramq; quietem turbet, ac magis accendatur (solent enim noctu diurnæ cogitationes, maximè tristes & molestæ, recurrere, hominemque exagitare, turbare & accendere) tum vt nocturnam orationem non impediat: tum denique, ne, si noctu contingat vos in morbũ, aut mortẽ subitaneã incidere, à Deoq; ad iudicium euocari, in ira & mentis amaritudine ac auersione à proximo moriamini, itaq; non audeatis cõparere in tribunali Christi. Qua de causa in nonnullis Religionibus hæc pia lex statuta est, vt, si quis alium per diem offenderit, non liceat illi nocturnæ quieti se dare, nisi priùs veniam ab eo quem offendit petierit, illique reconciliatus sit.

Lex pia reconciliationis ante noctem.

Ita S. Epiphanius Episcopus Cypri dixit S. Hilarioni, *Ego ex quo accepi habitum istum, non dimisi aliquem dormire, qui habebat aliquid aduersum me: neque ego dormiui aliquid habens aduersus aliquem.* Cui Hilarion, *Ignosce mihi, quia tua conuersatio maior mea est.* Ita quoque S. Iohannes Eleëmosynarius Archiepiscopus Alexandr. teste Leontio in eius Vita, cùm quadam die contra Nicetam Patricium ira, licet iusta, commotus fuisset, vt se ante vesperam ei reconciliaret, ad Nicetam misit presbyterum suum, qui ei diceret: *Sol iam est in occasu*

Exemplum S. Epiphanij & S. Iohannis Eleëmos.

casu vir maximè venerande. quo stimulo compunctus Niceras ad S. Iohannem accurrit, & vterque ante solis occasum in mutuos ruerunt amplexus. Atque hoc est quod Pythagoras docuit: *Vbi ollam à cinere sustuleris, turbandum est vestigium*, id est, vbi deferbuerit & resederit primus iræ impetus, mali præteriti memoria est obliteranda, & omne iracundiæ vestigium penitus est tollendum. A

S. Antonij. Sic & *S. Antonius*, inquit S. Athanas. *suadebat ingi meditatione retinendum illud Apostoli: Sol non occidat super iracundiam vestram. Non tantùm autem super iracundiam solem occidere non debere interpretabatur, sed & super omnia delicta hominum, ne peccatorum vmquam nostrorum aut in nocte luna, aut in die sol testes abscederent. Illius quoque admonebat præcepti, Diiudicate vosmetipsos, & probate; vt rationem diei noctisq; facientes, si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent: sin autem nullus error decepisset, perseuerantes instarent potiùs in cœpto, quàm arrogantiæ tumidi, aut alios contemnerent, aut sibi iustitiam vendicarent.* B

Vnde psal. 4. citato cùm Dauid dixisset, *Irascimini, & nolite peccare*; subiunxit, *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* subaudi, q.d. De iis quæ malè & iracundè per diem dicitis & cogitatis contra me Dauidem, aliosq; insontes; cùm in cubilibus vestris vespere & noctu soli estis, silentes & quieti, compungimini, dolete & pœnitentiam agite. Vnde Hebræa habent: Dicite in corde vestro super cubilibus vestris, & silete. q.d. Iræ & peccatorum quæ interdiu commisistis, vespere & noctu in silentio & silenti meditatione, oratione, & conscientiæ examine rationem & pœnas à conscientia exigite, inquit Theodor. Origenes, Athanas. Chrysost. in Catena Græcorum: vt scilicet ad mortem, & ad Dei iudicium, si fortè ad id ea nocte vocaremini, per hoc conscientiæ examen, compunctionem & pœnitentiam vos comparetis. C

Tropologicè, S. Hieron. & Anselm. Sol, id est Christus Christique lux, veritas, prudentia, sapientia, iustitia, irato occidit. Nil enim ita mentem obnubilat atque ira. q.d. Cauete ergo, & statim comprimite iram, ne sol iustitiæ Christus menti vestræ occidat.

IRACVNDIAM] Iracundia non habitum, sed actum significat, quem vulgò excandescentiam vocamus. Non dicit iram: quia hæc naturalis est passio, & sæpè licita & sancta; sed, iracundiam. Hæc enim significat iræ excessum & efferuescentiam, & hoc significat, vt dixi, Græcum παροργισμὸς, scilicet animi efferuescentiam, concitationem & impetum, quo præter (hoc enim significat Græcum παρὰ) rationem & aduertentiam subito iræ motu contra aliquem concitatur & abripitur. D

Iracundia Iræ excessus.

Mor. de ira superanda. Rectè iracundia comparatur api, quæ vt ex ira se vindicet, aculeum alteri infigit, itaque se aculeo & sæpè vita priuat: sic enim iracundus murmurat & tumultuatur vt apis, & vt se vindicet, alterumque lædat, seipsum vulnerat, animamque peccato letali sauciat. Hinc de hostibus suis ait Dauid psal. 117. v. 12. *Circumdederunt me sicut apes.* Verè *irati hominis cogitationes*, vt ex Philone ait S. Hieron *partus sunt viperei viscera matris corrodentes admirando naturæ secreto.* Quare Aristoteles, teste Æliano, Alex. Magno natura iracundo cõsuluit, vt omnibus se superiorem æstimans maledicta contemneret: ita Christianus maledicta contemnat, non quasi conuiciatore sit melior, sed quasi maledictis sit fortior. *Omnis enim iniuria*, inquit Tertull. libr. de Pœnit. *seu lingua, seu manu inuasa, cùm patientiam offenderit, eodẽ exitu dispungetur, quo telum aliquod in petræ constantissimæ duritiem librati.*

Proprium est magnitudinis veræ, ait Seneca l. 3. de Ira c. 25. *non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respicit: sic illisus ingenti scopulo fluctus assultat. qui non irascitur, iniuria inconcussus perstitit; qui irascitur, motus est. non ergo iniuriam pati, sed iniuriam facere, vel nescire pati malum est.*

Pulchrè idipsum ostendit Chrysost. homil. 76. cuius titulus est, *Quòd nemo læditur nisi à seipso*, vbi inter alia ait: *Si quis solem tenebrarum auctorem existimet, Soline, an sibi detraxit? sibi videlicet ipsi, cùm furiosi & insanientis opinionem consequatur: eodem profectò modo qui prauos bonos esse putant, & econtrariò, seipsos vituperant.* Muliebre enim est conuicium conuicio repellere: nam vt S. Ambros. ait l. 1. Officiorum c. 6. *Qui citò mouetur iniuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.*

Denique Damascen. in Parallelis, *Animus*, inquit, *iniuriarum memor singulis horis peccat, & vitium in pectore circumfert*; cùm fur, latro, &c. admisso scelere mox doleat & pœniteat.

NOLITE LOCVM DARE DIABOLO] quod fit dum fouetur ira, & similes diaboli fœtus. q.d. inquit Oecumen. Per iracundas cogitationes maximè nocturnas, ne foueatis & inflammetis iram vestram, vt locum detis diabolo, sed eas omnes ante noctem & solis occasum deponite. Nil enim iram, libidinem, aliasque passiones ita inflammat, atque iniurias sibi illatas, species mulierum, aliaque obiecta & illecebras, quibus passiones acuuntur & accenduntur, mente voluere & reuoluere. Contrà, nullum remedium contra eas efficacius est, quàm mentem & phantasiam ad alia cogitanda cum vi quadam abstrahere, lætas alias & gratas cogitationes accersere, occupare se studiis, aliisq; cogitationibus, præsertim mortis, iudicij, inferni, cælestis gloriæ, quæ priores excludant, intendere, totumque se addicere; maximè noctu, si ex animi turbatione quis dormire nequeat. VERS. 27. *Locum dare diabolo quid fouetur ira.* *Quæ passiones irritent.*

Nota. Vatablus & Erasmus vertunt, *nolite dare locum calumniatori* (hunc enim significat Græcum διάβολον.) q.d. Compescite iram, ne Gentiles calumnientur Christianos, quòd sint tam iracundi, & vindictæ cupidi.

Verùm meliùs alij passim per διάβολον, intelligunt Satanam, qui Diabolus dicitur, id est calumniator, per antonomasiam, quia omnium calumniatorum est princeps, omnesque bonos, & bonorum opera in calumniam tam apud Deum quàm apud homines trahere conatur. Tertull. legit, *nolite locum dare malo*: diabolus enim antonomasticè vocatur malus. *Per diabolum hic intelligitur Satanas.*

Nota Secundò. Ira maximè dat aditum & locum diabolo: ipse enim iracundis cogitationibus facillimè & occultissimè se insinuat, easque iniuriam factam aggrauando magis suscitat, & sua suggestione & consilio vindictæ quasi folle accendit: adhæc spiritus & sanguinem commouet, vt bilem inflammet; adeoq; rationem & iudicium hominis irati turbat, vt iratus vindictam, non vindictam, sed iustitiam esse putet, itaque in vltionem quasi æquam & iustam prosiliat, neque videat peccata & pericula in quæ se conicit; sed quasi furens *Diabolus maxime se insinuat irato.*

furens & amens in conuicia, verbera & cædes feratur, nilque tam immane sit, quod non audeat & attentet, dum illi furor arma ministrat. ratione enim & mente erepta iratus & furibundus non tam agit, quàm agitur à furore & à dæmone, videturque esse dæmon incarnatus. Vnde S. Gregor. Nazianz. in iram ita canere, imò stomachari incipit: *Irascor iræ, dæmoni intus condito.*

Denique Anselmus symbolicè, Cor, inquit, nostrum duas habet valuas, cupiditatis & timoris: has claude, & hostis in illud non intrabit, sicque non dabis locum diabolo.

Vers. 28. LABORET OPERANDO MANIBVS, QVOD BONVM EST] *Quod bonum*, id est, quod honestum est. q.d. Laboret & operetur, sed ita, vt non ex turpi opificio, sed honesto victum quærat.

Secundò, Romana Biblia τὸ *quod bonum est*, duobus commatibus intercipiunt, quasi sit parenthesis. q.d. Laboret operando manibus, quæ res bona est & honesta, non turpis & indecora, præsertim si non sibi soli, sed & proximo necessitatem patienti, vt sequitur, labore suo succurrat, vti faciunt multi pij opifices. est enim hic actus Christianæ simplicitatis, charitatis, patientiæ, liberalitatis & spei: ergo bonus & honestus est.

Vers. 29. OMNIS SERMO MALVS EX ORE VESTRO NON PROCEDAT] Pro *malus* græcè est σαπρὸς, id est putris & corruptus, qui scilicet sale prudentiæ non est conditus; sed vel lasciuia & obscœnitate, vel scurrilitate, vel amarulentia, vel dicacitate, vel inuidia, vel alio vitio est infectus & corruptus, quique putrem & spurcam radicem & arborem, putrè cor vel obscœnum, vel scurrile, vel amarulentum, vel inuidum indicat. Nam *mala* (græcè σαπρὰ, id est putris) *arbor malos fructus facit*, Matth. 7.17. Quale ergo est cor nostrum, tale est & os, & qualia cogitamus & cupimus, talia & loquimur. Vis scire qualem quis habeat mentem & animum, vide qualia loquatur. Hinc Socrates ad adolescentem, *Loquere*, inquit, *ô adolescens, vt te videam*; sermo enim est speculum mentis. Sicut ergo vas vrina, fæcibus, aliisque rebus putidis & corruptis plenum, si aperiatur, earumdem rerum putidum & corruptum odorem spargit & exhalat, qui naresastantium ferit & inficit, eisque subinde pestem & mortem afflat: ita mens vitiosa putredinem, corruptionem & vitium quod in se habet, peros eructat, audientesque ferit, inficit & corrumpit: vt verissimè dixerit Poëta, & ex eo Apostolus, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*. Vnde Theophyl. σαπρὸς, inquit, id est, spurcus & putris, siue graueolens sermo, non est otiosus, temerarius, importunus; sed est turpiloquium, conuicium, obtrectatio.

SED SI QVIS BONVS AD ÆDIFICATIONEM FIDEI, VT DET GRATIAM AVDIENTIBVS] supple, hic procedat ex ore vestro. Nota. Pro *ad ædificationem fidei*, græcè est πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, quod Theophyl. vertit, *ad ædificationem necessitatis*, vt scilicet in necessitate, vel cùm necessarius est auditibus hic sermo, tùm proferatur & eos ædificet.

Secundò, Erasmus vertit, *ad ædificationem vtilitatis*, id est, sermo qui ædificet audientes, loquendo ea quæ vtilia sunt.

Tertiò, S. Hieronymus & Vatablus vertunt, *ad ædificationem opportunitatis*, id est, sermo qui ædificet quoties opus, vel opportunum est alios docere, iuuare, aut promouere.

Quartò, Syrus vertit, *sermo qui sit accommodatus ædificationi*. Vnde videtur ipse οἰκοδομὴ ὁμοιῶς χρείας per hypallagen accipere, pro χρείαν οἰκοδομῆς. q.d. Sermo qui sit in vsum ædificationis, id est, qui vtilis sit & accommodatus ædificationi.

Verùm Latinus interpres, ait Hieronymus, pro χρείας, id est vsus & opportunitatis, euphoniæ causa vertit *fidei*: sed non video quæ hîc sit euphonia, vel cacophonia. Alij putant, per vsum & opportunitatem Nostrum interpretem intellexisse fidem, eò quòd fide maximè sit opus.

Malim dicere, Nostrum interpretem cum Ambrosio, pro χρείας legisse πίστεως, id est *fidei*. Græcus enim textus Latino est corruptior, vt sæpè iam vidimus. Vult ergo Apostolus nos loqui *ad ædificationem fidei*, vt scilicet per nostrum sermonem fides & pietas Christiana in animis audientium crescat & promoueatur: vel *fidei*, id est fidelium, iuxta can. 21. vt scilicet fideles ædificentur, ac in fide ac virtutibus proficiant per nostra colloquia. Hinc prudenter monet quidam sapiens, *Quod dicturus es aliis priùs dicito tibi.*

Quod dicturus es aliis, priùs dicito tibi.

VT DET GRATIAM AVDIENTIBVS] *Gratiam*, id est vtilitatem, commodum. Secundò, *gratiam*, id est, progressum in gratia, pietate & virtutibus. Sic enim Hebræa nomina & verba sæpè actum non inchoantem, sed crescentem & proficientem significant, vt dixi can. 32. Tertiò, simpliciùs, vult sermonem nostrum non tantùm esse talem qui ædificet, sed simul esse gratiosum, vt cum gratia venustè & iucundè proferatur, itaque suauiùs & meliùs in animos audientium influat. Hinc oratoris officium est, non solùm docere & mouere, sed & delectare; quia delectando meliùs docet & efficaciùs mouet: nimirum

Boni oratoris officium.

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Quartò, Theophyl. exponit dupliciter. Primò, *Sermo*, inquit, *vester sit opportunus & commodus, vt auditores vobis gratias agant. Nam si animæ commodans aliquid dixerimus, agent nobis gratias auditores, vt qui per nos adiuti sunt.* Per *gratiam* ergo intelligit gratiarum actionem, quam refert audiens bene loquenti. Vel Secundò, inquit, *vt det gratiam audientibus, id est, vt eos gratiosos & amabiles reddat sermo noster. Vt enim vnguentum gratiam addit assumentibus: sic & sermo diuinus & animæ vtilis, gratiam addit audientibus*, illumque excipientibus. Sed tertius sensus genuinus est, vt dixi; hoc est enim quod ait Sapiens, *Lingua sapientum ornat scientiam*, Prouerb. 15.2.

Vers. 30. NOLITE CONTRISTARE SPIRITVM SANCTVM DEI, IN QVO (id est per quem) SIGNATI ESTIS IN DIE REDEMPTIONIS] id est, nolite offendere Spiritum sanctum verbis obscœnis, putidis, maledicis, malis, vt dixit v. præced. (eò enim respicit) & quouis peccato, ait Hieronymus. Alludit Paulus ad Isaiæ 63.10. vbi sic dicitur: *Ipsi autem ad iracundiam prouocarunt & afflixerunt Spiritum sancti*, vel, vt Græca habent, *Spiritum sanctum eius.*

Quomodo & per quos contristetur Spiritus sanctus.

Nota. In Spiritum sanctum non cadit tristitia, ira aut vlla passio; sed anthropopathῶς dicitur cõtristari cùm offenditur, cùm se & suam gratiam ab anima subtrahit; dum punit turpia & mala loquentem, vel agentẽ. Homo enim cùm ab amico iniuriam aut contumeliam accipit, eaque offenditur, contristari solet: sic & Spiritus sanctus, cùm loquimur aut agimus turpia & mala, offenditur, & contristaretur si in eum cadere posset tristitia, &

nisi Deus esset ἀπαθὴς. Homo ergo obscœnus & peccator, quantum est ex sua parte, contristat Spiritum sanctum: quia dat causam quæ nata est contristare, quæque ex se contristat angelos & Sanctos. Quòd autem Spiritum sanctum non contristet, non est ex defectu causæ, sed ex perfectione Spiritus S. qui imperturbabilis est. ita Theophyl. & alij. q. d. Spiritus sanctus per gratiam habitat in vobis quasi in domo sua quam sibi obsignauit; curate ergo vt anima vestra per puritatem & sanctimoniam sit Spiritui sancto gratum & iucundum domicilium, ac cauete ne quid in ea geratur, quod tantum hospitem contristare & offendere possit. Addit S. Anselmus, propriè contristare Spiritum sanctum illos, qui prauis verbis & moribus contristant Sanctos in quibus habitat Spiritus sanctus.

A

Nota Secundò. Sicut verbis turpibus, maledicis & scandalosis contristamus Spiritum sanctum: ita pijs & sanctis lætificamus Spiritum sanctum. Hoc ergo stimulo pungit nos Apostolus, vt caueamus diligentissimè, ne sermo malus (obscœnus vel maledicus) ex ore nostro procedat, sed tantùm is qui alios ædificet: quia ille contristat, hic lætificat & exhilarat Spiritum sanctum. Vnde pulchrè & efficaciter contra verba maledica (quod & obscœnis longè melius adaptes) hîc insurgés Chrysost. in moral. homil. 14. *Os*, inquit, *habes spiritale, obsignatum Spiritu sancto: cogita quæ sit oris tui dignitas. Patrem vocas Deum, & fratrem mox vituperas: Cogita, quæ mensa dignatum sit os tuum, quæ contingat, quæ degustet, quo cibo* (in Eucharistia) *fruatur? Perpende cum quibus tempore mysteriorum astes, nempe cum Cherubim, cum Seraphim. Seraphim neminem vituperant, sed vnus & idem vsus ora illorum adimplet, nempe benedicendi, & glorificandi Deum. Quomodo potes ergo cum illis dicere, Sanctus, sanctus, sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris? Dic quæso, si vasculo regio, quod semper cibos habeat regios, & ad illos ordinatum sit, ad stercora ministrorum quisquam abuteretur, an auderet istud cum reliquis ad eadem edulia deputatis, stercore refertum denuo reponere? Nequaquam. Atqui eiusmodi est quòd fratrē accusas, quòd vituperas* (quòd obscœna loqueris) *itaq; teipsum sordidum reddis & pollutū. In cœlis conspicuus, cum angelis conuersaris, osculo Dominico dignatus es. Tot ac tantis rebus os tuum adornabit Deus, vtpote hymnis angelicis, cibo non tantùm angelico, sed & angelicam dignitatem superante, osculo suo, complexibus etiam suis; & vituperas?* & turpia vel maledica loqueris ore tam sancto, ore Deo Deique laudibus, & Eucharistiæ consecrato? hæc Chrysostomus.

B

Stimulus ad rectum oris regimē seruandū.

C

Gratiæ sigillum.

In quo signati estis in die redemptionis] q. d. Spiritu sancto signati, & quasi sigillo obsignati (hoc enim est Græcum ἐσφραγίσθητε) estis, non quasi pecudes in corpore, vti signati sunt Iudæi signo circumcisionis: sed quasi filij promissionis & quasi regalis grex Christi & Spiritus sancti, signati estis in anima; in eaque conditoris signum, figuram & imaginem, de qua dixi v. 14. id est gratiam & sanctitatem, accepistis, vt, sicut ex sigillo agnoscitur cuius sunt literæ, v. g. esse literas regis; ita ex hoc gratiæ sigillo sciatur, vos esse filios Dei, Deoque consecratos.

D

Os nostrum signatum Spiritu S. clausum tenendum.

Notat Chrysost. non tantùm animam, sed & os nostrum, & consequenter alia membra pariter hoc signo Spiritus sancti obsignata esse, id est, sanctificata & consecrata esse Deo, vt meritò os ita signatum clausum tenere debeamus, ne turpia & maledica loquens, hoc signum Spiritus sancti resignet & infringat, inquit ex Chrysostomo Theophylactus.

In die redemptionis] id est, in die quo baptizati estis. Baptismo enim facti estis participes redemptionis Christi, illoque die redempti estis à seruitute peccati & diaboli. ita Oecumenius & Adamus.

Quo die baptizati.

Verùm Nota. Græca, Syrus & Latina Romana legunt *in diem redemptionis*, id est resurrectionis q. d. Sigillo gratiæ obsignati sumus ad hunc finem, vt scilicet in die resurrectionis ad redemptionem, id est liberationem plenam à morte, peccato omnique malo, & ad cælestem gloriam ac beatam immortalitatem assciscamur, vtpote conscripti in libro vitæ, quasi ciues sanctorum, & domestici Dei, eiusq; gratia quasi sigillo & arrha hereditatis cælestis obsignati. ita Chrysost. Hieron. Theodor. Ambros. Hæc ergo conscriptio & obsignatio fit per gratiam, quæ est pignus hereditatis & redemptionis futuræ: fit, inquam, plenè & perfectè. Nam inchoatè hæc obsignatio fit per characterem qui in Baptismo & Confirmatione animæ indelebiliter imprimitur, vt rectè docet Franc. Suarez 3. p. q. 63. a. 3. & alij. quo charactere quasi signo consignamur, vt semper simus & maneamus grex Christi & milites Christi, etiamsi per peccatū gratiam deperdamus, & ad castra diaboli transfugiamus. Semper enim ex hoc signo patet, nos esse iuratos milites Christi & transfugas diaboli.

Confirmatio.

Omnis amaritvdo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatvr a vobis cvm omni malitia] *Amaritudo*, ait S. Hieron. contraria est dulcedini, idque tam in moribus quàm in saporibus. Mores enim suaues, benigni, dulces, comes & blandi cōtrarij sunt amaris, asperis & morosis. Et sicut dulcia fercula grata sunt palato, amara verò ingrata: ita omnibus grata est comitas, ingrata est amaritudo & asperitas morū.

Vers. 31.

Gradus iræ.

Nota gradus iræ. Prima eius radix est *amaritudo*, qua animus aliquo proximi verbo aut facto offensus ab eo auertitur, amarescit, ægrè & inuitè eum videt, audit, cogitat. Hinc sequitur *ira*, græcè θυμὸς, (quod Noster interpres vertere solet, *iram*, S. Hieron. vertit *furorem*) id est efferuescentia & excandescētia animi: inde Tertiò, assurgit & oritur *indignatio*, græcè ὀργὴ, id est, ira tota accensa, qua iratus indignatur se contemptum aut læsum, & qua vindictam expetit, cupitque lædere eum à quo se læsum putat: inde Quartò, erumpit in *clamores, blasphemias*, omnemq; malitiam. ita Theoph. Hieron. & alij. Hæc omnia sustulit Christus, hæc omnia per gratiam Christi Christiani superare & tollere possunt ac debent virtute patientiæ. Nam, vt ait S. Cyprianus citans hæc Apostoli verba lib. de Bono patientiæ, *Si Christianus à furore & contentione carnali, tamquam de maris turbinibus excesserit, & tranquillus ac lenis in portu Christi esse iam cœpit; nec iram, nec discordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat, nec odisse.* Et inferiùs: *Nam vt patientia bonum Christi est, sic contrà impatientia diaboli malum: & sicut in quo habitat & manet Christus, patiens inuenitur: ita impatiens semper existit, cuius mentem diaboli nequitia possidet.* Vti præcipit S. Cyprian. ita & opere præstitit. Scribens enim ad Demetrianum, Paganum sibi obstreperum & clamosum, *Conticui*, inquit, *& impatientem patientia vici, cùm nec docere indocilem possem, nec impium religione*

bgione comprimere nec furentem lenitate cohibere. Aurea est sententia S. Ephrem tract. de Timore Dei initio tom. 3. *Qui memoriam iniuriarum absondit in corde suo, similis est ei qui in sinu suo serpentem nutrit, vtique sibi magis quàm alio nociturum.*

Nota rursum. Remedia iræ sunt. Primum, *vt primitùs nobis persuadeamus, nullo modo neq; iustu, neq; iniustu ex causis licere irasci. Summa ergo emendationis & tranquillitatis nostræ, non est in alterius arbitrio collocanda, sed in nostra conditione consistit. Itaque vt non irascamur, non debet ex alterius perfectione, sed ex nostra virtute descendere, quæ non aliena patientia, sed propria longanimitate conquiritur*, inquit Cassianus.

Secundum est, compescere linguam & manum. Hinc Athenodorus Philosophus Cæsari Augusto valedicens hoc reliquit monimentum: *Iratus nihil dicas vel facias, prius quam viginti quatuor Græcorum litteras percurreris.* Plato iratus seruo, dixit Xenocrati: *Flagella hunc puerum: nam ego non possum, cùm sim ei iratus.* Idem alteri seruo, *Gratias*, inquit, *age diis: nam nisi iratus essem, loris te caderem.* Errat ergo vulgus hominum, quod tum maximè punit, cùm irascitur. Eusebius, vel potiùs Ruffinus (hic enim lib. xi. Eusebio addit) lib. 11. histor. cap. 17. scribit Theodosium Imp. sanxisse, vt principum sententiæ in reos prolatæ, in diem trigesimum differrentur, quò locus misericordiæ, vel, si ita res tulisset, pœnitentiæ daretur. Vnde & Seneca li. 2. de Ira sic scribit: *Dandũ semper est tempus: veritatem enim dies aperit. Potest pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari.*

Tertium, si iræ deformitatem sæpè consideres. Cato senior dixit *iratum ab insano non distingui nisi mora: iram enim esse breuem insaniam.* Plato rogatus per quid cognoscatur sapiens; *Sapiens*, ait, *cùm vituperatur, non irascitur; cùm laudatur, non extollitur*: insipiens enim est seruus iræ, laudi aliisque cupiditatibus imperare non potest. Et hoc est quod aiunt Hebræi, ingenium hominis cognosci בְּכִים בְּכוּם בְּכָעַס *backis, baccos, baccans*, id est in crumena, in calice, in ira. Plutarchus suadet, vt iratus se suosque mores contempletur in speculo: videns enim faciem & gestus furibundo & phrenetico similes, detestabitur cauebitque iram. Nam, vt ait Philemon, *insanimus omnes cùm irascimur.*

Quartum, si cogites iram rationi caliginem offundere, turbare sana consilia, conuictum, regimen, politiam. Demonax rogatus à duce, qua ratione optimè præesset exercitui, respondit. Si iracundia vacaris: si cogites non homini sed vitio irascendum: si instar medici ægroto non indigne- A ris sed placidè eius morbum animi cures.

Quintum, si cogites rei vilitatem ob quam iraseris, sicque iniuriam extenues dicasque: Inimicus mihi non nocuit, sed nocere voluit: & cùm illum in potestate videris, vindictam putes vindicare potuisse. magnum vindictæ genus est ignoscere. & ignoscendo vincere. *Quintum.*

Sextum, si cupiditates, ob quas ademptas iraseris, ex animo extirpes. fecit hoc Anachoreta ille, de quo Nicephor. lib. 11. c. 43. Denique si cogites mansuetudinem Christi in cruce. *Sextum.*

ESTOTE AVTEM INVICEM BENIGNI] comes & blandi. hęc est radix omnis patientiæ & charitatis, quam opponit amaritudini. Ira enim non extinguitur ira, sicut nec ignis igni: sed sicut ignis aqua, ita ira extinguitur patientia & benignitate, ait Chrysost. Pro *benigni* græcè est χρηστοί, quod non B tantùm benignum, sed & beneficum, cõmodum, vtilem significat. Vnde Chrestus Gentilium quorumdam proprium nomen fuit, qua ratione perperam Gentiles quidam Christum Dominũ Chrestum vocarunt. Vide quæ de Chrestis & chrestologia dicta sunt Rom. 16 18. VERS. 32. *Christianis qualis conueniat benignitas.*

MISERICORDES εὔσπλαγχνοι, quasi bonorum viscerum, aut viscerales. respondet enim Hebræo רַחֲם *racham*, quod significat ex intimis visceribus misereri, vt omnia viscera videantur commoueri dolore & commiseratione miseriæ proximi. Tales sunt viri sancti, qui in viscceribus, id est intimè, sentiunt & dolent paupertatem, ærumnas & afflictiones proximorũ, præsertim spirituales, quique viscera misericordiæ omnibus exhibent.

DONANTES INVICEM, SICVT ET DEVS IN CHRISTO DONAVIT VOBIS] Græcum χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, significat donantes, id est largientes, libenter dantes, vel, vt Vatabl. vertit, *gratiam exhibentes vobismetipsis*, quasi dicat, Si quid alteri donas, largiris, benefacis, gratiam præstas, id non tam illi quàm tibiipsi præstas. meritum enim tuæ beneficentiæ tibi accumulas, quod longè pluris est quàm donum quod proximus à te accipit. Verùm Secundò, melius Syrus, Chrysost. Theophyl. Oecumen. vertunt, *donantes*, id est condonantes. q. d. Condonate mutuas iniurias, sicut & Deus *in Christo*, id est per Christum, *donauit*, id est condonauit, *vobis* vestras contra se offensas & peccata. Ethnici, & ingrati. vt rectè dixit b. Thomas Morus, beneficia pulueri; si quid mali patiantur, marmori insculpunt: Christiani verò est, maleficia pulueri, beneficia marmori insculpere. C *Condonanda iniuria.*

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, pergit Ephesios hortari, vt Christum quasi filij imitentur, fugiantq; libidinem, scurrilitatem, stultiloquium, cateraq; opera tenebrarum tamquam filij lucis.

Secundò, v. 15. monet vt redimant tempus faciendo Dei voluntatem, & implendo se, non vino, sed Spiritu sancto, in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus.

Tertiò, v. 22. vult vxores subditas esse viris, viros autem diligere vxores sicut Christus dilexit Ecclesiam: sunt enim duo in carne vna. atque Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, inquit, in Christo & in Ecclesia.

1. ESTOTE ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: 2. & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. 3. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut

auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: 4. aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. 5. Hoc enim scitote intelligentes: quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. 6. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 7. Nolite ergo effici participes eorum. 8. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: 9. fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate: 10. probantes quid sit beneplacitum Deo: 11. & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. 12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. 13. Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur, lumen est. 14. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. 15. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis: non quasi insipientes, 16. sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 17. Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. 18. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, 19. loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, 20. gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri. 21. Subiecti inuicem in timore Christi. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: 23. quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse saluator corporis eius. 24. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. 25. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, 26. vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, 27. vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. 28. Ita & viri debẽt diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. 29. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam; 30. quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. 31. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. 32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. 33. Verumtamen & vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.

VERS. 1. ESTOTE ERGO IMITATORES DEI, SICVT FILII CHARISSIMI] Syrus vertit, estote igitur מְתַדְמִין *metdammin*, id est, conformes Deo. Pendet hæc sententia à fine cap. præced. vbi dixit, *Donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.* Cui statim subdit initium huius capitis, *Estote ergo imitatores Dei*; vt scilicet sicut Deus vobis condonauit offensas vestras, ita & vos proximis condonetis ea quæ in vos peccarunt: & sicut Deus, inquit Hieron. solem oriri facit & pluit super bonos & malos; sic etiam vos bonitatem vestram super omnes homines effundatis. Rationem & stimulum subdit, dicens, *Sicut filij charissimi.* q.d. Filiorum est imitari suos parentes; alioqui degeneres & spurij habebuntur: atqui pater noster, scilicet Deus, clemẽtissimus est & benignissimus in omnes, facillimeque offensas nobis condonat: ergo & nos qui sumus eius filij, clementissimos, facillimos in offensis nostris condonandis, & beneficentissimos in fratres & proximos nostros esse decet: vnde explicans subdit,

Deus à nobis imitandus in condonandis offensis, & mansuetudine.

VERS. 2. ET AMBVLATE IN DILECTIONE, SICVT ET CHRISTVS DILEXIT NOS] Magna dignitas est Deum imitari: & *Hoc est*, ait Ambros. libr. 1. de Abraham c. 2. *quod pro magno inter septem sapientum dicta celebratur: Sequere Deum. Sic Abraham facto præuenit dicta sapientum, & secutus Deum exiuit de terra & cognatione sua.*

Rursum Deum in potentia, magnificentia, & cæteris similibus, ait Hieron. imitari non possumus possumus tamen in humilitate, mansuetudine & charitate eum à longè sequi & imitari. Hinc *Christus*, ait S. Augustinus serm. 10. de verbis Domini, *clamat: Tollite iugum meum super vos, & discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, non ipso in mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare: sed, quoniam mitis sum & humilis corde.* Scripsit D. Thomas opusc. 62. de diuinis moribus, in quo pulchrè docet quos mores Dei, & quomodo imitari debeamus, quos non.

Primò, inquit, Dei immutabilitatem imitari oportet per constantiam in aduersis & prosperis: præscientiam, per prouidentiam nouissimorum: æquanimitatem, vt nullo tristi casu turbemur: veracitatem, sinceritatem, patientiam, clementiam, charitatem, &c.

Secundò, alij mores Dei sunt, in quibus non est imitandus, sed admirandus; scilicet Primò, quòd ipse solus occulta cordium scrutatur. Secundò, quòd solus seipsum perfectè cognoscit, amat, fruitur ac laudat. Tertiò, quòd ipse sibi solus sufficit, & non indiget extrinseco. Quartò, quòd ab ipso solo omne bonum procedit, omnium beatitudo in ipso solo consistit. Quintò, quòd ipse solus habet immortalitatem, & inhabitat lucem inaccessibilem. Sextò, quòd ipse solus de nihilo fecit aliquid: ipse solus omnia in esse conseruat. Septimò, quòd ipse solus peccata condonat. Octauò, quòd ipse solus sciat diem iudicij, & numerum electorum. Ipsi soli honor & gloria in sæcula. Amen.

Denique nihil, inquit, dignius, quàm vt homo

sui

sui conditoris sit imitator, & secundùm modum propriæ facultatis executor.

SICVT ET CHRISTVS DILEXIT NOS, ET TRADIDIT SEMETIPSVM PRO NOBIS OBLATIONEM ET HOSTIAM DEO IN ODOREM SVAVITATIS] Vrget S. Cyrill. in Concil. Ephesino τὸ *pro nobis* contra Nestorium. Citatis enim hisce Apostoli verbis, ex illis elicit anathematismum 10. dicens: *Si quis Christum non pro nobis tantùm, sed pro seipso quoque sacrificium obtulisse dixerit (nulla enim oblatione indigebat, qui peccatum nullum norat) anathema sit.* Nota delicias amoris Christi. *Dilexit nos*, inquit, tenerrimè & efficacissimè; non verbo & lingua, sed opere & veritate: quia ex dilectione hac sponte & liberrimè *tradidit*, non opes aut vestes suas, non fratres aut cognatos, non angelos suos, sed *semetipsum*, totum Deum & hominem, quantus quantus est, vt nihil sui sibi retineret, sed totum se daret & traderet *pro nobis* peccatoribus & hostibus suis, *pro nobis*, inquam, id est, pro lytro & expiatione peccatorum nostrorum; *oblationem*, non aridam & incruentam, vti erat olim oblatio similæ & panum; sed cruentam, vti olim oues & boues Deo mactabantur & offerebantur; scilicet *hostiam*, id est victimam, & pacificam, & pro peccato, & quæ esset pariter holocaustum, totaque in cruce immolaretur, cōsumeretur, & cederet Deo; sicut olim per ignem & fumum hostia cremata tota ascendebat ad Deum, vt Deus illius odore & oblatione placaretur, & quasi pasceretur, eamque acceptaret *in odorem suauitatis*, id est, in odorem acceptissimum & gratissimum.

Ex dictis patet Apostolum alludere ad sacrificia vetera tum victimarum, quæ immolabantur in altari holocaustorum; tum thymiamatis, quod adolebatur ad Deum propitiandum in altari thymiamatis, quod erat in Sancto, ante Sanctum sanctorum; ita vt fumus & fragrantia thymiamatis ascenderet ad Sanctum sanctorum, & Deus in Sancto sanctorum residens super propitiatorium, illam fragrantiam exciperet, & quasi odoraretur, itaque placaretur & conciliaretur.

Vnde Nota Secundò, *In odorem suauitatis*, id est, suauem vel suauissimum. Leuit. 1. v. 9. & alibi hebraicè habetur לְרֵיחַ נִיחוֹחַ *lereach nichoach*, id est, in odorem quietis. *Odor quietis* vocatur odor suauissimus, quo suauissimè pascitur odoratus, vt in eo iucundissimè & placidissimè conquiescat. Hinc LXX. & ex eis Paulus vertunt, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, id est, in odorem redolentiæ vel bonæ fragrantiæ, vt vertit S. Hieron. præfat. in Zachariam: tali enim pascitur, & in tali suauissimè conquiescit, recreatur & refocillatur odoratus.

Vlteriùs Nota Tertiò. Anthropopathῶς tribuitur Deo odoratus, per quem odore sacrificiorum quasi gratissimo pascatur: quia sacrificia hæc reddebant Deum placatum, eiusque iram sedabant & quiescere faciebant, itaque peccata expiabant per fidem in Christum, quem protestabantur futurum mediatorem, & cuius sacrificium hisce suis sacrificiis adumbrabant; erantque hæc sacrificia Deo grata admodum non ex opere operato, vti sacrificium legis nouæ, sed ex opere & deuotione operantis. Erant enim actus obedientiæ & latriæ nobilissimi, quibus quasi odore fragrantissimo pascebatur Deus. Vnde Chaldæus pro, *oblatio in odorem suauitatis*, vel suauis fragrantiæ, vertit, *vt oblatio suscipiatur à Deo cum beneplacito.* Sic Genes. 8. 20. dicitur de Noë: *Obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines.* q. d. Huius sacrificij Noë fumus & odor, qui cum fumo ascendebat, ad similitudinem suauis odoris, placuit Deo, & quasi fœtorem peccatorum hominum abstulit à naribus Dei, vt planè eo placatus decerneret, propter peccata hominum ampliùs terræ non inducere diluuium. Vnde Chrysost. illud, *Odoratus est Dominus odorē suauitatis*, sic exponit, Quia, inquit, iusti Noë virtus fumum & odorem victimæ suæ Deo fecit odorem fragrantiæ. Sic Plato & Lucianus inducunt deos Gentium quasi suauiter odorantes sacrificia, eorumque nidore gaudentes. Hæc ergo est sententia & mens Apostoli, q. d. Sicut Christus dilexit nos, vt se pro nobis in victimam Deo gratissimam, suauissimam & acceptissimam immolandum in cruce dederit; ita nos inuicem diligere debemus, & non tantùm iniurias mutuas condonare, sed & bona vitamque pro salute proximorum exponere. & sicut illa victima Christi fuit Deo suauissima & gratissima: ita & nostra hæc, qua nos & nostra pro salute proximorum offerimus & impendimus, erit Deo iucundissima, omnemque fœtorem peccatorum nostrorum à naribus Dei absterget. Charitas enim operit multitudinem peccatorum.

Deus odoratur sacrificia.

OMNIS IMMVNDITIA] quæuis obscœnitas & libido tactuum, & immundorum operum. *Nisi Philosophorum quidam*, ait Hieronymus, *Cynicus extitisset: qui doceret omnem titillationem carnis, & fluxum seminis ex qualicumque attritu tractuque, venientem in tempore non vitandam, & nonnulli sapientes sæculi in hanc turpem & erubescendam hæresin consensissent; numquam sanctus Apostolus scribens ad Ephesios ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset.*

VERS. 3. *Hæresi quorundam Philosophorum circa tactus & pollutiones.*

AVT AVARITIA] Græcè πλεονεξία, nimia habendi cupido. Quænam ea sit dicam v. 5.

NEC NOMINETVR IN VOBIS, μηδὲ ὀνομαζέσθω, ne nominetur quidem, SICVT DECET SANCTOS] id est Christianos, qui vocatione, baptismo & professione sunt, id est esse debent, sancti. q. d. Adeò ab omni immunditia alieni debent esse Christiani, vtpote sancti & Deo consecrati, vt ne nomen quidem immunditiæ aut operis alicuius immundi audiatur inter eos.

AVT TVRPITVDO] id est, vt Syrus, obscœnitas, putà verborum; & sic distinguitur ab immunditia, quæ est operum.

VERS. 4.

AVT SCVRRILITAS] Græcè εὐτραπελία, id est vrbanitas, quàm Aristot. lib. 4. Ethic. 8. S. Augustin. & ex iis S. Thomas 2. 2. qu. 168. a. 2. docet esse virtutem, quæ seria, animique rigorem & vigorem (ne scilicet animus nimis seriis occupationibus intendat, seque & corpus debilitet & exhauriat) moderatur & temperat per iocos & ludos decentes, efficiendo scilicet Primò, vt ludi & ioci sint honesti. Secundò, vt sint decentes & congruentes personæ, loco & tempori. Alius enim iocus sæcularem, alius sacerdotem & monachum decet; alius in mensa, alius in schola, alius in cubiculo. Tertiò, vt sint moderati, ne mentis harmoniam dissoluant, ait Ambrosius. Vnde Aristoteles virtuti eutrapeliæ, siue vrbanitati vitium per excessum opponit βωμολοχίαν, id est scurriliratem, cùm scilicet iocus est nimius, vel intempestiuus, vel

Eutrapelia qualis sit virtus, & quænam ei aduersentur.

vel indecens, scilicet quia est ineptus, aut mordax, aut maledicus, aut spurcus, aut cachinnos & dissolutiones excitans, aut indecorus, vt cùm quis verbis sacræ Scripturæ ad nugas & iocum abutitur; quæ maxima & grauissima est scurrilitas, habetque adiunctam irreuerentiam in Deum, Deique verbum: vnde eam grauibus verbis vetat Concilium Trident. sess. 4. Per defectum verò eutrapeliæ vitium opponit Aristoteles ἀγροικότητα, id est rusticitatem. Qui enim nimis graues & seueri sunt, nulloque iocos aut ludos admittunt, aut Catones sunt, aut rustici, nimiùm tetrici, agrestes, morosi & melancholici.

Contrà S. Chrysost. hîc in morali negat apud Christianos eutrapeliam, id est vrbanitatem, esse virtutem, multisque docet Christianum non decere iocos, sed potiùs luctum & fletum: sic etiam Apostolus eutrapeliam hîc vt vitium insectatur. *Eutrapelia immoderata non est virtus.* Verùm intelligunt eutrapeliam non moderatam iam dictam, sed immoderatam, scilicet βωμολοχίαν, id est scurrilitatem; quam Aristoteles fatetur à vulgo iocis & salibus nimiis addicto eutrapeliam quoque dici. Hanc esse mentem Apostoli, & consequenter Chrysostomi, patet ex verbis Apostoli subsequentibus, cùm ait, *Quæ ad rem non pertinent*: græcè τὰ οὐκ ἀνήκοντα, id est, quæ non sunt decentia. Indecentem ergo & indecoram eutrapeliam, siue vrbanitatem tantùm hîc vetat Apostolus. Talem apud Christianos esse iocularitatem illam, quæ tantùm risum mouet audientibus, docet hîc Hieron. *Est enim hæc, inquit, à sanctis nostris propellenda, quibus magis conuenit flere atque lugere. In Hebraico quoque Euangelio legimus Dominum ad discipulos loquentem: Et numquam, inquit, lætisitis, nisi cùm videritis fratrem vestrum in charitate.* *Christianus non lætetur nisi cùm videt fratrem in charitate.* Verùm ne hæc scrupulosum quem faciant, intellige iocularitatem illam dedecere Christianos, quæ nihil spectat quàm vt risum excitet. Si enim vlteriùs aliò referatur, verbi gratia, ad honestam recreationem, lætitiam, animi excitationem, sanitatem corporis tuendam, vt scilicet homo alacrior fiat, vegetior & aptior ad suas functiones Deique obsequium, honesta est, decetque Christianos. Sic Paulus, Antonius, Hilarion, aliique Eremitæ suos habuere iocos, sed Christianos & sale conditos.

SED MAGIS GRATIARVM ACTIO] supple, nominetur in vobis, qui estis Christiani & sancti. q.d. In mensis, in conuiuiis, in colloquiis, in recreationibus nolite vos pascere & oblectare loquendo turpia, stulta, scurrilia; hoc enim faciunt Gentes, quæ Deum & Christum non agnoscunt: sed potiùs loquimini de Christo, Christi gratia, vocatione, & beneficiis immensis vobis exhibitis, vt inde mutuò excitetis vos ad gratiarum actionem. Hinc illa Christianis olim, vti iam Religiosis, familiaris in omni salutatione & congressu vox, *Deo gratias*. *Nam quid melius*, inquit S. August. epist. 77. *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm, Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias qui te tam fideli pectore ditauit*, &c. *Mos salutandi antiquorum Christianorum dicendo, Deo gratias.*

VERS. 5. HOC SCITOTE INTELLIGENTES, QVOD OMNIS FORNICATOR, AVT IMMVNDVS, AVT AVARVS, QVOD EST IDOLORVM SERVITVS, NON HABET HEREDITATEM IN REGNO CHRISTI ET DEI] Nota. In Græco legit Noster interpres, ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης, λολατρεία quod, scilicet auaritiæ vitium, quo laborat auarus, quodque in eo latet & continetur, est idolorum seruitus, siue est idololatria. Iam græcè legitur, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, id est, qui (scilicet auarus) est idolorum seruus; vel ad verbum, est idololatra.

Quæres, quænam hîc intelligatur auaritia? *Quid hîc intelligat Apostolus per auaritiam.* Primò, S. Hieron. hîc vers. 3. intelligit inexplebilem cupiditatem non pecuniæ, sed voluptatum carnalium, siue libidinum, qua animus insatiabilis per omnia obscœnitatum genera, perque omnes luxuriæ modos discurrit, vt omni libidine suam cupiditatem expleat. Et ratio S. Hieronymi est, quia auaritia ponitur hîc ab Apostolo inter libidines, vti & cap. præced. v. 19. Et Græcum πλεονεξία, est studium immodicum plus habendi, vsurpandi, occupandi, quàm sibi competat siue in opibus, siue in honoribus, siue in vxoribus, siue in deliciis. Hæc est idolorum seruitus; quia fornicator & obscœnus amasiæ & suo penis æquè ac mercator lucris, superbus honoribus, gulosus ventri, quasi idolo suo seruit. Addit Adamus, taxari hîc obscœnitates spurcissimas Simonis Magi & assectarum, qui libidines suas referebant in honorem Dei, imò eas tamquam sacrificium offerebant patri vniuersorum: sic enim reuera non Deum, qui libidines execratur, sed dæmonem, qui iis delectatur, colebant. Patrem enim vniuersorum colebant eum, qui libidinibus delectatur & colitur, qui non est alius quàm dæmon: ac consequenter committebant idololatriam. Idololatria enim non tantùm idolorum, sed & dæmonum, adeoque cuiusuis rei quæ verè Deus non est, cultum significat.

Verùm planiùs Secundò, Chrysost. Theoph. Oecumen. Cyprian. qui pro *auarus*, vertit, *fraudator*; & alij, imò ipse Hieronymus huc tandem hoc versu inclinat; hi inquam propriè accipiunt auaritiam pro immodica cupiditate opum, qua per fas & nefas eas auarus accumulat. Sumitur enim hîc auaritia in actu completo, tuncque est peccatum mortale, & excludit à regno Dei, vt hîc ait Apostolus. Id patet, quia si per auaritiam intelligeret libidinem, tam dixisset de fornicatione & immunditia quàm de auaritia, quòd sint idolorum seruitus. Nam & fornicator & immundus venerem suam habet pro Deo, sicut gulosus suum ventrem habet pro Deo. Iam autem Apostolus de sola auaritia dicit, quòd sit idolorum seruitus; ergo auaritiam distinguit à fornicatione, immunditia & libidine. *Auaritia qua excludit à regno cœlorum.*

Secundò, quia græcè πλεονεξία, & latinè auaritia, propriè & communiter significant hanc auri & argenti cupidinem, præsertim cùm à cupidine veneris & aliarum rerum secernitur, vti hîc secernitur per coniunctionem disiunctiuam. Secùs est cap. præced. v. 19. ibi enim auaritia coniungitur & denominat immunditiam: ait enim, *in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam*, id est, vt auarè & cupidè omnem immunditiam operentur.

Tertiò, quia Coloss. 3. v. 5. à libidine & concupiscentia mala auaritiam distinguens, dicit eam esse idolorum seruiturem; ergo propriè auaritiam accipit: si ibi, ergo & hîc. ibi enim idem iisdem penè verbis dicit, quod hîc. *Cur auaritia præ aliis vitiis dicitur idolorum seruitus.*

Quærtes Secundò, Cur auaritia præ aliis vitiis dicitur idolorum seruitus, id est idololatria? Respondeo Primò, quia auari omnem spem vitæ & victus

V. Eccl. 5. 9. f. 191 2. c.

victus ponunt in suis opibus; ergo illas quasi pro Deo habent. Id enim est Deus cuique, à quo vitam & vitæ necessaria sperat & expectat. A

Secundò, quia, sicut idololatræ colunt imagines aureas & argenteas: ita auari colunt signatas suas effigies auri & argenti. Vnde pulchrè Theophyl. *Quod Dauid* inquit *psal 113. dixit: Simulacra Gentium argentum & aurum; hoc magna sapientia inuertit Paulus dicens, Argentum & aurum sunt simulacra & idola auarorum.*

Tertiò, quia hæc auaritia inexplebilis est, & cùm cæteræ cupiditates ipso vsu sedentur, & saltem ad tempus, v. g. cupiditas gulæ satiatur cibo & potu, abitque in fastidium; cupiditas veneris satiatur fornicatione, abitque in nauseam, & virium ac spirituum defectum: auaritia tamen sola nullis opibus sedatur, sed magis accenditur. Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Et, quo plus sunt potæ, plus sitiunt aquæ. Vnde auaritia totum cor & mentem hominis absorbet, & sibi vendicat, vt auarus nocte & die non cogitet, non somniet aliud, quàm de aucupandis & augendis lucris, illisque & mammonæ corpus per assiduos labores & curas, animam per fraudes, vsuras aliasque scelera immolat. Auarus ergo præ aliis suæ gulæ aut veneri addictis dicitur idololatra, & habere suas opes pro Deo; quia eis totum se dat & impendit præ aliis omnibus. Id enim cuique Deus est, quod semper in mente habet, animoque versat, cui totus intendit, quod pro suo vltimo habet fine, in quo totum suum cor & amorem defigit, ad quod omnia sua studia, cogitationes & actiones refert, cui curas omnes, labores, vitamque ipsam impendit. Vide Chrysost. hîc in morali fusè docentem, auaros non perhyperbolen, sed verè esse & dici idololatras. *Sicut enim*, inquit, *idololatræ venerantur idola, nec ea præ reuerentia tangere audent: ita auarus pecunias, quasi idolum veneratur, nec eas audet contingere, sed inani tantùm earum aspectu delectatur.* Idem homil. 64. in Matth. *Sicut idolum*, inquit, *lapideum templis, sic auari aurum claustris & vectibus sepiunt, pro templo arcam præparantes: deinde adorant ipsi quod concluserunt, oculosq; & animam malunt quàm thesaurum perire.* Hos Herodes Sophista Aloadas cognominabat, qui postquam Martem incarcerassent, ei sacrificarunt. ita Philostr. in Herode. B C

NEMO VOS SEDVCAT INANIBVS VERBIS] non Philosophi, non Poëtæ lasciui vos seducant, non Simon Magus, qui nulla requirit bona opera, sed solam fidem docet sufficere ad salutem. Ex quo hoc idem dogma suum Lutherus & Caluinus mutuati sunt. Hoc enim dogma inane, nugax, fallax & fraudulentum seducit homines, vt laxent fræna omnibus libidinibus & vitiis, itaque percant & damnentur. D

PROPTER HÆC ENIM (fornicationem scilicet, immunditiam & auaritiam) VENIT IRA DEI IN FILIOS DIFFIDENTIÆ] *Venit*, græcè ἔρχεται, id est, venit in præsenti tempore, non in præterito. Est hebraismus. *Venit* id est, venire solet, *ira* id est vindicta, quæ est effectus iræ, *Dei, in filios diffidentiæ*, ἀπιθείας, id est inobedientiæ, vel incredulitatis; vel, vt Hieron. insuasibilitatis; &, vt Cyprian. contumaciæ. q. d. In homines inobedientes, incredulos, insuasibiles, intractabiles, vt dixi c. 2. v. 2. qui cùm monentur vel audiunt, turpitudines iam dictas esse fœdas & illicitas, aut non credunt, aut non obtemperant recta docenti & monenti. Vnde iustè vindictam suam in eos exercet Deus, vt sæpè in hac vita peste, fame, gladio & mille æruminis; post mortem verò semper æterna morte & igne eos puniat, nisi priùs resipuerint.

NOLITE ERGO EFFICI PARTICIPES EORVM] Græcè συμμέτοχοι, id est comparticipes. q. d. Nolite cum sceleribus eorum iam dictis communicare & participare. VERS. 7.

ERATIS ENIM ALIQVANDO TENEBRÆ] id est, eratis tenebricosi. Est metonymia cum emphasi. Sicut enim scelestum vocamus scelus; sic hîc *tenebras* vocat tenebricosos & tenebriones infidelitate & ignorantia, tum Dei, tum rerum agendarum. Ignorabatis enim fornicationem, immunditiam, & his similia esse tàta & tam grauia peccata. VERS. 8.

Nota. Eusebius libr. 6. de Præparatione, & Theodor. de Curat. Græcan. affect. fusè demonstrant, quanta fuerit cæcitas & peruersum iudicium Gentium in gentilissimo, etiam quoad illa, quæ ratio naturalis, & lex naturæ dictat. Etenim, inquiunt, Persæ & sorores, & matres, & filias suas nefandis sibi matrimoniis iungebant; humanis carnibus vescebantur Scythæ, & filios suos immolabant; Massagetæ cognatos senes comedebant; Hyrcani senes auibus, Caspij canibus deuorandos obiiciebant; Lacedæmones furtum laudabant quasi rem ingeniosam & solertem; alij coniuges suas hospitibus in symbolum hospitij adulterio polluendas concedebant. Quanta fuerint scelera Chananæorum patet Leuit. 18. & Deut. 10. & 16. Considera diuini Platonis quàm improbæ sint leges de non subueniendo valetudinariis, de licenter mentiendo, de occidendis infantibus, & de communione vxorum. Lycurgus iubet suis legibus, hospites finibus pelli, pueros impunè prostitui, feminas licenter exponi. Hæc & plura Theodor. & Eusebius. Meritò S. Augustinus sent. 343. *Sequamur*, ait, *Christum lumen verum, nec ambulemus in tenebris. Tenebræ autem metuendæ sunt morum, non oculorum: & si oculorum, non exteriorum, sed internorum, vnde discernitur, non album & nigrum, sed iustum & iniustum.* *Cæcitas & peruersum iudicium Gentium in ijs quæ natura repugnant.*

NVNC AVTEM (estis) LVX IN DOMINO] q. d. Nunc Christiani facti estis lucidi: quia illuminati estis fide, gratia & doctrina Christi, vt cognoscatis tum Deum verum trinum & vnum, tum ea quæ agenda sunt, vt Deo illi vero placeatis. Ergo

VT FILII LVCIS AMBVLATE] Id est, viuite eo modo, quo decet viuere eos qui tantam lucem, id est, cognitionem Dei, diuinæque voluntatis & rerum agendarum sunt adepti. Facite vt cognitio hæc non sit otiosa, nec in anima sopita deliteat, sed in voluntatem & opera emanet, vt opera fidei quasi proles matri suæ respondeant.

Nota, peccata dici tenebras: Primò, quia peccantes oderunt lucem, & quærunt tenebras. Pudet enim eos in luce palàm coram hominibus tam pudenda facere, & peccare. Secundò, quia peccata rationis iudicium excæcant. Vnde Prou. 14. 22 dicitur, *Errant qui operantur malum.* Semper enim peccatum oritur, vel ex errore, vel ex imprudentia, inconsideratione & inaduertentia aliqua rationis & intellectus; ac rursum dum committitur, eamdem adauget, offuscatque rectum prudentiæ & conscientiæ dictamen per proclinitatem ad idem peccatum iterandum, quam animo ingenerat. *Cur peccata dicantur tenebræ.*

Contrà,

Ob quinque rationes bona opera dicuntur lux.

Contrà, virtus & bona opera dicuntur lux: A Primò, quia amant lucem, Dei hominumq́; conspectum. Secundò, quia manant è luce, id est, dictamine fidei & prudentiæ. Tertiò, quia eamdem lucem adaugent. Quartò, quia alios illuminant, & quasi lux sancti exempli coram aliis resplendent. Quintò, quia oriuntur à Deo, qui est prima increataque lux omnia transcendens, illuminans, calefaciens, vegetans, viuificans, continens, & ad se quasi sol conuertens, ait S. Dionys. de Diuin. nominib. c. 4. Vide Rom. 13. 12.

VERS. 9. FRVCTVS ENIM LVCIS EST (id est, situs est) IN OMNI BONITATE, ET IVSTITIA, ET VERITATE] Corruptè Græca iam legunt καρπὸς δὲ πνεύματος, id est, fructus spiritus. Legendum est enim, fructus δὲ φωτὸς, id est lucis, vti legit Noster, Syrus & passim veteres. De luce enim præcessit, non de spiritu. *Fructus* ergo *lucis*, id est fidei, prudentiæ & virtutis Christianæ, situs *est in omni bonitate*, ἀγαθωσύνῃ, id est benignitate & beneficentia, de qua dixi Galat. 5. 22. hanc opponit iracundiæ, asperitati & malignitati: *& iustitia*, hanc opponit fraudibus: *& veritate*, hanc opponit mendacio & hypocrisi. ita Chrysost. q. d. Ex fructibus lucis ostendetis vos esse filios lucis, si videlicet non iracundos, asperos, malignos, sed benignos & beneficos; non fraudulentos, sed iustos; non mendaces & hypocritas, sed sinceros & veraces vos exhibueritis.

Fructus bonorum operum. B

VERS. 10. PROBANTES, δοκιμάζοντες, explorantes, exquirentes, QVID SIT BENEPLACITVM DEO] Nimirum hoc primum Christiani studium esse oportet, vt exquirat quid de se exigat Deus, qua in re Deo maximè placere possit, quomodo sanctam eius voluntatem & beneplacitum agnoscere & adimplere possit. hæc summa, hic apex perfectionis Christianæ: vt cum sancto Paulo non tantùm in statu vitæ deligendo, sed qualibet in re dicat, Domine quid me vis facere? Et cum Christo, Fiat voluntas tua de me, in me, per me, circa me, tam in vita quàm in morte, tam in tempore quàm in æternitate.

Apex perfectionis Christianæ in quo consistat. C

VERS. 11. ET NOLITE COMMVNICARE OPERIBVS INFRVCTVOSIS TENEBRARVM] nolite commercium habere, aut miscere vos operibus peccatorum & peccantium, qui quasi tenebriones lucem fugiunt. Hæc enim opera nullum fructum nisi seram & inutilem pœnitentiam ac remorsum conscientiæ afferunt.

MAGIS AVTEM REDARGVITE] q. d. Redarguite tum verbo, tum exemplo puræ & sanctæ vitæ eorum tenebras, id est, pudendas libidines & peccata. D

VERS. 12. QVÆ ENIM IN OCCVLTO FIVNT AB IPSIS, TVRPE EST ET DICERE] *Ab ipsis*, scilicet filiis diffidentiæ & tenebrarum, de quibus egit v. 6. 7. 11. ita Hieron. Notat obscœnitatem tum Paganorum, tum potiùs Simonis Magi, & Gnosticorum, de quibus abominanda narrat Epiphan. citatq́ue hunc locum Apostoli.

VERS. 13. OMNIA AVTEM QVÆ ARGVVNTVR, A LVMINE MANIFESTANTVR] Respicit ad id quod dixit v. 11. *Magis autem redarguite*, scilicet libidines & vitia non dicta v. 3. Eò enim respicere Apostolum hoc v. 13. significant Græca. Non enim habent τὰ πάντα δὲ, sed τὰ δὲ πάντα, id est, ταῦτα τὰ πάντα, id est, hæc omnia, scilicet fornicatio, immunditia, scurrilitas, quæ iam dixi & redargui; &, vt Hieron. legit, quæ sunt arguta à me, arguuntur & manifestantur, id est argui & manifestari debent, à lumine. q. d. Dum dico vos scelera iam dicta debere arguere, simul moneo vt rectè tenebriones istos & tenebras scelerum iam dictas redarguatis, debere vos afferre lucem sanctæ doctrinæ & vitæ.

OMNIA AVTEM QVÆ ARGVVNTVR, A LVMINE MANIFESTANTVR] Lumen enim debet manifestare peccata tenebricosa, quæ arguimus. Sicut enim nox & tenebræ infidelitatis vel impietatis ipsis peccatoribus occultant & celant sua peccata: ita lumen sanctæ doctrinæ & vitæ à filiis lucis, id est Christianis, allatum, eadem peccata illis retegit, aperit & manifestat. Vnde pro eo quod sequitur, *Omne enim quod manifestatur, lumen est*: verti potest ex Græco cum Syro, Erasmo, Vatablo, *omne enim quod manifestat* (tenebras peccatorum iam dictas) *lumen est*. Græcum enim φανερούμενον est vocis mediæ, & tam significat id quod manifestat, quàm id quod manifestatur. Noster tamen significantiùs vertit id quod manifestatur. Probat enim Apostolus id quod arguitur, debere à lumine manifestari: quia, inquit, id quod arguitur, & arguendo manifestatur, & manifestando per pœnitentiam emendatur (hæc enim per metalepsin significat verbum *manifestatur*) lumen est, id est, luminosum fit, & abiicit tenebras peccatorum. Inde enim rectè sequitur: Ergo illud idem à lumine debet manifestari. Nihil enim fit luminosum, & tenebras abiicit, nisi lumine illustretur & manifestetur. q. d. Videte ergo, ô Christiani, quomodo, vt filij lucis, ambulare, quantam lucem afferre debeatis, nimirum tantam, quæ tenebras gentilismi & impietatis non tantùm retegat, sed & easdem illuminet, lucidas faciat, imò in lucem christianismi transmutet. Rursum, ne putetis vestram redargutionem & illuminationem frustraneam fore. *Omne enim quod manifestatur, lumen est*. Quidquid scilicet à vobis filiis lucis manifestabitur, arguetur, emendabitur, lumen est: id est, lumen fidei & sanctæ vitæ recipiet, & luminosum fiet; sicque ex tenebrosis lucidos, ex Paganis Christianos, ex obscœnis castos facietis, quando illi videntes vestram puram & sanctam vitam ac doctrinam, deserent suos errores & libidines, vt vos vestramque fidem ac sanctitatem æmulentur, ita Theophyl.

PROPTER QVOD, vt scilicet tenebriones & tenebras iam dictas manifestet & illuminet. DICIT] Isaias, inquiunt aliqui, c. 60. v. 1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*. Sed hæc sententia Pauli, *Surge qui dormis*, &c. multùm differt ab illa Isaiæ. Ergo cum S. Hieronymo dico: hæc sententia Pauli in Scripturis non inuenitur; alludit tamen ad locum Isaiæ iam dictum. Vnde S. Thomas ait Apostolum hæc verba non sumpsisse ex libro aliquo apocrypho, nec etiam spiritu prophetico ea protulisse, sed velut exposuisse quibusdam de suo admixtis iam dictam sententiam Isaiæ, *Surge, illuminare Ierusalem*, &c.

Quod ergo Paulus ait, *dicit*, id est inclamat, supple, Spiritus sanctus, & Deus noster tum interiùs in anima cuiusque peccatoris per sanctas inspirationes & excitationes ad pœnitentiam; tum exteriùs per me Paulum (hoc loco & alibi) aliosque concionatores, quemque in peccato existentem compellans: *dicit*, inquam, & inclamat id quod sequitur, *Surge qui dormis*, &c.

SVRGE

SVRGE QVI DORMIS, ET EXVRGE A MORTVIS]tu A scilicet, ô peccator, qui dormis somno, & mortuus es morte peccatorum ac vitiosæ consuetudinis; inde euigila & exurge.

Nota Primò, peccatorem quasi in tenebris, vt præcessit, & nocte versantem dormire, & peccatum esse quasi somnum. Peccator enim, inquit Chrysost. & Theophyl. vacat & caret actione honesta, nec intelligit ea quæ salutis sunt, æquè vt dormiens: rursum somnia videt, & imaginatur voluptates & ea quæ non subsistunt, æquè vt dormiēs. *Dormierunt*, inquit Psaltes, *somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

Secundò, peccatum est mors animæ, & peccator est mortuus: quia caret omni sensu & motu vitali gratiæ, ipsaque anima spiritali, id est gratia, fœtetque coram Deo, & virulenti est odoris, ait Theophyl. perinde vt cadauer mortuum.

Hinc Tertiò, patet necessitas gratiæ præuenientis & excitantis, vt hominē ab hoc somno & morte animæ excitet. Sicut enim dormiens non potest seipsum à somno, nec mortuus seipsum à morte excitare: ita nec peccator potest se à peccato excitare, sed excitari debet à Deo, Deiq; gratia. Huius typo & symbolo Christus Lazarum mortuum (qui speciē gerebat peccatoris) suscitaturus, valida voce illi inclamauit, *Lazare veni foras.* Hæc vna omnium concionatorum æquè vt Pauli deberet esse vox, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*; hocce vnum deberet eorum esse studium, nō vt aures scalpant, non vt famam doctrinæ concilient, nō vt audiant: Quàm benè, quàm eloquenter peroratum! sed vt quasi mallei conterentes petras & dura hominum corda, vehementi spiritu & zelo peccatores à somno & morte peccati excitent, & in lucem ac vitam gratiæ reuocent.

Moraliter S. Augustin. in illud psal. 131. *Si dedero somnum oculis meis: Omnes*, inquit, *istæ felicitates, quæ videntur, sæculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo qui videt thesauros in somnis, dormiens diues est, sed euigilabit, & pauper erit: sic omnia ista vana huius sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent: euigilabunt quando nolent, si non modò euigilant quando vtile est, & inuenient somnia illa fuisse, & transisse, sicut dicit Scriptura, Velut somnium surgentis. Et alio loco: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Iste ergo, qui vult inuenire locum Domino, dixit etiam: Si dedero somnum oculis meis. Sunt autem quidam qui non dormiunt, sed dormitant: aliquantulum retrahunt se ab amore temporalium, & rursus reuoluuntur in eum, & quasi dormitantes caput crebrò inclinant. Euigila, excute somnum, dormitando casurus es. Non vult Psalmus oculis suis dare somnum, nec palpebris dormitationem, eum qui vult inuenire locum Domino.*

ET ILLVMINABIT TE CHRISTVS] Alludit ad dormientem in multam lucem: huic enim excitator dicere solet, Surge, iam dudum dies est, euigila, solem splendentem aspice. Pari modo Paulus & quiuis concionator peccatores à somno peccati excitat dicens: Surge, dies est gratiæ, sol iustitiæ Christus iam illuxit, omnesque, qui somno peccatorum euigilantes oculos aperuerunt, & surrexerunt, illuminauit suæ gratiæ & iustitiæ lumine: surge, euigila & tu, aperi oculos, & te pariter illuminabit. Sic dicit Roman. 13. 11. *Hora est iam nos de somno surgere. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

Cornel. in Epist. Pauli.

Nota. Pro *illuminabit te*, græcè est ἐπιφαύσει σοι, id est illucescet, orietur tibi Christus; vt, sicut sol lunæ, ita ipse tibi suum lumen gratiæ communicet, quo factus speculum diuinæ lucis possis & alios illustrare, & de tenebris peccatorum erutos manifestare, in lucem adducere, & lucidos facere.

Notat Hieron. pro ἐπιφαύσει, quosdam legere ἐφάψεταί σοῦ ὁ Χριστός, id est cōtinget te Christus, & ita legit Ambros. & August. in psal. 3. Quin & Chrysost. tam hanc quàm priorem lectionē affert, quasi hîc sermo sit ad Adamum (& consequenter ad nos Adæ filios, qui in Adamo continebamur, eoq; peccante mortui sumus) in monte Caluariæ sepultum, quem Christus ibidem crucifixus sanguine suo è cruce distillante contingens redemerit, & ad lumen vitamque diuinam reduxerit.

Scio, inquit Hieron. *audisse me quemdam de hoc loco in Ecclesia disputantem: qui in theatrale miraculum,* B *numquam ante visam formam populo exhibuit, vt placeret: Testimonium hoc, inquiens, ad Adam dicitur in loco Caluariæ sepultum, vbi crucifixus est Dominus. Qui Caluariæ idcirco appellatus est, quòd ibi antiqui hominis esset conditum caput. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus super eius pendebat sepulchrum, hæc prophetia completa est dicens: Surge Adam qui dormis, & exurge à mortuis: & non vt legimus, ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός, id est, orietur tibi Christus: sed ἐφάψεται, id est, continget te Christus: quia videlicet tactu sanguinis ipsius & corporis dependentis viuificetur atque consurgat: & hunc typum quoque illum veritate compleri, quo Elisæus mortuum mortuum suscitauit. Hæc vtrùm vera sint nec ne, lectoris arbitrio derelinquo.* Vbi Nota. Licet Hieron. hîc & alibi hanc sententiam de Adamo in Caluariæ monte sepulto, ibique Christi sanguine resuscitato suggillare videatur; tamen passim illam docent & tradunt Patres. Vnde S. August. serm. 71. de temp. *Et verè fratres*, ait, *non incongruè creditur quòd ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus, & dignum erat vt vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia; & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* Sic & Tertull. l. 2. carminum contra Marcionem c. 4.

Adam sepultus esse dicitur in monte Caluariæ.

Passim id docent Patres.

Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Puluis Adæ vt possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute lauari.

Idem docēt Origenes, Epiphan. Athanas. Cyprian. & passim Patres, vno excepto Hieronymo, vt dixi Matth. 27. 33. videturque communis traditio. Hac etiam de causâ pictores sub cruce Christi caluariam (Adæ) pingunt, vt ex Alberto Magno notauit Molanus c. 78. de Imaginibus. D

Verùm quod ad præsentem locum attinet, communis & vera lectio est ἐπιφαύσει, id est illucescet, non ἐφάψεται, id est, continget te Christus. ita enim legit Noster, Syrus, & passim iam Græca & Græci. Itaque legendum esse patet ex præcedentibus. Hactenus enim à v. 8. de luce & illuminatione egit, non autem de contactu. Denique aptissimè dicitur dormienti & mortuo, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, vt solem iustitiæ aspicias; minùs autem rectè dicitur, Et continget te Christus.

Apostolus tamen hîc non videtur loqui de Adamo.

Adde, Apostolum de Adamo non loqui, sed de peccatoribus quibuslibet: cuique enim peccatori inclamat, *Surge qui dormis*, &c.

VIDETE ITAQVE FRATRES, non iam in tenebris, VERS. 15.

sed in Euangelij clara die & luce (quando viuendi & cernendi est facultas) constituti, QVOMODO CAVTE (ἀκριβῶς, id est diligenter, circumspectè, accuratè, scientes & cogitantes vos vestraque omnia in tanta luce ab omnibus videri & notari) AMBVLETIS (conuersemini) NON QVASI INSIPIENTES] Valdè enim insipientes sunt qui ad solem hunc Euangelij oculos claudunt, vel sub eo pudenda faciunt, quasi adhuc in nocte & tenebris ignorantiæ Dei versarentur. Maximè autem insipientes sunt, qui tempus hoc breue nobis ad beatam æternitatem comparandam concessum prodigunt, imò eo abutuntur, vtæternam miseriam sibi accersant. Vnde sequitur,

Cura temporis quanta habenda.

VERS. 16. REDIMENTES TEMPVS, QVONIAM DIES MALI SVNT] Anselm. explicat, q.d. Apostolus: Tempus & anteactæ vitæ peccata flendo & pœnitendo redimite. Vt respiciat Apostolus ad v. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* vnde immediatè antè præmisit: *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes,* vtpote nunc facti lux in Domino, *redimentes tempus,* vt illud olim luxu & peccatis perditum, iam recuperetis, ac tanto diligentiùs & feruentiùs illud expendatis, quanto illud olim negligentiùs & licentiùs prodegistis, vt illius iacturam hac diligentia & feruore sarciatis & redimatis. hoc enim propriè est redimere. Verũ sic potiùs dixisset Apostolus: Redimentes tempus præteritum, iam autem dicens tantùm, *Redimentes tempus,* videtur intelligere præsens. Sequitur enim: *Quoniam dies mali sunt;* alioqui dixisset, Quoniam dies præteriti mali fuerũt, nisi τὸ *sunt* amplè accipias pro *fuerunt* & *sunt*. vti enim fuerũt mali, sic etiamnum sunt mali. Est ergo hæc expositio probabilis æquè ac moralis & pia. Excitat enim eos qui in infidelitate, luxu & peccatis, aut in desidia & tepiditate multum temporis multosq; annos perdiderunt, vt hoc damnum recuperent nouo feruore, intendendo, & duplicando, ac triplicando actus abstinentiæ, mortificationis, charitatis & aliarum virtutum, in modico vitæ quod eis restat, vt paucis annis, qui supersunt vsq; ad mortem, tantum meritorum sua sedulitate acquirant, quantum alij, qui à puero Deo seruierunt, quantumque ipsimet acquisiuissent, si priores annos in fide & obsequio Dei feruidè expendissent. Hoc secundùm Latinam versionem: nam Græcum ἐξαγοραζόμενοι non *redimentes*, sed *ementes*, & ad verbum *exementes* significat, de quo mox.

Prima expositio.

Secunda. Solet Deus vitæ tẽpus propter peccata abbreuiare.

Secundò, alij exponunt sic: Deus, inquiunt, sæpè peccatoribus tempus, quod secundùm naturæ cursum viuere deberẽt, propter peccata diminuit, iuxta illud psal. 54. 24. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos* Quam ob causam illis 120. annis, quos vsque ad diluuium Deus hominibus præscripserat, 20. annos detraxit Genes. 6 Cùm igitur Deus soleat tempus vitæ propter peccata diminuere, is qui benè agit, rectè dicitur illud redimere, quoniam illud vitæ spatium, quod alioqui si peccaret erat sibi Dei iudicio detrahendum, quasi bonis operibus redimit, impletque dies omnes sibi ad viuendum à natura definitos, itaque moritur plenus dierum instar Abrahæ.

Tertia.

Tertiò, S. August. serm. 24. de verbis Apostoli, asserit eum tempus redimere, qui illud aufert negotijs sæcularibus, vt quiete sua fruatur Deoque vacet. *Quando,* inquit, *aliquis tibi infert litem, perde aliquid vt Deo vaces, non litibus: id enim quod perdis, pretium est temporis. Sicut enim das nummos & panem emis, ita quoq; aliquid amittis & aliquid acquiris: sic perde nummos, vt emas tibi quietem, id est, tempus vacandi Deo: hoc enim est tempus redimere.*

Rursum scripsit in hanc Apostoli sententiam idem August. homil. 10. inter 50. tom. 10. ex qua accipe hos flosculos: *Dies malos duæres faciunt, malitia & miseria. Regenerati dies malos ducimus, quousque finiatur pœna mortalitatis, & succedat gratia summa felicitatis. Nemo dicat, Parentes nostri dies bonos habuerunt, nos malos habemus. Recitata est ipsis & hæc Apostoli sententia. Ex eo quòd lapsus est Adam & de paradiso proiectus, numquam fuerunt dies nisi mali. Illos pueros qui nascuntur interrogemus, quare à ploratu incipiant qui & videre possunt. Lacrymæ testes sunt miseriæ.* Et inferiùs: *Redimere tempus hoc est, quando aliquis tibi ingerit litem, perde aliquid, vt redimas tempus quo vaces Deo: sic enim dum vestem emis: nummos amittis, vestem acquiris. Punicum est prouerbium: Vt habeas tempus quietum, perde aliquid. Pestilentia ante ostium venit, & nummum quærit: duos illi da, & ducat se. Pestilentia est homo malus, litigator, calumniator, proditor. Ille talis sic est, quomodo pustula mala in corpore, quam cum aliqua particula tollis de corpore, ne venenum totum corpus occupet, & animam petat. In lite euerteris cogitationibus tuis, iritaris aduersus aduersarium tuum: ecce tempus perdidisti. Quanto melius nummum amitteres, & tempus redimeres? Calumniosus verò hic non gaudeat. Ille qui propter vitandam calumniam tempus à te redemit, hic tolerat diei malos: tu qui calumnijs pasceris, & hîc habes dies malos, & pòst dies ipsos habiturus es in die iudicij peiores.*

Quarta.

Quartò, S. Hieron. censet tempus cùm à Deo datum sit, vt hominibus in bonis operibus seruiat, quasi captiuum teneri, quando in malis operibus insumitur; ideoque per bona opera redimendum, & ex captiuitate in libertatem quasi vendicandum esse. *Quando tempus,* inquit, *in bono consumimus emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat: sicq; dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri.* Propriè ergo S. Hieron. accipit *redimere*, quasi sit rursus emere id quod venditum erat. Sic Nazianzen. ait, ἐξαγοραζει κόσμον μεγάλης τιμῆς, id est, *redimit mundum magno pretio*: nam Christus pretio sanguinis eum redemit è captiuitate peccati & diaboli.

Quinta.

Verùm Nota. *Redimere* hîc idem est quod emere: sic redemptores vectigalium vocamus eorumdem emptores. Nam græcè est ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, id est, mercantes & ementes occasionem & opportunitatem, siue tempus hoc opportunum ad benè agendum, ad lucra cælestia comparanda. q. d. Studiosè emite opportunitatem proficiendi in via Dei & virtute, & bona opera ac merita accumulandi: emite, inquam, eam quarumuis rerum dispendio. ita Theophyl. v.g. conuiuiorum & recreationum iactura emite tempus studendi, orandi, bene faciendi. Vnde S. August. homil. 1. inter 50. *Quid est,* ait, *redimere tempus, nisi cùm opus est etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda & capessenda spatia temporis comparare?*

Vis scire quàm pretiosum sit hoc tempus, vis scire eius pretium? Interroga damnatos. ipsi id sciunt per experientiam. Prodeat ex abysso vnus diues Epulo. Dic nobis ô Epulo, quid dares pro anno vno, pro die, pro hora huius temporis? Darem,

rem, inquit, mundum vniuersum, darem mille mundos si haberem, darem delicias omnes, opes omnes, tormenta omnia. O si daretur vel momentum resipiscendi, pœnitendi, veniam emerendi; illud emerem omnibus laboribus, pœnitentijs, afflictionibus, quas vnquam homines tolerarunt, aut etiamnum tolerant in Purgatorio vel inferno, etiamsi illæ centum millia, imò mille milliones annorum durarent!

Interroga animas in Purgatorio. Dicent illæ: Si possemus redire ad tempus merendi & satisfaciendi, emeremus illud non auro, non gemmis totius orbis, sed sanguine & vita, imò mille mortibus.

Interroga Beatos. Dicent illi: Beati mortales, ô si sciretis quæ merita, quæ lucra gloriæ comparare possitis singulis temporis momentis, vos illa emeretis omni sudore & dolore. O si nobis redire liceret ad tempus merendi, emeremus vnam horam omnibus eculeis, ignibus, bestijs, martyrijs, cuperemusque illa pati quæ vmquam Sancti passi sunt vsque ad diem iudicij. O si redire liceret, nos aliter illud expenderemus quàm expēdimus: sumus iam inter Angelos, nos extremum potentiæ exsereremus, vt inter Seraphinos & Cherubinos asscribi mereremur. O momentum pretiosum, ex quo pendet æternitas! Quot hic momenta in otio perdis, tot æternitates gloriæ, quas acquirere poteras laborando, patiendo, animas conuertendo, perdis, & irreuocabiliter perdis; vt, si in cælo pœnitere posses, non alterius rei, quàm temporis perditi, aut minùs strenuè expensi, te pœniteret.

QVONIAM DIES MALI SVNT] Id est, quoniam dies huius vitæ miseri, multis ærumnis, periculis & tentationibus expositi sunt, quæ occasionem benè agendi vel adimunt, vel minuunt, vel periculo exponunt, inquit Anselm. Sic enim Hebræi bonum vocant quod iucundum est; malum, id quod triste est & miserum. Sic Christus Matth. 6. dicit, *Sufficit diei malitia*, id est afflictio & miseria, *sua*.

Rursum dies mali, id est incerti, instabiles, breues sunt, æquè ac pleni curarum, distractionum, & laqueorum peccati & damnationis. Nam inter cæteras malitias, id est miserias, dierum huius vitæ est incertitudo, instabilitas & breuitas eorumdem, æquè ac molestia, curæ & angores, iuxta id quod ait Iacob Pharaoni: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum, sunt parui & mali*, Genes. 47. 9. quo alludit hîc Paulus. q.d. Emite tempus bene agendi & merendi; quia dies huius vitæ & temporis sunt incerti, instabiles & breues, æquè ac molesti & anxij: incertum, instabile & breue habetis tēpus procurandi salutem æternam: videte ergo vt hoc temporis momentum, ex quo pendet æternitas vestra, bene expēdatis. Tertiò, proprie *dies mali* sunt; quia pleni sunt infidelitate & peccatis. *Dies malos*, ait S. Augustin. loco citato, *duæres faciunt, malitia & miseria. Ex quo enim lapsus est Adam & de paradiso expulsus, numquam fuerunt dies nisi mali.* Sicut grassante hæresi vel ebrietate & libidine (vti fit in bacchanalibus) dicunt concionatores: O Christiani cauete vobis hoc tempore, quia dies mali sunt. q.d. Tēpus hoc redimite, nec finite vos abduci à communi hominum turba ad gulam & venerē; ne tempus cum anima perdatis. Sic ait S. Iohan. epist. 1. c. 5. 19. *Mundus totus in maligno positus est* tempore enim Pauli omnia erant plena infidelitate & sceleribus, infidelibus & sceleratis. Hos ergo quasi fures temporis pretiosissimi fugiendos & arcēdos docet Aposto-

A lus; perinde ac Philosophus cuidam amico fabulis cum eo tempus terere volenti seuero vultu dixit: *Abi hinc fur temporis*. Idē dicamus, cùm quis fabulo, nugivendulus, aut similis tempiperda nos inuadit, ac ad sua otia nugasq; sollicitat; tanto enim peior & nocentior est fur temporis fure pecuniæ, quanto tempus quod suffuratur, pretiosius est pecunia. Maximè autē perstringit hîc Apostolus Simonianos & Gnosticos, hæreticos impios & impuros, de quibus dixit v. 11. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occultò fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.* q.d. In tanta temporum calamitate & malitia, cùm hinc hæreses infames & spurcę grassantur, quæ suadent tēpus in delicijs veneris & ventris transigere; inde
B infidelitas, idololatria, libidines, ebrietates, rixæ, omniaque scelera dominantur & increscunt; vos ô Christiani nolite ijs auscultare, cum ijsque tempus cum anima prodigere, sed potiùs illud redimite, atq; Deo & studio sapientiæ & virtutum Christianarum impendite, ac nominatim quouis pretio quouisque damno redimite tempus, vacando precibus, & Dei laudibus, ac excipiendis eius sanctis inspirationibus, quibus Deus interiùs mentem vestram illustrat, pulsat, excitat, inflammat ad maiorem sanctimoniam, vt ei magis placeatis, magnisq; passibus tendatis ad perfectionem. Vnde sequitur: *Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & cāticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus.* Ecce, hoc est redimere tempus, dum, quod alij dant & perdunt in computationibus & luxurijs, hoc fideles dant orationi, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, &c.

Nota Primò. Græcum ἐξαγοραζόμενοι, verbum est mercatorum, qui curiosè merces omnes considerant, vt emant meliores ad lucrum, cui soli intendunt, quodque omnibus delicijs & conuiuijs anteponunt. tanto studio decet nos aucupari occasionem & merces bonorum operum.

Quid sit ἐξαγοραζειν, siue mercari tempus. Primò.

Secundò, sicut hi mercatores merces emendo, eas sibi proprias suasque faciunt: sic tempus quasi nobis appropriamus, dum illud assumimus & impendimus ad propria bonorum operum & meritorum lucra. Non est nobis, inquit Oecum. tempus stabile; aduenæ enim sumus. Eme ergo ipsum & facito proprium, scilicet bona operando in hoc tempore, quæ in futuro te glorificent

Secundò, tempus nobis propriū facimus quando illud benè impendimus.

Tertiò, præsens tempus dicitur καιρὸς, id est,
D occasio & opportunitas, scilicet mercandi, & lucra nostra augendi; sicut in nundinis mercatoribus est occasio emendi & vendēdi sua. *Vita nostra*, inquit Nazianz. in Sententijs, *est quasi mercatus, cuius dies cùm abierit, tempus amplius non erit emendi quæ velis.* vt singuli meminerint sibi hanc occasionem sedulò & studiosè captandam & amplectendam esse. est enim fronte capillata, à tergo occasio calua. Vbi hæc occasio transierit, vbi hæ nundinæ, hoc tēpus vitæ tuæ effluxerit, non habebis vel momentum pœnitendi, bene agendi, mercandi, & lucra cælestia comparandi. Sic ergo viue, talia & tanta fac, qualia & quanta voles te fecisse, cùm tempus hoc elapsum erit; qualia & quanta te fecisse voles & optabis, cùm in æternitate consistes. Quod enim nunc facis & operaris per totam æternitatem tibi proderit, magnasque opes & gloriam tibi pa-

Tertiò, tempus præsens est occasio frōte capillata, pòst calua.

riet; quod nunc negligis, negligis & perdis irreparabiliter, vt per totam æternitatem hanc negligentiam, hoc tempus neglectum recuperare & redimere non possis.

Occasionis & temporis stimulus.

Hunc occasionis & temporis stimulū sæpè nobis adhibet Apostolus. Rom. 13. v. 11. *Et hoc*, inquit, *scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere.* Galat. 6. 10. *Dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes.* 1. Corinth. 7. 26. & 29. vbi tempus hoc vocat breue, & instantem necessitatem. Vide ibi dicta. Eundem stimulū adhibet Sapiens Ecclesiast. 9. 10. *Quodcumque*, inquit, *facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* O quàm sapiens, quàm prouidus est, qui hæc cogitat, hæc agit, qui ita viuit, vt in hora mortis optabit se vixisse, qui ea iam facit, quæ in æternitate constitutus gaudebit se fecisse!

VERS. 18. ET NOLITE INEBRIARI VINO, IN QVO (scilicet vino, vel in quo, scilicet inebriari, q.d. In ebrietate) EST LVXVRIA] Nota. Pro *luxuria*, græcè est ἀσωτία, id est luxus, lasciuia, qualis est eorum qui assiduè potant & comessantur, vt penè semper sint temulenti. Hi enim in omni ἀσωτίᾳ, id est crapula, spurcitia, impudicitia & sordibus volutantur. *Nolim*, inquit Cicero l. 2. de Finibus, *mihi fingere asotos qui in mensam vomant, & de conuiuijs auferantur, crudiq; postea rursus se ingurgitēt.* Sic latinè luxuria, vt vertit Noster, non tantùm rem veneream, sed & hunc luxum significat, ait Erasmus.

ἀσωτία quid & quale vitium.

Secundò, tamen ἀσωτία cum Theophyl. & alijs potest accipi pro luxuria & libidine. Venter enim mero æstuans despumat in libidinem, quasi in ἀσωτίαν. Hoc sensu ita in Sotam ludit Martial. l. 4. epigramm. 9.

Sota Clinici Labulla
Deserto sequerìs Clitum marito,
Et donas, & amas, ἔχεις ἀσώτως.

Sota enim significat parcū: Labulla tamen erat asota, id est prodiga, perdita, luxuriosa, relicto marito sequens adulterum. Clemens Alexandr. l. 2. Pædag. c. 1. & 2. ἀσώτους dici vult quasi ἀσώους, id est, salute priuatos: quia tam opes, quàm corporis & animæ salutem perdunt & prodigunt.

Verè S. Hieron. in c. 1. ad Titū 7. *Vbicumque*, inquit, *saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur: spectra ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Num quam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.*

Malaebrietatis.

Idem Hieron. epist. 83. ad Oceanum: *Vinolentia*, inquit, *scurrarum est & comessatorum, venterq; mero æstuans citò despumat in libidines.* Et inferiùs: *Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Hinc Plato libr. 2. de Legib. prope finem, ita de vino sancit: *In ciuitate nec seruus nec serua vmquam vinum gustet, nec ipsi quidem magistratus illo quo magistratum gerunt anno: neque gubernatores, neque iudices dum munus suum exercent, vllo modo vinum gustent.* Nimirum verissimum est illud Heracliti adagium: *Anima sicca sapientissima.* Quod pulchrè explicat & demonstrat Galenus in libro cui titulus est, Quòd corporis temperiei respondeant mores animi. Et Clemens Alexandr. l. 2. Pædag. *Iubar est*, inquit, *anima sicca sapientissimum & perspicax, neque madescit vini halitu in modum nebulæ crassescens.* Idem libr. 7. Stromat. *Vinum*, inquit, *& carnium sagina, robur quidem adducunt corpori, sed animum reddunt languidum.* Nam, vt S. Ephrem tractatu de Timore Dei, in tertio tomi 3. *Qui corporis sui carnes delicatè nutrit, concupiscentias malas pascit.*

Anima sicca sapientissima.

SED IMPLEMINI SPIRITV SANCTO] q.d. Studere non vt vino, sed vt gratia Spiritus sancti impleamini. Modum & viam subdit dicens,

LOQVENTES VOBIS METIPSIS (scilicet dum in vnum conuenitis, siue in templum ad orandum & agapen, siue in domum ad mensam & cibum) IN PSALMIS ET HYMNIS, ET CANTICIS SPIRITVALIBVS, CANTANTES ET PSALLENTES IN CORDIBVS VESTRIS DOMINO] S. Hieron. ita hymnos à psalmis & canticis distinguit: *Hymni*, inquit, *sunt qui Dei fortitudinem & maiestatem prædicant, & eiusdem semper, vel beneficia vel facta mirantur: quod omnes psalmi continent, quibus Halleluia vel præpositum, vel subiectum est. Psalmi autem propriè ad ethicum locum pertinent: vt per organum corporis, quid faciendum, & quid vitandum sit nouerimus. Qui verò de superioribus disputat, & concentum mundi, omniumq; creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit, ille spiritale canticum canit.* Rursum, in officio Ecclesiastico facile iam est distinguere hymnos à psalmis & canticis.

Nota Primò. Docet hîc Apostolus, qualis debeat esse Christianorum agape, mensa & conuiuia, scilicet, non vt carnibus & vino corpus & mētem obruant; sed vt spiritu & spiritualibus sanctisque colloquijs & hymnis, præsertim de Christo, Christique beneficijs, inuicē se oblectent, pascant, impleant, sicque studeant ebrietati, non corporali sed spiritali. Rursum vt cantionibus non lasciuis, sed pijs & sacris se recreent, & Deum laudent. Solet enim in conuiuijs animus excitari, hilarescere, & in lepores cantusque resolui. Hinc Zeno rogatus, cur cùm natura esset seuerus, & secta Stoicus, in conuiuio tamen hilarescceret? respondit, Et lupinum, cùm sit suapte natura amarum, tamen aqua maceratum dulcescit: ita naturale est, cibo potuque rigato corpore, discuti tristitiam. testis est Laert. lib. 7. c. 1.

Vnde Nota Secundò, Hebræos antiquissimos in conuiuijs ad communem recreationem solitos adhibere musicam. *Vinum*, inquit Ecclesiasticus c. 40. 19. *& musica* (ecce musicam cum vino, scilicet in conuiuijs & symposijs, coniungit) *lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientia.* Et c. 49. 2. *In omni ore quasi mel indulcabitur eius* (Iosiæ) *memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Idem verò pulchriùs c. 32. v. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio* (id est, compositio & concentus; hoc enim est Græcum σύγκριμα) *musicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi: sic numerus* (id est numerosa melodia musicorum) *in iucundo & moderato vino.* q.d. Sicut annulum aureum ornat pala ex carbunculo, vel signum, græcè ζωγρὶς, id est sigillum, ex smaragdo: ita conuiuium ornat musica. Idem testatur Dauid psalm. 68. v. 13. *Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta* (id est, iudices & seniores populi, qui in portis publica iudicia exercendi causa sedere solebant) *& in me psallebant qui bibebant vinum.* q.d. Passim in suis symposiis perstringebant me suis

con-

contumelioſis canticis. Clariùs verò id docet Iſaias cap. 5. 12. *Cithara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conuiuijs veſtris.* Quem morem ſuæ gentis ſecutus Chriſtus, poſt vltimam cœnam paſchalem procedens ad paſſionem in montem oliuarum hymnum cum Apoſtolis Deo cecinit, Marc. 14. 26.

Inde Tertiò, Chriſtum imitantes Apoſtoli, vt patet ex hoc loco Pauli, & primi Chriſtiani in ſuis agapis & conuiuijs muſicam & cantica adhibebant, non laſciua, nec profana, ſed ſacra, ſcilicet hymnos in laudem Dei. Teſtis eſt Cyprian. epiſt. ad Donatum: *Et quoniam*, inquit, *nunc feriata quies, ac tempus eſt otioſum, quidquid inclinante iam ſole in veſperam diei ſupereſt, ducamus hunc diem læti, nec ſit vel hora conuiuij gratiæ cæleſtis immunis: ſonet pſalmos conuiuium ſobrium, vt tibi tenax memoria eſt, vox rauca; aggredere hoc munus ex more, magis charißimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritualis auditio. Proleſtet aures religioſa mulcedo.* Similia habet Philo de Eſſæis. Idem clariſſimè docet Tertull. cap. 39. Apologet. Audi eum, & nota qualia fuerint priſcorum Chriſtianorum conuiuia. *Non priùs*, ait, *diſcumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes capiunt; bibitur quantum pudicis eſt vtile: ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere. hinc probatur quomodo biberit. Aequè oratio conuiuium dirimit: inde diſceditur non in cateruas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum; ſed ad eamdem curam modeſtiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm diſciplinam.* Ita veteres. Quò iam abiimus Chriſtiani? Quantus iam menſarum, ferculorum, vinorum luxus? quanta multorum temulentia? quanta aſotia? quàm colloquia & cantica impura & laſciua? Si Cyprianus, ſi Eſſęi, ſi Tertull. ſi Paulus ad nos redirent, & Chriſtianorum iam conuiuia ſpectarent, an non exclamarent: O domus antiqua quàm diſpare domino dominaris! Híne ſunt priſci illi Chriſtiani, an vmbræ Chriſtianorum? Hiſcéne Chriſtus, an potiùs Bacchus dominatur? Híne Chriſtiani ſunt, an Antichriſtiani & Bacchiani? Híne deicolæ ſunt, an ventricolæ & Cereris Veneriſque mancipia?

Hinc Quartò, orta eſt laudatiſſima priſcorum Chriſtianorum conſuetudo, vt in priuatis canticis animi cauſa concini ſolitis non amatorias, ſed pias & ſacras cantiones Chriſto canerent. Ita S. Baſil. l. de Spiritu ſancto cap. 7. & 29. tradit hymnum glorificationis SS. Trinitatis, id eſt, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, à ruſticis etiam cantari ſolitum. Clariùs Hieron. ad Marcellam epiſt. 17. *In Chriſti*, inquit, *villula tota ruſticitas, & extra pſalmos ſilentium eſt. Quocumque te verteris, arator ſtiuam tenens Alleluia decantat, ſudans meſſor pſalmis ſe auocat, & curua attondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicum canit. Hæc ſunt in prouincia carmina; hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones, hic paſtorum ſibilus, hæc arma cultura.* Id illis adeò curæ erat, vt à puero infantibus cùm fari inciperent, primam vocé quam ſonarent, Alleluia, id eſt laudate Deum, inſtillarent. Vnde idem Hieron. ad Lætam ſcribens, hæc ait: *Quis hoc crederet, vt Albin. pontificis neptis de repromiſſione Martyris naſceretur, vt præſente & gaudente auo, paruulæ adhuc lingua balbutiens Chriſti Alleluia reſonaret?* Et infrà: *Cùm auum viderit, in pectus eius tranſiliat, de collo pendeat, nolenti Alleluia decantet.* Hunc mortẽ reuocans S. Chryſoſt. hom. in pſal. 41. quoſuis etiã agricolas, opifices, nautas, textores & textrices hortatur ad pſalmos, aliaque pia cantica concinenda. *Quoniam*, inquit, *hoc genus delectationis eſt animæ noſtræ valdè cognatũ & familiare, ne dæmones laſciua & meretricia cantica introducẽtes, omnia euertant, pſalmos Deus conſtruxit, vt ex re ſimul caperetur voluptas & vtilitas.* Et poſt multa de vtilitate pſallendi hæc addit: *Hæc dico, nõ vt vos tantùm laudetis, ſed vt filios & vxores doceatis talia cantare cantica, non ſolùm in texendo, aliúve opere faciendo, ſed maximè in menſa. Quando enim diabolus vt plurimùm inſidiatur conuiuijs, cùm & ebrietatis & ingluuiei, riſuſq; profuſi, & remiſſi animi auxilio vtitur; tunc maximè oportet, & ante menſam, & in menſa ſe munire pſalmorum præſidio, & ſimul cum vxore ac liberis ſurgentes à conuiuio, hymnos ſacros Deo canere.*

CANTANTES ET PSALLENTES IN CORDIBVS VESTRIS DOMINO] q. d. Hæc cantica ſpiritalia, hi pſalmi non ex ſolis labijs, ſed ex imo corde prodeant. Hortatur ergo Chriſtianos Apoſtolus ad lætitiam & exultationem ſpiritalem, vt ſemper læti & exultantes in ſua vocatione & chriſtianiſmo iubilent, Deoque gratias agant, cique in lætitia & amore ſeruiant, alioſque ad eamdem lætitiam, amorem & gratiarum actionem excitent. Hæc enim ſunt indicia Spiritus ſancti cor inhabitantis, qui hunc ſpiritum gaudij ſuis afflat. Beati qui illo fruuntur, illumque excitant & augent. Illis nihil difficile, nihil triſte accidit, ſed læto ſpiritu, alacri & magno omnia ardua & triſtia ſuperant & tranſcendunt. S. Auguſt. hæc verba Apoſtoli per antitheſes eleganti carmine expreſſit, cùm ait:

Hortationẽ lætitiam & exultationẽ ſpiritualẽ.

Non vox, ſed votum; non chordula muſica, ſed cor;
Non cantans, ſed amans, cantat in aure Dei.

Audiant, ait S. Hieron. *illi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce, ſed corde cantandum; nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Eccleſia theatrales moduli audiantur & cantica, ſed in timore, in opere, in ſcientia Scripturarum.*

GRATIAS AGENTES SEMPER PRO OMNIBVS] gratijs, donis, & beneficijs à Deo acceptis. *Quidquid ſapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei ſapientiæ deputa Chriſto*, ait S. Bernard. ſerm. 13 in Cant. Vide de gratiarum actione ea quæ dixi 1. Theſſal. 5. v. 17. Pulchrè quoque S. Hieron. hîc, *Chriſtianorum*, inquit, *propriè virtus eſt, etiam in his quæ aduerſa putant, referre gratias creatori: nam in beneficijs Dei quæ nobis accidunt, gratulari, hoc & Gentilis facit & Iudæus. Sed iuxta Apoſtolum hæc virtus eſt maxima, vt in ipſis periculis atque miſerijs Deo gratiæ referantur, & ſemper dicamus, Benedictus Deus; minora neſcio ſuſtinere quàm mereor, hæc ad mea peccata parua ſunt, nihil mihi dignum redditur. Hic animus Chriſtiani eſt, hic crucem ſuam tollens ſequitur Saluatorem, quem nec orbitas nec damna debilitant, quem, vt Flaccus ait, Si fractus illabatur orbis, Impauidum ferient ruinæ.*

VERS. 20.

Etiam in aduerſis agenda Deo gratia.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] per nomen Ieſu Chriſti, id eſt, per Chriſtum, qui hæc dona, gratias & beneficia nobis promeruit & obtinuit. Eſt metonymia. *Nomen* enim pro re nomine ſignificata ponitur. Sic ſæpè alibi iubemur inuocare nomen Domini, id eſt, Dominum ſuo nomine ſignificatum.

DEO ET PATRI] Refer ad *gratias agentes*. Iubet enim vt gratias agamus *Deo & Patri*, id est, vt Syrus, Deo Patri. Dicit tamen, *Deo & Patri*, vt duos titulos innuat quibus Deo ad gratiarum actionem obstricti sumus. Primus est, quòd sit Deus noster, à quo corpus, animam, gratiam, & bona omnia accepimus. Secundus, quòd sit pater, qui paterno affectu nos quasi filios suos omnibus suis bonis pascit & inebriat.

Duo tituli quibus Deo gratias debemus.

Hinc est quòd regius Psaltes toties omnes ad Dei laudem & gratiarum actionem inuitat: hinc toties canit recinitque *Halleluia*, id est, laudate Deum. Est enim hoc cæleste Beatorum canticum & iubilum. Ita S. Iohan. Apoc. 19. v. 1. 3. 4. 6. audiuit viginti quatuor seniores omnesque Sanctos in cælis identidem resonantes *Halleluia*. Hinc Ecclesia tempore paschali assiduè iubilat *Halleluia*. Olim quoque, teste S. Hieron. virgines & monachi hac voce *Halleluia* noctu ad preces Deumque laudandum vocabantur in templum.

Mira de Halleluia.

✠. Franciscus Aluarez in Æthiopica legatione cap. 41. refert ad Torretanam ditionem cœnobiũ visi Religiosorum, *Halleluia*, ab hoc euentu nuncupatum. Asceta vixerat in vicinia vigilijs, ieiunijs & orationibus assiduè vacans: is à beatis mentibus in cælo audierat sæpiùs ingeminari *Halleluia* suauissimo concentu, eaque voce ad præfectum monasterij relata, illi auctor extitit monasterij tum inchoati hoc nomine appellandi, vt *Halleluia* diceretur.

Hæc vox *Halleluia* cælitus quasi aspirata animauit olim Christi athletas ad martyria, acerbissimaque tormenta cum gaudio subeunda. Lege acta S. Felicis. Fortunati & Achillei Martyrum 23. Aprilis. Denique in publica & grauissima peste, quæ Romæ contigit anno 591. cùm S. Gregorius Pontifex ad eam sedandam publicam supplicationem instituisset, & B. Virginis imaginem cum litania circumtulisset, angelo è cælis illi accinente, *Regina cæli lætare, Halleluia*, lues omnino sedata est visusq; est angelus alter gladium exsertum in homines vibrans, eum in vaginam recondere; visus est inquam in mole Adriani, quæ exinde castellum S. Angeli est appellata, vti referunt Sigonius l. 1. de regno Italiæ, S. Antoninus 4. p. t. 15. c. 24. §. 2. Petr. Canisius lib. 5. Marialis c. 12.

Origo hymni Regina cæli.

VERS. 21. SVBIECTI INVICEM IN TIMORE CHRISTI] Est noua ethica sententia. Apostolus enim, vt aliàs dixi, per sententias more veterum non connexas, sed disparatas, tradit præcepta de moribus & vita Christiana.

Nota. Sententia hæc indefinita accommodatè ad personas singulas intelligi debet: scilicet, vt subiecti sint ij non qui superiores, sed qui inferiores sunt, quorum est parere. Pari modo accipienda est vox *inuicem*. non enim vult vt quisque vicissim alteri subiectus sit: sic enim parentes filijs, reges populo vicissim subiecti esse deberent. Sed *inuicem*, id est, vt Syrus vertit, *alius alteri*; alius, putà inferior, subiectus sit alteri, scilicet superiori. Nam, vt Hieron. docet, Apostolus ponit hîc generale principium politiæ Christianæ, putà obedientiam, scilicet vt subiecti sint & obediant singuli suis Superioribus; illudque in sequentibus per species & partes explicat, cùm iubet mulieres viris, filios parentibus, seruos dominis subiectos esse.

Superioribus subijce-

Nota. Quod addit, *in timore Christi*, significat subiectos nos Superioribus nostris esse debere, non ex timore pœnæ vel hominũ, sed ex timore Christi: quia scilicet Christum reueremur, eumque timemus offendere. q. d. Ex timore filiali, id est ex amore Christi, obedite Superioribus vestris, qui vicarij sunt Christi: vt, cùm eis paretis, in Christũ conijciatis oculos vestros, & putetis vos Christo parêre: cùm eos audiatis, videtis, putetis vos Christũ audire, videre; sicque opus præceptum faciatis, non quia hic homo illud præcepit, sed quia Christus per hunc hominem quasi vicarium suum loquens & mandans illud præcepit. ita fiet, vt non tam reuerentiam & obedientiam homini, qui superior est, quàm Christo in homine qui superior est, exhibeatis.

MVLIERES VIRIS SVIS SVBDITÆ SINT SICVT VE. DOMINO] Id est, vt aliqui exponunt, mulieres obediant viris quasi dominis suis. Sic enim Sara Abrahamum maritum Dominum vocat Genes. 18. 12. *Dominus*, inquit, *meus* (maritus meus Abraham) *vetulus est*. Sed sic dicendum fuisset, Sicut dominis: iam autem dicit Apostolus, *Sicut Domino*. Adde, in Græco esse articulum demonstratiuum τῷ κυρίῳ, quasi communem omnium Dominum nostrum, vt vertit Syrus, demonstret. *Sicut Domino* ergo, id est sicut Christo. ita Græci. Explicat enim quod v. præced. dixit, *Subiecti inuicem in timore Christi*. Scilicet vt propter Christum Christique timorem, reuerentiam & amorem mulieres subiectæ sint viris, quasi Christo ipsimet, cuius locum & personam viri repræsentant.

Mulieres quam subiectæ debeant viris.

Ita & Aristot. lib. 1. Oeconom. c. 4. & l. 2. c. 1. 2. & 3. vxori & matrifamilias hæc dat præcepta:

Primò, *Mulier suum arbitrium omnino exuere debet, vt marito obtemperet: sitq; maritus pro corde, oculis & lingua: arrideat ridenti, compatiatur tristi, non adulatoriè modo vel chamæleontis, sed vt socia & dimidiatum corpus eius, & cum eo vnius spiritus.*

Secundò, *Mulier numquam sit otiosa ab opere, nec digiti à colo, aut penso telaue sint, neue otiosam patiatur ancillarum filiarumq; cohortem. id enim ad augendam rem familiarem pertinet, & animum ab adulteriis, & venereis retrahit, quæ sese otiosis insinuant facilè.*

Tertiò, *Nullum permittat domum ingredi sine præcepto viri. Non pandat secreta domus.*

Quartò, *Filios filiasq; instituat, nec vagari permittat, longiusq; à suo latere discedere: verba omnia impudica & cantiones illi prohibeat, nec præcinat.*

Quintò *Reip. negotiis non se immisceat.*

Sextò, *Non sit litigiosa cum domesticis, vel vicinis: non curiosa, non maledica, non peruicax marito, non vino nec gulæ dedita, non sordida, non nimium compta: pulchrum enim tunc cæteris spectaculum, miserum marito est.*

Vxor ergo viro non sit obstrepera, sed subdita & consona vt Echo, vt eam hoc illius ænigma ornet:

Virgo modesta nimis, legem bene seruo pudoris,
Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua,
Vltrò nolo loqui, sed do responsa loquenti.

IPSE (Christus) SALVATOR CORPORIS EIVS] VERS. Nota *eius*, id est sui. Est hebraismus: Hebræi enim idem habent pronomen absolutum & reciprocum. Græca & Syrus non habent *eius*, sed tantùm *corporis*. Christi enim corpus, id est Ecclesia, antonomasticè dicitur *corpus*. q. d. Christus dat salutem corpori suo, id est Ecclesiæ. sicut caput quod omnes sensus continet, salutem dat corpori, in illud influendo, & dirigendo per visum, phantasiam & rationem. ita Theophyl.

CHRI-

25. CHRISTVS DILEXIT ECCLESIAM, ET SEIPSVM TRADIDIT PRO EA: VT ILLAM SANCTIFICARET, MVNDANS eam LAVACRO AQVÆ (Sacramento baptismi, quo corpus per aquam, anima per gratiam Spiritus sancti abluitur) IN VERBO VITÆ] id est, per sacram & viuificam verborum baptismi formã, non deprecatoriam aut concionatoriam, sed consecratoriam & sacramentalem; scilicet hanc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ qua instrumentum Dei, animam sanctificat & viuificat. ita Chrysost. Theodor. Ambros. Anselm. D. Thom.

Quare perperam Beza, Vatabl. & Nouantes accipiunt verbum Euangelij, quod promittit gratuitam iustificationem, & vitam spiritalem per Christum, & si ei credas, inquiunt, illam hoc ipso tibi conferet. Nam Apostolus hic lauacro aquæ & verbo vitæ, id est, materiæ & formæ baptismi, tribuit quòd sanctificet & mundet Ecclesiam, id est, ex immunda & peccatrice faciat mundam & sanctam: atqui lauacrum aquæ, ipsaque ablutio baptismi non sanctificat nec mundat Ecclesiam, illi concionando, & in concione sua promittendo sanctitatem & munditiem, sed reipsa ex opere operato sanctitatem & munditiem Ecclesiæ conferendo: ergo nec verbum vitæ siue forma baptismi sanctificat & mundat concionando, sed reipsa ex opere operato sanctitatem & munditiam conferendo. Æquè enim & pari modo tribuit Apostolus sanctificationem hanc verbo vitæ atque lauacro aquæ.

Secundò, iuxta Nouãtes fides sola est quæ iustificat; baptismus autem nihil iustitiæ operatur, sed tantùm signum est iustitiæ per fidē acceptæ, eamque obsignat quasi sigillũ: atqui si ante baptismum per fidem Ecclesia est sanctificata & iustificata: ergo falsum est quòd baptismus eam sanctificet & mundet; quod tamen hîc ait Apostolus.

Tertiò, *verbum vitæ* seu forma baptismi non est alia (vt patet tum Matth. 28. 19. tum traditione & praxi totius Ecclesiæ) quam hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: atqui hæc verba non sunt concionatoria. sic enim dicendum esset, Hortor te vt baptizari velis, vt velis credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: sed practica sunt & operatoria. significant enim, Ego te in corpore aqua, & per hoc in anima baptizo & abluo à peccatis. si hoc significant, ergo idem faciunt & præstant: alioqui enim verba hæc falsa essent & forma baptismi esset mendax.

Quartò, in paruulis id est clarissimum. Hi enim non verbo Euangelij & concionis, vtpote quod non intelligunt, sed forma baptismi consecratoria iustificantur.

Dices, S. Hieron. hîc per *verbum* accipit verbum doctrinæ. Resp. hunc sensum esse tropologicum, vt ipse Hieron. fatetur.

Dices Secundò, S. August. tract. 80 in Iohan. *Accedit*, inquit, *verbum ad elementum, & fit Sacramentum: vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*: ergo intelligit in Sacramentis esse verbum concionatorium quod fidem excitat, & fide creditur.

Respondeo, Hic locus est pro nobis. Non enim dicit August. Accedit verbum ad elementum, & fit concio; sed *fit Sacramentum*, id est sacrũ signum, significans & efficiens id quod significat: v.g. ablutionem animæ in baptismo. Hoc enim clarè significant verba illa: *Vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?* Nec enim verbum concionatorium, sed sacramentale, facit vt aqua baptismi cor, id est animam, abluat. Quod ergo addit August. *Non quia dicitur, sed quia creditur*; tantumdem est ac si dicat, Verbum accedens ad elementum, id est Sacramentum, v.g. baptismi, operatur & abluit animam, *non quia dicitur*, id est, non quia pronuntiatur, non propter externum verborum sonum, vti faciunt & operantur carmina magica: *sed quia creditur*, id est, propter verborum sensum & significationem energicam, efficacem & operatiuam, quæ oculis non cernitur, sed fide ab Ecclesia & Christianis creditur & comprehenditur.

Nota. *In verbo vitæ*, id est in verbo vitali, viuificoque, quod vitam, id est spiritum & gratiam, animæ confert. Vocem (*vitæ*) non habent iam Græca & Græci, nec Hieron. nec Ambros. *Verbum vitæ quale.*

VT EXHIBERET, græcè παραστήσῃ, id est, vt Syrus, statueret, excitaret, sisteret, & sistendo quasi sponsam copularet & adiungeret IPSE SIBI, non tantùm mundam & puram, sed & GLORIOSAM, græcè ἔνδοξον, multo decore & gloria illustrem, ECCLESIAM, NON HABENTEM MACVLAM peccati, AVT RVGAM vetustatis, AVT ALIQVID HVIVSMODI, SED VT SIT SANCTA ET IMMACVLATA] q.d. Christus Ecclesiam, id est fideles suos, suo spiritu & gratia renouauit, sanctificauit, illustrauit, abstulitque ab eis maculas peccatorum & rugas vetustatis. VERS. 27.

Dices, Si in Ecclesia non est macula nec ruga, sed Ecclesia tota est sancta; ergo soli sancti & iusti sunt in Ecclesia; iniusti verò, licet fideles sint, & Christo credant, ab ea excluduntur. *Quomodo Ecclesia dicatur sancta & sine ruga.*

Respondeo, Ecclesiam dici *sanctam*, sine macula & ruga, non quòd omnes qui in ea sunt, tales sint; sed quòd præcipua Ecclesiæ pars, quæ Christo proximè adhæret, scilicet Sancti, qui non tantùm fide, sed & gratia ac charitate Christi sunt præditi, tales sint.

Tota ergo Ecclesia dicitur *sancta*. Primò, quia caput Ecclesiæ, scilicet Christus, & præcipua ejus membra sancta sunt. Hinc aliquando soli Sancti vocantur corpus Christi (quod est Ecclesia) intellige perfectissimum & potissimũ, vt dixi c. præc. v. 16. Sicut ergo totus homo dicitur ratiocinari, videre, audire, scilicet per caput; quia nõ pes aut manus, sed solũ caput propriè ratiocinatur, videt, audit: ita Ecclesia tota dicitur sancta per suum caput & collum, id est per Christum & Sanctos, qui ei proximè adhærent quasi collum suo capiti. Sic dicitur de Antuerpia, quòd sit diues, scilicet propter mercatores qui in ea sunt diuites, cùm alioqui multi alij in ea sint pauperes. Sic dicitur docta Vniuersitas Louanien sis, quia Doctores habet egregiè doctos; etiamsi in ea multi alij sint non ita docti.

Secũdò, dicitur Ecclesia *sancta*, quia sancta habet Sacramenta, sanctas leges, sanctum sanguinem Christi; & Christus, quantũ est ex parte sua, eã planè sanctificauit, quia omnia sãctitatis media illi dedit.

Nota. Per *maculam* & *rugam*, alludit ad maritos, qui curant tales vel ducere, vel facere suas vxores, vt omni macula & ruga careant: per *maculam* autem & *rugam* Apostolus hîc intelligit peccata, non leuia & venialia (hæc enim sunt in Ecclesia & Sanctis in hac vita) sed mortifera. Adde, sicut Ecclesia, ita & Ecclesiæ puritas & sanctitas inchoatur *Per maculas & rugas intelliguntur peccata mortalia.*

in hac vita: sed perficietur in cælo. Vnde S. Augustin. 2. Retract. 8. docet Ecclesiam esse sine omni macula & ruga, non quòd talis sit in hac vita, sed quòd talis futura sit in cælo.

Vir Christo, vxor Ecclesia comparantur.

Nota Secundò. Comparat Apostolus virum Christo, vxorem Ecclesiæ, docetque amorem & reliqua quæ Christus Ecclesiæ præstitit, debere maritum præstare vxori suæ: ac consequenter, sicut Christus Ecclesiam emundauit & sanctificauit; ita debere maritos sua sancta conuersatione vxores ab omni leuitate, dicacitate, superbia, alijsque feminarum vitijs emundare, vt fiant totæ sanctæ, non habentes maculam & rugam. Vnde subdit Apostolus, *Ita* (scilicet vti Christus dilexit Ecclesiam, quemadmodum iam dixi) *& viri debent diligere vxores suas.*

VERS. 28. VIRI DEBENT DILIGERE VXORES SVAS VT CORPORA SVA] Secunda ratio, qua maritos excitat ad dilectionem vxorum. Quisque, inquit, non odit; sed diligit, nutrit & fouet corpus & carnem suam, adeoque seipsum: atqui mulier est quasi caro & corpus viri. scriptum est enim Gen. 2. 24. *Erunt duo in carne vna*, id est duo, scilicet maritus & vxor, erunt vna caro, id est vnus homo & vna persona ciuilis, vt dixi 1. Corinth. 6. Ergo vir diligere, nutrire & fouere debet vxorem suam, *sicut Christus* diligit, nutrit & fouet sua gratia & Sacramentis, præsertim Eucharistiæ, *Ecclesiam suam*, quasi carnem & corpus suum.

Cur viri debeant diligere vxores suas.

VERS. 29. NEMO ENIM VMQVAM CARNEM SVAM ODIO HABVIT] Vxor autem est caro viri, sicut Ecclesia est caro & corpus Christi. Scriptum est enim, *Erunt duo in carne vna.* Prudenter S. Bernard. in psalm. *Qui habitat*, serm. 10. *Caterùm*, inquit, *sic amet anima carnem, vt non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturque ei à Domino, Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Diligat anima carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam seruet. Amet Adam Euam suam, sed non sic amet, vt voci eius plus obediat quàm diuinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, vt videlicet cui interim cauet à flagello paterna correptionis, thesaurizet iram æternæ damnationis.*

VERS. 30. QVIA MEMBRA SVMVS CORPORIS EIVS, DE CARNE EIVS, ET DE OSSIBVS EIVS] Hîc probat Ecclesiam, id est nos fideles, esse corpus, vel de corpore Christi, & pari modo vxorem esse corpus, vel de corpore viri: quia sicut mulier, putà Eua, formata est de carne & ossibus Adæ, ita Ecclesia formata est de carne & ossibus Christi: ac consequenter est quasi caro, ossa & membra Christi. Vnde infert: Sicut Christus diligit Ecclesiam suam, quasi sua ossa, carnem & membra, ita viros debere diligere & fouere vxores suas quasi sua ossa, carnem & membra.

Hebraicè mulier vocatur Issa *ab* is, *quasi vira à viro.*

Nota. Alludit Apostolus, imò citat verba illa Adæ de Eua ex suo latere & costa formata Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago*: hebraicè אִשָּׁה *issa* ab אִישׁ *is*. q.d. *Vira*, vt olim veteres Latini dixerunt, teste Festo Pompeio, *vira* inquam à viro, vti græcè Symmachus vertit, ἀνδρὶς ἐκ ἈΝΔΡΟΣ, *quia de viro sumpta est*. Quæ verba in sensu allegorico hîc explicat Apostolus de Christo & Ecclesia, quasi Christus de Ecclesia ex se formata dixerit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*

Quæritur hîc Primò, de sensu litterali, quomodo intelligenda sint ea quæ Genes. 2. narrantur de hac formatione Euæ ex Adamo hisce verbis: *Immisit*, inquit, *Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, &c.

Quæstiones 2. formatæ ex costa Adam.

Respondeo Primò, non parabolicè aut metaphoricè, vt volunt Origen. & Caiet. hæc dici, sed propriè accipienda esse, vti verba sonant. ita Patres & Interpretes passim.

Sunt verba non parabolicè sed proprie intelligenda.

Dices, Ergo Adam monstruosus erat ante costam sublatam, vel certè post eam sublatam remansit mancus, & vna costa mutilus.

Respondet Catharinus, Deum cum carne aliam costam Adamo restituisse. Secundò & melius, D. Thomas 1. p. q. 92. a. 3. respondet illam costam fuisse instar seminis quod individuo superfluum est, sed ad generationem prolis est necessarium. Sic & costa hæc Adæ vt priuatæ personæ superflua erat; illi tamen fuit necessaria, quatenus ipse erat caput naturæ, & omnium hominum seminarium, ex quo tam Eua quàm ceteri homines producerentur.

Quomodo Deus ex costa Adæ carnem & costæ Euæ reformarit.

Dico Secundò, Deus cum costa videtur & carnem adhærentem costæ ex Adamo sustuliisse. ait enim hic v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Ergo Eua non tantùm ex osse & costa, sed etiam ex carne Adæ costæ adhærente formata est.

Dico Tertiò, ex costa hac carnosa, quasi fundamento, illi admiscendo aliam materiam, vel per creationem, vt vult D. Thom. suprà; vel potius ex aëre circumstante (eò quòd post primam veram creationem nullam materiæ partem de nouo produxerit Deus) mirabili artificio mulierem efformauit.

Dico Quartò, ex v. 22. c. 2. Genes. videtur Deus costam hanc in alium locum ab Adamo dormiente parum separatum tulisse, ibique ex ea Euam ædificasse, eamque scientia & gratia repleuisse, sicut repleuerat Adamum, ibique cum Eua collocutus esse. Deinde expergefacto Adamo Euam ad eum quasi ad sponsam adduxit, vt matrimonio indissolubili illos, id est vnum & vnam, copularet. Vnde admirans Adam, quasi in raptu costam sibi auferri, & ex ea Euam formari vidisset, ait, *Hoc nunc os ex ossibus*, &c. id est, hæc Eua facta est ex vno ossium meorum. Denique cur ex costa & latere Adæ facta sit Eua, pulchras rationes dat S. Thomas suprà art. 1. & 3.

Allegoria formationis Euæ ex costa Adæ.

Nota. Hæc formatio Euæ ex Adamo allegoricè significabat formationem Ecclesiæ ex Christo, vt hîc satis significat Apostolus. Vnde

Quæritur Secundò, quomodo verum sit, Ecclesiam, id est, nos fideles formatos esse de carne & ossibus Christi? Resp. Primò, S. Hieron. & Irenæus libr. 5. c. 2. id verum esse, quia sumus eiusdem cum Christo naturæ, quia similem cum Christo humanam carnem & ossa habemus. Hic sensus non planè satisfacit. Sic enim pari modo dicere possemus, nos formatos esse de carne & ossibus Mosis, Ieremiæ, Pharaonis, & cuiusuis alterius hominis, quia eamdem cum ipso humanam carnem & ossa habemus. quod tamen nemo concesserit.

Secundò, alij sic exponunt, q. d. *de carne*, id est de infirmitate & passionibus; *de ossibus*, id est, de diuinitate Christi per gratiæ communicationem participamus. Sed hoc mysticum est.

Dico

Dico ergo Tertiò, cũ Caiet. & alijs: sicut ex latere & costa Adæ dormientis formata est Eua, ita ex carne & ossibus Christi in cruce immolati & dormientis, id est morientis, formata est Ecclesia. Quod intellige cum Cyrillo & Chrysost. symbolicè & meritoriè: quia scilicet per pretium & meritum carnis, sanguinis & ossium Christi immolatorum in cruce instituta & sanctificata est Ecclesia.

Vnde in huius rei symbolum & significationem de latere Christi mortui fluxit sanguis & aqua; vt aqua significaret, baptismum, qui est principium Ecclesiæ & Sacramentorum, à Christi sanguine & morte manare, suamq; efficaciam trahere: sanguis significaret, Eucharistiam, quæ omnium Sacramentorum complementum est & finis, pariter à Christi sanguine & morte manare. Sub quibus duobus cetera omnia Sacramenta comprehẽduntur: cetera enim omnia ad hæc duo referuntur, & hisce duobus quasi initio & fine concluduntur. Hinc S. Augustt. tract. 120. in Iohan. ait, omnia Sacramenta ex latere Christi emanasse: quod intelligo non de merito (erat enim Christus iam mortuus, qui nihil agere aut mereri poterat) sed mysterio, symbolo & significatione, vt dixi.

Hinc Quartò, Irenæus l. 5. c. 2. Cyrill. l. 10. in c. 13. Iohannis, Chrysost. Theoph. & Nyssenus exponunt de Eucharistia, per quam Christi carni & ossibus reipsa coniungimur, & quasi incorporamur, vt fiamus de carne & ossibus Christi, Christique membra.

Vbi Nota verba Nyseni tractatu circa illa verba, *Exiuit sanguis & aqua. Paucæ*, inquit, *gutta sanguinis Christi totum mundum restaurantes, fiunt hominibus quasi coagulum lactis, illos cogentes & coniungentes in vnum.* Quia scilicet merito sanguinis Christi cogimur & coniungimur in vnam Ecclesiã, quæ est corpus Christi, sicut lac per coagulum cogitur & coniungitur in vnum caseum. Secundò & potiùs, quia per Eucharistiam omnes realiter coniungimur in ipsissimo Christi corpore quod manducamus. Hic sensus symbolicus est: Eucharistia enim propriè est cibus Ecclesiæ, non mater. Vnde Ecclesiam & fideles non format aut generat, sed pascit & nutrit. Tertius ergo sensus litteralis est & genuinus.

PROPTER HOC RELINQVET HOMO PATREM ET MATREM SVAM, ET ADHÆREBIT VXORI SVÆ: ET ERVNT DVO IN CARNE VNA] Pergit Apostolus citare verba Adæ de Eua Genes. 2. sed in sensu literali. Ab allegorico enim sensu sententiæ præcedentis, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. vt ibi dixi, redit hic & resilit ad sensum litteralem: vt probet viros debere diligere vxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam: quia, inquit, vxor est quasi os, caro & membrum viri, vtpote ex eo formata. Vnde subdit, *Propter hoc*, quòd scilicet mulier sit caro de carne viri, & os de ossibus eius producta & creata, vt ei matrimonij vinculo associetur; *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit*, græcè προσκολληθήσεται, id est *agglutinabitur, vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quibus verbis clarè significat, inter humanas necessitudines arctissimũ & inuiolabile esse vinculum matrimonij: ideoque Deum ex Adami costa fecisse Euam, vt significaret maritum & vxorem non tam duos quàm vnum esse hominẽ (hoc enim significat, *Erunt duo in carne vna*, vt dixi 1. Corinth. 6.) ac consequenter eos debere esse vnum amore & voluntate, adeoque si sit opus, coniugem coniugis causa debere patrem & matrem deserere, vt coniugi suæ adhæreat. Moraliter vide Chrysost. qui hîc in morali hom. 20. pulchras leges nuptis sponso & sponsæ præscribit.

Allegoricè. *Primus vates Adam*, inquit Hieron. *de Christo hoc prophetauit, quòd scilicet Christus reliquerit patrem suum Deum, & matrem suam cælestem Ierusalem, & venerit ad terras propter suum corpus* (Ecclesiam) *& de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam Verbum caro factum sit.*

SACRAMENTVM HOC MAGNVM EST, EGO AVTEM DICO IN CHRISTO ET IN ECCLESIA] Quæres, quodnam sit hoc *Sacramentum*, seu quid demonstret pronomen *hoc*. Primò, Luther. Caluin. Erasm. & Beza volunt demonstrare matrimonium & cõiunctionem non Adami & Euæ, sed Christi & Ecclesiæ. q.d. Coniunctio Christi & Ecclesiæ est magnum Sacramentum, id est magnum & sacrum arcanum, &, vt græcè est, mysterium. Verùm expositioni huic omnino obstat pronomen *hoc*, quod demonstrat id quod præcessit, scilicet matrimonium Adami & Euæ illis verbis Geneseos explicatum: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* q.d. Hoc quòd vir adhæreat vxori, sintque vir & vxor duo in carne vna, *hoc*, inquam, Sacramentum magnũ est. ita Chrysost. Hieron. Theoph. Oecum. & passim Patres, qui Sacramentum hîc accipiunt, non pro ipsa re sacra significata, sed pro signo rei sacræ, quod scilicet significat coniunctionẽ Christi & Ecclesiæ. hoc enim est quod addit Apostolus, *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* q.d. Hoc Sacramentum magnum est, non in se, vti Sacramentum est & signum: sed in suo signato, scilicet Christo & Ecclesia. quatenus enim significat vnionem illam magnam & admirabilem Christi & Ecclesiæ, eatenus magnum est Sacramentum, magnum, inquam, sua significatione & repræsentatione rei magnæ.

Loquitur hîc Apostolus de Sacramento matrimonij, licet cõtrà sentiãt Caluin. & Beza.

Matrimonium quomodo magnum Sacramentũ.

Secundò, Magister sent. in 4. dist. 26. & ibi Dominic. Soto, & passim alij (fauetque D. Thom. & Ambros. imò Conc. Florent. in instructione Armenorum) docent pronomen *hoc* demonstrare matrimonium de quo præcessit, non Adæ aut alicuius in particulari; sed in genere quodlibet, modò sit legis nouæ: Apostolus enim loquitur Ephesijs Christianis, & per eos omnibus coniugibus legis nouæ. q.d. Matrimonium iam in Christi Ecclesia, magnũ est Sacramentum, quia perfectissimè significat vnionem Christi & Ecclesiæ iam factam, adeoque est vnum è septem Ecclesiæ Sacramentis propriè dictis. Vnde illud *In Christo & in Ecclesia*, sic accipi potest, q.d. In christianissimo & Ecclesia Christiana magnum est matrimonij Sacramentum.

Verùm huic expositioni obstare videtur illud idem quod priori sententiæ obstare dixi. Nã pronomen *hoc* respicit & demonstrat id quod immediatè præcessit, scilicet: *Relinquet homo patrẽ & matrem suam, & adhærebit vxori suæ*: quæ sunt verba Adæ Gen. 2. Adam autem loquebatur non de matrimonio post tot sæcula futuro in lege noua; sed de matrimonio quod tunc erat, quodque tunc ipse contrahebat cũ Eua. Pronomen ergo *hoc* demonstrat coniunctionem illam Adæ & Euæ, siue primam matrimonij institutionem, non autem Sacramentum matrimonij in lege noua.

Dico ergo Tertiò, Pronomẽ, *hoc*, primò & propriè demonstrat matrimonium Adami & Euæ, vel

Pronomen hoc demonstrat matri-

monium legis naturæ, & gratiæ.

vel potiùs matrimonij in connubio Adami & Euę institutionem, & sensus est. q.d. Hæc prima matrimonij in Adamo & Eua institutio, omneque deinceps matrimonium, magnũ est Sacramentum, id est, vt Græca, mysterium (& vt Syrus, arcanum) allegoria, typus rei sacræ, scilicet coniunctionis Christi & Ecclesiæ, qui quasi reliquit Deum Patrem, & matrẽ Synagogam, vt Ecclesiæ suæ sponsæ adhæreret; & vice versa Ecclesia reliquit patrem quem habuerat in gentilismo, scilicet diabolum, & matrem, scilicet cœtum infidelium, vt Christo suo sponso adhæreret. ita Hieron. Chrysost. Theodor. Theoph. Anselm. D. Thom. hîc, & August in psalm. 138.

Dico Quartò, cùm pronomen *hoc* demonstret matrimonij institutionem, siue matrimonium in genere; hinc secundariò & consequenter demonstrat matrimonium legis nouæ: hoc enim Christus reuocauit ad primam matrimonij in Genesi institutionem, sustulitque polygamiam, & repudium lege veteri permissum; ita vt in lege noua quasi idem sit matrimonium cum eo quod fuit inter Adamum & Euam.

Probatur Apostolum loqui de matrimonio legis nouæ contra Nouantes.

Adde Secundò, matrimonium legis nouæ longè melius & perfectius quàm matrimonium Adæ significare coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Imò Nouantes volunt pronomen *hoc* demonstrare matrimonium, non Adæ, sed Christi. Concedent ergo nobis pronomen *hoc* demonstrare potiùs matrimonium Christianorum, quàm Adæ. De hoc enim Christianorum matrimonio verissimè dicitur, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Denique Ephesijs Christianis hæc scribit Apostolus, & Christianos coniuges incitat ad mutuum amorem per hoc, quòd matrimonium eorum sit Sacramentum Christi & Ecclesiæ: ergo designat & demonstrat non tantùm Adæ, sed & ipsorum matrimonium. Ex hoc enim concludit coniuges Christianos debere inuicem diligere, eo modo, quo Christus dilexit Ecclesiam: quia nimirum hanc Christi & Ecclesiæ dilectionem suo matrimonio analogicè repræsentant. Ex quibus omnibus concludo, sensum plenissimum fore, si vterque, id est tam secundus, quàm tertius coniungantur. q.d. Apostolus: Matrimonium Adæ & aliorum ante Christum fuit Sacramentum, id est, typus futuræ vnionis Christi & Ecclesiæ: matrimonium verò fidelium legis nouæ post Christum, qui moriens in cruce ex seipso formauit Ecclesiam sponsam suam, est Sacramentum, id est, signum perfectissimum eiusdem vnionis iam factæ, ideoque propriè dictum à Christo in Ecclesia Sacramentum est institutum, conferens coniugibus gratiam & mutuum hunc amorem, idque vt hic amor verus & perfectus, sit typus amoris Christi & Ecclesiæ. Vnde ego Paulus vos Ephesios aliosque fideles coniuges hortor, vt hunc amorem excitetis & foueatis, ne Sacramentum hoc in vobis sit mendax & fallax, néve falsò repræsentetis hunc Christi & Ecclesiæ amorem & concordiam, vt, cùm Christus cum Ecclesia optimè & amantissimè concordet, vos cum vxoribus vestris litigetis, rixemini, litis discordes. Hunc esse sensum indicat Concil. Trident. sessione 24. initio, Concil. Florent. loco citato, August. mox citandus, & passim Catholici Doctores.

Obiectionem contra ma-

Obijcit Erasmus, in Græco non esse *Sacramentum*, sed *mysterium*; ergo de propriè dicto Sacramento intelligi nequit Apostolus. Respond. Nego conseq. Græci enim Sacramenta vocant mysteria, vt mysteria corporis Christi vocant Sacramentum Eucharistiæ.

Obijcit Secundò, S. August. tract. 9. in Iohan. & l. de Nupt. & concupisc. c. 21. ait, magnitudinẽ huius Sacramenti non esse nec spectari in singulis hominibus: sic enim minimum est hoc Sacramentum, sed in Christo & Ecclesia.

Respondeo, Vult dicere August. magnitudinem huius Sacramenti non tam spectandam esse in ipsa ratione Sacramenti vt signum est, quàm in ipsa significatione Sacramenti, seu in ipso signato & significato. q.d. Non tam magnum est Sacramentum, quòd duo coniuges fideles Sacramento matrimonij in vnam carnem iungantur, quàm magnum est Christum & Ecclesiam coniugio iungi, quod coniuges illo suo matrimonio repræsentant. Duo enim coniuges respectu Christi & Ecclesiæ minimi, & quasi nulli sunt. Non aliud velle Augustinum patet. Nam cap. 10. libr. de Nupt. & concup. docet Sacramentum nuptiarum fidelibus coniugatis commendari ab Apostolo in epistola ad Ephesios, hoc scilicet loco. In ipsis ergo nuptijs & matrimonio fidelium agnoscit esse hoc magnum Sacramentum, quod hîc commendat Apostolus.

EGO AVTEM DICO IN CHRISTO ET IN ECCLESIA] Supple significanda & repræsentanda per matrimonium. q.d. Sacramentum matrimonij magnum est, non quatenus est coniunctio duorum hominum coniugum, sed quatenus significat & repræsentat Christum & Ecclesiam coniuges, eorumque coniugium spiritale. Vnde per hebraismum breuiùs Secundò, sic explices, *in Christo & in Ecclesia*, id est Christi & Ecclesiæ. *Bet* enim, id est *in*, Hebræis sæpè fungitur vice regiminis, id est genitiui, *in Christo*, id est Christi; *in Ecclesia*, id est Ecclesiæ. q.d. Hoc Sacramentum matrimonij magnum est, non vt est duorum coniugum, sed vt Christi & Ecclesiæ est Sacramentum, id est sacrum signum.

Potest Tertiò, clarè cum Syro verti, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico de Christo & Ecclesia* (Hebræis enim *bet*, id est *in*, subinde ponitur pro מן *min*, id est de) vel, vt græcè est, εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, in Christum & Ecclesiam, id est, quatenus hoc Sacramentum matrimonij refertur ad Christum & Ecclesiam, eosque repræsentat, eatenus magnum est Sacramentum. Noster tamen interpres etiam rectè vertit, *in Christo & in Ecclesia*, quia Græcum εἰς, sæpè pro ἐν capitur; quod duplicitèr capi potest. Primò, *in Christo & in Ecclesia*, scilicet significanda, vt iam explicui. Secundò, *in Christo & in Ecclesia*, id est in Christi Ecclesia (vt sit hẽdyadis) vel *in Christo*, id est in christianissimo (iuxta can. 37.) *& in Ecclesia*, scilicet Christi & Christiana, magnum & propriè dictum est hoc matrimonij Sacramentum.

Nota. Cùm Apostolus hîc loquitur & inculcat vnionem Christi cum Ecclesia, primariò loquitur & intelligit vnionem propriam & realem, quæ facta est per incarnationem, qua Christus, id est Verbum diuinum, naturam humanam, & consequenter homines hominumque Ecclesiam sibi vniuit & maritauit. Hæc enim arctissima est vnio & origo ceterarum, hancque significauit matrimo-

nium

nium Adæ cum Eua. Secundariò tamen loquitur & intelligit mysticam vnionem, qua Christus per gratiam & charitatem copulatur Ecclesiæ. Ad hãc enim in præcedentibus coniuges Christianos Christi exemplo adhortatur.

Notat hinc Secundò, S. Hieron. & cum eo August. S. Leo, & alij Patres Adamum fuisse primum vatem, qui prophetauit de Christo, eiusque cruce, & Ecclesia ex latere Christi crucifixi formanda, hæcque omnia in sopore, vel, vt LXX. vertunt, in exstasi (in qua Euam ex latere Adæ formauit Deus) Adamum cognouisse. Inde tamen non sequitur causam horum omnium, scilicet lapsum & peccatum suum Adamo adhuc innocenti & sancto à Deo reuelari debuisse, aut reuelatum fuisse.

VERVMTAMEN] Πλήν, quod malè Erasm. vertit, B quamquam: propriè enim significat verùmtamen, enimuerò. q.d. Itaque & vos ô coniuges Christiani, in quibus perfectissimum est hoc matrimonij Sacramentum, quique perfectissimè vestro matrimonio repræsentatis vnionem Christi & Ecclesiæ iam factam, facite vt Sacramentum quod repræsentatis & geritis, reipsa præstetis & exprimatis; vt nimirum quisque maritus *diligat* vxorem quasi suam carnem, imò quasi seipsum, sicut Christus diligit Ecclesiam, & vxor quæque *timeat*, id est reuereatur, ait Hieron. virum suum, sicut Ecclesia reuereatur & colit Christum. Est enim hæc conclusio, vt fatetur etiam Beza, omnium officiorum viri & vxoris, qua vno verbo concludit & docet Apostolus, quid vir vxori, quid vxor viro debeat. eamque infert tum ex alijs antedictis, tum ex magno hoc matrimonij Sacramento, quod immediatè antè inculcauit.

Nota. Viro quasi capiti competit amor; vxori quasi subditæ conuenit timor & reuerentia. Docentur ex hoc loco vxores, non procaciter & inuerecundè obloqui maritis, sed eos reuereri, eosque cum reuerentia alloqui; vti discipuli reuerenter alloquuntur suos præceptores, sicut Sara reuerita est maritum suum Abraham; discantque cum Sara maritos habere & vocare dominos suos, Genes. 18. v. 12.

Huius amoris & reuerentiæ maritalis illustre exemplum, inquit Plutarchus, dedit vxor Phocionis, quæ maritum suum, suas opes, mundum suum & thesaurum vocabat. Illustrior verò fuit vxor Tigranis regis Armeniæ, quæ, vt refert Xenophon, cùm ex aula Cyri regis Persarum ad maritum reuertisset, ab eo interrogata quid de Cyro & Cyri pulchritudine sentiret, respondit: Abste, inquit, ô marite, deos testor, nusquam oculos deflexi, itaque qualis sit forma Cyri prorsus ignoro. Illustrissima verò fuit S. Monica, de qua S. Augustinus libr. 9. Confess. c. 9. *Educata*, inquit, *pudicè & sobriè, potiusq; à te subdita parentibus, quàm à parentibus tibi, ô Domine* (Deum enim alloquitur) *vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro* (Patricio infideli) *seruiuit veluti domino, & fatagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem atque mirabilem viro suo.*

Pulchrè Sapiens de amore coniugum ita sancit A Prouerb. 5. 19. *Sit tibi vxor sicut cerua charissima & gratissimus hinnulus.* Vbi Nota, aptè amorem coniugum comparari amori cerui & ceruæ: nam, vt docent Aristot. Ælianus, Plinius & Oppianus, Primò, cerui ceruæque amor est singularis; Secundò, cerua amabilis est & in delicijs homini; Tertiò, ceruus & cerua carent felle. pari modo in connubijs olim Iunoni pronubæ sacrificantes fel eximebant & abijciebant, ad charitatem coniugum designandam, ait Plutarchus. Quartò, ceruus & cerua castè, nec nisi secretò congrediuntur; Quintò, velocissimi sunt ad inuicem opitulandum; Sextò, ceruorum in ceruas amor vti ardentissimus, ita & fortissimus est. vnde de ijs canit Seneca:

Si coniugio timuere suo,
Possunt timidi prælia cerui,
Et mugitu dant concepti
Signa furoris.

Septimò, ceruæ mari suo fidæ sunt, donec is ab alio ceruo duellatore victus succumbat. vnde Nemesianus, *Cerua marem sequitur.* Octauò, ceruus mox à congressu in scrobem se addit, quasi libidinis eum pudeat, donec pluuia ablutus, & quasi purificatus in pascua redeat; Nonò, ceruus & cerua post conceptum congressu abstinent. q.d. Sapiens, Tale sit tibi, ô homo, coniugium, talis vxor, qualem iam ceruam descripsi, scilicet amabilis, vnica, sincera, blanda, casta, collaborans, ardens, fortis, fida, verecunda. ita Ven. Beda in Prouerb. 5.

Sed quid si vxor malè morata, austera & liti- *Quid agendum cum vxore viros?*
C giosa sit? Vir sua prudentia, grauitate, patientia eam toleret, aut conuertat; faciat illud Apostoli, *Alter alterius onera portate.* Sic Christus tulit onera & peccata Ecclesiæ sponsæ suæ, eamque suo sanguine expiauit. Habebat & Socrates rixosam vxorem Xantippem nomine, quæ semper iurgia excitabat, vt illo studente, mensam euerteret. Aliquando post diuturna iurgia ira commota, quòd ille taceret, aquæ poculum capiti eius illa superfudit. *Haud ignorabam*, inquit Socrates, *post tonitrua pluuiam secuturam.* Ad quem Alcibiades domi nobilis: *Quomodo*, inquit, *pergers hanc rixosam vxorem, nec domo ejicis?* cui Socrates: *Qui ouis vesci vult, glocitantium gallinarum strepitu offendi non debet. Equidem sic domi patientiam disco, vt foris melius exercere queam.* ita
D Laërt. in eius vita, & A. Gellius lib. 1. c. 17. Decet igitur quemque tolerare incommoda, & in Domino gaudere, quo fiet vt leuiora reddantur. Nam, vt ait Virgil.

Quisque suos patimur manes.

Varro quoque in Satyra Menippæa, quam de officio mariti scripsit: *Vitium*, inquit, *vxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, vxorem commodiorem præstat; qui fert, sese meliorem facit.*

Quicumque ergo elegisti vxorem, & rixosam experiris, mulierem cogita, Xantippen cogita: tu Socrates esto; imò Christus esto. cogita te habere domesticum patientiæ exercitium, vt discas alia quæuis facilius perferre & superare. Multi cruces foris quærunt, tu domi habes. illa te docebit patientiam: patientia autem opus perfectum habet, vt ait S. Iacobus.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primò, iubet vt filij parentibus, serui dominis sincerè & ex animo obediant, ac vicissim parentes filijs, ac domini seruis non minaces, sed beneuoli sint, debitamq; curam præstent.

Secundò, v. 11. ostendit quanta nobis sit lucta cum dæmonibus, atque contra eos arma & panopliam militis Christiani assignat: Baltheus, inquit, sit veritas, lorica sit iustitia, calceus sit præparatio Euangelij pacis, scutum sit fides, galea sit salus, siue spes salutis, gladius sit verbum Dei.

Tertiò, v. 18. ad assiduam orationem cohortatur, vtq; sibi libertatem & animos euangelizandi orando impetrent.

Denique, v. 21. mittit Tychicum, qui Ephesiis nunciet statum suorum vinculorum, eisq; pacem & gratiam apprecatur.

1. Filij, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. 2. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: 3. vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. 4. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, & correptione Domini. 5. Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: 6. non ad oculũ seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, 7. cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: 8. scientes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. 9. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud eum. 10. De cetero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. 11. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. 12. quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. 13. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. 14. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, 15. & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: 16. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: 17. & galeam salutis assumite: & gladium spiritus (quod est verbum Dei) 18. per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instãtia, & obsecratione pro omnibus sanctis: 19. & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij: 20. pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui. 21. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino: 22. quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. 23. Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. 24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen.

VERS. I. FILII OBEDITE PARENTIBVS VESTRIS IN DOMINO] S. Hieronymus τὸ *in Domino* ait referri posse Primò, ad *parentibus*. q. d. Parentibus, qui vos in Domino, id est in Christo, genuerunt, putà Apostolis & similibus, obedite. Secundò, posse referri ad *obedite*. q. d. Obedite parentibus carnalibus, sed in Domino, id est, secundùm Domini legem & præceptum, si videlicet præcipiant non impia & deformia, sed conformia legi, pietati & cultui Domini: tunc enim in Domino præcipiunt; aliàs non in Domino, sed contra Dominum in diabolo præcipiunt, ac consequenter tunc eis non est obediendum.

Rursum *obedite in Domino*, id est, Domini amore & reuerentia (vide can. 25.) qui dixit & præcepit, *Honora patrem & matrem*, voluitque in patre & matre nos considerare, colere & reuereri Patrem A cælestem & æternum, cuius imaginem & personam nobis repræsentant pater & mater. Hic secundus sensus genuinus est: agit enim Apostolus de parentibus non spiritualibus, sed naturalibus, qui secundùm carnem nos gignunt.

Vbi Nota. Capite præced. generalem tulit legem & sententiam: *Subiecti*, inquit, *inuicem in timore Christi*, illam deinde per tres subiectionis species explicat. Prima species est, subiectio illa qua vxor subijci debet marito. De hac egit cap. præced. v. 22. Secunda species est, subiectio qua filij obedire debent parentibus, de ea hîc agit. Tertia est, subiectio qua serui dominis suis adstringuntur, de qua agit inferiùs v. 5.

HONORA PATREM TVVM, ET MATREM TVAM. VERS. QVOD EST MANDATVM PRIMVM IN PROMISSIONE] Nota. Sub honore Scriptura Primò, reuerentiam;

Secundò,

Secundò, amorem; Tertiò, obedientiam; Quartò, alimoniam & sustentationem, omniaque dona & munera accipit. De ijs enim hoc præceptum intelligit Christus Matth. 15 6. vt ibi annotauit Hieron. Sic Paulus 1. Timoth. 5. 3. *Viduas*, inquit, *honora*, id est, honorem eis defer, easque sustenta. & v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore*, id est, multo & præ viduis cæterisque abundanti honore, id est, subsidio sustentationis) *digni habeantur*. Vnde ibidem explicans hunc honorem subdit, *Dicit enim Scriptura, Non infrænabis os boui trituranti.* &, *Dignus est operarius mercede sua.*

Nota. Quartum hoc decalogi præceptum, *Honora patrem & matrem*, dicitur *primum in promissione*, id est, cum promissione: quia primum est inter decalogi præcepta quod adiunctam habet promissionem longæuæ vitæ. Sic enim dicitur Exod. 20. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* (terram Chanaan intellige, ad quam ô Israel iam te induco.) Vtrumque, scilicet tam præceptum honorandi, quàm promissionem longæuitatis citat hic Apostolus.

Nota. Hæc promissio æqua est & congrua. Æquum enim & congruum est vt filij qui suis parentibus grati sunt de accepta vita, illos honorando, longæ vitæ ab eis acceptæ conseruationem obtineant. Hoc enim meretur eorum honor & gratitudo; vt pulchrè docet S. Thomas in Opusculis, opusc. 4. Filij, inquit, obtinent vitam à parentibus, sicut milites obtinent feudum à rege. Sicut ergo merentur hi eius conseruationem, quamdiu homagium præstant regi; ita & filij merentur vitæ cõseruationem, quamdiu parentes honorant: contrà sicut milites rebelles spoliantur feudo, ita & filij rebelles vita. Adde: hæc promissio aptè proponitur filijs adolescentibus: hi enim præ cæteris optant diu ac suauiter viuere.

Dices, Subinde contingit filios morigeros breuiesse vitæ. Respondet Abulens. in dictum c. 20. Exodi: filius, inquit, qui honorat parentes, licet citò moriatur, diu tamen vixit. Nam tempus est mensura non otij, sed operis, & actionum non malarum, sed bonarum. Vnde Sap. 4. de tali dicitur, *Consummatus in breui explcuit tempora multa.* Sed mysticus est hic sensus.

Dico ergo, notandum esse canonem hunc Scripturæ, quem alibi dat S. Hieron. Deus in Scripturis promittens bona præsentia, carnalia & temporalia, si ea non præstet, dat pro eis longè maiora, scilicet spiritualia, cælestia & æterna. Sic psalm. 36. dicitur, *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*; & tamen constat Lazarum mendicum iustum, & multos Martyres, alioque Sanctos fame in carceribus, similique inopia & miserijs perijsse: sed tunc pro pane corporali Deus dedit illis panem spiritalem & cælestem, scilicet longè maius bonum patientiæ, & lauream martyrij. Sicut si tibi promittam vnum aureum, & pro eo non aureum, sed equum dem, abundè promissis satisfeci, imò plus dedi quàm promisi. Adde, non esse absolutà hîc promissionem longæuitatis, sed tantùm Deum filijs morigeris eius dare spem: hanc enim significat vocula vt, q. d. Si honores patrẽ, est quòd speres longæuitatem. tali enim honore non quidem obligatur, sed tamen prouocatur Deus, ad dandam vitam longam, copiosam & felicem filijs, qui hoc honore parentes prosequuntur.

Cornel. in Epist. Pauli.

A Obijcit Secundò S. Hieronymus, etiam primo præcepto adiunctam esse promissionem: ait enim, *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam ... millia his diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Ergo quartum hoc præceptum, *Honora patrem*, &c. non est primum, sed secundum in promissione.

Respondent aliqui, esse primum non absolutè, sed in secunda tabula. Secundò, S. Hieronymus respondet primum mandatum hîc vocari totum decalogum: quòd hic primò datus sit Hebræis post egressum ex Ægypto; ceteræ verò leges iudiciales & cæremoniales datæ sint posteriùs.

Verùm Respondeo Tertiò, simpliciùs & planiùs, quarto præcepto, *Honora patrem*, primùm addi B promissionem propriam & specialem longæuitatis, primo verò præcepto non addi promissionem specialem, sed tantùm communem tam comminationem quàm promissionem; qua Deus sicut se misericordem fore in genere promittit omnibus, qui seruant non primum hocce, sed cuncta eius præcepta, ita se vlturum in genere eos qui illa violarunt, comminatur. *Primo præcepto additur promissio generalis, quarto specialis.*

Addit Quartò, Chrysost. & Theophyl. alijs præceptis non addi promissionem, quia sunt negatiua: scilicet, *Non adorabis deos alienos: Non occides: Non mœchaberis*, &c. quarto verò eamdem addi, quia est affirmatiuum. Qui enim à vetitis abstinet, pœnam quidem effugit, sed nihil præmij promeretur: qui verò honorat parentes, bene facit & operatur: illi ergo debetur & promittitur merces. Verùm hoc non videtur solidè dici. Primò, nam & tertium C præceptum, scilicet, *Memento vt diem sabbati sanctifices*, est affirmatiuum (& qui hoc implet, aliquid boni facit) & tamen nullam habet adiunctam præmij promissionem. Secundò, sub negatiuis intelliguntur affirmatiua. Præceptum enim, quod vetat deos alienos colere, præcipit Deum verum colere: præceptum quod vetat furtum, præcipit cuique reddere quod suum est; & ita de alijs.

VT BENE SIT TIBI] Inter alia experientia hoc constat, iusto Dei iudicio ita vsu venire, vt qui parentibus non obediunt, etiam liberos habeant inobedientes & inmorigeros. Vnde & Pittacus Mitylenæus dicere solebat: *Qualia tu contuleris in parentes, talia prorsus à tuis liberis expecta, vt bene vel malè habearis.* VERS. 3. *Qui parentibus non obediunt, sunt infelices in proprijs.*

PATRES NOLITE AD IRACVNDIAM PROVOCARE FILIOS VESTROS] vt scilicet vestra duritie, asperitate, nimijs verberibus aut laboribus filios vestros D oneretis & iritetis.

SED EDVCATE ILLOS IN DISCIPLINA] Græcum παιδεία tam institutionem & doctrinam, vt explicat Hieron. & Chrysost. quàm castigationem significat. Vtrumque pater debet præstare filio, & vtrumque significat vox *disciplina*. *Institutionem & castigationem parentes debẽt filijs.*

ET CORREPTIONE DOMINI] Græcè νουθεσία, quod Hieron. vertit, *in admonitione*; Vatablus & alij, *in correptione*, qua scilicet admonens, docens, corripiens in animo illius quem monet, ponit & ingerit, quid factum oporteat, aut oportuerit. Hoc enim est νουθεσία, id est ad verbum, in anima positio, putà instructio, quæ in anima alterius ponitur & imprimitur. q. d. Vos ô patres educate filios in doctrina Christi, date eis Christiana monita, quibus modum bene & christianè viuendi addiscant.

Maximus thesaurus bona educatio.

Vbi Nota. Maximus thesaurus quem parentes A filijs relinquunt, est bona educatio. Hæc enim cætera illis dabit, opes, sapientiam, virtutem, honestam vitam præsentem & æternam. Ab educatione enim pendet tota vita hominis, i[illegible]lus & beatitudo æterna. Iam multi parum o[illegible]satione solliciti, tantùm proles ditare & ad honores prouehere satagunt: & quid faciunt, nisi vt eis arma parent, quibus in suum exitium vtantur?

VERS. 5. SERVI OBEDITE DOMINIS CARNALIBVS] id est temporalibus & mundanis hos enim opponit dominis spiritalibus, putà Apostolis, Episcopis, Pastoribus. Sic sæpè Apostolus sapientiam vel prudentiam carnis vocat sapientiam & prudentiam mundi, & mundanam, vt dixi 2. Corinth. 10. v. 3. & 4.

Serui non soluuntur à dominorum suorũ iure per libertatem Christianam.

B Notat S. Hieron. sub initia fidei Christianæ, multos, cùm audirent se vocari ad libertatem Christianam, putasse per eam se solui à vinculo seruitutis; vti nostro hoc sæculo putarunt rustici illi in Germania, quos tam in suam quàm in dominorum perniciem ad rebellionem accendit & armauit Lutherus, ità vt ex eis cæsa sint centum millia. Vnde contra hunc errorem ita sancit Concil. Gangrense canon. 3. *Si quis seruum diuini cultus aut aliquo religionis prætextu doceat contemnere dominum, & recedere à seruitute, non autem in bona voluntate & omni honore seruire dominis suis, anathema esto.* Imò putabant aliqui per christianissimum sese solui à vinculo coniugij cum Gentilibus initi vnde sicut hos redarguit & instruit 1. Cor. 7. ita priores hic docet ne contemnant dominos licet Gentiles, sed eis obediant, nisi contraria Deo & Christo præcipiant. Vnde addit:

C OBEDITE CVM TIMORE ET TREMORE] q. d. Non tantùm obedite, sed & timete & reuereamini dominos vestros: imò ad eorum iussum ac vocem tremite. Hoc enim seruilis conditio exigit, hicque dominorum timor & tremor decet seruos. Potest Secundò, timor & tremor Christi intelligi, q. d. Obedite dominis, timẽtes & trementes Christum iudicem, qui in iudicio huius obedientiæ à vobis rationem exiget. Vnde Colos. 3. 22. videtur hunc timorem & tremorem explicare dicens, *timentes Deum.* Prior sensus simplicior & naturalior est; posterior plenior & perfectior est, magisque Christianos decet, nimirum vt non tam naturali & seruili dominorum, quàm spiritali & sancto Christi timore dominis suis obediant. Vnde sequitur,

D INSIMPLICITATE CORDIS VESTRI] Id est simpliciter, ingenuè, candidè, non fictè, non fraudulenter, non ad oculum, vt sequitur Hisce enim opponit simplicitatem.

SICVT CHRISTO] Refer ad *obedite*. q. d. Obedite dominis vestris, sicut Christo, cuius personam, & auctoritatem & dominium ipsi vobis repræsentant.

VERS. 6. NON AD OCVLVM SERVIENTES. Græcè vna voce id pulchriùs & significantiùs dicitur: μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν, q. d. Non ad oculi seruitium. QVASI HOMINIBVS PLACENTES. Græcè rursum est vna vox significantior, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι. ἀνθρωπαρέσκεια significat studium placendi hominibus, eorumque fauorem sibi conciliandi.

ἀνθρωπαρέσκεια quale sit vitium.

SED VT SERVI CHRISTI] Repete *seruientes*. q. d. Seruite dominis, non vt hominum serui ad oculum, non ad aucupium fauoris herilis, sed sincerè, fideliter & ex animo, quasi serui Christi, vt Christo placeatis. Christus enim vult vos dominis vestris seruire: vnde cùm dominis seruitis, Christo seruitis. Hinc explicans subdit:

FACIENTES VOLVNTATEM DEI EX ANIMO] q. d. Seruite non coactè, non fictè, sed ex animo, quia hæc est voluntas Christi & Dei. Secundò, *vt serui Christi*, id est, vt serui Christiani. q. d. Seruite non vti Gentiles seruiunt ad oculum & speciem externam; sed seruite tamquam Christiani, vt vestri domini Gentiles videant Christianos seruos sinceriùs & fideliùs seruire Gentilibus, itaque alliciantur ad Christum & christianismum. Fides enim corrigit naturam & conditionem seruilem, quam ita describit Plato dialogo 8. de Legibus. *Nihil*, inquit, *in animo seruiente integrum est, nec quidquam seruorum generi est credendum. quod & sapientissimus Poëta testatur cùm sic ait, Dimidium mentis Iupiter illis aufert qui seruituti subiecti sunt.* qualesiam in India multos barbaros experimur. Per fidem verò fit id quod ibidem addit Plato: *Multi*, inquit, *iam serui sunt meliores ad omnem virtutem fratribus & filiis, qui domos & rem dominorum omnem, ipsosque dominos seruant.*

Fides corrigit seruilem animum.

VERS. CVM BONA VOLVNTATE (μετ' εὐνοίας, id est, cum beneuolentia, bẽneuolè, amicè, non grauatim, non morosè, non coactè) SERVIENTES SICVT DOMINO, ET NON sicut HOMINIBVS] eo sensu quo paulò antè explicui. Scilicet vult Apostolus vt Christi Domini, à quo mercedem accipient, amore, reuerentia & obedientia seruus seruiat domino etiam morosso, crudeli ac tyranno, seratque eius tyrannidem, ne quod offendiculum ponat Euangelio.

Nota. Apostolus non tam de seruis & ancillis loquitur, quales iam sunt apud Christianos, quàm de seruis Gentilium, id est mancipijs, quales tunc multi erant, qui cum dominis, vel sine ijs soli ad Christum conuertebantur. hi enim in Iure propriè vocantur serui, & his opponit Apostolus v. seq. liberos: nostri non serui vocantur, sed mercenarij. Vnde iam seruitus illa gentilitia mancipiorum ferè apud Christianos exoleuit. Ecclesia enim quæ omnes vocat ad libertatem Christianam, omnesque suos filios vult inuicem esse fratres, hanc seruitutẽ sensim sustulit, ne vnus frater, id est Christianus, alteri seruiat quasi mancipium. hoc enim indecens est. Qualis debeat esse seruus significat vetus emblema, quo seruus pingitur pileatus rubro pileo, eleganti interula vestitus, aures habens asininas, cerumnos pedes, dextram tenens erectam & in palmam explicatam. Pileus significat libero & liberali eum debere esse ingenio. Interula designat eum assiduè operi & labori intentum esse. Auriculæ asininæ innuunt eum multa etiam dura patienter audire. Ceruini pedes notant celeritatem in exequendis mandatis. Dextra erecta index est fidelitatis in tractandis rebus & negotijs heri: hæc enim præcipua est serui & seruæ dos. Vnde Lacæna, vt refert Plutarchus, interrogata quid sciret, respondit, Fidelis esse. Harum virtutum seruis egregium exemplum dederunt Ioseph patriarcha in seruum venditus, Gen. 37. & 39. & S. Paulinus Nolæ Episcopus, qui pro filio viduæ redimendo semetipsum in seruitutem tradidit Wandalis, suaque fidelitate, diligentia, mansuetudine, prudentia ac sanctimonia tam sibi, quàm suis ciuibus omnibus libertatem impetrauit.

Et

9. ET VOS DOMINI EADEM FACITE ILLIS, q. d. Vos domini seruis exhibete similem humanitatē, benignitatem, amorem, sinceritatem, fidelitatem, qualem serui meo iussu vobis exhibent, REMITTENTES MINAS, ne istis in seruos imperiosi & minaces, SCIENTES QVIA ET ILLORVM, ET VESTER DOMINVS EST IN CÆLIS: ET PERSONARVM ACCEPTIO NON EST APVD EVM] Premit Apostolus fastum dominorum. q. d. Nolite superbire, & imperiosè in seruos agere, ô domini: quia seruorum vestrorum fratres estis, & communi Deo ac Domino seruitis. mementote vos pariter esse seruos Domini cælestis, qui à vobis rationem dominij vestri, & tyrannidis in seruos seueram exiget, & talem se vobis exhibebit, quales vos seruis exhibuistis. Non enim respicit personam hominis, an quis seruus sit, an dominus: sed quemque siue seruus sit, siue dominus, pro bonis operibus præmiabitur, pro malis puniet, gehennæque & ergastulo infernali addicet. Sic seruos benignè esse tractandos ab heris docet Macrobius lib. 1. Saturn. c. 11. idque ex ipso iure naturæ, quippe cùm ex eisdem elementis constent vtrique, & seruitus non naturæ, sed fortunæ sit conditio. *Hinc nostri maiores*, inquit, *omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum patrem familias, seruos familiares appellauerunt. colant ergo te potiùs serui tui quàm timeant.* Pari modo ex nomine patris familias, seruos quasi filios & fratres vocatos ad eamdem cælestem hereditatem, tractandos esse docet S. Augustl. lib. 19. de Ciuit. c. 16. vide dicta Leuit. 25. 42.

Quocirca idem Augustl. in Sentent. nu. 163. docet dominatum apud Christianos, potiùs esse obsequium quàm imperium. *In Domino*, ait, *iustè viuentes ex fide, & ab illa adhuc ciuitate peregrinantes, etiam qui imperant seruiunt eis, quibus videntur imperare: quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed prouidendi beneficio.*

DE CETERO FRATRES CONFORTAMINI IN DOMINO, ET IN POTENTIA VIRTVTIS EIVS] q. d. Tandem vt finiam hanc epistolam, ô Ephesij Christiani, sumite vires & animos contra omnes diaboli, carnis & mundi tentationes, roborate & cōfortate vos *in Domino*, id est, in Domini nostri Iesu Christi fide, spe, gratia, ope & auxilio. Si enim Christus pro nobis, quis cōtra nos? Nota. Pro *in potentia virtutis eius*; græcè est, ἐν τῷ κράτει δ ἰσχύος αὐτοῦ, id est, in potētia roboris vel fortitudinis eius, id est, in potentia forti & robusta Christi Domini. q. d. Christus Dominus sua forti & robusta ope & gratia adest nobis, ergo animos, robur & vires capiamus. Tali enim duce & propugnatore vincemus omnia ardua, omnia hostium tentamenta.

11. INDVITE VOS ARMATVRAM DEI] Græcè πανοπλίαν, id est, plenam & omnem armaturā, qua milites à capite ad talos se armant & communiunt. Verè S. Bern. serm. 3. in dedicat. Ecclesiæ. *Induite*, ait, *vos armaturam Dei, non modò ad resistendum, sed ad impugnandum quoque & expugnandum viriliter inimicum. Quid enim putamus fratres? Grauis equidem nobis est inimici tentatio, sed longè grauior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas eius atque versutia, sed multò amplius nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, vritur charitate nostra, mansuetudine & obedientia cruciatur.*

VT POSSITIS STARE ADVERSVS INSIDIAS DIABOLI] Pro *insidias* græcè est μεθοδείας, quod Hieronymus vertit, *versutias*; Vatablus, *insidiosos congressus & assultus*; Noster c. 5. v. 14. vertit, *circumuentionem*, qua scilicet hostis ex latere & insidijs subitò erumpit, nosque adoritur & circumuenit.

Nota. Cùm rari sint homines prudētes simul & fortes; quia, vt docet Aristoteles sect. 14. problem. 8. prudentia consistit in frigore, animositas & fortitudo in calore (hinc nemo prudens simul & audax) in duce belli potior & magis optanda est prudentia & calliditas, quàm fortitudo. *Dux belli*, inquit Vegetius, *callidior sit quàm audacior, vt hostem per insidias perdat sine suo periculo.* Talem hîc diabolum depingit Apostolus. Callidissimum ergo habemus hostem diabolum, in quem omnes animi sensus, oculos ac neruos intendere debemus, ne incautos nos adoriatur, feriat & supplantet.

Calliditas diaboli consistit in tribus.

Calliditas hæc diaboli Primò patet in eo, quòd, vt ait Hieron. loca minimè munita obseruet, vt perea irrepat ad arcem cordis & animæ, v. g. qui non custodiunt oculos & aures suas, ijs species mulierum, verba lasciua ingerit, quibus phantasiam & voluntatem in libidinem alliciat. Secundò, vt Chrysost. numquam aperta peccata homini obijcit, sed cogitationibus vtitur; & non irrumpit subitò, sed sensim irrepit, & in animæ familiaritatem insinuat, penitusque tandem immergit. Adhæc vitia specie ac nomine virtutum colorat. Sic ebrietatē proponit & vocat hilaritatem, obscœnos vocat lepidos, superbos vocat animosos. Rursum hamo peccati escam voluptatis obtendit, vt dum voluptatem gustas & hauris, peccati aculeum induas. Adhæc sensim à minoribus ad maiora sollicitat: insuper scrutatur qua infirmitate, quo vitio, qua procliuitate quisque laboret, & per illam eum aggreditur. Hinc superbum non tentabit libidine, sed honoribus; gulosum non honoribus, sed delicijs, auarum non delicijs, sed pecunijs & vsuris. Docet id S. Leo serm. 7. de natali Domini. *Nouit*, inquit, (diabolus) *cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ: nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbicumque viderit studiosiùs occupari.*

Modus vincendi artes diaboli ex præceptis D. Antonij magni.

Audi S. Antonium oculatum testem & athletam inuictum, qui omnes diaboli artes & insidias expertus, eas fratribus sagaciter & sapienter detegit, modumque vincendi demonstrat, ita dicens apud S. Athanasium in Vita S. Antonij: *Hostile illis magni (dæmonibus) contra omnes Christianos, maximè verò contra monachos & virgines Christi, odium est. Eorum semitis laqueos tendunt, eorum mentes impijs & obscœnis cogitationibus nituntur euertere. sed nihil nobis in hoc terroris incutiunt, fidelium enim orationibus atque ieiuniis ad Dominum statim corruunt: nec tamen si paululùm cessauerint, prorsus plenam putetis esse victoriam. Solent sæuij grauiùs assurgere, & multa arte pugnandi, cùm cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent.* Deinde docet dæmones excitare dormientes ad orandum, vt somnum capiti & corpori necessarium eripiant. Rursum recēs conuertis ingerere pristina peccata, cosque excitare ad nimia ieiunia, vigilias & pœnitentias, quibus corpus & animum eneruent, vt vitæ sanctæ asperitate, difficultate & tædio victi resiliant, & ad pristinam vitæ licentiam redeant. Subditque planè spernendas esse eorum

suggestiones, orationeque ac versu aliquo psalmi rei suggestæ contrario elidendas. *Christus*, inquit, *tamquam Dominus dæmonibus silentium imperauit, vt nos diabolo nihil credamus, & vincamus. Si orare compellunt, si ieiunia suadent, non ex eorum nos monitis, sed ex nostra consuetudine id agamus. Denique etiamsi irruentes mortem nobis intentare videantur, ridendi potiùs sunt quàm timendi: quia cùm sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt.*

Et infrà, arma contra eorum insidias suggerens: *Magna*, inquit, *dilectissimi, aduersum dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto: pertimuescit Satanas rectè viuentium vigiliis, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum cor erga Christi amorem. Nouit terrimus coluber ex præcepto Domini sub iustorum se iacere vestigio, qui ait, Ecce tradidi vobis potestatem calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Deinde particulares suos cum dæmonibus conflictus & victorias enarrat fusè S. Antonius. Et tandem singulos ad alacriter cum dæmonibus certandum exhortando, ita concludit: *Iam cura Christianorum & monachorum sit, ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur. Nam quales nos & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueuerunt. Et si quod in pectoribus malæ mentis & pauoris semen inuenerint, quasi latrones qui deserta obtinent loca, cæptos cumulant timores, & crudeliter imminentes infelicem puniunt animam. Si autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere: magis enim cùm munita in Christo corda conspexerint, confusi reuertentur. Ita & Iob firmatum in Domino diabolus refugit, & infelicissimum Iudam exspoliatum fide, vinculis captiuitatis innexuit. Vna est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens persequetur aduersarios potiùs quàm timebit.* Hactenus S. Antonius, cuius verba mirificè hunc Pauli locum illustrant, & magnam nos docent prudentiam spiritalem, vt sciamus dæmonis artes & insidias, modumque eas superandi.

Quales reperiunt nos dæmones, tales nobis se præstant.

VERS. 12. QVONIAM NON EST NOBIS COLLVCTATIO (græcè πάλη, id est lucta) ADVERSVS CARNEM ET SANGVINEM, SED ADVERSVS PRINCIPES ET POTESTATES, ADVERSVS MVNDI RECTORES TENEBRARVM HARVM, CONTRA SPIRITVALIA NEQVITIÆ, INCÆLESTIBVS] q. d. Non contra homines, qui carne & sanguine constant: sed contra dæmones, qui sunt subtilissimi, nequissimi & robustissimi spiritus, eosque non vnum aut vulgares, sed plures, & quidem principes, potestates, & mundi rectores, nobis est duellum & pugna.

Per carnem & sanguinẽ intelliguntur primò, libido & tentationes carnis.

Nota Primò. Per *carnem & sanguinem*, S. Hieron. & alij accipiunt libidinem, vitia & tentationes, quas caro suggerit. q. d. Hæc vitia carnis non tam caro quàm dæmon per carnem suggerit & excitat. *Sunt enim*, inquit Hieron. in Osee 4 *quidam dæmones amoribus & amatoriis canticis seruientes, vt Propheta quoque commemorat dicens: Spiritu fornicationis seducti sunt. Nam & barbara quædam nomina eorum esse dicuntur, vt sæpè confessi sunt hi, quos verè vulgus maleficos vocat: & incantationes, & preces, & colores varij, & diuersa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quæ inuocati assistere dæmones, & infelices animas capere memorantur. Alij verò iracundias & furores & bella committere: alij præesse inimicitiis, & inter homines odia concitare. Quia vult ergo, aiunt, Apostolus nos docere, non ex natura corporis, & de materia carnis & sanguinis hæc vitiorum genera procreari, sed instinctu dæmonum, propterea ait, Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus & potestates, & reliqua.* Hæc Hieron. non tam ex sua, quàm Origenis (qui ita sentit & docet in Iosue cap. 11.) sententia. Fuit enim Origenis, Cassiani collat. 7. & aliorum veterum hæc opinio, singulis vitijs suos præsidere dæmones. Alios enim nos incitare ad gulam, alios ad fastum, alios ad iram, &c. indeque vocari spiritum superbiæ, spiritum inuidiæ, spiritum luxuriæ: vnde & mammonam à Christo vocari eum, qui præsit auaritiæ, siue cupiditati pecuniarum, Matth. 6 cùm dicit, *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Sed, vt dixi, opinio hæc est aliquorum in speciem probabilis, non autem certa demonstratio.

Secundò & meliùs, idem Hieron. Theophyl. Vatabl. & alij, per *carnem & sanguinem* accipiunt homines carne & sanguine constantes: hos enim opponit dæmonibus, qui sunt spiritus, q. d. Paulus, induendam esse panoplìam contra insidias diaboli: quia hic hostis noster nõ est corporeus, carneus, visibilis, sed est incorporeus, inuisibilis & subtilissimus spiritus. Quare licet aliqui intelligãt vocem exceptiuam, Tantùm, sicque explicent: non est, supple tantùm; nobis colluctatio contra carnem, sed etiam cõtra mundi rectores: vel, exigua & quasi nulla est ea colluctatio quam cum carne gerimus, si conferatur cum ea, qua contra mundi rectores dæmones confligimus, Tamen vocem aliquam exceptiuam, vel comparatiuam hîc supplere non est opus: quia, vt dixi, agit de bello & lucta non quauis, sed ea, quæ nobis est contra diabolum, vt præcessit. Hæc enim prima, grauissima, difficillima & periculosissima nobis est lucta, in qua non contra carneos hostes, sed contra spiritus, id est dæmones, depugnamus.

Addit S. Hieron. Paulum alludere ad vetera Iudicum cum alijs gentibus prælia. q. d. *O Ephesij, quæ de prælijs Israelis aduersum Aegyptios, Idumæos, Ammonitas legitis, scripta sunt propter nos, vt intelligamus ex illis, nobis non esse pugnã aduersum carnem & sanguinẽ, sed aduersus spirituales quasdã & inuisibiles potestates.*

Nota Secundò, dæmones alios esse principes, alios esse Potestates. Principes sunt, qui fuerunt in ordine angelorum, qui dicitur Principatus: Potestates dicuntur, qui fuerunt in ordine angelorum, qui dicitur Potestates.

Vbi Aduerte cum S. Hieronymo, dæmones post lapsum, eumdem ordinem hierarchicum quem habuerunt in cælo, etiamnum conseruare. vt alij præsint, alij subsint: alij sint Principes, alij Potestates, vt per hanc subordinationem valentiores sint ad nocendum hominibus. Sicut milites tumultuanti dum rebellant, suum creant ducem, quem Electum vocant, suosque sub eo capitaneos & tribunos, vt suam rebellionem stabiliant, quæ in ataxia & acephalia stare non potest.

Vnde sequitur Primò, non tantùm ex Angelis & Archangelis, sed etiam ex superioribus ordinibus, putà Principatibus & Potestatibus, aliquos cecidisse, factosque esse dæmones. Immò probabile est, similiter ex singulis ordinibus aliquos cecidisse, cùm omnium caput Lucifer ceciderit.

Sequi-

Sequitur Secundò, dæmones etiam num inter sehunc ordinem seruare, vt Lucifer omnibus, alij superiorum ordinũ suis inferioribus præsint: quia naturali scientia & nequitia ijs præualent, idque vt bellum nocentius hominibus inferant. Omne enim bellum, si desit ordo, imbelle esse sciunt. Finita verò Ecclesia militante & bello hoc, cessabit hic dæmonum ordo, vtpote fine sublato, ob quem in hunc ordinem coniurant: vt innuit Apostolus 1. Corinth. 15. 24. ita Chrysost. Molina & Scholastici 1. p. qu. 109.

Nota Tertiò, dæmones dici κοσμοκράτορας, id est mundi rectores, Tertull. lib. 5. contra Marcion. vertit, *mundi tenentes*; Hilarius in psalmos, *mundi potentes*; Vatabl. propriè, *mundi dominos*. & fortè intelligit Apostolus Dominationes, qui est primus ordo angelorũ secundæ hierarchiæ. Hi enim summum in res mundanas obtinent dominium & imperium. Sicut enim Principes & Potestates sunt ordines angelorum: ita videntur & mundi rectores, siue mũdi domini esse ordo, qui dicitur Dominationes. Et sicut angeli aliqui ex Principatibus & Potestatibus, ita & ex Dominationibus ceciderũt, factique sunt dæmones. Vnde his opposuit c. 1. 21. angelorum qui perstiterunt ordines, scilicet Principatum, Potestatem, Dominationem.

Nota Quartò, hosce dæmones non absolutè vocari mundi rectores & dominos, quasi ipsi cælo & terræ dominentur, sed cum restrictione, ait S. Augustinus, scilicet *tenebrarum harum*, id est tenebricosi huius mundi, putà caliginosi huius aëris: sic c. 2. 2. diabolum vocauit *principem potestatis aëris huius*. Mundi rectores ergo intelligit dæmones qui in tenebroso hoc aëre dominantur. Vnde S. Hieron. *Communis*, inquit, *omnium Doctorum est opinio, quòd aër iste plenus sit contrarijs fortitudinibus*, putà dæmonibus: qui scilicet in aëre hoc sæpè procellas, turbines, fulmina, tonitrua, aliaque meteora miscent & efficiunt, vt frugibus, bestijs & hominibus noceant, quique; in terra hac æstus, sterilitates, morbos, pestes, inundationes, bella, aliaque clades concitant: qui denique homines assiduè ad gulam, libidinem, iram, fastum, omniaque vitia sollicitant & impellunt.

Vnde in sensu mystico sic hæc Apostoli verba exponit S. Augustinus in psal. 54. ad v. 1. *Ne fortè*, inquit, *cùm dixisset Mundi, intelligeres dæmones esse rectores cæli & terræ: mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum & iniquorum: mundi dixit, de quo in Euangelio dicit, Et mũdus eum non cognouit.* Homines enim mundani & peccatores in peccati tenebris degunt, & in rebus practicis ac diuinis cæci sunt & tenebricosi. Vnde Græca addunt vocem αἰῶνος, id est sæculi: sicque habent: contra cosmocratores, id est, mundi dominos tenebrarum sæculi huius, id est huius vitæ. q. d. Contra mũdi rectores & dominos, qui in hac vita & sæculo tenebricoso, hominibus sæcularibus & peccatoribus tenebricosis dominantur.

Nota Quintò, hosce dæmones vocari *spiritualia nequitiæ*, id est, spiritales nequitias, id est, nebulones nequissimos, *in cælestibus*, id est, vt Hieron. in aëreis hisce locis versantes. Itaque *spiritualia nequitia* Hebraica paraphrasi vocat, quos Græci vno verbo cacodæmones appellant. Vnde Ambros. l. de Paradiso, c. 12. sic hæc Apostoli verba inuertit, vt sensum explicet: aduersus nequitiam spiritualium, inquit, quæ sunt in cælestibus.

A Secundò, aliter Chrysostomus, *in cælestibus*, id est, propter cælestes res & bona nobis est lucta cum dæmonibus.

Tertiò, S. Augustinus de Agone Christiano c. 3. *Potest*, inquit, *& aliter locus iste intelligi, vt videlicet nos in cælestibus constituti, id est, in spiritualibus Dei præceptis ambulantes, dimicemus aduersus spiritalia nequitiæ, quæ nos inde conantur abstrahere.* Sed primus sensus planior est & simplicior.

Aduerte. Pro *nequitias*, græcè est πονηρίας: quod Erasmus vertit, *versutias*; Vatablus, *astutias*: sed propriè significat malitias. Dæmones enim vti verkutissimi & astutissimi, ita quoque pessimi & nequissimi sunt.

Denique Nota Sextò. Singula verba huius sententiæ Apostolicę, hostis nostri diaboli peculiarem conditionem, potentiam, vim & robur significant, vt singuli excitemur ad excubias (vita enim mortalium est vigilia) & ad arma, vt tãto hosti resistamus. Si enim natura hostis quæritur, spiritus est: si species, est inuisibilis: si indoles, nequissimus est & malitiosissimus: si potestas, est mundi dominus: si ars & fraus, est princeps tenebrarum, per tenebras & insidias nos aggreditur: si locus, superior est, ex aëre & cælo in nos irruit. cum hoc hoste nobis est ἄσπονδος & πόλεμος, irreconciliabile bellum. Vnde meritò Chrysost. hîc in morali hom. 22. *Si tales*, inquit, *instructæ sunt acies, si incorporales principatus, si mundi domini, si spiritales nequitiæ aduersum nos sunt, quomodo, dic quæso, deliciaris? quomodo inermes vincere poterimus? Ista quisque sibi ipsi singulis diebus dicat, quando per fastum occupatur, quando per concupiscentiam, quando mollem vitam inconsultò ac frustra quærit? Audiat Paulum dicentem: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, &c.* Et infrà: *Cõculcauimus diaboli potentiam si peccata conculcauerimus: omnia dico temporalia, fastum, concupiscentiam, superbiam, omnes animi passiones. Ansam enim dant diabolo diuitiæ, pecuniæ & vanæ gloriæ studium.* Et paulò pòst: *Si quis inimicum habet. si quis ab eo iniuria læsus est, si quis ira percitus est, omnem furorem illum, omnem sæuitiam collectam in caput diaboli effundat & euacuet. His semper inimicus esto, semper acerbus, semper immitis. Si nos sæuierimus aduersus eum, ipse non erit nobis sæuus; si nos mansueti in eum fuerimus, tunc ipse sæuus erit.*

Diaboli peculiaris cõditio, potẽtia, vis & robur pulchrè & mouaiter explicatur.

Præclarè quoque S. Basilius in illa verba Deut. 15. iuxta LXX. *Attende tibi ipsi. Miles*, inquit, *es: collabora Euangelio; milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, aduersum vitiosas carnis affectiones induitor omnem animam Dei; vt probes te ei, sisque gratiosus duci tuo, qui huic te militiæ adlegit: prouide vt nullis impliceris vitæ illius negotijs & perplexis curis. Athleta es? Attende tibi ipsi, ne quam ex legibus athletæ agoni præscriptis inueniare transgressus: nam nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit. imitare Paulum & cursu contendentem, & in palæstra colluctantem, & in agone pugillari decertantem: vt strenuus pugil ipse habeto animæ oculum nusquam euariantem, sed attentum & peruigilem. Præmuni ac tuere pasim manibus partes quarũ plaga lethalis sit. In aduersarium immotum oculum intendito fixius. In stadiario cursu qui tibi præcurrunt, in eos te extendens, fac assequaris: sic currito, vt præuertas. In luctamine repugna inuisibilibus aduersarijs. Per vitæ illius curriculum talis vt perseueres, hæc sancit sententia, nimirum animo vt sis non supino, aut concidenti, sed arrecto: non dormiturienti, sed peruigili ac sobrio, quique; multa cum vigilantia præsens sit, & norit sibi præesse.*

Ex omni hominum genere discenda militiæ contra dæmones.

VERS. 13. PROPTEREA ACCIPITE ARMATVRAM DEI (græcè rursus est πανοπλίαν, de qua dixi v. 11. quamq; describit 4. versibus seqq.) VT POSSITIS RESISTERE IN DIE MALO] *Malo*, id est difficili, tristi, periculoso, cùm scilicet hostis iam dictus nos vndique adoritur, animamque per illecebras, formidines aliasque tentationes obruere & sibi subiugare conatur. Sic Iacob Pharaoni roganti Genes. 47. v. 8. *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? respondit, Dies peregrinationis meæ centum triginta anhorum sunt, parui*, id est pauci, *& mali*, id est miseri & ærumnosi. E contrario Dauidis legati ad Nabal 1. Reg. 25. 8. *In die bona*, inquiunt, *venimus*. quasi dicant, Ad diem bonam, id est lætam & iucundam, qua tondes oues tuas, ideoque conuiuium de more celebras, venimus; vt tui gaudij, ouium & conuiuij participes nos facias. ita Anselmus.

Dies malus, est dies mortis aut iudicij.

Secundò, S. Hieron. *vt in die malo*, id est terribili, scilicet die iudicij, possitis intrepidi stare ante tribunal Christi iudicis, & accusanti vos diabolo resistere. Prior sensus genuinus est; sed hic posterior sequitur ex priori. Nam qui in hac vita in die tentationis & belli diabolo resistunt, eidem facillimè resistent in die iudicij.

Disce hîc, quanta fortitudine & armatura, dæmonibus nos strenuè & assiduè impugnantibus sit resistendum. Abbas Antonius dux monasterij Æliotarum, qui etiam illud ædificauit, narrauit de Abbate Theodosio, quòd senex ipse hæc de se ipso narrabat: Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in extasi aspexi virum quemdam, cuius

Contra dæmones pugnandum.

species claritatem Solis vinceret. Hic tenens manum meam: *Veni*, ait, *quia pugnare & luctari te conuenit*; & induxit me in theatrum plenum viris ex vna parte candido amictu, ex alia verò nigro vestitis. Cùm ergo iniecissem me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis, æthiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me iuuenis ille, qui mihi apparuerat: *Cum hoc luctari te oportet*. Ego, qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pauere cœpi, orabamque iuuenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: *Quis hominum mortali conditione & infirmitate circumdatus, cum hoc luctari posset? Non ipsum vniuersum genus hominum, si in vnum confluat, huic resistere prævalet*. Ait autem ad me iuuenis ille præclarus:

Angelus Dei iuuat nos contra dæmones.

Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate & fiducia. Mox enim vt tu illum adortus fueris, ego adiutor ero, tibique victoria coronam reponam. Vt ergo ad certamè sum ingressus, luctarique inuicem cœpimus, continuò præclarus ille iudex nostri certaminis adfuit, mihique coronam dedit. Atque plebs illa obscura, æthiopumque multitudo ingens eiulantes euanuerunt: pars verò reliqua candidatorum gratias illi & laudes referebant, qui me iuuerat, ac præclara victoria donauerat. ita Sophron. Prat. spirit. c. 66.

Dum Abramius Eremita aliquando noctu oraret, tenens securim Satanas cœpit cellam eius euertere: cumque iam eam videretur perforasse, magna exclamauit voce dicens: Festinate celeriter, ô amici mei, festinate, & introeuntes citò eum suffocate. Beatus autem vir Dei contrà ad illum:

Psalm. 117.

Omnes, inquit, *gentes circumdederunt me, & in nomine Domini vltus sum in eos*. Ille verò protinus hac voce audita euanuit, cella interim sancti viri integra atque illæsa permanente. Iterumq; paucis interlabentibus diebus alijs, dum media nocte psalmodiæ vacaret, cõspiciens stoream, super quam psallens cõsistebat, vehementi flamma comburi, ignem intrepidus conculcans aiebat: *Super aspidem & basiliscũ ambulabo, & cõculcabo leonem & draconem, omnemq; potentiã inimici in nomine Domini nostri Iesu Christi mihi auxiliantis superabo*. Diffugiens autem Satanas exclamauit ac dixit: Ego te deuincam improbe, arteque inueniam quibus te conteram, qui me iam despectui habes. ita Sophron. suprà.

Psalm.

Legimus in vita S. Vincentij Ferrerij, cùm iuuenis perseuerantiæ donum à Deo peteret, apparuisse ei dæmonẽ specie venerabilis senis Eremitæ, ac suasisse vt iuuentuti parceret, & suo exemplo pœnitentiam & austeritatem ad senium vsque differret. Sensit fraudem Vincentius, ac cruce se signans: *Abi*, inquit, *pestifer serpens. Vnus es nocte Aegypti Patribus, sed ex inferni dæmonibus*. Idem commendans suam virginitatem B. Virgini, vocem audiuit: Non omnes possumus esse virgines: non patiar vltrà, vt tam honorato virginis nomine gaudeas. Turbatus fuit Vincentius, sed mox B. Virgo cum multa luce ei apparuit dicens, hanc non suam, sed diaboli fuisse vocem, *Qui tibi*, inquit, *crebras parabit insidias, vt perclitetur virginitas tua; sed spera semper in Domino, quoniam ipse erit clypeus tuus, quo omnia hostis tacula superabis*. Ex hac visione tantum feruoris Christi militi accessit, vt non terrestris homo, sed cælestis angelus esse videretur.

Quantas S. P. N. Ignatius, tum aliàs, tum in studijs dæmonis passus sit illusiones, vt eum inde ad res diuinas, quas ei obijciebat, auocaret: & quomodo eas aperiendo præceptori, ac inuocatione B. Virginis superarit, narrat noster Ribadeneira li. 1. Vitæ eius cap. 13.

De Euagrio claro Christi diacono, qui vixit instar Apostolorum, non est æquum tacere. Huic enim tres aliquando apparuerunt dæmones in habitu Clericorum, de fide cum eo inquirentes. Et vnus quidem dicebat, eum esse Arrianum, alter verò Eunomianum, tertius autem Apollinaristam. Et eos paucis superauit spiritu sapientiæ. ita Pallad. in histor. Lausiaca c. 86.

Idipsum hoc exemplo confirmat Ioan. Climacus: Monachus quidam studiosus cùm à dæmone perturbaretur cogitatione blasphemiæ ad viginti annos, carnem suam ieiunijs & vigilijs macerare non destitit. Cùm verò inde nullam vtilitatem se cepisse sentiret profectus, conscriptam in charta perturbationẽ ac tentationẽ suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit in faciem prostratus, nec illum intueri valens. Vt autem legit Senior subrisit, fratremq; erigens, dixit: *Pone, fili, manum tuam super oculum meum*. Quod cùm fecisset, ait Senior: *Super collum meum sit, frater, hoc peccatum, quot quot annis te oppugnarit, vel oppugnaturum sit. Tu autem id obserua, vt hoc tam floccipendas, & nihil æstimes*. Quibus verbis ita roboratus est frater, vt non antè cella senis excederet, quàm eiusmodi morbus euanescere. Hoc autem is qui expertus est, mihi postea enarrauit, Deo gratias referens.

Ioan. Clim. grad. 3.

ET IN OMNIBVS PERFECTI STARE] Græcè ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, *vt postquam omnia perfeceritis, stare possitis*, parati scilicet ad pugnam cum hoste diabolo. Vnde S. Cyprianus l. 5. epist. 6 sic legit, *vt cùm omnia perfeceritis, stetis succincti lumbos vestros*. Sic etiam vertit Hieronym. Chrysost. Ambros. Vnde Erasmus putat in nostro Latino Interprete legendum esse sic: *& omnibus perfectis stare*.

q d.

q.d. Apostolus, Sicut miles nihil non facit quo possit resistere, ac suam tueri vitam; ita nobis omnia sunt facienda cum dæmonibus assiduè luctaturis. Miles enim arma expedit & induit, attollit aggerem, vallo castra cingit, omniaque ad præliū opportuna disponit: quibus omnibus gnauiter perfectis, superest vt stet semper accinctus ad præliū. Nam multis victoria affert securitatem & otium; securitas mutatis vicibus ex victoribus facit victos. Ita pariter Christianus quisque quasi miles Christi se armare, cingere, munire, omniaque ad conflictum cum diabolo necessaria prouidere & præparare debet, omnibusque prouisis & præparatis vigil in acie consistere, paratus ad pugnam. Passim tamen Romana & alia Latina Biblia legunt, *& in omnibus perfecti stare*. Sed eōdē redit sensus. Exigit enim Apostolus panopliam, vt vndique armemur, *& in omnibus perfecti*, id est perfectè armati, & ab omni parte virtutibus quasi armis muniti, stemus & excubemus, vt diabolo resistamus. Vnde Syrus vertit, *cumq; instructi fueritis in omnibus, stetis*.

5.14. STATE SVCCINCTI (περιζωσάμενοι, id est circumcincti) LVMBOS VESTROS IN VERITATE] *In veritate*, id est veritate. Est hebraismus: Hebræi enim bet, id est *in*, tribuunt instrumento: sic dicunt, Percussit hostes in ore gladij, id est ore, putà acie gladij. Hæc est prima panopliæ, siue armaturæ militis Christiani pars, scilicet baltheus, siue cingulum militare, quod est veritas. Videtur alludere Apostolus, ait Chrysost. ad Hebræos, quibus egressuris Ægypto in Chanaan, vt essent expediti ad iter & pugnam cum hostibus, ita præcipit Dominus Exodi 12.11. *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus*, &c. Quæ pulchrè Chrysost. hîc in morali homiliæ 3. in sensu allegorico accommodat Christianis hinc in cælum armata manu tendentibus. q.d. Apostolus, Milites lumbos baltheo muniunt coriaceo, aureo, argenteo; vos ō Christiani, lumbos vestros munite veritate quasi baltheo.

Quæritur hîc Primò, quid significet cingulum vel baltheus?

Respondeo Primò, symbolum est fidelitatis; hinc coniuges cingulo cinguntur, vt significent amorem & fidem, qua alteri coniugi sunt obstricti & deuincti. Hinc apud Ieremiam Deus populum Israel vocat lumbare (id est cingulum lumbos cingens) suum: quia scilicet populus hic instar cinguli lumbis & renibus Dei, id est, intimè Deo adstrictus & deuinctus erat. *Sicut enim*, inquit Dominus Ieremiæ c. 13.11. *adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui*, id est, coniugio copulaui, *mihi domum Israel, vt esset mihi in populum, & in laudem, & in gloriam*. Huius rei symbolo sacerdos tunicam suam cingulo constringebat, Exod. 28.39. vt significaret sacerdotem Deo, & per sacerdotem populum Deo adstringi.

Addit D. Thomas, lumbos symbolum esse amoris, quia in lumbis origo est seminis & concupiscentiæ. Significat ergo lumbare, populum ad Dei lumbos, id est amorem & coniugium, assumptum, sicut ait Osee c. 11.4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Sic sponsi suis sponsis donare solent cingulum, vel fasciam pectoralem byssinam, vt per illam sponsæ semper admoneantur fidei coniugalis, atque puritatis cordis, vt scilicet mammillas, quæ sunt cordis diuerticula, id est affectus suos, continentia coërceant, secq; mundas thoro sponsi conseruent, vt nonnisi sponsum ament, illique purum cor & affectum suum tradāt. Ita Deus populo Israel, quem quasi in sponsam sibi asciuerat, cùm iam ab eo ad idola desciuisset, improperat inter alia Ezechiel. 16.10. *Cinxi te byssō* (scilicet candidissima. Hoc enim significat Hebræum שש *sces*, vnde deriuatur & dicitur שושן *scosan*, id est lilium, quia candidum) q. d. Lege & religione mea quasi cingulo te, ô Israel, olim mihi in Sina astrinxi, vt per ea admonereris castitatis coniugalis, puritatis, & fidei intemeratæ erga me maritum tuum; diceresque, *Dilectus meus mihi, & ego illi*. &, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*: tu verò hoc spreuisti, & me spreto idolis quasi adultera adhæsisti.

Pari modo milites cingulum militare accipiunt, vt eo admoneantur sacramenti militaris, & fidelitatis quam suo duci iurarunt. Vnde baltheus militiæ huius & fidelitatis erat symbolū & milites cùm exauctorabantur, baltheum deponebant; vel etiam eo priuabantur, si infideliter vel ignauè in bello se gessissent.

Secundò, cingulum est symbolū fortitudinis & constantiæ.

Secundò, cingulum vel baltheus roborat mollitiem renum & lumborum. Hinc symbolum est fortitudinis & constantiæ: eaque de causa zona est vestis militis & gladiati, & gladius à baltheo dependere solet. Lumbi enim, inquit Chrysost. superiorum & inferiorum corporis partiū sunt fundamentum & iunctura. Hinc est quòd laborantes & lassi plerumque manus illuc quasi in fundamentum quoddam immittunt, vt hoc pacto se confortent. Milites ergo baltheo laminis conserto lumbos quasi mediam, mollissimam & fundamentalem corporis partem tuentur, continent, muniunt & roborant.

Tertiò, cingulum est symbolum integritatis & virginitatis.

Tertiò, cingulum, vt rectè notat Pierius hieroglyphico quadragesimo, symbolum fuit integritatis & virginitatis tam apud Hebræos, quàm apud Græcos & Latinos.

Virgines & sacerdotes olim apud varias gentes cingulo vtebantur.

De Hebræis patet Isaiæ 3.24. vbi virgines Hebræas captiuitate puniendas describens, *Et erit*, inquit, *pro zona funiculus, & pro fascia pectorali cilicium*. Ecce pro delicijs virginum zonam & fasciā posuit Isaias. & meritò, quia sicut vbera subacta signa sunt meretricis, Ezech. 23.3. *In Aegypto*, inquit, *in adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt vbera pubertatis earum*: sic papillæ studiosè reuinctæ signum sunt illibati floris virginei, in quo puellarum honos consistit.

De Græcis testis est Pausanias, Trœzeniorū virgines zonā Palladi ante nuptias dedicasse. Sic Athenis templū Dianæ Soluizoniæ structum legimus apud Apollon. in Argonaut. in quo nouæ nuptæ suspendebant zonas, quas soluerant per coniugium.

De Chaldæis testis est Herodotus lib. 1. eoque respexit Baruch c. 6.42. cùm ait, *Mulieres circumdatæ funibus in viis sedent*, id est, feminæ ad ædes Veneris funiculis quasi zonis præcinctæ, quibus virginitatem profitentur, hospitibus ad Veneris fanū aduentantibus pudorem prostituunt, deaque Venere sic expiata domum reuertuntur. Hoc enim execrabili & satanico inuento Babylonicæ virgines colebant Venerem & suam virginitatem dicabant Veneri. nimirum, vt narrat Herodotus, antequam matrimonium inirent, cumque quærerent maritum, ante templum Veneris residebant, donec aduena quispiam eis abuti vellet: is dabat abusæ pretium cum hac imprecatione, Tanti ego

tibi deam Milyttam, id est Venerem, imploro: illudque pretiũ abusæ templo Veneris offerebant, sibi persuadentes se hac ratione sibi deam conciliaturas, & ab ea sponsum egregium & felix matrimonium impetraturas. Vt verò aduenas amasios allicerent, hoc philtro vtebantur. Cremabant ossa, id est nucleos duros & quasi osseos, oliuarum, cum hac imprecatione, vt pari modo hospites earum amore torrerentur, ossaque hæc ita adusta & in cineres redacta spargebant in ventum, iaciendo ea trans caput, vt dixi loco citato Baruch, idemque doctè ex Theocrito, Virgilio, & alijs docet Antonius Gueuara præfat. in Habacuc, & antecessor meus Martinus Delrio lib. 3. Disquisit. magic. p. 1. q. 3. sect. 2.

De Latinis testis est Ouidius cùm canit:

Castaq; fallaci zona recincta manu.

Hinc olim in veteri testamento (vti & apud Gentiles) & etiamnum sacerdotes in sacris cingulo vtuntur, vt moneantur, ait Cyrillus, fluxæ libidinis luxuriam & animi cupiditates, castitatis & temperantiæ cingulo coërcere.

Quartò, zona ornamentum & symbolum gloriæ.

Quartò, zona ornamentum erat & symbolum gloriæ, maximè si zona bullis aureis gemmeisque distincta esset, quæ propriè dicitur baltheus, quasi bullateus, ait Pierius. Hinc suis baltheis superbiebant glorioси milites. Vnde Ierem. 13. 9. Dominus ait ad Ieremiam, *Sic putrescere faciam superbiam Iuda*, sicut scilicet putruit lumbare, id est baltheus hic tuus, vti iam dixerat v. 7.

Quintò, Zona est vestis & symbolũ hominis parati ad iter, belli, & quoduis opus. Cingulum militis Christiani est veritas, eaq; quadruplex. Primò, veritas fidei. Secundò, veritas morum.

Quartò, zona vestis & symbolum est hominis expediti, & parati ad iter, bellum, & ad quoduis opus ac ministerium. Præcincti enim solent esse expeditiores, firmiores & constantiores in opere. Hæc quinque symbola conueniunt nostro huic baltheo militis Christiani, vti iam ostendam. Vnde Quæritur Secundò, quæ sit hæc *veritas*, quæ instar cinguli Christianorum militem cingit.

Primò, aliqui intelligunt veritatem doctrinæ & fidei, quam hæresibus opponimus. Hæc enim propriè dicitur veritas. ita Chrysost. Theoph. Anselm. Verùm obstat quòd fidem non baltheo, sed scuto comparet Apostolus v. 16.

Vnde melius Secundò, ijdem accipiunt veritatem quæ est in moribus, qua nimirũ res omnes amandas & amplectendas per veritatem, id est, per virtutem & virtutis verum rectumque dictamen metimur. Quid enim aliud est humilitas? quid charitas? quid patientia? quid aliud sunt ceteræ virtutes, quàm lumina veritatis? vt quidam Sanctorum verè & sapienter dixit; veritatis, inquam, quares paruæ vt paruæ, terrenæ vt terrenæ, viles vt viles, magnæ vt magnæ, honestæ vt honestæ, cælestes vt cælestes æstimantur & adamantur. *Qui cinctus est hac veritate*, ait Chrysost. *numquam fatigabitur, vel si fatigetur, in veritatem hanc reclinabitur & conquiescet. Quid enim ipsum, dic quaso, fatigabit? paupertas? nequaquam: requiescet enim in veris diuitijs, & per paupertatem istam cognoscet quæ sit vera paupertas. Sed seruitus ipsum fatigabit? nequaquam: nouit enim quæ vera seruitus sit. idemq; iudicium de egritudine, fame, aliisq; quæ alios affligere solent.* Hic sensus probabilis est & appositus.

Tertiò, veritas, id est Sinceritas.

Tertiò, Adamus veritatem interpretatur sinceritatem, quasi eam opponat Apostolus hypocrisi Simonis Magi. & asseclarum.

Quartò, veritas fi-

Verùm Respondeo & dico, veritatem hîc significare fidelitatem & integritatem. Alludit enim A Apostolus ad Isaiæ 11. 5. vbi de Christo dicitur: Et *erit fides* (hebraicè אֱמוּנָה *emuna*, id est fidelitas) *cinctorium renum eius*. q. d. Veracitas siue fidelitas perpetuò Christo adhærebit more cinguli Christum cingens, ornans & roborãs. Sic enim Paulus Christianos instar Christi vult esse succinctos veritate, id est fidelitate quasi cingulo. Nam Hebræis sorores sunt hæ voces אֱמֶת *emet*, id est veritas, & אֱמוּנָה *emuna*, id est fides siue fidelitas, ab eadem radice & matrice אָמַן *aman*, id est firmus, stabilis, constans fuit, genitæ. constantia enim mater est veritatis & fidelitatis. Hinc *veritas* sumitur hîc & alibi pro fide siue fidelitate. Sicut ergo baltheus militaris, vt dixi, symbolum est sacramenti militaris & fidelitatis, qua miles astrictus est suo duci: ita baltheus Christianorum est fidelitas, quam Sacramento baptismi promiserunt, quaque se astrinxerunt Deo, B quamque in christianismo professi sunt, & profitentur. in baptismo enim professi sunt se renunciare Satanæ & pompis eius, Christique fidem & legem sectaturos, ac communi Christi militiæ ascripti bellum perenne indixerunt Satanæ.

Rursum sicut cingulum, vt dixi, symbolum est fidelitatis & amoris coniugalis, quo quasi cingulo coniux coniugi astringitur & alligatur: ita cingulum hoc Christianorum est fidelitas & amor non tantùm militaris, quo Christo quasi capitaneo suo sunt obstricti; sed & coniugalis, quo Christo quasi sponso deuinciuntur. Itaque cingulũ hoc Christianorum est fidelitas in Christi fide, religione, cultu, obedientia, vt illi quasi capitaneo, imò sponso nostro fideles simus vsque ad mortem, & vsque ad C sanguinem pro eo contra diabolũ & quosuis hostes depugnemus, vti fecerunt Martyres, qui maluerunt perdere vitam, quàm fidem & obedientiã Christi. Tales debent esse omnes Christiani, nimirum ita fideliter seruire & obedire Christo, vt malint subire mortem & quasuis pœnas, quàm Christum offendere, eiusque legem trãsgredi. q. d. Paulus: Videte ô Ephesij, ne fidem Deo in baptismo datam violetis; fidem dico, quam quasi milites militiæ & vexillo Christi ascripti debetis duci vestro, quamque quasi coniuges eidem Christo debetis quasi sponso. Mementote vobis bellum cum dæmone esse, non tantùm pro capitaneo, sed & sponso vestro. sicut ergo milites pro coniugibus sibi charissimis fortissimè pugnãt, in enses & mortem ruunt: ita & vos pro Christo sponso vestro fortissimè ad mortem vsque pugnate: qui enim capitaneus vester est Christus, idem & sponsus & maritus est vester.

D Porrò S. Gregor. Nazianz. orat. 42. *Quæro*, inquit, *quid lumbis cũ veritate cõmune sit, & quæ tandem mens fuerit cùm diceret: State igitur succincti lumbos vestros in veritate? Num fortè quòd speculatio concupiscẽtiam coërceat, nec aliorsum ferri sinat? Nec enim fieri potest, vt qui cuiuspiam rei amore flagrat, parem ad alias voluptates vim habeat.* hoc est, vt explicat Nicetas, *Christi contemplatio lumbum nostrum & concupiscentiam constringit, eamq; totam ad rerum diuinarum amorem transfusam & derivatam diffundi ac dispergi non sinit.* Christus enim est veritas. Iohan. 5. 6. Oratio igitur & contemplatio Christi rerumque cælestium, minuit & infringit concupiscentiam, quæ in lumbis sedem habet: vnde & ad eius mortificationem hominem extimulat.

Hinc Secundò, vti cingulum militare symbolum

lum est fortitudinis & constantiæ: ita hoc cingulum Christianorum, scilicet veritas, significat constantiam & fortitudinem (vnde & radix Hebræa אמן *aman*, à qua descēdit & nascitur *emet*, id est veritas, significat esse firmum & constantem, vt dixi) monetque nos, vt simus fortes & constantes in iam dicta fidelitate, militia & obsequio Christi. A

Rursum Tertiò, sicut cingulum symbolum est integritatis & virginitatis: ita per veritatem, integritatem hanc & puritatem intelligit Apostolus. Sic enim verum aurum dicitur quod integrum est & purum, nullaque cupri, aut alterius metalli impuritate falsatum & vitiatum: præsertim quia fidelitas sine integritate esse non potest, eamque includit. Fideles enim esse non possumus in Dei obsequio, nisi in eō simus & integri. Hæc verò integritas & puritas maximè spectatur in temperantia & castitate. Sicut enim duo maximi hostes sunt amor carnis & amor Dei: ita qui fideles sunt in Dei amore, necessariò amorē carnis & libidinis stringere, coërcere & supprimere debent. q.d. Apostolus, Baltheus, ô Ephesij, vos ornans, stringens & roborans sit veritas, id est integritas morum in comprimenda concupiscentia, maximè libidinis, quæ in lumbis primam sedem & originem habet. ita Chrysost. Hieron. Theophyl. Anselmus. vt alludat Apostolus ad Luc. 12. v. 5. *Sint lumbi vestri præcincti: Lumbos præcingimus*, inquit S. Gregorius, *cùm carnis luxuriam quæ in lumbis est, per continentiam coarctamus.* Hinc sacerdos se vestiens cingulo, *Præcinge*, inquit, *Domine lumbos meos cingulo castitatis, vt maneat in me virtus continentiæ & castitatis.* *Quia igitur*, inquit Hieron. *lumbi in generatione semper accipiuntur & semine, secundùm illud, De fructu lumbi tui ponam super thronum tuum. Et alibi, Adhuc in lumbis erat Leui patris sui Abraham, quando obuiauit ei Melchisedec: videtur nobis accinxisse lumbos suos, qui nequaquam vxori debitum reddit, nec seruit libidini: sed imitatur ingenitum Deum generationis negotijs non ministrans. Hoc idem reor & illud significare, quòd Iohannes zonam pelliceam habebat circa lumbos suos, & non erat de immundis, qui propter fluxum seminis extra castra proiecti, cum arca Domini habitare non possunt. Nec ex his, de quibus in Numeris scribitur, Sint vestimenta eius diffusa. Qui autem Christo accinctus est veritate, hæc vestimenta in altum colligit, & sursum trahit, & nudorum laterum fœditatem baltheo spirituali velat, stringit & includit, & paratus ad prælium est: & opera habet lucentia, quæ lucerna dicuntur ardentes.* B C

Ad hæc Quartò, hoc fidelitatis, constantiæ, integritatis & castitatis cingulum, de quo huc vsque, mirè ornat Christianos, vt miro decore hisce suis virtutibus quasi ansulis connexum & variegatum Christianum cingat & decoret; nimirum cùm in eo elucet constans fidelitas, & fidelis integritas, & integra castitas, & casta constantia, sicque vna virtus aliam quasi ansa ansam excipit, hominemque cingit & coronat. D

Denique Quintò, hæc fidelitas facit Christianum expeditum ad bellum cum dæmone ineundum, ad quoduis opus Christianum suscipiendū, ad iter in cælum ingrediendum. Vnde S. Hilario zona est efficax in omne bonum apparatus, vt ad omne ministerium Christi promptæ voluntatis cingulo simus accincti. Sed hæc promptitudo rursum & melius per calceamenta significatur; de quibus sequitur:

ET INDVTI LORICAM IVSTITIÆ] Id est, pro lorica vestra sit iustitia. Pro *lorica* græcè est θώραξ. Nota. Thoracis duæ sunt partes; vna superior, quæ à pectore ad vmbilicum: altera inferior, quæ ab vmbilico ad genua protēditur, diciturque à Græcis ζῶμα. Vtriusque huius partis iunctura & commissuram faciunt lumbi, quos tegit & munit baltheus; vel cingulum, vt dixi. Lorica ergo hîc Germanica intelligitur, nimirum quæ à collo ad genua porrigitur, tegitque tam femora, quàm pectus, adeoque totum hominis corpus, quatenus crassum & solidum est. Vnde loricam hanc vocat iustitiam non speciallem, quæ cuique ius suum reddit, sed generalem, quæ est complexio omnium virtutum. Hæc enim totum hominem obarmat, & ab omni parte cōmunit. Vnde Chrysost. Lorica, inquit, iustitiæ est catholica & virtute prædita prædita vita. q.d. Lorica vestra, ô Christiani, sint opera iusta & sancta, quibus assiduè corpectus vndequaque obarmetis, vt non tantùm bello defensiuo diabolo resistatis; sed & offensiuo acres illi plagas & dolores infligatis. Opera enim bona flagellant & cruciant dæmonem: nimirum vritur nostra humilitate eius superbia; nostra patientia & iniuriarum condonatione ringitur eius ira & impatientia; nostra dilectione & obsequijs pungitur & configitur eius inuidia. *Lorica iustitia quæ toti homini corporiq; & animæ conueniat.*

ET CALCEATI PEDES IN PRÆPARATIONE EVANGELII PACIS] *In præparatione*, hoc est præparatione: sicut *in veritate*, idem est quod veritate. Hebræi enim, vt dixi, exprimunt *bet*, id est in, cum ablatiuo instrumenti, quod apud Latinos esset soloecismus. q.d. Calcei nostri sint præparatio Euangelij pacis. Vers. 15.

Quæritur hîc Primò, cuius rei symbolum sint calcei, & quid significent in Scriptura. *Calceus quatuor rerum symbolum est. Primò libertatis.*

Respondeo. Primò, calceus symbolum erat libertatis. Serui enim vti & captiui incedebant nudis pedibus. hinc nudi pedes signum sunt captiuitatis & seruitutis. Ita Isaias ambulauit nudus & discalceatus per triduum, vel, vt alij, per triennium, vt portenderet captiuitatem Ægyptijs & Æthiopibus imminentē ab Assyrio Sennacherib, qua nudis pedibus ducendi erant captiui in Assyriam, Isaiæ 20. 3. Contrà, Hebræis seruituræ Ægyptiaca egressuris dicitur: *Calceamenta habebitis in pedibus*, id est, non iam nudis pedibus incedite, sicut hucusque more mancipiorum feciſtis, sed calceati instar ingenuorum & liberorum.

Secundò, calceus symbolum erat vsucapionis, possessionis & dominij: discalceatio verò signum erat cessionis iuris sibi debiti. Sic Ruth 4. 7. dicitur: *Hic*, inquit, *erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, vt, si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo: hoc erat testimonium cessionis in Israel.* Idem patet Deut. 25. 7. *Secundò, vsucapionis.*

Contrà de Dauide dicitur psalm. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, possessionem meam. q.d. Calcando Idumæam calceis meis, adibo possessionem Idumææ, eamque meo dominio subijciam.

Tertiò, calceus symbolum erat lætitiæ, contrà discalceare se, sicut & cæsariem comamque radere, signa erant luctus. Sic Ezechiel cùm à Domino iuberetur non lugere vxorem defunctam cap. 24. 17. audit: *Corona tua circūligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis*, id est, ne luctuosis cæremonijs *Tertiò, lætitiæ.*

monijs prosequaris eius mortem. Atque hæc ferè A
sunt symbola calceorū domi togæque. Nam aliud
foris & militiæ significat calceus.

Quartò, constantiæ & animi intrepidi.

Vnde Quartò, in militia calceus symbolum est constantiæ, confidentiæ, & animi intrepidi. Qui enim nudipes est, timidè & pedetentim incedit, ne pedem alicubi offendat; contrà, calceatus audacter. Sic Homerus Græcos milites Troiam obsidentes & expugnantes vocat Ἐυκνήμιδας Ἀχαιούς, id est, benè ocreatos Achiuos. Calceis enim militaribus non tantùm planta pedis sed & pes ipse ac tibia obtegitur, taleſque calcei sunt ocreæ. Vnde per calceos hîc ocreæ accipi possunt: hæc enim sunt calcei equitum. Vnde S. Cyprianus causam cur Apostolus fidelium pedes velit esse calceatos, hanc dat, *Vt serpens*, inquit, *à nobis calcatus obteratur, néue armatos pedes possit mordere.*

Calcei militis Christiani sunt Primò, mortificatio.

Quæritur Secundò, qui sint calcei militis B
Christiani, quibus eū hîc calceari vult Apostolus.
Respondet Primò, Gregor. Nyssenus de Vita Mosis, esse vitam mortificationis duram & asperam; vel, vt alij, esse memoriam mortis. Calcei enim fiunt ex mortuorum animalium pellibus & corio, vnde sunt signa mortalitatis. Hinc S. Dionysius Cæleſt. hierarchiæ c. 15. docet angelos pingi discalceatos, eò quòd sint immortales, liberi & puri, sine affectu, labe, commistione. Memoria ergo mortis quasi calceus facit hominem expeditū, vt concupiscentijs & diabolo resistat, vt illecebras præsentis vitæ vtpote breues & caducas contemnat, fortiterque dimicet pro vita immortali adipiscenda. Verùm hic sensus non est litteralis, sed tropologicus.

Secundò, exempla patrum defunctorum.

Secundò, ex S. Gregorio Anselmus, *Calceamenta*, inquit, *quæ fiunt ex coriis mortuorum animalium* C
significant exempla patrum iam defunctorum, quibus ab omni terrena lesione defenduntur pedes nostræ mentis, id est affectiones, quibus tamquam pedibus ad faciendum aliquid promouemur. Laditur enim pes prædicatoris à terra, si affectus eius terrenum commodum ex prædicatione appetit, id est, si propter terrenum commodum, non propter regnum cælorum prædicat Euangelium. Et ideo prædicti calceamentis induantur pedes nostri, id est, exemplis patrum muniantur: vt, sicut patres studio supernæ inuentionis, non appetitu terrenæ commoditatis prædicauerunt Euangelium, sic & nos faciamus. Sed & hoc est tropologicum.

Tertiò, animus intrepidus & audax ad propagandum Euangelium.

Tertiò, Hieron. Prado in Ezech. 16. pag. 185. vult calceos esse animum intrepidum & audacem (huius enim, vt dixi, calcei in militia sunt symbolū) *in præparationem* (ita enim ipse legit cum Theo- D
phyl. & nonnullis Biblijs) id est, in confirmationem & defensionem Euangelij: *præparare* enim in Scriptura sæpè significat roborare, stabilire, confirmare. hæc enim omnia significat Hebræum כון *cun*. Sic psal. 23. 2. dicitur, *Ipse*, scilicet Deus, *super flumina præparauit* (id est fundauit & firmauit) *eum*, orbem scilicet terræ. Sic Isaias c. 2. 2. *Erit*, inquit, *præparatus* (id est fundatus & firmatus) *mons domus Domini in vertice montium.*

Verùm hi omnes nouos supplent & inueniunt calceos, cùm hi calcei sint ex verbis Apostoli quærendi, qui sicut scutū, gladium, galeam, baltheum, loricam, ita & calceos proprios militi Christiano consignat & explicat. Vnde sicut dixit lumbos eius succingendos esse in veritate, id est veritate quasi cingulo: ita hîc dicit calceandum esse *in præparatione* (ita enim legendum cum Græcis & Latinis Romanis ac Hieronymo; non autem, *in præparationem*, vti legit Theophyl. & Prado) id est præparatione Euangelij quasi calceo.

Quarò præparatio Euangelij est calceus militis Christiani & in præparatione Euangelij quasi calceo.

Dico ergo, præparatio Euangelij est calceus militis Christiani. Præparatio autem hæc vt rectè notat Chrysost. & Theophyl. est alacris promptitudo, & prompta alacritas animi, partim ad ambulādum viam Euangelij pacis, partim ad eam annunciandam, qua per infensissimos Simonis, Gnosticorum, immò dæmonum & hostium omniū cuneos fortiter pergamus & penetremus in cælum. Plebs enim Christiana hac promptitudine calceata esse debet, vt per viam Euangelij inoffenso pede ambulet, suaque sancta vita & conuersatione alios ad eandem viam ineundam alliciat, itaque fidem & Euangelium propaget & promoueat. Vnde de hac præparatione & promptitudine dixit S. Iohannes Baptista: *Præparate viam Domini, rectas facite semitas eius*, inquit Chrysost. Apostoli verò, Doctores & Pastores hac alacritate calceari debent, non tantùm vt ipsi in hac Euangelij via ambulent; sed etiam vt sua prædicatione & sanctitate alios ambulare faciant, adeoque vt pergant ad barbaras gentes, ijsque annuntient Euangelium, vt & ipsæ iuxta Euangelium viuant & ambulent.

Hapropter Marc. 6. v. 9. Apostolis & prædicatoribus Euangelij dantur sandalia, quò scilicet audenter & alacriter suscipiant munus sibi iniunctum, & omni timore humano depositio illud exerceant. Sandalia ergo hæc & calcei signum sunt tum libertatis, tum dominij, tum lætitiæ, de quibus dixi quæstione prima; tum maximè animi constantis, excelsi, alacris & intrepidi: sunt enim calcei militis.

Calceus hyacinthinus symbolum eius quod in calceo hyacinthino significatur.

Addit Ezechiel c. 16. 10. sponsam Dei, id est Ecclesiam (putà Ecclesiæ fideles, filios & milites) calceatam esse ianthino, id est, hyacinthino, siue violaceo corio, & calceo. *Calceauit*, inquit, *te ianthino*. q. d. O populi Israel, qui es electus in sponsam Dei, in Ægypto quasi mancipium nudipes seruisti, tam cùm te inde educo libertate te dono, & in signum libertatis do tibi calceum, eumque hyacinthini, id est violacei & cæleſtis, coloris; Primò, vt significem cæleſtem debere esse tuam vitam, conuersationem & spem, vt terrena relinquens festines ad cæleſtia, ait S. Gregorius 30. Moral. 10.

Secundò, vt significem amorem & sponsum tuum esse in cælo: Deum nimirum ipsum, qui è cælis te protegit, vt alacriùs & perfectiùs ambules, aut etiam prædices viam in cælum.

Tertiò, hyacinthus vestis erat regalis Eccli. 40. 4. *Ab eo, qui vtitur hyacintho, & portat coronam* (id est à rege) *vsque ad eum qui operitur lino crudo* (id est plebeium & pauperem.) Calceus ergo hyacinthinus animum excelsum, & verè regium significat, qui in cælis fixus calcat omnem terrenū dominatum. *Namque pedes quibus progredimur*, inquit Hieron. Prado in Ezech. c. 16. pag. 185. *affectus significāt, quibus animus fertur, quocunq; fertur, teste Augustino: calceamentum verò libertatis & dominationis est signum, hyacinthus autem cælestis regni imago. Pedes itaque calceati hyacintho indicant animum ingenuum, liberum & regalem, qui spe cælestiū bonorū terrena hæc omnia pessundat & proterit. Vide in Apocalypsi mulierē amictam sole, & lunam sub pedibus eius, atque coronam stellis duodecim, reginæ videlicet simulacrum, quam Vates describit lucida vestitam cyclade, calceatamq; hyacintho, & quā sponsus commendat ab incessu decoro*

&

& gratioso ob calceamenta hyacinthina, desiderium cæ- A *lestium spirantia : & in Cantico canticorum, Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Vbi obseruandum, tunc sponsam filiam principis appellatam à sponso, cùm calceamẽtis (haud dubiè hyacinthinis) pedes ornauerat, quia pedes calceati symbolum exhibent regiæ dignitatis, vt diximus.* ita Prado.

Itaque calceus Ecclesiæ reginæ & sponsæ Dei, ac cuiuslibet militis Christiani, qui huius reginæ filius est, debet esse hyacinthinus, vt videlicet terram & terrena omnia pedibus calcet, animo versetur in cælis, eò contendat magna alacritate & promptitudine, memor se, vtpote regis Christi & reginæ Ecclesiæ filium, regem esse, & ad cæleste regnum vocari, illudque breui initurum, vt cum triumpho vnà cum alijs Beatis, vtpote regibus, perenniter canat: *Fecisti nos Deo nostro regnum &* B *sacerdotes, & regnabimus super terram*, imò super cælum, *in sæcula sæculorum.*

Hæc est ergo præparatio, id est, alacritas & promptitudo, qua Ephesios & quemuis Christi militem calceat Apostolus: vt nimirum promptus sit non solùm ad Euangelium retinendum & defendendum, sed etiam ad illud propagandum per Gentiles licet inuitos & aduersantes: vtque, sicut inquit Chrysost. & Theophyl. paratus sit ad exitum scilicet ex hac vita tot tentationibus, conflictibus, periculis & ærumnis obnoxia, ad aliam quietam, beatam & æternam.

Vnde pulchrè S. Basilius in Admonitione ad filium spiritualem, militem Christi cum milite sæculari conferens, ita excitat ad hanc animi promptitudinem dicens: *Miles terrenus quocumque loco mittitur, paratus ac promptus est, neque se vxoris aut* C *liberorum gratia excusare audebit: multò magis miles Christi sine aliquo impedimento regis sui imperio debet obedire. Ille in prælio galeam ferream gestat, sed tua galea Christus sit, qui est caput tuum. ille lorica ne vulneretur indutus est: sed tu pro lorica sis fide Christi circũdatus. ille contra aduersarium suũ mittit lanceas & sagittas: tu contra aduersariũ diuina eloquia iacularе. ille donec pugna geritur arma à semetipso non proijcit, ne ab aduersario vulneretur: ita & tu numquam debes esse securus; quia tuus hostis hoste illius astutior est. ille si superauerit, ad domum reuertitur: tu verò hoste prostrato in illud cæleste regnum cum omnibus Sanctis intrabis.*

EVANGELII PACIS] id est Euangelij, siue læti nuntij, quo pax, id est omnia bona cum Dei beneuolentia & amicitia hominibus promittuntur. ita Chrysost. & Theoph. *Pax* enim Hebræis omnem prosperitatem, omnia fausta & felicia, bonorumque omnium copiam significat. Vnde hæc erat D Hebræorum, & ex ijs Christi Apostolorum salutatio, *Pax tecum*, qua omnem felicitatem, omniaque bona alijs apprecabantur.

Secundò dici potest *Euangelium pacis*, id est pacificum, pacem docens, concilians, afferens. Euangelium enim docet offensas remittere, inimicos diligere, dissensiones & lites auersari, concordiam & pacem quærere ac tueri.

16. IN OMNIBVS SVMENTES SCVTVM FIDEI, IN QVO POSSITIS OMNIA TELA NEQVISSIMI IGNEA EXTINGVERE] Nota. Pro *in omnibus* græcè est ἐπὶ πᾶσιν, quod Vatabl. vertit, *super omnia*: sed Noster aptiùs vertit, *in omnibus*. Vult enim, vt rectè notat Hieron. nos in omni tentatione & opere gestare clypeum fidei, eoque venientes diaboli sagittas & suggestiones excipere & retundere.

Secundò, pro *nequissimi*, græcè est τοῦ πονηροῦ, id est, vt Vatablus & Erasmus vertunt, illius mali vel sceleti, hoc est, sceleſtissimi & nequissimi, putà diaboli.

Tertiò, *tela* eius *ignea*, id est, instar ignis penetrantia, ardentia & inflammantia sunt suggestiones diaboli, quibus phantasiæ prauas cupiditates suggerit, & ad eas appetendas concupiscentiam & appetitum accendit & inflammat. Hisce telis vulnerat animam. *Anima*, inquit Origenes homil. 8. in Num *quoties peccat, toties vulneratur. O si possemus per vnumquodque peccatum videre, quomodo homo noster interior assiduè vulneratur! Vulneratur per linguam anima, vulneratur & per cogitationes, & concupiscentias malas, frangitur autem & conteritur per opera peccati. Quasi omnia videre possemus, & vulnerata animæ sentire cicatrices, certum est, quòd vsque ad mortem resisteremus aduersus peccatum. Sed nos cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitijs inebriati, sensite non possumus quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus.* *Tela ignea diaboli quanæ sint.*

ET GALEAM SALVTIS ASSVMITE] id est, vt Theoph. & Vatabl. galeam salutarem, quæ caput seruet & saluet. Sed quænam est hæc galea? quibus verbis eam declarat & explicat Apostolus? Dico ergo, *galeam salutis* id est galeam quæ est ipsa salus, sicut dixit *scutum fidei*, id est scutum quod est ipsa fides. Galea ergo militis Christiani est salus allata à Christo, & sperata à Christianis, hoc est spes salutis: ita enim se explicat Apostolus 1. Thessal. 5. v. 8. *Induti*, inquit, *loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* Ecce spem salutis vocat galeam. Sicut enim galea principem corporis partem, putà caput ipsum, à quo cetera membra totusque homo pendet, tuetur & communit: ita spes salutis, & gloriæ cælestis ac immortalis seruat & communit caput, id est hominis cogitationes, fines & intentiones. Hæc enim in actionibus id sunt, quod caput in homine; scilicet principium & gubernaculum actionum & agendorum. Nam sicut caput regit, dirigit, mouet & gubernat cetera membra, totumque hominem: ita finis & intẽtio dirigit, mouet & gubernat omnia hominis desideria, verba & opera. *Galea militis Christiani est salus allata à Christo, vel potiùs spes salutis.* VERS. 17.

Spes ergo quasi galea caput nostrum symbolicum, putà finem & intentionem, armat & communit. *Galea est spes, caput est finis seu intentio.*

Primò, quia facit vt vltimus noster finis & intentio, sit Deus, fruitio Dei, salus & beatitudo æterna, eoque refert omnes alios nostros fines & intentiones, ac consequenter reliqua omnia cogitata, dicta & facta nostra.

Secundò, quia facit vt homo cogitans bona illa immensa, quæ consecuturum se sperat, alias omnes cogitationes à diabolo suggestas repellat, hacque cogitatione & spe, ardua quæuis aggrediatur, & animosè cum hoste confligat, proponens sibi gloriam illam speratam, quæ victorem manet. Vide ad Hebr. 11. quàm hac galea spei veteres Sancti armati fuerint & roborati, ad omnia dura vel suscipienda, vel toleranda.

Nota Primò. Alludit Paulus ad Isaiæ 59. v. 17. vbi sic ait: *Et indutus est* (Dominus Deus) *iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius, indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli.* Quibus verbis Isaias per prosopopœiã describit Dei, quasi militis arma & panoplian, scilicet iustitiã quasi loricam; salutem (studium saluandi homines) quasi galeam iam dictam; & zelum quasi pallium: quibus *Alludit Apostolus ad Isaiæ 59. v. 17.*

armatus

armatus Deus peccatum, mortem, diabolū, hostes suos à nobis depulit, & homines impios, gentesque infideles hostes suos subegit, ex impijs pios, ex infidelibus fideles, ex Ethnicis Christianos, ex inimicis amicos faciendo, vt rectè ibi annotauit Theodor. Hanc enim suam panopliam Deus & Christus suis militibus, putà Christianis, communicant, vt hîc docet Apostolus.

Nota Secundò, Græcè est περικεφαλαίαν σωτηρίου, hoc est galeam salutaris, id est, vt Hieron. & alij exponunt, saluatoris, putà saluatorem Iesum, assumite pro galea: vt Iesus Christus omnes sensus qui sunt in capite, integros quasi galea seruet & tueatur, inquit Hieron. omnisque noster sermo, mens, cogitatio, consilium sit in Christo. LXX. enim interpretes, quos sequitur Paulus, Hebræum יְשׁוּעָה *iesca*, id est salutem, vertere solent σωτήριον, id est salutare, vel saluatorem, vt Christum saluatorem, & salutem ab eo allatam significent nomine concreto quasi proprio Christi.

Id ipsum Ephesijs, post quadraginta ab hac Pauli epistola annos, scribens S. Ignatius innuit dicens: *Nihil melius quàm pax in Christo, per quam bellum omne aboletur aëriorum & terrestrium spirituum. Non enim est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principes & potestates*, &c. Et paulò superiùs: *Tantùm vt in Christo Iesu inueniamur, vt verè viuamus: absque eo ne respirare quidem vmquam velitis. Is enim mea spes est, is mea gloriatio, hæ denique mea indeficientes diuitiæ: in quo vincula à Syria Romam vsque circumfero, spiritales margaritas, in quibus vtinam mihi contingat consummari ac participem Christi passionum, & socium mortis eius fieri, & resurrectionis à mortuis & æternæ vitæ.*

Spes nostra est nomen Dei Iehoua, quod includitur in nomine Iesu.

Hic sensus redit in idem, & cum priore coincidit. Spes enim salutis est illa, quam Saluator attulit, non alia: adeoq; est ipse Christus saluator. Ipse enim est spes nostra; consequenter est & galea nostra. Simili modo dicitur Prou. 18. 10. *Turrū fortissima nomē Domini.* Hebraicè est nomen tetragrammatum & proprium Dei, scilicet יְהוָה *Iehoua*, quod includitur in nomine Iesu, non sono, sed sensu & significatione, vt dixi Exod. c. 3. & 6.

ASSVMITE] δέξασθε, capite, arripite; Syrus, apprehendite.

ET GLADIVM SPIRITVS (id est spiritalem) QVOD EST VERBVM DEI] Hoc gladio Christus vicit & iugulauit dæmonem se tentantem & oppugnantem, Matth 4. Hoc gladio vsi sunt Sancti omnes, vt ide S. Paula memorat Hieron. in eius epitaphio. *Si quando*, inquit, *procacior fuisset inimicus, & vsque ad verborum iurgia prosilijsset, illud psalterij decantabat; Cùm consisteret aduersum me peccator, obmutui, & silui à bonis. & rursus, Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum. In tentationibus, Deuteronomij verba voluebat: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, & de tota anima vestra. In tribulationibus & angustijs, Isaiæ* (iuxta LXX.) *replicabat eloquia: Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem, adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et Scriptura testimonium in consolationem suam edisserebat. ablactatorū esse, eorum scilicet, qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spem super spem mereantur accipere; scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autē probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Et infrà per singula discurrens ita ait: *In languoribus & verbera infirmitate dicebat, Quando infirma sum, tunc fortis sum: &, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptiuum hoc vestiatur incorruptione. Et iterum: Sicut superabundant passiones Christi in nobis, sta per Christum abundat & consolatio. Ac deinde: Vt socij passionū estis, sic eritis & consolationis. In mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. In periculis loquebatur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suā, & sequatur me. Et iterum: Qui vult animam suam salnam facere, perdet eam. Et, Qui perdiderit animam suā propter me, saluam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris, & euersio totius patrimonij nuntiabatur, aiebat: Quid enim prodest homini si totum mundum lucrifecerit, & anima sua damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et, Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.*

Omnes Sancti vsi gladio verbi Dei in tentationibus & angustijs.

S. Scriptura contra omnes malos.

Hæc est ergo imago & παντοπλία militis Christiani à capite ad talos armati. Galea est spes salutis, siue spes in Christum: thorax est iustitia, id est, opera iusta & sancta: baltheus est veritas, id est, fidelitas, integritas & castitas: calcei & ocreæ sunt præparatio & alacritas ad viam Euangelij ineundam, & propagandam: dextra tenet gladium, id est verbum Dei; sinistra scutum, scilicet fidem.

Panoplia militis Christiani à capite ad talos armati.

Similiter, sed paulò aliter S. Ephrem, tractatu de Panoplia siue armatura spiritali, hæc arma Christiano militi adaptat. *Galea*, inquit, *est spes, baltheus est charitas, calceamenta sunt humilitas, scutum est crux, arcus est oratio.*

Huc etiam alludens Tertull. sed confusè lib. de Corona militis c. 1. militem se profitentem Christianum, ideoque grauiter tortum ita describit: *Et nunc russatus* (id est rubricatus) *suo sanguine, spe calceatus, de Euangelij paratura succinctus, acutiore verbo Dei totus de Apostolo armatus, & de martyrij candida laurea meliùs coronatus, donatiuum Christi in carcere expectat.*

PER OMNEM ORATIONEM ET OBSECRATIONEM ORANTES OMNI TEMPORE IN SPIRITV, ET IN IPSO VIGILANTES IN OMNI INSTANTIA, ET OBSECRATIONE PRO OMNIBVS SANCTIS] Nota. Post arma & panopliam militis Christiani, dat ei copias auxiliares, scilicet Dei & angelorum. Vnde per orationem & obsecrationem iubet eas aduocari. Oratio enim & arma iam dicta, & eorū vsum & augmentū, id est vires internas impetrat pariter & externas; vt scilicet exteriùs Deus per angelos retundat & compescat ferociam & tentationes diabolī. Vnde oratio magis necessaria est militi Christiano quàm cetera arma: Deus enim est, qui in omni tentatione & cōflictu dat victoriam. Illius ergo gratia & adiutorium maximè per orationem est implorandum.

Vers.

Copiæ auxiliares militi Christiano per orationem euocandæ.

Huius rei typus fuit Iosue & Moses; Iosue militis pugnantis, Moses sacerdotis pugnantis speciem refert. Vnde sicut Moses sua oratione impetrauit victoriam Iosue contra Amalec: *Cumq; leuaret*, inquit Scriptura Exod. 17. v. 11. *Moses manus, vincebat Israel; sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec.* Ita miles Christianus vincet diabolum & omnes hostes, si assiduum comitem & propugnatorem habeat orationem.

Vnde

Vnde Nota Secundò. Conditiones requisitas in oratione hîc explicat Apostolus.

Primò enim requirit in oratione assiduitatem, diligentiam & frequentiam, cùm dicit, *per omnem orationem*, q. d. Per iugem, assiduam & omnimodam orationem & obsecrationē; vnde explicans subdit, *In omni instantia & obsecratione*. vt scilicet, inquit Theophyl. instanter oret & obsecret cum fletu, genuflexione, tunsione pectoris, &c.

Secundò, vt Anselmus, vt obsecret obtestando Dei misericordiam per omnia sacra & sancta, v.g. per mortem, crucem, sanguinem Christi. Vtrumque enim significat obsecratio. Scilicet Primò, orationem ex intimo animi sensu, qui lacrymis, aliisque signis externis declaretur, manantem, vt exponit Theophyl. Secundò, vt Anselmus, significat obtestationem & quasi adiurationem per res sacras. Reliquæ conditiones orationis patebunt ex sequentibus iam dicendis.

Vnde Nota Tertiò. Vult Apostolus vt singuli Christiani orent & obsecrent non tantùm pro seipsis, sed & pro omnibus sanctis, id est Christianis quibusuis, & præsertim Apostolis, & prædicatoribus Euangelij, qualis erat Paulus. Hinc patet populo Christiano valdè commendandum esse, vt orent pro propagatione & propagatoribus Euangelij, hæresumque & infidelitatis extirpatione: & si hoc populo, quid Clericis faciendum est?

Nota Quartò. Vult vt orent omni tempore. Hinc Euchitæ hæretici apud August. hæresi 57. docuerunt Christianum non debere laborare, nec aliud agere, quàm vt semper oret. vnde dicti sunt Euchitæ, id est, precatores. Sed hoc dogma stolidum est & impossibile.

Secundò, S. Basilius, homil. in Iulittam Martyrem, Qui, inquit, bene semper agit, hic semper orat. Per omnem enim virtutē Deo coniungimur, quod est officium orationis. Oratio enim non est aliud quàm mentis in Deum eleuatio, siue mentis cum Deo coniunctio. Inter alias autem virtutes maximè nos Deo coniungit religiosa & pia intentio: si videlicet omnia opera nostra (vt ibidē pulchrè docet Basilius) etiam manualia & fabrilia ad Dei gloriam referamus; ea scilicet faciendo eo fine, vt Deus per illa honoretur, vt hoc obsequium Deo præstemus, vt Deo placeamus. Hinc multi pij & sapientes viri initio studiorum & operum suorum orant, & per orationem studia & opera sua Deo offerunt. Id valdè consulendum est simplicibus mechanicis, & agricolis. Hi enim multa opera laboriosa sæpè faciunt sine merito, quia tantùm lucrum aucupantur, qui si doceantur insuper ea referre ad Deum, Deique obsequium & gloriam, longè maiora lucra apud Deum in cælis, quàm apud homines in terra sibi comparabunt; itaque præter lucrum temporale, quod ab hominibus expectant, ingens lucrum spirituale conquirent apud Deum.

Tertiò, & simplicissimè, vult Apostolus vt Christiani orent omni tempore, id est assiduè, quantum per alia negotia licet. ita Anselm. Et, vt Augustin. *omni tempore*, scilicet orationi destinato, siue ab Ecclesia, siue à propria deuotione & consuetudine. Frequentiam enim orationis identidem hîc alijs & alijs verbis inculcat Apostolus, præsertim vt certa & stata orandi tempora nullo tempore intermittantur. Nihil enim fructuosius facere potest Christianus, quàm si omne tempus ab occupationibus alijs liberum det orationi, Deoque vacet à quo omne donum descendit; ita fiet, vt studia & opera ipsius feliciùs succedant & meliùs fiant, vtque Deus ijs benedicat, ijsque præmium & præsens & futurum largiatur. Hinc monet sapienter S. Basilius, vt orationē sequatur lectio (& quoduis opus,) lectioni (& cuius operi) succedat oratio.

Nota Quintò. Hæc oratio facienda est *in spiritu*, id est conscientia munda, & fide integra, inquit Ambrosius. Qui enim polluta mente orat, hic in carne orat. Secundò & genuinè, *in spiritu*, id est mente, affectu, desiderio, non voce & labijs. Opponit enim spiritum multiloquio, siue battologiæ Gentilium, ait Chrysost. qui putabant se sua eloquentia & multiloquio flectere Deum, Matth. 6. v. 7. sicut oratores sua rhetorica flectunt iudices. Vnde Vatabl. *In spiritu*, inquit, *id est, cum feruore spiritus, hoc est, cum intimo & feruenti spiritu.* Spiritus enim & affectus est anima orationis. Multi simplices & rudes parum habent ex hoc spiritu, & ferè tantùm labijs orant. Hi docendi sunt adorare Deum in spiritu & veritate.

Oratio facienda in spiritu.

Nota Sextò. In oratione requirit Apostolus vigilantiam & perseuerantiam. Vnde ait, *Et in ipso vigilantes*, græcè εἰς αὐτὸ τοῦτο id est in hoc, vel ad hoc ipsum (scilicet, vt in spiritu oremus omni tempore) vigilantes simus *in omni instantia*, ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει, id est, vt Ambrosius, Syrus & Græci, *in omni perseuerantia*; Vatabl *cum omni sedulitate*. Tali perseuerantia orauit & impetrauit filiæ suæ liberationem à dæmone mulier illa Chananæa, de qua Matth. 15. 27. Eodem modo & Anna orauit, & impetrauit filium Samuelem, 1. Reg. 1. 15. Vide & Luc. 11. 5. ita Chrysost.

Oratio requirit vigilantiam & perseuerantiam.

ET PRO ME, VT DETVR MIHI SERMO IN APERTIONE ORIS MEI CVM FIDVCIA, NOTVM FACERE MYSTERIVM EVANGELII] q. d. Orate pro me assiduè, vt Deus aperiat os meum, & inspiret sermones quos loquar, vt cum fiducia, græcè παῤῥησίᾳ, id est libertate & audacia, euangelizem, vtque liberè & audacter notum faciam mysterium (Syrus arcanum) Euangelij, id est, per hypallagen, Euangelium mysteriosum & arcanum, siue Euangeliū magno mysterio & arcano refertum. Hinc breuiter Vatabl. sic explicat: *Vt detur mihi aperto ore liberè loqui, vel, vt quoties os meum aperio docendi causa, mihi detur sermo absque dicendi metu, vt notum faciam arcanum Euangelij.* Aliter explicat Maldon. in Notis manuscript. *In apertione oris mei*, inquit, hoc est quotiescumq; loqui voluero, aut prout postulauero; iuxta illud Psaltis, *Aperi os tuum, & implebo illud.* Alludit Paulus ad illud Ezech. 29. v. 21. *Tibi dabo apertum os in medio eorum.* Ita S. Augustin. in psal. 31. initio, *Primùm*, inquit, *infirmitatem meam orationibus vestris commendo, sicut dicit Apostolus, vt detur mihi sermo in apertione oris mei sic loqui vobis, quemadmodum & mihi dicere periculosum non sit, & vobis audire salutare sit.*

VERS. 19.

PRO QVO LEGATIONE (apostolatu) FVNGOR IN CATENA] Hinc patet hanc epistolam Romæ è vinculis esse scriptam, ait Hieron. & Chrysostom.

VERS. 20.

ITA VT IN IPSO (Euangelio scilicet prædicando) AVDEAM, παῤῥησιάσωμαι, id est libertate & audacia vtar, liber sim & audax. Secundò, Theophylactus, vt in ipso, scilicet Euangelio, & Euangelij prædicatione defendenda animosus sim & audax. q. d. Vt audacter & liberè causam meam è vinculis dicam, meque defendam, & rationem reddam

prædicati à me Euangelij, PROVT OPORTET ME, tamquam legatum summi Dei liberè & intrepidè LOQVI] Audi Chrysost. & Theophyl. *Ad quos, ô Paule, legatione fungeris? Ad homines, vt ipsos reconciliem Deo. At isti interim me in vincula conjecerũt, communem legem non reueriti, quæ vbique mos & ius est, vt legati nihil patiantur mali. Catena ergo mihi imposita est, vt os & libertatem loquendi mihi obturet: vestra autem oratio meum mihi os aperiet, vt liberrimè loquar, & proloquar quæ is qui me legatum emandauit, mihi commisit. Videñ gladium (libertatem scilicet & alacritatem enuntiandi verbi Dei) quem accepturus erat Paulus in apertione oris.*

Libertas & alacritas D. Pauli in annunciando Euangelio.

A

VERS. 21. VT AVTEM ET VOS SCIATIS QVÆ CIRCA ME SVNT, τὰ περὶ ἡμῶν, id est, vt Vatabl. quæ de nobis sunt, res nostras, & statum nostrũ, OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICVS] Hinc colligimus Apostolũ per Tychicũ misisse has litteras ad Ephesios.

B

VERS. 23. PAX FRATRIBVS] Pax sit Christianis, qui apud vos sunt. Est salutatio Hebræorum, qua vsus est Christus, Pax vobis, eaque apprecantur omnia bona, omnia felicia & fausta, vt dixi.

ET CHARITAS CVM FIDE, supple, conseruetur & augeatur, in fratribus, id est Christianis Ephesijs, A DEO PATRE, ET DOMINO IESV CHRISTO.

VERS. 24. GRATIA CVM OMNIBVS QVI DILIGVNT DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM IN INCORRVPTIONE] id est incorruptè, sincerè & purè, non habentes corruptelam amoris terreni & vitiorũ. q. d. Qui diligunt Iesum cum sinceritate, integritate & puritate fidei, spei & morum, maximè castitatis (hæc enim propriè dicitur corrumpi, vel esse incorrupta, ait Hieron.) Et, vt Anselmus, qui cum casto amore Christum sponsum diligunt quasi sponsa quæ corruptionem non admittit. Peccatũ enim morbus est & corruptio animæ: virtus verò animæ est sanitas & incorruptibilitas, ait Chrysost. & Theophyl. Sicut enim, inquit Chrysost. virgo corrumpitur dum fornicatur, pomum corrumpitur dum putrescit, sanitas corrumpitur dum homo fit æger, domus corrumpitur dum dissoluitur: ita anima corrumpitur dum peccat. Peccata enim & voluptates illicitæ dissoluunt, deturpant, putrefaciunt & corrumpunt harmoniam, vigorem, sanitatem & integritatem animæ: virtus verò eadem reparat, animamque suæ integritati & incorruptioni restituit.

Peccatum morbus est & corruptio animæ, virtus sanitas & incorruptibilitas.

C

Nota. Præpositio *in* potest propriè accipi: vel, vt Vatablus, accipi potest pro *cum*, vt dixi: vel, vt Chrysost. & Theophyl. potest accipi pro *per*. q. d. Qui diligunt Iesum in incorruptionem, id est, per incorruptionem, puritatem & honestatem morum & virtutum.

Rursum Secundò, Oecumen. ἐν ἀφθαρσίᾳ, inquit, id est ἀφθάρτως. q. d. In incorruptione, id est incorruptibiliter, immortaliter, perenniter, scilicet tam in aduersis, quàm in prosperis; tam in paupertate, quàm in opulentia; tam in contemptu, quàm in honoribus; tam in desolatione, quàm in consolatione; tam in morte, quàm in vita, diligunt Iesum Christum.

Denique Tertiò, Chrysost. & Theophyl putant ἐν pro εἰς poni, *in incorruptione*, pro in incorruptionem, id est ad incorruptionem & immortalitatẽ, quæ meta est dilectionis & gratiæ, quam Ephesijs hic precatur Paulus. Omnes hos sensus ita complectitur Titelmãnus in sua paraphrasi: Gratia sit cum omnibus qui diligunt Iesum in incorruptione fidei & morum, incorruptam fidem mente, & incorruptam vitam moribus tenentes; habentesque spem incorruptibilem, vtpote ab eo non corruptibilia, sed incorruptibilia bona expectantes. Amen.

O filij hominum diligite Iesum Christum in incorruptione: incorruptio enim facit proximum Deo. Mente & animo transcendite omnia corruptibilia. Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere incorruptionem. Studete incorruptioni. Studete immortalitati. Studete ÆTERNITATI.



COMMEN-

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

ARGVMENTVM.

PAVLVS in Macedoniam à Deo vocatus mirabili illa visione nocturna, quæ describitur Actor. 16. 9. vbi dicitur: Vir Macedo erat stans, & deprecãs eum, & dicens, Transiens in Macedoniam adiuua nos; mox eò concessit, primamque eius vrbem, Philippos scilicet (quæ primò Dathos dicta, deinde à Philippo patre Alexandri Magni instaurata, vocata est Philippi, ac paulò pòst facta est colonia Romanorũ) adijt, plurésq; Philippensiũ conuertit, ibique Pythonissam sanauit, ideoque virgis cæsus est, & incarceratus.

Philippenses ergo à Paulo ad Christum conuersi, ideoque Pauli studiosissimi, mox vt audierunt Paulum Romæ vinctum detineri, ad eius consolationem miserunt Romam cum muneribus Epaphroditum suum Apostolum (vt ait cap. 2. v. 25.) suumque Episcopum, inquit Theodoretus, Baronius, & alij. Hic Epaphroditus Romæ in morbum incidit & ad mortem ægrotauit; cumque tandem conualuisset, remisit eum Paulus ad suos Philippenses cum hisce litteris, quibus hortatur eos, vt in fide Christi perstent & pergant, nec vinculis suis turbentur, aut animis cadant; & maximè ne cedant & credant Iudaizantibus docentibus legalia Moysis seruanda esse cum Euangelio, nec Cherinthõ, Simoni Magõ, eorumque asseclis negantibus Christum verè esse crucifixum. Deinde mistim hortatur eos ad virtutes Christiano dignas, & maximè vt Christi humilitatem, charitatem, pacem & concordiam mutuam foueant & æmulentur.

Scripta est Romæ anno Christi 60. qui fuit secundus vinculorum Pauli, quo anno scripsit pariter ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philemonem, quibus omnibus præfigit nomen tam suum, quàm Timothei, qui litteris Pauli anno præterito accersitus (2. Timot. 4. 21.) ante hiemem Romam venerat. Omnes ergo hæ epistolæ scriptæ sunt è primis vinculis, quæ contigerunt anno Neronis 4. non è secundis, quæ contigerunt anno Neronis 14. nam hîc c. 1. 25. dicit se mansurum in carne ad commune Christianorum gaudium & profectũ: vbi satis insinuat se liberandum vinculis prima ergo vincula intelligit, non secunda: nam è secundis non fuit liberatus, sed Martyr occubuit.

Scripta est è primis vinculis.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ORat Primò, pro Philippensium in fide & vita Christiana constantia, ad eamq; eos animat & incitat tum verbis, tum exemplo suo, narrans scilicet v. 12. vinculorum suorum fructum, & Euangelij per ea propagationem.

Deinde v. 15. gaudet quòd Christus annuncietur, siue per inuidiam, siue per charitatem; siue per vitam, siue per mortem suam: Mihi enim, *inquit*, viuere Christus est, & mori lucrum.

Denique licet cupiat dissolui, & esse cum Christo vers. 23. se tamen in carne mansurum ad eorum consolationem significat: indeq; v. 27. eos roborat ad persecutiones, vtpote quæ sunt causa salutis & martyrij, ideoq; magna dona Dei.

1. PAVLVS, & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & diaconibus. 2. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 3. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, 4. semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, 5. super communicatione vestra in Euangelio Christi à prima die vsque nunc. 6. confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. 7. sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis: eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes vos esse. 8. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. 9. Et hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu: 10. vt probetis potiora, vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi, 11. repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei. 12. Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa

circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: 13. ita vt vincula mea manifesta fierẽt in Christo in omni prætorio, & in ceteris omnibus, 14. & plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui. 15. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant: 16. quidam ex charitate: scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum. 17. Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. 18. Quid enim? dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. 19. Scio enim quia hoc mihi proueniet ad salutem, per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi, 20. secundùm expectationem & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortẽ. 21. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. 22. Quòd si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. 23. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multò magis melius: 24. permanere autem in carne, necessarium propter vos. 25 Et hoc confidens, scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei: 26. vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me per meum aduentum iterum ad vos. 27. Tantùm digne Euangelio Christi conuersamini: vt siue cùm venero, & videro vos, siue absens audiam de vobis, quia statis in vno spiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij: 28. & in nullo terreamini ab aduersarijs: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo. 29. Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini: 30. idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

VERS. 1. PAVLVS ET TIMOTHEVS, SERVI IESV CHRISTI, OMNIBVS SANCTIS (omnibus fidelibus in baptismo sanctificatis) IN CHRISTO IESV, QVI SVNT PHILIPPIS] Nota. Nomen *serui* hîc est titulus honoris: sicut enim in alijs epistolis Paulus vocat se Apostolum, ita hîc se vocat *seruum*; *seruus* ergo *Christi* idem est quod Apostolus Christi.

Tres seruorũ gradus. Vbi Aduerte. Olim tres erant seruorum gradus. Primi & vilissimi erant mancipia in neruis & compedibus habita. Secundi mediastini, vt sunt famuli ciuium iam, & nobilium. Tertij honorarij & actores, dispensatores, œconomi, vicarij, qui hebr. מְשָׁרְתִים *mesearetum*, id est ministri dicuntur, cùm primi עֲבָדִים *abadim*, id est serui, communiter vocitentur. S. Paulus, & Apostoli tertij ordinis fuerunt serui. Vnde 1. Cor. 4. v. 1. vocat eos *dispensatores*, & Psaltes vocat eos *principes*. *Constitues*, inquit, *eos principes super omnem terram*. sicut enim principes regi seruiunt, vt regnum eius regant & propagent, ita Apostoli Christo inseruiunt. nimirum ita Christo seruire regnare est. Sic Christus honoris causa vocatur *seruus* Dei, dum eum Pater ita compellat Isaiæ 49. 3. *Seruus*, inquit, *meus es tu Israel, quia in te gloriabor*. Nam ad Christum hæc verba dirigi, patet ex ante cedentibus & sequentibus. *Israel* ergo hic est Christus, qui vocatur *Israel*, quia natus est, inquit Hieron. de semine Israelis & Iudæorũ. Secundò, quia dominatus est Deo (hoc enim significat hebraicè Israel) & diuinam vindictam in homines latam rescidit. Vnde eius typus fuit Iacob cum angelo Dei vicario luctans & præualens, qui inde dictus est *Israel*, Genes. 32. 28.

Nota Secundò. *Sancti in Christo* sunt Christiani, vocati ad veram mentis & corporis sanctimoniã. Hi dicuntur sancti *in Christo*, id est, per Christũ & Christi merita. ita Vatablus. Vel potiùs propriè *in Christo*, quia Christo, Christique corpori, quod est Ecclesia, per baptismum, fidẽ, gratiam & sanctitatẽ inserti sunt; sicut rami inseruntur arbori. Notat Chrysost. id dici cõtra Iudæos, qui se sanctos iactabãt in lege & Mose: sibi enim dictũ esse à Domino, Exod. 19. v. 6. *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*. Cõtra hos Apostolus dicit, nos esse sanctos non in Mose, sed in Christo; qui est sanctus sanctorũ, ipsaque sanctitas & radix ac fons omnis sanctitatis, vt, nisi quis Christo inseratur quasi ramus arbori, ab eoque sanctitatẽ sugat & hauriat, sanctus esse nõ possit. Vice versa, qui Christo plenè inserti sunt, hi sancti sunt, & quo magis Christo inseruntur illiq; vniuntur, eo magis sanctificãtur.

CVM EPISCOPIS ET DIACONIBVS] Dices: In vna ciuitate Philippẽsi tantùm vnus erat Episcopus, quomodo ergo scribit Paulus Episcopis in plurali? Respondeo, per *Episcopos* hîc Apostolus intelligit presbyteros. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. & alij. Vnde Syrus vertit, *cum presbyteris & eorum ministris*. Vult enim Apostolus hisce duobus nominibus salutare totum clerum Philippensiũ. Vnde presbyteros nominat *Episcopos*, diaconos verò, subdiaconos, & reliquos inferiores, digniori diaconorum nomine complectitur. Episcopum autem non salutat, quia hic erat Epaphroditus harum lator litterarum, ait Theodor.

Vbi Nota. Hæc nomina *Episcopus* & *presbyter* olim communia erant omnibus sacerdotibus tam maioribus, quos iam propriè Episcopos; quàm minoribus, quos presbyteros nominamus. Sic Actor. 20. 28. Paulus ad maiores natu Ecclesiæ Ephesinæ: *Attendite*, ait, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos* (id est presbyteros & pastores) *regere Ecclesiam Dei*: nec enim Ephesi plures, quàm vnus erant Episcopi propriè dicti. Vnde tam hîc, quàm 1. Tim. 3. ab Episcopis transit ad diaconos, nec nominat presbyteros, quia scilicet eos Episcoporum nomine intelligit. Hinc occasionem errandi sumpserunt Aerius & Wiclef dicentes iure diuino presbyterum in ordine & potestate, parem esse Episcopo: sed respondeo

parem

parem esse in sacerdotio, (in potestate consecrandi, sacrificandi, soluendi à peccatis) qui septimus & summus est Ordo; non autem in potestate ordinandi & consecrandi, nec in potestate iurisdictionis; hisce enim Episcopus præcellit presbyterum. Vide Bellarm. li. 1. de Cleric. c. 5.

Dices: Cur ergo olim presbyteri vocabantur Episcopi. Respondeo, duas ob causas. Prima est, quam dixi, quia in Ordine summo, qui est sacerdotij, presbyter par est Episcopo. Secunda, quia olim ante schisma (vt ait Hieron. in 1. ad Titum) non tam auctoritate & iurisdictione distincta & diuisa, quàm communi presbyterorum consilio, labore & spiritu regebantur Ecclesiæ. Vnde presbyteri dicebantur & erant Episcopi, id est, inspectores & correctores morum populi cum Episcopo propriè dictò, imò & in Concilijs considebant cum Episcopis, sententiamque rogati dicebant, vt patet Actor. 15. 6. *Conuenerunt*, inquit, *Apostoli, & seniores* (presbyteri) *videre de verbo hoc*. Hæ ergo sunt causæ cur vtrique dicti sint presbyteri & Episcopi postea verò cùm cresceret Ecclesia, & numerus fidelium, atque ad eum rite gubernandum opus esset debito ordine & subordinatione ministrorum sub vno rectore Episcopo, cumque (si credimus Hieronymo in 1. ad Titum, de quo ibi dicendum est) presbyteri prima illa prædicta Episcoporum communicatione abuterentur, iisque insolenter æquari & præesse vellent, ac facerent schismata; tunc Episcopi suam auctoritatē & præeminentiam tueri cœperunt, omnibusque prælati sunt. Id autem factum est tempore Apostolorum sub ipsa Ecclesiæ initia, cùm hic diceret, *Ego sum Cephæ*, hic, *Ego Pauli*; ille, *Ego Apollo*, 1. Cor. 1. 12. Id patet 1. Timoth. 5. *Aduersus presbyterum*, inquit, *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*. Tempore Pauli ergo Timotheus tamquam Episcopus presbyterorum erat iudex, & iurisdictione superior. Sic Tito iubet Apostolus, vt constituat per ciuitates presbyteros. Sic Ignatius ad Traillianos, & ad Smyrnenses: *Presbyteri*, inquit, *subiecti estote Episcopo*.

Quæres Secundò: cur Paulus hîc priùs salutet laicos & populum, quàm Episcopos & diaconos? Resp. Chrysost. hanc epistolam tantùm ad Episcopos & diaconos, id est ad clerum Philippensem, esse scriptam: ipse enim legit συνεπισκόποις, *coëpiscopis*, vno verbo, non duobus, scilicet *cum Episcopis*, quasi Paulus non scribat omnibus sanctis, id est Christianis, absolutè, sed tantùm sanctis coepiscopis (id est qui secum erant Episcopi & doctores populi) & diaconibus, id est clericis. Verùm legendum est diuisim hoc modo, σὺν ἐπισκόποις, id est, cum Episcopis: sic enim legunt Latina, Syra & Græca correctiora. Vnde Secundò, meliùs respõdet D. Thomas, Apostolum seruasse ordinem naturæ, quo grex solet præcedere suum pastorem, vt pastor sequens videre eum & regere ac dirigere possit: hinc in processionibus populus præcedit, clerus & Prælati sequuntur; locus ergo vltimus ibi honoratior est, cùm inter sæculares in mensis & concilijs primus honoratior sit. Itaque hîc Paulus oues præmittit pastori, id est populum priùs salutat, quàm clerum.

3. GRATIAS AGO DEO MEO IN OMNI MEMORIA VESTRI] id est, quoties vestri recordor, ait Vatab. quoties vos memorię meæ occurritis, gratias ago Deo. Aliter Maldonat. in Notis manusc. nè enim *vestri Cornel. in Epist. Pauli.*

A accipit actiuè, non passiuè. vnde sic explicat, Gratias ago Deo, quòd vos mei vincti memores sitis.

Nota. De more Apostolus orationes & epistolas actionesque suas inchoat à gratiarum actione, idque nos facere docet.

SEMPER IN CVNCTIS ORATIONIBVS MEIS PRO OMNIBVS VOBIS, CVM GAVDIO DEPRECATIONEM FACIENS, SVPER COMMVNICATIONE VESTRA IN EVANGELIO CHRISTI A PRIMA DIE VSQVE NVNC] Vers. 4. & 5.

Nota. τὸ *super communicatione vestra*, referri potest ad id quod proximè præcedit: *cum gaudio deprecationem faciens*. q. d. Communicatio vestra in Euangelio causa est gaudij mei, quodque cum gaudio deprecer Deum. Secundò & meliùs referri potest ad *gratias ago*, inde enim pendet v. 4. & 5. imò Biblia Regia & Louanienſia vers. 4. parenthesi includunt, quasi vers. 5. *super communicatione*
B *vestra*, &c. referendus sit ad vers. 3. *gratias ago*, &c. q. d. Gratias ago Deo cum gaudio eum deprecans, eò quòd vobis dederit communicationem in Euangelio Christi.

Nota Secundò. *Communicatio* hæc Primò, est participatio Euangelij, id est fidei, & doctrinę Euangelicæ. q. d. Gratias ago Deo, quia ab eo participes facti estis Euangelij, quando illi credidistis, in eoque perseueratis. Secundò & meliùs, *communicatio* hæc in Euangelio, id est, in prædicatione & propagatione Euangelij, est cooperatio & participatio laborum & passionum, quas Paulus & Apostoli pro hac Euangelij propagatione vel sustinebant, vel suscipiebant, in quibus communicabant & participabant Philippenses. q. d. Gratias ago Deo exultans in spiritu, quòd communicetis meis laboribus, afflictionibus, vinculis pro Euangelio susceptis, quòd mihi collaboretis, mihi com-
C patiamini, me omni ope & opera adiuuetis, dum mittitis Epaphroditũ vestrum Episcopum ad me, dum per eum mihi alimoniam & munera defertis, me in carcere vinctum solamini & animatis, itaque me meumq; Euangelium omni studio promouetis, idque non vno alteróue die, sed assiduè & continuò, *à prima die* qua credidistis, *vsque nunc*. ita Chrysost. & Theophyl. Et hoc significat Græcum κοινωνία. Vnde v. 7. vocat eos συγκοινωνοὺς, id est socios, collegas, & quasi ex æquo participes sui gaudij, quod percipiebat ex vinculis suis, & defensione ac confirmatione Euangelij.

Duplex communicatio in Euangelio.

Nota hîc Tertiò, feruorem primorum Christianorum Philippensium, quibus non satis erat credere, sed de aliorum salute, & Euangelij propagatione soliciti, Paulum & Apostolos omni o-
D pe & opibus in prædicatione adiuuabant. Hac de causa, primi Christiani facultates suas vendebant, & pretia deferebant ad pedes Apostolorum, Actor. 4. vers. 35. Id etiamnum faciunt feruentes Catholici in Anglia, Hollandia, India. Hinc Secundò, per hoc participes fiebant & fiunt omnis laboris (ac consequenter omnis meriti) quem suscipit Apostolus & prædicator, ac proinde est hic actus virtutis nobilissimus: idem enim obiectum spectant cooperantes, idemque agunt, quod agit ipse Apostolus, adeoque ipsimet per Apostolum peregrinantur, euangelizant, conuertunt animarũ millia. Hinc Tertiò, similem cum Apostolis mercedem recipient, quasi ipsimet fuissent Apostoli, & apostolatu perfuncti. Id docet Christus Matt. 10. 40. *Qui*, inquit, *recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam*

Quantũ sit merces laicorum adlentium prædicatores.

(Euangelij doctorem & prædicatorem) *in nomine Prophetæ* (quia Propheta & prædicator est) *mercedem Prophetæ*, id est prædicatoris, *accipiet*: quia scilicet sicut cooperatur Prophetæ, eumque iuuat qua Propheta & prædicator est; ita laboris eius & meriti particeps est, ac consequenter, dignum & iustum est, vt particeps sit & præmij, quod Propheta & prædicator consequetur: particeps, inquam, non æquali gradu cum ipso Propheta, sed secundùm participationem & mensuram suæ cooperationis, & charitatis, qua eum adiuuit: sic enim iure communi participes & receptatores furum, simili cum furibus pœna plectuntur. Eleganter id explicat S. Gregor. homil. 20. in Euang. *Qui recipit*, inquit, *Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. In quibus verbis notandum est, quia non ait, Mercedem de Propheta, sed, Mercedem Prophetæ*, id est Prophetæ præmia accipiet. Et inferiùs: *Nam cùm pauci sint, qui spiritualia dona percipiunt, & multi qui rebus temporalibus abundant; per hoc se diuites virtutibus pauperum inserunt, quòd eisdem sanctis pauperibus de suis diuitiis solatiantur.* additque tales per vlmum promissos & significatos esse ab Isaia, cùm ait, *Ponam in deserto*, in deserta hactenus Gentilium Ecclesia, *abietem, vlmum & buxum simul. Et quid per vlmum*, inquit, *nisi secularium mentes expressæ sunt? quæ dum terrenis adhuc curis inseruiunt, nullum virtutum spiritualium fructum ferunt; sed etsi proprium fructum vlmus non habet, portare tamen fructum cum vite solet: quia & seculares viri intra sanctam Ecclesiam quamuis spiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quàm vitem cum botris portant? etsi ergo fructum vlmus non habet, vitem tamen cum fructibus portans, hæc ipsa sua efficit, quæ bene sustentat aliena.*

Sicut vlmus vitem, sic laicus liber alis prædicatorē sustentat.

VERS. 6. CONFIDENS HOC IPSVM, QVIA (quòd) QVI COEPIT IN VOBIS OPVS BONVM (scilicet Deus) PERFICIET VSQVE IN DIEM CHRISTI IESV] Nota. Pro *confidens*, græcè est πεποιθὼς, quod Nouantes vertunt, *credens*, certissimè scilicet vos perseueraturos in bono opere; quasi velit Paulus omnes fideles securos & certos reddere de sua perseuerantia. sed perperam hoc dicitur. nam constat donum perseuerantiæ actualis non omnes fideles habere: multi enim à pia vita, imò & à fide deficiunt, fiuntque impij hæretici, imò athei. Melius ergo vertit Vatabl. & Beza πεποιθὼς, id est, *persuasum habens*: sed optimè Chrysost. Theoph. Ambros. Syrus & alij vertunt, *confidens*. Vide dicta Rom. 8. v. 38. q. d. Confido quòd, sicut cœpistis bonum opus adiuuandi & promouendi prædicationem Euangelij, ita in eodem per Dei gratiam perseuerabitis in finem, vsque ad mortem & diem iudicij; ac proinde confido, quòd Deus, qui hoc opus bonum in vobis cœpit, ipse etiam perficiet. Vnde Nota Secundò, cum Chrysost. & Theoph. Planè potuisset dicere Apostolus: Confido quòd cœptum bonum opus perficietis. sic enim dixit v. 5. *Super communicatione vestra in Euangelio Christi.* & v. 7. eos in vinculis suis, & defensione & confirmatione Euangelij socios suos vocat. & v. 9. *Hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet, vt probetis potiora, & sitis sinceri, & sine offensa*, &c. Sic ergo & eorum arbitrium ac virtutem exstimulans hîc dicere potuisset, Confido quòd bonum quod cœpistis prosequemini & perficietis; sed vt eos doceat modestiam & humilitatem, maluit dicere, *Confido* quòd

A Deus illud perficiet: quia cùm ad perseuerantiam vtrumque requiratur, scilicet & gratia Dei, & cooperatio ac constantia liberi arbitrij, primas in ea tenet gratia Dei. Vnde vti alibi, ita & hîc gratiæ Dei eam tribuit Paulus. Hinc sicut v. præc. gratias egit Deo, quòd opus hoc bonum cœpisset per gratiam suam in Philippensibus, ita hoc v. confidit Deum suum hoc opus in eis perfecturum; intelliget, nisi ipsi Philippenses gratiæ Dei desint, nolintque eam sequi, & ipsi cooperari. Est ergo metalepsis, *confido quia Deus perficiet*, id est, confido quòd vos per Dei gratiam perficietis opus bonū quod cœpistis: ex Deo enim Deique gratia, gratiæ operationem & effectum intelligendum relinquit.

Nota Tertiò. Cùm duplex sit perseuerantiæ donum, vnum quasi potentiale, quo in accepta gratia & iustitia perseuerare quis possit: alterum B actuale, quo actu perseueret; prius omnibus iustis datur, vt docet Concil. Trident. sess. 6. Deus enim omnibus iustis ea dat auxilia gratiæ, eas mentis & voluntatis excitationes, impulsus & corroborationes, quæ necessariæ sunt ad vitanda peccata omnia mortalia, & ad perseuerandum in gratia & bona vita, vt si ijs rectè vtantur iusti, sicuti debent, perseueraturi sint & saluandi. Posterius donum perseuerantiæ, quod magnum, imò maximum est, non datur omnibus iustis, sed ijs solùm, qui actu perseuerant, complecturque omnem illam gratiarum seriem, qua fit vt homo actu in gratia perseueret, itaque moriatur & saluetur. De quo tria hîc docet Apostolus, & ex eo Concil. Trident. sess. 6. cap. 13. Primò, esse donum Dei, non autem esse ex nobis. Secundò, neminem esse certum se illud habere, aut habiturum. Tertiò, quemque debere illud à Deo sperare, ita tamen vt timeat ne ex C parte sua Deo, & Dei gratiæ desit, itaque hoc donum amittat. *Similiter*, inquit Concil. *de perseuerantiæ munere, de quo scriptum est, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere. nemo sibi aliquid certi absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus & vigiliis, in eleemosynis & orationibus.*

Duplex donum perseuerantiæ potentiale & actuale.

Tria de perseuerantiæ dono docet Paulus.

Hinc Quartò, S. Augustin. lib. de Bono perseuerant. docet hoc donum & gratiam perseuerantiæ distinctam esse à gratia iustificante, & per solam D gratiam iustificantem non posse hominem in iustitia accepta perseuerare, vt tentationes omnesque difficultates vincat & superet: sed insuper egere crebris gratiæ impulsibus & excitationibus, quibus assiduè à Deo in sua infirmitate & torpore excitetur, roboretur, protegatur, vt in via virtutis cœpta constanter & fortiter pergat; quæ variæ & multiplices gratiæ sunt, & dicuntur donum perseuerantiæ. nec enim hoc donum vnus est actus vel habitus, sed multi. Secundò, has gratias plures & maiores dari humilibus, orantibus, solicitis vt bene viuant & perseuerent, docet Trident. suprà. Et hoc videtur hîc velle Chrysost. cùm ait nos nostro desiderio & conatu attrahere & allicere ad nos gratiam Dei; loquitur enim non de prima gratia: hæc enim non datur nec allicitur aliquo desiderio

Donum perseuerantiæ distinctum à gratia iustificante.

Datur humilibus & solicitis.

aut

aut conatu nostro, cùm omnem naturæ conatum præueniat, sitque prima & mera gratia. sed loquitur de eadem gratia de qua Apostolus, scilicet de gratia perseuerantiæ: hanc enim qui iustus est, suo conatu & collaboratione allicit & attrahit, maiorem scilicet in dies & maiorem. Sic Apostoli, & alij illustres Sancti, qui dicuntur à nonnullis confirmati in gratia, non acceperunt aliquem habitū gratiæ, qui eos confirmaret in gratia; sed quotidie strenuè laborantes & orantes accipiebant tam vehementes illuminationes & excitationes, vt difficile esset eis non perseuerare, & peccare, saltem mortaliter.

Denique sapiens & pium consilium ad hoc donum assequendum est, vt assiduè pro eo oremus, nimirum vt Deus non tantùm det gratiam copiosam, qua perseuerare possimus, sed qua præuidet nos actu perseueraturos, vtque tamquam pastor bonus nos quasi oues suas ijs vijs, medijs, auxilijs regat, dirigat, ducat, quibus præscit nos recta progressuros in gratia, vt nullum peccati grauioris lapsum incurramus, sed rectis itineribus pergamus ad cælestem gloriam & beatitudinem.

OPVS BONVM] non tam aliquod speciale, quàm in genere *opus bonum*, id est, vitam Euangelicam, siue Christianam, vt assiduo opere & studio illam prosequamur & propagemus: hoc enim opus est communicatio in Euangelio Christi, supple tam in nobis quàm in alijs promouendo & propagando, vt dixi v. præced.

VSQVE IN DIEM CHRISTI] Id est, vsque ad diem iudicij tum particularis, tum potiùs vniuersalis: tunc enim propriè erit publica, solemnis & glorioſa dies Christi iudicis. Vbi Aduerte. Solet Paulus hîc, 1. Thess. 5. 15. & alibi, ita loqui de die iudicij extremi, ac si instaret & vicinus esset, non posteris Philippensium postea nascituris, vt vult Chrysost. sed ipsismet ad quos scribit hîc Paulus, vt nimirum singuli, tam ipsi, quàm nos illum assiduè ante oculos habeamus, & ad illum vitam hanc nostram breuem & momentaneam dirigamus: ille enim dies erit initium æternitatis, cum qua omnis hæc vita nostra comparata, videtur tantùm esse punctum vel instans temporis. *Mille anni*, inquit Psaltes, *ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præteriit.* momentum ergo hîc agimus & viuimus, (vtinam bene & sapienter!) vnde pendet æternitas nostra: post hoc momentum inibimus æternitatem, quid ni ergo vicinā instet & immineat, quæ post hoc momentum instat & imminet?

17. SICVT EST MIHI IVSTVM SENTIRE (id est confidere, vti præcessit) PRO, id est de, OMNIBVS VOBIS, EO QVOD HABEAM VOS IN CORDE, ET IN VINCVLIS MEIS, ET IN DEFENSIONE ET CONFIRMATIONE EVANGELII] Nota. Habere aliquem in corde, est habere eum in mente, in amore & affectu, & consequenter in memoria, id est, amare eum, & eius sæpè recordari: quæ enim amamus, ea semper recurrunt animo, & memoriæ obuersantur. Hinc per metalepsin, vt notat Chrysost. cum suis, hoc loco *habere in corde* significat habere in memoria, & esse memorē. q. d. Ego Paulus vestri, ô Philippenses, assiduam habeo memoriam, ac sæpè recordor vos esse gaudij mei socios, tam in vinculis meis, quàm in defensione & confirmatione Euangelij: nam illa verba, *Et in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij*, non tam pertinent ad id quod præcessit, *Eò quòd habeam vos in corde*, quàm ad id quod sequitur, *Socios gaudij mei omnes vos esse*, vt magis patebit ex sequentibus.

Nota Secundò. Pro *defensione*, græcè est ἀπολογίᾳ, *apologia*, qua scilicet reus se in iudicio contra accusatores defendit, & à crimine obiecto purgat. significat ergo Paulus suas apologias, quibus reus, & publicè coram Nerone, & priuatim in carcere coram Romanis & Iudæis, vel sponte eum inuisentibus, vel ad se vocatis Actor. 28. v. 17. causam suam egit, seque & Christi Euangelium defendit, stabiliuit & confirmauit.

Nota Tertiò. *Confirmationem Euangelij* intelligit illam, qua in carcere vel viua voce, vel per literas Christianos in fide Euangelij confirmabat. zelus enim Apostoli non patiebatur eum in carcere esse otiosum, sed vel docere, vel scribere, vel orare, vel modos & praxes Euangelij propagandi excogitare cogebat: ac sicut ignis arctatus magis exardescit, ita Paulus hîc ligatus & constrictus magis ad euangelizandum exarsit. Secundò, & meliùs, per *confirmationem Euangelij* intelligit illam, qua per suas iam dictas apologias Paulus Euangelium defendebat & confirmabat: hæc enim confirmatio facta est per defensionem, illique iungi debet, vti iungunt Syrus, Ambros. & Græca, quæ non duos habent articulos, sed vnum eumdemque articulum vtique tribuunt, dicendo: καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει. Adde, τὸ *Euangelij*, tam ad *defensionem* (hæc enim non habet alium genitiuum, vel pronomen) quàm ad *confirmationem* pertinere, eamdem ergo defensionem & confirmationem Euangelij intelligit. *Quænam confirmatio Euangelij.*

SOCIOS GAVDII MEI OMNES VOS ESSE] Noster interpres legit χαρᾶς, id est *gaudij*, & ita legit Ambros. iam Græca habent χάριτος, id est *gratiæ*, & ita legit Syrus & Chrysost. cum suis: sed eòdem redit sensus; quia *gratiam* hîc vocat beneficiū illud, quo ei datum erat pati & vinciri pro Christo, siue ipsa vincula, eadem vocat *gaudium* suum. Vide dicta Ephes. 3. 1. Aliter Vatablus. q. d. Vos estis socij gratiæ meæ, quia mecum à Deo electi estis ad vitam æternam, in eaque mihi futuri estis socij; hæc enim est maxima gratia, & causa gaudij. sed prior sensus huic loco est cōuenientior, vt patet ex præcedentibus & sequentibus.

Nota Secundò. Pro *socios*, græcè est συγκοινωνοὺς, id est consortes, & ex æquo participes, de quo dixi vers. 5.

Nota Tertiò. Pro *esse*, græcè est participium ὄντας, id est existentes, quod aliqui putant per hebraismum redundare. vnde eo ablato planus est sensus: Confido quòd Deus in vobis opus cœptū perficiet, *eò quòd habeam*, &c. *socios gaudij mei omnes vos.* Secundò, Ambros. τὸ ὄντας accipit vt causale, quasi det causam suæ confidentiæ, scilicet quoniam (vt legit Ambros.) omnes gaudij mei participes estis. Tertiò planissimè, vt fatetur Beza, Noster interpres vertit ὄντας *esse*, vt per græcismum participium ponatur pro infinitiuo. q. d. Confido quòd Deus in vobis opus cœptum perficiet, eò quòd habeam in corde, id est memoria, vos fuisse & esse socios & participes gratiæ & gaudij mei, quod sentio in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij: quia nimirum memor sum quòd in ijs quasi socij mihi compassi estis, me omni ope & sumptu adiuuistis, adeoque; in vinculis & tribulationibus meis pro fide susceptis mecum gauisi, immò me solati estis & recreastis. con-

fido enim quòd Deus hunc feruorem vestrum & actus tam heroicos fidei & charitatis vestræ remunerabitur ampliori gratiâ, vt scilicet in ijs perseueretis, imò creseatis, & perficiamini. A

VERS. 8. TESTIS ENIM MIHI EST DEVS] Deum in testem inuocat, iuratque Apostolus. non ergo iuramentum Iudæis quasi imperfectis permissum, Christianis verò illicitum est, vt volunt Anabaptistæ.

τὰ in viscera Christi, *quadrupliciter exponitur.* QVOMODO CVPIAM OMNES VOS, supple esse, ait Anselm. IN VISCERIBVS, id est in intimo corde & amore, IESV CHRISTI] vt intimè vos iungam Christo, & quasi in viscera eius traijciam, vtque Christus vos quasi viscera sua diligat. Secundò, Vatabl. q. d. Testis est mihi Deus, quantum cupiam Christum suam misericordiam (huius enim symbola sunt viscera) effundere in vos. Tertiò & melius, Syrus & Chrysost. *quomodo cupiam*, id est B amem, *vos in viscеribus*, id est propter amorem visceralem & intimum Christi, quem totis viscеribus amo: vel *in viscеribus*, id est, ex amore intimo & visceral, quem Christus quasi ex suis viscеribus mihi afflauit. ita Theophyl. Quartò & optimè, *quomodo*, id est quàm propensè, quàm valdè & ardenter, *cupiam*, græcè ἐπιποθῶ (quod respondet Hebr. כָּמַהּ *cama*) id est amem vos, quanto vos amore complectar. ita Syrus. *in viscеribus Christi*, id est, ea dilectione & affectu, quo Christus in viscеribus, id est intimè & tenerrimè, vos omnesque Christianos amat; *in* ergo, id est, instar (bet pro caph similitudinis) viscerum, hoc est, amoris visceralis

Viscera sunt visceralis & tenerrimus amor. Christi: vel *in*, id est ex, viscеribus Christi, quasi videlicet ego in Christi misericordiæ & dilectionis viscеribus constitutus, & in ea quasi transformatus, vos ex ijsdem diligerem, nimirum tam tenero, C cordiali, ardenti & visceral amore, quali Christus suos omnes diligit. Solent enim Hebræi רַחֲמִים *rachamim*, hoc est *viscera*, vocare intimos, tenerrimos, ac quasi maternos affectus amoris. Et sic induimus, ac quasi transformamur in viscera Christi, cùm eius misericordiam, compassionem & amorem induimus, in eumque transformamur.

VERS. 9. ET HOC ORO VT CHARITAS VESTRA MAGIS AC MAGIS ABVNDET] q. d. Laudo charitatē vestram, quam hactenus ostendistis, tam in promouendo Euangelio, quàm in vinculis meis, oroque Deum, vt illam foueat, imò adaugeat.

ABVNDET IN, id est cum, omni SCIENTIA] rerum scilicet fidei & salutis, ac præsertim iustificationis, vt sciatis veram iustitiam non à Philosophis, non à Simone Mago, sed à Christo, Christique fide & doctrina, petendam esse. q. d. Oro vt D abundetis tam in charitate quàm in scientia, id est, fide & doctrina Christiana.

VERS. 10. VT PROBETIS POTIORA] vt scilicet discernatis an potior, melior & verior fides sit Simonis Magi, aliorumq; Iudaizantium & hæreticorum, an mea; an præstet eum eiusque sectam iuuare & promouere, an me meumque Euangelium: nimirum vt hac discretione meum verum Euangelium à falsitate & impostur is Iudaizantium & hæreticorum secernatis, complectamini, foueatis & promoueatis vestra charitate.

VT SITIS SINCERI, ne misceatis, adulteretisque veram fidem hæresi & iudaismo. q. d. Videte, ne charitas vestra sit indiscreta, vt Simonianos aliosque falsos doctores specie pietatis se insinuantes foueatis; quia hæc vera non esset, sed adulterina charitas: sed vt tam in fide quàm in charitate, & charitatis officijs sinceri sitis, ET SINE OFFENSA, tum actiua, vt scilicet nullum offendatis & scandalizetis, tum passiua, vt videlicet nusquam conscientiæ pedem impingatis, offendatis, ac in aliquod peccatum incidatis: sed inoffensi, vt legit Ambros. id est inoffenso pede, pergatis in via & vita Christiana, IN DIEM CHRISTI] hoc est, vsque ad diem iudicij. ita Chrysost. Vtrumque significat Græcum ἀπρόσκοποι, nimirum tam inoffensos, quàm inoffendentes.

REPLETI FRVCTV (græcè καρπῶν, id est fructibus) IVSTITIÆ PER IESVM CHRISTVM IN GLORIAM ET LAVDEM DEI] *Fructus iustitiæ* vocat opera iustitiæ, vel generalis, quæ complectitur omnem virtutem. q. d. Oro vt repleamini bonis operibus cuiusuis virtutis, vel iustitiæ particularis, id est, eleëmosynæ & misericordiæ: hæc enim sæpè dicitur *iustitia* in Scripturis, vt dixi 2. Cor. 9. 9. alludit siquidem ad eleëmosynas sibi à Philippensibus missas. q. d. Oro vt similibus misericordiæ actibus cumulemini. ita Chrysost. & Theophylact. Secundò, Anselm. per *fructum iustitiæ* intelligit mercedem quam in cælo pro iustis operibus erant recepturi. Sed planior est prior sensus, vt per fructum, non mercedē, sed opera iustitiæ accipiamus.

Quos fructus Deus in-

Nota τὸ *per Iesum Christum*, pro quo græcè est τῶν (scilicet καρπῶν, fructuum) διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ q. d. Quos fructus facimus & habemus per Christum, eiusque merita & gratiam, idque *in laudem & gloriam Dei*, vt scilicet inde non nos Apostoli, qui hos fructus externa tantùm voce suademus & propenimus, sed Deus internus & vitalis fructuum dator & auctor laudetur & glorificetur.

Moraliter, notat Theophyl. fideles, qui veros virtutum fructus faciunt ad Dei gloriam, eos facere per Christum, alios verò qui ie & sua quærūt, vmbraticos tantùm virtutum fructus facere, non per Christum, sed per vanam gloriam.

SCIRE VOLO VOS FRATRES, QVIA QVÆ CIRCA ME SVNT, MAGIS AD PROFECTVM VENERVNT EVANGELII] Timebat Paulus, inquit Chrysost. ne Philippenses & alij Christiani audientes Paulum Romæ vinctum, turbarentur, putarentque magnam infamiæ notam illi & Euangelio inurendam esse, remque Christianam & Euangelij cursum per hoc remoram passura & impedienda esse. Hinc Apostolus contrarium hîc accidisse narrat, scilicet per sua vincula non impeditum, sed potiùs promotum esse Euangelium.

ITA, inquit, VT VINCVLA MEA MANIFESTA FIERENT IN CHRISTO] id est per Christū & Christi prouidentiam, ait Theophyl. Secundò & potiùs, idem cum Anselmo, q. d. Vt manifestum fieret quòd propter Christum vinctus sim, non propter debita, aut scelera, sicque per vincula mea Christi nomen vbique clarescit.

IN OMNI PRÆTORIO] Græcè ἐν ὅλῳ, id est, in toto prætorio, putà in tota aula Neronis. q. d. Tota aula per mea vincula inaudiuit aliquid de fide & Euangelio Christi. Nota. Nomen vniuersale sumitur subinde pro collectiuo, seu toto quanto, putà *omne* pro *toto*: vtrumque enim significat Hebræū כֹּל *col*. ita Chrysost.

ET IN CAETERIS OMNIBVS] non prætorijs (vnum enim hîc tantùm nominat prætorium, vt patet ex Græco) sed locis, plateis & vicis vrbis Romæ. Chrysost. Theophyl. & alij τὰ *cætera* ad per-

personas referunt. Vnde in Græco non est præpositio *in*. q.d. Non tantùm prætorianis, sed & cæteris ciuibus Romanis manifesta facta sunt vincula mea, quòd scilicet ijs vinctus sim propter Christi fidem.

14. ET PLVRES E FRATRIBVS IN DOMINO CONFIDENTES VINCVLIS MEIS, ABVNDANTIVS AVDERENT SINE TIMORE VERBVM DEI LOQVI] q.d. Plures fratres, id est Christiani, Romæ videntes meam constantiam, libertatem, fructum & gloriam vinculorum meorum, accensi sunt ad æmulationem, vt pari modo intrepidè euangelizarent verbum Deum.

Nota Primò, τὸ *in Domino* à Chrysost. & Theophyl. referri ad sequens *confidentes*. q.d. Animos & audaciam sumentes ex spe & confidentia in Domino: quia enim magnum aliquid videtur de se dicere, Ego ipsos animaui, confidentesq; reddidi; B propterea præoccupat dicens *In Domino*. q.d. Non ego, sed Dominus tam me in vinculis, quàm ipsos per vincula mea animauit, & impauidos verbi præcones effecit. Verùm planiùs τὸ *in Domino* referas ad *fratribus*: fratribus enim secundùm cognationem carnalem opponit fratres in Domino, putà Christo, id est, fratres in fide & religione Christi, in christianismo. Vide cap. 3. 7.

Nota Secundò, *confidentes*, græcè πεποιθότες, id est, fiduciam, audaciam, animos sumentes. Vatabl. vertit, *freti vinculis meis*.

Nota Tertiò. Pro *sine timore* græcè est ἀφόβως, id est impauidè, intrepidè verbum Dei loqui, &c.

15. QVIDAM QVIDEM ET PROPTER INVIDIAM, ET CONTENTIONEM: QVIDAM AVTEM ET PROPTER BONAM VOLVNTATEM CHRISTVM PRAEDICANT] Nota. Virtuti comes est inuidia; & sicut cantharides (vermiculi) rosis, ita inuidia virtuti innascitur, C adeoque signum est heroicæ virtutis, & heroicorum gestorum, cùm quis sentit contra se æmulos concitari. Ita Paulus cùm totam Græciam & Asiam suo Euangelio imbuisset, ideoque vinctus esset, celebre sibi nomen, famam & gloriam peperit: vnde plures sibi concitauit æmulos, qui gloriæ ipsius inuidentes, seque ac suam prædicationē à Paulo obscurari dolentes, illum deprimere, sese extollere, celebresque, famosos & glorioſos Euangelij præcones se facere laborabant. hi ergo non Dei, sed suam gloriam quærentes euangelizabant per inuidiam & contentionem, id est, impellente eos studio contentionis, qua cùm Paulo de fama & gloria contendere, eumque superare & supplantare satagebant. Alij verò sinceri præcones prædicabant Christum *propter bonam voluntatem*, græ- D cè δι' εὐδοκίαν, id est, propter beneuolentiam, rectam & sinceram voluntatē, vt scilicet non suam, sed Christi gloriam propagarent, illique multas animas lucrifacerent & saluarent. Vnde hanc bonam voluntatē generalem in particulari per speciem, putà charitatem, explicans subdit:

16. QVIDAM EX CHARITATE, SCIENTES QVONIAM IN DEFENSIONEM EVANGELII POSITVS SVM] Hi sunt qui Christum prædicant bona & recta voluntate, nimirum qui prædicant ex charitate, tum in Deum & Christum, tum in me, quia scilicet me amant qui sum Christi præco. hos non inuidia, non hypocrisis, sed charitas impellit ad euangelizandum; charitas, inquam, non tantùm Christi, sed & mei: de hac enim subdit, *Scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum*. S. Chry-

A sostomus cum suis accipit defensionem faciendam à Paulo in die iudicij, qua Christo iudici Euangelicæ prædicationis, & conuersionis Gentium sibi creditæ & commissæ rationem reddere debebit. q.d. Sciunt hi sinceri præcones mihi ratione Christo iudici esse reddendam huius prædicationis mihi demandatæ; vt ego tunc facilè me possim defendere, & ostendere me expleſſe siue per me, siue per alios prædicationem Euangelij; hac de causa ipsi me iuuant in prædicando & propagando Euangelio. Verùm simpliciùs cum Anselmo & alijs accipiemus *defensionem*, vel, vt græcè est ἀπολογίαν, quam Paulus coram Nerone, Romanis & Iudæis iam iam facturus erat, vt se suamque causam defenderet. Vnde ait, *in defensionem Euangelij positus sum*: nam in die iudicij non faciet defensionem Euangelij, sed sui ipsius. q.d. Alij prædicāt ex charitate, qua amant me tanquam deſignatū & constitutum à Deo defensorem & propugnatorem Euangelij; iuuant ergo me in prædicando, vt Euangelij causam iuuent & promoueant. Vnde quia mihi in vinculis palàm prædicare non licet, hinc ipsi publicè pro me ardentiùs euangelizant, itaq; causam meam pro qua vinctus sum, & defensionē quam facturus sum coram Nerone, adiuuant, omnibusq; conantur persuadere causam meam, scilicet Euangelium, iustam esse & sanctam.

Defensio Euangelij duplex, prima coram Deo:

Secunda coram Nerone.

QVIDAM AVTEM EX CONTENTIONE CHRISTVM ANNVNCIANT NON SINCERE, EXISTIMANTES PRESSVRAM SE SVSCITARE VINCVLIS MEIS] Græca hæc transponunt, sed eodem sensu. Pro *non sincerè* græcè est οὐχ ἁγνῶς, id est, non purè, &, vt S. Augustin. lib. 2 contra Petilian. non castè; Ambros. vertit, *non simpliciter*: vnde videtur legisse οὐχ ἁπλῶς. q.d. Non pura & sincera intentione prædicant Christum, sed fictè, fraudulenter, contentiosè & perniciosè; nimirum vt sua prædicatione, & Euangelij ac christianismi propagatione magis concitent Neronem contra me, quasi omnis huius prædicationis auctorem, vt Nero in vinculis magis me premat, affligat, imò interimat; vt nimirum me interempto ipsi soli euangelizent, omnes post se discipulos abducant, itaque ipsi quasi summi doctores & Apostoli glorientur ac triumphent. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. & alij. *Pressuram* ergo intelligit à Nerone inferendam, & Secundò, mœrorem animi, quem inurere Pauli animo volebant inuidiosa sua & contentiosa prædicatione. Vnde huncà se mœrorem amoliturv. seq. Exclamat hîc Chrysost. O *crudelitatem, ô diabolicam energiam! vinctum videbant, & tamen adhuc inuidebant, auctas volebant eius calamitates, maiorig, regis iræ obnoxium facere.* Verè dixisset Paulus quod Socrates: Non Nero, non Romani, sed sola, quæ tot viros præstantissimos, me quoque occidit inuidia.

Vers. 17.

Sola Paulum occidit inuidia.

QVID ENIM? τί γάρ, id est, enimuero quid? quid igitur? q.d. Ipsi putant me premere, affligere & pungere, ergòne verè me premunt, affligunt & pungunt? Resp. minimè: nam DVM OMNI (quouis) MODO, SIVE PER OCCASIONEM, SIVE PER VERITATEM, CHRISTVS ANNVNCIETVR; ET IN HOC GAVDEO, SED ET GAVDEBO] Græcum πρόφασει, non tantùm occasionem, sed & prætextum significat: opponitur enim veritati, id est sinceritati. Vnde Tertul. libr. 5. contra Marcionem vertit, causationem. q.d. Hi contentiosi & inuidi prædicant Christum, sed in speciem tantùm; quia non quærunt Christi gloriam, sed suam, nec animarū,

Vers. 18.

sed

sed pecuniarum lucra; huic tamen suæ ambitioni, inuidiæ & auaritiæ prætexunt prædicationem Christi, causantes se propter Christum laborare. hoc autem reipsa est per occasionem Christum prædicare, vt vertit Noster.

Nota. Apostolus factum eorum & prædicationem, vtpote fraudulentam & hypocriticam non laudat, nec de ea gaudet in se (sic enim de peccato & hypocrisi gauderet) sed de eius effectu, scilicet quòd per eam qualem qualem Christus annuncietur & glorificetur: sic fornicator dum pœnitet, dolet de fornicatione sua, sed gaudet de effectu, putà prole insigni inde prognata. Secundò, contemnit Apostolus eorum odium & inuidiam in se, quia vnius Christi gloriam quærit, de qua gaudet, quocumque tandem modo illa euenat: quod efficax est remedium ad aliorum superanda odia & inuidiam. *Remedium inuidiæ ek. vnius Dei gloriam quarere.*

Magnum, inquit Chrysost. *ac philosophicum animum nihil earum rerum, quæ in hac vita tristes accidunt, molestare potest, non inimici accusationes, non detractiones, non pericula, non insidiæ: nequit enim, quasi in quoddam excelsum montis receptus cacumen à quoquam eorum, quibus ab imo subiecta telluris impetitur, prehendi. Talis erat mens Pauli. Quouis montium cacumine sublimiorem spiritualis philosophiæ locum tenebat, eius vtique quæ vera demum philosophia est. Quæ extrinsecus accidunt, verba dumtaxat sunt & puerorum ludus. Habebat tum beatus ille & regem hostiliter sibi aduersantem, & præterea alios quoque inimicos, à quibus præcipuè, & amaris calumniis affligebatur. Et quid dicit? Non solùm, ait, nullo hinc dolore afficior, neque ab officio decedo, sed & gaudeo & gaudebo. Non ad tempus, inquit, sed semper horum gratia gaudebo: nouit enim quòd hoc mihi cedet ad salutem, futuram scilicet. adde, quòd ista inimicitia, & quæ aduersum me est æmulatio, prædicationem Euangelij iuuet etiam & promoueat.* B C

Quinam fuerint hi æmuli & inuidi Pauli.

Chrysost. putat fuisse hæreticos Simonianos.

Quæres: quales fuerint hi prædicatores hypocritæ, Catholicine an hæretici? Hæreticos fuisse censent Chrysost. & Theophyl. suprà, putà Simonianos, quos describit ijsdem penè notis & verbis S. Ignatius epist. ad Trallianos. *Fugite*, ait, *Simonis hæresim habentes Menandrum, Basilidem & eorum sectatores Nicolaitas, Theodotum, Cleobolum: sunt enim vaniloqui, seductores non Christiani, sed Christempori, Christilucriones, quique ex Christi nomine quæstum faciunt, fraude circumuenientes illius nomen, & adulterantes verbum Euangelij.* Et epistola ad eosdem Philippenses penè tota agit contra eosdem, eò quòd docerent Christum non verè & reipsa, sed tantùm opinione & specie tenus natum & crucifixum: quos etiam redarguit Paulus inferiùs c. 3. Verùm de tali specie & simulatione Christi non loquitur hic Apostolus, sed de ipsorummet prædicatorum simulatione & prætextu: hunc enim vocat προφασιν, vt dixi. Secundò, quòd Apostolus non intelligat Simonianos, alioſque hæreticos, ex eo conuincitur, quòd dicat se gaudere, quòd per eos annuncietur Christus: non gaudebat autem de prædicatione Simonis. Simon enim hæreses docebat & prædicabat de Christo, adeoque Christum verum mediatorem & Dei filium è medio tollebat. Vnde de eius prædicatione maximè dolebat Paulus. Sic numquam licet gaudere de prædicatione & propagatione hæresis etiam inter Paganos: licet enim Christum annuncient, simul tamen de eo vel de eius Ecclesia & Sacramentis multas hæreses annunciant, quæ perniciosiores sunt ipso paganismo: ita vt longè præstet nihil veritatis & doctrinæ ab eis accipere, quàm eam tantis erroribus & hæresibus inquinatam haurire. Dico ergo cum Anselmo, probabilius est hos contentiosos prædicatores fuisse Christianos, oriundos ex Iudæis, vt videtur, sed ambitiosos, mercenarios & improbos, vtpote qui Pauli æmuli ex Euangelio non aliud quàm suam gloriam & lucrum quærebant. Tales fuerunt & illi, contra quos agit Paulus 2. Cor. 11. En quid etiam inter Christianos facit cæca ambitio & inuidia, prorumpit ad pressuras Pauli etiam vincti, eique insidias & mortem machinatur per suum ipsius Euangelium, ipsoque facto dicit: Pereat Paulus, pereat prædicatio, pereat fides, pereat respublica, pereat Ecclesia, ac simul cum ea pereamus & nos ipsi, dummodo ad breue tempus, ad momentum simus in honore & gloria. Verè S. Chrysost. homil. 41 in Matth. *Inuidia*, inquit, *pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, atque est dæmonem immanissimum conuertit: inuidiâ prima hominis* (Abel) *cædes apparuit; inuidiâ fraterna charitas contempta est; inuidiâ sanguine hominis terra primò maculata; inuidiâ denique factum est, vt hiatu suo terra Dathan, Core & Abiron, vniuersumq; illorum populum viues absorpserit.* *Inuidia mater est homicidij.*

Nota hìc inuidiæ conditionem. Nam inuidia similis est ophthalmiæ, quæ rebus valdè splendidis & lucentibus offenditur & læditur: sic enim inuidia aliorum bonis, virtute & gloria acerbatur & tabescit. Vnde Aristoteles rogatus quid esset inuidia? respondit, Est antagonista fortunatorum. Ex aduerso Actius, vir nobilis & sapiens, cùm coram Frederico Rege dissererent Physici, quid præcipuè conferret oculorum perspicuitati? alijque fœniculi esum, alij vitri vsum, alij aliud afferrent: At ego, inquit, inuidiam aio: hæc enim est quæ facit, vt quis alienis in rebus cernat acutùm, refert Pontanus. Plura de inuidia dixi Gen. 37. 4. *Inuidiæ Proprietates.*

SCIO ENIM QVIA HOC (eorum odium & inuidia, qua mihi mœrorem, & Neronis iram conciliare student) MIHI PROVENIET AD SALVTEM] vel præsentem, inquit Chrysost. vt à morte & Neronis ira liberer, vel potiùs spiritalem & æternam: hanc enim Apostolum spectare, non autem præsentem & corporalem, patet ex seqq. cùm ait, *Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.* Vitam ergo hanc, vti & mortem contemnebat Apostolus, tantumque spectabat spiritalem & futuram, vt in ea Christus magnificaretur. q. d. Ipsi satagunt me affligere & mœrore conficere: sed ego gaudeo. scio enim, & in Dei bonitate ac prouidentia confisus certò mihi persuadeo omnes eorum machinationes mihi cessuras in bonum, scilicet in maius patientiæ meritum, decus, & aliorum exemplum, ac consequenter in salutem tum meam, tum aliorum multorum: ad hanc enim omnia hæc conuertet Deus, qui diligentibus, & sperantibus in se omnia cooperatur in bonum; idque fiet Vers.

PER VESTRAM ORATIONEM ET SVBMINISTRATIONEM (Syrus donationē) SPIRITVS IESV CHRISTI, si videlicet vos oretis (quod tacitè peto) pro me, & vestra oratione mihi impetretis Spiritum Christi, vt scilicet is mihi à Deo copiosus donetur & subministretur SECVNDVM EXPECTATIONEM ET SPEM MEAM] q. d. Quem Spiritum subministrari mihi magna spe & desiderio, quasi exerto in cælum capite & ore anhelus à Deo exspecto: hoc enim Vers.

nim est Græcũ ἀποκαραδοκία vt dixi Rom. 8. 19.

QVIA IN NVLLO CONFVNDAR] Aliqui referunt hoc ad immediatè præcedentia. q.d. Spero quòd in nullo confundar: sed meliùs referas ad superiora. *Scio quia hoc mihi proueniet ad salutem.* q.d. Scio hæc odia mihi cessura ad salutem & gloriam, quia quidquid ex ijs de me eueniat, non confundar, non pudefiam: quia nullius veræ culpæ, aut peccati mihi conscius sum.

SED IN OMNI FIDVCIA, SICVT SEMPER, (ita) ET NVNC MAGNIFICABITVR CHRISTVS IN CORPORE MEO SIVE PER VITAM, SIVE PER MORTEM] Pro *fiducia*, græcè est παῤῥησία, id est libertate, constantia. q.d. Quidquid de me fiat, siue occidar, siue viuam, solita mea vtar libertate & constantia, vt per illam magnificetur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. si enim occidar, & cõstanter moriar pro Christo, magnificabo Christum meo martyrio: sin viuam, constanter Christum prædicabo, itaque eumdem magnificabo. Nota. Pro magnificabo dicit Apostolus passiuè *magnificabitur*, ob modestiam, ne sibi suisque viribus hanc magnificationem ascribere videatur.

MIHI ENIM VIVERE CHRISTVS EST, ET MORI LVCRVM] *Viuere*, id est, vita mea est Christus, vita, inquam, id est, vitæ meæ causa Christus est, eaque triplex. Primò, est causa efficiens vitæ meæ spiritalis eamque conseruans. Secundò, est eiusdem vitæ causa obiectiua & exemplaris. ita Anselm. Tertiò, & magis appositè ad mentem Apostoli hic, Christus est vitæ meæ causa finalis: quia Christi amor & honor me mouet ad omnia opera, labores & passiones fortiter suscipiendas. illud enim in homine radicaliter est vita quod est principium motus & actionum vitalium in eo. *Christus*, inquit Theophyl. *mihi spiritus & lumen & vita est, tum naturalis, tum supernaturalis, tum beata.* Egregiè verò Chrysost. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* q.d: *Etiam moriendo non moriar, eò quòd vitam habeo in meipso. Tum verò demum me occiderint, si per metũ & terrorẽ animo meo fidem potuerint excutere; donec verò Christus in me fuerit, etiamsi mors ingruerit, viuam. Et in hac quoq; vita non meum est istud viuere, sed Christi. Si verò neque in hac vita, quid in futura? Quod verò nunc in carne, inquit, viuo, in fide viuo. Illud & alibi dicit: Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus. Talẽ oportet esse Christianũ.* Et inferiùs: *Nihil molestiæ inferẽt, qui me occident, eò quòd ad vitam meam me dimittent & promouebunt, & ab ista non admodũ commoda liberabunt. Quid igitur? Paule. num hic existens Christi non es: & hic planè illius sum: quòd si verò contingat in carne viuere, id mihi fructus est operis, & quid eligã ignoro. ne quis dicat, Quòd si mors tibi vita est, qua te ratione Christus hic reliquit? fructus est operis, inquit.*

ET MORI LVCRVM] Primò simpliciter, q.d. Mors est lucrum beatitudinis; mortem ergo non timeo, quia si occidar & moriar, lucrabor vitam æternã, & in cælum euolabo, præsensque fruar ac fruar Christo. ita Chrysost. Anselm. Ambros. D. Thom. Theophyl. Oecumen. sic ferè & Vatabl. Causa, inquit, optandi mihi vitam longiorem est, vt pluribus Christum annunciem; vita autem æterna, quam lucrum existimo, incitat me ad mortem optandam. Et Erasmus: Si viuo, Christi causa viuo; si moriar, meo commodo & lucro morior: quasi sibi, si suum commodum spectet, vtilius sit mori; sin Christi commodum spectet, vtilius sit viuere. Vnde & S. Ambrosius lib. de Bono mortis, ca. 2. *Apostolus*, inquit, *prius ad vitæ necessitatem refert, posterius ad mortis vtilitatem. viuere seruo Dei Christus est, mori lucrum: quasi seruus enim non refugit vitæ obsequium, & quasi sapiens lucrum mortis amplectitur.* q.d. Apostolus: Ego vt seruus Christi, non refugio laboriosa vitæ obsequia; &, vt sapiens, lucrum mortis amplector.

Verùm hoc sensu vox *enim* dat causam non proximè præcedentiũ, sed illius quod dixit v. 19. *Scio quia hoc mihi proueniet ad salutem*; quia scilicet, si hæc inuidorum odia mihi mortem per Neronem concilient, mortem hanc æstimabo lucrum salutis & beatitatis æternæ. Iam autem videtur potiùs vox *enim* dare causam proximè præcedentium, cur scilicet magnificandus sit Christus in se, siue per vitam, siue per mortem; *Mihi enim*, inquit, *Christus viuere est, & mori lucrum.* vbi *viuere* respicit quam dixerat vitam, & *mori*, mortem. Vnde meliùs sic exponemus: *mori*, id est, mortis meæ lucrum est scilicet Christus, idem qui est & vita mea, Christus, inquam, id est, coniunctio & fruitio Christi. Vnde verba hæc, ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, id est, *mihi viuere Christus est, & mori lucrum*, videntur ab Apostolo elegantiæ causa transposita, eaque supplendo præpositione ἐν sic ordinari debere: Χριστὸς ἐμοὶ ἐν τὸ ζῆν, καὶ ἐν τὸ ἀποθανεῖν ἐστι κέρδος, id est, Christus mihi est in vita & in morte lucrum, vt Christus sit subiectum, lucrum sit prædicatum, vita & mors sint circumstantiæ & conditio temporis, quæ afficit & denominat prædicatum, vel potiùs coniunctionẽ prædicati cum subiecto. q.d. *In omni fiducia* (id est cõstantia, libertate) *magnificabitur*, id est, magnificabo *Christum in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem*, vt nimirum constanter pro Christo viuam & prædicem, vel martyrium subeam & moriar: cuius constantiæ causam subdit, dicens, Mihi enim Christus & in vita & in morte lucrum est. ideo enim viuere non recuso, nec mori timeo, quòd tam in morte quàm in vita Christo seruiam, Christo vniar, Christum lucrer, itaque Christus tam in morte, quàm in vita mea magnificetur & glorificetur. Christus enim est amor meus, & omnia: præter eum nihil amo, nihil timeo. Vnde si Christum inueniam & lucrer, perinde mihi est, siue viuam, siue moriar. Sic Rom. 14. dixit: *Siue viuimus; Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur. siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.*

Secunda genuina: mori, id est mortis lucrum est Christus Christiq; fruitio.

Ad hoc mortis & Christi lucrum anhelabat S. Ignatius. *Rogo vos*, inquit epist. ad Romanos, *ne erga me intempestiuè benenoli sitis. sinite me bestiarum escam esse, per quas Deum assequi licet. triticum Dei sum ego, & bestiarum dentibus molar, vt purus Dei panis reperiar: potiùs allicite bestias, vt mihi sepulchrum fiant, nihilq; relinquant de corpore meo, ne, dum obdormiero, cuiquam oneri sim inueniar. tunc verò verus Christi Iesu discipulus ero, quando nec meum corpus quidem mundus videbit.* Et paulò inferiùs: *Nunc disco in eo vinctus nihil mundanum concupiscere, aut vanum. A Syria Romam vsque cum bestiis depugno, per terram, per mare, nocte dieq; colligatus decem leopardis, hoc est, decem militibus qui me custodiunt, qui etiam beneficiis affecti, deteriores euadunt. Vtinam fruar bestiis illis, quæ mihi præparatæ sunt! quas velim mihi veloces reperiri, quas etiam alliciam, vt compendio me deuorent, non vt quosdam territa non attigerunt, eaq; nisi voluerint vltro, ego vim inferam. Ignis, crux, bestiarum cuitiones, dissectiones, distractiones, ossium dissipationes, concisiones mem-*

Ad mortis lucrum anhelabat S. Ignatius.

membrorum, totius corporis constrictio, & tormentum diaboli in me veniant, tantùm vt Iesum adipiscar.

Morale, mortuos non esse lugendos.

Moraliter, S. Chrysost. hîc in morali homil. 3. docet Christianos non debere lugere fideles mortuos, eò quòd mortui sint, quia mors eis lucrum est vitæ melioris; sed lugendos esse & adiuuandos, si in aliquibus peccatis mortui sint. *Desleamus*, inquit, *istos, iuuemus eos pro viribus, procuremus eis aliquid auxilij. Quomodo, quáue ratione? Precantes adhortemur & alios vt pro illis orent, pauperibusq; indesinenter pro illis eleëmosynas demus.* Et infrà: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorũ mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Nouerant illis multum hinc emolumentum fieri, multum vtilitatis; stante siquidem vniuerso populo manus in cælos extendente, cœtu item sacerdotali, venerandoq; posito sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iis orantes?* Notent hæc Nouantes, discantq; Chrysostomi tempore, quando pura & illibata, vel ipsis fatentibus, erat Ecclesia solitas fieri preces, suffragia & sacrificia pro defunctis, vtique in Purgatorio existentibus: nam pro damnatis in inferno, vbi redemptio nulla est, orare non licet; ergo credebat tunc Ecclesia Purgatorium esse, animasque in eo detentas à viuentibus adiuuari posse. Rursum vtebatur tunc sacrificio: quo, dic quæso, alio, quã Eucharistico Missæ? Denique in eo pro defunctis orabat, idque ex traditione & sanctione Apostolorum, vt ait Chrysost. Est ergo Missæ sacrificium propitiatorium, non tantùm pro viuis, sed etiam pro defunctis.

Chrysost. iubet orari pro defunctis.

VERS. 22. QVOD SI VIVERE IN CARNE, HIC (græcè τοῦτο, id est hoc: sed vtrumque patitur syntaxis tam Latina quàm Græca, & idem est sensus) MIHI FRVCTVS OPERIS EST] Syrus vertit *si in hac vita fructus mihi est in operibus meis*; Vatablus, *si viuendo fructum aliquem facere possim.* q.d. Si me adhuc viuere operæ pretium est, fructuosum & vtile multis. ita Anselmus.

ET QVID ELIGAM IGNORO] Coniunctio & hîc parit difficultatem & obscuritatem; non enim apparet quid hîc copulet, quídue faciat. Primò, Beza pro *quòd si*, Græcum εἰ δὲ vertens, *si verò*, vel, *vtrùm verò*, sic connectit: Vtrùm verò viuere in carne, hoc mihi sit operæ pretium, & quid eligam ignoro. q. d. Ignoro an operæ pretium sit me adhuc viuere, & consequenter ignoro quid eligere debeam, mortémne an vitam. Verùm non poterat ignorare Apostolus, an operæ pretium esset, vt adhuc viueret; vtpote qui videbat tot gentes à se cõuerti, omnesque Asiæ Ecclesias à se vno pendere, seque vnum spectare: imò ipse paulò pòst idem asserit dicens, *Permanere autem in carne necessarium propter vos.* Adde, Græci εἰ δὲ accipiunt non vt dubium, sed vt assertiuum. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. imò Oecumen. accipit vt causale. q.d. Quoniam operæ pretiũ est me viuere, hinc ignoro quid eligam, an vitam an mortem. Secundò, Erasmus intelligit verbum *contingat*, facitq; duas propositiones, quas connectit copula, &, hoc modo: Quòd si viuere in carne me contingat, hoc erit operæ pretium, & proinde quid eligam, an viuere, an mori, ignoro: sed hîc ex se & sine fundamento supplet verbum *contingat*. Tertiò, obscuriùs idem Erasmus, & ex eo alij docent copulam, &, hîc habere occultam vim excludendi id quod diuersum est, sed eam non satis explicat.

Refellitur expositio Bezæ.

& Erasmi.

Dico ergo per ellipsim supplendum esse ex v. præced. *mori lucrum*. q.d. Si viuere in carne est operæ pretium, & alia ex parte mori mihi lucrum est, quid ex hisce duobus eligam ignoro; hoc enim innuit vox *eligam*: electio enim est inter duo. cùm ergo hîc vnum tantùm, scilicet viuere, ponat Apostolus, alterum ex v. præced. supplendum relinquit. sic enim solent loqui homines dubij, inuoluti & perplexi, vt vnum voce exprimant, alterum quod mente retinent intelligendum relinquant: ita enim loquuntur, quasi menti & phantasijs suis, quibus plenì sunt loquantur. Sic Ruben Gen. 37. v. 30. loquitur: *Puer (Ioseph) non comparet, & ego quò ibo?* q. d. Puer non comparet, & illum à me, vtpote fratrum seniore, pater requiret, quò ergo ibo? si enim ad patrem iero, non habeo quod respondeam; & si intelligat, vti timendum est, crimẽ in Ioseph admissum, illud mihi imputabit. sin aliò iero, magis me suspectum patri de hoc crimine reddam. Affectus enim vehemens verba incidit, multa subticet, imò os claudit, & sæpè verba non verbis sed conceptioni, dolori & affectibus quos in mente gerit, connectit.

Affectus vehemens verba incidit.

QVID ELIGAM] *Magnum*, inquit Chrysost. *hîc mysterium aperuit, nempe potestatem habere se abeundi (per mortem:) quando enim optio datur & electio, potestatem habemus eligendorum. Quid eligam, inquit, ignoro: in tua ergo potestate est: vtique si voluero Deum orare gratiam. Ignoro. Quid dicis Paule? Cùm hinc abiens in cælum migraturus sis, & cum Christo futurus, ignoras quid eligere debeas? Acerbam hîc vitam ducis in fame, siti, frigore, nuditate, curis, persecutionibus, angustijs, & acerbam hanc adhuc vitam desideras? Quis mercator nauem habens multis rerum copijs plenam, cùm liceat iam ad portum appellere, tutoq; quiescere, adhuc tamen in mari nauigare mallet? Quis athleta cupiet amplius certamen, cùm iam liceat coronari? Quis miles cùm iam liceat cum celebritate & trophæis à bello liberari, ac cum rege in ipsis quiescere & refocillari regijs, sustineat adhuc in bello sudare & in acie collocari? Quomodo ergo cupis adhuc in hac vita consistere, quam adeò amaram viuis?* Et inferiùs: *Futura metuis, innumeris malis obnoxius es, & apud Christũ tamen esse non vis? Non, inquit, atq; id propter ipsum Christũ, vt quos illi lucrifeci seruos, expeditiores constituam & solidiores, & vt agricolationẽ illam, quam plantaui, frugiferã reddam. Non audisti me, non quod mihi est vtile, sed quæ sunt proximorũ quærentem? Non audisti, quomodo anathema à Christo fieri concupierim, quò ad ipsum multi concederent?* Ac deniq; hoc epiphonemate concludit: *Quis loquetur potentias tuas Domine, quòd Paulum orbi exhibuisti? Laudarunt te simul omnes angeli, cùm astra creares & solem: verumtamen non ita, quemadmodum cùm Paulũ nobis orbe toto conspicuum faceres. Propterea calo splendidior facta est terra; nam clarior iste solari lumine illustriorem emisit splendorem, clariores extendit radios.* En quanti fecerit Paulus animarum lucrum & salutem proximorum, vt eam suæ beatitudini prætulerit, & propter eam suam cum Christo conuersationem differri optarit: licet enim hoc suum votum & electionem disertè non exprimat Apostolus, satis tamen insinuat cùm ait v. 25. *Et hoc confidens scio quia manebo*, &c.

In Paulo potestas erat cum cupiendi & mori, tum salui, & superstes.

COARCTOR AVTEM E DVOBVS: DESIDERIVM HABENS DISSOLVI, ET ESSE CVM CHRISTO, MVLTO MAGIS MELIVS: PERMANERE AVTEM IN CARNE, NECESSARIVM PROPTER VOS] S. Augustin. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 2. duobus modis hunc locum distingui & legi posse docet. Priore sic: *coarctor è duo-*

VERS. 23. & 24

Ambrosius addit & et vivere enixe cupio, Dei voluntatem. Ita alij MSS. et alij. V. Hedionem MS. 3 fr. l. 1. c. 20. f. 423.

bus, desiderium habens. q.d. Coarctor duarum rerum, scilicet vitæ & mortis, desiderio. Vnde græcè pro *coarctor*, est συνέχομαι, id est, contineor vel vndique teneor, scilicet ex vna parte vitæ, ex altera mortis desiderio. Secundo modo & genuinè, cum Romanis & Louanienſibus ita distinguendum & legendum est, vt post, *coarctor è duobus*: ponatur interpunctio, siue duo puncta; deinde sequatur, *desiderium habens dissolui*, &c. Sensus est, *coarctor è duobus*, id est, à duabus rebus premor & arctor, duæ res vtrimque me quasi medium premunt & arctant. ita Syrus. Vel, vt τὸ ἐκ τῶν δύο, id est, *ex duobus*, sumatur pro ἀμφοτέρωθεν, id est vtrimque, q.d. Vtrimque premor & arctor, hinc desiderio dissolutionis, vt sim cum Christo, inde necessitate permanendi in carne propter vos. hoc enim planè verba significant.

Dissolvi] id est mori. mors enim est dissolutio animæ & corporis.

Nota. Non dicit, Cupio resolui, scilicet in elementa quibus consto; resolui enim tantùm significat interire & interitum: hoc autem non est optabile, nec Apostolus optat interire, sed mori; ita tamen vt permaneat & transeat ad meliorem vitam & statum: vnde non ait, Cupio resolui, sed, *cupio dissolui*, scilicet vinculo, quo anima in hac vita corpori colligatur, quasi luteæ suæ domui aut vesti. Vnde S. Gregorius Nazianz. orare solebat: Domine, solue hanc tunicam ita mihi grauem & ponderosam (corpus hoc mortale & ærumnosum) & da mihi leuiorem. Imò anima colligatur corpori quasi carceri & compedibus, aut potiùs quasi cadaueri, vt aiebat Hortensius (vt dixi Rom. 5. 12.) Sicut ergo illi qui viui à Mezentio cadaueribus erant colligati, ita vt os ori, oculus oculo, manus manui cadaueris astringeretur, vt eius fœtore cruciarentur & exanimarentur, optabant hoc vinculo solui, & cadauere liberari: ita Paulus optabat suo corpore liberari & solui, vt Christo iungeretur. corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, vt non possit cælestia cogitare, sed deprimatur ad corporis necessitates & concupiscentias, morbos pariter & ærumnas. anima enim omnes corporis fœtores, phlegmata, excrementa, sordes, æquè ac bestiales cupiditates sentire ac pati debet, perinde ac si cadaueri foret colligata; tolle enim animam, quid est corpus aliud quàm cadauer? imò præsente anima corpus fœtet, fordet, tabescit, putrescit, ac si cadauer esset. Quis non optet hoc cadauere, hisce vinculis solui ac liberari? Verè S. Gregorius 4 Moral. cap. 41. *Dissolui*, inquit, *Paulus non quæreret, nisi se vinctum videret. hæc verò vincula quia certissimè rumpenda in resurrectione conspexerat, tam quasi rupta Propheta gaudebat, cùm diceret, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Et S. Augst. *Qui desiderat*, inquit, *dissolui, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, & delectabiliter moritur.*

Nota. Pro *dissolui* græcè est ἀναλῦσαι, quod est vocis mediæ, vnde tam actiuè quàm passiuè sumi potest, vt significet non solùm *dissolui*, vt vertit Noster, Vatablus & alij; sed etiam dissoluere vel soluere, estque verbum nautarum è portu soluentium & proficiscentium. sicut enim καθαλύειν est aurigarum, cùm dissoluũt funes equorum & curruum, vt se componant in diuersorium ad quod diuertunt: ita ἀναλύειν dicuntur, qui mouent sarcinas, mutantque diuersorium, putà, nautæ cùm soluunt ru-

A dentes; & peregriniæ milites cùm soluunt tabernaculorum funes, vt castra moueant. Vnde Chrysost. ἀναλύειν vertit μεθίστασθαι, id est migrare; S. Hieron. contra Ruffinum vertit, reuerti; Tertull. lib. de Patientia c. 9. vertit, *recipi*; (sed videtur Tertull. pro ἀναλῦσαι, legisse ἀναλῆψεσθαι.) q.d. Paulus: Exul hîc sum, & ex hoc exilio cupio migrare, nauigare, proficisci, reuerti ad portum patriæ cælestis. Verùm meliùs cum Nostro vertas *dissolui*, quàm dissoluere; sequitur enim, *Et esse cum Christo*. q.d. Iam alligatus sum corpori; si hoc vinculo soluar, ero cum Christo, illique astringar. Quòd si voluisset Apostolus actiuè dicere, Cupio soluere, potiùs subiunxisset, Et proficisci ad Christum, quàm *esse cum Christo*.

B Esse cvm Christo, mvlto magis melivs] Id est, esse cum Christo, optimum est. Hebræi enim superlatiuum, reique vehementiam & excessum significant per geminatiõnem, vel conduplicationem. Sic Ieremias c. 23. 4. vidit ficus bonas bonas valdè, & malas malas valdè, id est, ficus optimas & pessimas.

Nota ex hoc loco contra Græcos & Caluinum, animas omnino puras statim vbi corpore excesserint, non dormire, sed esse cum Christo in cælo ac æterna vita; ideo enim cupit Apostolus dissolui & mori, vt sit cum Christo. Quòd si post mortem debuisset exspectare diem iudicij, vt tum demũ Christo frueretur, frustra desiderasset dissolui potiùs quàm viuere, quia tam post dissolutionem & mortem fuisset absens à Christo, quàm si in vita remansisset. ita Chrysost. Theoph. Oecum.

C Moraliter, plerique Sancti dissolutionem hanc desiderarunt, illudq; desiderium nobis commendarunt. Laudare solebat S. Augst. teste Possidonio c. 27. in Vita S. Augustini, illam sententiam S. Ambrosij morituri, qua suis flentibus, ac rogantibus vt à Deo longiorem posceret vitam, respondit: *Non sic vixi vt pudeat me inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Cuiusdam quoque*, inquit Possidonius, *coëpiscopi, & familiarissimi sui amici, in extremis vitæ de talibus frequentissimum referebat* (Augustinus) *dictum: ad quem cùm visitandum iam morti appropinquantem ventitasset, & ille manus gestu se de sæculo exiturum significaret, atque à se illi esset responsum, adhuc cum Ecclesiæ necessarium viuere posse; illum, ne putaretur huius vitæ teneri cupiditate, respondisse ei: Si numquam, bene; si aliquando, quare non modò? Illud etiam cuiusdam ægrotantis dictum afferebat* (Augustinus) *Episcopi, de quo sanctus in epistola sua, quã de Mortalitate scripsit, Martyr Cyprianus ita retulit, dicens: Cùm quidam de collegis & consacerdotibus nostris infirmitate defessus, & de appropinquãte morte sollicitus, commeatum sibi precaretur; astitit deprecanti, & iam penè morientis iuuenis honore & maiestate venerabilis, statura celsus, & clarus aspectu: quem astantem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quòd talem videre iam poterat de sæculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?*

Morale, de desiderio moriendi quod habuerunt Sancti.

D Climachus gradu 6. *Probatus*, ait, *ille est, qui mortem singulis diebus exspectat; sed ille sanctus, qui eam horis singulis desiderat.*

Ita S. Paulus, ait S. Hieron. in eius Vita, primus Eremita S. Antonio se inuisenti, *En*, ait, *quem tanto labore quæsiuisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem mox puluerem futurum. Sed*

quia dormitionis meæ tempus instat, & quòd semper cupiebam dissolui & esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiæ; tu missus es à Domino qui humo corpusculum meum tegas imò terram terræ reddas.

Porro tres sunt causæ quæ sanctum Paulum & alios Sanctos incitarunt ad desiderium hoc, vt cuperent dissolui, quas persequitur S. Ambrosius l. de Bono mortis, & Cyprianus l. de Mortal. Tria enim sunt vincula quæ nos hîc ligant & premunt. Primum, est ærumnarum corporis secundum, concupiscentiæ & peccatorum; tertium, terræ rerumq; terrenarum. Hæc omnia mors dissoluit, facitque nos impassibiles, impeccabiles, cælestes & diuinos. *Triplex*, inquit S. Bernardus in transitu S. Malachiæ, *in morte congratulatio est: homines ab omni labore, peccato & periculo liberari.* Prima ergo causa, quæ facit nos optare hanc dissolutionē, sunt morbi & ærumnæ huius corporis & vitæ: eæ enim tantæ sunt, vt meritò disputet S. Augustl. 13. Ciuit. 10. an hæc vita potiùs mors dicenda sit, quàm vita. Idem in illud psal. 78. *Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum*, ait: *Compedes sunt infirmitates, & corporis corruptibilitas, quæ animam aggrauant. Ab his cōpedibus concupiscebat dissolui Apostolus, & esse cū Christo. donec ergo corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, velut compedibus caro infirma impedit promptū spiritum.* Et S. Gregor. hom. 37. in Euang. *Temporalis*, inquit, *vita æterna vitæ comparata mors est potiùs dicenda quàm vita: ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis.* Sanè vita hæc non aliud esse videtur quàm vitalis quædam, longa & lenta mors. E contrario verò quid est aliud iustorum mors quàm finis laborum, principium quietis: fuga tristitiæ, & aduentus lætitiæ: sedatio tempestatis & initium tranquillitatis: consummatio exilij, & reditus in patriam, in quam tot ærumnis superatis, tot laboribus exantlatis, tot afflictionibus emensis remeare anhelamus?

Tria vincula corporis, & tres causæ cur Sancti optent dissolui.

Prima, sunt ærūna corporis & animæ.

Secunda huius desiderij causa est, tum concupiscentia, cum qua perennem & multiplicem ac difficilem luctam gerunt omnes Sancti; tum pericula peccandi mortaliter, ac necessitas peccandi venialiter. Hac ex causa gemit Apostolus se venūdatum sub peccato Rom 7 ideoque, *Infelix*, ait, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Qui penetrat ponderatq; peccati grauitatem, quantum malū, quantorumq; malorum causa sit, Deum offendere; hic suspirat ad mortem, quasi ad peccati & malorum omnium terminum, vt fiat impeccabilis.

Secunda causa, est concupiscētia & pericula peccandi.

Dices, Charitas inclinat ad maius semper & maius sui incrementum, & ad accumulandum maiora semper merita & præmia: hæc autem non per breuem, sed per longam vitam acquiruntur. Respondeo, Ita est; sed tamen si in vna lance ponas spem huius augmenti meritorum & charitatis, in altera verò ponas periculū peccandi, hæc illi longè præponderabit. Periculum enim peccandi, præsertim mortaliter, cui in hac vita semper obnoxij sunt Sancti, ac consequenter periculū damnationis æternæ, tantum est malum, vt nulla augmenti charitatis vel gloriæ æternæ spe compensari ex æquo possit. Idem suo modo & proportione censent Sancti de peccatis venialibus.

Audi, vt alios taceam, cuiusdam nuper sancti Martyris nostri Anglicani hac de re ardēs & ignitū votum. *Si verè amas Deum*, inquit, *certè nihil tibi adeò graue esse potest, atque summam illius maiestatem etiam in minimis offendere, nec quidquā tantopere expetes, atq; remedium aliquod, quo securus esse possis, te numquam amplius Deum offensurum; quòd cùm in hac vita haberi non possit, continuè clamabis cum Psalmista, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! &, Cupio dissolui; &, Quis mihi det pennas? Magnum quidem est pro amore Dei laborare, dolores & tormenta tolerare, magnum animas lucrari, magnum in Religione cum continua sui victoria viuere: si tamen hæc fieri non possint, quin Deum meum offendam, mallem hu omnibus omissis citò mori, quàm cum quotidiana Dei in quantumuis exiguis offensione, hæc omnia præstare. Melius siquidem, teste S. Augustino, foret totum mundum ruere, quàm vel veniale contra Deum peccatum admittere. Si tamen Deus huius miseriæ conscius velit vitam procrastinare, & me in huius calamitatu valle exercere, veniant labor, carceres, tormenta, crux, craticula, leones, veniant tandem quæcumque venire possunt: imò ex animo precor te, bone Iesu, vt veniant, & per vulnera tua & Sanctorum tuorum, supplicitèr peto, vt ab hac hora, in qua hoc scribo, incipiant, & ad vitæ meæ terminum perdurent. Permitte me pro te torqueri, dissecari, flagellari, cædi ac dilaniari; nihil recuso, omnia amplector, omnia sustinebo: non quòd ego puluis id valeam, sed quòd omnia possim in te, & sine te nihil. Foue in me hoc desiderium, & propitius largire desiderij effectum.* Hæc ille cycnæa voce martyrij iam candidatus.

Ardens votum Henr. Walpoli Martyris Anglicani.

Tertia huius desiderij, eaq; potissima causa est, vt ad beatam illam æternamq; vitam transeamus, simusq; cum Christo, & Angelis, & Sanctis. Vnde solam hanc sui desiderij causam exprimit hic Apostolus. Pulchrè S. Gregorius hom. 15. in Ezech. explicans illa verba, *Et mensus est thalamum vno calamo in longum*, &c. sic ait: *Thalami in sancta Ecclesia sunt illorum corda, in quibus animæ per amorem sponso inuisibili coniunguntur, vt eius desiderio mens ardeat, nulla tam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cælestis sponsi visione requiescere. Mens itaque, quæ tam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam, quam diligit, medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris.*

Tertia causa est desiderium Christi & Cœli.

Deinde huius desiderij & vulneris medicinam eamdem quam Apostolus hîc, subijcit, ita dicens: *Menti autem sponsum suum fortiter amanti vna solet esse consolatio, si per hoc, quòd ipsa à Dei visione differtur, aliorum animæ ad cælestem sponsum amoris facibus inardescant. De qua dicitur in Canticis: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Flores sunt animæ, bonum iam inchoantes, & cælestē desiderium redolentes. Mala autem de floribus sunt perfecta iam mentes, quæ ad fructum peruenient boni operis. Qua ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis, vt requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc videre non valet vultum Dei.*

Ita S. Iohannes senex, optansque Christo frui, in fine Apocal. ait, *Veni Domine Iesu.*

Hoc argumento scripsit S. Cyprianus (quem secutus est S. Ambrosius libr. de Bono mortis) tractatum de Mortalitate, ad consolationem Christianorum in communi lue & peste, quæ sua ætate tota Africa per quindecim annos grassabatur: in quo multis rationibus docet, Christianis non esse timendam, sed appetendam mortem. Atque in fine, tertiam hanc de qua iam agimus, causam ita perurget: *Considerandum*, inquit, *est, fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renunciasse nos mundo, & tamquam*

S. Cyprianus ad Demetrianum de mortalitate tractatus.

tamquam hospites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos, paradiso restituit, & regno cælesti. Magnus illic nos charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis, & nobis in communi lætitia est? Deinde beatæ illius vitæ, & cælestium ciuium gaudia ita prosequitur: *Qualis illic cælestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi! quàm summa & perpetua felicitas! Illic Apostolorum gloriosus chorus; illic Prophetarum exultantium numerus; illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus; illic triumphantes virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerunt: remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum iustitiæ opera fecerunt, & ad cælestes thalamos terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus, vt cũ his citò esse, vt citò ad Christũ venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostrã Deus videat, hoc propositum mentis & fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum erga se maiora fuerint desideria.* Hucusque Cyprianus. Hæc paulò fusiùs produxi, quia hic est finis ad quem tota nostra vita tendimus, ideoque assiduè cupimus & nos cum Paulo dissolui, & esse cum Christo.

Refert Ruffinus in Vitis Patr. libr. 2. c. 9. Abbatem Mutium miræ sanctitatis solem stitisse, vt ad discipulum moriturum longè absentem posset peruenire, *Cumq; inuenisset eum iam defunctum, oratione facta osculatus est eum, & ait: Quid magis desiderij habes frater, abire & esse cum Christo, an permanere in carne? Tunc ille recuperato spiritu paululum resedit, & ait ad eum, Quid me reuocas Pater? Melius est mihi redire, & esse cum Christo; permanere autem in carne mihi necessarium non est. Cui dixit: Dormi ergo in pace fili, & ora pro me. At ille continuò reclinans se in lectulo, obdormiuit.* Similiter S. Gregor. lib. 1. Dialog. c. 2. refert Marcellum à morte suscitatum à S. Fortunato Episcopo Tudertino ingemuisse ac dixisse: *O quid feci sti: ô quid feci sti?* Sic & S. Saluium Episc. resuscitatum ingemuisse fusè narrat Gregor. Turonens. l. 7. hist. Francor.

Legimus in vita S. Nicolai Tolentinatis, quòd ipse sex totis ante obitum mẽsibus, paulò ante nocturnas preces, singulis noctibus suauissimum angelorum concentum audiuerit, qui illi quasi prægustationem futuræ vitæ præberet. Quocirca hoc Apostoli dictum crebrò iterabat, *Cupio dissolui, & esse cum Christo:* cumque resolutionis tempus instaret, in extremo spiritu fundere cœpit voces lætitiæ & animi gestientis; cuius inusitati gaudij fratres qui aderant causam perquirentes, audiuerunt ab eo, *Dominus meus Iesus Christus sanctissimæ matri suæ, & Augustino Patri nostro innixus dicit mihi: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui:* in quibus verbis expirauit. Quis non talem mortem, imò transitum in paradisum cupiat, & votis omnibus optet? si talem mortem optas, vitam similem imitare & ambi.

PERMANERE AVTEM IN CARNE NECESSARIVM (græcè ἀναγκαιότερον, id est, magis necessarium) PROPTER VOS.

ET HOC (scilicet necessarium esse vobis, vt maneam in carne) CONFIDENS, græcè, πεποιθὼς, id est

A persuasus, SCIO, QVIA, id est quòd, MANEBO] q.d. Persuadens mihi vitam meam vobis esse necessariam, scio quòd Deus me vobis adhuc concedet, faciétque in vita permanere. Hinc patet epistolã hanc scriptam è primis vinculis, non è secundis: nam è primis fuit liberatus, in secundis à Nerone occisus est Paulus.

MANEBO, ET PERMANEBO OMNIBVS VOBIS] Græcè μενῶ καὶ συμπαραμενῶ, manebo & compermanebo omnibus vobis. q.d. Nolite timere, & lugere orbitatem vestram, quasi me patre vestro sitis orbandi; ego manebo & cum vobis permanebo; quasi pater vobis filijs meis superstes adero, præsens vos visam, absens per litteras & nuncios vos solabor & confirmabo, vt in fide & gratia proficiatis, deque fidei incremento tam vestro, quàm alieno gaudeatis.

B Hisce verbis dubium suum, An optabilius sit viuere, an mori, resoluit Apostolus, satisque indicat præstare viuere, ad institutionem & salutem proximorum, quàm mori, & esse cum Christo. Vnde S. Augustin. in illud psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ:* citans hunc Pauli locum, Paulumque columbæ gementi, & in cælum suspiranti comparãs, *Columba*, inquit, *delicata, religata affectu, non cupiditate, volare non poterat propter faciendum officium.* *Dubiũ resoluit Apostolus, optatq; ad huc viuere.*

Imò salutem proximi præferendam esse martyrio, docet S. Chrysost. hom. 78. in Matth. Hinc & S. Augustin. epist. 81. ad Eudoxium Abbatem scribit, vt Ecclesiæ & proximorum saluti operam suam, si ea necessaria sit, non neget, nec se ab ea per professionem monasticam excuset, affertque rationem hanc: *Quia*, inquit, *si parturienti Ecclesiæ submiſtrare noluerint qui possunt, quomodo filij nascentur?* C Multò magis Episcopum apud subditos suos sæuiente persecutione manere, omniaque aduersa, quin & mortem ipsam, si opus sit, hac de causa pati debere, docet idem Augustin. epist. 180. ad Honoratum.

VT GRATVLATIO (græcè καύχημα, id est gloriatio) VESTRA (qua gloriamini, & gratulamini vobis, quòd per me sitis ad Christum conuersi) ABVNDET IN CHRISTO IESV (id est, in Christi doctrina, lege, gratia, Ecclesia, q.d. In christianismo) IN ME (de me vinculis liberato, vobisque reddito) PER MEVM ADVENTVM ITERVM AD VOS. VERS. 26.

TANTVM DIGNE EVANGELIO CHRISTI CONVERSAMINI] *Conuersamini* est imperatiuus. q.d. Tantùm exigo à vobis, vt ita conuersemini, sicut decet, ac dignum est Christianos, qui Euangelium & Christi legem sectantur, conuersari. VERS. 27.

D VT AVDIAM DE VOBIS, QVIA (quòd) STATIS IN VNO SPIRITV, id est, perseueratis in pari religionis & mutuæ charitatis studio ac feruore, VNANIMES, (græcè μιᾷ ψυχῇ, in vna anima, quasi vobis omnibus vna tantùm esset anima charitatis) COLLABORANTES] græcè συναθλοῦντες, id est concertantes, hoc est, vt Ambros. pariter & concorditer decertantes.

FIDEI EVANGELII] q.d. Fides Euangelij in lucta est, vos quasi athletæ fidem luctantem & laborantem, communi religionis & charitatis spiritu ac zelo adiuuate, vt cum ea, & pro ea generosè decertetis contra Paganos, & quosuis fidei hostes.

ET IN NVLLO TERREAMINI (græcè μὴ πτυρόμενοι, id est, vt Erasmus, non turbati, non tumultuantes; Ambros. non paueſcentes) AB ADVERSARIIS (Gentilibus, qui Christianos persequuntur:) QVÆ ILLIS VERS. 28.

EST CAVSA PERDITIONIS. VOBIS AVTEM SALVTIS, ET HOC A DEO] q.d. Persecutio hæc Gentium ipsosmet perdet, & ducet in gehennam, vos autem ducet ad salutem & gloriam; ad eam hac via dirigente vos ac ducente Deo.

Quid ἔνδειξις.

Nota. Pro *causa* græcè est, ἔνδειξις, id est indicium, argumentum, ostensio, &, vt Ambros. legit, ostentatio. Vnde Beza hîc carpens nostram versionem, *Vetus*, inquit, *interpres ἔνδειξιν maluit causam interpretari, temere quæsita aliena significatione, cùm nusquam afflictio fidelium salutis illorum dicatur causa, sed testimonium.* Verùm respondeant ipsi Erasmus & Vatabl. ἐνδείκνυμι, id est ostendere, sæpè sumi pro facere. Sic ait Paulus 1. Timoth. 4. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit*, id est fecit, exhibuit. Sic Psaltes orat, *Ostende*, id est præsta, exhibe, *nobis Domine misericordiam tuam.* Sic Eccles. 2. 24. *Nónne melius est comedere, & bibere, & ostendere* (dare, & tribuere) *animæ suæ bona de laboribus suis?* Pari hîc modo ἔνδειξιν non tam indicium, quàm causam significare patet: quia persecutio Gentilium illis ipsis perditionis fuit causa, non indicium: nec enim illi hoc indicio credebant se perdendos & damnandos, imò putabant se bene facere, & gratiam mercedemque à Ioue dijsque alijs accepturos. Quòd verò afflictio non tantùm testimonium, sed & causa salutis fidelium sit & dicatur in Scripturis, patet 2. Cor. 4. 17. *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Si gloriæ pondus operatur, illius ergo causa est. Rom. 5. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit:* quia scilicet certò sperãtes ad salutem & gloriam perducit. Vnde inferiùs ait: *Spe salui facti sumus.* Mediatè ergo (mediante scilicet spe) tribulatio & patientia causa sunt salutis. Apoc. 2. v. 10. *Habebitis tribulationem diebus decem, estote fideles* (in tribulatione constans) *vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Constantia ergo in tribulatione parit & meretur coronam vitæ æternæ: sicut victoria in stadio & agone, parit & meretur brauium, est ergo constantia hæc & victoria causa meritoria coronæ & brauij.

Ostendere *Hebræis est facere.*

Afflictio est indicium & causa salutis.

VERS. 29. QVIA VOBIS DONATVM EST PRO CHRISTO, NON SOLVM VT IN EVM CREDATIS, SED VT ETIAM PRO ILLO PATIAMINI] Difficultatem mouet *τὸ pro Christo*: non enim cohæret sequenti, *Vt in eum credatis*; nec enim credimus in Christum pro Christo. S. Anselmus sic explicat *pro Christo*, id est, propter Christum, & Christi merita datum est vobis vt credatis in eum. Secundò, Photius apud Oecum. ὑπὲρ Χριστοῦ, inquit, capitur pro, ἀντὶ Χριστοῦ, id est, à Christo donatum est vobis vt in eum credatis; sed ὑπὲρ nusquam ponitur pro ἀντὶ. Tertiò, deteriùs vertit Beza, *in Christo*, id est, in Christi negotio & religione; nec enim ὑπὲρ significat *in*.

Dico ergo esse hyperbaton. cùm enim vellet Apostolus tantùm dicere, Vobis donatum est pro Christo pati, subijt mentem eius, quòd etiam donatum esset eis in Christum credere, illudque inseruit, ac mox ad id quod primò intenderat redit, subdēs, *Sed etiam vt pro illo patiamini*: tales enim raptus & hyperbata vidimus Ephes. 3. 1. & alias sæpè. Vnde Syrus omittēs *τὸ pro Christo*, clarè sic vertit, *& hoc à Deo ipso datum est, vt non solùm in credendo credatis Messichicho* (Christo) *sed etiam vt pro illo patiamini.*

Hinc Primò, S. August. & Conc. Arausican. can. 5. contra Faustum & Massilienses probat & definit, fidem, & initium fidei, siue ipsum velle credere esse donum Dei; indeque incipere initium salutis in adulto. Adde, hoc ipsum velle credere non tantùm esse donum Dei, sed etiam nobis obtingere ex meritis Christi. quod non benè hîc negat quidam Interpres, docens fidem, & reliquas dispositiones, per quas Christi meritum applicatur nobis, non dari ex meritis Christi, sed ex misericordia & gratia Dei quæ Christi meritum præuenit. Verùm hoc Apostolo repugnat, qui omnia dona & gratias, quibus ad salutem dirigimur, tribuit meritis Christi: ipse enim tamquam mediator Dei, hominum redemptor & saluator, omnia reconciliationis, redemptionis & salutis nostræ media & auxilia nobis promeruit, procurauit & impetrauit, vt ostendi Ephes. 1. 3.

Pati pro Christo datur à Deo causa.

Notant hîc Secundò, Chrysost. & Theoph. pati pro Christo vocari ab Apostolo donum Dei duabus de causis. Primò, vt non pudeat eos passionis, sed in ea sint constantes, acceptentque quasi magnum Dei donum. Secundò, ne in eo extollantur, cùm illud non habeant à se, sed à Deo. Sicut ergo fidissimis seruis, in bello probatis, dantur à regibus honorificæ cruces pro mercede laborum, ita dantur & magnis Sanctis à Deo.

Pati pro Christo est quasi suscitato mortuo.

Notant Tertiò, ijdem, hoc donum patiendi pro Christo maius esse, quàm suscitare mortuos, & signa mirãda patrare. *Hîc enim*, inquiunt, *debitor sum* (Deo, qui gratiam suscitandi dedit) *illic autem debitorem habeo Christum. O rem admirandam! Et donat mihi, & super hoc, ipse debet mihi.* q.d. In hac ergo vestra passione gaudere & exultare debetis, ô Philippenses. Vide dicta ex eodem Chrysost. Ephes. 3. 1.

Pati pro Christo quia singulare Dei donum, quia testimonium fidei, quia patientiæ.

Nota Quartò, pati pro Christo esse singulare Dei donum, non tantùm eatenus, quatenus Deus obijcit homini occasionem sicuti fidei, ita & martyrij, similiumque afflictionum pro fide & Christo tolerandarum (vti explicat hîc commentarius Hieron. ascriptus, qui potiùs est Pelagij, vel Pelagiani alicuius, vt ex hoc loco & similibus patet;) sed etiam hoc ipsum pati pro Christo est donum Dei: quia Deus patienti affectum, desiderium & fortitudinem patiendi pro Christo aspirat, vt contra Pelagium passim docet Augustinus.

VERS. IDEM CERTAMEN (græcè ἀγῶνα, eumdem agonē) HABENTES, QVALE ET VIDISTIS IN ME, ET NVNC AVDISTIS DE ME] Græcè ἀκούετε, id est, auditis de me. q.d. In hoc fidei agone mecum quasi athletæ decertatis, ô Philippenses; idem vobis est agon, qui & mihi, eadem palæstra, idem certamen pro Euangelio: quia pro eo persecutiones, exilia, carceres, bonorum rapinas, aliaque multa patimini, qualia nunc audistis me Romæ pati, & olim vidistis me Philippis patientem, cùm apud vos virgis cæsus sum, & incarceratus, Actor. 16. 22.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VIdentur Philippenses, vti & Corinthij, laborasse ambitione & schismate.

Hinc Primò, ardenter eos incitat ad humilitatem, & charitatem fraternam, tum exemplo Christi Domini, qui se amore nostri humiliauit vsque ad mortem crucis, ideoq; exaltatus est, vt in nomine Iesu omne genu flectatur: tum ex metu & reuerentia Dei, qui operatur in nobis velle & perficere, ipsamq; salutem, v. 12.

Secundò hortatur, vt inter Gentiles quasi luminaria virtutibus præluceant, v. 15. adidq; v. 17. optans martyrium dat se exemplum.

Tertiò, v. 19. & seq. ait se ad eos missurum Timotheum & Epaphroditum ad eorum consolationem & profectum.

1. SI qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: 2. implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes. 3. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, 4. non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. 5. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: 6. qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: 7. sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. 8. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. 9. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: 10. vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: 11. & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. 12. Itaque charissimi mei (sicut semper obedistis:) non vt in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutẽ operamini. 13. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. 14. Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus: 15. vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ & peruersæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, 16. verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. 17. Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis. 18. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi. 19. Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos: vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. 20. Neminem enim habeo tam vnanimẽ, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. 21. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. 22. Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut patri filius, mecum seruiuit in Euangelio. 23. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt. 24. Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò. 25. Necessarium autem existimaui Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: 26. quoniam quidem omnes vos desiderabat: & mœstus erat propterea quòd audieratis illum infirmatum. 27. Nam & infirmatus est vsque ad mortem: sed Deus misertus est eius: non solùm autem eius, verùm etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. 28. Festinantiùs ergo misi illum, vt viso eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. 29. Excipite itaq; illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote. 30. quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit, tradens animam suam, vt impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

SI QVA ERGO CONSOLATIO IN CHRISTO] *In Christo*, id est Christiana, siue quæ sperari & exspectari potest ab ijs, qui sunt in Christo, putà à Christianis, qui vnum sunt in fide & charitate Christi. q.d. Si Christiano more, si ex Christi lege, imitatione, compassione, spiritu, me Apostolum vestrum vinctum consolari cupitis, ô Philippenses. ita Theophyl.

SI QVOD SOLATIVM CHARITATIS] si charitatem consolando me vultis ostendere, si charitas vestra aliquod mihi solatium cupit afferre.

SI QVA SOCIETAS SPIRITVS] si quis sit Spiritus sanctus hominibus Christianis communis; si declarare vultis vos eumdem mecum habere spiritum, si qua vobis in Ecclesia mecum est societas & communio spiritus Christi.

SI QVA VISCERA MISERATIONIS] Græcè εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί, si qua viscera & miserationes

Cornel. in Epist. Pauli.

nes. Vbi Nota Primò, εἴτινα, id est, *si qua*, legit Nosster, Vatabl Beza, & alij; Chrysost. tamen cum suis legit εἴτις, id est, si quis, & tunc est antiptosis, si quis, id est, si qua: ad rem enim non ad verba attendit Apostolus, vide can. 38. Nisi dicas cũ Erasmo abstractum poni pro concreto: si quis est viscera & miserationes, id est, si quis est visceralis & misericors, vt εὐλάγχνα, hoc est viscera, vocet ipsum hominem viscerali misericordia præditum.

Quæ viscera misericordiæ.

Hinc Nota Secundò. *Viscera* vocat viscerales affectus, putà tenerrimam, intimam, & ex imis quasi visceribus miserationem & compassionem: hoc enim est Hebræum רַחֲמִים *rachamim*. q.d. Si qua erga miseros & afflictos, ac præsertim erga me Apostolum vestrum vinctum tenera ac viscerali commiseratione tangimini.

VERS. 2. IMPLETE GAVDIVM MEVM. *Gaudium*, quo me credendo, & collaborando Euangelio cœpistis afficere c. 1. v. 7. complete & cumulate, satagendo scilicet, VT IDEM SAPIATIS, EAMDEM CHARITATEM HABENTES]En quale pathos Apostoli, quot verbis, quanta energia, quanto affectu Christianos Philippenses ad concordiam & charitatem fraternam incitat!

VT IDEM SAPIATIS]Syrus, Vt sit vobis vna voluntas: sed sapere, tam intellectus est, quàm voluntatis. vult ergo eos tam intellectu, quàm voluntate, tam in fide & dogmatibus, quàm in amore & affectu esse concordes, vt idem credant, idem ament.

EAMDEM CHARITATEM HABENTES] *Eamdem*. id est mutuam, vt singuli sese inuicem vna eademque, id est mutua, charitate complectantur, quasi vna eademque charitatis anima viuerent. Secundò, Theoph. & Oecum. *eamdem*, id est æqualem & parem, vt tantum quisque alium amet, quantum amatur ab alio, vt quisque alteri in amore respondeat: magnes enim amoris est amor, iynx & illex efficacissimus amoris est amor. Hoc est, inquit Seneca, philtrum sine veneficæ carmine cogens etiam hostes ad redamandum: si vis amari, ama. Nimirum.

Magnes amoris est amor.

Vt præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis, Marce; vt ameris, ama.

VNANIMES, concordes, itaque coniuncti, ac si in omnibus vna eademque esset anima, quæ tot diuersa corpora regeret, faceretque tot homines IDIPSVM SENTIENTES] vel sapientes, vt paulò antè vertit Noster interpres. nimirum, vt idem omnes sapiant, sentiant, credant, ament, idem velint, idem nolint. Syrus totum hunc versum ita vertit, *implete gaudium meum, vt sit vobis vna voluntas, & vna charitas, & vna anima, & vna sententia.*

Gnoma de concordia.

Vide quàm impensè Apostolus Christianis commendet concordiam. Est enim ea omni muro firmius & inexpugnabilius munimentum. Hinc cùm Lacedæmonij periclitarentur, Isæus Sophista illud Homeri carmen recitauit:

Scutum hæsit scuto, galea galea, atque viro vir.

Et adiecit: *Sic state Lacedæmonij, & muris cincti sumus.* Vnde & Agesilaus Lacedæmoniorum rex rogatus, quam ob causam Sparta mœnibus non cingeretur? ostendit ciues armatos & vnanimes: *Hi*, inquiens, *sunt Spartanæ ciuitatis mœnia.* Lycurgus rogatus ab ijsdem, quo pacto hostium impetum repellere possent? *Si pauperes*, ait, *manseritis, & contentiones mutuas deponatis.* Duo enim sunt quæ rempubl. euertunt, scilicet immodicæ diuitiæ, & concordiæ neglectus. Scilurus habens octoginta filios, cùm esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Id cùm singuli recusassent, eò quòd videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atque ita facilè confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi inuictique manebitis; contrà si dissidijs & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Testis Plutarch. in Apopht. regum. Scipio expugnata Numantia rogauit Tyresiũ principem, qua de causa ea priùs inuicta, iam capta & euersa esset? respondit Tyresius: *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.* Micipsa apud Sallustiũ iamiam moriturus, filios suos paterno monuit affectu, vt concordes essent, eis aureum hoc memoriale relinquens: *Concordia res paruæ crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur.*

NIHIL (supple, facientes) PER CONTENTIONEM. VERS. 3. Ambros. legit *irritationem*, qua scilicet alios ad contentiones & lites prouocetis, NEQVE PER INANEM GLORIAM, græcè κενοδοξίαν; SED IN HVMILITATE SVPERIORES SIBI INVICEM ARBITRANTES] id est, vt Vatablus, sed per humilitatem quisque alium se superiorem & præstantiorem arbitretur & existimet. Notat S. Gregorius 34. Moral. 17. vel, vt alij codices distinguũt, c. 16. τὸ *inuicem: Ne dum*, inquit, *se alter alteri humiliat, humilitatio iret alteri in elationem, bene vtramque partem admonuit dicens: Superiores sibi inuicem arbitrantes. vt in cogitationibus cordis & ego mihi illum præferam, & vicissim ille me sibi: vt cùm vtraque parte cor inferiùs premitur, nullus ex impenso honore subleuetur.*

Quomodo humilis verè possit inferiorem se æstimare superiore.

Dices: Quomodo verè & sine mendacio ac falsitate æstimare potest quis alium se superiorem, quem longè videt in donis & gratijs se esse inferiorem?

Respondet Primò, S. Thomas 2. 2. q. 161. a. 3. humilem non debere, nec posse iudicare suam virtutem aut donum maius, quod à Deo accepit (v. g. apostolatum) esse minus eo, quod reuera minus alter accepit (v. g. dono linguarum) nec in eo debere se æstimare inferiorẽ esse alio: sed in eo quòd considerans ea, quæ habet à se: ipso, in proximo verò considerans ea, quæ habet à Deo, meritò hac ratione illum sibi præfert: quia dona, quæ proximus habet à Deo, maiora sunt ijs quæ quisque habet à seipso. Hoc enim est ingenium humilitatis, intueri seipsum, & ea quæ habet à se, suos nimirum defectus & vitia; in alijs verò considerare eorũ bona & dona, quæ habent à Deo: sicut è contrario superbiæ proprium est intueri sua bona, & aliorum mala. Hanc humilitatis indolem clarè quinque regulis explicat noster Salmeron to. 4. p. 3. tractatu 7. pagina 440.

Primus modus considerandi humilis.

Deus cuique dedit aliquam rem qua alios præcellat.

Secundò, experientia constat, Deum ita sua dona distribuisse, vt neminem præterierit, sed cuique etiam plebeio dotem aliquam contulerit, in qua alios præcelleret. Sic videmus in naturalibus, hos ingenio, illos iudicio, alios praxi excellere, hos in eloquentia, illos in philosophia, alios in iurisprudentia, hos in fabrili, illos in pictoria, alios in pistoria, imò in vna & eadem arte, v. g. sculptoria, hunc in isto sculpturæ genere, alium in alio præstare. adeoque si quis solerter singula dispiciat, neminem tam vilem inueniet, qui non à natura habeat indolem, habilitatem & dexteritatem aliquam, qua in hac illáue arte eminere possit, si illi sese addicat, in eaque se exerceat. Idem est in virtutibus, rebusque supernatu-

naturalibus. Sic videmus alios Sanctos in charitate, alios in humilitate, alios in patientia, &c. excelluisse & excellere; imò in eadem patientia & charitate, hunc in hoc genere patientiæ & charitatis alios antecellere, illum in illo, alium in alio, ac ita deinceps. millenæ enim & millenæ sunt species ac varietates cuiusque artis & virtutis.

Solerter hoc notauit Aloysius Lipomanus in Exodi c. 36. lect. 1. *Rarus est*, inquit, *qui non insigni aliqua gratia præter alios donatus inueniatur, qua maximè & Ecclesiam iuuare possit, & ministrare Christo. Huius rei figura & exemplo mulieres quoque à Mose vocatæ sunt ad fabricam tabernaculi, vt nerent pilos caprarum, ex quibus fierent saga, siue cortina ad operiendum tabernaculum.*

Idem disertè docet S. Gregor. hom. 10. in Ezech. probatque Primò, exemplo Petri & Pauli. Petrus enim innocentia, Paulus sapientia præcellebat. Miratur, inquit, Paulus in Petro & Apostolis omnibus innocentiam, cùm ait, *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* vicissim Petrus miratur in Paulo sapientiam, cùm ait, *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.*

Secundò, idem docet exemplo regionum, quarum quæque aliam alicuius rei fertilitate excellit. *Hoc itaque*, inquit, *omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarũ. Poterat namque vni cuilibet regioni fructus omnes tribuere: sed si vna quælibet regio alterius regionis fructu non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Vnde sit vt huic vini, alteri verò olei abundantiam tribuat; hanc multitudine pecudum, illam verò vbertate fructuum abundare: vt cùm illa defert quod ista non habet, & ista reddit quod illa non detulit; per communionem gratiæ, sibi inuicem etiam diuisæ terræ coniunctæ sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes Sanctorum, quæ dum vicissim sibi conferunt quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt, vt in vna omnes charitate iungantur.*

Tertiò, docet electos ea considerare in quibus ab alijs superantur, vt se humilient; reprobos verò considerare ea in quibus ipsi alios superant, vt se per superbiam eleuent, & pereant. *Sed inter hæc*, inquit, *sciendum est, quia sicut electi quique hoc semper in alijs attendunt, quod à Deo melius acceperunt quàm ipsi, vt eos sibi in cogitatione præferant, seq; illis in humilitate substernant; ita reproborum mens numquam considerat quid alter boni ampliùs quàm ipse, sed quid boni ipse ampliùs quàm alter habeat: neque enim pensat quæ bona spiritus alter acceperit, & ipsi desint; sed quæ bona ipsi, & quæ mala alteri adsint. Quod ergo diuina bonitas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reproba vertunt in augmentum elationis; & ex diuersitate munerum à bono deficiunt, vnde crescere in humilitatis bono debuerunt.* Si ergo illud in quoque consideremus, in quo excellit & eminet, verè & meritò illum nobis superiorem arbitrabimur. Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, in quoque fratrum & sociorum illam, in qua eminebat, virtutem contemplabatur, in eaque superari se videns, eamdem æmulari satagebat.

Tertiò, vt rectè D. Thomas suprà ad 2. *Verè*, inquit, *iudicamus & æstimamus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum.* Idem pulchrè docet S. Augustin. de Sancta virgin. c. 34. to. 6.

A *Virgo*, inquit, *ne se coniugata præferat, cogitet occulta dona Dei, quæ nonnisi interrogatione tentationis etiam semetipsum cuique declarant: vnde enim præter alia scit virgo, ne fortè ob mentis infirmitatem nondum sit natura martyrio, coniugata verò sit? Vnde inquam scit, ne fortè ipsa nondum sit Thecla, tam sit illa Crispina?* Et copiosiùs c. 47. *Aliud est enim*, inquit, *pro veritate ac proposito sancto non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti & ferienti. Latent ista in facultatibus & viribus animorũ, tentatione panduntur, experientia propalantur; vt ergo quisque non infletur ex eo, quod videt se posse, cogitet fortè alios posse aliquid, quod ipse non potest; ita seruabitur, non fallaci, sed veraci humilitate: honore mutuo præuenientes, & alterutrum existimantes superiores sibi.* Et rursum c. 51. *Si Deus est custos virginitatis, & Deus est charitas, charitas ergo custos est: locus autem huius custodis est humilitas. Facilius sequuntur Agnum, licet non quocumque ierit, certè quocumque potuerint coniugati humiles, quàm superbientes virgines.* *culta, quæ se superet.*

B Deniq; Aduerte, tam ad charitatem & concordiam, quæ propriè hîc spectat Apostolus, quàm ad omnem virtutem insigne esse hoc medium & fundamentum, si nulli te præponas, sed potiùs omnibus in animo tuo te postponas. Et Secundò, si exteriùs ita te geras, vt idipsum opere demonstres, & in praxin redigas. Ita S. P. Ignatius fundator Societatis nostræ nobis inter prima, pauca & selecta documenta, hæc commendauit: *Nulli sepraponere, est fundamentum omnis virtutis.*

Nulli vel minimo quauis ratione repugnes:
Cedere te potiùs, quàm superare iuuet.

NON QVÆ SVA SVNT SINGVLI CONSIDERANTES, SED QVÆ ALIORVM] Possent hæc verba referri ad proximè præcedentia de humilitate, vt quisque alium se superiorem arbitretur, quasi hîc modum & C medium eam acquirendi præscribat, nimirum vt quisque consideret non sua, sed aliorum bona & dona: ita enim facilè arbitrabitur alium excellere, & esse se superiorem. Secundò & magis genuinè, accipias hæc, vt sit nouum hîc præceptum vel documentum de modo charitatem & vnionem fraternam acquirendi & fouendi. q.d. Vt charitatem mutuam, ad quam vos hortor, foueatis, satagite vt quisque non sua, sed aliorum commoda spectet (hoc enim est σκοπεῖτε) quærat, consectetur. sagittarius enim, qui scopum considerat & spectat, non illud spectat, vt oculos pascat, sed vt eum sagitta contingat, consequatur & configat. hoc ergo significat hîc *considerare*, siue spectare per metalepsin, scilicet vt spectando commoda non nostra, sed proximorum, ea quærere & procurare satagamus. Nota ex can. 36. negationem D hîc significare comparationem; non enim negat, quin quisque suum etiam commodum quærere possit. hoc enim exigit charitas ordinata, vt quisque magis se suaque commoda maximè spiritualia diligat, quàm aliena: sed significat, non ita auarè quærenda esse commoda nostra, vt negligamus aliena. Vnde Græca & Syrus habent, Ne sua quisque spectetis, ἀλλὰ καὶ, sed etiam quæ aliorum. imò significat consilij & charitatis esse, in rebus temporalibus, aliorum potiùs, quàm suum commodum spectare: amicitia enim & charitas licet non præcipiat, permittit tamen & sæpè suadet, vt in bonis fortunæ & subinde vitæ proximum nobis anteferamus. VERS. 4.

HOC SENTITE IN VOBIS, QVOD ET IN CHRISTO IESV] Probat ab exemplo Christi tam quam à causa VERS. 5.

Christus est speculum humilitatis Christianæ.

(hanc enim significat coniunctio causalis *enim*) exemplari, Christianis studendum esse humilitati & charitati, vt quisque non quærat sua, sed aliorum commoda: quia nimirum Christus harum virtutum illustre nobis dedit exemplum, seque earumdem exemplar proposuit, quod Christiani omnes imitarentur, quando ipsemet Deus existens se humiliauit vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt nostræ saluti consuleret. Sicut enim Moses Exodi 25. v. vlt. iussus est à Deo tabernaculum fabricare iuxta ideam sibi à Deo in Sina monte ostensam; *Inspice*, inquit, *& fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: similiter allegoricè Christiani ideam Christi in monte Caluariæ crucifixi perpetuò sibi proponere debent, vt secundùm eam tabernaculum animæ suæ virtutibus construant, & Deo in templum consecrent & adornent.

Dicit ergo, *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*, supple, sentitis, id est, fuisse intelligitis, ait Anselmus. Sed *sentire* hîc non significat intelligere; ad effectum enim pertinet, non ad intellectum: melius ergo sic, *hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*, supple, sensum fuit. Vnde Græcum

Quis usus Christi.

φρονεῖσθω tum actiuè, vt significet, Hoc sentite; tum potius & aptius passiuè vertas, vt significet, Hoc sentiatur in vobis, quod & in Christo Iesu sensum fuit. q.d. Ille sensus, ille affectus humilitatis, misericordiæ, pacis, charitatis sit & sentiatur in vobis, quem in Christo fuisse comperimus. Vnde Syrus clarè vertit, *hoc sentite in vobis quod Iesus Christus*, supple, in se sensit. Notant Chrysost. & Theophyl. nos maximè excitari à Paulo ad humilitatem ex hoc capite, quòd per eam fiamus similes Christo, similes Deo. Deus se humiliat; & tu, qui homuncio es, te exaltas? Fugis humilitatem quasi indecoram & vilem? Erras. honorata est à Deo humilitas, insigne Dei est humilitas; illa ergo te honorabit & decorabit, quia faciet te conformem Deo tuo. Contrà, superbia vilem te & abiectum, vtpote difformem Deo, conformem verò Lucifero, efficiet. Rursum: humilitas exaltauit Christum Deum tuum, deditque illi nomen, quod est super omne nomen; multò ergo magis humilitas potens est & prompta te homuncionem decorare & exexaltare.

Humilitas facit honoratos, superbia viles & abiectos.

Audi S. Leonem serm. 2. de Resurrect. Hoc, ait, *sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, cuius humilitas nulli aspernanda diuitum, nulli est erubescenda nobilium. Non enim in tantum prouehi potest quælibet felicitas humana fastigium, vt æstimet sibi pudendum, quod manens in forma Dei Deus non est arbitratus indignum.* Et mox: *Vestram in illo redamate naturam: quoniam sicut ille paupertate diuitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit; ita & vos eisdem gradibus, eisdem vestigijs, vt cælestia apprehendatis, terrena despicite.*

Præclarè S. Gregorius l. 34. Moral. c. 21. & seqq. in illud Iob 41. *Ipse* (Leuiathan, id est diabolus) *est rex super vniuersos filios superbiæ. Audiant*, inquit, *omnes: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Audiant omnes: Immundus est apud Deum qui exaltat cor suum. Audiant omnes: Quid superbis terra & cinis? Audiant omnes Dominum dicentem, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc namque vnigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit; ad hoc inuisibilis non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc, contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumq; tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is, qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem factus est parvus! Quia enim perditioni nostræ originem superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei.* Deinde per insignes antitheses describit & opponit humilitatem Christi superbiæ Luciferi, ita dicens: *Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus: Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Auctor mortis dicit, In cælum conscendam; auctor vitæ ait, Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Ille dicit, Super astra cæli exaltabo solium meum; iste humano generi à paradisi sedibus expulso, dicit, Ecce venio citò, & habitabo in medio tui, Ille dicit, Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; iste dicit, Ego sum vermis, & nō homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ille dicit, Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo; iste cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Et infrà hæc ipsa prosequens concludit tādem, signum prædestinationis esse humilitatem, signum verò reprobationis esse superbiam. *Ille*, inquit, *nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualis mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac sese contra potentiam conditoris erigere; iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, atque ad mortem veniens, membra sua admonet dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium & Leuiathan iste rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod euidentissimum reproborum signum est superbia; & contrà, humilitas electorum. Cùm ergo quē quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militat inuenitur. Vnusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facilè ostendat, sub cuius seruiat potestate rectoris.* Hucusque S. Gregorius præclarè sensum tam Christi quàm Luciferi describens.

Christus è cælo descendit vt nos doceret humilitatem.

Antithesis Christi & Luciferi.

Signum prædestinationis est humilitas, reprobationis superbia.

QVI CVM IN FORMA DEI ESSET] Commentarius Ambrosio asscriptus Græcum μορφὴ non *formam* vertit, sed externam speciem, figuram, specimen. *Forma*, inquit, *Dei quid est nisi exemplum quod Deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat?* q.d. Licet Christus homo subinde specimen dederit, & quasi scintillas vibrarit diuinitatis, dum scilicet miracula fecit; tamen in terris non se gessit vt æqualem Deo Patri, sed se humiliauit, &c. Ratio Ambrosij est, quia, inquit, Apostolus loquitur de Christo Iesu, id est, de Christo homine, scilicet post incarnationem, non ante. Hoc auidè arripit Erasmus, additque hinc contra Arrianos pro Filij diuinitate non posse validum confici argumentum: nam & alij Sancti fecerunt miracula, itaque ediderunt specimen aliquod diuinitatis, nec tamen fuerunt dij. ita Erasmus hîc & alibi oua posuit arrianismi, quæ noui nuper Arriani excluserunt.

VERS.

Verùm dico, μορφὴ hîc & alibi passim non significare specimen, exemplum, argumentum, sed *formam*, quæ dat esse rei; forma ergo Dei est natura Dei, diuinitas, & Deus ipse. ita Chrysost. Theophyl. Oecum. Hilarius, August. & passim Patres, contra Arrianos, vt fatetur Erasmus. Imò ita explicant Caluinus, Beza & Vatablus. Et patet Primò, quia, vt

vt Chrysost. formam Dei opponit Apostolus formæ serui: atqui forma serui est natura hominis; ergo forma Dei est natura Dei. Secundò, quia subdit Paulus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quia scilicet reuera erat æqualis Deo, ac consequenter erat ipse Deus. Tertiò, quia hoc est argumentum Apostoli: Christus cùm esset Deus, ac proinde in æquali gloria cum Patre, ita tamen se demisit, vt naturam serui, id est hominis, assumeret, fieretque seruus Deo Patri obediens vsque ad ignominiosissimam mortem crucis: quis ergo tam arrogans erit homo, vt alteri homini, qui natura sibi par est, se anteponat? Adde, vt rectè argumentatur Ambrosius eodem hoc loco contra Erasmum, si forma est specimen, illud specimen aut verum est, aut tantùm apparens, & falsum. si apparens tantùm, ergo Christus fuit impostor (quod absit) cùm hoc specimen dedit, & miracula fecit propria virtute ad probandum se esse verum Deum, Deique Filium: si verum, ergo ex eo verè probari & constare poterat diuinitas Christi, Christumque verè esse Deum: secùs est de Sanctis, qui nec propria virtute fecerunt miracula, nec ea fecerunt hoc fine vt se probarent esse deos. Verùm, vti dixi, μορφὴν hîc non speciem & formam accidentalem, vti vult commentar. Ambrosij, sed essentialem significat.

Ad argumentum Ambrosij Respondeo, in Christo Iesu duas esse naturas, vnam diuinam & æternam, quæ fuit ante incarnationem, de qua hîc Apostolus: alteram humanam & temporariam, quam accepit in incarnatione, de qua agit v. sequ. Itaque pronomen *qui* refert personam Christi, id est, personam Verbi, quæ fuit ante incarnationem in forma, id est in natura, Dei: nam non loqui Apostolum de Christo homine, patet, quia subdit, *Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* q.d. Christus cùm ante incarnationem esset Deus, Deoque æqualis, seipsum tamen postea exinaniuit, quando per incarnationem formam serui accepit.

Vbi Nota, τὸ *cùm* esse causale. q.d. Quia in forma Dei erat Christus, ideò consequenter Patri æqualis fuit: forma enim, id est natura, Dei, non est sicut forma, id est natura, hominis, quæ licet vna sit specie, numero tamen est multiplex, & in alijs alijsque hominibus alia est & alia. nam natura Dei, siue diuinitas vna prorsus est & indiuidua ac simplicissima, vt nullos gradus, nullam diuisionem, nullam multiplicationem admittat: sed vbicumque & in quibuscumque personis est, vna & eadem prorsus est, tam specie, quàm numero, ita vt personæ, quibus illa communicatur, omnino sint tum natura, tum æternitate, tum dignitate, tum perfectione æquales. Hinc Chrysost. Theophyl. & alij docent hoc loco doceri totum mysterium incarnationis Verbi: vnam scilicet Verbi personam constare duabus naturis, diuina & humana, quam assumpsit: & consequenter ex hoc loco refelli omnes hæreticos, qui alterutram Christo ademerunt. Hic, ait Chrysostomus & Theophylactus, cadit Arrius, qui Filium minorem Patre asseruit; cadit Photinus, qui Filium non formam, sed energiam Patris esse docuit; cadit Sabellius, qui Filium non æqualem Patri, sed eamdem cum Patre personam esse censuit; cadit Nestorius, qui duas personas in Christo posuit, vt alius esset Christus homo, alius Christus Deus; cadit denique Apollinaris, qui mentem & animam rationalem, ac consequenter humanitatem Christo ademit.

Dices: Cur clarè non dixit Apostolus, Qui cùm esset Deus?

Respondeo, Id dixit, & amplius dixit: per formam enim significat gloriam & maiestatem Dei, eamque opponit formæ, id est infirmitati & vilitati humanæ. Vnde alibi in terminis Filium vocat Deum, vt patet Rom. 9. 5. 1. Timoth. 3 16. Colossi. 2. 9. & alibi.

NON RAPINAM ARBITRATVS EST ESSE SE AEQVALEM DEO] Primò, *rapinam non est arbitratus*, id est, non fecit: (vt iuxta canonem 36. verbum mentale ponatur pro reali, dicere scilicet, vel arbitrari, pro facere) quia non vsurpauit alienum, sed quod suum erat, cùm sentiret, diceret, & gereret se quasi æqualem Patri. Secundò, potest per hypallagen sic accipi: *rapinam non est arbitratus*, id est, arbitrando non rapuit æqualitatem Dei, quia arbitrando, sibi tribuit id, quod reuera erat. Tertiò & simplicissimè sic, q.d. *Non rapinam arbitratus est* (subaudi se facere, cùm sentiret & diceret) *esse se æqualem Deo*, vt cùm dixit, *Ego & Pater vnum sumus*, Iohan. 17. quia quod sentiebat, & dicebat, sibique attribuebat, idipsum reipsa erat: vnde quod erat naturæ, non putauit esse rapinæ: ac consequenter sicut putauit se non rapere, ita reuera non rapuit æqualitatem Dei. ita August. tract. 17. in Iohan. *Rapinam non est arbitratus, tripliciter expouitur. Primò. Secundò. Tertiò. & simplicissimè.*

Nota. *Rapina* hæc est arrogantia, vel arrogantiæ effectus: rapere enim alterius gloriam est eam sibi arrogare. ita August. suprà. *Rapina est arrogãtia.*

Secundò, vt Chrysost. & Vatabl. per metalepsin *rapere* significat rem aliquam, perinde ac si rapta esset, studiosè & contentiosè retinere. q.d. Christus non rapuit, non ambiuit, vt Lucifer Isaiæ 14. 14. æqualitatem Dei, nec vt raptores solent raptum (dum malè sibi conscij metuunt ne illud amittant) studiosè seruauit, & ambitiosè defendit: sed potiùs sponte, quasi legitimus dominus, deposuit, id est celauit, seque exinaniuit, &c. Hoc enim exigit particula aduersatiua *sed*, quæ sequitur, cùm ait, *Sed semetipsum exinaniuit*; alioqui non tam aduersatiua erit quàm explicatiua, capieturque impropriè *sed* pro *verumtamen*.

Pulchrè S. Bernard. homil. 4. super *Missus est*, docet Luciferum cogitasse rapinam deitatis, non Christum. *Altissimus enim Deus Pater*, inquit, *quamuis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque angelum magnum, sed non quantus ipse, & ideò nec altissimum; solum autem Vnigenitum, quem non fecit, sed genuit, omnipotens omnipotentem, altissimus altissimum, æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec iniuriam. Rectè ergo hic erit magnus, qui filius Altissimi vocabitur.*

ESSE SE AEQVALEM DEO] Τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, esse æqualia, id est æqualiter, Deo: nomen enim capitur pro adverbio, inquit Erasmus: quod Noster clarè vertit, *esse se æqualem Deo.*

Nota, *Deo*, supple Patri: est enim hîc nomen personæ; illæ enim æquales sunt. Aliter ergo paulò antè accipitur, vbi dixit, *Cùm in forma Dei esset*: ibi enim Deus absolutè essentiam tribus personis communem significat.

SED SEMETIPSVM EXINANIVIT] ἐκένωσε, exinanuit, VERS. 7.

cuauit, &, vt Tertull. legit, *exhausit*, vel inaniuit, id est inanem & vacuum effecit, vt qui erat plenus maiestate, gloria, robore, adeoque plenitudo totius entis. ea se euacuarit, & ex omni quasi ad nihilum se redegerit, factusque sit ex Domino seruus, ex Deo homo, ex creatore creatura. Sicut enim nomen creatoris est *Ego sum qui sum*, siue τὸ ens, & oceanus ipsius esse; ita creaturæ nomen est *Non sum*: ex se ipsa enim creatura nihil est; nam omne esse quod habet, à Deo habet, illudque assiduè à Deo accipit, adeoque si Deus in illam desinat influere suum esse, & subtrahat manum suam, statim creatura in nihilum, vnde venit, recidet, & euanescet: perinde vt sole abeunte, vel radios retrahente lux omnis in hoc aere euanescit.

Christus ex omni factus est quasi nihil.

Notat Theophyl. Christum in hac sui humiliatione non deposuisse, sed seruasse suam altitudinem & maiestatem, formam scilicet & naturam Dei; ita tamen, vt eam humanitate assumpta velauerit & occultauerit. Secundò, exinaniuit se, non imperio, aut alia vi cogente, sed sponte sua. ita Theophyl.

Hanc Verbi exinanitionem graphicè describit S. Cyril. lib. de Fide ad Reginas *Verbum*, inquit, *humani generis amore incitatum, cùm suapte natura exinanitionis non esset capax, seruili forma suscepta semetipsum exinaniuit, detexitque: qui carnis commercium ignorabat, tui causa carne induitur (Verbum enim caro factum est:) qui ob naturam corporis expertem sub tactum non veniebat, palpabilis efficitur: qui principium nesciebat, secundùm corpus initium sortitur: qui absolutè perfectus erat, incrementa sumit: qui conuerti non potest, ad meliora progressus facit: qui dies, in diuersorio gignitur: qui cælum nubibus tegit, fascijs inuoluitur: qui rex erat, in præsepi deponitur: quem hesterno die pro nostra salute, immaculato puerperio Maria virgo mater effudit, Maria, inquam, genitrix vitæ, mater pulchritudinis, magnificentiæ, lucisq; parens.* Exinanitum est ergo Verbum per assumptionem inanitatis, id est humanitatis; in qua tamen retinet plenitudinem diuinitatis, vt ait Cyril. Et Gregor. Nyssenus citatus in Concil. Ephesino tom. 2. c. 7. *Rex regum*, inquit, *Dominus dominantium seruili forma induitur: omnium iudex mundi huius dynastu vectigalis efficitur: qui complexu suo ambit omnia, locum in diuersorio nullum inuenit, sed in brutorum animantium præsepi reclinatur: demum mortem perpetitur. Vita degustat mortem: iudex in prætorium abducitur: omnium viuentium Dominus, iudicis sententiæ subijcitur: omnium cælestium virtutum Rex, carnificum manus experiri non grauatur. Hoc humilitatis exemplum, hunc abiectionis modum nos expendere Apostolus monet.* Et S. Cyprian. tractat. de Eleëmos. *Hominis filius esse voluit, vt nos filios Dei faceret: humiliauit se, vt populum qui prius iacebat, erigeret: vulneratus est, vt vulnera nostra sanaret: seruiuit, vt ad libertatem seruientes extraheret: mori sustinuit, vt immortalitatem mortalibus exhiberet.*

Eliseus typus Christi.

Huius humiliationis Christi typus fuit Elisæus, qui se corpori pueri mortui coaptans, eum suscitauit, 4. Reg. 4. De quo audi S. August. serm. 11. de verbis Apostoli: *Venit ipse grandis ad paruulum, saluator ad saluandum, viuus ad mortuum. Et quid fecit? iuuenilia membra contraxit, tamquam semetipsum exinaniens, vt formam serui susciperet: paruum se paruo coaptauit, vt efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Sicut ergo ab Eliseo suscitatus est mortuus; sic à Christo iustificatus est impius.* Audi & S. Bernardum serm. 2. super Missus est: *In Christo, inquit, agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Video, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. Video, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari: sed est hæc tristitia lætificans, pauor confortans, mors viuificans.* Hinc infert idem Bernard. serm. 1. de Natiuit. *Quid magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vltrà apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, vt vbi se exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat. Hoc ergo est propter quod exinaniuit se formam serui accipiens, qui in forma Dei Patri æqualis erat: sed exinaniuit maiestate & potentia, non bonitate & misericordia. Quid enim ait Apostolus? Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.*

FORMAM SERVI ACCIPIENS] Id est, naturam seruorum, putà humanam, accipiens factus est homo, factus est seruus.

Nota Primò, Christum ratione personæ suæ diuinæ esse Filium Dei, sed ratione humanæ naturæ quam assumpsit, esse seruum Dei.

Seruitus creaturæ qua constat.

Nota Secundò. Hæc seruitus omnibus creaturis communis, adeoque creaturæ, qua talis est, propria, in duobus consistit. Primò, quòd creatura tota sit subiecta dominio Dei, vtpote quæ totum suum esse à Deo, perinde vt radius à sole, accipit, & continuò accipit. Secundò, quando creatura rationalis est, obligatur in omnibus Deo quasi Domino parere, eum reuereri & colere: quæ duo Christo, vt homo est, competunt, vt cum alijs docet Franc. Suarez 3. p. disp. 44. sect. 1. Sic ergo in Christo natura serua, id est humana, euecta est ad hypostasin filij, & per eam instar filij ius habet ad hereditatem paternam. Itaque Christus homo, & seruus est, & filius; seruus secundùm humanam naturam in se nudè spectatam, filius, quatenus eadem natura humana in hypostasi filij subsistit: verè enim hic homo est filius Dei.

Christus homo est seruus.

Nota Tertiò. Christus non est seruus seruitute legali, vel pœnali, quæ scilicet extrinseca & superaddita est naturæ, qua quis fit seruus, vel ob culpam, vt bello iusto capti, vel ob emptionem, vel quia nascitur ex mancipio, putà matre serua: partus enim, vel fœtus sequitur ventrem. Et hoc sensu Adrianus Papa in Concil. Francofordiensi, & alij Patres, imò S. Iohannes in Euangel. cap. 8 v. 35. negant Christum esse seruum: non autem negant Christum ratione naturæ creatæ quam assumpsit, esse seruum.

Dices: Ad Hebræos 3. v. 5. & 6. Apostolus Mosem quasi seruum opponit Christo quasi filio.

Resp. Meritò: quia Moses merus est seruus, Christus verò ita est seruus, vt tamen sit & filius Dei naturalis, vt dixi.

Hinc patet Quartò, falsam esse interpretationem Marcionis, qui docebat Christum accepisse formam serui, quando linteo præcinctus lauit pedes discipulorum; hoc enim est officium seruorum. & commentarij Ambrosio asscripti, quem sequitur Erasmus: *Christus*, inquit, *accepit formam serui, id est speciem hominis nocentis, cuius personam pro nobis gessit,*

gesſit, dum flagellatus, damnatus, crucifixus est: serui enim ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noë, qui primus meritò serui nomen accepit. Sed hoc rectè refutat S. Chrysost. aliud enim, inquit, est opus serui facere, aliud formam serui accipere: forma enim, vt dixi, naturam significat, non similitudinem, non officium. Vnde se explicans Apostolus subdit: *Et habitu inuentus*, non vt peccator, non vt latro damnatus ad crucem, sed *vt homo.*

IN SIMILITVDINEM HOMINVM FACTVS] Idest, similis hominibus factus. Similitudinem accipe, non accidentalem, non apparentem & phantasticam, vti voluerunt Manichæi, sed substantialem, qua omnes homines dicuntur esse similes specie, seu natura humana. ita D. Thom. 3. p. q. 5. a. 1. ad 1. Sic dicitur Gen. 5. 3. Adam ad imaginem & similitudinem suam genuisse filium, quia scilicet genuit Seth sibi in natura humana consimilem. Sic Coloss. 1. 15. Filius dicitur imago Patris. Et 1. Cor. 15. 49. dicimur gestare imaginem hominis terreni, quia quoad naturam sumus Adæ terreno similes, cum eoque idem specie corpus gestamus.

ET HABITV INVENTVS VT HOMO] Pro habitu, græcè est σχήματι, id est schemate, figura, & specie externa. q.d. Sicut Christus assumpsit internam formam, & naturam hominis; ita quoq; externam hominis speciem & figuram habuit, talique schemate fuit, & corporis forma, quali nos sumus. ita Chrysost. Theoph.

Secundò, Ambros. per schema accipit externam conuersationem.

Tertiò, S. Augustin. l. 83. quæst. q. 73. tom. 4. schema intelligit habitum prædicamentalem, quo quis dicitur hoc illóve habitu indutus & vestitus; Verbum enim naturam humanam quasi habitum & vestem assumpsit & induit. *Hoc ergo nomine habitus*, inquit Augustinus, *satis significauit Apostolus, quemadmodum dixerit, In similitudinem hominum factus, quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cùm indutus est hominem, quem filius vnitus quodammodo atque conformans, immortalitati aternitatiq; sociaret.* Et infrà: *Quo nomine (habitus) oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste mutantur, quamquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulauerit: sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humana fragilitatis assumptor, electum est, vt græcè* σχῆμα, *& latinè diceretur Habitus illa susceptio.* ita S. Augustin. quibus pulchrè docet, quòd in incarnatione Verbum non ita factum sit caro, vt fuerit transformatum in carnem, id est hominem, vti volebant Eutychiani: sicuti dum aër fit aqua, mutatur & conuertitur in aquam; sed quòd ita factum sit caro, sicut homo fit vestitus, & sicut ferrum fit ignitum, & sicut aurum fit statua, vel imago aurea: quia manens Verbum quod erat, ad se humanitatem assumpsit, eamque quasi vestem substantialem induit. Dico substantialem: nam in hoc est dissimilitudo incarnationis, & vestitionis: quòd vnio incarnationis sit substantialis, vestitionis verò sit accidentalis. Hic sensus aptus est, & appositè respondet Græco; primus tamen magis generalis & genuinus est. vult enim dicere Apostolus, Verbum æternum & inuisibile ita assumpsisse formam & naturam hominis, vt illam hominibus spectandam obiecerit, & per speciem ac figuram corporis humani à se assumpti hominum oculis visibilis apparere viderique voluerit, itaque ab hominibus visus & inuentus sit vt homo.

VT HOMO] Id est, sicut quiuis alius & communis homo, cùm tamen Christus esset singularis homo, adeoque Deus homo, ait Chrysost. Secundò simpliciùs, *Vt homo*, id est, verus homo. Notandum enim aduerbia similitudinis, vt, sicut, quasi, sæpè non similitudinem sed veritatem Hebræis significare. Sic Iohan. 1. 14. dicitur, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, id est, vidimus Christi gloriam tantam, quantam decebat eum habere, qui verè Patris erat vnigenitus. ita Theoph. Et hoc sensu ruit argumentum Marcionis: Christus, inquit, tantùm habitu inuentus est vt homo, ergo verè non fuit homo: contrarium enim inferendum erat, videlicet: ergo verè fuit homo, vt patet ex dictis.

HVMILIAVIT SEMETIPSVM FACTVS OBEDIENS VSQVE AD MORTEM, MORTEM AVTEM CRVCIS] q.d. Humiliauit se per obedientiam, siue dum obediit Patri vsque ad mortem crucis. VERS. 8.

Nota Primò. Christus humiliauit se, & obediuit non qua Deus est & Verbum, vt volebant Ariani: sic enim Patri non est subditus, cùm sit illi par, sed quatenus formam serui accepit, seu quatenus est homo.

Nota Secundò. Christus, qua homo & seruus est Dei, verè & propriè Deo fuit obediens: cùm autem vera & propria obedientia non sit, nisi vbi interuenit præceptum Superioris, quod est quasi formale obiectum obedientiæ, vt D. Thomas, & Scholastici docent 2. 2. qu. 104. sequitur Christum à Patre tum alia præcepta (hoc enim innuit vox *vsque*) tum præsertim moriendi in cruce præceptum accepisse, cui humiliter se subdidit Christus, illudque acceptauit, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Nimirum tam graue & durum præceptum accipere voluit Christus, vt perfectum nobis daret tam nobilis virtutis, obedientiæ scilicet, exemplum; ne quis queri possit sibi à suis Superioribus dura nimis præcipi, sed sciat & soletur se quisque cogitans Christum longè durius à Patre subeundæ crucis mandatum accepisse. *Christo fuit datum præceptum moriendi in cruce.*

Moraliter de fuga superbiæ, & amore humilitatis vide hîc Chrysost. in morali homiliæ 7.

Nota Tertiò. Christus quatuor habuit quasi formas & stemmata, quæ Ezechiel c. 1 repræsentat per quadriformes Cherubim. Cherubim enim quatuor habebant facies, scilicet hominis, aquilæ, vituli & leonis. Facies hominis repræsentat humanam Christi naturam, facies aquilæ repræsentat diuinam Christi naturam, facies vituli repræsentat Christi sacerdotium & sacrificium, facies leonis repræsentat Christi potestatem regiam, quam adeptus est resurgendo ex mortuis, & ascendendo in cælum. Hasce quatuor formas & quasi stemmata Christi clara hypotyposi hîc signat Apostolus Primò, formam diuinam, cùm ait, *Qui cùm in forma Dei esset*: Secundò, humanam, cum subdit, *Habitu inuentus vt homo*: Tertiò, pontificiam, cùm addit, *Humiliauit se vsque ad mortem*: Quartò, regiam, cùm concludit dicens, *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Easdem notat Apostolus Hebr. 1. 3. vt ibi dicam. *Quatuor animalia Cherubim repræsentant Christum quadriformem.*

Hinc piè & christianè S. Augustin. epist. 56. *Si quæras*, inquit, *qua via sit ad obtinendam veritatem, quidq; primum*

Humilitas est primum, medium & vltimum in schola Christi.

primum sit in religione & disciplina Christi? *respondebo, Primum est humilitas. Quid secundum? Humilitas. Quid tertium? Humilitas. & quoties interrogabis, toties hoc dicam. Sicut enim Demosthenes in eloquētia primas, secundas, tertias, &c. dedit pronunciationi: ita eadem ego dabo humilitati in schola Christi.*

Et S. Leo epist. ad Dioscorum: *Tota, ait, Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Iesus ab vtero matris vsque ad supplicium crucis, omni fortitudine elegit & docuit.*

VERS. 9. PROPTER QVOD ET DEVS EXALTAVIT ILLVM, ET DONAVIT ILLI NOMEN, QVOD EST SVPER OMNE NOMEN] Nota Primò, *τὸ propter quod* non consequentiam, vel euentum, vt vult Caluinus, sed meritum & mercedem significare: hoc enim significat propriè *propter*; vt cùm dico, Propter laborem diurnum Petrus accepit decem asses; significo Petrum labore diurno meruisse & accepisse mercedem decem assium. Illud etiam significat vocula, *&*, quæ hîc non habet vim copulandi, vt patet (nihil enim copulandum præcessit) sed *ἀνταποδίσεως*, id est, redditionem & retributionem mercedis significat, vt sit idem, quod *vicissim*. q.d. Quia Christus ita se humiliauit, hinc vicissim Deus quasi compensans, & reddens illi iustum & congruum tantæ humilitatis præmium, exaltauit illum.

Christus non tàtùm nobis, sed & sibi meruit, contra Caluin.

Hinc Secundò patet, Christum non tantùm nobis gratiam & gloriam, sed & sibi quædam meruisse; quod licet neget Caluinus, clarè tamen hîc asserit Apostolus dicens: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomē.* q.d. Christus propter tantam sui humiliationem vsque ad mortem crucis, meruit exaltari, vt nomen, non nostrum, sed Christi ipsius exaltaretur, & celebraretur in cælo, in terra, in inferno. Idem patet Apoc. c. 5. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere* (ab omnibus hominibus, vt scilicet omnes homines agnoscant, & laudent eius) *virtutem, diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, honorem, & gloriam & benedictionem.*

Christus sibi meruit gloriam corporis & celebritatē nominis.

Nota Tertiò. Christus duo sibi meruit. Primum est, gloria, non animæ, quia illā habuit à primo suæ conceptionis instanti, sed corporis. ita Chrysost. Ambros. Anselm. Beda, Basilius l. 4. contra Eunomium, August l. 2. contra Maximin c. 5. & alij. Id significat Apostolus per vocem *exaltauit*, græcè *ὑπερύψωσεν*, id est, vt Ambrosius, *superexaltauit*; ad vitam scilicet, & gloriam immortalem super omnes angelos & cælos, statuens Christum ad dexteram Dei. Hinc exaltatio hæc sex excellentias complectitur, quas sibi meruit Christus.

Sex excellentiæ, quas sibi meruit Christus.

Prima, vt rectè S. Athanas. serm. 2. contra Arrianos, est resurrectio; quia enim Christus obediens fuit ad mortem, hinc meruit vt primus à morte resurgeret, vtque mortis victor eam in se & in nobis aboleret. Secundò, meruit sibi dotes corporis glorioſi, vt quia corpus suum ita in passione dilaniandum dedit, hinc pro mercede acciperet in resurrectione corpus gloriosissimum, planè scilicet immortale, impassibile, fulgidissimum, agillimum & subtilissimum. Tertiò, meruit euehi super omnes Sanctos & angelos. Quartò, meruit sessionem ad dexteram Dei Patris. Quintò, meruit potestatem iudiciariam, vt fieret iudex viuorum & mortuorum. Sextò, meruit regnum cæli & terræ, vt quasi rex & dominus mundi imperet angelis, hominibus, omnibusque creaturis. Vbi Nota. Licet hæc exaltatio, & sex iam dictæ excellentiæ, quas exaltatio illa complectitur, Christo debitæ essent ratione vnionis hypostaticæ; tamen alio quoque titulo, videlicet ob merita suæ humilitatis & obedientiæ Christo datæ fuerunt.

Secundum, quod sibi meruit Christus, est nomen super omne nomen, de quo iam dicam.

ET DONAVIT ILLI NOMEN, QVOD EST SVPER OMNE NOMEN] Primò, nomen Dei, & Filij Dei dedit Pater Christo; hoc enim nomen solum propriè est nomen super omne nomen creaturarum quarumlibet, ad quod, vt sequitur, omnes genu flectunt, vt illud adorent. Vbi Nota. *Nomen* metonymicè capitur pro re nomine significata: nomen ergo Dei, est ipse Deus, & diuinitas, cuius maiestas, potentia & gloria ab omnibus, & super omnia nominatur & celebratur. Hinc Apoc. 5. 12. dicitur *agnus*, qui occisus est, *accipere diuinitatem*, non quasi eam acceperit primùm post mortem & resurrectionem: constat enim eam habuisse à primo instanti incarnationis suæ; sed quòd eam acceperit in notitia & fama apud homines in toto mundo, vt nimirum omnibus innotesceret, omnesque crederent Christum esse verum Deum Deique Filium, eumque vt talem colerent & celebrarent. sic enim sæpè in Scriptura res dicitur fieri cùm innotescit, vt verbum reale pro mentali, vel verbali sumatur, iuxta can. 36. ita S. Ambros. Theodor. Anselm. D. Thom. q. d. inquit Theodor. Humiliando se adeò Christus se suumque quod habebat nomen (Deus) non perdidit, vt etiam illud idem nomen acceperit qua homo, acquisieritque humanitati suæ. Idem ergo vobis, ô Christiani, eueniet, nec vos humiliando honorem vestrum perdetis, aut minuetis, sed augebitis & accumulabitis. Verè pulchreque S. Bernard. serm. 34. in Cantica. *Humilitas*, inquit, *in honore, honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis; omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur. Si egregius es, esto tamen de grege: si omnibus præes, non dedigneris subesse.* Et serm. 2 in capite ieiunij: *Quid tu inflaris, ait, ô homo, quid extolleris sine causa? quid altum sapis, & oculi tui omne sublime vident? sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi; laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis; humiliare, & apprehendisti.* Et rursum serm. 2. de Ascensione: *Sola est humilitas, quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. Hæc via, non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit. O peruersitas! ô abusio filiorum Adam! quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandas. Ad sequendum autem te, Domine Iesu, vix inueniuntur, qui vel trahi patiantur, qui duci velint per vias mandatorum tuorum.*

Quod nomen meruit Christus.

Primò, nomen filij Dei.

Humilitas in honore est honor honoris.

Secundò, *nomen*, id est famam, & nominis celebritatem, vt Christus tamquam Messias toto orbe sit notissimus, nominatissimus & famosissimus.

Secundum, id est famam meruit Christus.

Tertiò. & proximè, *nomen* hoc est illud, quod explicat, cùm subdit mox: *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* nomen ergo Iesu, id est, titulum saluatoris & redemptoris, per humilitatem & obedientiam vsque ad mortem meruit & accepit Christus: quia per mortem crucis, factus est saluator & redem-

Tertiò, meruit nomen Iesu.

redemptor mundi. licet enim nomen Iesu in circũcisione sit illi impositum, non tamẽ tunc actu proprio & perfecto fuit saluator, sed tantùm destinatione & inchoatione: tunc enim destinatum & declaratum fuit illum fore mundi saluatorem, quando nimirum pretium sanguine sui pro salute nostra in cruce persolueret; ideoque nomen Iesu nõ à præsenti, sed à futura salute Christo in circumcisione inditum est. sic enim nomina multis sunt imposita, quæ portenderent rem futuram. In cruce ergo consummauit Christus salutem & redemptionem nostram, ac consequenter in cruce factus est actu perfecto saluator & redemptor, indeque nomen & titulum Iesu accepit, vt omnes eum nominent, celebrent, inuocent tamquam Iesum, id est, saluatorem & redemptorem suum, ac consequenter tamquam verum Deum Deique Filium, ac Messiam patribus promissum. hæc enim omnia includit nomen saluatoris & redemptoris, hoc est nomen Iesu. Igitur Iesu nomen non tantùm nomen, sed & rem nomine significatam, vel connotatam hoc loco significat.

10. VT IN NOMINE IESV OMNE GENV FLECTATVR CÆLESTIVM, TERRESTRIVM, ET INFERNORVM] Nota Primò. Alludit Paulus ad Isaiæ 45.1. vbi cùm Isaias cœpisset vaticinari de Cyro, & Iudæorum è Babylone liberatione, quasi de antitypo Christi, qui futurus erat liberator omnium gentium è potestate diaboli & inferni; *Hæc dicit*, inquit, *Dominus christo meo Cyro*, &c. mox v. 8. more prophetico ad antitypum Christum, quem intendebat, auolat: *Rorate*, inquit, *cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem, & iustitia oriatur simul*. q. d. Ego Isaias oro te, ô Domine, vt è cælis mittas Spiritum sanctum, qui veniens in vterum Virginis eam fœcundet, vtque è terra hac nostra in B. Virgine accipiat materiam, ex qua formet Christi corpus, vt sic generetur Christus, iustus, inquam, ille per antonomasiam, qui omnes iustificat.

Et rursum hunc saluatorem describens v. 15. *Tantùm*, inquit, *in te est Deus* (in tua, ô Christe, humanitate sola quasi in templo habitat hypostaticè diuinitas, inquit Chrysost. Theodor. Procopius,) *& non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* Appellatur saluator, id est Iesus, propter assumpti corporis absconditum & arcanum sacramentum, ait Hieron. Vnde LXX. vertunt, *Tu enim es Deus, & nesciebamus*: sed per mortem & crucẽ resurgens, qui absconditus erat, innotuit, totoque orbe nominatur, celebratur & adoratur. Vnde subdit Isaias v. 23. *In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu* (quod hîc ait, Omne genu flectetur) *& iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicet: Meæ sunt iustitiæ, & imperium. ad eum* (Christum) *venient, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino* (per fidem Christi) *iustificabitur, & laudabitur omne semen Israel.* q. d. Illud quod ego Deus semel protuli verbum iustum, non erit irritum, sed reipsa cõplebitur, vt scilicet omnes Gentes me Christum Deum Dominum & saluatorem agnoscant, mihi genu curuent, me adorent, per me iurent, non peridola, & Domino confidentes, dicant: Meæ sunt iustitiæ Euangelij, & meum est imperium Christi; non ad solos Iudæos, sed ad nos Gentes quoque pertinet regnum, id est Ecclesia, & salus Christi. ita Hieron. ibi.

A IN NOMINE IESV] Nota Primò, nomen Iesus, non esse Syrum à radice אָסָא, id est sanare; nec Græcum ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, id est, à curando & sanando dictum, quasi Ἰησῦς, siue Iesus idem sit, quod ἰατρὸς, id est medicus, vt velle videtur Epiphan. hæresi 26. *Iesus*, inquit, *Hebræa lingua curator appellatur, aut medicus, & saluator.* Sic & ab ἰάω nomen Iesu deducit Basilius in Asceticis, & Cyrillus catechesi 10. sub finẽ. Verùm hæc non est propria etymi ratio, sed tantùm accommoda adaptatio. Sicut Nazianz. orat. 2. de pascha, & Tertullian libr. contra Iudæos c. 10. Hebræum pascha à Græco πάσχειν, id est à patiendo, deducit, alludendo scilicet, & accommodando verbum Græcum nomini Hebræo. Multò minùs nomen Iesu est nomen tetragrammaton יְהוָה inserta litera שׁ, vt voluit Osiander: B nam tetragrammaton per ה in fine, Iesus per ע in fine scribitur. nec יְהֹשׁוּה *Iehoschu*, (illud enim hebraicè nullã habet radicem) sed יֵשׁוּעַ Iesus dicitur.

Vera ergo etymologia nominis Iesu est à rad. יָשַׁע *iascha*, id est saluauit; inde enim dicitur יֵשׁוּעַ *ieschua* hebraicè, græcè Ἰησοῦς, latinè Iesus, id est saluator, & ipsa salus: alludit enim nomen Iesu suis punctis & sua terminatione ad abstractum יְשׁוּעָה *iescua*, id est salus, quasi dicas, Ipsa salus, & saluator per essentiam. Hanc esse etymologiã patet Matth. 1.21. *Vocabis*, inquit angelus ad Ioseph, *nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* De nomine Iesu vide plura apud Angelum Caninium in Nomin. noui testam. & apud Galatinum lib. 3. c. 20.

Nota Secundò, nomen Iesu esse nomen super omne nomen: C *non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et ratio est, quia nomen Iesu est nomen propriũ Verbi incarnati: sicut enim nomen meum est Cornelius, alterius Petrus, tertij Paulus, ita Verbi incarnati, siue huius hominis, qui est Filius Dei, nomen proprium est Iesus, vt docet S. Augustin. tract. 3. in epist. 1. Iohan. tom. 9. Significat ergo nomen Iesu totam incarnationis & redemptionis Christi œconomiam, in qua præ cæteris operibus à Deo creatis aut factis relucent & concurrunt Dei sapientia, potentia, bonitas, maiestas, omniaque Dei attributa.

Non bene, inquiebat ille, *conueniunt, nec in vna sede morantur*
Maiestas, & amor;

hæc tamen in incarnatione, & in Iesu sororiantur, D optimeque quasi sorores conueniunt. quid enim est Iesus, nisi summa maiestas, & summus amor? à quo salus, gratia, gloria, bona omnia & in animo & in corpore, tum in hac vita, tum in futura illa & beata per omnem æternitatem nobis obueniunt.

Hinc sequitur Tertiò, nomen Iesu esse maius, sanctius, venerabilius, quàm sit nomen Dei tetragrammaton Iudæis ἀῤῥητον & ineffabile, quod vulgò dicitur *Iehoua*, & absolutè, quàm sit nomen Dei, vt eruditè probat Abulensis quæst. 7. in 20. cap. Exodi. Et ratio fundamentalis est, quia Deus significat Deum, qua dominus & creator est, Iesus verò significat Deum, qua saluator & redemptor est. sicut ergo maius fuit beneficium & opus redemptionis, quàm creationis: ita maius est nomen Iesu, siue redemptoris, quàm sit nomen Dei, siue creatoris. Vnde canit Ecclesia

Nomen Iesu non est Græcum, sed Hebræum.

Nomen Iesu nõ est idem cum tetragrammato.

Iesus idem quod Saluator.

Nomen Iesu est nomen super omne nomen, cur?

Nomen Iesu venerabilius est tetragrammato, quia hoc Deum creatorem, Iesus verò Deum saluatorem significat.

in benedictione cerei paschalis ex S.Gregorio in Pastorali: *Nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset.* q.d. Omnia, quæ propter nos fecit Deus, siue creatio, siue natiuitas, siue quiduis aliud, frustra fuissent, nec nobis profuissent, ni fuisset subsecuta redemptio.

Iesus includit Iehoua. Adde, nomen Dei redemptoris includere nomẽ Dei creatoris; non contrà: redemptio enim præsupponit creationem, non contrà. Quod vt clarius videas, accipe has antitheses: Iehoua significat eum, qui est, reque idem est cum eo nomine, quo se nominat Deus Exodi 3. dicens, *Ego sum, qui sum*: Iesus significat eum, qui creator est, & perditos saluat, viuificat, iustificat, ac beatos facit. Iehoua fons est & principium entis: Iesus fons est & principium gratiæ, gloriæ & salutis. Iehoua fuit contritor & debellator Pharaonis & Ægypti: Iesus cõtritor est diaboli & inferni. Iehoua Iudæorum & veteris testamenti: Iesus Christianorum & noui testamenti est legislator. Iehoua Hebræos per mare rubrum duxit in Chanaan: Iesus per sanguinem suum, quo baptizamur & abluimur, deducit nos in cælum. Hinc nomen Iesu in nomine Iehoua repræsentabatur, & Iehoua erat quasi ænigma Iesu, ac vicissim nomen Iesu est declaratio nominis Iehoua, imò si litteras spectes, nomẽ Iehoscua, id est Iosue, (quod idem est cum nomine Iesu) includit litteras omnes nominis Iehoua, aliasque proprias superaddit, vt ostendi Numer. 13. 17. Vnde infert Abulensis paulò ante quæstionem 7. citatam, *Maius*, inquit, *peccatum est accipere nomen, Iesus in vanum, quàm istud nomen, Deus.* Additque nouam rationem: *Quia Ecclesia communis & laudabilis consuetudo magis honorat istud nomen, Iesus, quàm nomen, Deus. Vnde audito nomine, Iesus, deuoti fideles aut caput inclinant, aut genua flectunt, quod non faciunt audito nomine, Deus; qui ergo contra hoc offendit, dehonorando nomen Iesu, magis peccat, quàm si dehonoret nomen, Deus.* ita Abulensis.

Antitheses Iesu & Iehoua.

Maius peccatum est abuti nomine Iesus, *quàm nomine* Deus.

Vnde S. Augustin. lib. 3 Confess. cap. 4. sibi etiam hæretico hoc nomen semper in veneratione & delicijs fuisse testatur; cùm ait: *Hoc nomen saluatoris mei Filij tui in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat, & alte retinebat: & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamuis litteratum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.*

S. Augustin. à puero deuotus nomini Iesu.

Hinc sequitur Quartò, nomen Iesu cùm sit proprium & adæquatum Verbi incarnati, omnia alia Christi nomina (quæ plurima & præstantissima ei tribuit sacra Scriptura) complecti & transcendere, vt sit nomen super omne nomen. Quod pulchrè docet S. Bernard. serm. 15 in Cantica. *Omnia*, inquit, *nomina Dei aut pietatis gratiam, aut potentiam maiestatis sonant. Nomen potentiæ est Emmanuel, noviẽ pietatis est Iesus. Rursum Propheta, inquit, Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Primum, tertium, quartum, maiestatem sonant, reliqua pietatem. Quod horum ergo effunditur? Profectò maiestatis ac potentiæ nomen in id, quod est pietatis & gratiæ, quodammodo transfunditur, ipsumq; effunditur abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum. Nomen (verbi causa) quod Deus est, nonne in id, quod est Nobiscum Deus, hoc est, in Emmanuel, liquescit & deficit? sic Admirabilis in id, quod est Consiliarius; sic Deus & Fortis in ea, quæ sunt Pater futuri sæculi, & Princeps pacis.* Et infrà: *O nomen benedictum! ô oleum vsquequaque effusum! Quousquè Decalo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit. & de toto orbe clamat Ecclesia: Oleum effusum nomen tuum. Effusum*

Nomen Iesu propriè est Verbi incarnati: hinc omnia alia eius nomina in se includit.

A *planè, quod non solùm cælum terramq; perfudit, sed aspersit & inferos, adeò vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur & dicat, Oleum effusum nomen tuum.*

Moraliter ibidem S. Bernardus doctè & piè ostendit nomen Iesu præstantissimum vocari & esse oleum, quod aquæ, vino, alijsque liquoribus supernatat, ob triplicem analogiam: *Oleum*, inquit, *lucet, pascit, vngit; fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de sponsi nomine. Lucet prædicatum, pascit cogitatum, inuocatum lenit & vngit. Et percurramus singula. Vnde putas in toto orbe tãta & tam subita fidei lux nisi de prædicato Iesu? Nónne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritò Paulus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* *Nomen Iesu est oleum effusum, quia lucet, pascit, vngit. Nomen Iesu est lux etc.*

B *Nec tantùm lux est nomen Iesu, sed est & cibus. An non toties consortaris, quoties recordaris? Quid aquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fouet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto perfunditur. Insipidus est, si nõ hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi ibi legero Iesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesu mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* *An Est cibus.*

Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrùm? veniat in cor Iesus, & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne dissugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, curritque insuper ad laqueum mortis desperando? nónne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, duritia (vt assolet) cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Et paulò inferiùs subdit: *Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemq; ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit Iesus. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quò tui omnes in Iesum & sensus dirigantur, & actus. Denique & inuitaris: Pone, inquit, me signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.* *Est & medicina.*

C VT IN NOMINE IESV OMNE GENV FLECTATVR] Id est, vt omnes genua curuando, Iesu nomen, id est Iesum, adorent. Hinc patet eadem adoratione, D qua adoratur Verbum, siue Filius Dei, adorandum etiam esse hunc hominem, qui dicitur Iesus Christus; Iesus enim significat hunc hominem, qui simul est & Deus & homo: nam cùm adoramus Verbum incarnatum, coadoramus pariter humanitatem, & omnia quæ Verbo inexistunt. ita Theodor. Ambrosius, & alij. *Latreia Christi homo.*

Porro dupliciter coli potest nomen Iesu, æquè ac imago quælibet. Est enim ipsum quasi imago (vt docet Aristotel. lib. Periherm. cap. 1.) & repræsentatio rei nominatæ, siue personæ quæ nomine hoc significatur. Prior modus est, si mens feratur non in nomen, sed in Christum nomine repræsentatũ: & tunc propriè & primariò colitur Christus, æquè ac honor imaginis, vt imaginis, fertur in prototypum. Posterior, si ipsum nomen veneremur in se, ob

ob respectum tamen quem habet ad rem nominatam. Sic enim aliquis ei honos debetur. Potest enim res, quæ ad religiosum alicuius cultum refertur, aliquo etiam modo ipsamet coli, propter id ad quod refertur, vel quod repræsentat. Sic enim osculamur ipsas imagines Christi & Sanctorum, eò quòd sint ipsorum imagines. ita S. Thomas opusc. 60. cap. 6. Serarius in cap. 2. Iosue qu. 16. Franciſc. Suarez 3. p. quæſt. 25. art. 3. ſect. 6. vbi hanc adorationem vocat reſpectiuam & veneratoriam, hoc eſt venerationem, quam huic nomini, æquè ac imagini exhibemus, per capitis inclinationem, oſculum, aliúdve externum veneratio-nis ſignum: licet Gabriel Vaſquez lib. 2. de Adoratione, diſp 8. cap. 3. cenſeat, imagines, & nomen Ieſus. non niſi cum exemplari, vel re nominata, adorari, hoc eſt, tantùm coadorari, nō autem ſeparatim adorari, id eſt coli. Ratio eius eſt: quia imagines in ſe ſunt res inanimes: ergo adorationis incapaces. Hoc verum eſt de adoratione propriè dicta, non de cultu venerationis paulò antè deſcripto, & à Pontificibus ac Concilijs ſancito. Nam, vt ait Catharin. in c. 4. epiſt. ad Roman. *Extat iuſtiſſimum Pontificis decretum, quo mandatur, vt ad hoc nomen Ieſu omnes inclinarent caput.* Et Concil. Moguntinum §. 2. *Codices*, ait, *oculis perluſtrans, cùm ad venerabile & tremendum nomen Ieſu deueniret, caput aperit, inclinatur, & ſuſpirans in cælum oculos attollit.* Nauar. lib. de Orat cap. 4. n. 5. *Concil.* ait, *Lugdun. c. Decet, de Immunit. Eccleſ lib. 6. antea ſtatuit, vt, cùm ſublime illud nomen Ieſus pronunciatur, omnes illud veneremur, ſaltem capita inclinando.* Vide & pia Gregorij verba hac de re apud Serarium in c. 2. Ioſue qu. 15. quibus ſtatuit, vt ad nomen Ieſu omnes *flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur.*

Nota. Antequam Ieſus naſceretur, nomen Ieſu prædixerunt & exultantes vaticinati ſunt Patriarchæ, Prophetæ & Sibyllæ Iacob Gen 49. 18. *Saluare* (Saluatorem) *tuum expectabo Domine.* Habacuc 3. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Iſaiæ 45. 8. *Rorate cæli deſuper, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.* Et paſſim LXX. Plebræum nomen יְשׁוּעָה *moſcia*, quo ſæpè vocatur Meſſias, ſiue Chriſtus, vertunt σωτῆρ, id eſt ſaluator. Idem prophetarunt Sibyllæ, vt docet acroſtichis illa verſuum Sibyllæ Erythrææ, quorum primæ literæ hæc verba reddunt: Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ σωτὴρ, σταυρός, Ieſus Chriſtus filius Dei Saluator, crux. qui verſus exſtant in fine Sibyllinorum oraculorum tom. 2. Biblioth. SS. Patrum, & illos citat Cicero 2. de Diuinat. indeque probat poëma Sibyllæ non eſſe furentis, ſed attenti animi, atque & cogitationis; item Conſtantinus Imper. apud Euſebium in fine vitæ eius, & fusè Auguſt 18. de Ciuit. c. 23.

CÆLESTIVM] Id eſt, eorum qui in cælis ſunt, putà angelorum & hominum beatorum.

TERRESTRIVM] Græcè ἐπιγείων, id eſt, vt Syrus, eorum qui in terra ſunt, putà hominum qui in terris agunt.

ET INFERNORVM] græcè καταχθονίων, id eſt ſubterraneorum, qui, vt Syrus vertit, ſub terra degunt, putà eorum, qui expiantur in Purgatorio, & eorum qui damnati ſunt in inferno, ſiue homines ſint, ſiue dæmones, ait Anſelmus: hi enim licet inuiti genu flectunt, id eſt, agnoſcunt, tremunt & reuerenturnomen Ieſu, id eſt Ieſum

Cornel. in epiſt. Pauli.

A Deum, ſaluatorem & redemptorem bonorum, impiorum verò & ſuum Dominum, iudicem ac vindicem. Hinc S. Iuſtin. Apolog. 1. pro Chriſtianis ante finem narrat Chriſtianos ſuo tempore ſolere energumenos curare, eoſque à dæmonibus liberare inuocatione nominis Ieſu. *Nomine Ieſu ſolent Chriſtiani ab obſeſſis pellere dæmones.*

ET OMNIS LINGVA (cæleſtium, terreſtrium & infernorum, vt præceſſit) CONFITEATVR, QVIA (quòd) DOMINVS IESVS CHRISTVS IN GLORIA EST DEI PATRIS] ſcilicet, quòd Ieſus qua Deus, in eadem gloria, eſſentia, maieſtate & potentia diuinitatis ſit cum Deo Patre: qua homo verò, quòd euectus ſit ad dexteram Dei Patris ſuper omnes homines & angelos, proximeque & maximè participet Dei Patris gloriam, vt verè in eadem cum Deo Patre gloria eſſe dici poſſit, longè B veriùs quàm alij Sancti, qui ſuo quoque modo in beatitudine & gloria ſunt Dei Patris. VERS. 11.

Nota. Græca habent εἰς δόξαν θεοῦ πατρός, in gloriam Dei Patris, quod Chryſoſt. cum ſuis ſic explicat, q. d. Vt omnis lingua confiteatur, quòd Chriſtus Ieſus eſt Dominus, idque in gloriam Dei Patris ſed planiùs Noſter interpres εἰς pro ἐν accepit, in gloriam, id eſt in gloria. ſic enim ſæpè loquitur S. Paulus, vt ſæpiùs iam vidimus.

ITAQVE CHARISSIMI MEI, NON VT IN PRÆSENTIA MEI TANTVM, SED MVLTO MAGIS NVNC IN ABSENTIA MEA CVM METV ET TREMORE VESTRAM SALVTEM OPERAMINI] Vocula *vt*, emphaſim habet, & exponenda eſt per tamquam. q. d. Non tantùm bene operamini dum præſens ſum, *vt*, id eſt tamquam, in præſentia mea, id eſt, tamquam me præſentem, & præſentiam meam reuereamini, vti ſolent diſcipuli præſente magiſtro diligenter ſtudere. Alioqui Græca, Syrus & Latina nonnulla voculam *vt* omittunt, & tunc planior eſt ſenſus. q. d. Hortor vos, vt bene operemini (*operamini* enim hic non eſt indicatiui, ſed imperatiui modi) non tantùm cùm præſens, ſed etiam cùm abſens ſum. VERS. 12.

Nota Secundò. Vox *itaque* connectit hæc cum præcedentibus q. d. Hortatus ſum vos v. 2. & 3 ad fugam diſcordiæ & contentionis, ad humilitatem, obedientiam, concordiam, atque ad hæc vos verſu 5. & ſeqq. excitaui exemplo Chriſti, qui humiliauit ſe, & obediuit vſque ad mortem crucis, & per hoc exaltatus eſt ſuper omnia: nunc infero & concludo, hortorque vt exemplo Chriſti vos humilietis, vt pariter cum eo exaltemini, ac conſequenter, vt Dei meiſque præceptis de concordia & humilitate obediatis; nec in ſuperbia & D contentione, ſed in humilitate, id eſt cum metu & tremore, veſtram ſalutem operemini, quantumuis vobis ſapientes, ſancti aut perfecti videamini. *Deus*, inquit S. Auguſt ſerm. 2. de verbis Apoſtoli, *eſt qui operatur in vobis, ideo cum timore & tremore vallem facite, imbrem ſuſcipite: depreſſa implentur, alta ſiccantur. gratia pluuia eſt. Quid ergo mirare, ſi Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam? ideo cum timore & tremore, id eſt cum humilitate: noli altum ſapere, ſed time. time, vt impleatur; noli altum ſupere, ne ſiccetur.* *Humilitas eſt vallis, in quam deſcendit pluuia, id eſt gratia.*

CVM METV ET TREMORE VESTRAM SALVTEM OPERAMINI] Alludit ad pſal. 2. v. 11. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Hinc patet Primò, in homine eſſe liberum arbitrium etiam in rebus gratiæ & ſalutis. Secundò, neminem eſſe certum de ſua gratia & perſeuerantia.

Metus excludit fidē specialem salutis, quā habent hæretici.

Negant hoc Lutherani & Caluinistæ, docentque eum, qui veram habet fidem, credere debere se esse in gratia, seque esse electum & prædestinatum à Deo, certoque saluandum: sed hoc Apostoli loco conuincuntur, vbi enim est certitudo, eaque fidei, ibi non est opus metu & tremore: sicut non metuimus ne Christus non sit natus aut passus, quia de his habemus certitudinem fidei: atqui Apostolus requirit metum & tremorem in procuranda salute nostra: ergo de ea non habemus certitudinem.

Perperam hæretici metum interpretantur diligentiam.

Respondent aliqui, inter quos est Vatablus (sed ab hæreticis hoc loco, & aliis corruptus) per metalepsin metum & tremorem hîc accipi pro diligentia: qui enim timent, solent esse diligentes. Contrà; hoc valdè remotum & improprium est: B propriè enim metus timorem significat. vtque se propriè metum accipere, eumque non qualem qualem, sed magnum & vehementem requirere declaret Apostolus, addit & auget, dicens, *Et tremore.* tremor enim, inquit Chrysost. est augmentum timoris. ita Patres passim, præsertim S. August. contra Pelag. & Concilium Trident. sess. 6.

Secundò, diligentiam non significat verbo *metu & tremoris*, sed *operamini*, vt mox dicam.

Tertiò, etsi daremus *metum* hîc significare diligentiam, hæc diligentia euertit Nouantium certitudinem gratiæ. vt quid enim tam studiosè fideles omnes excitat Paulus ad diligentiam bonorum operum, ad prosequendam viam salutis? nisi quia de salute certi non sunt, sed ab ea aberrare & excidere possunt: frustra enim & ridiculè diceretur iis qui de sua salute certi sunt, v.g. in Purgatorio existentibus, Satagite, diligentes estote, vt C per bona opera salutem assequamini.

Sex iustæ causæ cur Sancti sibi timere debeant.

Nota. Iustæ timoris huius causæ multæ nobis sunt.

Prima est, incertitudo gratiæ.

Prima est, incertitudo gratiæ. nescimus enim an simus in gratia Dei, an peccata præterita nobis condonata sint, an vera & seria contritione & pœnitentia ea expiauerimus. Vnde rectè monet Sapiens, *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Secunda, ignoratio sui.

Secunda, quia non videmus fundum cordis nostri; & nescimus an in eo vitium aliquod secretum lateat, quo displiceamus Deo; an opera nostra bona, occulta quadam intentione peruersa non vitientur & deprauentur.

Tertia, quia alia sunt iudicia Dei, alia hominum.

Tertia, quia alia sunt iudicia Dei, alia hominum, & iudicia Dei abyssus multa, vt propter occultam hominis superbiam, negligentiam aliúdve peccatum, licet veniale tantùm, gratiam suam sensim D Deus subtrahat, sinatque hominem sibi, quo fit vt periculis & tentationibus expositus ruat in peccata.

Rursum tot diebus, mensibus, annis, quibus homo etiam probus viuit, tam multa homine etiã non aduertente, & quasi nolente opera illius intercurrunt, quibus vel per cupiditatem occultam, vel per infirmitatem, vel per imprudentiam animam inquinat: vt meritò dixerit S. August. de S. Monica matre sua lib. 9. Confess. cap. 31. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* Quod Augustini dictum citans S. Gregorius 29. Moral. 9. *Væ miseris nobis*, inquit, *qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognouimus, & iam in otio torpemus. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate iudicemur: quia districtè discussa, inde ante oculos iudicij, vnde se maximè placere suspicatur, ob-*

A *ruitur.* Hinc illud psal. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo.* & Iob 7. *Etiamsi habuero quippiam iustum, non respondebo ei, sed iudicem meum deprecabor.* & D. Hieron. in Ieremiæ caput 30. *Omnis*, inquit, *mundus indiget misericordia Dei. Nullus securus ad iudicem pergat.* Ita timuit S. Hilarion teste S. Hieronymo: moriens enim sibi ingeminabat, *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas: septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? in hæc verba exhalauit spiritum.* Similia de alijs habet Climachus in gradu timoris. *S. Hilarionis timor in morte.*

Quarta, peccandi necessitas, qua est in homine.

Quarta, quia in homine est peccandi necessitas, vt non possit euadere, quin aliquando peccet, saltem venialiter; & fragilitas ac inconstantia tanta, quantam singuli experimur, vt leui tentationis flatu deijciamur, vt vna dies vel nox interposita omnia hominis proposita ac desideria mutet, vt singulis fæpè horis noua capiamus consilia, noua quæramus oblectamenta.

Quinta, hostes tam validi sumus.

Quinta, quia habemus hostes validissimos, qui in nostram perniciem coniurant, dæmones scilicet, carnem & mũdum. *Artifex tegularius*, inquit Chrysost. *etsi valdè peritus sit, cum timore tamen & tremore stat* (in tecto) *metuens, ne ab ædificio decidat; & tu credidisti, multa bona patrasti, in sublime ascendisti, cautè teipsum cõtinebis, & cum timore stabis oculumq; vigilantem habebis, ne inde decidas: sunt enim multæ nequitiæ spirituales, quæ te deijcere conantur.*

Sexta, incertitudo perseuerantiæ & finis.

Sexta, quam hîc potissimè spectat Apostolus, est incertitudo nostræ perseuerantiæ, ac consequenter prædestinationis & electionis ad salutẽ & gloriam. Etsi enim quis iustus sit & feruens, facilè tamen obrepit ei torpor aliquis & negligentia, vt sibi carnique blandiens & indulgens sensim tepescat, deficiat & cadat. Timebat id Paulus: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quis ergo quantumuis sanctus non metuat? Cecidit sapientissimus & sanctissimus Lucifer, cecidit Adam, cecidit Saul, cecidit Dauid, cecidit Salomon, cecidit Petrus Apostolorum Princeps, cecidit Origenes, cecidit Tertullianus, ceciderunt tot hæresiarchæ, ceciderunt tot Anachoretæ sanctissimi. quis ergo lapsum non timeat? quis certum & securum se putet? vnde, precor, sibi certitudinem perseuerantiæ & salutis polliceri audeat?

Hinc S. Leo serm. 8. de Epiphania. *Hæc*, inquit, *Sanctis causa est tremendi ac metuendi, neipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Ne ergo id in te fiat, diligentissimè diuinis vtere auxilijs. Si in casu Deus porrigit manum, protinus tuam porrige: si in naufragio tabulam suggerit, statim arripe: si ostium pulsat, ilico aperi: si vocat, cum Paulo sine mora respondе, *Domine quid me vis facere?* si te respicit, mox cum Petro egredere, & fleto amarè: si ad statum perfectiorem & ad apostolatum te impellit, dicito cum Isaia, *Ecce ego, mitte me.*

Timor optimum medium.

Nota Secundò. Hic timor optissimum est medium ad perseuerantiam & salutem, nosque non anxios & scrupulosos facit, sed potiùs confirmat, & certiores reddit de nostra salute. Cuius ratio est, quia sicut spes, ita & timor medium est à Deo ordinatum, & via recta ad salutem. Id docet S. Bernard. serm. 15. in psalm. *Qui habitat*: Timor, ait, *maxima spei est materia: quia timor est donum Dei dirigens nos ad salutem, & ex perceptione præcedentium donorum firma est expectatio futurorum, & quia bene placitum*

placitum est Domino super timentes eum, & vtique vita in voluntate eius, & in beneplacito eius salus aterna. Idem patet è contrario: nam quotquot ferè lapsi sunt, lapsi sunt ex nimia præfidentia & securitate, atque ex occulta quadam superbia, qua suæ virtuti & sanctitati nimis innixi & confisi sunt. *Vidimus*, inquit auctor Soliloquiorum c. 29. tom. 9. operum S. Augustini, *vidimus*, inquam, *multos Domine ex Patribus nostris* (tales fuerunt Origenes, Tertullianus, & Lucifer Calaritanus) *quod vtique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo vsque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, & eos, qui iacebant in puluere terræ, a facie subleuantis manus tuæ Domine mirabiliter ascendisse. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte surgentes, & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse: quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno caloru. filij autem regni eiiciuntur in tenebras exteriores.*

Denique aptam rationem & medium ad consequendum hunc timorem præscribit hîc Chrysost. *Quomodo*, inquit, *comparabitur iste timor? si cogitauerimus Deum vbique præsentem esse, audire omnia, omnia videre, etiam quæ in corde sunt, & in profundo animi. Dic mihi: si tibi semper proximè Principem standum esset, non cum timore adstares? Quando comedis, cogita præsentè esse Deum; adest enim. Quando dormiturus es, quando irascaris, quando rapis, quando deliciaris, & quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum; & numquam in risum incides, numquam ad iram accenderis. Si cogitationem istam semper habueris, semper in timore eris ac tremore, tamquam si prope regem adstes.*

OPERAMINI] Græcè non est simplex verbum ἐργάζεσθε, sed compositum significantius κατεργάζεσθε. q.d. aiunt Chrysost. & Theophyl. Cum multa diligentia & solicitudine pergite vestram salutem operari: *operamini* enim hîc, non actum inchoatum (iam enim cœperant bene operari Philippenses, vt dixi cap. 1. v. 6.) sed continuatum significat, iuxta can. 32.

13. DEVS EST QVI OPERATVR IN VOBIS ET VELLE, ET PERFICERE PRO BONA VOLVNTATE] Primò, Lutherus & Caluinus, negantes liberum arbitrium sic exponunt, q.d. Deus immittit, vel indit seruo arbitrio ipsum velle, id est, actum volendi id quod bonum est, sicuti igni indit calorem. Sed vt alia taceam, hic sensus repugnat præcedentibus: si enim Deus voluntati indit velle, sicut igni indit calorem; ergo frustra Philippenses hortatus est Paulus, vt cum metu & tremore salutem suam operarentur. si enim totum est Dei (vt rectè infert Chrysost.) ergo frustra me hortaris, frustra metum & timorem inijcis, frustra præcipis dicens, *obedite*: quia Deus totum facit; Deus ergo rogandus est, vt obedientiam, omneque bonum mihi inferat; non autem ego excitandus, vt ad bonum connitar, illudque sponte capessam: quia id facere non possum, sed à Deo id mihi indi debet. sicut enim frustra diceres igni, aut bruto, Esto diligens, satage vt calorem, vt cibum tibi compares: ita frustra dices homini, Satage, vt bene viuas; si homo non est ad ea liber, sed ad ea agi debet quasi brutū.

Secundò, aliqui Catholici sic exponunt: *Deus operatur velle*, id est, physicè prædeterminat volun-

A tatem ad actum volendi, ita tamen vt prædeterminando faciat hominem liberè velle: sicut enim prædeterminat actum ita & eius modum, vt scilicet liberè fiat, vt liberè velit. Putant hanc prædeterminationem significari voce, *operatur*, &, vt significantiùs habet Græcus, ὁ ἐνεργῶν, qui inoperatur per internam suam vim, energiam & efficaciam. Verùm difficile est, has prædeterminationes Dei conciliare cum libertate arbitrij nostri. si enim liberum arbitrium est prædeterminatū, quomodo manet liberum? quod enim liberum est, est indeterminatum & indifferens ad vtrumlibet, vt se determinare & flectere possit in alterutrā partem, quā liberè amplecti & eligere voluerit. Nam hoc est, quod ait Sapiens Eccli. 15. 14 *Deus*, inquit, *ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.* & v. 17. *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et Moyses Deuter. 10. v. 15. *Considera quòd proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum; & è contrario mortē, & malum.* & v. 19. *Elige ergo vitam*, &c. Pluribus idipsum demonstrant Bellarminus, Suarez, Molina, Valentia, & alij tractatu de Gratia. Vnde & modò nonnulli Doctores sapientiores, qui prædeterminationes hasce posuerunt, eas emolliunt, easque non physicas, sed morales interpretantur, vt in re non sint aliud, quàm efficacia gratiæ, quæ certò futura est efficax, quia habitura est suum effectum, seu quia ita mulcebit & alliciet hominis voluntatem, vt illa liberè gratiæ consentiat, eique cooperetur. Apostolus ergo per τὸ *operatur*, non intelligit hanc prædeterminationem physicam: quia ipse paulò antè iussit Philippenses suam salutem operari cum metu & tremore; ipsos C ergo vult esse solicitos, pauidos, diligentes in bonis operibus: non ergo Deus illos prædeterminabat ad solicitudinem, pauorem, diligentiam. si enim præuenit Deus meam solicitudinem, eamque prædeterminat, vt quid ego laborem, vt quid sim solicitus? Deo id curæ est, Deus id certissimè & efficacissimè præstabit, mea solicitudo nihil hîc iuuat. nec enim possum esse solicitus, nisi Deus me ad hanc solicitudinē prædeterminet; & si prædeterminet, non est, quòd sim solicitus: quia hæc prædeterminatio certissimè me faciet solicitum: cur ergo, ô Paule, nos hortaris ad solicitudinem, cùm hæc non in nostra, sed in Dei solius sit potestate & manu?

Gratia non prædeterminat actū liberum.

Tertiò, S. Chrysost. Theophylact. & Theodor. sic exponunt: *Deus operatur in nobis velle*, quia vo- D luntatis promptitudinem ad bene operandum, quam inuenit in nobis, iuuat, auget & promouet: facit enim vt bene operando promptiores simus & fortiores ad eadem bona opera iteranda & augenda. nam sicut otium inuitat & trahit ad otium, ita opus inuitat & trahit ad opus; & vicissim, vti ex opere, ait Chrysost. nascitur opus, ita ex otio trahitur otium. Dedisti eleëmosynas? magis excitaris ad dandum. non dedisti? pigrescis magis. Modestiam tenuisti vno die? habes inuitamentum ad alterum. Segniter egisti? auxisti segnitiem. Ita S. Dominicus Loricatus sensim exercendo & agendo suas austeritates & pœnitentias, tandem penè incredibiles fecit, vt lorica ferrea ad carnem præcinctus incederet, disciplinas faceret quotidie ad multas horas, abstinentias, orationes, psalmodias brachijs extentis ad stuporem. cumque alij

Tertia S. Chrysost.

Somnus somnum adescat, labor labore, virtus virtutem.

mirarentur, quî id fieri posset, respondit: *Somnum somnus adescat, & vigilias vigiliæ pariunt; nam corpus humanum in quo paulatim priùs enutritur, in hoc per incrementa postmodum roboratur.* Ea enim est vis & illecebra consuetudinis, educationis & exercitationis, vt sicut qui dormit, qui bibit, plus semper dormire & bibere cupiat: ita qui se dat abstinentiæ & pœnitentiæ, plus deinde abstinere, seque affligere cupiat & gaudeat. Experiatur quisque & ita esse sentiet. Ita se exercuerunt olim S. Eremitæ & Cœnobitæ, qui inde Ascetæ, id est Exercitantes, sunt dicti. Idem fit in alijs virtutibus.

Hic sensus sanè intellectus, non est alienus à scopo Apostoli: loquitur enim fidelibus iam iustificatis, quos vult cum metu & tremore pergere in operibus iustitiæ, eò quòd Deus operetur in illis velle & perficere: velle ergo intelligit illud, non quo velint primùm credere, sed quo velint pergere in cœpta fide & iustitia, q.d. Satagite vestram salutem, ô fideles, operari: quia sic Deum aduocabitis, vt is, sicut cœpit, ita pergat in vobis operari velle, faciatque voluntatem vestram in dies paratiorem & promptiorem ad volendum & perficiendum bona opera, quibus salutem assequamini.

Quarta & genuina.

Quartò & optimè, S. Augustinus. *Deus generaliter operatur* in nobis quoduis bonum *velle*, quo ad salutem dirigimur, siue iusti simus, siue peccatores ad iustitiam tendentes & aspirantes: quia voluntatem tam pœnitendi, quàm amandi, & quoduis bonum operandi sua gratia præuenit & præparat, mouet & incitat, vt liberè velit pœnitere, amare, & quoduis bonum operari q.d. Deus non tantùm operatur perficere græcè τὸ ἐνεργεῖν, id est operari & agere, sed etiam ipsum velle: quia non tantùm operatur ipsum opus & actum externum, sed etiam internam voluntatis electionem & consensum, quo voluntas eligit & vult facere actum externum & opus bonum.

Causa metus est, quòd Deus operetur velle, nõ in pigris & superbis, sed in humilibus & solicitis.

Nota Primò. Vox *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet debeamus cum metu & tremore salutem nostram operari: causa hæc est, quia Deus operatur in nobis velle & perficere. q.d. Licet ô Christiani Philippenses, liberum habeatis arbitrium, & in vestra potestate sit bene operari, & saluari, hortor tamen vos, vt cum humilitate & tremore diligenter seruiatis Deo, & bona opera, eaque quæ salutis sunt operemini. quia si quid boni habetis aut facitis, id non à vobis habetis, sed à Deo, qui superbis, præsidentibus, & præ præsidentia negligentibus ac torpentibus resistit, & gratiam suam subtrahit: humilibus autem, orantibus, pauidis & solicitis dat, auget & cõtinuat gratiam, &, si prouidi & diligentes sitis in operibus salutis, Deus sicut cœpit, ita perget in vobis operari velle & perficere bonum: sin præsumptuosi sitis, securi & segnes, Deus se subtrahet, nec perget in vobis operari velle & perficere bonum, itaque à salute vestra corruetis. Deus ergo in vobis operatur tam primum, quàm secundum, tertium & quoduis aliud sequens bonum velle (id est bonam volitionem) & perficere: sed ita, vt velit vos suæ operationi humiliter, strenuè & solicitè cooperari. si enim cooperari negligatis, aut ea in re sitis præsumptuosi, Deus quoque vos negliget, & gratiam suam subducet, nec vlteriùs in vobis operabitur secundum, tertium aut quartum bonũ velle & perficere: quo fiet, vt à bona voluntate & opere excidatis, non perseueretis, nec salutem assequamini. Ita S. Augustinus, tum alibi sæpè, tum sermone 2. de verbis Apostoli: *Imple*, inquit, *vallem, suscipe imbrem, gratia pluuia est: non in montes, sed in valles, id est humiles, descendit.* Idem Augustinus de Gratia & libero arbitrio cap. 9. *Quando*, inquit, *subetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium: sed idèo cum timore & tremore, ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tamquam suis extollantur. tamquam ergo Apostolus interrogaretur, & diceretur ei: Quare dixisti, Cum timore & tremore? horum verborum rationem reddit, dicens. Deus est enim, qui operatur in vobis: si enim timetis & tremitis, non extollimini tamquam de vestris operibus boni: quia Deus est, qui operatur in vobis.*

Deus operatur velle primùm illuminando intellectum.

Nota Secundò. Deus operatur velle per gratiam præuenientem & excitantem, qua intellectum illuminat, immittendo illi bonas cogitationes & lumina, quibus apprehendat, ponderet & æstimet tum enormitatem pœnasque peccatorum, tum honestatem ac præmia virtutum, tum Dei iudicium, tum æternitatem, aliaque quæ salutis sunt.

Secundò, affectum voluntatis inflando.

Secundò, excitat voluntatem & affectum, pios motus, affectiones, & impulsus timoris, spei, pœnitentiæ, dilectionis, aliosque similes illi indendo, quibus suadet & persuadet, suadendoque & persuadendo operatur & facit, vt voluntas liberè velit timere, sperare, pœnitere, diligere. non se sola, nec per puras naturæ vires, sed per eamdem Dei gratiam, quæ sicut voluntatem præuenit & excitauit, vt vellet, ita dum vult illam adiuuat, illique cooperatur vt velit; & hoc significat Græcum συνεργεῖν. q.d. Inoperatur, scilicet intima vi sua penetrans, illuminans & mouens intima intellectus & voluntatis nostræ, illisque cooperans. Et hoc est, quod ait S. Augustinus de Gratia & lib. arbitrio c. 16. *Deus*, inquit, *est qui operatur in nobis velle & operari: certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaces istimas voluntati, qui dixit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis.*

Deus aliter operatur in homine, aliter in bruto.

Vbi Aduerte. Aliter Deus operatur velle, aliter operatus est cælum, terram, germina, aliaque omnia, quæ creauit, aut fecit. Rursum aliter operatur Deus in anima & voluntate opus liberum, aliter in re inanimata aut bruta operatur opus inanime, naturale aut animale. hoc enim operatur hac ratione, nimirum causas secundas inanimas aut brutas determinando, & determinatione sua necessitatem illis imponendo ad suas actiones: opus verò liberum operatur in voluntate, illi suadendo, illam mulcendo alliciendo, blandiendo, molliendo, terrendo, roborando interiùs: sicuti exteriùs principes & magistratus operantur in suis subditis velle obedientiæ, vt velint parere suis legibus. operantur, inquam, non physicè determinando eos ad hoc velle, sed moraliter per minas & blanditias, per pœnas & præmia eos inducendo, suadendo & prouocando, vt liberè velint legibus obedire: hoc enim est imperium politicum, quo principes liberaliter imperant suis, quasi ciuibus, non despoticum, quo seruiliter & coactè suis, quasi mancipiis dominentur. Tale proportionaliter est imperium & operatio Dei, qua in liberis creaturis angelo & homine operatur, easque regit non despoticè, sed politicè, liberè & regaliter: aliter enim libertati vim inferret, si in ea, non moraliter suadendo, sed physicè determinando, operaretur velle. Vnde Syrus, Vatabl. & Erasmus cla-

Nota.

Deus sic operatur in homine politicè, scilicet non despoticè.

ri

rè vertunt, *Deus est, qui agit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis*; vel, vt Syrus, *vt perficiatis id quod vultis.*

Nota Tertiò. Hinc cum S. Augustino docet Ecclesia, omne bonæ voluntatis, fidei & salutis initium esse à gratia præueniente. Negauit hoc Gentilis ille, cuius hæc, non Christiana, sed athea est vox de Deo: *Det vires, det opes, animum æquum mihi ipse parabo.* Negauit id ipsum & Pelagius: nam distinguens hæc tria in homine, scilicet posse, velle, agere, docebat posse, id est potentiam volendi siue voluntatem & libertatem esse à Deo; sed velle & agere, esse ex nobis, nec ad hæc opus esse gratia Dei. Vnde Pelagius hunc Pauli locum per metonymiam, qua effectus ponitur pro causa, sic exponebat: Deus operatur velle, id est posse, inquit, quia dat mihi potentiam vt possim velle: sed hoc planè est extra scopum & mentem Apostoli. vult enim nos cum timore operari bona, ex eo, quòd Deus operatur velle: non ergo loquitur de potentiali, sed de actuali velle. nam volendi potentiam omnes homines à Deo acceperunt, nec soliciti esse debent, aut cum metu operari, timentes ne si segniter operentur eam amittant, aut ea priuetur; hic enim ridiculus & friuolus est timor: sed velle actuali priuari possunt, multique segnes eo priuantur, quia Deus eis gratiam subtrahit, quæ requiritur ad hoc velle: ergo de velle actuali, non potentiali loquitur Apostolus. Audi S. August. de Gratia Christi cap. 3. *Pelagius, inquit, tria constituit atque distinguit, quibus diuina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem: possibilitatem scilicet, qua potest homo esse iustus; voluntatem, qua vult esse iustus; actionem, qua iustus est. horum trium primum, id est possibilitatem datam confitetur ab auctore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiamsi nolimus: duo verò reliqua, id est voluntatem & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, vt nonnisi à nobis esse contendat. tamquam hæc duo tam sint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, vt diuino adiutorio non indigeant: illud verò, quod nobis ex Deo est, hoc sit inualidum, id est possibilitas, vt semper gratia adiuuetur auxilio.* Deinde cap. 5 hoc refellens: *Contrà*, inquit, *Apostolus, Cum timore, ait, & tremore vestram ipsorum operamini salutem. Et vt scirent quia non tantùm in eo quod operari possint; (hoc enim & in natura, & in doctrina iam acceperant) sed etiam in eo quod operantur, diuinitus adiuuentur, non ait, Deus est enim qui operatur in vobis posse; tamquam ipsi iam velle & operari per seipsos habeant, nec in his duobus adiutorio indigeant: sed ait, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere; vel, sicut in aliis, & maximè Græcis codicibus legitur, & velle, & operari.* Rursum c. 10. subiungens responsionem Pelagij dicentis: *Deus, inquit, operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animalium tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est. Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam? In lege namque, & doctrina sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quòd sapientia reuelatur, ad doctrinam pertinet, cùm suadetur omne quod bonum*

A *est.* Mox hæc refutans: *Sed nos*, inquit, *eam gratiam nolumus. Istam aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur & speratur, nec solùm reuelatur sapientia, verùm etiam & amatur: nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm & persuadetur.*

Vbi Nota. Pelagium præter naturam, & naturalis voluntatis vires, tantùm admisisse doctrinam & legem, eamque solam verbis illis in speciem tam amplis & speciosis (ita enim interpretatur Augustinus loco citato) intellexisse vocareque gratiam, quia docet operari bonum: itaque dicebat Pelagius Deum operari velle, quia dat legem & sacras Scripturas, quæ erudiunt & hortantur nos vt bonum velimus & faciamus: internam autem gratiam, quæ non tantùm intellectum illuminaret, sed & voluntatem impelleret, afficeret, roboraret, negauit Pelagius. Hanc si concessisset, nullam ei litem se moturum fuisse fatetur Augustinus. Non ergo prædeterminationem gratiæ vrsit Augustinus, aut de ea cum Pelagio contendit: qua de re alibi plura.

Pelagius non admisit aliam gratiã, quàm legem & doctrinam.

Porro responsio hæc Pelagij: Deum operari velle per legem, non per gratiam, refutatur eadem ratione, qua refutaui priorem eius responsionem, Deum operari velle, quia dat potentiam volendi, siue voluntatem ipsam.

B

Et velle et perficere] Græcè, vt dixi, pro *perficere* est ἐνεργεῖν, quod Noster paulò antè vertit *operari*. q. d. Deus facit, vt velitis, & vt opere perficiatis id quod vultis. ita Syrus. Nota. Deus operatur in nobis perficere continuando eamdem gratiam, qua operatus est velle, & sæpè dando quoque occasiones externas perficiendi. qua in re mirabilis est Dei prouidentia erga suos qui se eius directioni totos credunt & committunt, vt plurimas & aptissimas opportunitates bene agendi, & rei bene gerendæ eis suggerat, & quasi in manum det.

Quomodo Deus operatur τὸ perficere.

C

Tertiò, cùm actus externus est difficilis, vt martyrium, operatur tunc perficere, noua gratia hominem roborando, & animando. Pulchrè S. Bernardus lib. de Gratia & libero arbitrio sub fin. docet, quomodo Deus hæc tria, scilicet *cogitare, velle, perficere* operetur in nobis: *Primum*, inquit, *scilicet cogitare, sine nobis; secundum, scilicet velle, nobiscum; tertium, scilicet perficere, per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit, ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.* Deinde cùm docuisset in solo velle propriè situm esse meritum, cùm perficere & cogitare sæpè non sit in nostra potestate, subdit: *Cauendum ergo ne cùm hæc inuisibiliter intra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est, aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm seminat appetitum; sanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; seruat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur, ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à sola gratia cæptum est, ab vtroque perficitur, vt mixtim, non sigillatim; simul, non vicibus per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere in diuiduo peragunt.*

Deus operatur cogitare, velle, perficere: quomodo?

D

Tam gratia quàm liberum arbitrium totũ opus peragit.

Quid εὐδοκία, id est bona voluntas.

PRO BONA VOLVNTATE] non hominis, vt Chrysostomus, sed Dei: est enim græcè εὐδοκία, id est beneplacitum, &, vt Budæus vertit, vltronea propensaque affectio. q. d. Deus non propter merita vestra; sed pro sua gratuita immensaq; in nos beneuolentia & beneplacito operatur in nobis velle & perficere, vt scilicet hanc Dei gratiam & beneuolentiam agnoscamus, illam imploremus, illiq́ue gratias, vt par est, agamus. Aliter Chrysost. & Theophyl. *Pro bona voluntate sua*, scilicet implenda. q. d. Deus operatur in nobis velle & operari hoc fine, vt eius bona voluntas in nobis, & per nos expleatur, scilicet vt faciat nos implere bonam & sanctã suam voluntatem, vt sanctè viuamus sicut ipse nos vult viuere; hoc enim Deo gratum, & in votis est. Sed prior sensus magis respondet Græco εὐδοκία, & scopo ac menti Apostoli.

VERS. 14. OMNIA AVTEM FACITE SINE MVRMVRATIONIBVS. ET HAESITATIONIBVS] Græci codices iam variant. Aliqui, vt Regij, legunt, χωρὶς ὀργῆς, id est, sine ira; alij cum Nostro & Syro legunt, χωρὶς γογγυσμῶν, id est, sine murmurationibus. hæcq́ue vera est lectio, quam etiam sequuntur Vatabl. Erasm. Beza. redit enim ad v. 3 vbi iussit vt nihil agant per contentionẽ, nec per inanem gloriam: ex his enim oriuntur murmurationes & hæsitationes, græcè διαλογισμοί, hoc est, disceptationes; Syrus, dissidia. qui enim hæsitat curiosè inquirens, cur hoc ita fiat, cur talis sic faciat, & non sic; hic argutatur, disceptat, murmurat, reprehendit, & ferit dissidia.

VERS. 15. VT SITIS SINE QVERELA, ἄμεμπτοι, de quibus iure nemo queri possit, ET SIMPLICES FILII DEI, SINE REPREHENSIONE, IN MEDIO NATIONIS PRAVAE] *Simplices*, id est sinceri, candidi; hoc enim est Græcum ἀκέραιοι, de quo dixi Rom. 16. 9. Oppo-

Qui sint simplices.

nit simplicitatem, siue candorem murmurationibus & hæsitationibus: qui enim simplices & candidi sunt, non sunt curiosi in perueſtigando quid hic, vel ille faciat, non disceptant, non murmurãt; sed omnia in meliorem partem interpretantur, & quemque suo officio & iudicio relinquunt, seq́ue suis tantùm rebus immiscẽt, itaq́ue secum & cum omnibus quietem & pacem habent.

FILII DEI] Non spectat ad *simplices*, qui græcè masculinè dicuntur ἀκέραιοι, filij verò neutrè vocantur πάντα. Nouus ergo est & maximè honorificus hic titulus, quo Philippenses, omneſq́ue boni Christiani vocantur *filij Dei*: quod nos ad omnem virtutem & sanctitatem exstimulare debet, ne simus degeneres, sed Patris nostri cælestis puritatẽ, candorem, charitatem & perfectionem in omnibus imitari, & moribus exprimere satagamus.

IN MEDIO NATIONIS PRAVAE ET PERVERSAE] Græcè ζυγλιᾶς καὶ διεστραμμένης, id est, tortuosæ & distortæ.

Ita S. August. in psal. 146. Vatabl. Erasm. & Syrus. *prauum* ergo hic, propriè non improbum, sed distortum significat, quod propriè opponitur recto & rectitudini. Notat ergo Gentilium vitam & mores, à rectitudine virtutis, rectoq́ue rationis, legis & prudentiæ dictamine declinantes, & per tortuosa ac contraria sæpè vitia implexos & distortos: omne enim vitium obliquum est & tortuosum, mentemq́ue diuersis & contrarijs sæpè cupiditatibus implicat & distorquet. Maximè autem opponit hîc Paulus prauos simplicibus, de quibus iam dixit; vt *prauum* respondeat Hebræo עִקְּשִׁים *ickes*, id est, peruersus, fallax, versutus, tortuo-

Omnè vitium obliquum est & tortuosum.

A sus, qui simulat & dissimulat, quiq́ue specie recti & veritatis fallit & decipit.

INTER QVOS LVCETIS SICVT LVMINARIA IN MVNDO] Græcè φαίνεσθε, tam est imperatiuus, quàm indicatiuus. Vnde verti potest cum Cypriano epist. ad Rogatianum, cum Ambrosio, Syro & Vatablo, *Lucete*, & conspicui estote: φαίνεσθαι enim non significat quouis modo lucere, sed in conspicuo esse, vt ab omnibus spectari possit quasi lux in edito posita.

Secundò, luminaria hæc sunt sol, luna, stellæ, ait Chrysost. Ambros. Anselm. *Commonet*, inquit Ambrosius, *vt memores suæ professioni respondeant, vt inter dissidentes* (incredulos, infideles) *tam clari appareant vitæ, conuersatione, moribus, quemadmodũ sol & luna inter stellas splendore sublimes sunt.* Et Chrysost. *Monet*, inquit, *vt in nocte huius sæculi quasi stellæ re-*

B *splendeant & refulgeant.* Et Anselm. *Vult*, inquit, *vt Christiani sint quasi stellæ, quæ in cælo fixæ non curant terrena, sed tota intendũt, vt suos cursus & motus peragant, lucemq́; spargant mundo.* Sic de Iulio Cæsare canit Horatius: *Micat inter omnes*

Christiani debent esse stellæ præfulgentes.

Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Tritum est quoque illud Platonis & Aristotelis, *nec Hesperus, nec Lucifer ita admirabilis est, vt iustus.* Sic mulier illa Ecclesiã significans Apocalyps. 12. dicitur amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Sic & Daniel. c. 12. dicitur: *Qui ad iustitiam erudiunt multos* (fulgebunt) *quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Secundò, simpliciùs per *luminaria* hæc accipiemus faces, quales, v. g. in portu ex alta turri, vel pharo suspenduntur, vt nauigantibus noctu ad portum contendentibus præluceant, iterq́ue ac portum eminus demonstrent: ad hoc enim erecta fuit turris illa Pharos in Ægypto, de qua Statius:

Lumina noctiuaga tollit Pharus æmula lunæ.

q. d. Apostolus, Vos ô Christiani, estis quasi terrestres quædam lunæ & stellæ, putà faces in excelso positæ, vt Gentibus in hoc mundi mari nauigantibus, & naufragantibus portum salutis, iterq́ue in cælum vestro exemplo, & sancta conuersatione præluceatis & demonstretis.

VERBVM VITAE (doctrinam Euangelij vitalem ac salutarem) CONTINENTES AD GLORIAM MEAM IN DIE CHRISTI, QVIA NON IN VACVVM CVCVRRI, NEQVE IN VACVVM LABORAVI] Pro *continentes*, græcè est ἐπέχοντες, quod Theodor. vertit, *Attendentes*; meliùs Vatabl. *sustinentes*, id est, in vertice tenentes, &, vt alij, prætendentes alijs, scilicet vt

D in portum salutis, hoc Euangelicæ Christianæq́ue vitæ vestræ lumine præfulgente, inuehantur. Vnde & Syrus vertit, *vt sitis illis loco salutis.* Noster simpliciùs & generaliùs vertit, *continentes*, id est, habentes, conseruantes & studiosè retinentes, ne à quoquam vobis eripiatur, vt omnibus illud ostendere, præferre & prælucere possitis.

VERS. 16.

AD GLORIAM MEAM] εἰς καύχημά μοι, id est, ad gloriationem mihi, vt scilicet de vobis in Euangelica vita tam constantibus, tam præfulgentibus, gloriari possim, quòd tales mea prædicatione euaseritis, *in die Christi*, id est, in die iudicij, quæ erit dies Christi iudicis, declarans summam eius potestatem, dominium & imperium: *quia*, id est quòd, *non in vacuum cucurri, neque in vacuum laborani*, vtpote quòd vos cum alijs multis ad Christum & sanctitatem Christianam adduxerim.

SED

17. SED ET SI IMMOLOR (ita enim legendum: vndemalè Vatabl. & aliqui alij legunt, Æmulor) SVPRA SACRIFICIVM ET OBSEQVIVM FIDEI VESTRÆ, GAVDEO ET CONGRATVLOR OMNIBVS VOBIS] Pro *immolor*, græcè est σπένδομαι, id est libor. Notum est ex Leutico & sacrificijs Gentilium, sacrificia duas habuisse partes, scilicet victimam, putà bouē, vitulum, arietem: & libamen, putà vinum, aut oleū. sacrificium enim erat quasi conuiuium Dei, in quo victima erat instar cibi, libamen instar potus Dei: non ergo hîc duas victimas ponit, vnam se, suámue mortem, alteram Philippensium fidem, vt vult Erasmus; sed vnam victimam, scilicet Philippensium fidem suo sanguine quasi libamine cōdiendam. q.d. Si contingat me mori & occidi à Nerone, eò quòd vos alioſqúe ad Christi fidē conuerterim, non tristabor, sed sponte me offeram & gaudebo de martyrio meo, quasi de sacrificio Deo B oblato, in quo vos sitis victimæ, sanguis meus sit libamen, vt sic integrum sacrificium Deo offeram & sanciam. ita Chrysost. Theophyl. Anselmus.

Vbi Nota. Per *sacrificium* intelligit victimam: victimam autem vocat fidem Philippensium, siue ipsos Gentiles Philippenses ad fidem Christi iam à se conuersos.

Secundò, pro *obsequium*, græcè est λειτουργία, id est liturgia, siue sacrum Missæ sacrificium. Iam sicut ipsos Philippenses vocat hostiam, siue victimā. ita suam prædicationem, per quam ad fidem conuersi sunt, vocat hîc, & Rom. 15. v. 16. *Liturgiam* siue sacrum ministerium: quia per hanc prædicationem, quasi per sacrum ministerium, conuersi, Deoque & Christo oblati & consecrati sunt. q.d. Ego fidem vestram, voſqúe ipsos, quos ad fidem adduxi quasi victimam per meam prędicationem, qua- C si liturgiam & sacrificium Deo obtuli, & offero, illudque libens cōfirmabo & sanciam meo sanguine, morte, martyrio, adeoque non renuam, non fugiam, nō dolebo; vt, si Deus id permittat & disponat, ingenti mihi beneficio ab eo affectum putaturus sim, exulraturus & dicturus cum S. Ignatio discipulo nostro: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis Christi mundus inueniar.*

Tertiò, pro *gaudeo* & *congratulor*, græcè est χαίρω καὶ συγχαίρω, id est gaudeo & congaudeo omnibus vobis. q.d. Magni gaudij materia vobis erit, valdeque vobis gaudendum erit, si me immolatū pro fide Christi & vestra, martyrioque affectum audieritis: talis enim mors mea, læta honorifica & vtilis vobis accidet, & in hoc gaudio ego vobis congaudeo, libenſq́; & auidè tantam gaudij materiam iam amplector, & amplectar: nihil enim D aliud quàm martyrium desidero, quia scio illud & mihi & vobis magnæ consolationi, honori & lætitiæ fore. ita Chrysost. Theodor. Theophyl.

18. IDIPSVM AVTEM ET VOS GAVDETE, ET CONGRATVLAMINI MIHI] Græca χαίρετε καὶ συγχαίρετε, possunt verti per indicatiuum: *ob idipsum autem gaudetis, & congaudetis mihi.* ita Vatabl. & Erasmus; sed meliùs vertit Noster per imperatiuum, præmunit enim Paulus Philippenses, quos sciebat sua morte & nece cōtristandos, eoſque solatur & exhilarat exhortando eos ad gaudium, vt, si Paulum occidi contingat, non contristētur, sed potiùs gaudeāt de tā nobili Apostoli & doctoris sui martyrio.

19. SPERO IN DOMINO IESV, TIMOTHEVM ME CITO MITTERE (missurum) AD VOS, VT ET EGO BONO ANIMO SIM] *Bono*, id est iucundo, læto, hila- A ri, alacri, græcè εὐψυχῶ, id est, vt in alacritate animi confirmer & animer. Græci enim εὐψυχίαν, vocant animi tum lætitiam, tum inde consequentem generositatem, præstantiam, magnanimitatem: & contrà κακοψυχίαν vocant animi deiectionem, pusillanimitatem, quæ comes est tristitiæ, timoris & anxietatis. *Quid εὐψυχία.*

COGNITIS QVÆ CIRCA VOS SVNT] γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν, id est, vbi cognouero de rebus vestris, de statu vestro, scilicet omnia bene se habere, voſque in fide & pietate Christiana proficere, alacri tum, generoso & erecto ero animo: quamdiu enim hoc ignoro, tenet me metus & anxietas, ne fides & Ecclesia vestra aliquid mali aut damni passa sit.

NEMINEM ENIM HABEO TAM VNANIMEM, QVI SINCERA AFFECTIONE PRO VOBIS SOLICITVS SIT] Pro *vnanimem*, græcè est ἰσόψυχον, id est æqualis animi, pari animo prædituin. quod Primò, nonnulli accipiunt, vt comparatio fiat, non Timothei cum Paulo, sed aliorum cum Timotheo. q.d. Neminem habeo, qui Timotheo animo & affectione in vos æquari aut comparari possit. VERS. 20.

Secundò & meliùs, Noster, Syrus, Erasmus & Vatabl. putant Timotheum hîc comparari Paulo, quòd pari animo, animique sinceritate & zelo in euangelizando, cum Paulo sit prædītus, paremque cum eo Philippensium curam & solicitudinē gerat. hoc enim est ἰσοψυχία, siue paritas animi, in qua, si perfecta sit per omnia, & in rebus omnibus, Pythagorici amicitiæ perfectionem collocabant: nam talibus solemus credere & committere negotia nostra, quos scimus eiusdem nobiscum esse animi; (qualis hic Paulo erat Timotheus.) hi enim ad mentem nostram rem conficient, perindeque facient, ac si nosipsi faceremus. prudentis ergo est eos, quos in munere aliquo socios & adiutores cupit, tales deligere vel facere, qui sint eiusdem secum sententiæ & mentis. *Quid ἰσοψυχία.*

SINCERA AFFECTIONE] γνησίως, germanè, verè, cordatè & realiter.

OMNES QVÆ SVA SVNT QVÆRVNT, NON QVÆ SVNT IESV CHRISTI] *Omnes*, non absolutè, & simpliciter: nec enim Paulus & Apostoli quærebant quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. *Omnes* ergo, id est plerique omnes, passim omnes, plurimi. Nota. Est hoc tritum & commune prouerbium, reque ipsa & experientia constat esse verissimum, quòd omnes id est plurimi, quærant quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi; Apostolus tamen illud suis adaptat, intelligitque omnes illos, qui tunc secū erant, quoſque tunc habebat socios: de his enim tantùm loqui Apostolum patet ex vers. præced. q.d. Omnes, quos iam habeo ad manum, præter Timotheum, quærunt sua, supple lucra, commoda, suāque quietem, vt sint in tuto, ait Theophyl. quia, vt Oecumen. nemo sustinet tam longa via mitti ad vos nemo quærit laborem & pericula: sed omnes otium, quietem, securitatem, commodamque vitam amant & sectantur. Qui tales sunt, non quærunt ea quæ Christi sunt, id est Christi gloriam, fidei propagationem, animarum salutem: hos enim instructos esse decet ad quemuis laborem & calamitatem perferendam, ait Chrysostomus. VERS. 21. *Omnes quæ sua sunt, quærunt, quo sensu.*

EXPERIMENTVM EIVS COGNOSCITIS. Ita legit Syrus & nonnulli Latini; Græcum enim γινώσκετε tam est indicatiui modi, quàm imperatiui: sed Romana legunt aptiùs in imperatiuo *cognoscite*. q.d. Accipite documentum sinceritatis & virtutis VERS. 22.

tutis Timothei, ex eo quòd SICVT PATRI FILIVS, MECVM SERVIVIT IN EVANGELIO] Syrus & Eras. vertunt, *tamquam filius cum patre suo, sic seruit & operatur mecum in Euangelio.* Verùm Græca ad verbum habent, vti habent Latina nostra iam recitata. Duo enim hîc in Timothei commendationẽ dicit Apostolus. Primum, quòd sibi quasi patri seruierit. Secundum, quòd secum strenuè seruierit Euangelio, in eoque sibi subseruierit (modestiæ enim causa dicit Paulus *mecum* pro *mihi*) satagens vbique illud propagare. A

VERS. 23. HVNC IGITVR SPERO ME MITTERE (missurum) AD VOS, MOX VT VIDERO QVA CIRCA ME SVNT] quò scilicet vergent mea vincula, an ijs eripiendus, an in ijs mansurus, ac occidendus sim. Mysticè S. Bernard. *Quidquid*, ait, *ad corpus spectat, siue bonum, siue malum, foris est, nec potest pertingere ad eum qui intus est. Vnde Apostolus in squalore corporis iacens & vinculis, & quantum ad corpus tribulatione coronatus, Mittam, inquit, Timotheum ad vos, vt sciatis quæ circa me sunt. Quæ circa me sunt, inquit, id est in exteriori homine, in exteriori tunica carnis; quæ ad me, qui intus sum, non pertingunt.* Ita ipse tract. de Natura amoris c. 13. B

VERS. 25. NECESSARIVM EXISTIMAVI EPAPHRODITVM FRATREM, ET COOPERATOREM, ET COMMILITONEM MEVM, VESTRVM AVTEM APOSTOLVM, ET MINISTRVM NECESSITATIS MEÆ, MITTERE AD VOS] Nota. Epaphroditum miserant Philippenses ad Paulum in vinculis, vt ei solatio esset & obsequio. hunc Primò, vocat *fratrem*, id est Christianum. Secundò, *cooperatorem*, scilicet in Euangelio, & Euangelij prædicatione ac propagatione. Tertiò, *commilitonem*, in expeditione scilicet & bello Christi, quo Apostoli certamen iniuere difficillimum & periculosissimum cum philosophis, regibus, omnibusque Gentibus ad Christi regnum propagandum, illique orbem vniuersum subiugandum. Quartò, Philippensium *Apostolum*, id est legatum & nuncium ad Paulum, ait Theophyl. Secundò, *Apostolum*, inquit Chrysost. id est doctorem: quia eos in fide post Pauli discessum instruxerat. Tertiò, *Apostolum*, id est Episcopum, inquit Theod. & Baronius. Quintò, vocat eum *ministrum necessitatis suæ*: quia Paulo vincto necessaria vitæ alimenta à Philippensibus submissa deferebat, & obsequia præstabat. C

Quinque elogia Epaphroditi.

VERS. 26. QVONIAM QVIDEM OMNES VOS DESIDERABAT, supple, videre & reuisere, ET MOESTVS ERAT] Græcè ἀδημονῶν, anxius erat, & anxiè solicitus. Ambrosius vertit, *impatienter solicitus erat*; ἀδημονεῖν enim significat grauissimè angi, vt cùm quis conquiescere non potest, sed dolore & angore penè exanimatur. D

Quid ἀδημονεῖν.

PROPTEREA QVOD AVDIERATIS ILLVM INFIRMATVM] q.d. Epaphroditus, sciens vos intellecta sua infirmitate, anxios esse & mœstos, dolebat vicissim & angebatur, vos de se anxios & solicitos esse, vtque vos hac anxietate liberaret, desiderabat iam sanatus, vos statim reuisere, seque valentẽ vobis exhibere, & recreare in Domino. Præclarè S. Augustin. in Sententijs n. 174. *Beatus*, ait, *qui diligit Deum, & amicum in Deo, & inimicum propter Deum. Solus enim nullum charũ amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui numquam antè dimittit te, nisi dimittatur.*

SED DEVS MISERTVS EST EIVS] Hoc est, sua misericordia eum liberauit à morte, ac ei sanitatem restituit. VERS. 27.

FESTINANTIVS ERGO MISI ILLVM: græcè σπουδαιοτέρως, id est studiosiùs, vt vertit Syrus, Vatabl. Erasm. Secũdò, meliùs & planiùs Noster & Chrysost. cum suis vertunt. *festinantiùs.* hoc enim hic erat studium Pauli, nimirum vt citò & festinanter Epaphroditum remitteret ad suos mœrore leuãdos, VT VISO, inquit, EO, ITERVM GAVDEATIS, ET EGO SINE TRISTITIA SIM] q.d. Tristitiam ex vestra solicitudine & tristitia concepi. Vestram tristitiam absterget præsentia Epaphroditi, ac consequenter & meam absterget. VERS. 28.

Nota Pro *sine tristitia sim*, græcè est ἀλυπότερος ὦ, id est, vt Vatabl. vt magis dolore vacem, vt minùs doleam & trister; Syrus vertit, vt mihi leuior sit animi ægritudo. Hinc colligit Chrysost. Apostoli animum numquam omnino dolore vacasse, hocque ob ingentem eius charitatem & zelum; vbi enim amor, ibi est & dolor *Quis*, inquit 2. Corinth. 11. *infirmatur, & ego non infirmor: quis scandalizatur, & ego non vror?*

EXCIPITE ITAQVE ILLVM CVM OMNI GAVDIO IN DOMINO] Id est, vt Græca & Syrus transponunt, excipite illum in Domino cum omni gaudio, hoc est, excipite illum vt fratrem, imò patrem vestrum in Christo, Christique fide & religione, cum tanto gaudio, quanto frater fratrẽ, imò filius patrem ab exilio, immò à morte reducem excipit. VERS. 29.

EIVSMODI CVM HONORE HABETOTE] ἐντίμους ἔχετε, in pretio habete, pretiosos ducite.

PROPTER OPVS CHRISTI VSQVE AD MORTEM ACCESSIT] *Opus Christi*, vocat visitationem Pauli incarcerati propter Christum. Vbi Nota Opera misericordiæ vocantur *opera Christi*, quia propter Christum miseris exhibentur, & Christus ea sibi facta reputat, Matt. 25. 39. & 40 *In carcere*, inquit, *eram, & visitastis me: amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* VERS. 30.

Secundò, *accessit ad mortem*, id est, Neronis iræ & mortis periculis se exposuit, dum iuuit & visitauit in carcere me, cui Nero tam infensus erat, vt Chrysost. vel simpliciùs: vt mihi seruiret, se suamque salutem neglexit, & sui oblitus labore tanti itineris, & iugi fatigatione, vt me resq; meas curaret, vigilijs & abstinentia ferè se confecit, & in morbum penè letalem incidit, vt patet v. 26. & 27.

TRADENS ANIMAM SVAM, παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, id est perperam, aut male consulens animæ (vitæ) suæ. Vatabl. vertit, *non habita ratione vitæ*; Syrus, *nihil fecit sui ipsius*. q. d. Neglexit se, non habuit curam valetudinis suæ, sed illam tradidit & exposuit pro me, VT IMPLERET ID QVOD EX VOBIS DEERAT ERGA MEVM OBSEQVIVM. Græcè, ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας, id est, vt plenè adimpleret vestrum defectũ ministerij circa, vel potiùs erga me. q. d. Ego spiritualia vobis communicaui, vestrum erat temporalia mihi rependere. præsertim in vinculis constituto; & quidem misistis nonnulla ad me, sed quod hisce deerat, ac præsertim ministerium ad me, resque meas curandas, cùm vos absentes sitis, præsens Epaphroditus pro vobis mihi suppleuit & adimpleuit.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, hoc cap. aggreditur potissimum epistolæ argumentum, scilicet vt refutet Iudaizantes, & Simonianos hæreticos, doceatq; contra eos veram iustitiam & salutem non à lege Moysis, sed à Christo incarnato & crucifixo petendam & expectandam esse. Idem docuit epistola ad Romanos & ad Galatas.

Inde Secundò, v. 7. ait se legalia, & reliqua omnia, propter Christum, arbitrarì vt damna, imò vt stercora.

Tertiò, v. 12. docet se non esse perfectum, sed tendere ad perfectionem christianismi.

Quartò, v. 18. insectatur inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est: Nostra autem, *ait*, conuersatio in cælis est, *&c.*

1. DE cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. 2. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes, 4. quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis. 5. circumcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, 6. secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm iustitiam quæ in lege est, conuersatus sine querela. 7. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. 8. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, 9. & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide, 10. ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius: 11. si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis: 12. non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. 13. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retro sunt obliuiscens; ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, 14. ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. 15. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. 16. Verumtamen ad quod peruenimus vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. 17. Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. 18. Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: 19. quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. 20. Nostra autem conuersatio in cælis est: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, 21. qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia.

DE CÆTERO (τὸ λοιπὸν, id est, quod supereſt; Syrus vertit, *proinde*) FRATRES MEI GAVDETE IN DOMINO] q. d. Soliciti & mœsti eratis de vinculis meis, ac de morbo Epaphroditi doctoris vestri, nunc & hunc sanum recipitis, & mea vincula mihi gaudio, Euangelio honori & multis saluti fuisse, vos c. 1. certiores feci; proinde supereſt, vt absterſa omni tristitia gaudeatis: sed *in Domino*, Christo, qui vobis hanc omnem consolationem & gratiam impertit, quique fidem, religionem & Ecclesiam suam Christianam tum Romæ, tum apud vos ita propagat & exaltat.

EADEM VOBIS SCRIBERE MIHI NON PIGRVM] id est, vt Vatabl. *non piget*; & Syrus, *non est mihi tædiosum*, aut *molestum* toties eadem vobis scribere & inculcare: charitas enim qua vos complector, omne hoc tædium absorbet, omnem segnitiem excutit, facitque vt diligens & assiduus sim in vobis docendis & commonefaciendis.

VOBIS AVTEM NECESSARIVM] Græcè, ὑμῖν δὲ ἀσφαλὲς, id est, vobis autem tutum. q. d. Quod toties eadem scribo, facio vt vos corroborem faciāque tutiores, cautiores & vigilantiores, ne in errorem aliquem aut peccatum prolabamini. Noster cum Ambros. pro ἀσφαλὲς videtur legisse ἀναγκὲς, positum pro ἐπαναγκὲς, hoc est *necessarium*.

VIDETE CANES] q. d. Obseruate, &, vt Syrus, *cauete* impudentes & improbos Iudaizantes & hæreticos, qui nos allatrant & mordent, quasi canes. Nota catachresin: *videre* idem hîc est, quod cauere. Sic ad Coloss. 1. 8. *Videte*, id est videndo cauete, *ne quis vos decipiat per philosophiam*. Nota Secundò, hîc genium hæreticorum cynicum, siue caninum, quem hoc sæculo expertus b. Thomas Morus Angliæ

VERS. 1.

VERS. 2.

gliæ Cancell. *Hæretici*, inquit, *primam suam hypocrisin iam sustulerunt, sed impudentiam substituerunt; vt qui antè religionem simulabant, nunc in impietate glorientur.* Hinc manauit illa phrasis qua vulgò hæreticos comparamus canibus, dicentes: **Hy is soo grus als eenen houdt.**

VIDETE MALOS OPERARIOS] cauete & fugite pseudoapostolos, qui christianismum miscent, & corrumpunt iudaismo, inquit Chrysost.

Concisio vocantur circumcisi, cur?

VIDETE (cauete) CONCISIONEM] Nota Primò. *Concisionem* vocat circumcisionem, vt patebit v. seq. idque vt eam eleuet, & Christianis paruipendendam doceat. q. d. Circumcisio olim tam pretiosa, nunc post Christum tantùm est concisio: *Nihil enim aliud*, inquit Chrysost. *iam faciunt* (Iudæi se circumcidentes) *quàm quòd carnem concidũt: cùm enim legitimum non sit quod faciunt, nihil aliud est, quàm carnis sectio & concisio.* Addit Chrysost. concidi dici illa, quæ temerè & inaniter, ac præter artem inciduntur; circumcidi verò ea, quæ resectis superfluis expoliuntur. Rursum: per *concisionem*, seu circumcisionem, intelligit circumcisos, & circumcidentes, scilicet Iudæos pseudoapostolos. ita Chrysost. Syrus, Theodoret. abstractum enim ponitur pro concreto, iuxta can. 21.

1. Cõcisio est hæresis Cerinthi, qua Christum concidit.

Secundò, *concisionem* vocat ipsam hæresim Sirmonis, Basilidis, Cerinthi, *qui*, vt ait S. Ignatius epist. ad eosdem Philippenses, *partum Virginis circumcidunt & mutilant, diuidẽtes scilicet Iesum à Christo* (hominem à Deo) & dicentes B. Virginem esse matrem Iesu, non Christi, Christumque non esse passum verè, sed per imaginem, vel opinione, & apparenter tantùm, aut non esse passum Christum, sed solum Iesum. de quo v. 18.

3. Cõcisio est schisma Novantium.

Tertiò, vt Chrysost. *concisionem* vocat schisma & scissuram religionis & Ecclesiæ, quam faciebant hi pseudodoctores: alludit enim ad canes, quos iam nominauit hoc v. 2. q d. Hi falsi doctores quasi canes rabidi Ecclesiam conscindunt & lacerant, ab eaque, & à Christo exisi sunt, ait Anselm. aliosque exscindunt.

4. Concisio est occisio & mors æterna.

Quartò, alludit ad eorumdem *concisionem*, id est, perditionem & mortem æternam, quam sibi concisione & circumcisione iam dicta accersunt: Græcum enim κατατομὴν & concisionem & occisionem significat.

VERS. 3.

NOS SVMVS CIRCVMCISIO, QVI SPIRITV SERVIMVS DEO, ET GLORIAMVR IN CHRISTO IESV, ET NON IN CARNE FIDVCIAM HABENTES] q. d. Rectè dixi cauendam circumcisionem carnalem, & Iudaizantes circumcisos, qui pariter vos volunt circumcidere: quia hæc carnalis circumcisio non est vera circumcisio, sed carnis tantùm concisio, vti eam vocaui v. præc. vera enim circumcisio est apud nos Christianos, qui sumus *circumcisio*, id est circumcisi (iuxta can. 21.) spiritu, qui carnalia desideria pariter & Iudaicas cæremonias circumcidentes & resecantes, spiritu seruimus Deo, quæ sola vera est, & Deo placens circumcisio. ita Theodor. & alij. Sic Rom. 2. v. 28. dixit: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Iudæi habẽt cũcisionem, Christiani veram circumcisionẽ.

SPIRITV SERVIMVS DEO] Triplex est hîc lectio, vt indicat S. August. l. 1. de Trinit. c. 6.

Prima, *Qui spiritu Dei seruimus.*

Secunda, *Qui spiritui Dei seruimus.* Hanc mordicus tenet Ambros. l. 2. de Spiritu sancto c. 6. vt probet Sp. sanctum esse Deum, & latria colendum.

Tertia & vera ac germana, *Qui spiritu seruimus Deo*: opponit enim τὸ *spiritu seruire Deo*, illi quod sequitur: *in carne confidere & seruire Deo.* τὸ ergo *spiritu*, non personam quæ colitur, cuique seruitur, sed modum quo colitur significat. Vnde Chrysost. τὸ πνεύματι, id est spiritu, interpretatur πνευματικῶς, hoc est spiritualiter, & Theophyl. πνευματικῶς καὶ διὰ νοὸς, hoc est spiritualiter & mente. Vnde & Syrus vertit, Qui colimus Deum spiritu. ita etiam Vatabl. Erasm. & alij passim. q. d. Nos Christiani verè sumus circumcisi, qui spirituali fide, spe & charitate Deo religiosè seruimus (græcè enim est λατρεύοντες, q. d. Latria Deum colentes) *& gloriamur in Christo Iesu*, quasi Messia, saluatore & redemptore nostro, non in Mose iam obliterato & abolito, *& non in carne fiduciam habentes*, id est habemus (iuxta can. 29.)

Nota. *Carnem* vocat res externas & carneas, putà carnis circumcisionem, nobilitatem, legis scientiam, pharisaismum: ita enim se explicat v. 5. ita Chrysost. Theophyl. Anselm.

QVAMQVAM EGO HABEAM (habere possim, δυνητικῶς, in modo potentiali) CONFIDENTIAM IN CARNE. SI QVIS ALIVS VIDETVR CONFIDERE IN CARNE, EGO MAGIS] *Confidentiam* vocat præfidentiam, & ex ea consequentem gloriationem, & *confidere* vocat præfidere & gloriari: est enim catachresis, vel metalepsis. Vnde vers. præced. opposuit *in Christo gloriari*, illi quod est *in carne fiduciam habere*, id est gloriari.

Quid sit confidere in carne?

Secundò, quid intelligat per carnem explicat vers. sequenti. q. d. Si vellem, ego perinde ac Iudæi, gloriari possem in carnali circumcisione, nobilitate, scientia, &c. non est ergo quòd putent Iudæi me ex zelo & inuidia hisce detrahere, quasi ijs inferior sim; sed sciant me id facere studio veritatis, fidei & salutis, vt à carne omnes traducam ad spiritum, doceamque tam Iudæos quàm Gentiles adorare Deum in spiritu & veritate.

CIRCVMCISVS OCTAVO DIE] Græcè περιτομὴ ὀκταήμερος, id est, *circumcisio octaui diei.* *Circumcisio*, hoc est, circumcisus, vt alibi *præputium* vocat præputiatos, scilicet Gentiles (iuxta can. 21.) Nota. Non tantùm dicit se circumcisum, sed addit id factum octauo die, vt significet se esse Iudæum, *Nobilis sapit li.* non aduenam & proselytum (hi enim adulti conuertebantur ad iudaismum, & circumcidebantur) sed naturalem; mox enim vt natus est ex parentibus Iudæis, secundùm legem, octauo die circumcisus est, itaque factus est Iudæus & ipse. Rursum, inquit, ne dicas me natum ex Iudæis, sed proselytis, addo me natum *ex genere Israel*, hoc est, ex prosapia Iacobi Patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel. q. d. Stirpe & prosapia sum Israelita. Tertiò, ne excipias me natum ex decem tribubus quæ schisma fecerunt à Iudæis, addo me natum *ex tribu Beniamin*, quæ fortissima fuit, primumque regem Saulem dedit toti Israeli, quæque in schismate fidelis & constans adhæsit tribui Iudæ Deique templo, & regno. ita S. August. serm. 15. de verb. Apost. Denique vt huius gentis & stirpis meæ nobilitatem & antiquitatem verbo explicem, addo quòd sim *Hebræus ex Hebræis* oriundus, videlicet ex primis illis laudatissimis & antiquissimis Hebræis Abraham, Isaac, Iacob. Vide dicta 2. Corinth. 11. v. 22.

SECVN-

SECVNDVM LEGEM (id est legis sectam) fui PHARISÆVS. Aut, vt Maldon. in Notis manuscr. q. d. *Quod autem ad legem attinet.* Subaudi, eius adeò fui obseruans, vt Pharisæus etiam essem: erant enim Pharisæi inter omnes Iudæos legis obseruantissimi. SECVNDVM ÆMVLATIONEM, PERSEQVENS ECCLESIAM DEI, SECVNDVM IVSTITIAM, QVÆ IN LEGE EST, CONVERSATVS SINE QVERELA] Nota. Vers. præced. laudauit se apud Iudaizantes ex genere & gente, quòd esset Iudæus; hîc verò laudat se à proprio studio, & factis in Iudaismo. Primò, ergo laudat se hîc, quòd secta fuerit Pharisæus, quorum secta habebatur nobilissima. Secundò, ne frigidum & tepidum in ea fuisse putes, ait se eius fuisse zelotem, & ex eius æmulatione & zelo persecutum esse Ecclesiam Christi. *Non eram*, inquit, *piger Iudæus: quidquid erat quod legi meæ aduersarium videbatur, impatienter ferebam, acriter insequebar. Hæc apud Iudæos nobilitas, sed apud Christum quæritur humilitas. Ideo ibi iste Saulus, hic Paulus*, ait S. Augustin. serm. 15. de verbis Apost. Tertiò, ne vitam sectæ & zelo dissentaneam culpes, addit, *Secundùm iustitiam, quæ in lege est*, id est secundùm iustitiam legis, se conuersatũ esse sine querela, hoc est, omne ius & præceptum, quod lex præscribebat, seruasse, ita vt in nullo quasi præcepti alicuius transgressor culpari aut reprehendi posset, nemoque de eo queri, sed omnes eum prædicarent in legis obseruatione virum iustũ & religiosum esse.

PHARISÆVS] Nota. Tres præcipuæ erant sectæ Iudæorum, tempore Christi & Pauli: Pharisæorum scilicet, Essenorum & Sadducæorum: nam aliæ minùs celebres plures fuerunt, scilicet Dositheorum (quamquam hi non tam Iudæi erant, quàm Samaritani schismatici) Hemerobaptistarum, Herodianorum, Nazaræorum, & aliorum.

Primò, Essenivitam sanctiorem profitebantur, sed à ceteris schismate erant diuisi. Vnde nec sacrificabant in templo, quòd dicerent se sanctioribus vti cæremoniis.

Secundò, Sadducæi dicebant non esse resurrectionem mortuorum, neque angelum, neque spiritum, quæ omnia confitebantur & docebant Pharisæi, Actor. 23. 8.

Tertiò, Dosithei ab animatis abstinebant, adeoque superstitiosè sabbatum colebant, vt, quo quisque ipsorum habitu, loco, situ die sabbati inuentus esset, eodem permaneret vsque ad vesperam. Cuius rei de nauarcho suo lepidum narrat exemplum Synesius oculatus testis ad Euoptium.

Quartò, Hemerobaptistæ ita dicti sunt, quòd quotidie baptizarentur, rati nimirum hominem non posse purè viuere, nisi singulis diebus in aqua mergeretur, itaque mergendo abluererur & sanctificaretur.

Quintò, Nazaræi reiiciebant Pentateuchum, & sacrificia Iudæorum, abstinebantque ab animatis, velut immundis.

Sextò, Herodiani dicebant Herodem Ascalonitam esse Christum, eò quòd sub ipso, & per ipsum alienigenam, putà Idumæum, designatum & declaratum regem Iudæorum, defecisset sceptrum de Iuda, & dux de femore eius. quod erat signum & indicium aduentus Messiæ, iuxta prophetiam Iacobi Genes. 49.

Septimò, Pharisæi scientia legis, & vita ac moribus omnes antecellebant. Vnde Act. 26. 5. inquit Paulus, *Secundùm certissimam* (græcè ἀκριβεστάτην, id est exactissimam; Syrus vertit, præcipuam disciplinam) *nostræ religionis sectam vixi Pharisæus.* Hinc Scribæ & Pharisæi tempore Christi erant summi legis doctores, qui Christo se opposuerunt. fuit ergo hæc secta, docens animæ immortalitatem, & præmia bonorum pœnasque malorum post hanc vitam, aliis doctior, purior, verior; non ita tamen quin & suos habuerit errores: nam, vt Iosephus, qui & ipse fuit Pharisæus, docet lib. 18. Antiq. c. 2. & l. 2. Belli c. 7. Pharisæi omnia tribuebant fato, & μετεμψύχωσιν, id est, transmigrationem animarum, si bonæ fuissent, in alia & alia corpora, ex Pythagoræ doctrina asserebant. Vnde orta est illa opinio illorum, qua hi putabant Christum esse Eliam, alij Ieremiam, alij Iohannem Baptistam, aut alium quempiam ex Prophetis, Matth. 16. 14 quia scilicet putabant Eliæ, Ieremiæ, Iohannis Baptistæ, aut alterius Prophetæ animam transmigrasse in Christum.

Pharisæorũ errores.

Ab hac legis scientia & interpretatione dicti sunt Pharisæi à radice פָּרַשׁ *paras*, id est explanare, explicare, docere, vel potiùs, vt Epiphan. lib. 1. Panar. c. 16. & alij, ab eadem radice *paras*, quatenus significat diuidere & separare: quia Pharisæi doctrinâ, religione & moribus ab aliis Iudæis erant separati omnibusque eminebant. Sicut ergo doctissimi Gentium dicti sunt Philosophi, ita doctissimi Iudæorum dicti sunt Pharisæi. q. d. Expositi & separati ob eminentem scientiam & sanctitatem. vita enim Pharisæorum maximè in tirocinio rigida erat, & in speciem sancta, multosque annos colebant continentiam & virginitatem, deliciis abstinentes, frugaliter viuentes, vigiliis & orationibus incumbentes, ieiunantes sabbato, secunda & quinta feria; ita vt inter Iudæos essent Pharisæi, quod inter Christianos sunt Religiosi: vestem etiam habebant propriam professionis suæ, habentem fimbrias hyacinthinas (quæ eos perpetuò admonebant legis obseruandæ, vitæque cælestis, iuxta præceptum Domini Deuter. 22. 12.) præ aliis Iudæis longiores, atque in oris earum spinas ligabant, ait Hieron. in Matth. 23. vt earum punctionibus pedes cruciatos ostentarent in signum austeritatis vitæ, arctæque memoriæ & custodiæ legis.

Vnde dicti sint Pharisæi.

Pharisæorũ continentia & pietas.

Adhæc legem in membranis scriptam ligabant in fronte, aut capiti circumponebant in modum coronæ: ita nimirum declarabant professionem pharisaismi, vt nemo eos, quasi sanctificatos contingeret, ait Epiphan. lib. 1. c. 15.

Rursum dediti erant multis & quotidianis purificationibus. Ex his omnibus tanta eorum erat auctoritas apud populum, ait Ioseph. l. 13. c. 18. vt, etiamsi regi obloquerentur aut pontifici, vulgus tamen eis fidem haberet, &, vt idem ait l. 13. c. 8, iuxta eorum responsa fierent quæ ad cultum diuinum, & precationes solemnes pertinebant. De hac ergo secta æquè vt alij gloriari poterat Apostolus. Imò Actor 23. 6. gloriatur Christianus & Apostolus iam factus, se etiamnum esse Pharisæum, scilicet, quoad professionem immortalitatis animæ, aliorumque dogmatum & morum cum Christiana vita congruentium.

Pharisæorũ auctoritas.

SED QVÆ MIHI FVERVNT LVCRA, HÆC ARBITRATVS SVM PROPTER CHRISTVM DETRIMENTA] Vers. 7. q. d. Has carnis excellentias, quas iam recensui, quasque olim cùm Iudæus essem tanto in pretio habui, collegi, sepositi, velut mercator sua lucra, iamque

rarasque merces solet in pretio habere, congregare, seponere: videlicet quòd sim circumcisus, quòd sim ex genere Israel, quòd de tribu Beniamin, quòd Pharisæus, quòd legis zelotes, quòd iustitiam indies ex legis obseruatione aucupans; has, inquam, omnes carnis, id est carnalis iudaismi, prærogatiuas, postquam Christi Euangelij veritatem & dignitatem agnoui, iam præ Christo & propter Christum habeo vt nullius pretij, imò vt damna, putà impedimenta veritatis & salutis à Christo percipiendæ. ita Anselm. & alij.

VERS. 8.

VERVMTAMEN EXISTIMO OMNIA DETRIMENTVM ESSE PROPTER EMINENTEM SCIENTIAM IESV CHRISTI DOMINI MEI; ET ARBITROR VT STERCORA, VT CHRISTVM LVCRIFACIAM] Nota, τὸ *omnia* respicere præcedentia, omnes scilicet carnis, id est iudaismi, excellētias, quas v. 7. recensui. Secundò, & B digniùs ac conuenientiùs animo Paulino, non tantùm *omnia* bona iudaismi, sed *omnia* omnino, id est res omnes, putà eloquentiam, opes, delicias, gloriam, fauores, & quiduis aliud, quod mundus hic amat & miratur, pro Christo & propter Christum existimo esse detrimenta & damna, immò stercora. eò enim assurgit animus excelsus Pauli, & hoc significat Græcum ἀλλὰ μενοῦνγε, id est quinimo (pro quo Noster *verumtamen*) quod corrigentis est, vel potiùs amplificantis. q. d. Parum dixi, cùm dixi omnia iudaismi lucra, & Iudæorum legalia me arbitrari propter Christum detrimenta. amplius dico: omnia bona mundi, terrena omnia propter Christum contemno, pro damno duco, imò aspernor & abominor quasi stercora me inquinantia. ita Chrysost. & Theophyl.

PROPTER EMINENTEM SCIENTIAM IESV CHRISTI] Διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, id est, per eminentiam cognitionis, vel scientiæ Iesu Christi. C q. d. Quia video, sentio & experior tam præclarā, eminentem & sublimem esse fidem & doctrinam Euangelij (hanc enim vocat *scientiam*;) hinc omnē scientiam, quam à Gamaliele, lege, Pharisæis hausi, imò alia omnia, & res quasuis nihili duco.

Cur Paulus iustitias legis pro Christo arbitratus sit vt stercora.

Duplicem hîc tangit causam, cur omnia, etiam iustitiam legis, adeoque ipsam circumcisionem & legem veterem (inquit S. Chrysost. Theophyl. & Oecumen.) licet aliàs in se bonam, Paulus arbitretur sibi esse damna, imò σκύβαλα, quod Noster vertit, *stercora*. Prior est excellentia Euangelij & christianismi, quæ tanta est, vt reliqua omnia, etiam lex vetus illi comparata nihil videatur esse, nisi nugæ & sordes; adeò vt, si alterutrum eligere debeas, putà iudaismum, vel christianismum, damnum ingens facias, si iudaismum eligas præ christianismo: sicut si rustico inuenienti adamantem ingentem, gemmarius tantumdem offerret plumbi, stultus esset rusticus, & ingentem iacturam faceret, si pro adamante eligeret & acciperet plumbum, inquit Chrysost. Posterior causa est: quia reliqua, præsertim circūcisio, & legalia olim licet bona, iam tamen post Christum impedimēta sunt christianismi, & consequenter gratiæ & salutis: Iudæus enim si velit Christianus fieri, necesse est, vt legalibus valedicat; illa enim abolita sunt, imò iam opposita sunt christianismo. si ergo Iudæus legalibus suis adhæreat, ingens sibi damnum facit, quia priuat se maximo bono, putà christianismo; imò hoc ipso, quo Iudæus est & manet, hostis est Christi & christianismi. Vtramque hanc causam afferunt Chrysost. Theoph. & Oecumen.

Prior causa.

Posterior.

DOMINI MEI] Nota delicias amoris Pauli in Christum. Christus, inquit, Dominus est omnium nostrûm, sed meus propriè, qui me contumacem & rebellem, ad se immensa charitate vocauit, imò compulit, qui me non tantùm seruum, sed & Apostolum suum fecit, qui me Gentium doctorem tanta gratia, tot miraculis, tanto fructu & efficacia constituit; meus est, qui se pro me speciatim tradidit, qui sua omnia mihi communicauit, vt meritò dicam, *Dominus meus & Deus meus, amor meus, & omnia.* præ te enim scientiam, pharisaismum, famam, gloriam, nobilitatem, opes, delicias nihili duco, damna & stercora æstimo: quia tu mihi es vera gloria, vera nobilitas, scientia, deliciæ, honor, vita, salus, & omnia.

Delicia amoris Pauli erga Christum.

PROPTER QVEM OMNIA DETRIMENTVM FECI] id est, vt Vatablus, Syrus, & alij, propter quem omnia pro damnis duxi, pro quo omnia mihi damnosa visa sunt. Secundò & potiùs, propter quem omnium iacturam feci: hoc enim est Græcum τὰ πάντα ἐζημιώθην, quia nimirum omnibus me spoliaui, omnia reliqui & contempsi, omnia æstimans vt damna, imò vt stercora.

ET ARBITROR VT STERCORA] Græcè σκύβαλα, quod Primò, excrementa & stercora duriora significat. q. d. Legalia iam quasi stercora obseruatores sui contaminant & conspurcant, ait Anselmus, sic & deliciæ omnesque res mundi. Secundò, σκύβαλα Chrysost. Theodor. Theophyl. vertunt reiectamenta frumenti, siue paleas. q. d. Talis est lex postquam Christum quasi frumentum excussa nobis exhibuit, scilicet inanis, superuacua, reiicienda. Talia sunt pariter omnia bona terrena. Tertiò propriè σκύβαλα dicuntur illa, quæ ex intestinis boum, ouium aut pecorum canibus proiiciuntur, ὅσα τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι quòd canibus per contemptum obiiciantur & abiiciantur. Alludit ad Iudaizantes, quos vers. 2. *canes* vocauit. q. d. Canes sunt, vorent sua σκύβαλα, sua canina reiectamenta, fruantur scilicet suis cæremoniis legalibus & Iudaicis. Simul tamen omnia alia terræ bona, vt dixi, vocat σκύβαλα, quæ brutis & voracibus canibus in deliciis esse debeant, non hominibus, non Christianis, qui Christi & christianismi deliciis fruuntur. Iis ergo omnis pulchritudo, honor, diuitiæ, & deliciæ stercora sunt. Quare S. Hieronymus instituens Paulinum monachum, ait: *Sit vilu & vespertinus cibus, olera & legumina: qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere de quàm pretiosis cibis stercus conficiat.*

Quid σκύβαλα apud Iudæos sint? stercora.

Prima acceptio.

Secunda.

Tertia & genuina.

Iudaizantes quasi canes vocat.

VT CHRISTVM (Christi gratiam, iustitiam, amicitiam, virtutes, ac dona, ac tandem gloriam) LVCRIFACIAM] Vide, quomodo omnia terrena damna sint, Christus solus sit lucrum, docentem Chrysost. in morali hom. 10. & 11. vbi inter cætera dicit: *Propterea pecunia χρήματα dicta sunt, non vt spectanda proponantur tamquam apud aurifices, sed vt bonum quid in illis operemur:* χρῆμα enim dicitur, παρὰ τὸ χρῆσθαι, ab vtendo, quòd pecuniæ inuentæ sint vt iis vtamur ad mutua cōmercia & opem mutuam. Et inferiùs, quomodo omnia in Christi & virtutis obsequium conuertenda sint, sicque non damna, sed lucra fiant, ita docet: *Oculum tibi fecit; oculum illi vtendum exhibe, non diabolo. Quomodo verò illi exhibebis? Si creaturis eius visis, ipsum glorificaueris, visumq; à mulierum conspectu abduxeris. Fecit tibi manus; illas ipsi posidero, non diabolo: non ad rapinam*

nam & auaritiam, sed ad ipsius mandata & beneficia, & ad continuas preces, & ad succurrendum deficientibus eas porrigens & extendens. Fecit tibi aures; illas ipsi exhibeto, non lasciuis concentibus, obscœnis fabulis: sed omnis meditatio tua sit in lege Excelsi. Os tibi fecit; istud nihil agat eorum, quæ illi non probantur, sed psalmodias, hymnos & spirituales odas concinito. Fecit tibi pedes, non vt ad malitiam curras, sed ad ea quæ bona sunt. Fecit tibi ventrem, non vt eum cibis rumpas, sed vt philosopheris. Dedit indumenta vt tegamur, non ad ostentationem; non vt illa quidem multum habeant auri, Christus verò nudus pereat. Casam, pecunias & fruges dedit, non vt solus habeas, sed vt aliis, præsertim egenis, impertias.

Vers. 9. ET INVENIAR IN ILLO NON HABENS MEAM IVSTITIAM, QVÆ EX LEGE EST, SED ILLAM, QVÆ EX FIDE EST CHRISTI IESV] *Inueniar*, id est existā, & sim in Christo, hoc est, fide, gratia & Ecclesia Christi. Sic dicitur de malis angelis Apocal. 12. 8. B *Neque locus inuentus est eorum amplius in cælo*, id est, deiecti sunt de cælo, vt ampliùs in cælo non essent, nec ibi inueniri possent. Est catachresis.

NON HABENS MEAM IVSTITIAM] *Meam*, hoc est, meis naturæ viribus, meis laboribus partam, inquit D. Chrysost.

QVÆ EX LEGE EST] Id est legalem, quæ ex legis obseruatione acquiritur absque spiritu fidei & gratiæ Christi.

SED QVÆ EX FIDE EST CHRISTI] Hoc est, sed sim habens iustitiam, quæ per fidem Christi gratis acquiritur.

QVÆ EX DEO EST IVSTITIA] Hoc est, quæ diuina est iustitia à Deo manans, vt Deus nos faciat & habeat iustos, coramque eo verè iusti simus, non autem humana, quæ ex lege est: hæc enim coram C hominibus tantùm politicè nos facit iustos vt iustos nos prædicent homines, cùm vident nos legis obseruationi studere. Vide Augustinum serm. 5. de verbis Apostoli to. 10 vbi hunc locum tractat.

Vers. 10. AD COGNOSCENDVM ILLVM ET VIRTVTEM RESVRRECTIONIS EIVS ET SOCIETATEM PASSIONVM ILLIVS] Tria optat Paulus cognoscere, non tam speculatiuè, quàm practicè. Primò, *illum*, scilicet Christum, Christique gratiam, iustitiam, redemptionem, siue Christum esse Messiam redemptorem, qui nos iustificat & saluat.

Secundò, *virtutem resurrectionis eius*, græcè δύναμιν, id est potentiam, non qua Christus resurrexit, sed qua per resurrectionē suam quasi mortis iam domitor & triumphator nos resurgere faciet. Hanc optat cognoscere, tum per fidem, tum potiùs per experientiam, vt nimirum Christi potentia à mortuis excitetur, & cum Christo in D gloria inter Sanctos resurgat.

Tertiò, *societatem passionum*, græcè παθημάτων, id est passionum, afflictionū, *eius*, vt scilicet agnoscat & gustet quàm suaue, sanctum, meritorium, excellens sit pati & affligi cum Christo, & propter Christum, eumque socium habere tam in pœna, quàm in causa, vt, sicut Christus pro veritate, fide, iustitia, Ecclesia, & animarum salute tanta passus est, ita & nos pro iisdem patiamur.

CONFIGVRATVS MORTI EIVS] συμμορφούμενος est participium præsens. q.d. Dum conformis fio Christo morienti, per mortificationem tum propriam, tum illatam ab iis qui me persequuntur. ita Anselmus. q.d. Non do me deliciis, non ago vitam inertem & delicatam, sed labores & passio-

nes Christi in me suscipio & exprimo, illis me assimilo & configuro, in iis gaudeo & exulto, optoque cognoscere & sentire quantæ consolationis, dignitatis, gratiæ & meriti sit, habere societatem cum Christo in passione, vt per passionem merear cum ipso resurgere ad gloriam.

SI QVO MODO OCCVRRAM (Christo ac Sanctis resurgentibus) AD RESVRRECTIONEM (vt resurgam in communi omnium resurrectione) QVÆ EST EX MORTVIS] Resurrectionem bonorum græcè vocat ἐξανάστασιν, quasi exsuscitationem à morte ad gloriam; aliorum verò ἀνάστασιν, id est suscitationem & resurrectionem simpliciter. Nota hîc Primò, contra fidem specialem Nouantium, incertitudinem gratiæ & perseuerantiæ; hanc enim significat coniunctio, *si* quæ dubitantis est: si enim Paulus de ea dubitat, quis non dubitet? nam dubitare de beata resurrectione non poterat, nisi quia dubitabat an in gratia esset moriturus, nec ne. Vnde idem Paulus 1. Corinth. 10. 12. inquit Chrysost. dicit, *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Secundò, hinc patet resurrectionem & beatitudinem non obtingere sola fide, sed ex bonis operibus, laboribus, passionibus. ita Chrysost. Tertiò, hinc verosimilius videtur, Paulo non fuisse reuelatam suam electionem & salutem: & sanè illa ex nullo Pauli loco euinci potest; rationes verò quas aliqui afferunt ad eam astruendam, debiles sunt, & tantùm morales quædam congruentiæ: imò ipse Apostolus 1. Corinth. 9. 27. *Castigo*, inquit, *corpus meum, ne, &c. reprobus efficiar.* *Paulus non habuit reuelationem suæ salutis.*

Vers. 12. NON QVOD IAM ACCEPERIM, AVT IAM PERFECTVS SIM] Pro *acceperim* græcè est ἔλαβον, id est, vt Syrus & Vatabl. apprehenderim, aut potiùs prehenderim, cuius compositū mox Apostolus subdit: εἰ καὶ καταλάβω, *si comprehendam.* q. d. Hæc quæ dixi de rerum omnium contemptu, quo propter Christum omnia arbitror vt stercora, de iustitia, quæ ex Deo est in fide Christi, de cognitione virtutis, resurrectionis & societatis passionis Christi, & maximè quod dixi, *Configuratus morti eius*; non ea mente dixi, quasi putem me iam apprehendisse hunc contemptum, hunc Christianæ iustitiæ apicem, hanc perfectam resurrectionis ac passionis Christi cognitionem; neque assertiuè dixi, me configuratum esse morti Christi, sed conditionaliter & inchoatiuè, me scilicet optare & sperare iam dictam resurrectionis & passionis Christi cognitionem per configurationem mortis eius, siue quando conformis ero & configuratus Christo morienti. quam configurationem licet iam inchoarim, multum tamen adhuc ab eius perfectione absum, multum mihi adhuc laborandum est, vt imaginē Christi crucifixi in me perficiam, & perfectè exprimam ac depingam. ita Oecum. & alij. Nota, Apostolum hæc dicere studio humilitatis. Addunt Ambros. & Chrysost. eum non tam propter se hæc dicere, quàm propter Philippenses qui nimium sibi tribuebant, quasi iam perfectionem christiani īmi adepti essent. q. d. O Philippenses discipuli mei, nolite altum sapere, nolite putare vos apprehendisse culmen tum cognitionis & doctrinæ, tum iustitiæ & vitæ Christianæ: ecce ego, qui vester sum & magister & Apostolus, qui tot iam annos perfectioni huic tam impensè studui, confiteor & affero me necdum hanc perfectionem apprehendisse, me adhuc illam cur-

rendo persequi, & dubitare an eam omni meo A cursu & conatu tamdem comprehensurus sim. Videte ergo, quàm vos iam recenter conuersi, & vix discipuli, ab illa absitis.

Incipientiũ tentatio est, putare se esse perfectos.

Nota Est hæc incipientium tentatio & persuasio, vt, cùm cœperunt Deo seruire, mox se perfectos esse putent, partim quia vident se alios mundo & peccatis seruientes longo post se interuallo reliquisse, partim quia vitia sua necdum perspecta habent, vti nec apicem virtutum.

SEQVOR SI QVOMODO COMPREHENDAM, IN QVO ET COMPREHENSVS SVM A CHRISTO IESV] Pro *sequor*, græcè est διώκω, id est persequor, cuius vim explicant Chrysost. & Theophyl. *Adhuc*, inquit, *mihi vita certaminum plena est, adhuc procul à meta sum, adhuc absum à brauiis, adhuc curro ac persequor: imò non dixit Curro, sed Persequor, qui persequitur, scitis quanta contentione persequatur; neminem aspicit, quosuis impedientes magno impetu abiicit; mentem, & oculum, & robur, & animum, & corpus in vnum contrahit, ad aliud nihil, nisi ad solum brauium intendens.*

Sequor, id est persequor.

Sequor ergo hîc idem est quod persequor, vt cùm fugientia sequimur, quæ capere maximè cupimus. Ita Virgilius ait ecloga 2.

Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cytisum sequitur lasciua capella,
Te Corydon, ô Alexi; trahit sua quemque voluptas.

Vbi enim Theocritus, quem in Eclogis sequi solet Virgilius, dixerat διώκει, id est *persequitur*, Virgilius dixit *sequitur*.

Ita Abbas ille in Vitis Patr. lib. 5. c. 7. de patientia n. 35. rogatus quomodo Religiosus non debeat scandalizari, cùm videt aliquos retrò ad sæculum reuerti, sed progredi ad perfectionem religionis, respondit: *Intueri debet canes, qui venantur lepores; & sicut vnus ex eis videns leporem insequitur, ceteri autem tantummodo canem videntes currentem, aliquamdiu cum ipso currunt, postea verò lassantes post se reuertuntur: solus autem ille, qui vidit leporem, sequitur donec comprehendat, neque exemplo reuertentium, nec præcipitiis, nec silais, nec vepribus retardatur, sed spinis pungitur, & non quiescit donec comprehendat: ita & monachus, vel qui Dominum Iesum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt scandala omnia præteriens, donec ad crucifixum perueniat.*

COMPREHENDAM] apprehendam perfectionem cognitionis & vitæ Christi iam dictam. Loquitur ergo de comprehensione huius vitæ, non futuræ in cælis, ne quis hinc inferat Beatos in cælis cõprehendere sua visione diuinam essentiam, quæ licet visibilis sit, est tamen incõprehensibilis. D

Quomodo Paulus à Christo cõprehensus. Prima expositio.

IN QVO ET COMPREHENSVS SVM] Primò, D. Thomas sic explicat, q.d. Sicut à Christi præscientia & cognitione perfectè comprehensus sum, ita satago, vt vicissim ipsum Christum comprehendam, nimirum vt Christum cognoscam perfectè, sicut ipse Christus me perfectè cognoscit, & sua cognitione comprehendit.

Secunda.

Secundò, Oecumen. *in quo*, id est ad quod, à Deo apprehensus, id est, vocatus & electus sum, vt scilicet ad perfectionem christianismi curram, eamque comprehendam. Vnde Vatabl. & Erasm. sic explicant: si quomodo assequar id, ad quod me Christus delegit, & in hoc stadio certare iussit. Hic sensus aptus est, sed non explicat satis vim vocis *comprehensus* vel *apprehensus*.

Tertia.

Vnde Tertiò, simpliciùs & planiùs Chrysost. Ambros. & Vatabl. q.d. In æstu persecutionis cùm pergerem Damascum, vt Christianos caperem & vincirem, à Christo in via apprehensus sum, cùm Christus mihi manum iniecit, me prostrauit, cæcitate percussit, corpus animumque meum sibi subegit, compulitque me dicere, *Domine, quid me vis facere?* & hæc omnia hoc fine fecit Christus, vt vicissim satagerem comprehendere tam ipsum, quàm perfectionem christianismi. Vnde Notat Secundò, Chrysost. vocem *comprehensus* significare auersionem & fugam Pauli, quòd scilicet Deus eum à se auersum & fugientem apprehenderit & ad se retraxerit.

Nota Tertiò, enallagem præpositionis, *in quo*, id est ad quod, à Christo comprehensus sum, ad hoc scilicet, vt vicissim studeam eum comprehendere. Aliter tamen Chrysost. Græcum ἐφ' ᾧ, quod B Noster vertit, *in quo*, accipit causaliter pro quandoquidem Christus scilicet me ita sua dilectione præuenit, vt me auersum, fugientem, imò hostem apprehenderet, & ad se traheret; hinc vt dilectioni eius sim gratus, & respõdeam omni meo conatu & studio curro & persequor, vt ipsum ipsiusq; vitam, virtutes & perfectionem comprehendam.

Pœnitentes tantum persequantur Christum quantũ peccantes eum fugerunt.

Notent hoc Pauli exemplum pœnitentes & conuersi, & cogitent & ponderent hoc Dei beneficium, quo eos peccatis & sordibus deditos, à se auersos, seque fugientes insecutus est, apprehendit, & ad se retraxit, & in viam gratiæ ac salutis reduxit, atque cum Paulo & Magdalena, & sponsa in Canticis errante, sponsum ita se diligentem agnoscant, eum per vicos & plateas requirant, insectentur, dicantque: *Quæsiui quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, &c. vt tantum eum iam diligant, quantum antea oderunt; tantum C persequantur, quantum fugerunt; tantum illi seruiant, quantum offenderunt; tantum eius honorem & gloriam propagent, quantum suis peccatis & scandalis eam obscurarunt, Deumque dehonorarunt itaque fieri videmus in magnis peccatoribus, cùm tacti à Deo seriò conuertuntur. *Curramus*, inquiebant illi apud Climachum gradu 5.

Climachi stimulus ad cursum virtutis.

curramus fratres, curramus: cursu enim opus est & vehementi cursu, quoniam cœtu nostro decoro atque optimo excidimus; curramus, neque huic carni nostræ sordidæ atque nequam parcamus, sed occidamus illam, sicut prior occidit nos. Hocque signum est veræ conuersionis & pœnitentiæ. Vnde S. Gregorius, *Plerumque*, inquit, *gratior est Deo amore ardens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.*

EGO ME NON ARBITROR COMPREHENDISSE] VERS. 13. Hinc Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, arguit Eunomium temerarij erroris, quòd diceret se Deum in hac vita cõprehendisse. Nam, vt rectè ait S. Augustin. in Sentẽtiis n. 102. *In hac vita quæ tota tentatio est, etiam in sublimissimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non superest ascensio.* Et n. 103. *Dum præsentis vitæ cursus agitur, etiamsi valdè proficiat cuius exterior homo corrumpitur, interior renouatur; necesse est tamen vt, dum conditioni subiacet mortis, labores toleret vetustatis.*

Nota. Est hîc continua metaphora sumpta à stadiodromis, qui cursu certant in stadio, vt rectè Syrus. Cursor est Paulus & quiuis Christianus, stadium est vita Christiana, meta est eius perfectio, brauium est cælestis corona, quã dabit agonotheta Christus. Simili metaphora vsus est Apostolus 1. Corinth. 9. *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit,*

tendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidē vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, &c.

VNVM AVTEM] supple, est necessarium, inquit Anselmus. Secundò & genuinè, *vnum* hoc, supple studeo & ago, vni huic totus intendo. ita Chrysost Theophyl. & alij. Vnum hoc est quod explicat dum subdit:

QVÆ QVIDEM RETRO SVNT OBLIVISCENS. AD EA VERO QVÆ SVNT PRIORA EXTENDENS MEIPSVM] *Ea quæ retrò sunt* vocat temporalia bona & lucra, inquit D. Thomas, quæ Paulus reliquerat in mundo, (erat enim diues & nobilis) quorum hîc se ait obliuiscì. Secundò, Augustin psalm 89. *quæ retrò sunt*, id est præterita mea peccata: aut, vt Vatablus, iudaismum, & vitam quam egi in iudaismo, obliuiscor. Tertiò & optimè, *quæ retrò sunt*, id est, præterita mea bona opera, labores, passiones pro Christo obliuiscor, quia eorum memoria tum pigros, tum superbos facit. ita Chrysost. Ambros. Theodoret. Theophyl. Anselmus. q d. Sicut stadiodromi dum currunt in stadio, non respectant quantum spatij transmiserint, sed quantum supersit ad metam, eoque toto conatu & impetu ac cursu recto feruntur: ita & ego præteriti cursus mei obliuiscor, totus in metam feror, & non respecto quid egerim, sed quid supersit agendum.

Hoc Apostoli præceptum inculcat S. Hieronymus Celantiæ ad perfectionem aspiranti. *Beati*, inquit, *qui non sibi de præterita iustitia blandientes secundùm Apostolum per dies singulos in virtute renouantur: iustitia enim non proderit ei, à quo die iustus esse desierit. Totum spatium vitæ tuæ sit, vt peragere possis iustitiam, ne de præterita iustitia confidens remissior efficiaris: sed, sicut ait Apostolus, Posteriora obliuiscens, ad ea autem quæ sunt anteriora me extendens, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis. Idcirco age, vt ordines reliquum tempus vitæ tuæ, sic vt possis canere cum Propheta, Perambulabam in innocentia cordis mei: quia inchoasse non sufficit, sed perfecisse iustitia est.*

Idem ad Eustochium: *Audi filia*, inquit, *& vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex speciem tuam. Deus ad animam loquitur humanam, vt secundùm exemplum Abrahæ, exiens de terra sua & de cognatione sua, relinquat Chaldæos, dæmones, & habitet in regione viuentium. Verùm non sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliuiscaris populi tui, & domus patris tui, vt carne contempta sponsi iungaris amplexibus. Ne respexeris, inquit, retrò, ne steteris in omni circà regione: sed in monte saluum te fac, ne fortè comprehendaris. Non expedit apprehenso aratro, respicere post tergum, nec de aratro reuerti domum, nec post Christi tunicam ad tollendum aliud vestimentum tecto descendere. Hæc tibi dixi, vt intelligeres exeunti de Sodoma timendum esse Lot vxoris exemplum.*

Denique S. Augustin. libr. de Cantico nouo c. 4. tom. 9 *Via*, inquit, *ista nostra ambulantes quærit: tria sunt genera hominum quæ odit remanentem, retrò redeuntem & aberrantem. Qui non proficit, remansit in via; qui fortè à meliore proposito declinat ad id, quod deterius reliquerat, reuersus est retro; qui fidem deserit, à via erravit. Quis est, qui non proficit: qui se putauerit esse sapientem, qui dixerit, Sufficit mihi quod sum; qui non attenderit eum qui dicit, Quæ retrò sunt obliuiscens, in ea quæ antè sunt extendo meipsum, sequor ad palmam supernæ vocationis. Currentem se dixit, sequentem se dixit; non remansit, non retrospexit. Qui sunt retrò redeuntes? qui ex continentia reuertuntur in immunditiam, qui ex sancto & singulari bono proposito in malum corrumpuntur. Hos increpat Apostolus dicens: Melius illis erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm cognoscentes retrorsum conuerti. O malum retrospicere! Vxor enim Lot, quæ liberata est à Sodomis, contra præceptum retrospexit, & in statuam salis conuersa est.*

AD EA QVÆ SVNT PRIORA] *Priora*, græcè ἔμπροσθεν id est, vt Syrus & Vatablus, à fronte; hæc enim opponit iis quæ retrò à tergo sunt.

EXTENDENS] Græcè ἐπεκτεινόμενος. quod magnam habet emphasim: significat enim manus totumque corpus protendere ad scopum, vt eum apprehendas antequam pedibus eum attigeris. quod faciunt stadiodromi, qui cum extremo nisu conantur, maximè dum metæ & victoriæ vicini sunt, vt antagonistam æquis penè passibus currentem præuertant, caput totumque corpus & vires exerunt, ac præcipites ad scopum ruunt, ad eumque summis manibus eum prehensuri se extendunt. ita Chrysost. & Theophyl.

Hæc extensio in cursore Christiano, vt docet S. Augustin. tract. 4. in epist. 1. S. Iohan. tom. 9. fit per desiderium: hoc enim animum eius delatat, & conatum impetumque adauget. *Tota vita*, inquit, *boni Christiani sanctum est desiderium proficiendi. hic sinus noster est, hic saccus, & quia angustus est, extendendo facis capaciorem. sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. desideremus ergo fratres, quia implendi sumus.* *Cursor Christianus se extendit ad anteriora. Primò, per desiderium proficiendi.*

Secundò, hæc extensio fit per conatum virtutum, vt illas studeas acquirere quæ tibi desunt. ita S. Basilius hom. 11. Hexameron in illa verba Genes. 1. *Crescite & multiplicamini, Anima*, inquit, *crescit, dum quotidiana propagatione se ad perfectionem promouet. Nobis dictum est, Crescite, ratione mira interioris hominis, quo se promouente, recta ad Deum contendimus. Istiusmodi erat Paulus, qui dum admiteretur, prout virili se extenderet in anteriora, eorum quæ erant à tergo, obliuiscebatur. Ipsa hæc extensio in hoc sita est, vt ad ampliora iam quæsitis quotidianâ propagatione nos extendamus, nimirum, vt eo quidem, quod assecutus iam es, è memoria sublato, id demum persequare pro virili quod experfecta pietatis cumulo tibi agnoscis deesse. Talis & Isaac erat, de quo celebre illud elogium proditum memoriæ est, quia promouens gradum in sublime attollebatur, donec magnus effectus est.* vide quæ sequuntur. *Secundò, per conatum virtutum.*

Tertiò, si mentem semper ad anteriora, quæ à fronte sunt, intendamus. Sic Ezechiel de quatuor Cherubinis ait c. 1. *Non reuertebātur cùm incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Quæ verba explicans S. Greg hom. 3. in Ezech. *Sancti*, inquit, *cùm incedunt minimè reuertuntur, quia sic à terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, vt ad ea quæ reliquerunt, vlteriùs nullatenus reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere est, mente ire semper ad meliora. Quod contrà de reprobis dicitur, quia reuersi sunt corde in Aegyptum. ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia: quia & illa pergentes inuenimus, & ista recedentes quasi post dorsum relinquimus.* *Tertiò, si semper ad anteriora mentem intendat, instar Cherubim.*

Deinde impedimenta huius ambulationis à fronte, vt scilicet anteriora semper prospicias, tradit idem, dicens: *Sunt quidam, qui magna deliberant, & multa ex his quæ possident egenis distribuere pertractant; iamque hæc operari inchoant, & mox pau-*

pertæsis timor eorum animum concutit, atque timentes ne egeant, erga egentes tenaces fiunt, seq; ab ea, quam cœperant, bona operatione suspendunt. His nimirum incedentes reuersi sunt, quia ante faciem suam ambulare noluerunt; contra quos rectè per Salomonem dicitur: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. qui enim nunc propter pauorem mentis atque torporem, bene operari negligit, cùm sol iustitiæ in iudicio velut in æstate claruerit, mendicabit vitam, sed non accipiet, quia propter illam bona operari contempsit. Alius despectis carnis desideriis cuncta relinquere, & seipsum restringere castitatis fræno deliberat: sed cùm cecidisse alios etiam post castitatem conspicit, hoc ipsum facere, quod deliberat, pertimescit, fitq; vt retro per cogitationem redeat, qui ad anteriora respiciens iam mentis gressibus ad alta ibat.

VERS. 14. AD DESTINATVM PERSEQVOR] κατὰ σκοπὸν διώκω, id est, versus scopum totus feror.

Nota. Scopus signum est præfixum sagittariis, vt ad illud sagittis suis colliment, illudque configant: Apostolus verò non de sagittariis, sed de cursoribus siue stadiodromis agit, qui non ad scopum, sed ad metam currendo certant; per scopum ergo hîc metam intelligit. Vnde Syrus vertit, *decurro ad metam*. Meta hæc est perfectio Christiana toties iam dicta. Aliter hæc vertunt Patres, August. in psal. 38. vertit, *secundùm intentionem feror*: σκοπεῖν enim significat considerare & intendere. Vnde Episcopus dicitur, qui subditis intendit & inuigilat. Secundò, Cyprianus, vel quisquis auctor libri de Vita clericorum, vertit, *ad regulam feror*. Tertiò, Tertull. lib. de Resurrect carnis vertit, *secundùm scopum persequor ad palmam* (ad brauium.)

Media incitantia ad cursum sunt, primùm sibi persuadere se non esse perfectum, sed eò tendere.

Nota hîc media incitantia ad cursum in vita Christiana, vt in ea metam, id est perfectionem, assequaris, quæ hîc suggerit Apostolus.

Primum est, vt scias, & persuadeas tibi te non esse perfectum, dicasque cum S. Paulo hîc: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse*. qui enim se putat perfectum, quasi de meta securus, consistit, nec progredi aut perficere se laborat: qui verò longiùs se à meta abesse videt, incitatur vt ad eam contendat. Hinc quantumcumque profeceris, cogita te necdum esse perfectum, sed magis indies debere proficere. *Iustorum*, inquit Sapiens Prouerb. 4. *semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*. Et Cant. 4. de Ecclesia, (ac consequenter de fidelibus, qui in Ecclesia quasi membra in corpore viuunt & proficiunt) dicitur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens* (in incipientibus.) *pulchra vt luna* (in proficientibus,) *electa vt sol* (in perfectis.)

Numquam verò cursor Christianus animo cadat aut fiat pusillanimus si labatur, aut non tantum proficiat, quantum optaret: imò hoc signum accipiat, quòd tendat ad perfectionem, si hoc ipsum in se notet & aduertat, ideoque sibi displiceat: nam, vt ait S. August. serm. 50. de Tempore, *Ipsa est perfectio hominis inuenisse se non esse perfectum*. Et serm. 15. de verbis Apostol. *Ergo*, inquit, *proficite fratres, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione, semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod non es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit, & periisti.*

Secundum est, animi generositas ad heroica opera & perfectum.

Secundum medium ad perfectionem est strenua generositas, & studium ad progrediendum in virtutibus; si videlicet te exerceas strenuè, & aduigiles ad heroica virtutum opera: plus enim proficies vno heroico actu, quàm viginti communibus & ordinariis. Porro heroica hæc opera sunt. Primò, heroica sui victoria, atque heroica suarum passionum & appetituum refrænatio. Secundò, difficultates & obices qui virtuti se obicere solent, heroicè superare & transcendere. Tertiò, ad ardua & excelsa conari, molirique res magnas, quibus Dei gloria tum in nobis, tum in aliis quàm maximè promouetur. Ita S. Bernard. epist. 254. ad Garinum: *Indefessum*, inquit *proficiendi studium, & ingis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quòd si studere perfectioni, est esse perfectum, profectò nolle proficere deficere est. Vbi ergo sunt, qui dicere solent, Sufficit nobis, nolumus esse meliores, quàm patres nostri? O monache non vis proficere? non. Vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere quò perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio.* Et mox hoc refellit dicens. Primò, *hoc ergo vix quod esse non potest; quid enim stat in hoc seculo? Et certè de homine specialiter scriptum est: Fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet.* Secundò, *exultauit Dominus noster vt gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Vnde Paulus aiebat, Sic currite, vt comprehendatis.* Tertiò, *quòd si Domino currente tu gradum fistis, non Christo appropias, sed te magis elongas, timendumq; tibi est quod ait Dauid: Ecce qui elongant se Domine à te, peribunt. Itaque si proficere, currere est, vbi proficere, ibi & currere desinis; vbi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere nonnisi deficere est.* Deinde idipsum Quartò, confirmat exemplo angelorum in scala Iacob dicens: *Vidit scalam Iacob, & in scala angelos: vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur vniuersi; quatenus palàm daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc mortalis vitæ statu nihil medium inueniri.* Quintò, *Sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè aut crescere constat aut decrescere. sic necesse sit spiritum aut proficere semper aut deficere.*

Hue incitat quinque motiua S. Bernardi.

Insatiabile desiderium perfectionis mirè incitat ad cursum.

Maximè verò ad perfectionem incitat feruor & insatiabile desiderium proficiendi & tendendi ad perfectionem: ad quod insignes stimulos nobis adhibet vetustus quidam auctor, ita scribens: Primò, *considerare pudet quantus sit feruor in sæculo, qua cura singula quæque studia hominum quotidie ad perfectionem nitantur. Diuitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit honorum cupido, celerem habituræ res finem sine fine quæruntur. Nos cælestes diuitias pigra quadam dissimulatione negligimus spirituales diuitias aut ne attingimus quidem, aut si leuiter degustauerimus, continuò nos putamus esse satiatos.* Secundò, *aliter nos diuina sapientia ad suas inuitat epulas, dicens: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Nullus vmquam talibus expletur epulis, nec aliquando patitur de satietate fastidium. Tanto vnusquisque capacior, tanto auidior erit, quanto indeplus hauserit. Vult esurire nos hic semper & sitire iustitiam, vt in futuro iustitiæ retributione satiemur. Consideranda vis ipsa verborum est, & ita nobis desideranda est iustitia, vt in fame vel siti cibus desideratur ac potus.* Et sub finem epistolæ; Tertiò, *nihil in hoc proposito otio deterius est, quod non solummodo non acquirit noua, sed etiam parata consumit.* Quartò, *sanctæ vitæ ratio processu gaudet & crescit, cessatione torpescit & deficit. Quotidianis ac recentibus virtutum incrementis mens instauranda est, & viuendi nobis hoc iter non de transacto,*

acto, sed de reliquo metiendum. Quintò, *si beatus Paulus, vas electionis, qui ita Christum indutus erat, vt diceret, Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus; adhuc tamen se extendit, adhuc crescit & proficit: quid nos facere debemus, quibus optandum est, vt in fine nostro, Pauli principio comparemur? Ergo tu obliuiscere omne præteritum, & quotidie inchoare te puta, ne pro præsenti die, quo debes seruire Deo, præteritum imputes.* Sextò, *optimè quæsita custodies, si semper inquiras. Damnum parata sentient, si parare cessaueris.*

Vnde Nota hîc vocem διώκω, id est persequor. Perinde enim vt cursor suum cursum intentissimè prosequitur, ipsumque terminum persequitur, ita & nos perfectionem persequi oportet. Senior ille in Vitis Patrũ rogatus, quid perfectionis studioso agendum esset, respondit, eum imitari debere canes venaticos. Sicut enim illi leporem velocissimè totoque conatu persequuntur, non respectant, quæ in via sunt aut offeruntur non attendunt, sed omnibus oculis, sensibus & viribus etiam per saxa, sentes & vepres in leporem feruntur, nec quiescunt donec eum ceperint; ita & virtutis studiosum circa virtutem facere debere. Atque ita fecit S. Marcianus anachoreta, vt narrat Theodor. in Philotheo. Cùm enim in venatorem incidisset, rogatusque esset quid rerum in eremo solus & otiosus ageret, vice versa quæsiuit, Quid verò tu agis? Cui ille, Ego ceruos & lepores venor vt vides. Tum Marcianus, *Et ego*, inquit, *Deum meum hîc venor, nec ab hac pulchra venatione cessabo, donec eum apprehendero.*

Tertium medium ad perfectionem est, semper ob oculos habere *brauium supernæ vocationis Dei*, id est palmam, &, vt Syrus vertit, victoriosum præmium supernè in cælis dandum, ad quod nos vocat Deus: Deus enim, qui agonotheta in superno cælorum throno residens, nos cursores strenuos post mortem in cælum ad se vocabit, vt tibi superna & cælesti palma coram omnibus Sanctis & angelis nos donet, & corona gloriæ, quasi victores & triumphatores, coronet: sed quemque pro meritis, vt qui magis alacer & strenuus in hoc cursu fuerit, maiorem; qui minùs, minorem coronam accipiat. E cælo ergo Deus & angeli has nobis coronas ostentant ac pollicentur, vt iis nos ad cursum incitent. Plura media eáque practica & efficacia suggerit P. Alfonsus Rodriguez part. 1. de Perfect. tract. 1. & 2.

Porro praxis huius cursus ad perfectionem commoda & efficax est, si quisque Primò, coram Deo sincerè & penitissimè se ipsum examinet, scrutetúrque fundum animæ suæ, vt intimè se suasque inclinationes omnes, tam malas, quàm bonas perspiciat, ac clarè cognoscat quid eum maximè à progressu in virtutibus impediat & remoretur; quæ sit origo & radix omnium suorum vitiorum & imperfectionum. Est enim in homine quolibet vnum alterumue vitium capitale & radicale, à quo cætera eius vitia, quasi rami suppullulant & oriuntur, quo eradicato, cætera omnia pariter eradicantur.

Secundò, vt cognito & perspecto hoc vitio suo radicali, seriò & efficaciter proponat illud extirpare, totoque die intentos & defixos habeat oculos in illud, perinde ac in hostem capitalem, cum quo quotidie duellum ineundum est. Deinde arma ad illud debellandum vndique conquirat; nec desistat, donec per assiduam in illud reflexionem, sui custodiam, mortificationem, orationem, Dei amorem, illud superet & euincat.

Tertiò, huc multùm iuuabit examen sui particulare: si manè resolutè proponas, illud ipsum toto die heroicè supprimere: per diem assiduè in illud idem intendas, illudque iugiter cohibeas; si quando labi te contingat, mox indoleas, & alacrior fortiorque resurgas: vespere memor eris quoties, quomodo & qua occasione per diem in illud ceciderit, omnesque lapsus per pœnitentiam, perque nouum & ortius propositum cauendi, vel superandi occasiones illius, ac per alia remedia cuique propria, emendare satagas. Idem examen peragas qualibet hebdomade, vt die Dominico lustres & videas, quid elapsa septimana profeceris, vel defeceris, illudque sequenti compensare, vel adaugere, ac tribus quotidie gradibus in contraria virtute vel humilitatis, vel temperantiæ, vel continentiæ, aliaue simili proficere, altiusque conscendere seriò constituas. Simile examen initio cuiusque mensis obeas, similéque initio cuiusque anni. Nihil est quod hac constantia, iugique & peruigili labore euinci & eradicari non possit. Quocirca S. Chrysost. & Cassian. docent hominem vno anno fieri posse perfectum. Si enim milites resoluti & certi aut vincere, aut mori, quasuis acies & arces perfringunt; quid non perfringet in se, suaque voluntate generosus & resolutus miles Christi?

Quartò, si te in continuo Dei amore exerceas, omniaque opera, etiam indifferentia, vti sunt studere, edere, ludere, dormire, ambulare, laborare, ex amore Dei, initio cuiusque operis excitato & concepto, inchoare & perficere studeas. Rursum, si aduersa omnia, crucesque Deo per amorem offeras, omniaque generosè & hilariter Dei amore sustineas. Denique, si vitia, ac præsertim radicale tuum, quoties eruperit, Dei amore mortifices & reseces. Nam, vt ait Petrus Rauennas, *Tenera militia est, solo amore de omnibus vitiis reportare victoriam.*

Age ergo, ô athleta Christi, in hoc stadio contentis viribus decurre, certa bonum certamen, apprehende vitam æternam. Quàm durum tibi iam est currere & fatigari, tam iucundum tibi erit in meta dicere cum S. Paulo: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Vita breuis est, stadium breue, corona æterna est. Forsan hodie cursum tuum incidet, vitam tuam abrumpet Deus: tunc currere amplius non poteris: tunc quod in cursu tuo hoc temporis momento neglexeris, serò reparare voles; quia hanc negligentiam per omnem æternitatem sarcire & restaurare non valebis. quod nunc negligis, in æternum negligis; quod nunc perdis, in æternum perdis. Et quid est, quàm longa est æternitas? Et quid perdis? singulis momentis perdis coronas ampliſſimas, non aureas, non gemmeas, sed cælestes, sed angelicas, vt qui poteras tuo cursu peruenire ad Cherubinos & Seraphinos, ob teporem tuum, torporem & tarditatem hæreas, & in æternum hæreas inter infimos, in imo angelorum ordine.

Ita Abbas Pambo moriturus dixit: *Non pœnitet me sermonis alicuius, quem locutus sum vsque in hanc horam. Et sic vado ad Dominum, quasi qui nec initium fecerim seruiendi Deo.* vt habetur in Vitis Patr. l. 5. t. 1. n. 16. Et Abbas Siluanus rogatus ab Abbate

Mose: *Potest homo per omnem diem initium facere conuersationis?* respondit: *Si est homo operarius, potest per diem & per horam inchoare initium conuersationis suæ.* ibidem tit. 11. num. 29. Alius rogatus quid quotidie cogitaret & meditaretur in cella, dixit, *Dico mihi, Hodie renatus es, hodie cœpisti seruire Deo, hodie hic inhabitare cœpisti: sic esto quotidie peregrinus, & crastino liberandus. hoc mihi quotidie consulo.* ibidem lib. 7. c. 44. n. 2. Alius rogatus quis esset ei stimulus ad virtutem? quid quotidie meditaretur? respondit: *Ego per singulos dies statui verba mea audiri à Domino, putans mihi dici, Laborate propter me, & ego quiescere faciam vos. Adhuc modicum decertate, & videbitis salutare meum, & gloriam meam. Si diligitis me, si filij mei estis, ad Patrem rogantes reuertimini. Si fratres mei estis, erubescite pro me sicut propter vos multa perpessus sum. Si oues meæ estis, Dominicam passionem sequimini.*

Acer stimulus ad perfectionem, hodie cœpi, hodie finiã.

Manè ergo cùm surgis, cogita cum S. Antonio: Hodie cœpi currere, hodie cœpi Deo seruire, hodie forsan & finiam. Sic viuam ergo, quasi hodie moriturus; sic curram, quasi hodie cursum consummaturus. Itaque curram velociter, quia curredi tempus breue est, & grandis mihi restat via in cælum.

IN CHRISTO [IESV] per Christum Iesum, per Christi merita, ita Chrysost. Hoc referri potest Primò, ad *brauium supernæ vocationis.* q.d. Deus hoc brauium nobis proposuit, & ad illud nos vocat per merita Christi. Christus hoc apud Patrem promeruit, vt illud nobis brauium offerret ac proponeret quasi cursus nostri præmium. Secundò, hoc referri potest ad *persequor.* q.d. Ego curro, ego persequor hoc brauium, non meis, sed gratiæ viribus quam mihi Christus promeruit.

VERS. 15. *Paulus negat se esse perfectum triplici sensu.*

QVICVMQVE ERGO PERFECTI SVMVS, HOC SENTIAMVS] Dices. v. 12. & 13. negauit se esse perfectum. quomodo ergo hîc se inter perfectos numerat? Respondent aliqui cum S. August. Apostolum v. 12. negasse se esse perfectum perfectione patriæ, hîc verò asserere se esse perfectum perfectione viæ, seu tali qualis in hac vita haberi potest. sed ex dictis patet Apostolum etiam v. 12. loqui de perfectione non patriæ, sed viæ.

Secundò, Ambros. respondet Apostolum dicere se perfectum respectu imperfectiorum: sicut viros Religiosos vocamus perfectos respectu vulgi, quia plura pietatis ac virtutum officia præstant, quàm vulgus.

Tertiò & genuinè: *perfecti*, id est perfectionis studiosi, siue, vt Anselm. perfecti viatores: vox enim *perfecti* sumitur in actu non completo, sed inchoato, iuxta can. 32. q. d. Cùm ego Paulus, qui vobis videor perfectus, sentiam me necdum comprehendisse, sed obliuiscens ea quæ retrò sunt, ad priora me extendam, ac metam & brauium persequar; ergo à pari, imò multò magis, quicumque inter vos ad perfectionem vitæ Christianæ mecum adspirant & connituntur, hoc mecum sentiant, se scilicet nondum perfectionem attigisse; sed ad eam directo & continuo cursu debere currere, vt iam dixi. pronomen enim *hoc* demonstrat id, quod dictum est præced. v. 13. & 14. ita Anselmus.

Perfectio huius vitæ consistit in continua tendentia ad perfectionem.

Vbi Nota, perfectionem huius vitæ consistere, non tam in eo quòd quis planè sit perfectus, nihil habens vitij aut concupiscentiæ, hoc enim impossibile est: sed in continua tendentia & cursu ad perfectionem. Hæc enim perfectio viatorum est, vt continuò & celeriter in via sua progrediantur ad terminum: nos autem in hac vita viatores sumus, & vita nostra via est, tum ad perfectionem, tum ad cælum. quo ergo magis per virtutes progredimur ad perfectionem & ad cælum, eo magis perfecti sumus viatores. ita S. August. lib. de Perfect. iustitiæ c. 9. *Perfectus*, inquit, (viator) *est qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit carens crimini bus damnabilibus, atque ipsa etiam peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.*

Hic enim perfectus viator.

ET SI QVID ALITER SAPITIS, ET HOC VOBIS DEVS REVELABIT] Ita Romana, Græca & Syrus, non *reuelauit*, vti multi cum Ambros. & August. epist. 48. legunt. Vatabl. sic exponit: *quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus*, scilicet iustitiam esse non ex lege, sed ex fide Christi. *& si quid aliter sapitis.* q.d. Si contrarium sentiatis, putà iustitiam obtingere homini ex obseruatione legis Mosis, *hoc quoque vobis Deus reuelabit.* q.d. inquit Erasmus, Si quis adhuc aliquid legi Mosis tribuit, vt ex ea patet se iustificari, non ob id scindatur concordia Christiana, sed feratur excusetur*que*, quòd in fide nouellus sit, & recèns à iudaismo conuersus: vbi verò doctior fuerit, Deus ei hanc mentem aspirabit vt contemnat ea, quæ necdum contemnere potest. Secundò, Theodor. sic explicat, q.d. Si quid perfectiùs sapiris quàm iam dixi, hoc habetis à Deo. Tertiò, Hilar. l. 11. de Trinit, & fauet Chrysost. hîc, sic exponit, q.d. Iis, qui necdum plenam mysteriorum fidei & veritatis cognitionem assecuti sunt, exspectanda est reuelatio Dei, qui plenam veri cognitionem largiatur, & si quid priùs erratum fuerit, corrigat.

Quadruplex explicatio huius loci.

Quattò & genuinè, q.d. Si de perfectione *aliter sapitis*, quàm ego, quia nimirum sentitis & putatis vos metam, scilicet perfectionem, apprehendisse, aut illi esse proximos, *&* hoc quoque sicut cætera, *vobis* ignorantibus & errantibus *Deus* suo tempore *reuelabit*, scilicet errorem esse, vosq; errare in isto sensu vestro. ita Theodor. & Anselm.

Nota. Deus hoc reuelat, dum homini seipsum & sua vitia sensim patefacit, dum ardua virtutum opera, in quibus hominis perfecti imbecillitas laborat & succumbit, obiicit; dum aliorum perfectorum exempla, qui longè nos superant, ob oculos ponit; dum per doctores & concionatores, Christianæ perfectionis eminentiam & sublimitatem describit.

VERVMTAMEN (supple rogo, vel hortor) AD QVOD PERVENIMVS, VT IDEM SAPIAMVS, ET IN EADEM PERMANEAMVS REGVLA] q.d. Verumenimuero vt redeam ad ea, quæ tum initio capitis de cauendis Iudaizantibus, tum paulò antè de cursu ad perfectionem dixi, rogo omnes vt regulam doctrinæ, pariter & vitæ Christi, ad quam in baptismo peruenerunt, retineant, in eaque permaneant, nimirum vt idem sapiant, sintque concordes in christianismo, in Christi fide æquè ac moribus, nec admittant Iudaizantes, qui discordiam seminant, & schisma faciunt, volentes iudaismum miscere christianismo.

VERS.

Vbi Nota Primò. Vox *verumtamen* significat Apostolũ redire, & resumere principale argumentum huius capitis, imò totius epistolæ, quod est sancire regulã fidei & christianismi, ne scilicet iudaismum admittant. Id patet ex versibus seqq. vbi agit contra Iudaizantes negantes crucem Christi.

Secun-

Secundò *regulam* siue amussim, &, vt græcè est, canonem, vocat legem & fidem Christi, quæ recta est instar amussis, cui nihil addere, nec demere, quam nec inflectere, nec ad iudaismum, alioúe torquere licet. ita Theophyl. Fides enim est quasi linea & regula rectissima, quam si vel modicum inflectas aberras à vero, & falsitatem incurris. veritas enim consistit in puncto, in indiuisibili: talis est norma credendi & viuendi, quam nobis præscribit fides & lex Christi. nam Apostolum non de credendi tantùm, sed & viuendi norma loqui, patet ex versu seq. vbi ait: *Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* ita Oecumen. & Ambros.

Hinc Tertiò, pro *permaneamus*, græcè est στοιχῶμεν, id est, incedamus quasi milites in acie, ordine & gradu nostro, de quo dixi Galat. 5. 25. & ad eosdem c. 6. v. 16.

Quartò, Græca sic habent, πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὖτο φρονεῖν, id est, verumtamen in eo, ad quod peruenimus, eadem incedere (id est incedamus) regula, idem sapere (id est sapiamus:) infinitiui enim ponuntur pro imperatiuo more Hebræo. Deinde intelligitur in secundo membro, &. q. d. Et idem sapiamus. hoc enim exigit oratio bimembris, & in ea copulam sæpè subticent Hebræi.

Vers. 17. IMITATORES MEI ESTOTE FRATRES, ET OBSERVATE EOS QVI ITA AMBVLANT, SICVT HABETIS FORMAM NOSTRAM] Græcè συμμιμηταί, id est, comimitatores mei estote. q. d. Cum aliis, qui me imitantur, pariter & vos, ô Philippenses, me imitamini. Sapienter Nazianz. epist. ad Nicobulum, *Prudentis*, inquit, *& cordati viri est magna mensura vitam suam metiri, atque ad excellentium virorum sese imitationē componere. Præstat enim secundas inter homines magnos & locupletes ferre, quā primas inter pauperes & abiectes: sicuti maioris vtiq; gloriæ est, paululùm infra aquilam, quàm supra humiles alaudas volitare.*

Secundò, pro *formam nostram*, græcè est τύπον ἡμᾶς, id est, typum & exemplar nos. quod clarè Vatabl. vertit, Quemadmodum nos habetis pro exemplari. O quàm efficax est Pastoris, Episcopi & Principis verbum & iussio, cùm ipse id quod iubet primus aggreditur, sequ̇e aliis agendi & viuendi formam exhibet! Quàm pulchrum est & decorum, cùm Prælatus & Princeps non imperiosè mandat dicens, Populе aut serue ito, labora-to, facito quod iubeo; sed excitando potiùs & exhortando dicit, Eamus, faciamus, laboremus, me meæq́ue vitæ formam ac normam sequimini. Ita Iulius Cæsar in castris, militibus suis in labore, vigiliis ac difficultatibus quibusque præibat, vt nemo detrectare auderet quod ducem præeuntem facere vidisset. Ita Alfonsus Aragonum rex, cùm exercitus eius summa laboraret cibi inopia, eiq́ue offerretur raphanus cum pane, recusauit dicens, *Non decet imperatorem ieiuno exercitu mandere.* Testis est Panormit. lib. de Gestis Alfonsi.

In Vitis pat. in sententiis Patrū sent. 106. frater requisiuit senem dicēs: Fratres alij mecum cohabitant, & volunt ipsi vt ego illis præcipiam, quomodo iubes vt faciam? respōdit, *Fac tu quod præcipis, vt non tantùm illis præcepta, sed & formulā præbeas.*

Hinc S. Dionys. Areopagita dixit, sacerdotes esse debere instar crystalli pellucidi & radiantis, in quod incidentes solis radij, in cætera quæ vicina sunt, refunduntur.

Scribit Sulpitius S. Martinum commoratum fuisse cum S. Hilario Episc. Pictau. eiusq́ue eruditione & pietate multùm profeciſſe, atque ordinatum ab eo exorcistam, ad sacerdotium se disponere cœpisse. S. Hilarius ergo fuit forma vitæ S. Martino, eiusq́ue sanctitatis dux & auctor.

S. Hilarion videndi S. Antonij studio in solitudinem contendit: apud quem duobus mensibus commoratus, omnem eius vitæ rationem didicit. vnde domum reuersus facultates suas pauperibus elargitus, in eremum rediit, miramq́ue illam vitam quam describit S. Hieron. egit, faciens se speculum & portentum orbis.

Narrat Maffeius in vita S. P. Ignatij lib. 2. c. 13. adolescentem quēmdam Lutheranum, qui disputando conuerti non poterat, traditum Ignatio, atque ab eo in domum acceptum fuisse cōuersum. Qui rogatus, quomodo ita mentem antè inexpugnabilem mutasset? respondit, se Ignatij & Sociorum non tam argumentis (licet & iis valerent plurimùm) quàm spectatæ sanctitati virtutiq́ue cessisse; quòd ita apud se propè necessariò statuisset, à tam incorruptis moribus, à tanta pace & concordia, à tam bonis operibus rectam in Deum fidem abesse nullo modo posse.

Vers. 18. MVLTI ENIM AMBVLANT] Subaudi: aliter quàm ego: quia ego prædico & sequor Christi crucem, & austeram vitam; illi & verbo & facto Christi crucem negant, viuunt in otio, deliciis, fastu ac Iudaicis cæremoniis, tamquā inimici crucis Christi.

QVOS SÆPE DICEBAM VOBIS (subaudi: esse) (NVNC AVTEM ET FLENS DICO) INIMICOS CRVCIS CHRISTI] Notat Simonem Magum eiusq́ue asseclas, qui negabant Christum verè esse crucifixum; Christum enim se in cruce subtraxisse, & solam eius imaginem passam dicebant. Sic Cerinthus Iesum à Christo diuidens Iesum passum esse ac resurrexisse dicebat, Christum autem nequaquam, sed impassibilem perseuerasse, ipsumq́ue tempore passionis à Iesu recessisse. Testis est Irenæus lib. 1. c. 25. & Epiphan. hæresi 28. Addebat Basilides Iesum se transformasse in Simonem Cyrenæum, eumq́ue pro Iesu se subducente esse crucifixum. Testis est Epiphan. hæresi 24. Hos hæreticos Paulus hic, & post quadraginta annos S. Ignatius suggillat scribens ad eosdem Philippenses, monensq́ue vt hos ipsos caueant, qui negarent crucem Christi: *Princeps* enim, inquit, *huius mundi gaudet cùm quis crucem negarit. cognoscit enim crucis confessionem suum ipsius esse exitium: id enim trophæum est contra eius potestatem, quod videns expauescit, & audiens timet.* Et infrà: *Idcirco & in quibusdam, vt crucem negent, facit, vt passionem erubescant; mortem, opinionem vocent; natiuitatem & ortum ex Virgine circumcidant*, diuidentes nimirum Iesum à Christo, & B. Virginem vocantes matrem Iesu, non autem Christi. Et hoc est, quod dixit Paulus v. 2. *Videte circumcisionem*, id est, eos cauete, qui sic Iesum à Christo concidunt ac diuidunt.

Inimici crucis Christi assecla Cerinthi, qui crucē Christi eiusq́; passionem negauit.

Hæc hæresis non tantùm per Iudæam, sed per Græciam & Asiam proserpsit. Vnde ad Corinthios & ad Philippenses aliosq́ue scribens Paulus, toties extollit crucem Christi, nec se aliud scire, quàm Iesum Christum crucifixum profitetur. Hinc vt hanc hæresin aboleret, & crucem exaltaret Ecclesia, à sui initio ligneam crucem in titulum erexit, quasi in trophæum, vt ait S. Ignatius, erectum contra diaboli potentiam, quod vbi viderit,

Ecclesia vt hæresin Cerinthi aboleret, exaltauit crucē Christi.

viderit, horret. Imò hic erat titulus Ecclesiæ, & hocipso domus aliqua erigebatur in Ecclesiam, si in ea erigeretur titulus crucis, vt docet Baronius & Iacobus Gretserus lib. 2. de Cruce c. 7.

Cruce se signare initio operis solẽne fuit primis Christianis Ex Tertull.

Hinc rursum signum crucis fidelibus formare solemne fuit, ad benedicendum, ad fugandos dæmones, imò ad quæuis opera inchoanda, & Deo offerenda. Vnde Tertull. quasi de re antiqua loquens lib. de Corona militis c. 3. & 4. *Ad omnem*, inquit, *progressum atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* (Nota: non ait, Signamus, sed, Terimus; adeò secrebrò signabant, vt frontem terere viderentur.) *Harum & aliarum disciplinarum si legem expostules, scripturarum nullam inuenies. Traditio* (notent hoc Nouantes, qui nihil admittunt, nisi quod sacra Scriptura expressum est) *tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Sic & Cyrill. Hierosolym. catech. 13. *Non pudeat*, inquit, *vos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter crucis signaculum digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in ingressu, & in egressu, ante somnum, recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna est hæc custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos, cùm à Deo sit hæc gratia & timor dæmonum; triumphauit enim de illo hoc signo. Ostenta illi audacter: quando enim viderit crucem, recordatur crucifixi; metuit enim eum qui contriuit caput draconis.* Sic & Hieron. ad Eustochium epist. 22. *Ad omnem*, inquit, *actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.* Imò in singulis domibus, adeoque cubiculis Christianorum pingendas esse cruces, docet S. Nilus scribens ad Olympiodorum Proconsulem.

Ex Cyrillo.

Ex Hieron.

Nota Secundò. Hi hæretici vti crucis Christi, ita & continentiæ, seueritatis, austeritatis vitæ, quam Christianos docet crux Christi, hostes erãt, agebantque & prædicabant vitam in otio & deliciis, molliem, lasciuam & Epicuream: quemadmodum & nunc nostræ hæreses libertatem omnem carni indulgent. Et hac quoque ratione Apostolus eos vocat inimicos crucis Christi, quia nimirum, vt sequitur, eorum Deus venter est, & nonnisi terrena sapiunt. Vnde & quosuis alios, etiam Catholicos, ventri & veneri deditos hisce verbis perstringit Apostolus.

Cerinthiani hostes crucis Christi erant Epicurei.

VERS. 19. QVORVM FINIS INTERITVS] Græcè ἀπώλεια, id est perditio. q.d. Qui in fine perdentur & interibunt; finis eorum lasciuiæ & gulæ, erit mors æterna; voluptates eorum definent & finientur, gehennali incendio & interitu.

QVORVM DEVS VENTER EST] qui ventri per omnia indulgent, qui ventri omnino addicti sunt, qui soli ventri toti student: illud enim cuique Deus quod maximè colit, cuique totus seruit, & sese suaque omnia impendit. Et propriè tales sunt, qui omnia sua studia, cogitationes & opes ad gulam & ventrem, quasi ad summum & vltimum bonum referunt. rursum ii, qui ventrem Deo præponunt, parati pro gula Dei legem & amicitiam violare: tunc enim gula est peccatum mortale, aliàs ferè gula tantùm est veniale peccatum, vt dixi Galat. 5. v. 21. Pulchrè S. Chrysost. *Tanta mala*, inquit, *non facit mare fines suos transgressum, quanta venter, si corpus nostrum cum anima superauerit. omnem orbem illuit mare, & venter totum corpus. Pone illi terminum naturæ sufficientiam, quemadmodum Deus mari posuit arenam, & si æstuauerit & ferocierit, increpa illum virtute, quam in te habes. vide quomodo Deus increpauerit, vt ipsum imiteris.*

Quibus Deus sit venter.

Gula quomodo reprimenda.

Videtur alludere Paulus ad Dagon deum Philistinorum 1. Reg. 5. Dagon enim est deus venter; quia ventris causa colebatur: videtur enim Dagon deus fuisse piscium, fœturæ & frumenti, à quo nimirum petebant copiam piscium, prolium (instar multiplicationis piscium) & frumenti. Nam Dagon hebraicè dicitur à דָּג *dag* vel דָּגָה *daga*, id est, à pisce. Vnde tradunt Hebræi, Dagon fuisse idolum hominis mixti cum pisce, ita nimirum vt ab vmbilico & infrà, piscis, suprà verò hominis figuram habuerit, quales Sirenes finguntur. Philistini enim piscationi dabant operam, indeque viuebant: erant enim accolæ maris Mediterranei. Lilius Gyraldus lib. de Diis Gentium syntagm. 2. pag. 103. putat Dagon fuisse Iouem aratrium, quem colebant Phœnices, tamquam frumenti & aratri inuentorem, quasi Dagon vocetur à דָּגָן *dagan*, id est frumentum. Rursum Dagon deus venter est: quia, cùm arca fœderis capta à Philistæis collocata esset iuxta Dagon, Dagon cõcidit coram ea, capite & manibus auulsis à corpore, vt tantùm truncus seu venter extaret reliquus, quem postea coluerunt. & huc alludit Paulus dum ait, *Et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Vnde & cultores Dagon percussi sunt pudendis marisci, morbis ani, ita vt ipse computresceret, indeque intestina defluerent & prominerent, vt rectè annotauit Abulensis: sicuti hoc sæculo, miro sed iusto Dei iudicio, cultores ventris & veneris feriuntur noua & veteribus incognita, eaque pudenda & infami lue, siue morbo Gallico. Huc etiam appositè alludit nomen Dagon, quod hebraicè tam piscem iniquitatis, quàm piscem doloris & tristitiæ, vti vertit S. Hieron. in Nominibus Hebraicis, significat.

Dagon & Deum venter.

Quis Dagon & vnde dictus.

Nota. Deus venter est vorago omnium bonorum. Hinc Diogenes Cynicus gulonum ventrem vocabat vitæ charybdim, eò quòd omnia deuoraret, nec satiaretur vnquam: imò charybdis tantùm sorbet ea quæ mari vehuntur, & reuomit tandem quod absorbuit; at lurconum ventribus necaër, nec terra, nec flumina, nec maria sufficiunt: quin & domos & agros totos absorbent, nec reuomunt. refert Laërtius lib. 6.

Gulonum venter est vitæ charybdis.

ET GLORIA IN CONFVSIONE IPSORVM] Id est, gloriantur hi Iudaizantes de circumcisione, de qua confundi deberent; fit enim in membro verecundo, cuius nos maximè pudet. ita S. Augustin. serm. 14. de verbis Apostoli. Secundò & meliùs, S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. q.d. De peccatis turpibus, de quibus confundi deberent, & quorum eos pudere oporteret, etiam gloriantur, eaq; iactant. Appositè Pythagoras cùm quemdam audiret dicentem, malle se inter mulieres quàm inter Philosophos versari; subiecit, *Sues*, inquit, *malunt in cœno, quàm in lympidis aquis versari.*

QVI TERRENA SAPIVNT] quorum cor terræ affixum nonnisi terrestres habet affectus, nonnisi terrestria bona amat, desiderat, curat, cogitat, prosequitur.

NOSTRA AVTEM CONVERSATIO IN CÆLIS EST] In Græco legitur πολίτευμα, id est, vitæ ratio, institutum, inquit Budæus. q.d. Christianæ vitæ insti-

Vers. πολίτευμα triplex significat.

institutum est, in cælis agere; christianissimus est A professio vitæ cælestis.

Nota Secundò. πολίτευμα significat quoque *conuersationem*. Nota. *Conuersationem in cælis* opponit conuersationi in terra, rebusque terrestribus, siue iis qui terrena sapiunt. q.d. Terreni & mundani sapiunt, amant, curant terrena: nos Christiani sapimus, amamus, curamus cælestia. terreni quasi talpæ in terra versantur, terram fodicant, terræ inhiant, terræ opibus delectantur: nos Christiani cælestibus pascimur, ad cælū tendimus, cælestibus inhiamus, in cælis est cor nostrum & bona omnia; in cælis ergo sumus, non in terra, quia anima magis est vbi amat, quàm vbi animat. *Sicut domus*, inquit S Gregor. lib. 8. Moral. c. 31. *exterioris conuersationis est ædificium, quod inhabitat corpus: ita domus nostra cogitationis, est res quælibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Vnde Paulus qui in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamē à terra extraneus dicebat, Nostra conuersatio in cælis est.*

Itaque *nostra conuersatio in cælis est*; Primò, quia mentem & cogitationē habemus in cælis, sursum habemus corda, sæpè de Sanctis, angelis, Deo, vita beata, rebusque cælestibus cogitamus & loquimur, imò cum Sanctis loquimur. Qua in re excelluit apud nos olim B. Maria Ogniacensis, quæ ita Sanctis & angelis familiaris fuit, vt de ea ita scribat grauis auctor Iac. de Vitriaco Cardinalis c. 8. Vitæ eius: *Cùm*, inquit, *Sancti alicuius festus immineret dies, Sanctus ille feriæ ei suas nunciabat, & in ipsis feriis visitabat eam multos secum beatos ciues adducens. ficq; spiritus eius cum Sancto totum illum iucundum ducebat diem. Ex familiari autem & crebro Sanctorum colloquio id obtinuit, vt, quemadmodum homines vicinos suos alios ab aliis internoscunt, ita ipsa angelos & sanctos homines alios ab aliis posset distinguere.*

Secundò, *nostra conuersatio in cælis est* per vitam cælestem, quia in terris vitam agimus puram & sanctam, qualem angeli agunt in cælis. Hinc Ecclesiæ quæ Sanctorum & fidelium est congregatio, à Deo datus est calceus ianthinus, siue cælestis, Ezech. 16. v. 9. *Calceauī*, inquit, *te ianthino*, scilicet calceo hyacinthini, vt vertunt LXX. id est violacei & cælestis, coloris, vt hoc symbolo significaret Deus, Sanctorum, qui in Ecclesia sunt, conuersationem esse in cælis. Rursus per hyacinthum, qui vestis est regum, vt patet Eccli. 40. 4. significabat Deus animum regium & excelsum Sanctorum Ecclesiæ, qui nimirum in cælis fixus hæc omnia terrena pessundat & proterit. Vnde & luna sub pedibus Ecclesiæ ponitur, Apocal. 12. 1.

Tertiò, *nostra conuersatio in cælis est* per spem: quia tendimus ad cælum, & speramus breui ad Christum, qui nobis viam præmuniuit in cælum, peruenire; eò ergo præmittimus spem nostram, affectum & opera, quò speramus post hanc vitam ipsa tam anima, quàm corpore nos ascensuros. Empedocles rogatus cur viueret? respondit, *Vt cælum aspiciam: tolle cælum, & nullus ero.* Longè verius Christianus rogatus, Cur viuis? respondebit, Vt cælum non tantùm aspiciam, sed & consequar. Quare meritò S. Bernard. ad eos qui terrenis inhiant, *Non pudet*, inquit, *te corpore cælum suspicere, & mente in terra repere; caput sursum, & cor habere deorsū?*

Nota Tertiò. πολίτευμα significat insuper, inquit Budæus, regimen politicum reip. vel ciuitatis. q.d. Nostrum regimen, nostra resp. nostra ciuitas in cælis est; nos gerimus vt municipes cælorum; regnum cælorum est ciuitas nostra, cuius municipali iure Sancti omnes reguntur. quod regimen est spirituale & cæleste, non carnale & terrestre: quia non in carnalibus, externis & terrestribus, sed in spiritualibus, internis & cælestibus legibus & institutis positum est. Vnde Tertull. lib. de Corona militis legit, *noster municipatur in cælis est*, q.d. Peregrini sumus mundi, sed municipes & ciues cæli. Sic *conuersatio* hîc (vt vertit Noster) accipi potest ciuica, seu qualis est ciuium; hoc enim est πολίτευμα. Vnde sic verti potest hic locus: conuersamur vt ciues cælorum, qui scilicet legibus, consuetudine, politia, iure ac bonis ciuitatis & regni cælestis reguntur & viuunt. Ita Ephes. 2. 19. dixit: *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Et Hebr. 12. 22. *Accessistis*, inquit, *ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis*, &c. De voce πολίτευμα, vel πολιτεία (hæc enim duo sæpè pro eodem sumuntur, teste Budæo) plura dixi Ephes. 2. 12.

Hinc moraliter S. Gregor. explicans illud Iobi c. 39. *Numquid ad præceptum tuum elenabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?* S. Paulum & Sanctos comparat aquilæ 31. Moral. c. 19. *Videamus*, inquit, *aquilam nidum sibi in arduis construentem, qui ait, Nostra conuersatio in cælis est: & rursum, Qui conresuscitauit & consedere fecit nos in cælestibus. In arduis habet nidum: quia profectò in supernis figit consilium. Non vult mentem in ima deiicere, non vult per abiectionem conuersationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cùm se consedere Christo in cælestibus testaretur; sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat, non illic, ibi illum necessariò pigra adhuc caro retinebat.* Deinde hanc mentis in cælo positæ altitudinem signum esse diuinæ prædestinationis, ita docet: *Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quòd fic sciunt præsentis vitæ iter carpere, vt per spei certitudinem nouerint iam se ad alta peruenisse, quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant, atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. hoc enim est quod sequenti se animæ Dominus per Prophetam dicit, Sustollam te super altitudines terræ. nam quasi quædam inferiora terræ sunt, damna, contumeliæ, egestas, abiectio, quæ ipsi quoque amatores sæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, diuitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum, quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cælestibus figitur, mox quàm abiecta sint cernitur, quæ alta videbantur. nam sicut qui in montem conscendit, eo paulisper cætera subiacentia despicit, quò ad altiora gressum amplius tendit; ita qui in summis intentionē figere nititur, dum annisu ipso nullā præsentis vitæ gloriam esse deprehendit, super terræ altitudines eleuatur; & quod prius in imis desideriis positus, super se credidit, pòst ascendendo proficiens sibi subesse cognoscit.*

Sancti in cælis habitant quasi aquilæ, ait S. Gregor.

Conuersari in cælis est signum prædestinationis.

Vnde (ἐξ οὗ, ex quo, scilicet cælo) etiam Saluatorem expectamvs Dominvm nostrvm Iesvm Christvm] vt veniens ad iudicium nos fideles, nos amicos ad cælestia anhelantes, cælo ad iudicet, & in cælos secum triumphantes ducat, tuncque nobis plenam salutem ab omni corporis & mentis ærumna afferet, donabitque nos gloria,

tum

tum corporis, tum animæ, eritque plenus & perfectus saluator.

Nota. *Saluare* propriè est rem amissam aut peditam recuperare. Vnde Græcum σώζειν deducitur σῶς ς, σὴ, σὸν, vt dicere σώζω σε idem sit, quod te tibi reddo atque restituo. Sic Christus dicitur σωτὴρ, id est Saluator, quia nos nobis, putà primæuæ nostræ integritati, spei, saluti & felicitati, restituit. Apud Græcos ἀλεξίκακοι vocabantur, qui mala, morbos & monstra propulsabant ab hominibus, vti Hercules & Æsculapius. Apud Romanos dicebantur Patres patriæ, qui rempub. ab imminente hoste, vel periculo liberabant. Talis est Christus.

Præclarè & piè Manuale S. August. c. 24. *O anima mea*, inquit, *insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum angelis, dilige illum à quo tantum dilecta es. Intende illi qui intendit tibi, quære quærentem te, ama amatorem tuum. Esto sollicita cum solicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta.* Et paulò inferiùs: *Elige illum in amicum præ omnibus amicis tuis, quia cùm omnia tibi subtracta fuerint, solus ille tibi fidem seruabit: in die sepulturæ tuæ, & cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet; sed tuebitur à leonibus infernalibus rugientibus præparatis ad escam: & conducet per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernæ Sion, & ibi collocabit te cum angelis suis ante faciem maiestatis suæ: vbi audies illud melos angelicum, Sanctus, sanctus, sanctus, &c. Ibi est canticum lætitiæ, vox exultationis & salutis, gratiarum actio, vox laudis atque Halleluia perpetuum. Ibi est cumulus felicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia, & omnia bona.* Ac tandem concludit: *O anima mea suspira ardenter, & desidera vehementer, vt possis peruenire ad illam supernam ciuitatem, de qua tam gloriosa dicta sunt: in qua sicut lætantium omnium habitatio est. Amore potes ascendere: amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Anima quæ amat, ascendit frequenter, & currit familiariter per plateas cælestis Ierusalem, visitando illos Patriarchas & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum & Confessorum, choros Virginum speculando, & omnium Sanctorum.* Ecce, sic S. Augustini conuersatio erat in cælis, expectans inde Saluatorem.

VERS. 21. QVI REFORMABIT CORPVS HVMILITATIS NOSTRÆ, CONFIGVRATVM CORPORI CLARITATIS SVÆ] Pro *reformabit*, græcè est, μετασχηματίσει, transfigurabit, transformabit, hoc est, in aliam figuram, non essentialem, sed accidentalem commutabit, vt scilicet ex corruptibili faciat corpus incorruptibile, ex passibili impassibile, ex terrestri cæleste. Secundò, *corpus humilitatis*, hebraismo vocat corpus humile, id est vile, abiectum & miserum. Aliter S. Bernardus serm. 47. in Cantica, *Vocat*, inquit, *corpus humilitatis, quia soli humiles hac gloria reformabuntur*: sed hoc non est litterale nec genuinum. Tertiò, *corpus claritatis* vocat corpus Christi clarum & glorioſum. Quartò, pro *configuratum corpori*, græcè est εἰς τὸ γένεσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι, &c. id est, vt fiat conforme corpori claritatis Christi. Syrus vertit, Vt fiat in similitudinem corporis gloriæ suæ. Hinc patet falsitas & stoliditas illius sententiæ hæreticorum, qui docebant in resurrectione corpus nostrum transformandum in globum, vt sit instar corporis solaris, eò quòd scriptum sit, *Fulgebunt iusti sicut sol*: nec enim talis, scilicet rotunda, est figura corporis humani, nec talis est corporis Christi glorioſi. Vnde hanc hæresin Origeni ascribit, eamque damnat Iustinianus Imp. in sua constit. quam recitat Baron. to. 7. anno Christi 538. pag. 289. 293.

Quodnam corpus humilitatis.

Cõfiguratur Christo in claritate, id est in gloria.

Nota. Apostolus configurationem vel conformationem hanc ponit in claritate, id est in gloria. q.d. Corpus hoc nostrum, quod æquè ac corpus Christi hîc atteritur, famet, friget, æstuat, infirmatur, verberatur, flagellatur, laniatur; fiet per has passiones in resurrectione glorioſum, & simile corpori glorioſo Christi. Vnde exclamat Chrysost. *Papæ*, inquit, *illine qui ad dexteram Patris sedet, conforme fiet hoc corpus? illi, qui adoratur ab angelis? illi, cui adstant incorporales illæ virtutes? illi, qui est super omnem principatum, potestatem & virtutes, illi conforme fiet? Si ergo totus orbis lacrymis sumptu eos defleret, qui ab ista spe deciderunt, num dignè collacrymaretur; quòd, cùm promissio nobis sit facta, corpus nostrum futurum ita glorioso Christi corpori conforme, illi cum dæmonibus abeant?* Et S. Bernardus serm. 2. de verbis Isaiæ, citans hunc Apostoli locum, *Quid adhuc*, inquit, *murmuras caro misera, quid adhuc recalcitras, & aduersus spiritum concupiscis? si te humiliat, si te castigat, si redigat in seruitutem, id profectò in tuo genere non minùs tuâ interest quàm ipsius. Quid eis inuides, qui de operibus vermium, & murium pellibus ingloriam planè gloriam mendicare non erubescunt, cultu indigno viuis, interdicto & mulieribus, semetipsos dehonestantes potiùs quam ornantes? Reformentipsi, aut magis certè deforment corpora sua: te, si fueris corpus humilitatis, reformabit idem artifex qui formauit. Illam (si non despis) præstolare manum, vt quod fecit, ipsa reficiat.*

SECVNDVM OPERATIONEM, QVA ETIAM POSSIT SVBIICERE SIBI OMNIA] Causam dat huius transformationis, potentiam scilicet ac potentem Christi operationem, qua potens est subiicere sibi omnia. si omnia, ergo & corruptionem & mortem. q.d. Christus dominatur morti & vitæ, omnibusque quæ in cælo & in terra sunt; ergo facile ipsi est vt suo iussu faciat corpora nostra corrupta resurgere ad immortalitatem & gloriam. ita Chrysost.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur ad concordiam, gaudium, orationem, modestiam, pacem, honestatem, omnemq; sanctimoniam.

Secundò, v. 10. laudat eorum erga se curam & solicitudinem, ac munera sibi missa, docetq; scire se abundare, & penuriam pati.

Ac denique, v. 19. vicissim eis bene precatur, eosq; salutat.

1. Itaque

1. ITaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino, charissimi: 2. Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. 3. Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est. 6. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. 7. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu. 8. De cætero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. 9. Quæ & didicistis, & accepistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum. 10. Gauisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis. 11. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici in quibus sum, sufficiens esse. 12. Scio & humiliari, scio & abundare; (vbique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati. 13. omnia possum in eo, qui me confortat. 14. Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ. 15. Scitis autem & vos Philippenses, quòd in principio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: 16. quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis. 17. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. 18. Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. 19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundùm diuitias suas in gloria in Christo Iesu. 20. Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum: Amen. 21. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. 22. Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt. 23. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

ITAQVE FRATRES MEI CHARISSIMI ET DESIDERATISSIMI] ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, id est, vt Vatablus, *dilecti & desiderati*, vel, vt Erasm. *amabiles & desiderabiles.*

GAVDIVM MEVM, ET CORONA MEA] Vocat Philippenses gaudium suum & coronam metonymicè, quia scilicet erant causa & obiectum sui gaudij & coronæ: gaudebat enim Paulus videns eos à se conuersos in fide & virtute persistere ac crescere, & ex labore, quem in illis conuertendis & perficiendis impenderat, ac etiamnum impendebat, sperabat à Deo accipere coronam gloriæ.

Ita sancti Episcopi populũ suum vocabant coronam suam, eò quòd populus instar coronæ vallaret Episcopum, ab eoque penderet: vti S. Cornelius Pontifex & Martyr, vt habetur in Actis martyrij eiusdem, à Præfecto Volusiano interrogatus, cur contra præcepta Imperatoris & contra remp. litteras acciperet à S. Cypriano, respondit: *Ego de corona Domini litteras accepi, non contra rempul.* Coronam Domini vocans fidelem Christi plebem, se & Episcopos circumdantem. Ita S. Amandus moriẽs & ad cælum conscendens apparuit B. Aldegundi absenti & oranti, augusta specie, cinctus corona albatorum: cumq; illa percunctaretur, quis ille esset reuerendus, in quem albati omnes respicerent, ab angelo audiuit, Hic est amabilis Deo Amandus, qui à sæculo migrat ad cælum, stipatus sanctis animabus, quas verbo & exemplo ad omnẽ virtutem instituit, ac proinde ab eis quasi pater colitur, & cum eis ad gaudia Domini iam glorioſus ascẽdit. Testis est auctor Vitæ S. Gisleni c. 12. & auctor Vitæ S. Aldegundis c. 17. Si enim in hac vita parens corona filiorum cingitur, &, vt ait Sapiens Prouerb. 17. 6. *Corona senum (sunt) filij eorum:* si inquam paterfamilias, si princeps suorum corona stipatur, &,

A vt S. Iob de se ait c. 29. 25. *Sedet quasi rex circumstante exercitu:* quidni parentes spirituales, qui filios in æternum victuros cælo genuerunt, eorum corona vallentur & ornentur? Hinc Apostolus Thessalonicenses epist. 1. c. 2. v. 19. vocat suam *coronam gloriæ*, qua de re ibi dicam.

SIC STATE IN DOMINO, CHARISSIMI] state, & constantes persistite in Domini Iesu Christi fide, spe, gratia, iustitia, eo modo, quo in ijs standum esse docui c. præced. & eo modo quo vos cœpisse stare gratulatus sum c. 1. 6. vt scilicet hæreticos fugiatis, nec admittatis circumcisionem & iudaismum, sed à solo Christo Christique lege pendeatis, cum eoque vestra conuersatio sit in cælis, eumdem saluatorem reducem è cælis exspectantes, vt vos sibi in resurrectione configuret. *State* ergo, id est perseuerate. Nam, vt ait S. Bernardus epist. 129. ad Genuenses, *Sine perseuerantia nec obsequium mercedem*
B *habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.* Vir iustus est quasi cubus, qui ad omnem fortunæ motum rectus firmusque consistit, ait Simonides. Stat ergo in Domino, qui verè cum Psalte dicere potest: *Mihi autem adhærere* (græcè προσκολλᾶσθαι, id est *agglutinari*) *Deo bonum est*, psal. 72. 28. Atquo vinculo, quo glutino agglutinabimur Deo? Resp. S. Bernard. de tripl. cohæren. *Tria sunt vincula quibus ei astringimur, & primum accipite funes, secundum clauos ligneos, vel ferreos, tertium gluten. Primũ astringit fortiter & durè, secundum fortiùs & duriùs, tertium suauiter & securè. Fune quodammodo alligatus est Redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriã promissionis, & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis, & quod diu tenere non possit: siquidem putrescunt funes, & pudoris vinculum*

Iustus est quasi cubus.

aut obliuiscimur, aut abrumpimus citò. Est autem qui clauis configitur Domino maiestatis, quem timor Dei ligat, qui non expauescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum: & hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Duriùs tamẽ & fortiùs primo imprimitur; quia cùm ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit. Tertius verò glutine ei cõglutinatur, id est caritate, qui tam suauiter quàm securè ligatus, adhærens Deo vnus spiritus est cum eo.

VERS. 2. EVODIAM ROGO, ET SYNTYCHEN DEPRECOR (pro *deprecor* græcè idem est verbum quod paulò antè, scilicet παρακαλῶ, id est rogo) IDIPSVM SAPERE IN DOMINO] Duæ hæ fœminæ, inquiũt Theodor. Theophyl. Anselm. primariæ erant inter Christianos Philippis, quæ rem Christianam promouere satagebant. Vnde de illis subdit, *Adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio.* Hortatur ergo eas Apostolus, vt ad rem Christianam promouendam idem sapiant in Domino, id est vt concordes sint ea cõcordia, cuius vinculum sit Dominus. ita Theodor. Theoph. Anselm. Nihil enim ita turbat & impedit cursum Euangelij & pietatis, atque diuersitas sententiarum & animorum in illis, qui præsunt aut rem dirigunt.

VERS 3. *σύζυγος fuit coniux Pauli, inquit Erasm.* ETIAM ROGO ET TE GERMANE COMPAR] Græcè σύζυγε γνήσιε, quod Stapulensis, Zuinglius & Erasmus vertũt, *germana coniux.* quasi Paulus hîc vxorem suam compellet; illa enim græcè dicitur σύζυγος, id est, eiusdem iugi (putà coniugij) siue coniux. Sed hanc sententiã refellunt Chrysost. Theodor. Theoph. Oecum. imò Caluinus & Beza. Primò, quia, si vxorem suam intellexisset hîc Paulus, potiùs dixisset femininè γνησία σύζυγα, id est germana coniux: iam autem masculinè dicit γνησιε σύζυγε. licet enim hoc Attici vsurpent subinde femininè, communiter tamen sumitur masculinè; nec Apostolus tam elegans est, vt vtatur atticismis. ita Theophyl.

Refellitur.

Secundò, quia vxor Pauli potiùs habitasset Tarsi vel Hierosolymæ, quàm Philippis, ait Theophyl.

Tertiò, quia 1. Cor. 7. 7 Paulus se annumerat innuptis. Ad argumentum respondeo, σύζυγον significare quemuis socium, qui idem nobiscum agit, q. d. Coniugalem, qui idem iugum trahit. Sic Christus apud Nonnũ vocat se σύζυγον Patris. Sic 1. Cor. 5. cùm Apostolus fidelibus præcipit, dicens. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, vetat non tantùm coniugia cum infidelibus, sed etiam ne fideles quamuis aliam arctiorem cum infidelibus societatẽ aut familiaritatem ineant. σύζυγον ergo hîc vocat socium & collegam suum; insignem scilicet aliquem doctorem, qui secum idem traxerat iugum Euangelicæ prædicationis. Sicut c. 2. 25. Epaphroditum vocauit suum συστρατιώτην, id est commilitonem, & Clementem aliosque hoc v. vocat συνεργοὺς, id est, cooperatores suos. ita Theodor. Haymo, Anselm. Vnde Vatabl. putat Paulum hoc nomine designare Epaphroditum: verùm quia Epaphroditus non Philippi serat, sed Romæ apud Paulum, hasq; Pauli litteras detulit ad Philippenses, verius est Paulum aliquem alium designare, quem hoc titulo & nomine συζυγε satis agnoscebant Philippẽses. Chrysost. tamen putat σύζυγον hîc intelligi maritum, vel certè fratrem Euodiæ aut Syntyches. Oecum. Lyran. & auctor commentarij in hanc epistolam, qui extat apud Hieronymũ, & hos secutus Dion. Carthus. putant τὸ *Germane* esse nomen proprium viri, quo hic σύζυγος sit appellatus. Nihil ergo hîc est, quod suadeat Paulum fuisse coniugatum. Mirum est Ambros. Catharin. hîc asserere, in Reuelationibus S. Brigittæ haberi, quòd Paulus fuerit maritus, additque iuxta aliquos Pauli coniugem Phœben fuisse appellatam, de qua Rom. 16. 1. Nam prorsus contrarium habetur l. 2. Reuelat. eius c. 7. & l. 8. c. 1.

σύζυγος est socius prædicationis. Christus est σύζυγος Patris.

ADIVVA ILLAS (Euodiam & Syntychen) QVÆ MECVM LABORAVERVNT IN EVANGELIO] Græcè συνήθλησάν μοι, id est, quæ mecum athleticè decertarunt pro Euangelio.

CVM CLEMENTE] Hic est Clemens Romanus discipulus SS. Petri & Pauli, qui Petro post Linum & Clerum in pontificatu successit. Vide Euseb. l. 3. c. 15.

QVORVM NOMINA SVNT (scripta) IN LIBRO VITÆ] Nota. *Liber* hebraicè vocatur catalogus *vitæ*, id est viuentium, siue eorum qui conscripti sunt ad vitam æternam: hic autem catalogus extat in mente, præscientia & prædestinatione Dei; hæc ergo anthropopathῶς dicitur liber, siue catalogus Dei, in quo Deus omnium iustorum, qui in iustitia perseuerant & in gratia moriuntur, nomina quasi describit, vt eos vita & corona æterna donet, ait Theophyl. Sic enim apud homines, qui ad aliquod munus aut dignitatem eliguntur, conscribuntur in libro, vt imilites & senatores, qui inde dicti sunt Patres conscripti, vt ait D. Thom. Vnde hebraicè סֵפֶר חַיִּים *sepher chaim*, tam librum viuentium, quàm librum vitæ, significat. Pari modo eadem mens, præscientia & reprobatio Dei, dici potest liber mortis, in quo Deus omnes qui in peccato moriuntur describit, vt æterna eos morte puniat. ita Theophyl. licet D. Thomas non admittat librum mortis, sed tantùm vitæ, eò quòd huius nominis, non illius meminerit Scriptura: & quia Deus, cuius natura est bonitas, per se ordinat & conscribit suos ad vitam; ad mortem verò non per se, sed quasi coactus malitia & peccatis, impios destinat & transcribit.

Liber est catalogus qui præstinatorum ad vitam æternam.

Nota. Primus qui meminit libri vitæ est Moses, Exodi 32. 32. *Aut*, inquit, *dimitte eis hanc noxam* (adorationis vituli,) *aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Deinde Dauid psal. 68. 29. *Deleantur de libro viuentium.* In nouo verò testamento, illius meminit Christus Lucæ 10. 20. Paulus hîc, & S. Iohannes Apocal. 20. 15.

Nota Secundò, duplici modo homines describi in libro vitæ. Primò, absolutè & completè: ita scribuntur omnes & soli illi, qui in gratia moriuntur, ideoque electi sunt ad vitam æternam. Secundò, inchoatè tantùm: ita scribuntur in libro vitæ iusti omnes, qui adhuc in vita luctantur cum mundo, carne & dæmone, vt, si in iustitia perseuerent, completè scribantur in libro vitæ, eliganturque & perueniant ad vitam æternam; si non perseuerent, deleantur de libro viuentium, vt ait Dauid psalm. 68. 29. Hoc secundo modo dicit Paulus Clementem, & alios suos adiutores adhuc viuentes scriptos esse in libro vitæ: nec enim vult eos omnino certos reddere de sua perseuerãtia, salute & electione ad gloriam, eamque Philippensibus omnibus reuelare; nec rursum vult dicere, se accepisse à Deo reuelationem de hac ipsorum salute & gloria; sed tantùm ipsos quoad præsentẽ gratiæ statũ inchoatè scriptos esse in libro vitæ. Vide dicta Ephes. 1. 5. & can. 13.

Duplex quo scribuntur in libro vitæ. inchoatè secundo completè

Alio sensu Eccli. 24. 32. liber vitæ vocatur ipsa Scriptura sacra, siue liber legis & Prophetarum: sic enim ibi dicitur, *Hæc omnia liber vitæ, & testamẽtum Altissimi, & agnitio veritatis. Legem mandauit Moses*

Mosi in præceptis iustitiarum, & hereditatem domui Iacob, & Israel promissiones. Cuius loci hic est sensus: Hæc omnia quæ iam dixi de sapientiæ dignitate, vtilitate & fructu, subaudi, continet & præstat liber vitæ, id est, liber legis & Prophetarum, quem si serues, pertinges ad vitam æternam: qui liber est etiam testamentum Dei continens extremam & summam eius voluntatem, & pactum cum hominibus, adeoque est ipsa agnitio veritatis: liber inquam legis, quam mandauit Moses, dando præcepta iustitiæ, quæ essent quasi hereditas perpetua Israeli, eique promitterent hereditatem fertilem Iudææ in hac vita, & regni cælestis in futura. Dicitur ergo Scriptura sacra liber vitæ, quia continet tam promissiones vitæ præsentis & æternæ, quàm præcepta ad vitam hanc consequendam opportuna & necessaria.

B GAVDETE IN DOMINO SEMPER: ITERVM DICO, GAVDETE] *In Domino*, in afflictionibus propter fidem & Dominum toleratis, ait Chrysost. & Theophyl. sed hoc arctius est. Secundò, ergo genuinè & adæquatè: *Gaudete in Domino*, id est, in Domini fide, gratia, religione, spe, præmio, quod vobis promisit. q.d. Gaudete, non quia diuites estis, nobiles, sapientes; sed quia estis Christiani, quia Dominum habetis Christum, qui vos à morte redemit, sua gratia cumulauit, ad cælestem gloriam vocauit; gaudete, inquam, semper, tam tempore aduersitatis, quàm prosperitatis; tam persecutionis, quàm pacis: *iterum dico* & repeto, *gaudete in Domino*, id est, in obsequio, protectione & promissis tanti Domini, qui Rex est regum, & Dominus dominantium. *Gaudete*, inquit Anselmus, *non in sæculo, sed in Domino: sicut enim nemo potest duobus dominis seruire; sic nemo potest & in Domino & in sæculo gaudere. contraria enim sunt hæc duo gaudia: nam sæculi gaudium est impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur in spectaculis, nugentur in ebriositate, ingurgitentur turpitudine, & illa mala non impediat fames, non alicuius rei timor, non aliquis morbus, non aliqua aduersitas; sed sint omnia redundantia in pace carnis, in securitate mentis, & videte sæculi gaudiū. Et ideo non in sæculo gaudete, sed in Domino, id est, non in iniquitate, sed in veritate, nō in flore vanitatis, sed in spe æternitatis.*

Et S. Bernardus serm. 4. in vigil. Natiuit. *Gaudete*, inquit, *in Domino semper, iterum dico gaudete. Gaudete de exhibitione, iterum gaudete de promissione, quoniam & res plena gaudio, & spes plena gaudio est. Gaudete, quia iam percepistis dona sinistræ: gaudete, quia iam exspectatis præmia dextræ. Læua, inquit, eius sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me. Læua quidem leuat, dextera suscipit. Læua medetur & iustificat,* D *dextera amplectitur & beatificat. In læua eius merita, in dextera verò præmia continentur. In dextera inquam delicia, in læua sunt medicina.*

Quærit S. Basilius interrog. 193. in reg. breu. *Cuiusmodi est gaudium, quod est in Domino? & quid est, quod facientes gaudere debeamus?* ac respondet: *In his quæ secundùm mandatum Domini fiunt gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocumque mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere & gratulari inter nos debemus.*

Hoc gaudium homini Christiano vtile, imò necessarium est, vt iucundè viuat, & alacriter in virtutibus pergat, vt opera heroica faciat, vt tristitias & diffidentias, quas vel natura, vel dæmon suggerit, & tentationes omnes superet. *Vna*, ait S. Antonius apud Athanasium, *vna inquam, est ratio vin-*

A *cendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumos expellens, persequetur aduersarios potiùs quàm timebit.*

Et sanè Christianus non vnam, sed multas habet gaudij materias & causas, nimirum tot, quot tum communia, tum particularia à Deo accepit beneficia; vel se accepturum sperat & exspectat; ac præsertim si cogitet vitā æternā sibi in cælo à Deo præparatam, quomodo non omnem tristitiā excutiat? *Delectaberis*, inquit Isaias c. 58. 14. *super Dominum, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Ita magnus ille Apollo apud Palladium in Lausiaca c. 52. suos illos in eremo fratres, licet solitariè & austerè admodum viuentes, excitabat ad perennem lætitiam spiritus, vt de eis dicat Palladius: *Licebat eos videre exultantes in solitudine, adeò vt nullam eiusmodi exultationem in terra videre liceat, nec lætitiam corpoream: neque enim erat inter eos aliquis mœstus aut tristis.* Addit deinde modū & rationem, qua eis Apollo hanc lætitiam ingerebat. *Si quis*, inquit, *videbatur præ se ferre tristitiam, statim pater Apollo ex eo rogabat causam, & quæ erant in occulto vniuscuiusque cordis renunciabat. Dicebat autem: Non oportet nos esse tristes propter salutem, cùm futuri simus heredes regni cælorum: tristes erunt Gentiles, flebunt Iudæi, lugebunt peccatores; iusti autem lætabuntur. & qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis; nos autem qui tanta spe digni sumus habiti, quemadmodum non lætamur perpetuò? cùm nobis Apostolus suadeat, vt semper lætemur, & oremus sine intermissione.* Hactenus Apollo. *& Abbatis Apollo.*

Et hoc est, quod ait Apostolus, *Gaudete in Domino.* Quærit S. Basilius hom. 4. ex 29. varijs, quæ est C de gratiarum actione, quomodo Christianus inter tot miserias, infortunia & aduersitates huius vitæ semper possit gaudere; ac respondet: *Anima*, inquit, *quæ semel se modis omnibus desiderio astrinxit sui conditoris, iamq; insuevit oblectare se tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animiq; sui iucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari per multiplicem & succedaneā carnalium affectionum mutationem; quin ea potiùs, quæ aliis mœrorem afferunt, in cumulum sibi vertet & accessionem lætitiæ. Cuiusmodi erat Apostolus, dum sibi probè admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in persecutionibus, in necessitatibus, egestatem suam in gloriam & exultationem permutans.* *Quomodo Christianus inter tot ærūnas semper gaudere possit. Respondet S. Basilius.*

Et Chrysost. hom. 18. ad pop. eidem quæstioni & ita respōdet, vt doceat nautas, mercatores, & quoslibet homines ex omni suo labore gaudium quærere, nec tamē inuenire; Paulum verò gaudij fontem & thesaurum nobis aperire. *Non enim*, inquit, *simpliciter dixit: Gaudete semper, sed addit continuæ voluptatis causam subdens: Gaudete in Domino semper. In Domino gaudens ex accidente nullo hac voluptate excidere potest: alia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantam nobis afferunt voluptatem, vt ex alijs nascentem tristitiam expellant & obumbrent: Dei verò timor hac habet vtraque; stabilis enim est & immotus, atque tantam emittit lætitiam, vt nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla breui facilè extinguitur: sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atq; perduntur. Et reuera hoc est maximè mirabile, quòd, cùm* & *S. Chrys.*

adsint quæ contristare solent, permanet ipse gaudens. Et infrà, quòd Sancti semper gaudeant in quantauis afflictione, ita per singula discurrens demonstrat dicens: *Sit enim aliquis nihil in se damnandum habens, sed bona fretus conscientia, & ad futura anhelans, & expectans illam beatam spem, quid hunc quæso poterit in tristitiam inducere? nam Primò omnibus rebus intolerabilior mors esse videtur: sed huius expectatio non tantùm ipsum non contristat, sed & delectat. nouit enim quòd mortis præsentia, malorum est liberatio, & cursus ad coronas. Secundò, sed filiorum acerba mors. Verùm & hoc generosè fert, dicetq; Iob verba: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Tertiò, quòd si filiorum mors non potest contristare, multo minùs & pecuniarum iacturæ, & accusationes, & calumniæ, tam magnum & generosum animum tangere possunt, neque corporis dolores. Quoniam Apostoli flagellabantur & gaudebant à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. A Christo in contumelijs gaudere instituti sunt; Gaudete, inquit, & exultate, cùm dixerint omne malum mentientes aduersum vos, quoniam merces vestra multa est in cælis. Quartò, sed in morbum incidit. Verùm audiuit alium admonentem & dicentem, Quoniam sicut in igne probatur aurũ, sic homines acceptabiles in fornace humiliationis. Cùm igitur neque mors, neque pecuniarum iactura, neque corporis ægritudo, neque ignominia, neque conuitium, neque quippiam eiusmodi ipsum contristare possit, verùm etiã magis delectet, quam vnquam tristitiæ materiã habebit?*

Quomodo Christianus in singulis aduersis se ad gaudiũ excitet.

VERS. 5. MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBVS HOMINIBVS]q.d. ait Anselmus, In Domino, vt dixi, sit gaudium vestræ mentis: sed homines videant modestiam vestræ conuersationis, vt vestro exemplo discant modestè agere. Paulò aliter hæc connectit S. Bernard. serm. in illud Apostoli, *Non est regnum Dei esca & potus.* Ait enim, *Duplex est gaudium quod habes in Spiritu sancto*, scilicet Primò *de memoria futurorum bonorum*; Secundò, *de malorum præsentium tolerantia. Nil quippe in his carnale sapit, nil sæculare, nil vanum, sed spiritus veritatis & cælestis sapientiæ est, cuius in vtraque suauitas prælibatur. Gaudete in Domino semper, ait Apostolus, iterum dico, gaudete. Et duplicis huius gaudij materiam secutus adiunxit: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim propè est. Quid modestia, nisi mansuetudo & patientia est? Gaudeamus ergo de his quæ expectamus: quoniam Dominus propè est. Gaudeamus iterum de his quæ sustinemus, vt modestia nostra omnibus nota sit. Nimirum tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.*

Præclarè Cicero, & ex eo S. Augustl. de Beata vita: *Modestia*, inquit, *vtique dicta est à modo, & à tẽperie temperãtia. Vbi autem modus est atque temperies, nec plus est quidquam nec minus.* Et inferiùs: *Modus ergo animi sapientia est.* Et mox: *Si autem quæritis quid sit sapientia? Nihil est aliud quàm modus animi, hoc est quo sese animus librat, vt neque excurrat in nimium, neque infra quàm plenum est coarctetur.* Et paulò superiùs: *Tullius in populari oratione ait: vt velet quisque accipiat; ego tamen frugalitatem, id est modestiam & temperantiam, virtutem esse maximam iudico. Prorsus doctissimè ac decentissimè.* Eleganter vir sapiens rogatus, *Quid est rosa?* ait, *est purpura veris. Quid est modestia?* ait, *est purpura virtutum.* Nulla enim purpura Cardinalem aut regem ita decorat, vti modestia exornat virtute præditum. Modestia ergo virtutes cæteras quasi purpura exteriùs vestit, & quasi virgines regias regio habitu illustrat. Vnde Euripides in Medea, modestiam vocat *donum pulcherrimum deorum.* Nam, vt ait Hugo Victor. *habitus mentis in corporis statu cognoscitur. Itaque vox quædam animi est corporis motus.* Hinc S. Augustl. in Regula ita sancit: *In omnibus motibus nostris nil fiat, quod cuiuspiam offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem.*

Nota. Pro *modestia*, græcè est τὸ ἐπιεικὲς, quod Primò, significat æquitatem; Secundò, humanitatem; Tertiò, moderationẽ animi, qua etiam aduersa, persecutiones, iniurias & hostes ipsos moderatè ferimus & toleramus. Sic accipiũt Chrysost. Theodor. Theophyl. quasi velit Paulus, vt Philippenses contra Gentiles, alioquin se persequentes & affligentes non excandescant, non indignentur; sed per animi moderationem omnia quantumuis dura patienter ferant, & erga hostes suos mansueti sint, benigni & placidi. Hic sensus valdè appositus est huic loco, personis & tempori.

ἐπιεικὲς quatuor significat, primò, æquitatẽ, secundò, humanitatem, tertiò, moderationem animi,

Quartò, τὸ ἐπιεικὲς significat *modestiam*, vt vertit Noster, quæ virtus est ponens modum actionibus externis, nimirum quæ moderatur verba, incessum, habitum, omnemque gestum & motum tum in mensa, tum in plateis, tum in templo, tum in scholis, tum quolibet alio loco. Vide dicta Galat. 5. 23.

quartò, modestiam.

Vult ergo Apostolus vt Christiani modestiam omnibus exhibeant, qua internam animi moderationem testentur, quaque alios alliciant ad christianismum & suam modestiam imitandam.

Ita nimirum S. Bernardus sua specie & morum compositione, omnes ad Dei amorem & vitæ puritatem inuitabat. Nam, vt ait auctor Vitæ eius l. 3. c. 1. *Apparebat in carne eius gratia quædam spiritalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena, sed cælestis: in oculis angelica quædam puritas, & columbina simplicitas radiabat: tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, vt euidentibus quibusdam indicijs foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copiosè perfusus homo quoque exterior videretur.*

Modestia gratia S. Bernardi.

Hac modestia excelluit quoque S. Malachias Episcopus Hiberniæ, qui nullum membrum sine ratione mouebat, inquit S. Bernardus in eius Vita. Et S. Lucianus presbyter & Martyr, qui solo suo aspectu modesto, hilari & pio, multos ad Christum conuertit. Tanta enim erat in eo vultus serenitas, suauitas, lux, vt radios vibrare videretur; tanta morum sanctitas & decor, vt angelus videretur, non homo; nemoque eum intueri posset, quin fidei & Christi amore incenderetur: adeò vt Galerius Maximianus Imper. acerrimus Christianorum hostis, non auderet eum coràm intueri. Audi auctorem Vitæ, & ex eo Baronium anno Domini 311. *Cùm de Luciano à multis audiret Maximianus, tantam in eius facie insidere reuerentiam, vt, si eum solùm vidisset, veniret in periculum ne fieret Christianus; postquam insit vt ille adduceretur, timens ne sibi tale quid accideret, velo interiecto separat sermonis congressionem, & verba procul ad eum emittebat, intermedio vtens sermonis ministro.* Quocirca meritò Auctor Comment. l. 2. in Iob apud Origen. (Origenes enim esse nequit, vtpote qui Lucianum multis annis antecesserit) agens de glorioſa Luciani vita & martyrio, *Ita*, ait, *consummatus est beatus atque glorioſus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide* (lucidus & modestia, æquè ac vultu) *lucidus etiam tolerantiæ consummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus est, tamquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut alijs prælucens.* Porro causam & fontem tantæ modestiæ in Luciano indicat

indicat auctor Vitæ, dum initio eius primam ætatem ita describit: *Plurimum vitæ suæ tempus impendebat precibus & lacrymis. A scurrilitate & risu tantum aberat; quantum iudicabat ea esse verè ridicula. Contrà autem eos qui lugebant studebat imitari, & existimabat esse dignos beatitudinibus. Silentium autem amplexus, & assiduæ deditus meditationi, videbatur semper cogitabundus, & tristitiâ plenus ijs qui ad eum accedebant, etiamsi spiritu in se perpetuò exultaret & lætaretur. Si quando autem verbum ei ex ore visum esset emittere, diuinæ Scripturæ erant id quod loquebatur. Tantus enim earum diuinus amor ipsum ceperat, vt vix somnum vellet capere propter continuam earum meditationem:* vnde & Bibliorum editionem Græcam ex Hebraico textu confecit, quæ Lucianæa est dicta. Hæc prima eius pietatis rudimenta animum à terrenis auulserunt, & rebus diuinis imbuerunt, vt Deo plenus diuinum quasi vultum, moresque diuinos indueret.

Pulchrè quoque S.Ephrem huius modestiæ & temperantiæ, vt ipse vocat, actus particulares quaquauersum describit, l. de Virtutibus & vitijs, c. de temperantia & cõtinentia, dum ait: *Temperans modestia frœno linguam temperat a conuitijs, & execrationibus abstinet, non delectatur vaniloquio, vnum in alterum calumniando & obtrectando non commouet: secreta celat, & silentio aliena contegit. Temperans in auditu dicitur, qui aures rebus inanibus & maledicis non accommodat. In oculis, qui non passim quæ oblectare possunt, aut quæ nefas est videre, respicit. Animo temperans est, qui sic eum regit, vt non efferatur iracundia, nec citò exacerbetur. In gloria modestia cernitur, quando quis ita mentem moderatur, vt nec honoribus, nec dignitatibus, nec laudibus aucupandis vincatur. In cogitationibus, cùm quis timore Dei blandas arridentesq; cogitationes reprimit. In cibis, quando nec delicatioribus quis delectatur, nec extra præfinitum edendi tempus cibum appetit, horamq; anticipat; nec dapum varietatem & pulchritudinem auidè requirit. In potu, quando non immodicè, non solùm vino, sed nec aquæ quidem potu fruitur.* Hæc ille. Breuiùs S.Bernardus epist. 113. *Disciplina,* inquit, *mentem & corpus componit, ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram sedat, formant incessum.* Et alius Doctor: *Sales,* inquit, *sint sine dente, ioci sine vilitate, vox sine clamore, incessus sine tumultu: pauca loquere, plus cogita, pudore te arma, vultu terram aspice, cælum animo.*

DOMINVS PROPE EST] Aliqui vocem *enim* addunt: sed nec Syrus, nec Græca, nec Latina correcta illud habent, & sine eo sensus est planior: vult enim Apostolus dare stimulum generalem tam ad modestiam & gaudium quod præcessit, quàm ad quietem animi, orationem, aliasque virtutes, quas subiungit.

Stimulus hic est, si cogitemus quòd Dominus propè sit. iam sensus est, *Dominus propè est,* id est, Christus iudex appropinquat, vt consp iciat, succurrat & adiuuet nostram patientiam & modestiam. ita Anselm. Secundò & genuinè, *Dominus propè est,* id est, Christus iudex appropinquat, vt veniat ad iudicium, vt coronet nostram patientiam & modestiam, vt gaudium nostrum compleat, vtque hostium nos persequentium iniurias vindicet & puniat.

6. NIHIL ERGO SOLICITI SITIS] q d. Non ergo vos angat solicitudo bonorum temporalium aut malorum, siue bonis spoliemini, siue exilio mulctemi-

A ni, siue morbis, alijsue infortunijs affligamini: quia pro his omnibus Dominus propediem aduenies, æterna vobis bona conferet. ita Chrysost. Theodor. Theoph.

Nota. Potest hic locus intelligi de iudicio particulari. q.d. Propè est finis vitæ nostræ, vtpote breuissimæ; breui enim moriemur: & consequenter propè est iudicium particulare, & propè est Dominus, qui in illo præses & iudex nos iudicabit.

Secundò & melius, accipias de iudicio vniuersali: de illo enim ita solet Apostolus loqui quasi instaret & vicinum esset, vt illud semper præ oculis habeant Christiani, ad illudque se comparent. Vnde diem iudicij vniuersalis solet Apostolus vocare diem Domini. propè est ergo Dominus: quia propè est finis mundi, & dies iudicij vniuersalis, quod B Dominus exercebit coram toto mundo; propè, inquam, est, respectu longissimæ præscientiæ, & æternitatis Dei, in qua mille anni sunt tamquam dies hesterna quæ pertransijt. q.d. Ergo modestiam, patientiam, aliasque virtutes colite, vt in die iudicij læti sitis & securi, vtque à Christo iudice publicam laudem & gloriæ coronam accipiatis. ita Chrysost. & Theoph.

Dominus propè est, vt scilicet non iudicet in iudicio vniuersali.

Qua de re pulchrè idem Chrysost. hom. 33. in Iohan. *Instat,* inquit, *iã tempus reddendæ rationis. Ideo Paulus ait: Dominus propè est, nihil solliciti sitis. Dominus propè est, non longè à fine absumus, sed iam mundus properat; hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræ motus, hoc extincta charitas significat. Quemadmodum enim corpus iam aduentante morte innumeris malis afficitur, & domus prope casum, in ruinas satisfacit: ita orbis terrarum ad finem properans tantis vndiquaque malis conteritur: nam si Pauli temporibus Dominus propè erat, nunc profectò propior est. Si antè trecentos annos finem temporum Paulus esse dixit; quid nunc dicendum est?* Addit deinde diem iudicij vti vicinum, ita & subitum ac improuisum adfore, dicens: *Cohibeamus igitur affectus nostros, exerceamur in Dei timore: etenim nobis licentia perditis, nihil tale expectantibus ex improuiso Dei aduentus aderit, quod his verbis Christus significat: Sicut factum est in diebus Noë, sic erit, &c. Et Paulus: Cùm dixerint, Pax, securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus: sicut dolor in vtero habentis. Sæpè grauidæ mulieres inter eundum & ludendum, dum balneis, dum spectaculis oblectantur, repentinis torquentur doloribus: hac & nos in hac vita conditione versamur. Simus ergo semper parati.*

Instare diè iudicij docet S.Chrysost.

IN OMNI ORATIONE ET OBSECRATIONE, CVM GRATIARVM ACTIONE, PETITIONES VESTRÆ INNOTESCANT APVD DEVM] Nota, τῇ *omni* non posse referri ad *orationem:* nam in Græco est discordantia generis; πανὶ enim, id est *omni,* est masculini generis: προσευχῇ verò, id est *oratione,* est feminini. Vnde Oecumenius & Græci ἐν πανὶ, subaudiunt πράγματι, id est *in omni,* subaudi re & negotio, de quo soliciti estis. Syrus ἐν πανὶ, subaudit χρόνῳ, id est in omni tempore, hoc est semper. *Oratione,* id est, per orationem, & instantem ac feruentem obsecrationem iunctam cum gratiarum actione (hæc enim oratio & obsecratio Deo grata est, Deique gratiam & opem prouocat, quæ ab animo grato proficiscitur, & gratiarum actione conditur) petitiones vestras notas facite, & exponite Deo, vt eius opem flagitetis & impetretis.

ET PAX DEI QVAE EXVPERAT OMNEM SENSVM] Primò, *pax Dei,* inquit Chrysost. & Theophyl. est reconciliatio quam fecit Deus cum hominibus, quando

VERS 7. *Pax Dei quadruplex.*

quando olim eis iratus iam per Christum factus est placatus. Vnde Christus dicitur *pax nostra*, id est causa pacis, Ephes. 2. 14. Hanc pacem Prophetæ & angeli Christo nato occinuerunt canentes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Secundò, *Pax*, inquit Anselmus, qua in seipso pacatus & quietissimus est Deus, cuius natura est pax, ait Ambrosius, custodiat corda vestra, eisque pacem suam communicet; Deus enim increata est pax, cuius participatione pacificantur angeli & homines.

Tertiò, alij intelligunt pacem cum hominibus, & iniuriarum obliuionem. de qua vide Chrysost. in morali hom. 14.

Quartò & optimè, Ambrosius, *Pax*, inquit, quam habet anima sancta cum Deo, est tranquillitas conscientiæ, *quæ exuperat omnem sensum* græcè νῦν, id est intellectum. q.d. Intelligi non potest, qualis & quanta hæc sit pax.

CVSTODIAT] Græcè φρουρήσει, id est custodiet, quasi Paulus promittat eis hanc custodiam, eiusq; fiducia eos animet. Verùm aptiùs Noster vertit, *custodiat*: Hebræi enim sæpè futurum sumunt pro optatiuo, quo carent, illudque exigit copula, &, nimirum vt nectat eadem tempora & modos. cùm ergo modus optandi præcesserit, videlicet, *nota sit, sitis, innotescant*; sequitur & hic eodem modo per optatiuum esse vertendum: omnia enim & præcedentia & sequentia sunt optantis. Iam *custodiat*, id est, instar custodiæ militaris contra omnes hostes tueatur: Φρουρὲω enim significat custodiam quæ obsessis ciuitatibus adhiberi solet.

CORDA VESTRA, id est, voluntates vestras, ne à fide, iustitia, virtute, vlla tentatione, vlla persecutione, diuelli vos sinatis; ET INTELLIGENTIAS VESTRAS, id est, intellectus vestros, ne in errorem aliquem contra fidem, aut in iudicium aliquod practicum erroneum, & bonis moribus aduersum abducamini: IN CHRISTO IESV] id est, per Christum, ait Oecum. Secundò & meliùs, *in Christo*, vt scilicet *in Christo*, id est, in Christi fide & gratia maneatis & crescatis, itaque arctiùs Christo coniungamini.

Pax est scutum quo omnia hostilia tela elidimus.

Nota Paulus hîc suggerit Christianis, vt omnibus hostibus suis pacem opponant quasi scutum impenetrabile, quia reuera hæc pax elidit omnes suggestiones dæmonis, carnis & mundi: imò omnes tyrannorum minas & tormenta superat. Vnde S. Tiburtius Martyr, cùm Torquati tyranni & carnificis tormenta omnia cõtempsisset, causam huius contemptus & magnanimitatis subiunxit dicens,

Vilis est pœna, vbi pura est conscientia.

Omnia nobis vilia est pœna, vbi pura comes est conscientia: nimirum

hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

vide ea quæ dixi 1. Tim. 1. 5. Hinc est quòd omni studio diabolus hanc nobis pacem eripere conatur, solicitando nos ad peccata; vel certè eam turbare, immittendo scrupulos, diffidentias, mœrores, tentationes.

Effectus pacis.

Nota Secundò. Hæc *pax* Primò, serenitatem menti inducit; Secundò, lætitiam: *secura enim mens est quasi iuge conuiuium*; Tertiò, confidentiam, & ex ea magnanimitatem: qui enim scit se pacem habere cum Deo, se esse in Dei gratia, imò Dei amicum & filium, se Deum habere patrem, patrem, inquam, amantissimum, qui summam filiorum suorum & curam & prouidentiam gerat, omniaque eis faciat cooperari in bonum, ad maius & gratiæ & gloriæ meritum: qui, inquam, hæc seriò cogitat & perpendit, hic Deo totus confidit, illi se suaque omnia committit, nec dubitat quin Deus se & suas actiones diriget & prosperabit, seque contra hostes & tyrannos quantumuis ferociissimos tutabitur. Hic ergo certus de Dei patris sui tutela & directione paterna in ea conquiescit & securus indormit, dicitque:

Etiamsi fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ,

nemo me lædet, nisi priùs Deum læserit viceritque.

Pacis fortitudo.

Nota Tertiò. Pax hæc & confidentia facit nos dæmonibus omnibusque hostibus, non solùm inexpugnabiles, sed & terribiles ac formidabiles. *Quis enim*, ait Ambrosius, *non metuat eum, quem scit Dei esse amicum, qui Deum habet protectorem, imò vindicem, pro quo Deus pugnat, vt eum triumphare faciat?* 2. Corinth. 2. 14.

DE CÆTERO FRATRES, QVÆCVMQVE SVNT VERA] id est, sincera & aliena ab hypocrisi: vel generaliùs, vt hoc primo epitheto cætera omnia sequentia complectatur, quæ deinde speciatim explicet. *Quæcumque sunt vera*, veritate vitæ, id est, conformia Christianæ legi, professioni & perfectioni. Vnde Theophyl. *Vera*, inquit, id est virtutibus prædita: omne enim vitium est mendacium, inquit Chrysost. VERS. 8.

QVAECVMQVE PVDICA] σεμνὰ, id est grauia, seuera, honesta, verecũda. ita Syrus, Theoph. Erasm. q.d. Quæ talia sunt vt sancta quadã grauitate vos exornent: hæc enim & pudica sunt. impudica namque leuitatem & leues gestus amant, sanctimoniamque fugiunt. S. Ambrosius vertit, *magnifica*.

QVAECVMQVE SANCTA] Legit Noster interpres ἁγνὰ, iam legunt ἁγια, id est casta, nisi dicas sanctitatem hîc, vti & alibi, significare castitatem, vti 1. Cor. 7. de virgine dicitur, *Vt sit sancta*, id est pura & casta, *corpore & spiritu*. Opponit, inquit Chrysost. castitatem Paulus ijs, quorum Deus venter est, de quibus c. præced.

QVAECVMQVE AMABILIA] προσφιλῆ, id est, quæcumque ad amicitiam, concordiam & beneuolentiam alendam, aut promouendam sunt accommoda. vult enim vt Christiani omnibus etiam Ethnicis se faciant amabiles, vt eos sibi concilient, itaque ad Christum & virtutem pelliciant: hac enim amabilitate quasi esca capiuntur homines. Sic Christus & Apostoli satagebant efficere, vt ab omnibus amarentur, exhibendo se omnibus beneuolos, comes, affabiles: hinc Paulus omnibus omnia factus est.

QVAECVMQVE BONAE FAMAE] quæ vobis & Christo ac christianismo nomen & famam conciliant. Ambros. vertit, *quæcumque laudabilia*; perperã Erasmus vertit, *quæcumque ominata*, vel *boni sunt ominis*: licet enim hoc quoq; significet Græcum εὐφημα, illa tamen significatio huic loco non conuenit. quæ enim cõnexio vel affinitas est inter ea quæ sunt pudica, iusta, sancta, & ea quæ sunt boni ominis? εὐφημα ergo hîc significat ea, quæ bonæ sunt famæ, vti fatetur Beza; φήμη enim famã significat.

SI QVA LAVS DISCIPLINAE, HAEC COGITATE] In Græco non est *disciplinæ*, sed tantùm εἴτις ἔπαινος, id est, si qua laus, videlicet bonæ vitæ & disciplinę. q.d. Quidquid est laudabilis disciplinæ, quidquid est quod vos in sancta disciplina contineat & exerceat, quodque disciplinam Christianam Ethnicis com-

commender; *hæc*, id est iam dicta, *cogitate*, vt ea faciatis & exequamini.

Nota. Non laudem, sed laudabilia sectari iubet Apostolus. *Laudabilia fac*, inquit Chrysost. *sed non laudis respectu.*

9. QVAE ET DIDICISTIS, ET ACCEPISTIS, ET AVDISTIS, ET VIDISTIS IN ME, HAEC AGITE: ET DEVS PACIS ERIT VOBISCVM] Hinc patet, Paulum multa in particulari de habitu, vestitu, mensa, colloquio, gestibus, moribus, omniq; modestia in templo, in plateis, in conuiuijs, præsertim cum Ethnicis, obseruanda Philippensibus præscripsisse, eaque verbo & exemplo (quomodo nimirum omnibus in rebus se gerere deberent) docuisse; quæ litteris non sunt consignata: ea tamen vult ab eis seruari. ergo non sola Scriptura est norma credendorum & agendorum, vti volunt Nouantes.

Nota. *Deum pacis*, vocat auctorem & amatorem pacis. q.d Deus, qui pacem amat vobis aderit, & pacem vobiscum fouebit, facietque vos mutua pace frui: imò vobis pacem & gratiam Gentilium conciliabit.

10. TANDEM ALIQVANDO (post longiorem moram & torporem) REFLORVISTIS PRO ME SENTIRE] Græcè, ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, id est, reuiuiscistis pro me sentire. Vbi Nota. Est metaphora à plantis, quæ hieme exarescunt, vere reuirescunt. q.d. Sic vos Philippenses, in algore quodam charitatis fuistis erga me, & quasi aridi; nunc nouo vere & spiritu quasi afflante reuiuiscistis, reuixistis ac reuiguistis. ita Chrysost. & Theoph.

Secùdò, φρονεῖν, id est sentire, capitur pro φροντίζειν, id est curare, curam & solicitudinem gerere. Sic capitur Coloss. 3. 2. & alibi. q.d. Intepueratis & obtorpueratis nonnihil erga me, meique curam, ô Philippenses, sed iam pristinum affectum, curam, solicitudinem pro me alendo & fouendo resumpsistis. ita Chrysost. & Theoph.

SICVT ET SENTIEBATIS] ἐφ' ᾧ, in quo sentiebatis. q.d. Qua in re solebatis sentire, id est, soliciti esse pro me, videlicet in alimonia & necessarijs vitæ mihi procurandis.

OCCVPATI AVTEM ERATIS] Quia tacitè exprobrauit eis torporem, eorumque negligentiam culpauit, hîc increpationem mitigat & excusat, dicēs, *Occupati eratis*, græcè ἠκαιρεῖσθε, id est, nō habuistis opportunitatem, mihi scilicet subueniendi, non habebatis ad manū quæ mitteretis. nam, vt Chrysost. ait, erat vobis res angusta domi, non habebatis quo mihi succurreretis, impotentia & penuria vos occupabat, vobisque manus claudebat & ligabat. Adde, sicut Græcum εὐκαιρέω, non tantùm significat opportunitatem habeo, sed & locuples ac diues sum, vti ex Suida & Athenæo docet Henricus Stephan. ita eius contrarium ἀκαιρέω significat non tantùm destituor opportunitate, sed etiam opibus, pauper sum. Ita quoq; explicat S. Chrysost. & Theoph. Vnde Noster aptè vertit (quidquid oclamet Beza) *occupati eratis*, vestra scilicet paupertate, vobisipsis alendis, vestrisq; curandis. q.d Non tam negligentiæ vestræ tribuo, quòd hactenus nihil ad me miseritis, quàm vestræ inopiæ. Alij interpretantur: Non habebatis opportunitatem, id est, fidum nuncium, per quem mitteretis.

11. NON QVASI PROPTER PENVRIAM DICO] Id est, vt clariùs vertit Syrus, non quòd penuriam passus sim aut patiar, id dico, scilicet quòd gaudeam in vestra pro me solicitudine & eleemosyna.

A EGO ENIM DIDICI (exercitio, vsu & assuetudine) IN QVIBVS SVM (ijs quæ habeo, quæ mihi ad manum sunt) SVFFICIENS ESSE] Græcè αὐτάρκης εἶναι, id est, mihi sufficiens & contentus esse.

Nota, Dei proprium esse, sibi sufficere, indeque hebraicè vocatur *Saddai*, q.d. שַׁדַּי *ſcedai*, id est, cui est omnis sufficientia, vel qui omnem habet sufficientiam. Hinc nonnulli ab hoc Hebræo nomine שַׁדַּי *dai*, id est sufficientia, nomē Deus, & Θεὸς ac ζεὺς, deducendū putant, vt hæc omnia idem sint, quod Hebræum *ſaddai*, & Græcum αὐτάρκης. Deus enim est, qui in seipso perfectus, sufficiens, beatus, nullo indiget, & quo cetera omnia indigent: & hoc est quod ait Psaltes psal. 15. 2. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Vbi Aduerte, talem in Deo sufficientiam esse, quæ sit B abundantia, qua non solùm sibi, sed & omnibus creaturis sufficiat, & abunde suggerat quod cuiq; conuenit; & hoc significat Hebræū *ſaddai*, hoc est, qui omnem sufficientiam & abundantiam ita habet, vt eam alijs tribuat & communicet quasi cornucopiæ. q.d. Sufficientissimus, abundantissimus, copiosissimus, de cuius plenitudine, vt ait Iohan. c. 1. omnes accepimus. Hinc S. Paulus vim vocis *ſaddai* explicans 1. Tim. 6. 17. *Diuitibus*, inquit, *præcipe, &c. non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia ad fruendum*, id est, qui est *Saddai*. Sic & R. Saadias: *Ideo*, ait, *Deus dictus est Saddai, quòd ipse abundet, omnesq; omnium creaturarum defectus expleat.* Hac de causa Græci Hebræum *Saddai*, nunc αὐτάρκης, nunc παντοκράτωρ, Latini verò passim Omnipotēs, vertunt. *Aquila*, inquit Hieron. ad Marcellam, *vertit ἀλκιμον, quod nos robustum & sufficientiam ad omnia perpetranda accipere possumus.* Eamdē vim vocis *Saddai* explicat Paulus Act. 17. *Deus*, inquit, *qui fecit mundum & omnia*, &c. C *nec humanis manibus colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam & halitum, & omnia*, &c. *in ipso enim viuimus, mouemur & sumus.*

Cur Deus dicatur Saddai, id est sufficiēs.

Dicitur ergo Deus *Saddai* non tantùm hoc nomine, quòd sit omnipotens, & omnia possit, sed etiam quòd sit efficax, & efficaciter omnia in omnibus operetur & faciat, ipsiusque cura, prouidētia, sapientia, bonitate cuncta existant, viuant, moueātur; quodque omnes homines, adeoque vniuersæ creaturæ de eius inexhausta plenitudine existentiam, vitam, operationes, bonaq; omnia, tamquam ab æterno thesauro, & fonte perenni, accipiant. Vnde Plato distinguēs hæc tria ἔνδειαν, αὐτάρκειαν & ὑπερέχυσιν, id est inopiā, sufficientiam & redundantiam, siue effusionem; solam ὑπερέχυσιν, hoc est D bonitatis abundantiam & effusionē, Deo tribuit, *Sicut*, inquit, *crater aliquis vino plenissimus superfluit. sic & Dei bonitas in se plenissima, redundat & superfluit in homines, aliasq; creaturas.* Platonem hactenus tantùm reprehendit Nazianz. orat. de Filio, quòd effusionem quamdam naturalem, non voluntariam & liberam, hoc exēmplo innuere videatur: nam aliàs effusionem hanc in Deo admittit Nazianz. orat. 2. de paschate.

In Deo non est inopia, nec sufficiētia: sed redundantia.

Hinc eximium & diuinum bonum, adeoque diuinæ virtutis, perfectionis & felicitatis primaria participatio est, si quis sit αὐτάρκης, id est, sibi sufficiens, sua sorte & re contentus, adeò vt nihil appetens nullo indigeat, sed potiùs pro sua sorte se suaque alijs communicet, & liberaliter effundat. Talem se hîc Paulus omnibus imitandum proponit; hancq; virtutem eum docuit tum continua pere-

Diuinum est αὐτάρκης, id est, sibi sufficiens, sua sorte contentus.

grinatio, tum carcer. Id se reipsa & pari experientia didicisse solebat asserere Reuerendus Vendeuillius nuper Episcopus Tornacensis, vir Apostolici zeli: qui cùm cõsiliarium adhuc ageret, captus ab hæreticis, & versus Hollandiam ductus, cùm in carcere tenui & aspero victu victitare cogeretur, dureque tractaretur, sanus tamen, vegetus ac valens vixit. ac tandem carcere liberatus, cùm ad nos rediret, rogatus qui se in carcere habuisset, respondit se experientia didicisse, quod numquam credidisset nisi expertus, naturam tam paucis esse cõtentam, imò valere & vigere: Didici, inquit, in carcere mihi esse sufficiens, & paucis vilibusque esse contentus, qui tenerior, ac molliori vitæ assuetus, putabam mihi impossibile ita viuere: itaque carcer insignis mihi fuit schola & beneficium, pro quo ingentes Deo gratias ago. De hac sufficientia plura dixi 1. Tim. 6 6 & 2. Cor. 9. 8.

Quàm paucis natura sit contenta soli sciunt famem experti.

VERS. 12. SCIO ET HVMILIARI, SCIO ET ABVNDARE; ET SATIARI, ET ESVRIRE; ET ABVNDARE, ET PENVRIAM PATI] Vatabl & Erasm. vertunt, *noui humilis esse, noui & excellere*, id est, scio quo debeam esse animo cùm me Deus deprimit, ac rursum, cùm me cæteris excellere facit: excellentia enim propriè opponitur humilitati, nõ abundantia. Et Græcum περέχω non tantùm abundare, sed & præcellere significat. Verùm melius vertit Noster, *scio & humiliari, scio & abundare*: non enim loquitur Apostolus de humilitate mentis, sed paupertatis. Hebræi enim דַּל *dal* tam tenuem & inopem, quàm humilem, vilem & abiectum vocant; & עָנִי *ani* tam pauperem & inopem, quàm humilem, mitem & mansuetum vocant: qui enim inops est, quasi vilis contemnitur, idemque superbis diuitibus humiliter & mansuetè loquitur. *humiliari* ergo hîc significat esse inopem & indigum, vnde et opponitur, non superbire, sed *abundare* agit enim Apostolus de rerum penuria & copia. Rursum *humiliari*, id est ieiunare: nam Hebræi עִנּוֹת נֶפֶשׁ *anot nephes*, id est humiliare, vel affligere animam, vocant ieiunare. Vnde mox explicans subdit, *Et satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati*. q.d. Scio ferre penuriam, scio ferre & abundãtiam, scio quomodo me in penuria geram. scio quomodo & in abundantia: in illa scilicet non tristari, non deijci, paucis esse contentus scio; in hac non dissolui, non deliciari, sed quæ superfunt in pauperes conferre. ita Chrysost. & Theoph.

VBIQVE ET IN OMNIBVS INSTITVTVS SVM] Græcè μεμύημαι, id est, mysterijs initiatus sum, sacris imbutus sum. Significat ergo Primò, in Christianis omnem tam copiam quàm inopiam, totamq; vitam esse velut perenne sacrificium Deo consecratum, cuius ritus & modum Christus nos docuit, docetque suos mystas sanctos, arcanè scilicet & interiùs, illius mysterium, quod alios omnes latet.

Mysterium est, scire tenere modũ tam in opibus, quàm in inopia,

Secundò, mysterium hoc est scire, quomodo tam paupertatem quàm opulentiam ferre, quomodo tam in epulis & conuiuijs, quàm in penuria, fame & siti te gerere debeas, nimirum vt vtrobique modum teneas, animique quietem ac patientiam conserues nec enim minor, imò maior est virtus, si ad splendidam & opiparam mensam assidens tot illecebris & delicijs non capiaris, metas temperantiæ non excedas, sed in solita continentia & frugalitate te contineas, quàm si à rustico inuitatus ad prandium atro pane & larido sis contentus, nec plura requiras *Magna & rara virtus est*, inquit Ber- *ex S. Bern.*

A nardus, *inter epulas esurire, inter vestes algere, inter honores humiliari. Sciuit Annibal esurire & penuriam pati, nesciuit satiari & abundare: nam delicia Capuana Annibalem inuictum enervarunt, & Romanis iam imbellem vincendum obiecerunt.*

Tertiò, sicut mysteria priùs à mystis discebantur tum studendo, tum experiendo, deinde ab ijsdem satis iam doctis & instructis exercebantur: ita Paulus significat se quasi mystam hoc Christianæ continentiæ mysterium tam in rerum copia, quàm penuria, priùs edoctum esse à Christo, iam verò illud ipsum exercere, & in praxim redigere.

ABVNDARE ET PENVRIAM PATI] περέχεσθαι καὶ ὑστερεῖσθαι, id est abundare, & deficere; habere quod superfit, & pati quod desit, q.d. Scio, quomodo me geram cùm abundo bonis, & cùm ijs destituor, scio quomodo vtar eo quod superest, & eo quod
B deest. Pulchrè hunc locum explicãs S. Greg. hom. 16. in Ezech. *Numquidnam*, inquit, *fratres ars est aliqua, humiliari, & abundare: satiari, & esurire, abundare, & penuriam pati; vt pro magno se ista scire tantus prædicator insinuet? Ars omnino, & mira disciplina scientia, quæ toto nobis cordis est adnisu discenda. quem enim penuria sua non frangit, à gratiarum actione nõ retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit; scit humiliari: hoc enim loco Apostolus humiliari, dicit penuriam perpeti: nam statim è contrario subiungit, Scio & abundare. Qui enim acceptis rebus nõ extollitur, qui eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, qui solum non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer diuidit; scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quàm necessitas petit; scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate virtutis agit aliquid, vnde anima peccati laqueum incurrat; scit esurire. Quem ergo nec abundantia in superbiam elenat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriam pati. Qui cùm statim subdidit: Omnia possum, ne elationis esse verba crederemus, adiunxit, In eo qui me confortat, & quæ sequuntur.*

Moraliter S. Chrysost. hom. 79. in Iohan. to. 3. docet, hoc præcipuè angelos à nobis differre, quòd non tã multis indigeant vt nos, ac propterea quanto paucioribus indiguerimus, tanto magis illis appropinquabimus, ipsique; Deo: quanto verò pluribus abundamus, tanto magis ad hanc vitam caducam deflectimus, & tãto magis dissimiles angelis sumus. vera nanq; libertas est, nulla re prorsus indigere; quam libertatẽ solus Deus obtinet. proxima huic libertas est, minimis indigere; quam habẽt angeli. Hanc verò nos & possumus & debemus imitari, ne
D patiamur qui Christiani sumus, vinci nos ab Ethnicis, qui paucis contenti, læti & hilares vixerunt, vti Crates, Socrates, Diogenes & alij. Socrates enim sæpè cùm eorum quæ publicè vendebantur multitudinem aspiceret, aiebat: *Quàm multis ipse non egeo!* In facilitate victus gloriabatur dicens: *Qui suauissimè comederet, eum minimè obsonio egere; eumq; dijs maximè propinquum esse, qui minimis egeat.* testis est Laertius in Socrate.

Angelis similes sunt qui pauci sunt contenti.

Ita Cic. 5. Tusc. refert Anacharsim Scythã philosophum ad suos scripsisse: *Mihi amictus, tegmen Scythicum; calceamentum, solearum callum; cubile, terra; pulmentum, fames, &c.* Audi & Senecam l. 19. epist. 111. *Non est*, inquit, *quòd te nimiũ laudes, si contempseris aureos lectos: qua est enim virtus superuacanea contemnere, præsertim hominem philosophum? Tunc*

Exemplum Anacharsis.

te

te admirare, cùm contempseris necessaria. tunc te admirabor, cùm cõtempseris etiam sordidum panem. nimirũ, *magnum vectigal* (non tantùm census, sed & virtutis) *est parsimonia.* Sicut enim expeditissima ratio augendi cẽsus est, detrahere sumptibus; vti Æschinem docuit Socrates: ita expedissima ratio augendæ continentiæ & virtutis est, detrahere delicijs & voluptatibus. Audi quid fecerit Cato senior: *Neque,* inquit, *mihi ædificatio, neque vestimentum vllum in manu pretiosum, neque pretiosus seruus, neque ancilla. Si quid est quo vtar, vtar: si non est, ego sum, quo cuique per me vti atque frui licet.* Audi Poëtam:

Quis diues? qui nil cupit: & quis pauper? auarus.

13. OMNIA POSSVM IN EO QVI ME CONFORTAT] Pro *possum*, græcè est ἰσχύω, id est potens, fortis, validus sum. Secundò, pro *confortat*, græcè est ἐνδυναμοῦντι, id est, qui me intus corroborat, validum ac robustum facit, suggerendo scilicet animæ, menti, voluntati vires gratiæ suæ.

facit potentia sapientiæ. *Quanta*, inquit S. Bernard. serm. 85. in Cant. *fiduciæ vox, Omnia possum in eo qui me confortat? Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. An non omnipotens, cui omnia possibilia sunt? Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à Verbo, poterit vtique dominari sui, vt non dominetur ei omnis iniquitas: ita inquam Verbo innixum, & indutum virtute ex alto nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit vel stantem deijcere vel subijcere dominantem.*

14. VERVMTAMEN BENE FECISTIS COMMVNICANTES TRIBVLATIONI MEÆ.] Id est, quòd mihi res vestras & facultates communicastis in tribulatione mea, cùm vinctus essem, bene feciſtis: sic enim vincula mea & tribulationem subleuastis, & partem quasi tribulationis meæ ab humeris meis in vestros humeros deriuastis & recepistis; ac consequenter sicut participes vos facere, & communicare voluistis meæ tribulationi & vinculis, sic & præmij, quod ex tribulatione hac apud Deum expecto, participes eritis, in eoque mecum communicabitis.

15. NVLLA MIHI ECCLESIA COMMVNICAVIT IN RATIONE DATI ET ACCEPTI, NISI VOS SOLI] *In ratione*, id est in computu & cõpensatione dati & accepti, compensando scilicet spiritalia à me accepta datis suis temporalibus donis, vel potiùs stipendijs. ita Chrysost. & Theophyl.

Alludit ad tabulas computuum, & libros rationarios mercatorum, qui vna libri parte, vel tabula conscribunt sua data & exposita, altera accepta, quæ pro expositis receperunt; vt significet esse quamdam commutationem quasi mercium inter prædicatores & auditores, nimirum prædicatores tradere Euangelium veritatem & bona spiritualia: auditores verò eis rependere alimenta, & bona tẽporalia. Rursum significat quemque hominem talem librum rationum habere respectu Dei, vt patebit v. 17. q. d. A vobis solis, ô Philippenses, recepi quod referam in codicem datorũ & acceptorum, quod Rabbini dicunt מַתָּן וּמַשָּׂא *mattan vmassa*: sit, vt clariùs, Adamus. q. d. Habeo duas tabulas rationarias, quarum vna continet ea, quæ accepi; altera verò continet ea, quæ dedi (prædicationem scilicet, labores, impensas, & bona Euangelij:) quas dum inspicio, video me multa dedisse & impendisse Ecclesijs Macedoniæ, nihil verò ab eis accepisse, nisi à vobis solis, qui estis Philippis. Hoc dicit Apostolus, vt amoliatur à se auaritiæ diuitiarumque suspicionem, ne putent eum passim ab omnibus corrogare hæc stipendia, itaque se ditare, ac opibus inhiare.

A

QVIA ET THESSALONICAM (græcè in Thessalonica, scilicet existenti mihi) SEMEL ET BIS (semel & iterum) IN VSVM (πρὸς χρείαν, ad egestatem, scilicet, leuandam; vel, vt Syrus, id quo indigebam) MIHI MISISTIS. VERS. 16.

NON QVIA QVAERO DATVM (Syrus, *non quia munus requiro*) SED REQVIRO FRVCTVM ABVNDANTEM IN RATIONE VESTRA] Ita Romana, licet Græca habeant, *in rationem vestram*. Nota. Ratio hîc, vti & v. 15. computum significat. persistit enim in metaphora librorum computuum, quos conficiunt mercatores vt ratio receptorum & expensorum constet. VERS. 17.

Dicit ergo quemque Christianum sibi talem rationum cum Deo ineundarum librum conficere non ex charta, sed reipsa, ipsi sq; factis (quæ tum in nostra, tum potiùs in Dei memoria conseruantur) in quo quasi vna parte scribat ea, quæ à Deo accepit, altera quæ in Dei honorem & obsequium expendit, putà actus virtutum, præsertim eleëmosynæ. q. d. Dum tacitè vos incito ad subueniendum egestati meæ ô Philippenses, non mea, sed vestra lucra requiro, vt vos vobisipsis magna eleëmosynarum opera ac merita accumuletis, quæ in codice rationum vestrarum cum Deo ineundarum scribere possitis; tamquam propter Deum expensa, quæque Deo ipsi in ratione vestra quasi credita vestra computetis, vt ipse vobis hæc rependat & soluat æterna mercede. B *Quisq; suis factis sibi librũ rationum cum Deo conficit.*

Ita Cosmas Medices, qui fuit Magnorum Ducum Hetruriæ primus, multa expendebat in pauperes; cumq; quidam ex familiaribus eum nimis liberalem appellaret, respondit, *se in libro initarum cum Deo rationum dati & accepti, numquam potuisse eò peruenire, vt quæ deberet Deo, solueret: nam quo plura dabat, eo plura recipiebat, semperq; inueniebat se debitorem, Deum verò creditorem.* Didicerat hoc ex S. Nazianz. qui orat. de amore pauperum ait, *Numquam Dei liberalitatem & beneficentiam vinces, quamuis omnium tuarum facultatum iacturam feceris, quamuis te etiam facultatibus adieceris. Nam hoc quoque ipsum accipere, est Deum aliquid nobis donare.* Additq; Nazianz. duas insignes similitudines. vnam vmbræ, quæ numquam potest corpus prægredi, cùm simul ea ad progressum corporis progrediatur. Alteram capitis, vltra quod cætera membra numquam possunt excrescere, cùm quantumuis illa augeantur, semper caput item attollatur atque superstet. C *Cosma Medices computus eum Deo.*

HABEO AVTEM OMNIA] Græcè ἀπέχω, id est, recepi ea quæ ad me misistis quasi censum, & stipendium debitum prædicationi meæ apud vos. ita Theophyl. VERS. 18.

ET ABVNDO] Vestra eleëmosyna planè leuauit inopiam meam, vt iam necessarijs vitæ abundem. ita enim se explicat dum subdit:

REPLETVS SVM] expletus sum. S. Cyprianus explicans orationem Dominicam legit: *saturus sum.* q. d. Omnis mea penuria, omnis fames, omnis egestas, omne desiderium meum expletum est.

ACCEPTIS (postquam accepi) AB EPAPRODITO QVAE MISISTIS, ODOREM SVAVITATIS, HOSTIAM ACCEPTAM, PLACENTEM DEO] Nota. Eleëmosynam vocat *hostiam*, & sacrificium, non proprium, sed metaphoricum, vt patet. Secundò, hanc *hostiam* per appositionem vocat *odorem suauitatis*; alludit *Eleëmosyna est sacrificiũ odoratũ Deo & Sanctis.*

alludit enim ad vetera sacrificia, quæ ad Deum per ignem & fumum ascendebant, ideoque Deus ea quasi sibi oblata dicebatur odorari, tamquam illa odorem suauem spargerent, & afflarent naribus Dei. Vnde & thusijs imponebatur, tam ad suffitum & suauem odorem excitandum, tum vt per thus (quo omnium gentium ritu Deus colitur) significaretur illa Deo offerri & dicari. q.d. Eleëmosyna vestra quasi thus, vel thymiama suauissimi odoris, siue potiùs quasi hostia & victima, quæ cum thure per ignem & fumum ad Deum suauissimo odore ascendit, mihi pergrata & iucunda fuit, nec solùm mihi, sed & ipsi Deo. Sic Hebr. 13. dicitur: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.*

VERS. 19. DEVS IMPLEAT OMNE DESIDERIVM] Græca hîc variant: alia legunt χαρὰν, id est gaudium, & sic videri potest legisse Noster, vt metonymicè per gaudium intellexerit desiderium: non enim aliter impletur gaudium nostrum, quàm dum impletur desiderium nostrum. alia legunt χάριν, id est gratiam; alia & plura χρείαν, id est necessitatem. Vnde Syrus, Vatablus & alij vertunt, *Deus autem meus impleat omnem indigentiam vestram secundùm opulentiam suam.* q.d. Vos vobis subtraxistis ea, quæ mihi misistis, & ex tenuitate ac paupertate vestra meam penuriam explestis; ego vicissim Deum rogo, vt suppleat vestram inopiam, imò omne desiderium vestrum. hoc enim meretur eleëmosyna, & congruum est, vt, si propter Deum in pauperes liberales simus, Deus vicissim in nos multò liberalior sit, vt dixi 2. Corinth. 9. 6.

SECVNDVM DIVITIAS SVAS] q. d. Facile est Deo vobis rependere, vos ditare, vestra bona explere; est enim ditissimus. ita Chrysost.

IN GLORIA] Id est, cum gloria. ita Vatablus. vel simplici hebraismo, *in gloria*, id est gloriosè. q.d. Deus faciat vos glorioso tum celebritate & gloria æterna apud Deum, tum præsenti apud homines, vt illi vestram videntes paupertatem ac munificentiam, & ex altera parte, Dei in vos prouidentiam & liberalitatem, ita vt nihil vobis desit, glorificent ac celebrent tam vestram virtutem, quàm Dei Christianorum bonitatem ac magnificentiam.

IN CHRISTO IESV] Id est, per Christum Iesum. Secundò, & sublimiùs, ex mente Pauli. q.d. Secundùm diuitias gloriæ, quas ostendit in Christo, & Christi Ecclesia, quæque decent Christum Dei vnigenitum, eiusque discipulos & filios, putà Christianos.

VERS. 21. SALVTATE OMNEM SANCTVM IN CHRISTO] Id est, Christianum, qui baptismo sanctificatus est per Christum, & professione ac vocatione Christiana sanctus est, vti dixi iam superiùs.

Deo & Patri nostro sit gloria in sæcula sæculorum. O vtinam tam beata sors in nos cadat, vt hoc in perpetuum dicamus: Quid sunt, quàm immensa sunt, quàm ÆTERNA sunt *sæcula sæculorum*? Quid sunt, quàm iucunda sunt, quàm gloriosa sunt in cælis *sancta sanctorum*.



COMMEN-

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM.

NOta Primò. Putarunt aliqui cum Suida, Zonara, Glyca, Eustathio, Colossenses esse Rodios, ita dictos à Colosso solis, qui erat Rhodi. Sed hos falli certum est. Colossæ enim ciuitas est Phrygiæ, vicina Hierapoli & Laodiceæ: vti docet Plinius l.5.c.32. Herodot. l.7. Strabo l.12. quæ sub Nerone cum Laodicea & Hierapoli terræmotu concidit, vt narrat Orosius. Vnde & Apostolus hîc c.4.16. iubet vt Colossenses legant epistolam Laodicensium, quasi vicinorum; & contrà. Colossæ, inquit Theophyl. ciuitas est Phrygiæ, quæ nunc vocatur *Chonæ*, vbi celebris fuit apparitio & memoria S. Michaelis, vti dicam cap.2.18.

Nota Secundò. Nec Colossis, nec Laodiceæ prædicauerat Paulus: id enim satis insinuat c.2.1. Sicut ergo scribit ad Romanos cùm eos necdum vidisset; ita scribit & ad Colossenses necdum à se visos, ait Chrysost. & Theoph. Colossensium itaque doctor fuit Epaphras, hic enim eos fidem Christi docuit, vt patet c.1.7. cui Romæ cum Paulo in vinculis posito, vt ait cap.4.13. successit Archippus, de quo c.4.17. dicit: *Dicite Archippo, Vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas.*

Nota Tertiò, pro materia & argumento. Hac epistola Paulus insectatur Simonem Magum, eiusque asseclas hæreticos, qui vti Ephesi, ita Colossis, & alibi sua virulenta dogmata spargebant, ac nominatim docebant, non Christum, sed angelos nostræ salutis esse mediatores, & reconciliatores apud Deum, inquit Chrysost. & Ambros. absurdum putantes credere, quòd Filius Dei in extremis temporibus apparuerit in carne, cùm in veteri testamento Deus per angelos apparere, omniaque sua per eosdem facere & exequi apud homines soleret. Huic dogmati addebant multas obseruationes Iudaicas & gentilitias, dies eorum obseruantes & tempora & cibos: quæ omnia cùm indigerent correctione, ait Theophyl. mouerunt Apostolum vt hanc scriberet epistolam, qua Primò, hunc errorem de angelis, illasque obseruationes redarguit. Deinde cuilibet hominum generi dat vitæ ac morum documenta; ac demum salutationibus claudit epistolam.

Nota Quartò. Hæc epistola valdè affinis est quoad materiam, epistolæ ad Ephesios: imò eadem penè ad verbum cum illa subinde habet sententias: non quòd eodem tempore & impetu sit scripta. nam ad Ephesios anno priore, cùm necdum Romam venisset Timotheus, scripta est; hæc verò posteriùs, vt iam dicam. Sed quòd eadem materia eadem penè sententias posceret; ac fortè quòd relegens epistolam suam ad Ephesios datam, Apostolus eam in mente haberet, & ex ea hanc ad Colossenses dictarit: æquè ergo hæc vt illa, sublimis est & grandiloqua.

Nota Quintò. Scripta est Romæ è vinculis, vt patet c.4.18. anno 2. vinculorum, qui fuit à Christo nato 60. Nam Timotheus (quem anno priore ad se Romam vocauerat, vt dixi procœmio epistolæ ad Philippenses) iam Romam aduenerat. Vnde & Paulus Timotheum initio epistolæ quasi secum Colossenses salutantem sibi adiungit. Missa est per Tychicum & Onesimum, vt habent Græca, Syra, & Latina Complutensia in fine epist. & colligitur c.4.v.7. & 9.

Vnde, & vbi scripta hæc epistola.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, gratulatur Colossensibus de eorum fide, charitate & vita Christiana, oratq; vt in ea crescant & roborentur, vtq; in patientia, lætitia, & gratiarum actione seruiant Deo, qui eos transtulit in regnum (putà Ecclesiam) filij sui.

Hinc Secundò, v.14. docet non angelos, sed Christum Dei Filium, esse tam opificem & creatorem rerum omnium, etiam angelorum, quàm redemptorem hominem, caputq; Ecclesiæ, vtpote qui omnia quæ in terris & quæ in cælis sunt, pacificarit.

Deinde v.21. docet hanc Christi redemptionem ad Gentes quoque pertinere, sicq; huius mysterij & Euangelij legatum & ministrum esse, atque pro Christo Christiq; Ecclesia multa se pati gloriatur.

1. PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, 2. eis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu. 3. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes: 4. audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, 5. propter spem, quæ reposita est vobis in cælis: quam audistis in verbo veritatis Euangelij: 6. quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis, & cognouistis gratiam Dei in veritate. 7. Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, 8. qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu: 9. ideo & nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali: 10. vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei: 11. in omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius, in omni patientia, & longanimitate cum gaudio, 12. gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: 13. qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ: 14. in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: 15. qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: 16. quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: 17. & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens. 19. quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: 20. & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. 21. Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: 22. nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso: 23. si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister. 24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia: 25. cuius factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei: 26. mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, 27. quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, 28. quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. 29. in quo & laboro, certando secundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute.

VERS. 1. PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI] non angelorum, inquit ex Chrysostomo, Theophyl. Ipso exordio hæresim Simonis elidit, dicens Apostolos non ab angelis, sed à Christo esse missos, vt per Christum, non per angelos homines Deo reconcilient, idque non ex se, sed per voluntatem Dei.

Vbi Nota. Passim Apostolus se à Deo & Christo missum significat, vt Simonem Magum, aliosque falsos doctores, qui non mittuntur à Deo, sed sua sponte docendi munus assumunt, perstringat & excludat.

VERS. 2. SANCTIS ET FIDELIBVS FRATRIBVS IN CHRISTO] Nota hîc tria epitheta, & quasi insignia Christianorum. Nam Primò, vocantur *sancti*. Nec enim sanctitatem tam doctrinæ quàm vitæ alicubi in mundo est reperire, quàm apud Christianos. Et rursum christianismus non est aliud quàm professio sanctitatis. Ad hoc enim venit Christus, & christianismum instituit, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in

Christianismus non est aliud quàm professio sanctitatis.

A sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ, vt canit Zacharias. Hoc nomen *sancti*, monet Christianos vt assiduè studeât sanctitati & perfectioni.

Secundò, vocantur *fideles*, quasi filij Abrahæ, qui pater est fidelium & credentium, ac proinde benedictionis Abrahæ promissæ, id est amicitiæ Dei, iustitiæ & salutis heredes.

Tertiò, vocantur *fratres* non in Adamo, aut aliquo terreno parente, sed *in Christo*, qui nos genuit per suam mortem & baptismũ; vt significet Christianos omnes sepositis omnibus odijs, diffidijs & varietatẽ tam nationum quàm complexionum & officiorum, inuicem amare debere quasi fratres. B

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO] Supple, donetur VERS. 3. & multiplicetur.

GRATIAS AGIMVS DEO ET PATRI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] Et significat, *id est*, q.d. Gratias agimus Deo, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi: vt significet Deum non aliter nobis esse causam salutis, quàm hoc ipso, quo est pater Christi, per quem redempti & adoptati sumus; & hoc nomine maximè à nobis amandum, venerandum

&

& inuocandum esse Deum, quòd nobis dederit Christum redemptorem.

SEMPER PRO VOBIS ORANTES] τὸ *pro vobis*, potest referri ad *gratias agimus*. Vnde Erasmus vertit, *gratias agimus pro vobis cùm oramus*. Secundò & melius, Græci referunt ad *orantes*. Vnde & Syrus vertit, *gratias agimus Deo, & oramus pro vobis*. Duplici ergo titulo amorem suum in Colossenses ostendit hîc Paulus. Priore, quòd pro eis gratias agat Deo. Secundò, quòd pro eis semper oret, quodque eos quos non viderat, semper in mente & memoria habeat, ait Chrysostomus Nota *semper*, id est, frequenter & assiduè orantes. Vide dicta Ephes. 6. 18.

AVDIENTES (ἀκούσαντες, id est, postquam audiuimus narrante Epaphra, inquit Chrysost.) FIDEM VESTRAM, QVÆ EST non in angelis, sed IN CHRISTO IESV (q.d. Fidem vestram qua creditis Christo) ET DILECTIONEM QVAM HABETIS IN SANCTOS (Christianos) OMNES] tam incolas quàm peregrinos & aduenas aliarum gentium. Significat Christianos debere alios omnes diligere pari affectu, siue suæ sint gentis, siue alterius, hoc nomine quòd Christiani sunt. In Christo enim Iesu non est Barbarus & Scytha, Iudæus & Græcus, Hispanus & Gallus; sed omnes vnum sunt, Gal. 3. 28.

PROPTER SPEM (id est bona sperata. est metonymia, iuxta can. 30.) QVÆ REPOSITA EST VOBIS IN CÆLIS: QVAM AVDISTIS IN VERBO (per verbum) VERITATIS EVANGELII] q.d Quam audistis per prædicationem Euangelij: quæ prædicatio est verbum & sermo veritatis, id est verissimus, vt in eo ne vel vnum punctum erroris aut falsitatis sit reperire. Vnde posset esse appositio in τῷ *verbo veritatis Euangelij*. q.d. In verbo veritatis quæ est ipsum Euangelium, vt ipsam veritatem vocet Euangelium.

Notat Simonianos, Iudæos, Philosophos, omnesque Gentilium sectas & scholas: quæ omnes multas docent hæreses & errores, vt nusquam puram putam inuenire sit veritatem, nisi in Christi schola & Euangelio.

SICVT ET IN VNIVERSO MVNDO EST] Id est, in præcipuis totius mundi partibus & prouinciis est hoc verbum, siue prædicatio Euangelij.

COGNOVISTIS GRATIAM DEI IN VERITATE] Vatablus, *per veritatem*. Secundò & melius, *in veritate*, id est, verè vel verissimè cognouistis gratiam redemptionis, iustitiæ & salutis, quam nobis Deus exhibuit per Christum. Sic enim Hebræi aduerbia explicant per præpositionem *in* cum nomine ablatiui casus, vt, *sentite de Domino in bonitate*, Sapientiæ c. 1. 1. id est benè, rectè & verè sentite de Deo, eiusque prouidentia, iustitia, clementia, ceterisque attributis; non malè & impiè cum Epicureis & Atheis. Sic Hebræi dicunt בֶּאֱמֶת *beemet*, id est in veritate, id est verè.

SICVT DIDICISTIS AB EPAPHRA CONSERVO NOSTRO Vocat Epaphram conseruum suum, quia secum seruiebat Christo in prædicando & propagando Euangelio. Vnde explicans subdit, QVI EST FIDELIS PRO VOBIS MINISTER CHRISTI] Sic enim Apostolus initio epistolæ ad Philippenses & ad Titum se & Timotheum vocat *seruos Iesu Christi*. Secundò, Epaphras missus videtur à Colossensibus ad Paulum, vt ei in vinculis seruiret. Hinc vocat eum seruum Ecclesiæ Colossensium: suum verò non seruum, sed *conseruum*, modestiæ & humilitatis studio; quia vterque seruiebat Christo & Ecclesiæ.

QVI EST FIDELIS PRO VOBIS MINISTER CHRISTI IESV] q.d. Epaphras minister est Christi pro vobis, scilicet docendis, vt nimirum vos in Christi fide, doctrina ac moribus promoueat. Secundò, pro vobis Colossensibus, inquit Theophyl. Epaphras in rebus ad Christum pertinentibus ministrauit; cùm videlicet ad Paulum abiit, eumque consolatus est in vinculis, cumque indicauit ei res Colossensium, eique in carcere seruiit.

QVI ETIAM MANIFESTAVIT NOBIS DILECTIONEM VESTRAM (quam habetis erga me & omnes Christianos, vt dixit v. 4.) IN SPIRITV] id est spiritalem, quæ sola vera, firma ac solida est dilectio; vt fusè ostendit hîc Chrysost. VERS. 8.

Secundò, *dilectionem in spiritu*, id est à Spiritu sancto, qui in vobis est, non autem à carne manantem. ita Anselmus. vt sit enallage Hebræa. quabet, id est *in*, sæpè ponitur pro בְּ *min*, id est à, ex, de. Vnde Vatablus sic explicat, *dilectionem in spiritu*, id est, ad quam nos non caro sed spiritus Dei incitat. *Dilectio in spiritu tria significat.*

Tertiò, *in spiritu*, id est, ex intimis animi penetralibus, ipsoque; intimo mentis spiritu profectam. VERS. 9.

IDEO ET NOS EX QVA DIE AVDIVIMVS (vestram fidem & dilectionem, vt dixit v. præced. & v. 4.) NON CESSAMVS PRO VOBIS ORANTES ET POSTVLANTES (id est orare & postulare est græcismus) VT IMPLEAMINI AGNITIONE VOLVNTATIS EIVS] qua Deus voluit & decreuit nos sibi reconciliare, iustificare & saluare per Christum, non per angelos. *Neque omnino imperfectos*, (ait ex Chrysostomo Theophyl.) *neque omnino perfectos per hæc significat. Non enim dixit, Vt accipiatis; verùm, Vt impleamini. Habetis enim, sed nondum totum. Et quòd reconciliati fitis, agnouistis quidem: quòd verò per filium Dei, hoc deest vobis, nec satis nostis: quare oro hoc impleri in vobis. Voluntas enim & Dei beneplacitum est, quòd Filium suum pro nobis dederit, non angelos. Agnitionem igitur, cognitionis additionem intellige.*

IN OMNI SAPIENTIA ET INTELLECTV SPIRITALI] Deceperunt, inquit Chrysost. vos philosophi, & Simoniani sua sapientia humana & carnali: ego huic oppono & opto vobis sapientiam & prudentiam spiritalem.

VT AMBVLETIS DIGNE DEO PER OMNIA PLACENTES] Græcè εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, q.d. In omnem placentiam, &, vt Ambrosius, ad omne placitum. Vnde patet τὸ *Deo*, vel, vt græcè est, Domino, tam pertinere ad τὸ *ambuletis dignè*, quàm ad τὸ *per omnia placentes* In Græco enim est vna sententia (non duæ) in qua verba posteriora determinant priora: ὡς ἄξιως τοῦ κυρίου εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, id est, vt ambuletis dignè Deo in omnem placentiam. Significat enim Paulus, dignè Deo ambulare, non esse aliud quàm Deo per omnia placere: ita vt illi ambulent dignè Deo, qui quasi fideles & morigeri serui Dei, quasi summi sui Domini placitum & voluntatem in omnibus explent. Quomodo verò Dei placitum & voluntatem expleamus, ac consequenter, quomodo dignè Deo ambulemus, explicat Apostolus dum subdit: *In omni opere bono fructificantes*, & cetera quæ subiicit, quæque sibi placita à nobis exigit Deus. VERS. 10. *Dignè Deo ambulare est Deo per omnia placere.*

IN OMNI VIRTVTE CONFORTATI] Pro *virtute* græcè VERS. 11.

græcè est δυνάμει, id est potentia, robore, fortitudine. Vnde Vatabl. vertit, *omni robore corroborati.*

SECVNDVM POTENTIAM CLARITATIS (græcè δόξης, id est gloriæ) EIVS] Id est secundùm potentiam claram & gloriosam Dei, qua vos, ô Colossenses, communiri est opus, cùm insurgunt hæreses & persecutiones.

Notâ. Pro *potentiam* græcè est κράτος, quod non tantùm potentiam roboris, sed & imperij, siue potens, validum & prædominans imperium significat. Secundò, potentia gloriæ significat potentiam maximam & robustissimam, quæ apud omnes celebris est & gloriosa. q.d. Vbique Dei gloria dominatur, vbique Dei potentia imperat. Nihil ergo formidate, roborabit vos ac potentes faciet Dominus ille potentissimus omnibus imperans, cui seruitis. ita Theophyl.

VERS. 12. IN OMNI PATIENTIA ET LONGANIMITATE, CVM GAVDIO, GRATIAS AGENTES DEO PATRI] Hîc declarat, virtutem & robur, qua eos iam optauit per Dei potentiam corroborari, sitam esse in patientia & longanimitate: vt in omnibus aduersis patientes sint, gaudeant gratiasque agant Deo. Id clariùs significant Græca, εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν. Vnde clarè hunc locum ita vertit Vatablus, *omni robore corroborati iuxta potentiam gloriæ illius ad omnem tolerantiam ac patientiam, cum gaudio gratias agentes Patri.* Hinc patet veram fortitudinem & robur Christianorum præcipuè situm esse in patientia, in eaque maximè se ostendere Dei diuinæq; gratiæ potentiam. Longè enim difficilius est dura & fortia pati, quàm fortia agere. Vnde Prouerb. 16. 32. dicitur, *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Idque patet in Martyribus, in quorum patientia omnium confessione summa fuit fortitudo. Hinc S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 41. & Chrysost. homil. 85. in Matth. multis ostendunt fortitudinem magis in tolerando quàm in vincendo consistere. *Fortia agere Romanum est*, aiebat Scæuola; sed *fortia pati Christianum est.*

Vera fortitudo consistit in patientia.

Notat ex Chrysostomo Theophyl. patientiam respicere tyrannos, & hostes Ecclesiæ: longanimitatem fratres siue Christianos. *Est enim*, inquit, *aliquis longanimis erga eos quos vlcisci possit: patitur autem & sustinet eos, quos non potest vlcisci. propterea & de Domino non dicitur ὑπομονὴ seu patientia, sed longanimitas, vt qui possit quidem quos velit exscindere, tolerat tamen.*

CVM GAVDIO GRATIAS AGENTES DEO PATRI] Hæc est perfectio, hic apex patientiæ & longanimitatis, si non tantùm patienter, sed & cum gaudio feras quæuis dura & aduersa: imò gratias agas Deo. Materiam verò & causam qua se quisque Christianus ad gaudium & gratiarum actionem excitet, subiicit dicens:

QVI DIGNOS NOS FECIT IN PARTEM SORTIS SANCTORVM IN LVMINE] *Qui*, scilicet Deus, nos sine nostro merito, imò indignos, & malè de se meritos, sola sua gratia, præ multis quos neglexit, quasi sortitò retulit *in partem*, id est participationem, *sortis*, id est hereditatis, *sanctorum*, quæ sita est *in lumine* Euangelij, quod Christus nobis è cælo attulit.

Sors duo significat. Primò, casum; Secundò, hereditatem.

Nota. *Sors* significat statum & conditionem, quæ cuique sorte vel fortuitò obtingit: sic vulgò dicitur, Hæc est sors mea, hæc conditio, hæc fortuna mea. Sic ait Psaltes psalm. 30. 16. *In manibus tuis sortes meæ.* q.d. Casus, euentus, vicissitudo, & status rerum mearum, vti diuitiæ & paupertas, seruitus & principatus, pax & bellum, ait Theodor. quæ mihi vicissim & fortuitò accidunt, non à fortuna, sed certa tua prouidentia & gubernatione, ô Domine, reguntur, mihique obueniunt. Vnde hebraicè est, In manibus tuis עִתֹּתַי *ittotai*, id est tempora mea, id est vicissitudo temporum, putà tempora & dies iam prosperitatis, mox aduersitatis; iam vitæ, iam mortis, in Dei sunt potestate & prouidentia. Sic Sapient. 2. 9. dicunt impij, *Hæc est sors nostra.* & contrà de piis c. 5. 6. dicitur, *Inter sanctos sors illorum est.* Ita hîc accipi potest sors. q.d. *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*, id est, qui nos dignatus est sorte, conditione & statu sanctorum, vt in album sanctorum nos referret.

Quomodo sors dicatur esse in manu Dei

Secundò & significantiùs, *sors* idem est quod hereditas. Olim enim, vti & iam sæpè, hereditates inter heredes sorte diuidebantur. Inde *sors* dicitur portio hereditaria, quæ cuique sorte obtingit. Sic dicitur psal. 77. 55. *Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis*, id est per funiculum quo terram dimetiebatur, & cuique tribui suam partem distribuebat. Sic Michææ 2. v. 5. dicitur, *Mittens funiculum sortis.* Multò magis hereditas Sanctorum vocatur *sors*: quia nulli hominum ad eam ius habebant, cùm tamen inter homines qui heredes sunt, ius habeant ad hereditatem, cuius sunt heredes. Vnde Ephes. 1. 11. dixit Apostolus nos sorte vocatos ad fidem & gratiam Christi. Hereditas ergo hæc Sanctorum dicitur *sors*: quia hominibus sine merito, gratis & quasi sortitò obtingit. *Non video* (ait S. Augustin illud psal. 30. *In manibus tuis sortes meæ*) *vllum meritum, quo de vniuersa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem: ad tunicam Domini sorte perueni.* Sicut ergo gratis Deus Pater per Christum nos sibi adoptauit in filios, ita & in heredes suos, coheredes autem Christi.

Cur Angelorum Sanctorum vocatur sors?

Nota Secundò. Hæc sors & hereditas Sanctorum sita est, vt sequitur, *in lumine.* Licet enim aliqui per τὸ *in lumine* putent significari modum & rationem qua ad hanc hereditatem venimus, scilicet per lumen fidei: tamen planiùs & magis genuinè τὸ *in lumine* significat situm & conditionem huius hereditatis, scilicet eam positam esse in lumine Euangelij, quod Christus nobis è cælo attulit. Hanc enim sortem luminis Euangelici opponit sorti & potestati tenebrarum, è qua nos eripuit Christus, vt ait v. seq. Et hoc lumen Euangelij maximum est Dei donum & bonum. Vnde paulò superiùs v. 9. dixit: *Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu.* & v. 10. *Vt ambuletis dignè Deo*, &c. *crescentes in scientia Dei.* Hinc & S. Iohannes cap. 1. hanc lucem inculcat, eaque quasi maximè insigni emblemate Christum exornat. *In ipso*, inquit, *vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet.* &, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod ergo hic Paulus dicit, Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, idem est cum eo, quod ait Petrus 1. epist. 2. 9. *Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.*

Sors nostra sita est in lumine, quia licet Euangelij.

Per *lumen* ergo accipit cognitionem Dei, Christi, iustitiæ, gratiæ, virtutum & salutis, quam accepimus

pimus per Christi Euangelium & fidem : quæ cognitio quasi radix & mater gratiam, iustitiam, omniaque cetera dona & bona spiritalia, quæ Christus attulit, quæque in Christi Ecclesia participamus, complectitur.

Primò hanc dilectionem primùm secundò gloria.

Nota Tertiò. Hoc lumen, & hanc cognitionem inchoatè accipimus in hac vita, sed perfectionem eius accipiemus in beatitudine cælesti, cuius conscripti sumus heredes, illamque hereditatem cælestem in hac vita per spem & gratiam quasi per quemdam prægustum delibamus & inchoamus. Sensus ergo huius loci completus hic est. Deus fecit nos dignos per baptismum & christianismum, vt iam hîc viuentes in Ecclesia habeamus partem & participationem sortis & hereditatis sanctorum, quæ radicaliter sita est in lumine fidei & cognitionis Dei, vtque per fidem & gratiam hîc inchoemus & participemus sortem & hereditatem Sanctorum, id est Beatorum, quæ sita est in lumine, id est, visione Dei & gloria cælesti, quam reipsa participabimus post hanc vitam ; cùm reipsa in sortem & album Sanctorum ac Beatorum referemur. ita Chrysost. Theophyl. Anselmus. Denique S. Dionysius per *lumen* accipit baptismum, q.d. In lumine, id est, in baptismo: hic enim græcè vocatur φῶς & φωτισμός, id est lux & illuminatio : quia eo baptizati per fidem illuminantur. ita ipse de Eccles. Hierarch. cap. de Baptismo.

13. QVI ERIPVIT NOS DE POTESTATE TENEBRARVM, ET TRANSTVLIT IN REGNVM FILII DILECTIONIS SVÆ] Nota. *Tenebras* vocat tum ignorantiam, infidelitatem, aliaque peccata; tum infernum, qui inde consequitur; tum diabolum, qui his omnibus præsidet. ita Chrysost. & Theophyl. Opponit enim regnum Christi quasi regnum lucis, regno & potestati tenebrarum, id est diaboli. Sic enim diabolus vocatur *princeps tenebrarum* Ephes. 6. 12. Lucæ 22. 53. q.d. In gentilismo dominabantur vobis tenebræ, scilicet ignorantia, idololatria, omniaque scelera, ipseque princeps tenebrarum diabolus. Sed Deus ab hoc dominio & tyrannide tenebrarum vos eripuit, & transtulit in regnum Christi lucidissimum, vt iam non regnet in vobis dæmon, peccatum, aut tenebræ; sed Christus vnicus Dei filius, qui est vera lux mundi, quique per Euangelium suum lætissimum lucis regnum mundo inuexit, facitque nos regni sui socios, imò reges.

Vnde moraliter S. Chrysost. *Quid dicis*, inquit, *homo? Ad regnum vocatus, ad regnum filij Dei, & oscitabundus es totus, ac desidum more scalpis ac torpes? Si namque singulis diebus vel in mille mortes insiliendum fuisset, an non omnia ferre oportebat? Atqui principatus gratia nihil non faceres, cùm verò consors futurus sis regni Vnigeniti Dei, non obicies te vel mille gladiis? non insilies in ignem? At tu luges etiam quòd abiturus hinc es, & præsentibus libenter immoraris plus æquo corporis curam agens. Quidnam hoc est? & mortem etiam horrendum quid esse putas. Horum verè causa sunt deliciæ & vitæ remissio. Alioqui qui vitam viuit acerbam, auolare quoque vellet, & ab hac vita liberari.* Deinde apposita similitudine pullorum idipsum declarat, dicens : *Nunc verò idem patimur quod euenit & auium pullis pigrescentibus, semperq; in nido manere cupientibus. Illi quanto diutius hæserint, tanto redduntur imbecilliores. Nidus enim quidam est præsens hac vita ex festucis & luto compactus. Etsi magni-*

Cornel. in Epist. Pauli.

ficas mihi ostenderis ædes, etiam ipsas regias auro multo & lapidibus pretiosis splendidas ; nihil tamen illas ab hirundinum nidis differre putabo. Ingruente namque hieme cadent omnia sponte sua.

FILII DILECTIONIS SVÆ] Non quasi Filius per voluntatem, amorem & dilectionem æquè atque per intellectum & intellectionem procedat à Patre, sitque idem cum Spiritu sancto; vt voluit Sabellius : sed hebraismo *Filij dilectionis*, id est, Filij sui dilecti. ita Syrus, Chrysost. Theophyl. id est veri, proprij, & vnici Filij sui, vnicèque dilecti, ait Theodoret. Sic Prouerb. 5. v. 19. loquens Sapiens de vxore, quam quis in adolescentia duxit: *Sit tibi chara*, inquit, *quasi* אַיֶּלֶת אֲהָבִים וְיַעֲלַת חֵן *ajelet ahabim veiaalat chen*, id est, cerua amorum & hinnulus gratiæ. quod Noster clarè vertit, *cerua charissima, & gratissimus*, vel *gratiosissimus hinnulus.* *Filius dilectionis est Filius dilectus.*

B Nota. Hæc iisdem penè verbis dicit ad Ephes. 1. v. 6. vbi ait, *In qua gratificauit* (pro quo hîc habet, *transtulit in regnum*, vt scilicet Christus regnet in nobis per gratiam) *non in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum.*

REDEMPTIONEM ET REMISSIONEM PECCATORVM] *Et* significat *id est*. Redemptio enim nostra à seruitute peccati reipsa non est aliud quàm remissio peccatorum, vt dixi ad Ephes. 1. 7. VERS. 14.

QVI (Filius) EST IMAGO DEI (Patris) INVISIBILIS] Nam Filius est Verbum Patris, Patri omnino simile & æquale, adeoque eiusdem planè cum Patre essentiæ. Vide dicta de imagine 2. Corinth. 4. 4. VERS. 15.

PRIMOGENITVS OMNIS CREATVRÆ] Ergo, inquiunt Arriani, Christus est creatura, omnisque creatura Christi soror est. Primogenitus enim C inter fratres & sorores dicitur, qui ante omnes fratres & sorores genitus est ; siue, qui primus est frater. Sed respondent Theodor. & Ambrosius, non dici hîc Christum πρωτόκλητον, id est primò creatum, sed πρωτότοκον, id est *primogenitum*: generatio ergo Filio conuenit, creatio verò creaturis: quantum ergo generatio diuina excellit creationem, tantùm Filius excellit creaturas. Secundò, Christus vers. sequ. dicitur opifex omnis creaturæ ; ergo non est creaturarum frater. Primò ergo S. Anselmus, commentarius Hieronymo asscriptus, & Concilium Sardicense accipiunt hæc verba de Christo vt homo est: nimirum quòd Christus vt homo est, omnis creaturæ sit primogenitus, non tempore, sed honore : quia Christus vt homo, finis est, quem Deus primò intendit, & D propter quem omnia creauit. Hæc explicatio probatur Primò, quia Christus vt Deus, non est primogenitus, sed vnigenitus: ergo primogenitus esse nequit, nisi qua homo est. Secundò, quia Christus vt homo caput est Ecclesiæ: atqui Paulus agit hîc de Christo, prout caput est Ecclesiæ, vt patet v. 18. Ergo Christum vocat *primogenitum* non qua Deus, sed qua homo est.

Obiectio Arrianorum soluitur.

Christus est primogenitus omnis creaturæ, Primò, qua homo est.

Verùm hæc melius & magis genuinè accipies de Christo vt Deus est. Hoc enim versu Christi dignitatem ex eius diuinitate describit. Vnde ait, *Ipse est ante nos, & in ipso*, id est per ipsum, *omnia* (ergo etiam angeli) *constant*, id est consistunt & conseruantur, sicut ab eodem creata sunt. Primogenitus ergo hîc, sicut & Matth. 1. v. 25. idem est quod vnigenitus. Dicitur verò Christus primogenitus; quia primò, putà ante omnem crea-

Secundò, & potius, quia Deus est.

turam, est genitus. Vult ergo dicere Paulus, Christi generationem priorem esse omni creaturarum creatione, nec Christum angelis esse iuniorem, vt docebant Simoniani. q.d. Christus vti tempore, ita & dignitate, causalitate, rerumque omnium productione excellit omnes ennæas, potestates, βάθη, æones, angelos Simonianorum, Valentini & aliorum Nouatorum: ac consequenter non angeli, sed Christus vnus est redemptor ac mediator noster. ita Theophyl. Ambros. Theodoret. Et patet ex sequentib. subdit enim, *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra.* Vide Epiphan. in hæresi Basilidis, Simonis, & Menandri.

Ennee & æones Valentini perstringuntur hic à Paulo.

A

VERS. 16. IN IPSO CONDITA SVNT VNIVERSA] *In ipso*, id est per ipsum. Vnde per repetitionem idipsum explicans & confirmans subdit, *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt.*

B

VISIBILIA, ET INVISIBILIA] Docebant Platonici, & ex eis Simon Magus, Menander, Saturninus, & alij Simonis asseclæ, Deum creasse angelos: angelos verò creasse homines & mundum. Contra hos docet Apostolus tam inuisibilia quàm visibilia, id est tam angelos quàm homines, à Filio esse creatos.

Angeli non crearunt mundū, sed Christus.

DOMINATIONES] Id est dominantes.

PRINCIPATVS] Id est principes, vel principatum gerentes.

POTESTATES] Id est potentes & potestate præditi. Abstracta ponuntur pro concretis. Sunt enim hæc nomina angelorum. Vide dicta Ephes. 1. v. 21.

Angeli vocantur dominationes, id est dominantes; potestates, id est potentes.

OMNIA PER IPSVM, ET IN IPSO CREATA SVNT] Pro *in ipso* græcè est εἰς αὐτὸν, id est in ipsum, putà ad ipsius gloriam, creata sunt omnia. ita Vatablus. Verùm sæpè εἰς capitur pro ἐν, id est *in ipsum*, pro *in ipso*. & ita accipiunt hic Græci. Vnde Secundò, Anselmus, *per ipsum*, inquit, quasi causam efficientem cum Patre creata sunt omnia. Filio enim, quia à Patre procedit, tribuitur operatio quasi medians, quam significat præpositio *per*. *In ipso*, scilicet quasi in Verbo, idea & sapientia, creata sunt omnia. Sed hoc sensu melius diceretur, per ipsum, scilicet tamquam Verbum & Sapientiam, creata esse omnia. Vnde Tertiò & optimè, τὸ *in ipso* significat immensitatem Filij, scilicet Filium esse vbique per essentiam, præsentiam & potentiam, adeò vt extra se nihil creare vel agere possit, sed omnia quæ creat & agit, in seipso creet & agat. Hæc enim est perfectio immensitatis diuinæ, vt cùm sit vbique, omnia occupet & repleat; nihil foris vel eminus, sed omnia intra se, & intra ambitum essentiæ suæ agat & faciat. Deus ergo intimè rebus omnibus à se creatis est præsens; resque omnes creatæ ab hac intima Dei præsentia ita pendent, conseruantur & gubernantur, sicut corpus & vita corporis pendet à præsentia animæ. Vnde Plato dixit Deum esse animam mundi. Et Sapiens Sap. 1. 7. *Spiritus*, inquit, *Domini repleuit orbem terrarum, & hoc* (hic scilicet Spiritus, vt legit Augustinus. Nam τὸ *hoc* respicit Græcum πνεῦμα, quod est neutrum) *quod continet omnia, scientiam habet vocis.* q.d. Cauete à murmure & detractione, quia Spiritus sanctus, qui omnia continet, id est per suam essentiam, præsentiam, potentiam ambit, tenet & conseruat omnes creaturas, omnia audit. Omnes enim voces tum oris, tum mentis fiunt intra ambitum complexumque Spiritus sancti, non foris. Quare illum nihil latere potest, ne vel tenuissimum murmur, sed omnium vocum & sermonum scientiam & cognitionem habet. Hinc omnia dicuntur esse & consistere in Spiritu sancto, sicut omnia dicuntur esse & consistere in Patre & Filio. Et hoc est quod cecinit poëta:

Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt

C

Omnia sunt creata in Christo simpliciter.

Spiritus intus alit, totamq́; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Sicut enim anima est in corpore: ita vicissim corpus est in anima, & longè magis. Non enim anima à corpore, sed corpus ab anima intimè pendet, consistit, conseruatur & viuificatur. Pari modo & Deus est in mundo, & vicissim multò magis mundus ipse est in Deo, quia à Deo Deique præsentia intimè pendet, & in suo esse conseruatur ac consistit. Sic ergo in Filio, id est intra ambitum & complexum Filij, intra sphæram essentiæ & præsentiæ Filij, creata sunt omnia, ideoque, vt sequitur, in eo omnia constant, id est conseruantur & consistunt: adeò vt si Filius & Deus suam essentiam & præsentiam ab vniuerso subduceret, totum vniuersum euanesceret, sicut radij, euanescunt, cùm sol se subducit; & vita corporis euanescit, cùm à corpore anima se subducit. ita Chrysost. & Theophyl.

Quomodo mundus sit in Deo, Deique Filio.

Id ipsum declarat S. August. libr. 7. Confess. cap. 5. pulchra similitudine, qua Deum comparat mari; vtpote qui totum mundum in se æquè vt mare spongiam contineat. *Intueor*, inquit, *te Domine omni ex parte mundi hanc massam ambientem & penetrantem, sed vsquequaque infinitum: tamquam si mare esset vbique, & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen, plena esset vndique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam.* Pari modo ab aliis Deus dictus est adamas quidam maximus & pulcherrimus, totum mundum in se continens & complectens.

Sicut spongia est in spongia, sic mundus est in Deo.

Deus est adamas mundi.

Nota. Ne, cùm dixit *per ipsum*, quispiam cum Arrio intelligeret per Christum quasi ministrum omnia esse creata, addidit Apostolus, *in ipso*: vt significet Filium consortem imperij, immensitatis, potentiæ & essentiæ paternæ.

D

ET IPSE EST ANTE OMNES] Thronos, Dominationes, Potestates, &c. Posset Secundò, Græcum πρὸ πάντων, verti, ipse est ante omnia. Respicit enim τὰ πάντα, id est omnia, quæ v. præced dixit in Christo esse creata & condita: sed maximè intendit Apostolus opponere & anteponere Christum angelis, quos Christo præponebant Simoniani.

VERS. 17.

ET IPSE EST CAPVT CORPORIS ECCLESIÆ] Hactenus egit de Christo vt Deo, eiusque diuinitatem ostendit: iam agit de Christo vt homo est, & Christi hominis dignitatem ostendit. Christus enim qua homo est, non qua Deus, est propriè caput Ecclesiæ. Vide dicta Ephes. 1. 22.

VERS. 18.

QVI EST PRINCIPIVM] Primò, Christus, qua Deus, omnium rerum est principium, ait Anselmus. Sed hoc versu non agit Apostolus de Christo qua Deus, sed qua homo est caput Ecclesiæ, vt dixi.

Secundò ergo melius Chrysost. Theodoret. Theophyl. Ambrosius, Vatabl. Christus est principium, id est fons, dux & auctor, resurrectionis & resurgentium ex mortuis; vt τὸ *principium* æquè

ac

ac τὸ *primogenitus* pertineat ad τῶν *ex mortuis*. Imò Vatablus & Erasmus sic vertunt, *qui est principium primogenitorum ex mortuis*. q. d. Primum principium, fons & auctor resurrectionis ex mortuis est Christus.

Tertiò & optimè, Christus, qua homo est caputque Ecclesiæ, est *principium*: Primò, situ: quia super omnes cælos eleuatus quasi primus & summus consistit. Secundò, dignitate. Vnde Cyrillus, *principium*, inquit, id est princeps & præcipuus. Græcum enim ἀρχὴ, tam principatum quàm principium significat. & sic *principium* pro principatu capitur psalm. 109. 3. *Tecum* (ô Christe) *principium* (hebraicè נְדָבוֹת *nedabot*, id est principatus) *in die virtutis tuæ*. Tertiò, Christus est *principium* tempore & causalitate. Ipse enim sibi corpus, id est Ecclesiam, fecit & formauit, in eaque & in nobis, qui Ecclesiæ membra sumus, omnium virtutum & bonorum operum principium est & causa. ita Anselmus.

Quæres, An eodem sensu Christus se vocet *principium* Iohannis cap. 8. v. 25. cùm interrogantibus eum Iudæis, *Tu quis es?* respondit, *Principium qui* (vel, vt legunt nonnulli cum Græcis *quod*) *& loquor vobis*. Respondet S. Augustinus in citatum locum Iohannis, Beda, Rupertus & Ambrosius libr. 3. de Fide cap 4. Christum se vocare principium, q. d. Ego sum primus & nouissimus: vel sum principium omnium rerum, per quod facta sunt omnia. Verùm sic *principium* esset nominatiui casus, & græcè legendum esset ἀρχή. Iam autem constat *principium* apud Iohannem esse accusatiui casus: ita enim habent constanter Græca & Græci, scilicet, τὴν ἀρχήν. quomodo LXX. vertere solent Hebræum בְּרֵאשִׁית *bereschit*, id est in principio. Intelligitur enim præpositio κατὰ, quasi dicat, Secundùm principium, à principio. Secundò ergo, veriùs & planiùs, principium apud S. Iohannem idem est quod à principio, & subauditur verbum, *sum*. q. d. Ego sum à principio, sum ab æterno ante Abraham, vt ait ibidem v. 58. sum æternus, Deus verus de Deo vero, *qui & loquor vobis*. q. d. Qui etiam hoc ipsum vobis annuntio. Noster interpres legit ὅς, id est qui: iam Græca legunt ὅτι, id est quod. q. d. Sum à principio, quod ipsum loquor & altero vobis. Tertiò, Nonnus & Maldonatus hæc verba traiiciendo sic interpretantur. Ego sum is, vel id, qui vel quod à principio vobis loquor, & iampridem prædico, me scilicet esse Messiam, quem si velletis audire, iampridem ex verbis & factis meis me illum ipsum esse cognoscere potestis. Sed hæc est traiectio insolita. Adde, hunc sensum, & hanc responsionem nihil habere eximij sed esse humilem & repere. Quare secundus sensus sublimior, Christoque dignior ac verior est. Alio ergo sensu Christus seipsum, alio Paulus Christum vocet hîc *principium*.

PRIMOGENITVS EX MORTVIS] Id est primò resurgens ex mortuis ad vitam immortalem. Vbi Nota Primò. Resurrectio est & dicitur tam hîc quàm alibi regeneratio: quia perinde hominem mortuum vitæ restituit, ac si rursum eum generaret. ita Chrysost. & Theodoret. Secundò, licet aliqui ab Elia & Elisæo resuscitati resurrexerint ante Christum: tamen Christus dicitur primus resurgentium, quia resurrexit ad vitam immortalem numquam amplius moriturus: illi verò resurrexerunt ad vitam immortalem rursum morituri. vti de facto rursum mortui sunt. Vide dicta 1. Corinth. 15. 20.

VT SIT IN OMNIBVS IPSE PRIMATVM TENENS] q. d. Vt tam in rerum genesi, quàm in παλιγγενεσίᾳ & regeneratione, id est, tam in prima rerum creatione quàm in resurrectione Christus primas teneat (hoc enim significat Græcum πρωτεύων.) quia sicuti Christus qua Deus est, ante omnes & omnia, omniaque in Christo creata sunt & constant; vt dixit v. 16. ita Christus, qua homo, est primogenitus ex mortuis, dux & princeps resurrectionis.

Secundò, hæc aliter interpretatur Anselmus: Christus, inquit, primus est resurgentium, vt in omnibus Sanctis tam prioribus quàm sequentibus teneat primatum dignitatis, potentiæ & sanctitatis, sed prior sensus vti magis est genuinus, ita magis est illustris & amplus.

QVIA IN IPSO (Christo) COMPLACVIT (Patri) OMNEM PLENITVDINEM INHABITARE] Ita legunt passim Latina, Græca, Syra, omnesque interpretes. Tollenda ergo est vox *diuinitatis*, quam quidam hîc addunt. Sensus est, q. d. Voluntas & beneplacitum Dei Patris fuit, vt in Christo Filio inhabitaret omnis plenitudo, id est, omnis perfectio tum sapientiæ, tum gratiæ, tum potestatis, tum denique ipsius diuinitatis: inhabitaret, inquam, non tantùm per vim & operationem, sed etiam per seipsam, suamque essentiam. ita Theophyl. & Anselm. VERS. 19. *Quadruplex plenitudo inhabitat in Christo.*

Secundò, aliter Theodor. *Plenitudo*, inquit est Ecclesia, quæ Dei donis impletur, quæque Christi quasi capitis sui corpus implet & perficit; vti dixit Ephes. 1. 23 Hæc in Christo inhabitat, id est Christo coniuncta est, sub Christi tegmine & protectione quasi tabernaculo tegitur, Christique ductum ac leges sequitur, sicuti mota domo vel naui omnes qui in ea habitant vel sunt, illius motum sequuntur.

Verùm quia Apostolus non dicit plenitudinem simpliciter, quomodo vocauit Ecclesiam Ephes. 1. 13. sed *omnem plenitudinem*, nec explicat plenitudinem hanc esse Ecclesiam, vti explicuit ad Ephes. 1. hinc simpliciùs & planiùs accipiemus plenitudinem priore sensu iam dato. Hæc enim est causa, cur Christus in omnibus primatum teneat, vti præcessit.

ET PER EVM RECONCILIARE OMNIA IN IPSVM] *Omnia*, id est, omnes homines omnium temporum, nationum & locorum, qui in hac vita quasi viatores degunt. Perperam ergo hinc colligebat Origenes, fore aliquando, vt damnati homines, & dæmones Deo reconcilientur & saluentur. VERS. 20.

Nota Pro *in ipsum*, græcè est εἰς αὐτὸν, quod Vatabl. vertit, *erga* se: planiùs alij, εἰς αὐτὸν, id est, inquiunt ἑαυτὸν, id est sibi, vt sit hebraismus: Hebræi enim pronomen absolutum sumunt pro reciproco. ita Theophyl. *In ipsum, id est sibi.*

PACIFICANS PER SANGVINEM CRVCIS EIVS, SIVE QVÆ IN TERRIS, SIVE QVÆ IN CÆLIS SVNT] Latina syntaxi melius diceretur *pacificando*: nam *pacificans* latinè non cohæret congruè cum *complacuit*; cum quo tamen cohærere debet, & in Græco cohæret. q. d. Complacuit Deo Patri sibi omnes reconciliare pacificando per sanguinem, quem in cruce fudit Christus, tam ea quæ in terris, quàm ea quæ in cælis sunt, id est, tam homines

quàm angelos. quod alia phrasi dixit Ephes. 1. 10. ita scribens, *Proposuit omnia instaurare in Christo quæ in cælis, & quæ in terra sunt.*

VERS. 21. ET VOS CVM ESSETIS ALIQVANDO ALIENATI, ET INIMICI SENSV IN OPERIBVS MALIS] Pro *sensu* græcè est διανοίᾳ, id est mente & voluntate, id est, per mentem & voluntatem: licet Ambros. & Hieron. in epist. ad Iohan. Episcop. Hierosolym. διανοίᾳ in datiuo vertant, menti siue cogitationi, consiliis & sensui; hæcque referant non ad hominem peccantem, sed ad Deum, in quem peccatur. sic enim habet Ambros. *Et vos quondam alienatos & inimicos consiliorum eius in operibus iniquis*, &c. Hieron. verò sic, *Cùm essetis alienati & inimici sensus eius.* Verùm melius & planius Noster, Syrus & Græci vertunt in ablatiuo, mente, vel cogitatione ac *sensu*. q. d. Cùm abalienati essetis à Deo non fato, ait Theophyl. non necessitate, non sola originali labe: sed etiam propria voluntate & malitia auersi à Deo & aduersus Deum hostili animo, quod testificabamini operibus malis exteriùs blasphemando, inebriando, fornicando, &c. Aliter Syrus τὸ ἐν τοῖς ἔργοις, id est, *in operibus*, vertit *propter opera*. Sic enim habet, *inimici eratis mentibus vestris*, מִסִּטֵל עֲבָדֵיכוֹן *metul abadachun*, id est, *propter opera vestra mala*. Sed prior sensus planior & ordinatior est.

Quid διανοίᾳ.

VERS. 22. NVNC AVTEM RECONCILIAVIT IN CORPORE CARNIS EIVS PER MORTEM] *Eius*, id est suæ. est hebraismus, de quo dixi v. 20. Nota τὸ *in corpore carnis* habet epitasim, q. d. Nequis cum Simone dicat, Christum in corpore phantastico esse passum: aut cum Basilide dicat, pro Christo passum esse Simonem Cyrenensem, dico & assero Christum *in corpore carnis suæ*, id est, in corpore suo carneo, id est vero & proprio, esse passum & mortuum pro nobis.

Corpus carnis est corpus carneum, non spirituale, non phantasticum.

EXHIBERE (vt exhiberet) VOS SANCTOS ET IMMACVLATOS] ἁμώμους, id est, in quibus nec Momus ipse inueniat, quod carpat & reprehendat, vt dixi Ephes. 1. v. 4. Tertull. sæpiùs vertit, *inuituperabiles*.

ET IRREPREHENSIBILES, ἀνεγκλήτους, id est, vt Erasmus vertit, *incriminabiles*, siue inculpatos, CORAM IPSO] scilicet Deo Patre. Vatabl. & Syrus vertunt, *in conspectu suo*, *coram se*. Hebræi enim idem habent pronomen reciprocum quod absolutum.

VERS. 23. SI TAMEN PERMANETIS IN FIDE FVNDATI, ET STABILES ET IMMOBILES A SPE EVANGELII] Exigit constantiam tam in fide quàm in spe Christiana. Secundò, vocat *spem Euangelij* spem quam adfert & docet Christus per suum Euangelium: scilicet vt speremus per Christum bona non terrena, sed spiritualia & cælestia nos consecuturos. Posset etiam *spes* hîc metonymicè accipi pro bonis speratis, quæ pollicetur Euangelium.

QVOD PRÆDICATVM EST IN VNIVERSA CREATVRA QVÆ SVB CÆLO EST] Id est, in omnibus gentibus quæ sub cælo sunt. est synecdoche: nam genus, id est creatura, appropriatur nobilissimæ speciei, putà homini. Magnificentius autem & ardentius est dicere, *in omni creatura*, quàm *inter omnes homines*.

Quomodo Euangelium prædicatum dicatur omni creaturæ

Omnis creatura est homo, ait S. Gregor.

Subtilius ex S. Gregorio Anselm. omnis creatura, inquit, dicitur homo: quia homo cum omni creatura in aliquo participat; nam cum lapidibus participat esse vel existere, cum arboribus partipat vitam & vegetationem, cum animalibus sensum & motum, cum angelis rationem & intellectum. sed prior sensus magis plenus & genuinus est. Sic enim Christus Marci 16. 15. iubet prædicari Euangelium omni creaturæ, id est omni genti, quæ sub cælo creata est.

Nota. Est hîc hyperbole: necdum enim tempore Pauli omnibus omnino gentibus, putà Danis, Norwegis, Iaponibus, Sinis, Moscouitis, Tartaris, prædicatum fuit Euangelium.

Omnibus ergo, hoc est plerisque, permultis, penè omnibus, vel omnibus non in specie, sed in genere: quia scilicet prædicatum est gentibus tam Orientalibus, quàm Occidentalibus; tam Septemtrionalibus, quàm Meridionalibus: omnes enim gentes vel Orientales, vel Occidentales, vel Septemtrionales, vel Meridionales sunt.

Euangelium quasi fulgur per orbem.

q. d. Paulus, Euangelium non sola Iudæa se concluserit: sed instar fulguris ab Oriente ad Occidentem, à Meridie ad Septemtrionem plurimas gentes peruasit. Videte ergo, ô Colossenses, ne fidem mutetis, quæ à toto orbe iam recepta est, ac consequenter non auscultetis Simoni & Nouatoribus, qui aliam fidem, immò perfidiam inducunt.

VERS. 24. QVI NVNC GAVDEO IN PASSIONIBVS PRO VOBIS] q. d. Adeò certa est spes Euangelij, quam iam dixi, vt gaudeam pro ea, proque Euangelio inter vos diuulgando (vt huius spei participes vos faciam) quidvis pati.

ET ADIMPLEO EA QVÆ DESVNT PASSIONVM CHRISTI, IN CARNE MEA, PRO CORPORE EIVS, QVOD EST ECCLESIA] *Et* hîc causale est. tale enim est Hebræum vau, valetque idem quod *quia*. q. d. Gaudeo in passionibus meis, quia iis adimpleo ea quæ desunt passionibus Christi. Rursum Vatablus *passiones Christi* interpretantur passiones, quas propter Christum Paulus subibat: q. d. Multa iam passus sum propter Christum, multa adhuc mihi desunt & supersunt ferenda. Paratus sum autem reliquas eas afflictiones propter Christum pati in carne mea pro Ecclesia. Dicit autem *adimpleo*, vt notat commentarius Hieronymo asscriptus, vt significet se paratum esse vsque ad sanguinem & mortem hæc pati, sicut Christus ad mortem passus est, pro Euangelio.

Verùm hæ *passiones* non sunt passiones Christi, sed Pauli propter Christum; & si hoc voluisset Paulus, clarè dixisset, Adimpleo ea quæ desunt passionibus meis, quas patior propter Christum.

Propriè ergo *passiones Christi* vocat ea, quæ passus est Christus. ita Ambros. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Anselm. & alij passim. ac consequenter τὸ *in carne mea* non referendum est ad *ea quæ desunt*, sed ad *adimpleo*. q. d Patiendo in carne mea, adimpleo ea quæ desunt passionibus, quas passus est Christus in carne suâ.

Quomodo aliquid desit passionibus Christi.

Dices, Si deest aliquid passioni Christi: ergo passio & redemptio Christi non fuit plena, sed imminuta & insufficiens.

In secundo desit, sua nobis aliquid desit.

Respondeo, Nego consequent. Passio enim Christi in se fuit plena & sufficiens illique quoad valorem & pretij sufficientiam nihil defuit. Christus enim sua passione comparauit pretium sufficiens toti mundo redimendo, imò mille mundis redimendis: eidem tamen passioni aliquid defuit, &

& deest in nobis, nimirum communicatio & par A ticipatio passionis ac meritorum Christi; vt scilicet Christus non tantùm in se, sed etiam in suis membris, id est Apostolis aliisque fidelibus, similia patiatur, hacq; passione propagetur & perficiatur corpus eius, quod est Ecclesia. Æterno enim suo decreto statuit Deus, vt Christus non tantùm in se, sed etiam in suo corpore & membris, putà in Ecclesia & fidelibus, pateretur, & passione eorumdem consummaretur ac perficeretur; dum nimirum fideles quique patiendo participes fiunt & similes Christi patientis & crucifixi.

Vnde Nota Primò, cum Ambrosio, Chrysost. Theophyl. & aliis. Sicut mysticè vnum est corpus, vna anima & vita, ita & vna est passio Christi & Ecclesiæ, siue Christi & Apostolorum, Martyrum, omniumque fidelium, sicut eadem est passio capitis & corporis, siue capitis & membrorum. B Christus enim est caput, membra sunt Apostoli, aliique fideles. Vnde Christus Paulo Ecclesiam persequenti non ait, Quid Ecclesiam, sed quid me persequeris? Vide dicta 1. Corinth. 12. v. 27. Christus enim vti gratiam suam & patientiam, ita & passiones suas Apostolis, aliisq; fidelibus communicat: ac rursum sicut vno membro patiente patiuntur & compatiuntur cætera membra, & maximè caput; ita dum fideles patiuntur, Christus in iis patitur & compatitur.

Hinc Secundò, pro *ea quæ desunt* græcè est ὑστερήματα. quod mala fide, & perperam Beza cum commentario inscripto (sed falsò) S. Ambrosio vertit, *reliquiæ*: propriè enim ὑστέρημα Paulo & Græcis idem est, quod defectus, inopia, penuria; præsertim cùm iungitur cum verbo ἀναπληρῶ, id est adimpleo, suppleo: nec enim quis C supplet id quod reliquum est & abundat, sed tantùm id quod deest, vt patet 2. Corinth 8. 14. *Vestra*, inquit, *abundantia illorum inopiam* (græcè ὑστέρημα) *suppleat*. Et Philipp. 2. v. 30. *Vt impleret*, inquit, *id quod ex vobis deerat* (græcè τὸ ὑστέρημα) *erga meum obsequium*. Et 1. Thessal. 3. v. 10. *Compleamus*, inquit, *ea quæ desunt* (græcè ὑστερήματα) *fidei vestræ*. Vnde Chrysost. ὑστερήματα vertit, ἐλλείμματα, id est, ea quæ desunt; & Syrus vertit, ܚܣܝܪܘܬܐ *chasiruta*, id est defectum; ita & alij passim. Hoc etiam significat verbum *adimpleo*; & clariùs Græcum ἀνταναπληρῶ, quod, inquit Erasmus, compositum est ex tribus, scilicet ex ἀντὶ, quod significat vicem, cùm quis alterius loco aliquid facit. q.d. Paulus, Vt vicem Christo pro me passo reddam, id quod pro Christi Ecclesia patiendum restat, ego adimplebo & patiar in carne mea Secundò, componitur ex ἀνὰ, quod apud Latinos valet *re*, & πληρῶ, id est impleo. q.d. Re-impleo, siue rursum & frequenter impleo vice Christi quod in illius passionibus est diminutum & deficiens. Vnde pro *adimpleo* Syrus, Vatablus, Erasm vertunt, *suppleo*: q.d. Paulus, Christus quidem in se satis abundè passus est, vt nos redimeret, nobisque compararet commune lytrum, quo à peccato redimamur, si illud nobis applicetur: verùm vt hoc lytrum & hæc Christi passio hominibus præsertim infidelibus applicetur, multa adhuc desunt: nimirum oportet nos Apostolos peregrinari per totum mundum, docere omnes Gentes, monere, hortari, arguere, vt eas conuertamus; ideoque multa nobis dura & acerba patienda sunt; vti iam ego vincula hæc patior in carne, vt ea quæ desunt passionibus Christi in Gentium conuersione procuranda, ego adimpleam, multaque patiar pro corpore Christi, quod est Ecclesia, vt nimirum inter Gentes Ecclesia propagetur, crescat & perficiatur, passionisque ac redemptionis Christi planè fiat particeps. Quemadmodum, inquit Theophyl. si duce exercitus abeunte subimperator (id est, ducis vicarius) pro phalange dimicans in illius locum constitutus vulnera ipsius recipiat: ita Christo in cælos abeunte Apostoli in acie depugnantes pro eo vulnera recipiunt. ita Chrysost. quoque, Ambros. Theodoret Oecumen. Anselm. D. Thomas, & August. in psalm 61. & satis patet ex seqq. subdit enim Apostolus, *Cuius factus sum ego minister*, &c. *vt impleam verbum Dei*. & v. 27. *Quibus*, inquit, *voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti eius in Gentibus*. Gentibus ergo per multos labores & passiones prædicando verbum Dei, adimplebat ea quæ deerant passioni Christi pro Ecclesia.

Eleganter hunc Pauli locum pertractat S. August. in psalm. 86. *Vt adimpleam*, inquit, *quæ desunt pressurarum Christi in carne mea. Quid adimpleam? Quæ desunt? Cui desunt? Pressurarum Christi. Et vbi desunt? In carne mea. Numquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est Verbum Dei, natum ex Maria Virgine? Passus enim est quidquid pati deberet: & videtur quòd omnia. in cruce enim positus accepit acetum in vltimo, & ait: Perfectum est; & inclinato capite emisit spiritum. Quid est, Perfectum est? Iam de mensura passionum nihil deest: quia omnia quæ de me scripta sunt completa sunt. Ergo impletæ erant omnes passiones, sed in capite: restabant adhuc Christi passiones in corpore: vos autem estis corpus Christi & membra. In iis ergo membris cùm esset Apostolus, dixit: Adimpleo quæ desunt pressurarum Christi in carne mea.* Nam, vt idem ait in psalm. 61. sub initium, omnes passiones Christi & Christianorum ad vnam communem Christi & Ecclesiæ pertinent rempublicam.

Vbi Nota. Sicut multa desunt passionibus Christi, vt Gentes ad Christi fidem conuertantur, & passionis Christi fiant participes; quæ adimplent Apostoli, dum multa patiuntur in prædicatione Euangelij pro Ecclesia Christi propaganda, quod Primò & propriè hîc intendit Apostolus; ita multa desunt passionibus Christi, vt fidelibus iam conuersis pleniùs in dies & pleniùs passiones & satisfactiones illæ Christi applicentur. Sicut ergo quisque fidelis per opera satisfactoria quæ subit, applicat sibi satisfactionem Christi, vt satisfaciat pro pœna temporali peccatis suis debita: ita potest passionem & satisfactionem hanc suam Christi satisfactione nixam & mixtam, cùm ea ampliùs non indiget, vtpote omni culpa & pœna sibi iam condonata, alius applicare: hoc enim requirit communio sanctorum & bonorum operum, quæ est in Ecclesia. Et hoc sensu Paulus quoque adimplebat ea quæ deerant passionum Christi pro Ecclesia: quia passiones & satisfactiones sibi redundantes Paulus applicabat Ecclesiæ, vt per eas fidelibus, qui erant in Ecclesia, applicaretur satisfactio Christi, itaque satisfacerent pro peccatis suis, id est, pro pœna temporali, quæ culpa condonata eis luenda restabat. Hunc secundum sensum innuit quoque hisce verbis Paulus, vel certè illud ipsum ex prio-

Dupliciter adimplemus passiones Christi, Primò, prædicando Euangelium, Secundò, patiendo & satisfaciendo.

re sensu genuino iam dato argumentatione à pari facile est deducere & concludere: nam tam passiones hæ secundæ quàm primæ desunt passionibus Christi, & tam hæ secundæ quàm primæ adimplentur per passiones & satisfactiones Apostolorum, aliorumque Sanctorum, & tam per has secundas quàm per primas applicantur nobis passiones Christi. Denique tam hæ secundæ quàm primæ suscipiuntur pro Ecclesia Christi, immò magis secundæ quàm primæ: nam secundæ pro fidelibus, primæ pro infidelibus conuertendis suscipiuntur.

Hic locus accipi potest de thesauro Ecclesiæ, ex quo ipsa dat Indulgentias.

Hinc sequitur Tertiò, non malè Bellarminum, Salmeronem, Franc. Suarez & alios Doctores Catholicos, cùm tractant de Indulgentiis (quidquid occlamet hîc Beza) hæc generalia Apostoli verba extendere ad thesaurum Ecclesiæ, ex quo ipsa dare solet Indulgentias: hunc enim thesaurum voluit Deus constare meritis & satisfactionibus non tantùm Christi, sed & Apostolorum, omniumque Christi Sanctorum: vti definiit Clemens VI. extrauagante *Vnigenitus*. Idque fecit Deus duabus de causis; Prima, vt hac ratione Christum & Sanctos Christi honoraret, dum eos adscisçit in consortium satisfactionis Christi, qua Christus pro aliis satisfecit: sicut rex honorat suos duces, dum eos prouinciis præficit, & in regni gubernandi consortium admittit; & Deus quoque qui est prima omnium causa, honorat suas creaturas, & causas secundas, dum eas in agendo socias sibi adiungit.

Duplex causa huius thesauri.

Secunda, vt esset perfecta communicatio bonorum inter membra Ecclesiæ, id est inter nos, & Sanctos, sicut est inter ciues eiusdem reipublicæ, & inter fratres eiusdem familiæ. Sic enim Sancti propriè adimplent pro Ecclesia ea quæ desunt, scilicet huic thesauro iam dicto, & consequenter adimplent ea quæ desunt passionibus Christi: quia sine his passiones Christi non complerent hunc thesaurum, prout à Deo institutus est, nimirum vt non tantùm è Christi, sed & aliorum Sanctorum passionibus & satisfactionibus confletur.

Et fauet Græcum ἀνταναπληρῶ, quod significat vicissim, vel contrà ex altera parte impleo. q.d. Thesaurus hic vna sui parte, scilicet Christi meritis, completus est; sed vicissim altera sui parte, scilicet meritis Sanctorum, incompletus quotidie impletur per passiones meas, putà Pauli aliorumque Sanctorum.

VERS. 25. CVIVS (scilicet Ecclesiæ, græcè enim est ἧς femininum) FACTVS SVM EGO MINISTER SECVNDVM DISPENSATIONEM DEI QVÆ DATA EST MIHI IN VOS] Pro *dispensationem* græcè est οἰκονομίαν, q.d. In domo Dei, quæ est Ecclesia, sum œconomus, vt dispensem toti familiæ, id est singulis fidelibus, bona & dona Dei Domini mei.

VT IMPLEAM VERBVM DEI] Vatablus, *vt impletum esse declarem sermonem, id est, promissionem Dei de vocatione Gentium.* Sic enim Hebræi sæpè verbum actiuum reale sumunt pro mentali aut verbali, iuxta can. 31.

Implere verbum Dei est plenè prædicare.

Secundò, planiùs, *vt impleam*, id est, plenè prædicem verbum Dei, & compleam prædicationem Euangelij, quam cœpit Christus. Sic Rom. 15. 19. dicit Paulus se ab Ierusalem vsque ad Illyricum repleuisse (id est, plenè prædicasse) Euangelium Christi.

Prædicatores vt complent opus coepti à Christo.

Nota hîc dignitatem præconum & doctorum Euangelij, vtpote quos Christus vocat in partem sui officij & ministerij, vt prædicationem Euãgelij, quam ipse cœpit, illi compleant, opusq; redemptionis humanæ, ad quod Christus à Patre in mundum missus est, absoluant & perficiant.

MYSTERIVM] Est appositio, vt patet ex Græco: verbum enim Dei vocat *mysterium quod absconditum fuit à sæculis, nunc autem manifestatum est sanctis*, scilicet Apostolis & Christianis. VERS. 26.

QVIBVS VOLVIT DEVS NOTAS FACERE DIVITIAS GLORIÆ, id est diuitem, locupletem, & bonis spiritualibus abundantem gloriam, SACRAMENTI (mysterij: vt paulò antè dixit) HVIVS IN GENTIBVS (huius enim mysterij, verbi Dei, & Euangelij magis participes factæ sunt Gentes, quàm Iudæi) QVOD, scilicet sacramentum vel mysterium, EST CHRISTVS obiectiuè scilicet: q.d. Quod circa Christum versatur, cuius obiectum est Christus: totum enim mysterium Euangelij est de Christo, & redemptione Christi, qui IN VOBIS EST SPES GLORIÆ] Rursus Christus hîc dicitur *spes gloriæ* obiectiuè. q.d. Christus est id vel is, per quem futuram gloriam vitæ æternæ speratis & expectatis. ita Ambros. Anselmus, Theodoret. VERS. 27.

Christus est spes gloriæ obiectiuè.

Alij sic exponunt: Christus est spes gloriæ, id est, spes gloriosa: quia videlicet per Christum magnifica & gloriosa bona speratis vos adepturos.

QVEM NOS ANNVNCIAMVS CORRIPIENTES OMNEM HOMINEM] Græcum νουθετοῦντες tam admonentes quàm increpantes, vel corripientes & castigantes significat. ita Theophyl. VERS. 28.

IN QVO (ad quod) ET LABORO CERTANDO] Græcè ἀγωνιζόμενος, id est decertans quasi in agone, multa vigilantia, fortitudine, contentione, difficultate & periculo tamquam athleta Christi. ita Theophyl. VERS. 29.

SECVNDVM OPERATIONEM, græcè, ἐνέργειαν, id est, vim & efficaciam, EIVS, QVAM OPERATVR IN ME, (Christus) IN VIRTVTE] id est potenter, validè & efficaciter: hoc enim est Hebræum בכוח *baccoach*: q.d. Decerto in hoc agone Euangelij strenuè & viriliter, non humanis viribus confisus: sed vi & efficacia spiritus Christi, qui in me potentissimè operatur, patrando scilicet miracula tot & tanta; dando tantam efficaciam verbis meis, vt omnium corda penetrent & conuertant; suggerendo animos, vires ac zelum, vt ignea charitate & ignea lingua prædicem, omnibusque ignem hunc diuini amoris affiem & aspirem.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Optat & hortatur Colossenses, vt radicentur & firmentur in fide & charitate Christi.

Secundò, v. 8. Iudaizantium & pseudophilosophorum somniis opponit Christum, in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat. Per Christum enim nos circumcisos esse docet, non carne, sed spiritu, cùm ei consepulti in baptismo mortui sumus delictis.

Hinc Tertiò, v. 14. docet Christum deleuisse chirographum peccati, illudq; affixisse cruci, ibiq; triumphasse de peccatis & dæmonibus; ac consequenter Iudaicas abstinentias & cæremonias quasi vmbras inutiles abrogasse.

Denique v. 18. non fictam angelorum in superstitiosa humilitate & abstinentia, sed veram Christi vnius mediatoris religionem sectandam esse decernit.

1. VOlo enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne: 2. vt consolentur corda ipsorũ, instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris & Christi Iesu: 3. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. 4. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. 5. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ. 6. Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate, 7. radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. 8. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: 9. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: 10. & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis: 11. in quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: 12. consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. 13. Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: 14. delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: 15. & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. 16. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: 17. quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem Christi. 18. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, 19. & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. 20. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tamquam viuentes in mundo decernitis? 21. Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis: 22. quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundùm præcepta & doctrinas hominum: 23. quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

23.1. VOLO ENIM VOS SCIRE QVALEM SOLICITVDINEM HABEAM PRO VOBIS] Vox *enim* dat causam, cur c. præced. v. vlt. dixerit se pro fidelibus laborare ἀγωνιζόμενον, id est in agone certando: vnde hîc rursum pro *solicitudinem* græcè est ἀγῶνα, q.d. Ideo memini, & inculco meum agonem, laborem, ac difficile certamen, quod pro vobis, aliisq; fidelibus suscepi: *vt consolentur* & firmentur corda vestra in fide & gratia Christi.

PRO VOBIS ET PRO IIS QVI SVNT LAODICIÆ, ET QVICVMQVE (*quotquot* alij) NON VIDERVNT FACIEM MEAM IN CARNE] Hinc satis apparet Paulum non fuisse, nec præ ficasse Colossis, aut Laodiciæ. ita Chrysost. & Theophyl. Negat id Theodoret. & ex eo Baronius, sicque hæc verba explicant. q.d. Paulus, Non solum vestrũ, ô Colossenses, sed & eorum, qui me non viderunt, maximam curam gero. Verùm aliud videtur velle Apostolus. Quorsum enim hîc meminisset eorum, qui non viderant faciem suam in carne, nisi quia eam non viderant Colossenses & Laodicenses? & hoc significat Græcum ὅσοι, quod Syrus vertit *cæteri*, siue quicumque alij, qui æquè vt vos non viderunt faciem meam. Sicut enim si dicam, Petrus, Paulus, & cæteri Apostoli fuerunt cælibes; tacitè dico non tantùm Petrum & Paulum fuisse cælibes, sed etiam fuisse Apostolos: hoc enim inuoluit vox *cæteri*: ita pari modo cùm hîc dicit Paulus se solicitum esse pro Colossensibus & Laodicensibus, & cæteris, qui non viderunt faciem

ciem suam, tacitè significat Colossenses & Laodicenses non vidisse faciem suam. Adde, in Actis Apostolorum nullam Colossensium, æquè vt Corinthiorum, Ephesiorum, Athenienſium & aliorum, quibus Paulus prædicauit, fieri mentionem. Nec enim locus ille Actor. 19.10. quem citat Baronius, vrget. Sic enim habet: *Segregauit* (Paulus Ephesi commorans) *discipulos quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam: hoc autem factum est per biennium; ita vt omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles.* Nec enim hinc inferas, si omnes in Asia à Paulo audiuerunt verbum Dei, ergo illud audiuerunt & Colossenses & Laodicenses, qui in Asia habitant. nam non dixit Lucas Paulum iuisse Colossas, aut Laodiciam, immò contrarium dicit, Paulum mansisse Ephesi, ibique disputasse per biennium in schola tyranni: ita vt Asiani omnes, qui vel habitabant, vel veniebant Ephesum tamquam ad Asiæ metropolim, possent Paulum ibi disputantem audire: adeò vt Pauli Ephesi disputantis & prædicantis rumor totam Asiam peruaserit.

A

B

VERS. 2. VT CONSOLENTVR] Id est, consolationem accipiant: Græcum enim παρακληθῶσιν, est passiuum.

CORDA IPSORVM, INSTRVCTI IN CHARITATE] Id est, cùm fuerint instructi, vel, vt alij ex Græco vertũt, compacti in charitate. Græcè enim est magis congrua syntaxis: κἀτοὶν συμβιβασθέντων, id est, ipsorum instructorum vel compactorum in charitate. ita Theophyl.

ET IN OMNES DIVITIAS PLENITVDINIS INTELLECTVS, IN AGNITIONEM MYSTERII DEI PATRIS ET CHRISTI IESV] Nota Primò. Per *diuitias* Paulus significat non opes auri & argenti; sed quamlibet copiam & abundantiam vel gratiæ, vel sapientiæ & intellectus, de qua hîc loquitur.

C

Secundò, pro *plenitudinis intellectus*, græcè est πληροφορίας (de qua voce dixi Roman. 14.5.) τῆς συνέσεως, id est, plenæ persuasionis intelligentiæ, id est, plenæ & certò persuasæ intelligentiæ, quæ omne dubium excludat; ait Theophyl. q.d. Ideo laboro, certo, & solicitus sum pro vobis, vt vos instruamini tum charitate, tum diuitiis, id est abundantia plenæ persuasionis, hoc est plenè persuasæ intelligentiæ mysteriorum fidei: vt scilicet in omnibus mysteriis fidei, quæ pertinent ad agnitionem Dei Patris & Christi Iesu, instructi, & plenè persuasi, planeque intelligentes sitis, nihilque de iis ambigatis: vt certò vobis persuasum sit, nos non per angelos, vt vobis persuadent Simoniani vel alij Nouantes; sed per Christum redemptos & reconciliatos esse Deo Patri.

D

VERS. 3. IN QVO (scilicet Christo) SVNT OMNES THESAVRI SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ ABSCONDITI] Notat Chrysost. hoc dici contra Gnosticos à scientia se nominantes, & venditantes. *Gnostici* enim græcè idem est, quod *scientes*. q.d. In Christo est omnis vera sapientia, & ab illo petenda, non à Simone, non à Gnosticis, non etiam ab angelis, quos ipsi iactant. Cùm dicit Apostolus *thesauri*, ait ex Chrysostomo Theophyl. copiam sapientiæ in Christo ostendit: cùm dicit *omnes*, ostendit eum nihil latere: cùm dicit *absconditi*, indicat, quòd solus ipse eos nouerit, ab eoque scientia & sapientia omnis petenda sit: nam Christus est ipsa sapientia, & per se cognitio.

Gnostici, id est scientes, iactabant se de scientia.

Nota. Pro *absconditi* græcè est ἀπόκρυφοι, quod non est participium, sed nomen, idemq; est quod occulti & arcani: *absconditi* ergo hîc idem significat, & capitur nominaliter.

HOC DICO, VT NEMO VOS DECIPIAT IN SVBLIMITATE SERMONVM] Pro *decipiat*, græcè est παραλογίζηται, id est, vt Vatablus, fallis rationibus & ratiocinationibus imponat vobis. Syllogismo enim vero & bono opponitur apud Aristotelem paralogismus, qui ex apparentibus, sed falsis falsum concludit; aut ex veris falsum, per vitiosam consequentiam elicit & deducit. VERS. 4.

Secundò, pro *sublimitate sermonum*, est græcè πιθανολογίᾳ, id est, in persuasorio sermone, in specioso fuco rationis humanæ, in artificiosa & sophistica oratione, quæ in speciem probabilis ad persuadendum & fallendum sit comparata & composita. ita Theophyl. Noster vertit, *in sublimitate sermonis*, quia Simoniani, quos hîc suggillat Apostolus, sublimia iactabant de cælo, de matre angelorum, de angelis, rebusque & æonibus cælestibus, quibus simplices in admirationem rapiebant & seducebant. *Quid πιθανολογίᾳ.*

Talis est pithanologia, & fucata oratio nostrorum Nouantium, vt per dulces sermones seducant corda innocentium: si enim ipsorum rationes à viro cordato ad rationem ac formam syllogisticam redigantur, statim apparent non esse aliud quàm paralogismi. v.g. cùm sic argumentantur: Solus Deus est adorandus, ergo non sunt adorandæ, id est colendæ, imagines & Sancti; paralogizant. peccant enim amphibolia vocis, *adorandus*: in antecedente enim intelligitur adoratio propriè dicta, quæ est latriæ; in consequente verò adoratio impropria, & amplissimè sumpta, scilicet quiuis pius cultus & honor. sic, Vnus, inquiunt, est mediator Christus, ergo Sancti non sunt mediatores, nec inuocandi: sed paralogizant, in antecedente enim intelligitur mediator per se, siue redemptor: in consequente verò, mediator idem est quod intercessor, siue aduocatus. ita in reliquis omnibus. *Pithanologia hæreticorum.*

Aggreditur hîc Apostolus potissimum epistolæ argumentum, scilicet elidere dogmata falsa hæreticorum, & Iudaizantium, & contra ea corroborare Colossenses in vera fide Christi.

VERS. 5. ETSI CORPORE ABSENS SVM, SED SPIRITV VOBISCVM SVM: GAVDENS ET VIDENS ORDINEM VESTRVM, ET FIRMAMENTVM FIDEI VESTRÆ] q.d. Licet absens sim corpore, spirituali tamen oculo & cura vobiscum sum, quia spiritu & mente vos sæpè contemplor, vestrumque ordinem (de quo multa in audiui) cum gaudio intueor.

Secundò, Ambrosius & Anselmus magis propriè hæc accipiunt de spiritu prophetico, quasi per eum Paulus cognouerit absentia quæ fiebant Colossis, eaque viderit, eodem modo quo Elisæus corpore absens, sed spiritu præsens, vidit Giezi accipientem munera à Naaman: si enim Elisæo id datum est, cur non Paulo? Maior enim gratia fuit in Apostolis & Prophetis noui testamenti, quàm in veteribus Prophetis. & similem spiritum constat fuisse in S. Petro, cùm absens cognouit fraudem Ananiæ & Sapphiræ, Act. 5.3. q.d. Nihil vestrum me latet, ô Colossenses, quia vobis adsum spiritu, eminus quasi cominus intueor omnia vestra, & quidquid facitis inspicio, vt reuereamini in oculis meis meoque intuitu malè agere, aut *Apostoli videbant absentia.*

aut malè sentire vel loqui de Euangelio, nec Nouantibus Simonianis auscultetis, aut inconstantiam & dubitationem vllam in fide ostendatis. Hic sensus & sententia non est improbabilis, si spiritum accipias non permanentem (hunc enim fuisse in Apostolis non est verisimile) sed transeuntem, quo subinde cùm opus esset, Paulus raptus fuerit vt suarum Ecclesiarum statum & ordinem absens intueretur. Sed prior sensus vti simplicior, ita certior est.

GAVDENS ET VIDENS ORDINEM VESTRVM] Per *ordinem* Ambrosius accipit dispositionem conuersationis. Melius Chrysost. Theophyl. Oecumen. τάξιν, id est ordinē, interpretantur εὐταξίαν, id est, bonum ordinem, quo bene & ordinatè omnia fiunt iuxta ordinem à Paulo aut Episcopo præscriptum. *Sicut enim* inquit Theophyl. *in acie militari bona ordinis collocatio phalangem firmam efficit; sic & in Ecclesia, quando bonus ordo charitatis fuerit omnia constituentis.*

Quantum sit huius ordinis bonum & commodum, patet in omni republica. nulla enim respublica sine ordine consistere potest; sed vt consistat, necesse est ciues magistratui subordinari & obedire, & quemque ciuem suum seruare gradum & ordinem. quòd si hic ordo turbetur, turbatur respubl.

Secundò, idem patet in hierarchia cælestium spirituum & angelorum, in qua summus est ordo, qui rempublicam angelorum consociat, stabilit, conseruat, & mira pulchritudine exornat.

Tertiò, patet in ordinato motu & situ cælorum, stellarum, elementorum, omniumque creaturarum, ac totius vniuersi: si enim hic ordo turbetur, turbatur totum vniuersum: nam ordo vniuersi totius est vinculum & salus. *Ordinis perturbatio*, inquit Nazianz. orat de Moderat. in disp. seruanda, *in aëre fulmina, in terra succensiones, in mari exundationes, in vrbibus & familiis bella, in corporibus morbos, in animis peccata quasi nouas res moliendo introduxit*, &c. *Omnia*, inquit Sapiens Sap. 11.21. *in mensura, & numero, & pondere disposuisti* (ô Domine creator omnium.) De qua sententia Sapientis, vide S. Augustini libr. 4. de Genesi ad litt. capp. 3. 4. 5. tom. 4. & S. Thom. 1. p. q. 5. art. 5. vbi ex S. August. docet omnem rem, siue omne bonum habere Primò, mensuram, quæ omni rei certum modum ex determinatione principiorum suorum efficientium & materialium præfiet. Secundò, habere numerum, qui cuique rei speciem præbeat. Tertiò, habere pondus, id est ordinem & inclinationem ad actus & finem suum; quod pondus rem ipsam ad suam quietem & stabilitatem trahit. Hoc significare volens Plato in Timæo dicit mundum factum esse per cubum ternarij id est per 27. tria enim in se ducta, id est ter tria, faciunt nouem, rursum ter 9. faciunt 27. qui est & vocatur cubus ternarij. Per hunc ergo cubum, putà per viginti septem, mundum esse factum censuit Plato, quia in hoc cubo, putà 27. omnis harmonia & consonantia (numerorum) consistit.

Quia ergo tanta boni ordinis sunt commoda, hinc toties Apostolus ordinem inculcat, eumque in omnibus seruari vult. Hinc & S. Ignatius proximus Apostolis, eorumque spiritu & zelo imbutus, in suis epistolis toties, & tam impensè hunc ordinem commendat & præcipit, vt epist. ad Trallianos. *Qui* inquit, *intra altare est, mundus est, ideo & obedit Episcopo & Presbyteris: qui verò extra est, id est, qui sine Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis aliquid agit, talis polluta est conscientia & est infideli deterior.* Et ad Smyrnenses: *Omnia*, inquit, *in vobis decenti ordine perficiantur in Christo. Laici Diaconis subditi sint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri.* Eadem singulis penè epistolis repetit & inculcat S. Ignatius.

SICVT ERGO ACCEPISTIS IESVM CHRISTVM DOMINVM: q d. Sicut ab Epaphra & Archippo accepistis fidem & doctrinam Iesu Christi, præsertim illam, qua edocti estis Iesum Christum esse dominum ac redemptorem nostrum, non autem angelos, ita IN IPSO AMBVLATE] Christus enim est via quæ ducit ad Patrem, non angeli, inquit Chrysost. *In ipso* ergo, id est, in ipsius fide & institutione, *ambulate.* Christus enim sumitur pro adiunctis, putà pro fide, doctrina & vita Christi, iuxta can. 37. Vult Paulus antiquam, & à Christo & ab Apostolis traditam fidem nos sequi, nec audire Nouantes. VERS. 6.

RADICATI, ET SVPERÆDIFICATI IN IPSO] Pendent hæc à præcedentibus, *in ipso ambulate.* q.d. Sic ambulate in fide & institutione Christi, vt in ea firmas & fixas habeatis radices, illique superædificemini. Græcum enim ἐποικοδομούμενοι, non est præteriti, sed præsentis temporis: vnde non tam *superædificati*, significat, quàm *vt superædificemini*, vel vt collapsi nonnihil restituamini. ita Theophyl. VERS. 7.

Nota hic triplicem metaphoram, & comparationem. Primò enim Christum, & Christi fidem comparat viæ, in qua sit ambulandum. Secundò, radici, cui inseri & inhærere nos oporteat. Tertiò, fundamento, cui superædificari debeamus.

Simili modo Ephes. 2. 20. dixit: *Superadificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo.* Etc. 3. 17. *Christum*, inquit, *habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati.*

ABVNDANTES IN ILLO (in Christo scilicet, id est Christi fide, gratia, charitate, aliisque virtutibus) IN, id est cum, GRATIARVM ACTIONE] pro tantis Dei beneficiis, quæ per Christum vobis præstitit. ita Anselm.

VIDETE NE QVIS VOS DECIPIAT PER PHILOSOPHIAM] Redit ad v. 4 vbi principale argumentum & causam epistolæ tractare cœpit, scilicet vt dehortetur Colossenses primò ab hæresi Philosophorum, deinde inferiùs à secta Iudaizantium. *Apostolus*, inquit Tertull. libr de Præscript. c. 7. & lib. de Anima c. 3. *fuerat Athenis, ibiq; expertus linguaram ciuitatem, cùm omnes illic sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit præmonitorium istud edictum.* VERS. 8.

Nota. Pro *decipiat*, græcè est συλαγωγῶν, id est deprædetur. ita Syrus, Theophyl. Ambros. Vnde Hilarius lib. 12. de Trinit. legit. *spolier.* Simonianos ergo, & ab eis prognatos Gnosticos aliosque hæreticos vocat prædones Paulus, vti & Christus Iohan. 10. 8. & meritò. Si enim prædo est, qui bona fortunæ aufert & prædatur; multò magis prædo est, qui fidem veram, gratiam, virtutes omnes, imò Christum & Deum ipsum nobis aufert & prædatur; quiq; nō corpus, sed animam ipsam

ipsam interimit, illamque prædoni diabolo, & æternæ morti deuorandam tradit. Est ergo hæc deprædatio immane sacrilegium: sicut enim sacrilegi, qui templa deprædantur, Græcis ἱερόσυλοι dicuntur, ita & à Paulo hic eodem nomine vocantur illi, qui animas ad imaginem Dei factas, Deoque consecratas per hæresim deprædantur, easque diabolo vendunt & mancipant.

Quam philosophiam hic damnet Apostolus.

PER PHILOSOPHIAM, ET INANEM FALLACIAM] Et significat, *id est*. Sic & pro *id est*, capitur Galat. 6.16. & alibi, vt ibi dixi. q.d. Non omnem philosophiam damno (vti perperam intellexit Lutherus) sed eam quæ sit inanis fallacia & superstitio gentilitatis. Vnde hanc philosophiam 1. Timoth. c.vlt. v.20. vocat falsi nominis scientiam; vti erant illæ angelorum seu deorum quorumdam mediorum & mediatorum speculationes, quibus referti sunt Platonicorum libri. ita Chrysost. & August. lib.8. de Ciuit. Dei, cap.9. & 16. Quamquam Clemens lib.1. Strom. hic tantùm damnari putet philosophiam Epicuri, quæ tollit prouidentiam, & in deorum numerum refert voluptatem.

Secundò, Paulus hîc perstringit Apollonium Tyanæum, & alios Philosophos, qui hoc tempore æquè vt Apostoli orbem circuibant, vt populum à Christo ad se & sua dogmata traducerent, vt dixi 1. Corinth. v.20.

Tertiò, taxat Simonem Magum cum suis, qui primus fuit hæresiarcha, & omnium Nouatorum parens.

Hinc patet Simonem alioque tunc Nouantes sua dogmata ex figmentis Platonis, & aliorum philosophorum quasi centonem consarcinasse.

Philosophi fuerunt patriarchæ hæreticorum, qui quorum?

Vnde Tertull. lib. de Anima c.3. Philosophos appellat patriarchas hæreticorum. Idem lib. de Præscript. c.7. *Hæreses*, inquit, *à Philosophia subornantur. Inde Æones & formæ nescio quæ, & Trinitas hominis apud Valentinum, Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate, à Stoicis venerat. Et vti anima interire dicatur, ab Epicureis obseruatur. Et vt carnis restitutio negetur, de vna omnium Philosophorum schola sumitur. Et vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit: eadem materiæ apud hæreticos volutantur, iidem retractatus implicantur.*

Magis particulatim & fusè Irenæus lib.2. contra hæreses cap.19. recenset quæ dogmata à quo Philosopho mutuati sint Valentiniani & Gnostici. *Thales quidem Milesius*, inquit, *vniuersorum generationem & initium aquam dixit* (idem autem est dicere aquam, & bythum, id est profundum, quod inter suos Æones statuunt Valentiniani.) *Homerus autem Poëta Oceanum deorum genesin & matrem Thetin dogmatizauit, quæ quidem hi in bythum & Sigen transtulerunt. Anaximander autem hoc quod immensum est, omnium initium subiecit, seminaliter habens in semetipso omnium genesin, ex quo immensos mundos constare ait; hoc autem in bythum & Æonas transfigurauerunt. Anaxagoras autem, qui & Atheus cognominatus est, dogmatizauit facta animalia, decidentibus è cælo in terram seminibus, indeq; Æonem quem Sensum vocauere, acceperunt. Sic ex Democriti & Epicuri vacuo & atomis eiusdem suum sumpserunt Pleroma.* Et inferiùs: *Hoc autem quod ex subiecta materia dicunt fabricatorem fecisse mundum, & Anaxagoras, & Empedocles, & Plato primi ante hos dixerunt.* Deinde quòd Deum necessitatis seruum facerent, id eos ex fato Stoicorum accepisse docet. Et post pauca subdit: *Quòd autem Saluatorem ex omnibus factum Æonibus esse dicant, omnibus in eum deponentibus velut florem suum, ex Hesiodi Pandora acceperunt. Ipsam autem eduliorum, & reliquarum operationum indifferentem sententiam, & quòd putent à nemine in totum se posse coinquinari propter generositatem, licet quodque manducent vel operentur, à Cynicis posse derunt, cùm sint cum eis eiusdem testamenti. Minutiloquium autem & sublimitatem circa quæstiones, cùm sit Aristotelicum, inferre fidei conantur. Quòd autem velint in numeros transferre vniuersum hoc, à Pythagoricis acceperunt.*

SECVNDVM TRADITIONEM HOMINVM, SECVNDVM ELEMENTA MVNDI, ET NON SECVNDVM CHRISTVM] q.d. Philosophia hæc siue inanis fallacia, quam hîc damno, non est à Deo (qui est veracissimus, ipsaque veritas) reuelata aut inspirata, sed ab hominibus vanis & errantibus conficta & tradita; ideoque vana, errans, mendax & fallax est.

Sex axiomata Philosophorum fidei repugnantia.

Talia sunt axiomata & principia veterum Philosophorum, quæ fidei nostræ repugnant. v g. Ex nihilo nihil fit: A priuatione ad habitum non fit regressus: Accidentis esse est inesse: Mundus est æternus: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: Omnis substantia maximè rationalis, per se subsistit. Hæc enim vno excepto in naturalibus vera sunt, non autem in supernaturalibus. alioqui enim ex primo tolleretur (vti nonnulli sustulerunt) rerum creatio: ex secundo tollerentur miracula Christi, quibus cæcos, surdos, claudos, visui, auditui & gressui restituit: ex tertio tolleretur veritas corporis Christi in Eucharistia: quartum negat mundi originem: ex quinto elideretur mysterium SS. Trinitatis: ex sexto eneruaretur mysterium incarnationis & vnionis hypostaticæ. Quamquam propriè Apostolus non de his, sed de aliis Simonianorum principiis & traditionibus loquatur, vti mox dicam.

Quomodo hic tangatur elementa mundi.

Secundò, hæc philosophia, quam damno, est *secundùm elementa mundi*, id est, secundùm rudimenta vanæ philosophiæ, circa mundi productionem & gubernationem, verbi gratia Platonis & Platonicorum, qui docuerunt angelos mundum condidisse, & esse hominum mediatores apud Deum, rursum cælos & astra esse animata, aliaque similia: quos secutus Simon Magus finxit se Deum quemdam esse, ac primò genuisse Selenem vxorem suam, eamque quasi primam mentis suæ conceptionem vocauit Ennæam, asserens hanc esse matrem omnium, fecisseque angelos, angelos deinde fecisse & produxisse cælos & mundum: aliaque his similia figmenta; de quibus v.18. & 20. ita Irenæus l.1. c.20. & 23. Chrysost. Theophyl. & alij hîc.

Hinc patet, Apostolum Galat 4.v.4 & 10. aliter quàm hîc, & alio sensu vocare *elementa mundi*: ibi enim *elementa mundi* vocat dies, menses & annos, qui sunt quasi principia, quibus creatus est, consistit & gubernatur mundus, quos proinde festos habebant, & colebant Iudæi, vt ibi dixi: hîc verò *elementa mundi* vocat principia mundanæ sapientiæ & philosophiæ.

Tertiò, hæc philosophia & inanis fallacia, quàm damno, *non est secundùm Christum*, id est, non est à Christo docta & tradita, nec etiam Christum docet, Christique redemptionem, gratiam & fidem

fidem; sed à Christo vos abducit ad angelos, cælos, stellas, de quibus, vt dixi, somnia & commenta sua tradit. Hinc patet, non veram, sed falsam philosophiam ab Apostolo damnari: nec enim verum vero contrariari potest; adeoque vera philosophia Christianæ pietati subseruit & ancillatur.

VERS. 9. QVIA IN IPSO (Christo) INHABITAT OMNIS PLENITVDO DIVINITATIS CORPORALITER] Nota, *quia*, dat causam præcedentium, cur scilicet dixerit cauendam esse philosophiam, & Philosophos qui homines abducunt à Christo: sequendam verò esse philosophiam & sapientiam, quam attulit è cælo, & in terris docuit Christus. q.d. Nolo vos sequi Philosophos homines errantes & mendaces, quia volo vos sequi Christum, qui est prima veritas: nam in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Nota Secundò. Pro *inhabitat*, græcè est κατοικεῖ, quod non temporalem, vt παροικεῖ, sed perpetuam inhabitationem significat. Κατοικεῖ enim & παροικεῖ distinguũtur græcè, æquè ac latinè, *habitare & commorari*. Sic Petrus epist. 1. c. 1. v. 17. vitam præsentem vocat παροικίαν, id est incolatum. Nam, vt ait Cicero, *commorandi diuersorium, non habitandi, natura nobis hic dedit*. E contrario psalm. 89. cùm dicitur: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, pro *habitatio*, græcè est κατοικία, id est, perpetua mansio.

Nota Tertiò. *Plenitudo diuinitatis* idem est quod plena & tota diuinitas, quæ in Christo homine inhabitauit ita Ambros. Theodor. D. Thomas, Chrysost. cum suis. Inde consequenter colligendum relinquit Apostolus, in Christo inhabitasse omnem plenitudinem sapientiæ ac veritatis: hanc enim adfert & includit in se diuinitas; ac consequenter Christum doctorem sapientissimum sequendum esse, non autem Philosophos. Vnde S. August. epist. 57. ad Dardanum, & ex eo Glossa hîc *plenitudinem diuinitatis* interpretantur plenam Dei cognitionem, quæ est in Christo Christique Euangelio, non autem in Mose, & in vmbris legis Mosaicæ. quam expositionem ita genuinam censet Erasmus, vt priorem iam datam excludat & refutet; sed perperam. constat enim *plenitudinem diuinitatis* propriè significare plenam diuinitatem, non autem cognitionem Dei, licet, vt dixi, illam secum adferat diuinitas.

Nota Quartò. In Christo inhabitat *plenitudo diuinitatis* corporaliter, id est, non vmbraticè, sicut habitauit in propitiatorio, tabernaculo, & Sacramentis legis veteris: non etiam phantasticè, vti voluerunt Manichæi: non denique per accidens tantùm, scilicet per motum & operationem, vti docuit Nestorius; sed *corporaliter*; id est reuera, realiter & substantialiter. Hic sensus petitur ex v. 17. ibi enim corpus opponit vmbræ. ita Prosper sent. 393. & August. epistola 57. ad Dardanum. Simili sensu v. 17. veritatem & soliditatem rerum Christianarum, per vmbras legis repræsentatam, vocat *corpus Christi*.

Secundò, *corporaliter*, quia in Christo diuina natura non tantùm vnita est animæ, sed & corpori Christi; ita vt ex Verbo diuino & humana natura corporea, vna ineffabilis substantia corporea quasi composita sit, quæ est & dicitur Christus, siue Deus homo. Sic anima potest dici in homine vel in corpore humano inhabitare corporaliter. ita S. August. suprà, Theodor. Theoph. D. Thom. 3. p. q. 2. a. 9. ad 2. Hinc ergo ruit argumentum Nestorij dicentis: si Deus inhabitat in Christo, ergo in Christo sunt duæ hypostases, scilicet vna Dei inhabitantis, altera corporis quod inhabitatur. Hoc enim non sequitur. Nam in Christo se res habet vti in homine, in quo licet anima inhabitet corpus, non duas tamen, sed vnam eamdemque cum illo habet hypostasin. tantùm enim τὸ *inhabitat* significat deitatem non misceri, nec confundi cum corpore quod inhabitat, sed integram & immixtam permanere. *Parilogismus Nestorij.*

Tertiò, D. Thomas loco iam citato *corporaliter*, inquit, hoc est, tribus modis secundùm trinas corporis dimensiones. Sicut enim corpus tres habet dimensiones, scilicet longitudinem, latitudinem, & crassitiem: ita tribus modis quasi dimensionibus tota diuinitas est in Christo, scilicet Primo modo per essentiam, per præsentiam & potentiam, sicuti est in alijs hominibus & creaturis. Secundo modo per gratiam gratum facientem, sicut est in alijs Sanctis omnibus. Sic Deus & diuinitas, inquit Remigius, inhabitauit in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in Mose per mansuetudinem, in Christo per omnem virtutem & innocentiam. Tertio modo, & proprijssimè inhabitauit diuinitas in Christo per vnionem hypostaticam, siue personalem: idque soli Christo proprium est. Verùm duæ priores expositiones litterales sunt & genuinæ, hæc tertia potiùs videtur esse metaphorica quædam accommodatio. *Tertiò, corporaliter, id est per essentiã, gratiam, & vnionẽ hypostaticam.*

ET ESTIS IN ILLO (Christo) REPLETI, QVI EST CAPVT OMNIS PRINCIPATVS ET POTESTATIS] Id est, Christus vos sua plenitudine diuinitatis inhabitat, eo modo quo iam paulò antè dixi ex Remigio, scilicet vt vos repleat fide, spe, charitate, omnibusque suis virtutibus & gratijs. ita Ambros. & Theodor. *Christus*, inquam, qui est caput omnis principatus & potestatis, aliorumque quorumuis angelorum. q.d. Non ergo angelis, quos inducit Simon, sed Christo, vti cœpistis, inhærete. Christus est caput tam vestrum quàm angelorum, Christo ergo capiti quasi membra indiuulsè vos coniungite, nec à Christo vlla ratione sinatis vos diuelli, vt constanter & assiduè dicatis, Christus caput meum, spes mea, amor meus, & omnia. Quomodo Christus sit caput angelorum, iam dixi Ephes. 1. v. 12. & 22. VERS. 10.

IN QVO ET CIRCVMCISI ESTIS CIRCVMCISIONE NON MANV FACTA IN EXPOLIATIONE CORPORIS CARNIS, SED IN CIRCVMCISIONE CHRISTI, CONSEPVLTI EI IN BAPTISMO] Ita legunt Romana Biblia, & Theodor. Græca tamen, Syrus, Theophyl. & alij expungunt voculam *sed*. Iuxta Romana & Theodoretum est antithesis inter circumcisionem carnis datam per Mosem, & circumcisionem animæ institutam à Christo: hanc enim antithesin significat coniunctio aduersatiua, *sed*, & sensus est: Vos ô Christiani Colossenses circumcisi estis circumcisione non Iudaica, quæ fit manibus, quæque consistit in expoliatione corporis carnei, qua nimirum de corpore carneo præscinditur præputium; sed circumcisi estis in circumcisione, id est circumcisione (est enim Hebræum bet contactus) Christi, quæ non corpus, sed animam à peccatis circumcidit. Si quæratis vbi, & quando ita à Christo circumcisi sitis? Respondeo, In baptismo, nimirum hoc ipso quo Christo in VERS. 11. & 12.

baptismo estis consepulti: in baptismo enim non tantùm circumciduntur, sed sepeliuntur, & aquis piacularibus obruuntur & absorbentur peccata omnia. Eamdem sepulturæ metaphoram tribuit baptismo Apostolus Rom. 6. 4. vt ibi dixi.

Nota. *Corpus carnis* vocat corpus carneum: sunt enim, vt ait S. August. l. 14. de Trinit. multa corpora carnis expertia: vti cæli, elementa, saxa, &c. Nisi dicas esse hypallagen, & metathesin, qua *corpus carnis* dicatur pro caro corporis; vt sic legas hæc & ordines: *in expoliatione carnis corporis*, & sensus sit, in expoliatione & præcisione carneæ partis, scilicet præputij de corpore. Sic Hebræi vocant *desertum populorum*, non desertum inter populos, sed potiùs desertum à populis; & resurrectionem mortuorum, id est ex mortuis. Ponit ergo Apostolus antithesim inter circumcisionem Mosis, & Christi; quòd illa carnem tantùm præscinderet, quæ peccati est instrumentum, scilicet vilem pellicu-lam præputij: Christi verò circumcisio rescindat ipsa peccata ab anima.

Expoliatio corporis carnis est præcisio præputij.

Secundò, si cum Græcis iam & Syro legas sine *sed*, nulla erit antithesis, & hæc omnia spectabunt ad circumcisionem Christi. Vnde Græca addunt vocem *peccatorum*: sic enim habent, ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, id est, in exutione corporis peccatorum carnis. Vbi Nota. *Corpus peccatorum carnis* vocatur corpus peccatis carnalibus obnoxium. Iam secundùm Græca & Syrum hic sensus erit: Circumcisi estis per Christum circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis peccatorum carnis; quia videlicet corpus vestrum per baptismum Christi circumcisum est à peccatis carnalibus, ijsque expoliatum, vt non sit amplius corpus peccati: nam per baptismum exuistis corpus peccati, & induistis corpus gratiæ & iustitiæ. & sic in eidem est circumcidere quod exuere vel expoliare corpus peccati. ita Theoph. & Græci. verùm prior lectio per antithesim planior est & verior.

Quodnam corpus peccatorum carnis exuendum?

Aggreditur enim hîc Apostolus Iudaizantes perstringere, & Colossenses auocare à circumcisione & iudaismo, sicut v. 8. eos auocauit à philosophis eorumque dogmatibus ad Christum.

VERS. 12. IN QVO (scilicet Christo) ET RESVRREXISTIS (in nouam vitam, nouos mores, nouum spiritum, quem accepistis in baptismo) PER FIDEM OPERATIONIS (græcè ἐνεργείας, id est efficaciæ, vel efficacis operationis) DEI, QVI SVSCITAVIT ILLVM (Christum) A MORTVIS] q.d. Resurrexistis in baptismo in nouam vitam per fidem, qua credidistis Dei potentiam, & diuinæ gratiæ efficaciam, quæ per Christum in credentibus hanc spiritualem resurrectionem operatur, sicut eadem potentia in Christo corporalem resurrectionem est operatus, dum eum à morte suscitauit.

Quænam fides operationis Dei.

Prima expositio & genuina.

Hunc esse sensum patet ex Ephes. 1. 19. quò hîc alludit Apostolus (est enim hæc epistola simillima, & quasi compendium epistolæ ad Ephesios) vbi sic dicit: *Vt sciatis quæ sit spes vocationis eius* (id est, ad quanta bona vocati sitis, quantam gratiam hîc & gloriam in resurrectione sperare debeatis) *& quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus* (quod ait hîc per fidem) *secundùm operationem* (græcè est ἐνεργείας, eadem scilicet vox, quæ hîc) *potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo suscitans illum à mortuis.* q.d. Eadem enor-gia & potentia Deus suscitat nos credentes à morte peccati ad vitam gratiæ, qua Christum à morte suscitauit ad vitam immortalem & gloriosam; quod hîc per compendium dicit, *per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis*; relinquens illa supplenda quæ suppleuit ad Ephesios scribens, scilicet illa quæ iam citaui. ita Ambrosius & D. Thomas.

Secundò, Adamus valdè probabiliter *fidem operationis* interpretatur fidem non otiosam, neque desidem, sed agentem, & operatoriam bonorum operum, quæ hominem facit actuosum & sedulum in bonis operibus. *Secunda.*

Tertiò, alij *fidem operationis Dei* interpretantur fidem, quam Deus operatur in nobis. Sed primus sensus stylo Pauli & epistolæ ad Ephesios maximè congruit. *Tertia.*

B * ET VOS, CVM MORTVI ESSETIS (priuati vita gratiæ) IN DELICTIS ET PRAEPVTIO (per delicta & præputium) CARNIS VESTRAE, CONVIVIFICAVIT CVM ILLO (vt, sicut Christus virtute Dei resurrexit à mortuis ad vitam gloriosam: ita vos eadem virtute & potentia à morte peccati à Deo suscitati sitis ad vitam gratiæ & spiritus) DONANS (condonans, & gratis remittens, hoc enim est Græcum χαρισάμενος) VOBIS OMNIA DELICTA] Nota. *Præputium carnis* vocat libidines, & peccata carnalia, quæ committuntur per præputium, vt sit metonymia, & synecdoche, qua ex specie peccatorum notissima, reliqua intelliguntur. ita aliqui. *VERS. 13.* *Præputium carnis quadruplex.* *Prima positio.*

Sed hic sensus arctior est, restringit enim præputium ad libidinem, cùm Apostolus per præputium quoduis peccatum significet.

Vnde Secundò, alij per *præputium carnis* in- *Secunda.*
C telligunt gentilismum, & gentilismi mores acconuersationem in carnis concupiscentijs explendis. Sic enim alibi passim more Iudæorum gentilismum & Gentes vocat *præputium*, eò quòd illud more Iudæorum non circumciderent. Hic sensus aptus est, sed Apostoli mentem & fundum non exhaurit.

Hinc dico Tertiò, Apostolus per *præputium carnis* intelligit incircumcisionem carnis, qua scilicet quis desideria & concupiscentias carnis non resecat, non circumcidit, sed eas pronus sequitur, eisque obedit & indulget. *Tertia & genuina.*

Vbi Nota. Iudæi per circumcisionem censebant se fieri mundos, sanctos ac populum Dei. Hinc Gentes incircumcisas habebant pro immundis, pollutis & sceleratis. Inde prouerbialiter *præputium*, vel *incircumcisum* vocabant id, quod quaD uis in re immundum est. Sic sæpè Prophetæ carpunt Iudæos, quòd incircumcisum habeant cor, incircumcisas aures, linguam, oculos, &c. id est, quòd cor, aures, linguam, oculos immundis vitijs & concupiscentijs habeant obstructos & obduratos.

Illustre etiam huius rei & significationis extat exemplum Leuit. 19. 23. vbi sic dicitur: *Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinat, immunda* (hebraicè עָרְלִים *arelim*, id est, præputiata & incircumcisa) *erunt vobis, nec edetis ex eis: quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino* (id est, offeretur Domino, vt cedat in laudem Domini. vnde hebraicè est, Sanctitas laudum erit Domino) *quinto autem anno comedetis fructus congregantes poma, quæ proferunt.* *Quæ poma prohibeantur vti immunda Leuit. 19.*

Vbi

Vbi Nota, fructus qui tribus primis annis ex arbore nascuntur, vocari *præputia*, quia hac lege Mosi censebantur immundi, & Iudæis vetiti. Sicut enim puer immundus erat donec per circumcisionem auferretur ei præputium, & abijceretur; ita & arbores censebantur immundæ, vt fructu earum vesci Iudæis non liceret, donec fructus trium primorum annorum circumcisi, id est auulsi & abiecti, essent; ita vt fructus quarti anni Deo offerrētur, ac deinde fructibus quinti anni demum vesci liceret. Voluit Deus hac cæremonia & circumcisione arborum à Iudæis coli, perinde ac circumcisione puerorum; congruè tamen, & appositè ad naturam rerum: nam fructus primi arborum magis aquosi, magis insalubres & indigestibiles sūt posterioribus, vt ibidem rectè annotauit Abulensis. Sicut ergo ibi Scriptura immunditiem pomorum, vocat præputium pomorum, ita hîc immunditiem carnis & peccatorum carnalium, vocat *præputium carnis*.

Vbi rursum Aduerte. Per *carnem* intelligit concupiscentiam quamlibet, etiam in voluntate, ratione & mente residentem, qualis est concupiscentia honorum, vanæ scientiæ, curiositatis, hæresis, inuidia, ambitio, &c. vt dixi Galat. 5. 19.

DELENS QVOD ADVERSVS NOS ERAT CHIROGRAPHVM DECRETI, QVOD ERAT CONTRARIVM NOBIS] Quæres, quodnam sit hoc *chirographum decreti*?

Primò, Theodoretus respondet esse corpus nostrum, in quo infixa, & quasi inscripta erant debita, id est, peccata carnis, quæ Christus in cruce deleuit.

Secundò, alij apud Theodoretum respondent esse decalogum nos accusantem in decretis (sic enim habent Græca, non *decreti*) quæ continet & præcipit. Vnde Vatabl. *chirographum*, inquit, vocat legem siue decalogum, quòd digito Dei scriptus esset, vel quòd testificetur contra nos, & nos condemnet, sicut chirographum condemnat debitorem coram iudice. Hinc & Sixtus Senensis libr. 2. pag. 89. putat *chirographum decreti* esse verba illa Israelitarum Exodi 24. *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.* Hæc enim communis eorum acclamatio veluti ex syngrapha eos reddidit debitores totius legis seruandæ. Et Maldon. in Notis manuscr. *decreta*, inquit, vel vt græcè est *dogmata*, vocat legem Euangelicam, quæ veluti scheda est solutæ per Christum pro peccatis pœnæ: *chirographum* autem vocat legem veterem, quæ testabatur omnes gentes mortis reos esse: concluserat enim omnia sub peccato. Alludit ad duas syngraphas, quibus debitores & creditores vti solent, alteram debitæ pecuniæ, alteram solutæ; ac docet, sicut syngrapha debiti per syngraphan solutionis aboletur ac laceratur; ita per legem Euangelicam legem Mosaicam abolitam fuisse. Vide Ephes. 2. 15.

Tertiò, Anselmus censet *chirographum* hoc esse memoriam nostram, & dæmonum accusantium nos de peccatis.

Quartò, melius Chrysost. & Theophyl. censent esse pactum Dei cum Adamo, & legem hanc Adamo à Deo datam: *In quocumque die comederis ex eo* (fructu arboris scientiæ boni & mali) *morte morieris.* hoc enim quasi chirographo debito mortis obnoxij tenebamur.

Quintò, D. Thomas putat esse memoriam Dei A reseruantis peccata, in qua peccatum Iudæ, ait Ieremias cap. 17. 1. scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino. *Et dicitur Decreti*, inquit D. Thomas, *eò quòd peccatum non tantùm manet in memoria, sed etiam in decreto Dei, quo decreuit illud punire. cùm verò Deus illud remittit, non remittit sic, vt faciat quòd non peccaueris. sed sic, vt peccatum admissum deleat, quasi de sua memoria, & decreto, in quo illud reseruabat ad vindicandum & puniendum. simulq; facit vt peccatum non maneat in dæmonis memoria ad accusandum, nec in peccantis conscientia ad eum conterendum.* hucusque D. Thomas.

Sextò, Ambrosius hoc *chirographum* vult esse peccatum, & debitum Adæ ad nos propagine transcriptum.

B Septimò, & optimè, *chirographum decreti* est obligatio ad pœnam æternam iuxta decretum Dei, & sententiam damnationis in Adamum & posteros eius peccantes latam. Græcè enim est ἐν τοῖς δόγμασιν, id est, in decretis Dei; huic enim obligationi ad pœnam æternam sponte peccando quasi manu nostra subscripsimus, nosque diabolo quasi vindici hac obligatione obligauimus. Alludit ad syngraphas creditorum & debitorum, per quas metonymicè accipit ipsum debitum, quod solent syngraphæ continere. chirographum ergo hoc non est aliud quàm obligatio reatus & debitum pœnæ æternæ, ita certum & liquidum, ac si chirographo & manu nostra consignatum extaret, *Quisque*, ait Origen hom. 13. in Genes. *dum peccat, peccati sui litteras scribit.* ita Augustinus in psalm. 68. D. Thom. Gagneius & alij. Vnde Syrus vertit, *deleuit in mandatis sibi* (id est à se, vel suis) *chirographum obligationum nostrarum, quod erat contrarium nobis.*

Chirographum decreti est reatus & debitum pœnæ æternæ, quod quis dum peccat sibi ipsi scribit.

Vbi Nota, Syrum, Ambrosium, Adamum, & alios nonnullos cum Græcis legere non, *decreti*, sed *decretis* siue mandatis, sicque exponere, q. d. Paulus, Christum per decreta & præcepta Euangelica deleuisse chirographum, id est, legem Mosi, quæ nos coram Deo reos efficiebat, vt idem sit cum eo quod dixit Paulus Ephes. 2. 15. *Legem mandatorum* (Mosi) *decretis* (præceptis Euangelicis) *euacuans.* q. d. Christus per fidem & legem fidei abrogauit legem Mosi.

Verùm Romana Biblia, & alia Latina passim legunt *decreti*, non *decretis*, illudque melius cohæret. Si enim legas *decretis*, & intelligas decreta, siue præcepta Euangelij, quæ sustulerunt chirographum, id est, legem Mosi; oratio Apostoli hiulca erit & incisa: τὸ enim *decretis* interijcitur, D & diuellit chirographum à suo sequenti epitheto, *quod erat contrarium nobis.* Sensus ergo septimo loco datus optimus est, optimeque tam Græcam, quàm Latinam lectionem explicat. Cui adde, Græcum datiuum δόγμασι, id est, *decretis*, commodè per genitiuum *decretorum* exponi posse. Sic enim Hebræi sæpè datiuo pro genitiuo vtuntur, vt לְדָוִד מִזְמוֹר *mitsmor ledauid*, id est, psalmus ipsi Dauidi, hoc est psalmus Dauidis. Sic 2. Corinth. 12. ait Paulus, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, id est, *datus est mihi stimulus carni*, hoc est carnis. Sic Cato in libris de Re rustica dicit Ornamenta bobus, pro ornamenta boum, & Instrumenta rusticis, pro instrumenta rusticorum: ita hîc Chirographum decretis, est chirographum decretorum, putà obligatio ad mortem & pœnam æternam, siue sententia damnationis in

peccatores lata à Deo per sua decreta & præcepta. A

ET IPSVM (chirographum siue obligationem iam dictam) TVLIT DE MEDIO (id est, sustulit) AFFIGENS ILLVD CRVCI] q.d. Confixit hoc chirographum, & crucifixit, id est, cassauit illud & abolevit sua cruce ac morte Christus moriens in cruce. ita Theodor. Alludit ad syngraphas, quæ soluto debito cùm ad nihil amplius valent, lacerantur, aut pertunduntur, & stylo vncóue affiguntur. Ita narrat Spartianus in Adriano, Adrianum ad colligendam populi gratiam, infinitam (erant viginti septem milliones aureorum) pecuniam quæ fisco debebatur, remisisse priuatis debitoribus, eorumque syngraphas in foro Traiani combussisse. Longè plura remissa sunt & abolita per Christum.

VERS. 15. ET EXPOLIANS PRINCIPATVS, ET POTESTATES, (id est, spolians dæmones sua potestate, dominio & tyrannide in homines sibi hoc peccati chirographo obligatos & subditos) TRADVXIT CONFIDENTER PALAM TRIVMPHANS ILLOS IN SEMETIPSO] Nota verbum *traduxit*, quod sic explicat Anselmus, Christus, inquit, animas Sanctorum ex inferis traduxit ad cælum: sed græcè est ἐδειγμάτισεν, id est traduxit & circumduxit in triumpho, vti solent triumphatores hostes & prædam in triumpho circumducere, ostentare, & omnibus spectanda exhibere. Sic Christus quasi triumphator suos hostes, scilicet dæmones, sua potestate, quam habuerant in homines, iam deiectos, & à se victos in triumphum duxit, Deoque & angelis ostentauit, vt vertit Ambros. Piè S. Bernard. epist. 190. ad Innocent. Pontif. citans hunc locum Apostoli: *Vtinam*, inquit, *ego inueniar in his spoliis quibus spoliata sunt contraria potestates, traductus & ipse in possessionem Domini. Si me insecutus Laban arguerit quòd recesserim clàm ab eo, audiet me clam accessisse ad eum, & ob hoc clàm me recessisse.* Per Laban accipit diabolum, vnde subdit: *Subiecit me illi causa secretior peccati, subduxit me illi ratio occultioris iustitiæ.* Addit Theodor. Ostendit, inquit, Christus sua victoria & triumpho hominibus, quàm imbecilles sint dæmones, quamque facilè sua ope eos vincere possint. Vnde August epist. 59. Græcam vocem ἐδειγμάτισεν, vertit, *exemplauit*, id est, publicum exemplum omnibus spectandum & cauendum statuit, vt omnes hoc exemplo discant non resistere Christo, Christo se subdere, & obedire: Syrus verò vertit, וַאבְהַרַת אִנּוּן *vabehet enun*, id est, *& confudit eos.* Sic Numer. 25. 4. Dominus dicit ad Mosem, *Tolle cunctos principes, & suspende eos contra solem in patibulis.* Vbi pro *suspende* Septuag. vertunt παραδειγμάτισον, id est, in exemplum propone principes; nimirum vt ijs, qui fornicationis & idololatriæ Beelphegor participes, vel duces fuerunt, suspensis, cæteri omnes timeant & caueant.

Quid ἐδειγμάτισεν, id est traduxit

Secundò, pro *confidenter palàm*, græcè tantùm est, ἐν παῤῥησίᾳ, id est liberè, confidenter, audacter, & palàm. Vnde Ambros. vertit, *in auctoritate.* Maldonat. censet τὸ *palàm*, additum ab aliquo sciolo versionem corrigere volente, quia non est in Græco: verùm omnes codices habent τὸ *palàm.* Dico ergo τὸ *palàm* includi in τῷ *triumphans*: triumphus enim fit palàm & publicè. Imò Beza τὸ ἐν παῤῥησίᾳ vertit, *traduxit palàm*: nam ἐν παῤῥησίᾳ significat liberè, intrepidè, palam, publicè, neminem veritus.

Tertiò, *triumphans illos*, id est, triumphum agens de illis; vel illos, scilicet dæmones, in triumphum ducens.

IN SEMETIPSO] Id est, per semetipsum, per suam virtutem & victoriam, non ab angelis, sed à se & suis viribus partam.

Nota. Pro *in semetipso*, græcè est, ἐν αὐτῷ, quod cum spiritu aspero, idem est quod ἐν ἑαυτῷ, id est, in semetipso, vt vertit Noster, Syrus, & alij: cum spiritu verò leni, significat, In ipso, & tunc referri potest ad σταυρῷ, id est *cruci*, quod præcessit. σταυρὸς enim, id est crux, græcè est masculini generis; q.d. In ipsa cruce triumphauit Christus de suis hostibus, adeò vt crux fuerit triumphalis currus Christi. ita Theophyl. Vnde Origenes hom. 8. in Iosue docet in cruce Christi diabolum esse crucifixum, ita nimirum vt in cruce Christi duo fuerint affixi, putà Christus visibiliter, sponte sua, & ad tempus; diabolus autem inuisibiliter, inuitus & in æternum eius opprobrium. Idque probat ex hoc loco Apostoli, vbi Paulus vtitur metaphora triumphi, indicare volens, crucem esse currum triumphalem, in cuius summa parte sedet Christus triumphans, & in parte ima trahitur diabolus alligatus, & ostentatur quasi in pompa. Id enim significat Græcum ἐδειγμάτισεν & θριαμβεύσας. Origenes enim explicans illud Iosue 8. 29. vbi Iosue dicitur suspendisse regem Hai in ligno (pro quo Origenes legit in gemino ligno) allegoricè ita de Christi cruce philosophatur: *Domini nostri Iesu Christi crux gemina fuit, hoc est, gemina ratione & duplici constat. Quia visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est, inuisibiliter verò in ea cruce diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruci. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? Quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio affigens crucis suæ, exuens principatus & potestates traduxit liberè triumphans eas in ligno crucis. Ergo duplex Dominicæ crucis est ratio, vna illa, qua dicit Petrus quòd Christus crucifixus nobis reliquit exemplum; & hæc secunda, qua crux illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus.* Deinde idipsum probat & declarat per aliam Pauli sententiam ita dicens: *Ideoq; & Paulus dicebat, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vides quia & hic Paulus duplicem crucis prodidit rationem. Duo enim sibi contraria dicit esse crucifixa, se sanctum, & peccatorem mundum, ad illam formam sine dubio quam diximus Christi & diaboli. Nos enim mundo crucifigimur tunc, cùm veniens princeps huius mundi in nobis non inuenit quidquam; & nobis mundus crucifigitur, cùm peccati concupiscentias non recipimus.* Obijcit deinde sibi Origenes, si diabolus crucifixus est, quomodo videmus eum tot fidelibus prævalere? ac respondet. *Intelligendum*, inquit, *est quòd diabolus victus est quidem, & crucifixus, sed ijs qui cum Christo crucifixi sunt; omnibus autem credentibus & vniuersis pariter populis tunc erit crucifixus, cùm complebitur illud, quod dicit Apostolus; Quòd sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur.*

In cruce triumphauit Christus quasi in curru suo triumphali.

In cruce crucifixa est Christi diabolus inuisibiliter.

NEMO ERGO VOS IVDICET] id est reprehendat, vel damnet: sic enim per metalepsin κρίνομαι, ponitur pro κατακρίνομαι, id est iudicare, pro iudicando condemnare.

IN CIBO, AVT IN POTV] Id est, in delectu & abstinen-

tinentia ciborum & potuum Iudæis præscripta, Leuit. 11.

VERS. 17. AVT IN PARTE DIEI FESTI, AVT NEOMENIÆ, AVT SABBATORVM: QVAE SVNT VMBRA FVTVRORVM, CORPVS AVTEM CHRISTI] Nota cum S. August. epist. 59. coniunctionem illatiuam, *ergo*, significare hæc inferri ex præcedentibus. Dixit enim v. 6. & sequenti in vno Christo debere esse fidem & conuersationem nostram, in quo, vt ait v. 11. *circumcisi sumus circumcisione non manu facta, in baptismo*. Inde iam infert non esse audiendos Iudaizantes, qui ciborum delectum, & dies festos à lege vetere præscriptos, ac consequenter cæteras legis veteris cæremonias (has enim omnes per synecdochen ex vna alteráve ciborum & festorum specie intelligit) Christianis obseruandas esse docebant.

De Iudaicis enim ieiunijs & festis, non de Christianis (quò Nouantes hæc torquent) agi, patet Primò, ex verbo *neomeniæ*, & *sabbatorum*; hæc enim sunt festa Iudaica, non Christiana. Secundò, ex eo quod subdit, *Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi*. q.d. Loquor de veteribus festis, quæ fuerunt vmbra festorum Christi. Tertiò, id patet ex scopo totius epistolæ, qui est agere contra Simonianos & Iudaizantes. Quartò, ita explicant Patres passim, Chrysost. Theophyl. Oecumen. Theodor. Ambros. Anselm. & August. epist. 59. ad Paulinum.

Nota. Non dicit Apostolus, In die festo, sed *in parte diei festi*, vel quòd Iudaizantes non tantùm diem festum, sed & singulas eius partes obseruari vellent; vel potiùs *in parte*, id est, vt Syrus vertit, in partitionibus festorum; quia, vt explicat Chrysost. Iudaizantes docebant, quædam festa Iudaica esse seruanda, alia negligebant, siue ex libito, & phantasia sua. q.d. Apostolus extenuans festa Iudaizantium: Frustra & sine ratione festa Iudæorum abolita partiuntur, vt alia colant, alia non colant. siue, vt Theodor. & Chrysost. quòd qui Colossis & alibi erant, longè Hierosolymis & templo abessent, ac consequenter pascha, & nonnulla alia festa celebrare non possent. Hac enim de causa Iudæi etiamnum non celebrant pascha, nec pentecosten, per sacrificium agni, aliaque quæ lex illis diebus immolari præcipit, eò quòd lex eadem iubeat illa non alibi, quàm Hierosolymis in templo, quo iam carent, immolari.

Posset Tertiò, simpliciùs accipi ἐν in *parte diei festi*; q.d. Nemo vos iudicet in hac parte, in hoc puncto, in hac materia, siue in eo quod attinet & spectat ad diem festum: sic enim vulgò loquimur, Hac parte, id est, in hoc facto, aut puncto, nemo potest me culpare. Et sic loquitur sæpè Paulus, vt 2. Cor. 3. 10. *Quod claruit in hac parte*. & c. 9. 3. *Ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte*. & c. 11. 21. *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*, id est, in hoc puncto, in hac materia.

Tropologicam explicationẽ dat Origenes homil. 23. in Numeros, scilicet Paulum dicere *in parte diei festi*, quia in hac vita tantùm pars festi, in cælo verò, vbi plenum est gaudium, totum festum agitur. *In hac vita*, inquit, *interpellamur etiamsi nolimus, ab onere carnis, pulsamur concupiscentijs eius, curisq;, & solicitudinibus tenebrarum: veniet quod perfectum est, & perfectæ festiuitati cedet festiuitas quæ ex parte est.*

Nota Secundò. *Dies festos* vocat Apostolus ipsas solemnitates annuas, putà paschæ, pentecostes, tabernaculorum, & sic distinguuntur à neomenia & sabbato, quæ erant festa communia, quolibet mense & septimana recurrentia, & ordinaria.

QVAE SVNT VMBRA FVTVRORVM, CORPVS AVTEM CHRISTI] q.d. Vmbra est similitudo corporis, ita veteres illæ obseruantiæ ciborum & festorum, similitudo erant & typus futurorum per Christũ. Opponit enim vmbram corpori, legem Euangelio, Mosem Christo. Rursum in voce *corpus*, est catachresis: *corpus* enim hîc idem est quod veritas, & soliditas illius vmbræ veteris, quæ est Christi, & per Christum allata in mundum. q.d. Rem ipsam veram & solidam per vetera festa adumbratam tenemus in Christo; cessent ergo ipsæ Iudaicæ vmbræ festorum, iam præsente veritate. Simili sensu dixit v. 9. quòd in Christo inhabitet plenitudo diuinitatis *corporaliter*.

Notat Oecum. aliquos hæc aliter interpungere, nimirum vt illa verba, *Corpus autem Christi*, referant ad sequentia, *Nemo vos seducat*. Ita legit & intelligit August. epist. 59. q.d. Nemo vos, ô fideles, qui estis corpus Christi, seducat. sed prior lectio verior & communior est.

NEMO VOS SEDVCAT] Est hîc noua periodus, ait Chrysost. sicut enim initio capitis generatim v. 8. insectatus est philosophos, v. verò 11. Iudaizantes: ita hîc speciatim v. 16. insectatus est Iudaizantium festa & abstinentias; hoc verò v. 18. insectatur philosophantium errorem & superstitionem in colendis angelis. VERS. 18. Vid hb. 1. Var. Lect. Sam. Petiti c. 9. p. 33. et Ep. 25. 90.

Nota. Pro *seducat*, græcè est καταβραβεύετω, quòd Primò, Syrus vertit, *nemo vos reos efficiat*, aut *condemnandos curet*; & Photius καταβραβεύετω exponit κατακρινέτω, id est condemnet. Sic enim Demosthenes καταβραβεύειν dicit actorem, qui reum peragit, eumque ad condemnationem postulat & perurget. Secundò, Valla & Stapulensis vertunt, *nemo proposito præmio vos ad certamen euocet*, nemo brauium vobis ostẽtet. Tertiò, Oecumenius, καταβραβεύειν, inquit, dicitur, quoties penes alium est victoria, penes alium præmium. Vnde & S. Hieron. ad Algasiam, q. 10. vertit, Nemo aduersus vos brauium accipiat. Cùm enim quis in certamine positus iniquitate agonothetæ, vel insidijs magistrorum, brauium & debitam sibi palmam amittit, καταβραβεύεσθαι dicitur. Quartò, Ambrosius vertit, *nemo vos deuincat*; Quintò, August. epist. 59. *nemo vos conuincat*. *Quid sit* καταβραβεύω *Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò.*

Verùm Nota. Sicut βραβεύω significat brauium do, præmium certaminis & victoriæ tribuo, inde enim *Brabeuta* dictus est is, qui in agone concertantium erat iudex, vt victori brauium decerneret: ita καταβραβεύειν, significat brauio debito aliquem priuare & fraudare, in capiendo brauio aliquem circumuenire, &, vt Noster vertit, seducere (præpositio enim κατὰ contrarium & oppositum verbi βραβεύω importat) nec solùm agonothetæ, sed & antagonistis conuenit, vti apud Virgilium Nisus in stadio currens Salio præmium intercipit, quod Euryalus obtineat: quo modo Pharisæi dicuntur nec cælum ingredi, nec alios ingredi sinere. q.d. Paulus: Nemo brauio vestro sese opponat, nemo brauium ac præmium vestrum intercipiat, vel auertat, nemo corona vobis præparata in indignos vos reddat, inquit Vatabl. &, vt Chrysost. cum suis, nemo præmio vestro vos defraudet. q.d. Vocati estis ad brauium cælestis gloriæ, eò procurrendum est, & eò procurrere cœpistis per fidem & religio- *Sextò.*

nem Christi; videte ne ab hoc cursu & brauio Nouantes vos auertant per fidem & superstitionem angelorum, quam inducunt.

Septimò. Denique mihi diu de hoc loco cogitanti nouus occurrit sensus, & hactenus quidem inauditus, sed qui fortè lectori magis naturalis & genuinus esse videbitur, vt καταβραβεύετω idem sit, quod, contra vos dominetur, vobis insultet, vos imperiosè regat. βραβεύειν enim, teste Budæo, propriè significat regere, dominari, imperare: κατὰ verò idem est quod contrà, vt καταβραβεύειν idem sit quod Galli dicunt *brauer* (quod à Græco βραβεύειν deductum videtur) *contre quelqu'vn*: quomodo iuuenes petulantes dicuntur *brauer la garde, ou contre la garde*, cùm vrbis custodibus & vigilibus armati insultant, imperant, dominantur. Tales enim hos Nouantes inducentes religionem angelorum fuisse sat indicat Apostolus, cùm subdit eos volentes id facere, iactare visiones suas, & esse inflatos sensu carnis suæ. hoc enim propriè est *brauer*, & *faire le braue*: superbia enim mater est hæresis, & hæretici inflati Catholicis βραβεύειν, id est insultare & dominari, volunt. Adde, sicut de Iudaizantibus dixit v. 16. *Nemo vos iudicet*, id est, quasi iudex vobis præsideat, vos iudicet & damnet: ita de hæreticis Angelicis hîc dicit, Nemo vos καταβραβεύετω, id est, nemo quasi brabeuta vos regat, vos iudicet, vobis imperiosè dominetur; vt penè idem sit iudicare, & quasi iudicem præsidere, quod καταβραβεύειν. tam enim hæretici, quàm Iudaizantes de re Christiana, Christo & articulis fidei censere, iudicare, & quasi iudices præsidere volebant. Hic enim est genius hæreticorum criticus, vt omnium velint esse censores, iudices, & quasi domini. Hoc videtur velle S. Hieronymus loco citato, vbi docet καταβραβεύειν vocem esse Cilicibus propriam. Erat enim Paulus Cilix, itaque hîc eam vertit, *Nemo vos superet.* q.d Hi Nouantes sunt superbi, tumidi, &, vt dicunt Galli, *font le braue*, voluntque sua sapientia omnes docere, omnibusque præualere & dominari; denique volunt esse brabeutæ, & quasi brabeutæ agoni Christianorum præsidere, eisque nouas leges & religiones præscribere. Agite ergo, ô Colossenses, fastum eorum explodite, nolite pati, vt contra vos insolescant, ne eos vobis, immò Christo ipsi & Ecclesiæ, βραβεύειν, dominari & imperare sinatis. Sic accipitur βραβεύειν cap. sequ. v. 15. vt ibi dicam. Nec obstat quòd κατὰ cùm significat contrà, poscat genitiuum, hîc verò habeat accusatiuum ὑμᾶς: ait enim μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβεύετω. nam ille accusatiuus ὑμᾶς non respondet præpositioni κατὰ, sed verbo βραβεύειν, quod tam accusatiuum quàm datiuum regit. Sic enim Plutarchus dicit βραβεύειν ἅμιλλαν, id est, regere certamen, & βραβεύειν δικὴν, id est, moderari iudicium, iudicio præsidere.

καταβραβεύειν est brauer, *dominari, insultare.*

Hæreticorũ genius est superbè agere & βραβεύειν.

Ab hoc sensu non dissentit Noster interpres, qui vertit, *nemo vos seducat*: vbi *seducere* non tam decipere, quàm seorsum ducere significat. q.d. Nemo vos à Christo & Ecclesia seorsim post se abducat, nemo vos sibi subdat, vt nouus quasi doctor & hierarcha ad suam sectam & cultum angelorum vos pertrahat, itaq; vobis, discipulis & catechumenis suis dominetur, quasi brabeuta. Sic enim omnes hæresiarchæ seduxerunt eos, quos sua blandiloquentia, hypocrisi & ostentatione ab Ecclesia post se pellexerunt, & discipulos abduxerunt.

A VOLENS] Θέλων, id est studio, data opera, siue de industria, inquit Erasmus; vt intelligerent Colossenses hos Nouantes malitiosè insidiari sibi. *τὸ volens quadruplicitèr exponitur.*

Secundò, S. August. epist. 59. τὸ *volens* refert ad τὸ *in humilitate*, q.d. Volens videri humilis, affectator humilitatis. sic enim Epiphan. in hæresi Dositheorum ἐθελόσοφον vocat affectatorẽ inanis sapientiæ; sic Græci vocant ἐθελοδούλους, famulos, qui obsequia dominorum affectant. Imò Africani, inquit August. Græcam vocem Latinæ miscentes θελοdiuitem vocant eum, qui diuitias affectat; θελοsapientem eum, qui sapientiam affectat. Hic accedens Ambrosius, significat, inquit, Paulus hos (Nouantes) studio per humilitatem dejicere voluisse animos hominum, ne sese erigerent ad cælestia.

Tertiò, alij θέλων volunt idem esse quod ἐυδοκῶν, id est, sibi placens in religione angelorum. B

Quartò & optimè, *volens*, id est voluntarius, volens dominari per se, & sua sponte id agens & imperans. Vbi Nota. τὸ *volens* Primò, refertur ad καταβραβεύετω, q.d. Hi Nouantes sunt imperiosi, sua voluntate volunt βραβεύειν, & dominari vobis, nolite id pati. Secundò, τὸ *volens* referri potest ad *ambulans*, q.d. Volens ambulare, vel volenter ambulans in hac falsa religione angelorum. vt sit græcismus & hebraismus; & sic *volens* idem est quod hæreticus, id est eligens, qui sponte, volenter & electione sua noua aut cudit, aut sectatur dogmata fidei veræ & receptæ aduersa. Vnde quod hîc disiunctis vocibus dicit θέλων, id est, *volens in humilitate & religione angelorum*, &c. idem v. vlt. ijsdem vocibus, sed in vnam conflatis, dicit, & vocat ἐθελοθρησκείαν, id est voluntariam, & sponte excogitatam religionem. C

Volens *eligens, Harum hæreticus.*

IN HVMILITATE] Græcum ταπεινοφροσύνη significat demissionem & humilitatem animi, vt vertit Ambros. consequenter tamen significat externam verborum, morum & gestuum modestiam & humilitatem. Vnde putat August. epist. 59. notari hîc simulatam modestiam pseudoapostolorum: sed verius videtur τὸ *humilitate*, eôdem pertinere quò τὸ *religione*, scilicet referendum esse ad genitiuum *angelorum*, qui vtrique subseruit.

Videntur enim hi Nouantes actus humilitatis, æquè ac religionis, tum internæ, tum externæ, suis præscripsisse, quibus colendi essent angeli secundùm hanc nouam ipsorum sectam & religionem angelorum. *Humilitas superstitiosa.*

ET RELIGIONE ANGELORVM] Pro *religione* græcè est θρησκεία, quæ est vox deducta à Thracibus, apud quos Orpheus religionem & cultum deorum inuenit & præscripsit, quo postea vsi sunt plerique Græcorum: οὐδὲ Θρᾳκῶν, ait Nazianzen. ὅρκια ταῦτα, περὶ ὧν καὶ τὰ θρησκεύειν, ὡς λόγος, id est, neque Thracum hæc sunt sacra, à quibus & verbum θρησκεύειν, id est religiosè colere, desumptum est, vt fertur. *Religio dicitur θρησκεία vnde.* D

Quæritur hîc Primò, quænam sit hæc humilitas & religio angelorum? *Religio angelorum damnatur quatenus?*

Respondet Melanchthon esse vitam Eremiticam, vel cælibatum, qui præ se fert imitationem angelorum.

Putat ergo Melanchthon Eremitas & cælibes hîc notari & damnari superstitionis. Secundò, Caluinus & Beza propriè putant hîc damnari inuocationem Sanctorum & angelorum, fauetq; Theodor. *Qui legem*, inquit, *defendebant, eos etiam ad angelos* *Insolida assertio hæc tam dicam.*

los colendos inducebant, dicentes fuisse legem per eos datam. Mansit autem hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque quæ conuenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos. Et in hodiernum vsque diem licet videre apud illos, & eorum finitimos oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, vtique humilitate vtentes, dicentes vniuersorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse peruenirí: & oportere per angelos diuinam sibi beneuolentiam conciliare. Hoc autem dixit, In humilitate & cultu angelorum.

Verùm dico, tantùm hîc damnari fictam humilitatem, ac superstitiosum idololatricum, quæ angelorum cultum. Ita omnes Patres, & passim Interpretes Catholici, Baronius, Bellarminus, Turrianus, Vasquez, inferiùs citâdi, ipse etiam Theodor. nam ipse se refert ad Concilium Laodicenum, quod can. 35. expressè tantùm damnat idololatriam angelorum: *Non oportet*, ait, *Christianos derelicta ecclesia abire, & ad angelos* (Bartholomæus tamen Carranza in sua Summa Conciliorum, non *angelos* legit, sed *angulos*, cuius lectionis Surius quoque in sua editione Conciliorum meminit, notans eam ad marginem: videtur enim Concilium occultam idololatriam vetare, quæ fiebat in angulis, vbi erant idola reposita, Dei ecclesia derelicta: nec enim angeli propriè sunt idola. Theodor. tamen & alij plures non *angulos*, sed *angelos* in hoc Concilij canone legunt, itaq; habet ipse Conciliorum textus: possunt enim generatim angeli dici idola, eo modo quo cultus Solis, Lunæ, & cuiusuis rei quæ non est Deus, vocatur idololatria, siue idolorum cultus.) *Non oportet*, inquam, *relicta ecclesia ad angelos abominandæ idololatriæ congregationes facere. Quicumque autem inuentus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans; anathema sit: quoniam relinquens Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei, accessit ad idola.* Vides ergo non quemuis cultum, sed tantùm adorationem & idololatriam angelorum à Concilio Laodiceno, ac consequenter à Theodoreto æquè ac Paulo hîc damnari. Idem deducitur ex præcedenti canone 34. & canone 51. eiusdem Concilij Laodiceni, vbi recipit & decernit cultum verorum Martyrum, damnatq; cultum falsorum Martyrum hæreticorum; si enim licet colere homines Martyres, idque decernit hoc Concilium, multò magis licebit colere angelos, qui naturæ nobilitate & conditione longè homines superant. Cùm ergo canone 35. damnat cultum angelorum, non cultum duliæ, sed latriæ damnat. Vnde Paulus hîc v. vltimo religionem hanc angelorum vocat superstitionem. Idem patet ex toto capite, & præsertim ex versu sequenti, vbi ait, *Non tenens caput*, scilicet Christum. Damnat ergo Paulus talem tantùm angelorum cultum, qui Christum, Christique cultum excludat, quique homines à Christo ad homines abducat, & pro Christo angelos substituat, vti expressè docet Concilium Laodicenum, Chrysost. Theoph. & Oecum. passim toto capite. Deniq; Theodor. ab hoc Nouantium errore & societate planè se liberat in cap. 4. Danielis, & Diuin. decret l. 5. de angelis, vbi constanter affirmat angelos esse venerandos quasi æternæ salutis administros, qui apud Deum pro nobis intercedant, nostramque causam agant.

Sed quis ille fuit angelorum cultus, quem Paulus hîc insectatur? Varij varia hîc afferunt. Alij putant damnari hîc à Paulo idololatriam Gentilium, qui genios suos colebant, vnde & eorum gratia natalitios dies celebrabant; patet ex Censorino libr. de Die natali, & Macrobio in Saturnalibus. aut certè damnari hîc idololatriam magorum, qui in magicis non tantùm dæmones, sed & angelos se inuocare profitebantur, teste Tertull. Apologet. 23. ita Anselmus & Turrianus; vti modò sagæ suis etiam confessarijs inexpertis subinde imponunt, dum eis suas angelorum (hoc est, dæmonum) visiones, & melodias fictitiè enarrant. Fauet huic interpretationi, quòd Apostolus sæpè agat contra Simonis hæreses tunc exorientes: Simon autem hic fuit magus; coluit ergo angelos, id est dæmones.

Prima sent. damnari hîc Gentiles qui genios suos colebant.

Potest Secundò, cum Hieronymo ad Algasiam qu. 10. Clemente 6. Stromat. & Ambrosio accipi de idololatria Iudæorum, qui Solem, Lunam, omnemque cæli militiam, hoc est astra & angelos, adorabant, fortè putantes (quod Pythagorici censuerunt, quodque Pharisæos sensisse tradit Epiphan. libr. 1. c. 16.) astra esse animata. Vnde & Ambrosius hîc per religionem angelorum, cultum stellarum accipit. Sed quia incertum est an tempore Christi Iudæi fuerint idololatræ saltem publici; imò tunc Iudæos non fuisse idololatras docet R. Samuel Marochianus, lib. de Aduentu Messiæ, & alij permulti. rursum, quia passim hisce epistolis, & hoc præsertim cap. Paulus insectatur hæreticos;

Secunda, damnari hîc Iudæos qui astra & angelos adorabant.

Hinc Tertiò, alij per religionem angelorum intelligunt iudaismum & religionem Iudaicam, quæ humilis fuit & abiecta in carnalibus victimis, cæremonijs & lustrationibus corporalibus. vt sit hendyadis: *Nemo vos seducat in humilitate & religione angelorum*, id est, in religione humili angelorum, putà in iudaismo, qui datus est Mosi per angelos in Sina, Galat. 3. 19. quasi Apostolus velit Colossenses à Iudaicis cæremonijs auertere & deducere ad Christum. De iudaismo enim præcessit: *Nemo*, inquit, *vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum.* Et sequitur v. 21. *Ne*, inquit, *tetigeritis, neque gustaueritis.* Verùm cùm sæpè hîc & alibi iudaismum insectetur Apostolus, nusquam tamen eum vocat religionem angelorum. Et quorsum tam obscurè iudaismum significaret, cùm verbis præcedentibus iam citatis, clarè eum cauendum monuerit & expresserit? Idem multis alijs quæ paulò pòst afferam, refutari potest. Aliam ergo hîc sectam à iudaismo, de quo v. præc. insectatur Apostolus.

Tertia, religionē angelorum esse legem Iudaicā, quæ per angelos data est in Sina.

Quapropter Quartò, verisimilius videtur eum arguere hæreticos semiiudæos, inquit Theodoret, & semiplatonicos, idque colligi videtur ex v. 8. 16. & 20. Sicut enim Plato, teste Augustino l. 8. de Ciuit. cap. 12. & seqq. deos quosdam ponebat medios: ita Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus, Basilides, Sethiani, Caiani, angelos ponebant quasi minores deos, qui homines mundumque fabricassent, & per Prophetas locuti essent. Imò Cerinthus angelos aiebat Christo, vtpote puro homine, esse nobiliores, tum quòd sunt puri spiritus, tum quòd censebat eos esse mundi opifices, adeoque Deum Hebræorum, qui eis legem dederat in Sina, angelum fuisse asserebat. Vnde contra hos Apostolus toties hîc, & Ephes. c. 1. & Hebr. 1. super angelos extollit Christum, facitque Christum opificem omnium. Hac de causa quoque Apoc. 19. 22. noluit angelus adorari à Iohanne. Testes horū sunt

Quarta, damnari hîc Simonem & Cerinthū, qui angelos colebant quasi minores deos mundi opifices.

Clemens l. 6. Const. c. 10. Epiphan. in hæresi Simonis, Menandri, Cerinthi, & aliorum iam dictorum, Irenæus l. 1. c. 20. & seqq.

Obiectio soluitur.

Dices, Idem hæretici Simoniani docebant angelos malè sua potestate esse vsos, maleque orbem rexisse, ideoque à Deo redactos esse in ordinem; neque adorationis eorum meminerunt. Respondeo, quòd malè mundum rexerint, & redacti sint in ordinem, aliqui ex Simonianis dixerunt, non omnes: verùm qualescumque ipsi angelos finxerint (errantes enim & mendaces facilè sibi contradicunt) finxerũt pariter eos esse quasi minores deos, opifices & gubernatores hominum & mundi; imò aliquos ex eis, putà Principatus & Potestates, esse animarum purgatores, saluatores & mediatores ad Patrem, loco Christi, eoque excluso.

Ita Epiphan. in hæresi Simonis docet Simonem Magum docuisse animas purgari per nomina certa Principatuum & Potestatum in singulis cælis habitantium, perque sacrificia & ieiunia ijs, & per eos, Deo oblata. Sic enim loquitur Epiphan. *Idem* (Simon) ait, *nomina quadam supponit Principatuum & spirituum, cælosq; diuersos tradit, & in vnoquoque firmamento, ac in cælo virtutes quasdam exponit, & nomina barbarica his indit: non posse verò aliter seruari aliquem, nisi hunc mysticum ductum didicerit, & alia sacrificia patri vniuersorum per eos Principatus & Potestates obtulerit.* Hæcque illi est animarum purgatio, quam Apostolus vni Christo attribuit.

Idem Epiphan. in hæresi Caianorum expressè inuocationis angelorum meminit, qua Caiani vtebantur in rebus turpibus. Hæc sententia probabilis est; verùm paulò generalior est. Est enim communis omnibus gentibus quas Simonis & Cerinthi hæresis peruasit, non propria Colossensibus, de quibus tamen speciatim proprij aliquid hîc videtur dicere Apostolus. Adde, Cerinthum, qui præ reliquis angelos Christo præponebat, adeò angelum Iudæorum, quorum legem ipse colebat, non adorasse, vt potiùs, teste Epiphan. eum malum esse diceret, & detestaretur.

Auctoris sententia, damnari hîc propriè hæreticos Angelicos, qui pro Christo angelos ponebãt mediatores.

Quare mihi sæpè accuratiùs hunc locum expendenti hæc veriora sunt visa, quæ ex ipso Apostolo colligi possunt. Primò hanc hæresim & religionem angelorum ortam esse à Philosophis. id enim Paulus initio præmuniens & sternens viam ad hanc hæresim confutandam v. 4. significat, dicens, *Nemo vos decipiat in sublimitate sermonum*; & v. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam.* Philosophi hi Platonici fuisse videntur, qui deos medios animarum purgatores confinxerunt, vti iam dixi ex August.

Secundò, certum est hunc errorem in eo situm fuisse, quòd dicerent angelos digniores esse Christo, & præ Christo excellentiori & peculiari ritu colendos esse, tamquam ipsi seruatores essent & mediatores hominum, non autem Christus: hoc enim est quod hîc ait, *Non tenens caput*, Christum scilicet.

Et hac de causa dignitatem & præeminentiam Christi super angelos tam studiosè c. 1. & alibi inculcat Apostolus. eaque est communis sententia Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen. & aliorum.

Origo haæ sit huius.

Tertiò, origo & occasio huius erroris videtur fuisse hæresis Cerinthi, qui in Christo Deum diuidebat ab homine, dicebatque Iesum fuisse purum hominem, sed in eum descendisse Christum Dei Filium, ac in passione rursum ab eo in cælum recessisse. Inde enim inferebat Iesum inidoneum & indignum esse mediatoris Dei & hominum officio; cumque ipse Deus & Dei Filius mediator esse non possit, necessariò consequi, angelis, qui inter Deum & homines natura sunt medij, hoc mediatoris officium vti debitum, ita & tributum esse à Deo.

Quartò, ex hoc dogmate Cerinthi & Platonicorum, nonnulli similes nouorum dogmatum studiosi Colossis & Laodiceæ, quæ Colossis adiacet, videntur commenti nouam sectam & religionem angelorum, vt docet hîc Theodor. nimirum vt excluso Christo docerent angelos habendos & colendos quasi mediatores hominum, modoslq; eos inuocandi, ac per ieiunia & abstinentias superstitiosas sibi conciliandi præscriberent.

Fuisse hanc peculiarem hîc hæresim probatur tribus rationibus.

Id probatur Primò, quia nusquam alibi Apostolus, aut quis alius facit mentionẽ huius religionis angelorum, nisi in epistola hac ad Colossenses: ergo verisimile est peculiarem hanc ibi fuisse sectam. Imò in epist. ad Ephesios, quam sub idem tẽpus scripsit, & in epist. ad Hebræos, vbi studiosè super angelos Christum extollit, huius religionis & superstitionis angelorum non meminit; cùm tamen ibi, & alibi sæpè Cerinthum insectetur, vti iam dixi. Fuit ergo hæc propria hæresis à Cerinthi hæresi diuersa, licet ex eius principijs deducta.

Secundò, quia Laodiceæ, quæ Colossis vicina est, hæc hæresis viguit, vti docet Concilium Laodicenum can. 35. iam citato; si lectionem Theodoreti & plurium aliorum sequamur, vocaturque idololatria, quæ non palàm, sed occultè fieret. Fuit ergo peculiaris hic cultus & superstitio angelorũ, quam Theodor. quoque in Phrygia & Pisidia, id est iuxta Colossas & Laodiceam, viguisse testatur.

Probatur Tertiò, quia hanc religionem describens hîc Apostolus dicit eam sitam in humilitate, id est, in humili gestu se prosternendi & adorandi angelos; subdit deinde eam iactare falsas angelorum visiones. Rursum non tenere caput, id est, Christum excludere, vt angelos suum statuant caput. Tertiò, vocat ἐθελοθρησκείαν, id est, confictam religionem & superstitionem. Quartò, eius præcepta explicat, dicens: *Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis.* Reliqua eorum dogmata ac ritus, cùm neque Paulus, neque quisquam alius recenseat; nos diuinare non possumus. Quintò, videntur hi fuisse hæretici ijdem cum ijs, qui ab Epiphanio, Augustino & alijs passim vocantur Angelici. hos enim omnes qui de ijs scribunt, ponunt distinctos à Simonianis, Cerinthianis, alijsque hæreticis: & horum antiquissima hæresis non videtur fuisse alia, quàm hæc superstitiosa religio & cultus angelorum; indeque nomen sumpsisse videntur, vt vocarentur Angelici. Ita S. August. hæresi 39. *Angelici*, ait, *in angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius iam omnino defecisse testatur.* Et Gabriel Prateolus in Catalogo hæresum: Angelici, inquit, dicti sunt ex eo quòd angelos adorarent. Ponit ipse eos sub annum Christi 199. fortè quòd excisi aut retusi hîc à Paulo, sub annum illum posteà reuigauerint, & rursum maiori augmento succreuerint. Idem testatur Alfonsus à Castro l. de Hæres. verbo *Idololatria*; quamquam Epiphan. dicat ignorari, an Angelici sint dicti ab angelorum cultu, an ab Angelina vrbe, an quòd angelicam puritatem præsumerent.

Quinta Angelici hæresis.

Deni-

Denique Aduerte hîc, Colossis superstitionem hanc postea in sinceriſſimum angelorum cultum esse versam. Patet ex celebri illo S. Michaelis templo, quod erat Chonis (ita postea dictæ sunt Colossæ, vt patet ex Theophyl. & Oecum. hîc, atque ex Niceta Choniata, l. 6. Annalium, initio) cuius festũ ex celebri miraculo eiusdem Archangeli consignant Græca Menologia 6. Septembr. Vide notationes Baronij ad Rom. Martyrologiũ, die 8. Maij. Oratoria verò S. Michaelis, quæ tempore Theodoreti (vt ipse narrat) Colossis visebantur, incertum est qualia fuerint, & quorum: an hæreticorum, quos suggillat hîc Paulus; an Catholicorum, superstitionem hæreticorum reformantium.

QVÆ NON VIDIT AMBVLANS] Id est, vt clariùs vertit Hieron. ad Algas. q. 10. & Vatabl. *In ijs quæ non vidit fastuosus incedens.* Hoc enim est ἐμβατεύων: quod dicitur à tragicis cothurnis, qui ἐμβάδες dicuntur; quòd in his sublimes & fastuosi incedant, qui regem aut Deum agunt in tragœdia, inquit Erasmus.

Secundò, S. Augustin. epist. 59. vertit, *ea quæ non vidit inculcans.* Tertiò, Ambros. legit, *ea quæ vidit extollens*, ablata negatione *non*. Quartò, verti posset ex Budæo & Hesychio, *in ijs quæ non vidit pedem ponens*, eáque occupans & possidens: ἐμβατεύειν enim per θ aliquando, inquit Hesychius, idem est quod occupare, putà locum, domum, hereditatem; sed hîc non per θ, sed per τ scribitur. Primus ergo sensus maximè Græco conuenit. Hisce verbis insinuat Paulus hosce Nouantes fictas angelorum visiones & reuelationes iactasse. ita Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 19. Sic feciſſe Cerinthum testatur Theodor. l. 2. Hæret. fabul. c. 4. Sic de Iuda Galilæo tradit S. Anastasius Antiochenus l. de Varijs quæstionibus Scripturæ, quem ὁδηγὸν inscripsit, eius dogma fuisse profiteri phantasias, siue visiones angelorum, prætextu religionis. Sic Numa Pompilius iactabat se à dea Egeria edoceri. & Mahometes suis persuasit se suam legem & Alcoranum à Spiritu sancto accepisse per columbam, quam circumuerat & assuefecerat ad aurem suam aduolare, vt videretur ei in aurem loqui, & mysteria suæ sectæ suggerere.

FRVSTRA INFLATVS SENSV CARNIS SVAE] Id est, frustra superbiens sensu & mente (græcè enim est νοὸς) sua carnali, quasi cognitionem, imò visiones habeat rerum sublimium, putà angelorum, rerumque cælestium. Vocat scientiam horum erronum carnalem, quia humano carnalium hominum spiritu adinuenta & tradita erat.

ET NON TENENS CAPVT (scilicet Christum, sed pro Christo angelos substituens. ita Theodor. Anselm. & alij) EX QVO (capite Christo) TOTVM CORPVS (Ecclesiæ) PER NEXVS ET CONIVNCTIONES SVBMINISTRATVM (id est, subministrationem accipiens spiritus, motus & sensus vitalis à capite) ET CONSTRVCTVM, CRESCIT IN AVGMENTVM DEI] q. d. Sicut spiritus vitalis, qui ad vitam, sensum & motum est necessarius, à capite in totum corpus per neruos, iuncturas & articulos diffunditur, itaque singulis membris facultatem sentiendi & mouendi impertit; sic spiritus gratiæ à Christo quasi capite in membra illi connexa, putà in fideles Christianos, per iuncturas mutuæ vnionis & charitatis deriuatur, illisque spiritalem vitam & motum suppeditat; itaque totum Ecclesiæ corpus crescit in augmentum Dei, id est, vt Syrus, crescit augmento Dei, putà incremento fidei & spiritus Dei. ita ex Chrysostomo Theophyl. Similis, imò idem, est hîc locus cum illo Ephes. 4. 16. de quo plura ibidem dixi.

SI ERGO MORTVI ESTIS CVM CHRISTO AB ELEMENTIS HVIVS MVNDI: QVID ADHVC TAMQVAM VIVENTES IN MVNDO DECERNITIS] Vers. 20.

Nota Primò, *mortui estis ab elementis*, id est, mortui estis elementis.

Secundò, *elementa mundi* vocat vel legem Mosis (quæ quasi rudimenta docebat fidei & vitæ sanctæ, cuius perfectionem docet Christus, vt dixi Galat. 4. v. 3. & 9.) vel potiùs principia & dogmata Philosophorum carnalium & mundanorum de cælis, angelis, eorumque cultu & ritibus ac obseruantijs carnalibus & mundanis, vt quæ Plato & Simon, atque Angelici docuerunt de purgationibus animarum per angelos, quæ nihil habent consentaneum cum Scriptura, fide, Christo: hæc enim *elementa mundi* v. 8. vocat *philosophiam & inanem fallaciam*, vt ibi dixi. rursum vocat ea v. 22. *præcepta & doctrinas hominum*: ergo de dogmatibus hisce Philosophorum loquitur, non de præceptis legis Mosi: hæc enim non hominum, sed Dei fuerunt præcepta.

Tertiò, *viuentes in mundo*, id est, in elemẽtis (hoc enim breuitatis studio ex proximè dictis repetendum relinquit) mundi vocat Philosophos, eorumque assecias, qui secundùm elementa iam dicta viuunt, angelosque colunt.

Quartò pro *decernitis*, græcè est δογματίζεσθε, quod vel actiuè verti potest dogmatizatis, docetis, decernitis; vel passiuè cum Chrysost. dogmatizamini, docemini, decretis tenemini horum elementorum mundi. q. d. Cùm per Christum mortui sitis & renunciaueritis omni sectæ & philosophiæ mundanæ Christo contrariæ, quæ non secundùm Deum, sed secundùm elementa mundi, id est, secundùm principia naturalia & mundana viuere docet; cur iterum ea repetitis, quasi rursum secundùm hæc mundi elementa viuere velitis? Perperam ergo Beza δογματίζεσθε vertit, *ritibus onerамini*, aliud enim est dogma, aliud ritus.

τὸ decernitis *dupliciter exponitur.*

DECERNITIS (dicentes scilicet id quod sequitur) NE TETIGERITIS, NEQVE GVSTAVERITIS, NEQVE CONTRECTAVERITIS] Vers. 21.

supple, hoc cadauer, hanc menstruatam; ne polluamini, iuxta legem Mosi: *neque gustaueritis*, scilicet carnem suillam, alioſque cibos lege veteri vetitos & immundos. q. d. Lex illa vetus iam abolita est; quid ergo eius cæremonias obseruandas esse creditis & decernitis? ita Chrysost. Theoph. & Ambros.

Secundò, & germaniùs, q. d. Quid ex hæresi & religione angelorum decernitis his illisve cibis, aut creaturis esse abstinendum, dicentes, v. g. Ne tetigeritis vxorem, ne gustaueritis vinum aut carnem, quia hæc à malis angelis creata sunt, & bonis angelis displicent. De quo plura 1. Timoth. 4. 2. hæc enim, vt dixi v. præced. non tam ad Iudaizantes, quàm ad Philosophos & religionem angelorum, de qua proximè præcessit, pertinent; vt docet S. Augustin. & Hieron. suprà, & Tertull. 5. contra Marcion. 19. *Taxat*, inquit, *eos qui ex visionibus angelicis, quasi de angelica superstitione docebant certis cibis abstinendum esse.* Et Clemens l. 4. Stromat. *Colentibus*, inquit, *angelos & dæmones curæ est vino, esu carnis, & venere abstinere.*

QVAE SVNT OMNIA IN INTERITVM IPSO VSV, SECVN- Vers. 22.

Quæ observationes & abstinentias hîc damnet Apostolus.

SECVNDVM PRAECEPTA ET DOCTRINAS HOMINVM] q.d. Quæ obseruantiæ superstitiosi cultus angelorum iam dictæ interitum adferunt & damnationem æternam ijs qui ea obseruant, in ijsq; & in suis angelis, quos ita colunt, sperant, non autem in Christo. ita Ambros. & August.

Secundò S. Hieron. & Chrysost. cum suis, referunt hæc ad Iudaicas obseruantias, de quibus dixit v. 16. *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu.* q.d. Frustra anxiamini circa Iudæorum ac iudaismi cibum ac potum, quæ intereunt, corrumpuntur, & in secessum emittuntur. Sed prior sensus genuinus est, vt patet ex dictis. Hinc patet quæ hîc vocet & damnet præcepta & doctrinas hominum; nimirum vana, futilia, erronea, hæretica fanaticorum aut errantium hominũ commenta & somnia, vt dixi v. 8.

VERS. 23. QVAE SVNT RATIONEM QVIDEM HABENTIA SAPIENTIAE IN SVPERSTITIONE, ET HVMILITATE] Pro *superstitione* græcè est ἐθελοθρησκείᾳ, quod Turrian. l. 5. pro epist. Pontif. cap. 7. contrariè vertit, scilicet religionem & verum Dei cultum, q.d. Paulus: Abstinentia à cibis iam dicta licet impietas sit & insipientia, si ob somnia hominum & fabulas angelorum superstitiosè fiat; est tamen sapientia, si ad ἐθελοθρησκείαν, id est veram religionem & Dei cultum, referatur, videlicet ad humiliandam animam in ieiunio, & ad corpus castigandum, spirituique subdendum. Verùm ἐθελοθρησκεία, non veram religionem, sed falsam & superstitiosam significat. Componitur enim ex θέλω, id est volo, & θρησκεία, id est religio. q.d. Voluntaria, & ex cerebro conficta religio. Vnde Hieron. ad Hedibiam, falsam religionem interpretatur: Ambros. superstitionem: sic & Chrysost. Theoph. Theodor.

Quid ἐθελοθρησκεία.

Nota Secundò. Pro *rationem* græcè est λόγον, quod Vatabl. vertit *speciem*; Chrysost. *sermonem*; Noster, *rationem*. q.d. Paulus: Falsa hæc religio, siue superstitio angelorum, qua abstinentijs & obseruantijs à se confictis, vti iam dixi, colunt angelos quasi mediatores, excluso Christo, videtur afferre rationes & sermones sapientes, & quasi à Deo, vel angelis profectas, quas in speciem pietatis obtendunt suæ superstitioni: dicunt enim se id facere ad humilitatem, modestiam, corporis afflictionem & subiectionem. Et hoc est quod ait, *In humilitate*, scilicet ficta & superstitiosa: τὸ enim ἐθελο, hîc repetendum est, vt sicut dixit ἐθελοθρησκείαν, sic pariter ἐθελοταπεινοφροσύνην, id est, tam humilitatem, quàm religionem voluntariam, & ex proprio cerebrò & voluntate confictam intelligat.

Quid ἀφειδία σώματος.

ET NON AD PARCENDVM CORPORI. Græcè πρὸς ἀφειδίᾳ σώματος, id est, imparcentia corporis. q.d. Hi Nouantes speciè sapientiæ & pietatis prætexunt sua simulata humilitate & abstinentia, ac vitæ austeritate, qua corpori non parcunt, sed illud immoderatè & superstitiosè affligunt: NON IN HONORE AD SATVRITATEM CARNIS] id est, negato corpori honore, vel subsidio necessario ad famem exsaturandam. Honor enim Hebræis non tantùm verbalis, aut cæremonialis, sed & realis est, qui non est aliud, quàm necessariarum rerum, vel opum subministratio. Dicit hæc Paulus reprehendendo Nouantium superstitionem & stultitiam ex commiseratione, quòd nimirum ob fabulas & somnia sua, quasi angelos culturi, superstitiosè & sine fructu, imò cum damno corporis & animæ se ieiunijs & pœnitentijs conficerent.

Hæc ergo est angelorum, quæ hîc ab Apostolo damnatur, ἐθελοθρησκεία, id est voluntaria religio, ex sola propria, vel Simonis, vel Cerinthi, vel Angelicorum voluntate & phantasia adinuenta, præter, imò contra Christum & legem Dei; ideoque, teste Paulo, erat doctrina hominum, ac consequenter falsa & mera superstitio.

Quæ sit vera religio.

Omnis enim vera religio, omnisque verus Dei cultus voluntate Dei siue præcipientis, siue consulentis, siue approbantis, vel per se, vel per suam Ecclesiam, suosque in terris vicarios, institui debet. Hæc ergo angelorum religio, humilitas & abstinẽtia erat superstitiosa; Primò, quia à Cerintho & Angelicis conficta erat contra legem Dei. Secundò, quia angelos adorabant quasi minores deos, opifices & gubernatores mundi. Tertiò, quia eos colebant quasi mediatores & purgatores animarum, loco Christi, Christoque excluso. Quartò, quia fingebant se angelos vidisse, qui præciperent hunc cultum, humilitatem & abstinentiam immodicam. Sic dæmon hodie multis in specie angeli illudit, vt corpus nimijs pœnitentijs & ieiunijs conficiant; imò aliquibus, vt se occidant. Hunc esse sensum & mentem Apostoli patet ex dictis, & ex scopo illius: tota enim epistola non Monachos Christianos, sed hæreticos Iudaizantes & pseudophilosophos insectatur, ita Hieron. suprà, August. epist. 59. Theodor. Chrysost. & alij passim, & nouissimè Gabriel Vasquez l. 3. de Adoratione c. 6. Hinc clarè patet præcepta & consilia Euangelica, eaque quæ ex eis deducuntur; putà constitutiones monasticas & Pontificias, voluntarias abstinentias & pœnitentias non esse ἐθελοθρησκείαν & superstitionem, vt vult Kemnitius, Marloratus & Beza; sed esse θεοθρησκείαν, verumque Dei cultum: quia tenent caput, putà Christum, & consentanea sunt diuinæ voluntati, qua Deus per Christum in Scriptura præcipit, vel consulit sui abnegationem, mortificationem, contemptum, paupertatem, abstinentiam, eaque probat Ecclesia (quæ Scripturæ & voluntatis Dei est interpres) quasi instituta secundùm Euangelium, valdeque apta ad fouendam & augendam animi humilitatem, religionem, charitatem & pietatem.

Cultus legitimus Sanctorum non est ἐθελοθρησκεία.

Denique perperam Caluinus cultum reliquiarum Sanctorum vult esse ἐθελοθρησκείαν; tum quia de eo non loquitur hîc Apostolus, tum quia rationi, Scripturæ & voluntati Dei consentaneum est, vt honoremus Sanctos, eorumque corpora, quasi templa Spiritus sancti: vult enim Deus ita Sanctos quasi amicos & filios suos à nobis honorari, non ergo hic cultus potest vocari voluntaria & contra legem Dei conficta religio; sed potiùs pura & grata Deo religio, qui enim Sanctos eorumque reliquias honorat, honorat Deum qui omnis sanctitatis eorum est auctor; sicut qui filios & principes regis honorat, regem ipsum honorat.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur ad studium & desiderium rerum cælestium; inde ad mortificationem vitiorum, vers. 5.

Et v. 10. ad renouationem mentis per misericordiam, humilitatem, patientiam.

Tertiò, v. 14. præ omnibus commendat charitatem, pacem, cantica spiritalia, vtq; omnia faciant ad gloriam Christi.

Denique v. 18. inculcat eis sinceram obedientiam, quam vxores maritis, filij parentibus, serui dominis non ad oculum, sed ex animo præstare debent.

1. IGitur, si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: 2. quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. 3. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. 4. Cùm Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. 5. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus: 6. propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: 7. in quibus & vos ambulastis aliquando, cùm viueretis in illis. 8. Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. 9. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, 10. & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius, qui creauit illum. 11. vbi non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus. 12. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: 13. supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. 14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: 15. & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. 16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. 17. Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. 18. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. 19. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. 20. Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. 21. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. 22. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentibus, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. 23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: 24. scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo seruite. 25. qui enim iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.

IGITVR, SI CONSVRREXISTIS CVM CHRISTO: QVÆ SVRSVM SVNT QVÆRITE, VBI CHRISTVS EST IN DEXTERA DEI SEDENS] Est hîc altera epistolæ pars ethica, qua à dogmatibus transit ad mores, incitatq; Christianos ad vitã Christo dignam, à vitijs puram, sanctam & cælestem transigendam.

Nota, τὸ *igitur* est illatiuum ex dictis c. præc. ibi enim docuit nos in baptismo cum Christo resurrexisse. inde hîc infert: ergo nobis agenda est vita cælestis.

Secundò, vox *si*, non est dubitantis, sed potiùs asserentis, valetq; idem quod *quandoquidem*.

Tertiò, baptismus est typus mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi, vt ex Apostolo docui Rom. 6. 3. ipsa enim demersio hominis in aquam significat Christi demersionem in mortem & sepulchrũ: ipsa verò emersio hominis iam baptizati ex aqua, A significat Christi emersionem ex morte & sepulchro, id est resurrectionem. q. d. Quandoquidem, ô Christiani Colossenses, cum Christo capite vestro resurgente à mortuis, vos in baptismo, qui typus est mortis, sepulchri & resurrectionis Christi, ex infidelitate, superstitione, peccatis & vitijs emersistis ad vitam nouam, Christianam & beatam inchoandam; *quærite* mente & studio, omniq; cura, solicitudine & conatu non bona terrena, quæ deorsum, sed ea *quæ sursum sunt*, id est æterna bona, scilicet gloriam cælestem (in qua Christus est, vobisq; locum parat) quasi finem; & mores, virtutes ac vitam cælestem, quasi medium congruum, & à Deo ordinatum ad illum finem assequendum, eaq; *sapite* per sapientiam, scientiam, affectum, gustum, desiderium, cogitationem & meditationem rerum spiritualium, cælestium & diui-

diuinarum. hoc enim est Græcum φρονεῖτε. Christiano ergo sapiant cælestia, desipiant terrena; perinde vt homini desipiunt pilulæ & pharmaca amara; vnde vt ea non sentiat nec sapiat, ilico & integra si potest transglutit: ita planè fideli insipidæ sint omnes terræ deliciæ & pompæ; quia sapor cælestium tantus est, vt reliqua omnia videantur insulsa & amara: cibis tamen cæterisque vtendum, sed quasi pharmacis, iuxta illud S. August. libr. 10. Confess. 31. *Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.*

Vnde S. Bernardus serm. 6. de Ascensione, *Si cõsurrexistis*, inquit, *cum Christo quæ sursum sunt quærite*, &c. *Ac si manifestius dicat: Si consurrexistis, & conscendite; si communitis & conregnate. Sequamur fratres, sequamur Agnum quocumque ierit: sequamur patientem, sequamur resurgentem, sequamur multò libentiùs ascendentem. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo, vt destruatur corpus peccati*, &c. Idem serm. 1. in Pascha te, *Quicumque*, ait, *post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam diuinæ miserationis excedit, ingreditur nouam quamdam deuotionem, & gaudium in Spiritu sancto, nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoria, & inflammatur æternorum desiderio præmiorum; is planè est qui cũ Christo resurgit, qui pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo charissimi, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, &c. *vt à seculari lætitia, & consolatione mundi per compunctionem, & tristitiam quæ secundùm Deum est, ad deuotionem sanctam & spiritualem vos transire gaudeatis exultationem: ipso præstante qui transiuit ex hoc mundo ad Patrem, & nos quoque trahere post se, & in Galilæam vocare dignatur, vt semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.*

Cur homo dicatur ἄνθρωπος.

Ita quoque Plato in Cratylo: Homo, inquit, dicitur ἄνθρωπος, quasi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, id est, quòd sursum aspiciens contemplari & attentè considerare debeat ea, quæ vidit: vel quasi ἄνω ῥέπων, id est, sursum vergens; quòd ad superna tendere debeat. ita Lactantius l. 2. Diuin. instit. c. 1.

Signum resurrectionis spiritalis est sapere cælestia.

Aduerte hîc. Signum & effectus resurrectionis spiritualis (scilicet nos à peccatis resurrexisse cum Christo resurgente à mortuis) clarus & euidens est, quem hîc dat Apostolus; scilicet si cælestia quæramus & sapiamus. Sicut enim infideles, athei & peccatores quasi talpæ terræ & terrenis inhiant, & ad cælestia sunt cæci: ita è contrario fideles & sancti, qui fidem & spem habent beatæ æternitatis oculos, animum & mentem ad cælum attollunt, in cælo defigunt, terram & terrena quasi parua, vilia & caduca calcant & contemnunt, dicuntque cum S. Hieron. illud Socraticum, ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, in cælum conscendo, solum hoc solemque despicio.

Acres stimuli vt sapiamus cælestia.

Atque hoc est, quod Paulus quasi tuba Euangelij identidem nobis inclamat, quodque concionatores, quos quasi æternitatis satores, inquit S. Hilarius, posuit in mundo Deus, suis frequenter inclamare debent: O Christiani sursum corda, quæ sursum sunt quærite, vestra conuersatio sit in cælis; sursum desiderium, sursum intentio, sursum clamor, sursum exspectatio vestra; ad cælum, ad cælum, ad vitam æternam vocamini. quid hîc humi repitis? quid terræ quasi talpæ inhiatis? quid quæritis domos, proles, familias stabilire? omnia hæc auferet, & breui auferet mors & temporum rerumque vicissitudo. Non habetis hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquiritis. Estis hîc hospites & peregrini; estis tantùm viatores. Nolite hospitio inhærere: pergite ad metam, ad patriam cælestem: hæc requies & meta laborum. Conscripti estis à Deo ab omni æternitate ciues cæli, domestici & heredes Dei. Quin eò pergitis, quin eò toto nisu & conatu procurritis? Exspectant vos Sancti de sua felicitate securi, de vestra soliciti; exspectat vos Christus, locum & thronum vobis parat. quid tardatis? Punctum hoc deserite, quod inter mortales stolidos, inter formicas, ferro & igni diuiditur; pergite ad palatia illa Sanctorum vastissima, opulentissima, augustissima. O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Audi S. August. l. de Conflictu vitiorum. *Amor præsentis sæculi dicit*, &c. *O quàm delectabilis terra in nemorum floribus, in fructuũ suauitatibus, in pratorum riuulorumq; amœnitatibus, in segetum culmis luxuriantibus, in vineariũ solijs, & botryonibus plenis palmitibus. In equorum & canum cursibus, in cernuorum & caprearum saltibus, in accipitrum volatibus, in pauonum, columbarum, turturumq; pennis & colli lucentibus, in domorum pictis muris & laquearibus, in organorum omniumq; muficorum tinnulis cantatibus, in mulierum venustis aspectibus, atque extrinsecus pretiosis adhibitis vestibus, auro & gemmis distinctis monilibus*, &c. *Amor cælestis patriæ respondet: Si te ista delectant quæ sub calo sunt, cur non magis ea delectant quæ super cælos sunt? Si carcer ita pulcher est, patria, ciuitas & domus qualis est? Si talia sunt quæ hîc incolunt peregrini, qualia sunt quæ ibi possident filij?* Et paulò pòst: *Vbi nulla necessitas turbat, nulla aduersitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat. Si quæris quid ibi sit, vbi tanta & talis beatitudo persistit? Aliter dici non potest, nisi quòd quidquid boni est, ibi est: & quidquid malis est, ibi nusquam est.*

Mortalis ascensio spiritalis.

Moraliter pluribus hanc sententiã egregiè pertractat S. Bernard. toto serm. 6. de Ascensione: vbi ex hoc loco S. Pauli docet duplicem esse ascensionem, qua anima cum Christo sursum ascendere debeat. Primò, vt intellectu quærat; Secundò, vt voluntate & affectu sapiat cælestia: hanc enim esse pacem mentis, si voluntas intellectui consentiat: nam si dissentiat, distorquet & cruciat animã, sicut cruciatur corpus, si membra à sese diuellantur. Deinde in particulari quænam sint cælestia, quæ quærere & sapere oportet, sic enarrat: *Quæcumque vera sunt, quæcumque pudica, quæcumq; iusta, quæcumque amabilia. Nimirum aduertere potes in omnibus ferè religiosis congregationibus viros repletos consolatione, iucundos semper & hilares, feruentes spiritu, crebrò suspicientes in calũ, solicitos obseruatores conscientiæ*, &c.

Ac mox idem docet ex contrario, ostendens quid sit sapere ea, quæ deorsum sunt, ita inquiens: *Contrà sanè inuenire est homines pusillanimes & remissos, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio, quorum obedientia sine deuotione*, &c. *Non tibi horum vita inferno appropinquare videtur?*

Ac tandem vnde ista hominũ & animorum diuersitas oriatur, explicat subdens: *Præoccupatum nempe sæcularibus desiderijs animum delectatio sancta declinat, nec misceri potest vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus. Summa inuis, vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram. Felices illi qui soli iam Deo viuunt, soli vacant, intelligendo, diligendo, fruendo.*

Vai

VBI CHRISTVS EST IN DEXTERA DEI SEDENS] Quæres, quomodo hîc & alibi in Scriptura & Symbolo dicitur Christus sedere ad dexteram Dei? Suppono, *sedere* hîc non sumi propriè: nam hæc esset exilis Christi dignitas. imò potiùs in cælo videtur stare Christus, quàm sedere; stare enim visus est à Stephano, Actor. 7. v. 56. & hic situs magis naturalis est homini; decetque valentem & beatum; sessio verò competit homini ob fatigationem. ita Maldonatus, Suarez, & alij.

Omissa ergo Anthropomorphitarum hæresi, qui Deum corporeum esse dicebant, & Christum corporaliter ad eius dextram sedere; Primò, respondet S. August. de Fide & Symbolo cap. 7. & Chrysost. homil. 1. in Symbolum, sedere ad dextram Dei idem esse quod habitare in gloria cælesti, quomodo omnes Beati sedent à dextris Dei. sed hoc non sufficit: hîc enim præ alijs Sanctis B proprium aliquid Christo tribuitur.

Secundò ergo, Athanasius & alij passim contra Arrianos, putant per *sedere* hîc significari æqualem maiestatem Filij cum Patre, scilicet diuinam, quam quietè & pacificè cum Patre possideat, & simul cum eo regnet quasi summus rex & dominus omnium: simili modo Dei maiestas alibi describitur, cùm dicitur sedere super Cherubim. Hoc verum est, sed non adæquatum, nec maximè intentum in Scriptura. Patet enim tam Scripturam, quàm Symbolum Apostolicum hanc sessionem tribuere Christo homini, postquam resurrexit & ascendit in cælum.

Tertiò ergo, Christus vt homo sedet ad dextram Dei metaphoricè; Primò, per communicationem idiomatum, qua propter vnionem hypostaticam omnia attributa, omnis honor & prædi- C catio, quæ tribuitur Verbo, tribuitur & Christo homini: sedet ergo Christus homo à dextris Dei, id est, præest omnibus quasi summus rex ac iudex, qui tanta dignitate præcellit, vt in eodem solio cum Deo sit, & eadem cum eo adoratione colatur. ita Patres passim. Itaque ad dextram Dei sedit homo Christus in primo instanti incarnationis suæ: sed post ascensionem peculiariter, quia tunc hæc dignitas & diuinitas Christi celebrari & inclarescere cœpit. Secundò, & proprijssimè ipsa humanitas Christi sedet à dextris Dei per se: hæc enim hîc & alibi dicitur assumpta & constituta à dextris Dei, quia scilicet humanitas Christi post mortem, victoriam & ascensionem in cælum victrix triumphat, & pacificè dominatur in summa Patris gloria. Significat ergo hæc sessio humanæ naturæ Christi, Primò, illius excellentiam super D omnem excellentiam creatam. Secundò, summam ac singularem eius beatitudinē & gloriam, tum intensiuè, tum extensiuè, tum in modo illam obtinendi, tamquam connaturalem Christo, & ex vi vnionis hypostaticæ, ac consequenter ex vi propriæ dignitatis & maiestatis illi debitam. Vnde Tertiò, sequitur simile ac summum dominium & potestas, tam ad operandum, quàm ad imperandum omnibus creaturis, ac iudicandum de omnibus hominibus.

Vbi Nota. *Dextera* Hebræis symbolum est, Primò, virtutis & potentiæ; Secundò, firmitatis & constantiæ. Vnde dextera accipimus & apprehendimus res nobis propositas & oblatas. Tertiò, veritatis & fidei: huic enim dextera quasi consecrata est. Vnde & veteres per dexteram tamquam

Cornel. in Epist. Pauli.

A fidei sedem & virtutis ministram iurabant. Quare sagaciores Hebræi dexteram putant hebraicè dici יָמִין *iamin*, à rad. אָמַן *aman*, id est firmare, stabilire, fidelem esse. Vnde Isaiæ 30. 21. *iamin*, loco iod recipit aleph tamquam suam primitiuam. Pari ergo modo sedere Christum ad dexteram Patris, est Christum esse socium & participem, Primò, virtutis & omnipotentiæ paternæ; Secundò, firmitatis, stabilitatis & æternitatis eiusdem; Tertiò, veritatis, æquitatis & fidei eiusdem.

Dices, Hæc habuit Christus ante ascensionem, scilicet in incarnatione.

Respondeo, Non habuit gloriam corporis, reliqua verò habuit in actu primo, non tamen in actu secundo, nisi post ascensionem, quando per ingressum in cælum, quasi in proprium locum suę regiæ curiæ, à Deo destinatum ad triumphum, ad gloriam, ad regendum & imperandum victor ascendit.

Dices Secundò, Si Christus est ad dexteram Patris, ergo Pater est Filio ad sinistram, ergo Filius honoratior est Patre. *Obiectio. Si Christus est ad dexteram Patris: ergo dignior est Patre.*

Respondet Ant. Nebrissensis in Quinquagena c. 33. Baronius & Goropius Becanus, quos sequitur Ribera ad Hebr. 1. olim honoratiorem locum fuisse sinistrum, non dextrum, eò quòd dexter sinistrum quasi defensor & armiger tutaretur, indeque sinistrum ab Ouidio & alijs interiorem, quasi honoratiorem dici, cùm ait, *Ibat & interior*, id est ad sinistram. Verùm hoc dubium est, imò antiquitatis periti negant, & refellit Adr. Turnebus lib. 4. Aduers. 24. & in Scriptura clarum est passim dextram honoratiorem esse. *Responsio Prima.*

Secundò, acutiùs alij, vt Maldon. concedunt Filium maiorem præ se ferre dignitatem, quàm Pater, licet reuera ei sit æqualis, quia scilicet non Pater, sed Filius visibiliter iudicium exercebit. *Secunda.*

Tertiò, planiùs alij respondent, medium locum honoratissimum esse Patris, & dextram Filij non opponi loco medio Patris, sed sinistro: ad sinistram enim est Spiritus sanctus, qui à Filio procedit. quod intellige de ordine non dignitatis, sed processionis, qui solus est in diuinis, aut potiùs ad sinistram sunt Sancti alij minores. *Tertia.*

Quartò, optimè & simplicissimè, hæc sessio Filij ita concipitur, vt nulla sit hîc talis oppositio, sed Pater in summo & nobilissimo suo throno considere dicatur, ob primam & summam eius maiestatem; Filius verò à dextris eius esse, vt qua Deus illi maiestate esse par significetur; qua homo proximam post Deum gloriam & excellentiam adeptus; & esse à dextris Dei, id est, in potissimis bonis honoris, gratiæ & gloriæ (horum enim symbolum est dextera) quæ Deus illi communicauit, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, vt aït hîc Apostolus, quasi illa omnia transcendat altissimè sedens à dextris Dei. Nec enim alia phrasi melius id significari potuit quàm hac; nec aliter imaginantur homines, si hanc Christi excellentiam, aut æqualitatem Patris & Filij imaginentur. Solet enim Scriptura loqui humano more, & ad nostros descendere conceptus. ita Franc. Suarez 3. p. disp. 51. sect. 3. Sic 3. Reg. 2. 19. dicitur mater Salomonis *Probatur exemplis.* venisse ad eum sedentem in throno regio, & sedisse ad dextram eius, id est, proximè apud regem

filium suum, vt rex quasi locum & honorem regni cum ea communicaret: nec enim dextra opponitur hîc sinistræ, quia solus sedebat rex cum matre; vnde neminem habebat ad sinistram sedentem. Sic psalm. 44. v. 10. dicitur de Ecclesia, quæ est regina & sponsa Christi, *Adstitit regina à dextris tuis*, scilicet vt regis Christi thalami & regni sit consors, non taliter qualiter; sed à dextris, id est, proximè & honoratissimè. Ex quibus locis patet thronum regium, id est, locum honoratissimum esse regis, sed matri, aut sponsæ regis sedem à dextris regis collocari, tamquam is locus sit honoratissimus, non absolutè, sed post locum & thronum regis. Sic rursum dicitur Eccli. 12. v. 12. *Ne statuas illum* (inimicum) *penes te, nec sedeat ad dextram tuam, ne fortè conuersus in locum tuum inquirat cathedram tuam*; vt scilicet te tua cathedra, loco & gradu deturbet, & à dextra tua insiliat in cathedram B tuam; cathedra ergo honoratior erat dextra. ita & hîc se res habet.

A *Concupiscunt enim, sed non deficiunt, qui iam quidem cælestia appetunt, sed adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè lassantur. Concupiscit verò, & in atria Dei deficit, qui cùm æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat.*

VITA VESTRA ABSCONDITA EST CVM CHRISTO IN DEO] q. d. Mundus non videt vestram diuinam vitam gratiæ, quam habetis; & gloriæ, quam expectatis: sicut non videt vitam glorioſam, ad quam resurrexit, quaque viuit iam Christus in Deo, id est, apud Deum.

Dicitur ergo *vita* Sanctorum *abscondita*, Primò, quia mundus nouum hoc piè, sanctè ac internè viuendi genus ignorat, auersatur, & mortem æstimat. *Quomodo vita Sanctorum sit abscondita in Deo.* *Prima ratio.*

Secundò, quia tegitur sua humilitate (Sancti enim latere cupiunt, & latebras amant, vti amauit S. Alexius) mortificatione & corporis ærumnis. Rectè monuit Epicurus, Λάθε βιώσας, id est, latenter viue. Et Ouidius: *Secunda.*

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Tertiò, quia gratia & virtutes, quæ sunt quasi animæ huius nouæ vitæ spiritualis, intus in mente sunt absconditæ. *Tertia.*

Quartò, quia Sancti à mundi cupiditatibus & mundana conuersatione se abstrahunt & abscondunt. ita Anselmus. Præclarè S. August. in Sententijs num. 201. *Boni, ait, latent, quia bonum ipsorum in occulto est, nec visibile est, nec corporale quod diligunt; & tam merita eorum sunt in abscondito constituta, quàm præmia.* *Quarta.*

Quintò, quia in Dei amore & contemplatione interna se abscondunt. Nam, vt ait S. Gregor. li. 5. Moral. ca. 3. *Qui mortificare se appetit, valde ad inuentam requiem contemplationis hilarescit: vt extinctus mundo lateat, & à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinũ se intimi amoris abscondat.* *Quinta.*

Sextò & maximè, quia vita gloriæ, quam Sancti expectant, iam est abscondita, q. d. Vita vestra est quasi hiems, in qua sol, id est Christus, occultatur; vos estis quasi arbores exteriùs aridæ, sine fronde, id est, sine decore, specie & pulchritudine; sed interiùs habetis radicem viuam, scilicet charitatem in Deo, quasi in terra vitali defixam & viuentem. veniet æstas, scilicet Christi reuelatio & gloria, cùm reuirescetis resurgendo, ac vitales dabitis frondes & fructus, scilicet dotes beatitudinis, tam in anima, quàm in corpore. ita Anselmus. Eleganter S. August. serm. 112. de Tempor. *Hiemis tempore*, inquit, *etiã viridis arbor arida similis est. Venit æstas, & viua radix folia producit, & impletur fructibus. Sic hiems nostra Christi occultatio est; æstas nostra Christi reuelatio: Mortui enim estis*, inquit Apostolus, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Certè mortui, sed mortui specie, viui radice. Attende autem venturum tempus æstatis quomodo sequatur, & dicat: Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Eia ergo dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit: planè moriar mihi ipsi, vt tu solus in me viuas: totus intra me flebo, vt tu loquaris in me: totus quiescam, vt tu solus operaris in me.* *Sexta. Vita vestra in hieme, ita Sancti in hac vita latent & quasi*

Ita S. Elzearius Comes Arriani, cùm in Monte Pessulano hæreret, eius vxor Delphina, sed virgo (viuebant enim cælibes) misit ad eum litteras per famulum, cupiens scire cur illic moram faceret. Cui ille sic respõdit: *Sanus sum corpore, & sospes.*

Quòd

VERS. 3. MORTVI ENIM ESTIS] q. d. Per baptismum, morum conuersionem & vitæ mutationem, mortui estis mundo, carni, peccatis, vitæ & conuersationi mundanæ & carnali; immò mortui estis vobis ipsis, quia non estis id, quod eratis antè. hoc enim mors quædam est. v. g. mortuus est Petrus ebrius, quia resurrexit sobrius; mortua enim est in Petro ebrietas, & resurrexit sobrietas, inquit Anselmus. Rursum Christianus debet esse quasi homo mortuus, qui (vt ait quidam Sanctorum) nulli detrahit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, neminem opprimit, non inuidet bonis, non insultat malis, non luxuriæ carnis seruit, non odiorum flamma inardescit, non potentibus aut diuitibus huius sæculi, vt multi nostris temporibus faciunt, adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non turbæ maximæ sibi adstantis plausum quærit, non auro argentoque, aut veste pretiosa circumdatus distenditur, non salutationibus potentum delectatur, non se iniurijs fatigat, non eum superbia inflat, non ambitio huius sæculi necat, non vana gloria turpiter iactat, non huius vitæ falsæ diuitiæ extollunt, non rabies insani furoris exagitat, non pulcherrima species feminarũ auidum reddit, non contentiones huius mundi perturbant. talis prorsus debet esse Christianus, si velit esse perfectus; & cum Christo mundo mortuus. *Talium*, inquit S. August. lib. de Continentia cap. 13. tom. 4. talium, inquam, *mortuorum vox est: Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus. Quorum ergo vita abscondita est in Deo, admonentur & exhortantur, vt membra sua mortificent, quæ sunt* D *super terram, per continentiam, scilicet, concupiscentia motibus non consentiendo; vt licet ipsa nostra cogitatio eorum quadam suggestione, & quasi susurratione tangatur, tamen ab eis, ne oblectetur, auertatur.* Et S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 19. *Sunt*, inquit, *nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti dum altiora interiùs appetunt, exteriùs cuncta derelinquunt: qui rebus se habitu nudant, gloria honoris expoliant, qui internorum desiderio per assiduitatem se amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt, qui interiùs gaudijs dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant. Talibus namque per Paulum dicitur: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Horum vocem Psalmista expresserat, cùm dicebat: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Christianus debet esse quasi homo mortuus, qua ratione?

Christianum spiritu mortuũ pulchrè describit S. Gregorius.

Quòd si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi. Illic enim habito, & ibi poterùt me inuenire, frustra alibi quæsituræ. Ita habet eius Vita c. 30. Itaque sicut terra cooperit venas auri, mare vniones, terra radices succumque arborum; ita humilium & sanctorum virtus tum ab ipsismet, tum à Deo in hoc mundo tegitur & absconditur.

Ita absconditа fuit vita S. Pauli primi eremitæ, S. Hilarionis, S. Antonij, S. Macarij, & tot centenorum millium Anachoretarum & Monachorũ, quos Theodor. Palladius, Sophronius, Ruffinus, & alij commemorant, qui mundi illecebras fugientes, vt Christo fruerentur, dicebant, *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine.*

Ita absconditа fuit vita S. Magdalenæ in Bauma per 30. annos, S. Mariæ Ægyptiacæ quæ per 45. annos in eremo nullum mortalium vidit, nec ab vllo visa est, S. Pelagiæ pœnitentis. SS. Cæciliæ, Agnetis, Luciæ, & tot millenarum virginum, quæ vel domi in cubiculis, vel in monasterijs & claustris mundo incognitæ, vni sponso Christo viuere & placere studuerunt, & etiamnum student.

Ita absconditа fuit vita S. Hieronymi latentis in Bethlehem ad Christi præsepe, S. Ioannis Calybitæ, S. Simeonis Sali, S. Francisci, S. Bernardi, & hodie tot Religiosorum sanctorum æquè ac doctorum, qui lucem hominum fugientes abdunt sese, vt in die æternitatis cum Christo appareant in gloria. Ita absconditа fuit vita SS. Petri, Pauli, & Apostolorum omnium, qui videbantur esse orbis peripsemata & catharmata. Ita absconditа fuit hîc Romæ vita primorum Christianorũ & Martyrum, qui per trecentos annos latuerunt in cryptis & speluncis, de quibus plura Hebr. 11. v. 38.

vs. 4. CVM CHRISTVS APPARVERIT VITA VESTRA; TVNC ET VOS APPAREBITIS CVM IPSO IN GLORIA] Nota. Christus dicitur *vita vestra*, metonymicè, quia est causa vitæ nostræ, tam gratiæ, quàm gloriæ: causa, inquam, tum efficiens, tum exemplaris, tum obiectiua.

Secundò, notat Theophylactus præsentem vitam naturalem, magis esse mortem quàm vitam; quia consistit in corruptione, fluxu & refluxu.

Tertiò, notat, vitam gratiæ & spiritus in hoc sæculo latere, sed in fine mundi, cùm Christus toti mundo gloriosus iudex apparebit, tunc pariter vitam hanc nostram toti mundo manifestandam esse. *Delitescit*, inquit ex Chrysost. Theophyl. *margarita tantisper, dum in conchyli fuerit, simul ac verò illud perfractum fuerit, tum in gloria relucet: sic & nos in hoc corpore quasi latentes viuere debemus ab omni gloriæ cupiditate alieni; cùm autẽ hoc corruptibile corpus dissolutum fuerit, tum gloria nostra resplendebit.*

vs. 5. MORTIFICATE ERGO MEMBRA VESTRA, QVAE SVNT SVPER TERRAM] Dices, vers. 3. dixit, *Mortui estis*; quomodo ergo hîc dicit, *Mortificate*? Respondet Vatabl. *Mortui estis*, id est, mori cœpistis peccatis: hîc verò dicit, *Mortificate*, id est, pergite ea mortificare; vt ibi actus inchoatus, hîc continuatus significetur, iuxta can. 32.

Secundò & melius, Chrysost. & Theophyl. respondent duplicem esse mortem & mortificationem; priorem, qua præterita peccata delentur & mortificantur. Hæc facta est in baptismo. de hac dixit Apostolus, *Mortui estis*. Posteriorem, qua motus concupiscentiæ mortificantur. Hi enim motus quotidie post baptismum renascentes, assiduè iustificato sunt mortificandi. Vnde dicit Apostolus

A *Mortificate*, q.d. Mortui estis peccatis ijs renunciastis, ijs vos mori professi estis in baptismo. restat ergo, vt concupiscentiæ motus indies repullulantes mortificetis, ne illi in pristina peccata per consensum vos pertrahant.

Moraliter S. Gregor. explicans illud 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & viuificat*, sic ait: *In his verbis etiam ordo notandus est; priùs quippe mortificare dicitur, deinde viuificare; quia nisi sæculo moriamur, Deo per amorem viuere non valemus. Vnde is qui se mortificatum & viuificatum meminerat, loquebatur dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Viuebat, sed non mundi vita, qui dicebat: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Mortificatum ergo & viuificatum esse, est præsentia nulla concupiscere, & æterna desiderare.* *Morale de morte & mortificatione huius vitæ.*

Modum & stimulum insignem mortificationis huius Religiosis suggerit Abbas Moyses in
B Vitis Patr. li. 7. c. 26. Rogatus enim à fratre quodam: *Quomodo potest se homo mortificare?* respondit: *Nisi quis arbitratus fuerit, se habere iam triennium in sepulchro, ad hunc sermonem peruenire non potest.*

Abbas Pimenius: *Ille*, ait, *monachus potest tamquã mortuus huic sæculo esse, qui duas res horruerit, id est carnis suæ requiem, & vanam gloriam.* Ibidem.

B. Antonius monet discipulum suum, dicens: *Horre ventrem tuum, & necessitatem huius sæculi, & concupiscentiam malam, & honorem tamquam absens de hoc sæculo; & requiem possidebis.* Ibidem.

Porro vitia hæc non vno ictu, sed sensim resecanda sunt longa constantia. Id pulchro apologo docet Abbas ille in Vitis Pat. lib. 5. cap. 7. de patientia n. 40. *Homo quidam*, inquit, *habuit possessionem, & de negligentia eius in sentes redacta est, & repleta est tribulis & spinis. Visum est autem ei postea, vt excoleret eam; & dixit filio suo: Vade, & purga agrum*
C *possessionis illius. Et venit filius eius vt purgaret: qui cùm respexisset, vidit multitudinem tribulorum & spinarum increuisse ei; & deficiens animo, dixit ad seipsum: Quando ego habeo hæc omnia eradicare & purgare? Ei proiiciens se in terram cœpit dormire. hoc autem fecit multis diebus. Post hæc venit pater eius videre quid fecerat, & inuenit eum nihil operatum; & dixit ei: Quare vsquè modò nihil feciſti? Et dixit iuuenis ille patri suo: Mox vt veniebam operari, pater, cùm vidissem multitudinem hanc tribulorum & spinarum, renocabar ab assumptione laboris, & præ tribulatione proiiciebam me in terram & dormiebam. Tunc dixit ei pater suus: Fili ad mensuram latitudinis, quam iacens in terra occupas, per singulos dies operare, & ita paulatim proficiet opus tuum, & tu pusillanimis non efficieris. Quod cùm audisset iuuenis, fecit sic; & in parvo tempore purgata est & exculta possessio. Et tu ita frater, paulatim operare, & non deficies, & Deus per gratiam suam restituet te iterum priori ordini tuo. Hoc audito frater ille abiit, & cum omni*
D *patientia sedens faciebat sicut edoctus fuerat à sene: & sic inuenit requiem, & promouebatur per Dominum Christum.* *Mortificatio sensim & continuè facienda.*

MEMBRA VESTRA, QVAE SVNT SVPER TERRAM, FORNICATIONEM] q.d. Mortificate membra vestra, mortificando, scilicet, fornicationem, libidinem, concupiscentiam, quæ residet in membris vestris.

Secundò, & magis genuinè ad phrasim Apostoli, *membra* terrestria hîc vocat affectus prauos, & mortus concupiscentiæ. hi enim sunt quasi membra veteris hominis, terrestris Adæ, & totius corporis concupiscentiæ: omnia enim peccata. *Membra veteris hominis sunt mortus concupiscentiæ.*

quasi vnum sunt corpus,& vnum regnum concupiscentiæ, de quo dixi Roman.7.22. ita Chrysost. Ambros. Anselm. Vnde membra huius veteris hominis explicans subdit: *Fornicationē, libidinem*, scilicet præposteram, ait Vatabl. græcè enim est πάθος, id est, libido succuba: vnde *pathici* dicuntur scorta mascula: quamquā Theophyl. per πάθος, id est passionem, omne turpium mixtionum genus intelligat. Quomodo auaritiam vocet Apostolus idolorum seruitutem, dixi Ephes.5.v.5.

VERS.6. PROPTER QVÆ VENIT (venire solet) IRA DEI SVPER FILIOS INCREDVLITATIS] ἀπειθείας, id est, inobedientiæ. q.d. Super filios inobedientes, incredulos, rebelles Deo & Euangelio.

VERS.7. IN QVIBVS (id est, inter quos, inquit Syrus & Vatablus; vel potiùs *in quibus*, scilicet libidinibus & peccatis iam enumeratis) ET VOS AMBVLASTIS.

VERS.8. NVNC AVTEM DEPONITE ET VOS OMNIA] subaudi, sicut & nos deposuimus. Aut, sicut illi increduli non deposuerunt. Aut planiùs, sicut & vos in omnibus illis ambulastis.

VERS.9. EXPOLIANTES VOS VETEREM HOMINEM CVM
VERS.10. ACTIBVS SVIS, ET INDVENTES NOVVM] Pro *expoliantes*, græcè est præteritum, ἀπεκδυσάμενοι, id est, postquam exuistis veterem hominem; sic pro *induentes*, græcè est ἐνδυσάμενοι, id est, postquam induistis nouum. Sed verius videtur Apostolum hîc præteritum, more Hebræo, capere pro præsenti; rursum præsens capere pro imperatiuo. Vnde Syrus vertit, *exuite veterem hominem, & induite nouum*; hoc enim intēdit & vrget Apostolus, vti & Ephes. 4.v.23. cui hic locus planè respondet.

Nota. *Vetus homo* est homo vitiatus, quatenus scilicet est infectus concupiscentia Adæ; huius motus sunt actus concupiscentiæ, putà motus iræ, gulæ, superbiæ, &c. *Nouus homo* est idem homo, quatenus spiritu & gratia Christi renouatus est.

Descriptio hominis noui & veteris ex S. Bernardo.

Pulchrè veterem hominem describit Bernardus serm.30. inter paruos, vbi sic ait: *Duo homines sunt, vetus & nouus, Adam vetus, & Christus nouus; ille terrenus, iste cælestis; illius imago vetustas, istius imago nouitas. Est autem triplex vetustas, & è contrario triplex nouitas: est enim vetustas in corde, in ore, in corpore. In quibus tribus modis peccamus cogitatione, locutione & opere. In corde sunt carnalia desideria & sæcularia, id est, amor carnis, & amor sæculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore flagitia & facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis, & hæc omnia renouanda sunt in nobis. Renouetur ergo cor à carnalibus desideriis & sæcularibus, vt exclusis illis introducatur amor Dei, & amor patriæ cælestis. Recedant ab ore arrogantia & derogatio: & succedant pro iis vera peccatorum confessio, & bona de proximis æstimatio; pro flagitiis & facinoribus, quæ vetustas est corporis, assumatur continentia & innocentia, vt scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur.* Vide etiam dicta Roman.12.vers.2.& Ephes.5.4.

VERS.10. QVI (nouus homo iam dictus) RENOVATVR (de die in diem magis & magis semper renouandus est) IN AGNITIONEM] Addunt aliqui, *Dei*; sed malè: nec enim vocem *Dei* habent Græca, Syrus, aut Latina correctiora. Refertur ergo τὸ *in agnitionem*, ad genitiuum, qui sequitur, *Eius, qui creauit illum*, id est Dei. Renouatio ergo hæc in eo consistit, vt deponentes vitia, & studentes virtutibus, in dies clariùs Deum Deiúque voluntatem cognoscamus, non speculatiuè, sed practicè; quæ practica cognitio sita est in studio adimplendi sanctam Dei voluntatem. Vnde explicans subdit, *Secundùm imaginem eius qui creauit illum. In hoc*, inquit S.Ioannes epist.1.cap.2.v.3.& 4. *scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus; qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est.*

SECVNDVM IMAGINEM EIVS QVI CREAVIT ILLVM] Nota, hîc & Genes.2.vbi dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, quò hîc alludit Apostolus, *imaginem* sumi pro exemplari. q.d. Renouemur mente & spiritu, vt fiamus similes exemplari, id est, Deo creatori nostro, &, vt Theophyl. Christo redemptori & recreatori nostro. Sicut enim Deus in Genesi creauit hominem ad imaginem suam, ita Christus hominem lapsum & perditum sua morte in baptismo reformauit, & quasi denuò creauit ad imaginem Dei, & suam.

Potest tamen imago propriè sumi, vt sit hebraismus, q.d. *Secundùm imaginem*, id est, vt simus imagines exemplaris nostri Dei.

Nota Secundò. *Imago* hæc in homine tum naturalis est, sita in intellectu, voluntate & memoria; hanc renouari vult Apostolus, vt hisce potentijs nihil velimus, nihil memoremur, nihil cogitemus, nisi quod est ad honorem & obsequium Dei; tum supernaturalis est, quæ sita est in gratia, fide, spe & charitate, sapientia, & puritate diuina, quam in dies magis innouari & augeri vult Apostolus. Vide dicta Ephes.4.22.& seqq.

VBI NON EST GENTILIS ET IVDAEVS, CIR- VERS.11.
CVMCISIO ET PRAEPVTIVM (id est circumcisus & præputiatus, iuxta canon.21.) BARBARVS ET SCYTHA, SERVVS ET LIBER. quasi dicat, In hac renouatione Christiana non refert an Iudæus sis, an Gentilis, an Barbarus, an seruus, &c. quia IN OMNIBVS ita renouatis, qui nouum hominem, Christum scilicet, induerunt; ipse CHRISTVS est OMNIA] id est, omnis sanctitas, iustitia, religio & omne bonum, quia Christus eis communicat suam sanctitatem, iustitiam, religionem & omne bonum; vt in eis nihil sit nisi Christiana sanctitas, virtus & perfectio: ac proinde omnes, siue Scythæ, siue Iudæi, siue Barbari sint, in Christo & nouo hoc homine Christiano vnum sunt.

Christus iustis est omnia triplicitèr.

Secundò, *Christus nobis* est *omnia*; quia nobis est saluator, dominus, ductor, motor, Deus, caput, pontifex, victima, pater, sponsus, auriga, operator, & omnia.

Vnde Tertiò, *Christus* est *omnia*, id est, operatur omnia in omnibus, vt sit metonymia.

Nota. Barbaro opponit Scytham, sicut Iudæo Gentilem; non quòd Scythæ non sint Barbari, sed quòd maximè sint Barbari, ita vt alij Barbari illis comparati non videantur esse Barbari, sed illis esse oppositi; sicut Iudæis oppositæ sunt Gentes. q.d. Omnes nationes etiamsi naturaliter à se inuicem auersæ, in Christo vnum sunt; ergo in christianismo naturale hoc gentis aduersæ odium deponere debent, neque auersari eos qui sunt alterius gentis aut conditionis, sed omnes quasi fratres in Christo amplecti. vnde sequitur:

INDVITE VOS ERGO SICVT ELECTI DEI, VERS.12.
SANCTI, ET DILECTI, sicut decet Sanctos, dilectos & electos à Deo ad gratiam & gloriam, VISCERA MISERICORDIAE] Græcè est οἰκτιρμῶν, id

id est miserationum, putà visceralem misericordiam & commiserationem.

BENIGNITATEM] comitatem, vt sitis comes, blandi, non rustici & austeri.

MODESTIAM] Græcè πραότητα, id est, mansuetudinem, lenitatem.

PATIENTIAM] Græcè μακροθυμίαν, id est longanimitatem.

Rectè Cassian. collat. 12. c. 6. *Quantum*, inquit, *quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in cordis puritate proficiet. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus antè compresserit.*

Rursum, vt quidam alius Sanctorum ait: *Iracundi animus semper molestia angitur, & corpus morbo vexatur. Benigni & corpus & anima & mens perpetua fruuntur sanitate: gaudet in contumelia, Deum laudat in calamitate, iratos mitigat, sub humilitatis iugo triumphat.*

CHARITATEM HABETE, QVOD EST VINCVLVM PERFECTIONIS] id est, vinculum perfectum, inquit Vatabl. quod scilicet perfectè tam virtutes, quàm homines vnit & connectit. Sic enim Hebræi loquuntur, *viri misericordiæ*, id est misericordes; *calix benedictionis*, id est benedictus; *filij obedientiæ*, id est obedientes.

Secundò & meliùs, *vinculum perfectionis*, vel integritatis (vtrumque enim significat Græcum τελειότητος) id est, vinculum connectens, integrans, perficiens benignitatem, misericordiam, humilitatem, patientiam iam dictas, aliasque omnes virtutes; vel simplicissimè charitas est vinculum *perfectionis*, id est, virtutum iam dictarum, aliarumque omnium, in quibus perfectio & integritas Christiana consistit. q.d. Omnes iam dictæ aliæque veræ & Christianæ virtutes, ac mandata in charitate, quasi centro, colligantur & vniuntur; & nisi ea adsit, statim dissoluuntur. Sicut ergo anima vnit omnia membra, totumque corpus integrat & perficit, vt, si anima tollatur à corpore, membra omnia dissoluantur, totumque corpus dilabatur, corruat ac pereat; & sicut domus connectitur & consistit per suas colligationes & vincula, ijsque sublatis dissoluitur & corruit: ita charitas, inquit Theophyl. vnit omnes virtutes, completque totum corpus perfectionis Christianæ, quod in aggregatione virtutum Christianarum consistit; vt, si charitatem tollas, virtutes diffluant, & tota perfectio corpusque virtutum pereat. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Anselm.

Nota. Loquitur Apostolus maximè de charitate in proximum: hæc enim est vinculum patientiæ, misericordiæ, benignitatis. Charitas tamen in proximum nititur charitate in Deum, quasi causa & obiecto formali: propter Deum enim diligimus proximum.

Vnde Secundò, ratio & causa cur charitas sit vinculum & vnio tum virtutum, tum animorum, est illa quam dat S. Augustin. tract. 105. in Iohan. *Charitas*, inquit, *est tunica inconsutilis Christi, quæ ad vnum*, scilicet *Deum, peruenit, & in vnum omnes colligit.* Vide S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 1. in corpore.

Hinc Tertiò, patet nullam virtutem sine charitate esse perfectam, imò sine charitate quamlibet virtutem perire sensim & emori. nulla enim virtus sola per se consistere potest, sed aliarum opus habet auxilio; v.g. modestia opus habet patientia, vt in iniurijs ferendis & contumelijs modestè se gerat; patientia opus habet humilitate, nisi enim sit humilis, non feret superbè sibi insultantes; & ita consequenter. Cùm ergo omnium virtutum vinculum sit charitas, sequitur nec eas simul, nec quamlibet seorsim posse diu consistere sine charitate.

PAX CHRISTI EXVLTET IN CORDIBVS VESTRIS, IN QVA ET VOCATI ESTIS IN VNO CORPORE] q. d. inquit Anselm. *Gaudete & tripudiate* ob pacem animi. Verùm Nota. Pro *exultet*, græcè est βραβευέτω, quod Erasm. & Vatabl. vertunt, brauium & palmam ferat pax, vt quæcunque opinionum, rerum, factorum diuersitas vel aduersitas accidat, pax conseruetur; primum studium sit pacis, primæ vbique paci deferantur; vt potius tua sententia decedas, imò potiùs bona tua perdas, quàm pacem; ideoque pax victrix instar triumphantis exultet in cordibus vestris, & is putet se vicisse in quauis lite, aut disputatione, qui cæterarum rerum dispendio pacem conseruarit. Hoc est quod Illustriss. Cardinalis Bellarminus sapienter dixit, sapientiùs præstitit, *Vncia charitatis ac pacis melior est libra victoriæ.* Digna Cardinali vox, dignior actio. Imò S. August. serm. 12. de verbis Apostoli, *Nolo*, ait, *habere cum quo litigem. Multò est mihi optabilius inimicum non habere, quam vincere.*

VERS. 15.

Quid sit Pax Christi exultet. *Prima expositio.*

Secundò, meliùs, *pax Christi* βραβευέτω, id est, quasi brabeuta imperet & regat animi vestri motus, &, vt Syrus vertit, *pax Mesicho gubernet corda vestra*: Græcum enim βραβεύειν, significat præsidere, regere, moderari, & tamquam præsidem in certamine victori dare palmam & brauium. Alludit enim ad agones & certamina, in quibus brabeuta quasi iudex, arbiter & moderator præsidebat, & victori palmam ac brauium dabat; qualis brabeuta Daretis & Entelli cæstibus certantium; erat Æneas apud Virgilium Æneidos 5.

Secunda.

Pax omnia debet esse brabeuta & moderator.

Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et sæuire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem imposuit pugnæ.

Ita pax quasi brabeuta omni pugnæ & liti finem imponit. v.g. ait Theophyl. cùm iniuria sumus affecti, geminæ in nobis cogitationes certant, altera ad vindictam, ad patientiam altera nos incitans: accedat tunc pax quasi brabeuta, & patientiæ quasi victrici pacisque auctrici palmam tribuat. Hinc olim brabeutæ virgam, vel sceptrum quasi præsides & iudices gerebant, vt colligitur ex Plutarcho in Antonio; imò Grammatici Græcum βραβεὺς, vel βραβευτὴς, à ῥάβδος, id est virga, quã gestabant, per metathesin deducunt. Vnde βραβεύω & ῥαβδοῦχον proeodem ponit à Platone in Protagora, testis est Budæus. q.d. Paulus: In animis vestris brabeuta & agonotheta omnia regens & moderans sedeat non ira, non superbia, non cupido, non alia passio; sed pax, quæ quasi regina omnes affectus animæ in officio contineat, & passionum bella reprimat, vt & nobiscum, & cum proximis perpetua pace & concordia fruamur, ac vnanimes Christo seruiamus. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen.

Vnde dicatur brabeuta?

Pax quasi regina imperet in anima.

Hinc sequitur hanc pacem bello parari, imò continuum cum cupiditatibus & passionibus bellum includere. Meneclides olim inuidens Epaminondæ gloriæ, suasit populo, vt pacem haberet bello potiorem. Cui Epaminondas: Fallis, inquit, ciues tuos, qui otij nomine eos ad seruitutem vocas. Pax enim bello paratur; nec eam tueri licet,

Pax bello paranda.

nisi ciues sint ad bellum instructi. Idem dicat sibi quisque Christianus, audiatque vocem S. Augustini. *Pacis elogia.*

serm. 57. de Verbis Domini: *Pax*, inquit, *est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida: non quærit alienum, nihil deputat suum, docet aware quæ odisse non nouit, nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat: quoniam qui in eadem non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exheredatur à Filio, nihilominus à Spiritu sancto alienus efficitur.*

Pacem è cælo attulit & sanxit Christus.

Nota. *Pax* hæc dicitur esse *Christi*, quia Christus pacem hanc è cælo in terram detulit; (vnde angeli Christo nato cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax*, &c. eamque sanxit & præcepit dicens, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; voluitque vt Euangelium & christianismus esset lex, schola & professio pacis ac charitatis. Vnde sequitur, *In qua* (id est, ad quam) *vocati estis in vno corpore*, id est, in vnum corpus, putà in vnam Ecclesiam. Præclarè S. Augustin. sent. 369. *Pax Christi*, ait, *finem temporis non habet, & ipsa est omnis intentionis actionisq; perfectio. Propter hanc Sacramentis eius imbuimur: propter hanc mirabilibus eius operibus & sermonibus eruditur: propter hanc Spiritus sancti pignus accepimus: propter hanc in eum credimus & speramus, & amore ipsius quantum donat accendimur: propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, vt in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax vnitatem facit; quoniam qui adhæret Deo, vnus spiritus est.*

Gentiles hanc pacem adamarunt, & exquisierunt. Dicebat ille:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nonagenariam ipse natus annos sexagintaseptē, gloriatus est, quòd numquam cum matre in gratiam redijsset, eò quòd numquam eam offenderat; quòd numquam cum sorore, sibi penè coæua, fuisset in simultate. Hanc vocem se ab ipso audisse scripsit Corn. Nepos. Verùm, qui cum omnibus, etiam externis & inimicis, pacem perennem conseruet, non naturæ, sed gratiæ; non Gentilium, sed Christi pacem & spiritum habeat oportet.

ET GRATI ESTOTE] Græcè εὐχάριστοι, id est gratiosi, amabiles estote, vt ex Hieronymo vertit Vatabl. & Erasm. qui enim tales sunt, solent proximis esse benigni, misericordes, compatientes, pacem secum, & cum alijs non tantùm colere, sed & conciliare: omnia enim hæc spectant ad concordiam & charitatem cum proximis fouendam. εὐχάριστος ergo hîc idem est quod εὐχαρις. *εὐχάριστοι id est gratiosi.*

Secundò, Theophyl. Græcum εὐχάριστοι vertit, *gratiosi estote*; &, vt Syrus vertit, *gratias agite* Christo, pro beneficijs ab eo acceptis; agnoscite gratiam vobis per Christum factam, & vt illi gratias referatis, tales vos Christi amore proximis exhibete, qualem se Christus vobis exhibuit. Hoc enim gratitudo, ipsæque Charites exigunt. Hinc trium Charitum, quas finxerunt Græci, duæ aspiciebant inuicem, tertia auerso erat vultu; vt docerentur qui beneficia accipiunt, se ea æterna memoria intueri debere; qui verò largiuntur, numquam ea ampliùs in memoriam reuocare. Verùm prior sensus magis aptus & genuinus est. *Charitum figura.*

VERS. 16. VERBVM CHRISTI HABITET IN VOBIS ABVNDANTER (græcè πλουσίως id est opulenter, copiosè) IN OMNI SAPIENTIA, DOCENTES ET COMMONENTES VOSMETIPSOS] q.d. Doctrina & Euangelium Christi planè & copiosè imbuat & impleat mentem vestram, in eaque quasi resideat & habitet, vt Christiana sapientia pleni eam eructetis, ex eaque inuicem doceatis, moneatis, exhortemini. Sic S. Cæcilia Euangelium Christi semper gerebat in pectore, & non diebus, neque noctibus vacabat à colloquijs diuinis & oratione; indeque Euangelij hoc ita eructauit, vt sponsum Valerianum & Tiburtium eius fratrem conuerterit. Vtinam Christiani tam studiosi essent Euangelij & doctrinæ Christianæ, quantum exigit eorum professio & dignitas Euangelij ac christianissimi. *S. Cæcilia Euangelij gerebat in pectore.*

IN GRATIA CANTANTES IN CORDIBVS VESTRIS DEO] *In gratia*, id est, cum gratiarum actione. Idem enim est cum eo quod dixit Ephes. 5. v. 19. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus.* Vult enim Christianos tantorum beneficiorum, quæ per Christū in christianismo acceperunt, memores, semper lætos & exultantes viuere, Deoque laudes & hymnos in gratiarum actionem canere. ita Anselmus. Verùm quia v. sequ. hanc gratiarum actionem inculcat Paulus,

Hinc Secundò, meliùs Theophyl. *In gratia*, inquit, id est, cum gratia & venustate, vt videlicet tam piè, suauiter, reuerenter canatis, vt voluptatē non carnalem, sed spiritualem tam vobis & proximis, quàm Deo ipsi afferatis. Vnde vult hunc cantum fieri in cordibus & mentibus, vt inde in suauissimam ac pijssimam vocem erumpat, qua alios doceamus & exhortemur.

Tertiò, non malè Chrysost. *in gratia*, inquit, id est, ex gratia & afflatu Spiritus sancti.

Nota. Paulus hîc & Ephes. 5. v. 19. Christianis impensè cōmendat psalmodiam & hymnodiam. *Est enim psalmus*, inquit S. Basilius procœmio in Psalmos, *animarum tranquillitas, pacis arbiter, optimarum disciplinarum & documentorum promptuarium: psalmus turbas & fluctus cogitationum compescit, iracundiam mollit, dæmones fugat, angelos aduocat: psalmus in terroribus nocturnis securitas, in diurnis laboribus requies est: psalmus elementū est incipientibus, incrementum proficientibus, confirmatio perfectis: psalmus est vox Ecclesiæ, angelorum opus, cælestis reipubl. spirituale odoramentum.* Et S. Augustin. Psal. initio: *Psalterium*, ait, *est communis quidam diuinæ doctrinæ thesaurus, & vniuersis animæ passionibus, quæ humanas animas variè angunt, subuenit: psalmus signifer est pacis, spirituale thymiama, exercitium cælestium: luxum reprimit, sobrietatem suggerit, lachrymas mouet.* *Psalmodiæ fructus.*

OMNE QVODCVMQVE FACITIS IN VERBO, AVT IN OPERE, OMNIA IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI (supple, facite) GRATIAS AGENTES DEO, ET PATRI PER IPSVM] q.d. Non propter Simonem, non propter Mosem, non propter angelos Nouantium, sed propter Christum, eiusque gloriam facite omnia quæcumque facitis. & sic est hoc præceptum, sed negatiuum. ita Theodor. & Theoph. VERS. 17. *Omnia facite ad gloriam Christi, &c.*

Secundò, potest hoc esse præceptum quoque affirmatiuum, si cum Ambros. & D. Thoma sic exponas. q.d. Omnia opera vestra talia sint, quæ cedere possint in gloriam Christi, Christusq; vestræ vitæ & actionum sit vltimus finis. Et hoc propriè videtur hîc velle Apostolus, scilicet vt non angelos,

los, sed Christum statuamus nobis finem actionū omnium in genere. vt Christus in ijs omnibus laudetur. Quocirca Maldon. appositè *in gratia* græcè ὁ χάριτι hoc est, inquit, *in lætitia*. Sic enim χάρις pro χάρα, id est lætitia, capitur 2. Thessal. 2. 16. ad Philem. v. 7. 2. Corinth. 1. v. 15.

Tertiò, est consilium, si singula opera actu aut virtute ad Christi gloriam referri velis. Hoc enim est consilium, non præceptum: nam actus moraliter bonos facere possumus sine actuali, imò virtuali relatione ad Christum.

Et sanè consulenda est hæc praxis, vt assuescamus crebrò iteratis actionibus opera nostra, præsertim in eorum exordio referre ad gloriam Christi: ita fiet vt ex consuetudine habitum induamus, quo vel actu vel virtute omnia illa referamus ad gloriam Christi. hinc consequetur, vt omnia opera nostra, etiam indifferentia, virtutis & meriti rationem induant. Qua in re multi simplices opifices, agricolæ, alijque permulti deficiunt, faciuntque ingentes labores, sed sine merito, quia laborant tantùm ex motiuo & fine naturali, vt scilicet sibi suisque de necessarijs vitæ prouideant: qui si docerentur eadem insuper referre ad Dei laudem & obsequium, nullo lucro terreno fraudarentur; sed præter illud, ingens meritorum & benedictionis diuinæ lucrum apud Deum acquirerent. Vt ad hoc se & suos excitaret, Deique & piæ intentionis in Deum memoriam renouaret S. P. N. Ignatius, hoc elogium perpetuò habebat in ore, *Ad maiorem Dei gloriam*. Simili modo Apostolus 1. Cor. 10. 31. dixit: *Omnia in gloriam Dei facite*, vt ibi dixi.

Vers. 18. MVLIERES SVBDITÆ ESTOTE VIRIS, SICVT OPORTET, IN DOMINO] id est, sicut oportet, secundùm Christi Domini legem, voluntatem, Euangelium. q. d. Mulieres subditæ sint viris, sicut decet subdi eas, quæ Christo coniunctæ profitentur se sequi Christi modestiam, humilitatem, obedientiam, quam didicerunt in christianismo. ita Anselmus. vide dicta Ephes. 6. 1.

Ecquid mirum si Christianis matronis hoc præcipiat Paulus, cùm idipsum Aristotel. Gentilibus præscribat lib. 1. Oeconom. cap. 1. & 2. *Existimare*, inquit, *debet mulier bene composita, mores viri esse legem vitæ suæ, impositam sibi à Deo per coniunctionem matrimonij. Qui hæc ergo negligit, Deos ipsos videtur negligere, quibus præsentibus sacra fecit, & matrimonium iniit*. Et Cato apud Liuium li. 34 *Maiores*, inquit, *nostri nullam ne priuatam quidem rem agere feminas, sine auctore voluerunt; sed in manu esse virorum*. Quare idem Cato grauiter accusans insolentiam & fastum mulierum Romanarum apud Liuium dec. 4. li. 4. hoc quasi monstrum proponit: *Omnes*, inquit, *homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem vxores*. Longè melius & sanctius vir ille prudens consilium dedit matronæ: *Si vis*, inquit, *imperare viro, pareas: bona enim mulier parendo viro, imperat*. Ita Liuia Augusti Cæsaris vxor interrogata, *quibus rationibus Augustum sibi subiecisset?* respondit: *Multa modestia*: quòd ea quæ placerent Augusto, faceret libenter; quodque se scire dissimularet, quibus ille amoribus domi frueretur. Testis est Dion in Tiberio.

Vers. 20. HOC ENIM PLACITVM EST IN DOMINO] Ambrosius legit, *Domino*; sed Romana & Græca legunt, *in Domino*, id est, apud Dominum, &, vt Syrus, *coram Domino*.

Vers. 21. PATRES, NOLITE AD INDIGNATIONEM PROVOCARE FILIOS VESTROS, VT NON PVSILLO ANIMO FIANT] Græcè, ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν, id est, ne despondeant animum, scilicet si videant parentes in se assiduè tam duros, asperos, litigiosos: inde enim solent filij perdere animum, segnescere in suis operibus, cùm vident ea parentibus non placere, segniter parentibus obedire, imò in pietate, Dei timore & cultu languescere, ac tandem desperare, fugere, omneque iugum tam Dei, quàm parentum excutere.

Vers. 22. SERVI OBEDITE PER OMNIA DOMINIS CARNALIBVS (temporalibus, etiam Ethnicis) NON AD OCVLVM SERVIENTES, QVASI HOMINIBVS PLACENTES, SED IN SIMPLICITATE CORDIS, TIMENTES DEVM] q. d. Serui obedite dominis, non fictè ad oculum, vt eorum gratiam captetis, sed simplici & candido animo, ac studio placendi Deo, qui præcipit hanc obedientiam seruis, quique voluit vos esse seruos & seruire, non autem dominos & imperare. timeant ergo serui Deum, & non dominorum, sed Dei timore dominis suis obediant. Vide dicta Ephes. 6. 5.

Vers. 23. QVODCVMQVE FACITIS, EX ANIMO OPERAMINI, SICVT DOMINO, ET NON HOMINIBVS] q. d. Nolite, ô serui, dominis vestris obedire ad oculum, sed ex animo, tamquam si ipsi Domino Deo seruiretis, sicut reuera seruitis; quia Dei, qui vos seruos fecit, voluntas est vt heris vestris ex animo obediatis. Si ergo heris ita obediatis, ipsimet Deo obedietis, qui *retributionem* æternæ *hereditatis* in cælo seruis ita obedientibus vti promisit, ita reuera præstabit pro hoc eorum obsequio. Agite ergo serui, estote philodespoti, id est amantes herorum, nec herum vt hominem, sed in hero herique iussu Deum, & Dei iussum intuemini & accipite.

Vers. 24. RETRIBVTIONEM] Græcè est ἀνταπόδοσις, quæ vox significat mercedem quæ pro merito operum datur. cùm ergo Paulus Deo eam tribuat, certum est seruos eam apud Deum mereri sua obedientia. Nota hoc pro meritis bonorum operum, contra Nouantes.

DOMINO CHRISTO SERVITE] Græcum δουλεύετε, tam est indicatiui quàm imperatiui modi. Vnde verti potest cum Vatabl. *nam Christo Domino seruitis*, q. d Ac proinde ille Dominus, vtpote fidelissimus & liberalissimus, vestrum seruitium compensabit abundantissimè in futura hereditate cælesti.

Vers. 25. QVI ENIM INIVRIAM FACIT, RECIPIET ID QVOD INIQVE GESSIT: ET NON EST PERSONARVM ACCEPTIO APVD DEVM] Probat quòd serui iusti & obsequentes suis heris accipient retributionem hereditatis iam dictæ, argumento à contrario: nam qui iniusti sunt, siue domini sint, siue serui, accipient à Deo retributionem damnationis. Taxat tacitè, & reprimit fastum ac dominatum dominorum, qui iniustè ac tyrannicè tractant suos seruos. q. d. Sciant hi se à Deo iudicandos, & pro iniuria seruis suis irrogata puniendos: vicissim solentur se serui iniustè ab heris vexati, quòd eorum iniurias vlciscetur Deus, eorumque patientiam & obedientiam remunerabitur.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit hortari Primò, dominos ad æquitatem, & benignitatem in seruos.
Secundò, omnes Christianos ad orationis frequentiam, sapientiam Christianam; & gratiam ac prudentiam in loquendo.
Deinde, v. 10 fusè & particulatim suos salutat.

1. DOmini, quod iustum est & æquum, seruis præstate: scientes quòd & vos Dominum habetis in cælo. 2. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione: 3. orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) 4. vt manifestem illud ita vt oportet me loqui. 5. In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt: tempus redimentes. 6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. 7. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: 8. quem misi ad vos ad hoc ipsum vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra, 9. cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hîc aguntur, nota facient vobis. 10. Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum: 11. & Iesus, qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. 12. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, seruus Christi Iesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti, & pleni in omnibus voluntate Dei. 13. Testimonium enim illi perhibeo quòd habet multum laborem pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. 14. Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. 15. Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam. 16. Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam quæ Laodicensium est, vos legatis. 17. Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, vt illud impleas. 18. Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

VERS. 1. DOMINI, QVOD IVSTVM EST ET ÆQVVM, SERVIS PRAESTATE] Pro *æquum*, græcè est ἰσότητα, id est æqualitatem, vt scilicet æqualiter seruos tractent; non vnum durè, alterũ delicatè habeant; non vnum ament & colant, alterum auersentur & contemnant; sed pares pari affectu & beneuolentia prosequantur. Idem inter filios seruare debent parentes, idem in monasterijs, collegijs, republica præstare debent Superiores, ne vnum filium, subditum, ciuem præ alio ament, colant, attollant: hæc enim est inæqualitas & acceptio personarum, quæ pacem turbat, inuidiam aliorum concitat, & Superiores in odium illorum qui negliguntur, vel postponuntur, adducit. Sic enim Ioseph à patre Iacob plus cæteris adamatus, & polymita vestitus inuidiam fratrum, omniaq; mala & tantùm-non mortem incurrit.

In familiis seruanda inæqualitas.

VERS. 2. ORATIONI INSTATE] Græcè τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε, id est, vt Syrus, *in oratione perseuerate*. Toties Apostolus, in suis epistolis orationis studiũ & frequentiam Christianis etiam laicis inculcat, quia oratio est fistula cælestis, per quam omnis ros, id est gratia cælestis, in nos descendit, vt quidam Sanctorum tam verè, quàm appositè dixit.

Oratio est fistula cælestis.

VIGILANTES IN EA IN GRATIARVM ACTIONE] Insignem piamque formulam gratias agendi viri cuiusdam sancti (fortè ipsiusmet S. Chrysostomi) recensèt hîc hom. 10. Chrysost. Ea talis est: *Gratias agimus tibi pro omnibus beneficiis tuis, à primo die vsque in hunc præsentem indignis nobis impensis, siue nota nobis sint, siue incognita; tam pro occultis, quàm pro manifestis, quæ vel opere nobis vel sermone facta sunt, & quæ voluntariis & quæ inuitis sunt præstita, pro omnibus quæ immeritis nobis exhibita sunt; pro afflictionibus, pro quiete, pro gehenna, pro supplicio, pro regno cælorum. Obsecramus vt animas nostras custodias sanctas, mundam habentes conscientiam, finem benignitate tua dignum. Qui nos ita dilexisti, vt Vnigenitum tuum pro nobis dederis, dignare nos hac dilectione dignos reddere. Da sapientiam in verbo tuo, & in timore tuo vnigenite Christe, inspira nobis fortitudinem tuam. Qui Vnigenitũ pro nobis dedisti, & Spiritum sanctum tuum emisisti in remissionem peccatorum, siue sponte quid siue inuiti deliquerimus, condona, nec reputes. Recordare omnium qui nomen tuum inuocant in veritate. Recordare omnium qui nobis vel bene vel malè volunt: omnes enim homines sumus.* Subdit Chrysost. *His dictis addebat orationem fidelium, atque ita cessabat, tanquam coronide quadam & colligatione, post orationem pro omnibus factam imposita. Multis enim nos Deus etiam inuitos beneficiis afficit, multis etiam & pluribus ignaros. Quando enim contraria precamur, ipse verò diuersa facit, manifestum est quòd & insciis benefaciat.*

ORANTES SIMVL ET PRO NOBIS, VT DEVS APERIAT NOBIS OSTIVM SERMONIS] id est, vt det mihi aditum & opportunitatem euangelizandi, amoueatque eius impedimenta. VERS. 3.

Aliter S. Anselmus, Theophyl. & Salmeron, vt Deus, inquiunt, aperiat ostium sermonis, id est, os nostrum, per quod quasi ostium seruo ex homine egreditur. q. d. Vt Deus det nobis os apertum & liberum, id est, det nobis libertatem, fiduciam & audaciam prædicandi. Vnde quasi explicans subdit: *Vt manifestem illud ita vt oportet me loqui.* Alioqui iuxta priorem sensum dicendum est, esse hîc nouam petitionem, & supplendam esse coniunctionem

ctionem, &. q. d. Orate, vt Deus aperiat ostium Euangelio, & vt manifestem illud, sicut oportet, etiam in vinculis constitutus & coarctatus. Meminit Paulus identidem vinculorum suorum, & in ijs gloriatur, vt idem nos facere doceat. Præclarè S. Cyprianus epist. 72. ad Nemesium de vinculis Martyrum: *O pedes*, inquit, *feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! ô pedes ad præsens in sæculo ligati, vt sint semper in cælis apud Deum liberi!* Mitrè verò S. Chrysost. hîc homil. 10. hæc vincula extollit, atque inter cætera ait, Paulum, vtpote in cælis animo & mente versantem, non potuisse vinculis constringi, sed in ijs quasi liberũ & solutum prædicasse & cucurrisse ad cælum. *Inuice*, inquit, *radiis Solis aut Soli ipsi vincula, siste cursum eius, si potes: si non potes, nec Paulum, qui quasi Sol in cælo conuersatur, lucisq; & doctrinæ suæ radios in terra dispergit, vincire, aut cursum eius inhibere poteris.*

B

ERS. 5. IN SAPIENTIA AMBVLATE AD EOS QVI FORIS SVNT] Id est, sapienter & prudenter agite cum Ethnicis, vt illos ad fidem Christi pelliciatis. ita Ambrosius.

TEMPVS REDIMENTES] Græcè καιρὸν, id est, occasionem bene agendi cum alijs, & rei Christianæ bene gerendæ ac promouendæ, prudenter ac studiosè captate: τὸ enim *redimentes tempus*, pendet ex eo quod præcedit, *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt.* ita Ambros. & Theophyl. Vide dicta Ephes. 5. 15.

Aliter Anselm. *Tempus*, inquit, *redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus.* Sed prior sensus est ex sententia & mente Apostoli.

Alij sic explicant, q. d. Cum infidelibus sapienter, id est cautè, conuersamini, ita vt redimendæ C vexationis & euitandæ persecutionis causa, quò tempus habeatis liberum ad seruiendum Deo, patiamini, si opus sit, etiam dispendium aliquod rerum temporalium. Aut aliter. q. d. Sapienter agite cum infidelibus, ne ex veteri amicitia cum eis tempus teratis otio, fabulis, ludis, conuiuijs, &c. vti antè solebatis; sed dexterè ab ijs vos subducite, vt tempus pretiosum redimatis, illudq́ue in oratione, studio, charitate, propagatione fidei, operibus misericordiæ, alijsq́ue virtutibus impendatis. Hi duo sensus satis appositi sunt. Est enim generalis hæc sententia Apostoli, similis illi Ephes. 5. v. 16. Epistola enim ad Colossenses similis est illi ad Ephesios, eiusq́ue quasi compendium.

ERS. 6. SERMO VESTER SEMPER IN GRATIA (id est, cum gratia, hoc est, approbatione & ædificatione proximorum) SALE (id est prudentia) SIT CONDITVS] Secundò, Anselmus, *in gratia*, id est, in dulce- D dine charitatis. Tertiò & adæquatè, *in gratia*, id est, cum gratia, vt scilicet sit gratiosus sermo vester, & gratiam ac fauorem audientium conciliet; ita tamen, vt sit sale conditus. q. d. Sicut cibus dulcis gratus est, si tamen sit sale conditus; nam alioqui sicut præsalsus, sic & insulsus cibus displicet: ita sermo vester suauis sit, iucundus & gratus, non præsalsus & austerus: hic enim alios, maximè Gentiles, à vobis auerteret. at neque sit insulsus & dissolutus: sed sale modestiæ, grauitatis & discretionis condiatur; vt sal opponatur σήπτῳ, id est putri & scurrili, vt dixi Ephes. 4. v. 29. quasi dicat, ait Chrysostom. Sermo vester iucundus sit, sed simul stringat, obturet, pungat & acuat.

Talis debet esse sermo præconum Euangelij, A & eorum qui animas student Christo lucrifacere.

Huic gratiæ mirè studuerunt Gentiles. Ita Xenophon in sermone fuit suauissimus, indeq́ue vocatus est *Musa Attica*. Ita Plato miram habuit sermonis gratiam. Quare cùm adhuc infans in cunis dormiret, apes mellis copiam labellis eius instillare visæ sunt; quod præsagi portendere dixerunt, ex ore Platonis melle dulciorem fluxuram esse orationem. Sciunt omnes quanta in Cicerone dicendi scribendiq́; fuerit gratia. Xenocrates tristior & tetricus, iussus est à Platone *Gratiis sacra facere*, vt comitatis elegantiam sibi conciliaret. nam *tetricus vultus & sermo non vrbibus, sed siluis conuenit*, inquit Plato. Protogenes pictor toto septennio in pingenda Ialysis imagine consumpto, tandē summam manum imposuit. Eam cùm Apelles cerneret, primùm substitit mutus & stupefactus, deinde inspiciens inquit: *Opus quidem magnum, artifexq́; excellens, verùm operi gratia deest; quæ si adesset, assecutus esset auctor immortalem gloriam.* Adiecit *sibi cum Protogene omnia paria esse, aut illi meliora, sed vno se præstare, quòd manum ille de tabula nesciret tollere.* Nimis enim morosi dum nimis omnia gratiosa exhibere cupiunt, gratiam perdunt. ita Ælian. li. 12. c. 41. & Plin. li. 35. c. 10.

Moral. fusiùs id explicat Anselm. *Sicut*, inquit, *& S. Anselmi cibus cui sal immiscetur, fit sapidus, & caro bene salita non putrescit, nec fœtet: ita sit & sermo vester, vt quasi cibus sapidus recipiatur ab ore cordis audientium, non sit insipidus per insipientiam; nec putidus per admonitionem carnalis delectationis; nec corruptus per admixtionem falsitatis; sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus, & integritate veritatis incorruptus, atque odorem cælestis & incorruptibilis delectationis spirans. Et ita condimentum diuini salis habeat sermo vester.*

VERS. 9. & 11. CVM ONESIMO, &c. QVI EX VOBIS EST] id est, qui est ex vestra gente & vrbe, scilicet est Colossensis, quales & vos estis. Id patebit ex epistola ad Philemonē. HI SOLI, scilicet ex domesticis meis, qui me comitari & adiuuare solent, SVNT ADIVTORES MEI IN REGNO DEI] id est, in prædicatione Euangelij, quod est via ad regnum Dei cæleste: qui enim prædicat Euangelium, prædicat regnum cæleste, & viam ad hoc regnum. Hinc S. Ioannes & Christus & Apostoli hoc thema suæ prædicationis proposuerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.*

Obiectio Bezæ soluitur. Hinc ergo ruit argumentum Bezæ: Si, inquit, hi (scilicet Aristarchus, Marcus & Iesus) soli erant Romæ cum Paulo; ergo Petrus Romæ non erat, nec Romæ sedit Pontifex vigintiquinque annos. Respondeo, Hi soli erant Romæ cum Paulo quasi socij & domestici eius; Petrus verò Romæ erat, sed seorsim euangelizabat. Adde, Petrum ita sedisse, id est, papatum constituisse Romæ, vt tamen quasi Pastor Ecclesiæ per vices sæpè discurreret per alias regiones, ibiq́ue fundaret Ecclesias, vti faciebant alij Apostoli.

VERS. 12. SEMPER SOLICITVS PRO VOBIS] Græcè ἀγωνιζόμενος, id est certans & agonizans pro vobis est Epaphras vester nuper Episcopus.

VT STETIS PERFECTI, ET PLENI IN OMNI VOLVNTATE DEI] id est in omni eo, in quo vult Deus nos esse perfectos & plenos, scilicet in sapiētia & vita Christiana. Voluntas enim ponitur pro volito, id est, obiectum pro potentia, iuxta can. 30.

VERS. 15. SALVTATE FRATRES, &c. ET NYMPHAM. Nympha vir fuit, non mulier. Patet ex eo quod sequi-

tur,

tur, ET QVAE IN DOMO EIVS (græcè αὐτοῦ, id est, eius masculinè, viri scilicet, non fœminæ) EST, ECCLESIAM] id est, domesticam eius Ecclesiam & familiam fidelem ita Theophyl. licet Theodoret. putet Nympham hunc consecrasse domum suam in Ecclesiam.

VERS. 16. EAM QVAE LAODICENSIVM EST, VOS LEGATIS] Putat Philastrius lib. de Hæresibus c. 90. Paulum scripsisse ad Laodicenses, velleque hîc, vt ea epistola Colossis legatur. Sixtus Senensis li. 2. in Paulo, hanc epistolam ad Laodicenses recenset, eamque probat Faber Stapulensis. ea sic habet: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum fratribus, qui estis Laodiceæ. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias ago Christo per omnem orationem meam, quòd permanentes estis & perseuerantes in operibus boni, promissionem expectantes in die iudicij. Neque disturbent vos quorumdam vaniloquia insimulantium veritatem, vt vos auertant à veritate Euangelij, quod à me prædicatur. Et nunc faciet Deus, vt qui sunt ex me, ad perfectum veritatis Euangelij sint deseruientes, & benignitatem operum facientes, quæ sunt salutis vitæ æternæ. Et nunc palàm sunt vincula mea, quæ patior in Christo: in quibus lætor & gaudeo. Et hoc est mihi ad salutem perpetuam, quod factum est in orationibus vestris administrante Spiritu sancto, siue per vitam, siue per mortem. Et mihi viuere vita in Christo & mori gaudium; & ipse in nobis faciet misericordiam suam, vt eamdem dilectionem habeatis, & sitis vnanimes. Ergo, dilectissimi, vt audistis præsentiam Domini, ita sentite & facite in timore; & erit vobis vita in æternum (est enim Deus qui operatur in vobis) & facite sine peccato, quæcunque facitis; & quod optimum est, dilectissimi, gaudete in Domino Iesu Christo: & cauete omnes sordes in omni lucro. Omnes petitiones vestræ sint palàm apud Deum. Estote firmi in sensu Christi, & quæ integra, vera & pudica & casta & iusta & amabilia sunt facite; & quæ audistis & accepistis, in corde retinete: & erit vobis pax. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, Amen. Hanc facite legi Colossensibus, & eam, quæ est Colossensium, vobis.* Sed suppositiam esse hanc epistolam patet, tum ex stylo, tum ex breuitate, tum quòd frigidior sit, tum quòd eadem contineat, quæ epistola ad Colossenses, ex eaque alijsque Pauli epistolis consarcinata sit, cùm tamen eam quasi noui aliquid continentem Colossis legi iubeat hîc Apostolus; tum denique quòd veteribus incognita fuerit. Imò S. Hieron. in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. in Paulo: *Legunt*, inquit, *quidam epistolam ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.* Rursum Marcion putabat epistolam ad Laodicenses esse epistolã ad Ephesios: Theophyl. verò esse epistolam primam ad Timotheum, quæ scripta est Laodiceæ.

Epistola Pauli ad Laodicenses apocrypha.

Quænam epistola Laodicensium?

Sed Respondeo & dico, Apostolum hîc vocare epistolam Laodicensium, non suam, quam ad Laodicenses scripserit, sed eam quam Laodicenses ad Paulum, vel certè ad ipsos Colossenses, vt vult Theodor. scripserint; in qua quædã inerant, quæ ad rem Colossensium pertinerent, ac proinde ab eis eam legi voluit Apostolus. Patet ex Græco textu, qui sic habet, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, id est, & eam, quæ ex Laodicea, scilicet ad me scripta est, A vos legite. ita Chrysost. Syrus & Theodor. qui sic ait: *Non dixit Apostolus, Eam quæ ad Laodicenses; sed, Eam quæ ex Laodicea est, legite: illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem eos vel ea accusasse, quæ fiebant Colossis, vel eodem morbo cum eis laborasse; & ideo dixit hanc quoque epistolam esse legendam.* Maldonat. tamen in Notis manuscript. sic explicat: τὴν ἐκ Λαοδικείας, id est, inquit, quæ à Laodicensibus ad vos mittetur, à me ad eos scripta: in qua credibile est Paulum Laodicenses monuisse, vt eam ad Colossenses mitterent, sicut hîc Colossenses monet, vt hanc ad Laodicenses mittant.

ET DICITE ARCHIPPO, VIDE MINISTERIVM, QVOD ACCEPISTI IN DOMINO (id est, in Domini Ecclesia, à Domino, per Dominum, iuxta can. 25.) VT ILLVD IMPLEAS] Ministerium hoc fuit pastoratus, vel episcopatus Colossensium, in quo Archippus hîc videtur successisse Epaphræ, qui iam captiuus Romæ tenebatur in vinculis, vt patet ex epistola ad Philemonem, v. 23: vult ergo Archippum hoc suum ministerium implere, id est, plenè & perfectè fungi suo episcopatu aut pastoratu, tamquam qui à Domino ministerium acceperit. q. d. Vide, Archippe, sis diligens in hac tua cura, Domini officium agis. Dominus tibi credidit has oues, eas à te repetet. ita Theophyl. VERS. 17.

SALVTATIO MEA MANV PAVLI] salutationem vobis propria mea manu ego Paulus subscribo. Hinc patet Paulum hucusque dictasse hanc epistolam, & scripsisse aliena manu; hæc verò, & quæ sequuntur deinceps ad finem vsque, sua scripsisse manu. ita Anselmus. VERS. 18.

MEMORES ESTOTE VINCVLORVM MEORVM] tum vt pro me vincto oretis, tum vt meis vinculis in fide & constantia roboremini. Hæc enim memoria & exemplum quòd vinctus sim & condemnatus, ait Theophyl. magnam vobis afferet consolationem in omnibus tribulationibus. Imitatur Paulum S. Ignatius, qui epistolam suam ad Philippenses ita concludit: *Mementote vinculorum meorum, vt consummer in Domino.*

Moraliter S. Chrysost. *Deliciarum*, inquit, *concupiscentia prehenderis? recordare carceris Pauli: discipulus es illius & commilito. Quam rationem habet, commilitonem quidem tuum in vinculis esse, te verò in deliciis? In afflictionibus es? putas te derelictum esse? audi sermones Pauli, & vide quomodo in afflictione esse, non sit derelictionis indicium. Velles sericis indui? memor esto vinculorum Pauli, & videbuntur tibi serica indumenta quibusuis fœtulentis panniculis abiectiora esse. Velles aureis indumentis amiciri? recordare vinculorum Pauli, & ostendent tibi nihil illa cœno protrito melius habere. Vis ornari capillis, formosaq; videri? considera squalorem Pauli in carcere, & accenderis circa illam pulchritudinem, hancq; extremam deformitatem esse putabis, atque amarè ingemisces desiderio illorum vinculorum correpta. Vis odoramenta & fucum, & quidquid eiusmodi est, tibipsi accommodare? cogita illius lacrymas. Triennium noctes & dies à lacrymis non cessabat. Hoc ornatu genas tuas adorna. Lacrymæ istæ eas splendidiores facient. Non dico vt pro aliis illacrymes; vellem quidem & istud: at sublimius est; sed pro peccatis tuis hoc facere adhortor.* *Omnes Christiani ad crucem se animare debent cogitando vincula Pauli.*

Ministerium tuum imple, AETERNITATEM cogita.

COM-

COMMENTARIVS IN I. EPISTOLAM AD THESSALONICENSES.

ARGVMENTVM.

THessalonica metropolis Macedoniæ vrbs fuit nobilissima, quæ priùs Halis dicta, deinde à Philippo Amyntæ filio, vocata est Thessalonica, vel quia in ea Thessalos vicerat, vt nomen sonat; vel, vt Strabo ait, à Thessalonica vxore. Nunc Salonica dicitur, estque Iudæorum statio & emporium. In hac ergo vrbe Paulus prædicauerat Euangelium, breuique tempore multos Gentilium, ac præsertim nobilium matronarum conuerterat, vt patet Actor. 17. 1. & seq. Hinc statim Iudæi Paulo & Euangelio inuidentes, contra eum concitarunt seditionem. fugit ergo Paulus Athenas, indeque Timotheum misit Thessalonicam; vt opus à se cœptum perficeret, & fideles in fide confirmaret, vt patet hîc cap. 3. v. 2. Redijt deinde Timotheus ad Paulum, eique à se gesta, & Thessalonicensium in fide constantiam enarrauit. Vnde Paulus hanc ad eos scribit epistolam, qua constantiæ eorum congratulatur, eosque in fide confirmat; vt pro ea tuenda secum fortiter Iudæorum & Gentilium persecutiones ferant.

Deinde c. 4. hortatur eos, vt fugiant fornicationem, otium, desidiam: ac de resurrectione & Christi ad iudicium aduentu eos instruit. Denique cap. 5. monet, vt ad diem iudicij sanctè viuendo se comparent, vacentque charitatis operibus, orationi ac pietati.

Scriptam esse Athenis habent Græca & Syra in fine epistolæ. Idem docent Theodor. Oecum. hîc, & Athanasius in Synopsi: sed verius est scriptam esse Corinthi anno Christi 52. vt docet Baron. nam Timotheus iam Thessalonica ad Paulum redierat, vt ipse ait c. 3. v. 6. Timotheus autem ad Paulum redijt, non Athenis, vbi vix hæsisse videtur, sed Corinthi agentem, vt patet Actor. 18. 5. Vnde sequitur hanc primam esse omnium epistolarum quas scripsit Paulus, vti constanter asserunt Chrysost. & Theodor. *Vbi & quando scripta?*

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

GRatias agendo Deo refricat Thessalonicensibus feruidam ipsorum conuersionem ad Christum per efficaciam suæ prædicationis.
Deinde, v. 6. laudat & corroborat eorum in fide constantiam.

1. PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre, & Domino Iesu Christo. 2. Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, 3. memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum: 4. scientes fratres, dilecti à Deo, electionem vestram: 5. quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. 6. Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti: 7. ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia. 8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solùm in Macedonia, & in Achaia, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita vt non sit nobis necesse quidquam loqui. 9. Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo & vero, 10. & expectare Filium eius de cælis (quem suscitauit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

1. PAVLVS, ET SILVANVS, ET TIMOTHEVS ECCLESIÆ THESSALONICENSIVM IN DEO PATRE, ET DOMINO IESV CHRISTO] id est, in fide & religione Dei Patris, & Iesu Christi, supple congregatæ, scribunt & salutem dicunt. B Vbi rectè aduertit Theophyl. præpositionem *in* hîc Filio tribui æquè ac Patri, vt significetur æqualitas Filij cum Patre. Eodem modo, quo hîc præpositionem *in*, etiam præpositionem *à*, tam Filio, quàm Patri tribuit epistolæ 2. c. 1. v. 2. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino Iesu Christo.*

Nota

Siluanus est Silas.

Nota Secundò. *Siluanus* est Silas: ex Hebræo enim nomine Silas, Græci & Latini formarunt nomen sibi notius Siluanus; hoc enim Latinum & Romanum est nomen. Perperam ergo Dorotheus in Synopsi Siluanum à Sila distinguit, quasi Silas Corinthiorum, Siluanus Thessalonicensium fuerit Episcopus.

Audi Manichæum resuscitantem hunc Siluanum, audi fanaticum. Constantinus quidam Manichæorum hæresim suscitare volens in Armenia, sub Constante Imp. nepote Heraclij, anno Christi 653. iactauit se esse Siluanum, qui tamquam fidus discipulus à Paulo missus est in Macedoniam, ostendensque discipulis suis Apostoli codicem, quem à Diacono acceperat: *Macedones*, aiebat, *estis: ego Siluanus, ad vos à Paulo missus.* Quare iusto Dei iudicio à Iusto quodam, quem manichæismo imbuerat, mercedem congruam recepit. Palatini enim iussis obsequens Iustus, sumpto in manus sabo, Siluanum quasi alterum Goliath vi magna percussit & occidit, vti ex Theophane fusè narrat Baron. anno Christi 653. Vbi & addit assectam Constantini Simeonem pari modo se appellasse Titum (cùm Cetus animas deuorans potiùs vocandus esset) qui proinde à Iustiniano iuniore Imp. cum alijs Manichæis flammis exustus est anno Christi 685.

Nota Tertiò, Pauli modestiam, qui Timotheū & Silam discipulos suos sibi æquat & adnumerat in scribenda hac epistola.

Nota Quartò. Non se vocat hîc Apostolum, quia pauco tempore Thessalonicæ euangelizauerat, ita vt apostolatus eius ibi per experientiam vix esset cognitus; necdum enim vllas ibi fundauerat Ecclesias, quod proprium erat Apostolorum munus.

VERS. 3. MEMORES OPERIS FIDEI VESTRAE, ET LABORIS, ET CHARITATIS, ET SVSTINENTIAE SPEI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI ANTE DEVM ET PATREM NOSTRVM] Nota Primò. Tò *operis*, vel, vt Syrus, *operum fidei*, significat fidem non nudam & otiosam, sed operatricem, ipsaque opera fidei ab Apostolo commendari. ita Chrysost. Anselmus & alij.

Nota Secundò. Pro *laboris & charitatis*, Græca & Syrus legunt *laboris charitatis*: sicut enim fidei tribuit opus, ita charitati tribuit laborem, & spei sustinentiam. Vbi Aduerte, Apostolum per hæc tria, vnum & idem significare, nimirum Thessalonicenses propter fidem, spem & charitatem in Christū multa à Iudæis & Gentilibus passos esse, adeò vt à Iudæis Iason pro Paulo elabente protractus fuerit ad tribunal, Actor. 17. 6. Persecutiones ergo pro fide pati constanter, est opus fidei.

Quis labor charitatis?

Idem est *labor charitatis*, id est labor & molestia, quam sustinuerunt propter amorem Christi dilecti sui. Idem est *sustinentia* & patientia *spei*, vt mox dicam. Possunt tamen hæc ita commodè secerni, vt *opus fidei*, sit labor pro fide susceptus; multum enim eis laborandum erat, vt infirmi in fide Christiani tempore persecutionis in fide corroborarentur. *Labor charitatis* esse potest labor, quem suscipiebant, vt eos, qui ob fidem erant spoliati bonis, aut in exilium missi, solarentur & sustentarent. *Sustinentia spei* esse potest omnium ærumnarum in persecutione tolerantia ob spem gloriæ cælestis. ita Chrysost.

Nota Tertiò. *Sustinentiam spei* vocat constantiam spei, quam constanter in aduersis sustinuerunt, id est sustentarunt & retinuerunt; vnde Erasmus vertit, *quòd permansistis in spe*; Ambros. legit, *exspectationis spei*, id est, spei expectantis, de qua mox dicam.

Sustinentia spei est patientia in spe præmij.

Secundò & aptiùs, *sustinentiæ spei*, id est patientiæ, &, vt Syrus, tolerantiæ, quam in persecutionibus habetis ex spe, vel propter spem præmij cælestis. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. Vnde posset cum Vatablo per hypallagen *sustinentia spei* accipi pro spe sustinentiæ, id est spe sustinente, tolerante, patiente; sicque clarè hic locus verti potest, Memores operatricis & efficacis fidei vestræ, & laboriosæ charitatis, & tolerantis spei. Vbi Aduerte tria apta epitheta, & quasi proprietates trium virtutum Theologicarum, fidei, spei, charitatis: fides enim debet esse operatrix, charitas laboriosa, spes patiens. Vnde rectè notauit Chrysost. & alij, ab Apostolo nec fidem sine operibus, nec charitatē sine labore, nec spem sine patientia hîc commendari.

Fides debet esse operatrix, charitas laboriosa, spes patiens.

Nota Quartò. Addit Apostolus, *Domini nostri Iesu Christi*, qui genitiui à genitiuis *fidei, spei & charitatis*, qui præcesserunt, reguntur. Vocat ergo fidem, spem, charitatem Iesu Christi, siue quia hæ virtutes dantur à Christo, & per Christi merita; siue potiùs, quia feruntur in Christum qua Deus est & homo, quasi in obiectum suum, & labor earum suscipitur propter Christum, & Christi amore, spe ac desiderio. Vnde v. vltim. id explicans ait, *Expectare filium eius de cælis.* q. d. Hac spe sustinetis persecutiones, ærumnas & labores pro fide, quia creditis & amatis Christum, eumque expectatis iudicem, vt vos præmiet & glorificet. Hac enim spe vir iustus ad omnem fortunæ motum immotus firmusque quasi cubus, imò quasi rupes consistit in sua fide & probitate. ita Anselmus. Vnde & Ambros. vt dixi, legit hîc, *memores, &c. expectationis spei Domini nostri Iesu Christi*, id est, spei expectantis Dominum nostrum Iesum Christum.

Nota Quintò. Quod subdit Apostolus, *Ante Deum & Patrem nostrum*, vel refertur ad *memores*, vel potiùs ad *fidei, spei & charitatis*. q. d. Memor sum vestræ patientiæ & laboris, quem sustinetis pro fide, spe & charitate Christi, non fictè & simulatè, *ante Deum*, id est, sine fuco, verè, sincerè, coram Deo. Est hic ingens stimulus ad fortiter agendum & patiendum, si cogitemus nos ante Deum, in Dei oculis, & pro Deo ipso laborare, pati, certare. *Magna*, inquit Boetius, *nobis iniecta est necessitas bene agendi, quòd in conspectu Iudicis cuncta cernentis omnia agimus.* Hinc Deus Genes. 17. 2. hoc medium & excitamentum ad omnem perfectionem Abrahamo suggessit, dicens, *Ambula coram me, & esto perfectus.* q. d. Cogita præsentiam meam, me facta tua omnia coràm intueri; ita studebis & anniteris, vt opera tua quàm optimè & perfectissimè facias.

Acerbissima est cogitatio præsentiæ Dei.

VERS. 4. SCIENTES, FRATRES DILECTI A DEO, ELECTIONEM VESTRAM] q. d. Scio, non fide, non certa demonstratione, aut physica euidentia, sed ex signis & coniecturis: quia scilicet vestræ fidei, constantiæ, patientiæ, charitatis opera video, inde scio, id est probabiliter colligo, *vestram electionem*, id est, vos esse electos ad gratiam & amicitiam Dei, & si in ea perseueretis, ad gloriam & fruitionem eiusdem. ita Theophyl. Vide can. 13. Nam Apostolum propriè & immediatè loqui de electione ad gratiam, non autem ad gloriam, patet ex loquentibus; sequitur enim:

QVIA

VERS. 3. QVIA EVANGELIVM NOSTRVM NON FVIT AD VOS IN SERMONE TANTVM, SED ET IN VIRTVTE] id est, potentia & efficacia miraculorum confirmatum fuit.

ET SPIRITV SANCTO] Syrus vertit, *in spiritu sanctitatis*: sanctitas enim doctrinæ & vitæ prædicantium, valdè eorumdem doctrinam credibilem facit & persuadet. Secundò, *in Spiritu sancto*, id est, in largitione Spiritus sancti & donorum eius, quæ Apostoli in primitiua Ecclesia, in baptismo, etiam visibiliter largiebantur, faciendo, vt credentes linguis peregrinis loquerentur, prophetarent, dæmones & morbos depellerent, &c. vt patet Actor. 10. v. 44. & alibi. ita Theodoret. Anselm. & alij.

ET IN PLENITVDINE MVLTA] D. Thomas bifariam accipit: Primò, *in plenitudine*, supple, donorum Spiritus sancti, ne se minus donorum accepisse putarent Gentiles, quàm acceperant Iudæi. Secundò, *in plenitudine*, supple illustrationis. q.d. Nihil vobis defuit plenæ instructionis earum rerum, quæ ad fidem pertinent. Verùm hæc non conueniunt cum Græco πληροφορίᾳ, quæ vox significat plenam certitudinem & certam persuasionem, vt dixi Roman. 14. 5. Vnde Ambrosi legit, *non in phantasia, sed in veritate plenitudinis*, id est plena, pleneque probata & certa veritate. q.d. Nihil defuit Euangelio meo apud vos ad plenam illi fidem faciendam. Quod Theophyl. refert ad toleratas pro Euangelio afflictiones, eò quòd non sit probabile quemquam pro vana doctrina tantum velle pati malorum, quantum Paulus & Apostoli patiebãtur pro Euangelio. Sed hoc arctius est: Apostolus enim *plenitudinem multam* vocat omnia argumenta, quibus plenam Euangelio suo fidem faciebat, putà miracula, linguas, prophetias, sanctitatem, patientiam, aliaque quælibet: nemo enim prudenter potest credere, nisi hæc, vel his similia signa fieri, vel facta esse pro Euangelio sciat, quæ planè persuadeant viro prudenti rem ad quam confirmandam adhibentur, esse credendam.

Quid πληροφορία, sit plenitudo.

VERS. 6. ET VOS IMITATORES NOSTRI FACTI ESTIS ET DOMINI] Patheticè S. Bernard serm. 1. in cap. ieiunij: *Quidni*, ait, *caput suum membra sequantur? si bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quare non sustineamus? An respuere tristia volumus, & communicare iucundis? si ita est, indignos nos capitis huius participatione probamus: omne enim quod ille patitur, pro nobis est. Felix membrum quod huic adhæserit per omnia capiti, & sequetur illud quocumque ierit.* Et mox: *Mihi omnino adhærere tibi bonum est, ô caput gloriosum & benedictum in sæcula, in quod & angeli prospicere concupiscunt. Sequar te quocumque ieris: si transieris per ignem, non auellar à te. Tu dolores meos portas, & pro me dolet. Tu priùs transis per angustum passionis foramen, vt latum præbeas sequentibus membris ingressum* (metaphora à corpore & à capite sumpta; quòd enim caput perruperit, facile est subingredi corpus.)

EXCIPIENTES VERBVM IN TRIBVLATIONE MVLTA, CVM GAVDIO SPIRITVS SANCTI] Nihil magis admirabile, quia nihil magis naturæ contrarium est, quàm in tribulatione gaudere. Solent enim afflicti plorare, murmurare, queri, desperare: sed Spiritus sanctus, qui natura superior est, & per tribulationes bona cælestia & diuina repromittit, efficit, vt homo hæc bona sibi proponens in tribulatione, quo magis affligitur, eo magi gaudeat. *Hoc verò eorum est*, ait S. Chrysost *qui iam humanam naturam transcenderunt, corpusq; habent quasi nullis passionibus obnoxium. Sic & Christus, quamuis multas afflictiones pertulerit, gauisus tamen est. Ad hoc enim sponte sua venit, & nostri gratia seipsum exinaniuit, conspuendus, alapis percutiendus & crucifigendus: atque ita gauisus est ista patiens, vt Patri dixerit: Glorifica me.* Iohan. 17. *Afflictio in corporalibus gaudium in spiritualibus.* Causam subdit: *Non enim natura afflictionum hoc habet, vt gaudium pariant, sed istud ex ea afflictione est quæ propter Christum toleratur, & ex spiritu ardorante, & per caminum tentationum in requiem ac recreationem constituente. Cum gaudio, inquit, non simpliciter, sed multo. hoc enim est Spiritus sanctus.*

VERS. 7. ITA VT FACTI SITIS FORMA (græcè τύποι, id est exemplaria, typi, &, vt Syrus atque Ambrosi in exemplum) OMNIBVS CREDENTIBVS IN MACEDONIA ET IN ACHAIA.

VERS. 8. A VOBIS ENIM (à vestra fide, patientia, constantia, zelo, ait Theodor.) DIFFAMATVS (diuulgatus) EST SERMO DOMINI] Græcè ἐξήχηται, id est, resonuit quasi echo, & exsonuit quasi tuba, ait Theophyl. Vatablus vertit, *à vobis ebuccinatus est sermo Domini*; Syrus, *à vobis manauit fama sermonis Domini*, id est prædicationis Euangelicæ: vt scilicet omnes hanc nouam fidem Christianam admirentur & ament propter vestram Christianam, piam & sanctam vitam, quam sciunt vos ex fide hæc hausisse & imbibisse.

IN OMNI LOCO] fidelium scilicet, vel vbi fidei & fidelium est notitia: commodè enim τὸ *omni* ad præsentem materiam limitandum & accipiendum est.

FIDES VESTRA (rumor & fama fidei & sanctitatis vestræ) QVÆ EST AD DEVM (in Deum, erga Deum) PROFECTA EST] hoc est, dimanauit: loquitur enim, inquit Theophyl. de fide eorum, quasi de re animata, quæ egressa & profecta, omnia loca perambularit. Sic enim vulgus & poëtæ famam pingunt quasi iuuenem alatum, qui omnia celerrimè peruolat. Hinc Virgilius:

Fama pingitur cum alis.

Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.

ITA VT NON SIT NOBIS NECESSE QVIDQVAM LOQVI] q.d. inquit Theophyl. Adeò vehemens & efficax est fidei vestræ fama, vt neque expectent nos homines quidquam de vobis dicere; sed narrare incipientes, præueniant ipsi nos, vestra nobis bona annunciantes & deprædicantes.

VERS. 9. IPSI ENIM DE NOBIS ANNVNCIANT, QVALEM INTROITVM HABVERIMVS AD VOS] id est, quàm mirabilis efficaxque fuerit meus ad vos introitus; nimirum, vt medios licet inter hostes & persecutiones constituti, intrepidè tamen euangelizarim, plurimosque ex vobis à simulacris ad Deum verum conuerterim, vt sequitur. Hunc introitum suum fusiùs describit Paulus c. seq. v. 1. & seq.

Rursum Theophyl. *Ipsi*, inquit, *homines annunciant, quòd noster ad vos aduentus refertus fuerit innumeris mortibus, vos tamen non estis offensi in nobis. Quin etiam vos in pericula propter nos incidentes, non auersi estis à nobis, sed sic nobis adhærebatis, ceu innumeris bonis à nobis auctis essetis. Secundus autem ille accessus eius erat. Etenim profectus in Berrhœam, persecutione passus est: ac inde veniens, sic est receptus, vt & animas suas, adeoq; vitam pro eo impenderent.* Hactenus Theoph.

Admirabile gaudium in tribulatione.

QVOMODO CONVERSI ESTIS AD DEVM A SIMVLACRIS, SERVIRE (vt seruiretis) DEO VIVO ET VERO] Monet eos vt recordentur à quibus ad quem transierint, vt dignam sua conuersatione, christianissimo & Deo viuo & vero, vitam agant. Simulacris, id est, diis falsis & inanimis, putà aureis & saxeis, opponit Deum viuum & verum. q.d. Viuit vigetque Deus, sentitque honorem & seruitium sibi à vobis impensum, ac consequenter vti suos hostes vlciscetur, ita vos seruos suos copiosè præmiabit & remunerabitur.

ET EXPECTARE (vt expectetis) FILIVM EIVS VERS. 10. DE CÆLIS, qui in iudicio vos hisce persecutionibus liberabit, & gloriæ corona donabit. Ipse enim per suam gratiam ERIPVIT NOS à peccati miseria quam incurreramus, ac consequenter AB IRA VENTVRA] id est, à damnatione æterna nobis ob peccata infligenda ab irato Deo.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

APostolus vt Thessalonicenses incitet ad constantiam in Christi fide & persecutionibus, ostendit eis sinceritatem, sanctitatem, & zelum prædicationis suæ octo argumentis, scilicet Primò, ex illius fructu, v. 1.

Secundò, ex persecutionum, quæ Act. 16. & 17. narrantur, tolerantia, v. 2.

Tertiò, ex doctrina sana & pura, quam docuit, v. 3.

Quartò, ex sancta intentione, qua non quærens fauores & opes, nec gloriam hominum, sed Dei tantùm, prædicauit, v. 4. & seq.

Quintò, ex eo quòd eos tam tenerè educarit in fide, quàm tenerè mater amat & educat suos filios, quodq; pro eis vitam suam tradere voluerit, v. 7. & 8.

Sextò, quòd, ne eos grauaret, sibi victum parauerit nocte & die laborando, v. 9.

Septimò, quòd sanctè & irreprehensibiliter inter eos vixerit, v. 10.

Octauò, ex testimonio Thessalonicensium, qui Euangelium Pauli acceperunt vt verbum, non hominum, sed Dei, ideoq; dira ab impiis & inuidis Iudæis passi sunt, v. 13. & seq.

Denique, vt eos ad se & fidem Christi magis alliciat, declarat subinde maternum in eos affectum, ideoq; eos vocat suam spem, gaudium, coronam & gloriam, v. 19. Itaque Apostolus hoc capite in seipso viuam veri prædicatoris, & pastoris Ecclesiæ effigiem & ideam exhibet, quam sibi iugiter nostri Pastores ob oculos ponant, imitando octo eius dotes & virtutes iam recensitas.

1. NAm ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: 2. sed antè passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei in multa solicitudine. 3. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, 4. sed sicut probati sumus à Deo vt crederetur nobis Euangelium: ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 5. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ; Deus testis est: 6. nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. 7. Cùm possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrùm, tamquam si nutrix foueat filios suos. 8. Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. 9. Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes ne quem vestrùm grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. 10. Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: 11. sicut scitis, qualiter vnumquemque vestrùm (sicut pater filios suos) 12. deprecantes vos, & consolantes testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam. 13. Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. 14. Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis: 15. qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, 16. prohibentes nos Gentibus loqui vt saluæ fiant, vt impleant peccata sua semper: peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem. 17. Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantiùs festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio: 18. quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & semel, & iterũ, sed impediuit nos Satanas. 19. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nónne vos ante Dominũ nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? 20. vos enim estis gloria nostra & gaudium.

SCITIS

VERS. 1. SCITIS FRATRES INTROITVM NOSTRVM AD VOS, QVIA NON INANIS FVIT] Pro *inanis*, græcè est κενὴ, id est vacua. q.d. Aduentus & prædicatio mea apud vos non fuit otiosa & euanida, non caruit sua molestia aut persecutione, aut digna materia, aut sinceritate, aut sanctitate, aut fructu; idque toto reliquo cap. demonstrat, vt dixi in argumento. Quòd enim eam non solùm fructu non vacuam fuisse, sed etiam persecutionibus, aliisque iam dictis eamdem non caruisse docere velit, patet ex particula aduersatiua *(sed)* quæ sequitur, cùm ait:

VERS. 2. SED ANTE PASSI (græcè προπαθόντες, id est, malis afflicti) ET CONTVMELIIS AFFECTI IN PHILIPPIS, FIDVCIAM tamen HABVIMVS (græcè ἐπαρρησιασάμεθα, id est libertate, audacia vsi sumus, audaces & intrepidi fuimus) LOQVI AD VOS (ad loquendum, & prædicandum vobis) EVANGELIVM DEI IN MVLTA SOLICITVDINE] Græcè ἐν πολλῷ ἀγῶνι, id est, in multo agone, lucta, certamine, & consequenter *in multa solicitudine*, vt vertit Noster, qualis esse solet eorum qui in agone decertant. Fortè etiam Noster pro ἀγῶνι, legit ἀγωνίᾳ. agonia enim est extrema solicitudo, qualis est eorum qui cum morte conflictantur: sed prius est verius. nam Colost. 2. 1. Græcum ἀγῶνα æquè vt hîc, Noster interpres vertit *solicitudinem*.

Pauli agon. Hic ergo est agon prædicationis Euangelij, in quo cum dæmone, Iudæis, Gentibus, Philosophis, tyrannis, magistratibus, ærumnis, persecutionibus, omnique aduersitate, Paulo & Apostolis certandum fuit. Vnde huius agonis sæpius meminit, vt sciant præcones Pauli asseclæ in agone graui & difficili sibi esse certandum. Sic 1. Corinth. 9. Ego, inquit, *sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Huius agonis certamina & duella enumerat 2. Corinth. 11. v. 23. *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum*, & quod sequitur. Et 2. Corinth 4. 8. *In omnibus*, inquit, *tribulationem patimur, sed non angustiamur*, &c. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Coronā verò agonis huius describit 2. Timoth. 4. 7. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.*

VERS. 3. EXHORTATIO ENIM NOSTRA NON DE ERRORE fuit] Græcè ἐκ πλάνης, id est, ex errore, non tam decepti, quàm decipientis, hoc est, ex impostura. q.d. Non fui impostor, non ex studio vobis imponendi prædicaui. Id patet ex meis periculis capitis, quæ apud vos prædicans subiui: impostores enim non solent se in pericula conijcere, sed sua lucra & delicias aucupari. Verùm Noster melius vertit, *de errore*. q.d. Non prædicaui falsa dogmata, vti faciunt Philosophi & Gentium doctores, ac sacerdotes: sumit enim ἐκ pro περὶ, id est, ex pro de. nam Hebræum *min* vtrumque significat. Id patet ex sequenti.

NEQVE DE IMMVNDITIA] Vbi rursum græcè ἐξ ἀκαθαρσίας, id est, ex immunditia. quod licet proprie capi possit, q.d. Non prædicaui ex animo immunditiarum & libidinum auido, vt ad eas auditores pellicerem; longè tamen melius vertas, *de immunditia*. q.d. Non docui immunda, siue carmina magica, vt magi vestri, inquit Theoph. siue potius opera, licere videlicet fornicari, deiiciari, inebriari, qualia docent Pagani & hæretici Simoniani: sed omnis prædicatio mea fuit de veritate, de castitate, continentia, virginitate. Hoc magnum est argumentum religionem Christianam esse veram, sanctam, à Deo profectam, nimirum quòd tantam doceat puritatem, quòd suadeat cælibatum, quòd tot millia virginum educauerit. Videant Nouantes hîc an eorum religio vera sit, quæ sic virginitatem auersatur, docetque tam impura & sacrilega monachorum, sacerdotum & virginum Deo dicatarum connubia, licita & sancta esse: cùm vel ipsi Gentiles Romani Vestalium suarum virginum nuptias morte punierint, easque viuas in terram defoderint. *Signū veræ religionis est vitæ puritas & virginitas.*

NEQVE IN DOLO] Id est, cum dolo q.d. Prædicatio mea non fuit dolosa, non coniuncta cum hypocrisi, quasi captarem me & mea lucra, & interim meæ auaritiæ prætexuerim Christum, eiusque Euangelium: dolum enim hunc occultam auaritiam interpretatur v. 5. Aliter Chrysost. *Non in dolo*, inquit, id est, non in nouitate, vel seditione, qualem instituit Theodas ille rebellium princeps, Actor. 5. 36.

SICVT PROBATI SVMVS A DEO] *Probati*, id est electi. Deus enim Paulum probauit, id est elegit, & eligendo dignum & probatum fecit Apostolum, & Euangelij præconem, Act. 9. 15. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israel.* Aliter Maldonat. in Notis manusc. *Probati*, inquit, hoc est, non, approbati, sed examinati, explorati, *sumus à Deo qui probat*, id est examinat, *corda nostra.* VERS. 4.

NON QVASI HOMINIBVS PLACENTES, hoc est, placere cupientes, & satagentes (*placentes* enim conatum, & actum inchoatum significat, iuxta can. 32.) SED DEO QVI PROBAT, id est expendit & explorat, CORDA NOSTRA] id est intentionem, desideria & fundum cordis nostri.

NEQVE ALIQVANDO FVIMVS IN SERMONE ADVLATIONIS] Syrus, *numquam vsi sumus sermone adulatorio*, id est, nemini sumus adulati: sic enim Græcum γίνεσθαι, id est esse, vt respondeat Hebræo הָיָה *haia*, more Hebræorum amplè & variè sumit Apostolus, c. 1. v. 5. & hîc v. 7. 10. & alibi. VERS. 5.

Adulationem non tulerunt Gentiles in suis, quis Christianus eam ferat in Christiano, maximè Apostolo? Pythagoras asserebat potiùs gaudendum esse redarguentibus, quàm assentantibus, quos etiam hostibus deteriores iudicabat. Diogenes dictitabat, melius esse incidere in κόρακας quàm κόλακας, id est, in coruos quàm in parasitos: hi enim viuentis animum corrumpunt: illi solùm mortui corpus. Antisthenes adulatores comparabat meretricibus: sicut enim hæ bona omnia, præter mentem & prudentiam, suis amatoribus imprecantur; ita hi eadem optantiis quibuscum agunt. Crates aiebat eos qui inter adulatores viuerent, desertos esse, non aliter quàm vituli sunt inter lupos. Bion interrogatus, *quod esset animal omnium maximè noxium? Si de feris*, inquit, *percunctaris, tyrannus: si de mitibus, adulator.* testis Laërtius lib. 1. c. 6. Diogenes rursum blandam orationem ad gratiam compositam, vocabat mellcum laqueum, quòd blandè amplectens hominem iugulet. Idem Aristippum philosophum vocabat regium canem, quòd Dionysio Siciliæ tyranno adularetur. Est enim canis *Gnomæ Gentilium de adulatione.*

animal ad assentationem promptissimum. Themistius philosophus cùm videret Iouiniani Imp. aulam assentatoribus refertam, ex moribus deprehendi ait, purpuram eos magis quàm Deum colere. testis Nicephorus libr. 10. c. 42. Plato cùm Diogenem offendisset olera lauantem, dixit illi ad aurem: *Si Dionysio morem gessisses, profecto non lauares olera.* Diogenes vicissim Platoni in aurem ait, *Si tu lauares olera, Dionysio non inseruisses.* Phocion Antipatro amico petenti quid iniquum: *Non potes,* inquit, *ô Antipater, Phocione simul amico, & adulatore vti.* Amicus enim non ad quiduis obsequitur, adulator autem in omnibus obsecundat. Constantinus Imp. tantus erat spadonum & adulatorum hostis, vt eos rineas & forices palatij appellaret. testis Nicephor. lib. 8. c. 54. Sigismundus Imp. adulatori alapam dedit, dicentique, Cur me cædis Imperator? respondit, *Cur me mordes adulator?* testis Æneas Siluius lib. 2. de Gestis Alfonsi. Denique Alfonsus Aragonum rex adulatores suæ curiæ aiebat esse similes auibus circumuolantibus triremem, attentisque si quis bolus ex triremi excideret, vt illum excipiant, & mox auolent. Refert Panorm. lib. 1. de Gestis Alfonsi.

NEQVE IN OCCASIONE AVARITIÆ] Id est, occasionem auaritiæ, siue auarè congregandi opes, & ditandi me, non captaui, non sum aucupatus ex Euangelio. ita Syrus, Vatabl. Anselm.

Potest Secundò, Græcum προφάσει verti, Prætextu. q.d. Auaritiæ meæ non prætexui Euangelium, quasi illud propter se non quærerem, sed occultè illud dirigerem ad auaritiam meam, vt ex Euangelio illam explerem, meque locupletarem. ita Vatablus.

Iurat Paulus. DEVS TESTIS EST] En iurat Apostolus, & Deum in testem vocat. Discant hîc Anabaptistæ iuramentum in se esse bonum, essèque actum virtutis, quæ dicitur religio, qua Deum honoramus, vti sacrificia ei offerendo, sic & per eum iurando, ac dicta nostra confirmando. hoc enim ipso testamur & profitemur, Deum esse primam, summam & infallibilem veritatem, qui magnus & honor & laus Dei est: ac proinde non tantùm in veteri, sed in nouo quoque testamento licitum est iurare, vti hîc iurat Apostolus.

Secundò Nota, quàm graui attestatione amoliatur à se suspicionem adulationis & auaritiæ: nihil enim veritatis præconi ita necessarium est atque sinceritas, & rectæ intentionis opinio ac fama, vt auditores sibi persuadeant non sua, sed se, suamque salutem ab eo quæri.

VERS. 7. CVM POSSEMVS VOBIS ONERI ESSE VT CHRISTI APOSTOLI: SED FACTI SVMVS PARVVLI] Pro *sed*, latiniùs & clariùs diceretur *tamen*, vel certè omissa vocula *sed*, retineri posset vocula *sed*. q.d. Poteram vobis oneri esse, sed malui esse paruulus.

Nota. Pro *oneri esse*, græcè est ἐν βάρει εἶναι, quod Primò verti potest, In pondere & auctoritate esse, & hoc meliùs respondet ei, quod præcessit, *non quærentes ab hominibus gloriam.* Vnde Ambros. legit, non *oneri*, sed *honori esse*: huic enim statim opponit, subdens, *Sed facti sumus paruuli.* Secundò, verti potest, Graues esse in accipiendo sumptu & alimonia à Thessalonicensibus: de onere enim alimoniæ loqui Apostolum patet ex v. 9. & ex eo, quòd tam auaritiam, de qua præcessit, quàm fastum hoc versu à se amoliri nitatur Apostolus. Vtrumque significat nostrum *oneri esse*, sci-

A licet grauiter, & ex auctoritate exigere tam honorem, ait Chrysost. & Syrus, quàm sumptum, ait Theophyl. vtrumque enim iure naturæ & diuino præstare debent catechumeni & discipuli suis magistris, Apostolis & præconibus à quibus docentur & instruuntur. Hebræum enim כָּבַד *cabad*, tam onerare, quàm honorare significat. Vnde illud Decalogi Exodi 20. *Honora patrem & matrem* (vbi pro *honora* in Hebræo est כַּבֵּד *cabbed*) verti potest, Onera patrem & matrem, debito scilicet honore, & alimonia, ac muneribus: est enim honorarius quoddam, quod honorantes honoratis præstare debent. *Ab Hebræis honor dicitur onus, cur.*

SED FACTI SVMVS PARVVLI] In Græco duplex est lectio, & vtramque tangit Theophyl. Quædam exemplaria legunt νήπιοι, id est *paruuli*, quædam ἤπιοι, hoc est blandi, comes: sed eôdem redit
B vtraque lectio. q.d. Non fui seuerus magister & exactor tam honoris, quàm sumptus mihi pro mea prædicatione à vobis debiti, sed factus sum vobiscum quasi paruulus, comis, blandus. imò quasi nutrix aut mater, quæ cum infante suo balbutit & colludit, eumque alit ac fouet: sic enim & ego quasi nutrix blandissima & amantissima balbutiens de deitate & humanitate Christi, & blanda cæli præmia quasi lac vobis ingerens & promittens vobiscum quodammodo colluси, ac vobis me meaque omnia impendi, adeò vt cuperem cum Euangelio animam meam vobis tradere, vt sequitur. ita Chrysost. Anselm. Theophyl. *Mira modestia S. Pauli qua omnia sibi denegat.*

Nota Primò. Apostolum, Episcopum, Doctorem maximè decet & ornat comitas, affabilitas & suauitas morum. Apostoli enim est neminem suo
C fastu & supercilio grauare, sed lenitate omnes delinire, sibique deuincire; sic enim quocumque volet, flectet eos vitamque cum suis aget tum vtilissimam, tum suauissimam. Vide de suauitate amicitiæ differentem hîc Chrysost. homil. 2. ante finem. Quin & Gentiles idipsum docuerunt. Antalcidas, inquit Plutarch. in Lacon. apophthegm. rogatus, quo pacto quis maximè placere possit hominibus? Si, inquit, loquatur illis iucundissimè, præstet autem vtilissima. Reprehendendi sunt, qui cùm re sint fideles, tamen officium orationis asperitate corrumpunt: his peiores sunt, qui sermone benigni, re lædunt: pessimi verò, qui cum verbis molesti sunt, tum factis noxij. *Comitas ornat doctorem.*

ITA DESIDERANTES VOS] Græcè ἱμειρόμενοι, id VERS. 8.
est, cum affectu desiderantes, vel, vt Vatablus, affectu prepensi in vos. Theophyl. legit ὁμοσοῦμενοι
D ὑμῶν, id est, obligati vobis vobisque agglutinati: compositum enim est ὁμείρομαι ab ὁμὸς, hoc est simul, & εἴρω, id est complico, connecto.

CVPIDE VOLEBAMVS TRADERE VOBIS NON SOLVM EVANGELIVM DEI, SED ETIAM ANIMAS NOSTRAS] vt nimirum animam, id est vitam, pro vobis per martyrium profunderem. Verùm quia dicit *tradere vobis*, non autem, Pro vobis, & quia amorem nutricis hîc se æmulari dicit, planiùs & efficaciùs sic accipiemus, q.d. Ita vos quasi fœtus meos, ego quasi mater & nutrix amo & depereo, vt non solùm lac & vbera mea, sed & animam meam, si possem, vobis tradere cuperem: amor enim summus totum se in amatum transfert, & hæc est summa amicitia, qua se totum amicus amico communicat. Hinc Christus, vt summum nobis amorem ostenderet, animam suam ac seipsum totum nobis in Eucharistia communicauit, ac in dies commu- *Mirus S. Pauli amor in suos.*

communicat: sed hoc nec Paulus, nec alius homo facere potest reipsa, sed voto tantùm & desiderio. Sic S. Iob domesticis suis se tam amabilem & charum fuisse dicit, vt cuperent sua carne vesci ac frui. *Si non dixerunt*, ait c. 31. 31. *viri tabernaculi mei: Quis det, vt de carnibus eius saturemur?* quæ phrasis & hyperbole tantùm ingentem in eis Iobi amorem & desiderium significat: nec enim reipsa, & efficaciter eius vesci carnibus voluissent.

Vers. 9. NOCTE AC DIE OPERANTES] Græca addunt γὰρ, *nocte enim & die operantes.* & sic sensus est clarior: est enim hic noua sententia.

Vers. 10. QVAM SANCTE] Græcè ὡς ὁσίως, id est, quàm sanctè, piè, timoratè, quanta religione, reuerentia, ac cultu Dei; q.d. Memor semper me Dei negotium in eius oculis agere.

IVSTE] vt nemini iniuriam fecerim, sed cuique, quod suum est, tribuerim. B

ET SINE QVERELA] ἀμέμπτως, id est inculpatè, ita vt nemo de me queri potuerit.

VOBIS, QVI CREDIDISTIS, FVIMVS] id est, vobiscum versati sumus, vobiscum nos gessimus. amplè enim & variè sumit Græcum γίνεσθαι, ad instar היה *haia* Hebræorum, vt dixi v. 5.

Vers. 11. VNVMQVEMQVE VESTRVM, refer ad *deprecantes & consolantes*, TESTIFICATI SVMVS] Id est, obtestati sumus & rogauimus, sicut *pater* solet *filios* charissimos rogare & obtestari, vt dignè suis maioribus viuant. Notat S. Chrysost. τὸ ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, atque stupens exclamat: *Papæ in tanta multitudine neminem omittit: non paruum, non magnum; non diuitem, non pauperem.* Imitentur Paulum Parochi & rectores animarum, vt singulas, cùm opus est, visitent, doceant, hortentur, consolentur. Sic enim pastor oues singulas inspicit, pascit, dirigit. C

Vers. 12. TESTIFICATI SVMVS (id est, obtestati sumus. ita Theophyl.) VT AMBVLARETIS DIGNE DEO, QVI VOCAVIT VOS IN SVVM REGNVM ET GLORIAM] Magnum eis stimulum addit ad patientiam persecutionum, & omnem virtutē, dicens: *Dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum.* Si enim ad regnum nos vocat Deus, & regnum cæleste, illudque diuinum & æternum, quis pro hoc regno non ferat bonorum iacturam, exilia, verbera, mortem denique ipsam. ita Chrysost. & Theophyl. Qui benè ponderat & æstimat quid sit Deus, quid sit homo, quæ hominis erga Deum obligatio, quàm purus ac sanctus sit Deus, quamque purè & sanctè à nobis Christianis coli velit; hic sciet, quid sit dignè ambulare Deo.

Secundò, alium stimulum addit subdens:

Vers. 13. CVM ACCEPISSETIS A NOBIS VERBVM AVDITVS DEI] *Auditus*, scilicet vestri, quo vos à me verba Dei audistis: vel potiùs, *verbum auditus Dei*, est verbum auditum à Deo, seu, quod ego & Apostoli à Deo audiuimus & accepimus. Sic Isaias c. 53. v. 1. ait: *Domine, quis credidit auditui nostro?* hoc est, sermoni nostro, quem à te, Domine, audiuimus.

ACCEPISTIS ILLVD, NON VT VERBVM HOMINVM, SED (SICVT EST VERE) VERBVM DEI] Hinc patet, quòd obiectum formale fidei, sit reuelatio non hominis, vel angeli, sed Dei; siue, esse dictum, auditum & reuelatum à Deo. vt si quæras à fideli: Cur credis Deum esse trinū in personis, & vnum in substantia? ipse, si præcisè & formaliter respondeat, dicet: Id credo, non quia hoc Ecclesia docet, non quia Apostoli non quia Patres hoc docuerūt; sed quia hoc dixit & reuelauit de se Deus.

A Sicut enim verbum legati fidem habet apud eos, ad quos legatus mittitur, non quia legati verbum est, sed quia verbum est regis, qui legatum misit ad hoc verbum proloquendum, vt non tam legatus, quàm rex per legatum loquatur: sic & verbum Pauli & Apostolorum fidem habet, non quia Pauli, sed quia Dei verbum est, qui Paulum misit, ac per Paulum loquitur. Atque hinc oritur certitudo fidei, quæ nos de articulis, quos fide credimus, ita certos reddit, vt id omne negare malimus, quod sensus nobis dictat, quod scientia nobis demonstrat, quod omnes homines & angeli dicunt, quàm id negare quod dictat fides: nititur enim fides Deo reuelante, quæ prima & infallibilis est veritas, cui omnis alia veritas cedere debet. *Vnde oritur certitudo fidei.*

QVI (Deus) OPERATVR IN VOBIS, QVI CREDIDISTIS] Græcè τοῖς πιστεύσασιν, id est, qui creditis. *Operatur*, supple fidem, vt credatis, & credere pergatis verbis meis, eaq; ex equi satagatis. ita Anselm.

ECCLESIARVM DEI, QVÆ SVNT IN IVDÆA IN CHRISTO IESV] id est, quæ in fide & religione Christi Iesu sunt perseuerantes. iuxta can. 37. Vers. 14.

QVIA EADEM PASSI ESTIS ET VOS A CONTRIBVLIBVS VESTRIS, SICVT ET IPSI A IVDÆIS] Græcum συμφυλετῶν, magis significat eos, qui eiusdem sunt gentis, quàm tribus: intelligit enim Iudæos, vt patet ex v. sequ. Thessalonicæ indigenas, qui vti persecutionē in Paulum concitarunt Act. 17. 5. ita deinde eamdem deriuarunt in Christianos à Paulo conuersos, vt illi bonis mulctarentur, & proscriberentur: hoc enim in Iudæa Christiani passi sunt à Iudæis, vt patet Hebr. 10. 34. *Rapinam*, inquit, *bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*

QVI (scilicet Iudæi) ET DOMINVM OCCIDERVNT IESVM, ET DEO NON PLACENT, id est, maximè displicent, per miosin) ET OMNIBVS HOMINIBVS (id est, omnium hominum saluti) ADVERSANTVR, quia scilicet Christo Saluatori, illius Euangelio, nobisque eius præconibus pertinacissimè resistunt, & ardentissimè persequuntur, PROHIBENTES NOS GENTIBVS LOQVI VT SALVÆ FIANT] vt sequitur. ita Chrysost. Theodor. Anselm. Vers. 15. Vers. 16.

VT IMPLEANT PECCATA SVA SEMPER] Nota, τὸ vt, non finem, sed consecutionem significare hic, vti & alibi sæpè. q.d. Hi Iudæi continuò peccata peccatis tam parentum, quàm suis, maximè illis, quibus Christum occiderunt, accumulant quasi hereditaria improbitate, quoad impleant mensuram, quam designauit Deus. vt ea impleta, omnia eorum peccata simul & plenè puniat euersione totius gentis per Titum & Romanos.

Nota Secundò. Hac phrasi, *implere peccata sua*, semper significatur hereditaria impietas, quasi natura tota sit corrupta & deprauata. D *Quid sit implere peccata.*

Tertiò, hinc patet, Deum vrbibus, regnis, & à pari proportione impiis priuatis certum statuisse peccatorum cumulum, ad quem pœnam vel vindictam differt, donec impleatur, vt illo impleto, omnia simul & perfectè vindicet & castiget. Idem patet Genes. 15. v. 16. vbi Deus terram Chanaan Abrahæ promissam, ei dare distulit per quadringentos annos; *Necdum enim*, inquit, *completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* q.d. Post quadringentos annos complebuntur Amorrhæorum iniquitates, tumque eos exscindam, & te, id est posteros tuos Heoræos, in terram eorum inducam. Sic Matth. 23. v. 32. & 35. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*, vt sicut illi *Mensura peccantibus a Deo statuta, vt ea impleta regna & respp. puniat.*

Prophetas occiderunt, ita vos me & Apostolos occidatis, *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Vbi Aduerte, patres cum filiis vnum censeri ciuili æstimatione. Vnde parentum merita, vel demerita in filios redundant, ita tamen vt filij parentum peccata imitantes non grauiùs puniantur, quàm propria peccata demereantur: dicuntur nihilominus filij parentum peccata luere, quia parentes improbos imitantur, itaque cumulum peccatorum à Deo vindictæ designatum adaugent & implent, vt illius ira in eos tum desæuiat; quæ non desæuisset, nisi parentum peccata ad hunc cumulum, & ad hanc mensuram conficiendam præcessissent.

Duplex hîc lectio.

PERVENIT] Duplex hîc est lectio; alij legunt, *præuenit*; alij & melius, *peruenit*. ita Romana, Syrus, Vatablus, & alij. B

IRA, id est vltio: græcè ἡ ὀργή. q.d. ait Theophyl. Ira illa, & vltio insignis & ineuitabilis, quam eis prædixit & comminatus est Christus. IN FINEM] id est, ad extremum (hoc enim est Hebræum לָנֶצַח *Lanetsach*, quò alludit Paulus:) q.d. Extrema, perpetua & implacabilis ira Dei peruenit in Iudæos, quia scilicet à Deo destinati sunt, & iam vicini exitio præsenti per Titum, (vigesimo enim anno ab hac scripta epistola Iudæam euertit Titus) & æterno gehennæ per Christum. ita Anselmus, D. Thomas, & alij. Vbi Aduerte. Hæc ira & vltio Dei in Iudæos duplex est; prior culpæ, eorum scilicet in peccatis excæcatio, obduratio, reprobatio: posterior pœnæ, excidium videlicet præsens, & æternum, vt dixi, gehennæ incendium.

Iudæi per Titum præoccupati ab ira Dei.

Potest Secundò, Græcum ἔφθασεν verti, occupauit, præuenit, vt legit Ambros. & sic vertit Noster, & alij c. 4 v. 15. q.d. Decretum Dei de vlciscendo peccata Iudæorum, iam occupauit eos, eiusque executio breui præueniet eos inopinatos, nihil scilicet tale expectantes, vt, cùm ex toto orbe tempore paschatis Hierosolymam Iudæi confluent, tunc subitò à Tito in ea concludantur, obsideantur, ac penitus deleantur; vti contigisse narrat Iosephus. Græcum enim φθάνειν significat aliquid subitum & inexpectatum, quod metum & spem cogitationemque hominis præuenit ac præuertit. C

VERS. 17. NOS AVTEM, FRATRES, DESOLATI A VOBIS] Græcè ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν, id est, disiuncti à vobis, & quasi patres vel matres filiis suis orbati, & orphani facti. ita Theodor.

AD TEMPVS HORAE] id est breue, horarium. Sic Horatius:

Horæ momento cita mors venit, aut victoria læta.

Queritur hîc Paulus, quòd per Iudæorum persecutionem tam citò à Thessalonicensibus auulsus fuerit, & quasi fœtibus necdum satis prouectis & adultis orbatus, Actor. 17. 10. D

VERS. 18. *Quomodo Satan impediat opera sanctorum.*

SED IMPEDIVIT NOS SATANAS] Quærit S. Basilius Regul. breuior. interrog. 275. Quæ & quomodo Pauli & Sanctorum bona opera impedire possit Satanas? ac respondet: *Recte, inquit, facta, quæ in sola animi voluntate posita sunt, hæc nullo modo impedire Satanas potest. Quæ verò eiusmodi, ad quæ consequenda necessaria est etiam operis corporis, in his plerumque etiam Deus nasci impedimenta permittit, vel probandi, vel detegendi causa illius qui impeditur: vt vel, si à recto proposito destiterit, conuictus, qualis sit de-*

tegatur; vt hi qui supra petram fuerant seminati, qui ad modicum tempus susceperunt quidem verbum cum gaudio, exorta autem tribulatione, statim recesserunt: vel, si in recto perseuerauerit, clarius appareat studium ipsius in rectè factis; vt ipsius apostoli, qui cùm sæpè Romam petere decreuisset, & prohibitus esset, vt ipse fassus est, tamen eatenus in ea voluntate permanere nõ destitit, quoad etiam effecit quod statuerat.

VERS. 19. QVÆ EST ENIM NOSTRA SPES, AVT GAVDIVM, AVT CORONA GLORIÆ? NONNE VOS ANTE DOMINVM (id est, in conspectu Domini, coram Domino) NOSTRVM IESVM CHRISTVM ESTIS IN ADVENTV EIVS?] q.d. Vos estis spes mea, gaudium meum, & corona mea, non formalis, sed obiectiua, siue materialis, quia estis materia & obiectum spei, gaudij & coronæ meæ: spero enim, & gaudeo me in aduentu Christi ad iudicium ab eo recepturum coronam gloriæ pro labore vobis ad Christum conuertendis impenso.

Laus coronæ & gloriæ Pauli.

Nota Primò. Cùm ait Paulus, *Corona gloriæ*, respicit ad Hebræum תִּפְאֶרֶת *tipheret*, id est decus, ornatus, splendor, gloria, magnificentia. Noster interpres subinde dignitatē, subinde iactantiam, subinde pulchritudinem, sed crebriùs gloriam vertit, vt psal. 88. 18. *Gloria* (hebraicè *tipheret*) *virtutis eorum tu es*; hoc est, robur & decus eorum tu es Domine. Et Isaias 62. 3. *Eris corona* (hebraicè *tipheret*) *gloriæ in manu Domini.* Sic Paulus Thessalonicenses hîc vocat suum *tipheret*, id est, suum decus, coronam & gloriam.

B. Virgo rectè dicitur nostra spes, vita, dulcedo.

Nota Secundò contra Nouantes. Si Paulus hîc Thessalonicenses sine vlla Dei aut Christi iniuria vocat suam spem, suum gaudium, imò suam coronam gloriæ, cur non possimus vocare & inuocare beatam Virginem, quæ mater Dei est, & cæli regina, spem nostram, matrem misericordiæ, vitam & dulcedinem nostram? Quid hîc iniurium est Christo? imò quid non honorificum Christo? nónne gloria matris, est filij gloria? nónne mater intercedendo pro nobis apud filium, per filium consolationem, misericordiam, vitam & salutem nobis largitur? Aduocatum in curia vocare possum spem causæ, aut veniæ obtinendæ; cur non possim ita vocare matrem Dei, quæ mihi aduocata est in curia cælesti, & veniam ac gratiam mihi impetrare potest? Piè & verè S. Bernardus serm. de Natiuit. B. Mariæ, *Exaudietur*, inquit, *mater pro sua reuerentia; exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.*

Exclamat hîc ex Chrysostomo Theophyl. Nónne hæc sunt matrum verba, omnino misericordiæ & charitatis visceribus inflammatarum, paruulos pueros suos alloquentium? Non satis erat coronam dicere, vt dilectionis suæ feruorem indicaret, sed apposuit *gloriæ*, siue gloriationis. hoc enim est Græcum καυχήσεως.

Vbi Nota, coronam hîc dupliciter accipi posse. Primò, pro ipso præmio beatitudinis, de quo gloriabatur Apostolus. Secundò, pro ipsis Thessalonicensibus à Paulo conuersis, qui Paulum in die iudicij stipaturi sunt instar coronæ, de qua gloriabitur coram Deo, angelis & hominibus. De hac corona pulchrè S. Gregorius hom. 17. in Euangel. *Pensemus*, inquit, *quòd lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: Negotiamini dum venio. Quale est animarum lucrum de nostra negotiatione monstrauimus? Quot*

eius

eius conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo iudex veniet, & rationem cum seruis suis, quibus talenta credidit, ponet. Deinde coronam fidelium singulos Apostolos cingentem describens subdit: *Ecce in maiestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. Ibi Petrus cum Iudæa conuersa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Iohannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui iudicij regis conuersam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis ante* A *æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oues, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus?* De hac corona plura dixi Philip. 4. 1.

VOS ENIM ESTIS GLORIA NOSTRA ET GAVDIVM] Vers. 20. Similem Christi sententiam ex Euangelio secundùm Hebræos citat S. Hieron. in c. 5. ad Ephes. nimirum hanc: *Numquam lati sitis, nisi cùm fratrem videritis in charitate.* Verè S. Chrysost. *Numquam*, inquit, *vel mater, vel pater, etiamsi in vnum conspirauerint, amoremq; suum vtrimque commiscuerint, talem poterunt ostendere amorem, qui Paulo ex aquo respondeat: Gaudium, inquit, & corona. Magis, inquit, in vobis gaudeo, quàm in corona.*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DOcet se ad Thessalonicenses misisse Timotheum, vt eos in fide confirmaret.
Deinde v. 6. redeunte ad se Timotheo, ex eoq; cognita illorũ constantia, mirè gauisam esse.
Mox v. 9. pro eadem Deo gratias agit, oratq; Deum vt eos reuisere, & in fide perficere sibi concedat.
Denique v. 12. ad hoc, Dei in eos benedictionem inuocat, vt adaugeat eorum charitatem & sanctitatem.

1. PROpter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: 2. & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra: 3. vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. 4. Nam & cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis. 5. Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. 6. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos: 7. ideo consolati sumus fratres in vobis in omni necessitate, & tribulatione nostra per fidem vestram, 8. quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino. 9. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, 10. nocte ac die abundantiùs orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ? 11. Ipse autem Deus, & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos. 12. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in inuicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis: 13. ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum & Patrem nostrum, in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen.

PROPTER QVOD NON SVSTINENTES] Græcè B μηκέτι στέγοντες, id est, non amplius ferentes, supple, desiderium cognoscendi res vestras, & vobiscum agẽdi, misimus hac de causa Timotheum, quasi internuncium ad vos.

PLACVIT NOBIS REMANERE ATHENIS, SOLIS] Dices Actor. 17, v. 15. dicitur Paulus ex Beræa & Thessalonica euocasse Silam & Timotheum ad se Athenas; ergo non remansit solus Athenis. Respondeo. Euocauit eos, sed statim remisit Thessalonicam: quòd licet Actor. 17. non dicatur, hinc tamen colligitur, & ex eo, quòd Actor. 18. 5. Silas & Timotheus dicantur rediisse ad Paulum non iam Athenis, sed Corinthi agentem: si redierunt, ergo iam post congressum mutuum, de quo Act. 17. 15. rursum discesserant ab eo.

MINISTRVM DEI] Græca & Syra addunt, καὶ συνεργὸν ἡμῶν, & cooperatorem nostrum.

AD CONFIRMANDOS VOS, ET EXHORTANDOS PRO FIDE VESTRA] id est, pro stabilitate & incremento fidei vestræ procurando. ita Theophyl.

Secundò simpliciùs, Græci & Syrus περὶ capitur pro ὑπὲρ, hoc est super, quod respondet Hebræo עַל al. q. d. Vt confirmem & exhorter vos super fide vestra, vel circa fidem vestram, vel in fide vestra: hæc enim omnia significat Hebræum *al.*

VT NEMO MOVEATVR IN TRIBVLATIONIBVS ISTIS (persecutionibus Iudæorũ & Gentiũ;) IPSI ENIM SCITIS, QVOD IN HOC POSITI SVMVS] Syrus vertit, *ad hoc destinati sumus*, ad sustinẽdas videlicet persecutiones & tribulationes. S. Chrysost. *Non dixit simpliciter*, inquit, *Tentamur; sed, In hoc positi sumus, pro eo quod est, ad hoc facti sumus, hoc est opus nostrũ, hæc nostra vita: & tu requiem quæris?* Dicat ergo cũ S. Sebastiano quilibet Christianus illud, quod Ieremias de se in typo Christi, & cuiusq; Christia- Vers. 3.

ni dicit & canit Thren. 3. v. 12. *Posuit me* (Deus) *quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ*, id est, sagittas suas, putà tribulationes.

Dicat quiuis patiens cum S. Iob c. 16. 13. *Posuit* (Deus) *me sibi quasi in signum*, id est, in scopum, in quem sua omnia tela coniiciant inimici. Audiant hoc omnes Christiani, ait Theophyl. se nimirum ad hoc positos & vocatos esse, putà ad crucem cum Christo & pro Christo fortiter sustinendam. Sic

Omnes Christiani vocantur ad crucem.

simus, inquit Chrysost. milites Christi, si patientiæ armis induamur. Sic simus Martyres Christi, si diabolum vincamus: si enim pateris & sustines, fugiet diabolus. Prædixit id Apostolus generali sententia 2. Timoth. 3. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Imò Christus ipse, Iohann. 16. v. 33. *In mundo*, inquit, *pressuram habebitis, sed confidite, ego vici* B *mundum.*

Deus melioribus maiores imponit cruces, cur?

Hanc rationem, ait Seneca lib. de Constantia sapientis, *sequitur Deus in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, quiplus laboris ab his exigunt in quibus certior est spes; & quam in militibus duces, qui optimos milites ad durissima mittunt. Sic ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Vt seueri parentes filios duriùs educant, ita Deus suos, idq; vt inde, imò doloribus & damnis colligant robur. Dicant hi ergo: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura pati possit* (imò quantum & gratia & amor Dei possit.) *Ecce par Deo dignum vir fortis cum mala fortuna compositus; ecce spectaculum Deo dignum.* Hæc, & plura sparsim Seneca loco citato.

VERS. 5. PROPTEREA ET EGO AMPLIVS NON SVSTINENS, desiderium scilicet agnoscendi fidem & res vestras: de quo v. 1. MISI (Timotheum) AD COGNOSCENDAM FIDEM VESTRAM.

NE FORTE TENTAVERIT VOS (& tentando vicerit, ac de fide aut constantia deiecerit) IS QVI TENTAT] Græcum ὁ πειράζων, est participium, quod more Hebræo ponitur pro nomine πειρασὴς, id est, ille tentator, qui Christum & Sanctos omnes tentauit, & tentat, cuiusque ars tentare est; putà Satanas, de quo Matth. 4. 3.

VERS. 8. QVONIAM NVNC VIVIMVS, SI VOS STATIS IN DOMINO] q.d. Licet ad mortem vsque affligamur, dum tamen audiuimus vestram constantiam, & fidem, quam habetis in Domino, quasi reuiuiscimus, & à mortuis excitamur.

Exclamat hîc Anselmus: *O quàm mollia viscera gestabat Apostolus, quando circa filios suos tanto æstu amoris inhiabat, vt diceret, Nunc viuimus, si vos statis in Domino! Metuebat nimis, ne sui discipuli in prædicatore suo tot persecutionum probra cernentes, fidem in Deo despicerent, contra quam imminentes passionum contumeliæ prævalerent. Et idcirco minùs dolebat in tormentis, sed magis filius de tormentorum suorum tentatione metuebat: parui pendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis.* Et paulò inferiùs: *Securus erat de mercede sua, etsi discipuli caderent, & tamen velut si in casu illorum mercedem sui laboris perderet, in statu ipsorum dixit se viuere: nolebat enim viuere illis cadentibus, sed illis stantibus in Domino, vt* A *fructus eius esset illis integer, & merces eius apud Deum plena gaudiorum.*

QVAM GRATIARVM ACTIONEM POSSVMVS DEO VERO RETRIBVERE PRO VOBIS (de vobis) IN OMNI GAVDIO, (super omni gaudio) QVO GAVDEMVS PROPTER VOS (in fide inter aduersa constantes) ANTE DEVM NOSTRVM] coram Deo nostro: hoc enim est Græcum ἔμπροσθεν. VERS. 9.

NOCTE AC DIE ABVNDANTIVS (ὑπερεκπερισσοῦ, q.d. Super ex abundanti, id est, vt Ambrosius, abundantissimè, eximiè, mirificè, supra modum. ita Vatablus.) ORANTES] id est oramus. Hebræi enim participium vsurpant pro indicatiuo. VERS. 10.

VT VIDEAMVS FACIEM VESTRAM, ET COMPLEAMVS EA QVÆ DESVNT FIDEI VESTRÆ] Græcè est, καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν. q.d. Vt perficiam artus, membra & compagines, quæ adhuc desunt fidei vestræ, vt ita corpus fidei vestræ integretur, & omnibus suis partibus quasi membris perficiatur; Græcum enim καταρτίσαι dicitur de corpore quod suis artubus & membris integratur, completur & perficitur. Eodem sensu dixit Paulus se implere τὰ ὑστερήματα, id est, ea quæ desunt passionibus Christi, Coloss. c. 1. 24. q.d. Opto vos videre, vt imperfectam euangelizationem meam & instructionem vestram, quam ob Iudæorum persecutionem abrumpere coactus sum, absoluam & perficiam.

Corpus fidei suis membris perficitur.

VOS AVTEM DOMINVS MVLTIPLICET] vt numerus fidelium, quem relinquere coactus sum, multiplicetur, & numero augeatur. VERS. 12.

ET ABVNDARE FACIAT CHARITATEM VESTRAM IN INVICEM ET IN OMNES] Ita Romana, sed Græca habent, καὶ πλεονάσαι τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους, καὶ εἰς πάντας, id est, & abundantes, siue exuberantes faciat mutua inter vos charitate, & in omnes: sed mutato licet casu, eôdem tamen redit sensus. C

QVEMADMODVM ET NOS IN VOBIS] supple, charitate iam dicta abundauimus. ita Anselm.

AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA. Potest ad Paulum referri, q.d. Charitate abundauit in vos, vt confirmarem corda vestra in sanctitate. Secundò & meliùs, referas ad Deum, q.d. Deus abundare faciat charitatem in vobis ad hoc, vt confirmet corda vestra, SINE QVERELA (græcè, ἀμέμπτους, id est irreprehensibilia) IN SANCTITATE, vt scilicet ita in sanctitate confirmata sint, vt nemo de eis, eorumque impuritate aut vitio queri possit, idque ANTE DEVM, id est coram Deo, ita vt Deus nihil in cordibus vestris culpare possit, sed tota esse sancta iudicet; IN ADVENTV DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] supple, vt sint & inueniantur corda vestra sancta & sine querela in aduentu Christi, quo cum omnibus Sanctis veniet ad iudicium. Apostolus enim spiritu plenus conglomerat hîc multa, quæ affectus suggerebat, nec de verbis est solicitus, sed verba nonnulla subticet & subaudit, iuxta can. 38. VERS. 13. D

Verè S. Chrysostomus hîc homil. 4. *Paulus*, inquit, *cùm videret dilectorum quorundam lachrymas, ita perfringebatur & conterebatur adamas ille, vt diceret: Quid facitis flentes & conterentes cor meum? Nam omnibus resistо, vna dempta dilectione: illa me vincit & superat.* Act. 21. 13.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit hortari ad vitam Christianam, puram & sanctam, atque ad fugam fornicationis. Secundò, v. 9. refricat eis studium charitatis fraternæ, & v. 11. fugam otij, & laborem manuum.

Tertiò, v. 12. agit de fide & spe resurrectionis: scilicet ne contristentur in sua vel suorum morte, asseuerat quòd fideles piè mortui breui resurgent, ita vt non tam mortui quàm dormire videantur; quodq; Christo cum tuba Archangeli venienti ad iudicium omnes simul occurrent in aëra, vt semper cum eo sint & regnent in cælo.

1. DE cetero ergo, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt, quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, vt abundetis magis. 2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, 4. vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore: 5. non in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum: 6. & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. 7. non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. 9. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis vt diligatis inuicem. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersa Macedonia. Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis, 11. & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis. 12. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. 13. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. 14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. 15. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. 16. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. 17. Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

Vers. 1. AMBVLARE ET PLACERE DEO] Ita de Enoch dicitur Genes. 5. v. 22. *Ambulauit Enoch cum Deo.* q.d. Enoch ita sanctè & piè vixit, quasi Deum semper præsentem præ oculis haberet, & reueretur: ideoque in omni opere cautissimus, modestissimus, religiosissimus semper incedebat; eratq; Deo, Deique voluntati per omnia consentiens, perinde ac homo cum homine amico, vel domino suo vbique & in diuulsè inambulãs, illi per omnia consentit, illi in omnibus se conformat. Vnde tulit & raptuit eum ad se Dominus, tamquàm altiorem terra, Deo angelisque dignum, imò familiarem. Hinc Abrahæ mandat Deus Genes. 17. 1. dicẽs, *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Magna ars & sapiẽtia est nosse ambulare cũ Deo.

SIC ET AMBVLETIS, VT ABVNDETIS MAGIS] q.d. Rogo vos vt sic conuersemini, vt in dies proficiatis in via incepta, scilicet vt conemini quotidie vosipsos superare, progredi & excellere in vita & virtutibus Christianis. ita Anselm. Græca non habent τὸ *sic & ambuletis*, sed tantùm, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, id est, vt abundetis magis, supple, in hac ambulatione & placentia (vt ita loquar) Dei. Chrysost & Theophyl. sic explicant: *vt abundetis magis, id est,* inquiunt, *vt aliquid supra mandatum cupiatis facere, vt imperata superetis. quemadmodum enim terra non ea solùm semina, quæ accepit, reddit & profert: sic animus non debet in acceptis consistere, sed ea etiam transcendere.*

Nota. Christiani est non stare, sed ambulare & proficere semper in virtute & vita Christiana, vt sibi quotidie dicat illud psal. 76. *Dixi, Nunc cœpi.* & illud psal. 38. *Ibunt de virtute in virtutem:* hebraicè הלך מחיל מחיל *mechail el chail*, id est, vt Hieron. vertit, Ibunt de fortitudine in fortitudinem, quia scilicet, fient indies gratia Dei fortiores vt ascendant in Sion, id est in cælum, vbi palàm videant Deum deorum. Pulchrè S. Bernar. ad Drogonem epist. 34. *Nemo,* inquit, *perfectus est qui perfectior esse non appetit; & in eo quoque perfectiorem se probat, quòd ad maiorem tendit perfectionem.*

Christiani nõ est stare, sed ambulare in via virtutis.

Vers. 2. SCITIS ENIM QVÆ PRÆCEPTA DEDERIM VOBIS PER DOMINVM IESVM] Id est, per auctoritatem & mandatum Domini Iesu, ego Paulus quasi legatus Iesu præcepta vobis dedi, q.d. Præcepta, quæ præcepi, non mea sunt, sed Christi; Christus est legislator, ego Christi sum præco: multa enim fidei, virtutum & Sacramentorum mandata in particulari vobis & Christianis aliis proponenda & promulganda tradidit mihi Christus, reliqua mihi sancienda demandauit, iussitque vt eas leges Christianis præscriberem, quas eis, pro rerum

rum exigentia, conuenire putarem. Sic vulgò dicit aula, vel parlamentum se ferre legem vel edictum *par le Roy*, id est per regem, quia regis vice, nomine & auctoritate legem vel edictum fert & sancit.

VERS. 3. HÆC EST ENIM VOLVNTAS DEI, SANCTIFICATIO VESTRA, VT ABSTINEATIS VOS A FORNICATIONE] Nota Primò. Dei voluntas hîc intelligitur non illa, quæ dicitur beneplaciti, qua Deus creat & facit quidquid illi lubet & placet, sed illa quæ dicitur signi, qua scilicet significat Deus quid velit & iubeat nos facere, scilicet vt studeamus sanctitati.

Quid est sanctitas.

Secundò, integra *sanctitas*, inquit S. Dionys. tam in Deo, quàm in nobis & angelis, *est ab omni iniquinatione libera, incontaminatissima & perfectissima puritas.* Et sic sanctitas opponitur cuiuis peccato, estque virtutum omnium completio Hîc verò, & 1. Corinth. 7. 34. sola castitas dicitur sanctitas; opponitur enim hîc, & v. 7. fornicationi & immunditiæ. Vnde & subdit, *Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione*, id est, in puritate & castitate, vt mox dicam. Ratio huius nomenclaturæ est hæc, quòd, sicut libido est bestialis, pudenda & maxima impuritas: sic econtrario castitas, summa est & maxima puritas, quæ hominem angelicum facit; imò eum efficit templum Spiritus sancti, vt insinuat Apostolus v. 8. Hinc & poëta Æneid. 11.

Tuque, ô sanctissima coniux,
Felix morte tua; sanctissima, id est castissima.

& Æneid. 12.

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ
Descendam; sancta, id est pura & casta.

Præclarè S. Cyprian. tract. de Orat. Dominica, explicans illud, *Fiat voluntas tua. Voluntas*, inquit, *Dei est, quam Christus & fecit & docuit: Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina; iniuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit; charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere: quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur: in quæstione fiduciam, qua congredimur: in morte patientiam, qua coronamur. Hoc est coheredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.*

VERS. 4. VT SCIAT VNVSQVISQVE VESTRVM VAS SVVM POSSIDERE IN SANCTIFICATIONE ET HONORE] Quæritur, quodnam hoc vas? S. Augustin. libr. 1. de Nuptiis & concupisc. c. 8. & lib. 4. contra Iulian. c. 10. & l. 5. c. 9. per *vas*, vxorem accipit. q. d. Quisque honestè & castè vxore sua vtatur. Sic Prouerb. 5. v. 15. dicitur, *Bibe aquam de cisterna tua*, vbi LXX. vertunt, *Fili bibe aquam de vasis tuis*. cuius loci sensus hic est: voluptatem coniugij castam, puram & fœcundam hauri de vxore tua, quæ tibi sit instar cisternæ, & vasis puri carentis luto fornicationis, zelotypiæ, morositatis, &c. ita Beda, Iansen. & alij in dictum locum. Sic S. Petrus epist. 1. c. 3. monet maritos vt vxoribus quasi infirmiori vasculo condoleant & condescendant. Pari modo videtur hîc iubere Apostolus viris, non tantùm vt aliena vxore abstineant, sed etiam vt sua quasi vase sancto, castè & moderatè vtantur. *Præcipitur*, inquit Hieron. (aut potiùs Rabanus) in c. 1. Thren. *viris, vt certa concubitus norint tempora. Nam, vt ait Ecclesiastes, tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Caueat ergo vxor, ne victa libidine alliciat virum; & maritus, vim ne faciat vxori, putans omni tempore subiectam sibi esse debere coniugi voluptatem. Vnde & Paulus ait, Vt nouerit vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctitate.* Nam, vt pulchrè ait Xistus philosophus: *Adulter est vxoris amator ardentior.*

Vas est corpus.

Verùm quia apud Thessalonicenses, multi præsertim iuniores erant adhuc cælibes, & sine vxore, Apostolus autem cuique hoc vas tribuit; generaliùs & meliùs cum Chrysost. Theodor. Theoph. Ambros. Oecumen. Anselm. per *vas* accipiemus corpus, quod generatim phrasi Hebræa dicitur *vas*, id est, instrumentum hominis: sicut enim faber sua regula, vel trulla quasi instrumento vtitur ad omnem fabricam; ita anima vtitur corpore quasi instrumento & organo ad omnes suas actiones, adeò vt nec intelligere quidē possit sine sensibus, & phantasmatibus corporeis. Sic Plato dixit corpus esse vas animæ. Sic dicitur Paulus *vas electionis*, id est, instrumentum à Deo electum ad conuersionē Gentium. Sic Genes. 49. Simeon & Leui dicuntur *vasa*, id est instrumenta, *iniquitatis*, hoc est, iniquæ cædis & vastationis Sichimorum. Vel Secundò, corpus dicitur vas animæ speciatim & propriè, quia, sicut vas recipit & continet vinum, ita corpus recipit & continet animam. Et sicut vas sordidum & putidum vinum ipsum afficit & corrumpit, ita corporis sordes, pollutiones & libidines inquinant animam. Hinc est illud Apostoli 1. ad Corinth. 6. v. 18. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: quia illud polluit, sordidat, cōtaminat. Sic Dauid 1. Reg. 21. petens à pontifice sibi & suis dari in necessitate famis panes propositionis; cùm ille peteret, *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus*: respondit, *Continuimus nos ab heri & nudiustertius, & fuerunt vasa puerorum sancta*, id est, corpora impolluta. *Porro via hæc polluta est.* q. d. Vsus hic laicus & pollutus est, vt scilicet ego & mei socij, qui sumus laici, vescamur panibus propositionis, quibus solis sacerdotibus vesci licet. *Sed sanctificabitur in vasis*, id est, non polluetur panis hic, sed sanctè recipietur in sanctis & puris corporibus nostris, in hac necessitate famis, qua etiam laicis licet vesci panibus sanctis. ita Abulens. ibi.

Adulter est vxoris amator ardentior.

Vult ergo Apostolus hîc, vt *quisque vas*, id est corpus, *suum possideat* quasi dominus (non autem quasi seruus seruiat cupiditatibus corporis) *in sanctificatione & honore*, id est sanctè, hoc est, castè & honestè, *non in passione desiderij*, id est, non in affectu libidinis, vt scilicet mens non seruiat desideriis carnis, sed caro seruiat rectis voluntatibus mentis. ait Anselm. Ita Philosophus ille dixit adolescenti cuidam voluptuario: Non pudet te, cùm sis ingenuus, facere mācipium corporis tui? Anacharsis quoque statuis inscribebatur: Linguæ, ventri, pudendis temperandum; quòd maximorum malorum causa sit lingua effrænis, & luxu nihil turpius, & libido pecudem ex homine reddat. Testis Laërtius libr. 1. c. 9. Aliter Chrysost. & Theophyl. per passiones desiderij, accipiunt delicias, opes, otium, socordiam, & quidquid concupiscentiam inflammat: his enim amputatis tuta est castitas tam mentis, quàm corporis.

Vas est vxor.

ET NE QVIS SVPERGREDIATVR, NEQVE CIRCVMVENIAT IN NEGOTIO FRATREM SVVM] Nota. VERS. 6.

Non

Non agit Apostolus de fraude, auaritia & iniustitia opum, sed de iniustitia & fraude thori, id est, de adulterio: agit enim de libidine & immunditia; adulterium ergo vocat supergressionem & circumuentionem. supergressionem, id est, præuaricationem & oppressionem, qua quis proximi thorum inuadit superscandendo (hoc enim est Græcum ὑπερβαίνειν) & adulterando: idem circumuentionem vocat, qua quis fraudulēter vsurpat vxorem alterius. quæ græcè hîc dicitur πλεονεξία, id est, nimia cupido habendi non opes, sed pellices. qui enim sua vxore contentus non est, sed alias appetit & inuadit; is πλεονεκτεῖ. ita Chrysost. Theophyl. & Hieron. in c. 4 Ephes. v. 19. ibi enim πλεονεξίαν, siue, vt Noster vertit, auaritiam, pro illicita & immodica venereorum cupiditate vsurpat Apostolus, vt ibi dixi. Cùm ergo ait hîc, *in negotio*; intellige fornicationis. Sic πρᾶγμα Græcis vocatur fornicatio; æquè ac Latinis, vt cùm dicunt, rem habere cum meretrice: sic eadem ab Italis vocatur *negotium*, honesta aposiopesi. Sic S. Clemens lib. 3. Const. Apost. c. 2. *Adolescentiores*, inquit, *viduæ in gradum vidualem ne cooptentur, ne excusando non posse continere feruorem adolescentiæ, aliquando iterum nubentes, in negotio* (id est libidine & copula, vti ibidem explicat Turrianus) *sint*. Vnde explicans subdit: *Subueniendum est illis, ne excusando se derelinqui, iterum nubentes negotio turpi implicentur.*

A

B

C

D

NON ENIM VOCAVIT NOS DEVS IN (ad) IMMVNDITIAM SED IN (ad) SANCTIFICATIONEM] id est castimoniam. Christianismus enim est professio castitatis, & detestatio libidinis, ita vt Gentes libidinibus addictæ eis renunciare debeant, & castitatem amplecti, cùm baptismum & christianismum suscipiunt; ideoque in baptismo dat eis Deus Spiritum sanctum, vti subdit Apostolus. 1. 7.

DE CHARITATE AVTEM FRATERNITATIS] id est fraterna. Est hebraismus: Hebræi enim omnes suæ gentis vocant *fratres*. Hinc pari modo Christiani quilibet alios Christianos cōpellare & complecti debent vt fratres, tum aliis nominibus, tum hoc præsertim, quòd eumdem habent patrem, scilicet Christum, & eamdem matrem, scilicet Ecclesiam. Hæc fuit olim, & esse debet φιλαδελφία Christianorum. Zeno rogatus quis esset amicus? respondit, *Alter ego*. Alexander ad matrem Darij, quæ ex errore Hephæstionem honorauerat pro Alexādro, dixit, *Nihil est, ô mater, quòd turberis: nam & hic Alexander est*. Quid dicat Christianus? 1. 9.

IPSI ENIM VOS A DEO DIDICISTIS] Græcè pulchriùs id dicitur vna voce, Θεοδίδακτοι ἐστέ. q.d. Adeodocti estis, sicut dicimus Adeodatus est: Deus enim per legem Christi, & per internam Christi gratiam & instinctum vos docuit, vt diligatis inuicem.

ETENIM ILLVD (diligere, & signa dilectionis exhibere) FACITIS IN (erga) OMNES FRATRES. 1. 10.

ET OPERAM DETIS, VT QVIETI SITIS] Pro *operam detis*, græcè est φιλοτιμεῖσθε, id est studiosè & ambitiosè conemini, inquit Erasmus: &, vt Ambrosius, *enitamini*: &, vt Syrus, *sedulam operam nanetis*. Theophylactus verò vertit, *vt munifici sitis*: disiungit enim hoc à sequentibus; sed alij passim illud iis coniungunt, & patet esse coniungendum. 1. 11.

VT VESTRVM NEGOTIVM AGATIS] πρᾶσσειν τὰ ἴδια, vt agatis res proprias.

Notat otium & curiositatem aliquorum Thessalonicensium: hæc enim duo connexa sunt; indeque oritur inquietūdo, vana & varia desideria, appetentia rei & felicitatis alienæ, aliaque mala, quæ domos & respublicas perturbant. Euclides olim rogatus à quodam, quales essent dij, quique re potissimùm gauderent? *Cætera quidem ignoro*, inquit, *at curiosos illis odio esse certò scio*. Cùm quidam exquireret an mundus esset animatus? & rursus, an globosus? *Vos*, inquit Demonax, *de mundo soliciti estis, & vestram ipsorum immunditiem non curatis*. Ægyptius baiulus gestans quid velis opertum, cuidam scisciranti quid portaret? *Ideo*, inquit, *obuelatum est, ne scires: tu verò cur curiosè vestigas quod occultatum est?* Socrates curiosè de astris scrutanti, *Quæ supra nos*, inquit, *nihil ad nos*. Rursùm curiosis illud Homericum obiectare solebat:

Aedibus in nostris, quæ pratica aut recta gerantur.

Xenocrates nihil referre dicebat, vtrùm pedes an oculos inferas in ædes alienas.

Crates Thebanus vulgò dictus est Θυροκοπολάκτης, id est, ostiorum apertor: quòd in omnes domos irrumperet, & si quid displiceret, reprehenderet cynica libertate.

Thaletem in cælum ad astra suspicientem & lapsum in barathrum, ancilla conspicata meritò id illi accidisse dicebat: qui cùm quæ ante pedes essent ignoraret, cælum contemplaretur vt cognosceret.

Zeno adolescentem curiosiùs quid rogantem, adduxit ad speculum, vtque se contemplaretur admonuit: moxque rogauit, an videretur tali vultui conuenire, quæstiones eiusmodi proponere?

Denique curiosi sibi talpæ, aliis sunt lynces,
Et præcedenti spectatur mantica tergo.

Putet ergo curiosus sibi dici à Christo, id quod ipse dixit Petro curiosiùs de Ioanne perquirenti, *Quid ad te? tu me sequere*. *Curiositas.*

ET VT HONESTE (εὐσχημόνως, id est decorè) AMBVLETIS AD EOS QVI FORIS SVNT] Hoc est, decorè vos geratis cum Gentibus, ne scilicet otiosi & inertes indecorè apud Gentiles mendicetis ad Ecclesiæ opprobrium, cùm viderint vos sanos & valentes otiari & mendicare; sed potiùs vt decorè victum vobis comparetis honesto labore & opificio. ita Theophyl. omnia enim hæc spectant ad fugam otij & desidiæ, ad studium laboris & operationis. Vnde sequitur:

ET NVLLIVS ALIQVID DESIDERETIS] q.d. Ne inopia quæ ex otio sequi solet, cogamini aliena desiderare. *Piger* enim, inquit Sapiens, *semper est in desiderio*. Græcè est, καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε, id est, vt nullius indigeatis: otium enim parit indigentiam & penuriam, penuria fures facit aut mendicos.

NOLVMVS VOS IGNORARE FRATRES DE DORMIENTIBVS] illud scilicet mysterium resurrectionis, quod mox explicabo v. 15. VERS. 12.

Nota cum S. August. serm. 32. de verbis Apostoli tom. 10. Scriptura eos qui mortui sunt, vocat dormientes ob spem resurrectionis, qua celeriter euigilabunt ex somno mortis, & ex lecto, id est, sepulchro suo. Ita Daniel c. 12. 2. יְשֵׁנִים *ieschenim*, id est dormientes, vocat mortuos. Hinc pia fuit, & etiamnum est, Christianorum consuetudo, vt, cùm aliquis mortuus esset, non dicerent, Iste mortuus est, sed, Obdormiuit in Domino; idque ad amicorum consolationem, & vt mutuo sese excitarent ad contemptum vitæ præsentis & spem resurrectionis. Ita Christus de Lazaro mortuo *Mortui vocantur dormientes, cur?*

tuo loquitur, dicens: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum*, Iohan. 11. 11. Secundò, quia magna est affinitas somni & mortis: somnus enim est mors quædam breuior, mors verò somnus longior. Hinc Poëta:

somnus est mors breuis: mors est somnus longus.

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Hinc etiam vocatur *consanguineus leti sopor.*

A

VT NON CONTRISTEMINI, SICVT ET CÆTERI, QVI SPEM NON HABENT] Notat S. Augustin. serm. 32. de verbis Apostoli, non prohibere Apostolum omnem tristitiam in morte defunctorum amicorum; hæc enim naturalis est: sed eam tãtùm quam habent Gentiles & impij, *qui*, vt ipse ait, *spem non habent. Contristamur* ergo *nos*, inquit Augustin. *in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi; inde tristamur, hinc consolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hinc sanat diuina promissio.*

S. Augustin. docet sacrificandum esse pro defunctis.

Rursum ex hac spe resurrectionis & gloriæ cælestis, infert S. Augustin. piam esse traditionem Ecclesiæ, vt pro defunctis sacrificemus, oremus & eleemosynas demus. *Hoc enim*, inquit, *à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur?* Notent hæc Nouantes, discantque ex Augustino Missam esse sacrificium, in eoque pro defunctis orari solere, vt scilicet pœnis Purgatorij liberentur, idque ex traditione totius Ecclesiæ.

B

VERS. 13. SI ENIM CREDIMVS, QVOD IESVS MORTVVS EST ET RESVRREXIT, ITA (supple: pariter credere debemus, quòd) DEVS EOS QVI DORMIERVNT PER IESVM, ADDVCET CVM EO] aut certè per hypallagen, sic verba ordinanda sunt: *si* (id est sicut) *Iesus mortuus est & resurrexit, vti credimus, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Notat Theophylactus, τὸ *per Iesum* bifariam posse accipi. Primò, vt referatur ad *adducet cum eo.* q.d. Per gratiam Iesu Christi resurgemus. Secundò & meliùs, vt referatur ad *eos qui dormierunt*, sitque periphrasis fidelium defunctorum: fideles enim, qui Christum in seipsis habentes moriuntur, dormiunt per Iesum, id est, in Iesu, putà in Iesu fide, charitate ac spe resurrectionis. Sic ἐν accipiunt pro ἐν, v. 16. & Rom. 14. 11. Apocal. 14. 13. *Adducet* hos Deus, scilicet è sepulchris euocatos, ad vitam nouam & glorioſam, atque ad beatam immortalitatem, vti dicitur 1. Corinth. 15. v. 53. Probat hîc Paulus nos resurrecturos exemplo Christi, idque duplici titulo & argumento. q.d. Christus resurrexit; ergo & nos resurgemus: tum quia Christus fuit homo nobis similis, mortuusque est vti & nos morimur; tum quia Christus vt caput nostrum virtutem resurgendi in nos quasi membra sua influit: vt sicut in illo eiusque fide & spe viximus & mortui sumus, ita & in eodem resurgamus.

C

D

VERS. 14. HOC ENIM VOBIS DICIMVS IN VERBO DOMINI] id est, per verbum, reuelationem & doctrinam Domini. q.d. Non quod à meipso, sed quod à Christo didici, loquor & doceo, mysterium scilicet resurrectionis, quod sequitur.

QVIA (quòd) NOS QVI VIVIMVS, QVI RESIDVI SVMVS IN ADVENTV DOMINI] Græcè εἰς τὴν παρουσίαν, id est, in aduentum Domini. & ita legunt Romana Biblia. q.d. Nos qui relinquimur superstites vsque in aduentum Domini, vt in illo aduentu viuentes reperiamini. Vbi Nota. Paulus ita de se loquitur, atque si victurus esset vsque ad aduentum Domini, hoc est, vsque ad diem iudicij; non quòd ita futurum putaret, sed vt illius diei terribilis & incertæ memoriam nobis & timorem perpetuum incuteret, vt semper suspensi illum diem expectemus, & ad eum nos comparemus. Est ergo hîc enallage personæ: *Nos qui viuimus*, id est, quicũque viuent, siue ex nobis, siue ex posteris nostris, quorum ego personam hîc induo & subeo, vt de iis in mea persona loquar. ita S. Augustin. lib. 20. de Ciuit. c. 20.

NON PRÆVENIEMVS (in resurrectione, de qua dixit v. præced.) EOS QVI DORMIERVNT] Græcè κοιμηθέντας, id est, somno (scilicet mortis) sopitos. Augustin. 20. Ciuit. 20. legit. *qui antè dormierunt.* Vnde in Græco videtur legisse non κοιμηθέντας, sed προκοιμηθέντας. q.d. Nos qui adhuc viuimus, & quicumque viuentin die iudicij, non priùs resurgemus, aut gloria donabimur, quàm ii resurgant ad gloriam, qui ante nos iampridem mortui computruerunt. q.d. Videte ergo, quàm facilè & subitò Deus dormientes, quos dixi, putidos licet & in cinerem versos suscitabit: ne ergo fratres & amicos mortuos multùm lugeatis, ac de iis contristemini, vt dixi v. 13. Vnde notat Theophyl. tacitè hîc dicere Apostolum idem quod dixit in epistola 1. ad Corinth. 15. scilicet quòd in momento & in ictu oculi resurgemus. *Quia* enim, inquit Theophyl. *difficile videbatur, eos qui computruerunt, resurgere, hinc ait Paulus, quòd viuentes haudquaquam anteuertent illos* (quia scilicet in momento resurgent omnes.) *ac quemadmodum Deo facile est, viuentes & integros adducere ad Christum, sic & illos corruptos.* Priùs ergo mortui non longiùs distant à resurrectione quàm posteriùs defuncti, aut ii qui viuunt. vtrique enim simul resurgent.

Aliter hæc accipit S. Methodius apud Theophyl. Nos, inquit, qui residui sumus, id est animæ immortales non præuenient corpora in resurrectione: sed corpus simul cum anima resurget ad vitam immortalem. sed hoc non est ad mentem Apostoli: sic enim dicere debuisset, *Non præueniemus ea*, scilicet corpora: iam autem dicit, *eos*, scilicet homines dormientes.

QVONIAM IPSE DOMINVS (Christus iudex) IN IVSSV ET IN VOCE ARCHANGELI, ET IN TVBA DEI DESCENDET DE CÆLO] Theophyl. distinguit iussum à voce: Iussio, inquit, Dei faciet reddere terram corpora, eaque suscitabit, & in immortalitatem transformabit; vox verò Archangeli aliis angelis administrantibus, efficiet, vt suscitati omnes per diuersa loca dispersi in vnum colligantur. Sed hoc non satis solidè dicitur: vox enim Archangeli non tantùm colliget, sed vt suscitabit mortuos, vt dixi 1. Corinth. 15. 52. & hîc insinuat Apostolus, cùm subdit, *Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* VERS. 15.

Secundò, meliùs idem Theophylactus cum Chrysost. accipiunt hæc per epexegesin, vel hendyadin: *in iussu & in voce*, id est, in iussu qui sit vox, vel in iussu vocis Archangeli. Rursum *in iussu*, id est, cum iussu, *in voce*, id est, cum voce; sæpè enim Hebræi *bet*, id est in, vsurpãt pro בְּ *im*, id est cum.

Nota. Pro *in iussu*, græcè est ἐν κελεύσματι, id est, in (cum) celeusmate. celeusma autem est conclamatio

Quid celeusma.

matio nautarum inuicem se adhortantium, vt vno velut concentu & conatu simul omnes remos attollant & remigare incipiant. Videtur ergo tale fore commune celeusma aliorum angelorum, qui tubam suam inflante Archangelo, simul & ipsi suis vocibus vel tubis in singulis orbis partibus pariter conclamabunt, vt vbique simul omnes resurgant. ita Chrysost. Theodoret. Theophyl. Anselm.

Archāgeli vadē tuba

IN VOCE ARCHANGELI, ET IN TVBA DEI] Est epexegesis, vel hendyadis, vt dixi. q.d. In voce Archangeli, quæ sit tuba Dei, vel in voce tubæ, aut tubali Dei. vox ergo Archangeli eadem erit cum tuba Dei. Dicitur *Dei* hebraismo, id est maxima, & maximè sonora, vt per totum mundum audiatur. Sic dicuntur montes & cedri Dei, id est maximi & altissimi: omnia enim quæ Dei sunt, maxima sunt. Secundò, dicitur Dei, quia Deum iudicem præibit, vti tuba solet regem vel Imperatorem præire. Tertiò, dicitur vox Dei, quia magnifica erit & horribilis instar tonitrui, talisque qualis decet maiestatem diuinam, vt ei quasi proportionetur. Vnde huius tubæ typus fuit tuba illa angeli proclamantis Iudæis decalogum in Sina Exod. 20. v. 18. ita ex Chrysostomo Theophyl.

Sua hac vocē Dei.

Hinc Nota Primò, quòd tuba hæc non erit spirituale imperium Christi, vt voluerunt nonnulli ex S. Gregor. sed erit sensibilis clangor & vox tubalis formata ab angelo in aëris collisione, vel potiùs per realem tubam, vt vult Anselmus in Elucidario, & alij: nam Christus, Paulus & Patres semper vocant tubam, tubaque aptissimum est instrumentum etiam angelo, vt maximè sonoram, ex aëris ad latera tubæ impulsu & collisione, vocem edat. Ex qua materia sit hæc tuba futura, an ex argento, an ex ære, vt opinatur Franciscus Suarez, an ex nube & meteoris, an ex alia materia magis sonora, quam homines ignorant, sed norunt angeli, incertum est.

& erit tuba?

Nota Secundò. Ad hunc finem canet hæc tuba. Primò, vt omnes homines excitet à mortuis, eosque citet ad iudicium, vt satis patet Iohannis 5. 28. Secundò, vt electos vocet ad solemnitatem & lætitiam beatæ æternitatis instar tubæ, quæ Hebræos vocabat ad festa, Numer. 10. v. 8. & 10. ita Anselmus. Tertiò, vt terreat reprobos, & vocet electos ad bellum, vt reprobos deturbent in gehennam. ita Anselmus: erit enim quasi classicum militare.

Nota Tertiò. 1. Corinth. 15. v. 52. vocatur hæc tuba nouissima: quia post tubas septem angelorum, quibus ante diem iudicij plagas maximas toti orbi inducent, de quibus Apocal. cap. 8. & 9. hæc sequetur vltima, clamabitque ac intonabit, *Surgite mortui, venite ad iudicium*, vt indicant Chrysost. & Theophyl. docetque D. Soto in 4. dist. 43. q. 1. a. 4.

Nota Quartò. Hæc tuba Archangeli, Iohan. 5. 28. vocatur *vox Filij Dei*, quia licet ministerio angelorum, iussu tamen Filij Dei formabitur, ab eoque vim suscitandi mortuos accipiet. *Venit*, inquit, *hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius*, (Filij Dei) *& procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*, (damnationis æternæ)

Petes: Quomodo mortui possunt hanc vocem audire? Respondeo, *audient*, id est, sentient vim huius vocis, vel *audient*, id est, illi obedient resurgendo, perinde ac si audirent vocem Filij Dei, qui vocat ea quæ non sunt, quasi ea quæ sunt: vt sit catachresis. Erit enim hæc tuba, vt multi Patres & Doctores docent, instrumentum salcem morale resurrectionis, per quod Christus operabitur resurrectionem: sicuti verba consecrationis sunt instrumentum transsubstantiationis. Vnde S. Iohannis addit, *Et qui audierint* (hanc vocem) *viuent*. Dico morale; non enim necesse videtur, aut congruum satis, huic tubæ tribuere vim physicam suscitandi mortuos. *dient hanc vocem. Primò.*

Adde Secundò, audient mortui hanc vocem postquam resurrexerint; resurrectio enim fiet in instanti, cùm tuba canet, *Surgite*. ita vt hac voce protracta & sonante resurgentes, illam adhuc audire possint, vel certè illud, quod tuba subiunget, *Venite ad iudicium*. ita Francis. Suarez 3. q. qu. 55. a. 1. Erit enim hæc tuba quasi præco citans omnes ad iudicium. Vnde canit Ecclesia, *Tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum coget omnes ante thronum*. *Secundò.*

Moraliter S. Chrysost. hîc homil. 8. pag. 1370. *Quando igitur illa facta fuerint, tunc & vox audietur Archangeli angelis reliquis imperantis & clamantis: audientur tunc tubæ, imò tubarum sonitus. Qualis igitur tremor, qualis timor eos, qui in terra tunc erunt, qui iudicem exspectabunt, obtinebit! vna namque rapietur, & vna relinquetur; & vnus accipietur, & vnus relinquetur. Quis erit tum animus illis, qui istos quidem sublatos videbunt, se verò relictos? An non quauis gehenna terribiliùs eos ita deiectos ac consternatos reddere poterunt? Fingamus itaque sermone iam illud adesse; si enim mors repentina, aut ciuitatum motus, & reliquæ minæ animos nostros ita concutiunt; quando viderimus terram diruptam, & his omnibus refertam, quando audierimus tubam, quando vocem illam Archangeli quauis tuba clariorem perceperimus, quando cælum hoc vndique sursum euectum & contractum, quando ipsum aduentantem Deum regem omnium viderimus, quis tum nobis animus erit?* Et inferiùs: *Ego multos, qui post deductionem ad mortem reuocati fuerant ad regiam beneuolentiam & clementiam, dicentes audiui, se neque homines velut homines vidisse, quòd animo fuissent summopere quum abducerentur perturbato, perculso & stupefacto. Si ergo corporalis mors vsque adeò nos perterrefacit, quando æterna illa aduenerit, quid patiemur?* *Morale, quàm terribilis erit hic clangor & dies tubæ.*

Hinc & S. Hieron. fertur hoc documentum obseruasse, & alijs tradidisse: *Siue bibas, siue comedas, siue vigiles, siue dormias, hæc tibi tuba insonet: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Quamquam in operibus Hieron. hæc sententia iam non reperiatur; eius tamen quid simile inuenitur in Regula monachorum to. 4. operum S. Hieron. quæ collecta est ex S. Hieron. ac conscripta à Superiore Ordinis Hieronymiani, quam probauit Martinus V. Pontifex, vt habetur initio Regulæ.

Idem Hieronymus ad Heliodorum: *Veniet*, inquit, *illa dies, qua corruptiuum hoc & mortale incorruptionem induet, & immortalitatem. Tunc ad tubæ vocem pauebit terra cum populis: & tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet: tribus ad tribus ferient pectora. Potentissimi quondam reges nudo pectore palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole sua Venus; tunc ignitus Iupiter adducetur: & cum suis stultis Plato discipulis: Aristoteli argumenta non proderunt. Tunc rusticanus & pauper exultabit & ridebit, di-*

cessit: *Ecce crucifixus Deus meus, ecce iudex, qui inuolutus pannis in præsepio vagijt; hic est ille operarij & quæstuariæ filius; hic, qui in matris gestatus sinu, hominem Deum fugit in Aegyptum; hic est vestitus coccino, hic qui sentibus coronatus. Cerne manus Iudææ quæ fixeras; cerne latus Romane, quod foderas; videte corpus, an idem sit, quod dicebatis clàm nocte tulisse discipulos.*

Quis Archangelus hic.

ARCHANGELI] Non Christi, vt Ambros. sed, vt D. Thomas, Michaëlis, qui iussu & vice Christi, præses est Ecclesiæ, vti olim fuit Synagogæ, Daniel. 12. 1. vel certè Gabrielis, qui præest, vt multi volunt, secundo ordini, qui est Archangelorum: vt, sicut Gabriel primum Christi aduentum prænunciauit Beatissimæ Virgini, ita & secundũ prænunciet mundo. Archangelo ergo hac sua tuba insonante quasi superioris sui imperio excíti angeli aderunt. tuba enim hæc eis Primò, inclamabit, inquit Chrysost. *Paratos facite omnes, adest iudex.* Et hoc est quod ait Christus Matth. 24. *Mittet* (filius hominis non solùm Archangelum, sed) *angelos suos cum tuba & voce magna.* Vnde Secundò, videtur, quòd Archangelo tuba sua clangente, alij angeli voce magna, lenta & producta conclamabũt, *Surgite mortui*; simulq́; ad congregandos hominum cineres quisque suis locis discurrent celerrimè. Tertiò, hos cineres deinde componet, organizabit, animabit Deus, vt momento resurgant eo modo, quo dixi 1. Cor. 15. 52. Resurget autem quisque, vbi suum erit corpus vel cineres. Inde angeli eos rapient in vallem Iosaphat iuxta Hierosolymam vbi fiet iudicium, vt dicitur Ioël. 3. 2. *Congregabo*, inquit, *omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi.* Et hoc significauit Christus Matt. 24. 31. cùm ait, *Et congregabunt* (angeli) *electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum.*

VERS. 15. & 16.

ET MORTVI, QVI IN CHRISTO (in Christi fide & gratia, siue Christi fideles & amici) SVNT, RESVRGENT PRIMI: DEINDE NOS, QVI VIVIMVS, QVI RELINQVIMVR, SIMVL RAPIEMVR CVM ILLIS IN NVBIBVS OBVIAM CHRISTO IN AERA] Quæritur hîc, an aliqui priùs, aliqui posteriùs sint resurrecturi? hoc enim hîc videtur dicere Apostolus. Respondet Primò, Sedulius, significari hîc ordinem non temporis, sed dignitatis: qui enim in Christi fide & gratia mortui sunt, resurgent primi, non tempore, sed dignitate. Secundò, Chrysost. & Theoph. Resurgent, inquiunt, ante impios iusti, vt sint primi in resurrectione non tantùm dignitate, sed & tempore, vtpote qui rapiendi sint in aëra, vt Christo iudici venienti occurrant honoris causa. Posteriùs verò resurgent impij, vt qui neque rapiendi sint in aëra, neque Christo occursuri. Sed hoc videtur esse præter mentem Apostoli; Apostolus enim non ponit hîc ordinem inter iustos & impios, sed inter mortuos in Christo, & viuentes adhuc secum. Vnde Tertiò, Theodoretus magis ad litteram sic explicat. q. d. Ita citò resurgent illi, qui iam pridem & olim multa ante sæcula mortui sunt, vt præueniant eos, qui tum superstites & viui inuenientur; hi enim priùs mori debebunt antequam resurgant: his ergo morientibus, priores, iam olim scilicet mortui, resurgent, ac consequenter hosce præuenient in resurrectione. Quartò, alij putant hîc non significari ordinem & consequentiam, sed tantùm comitantiam, vt *deinde* idem sit quod, præterea. Verùm Quintò, sic locus hic genuinè exponendus

An omnes simul resurgent? Prima sent.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta & genuina.

A est: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi*, græcè πρῶτον, id est primùm, nimirum antequam rapiantur obuiàm Christo in aëra; *deinde nos qui viuimus, simul cum illis* (qui ex mortuis resurrexerunt) *rapiemur obuiàm Christo.* Ponitur enim hîc ordo non resurgentium, nec resurrectionis ad resurrectionem, sed ordo resurrectionis ad raptum & occursum Christi, videlicet quòd primi illis, qui mortui erant resurgent, deinde quòd ijdem cum alijs tum viuentibus simul rapientur in occursum Christi. ita Anselm. D. Thom. & alij.

Nota. Non meminit hîc Apostolus resurrectionis impiorum & reproborum, sed tantùm mortuorum in Christo, id est, in fide & gratia Christi: fideles enim, pios & bonos tantùm consolari vult hac spe resurrectionis.

NOS QVI VIVIMVS] Id est, qui tum viuemus, putà qui ex nobis, vel è posteris nostris iusti tunc B viuent: & fortè ego ipse, quia incertum est quando erit iudicij dies, & quisque ad eum paratus esse debet omni hora: veniet enim sicut fur in nocte, vt dicet cap. seq. Vnde prudenter timere & persuadere sibi quisque potest fortè instare hunc diem, ait Anselm. Ita passim Apostolus eorum qui tum viuent personam assumit, & in se transformat, vt notaui v. 15.

RAPIEMVR] tum ab angelis, tum à virtute Christi per dotem agilitatis, quam cuique Sancto iam beato indidit. non enim resurgent Sancti priùs ad vitam, deinde posteriùs ad gloriam; sed simul cum resurrectione accipient gloriam corporis: resurgent enim in corpore non mortali & passibili, sed immortali, impassibili & glorioso.

Quæres, an ij, qui viui inuenientur in die iudicij C non morientur, seu viui rapientur obuiàm Christo, ita vt sine morte fiant immortales & glorioſi? Asserit hoc Iustinus q. 109. & August. l. 2. de Pec- *An morientur ij, qui viuent in die iudicij?*
cat. merit. cap. 31. Caietanus & alij: hi enim putant eos qui in fine mundi viui reperientur, excipiendos esse à communi lege mortis, & hos esse viuos illos, de quibus dicitur in Symbolo, quòd Christus iudicaturus est viuos & mortuos. Sed debili fundamento nititur hæc exceptio à lege mortis planè vniuersali. Vnde postea re meliùs discussa retractans suam sententiam S. August. 20. de Ciuit. c. 20. docet omnes omnino homines morituros & resurrecturos. Idem docet Ambros. D. Thomas, & alijam passim.

Qui ergo in die iudicij viui reperientur, illi morientur in aëre & raptu, ait S. August. & Anselm. vel potiùs, vt D. Thomas & Oecumen. in terra, qui locus est morientium, antequam rapiantur: resurgent enim omnes canente tuba, vt ait Paulus 1. Corinth. 15. v. 25. Dices: Qui sunt ergo viui illi quos Christus in Symbolo dicitur iudicaturus? Respondeo, Sunt ij, qui viui & superstites in die iudicij reperientur: hi enim breuissimo & pauciſſimo tempore morientur (vt commune debitum naturæ & peccati originalis, cui omnes obstringimur, persoluant:) nam statim à morte resurgent. Vnde censentur non tam mortui quàm viui: quemadmodum Christus Lazarum, quia mox resuscitandus erat, non mortuum esse, sed viuere & dormire dixit, Iohannis 11. v. 11. Atque hæc est causa cur Apostolus nec eorum mortis, nec resurrectionis meminerit, sed viuos nominarit, & inter viuos retulerit, quasi semper viui maneant, qui ita moriuntur, vt

vt vix mori videantur: ita vt eorum mors, non videatur esse mors, sed transitus ad vitam meliorem & æternam.

Dicitur ergo Christus iudex viuorum & mortuorum, id est, omnium hominum tam eorum qui vixerunt & mortui sunt, quàm eorum qui viuent Christo aduentante ad iudicium: alioqui enim in ipso iudicio nulli erunt mortui, sed omnes viui, solosque viuos propriè iudicabit Christus. Id ita esse patet ex eo, quod Paulus 1. Corinth. 15. v. 51. disertè asserit: *Omnes resurgemus*, vel, vt alij legunt, *dormiemus, sed non omnes immutabimur.* & v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* & v. 36. *Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Idem patet ex eo quod hic v. 14. dixit: *Nos qui viuimus, non præueniemus*, resurgendo, *eos qui dormierunt*: quia scilicet simul cum illis resurgemus, & deinde simul cum illis rapiemur obuiàm Christo: si resurgemus cum illis, ergo prius moriemur. Tacitè ergo significat eos morituros; dicit tamen, *Nos qui viuimus*, ne, si dormientes, id est mortuos, vocet, ipsos contristet, vulnusque eorum refricet, quod tetigit v. 12. dicens, *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.*

OBVIAM CHRISTO IN AERA] Græcè, εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου εἰς ἀέρα, id est, in occursum Christi in aëra. Vnde videtur, quòd sicuti ciues regi venienti, honoris causa foras prodeuntes occurrunt: ita & Sancti Christo venienti ad iudicium in aëra prodeuntes occurrent. ita Chrysost. Theodoret. Theophyl. Erit ergo hic occursus Sanctorum ante iudicium vniuersale, cùm scilicet Christus iudex ad illud è cælo descendet. Et hoc est quod dicitur Matthæi 25. *Ecce sponsus venit, exite obuiàm ei*, hoc enim exigit Christi dignitas, hoc Sanctorum reuerentia & in Christum amor, hoc denique gloria, tam Christi quã Sanctorum expostulat: nam Sancti, vti iam dixi, ante iudicium erunt beati, & resurgent in corpore glorioso: itaque cum ingenti gloria tam sua, quàm Christi, Christo glorioso occurrent; postea tamen in iudicio sententiam (eamdem quam priuatim in morte & iudicio particulari acceperunt) publicam æternæ felicitatis accipient, vt ita coram omnibus eorum sanctitas & gloria laudetur & honoretur. Hinc

Nota Secundò. Rapientur Sancti in occursum Christi in aëra, vt ibi in nube splendidissima quasi throno considenti ad iudicium peragendum, Sancti omnes in nubibus splendidis, quasi thronis assistant, ac quasi assideant, vt docet Franc. Suarez 3. p. disp 57 sect 2. tom. 2. in fin. ita tamen vt quisque suo ordine & gradu pro meritis consideat. Vnde in splendidioribus. & Christo viciniorib thronis considebunt Apostoli & Apostolici viri, qui propriè cum Christo iudicabunt, vt dicitur Matth. 19. 28.

Sancti cum Christo sedebunt in nubibus splendidis.

Hinc patet Tertiò, quomodo vallis Iosaphat in qua fiet iudicium, cum campis & locis vicinis, (quæ longissimè protendi, & adeò, si opus sit, complanari possunt) capere poterit omnes homines, qui vmquam fuerunt, sunt, aut erunt: nam reprobi in valle hac consistent in terra constipati à sinistris iudicis circumcirca; Sancti verò à dextris consistent non in terra, sed altiùs, & iudici viciniùs in aëre; ita tamen vt, sicut in amphitheatris varij erant spectantium ordines per contignationem & tabulata alij alijs altiores; ita & Sanctorũ varij sint ordines, alijque pro meritis supra alios quasi in tabulato aëreo altiùs consideant; sic tamen vt infimi longè reprobis & terra (quam in vita calcarunt & contempserunt) emineant, & Christo appropinquent. *Et sic semper*, videlicet tam in iudicio quàm in cælo, ad quod mox ascendent, *cum Domino* (Christo) *erunt*, vt hîc dicitur.

Quomodo vallis Iosaphat capiet omnes homines in die iudicij.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quòd dies Domini veniet ex improuiso sicut fur in nocte. Hinc hortatur vt semper sobrij & vigiles ad eum se comparent per vitæ integritatem, & bona opera, charitatis præsertim erga suos præpositos, misericordiæ, patientiæ.

Deinde v. 16. hortatur eos vt semper gaudeant, orent, & gratias Deo agant, vtq; spiritum non extinguant, & prophetias probent.

Denique v. 23. omnimodam sanctitatem eis apprecatur, omnesq; salutat.

1. DE temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis vt scribamus vobis,
2. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita & veniet.
3. Cùm enim dixerint Pax, & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. 4. Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat. 5. Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei non sumus noctis, neque tenebrarum. 6. Igitur non dormiamus sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrij simus. 7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. 8. Nos autem, qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis. 9. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, 10. qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. 11. Propter quod consolamini inuicem: & ædificate alterutrum, sicut & facitis. 12. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, 13. vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum:

rum: pacem habete cum eis. 14. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 15. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes. 16. Semper gaudete. 17. Sine intermissione orate. 18. In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. 19. Spiritum nolite extinguere. 20. Prophetias nolite spernere. 21. Omnia autem probate: quod bonum est tenete. 22. Ab omni specie mala abstinete vos. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. 24. Fidelis est, qui vocauit vos: qui etiam faciet. 25. Fratres orate pro nobis. 26. Salutate fratres omnes in osculo sancto. 27. Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. 28. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

VERS. 1. DE TEMPORIBVS, ET MOMENTIS, FRATRES, NON INDIGETIS VT SCRIBAMVS VOBIS] quo scilicet tempore & momento Christus venturus sit ad iudicium.

VERS. 2. IPSI ENIM DILIGENTER (ἀκριβῶς, id est exactè, planè, certò) SCITIS, QVIA DIES DOMINI SICVT FVR IN NOCTE, ITA VENIET] q.d. Dies iudicij subitaneus & improuisus, nullo sciente aut sperante, clanculum surrepet, & obruet homines incautos & securos; sicut fur nocte cùm dormiunt omnes, domum inuadit & expilat.

An sciri poterit dies iudicij.

Dices: Ex Daniele cap. 12. 12. colligitur post mortem Antichristi superfore quadraginta quinque dies ad iudicium, qui dabuntur ijs qui lapsi sunt sub Antichristo, vt pœnitentiam agant; ergo sciri poterit dies iudicij. Respondeo, certum est ex Daniele, superfore (quod tamen pauci tunc scient, vel aduertent) hos quadragintaquinque dies; sed incertum est an non plures supereruntᵗ imò verisimilius est plures dies, imò menses, & annos superfuturos vsque ad diem iudicij. id enim satis significat Ezech. cap. 39. v. 9. vbi docet, quòd cæso Antichristo, ciusque exercitu, Gog scilicet & Magog, tanta erunt spolia, hastæ & arma, vt Iudæi ex omnibus vrbibus confluant ad ea diripiendum, & septem annis sat habeant ad ea comburenda, nec alia lignatione, alijsque siluis egeant. *Succendent*, inquit Ezechiel, *ea igni septem annis, & non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igni*, &c. Septem ergo anni post mortem Antichristi dabuntur lapsis ad pœnitentiam, in quibus post summam Antichristi persecutionem videtur futura summa pax Ecclesiæ. Ita Hector Pintus in Ezech. 39. & Franc. Ribera in Apoc. c. 20. idque insinuat Daniel loco citato: cùm enim dixisset, *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium* (Missæ, scilicet per Antichristum) *& posita fuerit abominatio* (id est idolum Antichristi, qui volet coli vt Deus) *in desolationem* (id est, vt omnia bona perdat & desolet) *dies mille ducenti nonaginta*, id est, tres anni cum dimidio, vt dixit cap. 7. v. 25. q.d. Ab initio persecutionis Antichristi, vsque ad eius finem & mortem, erunt tres anni cum dimidio. Deinde subdit: *Beatus qui expectat & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque*. id est, beatus qui peruenit ad dies 45. post mortem Antichristi: tunc enim plena erit quies, pax, libertas Ecclesiæ, non dubium quin aliquanto tempore duratura.

Post mortē Antichristi plures erunt dies, imò menses vsq; ad diem iudicij.

Quot annis stabit hic mundus?

Putauit Elias Leuita & Iudæi in sexto millenario annorum mundum esse finiendum, tumque fore diem iudicij: vnde hoc circumferūt elogium, A *Sex millia mundus*, supple, habebit annorum; vt, sicut sex diebus mundus est conditus, ita sex annorum millibus consummetur. Addunt id significare sex Aleph, quæ in Hebræo textu Genes. 1. 1. vbi dicitur, *In principio creauit Deus cælum & terram*, reperiuntur; quasi sex Aleph sex millia annorum, quibus cælum & terra consistent, significent: Aleph enim Hebræis significat mille. Sed hæc cabalistica sunt & Iudaica. *Tres sententiæ. Prima.*

Alij putarunt tot annos fore post Christum ad diem iudicij, quot Christum præcesserunt ab origine mundi, hocque significat Habacuc c. 3. cùm ait, *Domine opus tuum* (incarnationis & redemptionis Christi) *in medio annorum viuificabis illud*. Sed alius est sensus Habacuc, vt ibi dixi. *Secunda*

Tertiò, Cardin. Cusanus opinatus est corpus Christi mysticum, id est Ecclesiam Christianam, B tot iubileos annorum habituram, quot Christus ipse annos compleuit, scilicet annos 1700. Christus enim vixit 34. annos, quos si multiplices per 50. qui est numerus iubilei, inuenies 1700. iam dictos. Sed hæc friuola videntur, & tales congruentias plurimas quisque comminisci posset, quæ nullum in re habent fundamentum, nisi congruentiam, vel conuenientiam aliquam arithmeticam. *Tertia.*

Hæc omnia elidit Christus dicens Marci 13. 32. *De die autem illo* (iudicij) *vel hora, nemo scit, neque angeli in cælo*. Et Paulus hîc docet non esse scribēdum de temporibus & momentis iudicij, quia dies Domini veniet sicut fur in nocte.

SICVT FVR IN NOCTE, ITA VENIET] scilicet inopinatò & inexspectatus, vt iam dixi. Addunt aliqui: sicut fur nocte venit, ita Christum nocte venturum ad iudicium, idq; significari Matth. 25. cùm dicitur, *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiàm ei.* ita Chrysost. & Euthym. Imò S. C *Inconuenientia annotata die mensis.* Hieron. ibi dicit, hanc esse Apostolicam traditionem, vt ea de causa in paschate populum ante mediam noctem (erant hæ veterum Christianorum vigiliæ, quarum nomen adhuc retinemus in ieiunijs & profestis) dimittere nō liceat; eò quòd Christus, sicut olim tempore mediæ noctis in Ægyptum ad cædem primogenitorum, & liberationem Hebræorum venit, ita & eodem tempore ad iudicium venturus crederetur.

Verùm hæc non ita certa sunt, alijque probabiliùs putant, non noctu, sed manè Christum, qui lux est, quique veniet vt in lucem omnia proferat, venturum ad iudicium. Vnde quod dicitur Matt. 25. *Media nocte clamor factus est*, &c. parabolicè dici: est enim parabola, vt patet, nilque aliud significare videtur, quàm spōsum, id est Christum,

sued à

media nocte, hoc est inexspectatè, venturum, vt explicant Hilar. Gregor. & alij.

Causas plures cur Deus voluerit diem iudicij maximè particularis, esse incertum nobis, adfert hic Chrysost. & ex eo Theophyl. *Prima, inquit, est, quia si nouisset homo diem suum vltimum, nihil non scelerum conaretur patrare alijs diebus, deinde fine vitæ appropinquante baptizaretur. Deinde plerique si nouissent in crastinum v.g. sese morituros, innumeris malis hostes affligere meditarentur, tamquam iam de seipsis desperantes, hostiumq; se explere sanguine cupientes: quod nunc non fit, mortis eos terrore remorante, vitæq; cupiditate. Præterea vitæ suæ amantiores, præ nimia desperatione ac tristitia perirent, si mortis suæ tempus ac momentum compertum haberent. Adhæc iusti non tantùm mercedis haberent periculis obiecti: quia compertum haberent se nunc haud morituros, sed post tot, v.g. annos. Nunc verò, cùm incertum sit euadántne pericula, an secùs, nec vel sic tamen mortem euadere laborant, perspicua eorum virtus est. Quemadmodum enim tres pueri ea de causa maiorem admirationem merentur, quòd, cùm non satis nouissent, an ex igne essent euasuri, nec ne, neque sic tamen statuam adorauerunt: propterea obitus noster erit tamquam fur in nocte.* Ita & S. Augustl. de Disciplina Christiana: *Latet, inquit, vltimus dies, vt obseruentur omnes dies. Serò parantur remedia, cùm mortis imminet periculum.* Idem libr. 2. de Doctrin. Christ. *Timor, inquit, de futura morte mentem necessariò concutit, & quasi clauus carnis motus omnes superbia, ligno crucis affigit. Non malè mori, qui bene vixerit: & vix bene moritur, qui malè vixit.* Ita & S. Hieron. ad Heliodorum, *Nihil, inquit, æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm cogitatio breuis æui, & huius incerti. quidquid facies, respice mortem.*

CVM ENIM DIXERINT PAX ET SECVRITAS] Id est, tuta sunt omnia, nihil est periculi, nullus metus; hoc enim significat Græcum ἀσφάλεια.

TVNC REPENTINVS EIS SVPERVENIET INTERITVS. græcè, ἐφίσταται ὄλεθρος, id est, instat vel imminet exitium: ἐφίσταται enim, id est instat, non futuri, sed præsentis est temporis, quod efficaciùs subitum casum & mali incursum significat: SICVT DOLOR IN VTERO HABENTI] id est parturienti: hanc enim repentè nesciam dolor partus corripit. ita dolor & angor iudicis & iudicij, ipseque interitus, hoc est, mors & præsens & æterna, tam corporis quàm animæ subitò corripiet & percellet homines, vt effugere non possint: hoc enim significat Græcum μὴ ἐκφύγωσιν, quod Noster vertit, *non effugient.*

Moraliter S. Anselm. *Mulier, inquit, prægnans quod in vtero diu portauit cum pondere, tandem eijcit cum dolore: quia & reprobi malum, quod diu latuit intra conscientiam ipsorum, & grauauit eam, in conspectu iudicis cum graui tormento cunctis manifestabunt. Mulier cum voluptate pondus illud concipit, sed, vt dictum est, cum dolore eijcit: quia & reprobi culpam cum voluptate libenter commiserunt, sed ante districtum iudicem hanc inuiti multa cum amaritudine manifestabũt. Mulier dum non sperat, subitis doloribus incipit vrgeri, vt pariat: quia & reprobi dum non præuident, incipiunt repentinis cruciatibus compelli, vt latentia mala quæ intus habent, ante tribunal æterni iudicis ad publicum proferant. Ita ergo subitis doloribus incipient torqueri intrinsecus instar prægnantis, & non effugient. Mulier namque euadit, sed illi non effugient.*

Dices: Lucæ 21. 23. dicitur, sub diem iudicij fore *pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore & exspectatione quæ superuenient vniuerso orbi*: quomodo ergo hîc ait Apostolus, quòd tũ dicent homines, *Pax & securitas?* Respondeo, arescent homines præ timore, cùm videbunt solem, lunam, aquas, omniaque elementa conturbari, aliaque signa horribilia fieri, quæ proximè præcedent iudicium: antequam verò hæc fiant, dicent, *Pax & securitas*, tuncque hæc signa, ipseque iudicij dies hæc signa proximè sequens eos securos ex improuiso obruet. Vnde Lucas subdit v. 34. *Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa; tamquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Idem, scilicet ante hæc signa dicturos homines, *Pax & securitas*, clariùs docet Matthæus c. 24. 36. *Sicut, inquit, in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis:* quia, vt dixi, sub aduentu suo & die iudicij Christus signa præuia, quæ omnes percellent, intelligit & comprehendit, ante quæ comedent, bibent, nubent homines, dicentque, *Pax & securitas.*

VOS AVTEM FRATRES NON ESTIS IN TENEBRIS, id est, in peccatis ignorantiæ, infidelitatis, cupiditatum, ebrietatum, fornicationum & aliorum quæ fiunt in tenebris: VT VOS DIES ILLA TAMQVAM FVR COMPREHENDAT] q. d. Sicut fur hominem dormiẽtem inopinatò aggreditur: ita dies Domini dormientes in tenebris & somno peccatorum inopinatò aggredietur; bonos verò & iustos non aggredietur vt fur, sed vt hospes amicus diu præuisus & exspectatus ijs vigilantibus aduenier. VERS. 4.

OMNES VOS FILII LVCIS ESTIS, ET FILII DIEI: NON SVMVS NOCTIS, NEQVE TENEBRARVM] *Filij lucis*, id est Christi, ait Anselm. qui Iohan. 8. 12. ait, *Ego sum lux mundi.* E contrario filij noctis sunt filij diaboli, de quo Iob 3. 6. (in sensu mystico) *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* VERS. 5.

Secundò & planiùs, q. d. Post noctem gentilismi, in quo nati & enutriti quasi filij tenebrarum in infidelitate vixistis, illuxit iam lux Euangelij vobis, & dies christianismi, in quo baptismo renati, quasi filij lucis Euangelicæ facti estis lucidi fide, charitate, vita sancta & Christiana, exspectantes & parantes vos ad diem Domini. Vnde vobis ille improuisus quasi fur non superueniet; sed ijs qui sunt filij noctis, id est, qui in tenebris infidelitatis, ignorantiæ Dei & peccatorũ versantur. ita Chrysost. & Anselmus. De hac luce vide dicta ad Ephesios 5. v. 8.

Hinc constat, eos qui verè Christiani sunt, non horrere, sed optare aduentum, æquè ac regnum Christi. *Peruersum omnino est*, inquit S. August psal. 147. *quem diligis timere ne veniat, & orare quotidie, Aduenias regnum tuum: quod quidem nihil aliud esse videtur, quàm orare vt aduenias regnum eius, & tamen timere ne exaudiaris. Vnde autem iste timor? quia iudex venturus est: numquid inuidus? maleuolus? nihil horum prorsus. Quis enim est venturus iudicare te, nisi qui venit iudicari pro te?* *Christiani est optare aduentum Christi.*

IGITVR NON DORMIAMVS] somno peccatorum, desidiæ, ignorantiæ Dei & salutis: quia iam nox infidelitatis nostræ pertransijt, & lumus in die fidei & gratiæ Christi. De hoc somno vide dicta ad Rom. 13. 11. VERS. 6.

SED VIGILEMVS] perinde, vt qui furem & prædonem exspectat: veniet enim dies Domini quasi fur; excubiæ ergo nobis agendæ sunt, vt vigiles & paratos nos inueniat.

ET SOBRII SIMVS] abstinentes à nimio cibo, voluptatibus & cupiditatibus, in ijsque temperantes & moderati: hæc enim temperantia & moderatio, vigiliarum augmentum est & robur, inquit Theophyl. facitque hominem in vigilia sua attentum. q.d. Sobriè viuentes agamus quæ bona sunt vigilanter & attentè.

Vita mortalium vigilia.

Vita ergo mortalium vigilia est. Hinc Christus sedulò nos monet Matth. 24. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus venturus sit.* In quæ verba S. Hilarius: *Vt ignorantiam,* inquit, *illius diei omnibus taciti non sine vtili silentij ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus propter aduentum furis admonuit, & orationum assiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inhærere. Furem enim esse ostendit Zabulum* (id est diabolum: æolicè enim za, idem est quod Δς) *ad detrahenda ex nobis spolia peruigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem, vt ea incuriosis nobis & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum iaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos conuenit: quia diei ignoratio intentam solicitudinem suspensa exspectationis exagitat.*

Quàm vigilandum sit Christiano ex S. Hilar. & Chrysost. docetur.

Pulchrè etiam S. Chrysost. hom. 22. ad pop. *Opus,* inquit, *est vigilantia, dilecti, nam & miles dormit, non in lecto, sed humi: piscator non dormiens piscatur, sed stans aliquando peragit noctem: agricola vigilat, ne domini vinea ladatur: & pastor sub dio stans noctē consummat, gregem custodiens, sicut Iacob dicebat, Aestu vrebar & gelu, & somnus fugiebat ab oculis meis. Et quæ ipsius vigiliæ ratio? ne vlla ouis à fera voraretur? Si verò tanta de irrationali pecude cura, quales esse decet de rationali anima solicitudinem gerentes? Propter hanc Iacob operarius lapidem ad caput sibi posuit dormiens, vt facilius euigilaret, vnde scalam vidit ad cælos vsque pertingentem. Nos esse vult Dominus paratos, propterea q̄ posuit incertum exitum nostrum, vt continuè vigilemus & pugnemus.*

Idem Chrysost. hîc hom. 9. post medium ostendit Christiano vigilandum esse exemplo excubitorum. *Obsecro,* inquit, *omnia faciamus, ne vnquam obdormiamus. Non videtis custodes, quomodo seipsos sæpè vel parum somno permittentes, omnem magnæ custodiæ fructum amittant? per modicum enim illum somnum, totum perdunt, dum furari volenti copiam & potestatem faciunt. Quemadmodum enim nos fures non ita videmus, vt ipsi nos videnti: ita & diabolus omnibus imminet, inuidet & dentibus frendet.* Deinde ad eamdem vigiliam nos excitet exemplo funambulonū. *Componamus nosipsos vndique, & quemadmodum super funem extensum ambulantibus non licet vel parum negligentes esse: nam parum illud magnum illis malum generaret; mox enim submersi deciderent ac perirent: ita neque nobis pigrescere licet. viam enim incedimus angustā, & vtrimque præcipitijs obnoxiam, pedumq; simul duorum non capacem. Vides qua nobis opus sit diligentia?* Deniq; eôdem nos exstimulat exemplo eorum qui ambulant per cacumina & præcipitia: *Non vides illos, qui tam periculosa illa itinera conficiunt, quomodo non solùm pedes, sed & oculos communiunt? Quando enim putauerunt vtrimque attendendum, & si pes firmus steterit, oculi tamen ex subiecta profunditate vertiginem passi fuerint, toti dilabuntur; sed oportet, vt & sibi ipsis & incessui simul attēdant. Quapropter dicit: Neque ad dexteram, neque ad sinistram. Multa est malitiæ profundi-*

Exempla stimulātia ad vigiliā.

A *tas, magna sunt præcipitia, densa subiecta tenebræ: angustiam obseruemus, cum timore & tremore ambulemus.* Remoras verò huius cautæ ambulationis explicat & submouet, dicens: *Nemo talem viam ingrediens risu diffunditur, aut ebrietate grauatur, sed sobrius & ieiunus huiusmodi viam ambulat. Nemo talem viam ingrediens superfluum quidquam secum defert: manult enim expeditus esse, quò commodè illam percurrere queat. Nemo pedes suos obligat, sed liberos esse finit. Nos verò innumeris curis nosipsos quasi quibusdam vinculis constringentes, & mille temporalium rerum onera deferentes more stultorum hiantes & dissoluti, quomodo angustam hanc viam ambulaturos nos speramus? Non simpliciter illam angustam esse dixit, sed cum admiratione, Quàm, inquit, angusta est via, & hoc est, vehementer angusta est.* *Remora vigilia.*

QVI ENIM DORMIVNT, NOCTE DORMIVNT] *Dormientes,* ait ex Chrysost. Theophyl. vocat eos, qui in B malitia dormiunt, quiq; ad virtutem nullis præditi sunt viribus, sed indulgent & indormiunt voluptatibus carnalibus & terrenis, quæ non sunt aliud quàm somnia vigilantium, ait Chrysost. VERS. 7

ET QVI EBRII SVNT, NOCTE EBRII SVNT] Quos dormientes vocauit, iam vocat *ebrios,* scilicet, non eos solùm qui vino & gulæ, sed quoscumque, qui cupiditatibus animi & perturbationibus indulgent, quæ æquè ac vinum mentem homini eripiunt, eumque inebriant. ita Theophyl. *Ebrietas animi,* inquit Chrysost. *sunt diuitiæ & pecuniarum concupiscentia, & corporum amor & quidquid tale dixeris, ebrietas animi est.* q.d. Paulus: Hi infideles & impij in peccatis suis dormientes, & ebrij in nocte paganismi & peccatorum versantur: vos autem Christiani versan[illegible] in die gratiæ & christianismi; C ergo non dorm[illegible] inebriari pristinis voluptatibus & vitijs, sed vig[illegible]are, sobrij, prudentes scilicet, attenti ac modesti in omnibus actionibus, recreationibus & operibus vestris esse debetis. Et hoc est quod subdit:

NOS QVI DIEI SVMVS, SOBRII SIMVS, INDVTI LORICAM FIDEI ET CHARITATIS, ET GALEAM SPEM SALVTIS] Non satis est vigilare, inquit Theoph. ac sobrium esse, verùm opus etiam armari: vt enim quis vigilans sit & sobrius, non habeat autem arma, facilè eum latrones & prædones conficient. Lorica ergo, qua pectus & totum corpus obarmemus, sit fides & charitas, id est, fides & bona vita, inquit Theophyl. siue fides & bona opera charitatis: galea verò nostra sit spes salutis. Vide de his armis & panoplia hominis Christiani dicta Ephes. 6. 17. & præcedentibus. VERS. 8

QVONIAM NON POSVIT NOS DEVS IN IRAM, id est non creauit, non destinauit nos Deus ad damnationem, vt iram suam & vindictam in nos ostēderet: SED IN ACQVISITIONEM SALVTIS PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM] q.d. Sed creauit nos Deus, destinauit, redemit, segregauit ab infidelibus, & nos vocauit ad Christum, vt per eum acquiramus salutem bene operando, ac viuendo secundùm legem Christi. VERS. 9

QVI MORTVVS EST PRO NOBIS, VT, SIVE VIGILEMVS (id est viuamus) SIVE DORMIAMVS (id est moriamur) SIMVL CVM ILLO VIVAMVS] nimirum hîc in gratia, post mortem verò in gloria. Aliter ergo accipit hîc dormire & vigilare, quàm v. 6. & 7. iudit enim in hisce vocibus Apostolus. ita Theoph. & Anselm. VERS. 10

ÆDIFICATE ALTERVTRVM] Græcè εἷς τὸν ἕνα, id est VERS. 11

ψ. 10. Augustinus se ita exposuit. Sk 10
H. 3. Gr. l. 12. c. 20. f. 921.

est vnus vnum, aliusalium. Est metaphora. sicut enim qui murum ædificat, eumque sensim erigit & attollit, is domum ædificat: ita qui sua sobrietate & humilitate proximum erigit & excitat, is eum ad similia ædificare dicitur, vt fiat nimirum domus & templum sanctum & perfectum Domino. Ne dicas, inquit Theophyl. Non sum doctor, non sum præceptor, alios docere & ædificare non teneor. falleris: doctores non sufficiunt ad singulorum & omnium admonitionem; sed vult Deus quemque alium instruere & ædificare, saltem exemplo suo & bona vita.

12. ROGAMVS AVTEM VOS, FRATRES, VT NOVERITIS (id est notetis, & rationem eorum habeatis. est metalepsis) EOS QVI LABORANT in prædicando Euangelio, & re Christiana procuranda & promouenda) INTER VOS, ET PRÆSVNT VOBIS IN DOMINO (id est, in Domini Christi familia, hoc est Ecclesia) VT HABEATIS ILLOS ABVNDANTIVS IN CHARITATE] vt eos abundantiùs ametis & foueatis, quasi filij parentes vestros spirituales. ita Theophyl. Græcè est, ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἐν φιλίᾳ τὴν ἀγάπην, id est, vt Vatabl. vt habeatis illos in summo pretio per charitatem, ministrando scilicet eis necessaria ad vitam. Ambros. vertit, Vt illis habeatis summum honorem in charitate.

PACEM HABETE CVM EIS] Notent hoc qui suis Pastoribus & Prælatis lites mouent, aut odia contra eos fouent.

14. CORRIPITE INQVIETOS] Græcè pro *corripite*, est νουθετεῖτε, id est, officij admonete, & quasi mentem quam amiserunt, eis reddite & reponite. Secundò, pro *inquietos*, græcè est, ἀτάκτους, inordinatos, quo nomine Liuius vocat milites qui suam stationem non seruant. Sic Paulus hoc nomine notat hîc eos, qui Ecclesiasticam non seruant disciplinam & ordinem, quem cuique statuit & definiuit Deus, ait Theophyl. tales enim intractabiles sunt, & parere nolunt, turbantque omnem pacem.

SVSCIPITE INFIRMOS] ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, id est, suscipite & fulcite infirmos. Syrus vertit, Excipite onus eorum, qui infirmi sunt; Ambros. opitulamini infirmis. ἀντέχεσθαι enim est propriè, nitentem & conantem, sed non sufficientem, nec sat virium habentem adiuuare.

PATIENTES ESTOTE AD OMNES] μακροθυμεῖτε, id est, vt Syrus, longanimes estote erga vnumquemque.

15. VIDETE, NE QVIS MALVM PRO MALO ALICVI REDDAT: SED SEMPER QVOD BONVM EST SECTAMINI IN INVICEM, ET IN OMNES] Id est, benefacite inuicem & omnibus: opponit enim reddere malum illi, quod est, sectamini bonum.

Non satis est, inquit Theoph. *non reddere mala pro malis, verùm est etiam operæ pretium bonis compensare malefactorem: hoc enim indicat cùm ait, Sectamini quod bonum est, hoc est, impensè studete bene facere, & in inuicem, hoc est, erga fideles; & in omnes, hoc est etiam erga infideles.*

16. SEMPER GAVDETE] *Etiàsi*, inquit Theoph. *in tentationes incideritis. Obserua autem quòd, posteaquàm dixisset non esse malis malo pensandum, tunc præceperit latandū esse: nam qui instituta est, vt de nomine se vlciscatur, sed beneficijs portiùs prosequatur eū qui contristauerit se, vndenam amabo mœroris stimulum accipit?*

17. SINE INTERMISSIONE ORATE: IN OMNIBVS GRATIAS AGITE] *Iter monstrat*, ait Theoph. *quo fiat vt semper gaudeamus, orationem nimirum quæ non cessat, atque gratiarum actionem: qui enim assuenit cum Deo versari, eiq; gratias agere in omnibus rebus, tamquam vtiliter contingentibus, planum est quòd perpetuum sit gaudium habiturus.*

Nota. Christianus assiduè orare debet. Nam, vt ait S. Ephrem tract. de Oratione: *Oratio est temperantiæ custodia, iracundiæ frenum, animi elati repressio, odij medicina, recta legum iurisq; constitutio, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis, virginitatis sigillum, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, agricolarū fertilitas, nauigantium salus, reorum patrona, mœrentiū consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solamen, morientium sepultura.* Deinde hæc ipsa exemplis confirmans subdit: *Oratio Ionæ Prophetæ balenam pro domo concepit, & Ezechiam exportis mortis ad vitam reduxit, ipsisq; tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris conuertit.* indeque concludit; *Nulla est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio.* Quomodo semper orare oporteat dixi Ephes. 6. 18.

Elogia & incitamenta orationis.

Audi & Abbatem Lucium in Vitis Pat. Cùm enim quidam fratres ad eum aduenissent, requisiuit eos senex, dicens: Quid soletis manibus vestris operari? At illi dixerunt: Nos nihil manibus nostris operamur, sed secundùm quod dicit Apostolus, sine cessatione oramus. Quibus senex dixit: Non manducatis? At illi professi sunt: Etiam. dixitq; eis: Quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? at illi conticuerunt. & iterum requisiuit eos, dicens: Nūquid dormitis? cumque illi se dormire dixissent, dixit eis: Quando ergo dormitis, quis orat pro vobis? & non inuenerunt quid respondere tei. Tunc dixit eis: *Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis sicut dicitis. Ego autem dicam vobis, quemadmodum manibus meis operans sine cessatione oro. Sedeo enim de mane vsque ad horam constitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funiculos, & interim oro, dicens: Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Cumq; percompleuero opera manuum mearum, & fecero aliqua vasa, aut paucos funiculos, & emero ex eis nummos decem, ex ipsis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo. Quando ergo comedo aut dormio, tunc illi pro peccatis meis sine cessatione implent orationem meam.* Ita in Vitis Patrum l. 3 pag. 531. n. 212.

Pelag. libel. 12. n. 9.

1. Thess. 5.

Quomodo quis semper orare possit.

Psal. 50.

IN OMNIBVS GRATIAS AGITE] Nota. In omnibus gratiæ agendæ sunt Deo, putà tam in morbo, quàm in sanitate; tam in inopia, quàm in copia; tam in desolatione, quàm in consolatione; tam in tentatione, quàm in pace; tam in humiliatione, quàm in exaltatione; tam in aduersitate, quàm in prosperitate: quia non minus, imò sæpè maius, donum & beneficium Dei est morbus, inopia, desolatio, tentatio, humilitas, aduersitas, quàm sanitas, copia, consolatio, pax, exaltatio, prosperitas. atque hæc est, vti iucundissima, ita & sanctissima via, qua per ærumnas huius vitæ, læti & quasi ludibundi imus in cælum; si nimirum in quauis re cum Psalte canamus, *Benedicam Dominum in omni tempore.* & cum Paulo, *In omnibus gratias agamus Deo.* Hinc S. Augustin. in psalm. 132. laudat morem veterum Religiosorum, qui frequenter habebant in ore hoc verbum *Deo gratias*, eoque cùm inuicem fierent obuij, se mutuo salutabant, vti etiamnum multi faciunt. Carpebant hoc Circumcelliones, sed defendit S. Augustinus: *Qui dicit*, inquit, *Deo gratias, gratias agit Deo. Vide si non debet frater Deo gratias*

VERS. 16. *Christianus in omnibus, etiàm aduersis Deo gratias agat.*

Vetus salutatio, Deo gratias.

tias agere, quando videt fratrem suum. Num enim non est locus gratulationis, quando se inuicem vident qui habitant in Christo? Idem August. epist. 77. *Quid melius*, inquit, *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm, Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te tam fideli pectore ditauit.* Vide insignem homiliam S. Basilij, quam de gratiarum actione scripsit, vbi inter cætera sic ait: *Accumbens mensæ, ora: esitans panem, largitori gratiam rependito. Tunicam indueris? gratias agito benigno datori. Amiciris pallio? fac in te augescat interior erga Deum charitas, qui indumenta gratuitò largitus est hiemi æstatiq; accommoda, quibus & vita conseruetur, & obueletur turpitudo. Tibíne dies expletus abijt? illi referto gratiam, qui solem nobis nil tale commeritis indulsit in diurnæ operationis ministerium: ignem verò contulit illustrandæ nocti, vtq; subseruiat cæteris vitæ commoditatibus. Si in cælum suspexeris, cùm in eximiam sideram pulchritudinem oculorum aciem defixeris pressiùs, procide Deo, & cole eum qui cuncta hæc in sapientia condidit. Quin & noctem dispertitor in somnum & orationem, imò somni ipsi pietatis exercendæ meditationes quædam sint.* Et inferiùs: *Nullo tuo merito plecteris? gaudium tibi inferat futurorum spes. Iusto es supplicio addictus? gratias agas quòd hic potiùs tuas pœnas quàm in futuro.* Et S. Bernardus serm. 13. in Cant. vbi inter cætera ait, *Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium cælestis prosiuium, quo vberiùs terra refundatur. Qualiter, inquis? Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei sapientiæ, deputa Christo.*

HÆC EST ENIM VOLVNTAS DEI IN CHRISTO IESV (per Christum Iesum) IN OMNIBVS VOBIS] Græcè εἰς ὑμᾶς, erga vos. q.d. Hoc est quod vult Deus, per Christum, id est per Christi legem, doctrinam & gratiã, nos præstare, scilicet vt semper gaudeamus, sine intermissione oremus, in omnibus gratias agamus, &c. Vnde Theophyl. τὸ *in Christo Iesu*, hoc est, inquit, per Iesu Christi cooperationẽ: *Etenim Christus nobis ad gratiarum actionem adiutor est, qui & illud nos facere docuit in Euangelio.* Nota. *Voluntas* signi hîc intelligitur. Vnde rectè Θέλημα (quod Noster vertit *voluntas*) volitum vertas, vel res volita à Deo, Deoque placita & accepta. Hinc Vatablus sic explicat, q.d. Hæc faciendo placebitis Deo per Christum, sine quo nihil placere potest.

Tertiò, alij sic explicant, quasi Apostolus hîc tacitæ occurrat obiectioni. Dicet enim quis: Quomodo semper gaudebo & gratias agam, qui tot premor ærumnis? Respondet Apostolus hanc esse Dei voluntatem, id est, beneuolentiã, vt cum Christo, per Christum, id est per Christi gratiam hæc omnia patiamur: Deus enim non ex odio, sed ex amore & beneuolentia, sicut Christo filio suo crucem imposuit, ita Christiano cuique crucem immittit & imponit. Sed hic sensus remotior est, & multa Apostolo addit & supplet.

VERS. 19. SPIRITVM NOLITE EXTINGVERE] Aliqui per *spiritum* intelligunt rationem, siue portionem superiorem in anima; hæc enim dicitur *spiritus* v. 23. Sed aliter ibi, aliter hîc vocem, *spiritus*, sumit Apostolus. Dico ergo, *Spiritum*, id est dona, gratias, lumina, afflatus, impulsus, &, vt sequitur, prophetias Spiritus sancti, qui est quasi lampas præfulgens in nocte huius sæculi, *nolite* desidia, terrenis curis, desiderijs carnalibus, aut etiam incredulitate, quasi iniecta aqua vel puluere, *extinguere*; qui enim hæc extinguit, quantum in se est, Spiritum sanctum in corde suo extinguit: sed potiùs concludite ianuas, id est sensus, ne ingrediatur spiritus malitiæ, qui extinguit hanc lampadem. ita Chrysost. Theodor. Theoph. Anselm.

Quid sit spiritum extinguere.

Nota. Apostolus vetat non tantùm nos in nobis, sed etiam ne in alijs hæc dona Sp. extinguamus, maximè prophetias. vnde quasi explicans subdit:

PROPHETIAS NOLITE SPERNERE] Erant enim tunc inter Christianos multi Prophetę, qui in fidelium cœtu & synaxi prophetabant, siue propriè, siue impropriè, scilicet sacram Scripturam interpretando, docendo, exhortando, vt dixi 1 Cor. 4. 29. horum spiritum retundi & comprimi vetat hîc Apostolus: imò iubet eorum prophetias excipi, audiri & probari. Idé patet 1. Cor. 14. 29. Hinc non abs re, nec præter mentem Apostoli, *Spiritum*, inquit Ambros. *extinguit, qui incipientem loqui spiritualia contradictione sua sopit.* Sic parentes spiritũ in filijs aut filiabus extinguunt, cùm desideria castitatis, religionis aut vitæ perfectioris suffocant per vitam licentiorem, qua cogunt eos studere ornatui corporis, tripudijs, conuiuijs, alijsque mundi vanitatibus. Quod quàm Deo displiceat docet exemplum Prætextatæ apud Hier. epist. ad Lætam. *Prætextata*, inquit, *nobilissima quondam femina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum & matris desiderium. & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Túne ausa es virii imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto ad inferna duceris; sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.* Idem quotidianis discimus exemplis, tales scilicet parentes multis infortunijs, præsertim circa illas ipsas proles, in quibus spiritum extinxerunt, grauiter à Deo puniri.

Narrat S. Ambros. in fin. l. 1. de Virg. nobilẽ virginẽ cùm à parentibus vrgeretur ad nuptias, confugisse ad altare, eisq; dixisse: *Quid agitis? sponsum offertis? meliorem reperi: quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicate, habeo eum cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non prouideris mihi, sed inuidetis.* Cumq; staret ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, vnus abruptiùs, *Quid si, inquit, pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur? tum illa maiori religione, moderatiore pietate respondit: Et ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posset afferre. quod ille respõsum de patre, de se oraculũ, maturo sui probauit exitio.* Paulò enim pòst mortuus est. *Ita cæteri eadem quisq; metuentes, fauere cœperũt, qui impedire quærebant. Parentes cauete offensionis exemplum.* hucusque Ambros.

Verè S. Hieron. ad Paulam de obitu Blæsillæ, *Grandis*, inquit, *in suos pietas, impietas in Deum est.* & ad Furiam, *Pater*, inquit, *impleat nomen suum, lætetur filiam genuisse Christo, non sæculo.* & Nazianz. in Præceptis ad virgines:

Quin

Quin tua si potiùs transfixit pectora Christus,
Atque ea diuino pater immortalis amore
Impleuit, Christo ne sit graue fistere nympham,
Aut puerum,

Moraliter S. Chrysost. docet hîc spiritum extingui quouis peccato. sicut enim fax extinguitur vel vento exsufflante, vel defectu ceræ & fomitis: ita spiritus quasi lampas extinguitur vel vento tentationis, vel puluere curarum terrenarum, vel deficiēte oleo misericordiæ & bonorum operum. *Spiritus*, inquit, *æquè ac lucerna extinguitur, si aut olei parum habuerit, aut foramen non obturaueris, vel ostium non occluseris. Quod verò est hoc foramen? Quemadmodum in lychno habet, ita & in nobis, foramina sunt oculi & aures. Ne sinas istis occurrere validum malitiæ flatum, alioqui lychnum extinguet, sed obtura foramina timore Dei. Ianua os est. Claude, ita scilicet occlude, vt & lucem exhibeat, & externū impulsum repellat.* Mox exemplo familiari & quotidiano idipsum declarat, dicens: *Conuitiatus est quispiam? vituperauit? tu claude os tuum; si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Nunc vides in ædibus, quando è regione ac directè duæ ianuæ oppositæ sunt, & flatus vehemens irruerit: si alteram clauseris, nihil valeat efficere flatus, sed plurimum de illius robore præcidatur? Ita & hîc duæ sunt ianuæ, os tuum & os illius qui te vituperat & probro afficit. Si tuum occluseris, & spirationem non dederis, omnem istum flatum extingues; si verò aperueris, effrenis reddetur. Ne extinguamus igitur spiritū. Fit autem sæpenumero, vt etiam nullo externo impulsu incumbente extinguatur fax, quando videlicet oleum deficit; quando misericordiam non facimus, extinguitur spiritus; etenim ex misericordia Dei venit ad te spiritus.*

Deinde pergit Chrysost. docere quòd, sicut latrones in tenebris grassantes priùs extinguunt lucernam, deinde latrocinantur & prædantur impunè: ita dæmones priùs hunc spiritum quasi lampadem extinguunt, vt animam viam in cælum nec videre, nec inire possit; ac deinde eam deprædentur & grassentur impunè. Chrysostomo cōsentit Hieron epist. 150. ad Hedib. q. 12. additq; hoc loco esse miosin. q. d. *Spiritum nolite extinguere*, id est, spiritum fouete, &, vt ait Apost. Rom. 12. 11. *Spiritu feruentes* estote. *In quo enim*, inquit S. Hieron. *feruor spiritus multiplicata iniquitate, & charitatis frigore non tepescit, in hoc spiritus nequaquam extinguitur.*

15. 21. OMNIA AVTEM PROBATE, QVOD BONVM EST TENETE] S. Augustl. 1. de Nat. & grat. c. 9. & alibi sic legit: *Omnia legite, quæ bona sunt tenete*: sed paraphrasticè. nam ad verbum Græca, Latina & Syrus habent, *omnia probate*: subaudi, quæ dubia & incerta sunt, ideoque probatione indigent & examine, quales erant prophetiæ, de quibus v. præced. dixit, *Prophetias nolite spernere*; hasenim singuli priuati Spiritu sancto afflati in cœtu Ecclesiæ olim publicè loquebantur. Vnde eas diiudicari vult Apostolus, tam hîc quàm 1. Cor. 14. 24. an veræ sint, an cōformes sacræ Scripturæ & doctrinæ Ecclesiæ, an prophetiæ sint, ac instinctus spiritus humani: maximè quia, vt notant Chrysost. Theodor. Theoph. ijs aliqui pseudoprophetæ clàm se immiscebant, vt patet epist. seq. c. 2. vbi redarguit eos qui prophetabant instare diem iudicij.

Nihil ergo hîc habet Kemnitius & Nouantes pro suo examine Concilij Trident & aliorum Ecclesiæ vel Pontificis decretorum. Malè etiam hinc inferunt, hæreticorum libros cuilibet esse legendos & examinandos: hi enim ab Ecclesia iam improba-

A ti & damnati sunt de certa hæresi & pernicie: nam, vt rectè Chrysost. & Theoph. pseudoprophetas, quos constat tales esse, ne audiri quidem vult Dominus Deuter. 13. 3. & alibi.

ABOMNI SPECIE MALA ABSTINETE VOS] Alij legunt, *ab omni specie mali*. Vtroque enim modo verti possunt Græca: quamquam prior lectio est germanior, eamq; cum D. Hieron. sequuntur interpretes. Sed idem vtriusque lectionis est sensus. VERS. 22.

IPSE DEVS (auctor) PACIS SANCTIFICET VOS PER OMNIA] Græcè ὁλοτελεῖς, id est totos, vt toti sitis sancti & perfecti in omnibus, nimirum in spiritu, anima & corpore, vt sequitur. VERS. 23.

VT INTEGER SPIRITVS VESTER, ET ANIMA, ET CORPVS SINE QVERELA IN ADVENTV (in aduentū) DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SERVETVR] *Integer*, non est idem hîc, quod incorruptus; græcè e- *Quis integer spiritus.*
B nimest, ὁλόκληρον. q. d. Totū, perfectum, omnibus suis partibus & dotibus integrum & absolutū, cui tota sua sors (hoc enimest κλῆρος) siue totū quod sorte accepit, ineſt & adest. q. d. Totam gratiam & integritatem, quam sorte accepistis in baptismo, conseruate vsque ad diem iudicij, vt talem & tam integrum spiritum, animam & corpus Christo iudici reddatis & exhibeatis, qualem ab eo in baptismo accepistis.

Nota cum S. Augustl. tract. de Symbolo: totus homo tres habet partes, spiritum, animam & corpus; itaque homo est imago trium personarum SS. Trinitatis. Primò, ergo Nyssenus apud Theophyl. per *spiritum* accipit partem hominis rationalem, per *animam* partem sensitiuam, per *corpus* vegetatiuam. *Quomodo spiritus ab anima distinguatur.*

Secundò & meliùs, spiritus est pars rationalis,
C siue ratio & potentia animæ superior, quæ mens dicitur, maximè si fide & spiritu Dei sit imbuta; anima est portio inferior nobis cum bestijs communis, ex qua homo animalis dicitur, & animales operationes exercet, vti sunt videre, audire, edere, generare; corpus verò est domicilium vtriusque, scilicet tam spiritus quàm animæ. q. d. ait Anselm. *Sensus Apostoli.*
Sit spiritus vester integer, id est, nulla hæresi, errore, diffidentia, malitia, inuidia, nulloque peccati consensu vulneretur, ita vt aliquo fidei, spei, charitatis, alteriúsve virtutis articulo & quasi membro mutiletur; sed plena articulorum omnium & dogmatum fide, integra spe & charitate, cæterarumque virtutum partibus & numeris omnibus integer sit & perfectus: sit & anima integra, id est, delectationibus carnis & sensuum non saucietur, ita vt mutiletur integritas & perfectio, quæ debet
D esse in auditu, visu, alijsque sensibus animæ externis & internis: sed ij per omnia sint integri, quantum patitur humanæ conditionis infirmitas: nec enim ad integritatem Adami & Christi, in hac vita accedere possumus. Denique corpus vestrum sit integrum, id est, nullius peccati executione & perpetratione lædatur, sed inuiolatum, illæsum, integrum æquè vt spiritus & anima consistat: sic vt corpus animæ, anima spiritui, spiritus Deo planè subsit & obediat, Deusque suam sanctitatem spiritui, & per spiritum animæ & corpori communicet, vt in die iudicij Christo exhibeatis corpus & animam & spiritum integrè & perfectè sancta, qualia accepistis in baptismo, de ijsque dicere possitis, *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*

Vnde Nota Secundò. Integritas hæc opponitur manco

Qui sint manci in fide & charitate, qui integrit

manco & mutilo: sunt enim manci & mutili in fide, A qui credunt Symbolum Apostolorum, sed negant alias traditiones, negant inuocationem Sanctorum, & Christi præsentiam in Eucharistia, &c. Sic in charitate manci sunt, qui amicos diligunt, non inimicos. Sic in anima manci sunt, qui tactum à turpibus custodiunt, sed non aures, non oculos; & ita de alijs. Hisce opponit Apostolus integritatem, quam Christianus tam in fide, vt omnia credenda credat, quàm spe, vt omnia speranda speret, & charitate, vt omnia amanda amet, alijsque virtutibus habere debet. ita Hieron. ad Hedib. q. 12.

FIDELIS EST DEVS, QVI VOCAVIT VOS: QVI ET- VERS. 24
IAM FACIET] id est, efficiet & perficiet, vt integritatem iam dictam, ad quam vos vocauit, conseruetis, & ad æternam salutem perueniatis, si videlicet eius gratiæ non desitis, illique cooperemini. ita Theoph. & Anselm.

IN OSCVLO SANCTO] De hoc osculo dixi 2. Co- VERS. 26
rinth. 13. 12.

Aduentum Christi exspecta, ÆTERNITATEM cogita.



COMMEN-

COMMENTARIVS IN II. EPISTOLAM AD THESSALONICENSES.

ARGVMENTVM.

PRimò, hortatur Theſſalonicenſes ad conſtantiam in fide Chriſti, vtque pro ea fortiter ferant perſecutiones Gentilium & Iudæorum, ſpe præmij cæleſtis.

Deinde docet necdum inſtare diem iudicij: quidam enim falſi & fraudulenti doctores perſuaſerant eis inſtare diem hunc, & ad hoc verba quædam fingebant tamquam à Paulo dicta, & epiſtolas quaſdam tamquam ab illo ſcriptas, quibus hoc aſſerebat. Hos ergo impoſtores hîc redarguit, metumque inſtantis iudicij eis adimit, docetque quòd priùs oporteat venire Antichriſtum: cuius qualitates, vitam & mores hîc deſcribit.

Tertiò, monet traditiones ſiue verbo, ſiue A ſcripto acceptas, eſſe ſeruandas.

Quartò, docet vt fugiant & coërceant homines otioſos, curioſos & inquietos. Denique ſignum eis dat, quo dignoſcant genuinas ſuas epiſtolas à commentitijs, quas proferebant impoſtores iam dicti. Græca & Latina Regia in fine habent hanc epiſtolam ſcriptam eſſe Athenis; Syrus verò Laodiceæ; Oecumen. autem, & Athanaſius in Synopſi, Romæ. Veriſimilius videtur hanc ſecundam ſcriptam eſſe paulò poſt primam, cùm adhuc Apoſtolus Corinthi degeret, anno Chriſti 53. Vnde Timotheus & Siluanus tam huic ſecundæ, quàm illi primæ inſcribuntur: quaſi qui cum Paulo ſalutent eos, mittantque eis hanc epiſtolam. *Vbi ſcripta hac epiſtola.*

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

GRatias agendo, & laudando Theſſalonicenſium in perſecutionibus pro fide toleratis conſtantiam, hortatur vt in eadem pergant.

Vnde v. 6. proponit eis tam pœnas horrendas perſecutorum, quàm præmium admirandum gloriæ, quod ipſi omneſq; Sancti accepturi ſunt in die iudicij.

Denique, v. 11. orat Deum, vt opus hoc fidei in eis compleat.

1. PAulus, & Siluanus, & Timotheus: Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. 2. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. 3. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrûm in inuicem: 4. ita vt nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſijs Dei, pro patientia veſtra, & fide, in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis, 5. in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. 6. Si tamen iuſtum eſt apud Deum tribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant: 7. & vobis qui tribulamini, requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo cum angelis virtutis eius, 8. in flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti. 9. qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius: 10. cùm venerit glorificari in ſanctis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo. 11. In quo etiam oramus ſemper pro vobis: vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, 12. vt clarificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Domini Ieſu Chriſti.

ECCLESIÆ THESSALONICENSIVM IN DEO PATRE NOSTRO] Supple, congregatæ & adunatæ. Vide epiſt. 1. cap. 1. 1.

SVPERCRESCIT] ὑπεραυξάνει, id eſt, valdè & ſupra modum augeſcit fides veſtra.

QVAS SVSTINETIS IN EXEMPLVM IVSTI IVDICII DEI] Pro *exemplum*, græcè eſt, ἔνδειγμα, id eſt documentum, &, vt Syrus, demonſtrationem & declarationem. q. d. Suſtinetis perſecutiones & tribulationes hac ſpe & conſolatione, hoc fine & fructu, vt aliquando (putà in die iudicij) oſtendatur VERS. 4. & 5.

tur & demonstretur iustitia & iustum iudicium Dei, quo vos ob patientiam dignos habebit, id est dignos iudicabit, regno Dei, & corona gloriæ coronabit; vestros verò persecutores, qui hîc in vestra afflictione gaudent, condemnabit. ita Theophyl. & patet ex seqq. Vnde Tertullianus in Scorpiaco c. 13 ita legit, *In pressuris, quibus sustinetis ostentamen iusti iudicij Dei.*

Nota. Græcè non est *in exemplum*, sed tantùm ἔνδειγμα, id est documentum, exemplum. Intelligitur ergo præpositio, *in*, vel *ad*; quamquam sine præpositione, *in*, nominatiuo casu posset referri ad ipsos patientes. q.d. Vos qui tanta patimini, estis documentum, & ostenditis rectum esse iudicium Dei, cùm ob tantas tribulationes retribuit vobis regnum æternum: hoc enim iusto Dei iudicio tantùm patientibus debetur.

VERS. 6. SI TAMEN IVSTVM EST APVD DEVM RETRIBVERE] Si est asseuerantis, non dubitantis. Vnde Ambros. & quidam alij legunt, siquidem, sic etiam vertit Syrus & Vatablus: sic & Græci εἴπερ, exponunt ἐπειδήπερ, id est quandoquidem.

Deus ex iustitia impijs pœnam, pijs gloriã dat.

IVSTVM EST] Nota hîc, Deum ex iustitia tã impijs ob scelera, æternas pœnas; quàm bonis & patientibus, ob suam patientiam, æternam requiem & gloriam retribuere. hoc enim asserit hîc Paulus. Ergo patientia hæc meretur hanc gloriã, sicut scelera pœnam; ergo est meritum bonorum operum.

VERS. 7. IN REVELATIONE DOMINI IESV DE CÆLO] cùm Christus apparebit iudex in die iudicij.

Quinam angeli præcedet Christum ad iudicium.

CVM ANGELIS VIRTVTIBVS EIVS] Græcè δυνάμεως, id est potentiæ. Hi enim angeli Christum iudicem venientem præibunt, eiusque potentiam & maiestatem suo numero maximo, suis tubis, fulguribus, tonitribus, & tertæ motibus ostendent. Syrus vertit, *cum virtute*, id est exercitu, *angelorum*: hinc enim hebraicè dicitur Deus Sabaoth, græcè δυνάμεων, latinè exercituum: quo nomine prima omnium compellasse Deum legitur Anna mater Samuelis, 1. Reg. 1. 11. q. d. Agite ô Christiani, animosè ferte persecutiones; veniet dies, in qua Christus, pro quo patimini, iudex aderit, qui potentissimas secum ducet acies angelorum ad iudicium & vindictam impiorum: vt nimirum vos, & vestras iniurias vlciscantur, eosque, qui vos persequuntur, igni tradant, & in tartara deturbent.

VERS. 8. IN FLAMMA IGNIS DANTIS VINDICTAM IIS QVI NON NOVERVNT DEVM] Græcè ἐν πυρὶ φλογὸς, id est, in igne, siue incendio flammæ, id est flammante, & flammas eiaculante.

Secundò, τὸ *dantis* non potest referri ad *ignis*, sed ad *Domini Iesu*. Græcum enim διδόντι, masculinum est; vnde non potest referri ad φλογὸς, femininum, sed ad κυρίου, quod est masculinum. q. d. Dominus Iesus per flammam ignis dabit vindictam impijs.

Quinam igne conflagrationis mundi inituri.

Nota. Intelligit ignem conflagrationis mundi: licet enim nonnulli cum Francisc. Suarez putent hoc igne non morituros Sanctos, qui tum viui reperientur, eò quòd illa nimis dura & indigna Sanctis videtur esse mors; impios tamen hoc igne morituros satis hîc & alibi significat Scriptura. Hic ergo ignis reprobos morte puniet, eosque conuoluet & rapiet in gehennam & ignem æternum.

Memoria ignis gehennæ remediũ contra om-

Moraliter S. Chrysost. *Si videris*, inquit, *in præsenti vita iucundum quid ac magnificum, cogita regnũ Dei, nihil esse putabis: si terribile quid videris, cogita gehennã, & illud etiã deridebis: si quando te ceperit concupiscentia* A *corporalis, cogita gehennæ ignem. si enim legũ secularium metus nos à malis cohibet, multò magis recordatio futurorum, supplicium immortale, pœna sempiterna.* *ne tentationes.*

QVI PŒNAS DABVNT IN INTERITV ÆTERNAS] Græcè ὄλεθρον αἰώνιον, id est, interitum & mortem æternam luent, quasi pœnam suis sceleribus meritam & debitam, ad quam pœnam damnabuntur & relegabuntur. VERS. 9.

Audi de hac pœna S. Cyprianum tractatu de Ascens. Domini: *Quanta illud edictum* (sententiam iudicis Christi) *sequentur lamenta, illius vltima tuba clãgor quàm horribilis erit; continuus erit & superfluus illarum lachrymarum decursus, stridorem illũ dentium flamma inextinguibiles agitabunt. immortales miseri vinent, incendia & inconsumptibiles flammæ nudũ corpus allambent. ardebit purpuratus diues, nec erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. in proprio adipe frixæ libidines bulliẽt, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrociùs desperatio condemnatos affliget. non miserebitur vltrà Deus: nullum ibi refrigerium, nullum remedium.* *Grauitas pœnarum infernis.*

A FACIE DOMINI] Id est, à præsentia, vel ab ore & sententia, Christi iudicis.

ET A GLORIA VIRIVTIS, græcè ἰσχύος, id est roboris & potentiæ, EIVS] id est à maiestate (hanc enim vocat *gloriam*) gloriosa, terribili & potentissima Christi iudicis.

Notat vox *facies* facilitatem vindictæ. *Nulla enim* (inquit Theoph.) *erit difficultas; verùm satis erit tantummodo visum esse, adeóque apparuisse Deum, & omnes inobedientes atque increduli in pœna erunt: tantummodo enim facies ipsius, & aduentus, vel præsentia alijs quidem lumen erit, alijs verò supplicium. non enim simpliciter, sed cum gloria virtutis & roboris aderit; neque gloria eius robore carebit, neque robur erit inglorium, hoc est, tamquam rex potens conspicietur.* *Facies & præsentia Christi iudicis vnius erit lumen impijs supplicium.*

Secundò, τὸ *à facie* significat impios terribili Christi facie & gloria ita reuerberatum iri, vt eam intueri non sustineant; sed ab ea quasi fulmine prostrati & auersi corruant in gehennam.

Tertiò, vox *facies* significat os, ac sententiam ore ac facie Christi prolatã, quasi fulmen ab ore Christi egrediens, ac impios puniens & afflans: & hoc est quod ait Daniel c. 7. 10. *Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius.* Vbi *fluuius igneus* significat, ait Hieron. sententiam iudicis efficacissimam & celerrimam: quæ instar igniti & rapidissimi fluminis improbos in tartarum abripiet & immerget. *Sententia iudicis.*

CVM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTIS SVIS, ET ADMIRABILIS FIERI IN OMNIBVS QVI CREDIDERVNT] Pro *admirabilis fieri* græcè est θαυμασθῆναι, quod Ambros. vertit, Mirificari; Syrus, miracula sua ostendere infidelibus: sed propriè significat fieri admirandum, siue dignum quem alij admirentur. VERS. 10.

Nota. Admiratio, vt ex Aristotele docet D. Thom. est stupor procedens ex re quapiam, quæ phantasiam & opinionem hominum superat; v. g. cùm homines vident aliquod prodigium, miraculum, aut aliquid inopinatum, illud admirantur. Hinc rudes & insipientes, quibus parum est vel sapientiæ, vel animi, multa admirantur, quæ sapientes & magnanimi non admirantur. Regum enim esse aiebat Cyrus, nihil admirari: suosque principes ita instruebat, vt discerent nihil admirari; hoc enim signum esse & effectum animi excelsi, heroici & sapientis dictitabat, qui debet esse in principe. *Quid & quæ admiranda.*

Christus

Christus ergo in die iudicij reddetur omnibus admirandus in Sanctis suis. Primò, quia tunc omnibus patefaciet miram gratiam & robur, quod hîc contulit suis fidelibus & iustis, vt pro fide persecutiones, expilationes, exilia & martyria fortiter tolerarent. Tunc enim omnibus patescet & celebrabitur mira fortitudo, quam contulit S. Laurẽtio, vt in craticula assatus, irridens Decium gratias ageret Deo, diceretq́ue: Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Tunc omnibus apparebit admirandus spiritus S. Stephani, quo Iudæis obstinatis insultauit, ac lapides pro gemmis excepit. Tunc conspicient & admirabuntur omnes inuictum amorem virginitatis à Christo datum tenellis virgunculis, Agneti, Cæciliæ, Catharinæ, quo omnem carnis & sæculi amorem, tormenta omnia, tyrannos omnes fortissimè superarunt, vt in morte & martyrijs canerent, Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi, propter amorem Domini mei Iesu Christi quem amaui, in quem credidi, quem dilexi. Tunc mirus Apostolorum zelus, Eremitarum rigor, mira Magdalenæ & aliorũ pœnitentia, mirus Doctorũ labor, adeoq́ue in quolibet Sancto mira quædam & propria virtus elucebit, qua Christus in quolibet Sancto apparebit admirabilis.

Secundò, & magis genuinè ad mentem Apostoli, Christus in die iudicij suis Sanctis maximè ijs qui pro fide sua passi sunt, tantam conferet gloriam, quæ omnium hominum & angelorum opinionem, ingenium & captum superabit, omnibusq́; naturaliter erit admirabilis: *oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*, 1. Corinth. 2. Et sicut in singulis Sanctis propria quædam & admirabilis gratia ac virtus eluxit in hac vita, vti dixi: ita in singulis noua quædam & admirabilis gloria elucebit; adeò vt iusti ipsi tum suam, tum aliorum omniũ gloriam sint admiraturi. Ipsi quoque reprobi Sanctos, quos hîc despexerunt, tanta gloria & bonis cumulatos obstupescent; vnde Sap. 5. *Videntes*, inquit, *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se pœnitentiam agentes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* ita Chrysost. Theophyl. Anselmus.

Alludit hîc Paulus ad psal. 67. 36. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* & psal. 4. v. 4. *Mirificauit Dominus sanctum suum*, Dauidem scilicet à se in regem consecratum & sanctificatũ. Addunt Hebr. לו *lo*, id est sibi. q.d. in suum decus, laudẽ, gloriam. & psal. 15. 3. *Sanctis qui in terra sunt eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis*: quia, vt explicat Theodor. miram eis virtutem & fortitudinem indidit, & magna per eos edidit miracula. v. g. vt Apostoli pauci & rudes totum orbem cõuerterent, vt Martyres omnia tormenta superarent; virgines in medijs flammis constantes starent & illæsæ. Et psal. 88. 8. *Deus qui glorificabitur in consilio sanctorum, magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* & vers. 6. *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.* In quem locum pulchrè & piè S. August. per cælos mysticè intelligens homines cælestes, *In omni*, inquit, *misericordia perditorum, in iustificatione impiorum quid laudas nisi mirabilia Dei? laudas quia resurrexerunt mortui? plus lauda quia redempti sunt perditi. Quæ gratia! Quæ misericordia Dei! Vides hominem heri voraginem ebriositatis, hodie ornamentum sobrietatis: vides hominem heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ: vides hominem heri blasphematorem, hodie laudatorem Dei: vides hominem heri seruum creaturæ, hodie seruum Creatoris. Homines non respiciant ad merita sua, fiant cæli: confiteantur cæli mirabilia tua Domine.* Hæc omnia clarissimè & maximè patebunt in omnibus Sanctis simul, in die iudicij, cùm non tantùm eorum gratia & virtutes, sed & gloria, dotesq́ue beatitudinis tam admirabiles & multiplices toti mundo clarescent. Hinc nomen Christi est פלא *pele*, id est admirabilis, Isaiæ 9. 6. *Nomen Christi admirabile.*

IN OMNIBVS QVI CREDIDERVNT] fide scilicet charitate formata, siue fide, quæ per dilectionem operatur, id est qui crediderunt, & iuxta id quod crediderunt benè vixerunt, bonaq́ue opera peregerunt. Id patet: nam toto hoc cap. non nudam fidem Thessalonicensium, sed patientiam in tot persecutionibus commendat, & vt in ea constanter perseuerent cohortatur. Vide can. 2. & 3. *Fides formata dilectione.*

QVIA CREDITVM EST TESTIMONIVM NOSTRVM, id est prædicatio Euangelica, per quam testimonium perhibitum est à me, credita est SVPER VOS (à vobis) IN DIE ILLO] de die illo. q.d. Quia credidistis prædicationi meæ, qua testimonium perhibui de die illo, scilicet tunc Deum fidelibus suis sanctis tantam, & tam ineffabilẽ & admirandam daturum gloriam; ideoq́ue in fide hac constantes tantas pro ea tribulationes passi estis; hanc ob causam Deus dabit vobis requiem gloriosam in cælo, vt dixit v. 7. eò enim redit; vel potiùs Apostolus hîc subaudiendum relinquit ex præcedentibus, *in vobis*. hoc enim omittit, quia tacitè continetur in *in omnibus*. Sic ergo facilè & planè est explenda hæc sententia, *Cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderint*, ac consequenter *in vobis, quia creditum est testimonium nostrum*, &c. id est, quia credidistis meæ prædicationi & testimonio de die illo, iudicij scilicet.

IN QVO ETIAM ORAMVS] Græcè εἰς ὅ, id est ad quod, siue in quam rem oramus, vt scilicet fidem testimonio & prædicationi nostræ habere pergatis, pro eaq́ue fortiter aduersa feratis; vt in die iudicij per Christum fiatis glorioli & admirabiles. Vnde explicans subdit: VERS. 11.

VT DIGNETVR VOS VOCATIONE SVA DEVS NOSTER] *Vocatione*, id est beatitudine, ad quam vocati estis, quæq́ue est finis vocationis vestræ, ait Anselmus. Secundò, simpliciùs, *vocatione*, id est conseruatione, & augmento vocationis: vocatio enim hîc sumitur in actu, non inchoato. hunc enim iam pridem habuerant Thessalonicenses ante baptismum; sed continuato & perfecto. vide canon. 32. q.d. Oro vt Deus suam vocationem, & gratiam vocantem, qua vos ad Christi fidem, salutem & christianismum vocauit, conseruet, adaugeat, perficiat, & per patientiam, ac bona opera magis magisq́ue confirmet; vtq́ue ad perfectiorem virtutem, vel statum vos vocet & euehat, ipsumq́ue apicem Christianæ perfectionis vobis largiatur & tribuat. ita Chrysost. Theophyl. & D. Thomas, & patet ex seq. Sequitur enim, *impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.* Perfectio enim Christiana consistit in voluntate Dei plenè adimplenda. *Quid hîc per vocationem intelligat Apostolus.*

Qui ad statum perfectiorem aspirant, debent pro eo orare.

Nota. Qui ad perfectiorem virtutem, vel statum aspirant, aut se aliosque aspirare & promouere desiderant, hi multum pro hac re orare debent. Hæc enim perfectio, v.g. status virginitatis, aut Religionis, non tam meritis (quia omnia merita superat & transcendit) quàm humili & feruenti oratione impetratur. Et hoc significat Apostolus, dum ait, *Semper oramus pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus noster.*

ET IMPLEAT OMNEM VOLVNTATEM BONITATIS] Id est, oro vt Deus faciat vos planè velle omne bonum. ita Anselmus & Vatablus. Secundò, genuinè, *voluntatem bonitatis*, id est benignam & bonam voluntatem suam in vobis impleat Deus. Græcè enim est εὐδοκία, quæ passim in Scriptura, vti & hic, Deo tribuitur non homini, significatque Dei in homines beneuolentiam, propensam voluntatem, & beneplacitum. Suffecisset dicere Apostolo εὐδοκίαν, id est propensam & bonam voluntatem: sed quia bonitatem Dei per Christum exhibitam capere & deprædicare numquam satis potest Apostolus, hinc addit ἀγαθωσύνης. quasi dicat, Bonitatis vel beneuolentiæ suæ bonam voluntatē, id est beneuolentissimam & optimam suam voluntatem, in vobis impleat Deus. hæc est autem beneuolentissima Dei voluntas, vt faciamus omne bonum, inquit Theophyl. vt boni, puri, sancti simus, sicut Deus bonus, purus, sanctus est; vtque in his quotidie crescamus, magisque Dei bonitatem, puritatem, sanctitatem participemus & imitemur.

Opera debent esse conformia fidei.

ET (supple, impleat Deus in vobis) OPVS FIDEI IN VIRTVTE] *Opus*, id est, opera bona, (per enallagen numeri) quæ fides Christi facienda suadet & dictat, ac præsertim constantem in aduersis fidei professionem, vt nimirum opera nostra sint fidei nostræ conformia, & tam Christiana sit vita nostra, quàm est fides nostra. Vnde Theophyl. ex Chrysost. per *opus fidei*, accipit patientiam in persecutionibus pro fide toleratis: qui enim non habet patientiam, non habet opus fidei. Secundò, simpliciùs & clariùs, (quod tamen in re eôdem redit, idemque est cum priore sensu) *opus fidei* vocat eo sensu, quo opus structuræ vocamus ipsam fabricam structuræ, opus agricolæ vocamus agriculturam, opus sutoris vocamus calceum, opus ingenij vocamus librum ingeniosè compositum, opus textoris vocamus telam ab eo contextam. Sicut ergo qualibet in re dicimus, Hoc opus mihi absoluendum est: ita Paulus hîc optat, vt Deus impleat in Thessalonicensibus opus & quasi fabricam fidei; vt illa omnibus suis partibus & numeris compleatur & perficiatur: hanc enim fabricam, vel telam orsi sunt in baptismo, illam texere perrexerunt per bona opera, & patientiam. optat Paulus, vt pergant, & Deo auctore hoc opus absoluant, atque hanc telam melius & plenius operando, ac patiendo, pertexant.

Vbi Nota, fidem tantùm esse inchoationem huius operis Christi, & Dei; ac requiri bona opera, vt opus hoc promoueant & perficiant: perinde vt in domo non sufficit iecisse fundamenta, nisi parietes & tectum superædifices. fides enim in perfectione Christiana se habet vt fundamentum, cæteræ virtutes & bona opera, vt parietes & tectum. *Fides sit tantùm inchoatio sed tutè complenda per bona opera.*

Notent hoc Nouantes, vt, cùm alibi legunt apud Paulum fidem iustificare & saluare, sciant ex hoc loco Paulum sub fide opera fidei complecti, vt dixi can. 3. & 4.

IN VIRTVTE] ἐν δυνάμει, id est in potentia, id est fortiter ac potenter (hoc enim est Hebræum בְּכֹחַ *baccoah*) vt nimirum Deo potenter ac fortiter in vobis operante ac implente opus & fabricam fidei vestræ, illàm ipsam potententibus ac heroicis patientiæ aliarumque virtutum operibus compleatis & absoluatis. τὸ enim, *in virtute*, tam ad Deum, qui in virtute & robore, id est, roborans & confortans, inquit Theophyl. implet hoc opus fidei vestræ, quàm ad opus fidei, referendum est.

Nota Secundò, Deum implere opus fidei nostræ, non quasi ipse solus planè actum fidei in nobis operetur, eumque nobis indat, sicut vinum inditur vasi, ita vt nos in hoc opere nihil liberè agamus, aut cooperemur, vt vult Beza; sed sicuti præceptor dicitur complere studium & scientiam discipuli, cùm eum docet & instruit, ita vt discipulus præceptori auscultare, dicta eius perpendere, penetrare, sibique imprimere debeat: sic & Deus quasi magister complet opus fidei nostræ, dum suauiter præuenit, suadet, & allicit tum intellectum nostrum illuminādo, tum affectum demulcendo; sed ita, vt illi per gratiam suam illuminanti & mulcenti liberè auscultare, consentire & cooperari debeamus, vti docet Concil. Tridentinum sess. 6. ex S. Augustino. *Deus, cum currentes libero arbitrio nostro complet in nobis opus.*

VT CLARIFICETVR NOMEN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI IN VOBIS, ET VOS IN ILLO] *Si enim videant vos nullam non tentationem tolerantes,* inquit Theophyl. *ex dilectione, quam erga Deum geritis, qui quæso istuc non est gloria eius? quoniam adeò gloria. bonus est, vt pro ipso moriantur etiam serui; & quia adeò potens, vt vos ad patientiam corroboret. Quin etiam & vos in ipso, quia vsque adeò fideles inuenti estis, vt omnia patiamini: gloria enim serui est, quòd fidelis domino inueniatur. Maximè verò afflictio propter Christum gloria est: nam reddit splendidiores numquam non morti quidem traditos, potiores tamen ac superiores morte demonstratos.* *Afflictio*

SECVNDVM GRATIAM DEI NOSTRI, ET DOMINI IESV CHRISTI] q.d. Hoc ipsum quòd opera fidei editis, quibus clarificatur Deus in vobis, & vos in Deo, totum hoc est opus & effectus gratiæ Christi, totum fit per gratiam Christi, non vestris viribus.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet non instare diem iudicij quodq; ante eum fiet generalis apostasia, & veniet Antichristus, cuius Secundò, v. 3. fastum, impietatem, miracula, seductionem & exitium describit vsque ad vers. 13.

Tertiò, v. 13. congratulatur Thessalonicensibus, quòd sint primitiæ fidelium & saluandorum.

Quartò,

Quartò, v. 14. eos in fide confirmat, iubetq; vt teneant traditiones, non tantùm scripto, sed & verbo acceptas: ac tandem Dei gratiam eis apprecatur.

1. ROgamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: 2. vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. 3. Nequis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, 4. qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus. 5. Non retinetis, quòd cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? 6. Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. 7. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. 8. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum: 9. cuius est aduentus secundùm operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, 10. & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt: eò quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent. Idéo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, 11. vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. 12. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis: 13. in qua & vocauit vos per Euangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. 14. Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. 15. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, 16. exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.

VERS. 1. ROGAMVS VOS FRATRES PER ADVENTVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET (repete per aduentū) NOSTRAE CONGREGATIONIS IN IPSVM] cùm scilicet Christo veniente ad nos, vt iudicet mundum, nos vicissim veniemus, & congregabimur ad eum, illiq; occurremus. ita Chrysost. & Theophyl. Vnde clariùs cum Vatabl. verti posset ex Græco, *& per nostri aggregationē in ipsum*, Christum scilicet. Est obsecratio & obtestatio per aduentum Christi iudicis, id est, per Christum venturum ad iudicium (est enim hypallage) perq; ipsorum Thessalonicensium salutem, & aggregationem ad Christum, vt, quantum reuerentur Christum, quantumq; amant suam salutem, tantum auersentur pseudodoctores, ijsq; docentibus instare diem iudicij non credant.

VERS. 2. VT NON CITO MOVEAMINI A VESTRO SENSV] id est sententia, quam hactenus habuistis, quamq; à me edocti estis de die iudicij, de Antichristo, alijsq; signis quæillam diem præcurrent. Patet hic sensus ex seq. v. 4. & 5.

NEQVE TERREAMINI, NEQVE PER SPIRITVM] id est fictam reuelationem, quasi Spiritus sanctus Prophetæ alicui reuelarit instare diem iudicij: has enim reuelationes & prophetias iactabāt hi pseudodoctores. Vnde tales prophetias probari & examinari iussit, epistolæ 1. c. 5. v. 20. & 21.

NEQVE PER SERMONEM] supple, nostrum, vel à nobis dictum: hoc enim intelligendum esse arguunt sequentia in Græco.

NEQVE PER EPISTOLAM TANQVAM PER NOS MISSAM] ὡς δι' ἡμῶν, id est, tamquam à nobis profectum, tam sermonem, quàm epistolam.

QVASI INSTET DIES DOMINI] Nimirum hi pseudoprophetæ fingebant verba quædam quasi ab Apostolo dicta, & epistolas quasdam, quasi ab eo scriptas, quibus suum dogma, vel somnium potiùs, scilicet quòd instaret dies iudicij, populo persuaderent. Quin & S. Greg. S. Leo, alijq; Patres putarunt suo æuo instare diem iudicij, eò quòd ex annis Geneseos iuxta Septuag censerēt sextum & vltimum mundi millenarium suo sæculo explendum. de quo plura dicam Apoc. 20. Sic & S. Vincentius Ferrerius prædicabat se missum à Deo vt annunciaret hominibus instare diem iudicij. Mirum est quod scribit Procopius & Leonardus Aretinus lib. 1. de Bello Gothorum sub Iustiniano Imp. sparsum fuisse Sibyllinum oracullum, *mundum cum sua prole perituru*m: cùm ecce dux quidam, Mundus nomine, Italiam à Gothis liberaturus, cum ijs infeliciter pugnans, & cum prole cæsus, oraculum declarauit, & mundum impendentis iudicij metu liberauit.

VERS. 3. QVONIAM NISI VENERIT DISCESSIO PRIMVM] supple, non veniet dies Domini. Pro *discessio*, græcè est ἡ ἀποστασία, syriacè ܡܪܕܘܬܐ *marduta*: quod respondet Hebræo סָרָה *mered*, id est defectio & rebellio, qua quis deficit à suo principe, illiq; rebellat, scilicet illa insignis, plena & generalis (hoc enim innuit articulus, ἡ & generale nomen apostasiæ, quod nulla hîc gentis aut loci nominatione restringitur aut determinatur) qua scilicet pleræque & passim omnes gentes discedent & deficiēt tum à Romano Imperio, vt explicant Ambros. Primasius & Sedulius, de quo plura v. 6. tum consequenter à Romano Pontifice & Ecclesia, vt Anselm. tum denique à fide & Christo. Vnde Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecumen. & August. li. 20. Ciuit. 19. discessionem hanc interpretantur Antichristum, per metonymiam: quia ipse causa erit vniuersalis apostasiæ, vt plerique omnes discedant à Christo. Sed propriè magis ipsam discessionem accipiemus vniuersalem gentium defectionem à Romano Imperio. Ponit hîc duo signa præuia iudicio Apostolus: primum, hanc vniuersalem defectionem; secundum, ipsum Antichristum,

Ante diem iudicij plerāque gentes deficient à Romano Pontifice & Imperio.

Duo signa præuia iudicio.

stum, qui hanc defectionem statim subsequetur, vt magis patebit ex seqq. Adde, non rectè, & valdè impropriè ipsam apostasiam & defectionem vocari Antichristum. Vnde Augustinus pro *apostasia*, videtur legisse, *apostata*: vertit enim, *nisi venerit refuga primum*, id est Antichristus, qui erit refuga & apostata à Domino Deo. Sed Græca, & Latina, & Syrus constanter habent, *apostasia*, non *apostata*; vnde, vt dixi, non Antichristus, sed generalis apostasia significatur.

Antichristi descriptio.

ET REVELATVS FVERIT HOMO PECCATI, FILIVS PERDITIONIS] Id est Antichristus, qui erit homo sceleratissimus, vt totus non videatur esse aliud, quàm peccati organum, mancipiũ & complementum: adeò vt tota peccati vniuersitas in eo habitatura sit, inquit B. Irenæus.

Est filius perditionis.

Secundò, Antichristus dicitur *filius perditionis*, id est perditissimus, & perdi ac perire dignissimus, vt ex ipsa quasi perditione natus videatur; ad hoc, vt se & alios perdat, & in perditionem præcipitet.

Perditio *dupliciter hic accipi potest.*

Dupliciter ergo hîc *perditio* accipi potest; Primò, pro scelere & sceleratissimo, & tunc vox *filius* idem est quod addictus, pronus, mancipatus. Sicut enim dicitur filius inobedientiæ, superbiæ, luxuriæ, qui se totum addixit & mancipauit inobedientiæ, superbiæ, luxuriæ: ita dicitur filius perditionis, qui ita sceleratè & perditè viuit, vt sceleri se deuouisse videatur. Secundò, *perditio* hîc accipi potest pro damnatione & gehenna, in qua morte æterna perduntur & pereunt damnati; & tunc vox *filius*, exponenda est per *dignus*. Sicut enim dicitur filius mortis & gehennæ, qui morte & gehenna est dignus: ita dicitur filius perditionis, qui perditione est dignus, vt in æternum damnetur & pereat. Vide dicta Ephes. 2. 3. Sic sumitur *perditio* Prouerb. 15. 11. *Infernus, & perditio coram Domino; quãto magis corda filiorum hominum?* q. d. Deus non tantùm nouit mortem, & statum mortuorũ (hunc enim norunt etiam angeli & dæmones;) sed nouit quoque ipsa ima inferni, & qui, quantumque sint damnandi, aut damnati; quot loca inferni sint repleta, quot adhuc restent replenda, & à quibus, quantum, qualique modo: quanto magis nouit secretas hominum cogitationes & intentiones? sic & c. 27. v. 20. *Infernus, & perditio numquam implentur: similiter, & oculi hominum insatiabiles.*

Nota. S. Aug. li. 20. de Ciuit. 19. hunc hominem peccati, id est Antichristum, intelligit, non certam personã, sed totam multitudinẽ impiorum Christo contrariam. quod auidè arripit Beza & Nouantes omnes: Antichristus, inquiunt, est totum Ecclesiasticæ tyrannidis corpus, quod est & erit vsque ad finem mundi, cuius caput est Papa; qui adoratur & circumgestatur, vt Deus.

Est de fide Antichristum fore vnum hominem.

Sed dico, & assero, licet Antichristus ex etymo significet Christo contrarium, & sic teste S. Ioanne epist. 1. c. 2. v. 18. & 22. omnes hæretici sint Antichristi: tamen certum est & de fide Antichristũ fore vnum hominem, & certam personam, cuius nomen adhuc est ignotum, quique Antichristus antonomasticè dicetur, quia Christo erit inimicissimus. Patet hoc, quia ille idem hîc vocatur homo peccati, filius perditionis, ostendens se tamquam sit Deus, ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet, &c. Vbi in Græco semper additur articulus ὁ, qui designat certam personam, ὁ ἄνθρωπος τ῀ ἁμαρτίας, ὁ ὑὸς τ῀ ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμεν@-, ὁ ἄνομ@-. qui clariùs certum hominem demonstrare & A describere potuisset Apostolus? id clariùs patebit v. 12. Estque sensus & consensus totius Ecclesiæ, & Patrum omnium, quos citat Sanderus lib. de Antichristo, Bellarminus li. 3. de Pontifice, & alij.

Respondetur ad auctoritatem D. Aug.

Ad S. Augustinũ Resp. Primò, eum nihil habere commune cum hæreticis: non enim ipse Pontificem Romanũ vocat Antichristum; nec populũ, aut Ecclesiam illi adhærentẽ; sed totam impiorũ, putà Turcarum, Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum, & malorum Christianorũ, multitudinem. Huius autem non est caput Romanus Pontifex: quid enim iuris habet ipse in Turcas, Saracenos, Paganos? Imò huius multitudinis nullum in terris est caput, nullus homo, nullus rex, pontifex, aut monarcha, qui illi præsit, vt patet.

Non ergo S. August. per Antichristum Romanum Pontificem, aut alium hominem, qui impiorum multitudini præsit; sed solùm ipsam impiorum multitudinẽ & congeriem intellexit. Adde, S. Augustinum non loqui asseueranter, sed dubitando, & ex aliorum sententia, vt patet intuenti: & tantùm explicare quomodo Antichristus dicatur sessurus in templo Dei, de quo mox dicam; alioquin eodem ca inferiùs bis dicit Augustinus Antichristum fore particularem hominem, & non nisi in fine mundi venturum: hæcque, vt dixi, communis est aliorum Patrum sententia, cui nemo præponet vnum Augustinũ (etsi concederemus diuersæ eum fuisse sententiæ, quod tamen non concedimus) cùm nec Augustinus illi se præponere, vel opponere voluisset. Sic alibi sæpè, vti patet in explicatione Psalmorum, S. Augustinus, omisso (non tamen negato, sed potiùs præsuppositio) sensu litterali S. Scripturæ transit ad mysticum vel symbolicum, tamquam magis subtilem, reconditum & pium. Hic enim est genius S. Augustini, vt nouis, ingeniosis & pijs sensibus se pascat.

Augustinus asserit Antichristum fore particularem hominem.

QVI ADVERSATVR, ET EXTOLLITVR SVPRA OMNE QVOD DICITVR DEVS, AVT QVOD COLITVR] Explicat nomen Antichristi, quòd scilicet Christo, & Deo omnique numini sit se oppositurus. Ridiculè ergo Wolfgangus Musculus, Antichristus (inquit) idem est, quod Vicarius Christi, qualem se iactat Papa Romanus, ipse ergo est Antichristus.

VERS. 4.

Nomen Antichristi non conuenit Romano Pontifici.

Primò enim, hoc repugnat Græco ἀντὶ, quod in compositione non vicarium, sed oppositum, aut contrapositũ & æqualem significat. Sic ἀντίθε@- apud Homerum & aliàs dicitur, non qui Dei vicarium se dicit; sed qui Deo aduersatur, vel qui Deo est æqualis, & quasi contrapositus; sic ἀντίπαλ@- significat antagonistam, & æmulum in lucta. Sic ἀντιστράτηγ@-, non significat vicarium ducis, sed ducis oppositum, aut eum qui est loco ducis, non vt duci subiectus, sed vt illi æqualis & contrapositus.

Antichristus non significat Vicarium Christi.

Adde, si Antichristus idem est quod Vicarius Christi: ergo Petrus & Paulus omnesque Apostoli fuerunt Antichristi: ipsi enim fuerunt Vicarij Christi. *Pro Christo* (inquiunt 2. Corinth. 5. 20.) *legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Legatus enim vice regis legatione fungitur, estque regis vicarius. Et cap. 10. dicit Paulus se incestuosum absoluere ab excommunicatione *in persona Christi*; non tantùm ergo vicem, sed & personam Christi gerebat Paulus.

Secundò, Antichristum significare, non vicarium, vt vult Musculus, sed contrarium Christo, patet

patet 1. Ioan. 2. 22. *Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Iesus non est Christus? hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.* Rursum idem hîc clarè docet Apostolus: *Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus.* Vel, vt Græca iam habent, ὑπὲρ πάντα λεγόμενον θεὸν, id est, supra omnem qui dicitur Deus. Noster videtur legisse, ὑπὲρ πᾶν τὸ λεγόμενον θεὸς, idque melius respondet sequenti ἢ σέβασμα. Vnde patet, Antichristum non solùm Christo, sed omni Deo fore contrariũ. Vel ex hoc solo videant viri cordati Nouantium calumniam & impostu ram, dum Pontificem Romanum contendunt facere Antichristum. vt enim alia taceam, hæc demonstratio calumniam hanc euertit. Antichristus negabit Christum, eritque Christo & Deo contrarius, imò volet ipse haberi & coli quasi Deus & Christus: atqui Pontifex Romanus non vult coli vt Christus, nec Christum negat, imò credit in Christum, Christum colit & adorat: ergo non est Antichristus.

Hinc patet Secundò, Antichristi superbiam fore tantam, non tantùm vt aduersetur Christo & Deo; sed etiam vt se extollat ac præponat Christo, omnique Deo, dicatque se maiorem esse, magisque colendum & adorandum esse Christo, ac quouis Deo. Vnde pro eo quod Noster vertit, *quod colitur*, græcè est σέβασμα, quod Magdeburgici vertunt, *cultum*, Syrus, *religionem*; melius & clarius Erasmus, Vatablus, imò & Beza vertunt, *numen*, quod maiestate sua venerandum est, colituráq; & adoratur. Volet enim Antichristus non tantùm coli super omnem cultum & religionẽ, sed etiam super omne numẽ, imò ipse solus volet haberi pro numine, & Deo. Hoc enim subiicit Paulus: *Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*; vel, vt clarè habent Græca, ὥστε εἰς τὸν ναὸν θεοῦ, id est, *ostendens quòd ipse sit Deus.* Vnde patet nomen Dei hîc propriè accipi. Perperam ergo Nouantes sic explicant, Papa, inquiunt, extollitur super omnes Deos, id est reges & principes, qui psalm. 81. 1. vocantur Dij, cùm dicitur, *Ego dixi, Dij estis.* Perperam inquam: nam quales Deos ibi intelligat Psaltes, mox explicat, dum subdit: *Et filij Excelsi omnes.* Hic verò de Antichristo dicitur, quòd aduersabitur & extollet se super omnes Deos & numina, ita vt in templo Dei sedeat, velitque coli vt numen, ostentans sẽ quasi ipse solus sit Deus. Dij ergo & Deus non reges hîc, sed ipsum numen significãt, vti docent omnes Patres, & fatentur Erasmus, Vatablus & Beza. Idem de Antichristo docet Daniel cap. 11. v. 36. & 37. *Eleuabitur*, inquit, *& magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduersus vniuersa consurget.*

Hinc sequitur, quòd Antichristus omni diuino cultu, & omnis religionis actibus quasi numẽ coli volet, ac consequenter volet sibi fieri sacrificia, templa, vota; volet per suum nomen iurari; volet adorari, non tantùm dulia, sed etiam latria; volet inuocari vt dator & auctor omnium frugum, opum & bonorum, imò vt auctor omnis gratiæ & gloriæ. Quis Pontificum hactenus ita se extulit, vt ita coli vellet? qui reges & principes tam stolidi fuerunt, vt hos illi honores detulerint?

Dices, Pontifex Romanus sella aurea circumgestatur triplici tiara insignis in supplicationibus, quasi numen quoddam, cui reges & principes pe-

A des exosculantur. Respondeo, Hic omnis honor non est numinis, nec latriæ, sed longè inferior, quem multi etiam reges & principes apud varias gentes vsurparunt. Sic enim Abraham adorauit filios Heth curuans se in terram Genes. 23. 7. Sic Saraceni, Asiani, Iapones, Sinæ, dum quem honorare volunt, in terram se prosternunt, & fronte humum feriunt. Denique hunc honorem & reuerentiam Ecclesiæ in suo capite Pontifice à regibus esse deferendam prædixit Isaias cap. 49. 13. *Et erunt*, inquit, *reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* An non amplius est lingere puluerem pedum, quàm pedes exosculari? Huic honor ergo Pontifici debetur tamquam Hierarchæ, & summo sacrorum Antistiti, ac Christi vicario; ac consequẽter hoc honore non tam Pontificem, quàm Christum in Pontifice veneramur. Propter B Christum enim, & respectu Christi, cuius vicem gerit Pontifex, hunc honorem Pontifici deferimus. Vnde patet hunc honorem non esse contrarium honori Christi, nihilque de Christi honore demere; imò potiùs Christi honorem augere & amplificare. Sicut enim qui legatum honorat, regem, qui eum misit honorat; rexque putat se honorari, si legatus suus honoretur; & vice versa se despici, si legatus despiciatur: ita & Christus se honorari aut contemni putat, cùm eius vicarij Apostoli, & Pontifices honorantur aut contemnuntur. *Qui vos audit*, inquit, *me audit; qui vos spernit, me spernit.*

Hinc sequitur Secundò, Antichristum atheum fore, & cùm pleno potietur imperio, non tantùm Christum, idola & Deos Gentium, sed & Deum verum, eiusque cultum, quantum in se est, è mundo ablaturum. Ipse enim solus volet coli, vt Deus; C id enim clarè significant hîc verba Pauli. *Antichristus erit atheus.*

Dices, Quomodo ergo Daniel c. 11. v. 18. dicit de Antichristo, per typum Antiochi Epiphanis, quòd colet Deum Maozim? Resp. Quia Anti- *Occultè tamen colet Deum Maozim.* christus licet publicè solus coli volet vt Deus, priuatim tamen colet suum dæmonem, quem nuncupabit Deum Maozim, id est fortitudinum & munitionum; quia eius ope, fortitudine & potentia omnia sibi subijciet Antichristus.

Moraliter S. Bernardus citans hæc Apostoli verba serm. 4. in Vigilia Natiuit. *Omnis*, inquit, *superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Deus quidem in his tantùm quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem, superbus verò & cum ratione & con-* D *tra rationem.*

ITA VT IN TEMPLO DEI SEDEAT] Græcè εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, id est, *in templum Dei sedeat*; id est, in Ecclesiam, ait S. August. q. d. Paulus: Antichristus, id est, impiorum multitudo ostentabit se, ac si ipsa cum suis esset populus & Ecclesia Dei. Vnde quidam codices pro ναὸν, id est templum, habent λαὸν, id est populum. sed repugnant sequentia & præcedentia: sequitur enim, *Ostendens se tamquam sit Deus.* Sedebit ergo Antichristus in templo, non vt ostendat se esse Dei Ecclesiam; sed vt adoretur tamquam Deus. Hoc etiam significat vox, *Sedere*: nec enim rectè dicitur impiorum multitudinem sedere in Ecclesiam, id est, Ecclesiæ nomen, titulum & ius occupare & sibi arrogare: sed rectè dicitur de idolo, aut rege superbissimo, qualis erit Antichristus, quòd in templo

Dei sedeat, vt adoretur tamquam Deus. Hoc etiam significant præcedentia, nimirum quòd aduersabitur, & efferet se super omne numen, vt ipse solus habeatur & colatur pro numine. Dico ergo, Græcum εἰς sæpè capi pro ἐν, in templum, id est, in templo; & ita vertit hic Syrus, Chrysost. & alij passim. Antichristus ergo sedebit in templo, id est, in templis Christianorum; vel simpliciùs, in templo Hierosolymitano, quod solum propriè tempore S. Pauli erat & dicebatur templum Dei. Hoc templum ergo tempore Antichristi taliter qualiter reædificabitur Antichristo, vt sit eius quasi thronus. Antichristus enim Iudæus Iudæorum erit rex, regiamque suam habebit non Romæ (hæc enim ante Antichristum à decem regibus euertetur, vt inferiùs ostendam) sed Hierosolymis; ibique Elias & Enoch contra Antichristum decertantes & concionantes ab eo occidentur, vt patet Apocal. 11. 8. vbi dicitur, *Et occidet eos* (duos testes Dei, Eliam scilicet & Enoch) *& corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est*, Christus scilicet: atqui Christus Hierosolymis crucifixus est: ergo hæc magna ciuitas, in qua occidentur ab Antichristo Elias & Enoch, erit Hierosolyma, non Roma, aut alia aliqua ciuitas. Antichristus enim persuadebit Iudæis se esse Messiam in lege promissum, vt patet Ioan. 5. 43. ideoque, ait Cyrillus catechesi 15. templum eis ædificabit, vt Dauidis filius, id est Messias, habeatur, & quasi alter Salomon, qui primus templum ædificauit.

Antichristus vt idolum sedebit in templis Christianorum & Hierosolymitano.

Elias & Enoch certabunt contra Antichristum.

In hoc ergo suo templo sedebit Antichristus non quasi Papa, vel Episcopus, vt volunt Nouantes, sed quasi Messias, & quasi Messias à Iudæis adorabitur, vt Deus. Hoc enim ait hîc Paulus, *Ostendens*, inquit, *se tamquam sit Deus.* &, vt clariùs habent Græca, ὅτι ἐγὼ θεός, id est, quòd sit Deus. *Non enim* (inquit Chrysost.) *ad idololatriam abducet ille: sed ἀνηθεΦ quispiam erit, quo suis deos pessundans, iubebitq; seipsum pro Deo coli ac venerari, & in templo Dei collocari, non Hierosolymitano tantùm, sed & in Ecclesiis, Ostendens, inquit, se ipsum esse Deum: non dixit, se ipsum esse Deum, sed ostentare tentans. Magnifica siquidem faciet opera, & signa patrabit admiranda.* Idem docet Ambrosius, Theophyl. Oecumen. Anselmus, & passim omnes alij Patres, quos citat Bellarm. lib. 3. de Pontifice cap. 13. & Franc. Suarez 3. p. q. 59. art. 6.

Antichristus quasi Messias, à Iudæis adorabitur.

Erit ἀνηθεΦ.

VERS. 5. NON RETINETIS] memoria. Græcè est, οὐ μνημονεύετε, id est, non meministis? ita Ambrosius, & alij.

VERS. 6. ET NVNC QVID DETINEAT, scilicet aduentum Antichristi, & diei iudicij, SCITIS] scilicet mysterium iniquitatis, vt sequitur, quod iam operatur, donec de medio fiat: putà quòd Nero, & similes adhuc dominentur, quodque necdum venerit discessio & defectio generalis à Romano Imperio; quia necdum impleta sunt Romanorum peccata. ita Chrysost. Ambrosius, Theophyl. Oecumen. & Augustinus suprà, Hieronymus qu. 11. ad Algasiam, Cyrillus catech. 15. Lactantius li. 7. c. 15. Qui omnes non tantùm inclinationem Romani Imperij, aut dominij sedisue commutationem, vt hæretici volunt: sed plenam eius desolationem, & contra illud omnium gentium rebellionem, dicunt certò præituram aduentum & regnum Antichristi: & hoc est quod v. sequ. ait Paulus, *Donec de medio fiat*, id est, omnino auferatur Romanum Imperium.

Desolatio Romani Imperij & pontificatus præibit aduentum Antichristi

Adde, ipsam ciuitatem Romanam tunc omnino desolandam esse & concremandam, vt patet Apocal. c. 17. 16. de quo plura v. sequ.

Ex hoc loco & ex Daniel. c. 7. v. 22. 25. & 26. & Danielis c. 12. v. 11. & 12. omnes orthodoxi docent Antichristum tantùm venturum in fine mundi.

VT REVELETVR] ille (vnde Græca addunt αὐτὸν) homo peccati, Antichristus scilicet.

NAM MYSTERIVM IAM OPERATVR INIQVITATIS] Primò, Caietanus *mysterium*, inquit, id est, occulta mensura iniquitatum Romanorum iam operatur, sensimque perficitur & impletur; qua impleta tolletur Romanum Imperium.

VERS. 7. *Quid per mysterium iniquitatis intelligatur.*

Secundò, alij nonnulli sic explicant: mysterium, id est occultum, secretum, & symbolum iniquitatis iam operatur, putà ipse Nero iam regnans; in quo latet magnum arcanum, scilicet quòd ipse erit Antichristus. Putant enim Neronem necdum esse mortuum, vel certè in fine mundi resuscitandum, vt ipse sit Antichristus. ita Victorinus in c. 17. Apocal. & multi veterum, teste Hieronymo in c. 11. Danielis. Vnde S. August. lib. 20. Ciuit. ca. 19. *Nonnulli*, inquit, *illum* (Neronem) *resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur. Alij verò nec eum occisum putant, sed subtractum potiùs cùm putaretur occisus, & viuum occultari in vigore eius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus; donec suo tempore reueletur & restituatur in regnum. Sed multum mihi mira est hæc opinantium præsumptio.*

Putant aliqui Neronem necdum mortuum fore Antichristum.

Iuuit hanc opinantium suspicionem, quòd etiam inter Gentiles fama sparsa fuit Neronem non esse occisum, sed à morte subductum. Ita Suetonius in Nerone c. 57. *Non defuerunt*, inquit, *qui per longum tempus, vernis assiduisq; floribus tumulum eius ornarent, ac modò imagines prætextas in rostris proferrent, modò edicta quasi viuentis, & breui magno inimicorum malo reuersuri. Quin etiam Vologeses Parthorum rex missis ad Senatum legatis de instauranda societate, hoc magnopere orauit, vt Neronis memoria coleretur. Denique cùm post viginti annos, adolescente me, extitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactaret, tam fauorabile nomen eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus sit.* Hæc Suetonius. sed eadē dilucidiùs Tacitus his verbis: *Sub idem tempus, Achaia atque Asia falsò exterrita, velut Nero aduentaret, vario super exitu eius rumore, eumq; pluribus vinere fingentibus, credentibusq;.*

Hinc partim ex hac Gentilium fama, partim ex hoc loco Pauli nonnulli opinati sunt Neronem rediturum, vt sit Antichristus, vel certè socius & collega Antichristi. Ita inter alios Seuerus Sulpicius li. 2. historiæ: *Vnde*, inquit, *creditur, etsi se gladio ipse* (Nero) *transfixerit, curato vulnere eius esse seruatus, secundùm illud quod de eo scriptum est* (dic quæso, vbi?) *Vt plaga eius curata est, subductus est; sub sæculi finem mittendus, vt mysterium iniquitatis exerceat.* Et quod mireris, hanc sententiam Seuerus imponit S. Martino: *Cùm*, inquit, *ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis, Neronem & Antichristum priùs esse venturos; Neronem in Occidentali plaga, regibus subactis decem, imperaturum; persecutionem hactenus exercendam, vt idola Gentium coli cogat. Ab Antichristo verò Orientale imperium esse capiendum: qui quidem sedem, & caput regni Hierosolymam esset habiturus: ab illo vrbem & templum esse reparandum. Illius eam persecutionem futuram esse, vt Christum Dominum*

Alij putarunt Neronem fore collegam Antichristi in Occidente.

num cogat negari, se potiùs Christum esse confirmans, A *omnesq; secundùm legem circumcidi iubeat; & ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum, atque sub illius potestate vniuersum orbem, cunctasq; gentes esse redigendas.*

Quod si verum est hæc S. Martinum dixisse, non quasi propheta hæc dixit, sed quasi recensens & enarrans ea, quæ nonnulli opinati essent partim ex rumore Gentilium, partim ex hoc loco S. Pauli; vt dixi. Cæterùm hi dialogi titulo Postumiani, & Galli (sic enim inscribuntur, eò quòd hi sint interlocutores) in Conc. Romano sub Gelasio, decreto de libris apocryphis relati sunt inter apocrypha. Verùm hæc opinio temeraria est, caretque fundamento: certum enim est ex Suetonio, Tacito & alijs, Neronem esse occisum & mortuũ; resurrecturũ verò eum nec Paulus, nec alius quispiam propheta prædixit. Adde, per *mysterium iniquitatis*, non intelligi Antichristum, sed præcursores Antichristi; patet ex v. seq. vbi subdit Paulus: *Et tunc* (scilicet post hoc mysterium adimpletum) *reuelabitur ille iniquus* (Antichristus scilicet) *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Denique cùm hæc scriberet Paulus, necdum regnabat Nero: hæc enim epistola, vt dixi initio, scripta est anno Christi 53. quo adhuc regnabat Claudius: Nero enim Claudio successit anno Christi 57. Potest tamẽ accipi hic locus de Nerone, non vt actu regnante, sed vt proximè regnaturo, vti iam dicam.

Dico ergo; *mysterium* hîc idem est, quod figura & typus Antichristi, eiusq; summæ iniquitatis: tota enim iniquitas, & omnium peccatorum colluuies videbitur esse collecta in Antichristo, & regno Antichristi.

Vnde Syrus vertit, *mysterium iniqui illius* (scilicet Antichristi) *iam sedulò agere incipit.* Sic Apocal. 17. 7. sacramentum, siue, vti græcè est, mysterium, mulieris vocatur arcana significatio & repræsentatio mulieris, seu id quod typicè significat illa mulier quam vidit S. Ioannes, quæ significabat Romam & Romanũ Imperium. Sic Apocal. 1. 20. sacramentũ septem stellarum vocatur ipsa significatio arcana septem stellarum. Sic Daniel. 2. 18. & 36. sacramentum somnij Nabuchodonosoris vocatur ipsa somnij significatio.

Per mysterium autem hoc, intelligit Paulus Simonem Magum, ciusq; assecl as præcursores Antichristi; vt idem hîc dicat Paulus, quod Ioannes epist. 1. cap. 2. v. 18. *Nunc Antichristi multi sunt.* Vel potiùs intelligit ipsum Neronem cum suis, & sua sceleratorum colluuie, aliosq; Imperatores Romanos, qui Neronem vel præcesserunt, vel secuti sunt; qui magno fastu & tyrannicè imperarunt, atque Christum Christianosq; persecuti sunt; qualis fuit Caius Caligula, Adrianus, Decius, Heliogabalus, Diocletianus, & alij per trecentos annos. De hisce enim subdit, *Tãtum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Fuit enim Nero æquè ac Antiochus Epiphanes insignis typus & figura Antichristi, quia fuit monarcha superbissimus, luxuriosissimus, potentissimus, sceleratissimus, fouit Simonem, aliosq; magos: fuit hostis Christi & Christianorũ, qui primam in eos persecutionem solennem excitauit, voluitq; coli vt Deus, & maximus fuit tyrannus, qualis erit Antichristus. q. d. Nero, & similes tyranni iam eodem spiritu aguntur & operantur, quo agetur Antichristus ipse, totius iniquitatis caput & princeps; ac proinde eius *mysterium*, id est figura & typus. & præcursores sunt. ita Chrysost. Ambros. Augustt. Hieron. suprà. Vult ergo dicere Paulus: Hoc mysterium est, quod detinet & remoratur aduentum Antichristi, quia scilicet necesse est vt Nero, & similes, quasi typi & figuræ præcurrant ipsum Antichristum, ipsumq; quasi parturiant, ait Anselmus.

Sicut enim Moses, Ioannes Baptista, & Prophetæ præcesserunt Christum, illiq; viam præpararunt; ita par est vt Nero & tyranni præcedant Antichristum, illiq; sensim viam parent suis sceleribus; vt veniens Antichristus omnem suam iniquitatem parturire & effundere possit. *Antichristus præcursores habet vti Christus.*

Hinc Secundò, cum Theodoreto & Augustt. suprà, atque Anselmo sic accipi potest hic locus: *mysterium iniquitatis*, id est, iniquitas arcana & mystica, id est, pietatis aut legitimi dominij & imperij titulo & nomine palliata, occultè iam in impijs hypocritis & hæreticis, ac præsertim in impijssimo Nerone operatur; quæ sensim proserpit & crescit, donec per Antichristum in publicam iniquitatem prosiliat. Hoc enim est Græcum ἐνεργεῖται, id est vim suam exserit. Sicut ergo carbo ignis inter ligna occultè vim suam exserit, & vicina adurit, sensimq; proserpit, donec in flammam & incendium manifestum erumpat: sic iniquitas à Dæmone accensa, occultè in impijs vim suam exserit, serpitq; donec in publicam omnium scelerum flammam sub Antichristo erumpat. *Mysterium iniquitatis est iniquitas legitimi dominij & imperij titulo palliata.*

TANTVM VT QVI TENET NVNC, TENEAT, DONEC DE MEDIO FIAT] Id est, vt Augustt. ait suprà: qui tenet fidem Christi, teneat eam donec iniquitas mystica, id est occulta, in magnum populum crescat: itaq; cum Antichristo de medio fiat, id est, exeat de medio Ecclesiæ, eiq; palàm bellum indicat. Verùm hic sensus diuellit verba, quę Paulus coniungit. τὸ enim, *de medio fiat*, coniungit Paulus cum eo quod præcedit proximè, *Qui tenet, teneat.* Vtrumq; ergo eôdem referendum est. S. Augustt. autem τὸ, *qui tenet, teneat*, refert ad pios fideles, & ad fidem Christi: τὸ verò *de medio fiat*, refert ad Antichristum & cœtum impiorum.

Notandum ergo, hæc verba pendere à v. præced. & explicare quid sit quod detineat aduentũ Antichristi, scilicet vt Nero & Romani Imperatores teneant Imperiũ, donec illud euertatur, & è medio tollatur. ita Chrysost. Theophyl. & passim Patres, vt dixi; imò Erasmus & Beza. Vnde Syrus hîc vertit, *solùm* (scilicet hoc est quod detinet aduentum Antichristi) *vt qui nunc detinet* (orbis imperium) *tollatur de medio, & tunc reuelabitur ille iniquus Antichristus.* Græca sic habent, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται, id est, tantùm qui detinet nunc, donec de medio fiat. Vbi necessariò vel deest, vel subauditur (vt fatetur Erasm. & Beza) κατέχετω, id est detineat, vt vertit Noster. *Romanum Imperium adueniente Antichristo concidet.*

Vnde Nota Secundò, cum Chrysost. & Theophyl. Loquitur Paulus hîc valdè tectè & obscurè de Nerone, & Romano Imperio, non ex metu; sed prudenter, ne sine causa eum cõtra se & Christianos concitet. Si enim clarè dixisset Neronem esse mysterium iniquitatis, & figuram Antichristi, ac Romanum Imperium fore dissoluendum; tam Nero, quàm Romani in eum quasi impostorem insurrexissent, ac viuum eum defodissent, aliosq; fideles cum eo, tamquam qui super tanti Imperij demolitione prophetarent & lætarentur, inquit Theophyl. *Quàm prudenter & tacitè agendum de vitijs principum.*

Quatuor præcipua orbis monarchia significata per bestias.

Nota Tertiò. Alludit Paulus ad Danielis (quasi omnium temporum chronologi certissimi, notissimi & celeberrimi) caput septimum: vbi Daniel præcipua mundi imperia & monarchias sibi succedentes ordine recenset. Prima fuit Assyriorum & Babyloniorum, quæ Danieli repræsentata fuit per leonem. Secunda Persarum, significata per vrsum. Tertia Græcorum, significata per pardum. Quarta & vltima Romanorũ, significata per bestiam decem cornuum. Post quæ, vt ait Daniel, vndecimũ paruulum cornu (id est Antichristus) cõsurget, & crescet, facietque bellum aduersus Sanctos & præualebit, donec veniat antiquus dierum; vt iudicium & regnum tradat sanctis suis.

Caput septimũ Danielis explicatum.

Et sermones (inquit Daniel) *contra Excelsum loquetur* (Antichristus) *& sanctos Altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis; & iudicium sedebit vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem; regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei & obedient.*

Omnia imperia debet tandem cedere Christi regno.

Daniel ergo docet primò regnasse Babylonios; hos deinde subactos esse à Persis, & Persas à Græcis, & Græcos à Romanis, Romanis successuruin Antichristi regnũ ad breue tempus, quod à Christi iudicis & Sanctorũ glorioso & æterno regno subuertetur. Eò itaque alludit hic Paulus. q. d. Omnes alij monarchæ & tyranni, putà Babylonij, Persæ, Græci iam transierunt: supersunt Nero, & Romani, qui tenent nunc imperium, donec illud auferatur, & tunc veniet Antichristus; & mox Christus iudex, qui Antichristum interficiet spiritu oris sui, suumq; cum Sanctis regnum æternum inducet & stabiliet. ita Chrysost. & Theophyl. & alij.

Locus Apocalypsis 17. illustratus.

Simili modo arcano & prophetico hæc eadem describit S. Ioannes Apoc. 17. 20. *Reges*, inquit, *septem sunt. Quinque ceciderunt; vnus est, & alius nondum venit, & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere.* Deinde subdit, decem reges se illi subdituros. *Hi*, inquit, *cum agno* (Christo) *pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorũ est, & Rex regum, & qui cum illo sunt vocati, & electi, & fideles.*

Septem reges septem tyranni, qui septem mundi ætatibus Ecclesiam persecuti.

Vbi, vt docet Ambros. Beda, Richard. Ribera & alij, per septem reges significat coniurationem tyrannorum, qui septem mundi ætatibus Ecclesiam persecuti sunt, persequuntur, & persequẽtur. Vnde ait quinque transisse, sextum adhuc esse, septimum regnaturum ad modicum tempus,

Primus rex fuit Cain cum gigantibus, alijsque tyrannis, qui prima mundi ætate, id est, ab Adam vsque ad diluuium, pios & Ecclesiam persecuti sunt.

Secundus rex fuit Nemrod, & Meropes illi architecti turris Babel, qui à Noë vsque ad Abraham (hæc enim est secunda mundi ætas) fideles vexarunt.

Tertius rex, qui tertia mundi ætate, quæ ab Abraham ad Mosem excurrit, pios oppressit, fuit Pharao, & similes in Ægypto & Sodomis.

Quartus fuit Ieroboam, alijque impij reges Israel & Iuda, qui quarta mundi ætate, à Mose scilicet vsque ad captiuitatem Babylonicam vitulos aureos & idola inuexerunt.

Quintus fuit Nabuchodonosor cum Antiocho Epiphane, alijsque ad Christum: hæc enim est quinta mundi ætas,

Sextus fuit Nero, alijque Imperatores Romani, qui sunt, fuerunt, vel erunt à Christo vsque ad Antichristum.

Septimus erit Antichristus, qui modicum, scilicet tres annos cum dimidio, regnabit, & à Christo iudice profligabitur.

Romanum Imperium vltimum, ad finem mundi duraturum.

Ex dictis deducitur Primò, certum esse Romanum Imperium esse vltimum, & duraturum vsque ad finem mundi; tunc verò in aliud imperium (Antichristi scilicet) sed breue, commutabitur. Patet hoc ex loco citato Daniel. 7. v. 21. 22. 25. 26. 27. & Apocal. 17. v. 18. & 20. & ex Paulo hic, estque communis Patrum, teste Hieron. in c. 7 Daniel. traditio, &, vt videtur, Apostolica.

Idem destruendum.

Secundò, ijdem certò docent Romanum Imperium destruendum, vel ab ipso Antichristo, vel paulò ante eum.

A christianismo redibit ad ethnicismum.

Tertiò, Roma sub finem mundi ad pristinam Imperij dignitatem, æquè ac scelera, & à christianismo ad ethnicismum redibit, Pontificemque suum expellet, & fideles ei adhærentes persequetur; vti fecit tempore Neronis, Decij, & aliorum Imperatorum Gentilium. Vnde in Apocal. 17. 18. & sequ. Roma sub finem mundi futura vocatur *Babylon meretrix magna, sedens super septem montes, ebria sanguine Sanctorum, & Martyrum Iesu, quæ vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes*, id est, supplicia suæ idololatriæ (hæc enim à Prophetis vocatur fornicatio) aliorumque scelerum consequentium, deriuauit in omnes gentes hoc ipso, quo eas ad suam idololatriam, aliaque scelera imitanda compulit.

Decem reges Romam euertent, Romanum Imperium diuident.

Quartò, consentiunt Patres & interpretes, docentque ex Apocal. 17. v. 12. & 16. collato cum Danielis c. 7. v. 8. & 24. ante Antichristum stante Roma, & Romano Imperio, decem fore reges totius orbis dominos, qui Romam capient, euertent, comburent, Apocal. 17. 16. & toto cap. 18. Hique Romanum Imperium diuident, inquit S. Hieron. & alij. Porro Antichristus ex hisce decem regibus succesiuè tres inuadet & profligabit, vt ait Daniel; scilicet regem Æthiopiæ, regem Libyæ, & regem Ægypti, vt tradit Hieron. Theodoret. Cyrillus & Irenæus. Qua clade cæteri septem reges territi, ipsi se subdent, vnusque omnium rex & monarcha erit Antichristus. An autem hi decem reges euersuri sint Romam ante Antichristum, an verò sub Antichristo, dubium est, quod pertractaui Apoc. 17. 16.

Decem reges ab Antichristo domabuntur.

Obijcit Secundò Beza, Romanum Imperium iam desijt; ergo venit Antichristus. Probatur antecedens, quia Romæ iam non imperat Romanus Imperator, sed Pontifex Romam occupauit: ipse ergo videtur Romanum Imperium destruxisse, ac consequenter esse Antichristus.

Non desijt Romanum Imperium, etsi Pontifex Romæ imperet.

Resp. aliud esse Romam, aliud Romanum Imperium: Romanum enim Imperium & Romanus Imperator sine Romã consistere possint. Quamdiu enim vnus Rom. Imperator alteri in eadem potestate & dignitate succedit, vti hactenus factum vidimus, siue Romæ imperet, siue non; siue plures obtineat prouincias, siue pauciores, est & dicitur Rom. Imperator, & obtinere Romanum Imperium. Id patet Primò, quia Roma capta ab Hunnis & Gothis, putà ab Attila, & postea à Genserico, non desijt Romanum Imperium, nec Romanus Imperator; vti nec desijt Romanus Pontifex esse S. Leo. Mansit enim tunc Honorius Rom.

Im-

Imperator, licet Rauennæ degeret. Rursum Valens, Arcadius, Theodosius, & cæteri vsque ad Iustinianum fuerunt Romani Imperatores, & tamen Roma caruerunt.

Secundò, id patet è communi omnium sensu: omnes enim Rudolphum Imper. modernum vocant Romanum Imp. Ipsi quoque Lutherani suos Electores vocant Electores Imperatoris, vel Regis Romanorum: Romæ denique coronam accipit & inauguratur Imperator.

Tertiò, Romanum Imperium destruetur & diuidetur sub finem mundi à decem regibus, qui erunt hostes Imperij & Imperatoris Romani; & postea veniet Antichristus, vt iam ostendi: atqui Pontifex non est hostis, sed amicus & conseruator Romani Imperij, & Imperatoris Romamque & alia loca occupat, non inuasione, sed donatione & consensu Imperatorum & Principum: idque tot sæculis ante finem mundi. Rursum Pontifex non est rex, multò minùs idem cum decem regibus. Denique Pontifex Romanum Imperiū non destruxit, nec diuisit in decem reges: ergo destructio Romani Imperij, quæ præire debet aduentum Antichristi, de qua loquitur Apocal. Daniel, & Paulus, non est facta per Pontificem; ac multò minùs Pontifex est Antichristus.

Deniq; Aduerte hîc. Hoc signum discessionis & euersionis Romani Imperij sensim impletur, cùm sensim inclinatur & deficit Romanum Imperium, simul; Euangeliū apud Iapones, Indos, Sinas, totoque orbe sensim propagatur; quod secundum est signum aduentus Antichristi & iudicij, datum à Christo discipulis hac de re interrogãtibus Matth. c. 24. 3. *Prædicabitur*, inquit v. 14. *hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.*

ET TVNC REVELABITVR ILLE INIQVVS, (Antichristus, qui antonomasticè dicitur ὁ ἄνομος, id est, ille iniquus & impius) QVEM DOMINVS IESVS INTERFICIET SPIRITV ORIS SVI, ET DESTRVET ILLVSTRATIONE ADVENTVS SVI] Nota. *Spiritus oris*, non significat prædicationem verbi Dei, quia hæc non interficiet Antichristū, imò in fine mundi Antichristus illam tollet, cùm Eliam & Enoch occidet: vnde explicans subdit Apostolus, *Et destruet illustratione aduentus sui.* Tunc ergo Christus spiritu oris sui interficiet Antichristum, cùm destruet illum illustratione aduentus sui ad iudiciū; Christus autem tum non veniet ad prædicandum, sed ad iudicandum: ergo spiritus oris Christi non est prædicatio, sed potiùs sententia & iudicium condemnationis.

Dico ergo, Christus interficiet Antichristum spiritu oris sui, id est, iussu suo, verbo suo, sua sententia, quasi afflatu mortifero afflabit & interimet eum. Alludit Paulus, vel potiùs citat Isaiæ 11. 4. *Percutiet* (Christus) *terram* (peccatores terræ) *virga oris sui, & spiritu labiorum interficiet impium.* Vbi pro *virga*, hebraicè est שֵׁבֶט *scebet*, id est sceptrum. *Sceptrum oris* vocat prædominans, potentissimum & efficacissimū imperium, iussum ac sententiam, qua Christus interficiet Antichristum, & omnes impios. *Perinde enim* (sicut inquit ex Chrysost. Theophyl.) *vt ignis etiam ante aduentum suum, cùm adhuc procul fuerit, bestiolas tamen exiguas torpere ac stupere facit, absumitq; hunc ad modum Christus, vel solo imperio, siue afflatu Spiritus sancti plenè delebit & obscurabit ipsum Antichristum, soloq; aduentu suo abolebit,*

A *hoc est, omnino vacuum & inefficacem reddet: vbi enim visus tantum fuerit, sistet deceptionem.*

Nota Secundò. Pro *destruet*, græcè est καταργήσει, id est inefficacem, imbellem, eneruem, euanidum reddet, omnem vigorem & vires illi adimet, vt spiritu & vita deficiente & euanescente moriatur & intereat.

Nota Tertiò. Pro *illustratione*, græcè est ἐπιφανείᾳ, id est, vt Syrus, reuelatione, vel apparitione; vel, vt August. lib. 20. de Ciuit c. 19. illuminatione præsentiæ suæ; vel, vt Vatabl. claritate aduentus sui. Significat ergo per lucem, claritatem & splendorem, qui quasi prænuncius præibit Christum venientem ad iudicium, signumque erit Christi aduentantis, Antichristum destruendum esse & dissipandum, perinde vt sole aduentante dissipantur & euanescunt nubes & tenebræ; ita vt solo B timore, inquit Anselmus, Christi aduentantis, moriatur pestifer ille.

Splendor Christi iudicaturi.

Aduerte hîc. Ante diem iudicij occidetur Antichristus. Nam post eius mortem minimum dabuntur hominibus quadraginta quinque dies pœnitentiæ, vt patet Daniel. 12. 12. tantùm ergo hîc significat Paulus, cùm præuia signa præibunt iudicium & Christum iudicem, quodam inusitato fulgore de cælo quasi fulmine, à Christo sideran-dum & afflandum esse Antichristum.

Ante diem iudicij occidetur Antichristus, & dabuntur hominibus 45. dies pœnitentiæ.

Dices. Apocal. 19. vers. 20. dicitur bestia, id est Antichristus, cum suo præcursore & pseudopropheta, viuus mittendus in infernum; quomodo ergo hîc dicitur interficiendus?

Respondeo. Pro *interficiet*, græcè est ἀναλώσει, id est absumet, consumet, perdet; ita vt in terra inter homines viuentes esse desinat, & præcipitetur in mortem æternam inferni. Christus ergo vel per se, vt docet Lactantius li. 7. c. 19. vel potiùs, vt alij, per Michaëlem Archangelum administrum, suæ sententiæ executorem, & præcursorem suum ad iudicium deturbabit Antichristum, eumque dehiscens terra absorbebit, viuumq; raptent dæmones in tartara, siue viuus eò perueniat, siue non, sed in itinere occidatur: vtrumque enim probabile est; vti de Core, Dathan & Abiron, (de quibus dicitur Numer. 16. 33 *Descenderunt viui in infernum operti humo.*) nonnulli censent eos viuos permansisse & peruenisse in infernum; alij censent eos viuos cœpisse descendere, sed in ipso descensu esse mortuos, antequam ad infernum pertingerēt, vt τὸ *descenderunt viui*, actum inchoatum descensus, non consummatum significet. Vtrique probabiliter; sed posteriores probabiliùs. Planè enim in omnes homines generalis lata est sententia mortis. *Statutum est*, inquit Apostolus Hebr. 9. 27. *hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Idque significat hîc Paulus, cùm ait, Interficiet eum, vel, vt græcè est, ἀναλώσει, id est, absumet eum. in ipso ergo descensu ad inferos occidetur Antichristus: dicitur tamen viuus mittendus in infernum, quia viuus eò demitti & descendere incipiet; sed in via, antequam pertingat ad infernum, suffocabitur & occidetur, vt iam de Core dixi. Addunt S. Hieron. & Theodoret. in c. 11 Danielis, & D. Thomas hîc id fore in monte Oliueti; eò enim Christus veniet ad iudicium, iudicabitque in valle Iosaphat, vt dicitur Ioëlis 3. 2. quæ est vicina monti Oliueti; vt, sicuti ex monte Oliueti Christus in cælum ascendit, ita ex eodem Antichristus deturbetur & descendat in tartara.

Core, Dathan & Abiron, quomodo viui descēderint in infernū.

Antichristus quomodo viuus mittendus in infernū.

CVIVS

VERS. 9. CVIVS EST ADVENTVS SECVNDVM OPERATIONEM SATANÆ IN OMNI VIRTVTE (δυνάμει, id est potentia) ET SIGNIS ET PRODIGIIS MENDACIBVS] quasi dicat, In cuius aduentu, vel per quem aduenientem, Satanas operabitur & exeret omnem suam potentiam, omnia sua signa & prodigia mendacia.

Ortus, educatio & vita Antichristi satanica.

Nota. Græcum παρουσία & aduentum & præsentiam significat; potestque tam de præsentia & aduentu in mundum, quàm in regnum accipi, vt scilicet significet tam ortum, natiuitatem & educationem Antichristi, quàm eius vitam & regimen fore secundùm operationem Satanæ: magis tamen hoc secundum significat hîc Apostolus, scilicet quòd Antichristus habebit assistentiam Satanæ, & Satanam in se & per se operantem, inquit Theophyl. vnde subdit, *In signis & prodigiis*, scilicet quæ faciet Antichristus vt homines seducat. B

Aliqui putant Antichristum fore diabolum incarnatum, vel in carne apparente.

Hinc Nota Secundò. Aliqui putarunt Antichristum fore diabolum incarnatum, vt opponatur Christo Deo incarnato; vt, sicut Verbum per humanitatē assumptā operatum est, & vim suam exeruit: ita Satanas per carnem assumptam operetur, & vim suam exerat. ita videtur loqui Theodoret. Verùm quia fieri non potest, vt diabolus aut alia creatura carnem aliamue creaturam hypostaticè assumat, sicut Deus assumpsit carnem humanam, vt docent Theologi; hinc Secundò, Hippolytus Martyr lib. de Consummat. sæculi, censet Antichristum fore dæmonem, non incarnatum, sed in carne apparentem, & de falsa virgine falsam & phantasticam carnem assumentem.

Alij putant Antichristum ex virgine opera dæmonis concipiendum.

Tertiò, alij apud Rabanum tractatu de Antichristo, putant Antichristum non fore dæmonem, sed hominem, qui tamen ex virgine opera dæmonis concipietur, vti Christus conceptus est ex Virgine de Spiritu sancto. Verùm non potest dæmon virginem fœcundare, nisi vt succubus aliunde semen humanum exceperit, quod deinde virginis vtero infundat, ac proinde non manebit virgo, quæ ab eo imprægnata fuerit: sed more cæterarum puerperarum claustris virginitatis resignatis concipiet & pariet. C

Quartò, probabiliùs Franc. Suarez & multi alij volunt verbis hisce Paulum significare, quòd Antichristus omnem operationem diaboli in se susciet à puero; quodque diabolus Primò, in vtero matris Antichristi humores sic attemperabit,

Antichristus aptissimum ad omnia mala diaboli instrumentū.

vt Antichristi temperamentum & complexio fiat propensissima ad omnia vitia. Et hoc videtur velle S. Hieron. cùm in ca. 16. Isaiæ dæmonem vocat patrem Antichristi. D

Secundò, ab infantia Antichristum replebit dæmon malitia sua, non quasi Antichristus à dæmone possidendus sit corporaliter, tamquam arreptitius: sic enim non esset liber, nec peccaret; sed quia semper, & in omnibus eum à puero reget & gubernabit dæmon, inquit Damascen. li. 4. de Fide cap. 27.

Tertiò, in virili ætate dæmon per Antichristum operabitur non tantùm omne scelus & nequitiam, sed etiam omnia signa & portenta mendacia, omnem blandiloquentiam, sapientiam, minas, terrores, & tormenta, omnemque vim suam exseret, ad decipiendos & alliciendos à Christo ad se homines omnes. & hoc maximè vult Paulus, cùm ait, *Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ.*

IN SIGNIS ET PRODIGIIS MENDACIBVS] Nota. Nec Antichristus, nec dæmon, nec angeli possunt facere verum miraculum: sed solus Deus. Miraculum enim est quod fit super omnem naturæ vim, quodque omnium naturalium causarum & creaturarum vires excedit & transcendit: Antichristus ergo faciet miracula non vera, sed falsa & mendacia. *Nemo præter Deum potest patrare miracula.*

Nota Secundò. Miracula Antichristi dicuntur mendacia quadrupliciter, scilicet, ratione & respectu omnium causarum. Primò, respectu causæ finalis; quia eo fine faciet ea Antichristus, vt homines in mendacium & errorem inducat; nimirum vt per hæc miracula probet se esse Messiam & Deum, sicuti fecit Christus. ita Ambr. & Chrysost. *Miracula Antichristi ob quatuor causas sunt mendacia.*

Secundò, ratione causæ efficientis, quia eorum architectus erit pater mendacij. putà diabolus.

Tertiò, ratione causæ materialis, vt Theodor. docet: multa enim ex his miraculis erunt præstigiæ, quibus fascinabit oculos, vt videatur facere id quod reuera non faciet. Erit enim Antichristus, inquit Cyrillus catech. 15. magia instructissimus.

Quartò, respectu causæ formalis, quia quæ ex hisce non erunt præstigiæ, naturaliter fient per applicationem occultam causarum naturalium. Vnde mira quidem erunt, non tamen miracula, quæ omnes naturæ vires superent.

Nota Tertiò. Apoc. 13. tria miracula Antichristi describuntur. Primùm v. 3. & 11. quòd vnum è regibus sibi subiectis, vel potiùs seipsum plaga mortifera (in bello, vel aliunde accepta) saucium sanabit. Vbi Aduerte, plagam hanc reuera non fore mortiferam, sed vel talis hominibus videbitur tantùm, non autem erit reipsa: vel si reuera erit incurabilis, id tantùm erit respectu artis & opis humanæ; dæmoni enim totum corpus nostrum pernoscenti & peruadenti, naturaliter curabilis erit, ac proinde nec vim creati agentis transcendet curatio, nec miraculum erit. *Tria miracula Antichristi. Primum, mortiferum sanatum.*

Secundò, ibidem v. 13. quòd faciet ignem de cælo descendere: sed & hoc naturaliter facere potest dæmon, vti scimus eum ciere fulmina, tonitrua & tempestates, concitando vapores & nubes. *Secundum, ignis è cælo descendens.*

Tertiò, ibidem v. 15. quòd propheta & præcursor Antichristi faciet statuam eius loqui: sed sic dæmon per idola locutus est, & per pythones etiamnum loquitur naturaliter. *Tertium, loquens statua Antichristi.*

Addit Sibylla lib. 3. Oraculorum alia miracula, scilicet, quòd Antichristus sistet mare, montes, solem, lunam; & mortuos ad vitam suscitabit. Verùm, inquit, non erunt vera signa, sed decipient: pleraque enim eius mira præstigiæ erunt, quibus illudet oculis hominum, vti iam per suos circulatores & præstigiatores hominum oculis illudit dæmon. *Quartum, mortuorum suscitatio, &c.*

Similia de Antichristo tradit Methodius Episcopus & Martyr in suis reuelationibus, quæ referuntur tom. 2. Biblioth. SS. Patrum. *Faciet*, inquit, *multa signa & prodigia sophistica, cæci respicient, claudi ambulabunt, surdi audient, dæmoniaci curabuntur, conuertet solem in tenebras, & lunam in sanguinē apparenter.* Volet enim ipse haberi Christus, ac proinde faciet ea quæ de Christo prædixerunt Prophetæ, quæque Christum fecisse narrant Euangelistę. Et Hippolytus Martyr orat. de consum. mundi: *Leprosos*, inquit, *mundabit, paralyticos excitabit, expellet dæmones, longinqua non aliter quàm præsentia denun-*

denunciabit, mortuos suscitabit, transferet montes ante oculos spectantium, siccis pedibus ambulabit super mare, deducet ignem è cælo, conuertet diem in tenebras, & noctem in diem, solem circumaget quò libuerit. Et, vt semel dicam, omnia terræ maris q; elementa, vi oblatæ apparitionis coram spectantibus obtemperare sibi demonstrabit. Et S. Ephrem tractatu de Consummat. mundi & Antichristo: *Transferet*, inquit, *montes & insulas fallaciter, & currere quidem videbitur mons coram cunctis spectantibus, licet omnino à suis fundamentis non sit motus; super abyssum incedet, & in ea, vt super terra ambulare se simulabit: magna tribulatio erit in diebus illis, quando seipsum vt Deum ostentabit formidabilibus portentis, per aëra volitans, cunctiq; dæmones in forma angelorum cum timore coram tyranno in aëre sublimes volitare conspicientur.*

5.10. ET IN OMNI SEDVCTIONE INIQVITATIS IIS QVI PEREVNT] vt omni arte & modo seducat homines ad iniquitatem, vt pereant & damnentur.

Nota. Hisce artificijs vtetur Antichristus ad illiciendum homines. Primò, magna comitate & gratia se insinuandi, captandi q; hominum gratiam. Secundò, sanctimonia simulata. Tertiò, sapientia sua & eloquentia incredibili; callebit enim omnes artes & Scripturas, ait Anselmus. Quartò, promittēdo & largiendo suis ingētes opes. Quintò, reluctantibus inferendo terrores & tormenta exquisita. Sextò, faciendo signa & prodigia rudibus admiranda. Denique à dæmone suo omnem fallendi artem discet.

Nota. τοῖς, vel, vt græcè est, in ijs, *qui pereunt*, significat has artes efficaces fore in hominibus leuibus, impijs, ideo q; reprobis, qui morte æterna peribunt, adeo q; illos per illas artes seductum iri, & consequenter perituros & damnandos. Notat maximè Iudæos, vt mox dicam. Alij enim cordati & constantes has artes & impostura facilè peruidebunt, nec ijs sinent se seduci, sed vsque ad mortem Antichristo resistent, ideo q; martyrij lauream obtinebunt.

EO QVOD CHARITATEM VERITATIS NON RECEPERVNT, VT SALVI FIERENT] *Charitas veritatis*, Primò, iuxta Anselmū, est charitas vera, siue charitas & spiritus Christi verax, vere q; amabilis. Secundò, vt Chrysost. Theophyl. Oecum. *charitas veritatis* est Christus, qui vtrumque est, scilicet tam charitas, quàm veritas, & propter vtramque venit in mundum; scilicet, vt verissima charitate se nobis traderet, vt q; suam charitatem & veritatem nos amplecti & æmulari doceret. Vnde S. Cyprianus epist. 55. ad Cornelium legit, *eò quòd dilectum veritatis non habuerunt*. Tertiò, *Charitas veritatis* est amor, vel, vt Ambrosius, *dilectio veritatis*. q.d. Quia non habuerunt amorem veritatis, quia noluerunt amare veritatem; ideo mittet illis Deus operationem erroris per Antichristum. ita Vatablus. Hic sensus facilior est & planior, magis q; connexus versui sequenti: opponit enim amorem veritatis errori, siue amori & amplexui erroris.

Tacito nomine notat Iudæos. Hinc enim docent Patres, Antichristum venturum maximè hac de causa, vt Iudæos decipiat, id q; in pœnam incredulitatis suæ, qua noluerunt recipere Christum, qui tot vera miracula, tam veram fidem & doctrinam, tam puros mores & vitam Iudæis exhibuit. Idem significat Christus Iohannis cap. 5. v. 43 *Ego veni*, inquit, *in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius* (Antichristus) *venerit in nomine suo, accipietis illum.* Vnde sequitur:

IDEO (quia scilicet noluerunt recipere veritatem & amorem veritatis) MITTET ILLIS DEVS OPERATIONEM ERRORIS, VT CREDANT MENDACIO] Pro *operationem erroris*, græcè est ἐνέργειαν πλάνης, id est, vt Syrus, efficaciam seductionis vel impostura, scilicet illa miracula, aliaq; artificia fallendi, quibus, vt dixi, Iudæos à Christo auersos potenter & efficaciter ad se pelliciet Antichristus.

Nota. Dicitur Deus mittere hæc opera & impostura Antichristi, quia ex proposito ea Iudæis aliisq; hominibus immitti permittet, inquit S. Augustl. lib. 20. de Ciuit. Dei c. 19. laxando scilicet habenas tum diabolo, tum ipsi Antichristo: non enim opus est, vt positiuè eos mittat Deus ad decipiendum homines, cùm ipsi per se ad hoc promptissimi sint futuri, nec aliud sint desideraturi, quàm vt Deus hanc deceptionem perficere eis permittat. Simili modo dicitur 1. Reg. 21. Deus commouisse, (id est, à diabolo & suis adulatoribus commoueri permisisse) Dauidem ad numerandum populum, quod fuit peccatum superbiæ in Dauide. Eodem modo & sensu dicitur Deus miscere spiritū vertiginis, dare spiritum mendacij, compunctionis, soporis, &c. vt dixi can. 17. & 23. *Deus quomodo se habeat in permissione impostura-rum & præstigiarum Antichristi.*

Hinc patet Deum, cùm mittit spiritum erroris, cùm excæcat, cùm indurat, adeo q; cùm peccata præcedentia punit peccatis sequentibus, non tantum se habere negatiuè; sic enim non irrogaret pœnā: nec enim iudex censetur punire reum, si negatiuè permittat eum furari & malè agere; sed habere etiam se positiuè ac positiuo actu, & speciali prouidentia & decreto decernere permittere peccatum posterius hoc fine, vt puniat prius, vt dixi can. 16.

Moraliter S. Augustl. li. 5. contra Iulianum c. 3. docet homines ob præcedentia peccata, præcipuè ob veritatis oblatæ repudium, hac pœna grauissima à Deo puniri, (eo modo & sensu quo iam explicui) vt credant mendacijs & erroribus in suam perniciem. *An non est peccatum*, inquit, *& pœna peccati, vbi legitur: Dominus misicuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Aegyptum in omnibus viis suis, sicut seducitur ebrius? Non est peccatum & pœna peccati, vbi Deo dicit Propheta: Quid errare fecisti nos, Domine, à via tua, obtudisti corda nostra, vt non timeremus te? Non est peccatum & pœna peccati, vbi rursus Deo dicitur: Ecce tu iratus es, & nos peccauimus, propterea erramus, & facti sumus immundi omnes? Non est peccatum & pœna peccati, vbi legitur de gentibus, quas debellauit Iosue, Quia per Dominū factum est confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum contra Israel, & exterminarētur? Non est peccatū & pœna peccati, quòd non audiuit Roboam rex plebem bene monentē, quoniam sicut Scriptura loquitur: Erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum, quod de illo locutus est in manu Prophetæ? Non est peccatum & pœna peccati in eo quòd scriptum est, Amasiam regem Iuda noluisse audire Ioas regem Israel bene monentem ne procederet ad bellandū?* Et inferiùs citans hunc Pauli locum sic ait: *Vnde est illud, quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus: Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Vt seduceretur Achab, & in prælio periret, vidit Micheas Dominum sedentem in throno, & exercitus cæli coram eo, & dixit Dominus: Quis seducet Achab, & ascendet, & cadet in Ramoth Galaad? Et dixit spiritus quidam: Ego seducam eum. Et dixit Domi-* *Veritatem oblatam repudiantes pœna infidelitatis & errorum puniuntur.*

nus ad eum, In quo? Et dixit, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit: Seduces & prævalebis; exi, & fac sic.

Causa finalis permittendi impostoras & fraudes Antichristi.

Vox *vt* referri potest ad *mittet*; & tunc non causam finalem, sed tantùm consequentiam significat. q.d. Permittet Deus Antichristũ operari & seducere homines, vnde cõsequetur vt illi qui Christum sequi noluerunt, credant mendaci Antichristo. Nec enim Deus hoc fine mittet Antichristũ, vt intendat per eum seducere homines, & impellere in mendacium: sed potiùs hoc fine, vt cognoscant homines per opera Antichristi, quanta sit efficacia dæmonis, quantaque sit infirmitas hominis; vt contra eum se muniant, humiliterque Dei gratiam inuocent: vt ita è contrario pateat quanta sit efficacia gratiæ Christi in ijs qui Antichristo resistent, quæ omnem naturæ infirmitatem, & dæmonis efficaciam generosè & constanter superabit. Ex hac tamen missione, vel potiùs permissione Antichristi, id consequetur, vt multi in malum & errores propensi ab eo seducantur, credantq; eius mendacijs & fallacijs.

Secundò & melius, vox *vt* referri potest ad id, quod proximè præcedit, scilicet ad *operationem erroris*, & tunc propriè sumitur, significatque causam finalem. q.d. Hæc operatio erroris, & seductio Antichristi ab eo fiet hoc fine, vt homines credant eius mendacio; siue hæc opera Antichristi impellent homines, facientque eos credere mendacio.

VERS. 11. VT IVDICENTVR OMNES, QVI NON CREDIDERVNT VERITATI, SED CONSENSERVNT INIQVITATI] q.d. Vt iusto Dei iudicio arguantur & condemnentur Iudæi & similes, qui Christo & veritati Euangelicæ per Christũ allatæ credere noluerunt: sed mendacem Antichristum receperunt, eiusque hæresim & sceleratos mores secuti & æmulati sunt.

Nota, *vt* significat hîc causam finalem missionis Antichristi: refertur enim ad id, quod dixit v. præc. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris.*

Duplex causa, ob quam Deus permittet potestatem tantam Antichristo.

Pro quo Nota Secundò. Duplex est causa, cur Deus permittet tanta & tam potenter operari Antichristum. Prior & primaria ea est, quam iam dixi, vt pateat in Sanctis, qui illi resistent, gratiæ Christi efficacia. Altera & secundaria, & quasi cõsequens causa est, quam solam hîc adfert Apostolus, scilicet vt hac ratione Deus puniat incredulitatem Iudæorum, qui Christum sequi noluerunt: puniat, inquam. Primò, permissione tantæ tentationis Antichristi, ac lapsus ac consensus Iudæorum, vt credant mendacio.

Secundò, vt posito iam eorum lapsu, quodque iam crediderunt mendacio, puniat eos in die iudicij, coarguendo eorum malignitatem, quòd Christi vera miracula, veram doctrinam, veram & sanctam vitam amplecti noluerint, sed vice versa Antichristi falsa miracula, doctrinam, & vitam impiam amplexi sint: ac consequenter puniat eos, æternæ damnationi illos adiudicando.

Nota Tertiò. Tam hîc quàm v. 10. veritatem Christi opponit Apostolus non mendacio, sed iniquitati Antichristi; quia ex veritate iustitiam & sanctitatem Christi, quasi ex fonte riuulos promanantes subintelligit. Rursum sub iniquitate mendacia & errores Antichristi, quasi sub toto partem cõplectitur: erit enim Antichristus omnis iniquitatis architectus: ideoque omnes iniqui, impij, scelerati eum recipient, illi consentient, illo rege gaudebunt.

Controuersia tota de Antichristo breuiter perstricta.

Hic locus est partim controuersus, partim didacticus de Antichristo: de quo multi fusè & præclarè scripserunt, quæ quia non vacat multis perlegere, ego ea hîc paucis complectar, & quæcumque ex S. Scriptura vel Patribus de Antichristo certa sunt, aut valdè probabilia, in mediũ afferam.

Quæstio I. An Antichristus venerit, an venturus sit.

Quæritur ergo Primò, An Antichristus venerit, an verò sit adhuc venturus? Hæretici docent eum venisse. Papam enim Romanum, qui antea erat Pastor & Episcopus Romanus, factum esse Antichristum, cùm cœpit contra legem Christi inducere Missas, imagines, Purgatorium, Indulgentias, cultum Sanctorum; cumque cœpit dominari alijs Episcopis, sibique arrogauit ius & titulum Pastoris ac Principis totius Ecclesiæ. Id factum aiunt sub annum Domini 600. Vnde Dauid Chytræus Gregorium Magnum (quem omnes tam Græci quàm Latini vt Sanctum coluerunt) vocat primum Antichristum. Illyricus verò, Lutherus, & plures Nouantium, Gregorium vocant vltimum Roman. Pontificem. Gregorio enim successit Sabinianus: sed hic statim eodem anno defunctus est. Sabiniano successit Bonifacius III. qui anno Domini 606. à Phoca Imper. Oecumenici nomen accepit, vt scilicet vocaretur, Vniuersalis totius orbis Episcopus & Pontifex. Hunc ergo volunt esse primum Antichristum.

Hæretici volunt Antichristum incepisse à Christo. annum Domini sexcentesimum.

Pontifex vniuersalis Ecclesiæ titulus Pũtificis Romani antiquissimus.

Verùm falluntur & fallunt. Nam, vt alia taceam, Concilium Oecumenicum Chalcedone habitum, actione prima, secunda & tertia, passim S. Leonem, qui longè ante S. Gregorium fuit Romanus Pontifex, vocat Pontificem vniuersalis Ecclesiæ. Quid est hoc aliud, quàm esse Oecumenicum? ideoque Pontifices Romani semper vel per se, vel per legatos suos Concilijs Oecumenicis præfuerunt, tamquam capita & principes totius Ecclesiæ, quam repræsentat Concilium Oecumenicum.

Antichristus necdum venit, sed venturus est.

Rursum si à Bonifacio III. Pontifices Romani omnes fuerunt Antichristi; ergo iam per mille annos Ecclesiam suam deseruit Christus; ergo per mille annos Ecclesia Christi periit, quæ tamen in Scriptura prædicatur esse regnum Christi æternum; ergo per mille annos omnes Catholici & Christianissimi Reges, Principes, Dynastæ, Episcopi, Doctores, totusque orbis Christianus adorauit Antichristum; ergo per mille annos tota Ecclesia, (quæ tamen ab Apostolo dicitur esse columna & firmamentum veritatis) in grauissimis fuit erroribus, imò in idololatria, fuitque synagoga Satanæ; ergo in Ecclesia non Christi, sed Antichristi & diaboli natus, baptizatus, educatus est Lutherus, Caluinus, alijque Nouantes; si verum est, quod ipsi aiunt, sub annum sexcentesimum cœpisse Missas, imagines, inuocationem Sanctorum, orationes pro defunctis. Sed absit. Hæc enim fuisse in Ecclesia ante annum sexcentesimum, imò à temporibus Apostolorum, docent S. Ignatius, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieron. Chrysost. & alij omnes, quos in singulis materijs per singulas annorũ à Christo nato centurias proferunt & citant Catholici omnes, qui de controuersijs scripserunt.

Missæ, imaginum, inuocatio Sanctorum ab initio Ecclesiæ fuere.

Respondeo ergo & dico, Antichristum necdum venisse, sed esse venturum, ac consequenter nec Papam Romanum, nec quem alium qui viuat aut vixerit, esse Antichristum. Id breuiter nouem rationibus demonstro.

Primò,

Primò, quia vnus erit singularis homo, qui dicetur Antichristus, vt ostendi ex v.3. atqui Papa non est nomen hominis singularis, sed nomen officij communis, in quo vnus alteri succedit: nomen enim Papæ tam commune est multis, quàm nomen regis, Imperatoris, Episcopi: ergo Papa non est Antichristus.

Secundò, Antichristus non veniet, nisi postquam omnino euersum fuerit Romanum Imperium à decem regibus, vt patet hîc v.3 & Daniel. 7.v.24. iuncto cum Apocal.17.v.12.& 16. atqui necdum omnino euersum est Romanum Imperium, nec hactenus visi sunt decem reges illud euertentes: ergo necdum venit Antichristus.

Tertiò, Antichristus erit ex diametro contrarius Iesu Christo, eiusque nomen, fidem & cultum tollet, voletque ipsemet haberi Christus & Messias, vt patet hîc v.14 & 1.Ioan.2.22. Ioan.5.43. atqui nec Papa, nec quis alius similis hactenus Christi fidem & cultum sustulit, voluitque haberi Christus: ergo nec Papa, nec aliquis illi similis hactenus fuit, qui esse possit Antichristus.

Quartò, Antichristus abrogabit in Ecclesia iuge sacrificium (quod non potest esse aliud quàm Missæ) omnemque Dei cultum & cæremonias, imò omnem religionem, vt patet Danielis 12.11. & hîc v.4. atqui hactenus perdurat Missæ sacrificium, Dei cultus, & cæremoniæ in Ecclesia Romana: ergo hactenus in Ecclesia Romana non est visus Antichristus.

Quintò, Antichristus Deo vero omnique numini aduersabitur, voletque ipse solus haberi & coli in templo vt Deus & numen: atqui nec Papa, nec quis alius hactenus omne numen sustulit, voluitque ipse in templo coli vt numen: ergo nec Papa, nec quis alius hactenus fuit Antichristus.

Sextò, Antichristus, vt docet Daniel ibidem, tantùm regnabit dies mille ducentos nonaginta: atqui Papa per plures dies, imò annos regnauit: ergo Papa non est Antichristus. Respondent Nouantes, Danielem diem pro anno accipere: sed contra hoc facit, quòd S.Iohan. Apocal. 11.v.2.& 3. dies redigat ad menses, numeretque; menses persecutionis Antichristi quadraginta duos, quibus calcabit Ecclesiam & ciuitatem sanctam. Rursum Daniel c.7.25. docet Antichristum regnaturum *per tempus*, id est annum (sic enim Daniel c.4. 29. dicit Nabuchodonosorem cum bestiis vixisse per septem tempora, id est, septem annos, vti omnes exponunt) *& tempora*, id est, duos annos, *& dimidium temporis*, id est anni.

Vbi Nota. Pro *tempora*, in Chaldæo (qua lingua hæc scripsit Daniel) esse עדנין *iddanin*, vti Rabbini puncta subiecerunt, quod est pluralis numeri, & significat tempora: sed videtur legendum aliis punctis in duali עדנין *iddanain*, id est, duo tempora: quamquam Chaldæi rariùs duali, & plerumque plurali etiam pro duali vtantur, vt notat Guido Fabricius in Grammatica Syrochaldaica. Siue ergo legas *iddanin*, siue *iddanain*, vtrumlibet hîc duale est, &, vt omnes vertunt, significat duo tempora, id est, duos annos. Voluit enim Daniel numerare & consignare certa & definita tempora, id est, annos monarchiæ & persecutionis Antichristi, dicitque eos fore tres cum dimidio, qui efficiunt menses 42. quos numerat S. Iohannes in Apocal. & dies 1290. quos numerat Daniel c.12. ita docent passim Patres. atqui Pontifex non tres annos cum dimidio, sed plusquam mille annis in Ecclesia regnauit & præsedit: ergo Pontifex non est Antichristus.

Septimò, Antichristi imperium erit vltimum mundi, eritque; sub finem mundi, paulò ante iudicium, vt patet Daniel.7.v.21.22.25.26. atqui Papa iam diu ante finem mundi diemque iudicij, scilicet mille annis, regnauit: ergo Papa non est Antichristus.

Octauò, Antichristus occidet Eliam & Enoch, vt patet Apocal.11 7. estque communis sententia Patrum: atqui Papa non occidit Eliam & Enoch, nec Elias & Enoch hisce mille annis visi sunt: ergo Papa non est Antichristus. *Antichristus occidet Eliam & Enoch.*

Nonò, Antichristus non regnabit Romæ (illa enim ante Antichristum euertetur & conremabitur à decem regibus, vt ostendi v.7.) sed Hierosolymis, vt patet Apocal.11.8 Papa autem non regnat Hierosolymis, sed Romæ; ergo Papa non est Antichristus. *Regnabit Hierosolyma.*

Hinc patet, ridiculum esse dicere venisse Antichristum. Sed nimirum huor mentem excæcat, & durum est telum necessitas. Nouantes vident suas & alias aliorum quauis ætate hæreses à Pontifice Rom. damnari, & damnatas esse. Quid agant vt iudicem hunc declinent? necesse est vt faciant Antichristum: si enim eum Christi esse, cum Christo, pro Christo, Christique vicarium fatentur, diceremus eis, Cur ergo eius sententiæ, imò Christi sententiæ non acquiescitis? Tolerabilius foret, & in speciem probabilius quippiam dicerent, si Papam non Antichristum, sed Antichristi prodromum & præcursorem clamitarent: tunc enim Scripturæ, quam se sequi clamitant, de Antichristo loquenti vim tantam non inferrent; licet Pontifici atrocem calumniam & iniuriam irrogarent. Verùm odium & indignatio eos vltra metam abripit, perinde vt rixosas mulieres, quæ vbi rixari cœperint, ex animi impotentia quidquid cholera suggerit, adeoque plaustra conuitiorū euomunt. Viri cordati qui rem non passione, sed rationis trutina metiuntur, satis perspiciunt has calumnias ex odio in Pontificem profectas, quæ in ipsosmet qui eas iaciunt, longè verius quadrent. Hæreticos enim esse Antichristos, id est, Antichristi symmystas & socios, eodemque cum Antichristo spiritu agi, docet S.Ioan.epist.1 c.2.v.22. *Quis est*, inquit, *mendax, nisi qui negat quoniam Iesus non est Christus?* (vti negauit Cerinthus hæreticus) *hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.* & v.18. *Nunc*, inquit, *Antichristi multi sunt. Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* *Ridiculum Nouantium delirium. Papam dicere Antichristum.* *Hæretici symmystæ Antichristi.*

An non Lutherus, Caluinus, Menno exiuerunt ex nobis? ex nostra Ecclesia Catholica Romana? atque vt se excusent, clamitant illam factam esse meretricem Babylonis, scortum Antichristi & diaboli. Verùm hoc ipso faciunt se Antichristi & meretricis huius filios, spurios, diabolicos. Ipsi enim, vt dixi, in hac Ecclesia nati & baptizati & educati sunt.

Quæritur Secundò, Quis & qualis erit Antichristus? Respondeo, Omnes docēt fore Iudæum, multique addunt fore ex tribu Dan; idque probant ex Genes.49 16. vbi dicitur, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Quod licet ad litteram de Samsone instar colubri astutè & fortiter Philistinos impugnante intelligatur; mystice tamen de *Quæstio II. qui & qualis futurus Antichristus.* *Erit Iudæus ex tribu Dan.*

Antichristo accipi potest, ideoque, inquiunt, Apocal. 7. inter duodecim tribus, in quarum qualibet duodecim millia signati numerantur; omittitur tribus Dan, eò quòd ex tribu Dan orietur Antichristus. Vnde omnes Danitæ Antichristũ vt contribulem sequentur, nemoque ex eis saluabitur. A

Humili loco nascetur. Secundò, Antichristus humili loco, & ex vilibus Iudæis nascetur. Inde enim à Daniele c. 7. vocatur cornu paruulũ, quod sensim crescet, quodque nõ hereditate, sed fraude regnum obtinebit, Daniel. 11. v. 20. & 21. Addit S. Hieron. nasciturum Antichristum in Babylone; alij in vrbe Dan, quæ postea dicta est Cæsarea Philippi. Insuper Damascenus tradit eum ex fornicatione procreandum. Auctor tractatus de Antichristo, qui extat tom. 9. operum S. Augustini (videtur esse Rabanus) docet Antichristum educandum in Corosain & Berhsaida, ac proinde Christum hisce vrbibus væ intentasse. Sed hæc omnia vel friuola, vel incerta sunt. B

Nomen Antichristi ignotum. Tertiò, nomen Antichristi adhuc ignotum est: illud tamen constat, quòd litteræ nominis eius arithmeticè conficient numerum 666. vt patet Apocal. 13. 18. Hinc aliqui putarunt Mahometem esse Antichristum; quia hic impostor cœpit sub hunc annorum Domini numerum. Sed errant: non enim cœpit Mahomet regnare anno Domini 666. sed 623. Neque Iohannes de numero annorum, sed nominis Antichristi loquitur.

Iudæos Antichristus sibi primũ conciliabit. Quartò, Antichristus primò Iudæos sibi conciliabit, iudaizando & promittendo eis bona temporalia, quæ ipsi à suo Messia auidè expectant: dando eis thesauros, quos dæmon ei subministrabit. erit enim opulentissimus: eius enim thesauros extollit Daniel c. 11. 43. Anselmus in Elucidario, C per thesauros hos intelligit omnẽ pecuniam, quæ in mari, vel in terræ visceribus occulta delitescit: hanc enim per dæmonẽ Antichristo prodendam esse. Hinc ergo Antichristus à Iudæis recipietur & habebitur quasi Messias promissus, & tot sæculis ab iis auidissimè expectatus, Iohan. 5. 43.

Habebit præcursorẽ. Quintò, habebit suum præcursorẽ, vti Christus habuit Iohannem Baptistam. Is erit insignis impostor, vt videatur miracula facere, cogeréq; imaginem Antichristi ab omnibus adorari, Apoc. 13. 15.

Fiet rex opera Iudæorum. Regnare incipiet in Babylone. Sextò, per Iudæos sensim crescet Antichristus fietque rex: addit Franc. Suarez, Ribera, aliique multi, quòd incipiet regnare in Babylone: id enim videtur significare Zacharias c. 5. v. vlt. vbi dicit Zacharias mulierem amphoræ insidentem habentem os clausum talento, vel massa plumbi, à duabus mulieribus deferri in terram Sennaar, id est, in Babylonem. *Vt ædificetur*, inquit, *ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super sedem suam.* D

Zacharia visio cap. 5. explicata. Quam visionem miram vt intelligas, Nota Primò. Amphora hæc, siue, vt hebraicè est, אֵפָה *epha*, id est mensura, significat mensuram peccatorum Iudæorum, quæ sensim creuit, & tandem omnino impleta est tempore Christi, quando planè à Deo & Christo reiecti fuerunt Iudæi.

Secundò, oculus, inquit Zacharias, id est, aspectus omnium Iudæorum est ad hanc amphoram vndique, vt scilicet eam peccatis suis impleant.

Tertiò, mulier quæ primò vmbilico tenus sedebat in amphora, est impietas (ait Zacharias) Iudæorum necdum completa ante Christum; sed postea mulier hæc omnino proiecta est, & demersa ad caput vsque in amphoram, quando per necem Christi & Apostolorum omnino consummata est Iudæorum impietas & mensura.

Quartò, talentum siue massa plumbi missa in os eius, siue amphoræ, vt vult Ribera, siue potiùs mulieris, vt vult Hieron. & Vatablus, qua omnino clausa & oppilata fuit, significat grauitatem supplicij, & diuturnitatem, quod scilicet durabit vsque ad finem mundi.

Quintò, duæ mulieres significant Iudæorum obcæcationem & obstinationem, quæ spiritu diabolico agitatæ suis alis quasi milui rapacissimis & fortissimis, per aërem hanc amphoram portant in terram Sennaar, id est, in Babylonem; quia Iudæorum cæcitas, pœna & desolatio durabit, donec in Babylone quasi stabili & firmo loco ac regno suo Antichristum regnantem adorent.

Antichristus regnum suum propagabit per totũ orbem. Septimò, Antichristus regnum suum propagabit tum armis, tum dolis & fraudibus, omnique arte, ac prosperabitur, faciétque quæcumque volet, inquit Daniel: ita vt è decẽ regibus, inter quos tunc diuisum erit Romæ mundique imperium, tres profliget, mox cæteri septem territi sponte ei se subdituri sint, Apoc. 13. 7. sicq; Antichristus fiet Monarcha non tantùm Romani Imperij, vt loquitur Chrysost. aut prouinciarum Asiæ, Africæ & Europæ, in quibus fides & Ecclesia diutiùs viguit, sed, vt videtur, etiam Indiarum & totius orbis, inquit Hieron. in c. 11. Danielis, & August. l. 20. de Ciuit. c. 11. Partim enim per se, partim per suos duces & ministros orbem lustrabit & subiget.

Sedem regni habebit in templo Hierosolymis. Octauò, sedem monarchiæ suæ figet Antichristus Hierosolymis, ibique in templo à se instaurato sedebit & adorabitur vt Deus; idq; per annos tres cum dimidio, ibique Eliam & Enoch contra Antichristum docentes & prædicantes, alioque Christianos occidet, Apocal. 11. 8. Corpora Eliæ & Enoch Hierosolymæ in plateis iacebunt insepulta per tres dies cum dimidio; post quos reuiuiscent & resurgent Elias & Enoch: mox audietur vox de cælo dicens, Ascendite huc; & statim Elias & Enoch tota vrbe spectante ascendent in cælum, vt patet Apocal. 11. 12. Post 30. dies Antichristus cum suo præcursore viuus detrudetur & rapietur in tartara, vt dicitur Apocal. 19. 20. Quòd enim Antichristus non amplius quàm triginta dies regnabit post mortem Eliæ & Enoch, colligitur ex Apocal. 11. 3. vbi dicuntur Elias & Enoch prædicaturi per dies mille ducentos sexaginta: Antichristus autem regnabit per dies mille ducentos nonaginta, vt dicitur Daniel. 12. 11. ergo triginta tantùm diebus superabit viram & prędicationem Eliæ & Enoch. Quàm breuis erit gloria Antichristi, & impiorum prææternitate pœnarum! Quàm breuis afflictio Eliæ, Enoch & Sanctorum, præ æternitate præmiorum!

Mors Eliæ Enoch, & ipsius Antichristi. *Tẽpus prædicationis Eliæ & Enoch, & regni Antichristi.*

Quæst. III. qui & quales mores Antichristi. Quæritur Tertiò, Qui & quales erunt mores Antichristi?

Erit hypocrita. Respondeo Primò, erit hypocrita, & initio simulabit se valdè humanum, benignum, pium, legis Mosi zelatorem, vt Iudæos alliciat & decipiat: alioqui enim eum Iudæi non admitterent. Totus erit politicus, omnesque politicorum artes, dolos & praxes callebit. Hoc est enim quod dixit Apostolus v. 10. Antichristi aduentum fore secundùm operationem Satanæ, in omni seductione iniquitatis, in iis qui pereunt.

Ambitiosus. Secundò, erit gloriæ cupidissimus, omniaq; sua referet

referet ad suam gloriam, honorem, imperium, e- A ritque superbus quasi alter Lucifer, & adepto imrio volet coli vt Deus, vti audiuimus v. 4.

Tertiò, impudens erit, ait Daniel, atheus insuper & blasphemus in Deum & Sanctos, vt patet Apocal. 13 6.

Quartò, erit tyrannus crudelissimus, maximè in Christianos, vt patet Apocal. 13. 10. *Hæc*, inquit, *est patientia & fides Sanctorum.*

Quintò, totus erit in libidinibus & concupiscentius feminarum, vti ait Daniel c. 11. 38. Vnde Iudæi inter alia terrena bona etiam vxorum multitudinem ab hoc suo Messia exspectant.

Sextò, erit magus & magicis artibus à puero imbuetur, habebitq; dæmonem Maozim nomine, vt inquit Daniel c. 11. 8. ita familiarem, vt vix alicui bonæ inspirationi, custodiæ angelicæ, aut diuinæ gratiæ daturus sit locum; imò vix vllum opus moraliter bonum sit effecturus. Hoc enim significat hîc v. 3. Apostolus, cùm eum vocat hominem peccati, filium perditionis; & v. 9. cùm eius aduentum dicit fore secundùm operationem Satanæ. Adeò ergo scelestus erit Antichristus, vt in eo, inquit Irenæus l. 5. c. 29. futura sit recapitulatio vniuersæ iniquitatis & omnis doli, in eumq; confluat & concludatur omnis virtus apostatica.

Quæritur Quartò, Qualis erit doctrina Antichristi?

Respondeo Primò, docebit Iesum non fuisse Messiam, nec Filium Dei, nec hominum saluatorem; & consequenter totam eius religionem & Sacramenta esse vanam superstitionem: ideo enim dicetur Antichristus, 1. Iohan. 2. 22.

Secundò, se esse Messiam Iudæis persuadebit; B vnde initio docebit circumcisionē & legem Mosis C seruandā esse, vt ita Iudæos ad se trahat, Ioan. 5 43.

Tertiò, factus monarcha legem Mosis, quin & naturæ legem abiiciet, & Deum verum, à quo data est, negabit. *Putabit* (ait Daniel c. 7 25.) *quòd possit mutare leges & tempora*, seq; solum esse Deum prædicabit, vt patet hîc v 4. ac consequenter nullam pœnam aut præmium in alia vita à Deo vero sperandum esse docebit; negabit ergo infernum, cælum, & animæ immortalitatem. Hæc enim negant athei.

Hinc Quartò fiet, vt gulæ, libidini & sceleribus omnibus, quæ suæ gloriæ & imperio non obstabunt, ampliſſimam det licentiam.

Quintò, sibi dicari templa, ac fieri sacrificia imperabit: volet enim coli vt Deus.

Sextò, characterem suum, quasi suæ sectæ signum, volet ab omnibus suis in fronte aut manu D gestari, Apocal. 13. 16.

Quæres, Quis erit hic character Antichristi?

Respondent Hippolytus libr. de Consumm. sæculi, Pererius & multi alij fore hoc: *Nego crucem, Nego baptismum, Nego Iesum*: sed Ansbertus, quem sequitur Ribera in c. 13. Apocal. à Deo reuelatum sibi dicit fore Græcam litteram x *chi*, cui insertum est p, *ro*, hoc modo ☧, quæ sunt literæ initiales nominis Christi; quod fuit insigne Constantini Magni in labaro: volet enim Antichristus haberi Christus. Denique minis, blanditiis, fictis miraculis hæc omnia persuadebit, vt dixi v. 9. & 10. vbi etiam docui quæ & qualia miracula faciet Antichristus.

Quæritur Quintò, Quanta tunc erit Ecclesiæ persecutio?

Respondeo, Extrema, & qualis non fuit ab origine mundi, Matthæi 24. 21. vnde Iohan. Apoc. 20. ait tunc soluendum Satanam, qui incipiet furere, quia sciet sibi tempus esse breue.

Secundò, Gog & Magog, qui erunt exercitus Antichristi innumerabilis quasi arena maris, venient in prælium contra Sanctos, Apocal. c. 20 v. 7. & Ezech. 38. de quibus dicam quæstione sequ. *Gog & Magog exercitus Antichristi.*

Tertiò, hæc persecutio tum temporalis erit in corpora, tum potiùs spiritalis in animas. Sataget enim omnibus viribus suis Antichristus, vt auertat omnes à Dei cultu & fide: nempe coget omnes negare, Iesum esse Christum & Dei filium, deserere Missas & omnes ritus Christianos (Daniel c. 12. 11.) negare Deum, & colere Antichristum, vel in se præsentem, vel absentem in sua imagine, quæ in templis adoranda proponetur, Apocal. 13. 15. *Persecutio corporalis & spiritalis.*

Quartò, in protestationem non tantùm imperij sui, sed & huius sui cultus, religionis & fidei, coget omnes deferre suum characterem, quem dixi; ita vt nemo quidquam emere aut vendere possit, nisi qui eum gestat. Vnde Apocal. 14. v. 16. 19. & 20. omnes eum gestantes quasi idololatræ damnantur.

Quintò, maior pars fidelium cadet & cedet Antichristo, Apocal. 17. 7. *Ita vt in errorem ducantur, si fieri possit, etiam electi*, Matthæi 20. 22. eritq; quasi generalis apostasia & defectio, vt dixit hîc Paulus v. 3. *Lapsus fidelium sub Antichristo.*

Sextò, non tamen Ecclesia, fides & religio deficiet sub Antichristo, vt vult Sotus in 4. dist. 46. q. 1. a. 1. hoc enim dici non potest; sed manebit in paucis, qui in locis abditis sacrificia & sacra celebrabunt, & propter hos, ait Christus, *breuiabuntur dies persecutionis Antichristi.* *Ecclesia non deficiet.*

Vnde Septimò, tunc erunt illustrissimi Martyres, Apocal. 13. 10. quia non contra homines, sed contra dæmonem omnes suas vires exerentem pugnabunt, ait Hippolytus Martyr. *Erunt illustrissima martyria.*

Denique post tres annos cum medio Antichristus viuus absorbebitur in infernum, tuncque simul ignis descendet de cælo, & comburet Gog & Magog, omnesque Antichristi & ministros & milites, cessabitque persecutio, & dabuntur lapsis, vt pœniteant, ad minimum 45. dies. Deinde Christus veniet ad iudicium, omnesque resurgent, Daniel. 12. 12.

Quæritur Sextò, Qui erunt ministri, milites, exercitus Antichristi? *Quæstio VI. de ministris & satellitibus Antichristi.*

Respondeo, Erunt Gog & Magog, vt patet Apocal. 20 7.

Sed quæres, qui sint Gog & Magog? Iudæi fabulantur esse gentes Scythicas innumerabiles, quæ latent intra montes Caspios, & venient cum Antichristo contra Messiam, sed ab eo cædentur in Palæstina. *Qui intelligantur per Gog & Magog; refertur decem sententiæ.*

Secundò, Lactantius lib. 7. c. 24. putat prælium Gog & Magog futurum mille annis post resurrectionem & mortem Antichristi. Idem censuit Tertull. Papias, Iustinus, & alij Chiliastæ.

Tertiò, Eusebius 7. Demonstr. 3. docet Gog esse Rom. Imperatorē, Magog Romanum Imperium.

Quartò, alij volunt Gog & Magog esse prælia angelorum & diaboli.

Quintò, Theodoret asserit Gog & Magog esse Alexandrum Magnum & reges Syriæ ac Ægypti, Alexandri successores, qui Iudæos afflixerunt, & tandem à Iudæis superati sunt. Sed hoc falsum

est: licet enim contra eos illustres victorias habuerint Iudæi, tamen numquam eos planè superarunt, quin semper ab eis vexati sint.

Sextò, Theodorus Bibliander, quem sequitur Chytræus in c.20. Apocal. Gog & Magog volunt esse Gregorium VII. Godefridum Bullonium, & Christianos Principes, qui terram sanctã recuperarunt. Sed hoc est impium: Gog enim pugnabit contra castra Sanctorũ, & sanctam ciuitatẽ, id est, veram Dei Ecclesiam. Cùm ergo Bullonius eiusq; socij in bello sacro pugnauerint contra Turcas & Saracenos, sequitur ex sententia Bibliãdri Turcas & Saracenos esse castra Sanctorũ & sanctã ciuitatẽ.

Septimò, Magdeburgenses opinantur Gog & Magog esse Turcas & Saracenos: sed errant. Gog enim & Magog tantùm erunt in fine mundi cum Antichristo, vt patet Apocal. 20. v. 7. & 11.

Octauò, S. Ambros. l. 2. de Fide c. vlt. putat Gog esse Gothos, qui Romanorũ prouincias vastarũt. Alij putant Gog esse Getas, Magog Massagetas.

Nonò, S. Hieronymus sentit Gog esse hæresiarchas, Magog esse illos qui eis credunt.

Decimò, S. August. l. 20. Ciuit. Dei c. 11. Gog, inquit, hebraicè idem est quod tectũ, siue domus; Magog idem est quod de tecto, siue ille qui de domo procedit. Gog ergo sunt gentes, in quibus velut in domo vel abysso diabolus est inclusus. Magog est diabolus, qui de illis gẽtibus quodammodo se effert & procedit. Vel Gog sunt gentes, in quibus nunc includitur & tegitur diabolus; & eædem genteserũt Magog, id est, de tecto, quando in apertum odium de operto erupturæ sunt. ita August. Verùm Gog non fore diabolum patet ex Apocal. 20. vbi S. Iohannes dicit quòd diabolus suscitabit Gog, non ergo Gog est diabolus.

Gog & Magog futuri tẽpore Antichristi.

Pro responsione, Nota ex Augustino, Areta Primasio, Ruperto, Anselmo, & aliis passim, Gog & Magog futuros tempore Antichristi; vnde Ezechiel ait eos fore tempore nouissimo. Et patet Apocal. 20. v. 7. & 11.

Pugnabunt contra Ecclesiam.

Dico ergo prælium Gog esse prælium Antichristi contra Ecclesiam, eiseq; nouissimam persecutionem. ita S. August. & alij.

Gog & Antichristus, Magog eius exercitus.

Secundò, Gog videtur esse ipse Antichristus, vel certè primarius eius rex & belli dux: Magog erit exercitus eius, quia Ezechiel semper Gog vocat principẽ, Magog verò vocat terram vel gentem.

Tertiò, Gog dicitur à Magog, quia princeps erit gentis Magog.

Quartò, exercitus Antichristi dicitur Magog, quia constabit Scythis, Turcis, Tartaris; vel quia barbarus erit & crudelis instar Scytharum. nam Magog esse Scythas, colligitur ex Gen. 10. vbi filius Iaphet vocatur Magog, à quo inhabitatam & nominatam Scythiam docet Iosephus l. 1. Antiq. 11. & Hieron. in Quæst. Hebraicis in Genesi. Vnde & socij Gog, quos hìc nominat Ezechiel, scilicet Gomer, Togorma, Mosoch, Tubal, filij sunt vel nepotes Iaphet, à quibus aliæ gentes nomen sunt sortitæ; vt Tubal sunt Hispani, Togorma Phryges, Mosoch Cappadoces.

Ex qua mũdi parte vẽturi Gog & Magog.

Hinc rursum Ezechiel c. 38. v. 15. dicit Gog & Magog venturum ex Aquilone: in Aquilone autem habitant Scythæ & Tartari, & hi fuerunt milites Tamberlanis, qui quasi alter Antichristus innumerabili suo exercitu omnia vastauit.

Dices, Apocal. 20. 7. dicitur quòd Satanas seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog: ergo Gog & Magog sunt gentes ex quauis mundi plaga. ita S. Augustinus.

Respondeo. Sensus S. Iohannis est, Satanas seducet omnes gentes, quin etiam Gog & Magog. Videntur enim Gog & Magog fore reges & gentes, maximè feræ & fortissimæ ex septem illis regibus, qui, vt dixi, sponte se subdent Antichristo.

Magnitudo exercituum Antichristi.

Quintò, exercitus Antichristi erit maximus, instar arenæ maris, Apocal. 20. Putant aliqui huc pertinere illud Apocal. 9. 16. vbi dicitur: *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.* Græcè, δὺο μυριάδες μυριάδων, id est, duæ myriades myriadum: myrias continet decem millia; duæ ergo myriades myriadum sunt ducenta millena millia, siue ducenti milliones. ducentos ergo milliones equitum haberet Antichristus. quantus ergo foret peditatus illius? Verùm hic locus non spectat ad Antichristum, sed ad tempora præuia Antichristo. Pro quo Nota. Vidit S. Iohannes Apocal 5. librum signatum septem sigillis, & tota Apocalypsi non aliud facit, quàm hunc librum cum suis sigillis explicare. Vnde duæ sunt partes Apocalypsis: priore vsque ad c. 12. explicantur & referantur septem sigilla huius libri: posteriore autem à cap. 12. ad finem Apocal. referantur & explicantur ea, quæ scripta erant in libro.

Duæ partes Apocalypseos, & earum obiecta.

Nota Secundò. Septem sigilla continent septem persecutiones Ecclesiæ, quas illa patietur ante & vsque ad Antichristum. Vnde liber legi non poterat, nisi reseratis septem sigillis; quia tempora Antichristi videri nequeunt, nisi præeant aliæ persecutiones septem sigillis obsignatæ. Liber verò ipse continet ipsam persecutionem Antichristi, & ea quæ fient tẽpore Antichristi; iam hi ducenti milliones equitum, Apoc. 9. 16. non pertinent ad librum, ac consequenter nec ad Antichristũ: sed ad præuia tempora. Pertinent enim ad septimum sigillum, in quo septem angeli septem tubis septem plagas in orbem euocarunt, & sextus angelus sua tuba euocauit hos ducentos milliones equitum, qui tertiam hominum partem occiderunt. Id rectè demonstrat Franc. Ribera sub finem 10. cap. Apocal.

Septem sigilla sunt septem Ecclesiæ persecutiones.

Sextò, exercitus Gog & Magog venient ad Antichristum Ierusalem, vt in ea totaque Iudæa fideles & Christianos deleant: confluent enim vndequaque Christiani & Gentiles Hierosolymam, vt audiant Eliam & Enoch in ea concionantes. & hoc significat S. Iohannes Apocal. 20 8. cùm ait, *Et ascenderunt* (Gog & Magog) *super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum & ciuitatem dilectam* (Hierosolymam scilicet.) *Castra sanctorum* vocat receptacula & latibula sanctorum Christianorum: non enim verisimile est oppressos Christianos habituros militaria castra sub Antichristo potentissimo, quibus collatis signis cum Antichristo, totoq; eius exercitu confligant. Vnde subdit S. Ioannes, quòd iuxta Hierosolymã de cælo pugnabit cõtra Antichristianos hos Christus, omneq; disperdet in loco, qui inde hebraicè dicetur Armageddon (Apocal. 16. 16.) quasi dicas, anathema excidij, id est, plenum excidium. sic enim ait Apocal. 20. v 9. *Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos* (Gog & Magog.) Idem docet Ezechiel c. 38. v. 22. cùm ait: *Et iudicabo* (puniam) *eum* (Gog) *peste & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis; ignem & sulphur pluam super exercitum eius, & super populos multos, qui sunt cum eo.*

Exercitus Gog & Magog venient ad Antichristum & Ierusalem.

Addit

Addit Ezechiel tanta fore cæsorum spolia, vt foco sufficere possint toti Israel ad 7. annos: tunc simul cum eis Antichristus rapietur ad tartara, Apocal. c. 20. 11. Denique Daniel cap 12. cùm numerasset dies regni eius 1290. addit, *Beatus qui peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque*, id est, ad 45. diem à cæde Antichristi, Gog & Magog. non quòd tũc sit futurus diesiudicij: sed quòd tunc planè Ecclesia & orbis liberabitur ab omnibus Antichristi assectis, vt pœnitere possint qui sub Antichristo lapsi sunt, tuncque Ecclesia restaurabitur & reflorescet. Dabiturergo plusculum temporis & spatij, ac consequenter non statim post hos 45. dies sequetur dies iudicij, imò Ezechiel videtur dicere fore adhuc septẽ annos ante finem mundi, c. 39. v. 9. 14. 15. Vnde Sibylla l. 3. orac. docet post mortem Antichristi feminam viduam regnaturã, quæ aurum, argentum, æs & ferrum in mare proiiciet, tumque secuturum finem mundi & diem iudicij.

n statim d intervi- m Anti- risti se- atur iu- dium.

ERS. 12. NOS AVTEM DEBEMVS GRATIAS AGERE DEO SEMPER PRO VOBIS, FRATRES DILECTI A DEO, QVOD ELEGERIT VOS DEVS PRIMITIAS IN SALVTEM, IN SANCTIFICATIONE SPIRITVS, ET IN FIDE VERITATIS] Quia horribilia, inquiunt Chrysost. & Theophyl. de Antichristo iisque qui illi credent, dixerat, nunc mitigat suosque consolatur. q. d. Hæc aliis quidem terribilia sunt, scilicet iis qui pereunt; nos autem non terrore concuti, sed lætitia exultare, gratiasque Deo agere debemus; nos, inquam, & multò magis vos, eò quòd *vos elegerit Deus primitias in salutem*, id est, ad salutem. q. d. Elegit vos Deus, vt sitis primitiæ saluandorum. Hos enim opponit iis qui pereunt.

Nota. Noster interpres in Græco videtur legisse ἀπαρχὰς, id est primitias: iam legitur, ἀπ' ἀρχῆς, id est, à principio; quod Theophyl. refert ad prædestinationem. q. d A principio, ab æterno elegit nos Deus ad salutem. Rectè autem Thessalonicenses vocantur primitiæ, quia Paulus eis inter primos prædicauit Euangelium, eosque conuertit ad fidem & salutem.

ssaloni- s pri- a cur atur.

Secundò, loquitur Paulus de electione non efficaci, completa & immediata ad salutem, id est, gloriam cælestem, sed de mediata & inchoata, qua eliguntur, id est, destinantur ad salutẽ omnes Christiani per fidem & baptismum; vt si gratiam, quam in baptismo acceperunt, conseruent, & in vita Christiana pergant, vti cœperunt. certò & efficaciter salutem & gloriam sint adepturi. Vnde Paulus explicat quomodo eos Deus elegerit in salutem, dum subdit, *In sanctificatione spiritus & fide veritatis*, id est, vt Syrus, Chrysost. Theoph Vatablus, & alij, per sanctificationem spiritus, & fidem veritatis. q. d. Deus elegit & direxit nos ad salutem, posuitque nos in via salutis, hoc ipso quo in baptismo infudit nobis veram fidem Christi & gratiam sanctificantem, qua spiritum & mentem nostram sanctificauit.

rcitus & Ma- veniens Anti- christum in- salem.

RS. 13. IN QVA (ad quam, scilicet fidem & sanctificationem. græcè εἰς ὃ, id est, ad quod; Syrus, ad quæ, vt referat se ad omnia, quæ dixit Paulus v. præc.) ET VOCAVIT VOS PER EVANGELIVM NOSTRVM, IN ACQVISITIONEM GLORIÆ DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] vt scilicet acquiratis gloriam cælestem quam habet Dominus noster Iesus Christus; vel potiùs, vt per fidem, gratiam & salutẽ maior gloria Christo illorum auctori acquiratur. ita Chrysost. Theoph. Anselm. vnde Syrus vertit, Vt decori sitis Domino nostro Iesu Christo. græcè enim est, εἰς περιποίησιν: quo alludit ad Exodi c. 19. 5. vbi Dominus ad Hebræos dicit, *Eritis mihi in peculium*, id est, in peculiarem hereditatem. q. d. Licet meus sit vniuersus orbis & omnes gentes, vos tamen ô Hebræi, à me dilecti & electi, eritis pars mea & portio præ omnibus selecta & dilecta (hoc enim significat Hebræũ סְגֻלָּה *segulla*) estote sitis pusillus grex, eritis tamen totum pecus meum, id est, omnis substantia mea, totæ opes meæ. Olim enim omnis substantia veterũ erat in pecore. Vnde hoc peculium explicans Deuter. 22. 9. *Pars*, inquit, *Domini populus eius, Iacob* (Hebræi posteri Iacob, siue Iacobæi) *funiculus hereditatis eius* (id est, erunt ipsi Deo portio hereditaria, quasi ad funiculũ diuisa & admensa.) LXX. Exodi 19. pro *eritis mihi in peculium*, vertunt, ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος, eritis mihi populus peculiaris, &, vt Theodotion vertit, ἐκλεκτὸς, id est electus, quem scilicet Deus sibi vt propriũ & peculiarẽ acquisiuit & emit; dum eum per tot labores ex Ægypto in Sina & Chanaan eduxit. LXX. sequẽs S. Petrus epist. 1. c. 2. 9. *Vos, inquit* (ô Christiani) *genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; græcè λαὸς εἰς περιποίησιν, id est, populus in acquisitionem, quem scilicet Christus suo sanguine acquisiuit & emit: sic hîc Paulus ait Christianos esse acquisitionem, id est, populum acquisitum Christo & gloriæ Christi. De quo rursum dicam 2. Timoth. 2. 14.

Fideles peculiariter populus & peculium Dei.

ITAQVE FRATRES STATE (in fide & vita Christiana, quam accepistis, firmi) ET TENETE TRADITIONES, QVAS DIDICISTIS, SIVE PER SERMONEM, SIVE PER EPISTOLAM NOSTRAM] Nota hîc locum pro traditionibus Apostolicis, scilicet, tam ea esse seruanda quæ verbo & viua voce tradiderunt Apostoli, quàm quæ scripta in sacris Litteris reliquerunt. Vt enim concedamus Bezæ (quod tamen gratis ab eo dicitur) Apostolum loqui de traditionibus dogmatum, non rituum; hinc certè sequitur non omnia, quæ credenda sunt, esse scripta, sed quædam viua voce esse tradita.

VERS. 14.

Locus pro traditionibus Apostolicis.

Secundò, si dogmatibus traditis, ergo à pari & ritibus traditis est insistendum; vti expresse docet Paulus 1. Corinth. 11. 23. de ritibus Eucharistiæ.

Nec satisfacit effugiũ Hunnij dicẽtis, cùm hæc scriberet Paulus, necdum conscriptas fuisse alias epistolas, ac consequenter verbũ Dei plenè nondum fuisse conscriptũ, sed voce quædã fuisse tradita, eaque; tunc fuisse seruanda: iam verò cùm omnes epistolæ sint scriptæ, habeamusque plenum verbum Dei scriptũ, quod nos planè de omnibus erudit & informat, traditionibus non esse opus.

Occurritur obiectioni cuiusdam hæretici.

In primis enim quærã ego ab Hunnio, vbi scriptum est nos habere plenũ verbum Dei, quod ita plenè de omnibus credendis & agendis erudiat, vt traditionibus non sit opus? certè hoc nusquam scriptum est; ergo traditum Hunnio; ergo hanc saltem suam traditionem admittet Hunnius, ac consequenter fatebitur non omnia esse scripta.

Secundò, Apostolus, imò Spiritus sanctus non solis Thessalonicensibus, sed omnibus gentibus & sæculis hæc loquitur & scribit, vt scilicet absolutè singuli fideles *teneant traditiones, quas didicerunt siue per sermonem, siue per epistolam. Nihil*, inquit Tertull. 5. contra Marcion. *de titulis* (epistolarum) *interest; cùm ad omnes Paulus scripserit, dum ad quosdam.* Sicut enim ius ciuile & patrium non tantum constat scriptis legibus, sed etiã consuetudinibus

Adseruntur varia argumẽta pro sacris traditionibus.

trāditis: ita & ius diuinum, siue lex diuina & Christiana, constat verbo Dei, tam traditione quàm scriptura accepto. Nam si regis iussui parendum est, siue is constet scripto, siue præconis edicto, alioúe nuncio; cur non & Christi Dei ac Domini nostri? Rursum, numquid non, postquam scriptæ fuerunt omnes epistolæ, Thessalonicenses adhuc parere tenebantur huic sententiæ Apostoli: *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*: numquid non seruare tenebantur, quidquid Paulus & Apostoli tam verbo quàm scripto tradiderunt? Si patris & matris, cur non & Pauli Apostolorumque verbo credendum & obsecundandum est?

Verbum Dei scriptū non est plena credendorū forma.

Tertiò, quòd verbum Dei non plenè de omnibus particularibus credendis & agendis nos informet, patet ex definitionibus primorum quatuor Conciliorum & Pontificum primis 400. annis, quas admittunt ipsi Nouantes; hæ enim multa definiunt, quæ in sacra Scriptura non sunt definita: ad noua enim dubia suborientia definienda per doctrinam à Patribus traditam, coacta sunt hæc Concilia.

Quartò, ita docent omnes Patres. *Traditio* (inquit Chrysost. & ex eo Theophyl.) *est, nihil quæras amplius.* cæteros vide apud Bellarminum.

Ita Lacedæmones, Athenienses, Romani, Persæ, Chaldæi, omnesque gentes ad rectam reipub. administrationem vsi sunt iure partim scripto, partim non scripto, id est, legibus partim scriptis, partim traditione acceptis, quas Plato libr. 6. de Legibus vocat ἀγεγράφους νόμιμα, quæ parem, imò eamdem cum scriptis habent dignitatem & auctoritatem. Imò Ecclesia Dei ipsos bis mille annos, putà ab Adamo ad Mosem, steterit directaque fuit verbo Dei non scripto, sed à patribus per manus posteris tradito, vt meritò dicat Tertul. lib. de Testimonio animæ: *Certè prior est anima quàm littera, & prior sermo quàm liber, & prior fusus quàm stylus.*

DEVS ET PATER NOSTER (ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν, id est, is qui est Deus & Pater noster: vnum enim eamdemq; persona Dei Patris, non duas significat) QVI DILEXIT NOS, ET DEDIT CONSOLATIONEM ÆTERNAM (in spe, & prægustu æternæ gloriæ & lætitiæ) ET SPEM BONAM IN GRATIA] id est, per suam gratia, qua gratis & liberaliter fidelibus pijs & iustis promisit hanc consolationē & vitā æternam. ita Chrysost. Theoph. Ansel. Aliter S. Thom. *in gratia*, inquit, id est, per gratiam, per quam habemus spem vitæ æternæ: per gratiam enim quasi per semen speramus nos messuros fructū vitæ æternæ. Vers. 15.

EXHORTETVR CORDA VESTRA (Græcum παρακαλέσαι tam verti potest, consoletur, quàm exhortetur) ET CONFIRMET IN OMNI OPERE ET SERMONE BONO] Græca præponunt sermonem operi: per sermonem enim intelligitur doctrina & disciplina per prædicationem & sermonem accepta. Iam in discendo disciplina prior est opere; priùs enim discendum est quid facere oporteat, quàm illud complere possimus, licet in docendo econtrariò opus debeat præire sermonem. Hinc cœpit Iesus (primò) *facere*, & (deinde) *docere*. Præclarè S. Augustin. sententia 255. *Ad vitandam, ait, tentationem vanæ gloriæ melior est discentis quàm docentis status. Tutius enim auditur veritas quàm prædicatur. Quoniam cùm doctrina recipitur, humilitas custoditur: cùm autem disputatio placet, vix est vt disserentem non pulset quantulacumque iactantia.* Vers. 16. *Prius est discere quàm facere.*

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRECES Thessalonicensium contra Euangelij hostes implorat, ipseq; vicissim v. 3. eis à Deo constantiam in fide, patientia & charitate promittit & efflagitat.
Deinde v. 6. cuitari & coërceri vult otiosos & inquietos, cogitq; eos ad laborandum.
Denique v. 16. pacem, salutem & gratiam eis apprecatur.

1. DE cetero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: 2. & vt liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides. 3. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo. 4. Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis. 5. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi. 6. Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis: 7. ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: 8. neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. 9. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 10. Nam & cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. 11. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. 12. iis autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. 13. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. 14. Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo vt confundatur: 15. & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. 16. Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. 17. Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola. ita scribo. 18. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

ORATE

ORATE PRO NOBIS] Notat S. Chrysost. Pauli arma fuisse suas & suorum preces, quibus omnes hostes deiecit. Hæc nobis imitanda sunt. *Illsce armis*, inquit, *Ezechias vincebat Assyrium, Moyses Amalecitas, Samuel Ascalonitas, Israel triginta duos reges.*

VERS. 1. *Oratio divina Pauli pro se.*

VERS. 2. VT LIBEREMVR AB IMPORTVNIS ET MALIS HOMINIBVS: NON ENIM OMNIVM EST FIDES] Pro *importunis*, græcè est ἀτόπων, quod Vatablus vertit, *absurdis*; Syrus, *insolentibus*; Erasmus, *prodigiosis*; Ambrosius, *iniquis*. ad verbum ἄτοπος propriè significat eum, qui nulli loco conuenit, importunũ, qui neminem sinit esse in pace, quique omnia turbat; qualestunc erant Iudaizantes, & similes, qui vbique concitabant plebem contra Paulum & Apostolos, & quales modò sunt hæretici.

ἄτοπος

NON ENIM OMNIVM EST FIDES] Nouantes sic explicant: Apostolus, inquiunt, hic dat causam cur infideles isti à se vocentur & re ipsa sint importuni & mali. causa hæc est, quòd à Deo non sint electi, & efficaciter vocati ad fidem, ac consequenter ad modestiam & bonitatem Christianam: non enim omnium est fides, sed eorum tantùm quos Deus elegit & vocauit ad fidem. Hinc inferunt, ergo fides non est homini libera, ac consequenter Secundò, hæretici non sunt cogendi ad fidem, quia fides non est in eorum, sed in gratiæ Dei manu & potestate.

Error Notatium omnium omnes credere.

Rursum Tertiò, ergo non possunt credere illi, qui carent gratia efficaci, scilicet quæ efficaciter in eis operetur credere, imò determinet eos ad credendum.

Verùm nihil horum hîc intendit Apostolus; tantùm enim dat causam cur aliqui sint importuni, & mali: quia scilicet non omnium est fides, non omnes habent fidem, non omnes credunt; sed multi audita etiam prædicatione fidei nolunt credere, voluntque persistere in sua infidelitate, ac consequenter in pristina sua malitia, ac vitæ improbitate, quam mutare & corrigere non possunt, nisi fidem & gratiam Christi amplectantur. Quòd ergo nolunt fidem Christi amplecti, causa est cur permaneant mali & importuni: sic vulgò dicimus, Non omnium est modestia, temperantia, castitas, quia multi nolunt suis concupiscentiis resistere, sibique vim inferre, sed volunt eas sequi, ac lasciuire, inebriare se & fornicari.

Perfia voluntaria à est causa malitiæ.

Sic rectè iam apud Indos dicitur, Non omnium, imò paucorum est fides, quia multi Indorum idolis, polygamiæ, aliisque voluptatibus & vitiis addicti nolunt fidem & legem Christi amplecti, ne idola, vxorum turbam, aliasque voluptates relinquere cogantur. Fides enim & lex Christiana res excelsa, ardua & heroica est, ad quam nemo pertingit, nisi suas concupiscentias generosè superet, & heroicè seipsum vincat, vt mores Christianos assumat. Et hoc significat hæc sententia, *Non omnium est fides*, scilicet quòd fides non est hominum animalium & carnalium; sed eorum tantùm, qui quasi heroës ad rem tam arduam connituntur, & gratiæ Dei cooperantur, vitamque spiritualem, imò angelicam sectari contendunt.

Adde, Apostolum non loqui hîc de hæreticis, qui semel fidem Christi susceperunt, & postea ab ea apostatarunt, sed de infidelibus, Iudaizantibus & Paganis, qui numquam Christi fidem susceperant, sed illam impedire & euertere omnibus modis nitebantur; qualis fuit Alexander ærarius, vt fatetur ipse Paulus 2. Timoth. 4. 14. ita Chrysost. Theophyl. & alij.

Dices, Fides est donum Dei: ergo non est in nostra, sed in Dei potestate.

Fides quomodo sit donum Dei, & tamen in nostra potestate.

Respondeo negando consequentiam: fides enim non est donum Dei, sicut prophetia, donum linguarum, miraculorum, &c. sunt dona Dei. hæc enim à solo Deo homini donantur: sed fides est donum Dei eodem modo quo prudentia, fortitudo, temperantia, cæteræque virtutes, imò omnia bona opera dicuntur esse dona Dei; quia scilicet Deus suagratia ad actum fidei aliarumque virtutum nos excitat & vocat; ita tamen vt nobis liberum relinquat huic gratiæ assentiri, vel dissentiri; illam amplecti, aut respuere; cum illa operari & credere, aut illam negligere, & nolle credere. ita Theodor. & alij. Vide dicta 1. Corinth. 7. 7. vbi explicui quomodo quisque proprium donum castitatis habeat à Deo.

FIDELIS AVTEM DEVS EST, QVI CONFIRMABIT VOS, ET CVSTODIET A MALO] Hæc connectenda sunt cum v. 13. capitis præcedentis, & vltimo eiusdem: ibi enim dixit, quòd Deus elegerit eos primitias in salutem, id est, primitias fidelium & saluandorum, orauitque vt Deus eos in omni bono confirmet: hîc verò dicit Deum ita facturum, vt, quia fidelis est & verax, opus fidei & salutis, quod in eis orsus est, confirmet, perficiat & absoluat. ita Chrysost. & Theophyl. Quamquam non est necesse in hisce epistolis, vtpote more epistolico (quo scilicet varia familiariter sine connexione ad amicos perscribuntur) scriptis, vbique connexionem quærere.

VERS. 3.

CVSTODIET A MALO] à Satana, vt ipse vobis non præualeat, inquit Chrysost. & Theoph. Hic enim græcè dicitur ὁ πονηρὸς, id est malus, antonomasticè; quamquam τὸ πονηρὸν in neutro genere hîc accipi potest, vt significet quodlibet malum.

CONFIDIMVS DE VOBIS IN DOMINO, QVONIAM QVÆ PRÆCIPIMVS, ET FACITIS, ET FACIETIS] Quia dixerat fidelem esse Deum, vt perficiat in eis opus fidei, quod cœperat; ne iam existimantes, inquit Theophyl. totum esse Dei, ipsi torpeant & segnes fiant; ecce hîc cooperationem ab eis postulat. q d. Deus quidem fidelis est, & omnia faciet, quæ sua sunt, si vos vicissim gratiæ Dei non desitis, sed cum ea operemini; ne verò hanc cooperationem suam sibi superbè arrogent, addit, *In Domino*, id est, in Domini gratia, vt indicet omnia à Domino Deique gratia pendere.

VERS. 4.

Cooperatio nostra ad donum Dei requiritur.

Denique non contentus dicere, *facitis*, addit, *Et facietis*; vt significet continuò & ad extremum vsque spiritum id faciendum esse. ita Chrysost. & Theophyl.

DOMINVS DIRIGAT CORDA VESTRA IN CHARITATE DEI ET PATIENTIA CHRISTI] Græcè εἰς ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ, id est, in charitate, siue dilectione Dei, & patientia Christi vos Deus dirigat.

VERS. 5.

Nota, *dirigat*, id est, recto charitatis & patientiæ tramite incedere vos faciat, vt ab earum dem semita non aberretis, neque declinetis ad dextram, vel sinistram; hæc enim est recta ad perfectionem, ad salutem, & ad cælum via. si recta charitatis & patientiæ semita gradiamur. Optat ergo Paulus eos dirigi in charitatem & patientiam, quasi in rectam semitam ad salutem: multa enim sunt, quæ ab hac recta semita nos conãtur abducere, inquit

Recta ad perfectionẽ & salutem via.

Chrysost. ex eo Theophyl. scilicet opes gloria vana, afflictiones, tentationes, pericula: sed Deus his impedimentis vel amotis vel superatis, facit nos rectam insistere viam, eamque assiduè prosequi.

Nota. Quiuis Christianus, qui salutis suæ curam habet, assiduè Deum orare debet, vt se in omnibus ita protegat, excitet, dirigat, sicut nouit saluti suæ expedire; vt per eas vias se deducat, quæ peccati non habent scandalum, quibus præuidet Deus hominem non lapsurum in peccatum, sed inoffenso pede per actus charitatis & patientiæ, recta iturum ad cælum. Hoc debet esse perpetuum nostrum votum & assidua deprecatio, cùm in eo salutis nostræ cardo versetur, vt scilicet Deus nobis eam viam, eum statum, eam auxiliorum mensuram conferat, cum qua nouit nos certissimè saluãdos, rursum cum qua nouit nos opus quod molimur, feliciter ad exitum perducturos. Felices, qui ita à Deo diriguntur, vt possint dicere: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: ipse deduxit velut ouem Ioseph* (me:) de tali dicitur psalm. 1. *Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur.*

Oratio optima quæ.

ET PATIENTIA CHRISTI] Primò, vt Christi patientiam imitemini, inquit Anselmus. Secundò & meliùs, *in patientia*, id est, ad perseuerantiam & patientem expectationem Christi, eiusq; gloriæ & coronæ: Græcum enim ὑπομονὴ significat perseuerantiam & tolerantiam rei alicuius molestæ sub spe & expectatione liberationis aut præmij. Vnde Syrus vertit, *Dominus noster dirigat corda vestra in dilectione Dei, & למסבר נותרה lamsabberanute* id est *exspectatione, Meschicho* siue Christi; vt scilicet secundum eius aduentum ad iudicium, & ad coronandam vestram spem, charitatem & patientiam longanimiter exspectetis; nec, si eum differat, desperetis, sed firmiter credatis, quòd ea quæ promisit, certò completurus sit. ita Chrysost. Theophyl. qui addunt: Charitati, inquiunt, Dei adiunxit Apostolus patientiam: quia hæc est charitas Dei, & hoc est diligere Deum, si propter ipsum patienti sis animo in aduersis & persecutionibus, non cieas turbas, non conturberis, sed patienter expectes liberationem & coronam gloriæ à Christo iudice.

Promissa Dei cum patientia expectanda.

VERS. 6. DENVNCIAMVS (παραγγέλομεν, id est præcipimus, inquit Syrus, Chrysost. Theophyl. Vatablus) AVTEM VOBIS, FRATRES IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] id est, per nomen Domini Iesu Christi, id est, per ipsum Iesum Christum: *nomen* enim ponitur metonymicè pro re nomine significata. Sic sæpè in Scripturis dicitur sperandum esse vel inuocandum nomen Domini, id est, sperandum in Domino, inuocandum esse Dominum. Præcipit ergo per Christũ, id est, Christi nomine, vice, potestate & auctoritate, qua fungebatur quasi legatus, vicarius & Apostolus Christi.

VT SVBTRAHATIS VOS AB OMNI FRATRE (Christiano) AMBVLANTE (conuersante) INORDINATE] Græcè ἀτάκτως, id est incompositè, inordinatè, turbulentè. quod fit dum quis v.g. contemptis legibus publicis, & ordine communi, viuere vult suo arbitratu, & phantasia incomposita & inordinata. ἀταξίαν hic vocat ordinis & disciplinæ turbationem consequentem ex otio, ac consequenter otium ipsum. Sicut enim in castris milites ii, qui soluunt disciplinam militarem, vocantur ἄτακτοι: ita à Paulo hîc Christiani illi, qui soluunt disciplinam Ecclesiasticam & Christianam, à se quasi duce & Apostolo præscriptam, vocantur ἄτακτοι. Et sicut in castris hanc disciplinæ turbationem inducit otium. milites enim otiosi incipiunt segnescere, luxu diffluere, murmurare, inclamare pecuniam, ordinemque omnem turbare, ac tandem rebellare; ita in Ecclesia Thessalonicensium, & alia quauis, otium multorum pariebat eorumdem curiositatem, curiositas inquietudinem, inquietudo soluebat disciplinam. qui enim otiosi sunt sibi, erga alios sunt curiosi, omnibusq; se immiscere volunt, & sic turbant ordinem & omnia.

Otium vitandum.

Otiosi sibi, alijs sunt curiosi.

ET NON SECVNDVM TRADITIONEM, QVAM ACCEPERVNT A NOBIS] Nota rursum traditionis nomen. Græcè est παράδοσις, quod Syrus vertit, *præcepta*; Vatablus, *institutionem*. traditio ergo est institutio tradita voce, vel, vt inquit Chrysost. & Theophyl. opere. vnde sequitur:

VERS. 7. IPSI ENIM SCITIS QVEMADMODVM OPORTEAT IMITARI NOS] q. d. Ego vobis typus & norma viuendi fui, formam vitæ meâ vitâ vobis præscripsi & tradidi, sequimini ergo institutionem hanc meam, quam non tam per verba, quàm per opera vobis tradidi. ita Chrysost & Theophyl.

QVONIAM NON INQVIETI FVIMVS INTER VOS] Græcè est idem verbum quod Noster v. præced. vertit, *inordinatè*, scilicet ἠτακτήσαμεν, id est inordinati, incompositi, turbulenti fuimus. Ambros. vertit, Non intemperanter (id est turbulentè) vixi-mus apud vos: Noster non verbum verbo, sed sensum reddit, dum vertit, *inquieti fuimus*. nam per hanc ataxiam & inordinationem Apostolus intelligit otium, & ex eo consequentem inquietudinem, omnisque disciplinæ & ordinis turbationem. q. d. Non fuimus apud vos otiosi; ac consequenter nec inquieti, nec turbulenti. *Inordinationem* (inquit Chrysost. & Theophyl.) *vocat Paulus otium: Deus enim posuit hominem ad laborem, artusq; eius ad hoc effinxit. quocirca qui otiosus est, ab ordine suo deficit & creatione.*

Otiosus ab ordine suo deficit & creatione.

NOCTE ET DIE OPERANTES, NE QVEM VESTRVM GRAVAREMVS] Mechanicam ergo artem exercuit Paulus, putà scenofactoriam, vnà cum prædicatione Euangelij, vt patet Actor. 18. v. 3. Vnde Origenes hom. 17. in Numeros: Paulus, ait, à faciendis tabernaculis terrenis ad cælestia construenda trãslatus est. Nimirum consuebat tabernacula ex pellibus, quibus milites vterentur in castris.

VERS. 8. *Paulus scenofactoriã artem exercuit.*

Quæres, qua ratione Paulus cùm esset nobilis, & sacris Litteris eruditus, mechanicam didicit?

Respondeo, id fecisse ex instituto veterũ Rabbinorum. sic enim R. Seemahaia, & R. Gamaliel iis, qui sacras Litteras discerent, præscripserunt, vt opificium quoque aliquod manuale addiscerent, tum vt eo victum sibi pararent, tum corporis exercendi, & animi à studiis relaxandi causa; addebantque, eos qui illud negligerent, procliuiores ad peccata futuros. Sic R. Iohanna furoriam, R. Iuda pistoriam didicit. Sic Carolus Magnus, teste Eginhardo & aliis in eius Vita, filios suos mechanicam aliquã, & filias suas lanificiũ, vel linificium discere voluit. Idẽ hodie nonnulli nobiles factitant, idq; tum otij & peccatorum vitandorum causa, tum vt, si opus & necessitas ingruat, labore hoc manuum & arte sua victum sibi conquirant. Idem ergo fecit Paulus, & alij Apostoli, aliosque ad idem hortati sunt: hæc enim eorum sunt verba apud Clementem lib. 1. Constit. c. 67. *Qui in Ecclesia iuuenes estis, curate in omnibus rebus necessariis sedulò*

Rabbini & nobiles solebant artẽ mechanicam discere.

Opificia mechanica olim Sancti exercuerũt.

dulcè ministrare, cum omni sanctitate operi vestro vacate, vt omni tempore & vobis, & egentibus suppeditare possitis, ne Ecclesiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Euangelij, succisiuas horas non negligimus: alij enim ex nobis piscatores sunt, alij scenarum artifices, alij agricolæ, ne vmquam otiosi simus. Et de fratribus Domini refert Euseb. l. 5. Histor. c. 15. ex Hegesippo, coram Domitiano fuisse vocatos, tamquam ex Dauidico & regio sanguine prognatos, quos extinguere omnino constituerat. Qui cùm manus ostenderent partim obtritas callis, partim lacerasmechanico labore, ab omni suspicione rerum nouarum sine vlla molestia dimissi sunt.

Idem Christianos sacerdotes & monachos factitasse non obligationis, sed humilitatis & deuotionis spontaneæ causa, tradit Epiphanius hæres. 80. *Laborant*, inquit, *propriis manibus ad impertiendum etiam indigentibus; quemadmodum & in singulis monasteriis tum in Aegyptiorum regione, tum in aliis omnibus, sic laborant ad iustitiam* (vt scilicet iusto lucro, labore suo parto alant se & alios) *velut apes, in manibus quidem habentes ceram opificij, in ore verò guttas mellis, cùm propria hymnifera voce vniuersorum Dominum iuxta proprium sensum laudant.*

Appositum æquè ac iucundum exemplum habetur in Vitis Patr. l. 5. tit. 10. n. 27. & apud Ruffin. lib. 3. n. 56. de Iohanne breui, siue Nano. *Hic*, inquit, *dixit aliquando fratri suo: Vellem esse securus sicut angeli nihil operantes, sed sine intermissione seruientes Deo: & spolians se quo vestitus erat, abiit in eremum. Et facta ibi hebdomada vna, reuersus est ad fratrem suum, pulsans ostium. Et frater, Quis, ait, es tu: Et ille: Ego sum Iohannes. Tum frater: Iohannes angelus factus est, & vltrà inter homines non est. Ille autem pulsabat, dicens, Ego sum. Et non aperuit ei, sed permisit eum affligi. Postea verò aperiens dixit ei: Si homo es, opus habes operari, vt viuas; si autem angelus es, quid quæris intrare in cellam? Et ille pœnitentiam agens, dixit: Ignosce mihi frater, quia peccaui.* Hinc & Theodosius Anachoreta apud Theodor. in Philotheo c. 10. Absurdum, inquit, est, vt sæculares se affligant laboribus pro se, pro principibus, pro pauperibus: *Nos autem sedeamus compressis quidem manibus, alienis autem fruamur laboribus.*

Scripsit hac de re S. Augustin. librum de Opere monachorum, quo acriter perstringit otiosos ac desides monachos, qui manibus laborare nolebant. Insulsè hæc Nouantes torquent in Ordines Mendicantes, quasi hi otiosi panem manducent, cùm constet eos psalmodiæ, orationibus, confessionibus, concionibus, aliisque piis exercitiis insistere, & proximis se impendere, vt rectè docet S. Thom. 2. 2. q. 187. a. 4. 5. S. Bonauent. l. de Paupertate Christi, ante medium p. 1.

9. NON QVASI NON HABVERIMVS (græcè ἐχωμεν, id est habeamus) POTESTATEM (grauandi vos scilicet sumptu, & à vobis quasi catechumenis meis alimenta petendi.) SED VT NOSMETIPSOS FORMAM DAREMVS (græcè δῶμεν, id est demus) VOBIS AD IMITANDVM NOS] Tacitè excusat alios Apostolos, qui suo iure vtentes in euangelizando à suis accipiebant alimenta; & simul suam abstinentiam ac charitatem exaggerat, quòd hoc suo iure cesserit cum tanto suo incommodo ad eorum solatium & exemplum.

10. HOC DENVNCIABAMVS (παρηγγέλλομεν, id est præcipiebamus) VOBIS, QVONIAM SI QVIS NON VVLT OPERARI, NEC MANDVCET] Quia scriptum est Genes. 3. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Qui ergo non laborat pro pane, par est vt non vescatur pane, ac consequenter dignus est qui fame moriatur: qui enim est otiosus, inutile habet esse, ac proinde meretur non esse. Otium enim, vt ait Seneca, est viui hominis sepultura. Qui ergo viuens sponte seipsum, ac vigorem & vires suas per otium sepelit, dignus est qui reipsa moriatur & sepeliatur. Quocirca sapienter S. Ephrem in illud: *Attende tibi*, cap. 5. *Ne molestus*, ait, *sit tibi labor. Disce operans, vt non discas mendicans.* Idem tract. de Consummat. sæculi: *Ne fugias laborem, vt non perdas coronam.*

Nota hìc locum moralem, quàm malum, quamque Christiano & cuiuis homini vitandum sit otium, idque multis de causis, quas hìc insinuat Apostolus. Prima petitur ex ipsa hominis conditione; homo enim natus est ad laborem, auis ad volatum, inquit Sapiens. *Locus moralis de vitando otio ob quinque causas.*

Secunda ex aliarum creaturarum exemplis: vide solem & cælos, quomodo numquam quiescunt, sed perpetua gyratione circumuoluuntur, & maxima spatia percurrunt. Vide ignem & elementa, quomodo numquam otiosa, sed semper agunt. Vide equos, boues, asinos, quomodo currunt, onera baiulant. Vade ad formicam, ô piger, & vide quàm sit sedula & laboriosa.

Tertia ex rei conuenientia, atque ex lege & voluntate Dei. Deus enim non frustra nobis manus & vires dedit, sed voluit iis nos vti & operari. *Deus*, inquit S. Basil. in Regulis fusior. reg. 27. *qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditauit, is in die iudicij parem quoque à nobis in laborando industriam reposcet.* Hinc Themistocles dicere solebat, *otium & desidiam esse viui hominis sepulturam*; cumque ipse moreretur annum agens centesimum septimum indoluit, dictitans se tunc mori cùm inciperet sapere & sapienter operari. Hinc & laudatur mulier illa fortis & strenua, Prouerb. 31. quòd panem otiosa non comederit: *Quæsiuit*, inquit, *lanam & linum, & operata est consilio* (id est opera & industria) *manuum suarum: facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum, & de nocte surrexit, deditq; prædam* (Hebræum טֶרֶף *tereph* significat quemlibet cibum, metaphora sumpta à leonibus, quorum omnis cibus prædando acquiritur) *domesticis suis, & cibaria ancillis suis: accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum: manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Hinc præmium laboris sui quoque retulit, nam *de fructu* (id est labore, lucro) *manuum suarum plantabit vineam. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius. nobilis in portis vir eius. sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit* (vendidit) *Chananæo* (mercatori:) *fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.* *Laudes sagientis otiosi.*

Quarta ex merito & præmio: præsens enim tempus laboris est, futurum tempus erit præmij. *Dies iste*, inquit Auctor imperfecti hom. 39. *dies est operationis; dies autem ille qui sequitur* (æternitatis beatæ) *feriarum est.*

Quinta ex effectibus otij. *Multam malitiam docuit otiositas*, inquit Ecclesiasticus c. 33 9 & Ezech. 36. 49. *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & otium eius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Otia*, inquit Ouidius, *scis agere.* *Nihil agendo male discis.*

Ouidius, *sitollas periere Cupidinis arcus.* Et rursum: A

Quaritur, Aegystus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

& alius: *Otium corpus, mentem necat socordia, exercitatio verò vtrumque pulcherrimum facit. Otio*, ait S. Augustin. lib. 1. de Ciuit. *perit Roma, deleta Carthagine.* Hinc & Cleomenes rogatus cur Lacedæmonij Archiuos hostes suos non delerent, respondit: *Cos*, inquit, *sunt iuuentutis nostræ.*

Rationem dat Chrysost. homil. 7. in 2. ad Corinth. *Sicut*, inquit, *terra non occupata semente aut consitione, quamlibet herbam producet: sic & anima quoties non habet quod agat rerum necessariarum, cùm omnino cupiat aliquid agere, prauis actionibus semet tradit. Et quemadmodum oculus non desinit cernere, atque ob hoc cernit mala, si quando bona non sint obiecta: sic & cogitatio quoties se abducit à necessariis, circa* B *inutilia iam versatur; nam vndequaque perspicuum est, quòd occupatio ac solicitudo valet primum incursum repellere.* Hinc S. Antonius à Deo audiuit, *Antoni, quaris Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito. Quamdiu Dauid exercuit se in militia, non insultauit illi luxuria; sed postquam otiosus in domo remansit, laborauit adulterio, & homicidium commisit. Samson dum cum Philisthæis pugnauit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormiuit in sinu feminæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam; sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, & adorauit vitulum aureum.*

Otiosi hominis inertia & turpitudo.

Denique Chrysost. hom. 35. in Acta Apostolorum: *Quis*, inquit, *vtilior est, is qui in deliciis, vel qui exercetur? Quæ nauis, ea quæ nauigat, vel ea quæ in littore manet? Quæ aqua, eane quæ fluit, vel quæ stat?* C *Quod ferrum, an quod mouetur, vel quo nemo vtitur? nonne illud quidem splendet, ac argento simile est; hoc autem rubigine consumitur, & vbique inutile est? Tale quiddam fit etiam in otiosa anima. Rubigo enim quædam apprehendit illam, & consumit splendorem, ac aliæ omnia.* Deinde pergit Chrysost. graphicè otiosi hominis inertiam & turpitudinem depingere.

VERS. II. AVDIVIMVS (ἀκούομεν, id est audimus) ENIM INTER VOS QVOSDAM AMBVLARE INQVIETE (græcè ἀτάκτως, id est inordinatè, incompositè, de quo dixi v. 6. NIHIL OPERANTES, SED CVRIOSE AGENTES] Cùm enim, inquit ex Chrysostomo Theophyl. mens nostra mobilis sit (& quasi molendinum quod semper voluitur, & molit vel farinam vel seipsum) necesse est, si frugiferum opus non aggrediatur, vt infrugiferum & inutile attentet, adeoque aliorum vitas otiosè scrutetur, hincque D ad obtrectationem aliasque nugas deferatur.

Hinc verè dixit Cato, *Nihil agendo malè agere discimus*: atque econtrariò, semper agendo bene agere discimus. Ita narrant Poëtæ, Dianam virginitatem perpetuam seruasse, eò quòd numquā otiosa fuerit, quodque in montibus versata & occupata semper fuerit.

Mēs nostra non potest quiescere.

In Græco pulchra est paronomasia: μὴ ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, id est, non agentes, sed satagentes. Sic Tullius refert Domitium Afrum dixisse de Sura Manlio, cum non agere, sed satagere; eò quòd agendo tumultuaretur: agit enim qui suo fungitur officio; satagit qui vehementer, sed frustra molitur, inquit Erasmus. Est etiam antithesis. ἐργάζεται enim, qui operatur frugifera; περιεργάζεται, qui infrugifera, superuacua, inutilia, parerga, & nihil ad rem pertinentia agit & operatur. Quales sunt otiosi & curiosi, qui vacant & auent singulorum facta audire, narrare, iudicare, carpere; qui cùm nihil agant, satagunt tamen, mouent & incitant quosque vt faciant, turbent & mutent ea, quæ suæ phantasiæ inquietæ & turbulentæ facienda & mutanda videntur. Obseruat S. Hieron. in c. 3. Galat. 1. Apostolum sæpè suis literis propria gentis ad quā scribit, tam vitia quàm virtutes denotare; additque ad sua vsque tempora iisdē gentes illas obnoxias fuisse. *Sic*, inquit Hieron. *notat Apostolus Romanæ plebis fidem, facilitatem, superbiam; Corinthi mulieres intecto capite, viros comam nutrientes, indifferenter vescentes in templis, inflatos scientia seculari: Macedones in charitate laudat, in hospitalitate ac susceptione fratrum; sed reprehendit vt otiosos, alienum cibum expectantes.* Et hæc non magis docentis officio, quàm gentis virtute aut vitio admonebat. *Otiosorum & curiosorum magna vitia & vanitas.*

Rursum Nota. Docet hîc Apostolus homines otiosos esse curiosos, garrulos, dicaces; non agere, sed satagere: negotiosos verò, vt subdit, in silentio panem suum manducare, eosque; multa agere, sed pauca eaque; cordata loqui. Illos hirundinibus, hos cycnis cōparat Nazianz. epist. ad Celeusium. Cùm enim à Celeusio argueretur Nazianz. nimij silētij, quasi natura taciturnior, hoc apologo festiuè respondit. *Cycnos*, inquit, *olim cauillabātur hirundines, quòd nec cum hominibus versari, nec publicè, sed circa prata & flumina tantùm sibiipsis canere vellent: contrà, Nostræ, inquiebant, sunt vrbes, garritus, nostro mortales delinimus. At cycni earū garrulitate offensi, vix quidem eas dignas duxerunt quas alloquerentur. Vt autem eò adducti sunt: At, ô præclara, inquiunt, in solitudinē nonnemo conceſſerit, vt musicā nostrā audiat: cùm zephyro pennas nostras inflandas permiſimus, etsi non multum, iucundū tamen quiddā & concinnum modulamur. Vos verò & in ades admiſſas faſtidiunt homines, & canentes auerſantur, quippe quæ auiū ſitis loquaciſſimæ, & ne excisa quidē lingua ſilere valeatis. Proinde ſi mēā*, inquit Nazianz., *quoque taciturnitatem facundia tua præſtantiorem compereris, ſilentio noſtro obtrectare deſines.* *Apologus Nazianz. de taciturnitate & garrulit.*

IIS QVI HVIVSMODI SVNT DENVNCIAMVS (παραγγέλλομεν, id est præcipimus) ET OBSECRAMVS IN DOMINO IESV CHRISTO id est, per Dominum Iesum Christū. Nota. Pro *obsecramus*, græcè est παρακαλοῦμεν, quod Primò, significat hortamur; Secundò, obsecramus vel obtestamur. idque huic loco aptiùs conuenit: præcepto enim miscet Apostolus preces, vt mitigent præcepti seueritatem; néve vel præcipientis auctoritas, vel obsecrantis bonitas contemnatur, addit, *In Domino Iesu Christo.* VERS. 12.

VT CVM SILENTIO, (μετὰ ἡσυχίας, id est, cum quiete. ita Syrus & Vatabl.) OPERANTES SVVM PANEM (τὸν ἑαυτῶν ἄρτον, id est, suum ipsorum panem, non alienum) MANDVCENT] Non enim, inquit Theophyl. oportet eos defigere oculos in alienas manus, sed suum panem, id est sua manu & labore partum, comedere.

Fusè hunc locum tractat Cassian. lib. 10. qui est de Acedia, c. 7. & sequent. vbi c. 23. ait, *operantem monachum dæmone vno pulsari, otiosum verò ab innumeris spiritibus deuastari.* Et c. 25. ex Abbate Mose ait: *Experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam* (sic enim acriùs nos inuadet) *sed resistendo superandam esse.* Secùs est in tentatione luxuriæ: hæc enim fugā occasionum & illecebrarum superanda est.

Vos

VOS AVTEM NOLITE DEFICERE BENEFACIENTES] Otiosos & inquietos hactenus allocutus est & instruxit Apostolus; iam ad ipsum corpus Ecclesiæ Thessalonicensis sermonem conuertit. q.d. De vobis, ô Thessalonicenses Christiani, meliora confido & scio, scilicet vos paucis exceptis natiuam indolem & pronitatem ad otium per Christi fidem & gratiam commutasse, iamque non esse otiosos & inquietos, sed operari & benefacere. Hortor ergo vt ita pergatis, nec deficiatis (μὴ ἐγκακήσητε, id est, non segnescatis, non delassemini) benefaciendo, omnibusque charitatem exhibendo, etiam pigris illis & otiosis: à quibus licet v. seq. & v. 6 iubeam vt vos subtrahatis, ad eorum confusionem & emendationem; tamen nolo vt eos fame interire, aut graui inopia premi sinatis. ita Theophyl.

14. SI QVIS NON OBEDIT VERBO NOSTRO PER EPISTOLAM, monitis scilicet & præceptis meis, quæ hac epistola perscribo. S. Chrysost. pro ἡμῶν, id est nostro, legit ὑμῶν, id est vestro. q.d. Si quis non obedit vobis dicentibus & monentibus ea quæ perscribo, HVNC NOTATE (σημειοῦσθε, id est signate, vti signantur boues cornupetæ, inquit Erasm.) ET NE COMMISCEAMINI] id est, vt Syrus, nolite conuersari & commercium habere cum illo, vt confundatur; vt scilicet videns se ab omnibus vitari & negligi, pudefiat, pœniteat & corrigatur.

15. CORRIPITE VT FRATREM] Græcè νουθετεῖτε, id est admonete, & quasi mentem, quam amsit, reddite ac reponite. Ambros. legit, *monete consiliis.*

16. IPSE AVTEM DOMINVS PACIS (Deus fons, auctor & amator pacis) DET VOBIS PACEM SEMPITERNAM (Διὰ παντὸς, id est semper, perpetuò) IN OMNI LOCO] In Græco duplex est lectio; prior, ἐν παντὶ τρόπῳ, id est, in omni modo, hoc est, omnimodam, in omni negotio, putà in omnibus sententiis, dictis & factis pacem: vti explicat Theophyl. Posterior, ἐν παντὶ τόπῳ, id est, *in omni loco*, & sic legit, Noster, Ambros. Chrysost. & alij. estque aptior: optat enim vt eis Deus det pacem semper & vbique, id est, in omni tempore & loco.

SALVTATIO MEA MANV PAVLI] q.d. Salutationem hanc, qua vos saluto ego Paulus, mea manu subscribo. salutatio autem est oratio quæ sequitur, scilicet: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Docet Apostolus salutationes nostras debere esse non nuda amicitiæ symbola, sed orationes cum lucro spirituali coniunctas. ita Chrysost. & Theophyl. VERS. 17.

QVOD EST SIGNVM MEVM IN OMNI EPISTOLA. ITA SCRIBO. vti nos epistolis Vale subscribimus, ita Apostolus subscribit: GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN] Hoc enim hactenus omnibus eius epistolis subscriptum inuenitur. Hac ergo sententia quasi signo dignosci vult suas epistolas ab epistolis suppositiis pseudoapostolorum. ita Theodoretus. Nam relatiuum *quod* respicit vocem *salutatio*; hæc enim est signum, quod hîc ponit. salutatio autem hæc, vt dixi est quæ sequitur, *Gratia Domini nostri*, &c. Secundò, salutatio hæc videtur esse tota manus Pauli, id est, totum quod sua manu subscripsit hîc Paulus. q.d. Ne aliquis suas litteras mihi supponat, vti aliquos feciſſe dixi c. 2. v. 2. en ego mea manu subscribo, vt tum ex sententia mea iam dicta, tum ex scriptura meam esse epistolam, non adulterinam agnoscatis. Fortè fuit hîc etiam aliquis character subscriptus à Paulo, vt hoc vocet signum suum: sicut iam multi signum manus, vt vocant, per certos gyros, quos non facilè sit imitari, sub litteris suis delineant, vt iis ad quos scribunt constet epistolam esse genuinam, non suppositiam. VERS. 18. *Signum epistolarum D. Pauli.*

Da nobis Domine non deficere benefaciendo, da pacem sempiternam, da teipsum: quia tu es ÆTERNITAS pacis, gaudiorum & bonorum omnium. Amen.



COM-

COMMENTARIVS IN I. EPISTOLAM AD TIMOTHEVM.

ARGVMENTVM.

PAVLVS Epheso à fabris Dianæ pulsus iuit in Macedoniã & Græciam, Actor. 20. v. 1. relicto tamen Ephesi Timotheo, vt patet hîc c. 1. v. 3. vt scilicet semina prædicationis Euangelicæ à se iacta foueret & excoleret. Vnde Timotheus ob egregias animi dotes adhuc adolescens à Paulo creatus fuit primus Ephesi (inquit Eusebius lib. 3. hist. 4.) Episcopus, immò Archiepiscopus: iubet enim illi Apostolus, vt per alias vrbes Episcopos constituat & ordinet; quod est Archiepiscopi. Erat enim Timotheus, licet patre Græco & Gentili natus, à matre tamen Iudæa & Christiana, (cui Eunice nomen erat) in Christi fide educatus, ideoque probæ indolis, & à puero in sacris Litteris eruditus, zelosus pro fide, pro qua & Martyr Ephesi occubuit. Fuit & virgo per omnem vitam. vnde S. Ignatius epist. ad Philadelphenses, Timotheum inter virgines viroſque sanctissimos annumerat. *Vtinam*, inquit *fruar vestra sanctitate sicut Eliæ, sicut Iesu Naue, sicut Melchisedec, Eliæi, Ieremiæ, Iohannis Baptistæ, dilecti illius discipuli, sicut Timothei, Titi, Euodij, Clementis, qui in castitate de vita exierunt.* Hac ergo de causa creauit eum Paulus primum Ephesi Episcopum; eumque Ephesus fuerit metropolis omnium Asiæ Minoris Ecclesiarum, sequitur earumdem Primatem fuisse Timotheum.

Timotheus Archiepiscopus Ephesi.

Fuit Martyr & virgo.

Atque hac de causa Apocal. 2. Christus præ aliis primùm alloquitur angelum (id est Episcopum) Ephesi, quem hunc eumdem fuisse Timotheum, licet aliqui cum Ribera ibidem negent; verisimiliùs tamen asserunt Lyranus (qui ait hanc esse communem sententiam) Aureolus, Pererius, Viegas ibidem, Magallianus hîc, Baronius, & alij. Idque patet ex eo quòd Timotheus hoc tempore primus fuerit creatus Ephesi Episcopus, sederitq; ac vixerit post scriptam Apocalypsin, vti passim docent veteres, ac satis conuincit S. Dionys. qui post S. Iohan. scripsit, & pleroſque suos libros huic Timotheo inscripsit. Imò Baron. putat Timotheum sedisse Ephesi, & vixisse post S. Iohannem, ad annum Christi 109. tuncque martyrio perfunctum successorem habuisse Onesimum, cuius, quasi iam inchoantis episcopatum Ephesinum, meminit S. Ignatius scribens hoc eodem anno Christi 109 ad Ephesios, vbi & meminit huius Timothei, eumque vocat fidelissimum. Sic ergo angelum, id est Episcopum, Ephesi, Timotheum scilicet hunc, laudat Christus Apocal. 2. *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos, & non sunt; & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti; sed habeo aduersum te pauca, quia charitatem primam reliquisti.* nimirum etiam Sancti sensim tum in se, tum in Ecclesia sua næuos contrahunt, quibus primæ conuersionis feruor intepescit, præsertim tot annis, in tantis laboribus & difficultatibus: iam enim cùm hæc scriberet Iohannes, facilè Timotheus 40. annos Epheso præfuerat Episcopus. hæc enim epistola Pauli ad Timotheum Ephesi Episcopum scripta est anno Christi 57. Iohannes verò Apocalypsin, ac consequenter illa cap. 2. ad angelum Ephesi, id est, ad Timotheum, scribit anno Christi 98. sub finem imperij Domitiani: illo enim tempore scriptam esse Apocalypsin docet Irenæus l. 5. & ex eo Baron. Sed hunc teporem, monitus verbis Apocalypseos, correxit Timotheus. Vnde feruoris sui, & feruidæ prædicationis ac reprehensionis cultorum Dianæ, præmium tulit martyrium, vt habent Menologia 24. Ianuarij.

Fuit angelus Ephesi, de quo Apocal. 2.

Timotheo successit Onesimus.

Hunc ergo iuuenem Episcopum, imò Archiepiscopum, à se creatum hac epistola Paulus instruit & monet.

Primò, muneris Episcopalis, vt reiectis genealogiis & fabulis Iudaicis, doceat ea quæ fidem & charitatem excitent. *Argumenta singularũ capitum huius epistolæ.*

Secundò, c. 2. iubet orari pro principibus licet Ethnicis, vt sub eis vitam tranquillam & quietam agant. Deinde eodem capite docet quid viros deceat, quid mulieres, præsertim in Ecclesia.

Tertiò, c. 3. recenset virtutes requisitas in Episcopo, docetque quales, quàm eximios & exploratos debeat eligere & ordinare Ecclesiæ ministros, putà Episcopos, Pastores, Diaconos.

Quartò, c. 4. superstitiosum Encratitarum & Marcionitarum ciborum delectum, & coniugij vituperium, aliasque fabulas vitari iubet. Deinde monet, vt iuuentuti suæ, sanctitate morum, studio & doctrinâ, auctoritatem conciliet, aliisque sit exemplo.

Quintò, c. 5. præscribit quomodo monendi sint senes, iuuenes, anus, iuuenculæ, agitque de viduis senioribus Ecclesiæ, & presbyteris qui Ecclesiæ præsunt, alendis, ac iuniores viduas cautè tractandas esse admonet.

Sextò, c. 6. docet quid serui dominis debeant. Deinde quòd veræ diuitiæ sitæ sint, non in auro & argento, sed in pietate & virtutibus; quodque diuites in diuitiarum vanitate confidere minimè debeant. Denique repetit & inculcat, vt noua dogmata vitet, seruetque fidem, & doctrinam sibi quasi depositum traditam & commissam.

Sæpiùs hac epistola pungit & perstringit suborientes tunc hæreses Simonis. Vnde hæc epistola ex parte scripta est contra Simonianos, vti & epistola ad Ephesios, quorum Episcopus erat Timotheus.

Scriptam

Scriptam vult hanc epistolam Baron. cum Athanasio in Synopsi, & Theodoreto præfat. in Epistolas S. Pauli, è Macedonia post primam ad Corinthios, an. Christi 57. qui fuit Neronis primus, idque ex eo, quòd c. 1. 3. dicit Paulus: *Rogaui te vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam:* sed hæc verba non vrgent, nec significant hanc epistolam esse in Macedonia scriptam. Vnde Græca & Syra in fine epistolæ habent eam scriptam esse Laodiceæ, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ, estque hæc communior sententia, etiam Theodoreti in fine huius epistolæ, vbi sententiam suam priorem iam dictam mutat. Scripsit in hanc epistolam, & duas sequentes recenter Lud. Soto Maior, & Magallianus noster fusè & floridè, æquè ac nuper Iohannes Hessels Louaniensis Doctor.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, monet Paulus Timotheum, vt afferentes noua dogmata, genealogias & fabulas arguat, vtpote quæ lites generent, non autem ædificationem in fide & charitate, quæ finis est legis.

Secundò, v. 8. docet legem Mosis bonam esse, sed datam esse iniustis, non iustis; putà Iudæis, non Christianis.

Tertiò, v. 12. gratias agit non legi, sed Deo, quòd per Christum, qui venit peccatores (quorum, *inquit*, ego primus sum) *saluos facere, ex persecutore factus sit Christianus & Apostolus.*

Quartò, v. 18. commendat Timotheo militiam in fide & bona conscientia. Malam enim conscientiam asserit esse causam naufragij in fide & hæreseos.

1. PAVLVS Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ: 2. Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. 3. Sicut rogaui te vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam, vt denunciares quibusdam ne aliter docerent, 4. neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis: quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei quæ est in fide. 5. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 6. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, 7. volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 8. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur: 9. sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impijs, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, 10. fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, 11. quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. 12. Gratias ago ei, qui me confortauit, Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio: 13. qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 14. Superabundauit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Iesu. 15. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. 16. Sed ideo misericordiam consecutus sum: vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. 17. Regi autem sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. 18. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, 19. habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: 20. ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.

PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI SECVNDVM IMPERIVM DEI SALVATORIS NOSTRI, ET CHRISTI IESV SPEI NOSTRÆ] Nota. Pro *secundùm imperium*, græcè est κατ' ἐπιταγήν, id est, vt Vatabl. & Erasm. secundùm delegationem, iniunctionem, demandationem (alludit ad Hebræum מַלְאָכוּת *malachut*, de quo Aggæi 1. 13.) ἐπιτάσσειν enim significat iniungere & demandare quippiam. q. d. Apostolatum mihi ipsi non arrogaui, non arripui, sed Christus illum mihi demandauit; mandato Dei apostolatum accepi. Plus, inquit Chrysost. est esse Apostolum ex delegatione ac mandato, quàm ex vocatione; quomodo ad Romanos & alibi dicit se vocatum Apostolum: sicut plus est esse Legatum à Latere, quàm Nuncium Pontificis.

Quæres, Vbi Deus Pater demandauit apostolatum Paulo? Respondet Theoph. cùm opera SS. Trinitatis sint indiuisa, quod Filius iussit aut Spiritus

tus sanctus hoc iussisse & Patrem: atqui Spiritus sanctus Actor. 13. 2. *Segregate*, inquit, *mihi Saulum & Barnabam in opus* (apostolatus inter Gentes) *ad quod assumpsi eos.* Rursum Christus ad Paulum Actor. 22. sic ait: *Ad gentes longinquas mittam te.* & Actor. 23. *Cæsari oportet te stare.* Ergo ibi Deus Pater cum Filio & Spiritu sancto, Paulo apostolatum demandauit.

Secundò, Deus Pater vocatur hîc *Saluator*, quia nos per Christum vocat ad salutem, eamque procurat & promouet.

Tertiò, Christus vocatur *spes nostra*, id est, causa spei nostræ tum obiectiua & materialis; speramus enim Christi visione & fruitione beari: tum effectiua & meritoria; speramus enim non per Mosen legisque cæremonias, sed per Christum eiusque gratiam, tentationum victoriam, periculorum & malorum omnium aut tolerantiam, aut liberationem, ac denique æternam salutem & beatitatem. Et hoc proprie intendit hîc Apostolus. ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. tum finalis, quia finis spei nostræ & patientiæ ac omnis virtutis est Christus.

Aduerte, Christum per se & immediatè esse spem nostram, quia ab eo bona iam dicta speramus; Sancti verò & B. Virgo, dicuntur spes nostra, mediatè, scilicet per Christū: quia speramus per eorum preces apud Christum impetrare bona, quæ petimus. si enim Apostolus Thessalonicenses epist. 1. cap. 2. v. 19. sine Christi iniuria, vt ibi dixi, vocat non tantùm suam spem, sed & coronam gloriæ, cur non possimus ita vocare Sanctos & matrem Dei?

VERS. 2. TIMOTHEO DILECTO FILIO IN FIDE] Pro *dilecto*, græcè est γνησίῳ, id est *germano*, vt vertit Ambros. & Græci, hoc est, vt Syrus, *ingenuo*, vero, non adulterino, non degeneri, qui patrem suum spiritualem, Paulum scilicet, in fide & moribus per omnia refert: quod est verorum filiorum; Noster tamen ex germano dilectum intelligit per metalepsin. germani enim & ingenui filij præ alijs omnibus diliguntur: sic ad Titum 1. 2. vbi Apostolus vocat Titum germanum filium, Chrysost. dilectum filium interpretatur.

Nota Secundò. τὸ *in fide*, tam potest referri ad γνησίῳ, id est germano, cum Oecum. quàm ad *filio*, cum Ambros. & Chrysost. q. d. Timotheus mihi est filius, quem per prædicationem meam conuerti, & secundùm fidem genui, in qua fide ipse mihi sincerus, verus & germanus est filius, æmulusque paternæ doctrinæ & virtutis.

GRATIA, MISERICORDIA, ET PAX A DEO PATRE] *Nusquam*, inquit ex Chrysostomo Theoph. *in alijs epistolis posuit Apostolus* (in salutatione) *misericordiā* sed tantùm pacem & gratiam) *nisi in hac tantùm: idq; facit ex magno paterno affectu maiora filio exoptans, tamquam metuens ei, atque eius nomine tremens, cui & de stomachi ratione præcipiebat, simul quòd maiore misericordia præceptores indigeant.*

Secundam causam addit Rupertus in 1. Apoc. Paulum scilicet misericordiam optare Timotheo, eò quòd is in obiurgando, & crimina castigando esset æquo seuerior: solent enim iuuenes Prælati inexperti & acres feruore naturæ abripi, vt statim in momento omnia velint seuerè reformare, & ad disciplinam rigidam reuocare; & hac re multos offendunt, præsertim seniores, qui in iunioribus tam rigidam & seueram auctoritatem non ferūt. *Quia,* inquit Rupertus in 1. Apoc. *Paulus in Timotheo Episcopos omnes informabat, cuius officij summum & necessarium decus est misericordia, & ille* (Timotheus) *vt fertur, zeli erat seruentioris: idcirco rectè & oportunè viscera misericordiæ illi, vt haberet, præoptat. Hinc quoque subdit: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Hinc rursum commendat ei misericordiæ opera, & hospitalitatem, quod vt Episcopi obseruent, qui constituti sunt animarum præsides, multò maximè tam illis, quàm subditis, necessarium est.*

Nimia seueritas Prælatorū iuuenum offendit subditos.

Atque hanc volunt esse angeli Ephesi, hoc est Timothei, culpam venialem, quam carpit Christus Apoc. 2. quòd scilicet primum charitatis feruorem reliquerit: cùm enim, vt notat Hugo Cardinalis, actior esset, videretque se ob improborum corruptos mores parum concionando proficere, & Iudaizantes sibi valdè obsistere, decreuit à concionando (quod potissimum est Episcopi munus) cessare: ita nimirum iuuenilis acrimonia & feruor retusus, abit in teporem. atque hoc præuidens Paulus, cum hîc adhortatur, dicens: *Prædica verbum, insta oportunè, importunè, &c. Sicut enim*, inquit Chrysost. hom. de Lazaro & diuite, *aquarū vena, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamuis hauriat nemo, scatebras emittunt: ita Episcopus & concionator verbum Dei prædicare debet, etiamsi pauci illud audiant & conuertantur.* Sic Ieremias cùm obstrepentibus sibi Iudæis vellet à concionando cessare, iubetur à Deo pergere.

Quodnam fuerit peccatum Angeli Ephesi Apoc. 2.

NE ALITER DOCERENT] Græcè, μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, quod tā significat aliter docere, vt vertit Noster & Syrus, quàm alijs vti doctoribus (nam ex ἕτερος, id est alius, & διδάσκαλος, id est magister, doctor, componitur ἑτεροδιδασκαλεῖν, q. d. alio doctore vti) ac consequenter tam ad doctores, quàm ad discipulos pertinet, vt scilicet illi non adeant, nec audiant nouos doctores docentes alia à tradita & recepta fide. Vnde Vatablus vtrumque sensum complexus vertit, *ne diuersam sequantur doctrinam*; magis tamē videtur Apostolus ad doctores respexisse: insectatur enim hæreticos & Nouantes, vt patet ex sequentibus, iubetque eos nouas quæstiones & dogmata curiosa & fabulosa afferentes, grauiter reprimi & retundi ab Episcopo Timotheo. Et ita seipsum explicat Paulus c. 6. 3. dum ait: *Si quis aliter docet*, (græcè ἑτεροδιδασκαλεῖ) *& non acquiescit sanis sermonibus*, &c. Videtur ergo hîc Apostolus ex διδάσκαλος formasse verbum διδασκαλεῖν, hoc est, à nomine doctoris formasse verbum docendi. Vide can. 39. Et hoc est quod alijs verbis dixit Galat. 1. *Si quis euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* VERS. 3.

Quid sit ἑτεροδιδασκαλεῖν.

NEQVE INTENDERENT FABVLIS ET GENEALOGIIS INTERMINATIS (græcè ἀπεράντοις, quæ finem non habent:) QVÆ QVÆSTIONES PRÆSTANT MAGIS, QVAM ÆDIFICATIONEM DEI, QVÆ EST IN FIDE] Quæritur hîc, quas & quorum fabulas ac genealogias, Iudæorúmne an Gentilium, hîc perstringat Apostolus? Chrysost. Theoph. & Oecum. referunt hæc ad fabulas & theogonias Hesiodi & Gentiliū, quarū studiosus fuit Tiberius Cæsar, de quo Sueton. c. 7. in eius Vita: *Maximè*, inquit, *curauit notitiā historiæ fabularis, vsque ad ineptias & derisum: nam & Grammaticos huiusmodi ferè quæstionibus experiebatur: Qua mater Hecubæ? Quod Achilli nomen inter virgines fuisset? Quid Sirenes cantare sint solitæ*, &c. De his audi & Senecam epist. 89. *Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit: miser erat si tam multa* VERS. 4.

Tiberius Cæsar fabularum studiosus.

multa superuacua legisset. In his libris de patria Homeri quæritur: in his de Aeneæ matre vera: in his libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his an Sappho publica fuerit: & alia quæ erant dediscenda, si scires. Metire ætatem tuam, tam multa non capit.

Verùm meliùs ijdem Chrysost. Theophyl. Oecumen. Theodoret. Ambros. & alij censent Paulum loqui de fabulis & genealogijs Iudaicis, quales nunc extant in Talmud, & apud Cabalistas: adeoque Iudæorum Rabbini post Christum totam sacram Scripturam fabulis à se confictis contaminarunt, quas ipsi δευτερώσεις, id est, traditiones patrum nuncupant: de Iudæis enim agi patet ex v. 7. vbi vocat eos legis doctores, & v. 8. vbi legem (vtique Mosis) opponit hisce fabulis. Vnde S. Ignatius epist. ad Magnesianos: *Ne intendatis, inquit, fabulis aut genealogijs interminatis, & Iudaicis inflationibus*: quia scilicet in his inflantur & superbiunt Iudæi. Talis fabula est, inquit ex S. Augustino Beda hîc, quòd docent Deum Adamo duas creasse mulieres, ex quibus texunt genealogias interminatas. Tale est quod fabulantur de boue & ceto initio mundi creatis, qui alantur pro Iudæis in tempus Messiæ, vt cum eo epulentur: & bouem hunc tantum esse, vt mille quotidie montes depascatur. Quòd tempore Messiæ Iudæa proferat Iudæis panes coctos, & vestes sericas cuique Iudæo accommodatas. Quòd Deus quotidie lacrymam emittat, eò quòd gentem suam, putà Iudæos, vastari & exscindi permiserit. taliaq; infinita, partim anilia, partim blasphema, quorum nonnulla collegit Sixtus Senensis.

Pari modo genealogias interminatas, id est longissimas, & quasi infinitas, vocat series generationum, auorum, proauorum, quas pertexere solent Iudæi, imò ad Abraham vsque contentiosè deducere, vt suum genus & nobilitatem ostentent.

Nota, ante Christum studiosè in Genesi, in libris Paralipomenon, Esdræ, Iosue, & alijs genealogias Iudæorum pertexi; idque vtiliter, vt nimirum quisque sciret suam tribum, ac terræ portionem suæ tribui assignatam, vtque constaret quinam essent ex tribu Leui, ac consequenter futuri Leuitæ & sacerdotes, Deoque ministraturi. Tertiò & maximè, vt constaret Christum Messiam esse ex tribu Iuda, iuxta Iacobi vaticinium, Genes. 49. 10. natum, vt patet Matth. 1. Luc. 3. Hisce de causis tanta fuit Iudæis cura genealogiarum, vt Ioseph. libr. 1. contra Apion. testetur sacerdotes suas genealogias per duo annorum millia pertexere. Et Euseb. lib. 1. hist. cap. 17. docet Herodem libros genealogiarum Iudaicarum combussisse, sed studiosè à multis fuisse restitutos. Post Christum verò, Iudæis & iudaismo euersis, inutilis & futilis est hæc genealogiarum scrutatio & cognitio; vnde eam hîc carpit Apostolus.

Potest Secundo, à pari hic locus aptari fabulis Simonis & Simonianorum, & genealogijs Valentini, de quibus hunc locum Pauli explicat Tertullian. l. contra Valentinianos c. 3. *Si quis*, inquit, *ex alia conscientia fidei venerit, si statim inuenerit tot nomina, tot coniugia, tot genimina, tot situs, tot euentus, tot felicitates & infelicitates dispersæ atque concisæ diuinationis; dubitabítne has esse fabulas & genealogias, quas Paulus Apostolus damnare præuenit?*

Idem l. de Præscript. c. 33. sic ait: *Sed & cùm genealogias interminatas nominat (Paulus) Valentinus agnoscitur, apud quem æon ille nescio qui nouus & non*

A *vnius nominis generat è sua charite sensum & veritatem, & hi æquè procreant duos, sermonem & vitam. dehinc & isti generant hominem, & Ecclesiam, de qua prima ogdoade æonum, exinde decem alij, & duodecim, reliqui æones miris nominibus oriuntur in merau fabulam triginta æonum.*

QVÆ QVAESTIONES PRAESTANT MAGIS, QVAM AEDIFICATIONEM DEI, QVAE EST IN FIDE] Id est, quæ scilicet fabulæ & genealogiæ magis altercationes & rixas pariunt, quàm profectum in cognitione & cultu Dei, qui consistit in fide & pietate.

Nota. Pro *ædificationem* in Græco Noster, Syrus, Vatabl. & alij legunt οἰκοδομίαν, Chrysost. tamen Theoph. & alij legunt οἰκονομίαν, id est, dispensationem & ordinationem Dei, quæ est de fide, vt scilicet per fidem Christi omnes instruãtur ad gratiam, pietatem & salutem. Sed prior lectio est pla-
B nior & aptior, ideoque verior.

Tales fabulæ sunt, quales nonnulli cõfinxerunt de gestis & vitis Sanctorum, quales continet liber de Infantia Saluatoris. Hasce fingere ingens est temeritas & crimen: quia, vt Tertull. ait sub finem Apologetici, *Inuidia diaboli fit, vt fabulæ salutari doctrinæ admisceantur; vt sic fidei veritas & religio obscuretur & eneruetur.* Tales verò fabulæ non sunt quæstiones subtiles quas mouent Scholastici, quia fabulæ non sunt, sed fidem & veritatem illustrant ac confirmant. caueant tamen nonnulli, ne nimis quæstiones hasce multiplicent; & multas nouas nimis subtiles ac curiosas, parumque vtiles adinueniant, moueant & tractent: sapere enim oportet ad sobrietatem & ad ædificationem.

FINIS AVTEM PRAECEPTI EST CHARITAS DE CORDE PVRO, ET CONSCIENTIA BONA, ET FIDE NON FICTA] Probat Apostolus ἑτεροδιδασκαλίας, id est, C alias Nouantium doctrinas, fabulas & genealogias, non esse consentaneas legi & Euangelio. Probat autem sic: Finis legis est parere & nutrire fidem, spem & charitatem: atqui hæ fabulæ non pariunt ædificationem in fide, ac consequenter nec charitatem, sed quæstiones & lites: ergo hæ fabulæ non sunt secundùm legem & Euangelium. Vers. 5.

Multi per *præceptum*, cum Ambrosio intelligunt legem Mosis. q. d. *Finis*, id est, perfectio & consummatio omnium præceptorum, quæ continet lex Mosis, est charitas, vel, vt S. August. in Enchirid. c. penult. *Finis*, id est scopus, præceptorum Mosis est, vt homines inducant ad charitatem: sicut finis medicinæ est, vt hominem sanet. Παραγγελία, *id est præceptũ, tripliciter exponitur.*

Secundò, Chrysost. & Theophyl. intelligunt D præceptum Pauli datum hîc Timotheo v. 3. vt scilicet denunciaret nonnullis, ne aliter docerent quàm Paulus docuerat: pro præcepto enim græcè est παραγγελία, eadem scilicet, qua vsus est v. 3. cùm ait, *Vt denunciares*, græcè ἵνα παραγγείλῃς. q. d. inquit Theophyl. *Si denuncies & præcipias eis, vt non doceant aliter, hac denunciatione & præcepto tuo perficies charitatem; quòd si charitatem inseruieris, vniuersum dogma prauum abibit. antea enim cùm non esset dilectio, inuidia erat: ex hac sequebatur dominatus cupiditas, ex hac porro docendi ambitio nascebatur, indéque hæreses suboriebantur: nunc autem non sic.* Verùm hi vocem generalem præcepti nimis arctãt & restringunt ad vnum hoc Pauli præceptum.

Vnde Tertiò, cum Vatablo & alijs, per παραγγελίαν intelligit Apostolus Euangelicam legem, eiusq; denũciationem & prædicationem: hoc enim est παραγγελία. camdé intelligit v. 3. cùm ait, *Vt de-* *Præceptum est Euangelium Christi lex.*

Cornel. in Epist. Pauli.

nunciares, græcè ἵνα παραγγείλῃς, *quibusdam, ne aliter docerent.* sub hoc enim intelligit à contrario, vt denunciet & prædicet tam ipse, quàm alij omnes doctores eadem secum, seu ea, quæ ipse Paulus docuerat: hoc enim est potissimum Episcopi munus, prædicare scilicet Euangelium, vt docet Concil. Trident. sess. 5. c. 2. q. d. Finis Euangelij & legis Euangelicæ, ac consequenter finis prædicationis Euangelij, adeoque finis legis Mosis (hæc enim ordinatur & dirigit homines ad Christi legem & Euangelium) est, ducere homines ad charitatem, vt scilicet legem Euangelicam exercendo & practicando, acquiramus, vel, si acquisita sit, augeamus in nobis charitatem sinceram, quæ manat ex corde puro (Syrus, sincero) & conscientia bona, & fide non ficta, græcè ἀνυποκρίτου, id est, non simulata, vel quæ est sine hypocrisi. q. d. Finis legis est fides & bona conscientia (siue spes, quam parit bona conscientia) & charitas, non autem fabulæ & genealogiæ interminatæ, quæ non fidem & charitatem, sed lites & rixas pariunt.

Finis Euangelij est charitas.

Triaepitheta trium virtutum Theologic.

Nota hîc Primò, tria epitheta & tres causas trium virtutum Theologicarum: charitas enim dicitur manare *de corde puro*, id est esse pura, & vicissim quòd puritas gignat charitatem: spes debet esse sibi bene conscia, & vicissim bona conscientia spem parit: fides debet esse sincera, & vicissim sincerus amor veritatis parit fidem. Rursùm ex his omnibus consurgit charitas, quasi finis legis Euangelicæ, culmen & apex perfectionis: fides enim sincera parit bonam conscientiam & spem, hæc pariunt cor purum, atque hæc omnia pariunt deniq; charitatem. Vnde hîc tres sunt circumstantiæ & conditiones, ac quasi radices charitatis. Primò, vt sit ex corde puro; Secundò, vt sit ex bona conscientia; Tertiò, vt sit ex fide sincera.

Tres radices charitatis.

Charitas de corde puro quæuam?

Nota Secundò. Charitatem hîc opponit amori mundano & carnali; quo etiam prædo prædonem socium amat, inquit Theophylactus, sed non ex corde puro: quia tantùm eo fine diligit eum, vt se in prædando adiuuet: charitas verò est de corde puro. *Cor purum*, inquit S. August. l. 1. de Doctrina Christiana c. 5. & seq. *est vacuum cupiditate & amore sui, vt nihil aliud diligatur, quàm quod diligendum est;* scilicet Deus in se, & proximus omniaque cætera propter Deum.

Bona conscientia est cor purum.

Nota Tertiò. Bona conscientia idem est cum corde puro. Vnde S. Ambrosius bonam conscientiam interpretatur bonam vitam: hæc enim materialiter est bona conscientia. vel, si omnino præcisè & formaliter loqui velimus, bona conscientia resultat ex corde puro. sicut enim scientia oritur ex re scita quasi ex obiecto suo; ita bona conscientia oritur ex corde puro quasi ex obiecto suo; conscientia enim non est aliud quàm scientia & testimonium animæ, quo anima bene sibi conscia est, sibique attestatur se purè & sanctè iuxta Dei legem viuere.

S. August. per bonam conscientiã intelliget spem.

S. August. tamen in psalm. 31. per bonam conscientiam intelligit spem, quam efficit bona conscientia, quemadmodum desperationem generat mala conscientia. Vnde S. Hilarion apud S. Hieron. *morituru sibi ipsi dicebat: Egredere anima mea, quid times? septuaginta propè annis Christo seruisti, & mori times?* Sic & Paulus 2. Timoth. 4. ait: *Bonum certamen certaui*, &c. *in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*, &c. q. d. hîc Paulus: Finis Euangelij est fides, spes, charitas, siue charitas, quæ ex fide & spe consurgit. *Homo*, inquit S. August. libr. 1. de Doctrin. Christiana cap. 39. *Fide, spe & charitate subnixus, eaq; inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos; atque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt.* Idem serm. de laudibus charitatis: *Ille tenet & quod latet, & quod patet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.*

Nota Quartò. Fortitudo charitatis consurgit ex bona conscientia: hæc enim nihil metuit, per hanc Martyres coram tyrannis liberè fidem professi sunt, & tormenta quæuis fortiter sustinuerũt. Bias interrogatus quidnam in vita meru vacaret, respondit: Bona conscientia. Tiburtius ad tyrannum: *Omnis*, inquit, *nobis vilis est pœna, vbi secura comes est conscientia.* Tertullianus libr. ad Scapulam Carthaginis Præsidem in Christianos sæuientem, cap. 1. *Cum omni*, inquit, *sanitia vestra concertamus, etiam vltro erumpentes, magisq; damnati, quàm absoluti gaudemus.* Idem Apologetici c. 50. *Licet*, inquit, *nunc nos sarmentitios & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis deuincti sarmentorum ambitu exurimur; hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.* Et Iustinus apologia 1. *Quanto magis in nos sæuitur, tanto plures pietatem profitemur, haud secùs quàm si quis vitem putatione prouocet ad vbertatem.*

Fortitudo bona conscientia inuicta.

Moraliter hæc tria charitatis epitheta aptè Prælatis accommodat S. Bernardus serm. de tribus ordinibus Ecclesiæ ad Patres in Capitulo. *Necessaria*, inquit, *est, & omnino necessaria nauis ista Prælatis, tribus compacta lateribus, vt sit charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Puritatem quidem cordis in eo Prælatus habeat, vt prodesse desideret, non præesse, vt proprium commodum, & honorem sæculi, & aliud quippiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei & animarum salutem: sed cum intentione pura, irreprehensibilis quoque necessaria est conuersatio, vt forma factus gregis incipiat facere & docere, ne docens audiat à fratre: Medice cura teipsum. Talis enim occasio plurima damnatio Prælati, plurima subditorum perditio est: oportet enim irreprehensibilem esse eum qui præest, quoniam ea quæ arguit in discipulis, oportet summopere vitare magistrum. Et fide non ficta: quia qualis est in conuersatione, talis sit necesse est etiam in occulta cogitatione, ne videatur foris humilis, & intus sit elatus.* Vbi S. Bernardus bonam conscientiam interpretatur conuersationem irreprehensibilem: hæc enim ex illa manat, illiq́ue necessariò coniuncta est, vt dixi.

Morale, de tribus ordinibus Prælatorũ.

A QVIBVS QVIDAM ABERRANTES CONVERSI SVNT IN VANILOQVIVM] Pro *aberrantes* græcè est ἀστοχήσαντες. quæ vox sumpta est à iaculatoribus, diciturq́ue de ijs, qui carentes arte iaculandi & collimandi in scopum, ab eo aberrant, & in aërem, alióue sua tela conijciunt. Sic hîc Euangelicæ legis & veritatis scopus est sincera fides, spes & charitas iam dicta: à qua qui aberrarunt doctores, à scopo aberrarunt, & in vaniloquium conuersi sunt (græcè ἐξεκλίθησαν, id est, conuerterunt se, & sponte defluxerunt) & pro vera Christi Theologia, matæologiam sectati sunt & induxerunt. ita ita Chrysost. Theoph. Oecum.

Pulchrè Aristoteles 2. Ethicor. c. 6. docet virtutem (ac consequenter & veritatem) in medio consistere, essèque quasi centrum in circulo. Hinc *peccare*, inquit, *multis modis contingit, rectè verò agere vnico.* Et c. 9. *Difficile est*, ait, *in vnoquoque medium capere,*

Virtus est in medio, sicut centrum in circulo.

capere, quemadmodum etiam difficile est in circulo medium inuenire, vel centrum. sic difficile est operanti medium, in quo virtus consistit, attingere, & ab eo non excidere, vel deflectere in extrema: sicuti difficile est sagittario sagitta sua scopum configere, cùm multis modis ab eo deflectere, vnico verò tantùm eum tangere possit.

RS. 7. VOLENTES ESSE LEGIS DOCTORES, NON INTELGENTES NEQVE QVAE LOQVVNTVR, NEQVE DE QVIBVS AFFIRMANT] Hinc patet de quibus loquatur Apostolus, & quæ fuerit causa erroris eorum: videlicet quòd de Iudæis ad Christum conuersis loquatur, qui ambitiosi erant, cupiebantque haberi legis Mosis periti & doctores: hinc suas deteroses & fabulas, falsaque dogmata asserebant, ac præsertim hoc, quòd lex Mosis seruanda esset cum Euangelio, quodque ex operibus legis iustificaremur. Vnde subdit, *Non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* q.d. Neque principia, neque conclusiones doctrinæ suæ intelligunt, neque legem & Scripturam Mosis, neque eius explicationem capiunt: quia non intelligunt finem & scopum legis esse Christum, eiusque fidem, spem & charitatem.

Hinc verè S. August. l. 8. de Gen. ad litteram c. 25. *Mater*, inquit, *omnium hæreticorum est superbia, & cupiditas gloriæ, & studium scientiæ. Vnde de Scribis & Pharisæis Matthæi 23. dictum est à Christo Domino: Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.*

IS. 8. SCIMVS AVTEM QVIA BONA EST LEX, SI QVIS EA LEGITIME VTATVR] Est occupatio. quia enim v. præced. carpsit vanos legis doctores, videri poterat Iudæis legem carpsisse: hoc enim passim Iudæi obiectabant Paulo, quòd esset legis Mosis hostis & demolitor. Hanc inuidiosam calumniam amolitur hîc à se Apostolus. q.d. Dum legis doctores sed vanos carpsi, non carpo legem: scio enim & profiteor legem esse bonam, si tamen lege *legitimè* (ἐὰν νόμῳ νομίμως, id est, si lege secundùm ipsam legem & legis mentem) vtaris. Legis autem mens & finis est, homines ad Christum ducere. Qui ergo lege vtitur legitimè, id est, quemadmodum lex ipsa iubet, hic Christum præfert legi, inquit Chrysost. & Theophyl. & non à lege, sed à Christo iustitiam exspectat: imò, vt sequitur, scit legem non esse positam Christianis qui iusti & sancti sunt, sed iniustis & sceleratis.

Secundò, qui docet & simul facit ea, quæ lex iubet, hic legitimè lege vtitur; qui verò docet & non facit, vtitur lege illegitimè, inquit Theophyl. Præsertim verò lege vtitur legitimè, qui ita legi studet, eamque facit & explet, vt semper finem legis habeat præ oculis, vt scilicet per legem inflammet in se & in alijs charitatem ex corde puro, vt dixi v. 4.

IS. 9. SCIENS HOC, QVIA LEX IVSTO NON EST POSITA] Hoc est vnum, quod inter cætera requirit Apostolus ad hoc, vt quis legitimè lege vtatur, vt videlicet sciat eam iustis non esse positam, sed iniustis, eosque abuti lege, qui per eam terrent iustum, & ad iustum legis minas & seueritatem pertinere volunt. Qua sententia Apostolus torquet Iudæorum obiectionem in ipsosmet Iudæos: Vos, inquit, mihi obijcitis me legem abolere & carpere. ego id inficior: sed dico legem bonam esse, modò tamen ea quis bene vtatur: ad quod inter alia requiritur, vt sciat legem non positam esse iustis, sed iniustis. Vos autem ô Iudæi, vultis legem Mosis positam es-

A seiustis, scilicet Christianis fidelibus sanctificatis & iustificatis per Christum in baptismo, eosq; terretis minis legis, allegantes illud Deut. 27. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*; ergo vos, ô Iudæi, lege non vtimini legitimè; nec lex vobis bona est, quia propter eam facitis vos exleges Christi & iustitiæ. Hinc toties Apostolus in epistola ad Romanos & ad Galatas, dicit se & Christianos solutos esse à lege, & Christum nos redemisse de maledicto legis, &, si spiritu ducamur, nos non esse sub lege. Iudæi enim nonnisi legem prædicabant, & per legem excludebant Euangelium. Hisce rectè opponit Apostolus dicens, legem non positam esse iustis, sed iniustis. q.d. Lex non est posita Christianis, iustis & sanctis; sed Iudæis, qui quasi serui duri & rebelles, metu pœnarum legis, ad legem seruandam cogen-
B di erant: Christianis verò pro lege datum est Euangelium, Spiritusque gratiæ & amoris, vt sua sponte faciant id quod lex Dei iubet.

Nota Primò. Loquitur maximè Apostolus de decalogo legis: hic enim positus est homicidis, fornicarijs, periuris, de quibus sequitur.

Nota Secundò. *Lex iusto non est posita*, id est, lata non est ad iustos coërcendos: iusti enim sponte sua se conformant legi, amore iustitiæ & obedientiæ, non timore pœnæ, quam lex transgressoribus minatur: sed lata est, vt minis suis & pœnis coërceat impios. Patet hic sensus ex sequentibus, q.d. Sicuti pædagogo nō est opus iuueni qui iam satis instructus est, nec minis & flagellis opus est seruo qui sponte facit imperata: ita lege minaci & pœnas intentante non opus est iusto, qui sponte sua facit bonum & honestum quod lex imperat. *Quo sensu lex iusto non sit posita.*

C Hinc Tertiò, malè inferunt Libertini, iustos non obligari lege etiam decalogi: in lege enim sunt tria, obligare videlicet, dirigere, & coërcere siue punire. duo priora lex exercet in omnes etiam iustos: tertium solùm in iniustos.

Vnde pulchrè moraliter S. Chrysost. *Iustus*, inquit, *non est sub lege, sed supra legem.* Et August. in psalm. 1. *Iustus*, ait, *non est sub lege, quia in lege Domini est voluntas eius. qui enim in lege est, secundùm legem agit; qui sub lege est, secundùm legem agitur. ille ergo liber est, iste seruus.* Vide eumdem de Spiritu & littera c. 10. *Iustus non est sub lege, sed supra legem.*

LEX IVSTO NON EST POSITA, SED INIVSTIS, ET NON SVBDITIS, IMPIIS ET PECCATORIBVS, SCELERATIS ET CONTAMINATIS, PARRICIDIS ET MATRI- VERS. 10.
CIDIS, HOMICIDIS, FORNICARIIS, MASCVLORVM CONCVBITORIBVS, PLAGIARIIS, MENDACIBVS ET PERIVRIS, ET SI QVID ALIVD SANAE DOCTRINAE ADVERSATVR, QVAE EST SECVNDVM EVANGELIVM VERS. 11.
GLORIAE BEATI DEI, QVOD CREDITVM EST MIHI] Nota Primò. Pro *iniustis*, græcè est ἀνόμοις, id est, exlegibus. Pro *non subditis*, græcè est ἀνυπότακτοις, id est *inobsequentibus*, vt vertit S. Ambrosius, qui scilicet subdi & obsequi nolunt, sed inobedientes, refractarij & rebelles sunt, vt vertit Syrus. de quibus dicitur Ieremiæ 2. v. 20. *A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula mea*, (præcepta quibus lege mea te alligaui:) *dixisti, Non seruiam.*

D Nota Secundò. Pro *sceleratis*, græcè est, ἀνοσίοις, quod Vatabl. & Erasm. vertunt, *irreuerentibus*, qui scilicet nec Deum, nec homines reuerentur. ὅσιος enim deducitur ab ἄζομαι, id est, veneror, colo, reuereor.

Rursum pro *contaminatis*, græcè est βεβήλοις, A id est, profanis & arcendis à sacris. Arcendi autem sunt contaminati aliquo piaculo, præsertim tali, quo sacra violarunt & profanarunt. Sic Esau Hebr. 12. vocatur *profanus*, eò quòd propter escam vendidit primogenita: ius enim primogenituræ ob annexam illo tempore sacerdotij dignitatem, sacrum erat.

Plagium est furari homines.

Nota Tertiò. *Plagiarij* hîc vocantur, non, vt Lyranus & Hugo, qui plagas & verba alijs infligũt; sed qui aliena mancipia rapiunt & sibi vendicant, aut qui homines liberos inseruitutem abripiunt, eosque pro mancipijs vendunt aut emunt: hoc enim significat Græcum ἀνδραποδισταῖς. ἀνδράποδον enim est mancipium, inde ἀνδραποδιστὴς dicitur, id est plagiarius. quemadmodum enim, inquit Erasmus, qui sacra furantur, sacrilegi: qui de publico, aut de principis fisco, peculatores: qui autem iumenta aliena abripiunt, abigei: ita qui liberos aut seruos alienos abducunt & furantur, plagiarij à Iureconsultis vocantur; & furtum ipsum, plagium nuncupatur, quod pœna mortis plecti iubet Dominus Deut. 24. 7.

Nota Quartò. Apostolus *sanam doctrinam* dicit esse eam, quæ est secundùm Euangelium; quia scilicet Euangelium non est aliud quàm sanæ normæ doctrinæ; adeoque doctrina Euangelica est ipsa sana doctrina, vt, quidquid contrarium aut conforme est sanæ doctrinæ, contrarium aut conforme sit Euangelio; & omne peccatum quod aduersatur sanæ doctrinæ, aduersetur quoque Euangelio. Rursum hisce verbis, ait Theodoret. ostendit Apostolus, quòd ea quæ obseruatu sunt necessaria ex lege Mosis, conueniant cum Euangelio, eoque præscribantur, vti præcepta decalogi: cætera verò legis Mosis cæremonialia & iudicialia præcepta superuacanea iam esse; atque hoc ipso tacitè elidit dogma Iudaizantium, volentium legalia miscere cum Euangelio. Contra quos hîc docet Apostolus Euangelium sufficere, vtpote quod contineat omnem sanam de fide & moribus doctrinam, adeoque sit ipsa sana doctrina.

Euangeliũ gloriæ, id est glorioſum, quintupliciter.

Nota Quintò. Vocat *Euangelium gloriæ*, id est glorioſum. sic enim 1. Corinth. 3. opponit Euangelium legi Mosis, quòd illud præ hac fuerit glorioſum, quia lex fuit quasi vmbra, Euangelium est quasi lux, splendor & claritas. Secundò, *Euangelium gloriæ*, id est, quo glorificatur Deus beatus & beatificator, ait Vatabl. Sic 2. Corinth. 4. 4. vocat *Euangelium gloriæ Christi*, quia in Euangelio glorificatur Christus, Christi redemptio, gratia, resurrectio & diuinitas. Tertiò, vocat *Euangelium* D *gloriæ*, quod promittit & ducit nos ad æternam gloriam. ita Chrysost. & Theophyl. Quartò, vocat *Euangelium gloriæ*, eò quòd propter Euangelium pati pro Christo non sit ignominioſum aut stultum, sed glorioſum. & idcirco addit μακαρίου, quòd in his malis sit vera beatitudo. ita Chrysost. & Theophyl. Quintò, *Euangelium gloriæ*, id est gratiæ. q. d. Euangeliũ annunciat & adfert nobis gratiam Dei glorioſam. Sic dicitur Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria*, id est, gratia Dei glorioſa. Per metonymiam hic sensus cohæret cum primo, estque simpliciſſimus & planiſſimus: dicitur enim *Euangelium gloriæ Dei*, quia in eo Deus suam gloriam & magnificentiam, tum in multiformi gratia huius vitæ, tum in cælesti gloria in cælis ostendit & manifestat.

Nota Sextò. Aptè hîc Deum vocat *beatum*, vt notet fontem gloriæ Euangelij iam dictæ: ex immensa enim Dei bonitate & felicitate proueuit, quòd dignatus sit hominem perditum reparare, & per hoc gloriæ Euangelium, se suamque gloriam ac beatitatem homini communicare. sicut enim in inope & inuido indigentia & miseria causa est inuidiæ, ita felicitas in beato causa est misericordiæ; bonum enim in seipso redundans in alios se effundit. Hinc Deus hebraicè dicitur שַׁדַּי *saddai*, id est sufficiens, abundans, & bonorum omnium cornucopiæ, vt dixi Philipp. 4. 11. *Miseria causa est inuidia, felicitas causa est misericordia.*

GRATIAS AGO EI (Deo) QVI ME CONFORTAVIT, VERS. 12.
CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO] Ita Romana, Græca & Græci, ac Syrus. Delenda ergo præpositio, *in*, cum qua quidam sic legunt, *in Christo Iesu*.
B Sensus est: Gratias ago Deo meo, qui me confortat ad Christi gloriam: qui scilicet vires & animos mihi suppeditat, vt Christum potẽter & intrepidè annũciem. Dixerat Apostolus v. 11. sibi à Deo creditum esse Euangelium, hinc Deo iam gratias agit.

Potest Secundò, τῷ *Christo* exponi, per Christũ, & Christi gratiam confortat me Deus. *Quia*, inquit Theoph. *dixerat: Quod mihi creditum est, ne videatur ideo gloriari, ad Deum istud refert, Illi, inquiens, gratia debetur, qui vires mihi dedit, vt valeam recipere taleonus; aduersus enim quotidianas mortes consistere non erat humanæ potentiæ. Hæc verè est humilitas & animus minimè alta spirans, vel superbiens. Nostra verò humilitas non est ταπεινοφροσύνη, id est, humilium rerum affectus, sed est ταπεινορρημοσύνη, id est, in verbis tantùm consistens & lingua humilitas.*

QVIA FIDELEM ME EXISTIMAVIT, PONENS ME IN MINISTERIO] apostolatus, & prædicationis Euangelij. Refer hæc verba ad *gratias ago*. q. d. Gratias ago Deo hoc nomine, quòd fidem me existimauerit, id est, fidelem me existimando, crediderit mihi Euangelium, vt dixi v. præced. & posuerit me in eius ministerio. est ergo metalepsis talis, quali vulgò dicimus: Dominus meus fidelem, vel sufficientem me existimauit & iudicauit ad œconomiam suæ domus, id est, credidit mihi œconomiam suæ domus.

Hinc patet, fidelem hîc non significare credentem, aut Christianum, vt vult Ambrosius & alij, sed qui fidus est, & qui bona fide credita sibi negotia administrat.

Secundò, Hesselius & alij exponunt: *fidelem me existimauit*, id est fecit. Sic Philipp. 2. dicitur Christus rapinam non esse arbitratus, id est non fecisse rapinam iuxta quosdam: verba enim Hebræorum mentalia subinde pro realibus sumuntur, & contrà, vt dixi can. 36. Verùm hic sensus videtur esse durior ac præter mentem Apostoli: esto à parte rei verum sit Deum priùs fecisse Paulum fidelẽ, quàm eum esse fidelem existimaret. sed hoc non intendit hîc Apostolus; tantùm enim pro apostolatu, & credito sibi Euangelio, gratias agit Deo.

An Paulus electus ad apostolatũ, quia fidelis.

Tertiò, Theophyl. proprie accipiendo verbum *existimauit*, sic explicat, dicens, quòd Paulus præ Iuda reiecto electus sit ad apostolatum & prædicationem Euangelij, ex eo euenisse, quòd Deus meliorem & fideliorem Pauli indolem præuiderat & præcognouerat, talemque fore iudicauerat: & quòd Paulus pro hoc Dei iudicio Deo gratias agat, sicut œconomi gratias agunt dominis, quòd se fideles & industrios iudicent, aptosque ad œconomiam hoc ipso, quo illam illis credunt & committunt.

tunt. Post hanc præuisionem, iudicium & electionem Dei, inquit Theophyl. Deus Paulo robur addidit, vt opus sibi creditum fideliter expleret & perficeret, vt scilicet intrepidè & efficaciter euangelizaret. Sed hic sensus aliquid pelagianismi sapit: nam, vt docet August. de Prædest. Sanct. c. 23. 20. Deus Paulum & quemcumque alium non elegit ad gratiam, ac consequenter nec ad apostolatum (videtur enim Deus cùm Paulum vocauit ad fidem & gratiam, hoc ipso simul destinasse eum & vocasse ad apostolatum, vt colligitur Actor. 9. 15.) quia dignus & fidelis erat; sed potiùs vocando & eligendo eum, dignum & fidelem fecit. Fateor tamen potuisse Deum secundariò ad naturales Pauli dotes respicere, atque ob eas potiùs illum, quàm alios eis carentes ad Apostolatum eligere. v.g. ob id quòd Paulus in lege peritus erat, quòd acrisingenij, feruentis naturæ, quòd generosæ esset indolis: id enim indicare videtur August. 22. contra Faustū c. 70. Verùm prima & potissima causa cur Paulum præ alijs elegerit, non tantùm ad gratiam, sed etiam ad apostolatum, fuit liberalis Dei voluntas & specialis misericordia in Paulum, non in alios. Vnde illi apostolatum suum acceptum refert, & gratias agit hîc Paulus.

13. QVI PRIVS BLASPHEMVS FVI, ET PERSECVTOR, ET CONTVMELIOSVS] Pro *contumeliosus*, græcè est ὑβριστὴς, quod, vt vertit Vatabl. *violentum* significat, qui vim infert, aliumque opprimit: S. August. hom. 25. inter 50. vertit, *iniuriosum*. nimirum hoc est, quod ait Lucas Actorum cap. 9. *Saulus adhuc spirans minarum & cædis*. Paulus enim hîc per gradationem peccatum suum exaggerat. Gradus primus est, quòd Christum blasphemauerit & verbis maledixerit. Secundus, quòd factis & reipsa persecutus sit. Tertius, quòd vim attulerit & percusserit Christi fideles, conatusque sit Christianum nomen abolere.

SED MISERICORDIAM DEI CONSECVTVS SVM, QVIA IGNORANS FECI IN INCREDVLITATE] Græcè ἀλλὰ ὅτι, id est, sed & misericordiam, &c. q.d. Non solùm veniam consecutus sum, sed etiam misericordiam, vt fierem Apostolus, quia per ignorantiam ex incredulitate ortam peccaui: nesciebam enim me Messiam persequi, zelo legis agebar, ac pro lege Mosis, quasi pro Dei lege pugnabam.

Dices, Apostolus se dicit misericordiam consecutum, quia ex ignorantia peccauit; ergo hoc ipsum quòd peccauerit ex ignorantia, causa (hanc enim significat coniunctio causalis *quia*) fuit, cur Deus misertus sit Pauli, eumque vocarit ad fidem & gratiam; ergo primæ vocationis, & primæ gratiæ, ac consequenter ipsius prædestinationis potest ex parte hominis dari initium, imò & causa: quod tamen damnat Concilium Arausican. can. 5. 6. & 7.

Pro responsione Nota cum Lud. Molina 1. p. q. 23. art. 4. disp. 1. membr. 12. licet prædestinationis, & consequenter primæ vocationis & gratiæ nulla detur ratio, dispositio, meritum ex parte hominis, cùm homini obueniat ex mera Dei voluntate & misericordia; tamen subinde Deus in æterna sua prædestinatione ad circumstantias & vsum liberi arbitrij præuisum attendit: verbi gratia, hîc in Paulo, ad qualitatem ignorantiæ, quæ malum vsum liberi arbitrij excusabat, respexit tamquam ad conditionem, non propter quam etiam tamquam causam congruentem Paulum vel præ-

A destinaret, vel tam magnificè, & ad tam magna vocaret & eueheret (sic enim initium gratiæ & salutis esset ex bono vsu liberi arbitrij, quod damnat Concilium Arausic. & Ecclesia) sed attendit & respexit Deus ad hanc Pauli ignorantiam tamquam ad conditionem sine qua non statuisset illum ita prædestinare, & tam magnificè vocare, putà si Paulus peccasset ex malitia.

Ad argumentum ergo Respondeo negando primam consequentiā, ac consequenter cæteras quæ inde deducuntur. Ad consequentiæ probationem Respondeo, coniunctionem *quia*, causam significare non directam & propriam, sed indirectam, ac tantùm amouentem impedimenta: ignorantia enim purgauit & amouit certam & destinatam malitiam, quæ est impedimentum diuinæ vocationis & gratiæ: Paulus enim peccans ex ignorantia, non
B quidem dignior, minùs tamen indignus fuit venia, minusque impediuit Dei vocationem, quàm si peccasset ex malitia, vti fecerunt Scribæ alijque Iudæi, inquit Theophyl.

An fuerit effectus gratiæ Christi, quòd Paulus non peccarit ex malitia, sed tantùm ex ignorantia?

Addunt aliqui cum Gabr. Vasquez, hanc impedimenti amotionem proficisci ex gratia Christi, siue gratiam Christi præseruasse Paulum ne peccaret ex malitia, itaque impediret Dei vocationem: putant enim omne qualecumque, etiamsi negatiuum tantùm, vocationis initium, manare ex gratia Christi. sed nihil est, quod cogat eousque extendere gratiam Christi. Concilia enim
C & Patres, cùm negant initium fidei & salutis esse ex nobis, loquuntur de initio propriè dicto, quod positiuè & propriè orditur & inchoat viam ad iustitiam & salutem, ad eamque hominem disponit & ducit: alioqui enim pari modo fateri cogemur omnia opera moraliter bona, quæ faciunt infideles antequam fidem Christi suscipiant, esse ex gratia Christi, ac consequenter esse opera gratiæ, non naturæ; cùm tamen Apostolus ad Roman. 2. & ex eo Doctores omnes doceant, Gentes naturaliter, id est, solis naturæ viribus, multa facere bona, quæ lex præscribit, vti sunt, honorare parentes, iustitiam colere, vitare homicidium, furtum, &c.

Peccatori consulendum vt minùs peccet.

Moraliter hinc deduces, sanum consilium dandum peccatoribus etiam obstinatis, scilicet, vt, si omnino peccata vitare nolint, aut ægrè possint, saltē maiora vitent & minùs peccent: eo enim sæpiùs & faciliùs à Deo illuminabuntur, quo minorem ponunt obicem. Id exemplis pluribus ex vitis Patrum petitis, facile est confirmare.

VERS. 14

SVPERABVNDAVIT GRATIA DOMINI NOSTRI,
D CVM FIDE ET DILECTIONE, QVAE EST IN CHRISTO IESV] Pro *superabundauit*, græcè est, ὑπερεπλεόνασε, id est, supermultiplicata est, supercreuit, exuberauit, superabundauit. Vbi Aduerte Primò, τὸ ὑπὲρ, id est *super*, significare comparationem & præcellentiam gratiæ præ incredulitate, blasphemijs & persecutione Pauli q.d. Magnus ego fui Christi & Ecclesiæ persecutor & hostis, magnus peccator & blasphemus: sed longè maior fuit Dei gratia, quæ me ex lupo ouem, ex Saulo Paulum, ex persecutore prædicatorem, ex blasphemo Apostolum effecit.

Addunt alij: *superabundauit*, id est, pluribus alijs beneficijs post commissum mihi Euangelium me prosecutus est Dominus, dum scilicet mihi dedit donum linguarum, prophetiæ, curationum, aliasque gratias. Verùm non tam has gratias, quàm gratiam

iustificationis & reconciliationis cum Deo spectasse hîc Paulum patet ex versu sequenti & præcedenti. totus enim abripitur in Dei clementiam, qua se tantum peccatorem in gratiam recepit. Prior ergo sensus est genuinus.

Nota Secundò. Significat Paulus effectus gratiæ, cùm addit, *cum fide & dilectione*, vbi fidem priori suæ incredulitati, dilectionem persecutioni & crudelitati suæ opponit. Vnde Vatablus vertit, *donauit mihi affatim Deus gratiam suam, & fidem in Christum, & dilectionem erga sanctos*, Christianos scilicet, quos antè pertinaci & internecino odio prosequebar & persequebar. Hinc & Syrus vertit, *multiplicata est in me gratia Domini nostri, & fides & dilectio, quæ est Ieschua Meschicho.*

Aliter τὸ μετὰ, id est, *cum fide & dilectione* exponit Chrysostomus, quasi vocula *cum*, significet rationem medij, siue instrumenti, vt sit sensus: Hanc gratiam & hæc dona consecutus sum per fidem & dilectionem. Prior sensus planior est & simplicior.

Nota Tertiò. Verbum *superabundauit*, non tantùm ad gratiam, sed etiam ad fidem & dilectionem referendum est. q.d. Cum gratia abundè in me effusa, superabundarunt pariter in me effecta gratiæ, videlicet fides & dilectio: fuit enim Paulo aspirata robustissima fides & ardentissima dilectio, qua quasi ignis totum orbem peruagatus omnes inflammauit & accendit.

Fides in Christo dicitur tripliciter.

Nota Quartò. Vocat *fidem & dilectionem, quæ est in Christo*, q.d. Quam habeo per Christi gratiam & merita. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Primas. Secundò, Vatabl. *in Christo*, id est erga Christum & Christianos. Tertiò, & magis genuinè ad mentem & phrasim Apostoli, fides & dilectio in Christo, est fides & dilectio Christiana, siue quæ propria est Christianorum, Christi filiorum, quæ diuina, supernaturalis, cælestis & spiritualis est dilectio: hanc enim opponit dilectioni naturali infidelium, quam vel naturæ, vel sanguinis, vel beneficiorum, vel studiorum & officiorum communio parit ac producit.

VERS. 13. FIDELIS SERMO, ET OMNI ACCEPTIONE DIGNVS: QVOD CHRISTVS IESVS VENIT IN HVNC MVNDVM PECCATORES SALVOS FACERE, QVORVM PRIMVS EGO SVM] Dixerat Apostolus in se superabundasse gratiam Dei, iam apto ordine subiungit eamdem gratiam patere, & paratam esse omnibus peccatoribus, vt ita consoletur fideles, quibus similis gratia obtigit, & infideles excitet ad eamdem gratiam capessendam. Vnde generalem proponit sententiam, quasi axioma & basim suæ prædicationis & Euangelij, quam Iudaicis fabulis de iustitia legis operibus acquirenda opponit, dicens, *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* q.d. Christus solus est iustificator & saluator, non Moses, non lex, non opera legis aut naturæ. q.d. Iudæi iactant suam δοσοδοχὴν, id est traditionem & Cabalam, sed nugosam & fabulosam: ego veram & certam δοσοδοχῶ, id est traditionem & Cabalam à Christo ipso acceptam vobis trado, scilicet quòd Christus solus sit qui peccatores expiet & saluet. Si quis ergo cupit Cabalam, hanc vt indubitatam acceptet. Cabala enim vetus fuit patrum traditio, qua olim à patribus sacra mysteria, maximè quæ de regno Christi erant, ore ad os per successionem tradebantur, quæ alius ab alio accipiebat. vnde Cabala hebraicè idem est quod acceptio, id est accepta doctrina & traditio, à radice קִבֵּל *kibbel*, id est accepit, hausit, excepit. Cabala ergo vetus certa & indubitata fuit, quam Esdras rediens è Babylone, & alij patres tradiderunt: sed Cabala Iudæorum recentiorum fictitia est, & Pharisaica.

Nota Primò. Pro *fidelis*, græcè est πιστὸς. nonnulli teste Hieron. ad Marcellam legerunt χρηστὸς, id est, *humanus*. ita legit Ambros. & interpretatur sic: *humanus*, id est iucundus, gratus; & hoc consentit cum eo quod sequitur, *Et omni acceptione dignus*. S. Augustinus legit quoque *humanus*, sed aliter explicat. ait enim hunc sermonem sic esse humanum & diuinum, sicut Christus est Deus & homo; maluisse verò Apostolum vocare humanum, quàm diuinum, quia agebat de aduentu Christi in carnem. *Si*, inquit, *ille homo dicitur humanus, qui in domo suscipit hominem, quàm humanus est Deus, qui in seipso suscipit hominem?* Secutus est Augustinus significationem Latinæ vocis, humanus: nam Græcum χρηστὸς nihil tale significat. Verùm communiter Syrus, Græca, Latini & Græci legunt πιστὸς, id est fidelis, hoc est, fidus, certus, indubitatus, verax, fide dignus, non fabulosus, non matæologus, vt ille Iudæorum v. 4. & 7. Sic Apocal. 21. 5. dicit S. Iohannes, *Et dixit qui sedebat in throno*, &c. *Hæc verba fidelissima sunt*, id est, certissima & verissima. E contrario Ierem. 15. 18. *aquæ fideles* vocantur, id est instabiles & fallaces, quæ è fonte suo videntur perenniter fluxuræ, & tamen in æstate deficiunt, cùm maximè ijs indigent homines. Sic Actor. 13. 34. dicitur, *Dabo sancta Dauid* (id est sanctas & munificas promissiones Dei Dauidi factas: vnde Noster interpres Isaiæ 55. 4. vertit, *misericordias Dauid*, hoc est Dauidi promissas) *fidelia*, id est, firma & stabilia; respondet enim τὸ πιστὸς Hebræo נֶאֱמָן *neeman*, vel potiùs נֶאֻם *neum*. Sic enim Prophetæ, vbi certum oraculum depromunt, vt à se dicendis fidem & attentionem concilient, præmittere aut subdere solent, *Neum adonai*, hoc est, dicit Dominus, vel potiùs dictum Domini. *Neum* enim non est verbum præteritum. sic enim dicendum esset *naam*, sed participium est, aut potiùs nomen. Rursum, *neum* non significat simplex aut quodlibet dictum, sed certum & indubitatum, certaque fide credendum, vt idem sit, quod oraculum. Hinc Apostolus aptè Hebræum *neum*, vertit, πιστὸς ὁ λόγος, hoc est, fidus & certus sermo. Vnde sicut Prophetæ, sic & Paulus hæc verba, cùm dicturus est rem certam & indubitatam, solet præmittere vel subijcere, vti ad Titum 3. v. 7. & 8. vel ut asseueratione confirmans id quod dixit aut dicturus est. Vnde aptè Forerius & alij illud Isaiæ 1. 24. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum* (vbi pro *ait*, hebraicè est *neum*) vertunt, *idcirco fidelis sermo Iehoua sabaoth.*

Fidelis sermo vocatur certus & indubitatus.

Quid Hebraum neum?

Neum est oraculum.

Nota Secundò, *omni acceptione dignus*, id est, omni studio & gratiarum actione acceptandus, dignus quem omnibus modis acceptemus & amplectamur. Græcum δοσοδοχὴ significat non tantùm acceptionem, siue acceptationem, sed etiam approbationem. Vnde verti hîc potest, *fidelis sermo, & omni approbatione dignus*. Aduerte hîc. Hoc epithetum aptè respondet priori: ex eo enim quòd sermo sit certus, verax, adeoque sit oraculum, sequitur eum omni modo esse acceptandum & amplectendum. Alludit Apostolus ad

ad verba Hebræa נאם *neum*, & מאמין *heemin*, quæ vti litteras habent easdem, sed transpositas, (ex *naam* enim fit *aman*, si litteram *n* transponas: *aman* autem est radix verbi *heemin*) ita significatione sibi inuicem respondent: nam sicut verbum נאם *neum*, significat certè & indubitatè loqui, veritatem ipsam dicere certò & infallibiliter, id quod est solius Dei loquentis, item Prophetarum & Apostolorum certò verbum Dei proloquentium, quique à Deo immediatè vocati testimonium habent, quòd errare non possint; adeoque sicuti *neum* propriè significat ipsum Dei verbum, & primæ veritatis oraculum: ita rursum verbum מאמין *heemin* significat fidem certò adhibere illi verbo Dei quasi oraculo, illique credere & acquiescere firmitate quadam & certitudine diuina ac supernaturali, quæ omnem opinionis, scientiæ, auctoritatis & sensationis humanæ certitudinem longè superat. hæc ergo duo verba Hebræa *neum* & *heemin* correlatiua sunt & sibi mutuò respondent: & sicuti *neum* est verum certò & infallibiliter dicentis, ita *heemin* est certò credentis, & fide indubitata (quæ inde dicitur אמונה *emuna*) apprehendentis & amplectentis τὸ *neum*, id est oraculum. Eodem modo respõdet hîc sibi inuicem hæc duo: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus.* q d. Est *neum*, cui oportet *heemin*, id est credere, vel est *neum*, dignum *col emuna*, hoc est, oraculum fidum, dignum omni fide & fidei amplexu. ex eo enim quòd sermo sit fidus & infallibilis, sequitur eum omni acceptione esse amplectendum, tum vlnis fidei, tum consequenter vlnis spei, inuocationis, dilectionis, & gratiarum actionis, vt scilicet eius participes fiamus, & participes facti, gratias pro tanto dono quas par est, Deo agamus.

Nota Tertiò. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus* est is, qui sequitur, scilicet. *quòd Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Vbi Primò, contra Iudæos significat legem, & legis cæremonias inefficaces esse ad salutem; illam enim attulit Christus: imò propter eam afferendam, ad nos descendit è cælo. Secundò, significat finem incarnationis & totius œconomiæ Christi in carne fuisse, vt peccatum aboleret, & peccatores saluaret. *Non veni*, inquit Matth. 9. *vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: & non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Tolle morbos, tolle vulnera, nec opus erit medico: tolle similiter peccata, non erit opus Christo. Hinc Tertiò, discimus enormitatem peccati: (*Magnus*, inquit August. serm. 9. de verbis Apostoli, *de cælo venit medicus, quia magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus*) ac consequenter omni ope enitendum esse, vt è peccato, quod tantum est malum, emergamus, ne Christus nobis frustra venisse videatur. *Cùm audis*, inquit August. suprà, *Christum venisse in hunc mundum vt peccatores saluos faceret, noli dormire in dulci firato peccati, sed audi Paulum dicentem: Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Quartò, discimus immensam Christi clementiam & charitatem, qua peccatores etiam se persequentes (qualis erat Paulus) insequitur, conuertit & saluat. Audi S. August. loco citato: *Homines desperatè ægrotabant, & ipsa ægritudine qua mentes perdiderant, etiam medicum cædebant, quin & occidebant. ille autem etiam cùm occideretur, medicus erat; vapulabat, & curabat; patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum: tenebatur, alliga-*

A *batur, percutiebatur, irridebatur, suspendebatur, & medicus erat. agnoscis phreneticos, agnosce & medicum: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæuiebant, & medici sanguinem sæuiendo fundebant; ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat.*

QVORVM PRIMVS EGO SVM] Fabulati sunt quidam hæretici, teste S. Thoma hîc, animam Adæ primi hominis & peccatoris, in Paulum fuisse transfusam, ideoque Paulum fuisse peccatorem: sed hoc est Pythagoricum delirium. Primum ergo se dicit, non tempore, sed culparum magnitudine, quia princeps fuerat persecutorum Christi, ait Anselmus. ergo *primus*, id est, maximus & pessimus. ita August. serm. 9. de verbis Apostoli, *Nemo enim*, inquit, *acrior Paulo inter persecutores, nemo ergo prior inter peccatores.* Idem in psalm. 70. *Quid ergo*, B inquit, *est primus? antecedens omnes non tempore, sed magnitudine.* Vide quàm se humiliat Paulus. Primus, inquit, sum, id est, vt Theophyl. & Oecum. explicant, in immensum peccati, & ad omne malitiæ genus peruenì, hincindigui omni Dei misericordia, & vniuersa eius clementia, non parte aliqua, quemadmodum ij, qui ex parte tantùm peccarunt. *Humilitas ista*, inquit Ambros. *non ad diminutionem eius proficit, sed ad gloriam; & hæc accusatio eius est, laus verò Saluatoris.*

Animam Adæ fuisse in Paulo somniarunt hæretici.

Quæres, Quomodo verè potuit sentire & dicere Apostolus se peccatorum esse primum, id est maximum, cùm sciret Iudam, Caipham, Herodem, alios{que} plurimos grauiùs longè peccasse?

Quo sensu verè dicat Paulus se esse maximum peccatorem.

Respondet D. Thomas & insinuat Ambros. non velle dicere Apostolum, se esse omnium omnino peccatorum primum: sed respectu tantùm Iudæorum illorum, qui à Pilato Christum crucifigi postularunt, ac postea à Petro & Apostolis conuersi & pœnitentes gratiam & salutem adepti sunt. sed hi restringunt nimis verba Apostoli, cùm Apostolus ea non restringat, sed generaliter loquatur de omnibus peccatoribus, quos, vt præmisit, Christus venit saluos facere: atqui Christus non solos illos Iudæos, sed & omnes omnino homines & peccatores venit saluos facere: ergo omnium omnino peccatorum se primum esse dicit Apostolus.

C

Respondeo ergo, Apostolum bene illustratum Spiritu sancto agnouisse grauitatem suorum peccatorum, & in eam ex vera humilitate omnes mẽtis oculos intendisse; aliorum verò peccata non ita considerasse & inspexisse, quin de quolibet præsumerer meliora, vel quòd plures haberet causas ipsum excusantes, & peccati grauitatem minuentes: sicut qui graui dentium, capitis, vel oculorum D dolore laborat, dicit nullum dolorem hoc esse maiorem, sed suum omnium esse maximum; quia scilicet suum sentit per experientiam, aliorum verò dolores tantùm considerat per speculationem, itaque suus sibi dolor videtur, & reuera in suo sensu maximus est; ita Pauli peccatum ipsi in suo sensu videbatur esse maximum.

Sic & S. Franciscus solebat dicere se peccatorum esse maximum; & rogatus quomodo id verè dicere posset, respondit: Si Deus maximo latroni illam gratiam fecisset, quam mihi; is multo meliùs ea vsus fuisset, sanctiorq; quàm ego euasisset. q.d. Si secluſa gratia me considero, video in me tantam infirmitatem & procliuitatem ad malum, quantam in nullo alio video, ac proinde puto me maximum futurum fuisse, ac fore peccatorem, nî

S. Franciscus dicebat se esse maximum peccatorem.

Deus

Deus infirmitatem meam sua gratia roborasset, ac in dies roboraret.

Dices: Ignorantia Paulum excusabat.

Respondeo, Non excusabat, sed minuebat tantùm peccatum; erat enim vincibilis, ac consequenter culpabilis: poterat enim & debebat Apostolus ex Scripturis, quarum peritus erat, ex tot Christi miraculis, ex tanta sanctitate vitæ & doctrinæ tot Christianorum, & sacerdotum Christo credentium, agnoscere Christum esse Messiam mundi redemptorem. Peccatum autem Pauli in se maximum erat, persequi scilicet Christum Deum & hominem; considerabat ergo suam obstinationem Paulus, qua pro iudaismo pugnans, Christum Deum & hominem, eiusque Ecclesiam impugnauerat adeò pertinaciter, vt, si potuisset, voluisset eam funditus euertere & interimere, & ad hanc rem, cæteris se ducem præbuerat; atque hoc peccatum suum ita ei graue videbatur, vt aliorum peccata in quæ leuiter tantùm & generatim intendebat, viderentur ei esse leuiora. considerabat enim peccatum suum in se, ignorantiam verò suam aliasque circumstantias minuentes peccatum non considerabat. Vide dicta Philipp. 2. 3. Sic Salomon Prouerb. 30. *Stultissimus, inquit, virorum ego sum*, id est, mihi esse videor; dum scilicet me, ac mea quæ ex meipso habeo, secluſa Dei illuminatione specto, dum sapientiæ meæ paruitatem intimè perpendo ac penetro, eamque tum cum mea ignorantia, tum cum diuina sapientia comparo, videor mihi esse ignorantissimus, adeoque esse abyssus ignorantiæ & stultitiæ, quodque cæteri, quorum ita mihi perspecta non est ignorantia, longè sint me sapientiores, præsertim in sapientia practica, atque in cognitione sui & Dei. Vnde putant Hebræi Salomonem suæ idololatriæ & peccatorum conscium pœnitentem hæc dixisse; licet eos refellat Lyranus, qui cum Abulensi sentit Salomonem impœnitentem mansisse, ac esse damnatum: de quo aliàs. Summa, hisce verbis docere nos vult Salomon, sapientiam veram maximè sitam esse in cognitione sui, suæque miseriæ & insipientiæ, atque humili de seipso sensu & æstimatione. Sic Socrates rogatus quid sciret, respondit: *Hoc vnum scio, quòd nihil scio.* imò alius idem rogatus, idem respondit, addiditque se ne hoc quidem (quòd scilicet nihil sciret) scire.

Quo sensu Salomon dicat se esse stultissimũ virorum.

Socrates dicebat se hoc vnum scire quòd nihil sciret.

Quæres Secundò, quomodo Paulus dicat: *Quorum primus ego sum*; sciebat enim sibi iam condonatum esse hoc peccatum.

Respondeo, *sum*, id est, fui. Secundò & simpliciùs: Paulus hîc se considerat quasi in puris naturalibus constitutum secluſa gratia: sic enim peccator erat, fuissetque in peccato permansurus, & nullo modo mutandus; imò longè adhuc grauiùs peccaturus. humilis enim est, considerare & despicere se ob ea quæ habet à se: nam ea quæ habet à Deo non sua sunt, sed Dei, Deoque eorum laus & gloria debetur. Sic S. August. 2. Confess. 7. *Domine, inquit, gratiæ tuæ deputo, quæcumque non feci mala.* Et infrà: *Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Disertè verò in prologo de Vita Christiana: *Vt ego, inquit, peccator primus & vltimus, insipientiorq; cæteru, & imperitior vniuersis, te vt sanctitatis & iustitiæ viam pergas, crebrioribus audeam literis admonere, non meæ propriæ iustitiæ fiducia, non sapientiæ peritia, non scientiæ gloria, sed sola quam secundùm Deum animo ac mente*

Paulus loquitur de se quasi cõstituto in puris naturalibus, secluſa gratia.

A *concepi, charitatis tuæ causa compellit.* Sic Socrates à quodam Physiologo notatus ex naturali complexione, quòd esset incontinens & fur: cùm astantes, qui Socratis probitatem nouerant, Physiologi iudicium riderent, respondit Socrates, Non est mentitus: sum enim natura talis, sed me contineo.

Moraliter, quisque consideret se & sua peccata, non aliena, dicatque: Primus peccatorum ego sum; agnoscat & deprædicet Dei in se clementiam; humiliet se, ita tamen, vt anxiè se non discruciet. Vnde S. Bernardus serm. 3. in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli: *In Paulo*, inquit, *dicente, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam Dominus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum; hoc consolationis & fiducia accipite, fratres, vt ad Dominum iam conuersos non nimis cruciet præteritorum conscientia peccatorum, sed tantùm humiliet vos, sicut & ipsum. Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Misericordiam etiam consecutus est Petrus, qui non ignorans, sed apertos habens oculos peccauit.* Et infrà: *Quid enim? peccasti in saeculo? numquid amplius Paulo? Quòd si in ipsa Religione, numquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agenti, non modò salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt. Et tu ergo fac similiter, quoniam propter te, Scriptura eos vocat viros misericordiæ, vtique propter multam misericordiam, quam consequi meruerunt.*

Humilis & vtilis consideratio peccatorũ præteritorũ. Iustus condonatur.

VT IN ME PRIMO OSTENDERET CHRISTVS IESVS OMNEM PATIENTIAM AD INFORMATIONEM EORVM, QVI CREDITVRI SVNT ILLI, IN VITAM AETERNAM] Nota. τὸ *primo*, nomen est, non aduerbium; græcè enim est πρώτῳ, id est primo & præcipuo, scilicet peccatore. Pulchrè Theodor. *Quemadmodum*, inquit, *medicus cùm in vna domo multi simul agrotant, & omnes de salute desperant, si vnum pessimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis ad perfectissimam sanitatem deduxerit, facit, vt alij omnes bono sint animo, ac fiduciam concipiant: ita Dominus Christus animarum medicus, cùm factus esset homo pro salute peccatorum, me qui eram iniquissimus & omnium sceleratissimus, non solùm à prioribus liberauit maculis; sed maximis etiam donis obruit, omnibus hominibus per me ostendens suam patientiam & clementiam, vt nemo eorum, qui maxima scelera perpetrauerint, ad me respiciens, de salute desperet.* VERS. 16.

Nota Secundò. Pro *omnem patientiam*, græcè est, πᾶσαν μακροθυμίαν, id est, omnem longanimitatem, *omnem*, id est, totam & perfectam: ponitur enim nomen collectiuum vniuersale, pro toto quanto. perfecta enim & illustris fuit Dei longanimitas, qua furentem contra se Paulum tam diu sustinuit, quem vnico ictu oculi perdere poterat & fulmine afflare. Ambrosius pro hoc vno verbo, duo posuit, magnanimitatem & patientiam. magnanimi enim est esse longanimem, patientem & mansuetum: sicut è contrario pusilli est animi, iniurijs commoueri, turbari, velleque se vindicare.

Lõganimitas Dei in Paulum.

Hinc pulchrè S. Gregorius 31. Moral. cap. 10. explicans illa verba Iobi: *Numquid volet rhinoceros seruire tibi?* eaque mysticè applicans S. Paulo: *Rhinoceros*, inquit, *qui & monoceros, tantæ est fortitudinis & feritatis, vt nulla venantiũ arte capiatur. Sed vt Physici* (inter quos est Isidorus l. 12. Etymol. c. 2. & Pierius in hieroglyphico Rhinocerotis, qui eum Halicornum vocat) *asserunt, virgo ei puella proponitur, quæ*

quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate depositâ caput deponit, sicq; soporatus velut inermis capitur. Pari enim modo, caro illa virginea Christi Paulum spirantem minarum & cædis domare, placare, capere, totumq; sibi deuincire potuit, dum ei totum sinum misericordiæ suæ expandit.

Nota Tertiò. Pro *ad informationem*, Ambros. legit, *ad exemplum*; græcè enim est ὑποτύπωσις, quæ significat viuum exemplar & imaginem, qua res plenè expressa subijcitur oculis. q.d. Misertus est mei Deus, vt in me, quasi in primo & maximo peccatore daret viuum exemplar & hypotyposin diuinæ suæ clemētiæ & longanimitatis; vt in me manifestissimè cernerent homines Deum omnes peccatores velle saluos fieri, eosq; ad se vocare, & tantùm non cogere, ac facillimè eis offensas, quamuis grauissimas, condonare. Itaque meo exemplo informauit & excitauit omnes, qui futuris sæculis Christo credituri sunt, ad obtinendam vitam æternam; vt per pœnitentiam audeat quisq; eorum sperare veniam à Christo, ad eumque pro ea supplex confugiat. Mirè enim homines excitant exēpla Sanctorum. *Sagittaueras*, inquit August. l. 9. Confess. c. 2. *tu Domine cor meum charitate tua, & gestabam verba tua transfixa visceribus, & exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos fecerat, congesta in sinum cogitationis nostræ vrebant & consumebant teporem.*

Moraliter Chrysost. hom. 2. in psalm 50. *Si impius es*, inquit, *cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspice latronem; si iniquus es, cogita blasphemum, considera Paulum priùs persecutorem, postea annunciatorem. Nolo mihi dicas: Blasphemus sum. nolo dicas: Persecutor sum, immundus sum. Habes omnium offensiones, in quem volueris portum confugito: vis in nouum? vis in veterem? In veteri Dauid, in nouo Paulus.* Et infrà: *Quid est peccatum ad Domini misericordiam? Tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet.*

Et ex S. Augustino serm. 9. de verbis Apostoli, Anselmus hîc: *Si Saulus sanatus est, ego quare desperо? Si à tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego vulneribus meis illas manus non optabo? ad illas manus non festinabo? Vt hoc dicerent homines, ideo factus est Saulus ex persecutore Apostolus: quia cùm venit medicus volens sibi famam comparare, infirmum quærit aliquem desperatum, & ipsum sanat; &, si pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem: ita & Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ ostendit in Saulo, vt omnes deinceps nossent eum sanare posse cunctas infirmitates omnium confugientium ad se.*

17. REGI AVTEM SAECVLORVM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI DEO, HONOR ET GLORIA IN SAECVLA SAECVLORVM. AMEN. Apostolus hîc more suo post commemoratum remissionis peccatorum, & redemptionis Christi beneficium, assurgit à Christo homine, & erumpit in laudem & doxologiam Dei Patris, vt vult Ambros. vel potiùs, vt Theodoret. & Anselmus, totius Sanctissimæ Trinitatis, quæ per Christum hoc donum remissionis hominibus contulit, ac omnibus sæculis confert & conferet.

Nota. *Rex sæculorum*, est proprium Dei attributum, significans quòd Deus est primum & æternum ens, ac consequenter rex, auctor, ordinator, distributor, moderator & dominus omnium sæculorum, hoc est, & æternitatis suæ, & æui, siue æuiternæ vitæ angelorum, & temporum nostrorum: hæc enim omnia manant à Dei æternitate. Vnde pulchrè & diuinè S. Dionysius de Diuinis nominibus c. 5. 7. & 10. hunc locum explicans, *Ex eo*, inquit, *quia est* (Deus æternus Rex sæculorum) *sæculum est, essentia, & ens, & tempus, & generatio, & quod generatur, & quod quomodocumque subsistit.* Omne enim esse temporaneum manat ab esse æterno & perpetuo, quod est in Deo Rege sæculorum. *Et idcirco*, inquit Dionysius, *Deus dicitur Rex sæculorum, vtpote in quo & circa quem totum esse & ens subsistens sq; versetur.* Vnde, pro *sæculorum* græcè est, αἰώνων: αἰὼν autem significat, Primò, æternitatem Dei; Secundò, æuum angelorum; Tertiò, æuum & durationem hominum. æternitas enim, quæ duratio est nec finem nec principium habens, soli Deo competit: æuiternitas verò quæ principium habet, & eatenus conuenit cum tempore nostro; sed caret fine, & eatenus participat aliquid æternitatis diuinæ, angelis tribuitur & animæ rationali. Hinc, vt ait Aristoteles l. 1. de cælo c. 9 dicitur ἀιὼν ἐστὶ τὸ ἀεὶ εἶναι, id est, ex eo quòd semper sit. Fortè voluit Apostolus perstringere fictos æones Valentini, & his opponere Deum verum dominum æonum omnium.

Nota Secundò. Pro *immortali* græcè est, ἀφθάρτῳ, hoc est, incorruptibili, vt habet Syrus. & August. l. 2. de actis cum Felice Manichæo, c. 7. Porro *immortali*, vel incorruptibili idem est, quod immutabili. q.d. In Deum non cadit corruptio nec mors, nec interitus, ac consequenter nec mutatio vlla: nam omnis mutatio, ait Anselmus, mors quædam est rei, quæ mutatur & desinit esse quod fuit. sed potiùs Deus est immortalis, incorruptibilis, immutabilis, ac consequenter æternus: incorruptio enim & immortalitas est ratio, & quasi causa æternitatis. *Immortalitas est causa æternitatis.*

Nota Tertiò. Addit *inuisibili*, quia naturaliter nec corporis, nec mentis oculis, nec vllis naturæ viribus Deus videri potest: sed vt quis videat Deum, supernaturali lumine gloriæ opus habet, vti patet in Beatis.

Nota Quartò. Dicit *soli Deo*, id est, qui solus est Deus: Deus enim vnus est, ac consequenter hic solus est Deus. S. Ambros. qui hoc ad Patrem refert, docet Patrem vocari solum Deum, non quòd Filius & Spiritus sanctus non sint Deus, sed quia Pater est fons & principium deitatis, putà Filij & Spiritus sancti. Adde, vt docet D. Thomas & Theologi, voces exclusiuas additas nominibus essentialibus Dei & attributorum eius, cùm attribuuntur vni personæ, non excludere alias personas diuinas, sed tantùm alias res, quæ diuinam essentiam non habent, sed aliam ab ea diuersam & creatam. Verùm, vt dixi, cum Theodoreto meliùs hæc non soli Patri, sed tori SS. Trinitati tribuas. Græca addunt, μόνῳ σοφῷ θεῷ, id est, soli sapienti Deo: & ita legunt Chrysost. Theophyl. Oecumen. & alij Græci præter Theodoretum. Dicitur Deus solus sapiens per se & per suam essentiam, quique sapientiam suam in omnes & angelos & homines, quasi fons deriuat: omnem enim suam sapientiam homines & angeli non habent ex se, sed à Deo. sic solus Deus dicitur bonus, supple per essentiam, Lucæ 18. 19. *Quid τὸ soli Deo.*

Nota Quintò, *soli Deo sit honor & gloria*, scilicet diuina & latriæ, quæ Deo vero debetur. q.d. Non angelis, non idolis, non dijs gentium, sed soli Deo vero *Quæ gloria soli Deo debeatur.*

vero tribuatur honor & gloria diuinitatis, vt omnes angeli & homines, & maximè ergo Paulus, ob tantam Dei in peccatores, & in me primum & maximum peccatorem clementiam, qua me hoc Christi & gratiæ sæculo nasci fecit, rebellem ad se traxit, & penè coëgit, peccata dimisit, iustificauit, imò Apostolum fecit, semper eum celebrent, adorent, glorificent tum mente & voce, tum etiam sancta conuersatione & vita. Qua de re vide hîc Chrysost. in morali hom. 4.

Piè S. Bernard. serm. 83. in Cant. docet hûc Dei honorem debere melle amoris condiri, ab eoq; oriri vt Deo perplaceat. *Exigit*, inquit, *Deus timeri vt dominus, honorari vt pater, vt sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? nempe amor. Absque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Seruilis enim timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor & gloria. Sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris cõdita non fuerint. Is per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se nõ requirit causam, non fructum. Fructus eius, vsus eius. Amo quia amo, amo vt amem. Magnares amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat iugiter vnde fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque effectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem.*

VERS. 18. HOC PRÆCEPTVM COMMENDO TIBI, FILI TIMOTHEE, SECVNDVM PRÆCEDENTES IN TE PROPHETIAS, VT MILITES IN ILLIS BONAM MILITIAM] Chrysost. Ambros. Theophyl. hoc præceptum referunt ad sequentia. q.d. Præcipio tibi, ô Timothee, vt scilicet secundùm præcedentes de te prophetias milites bonam militiam. Verùm, pro *vt*, græcè non est ὅτι, sed ἵνα, quod magis causam finalem, quàm obiectum significat; quamquam Apostolus has & similes particulas sæpè confundit, & pro ijsdem sumit.

Quadruplex huius loci sensus.

Secundò, alij referunt ad proximè præcedentia, q.d. Præcipio tibi vt prædices Christum venisse, vt peccatores saluos faceret.

Tertiò, alij referunt ad omnia præcedentia. q.d. Hoc præceptum, id est, hanc doctrinam, quam ab initio capitis hucusque tibi tradidi, tibi commendo.

Quartò & optimè, Theodoret. censet Apostolum, post digressionem, qua de vocatione sua & gratia Dei gratias egit, redire ad ea, quæ initio capitis Timotheo commendauit, vt scilicet denunciaret quibusdam ne aliter docerent. Vbi pro *denunciares* græcè est idem verbum, παραγγέλλειν, à quo hoc loco præceptum vocat παραγγελίαν. hoc enim est primum Episcopi munus, resistere videlicet pseudoapostolis, & sanam fidem tueri ac prædicare. Vnde hæc verba penè eadem sunt cum illis, quæ initio capitis post denunciationem iam dictam subiungit: ibi enim ait, *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Pro quo hîc ijsdem penè verbis dicit: *Præceptum tibi commendo, vt milites bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.*

Quadruplices prophetiæ de Timotheo ordinando.

SECVNDVM PRÆCEDENTES IN TE (id est, vt Syrus, super te, de te, græcè enim est ἐπὶ σε, quod respondet Hebræo עליך *alecha*) PROPHETIAS] Vatab. per prophetias intelligit doctrinam, siue munus docendi Timotheo creditum. q.d. Vide, ô Timothee, vt in hoc munere quod à Deo accepisti, te fortiter & strenuè gerasinstar militis.

Secundò, alij per prophetias accipiunt varia charismata Spiritus sancti, quæ in Timotheo erant, inter quæ erat etiam proprij nominis prophetia. q.d. Paulus, Præcipio tibi, vt ita milites, sicut dona Spiritus sancti tibi concessa requirunt.

Tertiò & meliùs, Chrysost. Theoph. Theodor. Oecum. & alij propriè per prophetias accipiunt reuelationes. q.d. Hoc præceptum iam explicatum tibi, ô Timothee, commendo, vt, sicut Dei reuelatione & spiritu prophetiæ admonitus te Episcopum Ephesi ordinaui, ita iuxta eamdem prophetiam nunc milites, illiq́ue respondeas, ostendasq́ue veram fuisse de te prophetiam.

Episcopi olim creabantur per designationem Dei.

Vnde notant Chrysost. & Theoph. in primitiua Ecclesia Episcopos & Apostolos seligi & ordinari solitos per prophetiam, reuelationem & designationem Dei. Sic Act. 13. dixit Spiritus sanctus, *Segregate mihi Paulum & Barnabam.* Sic Eusebius l. 6. hist. c. 25. refert in electione Fabiani Pontificis columbam è cælo in eum delapsam. Sic S. Gregorius columnæ igneæ sibi incubantis indicio deprehensus & designatus est Pontifex. Sic magnus ille Athanasius diuinitus declaratus fuit B. Alexandro Episcopo Alexandrino morienti, quòd sibi in episcopatu esset successurus. Vnde cùm Athanasius timens, & fugiens episcopatum Alexandria secessisset, Alexander in morte identidem inclamans Athanasium, tãdem in has voces erupit: *Athanasi*, inquit, *putas te posse effugere, non tamen effugies.* Testis est Apollinarius apud Sozomenum, l. 2. c. 16. Sic S. Nicolaus, Ambrosius, Alexander Carbonarius diuino indicio vocati & ordinati sunt Episcopi. Idem de Timotheo hîc asserit Paulus.

Addit Quartò, Magalianus per prophetias posse accipi prædictiones, coniecturas & bona omina, quibus Christiani omnes optima quæq; de Timotheo, cùm ordinaretur Episcopus, ex vitæ eius anteactæ sanctitate ominabantur, prædicentes, non dubitare se, quin fideliter, constanter & egregiè munere episcopali perfungeretur. Sic S. Ambrosius pueri, deinde populi totius voce acclamatus Episcopus, per prophetiam Episcopus factus est; vox enim populi, vox Dei.

VT MILITES IN ILLIS BONAM MILITIAM] *In illis*, id est, per illas prophetias, hoc est, per Spiritum donatorem propheties. Secundò & meliùs, Oecum. & alij, *in illis*, id est, secundùm illas, vt scilicet illis prophetijs de te factis respondeas.

Nota, Christianum esse militem Christi quasi ducis & capitanei sui, quia tota vita sub vexillo crucis pugnare debet cum vitijs & concupiscentijs ac dæmonibus, Rom. 7. 23. Galat. 5. 17. Iob 7. 1. & Christus Matth. 11. *Regnum*, inquit, *cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Pulchrè bellum hoc describit S. August. 22. de Ciuit. c. 13. Huius militiæ arma & panopliam describit Apostolus Ephes. 6. 13. eiusq́ue stipendium est vita æterna, Rom. 6. 23.

Seneca epist. 37. ad Lucilium, cum hortatur ad virtutem, sumptis à re militari verbis: *Promisisti*, inquit, *virum bonum (ἄνδ ἐσθλὸν, id est virum fortè & bellicosũ) sacramento ligatum es.* Hoc enim duci promittebant, dum milites auctorabantur. Quòd si sponsionis obliti ignauè se gererent, non viri, sed feminæ per probrum appellabantur, vti Bunduica Britannorũ regina apud Dionem l. 62. Neronem esse-

effeminatum vocat Neronidem. Idem sibi dicat A Christianus: In baptismo auctoratus es miles Christi, virum te fore spopondisti, virum ergo te præbe, quasi miles viriliter contra carnem & mundum decerta.

...a sit militia Episcorum & ...storum.

Verùm Episcopi, Pastores & Doctores, vt docet hîc Apostolus, peculiariter sunt & dicuntur milites Christi. Proquo Nota. Militia per catachresin Hebræis omnem famulatum significat. Hinc angeli, cæli, sidera, omnesque creaturæ vocantur Dei milites, indeque dicitur Deus Sabaot, id est exercituum; estque Sabaot vnum ex decem nominibus Dei, teste Hieronymo ad Marcell. Magis propriè tamen Leuitæ & sacerdotes dicebantur milites Dei. Vnde Numer. 4. 30. Leuitæ dicuntur exire in militiam tabernaculi, quia in tabernaculo æquè ac milites in castris suo ordine & stationibus excubabant, Deoque quasi duci suo deseruiebant. Hinc mulieres in tabernaculo commorantes, eiusque ministerio addictæ, vocantur templi milites Exodi 38. 8. vbi dicitur: *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi:* vbi pro *quæ excubabant*, hebr. est צבאת אשר צבאו *tsobeot asser tsabeu*, id est, *mulierum militantium*, quæ militabant in ostio tabernaculi. Eodem modo vocantur 1. Reg. 2. v. 22. Ad hos ergo Leuitas & sacerdotes templi milites alludens Paulus, Timotheum, aliosque Episcopos & Pastores vocat milites Ecclesiæ: hi enim non tantùm vt veteres Leuitæ in templo excubãt & Deo deseruiunt, sed etiam quasi duces ad bellum cum hæreticis, vitiis & dæmonibus incundum, alios fideles incitant, antecedunt & defendunt, ideoque maximum hostium impetum sustinent. Atque in primitiua Ecclesia id maximè verum & clarũ erat, quando Iudæi, Gentiles, Imperatores & hæretici in Ecclesiam omnibus viribus & armis insurgebant, vt eam opprimerent; quam vt defenderent Apostoli, aliique præcones, ad mortem & martyrium vsque contra eos decertarunt. Sic postea immortalis Athanasius penè solus contra orbem ferè vniuersum Arrianum per 46. annos heroicè depugnauit & triumphauit.

...ita in ...rnaculo ...si militi ...n castris ...ubabant.

...copi o...erca... ...ur pa... ...natus Dei.

...ia E...orum ...a ho...dei & ...um.

Vnde moraliter Chrysost. *Militia*, inquit, *bonam militiam: est enim & militia mala, de qua alio loco ait, Sicut enim exhibuistis membra vestra arma peccato. Illi sub tyranno militant, nos æterno Regi militamus. Cur autem eam rem militiam vocat? Indicat profectò bellum esse excitatum vehemens & atrox, cùm cæteris, tum maximè ei, qui doctoris fungitur munere. In quo nobis armis opus est validis, sobrietate scilicet, temperantia, precibus, perpetuisq; vigiliis. Vt in eis milites habens fidem & bonam conscientiam: magistrum quippe priùs oportet docere seipsum: quemadmodum enim dux nisi antèa miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquando poterit; ita & doctor.*

...e mi... Chri... ex S. ...ysto...

...Basil.

Egregiè verò S. Basilius præfat. in ascetica, informans spiritalem militem Christi, sic ait: *Vbi ergo Christus Rex? in cælo. huc tuus tibi, ô Christi miles, dirigendus est cursus. Obliuiscere quidquid hic in terra est. miles non domos ædificat, non comparat agros, mercibus & lucro non studet. alimenta miles habet à rege, in plateis tabernaculum sibi ponit, cibum sola necessitas metitur, potio aqua, somni quantum natura requirit, itinera frequentia, itemq; vigiliæ, acris ad frigora caloresq; tolerandos patientia, periculosorum cum aduersariis certaminum crebra susceptio, & in his sæpè mors, gloriosa tamen, & quæ regiis honoribus & muneribus decoretur.* Quæ omnia applicans Christi militi concludit: *Age igitur Christi miles, sucat animum tuum sempiternorum bonorum cogitatio. Proposuit tibi vita genus sit domo, vrbe ac possessione rerum omnium carere. Solutus esto, atque ab omnibus vitæ huius curis liber, non te illiget coniugis cupiditas, non filiorum solicitudo: imitare sponsum cælestem, insurgentes aduersum te crebrò inuisibiles hostes in fugam dato, atque eos ex animo primùm expellas tuo, neque omnino illis quidquam apud te sit loci, de le consilia aduersus Christi fidem defectionem molientia,* &c.

Cornel. in Epist. Pauli.

HABENS FIDEM ET BONAM CONSCIENTIAM] Hæc sunt arma militiæ Christianæ, imò Ecclesiæ. q.d Militabis, ô Timothee, bonam militiam, si fidem rectam circa vera & orthodoxa dogmata, & bonam conscientiam, id est, sanctam vitam & mores sequaris & cõserues, vt fidem rectam alios docere, & bonæ vitæ exemplo subditis prælucere possis: hæc enim duo præcipua sunt Episcopi & Pastoris munia. nec enim in fide vacillantis est alios confirmare, nec ignorantis docere, nec incompositi componere, nec inordinati ordinare. VERS. 19.

B

QVAM (bonam conscientiam) QVIDAM REPELLENTES (græcè ἀπωσάμενοι, id est, postquam repulerunt: vnde Vatablus vertit, qua repulsa) CIRCA FIDEM NAVERAGAVERVNT] id est, fidei naufragium & iacturam fecerunt, factique sunt apostatæ, schismatici, hæretici.

Nota ex Chrysostomo. Pulchra metaphora fidem naui comparat, in qua anchora, quæ nauim hanc roborat, vt in tribulatione perseueret, est bona conscientia, & ex ea manans spes vitæ æternæ: sicut enim nauis in procelloso mari spem portus præbet hominibus, & ducit ad portum, ita fides ducit ad vitam æternam; & sicut homo extra nauim in mari, sine spe salutis est, ita & homo sine fide: quamdiu verò manet in naui, id est fide licet peccet, restitui potest, spem habet salutis. Hinc Ecclesia, quæ est fidei magistra, & fidelium congregatio, comparatur arcæ Noë, extra quam nemo saluus est à diluuio; & nauiculis Euangelicis, in quibus Christus prædicabat regnum Dei, tempestates sedabat, & pisces capi faciebat.

Fides est naui, anchora est bona conscientia, & ex ea spes.

C

EX QVIBVS (de quorum numero) EST HYMENÆVS ET ALEXANDER] Hic est ille, de quo 2. Timoth. 4. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius; quem & tu deuita: valdè enim restitit verbis nostris.* Suspicatur Baron. & alij hunc eumdem esse Alexandrum, qui primò fidelis, causam pro Paulo egit, sed deficiens factus est apostata & hostis Pauli, omniumque Christianorum. VERS. 20.

D

QVOS TRADIDI SATANÆ] Id est, quos excommunicaui. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Atque hinc videtur fluxisse illa phrasis, qua excommunicati dicuntur possideri à diabolo, vt habetur c. *Audi*, & c. *Omnis*, 11. qu. 3. Rursum *tradidi Satanæ*, significat, eos Satanæ quasi carnifici cruciandos esse traditos. Ita docet Chysost. Oecumen. & alij, ac imprimis Theodoret. *Eos autem*, inquit, *tradit diabolo, non vt bonorum magistro, sed vt seruo carnifici; & ideo non dixit, vt eos doceret, sed, vt deceantur non blasphemare. ab Ecclesiastico enim corpore separati, & diuina gratia nudati, ab aduersario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos & difficiles affectiones, & alias calamitates: hæc enim consueuit inferre hominibus, quoniam est & inimicus & vltor, vt dicit Propheta psalm. 8. Consentaneum autem*

erat illos castigatos mutare sententiam, &c. Et Chrysost. de excommunicato loquens: *Deiiciebatur*, inquit, *à cõmuni fidelium cœtu, abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus luporum patebat & prodebatur occursibus: sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam protegebat Spiritus sancti gratia.*

VT DISCANT NON BLASPHEMARE] Ambrosius, *vt emundentur & resipiscant à sua blasphemia & hæresi:* excommunicatio enim non ad perditionem, sed ad emendationem peccatoris ferri debet, vt notat Chrysost. nimirum παθήματα sunt μαθήματα, & vexatio dat intellectum. Hinc patet omnem hæresin esse blasphemiam in Deum, qui est prima veritas: omnis enim hæresis & hæreticus, vt sua dogmata fidei contraria statuat, dicit & docet fidem veram, ac consequenter Deum veræ fidei auctorem, esse falsum & mendacem. Qualis fuerit horum blasphemia & hæresis, non explicat Paulus.

παθήματα sunt μαθήματα.

Omnis hæresis est blasphemia in Deum.

Origo hæresis est mala conscientia.

Moraliter hic Nota, fontem hæreseos esse malam conscientiam & vitam. numquam enim hæresis est primum peccatum, sed oritur vel ex ambitione, vel ex auaritia, vel ex libidine; ac consequenter, vt viri sapientes censuerunt, contra hæreticos non tam argumentis agendum est, quàm puritate vitæ: vt nimirum inducantur ad vitæ puritatem, morum honestatem, castitatem, humilitatem & opum contemptum. sublata enim radice hæreseos, tolletur & ipsa hæresis. Rursum hinc sequitur vitam malam tendere & desinere in hæresin. Mores ergo vitæ corruptæ sunt scopuli, ad quos fides, quasi nauis alliditur subinde & frangitur. Cuius ratio est Primò, naturalis antipathia & contrarietas quæ est inter fidem & malam vitam: hanc enim fides semper carpit & redarguit. Secundò, naturalis lapsus & ruina. Qui enim ex vno vitio in aliud & aliud, tandem profundissimè in hæresim ruit & prolabitur. Sunt enim hæ fossæ vitiorum sibi inuicem subordinatæ, vt gradatim ex vna in aliam & aliam, ac tandem in barathrum, id est in hæresin, descendas & corruas. Tertiò, est punitio diuina: Deus enim perditam vitam castigat per subtractionem sui luminis, veritatis & fidei, perditosque homines tradit in reprobum sensum, vt docet Apostolus Rom. 1. v. 21. & 24. Quartò, quia, vt docet Chrysost. mox citandus, hi corrupti homines, vt liberè suis vitiis & voluptatibus indulgeant, negant futura bona & mala, aliaque dogmata fidei, quæ Dei metum & peccati horrorem eis iniicere possent.

Mala vita desinit in hæresim ob quatuor causas.

Ambitio & libido sunt fontes hæreseos.

Ac Primùm ambitionem & superbiam esse fontem hæresis, patet ex eo quòd hæretici omnia rationibus humanis metiri & concludere volunt, id est, videre rem volunt, non credere. Sic ambitio primum hæresiarcham Simonem Magum hæreticum fecit: voluit enim Spiritum sanctum emere pecunia, vt eum posset quibus vellet elargiri, sicque coli tamquam donator Spiritus sancti.

Tertullianum quid Montanistam effecit, nisi quòd, vt notat Baronius, Pamelius, & alij, mortuo Agrippino Episcopo, ambiens episcopatum Carthaginensem, eo exciderit?

Sic Aërius, inquit Augustl. libr. de Hæresibus, quòd episcopatu frustratus esset, cœpit asserere sacerdotes esse pares Episcopis.

Sic hoc sæculo Lutherus, Ochinus, Dudecius, & alij, primas cathedras, vel purpuram, aut pallium ambientes, & repulsam passi, apostatarunt, & inter Nouantes primatum quæsierunt.

Secundò, quòd libido & carnis vitium fons sit hæreseos, docet hic Chrysost. *Malè viuentes*, inquit, *ne futurorum metu & expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia quæ nostra religio continet, nempe de peccatis, resurrectione, iudicio futuro, & similibus.*

Sic Nicolaus Diaconus cùm ad exemplum Apostolorum à propria vxore continuisset, pòst à proposito delapsus, ac reprehendi veritus, negabat quemquam saluari posse, nisi venerem singulis diebus exerceret.

Marcion, cùm ob corruptam virginem acriter obiurgaretur, tria excogitauit baptismata in remissionem peccatorum.

Cuiusmodi item vitæ fuerint Montanus cũ suis prophetissis ac Nouatus, videre est apud Euseb. lib. 5. c. 18 & l. 6. c. 33. Sed quid veteres repetimus historias, cùm hodie, exempli gratia, doceant hæretici vota esse impia, ne cogantur de sua libidine erubescere? Quid enim sunt Lutherus, Caluinus, Menno, Beza, Bucerus, Martyr, nisi apostatæ & votifragi monachi aut sacerdotes, qui in Catholica Ecclesia votum continentiæ Deo nuncuparunt, illudq; deinde violarunt? Experientia quotidiana clarè constat apud eos hæresim inualescere, vbi studium bonæ vitæ neglectui habetur.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EPiscopo Timotheo ante omnia commendat orationem, qua oretur pro omnibus, etiam regibus; Deum enim velle omnes homines saluos fieri.

Secundò, v. 8. vult viros quoslibet orare in omni loco.

Tertiò, v. 9. iubet pariter orare mulieres, sed in habitu & ornatu modesto, in humilitate & silentio: docere enim mulieri non permittit, sed vult eam viro subtici & ab eo edoceri, atque filiorum generationi & educationi intendere, itaq; saluam fore asserit v. vlt.

1. OBsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: 2. pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. 3. hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, 4. qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 5. Vnus enim Deus,

Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: 6. qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis: 7. in quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide & veritate. 8. Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. 9. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: 10. sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 11. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. 12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. 13. Adam enim primus formatus est, deinde Eua: 14. & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. 15. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

OBSECRO PRIMVM OMNIVM FIERI OBSECRATIONES] Nota. Pro *obsecro*, græcè est παρακαλῶ, quod verti potest cum Vatablo & aliis, *admoneo, adhortor*. S. Ambrosius legit *exhortare*, fortè quia in Græco legit παρακάλει in imperatiuo.

Nota Secundò. Vox *igitur*, significat hæc inferri ex dictis c. præced. Dixit enim Christum venisse, vt omnes peccatores saluos faceret, & in hac re Episcopum Timotheum debere Christo cooperari, & militare bonam militiam: hinc iam infert, *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes*. q.d. O Timothee, vt tuo episcopatu ritè perfungaris ad peccatorum salutem, scias primum Episcopi munus esse, orationi cum suis, & pro suis vacare, & te plus oratione, quàm prædicatione (quæ inter externa officia actiuæ vitæ primum est in Episcopo) effecturum: oratio enim infidelibus & peccatoribus lucem & gratiam, qua conuertantur, à Deo impetrabit. ita Chrysost. Et patet ex seqq. cur enim velit fieri orationes, causam subdit, dum ait, *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri.*

Nota Tertiò. Vox *omnium*, vel referri potest ad sequentia, nimirum ad *obsecrationes* (q.d. Volo fieri obsecrationes omnium, siue ab omnibus Christianis) vel ad antecedentia, videlicet ad *primum*. q.d. Primò omnium, id est ante omnia, volo fieri obsecrationes; idque aptius est, & ita explicat S. Ambros. & Chrysost. qui sic interpretantur, quasi Apostolus manè ante omnia velit nos incumbere orationi. *Atque id*, ait Chrysost. *norunt fideles, quomodo diebus singulis manè & vesperi orationes fiant ad Dominum, quomodo pro omni mundo, & regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, obsecrationes ab Ecclesia fiant.*

Nota hunc locum pro matutina & vespertina oratione ex veteri vsu Ecclesiæ. Ita fecit Dauid psalm. 62. *Deus*, inquit, *Deus meus ad te de luce vigilo.* Ita fecit Iob cap. 1. *Sanctificabat*, inquit Scriptura, *illos* (filios,) *consurgens*, *diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Hinc S. Dionys. c. 3. de Diuin. nomin. *Omnis*, inquit, *actio ab oratione incheanda nobis est, præsertim in theologia*, id est, quando incidit sermo, aut disputatio de rebus diuinis. Ita faciebat Nazianz. vt habetur in oratione eius, quam dicebat iter facturus: *Tibi*, inquit, *Christe vino, tibi loquor, tibi Christe sedeo, tibi incedo, quandoquidem me manu regis.*

OBSECRATIONES, ORATIONES, POSTVLATIONES, GRATIARVM ACTIONES] Primò, Theophyl. Gagneius, &, vt videtur, Chrysost. tria prima. scilicet *obsecrationes, orationes, postulationes*, volunt esse idem, sed ad auxesim, aliis nominibus iterari; sic enim Philip. 4. 6. & Ephes. 6. 18. hæc pro eodem sumit.

Secundò & meliùs, alij hæc distinguunt, imprimis D. Thom. vult hæc reperiri distinctim in vna eademque oratione siue collecta: oratio, inquit, est ipse mentis in Deum ascensus; vt cùm in collecta dicitur, *Omnipotens sempiterne Deus*; gratiarum actio est, cùm subditur, *Qui infirma mundi eligis*; hāc sequitur postulatio, cùm dicitur, *Præsta quæsumus*; quæ omnia concludit obsecratio per res sacras, cùm dicitur, *Per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Tertiò, & aptiùs ad Græca, Theodoret. Oecumen. & Cassian. collat. 11. c. 12. & 13. *Obsecrationes*, inquiunt, græcè δεήσεις, vocantur, id est supplicationes pro remotione malorum & tristium, vt iis liberemur. Vnde Ambros. & August. legunt, *deprecationes*. *Orationes*, græcè προσευχαί, vocantur petitiones bonorum, vt ea nobis obueniant. *Postulationes*, græcè ἐντεύξεις, vocantur interpellationes, cùm accusamus eos, qui nos iniuria afficiunt, inquit Theodoret. vel, vt Primas. cùm interpellamus pro aliorum salute. Denique *gratiarum actio* Deo offertur pro bonis, quæ nobis priùs contigerunt.

Nota cum S. Ambros. August. Chrysost. & aliis Apostolum loqui maximè de oratione publica & communi, qualis est Missa, Litania, & similes. Vnde S. August. epist. 59. ad Paulinum q. 5. aptè hæc refert ad Missæ liturgiam, vt *obsecrationes* sint, *confiteor*, & aliæ orationes Missæ, quæ fiunt ante consecrationem, in quibus est frequens deprecatio, & obsecratio per Christum, & alias res sacras: *orationes* verò sint eæ, quæ fiunt sub consecrationem. Græcum enim προσευχὴ significat orationem quæ fit cum oblatione, (qualis est in consecratione) vel voto. Deinde vt *postulationes* fiant post consecrationem, cùm populus benedicitur: tunc enim, inquit August. *Antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati*; scilicet cùm sacerdos post consecrationem pro seipso, pro viuis & defunctis postulat beneficia, cumque populum benedicit, tunc eum quasi misericordiæ Dei sistit, & sua postulatione beneficio afficiendum offert. quibus peractis *participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta* (liturgiæ & Missæ mysteria) *concludit*. Hactenus August. Ex quo S. Augustini loco patet hunc Missæ ritum saltem in communi & quoad hasce partes, fuisse tempore S. Augustini vsu communi Ecclesiæ receptum, quasi traditum à maioribus ex Apostolorum institutione. Idem patet ex liturgiis S. Iacobi, Basilij, Chrysostomi, quas ipsorum genuinas esse docent tum alij,

S. August. hunc Pauli locum refert ad liturgiā Missæ, eiusq; partes.

tum VI. synodus can. 32. disertè asserit de illa quæ S. Iacobo asscribitur.

Promiscuè in Missa sacerdos obsecrat, orat, postulat, & gratias agit.

Non minùs aptè Franc. Suarez 3. p. q. 83. disp. 83. sect. 1. putat hæc omnia promiscuè quauis Missæ parte fieri: in quauis enim sacerdos nunc petit, nunc obsecrat, nunc iterum iterumque gratias agit. Et idem imitandum est cuiuis fideli in priuata oratione: hunc enim orandi & psallendi modum docet Dauid in psalmis, vbi omnes hos affectus alternat, vt nunc obsecret, statim postulet, mox gratias agat, rursum oret, statim gratias agat, mox obsecret, &c. optima enim est oratio, quæ ex mentis affectibus prodit; & sicuti qui affectibus indulget, eos miscet & alternat, idem faciat qui Deum affectuosè orat. Aliter hæc distinguit S. Bernardus in Sent. *Obsecrationes*, inquit, *verecundo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarũ actiones fiunt affectu deuoto.* Explicat singula per exempla: Obsecrationis, inquit, typum tenuit hæmorrhoissa Lucæ 8. quæ cupiens sanari dixit intra se: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Orationis exemplum dedit Magdalena, quæ purè confitens peccata, lachrymis rigando pedes Christi orabat veniam. Postulatio est, quando is qui pro se orauerat, iam orat pro aliis. Sic orarunt Apostoli pro Chananæa, *Dimitte illam quia clamat post nos.* Gratiarum actio fuit illa Christi suscitaturi Lazarum: *Pater gratias ago tibi, quia audisti me.*

VERS. 2. PRO REGIBVS, ET OMNIBVS QVI IN SVBLIMITATE SVNT] Græcè ἐν ὑπεροχῇ. id est, in dignitate, vel eminentia. *Pro fide ergo, conuersione & salute regum & principum, qui fastu suo ab humilitate Christiana abhorrent, ne despera, sed ora, vt orationibus humilium Deus præstet salutem sublimium,* ait August. Enchirid. 103. Hinc discimus Primò, cuiuis fideli maximè orandum pro Prælatis tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus: hi enim plurimùm possunt, & ab his pendet tota respub. & Ecclesia; quales enim hi sunt, tales ferè sunt & subditi: nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Sic Constantinus conuersus orbem conuertit, idola sustulit, ecclesias erexit.

Triplici de causa orandum pro magistratibus, etiam infidelibus.

Secundò, non tantùm pro regibus & magistratibus Christianis, sed etiam pro infidelibus & Ethnicis, putà Nerone, & similibus, qui tempore Pauli regnabant, orari vult Apostolus, idque, vt notat Chrysost. triplici de causa. Primò, vt Christiani odium omne deponerent, cùm pro omnibus orare iubeantur: nemo enim eum odisse potest, pro quo orat. Secundò, vt ipsi reges & principes mitiores essent in Christianos, quos scirent pro se orare, etiam dum illos persequerentur & cruciarent. Ita in castris M. Aurelij Antonini Imper. siti afflictis, Christiana legio Romanis pluuiam impetrauit, quæ cum tonitru fulmina in Romanorum hostes vibrauit. vnde hæc legio dicta est κεραυνοβόλος, id est fulminatrix. Ad quam alludens Tertull. c. 40. Apolog. ita cum Gentilibus expostulat: *Cùm ab imbribus æstiua hiberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem, quotidie pasti, statimq; pransuri, balneis & cauponis & lupanaribus operati, aqualicia* (id est, sacrificia ad aquã eliciendam) *Ioui immolatis, nudipedalia populo annunciatis, calum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auersi ab ipso & Deo, & calo. Nos verò ieiuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vinita fruge delati, in sacco & cinere volutantes, inuidia calum tundimus, Deum tangimus; & cùm misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur.*

Legio fulminatrix sua prece impetrauit Antonino pluuiam.

Sic Christianos olim in sanctis mysteriis pro rege siue Imperatore, etiam infideli (qualis tunc erat Nero, Decius, Diocletianus) orare solitos esse, testes sunt Iustinus apolog. 2. Origen. lib. 8. contra Celsum, Arnobius lib. 3. contra Gentes, Euseb. lib. 4. Histor. c. 26. Ita S. Cyprianus, vt habet eius Vita, cùm ei à Præfecto obiectum esset, quòd ipse tamquam Christianus in Cæsarem coniurasset, liberè respondit: *Longissimè absumus nos Christiani ab illa culpa, qui Cæsari, etiamsi alia sacra, alios deos colenti, tamen quia princeps noster est, bene cupimus & precamur, & rogamus Deum nostrum, vt ad cogitationem verorum bonorum adducat.*

Hinc moraliter Chrysost. hic homil. 6. ex eo quòd Apostolus hortetur nos, vt pro omnibus oremus, ac consequenter pro inimicis & persecutoribus, inuehitur in eos qui orant pro vindicta inimicorum, dicentes Deo: Retribue illi quod mihi fecit, percute illum, vti me percussit. *Discamus,* inquit, *orare vt conuenit Christianis; Gentilium illæ preces sunt, Iudæorum eiusmodi orationes censentur. Christianis iussum est, eis qui peccauerunt, indulgentiam facilem dare, atque vt eis à Deo ignoscatur, tota intentione deposcere.*

Et infrà: *Videris quidem,* inquit, *inimico, dum contra eum oras, intentare vulnus, re autem vera contra teipsum gladium impellis; non permittis iudicem in tuis tecum rebus mitiùs agere, dum illum aduersus alium prouocas.*

Tertia pro Gentilibus principibus orandi causa fuit, vt scilicet à Deo gratiam bene & pacificè regendi illis impetrarent, vtq; Deus eo modo flecteret & dirigeret eorũ animũ & regimen, quo proficuum erat Ecclesiæ, eiusq; paci & tranquillitati.

Nam, vt eleganter inquit Plutarchus, *Imperium Romanum vinculum pacis erat, velut anchora fluctuanti mundo.* Hinc Tertull. Apolog. 30. ad calumniam Ethnicorum respondens: *In calum,* inquit, *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia pectore oramus; precantes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt.*

Sic Ieremias c. 28. ex Hierosolyma scripsit Iudæis in Babylone degentibus, vt orarent pro vita Nabuchodonosoris, & filiorum eius: *Quia in pace,* inquit, *illius erit pax vestra.*

Addit quartam Theodoret. non tantùm orandum esse pro regibus, vt per eos pace fruamur, & quietam vitam agamus, sed etiam vt ipsi ab impietate traducantur ad fidem & pietatem, vti subdit Apostolus: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Deo, qui omnes homines vult saluos fieri.*

Dices, S. August. li. 1. de Anima & eius origine c. 9. ait: *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi?* atqui infideles non sunt membra Christi, ergo pro eis non est offerẽdum, nec orandum. Resp. *pro eis,* scilicet defunctis: loquitur enim Augustinus de paruulis sine fide & baptismo mortuis, dicitque pro eis non esse orandum, quia hi nec fuit, nec fieri possunt membra Christi. Infideles autẽ quamdiu viuunt, fieri possunt membra Christi, ideoque pro eis orandum est.

Nota Tertiò. Episcopo & sacerdoti incumbit pro omnibus orare: nam, vt inquit Chrysost. quasi commu-

communis quidam totius orbis pater est sacerdos; dignum ergo est, vt omnium curam agat, omnibusque prouideat, sicut & Deus, cuius ministerio seruit, & fungitur vice. est enim mundus hic quasi templum quoddam sanctum & Deo dignum, vt aiebat Diogenes apud Plutarchum in fine libri de Tranquill. animi, & Philo l. 2. de Monarchia initio, & Lactantius libr. de Ira Dei c. 14. imò ipse Propheta Baruch c. 3. 24. *O Israel*, inquit, *quàm magna est domus Dei!* scilicet mundus hic totus. Huius quasi diuini templi antistes constitutus est sacerdos, vt sacerdotio fungatur, & deprecetur pro vniuersis creaturis.

mundus est ipse templum Dei, quo, & quo orat episcopus.

Hac de causa pontifex legis veteris in sua veste totum repræsentabat orbem: nam, vt dicitur Sapientiæ 18. 24. *In veste poderis totus erat orbis terrarum.* Vbi Nota. Poderem vocat tunicam hyacinthinam, eò quòd *εἰς πόδας*, id est, ad pedes vsque, extenderetur. Sub hac autem tunica hyacinthina per synecdochen omnes alias pontificis vestes intelligit. Femoralia ergo pontificis linea, figurabant terram, ex qua linum nascitur; zona, qua cingebatur pontifex, significabat oceanum terram cingentem; tunica hyacinthina, vtpote violacei, hoc est aërei, coloris, repræsentabat aërem. Ex hac tunica infernè dependebant mala punica, & tintinnabula, illa fulguris, hæc tonitrui specimen referebant. Super hæc omnia, vestiebatur Ephod pretioso & vario, quod typus erat cæli sidereï variis stellis distincti; Ephod à tergo habebat duos onychinos lapides, qui significabãt duo hemisphæria, vel solem & lunam; à fronte verò Ephod in pectore habebat Rationale, in quo erant duodecim gemmæ, quæ repræsentabant duodecim signa Zodiaci; rursum hæ gemmæ duodecim inscripta habebant nomina duodecim tribuum Israel, vt scilicet meminisset pontifex se pro iis sacerdotio fungi, & semper orare debere. In capite pontifex gestabat tiaram, cui à fronte affixa erat lamina aurea, hac inscriptione nominis tetragrammati קדש לאדני *codes ladonai*, id est, sanctitas Domino: tiara hæc significabat cælum empyreum; lamina verò Deum omnibus præsidentem. Sic ergo creaturas omnes, orbemque vniuersum sua veste pontifex repræsentabat, vt meminisset se creatoris mundi esse ministrum, & indicaret omnem creaturam Dei misericordia indigere, seque pro ea tam voce, quàm habitu assiduè precari debere. ita ex Iosepho & Philone Hieron. ad Fabiolam, vbi hasce vestes explicat. De quo plura dixi Exodi 28.

vestis in vestederis totus erat orbis terrarum, quia omnes?

VT QVIETAM ET TRANQVILLAM (græcè ἥσυχον καὶ ἡσύχιον, hoc est, placidam & quietam. ita Syrus, Vatabl. & alij) VITAM AGAMVS] quod continget, si ipsi reges & principes prudenter remp. administrent, & si hanc eis prudentiam orando impetremus.

IN OMNI PIETATE ET CASTITATE] Pro *castitate* græcè est, σεμνότητι: quæ vox non solam castitatem, sed & omnem honestatem, & morum grauitatem significat, cernitúrque in omni virtute, ait Theophyl. Vnde Syrus vertit, *in omni reuerentia Dei & puritate.*

Nota Primò. Vult nos Apostolus vitam agere quietam non in otio & deliciis, sed in pietate & sanctitate. ita Theophyl.

Nota Secundò, pacem & quietem perutilem esse ad pietatem & vitæ honestatem: bellum enim & perturbatio, inquit Ambros. nec pietatem seruat, nec castitatem, videmus enim bello flagrante, vrbes, templa, sacra omnia profanari & diripi, virgines violari, sacerdotes capi aut fugari, omnia rapinis & cædibus misceri, silere leges omnemq; Dei cultum. *Tria sunt*, inquit Theophyl. *bellorum genera: vnum quod à Barbaris: alterum, quod priuatim aduersum nos geritur ab his, qui nobis infensi sunt: tertium, quod intra nos ex prauis motibus existitur. Bellum igitur quod à Barbaris ingruit, regum industria virtusq; sedat, quibus & nos orationibus succurrere opus est. Reliqua autem duo nosipsi sedare debemus, hac sanè ratione, vt illud, quod ab exteriorib⁹ nobis infertur, mansuetudine vincamus, atque orationibus nostris afflictiones compensemus: istud verò quod in nobis consurgit, per omnia virtutis arma exuperemus.*

HOC ENIM (vt scilicet offeretur pro omnibus hominibus) BONVM EST ET ACCEPTVM CORAM SALVATORE NOSTRO DEO, QVI OMNES HOMINES VVLT SALVOS FIERI, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE] Hinc sequitur, orationes piorum plurimùm valere ad conuersionem & salutem infidelium, aliorumque hominum, adeoque multos suam eis salutem debere qui pro se orant. Sic S. Paulus suam conuersionem & salutem debet precibus S. Stephani: si enim Stephanus pro Paulo non orasset, Ecclesia Paulum non haberet, inquit S. Augustinus serm. 4. de S. Stephano. Hinc perutile est se aliorum, præsertim qui ob innocentiam & sanctitatem in magna apud Deum sunt gratia, precibus commendare. VERS. 3. & 4.

Nota. Non Christum, sed Deum vocat *saluatorem*, quia Deus vult omnes saluos fieri, ideoque Christum saluatorem omnibus dedit. Sic Deum *saluatorem* vocauit c. 1. v. 1.

QVI (Deus) OMNES HOMINES VVLT SALVOS FIERI] Quæritur, quomodo hoc sit verum; si enim Deus id velit, cùm omnia quæcumque vult faciat, sequitur facturum esse Deum, vt omnes saluentur. Rursum, Deus multos vult damnare, non ergo eos, ac per consequens non ergo omnes saluare vult. Resp. Primò S. Augustinus Enchirid. 103. vocem *omnes* hîc capi & distribui non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, id est, non significare singulos homines, sed ex omni hominum genere aliquos, putà aliquos reges, aliquos plebeios; viros aliquos, aliquas feminas; Iudæos aliquos, aliquos Hispanos, aliquos Belgas, &c. Deum velle saluare. Hanc expositionem auidè arripit Beza. VERS. 4. *Quomodo Deus vult omnes saluos fieri.* *Prima expositio.*

Secundò, idem Augustinus ibidem respondet, Deum velle saluos fieri omnes, scilicet eos, qui salui fiunt: sicut dicitur magister, qui solus docet in aliqua ciuitate, docere omnes pueros illius ciuitatis, quia quicumque pueri docentur, ab eo docentur. q. d. Nullus sine Dei voluntate fit saluus, sed omnes & soli prædestinati à Deo, Deique electione & voluntate saluantur: Deus ergo pro omnium illorum salute orandus est. Verùm hæ restrictiones videntur esse præter mentem Apostoli: Apostolus enim vult nos, non pro aliquibus, aut solis saluandis, sed pro omnibus omnino hominibus orare: & rationem hanc subdit, quòd hoc acceptum sit Deo, quia Deus vult omnes homines saluos fieri. Rursum hoc ipsum, scilicet, quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, alia ratione probat Apostolus, dum subdit *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus,* *Secunda.*

qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: atqui Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est, omnibusque redemptionem, id est lytrum redemptionis, sua morte comparauit: ergo & Deus ipse, qui Christum hoc fine nasci, pati & mori voluit, adeoque misit, vult omnes omnino homines saluos fieri.

Tertia. Tertiò, S. August. lib. de Correpț. & gratia c. 15. Deus, inquit, vult, id est facit nos velle, vt omnes saluentur. sicut Roman. 5. dicitur, *Misit Deus spiritum filij sui clamantem* (id est clamare nos facientem) *abba Pater.* Sed nec hoc satisfacit scopo & menti Apostoli, qui hisce verbis vult ostendere acceptum hoc esse Deo, vt omnes saluentur: quia scilicet idipsum vult non in nobis, sed in seipso; quomodo enim hoc acceptum potest esse Deo, nisi Deus in seipso idipsum velit, in eoque sibi complaceat?

Quarta. Quartò, D. Thomas, Caietan. & alij: Deus, inquiunt, vult omnes saluos fieri, voluntate, non beneplaciti, sed signi, quia scilicet Deus omnibus hominibus proponit doctrinam, fidem, & præcepta salutis: sed hæc voluntas non sufficit. nam si tantùm omnibus dat hæc signa, nimirum præcepta salutis, reuera autem non vult Deus omnium salutem, nec vult omnes saluare; ergo fictè hæc eis signa exhibet. Hisce signis enim significat, se seriò cupere omnium salutem: cur enim hæc signa omnibus exhibet, nisi vt significet se sincerè velle vt omnes saluentur? quòd si nolit omnes saluare, & tamen hisce signis significet se velle omnes saluare, simulatè ergo ac dolosè agit Deus: hoc autem impium est dicere de prima illa veritate, sinceritate & bonitate Dei.

Quinta & genuina. Dico ergo Quintò, Deus vult, id est, sincerè cupit, & ex animo desiderat omnes homines saluos fieri, ideoque omnibus dedit Christum redemptorem, & per eum gratiam, Sacramenta, & alia omnia media ad salutem necessaria suppeditauit, quantum est ex parte sua, vt, si qui pereant, non Dei voluntate & prædestinatione, sed sua culpa & malitia pereant. hæc ergo Dei voluntas saluandi omnes non tantùm est signi, quam scilicet Deus significauit per tot exhortationes, præcepta, pœnas & præmia hominibus proposita; sed etiam est beneplaciti; non tamen completa, consequens, & totaliter efficax, sed incompleta, antecedens, & efficax tâtùm ex parte Dei. Vbi Nota ex Damasc. lib. 2. de Fide c. 29. Voluntas Dei, quæ dicitur beneplaciti, est duplex, vna antecedens, quæ scilicet antecedit omnem præuisionem bonorum, vel malorum operum hominis, quæque tantùm manat ex Deo, & Dei in homines beneuolentia: altera est consequens, qua præuisis bonis, vel malis operibus hominis, vult eum completè & efficaciter vel saluare, vel damnare.

Voluntas Dei alia antecedens, alia consequens.

Deus ex parte sua seriò cupit omnium salutem, ad eamq; cuiq; sufficientia dat media.

Dico ergo, Deum velle omnes saluare voluntate non consequente (hac enim impios, præuisa eorum impietate, damnare vult, non saluare) sed antecedente; ante scilicet præuisionem finalis impœnitentiæ, siue mortis alicuius in peccato, quantum est ex parte sua, seriò, & ex animo cupit & optat Deus omnium salutem, omnesque eò vocat, & ad eam sufficientia dat media. Verùm vt hæc voluntas fiat completa & efficax, id est, vt efficaciter sortiatur effectum, salutem scilicet à Deo volitam, debet accedere conditio à Deo requisita ex parte hominis, eiusdem scilicet cooperatio, vt scilicet homo mediis à Deo ad salutem præscriptis vtatur, eamque per bona opera mereatur. Ita Damasc. 2. fidei cap. 29. Oecumen. Chrysost. Ambros. Hieron. imò S. August. de Spir. & lit. c. 33. & Prosper ad 1. obiectionem Vincentianam. & patet ex præc. & seqq. hîc in Apostolo, vt dixi circa expositionem primam & secundam. Et hoc confirmat S. Petrus epist. 2. c. 3. *Deus*, inquit, *patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Et Ezech. c. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non magis vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Et Christus Matthæi 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ac rursum: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Hic enim est finis incarnationis, & totius œconomiæ Christi, vt scilicet omnes homines inuitaret & vocaret ad salutem, non superficialiter, non vocaliter, non simulatè; sed seriò, sed ex intimo animi sui desiderio: hac, inquam, de causa tantos labores, fatigationes, dolores, & ipsam crucis mortem subiit, vt si qui pereant, magno Christi dolore, ac contra ipsius voluntatem suaque negligentia pereant. Ita sanè suadet pietas, & amor Christi, vt hæc & plura de eius redemptione tam copiosa sentiamus.

Vnde pulchrè S. Ambros. *Si Deus*, inquit, *qui omnipotens dicitur, omnes homines saluos vult fieri, cur non impletur eius voluntas? Sed in locutione sensus est, conditio latet.* Ac paulò infrà: *Vult enim Deus omnes saluos fieri; sed si accedant ad eum: non enim sic vult, vt nolentes saluentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint*, &c. *Idipsum docet S. Ambrosius.*

Et Hieron in illa verba Ephes. 1. *Secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur, secundùm consilium voluntatis suæ*, &c. sic ait: *Vult autem*, scilicet Deus, *ea, quæcumque sunt plena rationis atque consilij; vult saluari omnes, & in agnitionem veritatis venire: sed quia nullus absque propria voluntate saluatur, (liberi enim arbitrij sumus) vult nos bonum velle, vt, cùm voluerimus, velit in nobis & ipse suum implere consilium.* *& S. Hieronymus,*

Et Damasc. loco citato: *Neque Latendum est*, inquit, *Deum præcedenter velle omnes saluari, & regnum eius consequi: non enim ad puniendum nos plasmauit, sed vt efficiat nos bonitatis suæ participes, vt bonus; peccantes autem puniri vult, vt iustus. Dicitur igitur prima præcedensq; voluntas, & acceptatio ex ipso existens: secunda verò voluntas sequens, & permissio ex nostra causa existens.* *& Damasc.*

Denique vt alios taceam, id disertè docet S. Clemens Romanus l. 2. Constit. Apostol. c. 59. quasi ab Apostolis acceptum, & sententiam verissimam, Deum scilicet à mundi exordio voluisse omnes homines saluare, omnesque ad pœnitentiam & salutem vocasse per suos Prophetas, aliosque viros iustos. Deinde subiicit: *Nos ergo, qui digni facti sumus, vt essemus testes aduentus ipsius, cum Iacobo fratre Domini, & aliis septuagintaduobus, & septem diaconis eius, ex ore Domini nostri Iesu Christi audiuimus, & perfectè scientes dicimus, quæ sit voluntas Dei bona, placens & perfecta, per Iesum Christum nobis demonstrata, vt nullus intereat, sed vniuersi homines vnanimi sententia credentes ei, & vnanimem laudem ferentes in eum viuant in æternum.* Hæc ille. *& S. Clemens.*

Dices, Quomodo ergo Matth. 20. 28. & alibi dicitur quòd filius hominis venit dare animam suam non pro omnibus, sed pro multis? Resp. aliqui, *pro multis*, scilicet electis, Christus animam dedit efficaciter, sed sufficienter pro omnibus. Verùm

rùm genuinè & simpliciter Resp. *pro multis*, id est, pro omnibus: omnes enim sunt multi. vult enim dicere non ad paucos se extendere hoc Christi beneficium, sed ad multos, putà ad omnium hominum, qui sunt, fuerūt, vel erunt multitudinem. Ita sæpè alibi per multos intelliguntur omnes.

A

1 Tim. 2. VNVS ENIM DEVS, VNVS ET MEDIATOR DEI ET HOMINVM HOMO CHRISTVS IESVS] Vnus Deus est SS. Trinitas, à qua distinguitur Christus vt mediator, id est vt homo: perperam ergo ex hoc loco Arriani probant, Christum non esse Deum.

Nota. Apostolus hîc probat id quod dixit, Deum scilicet velle omnes homines saluos fieri, hoc argumento: Vnus est omnium hominum tam fidelium, quàm infidelium Deus, id est creator, prouisor & pater, qui summè bonus, omnes homines quasi filios suos amat, ac saluos esse cupit; ideoque dedit Christum mediatorem, vt scilicet vnus & idem Christus omnium omnino hominum esset redemptor, vtque per Christum omnes sibi homines iungeret ac saluaret. patet ergo quòd Deus seriò & sincerè velit omnes homines saluos fieri. ita Theodor. Anselm. & alij.

B

Mediator quid significet.

Nota, nomen *Mediatoris* Primò, significare substantiale medium, seu vinculum, quo duæ partes, vel res extremè distantes vniuntur & consociantur: sic Christus est substantialis mediator, quia in Christo humana natura & diuina, quæ maximè à se inuicem distant, substantialiter coniunctæ & vnitæ sunt. ita Ambros. Chrysost. Theodor. Addit S. Augustin. lib. 9. de Ciuit. c. 15. Christum etiam fuisse mediatorem, id est medium, inter Deum & homines ratione status: quia simul beatus fuit, vti est Deus; & simul viator fuit, vti sunt homines.

C

Secundò, *mediator* significat eum, qui partes dissidentes & inimicas, siue rogando, siue consulendo, siue satisfaciendo parti læsæ, ipsamque reconciliationē & amicitiam perficiendo & redintegrando, componit. Vnde pro *mediator*, Vatabl. & Erasmus vertunt, *conciliator*; Tertull. lib. de Resurrect. carnis, vertit, *sequester*. Et hoc sensu propriè Christus hîc dicitur *mediator*, licet hic sensus priorem supponat: necesse enim fuit in Christo hypostaticè naturam diuinam & humanam copulari, vt odia inter Deum & homines componeret. ita Augustinus suprà, Chrysost. Ambros. & pulchrè Theodor. *Vnus*, inquit, (Christus) *est conciliator pacis, qui ea, quæ erant inter se disiuncta & distantia, coniunxit. Christum autem hominem nominauit* (scilicet Apostolus) *quoniam vocauit intercessorem; homo enim factus fuit intercessor. & quemadmodum, qui duos quospiam manibus inter se conserentes & confligentes vult reconciliare, se medium interponens, & hunc quidem dextra, illum verò sinistra tenens ad amicitiam deducit & coniungit: ita ipse cùm diuinam naturam humanæ vnisset, inuiolabilem, & quæ non potest dissolui, pacem conciliauit.*

D

Et Anselm. *Erant*, inquit, *homines mortales, & peccatores, Deus verò, cui erant conciliandi, vt possent saluari, immortalis erat, & sine peccato. Mediator autem inter Deum & homines oportebat vt haberet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis longè esset à Deo, aut in vtroque Deo similis longè esset ab hominibus, & ita mediator non esset. Et ideo inter mortales peccatores, & immortalem iustum, apparuit mortalis cum hominibus, iustus cum Deo.*

Aduerte hîc, Paulum, cùm Christum vocat *vnum mediatorem*, perstringere Simonem Magum, eiusque assecias, qui ex Platone docebant, non Christum, sed angelos, vel dæmones esse mediatores hominum ad Deum. Vnde toties epistola ad Ephesios (quorum Episcopus erat Timotheus, ad quem hæc scribit Paulus) dicit nos nonnisi per Christum habere accessum ad Patrem. Vide Coloss. 2. 18.

Hinc sequitur, quòd Christus sit & dicatur vnus mediator, id est redemptor, & hoc sensu solus Christus est mediator.

An solus Christus sit mediator, an & Sancti.

Petes, an alio aliquo sensu Sancti, qui pro nobis apud Deum intercedunt, possint dici mediatores, an verò hoc nomen & hic titulus vni debeatur Christo?

Resp. Est hæc quæstio de nomine: nam inter Catholicos conuenit Sanctos orare pro nobis, ac consequenter esse nostros apud Deum aduocatos, intercessores & patronos: cum hæreticis verò de nomine non multùm contendemus. Concedant ipsi, Sanctos quasi aduocatos apud Deum pro nobis intercedere, esto nomen eis mediatoris negent, vniquè Christo tribuant, dabimus illis societatis dextras. Vt tamen vmbras, quas aliqui in hoc nomine faciunt, dispellam, dico Sanctos hoc sensu, quòd scilicet orando mediant & intercedunt pro nobis apud Deum, dici posse mediatores. Græcè enim μεσίτης, hoc est mediator, dicitur, quicumque quauis ratione inter duos dissidentes medium se interponit. Sic Moses vocatur medius & mediator inter Deum & populum Deut. 5. 4. & Galat. 3. 19. vt ibi dixi. Sic Hebr. 5. 1. *Omnis pontifex*, inquit, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

Moses vocatur mediator.

Quid hoc est aliud, quàm pontificem pro hominibus, hominumque peccatis esse mediatorem ad Deum constitutum? imò Apostolus hîc, c. 4. v. vlt. Timotheum vocat saluatorem, quod longè maius est quàm esse mediatorem: *Hoc*, inquit, *faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Quid est aliud *saluum facies*, quàm Eris saluator? Et hoc sensu Sanctos pro nobis orantes mediatores vocat Nazianz. in orat. ad Greg. Nyssenum, Hieron. in c. 2. Malachiæ, Chrysost. hom. 6. de sacerd. Cyrillus lib. 12. Thesauri c. 10. Greg. libr. 1. epist. 24. & alij.

Vbi tamen Aduerte. In hoc ipso magna est inter Christum & Sanctos differentia: licet enim Sancti orando pro nobis sint mediatores, ministeriales scilicet, mediati & secundarij, vt ait Cyrill. l. 12. Thesauri c. 10. Christus tamen solus mediator est principalis, immediatus & primarius. nam solus Christus immediatè per seipsum accedit ad Patrem, & orat pro omnibus, nobisque gratiam deposcit quasi ex iure meritorum suorum: Sancti verò orant pro nobis, non ex iure, aut meritis suis, quasi nobis gratiam aliquam meruerint, eamq; nobis quasi ex debito postulent, sed orant per Christum, Christique meritis innixi. Vnde S. Bernard. serm. de S. Maria in illud Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo*, insinuat Sanctos non esse dicendos mediatores Dei & hominum, sed mediatores ad mediatorem: quia ad Christum, & per Christum accedunt ad Deum, orantque pro nobis: *Opus*, inquit, *est mediatore ad mediatorem* (Christum, qui vnus est mediator Dei & hominum) *nec aliter nobis vtilior, quàm Maria.* Et hoc

Quo sensu S. August. dicat Christum solum esse mediatorem.

sensu S. August. lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 8. A plures concedit aduocatos, sed vnum mediatorem: *Pro quo*, inquit, *nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusq; mediator est.* Agit enim hîc S. August. contra Donatistas, qui putabant à sacerdote pendere gratiam Sacramenti, ita vt sacerdos bonus sanctificaret baptizando, malus verò baptizando pollueret, & proinde faciebant sacerdotem mediatorem quodammodo redemptionis. ideo S. August. docet plebem esse securam, siue à bono, siue à malo baptizetur, quia vnus est mediator Dei & hominum Christus.

Atque hac de causa Catholici nonnulli satis scrupulosè cauent ne mediatoris nomen alteri tribuant, quàm Christo: sed cùm Moses vocetur mediator, vt dixi, cumque de re nomine hoc significata constet, posse eam certo modo & sensu conuenire Sanctis, non video quis hic faciendus B sit scrupulus, si quis secundùm sensum iam datum Sanctos vocet mediatores, nec in hac re scrupulum fecit S. August. quòd enim ipse non neget sacerdotem posse dici mediatorem orando, patet, quia ibidem dicit, Christianos rectè facere cùm se alterius orationibus commendant.

Christus est mediator nō qua Deus, nec qua homo, sed qua Deus homo.

Denique Nota. In Christo solus Deus non est mediator, nec solus homo, sed Deus homo: hic enim exercuit opera mediatoris, seu redemptionis nostræ in humanitate à se assumpta; ita vt principium, quòd (vt loquuntur Scholastici) talium operum sit Deus, seu hic homo qui Deus est; principium quo sit humanitas, vtpote in qua, & per quam perfecta sunt hæc omnia opera, putà omnes actiones & passiones mediatoris. & hoc est quod Paulus hîc disertè ait: *Vnus mediator*, &c. *homo Christus Iesus.* ita S. August. lib. 2. de Peccato C origin. c. 28. Vide D. Thomam & Scholasticos 3. p. q. 26. q. d. Apostolus, Christus est omnium mediator, ergo, vt dixi, Deus vult omnium salutem: ad hanc enim procurandam, omnibus à Deo datus est Christus mediator, ac consequenter pro omnibus orare oportet, vt redemptionis huius Christi fiant participes. ita S. August. epist. 59. q. 6. ad Paulinum.

VERS. 6. QVI DEDIT REDEMPTIONEM SEMETIPSVM PRO OMNIBVS, TESTIMONIVM TEMPORIBVS SVIS] *Redemptionem*, id est, pretium redemptionis, quod Græci vocant λύτρον, quo captiui ab hostibus redimuntur. Verùm Apostolus, vt efficaciùs significaret hanc redemptionem non esse factam pecunia, sed corpore & vita Christi, non simpliciter eam vocat λύτρον, sed ἀντίλυτρον, quod significat pretium vicarium, quo res cum re simili, putà, vita vnius cum vita alterius, caput vnius cum capite alterius commutatur: sic enim Christus pro nostra vita, suam tradidit quasi ἀντίλυτρον nostrum. ita Theophyl. D

Nota. Nonnulli hîc addunt, & legunt, *Cuius testimonium confirmatum est*, quod Ambrosius sic explicat, q. d. Redemptionis huius à Christo factæ apertum documentum datum est in Christi resurrectione, Apostolorum prædicatione, & miraculis, quibus hanc redemptionem comprobarunt. Verùm τὸ *cuius*, & *confirmatum est*, delendum est, cum Romanis, Græcis & Syro, tantumque legendum est *testimonium temporibus suis.* & sensus est, q. d. Christus seipsum dedit pro omnibus in pretium redemptionis eo fine, vt scilicet hæc ipsa Christi redemptio suis temporibus esset testimonium tum diuinæ charitatis, fidelitatis, (qua hanc redemptionem hominibus per Prophetas promisit, & reipsa præstitit) & philanthropiæ in hac vita: Christi enim sanguis effusus testatur, & fidem facit quantum Deus nos diligat, & quanto pere cupiat omnes saluos fieri; tum æquitatis & iustitiæ diuinæ in futuro iudicio. tunc enim Christi passio, crux & redemptio testabitur ex parte Dei nihil defuisse, quo minùs omnes, quantumuis impij, saluarentur; sed ex parte eorum stetisse, eò quòd noluerunt Christo obsequi, eiusque redemptionem amplecti, ac consequenter iustissimè eos damnari. ita Anselmus.

Moraliter S. Chrysost. homil. 7. in morali docet magnæ ingratitudinis esse, si Christi redemptioni & amori non respondeamus in amore & misericordia erga proximos. *Litauit*, inquit, *Christus semetipsum pro inimicis, pro his qui se oderant, pro auersis à se. Id quod neque pro amicis, neque pro filiis, neque pro fratribus faceret quispiam: hoc fecit pro seruis Dominus, pro mortalibus immortalis, pro temporalibus sempiternus, pro inimicis denique Dei filius.* Et infrà: *Ipse enim*, ait, *pro nobis semetipsum offerre dignatus est: nos illum necessario indigentem cibo miseri aspernamur, infirmumq; ac nudum nec visitare dignamur: quanta hæc iraplectenda sunt? quibus cruciatibus, quibus incendiis obnoxia sunt?*

VERS. 7. IN QVO (εἰς ὃ, ad quod, scilicet testimonium, & Christi redemptionem promulgandam) POSITVS SVM EGO PRAEDICATOR, ET APOSTOLVS (VERITATEM DICO, NON MENTIOR) DOCTOR GENTIVM IN FIDE ET VERITATE] Nota Primò. Pro *Prædicator*, græcè est, κήρυξ, hoc est præco, crucis scilicet, mortis & redemptionis Christi, non hoc illoue loco, sed toto orbe, & apud omnes gentes, inquit Theophyl. Sic S. Franciscus cùm in prædones incidisset, rogatus quisnam esset, respondit se esse præconem magni Dei.

Nota Secundò. Ad *veritatem dico*, Græca addunt ἐν Χριστῷ, in Christo, quasi Paulus iuret per Christum se veritatem dicere: sed τὸ *in Christo* non habet Ambros. nec Chrysost. nec Romana, nec Syrus.

Nota Tertiò, *in fide*, id est fidelitate. q. d. Ego doctoris munere fungor summa fide & veritate; non doceo lucri causa, non fictè, non ad plausum. *Non sumus*, inquit 2. Corinth. 2. *sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Secundò, Syrus vertit בְּהֵימָנוּתָא וְשָׁרְרָא *behaimanuta desrara*, in fide veritatis, id est, in fide vera & germana.

Vnde simplicissimè cum aliis accipi hîc potest fides Euangelica & Catholica. q. d. Non doceo humana inuenta, sed ea, quæ pertinent ad fidem Euangelij: & ne in hac fide & doctrina mea putes aliquid esse mendacij & falsitatis, addo *& veritate.*

Rursum, aptè fidem præponit veritati, quia per fidem obtingit nobis quasi præmium cognitio veritatis: nam, vt ait Propheta, *Nisi crediderit is, non intelliget is.* Hinc pulchrè ex Platone in Timæo S. August. li. de Consensu Euang. c. 35. *Quantum*, inquit, *ad id quod ortum est aternitas valet, tantum ad fidem veritas. Duo illa sursum sunt, aternitas & veritas: duo ista deorsum, quod ortum est & fides. Vt ergo ab imis ad summa reuocemus, atque id quod ortum est recipiat aternitatem, per fidem veniendum est ad veritatem.* *Sicut per tempus venitur ad aternitatem, ita per fidē ad veritatem.*

veritatem. Et quæ omnia quæ in contrarium pergunt, A *per aliquod medium reducuntur ab æternâ iustitia temperatus inæquitas nos alienabat. Opus ergo erat media iustitia temporali quæ medietas temporalis esset de imis media & summis, atque ita sic nec abrumperet à summo, & contemperans imu ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei & hominum dictus est inter Deum immortalem & hominem mortalem, Deus & homo reconcilians hominem Deo, manens id quod erat factus quod non erat. Ipse est nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis.*

Hoc ergo est sacerdotis & Apostoli munus, docere scilicet fidem & veritatem. *Labia*, inquit Malachias c. 2. *sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Et Hieron. in 7. Ezech. in fine: *Singula*, inquit, *requiruntur à singulis; vaticinium enim futurarum, propriè requiritur à Propheta: legis verò interpretatio sacerdotis officium est.* Hinc sum- B mus sacerdos Rationali suo inscriptum habebat אוּרִים וְתֻמִּים *vrim vetummim*, id est doctrina & veritas, cuius inscriptionis moralis ratio erat, vt sacerdotem admoneret sui officij, sanæ videlicet doctrinæ & veritatis siue integritatis (hoc enim vox *tummim* hebraicè significat) vitæ. historica verò causa erat, vt sacerdotij dignitas commendaretur populo, quando eum Rationali indutum edoceri à Deo de futuris euentis & vice Dei oracula fundere cernebat: non quòd per has voces *vrim & tummim* Rationali inscriptas Deus responderet; sed quòd per sacerdotem Rationali vestitum, & pontificalibus indutum, tamquam fungentem iam munere pontificio Deus illa reuelaret, de quibus consulebatur. idque hæc scriptura *vrim & tummim* significabat, sacerdotem videlicet Rationali indutum esse in *vrim & tummim*, hoc est, C accipere à Deo doctrinam & veritatē dubiorum, de quibus eum consulebat: *vrim* ergo non oraculum, sed index erat oraculi. Et cùm Scriptura dicit Deum per *vrim* consultum esse, aut respondisse, metonymicè accipiendū est, Deum scilicet respondisse per sacerdotem Rationali, in quo erat *vrim*, indutum; idque, vt sacerdos typum gereret Christi, summi Prophetę, per quē veritas facta est, & allata è sinu Patris, Iohan. 1. v. 17. & 18. Erat igitur in sacerdote sic ornato oraculorū doctrina & veritas, ac esse debebat iudiciorū & legis doctrina, & veritas vitæ. De quibus plura dixi Exodi 28.

VOLO ERGO VIROS ORARE IN OMNI LOCO, LEVANTES PVRAS MANVS SINE IRA ET DISCEPTATIONE. Quæ de suo doctoratu & apostolatu præmisit Apostolus, quasi per parenthesim interiecit propter pseudoapostolos, nunc redit ad orationē, D quam initio capitis commēdauit. q.d. Quod dixi orandū esse pro omnibus, nō ad solos sacerdotes, sed ad omnes viros & mulieres pertinere volo.

Nota. Vult viros orare in omni loco, quod Ambros. Anselm. S. Thom. & alij Latini intelligunt de oratione priuata vbiuis locorū facienda. q.d. Non tantùm in ecclesia, sed & in agris, siluis, officina, itinere, naui, mensa, lecto, & quouis loco, licitum est orare cuiuis viro, eique suadeo vt oret. Ad hoc vsi sunt veteres orationibus breuibus, sed crebris & ardentibus, quas iaculatorias vocant, eæque vel vocales erant, vel mentales tantùm. de quibus S. August. epist. 121 ad Probam c. 9. *Dicuntur*, inquit, *fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo eiaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores horas enanescat atque hebetetur intentio. Atque per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non citò esse rumpendam: absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si seruetur perseuerat intentio.* Et infrà: *Plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu.*

Ratio, cur Apostolus velit nos orare omni loco, est Prima, quam dedit S. August. serm. 130. in Parasceue de cruce & latrone: quia per Christum omnis locus factus est Christianis oratorium. *Iudæa*, inquit, *Deus præcepit relinquere vniuersam terram, & in vno loco offerre sacrificia, & vota reddere, quoniam immunda erat tunc vniuersa terra fumo ararum, & nidore bustorū, cæterorumq; coinquinatorum, eorum, quæ de profanu Gentilium sacrilegiis inferebantur super eam. Nobis verò iam, quoniam Christus adueniens expiauit vniuersam terram, omnis locus oratorium factus est. Et ideirco Apostolus hortatur & præcipit sine intermissione orare vbique, dicens: Volo orare viros in omni loco, leuantes puras* (sic enim habet S. August pro *puras*) *manus.* Altera ratio est, quia oratio tam necessaria est animæ, quàm cibus corpori. Id pulchrè docet S. Antiochus, qui vixit à 900. annis, cuius homiliæ extant in appendice Bibliothecæ SS. Patrum, hom. 106 *Oratio*, inquit, *cum luctu coniuncta, & ad Deum effusa in spiritu, altimonia mentis est, haud secus ac panis corpori.* Quamque hoc vtile, felix & diuinum sit, declarat, dum subdit: *Beata sanè mens, cui tempore orationis datum est, nullis se interpellātibus remoris, Deum posse alloqui. Talis perinde se habet, vt aquilæ pullus, dum sese in sublime attollit; tota enim, felici nempe ac diuina permutatione à se alienata, radioso splendore intermicat.* Ac rursum quàm humiles ac mites efficiat oratio, declarat, dum subdit: *Ingis oratio & continens per congressum cum Deo familiarem, mentem auocat ab omni prudentia fastuq; mundi, eamq; Deo præsentem offert, quoq; propiùs iungit Deo, hoc matere adimplet timore simul & mititate* (id est mansuetudine.) Denique ad omnia vitia & concupiscentias edomandas, necessariam esse iugem orationē docet, dum ait: *Qui cartosam peccatorū putrilaginem à se excutere cupiunt, iis semper orationi incūbendū est, interna scilicet mēis locutione, etiāsi extra oratorias ædes diuersentur.*

Cur Paulus velit nos orare in omni loco, duplex est causa.

Omnis locus Christianis est oratorium.

Oratio tam necessaria est animæ, quàm cibus corpori.

Secundò tamen, Græci hunc locum explicant de oratione publica, maximè sacrificij & synaxis, idque aptiùs cohæret præcedentibus & sequentibus: nam de oratione publica egit v. 1. & in publica lauandæ & leuandæ sunt puræ manus, non autem in priuata. Rursum quia mulieres vult orare in habitu ornato; ergo de publica oratione loquitur. quid enim refert quo habitu mulier vtatur, dum priuatim orat in cubiculo? Loquitur ergo de publica oratione, quæ quouis loco, id est oratorio publicæ orationi dicato, faciēda est q.d. Iudæi orant tantùm in templo Hierosolymitano, ego verò Christianos volo orare in quauis ecclesia, & in omni loco qui dicatus est orationi.

Apostolus loquitur de oratione publica.

Est enim oratio quæ in ecclesia fit, efficacior ea quæ domi funditur, vt docet S. Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, cùm obiectionem quorumdam (qualis est Nouantium nostrorum) elidens, sic ait: *Orare vel domi possumus, dicunt: sed homiliam doctrinamq; audire non nisi in ecclesia possumus. Te homo decipis. Nā etsi domi quoque Deum orandi est facultas, tamen fieri non potest, vt domi*

Oratio in ecclesia melius fit, quā in domo, cur?

domi tam bene ores quàm in ecclesia, vbi tot Patres, vbi clamor felici societate excitus, ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras cùm solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in huiusmodi plus aliquid, verbi gratia concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, sacerdotum clamores. Præsunt enim ob eam rem sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cælum euehantur. Adde, locus ipse sæpè deuotionem orandi excitat, & propter Sanctos qui ibidem vixerunt vel requiescunt, miraculis, aliisque donis & beneficiis à Deo celebratur. Hac de causa tantopere ad Bethlehem S. Hieron. anhelabat, eoque Marcellam, Paulinam, & alias inuitabat, vt ipse in epistolis ad eas datis profitetur. Eadem de causa S. Chrysost. optabat adire limina Apostolorum, vt Petri & Pauli catenas exoscularetur, vt ipse scribit hom. 8. in 4. ad Ephes. Vide Bellarm. l. 3. de Cultu Sanctorum.

LEVANTES PVRAS MANVS] Græcè, ὁσίους, hoc est sanctas, tum corporaliter eas abluendo, quomodo Iudæi Exodi 19. iubentur sanctificare se abluendo vestes: tum spiritualiter, manus scilicet seruando vacuas ira, vt sequitur, & disceptatione, pugnis, rapina, auaritia, turpitudine, ac per eleëmosynas eas sanctificando. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Hinc Tertull. in Apolog. cap. 30. pro *puras* legit *innocuas*. Vnde & August. serm. 93. de Tempore, *In manibus*, ait, *opera debemus accipere; si ergo talia sunt opera, vt ea possis in altum in conspectu Domini leuare, potes etiam & tu in teipso aduersarios tuos excludere. Hos ergo si volumus vincere, manus nostræ, id est, actus nostri, & conuersatio nostra non sit in terris, sed in cælo.* Sic Horatius libr. 1 satyra 4. *puris manibus viuere* dixit, pro eo, quod est, studiosè & ex virtute viuere.

Christiani olim ante orationem lauabant manus, duas ob causas.

Nota, olim Christianos solere ante orationem manus abluere, idq; Primò, honoris & reuerentiæ causa; maximè quia, vt patet ex VI. Synodo can. 101. communicantes, sacrã hostiam excipiebant, non ore vti iam fit, sed explicatis in formã crucis manibus, viri nudis, feminæ puro linteo, quod Dominicale vocabãt, tectis, vt patet ex Concilio Altisiod. can. 36. inde manibus hostiam ori admouentes, sumebant. Secundò, vt admonerẽtur puritatis animæ. Disertè id habet Clemens 8. Const. 38. & Tertul. de Orat. c. 11. *Quæ*, inquit, *ratio est, manibus quidem ablutis, sed spiritu sordidato orare?*

Christiani olim Eucharistiam non ore, sed manu excipiebant, ideoq; manum lauabant.

Imò hac de causa, non tantùm manibus loti, sed etiam candidis induti vestibus ingrediebantur ecclesiam, vt docet S. Chrysost. homil. 25. in Matth. Atque hac de causa præter aquam benedictam, siue lustralem, posita erat pro foribus ecclesiæ aqua ad purificationem, vt patet ex Euseb. lib. 10. hist. 4. Huius lauacri loco successit & remansit vasculum aquæ benedictæ, positum in ingressu ecclesiæ ad expiationem leuium peccatorum, ac soliiam sacerdotes in Missa lauant manus.

Aqua ad purificationem olim ponebatur ante fores ecclesiæ.

Iudæi & Gentiles non nisi lotis manibus orabant.

Nota Secundò. Hic lotionis ritus, vti & multi alij, à Iudæis fluxisse & manasse videtur ad Christianos: nam Iudæos nonnisi lotis manibus adorasse Deum, docet Aristæas lib. de 72. Interpretibus. Causam addit, illud scilicet testimonium esse, ne quid perperam agant, sed piè sancteq; cuncta perficiant, quia omnia manibus exercentur. Idem Gentiles fecisse patet ex Tibul. lib. 1. eleg. 2.

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Plura vide apud Baron. anno Christi 57. pag. 534. & 549.

Leuare manus habitus est orantis.

Nota Tertiò. Leuare manus habitus est orantis. Hinc veterum & Iudæorum, & Christianorum mos fuit orare eleuatis manibus. Id patet Exodi 17. *Cumq;*, inquit, *leuaret Moses manus, vincebat Israel; sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec.* Psal. 133. 2. *Extollite manus vestras in sancta*, id est versus sanctuarium. Psalm. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* q. d. Sicut thymiama, quod quotidie manè & vesperi Deo incenditur & adoletur, ad Deum ascendit, Deoque gratissimum ac suauissimum est: ita & oratio mea, quæ quasi incensum ex corde meo sanctis desideriis æstuante euaporat, ad te Domine ascendat, tibique suauis sit & grata. Rursum, oratio quam fundo eleuatis ad te, ô Domine, manibus, tibi placeat quasi sacrificium vespertinum, iuge scilicet agni, quod tam vespere, quàm manè immolabatur.

Quomodo Psalmi orationem manuum vocet incensum & sacrificium vespertinũ.

Vbi Nota. Potiùs vespertinum dicit, quàm matutinum, quia vespertinum erat honoratius. Primò, quia erat quasi finis & consummatio totius diei. Secundò, quia typus erat Eucharistiæ vespere in vltima cœna à Christo instituendæ. Tertiò, quia offerebatur pro peccatis toto die admissis, cum animi contritione & mœrore, cui vsus symbolum est vesper & tenebræ. ita Theodor. ibi.

Idem mos fuit Gentilium duce natura. Vnde Apuleius lib. de Mundo: *Habitus*, ait, *orantium hic est, vt manibus extensis ad cælum precemur.* Et Euseb. lib. 4. de Vita Constant. c. 28. recitat legem Constantini, qua iussit etiam Gentiles feriari die Dominico, & vota sua Deo nuncupare manibus æquè ac animis in cælum eleuatis. Hoc et iam habitu apud Romanos fingebatur simulacrum Pietatis; eodemque habitu suam imaginem fingi voluisse Constantinum testis est Euseb. l. 3. Vitæ eius c. 3.

Simulacrũ Pietatis.

Quæres, quæ huius habitus & ritus sit causa? Resp. Prima causa est, quòd hic habitus sit supplicis, petentis & sperantis auxilium ex alto: sicut submergendi manus extendunt tamquam auxilium petentes. Secundam causam dat Clemens Alex. l. 7 Stromat. quòd eleuatio manuum significet & excitet mentis eleuationem in Deum, quæ orationis est quasi anima *Caput & manus*, inquit Clemens, *in cælum extendimus, & pedes excitamus in vltima acclamatione orationis, promptitudine & alacritate spiritus assequentes essentiam, quæ apprehenditur intelligentia, & vnà cum verbo corpus à terra educere conantes, erectam & eleuatam animam desiderio meliorum, cogimus in sancta progredi, magno animo corporis vinculum despicientes.* Tertiam dat Tertull. Apolog. 30. quòd extẽsione manuum nos Deo offeramus, & quasi in manus eius dedamus: *Paratus est*, inquit Tertull. *ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani*, q. d. orans, *Præstò sum, necte & plecte si vis, aut certè miserere.* Quarta est, quòd hoc ritu vehementiam affectus designemus, quasi vim Deo inferre, atque præ magna fiducia manu quod petimus prehendere velimus. Ita enim fecisse Bebianum consulem moriturum, cùm ei se videndum Deus exhiberet, habet carmen de ipso conscriptum; quod extat to. 8. Biblioth. SS. Patrum. Quintam dat S. Cyprianus Exhort. ad Mart. c. 8. Theod. q. 34 in Exodum, Nyssenus in Vita Mosis, Minutius in Octau. Hieron. in c. 11. Marci, & alij veteres, vt scilicet

Sex causæ cur orantes leuent manus.

scilicet hoc gestu protestemur merita Christi crucifixi, eaque Patri quasi efficacissimum ad impetrandum medium offeramus. qua de causa sacerdos in Missa sæpè orat manibus expansis in modum crucis. Hinc & Prudentius hymno 6. peri Stephanon, sanctos quosdam Martyres ad supplicia raptos, asserit ita orantes corpus conformasse, vt formam crucis exhiberent, quo scilicet protestarentur se cultores esse Christi crucifixi pro eoque pati & mori. Sexta causa est moralis, scilicet, quòd hoc habitu testetur is qui orat, se nolle torpentem rem petitam impetrare; sed velle manus simul ad opus admouere. hinc Psaltes psalm. 118. *Leuani*, inquit, *manus meas ad mandata quæ dilexi.* & Thren. 3. 41. hortatur Ieremias, vt leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum. Septima est symbolica, quam dat S. Ephrem tract. de Orat. vt scilicet hac extensione oratio nostra quasi arcu armetur, *quoniam in ea manus extendimus, ac veluti sagittam in inimicum dirigimus.* Quare iure queritur Christus apud B. Hippol. libr. de Consummat. sæculi: *Ego*, inquit, *manus vestras feci, vt ad preces & orationes extenderetis eas; at vos ad rapinas & cædes & mutuas occisiones extendistis.* Porrò primorum Christianorum in orando gestus ita pingit Tertull. Apolog. 30. *In cælum*, inquit, *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocui; capite nudo, quia non erubescimus; sine monitore, quia de pectore oramus. Precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt.*

SINE IRA ET DISCEPTATIONE] *Sine ira*, id est, sine iniuriarum memoria, ait Chrysost. sine vindictæ cupiditate, imò cum reconciliatione, & condonatione iniuriarum: hanc enim positiuam conditionem per negationem iræ intelligit. est miosis. Idem docet Christus Matth. 5. 24. *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Nihil enim ita animum turbat, nihil eum ita à Deo & oratione auertit, atque diuinæ inspirationis & gratiæ incapacem reddit, sicut ira. Hinc Chrysost. homil. 8. *Nemo*, inquit, *adeò audax sit, vt inimicitias exercens ad Deum pergat orandum.*

Nota. Pro *disceptatione*, græcè est διαλογισμῶν, quod Oecumen. vertit, *hæsitatione*; Chrysost. *disceptatione*, qua quis, inquit, intra se disceptat cogitans: Putásne audiet me Deus? putásne impetrabo quod peto? Huic hæsitationi opponitur fiducia, quæ necessaria est oranti. *Credite*, inquit Christus Marci 11. v. 24. *quia accipietis, & euenient vobis.* Iacobi 1. *Postulet in fide nihil hæsitans.*

Secundò & melius, intelligitur hîc disceptatio, quæ ex ira, de qua præcessit, sequi solet: qui enim iratus est, secum disceptat de causis & modis vindictæ plenusque est tumultu cogitationum quasi inter se conflictantium, quæ mentis quietem interturbant, & planè ineptam ad orandum efficiunt. Vnde S. Ambros. l. 5. de Sacramentis c. 5. per disceptationem intelligit mentis euagationem, quæ in oratione excludi debet per attentionem animi, quæ quasi orationis anima est.

SIMILITER ET MVLIERES] Supple & repete, *orent in omni loco leuantes puras manus*, æquè vt viri.

IN HABITV ORNATO græcè κοσμίῳ, id est honesto, decenti, & vt Vatablus, modesto; & vt Syrus casto. hic enim ornat mulieres: nam nimius, inhonestus & indecens eas non ornat, sed deturpat & fœdat, maximè in templo, vbi sunt orandæ. Vnde explicans subdit: CVM VERECVNDIA ET SOBRIETATE (id est verecundè, sobriè, moderatè & modestè) ORNANTES SE] Rectè Demades dixit, pudorem in muliere esse arcem pulchritudinis: quæ enim eo carent, & inuerecundè se ornant, se summque pulchritudinem prostituunt. S. Cyprianus l. de Habitu virginum legit, *cum verecundia & pudicitia*: & ita vertit Syrus & Erasm. hoc enim quoque significat σωφροσύνη, magis tamen significat sobrietatem, vt vertit Noster. *Quis habitus ornatus in mulieres?*

Nota. Prima mulieris virtus præsertim in loco publico & templo, est modestia, præsertim in cultu corporis, ad quem hic sexus, quia aliis ingenij & iudicij dotibus, quibus præditi sunt viri, caret, propensior est. Vnde femineum genus φιλόκοσμον est, ait Hieron. epist. 12. ad Gaudentiū. Hinc & Comicus: *Dum moliuntur*, (aut *poliuntur*) *dum comuntur, annus est.* Et vulgare est adagium illud Plauti: *Nauis & mulier, numquam satis ornantur.* & *Qui opas & negotium quærit, vxorem aut nauem sibi comparet.* Vult ergo Apostolus eas esse habitu non sordido, nec lasciuo, sed graui, moderato & honesto, qui matronam Christianam deceat, quiq; animum pudicum, grauem & bene compositum significet. Hinc Secundò vult mulieres non inconditas & incompositas procedere, sed honestè ornatas, quamque pro suo statu. Sic Ruth c. 3. v. 3. lota & vncta cultioribus vestibus se induit, cùm adhuc nubilis esset. Sic Iudith ornauit se c. 10. 3. Sic Esther cultu regio ad Assuerū processit. Adeoque peccaret mulier, si inuito marito, viliori vestitu aut cultu veretur. Vnde S. Augustin. ep. 199. ad Ecdiciam, eam grauiter reprehendit, quòd continentiæ studiosa, vestem inuito marito, mutasset.

S. Basil. in Reg. breuior. interrog. 210. habitum ornatum ita definit, *Qui*, inquit, *ad propositū cuiusque finem accommodatus est cum decoro & dignitate habita ratione temporis, loci, personæ, vtilitatisq;: alia enim vestis conuenit tempore hiemis, alia æstatis; alia laboranti, alia quiescenti; alia ministranti, alia hero; alia militi, alia ciui; alia viro, alia feminæ.*

NON IN TORTIS CRINIBVS, AVT AVRO, AVT MARGARITIS, VEL VESTE PRETIOSA, græcè ἐμπλοκῇ πλούτου, id est, vestitu sumptuoso) SED QVOD DECET MVLIERES, PROMITTENTES (ἐπαγγελλομέναις, id est præferentes, &, vt Syrus atque Ambrosius, profitentes) PIETATEM PER OPERA BONA] Nota. Pro *tortis crinibus* græcè est, πλέγμασιν, id est, plicaturis & crispaturis, quibus mulieres calamistro, hoc est acu calefacta, crines vario flexu per gradus & nodos intorquent, vt cincinnatæ & calamistratæ incedant. VERS. 10.

Secundò, pro *pietatem*, græcè est θεοσέβειαν, hoc est, Dei reuerentiam & cultum; Syrus vertit, Dei timorem. pietas ergo hîc in Deum, non in parentes aut liberos intelligitur. q.d. Ita honestè ac modestè se vestiant, sicut vestiri decet mulieres Christianas, quæ per bona opera, id est, per bonam vitam & mores Christianos, profitentur, non leuitatem, non luxum, non lasciuiam, sed pietatem ac cultum Dei. Porro S. Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepisc. hæc extendit ad Episcopos & Ecclesiasticos: *Non in veste pretiosa*, inquit:

inquit: *clamatur autem specialiter ad feminas, vt erubescat in se deprehendi Episcopus, quod in fragiliori quoque sexu audierat reprehendi. Dicite Pontifices in fraeno quid facit aurum?*

Ornatus mulierum descriptus à S. Petro.

Est hic locus moralis de ornatu decenti mulierum. Sic S. Petrus epist. 1. c. 3. v. 3. describit in quo situs sit verus ornatus Christianæ feminæ: *Quarum*, inquit, *non sit extrinsecus capillatura* (crispatura) *aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Vbi Nota, verum mulieris ornatum esse internum, integritatem scilicet & incorruptionem spiritus quieti & modesti, vel, vt Hieron legit silentis.

Spiritus quietus, ait Caietanus, opponitur inconstantiæ, quæ mulieribus est familiaris: modestus & silens, iracundiæ & garrulitati. Sic de sponsa Regis dicitur psal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Alioqui mulier externo cultui dedita, & internum negligens, internè Hecubam, externè Helenam refert, inquit Nazianzenus in carm. contra fucatas mulieres: imò S. August. serm. 18. de verbis Apostoli: *Corporis*, inquit, *huius, id est, exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris maiora detrimenta; quanto autem minùs appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis pulchrùs moribus homo interior adornatur.* Imò quæ nimiùm sese ornat exteriùs, esto sit castissima, non caret tamen impudicitiæ suspicione. Testis est Claudia Vestalis, quæ, vt canit Ouidius 4. Fast.

Casta quidem, sed non est credita, rumor iniquus
Læserat, & falsi criminis acta rea est.
Cultus, & ornatos variè fudisse capillos
Obfuit, ad rigidos linguaq; prompta sonos.

Spartani solis meretricibus cōcedebant ornatum vestium.

Econtrariò laudat Plutarchus in vita Phocionis illius vxorem, quæ cùm ei altera quædam mulier valdè nobilis suos torques & mundum muliebrem ostentasset, vti solent feminæ, respondit: *Meum verò ornamentum & mundus muliebris est Phocion.* Hinc rectè Clemens Alexandr. l. 2. Pædagogi c. 10. *Laudo*, inquit, *& admiror Lacedæmoniorum ciuitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aureum mundum gestare permisit, ita scilicet à probis mulieribus ornatus studium auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet.*

Tertull. decem rationibus deterret à luxu vestium.

Scripsit contra hunc luxum vestium & ornatus Tertull. insignem librum de Cultu feminarum, in quo Primò, c. 1. docet, quòd pudicitia non tantùm in carnis integritate, sed & cultus simplici mundicie consistat. Secundò, cap. 2. quòd hic luxus signum sit non integræ conscientiæ, & spectatoribus tentationem ingerat & periculum. Tertiò, c. 5. quòd istæ, quæ se adeò ornant coloribus & fucis, naturam, facturam & imaginē Dei deforment, transfigurent, adulterent, Deumque artificē quasi emendent & reprehendant. Quartò, c. 10. quòd vestium colores, auri opera, & gemmæ, inuenta sint à dæmone, idque probat ex libro Enoch, quem citat S. Iudas. Quintò, cap. 11. quòd hic cultus sit Gentilium, & ancillarum diaboli. Sextò, cap. 12. quòd hæc sint lenocinia & indicia meretricum. Septimò, c. 13. Christianos non ad delicias, sed ad asperitatem, cruces & martyria vocari. Idem libro de Habitu mulierum c. 1. docet, quòd feminæ habitu lugere & expiare debeant ignominiam & peccatum Euæ matris. Secundò, cap. 4. quòd luxus signum sit vel ambitionis, vel prostitutionis. Tertiò, c. 6. quòd gemmæ sint matris conchæ, aut de frontibus draconum eruantur, vt sic de serpente ornetur mulier. Denique quòd à Deo grauissimè puniantur. Nam Isaias c. 3. v. 17. inquit: *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit; & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.*

Itaque feminas sic exhortatur Tertull. *Prodite vos, iam medicamento & ornamentis exructa Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicta oculos verecundia, & spiritus taciturnitate inferentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus iugum Christi. Caput marito subiicite, & satis ornatæ eritis. Manu lanis occupate, pedes domi figite, & plasquam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitia. Taliter pigmentata Deum habebitis amatorem.*

Idem facit S. Cyprian.

Tertulliano sequitur Cyprianus lib. de Disciplina & habitu virginū: ait enim, *Illarū præstantior est cultus, quarum pudor est vilis. Si tu te speciosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te inuentutis illicias, vt ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te atque venenum videntibus præferas, excusari non potes quasi mente casta sis & pudica; redarguit te cultus improbus, & habitus impudicus.* Deinde asserit auctores, & inventores huius fuci & luxus esse dæmones. *Apostatæ*, inquit, *angeli duxerunt oculos circumducto nigrore fucare, genas mendacio ruboris inficere, mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptela suæ impugnationis.* Tertiò, ostendit, quòd quæ se nimis ornant, Dei opus corrigere velint, ac consequenter in Deum sint contumeliosæ. *Dixit*, ait, *Dominus, Faciamus hominem ad imaginem nostram; & audet quisquam mutare, ac conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quoniam id, quod Deus formauit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quòd opus Dei est omne quod nascitur; diaboli, quodcunque mutatur. Si pictor pinxisset imaginem, & alius manus inferret, an non grauis fieret pictori iniuria? tùne igitur impunè feres, quòd Dei imagini manus inferas?* Quartò, hisce quæ sese comunt & fucant, Dei iudicium & pœnas intentat. *Non metuis*, ait, *ne in resurrectione artifex opus suum non agnoscat, dicatq; : Opus hoc meum non est, imago hæc nostra non est, cutem falso medicamine polluit, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta, vultus alienus est. Deum videre non poteris, quoniam oculi tibi non sunt, quos fecit Deus, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos & depictos serpentis oculos imitata, de inimico tuo corrupta, cum illo pariter & arsura.*

Et S. Chrysostomus.

Quàm verò luxus hic & ornatus tum alibi, tum præsertim in templo dedeceat, docet hic Chrysost. & ex eo Theophyl. *An saltatura*, inquit, *ad ecclesiam pergis? numquid hic nuptias & lasciuiæ oblectamenta conquiris? num vt tui spectaculum præbeas aduenisti? num tibi nunc instruendus est thalamus? non iste supplicis est habitus; accessisti vt Deum pro peccatis tuis deprecetis, vt cum gemitu & lachrymis veniam petas; quid teipsam ornare improbo & intempestiuo studio contendis?*

Exemplum Prætextatæ.

Denique exemplo Prætextatæ, quod ex Hieron. descripsi 1. ad Thessal. 5. v. 19. ostendit Deus, quàm hic sibi luxus displiceat. Quare meritò b. Thomas Morus nobili cuidam puellæ, quæ multo cum labore

labore & dolore crines complicabat, vt frons latior esset. pectusque & tunicam constringebat, vt gracili esse corpore videretur, dixit: *Nisi Deus pro hoc tuo tanto labore tibi infernum reddat, magnam profectò tibi faciet iniuriam.* Idem affirmabat seriò, persuasissimum sibi esse, quamplurimos in hac vita eo labore infernum mercari, cuius vel dimidio cælum lucrati fuissent. Vnde & S. Paula, teste S. Hieronymo in eius Epitaphio, tanta pœnitentia totque lacrymis luxum hunc licet leuem, in se expiauit; cumque, inquit Hieron. à nobis moneretur, vt parceret oculis, respondit: *Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi: affligendum enim est corpus, quod multis vacauit deliciis; longus risus perpeti compensandus est fletu; mollia linteamina, & serica, & pretiosa, asperitate cilicij commutanda: qua viro & sæculo placui, nunc Christo placere contendo.*

12. DOCERE AVTEM MVLIERI NON PERMITTO] in Ecclesia & cœtu publico, vbi agitur communis oratio, de qua hactenus egit. Vnde 1. Corinth. 14. v. 34. *Mulieres*, inquit, *in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit; si quid autem velint discere, domi viros suo interrogent. turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia.* Vt enim notat Theophyl. mulieres aliquæ tempore Pauli acceperant donum prophetiæ; ne ergo putarent sibi fas esse in Ecclesia loqui & prophetare, hîc eis id inhibet Apostolus, idque tum honestatis, pudoris, infirmitatis ac loquacitatis muliebris causa, inquit Chrysost. tum studio reuerentiæ & subiectionis erga virum, quæ requirit, vt eo præsente & loquente, sileat mulier, præsertim in Ecclesia, & rebus sacris: nam priuatim domi Priscilla fidem Christi docuit virum eloquentem Apollo, Actor. 18. v. 26. Et ad Titum 2. v. 4. vult Apostolus, vt matres filias & ancillas suas priuatim doceant prudentiam & modestiam: & fideles mulier infidelem virum conuertere & instruere iubetur, 1. Corinth. 7. vers. 16. Sic S. Cæcilia fidem Christi docuit Valerianum sponsum suum; S. Natalia Adrianum; S. Monica Patricium; S. Martha Marium; Theodelinda Agilulphum Longobardorum regem; Clotildis Clodoueum; Flauia Domitilla Flauium Clementem: nam, vt inquit Chrysost. homil. 60. in Ioan. *Nihil potentius est muliere bona ad instruendum & informandum virum quacumque voluerit, neque tam leuiter amicos, neque magistros, neque Principes patietur, vt coniugem admonentem, atque consulentem: habet enim voluptatem quamdam admonitio vxoria, cùm plurimū amet (vel, vt alij legunt, ametur) quod consulit.*

Adde, non tantùm Apostolum hîc vetare, ne publicè doceat mulier, putà in Ecclesia, verùm etiam nec permittere illi, vt priuatim doceat, si id facere velit quasi ex officio vel auctoritate. Vnde sequitur:

NEQVE DOMINARI (græcè αὐθεντεῖν, hoc est, auctoritatem vsurpare) IN VIRVM, supple permitto mulieri, SED ESSE IN SILENTIO] Græcè ἡσυχίᾳ, id est, quiete. Hoc silentium, hæc verecundia, hæc modestia longè magis mulierem ornat; quàm pretiosa vestis, inquit Chrysost. Et vt ait Euripides in Heraclid. *Femina pulcherrimum donum est silentium & modestia; & intus tranquillam manere.* Hinc Gorgoniam sororem ita laudat Nazianzenus: *Quid silentio prudentius? quanam res diuinat tum ex diuino oraculo, tum ex propria intelligentia & sagacitate magis cognouit? quanam rursus minus*

A *locuta est quàm illa, in muliebribus pietatis finibus se continens?*

Ex hoc Apostoli loco Epiphan. hæres. 49. quæ est Quintilianorum, confutat eos, quòd mulieres ad episcopatum aut presbyterium assumerent, in gratiam & honorem Euæ.

Si enim Apostolus docere, imò loqui non permittit mulieri in Ecclesia; quid si vidisset, quod hoc sæculo vidimus, mulierem scilicet, Ecclesiæ alicuius caput, rectricem & doctricem? an non exclamasset: Monstrum horrendum! nimirum iusto Dei iudicio tale sibi delegunt monstrosum caput, qui caput à Christo constitutū, S. Petrum dico, sanctique Petri successores nolunt agnoscere.

ADAM ENIM PRIMVS FORMATVS EST, DEINDE EVA: ET ADAM NON EST SEDVCTVS, MVLIER AVTEM SEDVCTA IN PRAEVARICATIONE FVIT] q.d. Mulier debet silere & discere (non docere) atque subiecta esse viro, quia vir illi præstat, tum dignitate primæ creationis; primò enim Adam fuit creatus, deinde ex Adamo Eua: tum vigore rationis. Eua enim leuiter & temerè permisit se seduci, non autem Adam. Ita Chrysost. qui notat, exemplo primæ mulieris Euæ tacitè hîc à Paulo reliquas feminas omnes temeritatis & leuitatis argui. VERS. 13. & 14.

B

Hinc pulchrè, ait Primas. *docet Apostolus feminas oportere esse viris subiectas, quia & posteriores sunt in ordine & priores in culpa.*

ADAM NON EST SEDVCTVS, MVLIER AVTEM SEDVCTA IN PRAEVARICATIONE FVIT] *Seducta*, græcè ἀπατηθεῖσα, id est decepta, q.d. Mulier vbi decepta fuit, præuaricata est, & transgredi cœpit præceptum Domini. VERS. 14.

C

Quæritur, Quomodo Adam dicitur non esse seductus, cùm ab Eua sit deceptus, & pomum vetitum acceperit, ac comederit? Respondet Primò, Magister sentent. in 2. dist. 22. solam Euam dici seductam, quia sola Eua credidit tria, quæ serpens promiserat, si de pomo vetito comederet, scilicet Primò, se non morituros; Secundò, similes Deo futuros; Tertiò, boni malique notitiam habituros: sed repugnant plerique Patres, qui Adam etiam hæc credidisse volunt. Et colligitur Genes. 3. 22. vbi Deus irridens Adæ credulitatem & appetitum omniscientiæ & cuiusdam diuinitatis: *Ecce Adam*, inquit, *quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum & malum.* *Quo sensu Eua dicatur seducta, non Adam.* *Quinque explicationes.*

D

Secundò, aptiùs Ambros. legens: *mulier seducta, facta est in præuaricationem*, id est, fuit viro auctrix præuaricationis, non contrà.

Tertiò, alij repetunt ex v. præced. τὸ *primus*, q.d. Adam prior non fuit seductus, sed Eua. ita Theodor. Oecumen. Haymo.

Quartò, alij sic explicant, q.d. Adamo non fuit persuasum, sed Euæ, Deum non præcepisse ne cōederent de ligno scientiæ boni & mali; Adam ergo non fuit seductus, sed sciens ac prudens violauit præceptum Dei.

Quintò & planiùs: *Eua fuit seducta*, quia à serpente volente eam decipere, fuit decepta. Vnde & ab hoc deceptore se deceptam profitetur, dicens, *Serpens decepit me. Adam* verò *non fuit seductus*, id est à serpente deceptus: serpens enim non ausus fuit virum aggredi, sed mulierem, quam faciliùs se decepturum sciebat.

Hinc etiam Adam non se excusauit vt à serpente alióve aliquo deceptum, sed tantùm vt allectum ab vxore (nec enim Eua voluit decipere

Adamum, sed tantùm allicere ad esum sui pomi) A est quasi completa generatio & formatio filiorum. ita Chrysost. quasi dicat Paulus, Esto non doceat mulier, non deerit illi pia occupatio, adeoque saluabitur non per librorum, sed per liberorum tractationem. Audiant hoc nostræ Nouantes sciolæ, quæ pro sua hæresi & Scriptura contentiosè cum viris disputant in mensis, nauibus, curribus, Ecclesiis. Audiant quod S. Basilius Demostheni coco Valentis Imper. pro Arrianis garrienti, respondit: *Tuum est, ait, pulmenta coquere, non Euangelium exponere.*

Adæm quoque credidit serpenti.

Vbi tamen Nota. Mox vt Adam consensit mulieri, factusque inobediens, voluit comedere de ligno vitæ, elatus in superbiam, lapsus est in cæcitatem, & credidit serpentis promissis, voluitq; Deo similis fieri, ac sperauit ex pomi esu omniscientiam, vt iam dixi. Hoc enim est quod Deus eum irridens dixit: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* ita Theophyl. Ambros. Chrysost. Anselm. August. 14. de Ciuit. c. 17. Hieron. 1. contra Iouin. q.d. Paulus: Ergo mulier, vtpote à serpente seducta, viro inferior est ratione & prudentia, ergo illi subsit oportet. Secundò, ergo iustè Deus in pœnam peccati, qua virum allexit ad peccatū, illam viro subiecit. Et, vt ait Chry- B sostomus & Oecumen. semel mulier malè docuit, & virum cunctaque peruertit, vltrà ergo non doceat, sed fileat, & à viro bene loqui & agere discat. Audi Tertullian. li. de Habitu mulierum, mulierem alloquentem: *Tu*, inquit, *es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix; tu es, quæ eum inuasisti, quem diabolus aggredi non valuit; tu imaginem Dei hominem tam facilè elisisti; propter tuum meritum, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit.*

S. Monica saluata est per educationem S. August.

Ita S. Monica saluata est, & multos saluos effecit per solicitam educationem & curam S. Augustini, de qua S. August. lib. 3. Confess. cap. 11. & sequent. Talis fuit & Placilla Theodosij Imperatoris vxor, cuius quàm eximia pietas, & ardens studium fuerit in educandis liberis, videre est apud Nicephorum lib. 12. hist. c. 23. & 24.

VERS. 15. SALVABITVR AVTEM PER FILIORVM GENERATIONEM, SI PERMANSERIT IN FIDE, ET DILECTIONE, ET SANCTIFICATIONE CVM SOBRIETATE] S. Thomas voculam, *per*, vult significare non meritum, sed conditionem, q.d. Saluabitur mulier etiamsi non sit virgo, sed nubat, & incedat per statum matrimonij, ac filiorum generationem. Vnde C Vatabl. vertit, *saluabitur mulier subiecta generationi filiorum*, vt sit græcismus Διὰ τεκνογονίας, id est, τεκνογενῶσα, *per filiorum generationem*, id est filios generans, vel, in filiorum generatione saluabitur. Sic Græci dicunt, δι' ἀρρωστίας, hoc est, ἀρρώστων. Sæpè enim Διὰ, id est *per*, accipitur pro ἐν, id est *in*, vt Rom. 4. v. 11. Abraham dicitur pater credentium *per præputium*, id est in statu præputij. Et 2. Cor. 6. *Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*, id est in prosperis & aduersis. Hic sensus confirmatur ex verbis quæ Apostolus addit, *Saluabitur*, inquit, *per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Itaque fidei, dilectioni & sobrietati causam salutis attribuit, non liberorum procreationi. liberorum enim procreatio res est naturalis & adiaphora, nec meritoria, nisi altiùs ad bonum ali- D quod spirituale, putà ad pietatem, piamque liberorum educationem, referatur.

Quomodo mulier saluabitur per filiorum generationē?

Quatuor expositiones.

Secundò, aliqui apud Theophyl. per filiorum generationē, intelligunt partum B. Virginis Mariæ, qui saluas fecit mulieres: ipsa enim genuit Christum, & in ipso multos filios & filias Christianas. Sed hoc nimis remotum & alienum est.

Tertiò, S. August. 12. de Trinit. c. 17. per generationem filiorum intelligit productionem bonorum operum: sed hoc mysticum est.

Dico ergo Quartò, planè & propriè: præpositio *per* significat hîc causam & meritum, scilicet laborum, quos patitur mulier in partu, & educatione liberorum in fide & moribus Christianis, per quod saluabitur. Nota. Sub generatione educationem complectitur Apostolus: educatio enim

Generatio complectitur educationem.

SI PERMANSERIT IN FIDE, ET DILECTIONE] Ita legunt Romana, sed Græca iam & Syrus legunt, ἐὰν μείνωσιν; si manserint, filij scilicet, q.d. inquit Chrysost. Saluabitur mater, si curet vt filij permaneant in Christi fide & dilectione, ac sanctitate, adiuncta sobrietate, græcè σωφροσύνῃ: quod cum Hieron. contra Iouin. verti potest, pudicitia, vel castitate, aut etiam modestia; magis tamen, vt antè dixi, sobrietatem significat & temperantiam.

Moraliter Theoph. *Quid igitur*, inquit, *si mater prauis & impudicis infecta moribus, rectè liberos educauerit? haud verisimile est vt faciat, attamen si contingat, accipiet pro hu mercedem. Quid verò si bona & honesta sit, liberos verò suos malos toleret? Quid si eos negligat, illisq; indulgeat? habebit exemplum pœnæ & vindictæ, id quod Heli contigit. Quòd si omnia fecerit, & nihil quod ad curam attinet, prætermiserit, non poterit tamen ad rectum perducere tramitem liberos; quod rarò euenit, attamen non fraudabitur sudorum suorum mercede: quandoquidem & Filius Dei nihil non faciens & dicens, paucos tamen habuerit, qui sibi morem gesserint.*

Thesaurus matrum sua proles.

Discant hîc matres thesaurum suum esse liberos, quibus omnem curam impendere debent, non tam vt eos ditent, quàm vt bene educent. Ita Cornelia Gracchorum mater, inquit Valerius Max. lib. 4. c. 4. cùm Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima sæculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone quousque redirent liberi, *Et hæc*, inquit, *ornamenta mea sunt.* Vnde S. Chrysost. hîc hom. 9. in morali: *Magnum*, inquit, *habemus pretiosumq; depositum, scilicet filios, ingenti illos seruemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. nulla nobis possessio, nullus fundus æquè nobis gratus & charus esse debet: quippe hæc omnia filiis quæruntur. Si igitur maior possessionum nobis est cura, quàm eorum, quorum illa gratia comparantur, id profectò absurdissimum & stolidissimum est. Exerceamus ergo ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate ladentur. Vis filium relinquere diuitem? Bonum illum ac benignum esse doce: ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit.* Et inferiùs: *Filiū non ritè institutū præstat pauperes esse, quàm diuites; paupertas enim vel inuitos coërcet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè temperanterq; viuere sinunt: verùm exorbitare faciunt, atque peruertunt.* Deinde matres

illas ergo optimè educent.

Filios male educare præstat eos pauperes quàm diuites.

matres ad filias ritè educandas ita cohortatur & instruit: *Matres item filiarum vobis curam assumite. est ea cura vobis perfacilis. Curate sollicitè, vt domi iugiter sint. Ante omnia pias religiosasq; esse docete, aspernari pecunias, exterioriſq; ornatus contemptrices esse; atque ita demum nuptiis tradite. eas si instituerit is, non ipsas modò seruabitis, verùm & viros, qui illas ducturi sunt: neque viros tantùm, sed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumq; omnium* A *merces vobis reddenda est.* Ac denique hac insigni sententia rem concludit: *Ita nempe paterna domo decet progredi virginem, ac matrimonio iungi, quemadmodum ex palæstra luctatorem, vt omnem diligentissimè rei familiariæ peritiam habeat, sitq; veluti fermentum, quod massam omnem in suam transfert pulchritudinem.* Peculiaria præcepta de educatione filiarum, matribus assignat S. Hieron. epistol. ad Lætam, & ad Cælantiam, & ad Gaudentium, tomo 1.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit dotes & virtutes requisitas in Episcopo; & v. 8. in diacono, & v. 11. in eorum vxoribus; denique v. 15. monet Timotheum vt reuerenter versetur in Ecclesia Dei, quæ columna est & firmamentum veritatis, præsertim illius, quæ docet Christi incarnationem & redemptionem, quod est magnum pietatis sacramentum.

1. FIdelis sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, 3. non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed 4. suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum, omni castitate. 5. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 6. Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. 7. Oportet autem illum & testimonium habere bonũ ab ijs qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. 8. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multò vino deditos, non turpe lucrum sectantes: 9. habentes mysterium fidei in conscientia pura. 10. Et hi autem probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes. 11. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. 12. Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filijs suis bene præsint, & suis domibus. 13. Qui enim bene ministrauerint gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. 14. Hæc tibi scribo, sperans, me ad te venire citò. 15. si autem tardauero, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. 16. Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

1. FIDELIS SERMO] Chrysost. Theophyl. Oecumen. hæc verba non ad sequentia de episcopatu, sed ad præcedentia referunt: quia enim dubitare poterant, an verum & certum esset id quod dixit in fine c. præced. mulierem scilicet saluandam esse per filiorum generationem, ideo hîc addit, inquiunt, *Fidelis sermo.* q.d. Id, quod dixi de mulieribus, certum est & indubitatũ. Verùm longè melius Theodor. Ambros. Primas. & alij τὸν *fidelis sermo*, referunt ad sequentia. q.d. Certum est & verissimum quod de episcopatu & ordine hierarchico iam toto cap. dicturus sum. Solet Apostolus cùm aliquid magni dicturus est, τὸν *fidelis sermo*, B præmittere, vt dixi c. 1. v. 15. Hîc enim aggreditur Timotheo munia Episcopi, & aliorum Ecclesiæ ministrorum ad viuum depingere.

SI QVIS EPISCOPATVM DESIDERAT, BONVM OPVS DESIDERAT] Vult, ait S. Aug. 19. de Ciuit. c. 19. docere Apostolus quid sit episcopatus, nomen scilicet esse operis, non honoris: Episcopus enim est superintendens, qui curam aliorum gerit, subitque onus & laborem docendi & regendi populum; episcopatus enim dicitur ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπεῖν καὶ ὁρᾶν, id est, eò quòd omnes speculetur, omnibus prouideat, inquit Theophyl. Quo sensu dixit Cicero in epistolis: *Vnum me Pompeius esse voluit, quem tota Campania habeat episcopum ad quem delectus & summa negotij referatur.* Eusebius quoque l. 1. c. 37. de Vita Constantini, cum vocat communem orbis episcopum à Deo constitutum. Sic & Hieron. explicat epist. 83. ad Oceanum: *Si quis, inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Eadem ratione episcopatum esse graue onus, docet S. Clem. li. 2. Constit. Apost. cap. 25. Quia, inquit, C oportet Episcopum omnium scopum esse, sicut Christus Episcopi scopus est. Vbi addit noster Turrianus, id circo ab Apostolo hîc vocari ἔργον, id est opus arduum & difficile.

Hinc infert August Primò, non esse Episcopũ, qui præesse magis eligit, quàm prodesse. Secundò, episcopatum, licet in se sit opus bonum, non tamẽ bene, sed indecenter appeti, nisi scilicet à Deo & Ecclesia ad hoc voceris, vti vocatus est Timotheus per prophetiam c. 1. v. 18. *Qtium ergo*, ait Aug. li. 19. de Ciuit. Dei v. 19. *sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis.*

Episcopi est magis quã præesse. prodesse

quam sarcinam si nullus imponit, percipienda atque intuenda vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat illa necessitas.

Episcopatus est opus arduum.

Secundò planiùs & clariùs, *Qui episcopatum desiderat, bonum* (græcè, καλὸν, id est, præclarum & arduum) *opus desiderat*: hîc enim verissimum est illud adagium, δύσκολα τὰ καλά, difficilia, quæ pulchra, siue præclara. Vult enim Timotheum & omnes Episcopos docere Apostolus Episcopi munus excelsum esse & arduum, vt illud seriò apprehendant, totiq́ue illi intendant, vt tanto oneri faciant satis. Vnde explicans hoc opus bonum, siue præclarum, subdit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. Id maximè verum erat tempore Pauli, cùm episcopatus non erat honor, sed labor ingens, & proximus ad martyrium gradus. Imò Aluarus Pelagius lib. de Planctu Ecclesiæ art. 18. ex S. Hieron. hic explicat: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus, id est martyrium, desiderat. Illo*, inquit, *tempore ab Apostolo dictum est: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quo quisquis plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta trahebatur. Tunc ergo fuit laudabile episcopatum quærere, quando per hoc non dubium erat ad supplicia gratiora peruenire.* Idem docet S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 8. Anselm. & alij. Sicut ergo Deus tunc multos excitabat ad se offerendum martyrio, ita & nonnullos excitabat ad episcopatus capessendos, qui se Martyribus duces præberent fidei & martyrij. Iam verò qui episcopatum ob amplos prouentus, ob dignitatem, ob gradum & honorem quærunt, periculosa ambitione & auaritia peccant. ratio est, quia Episcopus debet esse perfectus, nec tendere, sed esse in statu perfectionis Christianæ: hoc autem de se præsumere, magnæ est superbiæ.

Episcopatus olim erat gradus ad martyriũ.

Iam episcopatum petere est ambitio.

Secundò, quia, vt docet Concil. Trident. episcopatus est onus angelicis humeris formidabile: nam non tantùm pro sua, sed & pro omnium sibi subditorum animabus ab Episcopo rationem exiget Deus. Quis nisi temerarius hoc munus & onus ambiat? Socrates apud Platonẽ dial. 1. de Repub. miratur eos qui volentes, imperium suscipiunt, Quia, inquit, nullus probus magistratus sibi, sed subditis, eorumq́ue commodis intendit & seruit: vnde censet, probos viros ad magistratus capessendos inuitos adigendos esse, proposita pœna vel præmio. Hinc & Antigonus Macedonum rex, cùm videret filium insolentiùs regere suos: *An ignoras*, ait, *ô fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem?* Si ita est in magistratu terreno & temporaneo, quid erit in spiritali, cælesti & perpetuo, qualis est episcopatus? Vnde S. Gregorius loco citato, *Apostolus*, inquit, *laudans desiderium boni operis* (episcopatus) *protinus in pauorem vertit quod laudauit, cum subdit: Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. q. d. Laudo quod quæritis, sed discite quid quæratis. Et auctor Operis imperfecti hom. 33. in Matth. *Opus*, inquit, *desiderare in se bonum est, primatum autem honoris concupiscere, vanitas est; primatus fugientem se desiderat, desiderantem se fugit & horret.* Hinc S. Chrysostomus tantopere episcopatum fugit, vt docet ipse in sex libris de Sacerdotio. Sic eumdem fugerunt S. Augustinus, Gregorius, Fulgentius, & alij.

Regnum est splendida seruitus.

Exempla Sanctorum qui fugerũt episcopatus.

S. Augustin.

Audi S. Augustin. epist. 148. ad Valerianum. *Vis*, ait, *mihi facta est merito peccatorum meorum* (*nam quid aliud æstimen nescio*) *vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.* Et serm. 52. ad Fratres in Eremo: *Vsque adeò timebam episcopatum vt* (*quoniam cœperam iam alicuius esse momenti inter seruos Dei, fama mea*) *in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem cauerem: & hoc agebam quantum poteram, vt in loco humili saluarer: ne in alto periclitarer. Veni ad istam ciuitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, vt nobiscum esset in monasterio. Quasi securus perueni, quia locus habebat Episcopum. Apprehensus & presbyter factus sum, & per hunc modum ad episcopatum perueni.*

S. Goar.

Legitur in vita S. Goaris, ipsum, cùm à Sigeberto Francorum rege postulatus esset Treuirorum Episcopus, inducias postulasse; interim Deum orasse, vt, nisi esset ex salute sua, episcopatum à se auerteret: mox ipse in morbum incidit, & infirmatus ad mortem, episcopatum euasit. Simile de Nilamone monacho refert Nicephorus li. 13. c. 17. *Nilamon.* Sic de Canonico illo S. Victoris Parisijs spectatæ probitatis & doctrinæ narrat Thomas Cantipratanus l. 1. Exemplorum sui temporis memorabiliũ c. 20. quòd, cùm in vita postulatus ad episcopatũ constanter eumdem respuisset, post mortem beatus apparuerit cuidam suo amico, qui idipsum à moriente efflagitarat, rogatusq́ue an bene cessisset illi pertinax illa episcopatus recusatio, responderit dicens: *Quod in vita semper timui nunc scio, scilicet quòd si episcopatus cathedram ascendissem, in damnationis perpetuæ periculum incidissem*, id est, si de numero Episcoporũ fuissem, verisimiliter de numero Beatorum non essem. Rectè ergo sanxit Leo Imp. sub annum Domini 469. l. 31. C. de Episcop. & Cleric. *Non pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* S. Gregor. li. 6. in l. 1. Reg. c. vlt *Rectus*, ait, *est ordo, vt quærantur homines ad episcopatum, non vt quærant homines episcopatum.* Et Bernard. lib. 2. de Consid. c. 5. *Qui pro se rogat*, inquit, *iam iudicatus est.* Et inferiùs: *Cunctantes & renuentes coge & compelle intrare.* Vide Anselmum & D. Thomam 2. 2. q. 185. a. 1.

Nota. Non meminit hîc Parochorum & Sacerdotum Apostolus, sed eos sub Episcopis intelligit: est enim idem eorum onus & munus, docendi, pascendi, regendi populum, sed circa pauciores subditos Vide dicta Philipp. 1. 1.

VERS. 2. OPORTET ERGO EPISCOPVM IRREPREHENSIBILEM ESSE, VNIVS VXORIS VIRVM] q. d. Itaque vt aggrediar præcipuum huius epistolæ argumentum, scilicet vt te, ô Timothee, alioq́; Episcopos doceam, quales, quibusq́ue virtutibus præditi esse debeant; dico imprimis Episcopum debere esse irreprehensibilem, id est, qui non tantùm vitio, quod reprehendi possit, careat, sed qui insuper omnibus virtutibus sit ornatus. *Omnes*, inquit Hieron. ad Oceanum, *virtutes in vno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit; quis enim ille est, qui absq́ue peccato & reprehensione viuat?* Hinc Nazianz. in Apologet. 1. *Vitium*, inquit, *in Episcopo est, non quàm optimum esse*: quia, vt rectè ait Plutarchus libr. de Doctrina principum, *Sunt principes tam sacri, quàm profani instar lucentium gemmarum, atque adeò si quis in illis nœuus apparet, detractioni patet & calumnia.* Et Theophyl. hîc: *Præsidem*, inquit,

Principes sunt quasi gemmæ lucentes.

De Hieron. dictum. Hic S. Hieron. de vita Sacerdotali lib. 1. c. 3. f. 762. Hist. Eccl.

inquit, *ac principem velut stellam & illuminationem decet esse, vt ad ipsum omnes defigentes oculos illustrentur, atque ducantur in viam rectam.* Et Chrysost. hic hom. 10. *Eum*, inquit, *qui regendos alios suscepit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar Solis cæteros velut stellas suo fulgore obscuret.* Et inferiùs: *Oportet*, inquit, *Episcopum angelum esse, nulli humanæ perturbationi vitióve subiectum* Et in morali: *Idcirco*, inquit, *nos Dominus elegit, vt simus quasi luminaria, vt veluti fermentum euadamus, vt magistri cæterorum efficiamur, vt veluti angeli cum hominibus versemur in terris, tamquam viri cum infantibus pueris, quasi spirituales cum animalibus, vt ex nostro contubernio ingentia illi lucra conquirant.* Idem alio loco docet Episcopum in populo debere esse quasi angelum inter homines, & quasi pastorem inter oues mutas & irrationales, tantumque ratione & virtute populum debere antecellere, quantum homo bruta antecellit. Hinc patet Episcopum debere esse perfectum. Errant ergo imperfecti, qui sibi persuadent, quòd sese perficient in episcopatu: ibi enim velle discere perfectionem, idem est quod velle discere figulinam in dolio, ait Nazianz. Apologet. 1. id est, velle discere artem cùm eam debeas exercere, imò docere; idque cum graui animarum tibi creditarum periculo & damno.

Audi Bernard. in fine lib. 4. de Consider. ad Eugenium Pont. *Consideres*, inquit, *ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: te verò non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis, porro fratrem diligentium Deum. De cætero considera oportere te esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem Gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarũ, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorũ, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, vrbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis.*

Nota. Apostolus sedecim conditiones exigit hic ab Episcopo, decem affirmatiuas, sex negatiuas. Prima est affirmatiua, vt sit irreprehensibilis; secunda est negatiua, vt sit vnius vxoris vir, &c.

VNIVS VXORIS VIRVM] Primò, Ambros. lib. de Dignit. sacerd. c. 4 sic explicat, q.d. Oportet Episcopum vnius Ecclesiæ, non plurium esse Episcopum, nec ab vna Ecclesia ad aliam transire: hoc enim vetat hic Paulus, & Concil. Nicen. I. can. 16. Verùm hoc mysticum est, non litterale, vt fatetur ipse Ambrosius.

Secundò, Lutherus sic explicat: Episcopus non sit scortator, sed vnam habeat vxorem. Sic ferè & Beza. Episcopus, inquit, non sit talis, qui temerè repudiata vxore aliam ducat. hic enim reuera est scortator, imò adulter.

Tertiò, Magdeburgenses, Caluinus & passim Nouantes sic explicant, q.d. Episcopus simul non habeat multas vxores, vti Iudæi permissu Dei habuerunt; sed vnam tantùm, ita tamen vt illa mortua, aliam & aliam ducere possit, itaque successiuè habere multas.

Huc referri potest aliquorum olim explicatio, cuius meminit hic Chrysost. & Theophyl. quam-

A que probat hìc Theodor. debere scilicet eligi Episcopum, non qui iam sit (in quo planè à Caluino & Nouantibus dissident) sed qui ante episcopatum fuerit monogamus, id est, vnam tantùm simul habuerit vxorem, licèt plures habuerit successiuè. Nam in ipso episcopatu non monogamus, sed agamus & cælebs sit oportet.

Verùm omnes alij, præter Theodor. hasce expositiones refellunt validis rationibus, voluntque per *vnius vxoris virum*, intelligi monogamum absolutè, qui secundas non inijt nuptias, nec successiuè plures habuit vxores, sed vnam tantùm. Patet id Primò, quia non tantùm lege Christi, sed etiam vsu gentium & lege Roman. polygamia tempore Christi, imò ante Christum fuit abrogata, non tantùm apud Christianos, sed etiam apud Iudæos & gentes omnes, erantque polygami infames, vt patet ex edicto Diocletiani & Maximiani, quod extat l. *Neminem*, C. de incestis nuptijs, & ex edicto Valeriani & Galieni l. *Eum*, C. ad leg. Iuliam, de adulterijs. *Eum*, inquiunt Imperat. *qui simul duas habuerit vxores, sine dubitatione comitatur infamia*, scilicet ex recepto iam pridem gentium vsu & consuetudine. Superuacuè ergo & frustra monetur hìc à Paulo Episcopus, ne sit polygamus, hoc est, ne plures simul habeat vxores, cùm nec laico id liceret, nec polygamia esset in vsu. sicut ridiculè iam v.g. Pontifex scriberet ad Episcopos: Episcopus non debet esse polygamus, cùm polygamia nec apud laicos quidem sit in vsu, aut permissa. Imò hoc ipso, quo Apostolus hanc ab Episcopo perfectionem exigit, vt sit vnius vxoris vir; tacitè permittit laico, vt sit duarum vxorum vir: hoc autem simul esse non potest (quia obstat lex Christi, imò & Romana, vt dixi,) sed tàtùm successiuè: ergo cùm ab Episcopo Paulus exigit, vt sit vnius vxoris vir, non simul, sed successiuè intelligit, scilicet Episcopum ita vnam habere, vel habuisse vxorem, vt post vel ante illam, nullam aliam successiuè habuerit.

Secundò, quia c. 5. v. 9. simili phrasi dicit Apostolus: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor.* Atqui ibi intelligit vnius viri vxorem illam, quæ post mortem mariti secundas non inijt nuptias, nec secundum habuit maritum: numquam enim visum fuit vnam vxorem duos simul habere maritos, vt ad hoc cauendum dixerit Apostolus, eligendam esse vnius viri vxorem: ergo pariter hìc vnius vxoris virum intelligit eum, qui successiuè tantùm habuit vnam, ita vt mortua prima vxore, non duxerit secundam.

D Tertiò, quia hinc vsus anticuissimus Ecclesiæ habet, vt non ordinentur digami, qui duas vxores successiuè, sed monogami, qui vnam tantùm habuerunt. estque hæc communis Patrum, præter Theodoretum, expositio. Vide eos apud Bellarm. li. 1. de Cleric. c. 23. & 24.

Dices: Apostolus vult Episcopum esse irreprehensibilem, & explicans subdit: *Vnius vxoris virum*: ergo per hoc cauere vult ne simul duas habeat vxores: hoc enim crimen est & reprehensibile: habere verò duas successiuè, nec crimen est, nec reprehensibile.

Respondeò Primò, posse hæc accipi vt disparata, vt scilicet Primò, velit Episcopum esse irreprehensibilem; Secundò, vt eumdem velit esse vnius vxoris virum: varias enim hìc dotes ab Episcopo requirit.

Refellitur primò.

Secundò.

Tertiò.

Obiectio. Prima.

Responsio Prima.

Secunda.

Secundò, vt demus *τὸ irreprehensibilem* ad sequentia referri, eaque generatim complecti; respondeo per *irreprehensibilem* intelligi non tantùm carentem crimine, sed etiam nota quapiam, quæ ab hominibus notari & reprehendi solet, quæque alicuius vitij, infirmitatis, aut imperfectionis hominibus suspicionem præbet: talis autem est digamia. hæc enim præbet hominibus suspicionem incontinentiæ & propensionis in libidinem; vnde in Episcopo turpis est & reprehensibilis: decet enim Episcopos esse castos, vt suis castitate præluceant, vtque liberiùs eos hortari possint ad continentiam, inquit Ambros. li. 1. Officiorum, cap. vlt. Hinc & Gentiles, digamos à sacerdotio repulerũt. *Inter Gentiles etiam*, inquit Hieron. ad Ageruchiam epist. 11. *flamen vnius vxoris vir ad sacerdotium admittitur: flaminissa quoque vnius viri vxor eligitur: ad tauri Aegyptij sacra semel maritus assumitur.* Hinc Dido Æneid. 4. ait:

Digamia in Episcopo est turpis & culpanda.

Gentiles arcebant digamos à sacerdotio.

Huic vni forsan potui succumbere culpæ.

Culpæ, inquit Seruius, propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio bis nuptæ.

Obiectio Secunda.

Dices Secundò, Scortatores & adulteri, si se emendent, non repelluntur à sacerdotio; ergo multo minùs digami, qui successiuè duas habuerunt vxores, sunt ab eo repellendi.

Responsio.

Respondeo, nego consequentiam: nam non tantùm ob incontinentiæ speciem, de qua iam dixi, digami repelluntur, sed etiam ob mysticam significationem: Episcopus enim repræsentare debet Christum, qui vnam tantùm habuit sponsam, eamque virginem, scilicet Ecclesiam; non potest ergo esse digamus, sed monogamus, vt pulchrè docet S. August. lib. de Bono coniugali c. 18. cuius verba mox recitabo. Sicut ergo lege Ecclesiastica iudices, qui reos morte mulctant, sunt irregulares & inhabiles ad sacerdotium, non ob crimen (nullum enim admiserunt, imò iustitiam exercuerunt) sed ob indecentiam, & ob significationem. debet enim sacerdos referre mansuetudinem Christi, & remotissimus esse à sanguinis effusione: ita pariter iustè potuit Ecclesia sancire legem, qua digamos, ob similem indecentiam & significationem, arceret sacerdotio. Est enim duplicis generis irregularitas legibus Ecclesiæ sancita, prior ob enormia crimina, inter quæ non sunt fornicatio & adulterium; secunda, ob mysticam significationem, qualis est in digamia & iudicijs capitalibus.

Cur digami arceantur sacerdotio.

Obiectio Tertia.

Obijcit Tertiò, Caluinus: Saltem Apostolus inter dotes Episcopi ponit, esse *vnius vxoris virum*: ergo requirit, vt Episcopus sit coniugatus saltem cum vna. Idèo olim Hieronymo obiecit Vigilantius.

Responsio.

Respondeo cum Theophyl. & Patribus, *τὸ vnius vxoris virum* esse dotem Episcopi, non positiuam, sed negatiuam, quæ tamen innuit aliam positiuam: vnius enim vxoris vir is est, qui adeò continens est, vt non habeat, vel habuerit plures vxores, quàm vnam. non ergo præcipit Apostolus, aut laudat, vt Episcopus habeat vnam vxorem, sed si habuerit, vt vnam tantùm habuerit; quòd si nullam habeat habuerit ve. non ineptum, sed aptiorem episcopatu censendum vult Apostolus: vult enim Episcopum eligi quàm fieri possit castissimum. Nam alioqui ipse Paulus contra hanc legem peccasset; vtpote qui Timotheum & Titum creauerit Episcopos, qui teste S. Ignat. ad Philadelphios, perpetuam coluerunt virginitatem: verùm quia tempore Christi, rari inter Gentiles & Iudæos inueniebantur cælibes, & plerique omnes erant coniugati; hinc eosdem iam conuersos ad Christum, eò quòd deesset cælibes apti, necesse erat promouere ad episcopatus & sacerdotia: ita tamen, vt monogamos, quasi castiores eligi velit Apostolus.

Quales dos in Episcopo sit esse vnius vxoris virum.

Vbi Nota. Hi, qui ex coniugio vocabantur ad sacerdotium, post ordinationem vsu coniugij abstinebant communi Ecclesiæ lege, idque ob excellentem sacerdotij dignitatem, quæ puritatem angelicam requirit, & vt toti Christo & Ecclesiæ vacarent. Vnde Apostolus ad Titum c. 1. v. 9. vult Episcopum esse continentem. Certè constat sanctissimos omnes & doctissimos Episcopos, qui à mille ducentis annis vixerunt, fuisse cælibes. Docet id Epiphanius hæresi 59. quæ est Catharorum. *At dices*, inquit, *in quibusdam locis presbyteros & diaconos adhuc liberos gignere: sed hoc non est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Et Hieron. lib. 1. contra Vigilantium: *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Aegypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut, si vxores habuerint, desinunt esse mariti.* Idem docent & sanciunt sanctissimi Pontifices, Siricius epist. ad Himericum, Leo I. epist. ad Anastasium, Innocentius I. epist. ad Victricium: imò Concil. Nicenum I. can. 3. & Elibertinum can. 33. Quòd ergo Græci sacerdotes vtantur coniugibus, quas ante sacerdotium duxerunt, abusus est, inductus à Græcis incontinentibus sub annum Domini 700. in Synodo Trullana (quæ non legitima, sed clancularia & profana Synodus fuit) can. 13. Nam ante hos Trullanos, Græci Patres in Concilio Niceno, alijque, vt patet ex Epiphanio loco citato, hunc abusum damnarunt; illum tamen, vtpote nimis inolitum, pacis causa, Græcis iam permittit Ecclesia Romana, vt patet cap. *Cùm olim*, de clericis coniugatis. Denique fuit olim controuersia inter S. Hieron. & August. an hæc digamia, quæ est impedimentum sacerdotij, sit accipienda ante baptismum, an verò tantùm post baptismum. S. Hieron. epist. ad Oceanum vult tantùm censendos hîc digamos, qui post baptismum duas vxores successiuè duxerint, non verò eos, qui ante baptismum vnam, & ea defuncta post baptismum alteram duxerunt. Negat id August. vultque tam hos, quàm illos esse digamos & irregulares: ita enim habet lib. de Bono coniug. c. 18. *Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. de Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Propter Sacramenti autem sanctitatem sicut femina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari: ita non absurdè visum est eum, qui excesserit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bona meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.* Augustini sententiam secura est Ecclesia cum suo capite Innocentio I. vt patet 28. q. 3.

Olim coniuges creabantur Episcopi, sed deinceps coniugio abstinebãt.

Probatur ex Patribus & Concil.

Abusus Græcorum sacerdotũ, quòd vtantur coniugio, quando caperit.

An digamia ante baptismum sit impedimentum sacerdotij.

Resp. esse.

SOBRIVM] Græcum νηφάλιον, tam sobrium, quàm vigilem (vt vertit Theodoret. & Syrus,) atque perspicacem, suisque rebus attentum (vt Theophyl.) significat: nam sobrietas mater est vigilantiæ ingenij & solertiæ. Inde νηφάλια sacra dicebantur, in quibus pro vino libabatur aqua. nimirum non decet speculatorem omnium saluti inuigilantem esse dormitabundum; nec vigilare potest,

Quid νηφάλιος.

test, qui ventri se addicit. Talem, vigilantem scilicet pastorem, se præbuit Iacob patriarcha, Gen. 31. v. 39. Tales debent esse Episcopi & Pastores: imò, vt ait Chrysost. imitari, adeoque superare debent duces castrorum, qui noctu diuque vniuersum suum exercitum perlustrant.

PRVDENTEM] Græcum ζώφρονα, etiam temperantem, &, vt Ambros. ac Hieron. vertunt, *pudicum*: propriè tamen prudentem, qui sana mente, iudicio ac consilio est, significat; præsertim hoc loco, vbi præcessit, *sobrium*. In Episcopo magna requiritur prudentia: nam *ars artium*, inquit Nazianz. Apol. 1. *scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal scilicet omnium maximè varium & multiplex.*

Rursum omnia Ecclesiæ negotia dirigere debet Episcopus. quanta ergo & quàm varia opus est illi prudentia? Tertiò, omnibus virtutibus pollere & excellere oportet Episcopum, ergo rara & admirabili prudentia præditus sit necesse est: prudentia enim auriga est omnium virtutum, vt dicere solebat S. Antonius. Hinc Aristoteles 6. Ethic. c. 13. docet omnes virtutes in prudentia esse connexas, ideoque Socratem asseruisse, quòd virtutes omnes sunt quædam prudentiæ, quia scilicet nulla sine prudentia esse aut consistere potest: prudentia enim omnes dirigere, omnibus quid agendum, quid cauendum sit, dictare & præscribere debet.

ORNATVM] κόσμιον, id est, honesto habitu, qui virum grauem decet, ornatum: idem enim est verbum, quod c. 2. v. 9. Noster vertit, *in habitu ornato.*

Secundò & meliùs, Hieron. ad Oceanum, ex Cicerone ait: *Ornatus vocatur, qui decorum seruat in motu, incessu, habitu & sermone.* Ornatum ergo idem est, quod moribus compositum; vt etiam per corpus appareat animi moderatio & temperantia. *Animi enim corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo*, Ecclesiastici 19. & vt ait Cicero: *Caput est artis, docere quod facias.* Ita cum Hieronymo explicant Theodor. Syrus, Anselm. & alij. Hinc S. Ambrosius, vt narrat hîc D. Thom. quosdam ordinare noluit, hoc solo nomine, quòd dissolutè incederent. De hoc ornatu sacerdotis vide fusè S. Gregor. hom. 17. in Euangel. Hinc grauiter & querula voce S. Ambros. l. de Dignitate sacerd. cap. 6. & Gregor. loco citato docent, causam cur subinde sacerdotes, Episcopi & clerici despiciantur, esse ipsorummet leuitatem, insciti am, mores incompositos, impuram & improbam vitam. Hoc enim est quòd talibus Deus intentat per Malachiam ca. 2. v. 8. dicens: *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Leui: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.*

PVDICVM] Non habent hanc vocem Græca, nec Syrus, sed Romana. Vt se pudicos seruent Episcopi & Ecclesiastici, maximè vitare debent consortia mulierum. Ita S. Augustinũ fecisse scribit Possidonius c. 26. Vitæ eius; quod tanti doctoris exemplum quia memorabile est nobisque imitandum, hîc asscribam: *Feminarum*, inquit Possidonius, *intra domum eius nulla vmquam conuersata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua Deo seruiens multo tempore, vsque in diem obitus sui, præposita ancillarum Dei vixit; sed neque patrui sui filia, & fratris sui filia, quæ pariter Deo seruiebant; quas personas sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio; tamen, quoniã illa personæ sine aliis necessariis secum manentibus feminis esse non possent, & quòd ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de iis posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus nasci. Ob hoc ergo dicebat, numquam debere feminas cum seruis Dei etiam castissimis, in vna manere domo. Et si fortè ab aliquibus feminis, vt videretur & salutaretur, rogabatur, numquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis vmquam est locutus, nisi secretorum aliquod interesset.*

Ita S. Xauerius mulieres adiri aiebat minori fructu, & maiori periculo vel tentationis, vel suspitionis sinistræ. Imò Concil. Carthaginense can. 25. decernit, ne Episcopi, Presbyteri vel clerici feminas accedant, nisi adsint alij clerici, vel graues aliqui Christiani. *Decretum Conc. Carthag. de feminis clerico fugiendis.*

Quàm hæc res sit magni momenti æquè ac periculi, præclarè docet, & grauiter admonet Auctor libri de Singularitate (siue solitaria & à feminis semota vita) clericorum, qui extat inter opera Cypriani. *Lubrica*, inquit, *spes est, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat, incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, impossibilis liberatio est flammis circumdari, nec ardere.* Et infrà: *Ipsi nos fallimus quoties credimus inter masculos & feminas castitatem immobilem custodiri. Difficile quis venenum bibet & viuet: verendum est dormienti in ripa, ne cadat; cùm dicat Apostolus 1. ad Corinth. 10. Qui se putat stare, videat ne cadat, & vtilius est infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat; quàm si fortis videri velit, infirmus emergat.* Et infrà: *De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Ad finem ita exhortando concludit: *Sic igitur ambulate, sic agite vt semper in clericis Ecclesiæ senatus candidus constet: seueritas in vobis circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur.* *De eadem re ex S. Cypriano.*

Denique audi quid sit mulier, & vide, quàm cauenda sit. Sic eam describit Anastasius Nicenus tom. 6. Bibliothecæ SS. Patrum q. 62. §. *Omnis qui aspexerit. Quid est*, inquit, *mulier? in terra naufragium, fons sceleris, letalis occursus, lapsus oculorum, animarum exitium, cordis lancea, sceptrum inferorum, præceps desiderium, iuuenum pernicies. Quid mulier? sanctorum calumnia, quies serpentis, diaboli solatium, agritudo inconsolabilis, fornax succensa, eorum qui seruantur scandalum, vitium immedicabile, diurna nuga, prodigiorum hospitium, officina dæmonum. Quid est mulier? os effrænatum, triumphus mysteriorum, dux tenebrarum, magistra delictorum, vestita vipera, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera, &c.* *Insignis descriptio mulieris ex Anastasio.*

Vt ergo sacerdotes & clerici pudicos se seruent, feminarum colloquia & consortia deuitent. idem faciant vicissim feminæ, præsertim virgines, cauentque ne vmquam absque arbitris cum aliquo viro, etiam Religioso, etiam confessario, secretò colloquantur; sed omnia agantur in propatulo, vbi à multis videri possint: vel si intra domum in cubiculo aliquid tractandum sit, numquam desit testis qui omnia videat. Meminerint Thamar in occulto, quòd testis deesset, à fratre esse incestatam. Meminerint penè omnes quotquot ceciderunt, huius moniti negligentia cecidisse. Si nulla essent in abdito & absque inspectore colloquia, nulla essent stupra. Hinc S. Ambros. lib. 2. in Lu-

cam: *Trepidare*, ait, *virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri.* Loquitur de virgine cùm sola est: in occulto enim vterque alteri est ignis, vterque fomes & stupa: atque diabolus tum adest, omnesque vires suas exserit, ne tam commoda ipsi occasio sine lucro prætereat.

Scripsit S. Leander Episcopus Hispalensis insignem regulam, siue institutionem virginum ad Florentinam sororem, quam edidit noster Brouverus, in quâ cap. 2. ita ei præcipit: *Quisquis vir si sanctus est, nullam tecum quærat familiaritatem, ne videndi iugitate aut infametur vtriusque sanctitas, aut pereat. Decidet enim à charitate Dei, qua perpetrandi mali operis occasionem præbuerit. Decidet à charitate proximi, qua etsi malè non agit, opinione tamen pessimam famam nutrit. Dispar enim sexus in vnum locatus, eò titillatur inflictu quo nascitur; & naturalis mouetur flamma, si incomposita attigerit. Quis colligabit ignem in sinu suo, & non comburetur? ignis & stupa sibi vtraq; contraria in vnum redacta, flammas nutriunt. Viri sexus & fœminæ diuersus si coniungitur, quò lex naturæ prouocat, commouetur.*

Prou. 6.

Nimirum vt aiebat Plato, vir appetit feminam tamquam sui partem (cupit enim costa redire ad latus viri, ex quo sumpta est) & femina virum, sicut pars appetit suum totum, cupitque ei iungi & illi inexistere. vide S. Hieron. epist. 8. 9. 10. 11. & 22. Hic est ergo scopulus latens, sed nocentissimus, ad quem incauti aut sibi præfidentes allisi viri magni & sancti, castitatis naufragium fecerunt. O qualia & quanta videbimus in die iudicij! Qui sapis, fuge blandas Sirenes.

Hospitalitas quàm deceat Episcopum ex S. Gregor. Hieron. & Leone.

HOSPITALEM] φιλόξενον, id est, peregrinorum amantem, & erga eos hospitalem. Hæc virtus Episcopo est necessaria, ideoque tantas opes Episcopis attribuit Ecclesia. Hinc S. Gregor. scribens ad Ioannem Episcopum: *Hospitalitatem*, inquit, *nesciens non fiat Episcopus.* Et Hieron. ad Oceanum: *Ante omnia*, inquit, *hospitalitas futuro Episcopo denunciatur. Si enim omnes illud Euangelij audire desiderant: Hospes fui, & suscepistis me; quanto magis Episcopus, cuius domus omnium debet esse hospitium? Laicus enim vnum, aut duos, aut paucos recipiens implebit hospitalitatis officium; Episcopus nisi omnes recipiat, inhumanus est.* Ita peregrinos conquirebat & colligebat S. Iob hinc c. 31. ait: *Foris non mansit peregrinus, & ostium meum viatori patuit.*

Ita S. Gregorius Pontifex semper pauperes & peregrinos hospitio & mensa excipiebat: quod ita fuit gratum Deo, vt Christus speciem pauperis induens, mensa ab eo excipi voluerit. Testis est Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorij li. 2. c. 22. & 23.

Ita Leo IX. Pontifex sub annum Domini 1048. effusus in pauperes & peregrinos, leprosum ante ædes suas inuentum in lecto suo collocari iussit, ac manè sequenti eumdē requirens disparuisse comperit. Creditum est Christum specie pauperis, Pontificis tam misericordis lecto decubuisse. Narrat hoc Sigebertus in Chronico, & Platina in vita Leonis IX.

DOCTOREM] διδακτικὸν, id est, aptum ad docendum. Doctrinam ab Episcopo Apostolus requirit, non lauream; sed hanc quasi doctrinæ testem requirit Concilium Tridentinum, dum vult gradu Licentiæ in Theologia, vel Iure Canonico insignitos eligi in Episcopos. Hæc est prima Episcopi, qua Episcopus est, dos. *Summa enim*, inquit Hilarius lib. 8. de Trinit. *omnium virtutum episcopalium est scientia & doctrina.* Et Hieron. ad Oceanū: *Absque sermone*, inquit, *conuersatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet.* Hinc pontifex legis veteris in Rationali inscriptum habebat: *Doctrina & veritas. Est enim doctrina*, inquit Theophyl. in c. 1. ad Titum, *virtus & character Episcopi.* Hinc quoque ad Titū c. 1. ab Episcopo requirit Apostolus, *vt potens sit exhortari.* Et Concilium Tridentinum potissimum Episcopi munus esse prædicationem verbi Dei, illudque Episcopum per se, si possit, obire debere, docet sess. 5. c. 1.

Primus dos Episcopi est scientia & doctrina.

NON PERCVSSOREM] Id est, qui lingua non feriat, non iurgetur, non conuicietur, non maledicat. ita Chrysost. Sunt enim & *patriæ verbera linguæ*, inquit Horatius, cùm scilicet patres acerbè obiurgant filios. VERS. 3. *Percussor dicitur triplicitèr.*

Secundò & simpliciùs, q. d. Qui manibus non percutiat, non sæuiat, non sit asper & crudelis in domesticos & subditos. ita Syrus, Theophyl. & Anselm. *Percussorem*, inquit Hieron. *Episcopum ille condemnat* (Christus) *qui dorsum posuit ad flagella, & maledictus non maledixit.*

Tertiò, Theophyl. & Anselmus *Non percussorem*, id est, qui non feriat fratrum conscientiam importuno verbo, vel exemplo: sed hoc est mysticum. Græca hîc addunt μὴ αἰσχροκερδῆ, id est, non turpis lucri cupidum; sed hoc videtur redundare. nam mox sequitur, ἀφιλάργυρον, id est, non cupidum argenti.

MODESTVM] ἐπιεικῆ, id est, æquum. Æquus, inquit Aristot. 5. Ethic. c. 10. dicitur, qui non persequitur summum ius, in quo summa est iniuria: sed in partem propendet benigniorem, quam dictat æquitas & moderatio. Vnde virtus eò inclinans dicitur epieikeia.

NON LITIGIOSVM] ἄμαχον, id est, alienum à pugna, non tam verberum, de qua præcessit, quàm verborum. Vnde Hieron. lib. 1. contra Pelagianos vertit, *absque iurgio*. Idem ad Oceanū docet, quàm lites dedeceant Episcopum. *Nihil*, inquit, *impudentius est arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati semper ad lites in subiectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant.*

NON CVPIDVM] ἀφιλάργυρον, id est, alienum ab argenti cupiditate. *Gloria Episcopi*, inquit Hieron. ad Nepotianum, *est pauperum opibus prouidere; ignominia sacerdotis est propriis studere. Natus in paupere domo & tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturare poteram, nunc similam & mella fastidio*, &c.

Terribile exemplum huius auaritiæ narrat Munsterus li. 3. Cosmograp. de Hattone Moguntino Archiepiscopo anno Domini 914. qui pauperes vocans mures, & quasi mures fame perire permittens, iusta Dei vindicta à muribus, perinde ac Pharao à ranis & muscis, inuasus, ac tandem ad turrim, quæ etiamnum in medio Rheni visitur, confugiens, ibi ab eisdem peremptus & deuoratus est. Verùm hanc Hattonis à muribus comesti historiam multis refutat noster Serarius in Moguntia li. 4. c. 4. & 5. dicitque fabulam ortam à Popielo Polono principe, qui ob crudelitatem à muribus comestus est. *Exemplum Hattonis.*

SVAE DOMVI BENE PRAEPOSITVM] καλῶς προϊστάμενον, id est, qui domui bene præsit. Ex aptitudine enim & dexteritate regiminis œconomici sumitur iudicium de aptitudine ad regimen politicum & Ecclesiasticum: qui enim bene domum VERS. 4.

suam

suam moderatur, signum est quòd idem bene reget Ecclesiam; *Et qui domui suæ præesse nescit*, inquit Paulus v. 5. *quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Vnde S. Hieron. ad Oceanũ: *Valt*, inquit, *Apostolus Episcopum domum suam bene regere, non vt opes augeat, non vt regias paret epulas, non vt calatas patinas struat, non vt phasidis aues lentis vaporibus coquat, qui ad ossa perueniant, & superficiem carnis non dissoluant artifici temperamento; sed vt quod populo præcepturus est, priùs à domesticis exigat.* Quid? quòd canone 18. Concilij Carthag. ita præscribitur: *Vt Episcopi, presbyteri & diaconi non ordinentur priùs, quàm omnes qui sunt in domo eorum, Christianos Catholicos fecerint.*

FILIOS (si quos genuerit antequam crearetur Episcopus. Vnde & Ambros. notat, non dicere Paulum, Facientem aut gignentem, sed) HABENTEM SVBDITOS CVM OMNI CASTITATE] Græcè σεμνότητος, id est, honestate & grauitate morum; Vatablus, *cum omni reuerentia*; Syrus, *cum omni puritate*; Erasmus, *cum ingenuo & liberali pudore* hunc enim exigit subiectio, quam filij debent parentibus, de qua præcessit. Vult ergo Paulus ex moribus compositis liberorum, patris mores modumque educandi & regendi æstimari, eumque deligi Episcopum, qui liberos optimè instituerit. Vnde S. Bernard. lib. 4. de Consid. ad Eugenium: *Interest*, inquit, *gloriæ sanctitatis tuæ, vt quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis & ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inueniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas soliciti, circumspecti, sese custodientes in omni castitate*, &c. Quid si aliquis durus est, & regimini reluctatur? Respondet Bernardus: *Noli diffidere, curam exigeris, non curationem. Audisti, Curam illius habe; non, Cura, vel sana illum.*

Non est in medico semper, relevetur vt æger.

5. SI QVIS AVTEM DOMVI SVÆ PRAEESSE NESCIT, QVOMODO ECCLESIAE DEI DILIGENTIAM HABEBIT?] Græcè ἐπιμελήσεται, id est, curam habebit. *Est enim*, inquit Chrysost. *Ecclesia velut domus quædam: ac sicut in domo vxor est, & filij ac serui, omniumq; cura ac regimen incumbit viro; ita fermè & in Ecclesia videas. Est autem longè difficilius Ecclesiam, quàm domum regere. qui ergo rem familiarem dispensare nescit, in quo pacto Ecclesia rite præesse posse putandus est?* Quàm ergo stolida est ambitio nonnullorum, qui cùm se suosque regere nesciant, Rempi. vel Ecclesiam regere gestiunt? quibus iure competit illud S. Ephrem tract. de Timore Dei, initio tomi 3. *Antequam remigare sciamus, gubernare tentamus.* Duces & capitanei esse volumus, qui militare & arma tractare non didicimus. Themistocles Athenienſiũ dux, vxori ardentiùs pro filio aliquid petenti respondit: *Athenienses Græcis, ego Atheniensibus, tu mihi, tibi filius imperat. Vide ergo ne insipiens omnibus Græcis imperet.* Quid iam suis dicat Episcopus?

Quærit Chrysost. cur Apostolus communes virtutes hîc, non autem raras & heroicas ab Episcopo requirat? cur Episcopos non vult planè esse mortificatos, mundo mortuos, cælestes, diuinos? ac respondet: *Quia perpaucos tales inuenire erat: Episcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per singulas ciuitates magistri constituerentur. ne ergo Ecclesia negotia fructuq; perirent, idcircò moderatam virtutem proposuit inquirendam, non supremam illam atque cælestem. Quippe sobrium & pudicum & honestum esse, multorum commune erat.*

A NON NEOPHYTVM: NE IN SVPERBIAM ELATVS IN IVDICIVM INCIDAT DIABOLI] Νεόφυτον Græci vocant nouitium, quasi nouè natum aut plantatum Christoq; insitum in baptismo, id est, recèns à iudaismo aut gentilismo conuersum & baptizatum. q. d. Ne facilè ordines Episcopum eum qui in fide nouitius est, ne scilicet talis nouo episcopatus honore superbiat, & nouitate potestatis infletur, putans se alijs in fide veteranis meliorem, statimque perfectionem Christianam adeptum, ac quasi Ecclesia eo indigeat, illique non tam conferat, quàm ab eo beneficium accipiat, & alijs præesse & insolenter dominari velit. *Excluditur neophytus*, ait Haymo, *ne dicere possit, Indigebat Ecclesia mea sapientia, ideo me ad fidem adduxit, & super se constituit*; itaque *in iudicium*, id est, condemnationem, *incidat diaboli*, qui neophytus in cælo noua creationis suæ B pulchritudine superbiuit, ideoque damnatus est. Alij aliter: Primò, aliqui sic, εἰς κρῖμα, id est, inquiunt, in ius & potestatem diaboli. Secundò, alij; εἰς κρῖμα, id est in criminationē diaboli. Tertiò, Maldon. εἰς κρῖμα, id est in peccatum; per quod homo diaboli iurisdictioni & iudicio quasi subijcitur. Nam quod hîc vocat κρῖμα, v. sequenti vocat παγίδα. ita Chrysost. & Theophyl. Quàm sit turpe neophytum eligi, hisce verbis describit Hieron. ad Oceanum: *Heri* inquit, *catechumenus, hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, manè in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.* Et S. Gregor. lib. 4. Regist. epist. 50. *Alia*, inquit, *quoque res valdè detestabilis nobis nuntiata, quòd quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis, defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt subitò sacerdotes. Qua in re iam notum est qualis ad sacerdotium venit, qui repentè de laico habitu ad sacrum transit ducatum: & qui miles numquam extitit, dux religiosorum fieri non pertimescit. Quam iste prædicationem habiturus est, qui fortasse numquam audiuit alienam? aut quando aliena mala corrigat, qui ne dum sua flouit?* Deinde testimonio hoc Pauli, & rerum naturalium exemplo idipsum confirmans, subdit: *Et cùm ad sacros Ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibeat; sciendum nobis est, quia sicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide; ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc nouus est in sancta conuersatione. Scimus autem quòd ædificati parietes non priùs ponderis accipiunt, nisi nouitatis suæ humore siccentur. Et cùm ad ædificium arbusta succidimus, vt priùs viriditatis humor exsiccari debeat, expectamus, ne ex ipsa nouitate curuentur, & confracta citiùs corruant.* Vide eumdem li. 7. Regist. epist. 112.

D Excipe ab hac lege, nisi neophyti vita adeò sit probata, vt de eius aptitudine ad episcopatum nullum sit dubium, aut nisi Dei oraculo neophytus designetur Episcopus. Sic enim S. Ambrosius necdum baptizatus Mediolani à puero, & mox à toto populo conclamatus Episcopus, electus & consecratus est.

OPORTET AVTEM ILLVM ET TESTIMONIVM BONVM (bonæ vitæ) HABERE AB IIS QVI FORIS SVNT (ab infidelibus) VT NON IN OPPROBRIVM INCIDAT, ET IN LAQVEVM DIABOLI] Et hîc significat id est: ipsum enim opprobriũ vocat laqueum diaboli. q. d. Talis eligatur Episcopus, cui etiam Gentiles probitatis testimonium perhibeant, ne alioqui ipsi pristina vitia ei exprobrēt, itaque ipse incidat in laqueum diaboli, id est, infamiam, fiatque

Cur neophytum sacerdotio arcet Paulus?

Respondet S. Hier.

& S. Greg.

VERS. 6.

VERS. 7.

que commune probrum, quo quasi laqueo diabolus multos fideles & infideles capiat, eosque à tali Episcopo, & consequenter à fide & religione Christi auertat. ita Ambrosius.

Secundò, vt Theophyl. *ne in laqueum*, id est in pristina Gentilium peccata, recidat, itaque omnibus sit scandalo & ruinæ.

Tertiò, vt Anselmus, *ne in laqueum*, id est, iram & odium Gentilium incidat, cum eisque inimicitias suscipiat, vtpote qui ei sua vitia exprobrent, vel etiam ab eis occidatur. Vnde nonnulli per *laqueum diaboli* intelligunt laqueum calumniatoris: hunc enim significat Græcum διάβολος. Primus sensus magis connexus & genuinus est.

Narrat Lampridius in vita Alexandri Seueri solere Christianos proponere publicè nomina eorum, qui ordinandi erant sacerdotes, populumq; rogare, vt si quis quid criminis de quopiam nosset, ediceret. Sic & ordinandorum nomina publicè proponi, in eorumq; vitam inquiri, iubet Concilium Trident. sess. 23. 5.

VERS. 8. & 9. DIACONOS SIMILITER PVDICOS, NON BILINGVES, NON MVLTO VINO DEDITOS, NON TVRPE LVCRVM SECTANTES, HABENTES MYSTERIVM FIDEI IN CONSCIENTIA PVRA] Post descriptionem Episcopi, sub quo & presbyteros complectitur, transit Apostolus ad diaconos. hi enim sunt Episcoporum & presbyterorum ministri, non tantùm in custodia thesauri Ecclesiæ, & distributione eleëmosynarum: sed etiam in sacrificio Missæ, in quo olim diaconi calicem sanguinis Domini populo ministrabant. Vnde S. Laurentius apud Ambros. lib. 1. Offic. 4. sibi quasi diacono creditam dicit Dominici sanguinis dispensationem, adeoque diaconi, ait Clemens Rom. epist. 1. & 2. sunt oculi Episcopi, quales iam sunt Archidiaconi, qui totum munus veterum diaconorum retinent & referunt; sicut Archipresbyteri & Pastores totum munus veterum presbyterorum, qui Ecclesiam Dei gubernabant, retinent & referunt. Erat enim diaconi assistere Episcopo & sacrificanti & prædicanti, imò diaconus sacerdoti in sacrificio cooperabatur, & quodammodo cum illo offerebat sacrificium. vnde S. Laurentius ad Sixtum: *Tu*, inquit, *numquam sine diacono sacrificium offerre consueueras*. Maius huius rei argumentum est, quòd in Offertorio cùm offertur calix vini, diaconus contingens brachium sacerdotis quasi ei cooperans & subseruiens, vnà cum sacerdote dicere solet, *Offerimus tibi, Domine, calicem*, vti præscribit Missale Romanum. Rursum Secundò, diaconi erat particularia fidelium considerare, & ad Episcopum referre; ac Tertiò, externa pro arbitratu Episcopi tractare, vt is ab orationis instantia, & assiduo verbi Dei ministerio non impediretur.

Transit Apost. ad diaconos.

Diaconi erant oculi Episcopi.

Officia diaconi.

Diaconus cum sacerdote offert sacrificiũ.

Prima dos diaconi. Diaconos ergo Apostolus vult esse pudicos, græcè σεμνούς, id est, honestos, compositos, ac vitæ puritate, morumque grauitate conspicuos.

Secunda. Secundò, vult eos esse *non bilingues*, græcè διλόγους, id est, duplices in sermone, & in dictis inconstantes, vt hîc affirment, ibi negent, quod est hominis fallacis, adulatoris & mendacis. *Nihil autem*, inquit Chrysost. *ita nos degenerare à spirituali nobilitate facit, nihil ij in Ecclesia nocet magis, quàm versuta simulatio.*

Tertia. Tertiò, *non multo vino deditos*. Non dixit, inquit Theophyl. non ebrios, non temulentos, (hoc enim omnino indignum est) verùm, non multum potantes. hoc enim animæ mentisque vim & vigorem licet non eripiat, luxat tamen & debilitat, malique est exempli.

Quarta. Quartò, *non turpe lucrum sectantes*, quod sit, inquit Ambrosius, quando sub pia professione quæstui studetur. Rursum, cùm clericus mercaturæ vacat, sordidaque officia obit lucri gratia. Hinc negotiatio clericis prohibita est à Canonibus.

Quinta. Mysterium fidei triplicitèr accipi potest. Quintò, *habentes mysterium fidei in pura conscientia*. Id est, tenentes mysteria fidei cum pura conscientia, vt scilicet teneant puram fidem, & simul conscientiam ac vitam fidei puræ conformem, siue vt cum sincera fide & doctrina vitam habeant irreprehensibilem. ita Theodor. Theophyl. & alij.

Secundò, S. Thomas, & Petrus Lombardus per *mysterium fidei*, intelligunt dogmata fidei recondita, quæ alijs, maximè laicis, sunt occulta. Hæc enim scire debent diaconi, eaque conseruare tamquam mystæ, vel potiùs symmystæ sacerdotum.

Mysterium fidei est Eucharistia. Tertiò, per *mysterium fidei* Catharinus, Hesselius, Magallianus, Soto Maior, intelligunt sacram Eucharistiam: hæc enim à Dionysio, Chrysost. Cyrillo, Basilio, antonomasticè vocatur *mysterium*, vel tremenda mysteria. Vnde in forma consecrationis sanguinis Domini, calix sanguinis vocatur mysterium fidei, & in Græco additur τὸ, quasi designet certum mysterium. q. d. Diaconi habeant, id est, seruent & custodiant (hoc enim quoque significat Græcum ἔχω) Eucharistiam, quæ est mysterium illud arcanum fidei Christianæ; in pura conscientia, vt scilicet pura & mente & manibus calicem Eucharistiæ tractent, eumque populo administrent. Solent enim Patres veteres æquè vt Paulus hîc, loqui tectè & arcanè, ne Gentiles rem tantam audientes & non intelligentes irriderent & subsannarent: hinc passim eam vocant arcanum mysterium. Hic sensus valdè appositus est: tangit enim proprium & præcipuum diaconorum munus & officium.

Addit noster Lorinus in Actor. c. 6. v. 3. videri hæc verba, *mysterium fidei*, in consecratione calicis sumpta esse ex hoc Apostoli loco. Vnde & Innocent. III. c. *Cùm Marthæ*. de celebrat. Missar. asserit, verba illa consecrationi calicis addita esse ex Apostolica traditione. Causam dat Iuo, quòd scilicet ingens hîc mysterium lateat, nimirum sanguis Christi sub specie vini. q. d. *Sacramenta quæ vides in altari, æstimanda sunt, non specie, sed fide.*

VERS. 10. ET HI AVTEM PROBENTVR PRIMVM, q. d. Sicut Episcopus, ita & diaconi debẽt esse non neophyti: sed quorũ virtus diu spectata & probata sit. ET SIC (ordinati ab Episcopo) MINISTRENT, NVLLVM CRIMEN HABENTES] Græcè ἀνέγκλητοι ὄντες, id est, dum inuenti sunt (per probationem & examen factum ante eorum ordinationem) irreprehensibiles, quos accusare, quos criminari nemo possit. Erasmus verò & Vatablus non ad præteritum, sed ad futurum hæc referentes vertunt, *ministrent diaconi, sic vt nemo eos criminari possit*. q. d. Vti ante ordinationem diaconi probati sunt & inuenti irreprehensibiles, ita post eam se probent ministrando, ac diaconatu fungendo inculpatè & irreprehensibiliter. Sed prior sensus nostri interpretis verius & aptius cohæret cum verbo *probẽtur*.

VERS. 11. MVLIERES SIMILITER PVDICAS, NON DETRAHENTES, SOBRIAS, FIDELES IN OMNIBVS] Ambrosius, putat Apostolũ loqui de quibusuis mulieribus.

Secundò, Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen.

men, putant eum loqui de diaconissis: nisi enim, inquit Theophyl. de his loqueretur, quid erat opus, cùm de diaconis verba faceret, ad mulieres sermonem traducere?

Tertiò & optimè, D. Thomas, Lombardus, Hesselius, & alij accipiunt de vxoribus diaconorum, quas post ordinationem retinebant diaconi æquè vt Episcopi: sed earum vsu abstinebant. Vnde pro *mulieres*, græcè est γυναῖκας, quod tam vxores, vt vertit Vatablus & Erasm. quàm mulieres significat. Sicut ergo paulò antè Apostolus Episcopum cum sua familia, ita & hîc diaconũ cum sua familia vult esse illibatum. Nec ab hac expositione dissidet expositio secunda Chrysostomi & Theodor. poterant enim vxores Episcoporum & diaconorum esse diaconissæ.

Vbi Nota. Diaconissæ, vtpote feminæ, non ordinabantur. Vnde Concil. Nicenum canon. 19. eas inter laicas deputat. Perperam ergo ex hoc loco Cataphrygæ sicut viros diaconos, ita & mulieres ordinabant diaconissas, imò & presbyteras & episcopas, vt testatur Epiph. in eorum hæresi.

Diaconissæ itaque erant mulieres templi ministerijs addictæ, vti iam sunt Moniales aut Beguinæ. quænam earum fuerint officia, dicam c. 5. v. 9.

Vxores ergo diaconorum, quas scilicet diaconi duxerant, non post, sed ante susceptum ordinem diaconatus, vti ostendi v. 2. quæque marito facto diacono fiebant subinde diaconissæ, tales quales iam dixi, has, inquam vult Apostolus Primò, esse *pudicas*, græcè σεμνὰς, id est, honestate & grauitate morum conspicuas. Secundò, *non detrahentes*, μὴ διαβόλους, id est, non calumniatrices; Ambrosius vertit, non studentes discordiæ. Hanc enim parit loquacitas mulierum calumniosa & detractoria. Tertiò, *sobrias*, græcè νηφαλίους, quod tam sobrias, quàm vigilantes & prudentes significat. Hac ergo voce prohibet esse vinolentas, socordes, vecordes. Quartò, *fideles in omnibus*, scilicet tam in fide coniugali, quàm in dispensatione rei domesticæ, ne scilicet sint adulteræ, aut furaces. Ex vita enim & fama vxorum pendet fama maritorum, præsertim diaconorum.

12. DIACONI SINT VNIVS VXORIS VIRI: QVI FILIIS SVIS BENE PRAESINT, ET SVIS DOMIBVS] De hoc vide dicta vers. 2. & 4. vbi idem exegit ab Episcopo.

13. QVI ENIM BENE MINISTRAVERINT (in suo diaconatu, vnde græcè est διακονήσαντες) GRADVM BONVM SIBI ACQVIRENT, ET MVLTAM FIDVCIAM IN FIDE, QVAE EST IN CHRISTO IESV] id est, bonum locum gratiæ & meritorũ tum apud Deum, tum apud homines, vt mereantur altiùs promoueri in sacerdotes & Episcopos. ita Ambrosius, Chrysost. Theophyl. Anselm. Vnde Concil. Trident. sess. 23. c. 11. iubet eos ad Ordines altiores promoueri, qui in inferioribus piè & fideliter se gesserint. ita S. Cyprian. li. 4. epist. 2. ad Antonianũ laudat S. Cornelium Pontificem, quòd gradatim ad pontificatum fuerit euectus. *Non iste* (Cornelius) inquit, *ad episcopatum subitò peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit: tum deinde episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, sed ipse vim passus est, vt episcopatum coactus acciperet.*

Nota. Per *fiduciam* Ambros. intelligit fiduciam petendi & impetrandi à Deo id, quod ab eo petimus. Hæc enim fiducia non tantùm Dei misericordia, sed & bona petentis vita ac sanctitate nititur, vt docet August. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 37.

Verùm pro *fiduciam*, græcè est παῤῥησίαν, id est, libertatem, scilicet docendi & arguendi. quasi dicat, Diaconi bene fungentes officio acquirent libertatem & auctoritatem, vt homines etiam potentes non curent: sed liberè ea, quæ fides Christi exigit, profiteantur, doceant, arguant & perficiant. ita Theophyl. & Oecum. *Fiducia est libertas.*

Moraliter S. Bernard. serm. 3. de Assumptione, explicans optimam partem Mariæ præ Martha: *Bonum*, inquit, *acquirit gradum, qui bene ministrauerit: fortè meliorem, qui bene vacauerit Deo: optimum autem, qui perfectus est in vtroque.*

HAEC TIBI SCRIBO, VT SCIAS QVOMODO OPORTEAT TE IN DOMO DEI CONVERSARI, QVAE EST COLVMNA ET FIRMAMENTVM VERITATIS] Vers. 14. & 15.

Stimulum hunc dat Timotheo, vt dignè, exactè & vigilanter conuersetur, obeatque munia episcopalia in Ecclesia Dei; scilicet vt cogitet, se id facere in domo Dei.

Nota. Non sola Ecclesia Ephesina, sed absolutè Ecclesia vniuersalis hîc vocatur domus Dei & columna veritatis. Vniuersalis enim Ecclesia in fide errare non potest; Ephesina autem & quælibet particularis Ecclesia in fide errare potest. *Cum totus*, inquit Ambros. *mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicitur; cuius hodie rector est Damasus.* Alludit Apostolus ad Bethel, de qua viso ibi Domino dixit Iacob, Genes. 28. *Verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli*; & ad tabernaculum templumque Iudæorum, quod Ecclesiæ typus erat. ita Chrysost. Simul tacitè admonet omnes fideles, vt reuerenter & sanctè se gerant in Ecclesia, cogitantes se viuere & versari non in aula regis, sed in domo Dei, adeoque in oculis ipsius Dei opt. max.

QVAE EST COLVMNA ET FIRMAMENTVM VERITATIS] Addit hoc Apostolus, vt innuat Timotheo, magno cum studio ad hæreses & errores deuitandos & refellendos puræ veritati intelligendæ & prædicandæ in Ecclesia, sibi incumbendum esse, adeoque se non Iudaizantium, aliorumque Nouantium, sed Ecclesiæ fidem sequi & prædicare debere, vtpote quæ sit basis veritatis; ac præsertim articulum illum fidei primarium, & tunc maximè necessarium, quem subijcit hîc Apostolus, scilicet vt prædicet fidem Ecclesiæ de Christo vnico Redemptore, excluso Mose & operibus legis: hoc enim est *magnum pietatis sacramentum*, quod subdit Apostolus. Vers. 15. Vide Cant. 4. f. 182. 2. a.

Nota, Ecclesiam dici columnam & firmamentum veritatis, id est, columnam bene firmatam & firmantem veritatem. Est enim hendyadis, qualis est cùm dicitur, *aurum frænosq; momordit*. Rursum Ecclesia est Ecclesia est firmamentum veritatis tam actiuum, quàm passiuum. Ecclesia enim in fide & veritate passiuè firmatur à Deo per infallibilem assistentiam Spiritus sancti à Christo promissam, ac per eam fideles omnes actiuè confirmat. ita Chrysost. Theophyl. Beda, & alij. *Ecclesia est firmamentum veritatis passiuè & actiuè.*

Vnde commentarius Hieronymo asscriptus, Ecclesia, inquit, est columna & firmamentum veritatis, quia in ea sola stat veritas firmata, quæ sola sustinet ædificium Ecclesiæ.

Nota Secundò. Alludit Apostolus ad duas columnas, quas erexit Salomon in ingressu templi à

se

Alludit Paulus ad duas colũnas templi, Boos & Iachin.

se extructi, quarum dextram vocauit Iachin, sinistram Boos, 3. Reg. 7. v. 21. vt ijs significaret suum votum, scilicet optare se firmitatem & stabilitatem templi sui, illamque quasi hoc facto & monumento portenderet. ita Abulensis & Vatabl. ibi, & Francisc. Ribera li. 2. de Templo c. 14. Fecit porro duas, & dextram vocauit hebraicè Iachin, id est, vt LXX. vertunt 2. Paralip. 3. v. vlt. κατόρθωσις, id est directio, à radice כון *cun*, id est, dirigere; sinistram verò vocauit Boos, id est, vt Septuaginta, ἰσχὺς, id est, fortitudo: vel præcisè Boos idem est quod *fortitudo in eo*; vt per Iachin significaret directiuum imperium, tum Dei circa omnes creaturas & homines, sed maximè circa Iudæos, eorumque templum; tum regum Israel circa regimen populi secundùm pietatem, piumque Dei in templo cultum. Vnde vtraque columna coronata erat. Secundò, vt per sinistram Boos significaret fortitudinem executiuam directorum; vt quod Iachin prudenter dirigi à Deo & à rege; hoc Boos fortiter exequi tam Deum, quàm regem repræsentaret. vtrumque enim, scilicet tam prudens directio, quàm fortis executio in Deo est, & vtrumque regibus est necessarium. vtrumque ergo tacitè, & reipsa per hasce duas columnas Deo gratulatus est Salomon, & implicitè optauit & orauit, vt vtrumque in templi & populi custodia ostenderet, eamdemq; sibi & suis in regno successoribus communicaret.

Iachin & Boos quid litteraliter significarint.

Quid allegoricè.

Hæ duæ columnæ allegoricè significabant Ecclesiam à Deo directã & stabilitam instar columnæ. Vnde Apostolus Ecclesiam vocat *columnam veritatis*. q. d. Columnæ illæ Salomonis vmbræ tantùm fuerunt, ipsa verò veritas est in Ecclesia Christi, quæ columna est non mendacij, non vanitatis, non vmbræ euanescentis, qualis fuit illa templi Salomonici, quod à Chaldæis in cineres & fauillas redactum est; sed stabilis, constantis & æternæ veritatis. Hinc quod ait hîc Apostolus: *Ecclesia est columna & firmamentum*, idem est, ac si dixisset, Ecclesia est Iachin & Boos. Columna enim, quæ græcè dicitur στύλος, idem est quod Iachin, id est, columna erecta & directa; firmamentum verò idem est quod Boos, id est, fortitudo. q. d. Apostolus: Ecclesia est rectitudo veritatis, quam adumbrauit Iachin; est etiam fortitudo & firmamentum veritatis, quod adumbrauit Boos: ita vt ne vel minimum à recta veritatis linea deflectere, vel à constanti veritatis professione diuelli vlla ratione, aut vi, vmquam possit.

Quid tropologicè.

Vnde S. Hieron. Angelom. Beda & Eucher. in 3. Reg. 7. partim allegoricè, partim tropologicè, Columnæ hæ duæ, inquiunt, sunt Apostoli & sancti Doctores Ecclesiæ, quia contemplatione ad superna erecti fortes sunt tam fide, quàm opere. Duæ sunt, quia Iudæos & Gentes fulciunt: sunt ante fores templi, vt vtrosque in templum, id est in Ecclesiam, inducant. Rursum vna est à dextris, altera à sinistris, vt demonstrent per prospera & aduersa nobis tendendum esse in cælum, quod est verum Dei templum, vtque prosperis non eleuemur, aduersis non deiiciamur: sed templum ipsum, id est cælum, quò per ea tendimus, ante mentis oculos perpetuò ponamus, eoque constanter pergamus.

Ex hoc loco patet Ecclesiam esse visibilem.

Hinc patet Primò, Ecclesiam esse visibilem, & visibiliter nos docere, ac confirmare in veritate per suos scilicet Pastores, Episcopos, & maximè per suum caput, quod est Romanus Pontifex Petri successor, cui dictum & promissum est à Christo, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

nec posse errare in fide. Resp. Calvini.

Patet Secundò, Ecclesiam errare non posse in fide & veritate. Negat id Caluinus, ac respondet Ecclesiam dici columnam & firmamentum veritatis, quia conseruat verbum Dei scriptum, quod errare non potest; &, vt habet commentarius hîc Vatablo ascriptus, quia, inquit, qui in Ecclesia sunt, verbum Dei, quod est ipsa veritas, tuentur & defendunt. Sed contrà; quia sic Ecclesia esset theca veritatis, non columna. Secundò, sic non tantùm omnes Martyres, Doctores & fideles, sed etiam omnes bibliopolarũ officinæ dicendæ essent columnæ veritatis, quod est absurdum & ineptũ. Tertiò, sic Iudæi hostes Christi dicendi essent columnæ veritatis, quia conseruant vetus testamentum. Quartò, columna non in alio, sed per se solida est & firma, aliaque firmat & roborat: ergo Ecclesia quasi columna veritatis per se in veritate firma est & solida, vt possit alios in ea confirmare. Ita docent omnes Patres, qui ex hoc loco docent ab Ecclesia in dubijs fidei petendam esse certã & stabilem resolutionẽ. Audi inter alios Irenęum l. 3. c. 4. *Tantæ*, inquit, *ostensiones* (Ecclesiæ) *cùm sint, non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis quicumq; velit sumat ex ea potum vitæ: hæc enim est vitæ introitus. Omnes autem reliqui fures sunt & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos; quæ verò sunt Ecclesiæ cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionẽ.* Deinde ab Ecclesia & Ecclesiæ traditione dubiorum & quæstionũ in fide suborientium resolutionem petendam esse docet, cùm ait: *Quid enim etsi de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nõne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christo credunt, sine charactere, vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, veterem traditionem diligenter custodientes.*

Refellitur quatuor argumentis.

Ex Irenæo.

Similia habet cap. 3. vbi inter omnes Ecclesias maximè sequendam ait Ecclesiam Romanam, à Petro & Paulo fundatam.

Audi Hieron. contra Luciferian. *Poteram*, inquit, *omnes propositionum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.* Et iterum: *Breuem tibi apertamq; animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsq; in hunc diem durat*, &c. Audi Ambrosium epist. 82. *Vtrumque*, ait, *ad Mosen à Domino dictum est: Vbi stas, terra sancta est.* Et: *Tu hîc sta mecum, hoc est, mecum stas, si stas in Ecclesia. Ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fœcunda sanctitatis, & opima virtutum messibus. Sta ergo in Ecclesia, sta vbi tibi apparui: ibi ego tecum sum. Vbi est Ecclesia, ibi firmissima statio tua mentis est; ibi fundamentum animi tui, vbi tibi derubo apparui.* Audi denique Augustinum lib. contra epist. fundament. c. 5. *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio, cur non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo?*

Ex S. Hier.

Ex S. Ambrosio.

Ex S. Aug.

Et

16. ET MANIFESTE MAGNVM EST PIETATIS SACRAMENTVM, QVOD MANIFESTATVM EST IN CARNE] q.d. Sicut olim templum Iudæorum, quod erat domus Dei, continebat arcana mysteria, scilicet arcam, Cherubim, propitiatorium: ita Ecclesia Christi, quæ est domus Dei, continet, seruat, docet & explicat verissimè magnum pietatis Dei sacramentum, scilicet incarnationem Verbi, & dispensationem omnem carnis ab eo assumptæ. In hac enim re præcipuè consistit religio Christiana, & Ecclesiæ doctrina, ac veritas. Nam, vt ait Fulgent. libr. 1. ad Trasimundum: *Certum est penè omnes hæreticæ prauitatis errores insurrexisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, aut sicut est non credunt, aut omnino non credunt.* Et patet primis quadringentis annis, omnes Arrij, Nestorij, Eutychetis, Apollinaris, Valentini, Manichæorum, & aliorum hæreses versatas fuisse vel circa diuinitatem, vel circa humanitatem Verbi incarnati. q.d. Apostolus: Vide, ô Timothee, vt cautè & reuerenter in Ecclesia conuerseris, vtque hoc veritatis & pietatis sacramentum verè pijssimum ritè doceas, eoque dignè viuas. Tibi enim credita est tanti custodia sacramenti, inquit Chrysost.

Nota Primò. Pro *manifestè*, græcè est ὁμολογουμένως, id est confessè, &, vt Ambros. *omnium confessione*, &, vt Erasm. vertit, *citra controuersiam*.

Nota Secundò. *Magnum* hoc *pietatis sacramentum* est Verbi incarnatio, natiuitas, passio, crux, resurrectio, ascensio, Gentium per ipsum conuersio, iustificatio & salus; vel aptiùs est ipsum Verbum incarnatum, siue Deus homo, nascens, patiens, crucifixus, resurgens, ascendēs, iustificator & saluator omnium hominum. Vnde pro eo quod nos habemus, *quod manifestatum est in carne*, Græca habent, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, id est, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, angelis apparuit, prædicatus est Gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Ita legunt Syrus, Chrysost. Theoph. & Cyrillus ad Reginas. *Ipsa*, inquit S. Dionys. c. 2. de Diuin. nomin. *Iesu incarne apparitio & ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque angelorum primati non cognita* (scilicet plenè & perfectè quoad omnia.)

Quare minùs aptè nonnulli cum Erasmo hæc explicāt de lege Christi & prædicatione Euāgelij, adeò vt etiā Beza miretur Erasmum tam studiosè omnes Scripturæ de Christi diuinitate locos eneruare aut detorquere; quamquā lex Christi & prædicatio Euangelij vti consecuta sunt ex Verbi incarnatione, ita ex ea hîc consequenter intelligetur.

Aduertè Tertiò. *Sacramentum*, vel, vt græcè est, mysterium, non significat hîc signum rei sacræ, sed ipsam rem sacram & arcanam, scilicet Verbum incarnatum. Addit Magallianus in fine huius capitis, per magnum hoc pietatis sacramentum accipi posse Eucharistiam. Sed hic sēnsus accommodatitius tantùm est, non autem ex mente Apostoli. Idem enim est Verbum incarnatum in altari, quod olim natum in Bethlehem manifestatum fuit in carne, ac proinde ea quæ huic, eadem & illi accommodari possunt.

PIETATIS] Græcè εὐσεβείας, quod Syrus vertit, iustitiæ: quia, vt sequitur, hoc arcanum, siue sacramentum, iustificatum fuit in spiritu, & per illud satisfactū fuit iustitiæ Dei, quæ peccatū Adæ puniuit & vindicauit in Christo incarnato & crucifixo.

Secundò, Ambros. *pietatis*, inquit, id est veritatis, cuius columna est Ecclesia, quia Deus magnanimitatem, pietatem & clementiam suam, scilicet pijssimam gratiam, & dona Christi exhibet ijs, qui illam verè agnoscunt. Vnde & Vatablus vertit, *magnum est mysterium quod pij norant.*

Tertiò & genuinè, εὐσεβείας, id est pietatis, Dei cultus, ac religionis. q.d. Mysterium incarnationis pium est, & tale quo maximè colitur Deus, quoq; maximè Deum coluit Christus, & quod incitat nos ad pietatem, Dei cultum ac venerationem; quodque pijssimè recolendum & venerandum est. hoc enim propriè significat εὐσέβεια, id est pietas.

Quartò, potest ex communi hominum sensu sic accipi: *pietatis*, id est, misericordiæ & dignationis; Hebræum enim חסד *chased*, id est pietas, passim significat misericordiam, tum quia piorum proprium & certum indicium est misericordia. Sic pietas pro clementia & misericordia sumitur Eccli. 44. 10. Esther 16. 10. tum quia misericordia Deo gratissimus est cultus. *Misericordiam* (Christus ait) *volo, non sacrificium.* Et Iacob. c. 1. 27. *Religio*, ait, *munda est visitare pupillos & viduas.* Est ergo incarnatio Verbi summæ *pietatis*, id est dignationis, mysterium. nam vt ille ait,

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas, & amor.

In Christo conueniunt maiestas & amor.

Hæc tamen in Christo conueniunt, scilicet summa maiestas diuinitatis, & summa vilitas humanitatis, quæ duo vinxit, & arctissimè sociauit amor, scilicet vt idem Christus sit Deus homo, Verbum infans, puer sapiens. S. August. l. 9. Confess. c. 6. de se recenter baptizato loquens: *Non satiabar*, inquit, *illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui (ô Deus) super salutem generis humani.* Hinc rectè infert admirabundus B. Prosper sentent. 30. *Quid*, inquit, *futurus est homo, propter quem Deus factus est homo?*

QVOD MANIFESTATVM EST IN CARNE] En magnum quod dixi, pietatis sacramentum, scilicet quòd Verbum æternum in se inuisibile, in carne apparere videriq́ue dignatum sit. Vnde Græca habent, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, id est, Deus apparuit in carne. olim legerunt ὁ Θεὸς vel ὃς Θεὸς, id est qui Deus. nam hunc locum corrupit Macedonius legens ὡς pro ὃς, sicque interpretatur: vt esset Deus, apparuit per carnem. q.d. Vt hic homo qui dicitur Iesus, esset & dici posset Deus, hac de causa Deus descendit & apparuit in carne & corpore Iesu, in eoque quasi in domo habitauit. Sentiebat enim cum Nestorio Christum duas habere tam personas quàm naturas, vnamque alteri non esse iunctam hypostaticè: sed tantùm per assistentiam vel inhabitationem. qua de causa ab Anastasio Imperatore episcopatu Constantinopolitano pulsus est, vt refert Liberatus in Breuiario, c. 19. tom. 3. Conciliorum. Verùm hanc calumniam falsò in Macedonium Patriarcham Catholicum concinnatam esse ab Anastasio Imp. Eutychiano, vt eum suæ hæresi resistentem episcopatu abdicaret, eo prætextu quòd Nestorianus esset, qui Eutycheti resisteret, demonstrat Baronius anno Christi 510. in fine.

IVSTIFICATVM EST IN SPIRITV] Primò, sic aliqui explicant, ne quis putet Christum cum carne carnis vitia assumpsisse, dicō quòd Christus per opera sancti Spiritus, & per hoc quòd Spiritus sanctus in eum cùm baptizaretur, descendit in specie

τὸ iustificatū in spiritu, sextuplicitèr exponitur. Primò.

columbæ, declaratus & agnitus sit esse summè iustus, adeoque ipsa iustitia.

Secundò. Secundò, Cyrillus ad Reginas, & Anselmus explicant sic, q.d. Christus à Spiritu sancto factus est iustus, adeò vt numquam peccauerit, sed alios à peccatis iustificarit. sic ferè & Vatablus; Declaratus est, inquit, Christus per Spiritum sanctum esse verus iustificator.

Tertiò. Tertiò, Theoph. hoc modo interpretatur, q.d. Christus abrogata carnali & vmbratica legis iustitia solidam & veram iustitiam, quæ in spiritu consistit, induxit.

Quartò. Quartò, alij ex Syro putant Apostolum hîc dicere, quòd per Verbum incarnatum satisfactum sit iustitiæ, & iustæ vindictæ Dei.

Quintò. Quintò, Brixianus hoc modo intelligit, q.d. Christus, qui in carne hominibus apparuerat, non hominum, sed Spiritus sancti oculis iudicatus est iustus.

Sextò, & genuinè. Verùm Sextò & vltimò, hic genuinus huius loci est sensus, q.d. Apostolus: Gentes rident Verbum incarnatum, & in carne manifestatum, siue Deum hominem factum, quasi stultum: Iudæi habent pro scandalo: sed Spiritus sanctus per rationes conuenientissimas, per miracula, per tot charismata, per efficacem prædicationem, & sanctitatem, zelum, sapientiam, aliasque dotes cælestes Apostolorum declarauit & comprobauit hoc Dei de Verbi incarnatione consilium esse iustũ, sanctum, sapiens, Deoque dignum. In hoc enim incarnationis opere relucet mira Dei iustitia, sapientia, bonitas & potentia, vt pulchrè declarat S. Thomas 3. p. q. 1. a 1. & 7. ita vt centurio & alij videntes Christi etiam patientis in cruce miracula, patientiam, gratiam, &c. exclamarent, *Verè filius Dei erat hic.* ita Chrysost. & Ambros. Sedul. Sic *eloquia Dei* dicuntur *iustificata*, id est, declarata esse iusta & sancta. Sic Matt. 11. 19. sapientia dicitur iustificata à filijs suis, id est, iusta declarata, & absoluta ab omni calumnia hominum mundanorum & sapientum huius sæculi. Huc refertur & illa Theoph. expositio, iustificatum, inquit, est hoc mysterium in spiritu, quia Deus fecit omnia in hoc mysterio, quæ requirebantur ad hominum salutem. Itaque si qui pereunt, sua culpa pereunt; quia Christo credere & obedire nolunt, sibi ergo suam perditionem imputent, Deum autem iustificent. Eodem sensu psalm. 50. dicitur: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.*

Theophyl. expos.

APPARVIT ANGELIS] Græcè ὤφθη, visum, vel, vt Vatablus vertit, visus est angelis: visum est, supple sacramentum; visus est, supple Christus, qui est hoc sacramentum, id est res hæc sacra & arcana. omnia enim hæc referri possunt ad Græcum θεὸς, id est, ad Deum in carne manifestatum. q.d. Visus est ab angelis in præsepio Deus infans. cùm cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo*; visus etiam est eisdem in deserto cum bestijs agens, ieiunans, orans, prædicans, fatigans se, moriens, resurgens quoque, & ascendens supra omnes cælos & angelos, cùm admirantes angeli dixerunt Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Hinc & angeli resurrectionem Christi nunciarunt, quia per Christum nobis reconciliati maiorem salutis nostræ curam gerere cœperunt, ita August. Enchirid. c. 61. & 62.

Mysticè, S. Gregor. 34. Moral. c. 4. per angelos accipit prædicatores, per quos, vt sequitur, Christus prædicatus est Gentibus.

PRÆDICATVM EST GENTIBVS] Mira fuit Dei bonitas, quòd non solis Iudæis, quibus promissus erat Messias, sed omnibus Gentibus quantumuis impuris, barbaris, idololatris & sceleratis, Christus, Christique iustitia prædicata fuit.

CREDITVM EST IN MVNDO] Non solùm inquit Theodor. prædicatus est Christus, sed & creditus, & vt Deus ab ijs qui crediderunt adoratur. Mirum fuit, totum mundum credere in Christum hominem crucifixum, ab eoque gratiam & salutem sperare; magnum fuit hoc potestatis & veritatis eius argumentum. Vide dicta 1. Corinth. 1. v. 18. & 24.

ASSVMPTVM EST IN GLORIA] cùm scilicet Christus, siue Deus homo gloriosè cum angelis & Sanctis omnibus tam in corpore, quàm in anima triũphans ascenderit in cælum. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. & Theodor. qui putat hoc addi quasi causam, cur creditum sit ei in mundo, quia scilicet in cælis à dextris Dei sedet, indeque quasi doctor efficax & omnipotens veritatem mundo persuadet, vt omnes credant in eum. Adde, cum Hesselio, posse sic explicari, Christus assumptus, id est receptus, est à mundo tamquam in gloria Patris existens, tamquam verus Deus, cui omnis debetur gloria: quem proinde totus mundus glorificat.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRædicit instare hæreses, quæ damnabunt nuptias, & certos cibos quasi in se malos, cùm omnis creatura Dei in se bona sit.

Secundò, v. 8. corporali exercitationi præfert exercitium pietatis.

Tertiò, v. 12. monet Episcopum, vt sit exemplar sanctitatis, vt gratiam sibi in ordinatione datam excusceitet, vt intendat sibi & doctrinæ.

1. SPiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, 2. in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, 3. prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem. 4. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur: 5. sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. 6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi

Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es. 7. Ineptas autem, & aniles fabulas deuita: exerce autem teipsum ad pietatem. 8. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. 9. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. 10. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium. 11. Præcipe hæc, & doce. 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, 13. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. 15. Hæc meditare, in his esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus. 16. Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.

SPIRITVS AVTEM MANIFESTE DICIT, QVIA IN NOVISSIMIS TEMPORIBVS DISCEDENT QVIDAM A FIDE] Monuit Timotheum Episcopum in fine cap. præced. vt sincerè & rectè conuersetur, & prædicet in Ecclesia, quæ est basis veritatis. Causam hîc subdit Apostolus, quia scilicet exurgent hæretici veritatis & Ecclesiæ hostes, & multos seducent. q.d. Vide ô Episcope, vt contra eos vigiles & excubes.

Nota. *Spiritus*, scilicet sanctus, per me & alios Prophetas hoc prædicit *manifestè*, græcè ῥητῶς, id est præcisè, certò, præscriptis & expressis verbis; hæc enim vocantur ῥητὰ. *quia* (quòd) *in nouissimis*; græcè non est, ἐσχάτοις, sed ὑστέροις, id est posterioribus, vel sequentibus (hoc enim significat Hebræum אַחֲרִית *acharit*, quo nomine vocant Prophetæ tempus Messiæ, quod Noster interpres vertit nouissimum) *temporibus discedent*, græcè ἀποστήσονται, id est deficient, desciscent, apostatabunt à fide.

ATTENDENTES SPIRITIBVS ERRORIS. Legit Noster πλάνης, iam legunt πλάνοις, id est fallentibus, seductoribus, & in errorem ducentibus: sed eôdem redit sensus. ET DOCTRINIS DÆMONIORVM] Vnde rectè hîc Chrysost. hom. 12. asserit omnem hæresim & hæreticorum dogmata esse ex diabolo: cuius rei auritus est testis Cassian, collatione 7. c. 32. *Audiuimus*, inquit, *apertissimè confitentem se inspiraſſe hæresin Arrij & Eunomij.*

Et Irenæus l. 1. c. 9. & l. 2. c. 57. tradit Simonem Magum, & Marcum, alioscque hæresiarchas habuisse dæmones paredros & familiares: sicut è contrario Ecclesia paredrum, quasi assessorem, & consultorem habet Spiritum sanctum.

Cùm multi visitarent Fulbertum Episcopum Carnotensem, ille inter alios conspicatus Berengarium, nisu quo valuit, expellendum indicabat, protestatus immanem dæmonē prope ipsum consistere, multoscque ad eum sequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrupere, vt refert Wilhelmus Malmesburiensis de gestis Anglor. l. 3. & Baron. an. Domini 1028. Maximilianus I. Imp. in comitijs Augustæ Vindel. anno Domini 1518. publicè prandens, videṡ Lutherum dixit Baroni cuidam pincernæ suo: *Video cacodæmonem forma corporea humerū istius monachi incubantem, & te quidem superstite, me verò defuncto, iste monachus turbas, calamitates & miserias grauissimas in Imperio suscitabit.* Quin & hæresiarchæ ipsi idipsum confitentur. Lutherus l. de Missa angulari de seipso testatur (eius enim hæc verba sunt) diabolum & se inter se mutuò familiariter nosse, & plus vno salis modio simul comedisse, illumque dulci alloquio se frequenter conuenisse, & nocte excitasse, atque stimulasse vt contra Missam scriberet, & ad eam rem argumenta suppeditasse.

& Zuinglius, Zuinglius libr. de Supplemento Eucharistiæ, narrat anxiè cogitanti sibi, quomodo verba institutionis Sacramenti corporis Christi in alienum sensum detorqueret; intempestà 13. Aprilis nocte spiritum monitorem adfuisse; & albúsne an ater fuerit ambigit.

Erasmus Albertus Basileensis Ecclesiastes, cacodæmonem Carolstadio concionanti, procerioris staturæ hominis specie apparuisse scribit, triduo antequam moreretur.

& Caluinus. Caluinus epistola ad Bucerum monentem, vt conuitijs & maledictis abstineret, respondit, non sui ingenij esse morbum, sed sui genij, putà diaboli paredri: nec enim bonus genius & angelus maledicentiæ potest esse incentor & suggestor. Plura exempla hæreticorum, qui magnam cum dæmone habuerunt communionem, recensetnoster Petrus Thyræus disputat. de dæmoniacis p. 2. cap. 21.

Apostolus tamen propriè alludit ad hæresim Manichæi, quæ propriè fuit doctrina dæmoniorum, quia dæmonem fecit factorem visibilium, Deum verò inuisibilium; imò S. Chrysost. Secundò, per dæmonia accipit homines, qui duces sunt errorum & scelerum. Sic Iudas à Christo Iohan. 6. 70. vocatur *Diabolus* per emphasim, ob magnitudinem malitiæ; *Vnus*, inquit, *ex vobis diabolus est.* Nam hominibus magis propriè quàm diabolis conueniunt ea, quæ sequuntur, scilicet *loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam*, &c.

Tertiò, Vatablus δαιμονίων accipit non substantiuè, vt significet diabolos, sed adiectiuè, vt significet diuinos: hæretici enim fingunt se esse diuinos, & prophetas à Deo missos. Sed primus sensus simplicissimus est & maximè proprius.

IN HYPOCRISI LOQVENTIVM MENDACIVM] q.d. Hæc dæmonia fallacia per hosce homines apostatas, vel potiùs hi apostatæ à dæmone afflati loquentur mendacia, & docebunt errores *in hypocrisi*, id est, in simulatione, &, vt Ambrosius, in fictione, quia simulabunt per verba blandiloqua, per citationem Scripturarum, per simulationem vitæ puræ & sanctæ, se veritatem loqui & docere, non mendacium. Sic Manichæi & Encratitæ, quos propriè hîc taxat Apostolus, vt mox dicam, cùm domi & secretò viuerent turpissimè & libidinosissimè, foris tamen & exteriùs simulabant se castè & sanctè viuere, adeoque damnabant nuptias, etiam legitimas, vt docet Epiphan. & August. VERS. 2.

CAVTERIATAM HABENTIVM CONSCIENTIAM] Videntur hi omnes genitiui referri ad *dæmoniorū*, quasi

quasi dæmonia cauteriatam habeãt conscientiam, idque verum est. Sed melius referes hos genitiuos non ad *dæmoniorum*; sed ad nomen, *quidam*, quasi illius distributiuos. q.d. Discedent à fide quidam hominum, putà Apostatarum, loquentium mendacium, cauteriatam habentium conscientiam, &c. hoc enim propriè ad homines pertinet. Vnde commodiùs & clariùs dixisset in nominatiuo: *Quidam loquentes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam*: sed per hebraismum maluit dicere in genitiuo, quia præcessit genitiuus *dæmoniorum*, etiamsi ad eum propriè non pertineat: sic enim Hebræi concordant nomen vel verbum subinde cum propinquiore nomine, non autem cum eo quod propriè respicit, & cum quo in Latina & Græca syntaxi concordare debet. Sic Iob 15.20. B מִסְפַּר שָׁנִים נִצְפָּנוּ *misphar schanim nitspenu*, id est, *numerus annorum reconditi sunt*, id est, recõditus est. Eccles. 10.1. זְבוּבֵי מָוֶת יַבְאִישׁ *zebube mauet iabis*, id est, *musca mortis perdit*, id est perdunt, *suauitatem vnguenti*. Idem hîc fit, præsertim quia hi homines hæretici sunt dæmoniaci, & quasi afflati dæmone, vt videantur esse dæmonia, vt ait Chrysost. Hæretici ergo cauteriatam habent conscientiam, id est, vt Beza vertit, cauterio amputatam conscientiam. Verùm Græcum καυστηριάζω significat cauterium inuro, non autem per cauterium amputo. Rursum cauterium non amputat membrum cui inuritur, sed perforat. Conscientia ergo cauteriata est, vt Syrus vertit, notata & inusta indelebili cauterio infamiæ, scilicet ob libidines aliaque infamia scelera. Alludit ad stigmata, quæ maleficis ferro candenti inuruntur, quale Caluino ob sodomiam Nouioduni in Picardia inustum C fuisse non tantùm eius familiaris Hieron. Bolsecus doctor medicus in Caluini vita, sed & multi alij viri grauissimi asseuerant. q.d. Paulus: Hi hæretici non tam corpus, quàm animum habent stigmaticum ob vitæ dedecora. ita Chrysost. Theophyl. & alij.

Hæretici habẽt cauteriatam conscientiã.

Caluinus stigmaticus.

Gnostici cauteriati in aure.

Narrat Irenæus l. 1. c. 24. & Epiphan. de Gnosticis & Carpocratianis, quòd auersarentur procreationem liberorum, suosq; discipulos notarent cauterio in superiore dextræ auris parte. Fortè ad eos hîc respexit Paulus, q.d. Hi sicuti habent aurem cauterio notatam, ita & conscientiam.

Cauteriat conscientia significat Primò, infamem; Secundò, corruptam; Tertiò, immutabilẽ;

Notat Ambrosius per cauterium hoc non tantùm significari notam infamiæ iam dictam, sed etiam Secundò, morum corruptionem; & Tertiò, eorumdem immutabilitatem. Vnde S. Thomas: *Sicut cauterium*, inquit, *corruptio est in carne per ignem, siue ferrum ignitum, ex qua egreditur continuò putredo: ita* D *ex igne peruersæ voluntatis quasi cauteriatæ, vlceratur conscientia, & egreditur falsa doctrina dæmoniorum.* Theodor. verò ad tertium, scilicet ad morum immutabilitatem, alludens, per cauteriatam conscientiam stuporẽ eorum extremum accipit. *Locus enim*, inquit, *cauterio inustus priorem sensum amittit.* Ita & Francis. Turrianus in can. 44. Apostolorum, *Cauteriatam*, inquit, *conscientiam vocat Apostolus eam, quæ sensum peccati amisit, instar partu cauterio inusta*, quę iam peruenit ad dedolentiam, de qua dixi Ephes. 4.19. Sic cauterium hoc idem penè est cum spiritu compunctionis, de quo dixi Rom. 11.8.

Quartò, ardentem libidine.

Quartò, per vstionem cauterij posset ardor concupiscentiæ & libidinis intelligi, q.d. Hi hæretici sunt hypocritæ; nam exteriùs videntur frigidi & casti, prohibentq; nubere: sed interiùs in conscientia vruntur & ardent cauterio concupiscentiæ. Quamquam Græcum κεκαυστηριασμένων est præteritum, nec propriè eos qui cauterio inuruntur, sed qui inusti sunt, significat. Primus ergo sensus maximè est genuinus.

PROHIBENTIVM NVBERE, ABSTINERE A CIBIS] VERS. 3. Est ellipsis Attica: supplenda enim est vox κελευόντων, id est iubentium, *abstinere à cibis*. Loquitur contra Simonianos, Saturninum (qui tempore Apostolorum vixit) Ebionem, Manichæos, Marcionitas, Encratitas, qui dicebant nuptias, vinum, carnes, &c. non esse à Deo bono, sed malo, putà diabolo, creata, ac proinde hæc natura sua esse mala & cauenda, eorumque esu & vsu hominem infici & maculari.

Prohibent nubere, & cibos, qua dicunt illa esse à diabolo.

Probatur tribus rationibus.

Id patet Primò, ex ratione, qua eos impugnat Apostolus, cùm subdit, *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* q.d. Errant hi, dum aliquas creaturas natura sua esse malas, & vitandas docent: nam omnis creatura Dei bona est, & ad vsum homini data à Deo.

Secundò, id docent disertè Patres communi cõsensu, Chrysost. Theoph. Oecum. Ambros. hîc, & August. l. contra Adimantum c. 14. *Hos*, inquit, *propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant.*

Nuptias & cibos quasi in se malos damnarũt Encratitæ.

Tertiò, quia hanc fuisse hæresin Encratitarum, quorum auctor fuit Tatianus S. Iustini discipulus, docet Irenæus l. 1. c. 30. indeque esse dictos Encratitas, id est continentes. *A Saturnino*, inquit Irenæus, *& Marcione exorti, qui vocantur Continentes, abstinentiam à nuptijs annunciauerunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & obliquè accusantes eum, qui masculum & feminam ad generationem hominum fecit, & eorum quæ vocantur apud eos animalia, abstinentiam induxerunt, ingrati existentes ei, qui omnia fecit, Deo.*

De Marcione hæc habet Epiphan. hæresi 42. *Docet hic* (Marcion) *animatis non vesci, pronuncians reos esse iudicij eos qui carnem edunt, velut qui animas edant.*

& Marcion.

De Saturnino eiusque assectis Irenæus l. 1. c. 22. ita ait: *Nubere & generare à Satana dicunt esse: multi autem ex his, qui sunt à Saturnino, & ab animalibus abstinent, perfecta huiusmodi continentia seducentes multos.*

& Saturnini.

De Manichæis testis est Epiphanius hæresi 66. eos de abstinentia ab animatis eadem docere cum Marcione. *Edentem*, inquit, *carnes Manichæus animam edere dicit, & esse ipsum reum, vt & ipse tale quid fiat; si taurum edat, vt taurus fiat; si porcum edat, vt porcus fiat; & sic de reliquis. Quapropter ab animatis abstinent isti. Et si quis*, inquit, *Manichæus vxorem duxerit, etiam ipse post discessum ex hac vita in aliud corpus transit, & fit mulier, quo etiam ipse nubat: dicit quoque Deum malum fecisse corpus, Deum verò bonum animas.*

& Manichæi.

Manichæi putabant comedentẽ carnẽ animatam reũ esse homicidij.

Ex hisce verbis patet Manichæos duplici de causa carne animalium abstinuisse: prima, quòd putarent carnem esse malam à malo Deo: secunda, quòd putarent comedentem carnem animalis, eiusdem animam occidere, & comedere, reumque esse animæcidij, vel etiam homicidij. Quidam enim inter illos putabant omnia animata viuere anima rationali. Hinc nec segetes metere, nec pinsere,

pinsere, nec panes coquere volebant; sed tantùm coctos ab alijs comedebant, idq; non nisi præuia protestatione & excusatione cum timore & formidine. Vnde hæc erat eorum benedictio mensæ & panis, teste Cyrillo Hierosol. catech. 63. *Ego te non seminaui: seminetur seminans te. Ego te non messui: metatur metens te. Ego te igne non coxi: coquatur qui coxit te. Hæc alius fecit, & attulit mihi, ego siue culpa comedo.* Hac oratione vtebantur, partim vt amolirentur à se culpam animæcidij, vel homicidij; partim quia putabant eum qui panem aliter & intrepidè comederet, in panem pariteresse mutandum, & ab alijs vicissim comedendum. Patent hæc ex Epiphan. & Theodor. l. Hæreticar. fabular. Vnde S. August. l. de Hæresib. in hæresi Manichæorum, dicit quosdam eorum, præcipuos scilicet, nec carnibus vesci, nec ouis, nec lacte, sed nec vino, dicētes vinum esse fel principis tenebrarum, additq;e. *Hi quoque,* inquit, *docent auditores suos, vt, si vtantur coniugibus, conceptum tamen generationemq; deuitent, ne diuina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis alligetur in prole; vnde nuptias sine dubitatione condemnant, & quantum in ipsis est prohibent, quando generari prohibent, propter quod cōiugia copulata sunt.* Similia habet lib. 30. contra Faustum c. 5. & 6. vbi docet Apostolum eos hoc loco perstringere & dānare, non autem Catholicos, qui studio virtutis nuptijs aut carnibus abstinent. *Ille*, ait August. *prohibet nubere, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit.*

De Seuerianis idem docet Epiphanius hæresi 45. *Hi*, inquit, *docent vitem ex diabolo ortam, & mulierem opus esse Satanæ.* Idem docuisse Archonticos narrat hæresi 40. *Ideoq;*, inquit, *eos qui matrimonium contrahunt, opus Satanæ explere dicunt Archontici. adduntq; dimidiam hominis partem esse Dei, dimidiam diaboli: nam ab vmbilico, & suprà dicunt esse formationem Dei; ab vmbilico verò, & infrà esse malæ partis formationem. Quapropter dicunt omnia secundùm voluptatem, & æstrī stimulum ac concupiscentiam ab vmbilico & infrà fieri.*

De Ebione, qui coæuus fuit S. Iohanni Apostolo, narrat idem Epiphan. hæresi 30. eum ab animatis, & à carnibus, omniq; edulio ex carnibus facto abstinuisse; causamq;e rogatus hanc adferebat, quòd caro ex corporum commixtione procreata, ac proinde polluta ac immunda esset. Vnde sequitur eum nuptias, & vsum nuptiarum damnasse. Hinc S. Ignatius epistola ad Philadelphios post factam Ebionis mentionem, *Si quis*, inquit, *corruptionem & coinquinationem vocat legitimam commixtionem, & filiorum procreationem, aut aliquam escam execrabilem putat; huiusmodi habet cohabitatorem draconem apostatam.* En tibi quasi in tabula depictam doctrinam dæmoniorum, quam Paulus hîc taxat.

Nota. Hæ omnes hæreses indirectè mysterium incarnationis, de quo c. præc. v. vlt. euertebant. Si enim caro non est bona, nec à bono Deo, ergo nec caro Christi bona est, & à bono Deo. Rursum; ergo pater Christi non est Deus creator omnium, sed malus genius. & hoc significat hîc tacitè Apostolus, ideoq;e præmisit dogma fundamentale de incarnatione Christi: deinde illi subijcit has hæreses, quasi illi oppositas, quæq;e per hoc dogma fundamentale elidantur.

Ineptè ergo hæc Nouantes torquent contra cælibatum sacerdotum, & ieiunia Ecclesiæ. non enim Ecclesia nuptias aut carnes prohibet, quasi per se

A malas, vti faciebant hæretici iam dicti, quos hîc carpit Apostolus; sed ad refrænandam concupiscentiam, & ad exercendam obedientiam & pœnitentiam: sicut Deus Adamo prohibuit esum pomi scientiæ boni & mali, & Ionadab filius Rechab suis filijs & posteris prohibuit vsum vini, aliaq;e multa: qui obedientes patri benedictionem à Deo meruerunt accipere, Ierem. 35. *Ecclesiasticam & monasticam.*

Ita Iohannes Baptista ab abstinentia laudatur Matth. 3. 4. Ita veterum sanctorum Eremitarum, Monachorum & Christianorum ieiunia laudant passim Patres. Quidā enim eorum animata prorsus non attingebant, alij solos pisces, alij pisces tantùm & volatilia degustabant. Nonnulli ouis abstinebant, alij solis dactylis vel arborum fructibus vescebantur, idq;e semel in die: alij biduo vel triduo semel tantùm cibum sumebant, eumq;e modo B dicum, v. g. quinque dactylos. Quidam siccum panem comedebāt, vt videre est in Vitis SS. Patrum, & apud Prosperum libr. 2. de Vita contempl. c. 17. & seq. & Cassianum collat. 21. de remissione quinquagesimæ.

Notandum hîc sophisma Nouantiū. argumentantur enim à dicto secundùm quid ad dictū simpliciter; hoc modo: Pontifices clericis prohibēt nuptias, ergo prohibēt nuptias; quòd carpit hîc Apostolus, perinde enim est ac si dicā, Magistratus vetat ne fabri murarij, aut ferrarij exerceant lignariā; ergo magistratus vetat exerceri lignariam. Rursum, Status vetant ne Ministri Euangelij exerceant sutoriam, vel latrinariam; ergo vetant sutoriam vel latrinariam. Quòd si ad Ministrorum decus nolint Status eos vilibus hisce mechanicis artibus vacare, num ideò mechanicas istas prohibent, aut ab C alijs exerci vetant? Si Imperator nolit ad militiam admitti Clericos, Doctores, Medicos, Theologos, Iurisperitos; num ideò prohibet clericatum, Medicinam, Theologiā, Iurisprudentiam? Apostolus c. 5. 12. damnat viduarum, quæ post votum continentiæ nubunt, coniugium; Quia, inquit, primam fidem irritam fecerunt; num ideò damnat coniugium? *Sophisma Nouantiū detegitur.*

Vnde meritò refellunt hos Nouantes Patres citati, ac imprimis disertè S. August. libr. 30. contra Faustum c. 6. *Videtis ergo*, inquit, *multum interesse inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo, & prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui solùs propriè nuptialis est, vehementiùs accusando; multum interesse inter abstinentes à cibis propter sacratam significationem, vel propter corporis castigationem: & abstinentes à cibis quos Deus creauit, dicendo quòd eos Deus non creauit. Proinde illa doctrina est Prophetarum & Apostolorum: hæc dæmoniorum mendaciloquorum.* *Refellitur à S. August.*

QVOS DEVS CREAVIT AD PERCIPIENDVM CVM GRATIARVM ACTIONE FIDELIBVS, ET IIS QVI COGNOVERVNT VERITATEM]q.d. Deus qui omnes cibos creauit, viditq;e cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, Gen. 1. hic cibos creauit ad vsum & esum hominum, non voracem, delicioſum, gulosum, sed sobrium & moderatum, vt illis vescentes Deo ciborum auctori & largitori gratias agant. Hoc ipso quo ait Apostolus, *quos*, scilicet cibos, *Deus creauit*, ingulat, inquit Chrysost. hæresim eorum, qui materiam ingenitam introducunt, ex qua cibi & corpora creata sint, quod faciunt Marcion, Manichæi, & similes, qui duos ponunt deos, bonum & malum.

Quomodo cibi creati sint fidelium. Responsio Prima.

Nota. Dicit Apostolus cibos creatos ad vsum fidelium, non quòd neget eos ad vsum infidelium & Ethnicorum quoque creatos esse; sed vt fideles, id est Christianos, opponat Iudæis; veritatem legis nouæ, vmbræ veteris legis. q.d. Nullus est cibus ob immunditiam siue naturalem, siue legalem interdictus Christianis, vti olim Iudæis multi erant interdicti: nam Christiani pro vmbra veteri habent veritatem Euangelij, quæ docet omnes cibos esse mundos, & datos homini ad esum & vsum cum gratiarum actione. ita Theophyl.

Secunda.

Secundò, potiùs opponit fideles hæreticis, quos hic taxat. q.d. Hæretici iam dicti abstinent, & vetant cibos quosdam quasi natura sua malos & immundos: verùm fideles, qui cognouerunt veritatem, sciunt eos falli, Deumque bonum omnia bona creasse, adeoque bonos cibos omnes sibi ad vsum à Deo datos esse.

Tertia.

Adde, omnia creata esse propter fideles & electos: hic enim potissimus fuit creatoris Dei finis in creatione, vt scilicet creata à se seruirent suis fidelibus & amicis, vtque ex eis agnoscerent & laudarent Deum creatorem suum.

Carnes creatæ sunt non pro gulonibus, sed pro sanctis.

Vinum ergo, carnes, aues, pisces, & alimenta omnia non creata sunt vt impleant vētres gulonum & improborum: sed vt fideles & sanctos pascant. Hi enim cibis, & delicijs omnibus digni sunt, hiq; ijs sobriè & ritè vtuntur ad laudem & gratiarum actionem Dei creatoris sui. Porro gratiarum actionem non tantùm postponendam, sed & præponendam esse cibo & refectioni, docet S. Basilius reg. 56. c. 2. & Chrysost. hom. 50. in Matth. *Quando*, inquit, *Christus panes multiplicauit, tunc in cælum respexit, partim vt ea quæ diximus firma haberentur, partim docens nos non esse ad mensam accedendum quousque gratias ei agamus qui cibum nobis præbuit.* Et S. Hilarius exponens illa verba S. Marci 14. 23. *Manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens fregit*, &c. *& accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt. Sicut*, inquit, *Apostoli gratias egerunt antequam biberent, ita etiam gratias agunt postquam biberunt. Vnde dicitur, Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti; vt scilicet addiscas & ante cibum & post cibū gratiarum actiones reddere Deo.* Et S. Ephrem adhortatione 1. to. 2. *Canonem*, inquit, *seu regulam cum omni reuerentia & timore Dei sequere: licetq; bis in die ad cōedendum tradatur, semper cibum cum gratiarum actione sumito.* Formulam verò gratiarū actionis, quam vsurpabant post cænam monachi in eremo, nobis imitandam tradit Chrysost. hom. 56. in Matt. estq; hæc: *Benedictus Deus, qui me pascis à iuuentute mea, qui carni omni cibum præbes, reples lætitia & gaudio corda nostra, vt semper satis habentes ad omne opus bonū, abundemus in Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium cum sancto Spiritu in sæcula. Amen. Gloria tibi Domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas, gaudio & lætitia reple nos in Spiritu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, ne pudefiamus, quando vnicuique reddes secundùm opera sua.*

Formula gratiarum actionis veterum.

VERS. 4. QVIA OMNIS CREATVRA DEI BONA EST, ET NIHIL REIICIENDVM, QVOD CVM GRATIARVM ACTIONE PERCIPITVR] Hic clarè radicem erroris, erroremque ipsum detegit Apostolus, scilicet errones istos prohibuisse nuptias, & carnes quasi creaturas malas mali Dei, ac proinde natura suam mundas, quæque comedentem immunditia sua contaminarent. Contra hos enim contrarium fidei & veritatis fundamentū statuit Apostolus, dicens omnem creaturam bonā esse, vtpote à bono Deo creatam, ac consequenter nullam reijciendā esse, quasi natura sua malam & immundam, sed qualibet quasi munda & bona vti licere cum gratiarum actione. Iam Ecclesia indicens ieiunium, & abstinentiam à carnibus, non eas vetat quasi natura sua malas; ac proinde cum his erronibus, quos carpit hic Paulus, nihil habet affine: si enim medicus vetans carnem porcinam, ceruinam, bouinam, aut quamuis salsam, vel infumatam ægroto, quasi noxiam eius valetudini, non contrait Apostolo, nec cum erronibus his quidquam habet commune; ergo nec Ecclesia vetans carnes certis diebus ad sanitatem animæ, atque ad refrænationem luxuriæ & concupiscentiæ, contrait Apostolo, aut erroribus hisce consentit. Audi S. Augustin. libr. 30. contra Faustum cap. 3. *Crede*, ait, *Dei seruos, quia carnibus abstinent, non tamquam immunda, quæ à Deo facta sunt, respuere; sed à fortiori cibo & potu sola castigatione corporis abstinere.*

Si medicus vetat carnes causa sanitatis, cur non id possit Ecclesia causa sanctitatis?

Porrò cum ait: *Nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; alludit ad benedictiones crebrò & ad noua fercula iteratas Hebræorū, quibus Deo pro ijs gratias agunt, eaque quasi sanctificant. Cùm enim melius vinum apponitur, dicunt: *Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui bonus es, & benignè facis omnibus.* Et hanc benedictionem vocāt, *Benedictio benigni & benefactoris.* Cùm aromata apponuntur, dicunt: *Benedictus sis Domine Deus noster rex mundi, creator arborum aromaticarum.* Hanc benedictionem appellant *Bircat hamimugmar*, id est benedictio consuminati, scilicet conuiuij; quia vltimò apponi solebant aromata aliaq; odoramenta, vt & apud nos etiam mos est. Cùm suaue odoramentum aliquod apponitur, dicunt: *Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui creas species aromaticas.* Hanc benedictionem nuncupant *Bircat hamuscak*, id est, benedictio deliciarum, vel rei appetitę. Cùm fructus arborum apponuntur, dicunt: *Benedictus sis Domine Deus noster, qui creas fructus arborum.* Cùm apponuntur opsonia, dicunt: *Benedictus sis Domine Deus noster, qui creas genera ciborum.* Hanc benedictionem vocant *Bircat hapharpharat*, id est benedictio opsonij. Ex his omnibus apparet, veteres illos Iudæos, nullos cibos absque benedictione & gratiarum actione sumere fuisse solitos. Si Hebræi toties iterant benedictiones ad Dei laudem, quid decet facere Christianos? Sanè eos ex vsu Hebræorum id olim factitasse, insinuat hîc Apostolus: primi enim Christiani fuere Hebræi.

VERS. 5. SANCTIFICATVR ENIM PER VERBVM DEI, ET ORATIONEM] Est concessio. q.d. Dixi iam cibum quemuis non esse immundum, ac proinde eo vesci licere; sed esto, sit aliqua ratione, putà quia lege veteri vetitus, aut quia diabolo immolatus, vel ab illo afflatus aut vitiatus est, sit, inquā, hac aliáve ratione immundus: sanctificatur tamē, id est, mundatur & purificatur per verbum Dei, & orationem, id est per benedictionem, quæ fit per verbum Dei, & orationem. ita ex Chrysostomo Theoph. *Demus*, inquit, *quòd quidpiā sit immundū; sed habes medicinam; signa, gratias age, glorifica Deum; ac defecit immunditia. Nam gratiarum actio cuncta purgat. Qui verò ingratus est, ipse est immundus & pollutus. proinde quod idolis est immolatum, sic mundare possumus, si ignoremus idolothyton esse. Enimuerò si scientes sumpserimus, immundi sumus, non quia illud idolothyton sit; sed quia legem*

Alcibiades vidit ieti creatiuo. Euseb. l. 5. Hist. Eccl. c. 3. f. 744. Augustine cum alere vino, carne vsq. ad. Hist. l. 1. c. 20. f. tum.

legem transgressi sumus præcipientem non communicandum esse mensæ dæmoniorum. Voluntas itaque tua, & mens coinquinata est, nec cibus fuit pollutus. Vbi Aduerte. Sicut, docente S. Chrysost. & Theoph. idolothytorum esus polluit hominem, non per immunditiam carnium, sed per inobedientiam: ita esus carnium in Quadragesima polluit hominem non per carnes, quasi illæ immundæ essent, sed per inobedientiam.

Nota Primò, *Sanctificatur* hîc idem est quod purificatur; vel Secundò, *sanctificatur*, id est, Deo per gratiarum actionem & benedictionem quasi offertur & consecratur.

Alludit ad benedictionem mensæ Hebræorum, quam ipsi *kidduſch*, id est sanctificationem, scilicet ciborum, vocabant, & etiamnum vocant: cuius formula hæc est: *Benedictus sit Dominus Deus noster rex mundi, qui cibat totum mundum bonitate, gratia, beneficentia & misericordia sua, qui dat alimentū omni carni: cuius bonitate nec hactenus defuit, nec deerit cibus vnquam, propter magnum eius nomen. Solus enim is est, qui vegetat & conseruat omnia, & benefacit omnibus, & cibū præparat singulis creaturis suis quas condidit. Benedictus sis tu Domine, qui cibas omnia.* Deinceps paterfamilias poculū vino repletū dextra manu apprehendit, atq; in hunc modū consecrat, dicens: *Baruk atta Iehoua Elohenu melek haolā, bore peri haggephan*: id est, *Benedictus sis tu Domine Deus noster rex mundi, cōditor fructus vitiū.* Hac benedictionis formula dicta, primus omnium vinum ipse deguſtat, idemque mox omnibus mensæ accūbentibus deguſtandum porrigit. Et hanc orationem hebraicè *kidduſch*, id est sanctificationem, vocare solent. Post calicis benedictionem & sumptionem idem statim panem, quem integra massa constare oportet, accipit, eumque vtraque manu tenendo his verbis consecrat: *Laudatus & benedictus sis tu Domine Deus noster, qui educis de terra panem.* Hocque dicto paterfamilias paululum de pane edit, simulq; singulis mensæ accumbentibus buccellam de eo distribuit: quo facto tum demum reliquis epulis manus injciunt. Hunc ritum benedicendi calicem & panē, in festiuis tantùm diebus obseruant: alias enim panem dumtaxat, & non poculum pariter, consecrare solent.

Nota Secundò, posse distingui hîc verbum Dei ab oratione, vt oratio idem sit quod benedictio mensæ; Verbum Dei sit vel Christus Filius Dei, qui in mensæ benedictione solet inuocari, vt vult S. Thomas; vel potiùs sit lectio sacræ Scripturæ, quæ, vt mox dicam, ex veterum more mensis adhiberi solet.

Verùm Secundò meliùs, per hendyadim, vel epexegesim, hæc duo pro eodem accipiemus. q d. Per verbum Dei, & orationem, id est, per verbum Dei, quod est oratio. Imò Oecum. dicit τὸ *Dei* præpostero ordine hîc poni, & debere sequi orationem, q.d. Per verbum & orationem Dei, id est, quæ fit ad Deum.

Vbi Nota Tertiò, benedictionem mensæ tribus hîc nominibus vocari. Primò, v. præc. vocatur *gratiarum actio*; quia veteres, & ipse Christus à gratiarum actione solet benedictionem mensæ auspicari, vt patet in multiplicatione panum, & institutione mensæ Eucharisticæ. Atque hinc est quòd Matthæus & Marcus dicunt Christum benedixisse panem (Eucharistiæ) Lucas verò & Paulus dicunt Christum gratias egisse; cùm tamen omnes idem dicant; scilicet significare volunt Christum gratias agendo Patri benedixisse panem, & solitam Patris potentiā ac beneuolentiam inuocasse, vt per consecrationem panem in Christi corpus conuerteret.

Secundò, benedictio mensæ vocatur *verbū Dei*, quia fit per inuocationem Christi aut Sanctissimæ Trinitatis, quam nos inuocare docet verbum Dei. *Secundò, eadem vocatur verbum Dei.*

Rursum communiter apud Ecclesiasticos fit per verbum Dei, id est, per versus aliquot ex S. Scriptura, præsertim è psalmis, petitos, putà hos: *Oculi omnium in te sperant Domine: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, &c. aut similes.

Tertiò, eadem benedictio vocatur *oratio*, quia proprie est oratio, & inuocatio. *Tertiò, eadem vocatur oratio.*

Pro quo Nota Quartò. Hac benedictione, & inuocatione Dei, quam mensæ præmittimus, ostendimus & profitemur Primò, nos à Deo cibos ferculaque omnia accepisse, accipere, & deinceps nos accepturos sperare; taciteque Deo pro ijs gratias agimus. quoties enim nos ad mensam accingimus, toties ad viuam beneficentiæ Dei, tot esculenta & poculenta largientis concionem accedimus; debemusque cogitare hoc esse quasi manna nostrum, quod è cælo nobis æquè ac Hebræis in deserto, quotidie in mensam depluit. *Mensa*, inquit Chrysost. hom. 79. ad populum, *ab oratione sumens initium, & in oratione desinens numquam deficiet, sed fonte largiùs omnia nobis afferet bona.* *Cur mensæ benedicimus? Causa prima.* *Mensa est viua beneficentiæ Dei concio.*

Secundò, hac oratione ostendimus nos ad Dei honorem velle ijs vesci, taciteq; ea Deo offerimus. Vnde & Gentiles, vt testis est Plutarchus in Symposiacis, cibum sumpturi dijs consecrabant τὰς ἀπαρχάς, id est primitias; ac deinde non indecorè, neque tumultuanter, sed religione quadam ad conuiuium accedebant, non aliter quàm ad sacrum epulum. qui mos & hodie seruatur apud bene moratos Christianos. *Secunda.*

Tertiò, oramus & petimus vt id fiat, ne instar pecorum aut infidelium in cibos irruamus sine vlla pia cogitatione, aut Dei memoria. Vnde etiā Turcas antequam cibum sumant, precationem solitos præmittere testes sunt legati Christianorum Principum apud Turcam. *Tertia.* *Turcæ & Iudæi ante cibum precantur.*

Et de Essenis, non Christianis, sed Iudæis ita scribit Ioseph. l. 2. Belli c. 7. *Voce*, inquit, *sacerdos cibum anteuertit, neque fas est gustare quemquā, nisi prius Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandij vota repetunt: nam & cùm incipiunt, & cùm desinunt, quasi datorem victus Deum laudibus canunt.*

Quartò, hac benedictione petimus, vt vsus cibi, & corporis & animæ valetudini sit vtilis & salutaris; vt, sicut dicitur psal. 104. *Vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet: nam aperiente te (Domine) manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* *Quarta.*

Quintò, hac benedictione petimus, vt inter vescendum mens aliqua pia cogitatione, vel lectione pascatur, hac præsertim, vt cogitemus in ipso cibi corporalis vsu, edendum esse non tantùm vt saturemur, sed vt operemur etiā cibum, qui non pereat, sed permaneat in vitam æternā, Iohan. 6. &, vt dicitur Lucæ 14. vt cogitemus etiam de edendo pane in regno cælorum. Hinc pia lectio S. Scripturæ mensæ iam olim adhibita est tum ab alijs, tum ab Essenis, teste Philone l. de Vita contemplatiua; eamdemque adhibendam esse docet S. August. epist. 109. & S. Basil. in Regulis breuior. c. 130. imò talem lectionem hîc ab Apostolo significari per *verbum Dei* putat Vatablus, & alij. *Quinta.*

Sextò, eadem petimus, ne cibus diaboli aut magica *Sexta.*

gica potestate inficiatur; néve diabolus aut concupiscentia per cibū nos in comessationes, ebrietates, libidines incitet: facilè enim in comedendo & bibendo surrepit intemperantia. & multi cum illo Epulone Lucæ 16. toti sunt in delicijs. Itaque rectè monet S. August. l. 10. Confess. c. 31. *Hoc*, inquit, *doceris me Domine, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* & infrà: *Quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum: ego autem non sum, quia peccator homo sum.*

Alimenta vt medicamenta sumpsit S. August.

Hinc Prudentius in hymno ante cibum, piam & pulchram hanc precandi formulam quasi benedictionem præscribit:

Benedictio mensæ ex Prudentio.

Te sine dulce nihil Domine;
Nec iuuat ore quid appetere,
Pocula ni priùs atque cibos,
Christe, tuus fauor imbuerit,
Omnia sanctificante fide. & infrà:
Fercula nostra Deum sapiant,
Christus & influat in patinas,
Seria, ludrica, verba, iocos,
Denique quod sumus atque agimus,
Trina superna regat pietas. & sub finem:
Da locuples Deus hoc famulis
Ritè precantibus, vt tenui
Membra cibo recreata leuent,
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tanta grauet stomachus,
Sospitet vt iecur incolume.

Potestas dæmonis in cibos ante Christum.

Nam quantum potestatis vsurparit sibi dæmon in cibos ante Christū, vt per eos noceret hominibus, docet S. August. l. 18. de Ciuit. Dei c. 17. & 18. & S. Gregor. l. 1. Dialog. 4. narrat dæmonem inuasisse Monialem, quòd lactucam sumpsisset non præmissa benedictione. Vnde Chrysost. contra hæc diaboli veneficia remedium præscribens signum crucis, & benedictionem, *Medicamentum*, inquit, *in promptu est, signum crucis illi* (cibo, aut rei qua vti vis) *imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit.*

Iam frangitur signo crucis,

& benedictione.

Hinc à sanctis Patribus, & Eremitis olim, æquè vt ab Ecclesia etiānum fit, benedicebantur non tātùm aquæ fontis baptismalis, sed etiam panes, mel, lac, vinum, aliaq; statis diebus, vt diaboli vis ac potestas ex ijs expelleretur, & per has consecrationes fieret sanitas mētis & corporis ijs qui illis vterētur.

Varia variarū frugum & ciborū consecrationes.

Sic in die paschatis multis in locis consecrant lac, mel, carnes, ouа, panes, pernas, &c. in die S. Iohannis benedicunt vino; in die S. Stephani, pascuis; in die S. Marci, segetibus; in die Assumptionis B. Virginis herbis, plantis, radicibus, fructibus arborum, vt eis deinceps adsit singularis vis diuina. Nam, vt ait Apostolus hîc, *Sanctificatur* (creatura Dei) *per verbum Dei, & orationem.*

VERS. 6. HÆC (omnia iam dicta) PROPONENS FRATRIBVS (Christianis) BONVS ERIS MINISTER CHRISTI IESV, ENVTRITVS VERBIS FIDEI, ET BONÆ DOCTRINÆ, QVAM ASSECVTVS ES] Nota. Pro *enutritus* græcè est ἐντρεφόμενος, id est innutritus, & quasi in ipso sinu pietatis educatus es. ita ex Chrysostomo Theoph. *Perinde enim*, inquit, *vt corporis alimentum semper sumimus: sic fidei rationibus, & sermonibus semper nos oportet innutriri immorariq;* Posset Secundò, ἐντρεφόμενος verti, enutriens alios: est enim participium medium; & hoc aptè cohæret ei quod sequitur, *Quam assecutus es.* q.d. Trade alijs, quod à me didicisti.

A Nota Secundò. Pro *quam assecutus es*, græcè est ἣ παρηκολούθησας, id est, quam es assectatus, in qua ab adolescentia es versatus. q.d. vt Chrysost. & Theophyl. Assiduè in diuinarum litterarum studio es versatus & exercitatus, ô Timothee. Qui enim seriem omnem rei totius ordine sequuntur vt nihil omittant, græcè παρηκολουθηκέναι dicuntur, inquit Erasmus.

VERS. 7. INEPTAS (βεβήλους, id est profanas) AVTEM ET ANILES FABVLAS DEVITA] Græcè παραιτοῦ, id est reijce. Chrysostomus intelligit fabulas Iudaicas, alij poëticas, & Platonicas (Poëtæ enim & Philosophi celebres erant Ephesi.) Verùm licet in genere omnes has fabulas intelligat Apostolus, magis tamen respicit ad fabulas hæreticorum, præsertim Simoniānorum, qui contexebant longissimas fabulas de rerum creatione, de pugnis angelorum, de coniu-
B gijs deorum, de Deo bono & malo, de creaturis, ac cibis bonis & malis (de his enim paulò antè egit) vt videre est apud Epiphanium, Irenæum, & Augustinum lib. de Hæres.

Gnomē de ineptis quæstionibus.

Refert Laërtius, quòd, cùm Plato de ideis suis specificis & genericis differeret, atq; in ore haberet mensēitates & cyathitates; Diogenes irridens subtiles eius nugas dixerit: Mensam ac cyathū video, mensēitatem & cyathitatē non video; ego bibam cyathum, tu bibe cyathitatem. quem eludens Plato, Non mirum, inquit: nā oculos habes quibus cernuntur mensæ & cyathi, mentem verò non habes, qua cernūtur mensēitates & cyathitates. Gorgias quoque Sophista cùm duos audiret indoctos Philosophos, vnū ridicula proponentem, alterum aliena & insulsa respondentem: Vter, inquit, stultior est, qui mulget hircum, an qui cribrum suppo-
C nit? Demonax item curiosè quærentibus, an mundus esset anima & ratione præditus, & an esset rotundus? Vos, inquit, plus æquo de mundo soliciti, parum de vestra ipsorum mundicie cogitatis.

EXERCE AVTEM TE IPSVM AD PIETATEM] id est, circa pietatem, vel in pietate. Vide can. 25. Pro *exerce*, græcè est γύμναζε, id est, exerce te athleticè, tamquam athleta vel pugil Christi, in arena, aut stadio pietatis, vt eius brauium assequaris.

Nota τὸ *exerce*: pietas enim, omnisque virtus & ars magis exercitio assiduo, quàm multa speculatione addiscitur, acquiritur & perficitur. Hinc Apelles, inquit Plinius l. 35. c. 10. pro more habuit, vt numquam tam occupatam diem ageret, quin lineam duceret, & pingeret. Vnde illud:

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit.

Pietas quadrupliciter accipi potest.

D Quæritur, quid hîc significet *pietas*. Primò, Chrysost. intelligit vitam rectam & mores Christianos. *Pietas*, inquit, *rectissima vita norma est, & conuersationis optimæ disciplina.* *Primò.*

Secundò.

Secundò, Ambros. intelligit misericordiam & beneficentiam in proximum. Hæc enim græcè δικαιοσύνη, & latinè pietas subinde dicitur; eò quòd Deus opera misericordiæ præcipiat, testeturque ea sibi præ sacrificijs placere, ac se ijs apprimè coli. ita S. August. l. 10. de Ciuit. c. 1.

Tertiò.

Tertiò, Nilus, Maximus, Philotheus intelligunt ἀπάθειαν, & Dei cōtemplationem, vt mox dicam.

Quartò & optimè.

Quartò, optimè & proprijssimè, *pietas* Deū respicit, estque Dei cultus, & sincerus erga eum affectus, ac studium internæ deuotionis, excitans ad spem, timorem & amorem Dei. Vnde LXX. timorem Domini solent vertere pietatē, vt Iob 28. 28. vbi Hebræa & Latina habent, *Timor Domini ipsa est*

est sapientia; LXX. vertunt θεοσέβεια, id est, pietas est sapientia. Sic Prouer. 9. 10. pro eo quod habemus, *Principium sapientiæ timor Domini*; Septuag. vertũt, initium sapientiæ est θεοσέβεια, id est, pietas in Deũ. Sic sæpè in Scriptura timere Deũ significat Deum colere, & timor Dei significat Dei cultum, siue pietatem. Sic propriè sumit *pietatem* Paulus c. 6. 6. *Est*, inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientia.* & v. 11. pietatem à charitate, & alijs virtutibus distinguit; *Sectare*, inquit, *iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.* Sic etiam hîc accipi patet ex ratione quam subdit: *In hoc enim*, inquit, *laboramus & benedicimur, quia speramus in Deum viuum.* q. d. Quia per spem & orationem exercemus nos in pietate, & cultu Dei veri, ideò maledicimur.

Vbi Nota. Pietatem hanc opponit ineptis fabulis; hanc autem oppositionem significat coniunctio aduersatiua, *autem*. q. d. Homines vani & curiosi exercent se in fabulis legendis, audiendis, narrandis: tu verò, ô Timothee, exerce te in pietate, id est, in rebus diuinis legendis, cogitandis, meditandis, vt earum amorem, affectum & deuotionem in te excites, quam in alios deinde effundere possis. non ergo in nugis hisce, quæ mentem distrahunt, & vanis phantasmatibus implent; sed in pietate te exerce. Hæc enim pietas est fundamentum omnis virtutis, ac præsertim zeli animarum.

NAM CORPORALIS EXERCITATIO AD MODICVM VTILIS EST, &c.] Quæres, quæ vocetur hîc *corporalis exercitatio*? Respondeo, multi intelligunt ieiunium. q. d. Ieiunium & castigatio corporis parui est momenti, si cum pietate, id est, Dei cultu & compassione erga proximum eam compares. ita Ambros. Anselm. S. Thom. & Bernard. in Apologia ad Guilielmum Abbatem.

Verùm hoc refellit Chrysost. Theophyl. & alij, tum quia de ieiunio nihil hîc præcessit, &, si de eo loqueretur Apostolus, clarè diceret, Ieiunium ad modicum vtile est: tum quia ieiuniũ, inquit Chrysost. non corporalis, sed spiritalis est exercitatio, habetque æque vt pietas promissionem non tantùm huius vitæ, sed & futuræ. Nam, vt rectè ex S. Basilio Ambros. l. de Elia & ieiunio c. 3. *Quid est ieiunium, nisi substantia & imago cælestis? ieiunium refectio animæ, cibus mentis est, ieiunium vita est angelorũ, ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum citiùs gradu peruenitur.* Et, vt S. Ephrẽ agens de ieiunio c. 9. ait, *Ieiunij est vehiculum ad cælum. Ieiunium Prophetas suscitat, legislatores sapientiam docet. Ieiunium bona animæ custodia, & securus corporis cohabitator. Ieiunium strenuis militibus telum, athletisq; exercitium. Ieiunium tentationes retundit, ad pietatem inungit. Ieiunium ignis virtutem extinxit, ora leonum obturauit, orationes in cælum dirigit. Ieiunij mater est sanctitatis, iuuentutis disciplina, ornamentum senibus.*

Hinc Secundò, melius posset hæc corporalis exercitatio referri ad ineptas fabulas, de quibus immediatè præcessit. q. d. Non corpus aut linguam exerce aut tere in narrandis fabulis. hoc enim mulierum est & fabulonum, sed mentem tuam exerce pietate & deuotionis studio: hanc enim antithesin videtur significare vox *autem*, quæ præcessit v. præcedenti, vt ibi dixi.

Tertiò & planissimè, *corporalis exercitatio* dicitur græcè σωματικὴ γυμναστία, id est, gymnastica lucta & exercitatio athletarum, qua suum corpus cursu, lucta, saltu, pugna, alijsque modis exercent:

A ludit enim Apostolus in Græco verbo γύμναζε, eiusque vim & energiam vrget. q. d. Dixi γύμναζε, id est, gymnasticam exerce, sed in arena pietatis; nam gymnastica corporalis, lucta scilicet & corporalis exercitatio athletarum, ad modicum vtilis est, scilicet ad sanitatem, vel ad brauium, & præmium tẽporale tantũ. Pietas verò, id est Dei cultus, perutilis est ad procurandã animæ sanitatem, & ad promerendum brauium vitæ æternæ, adque alios docendos, & ad fidem ac salutem deducendos, vt sequitur; adeoq; pietas hæc ad omnia vtilis est, quia, vt dixi, est omnium virtutum fundamentum, fons & parens. Hinc S. Augustinus epist. 52. pietatem definiens: *Pietas*, inquit, *est verax veri Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi ducuntur officia.* & Eusebius l. 8. de Præpar. Euang. c. 2. omnes virtutes affirmat esse quasi partes pietatis. Vnde & Theodosius Imper. Christiani hominis felicitatem in pietate ponebat, B qui moriens, ait Niceph. l. 13. c. 1. nil tam impensè commendauit filijs suis Arcadio & Honorio, quàm vt veram pietatem conseruarẽt, per quam pax & omnia bona florerent.

exercitatio athletarũ.

Theodosius moriens filijs commẽdauit pietatẽ, quasi boni omnis fontem.

Solet enim Apostolus scribens ad Græcos sæpè alludere ad eorum palæstras & certamina, ijsque comparare palæstras & certamina Christianæ pietatis. Sic 1. Cor. 9. v. 24. & 25. *Nescitis*, inquit, *quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quid hoc est aliud, quàm quòd hîc ait, licet alijs verbis? *corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.*

C Nota obiter. Corporis exercitatio præsertim ante cibum valdè confert ad valetudinem, vti docent medici & experientia. Hinc Socrates ante cœnam contẽtiùs ambulabat: rogatus cur? dixit, *se quo meliùs cœnaret ambulando obsonare famem.* Ita Cyrus non cœnabat, nisi antè exercendo corpus sudasset, teste Xenophonte. Ita in epistolis Indicis legimus regulos ibi aliquos quotidie ante cibum corpus validè & diu exercere solitos, ad longã & vegetam senectã peruenisse, ita vt, cùm essent septuagenarij, vix viderentur esse quadragenarij. Ptolemæo regi Ægyptum peragranti, cùm cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. *Optimum enim condimentum est fames:* hæc autem labore paratur. Ita Cicero 5. Tuscul. *Rusticus*, inquit S. Bernardus ad Fratres, *duros habet neruos, lacertos fortes: exercitatio hoc facit, siue cum corpore inoleuit: voluntas facit vsum, vsus exercitium, exercitium vires subministrat.* E contrario Cassianus l. 9. *Sine exercitatione*, ait, *dum studia consueta non frequẽtantur, brachia in corporibus, ingenia pigrescunt in artibus.* Aristot. lib. 5. Metaphys. *Exercitium*, inquit, *est causa sanitatis, & è conuerso.* Gellius l. 11. *Vita humana*, inquit, *propriè vti ferrum est. Ferrum si exerceas, conteritur: si non exerceas, tamen rubigo interficit. Sic & homines exercendo conteruntur: si nihil exerceas, inertia & torpedo plus detrimenti affert quàm exercitatio.* Plato solebat admonere, *Vt neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore, vt pariter vtriusque curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium.* ita Laërtius l. 3. Apud Lacones in pretio erat ius, quod illi nigrum vocant: quare Dionysius Siciliæ tyrannus cocum emit Laconicũ, eique iussit vt hoc sibi appararet. Fecit ille: quod

D

vbi

vbi rex gustasset, quasi ingratũ expuit. Tum cocus: *Hoc ius, ait, ô rex sumendum est, postquam te Laconum more exercueris.* ita Plutarch. in Laconic. Si tanta præstat exercitatio corporalis corpori, quanta præstabit exercitatio spiritualis animę & spiritui? Vide dicta Leuit. 22. 28.

Quartò, S. Nilus per corporalem exercitationem intelligit refrenationẽ passionum, an recte?

Quartò, S. Nilus, Maximus, & Philotheus apud Turrian. l. 5. pro epistolis Pontificum c. 6. sic explicant: corporalis exercitatio, id est refrænatio passionum, parui momenti est præ pietate, id est, præ apathia, & contemplatione Dei, quam inducit apathia. Verùm hic sensus nimis sublimis est, nec literalis, sed accommodatitius est, aut symbolicus. Adde, nisi sanè intelligatur Stoicum quid, aut Origenicum sapit. Plenam enim illam Stoicorum apathiam, quæ nullo metu, ira, cupiditate moueatur vmquam, in hac vita adipisci impossibile est: qui enim sic esset ἀπαθὴς, aut angelus esset, aut saxum, inquit Hieron. ad Ctesiphontem. Patres ergo citati, & veteres Eremitæ, qui in apathia omnem perfectionem ponebant, intelligunt apathiam talem, non quæ omnino passionem aliquam aut motus concupiscentiæ non habeat aut sentiat; sed quæ rarius & frigidius sentiat, facileque eos supprimat & coërceat, ex longa & assidua eorum mortificatione & victoria.

In qua apathia veteres posuerint perfectionẽ.

PROMISSIONEM HABENS VITAE QVAE NVNC EST, ET FVTVRAE] *Vita quæ nunc est*, vt scilicet hîc vitam pacatam, longæuam, & rebus omnibus necessarijs instructam agamus. Promissio ergo hæc, est illa quam proponit Christus Matthæi 6. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Dices, Pij sæpè pauperes sunt & miseri, imò fame & ærumnis moriuntur; ergo pietas non habet promissionem vitæ præsentis pacatæ & beatæ. Respondeo ad antecedens, id subinde accidere; sed tunc Deus hunc defectum vitæ præsentis à se promissæ compensat spiritualibus donis & æternis delicijs: sic enim si tibi promiserim aureum, abunde promissum meum expleo, si pro aureo tibi equum donem. Vide dicta Ephes. 6. 2.

Deus lõgeuitatẽ pijs promissam bonis spiritualibus cõpensat.

Nota hunc locum pro meritis operũ bonorum & piorum: Deus enim non gratis, sed operibus pijs, id est, propter opera pia quasi merita promisit mercedem vitæ non tantùm præsentis, sed & futuræ. Negat id Beza: quia, inquit, vltronea est & gratuita hæc Dei promissio. Sed perperam: licet enim gratuita sit promissio ex parte Dei promittentis, non est tamen gratuita ex parte eius cui promittitur: ab eo enim requirit opus & laborem; vnde non datur ei gratis res promissa, sed pro labore quasi merces. Sicut ergo herus colono vltroneè promittit mercedem laboris, si eum subire velit; & tamen colonus laborando in agro, verè eamdem per laborem meretur: ita & pietati, id est operibus pietatis, promittit hîc Apostolus ex Deo, vitam æternam quasi mercedem. quidquid enim promittitur cum conditione operum, vel propter opera, habet rationem mercedis & meriti.

VERS. 9. FIDELIS SERMO, ET OMNI ACCEPTIONE DIGNVS] *Sermo*, scilicet qui præcessit, putà quod pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est, & futuræ. ita Chrysost. & hoc arguit vox *enim*, quæ sequitur. Quia enim Paulus verbis iam citatis, pijs promittit futuræ vitæ bona quæ nemo vidit; hinc ne quis de ijs dubitet, subdit, hunc sermonem & promissionem esse fidelem, id est certum & indubitatum. Vide dicta cap. 1. 15.

VERS. 10. IN HOC ENIM (scilicet ob pietatem, & vt vitam æternam pijs & pro pietate decertantibus promissam assequamur) LABORAMVS (labores magnos exantlamus) ET MALEDICIMVR (ὀνειδιζόμεθα, id est, contumelijs & probris impetimur) QVIA SPERAMVS (ἠλπίκαμεν, id est, speramus vel spem fiximus) IN DEVM VIVVM, QVI EST SALVATOR OMNIVM HOMINVM, MAXIME FIDELIVM] q.d. inquit Hesselius: Magnum argumentum est pietati repositam esse vitam in futuro, quòd tam constanter tot labores sustinemus, & sustinent omnes Sancti, vt in pietate permaneant. Vnde martyriũ siue testimonium vocatur mors pro pietate obita. Sic 1. Cor. 15. probat Apostolus resurrectionem ex quotidianis periculis, quæ subibat, & ex pugna quam Ephesi habuerat; quæ nihil ei profuisset, si more pecudum homo interiret. Sic dicit Martyr Iustinus l. 4 Eccles. hist. c. 8. *Nam & ego ipse sectis Platonicis institutus, audiens infamari Christianos, & videns eos impauidos ad suscipiendam mortem, atque omne supplicium tolerandum, considerabam quòd impossibile esset in malitia eos & in libidine conuersari.*

Etymon martyrij.

S. Iustinus conuersus per constantiam Martyrum.

Nota, Deum dici *saluatorem omnium hominum*, id est, seruatorem & conseruatorem corporis & animæ cuiusque in vita præsenti, sed *maximè fidelium*; quia eos non tantùm in præsenti, sed etiam in futura vita seruabit & saluabit. ita Chrysost. & Ambrosius.

Deus saluator omnium maximè fidelium.

Secundò & planiùs, Deus est saluator omnium hominum, quantum est ex parte sua, quia omnibus Christum saluatorem, & media quibus saluari possint, exhibuit: maximè tamen est saluator fidelium, quia hisce fidem, spem, gratiam, maxima & proxima salutis adiumenta actu contulit, hosque præalijs curat & amat. Constat enim Deum magis diligere, curæ & cordi habere fideles, iustos & amicos suos, quàm infideles, impios & inimicos. ita Theoph. & Anselm.

VERS. 11. NEMO ADOLESCENTIAM TVAM CONTEMNAT] Pro *adolescentiam* græcè est, νεότητα, id est iuuẽtutem: non enim propriè adolescens erat Timotheus vigintitrium annorum, vt vult Hugo Cardinalis, sed iuuenis, qui necdum statam ætatem & perfectam Episcopo dignam attigerat. Fortè ergo triginta annorum erat aut circiter: hucusque enim & vlteriùs se porrigit iuuentus.

Triplex locus iuuenis sed fuit.

Putant aliqui hoc præceptum non ad Timotheum, sed ad Ephesios eius subditos dirigi, quasi eis iubeat Apostolus, ne Episcopum suum Timotheum, vtpote iuuenem, contemnant.

Secundò & meliùs, alij hoc putant dirigi ad Timotheum, q.d. O Timothee, esto sis iuuenis, tuere tamen auctoritatem tuam, & imperio vtere, vbi res & animarum salus id exigit. ita Chrysost.

Tertiò & optimè, idẽ Chrysost. & Ambros. q.d. Esto sis iuuenis ita tamen sanctè & grauiter te gere, vt non contemnaris, quasi imprudens & leuis iuuenis, sed potiùs vt omnes te quasi patrem amãtissimum, & senili prudentia ac maturitate præditum reuereantur. Nam, vt S. Augustin. l. 4 de Doctr. Christiana cap. 27. ait, *Habet vt obedienter audiatur quantacumque grauitate dictionis manus pondus vitæ loquentis*: & contrà, *cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur*, inquit S. Gregor. hom. 12. in Euangelia. Hunc sensum exigunt sequentia.

Vbi sui contemptum

Obijcit hîc Chrysost. Vbi modestia & mansuetudo sacerdotis elucebit, si semper in honore sit,

nec

nec vnquam contemnatur ? ac respondet: in his quidem, quæ ad se pertinent, si contemnatur sacerdos siue Episcopus, constantissimè ferre debet: sic enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur. Verùm in his, quæ aliorum salutem tangunt, contemptui omnino non pateat. Id enim non mansuetudinis esset, sed stultitiæ; neque hîc mansuetudine, sed auctoritate opus est, ne Ecclesiæ vtilitas pereat.

A

SED EXEMPLVM (τύπος, id est forma, norma & exemplar vitæ, quod omnes intueantur, vt illud imitentur, illique se conforment tamquam animatæ legi, inquit Chrysost.) ESTO FIDELIVM IN VERBO, id est, in sermone graui, & tali qualis decet Episcopum: IN CONVERSATIONE, (id est, in vita & viuendi consuetudine) IN CHARITATE (Græca addût, ἐν πνεύματι, id est, in spiritu, vt scilicet zelum & amorem Dei te habere ostendas) IN FIDE (id est, in fidei rectitudine & constantia) IN CASTITATE] id est, in vitæ totius puritate.

Moraliter hîc Nota, ingenia hominum non ab antiquitate, sed à probitate esse cēsenda. Hinc Sapient. 4. dicitur: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Sic Ambros. serm. 90. de S. Agnete, inquit: *Computabatur in annis infantia, sed erat senectus mentis immensa.* Sic S. Ignatius epist. ad Magnesianos, *Daniel*, inquit, *sapientissimus duodecim annorum effectus, Spiritu sancto repletus est, & illos seniores canitiem vanam habentes, calumniatores, & aliena pulchritudinis appetitores esse manifestauit. Samuel etiam cùm esset pusillus, nonagenarium Heli sacerdotem per increpationem redarguit, quòd filios suos honorificaret supra Deum. Similiter & Ieremias audit à Domino, Noli dicere, Quia puer ego sum. Salomon duodecimo ætatis anno regnare incipiens meretricum pro parunlis quæstionem dissoluit. Iosias verò octo annorum aras & monumenta subuertere cœpit, lucos excidere, templa deijcere, quæ dæmonibus fuerant consecrata.*

Nota Secundò, Prælatos magis docere, & auctoritatem sibi conciliare debere exemplo sanctæ vitæ, quàm eruditè docendo & concionando. Plus enim, inquit Seneca, homines oculis, quàm auribus credunt. Hinc S. Petrus epist. 1. c. 5. præscribit Pastoribus vt fiant forma gregis; & Christus, *Vos estis*, inquit, *sal terræ, & lux mundi. non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Qua de re præclarè admonet Heliodorum Episcopum Hieron. in epitaphio Nepotiani. *In te*, inquit, *omnium oculi diriguntur, domus tua & conuersatio tua quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid feceris, id sibi omnes faciēdum putant. Caue ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.*

DVM VENIO. ATTENDE LECTIONI, EXHORTATIONI. DOCTRINAE] *Sacra Scriptura* ait Ambros. l. 3. de Fide c. 7. *est liber sacerdotalis*, &, vt inquit S. Dionys. Eccles. hierarch. c. 1. *est substantia sacerdotij nostri.* Hinc infert Chrysost. hom. 2. de prouidētia: Omne vitæ tempus est breue: quòd si vel longissimum esset, consumendum foret in scientia sanctarū Scripturarum. Ita Paulus morti licet proximus, libros tamen (sacros vtique) ad se afferri mandauit, 2. Timoth. 4. 13. In quem locum D. Thomas refert S. Ambrosium (quod & in eius Vita refertur) vsque ad vltimam suam ægritudinem, non cessasse vnquam scribere, commentari, & exponere sacras Literas: adeoque commentationi psalmi 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, immortuum esse. Simile de Ven. Beda narrat auctor vitæ eius.

B

NOLI NEGLIGERE GRATIAM, QVAE IN TE EST, QVAE DATA EST TIBI PER PROPHETIAM, CVM IMPOSITIONE MANVVM PRESBYTERII] Nota. Pro *gratiam*, græcè est χάρισμα, id est donum officium scilicet, & ordinem Episcopi. ita Ambrosius: &, vt Chrysostomus, auctoritatem & munus docendi, de quo iam dixit, *Atēde doctrinæ*: quod in sua ordinatione accipit Episcopus cum gratia huic officio & muneri necessaria. Respicit enim ad charitatem, fidem, castitatem, quæ in Timotheo requisiuit v. 12. Nam Græcum χάρισμα non tantùm gratiam gratis datam, sed etiam gratiam gratum facientem significat, vt patet Roman. 6. 23. *Gratia* (græcè χάρισμα) *Dei vita æterna.* Rom. 5. 15. *Non sicut delictum, ita & donum* (græcè χάρισμα) gratiæ scilicet Christi iustificantis. 1. Corint. 7. 7. *Vnusquisque proprium donum* (græcè χάρισμα, scilicet castitatis) *habet à Deo.* VERS. 14.

Nota Secundò. Hæc gratia data est Timotheo *per prophetiam*, id est reuelationem, qua Deus iussit Timotheum ordinari Episcopum, c. 1. 18. q. d. Effice & conare, vt veras ostendas prophetias de te ordinando factas. *Quomodo gratia data Timotheo per prophetiam?*

S. Hieron. verò ad Euagrium, prophetiam hîc propriè accipit pro prædictione futurorum, aut potiùs pro interpretatione Scripturarum. Hanc enim in sua ordinatione maiorem & clariorem, quàm antea accepisse Timotheum innuit hîc Apostolus.

C

Verùm gratia iam dicta, scilicet auctoritas docendi, aut munus Episcopi, non fuit datum Timotheo per talem prophetiam; sed potiùs hæc prophetia data est propter gratiam, & talentum episcopatus, vt eo ritè perfungi posset. Rursum Vatablus sic explicat: Noli negligere gratiam, quæ tibi data est *per*, id est ad, prophetiam, id est doctrinam, scilicet vt prophetes, id est, doceas populum: sed & hoc coactum videtur. Grecum enim διὰ non *ad*, sed *per* significat. Primus ergo sensus est genuinus.

Aliqui viri docti per *prophetiam* intelligunt orationem sacram, siue verba mystica, putà ipsam formam Ordinationis, quasi Apostolus hîc designet ipsam formam Sacramenti Ordinis, & mox eiusdem materiam, cùm subdit, *Cum impositione manuum*. Hæc expositio nonnullis noua videtur & insolens, sed reuera non est. Nam Apostolus 1. Corinth. 14. & alibi, prophetiam vocat quamlibet orationem & sermonem sacrum, præcipuè arcanum & mysticum, quales olim erant formæ Sacramentorum. *Prophetia est forma Sacramenti Ordinis.*

D

Nota Tertiò, *cum impositione manuum presbyterij*, id est, per impositionem manuum presbyterij, putà per ordinationem presbyterij, id est, cœtus presbyterorum, maiorum scilicet, id est Episcoporum. Episcopus enim ordinatur ab alijs tribus Episcopis, qui ordinando Episcopo manus imponunt. ita Chrysost. Theophyl. Oecum. Theodor. Sic & nouellis sacerdotibus, cùm ordinantur, Episcopus, & post Episcopum sacerdotes omnes vicissim manus imponunt, vt iubet Concilium Carthaginense IV. cap. 30. *Quænam impositio manuum presbyterij. Primò.*

Aliter Anselm. *per impositionem manuum presbyterij*, id est inquit, per ordinationem, qua ordinatus & cōsecratus es presbyter, id est Episcopus. & Maldonat. *Secundò.*

donat. in Notis manuscr. per *presbyterium* accipit ordinem sacerdotalem. Rursum Vatabl. per *impositionem manuum presbyterij* intelligit electionem, qua à presbyteris, id est seniorib. Christianis, Timotheus erat electus in Episcopum. impositio enim manus signum est externũ electionis, inquit. q.d. Per manus impositionem tamquam signum electus es in Episcopum à senatu Christiano, qui est Ephesi, quæ verba sapiunt hæresim: innuunt enim senatum laicum & ciuilem constituere & ordinare Episcopos, aliosque Ecclesiæ ministros. Adde, nusquã legimus laicos Episcopis aut presbyteris manus imposuisse. Nimirum hæc, & multa alia Vatablo viro Catholico ab hæreticis eius scripta excudentibus infarta & supposita sunt.

Vatabli error.

Hinc Nota Quartò, Ordinem esse Sacramentum: nam cum officio quod confert, confert & gratiam illi officio necessariam. Et materia Sacramenti hîc est impositio manus, sub qua reliqua intelligit: forma verò sunt verba, quibus simul ac materia adhibetur. Episcopus tribuit ordinato potestatem sacram. Id magis patebit ex epistola 2. c. 1. v. 6. Vnde S. August. in l. quæst. noui & veteris testamenti, q. 95 ex Iohan. 20. vbi Christus insufflans in Apostolos dixit, *Accipite Spiritum sanctum: Insufflatio*, inquit, *hæc gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habentur; vnde Paulus dixit, Noli negligere gratiam*, &c.

Ex hoc loco probatur Ordinem esse Sacramentum.

Nota Quintò. Hinc aliqui probabiliter cũ Syluestro v. *Ordo* 2. §. 4. & Bellarmino l. 1. de Sacramento Ordinis c. 9. contra D. Soto, Ruardum & Nauarrum, docent manus impositionem esse de essentia Ordinis, præsertim Episcopalis. Quia Scriptura, Concilia & Patres Ordinem vocant passim manus impositionem. Significat enim hæc impositio ordinandos quasi victimas Deo consecrari & offerri. Sic enim olim sacerdotes manus imponebant victimæ, cùm eam Deo offerrent, Exodi 29. v. 10. 15 19. hoc ritu significantes se victimam à sua manu & potestate in Dei ius transscribere. Simili cæremonia prisci Romani seruis suis se abdicabãt, cùm eos suæ libertati restituerent: tenentes enim caput serui dicebant, Hunc hominem liberum esse volo; & mittebant eum manu sua. Sic & filij Israel Leuitis manus imponentes eos à se quasi abdicarunt, Deoque obtulerunt & consecrarunt, Num. 8. 10. Sciant ergo sacerdotes, se hac cæremonia Deo sacratos esse, vt ei se totos dedicent, iam non sibi viuentes, sed vitam totam diuinis ministerijs, præsertim in aliorum salute procuranda, impendant & superimpendant. Idem factitarunt Gentiles: narrat enim Liuius libr. 1. dec. 1. capiti Numæ Pompilij, cùm summo sacerdotio initiaretur, manus esse impositas.

Manus impositio est de essentia Ordinis.

Quid significet. Primò.

Secũdò, hac manuum impositione significatur, inquit Amalarius l. 1. de Eccles. offic. c. 12. illapsus Spiritus sancti, quem ordinans precatur dari ordinando, eiusque regimen, directio & protectio, vt scilicet Spiritus sanctus ordinandum quasi manu sua regat & dirigat. Vnde S. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 5. p. 5. *Manum impositione*, inquit, *indicatur protectio principis & perfectoris Dei, qua interne illi ipsi, quibus manus imponitur, tamquam filij ab eo gubernantur: quæ virtutem ac robur ipsis largitur, & aduersarias potestates repellit.*

Secundò.

Tertiò, hæc manus impositio non tantùm regimen & protectionem, sed & plenitudinem spiritus & gratiæ, quæ datur ordinatis, ac potestatẽ, quam in alios accipiunt, significat. Vnde S. Dionysius suprà: *Manus*, inquit, *impositio docet, eos qui sacris Ordinibus mancipantur, sacras omnes actiones quasi sub Deo efficere, vtpote quem habeant operationum suarum in omnibus ducem atque rectorem.* Sic Num. 27. 18. Iosue repletus est spiritu sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas, quasi consecrans eum ducem populi. Sic Christus Matt. 19. paruulis manus imposuit, & ascendens in cælum, eleuatis manibus, suis discipulis benedixit, hoc ipso significans se plurima eis dona de sua plenitudine largiri. Hinc S. Hieron. in c. 59. Isaiæ ait, ordinationem à Græcis vocari χειροτονίαν, id est, manus impositionem; eò quòd non solùm vocis imprecatione seu verbis mysticis, sed etiam manus impositione impleatur, id est, perficiatur & consummetur.

Tertiò.

Quid χειροτονία.

Denique Nota, hîc per presbyteros significari Episcopos: neque enim simplices presbyteri, sed Episcopi Timotheo Episcopo manus imposuerunt. Vide dicta Philipp. 1. 1. Perperam ergo Erasmus & Kemnitius volunt inter presbyterum, sacerdotem & Episcopum nihil olim interfuisse.

Error Erasmi.

HAEC MEDITARE] ταῦτα μελέτα, id est, hæc cura, hæc satage, his iuge studium omnesque corporis & animæ vires impende, & intende. VERS. 15.

ATTENDE TIBI, vt actiones & mores tuos omnes sæpiùs lustres, examines, corrigas, componas; ET DOCTRINAE] vt scilicet alios doceas. Hæc duo munia sunt Episcopi, imò cuiusuis pastoris, doctoris & concionatoris; vt scilicet primùm se, deinde alios doceat. qui enim seipsos negligunt, & totos se in proximorum curam effundunt, euanido spiritu laborant, nec sibi nec alijs prosunt. Viue tibi, attende tibi, si vis alijs prodesse. Pulchrè S. Bernardus l. 2. de Consider. ad Eugenium: *Quatuor*, inquit, *tibi consideranda reor, te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te. A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum verò vt quidem senserim ego, totum. Noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cæli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Quidquid extruxeris extrate, erit instar congesti pulueris, ventis obnoxium*, &c. VERS. 16.

Pastor primùm se, deinde alios docet.

De sui consideratione ex S. Bernardo.

HOC ENIM FACIENS, ET TE IPSVM SALVVM FACIES, ET EOS QVI TE AVDIVNT] Nota, eum qui sibi attendit, seipsum; & qui doctrinæ intendit, alios saluos facere. Ecce hîc Paulus Timotheum & similes vocat sui & aliorum saluatores; sic Abdias v. 21. prædicit ascensuros saluatores in montem Sion: non ergo fit iniuria Christo, si Sanctos vocemus Saluatores & aduocatos nostros, si beatam Virginem vocemus dominam, patronam & spem nostram.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quomodo se Episcopus gerere debeat cum senibus, iuuenibus, puellis.

Deinde v. 3. docet Episcopi esse prouidere viduis, quæ verè sunt viduæ, ac præsertim iis quæ in misericordiæ operibus probatæ, & castitatem viduälem vouendo professæ; in Ecclesiasticarum viduarum cœtum allectæ & selectæ sunt: ideoq; vult eas seniores esse, ne fidem Deo datam, id est votum calibatus, violent: iuniores autem mauult nubere & familiam regere.

Tertiò, v. 17. iubet presbyteros, qui laborant in verbo & doctrina, honorari, & liberaliter ali.

Quartò, v. 20. docet, Episcopi esse corrigere peccantes, nec citò alicui imponere.

1. SEniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem, iuuenes vt fratres: 2. anus vt matres, iuuenculas vt sorores in omni castitate. 3. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. 4. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. 5. Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. 6. Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est. 7. Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint. 8. Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 9. Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, 10. in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. 11. Adolescentiores autē viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: 12. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 13. simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. 14. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. 15. Iam enim quædam conuersæ sunt retro Satanam. 16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia: vt iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat. 17. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. 18. Dicit enim Scriptura, Non alligabis os boui trituranti. Et, Dignus est operarius mercede sua. 19. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 20. Peccantes coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant. 21. Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alterum partem declinando. 22. Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. 23. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. 24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. 25. Similiter & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

DOcuit Apostolus hactenus Timotheum Episcopum in genere, quomodo se gerere, docere & exhortari debeat. Hic ad particularia descendit, docetque quomodo cum senioribus, iuuenibus, viduis, iuuenculis, se habere, singulosque alloqui & monere debeat: dicit ergo

SENIOREM NE INCREPAVERIS] πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, id est, seniori ne plagam infligas. Plaga hic intelligitur non verberum, sed verborum. q. d. Senem ne acriori obiurgatione verberes. Hæc enim verborum verbera, præsertim si à iuuenibus, qualis erat Timotheus, infligantur, magis senes, vtpote ætate graues & melancholicos, contristant & affligunt, quàm iuuenes afficiant & affligant verbera virgarum aut baculorum.

SED OBSECRA] Græcum παρακάλει tria significat; Primò, exhortare, vt vertit Vatablus; Secundò, consolare; Tertiò, obsecra, vt vertit Noster, idque aptiùs huic loco conuenit. Vult enim Paulus senes haberi quasi patres, vt si peccent, moneantur quidem ab Episcopo, sed ea reuerentia & lenitate, vt potiùs eos obsecrare quàm admonere videatur.

IVVENES, VT FRATRES] Repete, παρακάλει, id est obsecra, vel etiam, exhortare. hoc enim magis conuenit fratribus, quàm patribus, quos, vt dixi, decet obsecrare.

IVVENCVLAS VT SORORES, IN OMNI CASTITATE] Præcipit, cautè & rarò, ac nonnisi aliis præsentibus, cum iuuenculis agendum, tùm vt peccati, tùm vt suspicionis siniistræ periculum euadat Episcopus & quiuis presbyter. Collocutiones enim, inquit Chrysost. difficilè effugiunt suspiciones. Hinc monet Ecclesiast. c. 42. v. 13. *In medio mulierum noli commorari: de vestimento enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Et S. Hieron. ad Nepotian. *Hospitiolum*, inquit, *tuum aut numquam aut rarò mulierum pedes terant.* Et infrà, *Solus cum*

VERS. 2. *Quam Clericis fugienda sint mulieres.*

sola secretò & absque arbitro vel teste non sedeas. Vide eumdem epist. ad Rusticum. Vnde S. August. teste Possidonio, feminarum & in eis sororis ac fratris filiæ contubernium & consuetudinem declinauit. Vide dicta c. 3. v. 2. ad vocem, *Pudicum.* A

VERS. 3. VIDVAS HONORA, QVÆ VERE VIDVÆ SVNT] quæ scilicet ab omnibus etiam filijs desolatæ, atque omnibus curis exutæ, vniquè Deo intentæ & dicatæ sunt. ita Chrysost. Anselm. Theophyl.

Vidua cur dicatur χήρα. Alludit ad etymon χήρας, quod est χήρω, id est destituo, desolor, orbo, sic & latinè vidua à viduando dicitur. Vnde v. 5. ait Paulus: *Quæ autem verè vidua est & desolata, &c.* Has ergo viduas, inquit, honora, tum propriè eis honorem congruum deferendo, inquit Chrysost. tum oblationibus fidelium eas sustentando: hoc enim est Hebræum

Honora, id est sustenta. כָּבַד *cabad.* Vnde Hieron. in c. 13. Matthæi, *Honor,* inquit, *in Scriptura non tam in salutationibus deferendis, quàm in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur.* B

Notat Chrysost. & Ambros. τὸ *verè vidua.* Per hoc enim significat fieri posse, vt aliqua sit, quæ virum non habeat, nec tamen vidua sit. Sicut enim virginem non facit abstinentia à coniugio, sed amor integritatis, qua sine querela & diuinis rebus intenta sanctam se Domino exhibeat, eique quasi assiduè inhæreat & assideat, vt dixit Apostolus 1. Corinth. 7. 35. ita pariter res se habet in vidua, vt verè sit vidua ad mentem Apostoli.

De quibus viduis agat Apostolus? Quæres, an de omnibus viduis loquatur hic Apostolus? Respondeo, loqui de omnibus, potissimùm tamen de viduis sacris & Ecclesiasticis: ad has enim sensim descendit, vt patebit v. 9. ita Chrysost.

Pro quo Nota ex historia Ecclesiastica, olim C etiam tempore Apostolorum, sicuti erant virgines quæ se totas Deo dicabant, ita similes erant & viduæ. Rursum sicut quædam ex virginibus hisce seorsim in domibus suis degebant, vt patet ex Concilio Carthaginensi III. can. 33. quædam verò simul viuebant, vti iam fit in monasteriis: ita pariter viduæ hæ aliæ domi seorsim, aliæ simul quasi in collegio viuebant. Vnde de his posterioribus loquens S. Ignatius tum alibi, tum in epist. ad Philippenses, *Saluto,* ait, *collegium virginum & cœtum viduarum.*

Viduæ Ecclesiasticæ quæ & quales. Petes, quales essent hæ viduæ Ecclesiasticæ, & cur ab Apostolo verè viduæ vocentur?

Resp. Primò. Respondeo Primò, hæ viduæ à mundo separatæ, & quasi mundo mortuæ simul viuebant, vniquè Deo & pietati vacabant, vt patet v. 5.

Secundò. Secundò, profitebantur, imò vouebant castitatem: vnde v. 12. ait Apostolus, aliquas ex eis primam fidem (id est votum) irritam fecisse. D

Tertiò. Tertiò, ex eis deligebantur diaconissæ & similes, quæ imperitas mulieres docerent & præpararent ad baptismum, de quibus Epiphanius hæresi 79. quæ est Collyridianorum; imò tempore S. Pauli omnes hæ viduæ erant quasi diaconissæ, vt dicam v. 9.

Quartò. Quartò, erant pauperes & omnibus subsidiis destitutæ (quas v. 5. vocat *verè viduas*) ideoque alebantur ab Ecclesia, vt patet v. 3. & Actor. 6. 1. Hinc & Cornelius Papa apud Eusebium libr. 6. Histor. c. 33. vbi omnium ordinum clericos, qui tum Romæ erant, recenset; numerat viduas cum indigentibus mille quingentas, quas omnes, inquit, alit Deus in Ecclesia sua. Nam viduæ quæ non erant pauperes, vel habebant parentes, filios aut nepotes diuites, non habebantur verè viduæ, omnino desolatæ & omni subsidio destitutæ; quia ab eis ali poterant & debebant, vti hîc iubet Apostolus v. 16.

Quintò. Quintò, erant ætate & sanctitatis professione honorabiles. vnde tanta & tam multa requirit Apostolus ab eis. Hinc etiam in tertia collecta in die parasceues, quo sacerdos orat ordine pro quolibet Ecclesiæ gradu & statu, post clericos & virgines orat pro viduis, ac deinde pro toto populo.

Sextò. Sextò, erant sub cura Episcopi; vnde eas tanto opere Episcopo Timotheo hîc commendat Apostolus. Hinc Chrysost. libr. 3. de Sacerdotio inter alias causas, cur fugerit episcopatum, quasi onus suos humeros superans, hanc adfert, quòd oporteat Episcopum curare viduas, & eis prouidere.

Septimò. Septimò, tempore S. Augustini & Innocentij habebant habitum distinctum, mutabantque laicum in religiosum & nigrum, ac pulla veste incedebant, vt patet ex Concil. Arausicano c. 15. & Carthaginens. IV. c. 104. & ex S. Augustino epist. 199. ad Ecdiciam, vbi eam reprehendit, quòd inscio marito vestem laicam deposuisset.

Octauò. Octauò, erant quasi matres & præfectæ aliarum feminarum, vt dicam v. 9. De hisce ergo viduis maximè loqui Apostolum docet S. Chrysost. Hesselius, & alij, & fauent verba Apostoli, quibus operosè & exactè eas instruit. Vnde v. sequ. eas probari vult, antequam in cœtum hunc sacrum admittantur: *Discat,* inquit, *primùm domum suam regere,* &c.

Quærit Chrysost. cur de virginibus æquè ac de viduis nihil hîc statuat Apostolus? ac respondet, quòd Ephesi tunc, vtpote in Ecclesiæ primordiis, raræ vel nullæ essent virgines, putà simul quasi in collegio vel monasterio viuentes, quæ cura Episcopi indigerent.

VERS. 4. SI QVA VIDVA FILIOS AVT NEPOTES HABET, DISCAT PRIMVM DOMVM SVAM REGERE, ET MVTVAM VICEM REDDERE PARENTIBVS] Pro *discat,* græcè est μανθανέτω, pro quo Syrus, Theophyl. & alij legunt μανθανέτωσαν, id est discant, scilicet filij & nepotes, *domum suam,* id est, viduas domus suæ, putà matrem & auiam, regere, εὐσεβεῖν, id est piè tractare, &, vt Hieron. ad Geruntiam legit, colere. Tempore enim Pauli, filij & nepotes viduarum multarum, cùm viderent alias viduas pauperiores ab Ecclesia ali, solicitabant Episcopum, vt eorum mater vel auia cum aliis viduis ab Ecclesia alerentur, etsi ipsi possent eas alere, vt scilicet earum alimonia & cura liberarentur, & in Ecclesiam earum onus reiicerent. Vnde Paulus mandat hîc Episcopo Timotheo, vt eis respondeat: Sustentate priùs matrem vestram & auiam; vbi verò eas ampliùs alere non poteritis, tunc demum ad Ecclesiã confugite. ita ex Theophylacto Hesselius. Verùm Romana, Ambrosius & alij legunt, *discat,* non, Discant; itaque legendum esse patet ex eo quòd viduas ipsas hîc instituat Apostolus, non autem earum filios & nepotes. De his enim agit v. 16. vbi iubet vt matrem suam alant; non ergo idipsum hic eis iubet.

Hinc Secundò, Ambrosius τὸ *discat domum suam regere,* refert ad viduam; τὸ verò *& vicem reddere parentibus,* refert ad filios. Verùm tunc in priori legendum esset, *discat,* in posteriori, *discant:* iam autem Apostolus dicit, *discat,* idque semel tantùm.

Dico

Dico ergo Apostolum vtrobique loqui de solis viduis, q.d. Siqua vidua habet filios aut nepotes, illa antequam in cœtum viduarum, de quibus iam dixi, ab Ecclesia admittatur, discat primò domum suam, id est filios & nepotes, regere, græcè εὐσεβεῖν, id est, vt Syrus, Vatablus & Ambrosius, piè tractare (licet enim Græcum εὐσεβεῖν sit neutrum, tamen Apostolus facit actiuum per hebraismum, sumens cal. pro hiphil) vt scilicet piè filios regat, eosque pietate imbuat.

...lus vicē ...llat pa... ...ibus ...mdo.

Discat Secundò, hæc vidua *mutuam vicem reddere parentibus*, vt scilicet, si parentes adhuc viuãt, eis inseruiat, opituletur, ministret, eosque alat, sicut ab eis à puero alita & educata est: vti faciunt ciconiæ parentibus senibus, à quibus hæc reciproca filiorum pietas in parentes ἀντιπελαργία dicitur. Sin parentes sint mortui, reddat eis vicem in filiis & nepotibus, eisque impendat illam curam, alimoniam & obsequium, quod parentibus impendisset.

...mplum ...ifica.

Talis vidua fuit S. Monica, de qua S. Augustin. lib. 9. Confess. cap. 9. *Fuerat*, inquit, *vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam piè tractauerat, in operibus bonis testimonium habebat, nutrierat filios, toties eos parturiens quoties abs te deuiare cernebat. Postremò nobis, Domine, omnibus, qui ex munere tuo ante dormitionem eius in te iam consociati viuebamus, percepta gratia baptismi tui, ita curam impendit, quasi omnes genuisset; ita seruiuit, quasi omnibus genita fuisset.*

...us 5.

QVÆ VERE VIDVA EST ET DESOLATA, SPERET IN DEVM, ET INSTET OBSECRATIONIBVS ET ORATIONIBVS NOCTE AC DIE] Coniunctio & hîc significat, id est, q.d. Vidua quæ non solùm marito, sed & liberis omniumque hominum solatio viduata est, & sola derelicta, hæc *speret in Deum*, quòd eum experietur prouisorem, imò patrem & maritum, adeoq; vice omnium habeat Deum, inquit Chrysost. Pro *speret*, græcè est ἤλπικεν, id est sperauit aut sperat, vt legit Ambrosius: subinde enim in talibus præteritum pro præsenti ponitur; quasi Apostolus non præcipiat, sed describat quæ verè viduæ sint, scilicet quæ omni hominum spe destitutæ totam spem & mentem in Deum defixerunt. ita Chrysost.

...5.6.

NAM QVÆ IN DELICIIS EST, VIVENS (licet corpore, spiritu tamen) MORTVA EST] q.d. Viuens non viuit, sed vitam corporis obtuit animæ morte. Vide Chrysost. *Immodicæ delitiæ*, inquit Theodor. *rationem obruunt & efficiunt, vt in corpore tamquam in aliquo sepulchro iaceat.* Vnde & Sophocles gulosum hominem taxans: *Non arbitror*, inquit, *hunc viuere: sed cadauer iudico.* Rationem dat S. Augustin. tract. 47. in Iohan. *Vita*, inquit, *carnis tuæ anima est, vita animæ tuæ Deus est. Quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita est eius: sic moritur anima amisso Deo, qui vita est eius.*

...nimæ ...ius.

Verè ergo S. Bernardus serm. 48. in Cant. *Vita*, inquit, *in deliciis agens & mors est & vmbra mortis: quantum enim vmbra propè est corpori, cuius est vmbra, tantum pro certo vita illa inferno appropinquat.*

...n deli... S. a...

Verè item S. Ambrosius lib. de Viduis, loquens de Iudith: *Aduertitis*, inquit, *quantum nocere possit mulieribus ebrietas, quando viros vina sic soluunt, vt vincantur à feminis. Esto igitur vidua temperans; casta primùm à vino, vt casta possis esse ab adultero. nequaquam te ille tentabit, si vina non tenuent. Nam si Iudith bibisset, dormisset cum adultero: sed quia non bibit, haud difficilè ebrios exercitus vnius sobrietas & vincere potuit & eludere.* Et S. Fulgentius epist. 2. c. 14. *Egreditur*, inquit, *castitas oppugnatura lasciuiam, & ad interitum superbiæ humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista tentoriis: ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncauit vna mulier tanti agminis ducem, & insperatam Dei populo reddidit libertatem. Tantum potuit humilis castitas*, cuius mater fuit sobrietas.

Septem dotes viduarum.

Nota hîc septem virtutes & dotes viduarum; prima est filios & domum piè regere; secunda, parentes colere; tertia, mortuo marito sperare in Deum; quarta, instare orationi; quinta, fugere delicias; sexta, esse irreprehensibiles; septima, pijs operibus se dedere, maximè hospitalitatis & misericordiæ, vt ait v. 10. Talis fuit Anna prophetissa Lucæ c. 2. *Cuius diuersorium*, inquit S. Ambrosius lib. de Viduis, *erat in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio.* Talis fuit & Iudith. vide Ambros. ibidem, & August. lib. de Bono viduitatis.

Illustrium viduarum exempla.

Talis etiam vidua fuit S. Paula Romana, Blesilla, Melania, vt patet ex earum vita apud S. Hieron. Talis vidua fuit Euphrasia Romana, quæ iuuencula nobilis & potens, mortuo marito, cùm ab Imper. vrgeretur ad secundas nuptias, omnibus abdicatis secessit in Thebaidem, ibique in sancta viduitate inter Sanctos vixit & mortua est. Talis fuit & Constantia filia Constantini Imp. quæ Gallicano marito duci totius exercitus persuasit, non tantùm fidem Christi, sed & continentiam, cuius & votum vterque nuncupauit: vnde ipse se totum pauperum ministerijs addixit, & sub Iuliano Apostata gloriosum martyrium consummauit. Talis fuit S. Elizabeth filia regis Hungariæ, quæ iuuencula marito mortuo totam se addixit curæ pauperum & ægrotorum. Talis fuit S. Brigida vidua nobilissima, quæ totam se peregrinationi ad loca sancta addixit, Romam & Hierosolymam adiit, multa monasteria fundauit, multaque alia heroica opera perfecit. Talis fuit Olympias, quæ Nebridio marito præfecto vrbis Constantinopolit. secundo coniugij anno mortuo, iuuencula secundum maritum respuit. Cumque Theodosius Imper. eam planè coniungere vellet Elpidio cuidam sibi congeneri, illa restitit, dixitque, *Imperator meus si voluisset me vitam transigere cum viro quopiam, vtique non admisisset mihi primum coniugem: nunc eum adimens matrimonij molestijs me extricauit, & suaue continentiæ iugum mihi imposuit, mentique meæ infudit.* Quare se totam addixit ministerijs templi, eleëmosynis, pijsque operibus. Vnde mirè eam laudat S. Chrysost. de qua plura in fine v. 10. Audi & alias illustres.

Marcella Romana nobilissima viro post nuptias septimo mense priuata est. Cùm eam Cerealis Consul Romanus propter ætatem, & antiquitatem familiæ, & insignem decorem corporis, ac morum temperantiam ambitiosiùs peteret, suasque iam grandis natu pollicereturdiuitias, & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere, Albinaque mater tam clarum præsidium viduatæ domus vltrò appeteret; illa respondit, *Si vellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non hereditatem.* Illoque mandante posse & senes diu viuere, & iuuenes citò mori, eleganter lusit: *Iuuenis quidem potest citò mori, sed senex diu viuere non*

potest. Quare vidua permanens pietati & Deo vacauit ita D. Hieron. in Epitaph. Marcellæ.

Galla Symmachi Consulis Romani filia tradita marito, primo anno eo orbata est: cumque omnes eam vrgerent ad secundas nuptias, etiam medici dicentes, nisi nuberet, eam ob igneam complexionem contra naturam barbam habituram, quod & factum est; illa constans in viduitate permansit, neque hanc exteriùs deformitatem timuit, quæ interiùs cælestis sponsi speciem amauit. Mox ergo vt eius maritus defunctus est, abiecto sæculari habitu, ad omnipotentis Dei seruitium sese apud B. Petri ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis & orationi dedita, larga indigentibus eleëmosynarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, cancri vlcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius duo candelabra lucere consueuerant: quia videlicet amica lucis, non solùm spiritales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apostolum inter vtraque candelabra ante suum lectum constitisse: nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, eique dixit: *Quid est, Domine mi? dimissa sunt mihi peccata mea?* Cui ille benignissimo vultu inclinato capite annuit, dicens: *Dimissa. Veni.* Sed quia quandam sanctimonialem feminam, in eodem monasterio præ cæteris diligebat, ilicò Galla subiunxit, *Rogo vt soror Benedicta mecum veniat;* cui ille respondit: *Non, sed illa talis veniat tecum: hac verò quam petis, die te erit trigesimo secutura.* His itaque expletis, visio Apostoli assistētis & colloquentis ei ablata est. At illa protinus cunctæ congregationis acciuit matrem, eique quid viderit, quidue audierit, indicauit. Tertio autem die, cum ea quæ iussa fuerat sorore defuncta est: illa verò quam ipsa poposcerat, die est trigesimo subsecuta. ita S. Gregorius lib 4 Dialog. c. 13. anno 504. Fulgentius epist. ad Gallam.

Anno Domini 514. ex hac vita migrauit Clodoueus Francorum rex, qui sepultus est Parisiis in basilica S. Petri Apostoli, quam ipse rex hortante S. Genouefa virgine à fundamentis cœpit erigere; eiusque vxor Clotildis perficiendam curauit. Ipsa autem regina post mortem viri sui Turonos venit, ibique ad basilicam S. Martini deseruiens cum summa pudicitia atque benignitate morata est omnibus diebus vitæ suæ, rarò Parisios visitās. ita Greg. Turonensis lib. 2. Hist. Franc. c. vlt.

Quirina Laurentij Patriarchæ Veneti mater, clarissima genere mulier, anno ætatis 24. amisso viro, & quinque susceptis liberis, reliquam ætatem cælibem duxit, domum suam regens, vt Apostoli verbis vtar, & filios in timore Dei & mandatis instituens, instans orationibus die ac nocte: & ne in deliciis mortua esset, catenam æream, quoad vixit, circa lumbos gestauit, ieiuniis & vigiliis florentem ætatem castigans: præcipuè verò in pauperes misericors & benefica, vt quæ ad eleëmosynas filios semper & verbo instrueret & exemplo. ita Bernardus Iustinianus in Vita S. Laurentij Iustiniani. *1. Timoth. 5.*

De vidua à iuuene rapta, & miro modo abeo liberata audi S. Augustinum ad Dulcitium. *Dicam*, inquit, *quod factum est in Mauritania Sitifensi: neque enim Deus sanctorum non ipse est etiam & nunc Deus. Viduam in proposito cōtinentiæ constitutam Celtichius quidam catechumenus iuuenis rapuit, vt haberet vxorem. Antequam concumberet pressus somno, & territus somnio, Sitifensi Episcopo eamdem vehementissimè requirenti remisit intactam. Viuunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus, & ipso in se facto miraculo conuersus ad Dominum ad episcopatum mirabili probitate peruenit. Illa in sancta viduitate perstitit.*

Anno Domini 1024. Henrico II. Imper. defuncto, & Bambergæ sepulto, prosecuta est animam eius pia Imperatrix Cunegundis, piis officiis postrema piè persoluens. Quamuis enim eius obitu omnia oppleri turbis & misceri rumoribus contigisset, ipsa tamen animo constans, illud vnum totis viribus conabatur, vt eleëmosynarum largitate, & orationum instantia beati coniugis anima Deo commendaretur. Ipsa verò Augusta anniuersario die obitus Imperatoris, in monasterio à se erecto, in dedicatione eius basilicæ, depositis ornamentis Imperatoriis, monasticum suscepit habitum, famulatura eiusdem loci monialibus: vbi ad obitum vsque quindecim annis perseuerauit. Quæ cùm proximè iam moritura augustalia ornamenta ad pompam cadaueris parari videret, hæc dixisse fertur: *Amictus iste non est meus: auferte hinc, ornatus hic alienus est: istis terreno sponso. & his cælesti sponso sum copulata. Nuda de vtero matris meæ egressa sum, nuda reuertar illuc. Hu miseræ carnis vilem materiam inuoluite, & corpus meum iuxta tumulum fratris mei ac domini Henrici Imperatoris, quem me vocantem video, in proprio loculo reponite.* Quibus iam dictis in manum Domini spiritum commendans, migrauit in cælum. Ita ex Adalberone Episcopo VI. Traiectens. Baronius to. 11. anno 1024. 1025. & 1040.

Vis Gentiles? Viduæ Goënses siue Brachmanæ in more positum habent dum ethnicè viuunt, priori marito mortuo, quantumuis iuuenculæ sint, alteri non nubere. Imò priusquam edicto regio vetitum esset, vnà cum maritorum cadaueribus sese cremandas tradebant. Modò verò post susceptum christianismum nec colore candido vestiuntur, & caput perpetuò radunt. Ita epist. Indic. anno 1566.

Matrimonium laudant Sinenses in quo vir legitimè vnam sibi vxorem iungit; & in honore eam habent, quæ viduitatem colens, maritum secundum non ducit; eique Mandarini præmia largiuntur, & multas libertates ac priuilegia concedunt, vt olim Vestalibus virginibus Romani. Ita P. Alexander Valignanus Indiæ prouinciæ Præpositus in litteris anni 1588.

VERS. 8.

SI QVIS AVTEM] εἰδὲ τις, id est, si qua, vidua scilicet. de viduis enim egit & agit: potest tamen cum Chrysostomo ad quemuis hominē extendi.

SVORVM, ET MAXIME DOMESTICORVM CVRAM NON HABET (vt tam corporis, quàm animæ saluti prouideat) FIDEM NEGAVIT] non verbo, sed factis & opere: Deus enim ipsaque fides dicit & dictat illud Isaiæ c. 58. *Domesticos seminis tui non despexeris.* Qui ergo suos negligit, videtur fidem & christianismi famam negligere, esseque causa cur infideles blasphement Christum & Christianos. *Quàm latè*, ait Chrysostomus, *patet detractionis locum dicentibus Gentibus, Christianos sine affectione esse, qui despiciant suos! quàm enim turpe est te extraneos docere, & tuos in errore relinquere?*

ET

ET EST INFIDELI DETERIOR] Infideles enim naturali instinctu & pietate suorum curam gerunt: hîc enim est ordo charitatis, etiam naturalis, vt domesticis præ exteris prospiciamus.

vers 9. Vtrùm quælibet vidua erat Apostolo.

VT VIDVA ELIGATVR NON MINVS SEXAGINTA ANNORVM] Quæritur, an de communi qualibet vidua loquatur Apostolus, an verò de ea quæ eligenda sit in præfectam cæterarum?

Affirmant Chrysost. & Hieron.

Respondet Primò S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Ambros. & Hieron. epist. ad Saluinam, Apostolum loqui non de præfecta, sed de communi vidua, q.d. Quælibet vidua, vt eligi & referri possit in cœtum & catalogum (hoc enim significat Græcum καταλεγέσθω) viduarum Ecclesiasticarum quæ quasi moniales erant, vouebantque castitatem, erantque sub cura & obedientia Episcopi, atque ab Ecclesia alebantur, vt dixi v. 3. quælibet, inquam, harum sit sexaginta annorum. Tantam ætatem in his exigit Apostolus Primò, quia, vt Hieron. suprà, iuniores suis manibus laborando sibi victum comparare possunt. Vult ergo eas id facere, vt aliæ seniores, quæ labore suo viuere non possunt, ali possint ab Ecclesia, quæ omnes alere non potest, tum præsertim cùm exigua erat & pauper.

Rursum, vt Chrysost. quia iuniores inconstantiores sunt, expertusque erat Paulus nonnullas ex eis post votum castitatis iniisse secundas nuptias cum scandalo & dedecore Ecclesiæ, ac pernicie animæ suæ. Vult ergo senioreseligi, quarum probata castitas, virtus & constantia Ecclesiæ sit honori: ne, si secùs fiat, Ethnici blasphement Christum & Ecclesiam.

Epiphan. lib. 1. Apostolum age viduas diaconissas.

Secundò alij, vt Epiphanius hæresi Collyridianorum, & Tertull. lib. 1. ad Vxorem c. 6. Baronius anno Christi 34. imò & Beza intelligunt hæc de vidua non quauis, sed primaria, scilicet quæ aliis consilio & auxilio præsit, aut quæ sit diaconissa. Hoc enim Primò, significat vox *eligatur*, scilicet vna è multis, quæ cæteris dignior iisque præponenda, vt Græcum καταλεγέσθω, sumatur pro ἐκλεγέσθω, id est eligatur, vt vertit Noster. Secundò, id probatur ex eo quòd velit eam esse sexaginta annorum: nec enim credibile est Apostolum voluisse viduas omnes quæ necdum sexagesimum annum attigerant, cœtu viduarum aut stipendio Ecclesiæ excludere, multò minùs voluisse omnes illas nubere: agit ergo de diaconissa. Vnde & Iure ciuili l. 27. de Episcopis in C. Theodos. præscribitur, vt diaconissa sit sexagenaria: quamquam postea crescente numero fidelium, hoc mitigatum sit, nam Conc. Chalcedon. c. 14. & Wormatiense c. 73. tantùm requirunt in diaconissa, vt sit quadragenaria. Tertiò, quia ad hanc, quam vult eligi, tam multa requirit, quæ meritò à præfecta, non autem à communi quauis vidua quis requirat.

Vers. 8.

An contrariæ sententiæ conciliari possint.

Verùm puto vtramque sententiam posse conciliari, & vtramque hîc locum habere.

Pro quo Nota, non loqui Apostolum de viduis priuatis & quibuslibet, sed de collegio & quasi monasterio viduarum, quod institutum erat ad Ecclesiam adiuuandam, præsertim in cura, institutione & disciplina aliarum siue virginum siue mulierum. Quælibet ergo ex hisce viduis erat quasi diaconissa, ita vt partitis inter se curis & operis hæ viduæ omnium feminarum curam habere, singulisque intendere possent. Quamlibet ergo ex hisce Apostolus vult esse sexaginta annorum, nec quampiam ad hunc earum cœtum quem dixi, admitti (hoc enim significat Græcum καταλεγέσθω) nisi sexagenaria sit. De talibus enim selectis primariis viduis, quæ sua cura & charitate alias feminas dirigerent, loqui Apostolum, colligitur ex eo, quòd tantam bonorum operum, præsertim charitatis & misericordiæ, probationem & exercitationem ab eis requirat: *si*, inquit, *hospitio recepit, si pedes sanctorum lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.* Hæc enim à communibus viduis, etiam religiosis, nemo requiret, sed tantùm ab eis, quæ aliis præfici, vel aliorum præsertim pauperum vel ægrotorum curam suscipere debent: quales has viduas fuisse est verisimile, & verbis iam dictis satis innuit Apostolus. Idem colligi potest Act. 6. vbi ob murmur Græcorum, in locum viduarum, quæ præerant mensis & eleëmosynis, electi sunt diaconi, qui id muneris obirent; ita tamen vt viduæ ab hac cura præsertim circa mulieres non omnino excluderentur, sed diaconos haberent præsides, quibus ipsæ subseruirent. hæ viduæ postea vocatæ sunt, vel certè in harum locum successerunt diaconissæ.

Diaconissarum tria erant officia.

Diaconissarum autem tria maximè erant munia, vt colligitur ex Epiphanio hæresi 79. & Clemente l. 3. Constit. c. 15.

Primum.

Primum, laicæ erant, nec ordinatione vlla consecrabantur: sed præerant foribus templi, iis scilicet quibus fœminæ in templum ingrediebantur. sicut enim fœminæ in templo locum habebant à viris distinctum, ita habebant & fores distinctas. Vnde S. Ignatius epist. ad Antiochenos diaconissas vocat vestibulorum custodes.

Secundum.

Secundum, tempore persecutionum, cùm ob pericula, vel ob suspiciones infidelium ad mulieres mitti non posset diaconus, mittebatur diaconissa, vt consilia, exhortationes, mandata Episcopi, vel Parochi perferret, vtque fideles in fide roboraret, & in persecutione, paupertate, morbo, aliisque ærumnis solaretur & adiuuaret.

Tertium.

Tertium, præerat baptismo mulierum, easque nudabat; idem faciebat in earumdem vnctione. Rursum cùm Episcopus vngeret in Confirmatione frontes mulierum oleo sancto, diaconissa eas abstergebat. ita Epiphanius suprà, Clemens lib. 3. Constit. c. 15. & alij. Denique corpora mulierum cùm moriebantur, lauabant & componebant ad sepulturam, vt ex Epiphanio & aliis colligitur.

An Apostolus tantùm probet vota sexagenariarum.

Hæ diaconissæ fuerunt diu in Ecclesia Græca, non autem Latina: nam Latini statim eas abolerunt, vt patet ex Conc. Aurelianensi II. can. 17. & aliis. vnde & earum apud Latinos vix est mentio. Perperam ergo Caluinus docet Apostolum hîc tantùm probare vota continentiæ facta à sexagenariis. Imprimis enim Apostolus non loquitur de virginibus, vt rectè annotauit Chrysost. sed viduis, in quibus ob experientiam & consuetudinem coniugij difficilior & periculosior est castitas. Rursum non loquitur de quibusuis viduis, sed de Ecclesiasticis tantùm, quæ quasi diaconissæ cæteris præesse instar matrum debebant, vti fatetur Beza; ac consequenter non loquitur de admissione ad votum continentiæ, sed de admissione ad collegium hoc viduarum, quod non nisi grauissimis, annosissimis, lectissimis matronis constabat. sed de hoc plura v. 14.

Quenam vnius viri vxor? Bezæ insulsa explicatio.

QVÆ (vidua) FVERIT VNIVS VIRI VXOR] Beza sic explicat, q.d. Quæ simul non habuerit plures maritos, aut quæ suum maritum non repudiarit adhærens alteri, id est, quæ non sit adultera; quia, inquit, secundæ nuptiæ sanctæ sunt; ergo propter eas ne no arcendus est Ordine. Sed hæc explicatio ita inaudita est, vt non tantùm vel ipsomet Beza teste sit contra omnes Patres; sed etiam contra Caluinum, quem Beza agnoscit suum magistrum, nec aliter compellare solet quàm doctissimum interpretem. Nam omnes doctores tam veteres quàm moderni, quàm etiam Caluinus hîc, vniuiram absolutè, id est, quæ secundas post mortem mariti non inierit nuptias, vt biuira aut digama dici non possit, ab Apostolo significari & requiri intelligunt.

Refellitur à Caluino.

Probat id Caluinus ex eo, quòd Apostolus dicat, non, Quæ sit, sed, *quæ fuerit vnius viri vxor.* quid enim hoc est dicere aliud, quàm quæ tota vita non habuerit nisi vnum virum? Hoc enim meritò à tali vidua, quæ aliis præsit, quasi argumentum insignis continentiæ & castitatis exigit Apostolus. Nam ab aliis omnibus feminis coniugatis requirit ius naturæ & gentium, vt vni viro suo adhæreant, non alteri, id est, vt non sint adulteræ. Hic autem ab hac vidua selecta peculiares dotes efflagitat Apostolus. Non ergo per vnius viri vxorem intelligit eam, quæ non sit aut fuerit adultera, sed quæ vnas tantùm cum vno inierit nuptias: hæc enim est dos viduæ continentis, etiam iudicio Gentilium, de qua laudatur Iudith c. 15. 11. quòd scilicet fuerit vniuira, non biuira.

Vniuira à Gentilibus laudata.

Audi Didonem l. 4. Æneidos se vniuiram viduam deprædicantem:

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum seruetq; sepulchro.

Si communi lege naturæ, inquit Hieron. ad Saluinam, *damnat Gentilis vidua omnes voluptates; quid expectandum est à vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solùm ei dat, qui defunctus est, sed & ei cum quo regnatura est?*

Hinc contra Calu. à pari concluditur, Apostolum exigere Episcopum monogamũ.

Hinc patet eodem sensu exegisse Apostolum v. 2. c. 3. ab Episcopo, vt *sit vnius vxoris vir*, scilicet vt Episcopus talis sit, qui vnam tantùm tota vita habuerit vxorem. Negat id Caluinus, vultque alio sensu hîc viduam dici vnius viri vxorem, alio verò sensu dici Episcopum vnius vxoris virum: scilicet viduam propriè dici vniuiram, quæ non nisi semel vni viro nupsit, Episcopum verò dici vnius vxoris virum, qui simul plures non habuerit vxores, etiamsi successiuè plures habuerit. Probat id, quia Apostolus de vidua dicit in præterito, *Quæ fuerit vnius viri vxor*, de Episcopo verò dicit, in præsenti: *Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum.* Sed hoc est distorquere verba Apostoli. Quis enim non videt vtrobique eamdem esse phrasim, ac consequenter eamdem sententiam & sensum? Cùm enim in coniugio vtriuslibet coniugis par sit ius & vinculum, pari prorsus sensu est & dicitur, *vnius vxoris vir*, atque *vnius viri vxor*, siue addas *est* in præsenti, siue *fuit* in præterito. Hæc enim verba rem & phrasim non mutant, sed tantùm tempus rei denotant. Perinde enim est ac si dicam, Est monogamus, vel fuit monogamus, vbi idem intelligo per *τὸ monogamus*, siue dicam Est, siue Fuit. Rursum, quis non videt maiorem castitatem requiri à viro, eoque Episcopo, quàm à femina, eaque vidua? Ad argumentum eius respondeo, Apostolum de Episcopo loqui in præsenti, non quòd velit in præsenti Episcopum esse coniugatum cum vna vxore. Quid si enim viduus esset aut cælebs, an ideo ineptus esset, ac non aptior ad episcopatum? Sed quòd per præsens statum Episcopi præsentem significet, nimirum debere eum esse monogamum, ita vt non sit digamus, id est, vt cum secunda vxore secundas nuptias numquam contraxerit; id clarè significant verba Apostoli: sic enim ait, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem.* Vbi *τὸ vnius vxoris virum*, est epithetum per se subsistens, æquè ac hîc *τὸ vnius viri vxor.* significat enim vtrumque debere esse monogamum. Dices, Cur ergo de vidua hîc dicitur, *fuit*, ibi verò de Episcopo dicitur *est*? Respondeo, quia vidua, cùm sit viro viduata & orbata, non est, sed fuit vnius viri vxor. Episcopus verò in præsenti poterat esse vnius vxoris vir: viuente enim vxore poterat eligi, & de facto tunc sæpè eligebatur ad episcopatum, vt de eo dici posset, Hic Episcopus in præsenti est vnius vxoris vir. Plura de hoc loco dixi c. 3. v. 2.

SI FILIOS EDVCAVIT] per se, & ad pietatem. VERS. 10. Perstringit enim matres quæ filios quos gignunt, aliis tradunt educandos, aut certè ritè, & ad pietatem eos non educant. Sub filiis & filias intellige: græcè enim est *ἐτεκνοτρόφησεν*, id est, si proles educauit.

SI HOSPITIO RECEPIT] *εἰ ξενοδόχησεν*, id est, si fuit hospitalis, in peregrinis scilicet, & pauperibus hospitio excipiendis.

SI SANCTORVM PEDES LAVIT] *Sanctorum*, id est Christianorum peregrè venientium. Hinc patet priscum esse morem, vt aduenis ex itinere fessis pedes lauentur. Idem fecit Abraham Gen. 18. v. 4 & Abigail 1. Reg. 25 41. & Magdalena Christo Lucæ c. 7. & Christus discipulis suis in vltima cœna. *Cùm enim*, inquit August. tract. 58 in Iohan. *ad pedes fratrum inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur pius humilitatis affectus.* Sub hoc sordido & seruili præ aliis officio reliqua charitatis & humilitatis obsequia intelligit Paulus; vultque vt illa ipsa præstet vidua per se, non per ancillas, inquit Chrysost. qui homil. 14 accommodat hæc Religiosis: illos enim esse sanctos, qui se totos Deo dicarunt. Vnde ad eos fouendos & colendos hortatur diuites dicens: *Perge, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes; longè honorabilius est illorum pedes quàm aliorum caput attingere: nam si statuarum pedes plerique tenent quòd effigiem habeant regiam; tu illi, qui Christum ipsum in se habet, pedes non tenebis, vt saluus fias? Sancti sunt pedes, etiamsi viles sunt. At verò profanorum ne caput quidem honorabile.* Tales tempore S. Chrysostomi, vt habetur in eius Vita, fuerunt nobilitate & sanctitate illustres feminæ, & diaconissæ, Procula, Pentadia, Syluania.

Priscus mos hospitibus lauandi pedes.

SI OMNE OPVS BONVM SVBSECVTA EST] S. Hieron. in cap. 8. Zachariæ legit, *prosecuta est*, id est, vt Syrus & Vatablus, si in omni opere bono fuit assidua, si omne opus bonum est consectata. Notanter verò dicit *ἐπακολούθησεν*, id est, *subsecuta est*, non autem, operata; quia sæpè deest facultas operis pij exequendi. Requirit ergo Apostolus, vt saltem non desit pia voluntas & conatus, quo bonum opus prosequatur, aut potiùs quo illud ipsum opus quasi antecedens & antecurrens subsequatur, vtque alteri bene operanti, inquit Theophyl

subser-

subseruiat, in quouis bono opere comitem se adiungat. vti videmus pias & zelosas mulieres omnia venari & sectari pietatis opera, & omnibus se immiscere, & manum admouere.

Vita virginum S. Olympiadis ampla.

Accipite, ô viduæ, accipite & virgines rarum & illustre harum virtutum speculum quod quotidie intueamini, S. Olympiadem nobilissimam & opulentissimam matronam, quæ in coniugio virgo permansit, mortuo marito vitam supra sexum admirabilem egit. narrat eam paucis Palladius in Lausiaca c. 144. Inprimis opes quas habebat maximas, in pauperes omnis generis, & vbiuis locorum assiduè erogabat. *Non rus*, inquit, *non solitudo manfit expers largitionum huius inclytæ virginis: sed & ecclesiis suppeditauit ad donaria deputata sacrificio, & monasteriis, & cœnobiis, & xenotrophiis, & custodiis, & relegatis; & vt semel dicam, in omnem orbem terræ dispersit eleëmosynas.* Deinde eius humilitatem, charitatem, continentiam narrat. *Hæc beata processit vsque ad extremum terminum humilitatis, vltra quem nihil possit inueniri amplius. Vita sine vlla inani gloria, species nequaquam ficta, benigni mores, facies non fucata, corpus florens, mens non gloriosa, animus ab arrogantia alienus, cor minimè turbulentum, somni expers vigilia, spiritus non curiosus, charitas immensa, quæ comprehendi non potest communicatio, vilis & contempta vestis, infinita continentia, recta cogitatio, in Deum spes æterna, cum eleëmosyna quæ non potest narrari. ornamentum omnium humilium, cui multæ sunt accensæ tentationes ex operatione eius qui est sua sponte malus & omnis boni expers, nempe dæmonis, quæ pro veritate non parua adiit certamina, quæ & diu affatim vixit in immensis lacrymis, omni humanæ naturæ subiecta propter Dominum: cum omni pietate sanctis subdita Episcopis, venerans presbyteratum, honorans clerum, reuerens exercitationem, suscipiens virginitatem.* Adhæc eius opera misericordiæ erga omnes ita recensет: *Erat opem ferens viduitati, curam gerens orbitatis, protegens senectutem, ægrotos inuisens, peccatorum miserans, errantes in viam deducens, in omnes vtens misericordia, profusè autem in pauperes, multisq; infidelium in catechesi institutis vxoribus, etiam ad victum eis ferens auxilium, semper memorabile nomen benignitatis reliquit per totam vitam. A seruitute in libertatem innumerabilium seruorum restituens examina, reddidit eos honore æquales suæ nobilitati, vel potiùs si verè dicere oporteat, facti sunt hac sancta habitu nobiliores.* Post hæc eius paupertatem, manfuetudinem & lacrymas refert. *Neque enim eius indumentis inueniri potuit quidquam vilius: nam iis etiam qui sunt pannis valdè obsiti, indigna erant huius sanctæ tegumentæ. Tanta autem erat eius manfuetudo, vt etiam longè superaret simplicitatem ipsorum puerorum. Nulla vituperatio vnquam inuenta est apud hanc quæ Christum gestabat; sed omnis eius vita non vitalis erat in compunctione & frequenti profluuio lacrymarum: & potiùs videre licebat fonti ætatem suæ deficere fluenta, quàm huius non sublimibus & Christum semper videntibus oculis lacrymas deficere. Et quid in his immoror? quo enim magis meus versabitur animus in duræ instar saxi animæ narrandis certaminibus & virtutibus, eo magis inuenientur verba à factis remotiora. Nec me existimet aliquis hæc splëdidè & magnificè colligere de hac vel maximè impatibili, & perquirere reliquias totius Olympiadis, quæ fuit pretiosum vas sancti Spiritus: sed qui his oculis viderim huius beatæ vitam & angelicam institutionem.* Atque hæc omnia præstabat morbis afflicta. Denique Olympias calumnias, bonorum spoliationem & exilium, eò quòd faueret S. Iohanni Chrysostomo, ab æmulis eius fortiter sustinuit, & cum Chrysost. quasi martyrij lauream adepta est, vti videre est apud S. Chrysost. epist. 5. quæ est consolatoria ad eam scripta, & apud Baron. an. Christi 404. Quænam vidua, quænam virgo amore virtutis incensa, hæc legens non confundatur? non compungatur? non accendatur ad sanctam heroinæ huius æmulationem?

ADOLESCENTIORES (νεωτέρας, id est iuniores) VERS. 11.
AVTEM VIDVAS DEVITA] παραιτοῦ, id est reiice, ne in collegium viduarum Deo dicatarum, quæ ab Ecclesia aluntur, admittas: hoc enim tantùm matronis grauibus, & plenè probatis constare volo, quæ Ecclesiæ sint honori & omnibus exemplo ac ædificationi. Iuniores autem leuiores sunt & magis mutabiles, adeoque expertus sum nonnullas, postquam ad castitatis professionem & collegium hoc viduarum admissæ fuerunt, resiliisse, & nuptias ambiuisse. nolo ergo deinceps iuniores admitti. Patet ex sequentibus, & ex v. 9.

CVM ENIM LVXVRIATÆ FVERINT IN CHRISTO, NVBERE VOLVNT] *Luxuriatæ*, id est fornicatæ, inquit Hieron. ad Geruntiam, q. d. Cùm viduæ hæ cœperint sectari amasios, cum eisque occultè fornicari, tandem publicè & palàm nubere volunt, idque in Christi iniuriam, cui per votum castitatis iam ante se desponderant. Verùm Græcum καταστρηνιάσωσι proprie non significat fornicari, sed se bene pascere, indeque hilariùs quàm decet exultare, lasciuire, ac tandem ferocire, omneq; iugum excutere. nam στρηνιᾶν est luxuriari, id est lasciuire, deliciari, Apoc. c. 18. 7. inde ἀποστρηνιάω dicitur ἀπὸ τοῦ στρέφειν καὶ ἀποστρέφειν τὰς ἡνίας, id est, ab excutiendo frænos. Sumpta est metaphora à iumentis, quæ dum pabulo bene saginata sunt, ferociunt, auellunt habenas, & suopte arbitrio feruntur. Sensus ergo est: Viduæ hæ iuniores cùm in domo Dei ab Ecclesia bene alitæ & pastæ fuerint, quasi vituli saginati recalcitrant, & Christi iugum, ac professionem castitatis excutiunt, ac ruptis votis, quasi vinculis nubere volunt: *idq; in Christo*, id est in Christi iniuriam. vox ergo *luxuriata* non libidinem, sed luxum deliciarum hic significat. Vnde Cyprian. lib. 3. testim. 74. ad Quirinum legit, *cùm indelicatæ fuerint in Christo.* *Quid καταστρηνιάσωσι.*

Rursum Tertull. libr. de Monogamia hæc intelligit de spiritualibus deliciis Christi, putà oratione, consolationibus internis, Sacramentis, verbo Dei, &c. q. d. Apostolus: Cùm tales viduæ se consecrauerint Christo, illiusque delicias spirituales vsæ fuerint, eò impudētiæ deueniunt, vt carnales delicias experiri, & nubere velint. Verùm melius de corporalibus deliciis hæc accipiemus; illæ enim causa sunt cur nubere velint: vēter enim mero æstuans despumat in libidinem. Secundus ergo sensus iam datus genuinus est: alludit enim Apostolus ad Deut. 32. 15. vbi dicitur de Hebræorum populo, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, & dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

Vbi Nota. Nonnulli τὸ *in Christo* explicant, vt idem sit quod, in Christi deliciis. *Quid τὸ in Christo.*

Secundò, Haymo τὸ *in Christo* refert ad *nubere*, q. d. Nubere volunt in Christo, id est, viro Christiano, qui est in Christo. Verùm dico, *in Christo*, idem est quod, in Christi iniuriam: hoc enim significat

gnificat Græcum κρῖ in verbo κατακρίνῃ ἐσωσι, incluſum, idque clarè ſignificat phraſis Græca: κατακρίνειν ἐσωσι δ' κρίσιν.

VERS. 12. HABENTES DAMNATIONEM, QVIA PRIMAM FIDEM IRRITAM FECERVNT] Pro *damnationem* græcè eſt κρῖμα, quod Bucerus, & ex eo Petrus Martyr vertunt, infamiam, vel accuſationem coram hominibus; q.d. Hæ viduæ ſi nubant, non peccant quidem, ſubeunt tamen notam leuitatis & inconſtantiæ, quòd à viduitate quam publicè amplexæ & quaſi profeſſæ ſunt, reſiliant ad coniugium.

Bucerus pro damnationem vertit infamiam.

Refellitur Primò.

Verùm Græcum κρῖμα non ſignificat infamiam, ſed iudicium condemnationis; itaque vertit non rantùm noſter Interpres, & Syrus: ſed & omnes Patres Latini & Græci, quin & Caluinus, Beza, Eraſmus, Lutherus: nam ita vbique κρῖμα, pro iudicio & damnatione accipit Paulus, vt patet Rom. 3. 8. Rom. 13. 2. 1. Corinth. 11. 29. Galat. 5. 10. & alibi.

Secundò.

Secundò, has viduas non tantùm coram hominibus fuiſſe infames, ſed & coram Deo reas & damnabiles patet v. 15. vbi ait, *Iam enim quædam conuerſæ ſunt retrò poſt Satanam*; quia videlicet relicto Chriſto, cui per votum continētiæ ſe deſponderant, Satanam & Aſmodæum, libidinis & ſacrilegarum nuptiarum incentorem ſecutæ ſunt.

Tertiò.

Tertiò, non eſt leuitas, nec infamia, ſi à viduitate, in qua tægrè continere, & caſtè viuere poſſis, imò fornicationi indulgeas, tranſeas ad coniugium: imò apud hæreticos laudabile eſt, à monachiſmo & votis continentiæ publicè à Deo nuncupatis tranſire ad nuptias. Et tamen viduas has hîc taxat Apoſtolus quaſi infames, eò quòd ad nuptias tranſeant, vt vult Bucerus: ergo viduæ hæ continentiam erant profeſſæ, eique per votum C
aſtrictæ, ideoque per nuptias fiebant infames; nec enim alia infamiæ cauſa hîc fingi poteſt. Si enim liberæ erant nec voto aſtrictæ, ſine infamia nubere poterant: iam verò quia vouerant caſtitatem, & tamen nubebant, ab Apoſtolo totaque Eccleſia iudicabantur infames: ac conſequenter iudicio Apoſtoli & Eccleſiæ, pari ratione omnes monachi & monachæ, qui poſt profeſſionem caſtitatis ad nuptias tranſeunt, iudicantur infames. Vide quàm iudicium Apoſtoli iudicio Nouantium ſit contrarium.

QVIA PRIMAM FIDEM IRRITAM FECERVNT] *Fidem* ſcilicet Deo datam, id eſt votum continentiæ. Negat id Lutherus, & per fidem accipit fidem Euangelicam, vel fidem in baptiſmo Deo datam; q.d. Hæ viduæ, quia luxuriatæ, id eſt fornicatæ, ſunt, hinc quaſi meretrices infames apud D
Chriſtianos factæ fugerunt ab eis, & fidem Chriſto datam in baptiſmo violantes redierunt ad infidelitatem, & ad ſuos infideles, ideoque damnabuntur.

Quid ſit primam fidem irritã facere

Reſp. Lutherus, eſſe idem quod fieri infidelem.

Refellitur Primò.

Verùm hoc imperitè dicitur. Primò, quia meretrices æquè infames erant apud infideles atque apud fideles. Sin ad coniugium tranſirent, æquè laudabiles erant apud fideles atque apud infideles; ſi demas votum, vti demit Lutherus & Nouantes, qui negant has viduas feciſſe vota continentiæ. non ergo infamiam vitabant illæ redeundo ad paganiſmum, ac conſequenter infamiæ declinandæ ſtudium non poterat eas impellere ad paganiſmum.

Secundò.

Secundò, non infidelitatem earum, ſed nuptias poſt votum continentiæ hîc taxat Apoſtolus: A
Cùm, inquit, *luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ergo hoc ipſo quo nubunt, habent damnationem & primam fidem irritam faciunt. τὸ enim *habentes damnationem* cohæret cum *nubere volunt*, eiuſque eſt effectus & ſequela.

Secundò Caluin. accipit fidem datam, non Deo, ſed Eccleſiæ.

Reſpondet Secundò, Caluinus, *fidem* hanc fuiſſe promiſſionem continentiæ factam non Deo, ſed Eccleſiæ; hanc enim à viduis tacitè & indirectè exegiſſe Eccleſiam, viduaſque eamdem præſtitiſſe, vt eo expeditiùs in ea miniſtrarent, quo magis à marito erant ſolutæ & liberæ: ſicuti ancillæ dum dominis ſuis ſe elocant, tacitè promittunt ſe interim non nupturas; nec enim ſimul marito, & hero ſeruire poſſunt. *Non edebant*, inquit Caluinus, *in veteri inſtituto directum continentiæ votum, quaſi minùs Deo placeret vita coniugalis: B
ſed tantùm quatenus exigebat functio, ad quam eligebantur hæ viduæ, coniugij vinculo ſe in totam vitam ſoluebant.*

Refellitur Primò.

Verùm hinc ſequitur Primò, licere exigere & promittere continentiam Eccleſiæ, tacitè ſaltem & indirectè; ſi id licet tacitè & indirectè, cur non etiam liceat directè & expreſsè? Rurſum, ſi Eccleſia licitè exegit à viduis promiſſionem continentiæ, cur non potiori iure exigat à ſacerdotibus? Quid ergo cælibatum ſacerdotibus indictum tyrannidem eſſe Eccleſiæ occlamat Caluinus cum ſuis?

Secundò.

Secundò, ſi licet promittere continentiam Eccleſiæ ad expeditiùs illi ſeruiendum; ergo eadem de cauſa eamdem licebit promittere Deo, ſiue vouere; & ſi viduæ quæ promiſſionem hanc Eccleſiæ factam violant, damnabuntur: ergo multò magis qui fidem Deo datam, putà votum ſuum, C
violant, damnabuntur.

Obiectio.

Dices, τὸ *habentes damnationem* referendum eſt, non ad *nubere volunt*, ſed ad *cùm luxuriatæ*, id eſt fornicatæ, *fuerint*. q.d. Apoſtolus: Hæ viduæ damnabuntur non propter nuptias, ſed propter fornicationem. Sed hoc dici non poteſt: Primò, quia, vt dixi, *luxuriatæ* non ſignificat viduas has fuiſſe fornicatas, ſed deliciatas, & laſciuiſſe in deliciis: hoc autem non eſt peccatum mortale, nec damnabile, niſi eò vſque profiliat quis, vt contra votum nubere velit, idque fatetur hîc Bullingerus.

Refutatur Primò.

Secundò.

Secundò, eſto fuiſſent fornicatæ, illa fornicatio iam præterierat, & pœnitentia ac coniugio, vel voluntate & propoſito coniugij emendata erat: ideo enim nubere volebant, quia ſcortationis eas pudebat, & pœnitebat; ergo propter fornicationem non fuiſſent damnandæ: Apoſtolus autem in præſenti ait, *habentes damnationem*; ergo propter præſentes nuptias in præſenti erant damnabiles, non autem propter præteritam ſcortationem, à qua iam reſipuerant per initas nuptias. Nam ſicut ineptè diceretur de fornicaria, idololatra, vſurario iam pœnitente: Hæc puella, quæ fornicata fuit, & iam pœnitens fornicationis nubere vult, damnationem habet eò quòd fornicata fuit: Hic idololatra conuerſus & Chriſto initiari volens, damnationem habet, quia coluit idola: Hic vſurarius iam reſipiſcens & volens reſtituere vſuras, & iuſtè viuere, damnationem habet, quia vſuras exercuit. cùm potiùs dicendũ ſit: Hæc puella olim fornicata, ſed iam ſe emẽdare & nubere volẽs, hoc ipſo à damnatione ſua recedit: Hic idololatra, & vſura-

vsurarius conuertēs se ad Christum vel iustitiam, recedit à peccato, & consequenter à damnatione. ita pariter ineptè diceret hic Apostolus de viduis, quæ à fornicatione transire volebant ad nuptias honestas, quòd, cùm nubere volunt, damnationem habeant; imò debuisset dicere, eas à damnatione ad statum salutis se recipere.

Tertiò, id apertè repugnat verbis Apostoli: dicit enim, *Habētes damnationem*, non, quia luxuriatæ fuerunt, sed, quia *primam fidem irritam fecerunt*; ergo non propter fornicationem, sed propter fidem, id est, votum continentiæ per nuptias violatum, damnationi sunt obnoxiæ.

Respondeo itaque, & dico: Apostolus *fidem* hîc intelligit Deo datam, siue promissionem Deo factam per votum continentiæ. Hæc enim tam irritatur & infringitur nubendo, quàm fornicando. Dicit ergo Apostolus, viduas has damnationis esse reas, quia irritant votum continentiæ Deo factum, hoc ipso quo volunt nubere. Vnde Chrysost. Theophyl. Oecumen. fidem hanc interpretantur pactum; Ambrosius, professionem; Epiphanius lib. 2. hæresi 48. promissionem; Augustinus, votum: sic enim habet in psal. 75. *Quid est*, inquit, *Primam fidem irritam fecerunt? vouerunt, & non reddiderunt.* Similia habet libr. de Bono viduitatis c. 8. & 9. & de Adult. coniug. c. 15. & 24. vbi disertè ait: *In iis qui vouerunt castitatem, non tantùm capessere nuptias, sed nubere velle damnabile est.* Sic & Chrysost. Theophyl. Oecumen. *Primam fidem irritam fecerunt*, id est, inquiunt, pactum, quod cum Christo sponso fecerunt, violarunt. Eodem modo interpretantur hunc locum Theodoret. Ambros. Fulgentius epist. 1. Clemens 1. Const. 3. Epiphan. hæres. 61. aliiq; Patres Græci & Latini: imò Concilium Carthaginense IV. c. 104. per primam fidem intelligit votum castitatis.

Nota, vocari hîc ab Apostolo primam fidem non votum recèns emissum, vt vult Ambrosius, q. d. Apostolus, Irritum fecerunt votum iam recèns emissum, statim abipso voti primordio: sed prima fides vocatur votum quod primò Deo nuncuparūt. Dicitur *prima* respectu posterioris, quam cum marito homine inire volunt contra fidem primam Deo datam. ita S. August. lib. de Bono viduitatis c. 8. & Innocentius I epist. 2 c. 13.

Nota Secundò. Pro *irritam fecerunt*, græcè est ἠθέτησαν, quod Secundò cum Syro & Vatablo verti potest, *repulerunt* vel *reiecerunt*. Noster etiam rectè vertit, *irritam fecerunt*. sicut enim qui promissionem suam adimplet, eam ratam facit: ita qui non adimplet, eamdem irritam facit. Sic Numer. 30. dicitur: *Si quis virorum votum Domino vouerit, non faciet irritum verbum suum: sed omne quod promisit, implebit.* Sic Genes. 17. qui non circumciditur octauo die, dicitur irritum facere, id est violare, pactum Domini. sic psal 88. dicitur: *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* q. d. Quæ ore meo promisi, non negabo, aut reuocabo; sed re ipsa præstabo & implebo.

Hinc patet, tempore Christi & Apostolorum vsitata fuisse in Ecclesia vota continentiæ; eaque quasi sancta admissa fuisse à Paulo & Episcopis; nam, vt docet S. Thomas 2. 2. q 88. art. 6. opus ex voto factum melius est & Deo gratius illo quod sponte sine voto fit. cuius ratio est, quia opus quod ex voto fit, non tantùm elicitur à propria virtute, verbi gratia castitatis, cuius proprium est opus, sed etiam refertur ad nobiliorem virtutem, putà religionem, à qua imperatur: votum enim est pars quædam & actus virtutis religionis quæ virtutum omnium moralium est nobilissima. vnde S. August. lib. de Sanct. virgin. c. 8. *Neque*, inquit, *ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur. quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur; ac per hoc etiam virginitas corporis spiritualis est, quam vouet & seruat continentia pietatis.* Et infrà *Honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis vouetur, consecratur, seruatur.* Aliam rationem idem dat August. epist. 45. ad Armentarium *Noli te*, inquit, *vouisse pœnitere, imò gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta factis imple, ipse adiuuabit qui vota nostra expetit. felix necessitas quæ ad meliora compellit!*

Ratio prima.

Secunda.

Tertiam rationem dat Ansel. lib de Similitudinib. quòd amplius sit dare arborē cum fructibus, quàm solos fructus, qui non vouet, solos dat fructus virtutum: qui vouet, dat etiam Deo arborem ipsam, scilicet voluntatem & libertatem suam, vt aliud quàm vouit, nec velle, nec facere possit.

Tertia. Qui vouet dat Deo arborem cum fructibus.

Horum votorum in monastica professione sacrum & quasi nuptialem ritum describit S. Dionys. Areopag de Eccles. iast. hierar. c. 6. vide dicta 2. Corinth. 11. 2. Vnde S. August. l. de Bono viduit. c. 11. Cyprian. epist. 62. Hieron. libr. 1. contra Iouinian. adulteras vocant & incusant eas, quæ post continentiæ votum in continentia non viuunt; quia scilicet fidem datam Christo sponso, cui se consecrarunt & per votum quasi mysticè nupserunt, violant. quod intellige non quasi matrimonium, quod post votum inibant, fuerit irritum, adeoque fuerit adulterium, non matrimonium: sed quòd illicitè illud, sacrilegè, & cum graui peccato mortali inirent. Nam S. August. lib de Bono viduit. c. 9 & de Sanct. virgin. c 34. expresè docet virgines, si post votum nubant, validum contrahere matrimonium. Posterioribus verò sæculis Ecclesia statuit, vt voto solemni castitatis, quale faciunt monachi & Religiosi, dirimeretur matrimonium; ita vt, si monachus iam inire velit matrimonium, frustra id attentet, nec cum aliqua validum contrahere possit matrimonium. Quando hæc solemnitas voti cœperit esse impedimentum dirimens matrimonij, non adeò constat. verisimile est diuersis in locis diuersis temporibus cœpisse, sed generatim à tota Ecclesia receptum esse sub annum Domini 1139. quando sub Innocentio II. in Concilio Romano hoc impedimentum communi Episcoporum decreto sancitum & constitutum est.

Quæ vouēt continentiā sunt sponsæ Christi.

Olim votū continentiæ non irritabat matrimonium.

Quando hoc votum cœperit irritare matrimonium.

SIMVL AVTEM ET OTIOSÆ DISCVNT CIRCVIRE DOMOS] Dedit primam causam, cur adolescentiores viduas nolit admitti in cœtum viduarum quæ ab Ecclesia aluntur, scilicet quòd, cùm ab Ecclesia delicatè habeantur, nubere velint: hîc dat secundam, scilicet quòd cùm labore sibi victum parare non debeant, otio vacent, & otiosè per domos oberrent; hoc autem turpe est in feminis, maximè viduis. Vnde Aristoteles 5. Politicorum asserit suo tempore in vrbibus creatum fuisse præfectum, qui mulieribus intenderet ne vagarentur, sed domi se continerent: & apud Sinas, inquit Magallianus, etiam hodie neruus pedis eliditur puellis, ne domo exeant.

VERS. 13.

Præfectus mulierum ne vagarentur, tempore Aristotelis.

Nota de Sinis.

NON

NON SOLVM OSIOSÆ SED ET VERBOSÆ (φλύαροι, id est nugaces, ineptè loquaces, garrulæ) ET CVRIOSÆ, LOQVENTES QVÆ NON OPORTET] Nimirum ex otio sequitur circumcursatio, garrulitas & curiositas, aliaque feminarum vitia, vt docet S. Augustin. lib. de Sancta virgin. c. 33. Nam, vt solerter dicit Plato l. 6. de Legibus, *femina aliud genus hominum est & differens*, nobisque occultius & versutius natura, propter imbecillitatem, atque ita minùs ordinari potest: vt ergo ordinetur, congruè & perpetuò occupari debet. Hinc S. Hieron. epist. 7. ad Lætam de institut. filiæ ita præcipit: *Orationi lectio, lectioni succedat oratio. breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere*, &c. Atque illud est, quod in forti illa muliere laudat Salomon Prouerb. 31. v. 13. & 19 dicens: *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum, manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. stragulatam vestem fecit sibi*, &c.

Femina est aliud genus hominum, ait Plato.

Semper occupari debet.

VERS. 14. VOLO ERGO IVNIORES NVBERE, FILIOS PROCREARE, MATRESFAMILIAS ESSE, NVLLAM OCCASIONEM DARE ADVERSARIO MALEDICI GRATIA] Apostolus hic *non legem figit iunioribus viduis; sed remedium ostendit*, inquit Augustinus c. 8. de Bono viduit. scilicet vt nubant cùm est in eis periculum luxuriæ & incontinentiæ, vti præcessit. ita S. Ambros. lib. de Viduis: *Pro remedio*, inquit, *nuptias suasit Paulus, vt peritura sanaretur, non pro electione præscripsit.* Vnde & Chrysost. *Volo*, inquit, *quia ipsæ volunt, & nupturiunt.* Et S. Hieron. epist. 11. ad Ageruchiam: *Non viduas vetat esse Paulus, sed adulteras; quia melius est digamum esse, quàm scortum.* Idem ad Saluinam epist. 8. *Cur*, inquit, *nuptias Paulus indulserit, statim subiecit: Iam quædam declinauerunt post Satanam. Ex quo intelligimus non stantibus coronam, sed iacentibus manum porrigere. Vide qualia sint secunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur: quia declinauerunt quædam post Satanam. ideo adolescentula vidua, quæ se non potest continere, vel non vult, maritum potiùs accipiat, quàm diabolum.* Et Primasius: *Volo*, inquit, *id est, concedo tales nubere, antequam promittant, quod non valent implere.*

Apostolus non iubet, sed suadet iuniores nubere.

Pulchrè id docent Patres.

Hinc patet Primò, Apostolum loqui tantùm de viduis, eisque liberis, nec voto astrictis, quibus non præcipit, sed indulget & pro remedio incontinentiæ offert nuptias: alioqui enim damnaret omnes viduas iuniores, quæ sponte sua magna animi constantia in cælibatu & viduitate permanere constituerunt. quod nemo sanæ mentis dixerit, cùm ipsa S. Scriptura laudet Annam prophetissam, quòd, postquam vixisset cum viro suo septem annis à virginitate sua, vidua permanserit vsque ad annos 84. Lucæ 2. 36.

Apostolus non loquitur de voto astrictis,

Adde, Apostolum multarum inconstantiam expertum optasse, vt iuniores passim nuberent: id significat vox illatiua *ergo*, cùm ait, *Volo ergo iuniores nubere, quia* scilicet *multæ cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.* Namillas, quæ castitatem & constantiam suam satis probassent, maluit Apostolus continere & manere cælibes, vt patet 1. Corinth. 7. 8. *Dico*, inquit, *non nuptis & viduis, Bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego.* & addit, *Quòd si se non continent, nubant.* Ne ergo Apostolus sibi hic sit contrarius, idem hîc suppendum est hoc modo, *Volo iuniores nubere*, subaudi, *si se non continent.*

& de inconstantibus, quæ nolunt continere se.

Sic iam suademus puellis, præsertim leuioribus & inexpertis, dicentes: Aut nube aut te recludè. & vulgò dicimus: Mulieri aut murus, aut maritus: quia nimirum ob ætatis & sexus illius infirmitatem multis periculosum est priuatim profiteri virginitatem domi suæ, cùm inter iuuenes, aliasque libidinis illecebras assiduè versetur: vnde expedit eis, vel vt nubant marito, vel vt muro & claustro monasterij, si virginitatem vouere velint, se includant.

Mulieri aut murus aut maritus.

His tamen non obstantibus videmus sanctas & castissimas virgines, quæ occasiones omnes luxuriæ fugiunt, secq; diu probarunt, & mentè planè in castitate confirmarunt, domi suæ puram & angelicam vitam agere: idq; viri prudentes eis consulunt & laudant. experientia enim docet, eas ita sine periculo piè admodum & sanctè viuere; vt, si virginitatem voueant, quod nonnullæ faciunt, facilè cum Dei gratia eam præstare possint.

Hinc patet Secundò, Apostolum non damnare adolescentularum vota, vt vult Caluinus, quando scilicet rectè se probant, maximè in monasteriis, vbi reclusæ, & à mundo, mundique illecebris ac tentationibus separatæ annum iam habent probationis ac nouitiatus, quem tempore Pauli non habebant; magistras insuper, orationes, aliaque adminicula continentiæ. Vnde & Conc. Tridentinum iubet eas ante professionem ab Episcopo, vel Episcopi vicario examinari, an satis probatæ & paratæ sint; vetatque ne qua ad professionem admittatur, quæ satis probata & parata reperta non fuerit. Pulchrè S. Ambrosius lib. 3. de Velandis virginib. *Non mireris*, inquit, *in adolescentulis professionem, cùm legis in paruulis passionem; & de his scriptum est, Adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

Apostolum non damnare vota adolescentularū, probatur Primò.

Secundò.

Subdit Ambrosius, quòd adolescentia & senectus, non in annis, sed in morum vel leuitate, vel maturitate consistat. *Non ergo*, inquit, *ætas reiicitur florentior, vbi morum est senecta. Theclam non senectus, sed virtus probauit. Ex ore infantium perfecisti laudem.*

Theclam non senectus, sed virtus probauit.

Adde, Apostolum loqui de adolescentulis, non virginibus, sed viduis, in quibus ob habitum coniugij difficilior & periculosior est continentia, vt dixi ex Chrysost. Vnde etiamnum in multis monasteriis virginum non admittuntur, vel ægrè admodum viduæ, quia vix assurgunt ad puritatem virginum, quin in verbis & gestibus coniugem & coniugium redoleant, &, si corruptis sint moribus, plurimas corrumpant.

Tertiò.

Cur Monachæ ægrè admittant viduas.

Denique Nouantibus lapsus aliquarum exaggerantibus respondeat S. Augustin. epist. 137. ad clerum & populum Hipponensem. *Si aliqua*, inquit, *adulterata sit, nemo proiicit vxorem suam, nemo matrem accusat; cùm autem de Deo sacrato aliquid criminis falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt vt de omnibus credatur.*

Quartò.

Moraliter, hoc consilium Apostoli sequantur confessarij, vt iuuenculis, præcipuè quæ domi inter suos degunt, vota præsertim perpetua continentiæ non permittant, nisi diu & planè castitatem probarint: potiùs initio menstrua tantùm, vel annua vota eis concedant, vt de mense in mensem, vel de anno in annum votum renouent & prolongent.

Confessarij adolescentulis potiùs menstrua, quàm perpetua concedant vota.

FILIOS PROCREARE] Sub procreatione hîc vti & c. 2. v. 15. etiam rectam educationem filiorum intellige: hæc enim potissimus est finis & potissimum bonum matrimonij, *vt parentes filios suos ex*

mentis

membris primi hominis transferant in membra Christi, inquit Augustin. lib. 1. de Nuptiis & concupisc. 4.

MATRESFAMILIAS ESSE] οἰκοδεσποτεῖν, id est, domum siue familiam administrare & gubernare. Notat nomen matris, vel patrisfamilias, ancillas & seruos, qui sunt in familia, ab heris tractari debere quasi filios, vt solerter annotauit S. Augustin. lib. 19. de Ciuit. c. 16. imò & Gentilis Macrobius libr. 1. Saturn. c. 11. Vnde S. Hieron. ad Cælantiam, *Familiam tuam,* inquit, *ita rege & contine: vt te matrem magis tuorum, quàm dominam videri velis; à quibus benignitate potiùs quàm seueritate exige reuerentiam.*

NVLLAM OCCASIONEM DARE ADVERSARIO MALEDICTI GRATIA] *Aduersarium* intelligit hominem infidelem, vel potiùs diabolum; hic enim græcè antonomasticè cum articulo dicitur, ὁ ἀντικείμενος, id est, ille aduersarius, qui scilicet homines omnes suscitat vt aduersentur Ecclesiæ Christi; idque *maledicti gratia,* id est, ad Ecclesiæ maledicendum: hoc enim significat Græcum λοιδορίας χάριν. Secundò, τῷ χάριν, id est gratia, quasi redundet, omisso, sic clarè cum Syro vertas, *nec aduersario dare occasionem maledicentiæ.* Ne scilicet diabolus incitet infideles, si videant iuniores viduas otiosas, vagas, adeoque impurè viuentes, vt maledicant Ecclesiæ; hinc *volo eas nubere,* & in domus cura occupari, vt earum iuuenilis inconstantia matrimonij iugo astringatur, alligetur & firmetur, inquit Theophyl.

15. IAM ENIM QVÆDAM CONVERSÆ SVNT (Ambrosius legit, deerrauerunt) RETRO SATANAM] ὀπίσω τοῦ Σατανᾶ, id est, post Satanam. q.d. Quædam relicto Christo, cui se per votum continentiæ desponderant, secutæ sunt Satanam incentorem libidinis omnisque peccati, dum contra votum nuptias hominum inierunt. Hîc detegit Apostolus causam, cur velit iuniores nubere, esse, non quòd nuptiæ meliores sint & gratiores Deo, sed quòd eis periculum foret ab incontinentia, in quam expertus erat multas iuniores labi. ita Theophyl.

16. SI QVIS FIDELIS HABET VIDVAS, SVBMINISTRET ILLIS, ET NON GRAVETVR ECCLESIA: VT IIS QVÆ VERE VIDVÆ SVNT, SVFFICIAT] Græci, Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen. legunt εἴ τις πιστὸς ἢ πιστή, id est, si quis fidelis, aut si qua fidelis. Noster sub masculino *si quis,* comprehendit femininum *siqua.* q.d. Apostolus: Si quis Christianus paterfamilias, aut si qua Christiana materfamilias domi habet viduas, putà matrem, sororem, cognatam, iam grædæuas, quæ suo labore victum sibi parare non possunt, alat eas sumptibus suis, & non grauet Ecclesiam, vt Ecclesia possit alere eas quæ verè viduæ sunt, id est, omni solatio & ope destitutæ sunt.

Nota. Pro *subministret,* græcè est ἐπαρκείτω, id est sufficiat illis, scilicet non ad lasciuiam, sed ad vitæ necessitatem & sufficientiam.

17. QVI BENE PRÆSVNT PRESBYTERI, DVPLICI HONORE DIGNI HABEANTVR: MAXIME QVI LABORANT IN VERBO ET DOCTRINA] Transit à viduis ad Pastores, qui docent & prædicant verbum Dei, & hos magis quàm illas ab Ecclesia alendos esse docet.

Vnde Nota Primò. Per presbyteros intelligit tam Parochos, quàm Episcopos. Secundò, per honorem non tantùm accipit reuerentiam, sed & subsidium ac alimoniam. sic enim se explicat subdens, *Non alligabis os boui trituranti, &, dignus est operarius mercede sua.*

Quæres, quis sit duplex honor, quem Apostolus presbyteris vult impendi? *Quis duplex honor debitus presbyteris.*

Respondent Primò, Ambrosius & Haymo, duplicem honorem esse reuerentiam & alimoniam. Secundò, Chrysost. duplicem accipit respectu viduarum, quasi viduæ simplici honore, id est alimonia; presbyteri verò duplici, id est duplo maiori, sustentandi sint. Tertiò, optimè idem Chrysost. Theoph. & Theodor. *duplici* inquiunt, id est multiplici. q.d. Presbyteri multo, liberali & abundanti honore, id est, subsidio sustentationis præmientur. Vult enim Apostolus Prælatos, doctores & prædicatores liberaliter haberi, bene & copiosè ali ac tractari: hi enim multùm laborant, & si bene habeantur, magis ac melius laborare, plusque fructus facere possunt. Sic Ieremiæ 17. 18. dicitur: *Duplici* (id est multiplici) *contritione contere eos.* & Prouerb. 31. v. 21. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus,* id est, multas & copiosas habent vestes. & Isaiæ 40. 2. *Suscepit duplicia de manu Domini.* q.d. Ierusalem plurima bona, charismata & consolationem ex misericordia Dei suscepit per Christum pro peccatis & pœnis peccatorum, quas merebatur. Denique 4. Reg. 2. v 9. petit Elisæus Eliæ spiritum duplicem, id est, magnum & vehementem, valdè zelosum, & magnorum operum patratorem. Idem iubet S. Clemens ex doctrina Apostolorum lib. 2. Const. Apost. c. 28. vbi ita sancit: *Presbyteris, si assiduè in studio docendi verbum Dei laborauerint, seponatur dupla etiam portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tanquam consiliarij Episcopi, & Ecclesiæ corona: sunt enim concilium & senatus Ecclesiæ.* *Tertiò & optimè, duplex, id est multiplex.* *Elisæus petit Eliæ spiritum duplicem, id est magnum & multiplicem.*

DICIT ENIM SCRIPTVRA, (Deuter. 25.) NON ALLIGABIS OS BOVI TRITVRANTI] Ad litteram iusserat hoc Dominus Deuter. 25. vt bobus propriè dictis, quibus ad triturandum vtuntur Palæstini, non clauderent os, quin de sua tritura possent comedere: sed per hos boues allegoricè, vt explicat hîc Paulus, intelligit Pastores, qui vt boues laborant in area Domini, valido scilicet & vehementi labore, qualis est triturantium, præsertim boum: ac consequenter edicit æquum esse, vt de hoc suo labore & tritura viuant & sustententur. vide dicta 1. Corinth. 9. 9. VERS. 18.

DIGNVS EST OPERARIVS MERCEDE SVA] Mercedem non propriè dictam, putà pretium aliquod temporale; sed sustentationem dumtaxat intelligit. Nam concionari, Sacramenta, aliaque spiritualia administrare pro mercede, id est pretio temporali, non licet: esset enim simonia. Gratis ergo hæc ministrant Pastores, & tantùm sustentationem exigunt, propriam mercedem in cælo à Domino expectantes. Vnde August. serm. de Pastoribus c. 2. *Accipiant,* inquit, *Pastores sustentationem necessitatis suæ à populo; mercedem verò dispensationis à Domino: non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Euangelij seruiunt.* *Pastor accipiat sustentationem à populo, mercedem expectet à Deo.*

Nota. Hæc sustentatio dicitur *merces,* non quasi detur, & reipsa sit pretium operi spirituali æquiualens: hoc enim non tantùm simoniacum est, sed & falsum. Spiritualia enim nullo pretio temporali æstimari aut compensari possunt. Dicitur ergo hæc sustentatio *merces,* quia propter opus spirituale ex iustitia debetur sacerdoti sustentatio, sicut *Sustentatio vocatur merces, cur? Resp. Primò, quia ex iustitia debetur operi.*

sicut hortulano propter laborem debetur merces diurna: sed hoc discrimine; quòd hortulanus recipiat eam vt pretium æquiualens, sacerdos verò eam recipit quasi aliquid longè minus & vilius suo opere, nec vt operis sui pretium (opus enim spirituale omne pretium temporale transcendit, nec vllo tali pretio æstimabile est) sed tantùm vt sustentationem, ex iustitia tamen operi suo debitam: nam sine sustentatione opus suum spirituale obire nequit.

Secundò, quia debetur labori extrinseco, & vi. multi volunt, intrinseco.

Adde, multi Theologi docent, pro labore non tantùm præuio vel extrinseco, vt pro cantu in Officio diuino, pro itinere quod subit sacerdos vt in pago, aut alio loco celebret & concionetur: sed etiam pro intrinseco labore, putà pro fatigatione & molestia, quam subit in docendo, concionando, confessiones audiendo, &c. posse sacerdotem recipere mercedem, quasi pretium non operis spiritualis, sed laboris, occupationis & fatigationis suæ. ita Adrianus quodlib. 9. art. 1. Bonauent. in 4. dist. 25. q. vlt. de simonia, Richardus eadem dist. a. 3. q. 2. Sed de hoc alibi.

VERS. 19. ADVERSVS PRESBYTERVM ACCVSATIONEM NOLI RECIPERE, NISI SVB DVOBVS AVT TRIBVS TESTIBVS] Præscribit hîc Timotheo Episcopo quomodo se gerere debeat in diiudicandis causis forensibus. Vnde patet Episcopos tunc fuisse iudices.

Nota. Per *presbyterum* Chrysost. Theophyl. & Oecumen. accipiunt seniorem; vt presbyter hîc sit nomen non ordinis, sed ætatis. Verùm ordinis esse nomen patet ex v. præced. significat ergo *presbyter* hîc tum Episcopum, vt explicat Ambros. Theodoret. Primas. tum sacerdotem, vt explicat Epiphanius hæres. 57. & alij. Ne quis ergo presbytero inuidens suum gradum & ordinem, illi calumniam struat, eumque criminis alicuius accuset, audiri eum non vult, nisi id probet duobus aut tribus testibus. & meritò: si enim in laici crimine & accusatione id requiritur, multò magis id dandum est presbytero, cui ordo & gradus tam eminens frænum est cohibens eum à flagitio, vt de eo facilè aliquid suspicari nemo debeat.

Syluester in accusatione Episcopi requirit 72. testes.

Hinc postea Syluester II. cap. *Præsul*, longè plures requirit testes: *Præsul*, inquit, *non damnetur, nisi septuagintaduobus testibus, presbyter autem Cardinalis non nisi quadragintaquatuor testibus; Diaconus non nisi vigintiocto; subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi cum septem testibus non condemnetur. Quia*, inquit, *tales in Ecclesia institui debent, quorum sanctitati plus credatur, quàm multis testibus.*

VERS. 20. PECCANTES CORAM OMNIBVS ARGVE: VT ET CÆTERI TIMOREM HABEANT] *Peccantes*, publicè scilicet, quicumque illi sint, siue laici, siue, vt præcessit, presbyteri in iudicio per testes conuicti; hos publicè coram omnibus argue. Triplex enim est publicum; primum, quod in iudicio forensi est traductum; secundum, quod per facti euidentiam; tertium, quod per communem famam factum est publicum. De publico peccato Apostolum loqui docet Chrysost. Theophyl. & Oecum. nam alioqui occultum peccatum non publicè, sed priuatim esse corrigendum docet Christus Matth. 18. 15. hocque requirit iustitia & charitas Christiana. ita S. August. serm. 16. de verbis Domini secundùm Matthæum conciliat hæc verba Pauli cum verbis Christi.

VERS. 21. TESTOR (διαμαρτύρομαι, id est obtestor te; ita Syrus & alij) CORAM DEO, ET CHRISTO IESV, ET ELECTIS ANGELIS, VT HÆC CVSTODIAS SINE PRÆIVDICIO, NIHIL FACIENS IN ALTERAM PARTEM DECLINANDO] *Electos angelos* vocat bonos & sanctos, quos Deus ad suam gloriam & beatitudinem ob eorum humilitatem, obedientiam, religionem & charitatem elegit; eosque opponit Lucifero & angelis reprobis, scilicet dæmonibus.

Nota. *sine præiudicio* aliqui referunt ad *nihil faciens*. q. d. Nihil facias nisi rem bene priùs indagaueris, & prudenter diiudicaueris. ita Ambrosius. Secundò & melius, alij referunt *sine præiudicio* ad *hæc custodias*, scilicet, q. d. Testor & obtestor, vt ea quæ dixi de presbyteri accusatione, deque peccantibus arguendis, facias & custodias sine præiudicio, id est sine præoccupatione & præcipitatione iudicij, ita vt nemo te præoccupet, sibique conciliet, vt, antequam alteram partem audieris, aut rem totam æquo & indifferenti animo examinaueris, mente præiudices, & ei qui te præoccupauit, causam adiudices. Vnde Syrus vertit, *nulla anticipatione præoccupetur mens tua*. Hinc alij vertunt, *sine præferentia*, quasi vnum quasi amicum, diuitem, nobilem, &c. alteri præferas, custodi hæc mandata mea: iudicium enim debet ferri de causa, non de persona.

Index cauet præiudicio.

Hunc sensum probant sequentia: *Nihil faciens in alteram partem declinando*. quibus verbis alludit ad libram, vel bilancem, quæ vt iusti sit ponderis, & legitimè ponderet ea, quæ ipsi imponuntur, debet esse in æquilibrio, ita vt in vnam partem non magis inclinet, quàm in aliam, nec vna lanx magis attollatur, aut deprimatur quàm altera. debet enim iudex quasi in lance iura litigantium ponderare & expendere, ita vt in neutram partem propendeat: sed vnicuique causæ suum pondus & momentū permittat, illique, quæ alteri præponderat, rem adiudicet: si secùs faxit, nec causæ, sed voluntatis huic magis quàm illi fauentis, pondus & inclinationem sequatur; rectum iusti iudicis iudicium peruertet, peruersamq; feret sententiam.

Iustitia pingitur quasi virgo cæca cum æqua bilance.

Hinc iustitia pingitur quasi virgo cæca, personam non respiciens, cum æqua bilance, qua cuiusque ius appendit & ponderat. Sic à Virgilio Iupiter iustus iudex pingitur:

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet.

Triplex lectio in Græco.

Rursum Notā. In Græco triplex est lectio. Noster legit per iota, χ προσκλισιν, id est, secundùm declinationem, vel declinando. Secundò, alij legunt, nihil facias χ προσκλησιν per η, id est secundùm aduocationem, quasi non iudicem, sed alterius partis quam amas, aduocatum agas; verùm tum potiùs dicendum fuisset προσκλησιν, quàm προσκλησιν. Tertiò, Oecumen. & Erasmus legunt χ προκλησιν, id est, sed secundùm prouocationem. q. d. Nihil facias secundùm animi motum & imperium, qui iudicem ad temerè ferendam sententiam in odium vel fauorem alterius partis, prouocet. Sed nostra lectio est optima, & aptissimè cohæret cum metaphora bilancis; vnde eam sequitur Ambros. Chrysost, Theoph. & alij. Vnde & Syrus vertit, nihil facias, בְּמַסְבְּרָא אַפֵּא *bemassab deappe*, id est, per acceptionem personarum.

VERS. 22. MANVS CITO NEMINI IMPOSVERIS, NEQVE COMMVNICAVERIS PECCATIS ALIENIS] Aliqui hoc intelligunt de absolutione in Sacramento pœnitentiæ: confessarij enim, qui peccatoribus

Confessarij quos absoluunt, eorum peccata in se transferunt.

verbi

verbi gratia concubinarijs, vsurarijs, simoniacis confitentibus non satis contritis, aut non habentibus propositum efficax emendandi se, aut nolentibus restituere per simoniam, vsuram aliaque iniustè acquisita, manus imponunt, eosq; absoluunt; omnibus eorum peccatis communicant, eaque in se transferibunt, omniumque rei fiunt, ac pro ijs Deo pœnas dabunt.

Vbi Nota, in Sacramento pœnitentiæ pœnitentibus à sacerdote manus imponi, vt hoc symbolo à seruitute peccati eos liberari & manumitti significetur. Sic olim Romani Prætores seruorum, quos manumittebãt, capita virgula quadam, dicta Vindicta, vel vindicia, tangebant. Vnde Cicero in Topicis: *Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber.* Et Persius satyra 5.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi,
Cur mihi non liceat iussit quodcunque voluntas?

Hinc Pœnitentiarij Romæ virgas gestant, easque capiti pœnitentium imponunt, vt significent se eos à seruitute peccati in libertatem filiorum Dei asserere: hac de causa putant nonnulli virgas Apostolis esse datas, Marci 6.8. Pari modo Assuerus rex virgam auream extendit super collum Esther c.15. in symbolum impetratæ à se gratiæ. ita Salmeron in prolegomen. disp. 29.

Verùm quia Episcopo Timotheo loquitur Paulus, cui proprium & præcipuum munus est ordinare presbyteros aliosque Ecclesiæ ministros, & quia Apostolus alibi per manus impositionem intelligit ordinationem, cuius rei & ritus tres causas dedi cap.4. v.14. hinc meliùs Theodor. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Primas. & alij passim censent Apostolum loqui de hac ordinatione. q. d. Vide ô Timothee Episcope, ne quem temerè ordines, sed vnumquemque priùs proba & examina, an probatæ sit vitæ & doctrinæ, talique gradu dignus: alioqui particeps fies peccatorum & scandalorum, tum eorum quæ talis post ordinationem in suo gradu committet, tum eorum quæ ante ordinationem admisit, quia propter ea ordinatione, est indignus; si ergo eum ordinas, tali gradu dignum esse iudicas, ac consequenter videris eum eiusque mores & peccata approbare; itaque eorumdem particeps efficeris.

Hinc Concilium Tridentinum sess. 23. exactum examen tum doctrinæ, tum vitæ, ordinationi cuiusque præmittendum sub graui censura sancit. vide Chrysost. lib.4. de Sacerdotio, quàm malum sit indignos & inidoneos ordinari.

Legitur in Vita S. Leonis Papæ I. quæ eius operibus præfigitur (quod & ex Sophronio recenset Baronius an. Christi 461.) quòd, cùm S. Leo orationibus & ieiunijs vacans ad sepulchrum S. Petri, Dei misericordiam ac peccatorum veniam imploraret, hoc responsum à S. Petro acceperit: *Deprecatus sum pro te Dominum, remisitq; ille tibi peccata, vt solùm hoc à te expetendum & a te postulandum superfit, quibus aduersus Apostolicam legem manum temerè imposueris.* Quòd si hæc fiunt in ligno viridi, in arido quid fiet? Leone enim quis sanctior & prudentior.

TEIPSVM CASTVM CVSTODI] Græcum ἁγνὸν proprie castum & libidinis expertem ac oforem significat.

Secundò tamen, significat purum & immaculatum ab omni culpa; vnde Syrus vertit, temetipsum serua בְּדַכְיוּתָא *bedackeiuta*, id est, in puritate,

A innocentia. & S. Augustl. lib. de Gratia & lib. arbitrio, cap.4. legit, *continue teipsum*. Continentia enim generalis est virtus quæ omnes animi passiones moderatur & continet, easque fræno rationis inhibet & regit. *Continentia omnes animi motus continet*

Vnde Theodoret. *castum* hîc interpretatur incorruptum & mundum à peccato, præsertim illo, quo citò & temerè cuipiam manus imponuntur, itaque peccatis ipsius cõmunicatur, vti præcessit. Idipsum ita declarat S. Augustl. lib.2. contra epist. Parmen. c.21. *Docuit*, inquit, *Apostolus ex sequenti, quemadmodum quod prius dixit intelligendum sit. qui enim seipsum castum custodit, non communicat peccatis alienis: si enim communicat, consentit: si consentit, corrumpitur: si corrumpitur, castum se non seruat.*

NOLI ADHVC AQVAM BIBERE: SED MODICO VERS. 23.
VINO VTERE PROPTER STOMACHVM TVVM, ET
B FREQVENTES TVAS INFIRMITATES] Vox *adhuc*, ait Hieron. lib.2. contra Iouinian. significat Timotheum huc vsque abstemium à vino fuisse, & tantùm aquam bibisse, tum temperantiæ, tum castitatis causa. nam, vt ait Hieron. ad Eustochium, *Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis est. Quid oleum igitur flammæ adiicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignis administramus?* Et Chrysost. *Iuuentus*, inquit, *pyra quædam est, quæ omnia succendit, id circo Timotheus eam vndique obstruebat, & flammas extinguebat: Infirmetur, inquit, corpus, & non infirmetur animus; refrenetur cibo, & animæ ad cælum cursus non impediatur.* *Iuuenes abstineant vino instar Timothei.*

Vnde Notat hîc Primò, Prosper lib. 1. de Vita contempl. c.22. Timotheum longa abstinentia se fregisse, & hos morbos sibi conciliasse. Vbi obiter etiam Aduerte, Apostolos & Apostolicos viros
C præter tot labores & ærumnas, morbis quoque fuisse afflictos; nam virtus in infirmitate perficitur. Vnde Chrysost. mouens quæstionem cur Paulus, qui tot infirmos per miraculum sanabat, Timotheum quoque non sanarit. Respondet id hac de causa factum esse, vt si viderimus, inquit, viros magnos & virtute præclaros infirmari, nihil moueamur, sciamusque morbos materiam esse humilitatis, patientiæ & fortitudinis illorum, nosque ijs admoneri miseriæ præsentis, vt ad resurrectionem & alteram vitam beatam aspiremus. Vide hanc Pauli sententiam egregiè tractantem Chrysost. homil.1. ad populum, vbi octo dat causas, cur permittat Deus in hac vita sanctos viros morbis & ærumnis affligi. *Apostoli morbis afflicti.*

Nota Secundò. Pro *infirmitate*, græcè est ἀσθενείας, quod non tam morbos quàm corporis debilitates significat, quæ & ipsæ morbus quidam
D sunt, & sæpè cum morbo coniunctæ. Nam & τὸ *propter stomachum*, significat stomachi cachexia, cruditate, ac consequenter morbo laborasse Timotheum. *Timotheus noluit sanare Paulus: quia morbus est materia virtutis.*

Nota Tertiò, cum mortificatione & morbis zelum Timothei. *Illud*, inquit Chrysost. *quisquis miraretur posset, quòd tantũ debilitatus, & tanta cum ægritudine lactans Dei negotia non negligebat, sed amplius quàm valentes, & corpore vigentes, cum præceptore omnibus in certaminibus & alterna pericula communicabat; nec enim sapientiam redarguit corporis imbecillitas, tantum valet in Deum zelus, tam leues efficit alas.* *Timothei in morbis & mortificatione zelus.*

Nota Quartò τὸ quod ait *propter stomachum*. nam, vt ait Celsus lib.1. c.2. *infirmis stomacho, quo in numero magna pars vitiosorum, omnesq; pene cupidi litterarum sunt, obseruatio maior est necessaria, vt quod* *Addicti studiis & meditationibus laborant stomacho. cur?*

vel corporis, vel loci, vel studij ratio detrahit, cura restituat. Ita S. Hieronymus, Gregorius, Bernardus, alijque Sancti contemplationi & studio dediti, stomacho laborarunt, cuius physica ratio est clara. Vnica enim tantùm in homine est anima, quæ simul est vegetatiua, sensitiua & rationalis, quæque consequenter se suasque vires simul exserere debet in nutritionem, sensationem & intellectionē. Huius autem animæ vires sunt valdè limitatæ, debiles & exiguæ, præsertim ita partitæ & distractæ. Anima ergo tota in cerebro vacans mentis attentioni, studio, contemplationi, vix in stomacho vacare potest concoctioni & digestioni: vnde stomachus tam spiritibus & calore, quàm animæ influxu destitutus & languens cibum concoquere & digerere non valet; sed eum semicoctum & indigestum relinquit: ex quo cruditates, phlegmata, catharri, aliaque mala oriuntur.

Causa prima.

Secunda.

Aliam causam dat S. Gregorius li. 3. Moralium c. 30, scilicet, quòd caro, cùm per spiritum ad tam alta contemplanda superse assurgit, attenuetur & infirmetur, quodque vis diuini amoris animam & corpus liquefaciat & eneruet. *Qui verò*, inquit, *in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine conualescunt, eo à propria virtute deficiunt, & quo robustiùs æterna appetunt, eo à temporalibus salubri affectione liquantur. Hinc Dauid amoris sui robore fessus dicebat: Defecit in salutare tuum anima mea; & sponsa, Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus locutus est; & Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Sic & Daniel cum visionem Dei conspexisset c. 8. *Elangui*, inquit, *& ægrotaui per dies plurimos.* Subdit S. Gregorius: *Caro enim ea, quæ sunt spiritus, capere non valet, & idcirco nonnumquam cùm mens humana vltra se ad videndum illa ducitur, necesse est, vt hoc carneum vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.*

Nota Quintò. Præcipit Paulus Timotheo ægro vsum vini, quia, vt ait Ambrosius, *vult Deus prudenter sibi seruiri, ne nimietate,* (laboris vel abstinentiæ) *debiles efficiamur, & postea medicorum suffragia requiramus.* Debiles ergo, ac præsertim feminæ, multis orationibus & pœnitentijs suum caput & corpus non frangant.

Nota Sextò. Tanto viro Paulus vinum permittit, non ad voluptatem, sed ad necessitatem: ideoque dicit, *vtere*, non Fruere; eoque modico, non multo; idque non ad luxum, sed propter stomachum. pulchrè S. Gregorius 20. Moral. ca. 31. docet abstinentiam instar chordæ musicæ moderandam esse. *Pensandum*, inquit, *est quòd chorda in cithara si minùs tenditur, non sonat; si amplius, raucum sonat: sic virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet; aut valdè inordinata est, si corpus atterit pluspuàm valet.* Ita Anacharsis, teste Laërtio, vini quatuor pocula fiue haustus distinguebat in symposijs; primum, inquit, poculum est necessitatis ad sedandam sitim, secundum sobriæ hilaritatis, tertiū voluptatis, quartū ebrietatis & insaniæ. Plato verò dialogo 1. & 2. de Legibus ita præcipit; *Principio*, inquit, *lege sancimus, vt pueri vsq; ad decimū octauum annū, vino prorsus abstineant.* & causam addit, *Ne ignem igni addant, & furiosum habitum iuuentuti suæ inducant.* Bacchica ergo bacchantis Lutheri, quam sua inter pocula effudit, imò effutijt, est interpretatio & argutatio: Apostolus, ait, modicum vini, putà cyathos aliquot, præscripsit Timotheo, quia is infirmus erat, & stomachus eius æger plus vini non ferebat: nobis verò, vtpote sanis & stomacho valētibus, multo vtendum est, putà non cyathis, sed amphoris. At bone vir, Timotheus dum sanus erat, non vinum bibebat, sed aquam, vtique Apostolo probante & suadente. Rursum, Apostolus ei iam infirmo vice aquæ vinum permittit, sed modicum. Ergo vinum non ob sanitatem, sed merè ob infirmitatem ei indulget, idque non multum, sed modicum. Nimirum talis glossa talem doctorem, imò potorem decet, interpretem inquam Epicurei Euangelij, nec Pauli, sed palati sui. de quo rectè noster Frusius:

Biblia quæ tua sunt, sunt pocula Bacchica Luther,
Est apotheca tua bibliotheca tua.

Abstinentia moderanda est, sicut chorda in cithara.

Anacharsis pocula quatuor.

Platonis lex de vino iuuenibus interdicendo.

QVORVMDAM HOMINVM PECCATA MANIFESTA SVNT] Græcè πρόδηλοι, id est, antè manifesta sunt, putà antequam cuiusquam iudicio damnentur. VERS. 24.

PRAECEDENTIA AD IVDICIVM, QVOSDAM AVTEM ET SVBSEQVVNTVR. SIMILITER ET FACTA BONA MANIFESTA SVNT: ET QVAE ALITER SE HABENT, ABSCONDI NON POSSVNT] Primò, S. Basilius lib. de Sancta virgin. *peccata quæ iudicium præcedunt*, intelligit peccata ea, quæ peccator per se committit in hac vita, antequam per mortem vadat ad iudicium particulare; *peccata* verò *quæ subsequuntur*, intelligit ea quæ quis post mortem & iudicium particulare committit per suos discipulos, & alios quos peccare docuit. Sicuti Lutherum & Caluinum sequitur hæresis omniaq; peccata Lutheranorum & Caluinianorum, quorum doctor & inuentor fuit Lutherus & Caluinus, ita vt pro his etiamnum pœna Lutheri & Caluini augeatur & augenda sit, donec desinat lutheranismus & caluinismus. VERS. 25.

Alioi peccata præcedunt ad iudicii, alioi sequuntur: quo sensu. Prima explicatio.

Caluini pœna indies augetur.

Secundò, S. Ambrosius, Peccatores, inquit, magnos præcedunt peccata ad cōdemnationem, quia maiora sunt eorum bonis operibus; contrà iustos præcedunt bona opera, quasi manifesta, quia manifestè præponderant eorum peccatis: peccatores verò bona opera sequuntur quasi quodam præiudicio peccatorū præeuntium prægrauata. Vnde & abscondi non possunt, id est, non possunt obumbrari & tegi charitate, quæ operit multitudinem peccatorum. q.d. Paulus: Cùm dico tibi, ô Timothee, Ne communicaueris peccatis alienis: nolo te ab Ordinibus repellere iustos, leuibus peccatis obnoxios, vel qui insignibus operibus malefacta texerunt; sed eos tantùm qui grauibus peccatis subiacent.

Secunda.

Tertiò, Chrysost. Peccata manifesta, inquit, quæ præcedunt iudicium scilicet extremum, sunt ea quæ in hac vita manifesta sunt & cognita; ea verò quæ sequuntur sunt illa quæ hîc latent: sed in iudicio extremo manifestabuntur. quasi dicat, Licet quædam peccata hîc lateant, tamen non fallunt internum iudicem, quia sequuntur & adigunt ipsos peccatores ad publicum ipsum iudicem Deum, ibique eos coram toto mundo accusabunt.

Tertia.

Quartò, S. Augustin. libr. 2. de serm. Domini in monte, & Magallianus sic explicant, q.d. Peccata quorumdam, vtpote manifesta, præcedunt hominum iudicium: hos vtpote exploratos peccatores & indignos, ô Timothee, ordinare non debes: quorumdam verò peccata subsequuntur iudiciū humanum, quia post ordinationem tantùm deprehenduntur. Quid ergo, faciésne tibi scrupulum,

Quarta.

lum, quòd tales ordinaueris? nequaquam; quia in talium hominum ordinatione non communicas peccatis alienis, cùm tales occulti peccatores sine tuo vitio digni sacro Ordine sunt iudicati. q. d. Occulta peccata Dei iudicio & tribunali sunt relinquenda; quæ verò facto examine ab hominibus deprehendi & manifestari possunt, ea iudicio Episcopi subiaceant, qui cauere debet ne hisce peccatis obnoxios ordinet; vt alludat Paulus ad Deuter. c. 29. vbi dicitur: *Abscondita Domino nostro, quæ autem manifesta sunt nobis & filijs nostris.* quod Chaldæus & Rabbini sic exponunt: Secreta peccata reseruantur punienda Domino Deo nostro; quæ verò manifesta sunt, humano iudicio discutienda & plectenda sunt. Verùm melius & aptius cum Caietano & alijs hoc exponemus de flagellis, quæ Deus illo c. 29. Deuter. Iudæis legis suæ præuaricatoribus intentauit. q. d. Hæc flagella sunt inter occulta Dei iudicia, quæ tamen nobis & nostris filijs manifestauit, vt eorum metu legem Dei studiosè faciamus, & exactè impleamus.

Replicatur locus Deuter.

Quintò & genuinè ad mentem Apostoli, *Peccata manifesta præcedentia ad iudicium*, sunt peccata clara & publica, condemnata communi hominũ voce priusquam in iudicium adducantur: peccata verò quæ peccatores subsequuntur in iudicio, quasi pedissequi vel vmbræ, sunt peccata occulta impiorũ, quæ non patent in publico, sed in mente vel tenebris latent, cùm impij faciem bonorum induunt, vt externa specie videantur probi; si tamen diligenter examinentur & diiudicentur, tandem prodet se laruata eorum impietas. Est prosopopœia: peccata enim hîc finguntur esse personæ, & prodromi siue anteambulones, qui peccatorem præcurrunt, monentque Ecclesiam quis sit ille, qui mox sit venturus vt ordinetur; scilicet quòd sit peccator, ac consequenter indignus Ordine:

Quinta & genuina.

Prosopopœia.

A alios verò subsequuntur quasi stipatores, iudices & vindices: nam

Noxa caput sequitur, inquit Poëta:
&, Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Si sequitur impium pœna, ergo & notitia peccatorum atque infamia. q. d. Præcepi tibi, ô Timothee, *manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis* (eò enim quasi aliquid oblitus redit Apostolus.) Tu mihi obijcies, Quomodo aliena peccata deprehendam? huic obiectioni ergo respondeo, peccata quorumdam esse manifesta, aliorum verò occulta. si manifesta sint, non laborabis, quia facilè cognosces eos, qui illis obnoxij sunt, indignos esse ordinatione, & dignos esse condemnatione ac pœna: sin occulta sint, tibi laborandum erit vt ea detegas: sed ne despera, expecta, scrutare, explora, tandem ea deprehendes; quia peccata peccatorem subsequuntur quasi à tergo. inspice ergo B vultum & tergum eorum lynceis oculis, omniaq; quaquauersum circumlustra, vt eos internoscas, & tandem ea quæ latebant patefacies, & perspicies eos Ordine esse indignos Quòd si facto iusto examine ea deprehendere nequeas, Dei iudicio sunt relinquendi, nec ab Ordine repellendi.

Sensus Apostoli.

SIMILITER ET FACTA BONA (quorumdam) MANIFESTA SVNT] Et de his non laborabis: sed cognosces eos Ordine esse dignos. VERS. 25.

ET QVAE ALITER SE HABENT, scilicet bona facta aliorum, quæ occulta sunt. ABSCONDI NON POSSVNT] quin, si ea diligẽter perscruteris, sis cogniturus, & facilè animaduersurus, an ordinandi sint nec ne. Ita S. Hieron. ad Furiam. Anselm. Gagneius, & alij: *Nihil enim opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non sciatur.* Personata enim & fucata impietas diu latere non potest, quin tandem è fumo in flammam erumpat.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, iubet seruos obedire dominis.

Secundò, v. 3. arguit nouorum dogmatum & hæresum auctores, eorumq; fructus & vitia recenset.

Tertiò, v. 5. multis insectatur eorum & aliorum auaritiam, tamquam omnium malorum radicẽ.

Quartò, v. 11. iubet Timotheum non opes sectari, sed iustitiam, pietatem, fidem, &c. ac seruare mandata sua vsque in aduentum Domini.

Quintò, v. 17. diuitibus præcipit vt sint humiles, pij, liberales, vtq; bonis operibus diuites se faciant in cælo.

Sextò, v. 20. rursum hæresum nouitatem cauerì, ac fidem quasi depositum seruari iubet.

1. QVicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. 2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce & exhortare. 3. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: 4. superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, 5. conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. 6. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. 7. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quòd nec auferre quid possumus. 8. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. 9. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desi-

deria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 10. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. 11. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. 12. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus. 13. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: 14. vt serues mandatum sine macula, irreprehensibile vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi, 15. quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex regum & Dominus dominantium: 16. qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, & imperium sempiternum: Amen. 17. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) 18. benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, 19. thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. 20. O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, 21. quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum, Amen.

VERS. 1. QVICVMQVE SVNT SVB IVGO SERVI, DOMINOS SVOS OMNI HONORE DIGNOS ARBITRENTVR, NE NOMEN DOMINI ET DOCTRINA BLASPHEMETVR] Postquam docuit Apostolus quomodo Episcopus cum cuiusuis generis hominibus, qui liberi sunt, se habere debeat; tandem hîc descendit ad seruos, id est mancipia, quæ sunt sub iugo seruitutis, docetque Episcopum eos non debere aspernari, sed docere bonos mores ac imprimis obedientiam, vt scilicet dominis suis infidelibus promptè & reuerenter obediant, ne, si inobedientes eis sint, prætexentes se per christianismum ex seruitute assertos esse in libertatem; ipsi heri blasphement christianismum, quasi qui seruos sibi anteà morigeros fecerit rebelles & seditiosos. agit enim de seruis qui dominos habent infideles; nam de seruis qui dominos habent fideles, agit v. sequ. Vide dicta ad Ephesios 6. v. 5.

Episcopi non aspernentur, sed doceant seruos obedire heris etiam infidelibus.

VERS. 2. QVI FIDELES HABENT DOMINOS, NON CONTEMNANT, QVIA FRATRES (id est, Christiani) SVNT: SED MAGIS SERVIANT, QVIA FIDELES SVNT ET DILECTI] Hîc agit de seruis, qui dominos habebant fideles & Christianos. monet hos, ne putent se per baptismum factos esse dominis suis pares. licet enim pares sint in baptismo, & fratres in Christo, tamen in ciuili conditione & statu impares sunt; vnus enim est dominus, alter seruus. quin potiùs hortatur hos seruos Apostolus, vt heris fidelibus meliùs seruiant quàm infidelibus; quia herus fidelis melior est & dignior, seruique Christiani amantior, cum eoque in fide coniunctior, ac consequenter magis dilectus, id est diligendus, quàm herus infidelis. Cogitet ergo seruus fidelis seruiens domino fideli, se obsequium illi præstare, qui ex supercilio domini transijt in affectum parentis, & pro formidato cœpit esse dilectus.

Nota. Pro *dilecti*, græcè est ἀγαπητοί, quod tam dilectos quàm diligibiles significat. Noster vertit, *dilecti*; alij vertunt, *diligibiles*. q. d. Dilectione & honore digni sunt domini fideles, tamquam fratres scilicet, & domestici fidei.

Duplex sensus. Primus.

QVI BENEFICII PARTICIPES SVNT] Chrysost. docet hoc tam ad seruos quàm ad heros referri posse: ad seruos sic, q. d. Serui dominis qui fideles sunt, & dilecti, seruiant, quia ab eis beneficia multa participant: quia scilicet à dominis suis aluntur, vestiuntur, in fide Christiana fouentur & promouentur. ita Syrus. Verùm tunc *ut qui beneficij participes sunt*, remotiùs referendum est ad *seruiant*. aptiùs tamen videtur referri ad immediatè præcedentia, *quia fideles sunt & dilecti*, scilicet heri siue domini. Quare meliùs de eisdem heris siue dominis accipiemus quos beneficij, scilicet illius magni & excellentis, putà christianismi, participes fecit Deus. vnde Primasius legit, *qui beneficij Dei participes sunt*; q. d. Serui seruiant dominis Christianis, & amantiùs, & diligentiùs, eò quòd domini sint fideles & dilecti à Deo, Deique amici, scilicet, eò quòd domini sint vnà cum seruis eiusdem illius Dei beneficij participes, putà vocationis ad fidem & gratiam Christi: hæc enim est maximum Dei beneficium. Si enim infidelibus Dei hostibus & reprobis dominis parendum est, multò magis obedientiã hanc requirit Deus à seruis, quos subiecit dominis fidelibus suis amicis, dilectis & electis.

Secundus & genuinus.

Tropologicè, Chrysost. *Si seruis*, inquit, *ita imperat Apostolus obedire dominis, intuemini quo nos animo in Dominum nostrum esse conueniat, qui nos de nihilo vt essemus effecit, qui nutrit, qui vestit*, &c.

HAEC DOCE nescientes, ET EXHORTARE] scientes, vt quod sciunt faciant, & opere impleant.

VERS. 3. SI QVIS ALITER DOCET, ET NON ACQVIESCIT SANIS SERMONIBVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET EI QVAE SECVNDVM PIETATEM EST, DOCTRINAE, SVPERBVS EST, NIHIL SCIENS] Conclu- VERS. 4. dit Apostolus resumens primum quasi thema epistolæ, quod proposuit c. 1. 3. scilicet Timotheum Episcopum quibusdam Nouantibus denunciare debere, *ne aliter docerent, neque intenderent fabulis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide.* Quidam enim Iudæi & Gentiles ad Christum conuersi suas sectas, deuteroses & dogmata philosophica miscebant christianismo, itaque christianismum corrumpebant: quos hîc comprimi iubet Apostolus. fortè in particulari perstringit Apostolus Iudaizantes, qui docebant seruos iuxta legem Exodi 21. v. 2. anno septimo manumitti debere, & fieri liberos, de seruis enim præcessit; sicque commoda erit transitio & reditus ad primum thema de vitandis nouis doctoribus.

Nota. Pro *aliter docet*, græcè est ἑτεροδιδασκαλεῖ, quod verbum vsurpauit cap. 1. v. 3. & exhoc loco patet significare non tam eum qui diuersam doctri-

ctrinam sequitur, vt vertit Vatablus, quàm qui aliam doctrinam docet: sequitur enim, *Languens circa quæstiones & pugnas verborum*, quodque ex fucata hac doctrina pietatis quæstum aucupetur. quæ sanè non discipuli, sed doctoris sunt.

Secundò, pro *non acquieuit* græcè est, μὴ προσέρχεται, id est, non accedit, hoc est, non consentit, non acquiescit. loquitur enim de accessu non pedum, sed mentis & voluntatis.

Tertiò, *sanos sermones Iesu Christi* vocat legem & doctrinam Christi, eamdem vocat doctrinam, quæ est secundùm pietatem, id est, quæ veram pietatem, & Dei veri genuinum cultum docet, scilicet cultū Dei consistere non in cæremonijs & apparatu externo, sed in interna fide, spe, charitate.

Quartò, pro *superbus* græcè est τετύφωται, id est, inflatus est, tumet typho superbiæ & vanæ scientiæ. Nota. hic typhus est character & origo omnis hæresis.

Huius autem typhi & superbiæ clarissimum est argumentum, quòd hæretici adeò sibi placeant, vt neque Ecclesiæ, neque etiam Euangelio credere velint, nisi in ijs rebus quæ sibi placent. Vnde S. Augustl. lib. 17. contra Faustum c. 3. *Vndique tergiuersatio*, inquit, (ô Manichæi) *vestra contunditur. apertè dicite vos non credere Christi Euangelio: nam qui in Euangelio quod vultis, creditis; quod vultis non creditis; vobis potiùs quàm Euangelio creditis.* Qua de causa hæretici rarò disputando (nolunt enim victi videri) sed magis orando conuertuntur. Docuit hoc Episcopus ille, de quo narrat S. Augustl. lib. 3 Confess. c. 12. quòd cùm à S. Monica rogaretur, vt Augustini filij sui errores disputando refelleret: negauit ille, dictitans Augustinum iuuenili ardore & nouitate hæresis inflatum adhuc indocilem esse: *Sine*, inquit, *illum ibi, & tantùm roga pro eo Dominū: ille legendo reperiet, quis ille sit error & quanta impietas.* Cumque illa nihilominus instaret cum lachrymis: *Vade*, inquit, *fieri non potest, vt filius istarum lacrymarum pereat.* Quod factum Episcopi laudat ibidem S. Augustinus.

Quintò, hæreticus dicitur *nihil sciens*, quia licet multa sciat, de Deo trino & vno, alijsque fidei articulis, tamen sua hæresi non tantùm fidem diuinam sibi abstulit, vt ne vel vnum articulum fide diuina credat; sed etiam per hæresim quasi fermentum totam suam scientiam fermentat, vitiat, corrumpit, vt verè possit dici nihil sciens, tum quia tota eius scientia hæresi infecta & corrupta est; tum quia scientia eius nihil facit aut confert ad Dei gratiam, iustitiam & salutem acquirendam. hæc enim sola vera est scientia, quæ à Sapiente dicitur scientia sanctorum, qua caret hæreticus. ita Theodor.

SED LANGVENS CIRCA QVAESTIONES ET PVGNAS VERBORVM] Pro *languens* græcè est νόσων, id est, ægrotans non corpore, sed animo & mente, quia nimirum desipit ac delirat, vt quasi carens cerebro egeat elleboro. Opponit hunc languorem sanis sermonibus & sanctitati doctrinæ, vt dixi v. præced.

Nota. Non taxat hîc Theologos Scholasticos seu quæstionarios, vt ad marginem hîc annotauit Robertus Stephanus, sed hæreticos: de hæreticis enim agit, quorum proprium est nihil scire, sed de omnibus dubitare, de omnibus quæstionem mouere; cuius rationem dat Theophyl. *Quia*, inquit, *fides est oculus: qui non habet oculos, nihil videt, nihil*

Cornel. in Epist. Pauli.

A *inuenit, sed tantummodo quærit.* Sic quærebat Nestorius, quomodo Deus est natus ex muliere bimestris & trimestris? Sic quærebat Pelagius, quomodo Adam per generationem carnalem transfudit peccatum in filiorum animas, quæ à solo Deo creantur? Sic quærebat Arrius, quomodo Pater Filio non est dignior, & prior tempore? Sic quærunt nostri Sacramentarij, quomodo Christi corpus sex pedum potest esse in tam exigua hostia? Pulchrè Chrysost. *Quando*, inquit, *anima cogitationum vincitur febre, quando ambiguitatis iactatur fluctu, tunc quærit, cùm verò illa sana est, non quærit: sed fideliter credit. nam ex quæstione & contentione verborum inueniri nihil potest.* Nimirum sola fides est quæ mentem in veritate stabilit, & quæstiones omnes excludit: fides enim docet credere quæ non vides, quæ non capis, quæ non intelligis; fides docet Deum esse omnipotentem, Deoque omnia etiam B quæ nos non intelligimus esse possibilia.

Quæ fuerint Nestorij, Pelagij, Arrij.

Nota Secundò, Verborum pugnas elegantiùs & significantiùs græcè vocat λογομαχίας; quod tam significat pugnas, rixas & litigia de verbis & vocibus, verbi gratia, an mediatoris nomen sine iniuria Christi non possit tribui Sanctis? quā pugnas & lites; quæ non tam rationibus, quàm verbis & verbosis clamoribus peraguntur. Tales experimur hæreticos: cùm enim rebus & solidis rationibus destituantur, confugiunt ad verbosas orationum & declamationum pugnas. Secundò, S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Vatablus λογομαχίας vertit, argumentationum, disputationum & rationum pugnas. λόγος enim non tantùm verbum & sermonem, sed & rationem significat: nam cùm hæretici seponunt fidem, omniaque ratione sua metiri volunt; rationes naturales & physicas C congerunt, quas contentiosè opponant articulis fidei, qui naturam & naturæ vim transcendunt. *Omnium hæreticorum*, inquit Augustinus epist. 56. *quasi regularis est illa temeritas, scilicet vt conentur auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicitatione superare.* Atqui hic est alter fons omnis hæresis, scilicet proprium iudicium, propria ratio. Dum enim mordicus rationi naturali insistunt, & Scripturas quisque intelligere vult secundùm proprium iudicium; necesse est, vt quot sunt homines & iudicia diuersa, tot oriantur sectæ & hæreses. Atque hinc experimur, hæreticos eiusdem sectæ inter se non conuenire, sed vnam sectam in multas alias diuidi; imò vix reperias duos aut tres ex ijs qui Scripturas scrutantur, & sapientiores plebe videri volunt, quin non in D multis dissentiant. Patent hæc ex synopsi & catalogis modernis, qui propagines hæresum Lutheri & Caluini enumerant, & ob oculos ponunt.

Quid λογομαχίαι. Primò.

Secundò.

Hæretici volunt omnia metiri suo iudicio, & ratione naturali.

Hinc tot eorum sectæ.

EX QVIBVS ORIVNTVR INVIDIAE, CONTENTIONES, BLASPHEMIAE, SVSPICIONES MALAE, & CONFLICTATIONES HOMINVM MENTE CORRVPTORVM] Recenset fructus quæstionum & logomachiæ hæreticorum. Primus est inuidia; quisque enim eorum volens eminere & videri sapientior, inuidet alteri, si plus sapere, aut plus auctoritatis & gratiæ habere videatur. VERS. 4. & 5.

Fructus logomachiæ hæreticorū. Primus est, inuidia.

Secundus fructus sunt *contentiones*, siue altercationes. Hæretici enim non disputant eo fine, vt veritas eluceat, quam intueri cupiant; sed vt aduersam partem superasse videantur, ac de victoria triumphent. E contrà Nazianz. in disputationibus tria Catholicis cōmendat, scilicet silentium,

Secundus, a contentiones.

Tria in disputatione commendat Nazianz.

ordinem & humilitatem. quid enim tibi oberit, aut *cur ægrè feras*, inquit, *si non in omni disputatione domineris: sed alij te vel doctiores vel audaciores inueniantur*? cedere te potiùs quàm superare iuuet; hoc prudentis, hoc sapientis est.

Tertius, blasphemiæ. Tertius fructus sunt *blasphemiæ* tum in antagonistam & eos qui diuersa sentiunt, putà conuitia & maledicta; tum propriè blasphemiæ in Deum & Sanctos. nam, vt rectè Oecumenius, necesse est, vt qui omnia humanis metitur rationibus, incidat in blasphemias, nimirum vt blasphemet Dei omnipotentiam, bonitatem, prouidentiam. Tales blasphemias audimus quotidie, dum cum hæreticis disputatur. v. g. Deum esse auctorem tam operum malorum quàm bonorũ, tam proditionis Iudæ quàm vocationis Petri; Deum non posse plura facere, quàm naturæ vires ferant, imò quàm de facto faciat; Deum ante omnem præuisionem operum, Iudam & reprobos inferno, Petrum & electos cælo addixisse; B. Virginem Dei matrem non esse digniorem alijs virginibus, imò nec feminis coniugatis; imagines & reliquias Sanctorum esse abolendas, & exurendas. ac talia sexcenta.

Quartus, suspiciones. Quartus fructus sunt *suspiciones malæ*. Græcum ὑπόνοιαι, non tantùm malas suspiciones, sed & opiniones significat. Experimur ex hisce disputationibus quàm monstrosæ opiniones in dies emergant.

Quintus, affricationes malorũ dogmatum & morum. Quintus sunt *conflictationes*, græcè παραδιατριβαὶ διαστρεβαὶ, Græcis vocantur doctorum & Philosophorum disputationes. Sed hîc additur præpositio παρά, quæ sæpè vocem cui additur, in malam partem inflectit. παραδιατριβαὶ ergo sunt disputationes inutiles, imò noxiæ & pestilentes. Vnde ex Chrysost. & Theodor. Theophyl. vertit affricationes contagiosas. Vox enim *diatribæ* græcè non tantùm disputationes, sed & conuersationes, consuetudines & communicationes mutuas, indeque affricationes vel morum, vel opinionum significat. *Nam sicut scabiosæ oues*, inquit Chrysost. *si confricentur cæteris, etiam quæ sanæ sunt inficiuntur & morbo tentantur: ita hi homines nequam si simplicioribus quibusque interuersentur, veneno eos suæ malignitatis inficiunt. sermo enim eorum vt cancer serpit*; vt ait Apost. 2. Timoth. 2. nimirum necesse est, vt qui sibi inuicem familiares sunt in colloquijs & disputationibus, mutuò aliquid affricent & communicent; vt vel bonus malum conuertat, vel, quod pronius est, malus bonum peruertat. *Sicut carbo*, inquit Epictetus lib. 3. c. 16. *si iuxta carbonem candentem ponatur, aut extinctus ignitum extinguet, aut ignitus extinctum igneum efficiet.*

VERS. 5. QVI VERITATE PRIVATI SVNT] ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας, id est, vt Vatabl. quibus adempta est veritas, qui scilicet in pœnam hæresis excæcati sunt, vt veritatem intueri non possint; quique, vt Syrus vertit, גְלִיין מִן קוּשְׁטָא *gelisin men kusceta*, id est, reprobati sunt à veritate. Hic verum est illud Publij: *Nimiùm altercando veritas amittitur.*

Nimiùm altercando veritas amittitur.

Hæretici pietatem habent pro quæstu.

EXISTIMANTIVM QVAESTVM ESSE PIETATEM] Hinc patet, hosce hæreticos Christiana religione ac pietate abusos fuisse ad quæstum, ideoque nouas doctrinas & sectas commentos esse, vt discipulos post se abducerent, à quibus quasi prophetæ colerentur & ditarentur. *Hæreticus*, inquit S. Augustin. lib. de Vtilitate credendi c. 1. *est qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq; sui gratia falsas ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur.*

Sanctus Simocatta quo quidam V. Euseb. l. 7. Hist. Eccl. c. 26. f. 796.

A Sic hodie Nouantes æstimant pietatem quæstum esse, quòd ecclesias vel monasteria despoliant, quòd casulas, calices, lampades, ciboria, statuas aureas & argenteas sacrilegè diripiunt, fundos ac prædia Ecclesiæ contra omne ius & fas sibi vendicant.

& Catholici terrena inhiantes. Inter Catholicos quoque multi sunt, vt ait S. Augustin. epist. 79. ad Hilarium, tales, *qui etiam putant sibi ad augendas opes suas & multiplicanda delectamenta, religionem suffragari debere Christianam.* Nimirum tales sunt, qui ad sacerdotia vel monasteria aspirant, vt diuitias & delicias terrenas assequantur, vt inertem, otiosam & lautam vitam ducant.

Græca hîc addunt, ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, id est, discede à talibus: & ita legit Syrus, Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen. Ambros. sed Latina & B Latini ita non legunt. Verisimile est ea ex margine vel commentario alicuius in textum Græcum irrepsisse.

VERS. 6. EST AVTEM QVAESTVS MAGNVS, PIETAS CVM SVFFICIENTIA] Est correctio. dixit enim hæreticos existimare quæstum esse pietatem; hîc quasi seipsum corrigit, q. d. Imò verò ego ipse dico, quòd verè quæstus magnus sit pietas, sed alio sensu quàm hæretici idipsum dicunt. Illi enim pietate abutuntur ad quæstum & opes corradendas: ego verò dico magnum quæstum esse pietatem in seipsa cum sufficientia, id est, si coniuncta sit sufficientiæ, siue animo sibi sufficienti, id est, sua sorte contento; quem parit & gignit ipsa pietas. hoc enim est Græcum αὐτάρκεια, & talis αὐτάρκης erat Apostolus, cùm dicit Philipp. 4. *Ego didici in quibus sum, sufficiens esse; scio humiliari, scio & abundare.* Vide ibi dicta. Rursum sufficientia propriè & amplè capi potest. q. d. Verè magnum lucrum est pietas; affert enim secum quidquid homini satis est. ita Maldon. in Notis manuscript.

Sufficientia est animus sibi sufficiens.

Pietas cum sufficientia magnus est quæstus. Quæstus ergo magnus est pietas, quia opes supernaturales secum adfert, & amicitiam Dei, quæ opes cælestes pijs præparat & promittit. Rursum sufficientia iam dicta magnus est quæstus & thesaurus, quia is, cui sua parua & pauca sufficiunt, nec plus cupit habere, hic diues, hic pacatus, hic felix est. Vnde Ausonius:

Sua sorte contentus diues est & felix.

Quis diues? qui nil cupiet. quis pauper? auarus,

Hinc est & illud Stoicorum axioma: *Solus sapiens diues est, eò quòd nihil concupiscat.* qui enim adhuc aliquid concupiscit, non habet satis, ac consequenter diues non est. Tale est & illud Ciceronis paradoxo 2. *Virtus ad beatè viuendum seipsa est contenta, & qui virtutem habet, ei nihil deest ad beatè viuendum.* q. d. Paulus, Falsò isti falsi doctores arbitrantur quæstum esse pietatem, id est, Christianam religionem & prædicationem rem esse per se inutilem, superuacaneam & insufficientẽ, nisi ad quæstum & turpe lucrum referatur, vti ipsi referunt: ego enim planè contrarium censeo, scilicet veram pietatem coniunctam cum sufficientia & quiete animi, quæstum esse maximum. Non ergo pij cadant animis, non tristentur, etiamsi opibus destituantur, quia pietas animusque sua sorte contentus eis est instar opum omnium. ita Theophyl. Sic S. Paulinus, qui se ex opulento pauperem effecit, vt suos ciues redimeret, verè diues effectus est. Nam vt de eo narrat S. Augustin. li. 1. de Ciuit. c. 10. cùm barbari Nolam vastarent, sic in corde Deum precabatur: *Domine non ego excrucier propter aurum:*

Virtus seipsa est contenta.

Sufficientia S. Paulini.

vbi

vbi enim sint omnia mea tu scis. Ibi enim (inquit Augustinus) *habebat omnia sua Paulinus, vbi eum condere & thesaurizare Christus monuerat.* Quid enim illi non sufficiat qui Deum habet, qui est Saddai, id est, ipsa sufficienna? Sic Religiosi, qui bonis se abdicant per votum paupertatis, verè diuites efficiuntur, animumque curis omnibus liberum ac bonis omnibus cumulatum nanciscuntur. Sic S. Ephrem in suo testamento: *Nec crumena*, inquit, *nec baculus, nec pera mihi vmquam fuit, numquam aurum aut argentum, aut vllam rem aliam possedi. nam bonum regem ad suos dicentem discipulos audiui in Euangelio, Nihil in terra possederitis; quamobrem nulla me rerum eiusmodi cepit cupiditas.* Vnde moriens S. Ephrem adiurauit suos, ne se veste pretiosa inuoluerent ac sepelirent, sed si quid sibi dare vellent, id in pauperes conferrent. Cùm verò quidam in eius venerationem propensior, secùs fecisset, vestemque pretiosam illi adornasset, mox à dæmone correptus est, sed precibus S. Ephrem liberatus fuit. vti narrat Gregorius Nyssenus in Vita S. Ephrem.

Sufficientia paupertatis S. Ephrem.

Potest Secundò, *sufficientia* accipi quasi tam inopiæ, quàm copiæ opposita, pro rebus ad vitam necessarijs & sufficientibus. q. d. Magnæ sunt opes ipsa pietas, cum sufficientia, id est, per sufficientiam quam afferre solet, quia scilicet ordinariè Deus pijs prouidet de sufficientia, id est de sufficienti victu & vestitu, alijsque rebus ad vitam necessarijs & sufficientibus, etiamsi opes sæpè eis non concedat. Christiana enim religio & pietas docent Christianum, opes huius vitæ sitas esse non in millibus auri & argenti, sed in sufficientia; putà diuitem esse eum qui habet non affluentia, sed necessaria, quæ vitæ tuendæ sufficiunt; qualia Christianis & pijs viris communiter largitur Deus. Ita intelligit S. August. epist. 121. ad Probam c. 6. atque hoc est quod petijt Salomon Prouerb. 30. *Mendicitatem*, inquit, *& diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria.* Et hoc est quod Christus multis probat Matth. 6. ac tandem concludit dicens: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Hanc sufficientiam significauit manna datum Hebræis, quod omnibus æqualiter sufficiebat: nec plus aut minus quàm sufficientia exigebat colligebatur, vt scilicet doceret nos, inquit Nyssen. libro de Vita Mosis, vnam esse communem in omnibus edendi mensuram, diuinam sufficientiam. Hinc Plato lib. 4. de Repubi. ab vrbe bene constituta arcendam esse docet tam affluentiam quàm inopiam, seruandam verò esse mediocritatem & sufficientiam rerum necessarium. Idem in Sparta sanxit Lycurgus, dictitans eam in mediocritate fore inuictam, in affluentia perituram: itaque reipsa euenit. Aristoteles verò dicere solebat, paupertatem quidem multis rebus indigere, inexplebilitatem autem omnibus. Vtroque modo hîc accipi posse sufficientiam indicant sequentia, ac præsertim quod ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*: vbi pro *contenti sumus*, græcè est idem verbum ἀρκέω, à quo deducitur αὐτάρκεια, id est sufficientia, videlicet vtraque iam dicta, qua scilicet sobrijs & necessarijs alimentis & tegumentis à Deo donati, ijs contenti sumus. Prior tamen sensus sublimior est & Pauli pectori congruentior. Moraliter S. Chrysost. hom. 79. in Ioann. *Nónne*, inquit, *in hoc ab angelis differimus, quòd ipsi non egent vt nos? Igitur*

Plato.

A *quanto paucioribus indigemus, tanto magis angelis appropinquamus: quanto pluribus, tanto magis ad hanc caducam vitam deflectimus.* Et infrà ostendit, quo magis cupiditas intenditur eo etiam magis miseriam & seruitutẽ hominis intendi & augeri. *Nónne*, inquit, *propterea Adam beatum dicimus, quoniam nulla re indigeret, non victu, non vestitu: quanto plura amplecteris, tanto magis derogas tuæ libertati. vera nanq; libertas est nulla re indigere* (qualis est in Deo:) *in secundo loco minimis, quam angeli habent.*

Hanc frugalitatem sectati sunt philosophi quoque quasi sapientiæ & quietis parentẽ. Vide Laërtium in vita Diogenis, Socratis & aliorum.

NIHIL ENIM INTVLIMVS IN HVNC MVNDVM, HAVD DVBIVM QVOD NEC AVFERRE (concinnius vertisset, *efferre*, vt habet Græcus hoc enim opponit τῷ *inferre*, cùm ait *intulimus*) QVID POSSVMVS] Vers. 7.

V. Grel. 29. f. 102. a.

B Rationem dat cur sufficientia sit magnus quæstus, seu cur quisque sua sorte, & paucis necessarijs contentus viuere debeat, seque æstimare diuitem & felicem, nec requirere opum copiam. ratio est, quia hæ opes tantùm datæ sunt ad vsum præsentis vitæ, quæ breuis est, & in qua assiduè nobis tendendum est ad alteram vitam beatam & æternam, vt opes cælestes acquiramus: ergo in hac vita opibus terrenis non inhiandum est; sed modicè & sobriè, ac tantùm quantum ad vitam hanc necessarium est, ijs vtendum est: vt qui magnas habet opes, non exultare, nec luxuriari; qui paucas, non tristari, nec dejici debeat: sed quisque sua sorte tam modico tempore contentus viuat, quia non plus opum diues ex hac vita exiens secum efferet, quàm pauper; non plus rex vel princeps, quàm faber vel agricola.

C Moraliter hæc cogitatio, quam hîc suggerit Apostolus, mirè omnes Christianos excitare potest ad hanc sufficientiam, atque ad opum & omnium rerum humanarum contemptum: si nimirum Primò cogitent, omnes nos ea lege nasci, vt parum in vita commorati protinus ab ea exeamus, si quisque sibi dicat quod Dauid ad Ethai: *Heri veniisti, & hodie compelleris nobiscum egredi.* Quid aliud, ait S. August. est vita quàm cursus & pernix cursus ad mortem, imò ad immortalitatem? &, vt ait Nazianzenus:

Contemptũ opum humanarum suadet primò, breuitas vitæ, qua in vtimur.

Ipsum quod viuo, est veluti rapidissimus amnis,
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit.

Et vt rursum idem Nazianzenus:

A tumulo tumulum peto:

id est, ab vtero matris in sepulchrum tendo. Vnde verè Seneca epist. 59. *Quotidie demitur*, inquit, *aliqua pars vitæ nostræ, & tum quoque cùm crescimus, vita decrescit: hunc quem agimus diem cum morte diuidimus; mox, vt in vitam ingredimur, statim alia portâ exire incipimus.*

D Secundò, ad opum contemptum inducet cogitatio vilitatis earum, quam hîc innuit Apostolus. quid enim sunt opes nisi massæ terreæ, terræ affixæ, & in terra semper mansuræ? quid enim est aurum, inquit S. Bernard. nisi terra rubra? quid argentum nisi terra alba? quid sunt margaritæ nisi excrementa concharum? quid est purpura nisi sanguis fœdi ostrei? quid byssus nisi fœdus humor bombycum ab ijs è visceribus eductus, & in lenta fila deductus? Pulchrè ergo S. Chrysost. hîc: *Candore*, inquit, *lucentis margaritæ attraheris? cogita maris esse aquam, & in eius finibus antè iacuisse deiectam. Rapit animam auri fulgor & nitor argenti? cogita ter-*

Secundò, opum vilitas.

Aurum & argentum non sunt nisi terra rubra & alba.

ram ac cinerem ea prius fuisse & modò esse. Placet pretiosa & serica vestis? at vermium ille contextus est, opinio est, & humana præsumptio: nihil habet in se naturalis pulchritudinis q.d. Hæc magni fiunt, non quòd magna sint, sed quòd homines hęc magni faciant: auro enim & argento ac pecuniæ pretium dat existimatio hominum.

Tertiò, mors quæ non opes sed ora bona efferri sinit.

Tertiò, eôdem inducet, si cogitemus nos in morte hinc nudos, vti venimus, remittendos cum vno linteamine, cui inuoluemur, ad sepulchrum & terram quasi matrem nostram, & tantùm hinc elaturos nobiscum opera, quæ fecimus, siue bona, siue mala.

Saladini exemplum.

Saladinus rex Ægypti Sultanus potentissimus, qui Christianos Hierosolymis & terra sancta, quâ duce Godefrido Bullonio recuperarant, & per octoginta annos tenuerant, expulit, iam moriturus per omnia sua castra circumferri iussit interulam, in qua sepeliendus erat, de lancea suspensam, cum hac præconis voce: Saladinus Asiæ totius dominator, ex tanto imperio tantisque opibus moriens nihil aliud secum defert. Testis est Fulgos. li. 7. c. 2. Bergomens. lib. 12. Platina in Cælestino III. & alij. Pulchris parabolis duorum amicorum (scilicet opum & consanguineorum) qui hominem accitum ad iudicium deseruerunt, & tertij fidelis amici, putà virtutis, qui solus ei astitit, ciusque causam apud iudicem peregit, idipsum demonstrat Barlaam Iosaphato apud Damascenum c. 13. & 14. Historiæ eorumdem.

Parabola Barlaam.

S. Hieron.

Quare aptè in hunc Apostoli locum S. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, *Delicię*, inquit, *& epularum varietates, fomenta auaritię sunt. Grandis exultatio animę est, cùm paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus & omnem eius potentiam, epulas, libidines, propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & crassiore tunica compensare. Tolle epularum & libidinis luxuriam, nemo quæret diuitias, quarum vsus aut in ventre, aut sub ventre est; vnde & Poëta:*

Seruiet æternùm qui paruo nescit vti.

Et Aristoteles in Ethicis omnem prodigum auarum esse dicit.

VERS. 8. HABENTES AVTEM ALIMENTA, ET QVIBVS TEGAMVR, HIS CONTENTI SVMVS] Pro *alimenta* græcè est ἀρκέσματα, quod S. Cyprianus explicans orationem Dominicam vertit Exhibitionem, hoc est, quod vulgò dicimus *præbendam*. In hac enim vita cuique homini suam quasi præbendā alimoniæ assignauit Deus, qua contentus viuat oportet.

Secundò, pro *contenti sumus*, græcè est ἀρκεσθησόμεθα, id est, contenti erimus. est hebraismus; Hebræi enim futurum vsurpant pro imperatiuo, & subiunctiuo. fortè etiam Noster legit per omega ἀρκεσθησώμεθα, quod significat, contenti simus.

S. Ioannes Eleëmosyn. moriens quàm pauper. & S. Hilarion.

Hæc cogitabat S. Ioannes Eleëmosynarius qui in vita adeò omnia sua erogauit in pauperes, vt moriens tantùm medium nummum in cista reliquerit, quem testamento pauperibus quoque legauit. Et Hilarion, teste Hieronymo in eius vita, cùm testamento omnes suas diuitias relinqueret Hesychio, non nisi Euangelium, tunicam saccam, cucullam & palliolum ei reliquit.

VERS. 9. NAM QVI VOLVNT DIVITES FIERI, INCIDVNT IN TENTATIONEM, ET IN LAQVEVM DIABOLI, ET DESIDERIA MVLTA INVTILIA ET NOCIVA, QVAE MERGVNT HOMINES IN INTERITVM ET PERDITIONEM] Dat rationem cur alimentis & tegumētis debeamus esse contenti, quia scilicet si his non contentus appetas diuitias, incides in tentationes & laqueos diaboli.

Nota Primò. Loquitur Apostolus omnibus Christianis: sed maximè Episcopis & doctoribus. Falsorum enim doctorum auaritiam taxauit v. 5. & eorum occasione digressus est hucusque, suadendo fugam auaritiæ: nam, vt notat Ambrosius, doctor & pastor studens lucris, non tantùm sibi, sed & alijs nocet; quia dat eis exemplum auaritiæ in ea re ad quam natura nostra maximè procliuis est. Adde, vix possibile esse, vt talis suo muneri & curæ satisfaciat: qui enim vilis lucelli gratia Ecclesiæ curam suscipit, lanam potiùs & lac, quàm ouium suarum salutem spectat; imò curas & cogitationes penè omnes in nummis accumulandis consumit: necesse est ergo vt animas negligat, non curet, vix de ijs cogitet. Vbi Aduerte. Non dixit Apostolus, Qui diuites sunt, sed, Qui volunt diuites fieri. Nam, vt ait S. Augustinus homil. 13. inter 50. *Cupiditates accusauit, non facultates: auaritia enim est velle esse diuitem, non autem esse diuitem*; vt idem Augustinus ait serm. 205. de tempore. Nam diuites multi boni & sancti sunt, qui pecunias habent, sed eas aspernantur ac ritè dispensant, & in pauperes distribuunt.

Pastor auarus nequit suo muneri satisfacere.

Pecuniæ magis amāt ij qui eas comparārunt, quàm eorum hęredes, curt

Hinc Secundò, Notat Theodor. hanc cupiditatem inesse magis ijs qui pecunias suo labore comparant, quàm ijs qui eorum sunt heredes aut successores. Ratio est, quam dat Plato li. 1. de Republ. quia scilicet illi qui sua industria opes comparant, magis amant illas tamquam fructus & fœtus suo sudore partos; qui verò eas possident sine labore, minùs eas amant, quia cogitant eas esse fœtus non propriæ, sed alienæ industriæ. *Nam & poëmata*, inquit, *sua amant poëtæ magis quàm aliena, & proprios filios parentes magis amant quam alienos.*

Cupido opū omnis mali causa, quia est inexplebilis.

Nota Tertiò. Cupido diuitiarum inducit in tentationem, quia inexplebilis & vehementissima est; imò

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Hinc inducit hominem, vt negligat Sacrum & res diuinas, vt contractus vsurarios ineat, vt violet iura diuina & humana, atque per fas & nefas opes accumulet; &, si pœnitere volens moneatur restituenda esse iniustè acquisita, restituere nolit, adeoque facilius animam sibi quàm opes malè partas auelli patiatur. hinc Apostolus auaritiam vocauit idolorum seruitutem & auarum ididolatram.

Quis laqueus diuitiarum. Prima expositio.

Nota Quartò. τὸ *diaboli* non est in Græco, nec in Syro, nec apud Chrysost. Theodor. Theophyl. sed intelligitur, & fortè olim fuit. Nam Primasius & Cyprian. serm. 6. in orat. Dominicam, legunt nomen diaboli. *Aduertit*, inquit Chrysost. *laqueum diaboli esse diuitias, quem tetendit etiam Saluatori.*

Secunda.

Secundò, Chrysost. *laqueum* hunc intelligit infidelitatem, in quam labuntur qui toti inhiant diuitijs: hoc enim est quod v. sequenti ait Apostolus, *Quam quidam appetentes erraverunt a fide.*

Tertia.

Tertiò, Haymo *laqueum* hunc interpretatur damnationem.

Quarta.

Quartò. alij superbiam accipiunt. Quocirca S. Augustinus in Sententijs nu. 197. *Dominus*, ait, *est rerum quas habet, qui nulla cupiditate illuditur. Nam qui amore terrenorum obstringitur, non possidet, sed possidetur.*

Quinta.

Quintò, alij captiuitatem intelligunt, quæ animi libertatem tollit: diues enim suis opibus quasi compedibus astrictus est, vnde opes à Gentilibus Plutonis compedes nuncupantur.

Opes sunt Plutonis compedes.

Sextò,

Sextò & optimè, laqueus diaboli est is, quem explicans statim subdit Apostolus, *Et desideria multa inutilia & nociua*; vbi coniunctio & significat, id est. ita enim sumitur Coloss. 2. vers. 8. & alibi vt ibi dixi.

Vnde Nota Quintò. *Laqueus*, &, vt Cyprian. loco iam citato legit, *muscipula*, quam volentibus dilescere injicit diabolus, sunt desideria inutilia & nociua, quæ necessariò ingerunt se tum ad comparandas, tum ad augendas, tum ad impendendas opes. Adde, diuitias sequi ambitionem & desiderium gloriæ ac pompæ in vestitu, in curribus, in famulatu, in palatijs, in mensa, in conuiuijs, omniq́ue apparatu externo, quæ mentem hominis distrahunt à Deo & rebus diuinis, eamq́ue in se trahunt & absorbent, totamq́ue vanam, cupidam, deliciosam, superbam efficiunt, alijsq́ue multis peccatis illaqueant. Meritò ergo S. Bernardus serm. 3. in psalm. *Qui habitat*, ex his Apostoli verbis inferens: *Ergone laqueus diaboli diuitiæ sunt huius sæculi*: gemit & exclamat: *Heu quàm paucos inueniemus, qui ab hoc liberati laqueo exultent! quàm multos, qui dolent quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt, ipsi se inuoluere & intricare laborant! Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis non habentem vbi caput suum reclinaret, filium hominis, exultate & dicite: Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium. Confitemini illi toto corde, tota anima, tota virtute, & ex ipsis medullis cordis ei gratias agite dicentes, Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium.*

MERGVNT] Græcè βυθίζουσι, id est, demergunt in profundum, *interitum* scilicet & damnationem: sunt enim *inutilia & nociua*. Vbi Aduerte. Pro *inutilia*, græcè est ἀνόητος, id est, stulta & amentia. ita Theophyl. qui id ipsum explicans addit: *Quomodo*, inquit, *non est stultum simias alere, belluas ac pisces in viuarijs ac septis includere, equos exornare auro, intrag̃ tectum aquam ducere, ac in solo, siue pauimento domus faciem veluti in speculo ob nitorem lapidum contemplari? hæc stulta sunt ac noxia, quæ animæ diuitias ladunt, sensusq́; absumunt. quid, quòd plerique (diuites opibus superbientes) tyrannidem affectantes mortem sibi ipsis attulerunt?*

Præclarè Galenus in paraphrasi orationis ἐπὶ τὰς τέχνας, Demosthenes, inquit, diuites imperitos & litterarum expertes aureas pecudes appellabat: Diogenes verò eosdem ficubus comparabat, quæ nascuntur in locis præruptis & inaccessis. harum enim arborum fructu non homines, sed cerui & graculi vescuntur: sic & horum bona & reditus non ab honestis hominibus, sed à quibusdam facetis & assentatoribus absumuntur. Plato lib. 5. de Legibus asserere non dubitat, eos qui valdè diuites sunt, non esse viros bonos, eò quòd homines ferè opibus & rebus secundis insolescant. Plutarchus narrat ita quemdam Scyllæ ob tot opes glorianti respondisse: *Quomodo vir bonus esse potes, qui tam magnas opes possideas, cum nihil à patre acceperis?*

[18.10. Radicem omnium malorum cupiditatem.]

RADIX OMNIVM MALORVM EST CVPIDITAS] S. Augustl. lib. 11. de Genesi ad litter. ca. 14. & Anselmus cupiditatem siue auaritiam accipiunt generalissimè, illam scilicet, qua quisque appetit aliquid amplius, siue honoris, siue opum, siue voluptatum, siue vindictæ, quàm ipsi conueniat; ita vt superbiam cõprehendat cupiditas quasi speciem. idq́ue probat, quia alibi, putà Eccli. 10. 15. dicitur *initium omnis peccati esse superbia*. Secundò, quia constat non omne peccatum nasci ex cupiditate pecuniæ: diaboli enim peccatum fuit non amor pecuniæ, sed honoris.

Secunda & genuina.

Verùm hæc expositio est præter mentem Apostoli. Id patet ex Græco, vbi pro *cupiditas* est φιλαργυρία, id est, amor & cupiditas argenti, putà pecuniæ, siue auaritia propriè dicta. ita explicant Ambros. Chrysost. Theophyl. & passim alij.

Hæc ergo auaritia est radix omnium malorum, non quasi omnia peccata, quæ in individuo vnquam facta sunt ab vllo homine vel angelo, manauerint ex auaritia: hoc enim falsum est: sed quòd omnis generis mala & peccata ex auaritia nasci soleant, & sæpè nata sint. vox enim *omnium* distributiuè capitur non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum. Eodem sensu dici posset superbia esse radix omnium malorum, quia omnis generis mala prodire solent ex superbia. Sic enim vulgò dicimus humilitatem esse radicem omnium bonorum; charitatem, patientiam, orationem esse radicem omnium virtutũ; quia qui hasce virtutes habet, per eas alias omnes sibi comparare potest, & sæpè actu sibi comparat.

Quomodo superbia sit radix omnis peccati.

Hinc patet responsio ad Primam obiectionem S. Augustini: tam enim superbia, quàm auaritia radix est omnis peccati, quia tam superbia quàm auaritia hominem impellit ad omnia peccata, siue ad omne genus peccatorum.

Expositio S. Thomæ.

Aliter, sed subtiliùs respondet D. Thomas 1-2. q. 84. a. 1. & 2. scilicet superbiam dici initium omnis peccati ordine intentionis, auaritiam verò dici radicem omnis peccati ordine executionis: quia auaritia suppeditat modum & instrumentum, scilicet pecuniam, cui omnia obediunt, ad implendum & exequendum omne peccatum, quod superbus animo suo concipit & patrare destinat. Hoc sæpè verum est, non tamen semper: sæpè enim fit vt auaritia tam ordine intentionis, quàm executionis præcedat superbiam, sitq́ue radix omnis peccati, adeoq́ue ipsius superbiæ; vti sæpè videmus pauperes & humiles, cùm ditescunt, propter opes incipere insolescere & superbire. Prior ergo resp̃sio planior, plenior & solidior videtur.

Morale de auaritia omnis mali fonte.

Hinc pulchrè moraliter S. Ambr. *Auaritia*, inquit, *quia omnia mala potest admittere, ideo radix omnium malorum est, quia vt desideria sua expleat (quod tamen impossibile est vt reipsa assequatur) & maleficia, & homicidia, & obscœnitatem, & quidquid sceleris est perpetrat.* Idem Ambros. lib. de Cain & Abel ca. 5: *Auaritia*, inquit, *quo plura abstulerit, eo magis inopem se esse credit; omnibus inuida, sibi vilis, in summis diuitijs inops; affectu extenuat, quod sensu abundat; nullus rapiendi modus, vbi nulla mensura cupiendi; elementa concutit, mare sulcat, terram effodit, cælum votis fatigat, nec sereno grata nec nubilo, condemnat prauentus annuos, fœtusq́; terrarum arguit.* Sic Bias: Φιλαργυρία, inquit, ἐστὶ τῆς κακίας μητρόπολις, id est, studium pecuniæ est metropolis omnis malitiæ. Sic & Timon: *Duo sunt*, inquit, *malorum elementa, ἀπληστία & φιλοδοξία*, id est, inexplebilis opum cupiditas, & gloriæ appetentia. & Virgil.

Auaritia est metropolis malitiæ.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames!

Sacra, id est sacrilega. & Horatius:

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat & obruitur re.

Sic & Ecclesiasticus c. 10: *Auaro*, inquit, *nihil est sceleslius: hic enim & animam suam venalem habet. Extirpa ergo cupiditatem*, ait Augustin. serm. 12. de verbis

verbis Domini secundùm Matth. *& planta charitatem: sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas.* Vide Chrysost. in morali homil. 17.

Denique scripsit in hanc Apostoli sententiam S. August. homiliam, quæ est octaua inter 50. to. 10. vbi inter cætera ait: *Quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas, & simul ambæ esse non possunt, nisi vna radicitus euulsa fuerit, alia plantari non poterit: sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicẽ non contendit euellere.* Deinde cum Apostolo exhortans quemlibet ad eleëmosynam, ait: *Si enim habet, profert & dat: si non habet, sufficit ei coram Deo voluntas bona. hic est pauper in arca, sed diues in conscientia: pauper in domo, sed diues in animo.*

QVAM QVIDAM APPETENTES ERRAVERVNT A FIDE, ET INSERVERVNT SE DOLORIBVS MVLTIS] Relatiuum *quam* non refert *cupiditatem*, sed *pecuniam*: hæc enim appetitur, non autem ipsa cupiditas. *pecunia* autem licet non sit in Latino textu, est tamen in Græco: includitur enim in voce φιλαργυρία. hæc enim non est aliud quàm φιλία τοῦ ἀργυρίου, siue ἀργύρου, id est amor pecuniæ.

Ecce quàm omnium malorum radix sit cupiditas, cùm ad apostasiam, hæresim, infidelitatem, quæ malorum omnium est caput & congeries, deducat: auarus enim qui tantùm præsentia bona quærit per fas & nefas, negligit Deum & diuina, adeoque tandem non credit supereſſe bona alia futuri sæculi, itaque religionem omnem ac fidem contemnit.

Sic hodie multi vel metu amittendarum, vel spe acquirendarum opum à fide Christiana ad hæresim desciscunt.

Opes sunt dolores & spinæ triplices. Prima.

INSERVERVNT (περιέπειραν, id est, infixerunt vel transfixerunt) SE DOLORIBVS MVLTIS] Amor enim pecuniæ instar spinæ mentem hominis transpungit & vulnerat aculeatis curis, vigilijs, angoribus, timoribus, laboribus & molestijs. q. d. O homo, quid appetis opes? spinas appetis, non rosas; aculeos quæris, non gemmas. ita Chrysostomus cum suis. Verùm quia hos dolores subiungit Apostolus apostasiæ auarorum, quasi ijs se inserãt auari postquam errauerunt à fide, non antè. Hinc

Secunda.

Secundò, meliùs ex hebraismo *dolores multos*, interpretabimur peccata & scelera multa, quæ infidelitatem & auaritiam sequuntur. Hebræi enim peccatum vocant עָמָל *amal*, id est, laborem & dolorem, quia causa est multorum dolorum. Sic psal. 10. *Concepit dolorem*, (id est, peccatum & iniquitatem; sequitur enim) *& peperit iniquitatem*, scilicet quam concepit. Ita per opes & auaritiam corruptos fuisse mores Romanorum docet Iuuenalis, & ex eo S. Aug. epist. 5. ad Marcellinum. Audi eum:

Seruabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitijs contingi parua sinebat
Tecta labor, somnique breues, & vellere Thusco
Vexata duraque manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala. sæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Tertia.

Tertiò, plenissimè accipiemus hîc quosuis dolores, siue puros, siue cum peccato coniunctos, qui auaros præsertim in infidelitatem prolapsos consequi solent; vti sunt infamia, angor conscientiæ, damna rerum temporalium, perplexitas, & pænè necessitas non tantùm vsuras, fraudes, sed & infidelium commercia, superstitiones & errores, omnesque infidelitatis actus admittendi, ne suorum gratiam perdant, scilicet vt videantur verè desciuisse ad infideles, & ex animo infidelitatem esse complexi; ac tandem metus, periculum & reatus gehennæ, qui est dolor dolorum. *Quapropter*, inquit Prosper lib. 2. de Vita contempl. cap. 13. *ei qui militat Deo, fugiendæ sunt diuitiæ, quas qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Noli ergo ea amare, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant.

Præclarè Galenus lib. de Curandis animi morb. c. 9. ostendit cupiditatem esse inexplebilem, omnisque tristitiæ causam. *Scito*, inquit, *omnis mœroris causam esse insatiabilitatem, ex eo quòd cupiditates habeant homines, quæ neque satiari, neque expleri possunt. Semper enim concupiscunt, qui præsentium rerum inexplebiles sunt: proinde si duplum quidpiam habent, triplum illico studeant acquirere; si triplum, quadruplum appetere incipiunt. Quare tu numquam omnibus ditior, sed propter immensas cupiditates, semper futurus es pauper. Rectè igitur dictum, insatiabilitatem vitium animi esse pessimum: fundamentũ enim quoddam est omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, bonorum, principatus, contentionis.*

Et S. Chrysost. hom. cùm Sarton. & Aurel. acti essent in exilium, tom. 5. *Vesana*, inquit, *diuitiarum cupiditas est morbus insanabilis, fornax quæ numquam extinguitur, tyrannis per orbem longè diffusa: diuitiæ ingratæ sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles & implacabiles, bestiæ incicurabiles, præcipitium vndequaque præruptum, scopulus assiduis plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum, inimicæ irreconciliabiles, quæque, numquam erga eos, à quibus possidentur, remittunt simultatẽ.*

Et Chrysol. serm. 29 *Cupiditas*, inquit, *sæuus hostis amando ladit, nudat ditando, etiam captiuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium.*

Quin & Plutarc. in Moralibus, docet auaros infelicem agere vitam. *Vt Chius*, inquit, *ille vina optima vendebat aliis, ipse vappam potabat; sic qui omnia sua deprauant, nec suis ipsorum bonis fruuntur. Huius seruus interrogatus, quid ageret dominus: Cum adsint*, inquit, *bona, quærit mala.*

TV AVTEM Ô HOMO DEI HAEC FVGE] Notat Theodor. & Chrysost. in Scriptura viros eximiè sanctos, Deoque familiares vocari *homines Dei*, non quòd reliqui homines non sint Dei; sed quòd hi imaginem Dei, ad quam creati sunt, puram à peccatis integramque conseruent. Sic vulgò vocamus *homines diuinos*, quirara virtute sunt admirabiles. Sic Achilles ab Homero sæpè vocatur θεοειδὴς Ἀχιλεύς, id est, diuinus Achilles. Verùm Notae esse hebraismũ. Hebræi enim אִישׁ הָאֱלֹהִים *isch haelohim*, id est virum Dei, vocãt eum, qui est Dei apud homines internũcius, interpres, vicarius, per quem Deum loquitur, operatur & moderatur suum populum. VERS. 11.

Homo Dei vocatur Propheta.

Hinc Primò, & sæpissimè hoc nomen tribuitur Prophetis, quos Spiritus Dei regebat. Sic Eliæ dicit Pentacontarchus 4. Reg. 1. 11. & 12. cui Elias: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo*, &c. sic 1. Reg 9. de Samuele dicitur: *Vir Dei est in hac ciuitate.* sic Iudicum 12. v. 6. Manue de angelo, quem videbat: *Vir Dei*, inquit, *venit ad me habens vultum*

vultum angelicum. sic 3. Reg. 13. v. 1. dicitur: *Vir Dei venit de Iuda in sermone* (id est iussu) *Domini in Bethel*. Quis autem sit hic vir Dei, exponit v. 13. vbi eum vocat נָבִיא *nabi*, id est, Prophetam. Sic 2. Timoth. 3. v. 17. doctor sacræ Scripturæ vocatur à Paulo *homo Dei*: iam enim sunt doctores, quod olim erant Prophetæ.

Secundò אִישׁ הָאֱלֹהִים *isch haelohim*, id est, homo Dei, est nomen quod tribuitur regibus, principibus & Prælatis à Deo constitutis, vt suo nomine populum regant: his enim Deus suam potestatem iudicandi & gubernandi (quam significat nomen *elohim*) communicat. Sic Moses à Deo constitutus, Deique ad populum internuncius vocatur *homo Dei*, Deuter. 33. 1. sic Dauid 2. Paralip. 8. 14. vocatur *homo Dei*. sic Actor. 2. 22. Petrus Iesum vocat *virum approbatum à Deo* (id est virum Dei) *virtutibus & signis, quæ Deus fecit per illum*. & cap. 17. v. 31. Paulus Iesum vocat *virum in quo Deus statuit iudicare orbem*. Vir ergo Dei idem est quod iudex, legislator, princeps, qui Dei nomine & virtute iudicat, regit, operatur. Hîc Timotheus vtroque sensu vocatur *homo Dei*: priore, quia erat Propheta, id est doctor populi: posteriore, quia erat Episcopus & Princeps Ecclesiæ Ephesinæ, eamque vice Dei regebat. q. d. Paulus: Memento ô Timothee, cuius sis, cui seruias; Dei es, Deo seruis, Dei vicarius agis; vide ergo ne auaritiæ, de qua hactenus egi, seruias, nemo enim potest Deo seruire & mammonæ.

SECTARE VERO IVSTITIAM] δίωκε, id est, persequere, vti venator persequitur feram, ita tu iustitiam: persequere, inquam, id est persequi pergere maiori studio & conatu, vt iustitiam, pietatem, &c. quæ habes, in te & tuis subditis, foueas & augeas: significatur enim hîc non actus inchoatus, sed continuatus, iuxta can. 32.

Nota. Pro *mansuetudinem* Ambrosius legit tranquillitatem animi: hanc enim parit mansuetudo. Porrò mansuetudo Episcopo & Doctori valdè est necessaria, vt suauiter & efficaciter in animos influat, ijsque virtutes inserat, & vitia eximat: nec enim homines vitiosi ferunt asperitatem correctionis.

12. CERTA BONVM CERTAMEN FIDEI, APPREHENDE VITAM ÆTERNAM, IN QVA VOCATVS ES, ET CONFESSVS BONAM CONFESSIONEM CORAM MVLTIS TESTIBVS] Græcè est ἀγωνίζε τὸν καλὸν ἀγῶνα, q. d. Agoniza pulchrum siue præclarum agonem fidei. Alludit enim ad palæstram & agones, qui Ephesi & in Græcia celebrabantur. Rursum alludit ad agones & certamina militaria, in quibus pulchrum est decertare fortiter vsque ad mortem, vt generosus miles dicat sibi, Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito; moriar potiùs quàm fugiam pulchramque petam per vulnera mortem. Talis enim debet esse Christianus, vt quasi miles Christi pro Christo & Christi fide ad mortem & martyrium vsque decertet. Vnde ad hunc agonem generosè obeundum passim Christianos adhortatur Apostolus, vt Philipp 1. 29. *Idem*, inquit, *certamen* (græcè ἀγῶνα) *habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me* Hebr. 12. 1. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen* (ἀγῶνα.) 1. Cor. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam: sic currite vt comprehendatis*. quod hîc ijsdem penè verbis dicit: *Certa bonum agonem, apprehende vitam æternam.*

Secundò, certamen siue agon fidei, quem subit Episcopus, de quo hîc propriè agit Apostolus, est, vt acerrimum se ostendat fidei Christianæ defensorem, propagatorem & propugnatorem contra omnes insidias & persecutiones Iudæorum, Gentilium & hæreticorum. Talis fuit agon Pauli 1. Thessal. 2. 2: *Passi*, inquit, *& contumeliis affecti*, &c. *fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei in multa sollicitudine* (græcè ἀγῶνι.) & 2. Timoth. 4. 7. *Bonum certamen certaui* (græcè τὸν καλὸν ἀγῶνα ἠγώνισμαι.). Hunc agonem describit 2. Corinth. 11. 23. & seqq. *Quis agon Episcopi.*

Tertiò, dicitur agon fidei is, quo quisque Christianus, & præsertim Episcopus, contra peccata & vitia, omnesque mundi illecebras & concupiscentias æquè ac terrores depugnat. Dicitur *fidei*, tum quia ob fidem Christi suscipitur; tum quia fides per spem & charitatem operans hoc bellum conficit. Persuadet enim Christiano, vt pro amore Dei sui & spe brauij cælestis obtinendi strenuè in hoc bello decertet. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*, inquit S. Ioannes epist. 1. c. 5. Vnde Apostolus ad Hebræos 11. docet, *sanctos per fidem vicisse regna, operatos esse iustitiam*; aliaque admiranda partim fecisse, partim pertulisse. *Quis agon fidei.*

APPREHENDE, viriliter certando tamquam palmam victoriæ, VITAM AETERNAM, IN QVA (græcè εἰς ἣν, id est, ad quam) VOCATVS ES à Deo.

Ita certarunt omnes Sancti cuiusuis sæculi, & certando virtutis laudem & coronam adepti sunt. Audi S. Chrysost. serm. de martyr. tom. 3. *Ab origine mundi*, inquit, *innocens Abel occiditur, Enoch Deo placens transfertur, iustus Noë invenitur, Abraham fidelis probatur, Moses mansuetus dignoscitur, Iesus castus, Dauid lenis, Elias acceptus, Daniel sanctus, tres pueri victores redduntur, Apostoli discipuli Christi credentium magistri habentur: à quibus eruditi Confessores fortissimi pugnant, Martyres perfecti triumphant, & Christiani semper exercitus diabolum Deo armati debellant. In istis semper pares virtutes, dissimiles pugnæ, gloriosæ victoriæ.* Deinde horum exemplo singulos ad certamen excitans, eisque classicum canens ait: *Vnde tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exsere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti; conditionem, qua accessisti; militiam, cui nomen dedisti.* *Certamen Sanctorum ex S. Chrysost.*

Ita septem fratres Machabæi intuitu vitæ æternæ, & spe beatæ resurrectionis singuli se inuicem excitabant ad certandum cõtra Antiochum. vnde secundus linguam & manus constanter carnifici præscindendas extendens: *E cælo*, inquit, *ista possideo; sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio: quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Mater verò eos exhortans aiebat: *Mundi creator spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam; sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.* Et ad minimum conuersa: *Peto*, ait, *nate, vt aspicias ad cælum*, &c. *vt non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, vt in illa misericordia cum fratribus tuis te recipiam.* Certantibus enim vita æterna promissa est, & datur vt brauiũ.

Audi pulchram hac de re visionem, quam narrat Ioan. Moschus in Prato spirit. c. 130. *Narrauit*, inquit, *nobis & istud Abbas Athanasius de se, Venit, inquiens, mihi aliquando cogitatio, dicens: Quid putas erit certantibus & non certantibus? Et cùm factus essem*

in

in extasi, venit ad me quidam dicens mihi, Sequere me; adduxitq; me in quemdam locum plenum luminis & gloriæ, statuitq; me iuxta vnam tanuam, cuius speciem enarrari non potest: audiebamus autem interius quasi multitudinē innumerabilem laudantium Deum. Cumq; pulsaremus, audiuit quispiam intus, & dixit, Quid vultis? Ait ductor meus, Ingredi volumus. Respondit ille, Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens: sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi.

ET CONFESSVS] q.d. Ob hanc palmam, scilicet vitam æternam, consequendam confessus es bonam confessionem: Primò, in baptismo, inquit Chrysost. Theophyl. Ambros. Olim enim adulti, qualis erat Timotheus, qui ex gentilismo conuertebantur ad christianismum, publicam faciebant professionem fidei & christianismi; qualem fecisse Victorinum Rhetorem docet August. l. 8. Confess. c. 2. Hinc ad hanc fidei confessionē retinendam, voceque & vita profitendam sæpè suos hortatur Apostolus, vt Hebr. 10. *Teneamus*, inquit, *fidei nostræ confessionem indeclinabilem*. 2. Corinth. 9. *Glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ in Euangelio Christi*. Hebr. 3. *Considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum.*

Triplex confessio Timothei. Prima.

Secunda.

Secundò & potiùs, confessus, vel, vt vertit Syrus, Vatablus & alij, professus es bonam professionem, quando in persecutione Gentilium, ac præsertim fabrorum Dianæ Ephesinæ illustrem fidei protestationem, imò propugnationem Ephesi in publico Asiæ totius theatro cum vitæ tuæ periculo ostendisti & exhibuisti. Ita quoque explicat Chrysost. & Theophyl. ad hanc enim in persecutione protestationem potissimùm respicere Apostolum patet, quia agit de protestatione, in qua, vt præcessit, profitens fidem Christi certat bonum certamen, vt apprehendat vitam æternam. Vnde & mox subdit talem confessionem fecisse Christum coram Pontio Pilato, in summa scilicet persecutione Iudæorum quærentium Christum ad necem, vt ad crucē à Pilato damnaretur, eò quòd confiteretur se esse Messiam.

Tertia.

Tertiò, non malè S. Thomas, Caietan. Lombardus intelligunt de ea protestatione & promissione, quam præsente populo Christiano fecit Timotheus, dum consecraretur Episcopus, scilicet se euangelizaturum fidem, & fideliter curaturum Ecclesiam Ephesinam. Sic monachi & Religiosi faciunt bonam confessionem & promissionem, dum faciunt vota, quibus profitentur se renunciare mundo, mundi voluptatibus & diuisibili vitæ, inquit S. Dionys. c. 6. Eccles. hierarch. p. 2.

VERS. 13. PRAECIPIO TIBI CORAM DEO, QVI VIVIFICAT OMNIA, ET CHRISTO IESV, QVI TESTIMONIVM REDDIDIT SVB PONTIO PILATO BONAM CONFESSIONEM] Notat Ambros. tam seuerè præcipere Apostolum, non tam propter Timotheum, cuius zelus hoc præcepto non egebat, quàm propter eius successores, omnesque deinceps futuros Episcopos.

Duos stimulos Episcopo addit Paulus.

Secundò, duos hîc Episcopo stimulos addit ad acuendam eius virtutem & animum in hoc agone, quem præcipit Paulus. Prior est, quòd *decertet coram Deo, qui vivificat omnia*, id est, qui omnibus viuentibus vitam dat & conseruat, ac præsertim qui omnes homines à morte ad vitam resuscitabit. q. d. Age ergo, ô Episcope, viriliter depugna, sciens tibi paratam à Deo in resurrectione coronam vitæ æternæ. Posterior est, quòd decertet coram Christo, quem hîc exemplar bonæ professionis proponit: non enim in tribulatione aut persecutione deficiet, qui cogitauerit seriò, quanta pro se, quamque constanter & patienter passus sit Christus.

Præclarè Cyprian. lib. 2. epist. 6. ad Martyres & Confessores eos exhortatur, dicens: *Si vos actes vocauerit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis eius ad ipsius gloriam peruenire: qui non sic est, vt seruos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur.*

Vnde Nota Tertiò. Christus testimonium reddidit bonam confessionem, id est, testimonium quod fuit bona confessio. est enim appositio; nam græcè est, μαρτυρήσαντα τὴν καλὴν ὁμολογίαν, id est, qui (scilicet Christus) testatus est, vel testatam fecit bonam vel præclaram confessionem. Hæc bona siue præclara Christi confessio fuit, qua coram Pontio Pilato, totoque concilio & populo Iudæorum professus est se esse Messiam regem Iudæorū, missum in mundum vt testimonium perhiberet veritati, scilicet vt doceret homines veram doctrinam bene & piè viuendi, & ad salutem æternam perueniendi. ita Chrysost. Theophyl. & alij.

Quænam Christi confessio.

Nota Quartò. Non dixit Apostolus, Confessus est bonam confessionem, vti dixerat de Timotheo v. præced. sed, Testatus est, vel testatam fecit bonam confessionem; quia Christus suam confessionem ore tenus factam, passionis, crucis & mortis tolerantia testatam fecit, suoque sanguine confirmauit & obsignauit. ita Chrysost. cum suis. Hoc enim significat Græcum μαρτυρήσαντα. Christus enim est Martyr, & Martyrum dux & caput: vnde Apocal. 1. vocatur *testis* (græcè μάρτυς) *fidelis*, & inde Martyres sunt dicti, qui sanguine suo, morte & martyrio protestantur fidem Christi esse veram. alij enim qui in tribunalibus examinati profitebantur fidem Christi, à bona sua confessione vocabantur Confessores: quòd si deinde eam ob causam morte afficerentur, vocabantur Martyres. hinc de Christo canit Ecclesia: *Rex glorioſe Martyrum, corona confitentium.*

Martyres sunt testes Christi.

VT SERVES MANDATVM SINE MACVLA, IRREPREHENSIBILE] Nonnulli intelligunt mandatum dilectionis, quod primum, magnum & generale est mandatum.

VERS. 14. *Mandatū quadruplex. Primum.*

Secundò, alij accipiunt de mandato, quod baptizato traditum est in baptismo; vt scilicet vestem innocentiæ quam accepit custodiat, seque immaculatū & irreprehensibilem exhibeat Christo venienti ad iudicium.

Secundum.

Tertiò & meliùs, alij intelligunt mandatum quod immediatè præcessit, scilicet: *Certa bonum certamen fidei.*

Tertium.

Quartò & plenissimè, *mandatum*, id est, mandata. q.d. Quidquid tibi ô Episcope hac epistola præscripsi & demandaui, hoc serua.

Quartum.

Nota. Mandatum hoc iubet seruari sine macula, non quasi mandatum quod sanctum & purum est, in se reprehendi possit, sed quòd mandatarius cui datur, mandatum illud seruare debeat integrè & inuiolatè, vt iure de eius neglectu aut violatione reprehendi nequeat. Est ergo hypallage: mandatum enim seruatur sine macula & irreprehensibile,

Quid sit seruare mandatum sine macula. Prima expositio.

bile, quando mandatarius mandato obediens seipsum seruat sine macula & irreprehensibilem: vnde Græca sic habent, τηρῆσαί σε τὴν ἐντολὴν ἄσπιλον καὶ ἀνεπίλημπτον. vbi τὴν ἄσπιλον καὶ ἀνεπίλημπτον non ad ἐντολὴν, sed ad σὲ referendo verti potest cum Vatablo, Erasmo & alijs: *Vt serues mandatum immaculatus & irreprehensibilis.* Hinc etiam Chrysost. & Theoph. sic explicant, q.d. Paulus: Serua mandata mea integrè, ita vt neque in dogmatibus, neque in moribus maculam contrahas, ob quam meritò reprehendaris.

Secundò tamen, Oecumen. Hesselius & Primasius propriè ipsum mandatum dicunt ab obediente seruari sine macula & irreprehensibile: quia qui inobediens mandatum transgreditur, quodammodo mandato notam aliquam & labem aspergit, illudque maculat, & reprehendi facit; præsertim si sit Episcopus. hic enim si malè viuat, facit vt Gentes blasphement tam legem, quàm nomen Christi & Christianorum. sic Iacobi 4. dicitur: *Qui detrahit fratri, detrahit legi*, quæ scilicet vetat detractionem. Sicut enim qui legi huic alijsque obedit, legem honorat: ita qui legem violat, ac proximo detrahit, legi ipsi detrahit, legemque ipso facto vilipendit & infamat.

VSQVE IN ADVENTVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI] Pro *aduentu* græcè est ἐπιφανείας, id est, apparitionem, illustrationem & illustrem splendidumque aduentum: nam, vt dicitur Matth. 24. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum maiestate magna & potestate.* Hac ergo mentione illustris & glorioſi aduentus Christi ad iudicium, excitat Apostolus Episcopum & Christianos omnes, vt sine macula se seruent in obedientia mãdatorum Christi, vtpote qui sciant se à Christo & cum Christo gloria æterna donandos. Vnde Christianis hic aduentus Christi deberet esse non terrori, sed in votis & desiderio. *Si enim*, inquit Augustin. in psal. 147. *amaremus Christum, vtique aduentum eius desideraremus.*

QVEM, supple aduentum Christi, vt patet ex græco ἣν, SVIS TEMPORIBVS OSTENDET (id est exhibebit) BEATVS ET SOLVS POTENS] Nota. Pro *beatus* græcè est μακάριος. q.d. Ille beatus, qui scilicet est ipsa beatitudo, beatque omnes angelos & Sanctos, teque, ô Timothee, omnesque Christianos beabit, si seruent eius mandata sine macula, vt dixi.

Secundò. Pro *solus potens* græcè est μόνος δυνάστης, id est, solus dynasta & princeps, quia scilicet Deus à se ipso habet omne dominium, potestatem, principatum, illudque ita absolutum, potens & eminens, vt eius respectu creati principes & dynastæ videantur non esse principes & dynastæ, sed tantùm famuli Dei, quibus gratis & quasi mendicatò vmbraticum, exilem & temporarium dominatum & principatum elargitur & communicat Deus. Sic dicitur, *Nemo bonus nisi solus Deus*: rursum, *Ego sum qui sum.* quia esse Dei & bonitas Dei tam perfecta, solida & immensa sunt, vt omnis essentia & bonitas creata respectu illius increatæ vix vmbra sit; q.d. Paulus: Ne timeas mundi dynastas & reges in confessione & propugnatione fidei, ô Timothee: his enim præsidet summus dynasta, qui solus propriè & absolutè dynasta est, cui tu seruis, quique tui curam gerit, & te contra omnes mundi dynastas tuebitur. ita Chrysost.

Cornel. in Epist. Pauli.

A REX REGVM] Græcè βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, id est, rex regnantium scilicet, non tantùm regum, sed & tyrannorum. Erasmus hæc tria Dei epitheta sic distinguit. δυνάστης, inquit, dicitur reipublicæ gubernator & princeps: δυνασεύειν enim dicuntur, qui potentia rempublicam obtinent; quod Deo proprium est, vtpote qui nullis subiectus est legibus. βασιλεὺς verò, id est rex, dicitur Deus à prouidentia, quasi πάσι βασιλεύοντων, quòd scilicet omnibus prospiciat: & hoc vnicè conuenit Deo. Denique dicitur Deus κύριος, id est dominus, quod auctoritatis est nomen: nullus enim potest rescindere quod Deo placuit. ita Erasmus. *Tria Dei epitheta iuxta Erasmũ.* *Vnde Basileus.*

Verùm minutior & exilior est ista distinctio: potiùs videtur Apostolus hæc quasi synonyma congerere ad explicandam & exaggerandam immensam, omniaque transcendentem Dei potentiam & imperium, idque per nomina & dignitatum titulos, qui apud homines gradationem quãdam ab imo ad summum significant. Nam apud homines inter principes minimi sunt dynastæ, his maiores sunt reges; sed maximi sunt Domini siue Imperatores. Sic Augustus, Tiberius, Nero & alij Romani Imperatores vocabantur Domini, scilicet summi & absoluti, vt patet Actor. 25. v. 26. Sic etiamnum Turcarum Imperator ab eis nuncupatur Magnus dominus. Hinc & Deus vocatur אֲדֹנָי *Adonai*, id est *Domini* in plurali, hoc est, multus & magnus Dominus. *Auctoris sententia.*

B QVI SOLVS HABET IMMORTALITATEM] Sicut dicitur Deus solus potens, ita & solus immortalis, scilicet à seipso plenissimè & absolutissimè, ita vt à nulla re mors aut interitus Deo inferri possit: angeli enim & animæ licet immortalitatem Dei, sicut & esse spiritale Dei, aliquo modo participent, imperfectè tamen & tenuiter eam, æquè vt esse Dei, participant; adeoque absolutè à Deo interimi & annihilari possunt. Hinc Plato in Timæo inducit Deum dijs minoribus, id est angelis, ita loquentem: *Generati estis immortales quidem, & tamen indissolubiles omnino non estis: nec tamen vnquam dissoluemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea maius præstantiusq; vobis est vinculum ad vitam custodiendam, quam nexus illi quibus estis tunc, cùm gignebamini, colligati.* VERS. 16. *Quomodo solus Deus sit immortalis.* *Resp. prima, quia solus ex se est immortalis.*

Secundò, S. Augustin. l. 1. de Trinit. cap. 1. & Gregor. l. 12. Moral. cap. 17. per *immortalitatem* hic accipiunt immutabilitatem: immutabilitas enim est ratio & quasi causa incorruptionis & immortalitatis. & rursum, omnis immutabilitas est quædam immortalitas, sicut omnis mutabilitas est quædam mors; & contrà. quia quod mutatur transit, ab eo quod erat ad aliud quod non erat: quod est quædam mors & interitus prioris esse, quod mutatione hac deperit. Iam hoc sensu constat solum Deum esse immortalem, id est immutabilem. nam angeli & homines mutabiles sunt. Vnde S. Bernard. serm. 81. in Cant. infert animam hominis, licet sit immortalis, tamen modicam tantùm habere partem immortalitatis, eò quòd Apostolus de Deo dicat: *Qui solus habet immortalitatem. Quod ego*, inquit, *reor pro eo dictum, quòd solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait: Ego Dominus, & non mutor. Vera namque & integra immortalitas tam non recipit mutationem, quàm nec finem; quòd omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. Omne etenim quod mutatur, dum de vno ad aliud trãsit* *Secunda, solus Deus est immortalis, id est immutabilis.*

esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, vt esse incipiat quod non est. Quòd si tot mortes, quot mutationes, vbi immortalitas? Et huic varietati subiecta est ipsa creatura,&c.

Nota,hæc dici contra Simonem Magum:ipse enim præter Deum ponebat alias virtutes vel principes immortales & potentes per se & independentes quasi à Deo. hos vt tollat Paulus, dicit solum Deum esse potentem & immortalem ex se.

Obiectio. Dices,Solus Pater hîc dicitur potens & immortalis; ergo Filius & Spiritus sanctus non sunt immortales & potentes per se.

Responsio prima. Resp. Primò negando antecedens. nam absolutè loquitur hîc Apostolus de Deo, qui communis est tribus personis.vnde S.August.lib.1.de Trinitate cap.6.vult Apostolum hîc loqui de tota SS. Trinitate.

Secunda. Secundò, etiamsi de solo Patre, vt vult Chrysost. diceret Apostolus, Solus Pater est potens & immortalis; hoc ipso non debet intelligi seclusus Filius aut Spiritus sanctus, sed tantùm ea, quæ sunt alterius naturæ, seu quæ aliam habent essentiam,quàm habeat Deus Pater. Est enim axioma Theologorum, particulas exclusiuas, solus, tantùm,dumtaxat,& similes, in diuinis, cùm adduntur actibus notionalibus, excludere alias personas; cùm verò adduntur attributis essentialibus, (qualis est potentia, immortalitas, &c.) tantùm excludere alias essentias,seu res quæ aliam habent naturam. Tam ergo Filius & Spiritus sanctus quàm Pater, habent omnipotentiam & immortalitatem per se, siue ex se,id est, ex sua essentia & diuinitate.

Tertia. Tertiò, respondet Cyrillus l.4.Thesauri c.vlt. solum Patrem habere potentiam & immortalitatem à se,quia à nullo alio ea habet:Filium autem & Spiritum sanctum non habere ea à se, sed à Patre, quia est principium totius SS.Trinitatis, vt τὸ *se* non naturam,sed personam denotet.

ET LVCEM HABITAT INACCESSIBILEM] Hæc *lux* est ipse splẽdor & gloria maiestatis diuinæ increata, immensa & inenarrabilis, quæ est fons omnis luminis,claritatis,cognitionis, gloriæ; & vt verbo dicam,hæc lux est ipse Deus. Vnde anthropopathῶs in ea habitare dicitur Deus; Deus enim propriè domum non habet, in qua habitet, sed habitat,id est existit,in seipso.

Lux est ipsa gloriosa Dei maiestas.

Hæc lux est caligo, in qua habitat Deus. Secundò, hæc lux nobis est inaccessa: vnde nobis non lux, sed caligo est. Hinc in veteri testamento Deus Mosi & Prophetis apparuit in nube & caligine, Exodi 20.v.21.psal.17.v.10.& 12. *Posuit*, inquit,*tenebras latibulum suum.* psal.96.v.2. *Nubes & caligo in circuitu eius.* Qua de re S.Dionysius epist.5.ad Dorotheum: *Caligo*, inquit, *diuina est inaccessibilis, in qua habitare dicitur Deus: hæc est inuisibilis propter eximiam claritatem, & inaccessibilis propter immensam luminis copiam.* Lux ergo Dei infinita vocatur in Scriptura *caligo* & *nubes*: quia præstringit oculos nostros, ita vt non magis immensam hanc Dei gloriam intueri possint, quàm densissimas tenebras, altámue caliginem, seu nubem atram.

Quomodo nemo possit videre Deũ. Prima expositio. QVEM NVLLVS HOMINVM VIDIT, SED NEC VIDERE POTEST] scilicet oculo corporeo. ita Hesselius. Secundò, commentar. Ambrosio asscriptus hîc intelligit hæc de solo Patre, quem in veteri testamento apparuisse negat, ita vt nullus Prophetarum aut hominum Deum Patrem viderit; *Secunda.* sed tantùm Filium. vult enim in omnibus apparitionibus solum Filium apparuisse. Sed hoc refellit S.August.l.2.de Trinitate c.18. & verus Ambros.in illud Lucæ 1.11. *Apparuit illi angelus Domini*, docetque etiam Patrem & Spiritum sanctum apparuisse:& patet Genesis cap.18. vbi Abraham vidit tres angelos repræsentantes tres personas SS. Trinitatis: vnde tres vidit, sed tres quasi vnum compellauit & adorauit.

Tertiò. Tertiò, alij accipiunt hæc de hac vita mortali, q.d.Paulus: In hac vita mortali nec ego, nec Moses,nec quis alius vidit, aut videre potest diuinam essentiã. Verùm hoc absolutè non videtur verum: etiamsi enim demus neminem actu vidisse Deum, potest tamen Deus facere,vt aliquis homo mortalis videat Dei essentiam.

Quarto & genuina. Hinc Quartò, germanè & solidè: nemo potest videre Deum, scilicet per se & suas naturæ vires, siue nemo potest videre Deum sua acie mentis, suo naturali acumine, suo ingenio, vti præsumebant Anomæi: sed necesse est vt homo visurus Deum super hominem eleuetur, ac per gratiam naturam transcendat, & super seipsum attollatur, atque quasi supernaturalem vim visiuam oculumque accipiat,putà lumen gloriæ,quo Deum videre possit. Quod ergo dicitur Genes.32.v.30. *Iacob vidisse Deum facie ad faciem*,& Moses Numer. 12.v.18. dicitur *ore ad os quasi amicus cum amico familiariter cum Deo collocutus*;intelligendum est non de Dei essentia, sed de corpore à Deo, vel potiùs ab angelo personam Dei repræsentante assumpto, in quo facie ad faciem cum Mose & Iacobo angelus vice Dei colloquebatur. Hinc rectè colligunt Theologi, nec esse, nec esse posse aliquam creatam substantiam, cui connaturale sit videre Deum, seu quæ viribus naturæ suæ possit videre Deum, ac consequenter cui naturale sit lumen gloriæ: tali enim creaturæ Deus non habitaret lucem inaccessibilem, sed per se accessibilem; talisque per se posset videre Deum, ac consequenter deberet esse talis ordinis diuini, & in eodem ordine cum Deo,ac quasi par Deo. Quæ omnia repugnant Apostolo hîc, cùm dicit Deum ita transcendere omnia creata, omnemque omnino intellectum, siue creatum de facto, siue possibilem, vt à nullo viribus suis suaque naturæ adiri, accedi,videri possit.Sic cap.1.17.Deum vocauit regem sæculorum inuisibilem.

Quomodo Iacob & Moses viderint Deum facie ad faciem.

Nulla potest creatura creatura, cui sit connaturale videre Deũ.

CVI HONOR ET IMPERIVM SEMPITERNVM] Pro *imperium* græcè est κράτος, quod non tantùm imperium,sed & potestatem ac robur significat.q.d. Reges huius mundi habent suum robur & imperium, sed breue; *omnis enim potentatus vita breuis:* Deus verò robur & imperium habet æternum,quo impios in æternum puniet,Sanctos verò gloriæ & regni sui participes faciet in die aduentus Christi ad iudicium.

Quid κράτος Dei.

VERS. 17. DIVITIBVS HVIVS SAECVLI PRAECIPE NON SVBLIME SAPERE, NEQVE SPERARE IN INCERTO DIVITIARVM] Quia v.6 & seqq.egit de vitijs cupientium ditescere, hinc transit ad ipsorum diuitum vitia, eorumque remedia. Ephesus enim nobile erat Asiæ emporium;vnde multi in ea mercatores erant prædiuites.

Diuites alij sunt huius sæculi, alij futuri. Nota.Vocat *diuites huius sæculi*,quia sunt alij diuites sæculi futuri. Vocantur ergo diuites & diuitiæ huius sæculi; quia cum hoc sæculo instar bullæ & momenti transeunt. Secundò, quia terrenæ sunt,

sunt, miseræ, viles & exules, quale est hoc sæculum & homines sæculares, omniaque sæcularia. Sic dives Epulo in hoc sæculo dives erat, sed in futuro pauper: contrà Lazarus mendicus in præsenti vita pauper erat, in futura dives. Vide S. Augustinum serm. 212. de Tempore. Secundò, vult Paulus vt Timotheus Episcopus præcipiat diuitibus non sublimè sapere, græcè μὴ ὑψηλοφρονεῖν. quod Ambros. vertit, non superbè sapere; Vatablus, non elato esse animo. sed propriè significat sublimiter de se sentire, magni se facere, multum sibi arrogare, *Nam sicut vermis pomo, ita diuitijs superbia innascitur*: inquit Anselm. & August. serm. 5. de verbis Domini secundùm Matthæum tom. 10. *Omne*, inquit, *pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet suum vermem: alius est vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici: vermis diuitiarum, superbia.*

Vermis diuitiarum superbia.

Tertiò, vult diuites *non sperare in incerto* (græcè ἀδηλότητι, id est, incertitudine) *diuitiarum suarum*, quia opes hæ instabiles sunt, caducæ, & minimo vento belli, naufragij, furti, & cuiuslibet mutationis rerum humanarū difflantur, pereunt, & ab vno alteri afflantur, vt qui hodie est Crœso ditior, cras sit Iro pauperior. Adde, in morte, cuius dies & hora nobis incerta est, omnes opes nos deserent: ita vt non tam opum domini, quàm vsufructuarij simus, ait Chrysost. Quis ergo sapiens in eis spem suam defigat? *Stulte*, inquit Christus diuiti illi, Lucæ 12. 20. *hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Hinc Diogenes Cynicus opes, quia viles sunt & fluxæ, vocabat vomitum fortunæ. Chrysost. hom. in Eutropium vocat eas seruum fugacem, imò homicidam, exemplumque statuit ipsum Eutropium, qui à summo opum & honorum gradu in imum lapsus, cùm à militibus ad necem posceretur, ad ecclesiam (cuius immunitatem violauerat) confugere coactus, ibique à Chrysostomo exceptus, & homilia iam dicta defensus ac seruatus est.

Vanitudo incertitudo diuitiarū.

17. SED (sperare) IN DEO VIVO (QVI PRAESTAT NOBIS OMNIA ABVNDE AD FRVENDVM) BENE AGERE, DIVITES FIERI IN BONIS OPERIBVS, FACILE TRIBVERE, COMMVNICARE, THESAVRIZARE SIBI FVNDAMENTVM BONVM IN FVTVRVM, VT APPREHENDANT VITAM VERAM] Aptè incertitudini diuitiarum, quæ non permanent, sed citò pereunt, opponit *Deum viuum*, qui semper permanet, viuit & viget. Sic enim Hebræi Deum æternum & stabilem vocant אֵל חַי *el chai*, id est, Deum viuum; vt eum opponant dijs Gentium & idolis, quæ sunt dij saxei & lignei, ideoque falsi & mortui. Vnde S. Augustin. serm. 205. de Tempore, ait: *Apostolus iubet non sperare in incerto diuitiarum; sed in Deo viuo. fur tibi tollit aurum; quis tibi tollit Deum? quid habet dives, si Deum non habet? noli ergo in diuitijs sperare; sed in Deo viuo, qui præstat nobis abundanter omnia, cum quibus omnibus & seipsum.* Idem l. 13. Confess. 8. *Male*, inquit, *mihi est præter te, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.* Secundò, *Deus viuus* significat Deum diuitem, largum & liberalem, qui vitam, omniaque sua bona nobis largiter aspirat & communicat; hinc à Græcis deorum summus dicitur Ζεὺς vel Ζλὼ. quia, vt ait Laërtius in Zenone, δι' ζλῶ ἅπαντός ἐστι, viuendi cæteris causa est. Vnde Paulus hîc idipsum explicans subdit, *qui præstat omnia abundè* (πλουσίως, id est diuiter, opulentè, copiosè: alludit enim ad verbum πλούτος, id est diuitias, de quibus præcessit) id est, qui est & dicitur hebraicè *saddai*, de quo dixi Philipp. 4. 11. Hic ergo *præstat omnia ad fruendum*, vt scilicet aëre, aqua, luce, sole, elementis, inquit Chrysost. fruamur æquè pauperes ac diuites, vtque frugibus & opibus terræ omnibusque animæ & corporis alimentis & fomentis abundemus (qua de re pulchrè differit Seneca lib. 4. de Beneficijs cap. 4.) ijsque frui possimus, id est, cum voluptate vti: *Deus enim cibo & lætitia implet corda nostra*, vt dicitur Actor. 17. nam alioqui propriè bonis præsentibus tantùm vtimur, æternis verò fruimur. Vnde S. August. serm. 5. de verbis Domini secundùm Matt. *Deus præstat*, inquit, *& temporalia & æterna: ad vtendum temporalia tamquam viatoribus, ad fruendum æterna tamquam habitatoribus: temporalia, vnde bona faciamus; æterna, vt boni efficiamur.*

Quomodo Deus præstet omnia ad fruendum.

B Nota. Apostolus hîc septem præcepta dat diuitibus. Primum est, vt in suis opibus spes suas non defigant. Secundum, vt sperent in Deo viuo.

Septem præcepta diuitibus dat Paulus.

Tertiò, vult Apostolus, diuitibus præcipi *bene agere*, græcè ἀγαθοεργεῖν, id est, vt bona opera operentur, & fugiant luxum aliaque peccata & mala opera, quæ opes consequi solent.

Quartò vult *diuites fiant in bonis operibus*, scilicet multa bonorum operum merita sibi accumulando: veræ enim diuitiæ sunt non aurum & argentum, sed virtutes & virtutum opera.

Quintò, vt *facilè tribuant*, græcè εὐμεταδότους εἶναι, id est, ait Ambros, vt faciles sint ad impartiendum, ad largiendum, ad dandum eleëmosynam.

Sextò, vt *communicent*, id est, pares suos alios mortales agnoscant, inquit S. August. serm. 5. citato de verbis Domini, &, vt Haymo: communicare, inquit, est mortales se recogitare, & socios esse alijs hominibus in fragilitate. Secundò, Græcum κοινωνικούς, id est communicantes, Chrysost. Theophyl. Oecumen. interpretatur benevolos, amicos, societatis amantes, humanos, qui alios præsertim pauperes non despiciunt, sed sine fastu familiariter cum ijs loquuntur & agunt. Tertiò, & aptiùs ad sequentia & præcedentia, per *communicare* intellige facilè mutuare, commodare, & rerum suarum vsum communem facere. sicut enim per *facilè tribuere* intellexit facilem donationem: ita per *communicare*, intelligit facilem opum suarum communicationem per mutuum, commodatum, aliosque modos à donatione distinctos. Vult enim diuites sua liberaliter non tantùm donare, sed & vtenda dare: opes enim eis ad vsum datæ sunt tum proprium, tum alienum; hastamen auari tenaciter retinent, & è viscatis manibus abire non sinunt, liberales verò liberaliter eas communicant.

Communicare triplicitèr exponitur.

Septimò, vult Apostolus diuites *thesaurizare sibi fundamentum bonum*. Hoc fundamentū commentarius Hieronymo & alter Primasio asscriptus, (qui vterque, vt dixi in proœmio, reuera est Pelagij, vel Pelagiani alicuius) interpretatur vendere omnia, & dare pauperibus; id quod vult esse præcepti. Hæc enim inter alias fuit quoque hæresis Pelagij, scilicet Christianis præceptum esse à Christo & ab Apostolo, vendere omnia sua, eaque dare pauperibus, ac consequenter omnibus Christianis vetitas esse opes, & præceptam paupertatem, ideoque diuites non posse saluari; idque Christum docuisse Matth. 19. cùm dixit, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.*

Pelagij hæresis fuit, Christianos omnes debere esse pauperes.

Tam. Petitg l. 1. Var. Lect. c. 11. f. 97.

Refellitur. Hoc refellit S. August. epist. 89. ad Hilarium q. 4. meminitque expositionis huius loci iam dictæ, eamque Pelagianam vocat. Vnde sequitur commentarios hos Hieronymo asscriptos esse Pelagiani cuiuspiam: refellit autem hac ratione, quòd S. Paulus velit à diuitibus ali vxores, filios & seruos: hi autem sine opibus ali non possunt. Rursum quòd nullum extet paupertatis huius præceptum, quod omnibus Christianis sit datum: non enim dicit Christus, Si vis Christianus, sed, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia. locus autem Matthæi c. 19. alium habet sensum, vt ibi dicam.

Quod fundamentum bonũ diuitibus comparandum. Dico ergo, vult Apostolus diuites sibi thesaurizare & recondere *in futurum*, scilicet sæculum, *fundamentum bonum*, id est, firmas opes & bene fundatas, scilicet spiritales, cælestes & æternas: putà virtutes & virtutum pietatisque opera. Has enim opes quasi fundamentum solidum opponit incerto diuitiarũ huius sæculi. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. & Theodoret. qui hinc docet veras diuitias hominis Christiani repositas esse in cælo, vbi Christus admonet vt collocemus thesaũros nostros, quos nec ærugo demolitur, nec tinea corrumpit.

Bona opera sunt fundamentũ futuri ædificij. Vbi Nota. *Bona opera* vocat Apostolus fundamentum futuri ædificij, quod nobis præparatur in cælo: quia tota præparatio futuræ gloriæ est per merita, quæ hîc acquirimus per gratiam, inquit S. Thomas. Vnde subdit Apostolus, *Vt apprehẽdant veram vitam*; scilicet beatam & æternam. Bona ergo opera sunt fundamentum vitæ æternæ, quibus scilicet vita æterna acquiritur & superstruitur. Vnde clarè sequitur *bona opera* esse causam meritoriam vitæ æternæ, ita Chrysost. Theoph. & alij.

Vera vita est in cælis, falsa hic. Nota Secundò, *veram vitam* dici illam, quæ Beatorũ est in cælis. Vnde Græca habent, ζωῆς αἰωνίου, id est, vitam æternam: hæc enim præsens vita, non vita, sed vanitas est, & mors potiùs dicenda quàm vita. *Hæc est ergo*, inquit S. August. serm. 5. de verbis Domini secundùm Matthæum, *falsa vita: apprehendenda est ergo vera vita; migrandæ sunt facultates nostræ ad locum veræ vitæ, vt hoc ibi inueniamus, quod hîc damus.* Sicut ergo insipiens esset, qui in locum alium migrare deberet, vbi nihil inueniret, nisi quod præmisisset, nihil tamen illuc vellet præmittere: ita insipiens est qui hîc suas opes per eleëmosynam & bona opera non præmittit in futuram vitam in cælo, vt ibi ex ijs in æternum alatur & viuat. Pulchra parabola idipsum Iosaphato regi declarat Barlaam apud Damasc. c. 14. historiæ eorumdem.

VERS. 20. O TIMOTHEE DEPOSITVM CVSTODI] Iteruin atque iterum redit Apostolus, & Episcopo Timotheo inculcat, vt nouas & falsas doctrinas caueat, & antiquam veramque fidem tueatur. quia hæc res angebat animum Apostoli præuidentis hæreses mox suborituras. Pro *depositum* Ambrosius legit, *commodatum*; Oecum. per *depositum* intelligit præcepta Dei hîc à Paulo proposita Timotheo; alij cum Theodoreto intelligunt gratiam, munus & officium Episcopale; Caietan. accipit populum quasi gregem sub depositi ratione Episcopo Timotheo commissum; alij charitatem, vel etiam castitatem intelligunt.

Quid depositum hîc. Varia sententia.

Depositum est doctrina sana per manus tradita. Verùm certum est per *depositum* Apostolum intelligere doctrinam sanam, quæ Timotheo quasi Episcopo credita erat, eiq; quasi depositum à Deo & Paulo commendata. Vnde consequitur doctri-

A nam hanc solere per manus tradi, eiusque custodes esse Episcopos obstrictos ad hoc, vt ne minimam quidem eius partem tolli aut vitiari patiantur. lex enim depositi, inquit Chrysost. non patitur vt aliquid illius pereat sine culpa apud depositarium. Hinc S. Basilius præfecto Valentis Imp. Arriani vrgenti vt ei in nonnullis cederet, ita respondit: *Qui diuinis innutriti sunt eloquijs, corrumpi de diuinis dogmatibus nec vnam syllabam patiuntur: sed pro ijs, si ita oporteat, omnes mortis species amplectuntur.*

Hanc doctrinam vocari hîc *depositum* patet Primò, quia ita se explicat Paulus subdens: *Deuitans profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ*; vbi profanas nouitates, & falsi nominis scientiam quasi depositio oppositam & contrariam vitari iubet: si ergo falsi nominis scientia opponitur depositio, sequitur depositum esse veri nomi-
B nis scientiam, putà sanam doctrinam, quæ vera est sapientia & scientia.

Secundò idipsum patet ex epist. 2. vbi hoc depositum iterum atque iterum commendat Timotheo, & ijsdem penè verbis, quibus hîc vtitur, cùm ait cap. 1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu; bonum depositum custodi.* & cap. 2. *Quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus.* & infrà: *Solicitè cura teipsum*, &c. *rectè tractantem verbum veritatis*; *profana autem & vaniloquia deuita.* ecce tibi idem quod hîc ait, *deuitans profanas vocum nouitates.*

Tertiò, quia ita explicant Chrysost. Theophyl. Oecum. Anselm. & pulcherrimè Vincentius Lirinensis in aureo suo libello contra hæreses, post medium libri.

C Ex quo Nota, sanam doctrinam vocari *depositum*, Primò, quia à Christo apud Ecclesiam fuit deposita, & instar depositi Apostolis & Episcopis asseruãda tradita & commissa. Vnde pulchrè Vincentius singula Apostoli verba explicans & perurgens: *O Timothee*, inquit, *ô Episcope, ô sacerdos, ô doctor! ô, exclamationis est & præscientiæ & charitatis: præuidebat enim futuros, quos prædolebat errores; custodi propter fures, propter inimicos depositum, id est, doctrinam sanam, quæ tibi quasi Episcopo credita est à me & à Christo, non quæ à te inuenta; quam traditione accepisti, non quam excogitasti; cuius non auctor debes esse, sed custos.*

Cur sana doctrina vocetur depositum. Prima causa ex Vincẽ. Lirinensi.

Secundò, depositum custodi, id est, talentum catholicæ fidei inuiolatum illibatumq; conserua: aurum accepisti, aurum redde; ne plumbum, ne æramenta supponas: eadem quæ didicisti ita dice, adorna, illustra, vt cum dicas
D *nouè, non dicas noua.*

Secunda.

Tertiò, depositum, id est, doctrinam catholicam, vniuersalem, vnam eamdemq; per singulas ætatum successiones, incorruptæ veritatis traditione manantem, & vsque in sæcula sine fine mansuram custodi. Deuitans, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, profanas, id est, quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, à sacra fide, Ecclesia, religione alienas, vocum, id est dogmatum, rerum, sententiarum & consequenter sermonum nouitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ. Si vitanda est nouitas, retinenda est antiquitas; si profana est nouitas, sacrata est vetustas; si nouitates recipiantur, necesse est vt fides beatorum Patrum aut tota, aut certè magna ex parte violetur; necesse est vt omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, casti, virgines, omnes clerici, leuitæ, sacerdotes, tot Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas

Tertia. Profana est nouitas, sacrata vetustas.

britas & multitudo, tot insulæ, prouinciæ, regiones, gentes, regna, nationes, totus postremò terrarum orbis per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronunciatur. Audiant & perpendant hæc Nouantes, quibus curæ est quærere sanam fidem & salutem æternam.

[DEVITANS PROFANAS VOCVM NOVITATES] Græca iam habent κενοφωνίας, id est vanitates, siue inanitates vocum; & ita legit Syrus, Oecumen. & Theophyl. qui eas vocat matæologias & vaniloquentias, qualis fuit illa Triphyllij Episcopi aliàs eruditi, qui pro concione referens illa verba Christi, *Tolle grabatum tuum & ambula*, pro grabato quasi voce minùs concinna, *lectum* dixit; quem audiens magnus ille Spiridion reprehendit dicens, *Numquid tu præstantior es eo, qui grabatum dixit?* testis Nicephor. l. 8. c. 42.

Verùm Chrysost. Ambros. August. & passim veteres legunt cum Nostro interprete, κενοφωνίας, id est nouitates vocum. Alludit & perstringit noua & portentosa nomina triginta æonum Valentini, & 365. principiorum, quæ habebant Gnostici; aliaque his similia aliorum Nouantium. de quibus Hieron. in Amos 3. ad illa verba, *Congregamini montes Samariæ: Vnusquisque*, inquit, *fingit quod vult, & adorat figmentum suum, vt Marcion bonum Deum & otiosum; vt Valentinus æonas triginta, & extremum Christum, quem appellat ἔκτρωμα, id est abortiuum; vt Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat ἄβρασξας: eumdem secundùm Græcas litteras, & annui cursus numerum dicit in Solis circulo contineri; quem Ethnici sub titulo aliarum litterarum vocant μίτραν.* Talis nouitas vocis excogitata fuit ab Arrianis, cùm Filium Patri esse ὁμοιούσιον, id est consubstantialem, negantes, adinuenerunt eum esse Patri ὁμοιούσιον, id est, similem in substantia.

Nota. Signum hæresis est nouitas doctrinæ & sermonum, indeq; hæretici passim à Patribus quasi Nouantes notantur, deteguntur & damnantur. Vnde S. August. contra Crescon. l. 2. c. 35. ita Cresconium stringit: *Ecclesiam*, inquit, *periisse dicitis: & vos vnde nati fueritis ostendite. Sola igitur Euangelica doctrina per excellentiam vera & antiqua dicitur, ad inuidiam falsa, qua noua appellatur.* Idem ad Optatum, de ratione animæ: *Semper*, inquit, *viris sanctis suspecta fuit nouitas.*

Contrà, sana doctrina cana est & prisca, à Christi & Apostolorum temporibus ad nos illibatè deriuata. Hinc S. Iohannes epist. 1. c. 2. 7. *Non mandatum*, inquit, *nouum scribo vobis.* & v. 24. *Quod audistis ab initio, in vobis permaneat.*

Hoc antiquitatis telo impetit & iugulat Marcionem Tertul. l. 4. contra eumdem c. 4. cùm ait, *Ego meum Euangelium dico verum, Marcion suum: quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur; & ei præiudicans vitiationem, quod posterius reuincetur? In quantum enim falsum est corruptio veri, in tantum præcedat est necesse veritas falsum.* Idem contra Hermogenem: *Solemus*, inquit, *compendij gratia hæreticis de posteritate præscribere.* Eodem telo percutit nouatores omnes S. Hieron. scribens ad Pammachium & Oceanum. *Cur*, inquit, *post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescisse nos? vsque ad hunc enim diem sine illa doctrina mundus Christianus fuit.* & Nazianzen. ad Clidonium: *Si*, inquit, *ante hos triginta annos fides incepit, cum quadringenti ferè sint*

Cornel. in Epist. Pauli.

A *anni, ex quo manifestatus est Christus, certè & Euangelium nostrum in tanto tempore fuit inane, inanis & fides nostra*, &c. Et August. l. 2. contra Cresc. c. 45. hoc Donatistis obijcit: *Ecclesia*, inquit, *periisse dicitur; & vos vnde nati fueritis, ostendite.* Quæ de re rursum Tertull. l. de Præscript. c. 32. *Edant*, inquit, *origines Ecclesiarũ suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorũ, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis habuerit auctorem & antecessorem.*

Nota Secundò. Non sunt profanæ vocum nouitates nomina nouè adinuenta, quæ res fidei breuiùs & clariùs explicant, quia res nomine significata non est noua, sed prisca & antiqua: talia sunt *Trinitas, hypostasis, consubstantialis, Christianus, liberum arbitrium, Purgatorium, Indulgentia, transsubstantiatio.* De quibus audi S. August. tract.

B 97. in Iohannem: *Non ait Apostolus, Vocum nouitates; sed addit, Profanas: sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates & xenodochia atque monasteria postea sunt appellata nouis nominibus, res tamen ipsa & ante nomina sua erant. Aduersus quoque impietatem Arrianorum nouum nomen Patres homousion condiderunt: sed non rem nouam tali nomine signauerunt. hoc enim vocatur homousion, quod dicitur, Ego & Pater vnum sumus.* Quocirca S. Athanasius disputans cum Arrio, cùm Arrius obijceret ὁμούσιον esse nouam Nicenorum Patrum vocem S. Scripturæ incognitam; respondit, eique regessit suum τελέσιον: *Ostende mihi*, inquit, *in sacra Scriptura tuum τελέσιον, & ego ostendam nostrum ὁμούσιον: imò verò tres in Deitate substantias, quas tu fingis, nunquam è Scriptura ostenderis; ego autem vnicam esse substantiam in tribus personis diuinis (quod*

C *est ὁμοούσιον) tibi è Scriptura euincam.* Ita refert ipse S. Athanasius in disputat. cum Arrio habita iussu Constantini Imper. libr. 1. ὁμοούσιος enim nomen in Scriptura non reperitur, sed res nomine significata: τελείωσις verò nec nomen, nec res, vtpote falsa & hæretica.

ET OPPOSITIONES FALSI NOMINIS SCIENTIÆ] Græcè ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, id est, antitheses falsò nominatæ scientiæ: intelligit obiectiones siue oppositiones, quas hæretici, qui falsò sibi arrogant & iactant suam scientiam, obijciunt Catholicis contra sanam fidem.

Notat Theodor. & Chrysost. quòd Apostolus hîc perstringat hæreticos iam tum suborientes, qui se Gnosticos, id est scientes, nominabant, quasi ipsi soli præ alijs saperent; sed falsò: non enim est vera scientia, vbi vera fides non est. Sic quiuis alij

D hæretici, inquit Vincentius Lirinensis, falsò sibi scientiam sacræ Scripturæ & doctrinæ arrogant, quam opponunt veræ fidei; & ignorantiam suam scientiæ, caliginem & tenebras luminis appellatione fucant & colorant. Ridiculè commentarius Hieronymo asscriptus (qui hinc rursus esse Pelagij dignoscitur) per *falsi nominis scientiam* accipit Dialecticam (vti & commentarius Vatablo asscriptus intelligit Philosophiam:) hanc enim oderat Pelagius, vti & nostri Nouantes, quia per eam videbat se ab Augustino alijsque orthodoxis erroris conuinci & confutari.

Vnde dicti sint Gnostici.

Non est vera scientia, vbi vera fides non est.

Hæretici oderũt Dialecticam.

QVAM (scientiam) QVIDAM PROMITTENTES (Græcum ἐπαγγελόμενοι verti potest quoque, profitẽtes,) CIRCA FIDEM EXCIDERVNT] περὶ τὴν πίστιν, id est aberrarunt: est metaphora petita ab ijs, qui aberrant à scopo. q.d. Hi Nouantes omni suo studio

VERS. 21.

ad veram fidem, quæ veræ religionis est caput & fundamentum, quasi ad scopum se collimare fingunt; sed errant. quia dum in nouitates vocum, falsamque scientiam & dogmata sua erronea collimant, prorsus aberrant à fide, & consequenter à vera religione.

Pulchrè Vincent. Lirinensis: *Dicit*, inquit, Apostolus, *Quam scilicet scientiam promittentes. hi enim Nouantes dicunt: Venite insipientes & miseri, qui vulgò Catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam prater nos nullus intelligit, quæ multis antè seculis latuit, nuper verò reuelata & ostensa est: sed discite furtim atque secretim, delectabit enim vos.*

O Rex regum, & Domine dominantium: ô habitator & princeps AETERNITATIS, qui solus habes immortalitatem, & lucem habitas inaccessibilem: tibi honor & imperium sempiternum. Da nobis non sublime sapere, non sperare in incerto diuitiarum, & vanitatum mundi, sed benè agere, diuites fieri in bonis operibus, thesaurizare bonum fundamentum in futurum, vt apprehendamus vitam æternam. O æterna veritas! ô vera charitas! Creasti nos ad æternam tuam gloriam. da nobis temporalia omnia, vana & caduca omnia contemnere: da sectari cælestia, ambire æterna: da nobis rectis itineribus ad te tendere, ad te iugiter anhelare, ad te toto corde suspirare: quia tu es portio nostra in terra viuentium, tu es qui restitues hereditatem nostram, AETERNITATEM nostram nobis.



COMMEN-

COMMENTARIVS IN II. EPISTOLAM AD TIMOTHEVM.

ARGVMENTVM.

IDEM generatim est argumentum huius epistolæ quod prioris. Timotheum enim adhortatur docens quæ sint Pastoris & Episcopi officia ; primumque esse intrepidè & instanter euangelizare , atque ex sacra Scriptura sanam doctrinam docere, exhortari, arguere peccatores, & confutare hæreticos; quorum mores ad vivum depingit : prædestinationis dat fundamentum & duo sigilla , scilicet præscientiam, Dei & fugam peccati : excitat ad fortitudinem, A patientiam , studium sacræ Scripturæ, & martyrium,illudque sibi instare significat.Vnde S.Chrysost. Theophyl. Theodor. Anselm. & alij putant Paulum Christum suspirantem , & animam iam penè expirantem hanc vltimam epistolam quasi cycneam vocem edidisse, cùm Romæ ageret in secundis vinculis,& proximus esset morti (vt colligitur c.4.6.)quæ contigit anno Christi 69.qui fuit Neronis 13. licet Baronius ex c.4. v.17.& 18. scriptam putet hanc epistolam è primis vinculis,anno Christi 59.de quo plura c.4.

Epistola hæc an scripta è secundis vinculis.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

OStendit Primò, amorem erga Timotheum , quòd fidem & pietatem à matre & auia cum lacte suxerit.

Secundò,v.6. hortatur eum vt excusitet gratiam, præsertim fortitudinis in ordinatione acceptam.

Tertiò, v.8.animat eum vt non erubescat prædicationem Euangelij , sed pro eo secum vincula & quæuis aduersa , si incurrant , fortiter spe auxilij diuini & resurrectionis futuræ patiatur.

Quartò, v.14. monet eum,vt depositum sanæ doctrinæ arctè custodiat , etiamsi ideo aliqui, vt Phigellus & Hermogenes,ab eo auertantur.

Quintò,v.16.commendat Onesiphori erga se vinctum, fidem & charitatem.

1. PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei , secundùm promissionem vitæ,quæ est in Christo Iesu: 2. Timotheo charissimo filio ,gratia , misericordia , pax à Deo Patre , & Christo Iesu Domino nostro. 3. Gratias ago Deo,cui seruio à progenitoribus in conscientia pura ,quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis , nocte ac die: 4. desiderans te videre ,memor lachrymarum tuarum,vt gaudio implear, 5. recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta , quæ & habitauit primùm in auia tua Loide , & matre tua Eunice,certus sum autem quòd & in te. 6. Propter quam causam admoneo te vt resuscites gratiam Dei , quæ est in te per impositionem manuum mearum. 7. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris:sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. 8. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri , neque me vinctum eius: sed collabora Euangelio secundùm virtutem Dei: 9. qui nos liberauit,& vocauit vocatione sua sancta non secundùm opera nostra,sed secundùm propositum suum,& gratiam , quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia. 10. Manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi , qui destruxit quidem mortem ,illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium: 11. in quo positus sum ego prædicator , & Apostolus & magister Gentium. 12. Ob quam causam etiã hæc patior,sed non confundor.Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. 13. Formam habe sanorum verborum ,quæ à me audisti in fide,& in dilectione in Christo Iesu. 14. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis. 15. Scis hoc,quòd auersi sunt à me omnes,qui in Asia sunt,ex quibus est Phigellus & Hermogenes. 16. Det misericordiam Dominus

Onesiphori domui: quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: 17. sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit. 18. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti.

VERS. 1. & 2. PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI, PER VOLVNTATEM DEI, SECVNDVM PROMISSIONEM VITÆ, QVÆ EST IN CHRISTO IESV (subaudi, scribit & bene precatur dicens) TIMOTHEO CHARISSIMO FILIO sit GRATIA, MISERICORDIA, PAX A DEO PATRE] Nota. Paulus hîc dicit se *Apostolum secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo.* q.d. Missus sum à Deo tamquam Apostolus & legatus ad prædicandum vitam æternam promissam per Christum; vel planiùs, Missus sum à Deo Apostolus & legatus secundùm, id est ad, promissionem vitæ, vt scilicet nomine Dei promittam vitam æternam, quæ est in Christo, id est, quæ per Christum præstatur, putà Christianis, Christi discipulis: pro cuius adeptione æquum est omnia incommoda & mortẽ ipsam hîc pati, ait Primasius. ita & Ambros. Theoph. Oecum. Sic enim legatus dicitur mitti ad pacem conficiendam, ad redimendos captiuos, ad promittendum matrimonium, siue ad sponsalia conficienda. Nam quilibet legatus ad certum aliquod negotium conficiendum legatur & dirigitur. Eodem modo Apostolus dicit se legatum esse ad promissionem vitæ, vt scilicet promittat vitam æternam credentibus Christo, illique obedientibus. Præpositio ergo *secundùm*, determinat & exprimit officium, ad quod Apostolus missus est, valetque idem quod præpositio *ad*, vel *quoad*; respondet enim Hebræo לְ al.

Obiectum legationis & apostolatus Pauli.

Vnde Nota Secundò. Hunc titulum dignitatis suæ promittit Apostolus, vt insinuet se, & ostendat præstantiam muneris Apostolici, præ Mose & Prophetis. Moses enim legis suæ obseruatoribus promisit vitam, sed temporariam, scilicet felicitatem vitæ præsentis in abundantia vini, mellis, olei: Christus verò & Apostoli seruantibus legem Christi, promittunt vitam cælestem, beatam & æternam.

VERS. 3. GRATIAS AGO DEO, CVI SERVIO A PROGENITORIBVS IN CONSCIENTIA PVRA, QVOD SINE INTERMISSIONE HABEAM TVI MEMORIAM IN ORATIONIBVS MEIS, NOCTE AC DIE] Verbis præcedentibus sui officij & apostolatus dignitatem commendauit, & commendando se insinuat in animum Timothei Apostolus: hîc verò eximium erga eumdem amorem ostendit, vt à Paulo quasi sui amantissimo parente mandata quæ deinceps ei præscribet, peramanter accipiat. Doctor enim apud discipulos tam beneuolentia quàm auctoritate indiget. Hunc verò amorem ostendit dicens, Non tantùm tui, ô Timothee, recordor, sed etiam gratias ago Deo, quòd tui memoriam assiduè animo meo inijciat & obijciat. q.d. Tanti te facio, tantùm te amo, vt propter te & tui memoriam in gratiarum actionem & Dei laudes erumpam, putemque me insigni à Deo beneficio affici, cùm tui recordationem mihi suggerit, ideoque ei gratias ago.

Amor Pauli erga Timotheum.

Nota. Pro *seruio*, græcè est λατρεύω. q.d. Quem scilicet Deum colo latria, æquè vt progenitores mei Abraham, Isaac, Iacob, & ceteri deinceps, à quibus cum natura & existentia, veram religionem & pietatem quasi per manus accepi. ita S. Ambros. Anselm. & alij.

Nota Secundò. Dicit se Deo à progenitoribus seruire, quia licet aliquando iudaizarit, Christumque Deum ad breue tempus oppugnarit; tamen retinuit semper cultum & amorem vnius veri Dei, vt illi posset dicere, Te solum, Domine latria colo, idque *in pura conscientia*, quia conscientia mihi testis est, me non alium quàm te pro Deo meo habere, amare & zelari; adeoque cùm Christum oppugnaui, conscientia mihi testis est, me hoc non odio Christi aut Dei, sed potiùs Dei & legis Dei zelo fecisse: nesciebam enim illum esse Messiam à Deo missum, & putabam in conscientia me pro patria lege à Deo Mosi data stare & pugnare debere. putabã hac Christi persecutione maximè me Deum colere, illique me rem gratissimam præstare. Vnde mox vt à Deo illuminatus errare me vidi, ilico errorem correxi, totum me Christo dedi, tantumq; Christum, Christiq; legem propugnaui, quantum antea impugnaueram. ita Theodor. Adde, non dicit Apostolus, Seruiui semper, sed tantùm, Seruio: quia scilicet in præsenti seruio, & ab infantia seruiui, licet ad modicum tempus, per errorem, hæc seruitus fuerit interrupta.

Quomodo Paulus à progenitoribus seruierit Deo, cũ fuerit persecutor?

Secundò Theoph. per *puram conscientiã*, accipit puram à sceleribus vitam. q.d. Licet iudaizarẽ, purus tamen eram à crapula, libidine, alijsq; vitijs quibus homines vulgò maculant suam conscientiam.

Tertiò Chrysost. *conscientiam puram* opponit simulationi & hypocrisi, eamque vult dici puram, id est, veracem & simplicẽ; vt sensus sit hic: Ego Paulus semper etiam dum iudaizarem, à simulatione & mendacio fui alienus, sed candidà & simplici mente Deo seruiui; sicut interiùs in mente sentiebam, ita exteriùs loquebar, agebam & profitebar fidem & cultum vnius Dei veri. q.d. Paulus, Ne suspiceris, ô Timothee, me aliud scribere, aliud cogitare, pura & simplex est mihi conscientia, vti semper fuit. Sed primus sensus genuinus videtur & ex mente Apostoli. De pura conscientia verè ait S. Ambros. l. 2. de Officijs c. 3. *Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ & securitas innocentiæ.* & Cicero l. 2. Tuscul. *Nullum*, inquit, *theatrum virtute & conscientia maius est.* Vide S. Bernardum l. de Interiori domo c. 21.

Puritas conscientiæ quantum bonum.

VERS. 4. DESIDERANS TE VIDERE, MEMOR LACHRYMARVM TVARVM, VT GAVDIO IMPLEAR] Pergit ostendere ardorem amoris in Timotheum. q.d. Ego licet in vinculis constitutus sim, breuique occidendus, ante mortem tamen cupio frui aspectu mei Timothei, idque quia memor sum lachrymarum tuarum, quas scilicet fundebas in proximo à me discessu, flebasque quasi infans auulsus ab vberibus & lacte matris, inquit Chrysost. hicque fletus tuus mihi tristitiam attulit, qua releuabor, & gaudio implebor si te videam, teque fruar. *Amantibus* enim, inquit Aristotel. l. 9. Ethic. cap. 12. *amabilissimum est ipse aspectus, eò quòd hinc maximè existit & oritur amor.*

VERS. 5. RECORDATIONEM ACCIPIENS EIVS FIDEI, QVAE EST IN TE NON FICTA] Hîc secundam dat causam cur tanto teneatur videndi Timothei desiderio, scilicet quòd recordetur eius fidei sinceræ, qua in sui amorem & desiderium Paulum rapiebat Timotheus.

QVAE

QVÆ (fides) ET HABITAVIT PRIMVM IN AVIA TVA LOIDE, ET MATRE TVA EVNICE, CERTVS SVM AVTEM QVOD ET IN TE] *Habitauit* id est, firmiter & permanenter inhæsit. hac enim significatione & prosopopœia Hebræi dicunt virtutes & vitia quasi personas quasdam habitare in anima nostra, cùm in ea quasi in firma sede & loco suo resident.

Nota. Mater Timothei Iudæa fuit, verùm quia in Græcia habitabat, Græcum ei nomen inditum fuit. Eunice enim, græcè Victoriam, aut potiùs Vincentem; proprieq; Vincentiam sonat; vti Lois (quæ fuit auia Timothei) significat Meliorem. λωΐων enim Græcis idem est quod melior. Hugo pro Eunice videtur legisse *Eutyche*; interpretatur enim Fortunatam. nam Græcis fortuna dicitur τυχὴ, & fortunatus εὐτυχής.

Nota Secundò. Pro *certus sum*, græcè est πέπεισμαι, id est mihi persuadeo. non enim Paulus fide diuina, sed tantùm humana, quæ petitur ex signis & coniecturis, credebat, sibiq́ue probabiliter persuadebat, Timotheum habere fidem non fictam. Vide dicta Rom. 8. 38.

Nota Tertiò. Laudat hîc Timotheum Apost. à parentibus fidelibus, per quos fides illi erat quasi hereditaria; simul tacitè hoc domestico parentũ exemplo Timotheum stimulat, vt eorum fidem & virtutem imitetur: magnum enim est Dei beneficium, pios nanciscì parentes, ac præsertim matrem, à qua penè tota filiorum educatio pendet. Ita Nazianzen. orat. 24. init. tomi 2. laudat Cæsarium fratrem defunctum à matre, quæ à parentibus pietati & Deo addicta, maritum (antea Gentilem) & proles omnes sua pietate imbuit; adeò vt tam maritum, quàm filium ad episcopatum euehi conspexerit, omnesq́ue proles, scilicet Gorgoniam, Cæsarium & Gregorium Nazianzenum sanctos effecerit.

PROPTER QVAM CAVSAM ADMONEO TE, VT RESVSCITES GRATIAM DEI, QVAE EST IN TE, PER IMPOSITIONEM MANVVM MEARVM] q.d. Quia fides tibi quasi est hereditaria, vt de ea non dubitem; vnum tibi faciendũ supereſt, ne scilicet fidem hanc, quasi longo vsu & consuetudine senescentem, aut metu persecutionis (vt colligitur ex v. 8.) flaccescentem dormitare aut torpescere sinas, sed eam æquè vt gratiam tibi in ordinatione datam excitès.

Nota. Pro *resuscites* græcè est ἀναζωπυρεῖν, quod propriè significat ignem cineribus conditum ac sopitum flatu, folle aut flabello suscitare, vt reardescat. S. Ambros. vertit, *recrea*, id est, inquit, confoue, q.d. Zelus, charitas & gratia, quam in ordinatione mea accepisti, ô Timothee, sensim tempore languescit, atque partim persecutionum, partim desidiæ, partim timoris, partim humanæ infirmitatis & mutabilitatis cinere ac frigore quasi sopitur & restinguitur: vide ergo, vt eam suscites, vt charitatis flammam reaccendas, eiusq́ue ardorem continuò foueas & adaugeas: ad hanc rem folles & flabella tibi sint oratio, meditatio, pia lectio, alacritas & vigilantia animi, studium, exercitatio & conatus maior ad virtutes, ac præsertim labor & zelus ad salutem populi tibi commissi diligentiùs & feruentiùs procurandam. ita S. Chrysost. Theophyl. Oecum. Theodor. Hisce enim follibus excitabitur animus, animiq́; contracta & sopita libertas, qua cum suis amoribus, terroribus, erroribus vincetur hic mundus, ait S. Anselm. qui gratiam & charitatem opprimere & suffocare nititur, victaq́; cupiditate & metu rursus charitas flagrare incipiet, indieſq́ue magis flagrabit. Vnde auctor quæst. noui & veteris testam. apud August. q. 120. sacra lectione gratiam hanc excitandam esse, ita docet. *Excitatur*, inquit, *deuotio nostra, quãdo ea quæ licet non ignorantur, recensentur tamen. Tale est ingenium naturæ nostræ, vt torpescat, si vsus defuerit lectionis. quia sicut ferrum nisi vsum fuerit æruginem contrahit: ita & anima nisi frequentiùs diuinis exerceatur lectionibus. quamobrem Dauid ait illum beatum esse, qui die ac nocte legem Domini meditatur: excitatur enim desiderium animæ erga opera salutaria ieiunio, oratione & misericordia* (adde, vsu & exercitijs.) *Vnde Apostolus ad Timotheum inter cetera ait, Vt resuscites, inquit, gratiam Dei quæ est in te.* *Sacra lectio.*

Aduerte hîc obiter, gratiam non prædeterminare liberum arbitrium; imò potiùs liberum arbitrium gratia imbutum ipsam gratiam sopitam, adeoq́ue seipsum suscitare & excitare ad opera bona, atque ad eorum feruorem & incrementum. *Gratia non prædeterminat.*

Nota Secundò. Ex eo quod dicit Apost. *gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum*, clarè euincitur, impositionem manuum, id est Ordinem, vel potiùs ordinationem, esse Sacramentum; per hanc enim Deus quasi per instrumentum, confert gratiam, vt ait hîc Apost. Sicut ergo eò quòd per baptismum, quasi per instrumentum, abluitur anima, & gratia infunditur, rectè colligunt omnes baptismum esse Sacramentum; ita pariter idem eadem ratione colligimus hîc de ordinatione. Ordinatio enim sua habet signa & symbola, putà materiam impositionem manuum, formam verò verba sacra, quibus Episcopus ordinando potestatem Ordinis confert, quorum effectus est gratia: atqui Sacramentum non est aliud quàm signum sensibile constans sensibili materia & forma, quod gratiam confert: necesse est ergo vt ordinatio sit Sacramentum æquè ac baptismus & Eucharistia. *Ordo, verè noua legis Sacramentum.* *Eius forma & materia.*

Dices, Pro *gratia* græcè est χάρισμα, quod significat gratias & dona gratis data, quale est donum & munus docendi & regendi, putà episcopatus ipsũ, doctoratus, & similia: hæc enim vocantur charismata; ergo non loquitur Paulus de gratia gratum faciente, quæ est effectus Sacramenti. Resp. Græcum χάρισμα, significat quodlibet donum, siue gratiæ gratis datæ, siue gratum facientis; hîc verò significare charitatem & gratiam gratum facientem, patet ex ratione & explicatione quam subijcit Apostolus: hanc enim gratiam explicans ipse subdit statim, *Non enim*, inquit, *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis & sobrietatis.* ergo gratia data Timotheo in ordinatione, quam ab eo suscitari vult Apostolus, est spiritus timoris, virtutis, dilectionis & sobrietatis. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. & alij. Sic donum continentiæ cuique datum à Deo vocat Apostolus χάρισμα, 1. Corint. 7. 7. sic Christi gratiam oppositam peccato Adæ vocat χάρισμα, Rom. 5. 15. sic vitam æternam vocat χάρισμα, id est gratiam, quia effectus est gratiæ gratum facientis, Rom. 6. 23. sic Rom. 1. 11. ait, *Vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis*, græcè est χάρισμα. Ecce hisce locis χάρισμα gratiam non gratis datam, sed gratum facientem significat. *Diluitur & soluitur obiectio cõtra Sacramentũ Ordinis. Charisma quam gratiam significet apud Apostolum.*

NON ENIM DEDIT NOBIS DEVS SPIRITVM TIMORIS; SED VIRTVTIS ET DILECTIONIS ET SOBRIETATIS] Dat causam cur Timotheus, & quiuis similis gratiam, VERS. 7.

gratiam, quam accepit, excitare debeat, quæque eum ad hoc faciendum exstimulet. q.d. A Deo accepimus spiritum non timiditatis, vt in persecutionibus & tentationibus paueamus & animo contrahamur; sed è contrario accepimus spiritū magnanimitatis, vt potenter omnia aduersa superemus, libereque Christi fidem prædicemus & propugnemus: ac proinde hunc spiritum magnanimitatis, cùm aliquis timor aut torpor obrepit, excitare debemus, & animosè ac fortiter dura & ardua quæuis aggredi. hæc enim est vocatio & professio nostra, ad hoc à Deo destinati sumus, ad hoc animos & vires gratiæ copiosas accepimus, eæ tantùm excitandæ & acuendæ nobis sunt.

Quãdo excitãda magnanimitas.

Vnde Nota. Pro *spiritum timoris*, græcè est δειλίας, id est timiditatis & ignauiæ, qualis est eorum qui animo sunt imbecilli, pauido, contracto & abiecto. *Sed virtutis*, græcè δυνάμεως, id est, fortitudinis & roboris; vt fortiter fidem non tantùm teneamus, sed & prædicemus in persecutione inter medios hostes: nec timeamus, sed ambiamus pro ea mori, adeoque cùm simus Episcopi, quasi duces populo præeamus ad martyrium. hæc enim virtus fortitudinis vti maximè requiritur in duce belli, ita conformiter datur Episcopo vi Sacramẽti Ordinis, quo consecratur dux belli fidelium. Sicut ergo in baptismo simus serui Christi, daturque nobis per baptismum gratia, qua christianè & innocenter viuamus & seruiamus Christo; & sicut in Sacramento Confirmationis simus & quasi auctoramur milites Christi, signoque crucis consignamur, & militiæ Christi ascribimur; ac conformiter vi Confirmationis datur nobis gratia ad fortiter depugnandum pro fide Christi, vt malimus mori, quàm eam perdere aut prodere; ita in Sacramento ordinationis constituimur duces militiæ Christianæ, ac consequenter vi huius Sacramenti dantur nobis virtutes necessariæ ad hunc ducatum; atque in primis inuictum animi robur & fortitudo, quo timores & terriculamenta omnia tam hominum quàm dæmonum non tantùm superemus, sed etiam à fidelibus alijs depellamus, adeoque fideles ipsos ac cruces & martyrium incitemus. Ita fecisse Cornelium Pontificem Rom. docet Cyprianus epist. 57. ad Cornelium. *Exultantes*, inquit, *accepimus ducem te illic confessionis fratribus extitisse, sed & confessionem ducis de fratrum confessione creuisse; vt, dum præcedit ad gloriam, multos sibi faceris gloriæ comites, & confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri: vt nõ inueniamus quid priùs in vobis prædicare debeamus, vtrúmne tuam promptam & stabilem fidem, an inseparabilem fratrum charitatem. virtus illic Episcopi publicè comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est, dum apud vos vnus animus & vna vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est.*

Episcopus dux belli fidelium, & quæ eius partes.

Prima virtus Episcopi inuicta fortitudo.

Fortitudo & libertas Hosij.

Hæc est ergo prima dos Episcopi, eaque maximè necessaria, scilicet impauida libertas & fortitudo, qua excelluerunt præstantissimi & celeberrimi Episcopi. Ita magnus ille Hosius Cordubensis Antistes Constantinum Imper. sic affatus est: *Desine quæso Imperator, nec te misceas rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.* Refert hoc S. Athanas. epist. ad solitariam vitam agentes. Ita S. Ambros. Theodosium coarguit, Iustinæ Imp. restitit, Valentinianum sic allocutus est: *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt imperiale ius habere. noli te extollere, si vis diutiùs imperare. ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesia.* Refert hoc ipse Ambros. epist. 33. ad Marcellinam sororem. Minabatur Arrianus mortem Ambrosio; cui ille: *Deus permittat te facere quod minaris. ego patiar quod sacerdotis est: tu facias quod spadonis est.* Ita S. Hilarius l. contra Constantium Imper. *Proclamo*, inquit, *tibi Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audirent: contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sæuis, sanctos persequeris, religionem tollis, tyrannus iam non humanorum, sed diuinorum. Christianum te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum præuenis.* & infrà: *Tu Constanti omnium crudelitatum crudelissime, & mortalium scelestissime magis in nos quàm Pagani desæuis.* Ita S. Athanasius epist. iam citata: *Quu*, ait, *ausit Constantium Christianum appellare, ac non potiùs Antichristi imaginẽ? quid enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est, cur non omnibus modis Constantius Antichristus, & vicissim Antichristus Constantius habeatur?* Mox eum vocat apostatam, fidei desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, belluam, malorum omnium voraginem, eumque cum Achabo, Antiocho & Herode comparat.

S. Ambrosij,

S. Hilarij.

S. Athanasius.

Hosce omnes superauit Lucifer Calaritanus, quem S. Athanasius Eliam sui æui vocat, qui in l. de Moriendo pro Filio Dei, ita Constantium Imper. compellat: *Mactasti plurimos, laniasti, dispersisti, sed hi omnes Martyres sunt. crede mihi, quòd à te statuerimus interfici: quia & melius esse videmus, in omnia aua Deum habere amatorem, quàm tecum, Iuda Scarioth, Iudæorum imitatore puniri. hinc est, Constanti, quòd frendores colubri per te illatos non timentes, subire parati sumus omnes exitium.* & infrà: *Indigne fers, Arrij vermis, quòd defendamus Filium Dei: si tandem oculos serpentis morsibus confossos aperias, inuenies quòd hanc fidem habet Ecclesia; inuenies stolidissime Imperator, vbique Christianos sicut nos credere, ac pro Dei Filio, vt nos, mori cupere: ac tua nouella prædicatio & recens religio blasphemia est.* Titulos verò & epitheta quæ Constantio tribuit, acerbiora sunt illis quæ ex Athanasio retulimus.

Lucifer Calaritanus.

Secunda virtus Episcopo necessaria, quæque ei copiosè datur in ordinatione, est *dilectio*, vt ait hic Apostolus. Charitate enim in Deum & proximũ, ac præsertim in subditos suos flagrare ac excellere debet, vt eorum salutem impensè curet, pro eaque se totum, labores omnes, ac vitam ipsam impendat. Vnde Christus volens constituere Petrum pastorem & Episcopum totius Ecclesiæ, de hac dilectione tertiò eum interrogat & examinat, dicens, *Simon Iohannis diligis me plus hos?* cumque respondisset Petrus, *Etiam Domine, tu scis quia amo te*; subiecit Christus, *Pasce agnos meos.*

Secũda virtus Episcopi, charitas.

Tertia virtus Episcopo necessaria, quæq; communiter ei datur in ordinatione, est *sobrietas*, græcè σωφρονισμός. quod Primò, verti potest sobrietas, siue cibi & potus temperantia, vt sit idem quod σωφροσύνη. Secundò, verti potest pudicitia. Tertiò, & optimè σωφρονισμὸς est moderatio & refrænatio, siue, vt Theodor. & Theophyl. castigatio; &, vt Syrus, admonitio, qua scilicet timores æquè ac cupiditates & animi perturbationes, vitiaque omnia non tantùm in nobis, sed & in alijs castigamus, refrænamus & moderamur. Insignis enim Episcopi virtus est æquanimitas, animiq; moderatio, ac libertas moderata, & libera vitiorum casti-

Tertia virtus Episcopi, sobrietas, græcè σωφρονισμός.

castigatio. Et sic accipi potest hîc sobrietas, vti vertit Noster interpres, vt sit debita non tantùm in cibo, sed omnibus in rebus temperantia & moderatio, vt omnia tam aduersa quàm prospera constanter & moderatè feramus, vtque omnia quæ tam in nobis quàm in alijs nimia sunt & immodica, moderemur. Vnde S. August. de Grat. & lib. arbitrio cap. 18. pro sobrietas, legit continentia, quæ virtus est generalis, cohibens & continens mentem in officio, ne timore, amore, odio, torpore, luxu, somno, alióue affectu immoderato & vitioso imbuatur, dissoluatur, aut eneruetur; sed tota sana sit, integra & perfecta. hinc cum nonnullis σωφρονισμὸς hîc verti posset, sanitas animi. sic enim hanc vocem accipit Paulus 2. Corinth. 5. 13. cùm ait, εἴτε ἐξέστημεν θεῷ, εἴτε σωφρονοῦμεν ὑμῖν, id est, *siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis.* sic & Plato l. 1. de Repub. τὸ, inquit, σωφρονεῖν ἐναντίον ἐστὶ τῷ μαίνεσθαι, id est, sapere siue sanum esse animo, contrarium est illi quod desipere vel insanire. magna enim pars hominum, quæ suas cupiditates quasi furias sequitur, vel desipit vel insanit. Episcopus autem sapere debet, alijsque hanc insaniam eximere, eosque veram sapientiam docere, quæ consistit in vitiorum refrænatione, & passionum omnium moderatione.

sanitas.

NOLI ITAQVE ERVBESCERE TESTIMONIVM DOMINI NOSTRI, NEQVE ME VINCTVM EIVS] Iubet hîc Timotheo explicare spiritum non timoris, sed fortitudinis, quem accepit in ordinatione. q.d. Ne timeas, ô Timothee, non erubescas, sed intrepidè ac fortiter prædica fidem & doctrinam Christi, cui Christus tot verbis, rationibus & miraculis, immò sanguine & morte sua testimonium perhibuit: non pudeat te quoque meum qui iam vinctus sum, per fidem Christi, profiteri discipulū. gloria enim nostra est crux Christi, vincula Christi, mors Christi; prædicamus enim Christum crucifixum: & absit à Christiano, multò magis ab Episcopo, gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

Nota. Pro *testimonij* græcè est μαρτύριον, quod partim testimonium siue confessionem, quam (vti dixit) Christus fecit coram Pontio Pilato, omnibusque Iudæis, partim martyrium significat. Christus enim pro sua confessione & doctrina martyr occubuit, illique per martyrium testimonium perhibuit. q.d. Noli erubescere doctrinam, quam docuit & testatus est Christus, noli etiam erubescere crucem, martyrium ac vincula Christi, quibus suam doctrinam obsignauit & confirmauit.

SED COLLABORA EVANGELIO SECVNDVM VIRTVTEM DEI] Pro *collabora* græcè est συγκακοπάθησον, id est, compatere & coafflige Euangelio. q.d. ait Theoph. Euangelium & Euangelij prædicatio patitur persecutionem, & affligitur, atque in me vincto quasi vincta & vinculis constricta tenetur & premitur; tu cum Euangelio, imò pro Euangelio patere & fortiter sustine omnia Gentiliū & Iudæorum tam tormenta quàm terriculamenta, vt mecū vincto vinciri non renuas, sed ambias: idq; non per te aut tuas naturæ vires, sed *secundùm virtutem* (δύναμιν, id est potentiam) *Dei.* nimirum Deus, qui in hoc certamen te vocat, vt pro sua fide & gloria decertes & vincas, ipse tibi aderit, vires potenter suggeret, itaq; corroborabit, vt generosè, imò iucundè & lætè omnia aduersa quantumuis grauia pro Euangelio patiaris; tibi ergo tuisq; viribus diffidēs proijce te in Deum, ora, inuoca eum, ipse suscipiet te, & supra naturæ vires, omnibus hostibus, tribulationibus & tormentis te fortiorem efficiet.

QVI (Deus) NOS LIBERAVIT, ET VOCAVIT VOCATIONE SVA SANCTA, NON SECVNDVM OPERA NOSTRA, SED SECVNDVM PROPOSITVM ET GRATIAM] Pro *liberauit*, græcè est, τῷ σώσαντι, id est, qui nos saluauit aut seruauit, vt legit Ambros. scilicet à peccato & morte æterna. Secundò, Deus vocauit nos vocatione sancta, dum nos ab infidelitate & peccatis vocauit ad suam fidem & sanctitatem, vitamque sanctam & diuinam. VERS. 9.

Tertiò, hæc vocatio non est secundùm opera, id est merita, vt legit Ambros. q.d. Non est ex merito operum nostrorum, vt voluit Pelagius, sed ex proposito & gratia Dei. vnde patet, *propositum*, quod toties inculcat Apostolus, opponi merito operum, & tantùm significare liberale & gratuitum Dei decretum, siue beneplacitum, vt dixi Roman. 8. 28. *Propositum quid sit apud Paulū.*

Deo hæc epitheta liberantis & vocantis addit Apostolus, vt spem acuat, probetque virtutem Dei affore Timotheo, omnibusque, qui cum Euangelio & pro Euangelio patiuntur. q.d. Cogita, ô Timothee, quali virtute ac potētia Deus à dæmonis, peccati & inferni potestate te liberarit, dum te vocauit ad fidem & sanctitatem; cogita, quàm potenter cor tuum immutarit, vt Spiritus diuini vi mores & affectus tuos omnes inuerteret, ita vt ex impuro purus, ex peccatore sanctus, ex carnali spiritualis, ex animali angelicus, ex terreno cælestis fieres; cogita Deum id præstitisse, non ob merita, nec amico, sed inimico: ob meram suam gratiam & beneuolentiā erga te. conclude ergo Deum olim in te tam liberalem & beneuolum, multò magis tibi iam iustificato, iam amico, iam merenti, & pro Euangelio operanti, certanti ac patienti affore & cooperaturum; vt dura & tristia non tantùm ferre, sed & vincere ac triumphare possis. ita Chrysost. *Peccatorū in iustificatione mutatio qualis.*

QVÆ (gratia) DATA EST NOBIS IN CHRISTO IESV ANTE TEMPORA SÆCVLARIA] Nota. Hæc gratia nobis actu data non fuit ab æterno, vtpote qui nondum eramus in rerum natura, vt capaces gratiæ esse possemus: cùm ergo dicitur hîc gratia ab æterno data, intellige in Dei decreto & prædestinatione, vt idem sit *data*, quod dari decreta & prædestinata, iuxta can. 36. Vnde Tit. 1. 2. non datam, sed promissam à Deo dicit Apostolus hanc gratiā & gloriam ante tempora, sæcularia; hîc verò non promissam, sed datam dicit, tum vt significet omnia ab æterno esse & fuisse Deo præsentia, Deique æternitatem & prouidentiæ oculū ad omnia tempora se porrigere, eaque complecti, sicut circulus ambit & complectitur omnia quæ circulo circūscribuntur; tum vt significet gratiæ huius donationem æternam esse, quantum est ex parte Dei. Deus enim ab æterno nos adamauit, & hanc gratiam firmiter & irreuocabiliter nobis dare decreuit: ita vt hæc gratiæ donatio, quantum ex parte Dei, ab æterno non tantùm inchoata, sed & perfecta fuerit. Donatio enim non est aliud quàm donandi decretum, siue donandi efficax & absoluta voluntas. In Deo autem ab æterno fuit absoluta & irreuocabilis hæc gratiam donandi volūtas, cui ex parte Dei nihil defuit, licet ex parte creaturæ defuerit creaturæ existentia, qua donationē hanc à Deo factam in se exciperet & complecteretur. cùm enim creatura existit, & hanc gratiam actu consequitur, tūc ex parte Dei nulla noua accedit donatio, sed illa quæ *Quomodo data sit nobis gratia ab æterno.* *Æternitas ambit omnia tempora instar circuli.* *Donatio gratiæ ab æterno in Deo est absoluta.*

quæ æterna fuit, posito subiecto, se effundit, suúque effectum sortitur. Sic parentes sæpè testamento multa legant & donant nepotibus necdum natis, sed posteà nascituris. ita Ambros. Chrysost. Theoph. Anselm. Primas.

Gratia quomodo data nobis in Christo.

Nota. Hæc gratia data est nobis *in Christo Iesu*, id est, vt aliqui à Christo, vel cum Christo, siue consentiente & Patri cooperante Christo. Vnde Theodor. putat hîc significari æternitatem & diuinitatem Filij consubstantialem Patri. Verum planiùs ex more & phrasi Apostoli, *in Christo*, id est per Christum, putà per Christi merita præuisa ab æterno, data est nobis à Patre hæc gratia.

ANTE TEMPORA SÆCVLARIA] S. August. l. 22. Ciuit. c. 15. legit *ante tempora æterna*, & ita vertunt hîc Erasm. & Vatablus. Verùm quia nihil fuit ante tempora æterna, siue ante æternitatem; hinc melius Noster, Syrus & alij vertunt, *ante tempora sæcularia*. Græcum enim *αἰωνίων*, non tantùm *æterna*, sed & *secularia* significat, vt notat S. August. 16. de Ciuit. cap. 26. *αἰὼν* enim Græcis significat non tantùm æternitatem, sed etiam ævum, sæculum, ætatem.

Quid significet, ante tempora sæcularia.

Quæres quæ vocentur *tempora sæcularia*? D. Th. sæculum dicit esse tempus mille annorum, eò quòd mille anni quasi sint æras hominis, quòd tamdiu duret hominis memoria, quæ quasi vita est hominis. Verum hoc sæpè non est verum, non est etiam ad mentem Apostoli, qui *tempora sæcularia*, vocat ea, quæ simul cũ sæculo & mundo fluere & volui cœperũt. Idem ergo est *ante tempora sæcularia*, quod ante mundi constitutionem, ante temporis & mũdi originem, putà ab æterno. ita Theoph. Anselm. & alij. Notat Chrysost, hîc significari immensitatem amoris Dei, vtpote qui nos ante mundum, ante omnia tempora ab æterno in mente habuerit, de quoque nostrûm in particulari studiosè & solicitè cogitarit, vnumquemque adamauerit, cuique per Christum suam gratiæ mensuram decreuerit & prædestinarit.

Amoris diuini erga nos immensitas.

VERS. 10. MANIFESTATA EST AVTEM (gratia illa à Deo ab æterno data, sed in Deo abscondita) NVNC PER ILLVMINATIONEM SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI] Pro *illuminationẽ*, græcè est *ἐπιφανείας*, quod tam apparitionem, vt vertit Erasmus, quàm illustrationem, vel illuminationem significat. apparitio ergo vel aduentus Christi in mundum vocatur hîc *epiphania*, siue *illuminatio*, quia illustris fuit; & ad hoc Christus apparuit & aduenit, vt omnes illustraret & illuminaret luce sapiẽtiæ diuinæ, qua Deum, salutem, viamque salutis homines agnoscerent & capesserent. inde festum Epiphaniæ vocatur & celebratur in Ecclesia, quo Christus tribus Magis, & per eos Gentibus totique mundo illustris innotuit & apparuit. hinc Christus Iohan. 8. *Ego*, inquit, *sum lux mundi*, & Iohan. c. 1. dicit Christum venisse ad hoc, vt illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, quantum scilicet est ex parte sua: nàm multi sunt qui lucem hanc fugiunt, illique cordis fenestras claudunt, & in tenebris ac cæcitate sua quasi talpæ & vespertiliones permanere volunt. quales sunt omnes infideles, carnales, reprobi.

Apparitio, ἐπιφάνεια, illustratio, illuminatio Christi.

QVI (Christus) DESTRVXIT QVIDEM MORTEM, ILLVMINAVIT AVTEM VITAM, ET INCORRVPTIONEM PER EVANGELIVM] Pro *qui destruxit*, græcè est *καταργήσαντος*, id est qui euacuauit, inualidam reddidit, eneruauit mortem, omnemque vim, vigorem & imperium quod in homines habebat, illi ademit. Secũdò, *illuminauit*, hebraismo, in significatione hiphil, idem est quod, in lucem produxit, fecit vt illucesceret, vt appareret, seque ostenderet & exhiberet ipsa vita. hoc enim est Hebræum הֵאִיר *heir*. opponit enim Apostolus hæc duo, *destruxit Christus mortem, & illuminauit vitam*. q. d. Veniẽte Christo mors vigebat & regnabat; sed Christus eius vigorem & regnum sustulit & destruxit: è contrario vita latebat, quasi in cælis apud Beatos, in Deo abscondita, aut potiùs vita ipsa apud homines sublata erat, sedebatque in tenebris & in regione vmbræ mortis, id est, non iam vita erat sed mors, sed Christus eam ad lucem & vitam reuocauit, iterum eam in terris produxit, & in lucem protulit, ac hominibus communicauit. vnde Syrus vertit חַיֵּי חַיֵּי *chaiut chaie*, id est, viuificauit vitam. q. d. Christus vitam dedit ipsi vitæ, suscitauit à morte & viuere fecit ipsam vitam, vitã produxit, & in lucem prodire fecit, per peccatum enim vita in nobis abolita & occisa fuit, mors verò inducta regnauit: sed Christus mortem destruxit & occidit, vitam verò quasi à morte suscitauit, dum homines à morte ad vitã reduxit. Sicut ergo Hebræi sumunt *ostendere*, pro exhibere, dare, facere, producere; vt c. 4. 14. *Alexander aerarius multa mala mihi ostendit*, id est, fecit & intulit: ita pariter pro ijsdem sumunt *hair*, id est *illuminare*, siue in lucem producere, præsertim vbi agitur de vita & suscitatione ad vitam. vita enim nostra vulgò dicitur & reipsa est lux, vnde dicimus, *frui hac luce* vel *lucis vsura*, id est viuere. Sicut enim vsus & voluptas huius vitæ maximè consistit in luce; quòd scilicet lucem solis & cælorũ videre, eaque, vti & frui possimus, ita magis vita beata consistit in lumine gloriæ, quo Beati in mente perfunduntur, vt videant Deum; de quo scriptum est; *In lumine tuo videbimus lumen*. quod lumen ex mente in corpus Beatorum diffunditur & deriuatur. *fulgebunt enim iusti sicut sol*. Hinc de Christo ad limbum descendente, indeque ad vitam Patres ibi degentes reuocante dicitur Eccli 24. 45. *Inspiciam omnes dormientes & illuminabo* (id est ad lucem & vitam reuocabo) *omnes sperantes in Domino*.

Paulus hic ex Hebraeo textu illustratus.

Christus vitam mundo suscitauit.

Vita haec & futura lux est.

Nota. Christus per Euangelium quod attulit in mundum, quantum est ex parte sua, destruxit ipsa mortem, & vitam restituit, eamque in lucem protulit: sed quantum est ex parte nostra, reipsa in nobis id necdum factum est; sed fiet in resurrectione, cùm in singulis Beatis resurgentibus mors abolebitur, & vita æterna efflorescet. Apostolus enim non tam de vita præsenti & spirituali, quæ fit per gratiam, quàm de futura & corporali, quæ fiet per resurrectionem, agit. ait enim, *Vitam & incorruptionem*, id est vitam incorruptibilem: est enim hendyadis. vnde Theoph. & Græci docent Christum tantùm in spe nobis in hac vita mortẽ destruxisse, & vitam communicasse. *Non enim*, inquit Theoph, *reipsa mors in nobis delera ac destructa est, sed venturam nostri ex morte liberationem speramus, atque hanc spem Euangelium nobis firmauit*. Ingerit hîc Apostolus hanc spem resurrectionis, vt eam quasi nouum stimulum admoueat Timotheo, ad collaborandum & compatiendum Euangelio & suis vinculis, vti dixit v. 8.

Quando Christus mortem in mortalibus destruxit.

Spes resurrectionis.

VERS. 11. IN QVO POSITVS SVM EGO PRÆDICATOR ET APOSTOLVS ET MAGISTER GENTIVM] *In quo*, id est cuius, scilicet Euangelij: est enim hebraismus, quo Hebræum *bet*, id est *in*, ponitur pro regimine genitiui.

Aliter

Aliter Primasius, *in quo*, scilicet Christo illuminante, inquit, q.d. Christus illuminat interiùs mentes Gentium, dum ego exteriùs prædico eis Euangelium. Sed prior sensus planior est & aptior.

Nota. Pro *prædicator* græcè est κήρυξ, id est præco. Sic S. Franciscus rogatus, quis esset; *Sum*, inquit, *præco magni Dei*. Secundò, pro *magister* græcè est διδάσκαλος, id est doctor. Tres titulos hîc sibi vendicat Paulus: Primus, quòd sit præco promulgans legem Dei & Euangelium Christi. Secundus, quòd sit Apostolus, id est, legatus à Christo ad omnes gentes Christo subigendas, & ad fidem salutemque adducendas. Tertius, quòd sit doctor, docens, demonstrans & persuadens veram religionem, veramq; ad Deum & beatitudinem, viam. Rursum tria se hæc accepisse & ad ea auctoratum esse à Deo significat, cùm ait, *positus sum*, scilicet, à Deo. Denique hæc confirmat argumento subdens, *Ob quam causam etiam hæc patior*. q.d. Multi doctores sunt verbo, non vita; disputando, non tolerando; ego verò præco, Apostolus & doctor sum, tum docendo, tum pro doctrina mea vincula, carceres, omnesque ærumnas constanter patiendo. Hinc pulchrè S. Hieron. ad Pammachium de Paulo loquens, *Vbi*, inquit, *vas electionis, tuba Euangelij, rugitus leonis nostri, tonitru gentium, flumen eloquentiæ Christianæ?*

12. OB QVAM CAVSAM ETIAM HÆC PATIOR, SED NON CONFVNDOR] id est, non erubesco, non pudore suffundor: hoc enim est Græcum ἐπαισχύνομαι, quia scilicet hæc passio tam Dei auxilium, quàm gloriam, decusque æternum mihi afferet, inquit Oecumenius.

Notat hîc Primò, Ambros. mox vt Paulus & alij Apostoli prædicare cœperunt, diabolum dolentem per eos sibi animas eripi, contra eos suscitasse Neronem & similes persecutores; vt quisque sciat idem sibi euenturum: nec miretur si in conuersione hominum difficultates magnas sibi obiici sentiat, & pro laboribus suis & beneficiis maledicta & maleficia, quin & verbera, carceres & mortem recipiat.

Secundò, hisce in rebus non debere nos confundi & pudefieri, sed potiùs gaudere & gloriari, quia pro Deo & Euangelio pati glorioſum est. ita Theophyl. Neque mirum Christianum inter vincula non confundi, sed intrepidè euangelizare; cùm Gentilis quoque Socrates inter vincula philosophatus sit, & veritatem liberè docuerit, vt docet Plutarch. l. de Tranquill. animi. nam, vt ait Nazianz. orat. 23. in laudem Heronis: *Philosophi animus ex eo quod passus est generosior redditur, atque vt candens ferrum frigidæ aspersione, ita ipse periculis obdurescit.*

SCIO ENIM CVI CREDIDI, ET CERTVS SVM QVIA POTENS EST DEPOSITVM MEVM SERVARE IN ILLVM DIEM] Vox *enim*, dat causam cur in carceribus aliisque passionibus, pro Euangelio inflictis non confundatur; quia scilicet passionum harum mercedem deposuit apud Deum, à quo vtpote in promissis suis fidelissimo certissimè illam sperat & expectat.

Notant hîc aliqui esse traiectionem: clariùs enim sic verba transponendo ordinari sententiam: *Scio & certus sum, quòd is cui credidi potens est depositum meum seruare*. Verùm hæc traiectio non est necessaria, imò sine ea plus emphasis & energiæ habet oratio per apostropesim intercisa. q.d. Noui eum cui credidi, noui eum non esse hominem infirmum aut fallacem, noui eum esse Deum in omnibus fidelem & potentem, qui non sinet me cõfundi in carceribus & afflictionibus Euangelij, sed pro iis æternam gloriam mihi rependet.

Secundò, τὸ *scio* auctor quæstionum noui & veteris testamenti apud August. 113. sic explicat; quasi Paulus non tantùm obscuram fidem, sed & claram scientiam habuerit articulorum fidei, v.g. quòd Deus sit fidelis, potens, iustus iudex, & bonorũ remunerator. hoc de attributis Dei naturalibus verum est; hæc enim naturali discursu clarè cognoscuntur. sed hoc fallit in supernaturalibus, de quibus hîc loquitur Apostolus; putà quòd Deus fidelibus pro fide, prædicatione & afflictionibus pro Euangelio susceptis promiserit & præstiturus sit æternam mercedem: illud enim non per rationes naturales, sed sola fide scimus. *Scio*, ergo idem est hîc quod, cognosco, vel certum & exploratum habeo: hoc enim est Græcum οἶδα. *An Paulus præter obscuram fidē habuerit clarā scientiam articulorũ fidei.*

Tertiò, τὸ *cui credidi* significare potest tria. Primò, in quem credidi, cuius dictis fidem adhibui. Secundò, vt Ambrosius, *cui confisus sum*. fides enim subinde pro spe, & credere, pro sperare & confidere sumitur. Tertiò & optimè, *cui credidi*, id est, cuius fidei commisi, cui concredidi depositum meum: ad hoc enim respicit, vt patet ex seqq. sic depositor dicitur credere depositario depositum suum, cùm illud apud eum deponit, illiusque fidei credit & committit.

Quartò, τὸ *potens est*, non tantùm significat Deum posse seruare, sed etiam actu & reipsa seruaturum hoc Pauli depositum: est enim miosis, de qua dixi 2. Corinth 9.8. Mauult Apostolus dicere *potens est seruare*, quàm *actu seruabit*, vt nomine potentiæ diuinæ in remuneratione bonorum operum & passionum, excitet hominum infirmitatem ad constantem spem & patientiam rerum arduarum & difficilium.

DEPOSITVM MEVM] Quæres, quodnam hoc? Respondet Primò, Ambros. esse salutem Pauli, quam ipse Deo seruandam commisit: imò D. Th. 1.2.q.104.art.9. intelligit donum perseuerantiæ actualis, quasi de ea reuelationem acceperit Paulus, sciueritque certò se in gratia vsque ad mortem perseueraturum, & consequenter saluandum: hoc enim videtur dicere, cùm ait, *Scio cui credidi & certus sum*. *Depositum quid sit. Varia Patrum sententia. Prima.*

Secundò, Theodoret. respondet, *depositum* hoc esse gratiam, quam Deus Paulo dedit, & quasi apud eum deposuit. *Secunda.*

Tertiò, Chrysost. & Theoph. volunt *depositum* hoc esse fidem & prædicationem, quam Deus Paulo commisit. *Tertia.*

Quartò, idem Chrysost. & Theophyl. censent *depositum* hoc esse fideles, quos Deus Paulo, & vicissim Paulus Dei curæ commisit. Verùm hæc omnia non tam Pauli apud Deum, quàm Dei apud Paulum deposita sunt, vt ipse illa custodiat; de quibus dixi epist. 1. c. 6. v. 20. & infrà hoc cap. v. 14. vbi mandat Timotheo, vt hoc Dei depositum illi à se traditum arctè custodiat & conseruet. Paulus autem hoc versu loquitur non de Dei, sed de suo deposito: ait enim, *depositum meum*. licet enim Chrysost. & Theodor. τὸ *meum* passiuè capiant, q.d. Depositum quod apud me deposuit Deus: tamen magis propriè & appositè, actiuè *Quarta.*

accipiendum videtur: *meum* scilicet, quod ego apud Deum depositi: vnde illud non à se, sed à Deo seruari & custodiri asseuerat.

Quinta. Depositum Pauli, est eius apostolatus, & prædicatio Euangelij.

Quintò ergo & optimè, Theophyl. & Anselm. respondent, *depositum* hoc Pauli esse eiusdem apostolatum & prædicationem Euangelij, putà thesaurum laborum & passionum pro Euangelio à se obitarum, quem à se collectum Paulus patiens & moriens apud Deum quasi deposuit; vt in illo die magno, iudicij scilicet, illum, id est, illius mercedem & gloriam recipiat, ac coram toto mundo declaretur falsò hîc fuisse traductus, incarceratus, verberibus & contumeliis affectus, tamquam impostor, deorum hostis & pseudoapostolus, publicéque proclametur verus fuisse veri Dei & Euangelij Apostolus & doctor. Vnde quod Apostolus hîc *depositum*; Christus Matth. 19. *thesaurum* vocat, cùm ait, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes; & habebis thesaurum in cælo*: *thesaurum*, id est, depositum absconditè reconditum. hoc enim significat tam Hebræum *matmon*, quàm Græcum & Latinum thesaurus. Idem depositum Apostolus 2. Timoth. 4. 8. vocat repositam iustitiæ coronam: *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.*

Depositū in Euangelio vocatur hebraicè matmon, græcè thesaurus, *quod significat depositum absconditum.*

B

VERS. 13. FORMAM HABE SANORVM VERBORVM, QVÆ A ME AVDISTI IN FIDE ET IN DILECTIONE, IN CHRISTO IESV] Pro *formam*, græcè est ὑποτύπωσιν, id est, viuum exemplar, viuam imaginem, viuam repræsentationem. ὑποτυπῶσαι enim significat, rem ita delineare, depingere, effornare vt plenè & planè repræsentetur. inde apud Rhetores Hypotyposis figura est, quæ Euidentia & Illustratio dicitur; quando res ita dicendo exprimitur, vt videatur delineari & depingi, vel, vt inquit Quintilian. l. 9. Instit. *Hypotyposis est proposita quædam rerum forma, ita expressa verbis, vt cerni potiùs videatur quàm audiri.*

Forma græcè hypotyposis, quid significet.

C

Secundò, *habe*, id est, habere perge, siue retine. significat enim actum non inchoatum, sed continuatum, iuxta can. 32. Sic 1. Corinth. 7. v. 2. *Vnusquisque*, inquit, *vxorem suam habeat*, id est eam quam habet, retineat, illaque vtatur.

Tertiò, *sana verba*, vocat sanam doctrinam, *in fide & dilectione*, id est, circa fidem & dilectionem, *quæ est in Christo Iesu*, id est quæ est Christi, & eorum qui Christo inhærent, putà est Christiana. vide can. 25. & 37. Econtrariò hæresis & error est doctrina malè sana, morbida, putida, corrupta & contagiosa, serpens vt cancer. Sic Plato libr. 4. de Republ. *Virtus*, inquit, *est sanitas quædam & pulchritudo, & robustus animi vigor: prauitas contrà morbus est, turpitudo atque imbecillitas.* q. d. O Timothee, tuum vtpote Episcopi munus est retinere viuum exemplar, viuam ideam, & repræsentationem doctrinæ, quam tibi tradidi, vt scilicet verba mea semper tibi ob oculos ponas, eademque viuè & efficaciter aliis proponas. vnde Syrus vertit, *forma tibi sint sani sermones, quos audisti à me.*

Hæresis doctrina malè sana.

Notant Chrysost. Theodor. Theophyl. esse metaphoram à pictoribus. Sic enim explicat Theodoret. *Imitare, ô Timothee, pictores: quemadmodum enim illi attendentes exemplaria perfectè illorum imagines describunt, ita etiam tu habe veluti quoddam exemplar archetypum, eam quæ à me tibi tradita est doctrina de fide & Christo*, vt scilicet hoc exemplar in te tuisque moribus depingas, vitaque ipsa exprimas, ac vicissim tuis Ephesiis proponas, vt illi iuxta idipsum in seipsis fidem & charitatem, omnemq; virtutem Christianam exprimant & depingant.

Hinc Secundò notat Chrysost. non solùm Scripturam sacram, sed & traditiones Apostolorum & Patrum seruandas esse. ait enim Apostolus, *Formam habe sanorum verborum*, non quæ scripta sunt, *sed quæ audisti à me*, quæ scilicet viua voce tibi tradidi. Nec euadit Hunnius dicendo, illo tempore seruandas fuisse traditiones, quia necdum omnes epistolæ erant conscriptæ: iam autem traditiones non requiri, cùm omnia sint conscripta; nam tam prius, quàm posterius hoc falsum est. hæc enim vltima est epistola quam scripsit Paulus: cæteras enim omnes ante hanc scripsit, & tamen post eam vult seruari traditiones; non ergo omnia per scripturam, sed multa verbo tenus tradidit, eademque seruari præcepit. Si Paulus qui plurimas scripsit epistolas, ita fecit; ergo & alij Apostoli, qui vel paucas, vel nullas scripserunt epistolas, ita fecerunt. Sicut ergo iussa regis quæ per præconem viua voce proclamantur, æquè seruanda sunt, atque regis rescripta. Imò Lycurgus celeberrimus legislator suis nullas leges scriptas, sed tantùm vocales, quæ non tabulis, sed praxi sancirentur, dedit, vt testatur Plutarch. in Lycurgo; ita pariter & iussa Apostolorum viua voce tradita æquè ac scripta eorumdem obseruanda sunt. Quis enim non videt simpliciter & absolutè faciendum esse, id quod iubet hîc Apostolus cùm ait, *Formam habe sanorum verborum quæ audisti à me*, siue eadē postea scribantur, siue non? ita ritum & formas Sacramentorum, multaque alia ab Apostolis non scripto, sed viua voce esse tradita docet S. Dionysius Eccleſiast. hierarch. c. 1. & 7. S. August. epist. 86. ad Casulanum, Basil. lib. de Sp. sancto c. 27. & alij passim. vide dicta 2. Thessal. 2. 15.

Traditiones auctoritas probatur

A simili.

Quæ per traditionē didicerit Ecclesia.

VERS. 14. BONVM DEPOSITVM CVSTODI, PER SPIRITVM SANCTVM, QVI HABITAT IN NOBIS] Per *depositum*, Theodor. & Theophyl. intelligunt gratiam in baptismo, vel ordinatione acceptā. Meliùs S. Chrysost. Ambros. & alij *depositum* hoc interpretantur thesaurum doctrinæ Christianæ, quam v. præc. vocauit *sana verba*: hunc enim thesaurum quasi depositum studiosè commendat Timotheo Episcopo, vt eum contra Nouantes & profanas vocum nouitates, integrum inuiolatumque conseruet, vt patet epist. 1. c. 6. v. 20. nam Episcopus huius thesauri & depositi debet esse custos, vt docet S. Dionysius toto lib. de Eccleſiast. hierarch.

Bonum depositum doctrina Christiana.

Nota, quod ait, *depositum custodi per Spiritum sanctum*. q. d. Hæc custodia non tuarum est virium, sed Spiritus sancti est idipsum efficere, vt eius gratia roboratus contra omnes dæmonum tentationes, hæreticorum furores, persecutorum minas & tormenta, depositum sanæ doctrinæ tuearis & custodias. Hinc patet non tantùm primam fidem, & fidei professionem, vt quis nimirum credere, & fidem profiteri incipiat, esse donum Dei; sed etiam fidei & professionis huius custodiam, vt nimirum quis credere & fidem profiteri pergat, idipsum habere per Spiritum sanctum, non quidem nouè datum, sed permanentem & in animabus fidelium inhabitantem, per habitum fidei & charitatis. Sicut enim Deus creat, itidemque creata conseruat non noua actione continuè creando, sed actionem primam creationis continuando: ita etiam dat & quasi creat gratiam, itidemq; datam

D

Non tātū primæ fidei sed & custodiam donum Sp. sancti.

&

& creatam conseruat, non noua actione eam dando, sed continuando primam gratiæ donationem & infusionem. *Feruent*, inquit Chrysost. *cuncta latronibus, densissimæ imminent tenebræ, insidiatur diabolus, nescimus qua hora, quo immineat tempore: quomodo ergo hoc depositum custodire sufficimus, nisi habeamus spiritum sanctum apud nos manentem?*

Aduerte tamen, si grauis ingruat tentatio, persecutio & martyrium, ad fidem & professionem fidei retinendam, non sufficere habitum fidei, sed insuper opus esse noua gratia præueniente, quæ mentem confirmet & corroboret.

VERS. 15. SCIS HOC, QVOD AVERSI SVNT (græcè est ἀπεστράφησάν με, id est, auersati sunt me, me reiecerunt) A ME OMNES QVI IN ASIA SVNT: EX QVIBVS EST PHIGELLVS ET HERMOGENES] Certum est non omnes Asianos auersos fuisse à Paulo & à fide: plurimi enim fideles erant Ephesi & alibi, qui Paulum studiosè colebant, quorum fidem & amorem laudat Paulus scribens ad Ephesios & alios Asianos. Quod ergo dicit omnes in Asia à se esse auersos, nonnulli, vt Baron. limitant τὸ *omnes*, ad Iudæos. Iudæi enim Asiani infensi fuerunt Paulo, eumque insecuti sunt Hierosolymam vsque, adeò vt causa fuerint cur ibi caperetur Paulus, vt patet Actor. 24 19. & verisimile est eosdem Romæ Paulum persequi & accusare perrexisse. Verùm, quia Iudæorum hîc nulla fit mentio, & generatim de omnibus Asianis loquitur Apostolus, hinc melius Chrysost. cum suis censet Paulum loqui de omnibus Asianis qui Romæ erant, vt τὸ *omnes qui in Asia*, idem sit quod omnes ex Asia (iuxta can. 25.) omnes Asiani, scilicet Romæ agentes. scribit enim Paulus ad Timotheum Roma, ea quæ gerebantur Romæ, non autem quæ in Asia; hæc enim præsens spectabat Timotheus. Idem colligi potest ex v. 16. seq. vbi ab his Asianis excipit vnum Onesiphorum, qui Paulum secutus Romam, ibidem ei studiosè adhæsit & seruiuit. Ergo de Asianis solis, qui Romæ erant, loquitur Apostolus: hi enim cùm antea Paulum frequentassent & coluissent, postea partim instinctu Iudæorum, de quibus iam dixi, partim metu Neronis sæuientis in Paulum, vt opinatur Theodoret. Paulum auersati sunt. Ex hisce præcipui fuerunt Phigellus & Hermogenes, *Qui*, vt inquit Ambros. *fallacia pleni erant: simulabant enim amicitiæ cum Apostolo, vt adhærentes ei addiscerent vnde illi calumniam facerent, aut per alios immitterent*: qui postea quam se viderunt detectos & manifestatos, recessserunt ab eo. Tertull. lib. de Resurrect. carn. c. 24. hunc Hermogenem recenset inter hæreticos negantes carnis resurrectionem. Vide quid faciat & quò deducat hominem fugere & auersari consortia bonorum ac sanctorum, qualis erat Paulus.

Affert hæc hoc loco Paulus, vt moneat Timotheum, cautè depositum hoc doctrinæ custodire, inter tot fidei desertores & hostes, vtque eos internoscat, & ad sanam mentem cùm in Asia redierint, reducat, si possit; aut certè alios moneat, vt ab eis sibi caueant; ac tandem, vt Timotheus, si quando fidei causa incarceretur & à suis deseratur, Pauli exemplo constanter id ferat, inquit Chrysost.

VERS. 16. 17. DET MISERICORDIAM DOMINVS ONESIPHORI DOMVI: QVIA SÆPE ME REFRIGERAVIT, ET CATENAM MEAM NON ERVBVIT: SED CVM ROMAM VENISSET, SOLICITE ME QVÆSIVIT ET INVENIT] *Cornel. in Epist. Pauli.*

Excipit ab Asianis à se auersis Onesiphorum, cuius charitatem erga se hîc collaudat, eumque hoc nomine tacitè commendat Timotheo, ideoque non tantùm illi, sed & toti eius domui, id est familiæ, parem misericordiam à Deo exhiberi postulat.

Tria charitatis officia Onesiphori erga Paulũ.

Tria hîc charitatis officia in Onesiphoro deprædicat, primum, quòd peregrinus Romam veniens se in vinculis ab omnibus desertum & inter maleficos constitutum, per medios custodes & satellites penetrans solicitè quæsierit & visitarit. Secundum, quòd non tantùm contumeliis, sed & iræ Neronis ac periculis grauibus Pauli causa se obiecerit. Tertium, quòd tot laboribus & ærumnis fatigatum refrigerarit, id est suis opibus & rebus ad vitam necessariis, vel oportunis recrearit & refocillarit. hoc enim Paulo isto tempore periucundum accidit: perinde vti pugili aut militi in agone certanti, sudanti & laboribus exhausto suaue ac gratum est, cibo potuque refici & recreari. hoc enim innuit vox *refrigerauit*, inquit Oecumen.

VERS. 18. DET ILLI DOMINVS INVENIRE MISERICORDIAM A DOMINO IN ILLA DIE] *Det*, id est, misericordiæ eius & meritis retribuat, vt in die iudicij inueniat à Domino misericordiam, id est gratiam, fauorem & beneuolentiam, vt scilicet iudicem habeat sibi propitium & fauentem. Secundò, *det inuenire misericordiam*, id est, misericordiæ suæ effectum, fructum & dignam retributionem, vt cum aliis Sanctis benignam hanc excipiat Iudicis sententiam: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnũ. &c. esurini enim & dedistis mihi manducare; in carcere eram, & venistis ad me*, Matth. 25. 34. alioqui in illo die, scilicet iudicij, nullus misericordiæ erit locus, sed tantùm iustitiæ. ita Theoph. Vnde in vocibus εὕρῃ & εὑρεῖν, id est *inuenit* & *inuenire*, pulchra est paronomasia. q. d. Quærens me misericordiam inuenit & adiuuit in vinculis Onesiphorus, inueniat ergo & ipse in die iudicij misericordiam à Domino. ita Ambrosius.

Marcionis error de duobus deis.

Nota. Quod ait *det illi Dominus inuenire à Domino*, non significat duos esse Dominos siue Deos, vti voluit Marcion, teste Augustin. hæresi 21. sed est hebraismus significans; det illi Dominus inuenire misericordiam apud se. Hebræi enim sæpè nomen vel pronomen absolutum sumunt pro reciproco, vt Genes. 19. *Pluit Dominus sulphur super Sodomam à Domino*, id est, à seipso. Isaiæ 8. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israel à Domino*, id est, à seipso.

Posset Secundò, sic exponi; *Det illi Dominus*, scilicet Deus Pater, *inuenire misericordiam apud Dominum*, scilicet Filium, putà Christum hominem: Christus enim qua homo, iudex erit in die iudicij. ita Vatabl. Hac enim phrasi *Dominus à Domino*, simul innuitur distinctio personarum in diuinis, vt *Pluit Dominus à Domino*, id est, pluit Filius à Patre. ita Concil. Sirmiense can. 15. *Det* ergo *illi Dominus à Domino*, id est, det illi Pater apud Filium inuenire misericordiam.

ET QVANTA EPHESI MINISTRAVIT MIHI, TV MELIVS NOSTI] τὸ *mihi*, non habent Græca, nec Latina Regia, & Plantiniana Biblia, nec Ambros. Chrysost. Theophyl. Theodoret. vnde Ambros. docet, Onesiphorum non soli Paulo, sed omnibus ob fidem afflictis liberaliter ministrasse; quasi hoc ipso Apostolus suggillet quosdam, qui non omni-

omnibus, sed certis personis, quia eminentes, cognatæ, aut alia de causa charæ & gratæ sunt, ministrare volunt. Biblia tamen Romana & Syrus legunt τὸ *mihi*, planeque illud legendum vel subaudiendum videtur: ait enim *ministrauit*. cui? vtique *mihi*, vt præcessit: agit enim Apostolus de charitate & officiis sibi ab Onesiphoro exhibitis tum Romæ, tum Ephesi.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit hortari Timotheum, vt relictis negotiis sæcularibus prædicationi & propagationi Euangelij totus incumbat, quasi miles, pugil & agricola Christi.

Secundò, v. 8. spe resurrectionis & gloriæ cælestis eumdem excitat, vt pro Euangelio quauis aduersa, etiam martyrium subeat.

Tertiò, v. 14. hortatur vt rectè tractet verbum veritatis, profanas verò nouitates, & hæreticos negantes resurrectionem vitet.

Quartò, v. 19. monet ne turbetur si aliqui à fide excidant, quia reliqui in fide fundati persistent, qui signati sunt per præscientiam Dei, & per fugam peccati.

Quintò, à v. 22. vsque ad finem, monet vt iuueniles philautias, & contentiones vitet, leniterq; errantes corripiat & instruat.

1. TV ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: 2. & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. 3. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit. 5. Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit. 6. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere. 7. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. 8. Memor esto, Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundùm Euangelium meum, 9. in quo laboro vsque ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum. 10. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cælesti. 11. Fidelis sermo Nam si commortui sumus, & conuiuemus: 12. si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos. 13. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. 14. Hæc commone, testificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. 15. Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. 16. Profana autem, & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem. 17. Et sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus, 18. qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorumdam fidem. 19. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. 20. In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. 21. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. 22. Iuuenilia autem desideria fuge, sectare verò iustitiam fidem, charitatem & pacem cum iis, qui inuocant Dominum de corde puro. 23. Stultas autem, & sine disciplina quæstiones deuita: sciens quia generant lites. 24. Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, 25. cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, 26. & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

VERS. 1. TV ERGO FILI MI CONFORTARE (Ambrosius B legit, *fortitudinem cape*) IN GRATIA, QVÆ EST IN CHRISTO IESV] id est, in gratia Christi annunciandi & prædicandi, inquit Ambros. & Vatabl. vt scilicet annuncies Deum non per Mosen, aut Simonem Magum, sed per Christum nos sibi reconciliasse. Fauent sequentia: sequitur enim, *Et quæ audisti à me, hæc commenda fidelibus.* Vbi Græca punctum distinguens ponunt ante, *hæc commenda*, vt τὸ *quæ audisti* referatur ad præcedētia. q.d. Conforta te in iis quæ audisti, prædicādis & docendis. Secundò & planiùs, Theodoret. & Chrysost. hæc nectunt dictis c. præced. q.d. Dixi c. præced. me in vinculis pro Euangelio susceptis non confundi, non deiici, non turbari; licet Asiani olim amici me deserant. tu ergo, ô fili Timothee, me patrem tuum imitare, cape animos & robur *in gratia*, id est per gratiam Christi, quam habes tecum pugnantem, imò propugnantem, vt fortiter persistas in Euangelij, non tantùm fide, sed & prædicatione ac propagatione; etiamsi eius causa & vincula & tormenta & mortem ipsam subire debeas.

ET

ERS. 2.

ET QVÆ AVDISTI A ME PER MVLTOS TESTES, HÆC COMMENDA FIDELIBVS HOMINIBVS, QVI IDONEI ERVNT ET ALIOS DOCERE] Ita hæc distinguunt & iungunt Latini codices, Syrus & Chrysost. Multos testes vocat vel testimonia ex lege & Prophetis prolata, ad confirmandam suam doctrinam, de Christo & Euangelio, vti explicat Clemens lib. 7. Hypotypos. seu, vel potiùs multos suæ prædicationis auditores. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen.

Qui testes quibus adsit Paulus.

Secundò, *quæ audisti per multos testes*, per id est, inter multos, cum multis, coram multis, qui de iis quæ dixi testari possunt. q.d. Non furtim, sed palàm & publicè docui. Falsitas enim angulos, veritas lucem quærit. hæc enim hæreticorum vox est, inquit Vincentius Lirinens. *Venite, discite fidem veram nuper reuelatam, sed discite furtim atque secretim; delectabit enim vos. & cùm didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, neque Ecclesia sciat. paucis namque concessum est tanti mysterij capere secreta.* Sic enim Græci sumunt διὰ, id est *per*, pro μετὰ ξύν, vel μετά, id est *inter*, vel *cum*. vt 2. Corinth. 2. 4. *Scripsi vobis per multas lacrymas*, id est, cum multis lacrymis. & 2. Corinth. 3. 12. *Si enim quod euacuatur, per gloriam est*, id est cum gloria, in gloria est: sic enim in consequentibus explicat Apostolus, cùm subdit, *Multò magis quod manet, in gloria est.*

Hæc hæreticorum.

Traditionū auctoritas.

Tertiò. Nota hic rursum locum pro traditionibus: ait enim, non, Quæ scripta sunt, sed *quæ audisti hæc commenda.*

Quartò, vult hæc commendari non quibusuis hominibus, sed qui idonei sunt vt alios doceant, quique fideles sunt, non qui fide, sed qui fidelitate polleant. hisce enim res magnæ, qualis est doctrina, de qua hic agit, creduntur & committuntur, non autem timidis & inconstantibus, qui facilè fidem Ethnicis, vel metu pœnarum vel spe præmiorum produnt. Vnde patet Apostolum hic non loqui de plebe & laicis, sed iubere vt Timotheus Episcopus alios presbyteros & doctores instituat plenè & solidè, vt illi doctrinam hanc sanam quasi depositum firmiter secum & post se custodiant ac tueantur, alios quoque doceant & confirment. ita Ambros. Theophyl. Oecumen.

Sibi arcana fidei communienda.

Hisce etiam arcana & sublimiora fidei mysteria credi debere docet S. Dionys. c. 1. lib. de Diuinis nomin. quem huic eidem Timotheo dedicat: *Sancta*, inquit, *sanctis communicanda sunt.* & conuertens se ad Timotheum ait: *O Timothee, te quidem ista seruare conuenit iuxta sacratissimam sanctionem, neque inter imperitos efferre eloquia.*

VERS. 3.

LABORA SICVT BONVS (id est egregius) MILES CHRISTI IESV] Pro *labora*, græcè est κακοπάθησον, id est mala perfer, dura tolera. adhuc Timotheum incitat exemplo tum militum, tum Christi: militis enim est multa acerba pati, & Christus nos in militiam, ad suum crucis vexillum euocauit, suaq; cruce signauit & auctorauit milites suos. *fortia* ergo *agere Romanum est*, vt aiebat Scæuola, *sed fortia pati Christianum est.* Pulchrè Tertull. Apologetici c. 50. contra Gentes: *Licet nunc sarmentitios*, inquit, *& semaxios appellatis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur; hic est habitus victoriæ nostræ, hac palmata vestis, tali curru triumphamus. Apud vos quoque, ô Gentes, Mutius* (Scæuola) *dextram suam libens in ara reliquit. O sublimitas animi! Empedocles totum se Catanensium Aetnais incendiis donauit. O vigor mentis! Regulus ne vnus pro*

Cornel. in Epist. Pauli.

In Christianum est.

Fortia patientia ostenda.

A *multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur. O fortem virum, & in captiuitate victorem! Anaxarchum cùm in exitium ptisanæ pilo contunderetur; Tunde, tunde, ait, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis. Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in tyranni sauientis faciem exuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Eleates consultus à Dionysio quidnam philosophia præstaret, cùm respondisset, contemptum mortis, impassibilia, flagellis tyranni obiectus, sententiam suam ad mortem vsque signabat.* Si hæc fecere Gentiles, quid facient Christiani & milites Christi?

VERS. 4.

NEMO MILITANS DEO IMPLICAT SE NEGOTIIS SÆCVLARIBVS: VT EI PLACEAT, CVI SE PROBAVIT] Vox *Deo*, non est in Græco, nec in Latinis quibusdam. Vnde Chrysost. accipit hanc sententiam tamquam generalem, ad quosuis milites pertinentem, ex qua tacitè subsumat Apostolus, eamdem multò magis ad Christi milites pertinere: quod noster Interpres expressit dicens, *nemo militans Deo.*

B

Negotia sæcularia quænam.

Nota. *Negotia sæcularia* græcè vocantur τὰ βιωτικὰ πράγματα, id est vitæ (βίος enim non victum, vt vertit Erasmus, sed vitam significat) occupationes & negotiationes, quibus victum, vestitum & reliqua ad vitam tuendam oportuna comparamus & conquirimus; quales sunt mercatura, agricultura, artes mechanicæ. q.d. Miles non curat mercaturam, non opificium, non negotia ad domus, vrbis aut regni regimen spectantia, imò nec multum de victu aut vestitu laborat, quia de his militi suo prouidet imperator: sed vni intendit bello & victoriæ sui imperatoris. Vnde & militibus olim vetitum fuisse coniugium docet Cornelius Tacitus l. 14. & Dio lib. 60. quin & Tertull. in Exhortatione ad castitatem, docet suo tempore milites fuisse cælibes? Multo ergo magis hæc & plura facere oportet militem Christi. ita Chrysost. Theodor. Ambros. vide S. Basilium in ascetic. serm. 1. Audi eum in præfatione. *Si quis*, ait, *mihi ministrauerit, me sequatur: & vbi ego sum, ibi sit & minister meus. Vbi ergo Christus est rex? in cælo sine dubio. Huc tuus tibi ô miles Christi dirigendus est cursus. Obliuiscere quidquid hic in terris refectionis haberi potest. Miles non domos ædificat, non comparat agros, non vacat mercaturæ. In plateis tabernaculum sibi ponit: cibum sola necessitate metitur: potio, aqua: somni tantum, quantum natura requirit. Itinera frequentia, item & vigiliæ: acris ad frigora caloresq; tolerandos patientia: periculosorum cum aduersariis certaminum crebra susceptio, & in iis sæpè (si ita fors ferat) mors: gloriosa tamen, & quæ regiis honoribus & muneribus decoretur.* Deinde ea applicat militi Christi. *Age igitur miles Christi, qui iam tenuia quadam exrebus humanis exempla inspexeris, subeat animum tuum sempiternorum bonorum cogitatio: propositum tibi vitæ genus sit, domo, ciuitate, ac possessione rerum omnium carens. Solutus esto, atque ab omnibus vitæ curis liber, &c. Corporis te natura non vincit, neque vim affert inuito. Non enim tu id quæris, vt sobolem in terra relinquas, sed vt in cælum sursum educas. Imitare sponsum cælestem: insurgentes aduersum te crebrò inuisibiles hostes in fugam dato: eos primùm ex animo expelle tuo, neque omnino illis quidquam sit apud te loci: tum ex illorum etiam qui ad te confugiunt, tecq; ducem assiscunt, quo tu doctrina tua incolumes serues.*

Militibus olim interdictum coniugium.

Secundò, id facit miles, *vt placeat ei, cui se probauit;*

uit, imperatori scilicet, delectum militum agenti (hoc enim significat Græcum τῷ στρατολογήσαντι) à quo in militiam asscriptus, approbatus & cooptatus est, ita Chrysost. Ambros. Theophyl. minùs ergo rectè Anselmus, *Cui se probauit*, id est, inquit, cui se deuouit.

Quinam debeant fugere negotia sæcularia.

Nota Tertiò. Apostolus non loquitur hîc omnibus Christianis & sæcularibus: hi enim necessariò, & ex officio tractare debent negotia sæcularia; sed Timotheo Episcopo & consequenter omnibus Episcopis, eorumque assectis, putà Pastoribus, sacerdotibus, clericis. hi enim toti sacrificiis & orationibus, templique ministeriis, ac verbo Dei insistere debent, ideoque abstinere à negotiis sæcularibus. ita Chrysost. Ambrosius & alij. Horum typus fuerunt Leuitæ veteris testamenti, qui in diuisione terræ sanctæ, nullam eius partem æquè vt aliæ tribus acceperunt, ne terrenis & sæcularibus negotiis implicarentur, sed vt toti vacare possent Deo & templo; ideo portio eorum hereditaria erat Dominus, id est decimæ, primitiæ & victimæ Domino oblatæ: hæ enim cedebant in vsum Leuitarū, vt inde viuerēt, ne aliunde victum sibi comparare, & de eo soliciti esse cogerentur.

VERS. 5. NAM ET QVI CERTAT IN AGONE, NON CORONABITVR (οὐ στεφανοῦται, id est, non coronatur) NISI LEGITIME CERTAVERIT] scilicet nisi tamquam verus athleta athleticè certet (hoc enim significat Græcum ἀθλήσῃ) idque *legitimè*, græcè νομίμως, id est, iuxta legem, scilicet stadij & agonis; quæ iubet non tantùm athletam oleo vngi, & certamen inire; sed illi ita totum incumbere, itaq; constanter, generosè atque eximiè certare, vt antagonistas omnes vincat, si corona præmioque potiri velit. De athletis vide dicta 1. Corinth. 9. 24.

Exempla excitantia ad labores.

Nota. Vti v. præced. incitauit Timotheum vt totus incumbat Euangelio, reiectis negotiis sæcularibus, pro eoque omnes labores & dolores fortiter ferat, exemplo militis; ita ad idem eundem hîc secundò incitat exemplo pugilis & athletæ in agone certantis: athleta enim totus intendit suo certamini, aliud non curat, imò nec respicit; idemque facit v. sequ. tertium adducens exemplum agricolæ laborantis. Vide S. Basilium hisce & aliis exemplis nos incitantem ad labores homilia in illud Deuter. 15. iuxta LXX. *Attende tibi*, quæ extat & ponitur post homiliam de ieiunio. Porro Auctor serm. ad Fratres in eremo apud S. August. serm. 8. τὸ *legitimè* sic explicat, q.d. Perseueranter vsque ad finem. Nam sola perseuerantia coronatur. *Non est igitur magnum* (ait idem Auctor) *inchoare quod bonum est, sed consummare hoc solùm perfectum est.* Et S. Hieron. libr. 1. contra Iouin. *Cœpisse multorum est, ad culmen peruenisse paucorum.* Idem epist. ad Furiam: *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis*: *Paulus malè cœpit, sed bene finiuit: Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* S. Paulus Galat. 3. 3. *Sic stulti estis, vt, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.*

VERS. 6. LABORANTEM AGRICOLAM OPORTET PRIMVM DE FRVCTIBVS PERCIPERE] Dupliciter hunc locum exponunt interpretes. Primò, recentiores ex Erasmo, volunt esse hyperbaton, siue perturbatum ordinem, & τὸ *primum*, referunt non, ad percipere, sed ad *laborantem*; q d. Oportet agricolam percipere fructus, sed hac conditione si videlicet priùs laborarit. πρῶτον enim, iuxta ipsos, hic non est nomen, sed aduerbium significans idem quod priùs, primùm. Sed hæc obscura & dura est traiectio, præsertim cùm alius planior sensus occurrat. Secundò, Ambros. Theodor. & alij propriè verba hæc, vt sonant, accipiunt: agricolæ enim ante dominos siue possessores agrorū sunt fructuum participes. vnde & August. lib. de Opere monachorum, & Primas. sic hæc verba explicant & applicant Timotheo, quasi tacitæ eius obiectioni hîc occurrat Apostolus. Nam dicere poterat Timotheus, Si me totum, vt iubes, ô Paule, occupauero Euangelio, vnde viuam? hoc anteuertit Paulus, respondetque par esse, vt laborans in Euangelio, de eodem viuat, & à fidelibus, quos docet, sumptus ad vitam necessarios accipiat; perinde, vt par est, agricolam qui in agro laborat, ex fructibus agri viuere, adeoque primos agri fructus decerpere.

Sensus huius loci.

Mihi Tertiò videtur, seruato verborum ordine, vtrumque sensum iam datum ab Apost. intendi, ideoque phrasim hîc commutat Apost, non enim, vti dixit, *Non coronatur nisi qui legitimè certauerit*: ita hîc dicit, Nisi laboret agricola non percipiet fructus; sed assertiuè quasi alliciens & mulcens ait, *Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere.* q.d. Vti legitimè certantem militem & athletam oportet coronari (nemo enim coronatur nisi legitimè certet) ita laborantem agricolam, si videlicet strenuè in agro laboret, oportet primis agri fructibus frui: sicut ergo corona militem & athletam ad certandum, spes fructuum agricolam ad laborandum excitat; ita te, ô Timothee, excitet tum fructus præsentis alimoniæ à catechumenis, quos doces, accipiendæ, tum potiùs plena merces futuræ & æternæ gloriæ: excitet, inquam, ad certandum & laborandum, totumque te impendendum Euangelio. Innuit hunc sensum Chrysost. Inuitat enim Timotheum ad laborem, triplici analogia, scilicet militis, pugilis & agricolæ, vti dixi. Hîc itaque agricolæ, qui totus est in sua agricultura, multaque in ea dura patitur, incitat Timotheum vt totus incumbat Euangelio, pro eoque strenuè laboret, id est, afflictiones omnes fortiter ferat: hoc enim significat Græcū κακοπαθεῖν, vt dixi v. 3. idem significat hîc Græcum κοπιῶντα, id est laborantem, scilicet grauiter & molestè. Indicatur ergo hîc difficilis agricolæ labor esse causa cur mereatur fructus primos percipere; labor, inquam, tam actiuus, vti est arare, serere, occare; quàm passiuus, vti est sudare, fatigari, gelu, frigus, æstum, aliaque incommoda pati: qualia in agricultura necesse est agricolas tolerare.

Triplex analogia militis, pugilis, agricolæ, respectu operarij Euangelici.

Vnde Athanasius ad Antioch. q. 152. sic exponit: *laborantem agricolam*, &c. *Hoc*, inquit, *de spiritalibus doctoribus dixit, quòd sit conueniens, vt doctor, qui pro se & pro suis auditoribus laborat & decertat, primùm à Deo mercedem recipiat, deinde discipuli sui. nam agricola qui fructus suos collegit, ille primus de eis in domo sua recondit, postea de eis aliis, vel creditoribus, vel pauperibus elargitur.* Addit ibidem Athan. aliam explicationem, nimirum, *laborantem agricolam primum*, &c. q.d. *Quicumque vult alios docere, vel aliis prodesse, decet illum primum operari id quod docet, atque à Deo accipere dona gratiæ, ac proferre fructus Sp. sancti, quos deinde in alios effundat. nam si quis aliquem oleo suis manibus vncturus, oleum non habeat, quomodo impertiet aliis id quod ipse non habet? Ad eumdem modum de iis qui alios docent, est sentiendum.* Verùm hic

hic sensus symbolicus & tropologicus videtur.

VERS. 7. INTELLIGE QVÆ DICO: DABIT ENIM TIBI DOMINVS IN OMNIBVS INTELLECTVM] q.d. Proposui tibi tres parabolas, militis, athletæ, agricolæ: non est necesse, vt eas tibi explicem & applicem, tu eis intende: quod si feceris, Deus dabit tibi intellectum, vt facilè eas intelligere & applicare possis. vis scire quod sit munus, quæ vocatio Episcopi, cogita quod sit munus, quæ vocatio militis, pugilis, agricolæ, scilicet sicut miles, athleta, agricola omnibus omissis laborat, sudat, & totus insistit bello, agoni & agro suo: ita te, cùm sis Episcopus, id est miles, pugil & colonus Christi, omnibus omissis totum vacare oportet Euangelio, pro eoque omnes labores, pericula, ærumnas & tormenta subire.

Munus Episcopi.

Nota. Pro *dabit*, Noster in Græco videtur legisse δώσει. iam legunt δώη, id est det; quod est precantis: & ita legit Chrysost.

VERS. 8. MEMOR ESTO DOMINVM IESVM CHRISTVM RESVRREXISSE A MORTVIS, EX SEMINE DAVID, SECVNDVM EVANGELIVM MEVM] Proponit hîc & Timotheo commendat duos fidei nostræ articulos illo tempore maximè inculcandos; scilicet, Primò, articulum incarnationis Christi, cùm ait *ex semine Dauid*, supple incarnatum & natum. Secundò, articulum resurrectionis Christi. vtrumque enim negabat Simon Magus cum suis Gnosticis. hi enim dicebant Christum non reuera carnem assumpsisse, sed tãtùm in ea se ostendisse, sicut angelus se ostendit in corpore, quod assumit: ac consequenter mortem, passionem, resurrectionem Christi non reuera, sed phantasticè contigisse asserebant. contra hos inculcat Apostolus veram & realem incarnationem & resurrectionem Christi. Præponit autem resurrectionem incarnationi per hyperbaton, & vt insinuet Christum resurrexisse secundùm naturam non diuinam, sed humanam, qua natus est ex semine Dauid.

Gnostici Simonis Magi impugnatores.

Resurrectionis.

Secundò, iisdem hisce verbis pergit hortari Timotheum ad labores & martyrium pro Euangelio subeundum. q.d. Memento, sicut Christus pro Euangelio suo passus gloriosè resurrexit; ita pariter te, si pro Euangelio patiaris, gloriosè resurrecturum. patere ergo & labora cum Christo, vt cum Christo ad gloriam resurgas. ita Theodoret. Chrysost. & alij.

Nota. Euangelium suum vocat, non à se aut scriba suo S. Luca conscriptum, sed à se prædicatum. Euangelium ergo idem est quod prædicatio Euangelica: ita enim se explicat Paulus 1. Corinth. 15. 10.

9. IN QVO LABORO VSQVE AD VINCVLA, QVASI MALE OPERANS: SED VERBVM DEI NON EST ALLIGATVM] Pro *laboro*, græcè est κακοπαθῶ, id est affligor, mala perfero, adeoque vincula sustineo; *quasi malè operans*, græcè ὡς κακοῦργος, id est, quasi malefactor, quasi sceleratus. S. Ambros. legit *quasi latro*. *Vide*, inquit S. Chrysost. hom 52. in Acta Apostolorum, *non solùm vincula; sed etiam quòd malefactor habitus amplificauit gloriam vinculorum. nam si quidem vinctus esset tamquam bene agens, consolationem quamdam habuisset: nunc autem vt in malis deprehensus vincitur: & amor Dei in causa erat vt nihil hæc curaret.*

Nota. Pro *alligatum* græcè est δέδεται, quod pulchra paronomasia respondet δεσμίος, id est vinculis. q.d. Ego sum vinctus, sed verbum Dei non est vinctum: quia tam ego in carcere partim verbo, partim scriptis epistolis, quàm alij, intrepidè verbum Dei prædicamus. *Vinciuntur manus*, inquit Chrysost. *sed manet liber animus, & lingua libera, quam nemo ligare potest nisi sola formido atque infidelitas. si quis agricolam vinciat, sementem impedit: manu enim ille serit. doctorem verò si vinxeris, doctrinam vincire nõ vales, lingua non manu seritur verbum, quod nullis subiacet vinculis.* Rursum, si ego vinctus ita strenuè prædico Euangelium, quantò magis idem te facere decet, ô Timothee, cùm sis liber?

Verbum Dei non est alligatum, sed liberum.

Idem Chrysost. hîc in morali, de gloria vinculorum Pauli agens, super coronam & purpuram Neronis eadem extollit. *Nero*, inquit, *purpuratus, tantoq, septus agmine militum, inhibebat Paulo ne doctrinã virtutis prædicaret. obsistebat illi Paulus dicens: Non cedo, verbum Dei non est alligatum. Cilix pellium sutor, vinctus, pauper, fameq, confectus Romanæ opulentiæ regem imperántem omnibus respuebat. Quis ergo clarior, qui vincebat in vinculis, an qui superabatur in purpura? vinctus catena diadematum prostrauit regem.* Et inferiùs: *Si Paulus hic, vbi fuit pellium sutor, in vinculis tanto splendore collucet, quid erit cùm Solis quoque radios vi sui fulgoris obscurans in gloria venerit? cùm in iudicio astabit Nero tristis, mœrens, demissus?*

VERS. 10. IDEO OMNIA SVSTINEO PROPTER ELECTOS, VT ET IPSI SALVTEM CONSEQVANTVR, QVÆ EST IN CHRISTO IESV, CVM GLORIA CÆLESTI] Legit cum Ambrosio Interpres noster ἐπουρανίῳ, id est *cælesti*: iam legunt αἰωνίῳ, id est *æterna*.

Nota. Vox *ideò*, dat causam cur omnia sustineat Paulus, scilicet ne verbum Dei alligetur, vt præcessit, sed propagetur & fructificet, plurimosque ad salutem perducat, salutem inquam, *quæ est in Christo Iesu*, id est, quæ per Christum allata est, quam inuenire est in Ecclesia & religione Christi; quæ salus coniuncta, adeoque re ipsa eadem est cum beatitudine & gloria cælesti, licet ab ea connotato, & quasi formaliter distinguatur. *Gloria* enim dicitur *salus*, quatenus hominem morte & inferno aliisque miseriis corporis & animæ liberat & saluat. eadem verò dicitur *gloria*, quatenus hominem beatum & glorioſum efficit.

Salus & gloria quomodo differant.

Moraliter deprædicat hîc charitatem Pauli Chrysost. quòd cùm sibi viuere, suæq; saluti consulere posset, maluerit se tot laboribus, periculis & tribulationibus ingerere, vt alios saluaret.

VERS. 11. & 12. FIDELIS SERMO: NAM SI COMMORTVI SVMVS ET CONVIVEMVS; SI SVSTINEBIMVS, ET CONREGNABIMVS] *Fidelis*, id est certus, indubitatus sermo. tantum enim valet hæc phrasis, quantum illa Christi in rebus grauibus addi solita: *Amen, amen, dico vobis*. vide dicta epist. 1. c. 1. v. 15.

Chrysost. cum suis τὸ *fidelis*, refert ad præcedentia; vt *fidelis sermo* sit hic, quòd scilicet electi saluentur per Christum, tuncque vocula *nam*, quæ sequitur, propriè causaliter sumitur. Verùm melius D. Thomas, Vatablus, & alij hoc iuxta morem Apostoli referunt ad sequentia. omnia enim hæc spectant eò, vt Timotheum nosq; omnes excitet ad tolerantiam & martyrium: sic vt vocula *nam*, non sit causalis, sed respondeat Hebræo כִּי *ki*, id est *quia, quòd*, sitque asseuerantis & designantis. q.d. Ne dicas, ô Timothee, in tua vel potiùs in tuorum, qui infirmi sunt, persona: Ego pro Euangelio dura patior & morior; tu, Paule, promittis mihi resurrectionẽ & vitam futuram; fortè falleris, aut fallis nos. suadesenim vt certum & præsens

Certitudo meredis expectanda pro laboribus.

malum pro incerto & futuro præmio patiamur. A ne, inquam, hæc dicas; quia fidelis, verus & certus est sermo: quòd si hîc pro Christo & cum Christo patiamur & moriamur, simul etiam cum Christo resurgemus & viuemus in regno cælesti. Si enim rex suos duces & milites in bello socios parta victoria & regno, illius pariter consortes facit: proculdubio idem faciet Christus rex potentissimus & liberalissimus, vt eos qui hîc tanta & tam dura pro eo passi sunt, suæ gloriæ & regni participes faciat. ita Chrysost. cum suis. Aliter Ambrosius. Si, inquit, moriamur vitiis, mortificemus concupiscentias, viuemus & regnabimus cum Christo. Sed prior sensus magis genuinus est, vt dixi.

Nota. Pro *si sustinebimus*, græcè est εἰ ὑπομένομεν, id est, si sustinemus. non enim satis est semel pati, aut mori, sed quotidie patiendum & moriendum est. *Diebus singulis beatus ille* (Paulus) *moriebatur*, inquit Chrysost. B

VERS. 12. SI NEGAVERIMVS Christum & Christi fidem metu hostium, tyrannorum, aut tormentorum, ET IPSE (Christus) NEGABIT NOS] Hæc enim est iusta quasi cõpensatio, tam pœnæ, quàm præmij, quam statuit Christus Matthæi 20. 32. dicens: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.*

VERS. 13. SI NON CREDIMVS, ILLE FIDELIS PERMANET, NEGARE SEIPSVM NON POTEST] id est, vt Primasius, siue credimus, siue non credimus, veritas non mutatur, Deus falli aut fallere non potest: incredulitas aut perfidia nostra Dei fidem conuellere nequit. In Græco est paronomasia, in ἀπιστοῦμεν, & πιστὸς. q.d. Si diffidimus, ille tamen fidus permanet. Subtiliter & pulchrè ex S. Dionysio c. 8. de Diuinis nomin. Anselmus; *Deus*, inquit, *veritas est, quia Deus est τὸ ὄν, id est, quod est, quod existit. & veritas est τὸ ὄν. ergo à veritate cadere est à Deo cadere. hinc itaque Deus se, id est veritatem, negare non potest, quia sic caderet à seipso, & Deus non esset Deus.* Vnde & S. Athanasius orat. 3. contra Arrian. *Fidelis*, inquit, id est immutabilis. hoc fundamentaliter verum est, non autem formaliter: immutabilitas enim Dei est fundamentum & ratio fidelitatis Dei, cur scilicet fideliter præstet id quod promisit, & cur seipsum, id est sua promissa, negare, reuocare, aut fallere non possit. Vnde S. August. in illud psalmi 32. *Omnia opera eius in fide: Fidelis*, inquit, *homo est credens promissioni Dei: fidelis Deus est exhibens quod promisit homini. teneamus ergo fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem.*

Cur Deus verax, fidelis, & immutabilis.

Secundò, idem August. li. 5. de Ciu. c. 10. docet Deum esse omnipotentem, & tamen non posse mori, fallere, mentiri: quia hæc non potentiæ, sed infirmitatis sunt. quæ si posset Deus, non esset omnipotens, sed impotens, debilis, infirmus. D

VERS. 14. HÆC COMMONE: TESTIFICANS CORAM DOMINO] id est, protestans coram Domino, vel testem inuocans Dominum, eumque iudicem & vindicem minans, ac per eum adiurans, sacraque religione ac timore constringens tuorum subditorum conscientias commone & perurge, vt hæc quæ scripsi, exactè custodiant.

Quid sit contendere verbis. NOLI CONTENDERE VERBIS] Græcè est μὴ λογομαχεῖν, id est, nõ *verbigerari*, vt loquitur Apuleius, non contendere verbis: est enim infinitiuus. vnde Chrysost. cum suis, Syrus, Erasmus, Vatablus & alij hoc referunt ad præcedentia: q.d. Contestans eos coram Domino ne verbis contendant. Verùm S. August. libr. 1. contra Cresconium, Ambros. & passim Latini legunt separatim per imperatiuum, *Noli contendere verbis*. Sæpè enim, vt vidimus, Paulus æquè vt Hebræi, infinitiuum ponit pro imperatiuo. *Verbis contendere*, inquit S. August. l. 4. de Doctr. Christiana c. 28. *est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius*; scilicet in disputando non veritatem quærere, sed velle ostentare suam scientiam, velleq; videri doctiorem, vincere & præualere: quod iuuenum est & superborum. Vide Nazianz. in orat. de modestia in disputatione seruanda. Sapienter & piè B. Ægidius paradoxum hoc Christianum fanxit: *Quando quis contendit tecum, si vis vincere, perde. si vincis teipsum, vincis omnes inimicos tuos. magna virtus est, si quis se permittat vinci ab omnibus hominibus: quia talis, est dominus huius mundi.* Ita S. Ephrem in suo testamento gloriatur se numquam cum vllo Christiano verbis contendisse. Quamquam Apostolus non tam contentionem cum Christianis, quàm cum hæreticis hîc vetet. hæc enim est λογομαχία, siue pugna, epist. 1. c. 6. v. 4. Hinc cum hæreticis in hæresi sua obfirmatis non esse disputandum docet August. epist. 137. & Tertull. libr. de Præscript. quia cum obstinatis disputatio nihil valet, nisi ad euersionem stomachi aut cerebri, inquit Tertull.

Cum quibus, & qua modestia disputandum.

AD NIHIL ENIM VTILE EST, NISI AD SVBVERSIONEM AVDIENTIVM] vt videlicet audientes Nouantium contentiosa blandiloquentia capiantur, vtque in partes & schismata abeant, discantque & ipsi inter se contendere. Id ipsum aliis verbis dixit epist. 1. cap. 6. v. 4. *Ex quibus*, inquit, *oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes.* C

VERS. 15. SOLICITE AVTEM CVRA TEIPSVM PROBABILEM EXHIBERE DEO, OPERARIVM INCONFVSIBILEM] Græcè, σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ θεῷ, id est, satage & stude teipsum probum vel probatum Deo exhibere, vt scilicet Deus te & tua probet, rataque ac grata habeat.

Quis operarius inconfusibilis. Nota. Pro *inconfusibilem*, græcè est ἀνεπαίσχυντον, id est, qui non pudefiat, non erubescat. *operarium* ergo *inconfusibilem* vocat eum qui non confundatur prædicare Christum, quem non pudeat crucis Christi, sed qui liberè & intrepidè, obstrepentibus licet Iudæis & irridentibus Gentilibus, euangelizet Christum crucifixum, totamq; Christi fidem ac religionem. ita Chrysost. cum suis.

Secundò, aliter Anselm. *inconfusibilem* inquit id est, quem non confundat, non pudore afficiat sua ignorantia, mala doctrina aut vita, vt in nullo reprehendi aut pudefieri possit; ac consequenter

Tertiò *inconfusibilem*, id est, qui in die iudicij à Deo coram toto mundo examinatus, non confundatur, non pudefiat. Primus sensus maximè est ex mente & pectore Apostoli.

Quis operarius recte tractans verbum veritatis. RECTE TRACTANTEM VERBVM VERITATIS] Græcè ὀρθοτομοῦντα, id est, rectè secantem verbum veritatis. *Secantem*, id est, circumcidentem & resecantem aliena, inutilia & superuacanea quæque, inquit Vatabl. vt scilicet tantùm propria & vtilia doceat & explicet. Vnde Chrysost. cum Theophyl. putat hîc à coriariis qui corium circumcidunt, duci metaphoram. q.d. Paulus, Sicut coriarij in loris & corrigiis superflua quæque resciu-

rescindunt: ita tu ô Timothee, ea quæ à verbo Dei extranea aut superflua sunt, gladio spiritus abscinde. Verùm aliud est secare aliud circumcidere. Dico ergo *rectè secantem*, id est, rectè tractantem & exponentem verbum veritatis. Theodor. putat metaphoram esse ab agricolis. *Laudamus*, inquit, *agricolas qui rectos sulcos proscindunt ita & magister est laude dignus qui sequitur regulam diuinorum eloquiorum.* Alij tropum hunc peti putant à nodis difficilibus, quos cùm soluere non possumus secamus. Sic Alexander Magnus nodum insolubilem in Midæ plaustro, ense dissecuit: pari enim modo, nodi quæstionum acumine intellectus & fidei secandi & soluendi sunt, adeoque in his opus est Tenedia bipenni.

Verùm meliùs alij censent, metaphoram hanc peti à nutricibus, cocis, & iis qui instruunt conuiuia; siue à mensarum præfectis, qui olim Modimperatores vel symposiarchæ dicebantur: horum enim est rectè secare carnes & cibos, ex eisque cuique distribuere illud quod cuique commodum, sapidum & gratum esse nouit. Hinc Plato insulsum Dialecticum vocat malum cocum, eò quòd non sciret rectè diuidere. Rursum sicut res, v. g. nux clausa, si rectè secetur, planè aperitur vt intima eius pateant, nucleusque capi & comedi possit, indeque dicitur enucleari: ita Scriptura vel doctrina obscura & quasi clausa dicitur rectè secari, cùm ita aperitur, exponitur, enucleatur, vt sensus in ea reconditus quasi nucleus pateat, capi & intelligi possit. Episcopus ergo, doctor & concionator, quasi cocus, aut potiùs quasi symposiarches & modimperator, debet doctrinam suam & verbum Dei non mutilare, non discerpere, non torquere; sed rectè secare, diuidere, secernere, & quasi nucem rectè aperire, enucleare & exponere; vt videlicet verum sensum à falso & contorto secernat, eumque aptè cuique pro suo captu & gustu proponat & communicet; vt docta doctis, communia rudibus & populo promat & proferat; de nuptiis non disputet apud virgines, nec apud coniugatos de virginitate; pusillanimis non obiciat iudicium & infernum, audacibus & tumidis non offerat promissionem gloriæ cælestis. & ita de reliquis. Peccant contra hoc qui de Trinitate, de prædestinatione, de gratia efficaci coram mulieribus & plebe tractant & disputant.

Posset Secundò, hæc *recta sectio*, id est tractatio verbi Dei, opponi adulterationi eiusdem, qua scilicet quis non Dei gloriam & animarum salutem, sed sua lucra, aut gloriam ex prædicatione verbi Dei quærit & aucupatur: quod carpit Apostolus 2. Corinth. 2. v. vlt. q. d. Vide, ô Timothee, vt prædicationi tuæ non misceas vana, curiosa, auaritiam, ambitionem; itaque eam quasi adulteres: sed sincerè, simpliciter, rectaque intentione prædica verbum Dei, vt scilicet non aliud ex eo quæras, quàm animas ad creatorem suum reducere.

Vnde Tertiò, Primas. Rectè, inquit, prædicant verbum Dei qui id quod prædicant exemplo suo & vitæ conuersatione confirmant. Sed primus sensus maximè est genuinus. Noster ergo interpres, pro *rectè secantem*, clarè vertit, *rectè tractantem*, id est, rectè exponentem & proponentem verbum veritatis. Hinc Patres Latini suas expositiones Scripturæ sacræ vocant tractatus, quos Græci vocant tomos, siue sectiones.

16. PROFANA AVTEM ET VANILOQVIA DEVITA: MVLTVM ENIM PROFICIVNT AD IMPIETATEM, ET SERMO EORVM VT CANCER SERPIT] Græca carent copula, & sic enim habent, πρὸς δὲ τὰς βεβήλους κενοφωνίας, id est profana vaniloquia, vel profanas vocum nouitates deuita. Vbi Nota, pro κενοφωνίας per ε, Ambros. & Chrysost. legere καινοφωνίας, per αι, id est, vocum nouitates, quomodo & legit Noster epist. 1. c. 6. v. 20. hæc enim secunda epistola ad Timoth. primæ epistolæ simillima est.

Vocum nouitas quandò vitanda.

Ex quo loco rursum patet, hoc loco carpere Apostolum non voces nouas à Catholicis adinuentas ad res fidei clariùs explicandas, sed nouas voces hæreticorum, quibus nouos errores inducunt: hæ enim sunt profanæ & falsæ, imò sacrilegæ. tales sunt voces peregrinæ Simonianorum, Gnosticorum, Valentinianorum, & Hymenæi ac Phileti, qui negant resurrectionem, vt sequitur. ita Primasius. Pulchrè August. lib. 3. contra Iulianum c. 3. *Mira*, inquit, *sunt quæ dicitis, ô Pelagiani, noua sunt quæ dicitis. falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, noua cauemus. falsa conuincimus.* Vide dicta epistola 1. c. 6. v. 20.

Simoniani, Gnostici, Valentiniani nouatores.

Nota. Pro *deuita*, græcè est φεύγε, quod Vatabl. vertit, *prætermitte*; Oecumen. *reiice*; aut insta vehementer vt coërceantur; Erasmus, *abscinde*: vt nostrum *deuita* sit idem quod, tolle de vita, aufer è medio. Verùm φεύγω significat quoque vitare, fugere, declinare, vti ex Luciano annotat Henricus Stephanus, & Scapula in lexico: itaque hîc vertendum esse *deuita*, id est, fuge & declina, patet ex duobus similibus locis. Idem enim hîc dicit quod 1. Timoth. 6. 20. ibi autem sic ait, *Deuitans profanas vocum nouitates.* Rursum ad Titum 3. 9. *Pugnæ*, inquit, *legis* φεύγε, id est, deuita & fuge, non tam propter te, quàm propter ruos subditos, vt quod illi te suum Episcopum fugere viderint, fugiant pariter & ipsi. Vnde per hebraismum in significatione hiphil sic exponi potest, *deuita*, id est, tuo exemplo & iussu fac alios deuitare. sic enim loquuntur Hebræi: ventus paleas auolat, id est, auolare facit; ignem ardet, id est, ardere facit; muscas fuge, id est, fugere fac, siue fuga. Ponitur enim cal. pro hiphil, id est, verbum neutrum vel actiuum simplex & absolutum, pro actiuo duplici quod alios agere facit.

Ex Græco & Hebræo Paulus hic illustratur.

Posset Secundò φεύγε cum Budæo propriè verti, *circumsiste. circumda*, vt scilicet cohibeas & comprimas hæc profana vaniloquia, ne, vt sequitur, quasi cancer latiùs serpant, & plures inficiant: adhoc enim vel maximè aduigilare & curare debent Episcopi & pastores.

SERMO EORVM VT CANCER SERPIT] eorum scilicet hæreticorum, qui docent profana vaniloquia. Hebraismo enim ex abstracto, *vaniloquia*, intelligit & repetit concretum in eo inclusum, *eorum*, scilicet *vaniloquorum* & profanorum, putà hæreticorum.

Hæreticorum vaniloquentia.

Nota. *Cancer* hîc non animal, sed morbum significat, qui gangræna (vt habent hîc Græca) dicitur; cui nisi occurratur, ita semper proserpit, &, vt græcè est, *νομὴν ἔχει*, id est, pastionem habebit, siue depascetur, scilicet vicina membra, vt totum hominem sensim inficiat & perimat. Talis est hæresis, quæ semper serpit, tum ab vno errore in alium, & ex malo in deterius semper proserpit & prolabitur. *Malum enim*, inquit S. Dionysius c. 4. de Diuinis nomin. *cùm sit defectio à bono, sua infirmitate & pondere semper ad aliud & aliud malum*

Hæresis serpit vt cancer, & ad quæ & quæ-vet

malum progreditur: tum potiùs & aptiùs serpit hæresis quasi cancer ab vno homine in alium, ab vna vrbe & prouincia in aliam, vti experientia vicinarum regionum hoc sæculo vidimus & videmus. *Sic Arrius*, inquit S. Hieron. *vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Nec mirum hæresim serpere, sicut non est mirum lepram aut gangrænam serpere, præsertim quia affert noua, curiosa, placentia dogmata, quæ carnem & carnales aures scalpunt, iisque gratissima sunt; vti est non esse ieiunandum, non esse virginitatem colendam, non esse agendam pœnitentiam ad satisfaciendum pro peccatis, quia Christus hæc omnia fecit pro nobis. Quare Luthero postulanti pro miraculo haberi, quòd tam multi breui tempore in eius sectam concessissent; respondit b. Thomas Morus scribens ad Pomeranum: *Ad propositam vitæ licentiam populum ruere, id habet tantam miraculi speciem, quantam saxa deorsum ruere.* Qua de re plura dicam c. seq. v. 4.

Quomodo serpat hæresis, exemplo mira docet S. Augustin.

Quomodo serpat hæresis, pulchro exemplo Manichæi cuiusdam declarat S. August. tract. 1. in Iohan. *Quispiam*, inquit, *tædium patiebatur à musca; inuexit illum Manichæus tædio affectum, & cùm diceret se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas statim ille, Quis fecit hæc? & quia tædio affectus erat & oderat illas, non est ausus dicere, Deus illas fecit. erat enim Catholicus. Ille statim subiecit, Si Deus non fecit illas, quis eas fecit? Planè ait ille, ego credo quòd diabolus fecit muscas.* Et ille statim, *Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; Apem quis fecit, quæ paulò maior est musca? non ausus est ille dicere, quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad anem, ab ane duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem postremò ad hominem, & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser cùm tædium passus est à musca, musca factus est quem diabolus possederat.* Hactenus August.

Error Manichæorum.

Hæretici fugiendi, vt pestis.

Hanc omnes SS. Patres docuerunt hæreticos quasi pestes, fugiendos esse. Ita S. Ioan. ep. 2. v. 10. *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis:* vtque exemplo suo hanc doctrinam sanciret Iohannes, noluit eodem balneo cum Cerintho lauari. Et S. Polycarpus occurrens Marcioni, rogatusque ab eo, Non agnoscis me? respondit, *Agnosco te primogenitum diaboli.* ita ex Irenæo narrat Eusebius lib. 4. Histor. c. 13. *Tantum*, inquit, *Apostoli & eorum discipuli habuerunt timorem, vt neque verbo cum communicarent alicui eorum qui adulterauerunt veritatem.* S. Antonius, inquit Athanasius, ita execrabatur Arrianos, vt suis ediceret, *Hæreticorum & schismaticorum venena vitate meum quoq; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi quòd nullus mihi pacificus sermo cum eis vnquam fuerit.* Cyprian. l. 1. epist. 3. ad Cornelium: *Declinent*, inquit *fortiter & euitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit, nulla cum talibus commercia, nulla conuinia, nulla colloquia misceantur, sintq; ab eis tam separati, quàm sunt illi ab Ecclesia profugi.* S. Leo serm. 5. de ieiunio decimi mensis, docet hæreticos cauendos tamquam serpentes: *Quia*, inquit, *sermo eorum serpit vt cancer, humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidant*, &c.

Quomodo Sancti fugerint hæreticos.

S. Iohannes Apost.

S. Polycarpus,

S. Antonius,

S. Cyprianus,

S. Leo.

Nota. Sicut sermo hæreticorum voce prolatus, ita & scriptus vel impressus serpit. Meritò ergo ad luem hanc cohibendam Ecclesia ex consilio Apostoli prohibet sub graui censura legi libros hæreticorum; idque iam olim prohibuit, vt patet ex Concil. Niceno, quod omnibus Arrij & Arrianorum librorum lectionem interdixit, eos que comburi iussit. Testis est Nicephorus libr. 8. c. 18. Quod Concilij decretum Constantinus Imper. ita executioni mandauit, vt eos qui Arrij libros occultassent, capite plecti iusserit. Testis est Socrates lib. 1. cap. 6. Idem Socrates c. 24. narrat Marcellum Ancyranum damnatum fuisse, eò quòd libros suæ hæreseos flammis tradere noluisset. Sic & Gregor. Nazianz. orat. 2. de fide, hæreticorum libros perdendos esse docet, tamquam aspidum oua, vtpote quæ nata sint aspidas & basiliscos procreare. Nihil ergo noui fanxit Concil. Trident. vetans lectionem librorum hæreticorum, sed antiquum Ecclesiæ decretum renouauit. Quin Ethnici quoque duce natura idem fecitarunt. Nam Protagoræ athei libros publicè in foro exustos esse docet Philostratus in Sophist. Pari modo Romæ exustos fuisse libros religioni aduersantes, docet Liuius lib. 10. Lacedæmonios quoque scripta Archilochi non impia, sed impudica vrbe exegisse docet Valerius Max. lib. 6. c. 3. Hinc Plato lib. 7. de Republ. libros omnes antequam edantur, examinandos esse docet, ne fortè quid contineant religioni aut bonis moribus contrarium.

Qui legunt libros hæreticorum censuram Ecclesiasticam incurrunt.

Legentes libros hæreticos olim plexi capite.

EX QVIBVS (profanis & vaniloquis putà hæreticis) EST HYMENÆVS ET PHILETVS, QVI A VERITATE EXCIDERVNT, DICENTES RESVRRECTIONEM ESSE IAM FACTAM] Pro *exciderunt*, græcè est ἀστόχησαν. q.d. Collimantes ad scopum veritatis ab eo aberrarunt Vide dicta epist. 1. c. 1. v. 6. Scilicet hi superbi Nouatores se acutissimos & exactissimos S. Scripturæ & veritatis indagatores esse iactabant, & mentiebantur.

VERS. 17. & 18.

Quomodo Philetus & Hymenæus dicebant resurrectionem factam.

Quæritur, quomodo hi Nouantes dixerint resurrectionem esse factam? Respondet Primò, Theophyl. eos per resurrectionem intellexisse renouationem omnium rerum, quæ quotannis fit in vere circa pascha: omnium enim rerum quæ sunt sub sole, est circulus, vt in hieme quasi moriantur, in æstate quasi resurgant cum Christo.

Hæresis Archonticorum.

Secundò, Epiphanius hæresi 40. quæ est Archonticorum, Ambros. & Theodoret. putant per resurrectionem eos accepisse generationem & propagationem, qua pater filium generans, in eo quasi viuit & resurgit. Cùm enim res quælibet semper esse cupiat, & æternitatem quamdam ambiat, nec eam per se in suo individuo consequi possit; hinc seipsam communicat per propagationem, vt in suo semine & sobole permaneat, & semper, si fieri possit, perduret.

Hæresis Partiariorum.

Tertiò & viciniùs, S. Thomas putat eos resurrectionem corporum negasse, non animarum; sed eam asseruisse, scilicet per resurrectionem intellexisse animæ glorificationem & beatitudinem, quæ iam facta est, & indies fit cùm quis fidelis & pius moritur. Vnde Tertull. lib. de Resurrect. carnis, vocat eos Partiarios, quia partem tantùm hominis resurgere dicebant.

Resurrectio mystica.

Quartò & verisimiliùs, idem D. Thomas putat eos docuisse resurrectionem esse factam, scilicet litteraliter in Christo à mortuis resurgente, in nobis verò non litteraliter, sed mysticè eamdem fieri, cùm baptizamur, & à peccatis resurgimus, vitamque sanctam & Christianam inimus: vt resur-

resurrectio sit idem quod iustificatio, in qua re- A surgimus à morte peccati ad vitam gratiæ, sitque vitæ & morum mutatio, ait Anselmus: ita vt resurrectio hæc sit ipse christianissimus, & Christiana vita, in qua à peccatis & seruitute legis veteris liberi, in deliciis & suauitate vitæ Christianæ vitam beatam degimus. Sic enim Cerinthus vtpote iudaizans docuit delicias carnales huius vitæ esse resurrectionem & beatitudinem, nec aliam esse expectandam. Idem etiamnum docent nonnulli Naturalistæ in Hollandia. Christianismus ergo & Christianæ vitæ libertas ac iucunditas, quam induxit & sanxit Christus, est resurrectio secundùm Hymenæum & Philetum: nam illa iam facta est à Christo: reliquæ enim resurrectiones ab aliis allatæ, non tam factæ sunt, quàm indies adhuc fiunt.

Cerinthi blasphemia de resurrectione.

Pessima haresis negantium resurrectionem.

Moraliter notat Chrysost. rectè dixisse Apo- B stolum, *Multum proficiunt ad impietatem*: nullus enim error est nocentior, magisque homines incitans ad carnis concupiscentias, omnemque impietatem perficiendam, quàm qui negat resurrectionem: sublata enim resurrectione, & gloria cælesti, pariter tollitur infernus & pœna æterna, ac consequenter animæ immortalitas & æternitas: inde sequitur illud Epicuri, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Quis enim gratis sine spe præmij hîc studeat abstinentiæ, continentiæ, mortificationi vitiorum? quis corpus laniandum offerat morti & martyrio, si non est resurrecturum in gloria? quis hîc gula, libidine, omnique voluptate se non expleat, si infernum non timeat, nec cælum speret? Verè & præclarè Tertull. *Spes Christianorum est resurrectio mortuorum.*

ET SVBVERTERVNT QVORVMDAM FIDEM] Pro C *subuerterunt*, græcè est ἀνατρέπουσιν, id est subuertunt; quo significat Paulus eos in sua peruersitate, aliosque peruertendi studio, persistere.

RS. 19. SED FIRMVM FVNDAMENTVM DEI STAT, HABENS SIGNACVLVM HOC: COGNOVIT DOMINVS QVI SVNT EIVS; ET DISCEDAT AB INIQVITATE OMNIS QVI NOMINAT NOMEN DOMINI] Opponit hoc *fundamentum* Apostolus fidei quorumdam subuersæ, vti præcessit, occurritque timori & tacitæ quorumdam obiectioni. Timidiores enim quidam dicere poterant: Si incipiente Ecclesia, & in paucis fidelibus consistente, subuersa est aliquorum fides ab hæreticis, quorum sermo vt cancer serpit, fiet tandem serpente & glisscente hæresi, vt breui tota fides & Ecclesia subuertatur. Hisce respondet hîc Apostolus, id non esse metuendum, *quia firmum fundamentum Dei stat.* D

Vbi Nota. Vocem *stat*. opponit voci *subuerterunt*. Quæres, quodnam sit hoc firmum Dei fundamentum? Respondet Ambros. esse Dei promissa, quibus per Prophetas promisit redimere & saluare homines. q.d. Apostolus, Firma stant hæc Dei promissa quæ habent signaculum hoc, scilicet fidem, qua credendo Deo obsignamus & confirmamus verba & promissa Dei.

Secundò, Theodoret. per fundamentum hoc, accipit fidem: fides enim est basis & fundamentum veritatis; fidei autem signaculum est spes resurrectionis, quam negat Philetus.

Tertiò & optimè, firmum hoc fundamentum Dei est Dei consilium, decretum & prædestinatio; qua statuit vocare fideles primò ad fidem, deinde ad gratiam & perseuerantiam, ac demum ad gloriam: hæc enim prædestinatio in Deo firma, immobilis & immutabilis consistit: ac vice versa consequenter & magis appositè, vt rectè docet Chrysost. Theophyl. D. Thomas & S. August. mox citandus, *firmum fundamentum Dei*, non tamquam subiecti, sed tamquam agentis & iacientis hoc fundamentum, sunt ipsi fideles à Deo prædestinati ad fidem, gratiam & gloriam. hi enim non erunt instabiles in fide, nec ab ea excident, vti exciderunt Hymenæus, Philetus, & alij ab eis quasi arundines agitati & subuersi; sed in fide fundati stant stabuntque immoti, quasi firma Dei fundamenta: potiùs enim ipsos fideles prædestinatos, quàm prædestinationem ipsam Dei dici *fundamentum*, patet Primò, quia hoc fundamentum opponit iis, qui subuersi sunt ab Hymenæo: ergo constantes in fide vocat *fundamentum*. hos enim opponit inconstantibus & subuersis.

Prædestinati, non prædestinatio est firmum Dei fundamentum.

Secundò, quia passim alibi in Scriptura ipsa Ecclesia, id est populus, & fideles qui sunt in Ecclesia, vocantur *fundamentum* vel domus aut templum Dei bene fundatum, vt psal. 68. *Fundamenta eius* (scilicet Sionis spiritualis, puta Ecclesiæ) *in montibus sanctis*. quò alludit hîc Apostolus. Isaiæ 2. *Erit præparatus*, id est fundatus, firmatus (hoc enim significat Hebræum כּוֹן *nachon*) *mons domus Domini* (id est Ecclesiæ) *in vertice montium*. Hinc Christus Matt. 16. 18. dicit, se super Petrum, quasi petram firmam fundaturum & ædificaturum Ecclesiam suam; & Ephes. 2. 20. Paulus Apostolos & Prophetas vocauit fundamentum domus Dei, scilicet Ecclesiæ. Sic Matth. 7. v. 24. virum in fide & virtute constantem comparat domui; de qua dicit, *Quòd venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.* Eodem ergo prorsus modo hîc viros in fide constantes vocat firmum fundamentum. Siue ergo per hoc fundamentum ipsam Dei prædestinationem, siue potiùs ipsos fideles prædestinatos accipias, eôdem redit sensus: firmitas enim huius fundamenti partim in nobis, partim in Deo est. Ideo enim in Deo firma est prædestinatio, quia firmi erunt prædestinati in fide & gratia: hi enim sunt firmæ prædestinationis obiectum. & vicissim firmi erunt prædestinati, quia firma est Dei prædestinatio: nam, vt docet D. Thomas, firmitas hæc fidelium partim pendet à Dei prædestinatione & gratia, partim ab ipso fidelium libero arbitrio, quod liberè & constanter fidem & gratiam retinebit. Quod vt meliùs intelligatur, Notandum est efficaciam & certitudinem prædestinationis & gratiæ pendere & petendam esse ex præscientia (quasi ex signaculo, vt mox dicam) siue ex præuiso futuro euentu, putà ex futura nostra cooperatione, qua fidē liberè amplectemur, & constāter in ea perseuerabimus.

Fideles in Scriptura & in Hebræo vocātur fundamentum.

Firmitas huius fundamenti partim in nobis, partim in Deo.

Efficacia prædestinationis petēda ex præscientia.

Vnde ex S. Augustino Theologi definiunt, *prædestinationem esse præscientiam & præparationem gratiarum, quibus certissimè saluantur quicumque saluantur.* dicitur enim Deus prædestinare, v.g. Petrum, cùm ex infinitis gratiarum modis, speciebus, ordinibus, quos Petro dare poterat, hunc vnum gratiarum ordinem & seriem illi dare decreuit, cum qua præuidebat Petrum cooperaturum, & in fide ac gratia perseueraturum, itaque saluandum: gratia ergo prædestinationis certò saluat hominem prædestinatū; quia certò præscit Deus quòd cum illa liberum hominis arbitrium liberè

Prædestinatio quid.

benè

Samuel Rachfy l. 1. Var. Lect. c. 10. p. 36.

Gratia prædestinationis pendet ex nostra cooperatione.

benè operabitur in finem vsque vitæ. Vnde sequitur, gratiam prædestinationis quoad effectum pendere ex nostra cooperatione futura, quasi ex proprio tam suo, quàm præscientiæ diuinæ obiecto, nostramq́; cooperationem perficere & complere Dei prædestinationem & gratiam. Et hoc significat Apostolus, cùm firmi huius fundamenti duo hæc illud firmantia & obsignantia signacula, quasi sibi inuicem respondentia subiungit

Duo signacula, Dei præscientia, & liberi arbitrij cooperatio.

dicens, *Nouit Dominus qui sunt eius*: en Dei præscientia; *Et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*: en nostri liberi arbitrij cooperatio, quæ est præscientiæ obiectum. ideo enim certa & firma est Dei præscientia, qua præscit v.g. Petrum fore suum, id est fidelem, iustum, discessurum ab iniquitate; quia reipsa Petrus gratiæ Dei sua libera voluntate cooperans erit fidelis, iustus, & discedet ab iniquitate.

Apostolus quid hic primariò intendat.

Nota Secundò, Apostolum primariò loqui de fundamento fidei & fidelium, siue de prædestinatione & prædestinatis ad fidem fortem & constantem: hos enim fideles quasi firma Dei fundamenta opponit Hymenæo & Phileto, hæreticis, aliisq́ue ab eis in fide subuersis. Vnde Theodoret. Chrysost. Theoph. Ansel. per *firmum fundamentum* intelligunt fidem: fides enim propriè est fundamentum domus spiritualis, quæ construitur ex aggregatione cæterarũ virtutum. q.d. Apostolus, Esto, arundines & stipites aliqui in Ecclesia conuellantur, esto, aliqui ab Hymenæo & Phileto seducti à fide in hæresim delabãtur; stat tamen, stabitq́; semper firmum Ecclesiæ & fidelium fundamentum, contra omnes hæreticos & hostes inuictum, imò per eos quasi antiperistasi quadam fortius & purius euadet. Nam, vt docet Tertull. libr. de Præscript. c. 3. per hæreses purgatur Ecclesia. *Cognoscit*, inquit, *Dominus qui sunt eius, & plantam quam non plantauit pater, eradicat; & de primis nouissimos ostendit, & palam in manu sua portat ad purgandam aream suam. auolent quantum volent palea leuis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior massa in horrea Domini reponetur.*

Secundariũ Apostoli intentum.

Secundariò tamen hoc fundamentum extendit Apostolus ad gratiam & alias virtutes, adeoq́; ad omnes prædestinationis effectus: hoc enim significat cùm huius fundamẽti signaculum secundum recenset dicens: *Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Hic enim solus plenè & perfectè fidelis est; qui scilicet iuxta fidem piè & sanctè viuit, in eoq́ue constanter perseuerat vsque ad mortem. ita S. August Ansel. Beda Vnde S. August. lib. 10. de Ciuit. 7. & alibi hæc refert ad Ecclesiam sanctorum, siue ad electos ad gloriam: hos enim vocari hîc censet ab Apostolo *firmum Dei fundamentum.*

Præscientia Dei & fuga peccati duo signacula sunt prædestinationis.

HABENS SIGNACVLVM HOC: COGNOVIT DOMINVS QVI SVNT EIVS] Ponit hîc Apostolus fundamenti iam dicti bina signacula. prius est præscientia Dei; posterius fuga peccati. q.d. Deus suum hoc prædestinationis, & fidelium in fide constantium & prædestinatorum fundamentum duobus sigillis notauit, muniuit, obsignauit. Prius est hoc: *Cognouit Dominus qui sunt eius.* q.d. Prius hoc fidelium in fide fundatorum signaculum est, quòd sint præsciti & prægogniti, tamquam qui sint eius, scilicet Dei; quia scilicet præuidet Deus quòd permansuri sint in fide & gratia, ac consequenter peruenturi ad gloriam, quasi Dei amici & electi. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. & S. August. tractatu 12. in Iohan. *Nouit*, inquit, *Dominus qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam; nouit in area sua triticum, nouit paleam; nouit segetem, nouit zizania.* Alludit Apostolus ad Numer. 16. v. 5. & 26. vbi in schismate Core, Dathan & Abiron, pro sacerdotio cum Aarone contendentibus, dixit Moses: *Manè notum faciet Dominus qui ad eum pertineant*, hebraicè אֶת אֲשֶׁר לוֹ *et ascet lo*, id est, qui sunt sui, *& sanctos applicabit sibi, & quos elegerit appropinquabunt ei*: scilicet hiatu terræ absorbendo Core, Dathan & Abiron ostendet Deus illos esse rebelles & factiosos, Aaronem verò esse legitimum sacerdotem, à se electum, sanctificatum & consecratum. Vnde hîc נכר *cognouit*, similiter accipi potest in Hiphil, pro notum fecit, id est faciet. q.d. Deus ita fideles suos nouit, vt eosdem aliis hominibus & toti mundo cognitos imò celebres sit effecturus, cùm scilicet eorum fidem in hac vita per eorum constantiam, pietatem, aliaq́; fidei & gratiæ opera, tum in futuro iudicio per publicam sententiam, laudem & gloriam declarabit. Hoc enim planè respondet illi, quod ait Moses Numer. 16. *Notum faciet Dominus.* Sic Christus Iohan. 10. 27. ait, se cognoscere oues suas, illasq́ue vocem suam audire, & sequi.

Locus Num. 16. illustratus, ad quẽ alludit Apostolus.

Electi in Dei præscientia signati.

Nota. Dei præscientia, quæ omnia tempora & ea quæ quolibet tempore sunt aut fiunt, anteuertit; præuidendo quasi signat omnes qui toto temporis futuri decursu ipsius Dei futuri sunt; putà futuri sunt in fide constantes pieq́ue ac sanctè victuri: hos enim quasi conscribit & consignat Deus in suo libro vitæ, id est, catalogo electorum, quos ad vitam æternam destinauit & elegit, quem in mente & memoria sua quasi conscribit & consignat, indeq́ue electi ex singulis 12. tribubus vocantur signati, Apocal. 7. Vnde hîc & Iohan. 17. v. 6. & 20. Christus illos qui crediturі erant postea, vocat suos, non quia re ipsa tales tunc erant, sed quia certissimè tales erant futuri, talesq́ue erant non in seipsis, sed in sua & Dei Patris præscientia. Hinc & S. August. in psalm. 45. *Secundùm istum*, inquit, *Dei præscientiam & prædestinationem, quàm multæ oues foris sunt nunc, & quàm multi lupi intus; & quàm multæ oues intus, & quàm multi lupi foris?*

Prædestinatio quomodo differat à communi gratiæ præparatione.

Hinc Nota Secundò. Prædestinatio, à communi gratiæ præparatione, quam etiam reprobis ab æterno decreuit dare Deus, in hoc differt, quòd gratia prædestinationis signata sit per Dei præscientiam, id est, præuisa sit à Deo fore efficax & habitura effectum: quòd videlicet illi consentiet liberum arbitrium, cùm liberè operabitur, conuertetur, sanctam vitam instituet, in eaque perseuerabit; idq́ue Deus intendit. vnde non ait Apostolus, Prædefinit, vel prædeterminat, sed, *cognouit Dominus qui sunt eius.* gratia verò reprobis vel potiùs reprobandis danda præuisa sit fore inefficax, quia scilicet reprobi nolent gratiæ consentire, illiq́ue cooperari; cùm alioqui gratia quæ datur reprobis, gratiæ, quæ datur prædestinatis, physicè æqualis, imò illa maior esse possit, & non rarò de facto maior sit, ita vt reprobi tam facilè, imò faciliùs quàm prædestinati possint se conuertere & saluare: de facto tamen non se conuertent, quia nolent conuerti, aut certè nolent in sua conuersione & gratia perseuerare. hoc autem ab æterno præsciuit Deus, vnde etiam eos reprobauit,

Gratia quæ datur reprobis & prædestinatis, physicè sæpè est æqualis.

&

& inferno addixit; quia scilicet præuidit eorum malitiam, qua nolent conuerti, sed volent in infidelitate aut in peccatis suis perseuerare; alios verò, quos præuidit fidem amplexuros, in eaque gratia perseueraturos, elegit & destinauit ad gloriam.

Vnde sequitur, gratiam prædestinatorum significatam esse, vti dicebam, per Dei præscientiam, quia præscit Deus quòd illa suum consequetur effectum per liberum arbitrij consensum; reproborum verò non esse signatam. Atque hinc S. August. sæpè gratiam & vocationem electorum & prædestinatorum vocat altam & secretam, quia scilicet signata est secreto & arcano præscientiæ Dei sigillo. Vbi Nota, hanc præscientiam & cognitionem Dei coniunctam esse cum eiusdem amore & electione: quos enim Deus præscit fore fideles, constantes & sanctos; hos tales facere intendit, hos adamat, destinat & eligit ad suam amicitiam, hereditatem & gloriam. Hinc psalm. 1. dicitur, *Nouit*, id est, noscens adamat, & approbat, *Dominus viam iustorum*: ita pariter hîc dicitur, *Cognouit Dominus qui sunt eius*: *cognouit*, id est, cognoscens eligit & diligit quasi suos, eosque, quia in fide perseueraturos videt, eligit & destinat ad suum regnum. ita S. Augustinus. Hinc patet Christiano cuique assiduè & summis votis pro hac gratia orandum esse, vt Deus scilicet det nobis gratiam congruam, cum qua præuidet nos reipsa peruenturos ad salutem. In hac enim re salutis nostræ cardo vertitur.

Aliter S. Anselmus: Signaculum, inquit, hoc est præsentia Dei, vel potiùs, iugis cogitatio præsentiæ Dei. q.d. Apostolus, Hi fideles firmi stant in fide & gratia, nil simulatè agunt aut peruersè; sed omnia agunt quasi in præsentia Dei, cogitantes Deum omnia omnesque suos cognoscere & videre; illum ergo se & sua omnia videntem timent & reuerentur, illi se & sua probare satagunt, quia hoc sigillum præsentiæ Dei menti suæ quasi insculpsum gerunt. Verùm hic sensus non est litteralis, sed tropologicus.

ET DISCEDAT AB INIQVITATE OMNIS QVI NOMINAT NOMEN DOMINI] Hoc est secundum firmi fundamenti signaculum, quod est in nobis, scilicet fuga iniquitatis: prius enim, scilicet Dei cognitio & præscientia non est in nobis, sed in Deo. Pro *iniquitate*, græcè est ἀδικίας, id est, iniustitia. Potest antonomasticè hîc iniustitia siue iniquitas accipi pro hæresi & infidelitate: hæc enim maxima est iniquitas & iniuria Dei. Vnde hoc sensu dixit Apostolus Rom. 1. v. 18. de Philosophis, qui cùm Deum agnoscerent, non tamen Deum, sed idola coluerunt: *Reuelatur*, inquit, *ira Dei super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent*. Hæresim enim opponit hîc Apostolus fundamento fidei; q.d. Si quis firmum fidei suæ fundamentum stabilire & obsignare velit, discedat ab iniquitate, id est, ab hæresi Hymenæi, Phileti, & aliorum Nouantium. Alludit rursum ad Core, Dathan & Abiron Numer. 16. de quibus ait Moses, *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum*. Eodem enim modo iubet Apostolus hîc fideles fugere consortia hæreticorum.

Secundò tamen planiùs & pleniùs, *iniquitas* hîc propriè & generatim sumi potest. Fuga enim

A omnis iniquitatis est signaculum firmi fundamenti, id est, fidei. qui enim fugit iniquitatem numquam incidet in hæresim: impossibile enim est virum iustum & sanctum, quamdiu sanctus manet, fieri hæreticum. Nam hæresis numquam primum est peccatum, sed semper necesse est præcedat vel ambitio, vel libido, vel alia iniquitas antequam homo ad tantam impietatem, quanta est hæresis, corruat. *perueniatur ad hæresim.*

Hæresis nũquam est primum peccatum.

Rursum fuga iniquitatis est signaculum firmi fundamenti, scilicet prædestinationis, gratiæ, constantiæ & perseuerantiæ fidelium & electorum, adeoque complet & perficit prædestinationis Dei fundamentũ, estque causa electionis ad gloriam (ad hanc enim assurgit & extendit se Apostolus, vt dixi.) qui enim fugiunt libidinem & iniquitatem, purè & sanctè viuunt, in eoque perseB uerant: hi sunt firma Dei fundamenta eligenda & collocanda à Deo in cælesti Ierusalem, vt fulgeant in omnem æternitatem. Notat hîc Apostolus non sufficere ad salutem profiteri & inuocare nomen Domini, vt docebant Simoniani, & docent nostri hæretici; sed insuper requiri, vt quis declinet à malo, & faciat bonum. ita Chrysost. Theophyl. & alij. *Fuga iniquitatis complet prædestinationem.*

Error Simonianorum.

Hinc sequitur Primò, quòd, licet Dei prædestinatio hoc sensu non sit in nostra potestate quòd scilicet in mea potestate non sit efficere vt Deus me prædestinet, id est, dare decernat, præparet ab æterno, & in tempore reipsa det mihi gratiam prædestinationis, talem scilicet cum qua me reipsa liberè cooperaturũ, perseueraturũ & saluandum præuidet: non autem decernat dare, nec det aliam gratiam cum qua præuidet me non cooperaturum, ideoque damnandum; salus tamen æterna & electio ad gloriam est in nostra potestate. Firmum enim prædestinationis Dei fundamentum nihil omnino impedit, quin in cuiusque adulti potestate sit discedere ab iniquitate, & emundare se à peccatis: vel adhærere iniquitati, & inquinare se peccatis; ac consequenter, quin in cuiusque potestate sit saluari vel damnari, eligi vel reprobari. Id magis patebit v. 21. ita Chrysost. & Theophyl. Hac consideratione dispellenda est ista phantasia quia se nonnulli cruciant & in desperationem adigunt: Si prædestinatus sum ad gloriam, non possum ab ea excidere; si non sum prædestinatus, quidquid agam, non possum prædestinari: frustra ergo laboro circa me & meam æternitatem. actum iam est, omnia definita sunt à Deo; alterutrum quod de me à Deo definitum est, immutabile est, nec à me inuerti, aut in aliam partem inflecti potest. Hæc enim est falsa argumentatio, cùm vtraque eius propositio in antecedente sit falsa: statuit enim fatum quoddam ineuitabile. Potiùs sic argumententur: Si discessero ab iniquitate & bene vixero, eligar & prædestinabor ad gloriam; si malè vixero, reprobabor & prædestinabor ad gehennam: bene ergo viuam, ne reprober, sed prædestiner ad gloriam & saluer. à bona enim vita pendet electio ad gloriam, sicut à mala vita pendet reprobatio & damnatio; adeoque bona vita electionis, sicut mala reprobationis est causa. Atqui bona & mala vita, est in arbitrio & potestate cuiusque: quisque enim per gratiam Dei potest bene viuere, potest & malè, si velit; ergo electio quoque ad gloriam, & reprobatio est in arbitrio & potestate cuiusque. In cuius

Quomodo prædestinatio & electio sit in nostra potestate.

Refutatur aliquorum phantasia dicentium, Si sim reprobatus, non possum saluari.

enim arbitrio & potestate est causa, in eiusdem arbitrio & potestate est & effectus illius causæ. *Quanto studio peccata vitanda.* Hinc Secundò, moraliter discimus, quanto studio peccata fugere debeamus, nimirum tanto, quanto æternam nostram salutem prosequimur. nam certissimum non tantùm signum, sed & causa efficacissima nostræ prædestinationis & electionis ad gloriam est, si peccata quàm studiosissimè euitemus, & superemus per virtutum contrariarum exercitia, & sancta opera. Vnde S. Petrus epist. 2. cap. 1. *Satagite*, inquit, *vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Et Paulus 1. Corinth. 9. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.*

VERS. 20. IN MAGNA AVTEM DOMO NON SOLVM SVNT VASA AVREA ET ARGENTEA, SED ET LIGNEA ET FICTILIA] Putat Adamus & alij, hîc esse secundam responsionem ad tacitam obiectionem vers. præcedentis, cur scilicet Deus in tanta fidelium paucitate permiserit quosdam ab Hymenæo subuersos à fide excidere q.d. Id mirandum non est. *Cur in Ecclesia mali & boni.* Sicut enim mirum non est, imò ordinarium est in vna & eadem domo varia reperiri vasa, quædam aurea & argentea, alia lignea & testacea: ita mirum non est, in vna & eadem Ecclesia alios esse bonos, alios esse malos, alios saluandos, alios damnandos. Verùm ex hac applicatione sequitur non tantùm malos, sed & hæreticos esse in Ecclesia. Sic enim in eadem domo sunt vasa quædam aurea, quædam verò testacea per quæ significantur hîc hæretici ab Hymenæo in hæresim pertracti, vt ipsi volunt. Adde, hanc occupationem nimis remotam, & longiùs petitam videri; præsertim cùm nil tale significent verba Apostoli, sed plana sint, planeque præcedentibus connexa.

Dico ergo, hæc verba cum proximè præcedentibus cohærere: dixerat enim Apostolus, *Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini*: iam ne quis miretur & obiiciat, Si ita est, & esse debet, vti dicis; quomodo ergo inter Christianos qui inuocant nomen Domini, nonnulli sunt improbi, qui non discedunt, sed sequuntur iniquitatem? respondet Apostolus, id nemini mirum debere videri: si enim nemo miratur in magna domo reperiri tam vasa fictilia quàm aurea, tam vilia quàm honorifica, tam pollubra & matulas quàm lances & cyathos: pari modo nec mirari quis debet, si in eadem Ecclesia quæ Deum colit, adorat & inuocat, alij sint boni qui discedant ab iniquitate, alij sint mali qui sectentur iniquitatem. Quod vt meliùs intelligatur,

Magna domus hic est Ecclesia. Quæritur, quid significet hæc *magna domus*? Respondet Primò Chrysost. cum suis, & Theodoret. per *domum* intelligi mundum totum, non autem Ecclesiam, quia in Ecclesia, ait, non sunt vasa lignea & fictilia, id est mali, sed tantùm aurea & argentea, id est, soli boni & iusti: in mundo autem *Error Nouati & Caluini.* sunt vtrique. Idem fuit sensus & expositio Nouati olim hæresiarchæ, quem hîc reijcit Ambrosius. Ne quis verò Chrysostomũ hîc cum Nouato sentire putet, quòd soli iusti sint in Ecclesia, sciat eundem Chrysostomũ contrarium docere in psal. 39. asserereque contra Nouatum & Caluinum, non solos bonos & electos, sed & malos ac reprobos esse in Ecclesia. Quod ergo hîc dicit, solos bonos ad Ecclesiam pertinere, intellige per se quasi partes & membra viua. mali enim sunt membra Ecclesiæ, sed semimortua; quia carent anima & vita primaria Ecclesiæ, quæ est charitas. Ecclesia enim est quasi vna persona politica, cuius corpus est exterior fidei professio, & communio cum alijs fidelibus in Sacramentis & sacrificijs sub vno capite Romano Pontifice: anima verò Ecclesiæ generalis & imperfecta, est fides; specialis verò & perfecta, est charitas. sicut enim hominis forma est anima tum vegetatiua & sentitiua, tum rationalis; & rationali propriè viuit homo, qua homo est, adeoque solum caput viuit propriè anima rationali: hic & charitate viuunt soli iusti; ceteri mali licet, viuunt tamen fide & spe; sicut in homine cætera membra licet non ratiocinentur vt caput, sentiunt tamen & vegetantur videnturque solùm viuere anima vegetatiua & sensitiua. Vide dicta Ephes. 4. v. 16. Huc referri potest expositio S. Basilij hom. *Quòd Deus non est auctor malorum. Vas aureum*, inquit, *est is, qui mente moribusq; simplex ac sine dolo est. Argenteum, qui illo paulò est inferior, dignitatis ac pretij æstimatione. Testaceum est, qui terrestria sapit, & frangi conteriq; est aptus. Ligneum, qui per peccatum facilè sordet, & igni æterno materiam præbet.*

Pulchra Ecclesiæ descriptio. *Anima Ecclesiæ & fides & charitas est.*

Verùm Secundò, multo aptiùs per *domum* hanc non mundum, sed Ecclesiam intelligimus. Hæc enim est domus eorum qui inuocant nomen Domini, vti præcessit: & sic sæpè alibi Apostolus *domum Dei* vocat Ecclesiam, vt 1 Timoth. 3. v. 15. *Vt scias*, inquit, *quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia.* Ad Hebr. 3. 5. *Moses fidelis erat in domo Dei*, id est, in Ecclesia & populo fideli Iudæorum. Hinc fideles quasi in eadem domo, scilicet Ecclesia, versantes vocat Apostolus, *domesticos fidei*, Galat. 6. 10. ita S. August. lib. 4. de Baptism. contra Donat. c. 12. & alij passim.

Hæretici & quomodo sint in Ecclesia. Quæres Secundò, quænam in hac domo, scilicet Ecclesia, sint vasa aurea & argentea, & quænam lignea & fictilia? Respondet Primò, S. August. loco citato vasa aurea & argentea esse fideles, lignea verò & fictilia esse hæreticos.

Dices, Ergo S. August. sentit hæreticos esse in domo, id est, in Ecclesia. Resp. Sentit eos esse in Ecclesia non propriè, sed secundùm aliquid, scilicet, quia retinent characterem baptismi, veraque Ecclesiæ Sacramenta administrant, & ab Ecclesia quasi aliquo modo subditi puniri possunt. Denique antequam per publicam separationem & obstinationem ab Ecclesia se segregent, cum fidelibus in Ecclesia viuunt, dignitatemque & iurisdictionem quam in Ecclesia habuerunt, seruant. Agit enim S. August. cõtra Donatistas, qui volebãt baptismum ab hæreticis tamquam ab Ecclesia extorribus collatum esse inualidum & iterandum. Sic & S. Cyprianus epist. ad Antonianum, censet Hymenæum & Philetum necdum publicè exisse ex Ecclesia, nec Ecclesiæ iudicio hucusque damnatos & eiectos fuisse, sed in ea adhuc quasi vasa fictilia delituisse.

Quid intelligat Paulus per vasa aurea, & fictilia. Verùm Secundò & aptiùs, hæc ita explices; *domus*, est Ecclesia; *vasa*, sunt fideles; *aurea & argentea*, sunt firmi & illustres in fide & iustitia; *lignea* verò & *fictilia*, vel, vt græcè est, ὀστράκινα, id est, testacea, sunt vulgares, fragiles, infirmi in fide & charitate: nam hæretici nec vasa aurea, nec fictilia sunt, sed potiùs vasa fracta & ex domo proiecta & eiecta.

ET QVAEDAM QVIDEM IN HONOREM, QVAEDAM

DAM AVTEM IN CONTVMELIAM] In Græco est paronomasia, ἃ μὲν εἰς τιμὴν καὶ ἀτιμίαν, q.d. Quædam in decus, quædam in dedecus. Rursum Nota hebraismum; vas in honorem, id est, vas honorificum; vas in contumeliam, id est, vas vile & inglorium, vti sunt ollæ & matulæ. Tertiò, alludit Paulus ad factum Ieremiæ, qui c. 18. iussu Domini fecit vas testaceum fragile, quod lapsu confractum, fuit in contumeliam, sed à Ieremia reparatū factum fuit in honorem; vt significaret idem futurum Iudæis si à peccatis se expurgarent. Vide dicta Rom. 9. v. 21. Iam Quartò, quoad sensum putauit aliquando S. August. secutus S. Cyprianum, omnia & sola vasa aurea & argentea esse in honorem, ac vicissim omnia & sola lignea & fictilia esse in contumeliam: verùm accuratiùs rem expendens id retractat secutus Tichonium lib. 2. Retractat. ca. 16. & meritò. Græca enim sic habent, καὶ ἃ μὲν εἰς τιμὴν, ἃ δὲ εἰς ἀτιμίαν, id est, hæc quidem in honorem, hæc verò in contumeliam. q.d. Ex vasis tam aureis & argenteis, quàm ligneis & fictilibus, alia sunt in honorem, videlicet fideles ij qui in fide & iustitia persistunt, & reipsa constantes sunt, siue illustres sint, siue vulgares & fragiles: cætera verò tam aurea quàm fictilia, putà peccatores omnes qui sunt in peccatum mortale prolapsi, siue illustres, siue vulgares fuerint, sunt vasa in contumeliam. Idem clarè patet ex exemplo Ieremiæ & Pauli ad Rom. 9. iam citato. Hi enim ex eodem luto vas testaceum faciunt vnum in honorem, alterum in contumeliam. Et sic in magna domo etiam nobilium & principum, videmus matulas sæpè & pollubra fieri ex argento; ac vice versa quædam testacea seruire principum mensis, vt ex eis faciant lances & orbes. Vnde olim vasa Samia, nunc porcellana, & Chinensia, quia tersa & polita, licet lutea sint, habentur in pretio. Hinc Ausonius sic canit de Agathocle:

Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpè oneraſſe luto;

vt scilicet perpetuò meminisset, se esse figuli filium. Idem hîc ex ijs quæ Paulus præmisit colligi potest: hisce enim verbis explicat illud versus præcedentis, *Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini*, vt constet qui sint firma Dei fundamenta, quos Deus quasi suos signauit: iam autem discedere ab iniquitate iubet tam eos qui sunt vasa testacea, quàm qui sunt aurea. Hinc Quintò, clarissimè conuincitur in magna domo, id est Ecclesia, non tantùm esse bonos, sanctos, &, vt Caluinus vult, prædestinatos; sed etiam malos, peccatores & reprobos: sicut in arca Noë animalia erant tam immunda, quàm munda. sic in Christi domo & familia vas aureum fuit Iudas, sed factus est vas in contumeliam, cùm fur esse cœpit, & tandem fidem Christumque prodidit: Thomas verò de Christi resurrectione dubitans, fuit vas fictile, sed à Christo confirmatus, factus fuit vas in honorem. Vnde sequitur,

SI QVIS ERGO SE EMVNDAVERIT AB ISTIS, ERIT VAS IN HONOREM, SANCTIFICATVM ET VTILE DOMINO, AD OMNE BONVM OPVS PARATVM] *Ab istis*, scilicet hæreticis, Hymenæo & Phileto, eorumque asseclis. Ita aliqui. Verùm vox *hæreticis*, hic remotiùs & inconcinniùs repetitur & reuocatur: nec enim propriè quis dicitur se ab hæretico, sed ab hæresi emundare. *Ab istis ergo*, supple, *vasis contumeliæ*, quod immediatè præcessit, vt scili-

A cet discedat ab omni iniquitate: eò enim hæc omnia pertinent, vt dixi.

Nota *si emundauerit*, id est, omnino expurgarit se: non enim sufficit purgare aut tollere ex anima vnum alterúmve peccatum, sed omnia omnino euerrenda & expurganda sunt, vt anima tota sit munda & pura: perinde vt nonnulli, præsertim Hollandi, suas domos & suam supellectilem ita emundant & expurgant, vt nihil sordium, sed omnis nitor & decor in ea appareat, imò resplendeat. Ita se emundauit S. Magdalena cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. de qua canit Ecclesia: *Post fluxæ carnis scandala, sit ex lebete phiala, in vas translata gloriæ de vase contumeliæ.*

Necesse est tollere omnia peccata, non sufficit vnum aut alterum.

Nota Secundò, *si emundauerit se*. Hinc enim contra Nouantes patet, esse liberum arbitrium,
B hominemque per illud gratia Dei instructum & roboratum posse non tantùm moraliter bene viuere, sed & à peccatis se emundare & sanctificare.

Nec satisfacit responsio Bezæ dicentis, hominem se emundare non per liberum arbitrium, sed per efficacem impressionem Dei, qua Deus ipse solus efficaciter & potenter efficit in homine vt ipse se emundet: solùm enim Deum in homine efficere bonam & efficacem voluntatem emundandi seipsum, hancque; in solidum vni Deo deberi. Nam si Deus totam hanc emundationē solus peragit, ita vt nihil agat liberum hominis arbitrium; frustra homines hîc adhortatur Apostolus, vt discedant ab omni iniquitate, & ab ea se emundent. Sicuti frustra diceretur mari, Emunda te à cadaueribus: & cereuisiæ, Emunda te à fæcibus: vtrumque enim necessariò & naturaliter peragit & ma-
C re & cereuisia. ita S. Ambros. & Chrysost. qui ait, *Videt*, inquit, *vt non natura, carnalisve necessitatis sit, aureum esse vel fictile, sed nostræ tantummodò voluntatis.* Sic Christus Matth. 12. v. 33. *Aut facite*, inquit, *arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Quod explicans S. August. li. de actis cum Felice Manichæo cap. 4. *Nemo*, inquit, *nisi Dominus arborem facere potest: sed habet vnusquisque in voluntate sua, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut quæ mala, & esse arbor mala.*

Refutatur error Bezæ & Nouatorum dicentium non esse liberum arbitrium.

Nota Tertiò, iustos qui se à peccatis emundant, vocari *vasa in honorem sanctificata, & vtilia Domino*: quia scilicet apta & præparata sunt ad omne opus bonum, v.g. ad piè, castè, sobriè viuendum, ad patientiæ, humilitatis, charitatis, aliarumque virtutum omnium actus exercendos. Hic enim est fructus iustitiæ & amicitiæ Dei, quòd scilicet Deus ipsos quasi amicos suos gratia sua instruat, roboret, excitet, præueniat ad quæuis virtutum opera peragenda; & quo homo magis se iustificat & sanctificat, eo ad maiora & magis heroica bona opera hominem excitat & corroborat Deus, adeoque subinde admiracula facienda. E contrario iniusti, qui sunt in peccato mortali, sunt vasa in contumeliam, polluta, inutilia, prona & comparata ad omne malum. Vide ergo quàm peccatum fugere. & si in peccatū incidemus, quàm solicitè & citò à peccatis nos expurgare debeamus, ne illa nos suo pondere in alia & alia, ac tandem in barathrum detrahant.

Locus moralis de fuga peccati.

Nota Quartò. Per vasa fictilia, & vasa in contumeliam, non intelligit Hymenæum, Philetum, alioſque hæreticos, sed quosuis malos & peccato-

Per vasa in contumeliam quos intelligat Apostolus.

res, vti dixi. Hinc tamen remotè colligendum relinquit Apostolus, non mirum videri debere, si inter tam varios, aliqui maximè fragiles & inconstantes, vti à iustitia & sanctitate, ita tandem à fide & Ecclesia deficiant, putà, Hymenæus, Philetus, eorumque gregales ab eis subuersi: sicut mirum non est, in magna domo, vbi multa sunt vasa aurea & fictilia, partim ad decora, partim ad vilia & dedecorosa hominis obsequia comparata, ex eis nonnulla, præsertim testacea, frangi & è domo abijci; quæ non ab alio quàm à Deo reparari & restaurari possint.

VERS. 22. IVVENILIA DESIDERIA FVGE: SECTARE VERO IVSTITIAM, FIDEM, CHARITATEM, ET PACEM] *Iuuenilia desideria*, vel, vt græcè est, ἐπιθυμίας, id est, cupiditates, vocat leuitatem, gulam, libidinem, præcipitantiam animi, impetus, & omnia adolescentiæ vitia, ad quæ iuuenes (qualis erat Timotheus cùm Episcopus crearetur) propensi sunt: hisce enim opponit iustitiam, fidem, charitatem. ita Chrysost. Ambr. & alij. Verùm magis propriè & directè respexit Apostolus ad curiositatem, ambitionem, & inanem gloriam, quam iuuenes ambiunt, præsertim docti, vt velint videri subtiles, sapientes, cæteris què doctiores; ideoque quærunt & proponunt nouas, curiosas, sed stultas & indisciplinatas quæstiones, ex quibus oriuntur lites & pugnæ, vt sequitur: quibus opponit Apostolus charitatem, & pacem, omnemque iustitiam, id est, vitæ integritatem. q.d. Noli vt iuuenis, ambire sapientis & doctoris nomen; sed ambi vitæ integritatem, ac præsertim charitatem & pacem, vt in ijs excellas. Redit enim Apostolus ad v. 15. & 16. vbi monuit Timotheum, vt se exhibeat operarium inconfusibilem, qui rectè tractet verbum veritatis, & vt profanas ac inanes vocum nouitates deuitet, quales sectati sunt Hymenæus & Philetus; ad quos ea occasione huc vsque digressus, iam ad interruptum sermonem, & propositum suum redit; scilicet, vt doceat Timotheum Episcopum, quid & quomodo qua scilicet æquitate, grauitate, modestia, charitate populum docere, & errantes corrigere ac reuocare debeat.

Vitia adolescentium.

VERS. 23. STVLTAS ET SINE DISCIPLINA QVAESTIONES DEVITA: SCIENS QVIA GENERANT LITES] Pro *sine disciplina* græcè est ἀπαιδεύτους, id est, vt Ambros. ineruditas, insensatas, quæ scilicet nihil habent sensus, nihil ad veram disciplinam & sapientiam conferunt, quales sunt quæstiones futiles Iudæorum, de suis genealogijs; & Gentilium, de suis deorum fabulis, vti dixit epist. 1. c. 1. v. 4.

Secundò, pro *deuita*, græcè est περιΐστασο, id est, reijce & respue. Tertiò, pro *lites*, græcè est μάχας, id est, pugnas: lites enim non sunt aliud quàm pugnæ non verberum, sed verborum.

VERS. 24. SERVVM DOMINI NON OPORTET LITIGARE] Græcè μάχεσθαι, id est pugnare & digladiari, scilicet verbis, id est, litigare. Ita S. Ephrem moriens in suo testamento gloriatur, quòd numquam cum vllo Christiano verbis contenderit aut litigarit. Ita de Christo prædixit Isaias, vt habet S. Matth. c. 12. v. 19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.*

S. Ephrem numquam cum aliquo Christiano contendit.

VERS. 24. & 25. SED MANSVETVM ESSE AD OMNES, DOCIBILEM, PATIENTEM, CVM MODESTIA CORRIPIENTEM EOS QVI RESISTVNT VERITATI] Nota hic quatuor dotes necessarias bono pastori & doctori. Primò enim decet eum esse *mansuetum*. Secundò, esse *docibilem*, id est, qui non litiget, sed docilis sit, & doceri se finat, inquit Anselm. & Cyprian. epist. ad Stephanum Pontificem. Verùm hæc non tam doctoris quàm discipuli est virtus; sed respondet Cyprianus. *Oportet*, inquit, *Episcopum non tantùm docere, sed etiam discere, quia & ille melius docet, qui quotidie proficit, & crescit discendo meliora*. Verùm vt hoc ita sit, hic sensus non respondet Græco. Nam græcè est διδακτικὸν, id est, aptum & paratum ad docendum. ita Syrus & Theophyl.

Tertiò, *patientem*, intellige non morborum, aut aduersitatum, sed morum & infirmitatum proximi: vt scilicet toleret huius siue auditoris, siue obtrectatoris proteruiam, illius duritiem, alterius scommata: vti medicus tolerat ægrotantis phrenetici conuicia & ineptias; nec desperet, sed patienter & longanimiter eorum conuersionem, & assiduæ suæ doctrinæ exhortationisque fructum expectet, vti piscatores toto die piscantur, & piscium capturam vel ipsa vespera expectãt; & sicut agricolæ post tot labores & menses patienter messem expectant, inquit Chrysost. & hoc significat Græcum ἀνεξίκακον.

Quartò, pro *modestia*, græcè est πραότητι, id est, mansuetudine & lenitate. Vide Chrysost. hom. de mansuetudine tom. 5 & S. Dionys. epist. 8. ad Demophilum vbi ait, *Hebræorum tradit historia, Mosen eximiæ mansuetudinis merito, diuina amicitia & familiaritate dignatum: ac si quando ipsum diuino aspectu excidisse commemorat, non id ei, priusquam à mansuetudine defecerit, contigisse describit. Erat enim, inquit, mansuetus valdè, atque ideo Dei famulus dicitur, dignitate Prophetis omnibus, cui Deus visionis suæ gratiam largiretur*, & infrà: *Nouerat enim oportere eum qui Deo bono familiariter iungitur quàm maximè conari ei pro viribus simillimum fieri*. Deinde tales quoque fuisse docet Iob, Ioseph, Abel, & Dauid; de quo dixit Deus, *Inueni virum secundùm cor meum*. Hinc canit ipsemet Dauid: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*. Talem denique fuisse docet Christum; qui circumdatus fuit infirmitate, fratribusque per omnia assimilari voluit, vt disceret compati & condolere ijs qui ignorant & errant. *Atque hoc* (inquit S. Dionys.) *eximiæ in se dilectionis argumentum capit* (Christus) *si oues eius modestissima gubernatione pascamus; & nequam appellat eum, qui conseruo non dimiserat debitum*. Denique sub finem epistolæ, miram hac de re visionem refert, quæ S. Carpo ostensa fuit.

Locus moralis de virtute mansuetudinis.

Quintò, pro *qui resistunt veritati*, græcè est tantùm, τοῦ ἀντιδιατιθεμένους, id est, τοῦ ἐναντία φρονοῦντας, id est, qui cõtraria, &, vt legit Ambros. diuersa sentiunt, qui alterius sunt sententiæ. Non agit hic de formatis & obstinatis hæreticis (hos enim vitari iubet) sed de ijs, qui vel ex mala institutione, vel ex malorum cõsortio, aut aliunde prauas imbiberũt opiniones: hos enim leni correptione, quasi medicina sanandos esse docet. Hinc patet, τῇ *veritati*, non esse in Græco, sed rectè Noster interpres illud, vtpote subintellectum, expressit; vti & S. August. li. de Correptione & gratia cap. 5. Syrus pro *veritati*, habet לְקֻבְלָה *lecubele*, id est, sibi, vel contra se. q. d. Episcopus & doctor leniter corripiat eos qui sibi docenti contradicunt. Pulchrè & piè S. Chrysost. *An non vides*, inquit, *parentes quomodo filiis suis, licet de vita desperatis, assideant lachrymantes, lamentantes, exosculantes, omnia quæ possunt admonentes ad supremum vsque halitum; hæc tu quoque contra*

Quatuor dotes necessarias bono pastori.

Quomodo doctor. & Episcopus agere debeat cum ijs qui sibi contradicunt.

quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non possunt lachrymis ac lamentis morbum depellere, aut mortem imminentem abigere: tu verò frequenter poteris animam deploratam, assiduitate instantiaq; per lamenta reuocare ac suscitare.

25. NEQVANDO DEVS DET ILLIS POENITENTIAM, AD COGNOSCENDAM VERITATEM] *Nequando*, id est, si fortè, si quando. Græcum enim μήποτε, tam si quando, quàm nequando significat. Μή enim non semper negantis, sed etiam dubitantis est. ita Theophyl. Subaudi, *vt experiatur*. q. d. Episcopus patienter toleret, & leniter corripiat eos, qui fidei contrariantur; *vt experiatur*, si fortè, vel num fortè aliquando *det illis Deus pœnitentiam*, id est sua gratia commoueat, compungat & conuertat eos.

Nota. Deus non dat pœnitentiam, fidem & charitatem eo modo quo puero datur pomum, aut militi equus. pœnitentia enim non est instar pomi B aut equi; sed est actus liber voluntatis, qui ab alio propriè dari non potest, sed ab ipsa voluntate liberè elici debet. Dicitur ergo Deus dare pœnitentiam & alias virtutes, quia sua gratia excitat & impellit liberum arbitrium, vt ipsum sponte sua ex seipso, cooperante gratia Dei, pœnitentiæ, aliarumque virtutum actus eliciat. Vide dicta 1. Corinth. 7. v. 7.

Hinc Nota Secundò, neminem à peccatis posse resurgere & agere pœnitentiam, nisi Deus id illi dederit, & sua gratia ad hoc eum excitarit. Vnde S. Augustin. Enchiridij c. 82. *Non solùm*, inquit, *cùm agitur pœnitentia, verùm etiam vt agatur, Dei misericordia necessaria est: alioqui non diceret Apostolus de quibusdam, Ne fortè det illis Deus pœnitentiam.*

Aliter hunc locum explicat Anselm. q. d. Apostolus, Non debemus despondere animum, nec cessare ab errantium correptione, etsi illi se corrigere nolint: ne fortè aliquando nobis cessantibus, & curam eorum abijcientibus, Deus curam eorumdem suscipiat, detque illis pœnitentiam; itaque Deus sua charitate nostram tepiditatem confundat & pudefaciat. Hic sensus magis pius & moralis est, quàm litteralis & genuinus.

26. ET RESIPISCANT A DIABOLI LAQVEIS, A QVO CAPTIVI TENENTVR AD IPSIVS VOLVNTATEM] Pro *resipiscant*, græcè est, ἀνανήψωσιν. quod duo significat: Primò, redeant ad sobrietatem; Secundò, euigilent, vel expergiscantur. Νήφειν enim tam euigilare, quàm sobrium esse significat. Hinc sequitur peccatores, & maximè illos qui à fide aberrant, esse ebrios & dormientes, esseque quasi emotæ mentis, vt veritatem veramque ad beatitudinem viam videre & intueri non possint.

Nota. Pro *diaboli laqueis*, Theophyl. vertit *à diaboli reti*; quia, inquit, diabolus multas habet artes A & insidias quasi tendiculas, quales habet rete, quibus mentes hominum præsertim peccatorum irretit & illaqueat. *Laquei diaboli quales.*

Tertiò, pro *à quo captiui tenentur*, græcè est ἐζωγρημένοι, quod propriè dicitur de ijs, qui viui capiuntur; vti milites bello victi, aut sicuti feræ reti captæ. Hinc patet peccatorem esse diaboli captiuum, quia peccatum quasi funem, quo trahatur, sponte sua diabolo tradidit. Idque Primò, quia à peccati & diaboli potestate nulla sua naturali vi aut virtute sed sola gratia Dei eximi potest. Secundò, quia diabolus peccatorem quasi suum seruum agitat & impellit quò vult, ad alia & alia peccata; sed ita vt peccator viuus, id est liber, remaneat: quia tentari, vexari, impelli à diabolo, non autem in consensum & peccatum nouum adigi aut compelli potest, nisi liberè tentanti & tentationi cedat & consentiat; vti sæpè fit in tanta hominum maximè peccatorum infirmitate. *Peccator est diaboli captiuus.*

Quartò τὸ *ad illius voluntatem*, Beza sic intelligit, ad *illius*, scilicet Dei, voluntatem præstandam. Verùm hoc nimis remotum est, vt ex v. præc. nomen *Deus* hîc reuocetur; præsertim cùm proximè præcedat nomen diaboli, ad quod longè commodiùs referri potest pronomen *illius*. Nec obstat diuersitas relatiuorum in Græco αὐτοῦ & ἐκείνου; quasi illud ad diabolum, hoc ad Deum pertineat. Apostolus enim copiæ gratia noluit repetere τοῦ αὐτοῦ, sed pro eo substituit ἐκείνου, etiamsi de eadem persona, putà diabolo, loqueretur, eritque tunc sensus efficacior & penetrantior, qui peccatores à peccato deterreat, & ad pœnitentiam celerem incitet; nimirū si cogitent se quamdiu in statu peccati consistunt, ita à diabolo captiuos teneri, vt ad C eius voluntatē & libitum huc illuc ad quæuis vitia impellantur. Perinde enim, vt nauis fracto gubernaculo illuc ducitur quò tempestas voluerit; sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatū, non quod vult ipse, sed quod diabolus vult, agit & operatur, inquit Chrysost. Idipsum pulchra similitudine pueri qui auiculam filo ligatam retinet, & huc illuc auolare sinit, sed mox filo retrahit, declarat S. Anselm. lib. de Similitud. c. 189. *Instar huius pueri*, inquit, *iocatur diabolus cum peccatoribus, quos irretitos suis laqueis, pro sua voluntate in diuersa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim multi auari, ebriosi, luxuriosi, qui proponunt auaritiam, gulam, libidinem deserere, & putant instar auis se liberè auolaturos: sed quia prauo vsu irretiti ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia deijciuntur, sitq; hoc sapiùs, nec omnimodis liberantur, nisi magno conatu & gratia Dei funis rumpatur praua consuetudinis.* *Periculosus peccatorum status.* *Peccator auicula filo diaboli ligata.*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit mores impios hæreticorum, à v. 1. vsque ad v. 10. inde hortatur Timotheum ad constantiam, patientiam & martyrium, vsque ad v. 14.

A v. 14. ad finem vsque, eundem incitat ad studium sacræ Scripturæ, tamquam quæ vtilis sit, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus.

1. HOc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa; 2. & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, 3. sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes,

immites, sine benignitate, 4. proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: 5. habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita: 6. ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs: 7. semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes. 8. Quemadmodum autem Iannes, & Mambres restiterunt Mosi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, 9. sed vltrà non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. 10. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, 11. persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. 12. Et omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 13. Mali autem homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. 14. Tu verò permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris. 15. & quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. 16. Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: 17. vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

VERS. 1. HOC AVTEM SCITO, QVOD IN NOVISSIMIS DIEBVS INSTABVNT TEMPORA PERICVLOSA] Pergit Apostolus præmonere & confirmare Timotheum ne miretur cùm viderit subnasci in Ecclesia hæreticos, qui fidem & virtutem Christianam eliminent, quales fuerunt Simon, Menander, Carpocrates, Cerinthus, & Gnostici: de quibus hunc locum Apostoli intelligit Epiphan. hæresi 26. Hi enim sceleratissimi fuerunt, plurèque addicti carnis delicijs & libidinibus, hinc que speciem pietatis præ se ferebant, sed eius virtutem abnegabant. Nam de hæreticis loqui Apostolum patebit v. 6. 8. & sequentibus. Nota. *Tempora nouissima* nonnulli intelligunt tempora Antichristi: tunc enim sceleratissimi erunt tam hæretici, quàm homines, ac præsertim ipse Antichristus hæresiarcha. Verùm non ea solùm, sed etiam proximè Paulum sequentia tempora vocari hîc *nouissima*, patet ex eo quod Timotheo iubet v. 5. dicens, *Et hos deuita*, & ex eo quod sequitur vers. 6. *Ex his enim sunt qui penetrant domos*, &c. quibus verbis præsentia vel iam incipientia tempora denotat.

Simon, Menander, Carpocratet, Cerinthus & Gnostici quales.

Tempora nouissima quæ hîc vocet Paulus.

Hebræum achare, nouissimum vertitur & sequens.

Quæres, quomodo ergo illa hîc vocat *nouissima*? Respondeo, per hebraismũ: Hebræum enim אַחַר *achare*, quod Noster interpres vertere solet *nouissimum*, significat id quod sequens & posterius est, siue proximè sequatur, siue remotè. q.d. Apostolus, *In nouissimis*, id est, in sequentibus, atque adeò iam incipientibus temporibus, erunt periculosi dies. Nouissima ergo tempora hîc vocat ea, quæ à suo tempore decursura & secutura erant vsque ad finem mundi. Adde, Prophetas Messiæ, siue Christi tempus vocare nouissimum, quia est vltima mundi ætas, vltimaque lex, religio & Ecclesia Christi, cui nulla alia succedet. Sic dicitur ex Ioële Act. 2. *Et erit in nouissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Et 1. Ioan. 2. *Filioli, hora nouissima est*, id est nouissimum tempus, nouissimus status Ecclesiæ ac mundi iam est.

Nota Secundò. Pro *tempora periculosa*, græcè est καιροὶ χαλεποὶ, id est, tempora difficilia & molesta; quia scilicet homines illis temporibus futuri erunt difficiles & molesti, imò pessimi, vt sequitur. ita Chrysost.

VERS. 2. ET ERVNT HOMINES SEIPSOS AMANTES] Nota. Copula & non tam copulatiua, quàm causalis hîc est, idemque significat quod, *quia*: dat enim A causam cur futura sint tempora periculosa, quia scilicet, erunt homines sui amantes. Sic Hebræi sæpè *vau* copulatiuum sumunt pro כִּי *ki*, id est, *quia*. Romana Biblia non habent ו &.

Nota Secundò. Pro *seipsos amantes*, græcè est, Φίλαυτοι, id est sui amantes, suæ gloriæ, lucris, commodis studentes. philautia hæc siue amor sui omnium malorum est origo. *Philautus enim qui se amat*, inquit Plato lib. 5 de Legibus, *cùm seipsum magis quàm veritatem honorandã putet, quid iustum, quantumque bonum, pulchrum sit, malè iudicat.* additque Plato: *Decet sanè eum qui magnus vir futurus est, neque seipsum, neque sua diligere; sed iusta semper, siue ab ipso, siue ab alio gerantur.* Hinc S. Augustin. initio lib. 1. de B Ciuit. duas ciuitates constituit, vnam Dei, alteram diaboli. *Ciuitas*, inquit, *Dei incipit & construitur ex amore Dei, & crescit ad odium sui ipsius: ciuitas verò diaboli incipit ab amore sui, & crescit vsque ad odium Dei per contemptum proximorum. qui enim proximum odit & contemnit, mox etiam Deum odio habebit & contemnet.* Nam hæc duo maximè sibi contrariantur, scilicet charitas, & philautia, siue amor sui. Charitas enim se dilatat & diffundit in Deum & proximum, amor verò sui omnia sua in arctum constringit & reflectit in seipsum, vt notat Theophyl. Vnde S. Anselm. ex S. Augustino singula quæ hîc sequuntur vitia pastoribus Ecclesiæ applicans & explicans, omnia ostendit manare ex philautia, siue ex amore sui. vide eum, si lubet. Quare rectè concludit S. Augustin. tract. 123. in Ioannem, amorem sui non esse amorem, sed odium sui. *Nescio*, C inquit, *quo inexplicabili modo quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se: cùm verò ille diligitur de quo viuitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, vt eum diligat de quo viuit.*

Philautia.

quantorum malorum origo.

Amor sui, non est amor, sed odium sui.

CVPIDI] Græcè φιλάργυροι, id est, amatores pecuniæ, auari.

Nota mores hæreticorum de quibus hîc agit Paulus.

ELATI] Græcè ἀλάζονες, id est fastuosi, arrogantes, iactabundi, vt suam eruditionẽ, eloquentiam & virtutes etiam supra veritatem extollant & iactent.

VERS. 3. SINE AFFECTIONE] Græcè ἄστοργοι, id est, vt Primasius, sine pietate, inhumani, impij in parentes, vxores famulos, cognatos, benefactores vt naturalem affectum & compassionem, quæ Græcis

στοργὴ

σαρκὸ dicitur, exuisse, & insensibiles ac barbari effecti, brutorum aut saxorum duritiem & stuporem induisse videantur. ita Theophyl. Vnde ex S. Augustin. Anselm. vertit, *sine visceribus compassionis.*

SINE PACE] Græcè ἄσπονδοι, id est, sine fœdere; putà fœdifragi, vt, sicut cum suis pietatem non seruant, ita cum externis amicitiæ & fœderum iura non ineant, vel inita non colant, sed violent. S. Augustin. tractat. 123. in Ioan. intelligit inquietos, qui alios quiescere non sinunt, sed vbique pacem turbant.

INCONTINENTES] Græcè ἀκρατεῖς, id est intemperantes, scilicet, gulosi & luxurioſi. Chrysost. tamen generaliùs intelligit eos qui quasuis immodicas voluptates, & animi cupiditates moderari & frænare nesciunt; sed eas proni, quasi pecora sequuntur. Hisce enim cohibendis generalis virtus, continentia scilicet, ponitur ab Aristotele.

SINE BENIGNITATE] Græcè ἀφιλάγαθοι, id est, non amantes bonos; putà *bonorum osores*, vt vertit Vatablus. hæc enim vitia priuatiua, per miosin, positiuum vitium virtuti qua priuant, oppositum significant, vti iam expositi in singulis.

PROTERVI] Græcè προπετεῖς, id est, vt vertit Vatablus, *præcipites & temerarij*; Theophyl. vertit, *leues & instabiles.*

TVMIDI] τυφωμένοι, id est, qui typho superbiæ turgent, inflantur & tument.

VOLVPTATVM AMATORES MAGIS QVAM DEI] Id venustiùs & significantiùs vna voce exprimũt Græca, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. Epiphan. hæresi 26. putat hic Apostolum perstringere spurcissimas Simonis & Gnosticorum voluptates ac libidines. eosdem taxat Iudas in sua epist. quòd *Domini nostri gratiam transferant in luxuriam.* Ita passim hæresiarchiæ & hæretici voluptuarij fuerunt, eaque de causà plurimos habuerunt asseclas, sicut & Epicurus plures discipulos habuit, quàm alij philosophi. *Epicuri*, inquit Lactantius li. 3. Diuin. instit. cap. 16. *disciplina multò celebrior semper fuit, non quia veri aliquid afferat, sed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitat: nemo enim non in vitia pronus est, eaq; vincere difficillimum est. Nam*, vt ait Cyprianus lib. de bono Pudicitiæ, *voluptatem vicisse voluptas est maxima: nec vlla maior est victoria, quàm ea, quæ à cupiditatibus refertur. qui enim hostem vicit, fortior fuit, sed altero; qui verò libidinem repressit, seipso fortior fuit.*

Notat Theophyl. eos qui amant corporis voluptates, non posse affici Deo & rebus diuinis: voluptates enim spirituales quæ animum erigunt ad cœlestia, contrariæ sunt carnalibus quæ animum deprimunt & effeminant. Hinc nobilis ille Gentilis, cùm à suis ad carnis illecebras pelliceretur: *Absit*, inquit, *vt tò animum nobilem deiciam, meq; corporis mei mancipium efficiam.* Et alter: *Magna*, inquit, *corporis cura, magna virtutis incuria est.*

HABENTES SPECIEM QVIDEM PIETATIS, VIRTVTEM AVTEM EIVS ABNEGANTES] Pro *speciem pietatis*, S. Cyprian. li. de Vnit. Eccles. legit, *deformationem religionis*, hoc est, formam & speciem religionis, vt videantur eius velle inducere reformationem, seque vocent reformatæ religionis, cùm reuera eiusdem deformationem inducant, sintque deformatores. Nam, vt sequitur, *virtutem*, græcè δύναμιν, id est, vim & rem, putà pietatem ipsam, quam simulant, non habent, nec operibus ostendunt, sed *abnegant*. q. d. Hypocritæ sunt, qui latentem impietatem specie virtutis tegunt. *Profitentur*, inquit Ambros. *se Christianos, cùm sint, & nequissimi opere, & sensu peruersi.* De quibus Christus Matth. 7. v. 15. *Attendite*, inquit, *à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Nam, vt ait Cyprian. ad Iubaianum: *Hæretici imitantur Catholicos, sicut simiæ imitantur homines, & sicut lupi imitantur canes, quibus similes sunt.* Hinc S. Augustin. serm. 11. super Matth. docet hæreticos formam quidem pietatis habere, sed sine virtute & fructu, nisi Ecclesiæ reconcilientur. *Sicut*, inquit, *potest esse visibilis forma palmitis etiam extra vitem, sed tamen inuisibilis radicis vitam habere non potest, nisi in vite.* Taxat ergo Apostolus hîc propriè hæreticos, qui sua adulatione, blandiloquentia, hypocrisi, habitu & specie externa videntur pij & religiosi, pieque ac sanctè loqui, sed interim impia sua dogmata, sensim sine sensu instillant, ac simul ad sua vitia & concupiscentias explendas alios, ac præsertim mulieres oneratas peccatis, vt sequitur, pertrahunt. *Nam sanctimoniam*, inquit Ambros. *defendunt, & lege sua fauente turpiter viuunt; misericordiam laudant, cùm inter se iniusti deprehendantur; mundum spernendum assumunt, & semper accurate procedunt; ieiuniis se insistere tacitantes prædicant, cùm omnes saginati videantur, tantùm quòd arte quadam pallidi cernantur, vt fallant.*

Hæretico-rum hypocrisis & simulatio.

ET HOS DEVITA] Σὸ τούτους, id est est, auersare. Episcopo enim non satis est vitare hæreticos, sed eos auersari, imò ijs aduersari debet.

EX HIS ENIM SVNT QVI PENETRANT (græcè ἐνδύνουσι, id est subeunt, &, vt Ambros. irrepunt) DOMOS, ET CAPTIVAS DVCVNT (S. Cyprianus legit, prædantur) MVLIERCVLAS ONERATAS PECCATIS, QVAE DVCVNTVR VARIIS DESIDERIIS] Pro *oneratas*, græcè est σεσωρευμένα, id est, accumulatas & cumulo peccatorum obrutas; quæ quasi brutæ aguntur varijs desiderijs curiositatis, nouitatis, gloriæ, deliciarum, ornatus, luxuriæ. *Mirum negotium*, ait Cyprianus lib. de Bono pudicitiæ, *mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris.* Has quasi dignum tali patella operculũ, in suas hæreses post se captiuas facilè abducunt hæretici, tum quia mulier animal est molle, flexile & inconstans; tum quia earum desiderijs indulgent, ijsque se accommodant; tum quia carnis licentiam docent, & pœnarum ac gehennæ metum auertunt. Hinc docet Theophyl & Oecum. quòd vir qui ab hæretico seduci se finit, non vir, sed mulier haberi debet.

VERS. 6.

Mulieres in vitiis fortiores sunt viris.

Notat S. Hieron epist ad Ctesiphontem tom. 2. omnes hæreses per mulieres propagari cœpisse. *Simon Magus*, inquit, *hæresin condidit adiutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum conditor choros duxit femineos. Marcion quoque Romam præmisit mulierem ad maiorem lasciuiam. Appelles Philomenem comitem habuit. Montanus Priscam & Maximillam primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arrius vt orbem deciperet, sororem principis antè decepit. Donatus Lucillæ opibus adiutus est. Elpidium cæcum Agape cæca duxit. Priscilliano iuncta fuit Galla non gente, sed nomine.*

Hæreses per mulieres propagatæ.

SEMPER DISCENTES, ET NVMQVAM AD SCIENTIAM VERITATIS PERVENIENTES] id est, peruenire valentes. Hoc enim est Græcum δυνάμενα, idque tum doctorum, tum suo vitio. Hæretici enim, præsertim qui se Gnosticos quasi sapientes & scientes nuncupabant, nihil veri, veræque pietatis doce-

VERS. 7.

Hæretici nihil verè sciunt-ia habent.

docere possunt. Rursum, mulierculæ hæ oneratæ A peccatis,& plenæ cupidinibus,veritatis & pietatis incapaces sunt; tum quia parum habent critici,& inconstantes sunt,vt ab vna quæstione, antequam eus solutionem percipiant, ad aliam dilabantur; tum quia curiosa scire tantùm & intelligere volunt,non autem practicè sapere & agere;tum quia suis desiderijs aguntur & excæcantur. *Quomodo enim poterunt oneratæ peccatis mentes per viam rectam incedere,nedum progredi, quæ excæcatæ ipsam viam videre & inire non valent?* inquit ex S. Augustino Anselmus.

VERS. 8. QVEMADMODVM IANNES ET MAMBRES RESTITERVNT MOSI, ITA ET HI RESISTVNT VERITATI, HOMINES CORRVPTI MENTE, REPROBI CIRCA FIDEM] Ita, scilicet *Iannes & Mambres*, legunt Roman. Plantin. Anselm. & alij. Verùm Regia, Græca, Syra & Numenius apud Euseb. lib. 9. de B Præparat. Euang. c. 3. legunt *Iannes & Iambres.*

Iannes & Mambres qui, & quales, & vnde hæc nomina sumpserit Paulus?

Nota. Hæc sunt nomina duorum magorum Pharaonis, qui in Exodo narrantur Mosi restitisse, & cum eo in miraculis & portentis edendis certasse; & licet Moses eorum nomina non exprimat, Paulus tamen aliunde ea didicit, & hîc expressit.

Quæres, vnde ea didicerit Paulus? Respondet Ambros. & Origen. homil. 35. in Matth. Ex libro apocrypho hac de re edito, qui inscribitur Iannes & Mambres. Hunc enim Gelas. dist. 15. refert inter apocryphos. Sed hoc dici nequit; nec enim ex libro incertæ fidei certò hæc nomina asserere potuit Paulus. Dico ergo, hæc nomina Paulum didicisse traditione, vel certè inspiratione Spiritus sancti, qui hæc ei dictabat. ita Chrysost. Theophyl. & alij. Verè enim ita vocatos fuisse hos magos do- C cet quoque Numenius Pythagoricus, apud Eusebium loco citato.

Corrupti mente sunt cupidinarij.

Nota. Vocat eos *corruptos mente*, quia mentis integritatem varijs cupiditatibus & vitijs corruperunt, indeque facti sunt reprobi circa fidem, vt nimirum fidem pariter abijcerent, reprobarent, corrumperent, fierentque hæretici, immò hæresiarchæ. Vbi Aduerte. sicut bona & incorrupta mens facilè fidem & sanam doctrinam haurit, ita mala & corrupta facilè hæresin, magiam, aliosque errores hauriet; adeoque hæresis non alia est causa, quàm mala vita & corrupti mores. qua de re vide Alphonsum à Castro. in procemio libri contra hæreses.

Sola mala vita est causa hæreseos.

VERS. 9. SED VLTRA NON PROFICIENT] vt scilicet præter mulierculas oneratas peccatis,& similes homines leues & inconstantes, quos seduxerunt & se- D ducunt (de qualibus dicit v. 13. *Errantes,& in errorem mittentes*) pergant seducere alios, qui sanæ & solidæ mentis sunt.

Secundò, vt Theophyl. *Non proficient*, in sua videlicet hypocrisi & ficta pietatis specie ae larua; quin ea detegatur, deprehendatur & prodatur eorum fraus & falsitas. Vnde sequitur,

INSIPIENTIA (ἄνοια, id est amentia) EORVM MANIFESTA ERIT OMNIBVS, SICVT ET ILLORVM FVIT] Sicut enim Iannes & Mambres resistentes Mosi in tertio cyniphum portento, succubuerunt & dicere coacti sunt, *Digitus Dei est hic*, Exodi 8. ita omnis error non diu consistit, quin tandem eius fallacia & falsitas pateat, & instar fumi euanescat. Hinc Hebræorum prouerbium est, *Veritatem stabiles, mendacium debiles habere pedes*: quia illa sem-

Hebræi dicunt, veritatem stabiles, mendacium debiles habere pedes.

per, hæc paruo tempore durat. idemque significant litteræ Hebraicæ שֶׁקֶר *seeker*, id est mendacij, quæ acuminatos, ideoque debiles, & אֱמֶת *emet*, id est veritatis, quæ quadratos, ideoque solidos & constantes habent pedes. Apostolus, inquit Primasius, agit de Simone & Gnosticis, hæreticis scilicet sui temporis, quorum hæresis & impuritas vitæ patefacta mox euanuit. Sed pari modo videmus Photini, Nestorij, Sabellij, Manetis, Pelagij, & aliorum omnium hæreses alias alijs citiùs euanuisse. Idem nostro tempore sensim fieri videmus, & breui magis videbimus, lutheranismum & calu*Hæreses tandem euanescunt aut abeunt in atheismum.*

inismum consenescere & emori apud multos; apud alios in atheismum abire, eorumque assecl. 2s. 11. fieri planè Politicos & Libertinos. Atque vt alios omittam, clarum exemplum est Manes ipse Manichæorum parens, qui cùm filium regis Persarum à morbo se curaturum promisisset, ac vice versa occidisset, deprehensus & morte mulctatus est. *Comprehenditur*, inquit Cyrillus Hierosolymit. *Manetis exitus & supplicium.* catech. 6. *Manes, & abducitur ad regem, cui rex exprobrauit mendacium & fugam, irrisit seruitutem eius, accusauit filij cædem, damnauit propter eum factam custodum necem. Itaque excoriari lege Persica Manetem mandauit, & corpus quidem reliquum bestiis deuorandum tradidit, cutem verò qua tanta illius improbitas continebatur, tanquam vtrem ante portas suspendi curauit.*

TV AVTEM ASSECVTVS ES MEAM DOCTRINAM, VERS. 10. INSTITVTIONEM, PROPOSITVM, FIDEM, LONGANIMITATEM, DILECTIONEM] Erasmus, Vatablus, & alij vertunt, *tu autem assectatus es meam doctrinam*, id est, à principio vsque ad finem mihi euangelizanti affuisti, indiuiduus meus comes fuisti. Verùm hoc non videtur verum, nec huic loco cõ- C gruum. nam Timotheus non affuit Paulo ab ini- *Timotheus quando inceperit adhærere Paulo?* tio prædicationis; immò persecutiones illæ quas Antiochiæ, Iconij & Lystris sustinuit Paulus, de quibus Actor. 13. & 14. contigerunt antequam Timotheus adhæreret, imò antequam innotesceret Paulo. Innotuit enim illi primùm Actor. 16. v. 1. Rursum incongruè dicitur quis affectari alterius persecutiones, passiones, longanimitatem, deuotionem; pro eo quod diceremus aliquem esse comitem alteri, & præsentem in eius persecutione, passione, deuotione. Dico ergo propriè, *tu autem assecutus es*, id est, cognouisti & intellexisti siue præsens intuendo, siue à fide dignis audiendo, meam doctrinam: hoc enim quoque significat Græcum παρηκολούθησας, scilicet mente aliquid sequi & assequi, id est intelligere, v. g. cùm discipulus sententiam & mentem magistri assequitur & intelligit, vt rectè annotauit Budæus. Vnde δυσπαρακολούθητα vocantur, quæ difficulter cognosci & intelligi possunt.

Nota. Pro *institutionem*, græcè est ἀγωγήν, id est *Virtutes heroicæ Pauli in cursu Euangelij.* mores, & vitæ ductum, &, vt interpres Theophyl. vertit, conuersationem meam.

Secundò, *propositum*, id est, alacritatem & promptitudinem animi, inquit Theophyl. sed melius Theodor. *propositum*, inquit, id est, finem & scopum quem mihi meaque euangelizationi proposui; scilicet vt Christi fidem & gloriam toto orbe per omnes gentes propagarem. q. d. Sequere ergo, ô fili, ô discipule Timothee, hoc meum, qui tuus sum magister, propositum, vt strenuè Euangelio Christi propagando mecum incumbas.

Tertiò, *fidem*, id est, in fide constantiam, inquit Theo-

Theophylactus. Rursum *fidem*, id est, firmam confidentiam, qua Deo nixus & fisus tot labores, pericula & ærumnas fortiter adij & superaui.

Quartò, *longanimitatem*, scilicet in tolerandis tum fratrũ infirmitatibus & peccatis, inquit Theodor. tum fidei hostibus, putà Iudæis, Gentilibus & hæreticis. Cùm enim mihi resisterent, *non tumultuabar, neque ciebam turbas, sed omnes, & quemuis cum mansuetudine excipiebam*, inquit Chrysost.

Quintò, *dilectionem*, qua videlicet omnes tam inimicos, quàm amicos; tam malos, quàm bonos; tam Gentiles, quàm Iudæos, quasi fratres & filios meos adamaui, omnesque iuuare, Christo adiungere, & ad salutem perducere conatus sum.

11. QVALIA MIHI FACTA SVNT ANTIOCHIAE, ICONII, ET LYSTRIS: QVALES PERSECVTIONES SVSTINVI, ET EX OMNIBVS ERIPVIT ME DOMINVS] Erasmus per interrogationem legit quasi admirans exclamet Paulus: Bone Deus! qualia & quanta sustinui? Verùm Biblia Romana, Græca, Syra, ac Latina passim legunt sine interrogatione. *Qualia* ergo, id est, quales persecutiones & passiones. Vnde planiùs Vatablus pro *qualia*, vertit *quæ*, scilicet passiones, mihi acciderunt. Græcum enim ὁποῖά μοι, ponitur pro ἃ μοι.

Nota. Antiochia hæc non est Syriæ, sed Pisidiæ, vicina Iconio & Lystris, vbi Iudæis concitantibus seditionem lapidatus & penè occisus fuit Paulus, Actor. 13. & 14.

Addit Paulus, *Et ex omnibus eripuit me Dominus*, vt Timotheũ ad similia animet, illi tacitè innuendo, Deum illi in persecutionibus pariter assore, sicut sibi affuit; & inde eum erepturum, vel martyrio coronatum ad cælum translaturum. ita Chrysost.

12. OMNES QVI PIE VOLVNT VIVERE IN CHRISTO IESV, PERSECVTIONEM PATIENTVR] Quæres, quomodo hoc vniuersaliter sit verum? Multi enim pij inter Christianos piè viuunt & quietè sine persecutione. Respondet Chrysost. per persecutionem, hîc intelligi omnes difficultates, labores, dolores & angores, quos patiuntur ij qui student pietati, dum concupiscentias frænare, continentiæ, humilitati, temperantiæ studere, & pijs laboribus insistere conantur. *Et ideo numquam deest tribulatio persecutionis, si numquam desit obseruantia pietatis. Sicut ergo totius est corporis piè viuere, ita totius est temporis crucem ferre*, inquit S. Leo serm. 9. de Quadragesima.

Secundò, S. Augustin. serm. 24. de verbis Apostoli in hæc eadem Apostoli verba dicit, pios persecutionem pati, dum de mala vita impiorum à quibus odio habentur, dolent & cruciantur, vt cum Dauide dicant, psal. 118. *Vidi prævaricantes & tabescebam.* Quomodo S. Petrus epist. 2. c. 2. dicit de Sodomitis, quòd *iustam animam* (Lot) *iniquis operibus cruciabant. Lot ergo* (inquit Augustin.) *persecutionem patiebatur non vapulando, sed malos videndo. Magnus enim bonorum labor est mores tolerare contrarios*, inquit S. Prosper in Sententijs.

Tertiò, idem Augustin. in psal. 55. per *persecutiones* accipit quasuis præsentis vitæ tribulationes, de quibus ipse Augustin. dicit: *Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus.*

Quartò, & magis propriè, idem Augustin. in psal. 127. per *persecutiones* accipit tentationes diaboli. *Non enim*, inquit, *quia diabolus modò per reges non sæuit, ideo non Christiani persecutionem patiuntur.*

A *Si mortuus est diabolus, mortua sunt persecutiones. Si autem ille aduersarius noster viuit, vnde non tentationes suggerit? vnde non sæuit? vnde non minas & scandala procurat?* Nimirum sciat Christianus se non vocari ad otium, delicias, pacem & gaudia, sed semper sibi ob oculos ponat illud Sapientis, Eccli. 2. 1. *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

Christianis semper incumbunt tentationes.

Quintò & maximè ad litteram, *omnes*, id est plerique. *omnes qui piè volunt viuere*, propriè *persecutionem patientur* ab hominibus, siue Christianis cognatis & amicis, siue ab infidelibus & hæreticis, siue ab inuidis, alijsque peruersis & improbis: à talibus enim talem propriè dictam persecutionem passus erat Paulus Antiochiæ & Lystris. Et hoc propriè significat Græcum διωχθήσονται. Hæc sententia verissima & clarissima erat tempore S. Pauli, cùm illi qui à gentilismo conuertebantur ad Christum, statim tam à suis, quàm ab externis, maximè præsidibus, bonis, patria, libertate, & sæpè vita mulctabantur. Idem etiamnum hodie est videre, cùm quis à vita mundana & licentiore ad Christianam, modestam & sanctam, ac præsertim perfectam & religiosam se conuertit. Talis enim & à suis, & à socijs, & ab externis vexatur, ridetur, tentatur, iniurijs & contumelijs proscinditur, ac bonis non rarò vel in solidum, vel magna in parte priuatur: quibus cum Apostolo insigni patientia & constantia est opus, vt, cùm vndique & assiduè impetuntur, discant illud Tertull. lib. de Patientia: *Patientia tua improbitas fatigetur aliena.* Et illud Chrysost. hîc: *Impossibile est, vt qui malis bellum indixerit, pressuris careat; nefas est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem: luctamen enim sunt*

Qui Christum, vel religionem sequuntur, persecutiones patiuntur.

Patientia virtus quid necessaria.

C *præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium: aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus: nullus vbi ad certamen se exuit, vnctusque est, requiem quærit. Si enim requiem quæris, cur te exuisti, cur libidinibus & naturæ* (mundo ac hominibus) *bellum indixisti?* Hinc infert S. Gregor. lib. 6. epist. 191. ad Narsam: *Qua in re ego, ait, fidenter dico, quia minùs piè viuis, si minùs persecutionem pertuleris.* Nam, vt ipse subdit, *studium bonæ operationis ipsa aduersitas auget. Sic semina messium gelu cooperta, fertiliùs germinant. Sic ignis flatu premitur, vt crescat.*

Vbi Nota, hanc Apostoli sententiam esse quasi parœmiam, siue prouerbiũ significans non quod omnibus omnino pijs & semper; sed quod plerisque, & sæpè accidit: quales sententiæ multæ sunt in Prouerbijs, vt cùm dicitur, *Omnes quæ sua sunt quærunt: omnes*, id est, plerique: non enim Paulus & Apostoli sua quærebant. Sic Prouerb. 16. 10. dicitur, *Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius.* Sensus est, q. d. Iudicia & præcepta iusti regis accipienda sunt vt oracula Dei, cuius loco præest, quique ei in Deum & iustitiam intento & defixo quasi vicario suo assistit, ne in iudicando vel mandando erret; & tamen scimus reges etiam iustos subinde in iudicijs & mandatis à vero & iusto aberrasse & aberrare. Sic eodem cap. v. 24. dicitur, *In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ*, q. d. Stultorum vti mens, ita & oculi vagi sunt, hinc inde gyrantes, vsque ad fines terræ circumspiciendum: oculi verò & vultus sapientis graues sunt, constantes, & ad sapientiam compositi, scilicet vt plurimùm. Nam subinde videmus & stultos oculos & vultum ad sapientiam & gra-

Aliquot loca Prouerbiorum explicata.

uitatem

uitatem componere; & è contra sapientes oculos & vultum ad iocos & hilaritatem soluere & relaxare. Similia multa sunt in Prouerbijs, vt ibi dixi.

VERS. 13. MALI HOMINES ET SEDVCTORES PROFICIENT IN PEIVS, ERRANTES, ET IN ERROREM MITTENTES] Græcè πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, id est, in errorem seducentes & errore seducti. q. d. Pij persecutionem patiuntur, impij verò, inquit Chrysost. in otio sunt & quiete, libereque indulgent suæ impietati; adeò vt quotidie in impietate crescant, nemine ijs reluctante: hæc est enim mali ac præsertim erroris vis, vt noua semper comminiscatur, & ex vno principio falso alias & alias conclusiones falsas deducat.

Impij & hæretici quomodo & quorum respectu, & in quo proficiant.

Dices, Hic locus aduersatur versui 9. huius capitis, vbi dixit, *Non vltrà proficient*. Respondi eo loco, dici, *Non proficient vltra*, vt nimirum viros cordatos seducãt; illis enim mox patebit eorum fraus & impietas: hîc verò dicitur, quòd ipsi in se & sua impietate proficient, atque in suos errores, homines leues, inconstantes & suis cupiditatibus addictos, pellicient.

VERS. 14. & 15. TV PERMANE IN IIS QVAE DIDICISTI, ET CREDITA SVNT TIBI: SCIENS A QVO DIDICERIS. ET QVIA AB INFANTIA SACRAS LITTERAS NOSTI] *Credita*, id est, commissa sunt tibi quasi Episcopo conseruanda & promulganda. Aliter Chrysost. *quæ credita sunt tibi*, siue à te, id est, quæ credidisti, quæ fide percepisti, q. d. Credidisti inter alia, quòd pij persecutionẽ patientur; permane ergo in hac fide tua, & iuxta eam pro pietate persecutionem patere. Sed prior sensus planior est & germanior: græcè enim non est ἀδιστεύσας, id est quæ credidisti, sed ἀδιστεώθης, id est quæ creditus es, hoc est, vt clarè vertit Noster interpres, quæ credita & commissa sunt tibi tuæque fidei. Porro duos stimulos, ad permanendum in doctrina, quam edoctus est, Timotheo admouet Paulus. Prior est, quòd eam acceperit à maximo doctore, scilicet Paulo, qui à Deo constitutus erat magister Gentium, & orbis doctor. Seipsum enim hîc intelligit Paulus, sed modestiæ causa nomen suum subticet. Nimirum doctrinæ fidem quàm maximè apud discipulos conciliat doctoris auctoritas. Ita Pythagoras à suis colebatur, vt discipuli doctrinæ eius rationem poscentibus, non aliud redderent, quàm αὐτὸς ἔφα, ipse, scilicet Pythagoras, ita dicit, ita censet. Posterior stimulus est, quòd ab infantia sacras Litteras, putà vetus testamentum, legem scilicet & Prophetas, quæ de Christo, Christique vita & mysterijs clarè prophetarunt, didicerit Timotheus. q. d. Permane in ijs, quæ quasi cum lacte suxisti. ita Chrysost. Ambros. Theophyl. Ita Plato li. 6. de Legibus. *Affero*, inquit, *eos qui præstantes viri in aliquo euasuri sunt, ab ineunte statim pueritia oportere ad ipsum tam ludendo, quàm studendo in singulis ei negotio conuenientibus meditari.*

Duos stimulos admouet Paulus Timotheo ad permanendum in doctrina Christi.

Magni futuri in re aliqua à puero incipiant.

Atque hinc est quod ait Ierem. Threnor 3. *Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit se super se.* Ita maximi Sancti à teneris inchoarunt sanctam, austeram, religiosam & perfectam vitam; vti S. Ioannes Baptista, de quo canimus:

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti:
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Maximi sancti à puero cœperunt.

Exempla. Sic Samson & Samuel à puero consecrati sunt Nazaræi. Sic Ioannes Euangelista iuuenis, & à sæculi corruptione adhuc immunis, Christum secutus est, ideoque fuit *discipulus ille quem diligebat Iesus*, cui & maxima mysteria reuelauit. Sic S. Paulus primus Eremita, & S. Antonius, & S. Hilarion an. 15. ætatis venditis omnibus, & in pauperes distributis, in deserto se totos Domino manciparũt. S. Benedictus valdè iuuenis erat quando omnia dereliquit, nempe 10. vel 12. annorum. S. Maurus erat annorum 12. S. Placidus, & multi alij S. Benedicto pueri traditi sunt. S. Ioannes Calybita cùm esset annorum circiter 14. relictis ædibus & opibus paternis, inscijs parentibus in longinquum monasterium se abdidit, orationi & ieiunio vacaturus. S. Romualdus incepit vitam monasticam anno 20. S. Thomas 14. S. Franciscus à Paula 13. S. Antoninus 13. appulit animum, 14 receptus est. S. Vincentius Ferrerius 18. S. Laurentius Iustinianus 19. S. Bonauentura 22. Venerab. Beda ab anno 7. in Religione educatus est. Plura Sanctorum qui à puero cœperunt exempla, vide in Speculo iuuentutis, quod nuper edidit Bernard. Dorhoff, totumque est de hac re.

QVAE (sacræ Litteræ) TE POSSVNT INSTRVERE (σοφίσαι, id est, sapientem reddere) AD SALVTEM, PER FIDEM, QVÆ EST IN CHRISTO IESV] id est in Christum Iesum. q. d. Sacræ Litteræ instruunt te ad salutem hoc ipso, quo docent credendum esse in Christum, & per fidem Christi, eiusque Sacramenta & præcepta à Christo ad id instituta nos iustitiam & salutem consequi debere. *Neque enim est aliud nomen sub cælo, in quo oportet nos saluos fieri*, Actor. 4. Quapropter finis legis & Prophetarum est Christus, quem quia reijciunt Iudæi, hinc legem & Prophetas non intelligunt, nec fidem Christi, ac consequenter nec salutem assequuntur. q. d. Paulus: Ego iam morior, & ad martyrium tendo, non amplius me doctorem audies, ô Timothee, dolebis me sublato perinde vt doluit Elisæus sublato in cælum Elia magistro: sed age, animos resume, vice mei sacras Scripturas tibi relinquo, quasi doctorem & consultorem, vt in eis Deum loquentem & docentem audias, vtque ex ijs, neque in tristibus animum contrahere, neque in lætis inflari discas. ita S. Chrysost. Nam, vt ait S. August. serm. 112. de Temp. tom. 10. *Cùm oramus, cum Deo loquimur quando verò legimus diuinas Scripturas, Deus loquitur nobiscum.*

Sola Christi doctrina salutifera.

OMNIS SCRIPTVRA DIVINITVS INSPIRATA, VTILIS EST AD DOCENDVM, AD ARGVENDVM, AD CORRIPIENDVM, AD ERVDIENDVM IN IVSTITIA] Græca interserunt καὶ, id est, &, vt sit sensus: Omnis Scriptura, scilicet sacra, est diuinitus inspirata, & vtilis ad docendum: elegantiùs græcè dicitur S. Scriptura θεόπνευστος, id est, à Deo inspirata. q. d. Non suo instinctu, iudicio, ductu, vti profani historici & philosophi sua conscripserunt, sed *Spiritu sancto inspirati locuti sunt*, & scripserunt *sancti Dei homines*. 2. Petri 1.

VERS. 16. 17.

Sacra Scriptura inspirata à Spiritu sancto.

Nota. Hinc sacra Scriptura dicitur verbũ Dei, & Spiritus sancti: Prophetæ verò & alij scriptores hagiographi vocantur calami & instrumenta Spiritus sancti, quasi scribæ velociter scribentis, inspirantis & dictantis sacras Litteras.

Nota Secundò, Spiritum sanctum non eodem modo dictasse omnes sacras Litteras: nam legem & prophetias ad verbum reuelauit & dictauit Moſi & Prophetis: historias verò & morales exhor-

Spiritus sanctus non eodem modo dictauit omnes sacras Scripturas.

hortationes, quas anteà vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse inspirari, aut dictari à Spiritu sancto; vtpote cùm eas scirent & callerent ipsi scriptores. Sic S. Ioannes cap. 19 35 dicit se scribere quæ vidit. S. Lucas verò c. 1. v. 2. dicit se scribere Euangelium, quod audiuit & traditione accepit ab Apostolis. Dicitur tamen Spiritus sanctus eam quoque illis dictasse, Primò, quia scribentibus astitit, ne vel in puncto à veritate aberrarent. Secundò, quia eos excitauit & suggessit vt hæc potiùs scriberent quàm illa. Conceptum ergo & memoriam eorum quæ sciebant, non eis ingessit Spiritus sanctus, sed inspirauit vt hunc potiùs conceptum quàm illum scriberent. Tertiò, quia omnes eorum conceptus & sententias ordinauit, digessit & direxit Spiritus sanctus, v. g. vt hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio locò, & ita consequenter collocarent, & scripto consignarent. hoc enim propriè est librum aliquem concinnare & conscribere: & hac ratione propriè sacrorum librorum auctor dicitur esse Spiritus sanctus. Et hoc est quod S. Gregorius in præfation. in Iob c. 2. docet, ipsum Iob sua gesta non sua, sed altiore Spiritus sancti manu, sensu & ductu scripsisse, ideoque de ijs non quasi de suis, sed quasi de alienis gestis loqui. *Scriptores*, inquit, *sacri eloquij, quia repleti Spiritu sancto super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt, & sic Dei sententias quasi de aliis proferunt.*

Nota Tertiò. Ex eo quòd à Deo inspiratæ sint sacræ Litteræ, colligit S. Chrysost. eas profundos & diuinos habere sensus, ac proinde eas non cuiuis esse obuias & claras; sed arcana multa continere, instar fluuij, cuius extima aquarum superficies tantùm patet, sub qua interior ac longè maior aquarum copia recondita latet, *in qua & agnus* (humilis) *natet, & elephas* (superbus) *mergatur*, inquit S. Gregor. epist. ad Leandrum, quæ præfigitur præfat. in Iob.

Nota Quartò. Sacra Scriptura vtilis est Primò, *ad docendum*, scilicet sanam doctrinam. Secundò, *ad arguendum*, scilicet Simonianos, alios que hæreticos. Tertiò, *ad corripiendum*, græcè πρὸς ἐπανόρθωσιν, id est ad correctionem. Ambros. vertit, Ad redintegrationem, qua scilicet Catholicos à vita bona & Christiana aberrantes corrigas, vitæque integritati restituas. Quartò, *ad erudiendum in iustitia*, qua scilicet erudiamus alios ad omnem iustitiam, id est, ad omnem morum honestatem, sanctimoniam & perfectionem.

17. VT PERFECTVS SIT HOMO DEI, AD OMNE OPVS BONVM INSTRVCTVS] *Hominem Dei* vocat doctorem & Episcopum, vt dixi epist. 1. c. 6. 11.

Secundò, pro *instructus*, græcè est ἐξηρτισμένος, id est adornatus, compositus, apparatus, instructus. Verùm Syrus, Ambrosius & Theophyl. legunt ἐξηρτισμένος, id est, consummatus & perfectus: & ita videtur legisse Nostet interpres. q. d. Sacræ Scripturæ vtiles sunt ad hoc vt faciant te perfectum doctorem, ô Episcope, vt ad omne opus bonum, præsertim docendi, arguendi, corripiendi, & erudiendi iam dictum, quod proprium est Episcopo, atque ad martyrium pro eo subeundum, sis instructus & comparatus. Præuidebat enim Paulus tam sibi, quàm Timotheo martyrium pro Euangelio instare.

Non sola Scriptura reddit hominem perfectum.

Nota. Non dicit Apostolus solam Scripturam reddere hominem perfectum: sic enim excluderet Sacramenta, gratiam, doctores & traditiones; quas tamen requirit 2. Thessal. 2. v. 15. Neque rursum dicit Apostolus, S. Scriptura sufficiens est, sed *vtilis est vt homo sit perfectus.* Sicut ergo si dicas, Sol vtilis est, vt omne viuens producatur & perficiatur; non negas ad hoc opus esse pariter concursu causæ secundæ generantis: ita similiter cùm dicit Apostolus, Scripturam vtilem esse ad hoc, vt homo sit perfectus, non negat ad perfectionem tum doctrinæ, tum vitæ Christianæ, requiri traditiones, Sacramenta, actus virtutum, aliaque à Christo alibi præscripta. Adde, cùm hæc scriberet Apostolus, necdum scripta erat Apocalypsis, & nonnullæ Apostolorum epistolæ, quas proinde Timotheus legere non poterat, quæ tamen vti ad perfectam Scripturam; ita ad hoc, vt ex ea perfectus euadat homo, requiruntur.

Innuit tamen Apostolus, vt rectè notauit Chrysostom. neminem sine Scriptura posse esse perfectum in fide & vita Christiana ac diuina. Ad hanc enim vtilitatem & vsum à Deo data est Scriptura.

Sacra Scriptura pharmacum est ad omnes morbos depellendos.

Hinc S. Basilius epist. 1. ad Gregor. Nazianz. S. Scripturâ comparat officinæ apothecariæ quæ omnibus pharmacis ad quoslibet morbos depellendos instructa est. *Si quis*, inquit, *laborat concupiscentia, & castitatis est cupidus, historiam Ioseph assiduè legat; ex ea discet & hauriet puditiæ amorem & spiritum. Si quis impatiens, patientiam desiderat, legat gesta S. Iob. Si quis fortitudinem cupit, legat acta Dauidis. Si quis mansuetudinem appetit, Mosen voluat & imitetur.* Ita S. Paula in omni re & tentatione, sacra Scriptura se armabat, & ad perfectionem instruebat, teste S. Hieron. in eius epitaphio; vt videretur esse arca testamenti & armamentariũ Scripturæ. *In periculis*, inquit Hieron. *loquebatur Paulæ; Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Cùm euersio totius patrimonij nunciaretur, aiebat, Nudus exiui de vtero matris. In crebra infirmitate, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem. In mœrore cantabat, Quare tristis es anima mea? spera in Deo: Cùm nimio feruore virtutum nonnullis videretur insana, Theatrum, ait, facti, sumus mundo, angelis & hominibus; nos stulti propter Christum, &c.* Appositè ergo Origenes hom. 7. in Exod. S. Scripturam cum manna comparat, *Si tu*, inquit, *verbum Dei tota fide & deuotione susceperis, fiet tibi ipsum verbum quacumque desideras. v. g. si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non spernes. Si lætaris, pro spe futura cumulat tibi gaudium, dicens: Lætamini in Domino, & exultate iusti. Si iracundus es, mitigat te, dicens: Desine ab ira, & derelinque furorem. Si in doloribus es, sanat te, dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens: Dominus alleuat de terra inopem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumq; volueris.*

Sacra Scriptura S. Paulæ fuit clypeus cõtra omnes tentationes.

Sacra Scriptura mãna.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

OBtestatur Timotheum vt instanter prædicet, moneat, arguat suos, idq; propter instantes hæreticos: se enim id amplius facere non posse.

Vnde v. 6. docet sibi instare mortem & martyrium, ac prædicationis laborumq; coronam.

Secundò, v. 9. iubet vt ad se ab omnibus penè derelictum cum penula & libris veniat.

Tertiò, v. 16. recensèt quomodo à Nerone & primis vinculis à Deo sit liberatus, sperateq; eadem Dei ope è secundis vinculis non liberari, sed per martyrium euolare ad regnum cæleste.

Quartò, v. 19. suos salutat & gratiam apprecatur.

1. TEstificor coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: 2. prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. 3. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non tustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, 4. & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. 5. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. 6. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. 7. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. 8. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius. Festina ad me venire citò. 9. Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abijt Thessalonicam: 10. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, 11. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerium. 12. Tychicum autem misi Ephesum. 13. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas. 14. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius: 15. quem & tu deuita: valdè enim restitit verbis nostris. 16. In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. 17. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore Leonis. 18. Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. 19. Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori domum. 20. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. 21. Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. 22. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

VERS. 1. & 2.

TESTIFICOR CORAM DEO, ET IESV CHRISTO, QVI IVDICATVRVS EST VIVOS ET MORTVOS, PER ADVENTVM IPSIVS, ET REGNVM EIVS, PRÆDICA VERBVM] Pro *testificor*, græcè est Διαμαρτύρομαι, id est, obtestor, &, vt Theophyl. & Anselm. adiuro te, ô Timothee, coram Deo, & per Deum, perque Iesum Christum, quos inuoco quasi testes (hoc enim significat Hebræum *heid*) & vindices huius meæ obtestationis, vt instanter Euangelium prædices, oportunè & importunè, cogitans te huius prædicationis factæ vel neglectæ exactam in die iudicij, Christo iudici redditurum esse rationē.

Vltima monita dat Apostolus Timotheo.

Nota. Apostolus hîc iam moriturus quasi vltimis verbis alloquitur Timotheum: vltima enim ei dat monita, & quasi testamentū condit, in quo ante omnia commendat ei quasi Episcopo munus prædicandi. Est enim hoc primum & maximum Episcopi officium, ad quod Episcopus iure diuino obligatur, vt docet Concil. Trident. sess. 24. c. 4. Terreantur ergo hîc Episcopi & pastores qui non prædicant, inquit Theophyl.

Episcopus ad prædicandum iure diuino tenetur.

Nota *coram Deo*, scilicet Patre: sequitur enim, *& Iesu Christo*. Deus ergo hîc distinguitur à Iesu Christo, ac consequenter non essentiam, sed personam Patris denotat.

Secundò, dicitur *Christus iudicaturus viuos & mortuos*, id est, iustos & peccatores, inquit Chrysost. sed hoc mysticum est. *Viuos* ergo intelligit ad litteram homines, scilicet qui in die iudicij inuenientur viui; *mortuos*, qui ante illum diem erunt defuncti. Vide dicta 1. Thessal. 4. v. 17.

Quomodo iudicandi viui & mortui.

Tertiò, *τὸ per aduentum ipsius*, non est, adiurantis, vel obtestantis. Sic enim græcè deberet esse, Ἀλλὰ non Καί, sed tantùm designat tempus & modum quo Christus iudicaturus est viuos & mortuos, scilicet per aduentum suum, vel in aduentu suo illustri (hoc enim est Græcum Ἐπιφάνεια) cùm scilicet Christus non pauper & humilis, vti olim, sed glorioſus veniet ad iudicium, in quo regnum suum beatum & æternum cum omnibus Sanctis gloriosè inibit; & quasi coram toto mundo inaugurabitur, ita Chrysost.

Expergefiat & horreat sub tali testificatione Episcopus, Parochus, concionator, confessarius. *Quis hæc audiens*, ait S. August. li. 1. contra Crescon. c. 6. *si Deo fideliter seruit, si dolosus operarius non est, ab hac diligentia & instantia conquiescat? quis sub tanta testificatione segnis esse audiat?* Iure queritur S. Gregor. hom. 17. in Euangel. *Ecce*, inquit, *mundus totus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei ra-*

rus

rus valdè inuenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus.

INSTA (prædicationi) OPORTVNE, IMPORTVNE] Græcè ἐπαίρως, ἀπαίρως, id est, tempestiuè & intempestiuè. Est prouerbium idem significans quod assiduè & instanter; quamuis Primatius ex August. propriè hæc accipiat: *Verbum*, inquit, *oportunum est libenter audienti, importunum inuito.* Et S. Cæsarius Epist. Arelat. hom. 26. *Quid est*, ait, *oportunè, importunè, nisi oportunè volentibus, importunè nolentibus? Volentibus audire verbum Dei, offerendum est: fastidientibus, ingerendum: ne fortè contra nos ante tribunal Christi stantes dicant, se à nobis admonitos non fuisse, & animarum illorum sanguis de manibus nostris requiratur.* Quod enim inuitus nunc audit, postea ruminans capiet, libens accipiet, conuertetur & gratias aget. vti æger, cui ligato calculus aut vlcus secatur, dolet, clamat, quin & medicum subinde abigere vult; sectus tamen & curatus gratias agit. Vide August. l. de Pastoribus cap. 7. Audi & S. Gregor. p. 2. Pastor. c. 4. *Dicturus*, inquit, *importunè, præmisit oportunè: quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua vilitate se destruit, si haberet importunitas oportunitatem nescit.*

ARGVE OBSECRA, INCREPA IN OMNI PATIENTIA ET DOCTRINA] Pro *argue*, græcè est ἔλεγξον, id est, argumentis conuince. *Nam si absque argumentis aliquem increpes, temerarius esse videberis, nullusque te perferet*, inquit Chrysost. & ille quem increpes, fiet impudens & durus ac obstinatus.

Secundò, pro *obsecra, increpa*, in Græco alius est ordo. nam præcedit παρακάλεσον, id est increpa; sequitur verò ἐπιτίμησον, id est, obsecra vel adhortare. Interpres ergo Noster hæc verba transposuit, vt meliùs significaret alternationem affectuũ, quam hîc præcipit Paulus; scilicet Episcopũ nunc debere errantes & peccantes arguere, nunc obsecrare, mox rursum increpare acriùs. Nam, vt ait S. Innocentius dist. 83. c. Error, *Error cui nõ resistitur, approbatur; & veritas, cùm non defenditur, opprimitur. negligere quippe cùm possis deturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere: nec caret scrupulo societatis occulta, qui manifesto facinori, cùm potest, desinit obuiare.* Dicit ergo Apostolus: *Argue, obsecra, increpa.* q. d. Increpatio est idem quod in chirurgia sectio: obsecratio verò est pharmacum leniens. hoc ergo adhibe increpationi, ne, si sola sit increpatio, quasi sectio, hominem nimio dolore excruciet, & ad pusillanimitatem, indignationem, aut etiam desperationem adigat. ita Chrysostomus, Theophyl. & alij. Sicut enim medici nunc lenibus pharmacis, nunc acribus vtuntur: sic Episcopus, & quiuis spiritualis medicus nunc blanditijs, nunc asperioribus verbis cum suis agere debet, vti fecit Abraames monachus & Episcopus Carrharum, inquit Theodor. in Philotheo c. 17.

Verùm S. Prosper l. 2. de Vita contemplat. c. 5. hæc ad diuersos refert: *Argue*, inquit, *coæquales, obsecra seniores, increpa iuniores: sed propterea addit, In omni patientia; quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti, asperitate autẽ nimia & increpatione offensus, neque increpationem recipit, neque salutem.*

Nota Iubet Apostolus increpationẽ faciendam. Primò, *in*, id est cum, *omni patientia*, &, vt græcè est, μακροθυμίᾳ, id est longanimitate. Secundò, *in*, id est cum, *doctrina*, qua scilicet solidè alium errasse doceas, eiq; viam veritatis ostendas. Ratione enim conuinci & duci volũt homines. Duæ hæ dotes ne-

Cornel. in Epist. Pauli.

cessariæ sunt doctori, prædicatori & monitori, doctrina scilicet & patientia, ne tarditati & duritiei eius quem docet & monet, irascatur; sed toleret, compatiatur, & de lapsu eius doleat magis, quàm ille qui lapsus est, ita Chrysost. Vnde pulchrum documentum ijs qui alios monere aut corripere volunt, dat S. August. in epist. ad Galat. in illud c. 6. 1. *Huiusmodi instruite in spiritu lenitatis*, vt scilicet qui alium sunt correpturi, ante correptionem examinent conscientiam, an amore ad eam moueantur; nec ad eam descendant, nisi examinata conscientia, deprehendant se proximi amore ad eum corripiendum impelli. *Quidquid enim*, inquit, *lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis: dilige, & dic quod voles.* Hinc rectè aduertit Theoph. non dici simpliciter, *Increpa in patientia*, sed *in omni patientia*, id est inquit, quæ omnibus modis demonstratur, operibus, nimirum, verbis & pecunijs; vt quaquauersum constãs & perfecta sit doctoris & monitoris patientia; vt numquã suam bilem & iram ostendat, quantumcumque auditor aut peccator illi difficilis sit, molestus & rebellis. Ita nimirum imitabitur Deum, qui peccatores monet, docet, exspectat in multa patientia. Vnde *Deus* ab Hebræis dicitur lentos habere pedes, longas aures, fortes manus, & latas nares: ipseq; Deus licet ob adorationem vituli populo suo maximè infensus, iussit voluitque à Mose hisce nominibus compellari & inuocari, Exodi 34. 6. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis.* Vbi pro *patiens*, in Hebræo est אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim*, id est, *longus naribus*, hoc est, *iræ*, q. d. Longus ad iras, tardus ad irascendum. quia enim ira maximè vultu & naribus se prodit, vnde irati dicuntur corrugare & suspendere nasum, quodque iras naribus efflant, hinc Hebræi per *appaim*, id est nares, significant iram. Rursum, *longus naribus*, id est, *latus naribus*, per enallagen quantitatis, qua longitudo pro latitudine ponitur. Iã latus naribus idem est quod μακρόθυμος, id est, longanimis & tardus ad iram: qui enim angustis sunt naribus citò irascuntur, eò quòd fumos & vapores biliosos ex stomacho ascendentes citiùs concipiunt, & tardiùs ob meatuum in naribus angustias efflant: vnde hebraicè cholericus qui citò irascitur, vocatur קְצַר אַפַּיִם *ketsar appaim*, id est, arctus vel strictus naribus. Talis enim, vt dixi, celer est in bilem. E contrario qui latis sunt naribus, tardè irascuntur: tales enim & bilem faciliùs efflant, & insuper multum aëris frigidi admittunt, quo bilis æstus temperetur. Vnde placidiores sunt, & hac de causa lentus ad iram, hebraicè dicitur אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim*, id est longus, siue latus naribus, itaq; Deus, vtpote patientissimus & clementissimus, anthropopathῶs vocatur.

Documentũ pro ijs qui alios volũt corripere.

Deus apud Hebræos dicitur habere lẽtos pedes, longas aures, fortes manus, & latas nares.

Latus naribus idem quod longanimis. Arctus naribus iracundus.

Deus anthropopathῶs vocatur longus naribus.

ERIT TEMPVS, CVM SANAM DOCTRINAM NON SVSTINEBVNT: SED AD SVA DESIDERIA COACERVABVNT SIBI MAGISTROS, PRVRIENTES AVRIBVS] Dat causam cur dixerit, *Prædica verbum, insta, argue, obsecra*, quia scilicet multi homines voluptuarij & libertini similes sibi magistros, putà hæreticos, quærent, qui hominum curiositati & cupiditatibus indulgentes, eos à sana fide & seueritate vitæ Christianæ ad suos errores & vitæ morumque licentiam abducent. VERS. 3.

Nota vocem *coacernabunt*, id est temere sine iudicio & delectu, prout agit eos libido, & nouitatis

ac cupiditatum desideria, aggregabunt sibi doctores, non ab Episcopis ordinatos & approbatos, sed quos plebs ipsa sibi depoposcerit, perinde vt lapides tumultuariè à multis coaceruantur, & in vnum aceruum & cumulum colliguntur. Vnde Chrysostomus, vox *Coaceruabunt*, inquit, *significat confusam doctorum turbam ac multitudinem.* Pulchrè & verè Tertullianus l. de Præscrip. c. 41. *Ordinationes eorum* (hæreticorum) *temerariæ, leues, inconstantes; nunc enim neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros.* Adde, quod hoc sæculo vidimus & videmus; nunc quoque cerdones, cauponarios, sartores & pollinctores, & hisce viliores.

Quales hæreticorum ministri & magistri.

Quid sit pruritus aurium in impijs.

Nota Secundò, τὸ *purientes auribus*, non ad magistros, sed ad auditores qui sibi magistros coaceruant, referendum esse. Græcè enim est, κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν, in nominatiuo. Adde, magistros nō auribus, sed lingua; discipulos verò auribus prurire. Sē sus ergo est, ij qui pruriunt auribus, coaceruant sibi magistros ad suos pruritus & desideria accommodatos. q.d. Hi homines desiderijs vanis & carnalibus pleni, eò quòd pruriant auribus, id est, eò quòd ament audire noua, curiosa, mollia, voluptuaria; hinc quærunt sibi magistros non qui verbo mordeant, & abradant vitia, sed qui sibi & vitijs suis ablandiantur; quique aures scalpant, & omni cubito pululum attluant, dum mellita & vulgo plausibilia prædicant. Vnde S. Cyprianus l. 3. Testimon. 67. ad Quirinum legit, *coaceruabunt sibi magistros, prurientes in audiendo, scalpentes aures.* Sic pruriebāt auribus Iudæi, cùm eloquentia Prophetarum, quasi cithara delectarentur, sed mandata eorum negligerent, imò riderent, quia, vt ait Dominus ad Ezech. c. 33. *In canticum oris sui vertunt sermones tuos, & tu es eis quasi carmen musicum, quod suaui dulcique sermone canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Talis erat & prurigo illorum, qui dicebant Prophetis: *Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia* (hebraicè חֲלָקוֹת *chalakot*, id est lenia, mollia, blanda, suauia) *videte nobis errores*, Isaiæ 30. 10.

Voluptuarij laborant morbo pruriginis.

Nota. Appositè voluptuarij dicuntur laborare morbo pruriginis, qui breui voluptate longum dolorem affert. nam, vt ait Plato in Philebo, *Sicut iucundum & volupe est scabiem scabere, at postea tetros ciet odores & dolores; ita vitiorum voluptas gustu grata est, postea verò multum habet fellis & aloës.*

VERS. 5. TV VERO VIGILA, IN OMNIBVS LABORA, OPVS FAC EVANGELISTAE, MINISTERIVM TVVM IMPLE. SOBRIVS ESTO] Quia, vt dixit, instant praui magistri & hæretici, qui a sana fide populum ad fabulas erroneas auertent; hinc Episcopo Timotheo acrem hîc contra eos indicit vigilantiam, vt quasi Argus centum oculis eos obseruet, & quasi lupos à suo grege auertat.

Secundò, pro *Labora*, græcè est κακοπάθησον, id est mala sustine, perfer & obdura pro Euangelio.

Opus Euangelistæ quod & quale.

Tertiò, *opus Euangelistæ* vocat non scriptionem, sed prædicationem Euangelij. Euangelistæ enim est euangelizare verbum Dei, tum voce, tum vita sancta, inquit Anselmus.

Quartò, pro *ministerium tuum imple*, græcè est τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, quod Erasmus, Vatabl. & alij vertunt, *facito plenam fidem tui ministerij*, id est, tuæ prædicationis; vt scilicet eam ad plenum probatam reddas. Sed simpliciùs, vt dixi Rom. 14. 5. Noster hîc & alibi Græcum πληροφόρησον vertit, *imple*, id est, plenè perfice tuū ministerium; vt sci-

A licet perfectè expleas & perfungaris tuo docendi, prædicandi & regendi officio: hoc enim tibi tamquam Episcopo incūbit. Id fietsi assiduè prædices, *Officium Episcopi euangelizare opere & verbo.* fiq́ue vita tua doctrinæ respondeat, vt tui videant te non venari tua commoda, sed pro Euāgelio dura & dira quæque alacriter pati amore Christi: omnium enim oculi in te sunt coniecti. Ita Episcopus, Pastor, doctor, & quisque videat vt spartam, quam nactus est, hanc adornet. Sic S. Cyprianus quotidie populū suum docebat & exhortabatur, vt ipse initio l. de Disciplina, & bono pudicitiæ fatetur, dum ait: *Semper enitor vel maximè quotidianis Euangeliorum tractatibus vobis fidei & scientiæ per Dominum incrementa præstare. Quid enim aliud in Ecclesia Domini vtilius geri, quid accommodatius officio Episcopi potest inueniri, quàm vt doctrina diuinorum per ipsum infinuata collatag; verborum, possint credentes ad*
B *repromissum regnum peruenire calorum? hoc certè mei & muneris & operis quotidianum votiuum negotium, absens licet obtinere connitor.* Hæc ipse exul per litteras docens populum, quem præsens quotidie per concionem viua voce docebat. Vnde de eo Pōtius in eius Vita: *Tanta illi*, inquit, *fuit sacri cupido sermonis; vt optaret sic sibi passionis vota contingere, vt, dum de Deo loquitur, in ipso opere necaretur. Et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam.* *S. Cypriani exemplum boni Episcopi.*

Quintò, τὸ *sobrius esto*, non est in Græco, nec in Syro, nec apud Ambrosiū, Primas. Haymonem & alios veteres. Vnde videtur irrepsisse, præsertim cùm post illa quæ longè perfectiora sunt, scilicet, post *In omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministeriū imple*, satis frigidè videatur subiungi, *Sobrius esto.* Suspicio ergo est, vt notat Franc. Lucas in suis Notis, illud hîc irrepsisse, ex ambiguæ Græcanicæ vocis alia translatione. Græcū enim νῆφε, quod
C Noster cum Syro vertit, *tu verò vigila*, verti potest, *tu verò sobrius esto*: & ita eo loco vbi nos habemus, *tu verò vigila*, Ambrosius legit, *sobrius esto*, nec postea agnoscit siue *vigila*, siue *sobrius esto*. Idemq́ue Ambros. τὸ *sobrius esto*, explicat per *vigila*: Admonet, inquit, & hortatur vt vigilet. τὸ sobrius esto, *vigilantiam est.*

EGO IAM DELIBOR, ET TEMPVS RESOLVTIONIS MEAE INSTAT] Nota. Coniunctio *enim* dat causam cur tam impensè Timotheum hortatus sit ad vigiliam & prædicationem; vtq́ue ministerium suum adimpleat; quia scilicet mors illi instabat. q.d. Hæc monita mea acria sunt, quia vltima, viua voce deinceps te non alloquar. Vide ergo, ô Timothee, vt vltima hæc monita penitus tibi imprimas, atque in omnem vitam ob oculos ponas, quasi in ijsme monentem tamquam præsentem semper intuearis. VERS. 6.

Nota. Pro *delibor*, græcè est σπένδομαι, id est, pro
D libamento offeror & immolor, sanguinem meum quasi libamen Deo profundo, consecro & sacrifico per martyrium. Scitum est ex Leuitico sacrificia, siue victimas suum habuisse libamen vini & olei: erant enim sacrificia quasi conuiuium Dei, in quo cibus quasi Dei erant victimæ, potus verò erat libamen. Victimas ergo hîc Paulus vocat gentes à se conuersas, Christoq́; oblatas: libamen verò vocat suum sanguinem, quo hanc victimam sanxit Deoq́ue consecrauit. Vide dicta Roman. 15. 16. & Philipp. 2. 17. *Libamen sacrificij quid fuerit, ad quod alludit Paulus.*

Aduertit hîc Chrysost. & Theoph. Paulum hîc non vocare se victimam, sed libamen. Hoc enim dignius est: nam victima sæpè non tota, libamen verò totum semper Deo offerebatur. Adde, potiùs & clariùs sanguinis effusionem & martyrium significari

cari per libamen, quàm per victimam. Ex Dei ergo A
reuelatione & instinctu præsciuit Paulus mortem,
adeoque martyrium sibi instare. Idem præsciuit S.
Petrus, vt patet epist. 2. c. 1. *Certus sum*, inquit, *quia velox est depositio tabernaculi mei.*

Hinc Nota Secundò. *Tempus resolutionis* vocat tempus mortis. Mors enim non est interitus, sed resolutio hominis, qua scilicet corpus terræ quasi matri, anima Deo quasi patri redditur, quiin resurrectione illa coniunget, & in æternum colligabit ac glorificabit. Vnde Tertullianus in Scorpiaco c. 13. legit, *tempus deuersionis*, id est, reuersionis & regressionis meæ, ad Deum scilicet, instat. Et S. Cyprianus epist. 9. ad Martyres legit, *tempus assumptionis meæ instat*. Sunt hæc verba Pauli, inquit August. in psal. 31. *Exultantis magis ad mortis præsentiã, & ad coronam anhelantis, quàm timentis, & seipsum cruciantis.* Ita Martyres audito mortis nuncio exultarunt B
& iubilarunt. Sic S. Cyprianus audita Valeriani Imp. contra se sententia, *Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet*; respondit, *Deo gratias, qui me à vinculis huius corporis dignatur absoluere.*

Nota Tertiò, verbum *instat*, quod Baronius & alij explicant per, appropinquat, quia scilicet sub hoc eodem Cæsare Nerone post nouem annos ego Paulus capite plectar. Putãt enim illũ hæc scripsisse non è secundis, sed è primis vinculis q. d. Paulus, Mea senectus, mei labores, mea predicatio, ærũnæ, persecutiones mihi præsagiunt, imò certò prænunciant, me non diu victurum, sed breui moriturum, putà post paucos annos, scilicet octo. Huic sententiæ Primò, fauet, quod ait v. 17. *Vt per me predicatio impleatur*: quo significat sibi adhuc aliquamdiu esse prædicandũ. Secundò, id quod ait v. 11. *Adduc Marcum: est enim mihi vtilis in ministerium*, scilicet meæ C
prædicationis. Tertiò, quod v. 11. ex Græcia euocat ad se Timotheum: nam hic euocatus ab eo primo anno primorũ vinculorum venit ad eum anno secundo eorumdem, vt patet Philip. 2. 1. vbi Paulus è vinculis cũ Timotheo salutat Philippenses. Quartò, quod ait v. 11. *Lucas est mecum solus.* nam post prima vincula Lucas Paulum reliquit, prædicauitque in Africa & Ægypto: nisi dicas eum inde sub mortem Pauli ad illum rediisse, vt martyrio eius interesset, vti reipsa interfuisse testantur acta Lini, quæ extant apud Mombritiũ in martyrio S. Pauli, sed dubiæ fidei. Idem dici posset de Timotheo & Marco. Hisce & alijs pluribus coniecturis Baron. & ex eo moderni nonnulli viri eruditi valdè probabiliter censent hanc epistolam scriptam esse è secundis vinculis. Verùm auctoritas veterũ in contrarium trahit. Nam è secundis vinculis scriptam D
esse, cẽsent Euseb. l. 2. hist. c. 22. Hieron. l. de Script. Eccles. in Paulo, S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Anselm. & alij hîc, ac Syrus, qui in fine epistolæ ait: *Scripta est à Roma, cùm iterum Paulus sisteretur Neroni.* Fauet, quòd Demas in primis vinculis Paulo adhæserit, vt ait Paulus ad Philem. v. 24. hîc autem v. 9. ait quòd Demas se reliquerit, scilicet in secundis vinculis, vt videtur. Rursum fauet id quod dicam de Trophimo v. 20. Denique vrget τὸ *ego enim iam delibor*, q. d. Ego iã immolor, instat mihi mors: & ita veteres omnes iam citati intellexerunt. Hoc enim planè significant hæc verba, *Tempus resolutionis meæ instat*, &, *Cursum consummaui.*

Idem Christianis faciendũ est, cùm & Gentiles idem fecerint. *Socrates* enim, inquit Nazianzenus ad Philagriũ, *ab Atheniensibus ad mortem damnatus,*

Cornel. in Epist. Pauli.

atque in carcere agens, de corpore quasi de alio ergastulo cum discipulis differebat; cumq; fugere posset, recusauit: postquam autem cicuta ei oblata est, perlibenter accepit, perinde ac si non lethale poculum acciperet, sed prupinando, amicos ad potandum inuitaret. Vnde & Cicero l. 1. de Orat. ait, viros bonos & sapientes, qualis erat Socrates, quasi cycnos cum laude & voluptate mori, quia scilicet præuident & quodammodo diuinant, quid in morte boni sit; atque vt ex Platone ait Seneca ad Marciam c. 23. *Sapientis animus totus in mortem prominet, hoc vult, hoc meditatur, hac semper cupidine fertur in exteriora tendens.*

BONVM CERTAMEN CERTAVI] Græcè, τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, id est, agonizaui agonem illũ pulchrum, scilicet strenuum & egregium, ideoque decorum & gloriosum; quo pro fide Christi diuulganda plurimos labores, ærumnas, persecutiones & afflictiones generosè superaui, ac instãs martyrium facilè me cum Dei gratia superaturum certissima spe confido, vt scilicet martyrium quasi coronidem agoni meo imponam. ita ex Augustino Beda. Alludit Paulus hîc, vti aliàs sæpè, ad Olympicos agones, in quibus luctando pugnandoque; & ad stadiũ, in quo currendo certabant: vbi victor brauio & corona donabatur à brabeuta, id est, à præside certaminis, cuius erat brauiũ dare illi, qui alios in agone aut cursu superauerat. Sic hîc tam agon quàm stadium Pauli est vita, status & munus euangelizandi; lucta & cursus sunt labores & passiones; victoria agonis est ea qua certans contra carnem, dæmonem, mundum, hæreticos, Ethnicos, Gentesque quaslibet, omnes deuicit & Christo subiecit; victoria stadij eius est tum illa iam dicta, tum hæc, quòd scilicet in propagatione Euangelij viros sanctos, aliosque Apostolos præuertit & superauit; corona est ingens gradus & cumulus gloriæ cælestis, quẽ mox illi daturus erat brabeuta Deus. VERS. 7.

Vita Apostoli & nostra stadiũ. quid luctat? quid coronat?

Ad instar S. Pauli B. Agatha fortiter decurso agone suo, iam moriẽs, *Vidisti*, inquit, *Domine, & spectasti agonem meũ, quomodo pugnaui in stadio; sed quia nolui obedire mandatis principum, iussa sum in mammilla torqueri. Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem fecisti, accipe animam meam.*

CVRSVM CONSVMMAVI] Putant aliqui cursum idem esse cum certamine & agone, qui præcessit; quasi Paulus quod generatim dixerat, *Bonum certamen certaui*, hîc particulatim explicet dicẽs, *Cursum consummaui.* q. d. Certãdo cursu vici, & victor metam attigi. Verùm melius alij agonem à cursu distinguunt: agon enim erat pugilum & athletarum luctantium, certantium & pugnantium; cursus verò erat currentium & stadiodromorũ. Vnde hæc distinguit Apostolus 1. Cor. 9. 26. *Ego*, inquit, *sic curro, non quasi in incertũ, sic pugno non quasi aërem verberans.* Hinc & Theodoretus explicans illud, *Bonum certamẽ certaui*, id est, inquit, aduersus vniuersam diaboli cateruam dimicans fusis ac profligatis hostibus trophæum erexi. Suos ergo labores & certamina ac propagationem Euangelij comparat Paulus partim agoni, partim cursui, quia hic cursus eius erat agon. In hoc enim Euangelij cursu & stadio certandũ illi erat contra dæmones, Iudæos, magistratus, alioscq; Ethnicos & impios, qui in hoc cursu Paulum impedire, eumq; sistere, & Euangelij propagationem inhibere conabantur. Sunt hæc Pauli verba, non se iactantis, sed consolantis & exhortantis Timotheum, ad se in hoc cursu sequen- *Agon & cursus quomodo distinguantur?*

dum q.d. Ego à carceribus ad metã decucurri, victor ex stadio abeo ad coronam, lætare ergo & me præeuntem affectare, ô Timothee, tibi lampada trado. Sic Chrysost. qui ait: *Ita cucurrit Paulus quasi vola Lucris, imò volucri omni pernicius, quasi igneas alas haberet, quibus mundum mortes, insidias, aerumnas, delicias, illecebras, & omnia Euangelij impedimenta peruolaret.* Cursus ergo hic Pauli progressum eiusdem, tum in virtutibus tum potiùs in laboribus & prædicatione Euangelij, tum deniq; cursum & peregrinationes Pauli per terras & maria, ad Euangelium toto orbe propagandum significat.

Cursus Pauli qualis & quantus.

Ordo & cursus peregrinationis Euangelicæ D. Pauli.

Vbi Nota. Hic fuit ordo & cursus peregrinationis S. Pauli. Primò, à Damasco in Arabiam profectus est, ad Galat. 1. 17. ex Arabia post triennium Damascum reuersus est, inde abijt Hierosolymam vt videret Petrum, ad Galat. 1. v. 18. Hierosolymis, per Cæsaream, venit Tarsum, inde cum Barnaba Antiochiam, vnde ab Ecclesia Hierosolymam missus est, vt pauperibus Hierosolymitanis eleemosynam perferret: inde Antiochiam rediens missu Spiritus sancti abijt Seleuciam, mox in Cyprũ. Ab hac per Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniã, Hierosolymam rursum peruenit, interfuitq; primo Concilio Hierosolymitano, Actor. 15. vnde rursum ab Apostolis missus cum Sila & Barnaba peragrauit Syriam & Ciliciam; deinde Phrygiam, Galatiam & Mysiam. Inde venit Troadem, vbi per visionem vocatus in Macedoniam, Europã ingressus pertransijt Bœotiam, Achaiam, Epirum. Sicq; ab Hierosolymis, vsq; ad Illyricum omnes in circuitu regiones Euangelij prædicatione repleuit, Rom. 15 19. Ac tandem rediens Hierosolymam, inde Romam vinctus missus est; sed liber dimissus, Italiam, Hispaniam, aliaque loca peragrauit; donec secundò Romam veniens, cum Petro, Simonem Magum superauit, ac deiecit: tandemque iussu Neronis capite plexus martyrij lauream obtinuit. Quare meritò Chrysost. hom. 73. ad pop. to. 5 *Quantum*, inquit, *sol terrã percurrit proprios emittens radios, tantam & hic beatus* (Paulus) *solicitudinem & curam habuit Ecclesiarum omnium, quæ erant* (aut potiùs quæ per ipsum futuræ & erigendæ erant) *per totum orbem terrarum. vidisti latitudinem animæ, vidisti mentis magnitudinem.* Vespasianus Imp. teste Xiphilino, lethali morbo laborans, cùm nihilominùs, æquè ac valens, reipub. negotia tractaret, monitus à medicis vt ijs sepositis requiesceret, respondit, *Imperatorem decet stantem mori.* At Paulus non tantùm stans, sed & currens occubuit: non enim currere destitit in hoc suo agone, donec eum vita deseruit, itaq; cursum suum in morte consummauit.

FIDEM SERVAVI] *Fidem*, scilicet Christianam, vel potiùs fidem, id est fidelitatem, hæc enim requiritur in pugile & stadiodromo. Nemo enim coronabitur in agone & stadio, nisi qui fideliter & legitimè in finem vsq; certarit. Vnde Primasius per *fidem* intelligit perseuerantiam, q.d. Fidelis fui athleta, perseueraui alacris in contenta hac pugna & cursu ad finem vsq; vitæ. Nemo mihi constantiam, nemo animos, nemo fidelitatem infregit aut imminuit, non Iudæi, non Gentiles, non reges, non Philosophi, non dæmones, non vincula, non plagæ, non deliciæ, non tentationes, nõ terrores: quin potiùs hæc omnia certanti & currenti vires animosq; addiderunt. O quàm suaue & iucundum erit morituro, si cum Paulo in hora mortis, teste conscientia possit sibi dicere. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui!* Certemus ergo generosè, curramus strenuè, dum viuimus & vigemus; vt in illo vltimo vitæ articulo & puncto, in horizontem inquam, æternitatis, qui separabit & distermmabit nos in perpetuum à vita hac temporanea, & in alteram, quæ totius est æternitatis, transcribet; de vita transacta gaudere, de futura quàm optimè sperare possimus ac dicere, *Cursum consummaui, fidem seruaui.*

Constantia & perseuerantia quæ fuerit Paulo & cæteris hominibus mortuis.

IN RELIQVO REPOSITA EST MIHI CORONA IVSTITIÆ, QVAM REDDET MIHI DOMINVS IN ILLA DIE IVSTVS IVDEX] Pro, *in reliquo*, græcè est λοιπὸν, id est, quod *superest*, vt vertit Ambrosius, quod vulgò dicimus, *de cætero.*

VERS. 8.

Secundò ex eo quòd Paulus constanter asserat, hanc coronam in cælis sibi repositã esse, putat Anselm. Paulũ accepisse reuelationem suæ prædestinationis & electionis ad gloriam. Sed hoc non euincit nec exigit hic locus. Tantùm enim Paulus id asserit ex fiducia bonæ suæ conscientiæ, sicut ex eadem, non autem ex reuelatione diuina dixit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Conscientia enim sibi bene conscia, vti dicere potest, *Bonum certamen certaui*, &c. nõ quòd habeat huiusce rei certitudinem fidei, aut reuelationis diuinæ, sed tantùm moralem quandam securitatem, certamq; opinionem & confidentiam ex memoria vitæ præteritæ bene actæ, & ex testimonio suæ conscientiæ manantem: ita consequenter pari cõfidentia dicere potest, *Reposita est mihi corona iustitiæ.* Simili spe & constantia tum alij, tum S. Ambrosius moriens dixit: *Nec mori timeo, nec viuere recuso; bonum enim habemus Dominum.* Addit S. Aug. l. 2. de Peccatorum meritis c. 16. *Ideo*, inquit, *talium verbũ certus securusq; gaudebat Paulus, quia de victoria* (mortis & martyrij) *certum eum securumq; iam fecerat, qui eamdem passionem iam illi reuelauerat, non re plenissima, sed spe firmissima.* Nam non omnino certum fuisse Paulum, sed dubitasse de sua gloria & salute, patet 1. Cor. 9. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cùm aljs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

An Paulus habuerit reuelationem suæ prædestinationis.

Confidentia & securitas bonæ conscientiæ in morte.

Nota Tertiò, *coronam iustitiæ* vocari eam quæ iustitiæ, id est cuiuis virtuti, debita est. ita Chrysostomus cum suis.

Secundò, vt Anselm. *corona iustitiæ*, id est iusta, quam iustè merui, quæque iusta iudicis sententia mihi adiudicabitur.

Hinc patet nos bonis operibus mereri beatitudinem & gloriam æternã ex condigno. Hoc enim significat corona iustitiæ, quam non dat, sed reddit pro merito, non donator, sed iustus iudex Christus. Sua ergo cuiq; virtuti erit corona, eaque pro meritis varia. Nam, vt ait S. August. serm. 7. de Sanctis: *Floribus eius* (Ecclesiæ cælestis) *nec rosa, nec lilia desunt. Certent nunc, charissimi, singuli ad vtrosq; honores, amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas, vel de doctrina laureas*; illudq; Daniel. 12. spectent & exspectent: *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Idẽ S. August. l. 2. quæst. Euangel. q. 39. *Omnia*, inquit, *dici possunt de illa ineffabili fruitione veritatis, & tãto magis omnia dici possunt, quanto minùs aliquid dignè dici potest: nam & lux est illuminatorum, requies exercitatorum, & patria redeuntium, & esca indigentium, & corona vincentium; & quæcumque bona temporalia transeuntia per creaturarum*

Beatitudinẽ bonis operibus meremur ex condigno.

Varia iusto pro meritã varietate coronæ.

varum partes error appetit infidelium, veriora & in æternum manentia in creatore omnium simul inuentura est pietas filiorum.

Aduerte, hanc coronam dandam esse in *illa die*, scilicet celebri & publica, putà in die iudicij generalis; non quòd antè non detur, scilicet statim à morte in iudicio particulari, vti censuerunt Græci & Armeni, quos damnat Conc. Florent. sed quòd in iudicio vniuersali plena & consummata, scilicet corporis & animæ, & publica coram toto mundo dabitur corona.

Quæritur hîc, an Deus hanc coronam iustis ex iustitia debeat, ita vt debito iustitiæ obligetur eis, ad dandam hanc coronam; adeoque, quæ & qualis iustitia sit in Deo? videtur enim indignũ in Deo ponere aliquod debitum, Deumque debitorem facere homini. Ex altera tamẽ parte Scriptura hîc dicit Deum hanc coronam redditurum Sanctis, B tamquam coronam iustitiæ, id est, ex iustitia eis debitam. Sic & Matth. 20. iubet operarijs dari stipẽdium, quod diurno eorum labori promisit & pepigit. Rursum Scriptura sæpè dicit Deum redditurum cuiq; secundùm opera, id est, pro meritis operum, siue pœnam, siue præmium prout commeruit; quodq; impios iustè vindicabit & puniet igne inferni. Ergo in Deo est iustitia tam vindicatiua, quàm distributiua & commutatiua, qua idipsum facit. Clariùs verò idem significat Paulus ad Hebræos 6. 10. *Non enim iniustus*, inquit, *est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis.* q.d. Ne iniustus videatur esse Deus, ipse omnino non obliuiscetur vestri laboris, sed illi debitam mercedem rependet. Vnde sequitur quòd Deus mercedem hanc laborieorum debebat ex iustitia. Vt hæ & plures aliæ C similes S. Pauli, & sacræ Scripturæ sententiæ intelligantur.

Dico Primò, in Deo est iustitia vindicatiua, seu punitiua. Patet, quia hac Deus punit damnatos & peccatores. Est etiam in Deo iustitia distributiua & commutatiua. Patet id ex hoc loco in corona & mercede quam Beatis Deus distribuit, pro cuiusq; meritis, eamque cum eis quasi pretium pro re vel opere præstito commutat.

Dico Secundò, in Deo nullum est debitum iustitiæ vindicatiuæ, quo scilicet teneatur Deus punire peccatores, nec etiam in Deo est debitum iustitiæ distributiuæ, & multò minùs commutatiuæ. intelligo debitum formale, perfectum & absolutũ. quale est inter homines & æquales: quo scilicet astringatur absolutè ex iustitia Deus ad dandam iustis mercedem; sicut homo astringitur dare operario, quem conduxit, pretium quod stipulatus est. D Patet id Primò, quia, vt passim docet Scriptura, Deus absolutissimum omnium rerum & creaturarum suarum habet dominium, quod à se abalienare & ligare atque astringere non potest, maximè tali vinculo, scilicet debito iustitiæ tam arcto & rigido.

Secundò, quia creatura omnis est sub potestate Dei, quasi serua sub domino, idq; plenissimæ seruitutis iure, quoad omnia & singula quæ possidet. Sicut ergo dominus potest seruo rem, putà vestem promissam negare, imò donatam auferre, & promissionem rescindere atque irritare sine iniustitia; quia quidquid seruus possidet vt seruus, id totum domini sui est: ita multò magis potest idipsum cum hominibus & angelis suis Deus. Vnde si herus seruo, & per impossibile Deus iustis negaret præmiũ

Cornel. in Epist. Pauli.

A quod promisit, esset quidem mutabilis & infidelis, non tamen esset propriè iniustus.

Tertiò, quia opera nostra nõ tantùm sunt præcepta & debita Deo, sed & ipsa tota sunt Dei, & omne eorum meritum, omneq; ius ad mercedem, in solidum est Dei, totumq; à Deo pendet in esse & conseruari; perinde vt reliquæ res & creaturæ omnes: imò à Dei gratia opus meritorium omnem suum valorem & meritũ accipit, ac proinde hæc omnia intimè pendent à libera voluntate Dei, in cuius manu est absolutè vt sint vel non sint in rerum natura: nullo ergo modo ijs astringi aut obligari potest Deus, cùm quolibet momento ea possit abrogare, imò annihilare. Adde, quòd voluntas diuina à nullo extrinseco ligari vel determinari potest, sed tantùm à seipsa.

Quartò, quia obligatio & debitum sonant imperfectionem, scilicet exigentiam & reale debitũ, B adeoque significant ius, eminentiam & imperium creditoris in debitorem; quodque iure eum cogere possit ad soluendum. quod Deo competere nequit. Deus enim, vt ait S. Augustinus l. 2. Confess. c. 4. *reddit debita nulli debens.* ita Anselm. in proslog. c. 10. & 11. D. Thomas, Ludou. Molina & Gabr. Vasquez 1. p. q. 21. a. 1.

Deus reddit debita nulli debens.

Dico Tertiò, dicitur tamen hoc bonorum operum meritum esse debitum, eorumq; merces vocatur corona iustitiæ. Primò, quia opus ipsum, & actus ipse bonus, ex se tali præmio, scilicet vita æterna, dignus est, illiique proportionatus: tum quia gratia, & actus ex gratia procedens est semen gloriæ; tum quia hanc merendi facultatem nobis meruit Christus, maximè accedente Dei promissione, qua tam Christo, quàm nobis promisit se bonis operibus nostris mercedem daturum. Intercedit ergo hîc iustitia si non ex parte Dei, certè ex parte rei.

Cur merces bonorũ operũ vocetur corona iustitiæ.

Secundò, etiam Deus iustis est debitor ex fidelitate, seu veracitate, quę pars est protestatiua iustitiæ. Fidelis enim est Deus, & fidem suam liberat, cùm iustis præmiũ quod promisit, dat & præstat.

Debitum in Deo oritur ex veracitate.

Tertiò, insuper debitor hic est Deus ex iustitia quadam commutatiua, supposita tamen & manẽte promissione sua, qua tali operi mercedem promisit. ex iustitia, inquam, non rigida, sed tali, qualis inter patrem & filium, seruũ & herum, creaturam & creatorem esse potest: quia Deus mera liberalitate sua promisit bonis operibus hanc mercedem, ac consequenter, ait S. Augustinus serm. 16 de verbis Apostoli, *Debitorem se fecit non tantùm sibi, sed & Christo & nobis, vt illi dicere possimus, Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.* Sic & Chrysost. homil. 3. in Matt. Cyprian. tract. de Orat. & eleëmosyna, Fulgentius præf. ad Monimũ, dicunt Deum debitorem nobis fieri dum bona operamur. Sicut ergo, licet filius sit aliquid patris, & ex pietate teneatur patri obedire; tamen est ius & iustũ quoddam paternum, quo pater tenetur ex iustitia quadam filijs morigeris, laborantibus, certãtibus, vincentibus dare præmiũ, quod promisit: ita & Deus nobis licet filijs & seruis suis, laborantibus tamen & certantibus tenetur ex simili quadã iustitia dare mercedem quam promisit. Et ratio est, quia Deus præmium hoc promisit non gratis, sed sub conditione operum, tamquam mercedem pro eorũ merito. Ergo præstito à nobis opere, eoque impleto, hanc mercedem debet nobis Deus tamquã mercedem; ergo ex iustitia. Qui enim promisit merce-

Possũt boni dicere Deo: Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.

Simile.

Promissio Dei nobis onerosa, nõ gratuita, ac proinde in Deo est debitũ iustitiæ.

dem pro opere præstito, tenetur soluere eam ex iustitia, non autem ex fidelitate tantùm. Ex fidelitate enim quis debet soluere quod promisit, etiam sine vlla conditione aut merito operum, vt sit fidelis & verax. Et hoc significat hîc corona iustitiæ, quam Deus bonis reddit quasi iustus iudex, ex eaque Matt. 20. Deus soluit operarijs denarium promissum, quasi pretium diurni laboris: vnde patet consequenter operarios habere iusiustitiæ ad hunc denariũ. Idipsum significat Paulus, cùm ait Hebr. 6. 10. *Non enim iniustus est Deus*, &c. q.d. Iniustus esset Deus, si obliuiscetur vestri operis & laboris.

Quomodo supremum dominium, & ius in Deo sit cum debito.

Dices, Quomodo ergo Deus retinet altũ suum & absolutum ius & dominium omnium, si omnino ex iustitia obligatur nobis dare præmium?

Respondeo, Ius hoc altũ & transcendens semper retinet Deus, quia citra iniuriam posset & potest promissionem hanc suam & obligationem rescindere & irritare. Si tamen velit eam manere ratam, vti vult, quia est immutabilis & fidelis in promissis; tunc consequenter vult vt maneat hæc obligatio & debitum iustitiæ, quo sponte Deus ex infinita sua benignitate se nobis obligare dignatus est, vultque manere obligatus.

Opera nostra quomodo sint Dei, & nostra: & quomodo inducãt debitũ iustitia commutatiua.

Dices Secundò, Omnia opera nostra sunt Dei, ergo nihil possumus dare Deo, quod Deus recompenset.

Respondeo, Licet sint Dei, sunt tamen etiam nostra, quia liberè ea facimus, & Deus nos eorum dominos fecit. Si ergo ad Dei gloriam & cultum ea facimus & referimus, quoddam bonum, scilicet cultum, Deo damus, quem ipse acceptat. Pro quo ipse vicissim nobis mercedem promittit & soluit. Est ergo inter nos & Deum commutatio quædam & pactum, ac consequenter debitũ quoddam iustitiæ commutatiuæ, licet non tantum, nec tam rigidum quàm inter homines.

Quomodo non sit indignũ Deo esse debitorem hominis.

Dices Tertiò, Indignum est Deo, quòd debitor sit homini.

Respondeo, Indignũ esset si ex necessitate, aut vtilitate sua esset debitor; non autem indignũ est hoc rerum statu, quo hoc debitum oritur ex infinita Dei benignitate, quæ tã familiariter agit cũ sua creatura, quasi ipsa non esset naturaliter serua, sed libera, & cum illa velut cum pari init fœdus, seq; illi obligat per suam iustitiam. Vnde S. Aug. serm. 3. de verbis Domini: *O magna*, ait, *bonitas Dei! cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia, vtpote serui Domino, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debita seruitutis obtineat.* Hac de re qui plura volet, legat Franciscum Suarez in opusc. relectione 2. de Libertate diuina, & relectione de Iustitia.

Quinã diligant aduentũ iudicis.

NON SOLVM AVTEM MIHI, SED ET IIS QVI DILIGVNT ADVENTVM EIVS] Græcè, τοῖς ἠγαπηκόσι, id est, qui dilexerunt *aduentum*, græcè, ἐπιφάνειαν, id est, apparitionem & illustrationem eius, cùm scilicet illustris apparebit veniens ad iudiciũ. q.d. Christus iudex dabit coronam iustitiæ ijs, qui sibi bene conscij desiderant, & in vita sæpè desiderarũt eius aduentum, ad eamque bene viuendo se comparant & indies comparant, vti tu facis, ô Timothee, vtque ardentiùs facias, tacitè hîc te adhortor. *Aduentum enim iudicis*, inquit Anselm. *non diligunt, nisi qui in causa sua habere se iustitiæ meritum sciunt.* Et, vt ait S. Gregor. *Nisi qui se habere causam in iudicio bonam norunt: quique*, vt ait S. August. epist. 80. *eumdem sinceritati fidei, firmitate spei, & ardore charitatis*

A *exspectant*. Rursum Theodor. *Amat*, inquit, *Domini aduentum, qui illius leges sequitur, & ex illo vitam instituit.* Pulcherrimè verò hîc Chrysost. in morali hom. 9. quærit quomodo diligere possimus secundum aduentum Christi, ad eumq; nos comparare; ac respondet, id nos assecuturos, si primum Christi aduentum diligamus, eumque nobis procuremus, faciendo id quod ipse ait Iohan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: ac consequenter, si omnia terrena æstimemus esse cœnum aclutum; si cum Christo iniurias & aduersa quæq; patienter & fortiter perferamus; si in omni tentatione constanter Deo adhæreamus, in eumq; omnem spem & amorem defigamus; si denique hanc coronam iustitiæ nobis semper ob oculos ponamus.

Quomodo ad secundum Christi aduentum nos possimus comparare. 1. Ioan. 2. 28.

B Narrat S. Basil. hom. 20. de XL. Martyribus, cùm illi in stagnum gelidum iniecti essent, cælitus luce circumfusos fuisse, angelosq; cælestes coronas 39. singulis suam adornasse & ostentasse, quas videns custos eorum ita accensus fuit, vt ad Christũ conuersus, detractis vestibus, alacer in gelidum hoc stagnum insilierit, alijsque triginta nouem se adiunxerit, vt quadragesimi, qui deficiens ex stagno exilierat, palmam & coronam obtineret.

FESTINA AD ME VENIRE CITO] vt in vinculis ab omnibus penè desertus & iam moriturus tibi vni publica Ecclesiarum negotia commendem, aliaq; quæ scriptis mandare nec possum, nec audeo: vtq; fideles Romani nullam in morte mea turbationem patiantur, sed à te consolationem, robur animosque accipiant, ita Chrysostomus.

VERS. 9. DEMAS ENIM ME RELIQVIT, DILIGENS HOC SÆCVLVM] id est, malens otiari, molliter quiescere & deliciari in sæculo, quàm cum Paulo periclitari pro Christo. ita Chrysost. cum suis & Primas. *Necesse*, inquit, *erat vt diligens sæculi voluptates derelinqueret eum* (Paulũ) *qui eas non amabat.* Putant aliqui Demam pœnitentem postea ad Paulũ redijsse. Nam eius quasi adiutoris sui meminit in epistola ad Philem. v. 24. Sed hoc incertum est, cùm incertum sit, an epistola ad Philemonem post hanc sit scripta: multi enim hanc omnium vltimam esse volunt. Si Dorotheo in Synopsi credimus, Demas desciscens à Paulo factus est idolorum sacerdos. Vide quò ruant apostatæ.

Demas qualis, & an postea pœnituerit.

VERS. 10. CRESCENS IN GALATIAM] supple abijt missus à me, ad prædicandum ibi Euangelium. Per Galatiam Theodor. & alij accipiunt Galliam: hanc enim Galatiam esse dictam, æquè vt Gallos à Græcis vocatos esse Galatas, docet Ammian. Marcell. l. 15. Certè Crescentem hunc in Galliam amandatũ, Viennensem rexisse Ecclesiam constat, tum ex Euseb. l. 3. hist. c. 4. tum ex Rom. Martyrologio 27. Iunij; nisi dicas ex Galatia illum in Galliam abijsse.

Galatia Gallia.

VERS. 11. LVCAS EST MECVM SOLVS] Tradunt Romani, teste Baronio anno Christi 69. Petrum cum Paulo Romæ per nouem menses in eodẽ carcere Mamertino conclusos fuisse, indeque eductos ad martyrium. Quòd ergo dicit secum solum esse Lucam, intelligit solum, scilicet, qui liber sit, qui liberè se adiuuare, suaque negotia peragere posset. Adde, Petrum in eodem quidem carcere, sed in alia carceris parte fuisse.

Petrus & Paulus fuit in eodem carcere.

MARCVM ASSVME, ET ADDVC TECVM: EST ENIM MIHI VTILIS IN MINISTERIVM] Euangelium scilicet, vt hîc alibive prædicet. Marcus hic, non est idem cũ Marco Euangelista, sed proprio nomine dictus est

Qui & qualis fuerit hic Marcus.

est Iohannes cognomento Marcus, consobrinus Barnabæ, vt patet Colos. 4.10. Hic Marcus timore periculorum & laborum deseruerat Paulū peregrinantem; vnde à Paulo reiectus fuit, vt patet Actor. 15.37. postea verò pœnitentem eum & strenuè laborantem in gratiam & contubernium recepit Paulus: vnde & studiosè eumdem Colossensibus commendat.

A

TYCHICVM AVTEM MISI EPHESVM] vt scilicet vices Timothei Ephesini Episcopi, Romam à me euocati, Ephesi suppleat.

Nota Pauli in vinculis solicitudinem Ecclesiarum, satagentem vt quas per se non poterat, per discipulos instrueret & confirmaret. Hinc Crescētem in Galatiam, Titum in Dalmatiam, Tychicum Ephesum, Marcum & alios aliò amandauit.

PENVLAM QVAM RELIQVI TROADE APVD CARPVM, VENIENS AFFER TECVM, ET LIBROS, MAXIME AVTEM MEMBRANAS] Per *penulam* Ambros. Haymo & Anselm. intelligunt vestem senatoriam Paulo à patre relictam, qua cives Romani & externi ciuitate donati, cùm Romam veniebant, vtebantur. Senatores enim penulati incedebant, & Romani penulati curiam intrabant. Paulus autem, vtpote Tarsensis, ciuis erat Romanus & quia nobilis, erat senatorij ordinis. Sed quid captiuo & iamiam morituro veste senatoria erat opus?

Secundò, Syrus vertit בֵּית כְּתָבֵא *bet ketabe*, id est, thecam librorum. Vnde & Baronius putat fuisse volumē legis; sed hoc videtur intelligere non per *penulam*, sed per *libros* quos subiungit Apostolus.

Tertiò, alij, quibus fauet Tertull. l. de Orat. c. 12. putant *penulam* esse vestem sacram, quam nos Casulam, vel Planetam vocamus, quæ dicta sit penula, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἅλον, quia scilicet tota videtur, & totum corpus oberrat. Vnde & Planeta dicitur ἀπὸ τοῦ πλανᾶν, id est, ab oberrando.

Quartò meliùs, communiter alij, vt Chrysost. Theoph. Hieron. dialog. 3. contra Pelagianos, *penulam* capiunt pro pallio aut veste simili extima ad frigus & pluuiam arcendam. Sic enim de penula scribit Iuuenalis satyra 5.

Et multo stillaret penula nimbo.

Et Lampridius in Seuero, *Penula*, inquit, *intra vrbē frigoris causa vt senes vterentur permisit, cùm id vestimenti genus semper itinerarium aut pluuiæ fuisset.* ita Lazarus Bayfius l. de Re vestiaria c. 16. Hoc ergo pallium petit sibi afferri Paulus, tum quia ei commodius erat, vtpote quòd illi iam assueuisset, tū ne cui in carcere grauis sit, sed vt ipse se vestiat, & cōtra aëris hiemisque iniurias corpus suum communiat. Hiems enim instabat, vt patet v. 21.

B

C

D

Nota. Carpus, cuius hîc meminit Paulus, videtur esse is, quem laudat, & cuius visionem miram Christi apparentis dicentisque sibi indignanti, & de infidelibus hostibus suis vindictam expetenti, *Carpe percute aduersum me: nam paratus sum pro hominibus saluandis iterum pati*; recensет S. Dionysius epist. 8 ad Demophilum. tantum interest, quòd Carpus, de quo Paulus hîc, Troade: Carpus verò, de quo Dionysius, Cretæ habitarit. Vnde Baron. duos putat fuisse Carpos; alij tamen cum Anselmo, vnum eumdemq; faciunt Carpum, qui priùs Laodiceæ, quæ est iuxta Troadem, deinde Cretæ fuerit Episcopus.

Nota Secundò. Petit Apostolus in carcere & morti vicinus afferri sibi libros, & membranas, in quibus scilicet scripta erat S. Scriptura, siue libri veteris testamenti. *Libros* vocat vetustiores, ab alijs scriptos; *membranas* verò recentiores à se conscriptos. Vbi aduerte, quàm otium fugerit Paulus, quamque studio S. Scripturæ fuerit deditus, vt illi immori vellet. nimirum *tamdiu discendum nobis est, quamdiu viuitur*, inquiebat Solon. Vide dicta epist. 1. c. 4. 13.

Semper studendum & discendum.

ALEXANDER ÆRARIVS MVLTA MALA MIHI OSTENDIT: REDDET ILLI DOMINVS SECVNDVM OPERA EIVS: QVEM ET TV DEVITA: VALDE ENIM RESTITIT VERBIS NOSTRIS] Alexander hic primò credidit Christo, sedauitque tumultum contra Paulum Ephesi excitatum, Actor. 19. Ex quo loco patet eum Iudæum fuisse, sed Ephesi habitasse. Vocatur hic *ærarius*, non quia ærarij fuerit custos aut receptor, vt vult Anselm. sed quòd faber esset æris & vasorū æreorum. hoc enim significat Græcum χαλκεύς. Hic postea à fide defecit, vt patet epist. 1. 1. v. vlt. valdeq; Paulo & Euangelio restitit, multaque mala ei ostendit, id est exhibuit, fecit, intulit. hoc enim significat Hebræum הֵרְאָה *hera*, id est ostendit, vt dixi 1. Cor. 4. 9. Aptè verò dicitur, *ostēdit*, potiùs quàm Intulit; quia improbi probos lædūt, non tam reipsa quàm impia sua voluntate, voto, desiderio: probi enim sua patientia communiti reipsa nullis malis lædi aut affligi possunt, sed omnia superant, ac mente in cælis positi transcendunt.

VERS. 14. & 15.

Qualis hic Alexander, & quare vocetur Aerarius.

Quomodo improbi lædant probos.

Nota. Pro *reddet*, Noster in Græco legit ἀποδώσει, iam legunt ἀποδῴη, id est reddat, quasi optet Paulus non affectu vindictæ, sed zelo iustitiæ impium Alexandrum puniri à Deo.

IN PRIMA MEA DEFENSIONE NEMO MIHI AFFVIT, SED OMNES ME DERELIQVERVNT] Hinc Baronius putat hanc epistolam scriptam esse è primis vinculis, cùm iam dimittēdus, & penè liber esset Paulus. Nam, vt sequitur, postea statim toto orbe perrexit Paulus euangelizare. q. d. Cùm primò causam meam coram Nerone egi, ita eam egi, vt Dei ope eius animum flexerim, meque censeret dimittendum. idque factum est Dei consilio; vt per 9. annos adhuc superstes essem, pergeremq; per Hispaniam, aliasq; prouincias complere prædicationem meā. Verùm verior & communior sententia non minoribus, quàm prior, imò maioribus coniecturis subnixa est, è secundis vinculis hanc epistolam esse scriptam, vti dixi v. 6. & iterum dicam v. 20.

VERS. 16.

Paulus quando in Hispania prædicauerit.

Vnde Secundò, alij *primam defensionem* hîc intelligunt eam quam primò fecit Paulus, cùm secundò carceri inclusus fuit, paulò ante martyriū. q. d. Cùm primò in secundis vinculis me stiti Neroni, socijs me derelinquentibus, Deus mihi astitit, vt coram eo plenè auderem prædicare, omnesque gentes audirent hanc meam liberam coram Nerone prædicationem, itaque in fide confirmarentur; maximè quia tū liberatus sum à morte, quam putabatur Nero statim mihi illaturus, sed Deus eū mitigauit, dum post nouem menses rursus Nero sæuiens & furens in Paulum, eumdem occidit. Vnde Theoph. illud, quod sequitur, *Vt per me prædicatio impleretur*, id est, inquit, stabiliretur, *& audiant omnes gentes*, scilicet gloriam meæ liberæ confessionis & prædicationis. Rursus, *audiant* curam quam de me gerit Deus. Verùm cùm absolutè dicat Apostolus hîc se liberatum de ore leonis, id est Neronis, vt posset complere prædicationem suam, videtur absolutè è vinculis dimissus fuisse, & nouem non mensibus, sed annis pluribus superuixisse ad complendam prædicationem suam.

Quæ fuerit prima hac Pauli defensio.

Quanto tempore post primā hanc defensionem Paulus occisus sit.

Scribit Paulus è secũdis vinculis, quod sibi in primis euenerat.

Vnde Tertiò, optimè Euseb. l. 2. hist. c. 22. Beda, Anselm. & alij, *primam defensionem* hîc intelligunt eam quam fecit Paulus in primis vinculis, cùm scilicet secundo anno Neronis Hierosolymis captus, ad eumdem Romam missus est, ibiq; per biennium mansit. Tunc enim à suis, Neronis fastum & furorem metuentibus, desertus, Deũ habuit adiutorem, qui Neronem ei beneuolum reddidit, vt è carcere liberatus sit. & per nouem annos Hispaniam, aliasque prouincias euangelizando obiuerit; donec secũdò captus secundam suam defensionem coram Nerone peregit: sed dispari euentu. Nero enim iam tot crudelibus suis facinoribus efferatus, & in Paulum ac Petrum furens; quòd nouum Deum Christum inducerent, quodq; Simonem Magum, quem in delicijs habebat, volantem precibus suis deiecissent; nominatim verò in Paulum frendens, quòd pincernam suum ad Christum conuertisset, inquit Chrysost. quodque concubinas suas à se ad fidem & castitatẽ traduxisset, vt ex Ambros. & Chrysost. docet Baron. Hisce, inquam, de causis furens Nero Paulum gladio & morti adiudicauit. Scribit ergo hîc Paulus è secundis vinculis illud, quod sibi in primis contigerat.

Causæ, ob quas Nero damnauit Paulum.

Dices, hoc mirum videri, quòd scilicet tanto tempore, scilicet nouem annorum, elapso, hæc demum scribat ad Timotheum, qui iampridem illa intellexerat. Respondeo, Licet aliunde id intellexerat Timotheus, non tamen ex litteris Pauli, qui in Hispaniam, aliasq; oras abiens, longissimè aberat à Timotheo, nullasq; interim ad Timotheum litteras dederat. Rediens ergo Romam ad secũda vincula Paulus, aptè refricat ea quæ in primis contigerunt, tum vt Timotheum eorum memoria animet & excitet, tum potiùs quia futuris sæculis hæc scribere & consignare volebat.

Locus moralis de persecutione.

Moraliter, S. Ambros. per defensionem hîc intelligit passionem & persecutionem Pauli. *Nam passio*, inquit, *Christianis vita est, & persecutio defensio: pressura enim illata pro iustitia defendet illos in die iudicij, reos constituens perfidos.*

VERS. 17. DOMINVS AVTEM MIHI ASTITIT, ET CONFORTAVIT ME] *Necesse est enim adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium*, inquit Philo l. 2. de Vita Mosis. Et, vt ait Origenes hom. 9. in Num. *Tum maximè gratia Dei adest, cùm hominum seuitia concitatur; ibiq;*, teste Ambros. l. de Ioseph, *plus est auxilij, vbi plus est periculi.*

S. Gregor. Thaumaturgus mirè à Deo liberatur.

Expertus idipsum est S. Gregorius Thaumaturgus, qui in persecutione Decij fugiens, & latitans cum diacono suo in colle, cùm proditus esset, & persecutores collem vndique cinxissent & scrutarentur; *Hortatus est comitem suum*, ait Nyssenus in eius Vita, *vt firma erga Deum fiducia consisteret, eiq; salutem committeret. similiter atque ipse faceret, manus ad orationem extendens, ac ne, si propè quidem persecutores accessissent, metu fidem excussam proijceret. Exemplum eius rei quam præcipiebat diacono, seipsum præbebat, cùm & immotis oculis, & passis manibus, & habitu arduo atque erecto cælum intueretur. Ita factum est vt scrutatores præter duas arbores paululum inter se distãtes* (Gregorius scilicet orans cũ socio eis videbantur esse duæ arbores) *neminem se vidisse affirmarent: quibus digressis proditor videns non esse arbores, sed homines procumbit S. Gregorio ad pedes, creditq; sermoni, & qui paulò antè persecutor fuerat, vnus ex profugis factus est.* Idem Gregorius cum pro suo populo in eadem persecutione afflicto oraret, *Repente angore re-*

A *pletus sonũ visus est audire, ad quem aures admouit; mox erectus & immotus permansit, deinde quasi de victoria Latus pronunciauit illud psal. 123. Benedictus Deus qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. Rogantibus quid vidisset, dixit magnam se in illa hora vidisse minam, diabolo ab adolescente quodam in tormentis & martyrio deuicto. Adiecit eius nomen, Troadium eum nominans. Submissi deinde in vrbem, ita reuera contigisse renunciarunt.* Hæc Nyssenus.

VT PER ME PRÆDICATIO IMPLEATVR, ET AVDIANT OMNES GENTES; ET LIBERATVS SVM DE ORE LEONIS] Putant aliqui Paulum è primis vinculis familiaritate & opera Senecæ philosophi, qui præceptor fuit Neronis, liberatum esse. Vnde extant Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam epistolæ, sed dubiæ, imò suspectæ fidei. Verùm Paulus hîc contrarium docet, scilicet se ab hominibus desertum, vnius Dei ope hoc periculum euasisse.

An Paulus opera Senecæ fuerit liberatus à vinculis Neronianis.

B

Nota. Causa quæ Deum mouit, vt Paulum vinculis eriperet, fuit, vt per illum prædicatio Euangelij impleretur, græcè πληροφορηθῆ, quod Vatablus & alij vertunt, ad plenum persuaderetur, vel, vt plena fides fieret Euangelio. Verùm Noster simpliciùs vertit, *impleretur*, id est, compleretur & absolueretur, vt dixi Rom. 14. 5. idque hoc loco est aptius; iam enim plenam fidem Euangelio fecerat Paulus, vbicumq; prædicauerat: vnde ad hoc non erat necesse ei vitam prorogari. Seruatus ergo fuit à Deo in vita, vt in Hispanijs & alibi prædicaret, propagaret & compleret Euangelij prædicationem, eamque omnes Gentes audirent.

Paulus seruatus è primis vinculis vt prædicaret in Hispanijs.

Notat Secũdò, Chrysostomus modestiam Pauli; non enim dicit, Vt ego implerem, sed, *vt per me impleretur prædicatio.* q. d. Hæc prædicatio mihi cõmissa me à vinculis eripuit & seruauit, *perinde ac si quis purpuram & regium insigne ferens per ipsum seruetur*, inquit Chrysost.

C

Nota Tertiò, *Liberatus sum de ore leonis*, id est diaboli, inquit Ambrosius; aut Festi Præsidis Iudææ, inquit Primas. Verùm optimè Chrysost. Theodor. Theoph Oecum. S. Thomas, & Euseb l. 2. hist. c. 22. per *leonem* intelligunt Neronem, qui crudelis erat vt leo: de quo verissimè dici poterat illud Prou. 19. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira.* Nero ergo fuit leo: quia supra quàm dici potest superbus & ferox, æquè ac luxuriosus fuit, opera Simonis Magi familiariter vti solitus: vnde primus (nam ante eum Tiberius ex ijs quæ ferebantur Christum admiratus, periculum etiam comminatus est accusatoribus Christianorũ) immanem in Christianos persecutionem mouit. Audi Tacitum l. 15. *Pereuntibus*, ait, *addita ludibria, vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi crucibus suffixi, aut flamma vsti: plerique in id reseruati, vt, cùm defecisset dies, in vsum nocturni luminis seruarentur. Hortos suos Nero spectaculo huic obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permistus plebi, vel circulo insistens.* Annon leo, qui principes Apostolorum, Petrũ cruce, Paulum gladio tandem peremit? Annon leo, qui matrem, & præceptorem suũ Senecam è medio sustulit? Annon leo, qui sua sæuitia totius populi in se seditionem concitauit? quam dum conatur effugere, tertio ab Vrbe lapide propria se manu interemit, dicens: *Dedecorosè vixi, turpiùs peream.* vide Seuer. Sulpitium l. 2. histor.

Leo hîc est Nero.

D

LIBERAVIT ME DOMINVS AB OMNI OPERE MALO, ET SALVVM FACIET IN REGNVM SVVM CÆLESTE] *Ab omni opere malo*, id est, ab omni periculo & in-

VERS. 18.

incursu hostili, qualia sunt quæ recenset 2. Corint. 11. 23.

Secundò & potiùs, *ab omni opere malo*, id est, ab omni peccato. q.d. Non tantùm à leone corporali mortem minante, putà à Nerone, liberauit me Dominus, sed etiam à peccato, qui spiritalis & sæuior est leo animam occidens, vt scilicet in quauis tentatione, tribulatione & terrore, roboratus à Deo, nec verbo, nec opere, alióve indicio etiam minimo Deum aut fidem negarim; sed potiùs tam verbo, quàm vita nomen & gloriam Dei vbique profes-sus sim & celebrarim.

Nota. Pro *liberauit*, Græca, Syrus, Chrysost. Ambros. & veteres passim legũt ῥύσεται, id est liberabit. Idque aptiùs respondet tam præcedentibus quàm sequentibus. q.d. Sicut liberauit me Dominus de ore leonis corporalis, scilicet Neronis; ita planè cõfido quòd deinceps liberabit me à leone spirituali, id est, ab omni opere malo, putà ab omni peccato; B itaque me *saluum faciet*, græcè σώσει, id est seruabit, *in regnum suum cæleste*, vt scilicet seruatus à peccato, ab eoque innocens & illæsus, pro hac innocentia tuenda martyrium obeam, itaque merear ingredi regnum cælorum. Præpositio ergo *in*, cùm ait, *in regnum*, non locum, vt idem sit, quod, in regno cælorum, sed causam finalem significat, q.d. Saluabit me hoc fine, vt scilicet regnum cælorum assequar. ita Theoph. Anselm. Beda & alij.

TROPHIMVM AVTEM RELIQVI INFIRMVM MILETI] Miletum vrbs est Asiæ, non longè ab Epheso, optima lana & stragulis, quæ inde Milesia dicuntur, celebris. Hinc rursum patet hanc epistolam scriptam è secundis vinculis, non autem è primis. Nam in primis vinculis (quæ occasione Trophimi Paulo à Iudæis Hierosolymis iniecta sunt, eò quòd putarent Paulum induxisse Trophimum incircumcisum & Gentilem in templum, Actor. 21. 29.) cùm Hierosolymis vinctus Paulus missus est Romam, Miletum non transijt, vt patet ex Act. c. 27. Sed cùm è primis vinculis dimissus fuit, vti varia loca peragrauit, ita Miletum reuisit Paulus, ibique Trophimum ægrum reliquit, ac veniens Romam secundò captus est: nec enim verisimile est duos fuisse Trophimos, aut pro Mileti, hîc legendum esse *Melitæ*, quasi non Mileti, sed Melitæ, id est Maltæ (quam, cùm Hierosolymis Romam primò vinctus mitteretur Paulus, pertransijt, vt patet Actor. 28. 1.) Trophimum ægrum reliquerit, vt vult Baron. tam enim Græca, quàm Syra & Latina constanter legunt *Mileti*, non *Melitæ*.

Ex hoc loco patet, Paulum post prima vincula non tantùm Hispanias, aliasque prouincias nouas adijsse, sed & Asiam, aliasque veteres prouincias & Ecclesias reuisisse, vt eas in fide & moribus perficeret, confirmaret, & si quid praui succreuisset, corrigeret atque succideret. Id ita esse patet ex eo, A quòd Paulus è vinculis præuidens sui liberationem mox futuram, idipsum Syris & Asianis scripserit & promiserit non semel, sed secundò & tertiò. nam ad Hebr. vlt. in fine: *Cognoscite*, inquit, *fratrem nostrum Timotheum dimissum; cum quo si celeriùs venerit videbo vos.* & ad Philip. c. 2. 24. *Confido in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò.* & ad Philem. v. 22. *Para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.* Ex quibus locis noster Salmeron to. 12. tract. 59. rectè colligit, Paulum à vinculis liberum, non tantùm inuisisse Hispaniam; sed & reuisisse Syriam, Asiam, Macedoniam & Græciam.

SALVTANT TE EVBVLVS ET PVDENS ET LINVS] Pudens hic fuit Senator Romanus, vir nobilissimus & clarissimus, pater scilicet Nouati, & Timothei, S. Praxedis, & S. Pudentianæ, siue Potentianæ, in cuius domo fiebant synaxes, quæ postea conuersa in ecclesiam, dicta est titulus, id est ecclesia, Pastoris. Hic ergo Pudens Senator Rom. fuit hõspes SS. Petri & Pauli. Ostensus est mihi locus in eius olim domo, nunc ecclesia, in quo S. Petrus celebrasse dicitur. In eadem vidi puteum, in quem S. Pudentiana cum S. Praxede sorore sua, sanguinem quem è vulneribus Martyrum spongia exprimebant, aliasque eorum reliquias recondebant. Sic enim habet inscriptio, lapidi vncialibus litteris incisa in ipso ecclesiæ ingressu: VERS. 21. *Pudens & Linus cũ & quales.*

IN HAC SANCTA ANTIQVISSIMA ECCLESIA, TITVLO S. PASTORIS A S. PIO PAPA DEDICATA, OLIM DOMO S. PVDENTIS SENATORIS, ET HOSPITIO SANCTORVM APOSTOLORVM; TRIA MILLIA BEATORVM MARTYRVM CORPORA REQVIESCVNT, QVÆ SANCTÆ CHRISTI VIRGINES PVDENTIANA ET PRAXEDIS SVIS MANIBVS SEPELIEBANT. C

Linus verò hic primò fuit Pauli socius. Vnde S. Ignatius epist. ad Trallianos de eo sic ait: *S. Stephanus B. Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens B. Petro ministrarunt.* Postea tamen Linus adhæsit B. Petro, eoque absente ab Vrbe, in ea vices illius obibat. Vnde & proximè S. Petro in pontificatu successit. ita Baron. & alij.

GRATIA VOBISCVM, AMEN] Gratiam Dei intelligit, qua Deo grati sint, gratáque illi virtutum opera potenter operentur. Vide Chrysostomum hîc in morali homiliæ 10. & Theophyl. quàm, & quomodo gratiam non hominum, sed Dei aucupari debeamus. VERS. 22.

Libera nos ô Christe ab omni opere malo, & saluos fac in regnum tuum cæleste: da vt lux perpetua luceat nobis, & AETERNITAS temporum. Amen.

COMMEN-

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD TITVM.

ARGVMENTVM.

Titus cuias & qualis.

TItvs vtroque parente Gentilis & Græcus, adeoque, si credimus Chrysostomo hic, homil.1. Corintho oriundus fuit. Vnde & identidem Titum nominat Apostolus scribens secundò ad Corinthios, eoque apud eos quasi populares suos administro vsus fuit, ad colligendas eleëmosynas, aliasque res Ecclesiasticas.

Eius conuersio.

Hic Titus à Paulo conuersus ad Christum & baptizatus, eidem adhæsit; ac in prædicatione fuit insignis adiutor & interpres. Vnde 2.Corinth.2.13.

Sanctimonia.

Paulus Titum fratrem suum vocat. Fuit enim Titus insigni morum innocentia ac sanctimonia prædirus, adeoque tota vita virginitatem coluit & seruauit, vt docet S.Ignatius epistola ad Philadelph. Hinc à Paulo creatus est Archiepiscopus Cretæ, aliarumque vicinarum insularum: quin & in Dalmatiam à Paulo missus, ibidem prædicauit;

Prædicatio.

vt patet 2.Timoth.4.10. ac tandem multis Ecclesijs erectis & fundatis, in Cretam reuersus, sanctè

Mors.

mortuus est, anno ætatis 94. ibidemque sepultus: vt docet ex S.Hieronymo & alijs Baronius in Martyrolog. Dies eius natalis in Ecclesia colitur 4.Ianuarij. Apostolus ergo cùm anno præcedente in Creta prædicasset, inde in Græciam discedens, Cretæ reliquit Titum, eumque creauit Archiepiscopum, vt cœptam prædicationem & Ecclesiæ Creteusis fundationem perficeret, vt patet c.1.v 5. Itaque sicut Timotheum duabus epistolis, ita Titum hac vna instruit, docetque quæ sint Episcopi & Pastoris munia: hæ enim tres epistolæ pontificales sunt eiusdem argumenti, sibique persimiles, adeoq; videtur hæc epistola esse compendium vtriusque epistolæ ad Timotheum. Vnde S.August. l.4. de Doctrina Christiana cap.16.

Epistola hæc pontificalis.

A cùm meminisset epistolæ ad Titum, & vtriusque ad Timotheum, ait: *Quas tres epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita.*

Trium capitum huius epistolæ argumentum.

Primò ergo, cap.1. commendata Christi gratia & Euangelio, monet Titum, vt presbyteros, id est Episcopos & Pastores, per ciuitates constituat & ordinet; docetque quales & quanti illi esse debeant; vtpote qui hæreticis & Iudaizantibus obsistere, & sanam fidem tueri ac propagare teneantur.

Secundò, cap.2. docet, quæ monita debeat dare senibus, coniugatis, iuuenibus, seruis, ad hoc, vt iuxta Christi gratiam ac legem, sobriè, iustè & piè viuant omnes in hoc sæculo, exspectantes beatam spem.

Tertiò, cap.3. iubet, vt doceat Christianos obedire magistratibus, etiam Ethnicis, vtque modestè B & honestè se gerant, scientes sepristinæ concupiscentiæ & vitijs mortuos, ac per Christi gratiam & baptismum renatos esse ad nouam vitam, sanctam & Christianam. Mox Iudaizantes & hæreticos, eorumque fabulas & lites vitari iubet: ac tandem Titum ac Zenam Nicopolim ad se euocat.

Quando & vbi scripta hæc epistola.

Scriptam esse Nicopoli in Epiro, docent Græca, Syra, & S.Hieronymus hic, Athanasius in Synopsi, & Theodor. Chrysost. Oecum. & alij. Nicopoli, inquam, id est, in vrbe, aut loco propinquo & subiecto Nicopoli, cùm scilicet eò pergeret Apostolus, & vicinus esset Nicopoli. Hoc enim significat cùm ait cap.3. *Festina ad me venire Nicopolim, ibi enim* (non dicit, Hic, sed *ibi*, scilicet quò iam proximè tendo) *statui hiemare.* Scriptam esse anno Christi 58. ac consequenter ante prima vincula docet Baronius, & alij passim.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ASserit *Primò, se esse Apostolum Christi ad hoc, vt doceat veram fidem, & spem vitæ æternæ, quam ab æterno promisit Deus, nunc autem per Pauli prædicationem manifestauit.*

Secundò, v.5. docet Titum, quales oppidatim ordinare debeat presbyteros & Episcopos.

Tertiò, v.10. docet Iudaizantes & hæreticos acriter reprimendos esse.

Quartò, v.14. monet cauendas esse eorum fabulas & obseruantias in ciborum delectu. Omnia enim munda sunt mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.

PAVLVS

1. PAVLVS seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est, 2. in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia: 3. manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundùm præceptum Saluatoris nostri Dei: 4. Tito dilecto filio secundùm communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. 6. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. 7. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: 8. sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, 9. amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores: maximè qui de circũcisione sunt, 11. quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. 12. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. 13. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide, 14. non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium se à veritate. 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

PAVLVS SERVVS DEI, APOSTOLVS AVTEM IESV CHRISTI SECVNDVM FIDEM ELECTORVM DEI, ET AGNITIONEM VERITATIS, QVAE SECVNDVM PIETATEM EST IN SPEM VITAE AETERNAE] Nota. Nouo honoris titulo Paulus se hîc indigetat, *seruum Dei*, non tantùm per creationem, per quam omnis creatura est serua Dei; nec tantùm per fidem, per quam omnes fideles sunt serui Dei: sed per legationem & apostolatum; per quem sicut legati dicuntur serui regis, ita Apostoli vocantur serui Dei. Vide dicta ad Philipp. 1. v. 1. Sic B. Virgo se vocat humili quidem, sed glorioso titulo *ancillam Domini*, cùm fieret mater Dei, eò quòd Deo in mysterio incarnationis quasi ancilla subseruierit: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

A

Nota Secundò. Præpositio *secundùm* hîc significat materiam vel obiectum circa quod seruus hic Dei & Apostolus, scilicet Paulus ipse, occupabatur, Deoque & Christo deseruiebat. *Secundùm* ergo idem est quod, *circa* q.d. Ego sum Dei seruus & Apostolus circa fidem electorum Dei, qui videlicet versor circa fidem, vt scilicet omnes fideles maximè sanctos & electos doceam veram, sinceram & sanctam fidem, qua cognoscant veritatem non speculatiuam, aridam, & philosophicam, sed illam, quæ *secundùm*, id est circa, pietatem versatur, quæ scilicet docet & persuadet, vt sanctè & piè viuamus *in*, id est ad, spem *vitæ æternæ* in nobis excitandam, vt scilicet spem quàm optimã concipiamus, quòd assequemur per piam vitam in hoc mundo, vitam æternam in futuro. q.d. Sum Dei seruus & Apostolus, vt prædicem veram fidem quæ nutrit pietatem, in qua habemus spem vitæ æternæ, quæque hanc spem in nobis exacuit & accendit.

B

Nota Tertio, *Fides* hîc non significat commissionem Paulo creditam, vt vult Chrysost. quasi dicere velit Paulus, Sum seruus & Apostolus circa electos, quos Deus meæ fidei, id est meæ curæ, credidit, quosque mihi commisit: sed significat fidem qua credimus Deo & Christo; qua scilicet agnoscimus veritatem, veramque pietatem, vt subdit hîc Apostolus. Porro *agnitio & scientia pietatis*, inquit Hieron. *est nosse legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere, Apostolos non ignorare, vt scilicet inde Dei cultum addiscas*, vt nimirum per fidem assequaris spem vitæ æternæ, ipsamque tandem vitam æternam.

Quatuor causæ seruitutis seu apostolatus D. Pauli.

Nota Quartò. Hîc Apostolus designat quatuor causas suæ seruitutis & apostolatus. Primò, materialem, cùm ait, illum versari *secundùm*, id est circa, fidem & agnitionem veritatis. Secundò, finalem, cùm dicit: *In spem vitæ æternæ*. Tertiò, efficientem, cùm addit: *Dei, & Iesu Christi*. q.d. A Deo & Iesu Christo creatus sum Apostolus & seruus. Quartò, formalem, cùm subdit: *In prædicatione quæ credita est mihi*. Seruitus enim Apostolorum, qua Deo & Christo seruiebant, non erat alia, quàm prædicatio & propagatio Euangelij.

Paulus & Apostoli comparati cũ Mose & Prophetis.

Nota Quintò. Tacitè hîc Paulus se & Apostolos opponit Mosi & Prophetis: Moses enim Deuter. 24. & alibi, vocatur seruus & famulus Dei. q.d. Moses fuit seruus Dei, sed secundùm, id est circa, legem & cæremonias ac vmbras, quas docuit & tradidit populo Iudæorum, vt eas obseruando vitam commodam & bonis terrenis affluentem hîc agerent: ego verò & Apostoli sumus serui Dei circa fidem & pietatem, vt homines adducamus ad vitam æternam. ita Theophyl. Hæc enim est veritas secundùm pietatem & scientiam Sanctorum: sunt enim multæ veritates & scientiæ, quæ ad pietatem non faciunt, vti est Arithmetica, Grammatica, Rhetorica, & aliæ plurimæ.

QVAM (vitam æternam) PROMISIT QVI NON MENTITVR, DEVS, ANTE TEMPORA SAECVLARIA] Pro *promisit*, græcè est ἐπηγγείλατο, id est, gratuita sua liberalitate, sua sponte, gratis & vltrò promisit. VERS. 2.

Quibus promiserit vitam?

Quæres, cui Deus promiserit ab æterno hanc vitam?

Deus vitã æternam.

vitam? Respondet S. Hieron. promisisse Filio suo, vel, vt alij, suæ sapientiæ & bonitati. Verùm melius Chrysost. *Promisit*, inquit, *id est, dare decreuit, proposuit, prædestinauit apud se in sua mente diuina dare fidelibus suis vitam æternam.* Idem enim dicit hîc, quod 2. Timoth. 1. 9. vbi ait: *Quæ* (scilicet gratia) *data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Data est*, id est, dari decreta, siue prædestinata est: quod enim nobis dari decretum est, idipsum nobis quasi promissum est, promissione non personali, sed reali, siue quantum est ex parte rei quæ danda decernitur & promittitur.

Quæ vocentur tempora secularia.

Quæres Secundò, quæ vocentur hîc *tempora secularia*? Respondeo, græcè est αἰωνίων, quod S. Hieron. hîc & August. loco mox citando, vertunt, *æterna tempora*: nec Latini, inquit S. August. ausi fuerunt vertere *secularia*, quia sæculare subinde significat id quod citò transit. Per *tempora* verò *æterna* S. Hieron. intelligit sæcula & æternitates, quæ mundi creationem præcesserunt, in quibus angeli vixerunt, Deumque laudarunt. *Sex millia*, inquit, *uondum nostri temporis implentur annorum, & quantæ priùs æternitates, quantas sæculorum origines fuisse cogitandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteræque Virtutes seruierunt Deo, & absque temporum vicibus atque mensuris Deo iubente subsiterunt.* Insinuat hîc Hieron. angelos fuisse creatos ante mundum, suamque ante mundum habuisse æternitatem, id est æuum. Verùm hoc Hieron. non tam ex sua quàm ex Origenis, vt solet, dicit sententia. Origenes enim ita sensit, & post eum multi Patres Græci & Latini. Verùm contrarium, scilicet angelos, non antè, sed simul cum mundo corporeo creatos esse, ac consequenter nullum angelorum fuisse æuum, vel sæculum ante hunc mundum, certum est. Ita enim definit Concil. Lateranense sub Innoc. III. c. 1. *Creator*, inquit, *omnium inuisibilium spiritualium & corporalium, sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam.* Vbi Nota. Licet mens Concilij fuerit hisce verbis damnare sententiã Origenis, qui primò creatos à Deo dicebat angelos & animas, deinde ob peccata eorum creata esse corpora, quibus quasi carceribus includerentur: tamen simul clarè docet angelos simul cum mundo corporeo esse creatos. nec enim clarioribus verbis id dici aut doceri posset. Nã hoc dogma planè euertit fundamentum sententiæ Origenis, & ad eam euertendam statuitur & proponitur à Concilio. Quare quod nonnulli ex S. Thoma 1. p. q. 61. art. 3. respondent, huius Concilij non verba, sed mentem iam explicatam spectandam esse, quasi æquè post Concilium atque ante, liceat sine erroris nota opinari, angelos creatos esse ante mundum, non video quomodo sanè & tutò dici possit.

Angelos multis sæculis ante mundum creatos fuisse, error est Origenis.

Alius Origenis error.

Hinc Secundò, melius S. August. libr. 16. de Ciuit. cap. 17. Anselm. & alij *tempora æterna* intelligunt illa quæ præcesserunt mundi & angelorum creationem, quæ tamen non fuerint Deo coæterna.

Tempus imaginariũ ante mundi creationem.

Dices, Nulla talia sunt aut fuerunt tempora; quia ante mundum nullum fuit tempus, adeoque nihil fuit nisi Deus Deique æternitas.

Respondeo, A parte rei, siue reipsa nihil fuit præter Deum; fuit tamen tempus imaginarium quod mente concipimus & fingimus ante mũdum Deo coëxtitisse, in quo Deus poterat & hunc mundum, & alios infinitos longè citiùs creare, quàm de facto creauit. Instabis, Hoc tempus concipimus quasi Deo coæternum; id autem negat S. August. & Apostolus hîc, qui dicit Deum vitam æternam promisisse, ante hæc tempora æterna; si ante, ergo non sunt coæterna Deo. Respondeo, Hæc tempora imaginaria, quæ concipimus ante mundum Deo coëxtitisse, confusè quidem concipimus quasi Deo coæterna, non autem distinctè & particulatim, quia sic concipimus illa quasi Deo posteriora: distinctè enim concipimus partes huius temporis definitas, ita vt illarum vna pars aliam habeat se priorem, & hæc rursum alteram & alteram se priorem, idq; in infinitum. nec enim mente nostra & conceptu possumus deuenire per hasce partes temporis gradatim semper ascendendo ad initium, vel ad ipsa primordia æternitatis, cùm illa vti in fine, ita & in sui principio sit infinita, adeoque vti fine, ita & principio careat: & hoc modo ante tempora hæc æterna partialia, quæ mente diuisim & distinctè concipimus, antecedit semper ipsa Dei æternitas. q. d. Apostolus: Ante omne tempus, ante quamlibet temporis partem, quam definitè concipere possumus, in æternitate Deo coëxtitisse, Deus *promisit*, id est, decreuit suis fidelibus vitam æternam, putà ab omni æternitate. Hic sensus videtur esse ex mente & sensu Apostoli, vt mox dicam, sed non est plenus & adæquatus.

Tempora imaginaria quomodo fiat cum æternitate.

Tertiò, alij *tempora æterna* intelligunt antiqua, quomodo Actor. 15. dicitur, *Ab antiquis diebus*. & ita legisse hîc aliquos *tempora antiqua*, pro *æterna*, vel *secularia*, docet S. Thomas; scilicet hi legerunt in Græco παλαιὰ, pro αἰώνια. Verùm Noster interpres optimè vertit, *ante tempora secularia*, vt dixi 2. Timoth. 1. v. 9. Per sæculum autem non intelligit spatium centum aut mille annorum, quomodo vocamus ludos sæculares; sed propriè dictum sæculum, siue æuum & tempus, tam illud quod reuera cum mundo cœpit & fluxit hucusque, quàm illud, quod, vt dixi, imaginamur, ante mundum Deo coëxtitisse. Vnde Syrus vertit, קדם זבנהי דעלמא *kedam zabnahi dealma*, id est, ante tempus sæculi. q. d. Ante omnem sæculorum seriem, ante omnem mundi & temporis, siue veri, siue imaginarij originem Deus promisit se nobis per Christum daturum esse vitam æternam.

Gnomon Philosophorũ de tempore.

Notat S. Hieron. *tempora* dici *secularia*, quia omne tempus in fluxu est, & per suum quodque sæculũ decurrit in curriculo hoc & rota mundi. *Vnde & quidam Philosophorum*, inquit Hieron. *censent non esse tempus præsens, sed aut præteritum, aut futurũ, quia scilicet omne quod loquimur, agimus, cogitamus, aut dum fit, præterit; aut, si nondum factum est, futurum exspectamus.* Alij è contrario dixerunt tempus non existere, sed tantùm nunc, siue instans temporis, adeoque falsò dici, Hoc tempore studeo, curro, comedo, quia ex tempore nihil existit, nihil est præsens, siue nunc, siue instans: quidquid reliquum est de tempore, non existit; sed aut præteritum est, aut futurum, id est existit, aut existet. Ecce hoc est punctum quod hîc viuimus.

VERS. MANIFESTAVIT AVTEM TEMPORIBVS SVIS VERBVM SVVM IN PRAEDICATIONE, (id est, per prædicationem) QVAE CREDITA EST MIHI SECVNDVM PRAECEPTVM SALVATORIS NOSTRI DEI] Nota *verbum suum*, putà Dei, hîc vocat Dei promissionem

sionem iam dictam de vita æterna. Vnde clariùs Græca, τὸν λόγον αὐτοῦ vertas, verbum illud suum, vel promissionē illam suam, olim scilicet in Deo occultam & reconditam, iam per prædicationem meam manifestauit. Articulus enim τὸν, vim habet reuocandi & repetendi id quod antecessit; idque exigit coniunctio aduersatiua, *autem*, quæ hæc præcedentibus connectit. Sic Lucæ 1. 72. dicitur: *Memorari* (vt memoraretur) *testamenti* (id est pacti) *sui sancti, iusiurandum quod iurauit ad Abraham.* q.d. Testamentum siue pactum hoc Dei est iusiurandum illud magnum quod iurauit patri nostro Abrahæ: licet enim in Græco *iusiurandum* sit accusatiui casus, tamen Græci eum pro nominatiuo vsurpant, cùm scilicet relatiuo accusatiui casus præponitur. Sic enim loquuntur ὅρκον ὃν, pro ὅρκος ὃν ὤμοσε.

Nota Secundò. Hieron. per *Verbum*, intelligit, Filium. Sic enim Filius dicitur λόγος, Iohan. 1. 1. id est Verbum, quo Deus omnia dixit, & dicendo fecit ac produxit: rursum quo iam incarnato, & in carne manifestato gratiam & gloriam, omniaque bona nobis promisit. Verùm simpliciùs cum Chrysostomo per *verbum* intelligemus Euangelium, vel clariùs promissionem vitæ æternæ in Euangelio propositam, vti dixi.

Nota Tertiò. Deus hoc Verbum, id est promissionem, manifestauit suis temporibus, græcè καιροῖς ἰδίοις, id est opportunis, congruis & propriis temporibus: quod ad Galat. 4. aliis verbis, dicit, *Vbi venit plenitudo temporis*, cùm scilicet præcessisset lex naturæ & Mosi, quasi præparatio & pædagogus ducens homines ad Christum, cumque tempora à Mose & Prophetis præscripta essent euoluta, post quatuor scilicet annorum millia, quibus languens & gemens mundus sub peccatis, vitiis, morte & inferno suspirabat ad Christum redemptorem & saluatorem.

Nota Quartò, *secundùm*, id est per, *præceptum*, &, vt Vatablus vertit, *delegationem*. Hinc rectè colligit Chrysost. Apostolorum prædicationem non fuisse consilij, sed præcepti, scilicet Paulum & Apostolos præcepto diuino, sub pœna peccati mortalis & inferni, à Deo obligatos & astrictos fuisse ad prædicandum Euangelium. Vnde Paulus 1. Corinth. 9. 16. *Væ*, inquit, *mihi est, si non euangelizauero.*

Nota Quintò. Tam longum exordium quasi salutationem præmittit hîc Apostolus, tum quia naturaliter fœcundo, vbere & diserto erat ingenio, tum quia in gratia Christi & apostolatu eius deprædicando solet se effundere; tum denique quia hîc in exordio quasi thema & argumentum totius epistolæ proponit, scilicet suum & Titi, adeoque omnium Episcoporum & Pastorum munus esse prædicare, non legis cæremonias, sed Christi gratiam, ac docere non Iudæorum, Gentilium aut hæreticorum fabulas, sed mores Christianos & sanctos, in quibus sita est vera pietas, Deique cultus.

TITO DILECTO (γνησίῳ, id est germano, genuino) FILIO SECVNDVM COMMVNEM FIDEM, GRATIA (Græca addunt ἔλεος, id est misericordia) ET PAX (supplesit) A DEO PATRE ET CHRISTO IESV SALVATORE NOSTRO] q.d. Saluto te, ô Tite, qui non degener, sed germanus es filius meus; non secundùm carnem, sed secundùm communem fidem & spiritum, quo ego te in Christo genui.

Cornel. in Epist. Pauli.

A Filius ergo meus es à me genitus secundùm fidem, id est, in fide.

Nota. *Communem fidem* vocat fidem Catholicam, vt vult Chrysost. vel potiùs & significantiùs, vt Hieron. quæ Tito cum Paulo communis erat. Vbi Aduerte modestiam Pauli, qui ita se patrem Titi vocat, vt se eiusdem fratrem agnoscat. q.d. In fide tibi, ô Tite, sum pater, quia te genui; & frater, quia eamdem mecum habes fidem: fides mea, fides tua est, tibique communis, eamque non adulteras, vti hæretici, sed genuinam tenes & tueris, æquè vt ego, tamquam germanus mihi in fide filius, imò frater. ita Theophyl. *Communis fides quæ?*

Nota Secundò. Hîc appositè petit gratiam & pacem à Deo Patre, & Christo Iesu. Si enim Deus est à quo omne bonum, quasi à fonte vberrimo manat, cuiusque proprium est se & sua bona communicare & effundere, hanc is se orantibus & petentibus gratiam & pacem non negabit. Si pater est amantissimus, ecquid filiis suis vtile aut commodum deesse patietur? Si Christus, id est vnctus, est oleo gratiæ & misericordiæ, sanè eamdem in nos effundet. *Oleum* enim *effusum nomen tuum*, inquit sponsa, Cantic. 1. v. 2. Si Iesus est, id est *Saluator*, vtique gratiam elargietur qua salui effici possimus. *A Deo & Christo omne donum.*

B

HVIVS REI GRATIA RELIQVI TE CRETÆ (ἐν Κρήτῃ, id est, in Creta, scilicet insula) VT EA QVÆ DESVNT, CORRIGAS] Græcè, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, id est, vt quæ reliqua sunt, scilicet quæ adhuc corrigenda restant, nec à me tam citò corrigi potuerunt, pergas corrigere. VERS. 5.

Notat Chrysost. animum Pauli labori & Euangelio planè intentum, ab ambitione alienum, non suum honorem, sed publicum animarum commodum vbique spectare. hinc labores sibi deposcit, vt duritiem Ethnicorum quasi glaciem primus ipse perfringat: deinde via facta aliis laborem cedit cum honore, adeoque quæ magis honorifica sunt, vt constituere vbique Episcopos, commendat Tito: interim ipse alia quærit noualia, per se ingenti labore Euangelio subigenda. Hoc verè Apostolicum est. Discant Prælati non tantùm laboriosa, sed & honorifica munia cum subditis partiri; non honores, sed labores ambire & vsurpare, & Apostoli spiritum imitentur, suisque eumdem imprimant. *Locus moralis de ambitione.*

C

ET CONSTITVAS PER CIVITATES (κατὰ πόλιν, id est oppidatim) PRESBYTEROS] id est Episcopos, & propriè dictos presbyteros, siue sacerdotes & pastores. Presbyter enim nomen commune erat tam Episcopis, quàm communibus sacerdotibus, vt dixi ad Philip. 1. 1. Iubet ergo Paulus, vt in singulis oppidis Titus constituat presbyteros, putà in maioribus Episcopos, in minoribus sacerdotes siue pastores: ita enim explicat & sancit Leo I. epist. 87. ad Episcopos Africæ cap. 2. & Concilium Sardicense can. 6. vbi dicitur: *Licentia non sit Episcopi passim ordinandi, aut in vico, aut in ciuitate modica, cui satis esse possit vnus presbyter: nec enim necesse est ibi Episcopum fieri, ne Episcopi vilescat nomen & honoris summi auctoritas.* *Vbi Episcopi, vbi presbyteri constituendi.*

D

Nota Primò. Iubet Apostolus Tito, vt plures in Creta constituat Episcopos. Erat enim Creta, licet insula, populis & vrbibus ad stuporem frequens, habebat enim centum vrbes. Vnde Poëta de Creta ita canit, *Creta frequens vrbibus & populis.*

Vrbes centum habitat magnas, ditissima regna.

ideoque ab Homero Iliados 2. Creta dicta est *Hecatompolis.*

Episcopus maior presbytero.

, Nota Secundò, cautè legendum esse hîc S. Hieronymum: ait enim: *Olim idem erat presbyter qui Episcopus, & propter schismata consuetudine potiùs, quàm Dominica institutione factum est vt presbyteris præessent Episcopi.* Similia habent Sedulius & Anselmus. Vnde Aërius & Wiclef docuerunt presbyteros pares esse Episcopis. Verùm S. Hieron. & eum secutus Anselmus & Sedulius, volunt dicere, olim communi consensu, spiritu & zelo magis, quàm hierarchico ordine & imperio presbyteros rexisse Ecclesiam, conniuentibus Episcopis: sed paulò pòst illo ipso tempore, scilicet Apostolorum, cùm oriretur dissensiones, vt patet 1. ad Corinth. 1. v. 12. & 1. ad Timoth 5. 19. mox ob superbiam & schismata presbyterorum, Episcopos suum primatum resumpsisse. Certum enim est, non tantùm consuetudine, sed & iure diuino Episcopos presbyteris esse maiores, tum potestate ordinis, tum potestate iurisdictionis. Quod ipsum docet S. Hieronymus epist. ad Heliodorum, & ad Marcellam: *Apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent.* Atqui Apostoli maiores erant ex Christi vocatione & institutione LXX. discipulis; ergo pariter & Episcopi presbyteris ex Christi institutione maiores sunt. Quod ergo hîc dicit Hieronymus, *Magis consuetudine quàm diuina institutione Episcopos presbyteris esse maiores*; intellige non de ipsa Episcoporum potestate & auctoritate, sed de vsu & exercitio potestatis. Christus enim non instituit de facto distinctionem hierarchici ordinis & iurisdictionis, ita vt illam in actum & exercitium deduceret; sed permisit, vt, quamdiu duraret primus ille zelus, communi omnium labore & spiritu regerentur Ecclesiæ: illo verò refrigescente voluit, vt Apostoli distinctionem hanc & iurisdictionem à se Episcopis datam, in praxim & vsum redigerent. Confirmat hanc expositionem id quod subdit Hieron. *Imitantes*, inquit, *Mosen, qui cùm posset solus præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret.* Atqui certum est Mosen maiorem fuisse hisce LXX. ergo certum est Episcopum maiorem esse presbyteris: qui tamen, si Mosen imitari velit, ambitiosè eis non imperet, sed mansuetè eos in communionem suæ potestatis & iurisdictionis admittat. Vide dicta Philipp. 1. 1.

Error contrarius Aërij & Wiclef.

Cautè hac de re legendus Hieronymus, & cùmodè intelligendus.

SICVT ET EGO DISPOSVI TIBI] Græcè διεταξάμην, id est ordinaui, constitui, disposui: inde Διατάξεις, vocantur canones, constitutiones & ordinationes Apostolorum & Pontificum. q.d. Tales tam probatos & selectos, tali numero, modo, serie, subordinatione constitue presbyteros, sicut ego viua voce tibi præscripsi & ordinaui.

Christus circa Ecclesiæ regimen non omnia constituit, sed multa reliquit successoribus.

Vnde patet Christum, non omnia ordinasse, sed multa circa Ecclesiæ regimen, pro ratione temporum futurorum ordinanda commisisse Apostolis eorumque successoribus. Hoc enim exigit cuiusuis reipublicæ prudens institutio. Sic quod v. sequ. præcipit Apostolus, vt Episcopus sit vnius vxoris vir, vt filios habeat fideles, vt sit hospitalis & benignus, nusquam legitur instituisse aut præcepisse Christus. Sed vt ait Apostolus, hæc *ego disposui tibi*, hæc mea sunt præcepta, meæ ordinationes. Sic deinceps per nouos canones toto orbe receptos multa sancita sunt à Patribus Concilij Niceni, Ephesini, Chalcedonenses, Constantinopolitani & aliorum Conciliorum, de quibus nec Christus, nec Apostoli quidquam sanxerunt aut ordinauerunt. Hinc patet hosce canones omnibus fidelibus venerandos & seruandos esse; ita enim de suis hîc præcipit Apostolus.

SI QVIS SINE CRIMINE EST, VNIVS VXORIS VIR, FILIOS HABENS FIDELES, NON IN ACCVSATIONE LVXVRIÆ, AVT NON SVBDITOS] Hic qualem velit esse presbyterum & Episcopum, præscribit Apostolus. Primò, vt sit *sine crimine*, non quasi velit eum tantùm eligi Episcopum qui à baptismo non peccarit mortaliter, sed qui crimine infami aut accusatione digno non notetur, vt ait D. Thomas. *Multi*, inquit Augustinus libr. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 14. *sine crimine sunt, & sine querela viuunt, sed nemo sine peccato.* Idem enim hîc requirit Apostolus, quod 1. Timoth. 3. cùm ait: *Oportet Episcopũ irreprehensibilem esse.* Hanc & sequentes Episcopi dotes explicui 1. Timoth. 3.

VERS. 6.

Episcopus debet esse sine crimine infami.

Tertia dos Episcopi.

Nota. Tertia dos Episcopi hîc requisita ab Apostolo est, vt, si sit pater, *habeatq; filios*, ii sint *fideles.* Si enim suos filios non potuit facere fideles, quomodo Episcopus factus infideles alios & exteros ad fidem adducet?

Secundò, vt filij *non sint in accusatione luxuriæ*, id est, non accusentur de luxu in comessationibus & compotationibus, id est, non sint comessatores & compotores. Hi enim à parente facto Episcopo extorquerent bona Ecclesiæ & pauperum, eaque æquè vt sua dilapidarent, cùm sint helluones & gurgites opum. *Luxuria* ergo hîc pro luxu sumitur: hunc enim significat Græcum ἀσωτία, de qua dixi Ephes. 5. 18. Posset rursum cum Lyrano luxuria, pro libidine accipi. Hanc enim significat quoque Græcum ἀσωτία, vt dixi loco iam citato: luxus enim gulæ & *venter mero æstuans despumat in libidinem*, vt ait hîc ad v. 7. S. Hieron. Vult ergo Paulus Episcopum ita castè suos educasse filios, vt de luxuria notari aut accusari non possint, sicut filij Heli pontificis notati sunt, ideoque tam ipsi, quàm pater Heli & pontificatu & vita priuati sunt, 1. Reg. 2. Simili modo 1. Timoth. 3. scribit Episcopum esse eligendum qui filios habeat subditos in omni castitate. Cretenses enim in venerem profusi fuerunt, adeoque, vt tradit Strabo libr. 10. Cretæ moriserat, vt in pueros insanirent, quos etiam quantumuis nobiles licebat ibi rapere, & apud se duos menses retinere, & sic donatos muneribus domum remittere. nimirum hoc docuit eos eorum rex Iupiter, cùm suum Ganymedem rapuit: & tamen (ô infanda cæcitas!) vterque inter deos relatus est ab eorum sapientibus. Atque hac de causa, vt ibidem docet Strabo, priscis Cretensium legibus decretum erat, vt Cretenses omnes statim à pubertate coniugium inirent ad infamem hanc pæderastiam, cuius eos tandem pudere cœpit, adulteria, aliasque vagas libidines restinguendas.

ἀσωτία luxuriam, & luxum significat.

Cretensium luxuria & pederastia.

Tertiò, requirit Apostolus, vt futurus Episcopus filios habeat subditos: si enim eos regere & disciplinæ suæ subdere non potuit pater, quomodo factus Episcopus fideles omnes regere, sibique & Ecclesiæ obedientes efficere poterit?

OPORTET ENIM EPISCOPVM SINE CRIMINE ESSE, SICVT DEI DISPENSATOREM, NON SVPERBVM] Pro *dispensatorem*, græcè est οἰκονόμον, q.d. Oportet Episcopum esse sine crimine, id est, sine grauiori scelere, quia est non dominus, sed

VERS. 7.

Virtutes episcopales, & vitia contraria.

sed œconomus & administrator domus Dei, quæ A est Ecclesia: ipse ergo toti Ecclesiæ vitæ integritate, quasi sol prælucere debet: in illum enim omnium intenti sunt oculi.

Secundò, pro *superbum* græcè est αὐθάδη, id est, sui sensus tenacem. Ita, vt Syrus, qui sua ducatur propria voluntate, id est præfractus, durus, asper, inflexibilis, qui sibi ipsi ita placet, vt cæteri displiceant. ita Chrysost. & Theophyl. S. Hieron. vertit, *proterum*; alij *contumacem*. Antigonus rex videns filium suum ferociùs tractantem subditos: *An ignoras*, inquit, *fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem?* Idem sibi dicant Episcopi & Prælati.

NON TVRPIS LVCRI CVPIDVM] qui scilicet se & proles ditare non satagat ex mulctis, quas canonum transgressoribus imponit; quíque auarè frumentum & decimas non recondat, exspectans annonæ caritatem, vt pluris diuendat; denique qui ex mercium, aliarumque rerum indecentium & sordidarum commutatione aut negotiatione lucrum non aucupetur. Ita Patres Concilij Antiocheni apud Euseb. lib. 7. Hist. c. 23. & 24. grauiter accusant Paulum Samosatenum, Antiochiæ Episcopum; quòd, cùm antea vilis esset & pauper, à litigantibus per fraudes & dolos pecunias extorserit, iisque se ditarit. Quàm turpe sit hoc lucrum in clericis, docent sacri Canones 3. q. 2. c. *Si quis*. & 17. q. 4. c. *Alias*.

BENIGNVM] Græcè φιλάγαθον, id est, ad verbum, bonos amantem, vel bonorum amatorem. ita Hieron. potest tamen quoque verti, benignũ.

SOBRIVM] Græcum Σώφρονα, verti etiam potest cum Hieronymo, *castum* vel *pudicum*, & cum Ambros. *prudentem*: nimirum anima sicca (id est sobria) est sapientissima & prudentissima, atque, vt C aiunt Græci, ῥῶμη ψυχῆς σωφροσύνη, id est, robur animæ est sobrietas.

SANCTVM] ὅσιον, quod cum Vatablo & aliis verti potest *pium erga Deum*. nam, vt ait S. Hieron. quem nos *sanctum* vocamus, Græci ἅγιον vocant; quem autem ipsi ὅσιον, nos pium in Deum possumus appellare.

CONTINENTEM] tum à gula & luxuria, tum ab omnibus animi vitiis. *Sit Episcopus*, inquit Hieron. *abstinens non tantùm, vt quidam putant, à libidine, & ab vxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus, ne ad iracundiam concitetur, ne illum tristitia deiciat, ne terror exagitet, ne lætitia immoderata sustollat.*

Talis fuit S. Martinus Turon. Episcopus, de quo audi Seuerum Sulpit. dial. 1. *Nemo vnquam Martinum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: vnus ille semper, cælestem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Tantam aduersus omnes iniurias patientiam assumpserat, vt, cùm esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos aut loco vnquam amouerit, aut à sua charitate repulerit. Numquam in illius ore, nisi Christus: numquam in illius corde, nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Flerumque etiam pro eorum, qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis.* Hinc non tantùm viuens, sed & moriens inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Cumque pro morte celeri oraret, discipuli ad eum: *Cur nos*, inquiunt, *pater deseris? cui nos desolatos relinquis? Tum ille: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Ardenti verò febre æstuans cùm supplicem oraret, rogarunt discipuli vt pronus conquiesceret. Quibus ille: Sinite me cælum potiùs quàm terram aspicere, vt suo itinere iam iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Instante iam morte, viso humani generis hoste. Quid, inquit, adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Ea in voce animam Deo reddidit, quam angelorum chorus excepit, eoque, diuinas canentes laudes multi, imprimisque Seuerinus Colonienſis Episcopus audiuit.*

Cornel. in Epist. Pauli.

AMPLECTENTEM EVM QVI SECVNDVM DOCTRINAM EST FIDELEM SERMONEM] Pro *amplectentem*, græcè est ἀντεχόμενον, id est, vt Ambros. tenacem & mordicus retinentem; *fidelem*, id est veracem & indubitatum (vt dixi 1. Timoth. 1. v. 15.) *sermonem, qui secundum doctrinam est*, id est, qui sanæ doctrinæ & fidei consentaneus est, siue, quem decet sana doctrina. *Non statuit*, inquit Theodoret. B *vt Episcopus sit disertus, sed vt sit diuinorum eloquiorum peritus.* VERS. 9. *Veracitas & doctrina Episcopi.*

SVNT ENIM MVLTI ETIAM INOBEDIENTES, VANILOQVI ET SEDVCTORES (græcè φρεναπάται, id est, mentium deceptores) MAXIME QVI DE CIRCVMCISIONE SVNT] Pro *etiam* græcè est, καὶ, id est &. pendet hæc copula à sequentibus, eaque cum præcedentibus connectit. q. d. *Sunt multi & inobedientes, & vaniloqui & seductores.* Vnde Vatablus & alij τὸ *etiam* in sua versione omittunt, tumque sensus idem est, sed planior & clarior. Pro *redargui* græcè est ἐπιστομίζειν, id est, obturare illis os, & quasi epistomio illud occludere, indicto scilicet eis silentio, vt vertit Hieron. Notat Iudaizantes, qui docebant cum christianismo iungendam esse circumcisionem & legis cæremonias, fabulasque Iudaicas, indeque lucrum aucupabantur. VERS. 10.

DIXIT QVIDAM EX ILLIS, PROPRIVS IPSORVM PROPHETA: CRETENSES SEMPER MENDACES, MALÆ BESTIÆ, VENTRES PIGRI. TESTIMONIVM HOC VERVM EST] S. Hieron. hæc verba partim refert ad v. 5. vbi dixit, *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas*, nimirum vt corrigas mores Cretensium in mendacia, ventris ingluuiem & pigritiam proclues; partim ad proximè præcedentia, scilicet vt notet hos Iudaizantes pseudodoctores, vt eorum indolè perspiciat Titus, sciatque; quomodo, & de quibus eos arguere debeat. VERS. 12. VERS. 13.

Nota. *Proprius ipsorum propheta* est Callimachus, vel potiùs Epimenides poëta Cretensium & Philosophus, ac templi Mitræ, id est solis, sacerdos. ita Hieronymus. Sed cur poëta hic vocatur *propheta*? Respondeo Primò, quia à suis habitus est propheta, teste Laërtio & Cicerone libr. 1. de Diuinat. *Callimachus & Epimenides Cretensium prophetæ.*

Secundò, quia poëtæ sunt dicti vates, id est prophetæ, ob furorem poëticum, & Sibyllæ, ac Apollo sua oracula reddebant carmine; vnde iidem, vti & alij multi, simul erant poëtæ & prophetæ. Atque hac de causa Plato libr. 2. de Republica, poëtas Deorum filios vocat, illorumque nonnullos prophetas fuisse asserit. Hinc poëtæ ipsi spiritum sibi de cælo communicatum iactabant dicentes: *Poëta quomodo propheta.*

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Sedibus ætherei spiritus iste venit.

Tertiò, quia Epimenides hic scripsit librum περὶ τῶν χρησμῶν, id est de oraculis.

Quartò, *propheta*, id est doctor, & ethicus, qui vitia gentis natiua describit, quod perinde est

atque mores posterorum prædicere, quia vitia natiua parentum ferè in posteros deriuantur. Vide dicta 1. Corinth. 14. initio capitis.

Carmen Epimenidis citatum ab Apostolo.

Nota Secundò. Epimenidis sententia & carmen quod hîc citat Apostolus, ita græcè sonat:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Quod pari carmine Latino reddidit Faber Stapulensis:

Gnossius vsquè loquax, mala bestia, viscera pigra.

Verùm, vt rectè aduertit Erasmus, *loquax* non est idem quod *mendax*, nec *viscera* idem sunt quod *ventres*, id est gulosi, vni ventri dediti. Meliùs ergo & breuiùs ita carmen carmine reddas:

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.

Cretenses mendaces.

Nota Tertiò. Tria hîc Cretensium vitia suggillat. Primum, quòd sint mendaces, vnde in prouerbium abierunt, vt vulgò dicatur, *Cretizare cum Cretensi*, id est mentienti mentiri, fallentem fallere, B decipientem decipere. &, *Cretensis est*, cretizat, id est mendax est, mentitur.

Quare tales dicti & habiti.

Vbi aduerte ex S. Hieron. & Chrysost. occasionem, quæ Epimenidem & Callimachum mouit ad vocandum Cretenses mendaces; fuisse quòd Cretenses Iouem non in cælo viuere, sed in Creta vbi rex fuerat, mortuum & sepultum crederent, eiusque sepulchro inscripsissent: Hîc iacet Iupiter. Hinc eos arguit Epimenides & Callimachus, quòd deos & diuina non sentiant, *Sepulchrum*, inquiunt, *tuum, ô Iupiter, fabricati sunt Cretenses, sed mentiuntur: tu enim minimè obisti, sed in cælo quasi Deus immortalis semper viuis.*

Dices, Hi poëtæ errant & mentiuntur, quomodo ergo de eorum dicto ait Apostolus, *testimonium hoc verum est*? Respondent S. Hieron. & Chrysost. Apostolum non probare illam opinionem de Iouis diuinitate, cuius occasione hoc dixit Epimenides, sed tantùm rem ipsam, scilicet quòd Cretenses sint mendaces, scilicet ob ingenitam mentiendi & fallendi procliuitatem: hoc autem verum est. Vnde Erasmus initio Chiliadum ita cuilibet genti sua vitia prouerbio assignans ait: *Pœno perfidior, Scytha asperior, Scythotauris inhospitalior, Parthis vanior, Thracibus bibacior, Sybarita fastuosior, Milesiis effeminatior, Arabe ditior, Arcade stolidior, Care vilior, Cretensi mendacior.*

Variarum gentium vitia.

Alia Cretensium vitia.

Secundò, vocat Cretenses *malas bestias*, græcè θηρία, id est feras, quales sunt lupi, apri, tigrides; quia ferinis erant moribus, & ferarum ritu sanguinem sitiebant deceptorum, inquit Hieronymus & Anselm. multoque magis quasi in animas grassabantur, dum eas ob lucrum falsa docebant & persuadebant, itaque in ruinam & perditionem pertrahebant, vt patet v. 11. Hinc illud Græcorum adagium τρία κάππαδοκίζει, id est, tria pessima cappa, scilicet tres gentes à cappa incipientes pessimæ; putà Cilices, Cretenses, Cappadoces. Cappadoces enim, quòd à Gabaonitis prognati sint, mendaces & peruersos esse docet Isidor. Pelusiota epist. 281.

Cilices, Cretenses, Cappadoces tria pessima cappa.

Tertiò, Cretenses vocat *ventres pigros*, id est, qui nonnisi ventri saburrando, & pingui aqualiculo infarciendo studeant instar suum, & quasi porcorum pigra propago, de quibus Lucilius:

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Plato lib. 4. de Legibus solerter aduertit & notat vrbes & regiones maritimas (qualis est Creta insula) solere malè esse moratas, causamque dat: *Nam cùm mercibus*, inquit, *& pecuniis cauponando talis ci-*

uitas repleatur, dolosos animos, instabiles & infidos mores parit: vnde parum ipsa ad seipsam, & minùs ad alias gentes fidem & amicitiam stabilem colit. Vnde istud vulgò iactatum: Omnes insulani mali, S. autem pessimi. Verùm per Christum gratia corrigente naturam, eamque acrem edomante, efformante & dirigente, vt sibi sit eos virtutis ad heroica virtutum opera, impletum videmus illud Isaiæ c. 60. 9. oraculum: *Me insulæ expectant, & naues maris à principio, vt adducam filios tuos de longè: argentum eorum & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te.* Et c. 24. 15. *In doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israel.* Et illud psal. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent.* Sanè quot quantosque Ecclesiæ doctores, quot fidei athletas, quot Sanctos omni virtute illustres Christo dedit Creta, Cyprus, aliæque insulæ?

QVAM OB CAVSAM INCREPA ILLOS DVRE] Græcè ἀποτόμως, id est præcisè, ad viuum, seuerè, rigidè. Rursum ἀποτόμως, hoc est abscindendo, & eiiciendo eos ex Ecclesia, si moniti nolint vitia corrigere, ait Turrianus in libr. 2. Clem. Constit. Apost. c. 42. in indice.

VT SANI SINT IN FIDE, NON INTENDENTES IVDAICIS FABVLIS, ET MANDATIS HOMINVM, AVERSANTIVM SE A VERITATE] Græcè ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν, id est, auersantium veritatem. VERS. 13. & 14.

Iudeorum fabulæ & cæremoniæ.

Nota. Apostolus hîc taxat mandata hominum non omnium (sic enim mandata omnium regum & principum elideret) sed eorum qui auersantur veritatem, & pro veritate fabulas substituunt, maximè Iudaicas, putà de seruandis legis cæremoniis, ac præsertim de seruando ciborum delectu, ne quis carne suilla, leporina, aliaue, quam lex Leuit. 11. quasi immundam vetat, vescatur. hoc enim verbis sequentibus innuit Apostolus, cùm subdit, *omnia munda mundis.* ita S. Hieron. Chrysost. & alij.

Iudæorum cum Cretensibus commercium.

Vbi Nota Secundò, non mirum esse, quòd in Creta viguerint hæ Iudaicæ fabulæ & obseruantiæ ciborum, ac iudaismus, quia magna per maris viciniam communio erat Iudæorum cum Cretensibus; adeoque Iudæos nobiles in Creta habitare solitos testis est Iosephus in sua Vita, vbi hac de causa se vxorem ex Creta accepisse narrat. immò inde falsus est Corn. Tacitus lib. 21. cùm Iudæos è Creta descendisse, dictosque Iudæos, quasi Idæos ab Ida monte, qui est in Creta, asseuerat.

OMNIA MVNDA MVNDIS] Infert Lutherus, ergo fornicatio quoque munda est mundis, putà fidelibus. Sicut enim, inquit, nihil iustificat nisi fides, ita nihil coinquinat nisi infidelitas. Sed apage monstrum. tibi munda sit fornicatio, furtum, sacrilegium, homicidium, omnisque iniquitas, perinde vt porco mundæ ac in deliciis sunt fæces, sordes, omnisque immunditia. VERSIO *Lutheri impia conclusio.*

Error dicentium, Iudæorum fabulas, Manichæorum & Marcionitarum.

Dico ergo Apostolum loqui de delectu ciborum, quem Iudaizantes inducebant. de iis enim, eorumque fabulis hîc agi patet ex v. 10. 11. & 14. nam Iudaizantium nonnulli dicebant cibos aliquos esse natura sua immundos, vti postea eos secuti docuerunt Manichæi & Marcionitæ: alij verò censebant cibos quosdam esse immundos & Christianis vitandos, non in se, sed propter legem Mosi Leuit. 11. eos vetantem. Hos refutat hîc Apostolus dicens: *Omnia munda mundis.* q. d. Christianis, qui sanguine Christi in Baptismo mundati sunt, nullus

Sen. sui Epistoli versus omnia munda mundis.

cibus,

eibus, nullum animal, nulla res, vel natura sua, A vel propter legem Moſi, habenda est immunda; sed omnia eis sunt munda, vt omnibus vesci & vti sine scrupulo possint. Hunc esse sensum patet Primò quia, vt dixi, agit contra Iudaizantes. Secundò, quia ita se explicat 1. Timoth. 4. 3. cuius hæc epistola ad Titum est quasi compendium. Tertiò, quia ita interpretantur Chrysost. Hieron. Theodoret. Ambros. Vatabl. Erasm. & alij passim. Vnde S. August. l. 31. contra Faust. c. 4. *Omnia*, inquit, *munda mundis: quia serui Dei in eo quòd carnibus & vino abstinent, non tanquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ institutæ sectantur.*

Hic ergo locus Apostoli nihil facit contra ieiunia ab Ecclesia indicta, quæ non ob ciborum immunditiam, sed ad temperantiam, carnis castigationem & obedientiam exercendam, ad Dei iram placandam, ad melius vacandum orationi, & ad alios sanctos fines indicuntur. Sic enim Apostoli Act. 15. præceperunt abstinentiam à sanguine & à suffocato. Et Paulus 1. Corint. 10. 21. vetat esum idolothytorum. Sic Deus vetuit Adamo esum pomi, non aliam ob causam, quàm ad probandam & exercendam eius obedientiam. Hanc Apostoli sententiam magnus ille Spiridion Trimitunis in Cypro Episcopus, vir admodum hospitalis & benignus, appositè adaptauit cuidam hospiti suo, vt narrat Sozomen. l. 1. Histor. c. 11. *Cùm iam*, inquit, *instaret quadragesima, ex itinere fortè quidam venit ad eum* (Spiridionem) *illis ipsis diebus, in quibus vnà cum suis ieiunia peragere consueuerat, & ad statutum diem cibum degustare; cùm diebus interpositis sine cibo omnino remansisset cumq; Spiridion videret hospitem valdè de via fessum, nec haberet in domo sua panem, aut quidquam aliud; petita à Deo venia, carnes suillas quas solas domi habebat, coqui iussit, hospitiq; apponi, ac de carnibus ipse primò comedere cœpit, hortando hospitem vt se imitaretur, qui cùm illud facere recusaret et diceret q; se esse Christianum; Hanc ob causam, inquit Spiridion, minùs recusare deberes. nam omnia munda mundis, sacræ Litteræ pronunciant.* Vbi Aduerte, hoc exemplum non facere contra ieiunia Ecclesiæ, quasi hospite aduentante, ea soluere & violare liceat: nam imprimis non erat tum ieiunium ab Ecclesia præceptũ: non enim dicit, Cùm esset, sed, Cùm instaret Quadragesima; ergo non præceptum, sed voluntarium erat hoc ieiunium. Idem insinuat, cùm ait fuisse dies in quibus ipse cum suis ieiunare consueuerat, & ad certum vsque diẽ nihil omnino degustare. Erat ergo hoc ieiunium non præcepti, sed suæ consuetudinis: nec enim Ecclesiasticum ieiunium præcipit talem abstinentiam, in qua nihil omnino gustare licet.

Dices, Cur ergo comesturus carnes à Deo veniam petiit, & cur hospes carnes detrectauit, dicens se Christianum esse? Respondeo, Quia tum consuetudo videtur fuisse apud Christianos, vt ante Quadragesimam, à Dominica Quinquagesimæ carnibus abstinerent, ita enim constituit Telesphorus Pontifex, vt scilicet à Dominica Quinquagesimæ ieiunium inchoaretur: verùm eius constitutio pro lege recepta non fuit, sed tamen à multis in consuetudinem deducta: perinde vt etiamnum multi Religiosi ab illa Dominica vel ieiunium, vel abstinentiam à carnibus inchoant. hanc piam consuetudinẽ noluit hospes ille infringere, nec etiam Spiridion, nisi petita à Deo venia.

Adde Secundò, etiamsi hæc consuetudo vim

Cornel. in Epist. 2 ad Tit.

aliquam obligandi habuisset, fuissetque pro lege recepta, tamen hospes ille valdè fessus erat, nec Spiridion aliud habebat quàm carnes, quas illi apponeret. putauit ergo Spiridion totus in charitatem & hospites effusus, tali necessitate consuetudinem illam non obligare, satiusque esse, si pro ieiunio, charitati & hospitalitati satisfaceret, carnesque hospiti apponeret; vtque eum alliceret, ipse eas prægustauit, putans ex charitate id sibi licere tali casu, vti putauit & Hosius Cardinalis in Confessione Polonica c. 91. pag. 188. Fortè etiam sensit id quod sensit Cassianus collat. 21. c. 29. scilicet viros perfectos & eos qui toties sponte sua ieiunant, non teneri ita rigidè ad ieiunia ab Ecclesia indicta, quia aliàs abundè ea supplent. Denique exempla Sanctorum admiranda sunt, at non semper imitanda. nam certum est ieiunia præcepta præferenda esse voluntariis, præque illis obseruanda esse.

Quo titulo liceat aliquando viris perfectis ieiunia Eccl. sanctæ omittere ex Hosij sententia.

Mystice & spiritualiter Abbas Pimenius per mundos accipit humiles. Cùm enim quidam eum rogaret: *Quid est pater, quod Apostolus dicit, Omnia munda mundis?* Respondit: *Si quis ad hunc sermonem peruenire potuerit, vt eum intelligat, videbit se minorem esse totius creaturæ. Cui frater: Et quomodo me possum videre minorem ab eo qui homicida est? Respondit senex: Si potuerit homo ad sermonem hunc Apostoli peruenire, & viderit hominem qui fortè alium occiderit, dicit in semetipso: Ille quidem hoc solum peccatum fecit, ego autem omni hora homicidium committo, meipsum interficiens.* Et cùm frater requireret, quomodo hoc posset fieri; respondit senex: *Hæc sola hominis iustitia est, vt semper semetipsum reprehendat: & tunc iustificabitur, cùm sua peccata condemnat.* Ita habetur in Vitis Patr. l. 7. c. 15.

Humili omnia sunt munda.

COINQVINATIS AVTEM ET INFIDELIBVS NIHIL EST MVNDVM; SED INQVINATÆ SVNT EORVM ET MENS ET CONSCIENTIA.] Aliqui hinc inferunt omnia infidelium opera esse peccata: sed hic est error, nec hoc velle Apostolum mox patebit.

Non omnia infidelium opera sunt peccata.

Secundò, S. Thomas & Caietanus explicant hæc verba in sensu formali, hoc modo: infidelibus, qua talibus, seu quatenus comedunt, aut faciunt quippiam ex infidelitate, nihil est mundum. Sed hic sensus nisi vlteriùs explicetur & applicetur, nihil facit ad rem & mentem Apostoli.

Dico ergo Tertiò, sensus genuinus est hic: sicut mundis, id est Christianis, omnia, id est omnes cibi lege vetiti sunt mundi, ita econtrariò Iudaizantibus & infidelibus nihil, id est nullus cibus est mundus: quia hi superstitiosè & Iudaica vel hæretica mente & conscientia, cibis omnibus vel abstinent, vel vescuntur. putant enim superstitiosè legem veterem adhuc obligare etiam Christianos, & secundùm illam discernendos esse cibos, vt lege vetitis abstinere teneantur, lege verò permissis vesci possunt. ita Patres omnes citati, & S. August. lib. 31. contra Faustum, c. 4. *Infidelis*, inquit, *siue comedat, siue abstineat, non sanctè vel iustè comedit vel abstinet, quia praua opinione vtrumque facit.*

Genuinus sensus Apostoli.

Posset Quartò, esse hebraismus, vt verbum neutrum in cal capiatur pro actiuo, in hiphil, q. d. Infidelibus nihil est mundum, id est, nullus cibus eos mundat à sua infidelitate & sceleribus, vti econtrariò alios mundos, qui bonæ sunt conscientiæ, nihil, id est, nullus cibus aut natura sua aut lege veteri immundus est, qui eos sordidet aut

Sensus alius ex Hebræa lingua expressus.

contaminet, nullus est qui eis immunditiam aliquam siue corporalem siue legalem aspergat; vti olim cibi lege Mosis vetiti immunditiam quamdam legalem Iudæis aspergebant. huic expositioni fauet antithesis, quam subdit Apostolus dicens: *Sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia.* q.d. Ideo nullus cibus eis est mundus, id est, eos emundare potest; quia inquinata est & manet eorum mens & conscientia, ad quam cibus corporalis penetrare, eamque expiare non potest: licet & iuxta priorem sensum commodè exponi possit hæc antithesis, quasi det causam cur infidelibus nullus cibus sit mundus, sed potiùs omnis eis sit immundus, quia scilicet omni cibo vtuntur vel abstinent ex infideli & peruersa conscientia, qua volunt legi Mosis, æquè ac Christi se subdere, & vtramque amplectitur atque faciunt contra legem Christi, & contra libertatem Euangelicam; quæ docet legem Mosis esse abolitam, nulloque modo miscendam esse christianismo; ac consequenter quamdiu in hac mente perseuerant, ex eaque cibos comedunt, vel non comedunt, semper & in omni actu peccant, seque contaminant infidelitate & iudaismo.

Cur infidelibus nullus cibus mundus.

VERS. 16. CONFITENTVR (id est profitentur) SE NOSSE DEVM, FACTIS AVTEM NEGANT: CVM SINT ABOMINATI ET INCREDIBILES, ET AD OMNE OPVS BONVM REPROBI]Pro *abominati*, græcè est βδελυκτοὶ, id est abominabiles, &, vt Hieron. vertit, execrabiles, scilicet vita & moribus.

Secundò, pro *incredibiles*, græcè est ἀπιθεῖς, id est increduli; Hieronymus vertit, *inobedientes*; alij, *intractabiles*; Syrus, *impersuasibiles*, quibus scilicet nulla ratione veritas, puritas & libertas christianis persuaderi potest. hoc enim propriè significat ἀπιθεῖς, vt dixi Ephes. 2. 2.

Tertiò, *reprobi*, id est improbi, auersi, inepti ad omne opus bonum, idque ob suam malitiam, qua sua libera & improba voluntate, in sua infidelitate & impia vita obstinati repudiant & reprobant omne opus bonum, id est pleraque bona opera. est hyperbole. q.d. Hi Iudaizantes proiecti sunt in omnia scelera. hæc enim secum affert hæresis, iudaismus & infidelitas: hinc tamen non sequitur, quin hæretici & infideles quædam, saltem opera moraliter bona facere possint, & subinde faciant: nam confitentur Deum: hoc autem est opus bonum; est enim opus fidei eiusque professionis.

Infideles quomodo reprobi, & an nihil boni facere possint.

Nota. Alludit Apostolus ad Iob 15. 16. vbi dicitur: *Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* pro *inutilis* hebraicè est נְאֶלָח *neelach*, id est reprobus. & ad psal. 13. 3. qui sic habet: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* vbi rursum, pro *inutiles facti sunt*, hebraicè est נְאֶלָחוּ *neelachu*, id est, reprobi facti sunt, id est, infirmi & inutiles facti sunt ad omne bonum: hoc enim illud ipsum est, quod hîc dicit Apostolus. vnde patet reprobum idem esse quod, infirmum, ineptum, inutilem ad opus bonum.

Reprobus hebraicè neelach, id est inutilis.

Moraliter S. Hieron. docet hic quouis peccato Deum negari, non verbo, sed facto. *Christus*, inquit, *est sapientia, iustitia, veritas, sanctitas. negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem iustitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo: & quoties vitiis vincimur, Deum negamus; econtrario quoties boni quid agimus, non ore sed re ipsa Deum confitemur.*

Quouis peccato Deus negatur.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INstruit Titum, quid senes, anus, adolescentulas, iuuenes, seruos verbo & exemplo docere debeat. Hinc Secundò, v. 11. omnibus proponit gratiam Christi, qui ad hoc natus est, vt nos erudiret abnegatis sæcularibus desideriis, sobriè, iustè & piè viuere, expectareq; beatam spem immortalis vitæ & gloriæ.

1. TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam: 2. Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia: 3. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, bene docentes: 4. vt prudentiam doceant adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, 5. prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei. 6. Iuuenes similiter hortare vt sobrij sint. 7. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, 8. verbum sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. 9. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, 10. non fraudantes, sed omnibus fidem bonam ostendentes: vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. 11. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, 12. erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria: sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, 13. expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi: 14. qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. 15. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

VERS. 1. TV AVTEM LOQVERE, QVÆ DECENT SANAM DOCTRINAM: SENES VT SOBRII SINT, IVDICI, PRVDENTES, SANI IN FIDE, IN DILECTIONE, IN PATIENTIA]q. d. Noli intendere fabulis Iudaicis, vti faciunt Iudaizantes, sed sanæ doctrinæ Christi, nimirum docendo senes, Primò, vt *sobrij sint.* Græ-

Græcum νηφάλιοι, tam vigilantes, quàm sobrios significat. ex sobrietate enim vigilia & alacritas, perinde atque ex crapula somnus & torpor consequitur: nam senes somniculosi, tardi & torpidi esse solent, ob caloris defectum & phlegmatis copiam. intemperantia autem sicut calorem obruit, & phlegma adauget, ita consequenter & somnū, desidiam, torporemque maiorem inducit. Apostolus ergo vult senes esse sobrios, vt vigiles sint ad domestica & publica negotia sibi commissa sedulò peragenda, ad quæ ebrietas ineptos reddit. Exempla sunt in Noë sene, qui ebrius nudatus, & à filio illusus est: & in Lot, qui senex inebriatus incestum commisit. Econtrariò laudatur illa vox Berzellai, qui ad familiam & mensam Dauidis inuitatus: *Octogenarius*, inquit, *sum, numquid me delectare potest cibus & potus?*

Secundò, vult vt senes sint *pudici*. Græcè σεμνοὺς propriè maturos & moribus graues, vti vertit Noster v. 7. ac consequenter honestos & pudicos significat. Senes enim valdè dedecet leuitas, & multò magis libido, quæ signum est magnæ incontinentiæ nam, vt Poëta canit:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Optandum sanè est, inquit Hieron. *vt ætatis grauitatem morum grauitas decoret, ne iam frigido ad libidinem sanguine, exemplo sint adolescentibus ad ruinam.* Notum est in quantam infamiam inciderint duo illi senes impudici Susannæ insidiantes, Daniel. 13.

Tertiò, vt sint *prudentes*, græcè σώφρονες, quod, vt dixi 1. Timoth. 3. 2. varia significat. Vatablus & Erasmus vertūt, vt sint *moderati* vel *modesti*. Chrysost. quoque intelligit de animi moderatione, quòd senectus ob virium & animi imbecillitatem immoderatiùs & impotentius soleat excandescere. Verùm hanc moderationem animi aliis verbis significat Apostolus, cùm subdit, *Vt sint sani in patientia*. Meliùs ergo Noster *prudentes* vertit: solent enim senes cùm deficiunt, repuerascere, desipere & delirare; alioqui senectus vegeta ob experientiam, frigus & passionum temperiem consiliis est aptissima, estque ætas prudentiæ. vnde Poëta:

ἔργ' ἀνδρῶν, πολεμόιτε νεῶν, βυλαίτε γερόντων,

id est, opera sunt virorum, bella iuuenum, consilia senum sunt.

Quartò, vt sint *sani in fide, in dilectione, in patientia*. *Sani*, id est integri, firmi & robusti. Sanitas hæc siue firmitas opponitur languori, ait Anselmus; hunc enim afferre solet tam menti quàm corpori senectus. q.d. Senes non sint languidi, sed firmi in fide, dilectione & patientia; ne scilicet leui occasione ad hæreticorum susurros, in fide nutent, eamque mutent; ne leuiter offensi odium concipiant; ne leui verbulo, scommate, aliàue iniuria appetiti aut læsi, murmurent, stomachentur, maledicant, vindictam expetant. Solent enim senes esse morosi, tetrici, pusillanimes, suspicioси & in bilem tam atram, quàm flauam procliues: atque alia ex parte senectus ipsa magnam ærumnarum & patientiæ materiam affert. Verè enim dixit Aristot. l. 5. de Generat. anim. c. 4. *Morbum esse aduentitiam senectutem, senectutem verò esse morbum naturalem.* Præsertim verò senes malè habet, cùm vident se vti viribus, prudentia, animo, ita & auctoritate deficere, ac honore graduque suo pristino destitui, atque à iuuenibus superari, negligi, contemni. Senes enim viuunt & gloriantur in memoria honorum, virtutum & rerum præteritarum; iuuenes verò gloriantur in spe honorum, facinorum & rerum futurarum.

Vnde pulchrè S. Hieron. sanitatem siue integritatem charitatis docet esse illam, quam præscribit Apostolus 1. Corinth. 13. dicens: *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur*, &c. S. Thomas, per *sanitatem in dilectione*, intelligit benignitatem & suauitatem in conuersatione: solent enim senes iunioribus, ob ætatis morositatem, tristitiam & tenacitatem siue auaritiam, esse ingrati, molesti & onerosi. Iubet ergo Apostolus, vt hoc superent & euincant per suauem & liberalem conuictum. Rursum sicut pomum sanum contactu molescit ac putrescit, ita sana charitas virorum quoque spiritualium & confessariorum etiam senum, cùm nimis familiariter, blandè & crebrò agunt cum mulieribus, molescit, pallescit, infirmatur & putrescit, vt charitas in sensualitatem, ac tandem in carnalitatem degeneret. Præcipit ergo Apostolus, vt charitas hæc sana in sua integritate & vigore conseruetur. *Caueant*, inquit Hieron. *tam iuuenes quàm senes, tam adolescentes quàm vetulæ, & omni diligentia custodiant cor suum; ne per sanitatem dilectionis morbus charitatis introeat, & per amorem sanctum fiat non sancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennā.*

Senū etiam virtus mulierum contactu frangitur.

ANVS SIMILITER] scilicet æquè ac senes sint sobriæ, pudicæ, prudentes, vt paulò pòst sequitur. Theophyl. Græcum πρεσβύτιδας interpretatur presbyteras, id est vxores presbyterorum. Verùm alij passim communiùs hæc accipiunt, vt per πρεσβύτας quilibet senes, per πρεσβύτιδας quælibet anus intelligantur: iubet ergo eas esse VERS. 3.

IN HABITV SANCTO] Græcum καταστήμασι non vestimenta tantùm, sed etiam incessum, motum, omnemque gestum significat. q.d. Anus sint in statu vel compositione corporis sancta. *Habitus vetularum qualis esse debeat.*

Secundò, pro *sancto*, græcè est ἱεροπρεπεῖς, id est, qui deceat sanctas matronas & Deo dicatas, vtpote Christianas. vnde S. Ambr. vertit, *in statu religione digno*; & Syrus, בְּאַסְכְּמָא דְּיָאָא לְרַחֲלַת אֱלָהָא *beſechima deiaë ledechalat elaha*, id est, in habitu qui deceat reuerentiam Dei, *vt scilicet ipse earum motus, incessus, vultus, sermo, silentium quamdam decoris sacri dignitatem præferant*, ait S. Hieron. Lepidè Protagoras cùm vidisset anum bene comptam, conuersus ad eam ridensque dixit: *Si ad viuos falleris; si verò ad sepulchrum, satis compta es*, vt narrat Antonius monachus p. 2. Meliſſæ c. 34. tom. 1. Biblioth. SS. Patrum.

NON CRIMINATRICES] Græcè μὴ διαβόλους, quod S. Hieron. vertit, *non incentrices*, scilicet libidinis, vti aliqui exponunt. sunt enim pessimæ anus proxenetæ & nefariæ copulæ conciliatrices, quæ à iuuenibus amasiis pretio inductæ, iuuenculas castas mille artibus & fraudibus solicitant, vt pudicitiam suam iis vendant & prostituant. Verùm hanc explicationem elidit, quòd S. Hieron. *incentrices* has mox exponit & vocat accusatrices: & Græcum διάβολος propriè significat criminatrices & calumniatrices, quæ lites serunt, omnesque ad rixas & pugnas accendunt. Vnde quoque suspicio mihi iniicitur, corruptum esse hunc locum Hieronymi, vt pro *incentrices* legendum sit *criminatrices*. *Pax & castitas vetularum.*

NON MVLTO VINO SERVIENTES] Nota vocem *seruientes*: ebrij enim & temulenti serui fiunt vini & crapulæ. *Quod in adolescentibus*, inquit Hieron. *est libido, hoc in senibus est ebrietas, vt non sint sui sed vini.* *Vinū quasi tentis fugiendum.*

vini. Secundò, Nota τὸ *non multo*, quia, vt inquit Chrysost. ætas senilis vino habet opus, cùm maximè sit infirma, sed modico & temperato. *Vino*, inquit Rhodiginus lib. 28. c. 29. *senum frigus recalescit, spirituum exhilaratur tristitia, bilis atra vis redundans reprimitur, somni conciliatur appetentia, præfracti meatus recluduntur, siccitas nimia mitigatur, vniuersa denique senectæ lassitudo renidet.*

Quid, quos & vbi mulieres docere debeant.

BENE DOCENTES] Græcè καλοδιδασκάλους, id est honesta docentes. q.d. Anus doceant iuuenculas non leuia, anilia aut turpia, sed bona & honesta, scilicet prudentiam, charitatem, castitatem, &c. vt sequitur.

Ita Socrates (teste Maximo serm. 41.) suos discipulos docebat, vt hæc tria sibi compararent, Primò, in animo prudentiam; Secundò, in lingua silentium; Tertiò, in vultu verecundiam.

Et Demetrius Phalereus (teste Laërtio) monebat adolescentes, vt domi parentes, in via obuios, in solitudine seipsos reuererentur: pudor enim teneram ætatem optimè & efficacissimè deterret à peccato.

Pulchrè S. Hieronymus epistola ad Lætam viduam nobilissimam, eamdem docet, quid paruulam filiam suam docere debeat. Idem exemplo sanctæ cuiusdam fœminæ Christianæ docet S. Augustinus lib. 9. Confess. c. 8.

Anus ergo doceant non in Ecclesia, aut in cœtu virorum: hoc enim Apostolus vetuit 1. Timot. 2. 12. Sed domi priuatim doceant adolescentulas, putà filias, neptes, ancillas suas prudentiam, & vt, si coniugatæ sint, viros suos ament pariter & filios, nõ carnali, sed Christiano amore: vti S. Monica dilexit Augustinum, cùm eum sua cura, precibus & lacrymis ab hæresi ad Christianam fidem & vitam conuertit, teste ipso Augustino l. 3. Confess. c. 11. & lib. 9. c. 5.

VERS. 5. DOMVS CVRAM HABENTES] Significantiùs id dicitur græcè, scilicet οἰκουρούς, id est, vt Vatablus vertit, *domus custodes.* Vult ergo adolescentulas coniugatas, per domos non vagari: hoc enim reprehendit 1. Timoth. 5. 13. sed assiduè domi manere, domum custodire, eiusque curam gerere: viri enim est foras prodire, victum sibi & suis quærere, negotia tam priuata quàm publica tractare; vxoris verò est domum, proles, cæteraque quæ domum spectant curare. Intellexit hoc nobilis illa matrona, quæ Theano percunctanti qua ratione celebris esset euasura, respondit: *Contexens telam, & meum curans coniugium.* Sensit mulier illustris tum demum claram se fore si maritum amaret, prolem educaret & rem domesticam curaret. Et Lacæna illa captiua, quæ cùm interrogaretur, quid sciret? respõdit: Probè gerere domum,

Testudo symbolum matrisfamilias.

vti refert Plutarchus in Lacon. Hinc veteres insignis matrisfamilias imaginem & symbolum dixerunt esse testudinem, vt docet Plutarch. testudo enim est domiporta, suæq; domus & cochleæ perpetua silensque custos. Sic Phidias Elensibus Venerem sculpsit, quæ pedibus testudinem calcaret, hieroglyphicum scilicet σιωπῆς huius & silentij. Pulchrè quoque Plutarchus in Præceptis connubialibus docet mulieres non debere imitari lunam, quæ quo à sole remotior, eo & clarior est; quo vicinior, eo obscurior & minor: contrariũ enim facere debere sapientem mulierem, scilicet vt præsente viro tantùm se conspici patiatur, eo verò absente domi se contineat & abscondat. Denique iubet Apostolus coniugatas *subditas esse viro, vt non blasphemetur verbum Dei*; quia, vt ait S. Hieron. *cùm caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus; quæcumque vxor non subiicitur viro suo, id est capiti suo, eiusdem criminis rea est, cuius & vir, si non subiiciatur Christo capiti suo. Verbum autem Domini blasphematur, dum contemnitur Dei prima sententia, & pro nihilo ducitur; vel Christi infamatur Euangelium, dum contra legem fidemq; naturæ, ea quæ Christiana est, & ex Dei lege subiecta viro, imperare desiderat: cùm & Gentiles femina viris suis seruiant communis lege naturæ.* Hic secundus sensus magis genuinus est. Sic enim propriè blasphematur verbum Dei.

Fœmina viro subiecta esse debet.

VERS. 6. IVVENES SIMILITER HORTARE, VT SOBRII SINT] *Sobrietas* enim, inquit Theodoret. *adolescentia summo est ornamẽto, quia cupiditatis vitium cum ea acrius bellum gerit,* tum enim maximè calor corporis ex æstu sanguinis feruescit, ideoque adolescentes in voluptatem proni sunt. Hinc Plato lib. 2. de Legibus, adolescentibus vsque ad decimumoctauum ætatis annum vino interdixit. nam, vt ait Hieron. ad Eustochium, *Vinum & adolescentia duplex est voluptatis incendium. quid oleum flammæ adicimus? quid ardenti corpusculo ignium fomenta ministramus?* Quin & Plutarchus iuuenes hortabatur ad hæc tria, scilicet temperantiam in animo, in lingua silentium, in ore pudorem.

A quibus iuuenibus abstinendũ.

VERS. 7. & 8. IN OMNIBVS TEIPSVM PRÆBE EXEMPLVM BONORVM OPERVM, IN DOCTRINA, IN INTEGRITATE, IN GRAVITATE, VERBVM SANVM, IRREPREHENSIBILE: VT IS QVI EX ADVERSO EST, VEREATVR, NIHIL HABENS MALVM DICERE DE NOBIS] Nota Primò. Pro *exemplum* græcè est τύπον, id est typum, siue exemplar; q.d. Tu ô Tite Archiepiscope, esto exemplar virtutum & bonorum operum, quod omnes tui imitentur. *Sit*, inquit Chrysost. *doctrina & exemplar virtutis tuæ speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, velati archetypus & primitiua quædam imago, omnia in se habens quæ bona & honesta sunt.* nam, vt ait Seneca *Longum est iter per præcepta, efficax & breue per exempla.* Doctor ergo debet esse forma & speculum vitæ suis discipulis instar Christi, qui ait Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis*; & Pauli, qui 1. Corinth. 11. *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut & ego Christi.* Idem grauiter & piè docet & monet S. Gregorius Agnellũ Fundensem Episcopum, epistola ad eum scripta. *In tuis actibus*, inquit, *plebi exempla bene viuendi existant.* Operibus exerce quod subiectos doces & prædicas: actus tui in aliorum correptionem proficiant, in adiutorium sibi vitæ tuæ imitationẽ assumant. Sicque te in cunctis operibus exhibere festina, vt scripturã constructionemq; in te habeat quicumque aut negligit, aut non potest lectione formari.

Episcopus debet esse exemplar bonorum operum.

Hinc pulchrè S. Bernardus serm. 18. in Cantic. docet doctorem esse debere instar conchæ, quæ priùs ipsa impletur, quàm in alios redundet: *Si sapis*, inquit, *concham te exhibebis, & non canalem: hic quidem pænè simul & recipit & refundit; illa verò donec impleatur expectat, & sic quod superabundat, fine suo damno communicat. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas.* Dicit Dauid *psal. 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum; infundi nimirum prius volens, & sic effundere: nec solùm infundi prius, sed & impleri; quatenus de plenitudine eructaret, non ofcitaret de vanitate, cæsè imitans illum, de cuius plenitudine omnes accepimus. Disce & tu non nisi de*

Doctor sit concha, non canalis.

de pleno effundere, nec Deo largior esse velit: couchà imitetur fontem. non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis. Denique ipse fons vitæ plenus in seipso, primùm ebulliens, & saliens in proximo, secreta calorum omnia impleuit bonitate, & tunc demum erupit ad terras, ac de superfluo homines & iumenta saluauit, visitauit terram, & inebriauit eam. Ergo & tu fac similiter: implere priùs, & sic curato effundere.

Secundò, hæc bona opera sunt doctrina, qua alios docet & erudit ad fidem & pietatem, integritas vitæ & grauitas morum. Persimili enim modo Paulus scribit Timotheo epist. 1. c. 4. v. 12. *Exemplum*, inquit, *esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Verùm Græca clariùs & aptiùs alio casu hæc efferunt & connectunt, παρεχόμενος ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀφθορίαν, σεμνότητα, λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον, id est, præbe in doctrina incorruptionem, siue integritatem, grauitatem, verbũ sanum, irreprehensibile. hæc enim omnia pendent & reguntur à verbo *præbe*. Vnde aptiùs hæc omnia referuntur ad doctrinam & munus docendi, quod primarium est & proprium Episcopo. q.d. Ea quæ doces, ô Tite, sint incorrupta & integra, non vitiata, corrupta & falsa. Sint rursum grauia, non leuia & futilia; itaque erunt sana & irreprehensibilia, vt à nemine carpi aut reprehendi possint. Hoc notent & obseruent doctores & concionatores. ita Theophyl. & Græci. S. Chrysost. pro ἀφθορίαν legit ἀφθονίαν, id est copiam.

Quæ sit doctrina Episcopi.

Tertiò, pro *integritate* græcè est σεμνότητα, quod S. Hieron. vertit, *castitatem*, quæ maximè decet Episcopum: & sic Noster vertit, σεμνὸς, *pudicos*, v. 2. S. Hilarius l. 9. de Trinitate vertit, *venerationem*, quasi iubeat hic Apostolus Tito, vt doceat cum veneratione verbum sanum. Noster optimè vertit, *grauitatem*, qua scilicet auditores excitet tam ad sui, quàm ad Euangelij quod docet, venerationem & reuerentiam.

Quartò, *vt is, qui ex aduerso est*, id est vt aduersarius, putà Gentilis, Iudæus, vel hæreticus, *vereatur*, græcè ἐντραπῇ, id est pudefiat, confundatur, &, vt Hieron. reuereatur; *nihil habens malum dicere de nobis*, græcè μηδὲν ἔχων λέγειν, id est, nihil potens dicere, vel nihil habens mali quod dicat de nobis. ἔχειν enim cum infinitiuo significat posse, vt hic vertit Erasmus.

SERVOS (supple, hortare: hoc enim repetendum est ex v. 6) DOMINIS SVIS SVBDITOS ESSE IN OMNIBVS PLACENTES, NON CONTRADICENTES, NON FRAVDANTES] Notat S. Hieronymus, τὸ *in omnibus* posse Primò referri ad *subditos esse*; Secundò & meliùs, ad *placentes*.

Nota Secundò. Pro *placentes*, græcè est εὐαρέστους, quod S. Hieron. interpretatur, qui placeant non dominis, sed sibi ipsi, qui scilicet sua sorte & seruitute sint contenti, in eaque sibi placeant: sic enim econtrariò δυσάρεστοι vocantur, qui sibi displicent, quibus nihil placet, nihil satisfacit. Verùm meliùs Græci ad τὸ *dominis* hoc referunt; ad dominos enim cætera omnia hic referuntur. vult enim Apostolus vt serui in omnibus studeant dominis suis obsequi, placere, & fideles esse. S. Ambrosius pro εὐαρέστους, legit ἀρίστους, id est optimos, sed mutilè & corruptè.

Tertiò, pro *non contradicentes* Ambros. legit, *non responsatores*, qui scilicet moniti, reprehensi aut iussi aliquid facere, non obloquantur, nõ respondeant, non obmurmurent, nolint cedere & tacere, sed velint vltimum verbum occupare: hoc enim seruorum & seruarum vitium est. Sicut econtrariò eorum virtus & laus est, si reprehensi etiam immeritò, taceant & cedant, aut humili leniq́ue responsione, præsertim culpam suam agnoscendo, veniamq́ue precando mitigent animos & iras herorum & herarum.

Quartò, pro *non fraudantes* græcè est, μὴ νοσφιζομένους, quod Vatablus & Erasmus vertunt, *non suffurantes*; alij, *non interuertentes*. est enim νοσφίζεσθαι, decerpere aliquid furtim, cùm totum non aufis tollere, vti faciunt pueri & serui. Porrò hoc non tantùm ad res & bona heri, sed etiam ad ministerium & operas pertinet, q.d. Seruus nihil ex rebus heri, nihil etiam ex tempore & labore ac ministerio, quod præstare debet hero, sibi suffuretur; sed in omnibus fidem, id est, fidelitatem bonam ostendat, id est, exhibeat & præstet, vt ita sua obedientia & vitæ innocentia ornet Christianam fidem & religionem. S. Hieron. in comment. vertit, *non furantes*: atque explicans subdit, *Si autem hoc prohibetur in seruo, quanto magis in libero, ne aut iudex rapiat, aut miles non contentus stipendiis suis aliena deuastet? Pulchrè quidam vir apprimè grauis, cùm ei cuiusdam iudicis laudaretur integritas, & diceret de eo ille qui laudabat: Non est fur; respondit, Optimum seruum faceret, si nec fugitiuus esset: in tantùm furti suspicio ab omni libero debet esse aliena.* Vltimis hisce verbis causam innuit Apostolus cur tam studiosè seruis inuigilare velit Episcopũ. Solent enim serui illiberali, duro & difficili esse ingenio, quod corrigit gratia & fides Christiana, seruosq́; efficit ingenuos, tractabiles, obsequentes. Itaq́; serui Christiani, si moribus honestis & commodis à Gentilibus se distare ostendant apud Ethnicos, valdè commendabunt & ornabũt legem Christi: & hoc est quod hic intendit Apostolus. ita Chrysost.

Seruis cauenda furta, amanda fidelitas.

Secundò, hac ratione serui amolientur à christianismo calumniam tunc peruulgatam; scilicet Christianos iactare per Christum se effectos esse liberos, adeoq́ue seruos, si fiant Christiani, seruitute & dominio herorum suorum eximi: hoc refellent serui, si se magis iam, quàm ante baptismum dominis suis obnoxios agnoscant, & morigeros exhibeant.

Tertiò, moraliter monet Chrysost. Episcopum etiam pauperum & vilium personarum curam suscipere debere, quales sunt serui & mancipia, quorum mores, educatio & institutio ferè ab heris negliguntur, quippe ab eis non rarò perinde vt bruta tractantur.

APPARVIT ENIM GRATIA DEI SALVATORIS NOSTRI OMNIBVS HOMINIBVS, ERVDIENS NOS, VT ABNEGANTES IMPIETATEM ET SÆCVLARIA DESIDERIA, SOBRIE, ET IVSTE, ET PIE VIVAMVS IN HOC SÆCVLO, EXSPECTANTES BEATAM SPEM ET ADVENTVM GLORIÆ MAGNI DEI, ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI] Vox *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet præscripserit Tito quid senes, quid anus, quid adolescentulas, quid iuuenes, quid seruos docere debeat. causa est hæc: quòd pro iis omnibus, adeoq́; pro vilissimis seruis natus sit Christus, vt quilibet erudiret pro suo statu piè & sanctè viuere. ita S. Hier. Chrysost. & alij. Vers 11. & 12. & 13.

Nota Primò. Pro *apparuit* græcè est ἐπεφάνη, id est, vt Hieron. vertit, *illuxit*, scilicet subitò, ex impro-

Christus omnes homines vocat.

improuiso & insperatò, quasi sol radians & salutifer, cùm scilicet homines sedentes in tenebris & vmbra mortis nullam talem gratiam & salutem sperarent, imò de ea desperarent; repentè illa illuxit, non solis Iudæis, sed *omnibus hominibus*, tam viris quàm feminis, tam iuuenibus quàm senibus, tam Græcis quàm Indis & Barbaris, tam dominis quàm seruis, vt omnes omnino sciant se ad Christi & gratiam & regnum vocatos esse, ac consequenter sua sancta & Christiana vita Christi legem ornare debere, vti præcessit. ita Theophyl. Quomodo Deus sit lux & sol, quantum est ex se, omnes illuminans, nisi quis ostium & fenestras cordis sui claudat, docet S. Dionysius de Diuinis nom. p. 4. c. 4. & Hilarius in psal. 118. litt. Caph.

Gratia Salutatorisqua?

Secundò, pro *Saluatoris nostri*, noster Interpres in Græco legisse videtur Σωτῆρος, iam legunt Σωτηρίου, id est, illa salutaris gratia, quæ omnibus salutem affert, apparuit. gratia hæc est remissio peccatorum, inquit Theophyl. Secundò, est gratia baptismi, inquit Anselm. Sed hæc arctiora sunt. gratia ergo hæc est misericordia & beneuolentia Dei omnibus hominibus exhibita in incarnatione Christi: siue gratia hæc est ipsa incarnatio Verbi gratuita, aut ipse Deus Saluator gratuitè incarnatus, afferens nobis reconciliationem, remissionem peccatorum, omnemq; gratiam, sapientiam, doctrinam & salutem, ita Hieron.

Tertiò, pro *erudiens*, græcè est παιδεύουσα, id est, tamquam pueros rudes erudiens, corrigens, formans, omniq́ue disciplina instituens & imbuens, perinde vt pædagogus puerum sibi commissum, tam in litteris quàm in moribus efformat & instituit: hoc enim est παιδεύειν, inquit Gell. l. 13. c. 13.

Quænam doceat nos Christi gratia.

Quartò, hæc gratia Christi, id est Christus ipse, erudit nos abnegare, Primò, *impietatem*, id est incredulitatem, qua Deum nec credebamus, nec colebamus, inquit S. Bernard. serm. 11. inter paruos. Secundò, docet nos abnegare *sæcularia desideria*, græcè κοσμικὰς ἐπιθυμίας, id est, mundanas concupiscentias, hoc est, cupiditates omnes carnis, opum, honoris & gloriæ, siue, vt ait Bernard. loco citato, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ, quæ trahunt & inclinant ad amorem sæculi; quas mundus hic offert, quasq́ue mundani homines concupiscunt & auidissimè consectantur. has abnegamus, cùm eis consensum negamus, cùm delectationem quam suggerunt, & actum ad quem sollicitant, abnuimus, imò ex mente & animo radicitus euellimus & extirpamus. Toties, inquit Hieron. *negamus nos, quoties priora vitia calcantes, desinimus esse quod fuimus, & incipimus esse quòd antè nō fuimus*; vt qui priùs superbus, ebriosus, obscenus, iracūdus, furax fuit, abnegat se, si incipiat esse humilis, sobrius, castus, mansuetus, sua sorte contentus. *Viuendum est ita*, inquit Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 10. *vt huic mortali moriamur vsui, seipsum sibi homo abneget & totus mutetur: sicut quemdam adolescentem fabula ferunt, post amores meretricios peregrè profectum, abolito amore regressum, veteri occurrisse dilectæ; quæ se non interpellatam mirata, & se non cognitam rata, rursus occurrens dixerit, Ego sum; responderit ille, Sed ego non sum*; significans se non esse eumdem qui fuerat, sed in alium esse mutatum.

In quo consistat abnegatio sæcularium.

Quare S. Laurentius Iustinianus, primus Patriarcha Venetorū, lib. de Interiori conflictu c. 8. *Omnis*, inquit, *disciplina Christiana professionis, non in miraculis faciendis, non in futura prædicendo, non in eloquio composito, Scripturarum explanatione; sed in resecando concupiscentiis commendatur*, vt scilicet abnegemus sæcularia desideria.

Vsum verò & fructum huius abnegationis egregiè docuit B. Ægidius hisce suis paradoxis: *Si vis*, inquit, *bene videre, erue oculos tuos, & esto cæcus: si vis bene audire, esto surdus: si bene loqui, esto mutus: si bene ambulare, abscinde tibi pedes: si bene operari, mutila tibi manus: si bene amare, habeat te odio: si vis bene viuere, te mortifica: si bene lucrari, disce perdere: si vis esse diues, esto pauper: si vis esse in deliciis, afflige te: si vis esse securus, esto semper in timore: si vis exaltari, humilia te: si vis honorari, despice te, & honora te despicientes: si vis habere bonum, sustine malum: si vis esse in quiete, labora: si vis benedici, desidera maledici. O quàm magna sapientia, scire hæc facere! & quia magna sunt, non omnibus data sunt.*

Aduertit Chrysost. multos esse qui se & sua vitia negare incipiunt; sed paucos esse qui abnegēt, id est, negare pergant & negando extirpent. Seneca epist. 72. optando dicebat: *Quando continget omnibus oppressis affectibus, & sub arbitrium adductis, hanc vocem emittere: Vici?* O beatum, qui sub iugum ductis cupiditatibus, triumphans dicere poterit, *Vici!*

Vnde sequitur Quintò, *Vt sobriè, & iustè, & piè viuamus. Sobriè* scilicet erga nos, *iustè* erga proximum, *piè* erga Deum, inquit S. Bernar. loco citato. Vnde Syrus vertit, *vt viuamus cum castitate, iustitia & reuerentia Dei.* Græcum enim σωφρόνως, tam *pudicè* & *castè* cum S. Hieronymo & Syro, quàm *sobriè*, verti potest.

Præmium vitæ iustæ ac sobriæ.

Sextò, finem, scopum & præmium huius abnegationis, sobriæq́ue, piæ ac iustæ vitæ addit Apostolus dicens. *Expectantes beatam* (Syrus *benedictam*) *spem & aduentum* (ἐπιφάνειαν, id est illustrationem, siue illustrem aduentum & apparitionem) *gloriæ* (id est gloriosum, splendidum, augustum) *magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Vbi aduerte *beatam spem*, per hypallagen significare speratam beatitudinem: spes enim ponitur pro re sperata. *beata* verò dicitur, non passiuè, sed actiuè id est, quæ nos beat & beatos facit, quæ est ipsa beatitudo nostra. Pulchrè S. Hieronymus: *Sicut impietas*, inquit, *magni Dei reformidat aduentum, ita secura de opere suo pietas illum præstolatur.*

Erasmus hic arrianizans refutatur.

Septimò, Erasmus pro Arrianis more suo pugnans, per *magnum Deum*, intelligit Patrem; per *Saluatorem* verò Filium. Verùm non Patrem, sed Filium vtrobique hīc intelligi patet ex eo, quòd non Pater, sed Filius cum magna luce & maiestate venturus sit ad iudicium, vt fideles suos præmiet & remuneretur. ita S. Hieron. Theodoret. Chrysost. Theophyl. & alij. Secundò, idem patet ex eo, quòd vnus idemq́; Græcus articulus, vtrumque nomen, scilicet, tam *magni Dei*, quàm *Saluatoris* respiciat & copulet per copulā &: dicit enim Apostolus sic, τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος. quòd si alium intellexisset Saluatorem quàm magnum Deum, addidisset sanè alium articulum dicens. τοῦ σωτῆρος. Hinc ergo patet contra Arrianos veteres & nouos, putà Transyluanos, Filium Dei Iesum Christum esse verum magnum q́ue Deum.

VERS. 14. QVI DEDIT SEMETIPSVM PRO NOBIS, VT NOS REDIMERET AB OMNI INIQVITATE, ET MVNDARET SIBI POPVLVM ACCEPTABILEM, SECTATOREM BONORVM OPERVM] Explicat hisce verbis Apostolus

lus quomodo & quare Christus sit Saluator noster. quia scilicet cùm esset magnus Deus, dignatus est fieri parvus in humanitate, in eaque seipsum dare pro nobis.

Nota. Christus à Patre dicitur traditus, quia Pater Christum obiecit Iudæis: dicitur & à Iuda traditus, id est, proditus Iudæis, qui rursum eum tradiderunt damnandum Pilato, ac vicissim Pilatus tradidit eum occidendum & crucifigendum militibus & tortoribus. Hic verò dicitur Christus seipsum tradidisse, siue dedisse pro nobis, quia sponte sua obtulit se Iudæis & morti, & quia se suamque vitam, crucem & mortem Patri obtulit in pretium redemptionis nostræ, vt scilicet nos è captiuitate diaboli, mortis & inferni, persoluto pro nobis lytro, dando scilicet sanguinem suum & vitam pro sanguine & vita nostra, eriperet. hoc enim significat Græcum λυτρώσηται. B

Nota Secundò. *Populum acceptabilem* vocat peculiariter electum & dilectũ à Deo: alludit enim Paulus ad Exodi 19.5. vbi Dominus iniens fœdus cum Iudæis, eosque sibi in populum, in Ecclesiam, imò in filios adsciscens & adoptans ait, *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* vbi pro *peculium* hebraicè est סְגֻלָּה *segulla*, quod significat peculium selectum, & thesauros pretiosiores, magisq; charos ac dilectos, inquit Hieron. quales sunt torques, gemmæ & bullæ è collo pendentes. Vnde Chaldæus vertit, חֲבִיבִין *chabibin*, id est charissima; & Symmachus vertit, ἐξαίρετον, id est selectum, egregium, eximium; Syrus vertit חַדְתָּא *chadta*, id est nouum populum; alij vertunt, populum proprietatis, id est, proprium & peculiarem; Aquila, Quinta editio, & LXX. quos sequitur hic Paulus, vertunt περιούσιον; quasi dicant, id quod ex operibus & substantia eminet & reconditur instar rari, singularis & pretiosi thesauri. περὶ enim subinde eminentiam & excellentiam, ἐσία verò essentiam & substantiam significat. q.d. Christus nos redemit, mundauit, sibique adsciuit in populum selectum, eximium, pretiosum, proprium, rarũ & charum, vt scilicet simus hereditas & peculium, imò eimelia, & thesaurus pretiosissimus & charissimus Christo. Vide quanti apud Christum sit Ecclesia, omnesque Christiani, quantumque vicissim Christum redamare & colere debeamus. C

Nota Tertiò. Pro *sectatorem* græcè est ζηλωτὴν, id est zelatorem, &, vt Hieron. vertit, æmulatorem bonorum operum, vt scilicet, inquit Chrysost. non tantùm faciamus bona opera, sed ea zelemur, ac feruidè & alacriter ad ea procurramus, perinde vt riuales, qui vnam eamdemque sponsam ambunt, ingenti amore & zelo ad eam assiduè feruntur & procurrunt. D

HAEC LOQVERE, ET EXHORTARE, ET ARGVE, CVM OMNI IMPERIO] *Hæc*, scilicet, quæ dixi de Christi adventu & redemptione. loquere. Rursum *hæc*, quæ dixi de redemptionis Christi fine & scopo, vt scilicet sectemur bona opera sobriè, iustè & piè viuendo, hæc, inquam, exhortare: & si qui hortationi suaui non pareant, vti sunt tui duri Cretenses, *argue* eos, *cum omni imperio*, plena potestate & auctoritate, tamquam Archiepiscopus, cui demandata est auctoritas, ius & munus regendi docendique populum tibi subditum. Sic Christus dicitur Matth. 7.29. docuisse tamquam potestatem, id est auctoritatem, habens. non ergo vult Titum imperiosè agere, sed imperio & potestate suæ vti in arguendo & compescendo eos, qui rebelles aut ceruicosi sunt: tales enim non ignauè, remissè ac timidè, sed cum libertate, grauitate ac acrimonia increpandi sunt; atque vt aiebat Melania apud Palladium in Lausiaca c. 117. *Oportet aduersus stolidos tamquã canes & accipitres vti animi elatione, eamq; tempore superbiæ eorum in ipsos immittere.* *Quomodo arguendi ab Episcopis ceruicosi.*

Notat S. Thomas hîc, & Gregorius hom. 11. in Ezechielem, Paulum monere Titum, vt cum imperio arguat, eò quòd Titus natura sua esset mitior; hæc verò de re non monuisse Timotheum, eò quòd ipse satis acrimoniæ & bilis haberet à natura. Verùm meliùs, & veriùs fortè, causam huius rei conferemus in ipsos auditores & subditos, qui dispari erant ingenio. Cretenses enim naturaliter erãt duri, peruicaces & peruersi; vnde de eis dicit Apostolus c. 1. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* hisce præerat Titus, vnde iubet illi Apostolus, vt eos arguat cum imperio. Timotheus verò præerat Ephesiis, qui docili & facili erant ingenio, vt colligitur ex Act. 20.37. & ex S. Ignatio epist. ad Ephesios, in qua Ephesiorum Ecclesiam vocat castissimam, celebrem, laudabilem, seque valdè optare dicit, vt in sorte Ephesiorum Christianorũ inueniatur, qui cum Apostolis Paulo, Iohanne & Timotheo fidelissimo versati sunt. hisce ergo imperio non erat opus. *Cur Paulus moneat Titum, vt cũ imperio arguat, & non Timotheũ.*

NEMO TE CONTEMNAT] Græcè μηδείς σου περιφρονείτω, quod Chrysost. cum suis ita exponit, Ita te gere, ita sanctè viue, ô Tite, vt nemo te contemnere audeat: *auctoritatem enim doctrina vita facit*, inquit Primas. Verùm magis aptè & connexè S. Hieron. vertit, Nemo te despiciat, quasi infra se positum; q.d. Tuere auctoritatẽ tuam, argue cum omni imperio, ostende potestatẽ tuam, ne quis te deprimere, & quasi se inferiorẽ despicere audeat. Narrat Spartianus, quòd, cùm milites Bassianum Seueri Imp. filium Augustum consalutassent, Seuerus in duces omnes facti auctores animaduerti iusserit: qui cùm prostrati veniam rogarent; Seuerus manu caput contingens, *Tandem*, inquit, *sentitis caput imperare, non pedes.* Pari modo contemni se non patiatur Prælatus. hoc enim significat περὶ in περιφρονείτω. Sic enim subinde nobiles, præsertim si præsint & regant, præ se despiciunt Episcopos, suasque leges eorum legibus anteponunt. Nam ad Timotheum scribens epist. 1. c. 4. 12. cùm ait, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; græcè non est περιφρονείτω, sed καταφρονείτω, quod in genere contemnere significat. Vult enim Timotheum, ne ob adolescentiam apud suos perdat auctoritatem, eamdem sibi morum grauitate & sanctitate conciliare, vt nemo eum licet iuuenem, docentem & monentem contemnere audeat. hîc verò Titum grandæuum, satis grauem & maturum monet, ne finat se à thrasonibus despici, eosque super se attolli: hoc enim significat περιφρονείτω. Pulchrè & sapienter S. Bernardus Eugenium Pontificem monet, in fine libr. 4. de Consideratione, dicens: *Vbi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum, vultus tuus super facientes mala. timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat; timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet; qui te non audierit, auditurum Deum contra se paueat.* *Episcopi nõ debent se pati despici à nobilibus.*

CA-

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Christianos magistratibus etiam Ethnicis debere esse obedientes, modestos item & mansuetos.

Hinc Secundò, v. 4. inculcat gratiam Christi, qui per baptismum nos regenerauit, vt bonis operibus studeamus, imò præstimus.

Tertiò, v. 10. iubet vitari hæreticos.

Denique v. 12. Titum, Zenam & Apollo ad se vocat, suosq; salutat.

1. ADmone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse: 2. neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. 3. Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. 4. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei: 5. non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. 6. quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum: 7. vt iustificati gratia ipsius, heredes simus secundùm spem vitæ æternæ. 8. Fidelis sermo est: & de his volo te confirmare: vt curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus. 9. Stultas autem quæstiones, & genealogias & contentiones, & pugnas legis deuita. sunt enim inutiles & vanæ. 10. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: 11. sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. 12. Cùm misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hiemare. 13. Zenam legisperitum, & Apollo solicitè præmitte, vt nihil illis desit. 14. Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios: vt non sint infructuosi. 15. Salutant te qui mecum sunt omnes: saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

VERS. 1. ADMONE ILLOS PRINCIPIBVS ET POTESTATIBVS] Græcè ἀρχαις καὶ ἐξουσίαις, id est, principatibus & potestatibus, hoc est, principibus & magistratibus potestatem habentibus: ponuntur enim abstracta pro concretis, vt dixi Colos. 1. v. 16.

Cur Apostolus adeò inculcet obedientiã erga principes.

SVBDITOS ESSE] Postquam singulis hominum statibus Apostolus cap. præced. leges & monita dedit, hîc communia omnibus dat; ac imprimis vt obediant principibus & magistratibus, laicis etiam Ethnicis; tum ne eos contra Christianam religionem iritent, sed potiùs sua obedientia eos ad Christum pelliciant, tum ne pacem turbent. Causa cur sæpiùs Paulus, Petrus, imò & Christus hanc obedientiam præcipiant est ea, quam dixi Rom. 13. 1. scilicet vt ostendant se non esse sectæ

Galilæorum secta.

B Galilæorum, quæ populum fidelem soli Deo, non autem Ethnicis subiici debere docebat: de hac enim suspecti fuerunt Apostoli, vtpote Galilæi. & hæc secta apud Iudæos ita inualuit, vt nec morte quidem proposita induci potuerint Iudæi, vt Cæsarem Dominum appellarent; imò multi illorum duce Eleazaro à Præside Syriæ Cyrino se censeri & describi non paterentur, ne Cæsari se subiectos esse profiterentur, vt refert Iosephus libr. 7. Belli c. 28. & 29. sed illi & Romanis tandem publica & communi omnium conspiratione rebellantes ad extremum vsque Hierosolymæ excidium pertinacissimè in sua sententia & rebellione perstiterint; ideoq; à Tito funditus deleti sunt.

DICTO OBEDIRE] Græcè πειθαρχεῖν, id est promptè, libenter, & ex animo obedire.

A AD OMNE OPVS BONVM PARATOS ESSE] Loquitur de opere non sponte suscepto, sed à principe aut magistratu, de quo præcessit, præscripto, vt quidquid boni ille faciendum iusserit, ad id se promptos exhibeant Christiani. Si enim quippiam mali operis iuberet, Christianus illi parere non potest, sed dicere debet: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Vnde S. August in psalm. 124. loquens de Christianis militibus, qui seruierunt Imper. Iuliano Apostatæ & idololatræ: *Vbi*, inquit, *veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cælo erat. quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent; præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabatur. distinguebant Dominum æternum à domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.*

Obedienda principi si Deo contraria non præcipiat.

VERS. 2. NEMINEM BLASPHEMARE] Id est, nemini maledicere, aut mala imprecari, neminem conuiciari. hoc enim est βλασφημεῖν. Sic 1. Corinth. 4. dicitur, *blasphemamur*, id est maledicimur, & *obsecramus*. alioqui Latinis blasphemia propriè cõuitium est, quod in Deum & Sanctos cuomitur. Vetat Apostolus vt nemini etiam priuato, sed maximè ne vlli principum aut magistratuum maledicant Christiani, vt multi faciunt cùm ab eis vectigalibus aliisque oneribus grauantur siue iustè, siue iniustè, iubetque vt tam imperata, quàm imperantes patienter ferant. Ita Paulus fecit, & hoc suum dogma suo exemplo sanciuit Act. 23 3. vbi iussus ab Anania põtifice iniquo cædi: *Percutiet te*, inquit,

Non maledicendum principibus nec priuatis.

Deus

Deus paries dealbate. cumque astantes dicerēt, *Summum sacerdotem Dei maledicis?* Respōdit, *Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum. scriptum est enim, Principem populi tui non maledices.*

NON LITIGIOSOS] ἀμάχους, id est non pugnaces, non tam verberibus, quàm verbis, ne scilicet verbigerentur, & in lites ac rixas proni sint aduersus superiores & magistratus, & etiam quosuis alios. Sensim enim Apostolus se & sua sensa dilatat ad omnes. vnde subdit: *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.*

ERAMVS ENIM ET NOS ALIQVANDO INSIPIENTES, INCREDVLI, ERRANTES] Vox *enim* dat causam, cur Christiani debeant esse mansueti ad omnes, etiam Ethnicos incredulos, peruersos & scelestos, tam magistratus quàm priuatos quosque. Estque hîc tacita occupatio. q. d. Dicetis mihi, ò Christiani, Ethnicos esse impios & sceleratos, vobisque esse duros, molestos & intolerabiles, quomodo ergo cum ijs lites vitare & mansueti esse poterimus? Respondet Apostolus, id pacem & mansuetudinem Christianorum non retardare, sed potiùs accendere debere: illos enim tam miseros omni cōpassione esse dignos. oportere Christianos cogitare illa esse vitia gentilismi & ignorantiæ Dei, se quoque tales fuisse cùm inter eos gentiliter viuerent: proinde agnoscant discrimen & disparitatem vitæ præsentis Christianæ, & prioris quam egerunt in paganismo; admirentur Dei gratiam sibi præstitam, pro eaque gratias agant, ac misereantur eorum qui adhuc in tenebris & salebris gentilismi degunt; ferant eorum passiones & vitia, Deumque orent, vt & ipsi ad Christum Christianamque modestiam, mansuetudinem & sanctitatem secum aliquando conuertantur.

Aduertit S. Hieronymus vocem *nos*, q. d. Ego Paulus quoque ante conuersionem vixi incredulus in iudaismo, secutus sum carnis concupiscentias, nec eas cohibere valui, vtpote gratia Christi destitutus; sed ea imbutus post conuersionem factus sum vas electionis & virtutum.

Nota. Pro *insipientes*, græcè est ἀνόητοι, quod Hieron. *stulti*; Ambros. *inconsulti*, vertit.

Secundò, pro *increduli*, græcè est ἀπειθεῖς, id est impersuasibiles. Potest Secundò, cum Hieron. verti, *inobedientes*. & cum Cypriano, *contumaces*.

Tertiò, *malitia* idem est, quod improbitas, peruersitas, nequitia, & nocendi cupido. inde enim homines mali vocantur peruersi, qui alios verbis & factis lacessunt, omnibusque sunt molesti & maligni. ita Theophyl. *Per peccatum*, inquit Prosper li. de Gratia Dei contra Collatorem, *perdidit homo boni scientiam: nullitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captiuitas abstulit libertatem, nec potuit illic vlla portio residere virtutum, vbi tanta irrumpit turma vitiorum.*

CVM AVTEM BENIGNITAS ET HVMANITAS APPARVIT SALVATORIS NOSTRI DEI, NON EX OPERIBVS IVSTITIÆ QVAE FECIMVS NOS] Pro *benignitas*, græcè est χρηστότης, id est bonitas, beneuolentia & beneficentia.

Humanitas non est idem quod humanæ naturæ assumptio, vt explicat D. Thomas. nam græcè est φιλανθρωπία, id est, singularis ille Dei Patris erga homines amor, studium & dilectio, &, vt Hieron. vertit, clementia: quā scilicet Deus Pater, quasi saluator, volens nos ad salutem perducere, Filium suum Saluatorem nobis dedit, fratrem hominemque nobis congenerem, qui assumpta humana natura, baptismum merito & pretio sanguinis sui instituit, quo nos à pristinis vitijs & concupiscentijs ablueret & saluaret, itaque nouos homines efficeret, vt ex insipientibus fieremus sapientes, ex incredulis credentes, seruientes non carnis, sed spiritus desiderijs.

Eleganter & piè S. Bernardus serm. 1. in festo Natiuit. Domini. *Apparuerat*, ait, *ante potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate.* Et mox: *Appareat Domine bonitas, cui possit homo (qui ad imaginem tuam creatus est) conformari: nam maiestatem, potestatem, sapientiam; nec imitari possumus, nec expedit æmulari. Quousque angustata est misericordia tua in sola angelorum parte, reliquam occupat iudicium cum toto humano genere? Dilatet misericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat à fine vsque ad finem fortiter, disponens omnia suauiter.*

Multa admiranda in Dei philanthropiæ.

Nota. In hac philanthropia, siue singulari illo Dei amore in nos multa sunt admiranda.

Primum.

Primò, quòd ab æterno nos amarit ille qui est Deus, id est, qui est summa maiestas & felicitas, qui in se omne bonum habet, ita vt nobis, aliáve re non indigeat.

Secundum.

Secundò, quòd non necessariò nos amet, vti necessariò amat Filium & Spiritum sanctum, sed planè liberè & liberaliter.

Tertium.

Tertiò, quòd nos amet sine sua vtilitate aut commodo proprio. nam, vt ait S. Cyrillus libr. 1. Thesauri c. 6. superflua est Deo productio creaturarum, quantum ad Dei perfectionem attinet. hoc enim erat Deus antequam nos creati essemus, quod nunc etiam est: nihil ei attulimus à nihilo ad esse producti, & si ad nihilum redigeremur, nihil ei detraheremus.

Quartum.

Quartò, quia Deus hominem amat in quo nulla præcessit ratio, nullum meritum, nulla dignitas, ob quam diligendus esset, sed potiùs demerita multa & magna, ob quæ omni odio erat dignus. *Commendat*, inquit Paulus ad Roman. 5. *Deus charitatem suam in nobis, quòd cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Quintum.

Quintò, quia dilexit eos quos præsciuit fore ingratos, imò hostes suos.

Sextum.

Sextò, quia amor hic Dei in homines non ex ignorantia, nec ex passione proficiscitur, vti homines stultè amant sæpè amicas suas ex insano amore, vel quia persuadent sibi eas esse gratiosissimas; sed omnis Dei amor cum summa æquitate & sapientia coniunctus est.

Qua sit Deo ratio amandi homines.

Dices, Quænam in Deo est sapientia diligere homines peccatores & miseros? hoc enim obiectum in se non est diligibile.

Respond. Ratio amandi in Deo non petitur ab obiecto diligibili, vti fit apud homines, sed ab ipso Deo. Deus enim diligit nos propter se, quia summè bonus est, adeoque bonitate abundat, vt bonitatem & liberalitatem suam in nos omni dilectione indignos effundere velit. infinita ergo Dei bonitas radix est & ratio amandi homines, eisque se & sua bona communicandi. Hunc amorem mirè inculcat S. Iohannes cùm ait cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Amoris Dei magnitudo exaggeratur.

Vbi Nota singula verba habere emphasim,& emphaticè exaggerare amorem Dei. Primò enim ait,*sic*,id est, tanta amoris vehementia, conatu,excessu.Secundò,non rex,non Cæsar, non angelus,sed *Deus*.Tertiò,*dilexit*,scilicet prior & gratis,sine merito,immò sine desiderio nostro.Quartò,*mundum* sibi contrarium,hostem,& reum damnationis.Quintò,*vt* non hominem, non angelum, non mundum alterum, sed *Filium*, non alienum, non adoptiuum, sed *suum*, proprium ac naturalē, eumque non vnum è multis, sed *vnigenitum* & vnicum. Sextò, non venderet pretio, non mutuaret,sed gratis *daret*, non ad regnum & triumphos, sed ad mortem & crucem. Septimò, id fecit non sibi,non Christo fructum aliquem quærens,sed vt ipse nos, id est, creator creaturas suas, sua morte viuificaret, sua humilitate exaltaret, sua exinanitione,æterna gloria,opibus & bonis immensis cumularet.

SALVATORIS NOSTRI DEI] Nota.*Saluator* hîc vocatur Deus Pater; hunc enim distinguit à Saluatore quem subdit v.6.dicens,*per Iesum Christum Saluatorem nostrum*. Vnde S. Hieronymus docet hîc notari SS.Trinitatē: tertia enim persona Spiritus sancti nominatur,cùm dicit,*Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti saluos nos fecit*. Loquitur de salute inchoata, quæ est ipsa iustificatio,qua à peccatis & reatu mortis & inferni liberamur & saluamur, tendimusque ad plenam & completam salutem, quam in cælo omnibus ærumnis, concupiscentijs, & peccandi periculis liberati adipiscemur.ita S.August.li.3.contra duas epist.Pelag.cap 3.

Notatur hîc à Paulo SS. Trinitas.

VERS. 5. NON EX OPERIBVS IVSTITIAE, id est, non merito operum iustorum,cùm nulla talia præcesserint fidem & iustitiam: SED SECVNDVM, id est propter (vide can. 25.) SVAM MISERICORDIAM] id est gratis,ex mera Dei misericordia.

PER LAVACRVM REGENERATIONIS] Asserit hîc Apostolus nos salutem iam dictam consequi in baptismo: baptismus enim est lauacrum regenerationis, quo scilicet regeneramur & renascimur in Christo.

ET RENOVATIONIS SPIRITVS SANCTI] quo scilicet per gratiam Spiritus sancti renouamur,& noui homines,putà sancti,iusti,Dei amici & filij efficimur.Vnde Tertull.lib. de Resurrectione carnis vim baptismi explicans: *Caro*, inquit, *abluitur vt anima emaculetur, caro vngitur vt anima consecretur, caro saginatur vt anima muniatur,caro manus impositione adumbratur vt & anima spiritu illuminetur,caro corpore & sanguine Christi vescitur vt anima de Deo saginetur*.in baptismo enim mel & lac, atque Eucharistia recèns baptizatis gustanda dabantur, vt alibi dixi, & baptizato statim impendebatur Sacramentum Confirmationis per manus impositionem,vt innuit hîc Tertull.

Vis baptismi & eius vitus.

Nota hîc emphasim: baptismus enim dicitur renouatio,græcè παλιγγενεσία,id est,iterata generatio, quia quasi de nouo secundùm carnem genitos, regenerat secundùm spiritum & virtutes. Vnde meritò exclamat hîc Theophyl. *O rem arduam*, inquit,*& admirabilem! adeò vitijs eramus immersi,vt nulla ratione purgari possemus, sed opus fuit regeneratione. nam regeneratio & renouatio secundam natiuitatem,nouamq; formationem significant.vt enim domum ruinosam & planè veterem non suffulcimus,verùm ad fundamenta vsque diruimus ac demolimur,nouamq; adificamus: consimilem ad rationem Deus non reconcinnauit quod corruptum erat sarciendo,sed denuò condidit.quomodo? per Spiritum sanctum.ne enim quæras modum,Spiritus*,inquit, *totum transegit. Vnde hoc perspicuum? quem effudit*, inquit, *abundè in nos. non enim tantummodo per hunc resinxit nos,sed largè ipsum etiam nobis impertijt,vt & illud per hoc monstretur. At meritò: postquam enim mundauit nos, tum & Spiritu suo sancto abunde nos impleuit,hoc est quod ait,Effudit. in impuros mundus illepurusq; spiritus non ingrediebatur.*

Rursum D.Thomas hîc, *Homo*, inquit, *in statu perditionis duobus indigebat, scilicet participatione diuinitatis, & depositione vetustatis. Christus vtrumque præstitit nobis: prius, dum nos per suam gratiam effecit diuinæ consortes naturæ: posterius, dum per baptismum nos in nouam creaturam regenerauit*.Et rursum:*In iustificatione*, inquit D.Thomas, *impij duo sunt termini; à quo,culpæ remissio,& hæc est renouatio; ad quem, gratiæ infusio,& hæc est regeneratio*. Verùm hoc non satis solidum videtur: nam sicut regeneratio, ita & renouatio suum habet terminum, tam *ad quem* quàm *à quo*: nouitas enim gratiæ & vitæ est terminus ad quem renouationis.D.Thomas ergo accommodatitiè tantùm loquitur,& per renouationem præcisè intelligit vetustatis depositionē:vult enim distinguere in iustificatione, terminū à quo, à termino ad quem:& sicut hunc assignat regenerationi,ita illum attribuit renouationi.

In iustificatione impij duo termini.

Denique Nota, hanc renouationem à peccatis plenè,sed à vitijs & concupiscentijs inchoatè tantùm fieri in baptismo, in qua quotidie proficiendum est, mortificando scilicet concupiscentias,vt ab eis plenam sanitatem & renouationem consequamur in cælo.ita S.August.li.14.de Trinit.c.16.

VERS. 6. & 7. QVEM (scilicet Spiritum sanctum,id est Spiritus sancti gratiam & dona) EFFVDIT IN NOS ABVNDE PER IESVM CHRISTVM SALVATOREM NOSTRVM, VT IVSTIFICATI GRATIA IPSIVS, HEREDES SIMVS SECVNDVM SPEM VITÆ AETERNAE] Nota.Non dicit,dedit,sed *effudit*, idque non parcè,sed *abunde*,græcè πλουσίως, id est, opulenter,ait Hieron.largè,copiosè;idque hoc fine vt *iustificati*, id est,à peccatis expurgati & iustitia donati, non nostro merito, sed *gratia ipsius*, *heredes simus secundùm spem vitæ æternæ*, id est, heredes nos fore speremus in cælo vitæ æternæ.

Heredum nostra qualis.

Nota.Sicut filius qui scriptus est heres à patre, patris est heres, non reipsa, sed tantùm secundùm spem suam, & secundùm destinationem patris, qua fiet vt mortuo patre reipsa futurus sit patris heres: ita in baptismo dum iustificamur, destinamur & scribimur heredes vitæ æternæ;sed tantùm secundùm spem nostram & destinationem Dei. nam reipsa heredes erimus post mortem, si nimirum in iustitia accepta, quæ nobis ad vitam æternam dat ius, perseueremus & moriamur.

VERS. FIDELIS SERMO EST: ET DE HIS VOLO TE CONFIRMARE: VT CVRENT BONIS OPERIBVS PRAESSE QVI CREDVNT DEO]q. d. Ea quæ dixi de Dei in nos benignitate & humanitate, de renouatione,de salute,de spe vitæ æternæ, non sunt fabulosa,non incerta,non dubia; vti Iudæorum & Philosophorum doctrinæ & spes; sed fidelia, id est certa & indubitata (vt dixi 1.Timoth.1.15.) ac proinde volo, vt de his tu confirmes non tam teipsum (vtpote qui in his satis firmus es) quàm alios, vt vertit Syrus, vt scilicet ipsi hac fide & spe excitati & confirmati, curent bonis operibus præ-

Certitudo doctrinæ Christianæ.

præesse. ita S. Chrysostomus & S. Hieronymus.

Vnde Nota Primò. Pro *confirmare*, græcè est διαβεβαιοῦσθαι. quod clariùs & aptiùs vertas, affirmare, asseuerare, asserere & prædicare, vt rem certam & indubitatam. vult enim Apost. vt Titus hæc alijs affirmet & proponat tamquam certissima & verissima, vt ijs incitentur ad bona opera.

Nota Secundò. Pro, *vt curent bonis operibus præesse*, græcè est ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι, quod Ambros. vertit, *vt soliciti sint ad effectum bonarum operum*. Beza verò, vt studeant bona opera tueri. nam non potest, inquit, verti, *præesse*; sic enim in Græco dicendum esset in datiuo καλοῖς ἔργοις, iam autem in genitiuo dicitur καλῶν ἔργων. Sed Respondeo cum Hieron. & Budæo, imò Vatablo & Erasmo; προΐστασθαι, propriè significat præesse, regitque genitiuum: hunc enim poscit præpositio πρό. Nam hinc προστὰς & προστάτης ἔργων vocatur præfectus operis. Vult ergo Apostolus Christianos ita studere & incumbere bonis operibus, præsertim eleëmosynæ & beneficentiæ, vt ijs quasi duces & præfecti præsint, perinde vt in castris quis dicitur præesse annonæ, frumento, tormentis. Sicut enim huius est curare ne quid ijs in rebus desit, ita Christianorum est curare ne quid alicui desit, vt pauperum petitionem non exspectent, sed requirant, & sua eleëmosyna præueniant. ita Theophyl. Quomodo Cato, teste Plutarcho, dicere solebat, *præclaras actiones occupandas*, id est, ambiendas & accersendas esse, vt semper benefacta priora posterioribus cumulemus. Sicut enim homines vani & mundani ambiunt honores, magistratus & præfecturas, de ijsque certant, vt eas alijs præripiant; ita Christiani certare debent de bonis operibus, vt in eleëmosynis, omnibus præeant, easque alijs præripiant. Vnde Chrysost. explicans quid sit *bonis operibus præesse*: *Hoc est*, inquit, *oppressio iniuria opem ferre, non pecuniis tantùm, sed etiam exhortatione salubri, & doctrina: viduis item ac pupillis auxilium ferre, omnibusq; qui in afflictione aut angustia sunt prospicere, miserationis affectu.*

Ad hoc diuitibus stimulũ suggerit idem Chrysost. hîc in morali hom. 6. nimirum vt cogitent sibique persuadeant, eos qui dant eleëmosynã plus à pauperibus recipere, quàm eis dent, putà plus bonarum precum & orationum, plus virtutis, plus meriti, plus gratiæ, plus mercedis tam præsentis quàm æternæ: atque hac de causa Christus cùm posset sibi alijs modis prospicere de victu, à Magdalena tamen alijsque pijs mulieribus ali voluit, scilicet non vt acciperet, sed vt conferret eis beneficium. Additque Chrysost. *Beneficentia*, inquit, *Deo similes facit. hæc est charitatis mater, proprium Christianæ virtutis insigne, per quam discipuli Christi noscuntur: hæc nostrorum scelerum est medicina, hæc animæ nostræ sordes emundat. hæc scala, quæ in cælum vsque porrigitur, hæc Christi connectit corpus, omniaq; Christi membra complectitur.*

Aliqui sic exponunt, *curent qui credunt*, id est Christiani, *vt bonis operibus præsint*, id est, præstent & præcellant infidelibus. ijsque palmam, non in gloria aut opibus, sed in studio bonorum operum præripiant: Græcum enim προΐστασθαι, idem est, quod stare antè, id est præstare alijs, siue primum esse, quem alij sequantur; non autem qui alios sequatur. Verùm sic græcè dicendum potiùs fuisset καλοῖς ἔργοις, quàm καλῶν ἔργων, addendumque ἀπίστων, id est, infidelibus.

Cornel. in Epist. Pauli.

A STVLTAS AVTEM QVAESTIONES, ET GENEALOGIAS, ET CONTENTIONES ET PVGNAS LEGIS DEVITA] *Genealogias* intelligit Iudæorum & Iudaizantium, qui à puero ita hisce student, vt ab exordio Adam, vsque ad Zorobabel omnium generationes ita memoriter velociterque percurrant, vt eos suum putes nomen referre, inquit Hieronym. Rursum *pugnas legis* intelligit futiles quæstiones & rixas, quæ circa legem mouentur, vt quoto anno Salomon duxerit vxorem, an anno vndecimo genuerit Roboam, & his similia, inquit Hieron. VERS. 9. *De quibus genealogiis & pugnis legis intelligendus Paulus.*

HAERETICVM HOMINEM POST VNAM ET SECVNDAM CORREPTIONEM DEVITA, SCIENS QVIA SVBVERSVS EST QVI EIVSMODI EST, ET DELINQVIT, CVM SIT PROPRIO IVDICIO CONDEMNATVS] Pro *correptionem* græcè est νουθεσίαν, id est, vt Hieron. vertit, commonitionem, quæ scilicet leniter fit, docendo & monendo suauiter absque grauiori increpatione. loquitur enim Apostolus de hæretico non pertinaci & formato, sed eo, qui ex ignorantia aut mala institutione errat, & sectam errantium sequitur, vel de quo dubium est, sitne pertinax nec ne. hic enim corripi & instrui debet, primò leniùs, secundò duriùs & fortiùs: quòd si sic monitus contemnit, ostenditq; se pertinacem, vitandus est, & non corripiendus: correptionis enim nullus erit fructus. imò talis si corripiatur, magis resistit, fitque obstinatus, inquit Ambros. quia *talis*, vt subdit Apostolus, *subuersus est*, græcè ἐξέστραπται, id est, euersus est, scilicet fide, spe & bonis omnibus, vtpote planè, in hæresi & sua obstinatione, peruersus & immersus. Vnde Tertull. lib. de Præscription. c. 16. docet, in hæreticis non habere locum præceptum Domini, Matth. 18. de ordine in correptione seruando. hinc etiam idem Tertull. & Ambros. ita hîc legunt: *hæreticum hominem post primam correptionem deuita*; & sic, inquit Erasmus, hæreticos, si post primam correptionem relabantur, non deuitamus, sed incendimus. Verùm passim Latina, Græca & Syra legunt, *hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*. Loquitur enim Apostolus de hæretico non pertinaci, sed errante, vt dixi. VERS. 10. & 11. *Quomodo agendum cum hæretico.*

Nota Primò. Pro *deuita*, græcè est παραιτοῦ, id est, reijce, auersare, refuta.

Suggillat hîc more suo mordaciter Erasmus Theologos, quòd ex hoc Apostoli loco probent hæreticos esse puniendos & plectendos, putantes scilicet *deuita* idem esse quod de vita tolle, sicuti decapita idem est, quod caput illi deme. Nec hoc sarcasmo contentus, similé, sed acriorem non tam ignorantiam, quàm iniustitiam impingit Iureconsultis, dum subdit; *Sic Iureconsulti furem suspendunt, quòd lex latronem plecti capite iubeat, & Galli furem vocant latronem* (Larron:) *sic medici inscitia vocabulorum subinde venenum dant pro remedio*. Erras Erasme, non hęc Iurisconsultorum Gallorum fuit stoliditas, sed Principum & magistratuum iusta lex & sanctio, quæ vbique fures cruci, vti latrones rotis, adiudicat. Multò minùs Theologorum inscitia, sed Regum & Imperatorum decreta, hæreticos ad rogum condemnant. Quis, oro, interpretum, vel Patrum Latinorum tam vecors, tam insulsus fuit, vt *deuita* diceret idem esse quod *tolle de vita*?? fuerit aliquis matæologus, qui ita, vt ais, vel ioco, vel seriò explicarit; cui Concilio, Regi, vel Principi id ipsum ad pœnam hanc hoc nomine hæreticis irrogandam persuasit? sunt aliæ Scripturæ certæ *Erasmi indocta impostura.* *Quare hæretici plerique Gentilis*

& claræ, quæ hæreticos puniendos doceant, quas vide, si iubet, apud Bellarmin. Præclarè Tertull. Scorpiaci cap. 2. *Ad officium*, inquit, *hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda.*

Hæresis quantum peccatum.

Nota Secundò. *Delinquit*, græcè, ἁμαρτάνει, id est errat, vel delinquit & peccat, supple sciens, prudens & obstinatus in sua hæresi, malitia, & delicto. Hæresis ergo antonomasticè hîc vocatur delictũ, peccatum & scelus.

Nota Tertiò, *cùm sit proprio iudicio condemnatus*, græcè ὢν αὐτοκατάκριτος, id est, cùm sit per se, &, vt legit Cyprianus, à semetipso condemnatus, quia scilicet sponte & pertinaciter, se ab omnibus fidelibus, & à tota Ecclesia separat, extra quam non est salus, sed certa damnatio. ita Hieron. Anselm. & alij. Vnde sanctus Maximus serm. 50. aptè comparat hæreticum Iudæ, qui non à Christo eiectus, sed sponte sua ab Apostolorum collegio se separauit, dum vellet prodere Christum. *Tali*, inquit, *hæreticus, quali & Iudæ pœna damnatur, vt idem sui & rem sit sceleris, & iudex sit vltionis, quia Dominũ quem Iudas vendidit, hæreticus blasphemat.* Rursum, vt Vatablus ait, cùm hæreticus iudicet æterna damnatione esse dignos eos qui veritati & fidei resistunt, hoc ipso seipsum condemnat, vtpote qui & veritati & fidei totius Ecclesiæ resistat.

Hæreticus Iudæ similis.

Tertiò, alij sic explicant, hæreticus nimis credit suo iudicio: in hoc enim consistit hæresis peccatum; sui ergo iudicij præfidentia peccat hæreticus, ac consequenter eodem se condemnat, id est, condemnationis reum, illiq́ue obnoxium se facit. Sed hoc est præter mentem Apostoli.

VERS. 12. CVM MISERO AD TE ARTEMAM, AVT TYCHICVM] vt scilicet tui absentiam Cretæ suppleant, & pro te Cretenses instruant & pascant.

FESTINA AD ME VENIRE NICOPOLIM] Chrysostomus Nicopolim Thraciæ intelligit: S. Hieron. verò melius Nicopolim Epiri accipit. Dicta est Nicopolis, id est, vrbs victoriæ, ab Augusto, qui ibi, scilicet iuxta Actium Epiri promontorium, Antonium & Cleopatram nauali bello deuicit.

VERS. 13. ZENAM LEGIS PERITVM ET APOLLO SOLICITE PRAEMITTE, VT NIHIL ILLIS DESIT] Hos ad se mitti iubet Apostolus, vt in prædicatione Euangelij eos habeat socios & adiutores. Apollo enim erat eloquens & potens in Scriptura, Actor. 18. 1. Zenas verò non fuit Iuris Cæsarei peritus, sed legis, putà Mosaicæ doctor, ideoq́ue magnæ auctoritatis & opinionis. vnde iam conuersus ad Christum poterat ex lege & Prophetis reuincere Iudæos, docereq́ue Iesum esse Messiam. hos ergo Tito committit, vt eos ad se destinet, ac solicitè curet, ne quid in viatico, alijsq́ue in rebus ad iter oportunis illis desit.

Apollo & Zenas quales.

VERS. 14. DISCANT AVTEM ET NOSTRI BONIS OPERIBVS PRAEESSE, AD VSVS NECESSARIOS] Repetit hanc sententiam Apostolus occasione viatici, quod iussit dari Zenæ & Apollo: estq́; occupatio. q. d. Dices mihi, ó Tite, te pauperem esse, nec posse eis prouidere de omnibus necessarijs ad iter. Respondeo, adi nostros fideles, doce illos charitatem hanc in Dei ministros & Apostolos exercere, vt discant ipsi non tantùm per doctrinam, sed etiam per experientiam & praxin, bonis operibus & eleemosynis tam necessarijs, tam dignis & sanctis præesse, & in suos magistros esse liberales & munifici. ita Hieron. Theodoret. & alij. Idẽ S. Ioannes epist. 3. commendat Caio, *Charissime*, inquit, *fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos*, &c. *quos bene facies deducens dignè Deo: pro nomine enim eius profecti sunt; nos ergo debemus suscipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritatis.* Hinc inter primos Christianos arctum & magnum fuit ius hospitalitatis: ideò vt Peregrinus impostor (teste Luciano in eius vita) hac de causa se Christianum & prædicatorem esse finxerit; quia sciebat in Christianorum hospitalitate satis se habere viatici, ita vt non tantùm ab illis aleretur, sed etiam in via deduceretur, atque sic (vt ait Lucianus) quaquaversum stipatus incederet. De hospitalitate hac plura dicam ad Hebræos 13. v. 2.

Commendatur liberalitas in operarios Euangelicos.

Hospitalitas Christianorum.

Concede Domine nos præesse bonis operibus, vt modicum hoc vitæ spatium fructuosè transigamus, vt heredes fiamus secundùm spem vitæ æternæ.

ÆTERNA cogitans temporalem omnem laborem & dolorem, æquè ac voluptatem despicit.

COM-

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

ARGVMENTVM.

PHILEMON, non Iudæus, sed Gentilis, ciuis erat Colossensis, inter suos nobilis, vita ac moribus æquè ac fide & professione Christiana conspicuus: cuius domum Colossis ad sua tempora integram permansisse tradit Theodoretus hîc; vtpote quæ tempore Pauli cœpit esse Ecclesia, vt in ea Paulus ageret synaxes fidelium, ideoque in ea habitaret Archippus Colossensium Episcopus, vt satis insinuat Paulus v.2. Hinc hæc domus iam Deo in Ecclesiam dicata permansit in multa sæcula. Rursum fideles in domum Philemonis conuenire soliti eiusdem fouebantur auxilio: erat enim ipse eleëmosynis addictus, & Sanctorum necessitatibus succurrebat. hoc enim est quod ait Apostolus v.7. *Viscera sanctorum per te requieuerunt frater.* Hic ergo Philemon habuit seruum nomine Onesimum, qui non tam S. Pauli studio, vt volunt aliqui, quàm ob furtum, compilatis scilicet quibusdam heri sui rebus, vt ex v.18. colligit S. Hieron. Theodor. & Theophyl. Colossis Romam transfugerat, vbi in Paulum incidit, qui eum ad Christum conuertit, instituit & baptizauit, & iam fidelem tam Christo quàm hero suo effectum cum hac epistola commendatitia ad herum, Philemonem scilicet, remittit, qua rogat illum, vt eum in gratiam recipiat. Scripsit hanc epistolam Paulus Romæ è vinculis prioribus anno Christi 60. cùm iam speraret se breui ijs liberandum, vt patet v.22. misit eamdem cum epistola ad Colossenses, per ipsum Onesimum.

Notant S. Chrysost. & Theophyl. hanc epistolam in tanta breuitate & simplicitate, plura perutilia continere documenta. inter quæ Primum est, nulli homini, ac ne seruo quidem fugitiuo, aditum ad gratiam & vitam æternam esse præclusum, neA que de vllius, quantumuis duri, fraudulenti & perditi, salute esse desperandum: talis enim erat Onesimus, vtpote seruus, fur, Phryx. Phryges enim illiberali seruiliq́ue erant indole. vnde apud eos ingens erat mancipiorum prouentus, vt in prouerbium abierit, teste Cicerone orat. pro Flacco, Phrygem plagis meliorem fieri.

Secundum est, etiam vilium hominum, seruorum & profugorum Christianis curam esse habendam.

Tertium, pietatis prętextu seruos non esse auellendos à dominis. vnde hîc Paulus seruum Onesimum domino Philemoni remittit.

Quartum, seruos præstantes virtute non esse contemnendos, sed amandos & promouendos. hic enim Onesimus pœnitens facti, in gratiam cum hero suo Philemone rediit, factusq́ue est vir
B & doctor egregius, atque post Timotheum creatus est secundus Episcopus Ephesi, quem valdè laudat S. Ignatius epist. ad Ephesios. vnde & hic idem Onesimus postea Romæ sub Traiano martyrio consummatus & laureatus est.

Discite hîc Christiani, discite Pastores, pauperes, seruos & ancillas non negligere, sed singularem curam eis impendere: sunt enim ipsi oues vestræ, atque animas tam nobiles habent quàm diuites, eodemq́; pretio sanguinis Christi redemptas. vnde à vobis easdem reposcet Deus in die iudicij. nam propter eas è cælo descendit Christus, cuius hoc est elogium ab Isaia prædictum & celebratum: *Pauperes euangelizantur.* Tales Deus eligit: sunt enim ipsi magis humiles, dociles, ductiles, ideoque gratiæ & salutis capaciores quàm diuites. *Nónne Deus,* inquit S. Iacob. cap. 2. *elegit pauperes in mundo, diuites in fide, & heredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?*

1. PAVLVS vinctus Christi Iesu & Timotheus frater: Philemoni dilecto, & adiutori nostro, 2. & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est. 3. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo semper memoriam tui faciens in orationibus meis, 5. audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos: 6. vt communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Iesu. 7. Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieuerunt per te, frater. 8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: 9. propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi: 10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, 11. qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis, 12. quem remisi tibi. Tu autem illum, vt mea viscera, suscipe: 13. quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij, 14. sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. 15. Forsitan enim ideò discessit ad horam à te, vt æternum

num illum reciperes, 16. iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem. maximè mihi; quanto autem magis tibi & in carne, & in Domino? 17. Si ergo habes me socium suscipe illum sicut me. 18 Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa. 19. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, vt non dicam tibi, quòd & teipsum mihi debes. 20. ita frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino. 21. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies. 22. Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. 23 Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, 24. Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei. 25. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

VERS. 1. & 2. PAVLVS VINCTVS CHRISTI IESV, ET TIMOTHEVS FRATER; PHILEMONI DILECTO ET ADIVTORI NOSTRO, ET APPIAE SORORI CHARISSIMAE, ET ARCHIPPO COMMILITONI NOSTRO, ET ECCLESIAE, QVAE IN DOMO TVA EST.] Vide quot titulis & nominibus pulset hic Apostolus mentem Philemonis, vt Onesimum in gratiam recipiat.

Quatuor motiua, quibus Paulus Philemonem inducit ad commiserationem serui fugitiui.

Primò, ego *vinctus Christi*, inquit, hoc à te posco, da ergo hoc solatium & gaudium mihi vincto, imò da hoc Christo, pro quo ego vinctus sum, factusq; quasi seruus similis seruo tuo Onesimo.

Secundò, idem poscit *Timotheus frater* tam tuus quàm meus, in Christo, id est Christianus.

Tertiò, tu es mihi *dilectus* & *adiutor*, da hoc ergo dilectioni nostræ. Rursum soles non tantùm quosuis miseros & pauperes, sed etiam me tuis opibus & opera in Euangelio adiuuare. iuua ergo & suscipe hunc miserum seruum tuum per me conuersum.

Quartò, salutando Appiam & Archippum, tacitè eosdem, inquit Theophyl. deprecatores secum pro Onesimo adscisci. tanta erat charitas & solicitudo Apostoli, vt vnum homuncionem fugitiuum domino suo reconciliaret.

Nota Secundò. Hæc Appia vxor erat Philemonis, vt docet Chrysost. Theodor Theophyl. Hanc *sororem* suam vocat, scilicet in Christo. omnes enim Christiani in symbolum eximiæ charitatis mutuæ, omnes viros Christianos vocabant fratres, omnes feminas sorores, tanquam ex eodem patre, scilicet Christo; & matre, scilicet Ecclesia genitos & genitas.

Archippus quis & qualis.

Nota Tertiò. Hic Archippus Episcopus & prædicator erat Colossensium, inquit Ambr. & Hieron. vnde eum hic Paulus vocat *commilitonem* suum, & ad Colos. 4. 17. de eo sic scribit, *Dicite Archippo, Vide ministerium quod accepisti à Domino, vt illud impleas.* licet Primasius velit Archippum tantùm fuisse diaconum, Epaphram verò fuisse Episcopum Colossensium: de quo v. 23. Videtur autem hic Archippus habitasse Colossis, in domo Philemonis. hac enim de causa eum cum Philemone salutat, hinc etiam addit salutem apprecans, *Et Ecclesiæ* (id est congregationi fidelium) *quæ in domo tua est*, scilicet ô Philemon (ad eum enim scribit, eumque alloquitur, non autem Archippū) vtpote in qua multi sunt fideles, cùm in ea habitet Archippus Episcopus, ideoque ad eam quasi communē Episcopi & fidelium Ecclesiam Christiani sacrorum causa conueniant.

VERS. 4. & 5. GRATIAS AGO DEO MEO, SEMPER MEMORIAM TVI FACIENS IN ORATIONIBVS MEIS, AVDIENS CHARITATEM TVAM ET FIDEM, QVAM HABES IN DOMINO IESV, ET IN OMNES SANCTOS.] Græcè A non est ὲν, sed εἰς, id est, *in* vel *erga* Dominū Iesum, & omnes Sanctos. ita Chrysost. & Ambros.

Fides in Iesum & Sanctos eadem.

Nota. Fidem quam habemus in Dominum Iesum, eamdem habemus & in omnes Sanctos: sicut enim credimus Iesum esse Messiam & Saluatorem, caputque Ecclesiæ Dei, ita pariter credimus Sanctos Iesu veros esse sanctos, veramque Dei Ecclesiam; & amando ac adhærendo Sanctis, amamus ac adhæremus Christo, ac consequenter benefaciendo Sancti, benefacimus Christo. Apostolus enim loquitur de fide non nuda & interna, sed de ea, quæ per opera sese exerit & communicat, vti mox ipse subiungit.

Per Sanctorum cultū nihil detrahitur Christo.

Hinc sequitur, eum qui honorat & inuocat Sanctos, nihil detrahere Christo, imò hoc ipso honorare & inuocare Christum. Vnde Exodi 19. B dicitur: *Credidit populus Deo & Mosi seruo eius. Hoc autem*, inquit Hieron *non solùm in Mose, sed in omnibus Sanctis eius est, vt quicumque credit Deo, aliter eius fidem recipere nequeat, nisi credat & in Sanctos eius: non enim est in Deum perfecta dilectio & fides, quæ in ministros eius odio & infidelitate tenuatur.*

VERS. 6. VT COMMVNICATIO FIDEI TVAE EVIDENS FIAT, IN AGNITIONE OMNIS OPERIS BONI, QVOD EST IN VOBIS IN CHRISTO IESV.] *Communicationem fidei*, vocat fidei communionem; siue quòd tu ô Philemon, nobiscum in fide communices, habeasq; communem & eamdem nobiscum fidem, C æque ac spem.

Communicatio fidei, quid hic.

Secundò, & plenius, *communicationem fidei* vocat eleëmosynas & officia charitatis in Sanctos, ex fide viua & ardenti manantia.

VERS. 8

Nota Primò, hæc verba referenda esse ad superiora, scilicet ad illa, *semper memoriam tui faciens in orationibus meis.* q. d. Oro instanter & assiduè pro te, vt communicationem hanc bonorum operum, ad quam fides te incitat, ostendere & perficere pergas; vt liberalitas tua numquam cesset, sed potiùs, vt quæcumque potes effundas in egentes, VERS. 9 maximè Christianos. ita Theophyl.

Nota Secundò. Pro *euidens* græcè legit noster Interpres ἐναργὴς per *a*, iam cum Hieron. Chrysost. Theophyl. per *e*, legunt ἐνεργὴς, id est, efficax, D operatrix, & operibus florens, scilicet fiat fides & communicatio fidei tuæ. Aduerte, Apostolum poscere fidem non otiosam & nudam, sed efficacem quæ flores & fructus pariat eleëmosynæ & bonorum operum. Verùm melius Noster legit ἐναργὴς, id est, euidens: sequitur enim, *In agnitione omnis operis boni.* q. d. Vt omnibus euidens fiat fides tua, dum agnoscunt & vident eleëmosynas & opera tua bona, quæ per fidem hanc incitatus operaris, *idq; in Christo Iesu*, id est, per legem, doctrinam & gratiam Christi Iesu. q. d. Cùm sis tantæ in omnes charitatis, eam in tuum Onesimum quoque ostende, eumque in gratiam recipe. ita Theophyl.

Apostolus requirit fidem non otiosam, sed cum bonis operibus.

Aliter

Aliter Anselm. *in agnitione*, inquit, id est, vt tu agnoscas practicè, id est, ames & peragas omne bonum. Sed prior sensus planus est & genuinus. Denique vox *operis*, non est apud Hieron. Chrysost. Ambros. est tamen in Syro & Biblijs Regijs.

VERS. 7. GAVDIVM ENIM MAGNVM HABVI ET CONSOLATIONEM IN CHARITATE TVA, QVIA VISCERA SANCTORVM REQVIEVERVNT PER TE, FRATER] Nota Primò. Pro *gaudium*, græcè est χάριν, id est, gratiam; sed Apostolus χάριν accipit pro χαρὰν, id est, gaudium tam hîc quàm 2. Corinth. 1. v. 15. vt docent Chrysost. & Theophyl. quin & Erasmus, Vatablus & Beza.

Quid intelligatur per illud, Viscera sanctorum requieuerunt.

Nota Secundò. *requieuerunt*, id est, recreata & refocillata sunt. sicut enim venter inanis, fame latrans & exæstuans, ita & torminа viscerum, ipsaque viscera sedantur & quiescunt, dum implentur & saturantur.

Hebræi misericordiam dant viscera misericordiæ.

Nota Tertiò. Per *viscera* Vatablus intelligit ventres, quos satiauit Philemon; sed plus significat *viscera*, scilicet tam intimas necessitates, quàm consolationem ad intima corporis & animi penetralia pertingentem, ac quasi cor ipsum reficientem & recreantem. q. d. Intima consolatione affecisti Sanctos, id est, Christianos, dum eis in summa necessitate, tanta charitate succurristi, ô Philemon. ita Theophyl. Sic enim è conuerso Hebræi רַחֲמִים *rachamim*, id est viscera misericordiæ dant ijs qui profusi sunt in opera misericordiæ, quòd videlicet intimè aliorum miseria tangantur, & ex intimis visceribus miserorum misereantur, adeoque ex hac miseratione viscera ipsa, quæ sedes sunt compassionis & condolentiæ, in ijs commoueri & contorqueri videantur. viscera ergo misericordiæ significant visceralem, intimam, & ex imo corde & affectu manantem misericordiam. Sic Zacharias canit, Deum nos ex alto visitasse per viscera misericordiæ; quia cùm dedit nobis Christum filium suum, quasi sua viscera in nos effudit.

Notat S. Hieron. artificium & rhetoricā Christianam Pauli, qua ita impensè in proœmio laudat Philemonem, vt ille id, quod postea petetur, negare non audeat, ne suis laudibus videatur indignus.

VERS. 8. PROPTER QVOD MVLTAM FIDVCIAM (παῤῥησίαν, id est, libertatem) HABENS IN CHRISTO IESV (per Christum Iesum) IMPERANDI TIBI QVOD AD REM PERTINET] τὸ ἀνῆκον, id est, quod decens, conueniens & officij tui est, vt scilicet solitam tuam charitatem in seruum tuum pœnitentē ostendas.

VERS. 9. Tamen PROPTER CHARITATEM MAGIS OBSECRO, CVM SIS TALIS, VT PAVLVS SENEX, NVNC AVTEM ET VINCTVS IESV CHRISTI] q. d. Cùm mihi quasi patri spirituali tuo liberum sit propter Christum tibi imperare, vt Onesimum in gratiam recipias, malo tamen non auctoritate vti, sed precibus, & per charitatem te obsecrare vt idipsum facias cùm sis senex æquè vt ego. senes enim non increpandi, sed rogandi sunt, inquit Anselm. Hieron. Theophyl.

Nota. Pro *cùm sis senex*, græcè est τοιοῦτος ὤν, quod Hieron. Vatabl. & alij vertunt, *cùm sim talis*, scilicet *Paulus senex*. Nam vocula *vt* interiecta sæpè non est nota similitudinis, sed veritatis, significans *scilicet*: atque hoc modo hæc verba Græca syntaxi rectè cohærent cum παρακαλῶ, id est, obsecro, q. d. Obsecro te cùm sim talis, scilicet Paulus senex: senum enim, cùm sint debiles & infirmi, est A orare & obsecrare. Verùm per hebraismū Noster cum Ambrosio melius vertit, *cùm sis senex*, scilicet tu, ô Philemon. Hebræi enim כִּי *ki*, id est, *quia, cùm*, aliasque similes coniunctiones causales & rationales sæpè subaudiunt, & participium sumunt pro præsenti indicatiuo vel coniunctiuo quo carent, scilicet ὤν pro ᾖς vel ᾖ. nam, vt dixi, senum potius est rogari, quàm rogare & obsecrare.

Nota Secundò. τὸν *nunc autem & vinctus Iesu Christi*, referendum est tantùm ad *Paulus senex*, non autem ad *cùm sis talis*. nec enim Philemon similis erat Paulo in vinculis, sed tantùm in senio; addit enim Paulus senio sua vincula, vt efficacior sit obsecratio. q. d. Da hoc senio meo; si non, da saltem hoc vinculis meis.

VERS. 10. 11. & 12. OBSECRO (inquam) TE PRO MEO FILIO QVEM GENVI IN VINCVLIS ONESIMO, QVI TIBI ALIQVANDO INVTILIS FVIT, NVNC AVTEM ET MIHI ET TIBI VTILIS, QVEM REMISI TIBI] Post longas insinuationes quasi parata iam via, tandem hîc proponit suam petitionem, nomenque serui Philemoni inuisi, illudque illi amabile & suauè efficit, dum vocat eum filium vinculorum suorum, sibique & illi vtilem. Admiratur hîc S. Hieron. magnanimitatem Pauli, mente in Christum feruentis. *Tenetur*, inquit, *in carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur; & non sentit iniuriam, non dolore cruciatur, non nouit aliud nisi de Christi Euangelio cogitare, scibat seruum, scibat fugitiuum, scibat raptorem*; & hunc tamen in carcere docet, catechizat, conuertit, baptizat, & quasi filij loco habet.

Locus Pauli illustratus ex textu Græco.

Nota Primò. In Græco pulchra est antithesis, τότε σοι ἄχρηστον, νυνὶ δὲ καὶ σοὶ καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον. Olim, inquit, hic seruus fuit tibi *achrestus*, id est inutilis, incommodus, noxius: nunc tibi & mihi erit *chrestus & euchrestus*, id est vtilis, commodus, beneficus. Sic olim dicebantur *chresti* homines commodi & benefici. *Pauci*, inquit Lucianus in Philopatro *chresti*, id est frugi, *sunt, quemadmodum vbique video!*

Onesimus græcè idem est quod chrestus, id est, vtilis.

Nota Secundò. Alludit Paulus ad nomen Onesimi. ὀνήσιμος enim idem est, quod εὔχρηστος, id est chrestus & vtilis. q. d. Olim erat anonesimus, id est inutilis, imò noxius & damnosus, iam est onesimus, id est vtilis; olim Paganus, iam Christianus; olim fur, iam fidelis seruus; olim profugus, iam redux, vt tibi sit assecla fidus & perennis.

Nota Tertiò, cum S. Hieron. spiritum & efficaciam Pauli, qua ita citò Onesimum conuertit, & ex tam inutili & peruerso, tam vtilem & eximium effecit, vt eum optet sibi ministrum in vinculis: cùm enim dicit eum sibi esse vtilem, tacitè postulat, inquit Theophyl. vt sibi remittatur: remittit tamen eum ad herum, tum vt eius iracundiam placet, tum vt ostendat seruos fugitiuos iure iustitiæ heris suis esse restituendos. Hinc eundem Onesimum recèns à se conuersum vocat charissimum & fidelem fratrem, Coloss. 4 v. 9.

VERS. 12. TV AVTEM ILLVM, VT MEA VISCERA, SVSCIPE] Significantiùs idipsum habent Græca, αὐτὸν τοῦτ' ἔστι τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, id est, ipsum hoc est mea viscera susci pe: *viscera sua* vocat filium suum, quem genuit in Christo. videntur enim filij esse quasi pars viscerum matris; quod in se transfert Paulus, vt maternū & tenerrimum affectum suum in Onesimum exprimat: hunc enim magis significat vox *viscera*, quàm vox *filius*.

VERS. 13. & 14. QVEM EGO VOLVERAM MECVM DETINERE, VT

PRO TE MIHI MINISTRARET: SINE CONSILIO AVTEM TVO NIHIL VOLVI FACERE, VTI NE VELVT EX NECESSITATE BONVM TVVM ESSET, SED VOLVNTARIVM] *Bonum*, id est beneficium, *tuum*. hoc enim significat Hebræum טוב *tob*, id est, bonum. Pungit nouo stimulo Philemonem. q. d. Tu mihi in vinculis seruire debueras, idipsum pro te præstitit seruus tuus Onesimus, ergo illi à te ad me profugo potiùs gratias agere debes, quàm irasci.

Bonum apud Hebræos, idem est quod beneficium.

VERS. 15. & 16. FORSITAN ENIM IDEO DISCESSIT AD HORAM (id est, ad breue tempus) A TE, VT AETERNVM ILLVM RECIPERES, IAM NON VT SERVVM, SED PRO SERVO CHARISSIMVM FRATREM, MAXIME MIHI; QVANTO AVTEM MAGIS TIBI, ET IN CARNE ET IN DOMINO?] *Aeternum* vocat eum qui iam conuersus fideliter, spiritu Christiano, hero suo erat adhæsurus, tum in hac vita, tum in futura. ita Anselm.

Secundò, noster Interpres vertit, *pro seruo*, quia in Græco legit, vti & Syrus, ὡς δοῦλον, iam autem legunt ὑπὲρ δοῦλον, id est, supra seruum; maiorem & præstantiorem seruo, putà fratrem, vtpote fidelem & Christianum iam effectum recipies.

Tertiò, *in carne*, id est, in rebus carnalibus, hoc est temporalibus.

Quartò, *& in Domino*, id est, in rebus diuinis, spiritualibus & æternis. vide can. 25. q. d. Onesimus iam tibi charior esse debet, quàm antè; quia iam tibi magis coniunctus & deuinctus est, magisq;, meliùs & fideliùs tibi seruiet, quàm antè: antè enim metu seruili quasi mancipium ad oculum tibi seruiebat, iam verò tibi seruiet, tibique adhærebit fidelissimè, quasi frater, ex amore & spiritu Christiano, tam in rebus temporalibus quàm diuinis. ita S. Hieronymus & Theophyl.

Denique notat Hieron. rursus artificium Pauli: vt fugam enim serui eleuet & excuset, dicit Dei prouidentia eam factam esse, ad maius tàm ipsius quàm heri bonum, *Nonnumquam*, inquit Hieron. *malum occasio fit bonorum; & hominum praua consilia Deus vertit ad rectum. quod dico, manifestius exemplo fiet. Ioseph, fratres zeli stimulis incitati, Ismaelitis viginti argenteis vendiderunt: hoc initium & patri & fratribus & omni Aegypto bonorum omnium fuit. Denique ipse postea ad fratres, Vos, inquit, cogitastis de me mala, & Deus cogitauit de me bona. Simile quid & in Onesimo possimus intelligere, quòd mala principia occasiones fuerint rei bonæ. Si enim dominum non fugisset, numquam venisset Romam, vbi erat Paulus vinctus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum. Si Christi non habuisset fidem, numquam Pauli effectus filius in opus Euangelij mitteretur. Ex quo paulatim & per gradus suos reciprocante sententia, ideò minister Euangelij est factus Onesimus, quia fugit à domino.*

Deus bona elicit ex malis.

Est hic locus moralis de Christiana humilitate: apud Christianos enim serui sunt fratres suorum dominorum in Christo. vide Chrysost. in morali hom. 3. vbi simul docet de ipsamet humilitate sua neminem gloriari aut sese extollere, sed magis vnumquemque humiliari debere.

Locus moralis de Christiana humilitate.

VERS. 17. SI ERGO HABES ME SOCIVM] id est amicum, si inter amicos me numeras.

SVSCIPE ILLVM SICVT ME] Amicorum enim omnia sunt communia. Hæc est ratiocinatio Apostoli, Ego sum Onesimo κοινωνὸς, id est tanta est mihi cum illo communio, vt ille sit alter ego: recipe ergo illum sicut meipsum. *Consideremus hic*, ait Hieron. *quantum laudetur Onesimus, quantumq; tam paruo tempore profecerit sub Paulo, cùm ita recipiendus sit, vt Apostolus; & sic eius, vt Pauli, dominus debeat desiderare consortium.*

SI AVTEM ALIQVID NOCVIT TIBI, AVT DEBET, HOC MIHI IMPVTA] q. d. Furtum & debitum eius in me transcribe. VERS. 18.

EGO PAVLVS SCRIPSI MANV MEA, EGO REDDAM] Græcè ἀποτίσω, id est, dependam, resoluam: est enim hîc fideiussio, qua se Paulus pro Onesimi debito Philemoni obstringit. q. d. Quod Onesimus sublegit & rapuit, ego Paulus spondeo me redditurum: cuius sponsionis hoc tibi chirographum do, hanc scilicet epistolam mea manu perscriptam. ita Hieron. Chrysost. Theodor. VERS. 19.

VT NON DICAM TIBI, QVOD ET TEIPSVM MIHI DEBES] q. d. Vt omittam & taceam quòd te, id est tuam conuersionem ad Christum & salutem, mihi debes; itaque si tu & tua mea sunt, ergo & Onesimus, qui tuus est, meus est. ita Hieron. & Anselmus.

ITA FRATER] Pro *ita*, græcè est ναὶ, interiectio asseuerantis & confirmantis. q. d. Certè, ne dubites, ego omnino dependam Onesimi debitum. VERS. 20.

Secundò & meliùs, S. Hieron. ναὶ accipit quasi respondens Hebræo אָנָּה *ana*, quæ est interiectio blandientis. q. d. Quæso, obsecro te frater, preces meas pro Onesimo exaudi: ita enim illi veniam eblanditur. Vnde subdit,

EGO TE FRVAR IN DOMINO] q. d. Ego voluptatem miram capiam ex te, cùm hanc rem tam piam & iustam in Domino, id est, in re Dominica & Christiana, mihi concesseris. Vnde Syrus vertit אֶתְנַיַּח *ettenïach*, id est, ego refocillabor, vel suauiter requiescam in te. Græcum ὀναίμην, id est fruar, alludit rursum ad nomen Onesimi. q. d. Ego ex te fructum consolationis capiam, si Onesimum, id est fructuosum & vtilem, in gratiam recipias.

Notat S. August. Anselm. Beda, & exijs Magister in 1. d. 1. frui tantùm licere Deo quasi fine vltimo, vti verò nos creaturis, quasi medijs ad illum finem assequendum. *frui* enim idem esse quod finem, siue complementum lætitiæ, ac consequenter beatitudinem & felicitatem in aliqua re ponere: quod non aliter fit, quàm cùm vltimo fini nostro suauissimè & perenniter inhæremus. Volunt ergo Patres citati, *frui*, hîc ab Apostolo abusiuè sumi, vt sit idem, quod cum delectatione vti, vel certè Secundò, vt idem August. li. 1. de Doctrina Christiana c. 33. & ex eo Anselm. q. d. Fruar te, non in te, sed in Domino, id est Domino fruar, & in eo ac per eum te & omnibus alijs, quos meæ fruitionis ac visionis diuinæ socios habebo in cælo: aut Tertiò, vt Hieron. q. d. Imprecor tibi, ô Philemon, clementiam, charitatem, aliasque virtutes Dominicas, vt te illis repleto fruar, id est gaudeam, in Domino. Verùm vti hi sensus, præter mentem & scopum Apostoli sunt, ita & hæc acceptio vocis *frui* recentior est. cœpit enim à S. Augustin. à quo ceteri Patres & Theologi eam mutuati sunt: nam Ciceroni & priscis Latinis *frui* propriè est fructũ, vtilitatem & voluptatem ex aliqua re capere. Sic enim dicimur frui vita, bonis, amicis, quibus nihil est dulcius: & hoc propriè significat Græcum ὀναίμην. Vnde Theophyl. sic exponit, q. d. Paulus, *Fac me, ô Philemon, tuo hoc beneficio, quod peto, perfrui, non in rebus mundanis, sed in Domino*, id est, *in diuinis*. & Vatablus sic, q. d. *Si hoc feceris, adiutus ero* (hoc enim quoque significat ὀναίμην) *per te, in Domino*, id est,

Frui sole Deo licet, vti creaturis secundùm Augustinum.

Fruimur re, ex qua fructum capimus.

in

in re, quæ grata est Domino: vel, *Vtinam ego de te fructum & voluptatem capiam in hac re iusta.*

VERS. 21. REFICE VISCERA MEA IN DOMINO] q. d. Me intimè refice & recrea hoc beneficio, quo nullum mihi accidet iucundius. Si hoc mihi præstiteris, cor meum mulcebis & miro gaudio delinies. Vide dicta v. 7. & 12.

VERS. 22. PARA MIHI HOSPITIVM] Audi S. Hieron. *Non puto tam diuitem fuisse Apostolum, & tantis sarcinis occupatum, vt præparato egeret hospitio, & non vna contentus cellula, breues corporis sui spatio ædes amplissimas existimaret: sed vt, dum eum expectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est.* Et mox: *Apostolo magis quàm Paulo hospitium præparandum est. Venturus ad nouam ciuitatem, prædicaturus crucifixum, & inaudita dogmata dicturus, sciebat ad se plurimos concursuros. & necesse erat primùm, vt domus celebri esset vrbis loco, ad quam facilè conueniretur. Deinde vt ab omni importunitate vacua, vt ampla, quæ plurimos caperet audientium: ne proximæ spectaculorum locis, ne turpi vicinia detestabilis: postremò vt in plano potiùs esset sita, quàm in cænaculo. Quam ob causam existimo eum Romæ in conducto mansisse biennium. Nec parua, vt reor, erat mansio, ad quam Iudæorum turbæ quotidie confluebant*, Actor. 28. 30. Lustraui ego conductum hoc S. Pauli hospitium, adeoque iuxta illud habito: conuersum est in ecclesiam, vocaturque Diaconia S. Mariæ in Via lata. Sanè peramplū fuit & in celeberrimo vrbis loco. Nemo ergo miretur, si Religiosi qui proximorum saluti se addixerunt, similia quærant in vrbibus loca: non enim sibi & suis commodis, sed ciuium consulunt.

NAM SPERO PER ORATIONES VESTRAS DONARI ME VOBIS] vt scilicet liberatus è vinculis, vobis restituar. Duo hîc discimus, ait Theophyl. Primò, quòd sit ingens orationum virtus, si quidem Paulus talis tantusque illarum ope indigeat; & si ille, quis non? Secundò, quòd oporteat nos humili esse spiritu, quandoquidem Paulus discipulorum precibus indigebat; quodque vtilissimum sit aliorum, præsertim Sanctorum, preces exposcere. *Virtus orationum.*

VERS. 23. SALVTAT TE EPAPHRAS CONCAPTIVVS MEVS IN CHRISTO IESV] id est, propter Christum Iesum. Sic enim sæpè accipitur Hebræum *bet*, id est *in*. ita Theophyl. Hic Epaphras Episcopus fuit Colossensium, simulque curam gerebat Ecclesiæ Laodicensis & Hierapolitanæ, vt docet Paulus Coloss. 4. 13. Sed cùm Romæ in vincula coniectus est, suffectus ei videtur Archippus, vt docet Ambros. & insinuat Paulus, vt dixi v. 2.

VERS. 24. DEMAS] Hic est, ait Theophyl. qui postea à Paulo defecit. de quo dixi 2. Timoth. 4. v. 10.

Fruere AETERNITATE, fruere Deo.



COM-

COMMENTARIVS IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

PRAEVCA hîc præmittenda sunt: Primò, de auctoritate huius epistolæ. Secundò, de eius auctore. Tertiò, de idiomate & stylo. Quartò, de argumento & scopo eiusdem.

Ostenditur epistolam hanc esse Scripturam canonicam.

Quæritur ergo Primò, an epistola hæc sit Scriptura canonica? Negauit id olim Marcion & Arrius, & nuper Lutherus, Brentius, Kemnitius, Magdeburgenses & Anabaptistæ: imò verò è Catholicis Caietanus scribens in hanc epistolam, hac de re dubitat.

Sed Respondeo, & dico: De fide est, epistolam ad Hebræos esse Scripturam canonicam. Ita definit Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & Tridentinum sess. 4. Estque hic Patrum & priscæ Ecclesiæ sensus & consensus: ita enim censuit olim Innocentius Primus epistola ad Exuperium, & Concilium Carthaginense tertium can. 47. & Laodicense can. 59. Canones quoque Apostolorum, can. vltim. Idem docet Athanas. in Synopsi, August. li. 2. de Doctrina Christiana c. 8. Hieron. epist. ad Dardanum, Origenes & Clemens Alexandrinus apud Eusebium li. 6. historiæ Ecclesiasticæ, c. 11. & 18. Imò idem asseuerat Caluinus, Beza & eorum asseclæ.

Argumenta octo, quæ contra auctoritatem huius epistolæ ab Erasmo & alijs obijciuntur, suis quæque locis dissoluã. Interim vide ea simul congesta & discussa apud Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 17. & Medinam lib. 6. de Recta fide, cap. 25.

D. Paulus auctor huius epistolæ.

Quæritur Secundò: quis huius epistolæ sit auctor? Erasmus & Caluinus negant esse sanctum Paulum; & olim Tertullianus li. de Pudicitia censuit esse Barnabam. Sed respondeo & dico: Certum est hanc epistolam esse S. Pauli. Ita Patres Græci & Latini passim; quos citat Bellarminus suprà & Galenus hîc. Imò idipsum docet S. Petrus epist. 2. c. 3. 15. *Sicut*, inquit, *charissimus frater noster Paulus scripsit vobis*, scilicet Hebræis Christianis, ex Iudæa, ob Iudæorum persecutionẽ, profugis, & dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam. Hisce enim tam secundam, quàm primam suam epistolam scribit S. Petrus, vt patet epist. 1. c. 1. 1. nam hosce Hebræos profugos, & in Græcia alibíve peregrinantes significat ibi Græcum παρεπιδημοι, vt rectè aduertit Ribera hîc.

Cur nomen D. Pauli huic epistolæ non præfixum.

Dices, Cur ergo Paulus in alijs epistolis nomen suum præfigit suos salutando, hîc autẽ illud tacet? Respondent aliqui, Paulum nomen suum in hac epistola quoque posuisse; sed interpretem illud omisisse, siue quòd mancum nactus sit exemplar, ex quo hæc transtulit, siue obliuione, aliáve de causa.

Verùm probabiliùs respondent S. Hieron. in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorũ, in Paulo, Clemens Alexandrinus apud Eusebiũ loco citato, & alij passim, Paulum nomẽ suum in hac epistola tacuisse, eò quòd Pauli nomen apud Iudæos etiam A Christianos malè audiret. habebatur enim Paulus hostis legis Mosaicæ & Gentilium (qui Iudæis inuisi erant) patronus. Adde, si se vocasset Paulum, cùm illud Gentile & Romanum sit nomen, displiceret Iudæis, quasi ex Saulo Paulus, ex Iudæo factus esset Gentilis & Romanus: sin Saulum se vocasset, Gentilibus visus fuisset à Gentibus ad Iudæos, & à christianissimo ad iudaissimum velle redire. Prudenter ergo nomen suum subticuit, ne hos illósve nomine suo offenderet. *Prima causa.*

Addunt nonnulli, videri Paulum eadem de causa hanc epistolam tradidisse Barnabæ, vt ipse eam quasi nomine suo vulgaret, ideoque à Tertulliano Barnabæ eam asscribi. Verùm Paulus seipsum & nomen suum Hebræis satis indicat, c. vlt. v. 23.

Secundam causam cur Paulus nomen suum hîc sileat, affert Theodoretus & Clemens loco iam citato, videlicet modestiã Pauli, quia scilicet ipse in hac epistola prædicat & celebrat Christum, primum Hebræorum Apostolum; rursùm quia Hebræi curæ Petri & Iacobi erant commissi: Paulus verò non Iudæorum, sed Gentium erat doctor & Apostolus. hac de causa noluisse se nominare, quia simul se de more vocare debuisset eorum Apostolum; quod noluit, sed hunc titulum tum Christo, tum S. Petro & Iacobo concessit: vnde Paulus Hebræis hîc scribit, non quasi doctor & Apostolus, sed quasi eorum socius & amicus, vt patet capite vltim. v. 2. *Secunda causa.*

Addunt aliqui tertiam causam, scilicet hanc fuisse Hebræorum consuetudinem, vt in epistolis nomina sua non præfigerent: quæ consuetudo colligi videtur ex 4 Reg. 10. v. 2. Sed hæc causa non satis certa aut solida videtur.

Quæritur Tertiò, qua lingua conscripta sit hæc epistola? Aliqui cum Origene & Clemente Alexandrino loco citato respondent græcè esse scriptam, ita vt sententia & res sit Pauli, phrasis verò & stylus sit S. Lucæ aut Clementis, ideoque sit elegantior alijs Pauli epistolis. Verùm sic non tam Paulus, quàm Lucas, aut Clemens huius epistolæ esset auctor & scriptor hagiographus, vtpote scribens & concinnans singulas huius epistolæ sententias, non ex se, sed ex instinctu Dei & dictante Spiritu sancto. *Qua lingua scripta sit à D. Paulo epistola hæc.*

Dico ergo cum S. Hieronymo in Catalogo scriptorum Ecclesiastic. in Clemente, cum Theodor. & Oecumen. hîc, cum Clemente Alexandrino suprà, Paulum scripsisse hanc epistolam hebraicè, vtpote Hebræum Hebræis: hebraicè inquam, non purè, sed corruptè, quia syriacè, vti locuti sunt Iudæi post reditum è Babylone & tempore Christi. Scripsit itaque Paulus hanc epistolam Hebræo, id est, suo vernaculo eloquio disertissimè, & pari eloquentia versa est in Græcum à Luca, vti censuit Clemens Alexandr. apud Eusebium lib. 6. histor. c. 11. vel potiùs, vt Euseb. Hieron. Theodor. & Oecum. à Clemente Romano, cuius epistola *Hebraica, non tamen pura.*

ad

ad Corinthios, cū hac ad Hebræos & stylo & sensu valdè consentit. Et hæc est causa cur inter hanc ad Hebræos & alias Pauli ad alios epistolas, magna sit styli dissimilitudo. A

Dices, si scripsit hebraicè, cur ergo citans Scripturam veteris testamenti, non eam citat iuxta textum Hebræum, sed iuxta versionem LXX.

Respondeo, Paulum in autographo Hebræo citasse Scripturam iuxta textum Hebræum, sed Græcum interpretem substituisse versionem Septuaginta, vtpote Græcis notiorem. ita textum Hebræum citauit Paulus in Syra, id est Antiochena, synagoga Actor. 13. v. 35. & 40. vbi tamen Lucas Græcis græcè scribens, versionem Septuaginta substituit: idipsum fecit quoque interpres sancti Matth. c. 13. v. 14. & alibi; vt ibidem Iansenius & alij annotarunt. Nisi malis dicere cum Ribera, Galeno & Baronio tom. 1. pag. 677. illo tempore B versionem Septuag. fuisse vulgatam apud omnes, tam Iudæos, quàm Græcos, & è Græco in Syrum idioma fuisse conuersam, illudq; citasse Paulum: vnde & Iosephus & Philo, Hebræi licet, Septuag. tamen sequuntur & citant potiùs quàm Hebræa ipsa autographa.

Dices Secundò, Si hebraicè scripsit hæc Paulus, cur ergo Hebræum nomen vnum per aliud interpretatur, dicens c. 7. v. 1. & 2. *Melchisedec qui interpretatur rex iustitiæ*; &, *Rex Salem, id est pacis.*

Respondent aliqui, non Paulum hæc Hebræa nomina interpretatum esse, sed interpretem Græcum hasce interpretationes Paulo addidisse. Verùm id dici nequit. ipse enim contextus arguit eas esse Pauli; nam in hisce interpretationibus magnam argumentationis suæ vim ponit ipsemet Paulus. Dico ergo, ipsummet Paulum Hebræas C hasce voces interpretatum esse per alias similes, vel per easdem, sed diuulsas & separatas, vt eas magis inculcaret, & sensum in ijs latentem explicaret & perurgeret, dicendo v. 5. *Melchisedec* idem est quod *melech*, id est rex, *sedec*, id est iustitiæ; sicut latinè quis rectè interpretatur, dicens, Frugifer idem est quod frugem ferens, corniger idem est quod cornu gerens. Adde, Apostolum Hebræas voces non interpretari per Hebræas, sed per Syras quibus tunc loquebantur Iudæi: sicuti iam Syrus interpres (quem nonnulli putant non esse interpretem, sed ipsum autographum Pauli, quod mox examinabo) interpretatur eadem nomina dicens, *Melchisedec*, id est, *malca dekinuta.*

An textus Syriacus sit ipsum Pauli autographum.

Quæres hic, an textus Syriacus qui extat in Biblijs Regijs, sit ipsum Pauli autographum; multis id suadere conatur Albertus Widmanstadius D Ferdinandi Imper. nuper Cancellarius, qui primus nouum testamentum syriacè in Europa imprimi curauit, & Guido Fabricius, qui illud in Latinum conuertit, atque Matthæus Galenus Duacensis Cancellarius, qui in hanc epistolam commentans Syrum præ Græco sequitur & explicat. Verùm hoc valdè incertum est & parum probabile. Viris enim doctis textus hic Syriacus recentior & ex Græco traductus videtur, præsertim cùm idem, suisque per omnia similis extet in omnes Pauli & aliorum Apostolorum epistolas, omniaque Euangelia; quæ non dubium est primitus conscripta esse græcè, non syriacè, atque in Syriacum à Syro quodam interprete esse conuersa. quem licet Syri putent fuisse sanctum Marcum Euangelistam, tamen verius est non Marcum, sed alium Marco longè posteriorē fuisse: nam S. Cyrillus, Clemens, Athanasius, Theodor. Damascenus & alij, qui in Syria, vel Ægypto vixerunt & scripserunt, huius versionis Syriacæ non meminerunt. Rursum hunc Syrum textum non esse Pauli, nec Marci, nec primi illius æui Christiani, patet ex eo, quòd hæc Syriaca versio phrasi & idiotismo discrepat à Syra lingua, qua loquebantur Iudæi tempore Christi, Pauli & Marci. nam Matth. 27 v. 8. pro *haceldema*, vti dicebant Iudæi tempore Christi, Syra iam versio habet אגורתא דדמא *agureſa daddema*, vbi græcizat. nam ex ἀγρὸς, id est ager, format *agureſ*. Sic Matth. 27 46. pro *Eli Eli*, vti dixit Christus, Syrus iam habet איל איל *Il Il*. Sic pro *Ierusalem*, Syrus vertit, *Ouriſchlem*, pro *Kephas Kipho*, pro *Pascha Pezcho*, pro *Golgota Golgoulto*, pro *Ioseph Lauseph*, pro *Iacob Iaacoub*, pro *Messia Meschicho*, pro *Mose Moosche*, pro *Esau Isou*, pro *Isaac Ischok*, pro *Israel Isroiel*, pro *Abel Hobel*, pro *Cain Koin*. Ex quibus, alijsque patet, alio idiomate locutum esse Christum & Iudæos, alio verò Syriacam hanc noui testamenti versionem esse conscriptam.

Textus Hebræus hic spurius.

Extat quoque hæc epistola purè hebraicè impressa. Verùm hoc non esse autographum S Pauli, quin potiùs illud à quopiam Hebræo ex Latino vel Græco in Hebræum esse traductum, facilè quiuis doctus deprehendet.

Tale est & Euangelium S. Matthæi Hebraicū, quod Sebastian. Munsterus, & post eum Quinquarboreus edidit, asserens se illud à Iudæis extorsisse. Quasi verò soli Iudæi hostes Christi infensissimi, illud Christianis negligentibus per tot annorum centurias tam studiosè custodierint. Adde, hoc opus spurium & suppositititium esse satis colligi ex eo, quòd in margine sæpè alias & planè diuersas ab ijs quæ sunt in textu voces synonymas pro textu substituat: quodque verbotenus Latinum textum referat, & sæpè nimis pueriliter hebraismos consectetur.

Talis est & Tobias Hebraicus, quem Paulus Fagius, vir æquè ac Munsterus suspectæ fidei, Constantinopoli, vt ipse ait, acceptum edidit, & pro autographo supposuit. Testatur enim S. Hieron. in prologo qui Tobiæ præfigitur, Tobiam non Hebræo, sed Chaldæo sermone, vtpote in Assyriaca captiuitate, esse conscriptum. Adde, phrasin Hebræam huius Tobiæ videri mimi alicuius Rabbini aut Hebræi, vtpote quæ ita pueriliter sæpè Græco textui respondet ad verbum, vt planè ex eo traducta & expressa videatur; resectis tamen quibusdam quæ traductori displicebant. Insuper fingit hic auctor Tobiam cùm curari non posset, iussisse in Alemanniam. Nimirum hos omnes libros Alemanni alicuius Lutherani aut Iudæi, & fortè eiusdem à quo primò editi sunt, fœtus suppositios esse, suspicari licet.

Quodnam huius epistolæ argumentum.

Quæritur Quartò, quodnam sit huius epistolæ argumentum? Respondeo, Scripta est hæc epistola quasi circularis ad Hebræos omnes toto orbe dispersos, sed maximè ad Hebræos in Iudæa degentes, vt per omnes eorum Ecclesias legeretur. Id patet c. vlt. v. 23. vbi se cum Timotheo propediem ad eos, scilicet in Iudæam, venturum significat. Cur dicti sint Hebræi, dixi 2. Corinth. 11. v. 22.

Hebræis itaque scribit Paulus, hoc fine & scopo, vt nimirum eis ostendat & demonstret dignitatem Christi & Euangelij, cui cedere debeat Moses & lex vetus, vt scilicet eos à iudaismo omnino, inte-

integrè & perfectè transferat ad christianismum, A in eoque confirmet. ita Scholiastes Græcus, Primasius, Sedulius, & alij.

Hac de causa Paulus Hebræis hîc proponit & probat Primò, diuinitatem & dignitatem Christi. Secundò, eiusdem sacerdotium, scilicet vnicum Christi in cruce sacrificium, omnibus veteribus adumbratum, solum fuisse sufficiens ad nostram omnium redemptionem perficiendam. Tertiò, demonstrat Christi officium esse, vt per suum sanguinem sit peccatorum omnium expiator, redemptor, mediator, & pontifex noster, ac cæli reserator. Quartò, affert differentiam & excellentiam testamenti noui præ veteri. Quintò, consolatur eos qui à magistratibus Iudaicis, permittentibus Romanis Præsidibus, propter Christi fidem, & à lege Mosis defectionem, quasi apostatæ bonis suis spoliabantur, varijsque modis diuexabantur. Imò, si credimus S. Chrysost. consolatio hæc & confirmatio eorumdem, scopus est totius epistolæ. Demum morum instructione & præceptis ethicis hanc epistolam Paulus more suo concludit.

Scripsit hanc epistolam, vt ait cap. vlt. v. vlt. ex Italia, scilicet Roma, non anno Neronis 14. cùm Romam ex Hispania secundò redijt martyrio coronandus, vt volunt aliqui; sed cùm in primis vinculis causam suam feliciter apud Neronem peroraſſet, eiusque liberandi spes optima affulgeret, vt colligitur c. vlt. v. 23. anno scilicet Neronis quarto, qui fuit Christi sexagesimus. ita cum Chrysost. Galeno, & alijs Baronius. *Romæ scripta hæc epistola.*

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEmonstrat Christum Mosi, Prophetis, & angelis, ac consequenter legem Christi legi Mosis per angelos datæ, præstare.

Hinc Primò, v. 2. docet, Christum esse Deum, Dei Patris Filium, heredem & imaginem, conditorem & gubernatorem sæculorum.

Secundò v. 3. docet, Christum, qua homo est, esse redemptorem peccatorum, eumq; sedere à dextris Dei.

Tertiò, v. 4. ad finem ex psalmis probat Christum hominem angelis præcellere diuina origine & filiatione, honore & cultu latriæ, potentia, æternitate, dominio & imperio, scilicet Christum omnium esse dominum, angelos verò Dei & Christi esse ministros.

1. VLtifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: nouissimè, 2. diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula: 3. qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: 4. tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. 5. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. 6. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. 7. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. 8. Ad filium autem: Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. 9. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. 10. Et: Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. 11. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent: 12. & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. 13. Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 14. Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

VERS. 1. VERS. 2. VLTIFARIAM, MVLTISQVE MODIS OLIM DEVS LOQVENS (græcè λαλήσας, id est, locutus) PATRIBVS IN PROPHETIS, NOVISSIME DIEBVS ISTIS LOCVTVS EST NOBIS IN FILIO] id est, per filium. vide can. 25. Per tres antitheses Apostolus hîc præfert Euangelium, id est doctrinam Christi, doctrinæ Mosis & Prophetarum. B *Theses proferuntur Græca.*

Doctrina Christi per tres antitheses. Prima antithesis est, quòd hæc doctrina Prophetarum tradita sit *multifariam multisq; modis*, id est, per varias multiplicesque figuras, visiones & oracula; illa verò Christi data sit tota simul & semel, per vnum Christum, dum legem Euangelicam nobis tradidit. Vnde pro *multifariam* græcè est πολυμερῶς, id est, multipartitè, per multas partes & vices, quia scilicet Deus non omnia vni Prophetæ, verbi gratia Ieremiæ; sed partem suæ veritatis, salutis, & mysteriorum Christi, Ieremiæ, partem Isaiæ, partem aliam alijs Prophetis reuelauit. Rursum, pro *multisq; modis*, græcè est πολυτρόπως, id est, multiformiter, quasi vertens se in varias formas, modos, similitudines. sic enim Homerus Vlyssem vocat πολύτροπον, quia versatili erat ingenio,

genio, noueratque se omni loco, tempori & personis accommodare. Sic Deus apud Prophetas vertit se in omnes formas & figuras, vt populum Iudæorum durum & rudem doceret, molliret & flecteret, quando Ezechieli apparuit in curru Cherubim, Ieremiæ in virga vigilante, & olla succensa, Isaiæ in throno excelso Seraphim, Danieli in specie antiqui dierum, cui ministrabant millia millium, & decies millies centena millia assistebant ei; Oseæ, Ioëli, Zachariæ, & cæteris, alijs symbolis & formis sese ostendit. Et hoc est quod Dominus per Oseam dicit c. 12. *Visionē multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum*, id est, per Prophetarū visa, dicta & facta, varijs tum personis, tum rebus me assimilaui ita S. Hieron. ibi. Prophetæ ergo per varias tum partes & vices, tum formas & similitudines cognouerunt & alios docuerunt id, quod Christus qui est in sinu Patris, totum simul in Verbo vidit, B noscque edocuit: nam partem quasi sui Prophetis, Christo verò totum se clarè spectandum & promulgandum exhibuit Deus.

Secunda antithesis est, quòd Prophetæ docuerint *olim*, locutique sint priscis patribus, Iudæis scilicet, ijsque solis: Christus verò iam *nouissimè diebus istis* locutus sit nobis, omnibus inquam hominibus totius mundi. q.d. Prophetæ prisco & rudi inculto que sæculo rudes & incultos patres nostros docuerunt; Christus verò nos tot legis præceptis, tot cæremoniarum ritibus, tot Prophetarum oraculis instructos & expolitos docuit ipsum apicem veritatis, salutis, sapientiæ & perfectionis.

Vnde Nota. Pro *nouissimè diebus istis*, græcè est, ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων, id est, nouissimis vel vltimis diebus, id est temporibus istis. q.d. Olim vnus Propheta alteri, vna lex alteri succesſit, iam verò omnibus Prophetis vltimus Christus, & omnibus legibus vltima lex Christi succesſit, cui nulla alia succedet. Vnde sequitur, nec plenas, nec perfectas fuisse leges & doctrinas Prophetarum; Christi verò legem & doctrinam plenam & perfectam esse, adeò vt nihil illi sit adijciēdum. Secundò, hisce verbis, ait Chrysost. excitat Paulus Hebræos ad spem & constantiam in persecutionibus pro fide tolerandis. q.d. Agite, modicum adhuc tolerate, en hi sunt vltimi dies, post quos mox sequetur finis laborum & passionum, atque initium præmiorum & gaudiorum; en aspirat iam dies æternitatis, en imminet vita illa glorioſa & beata, regnum inquam Christi, cuius non erit finis.

Tertia antithesis est, quòd Prophetæ docuerint quasi Prophetæ, id est quasi homines, futura de Christo & Ecclesia Christi obscurè præuidentes D & prænūciantes; iam verò in lege noua doceat nos Christus filius Dei, qui clarè videt & penetrat omnem Dei Patris sapiētiam: sicut ergo vmbra corpori, ita Prophetæ Christo cedere, eoque præsente tacere debēt. q.d. Paulus, Videte ergo, ô Hebræi, & agnoscite vestram felicitatem, gratias immortales agite Deo opt. max. quòd vos in hoc legis nouæ sæculum reseruarit, quo non Prophetas imperfectè, membratim per partes, & obscurè docentes & prophetantes, sed ipsummet Dei filiū omnium arcanorum Patris conscium videre, eumque clarissimè & plenissimè docentem, atque abscondita à constitutione mundi eructantem audire licet. ac consequenter aduertite quàm Christo præ Mose & Prophetis credere, in eiusque fide vos corroborare debeatis, vt scilicet bonorum rapinam, mala-

A que omnia, adeoque mortem & martyrium pro ea libenter & constanter subeatis: vtrumque enim intendit Apostolus, vt dixi in proœmio.

QVEM CONSTITVIT HEREDEM VNIVERSORVM] non tantùm hominum, sed omniū omnino rerum quæ creatæ sunt. πάντων enim, id est vniuersorum, in neutro genere hîc capitur, vt patet ex seqq. Nota vocem *constituit*, scilicet Deus Pater, Christum qua homo est. Christus enim qua Deus est, natus est heres, dominus & opifex omnium; qua verò homo est, non natus, sed constitutus est à Deo heres, id est dominus, & ex æquo cum Deo Patre consors ac possessor (hoc enim est κληρονόμος) omnium scilicet creaturarum, & hominum, ac totius orbis. Et hoc est quod psal. 2. dicitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Iohan. 13. 3. *Sciens Iesus quia omnia* B *dedit ei Pater in manus.*

Quomodo, quo titulo, & quorum Christus sit heres.

Nota Secundò. Vocat Apostolus Christum heredem ex asse omnium bonorum Patris, vt significet Primò, Christum, qua homo est, esse filiū Dei naturalem, propter gratiam vnionis qua Verbo filioque Dei vnitur. Christus ergo, qua homo est, ius habet ad hereditatem Dei Patris, vt scilicet sit particeps & consors diuinæ beatitudinis & gloriæ, ac dominus omnium. Secundò, hisce verbis significat Christum primarium & necessarium esse heredem Dei Patris, adeoque; neminem posse in consortium hereditatis, beatitudinis & gloriæ Dei admitti, nisi per Christum in filium adoptetur; ideoque; quemq; satagere debere vt huic hereditati Christi in Ecclesia per fidem & baptismum asscribatur, in eaq; perseueret. q.d. Sine Christo nemo saluus heresq; Dei esse, nemo hereditatem vitæ æternæ cernere C potest. Persistite ergo, ô Hebræi, in fide, gratia & Ecclesia Christi, nullaque persecutio ab eo vos separet: siquidem non potestis esse Dei heredes, si Christi non sitis: Christus enim plenus & adæquatus Patris est heres. quare quem Christus in hanc hereditatem suam non admittit, is eam adire, patrisque heres ac beatus esse nequit.

Nemo potest esse coheres nisi per Christum.

PER QVEM FECIT ET SÆCVLA] Præpositio *per* causam, non instrumentalem, nec ministerialem, vti volunt Arriani, sed principalem significat, vt patet ex v. 10. & ex v. 3. q.d. Deus Pater per Filium suum, qui est Verbum suum æternum, quasi per ideam omnes rerū gradus & species continentem, & quasi per sapiētiam architectonicam increatam, omniscìam & omnipotentē, in qua sunt & viuunt sempiternæ rerum omnium rationes, *fecit*, id est creauit & produxit, *sæcula*, id est tempora & temporaria omnia, scilicet mundum & omnia quæ in mundo sunt. Vbi Nota. Græcum αἰών respondet Hebræo עוֹלָם *olam*, & propriè significat sæculū, æuum & tempus decurrens, sibiq;, succedens, quod in Scripturis subinde vocatur *generatio*, vt cùm dicit Eccles. 1. 4. *Generatio præterit, generatio aduenit.* Et Gen. 15. 16. *Quarta generatione* (id est, quarto sæculo vel æuo) *reuertentur huc.* Sic vocamus sæculū siue æuum Noë, Abrahæ, Mosis, id est tempus quo vixit Noë, Abraham, Moses. Verùm metonymice αἰών, id est sæculum, significat res quæ illo sæculo & tempore existunt, vt sæcula sint idem quod sæcularia, æuiterna, temporaria; putà mundus, & omnes res mundanæ quæ aliquo sæculo aut tempore creatæ aut factæ sunt & subsistunt. Itaque עוֹלָמִים *olamin*, id est αἰῶνας, id est sæcula, ponitur

Quomodo per verbum Pater creauerit omnia.

Seculum quibus nominibus à Scriptura nūcupetur, & quid significet.

pro הַנִּבְרָאִים וְהַנַּעֲשִׂים *hannibraim vehannaasim*, id est pro rebus creatis & factis in sæculo. Sic c. 11. Apostolus dicit, *aptata esse sæcula*, id est creata & mundana omnia, *verbo Dei*: quod hîc totidem penè verbis dicit, *Per quem fecit & sæcula*. q.d. Christus est super & ante sæcula, ab æterno est creator, nō creatura. est opifex sæculorum & rerum omnium.

Probatur & inculcatur ab Apostolo, natura divina & humana Christi.

Vbi Nota. Inculcat hîc Apostolus Hebræis vtramque Christi naturam: humanam, cùm dicit, *Quem constituit heredem vniuersorum*; diuinam, cùm dicit, *Per quem fecit & sæcula*. Atque ne putes fecisse ea per Filium quasi per instrumentum, subdit ilico:

VERS. 3.

QVI CVM SIT SPLENDOR GLORIAE, ET FIGVRA SVBSTANTIAE EIVS] q.d. Filius est splendor gloriæ, id est gloriosæ maiestatis eius, scilicet Patris. Pro *splendor*, græcè est ἀπαύγασμα, quod Syrus vertit צִמְחָא *tsemcha*, id est germen. Sed non satis vim Græcę vocis expressit: ἀπαύγασμα enim propriè idē est quod Hebreū זֹהַר *zohar*, id est claritas, splendor, fulgor, refulgentia, seu id in quo resplēdet paterna gloria, id est gloriosa maiestas. Sicut enim radius à sole, ita Filius à Patre procedit: & sicut sol suam lucem, decorē & gloriam ostendit in suis radijs ita splendentibus, in ijsq́; quasi refulget & relucet; ita Pater suam gloriam ostendit in generatione sui Filij tam fulgidi & gloriosi. Alludit Apostolus, vel potiùs citat Sap. 7. 26. vbi dicitur de Sapientia æterna, id est de Filio: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula*. Ibi enim pro *candor*, græcè est eadem vox quæ hîc, scilicet ἀπαύγασμα, id est splēdor. S. August. l. 4. de Trinit. c. 2. interpretatur: *lux est lucis æternæ*. Sed vox *candor* clariùs significat fulgorem lucis æternæ. *Candor* ergo idem est quod candidus, lucidissimus, purissimus splendor & fulgor. Addit Sapiens Filium esse Patris *speculum sine macula*: quia in Filio quasi in speculo limpidissimo relucet Patris gloria & maiestas.

Quomodo Filius splēdor gloriæ Patris.

Cur Pater comparetur Soli & luci.

Nota hîc, Deum Patrē optimè comparari Soli & luci, idq́ue ob magnas & multas analogias, quas recensēt S. Dionys. l. de Diuin. nomin. c. 4. ac consequēter generatio Filij optimè comparatur emanationi radij à sole. hac enim similitudine, vt notat S. Ambrosius l. 1. de Fide ad Gratian. c. 4. & Patres Græci, tria significantur; Primò, generationem Filij esse naturalem, Filiumq́ue à Patre non liberè, sed naturaliter, perinde vt radiū à sole procedere. Vnde Cyrillus l. 10. Thesauri c. 8. hinc probat Filium Dei non præcedente voluntate & electione, sed secundùm naturam à Patre generatum esse.

Generatio Filij naturalis, non libera,

immutabilis,

Secundò, hac radij & Solis similitudine significatur immutabilitas generationis Filij: sic enim sine mutatione & immutabiliter radius à sole profluit.

æterna,

Tertiò, significatur generationis huius æternitas: radius enim siue splendor Soli coæuus est. Vbi ergo, inquit Chrysost. sunt Arriani qui dicunt, *Erat quando non erat*? id est, erat tempus quando non erat Filius.

pura.

Rursum, Quartò, significatur generationis eiusdem puritas, quia lux à sole promanat sine vlla fæce aut commistione quasi spiritualis & purissima qualitas.

Filius à Patre inseparabilis.

Quintò, hinc colligit Damascenus l. 1. de Fide c. 9. Filium à Patre esse inseparabilem: sic enim lux & radius à sole inseparabilis est. Rursum numquam posse Filium deficere, quia lux Solis durante sole deficere nequit. Denique sicut à sole & splendore calor, ita à Patre & Filio Spiritus sanctus procedit.

Malè hunc locum Beza de humanitate Christi intelligit.

Perperam ergo Beza hunc locum Apostoli explicat de humanitate Christi: passim enim Patres explicant de diuinitate, illudq́ue satis euincit id quod sequitur, *Et figura substantiæ eius*. hoc enim humanitati cōpetere nequit. Ac rursum illud Sap. 7. *Candor est lucis æternæ*, quod de Sapientia increata dicitur. quem locum hîc citat Apostolus. Fateor tamen hæc posse secundariò ad humanitatē Christi deriuari & accommodari: humanitas enim est splendor gloriæ, id est gloriosæ diuinitatis; quia in ipsa humanitate Christi, vtpote tam pulchra, gratiosa & augusta, resplendet ipsa substantiæ eiusdem deitas.

Quid hîc significetur per figurā.

ET FIGVRA SVBSTANTIAE EIVS] Pro *figura* græcè est χαρακτὴρ, id est, expressa & quasi exsculpta imago, signum & similitudo, ex qua archetypum, siue exemplar, id est Deum Patrem, agnoscamus & intueamur; sicut ex imagine in cera expressa agnoscimus & intuemur sigillum quod illam expressit: Græcum enim χαράσσω idem est quod insculpo, notam aut formam imprimo; inde χαρακτὴρ idem est quod insculpta & impressa imago. Character ergo hîc significat Filium esse Patris imaginē, non inanem, vmbraticam, fugacem & euanidam, sed constantē, expressam, insculptam, quæ ad viuum, Patrem Patrisq́ue vultum repræsentet. *Hunc enim Pater signauit* (græcè ἐσφράγισεν, id est sigillauit, & quasi sigillo expressit) *Deus*, inquit ipse Filius Iohan. 6. 27.

Filius figura est persona, non essentia Patris.

Nota. Pro *substantiæ*, græcè est ὑποστάσεως. ὑπόστασις autem, inquit S. Hieron. ad Damasum, idē est quod οὐσία, id est, essentia & substantia. & sic S. Hieron. in Deo agnoscit vnam hypostasim, sicut & vnam essentiam, nec audet dicere in Deo esse tres hypostases, ne videatur dicere in Deo esse tres substantias. Ita quoque Epiphan hæresi 69. per *hypostasim* hîc essentiam accipit, quasi Filius hîc dicatur *figura hypostaseos*, id est, figura essentiæ Patris. additq́ue Filium dici *figuram*, non quòd veritate substantiæ Patris careat, sed quia per suam substantiam Patrem repræsentat. Verùm hoc dici nequit: nam essentia Patris non generat essentiam Filij, nec Filius essentiæ Patris habet imaginem, figuram & characterem, sed identitatem. Meliùs ergo S. Basil. epist. 43. ad Greg Nyssen. Chrysost. Theodor. Theoph. & alij hîc, *hypostasim* sumunt pro persona Patris, cuius imago est Filius, vt videlicet substitat tamquā hypostasis similis hypostasi & substantiæ Patris, eo modo quo dixi 2. Cor. 4. 4. ὑπόστασις enim idem est quod subsistentia: subsistentia autem non est aliud quàm persona.

Iugulatur hæresis Photini & Sabellij.

Notant Secundò, Theod. & Theoph. *hypostasin* hîc opponi hæresi Photini, qui docebat Filium per se nō subsistere: cùm enim dixisset Apostolus, *Qui cùm sit splendor gloriæ*, ne quis putaret Filium esse splendorem talem, qualis apud nos est, qui scilicet sit accidens, mox hoc excludens subiecit dicens, *Et figura substantiæ eius*. q.d. Filius est splendor, sed splendor subsistens, quasi hypostasis & persona similis hypostasi & personæ Patris. Hinc rursum excluditur hæresis Sabellij, docentis eamdem esse hypostasin siue personam Patris & Filij: nec enim hypostasis expressa & producta potest eadem esse cum hypostasi exprimente & producente, sed ab ea distingui debet, perinde vt sigillum à figura

figura sua, quam ceræ imprimit, distinguitur.

PORTANSQVE OMNIA VERBO VIRTVTIS SVAE] q.d. Filius suo verbo & iussu potẽti omnia portat, id est sua subsistentia, nutu & potentia sustentat & baiulat totum põdus creaturarum, inquit Theoph. quasi Atlas mundi. Hoc enim significat Græcum φέρων, quod Syrus vertit אָחִיד *achid*, id est complectens, continens, coërcens omnia quasi omnipotẽs. Est enim *achid* apud Syros epithetum Dei, notatq; omnipotẽtiam. Secundò, φέρων cum Erasmo verti potest agens, mouẽs, moderans, gubernans omnia, vti eadem creauit: nam φερόμενα, inquit Erasmus, dicuntur quæ impetu quodam aguntur. vnde & φορὰν impetum vocant. Rursum nõ dicit Paulus, Gubernat, sed Portat, imò in Græco non dicit, Portat, sed φέρων, id est fert. nam, vt ait Chrysost. qui gubernat & portat, id facit cum negotio & labore, fert verò qui sine negotio facillimè rẽ mouet, quò libet. Et S. Anselmus: *Portat omnia, hoc est*, inquit, *sursum tenet, ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipso fuerunt; & sustentat ea non labore & difficultate, sed imperio suæ potentiæ.*

Vtraque hæc expositio congrua est & connexa. Deus enim, Deiq; filius, qui est splendor & virtus gloriæ Dei, quasi summus rex & moderator omniũ, tam portat & sustentat, quàm agit & mouet totum hoc vniuersum: hinc eius gloriosa prouidentia, sustentatio & gubernatio significata fuit Ezechieli c. 1. per currum Cherubim, qui, vt ait Ezechiel, symbolum erat gloriæ Dei. Sicut enim Eliseus Eliæ cùm raperetur in cælum, acclamabat: *Pater mi, currus Israel & auriga eius*, quasi diceret: Tu, ô Elia, eras quasi currus portans Israelem, & simul eras quasi auriga eiusdem, regens & agitans eum ad omne bonum. Princeps enim, Propheta, & Prælatus est quasi currus & auriga populi & Reip. sustinet enim quasi currus onera populi, & quasi auriga populum regit, aurigatur & præsidet, & simul baiulat & portat instar matris quæ portat & regit infantem. Hinc de Christo principe dicitur: *Cuius imperium super humerum eius*, Isaiæ 9. 6. hac etiã de causa princeps hebraicè dicitur נָשִׂיא *nasi*, quasi dicas portitor siue baiulus, qui scilicet populi onera leuat & portat, à rad. נָשָׂא *nasa*, id est leuauit, tulit, portauit. vnde *nasi* dicitur portitor, & *nose* portãs, quo nomine hebraicè scribens hîc vsus videtur Apostolus. Hinc Moses Num. 11. 12. Domino conqueritur: *Cur*, inquit, *imposuisti pondus vniuersi populi huius super me: numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum?* Sicut ergo Elias fuit currus Israel & auriga eius, ita Deus est quasi currus portans totum mundum, & sustẽtans omnes mundi creaturas, quæ alioqui in nihilum ex quo venerunt, recidere̅t. Est & Deus simul quasi auriga currui insidens & præsidens, currumque hunc totius mundi agens, mouens & gubernans. Secundò, hunc currum teste Ezechiele vndique stipant angeli Cherubini, quasi Dei administri, vnde & *spiritus vitæ erat in rotis* eius, id est, halitus vitalis & spiritus animalis à Deo in rotas permeabat & diffundebatur, iuxta illud Virgilij,

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

q.d. Hic currus, hoc Dei vehiculum per se currebat animalibus Cherubim præeuntibus, & rotis per se motis, ex vi & impulsu ijs à Deo per angelos impresso. Hac enim phrasi symbolicè non aliud significatur, quàm quòd cæli & mundus sint quasi Dei præsidẽtis currus, sponte subeo currens, quodque Deus illi dominans per angelos gyret cælos, tempora resq; omnes fortissimè & suauissimè regat, moueat ac gubernet. Itaq; videtur hîc Paulus ad currum hunc Cherubim Ezechieli ostensum alludere, vt ibidem annotauit Hieron. Prado. vnde & sedens & præsidens in curru hoc similis erat filio hominis, inquit Ezechiel: quod idem est cum eo quod hîc dicit Paulus, Filium portare omnia verbo virtutis suæ.

Locus Ezechiel. c. 1. illustratus, ad quẽ alludit Apostolus, de curru Cherubim.

Potest Tertiò, Græcum φέρων verti proferens, alens, fouens omnia quasi pia mater, vt φέρων sit idem quod Hebræum מְכַלְכֵּל *mecalkel*, sed, vt dixi, Apostolus potiùs vsus videtur verbo נוֹשֵׂא *nose*: hoc enim propriè significat eum qui aliquid fert aut portat. *Verbo virtutis suæ*, id est nutu potentiæ suæ (*virtus* enim idem est quod potentia, hanc enim significat Græcum δύναμις) siue potenti suo iussu & imperio, quasi potentissimus princeps, cui satis sit os aperuisse, vt fiat quidquid voluerit. dixit enim & facta sunt. q.d. Sicut per Filium Deus fecit sæcula, id est mundum, & mundana omnia: ita per eumdem eadem quæ facta & condita sunt, non sua solicitudine, cura & industria, vti faciunt homines dum suos regunt, sed sua virtute, verbo & nutu potenter regit & administrat.

Hanc Dei potentiam significat Isaias c. 40. 12. vbi dicit, Deum tribus digitis appendere molem terræ: *Quis*, inquit, *mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes & colles in statera?* Quis? nisi solus Deus, Deiq; Filius? Et Sapiens Sapient. 11. 22. *Virtuti*, inquit, *brachij tui quis resistet? quoniam tamquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* Vbi *momentum* idẽ est quod minima inclinatio aut motus. Græcè enim est ῥοπὴ ἐξ πλαγίγων, id est, vergentia vel inclinatio ex lancibus libræ, quæ scilicet quoniam semper agitantur, hinc semper vna pars alia magis minúsue pendula inclinat, id est, attollitur vel deprimitur. q.d. Sicut hæc propensio lancis minima est, & minimi momenti, sic etiam mundus minimus est respectu Dei. Secundò, sicut hæc propensio minimo motu illius qui bilancem manu fert, in aliam partem inclinari potest: sic & mundus totus est in manu Dei quasi libri tenentis, vt eum ad libitum quò vult vertat & verset, adeoque coram Deo est *tamquam gutta roris antelucani*. Sicut enim hæc orta luce & sole statim ab eo siccatur & sorbetur, sic mundus à Deo quouis instanti inuerti, imò absorberi potest.

Locus Isaiæ & Sapient. elucidatus.

Quomodo omnia à Deo pendeant.

Moraliter & piè S. Bernardus labores & austeritates suorum Religiosorum hisce Apostoli verbis solatur, præfatione in psal. *Qui habitat: Mortificamini*, inquit, *tota die in ieiunijs multis, in laboribus frequentes, in vigilijs supra modum, præter ea quæ intrinsecus sunt, contritio cordium & multitudo tentationum. Mortificamini, sed propter eum qui mortuus est pro vobis. Quòd si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, vt in eo delectetur anima, quæ in his renuit consolari. Apud ipsum namq; ipsa quoque tribulatio magna quædam consolatio poterit inueniri. Nónne enim certum est supra vires humanas, vltra naturam, contra consuetudinem esse quæ*

sustinetis? Alius ergo portat ista, ille sine dubio qui secundùm Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ. Quid enim timendum nobis, si adest qui portat omnia? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

PURGATIONEM PECCATORUM FACIENS, SEDET AD DEXTERAM MAIESTATIS IN EXCELSIS] Græcè est in aoristo καθαρισμὸν ποιησάμενος, id est, postquam fecit purgationem peccatorum, seu postquam peccata sua morte expiauit: solet enim sæpè interpres Noster aoristos Græcos per præsens vertere. Priùs ergo Christus purgauit peccata, deinde posteriùs huius expiationis merito consedit ad dexteram Dei. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Nota. In Græco additur δι' ἑαυτοῦ, id est per seipsũ, quo mira insinuatur charitas Christi, quòd scilicet non tantùm expiarit, sed etiam quòd per seipsum & suum sanguinem eadem expiarit. ita Chrysost. Redit hîc Paulus à diuinitate ad humanitatem Christi.

Christus per seipsum expiauit peccata nostra.

Quatuor facies Cherubim Ezech. 1. signãt quatuor Christi formas. Christus homo Deus, Sacerdos & hostia.

Notat hîc Apostolus quatuor formas & quasi facies Christi, quas Ezechiel cap. 1. designauit per quatuor facies Cherubim: prima enim facies Cherubim est hominis. Hæc signat humanam Christi naturam. Hanc notat hîc Apostolus cùm ait: *Quem constituit heredem vniuersorum.* Secunda facies est aquilæ. Hæc signat Christi diuinam naturam. Hanc notat hîc Apostolus cùm ait: *Qui cùm sit splendor gloriæ.* Tertia facies est vituli. Hæc notat Christi sacerdotium & sacrificium. Hanc notat hîc Apostolus cùm ait: *Purgationem peccatorum faciens.* Quarta facies est leonis. Hæc signat Christi regnum & triumphum, quo victor à morte resurrexit & ascendit in cælum. Hanc notat hîc Apostolus cùm subdit: *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Easdem quatuor Christi formas & facies descripsit Apostolus Philip. 2. 6. vt ibi dixi. Quaternas enim facies quatuor Cherubim vnus in se ostendit Christus: ipse enim est aquila, quia Verbum Dei; ipse verus est homo; ipse est leo, quia rex; ipse denique est vitulus, quia sacrificium & sacerdos; ipse ergo quadriformis est Cherub, in quo latet multiformis sapientia Dei.

Rex & triumphator.

SEDET AD DEXTERAM MAIESTATIS IN EXCELSIS] Tum quia hic locus eminentissimus eminentissimo homini Christo mortis & peccati expiatori & victori debetur: tum vt Patri assidens illi perpetuò sua stigmata, vulnera, crucem & mortem exhibeat & offerat pro quotidianis hominum peccatis expiandis.

Nota. Pro *maiestatis*, græcè est μεγαλωσύνης, id est magnitudinis, magnificentiæ, maiestatis, scilicet diuinæ & paternæ. Vnde vt hoc exprimant aliqui, pro *in excelsis*, subintelligentes in Græco articulum τῆς, q. d. μεγαλωσύνης τῆς ἐν ὑψηλοῖς, vertunt, *maiestatis excelsissimæ*, siue maiestatis illius quæ excelsissimo loco & throno considet, quæ non est alia quàm Dei Patris.

Explicatur quomodo Christus sedeat ad dexteram Patris.

Quæres, quomodo Christus sedeat ad dexteram Dei Patris? Resp. sedere ad dexterã Dei symbolicè significat summam Christi dignitatem, excellentiam & gloriam: nec enim propriè Deus habet dexteram aut sinistrã; nec Christus qua Deus, nec fortè etiam qua homo, in cælo sedet tantùm, sed tam stat, quàm sedet. sicut enim sedere situs est hominis quiescentis, regnantis & iudicantis; ita stare situs est hominis valentis, robusti, vegeti & beati, qualis est Christus. Dicitur ergo Christus sedere ad dexteram Dei: Primò, quia Christus qua

Cur dicatur sedere.

A Deus est, Deo Patri vti essentia, ita & dignitate & gloria æqualis est. Secundò & meliùs, quia Christus qua homo est, euectus est ad æqualitatem Dei, siue ad participationem & communicationem diuinæ, vti hypostasis; ita & gloriæ. Vnde Gabriel Vasquez: Sedere, inquit, ad dexteram Dei qui est in excelsis, per metaphoram denotat maximum honorem quem habuit humanitas Christi; imò & cõsortium eiusdem dignitatis in eadem sede: & sic ratione vnionis hypostaticæ cum Verbo, humanitas Christi ab initio conceptionis suæ sedit ad dexteram Patris. Verùm quia hîc & in Symbolo Christus post mortem, resurrectionem & ascensionem in cælum, dicitur sedere ad dexteram Dei; hinc Tertiò, & optimè, humanitas Christi postquam ad cælos ascendit, dicitur sedere ad dexteram Dei, quia super omnes creaturas tam loco, quàm beatitudine & gloria exaltata est, vt longè transcendat B angelos, Cherubim & Seraphim; sitq; Deo proxima tamquam dominans omnibus angelis, hominibus & creaturis alijs, & tamquam iudex constituta, vt iudicet omnes electos & reprobos: hanc enim electionem meruit Christus per purgationẽ peccatorum, redemptionem & mortem suam. Plura de hac Christi sessione dixi Coloss. 3. 1. Accumulat Apostolus hæc Christi epitheta tam magnifica, inquit Chrysost. vt Hebræi, & nos discamus Christum præ Mose & angelis magni facere, magna ab eo sperare, magna pro ipso facere & pati.

TANTO MELIOR ANGELIS EFFECTVS, QVANTO DIFFERENTIVS PRÆ ILLIS NOMEN HEREDITAVIT] Vox *melior* hîc non ad mores, sed ad præstantiam, dignitatem & potentiam pertinet. *Melior* ergo, græcè κρείττων, idem est quod potior, præstantior, C dignior. ita Syrus. Vers. 4.

Secundò, pro *differentius*, græcè est διαφορώτερον, quod tam excellentius, siue præstantius, quàm differentius, verti potest. ita Syrus.

Tertiò, vox *effectus*, non significat Christum antea fuisse minorẽ angelis, vt deinde postea ijs maior fit effectus, vt vult Erasmus; sed significat Christum hoc ipso quo homo factus est, incarnatus & natus, maiorẽ factum esse angelis: nascendo enim factus est Dei filius, cuius angeli tantùm ministri sunt. Itaque Christus semper maior fuit, semper honore prælatus fuit angelis. vnde etiam minùs rectè alij sic exponunt: *maior effectus*, id est, maior declaratus est: nec enim de Christi declaratione, sed reali præstantia & præeminentia loquitur Apostolus.

Error Erasmi circa hunc locũ.

Quartò, pro *hereditauit*, græce est κεκληρονόμηκεν, id est, *sortitus est*, *sorte accepit*. *Sorte*, id est hereditate: hereditas enim per sortes, siue sortitò inter D heredes diuidebatur, indeq; vocatur sors hereditaria, itaq; *sortitus est*, idem est quod *hereditauit*. Nimirum Christus qua homo hoc ipso quo natus est, vnitusq; Verbo Dei, vti heres factus est omnium bonorum, ita & nominis Dei, vt scilicet Filius Dei diceretur, celebraretur, inuocarẽtur.

Sors hereditaria Christi qua & quanta.

Nota. Ex professo Apostolus Christum comparat præfertq; angelis, vt ostendat quantum christianismus à Christo institutus præstet iudaismo, & legi veteri; vtpote quæ tantùm per angelos data est.

CVI ENIM DIXIT ALIQVANDO ANGELORVM: FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENVI TE?] Nota, angelos dici filios Dei, sed metaphoricè, Iob 38. *Cùm me laudarent astra matutina & iubilarent omnes filij Dei.* Sic enim ab eodem Iob Deus dicitur esse pluuiæ Vers. 5.

niæ pater, maris, astrorum, deoque omnium creaturarum pater, id est creator, productor, effector. Hîc verò Paulus nomen *filij* propriè accipit pro filio naturali & genuino. Subdit enim: *Ego hodie genui te*; & sic non angeli, sed solus Christus est filius Dei. ita Chrysost.

EGO HODIE GENVI TE] Citat psal. 2. 7. quē Theodor. Hilarius, Orig. & Cyrill. in psal. 2. Ambros. l. 3. de Sacram. c. 2. & Athanas. apud Oecum. intelligūt de humana Christi generatione, q.d. *Ego hodie*, id est, in præsenti tempore & vita, *te*, ô Christe, *genui* hominem ex B. Virgine, teq; hominem vnius personæ Verbi, vt sis mihi Filius naturalis, perinde vt Verbū est. Fauent antecedentia in psalmo, cùm ait: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Christus enim, non vt Deus, sed vt homo, constitutus est rex Sionis; & *hodie*, id est, hoc eodem die quo constitutus est rex; scilicet in die incarnationis, genuit eum Pater, vt esset homo, & homo Deus; idq; vt prædicaret præceptum Dei de hominum redemptione, & reconciliatione sibi credentibus præparata & promissa. Verùm melius & aptius S. Aug. in psal. 2. & Chrysost. Theoph. Ansel. D. Th. hîc hunc locum accipiunt de æterna & diuina generatione filij Dei. Vnde *hodie*, significat præsentē durationem, quæ semper præsens est, indiuisibilis & immobilis, amplectiturq; omne tempus, præteritum, præsens & futurum, qualis est æternitas. Vnde non dicit, Ego hodie gigno te, quasi iam incipiat gignere, sed *genui te*, quasi iam perfecta sit generatio, & perfectus Filius; vtpote iam antè ab omni æternitate genitus: q.d. ait D. Th. Perfectus es, ô Fili, & tamen generatio tua æterna est, & semper à me generaris, sicut lumen in aëre perfectum est, & tamē semper à sole quasi gignitur & emanat. *Hodie* ergo, id est in, & ab æternitate, in qua vnum est Hodie, vnum instans, vnum nunc, scilicet vnum stabile & perenne præsens, ego gigno, & genui, & semper gignam te, quasi Verbum, & Filium meum.

Hinc sequitur Primò, generationem hanc non transire, fluere & præterire, sed semper eamdem numero in Deo permanere, vt semper gignat Filium. Eadem est ratio de spiratione Spiritus sancti: Pater enim & Filius semper spirant Spiritum sanctum, perinde ac sol semper spargit ex se & producit lumē; & perinde ac Deus semper creat quasi mundū, hoc ipso, quo suo continuo influxu eumdem à se creatum in suo esse conseruat: conseruatio enim hæc non est aliud quàm cōtinuatio creationis, & continua creatio, quæ omnia in Deo proueniunt ex immensitate simplicitatis, immutabilitatis, fœcunditatis & perfectionis diuinæ essentiæ: ex hac enim Pater habet vim & actum semper generandi Filiū, & spirandi semper cum Filio Spiritum sanctum.

Sequitur Secundò, in diuinis idem esse gignere & genuisse, spirare & spirasse, ac vicissim generari & generatum esse, spirari & spiratum esse: actiones enim diuinæ in instanti perficiuntur, & æternitas in vno *hodie*, imò in vno instanti perficitur; vnde in æternitate idem est præsens, præteritum & futurum.

Sequitur Tertiò, actiones immanentes, scilicet generationem & spirationem, earumque terminos, scilicet Filium & Spiritum sanctum, esse Deo Patri coæternos, quia cum Hodie æternitatis incipiunt.

A Sequitur Quartò, in Deo verè esse generationē, scilicet per intellectum. intellectio enim, cōceptio, & dictio in Patre, qua intelligit, concipit, & dicit, id est, in se loquitur & producit conceptum siue Verbum mentis suæ sibi adæquatum, id est infinitum & diuinum, est generatio. Verbum enim hoc diuinum Patri adæquatum, non potest esse aliud quàm Filius.

Sequitur Quintò, psal. 2. ad litteram non loqui de Dauide in se, vt volunt Rabbini; nec etiam de Dauide quatenus fuit typus Christi, vt vult Iansenius, sed propriè, per se, & primò de Christo dictatum & scriptum esse: soli enim Christo conuenit *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* &, *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; aliaque plura, quæ illo psalmo dicuntur. *Psalmus secundus loquitur ad litteram de Christo.*

B Denique Ambros. Hilar. Chrysost. Iansen. illud, *ego hodie genui te*, nō tantùm de generatione Christi humana & diuina; sed etiam de resurrectione Christi interpretantur. q.d. *Ego hodie*, id est, hoc die resurrectionis siue paschatis, *genui*, id est regenerai & resuscitaui, *te*. ita enim videtur interpretari S. Paulus Act. 13. 33. Sed alia ibi est mens & argumentatio S. Pauli, vt eo loco ostendam. *Tertius sēsus huius loci*, Hodie genui te, *de Christi resurrectione.*

ET RVRSVM, EGO ERO ILLI IN PATREM, ET IPSE ERIT MIHI IN FILIVM] Citat Apostolus 2. Reg. 7. 13. quem Lactant. l. 4. c. 13. Rupertus l. 2. in lib. Regū c. 30. Catharinus, & Adamus hîc, censent ad litteram loqui non de Salomone, sed de Christo. Sed hoc refellit clarissimè tum Salomon ipse 3. Reg. 5. 3. vbi verba quæ versum hunc immediatè præcedunt 2. Reg. 7. pertinentia ad fabricam templi, de se interpretatur, tū Dauid 1. Paralip. 22. 10. vbi mo-
C riens commendat Salomoni filio in regnum sibi successuro Dei cultum & fabricam tēpli, eò quòd Deus ad hoc elegerit Salomonem, de eoq; dixerit: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quid clariùs dici potuit? *Sēsus litteralis huius loci 2. Regū, est de Salomone.*

Secundò, Lyran. Burgensis & Abulens. in 2. Regum 7. volunt hunc locum ad litteram accipi tam de Christo quàm de Salomone. Sed & hoc incongruè dicitur: quia Salomon tātùm fuit typus Christi: ergo si ad litteram hæc Salomoni conueniunt, Christo non ad litteram, sed typicè tantùm conueniunt.

Dico ergo cū Eucherio & Angelomo in 2. Reg. 7. versum hunc ad litteram loqui de Salomone, allegoricè verò de Christo. patet ex ipsomet loco 2. Reg 7. & 1. Paralip. 22. Ibi enim datur causa, cur
D Dauid non permissus sit secundùm suum desiderium ædificare templum, sed illud à Deo commissum sit Salomoni, quem ad hoc in regem suscitauit & euexit, quia scilicet Dauid in bellis multum sanguinem hostium fuderat: Salomon verò in regno pacificus erat futurus, Deoq; percharus & electus. Vnde de eodem mox subijcit Dauid loquens: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Ipse scilicet Salomon, quem post te, ô Dauid, regem suscitabo, cui fabricam templi decerno & committo, de quo hactenus locutus sum. Quis non videt ad Salomonem hæc omnia litteraliter pertinere? Dices, paulò ante hæc verba dicit Deus Dauidi: *Cùm dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo.* Atqui Salomon non est natus post, sed ante mortem Dauidis: ergo hæc non competunt Salomoni. Resp. *suscitabo*, non ad vitam sed ad regnum. Nec enim ex mor tuo suscitari *Sensus allegoricus de Christo.*

tari potest semen ad vitam. Instabis, etiam ad regnũ fuit euectus Salomon, non post, sed ante mortem Dauidis. Dauid enim iussit Salomonem coronari regem. Resp. Iussit eum coronari tantùm ad hoc, vt post se regnaret: voluit enim illi assecurare regnum. Nam Dauid vsque ad mortem mansit rex & regnauit: post eum verò regnauit Salomon. Adde, pro *suscitabo*, hebr. est הָקִם מְוֹתִי *hakimoti*, id est erigam, extollam. Salomon autem non ante, sed post mortem Dauidis ad illam regni sui magnificentiam & splendorem erectus & euectus est.

Quòd verò saltem allegoricè hæc competant Christo, nemo negat, aut negare potest: nam quædam sunt quæ magis competũt Christo, quàm Salomoni; vt quod hîc dicitur: *Ego ero illi in patrem.* &, *Misericordiam meam non auferam ab eo.* &, *Fidelis erit domus tua*, id est, stabilis erit familia & progenies tua regalis. &, *Stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.* Quæ verba licet quodãmodo tenuiter, & quasi per hyperbolẽ conueniant Salomoni, eò quòd Deus eum regno non deiecerit, sicut deiecit Saulem, sed regnum eius per posteros continuarit & perpetuarit ad quatuor annorum centurias, sc. vsque ad captiuitatem Babylonicam, in qua status Israelis concidit, fuitq; populus Iudæorum planè euersus, quæ æternitas quædam est. Hebræi enim עוֹלָם *olam*, id est æternũ, vocant longum tẽpus, cuius finis nec dũ peruidetur, sed latet, tegitur & absconditur. Radix enim עָלַם *alam*, significat abscondere. Rursum *æternum* vocant non absolutè, sed respectiuè, quod scilicet semper durat respectu huius vel illius gentis aut nationis; id est, quod tamdiu durat, quamdiu durat illa gens seu natio, cui res ipsa promittitur. Sic dicitur lex vetus fore æterna, & testamentum vetus fore æternum; quia videlicet durabit semper, id est, toto illo tẽpore quo durabit populus Iudaicus & Ecclesia Iudaica: eodẽ modo dicitur regnum Salomonis fore æternum; quia sceptrum regni mansit in stirpe Salomonis toto eo tẽpore, quo mansit ipsum Iudææ regnum, ipseq; Iudæorum populus; qui si deficiat, aut pereat, aut dispergatur, quid mirum si regnum & rex eiusdem pariter concidat & pereat?

Regnum Salomonis propagatũ ad quatuor annorum centurias.

Æternum, hebraicè olam, id est absconditũ, variè accipitur in Scripturis.

Verùm allegoricè hæc plenius & integriùs conueniunt Christo: de Christo enim proprijssimè dicitur, *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Rursum Christi regnum, id est Ecclesia, absolutè & simpliciter est æterna. Vnde patet hæc de Salomone quidẽ ad litteram dici, sed ita vt allegoricè magis conueniant Christo, adeoq; propter Christum hæc de Salomone esse dicta, vt nimirum Salomon in hisce typum gereret regni Christi. Dices, Si hic locus allegoricè tantùm competit Christo, ergo Apostolus infirmo vtitur argumento, vtpote quod petitur ex sensu mystico & allegorico.

Christi regnum, id est Ecclesia, est æternum absolutè.

Respondeo, Argumentum ex sensu allegorico petitum æquè firmum est, atque petitum ex sensu litterali, si constet illum talis loci esse sensum allegoricum, sicuti hîc cõstat nam allegoria æquè, imò magis, intenta fuit à Spiritu sancto, quàm sensus litteralis Scripturæ. allegoria enim continet mysteria Christi & Ecclesiæ, quæ longè excellentiora & augustiora sunt gestis Dauidis, Salomonis, aliorumq; Iudæorum: quæ gesta ad litteram significãtur & enarrantur in historijs librorum Regum, & aliorum veteris testamenti, idque sciebant Iudæi, maximè ij qui ad Christum erant conuersi. Sciebant enim Salomonem fuisse typum Christi, & hæc de Salomone dicta esse non propter se, sed propter Christum, adeoque regnum Salomonis quietum, pacificum, diues & opulentum, figuram tantùm fuisse spiritualis opulentiæ, & æternæ felicitatis Christianis dandæ in regno Christi.

Sensus allegoricus, æquè & magis intentus à Sp. sancto, quàm litteralis Scriptura.

Congruè autem Apostolus Hebræis ob fidem Christi diuexatis & dispoliatis proponit hîc typum & exẽplum Salomonis. q.d. Persistite, ó Hebræi, in fide Christi, sufferte exilia, bonorum rapinam, plagas & verbera; mementote quomodo olim post cruentum Dauidis regnum, successerit quietum, diues, & bonis omnibus florens Salomonis regnum; scitote post hasce tribulationes tale successurum Christi regnum, regno Salomonis adumbratum, quod cumulatè non tantùm bona vobis adempta restituet, sed immensis cælestis gloriæ & opum thesauris vos locupletabit, & æternis gaudijs, bonorumque omnium copia donabit atque beabit.

Regnum pacificum & opulentũ Salomonis, typus regni Christi.

Eodem modo ex sensu allegorico illius loci Deut. 25. 4. *Non alligabis os boui trituranti*, probat Apostolus Apostolis & prædicatoribus non esse negandam alimoniam, 1. Cor. 9. 9. & Iohãnes c. 19. 36. probat ossa Christi in cruce non debuisse confringi, quia de agno paschali, qui typus erat Christi, scriptum est Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo.* & S. Matthæus c. 2. 15. probat oportuisse Christũ ire & redire in Ægyptum, quia Oseæ 11. 2. de populo Hebræorum, qui typus erat Christi, dicitur: *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Itaque non nouum, neque mirum est, si Apostolus hîc ex sensu allegorico argumentetur.

Valida est argumentatio ex sensu allegorico Scripturarum.

ET CVM ITERVM INTRODVCIT PRIMOGENITVM IN ORBEM TERRÆ, DICIT, ET ADORENT EVM OMNES ANGELI DEI] Syrus, Erasm. Vatabl. & Adamus putant esse metathesin & traiectionẽ in voce *iterum*: sic enim vertunt, *& iterum, cùm introducit primogenitum*, quasi *iterum* tantùm significet nouam citationem, & nouum testimonium Scripturæ sed hoc est, inuertere ordinem verborum sine necessitate, estque hæc traiectio satis dura & violenta. VERS. 6.

Hinc Secundò, alij sic exponunt, q.d. Christus futurus homo, & in carne nasciturus primò angelis in eorum creatione præpositus fuit, iussiq; sunt angeli à Deo Christum hominem futurum adorare per fidem. *Et iterum*, id est, secundò iussi sunt eumdem adorare, cùm reipsa fuit incarnatus & inductus in orbem. Verùm in creatione angelorum Christus homo non fuit inductus in orbem terræ, quod hîc dicit Apostolus; sed tantùm angelorum menti obiectus, quomodo Antichristus menti nostræ obijcitur, dum eum futurum cogitamus, de quo tamen necdum dici potest, quòd sit inductus in orbem.

Angeli in sua creatione an Christum iussi adorare.

Tertiò, S. Chrysost. Ambros. Theoph. Oecum. hîc, & Cyrill. l. de Fide ad reginas sic explicant, vt Christus qua Deus dicatur primò inductus in orbem per æternam generationem: cùm enim genitus fuit à Patre, statim omnia impleuit spatia hæc, in quibus postea orbis hic, id est, cælum & terra creata sunt. *Iterum* verò siue secundò dicatur hîc Christus inductus in orbem, per incarnationem, cùm eum peperit B. Virgo. Hæc expositio cæteris iam dictis aptior, non tamen aptissima est: loquitur enim Apostolus toto hoc discursu de Christo, non Deo, sed homine, eumq; vt hominem tam primò, quàm secundò in orbem inductum significat.

Quartò

Quartò ergo & aptissimè, primò inductus est Christus homo in orbem per incarnationem passibilis & mortalis; iterum verò siue secundò per resurrectionem à morte gloriosus & impassibilis inductus fuit. Vel potiùs iterum inducit, id est inducet, Deus Pater Christum in die iudicij tamquam iudicem, vt iudicet orbem: tuncque angeli omnes, qui primò eum adorauerunt in natiuitate, iterum siue secundò eumdem publicè adorabunt in gloria. Tunc enim Pater quasi inaugurabit Filium, eumque mittet reipsa in possessionem totius orbis terrarum: nam hic versiculus, vt mox dicam, sumptus est ex psal. 96. qui agit de extremo iudicio, & maiestate Christi iudicis.

DICIT. ET ADORENT EVM OMNES ANGELI DEI] Putant aliqui citare Paulum hîc Deut. 32. 43. iuxta versionem LXX. ita Theodor. Euthym. & Procopius in canticum Mosis, quod habetur Deut. 32. Verùm nihil tale ibi habet Hebræa & Latina. Vnde fortè in Septuag. hic versiculus ibidem aliunde irrepsit. Meliùs ergo alij passim censent hanc sententiam sumptam esse ex psal. 96. 8. vbi in Hebræo est וְהִשְׁתַּחֲווּ־לוֹ כָּל־אֱלֹהִים *vehistachauu lo col elohim.* quod S. Hieron. vertit, *& adorate eum omnes dij.* clariùs vertas, *& adorent eum omnes angeli. Elohim* enim non tantùm Deum, aut Deos, sed & angelos significat, vt patebit c. 2. v. 7. Verùm potiùs in Hebræo videtur excidisse vox מַלְאֲכֵי *malache*, id est angeli. Sic enim legendum videtur: וְהִשְׁתַּחֲווּ לוֹ כָּל מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים *vehistachauu lo col malache elohim*, id est, *& adorate eū omnes angeli Dei.* Sic enim vertunt LXX. & ex ijs Paulus hîc: nam illo versu ludit Psaltes in voce אֱלִילִים *elilim*, id est dij, siue idola & simulacra; & *Elohim*, id est Deus verus: opponit enim gloriantes in *elilim*, id est, idolis & simulacris (quos in die iudicij à Christo iudice confundi & pudefieri exoptat) hos inquam opponit angelis, qui adorant & gloriantur in *elohim*, id est Deo viuo & vero.

Nota, psal. 96. quem hîc citat Apostolus, describi, & quasi ad viuum depingi, tam iudicium extremum, quàm regnum & maiestatem Christi venientis ad iudicium cum nubibus, igne, terræmotu & fulminibus eum præcedentibus: vnde sic orditur, *Dominus regnauit*, id est, Messias siue Christus, olim in terra humilis, pauper, abiectus, mortiq; adiudicatus, iam verò post resurrectionem & ascensionem in cælo delitescens, in die iudicij toti mundo conspicuus & gloriosus apparebit; atque quasi rex in throno iudicij sedens regnabit: qua de causa *exultet terra, lætentur insulæ multæ*, omnes fideles & electi, totaq; Ecclesia lætetur & exultet. *Nubes & caligo in circuitu eius*, id est, Christus cū nube, & in nube fulgida & gloriosa considens peraget iudiciū. *Iustitia & iudicium correctio sedis eius.* Pro *correctio*, hebraicè est מְכוֹן *mechon* id est, rectitudo & firmitas, siue, vt S. Hieron. vertit, firmamentum throni eius est iustitia & æquitas. *Ignis* (conflagrationis mundi) *ante ipsum præcedet, illuxerunt fulgura eius* (cum tonitruis, quasi tubis, iudicis maiestatē præeuntia) *orbi terræ: montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra*, &c. cōcuti & fluere videbitur in hac commotione terræ, siue validissimo terræmotu, quæ ad tantam iudicis maiestatem quasi contremiscens tota moueri & è cētro suo conuelli videbitur. *Confundantur* (à Christo iudice condemnentur) *omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris* (hebraicè in *elilim*) *suis. Adorate eum omnes angeli eius, audiuit & lætata est Sion*, id est, Ecclesia sanctorum & electorum.

Ex adoratione angelorū, Christus colligitur præstantior angelis.

Ex adoratione ergo angelorum colligit Paulus Christum angelis esse præstantiorem, essēq; Deum ac Dei filium. Hinc patet Christum, qua homo (specificatiuè non reduplicatiuè) & iudex est, latria adorandum esse, æquè atq; Christus qua Deus est, ac consequenter in Eucharistia pari ratione Christum hominem præsentem latria colendum & adorandum esse; vti ex perpetuo Ecclesiæ vsu definit Conc. Trid. sess. 13. cap. 5. & can. 6. Hoc ergo loco, alijsque hoc cap. planè hæreseos conuincuntur Arriani. Dauid enim illo psal. 96. loquitur de vero Deo Israel, airque eum ab angelis adorari: atqui hîc est Filius, putà Christus, vti hîc explicat Paulus: ergo Christus est verus Deus Israel ab angelis adorandus.

VERS. 7.

ET AD ANGELOS (id est angelis: hoc enim sæpè significat Hebræum אֶל *el*, id est ad; capitur enim אֶל *el* pro עַל *al*, id est super, de) QVIDEM DICIT: QVI FACIT ANGELOS SVOS SPIRITVS, ET MINISTROS SVOS FLAMMAM IGNIS] Pro *ministros* Tertul. l. 2. contra Marcionem c. 8. legit *apparitores.* Citat Apostolus psal. 103. 4. vbi Hebræi & Caluinus, imò Vatabl. & Iansenius, per *spiritus*, intelligunt vētos; per *flammam ignis* fulgura: sicque explicant: qui *spiritus*, id est ventos, & *flammam ignis*, id est fulgura, *facit suos angelos*, id est, nuncios & ministros iræ, id est, vindictæ suæ. de ventis enim immediatè antè locutus fuerat Psaltes, dicens: *Qui ambulas super pennas ventorum.* Sed hic sensus repugnat versioni Septuaginta, & S. Paulo hîc, ipsaque verba inuertit, quia prædicatum, scilicet *spiritus*, facit subiectum, & subiectum, scilicet *angelos*, facit esse prædicatum. Nam τοὺς *angelos* esse subiectum, patet, tum ex ordine verborum, tum ex versione Septuaginta, qui illi quasi subiecto præfigunt articulum, dum vertunt, ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, id est, *qui facit angelos suos spiritus.* Vbi articulus τοὺς designat ἀγγέλους esse subiectū, & πνεύματα quod caret articulo, esse prædicatum. Sic v. seq. vbi dicitur, *virga æquitatis, virga regni tui*, ex articulo Græco τῆς βασιλείας patet, τὸ *virga regni*, esse subiectū, hunc que esse sensum: Virga, siue sceptrum, regni tui, est virga siue sceptrum æquitatis. Sic Iohan. 1. 1. vbi dicitur, *Deus erat Verbum, Verbum* est subiectum, quia habet articulum; *Deus* est prædicatum, quia caret articulo: sic enim græcè est, θεὸς ἦν ὁ λόγος. q. d. Ipsum Verbum erat Deus. Sic passim alibi subiectum denotatur articulo, quo prædicatum caret; cùm ergo angelis hîc addatur articulus, patet angelos hîc esse subiectum, non autem prædicatum. Repugnat quoque hic sensus S. Paulo: nam ipse hunc versum psalmi intelligit, non de ventis, sed de angelis: si enim de ventis intelligendus esset, nullo modo, neque litteraliter, neque allegoricè posset intelligi de angelis. Venti enim ad litteram non sunt angeli; neque allegoricè significant angelos, vt patet. Nec mirum est Psaltem à ventis salire ad angelos, quia illo psalm. 103. omnes creaturas ad Dei laudem & encomium, in medium adducit. & venti similitudinem quamdam habent cum angelis, ac symbolicè angelos repræsentant.

Per spiritus non intelliguntur vēti, sed angeli.

Articulus indicat subiectum, quod prædicatū caret in Græco.

Meliùs ergo Secundò, alij cum S. Gregorio homil. 34. in Euang. de angelis hunc versum explicāt hoc modo: qui, scilicet Deus, eos qui natura sunt

spiritus, facit angelos, id est, nuncios suos: sed hi quoque inuertunt ordinem verborum, & ipsum subiectum faciunt prædicatum. A

Genuinus sensus illius loci: qui facit angelos suos spiritus, &c.

Dico ergo Tertiò, Sensus planus & genuinus est hic: *Qui*, scilicet Deus, *facit angelos suos* veloces & subtiles, quasi spiritus, id est, quasi ventos. rursum eosdem angelos, qui sunt ministri sui, Deus facit esse quasi *flammam ignis*, id est, efficacissimæ & quasi igneæ naturæ. Vnde Chaldæus vertit, *qui facit nuncios suos veloces sicut spiritus, & ministros suos fortes sicut ignis.* Per hebraismum enim vsitatum intelligitur nota similitudinis, *sicut: spiritus* enim, id est sicuti spiritus, & *flammam ignis*, id est, sicut flammam ignis. Denique Maldon. in Notis manusc. sic explicat: *qui facit angelos suos spiritus*, &c. id est, qui vtitur angelorum suorum ministerio ad excitandos ventos, & emittenda fulmina.

Paulus hic ex Hebraïs illustratus.

Nota Primò. Per *spiritus* potest accipi spiritualis B natura: sic enim Deus, anima, & angeli dicũtur esse *spiritus*, id est, spiritualis naturæ; aptiùs tamen Hebræum רוחות *ruchot*, id est spiritus, hîc significat ventos. Sicut enim Psaltes angelos comparat flammæ, ita & ventis.

Nota Secundò. Pro *flammam ignis*, hebraicè est אש להט *es lohet*, id est, ignem flammantem & flagrantem, quomodo legit S. Augustin. &, vt Noster interpres vertit psal. 103. vrentem; LXX. ex editione Caraffæ vertunt, πῦρ φλέγον, id est, ignem ardẽtem; vel, vt alia, putà Regia, exemplaria habent, πυρὸς φλόγα, id est, *flammam ignis*; Aquila vertit, πῦρ λάβρον, id est, ignem impetuosum, vehementem, voracem; Symmachus, πυρίνην φλόγα, id est, *igneam flammam*; Romanum psalterium, *ignem lucentem.*

Angelorum vis, agilitas, actiuitas, subtilitas.

Quæ omnia significant angelos parem, imò longè maiorem habere agilitatẽ, ignitionem, feruorem, C vim penetrandi, actiuitatem, & acumen circa diuinum desiderium & ministerium; rursum maiorem, magisque sursum ferentem ab omni materiali substantia puritatem quàm habeat ignis & flamma, inquit Damascen. l. 2. de Fide c. 3. Sic & Theodor. & Euthym. Vide S. Dionys. de Cælesti hierarchia c. 15.

Apostoli sũt angeli, & spiritus, & ignis vrens.

Tropologicè, S. Aug. & Arnobius in psal. 103. *Angeli*, id est, legati & nuncij Dei, sunt Apostoli & viri Apostolici: hos fecit Christus esse *spiritus*, cũ dixit, *Accipite spiritum sanctũ. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Eosdẽ fecit esse ignem vrentem, cùm in Pẽtecoste misit in eos Spiritum sanctum in specie linguarum ignearum, qui cor & linguam eorum igniret. *Nisi enim ardeat minister prædicans, non accendit eum cui prædicat*, inquit S. Aug. tuncq; simul, vt habet Psaltes, *fundauit terram*, id est, terrenas hominum mentes, *in stabilitate* suæ gratiæ & charitatis. Hinc, vt inquit S. Hieron. ibidẽ, ideo Deus fecit angelos suos propriè dictos spiritus, vt scil. inspirent tum Apostolis, tum alijs hominibus facere Dei voluntatem, in eaq; perficienda esse agiles & expeditos. Sic eosdem angelos fecit esse quasi ignem vrentem, vt omnes homines amore diuino succendant & inflamment.

VERS. 8. AD FILIVM (de Filio, & simul ad ipsum Filium) AVTEM (supple, dicit Deus psalm. 44.) THRONVS TVVS DEVS IN SÆCVLVM SAECVLI, VIRGA AEQVITATIS, VIRGA REGNI TVI] Est antithesis. q. d. Deus de angelis loquitur quasi de ministris & nuncijs suis, de Filio verò loquitur quasi de Deo & Domino angelorum, rerumque omnium: ergo Christus longè angelos transcendit.

Nota. Dubitat hîc Erasmus, an ὁ Θεὸς *Deus* sit nominatiui casus, an vocatiui. *Incertum est*, inquit, *an hic sit sensus, O Deus, sedes tua est in sæculum sæculi: an hic, Ipse Deus est tibi thronus in sæculum sæculi.* Verùm certum est, ὁ Θεὸς *Deus* esse vocatiui casus: nam Aquila & Symmach. vertunt, ὦ Θεέ. Rursum ineptus & insulsus esset sensus, si caperetur in nominatiuo; quis enim erit sensus, si quis sic interpretetur? Sedes tua, ô Christe, est ipse Deus. Deus enim non est sedes, sed sedens in sede siue throno, & Christus non sedet in Patre, sed ad dexteram Patris. rursum deitas non est sedes humanitatis, sed potiùs è contrario, humanitas est sedes, imò scabellum deitatis. Certum ergo est hunc esse sensum: O Deus, id est ô Fili, qui es verus Deus, thronus tuus regius & diuinus æternus est, rex es æternus, regnum & solium habes æternum. *Insulsa Erasmi dubitatio circa hunc locũ.* *Sedes tua Deus in sæculum sæculi.*

Nota Secundò. Aliqui Rabbini cum Vatablo putant psal. 44. quem hîc citat Paulus, esse epithalamium Salomonis & filiæ Pharaonis, adeoque de Salomone dici, *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi*, id est, ait Vatabl. tu, ô Salomon, es Deus (hebraicè *elohim*) id est, princeps & gubernator populi Israëlitici, tuusque thronus, principatus, & regnum erit æternum, quia per posteros semper propagabitur. Sed hoc omnes alij, etiam doctiores Rabbini, refellunt: certum enim est ex ipsis psalmi verbis tam augustis, non esse epithalamium Salomonis, sed Christi & Ecclesiæ: nam regnum Salomonis absolutè non fuit æternum, quod tamẽ de regno Christi hîc asseritur. licet enim sæculum non semper absolutam æternitatẽ significet, eam tamẽ semper significat, cùm geminatur, id est, cùm dicitur In sæculum sæculi, vel, in sæcula sæculorũ, vel vthîc in Hebraico dicitur amplificationis causa, לעולם ועד *leolam vaed*, id est in æternum, & vltra. Rursum licet Hebraicum *elohim*, subinde principem & iudicem significat, tamen Græcum ὁ Θεὸς in singulari tantùm dicitur de Deo vno & vero. vnde sequitur hæc non posse Salomoni conuenire, sed tantùm Christo, eumque verè esse Deum. *Psalm. 44. non est epithalamiũ Salomonis & filiæ Pharaonis, sed Christi & Ecclesiæ.* *Sæculũ cùm geminatur, absolutam æternitatẽ significat.*

VIRGA AEQVITATIS, VIRGA REGNI TVI] *Virga*, id est sceptrum; hebraicè enim est שבט *scebet*: sceptrum enim regis olim erat virga seu baculus pastoralis. sicut enim pastores sua virga regunt & dirigunt oues, ita rex suo sceptro & potestate regia subditos quasi oues dirigere debet. Vnde Homerus regem Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, id est *pastorem populorum.* *Virga sceptrũ significat. & pastor principem.*

Secundò, pro *æquitatis*, hebraicè est מישר *miscor*, id est rectitudinis, iustitiæ, æquitatis.

Tertiò, *virga regni tui* hîc est subiectum: habet enim in Græco duplicẽ articulum, ἡ ῥάβδος τῆς βασιλείας σου: prædicatũ verò est, *virga æquitatis*, quod caret articulo. q. d. Virga, id est, sceptrum regni tui, ô Christe, æquissimum est. id est, regnum tuum rectitudine, iustitia, æquitate & sanctitate plenissimum est, rectissimè & æquissimè iudicas iustos promouens & præmians, impios verò puniens & condemnans; quod maximè patefacies in die iudicij. ita Euseb. Cyrill. Basil. in catena Græcorum ad psal 44. D

VERS. 9. DILEXISTI IVSTITIAM, ET ODISTI INIQVITATEM] Explicat hîc verbis clarioribus, quomodo *virga regni Christi sit virga æquitatis*, quia scilicet Christus in regimine suo diligit iustitiam & iustos, odit verò punitque iniquitatem & iniquos.

PRO-

PROPTEREA VNXIT TE DEVS DEVS TVVS, OLEO EXVLTATIONIS PRÆ PARTICIPIBVS TVIS] Nota. Repetit nomen *Deus* ad auxesim, dicens, *Deus, Deus tuus*, scilicet Deus Pater. videtur enim vtrobique Deus esse nominatiui casus, & ad Patrem pertinere. Potest tamen cum Eusebio l. 4. Demonst. c. 15. & D. Hieron. ad Principium, *Deus* priore loco accipi in vocatiuo casu, posteriore in nominatiuo. q.d. Vnxit te, ô Deus, id est ô Fili, Deus Pater. Sed prior sensus est planior. Christus enim qua homo, non qua Deus, vnctus est.

Deus Deus tuus auxesis.

Quæres, quodnam sit hoc *oleum exultationis*, quo vnctus est Christus? Respondeo Primò, esse oleum gratiæ, quæ lætificat animam.

Oleum exultationis, oleum gratiæ. Vnctio effectus.

Pro quo Nota, vngi à Deo oleo est participem fieri virtutis Dei omnia valentis, omnia bona præstantis, omnia penetrantis instar olei. Oleum enim lumẽ auget, fessos subleuat, labores lenit, hilares facit, nitidos & splendidos; idemq; præstat gratia & virtus diuina, inquit Eusebius loco citato. Hinc reges, Prophetæ & sacerdotes oleo vngebantur, vt significaretur eos Dei virtute imbui, hoc fine, vt eamdem in populum diffunderent, sicut oleum se diffundit, omniaq; penetrat & imbuit, indeq; Christi, id est vncti, sunt dicti. Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* & significat, id est: de more enim Psaltes posteriore hemistichio explicat prius; *tangere* enim *Christos* Dei non est aliud quàm *in Prophetis malignari*. Inde per excellentiam Redemptor noster dictus est hebraicè מָשִׁיחַ *Mascbiach*, siue Messias, græcè Χριστός, latinè Vnctus: vnde & punicè *messe* (ab Hebræo מָשַׁח *maschach*) significat vngere, ait S. Augustin. tractat. 15. in Iohan. Prophetæ itaque sunt Christi Dei, id est, vncti & imbuti à Deo dono prophetię. Nomen ergo Iesu est proprium huius hominis qui dicitur Iesus Christus, sicut meum nomen proprium est Cornelius: nomen verò Christi non est proprium, sed appellatiuum, et tq; nomen dignitatis & officij. Quare S. Petrus hoc oleum quo vnctus est Christus, explicans Act. 10. ait: *Vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute. Oleum* ergo hoc *exultationis* est Spiritus sanctus, & virtus diuina quæ animam mirè lætificat, per quam Christus homo vnctus est in summum regem, prophetam, sacerdotem, & iudicem omnium hominum, idque in primo incarnationis suæ instanti.

Deus tuus, quodo & quales.

Huius olei, vnctionis, & nominis Christi symbolum & portẽtum, quod contigit sub Christi natiuitatẽ, narrat Paulus Orosius l. 6. c. 17. & 19. *In diebus*, inquit, *illis* (Augusti Cæsaris) *fons olei largissimus de taberna meritoria per totũ diem fluxit. quo signo quid euidentius quàm in diebus Cæsaris toto orbe regnãtis futura Christi natiuitas declarata est? Christus enim lingua gentis, in qua & ex qua natus est, Vnctus interpretatur.*

In hoc sensu iã allato vox *propterea* non causam meritoriam, sed finalem significat; vnde hebraicè est עַל כֵּן *al ken*, id est, vt Aquila vertit, *super hoc*. q.d. Ad hunc finẽ vnxit te, ô Christe, Deus Pater oleo hoc exultationis, vt scilicet diligeres iustitiam, odires iniquitatem, itaq; haberes virgam & regnum æquitatis ac thronum perpetuum. ita D. Tho. & alij.

Respondeo Secundò, aptiùs & melius *oleum exultationis* hîc vocari oleũ, id est copiam & præstantiam, non gratiæ, sed gloriæ, quam per suam iustitiam & sanctitatẽ meritus & adeptus est Christus. q.d. Gloriam corporis & famæ, nominisq; tui celebritatem, vt ab omnibus agnoscaris & colaris, quasi saluator mundi, meruisti ô Christe, ex eo, quia scilicet dilexisti iustitiam; vtq; iustitiæ diuinæ satisfaceres, humiliasti te obediens factus vsque ad mortem crucis. ita S. Hieron. suprà. & Iansen. in psal. 44. Hunc sensum esse aptiorem & simpliciorem, patet Primò, quia agit tam Psaltes, quàm Paulus de throno regni; hunc enim adeptus est Christus, non in incarnatione, quando vnctus est oleo gratiæ, sed in resurrectione, quando vnctus est oleo gloriæ.

Secundò, quia oleum gloriæ propriè est *oleum exultationis*, quod accepit Christus propter meritum iustitiæ suæ. hoc enim propriè significat vox *propterea*.

PRÆ PARTICIPIBVS TVIS] Hebraicè מֵחֲבֵרֶיךָ *Socij, participes & amici Christi.*
B *miechabrecha*, id est præ socijs; &, vt Aquila vertit, *amicis tuis*. Socios & amicos Christi vocat Apostolos, omnesque Sanctos, qui vti filiationem & gratiam, ita & regnum & gloriam Christi à Christo ipso participant, dum ab eo in filios, imò in fratres adoptantur, ac regni sui cælestis heredes efficiuntur. Alludit Dauid ad suam vnctionem, qua præ fratribus suis omnibus, licet natu maioribus, & secundùm speciem & apparentiam magis idoneis, ipse licet omnium minimus, & in speciem abiectissimus, à Samuele electus & vnctus fuit in regem, 1. Reg. 16. 7. & seqq. Pari enim modo Christus pauper, ignobilis, & in speciem abiectus omnibus Prophetis, Patriarchis, Apostolis prælatus fuit, & præ omnibus ita vnctus oleo gratiæ & gloriæ, vt omnes ab eo oleum hoc accipere & participare debeant. Hinc à Christo vocamur Christiani, id est, ab vncto vncti. Hinc quoque gratia Christi nobis infusa vocantur vnctio, Iohan. 2. 27. Hac de causa dixit S. Iohan. cap. 3. v. 34. quòd Christus non *accepit spiritum ad mensuram*; vt scilicet omnibus hominibus tamquam socijs, consortibus & participibus suis, etiamsi illi infiniti forent, partem aliquam & mensuram immensi sui spiritus communicaret: fuit enim hic spiritus & gratia Christo quasi connaturalis, & quodammodo infinita. Vnde S. Basilius in catena Græcorum in psalm. 44. hunc versum sic explicat: *Dilexisti iustitiam præ participibus tuis. Cæteri*, inquit, *homines labore & exercitio bona faciunt, & à malo se auertunt; tibi verò ô Christe, insita est à natura* (ex vi vnionis humanæ cum Verbo) *ad bonum propensio, & à malo seiunctio atque auersio.*

Gratia infusa vocatur vnctio.

Hos omnes versus tam fusè ex psal. 44. citat Apostolus, vt animet Hebræos ad constantiam in fide Christi, & ad tolerantiam persecutionum. q.d. Tolerate viriliter aduersa quæque, ô Hebræi, quia Christus iudex æquissimus breui vos gloriæ suæ, regni & lætitiæ consortes efficiet: persecutores verò vestros æternis ignibus addicet. Nam, vt dixi, verius est Apostolum loqui de vnctione gloriæ, non gratiæ, licet illa hanc præsupponat.

ET, TV IN PRINCIPIO DOMINE TERRAM FVNDASTI] Citat psal. 101. quo sicuti ad litteram orat Psaltes, vt Sion & templum à Chaldæis exusta reædificentur; ita allegoricè & magis obsecrat, Ecclesiam veterem labantem, peccatis & miserijs obrutam à Christo liberatore instaurari, & in nouam, putà Christianam, ædificari & transformari, vt patet v. 14. 16. 23. Dicit ergo, *tu*, sc. ô Messia, *in principio*, hebr. לִפְנִים *lephanim*, id est iam antè, iam pridẽ, scili-

VERS. 10.

Litteralis sensus psalmi 101.

scilicet, à mundi & temporis exordio, *terram fundasti*. græcè ἐθεμελίωσας, id est, terræ fundamenta posuisti, hoc est, à primis fundamentis terram fecisti, & simul eam firmam & stabilem fundasti. A

VERS. 11. *Cæli quomodo peribunt, cùm sint æterni.*

OPERA MANVVM TVARVM (id est potentiæ tuæ, quam homo solet per manus ostendere, dum ijs agit & operatur) SVNT CAELI IPSI PERIBVNT] non quoad essentiam & formam externam & accidentalem, quia nimirum quasi vestimentum immutabuntur, vt sequitur.

TV AVTEM PERMANEBIS] idem, æternus & immutabilis. Noster legit Διαμένεις, per accentum circumflexum, id est permanebis. Hebraicè enim est futurum תַּעֲמֹד *taamod* : iam legunt per accentum acutum Διαμένεις, id est permanes.

ET OMNES (cæli) VT VESTIMENTVM VETERASCENT] suo motu & continua agitatione ac mutatione, quasi consenescent; vt videantur veterascere, sicut vestimentum nouum quod deteritur & veterascit. B

VERS. 21. ET VELVT AMICTVM MVTABIS EOS, ET MVTABVNTVR] Hebraicè תַּחֲלִיפֵם *tachaliphē*, id est, mutabis eos. Vnde in Græco legendum est ἀλλάξεις: Chrysost. tamen & alij legunt ἑλίξεις, id est, inuolues vel inuertes eos. sed eôdem redit sensus: vult enim dicere, quòd Christus saluator Sionis in die iudicij, vti homines beatos, ita & cælos à priori vanitate & seruitute alterationis & mutationis, cui post originale hominis peccatum subiecti fuerunt, liberabit (vt ait Apostolus Rom. 8. 21) eosq; inuertet & immutabit in nouam lucem, stabilitatem & gloriam, sicut solet vestis inuerti & immutari, dum exterior eius facies detrita inuertitur, fitq; interior, & interior facies fit exterior, ita vt vestis inuersa noua esse videatur. ita Chrysost. Theophyl. & alij. q.d. Apostolus: Ita pariter, ô Hebræi, Christus vos vestraque corpora, quæ iam pro fide Christi fame, siti, exilio vexantur, consumuntur & veterascunt, inuertet, facietque corpora splendida, gloriosa, immortalia in resurrectione. C

Cæli quomodo mutabuntur & innouabuntur post iudicij diē.

VERS. 13. AD QVEM AVTEM ANGELORVM DIXIT ALIQVANDO, SEDE A DEXTRIS MEIS] Citat Paulus psal. 109. quo Psaltes canit non Abrahæ, nec Dauidis, nec Ezechiæ, vt Iudæi volunt, sed Christi ante luciferum geniti regnum, quod per resurrectionem & ascensionem in cælo & in terra obtinuit, quoq; ex Sion, id est ex Ecclesia, quæ in Sione & in Ierusalē cœpit, regnare, & regnum Ecclesiæ suæ propagare in omnes gentes perrexit, & pergit, donec suos hostes, scilicet omnes impios, conterat in die iudicij. Dicit ergo Dauid: *Dixit Dominus*, scilicet Deus Pater, *Domino meo*, hebraicè לַאדֹנִי *ladoni*, in singulari, Christo scilicet, non tam Deo (sic enim in plurali dicēdum fuisset לַאדֹנָי *ladonai*) quàm homini, qui titulo tam vnionis hypostaticæ quàm redemptionis & saluationis, omnium hominum, ac consequenter meus, id est Dauidis, est dominus: Dixit inquam Christo, cum triumpho ascendenti in cœlum, *Sede à dextris meis*, id est, sede mihi proximus, consors esto honoris & regni mei, in summa mea gloria mecum regna. Vide de hac sessione dicta Coloss. 3. 1. D

Sēsus psalmi 109.

Christus est omniū Dominus, & quibus titulis.

QVOADVSQVE PONAM INIMICOS TVOS SCABELLVM PEDVM TVORVM] Id est, vsque ad finem sæculi, & iudicium generale, in quo omnes tam dæmones quàm tyrannos & homines impios, qui te, Christe, tuosque Christianos vexant hîc & lacessunt, planè tibi subijciam. Addit hoc Apostolus, vt meminerint Hebræi, si in fide Christi perstitant, se in die iudicij cum Christo suos persecutores iudicaturos, & quasi scabellum calcaturos & condemnaturos.

Nota. Vox *donec*, non significat Christum eousque, scilicet ad diem iudicij tantùm sessurum ad dexteram Dei, quasi postea non sit sessurus: imò verò potiùs contrarium innuit, scilicet quòd tunc Christus, vtpote planè de hostibus suis triumphās, pleniſsimè & pacatissimè sedere & regnare incipiet. Sic Matt. 1. 25. dicitur, quòd Ioseph non cognouit Mariam, donec peperit Christum, vbi *donec* significat, quid factum sit ante partum, non autem quid factum sit post partum: tantùm enim voluit Matthæus asserere rem miram & naturaliter incredibilem, scilicet, Christi conceptionem sine patre, eò quòd mater eius virum non cognouerit, *donec*, id est, vsque ad partum. ita S. Hieron. & alij contra Heluidium.

Particula donec quid antè factū sit indicat, non quid postea.

NONNE OMNES (angeli) SVNT ADMINISTRATORII SPIRITVS, IN MINISTERIVM MISSI PROPTER EOS QVI HEREDITATEM CAPIENT SALVTIS] Vox *nónne*, non tam interrogat, quàm planè asserit: interrogatione enim vtuntur Hebræi, quando rem magis stabilire & asseuerare volunt. q.d. Angeli non sedent ad dexteram Christi, vti Christus, quia ipsorum est ministrare Deo, & mitti ad salutem hominum procurandam, itaque subseruire Christo. VERS. 14.

Nota. Angeli non dicuntur hîc, nec dicēdi sunt ministri hominum, sed ministri & nuncij Dei ad homines, & propter hominum salutē. Vocat ergo hîc Paulus angelos Dei administratores, id est officiales, qui aulam Dei, id est mundum hunc, & res humanas pro Deo administrant; ita tamen vt in quauis sua administratione & missione à Deo nūquam recedant, sed semper eius visione fruantur, sintque beati. *Angeli eorum*, inquit Christus Matth. 18. *semper vident faciem Patris.*

Angeli ministri Dei.

Nota Secūdò. Pro *missi*, græcè est ἀποστελλόμενα, id est qui mittuntur, scilicet etiamnum & quotidie, non quasi omnes actu mittantur, cùm sint innumerabiles, sed quòd destinati & præstò sint ad Dei nutum, vt mittantur & eant, quandocumque & quocumque Deo placuerit.

Nota Tertiò, angelos mitti *propter eos qui hereditatem capient salutis*, id est, propter eos qui saluandi sunt, non quasi reprobi angelorum auxilio destituti sint, aut angeli non mittantur ad omnes omnino homines, etiam eos qui ob peccata sua damnādi sunt: contrarium enim constat ex communi Ecclesiæ sensu, quo sentit & docet, ad omnes omnino homines, adeoq; ad quemlibet reprobum, dum nascitur, à Deo destinari angelum Custodē. Sed quòd fructus ministerij angelorum maximè pareat & appareat in ijs qui salui fiunt, & quos angeli de facto ad salutem perducunt, quodque ministerium angelorum efficax non sit, & suum effectum, id est salutem, non sortiatur, nisi in ijs qui angelos audiendo, ijsque obediendo salui fiunt: in reprobis enim inefficax est omne angelorum ministerium, omnisque eorum labor & cura perditur. Rursum hisce verbis significatur finis & terminus ministerij angelorum esse hic, vt scilicet homines perducant ad salutem. Vltimum enim angelorum officium est, animas sanctas ducere in cælum.

Angeli mittuntur ad reprobos.

Angeli ducūt animas in cælum.

Ita anima Lazari ab angelis deportata est in cælum,

lum, Luc. 16. Ita S. Antonius, teste S. Hieron. vidit animam S. Pauli primi eremitæ ab angelis ferri in cælum. Sic animã S. Martini angeli tulerunt in cælum, vti vidit S. Seuerinus Episcopus Colonienſis. Sic apud S. Gregor. lib. 4. Dialog. 14. S. Seruulus in morte audiuit melodiam angelorum se ad cælum inuitantium. Et S. Romula moriente, ante ostium eius auditi sunt duo cælestes psallẽtium chori. Sic & S. Benedictus vidit animam Germani Episcopi Capuani, in sphæra ignea ab angelis ferri in cælum. Sic S. Magdalena quotidie septies ab angelis eleuabatur in cælum, audiebatq; eorum cælestẽ musicam: non dubium quin & in morte ab eisdem eleuata eamdem audierit. Sic & S. Catharinæ corpus ab angelis in Sina, anima in cælum translata est. Sic angeli S. Agathæ non tantùm animã, sed & corpus curarunt: post martyrium enim hoc ei epitaphium posuerunt: *Mentem sanctam & spontaneam, Deo honorem & patriæ liberationem.*

Quare meritò S. Bernard. serm. 11. in psalm. *Qui habitat: Angelo*, inquit, *nostro debemus reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, vt scilicet, cui adsunt angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus vijs tuis, in quouis diuersorio, in quouis angulo, angelo tuo reuerentiam habe: túne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes?* Idem serm. 2. in Vigilia Natiuit. Domin. *Quantum putatis desiderant ciues cælestes instaurari ciuitatis suæ ruinas? Quomodo discurrunt medij inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros, & ipsius nobis gratiam deuotissimè reportantes? Planè non dedignabuntur vt simus eorum socij, quorũ facti sunt iam ministri. Nónne enim omnes administratorij sunt spiritus? &c. Festinemus obsecro, dilectissimi, festinemus, tota nos multitudo curiæ cælestis exspectat. Exultare angelos fecimus, quando conuersi sumus ad pœnitentiam: proficiamus & festinemus complere de nobis eorum lætitiam. Va tibi quicumque es qui deliberas redire ad lutum, reuerti ad vomitum. Putasne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam sperato priuare vis gaudio?*

Quæritur hîc, an omnes omnino angeli mittantur à Deo in ministerium? Negat S. Dionys. Cælestis hierarch. c. 8. & 13. & ex eo Gregor. hom. 34. in Euang. Anselm. hîc. D. Th. 1. p. q. 112. a. 4. Hi enim docent angelos alios esse assistẽtes, qui scilicet semper Deo assistunt & numquam mittuntur, & tales esse quatuor supremos ordines, scilicet Seraphim, Cherubim, Thronos & Dominationes. Alios esse ministrantes, qui sc. mittuntur ad omne ministeriũ, & tales esse reliquos quinq; ordines inferiores. Probat hoc S. Dionys. ex Daniel. 7. vbi dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Ecce hîc distinguit Daniel angelos assistẽtes à ministrantibus, dicitq; illos his longè esse plures, scilicet ministrantes esse aliquot milliones, mille enim millia est millio; assistẽtes verò esse decies millies centena millia, quæ efficiunt mille milliones: millio enim sunt decies centena millia.

Secundò, quia hoc exigit rectus ordo naturæ & gratiæ, vt angeli superiores illuminent inferiores, inferiores verò exequantur id quod per superiorum illuminationem Deum velle fieri didicerunt.

Verùm probabilior est contraria sententia, scilicet omnes omnino angelos à Deo mitti: id enim clarè hîc dicit Apostolus. Respondet D. Tho. dupliciter, Primò, Apostolum non loqui de omnibus omnino angelis, sed ijs tantùm qui Hebræis legem dederant; ijs enim præfert Christum, vt probet legem Christi præstantiorẽ esse lege veteri. Sed hoc non satisfacit. dubium enim est ex quo ordine fuerit angelus, qui dedit legem Hebræis: imò multi etiam Catholici censent eum non fuisse ex ordine Angelorum, sed fuisse ex ordine Seraphim, scilicet fuisse Michaelem: hic enim est Hebræorum princeps, vt dicitur Daniel. 10. v. vlt. *Si Michael, qui summus est ex assistentibus, mittitur, ergo omnes alij eo inferiores mittuntur.*

Secundò, Apostolus probat hîc Christum esse Deum, ex eo quòd omnibus omnino angelis sit superior, quodque ab omnibus angelis adorandus sit: ergo angelos omnes, etiam Cherubim & Seraphim, hoc loco intelligit.

Tertiò, quia pari modo Apostolus Ephes. 1. 21. & Coloss. 1. 13. Christum præfert omnibus omnino angelis, etiam Thronis & Dominationibus.

Omnes angeli nõ tantùm interiùs, sed etiã exteriùs mittuntur.

Respondet Secundò, S. Thomas, omnes omnino angelos mitti, sed assistentes interiùs tantùm, vt scilicet illuminent inferiores; ministrantes verò mitti exteriùs, vt iussa exequantur. Sed & hoc subtiliùs, quàm solidiùs dicitur: nam mitti in ministerium, absolutè est mitti exteriùs ad exequendam Dei voluntatem.

Seraphim missus est Isaiæ 6.

Secũdò, quia Isaiæ 6 dicitur vnus de Seraphim, qui supremus est ordo, missus ad Isaiam. Respondet S. Dionys. illum ex inferiori angelorum ordine fuisse, dici tamen Seraphim, vel quia ab aliquo Seraphim erat missus, vel ratione officij, quia scilicet mittebatur vt ignito calculo vreret labia Isaiæ, eiusque peccata consumeret. Sed cùm nihil cogat nos recedere à proprietate verborum, videtur hîc verus Seraphim accipiendus æquè vt alibi accipiuntur veri Angeli, veri Throni & Dominationes: præsertim cùm nusquam alibi in Scriptura reperiantur & nominentur Seraphim. Si enim nullus Seraph volauit ad Isaiam, sed alium inferiorem misit qui volaret: quomodo ipsemet Seraph manens in cælo, volasse ad Isaiam dici potuit? Quare propriè per Seraphim intelligunt angelum ordinis Seraphini S. Cyril. Basil. Hieron. Chrysost. Procop. & alij in Isaiæ c. 6.

Genes. 3. missus est Cherubim.

Tertiò, Gen. 3. 24. missus est Cherubim, qui secundi est ordinis, ad custodiendum paradisum.

Istẽ Michael missus est Dan. 10.

Quartò, quia Daniel. 10. v. 13. & 21. missus fuit Michael, quem multi docent esse primum angelorum & custodem Ecclesiæ, vti olim fuit Synagogæ: vnde Ecclesia vocat eum primatem cælestis exercitus.

Quintò, quia Matt. 25. 31. omnes angeli venturi dicuntur cum Filio hominis ad iudicium, videlicet ministerij causa, sicut & valdè probabile est Christo in cælũ ascẽdenti omnes angelos honoris causã occurrisse. Deniq; si ipse Dei filius non per angelos, sed per se à Patre missus est legatus ad homines; quid nî per se mittantur & Seraphini?

Idem sunt angeli assistentes & ministri inter.

Ad S. Dionysium respondeo, eum non asserere suam sententiam, sed tantùm, vt probabilem proponere (idem facit S. Gregor. qui fatetur hac in re nihil certò dici posse) fundamentum verò illius non vrget. Nam multi negant Daniel. 7. distingui angelos assistentes à ministrantibus, dicentes eosdem esse ministrantes & assistentes; sed copiæ causa à Daniele eosdem nunc assistentes, mox ministrantes vocari. Nam Apoc. 7. v. 11. & 3. Reg. vlt. v. 19. omnes omnino angeli stare siue assistere dicuntur coram Deo: vnde & Ecclesia orat dicens, *Da Domine, vt à quibus tibi ministrantibus in cælo semper assisti-*

assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. quod sumptum videtur ex Matth. 18. vbi dicitur, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Sed esto, distinguat eos Daniel, inde tamen non sequitur assistentes numquam mitti: dicuntur enim assistentes quòd rarius mittantur, & ferè semper Deo assistant. Id patet: nam eodem cap. Daniel ait se accessisse ad vnum ex assistentibus, & ab eo edoctum esse interpretationē sermonum. Raphael quoque, qui missus fuit ad Tobiam, dicit se esse *vnum ex septem qui astant ante Deum*, Tobiæ 12. 15. Sic & Gabriel missus ad Zachariam: *Ego*, inquit, *sum Gabriel qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te*, Luc. 1. 19.

Assistentes varius mittuntur.

Raphael & Gabriel missi.

Ad secundam obiectionem Respondeo, illum esse communem diuinæ prouidentiæ ordinem, vt sua decreta reuelet superioribus angelis, qui ea significent inferioribus, vt ipsi illa exequantur. Cuius rei exempla sunt Zachar. 2. 3. Daniel. 8. 16. Apoc. 7. 2.

Deus illuminat inferiores angelos per superiores.

Verùm hoc non obstat, quin Deus iustas ob causas sibi notas, subinde hunc ordinem mutet, & aliquem è superioribus mittat, qui per se iussa Dei exequatur, vti iam vidimus Seraphim missum esse ad Isaiam, Cherubim ad paradisum, Michaelem ad Danielem, & ad Iudæos. Superiores ergo, siue assistentes angeli, rarius quidem, sed aliquando tamen mittuntur. *Omnes enim sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Vbi Nota 1. *omnes*, non significare quòd omnes omnino aliquando mittantur, sed quòd de singulis ordinibus (esto de supremis rarò) aliqui subinde mittantur. Est enim hîc in voce *omnes*, distributio non pro singulis generum, seu ordinum, sed pro generibus singulorum. q. d. Omnes angeli sunt administri Dei, eiusque Missi, id est Legati; quia assistunt Deo parati ad omne ministerium: reipsa verò *omnes* sunt in ministerium missi. *omnes*, id est ex omnibus ordinibus aliqui. ita Molina 1. p. q. 112.

Moraliter S. Chrysost. hîc ex hoc angelorū ministerio, docet zelum animarū & studium conuertendi & saluandi homines, esse opus non humanū, sed angelicum. *Hoc*, inquit, *est angelicæ functionis officium, ad salutem hominum ministerium Deo persoluere. Proinde hoc est opus angelicum omnia facere pro salute proximorum, magis autem hoc est opus Christi.*

Locus moralis de zelo animarum.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Hebræos, vt Christum Christiq; legem studiosè obseruent.
Primò, ex eo, ne, si tantam negligant salutem, grauiter à Deo puniantur.
Secundò, quòd lex Christi confirmata sit multis miraculis, & donis Spiritus sancti.
Tertiò, quòd non angelis, sed Christo subiecerit orbem terræ futurum.
Deinde v. 10. ad finem, multis docet, decuisse Christum pati & mori, itaq; fratribus per omnia assimilari & compati, idq; hoc fine, vt ab Hebræorum mentibus tollat scandalum crucis Christi.

1. PRopterea abundantiùs oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. 2. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: 3. quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, 4. contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. 5. Non enim angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. 6. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? 7. Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. 9. Eum autem, qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. 10. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. 11. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: 12. Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. 13. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. 14. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum: 15. & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. 16. Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. 17. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. 18. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

PRO-

Vers. 1.

PROPTEREA ABVNDANTIVS (id est magis, diligentiùs & vehementiùs) OPORTET OBSERVARE (græcè προσέχειν, id est attendere, & mentem applicare) NOS EA QVAE AVDIVIMVS, NE FORTE PEREFFLVAMVS] Ostensa dignitate & præcellentia Christi, nunc hortatur & vrget Apostolus Hebræos, vt Christi doctrinam & legem attentiùs quàm antè tota mente excipiant. quasi dicat, Hactenus, ó Hebræi, Christiani quidem fuistis, sed Mosi adhuc plus æquo addicti, Christum non tanti vti par erat, fecistis, & ægrè à lege Mosis vos abduci permisistis: idque quia non satis considerastis quis sit Moses famulus scilicet; & quis sit Christus, scilicet Deus & Dominus omnium hominum & angelorum: iam verò postquam diuinitatem & præeminentiam Christi cap. 1. vobis clarè probaui & repræsentaui, agite, aduertite, quis & quàtus sit Christus, magisque & studiosiùs quàm antè ijs quæ audiuistis à Christo & Apostolis Christi, intendite, vt Mosis & legis veteris memoriam & amorem planè ex animo vestro euellatis, totosque vos applicetis legi Christi cognoscendæ & perficiendæ, ac pro ea bonorum spoliationem, omnemque persecutionem læto & constanti animo perferatis.

Sensus Apostoli hoc agite, ab-discere Hebræos à Mosi ad Christum.

NE FORTE PEREFFLVAMVS] Hoc est, ne instar perfluentis chartæ, quæ non retinet characteres, auditam doctrinam non retineamus, sed eam diffluere sinamus. Secundò & meliùs, q.d. Ne velut vasa rimarum plena, sermonem Christi auditum quasi diuini verbi suauissimum balsamum, memoria & mente non contineamus, sed irrecuperabiliter eum effluere sinamus. Est metaphora à vasis, quæ cùm rimosa sunt, aquam aut liquorem alium non retinent, sed effluere sinunt, ita vt ampliùs colligi non possit. iuxta illud Eccli. 21. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.* Sic Terentianus ille Parmeno: *Plenus*, inquit, *rimarum sum, hac illacq; perfluo.* vnde nonnulli putant hîc legendum non *pereffluamus*, sed *perfluamus*. Verùm *pereffluamus* habent omnia exemplaria, idque significantius est quàm *perfluamus*. Duo enim significat; primum, aquam è vase, & sermonem è mente perfluere & elabi. Secundò, aquam è vase, sermonem è mente lapsum dilabi diffluere & perire, vt ampliùs recipi non possit. Vnde S. Chrysost. Theophyl. Oecum. & Syrus sic explicant: *ne effluamus* vel *pereffluamus*, id est, inquiunt, ne excidamus à via salutis, & pereamus. Notat Chrysost. hanc phrasim sumptam esse ex Prouerb. 3. 21. vbi LXX. habent μὴ παραῤῥυῇς, id est, fili ne effluas, pro quo Hebræa, & Noster interpres legunt, *Fili ne effluant hæc* (sapientiæ monita) *ab oculis tuis.*

Metaphora sumpta à vasis rimosis.

Tertiò, Barradius tom. 3. li. 1. c. 23. sic explicat: *ne fortè pereffluamus*, hoc est, ne fortè negligentes, & minimè attenti mente, in alia negotia, vel in cupiditates effluamus & distrahamur, ne fortè attentionem in res alias, non in verba Dei, negligenter effundamus. Sicut enim vas perefluit, cùm aquam quam continet effundit: sic auditor perefluit, cùm attentionem ex mente effundit, auditque negligenter. Verùm secundus sensus vti simplicior, ita germanior est.

Vers. 2. 3. SI ENIM QVI PER ANGELOS DICTVS EST SERMO, (id est, quæ per angelos dictata est lex Exodi 19. & 20.) FACTVS EST FIRMVS, &c. QVOMODO NOS EFFVGIEMVS, SI TANTAM NEGLEXERIMVS SALVTEM?]

A q.d. Si lex vetus per angelos data in Sina facta est firma, id est, confirmata à Deo fuit fulguribus, terræmotu, fumo, tonitruis, Exodi 19. & maximè terribili præuaricantium vindicta; si, inquam, legis præuaricatores tantopere puniti sunt. v. g. cùm adorarunt vitulum, Exodi 32. 28. cùm fornicati sunt cum filiabus Moab, Num. 25. v. 4. & 9. cùm sabbatum violarũt, Num. 15. 35. & aliàs sæpè cùm contra Dominum, Mosem & Aaronem murmurarunt; quomodo & quanto grauiùs nos Christiani puniemur, si negligamus salutem, id est Euangelium, quod animæ salutem affert, quod non angeli, sed ipse Christus Dei Filius enarrauit & sanxit, quodque Apostoli tot signis & miraculis confirmarunt, vt sequitur.

Lex vetus ab angelis data, & eius præuaricatores puniti.

Vers. 3. QVAE (scilicet salus, id est, salutis Euangelium & annunciatio) CVM INITIVM ACCEPISSET ENARRARI PER DOMINVM (Christum) AB EIS QVI AVDIERVNT (id est, ab Apostolis) IN NOS (id est, vsque ad nostra hæc tempora) CONFIRMATA EST, Vers. 4. CONTESTANTE DEO SIGNIS ET PORTENTIS, ET VARIIS VIRTVTIBVS (id est, potentibus miraculis) ET SPIRITVS SANCTI DISTRIBVTIONIBVS) id est donis linguarum, prophetiæ & alijs quæ Spiritus sanctus cuique distribuit) SECVNDVM SVAM VOLVNTATEM] Hinc Caluinus, Beza, imò & Caietan. probare conantur hanc epistolam non esse S. Pauli, quia, inquiunt, Paulus Galat. 1. ait se à nullo homine didicisse fidem & Euangelium, sed à solo Deo; hîc autem significat se ab Apostolis in fide edoctum aut certè cõfirmatum esse.

Error Caluini, Bezæ, & Caietani.

Respondeo, Non dicit hîc Apostolus, se ab Apostolis in fide confirmatum esse, sed ipsum Euangelium, id est, legem & dogmata Christi à Deo confirmata esse multis miraculis, idque sæpiùs & continuè ad sua vsque tempora. Non ergo aliud dicit hîc Apostolus quàm quod Marcus c. vlt. cùm ait: *Illi* (Apostoli) *autem profecti prædicauerũt vbique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Hæc autem signa paulò antè explicauit ibidem Christus dicens: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

Nota. *Signa*, *portenta*, & *virtutes* reipsa idem sunt, sed tantùm connotato distinguuntur. miracula enim dicuntur *signa*, quia indicia sunt veritatis & doctrinæ, verique prophetæ & doctoris: eadem dicuntur *portenta*, id est, prodigia, quia tam naturæ vim, vsum & cursum, quàm hominum scientiam & opinionem superant. vnde ea suspiciunt & admirantur homines, quasi noua, insolita, transcendentia & diuina. Eadem denique dicuntur *virtutes*, quia sunt opera virtutis & omnipotentiæ Dei.

Miracula, signa, portenta, virtutes quomodo differant.

Vers. 5. NON ENIM ANGELIS SVBIECIT DEVS ORBEM TERRAE FVTVRVM] q.d. Christo est auscultandum & parendum, non angelis; quia non angeli, sed Christus orbis est dominus & iudex.

Quæres, quis hîc vocetur *orbis terræ futurus*? Respondet Primò, S. Chrysost. esse mundum hunc qui tunc erat futurus, cùm Filius Dei erat in sua æternitate, destinatusque & decretus erat à Patre mundi dominus.

Orbis terræ futurus est Ecclesia Christianorum, ait Ribera.

Secundò, Franc. Ribera intelligit Ecclesiam Christi, quæ erat futura cùm Filius ageret apud Patrem, decerneretur que parens & caput Eccle-

Cornel. in Epist. Pauli.

siæ per suam incarnationem futuræ & nascituræ. Hanc enim dici putat orbem futurum, quia in ea futuri erant noui homines, noua respublica, noua lex, nouus rex, noua Sacramenta, nouum regnum Christi, non temporale, sed spirituale per fidem & gratiam, quibus inchoamus regnum cæleste, beatum & æternum. q. d. Apostolus. Vos ô Hebræi, estis initium huius orbis futuri, & huius nouæ sæculi Christiani, quod non angelis, sed Christo subiecit Deus: quare non Mosi, non legi veteri, sed Christo eiusque nouæ legi parere, eamq; constanter retinere debetis, cùm non Mosi, imò nec angelis, sed Christo Deus vos atque omnes homines subiecerit. Sed valdè impropriè & obscurè Ecclesia vocatur *orbis terræ futurus*, nec vsquam in Scriptura ita nominatur.

Orbis futurus post generale iudicium erit in gloria cælesti.

Itaque Tertiò, planissimè & aptissimè, Theodor. S. Thom. & Lyran. accipiunt orbem futurum post resurrectionem & iudicium generale, quem Deus Pater in suo decreto & prædestinatione subiecit, & actu reipsa subijciet Christo in fine mundi: tunc enim Christus victis planè omnibus suis hostibus, plenissimo triumpho, imperio & dominio, cum suis Sanctis in hoc orbe regnabit. id patet ex v. 8. vbi cùm Paulus citasset illud psalmi, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, subdit, *Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.* q. d. Sed videbimus omnia Christo subiecta in orbe futuro, post resurrectionem: passim enim Hebræos ad constantiam in fide & tolerantiam persecutionũ excitat hic Paulus, per spem beatitudinis & gloriæ cælestis, futuræque resurrectionis, & innouationis mundi, rerumque omnium. hinc Isaiæ 9. 6. Christus vocatur *pater futuri sæculi*, id est, Dominus Beatorum & totius mundi in resurrectione renouandi. Hinc etiam Isaiæ 65. 17. in futuro hoc orbe & sæculo dicitur creandus esse nouus mundus, noui cæli, noua terra.

Dices. Quomodo de hoc orbe addit Apostolus dicens, *De quo loquimur*? Hactenus enim non egit de resurrectione, & futuro post eam orbe.

Respond. Apostolum de resurrectione, & nouo orbe in ea futuro egisse cap. 1. v. 12. cùm ait, *Et velut amictum mutabis eos* (scilicet cælos in resurrectione) & v. 6. vbi ait: *Et cùm iterum* (putà in resurrectione) *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei.* Ecce ad hæc verba alludit Apostolus hic: & hic est orbis terræ futurus. Felix, qui hunc orbem futurum semper mente versat, ad eumque se componit.

VERS. 6. TESTATVS EST AVTEM IN QVODAM LOCO QVIS, DICENS] Ex testimonio Dauidis psalm. 8. probat id, quod dixit; scilicet orbem terræ futurum, Christo esse subiectum,

Nota. De Dauide dicit, *quis*, id est, quidam, non per contemptum, sed quia loquitur Hebræis, ait Chrysost. qui in Scripturis & in psalmis erant versatissimi & peritissimi. q. d. Ille quem nostis, & quotidie legitis ac teritis, scilicet Dauid, dicit:

Psalmi 8. sensus & argumentum.

QVID EST HOMO QVOD MEMOR ES EIVS] Nota. Psal. 8. celebrat Psaltes Dei creatoris magnitudinem, & beneficentiam, ex tot & tam miris eius creaturis, ac præsertim ex homine, quem omnium quasi regem & dominum constituit. Id ita esse docet Nazianz. Theodor. Euseb. Apollinar. in catena Græcorum in psalm. 8. & patet ex ipsis psalmi verbis, *Quoniam*, inquit, *videbo cælos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti; quid est homo quòd memor es eius? Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris.* Quis non videt hic describi dominium hominis in pecora & alia animalia, datum homini à Deo in prima sui creatione? quis non videt hisce verbis alludere Psaltem, imò citare verba Dei Genes. 1. v. 26. quibus ait? *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq; terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.*

Hominis dominium in cæteras creaturas.

Dices, Si hic psalmus canit excellentiam creaturarum, ac præsertim hominis cuiuslibet, ergo malè Paulus illum appropriat Christo homini.

Respondeo, nego consequentiam. Pro quo Nota, Scripturam admittere plures sensus litterales, præsertim cùm vnus alteri subordinatus est, cumque vnus in altero quasi species in suo genere, aut indiuiduum in sua specie continetur & eminet. Tunc enim non tam duo, quàm vnus è duobus conflatus perfectusque est sensus. Psaltes ergo psal. 8. celebrat Dei magnificentiam, ex tot tantisque Dei creaturis, maximè hominibus: sed quia inter has creaturas & homines nobilissimus est & eminet Christus; hinc Christo præ cæteris non tantùm allegoricè, sed & litteraliter appropriatur hic psalmus, vt patet ex hoc loco Pauli, & ex Matth. 21. 16. & ex 1. Corinth. 15. 26. Simile est Deuter. 18. 15. vbi dicitur: *Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus, ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb.* Primò enim per Prophetam hunc intelligit quoslibet veros Prophetas, putà Isaiam, Ieremiam, Oseam, & alios. Secundò, per *Prophetam* propriè intelligit Christum, vt patet Actor. 3. v. 22. & cap. 7. v. 37. vide dicta Deuter. 18. vers. 15.

Vna Scriptura admittit plures sensus.

Locus Deut. 18. explicatus.

Christus est Propheta singularis.

Sic & hoc psal. 8. canit Psaltes magnificentiam Dei in genere ex creatione omnium rerum & hominum, sed maximè Christi, qui caput & vertex est omnium creaturarum & hominum, quique omnium admirandorum ac creatorum nodus est, compẽdium & speculum; vnde hebraicè hic psalmus inscribitur תִּתִּית לַמְנַצֵּחַ *lamnatseach*, id est, vt vertit Aquila, Theodotion & V. editio, *victori*, scilicet mortis & diaboli Christo. LXX. vertunt, *in finem*, id est, in Christum, qui finis est peccati & mortis, regnumque Satanæ finiuit & aboleuit. Rursum plenum dominium in pisces, volucres & feras, de quo agit Psaltes v. 8. & 9. soli Christo iam competit: homo enim Deo rebellis, & in peccatum lapsus perdidit hoc perfectum dominium in bestias. Celebrat ergo Psaltes hoc psal 8. exaltationẽ hominis & humanitatis nostræ factam in Christo, & per Christum, tamquam naturæ nostræ ducem, principem & reparatorem. ita S. Chrysost. Theodor. Hieron. Theophyl. & alij, vel hic vel in psal. 8. In Christo enim maximè resplendet Dei gloria & magnificentia, tum quia Christus vnus inter omnes homines innocentiam & integritatem primæuæ creationis humanæ, ac consequenter dominium plenum in omnia animalia retinuit; tum quia in Christo & per Christum, inquit Chrysost. *Mors victa est, dæmones vincti, cæli aperti sunt, Spiritus sanctus missus est, serui liberi facti sunt, inimici filij, & homines angeli effecti sunt, imò Deus homo factus est, & homo factus est Deus.*

Psalm 8. hebraicè inscribitur Christo.

Christi dominium in omnia animalia.

Christus est omnium admirandorũ compendiũ, ac omnium Dominus.

QVID EST HOMO QVOD MEMOR ES EIVS?] Pendet

Pendet hic versus à præcedenti in psalm.8. qui sic habet: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti.* deinde mox sequitur, *Quid est homo quòd memor es eius?* quasi dicat, Cùm tuorum cælorum ac stellarum, ô Domine, amplitudinem, motum, pulchritudinem, ac multitudinem & ordinem contemplor, hæcque omnia seruire homini, essèque locum eius beatitudini præparatum cogito & meditor, admirabundus exclamo, Quid est, quantula res est homo, quòd ita visitas eum? quanta est tua, ô Domine, dignatio, qua homuncionis ita es memor, ita eum curas, & præuenis tua beneuolentia, totque beneficijs? præsertim quòd in Christo, & per Christum ipsum ita euexeris, & euehas in dies in cælum vsque.

Deus ergo eius cura & munificentia magnifica.

Homo hebraicè dicitur enos, id est, miser, afflictus & desperatus.

Nota. Pro *homo*, hebraicè est אֱנוֹשׁ *enos*, id est, miser, fragilis, infirmus, ærumnosus: sicut enim homo dicitur *adam*, ratione materiæ, quia ex *adama*, id est terra, formatus est *Adam*, quasi homo ab humo; & sicuti idem homo ratione animæ dicitur אִישׁ *isch*, quasi אֵשׁ id est, ignis; nam vt ait Poëta: *Igneus est illis* (animabus) *vigor & cælestis origo*; ita homo post lapsum in peccatum & ærumnas, dicitur *enos*, quasi אָנוּשׁ *anus*, id est, desperatæ salutis, & certæ morti destinatus. Secundò, *enos* hîc alludit ad radicem נָשָׁה *nasa*, id est, obliuiscì, vt littera א, in *enos*, non sit radicalis, sed heemantica: sicque *enos* idem est. quod obliuiosus, vel obliuioni tradendus. q.d. Quis est ille *enos*, id est, obliuiscens homo & stupidus, qui tam tui ô Domine, quàm suæ salutis obliuiscitur, vt eius recorderis? quis est *enos*, id est, ille ærumnosus, desperatus, memoria indignus, imò morti & obliuioni breui tradendus, vt tu Domine eius recordari digneris itaque recordari, vt eum lapsum erigere, adeoque Christo Deo vnire, & per Christum saluare & glorificare cogites & destines? ita Origen. & Hesych. in psal. 8.

Enos ergo dicitur homo infirmus & incurabilis, ac si solus homo sit inter omnes creaturas incurabilis: qui à nemine nisi à solo Deo curari possit, quique salutem & bona sua omnia, ab vno Deo expectare debeat; ac proinde qui, si sapit, in Deo bona se spe sustineat, in eoque totus securè sine sui suarumque rerum cura recumbat, oportet; inquit Philo lib. de Abrahamo.

Psal. 8. MINVISTI EVM PAVLO MINVS AB ANGELIS] Hebræum חִסַּרְתּוֹ *hecheser*, & Græcum ἠλαττώσας significat ita quempiam minui, vt ex maiori gradu, honore, aut opulentia & statu ad minorem descendat. Sic enim Christus, cùm esset Deus summus & ditissimus, propter nos factus est puer paruulus & pauperrimus; itaque à summo deitatis ad imum humanitatis nostræ descendit, & capite quasi minutus est.

Pro paulò minùs.

Secundò, pro *paulò minùs*, græcè est βραχύ τι, quod respondet Hebræo מְעַט *meat*, id est, parum, & denotat paruitatem tam temporis quàm quantitatis. Vnde aliqui cum Syro vertunt, *paulisper* vel *paruo tempore*; alij & potius vertunt, *parua quantitate*, distantia & interuallo, siue parua in re. Vterque sensus huic loco congruit: homo enim paruo interuallo, scilicet corpore mortali & passibili, distat ab angelo; detrahe homini corpus, homo erit angelus. Rursum *paulisper*, scilicet tempore huius breuis & mortalis vitæ, homo minor est angelis: nam in resurrectione Beati omnes in gloria pares

Cornel. in Epist. Pauli.

A & similes erunt angelis Dei, Luc. 20. 36. Hæc veriora sunt in homine Christo. Nam natura humana in Christo in parua re, & paruo tempore minor fuit angelis, quia in hac vita ac præsertim in morte & cruce, vt notat Apostolus v. 9. habuit corpus mortale & passibile, cùm angeli sint immortales & glorioli. Hinc in passione humiliatus fuit, afflictus, & tortus valdè; adeò vt diceret, *Ego sum vermis & non homo*: sed ita, vt in omni passione tam animi constantiam, quàm personæ dignitatem retinuerit, eamque per terræ motum, eclipsim solis, tenebras, aliaque miracula ostenderit. Rursum Christus mortuus quidem & sepultus est, sed ita vt caro eius quasi sancta & inuiolabilis non viderit corruptionem; in altera verò vita, scilicet statim post resurrectionem, Christus accepit corpus immortale & glorioſum, ac consequenter angelis par, imò loco & honore superior effectus est: collocatus enim est ad dexteram Patris.

Christus quomodo & quando minor angelis.

B Secundò, anima Christi quoad naturam minor est angelis, sed quoad sapientiam, gratiam & gloriam, & quoad vnionem cum Verbo, longè maior est, & semper fuit angelis.

Nota. Pro *ab angelis*, hebraicè est, *meelohim*, quod S. Hieron. Theodotion & V. editio vertunt, *à Deo*. idque suo modo verum est: homo enim est Dei imago, & terrestris quidam Deus, ac dominus omnium, vnde præ reliquis creaturis homo ad Deum accedit quàm maximè, Deoque paulò est minor, si cum alijs rebus creatis conferatur, quæ longiùs à Deo distant. hoc autem multò verius est in Christo homine. natura enim humana in Christo licet creata sit, subsistit tamen in eadem C subsistentia & persona, in qua Deus, Deique Filius subsistit: hinc quoque sedet ad dexteram Patris quasi loco & honore Patri proximo; ergo paulò minor est Deo. Verùm melius Septuaginta & ex ijs S. Paulus, Chaldæus quoque, & Syrus vertunt, *minuisti eum paulò minùs ab angelis*. Hebræum enim אֱלֹהִים *elohim* non tantùm Deum, sed & angelos, imò & principes ac iudices, qui Dei imperium, dominium & gubernationem participant, significat, vt psalm. 81. *Deus stetit in synagoga deorum* (hebraicè *elohim*, id est iudicum,) *in medio autem deos* (id est iudices) *diiudicat*. Psalm. 137. *In conspectu angelorum* (hebraicè *elohim*) *psallam tibi*. Psalm. 96. *Adorate eum omnes angeli* (hebraicè *elohim*) *eius*. Omnes enim homines, etiam Christus, propriè loquendo ab angelis parum, à Deo verò multùm, imò infinitùm minorati sunt, distantes D & disiuncti. Vnde Philip 2. vers. 7 dicitur quòd Christus, *cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanitit*, dum *in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus vt homo*.

Homo inanis ex Dei, & Dei terrestris.

GLORIA ET HONORE CORONASTI EVM (hominem, maximè Christum) ET CONSTITVISTI EVM SVPER OPERA MANVVM TVARVM] *Gloria*, scilicet triplici, Primò, quia hominem ad tuam imaginem creasti & formasti, eique mentem rationis, libertatis, beatitudinis & Dei capacem dedisti. Secundò, quia hominem *constituisti super opera tua*. Hebraicè תַּמְשִׁילֵהוּ *tamscilehu*, id est, *dominari fecisti*, vel dominum eum constituisti operum tuorum, id est totius mundi, ac præsertim omnium animalium, non tantùm ciurum, sed & pecorum campi, id est ferarum: hisce enim plenè dominabatur Adam in paradiso, iam verò post la-

Gloria triplex hominis, & Christi.

pſum homo imperfectè & ſemiplenè eis dominatur, inquit Chryſoſtomus, quia ſcilicet animalia quæuis homo capere, ſubijcere & cicurare poteſt: Chriſtus autem æquè vt Adam plenè ijs dominatur, vnde Chriſto ſoli plenè hic verſus conuenit.

Tertiò, & maximè, gloria reſurrectionis, aſcenſionis, celebritatis famæ & nominis, iudiciariæ poteſtatis, & perfecti dominij in omnia, coronaſti hominem, & humanam naturam in Chriſto; cùm Chriſtum hominem omni hac gloria dotaſti & coronaſti, vt patet v. 9.

Corona apud Hebræos abundantiam & cumulum omnium bonarum ſignificat.

Nota. *Coronaſti*, dupliciter accipi poteſt: Primò, *coronaſti*, id eſt, copioſè & quaſi vndique cinxiſti & circumuallaſti eum gloria, inſtar coronæ. *corona* enim Hebræis copiam & affluentiam ſignificat, vt pſalm. 64. v. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. vbi *coronam anni* vocat copiam florum, herbarum, ſegetum, fructuum, quibus quaſi coronis coronatur annus benignitatis, id eſt, annus quem Deus ſua benignitate fertilem facit. Vnde Hebræi aliter iam diſtinguentes & pro עטרת *ateret*, id eſt *corona*, punctantes עטרת *atarta*, id eſt *coronaſti*, vertunt, coronaſti annum bonitate vel beneficentia tua, id eſt, cumulaſti annum prouentu abundanti quem largitur bonitas tua. Hinc *coronam* hanc explicans Pſaltes ſubdit, *Et campi tui replebuntur vbertate*. Sic & pſalm. 5. v. 13. *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*, id eſt, Domine tua beneuolentia, quaſi ſcuto, vndique nos communis, protegis & circumuallas. Pſalm. 103. 4. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*. q.d. Deus erga te ô anima, adeò miſericors eſt, vt ſuis miſerationibus quaſi corona circumcingat te.

Variis coronis coronat nos Deus.

Secundò, *coronaſti*, id eſt, coronam gloriæ pro meritis dediſti; q.d. Chriſtus luctatus cum morte & dæmone vicit, meruit, obtinuit coronâ gloriæ, tum corporis ſui, tum famæ & nominis ſui, tum pleni dominij in omnia, qua tu, ô Domine, eum quaſi triumphatorem coronaſti. patet v. 9.

VERS. 8. NVNC AVTEM NECDVM VIDEMVS OMNIA SVBIECTA EI] q.d. Ne turbemini, ô Hebræi, ſi dicam Chriſtum regnare, omniaque illi ſubiecta eſſe, eò quòd videatis hoſtes Chriſti vobis dominari, voſque mulctare bonorum iactura, exilio, alijſque pœnis: necdum enim imperator noſter Chriſtus cuncta obtinuit, adhuc hoſtes ei rebellant, necdum futurus orbis (de quo dixi) ad quem ſuſpiramus, apparuit; ſed modicum expectate, donec impij impleant menſuram peccatorum ſuorum, donec finiatur hæc generatio, hoc ſæculum, nimirum in fine mundi cuncta Chriſtus obtinebit, eruntq; omnia ei ſubiecta, ac tunc vos cum illo triumphabitis, & dominabimini hoſtibus veſtris, imò rebus omnibus. ita S. Chryſoſt.

Omnia Chriſto ſubiicientur in fine mundi.

VERS. 9. EVM AVTEM, QVI MODICO QVAM ANGELI MINORATVS EST, VIDEMVS IESVM, PROPTER PASSIONEM MORTIS, GLORIA ET HONORE CORONATVM, VT GRATIA DEI PRO OMNIBVS GVSTARET MORTEM] Eſt hîc hyperbaton, ſiue perturbatus verborum ordo, qui ſic clarè ordinandus eſt: *Ieſum autem eum videmus gloria & honore coronatũ, qui modico*, id eſt paulò minùs, *quàm angeli minoratus eſt, propter* (id eſt ad, ſcilicet ſubeundam) *paſſionem mortis, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Sic enim omnia clarè & aptè cohærent. Eſt enim hîc antitheſis verſus præcedẽtis, quaſi dicat, Licet hoc tempore necdum videamus omnia ſubiecta Chriſto, videmus tamen ipſum Chriſtum gloria & honore iam coronatum, vti de eo præcinuit Pſaltes; quia ſcilicet Chriſti nomen, fides, fama & gloria vbique propagatur: omnes enim gentes relictis ſuis idolis agnoſcunt & colunt Chriſtum crucifixum, tamquam ſuum ſaluatorem. vnde non dubitamus, ſed certiſſimò ſperamus & credimus, quòd, ſicut vnum Pſaltis verſiculum in Chriſto impletum videmus, ita & breui alterum explendum viſuri ſimus, ſcilicet in reſurrectione Chriſto planè omnia ſubiecta fore; iam ergo Chriſtus gloria & honore coronatus veſtra, ô Hebræi, pro fide certamina ex alto ſpectat, vt fortiter certantes & vincentes poſt modicum laborem & tempus coronet corona gloriæ, imò coronæ ſuæ participes efficiat in omnem æternitatem. Præclarè Tertullian. ad Martyres cap. 3. *Vos*, inquit, *benedicti, bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus viuus eſt, xyſtarches Spiritus ſanctus, corona æternitatis brauium, angelica ſubſtantia politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum. Itaque epiſtates veſter Ieſus Chriſtus, qui vos Spiritu vnxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, vt vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ ſegregantur ad ſtrictiorẽ diſciplinã, coguntur, cruciantur, ſatigantur, quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria ſperant. Et illi vt coronam corruptibilẽ conſequantur, nos æternam cõſecuturi: quia virtus duritia extruitur, mollitia verò deſtruitur.*

certamina & labores.

Nota τὸ *propter paſſionem*, non ſignificat Chriſtum per paſſionem, vel in paſſione minoratum eſſe. Sic enim græcè dicendum fuiſſet, διὰ τοῦ παθήματος: iam autem dicitur διὰ τὸ πάθημα, id eſt, propter paſſionem, vt ſcilicet pati & mori poſſet, ideo minoratus eſt Chriſtus in ſua incarnatione, & natiuitate humana. Διὰ ergo, id eſt propter, hîc non materiam vel ſubiectum, ſed cauſam finalem ſignificat; hanc enim clarè explicat, dum ſubdit:

Cauſa finalis minorationis Chriſti.

VT GRATIA DEI PRO OMNIBVS GVSTARET MORTEM] *Gratia Dei*, id eſt, gratuita Dei miſericordia. q.d. Minoratus eſt Chriſtus in natiuitate, qua natus eſt homo paſſibilis, morti & cruci deſtinatus, non ex neceſſitate, non ex merito hominum, vel angelorum, multo minùs ex culpa ſua; ſed ex pura Dei miſericordia & gratia, qua voluit Deus Pater eum talem naſci, vt pro omnibus mori, omneſque ſua morte redimere poſſet.

Nota. Pro χάριτι, id eſt, *gratia Dei*, Theodor. Theophyl. Oecumen. legunt χωρὶς Θεοῦ, id eſt ſine Deo, vel excepto Deo, adduntque ita corruptum eſſe hunc locum à Neſtorianis; hinc enim illi probant in Chriſto duas fuiſſe perſonas, & Deum ab homine fuiſſe ſeparatum. Verùm ante Neſtorium Ambroſ. lib. de Fide c. 4. legit quoque τὸ *ſine Deo*, ficque explicat, Chriſtus pro omnibus *ſine Deo*, id eſt excepto Deo, mortem guſtauit. q.d. Chriſtus pro omnibus omnino, etiam angelis, non autem pro Deo ipſo (Deum enim excipio) mortuus eſt, non quaſi angelos redemerit Chriſtus, ſed quòd angelos hominibus reconciliarit, eorumq; lætitiam & gloriam auxerit, dum ſedes eorum ex quibus collapſi erant dæmones, per homines reſtaurauit & repleuit. ita S. Ambroſ. Theodor. Theophyl. Oecumen.

Error Neſtorij.

Chriſtus pro angelis etiam mortuus eſt, quomodo.

Verùm legendum eſt cum Noſtro interprete, Syro,

Hebræi animantur ad

Gratia nostra redemptio.

Syro, Chrysost. & alijs, χάριτι, id est, gratia, dono & beneficio Dei: hoc enim verbo tollit ab Hebræis scandalum crucis. Dicebant enim Iudæi, Si Christus est tantus & tam gloriosus, cur crucifixus est & mortuus? respondet Apostolus, id immensæ fuisse gratiæ & clementiæ Dei, vt eius morte nos redimeremur. Licet enim Deus alio modo nos redimere potuisset, tamen noluit, quia hic modus, vt scilicet per Christi mortem redimeremur, maximè decebat Dei infinitam bonitatẽ & misericordiam.

Secundò, quod Noster vertit *pro omnibus*, græcè est ὑπὲρ παντός, id est, pro omni, pro quolibet: quod ponitur pro ὑπὲρ πάντων (& ita fortè in Græco hîc legendum est,) id est pro omnibus.

Apostolo sic admittendum hyperbaton.

Tertiò, pro *gustaret*, Ribera vult legendum, *gustarit*, ipse enim sine hyperbato hæc sic explicat: propter passionem mortis, inquit, gloria & honore coronatus est Christus, ex quo sequitur, quòd mortem gustarit Christus, non fuisse suæ culpæ, aut peccati alicuius, quod fecerit Christus, quoque mortem sit meritus; sed hoc fuisse puræ Dei gratiæ & misericordiæ. nam vocula *vt*, inquit Ribera hîc, vt & alibi, sæpè non finem, sed sequelam, siue id quod consecutum est, significat. Verùm omnia exemplaria Latina & Græca habent, γεύσηται, id est *gustaret*: & hæc eius expositio, licet ingeniosa, satis implexa & ieiuna videtur; ergo admittendũ est hyperbaton, quod iam dixi, illudque admittit S. August. li. 3. contra Maximinum c. 25. S. Thomas, Adamus & alij: tunc enim omnia sunt plana. & hyperbata Apostolus, vtpote spiritu turgidus, habet familiaria, vt dixi can. 38.

Hæc ergo sententia pendet & cohæret cum *minoratus est*. q.d. Christus minoratus est, dum factus est homo passibilis, hac de causa, vt scilicet ex magna Dei misericordia, pro hominibus patiens & moriens, eosdem morte & inferno liberaret, vti dixi.

Quartò, dicit Apostolus Christum non comedisse, sed gustasse mortem; quia non mansit Christus, imò vix hæsit in morte: nam statim resurrexit, ita vt videatur mortem non hausisse, nec epotasse, sed degustasse tantùm, quomodo infrà c. 6. 4. dicuntur nonnulli donum Dei gustare, quod mox euomunt. ita S. Chrysost. Verùm simpliciori & communiori hebraismo *gustare mortem*, idem est, quod mori, siue mox resurgas, siue in morte perdures, vt patet Ioan. 8. 52. Matth. 16. 28. & alibi. *Sicut medicus*, inquit Theophyl. *cùm videt ægrotum fastidire cibos & pharmáca, prior ipse ea sumit, vt ægrum ad eadem sumendum inducat: ita Christus prior gustauit mortẽ, vt eam gustare non horreat Christianus.*

Christus gustauit mortem, vt eam non horreat Christianus.

VERS. 10. DECEBAT ENIM EVM, PROPTER QVEM OMNIA, QVI MVLTOS FILIOS IN GLORIAM ADDVXERAT, AVCTOREM SALVTIS EORVM PER PASSIONEM CONSVMMARE] id est, decebat Deum Patrem, Christũ passioni tradere. Deus enim Pater est is, propter quem, & per quem sunt omnia.

Vbi Nota præpositionem Διὰ, id est *per*, tribui quoque Patri: malè ergo ex ea, quòd alibi tribui soleat Filiõ, colligunt Arriani, Filium Patre esse minorem. Rursum malè Nestorius illum *propter quem omnia*, dicebat esse Patrem, illum verò *per quem omnia*, esse Filiũ; quasi hi duo Iesum à se personâ distinctum passione consummarint: vtrumque enim soli Patri hîc tribuitur, idque eo fine; q.d. Apostolus, Quia Deus Pater omnia facit perfectissimè propter se & suam gloriam; hinc dece-

Error Arrianorũ & Nestor.

bat, vt & Christum passione consummaret, vt scilicet in Christo iustitiam, bonitatem, sapientiam, omnemque gloriam ostenderet.

Secundò, *adduxerat*, id est, adducere decreuerat & prædestinauerat; siue adduxerat, non actu & reipsa, sed in æterno suo decreto & prædestinatione. Vide can. 36. Iam per *filios* intelligit iustos & sanctos. Loquitur autem Apostolus maximè de Sanctis, qui ante Christum vixerunt, iamque defuncti erant in statu salutis, & certa spe gloriæ; tantùm enim expectabant Christum, qui morte sua cælum & aditum ad gloriam aperiret: hi enim iam quasi adducti ad gloriam, vnumque pedem in cælo habere videbantur. Rursum pro *auctorem*, græcè est ἀρχηγὸν, id est, principem & ducem. q.d. Decebat Deum Patrem, qui multos homines per Christum decreuerat adducere ad cælestem suam gloriam, vt Christum ipsum, quasi auctorem & ducem omnium, passione & morte consummaret; cur id decuerit, subindicat voce *consummare*, & clariùs id ipsum explicat vers. sequenti, quia scilicet decebat Christum fratribus assimilari, eisque præire; fratres autem Christi, id est, Sancti omnes, per multas passiones à Deo ad gloriam prouecti & perducti sunt, & indies perducuntur.

Filij Dei iusti & sancti.

Sancti per passiones ass. milantur Deo.

Tertiò, aliqui hîc legunt, *consummari* passiuè, sed legendum est actiuè *consummare*. Ita Romana & Græca. Vbi Nota, Græcum τελειῶσαι, quod Noster vertit *consummare*, multa significare, & variè verti posse, scilicet Primò, immolare; Secundò, glorioſum facere; Tertiò, consummare, vel, vt Syrus, perfectum facere; vt hæc perfectio opponatur & rependatur quasi præmium Christi minutioni, de qua dixit, *Minuisti eum paulò minùs ab angelis.* Consummare ergo idem est, quod gloria & honore coronare, siue facere vt Christus resurgens glorioſus sit in cælo, sedens ad dexteram Patris, & in terra ab hominibus colatur & adoretur, quasi mundi saluator & Dominus. ita Theophyl. Oecumen. & alij. Quartò, τελειῶσαι idem est, quod consecrare. Vnde S. Dionys. lib. de Eccles. hierar. passim Sacramenta vocat τελειώσεις, q.d. consecrationes, quia verbis sacris quasi formis conficiuntur & quasi consecrantur. Hinc & τελειωθῆναι dicebantur Martyres, quia scilicet per martyrium Martyr non tantùm perficitur, sed & immolatur atque consecratur Deo. Vnde & Christus Ioan. 17. 19. ait: *Ego*, inquit, *meipsum pro eis sanctifico*, id est, offero, consecro & immolo meipsum Patri tamquam sanctam victimam, ac pretium redemptionis & sanctificationis hominum. Hoc ergo verbo τελειῶσαι, significat Paulus, Christi passiones & dolores non fuisse signa infirmitatis & vilitatis Christi, sed fuisse augusta quædam sacrificia, quibus Christus in pontificem, & redemptorem quasi consecratus & sanctificatus est; ideoque decuisse Christum hasce passiones obire, ijsque perfici & consecrari.

Consummare est glorioſum facere.

Consummare significat etiam consecrare.

Martyrio Martyr perficitur & consecratur Deo.

Moraliter, vide hîc quid sint passiones & afflictiones, quamque vtiles sint & nobiles, ideoque non fugiendæ, sed cum Christo & Sanctis omnibus ambiendæ: passionibus enim fimus perfecti, glorioſi, sancti, imò victimæ & sacrificia Dei optimi maximi, adeoque hac de causa permisit Deus hominem labi in peccatum & tot ærumnas, vt in tot passionibus magnitudinem suæ gratiæ, virtutis & patientiæ ostenderet; vtque ijs nos expoliret, perficeret, & ad magnam sanctitatem & glo-

Locus moralis de passione & afflictione.

riam perduceret. Hinc illa pia fidelium est consuetudo, vt cùm quis eorum moritur, dicant, *Consummatus est*, quia scilicet, qui piè mortuus est, omniũ suorum laborum & dolorum, omnis patientiæ & virtutis, omnisque meriti, ac consequenter & præmij & gloriæ perfectionem, finem & terminum adeptus est.

VERS. 11. QVI ENIM SANCTIFICAT, ET QVI SANCTIFICANTVR, EX VNO OMNES] Supple *sunt* & solent esse; q. d. Christus qui homines in peccatum & mortem lapsos sanctificat, & homines qui à Christo sanctificantur, ex vno, scilicet Adamo, ortt & prognati sunt omnes. Vel *ex vno*, in genere neutro, id est, ex vna stirpe, ex vna & eadem natura, scilicet humana, sunt & constant. Loquitur Apostolus non de Deo, qui quasi Dominus nos sanctificat, nec de angelis, qui suis monitis & precibus nos sanctificant; sed de Christo, qui nos sanctificat; quasi pontifex, mediator & redemptor noster: hunc enim decet esse eiusdẽ naturæ cum ijs, quos redimit & sanctificat. & hoc est quod ait c. 5. v. 1. *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.*

Christus nos sanctificat, vt põtifex, ideoq; vt homo.

Syllogismus Pauli.

Probat hic Apostolus id quod præcessit, scilicet decuisse Christum, qui quasi salutis auctor multos in gloriam adduxit, & indies adducit, pati, & per passionem consummari. id probat hoc argumento: Decet pontificem qui sanctificat, qualis est Christus, & eos qui sanctificantur ab eo, esse ex vno omnes, id est, esse eiusdem naturæ omnes: atqui homines qui sanctificãtur sunt naturæ passibilis, miseræ & ærumnosæ, multaque patiuntur, ac tandem moriuntur, vt experientia notissimum est: ergo & Christum decuit esse naturæ passibilis, multaque pati ac mori. Quare hoc explicans Apostolus deinceps vsque ad finem capitis, inter alia sic ait v. 17. *Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi: in eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* q. d. Ne scandalizemini, ô Hebræi, Christi passione, cruce & morte: hæc enim non indecens & indigna, sed maximè congrua & digna fuit decensque Christum. Decebat enim Christum pati & mori, hac de causa, vt scilicet fratribus hominibus assimilaretur, idque Primò, vt eis tum patientiæ & charitatis exemplo præiret, dando pro eis vitam suam in pretium.

Sanctificãs & sanctificatus debet esse eiusdem naturæ.

Christus ob tres causas pati debuit.

Secundò, vt sanciret iustitiam, illique satisfaceret, ne scilicet dedecus peccati maneret sine decore iustitiæ, & iustæ vindictæ ac pœnæ. hac de causa pœnam omnem & vindictam hominibus debitam in se homine suscepit Christus, itaque peccatum patiendo expiauit, dum pro peccato, sua passione & morte satisfecit parti læsæ, scilicet Deo offenso.

Tertiò, quia decebat vt non angelus, sed homo pro homine satisfaceret, non agendo, sed patiendo: hæc enim est satisfactio, quam postulat reatus & culpa.

Nota. Loquitur Apostolus de Christo, qui sanctificat tamquam pontifex & redemptor, & de ijs qui sanctificantur à peccato, ita vt expiatione & victima indigeant, quales sunt homines in peccatum lapsi. hos enim decet esse eiusdem naturæ: tales autem non sunt angeli qui numquam peccarunt. hi enim à Christo homine, etiamsi alterius sit naturæ, sanctificari potuerunt, &, vt multi opinantur, de facto sanctificati sunt in primo instanti suæ creationis: quando, vt ait S. Augustin. in eis Deus fuit simul condens naturam, & largiens gratiam. Vnde hic locus non obstat sententiæ eorum, qui opinantur Christum non tantùm homines, sed & angelos sanctificasse, id est, propter merita Christi non tantùm hominibus, sed & angelis à Deo collatam esse gratiam, vt dixi Ephes. 1. 22.

Angeli à Christo sanctificari potuerunt.

Secundò, alij *rò ex vno* sic explicant, ex *vno*, scilicet Deo conditore, tam factus est Christus sanctificans, quàm omnes homines qui sanctificantur. ita Ambros. Anselmus, Chrysost. Theodor. S. Thom. Theophyl. q. d. Apostolus, Omnes fratres sumus ex Deo patre geniti, decuit ergo omnes nos quasi filios Deo patri nostro reconciliari, idque per Christum, vtpote fratrem nobilissimũ, qui sanctus sanctorum est, omnesque sanctificat, non autem per alios, qui sanctificantur, & sanctificatione indigent. decuit itaque Christum nos reconciliare nos redimere, & pro nobis satisfacere: decuit ergo Christum pati. Verùm hic sensus generalior est & difficilior, nec ita stringit & vrget, vti prior, qui proinde genuinus est, eumque confirmant omnia sequentia, ac præsertim illud, quod dicitur v. 16. *Nusquam autem angelos apprehendit, sed semen Ab ahæ apprehendit: vnde debuit per omnia fratribus similari.* Quibus verbis satis significat Apostolus Christum esse fratrem nostrum, non quia ex Deo factus est, vti & nos, sed quia ex Adamo & Abrahamo natus est, eamdemque nobiscum naturam humanam accepit.

Christus sanctus sanctorum, omnes sanctificant.

Christus frater noster.

Tertiò, S. Dionys. de Ecclesiastica hierarch. p. 4. sub finem, & Cyrill. lib. de Fide ad reginas, cap. Quòd vnus sit filius Dei & Dominus Iesus Christus, sic legunt, *qui sanctificat, & sanctificatur*, & intelligunt Christum. Christus enim ita sanctificat, vt simul sanctificetur à Deo. q. d. Apostolus, Christus qui sanctificatur & simul sanctificat, atque omnes nos ex vno scilicet Deo patre sumus geniti. Sed hoc videtur nonnihil contortum. Apostolus enim non dicit, *Qui sanctificat & sanctificatur, & omnes ex vno*; sed dicit, *Qui sanctificat & qui sanctificantur, ex vno omnes.* Adde, omnia exemplaria Græca, Latina & Syra habere, *qui sanctificantur*; non autem, *qui sanctificatur.*

PROPTER QVAM CAVSAM NON CONFVNDITVR (non erubescit Christus) FRATRES EOS (homines ex vno patre Adamo secum natos) VOCARE, DICENS: NVNCIABO NOMEN TVVM (ô Pater) FRATRIBVS MEIS (Apostolis, alijsque quos fideles & Christianos prædicando efficiam) IN MEDIO ECCLESIAE (Christianæ à me congregandæ) LAVDABO TE] Citat v. 23. psal. 21. quem clarissimum est, scriptum esse de Christi passione, prædicatione, morte & resurrectione. Probat ergo Apostolus Christum, & nos omnes esse ex vno, scilicet patre, genitos, ex eo quòd Christus & nos omnes sumus fratres, scilicet, secundùm communem tam naturam quàm spiritũ, quodque Christus psal. 21. nos vocat fratres suos: si enim sumus fratres Christi, ergo ex vno & eodem patre geniti sumus, tam Christus, quàm nos omnes. Simul innuit Apostolus modum, quo Christus nos sanctificat, & ad gloriam adducit, scilicet nunciando & prædicando nomen & cultum Dei veri & viui, quise à passione, cruce & morte liberauit, & resuscitauit ad vitam immortalem: patet enim ex præced. versiculis & seqq. psal. 21. *rò nunciabo* pertinere ad resur-

VERS. 12.

Psalmi 21. scopus & sensus.

Christus gloriosus fr. vocat fratrem nostrum.

surrectionem Christi. q.d. Christus, Post meam à morte & cruce liberationem & resurrectionem, nunciabo & celebrabo coram Apostolis, meisque discipulis Dei liberatoris & resuscitatoris nomen & gloriam. Magna dignatio & consolatio nostra esse debet, quòd Christus etiam post resurrectionē immortalis iam & gloriosus, nos dignetur vocare fratres suos, & quasi fratribus hereditatem suam in cælis nobis præparet.

VERS. 13. *Psalm. 17. illustratus & explicatus.*

ET ITERVM: EGO ERO FIDENS IN EVM] Citat psal. 17. v. 3 quo psalmo (vt habet titulus 2. Reg c. vlt.) Dauid ad litterā gratias agit Deo, quòd toties à Saule, Philisthæis alijsq; hostibus & periculis se liberarit. Allegoricè competit Christo, qui Deo gratias agit, quòd à Iudæis, dæmonibus, passione, cruce, morte, omniq́ue malo se liberarit: vnde ait v. 3. *Ego ero fidens in eum.* q.d. Ego Christus instar aliorum hominum, morti & miserijs obnoxius, in persecutione, passione & tribulatione, perinde vt Dauid, constitutus, in communi Deo pātre sperabo, eumque fidens inuocabo, vt liberet me. Probat Apostolus alio testimonio Christum & omnes nos esse ex vno Adamo progenitos, siue Christum eiusdem nobiscum esse naturæ passibilis, miserijs & morti obnoxiæ, ex eo quòd Christus sperans & inuocans Patrem, hoc ipso testetur, se in afflictione & passione esse positum.

Communio Christo & eius patre ostenditur.

Citat hic Paulus cap. 8. non 17.

Verùm verius videtur, Apostolum non citare hîc psal. 17. v. 3. ibi enim in Græco est ἐλπιῶ, sed Isaiæ 8. 17. vbi dicit Isaias in persona Christi: *Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum*; vbi pro *præstolabor eum*, Septuaginta vertunt, πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ' αὐτῷ, id est, fidens ero in eo, vti ad verbum citat hîc Paulus. Nota. Dixerat Isaias illo cap. nasciturū filium, cui nomen erit, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, id est Christum, qui spoliaturus erat infernum & dæmonem: vnde v. 8. vocat eum Emmanuelem. mox v. 14. dicit, quòd Christus Iudæis sit futurus in lapidem offensionis & in petram scandali, ita vt multi ex eis ad illum offendant, cadant & conterātur. quod quia triste erat, videbaturq́; Christi Saluatoris fortitudini & spoliationi aduersari; hinc statim seipsum in persona Christi cōsolans Isaias subdit, dicens: *Et expectabo Dominum, & præstolabor eum.* q.d. Videtur Deus populi sui oblitus, eumque abiecisse, quia nolunt Iudæi mihi credere: ego tamen animo non cadam, spem non abijciam, sed præstolabor eum, confidens aliquos saltem me conuersurum ex Iudæis, putà Apostolos, qui deinde omnes gentes conuertant, itaque prædentur & spolient totum diaboli regnum.

Hæc caput alium Isaiæ.

Ex quibus patet Apostolum hac citatione & testimonio, non tam probare Christum esse eiusdem nobiscum naturæ passibilis, (vti probauit testimonio præcedenti) quàm quòd omnes gentes per Christum sanctificentur, itaque in filios & fratres adoptentur, & ad gloriam adducantur.

ET ITERVM: ECCE EGO ET PVERI MEI, QVOS DEDIT MIHI DEVS] Pergit citare Apostolus sequentia Isaiæ verba, quorum hæc plena est sententia: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israel.* Loquitur Isaias in persona Christi, siue quasi typus Christi, vt dixi. q.d. Sicut ego Isaias & mei discipuli, putà alij Prophetæ, me sequentes, vt Ezechiel cap. 24. v. 24. Zacharias c. 3. 8. & alij, hoc ipso quo diuitias & honores contemnimus, ac tam mira prædicamus & vaticinamur, à Scribis & Iudæis quasi stulti iudicemur, habemurque quasi portenta & ostenta Israelis; ita & Christus, cuius ego Isaias sum præcursor & typus, cum suis Apostolis & discipulis ob nouitatem vitæ, doctrinæ, paupertatis, humilitatis, passionis, superbis Iudæis & Philosophis erit quasi portentum, spectaculum & ludibrium. ita Origenes, Basil. Cyrill & alij in Isaiæ c. 8. & hoc est quod ait Apostolus 1. Corinth. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*

Christus & Prophetæ, eorumq́; prædicatio sæculo huic contempta.

Hoc ergo Isaiæ testimonio Apostolus probat vtrumque, scilicet Primò, Christum cum hominibus eiusdem esse naturæ passibilis, multaque esse passum: hoc enim significatur, cùm ait, *Ecce ego, & pueri*, id est filij, quos scilicet naturæ meæ passibilis & mortalis consortes, tamquam pontifex spiritualiter gigno, facioque Christianos, cum quibus factus sum ludibrium & portentum Israel, vt patet ex v. sequenti.

Secundò, hoc eodem testimonio probat Apostolus Christum omnes sanctificare: hoc enim ipso quo Christus filios gignit, eosdem sanctificat.

Nota. Pro *pueri*, hebraicè est יְלָדִים *ieladim*, id est nati, siue filij ac pueri. Vide Clementem Alex. lib. 1. Pædag. toto cap 5. vbi pulchrè docet omnes Christianos dici & esse debere pueros, per morum & animi innocentiam, simplicitatē, facilitatem & teneritudinem, idque vt se conforment suo exemplari, scilicet Christo puero, de quo dixit Isaias c. 9. v. 5. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.*

Christiani debent vt pueri, Christo puero assimilari.

QVIA ERGO PVERI COMMVNICARVNT CARNI ET SANGVINI, ET IPSE SIMILITER PARTICIPAVIT EISDEM] *Cōmunicare carni & sanguini*, est esse participem carnis & sanguinis, id est, humanæ naturæ, quæ carne & sanguine constat. q. d. Quia homines, quos Christus suos pueros & filios vocare dignatur, constant carne & sanguine, id est, natura humana fragili & passibili; hinc eandem induit quoque Christus, factusque est homo fragilis & passibilis. Pulchrè S. Augustin. in Sententijs n. 262. *Sicut, ait, lac non transit nisi per carnem, vt paruulum pascat qui panem edere non potest: sic nisi Sapientia Dei, quæ panis est angelorum, ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad Verbi diuinitatem contemplandam posset accedere. Quia ergo lux à tenebris non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subiit tenebrarum, & per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis veri.*

VERS. 14.

Ex hoc loco, vt rectè docet S. Cyrill. epist. 8. ad Nestorium, patet Christum vti carnem, ita & sanguinem humanum assumpsisse, eumque non mediante carne & venis, sed immediatè, vt verior habet Theologorum sententia. Verbo vniuisse: cuius ratio est, quòd sanguis, esto non sit animatus, vti caro animata est, propriè pertineat ad veritatem humanæ naturæ, & in Christo fuerit pretium redemptionis nostræ: vnde & in consecratione calicis Eucharistiæ, cum sanguine Christi concomitanter ponitur totum suppositum Christi. Idipsum hîc satis insinuat Apostolus, cùm Christum tam sanguini, quàm carni, id est vtrique, æquè & immediatè communicasse significat. Denique tradunt graues auctores, Clementem VI. hanc sententiam cuiusdam dicentis sanguinem Christi in triduo mortis eius, non fuisse Verbo vnitum, vtpote separatum à carne, ideoque nec latria adorandum fuisse, damnasse, vt erroneam in fide.

Sanguis in Christo non immediatè carni & venis, sed Verbo vnitus.

Sanguis Christi in triduo passionis mansit vnitus Verbo.

Humores reliqui à Verbo immediatè assumpti.

Idem censent Theologi de reliquis humoribus, & spiritibus tum vitalibus, tum animalibus in Christo, scilicet hæc omnia à Christi persona immediatè fuisse assumpta & terminata. secùs est de accidentibus corporis & animæ: hæc enim suscepit Christus non immediatè, sed mediante corpore cui inhærent. Hac de re plura qui volet, videat apud Scholasticos, & inter alios apud Franc. Suarez 3.p.disp.15.sect.6.

Christus factus homo, vt mori posset.

VT PER MORTEM DESTRVERET EVM QVI HABEBAT MORTIS IMPERIVM] q.d. Christus communicauit nostræ carni & sanguini, id est, factus est homo, vt mori posset (quatenus enim Deus est, mori non poterat) idque hoc fine, vt scilicet per mortem suam destrueret diabolum, qui per peccatum nos trahebat in mortem corporis & animæ, tam præsentem quàm æternam. Vnde patet *vò mortis*, posteriori loco latiùs capi, quàm priori: priori enim tantùm mortem corporis præsentem & temporariam significat, hanc enim solùm obiuit Christus; posteriori verò significat mortẽ tam corporis, quàm animæ, eamque tam præsentem, quàm æternam: ad hanc enim pertraxit diabolus, illique præest.

Diabolus habet imperium mortis vt tyrannus.

Nota, diabolum habuisse mortis imperium non eo modo, quo rex & princeps dicitur in suos habere imperium, sed eo modo quo tyrannus, aut potiùs eo modo quo carnifex habet imperium in eos, qui morti adiudicati, & suæ potestati ac manibus traditi sunt: diabolus enim in homines nullum vmquam habuit ius aut legitimum dominiũ & imperium, sed tantùm homines peccantes à iusto iudice Deo suæ potestati traditos, quasi carnifex, exagitat & morte mulctat. Dicitur ergo diabolus habere imperium mortis, quia homines impellit in peccatum, & consequenter in mortem: quod ipse vnicè cupit, optat & gaudet, eosque qui mortui sunt & damnati, in morte & damnatione perpetua tenet, eisque præsidet & imperat.

Christus destruxit diabolum.

Hinc Secundò, dicitur Christus destruxisse diabolum, non quòd personam aut substantiam diaboli destruxerit & annihilarit, sed quia eius regnũ & imperium destruxit, dum sua morte homines à morte præsenti & æterna, ac consequenter à potestate dæmonis liberauit, effecitque vt homines à morte ad vitam resurgerent immortalem & æternam: sic enim rex aut tyrannus dicitur destrui, cùm eius regnum aut tyrannis destruitur, putà cùm ipse suo & regno & potestate tyrannica priuatur & despoliatur.

VERS. 15. ET LIBERARET EOS QVI TIMORE MORTIS PER TOTAM VITAM OBNOXII ERANT SERVITVTI] *Seruitutem* vocat metum & horrorem mortis, quotidie oculis & menti obuersantis: hic enim metus & horror omnes homines quasi seruos opprimebat, & quasi vinctos sub se detinebat, miriseque angoribus cruciabat, idque partim ex eo quòd mors in se sit horribilis, &, vt ait Aristot. *Omnium terribilium huius vita terribilissimum*; partim & magis ex eo, quòd homines nescirent, quò post mortem essent deuenturi, quid futurum esset de anima sua separata à corpore; an illa in cælum, an in infernum, an in alium aliquem locum foret relegãda, an beata, an misera esset futura. Imò cùm ante Christum plerique essent impij, & putarent, vel certè suspicarentur animam esse immortalem, nihil aliud post hanc vitam quàm æternam mortem, & tormenta gehennæ expectare poterant, sicut reus homicidij cùm deducitur in carcerem, ita eum ingreditur, vt non speret se inde nisi ad mortem exiturum.

Mors est horribilis, vnde?

Ita Adrianus Imp. moriturus, inquit Spartianus in eius vita, animæ suæ hoc carmine occinuit: *animula, vagula, blandula, hospes comesq; corporis, quæ nunc abibis in loca, pallidula, rigida, nudula? nec, vt soles, dabis iocos.* Ità Aristoteles moriturus, anxius dixisse fertur: *Nudus in hunc mundum veni, miser vixi, dubius morior, quò venturus sim nescio, attamen tu Ens entium, causa causarum miserere mei.* q.d. Apostolus, Christus liberauit homines ab horrore & angore mortis, effecitque vt homines, qui antea mortem horrebant, quasi æternæ mortis exordium, & sub timore mortis, vtpote cum ira & vindicta Dei coniunctæ, ob peccata sua anxij, quasi seruiebant, & quasi serui captiui in mortis metu & horrore tenebantur; nunc per Christum à peccato & morte liberati, fidentes & alacres accedant ad mortem, tamquam ad ærumnarum terminum, & melioris vitæ exordium, vt dicant, Vita mihi est in tædio, mors in desiderio; cupio dissolui, & esse cum Christo; mihi viuere Christus est, & mori lucrum. ita Theophyl. Oecum. & alij.

Dubietas & anxietas de statu futuræ animæ post mortem.

Mors ærumnarum terminus.

Licet moralis de morte non metuenda Christianis.

Est hic locus moralis, quòd Christiani mortem horrere & timere non debeant. Vide Chrysostom. in morali homil. 4. vbi docet Christianos suo tempore pro defunctis orare, psallere, & iusta funebria, eo modo quo iam facimus, peragere solitos, insuper ex ritu gentilitio consueuisse adhibere lamentatrices, quæ omnibus fletum & complorationem mouerent: sed idipsum, ne scilicet hasce amplius adhibeant, vetat Chrysost. sub pœna excommunicationis; eò quòd Christiani mortuos suos lugere non debeant, quasi mortuos, sed credere & sperare eos transire per mortem ad vitam meliorem. *Dic mihi*, inquit, *quid sibi volunt lampades istæ* (in funere) *tam splendidæ? nonne sicut athletas, mortuos comitamur? Quid etiam hymni? nonne vt Deũ glorificemus, & ei gratias agamus, quòd iam coronauit discedentem, quòd à laboribus liberauit, quòd à timore liberatum apud se habet? nonne propter hoc hymni? nonne propter hoc psalmodia? omnia ista gaudentium sunt.* Et infrà: *Si quis ergo lamentatrices istas conduxerit, per multum tempus eum ab Ecclesia arceo quasi idololatram.* Et in morali homil. 5. *Si*, inquit, *tubæ pietatis vocauerit, confestim procede, & contemne animam, ingredere cum multa alacritate in agonem, sume faciem aduersariorum, concide faciem diaboli, statue trophæum. Sanguinis oportet esse plenam Christi vitam: cum tanta ergo alacritate proprium sanguinem effundamus pro Christo, cum quanta aquam quis effundit; & cum tanta facilitate carnem exuere debemus, cum quanta vestimentum exuimus.*

Bona mortis.

Scripsit & S. Cyprianus (quem secutus est S. Ambros. lib. de Bono mortis) tractatum de Mortalitate, in quo docet Christianis mortem non esse timendam, sed appetendam. Accipe pauca è multis. *Quid*, ait, *est in mundo & vita hac nisi pugna cum ira, gula, libidine? hinc gratulatur Sapiens raptum esse iustum, ne malitia mutaret intellectum eius: ita & Simeon, Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Fidem resurrectionis non habet, qui ad meliora non festinat. Hinc angelus quemdam mori timentem alloquens & increpans ait: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Si domus minaretur ruinam, nonne ex ea migrares? si nauis in procella periclitaretur, nonne ad portum confugeres? mundus*

dus hic seneſcit, & ruinam minatur, quin migras ad Patrem? vbi te charorum turba expectat de ſua ſalute ſecura, de tua ſolicita. Quod multis ſub finem libri proſequitur. Quare idem Cyprianus lib. de Laude martyrij, *Quid eſt*, ait, *martyrium? delictorum finis, periculi terminus, dux ſalutis, iter patientiæ, magiſter domus vitæ, quo profectò etiam ea occidunt quæ in futuro diſcrimine potuiſſent tormenta reputari.* Vide dicta Philip. 1. v. 23.

Ita Conradus Teutonicus diſcipulus S. Dominici vir miræ humilitatis, charitatis & patientiæ in morbis acribus ſemper habebat illud ſponſæ in Cantic. in ore: *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* prædixit ſe moriturum in die Natiuitatis B. Virginis anno Chriſti 1239. cui valdè erat deuotus. Moriturus ergo fratribus circumſtantibus dixit: *Scitote fratres me mori fideliter, amanter, confidenter & hilariter. Fideliter, quia morior in fide Ieſu Chriſti Domini mei & matris Eccleſiæ. Amanter, quia à die quo indui hunc ſanctum habitum, ſtudui me conſeruare ſemper in gratia Dei, eiq; in omnibus quoad poteram placere. Confidenter, quia ſcio quòd poſt mortem ibo ad domum Domini mei. Hilariter, quia iſtud punctum mortis in quo me videtis, tantùm eſt tranſitus à planctu ad riſum, à labore ad quietem.* Alius eodem nomine & eodem anno fixè intuens Chriſtum crucifixum, cancellatis in crucis formam manibus, facie læta & ridenti dicens, *Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine*: terq́ue hunc verſiculum repetens oculos cum vita clauſit, & in cælum euolauit, vti refert Ferdinandus Caſtiglius in hiſtor. Ordinis S. Dominici parte 1. lib. 2. c. 19. Idem cap. 65. narrat F. Romæum eiuſdem Ordinis, magnũ ſui & mundi contemptorem perpetuò habuiſſe in ore illum verſum pſalm. 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini*, eoq́ue ſe in omni labore & ærumna exhilarare ſolitum. Cumq́ue moriturus eſſet anno Chriſti 1261. frater quidam abſens neſciens eum verſari in agone mortis, audijt angelos eumdem verſiculum canentes, vnde ad Romæum accurrens, eum agonizantem ſancteq́ue morientem reperit. Ibidem narrat F. Bernardum Canzium Toloſanum, inſignem prædicatorem, cùm moreretur, apparuiſſe ſocio cuidam exiſtenti Lugduni in veſte candida & lucida, ac cantaſſe: *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.* Ibidem lib 3. cap. 50. narrat F. Munium, qui creatus fuit Epiſcopus Palentinus, magnæ patientiæ virum, in morte dixiſſe, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*, itaq́ue ſanctè obdormiuiſſe in Domino. Narrat S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 47. Merulum ſpiritu feruentem, vidiſſe delabi ſibi è cælo in caput candidam coronam. Nec mora, ait, morbo correptus abijt ad Dominum hilaris: eiuſq́ue è ſepulchro poſt annos quatuordecim, cùm circumfoderetur, tanta odoris fragrantia manauit, ac ſi omnis illic florum aromatumq́ue copia collecta eſſet.

vers. 16. NVSQVAM ENIM ANGELOS APPREHENDIT, SED SEMEN ABRAHAE APPREHENDIT] Id eſt, Chriſtus non aſſumpſit angelicam naturam, vt eam repararet, ſed humanam ex poſteris Abrahæ. Ita paſſim Patres & interpretes. Ac S. Bernard. tract. de gradibus humilitatis: *De Verbo*, inquit, *Dei dictum eſt, quòd non angelos apprehendit, hoc eſt, non in vnam ſibi perſonam aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ. Neque enim legitur, Verbum angelus factum eſt, ſed Verbum caro factũ eſt, & caro de carne Abrahæ, iuxta promiſſionem quæ illi primùm facta eſt.* Verùm, quia Græcum ἐπιλαμβάνεται eſt præſentis temporis, non autem præteriti; q. d. Aſſumit, non autem Aſſumpſit; falſum autem in præſenti eſt dicere, quòd Chriſtus aſſumat humanam naturam. Rurſum quia minùs congruè & aptè dicitur Chriſtum aſſumere angelos aut ſemen Abrahæ, pro eo quod diceretur Chriſtum aſſumere angelicam, aut humanam naturam ex poſteris Abrahæ; hinc melius Noſter interpres vertit non *aſſumit*, ſed *apprehendit*. cuius vim explicans Chryſoſt. verbum, inquit, ἐπιλαμβάνεται, id eſt apprehendit, metaphoram habet ſumptam ab eo qui magno ſtudio ſequitur aliquẽ, omniaq́ue facit vt fugientem occupet & apprehendat: nos fugiebamus à Deo, ipſe nos inſecutus eſt, & velut iniecta manu apprehendit nos, nec paſſus eſt perire. *Apprehendit* ergo idem eſt, quod inſequitur, & inſequendo apprehendit. q. d. Quod hactenus dixi Chriſtum factum eſſe hominem vt homines liberaret, id patet ex eo quòd Chriſtus angelos lapſos non ſit inſecutus, nec inſequatur, vt eos ad Dei gratiam & ſalutem reuocet & reducat; ſed quòd inſecutus ſit homines, dum humanam naturam aſſumpſit, hominesq́ue ad ſe vocauit & traxit, & indies inſequatur homines lapſos, ijſq́ue manus inijciat, vti fecit Saulo, eoſq́ue apprehendat, vt eos ad ſalutem perducat. Hinc aptè ait Chriſtum apprehendiſſe ſemen non Adæ, ſed Abrahæ; tum quia ſcribit Hebræis, qui expectabant Meſſiam Abrahæ patri ſuo promiſſum, tum quia Chriſtus ſolos eos apprehendit & ſaluat, qui ſunt ſemen Abrahæ, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, id eſt, qui ſunt fideles, quiq́ue fidem & obedientiam Abrahæ imitantur.

Chriſtus hominem à ſe fugientem inſecutus apprehendit.

Sic Græcum ἐπιλαμβάνεται, alibi ſæpè Paulus ſumit, pro inſequi, aſſequi, manum inijcere & apprehendere. Vt 1. Timoth. 6. 12. ἐπιλάβου τῆς αἰωνίου ζωῆς, id eſt, perſequere & *apprehende vitam æternam.* Hebr. 8. 9. ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, id eſt, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti.

VNDE DEBVIT PER OMNIA FRATRIBVS SIMILARI, VT MISERICORS FIERET ET FIDELIS PONTIFEX] q. d. Quia Chriſtus homines apprehendit, voluitq́; homo fieri, vt poſſet eſſe hominum pontifex, redemptor & ſaluator; hinc decuit eum per omnia ſimilem fieri alijs hominibus, tamquam fratribus ſuis: incongruum enim eſt & indecens, ſi frater fratri præcellere & diſſimilis eſſe velit. Nota. τὸ *per omnia* accõmodatè accipiendum eſſe: non enim Chriſtus peccatum & concupiſcentias aſſumpſit, aut habuit ſicut habent alij homines; *omnia* ergo, ſcilicet, non quæ culpæ, ſed quæ naturæ humanæ ſunt communia, putà naturæ humanæ communes dotes & paſſiones omnes, ſuſcepit Chriſtus. *Nam & nutrimenti*, inquit Theodor. *fuit particeps, ſicut & nos, & laborem ſuſtinuit, & anxio fuit animo, & fleuit, & mortem ſubiit ſicut & nos.* Hæc enim ſola pontificem noſtrum & redemptorem aſſumere decebat. Cùm ergo dicit *omnia*, excipe peccatum & concupiſcentiam, quæ ad peccatum vergit & trahit: hæc enim excipit Apoſtolus cap. 4. v. 15. Rurſum excipe naturæ vitia, putà cæcitatem, ſurditatem, febres, alioſq́ue morbos, qui non tam naturæ totius, quàm priuatorum & certorum hominum ſunt defectus & vitia, quæ pro-

vers. 17.

Chriſtus omnia naturæ humanæ aſſumpſit præter culpam & vitia naturæ.

Morborum origo.

proinde non decuit Christum susci-
pere. Morbi enim oriuntur, vel ex imperfecta corporis formatione, & vitio seminis, vel ex intemperantia, vel ex inscientia & imprudentia, qua res noxias valetudini ignoramus, vel non aduertimus; horum autem nihil fuit in Christo. Christi enim corpus perfectissimum fuit, vtpote formatum à Spiritu sancto.

Adamus in statu innocentiæ & Christus nulli morbo obnoxij.

Rursum Christus temperantissimus erat, omniumque rerum etiam medicarum peritissimus, & longè peritior Adamo, qui in statu innocentiæ nulli morbo obnoxius fuit. Christus ergo corpus suum optimè contemperatum sua temperantia, sapientia & prouidentia conseruabat à noxijs, quæ valetudinem lædere poterant, in perpetua temperie & sanitate. Adde, vbi nulla erat concupiscentia, nullum decuisse esse morbum, præsertim cùm morbus impedimento fuisset laboribus, peregrinationi & prædicationi Christi. Ita ex Damasceno D. Thom. 3. p. q. 14. a 4. & ibidem Suarez & alij. Sensus ergo Apostoli est, q. d. Christus non habuit corpus cæleste & impassibile, vti voluerunt Valentiniani; sed terrestre, mortale, passibile, simile nostro, vt fami, frigori, algori, plagis & verberibus esset obnoxium, æquè ac nostrum, idque eo fine,

Error Valentinianorum iugulatur.

vt scilicet *misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum*: id est, vt misereri nostri disceret Christus per experientiam miseriæ nostræ, eiusque sensu tangeretur. licet enim illam, vti & alia omnia per scientiam infusam optime nosset, tamen non nouerat illam per scientiam experimentalem: longè enim aliter ærumnas & miserias cognoscimus, dum eas ipsi experimur, quàm dum eas speculamur, vel in

Scientia experimentalis in Christo miseriæ nostræ.

alijs intuemur. Rursum passiones nostras suscepit Christus hoc fine, vt *fieret fidelis pontifex*, id est, vt verè & fideliter obiret munus pōtificis, quod est, Deum placare & homines Deo reconciliare; illud autem facere non potuit Christus, nisi patiendo & moriendo: nec enim aliter diuinæ iustitiæ & voluntati satisfieri poterat.

Posset Secundò, *fidelis* accipi passiuè. q. d. *fidelis*, id est, talis ob experientiam & condolentiam miseriæ nostræ, cui meritò fideremus & crederemus nos omniaque nostra. Vnde S. Bernard. tract de gradibus humilitatis, sic explicat: *Christus*, inquit, *humanis voluit communicare miseriis (quod est per omnia fratribus assimilari) vt similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento. Quo quidem experimento non dico vt sapientior efficeretur, sed propinquior videretur, quatenus infirmi filij Adæ (quos suos fieri & appellari fratres nō dedignatus est) suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas & posset vt Deus, & vellet vt proximus, & cognosceret vt eadem passus.*

Ad Devm] Græcè τὰ πρὸς τὸν θεὸν, intelligitur ἱερατικὰ. q. d. ἱερατικὰ τὰ πρὸς τὸν θεὸν, id est, secundùm ea quæ spectant ad Deum, quæque apud Deum erant agenda, vt scilicet fidelis esset pontifex ijs in rebus, quæ spectant Dei reconciliationem cum hominibus; vnde explicans subdit, *Vt repropitiaret peccata populi*, id est, vt vertit Vatablus & Erasmus, ad expiandum peccata populi.

Vers. 18. In eo enim, in quo passvs est ipse et tentatvs, potens est et eis qvi tentantvr avxiliari] Nota græcismum, *in eo in quo passus est*, id est, ideò quòd passus est vel quia passus est. Secundò, *tentatus* idem est quod vexatus & afflictus. Vnde in Græco deest copula &, ita vt τὸ *tentatus* cohæreat cū *passus*, illudque explicet & inculcet:

A habent enim Græca sic, ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθείς, id est, *in eo enim quod ipse passus est cùm tentaretur*, id est, affligeretur & vexaretur: hoc ipso ergo quo passus est, tentatus est Christus. Sic dicimus nos tentari fame, frigore, febri, id est, ijs affligi, cruciari. tentatio itaque hîc vocatur quæuis afflictio & dolor, quia hisce tentatur, id est probatur

Tentatio & probatio nostra per afflictiones fit.

& exploratur, cuiusque virtus & patientia. Hoc ergo sensu ait S. Iacob. c. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Alij non improbabiliter tentationē à passione distinguunt, eò quòd noster Interpres ea videatur distinguere dicens, *passus & tentatus*. Itaque tentationem hanc interpretantur solicitationem ad malum, qua diabolus Christum & Christianos tentat, & ad peccatum impellit; Christus enim tentatione sua me-

Christus exteriùs à diabolo tentari potuit;

B ruit nobis opem & auxilium in omni tentatione. Vbi Nota, Christum exteriùs tantùm à diabolo tentationem proponente tentari potuisse; non verò interiùs à cōcupiscentia aut motu aliquo phantasiæ inordinato, hic enim in Christo esse non potuit. Rursum hunc versum Oecumen. Vatabl. & Erasmus. ita vertunt, *nam ex hoc quòd contigit ipsi tentatum esse, potest & iis qui tentantur auxiliari.* Sic enim Græcum πέπονθεν æquè ac Latinū *passus est*, subinde capitur pro contigit, vt cùm dicimus, Quid passus es vt ita rideas & exultes? id est, quid tibi contigit iam lætum ac faustum, vt ita exultes? Verùm nostra versio, ac consequenter primus sensus iam datus plenior est, certior & solidior.

Christi ad miserendū & auxiliandum propensio.

Potens est et eis qvi tentantvr avxiliari] τὸ *potens*, idem est, quod aptus & idoneus; sic enim hanc Christi potentiam explicat Apostolus c. 5. v. 2 cùm ait, *Qui condolere possit* (id est, idoneus, aptus & facilis sit ad condolendum) *iis qui*

C *ignorant & errant.* Hunc sensum exigit vox *enim*, quæ dat causam cur v. præced. dixerit Christum esse misericordem pontificem, quia scilicet potens, id est, aptus & facilis & procliuis est, vt tentatorum misereatur, ijsque auxilietur. Vnde Theophyl. *potens*, inquit, id est pronus, promptus & paratus est ad auxiliandum: qui enim procliues & propensi sunt ad misericordiam, hi maximè apti & idonei, maximeque potentes & efficaces sunt ad auxiliandum. Secundò tamen, Chrysost. τὸ *potens* propriè capit, datque hunc sensum bene congruum & appositum Dixerat Apostolus Christum esse pontificem misericordem & fidelem: requirebatur tertia conditio pontificis, vt sit potens

Tertia conditio pontificis.

auxiliari, ne quis putaret hanc in Christo desiderari, ideoque à se omissam esse; hinc Apostolus

D quasi præoccupans hanc obiectionem subdit, de hac conditione non posse esse dubium. q. d. Dixi Christum habere omnes conditiones veri pontificis, scilicet misericordiam & fidelitatem; nam quod ad tertiam, scilicet potentiam, attinet, certum est illam Christo non deesse; quia Christus sua tentatione & passione iniusta sibi vtpote innocenti inflicta meruit dominari omnibus tam tentationibus & passionibus, quàm dæmonibus & hominibus eas infligentibus, ac cōsequenter meruit, vt possit ijs qui tentantur & patiuntur, auxiliari, eosque victores & triumphatores efficere.

Qui tentationes in se vincunt, apti sunt vt auxilio

Moraliter hîc Nota, eos qui tentationes in seipsis vincunt, iustè à Deo hoc præmio donari, vt alijs eadem tentatione pulsatis auxilientur, eamque in ijs euincant. ita qui spiritum superbiæ, gulæ, iræ in se

se perdomuerint, facilè eumdem in alijs edomabunt: ita qui scrupulos in se superarunt, scrupulosos facilè sanabunt. Imò sanctorum anachoretarum hic fuit sensus & sententia, vt, quem quisque dæmonem se tentantem superaret, eumdem ab aliorum non tantùm mentibus, sed & corporibus ab eo obsessis & possessis expulsurum dictitarent. Vt alios taceam, Abbas Pityrion, discipulus S. Antonij, eiusque spiritus heres, atque in expellendis dæmonibus potens & efficax, suos idipsum docuit, cùm apud Palladium in Lausiaca cap. 74. ita loquitur: *Quisquis, ô filij, vult exigere dæmones, prius in seruitutem redigat affectiones animi. qualem enim quis superarit affectionem, eius quoque expellit dæmonem: oportet autem vos paulatim vincere affectiones, vt earum expellatis dæmones. Si quis ergo gulam superauerit, expellit eius dæmonem.*

Hinc rursum Sancti in cælo beati, qui in hac vita multa passi sunt, inuocantur à nobis, vt in eo quod passi sunt, nobis idem patientibus auxilientur apud Deum. Ita à sanctis virginibus, quæ pro castitate ad mortem vsque certarunt, petimus opem in tentatione libidinis. Ita à SS. Martyribus petimus, vt nobis impetrent robur in tentationibus fidei, & persecutionibus hæreticorum & infidelium. Ita à S. Iob, Eustachio, & similibus petimus in infortunijs & aduersis patientiam. Quinimo particulatim in dolore dentium inuocamus S. Apolloniam, cui pro Christo excussi sunt dentes. In peste inuocamus S. Rochum, cuius insignis charitas in ijs qui peste laborabant curandis tota Italia celebratur. In maris tempestate inuocamus S. Nicolaum, qui viuens eam miraculosè sedauit. In vinculis inuocamus S. Leonardum, qui viuens multos vinculis liberauit. In morbo comitiali inuocamus S. Valentinum: in infamia & ignominia S. Susannam; hanc enim ipsa pro castitate subijt, & suis precibus depulit. In alijs morbis & ærumnis alios inuocamus Sanctos, qui easdem perpessi sunt. Hæc enim congrua eorum passioni & patientiæ merces à Deo tributa est, vt ad eorum preces Deus simili passione laborantibus opitulari & succurrere, itaque Sanctos suos glorificare velit & destinarit.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Profert Christum Mosi, tamquam Dominum famulo.

Deinde v. 7. ad finem, exemplo patrum qui ob incredulitatem terra promissa excluſi sunt, deterret Hebræos ab apostasia à fide Christi, ne & ipsi cælo excludantur. Hodie, *inquit*, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, *&c. vrgetq́*, *tò* Hodie.

1. VNde fratres sancti vocationis cælestis participes, considerate Apostolum, & pontificem confessionis nostræ Iesum: 2. qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius. 3. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam. 4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est. 5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: 6. Christus verò tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem, firmam retineamus. 7. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, 8. nolite obdurare corda vestra. sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto, 9. vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt, & viderunt opera mea 10. quadraginta annis: Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas, 11. sicut iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam. 12. Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo viuo: 13. sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. 14. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus. 15. Dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. 16. Quidam enim audientes exacerbauerunt: sed non vniuersi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. 17. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nónne illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? 18. Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui incredduli fuerunt? 19. Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

VERS. 1. VNDE FRATRES SANCTI, VOCATIONIS CÆLESTIS PARTICIPES, CONSIDERATE APOSTOLVM ET PONTIFICEM CONFESSIONIS NOSTRAE IESVM] Christiani olim vocabantur *fratres* ob mutuam charitatem & communionem in Christo. Vocabantur & *sancti* ob sanctitatē baptismo acceptam, & vitæ morumq́; innocentiam. q.d. Vos, ô Hebræi Christiani, vocati estis, non ad bona terrena, quæ in Iudaismo vobis olim promittebantur, sed ad bona cælestia possidenda. Considerate ergo non Mosen, non Aaronem olim pontificem vestrum, sed Iesum, qui huius vocationis est auctor & pontifex. Nota. Vocat Paulus Christum Apostolum, id est, legatum Dei, quem scilicet Deus legauit ad homines, maximè Hebræos, vt eos doceret, & Deo reconciliaret. *Apostolus* ergo idem est, quod

quod propheta, doctor & legislator missus à Deo. *Pontifex* autem idem est, quod summus sacerdos qui Deum placet, oretque pro populo.

Fides & religio, est confessio.

Nota Secundò. *Confessionem* vocat Apostolus fidem & religionem, quam confitemur & profitemur: confessio enim hæc non est aliud quàm professio fidei & legis Euangelicæ, quam docuit nos Christus tamquam Apostolus, id est propheta, doctor & legislator, & tamquam pontifex noster. ita Theodoret. Theophyl. Oecum. Aliter S. Thom. & Anselm. Apostolus, inquiunt, & pontifex nostræ confessionis est Christus, quem scilicet omnes Christiani confitemur & agnoscimus esse Apostolum, pontificem, & saluatorẽ nostrum. Sed prior sensus magis est genuinus: sic enim Apostolus *confessionem* solet sumere pro fide & doctrina, quam confessi sumus in baptismo, vt dixi Rom. 10. v. 10.

Christus præstantior omnibus legislatoribus Hebræorum

Nota Tertiò. Apostolus c. 1. & 2. ostendit Christum angelis esse maiorem, tamquam Deum & Dominum omnium: hoc c. & seqq. descendit ad Mosem & Aaronem, ostenditq; eodem argumento Christum ijs longè esse præstantiorem, tota enim difficultas Hebræorum, quam habebant in Christo & christianismo, erat, quòd à Mose primo suo legislatore, Apostolo & Propheta auelli non possent. Hinc illa vox Iudæorum ad cæcum à Christo illuminatum, Ioan. 9. *Tu discipulus illius sis, nos autem Mosi discipuli sumus: nos scimus quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit.*

Christus legislator & pontifex Mosen & Aaronem superat.

Paulus ergo hoc c. & sequ. comparat & præfert Christum Mosi, tamquam Apostolum Apostolo; cap verò 5. & seqq. comparat & præfert Christũ Aaroni tamquam pontificem pontifici. Licet enim Moses eminenter quoque fuerit pontifex, vtpote qui Aaronem in pontificem consecrarit, & Deo sæpiùs sacrificarit, illumque populo reconciliarit; tamen postquam Aaronem creauit pontificem, illi pontificis munia reliquit, ipse verò Apostoli vices primò sibi à Deo delegatas obiuit, vt videlicet esset legislator, propheta, doctor & dux populi; donec veniret Christus, nouus & summus legislator, propheta, doctor, & dux populi, non tantùm Hebræi, sed & Gentilis.

Vrget ergo hîc Apostolus Hebræos, vt à Mose ad Christum, qui iam aduenit, transeant quasi à typo ad antitypum, ab vmbra ad veritatem: tota enim hac epistola deinceps Apostolus Hebræis, ex allegoria Mosis, Aaronis, & legis veteris, probat Christi & christianismi per illa adumbrati veritatem & præcellentiam.

VERS. 2. Qvi (Iesus Christus) FIDELIS EST EI QVI FECIT ILLVM] *Fecit illum* scilicet Apostolum & Pontificem: hoc enim repetendum est ex v. præced. Vnde Vatablus vertit, *qui constituit illum*. Christus ergo fidelis Deo fuit Apostolus, quia fideliter nunciauit hominibus Dei voluntatem & leges; fuit & fidelis pontifex, quia fideliter redemptionem & expiationem nostrorum peccatorum, etiam cum vitæ suæ dispendio, peregit.

Christus fidelis in apostolatu & pontificatu.

Sicvt et Moses in omni domo eivs] id est, in populo Iudaico, qui est domus, id est Ecclesia, in qua habitat & colitur Deus creator. patet v. 6. In hac ergo Ecclesia veteri fidelis Deo fuit Apostolus & legatus Moses: fidelis, inquam, in legislatione, in iussis & oraculis Dei populo annunciandis, in cura & regimine populi iuxta mentem & voluntatem Dei. Citat Apostolus Num. 12. 8. Pulchrè Theophyl. *Quod est*, inquit, *fidelis procurator vel œconomus in domo, hoc erat Moses in populo Hebræo.*

VERS. 3. Amplioris enim gloriae iste prae Mose dignvs est habitvs, qvanto ampliorem honorem habet domvs, qvi fabricavit illam] Vox *enim* dat causam cur dixerit v. 1. *Considerate* non Mosen, sed *Iesum*: nam licet Moses fidelis fuerit Dei Apostolus, vti & Christus fuit; Christus tamen tanto maiorem Mose gloriam à Deo adeptus est, quanto maior est domo, qui fabricauit illam, id est, quanto architectus domo est præstantior & honoratior, vtpote domus opifex. Christus enim est fabricator domus, id est Ecclesiæ Dei; Moses autem in ea tantùm fuit famulus & minister Dei, adeoque Moses pars fuit huius domus, id est Ecclesiæ, fuitque vnus è populo Dei, patet ex sequentibus. Nota græcismum, *ampliorem domus*, id est, ampliorem domo, vel ampliorem quàm domus ipsa. ità Chrysost. Theodor. Theophyl. hoc enim significat Græcum παρὰ τὸν οἶκον. malè ergo quidam τὸ *domus*, explicant in domo, vel ex domo.

Christus fabricator domus Ecclesiæ.

VERS. 4. Qvi avtem omnia creavit, Devs est] q. d. Christus, qui, vt dixi v. præced. & c. 1. v. 10. domum hanc Dei, id est Ecclesiam, adeoque omnia quæ sunt in rerum natura fabricauit & creauit, Deus est; ac proinde Christus quasi creator & Deus, longè nobilior est Mose, qui cum alijs est Christi creatura. ita Theophyl.

VERS. 5. Et Moses qvidem fidelis erat in tota domo eivs tamqvam famvlvs, in testimonivm eorvm qvae dicenda erant] vt scilicet testificaretur & exponeret Iudæis, qui erant tunc populus, domus & Ecclesia Dei, ipsius Dei voluntatem. Sicut ergo de S. Ioanne dicitur Apocal. 1. v. 1. quòd testimonium perhibuerit Verbo, id est, quòd verè exposuerit, tamquam verus testis, ea quæ audierat de Christo; ita & Moses testimoniũ perhibuit verbis Dei, siue ijs quæ ex parte Dei dicenda erant populo, quæque Deus Mosen populo dicere & denunciare volebat. ita Theophyl.

VERS. 6. Christvs vero tamqvam filivs in domo sva] Græcè ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, quod magis significat super domum, quàm in domo sua. vnde clariùs verti potest, Christus tamquam filius præest domui eius, scilicet Dei Patris, eamque vt dominus administrat; cùm Moses in ea tantùm fuerit famulus.

Qvae domvs svmvs nos] Græca & Græci, Chrysost. Theod. Oecumen. legunt ἧς οἶκος, id est, cuius, scilicet Christi, domus sumus nos. Sed concinniùs ac rectiùs, vt fatetur & Beza, Noster interpres legit ὅς οἶκος, id est, *quæ domus*, putà Ecclesia Dei, *sumus nos.*

Fiducia Christianorum est libertas in professione fidei.

Si fidvciam et gloriam spei vsqve ad finem, firmam retineamvs] Nota Primò. Pro *fiducia* græcè est παῤῥησίαν, id est, libertatem, per quam intelligit liberam & intrepidam fidei professionem, vt nec minis, nec pœnis à fide Christi auellamur, sed eam liberè, audacter, & aperta facie, vt vertit Syrus, coram tyrannis & persecutoribus profiteamur, etiamsi ea de causa vincula, rapinas bonorum, exilia, verbera, adeoque mortem subire debeamus.

Nota Secundò. Pro *gloriam* græcè est καύχημα, id est, *gloriationem*. *gloriationem spei* per hypallagen vocat spem gloriationis, id est, spem de qua gloriamur. vnde Vatabl. vertit. *spem gloriosam*. Vel propriè *gloriationem spei* vocat gloriationem qua in spe nostra firmi & animosi de eadem gloriamur, inquit

inquit Chrysost. ac si iam obtenta à nobis esset, ita vt fidem & spem nostram de futura beatitudine & gloria palàm tam vita, quàm verbo deprædicemus, de eaque gloriemur etiam in tribunalibus persecutorum & tyrannorum. Sic Rom. 5.2. dicit Apostolus: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Spes enim futuræ mercedis facit nos constantes in fide & vitâ Christiana, adeoque facit nos gloriari in mediis ærumnis & tormentis: hac enim spe multi Martyres in acerbissimis pœnis exultarunt & gloriati sunt.

Gloria spei Christiana.

Omnia hæc dicuntur ab Apostolo hoc fine, vt iis Hebræos in fide & vita Christiana confirmet & corroboret, ne ob tentationes, & Iudæorum persecutiones animo frangantur, langueant, & à fide deficiant: nihil enim ita corroborat hominem in persecutione & afflictione sicuti spes firma & certa, constansque persuasio & expectatio quòd breui illa afflictione liberabitur, & recipiet mercedem immensam in cælo.

Spes est regina affectuum.

Vbi Nota, Apostolum non qualem qualem spem requirere à Christianis, sed vegetam, fortem, exultantem & gloriantẽ: hæc enim facit, vt Christianus in quantauis tentatione & tribulatione non nutet, non cedat, sed constans persistat, fortiterque & generosè omnia aduersa superet & euincat, adeoque in iis lætetur & glorietur. Vnde Chrysost. hic in morali hom. 5. *Cum tanta*, ait, *animi alacritate proprium sanguinem pro Christo effundere debemus, cum quanta quis aquam effundit: etenim aqua est sanguis irrigans corpus.*

Spes & fiducia Christiana necessaria.

VERS. 7. QVAPROPTER SICVT DICIT SPIRITVS SANCTVS: HODIE SI VOCEM EIVS AVDIERITIS, NOLITE OBDVRARE CORDA VESTRA] *Eius*, scilicet Christi: hic enim præcessit. Citat Apostolus psal. 94. quo Dauid generatim inuitat omnes ad Dei creatoris & gubernatoris cultum, id est laudem, obedientiam, vt illum quasi pastorem suum, se verò quasi oues ipsius, ab eo pasci, ali & regi agnoscant, colant, ad eumque toto corde transeant, inquit Hieron. ibidem. Videtur autem conscriptus hic psalmus ad festum aliquod solenne, in quo frequens conueniret populus vt hoc psalmo ad Dei laudem excitaretur. Imò Theodor. vult hunc psalmum esse propheticum, videlicet à Dauide compositum esse in persona Iosiæ, post trecentos annos nascituri, vt eo vteretur Iosias cùm sublatis idolis populum Deo reconciliaturus erat 4. Reg. 22. & 23. Vnde ait, *Venite exultemus & iubilemus*, quasi victores & triumphatores de abolita impietate & idolis. Sed quidquid hac de re sit, videtur ad hoc composuisse eum Dauid, vt quouis festo & conuentu populi, præsertim solenniori, præcineretur ad deuotionem tum Leuitarum, tum populi in psalmodia, precibus & sacrificiis excitandam. Vnde etiamnum à clericis in officio diuino quasi inuitatorium ad psallendum & orandum præcinitur. Nam psalmi à Dauide compositi sunt pro omnibus tam Christianis quàm Iudæis. Voluit enim Dauid, vt iis quasi sacris carminibus omnes psallerent, Deumque laudarent & inuocarent; vnde generatim sæpè & indefinitè loquitur Dauid, vt patet hoc psal 94.

Psalmi inuitatoria in Ecclesia vnde dicti.

Quæres, Quomodo ergo Paulus hìc eum appropriat Christo, & quomodo per vocem *eius* intelligit vocem Christi, cùm Dauid intelligat vocem Dei loquentis ad suos Iudæos?

Respondeo, Paulus ex dictis c. 1. præsupponit Christum esse Deum, adeoque fuisse opificem & legislatorem veteris Synagogæ, ita vt legem dederit Iudæis per Mosem tamquam per famulum suum, vti paulò antè hìc præmisit. q.d. Christus est, ô Hebræi, Deus & Dei filius, qui locutus est per Mosem, quique per Dauidem dixit, *Hodie si vocem eius audieritis*, siue vos qui iam viuitis Iudæi, siue vos qui tempore Christi incarnati futuri estis Christiani, *Nolite obdurare corda vestra*: sed molli corde excipite dicta illius, illi obedite, nec vllo pacto ab eo desciscite. Ad Christum enim & Christianos quoque, non autem ad solos Iudæos hunc psalmum pertinere, patet ex eo quod ait, *Iubilemus Deo salutari*, id est saluatori, siue Iesu, *nostro. Præoccupemus faciem eius*, id est, maturemus manè ante lucem venire ad Deum, qui tantam salutem nobis attulit; *in confessione*, hebraicè תּוֹדָה *bètoda*, id est, *in laude*, &, vt Hieron. vertit, *in gratiarum actione.* licet enim Deus in veteri testamento saluator Iudæorum dici possit, quòd eos à Philistæis aliisque hostibus sæpè liberarit; tamen longè perfectiùs Christus dicitur Saluator, qui in nouo testamento Christianos à peccato, morte & inferno saluat, salutemq; & beatitudinem æternam eis confert.

Psalm. 94. pertinet etiam ad Christianos

Deus saluator veteri testamento, sed magis in nouo.

VERS. 8. SICVT IN EXACERBATIONE, SECVNDVM DIEM TENTATIONIS IN DESERTO] q.d. Nolite obdurare corda vestra, itaque me exacerbare, sicut patres vestri obdurantes corda sua me exacerbarunt.

Secundùm diem, id est in die, *tentationis in deserto*, per quadraginta annos murmurantes & rebellantes tam contra Mosem, quàm contra me; præsertim verò in Raphidim, cùm ob defectũ aquæ penè lapidarunt Mosen, vnde Moses ex petra aquam eis impetrare debuit. Alludit enim Apostolus ad Exodi 17.7. vbi hac historia narrata additur, *Et vocauit nomen loci eius*, מַסָּה *massa*, id est *tentatio*, וּמְרִיבָה *vmeriba*, id est, *& iurgium*, siue contentio, qua Iudæi iurgantes contra Mosen, Deum exacerbarunt.

Iudæorum rebelliones & murmurationes.

VERS. 9. & 10. VBI TENTAVERVNT ME PATRES VESTRI, PROBAVERVNT ET VIDERVNT OPERA MEA QVADRAGINTA ANNIS] Nota τὸ *quadraginta annis* tam posse referri ad præcedentia, scilicet ad τὸ *probauerunt & viderunt opera mea*, vti refert Paulus hìc, quàm ad sequentia, hoc modo: *Quadraginta annis proximus*, vel *infensus fui generationi huic*, vti legunt Aquila, Symmachus, & noster Interpres psal. 94. 10. quin & Paulus infrà v. 27. Vnum enim ex alio sequitur: quia enim Iudæi 40. annis, quibus peregrinati sunt per desertum, tentauerunt Deum, hinc totidem 40. annis offensus fuit illis Deus, adeoque omnes in deserto morte consumpsit, & solos eorum filios cum Iosue & Caleb, in terram promissam induxit.

Nota. Ad τὸ *probauerunt* Græci addunt με, id est *me*; sed idem est sensus: *me* enim idem est quod *opera mea.*

Secundò, Adamus sic exponit, *Probauerunt*, id est, cùm probassent; sed hoc non cohæret cum quadraginta annis: nec enim postquam probassent & experti essent Hebræi mira Dei opera quadraginta annis in deserto, tentauerunt eum in Raphidim; illa enim tentatio contigit primo aut secundo anno post egressum eorum ex Ægypto.

Planus ergo est sensus, q.d. In deserto tentauerunt me patres vestri; probauerunt, id est explorauerunt, opera mea, videruntque ea esse irreprehensibilia, potentia, fidelia & diuina, vt ex iis facilè

cilè agnoscere possent me esse eorum fidelem & omnipotentem Dominum, ducem & protectorem; cui obedire, cui credere, in quem sperare deberent: sed idipsum non fecerunt, vnde eis semper offensus fui & mansi.

VERS. 10. PROPTER QVOD INFENSVS FVI GENERATIONI HVIC] Ita legendum, *infensus* scilicet, non *proximus*: ita enim legit Paulus hîc, & Interpres noster psal. 94. & hoc exigit Hebræum קוּט *acut*, id est *nauseaui*, vltrà eos ferre non sustinens, stomachatus, offensus sum eis. hinc S. Hieron. vertit, *displicet mihi generatio ista*; Aquila & Symmachus, *displicet mihi in generatione ista*; Syrus, *tædium mihi fuit generatio hæc*.

Varietas lectionis in psalmo 94.

Dices, Quomodo ergo in officio diuino canimus, *Quadraginta annus proximus fui generationi huic*, sensu, vt videtur, contrario; quienim infensus est alicui, non solet illi esse proximus? Respondeo, Hæc varia lectio accidit ex eo quòd Græcum προσώχθισα sit ambiguum: significat enim irasci & offendi, significat etiam approximare, vel ad littus appellere: ὄχθη enim significat vel ripam vel littus. Hic vertendum esse *offensus fui*, non autem *proximus*, patet ex Hebræo, Aquila, Symmacho, Hieron. vti iam dixi. *Proximus* ergo sic exponendum est, q.d. Proximus fui, scilicet vt hostis ad vlciscendum & puniendum duros & rebelles Iudæos; hoc enim idem est quod *offensus fui*. ita passim recentiores.

ET DIXI: SEMPER ERRANT CORDE] πλανῶνται τῇ καρδίᾳ, id est, vecordes sunt & dementes, & insaniunt, vt non cognoscant vias meas, id est, mandata mea, quibus quasi viis ad me & ad salutem suam insistant & contendant.

VERS. 11. QVIBVS IVRAVI IN IRA MEA] Pro *quibus*, legit interpres in Græco οἷς. iam legunt ὡς, id est *sicut*. Sed nostra lectio magis congrua est, & propriè respondet Hebræo אֲשֶׁר *ascer*, id est *quibus*.

Si apud Hebræos est particula iurantis.

SI INTROIBVNT IN REQVIEM MEAM] *Si*, apud Hebræos particula est iurantis, eratque apud priscos Iudæos nota iuramenti execratorij, in qua subaudiendum est, Si hoc fiat, *non sim Deus, non sim verax*, aut quid simile. Hoc enim per euphemismum subticent Hebræi. Inde *si* translatum est ad quoduis iuramentum, valetque idem, quod non. Vt 1. Reg. 14. 45. *Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius*: hîc enim nil subauditur, sed sensus est, Iuramus per vitam Dei, quòd non cadet capillus de capite eius, id est, quòd non permittemus occidi aut tangi Ionatham.

Requies Iudæorũ terra promissionis: requies Christianorum æterna.

Nota. Per *requiem* intelligit terram promissam, scilicet Chanaan, in qua à labore peregrinandi, quem subierant in deserto, quieuerunt Hebræi, vt eo quasi fine & brauio extimulet Hebræos ad cõstantiam in fide. q.d. Finis & præmium laborum quos subierunt Hebræi peregrinantes in deserto, fuit requies in Chanaan, in quam induxit eos Iosue; finis verò laborum & dolorum quos subeunt Christiani in hac vita, est requies æterna in cælis, adumbrata per Chanaã, in quã inducit nos Iesus: ac proinde videte, ô Hebræi, ne discedatis, græcè ἀποστῆναι, id est, apostatetis à Deo, apostatando sc. à fide & lege Christi, qui est Deus noster verus, viuus & efficax ad vindicandã hanc sui iniuriam.

VERS. 13. SED ADHORTAMINI VOSMETIPSOS PER SINGVLOS DIES] ad perseuerandum in fide, in spe, & in persecutionum tolerantia, quasi generosi milites & athletæ Christi.

DONEC HODIE COGNOMINATVR] id est, donec viuitis: alludit ad versiculum citatum psalm. 94. *Hodie si vocem eius audieritis*, vrgetq; τὸ *hodie*. Nota. *Hodie* significat tempus præsens vitæ, gratiæ & pœnitentiæ, quod cuique datur: illo enim *hodie* illud ipsum quod psal. 94. olim Iudæis locutus est Deus, nunc & quibusuis sæculis cuilibet homini loquitur, scilicet, *Hodie si vocem audieritis nolite obdurare corda vestra*. quamdiu enim spiramus & viuimus, est *hodie*, quamdiu licet audire, credere & conuerti, est *hodie*: qui ante centum, ducentos, trecentos, mille annos vixerunt, habuerunt suum *hodie*, id est, suum tempus audiendi Christum, suum tempus procurãdæ suæ salutis: illis hoc iam transiit, videturque tantùm *hodie*, id est vna dies, fuisse. Nobis adhuc supereſt *hodie*, si non totum, certè aliqua eius pars, vtamur nostro *hodie*; crastinum numquam habituri. *Sera dies nimis est crastina, viue hodie.* ita Chrysost. & Oecumen. Eodem modo S. Antonius moriturus fratres hortabatur & excitabat ad studium virtutis dicens, *Hodie vos religiosum institutum inchoasse quotidie cogitate*. Sic & Barlaam ad Iosaphat apud Damascenum, *Cogita*, inquit, *hodie, te cœpisse Deo seruire, hodie te idipsum finiturum*, cogita hodie primum & vltimũ fore diem quo Deo seruis & seruies, ita fiet vt semper alacer omne tædium vincas, & alacriter in Dei obsequio progrediaris.

Hodie significat tempus præsens vitæ, gratiæ & pœnitentiæ.

Non est differenda bona vita in crastinum.

Subdolè Caluinus & Beza, *hodie*, inquiunt, id est, quamdiu nos vocat Deus; tamdiu enim durat dies hic & non ampliùs: quasi vsque ad certum vitæ tempus tantùm vocet nos Deus, quo exacto frustra speretur Dei gratia & vocatio; cùm tamen Patres passim dicant, in hac vita semper nobis nostrum esse Hodie, semper tempus esse pœnitendi & conuertendi se ad Deum. Adde, quòd *hodie* à vocatione Dei distinguat Apostolus & Psaltes, vt patet ex eo quod ait, *Hodie si vocem eius audieritis*. Quibus verbis apertè subindicat & præsupponit, posse esse Hodie, in quo non audiatur Dei vox & vocatio, illud enim exigit conditionalis coniunctio *Si*.

Error subdolus Caluini & Bezæ.

VT NON OBDVRETVR QVIS EX VOBIS FALLACIA PECCATI] Id est, ne illecebris peccatorum fallacibus capti obdurescatis ad vocem Dei, ne scilicet bonorum temporalium amore desciscatis à fide Christi, dum illa timetis perdere; cùm Iudæi suos à Mose ad Christum conuersos iis dispolient.

VERS. 14. PARTICIPES ENIM CHRISTI EFFECTI SVMVS] q.d. Christo tamquam corpori & capiti nos quasi partes & membra insiti sumus, per fidem, baptismum & gratiam. vnde Syrus vertit, אִתְחַלַּטְנָן *etchallatan*, id est, commixti sumus cum Christo, Christo concorporati, ac consequenter vitæ, gratiæ, gloriæ & hereditatis Christi participes facti sumus. Videamus ergo ne res tantilla, putà bona caduca, à Christo, à tanta dignitate, à tantis bonis nos separent & auellant.

Christiani sunt concorporati Christo.

SI TAMEN INITIVM SVBSTANTIÆ EIVS VSQVE AD FINEM FIRMVM RETINEAMVS] Pro *substantiæ* græcè est ὑποστάσεως, id est subsistentiæ. *Initium substantiæ*, vel subsistentiæ vocat fidem, per quam primò cœpimus quasi subsistere in substantia spirituali & diuina, factique sumus diuinæ consortes naturæ. Per fidem enim regenerati sumus in baptismo, cœpimusque esse noua Christi creatura. Fides ergo est initium substantiæ nostræ, siue subsistentiæ spiritualis, id est, nostræ iustificationis,

Fides initium subsistentiæ nostræ spiritualis.

bis, qua facti sumus noui homines, scilicet Christiani, spirituales & diuini ita S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen. q.d. Participes quidem facti sumus Christi, Christoque insiti; sed id nobis non proderit, nec Christi gloriam & hereditatem æternam participabimus, nisi in fide Christi persistamus. Sub fide spem, gratiam, charitatem, omnesque fidei proles & fructus intellige, vt dixi can. 3. & 4. Rursum *initium*, græcè ἀρχὴν, vocat fundamentum fidei: quia cuiusque rei fundamentum, in eo primum est, estque rei initium. ὑπόστασιν autem, id est substantiam, vocat ipsam fidem c. 11. 1. ita Maldon. in Notis manuscr.

Alij putant fidem vocari *initium substantiæ*, quia per fidem constanter in christianismo subsistimus & persistimus: fides enim proponens nobis spem futuræ mercedis & gloriæ nos sustentat, & quasi facit subsistere in aduersis & persecutionibus fortes & immobiles à Christo. Sic enim c. 11. dicit Apostolus: *Fides est substantia rerum sperandarum.* Verùm, quia hîc non addidit τῶν *sperandarum*, & quia substantia simpliciter naturam & essentiam, non autem constantiam significat; hinc prior sensus germanior est.

VERS. 15. DVM DICITVR, HODIE SI VOCEM EIVS AVDIERITIS] Pendet hæc sententia à v. præced. explicat enim quid sit τὸ *vsque ad finem*, scilicet, idem esse, quod *dum dicitur, Hodie*, id est, dum præsens agitur tempus vitæ nostræ, dum viuimus, & vocem Dei audimus, ne obduremus cor, & exacerbemus Deum; itaque requie cæli excludamur, sicut olim Iudæi sua obduratione exacerbarunt Deum, ideoque mortui sunt in deserto, & à requie terræ promissæ excluſi sunt.

A QVIDAM ENIM EXACERBAVERVNT, SED NON VNIVERSI] Quia non Iosue, non Caleb, non parauuli, non mulieres, non Leuitæ. Hi enim non murmurarunt contra Mosen, nec exacerbarunt Deum, ideoque vti culpæ, ita & pœnæ expertes fuerunt, saluique & incolumes ingressi sunt terram promissam Chanaan. Vide dicta Numer. 14. v. 29. Innuit Apostolus hîc aliquos Hebræos à fide Christi, metu persecutionis defecisse, sed non omnes: illos ergo qui adhuc in fide persistebant hortatur, ne illos timidos à fide deficientes imitentur, nisi cælo excludi velint; sed potiùs alios constantes in fide intueantur & æmulentur. VERS. 16. *Iosue, Caleb, parauuli, mulieres, Leuitæ non murmurarunt.*

PER MOSEN] duce Mose.

QVIBVS AVTEM INFENSVS EST, NISI ILLIS QVI INCREDVLI FVERVNT?] Id est, qui non credentes Mosi, & diffidentes de Dei promissis, desperabant se posse obtinere terram Chanaan, ideoque reuerti volebant in Ægyptum; qua de causa morte à Deo puniti sunt, & corpora eorum prostrata sunt in deserto. Incredulitatem tantoperè inculcat & perstringit Apostolus, vt ab ea Hebræos auertat, & in fide Christi tot persecutionibus tentatos & vacillantes confirmet. VERS. 17. & 18. *Incredulitas magnum peccatum.*

B ET VIDEMVS QVIA NON POTVERVNT INTROIRE] q.d. Vti iurauit & comminatus est Deus, ita reipsa executus est: scimus enim, & reipsa videmus illos incredulos & murmurantes non potuisse ingredi in Chanaan. q.d. Idem nobis eueniet, vt, nisi Deo minanti obtemperemus, ipsique credamus & fidamus, reipsa excludamur cælo. VERS. 19.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Hebræos ad constantiam in fide Christi, vt per Christum, in requiem æternam admittantur: hanc enim docet v. 7. promissam esse Christianis, sicut Iudæis promissa & data fuit requies sabbati, & requies in Chanaan.

Hinc Secundò, v. 11. deficientibus à fide Christi minatur exclusionem à requie cælesti: viuus est enim sermo Dei & efficax, vindexque apostasiæ.

Tertiò, v. 14. rursum hortatur vt Christum æquè, ac ipsos, tentatum per omnia, ipsique compatientem fidenter adeant & inuocent.

1. TImeamus ergo ne fortè relicta pollicitatione introëundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. 2. Etenim & nobis nunciatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis, quæ audierunt. 3. Ingrediemur enim in requiem, qui credimus: quemadmodum dixit, Sicut iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. 4. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis. 5. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. 6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ii, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem: 7. iterum terminat diem quemdam, Hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut suprà dictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. 8. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, numquam de alia loqueretur, posthac, die. 9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. 10. Qui enim ingressus est in requiem eius: etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus. 11. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. 12. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & inten-

tionum cordis. 13. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. 14. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cælos Iesum filium Dei: teneamus confessionem. 15. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. 16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

VERS. 1. TIMEAMVS ERGO NE FORTE RELICTA POLLICITATIONE INTROEVNDI IN REQVIEM EIVS, EXISTIMETVR ALIQVIS EX VOBIS DEESSE] Est metalepsis in verbo *timeamus*. q.d. Timeamus, & timendo caueamus ignauiam & inconstantiam, ne vel metu malorum, vel amore bonorum temporalium desciscendo ad iudaismum, relinquamus fidem & spem quietis & gloriæ æternæ, à Christo fidelibus suis promissæ; ita vt *existimetur aliquis ex vobis deesse*, id est, ita vt videatur aliquis iam ab itinere & introitu in requiem illam, putà in cælum, iam defecisse, alioqué mentem & iter reflexisse, ideoqué requie illa esse priuatus & exclusus. Sicut in huius rei typum multi Iudæi requie Chanaan & terra promissa, lacte & melle manante, dum murmurant & redire volunt in Ægyptum, exclusi sunt, mortuique in deserto.

Monet Apostolus Christianos, ne excludatur à requie eali, vt Iudæi exclusi sunt à requie Chanaan.

Nota. Græcum ὑστερηκέναι, quod noster Interpres vertit *deesse*, tam deficere & desciscere, vt vertit Syrus, quàm priuari significat.

Nota Secundò. Molliendo dicit *existimetur*, pro inueniatur, aut fit. ita Theophyl. Græcè δοκῇ, id est, *ne videatur*, hoc est, ne videri possit: sumitur enim potentialiter. Maldon. in Notis manuscrip. vertit, *ne contingat aliquem deficere*.

Nota Tertiò. Assurgit Apostolus à typo ad antitypum, id est, à Iudæis requie Chanaan, de quibus egit c. præced. ad Christianos requie cæli ob apostasiam exclusis, vel potiùs excludendis.

VERS. 2. ETENIM ET NOBIS NVNCIATVM EST, QVEMADMODVM ET ILLIS] Græcè καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, id est, etenim sumus euangelizati, id est, Euangelium, siue lætum nuncium accepimus æquè vt illi, scilicet Hebræi. Hebræi enim acceperunt Euangelium de possidenda terra Chanaan; nos verò Christiani accepimus Euangelium de possidendo regno cælorum. Quod ergo Dauid psalm. 94. vocat Dei vocem, dicens, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra* (hoc enim citauit Apostolus c. præced. v. 7. atque hîc perurget) Paulus hîc explicat & vocat Euangelium: ex quo rursum liquet Euangelium non tantùm promissa læta, vti eius etymon sonat, sed & minas pœnasque complecti. Talis enim est illa quæ sequitur v. 3. *Sicut iurauí*, incredulis & inobedientibus, *in ira mea, si introibunt in requiem meam*: qua de causa Noster non vertit, *euangelizatum est*, sed *nunciatum est*, quod tam tristia quàm læta, tam supplicia quàm præmia comprehendit.

SED NON PROFVIT ILLIS SERMO AVDITVS, NON ADMISTVS FIDEI (id est, non receptus fide, nec creditus à Iudæis) EX IIS (id est, secundùm ea) QVÆ AVDIERVNT] q.d. Non profuit Hebræis hocce suum Euangelium, hocce suum lætum nuncium, quia ea quæ à Deo per Mosen audierunt, scilicet quòd Dei ope Chananæos essent superaturi, & in eorum terram tam fertilem quietè ingressuri, non crediderunt, vnde desperantes, reuerti voluerunt in Ægyptum.

Infidelitas Iudæorum.

Vrget Apostolus non mores impios, sed infidelitatem Iudæorum; quia hoc tantùm proposito eius seruiebat, vt nimirum ex ea, eiusque punitione, Hebræos Christianos ab apostasia deterreat, & in fide Christi confirmet, ne ob persecutiones abea deficiant.

Nota. Pro *admistus*, græcè est συγκεκερασμένος, quod significat vinum, aliumúe potum, aqua alioúe liquore mistum, dilutum & temperatum. q.d. Sermo hîc, siue Euangelium, & promissio Dei, de re tam ardua & difficili, scilicet Chananæis fortissimis subiugandis, fuit Hebræis, instar vini meri & potentis; quia superauit eorum opinionem & æstimationem, visusque fuit eis incredibilis, quia illud quasi merum hauserunt, id est, quasi rem nimis arduam, nimis potentem, impossibilem acceperunt, nec aqua fidei miscuerunt & temperarunt, vti legit S. August. in psal. 77. si enim credidissent Deum esse fidelissimum æquè ac potentissimum, credidissent sanè Deum promissis staturum, seque inducturum in Chanaan, itaque Deum ducem secuti, illique credentes & fidentes penetrassent in Chanaan: iam quia res tantas, metientes eas viribus suis, non crediderunt; hinc diffidentes & reuerti volentes, promissione hac exciderunt, nec Chanaan ingressi sunt, itaque omne hoc Euangelium eis non profuit.

Obiectum fidei est instar vini meri & potentis.

Nota Secundò. Pro συγκεκερασμένος, Græca iam legunt in accusatiuo, μὴ συγκεκερασμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν, id est sermo auditus non profuit, non admistis vel commistis fide iis qui audierunt. Verbum enim ὠφέλησεν poscit apud Græcos accusatiuum, vti *profuit* apud nos poscit datiuum. q.d. Sermo hic quo Deus promisit Hebræis terram Chanaan, non profuit Hebræis, qui per fidem non sunt commisti cum Iosue & Caleb, qui duo soli audierunt, id est crediderunt. ita Chrysost. & Theophyl. Vnde aliqui cum Caietano hîc legunt, *non profuit sermo non admistis fidei iis qui audierunt*, id est, non profuit sermo audientibus, quia non erant admisti fidei, id est, quia non crediderunt. Verùm, vt rectè aduertit Ribera, vera lectio huius loci esse videtur hæc: *Sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei, iis* (id est, in iis) *qui audierunt*. Sic enim habent Græca. Græci & Syrus. q. d. Non profuit hic sermo, hoc Euangelium, siue lætum nuncium de requie & possessione Chanaan Hebræis, qui illud à Deo per Mosen audierunt; quia licet initio, cùm hac spe egressi sunt ex Ægypto, Deo id promittenti crederent, postea tamen auditis exploratoribus dicentibus, Chananæos esse viros fortissimos, habereque vrbes inexpugnabiles, à fide hac defecerunt: ita pariter vobis Christianis, ô Hebræi, non proderit hocce Christi Euangelium, quo promittit regnum cælorum, audisse & credidisse, si metu persecutionum à Christi fide deficiatis; quare persistite in fide Christi, vt prosit vobis Euangelium, ac reipsa promissam in eo hereditatem regni cælestis cernatis & adeatis.

Varietas lectionum huius loci, & genuinus textus.

Numquam à fide desciendum.

VERS. 3. INGREDIEMVR ENIM IN REQVIEM, QVI CREDIDI-

DIDIMVS: QVEMADMODVM DIXIT: SICVT IVRAVI A IN IRA MEA SI INTROIBVNT IN REQVIEM MEAM: ET QVIDEM OPERIBVS AB INSTITVTIONE MVNDI PERFECTIS] Græcè εἰσερχόμεθα *ingredimur*, id est, ingredi incipimus & pergimus, tendimusque vt in eam reipsa ingrediamur: significatur enim actus ingrediendi non completus, sed inchoatus & continuatus, iuxta can. 32.

Nota. Vox *enim* dat causam, cur v. 1. dixerit: *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione, existimetur aliquis ex vobis deesse.* q.d. Timendum est vobis, ne frustremini spe cælesti, si relinquatis fidem Christi, in qua vobis eam promisit Deus: nam si fidem hanc constanter retineatis, nihil vobis est timendum; certò enim requiem illam ingrediemini. Id probat ex citato vers. psal. 94. *Sicut iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Estque argumentum à contrario. q.d. Soli increduli Hebræi B non sunt ingressi terram Chanaan; omnes autem credentes eam ingressi sunt. ergo sicut sola incredulitas illos ab ea excluſit, ita fides hos in eam induxit. Atqui Hebræi credentes & increduli Mosi, significabant allegoricè homines credentes & incredulos Christo; rursum requies Chanaan significabat requiem cæli. Ergo pariter soli illi requie cæli excludentur, qui Christo credere & obedire noluerunt; omnes verò qui credunt & obediunt Christo, in eoque perseuerant, hanc cæli requiem ingredientur.

Nota Secundò. Pro *sicut*, legit Interpres in Græco ὡς, cùm suprà v. 11. c. 3. legerit οἷς, id est, quibus, vt ibi dixi. Hic versus Hebræis acrem dat stimulum, quo pariter S. Cyprian. tract. de Laude martyrij Christianos in persecutione Decij ad martyrium exstimulat. *Meminisse*, inquit, *debes velut* C *quadam te fœderis pactione constrictum, ex qua aut capessenda salutis sit iusta conditio, aut pœna merita formido. Stas inter aduersa pariter ac prospera, arma inter & tela, hinc, & te sæcularis ambitio, inde cælestis admonet magnitudo. Ante oculos tibi quæso concurrant oblata & præmia, & parata discrimina. Cælo Martyres gaudent, veritatis inimicos ignis absumit. Paradisus Dei testibus floret, negatores gehenna complexa æternus ignis inardescit.* Inardescit, id est comburit, scilicet ipsa gehenna, quæ non est aliud quàm æternus ignis. Est enim appositio. Sic Virgil. Georg. 4. dicit: *Ardebat Sirius Indos.*

ET QVIDEM OPERIBVS AB INSTITVTIONE MVNDI PERFECTIS] Est occupatio, per quam ascendit Apostolus ad explicandam anagogen sabbati, vt ex ea, & ex requie in Chanaan, cuincat per verba citata psal. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut exacerbauerunt* D *me patres vestri in deserto; quibus iurasi in ira mea, si introibunt in requiem meam:* hinc, inquam, cuincat reitare Christianis tertiam requiem in cælo. q.d. Duplex requies olim promissa fuit à Deo patribus nostris. Prima requies fuit sabbati, qua Deus Genes. 2. 3. in honorem & memoriam suæ creationis & quietis iussit homines quiescere ab operibus die septimo. Secunda requies fuit in Chanaan: atqui Dauid, cùm psal. 94. loquitur de requie, eamque tacitè credentibus promittit, non loquitur de requie diei septimi siue sabbati, quia in illam iam pridem inducti erant homines, scilicet ab initio mundi, cùm Deus operibus suæ creationis perfectis, sanctificauit diem sabbati, iussitque homines illo die quiescere, & suam requiem imitari. Dauid etiam non loquitur de requie in Chanaan, vt patebit v. 6. & 7. Ergo fatendum est quòd Dauid loquatur de tertia requie in cælo, eamque promittat fidelibus & Christianis, si in fide Christi perstent. hæc omnia magis patebunt v. 7. *Tertia requies adiuncta per duas priores.*

Hinc satis clarè elicitur & euincitur, sabbati cultum & requiem in vsu fuisse apud homines, ante legem Mosis ab origine mundi (licet id neget Abulens. in c. 23. Leuitici q. 3) vt scilicet diem septimum homines colerent, eoque à laboribus quiescerent in memoriam & gratiarum actionem creationis tam sui, quàm totius mundi, quam Deus compleuit die septimo: alioqui enim vim non haberet discursus & argumentum Pauli, vt patet ex dictis, & ex dicendis mox patebit magis. *Cultus & requies sabbati in vsu fuit ante legem Mosi, ab origine mundi.*

Rursum, Paulus hîc non loquitur de requie Dei in die septimo, sed de eius effectu & imagine, scilicet requie hominum in sabbato, in quam ait nos ingredi, vel potiùs ingressos ab institutione mundi: ergo ex tunc homines sabbatum colere cœperunt. *Paulus non loquitur hîc de requie Dei in die septimo.*

Tertiò, idipsum significatur Gen. 2. 3. vbi dicitur, Deum iam tum sanctificasse, id est festum & sanctum decreuisse ac sanxisse diem septimum, vt scilicet recens hoc creationis beneficium solemni hoc die iugiter recolerent homines, Deoque gratias agerent.

DIXIT ENIM IN QVODAM LOCO (Genes. 2. vt nostis vos Hebræi) DE DIE SEPTIMA SIC: ET REQVIEVIT DEVS DIE SEPTIMA AB OMNIBVS OPERIBVS SVIS. ET IN ISTO (psal. 94. iam citato) RVRSVM: SI INTROIBVNT IN REQVIEM MEAM] En hîc requies Dei duplex; prior in sabbato & sabbatismo. Secunda in Chanaan, vt iam dixi. VERS. 4. & 5.

Nota. Deus quieuit in die septima à creatione nouarum rerum & specierum, non autem à productione & propagatione nouorum indiuiduorum in quaque specie. *Quies Dei in die septima à productione nouarum specierum, nõ indiuiduorũ.*

Nota Secundò. Requies sabbati dicitur Dei, tum formaliter, quia in die septimo quieuit Deus à creatione; tum exemplariter & efficienter, quia quies hominum in sabbato, & cultus sabbati institutus est à Deo ad exemplar quietis Dei in sabbato: ideo enim iussit Deus homines quiescere in sabbato, quia ipse eodem die quieuit ab operibus suis. *Quieuit Deus exemplariter & efficienter in sabbato.*

Nota Tertiò τὸ *rursum.* q.d. Præter requiem sabbati, habet Deus aliam requiem, quam hominibus præparauit, & à qua incredulos excluſit, dicens: *Si introibunt in requiem meam*, de qua mox subdit:

QVONIAM ERGO SVPEREST INTROIRE QVOSDAM IN REQVIEM ILLAM, ET II QVIBVS PRIORIBVS ANNVNCIATVM EST (græcè εὐαγγελισθέντες, id est, quibus euangelizatum est, de quo dixi v. 2.) NON INTROIERVNT PROPTER INCREDVLITATEM. ITERVM TERMINAT DIEM QVEMDAM, HODIE, IN DAVID DICENDO] Hic est discursus Apostoli: Deus suam requiem promisit & præparauit hominibus aliquibus, ad eamque inuitauit Iudæos, vt scilicet sub Deo, primò in hac vita quiescerent, & quietè viuerent in Chanaan, deinde in altera vita quietissimè & felicissimè viuerent in cælo. Verùm Iudæi increduli fuerunt Deo, ideoque excluſi sunt hac Dei quiete, id est, tam terra Chanaan, quàm cælo. Hinc ergo Deus, ne requies sua maneat vacua, tertiò per Dauidem, VERS. 6. & 7. *Requies Dei quibusnam sit præparata.*

fideles & Christianos ad suam requiem inuitat dicens: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Obiicere quis posset: Iosue & Caleb cum filiis incredulorum, ingressos esse in quietem Chanaan, ac proinde illam non esse vacuam, sed plenam. Verùm hanc obiectionem excludet inferiùs v.8.

VERS. 7. ITERVM TERMINAT DIEM QVEMDAM: HODIE, IN DAVID DICENDO, POST TANTVM TEMPORIS, SICVT SVPRA DICTVM EST: HODIE SI VOCEM EIVS AVDIERITIS, NOLITE OBDVRARE CORDA VESTRA] Pro *terminat*, græcè est ὁρίζει, id est, præfinit & determinat, hoc est, signat quoddam spatium temporis, scilicet *hodie*, putà tempus vitæ nostræ, quo possumus intrare in hanc Dei requiem, post quod nulla sit facultas introëundi. q d. Dauid implicitè nobis insinuat quamdam Dei requiem, quando adhortatur nos psal. 94. ne obduremus voci Dei cor nostrum, vti fecerunt Patres, cùm eos Deus ex Ægypto euocans in Chanaan ducere volebat, quos idcirco Deus requie sua exclusit; sed potiùs vt auscultemus Deo ducenti nos in requiem suam. Atqui Dauid non loquitur de requie sabbati: hæc enim facta & peracta est in genesi & creatione mundi. Nec Secundò, loquitur de requie, quam Deus Hebræis dedit in terra promissa per Iesum, siue Iosue, vtpote quæ iam tanto tempore præterierat, quamque iam possidebant cùm Dauid dixit: *Hodie si vocem eius audieritis*, &c. Ergo necessum est dicere, quòd Dauid aliam & tertiam quamdam requiem intellexerit, putà in cælo æternâ, quæ nobis fidelibus & Christianis quauis ætate, hoc *hodie* proponitur; tertiam inquam requiem, quæ per duas præcedentes, scilicet per requiem sabbati & requiem in Chanaan anagogicè fuerit significata, quam nobis præstat Iesus Christus per Iosue adumbratus.

Requietis caelestis anagogica prasignificatio duplex.

VERS. 8. NAM SI EIS IESVS (Iosue) REQVIEM PRÆSTITISSET, NVMQVAM DE ALIA LOQVERETVR, POSTHAC, DIE] Est occupatio. Rationi Pauli obiicere poterant Hebræi: Tu Paule, dicis patres nostros requie Dei in Chanaan exclusos ob incredulitatem, ideoque alios, putà Christianos, in requiem Dei admittendos esse: nos excipimus, dicimusque filios patrum nostrorum Deo credentes cum Iosue in requiem Chanaan esse ingressos, ac consequenter non quærendos esse alios, qui requiem Dei ingrediantur. Hoc elidit hîc Paulus per verba Dauidis dicentis, *hodie*. Per *hodie* enim insinuat etiamnum restare requiem in quam ingrediamur, ac consequenter sequitur eam non esse exhibitam per Iosue, qui iampridem mortuus est. Itaque Paulus significat Dauidem illis verbis, *Si introibunt in requiem meam*, per requiem intellexisse quidem ad litteram requiem in Chanaan; sed allegoricè, & multò magis significasse requiem in cælo Christianis promissam, figuratâ per Chanaan: ad hanc enim quemlibet inuitat etiamnum Dauid dicens, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Ostenditur post omnem requiem veteris testamenti, restare tertiã in cælo.

Innuit ergo Dauid, quòd Deus vocans & promittens Hebræis requiem in Chanaan, hoc ipso tacitè & allegoricè eosdem vocarit, eisque promiserit requiem in cælo, quodque tam ab hac, quàm ab illa Hebræi ob incredulitatem fuerint excluſi. Vnde colligit Paulus: reliquum ergo est, vt Christiani hanc Dei requiem in cælo, ad quam maximè Deus Hebræos vocauerat, occupent: hoc est enim quod subdit dicens:

ITAQVE RELINQVITVR SABBATISMVS POPVLO DEI] Id est, ex dictis sequitur, aliud sabbatum, id aliam requiem, relinqui & restare populo fideli & Christiano, putà requiem, gaudium & solemnitatem cælestem, figuratam per quietem & festum sabbati veteris & Iudaici. שָׁבַת *sabat* enim hebraicè significat quiescere, inde שַׁבָּת *sabbat*, vel *sabbatum* dicitur quies: vnde dies septima, in qua indicta erat omnibus quies, vocatur sabbatum. sabbatismus ergo idem est, quod requies. VERS. 9.

Sabbati derivatio & significatio.

QVI ENIM INGRESSVS EST IN REQVIEM EIVS, ETIAM IPSE REQVIEVIT AB OPERIBVS SVIS, SICVT A SVIS DEVS] Vox *enim*, dat causam, cur hanc requiem Christianorum vocarit sabbatismum. causa hæc est analogia & allegoria sabbatismi: sabbatismus enim vetus aliud non erat, quàm quies ab operibus in die septimo, vt hac quiete homines recolerent & repræsentarent requiem Dei, qua die septimo ab operibus creationis quieuit. Hæc autem omnia allegoricè, vel potiùs anagogicè, significabãt fideles & Christianos in æterna illa Dei requie in cælo, pari modo, & multò feliciùs quieturos ab omnibus operibus molestis & difficilibus virtutum, ab omni labore & lucta contra vitia & tentationes, ab omni mortificatione actiua & passiua, quibus laborabant & affligebantur in hac vita. Significat ergo Sanctos in Ecclesia, non militante, vt vult Beza, sed triumphante, cessare ab omni labore huius miseræ vitæ, quæ tota in negotio consistit. Vult enim probare veram illam requiem non solùm non fuisse in terra Chanaan, sed ne esse quidem posse in hac vita, quæ, vt docet Iob cap. 14. v. 1. non est aliud quàm militia, & laborum ac miseriarum omnium theatrum. VERS. 10.

Bona quietis aeternae.

Quàm suauis sit hæc requies Beatorum in cælo, pulchrè docet S. Chrysost. in morali homiliæ 6. *Reuera*, inquit, *illa est requies, vbi fugit dolor, tristitia, gemitus, & vbi neque solicitudines, neque labores, neque agones. non est illic, In sudore vultus tui comedes panem tuum. non est illic, In tristitiis generabis filios; sed omnia pax, gaudium, iucunditas, voluptas, bonitas, mansuetudo. non est illic inuidia, neque zelus, neque morbus, neque mors, non ibi tenebræ, neque nox, semper diei claritas; non est fatigari, non fastidium accipere, semper in desiderio bonorum perseuerabimus*, & quæ sequuntur.

FESTINEMVS ERGO INGREDI IN ILLAM REQVIEM] q.d. Dum in vitæ huius deserto, instar Hebræorum, peregrinamur & tendimus ad requiem, & terram promissam in cælis, non consistamus, non respectemus, non lassemur, non cadamus animo ob labores, & hostium incursus ac persecutiones, sed forti & constanti animo pergamus, imò festinemus ingredi in illam requiem. VERS. 11.

Quo vicinior quis palmae, concitatius currere debet.

Cursu, inquit S. Chrysost. hîc in morali homiliæ 7. *opus est, & vehementi cursu: qui currit, non ad prata adiacentia, non ad amicos, non ad spectatores, sed ad palmam attendit, non consistit, meta vicinus non languet, sed cursum intendit: sic quo seniores & cælo viciniores sumus, eo magis & concitatiùs currere debemus. Festinandum nobis est*, ait D. Thomas, *in hac peregrinatione, quia via longa est, vita breuis, vocatio Dei vrget, & in mora est periculum.*

VT NE IN IDIPSVM QVIS INCIDAT INCREDVLITATIS EXEMPLVM] Id est, ne quis fiat simile incredu-

credulitatis exemplum, quale scilicet fuerunt Hebræi; vt, sicuti Hebræi ob incredulitatem Chanaan excluſi ſunt, ita nos, ob eamdem, cælo excludamur. Vatabl. & Eraſmus vertunt, *ne quis eodem concidat incredulitatis exemplo.* vel, *ne quis ob incredulitatem corruat, vti illi corruerunt, & proſtrati ſunt in deſerto.*

Nota, Hebræi maxima parte itineris ex Ægypto in Chanaan confecta, cùm iam Chananææ vicini eſſent, ob exploratorum triſtia & timida nuncia, Deo diffidere cœperunt, volueruntque reuerti in Ægyptum; vnde Deus iratus eos per quadraginta annos circumduxit in deſerto, vt omnes morte conſumeret. Idem hîc minatur & intentat Apoſtolus Hebræis, ad Chriſtum iam conuerſis; ſcilicet eos, niſi in fide Chriſti perſiſtant, omneſque tentationes, terrores & perſecutiones ſuperent, cælo excludendos eſſe, ſi videlicet perſecutionum metu à Chriſto ad iudaiſmum deſciſcant.

Vine & omittones deſtatantes à fide.

Moraliter illud ipſum exemplum applicet ſibi quiſque illorum, qui Dei vocationi ad fidem, & pœnitentiam, vel etiam ad virginitatem, religionem & perfectionem reſiſtunt, eamque negligunt & ſpernunt, contra quos tonat Dominus Prouerb. 1. 24.

& à vocatione ad profeſſionis ſtatum.

VERS. 12. VIVVS EST ENIM SERMO DEI, ET EFFICAX] Vox *enim*, dat cauſam, cur timere debeant Hebræi, ſi à fide Chriſti recedant, ne incidant in idem cum priſcis Iudæis, incredulitatis exemplum. Cauſa hæc eſt, quia ſermo Dei viuus eſt & efficax, qui hoc exemplum de eis ſtatuere vult & poteſt.

Quæres, quis ſit hic ſermo. Aliqui intelligunt Dei oracula & minas, quæ intentauit incredulis. Verùm longè aptiùs & meliùs alij paſſim intelligunt Dei filium: hic enim Iohan. 1. v. 1. æquè vt hîc dicitur λόγος, id eſt, verbum vel ſermo, ſcilicet mentis & conceptus paterni. Idem patet ex ſequentibus. nulli enim verbo aut ſermoni niſi Filio competit id quod ſequitur, quòd ſcilicet ſit diſcretor cogitationum, & quòd omnia nuda & aperta ſint oculis eius.

Viuus ſermo hic eſt filius Dei.

Dices, Cur ergo Paulus clarè non nominat Filium, ſed vocat eum λόγον, id eſt ſermonem vel verbum?

Obtres cauſas Paulus hic filium Dei vocat ſermonem.

Reſpondetur Primò, quia proprium nomen Filij eſt λόγος: ſicut enim nos cogitando, vel intelligendo formamus nobis conceptum rei cogitatæ vel intellectæ, qui dicitur verbum vel ſermo mentis: ita Pater æternus intelligendo & comprehendendo ſuam eſſentiam, & omnia quæ in ea ſunt, formauit & produxit hoc verbum æternum: hoc tamen diſcrimine, quòd noſtrum verbum, vtpote imperfectum, menti noſtræ non ſit adæquatum, ſed accidens ſit & actus vitalis intellectus, quo rem concipimus & intelligimus; Dei verò Verbum perfectiſſimum, Deoque adæquatum ſit perſona ſubſiſtens & producta (ſcilicet filius Dei) qua, & per quam Pater dixit, & facta ſunt omnia, Iohan. 1. v. 3. vnde S. Iohan c. 1. propriam filij Dei rationem & naturam deſcribens & definiens: *In principio*, inquit *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* quod pulchrè ſuo carmine tranſtulit Nonnus, cùm ita canit:

Filius Dei dicitur Verbum & ſermo: & differentia noſtri verbi à Verbo Dei.

Ἀρχόνος ἰῶ, ἀνίχνητος ἐν ἀρχῇτῳ λόγος ἀρχῇ,
Γαστρὸς, χωετῆρος ὁμήλικος, ἡΰς ἀμήτωρ.

id eſt, *Sine tempore erat, incomprehenſibile in ineffabili Verbum principio,*
Æqualis naturæ Patri coæuum, Filius ſine matre.

Hinc etiam Gentiles philoſophi & Theologi, vt Triſmegiſtus, Orpheus, Plato, aliique Græci, Chaldæi & Ægyptij Deum Patrem vocarunt νοῦν, id eſt mentem, Filium verò λόγον, quaſi mentis prolem & verbum, vt teſtatur Theodoret lib. 2. de Curandis Græcorum affectionibus, & S. Auguſt. l. 7. Confeſſ. c. 9.

Gentiles philoſophi Patrem vocãt νοῦν, Filium λόγον.

Secunda cauſa, cur Paulus filium Dei potiùs vocet ſermonem, quàm Filium, eſt quia alludit ad ſermonem fidei, de quo dixi v. 2. hoc enim Verbum mentale ab æterno factum eſt vocale in tempore, cùm locutum eſt per os Moſis & Prophetarum, & maximè cùm ipſummet Verbum induit carnem, os & vocem hominis, fidemque ac voluntatem Dei Patris ſuo ſermone nobis enarrauit & euangelizauit.

Verbũ mentale factum eſt vocale.

Tertia cauſa eſt, quia filius Dei ſuo ſermone, id eſt ſententia, decreto & iuſſu puniet eos, qui incredduli ſuum ſermonem fidei repulerunt, credentes verò, illique dicto audientes præmiabit. hoc enim propriè hîc intendit Apoſtolus.

Filius ſuo ſermone puniet infideles.

Senſus ergo eſt, q. d. Quidquid Dei filius promiſit & comminatus eſt incredulis per os & ſermonem Dauidis, Prophetarum & Apoſtolorum, id certò & efficaciter præſtabit ſuo ſermone, decreto & iuſſu. Eſt enim ipſe ſermo omnipotens, viuus & efficax vt incredulos & rebelles occidat, damnet & cruciet pœna viuaci in æternum; fideles verò præmiet & ſaluet, vt viuant & regnent in æternum. ita Theodor. Oecumen. S. Thom. Lyran Caietan. & alij.

Nota. λόγος tam ſermonem, quàm verbum ſignificat; vnde ſicut illud Iohan 1. v. 1. *In principio erat Verbum*, verti poteſt, *in principio erat ſermo*. inde enim Tertull. Cyprian. Ambroſ. Hieron. & alij veteres Filium ſæpè vocant Sermonem: ita hic viciſſim verti poteſt, *viuum enim eſt verbum Dei & efficax*; & ita legit S. Ambroſ. lib. 4 de Fide cap. 3. ſicut enim Verbum, vtpote vnum & ſimplex, ſimplicitatem, ita ſermo integritatem & perfectionem filij Dei ſignificat. ſermo enim ex multis verbis conſtans, integram perfectamque effert & enunciat ſententiam, non vnam tantùm, ſed plures ſæpè. Vnus enim ſermo ſæpè multis propoſitionibus & ſententiis coaleſcit & conflatur, quod huic loco congruit. Paulus enim inducit hîc Chriſtum quaſi ſermonem multiuarium, qui ſcilicet ſingulorum cogitationes examinet & diſcernit; atque hos puniat, illos præmiet.

Sermonis & verbi conuenientia, & differentia.

ET PENETRABILIOR OMNI GLADIO ANCIPITI] Pro *penetrabilior*, græcè eſt τομώτερος, id eſt acutior, magis incidens. τέμνω enim idem eſt quod ſeco, incido. Secundò, pro *ancipiti* græcè eſt δίστομον, hoc eſt, habentem duo ora, id eſt, duas acies, ſcilicet vtrimque acutum & incidentem. ſicut enim Hebræi, ita & Græci aciem gladij vocant *os*, quòd inſtar oris homines mordeat & deuoret. Vnde illud in Scriptura tritum, *Percuſſit illos in ore gladij*, id eſt, in acie, vel per aciem gladij. Iam ſenſus huius loci eſt, q. d. Sermo Dei omnia penetrat, eſtque quaſi anceps gladius habens duplicem aciem, putà aciem duorum teſtamentorum, noui ſcilicet & veteris, ait S. Auguſt. l. 20. de Ciuit. c. 12. Sed hoc myſticum eſt. Secundò, S. Thom. Sermo Dei, inquit, eſt anceps, quia paratus & expeditus eſt, tam

Acies gladij apud Hebræos & Græcos vocatur, os.

Gladius anceps noui & veteris teſtamenti.

ad sciendum, quàm ad agendū, tam ad bona promouenda, quàm ad mala diuertenda. Sed & hoc mysticum & tropologicum est.

Dico ergo Tertiò & genuinè, *Sermo Dei*, id est filius Dei, est *penetrabilior gladio ancipiti*, id est, acutissimus est, profundissimè & vndique penetrat, sicuti maximè secat & penetrat gladius anceps, qui vtrimque secat. Porro hæc vis penetrandi sermonis, id est filij Dei, consistit partim in cognitione, partim in actiuitate. sicut enim gladius anceps, secans & penetrans hominem, non tantùm maximè actiuus est, maximamque secandi vim ostendit, sed etiam hoc ipso quo hominem secat & penetrat, hominis intima denudat, eaque omnibus cognoscenda & intuenda proponit: ita & Filius, Primò, penetrat & peruidet omnia corda & cogitationes, vt nulla incredulitas aut iniquitas, quantumuis in corde abscondita, eum latere possit. vnde explicans idipsum Apostolus subdit: *Discretor est cogitationum, & omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Secundò, idem Filius sua præsentia & actiuitate penetrat omnia, vt quosuis peccatores, & quæuis peccata quantumuis recondita, punire, damnare, occidere & dissecare possit: sicut enim oculos, ita & manus habet acutissimas, maximeque efficaces & penetrantes.

Vis penetrandi filij Dei in duobus consistit.

Moral. Hugo Victor. in Ioëlis c. 3. *Viuus*, ait, *est sermo Dei, vt credas: efficax, vt speres: penetrabilis, vt timeas. Viuus est in præceptis, & prohibitionibus: efficax in promissis, & comminationibus: penetrabilis in iudiciis, & damnationibus. Quia igitur viuus est sermo Dei, credendum est eum vera promittere: quia efficax, credendum est eum promissa perficere: quia penetrabilis est, & falli non potest, eum offendisse lugendum est, & de cetero offendere cauendum est.*

ET PERTINGENS VSQVE AD DIVISIONEM ANIMÆ AC SPIRITVS, COMPAGVM QVOQVE AC MEDVLLARVM] *Anima* est inferior pars hominis, in qua residet cupiditates & affectus partim naturæ, partim concupiscentiæ, à quibus homines Animales vocantur. *Spiritus* verò est superior pars hominis, fide & gratia Dei illustrata, à qua homines Spirituales dicuntur. q.d. Verbum hoc, siue sermo Dei, putà Filius, examinat & discernit motus & cogitationes tam animales quàm spirituales, *compages quoque & medullas*, id est intimas hominum partes: compages enim sunt cartilagines, musculi & nerui, quibus in homine os vnum alteri colligatur; medulla verò est succus & pinguedo ossibus inclusa. Discernit, inquam, hæc Filius, ita scilicet, vt peruideat qui motus ab anima, qui à spiritu proueniant, an scilicet hæc illaue cogitatio, affectus & desiderium promanet à natura aut concupiscentia, an verò à Dei gratia. q.d. Omnia omnino, etiam abditissima & intima, videt, penetrat, examinat, iudicat & vindicat Christus Dei filius, nihil est tam absconditum, quò non penetrent & oculi & manus Christi.

Christus peruidet & discernit omnes motus naturæ & gratiæ.

S. Gregor. hom. 11. in Ezech per *compages* intelligit cogitationes sibi inuicem instar compagum connexas, per *medullas* verò intelligit intentiones, vt seipsum explicans subdit Apostolus:

DISCRETOR est COGITATIONVM ET INTENTIONVM CORDIS] Pro *discretor*, græcè est κριτικὸς, id est, criticus est Christus, iudex & censor cogitationum & intentionum cordis; scit & peruidet quid quisque cogitet & velit, & quo fine, perspicit fundum animæ nostræ, vti nos perspicimus lapillos in fundo limpidissimæ aquæ iacentes: perspicit, inquam, Christus intima nostra desideria, hoc fine vt ea iudicet & præmiet, aut puniat & vindicet, v.g. vt vos, ô Hebræi, si in fide sua persistatis, glorificet; sin metu persecutionum ab ea deficiatis, etiam per latentem vel occultam tantùm diffidentiam, apostasiam, vel incredulitatem, damnet & reprobet.

Christus iudex & censor omnium cogitationum nostrarum.

Moraliter Nota hunc locum pro præsentia & omniscientia Dei, quæ cuique magno debet esse stimulo, vt se compescat ab occultis & mentalibus peccatis & desideriis prauis, vtque bonis & sanctis cogitationibus & studiis semper insistat. *Oculos Dei simul vniuersa cernentis* inquit S. Augustin. serm. 2. de Temp. *non abdita locorum, non parietum septa secludunt; nec solùm ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda sunt cognita. Ista vera scientia summi iudicis, ille est tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.* Pulchrè & affectuosè idipsum pertractat author Soliloquiorum cap. 14. qui extat tom. 9. operum S. Augustin. Gentiles idipsum agnouerunt. Ita Thales septem Græciæ sapientum sapientissimus dicebat, *homines sibi persuadere debere, deos omnia cernere, deorumq; omnia esse plena, vt coram iis castè & sanctè viuant.* Idem rogatus, num facta iniqua deos laterent, respondit, *Ne cogitata quidem: secretis enim cogitationibus cœleste numen adest & interest.* Homerus, quis sit Deus, ita definit:

Locus moralis de præsentia & omniscientia Dei.

ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.
Est sol qui omnia videt, & omnia audit.

Deus est sol omnia illustrans.

Nimirum, vt ait Sapiens, *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*, Prouerb. 15. v. 3. & c. 16. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.* Hinc Ægyptij pingebant Deum, quasi oculum baculo innixum, vt significarent Dei omniscientiam, & prouidentiam, perquisitionemque curam quasi pastoralem. Sic Osirim Deum suum pingebant, quasi sceptrum habens in se oculum insculptum, ait Macrob. l. 1. c. 21. Sceptrum significat dominium & potestatē regiam, oculus omniscientiam. Vnde & Græci θεὸν δοκεῖ θεᾶσθαι, id est à videndo, nominant. Hinc & Ierem. c. 1. vidit Deum quasi virgam vigilantem.

ET NON EST VLLA CREATVRA INVISIBILIS IN CONSPECTV EIVS] Pro *inuisibilis*, græcè est ἀφανὴς, id est, non apparens, occulta, & consequenter inuisibilis. VERS. 13.

OMNIA AVTEM NVDA ET APERTA SVNT OCVLIS EIVS] Pro *aperta*, græcè est τετραχηλισμένα, quod à τράχηλος, id est à collo, deducitur, ac Primò, verti potest cum Theophyl. *iugulata* aut decollata, & cum Chrysost. *excoriata*, vt sit metaphora ab ouibus iugulatis & excoriatis. q.d. Sicut oues pelle sua excoriatæ à collo ad caudam vsque nudæ sunt, & omnia earum extima & intima reuelantur; sic Christo Dei filio omnia sunt nuda & aperta. Secundò, Gagneius τραχηλίζειν, inquit, est à collo ad caudam medium secare, siue per medium dorsi findere, ita vt intestina animalis fissi denudentur & pateant intuenti; sic Christo omnia patent, perinde ac si dissecta essent. Tertiò, Erasmus, Ribera & Scapula in lexico, τραχηλίζω, inquiunt, est in collum siue ceruicem reclino & resupino hominem aut animal, ita vt facies resupinata omnibus aperta & conspicua propo-

τετραχηλισμένα, τραχηλίζειν tria significat.

Oculis Christi omnia patent intima & extima.

proponatur. quo sensu poëta ait. *Aulam resupinat amici: resupinat*, id est aperit patentem & conspicuam facit, vt eam perserutetur. sic Christus omnia quasi resupinata in facie nudè & clarè intuetur. Omnes hæ etymologiæ huic loco percommodæ sunt: secunda tamen Gagnæi neruosior & significantior est.

AD QVEM NOBIS EST SERMO] Id est, de quo nobis est sermo, de quo loquor. Est hebraismus, אֵל *el* ponitur pro מִן *min*, πρὸς ὃν pro περὶ οὗ, id est, *ad quem*, pro *de quo*.

Aliter Chrysost. Theophyl. Oecumen. & Adamus, q.d. Cum quo nobis est ratio, causa, negotium, cui omnium actuum nostrorum rationem reddemus. Græcum enim λόγος non tantùm sermonem, sed & rationem significat.

Vers. 14. HABENTES ERGO PONTIFICEM MAGNVM, QVI PENETRAVIT CÆLOS, IESVM FILIVM DEI, TENEAMVS CONFESSIONEM] A v. 11. hucusque egit contra incredulos, & ab incredulitate Hebræos metu vindictæ per Verbum & Filium Dei exercendæ deterruit; iam credentes alloquitur, blandeque eos hortatur, vt in fide Christi persistant, itaque requiem cæli, ad quam v. 11. & præcedentibus eos hortatus est, ingrediantur. q.d. Agite, Hebræi, persistite in fide Christi, ad requiem in cælis properate: esto, cæli longè à nobis absint, facilè eos conscendemus & penetrabimus, duce Christo, qui eos penetrauit, eosque nobis peruios fecit, dummodo confessionem, id est, professionem scilicet fidei & spei nostræ (vti addunt & exprimunt nonnulla Biblia Latina, licet in Græcis & Romanis nihil tale habeatur) constanter retineamus. vide dicta c. 3. v. 1.

Exhortatio ad fideles.

Nota c. 3. hucusque Apostolus Christum opposuit Mosi, tamquam Apostolum nouum Apostolo veteri: iam & deinceps opponit & anteponit Christum Aaroni, tamquam pontificem nouum pontifici veteri, qui non Sancta sanctorum vt Aaron, sed cælos ipsos penetrauit, vt Deo assistat, tamquam pontifex pro nobis interpellans, & peccata nostra expians, cælosque nobis reserans.

Christus & Aaron comparati.

Vers. 15. NON ENIM HABEMVS PONTIFICEM, QVI NON POSSIT CONDOLERE INFIRMITATIBVS NOSTRIS, TENTATVM AVTEM PER OMNIA PRO SIMILITVDINE ABSQVE PECCATO] Est occupatio. Dicere enim potuissent Hebræi, Tu Paule, rectè dicis Christum penetrasse cælos, ibique esse pontificem nostrum; sed exigua hæc nobis est consolatio: Christus enim in cælis beatus & glorioſus non sentit, non experitur, ac consequenter non multum condolet & æstimat, nec multum iuuare & amoliri nititur nostras infirmitates, id est, persecutiones & ærumnas tot & tantas, vt videantur penè intolerabiles, quæ nos hîc extremè affligunt, & languidos infirmosque ac penè desperatos efficiunt. qui enim sentit & experitur alterius dolores, longè facilius eis compatitur & succurrit. *Non ignara mali miseris succurrere disco*, aiebat Dido. Huic obiectioni respondet hîc Apostolus, negando illud assumptum: Christus enim omnes nostras infirmitates expertus est, & per omnia tentatus & afflictus est *pro similitudine*, id est, omnino similiter atque nos, ac proinde expertus omnia scit & potest, id est, procliuis & pronus est, vt compatiatur & succurrat omnibus tentationibus, ærumnis & infirmitatibus nostris.

Christus ad compassionē miseriarum procliuis.

Nota. *Infirmitates* per Hebraicam metonymiam & metalepsim vocat dolores: dolores enim sunt causa infirmitatis & languoris tam corporis, quàm animi. vide dicta 1. Corinth. 12. v. 5 & 10.

Quinque notabilia circa hæc Apostoli verba.

Secundò, pro *condolere* græcè est συμπαθῆσαι, id est, sensu alieni mali tangi & affici, cum alio patiente pati.

Tertiò, *pro similitudine* græcè est καθ' ὁμοιότητα, id est ὁμοίως, hoc est similiter, supple nobis, vel nostris infirmitatibus. τὸ enim ἡμῶν, id est nostris, quod præcessit, hîc subauditur & repetendum est; quod Hebræi dicunt כִּדְמוּתֵנוּ *kidmutenu*, id est, secundùm similitudinem nostram, hoc est, omnino similiter atque nos: solent enim Hebræi cùm perfectam & omnimodam similitudinem significare volunt, congeminare notas similitudinis, vti כ *caph*, & דְּמוּת *demut*. quod Græci imitantur, dicentes καθ' ὁμοιότητα, vel κατὰ πρόσωπον, vt dixit Apostolus c. 2. v. 14.

Christus nobis similis.

Quartò, pro *tentatum autem*, clariùs Vatabl. & alij vertunt, *sed tentatum*. Est enim antithesis eius quod præcessit, *qui non possit condolere*, quia scilicet non est tentatus, tentationes nostras non est expertus. Rursum, *per omnia*, id est, per omnes infirmitates nostras.

Quintò, *absque peccato*, id est, excepto peccato, græcè χωρὶς ἁμαρτίας, id est, extra peccatum. q.d. Christus licet per omnia tentatus sit, immunem tamen & semotum se seruauit à peccato; ita & vos, ô Hebræi, licet tentemini, tamen tentationi non cedite, nec peccato consentite. hoc enim in vestra est manu & potestate, sicut fuit in potestate Christi.

Christus fuit expers concupiscentiæ rationem præuenientis.

Quæritur hîc, an Christus propriè tentatus fuerit, & an omni modo & omni infirmitate qua nos tentamur? Respondeo, Propriè Christus tantùm exteriùs à diabolo tentatus fuit, interiùs verò à carne, phantasia aut concupiscentia tentari non potuit. cuius ratio est, quia interior tentatio est inordinata delectatio partis inferioris, siue est ipse motus concupiscentiæ rationem præueniens & alliciens ad peccatum. Sicut ergo Christus, vtpote peccatum expiaturus & abolituris, expers planè fuit peccati, ita & expers fuit concupiscentiæ & tentationis internæ: concupiscentia enim ex peccato orta, peccati est initium & inchoatio, ac proinde esse non potest nisi in natura per peccatum vulnerata & saucia, qualis esse non potuit in Christo.

In Christo fuere passiones, non tamen propassiones.

Hinc sequitur, licet passiones fuerint in Christo, non fuisse tamen propassiones. explico: fuit in Christo ira, audacia, timor; sed ita vt rationem & voluntatem Christi præuenire, ipsoque inuito, vel insscio exoriri, concitari & exurgere non possent; hoc enim est propassionum: omnis enim motus iræ, audaciæ, timoris, tristitiæ in Christo, ab eo liberè fuit assumptus, & à ratione & voluntate Christi elicitus & imperatus, ita vt irasci aut tristari Christus non posset, nisi irasci aut tristari vellet & eligeret. erant enim passiones omnes Christo, vtpote in natura integra & perfecta (qualis fuit in Adamo ante peccatum) constituto, subditæ prorsus & subiectæ: talis enim natura decebat Saluatorē & Dei filium. Verùm de huiusce modi tentatione, qua diabolus Christum, aut concupiscentia nos ad peccatum solicitat, propriè non loquitur hîc Apostolus, vt mox patebit.

Omnes motus à Christo liberè assumpti.

Secundò, cùm dicit Apostolus Christum tentatum fuisse per omnia, id est per omnes infirmi-

tates

tates nostras, non intelligit, nec amplectitur ignorantiam & defectum scientiæ aut gratiæ: hæc enim non sunt infirmitates, id est, dolores & afflictiones; neque decebat hæc esse in Christo, vtpote qui ad hoc in mundum venerat, vt homines ab hisce defectibus sanaret, vt ignorantes doceret, instrueret, Deoque gratos redderet. Perperam ergo ex hac Apostoli sententia Lutherus, Bucerus & Caluinus inferunt: Ergo in Christo fuit ignorantia: faciunt ergo ipsi ex hoc loco Christum Agnoitam. Respond. nego consequentiam. Nam ignorantia est filia & appendix necessaria peccati, æquè ac concupiscentia. Parienim modo inferre liceret, Ergo concupiscentia fuit in Christo. Itaque sicut in Christo non fuit peccatum, ita nec fuit concupiscentia, aut ignorantia: hæ enim sunt propriæ & individuæ comites peccati, & eiusdem cum peccato rationis, ordinis & indecentiæ esse censentur. Quocirca hæ in Christo non instrumenta (vti fuerunt cruciatus & pœnæ) sed impedimenta satisfactionis & redemptionis nostræ fuissent: ergo in eo esse non potuerunt. Vide Bellarm. lib. 4 de Christo c. 1.

In Christo non fuit ignorantia, vel defectus gratiæ.

In Christo non fuerunt morbi.

Tertiò, per *infirmitates* Apostolus non intelligit morbos & ægritudines. hæ enim non sunt naturæ, id est, omnibus hominibus communes, sed particularium sunt personarum, ex particulari parentum, vel ipsorum ægrotantium intemperantia, alioúe excessu, defectu aut vitio ortæ: Christus autem tantùm assumpsit naturales & innoxias passiones, communes toti generi humano, non autem proprias certarum personarum, vti fuere illiúe morbi: hoc enim Christum decebat, nimirum vt totus esset sanus, qui naturam nostram planè sanaturus aduenerat. de quo plura dixi c. 2. v. 17. Quare licet verbera & dolores admiserit & susceperit Christus, non tamen iis temperiem sui corporis ita distemperari, vt in morbum incideret; sed tantùm eorum vi & acerbitate animam à corpore excludi, mortemque violentam, qua nos redimeret, sibi inferri permisit.

Morborum origo.

Christus admisit verbera & vulnera, & quare?

Quæres, Quæ sunt ergo *infirmitates nostræ*, quas Christus in se suscepit, quibusque compatitur?

Quatuor genera infirmitatum suscepit Christus.

Respondeo, Primò, est carnis & animæ fragilitas; Secundò, sitis, fames, fatigatio, & similes hominum ærumnæ; Tertiò, naturalis horror mortis, ignominiæ, verberum, spoliationis; Quartò, ipsa mors, verbera, irrisiones, contumeliæ, spoliatio bonorum omnium. hæc duo vltima nomine infirmitatum propriè hîc intelligit Apostolus; hæ enim erant infirmitates Hebræorū, nimirū persecutiones, spoliationes, aliæq; pœnæ eis ob fidē Christi à Iudæis magistratibus inflictæ. vnde ad eas fortiter tolerandas exemplo Christi, eiusque gratiæ & auxilij spe & promissione, eos hîc & sæpè alibi hac epistola adhortatur Apostolus: hisce enim *tentatus*, id est afflictus, vel *tentatus*, id est, probatus & exploratus, fuit Christus, eiusque fides & constantia, & hasce superans ac vincens Christus meruit tam hasce, quàm alias quaslibet tentationes, etiam à dæmone & concupiscentia excitatas in nobis, per suam gratiam vincere & superare.

ADEAMVS ERGO CVM FIDVCIA AD THRONVM GRATIÆ] q. d. Cùm habeamus Christum pontificem, qui ita condoleat & compatiatur omnibus infirmitatibus nostris, non timidi, non diffidentes, sed audacter & fidenter, eum in cælesti throno ad dexteram Patris considentem & regnantem adeamus & inuocemus in omni tentatione, tribulatione & persecutione: iam enim placabilis sedet in throno gratiæ, postea terribilis sessurus est in throno iudicij, inquit Theophylactus. VERS. 16.

Fiducia in Deo quid sit.

Nota. Pro *fiducia* græcè est παῤῥησία, quæ (quasi πᾶν ῥησία) est libertas & licentia loquendi, qua omnia dicuntur: siue oratio libera nihil reticens; inde verò per catachresin παῤῥησία significat fiduciam siue confidentiam, ex qua oritur hæc loquendi libertas, & sic sæpè hoc nomen accipit Paulus. Iam confidentia siue fidentia, ait Cicero, est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocauit, nimirum si fidentia sit humana: nam si sit diuina, vti hîc est, non in se, sed in Deo spem suam collocat.

VT MISERICORDIAM CONSEQVAMVR, ET GRATIAM INVENIAMVS IN AVXILIO OPORTVNO] q. d. Vt, si in peccatum lapsi simus, illius veniam misericorditer à Christo consequamur. Rursum vt gratiam inueniamus, id est, vt Christi gratiam, fauorem & beneuolentiam nobis conciliemus, *in auxilio oportuno*, græcè εἰς εὔκαιρον βοήθειαν, id est, in auxilium oportunum, vt scilicet oportuno tempore, putà tempore tentationis & persecutionis, cùm Christi auxilio indigebimus, illud ipse nobis conferat ad omnes difficultates fortiter superandas.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, quòd Christus pontifex noster non à se, sed à Deo constitutus, nobis similis & condolens, oransq; exauditus sit pro sua reuerentia & obedientia, pontifex, inquam, secundùm ordinem Melchisedec. vnde v. 11. sternit ad Melchisedec viam sibi & transitum, increpando Hebræorum tarditatem & cruditatem, vtpote quibus adhuc opus sit lacte, non solido cibo.

1. OMnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis; 2. qui condolere possit iis, qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: 3. & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. 5. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 6. Quemadmodū & in alio loco dicit:

dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec. 7. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. 8. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: 9. & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, 10. appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedec. 11. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. 12. Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. 13. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est. 14. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

OMNIS NAMQVE PONTIFEX, EX HOMINIBVS ASSVMPTVS, PRO HOMINIBVS CONSTITVITVR IN IIS QVÆ SVNT AD DEVM, VT OFFERAT DONA ET SACRIFICIA PRO PECCATIS] Vox *namque* dat causam, cur dixerit in fine cap. præced. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ* eius. Causa hæc est, quia Christus est pontifex noster, habetque in se omnes pontificis optimi dotes, officia & munia: itaque commodè transit hic Apostolus à comparatione & præcellentia Christi cum Mose, in ducatu & legislatione Ecclesiæ ad sacerdotium & pontificatum Christi, eumque digniorem esse sacerdotio Aaronis multis demonstrat.

Nota hîc insignem descriptionem pontificis ex tribus eius dotibus, officiis & notis, quas Christo conuenire demonstrat. Prima est, vt pontifex ex hominibus assumatur, quasi selectus, cæteris(que) dignior, aptior, eminentior, prudentia & virtute præstantior: qui aliis hominibus tamquam suæ naturæ consortibus, suis(que) fratribus compati, condolere & succurrere possit, eo(que) promptius & ardentiùs, quo magis eorum vti naturæ, ita & miseriæ particeps est & conscius, vtpote eamdem sæpè in se expertus.

Secunda pontificis nota & officium est, vt pro hominibus constituatur in iis quæ sunt ad Deum, id est, vt hominum causam agat apud Deum, tamquam eorum mediator, pro eisque oret & interpellet. rursum vt vice populi fungatur sacerdotio apud Deum, & sacra, eaq; quæ cultum Dei spectant administret. cùm enim populus teneatur publico cultu, ritu & cæremoniis colere Deũ, illique tamquam suo, omniumque rerum creatori ac domino summum exhibere honorem & cultum; id verò decenter fieri non possit per singulos homines, qui sæpè rudes & plebeij sunt; hac de causa vnus ex omnibus magis peritus & idoneus eligitur, qui pro cæteris hominibus ritè id præstet, & per quem cæteri debitum Deo cultum certis ritibus ac cæremoniis publicè exhibeant. Hinc enim omnes gentes ex dictamine rectæ rationis & naturæ, semper constituerunt aliquos sacerdotes, qui pro se Deo publicum hunc latriæ cultum offerrent & peragerent. vnde sequitur Christianos quoque, ex iure tam naturæ, quàm gentium, suos debere habere sacerdotes, sua pariter & sacra & sacrificia, scilicet Eucharistiæ, quibus Deum publicè & solenniter colant: alioqui enim respublica & Ecclesia mutila esset & manca, atque imperfectior quàm fuerit Iudæorum, aliarumque quarumlibet gentium.

Tertia pontificis dos & officium est, *vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*, vt scilicet Deum peccatis & peccatoribus iratum placet & reconciliet, per dona & sacrificia. *Dona* vocat oblationes primitiarum, aliarumque rerum, vt panis, vini, frumenti, quæ non adolebantur aut consumebantur, sed integra Deo dabantur ad vsum sacerdotum & templi; *sacrificia* verò vocat victimas tam animalium quæ Deo mactabantur, quàm farris & vini, quæ Deo vel incendebantur vel libabantur, effundebantur & consumebantur. ita Theophyl. Græcè enim θυσία, id est, victima vel sacrificium, dicitur κατὰ τὸ θύειν, id est mactare, sacrificare & suffitum edere, vt ex parte idem sit quod θυμιᾶσθαι, id est adolere, suffumigare.

Differentia inter dona & sacrificia.

Alludit Paulus ad Leuit. 7. v. 12. & 13. vbi Moses agens de victima pacifica, quæ pro gratiarum actione offertur, vocat eam זֶבַח *tsebach*, id est, vt LXX. vertunt, θυσίαν, id est, sacrificium vel hostiam quæ immolatur; panes verò, lagana & collyrides, quæ cum illa offerebantur, vocat קָרְבָּן *corban*, id est, vt LXX. vertunt, δῶρον, id est, donum vel munus: quamquam alibi sæpè hæc nomina confunduntur, & dona vel munera vocantur ipsæ victimæ cruentæ, quæ Deo adolentur.

Victima pacifica, hostia, dona; lagana, sacrificia.

QVI CONDOLERE POSSIT IIS QVI IGNORANT ET ERRANT] *Possit*, id est aptus, pronus, facilis sit ad condolendum. vide dicta c. 2. v. 18. Pro *condolere*, græcè est μετριοπαθεῖν, id est moderatè, modestè, leniter se gerere, vt scilicet peccantes non aspernetur, non iis irascatur, non excandescat; sed ad eorum miseriam se demittat, iis se humanum & benignum exhibeat, eorum ignorantiæ, ruditati, lapsibus & vitiis condoleat, sciens fieri posse vt & ipse labatur & peccet. vnde Theophyl. μετριοπαθεῖν accipit pro συμπαθεῖν, id est compati. hinc & noster Interpres vertit *condolere*.

VERS. 2.

Quomodo pontifex & sacerdos se gerere debeat cum peccãtibus.

Nota. Apostolus hîc quosuis peccatores, siue ex infirmitate, siue ex ignorantia, siue ex malitia, vocat ignorantes & errantes: semper enim peccato coniuncta est ignorantia aliqua & error, saltem practicus. nam qui peccat, hîc & nunc implicitè iudicat hoc bonum & hanc voluptatem, v.g. gulæ, libidinis, vindictæ, sibi esse capessendam, & hoc ipso eamdem tacitè iudicat præferendam esse legi Dei, ipsique Deo, qui illam vetuit & prohibuit. qui sanè error grauissimus est, de quo plura alibi iam dixi.

Peccantes vocantur ignorantes.

QVONIAM ET IPSE CIRCVMDATVS EST INFIRMITATE] Duplicem hîc infirmitatem intelligit Apostolus, priorem naturæ, secundam concupiscentiæ & culpæ. vtraque est & fuit in omnibus pontificibus, qui meri fuerunt homines: in Christo autem sola prior fuit, quæ quasi essentialis est pontificis, vt scilicet eiusdem cum aliis hominibus sit naturæ, eorumq; miseriæ & ærumnarum particeps & cõsors. Secunda non fuit in Christo, vtpote quæ

Duplex infirmitas pontificis, quarum vna tantùm in Christo.

quæ non est essentialis pontifici; imò potiùs pontificis est vitium & impedimentum. hoc enim ipso quo quis peccato subiacet, ineptior redditur ad expiandum peccata, Deumque peccatoribus reconciliandum: quod est proprium munus pontificis. hac ergo parte Christus præcellit omnibus aliis pontificibus, vtpote qui solus planè immunis fuerit à peccato, ita vt nec infirmitatē & concupiscentiam ad peccatum procliuem senserit: satis tamen eam quanta sit in homine metiri potuit Christus, ex priori infirmitate naturæ suæ, itaque in simili eamdem sensit & expertus est, ac proinde facilè eadem laborantibus compatitur & condolet. A

VERS. 4. NEC QVISQVAM SVMIT SIBI HONOREM, SED QVI VOCATVR A DEO, TAMQVAM AARON] Resumit & explicat primam pontificis conditionem, scilicet quòd debeat non se ingerere & intrudere, sed assumi & eligi à Deo ad sacerdotium, sicut electus est Aaron eiusque posteri; idque hoc fine vt eamdem Christo applicet, probetq; Christo conuenire, vt patet ex iis quæ statim subdit. B

Pontifex nō debet intrudi, sed assumi & eligi.

VERS. 5. SICET CHRISTVS NON SEMETIPSVM CLARIFICAVIT] Græcè ἐδόξασε, id est glorificauit, gloriam, claritatem & dignitatem non ambiuit, non vsurpauit, sed ad eam euectus & electus est à Deo Patre, qui dixit ad Christum psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* q.d. Non mirari debetis, ô Hebræi, Christum à Patre constitutum esse pontificem, & prælatum esse Aaroni, quia Christus est filius Dei Patris; si filius, quid mirum si pontificia dignitas ei detur, præsertim cùm iure gentium receptum fuerit etiam ante Mosen & Aaronem, vt filij primogeniti essent sacerdotes & pontifices. Qua de re ita scribit S. Hieron. epist. 126. ad Euagrium. *Tradunt*, inquit, *Hebræi, quòd vsque ad sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe N ë, cuius series & ordo describitur, fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarint: & hæc esse primogenita quæ Esau fratri suo vendiderit Iacob.* C

Iure gentiū filiorū primogenitorū est pontificatus & sacerdotium.

Primogenita sua Esau vēdidit fratri suo Iacob, & quænam illa.

Hoc ergo communi gentium iure Christo, tamquam vnigenito & primogenito Patris, imò primogenito omnis creaturæ debebatur sacerdotium & pontificatus.

VERS. 6. QVEMADMODVM ET IN ALIO LOCO (psal. 109.) DICIT: TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDEC] *Dicit*, scilicet Deus Pater ad Deum Filium hominem factum, cùm eum elegit & constituit sacerdotem: Dei Patris enim ad Filium hæc esse verba patet ex v. 1. psal. 109. vbi ait, *Dixit Dominus* (scilicet Deus Pater) *Domino meo* (scilicet Christo filio suo.)

Nota. Cùm dicit Christum esse *sacerdotem secundùm ordinem*, id est ritum, *Melchisedec*, hoc ipso præfert Christum Aaroni; Melchisedec enim dignior fuit Aarone, vt multis demonstrat Apostolus c. 7. vbi hunc ordinem Melchisedec explicabo. D

Melchisedec dignior Aarone.

VERS. 7. QVI IN DIEBVS CARNIS SVÆ] qui dum in carne hac mortali & fragili inter homines viueret. Ita S. Tho. hanc enim carnem exuit Christus in morte, & in resurrectione induit carnem immortalem & impassibilem. Affert hæc Apostolus vt probet Christum pontificem nostrum circumdatum esse infirmitate nostra, ideoque facilè nobis condolere & compati: hanc enim Christi infirmitatem probat Primò, caro Christi similis nostræ carni. Secundò, quòd in agonia mortis constitutus in summo angore & mœrore petierit à morte liberari. Tertiò, quòd ex hoc angore lacrymatus sit & validè clamarit, & vt Syrus habet, mugierit (hoc enim significat קרעה *geata*) ad Patrem postulans opem & liberationem.

Tria probāt Christi infirmitatem.

Nota. Videtur Apostolus loqui de oratione Christi in horto, vbi proditus est à Iuda, & captus à Iudæis. ita Theodor. Oecum. D. Th. Rursum videtur loqui de oratione Christi in cruce: ibi enim clamore valido clamauit Christus, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* &, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* ita Ambros. Hinc ergo patet Christum in illa oratione & fortè aliàs sæpè lachrymas fudisse, licèt id non narrent Euangelistæ. nec id mirum, cùm in eadem oratione Christus ex angore sudauerit sanguinem, vt habet Lucas c. 22. v. 44. nam, vt ait S. Bernardus serm. 3. in Dominicam Palm. *Christus non contentus fuit lacrymis oculorum, sed totius corporis sanguineis lachrymis peccata nostra flere & lauare voluit.*

Christus frequenter orauit & cum lacrymis.

Vnde Nota Secundò, hunc Christi angorem, lachrymas & sudorem sanguineum testem infirmitatis à Christo assumptæ, prouenisse ex viuaci imaginatione flagellationis, coronationis, mortis, dolorumque omnium, quos mox subiturus erat: inde enim naturaliter manabat eorumdem horror & angor, cum quo dum luctatur Christus, vt eum superet, summamque ad hoc sibi vim infert, factus in agonia sudauit sanguinem.

Lachrymæ Christi ex animi.

Nota Tertiò, in illa oratione non tantùm petiisse Christum à morte liberari, sed etiā & magis petiisse nos à peccato & morte liberari, ideoque tandem mortem voluntate absoluta & efficaci acceptauit, Patrisque de ea voluntatem fieri postulauit dicens: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*, in eoque exauditus est, vt subdit Apostolus.

EXAVDITVS EST] non in sua petitione priori & voluntate quasi naturali, qua petebat cōditionatè & efficaciter, si fieri posset, mortem euadere; illam enim Christus ipse correxit, illamq; impleri absolutè noluit; sed in sua petitione posteriori & voluntate absoluta atque efficaci, qua orauit nō pro fuga crucis & mortis, sed pro implēda Patris voluntate circa passionē suā, eiusq; fructū; scilicet, vt sua passione & morte mereretur sibi resurrectionē à morte, nobis salutē tam corporis quàm animæ.

In quo & quomodo Christus exauditus.

Addit hæc Paulus, vt ostendat Christi pontificis nostri preces esse efficaces, & à Patre exaudiri, ideoque nobis omnem spem & fiduciam in Christo esse collocandam.

PRO SVA REVERENTIA] Græcè ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, quod Primò, Caluinus & Beza vertunt, *ex metu*, scilicet æternæ damnationis; q. d. Paulus, Exauditus est Christus & liberatus ex metu damnationis, in quo versabatur, dum in agonia positus totus animo perculsus, consternatus & obrutus pondere iræ Dei, videret Deum sibi ob peccata hominum maximè esse infensum; ita vt se iræ diuinæ pondus sustinere non posse, deque se iam actum esse putaret. vnde exclamauit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quæ verba, ait Beza, sunt hominis in ipso iam gurgite sese periisse vociferantis. Putant enim Caluinus & Beza, non plenam futuram fuisse redemptionem & satisfactionem Christi, nisi Christus omnem Dei iram excepisset, & sensisset Deum sibi infensissimum, adeoq; sensisset damnationem peccatis nostris debitam, & cruciatus hominis damnati: non enim aliū infernum, vel damnationem agnoscit Caluinus, quàm

Caluini & Bezæ blasphemia, & hæresis circa orationes & clamores Christi.

hunc

hunc apprehensionis & imaginationis qua scilicet animæ damnatæ perpetuò apprehendunt Deum sibi esse iratum, qua apprehensione seipsas cruciant. Sed hæc est blasphemia tam absona, quàm horrenda, & sæculis omnibus inaudita. Si enim Christus in agonia ita desperauit, & damnationem nostram sensit ac passus est; ergo non tantùm grauissimè peccauit, sed & pro illo tempore damnatus fuit, perinde ac iam Iudas damnatus est: ac consequenter illo ipso actu adeò pro nobis satisfacere nō potuit, vt potiùs longè magis Deum iritarit, grauissimamque illi iniuriam irrogarit. Quare Christus tum redemptor noster esse non potuit, imò verò alio longè potentiori eguit redemptore. Cuius Christiani aures ferant has voces: Christus desperauit, Christus iræ Dei succubuit, Christus damnatus est? Scimus Christum morti succubuisse, sed sponte sua, ideoque exclamauit, *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? nimirum in crucis & mortis sensu; vt hoc suo sensu Martyribus, nobisq; omnibus mortis sensum vel adimeret, vel minueret. Sed Christum desperationi, damnationi & gehennæ succubuisse, quis dicere, imò audire non perhorrescat? Respondebit Beza, hos desperationis motus in Christo non fuisse deliberatos, nec fuisse in voluntate & ratione superiori, sed tātùm in parte & appetitu inferiori. Verùm hoc perperam & infulsè dicitur; Primò, quia in Christo æquè vt in Adamo, nullus erat concupiscentiæ aut passionis alicuius motus rationem præueniens, sed omnes eius actus ratio præuidebat, eliciebat, dirigebat, vt essent actus hominis perfecti, putà rationalis & deliberati. Secundò, quia appetitus sensitiuus, vel inferior non potest apprehendere Deum sibi iratum, hoc enim obiectum, vtpote spirituale & sublime, est rationis & partis superioris. Tertiò, quia etiamsi concedamus hos motus Christi fuisse tantùm in parte inferiori, tamen fuisse eos aliquo modo Christo voluntarios negari non potest: Christus enim hos motus in se aduertit & permisit, cùm eos quasi pœnam peccatis nostris debitam acceptauit. omnis enim pœnitentiæ & satisfactionis acceptatio libera esse debet, fieriq; per rationem & voluntatem. Sicut ergo homo quiuis sentiens & aduertens in se motus blasphemiæ, vindictæ, libidinis etiam in solo appetitu sensitiuo, nec eos repellens, censetur eis consentire & peccare; ita secundùm Bezam, Christus hos motus desperationis in se aduertens & permittens, imò acceptans, censeri debet ijs consensisse. Sic enim fit in quouis alio homine, qui desperationi cedit & succumbit. Deniq; non potuit Christus concipere Deum ita sibi infensum, seque iræ Dei succumbere, ideoque non potuit ita animo percelli & in barathrum hoc desperationis corruere: sciebat enim Christus se Patrem summè amare, seque vicissim Patri esse charissimum, sciebat se ex summa erga Patrem charitate, reuerentia & obedientia, nostra peccata in se luenda suscepisse; sciebat se à Patre deseri non posse; sciebat in omni hac passione Patrem sibi affore, vt constanter mortem, omniaque tormenta adiret & superaret; sciebat passionem suam, redemptionem nostram, omniaque ex voto sibi successura, omniumq; se victorem fore ac dominum; quomodo ergo animo caderet, percelleretur, obrueretur, desperaret? præsertim, cùm sciret Deum propriè non irasci nisi culpæ, ipse verò nosset se ab omni culpa immunem, vtpote qui hominū non culpas, sed pœnas tantùm culpis eorum debitas in se suscepisset. Sciebat ergo Deum metaphoricè tantùm & metonymicè sibi irasci, quia nimirum iræ suæ, qua hominum peccatis irascebatur, effectum, scilicet pœnam mortis & crucis, sibi infligebat, quam libens forti & fidenti animo ipse excepit. Verè ergo & propriè Deum sibi iratum esse Christus concipere & cogitare non potuit, multo minùs se iræ Dei succumbere in animum inducere potuit.

Deus tantū metaphoricè Christo fuit iratus.

Adde, ex sententia Caluini omnes fideles esse prædestinatos, atq; ex fide speciali quam habent, certos esse de sua salute, de sua prædestinatione & æterno Dei in ipsos fauore, ac scire se nullis peccatis posse à salute excidere: vnde nec metuūt damnari qui Caluinum sequuntur. ergo multò minùs Christus, qui est exemplar & parens fidelium & prædestinatorum, iram & damnationem Dei metuere potuit. Vide ergo hîc impietatem Caluini, qui in notitia & certitudine salutis & fauoris diuini, se suosque longè Christo præfert.

Quinta.

Paulum verò nihil tale significare patet ex verbo εὐλάβειαν, quod in Scriptura non talem metum & horrorem, qualem vult Caluinus, sed reuerentiam vel timorem reuerentiæ, quo parentes vel Superiores aut Sanctos timemus & reueremur, significat. Itaque hîc εὐλάβειαν accipiunt S. Chrysost. Theoph. Theodor. Ambros. Oecum. Anselm. omnesque orthodoxi.

Sexta.

Dices, Græcè est præpositio ἀπὸ, quæ significat à, ex, de; hæc autem rectè conuenit cum metu, non autem reuerentia. rectè enim dicitur, Exauditus est Christus ex metu; non autem rectè dicitur, Exauditus est ex sua reuerentia. Respondeo, ἀπὸ sæpè sumi pro διὰ, id est, propter vel pro: respondet enim ל *min*, quod tam significat propter, vel pro, quàm à, ex, de, vt Act. 12. 14. ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id est, *præ gaudio*, non aperuit ianuam. Luc. 22. 45 inuenit eos dormientes ἀπὸ τῆς λύπης, id est, *præ tristitia*, vel propter tristitiam. Similia sunt Luc. 14. v. 41. Matth. 13. 44. & alibi.

Alia obiectio extenta refellitur.

Adde, multo incommodiùs Caluinum hanc ipsam vocem explicare, hoc modo, exauditus est Christus ex metu, id est, inquit, exauditus est Christus, vt liberaretur à metu. non enim subaudiri potest vox *orans*. q.d. Exauditus est orans ex metu: hoc enim paulò antè expressit Paulus dicens, *preces supplicationesq; offerens*. Hæc de prima Caluini expositione dicta sint.

Caluini absona explicatio.

Secundò, Photius apud Oecum. εὐλάβειαν vertit φιλανθρωπίαν, id est, *eximiam charitatem*, q.d. Paulus, Exauditus est Christus pro tanta erga nos charitate, vel, vt Erasmus vertit, pietate.

Tertiò & optimè, omnes alij cum Nostro interprete εὐλάβειαν vertunt, *reuerentiam*: inde enim passim εὐλαβεῖς vocantur viri pij, religiosi, timorati & reuerentes Deum: Noster Sapientiæ 17. v. 8. & alibi subinde εὐλάβειαν vertit timorem, scilicet diuinum, seu ex Dei maiestate & reuerentia incussum.

Reuerentia & timoris natura & conditiones.

Vnde Nota. Reuerentia hæc siue timor hic reuerentiæ, vel admirationis, vti vocat eum S. Gregor. l. 17. Mor. c. 14. & 15. & S. Dionysius c. 13. Cæleſt. hierarch. est habitus vel actus iudicij & voluntatis, quo creatura rationalis in conspectu diuinæ excellentiæ & eminentiæ ita se gerit & tanti eā æstimat, vt quasi nō audeat ad illā accedere, & omnino cauet vel in minimo vsurpare eius excellentiā; imò

imò planè pudibunda, timens & reuerens fugit ab ea, ideoque formidat & fugit inuestigare eius magnalia, consilia & arcana; ex quo sequitur timor castus, vt pro nulla re velit tantam maiestatem offendere. vnde reuerentia hebraicè vocatur יִרְאָה *ira*, id est timor, & chaldaicè אֵימָה *ema*, id est terror, & arabicè הֵיבָה *hiba*, id est formido.

Timor castus.

Reuerentia quomodo distinguatur ab humilitate, obedientia, religione.

Hinc sequitur Secundò, hanc reuerentiã distingui ab actu humilitatis, quo quis vult se Deo subdere; & ab actu obedientiæ, quo quis vult illi parere, vt supremo domino; & ab actu religionis, quo quis vult eum colere, vt supremum rerum omnium principium, illiusque honorem suo in omnibus præferre: actus enim reuerentiæ est summè reuereri & timere summam Dei maiestatem, vti paulò antè dixi.

Reuerentia actiua & passiua.

Nota Tertiò, Reuerẽtia hîc actiua intelligitur; qua scilicet homo Deum reueretur. q.d. Apostolus, Exauditus est Christus à Patre, quia reueritus est Patrem, quia reuerenter & obedienter erga Patrẽ se per omnia gessit. Potest tamen Secundò passiuè quoq; capi hîc *reuerentia*, qua scilicet Christũ tam erga se reuerentem vicissim reueritus est Pater, vtpote filium suum, qui cum precibus offerebat pretium, putà sanguinem diuinum, qui erat res infiniti valoris, idq; ex summa erga Patrem reuerentia, & ex mera ac purissima in homines charitate, vt ait Anselm. q.d. Paulus, Quòd exauditus à Patre fuerit Christus, non tam gratiæ fuit, quàm dignitatis Christi: tanta enim erat eius reuerentia tam actiua quàm passiua, vt eum etiã reuereretur Deus Pater, nec sustineret, aut posset ei quidquam negare: dignus enim erat omnino planeq; merebatur à Patre exaudiri. ita S. Chrysost. Theoph. Oecumen. Anselm. Estq; hic sensus plenior & dignior. ἐυλάβεια enim iuncta sic personæ pontificis, quæ per se est veneranda, significat eius dignitatem & venerationem. Sensus ergo est, q.d. Christus exauditus est propter sui reuerentiam, id est, Pater exaudiuit eum considerata persona venerabili pontificis, quam gerebat. Æquum enim erat sanctum, innocentem venerandumque pontificem orantem exaudiri. At quomodo exauditus est, cùm nõ fuerit à morte liberatus? quia ita mortuus est, vt statim fuerit à Patre resuscitatus, qui nõ reliquit animam eius in inferno, nec dedit sanctũ eius videre corruptionem; vtque nos à peccato & morte suscitarit.

Christus pro dignitate sua exauditus.

VERS. 8. ET QVIDEM CVM ESSET FILIVS DEI, DIDICIT EX IIS QVAE PASSVS EST, OBEDIENTIAM] Dixerat Apostolus, quòd Christus *preces cum lacrymis offerens exauditus sit pro sua reuerentia*; hîc id explicat & exaggerat, docetq; reuerentiam Christi testatam & probatam fuisse eiusdem obedientia; exauditum verò esse Christum, cùm *consummatus factus est nobis causa salutis æternæ*. q.d. *Et quidem cùm*, græcè καίπερ, id est quamuis, Christus esset filius Dei, pati tamen voluit, itaque discere, id est experiri, obedientiam tam arduam & difficilem, vt scilicet demitteret se, & obediret vsque ad mortem crucis.

Quomodo Christus didicerit obedientiam.

Nota. *Christus ex ijs quæ passus est didicit obedientiam*, non quasi in passione demum virtutem obedientiæ didicerit, aut acquisierit, quam antè ignorabat; illam enim optimè cognoscebat & callebat, tum per scientiam infusam in primo conceptionis suæ instanti, tũ per experientiam triginta quatuor annorũ & totius vitæ suæ: sed quia obedientiã hanc nouo & exactiore modo expertus est in passione, magis quàm in tota reliqua vita sua; quid scilicet sit obedire, quàm difficile & arduum sit in omnibus se submittere, quanta sit virtus & labor, inquit S. Anselm. & Photius, obedientia, quæ quæuis dura, acerba, ignominiosa, horrenda prompto animo excipit, tolerat & exequitur, idque vnius Dei cui obedit, causa & reuerentia. En, quod dixi, Christi reuerentiam demonstrat ex Christi obedientia.

Hinc Nota Secundò. Christus patiendo *didicit obedientiam*, vt ostenderet obedientiam, patientiam & cæteras virtutes longè meliùs, pleniùs & efficaciùs ab hominibus disci patiendo & exercendo, quàm speculando & contemplando, nimirum τὰ παθήματα μαθήματα, passiones sunt optimæ doctrinæ & disciplinæ. Et, vt ait S. Bernardus epist. 88. *Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. nam si nõ paterẽ humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.* Obedientiam hîc præ cæteris Apostolus Hebræis inculcat, vt eamdem imitentur, discantque Deo & Christo obedire constanter, etiamsi ea de causa spoliationem, exilium, adeoque mortem ipsam subire & pati debeant. vnde subdit, quòd Christus ita *consummatus factus sit sibi obtemperantibus causa salutis æternæ.*

Virtutes melius discuntur exercendo quã speculando.

παθήματα μαθήματα.

Nota Tertiò. Christus non tantùm per experientiam *didicit obedientiam*, id est, laborem arduum & difficultatem obedientiæ, sed etiam didicit obedientiam, id est, quanta sit obedientiæ magnitudo, excellentia, meritum & præmium; vtpote cuius merito paulò pòst se euectum vidit ad summum gloriæ gradum, vt consummatus fieret nobis obedientiæ dux & præco, adeoque causa salutis æternæ. hoc enim subijcit Apostolus. ita Chrysost. & Theophyl.

Descriptio obedientiæ.

Egregiè Climachus obedientiam ita definit: *Obedientia est spontanea mors, sepulchrum voluntatis, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta nauigatio, confectum dormiẽdo iter, discretionis depositio, quæ sarcinas in alium transfert. proprij desiderij omnimoda renunciatio.*

VERS. 9. ET CONSVMMATVS] Græcè τελειωθεὶς, id est *immolatus*, vel *cõsecratus*, vel, vt Syrus, *perfectus* est Christus hac sua passione & obedientia, adeoq; corporis beatitudine & gloria immortali donatus est. Christus enim in cruce consummatus fuit in patientia, in charitate, omnique virtute, itaque consummatus fuit in gratia, & mox in gloria. hinc S. Anselmus, Consummatus, inquit, est Christus, cùm consummatis omnibus obedientiæ, patientiæ & sanctitatis actionibus clamauit in cruce, *consummatum est*. q.d. Apostolus, Consummatio hominis Christiani fit per afflictiones; quomodo ergo vos, ô Hebræi, ægro estis animo in persecutionibus, quæ vos consummatos reddunt? ait Chrysost. & Theophyl.

Christus in cruce perfectus in patientia, gratia & gloria.

VERS. 10. APPELLATVS A DEO PONTIFEX SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDEC] q.d. Christus nobis est causa salutis, quia à Deo constitutus & appellatus est pontifex noster, cùm scilicet dixit ad eum Deus psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.*

VERS. 11. DE QVO NOBIS GRANDIS SERMO ET ININTERPRETABILIS AD DICENDVM, QVONIAM IMBECILLES FACTI ESTIS AD AVDIENDVM] Pro *grandis*, græcè est πολὺς, id est multus sermo; & *ininterpretabilis* (ita legendum cum Romanis & Græcis, non autem *interpre-*

Lectio D. Thomæ recta.

terpretabilis)id est,explicatu difficillimus: hoc enim est Græcũ δυσερμήνευτον. quare perperam commentarius S.Th.ascriptus legit *interpretabilis*,illudque bifariam exponit.Primò,vt *in* indicet negationem,& *interpretabilis* sit idem quod qui non potest interpretari. Secundò,vt *interpretabilis* affirmatiuè idem sit, quod indigens interpretatione. Verùm hæc repugnant ipsi etymologiæ : iuxta eam enim *interpretabile* dicitur id,quod facile est interpretatu.Secùs est de hac voce *inuestigabile*,illa enim sumi potest pro *non vestigabile*. Sensus ergo Apostoli est, q.d.De Melchisedec multa & magna dicenda forent; sed vobis, ô Hebræi, explicatu difficilia,quia ad hæc rudes & imbecilles estis:magis enim capitis Aaronem vestrum,quàm Melchisedec.Hæc mysteria Melchisedec ex parte explicat Apost.cap.7. vt Hebræorum mentem ad res Christianas & diuinas subleuet,& doceat quantum capere poterant: ex parte ea quæ difficiliora sunt tacet , ne vel eos, vel alios legentes ijs intellectu tam difficilibus à fide auertat vel obruat, inquit Chrysost. Tale est,quomodo panis & vinum oblata à Melchisedec, Gen. 14.fuerint typus sacrificij Eucharistiæ. Vnde veteres Græci , teste S.Hieron.ad Euagriũ epist.126. dicere solent, Paulũ c.7. vbi agit de Melchisedec, quoddam eius sacramentum & arcanum omisisse; illudque hic vocare sermonem ininterpretabilem, maximè infidelibus:licet enim hãc epistolã Paulus primariò scribat fidelibus,secundariò tamen eamdem scribit infidelibus, putà Iudaizantibus, quos à iudaismo ad christianismum conuertere satagit. Adde, & fidelibus non nisi bene instructis traditã fuisse doctrinam de mysterijs Eucharistiæ.est enim hoc Sacramentum maximè sublime, arcanum & diuinum. vnde Patres illud vocant arcanum Sacramentum, mysterium, mysteria quæ fideles norunt,&c.

QVONIAM IMBECILLES FACTI ESTIS AD AVDIENTVM] Pro *imbecilles* græcè est,νωθροί,id est segnes, ignaui,negligẽtes facti estis ad audiendũ &cognoscendũ res Christianas & diuinas.quales multi hodie sunt inter Christianos , qui suis lucris & negotijs ita intenti sunt & absorpti,vt vix Sacrũ & concionem audire,vix de Deo, deq; animæ suæ salute cogitare possint, aut velint. Huius negligentiæ & ignauiæ causam fuisse persecutiones censet Oecum. Tentationes,inquit,& afflictiones reddiderunt vos segnes,neq;potestis perfectos audire sermones: tentatio enim,cùm illi ceditur, vel auscultatur,emollit animum,segnemque,tepidum & imbecillem facit ad bonum. Tales hodie multi sunt in Anglia,qui ne bonis suis spolientur,omne Christiani hominis officium & disciplinam negligunt, nec respiciunt domestica Martyrum, aliorumque plurimorum in fide & pietate constantissimorum & feruentissimorum exempla.

ETENIM CVM DEBERETIS MAGISTRI ESSE PROPTER TEMPVS] id est pro longitudine temporis, quo tam in lege Mosi , quàm in christianismo estis eruditi. VERS. 12.

RVRSVM INDIGETIS VT DOCEAMINI,QVÆ SINT ELEMENTA EXORDII SERMONVM DEI] id est,quæ sint rudimenta doctrinæ Christianæ & diuinæ, quæ catechumeni docentur & discunt.

ET FACTI ESTIS QVIBVS LACTE OPVS SIT]Id est, qui indigetis instructione infirmæ , simplicis & puerilis doctrinæ de Christi humanitate , de baptismo,de resurrectione, de iudicio, vt se explicat Apostolus c.seq.v.1.& 2.

NON SOLIDO CIBO] Id est,non altiori & perfectiori eruditione de Christi diuinitate,de Melchisedec,de perfectione Christiana. Nota. Hæc dicit Apostolus, excitando & exstimulando, vt scilicet Hebræorum animos acuat & subleuet ad audienda & capienda mysteria Melchisedec,aliaque quę c.7.& seqq.eis proponere statuit.Sic præceptor discipules suos aliàs benè doctos,cùm torpescunt& thema non satis accuratum exhibent, increpat & exstimulat, dicens , hoc thema non esse rhetoris, sed grammatici aut syntaxistæ , eosque ad syntaxin remitti debere. hic sensus patebit initio capitis sequ. *Apostolus excitat Hebraos ad cognitionẽ aliorũ mysteriorum.*

OMNIS ENIM QVI LACTIS EST PARTICEPS]id est, qui puerili institutione & doctrina est erudiendus & fouendus. De hoc lacte dixi 1 Cor.2. VERS.13.

EXPERS (græcè ἄπειρος, id est, inexpertus,rudis,imperitus) EST SERMONIS IVSTITIÆ]id est,sermonis qui fit de perfecta iustitia & sanctitate.hic enim solis perfectis cõuenit.ita Theop.& Anselm.

Alij sic explicant,*expers est sermonis iustitiæ* id est, non est capax iustificationis, quæ à Christi deitate exspectanda est. Sed priorem sensum esse genuinum patet ex eo quod subdit Apostolus.

PARVVLVS (græcè νήπιος,id est infans,scilicet in Christo & christianismo) ENIM EST;PERFECTORVM AVTEM EST SOLIDVS CIBVS]id est, solida & perfecta doctrina & institutio,vti iam dixi. VERS.14.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, se nolle rursum Hebræis tradere rudimenta fidei & pœnitentiæ, eò quòd eos, qui tot Dei dona receperunt,quanta ipsi in christianismo, impossibile sit renouari ad pœnitentiam: itaq; Hebræos auertit à lapsu & apostasia.

Vnde Secundò,v.9.ad constantiam, spem, patientiam,longanimitatem eos animat.

Hinc Tertiò,v.13.proponit eis exemplum Abrahæ,qui patienter exspectans ea,quæ sibi promiserat & iurauerat Deus,tandem ea adeptus est.

1. QVapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem,ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, 2. baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum,& iudicij æterni. 3. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

4. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste,& participes facti sunt Spiritus sancti, 5. gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum,virtutesque sæculi venturi, 6. & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei,& ostentui habentes. 7. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem,& generans herbam opportunam illis, à quibus colitur:accipit benedictionem à Deo. 8. proferens autem spinas ac tribulos, reproba est,& maledicto proxima cuius consummatio in combustionem. 9. Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora,& viciniora saluti:tametsi ita loquimur. 10. Non enim iniustus Deus,vt obliuiscatur operis vestri,& dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis. 11. Cupimus autem vnumquemque vestrûm eamdem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem: 12. vt non segnes efficiamini,verùm imitatores eorum,qui fide & patientia hereditabunt promissiones. 13. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret,maiorem,iurauit per semetipsum, 14. dicens: Nisi benedicens benedicam te & multiplicans multiplicabo te. 15. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. 16. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. 17. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: 18. vt per duas res immobiles,quibus impossibile est mentiri Deum,fortissimum solatium habeamus,qui confugimus ad tenendam propositam spem, 19. quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, 20. vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum.

VERS. 1. QVAPROPTER INTERMITTENTES INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM, AD PERFECTIORA FERAMVR] Quæres vnde Apostolus inferat, τὸ *quapropter*, cùm potiùs contrarium inferre debuisset. dixit enim eos esse imbecilles,& lacte potiùs indigere quàm solido cibo.

Respondeo, τὸ *quapropter* respicit v.11. & 12.c. præc.vbi dixit: *De quo (Melchisedec) grandis nobis est sermo;*&, *Deberetis esse magistri*.q.d.Quamuis hactenus, ô Hebræi, imbecilles & segnes fueritis in doctrina Christi & christianismo,tamen quia audistis iam pridè rudimenta fidei,vt pudor sit,in ijs adhuc tam me quàm vos hærere:hinc decet vos industriã vestram excitare,& intelligentiam acuere,vt quasi perfecti solido cibo vesci incipiatis; *quapropter intermittentes* postea si opus sit resumpturi,*inchoationis Christi sermonem*, id est,rudimẽta christianismi; putà ea, quæ in catechismo docentur pueri alijque rudes, *ad perfectiora feramur*, vt scil.perfecta dogmata proponamus, nominatim de Melchisedec, eiusque sacerdotio, tamquam antitypo sacerdotij Christi: de hoc enim dixit c.præc. *Grandis nobis est sermo & ininterpretabilis*;non quòd vellet eum præterire, sed vt ad eum audiẽdum & capiendum exstimularet Hebræos segnes & torpẽtes. hinc eos ita pupugit,arguitq; ignorantiæ & ignauiæ;vnde mox c.7.eumdem sermonem resumit & expromit. ita ex Chrysost.Theoph.& Anselm.

Hebræos excitat ad perfectiorẽ cognitionẽ Euangelicæ doctrinæ.

VERS. 2. NON RVRSVM IACIENTES FVNDAMENTVM POENITENTIÆ AB OPERIBVS MORTVIS, ET FIDEI AD DEVM, BAPTISMATVM DOCTRINÆ, IMPOSITIONIS QVOQVE MANVVM, AC RESVRRECTIONIS MORTVORVM, ET IVDICII AETERNI] q.d.Non est,quòd iam rursum vos doceam *fundamentum pœnitentiæ* vt scilicet de primò innouanda per pœnitentiam vita iam vos instruam & moneam:non quoq; est.quòd iaciam *fundamentum fidei* (hoc enim iam pridẽfeci) aut *baptismi*, vt eius doctrinam vobis tradam; aut *impositionis manuum*, id est,Sacramenti Confirmationis,aut *resurrectionis & iudicij*. horum enim veritatem & doctrinam iam satis audistis in prima vestra catechesi,cùm Christiani facti estis. ita Theophyl. & Anselm. Nota hîc quinque catechismi & doctrinæ Christianæ capita, catechumenis & recèns conuersis ante omnia proponenda, quæ Hebræis ab initio christianismi proposita fuisse docet hîc Apostolus. *Quinque catechismi capita catechumenis proponẽda. Primum.*

Primum est, *pœnitentiæ*,& conuersionis *ab operibus mortuis*, id est à peccatis, quibus anima gratia Dei priuatur, Deoq; moritur: nec enim vitam bonam & Christianam quis inire potest,nisi per pœnitentiam à morte peccati resurgat.

Secundum caput est, *fidei ad Deum*, vel in Deum. vtrumque enim significat Græcum Θεὸν Ἰησοῦν, putà Symbolum Apostolorum, fidesque de Deo trino & vno, deque incarnatione passione, morte & redemptione Iesu Christi. *Secundum.*

Tertium caput est, *baptismatum*. dicit *baptismatum*,non,baptismi, quia catechumeni docebantur triplicẽ esse baptismum, scilicet fluminis, flaminis & sanguinis. vel potiùs baptismata vocat non ex sua,sed Hebræorum mente& phrasi,qui lustrationibus & baptismatibus legis creberrimis assueti ad se crebrò expiandũ, putabant iam recèns conuersi & rudes adhuc, in christianismo quoq; sæpè debere hominem baptizari, vt cùm sæpè peccet, sæpè quoq; remissionem peccatorum accipiat, indeque hoc Sacramẽtum non baptismum, sed baptismata nuncupabant,inquit Oecum.& Theoph q.d Non iam tradam vobis doctrinam de baptismo,ac præsertim,quòd apud Christianos non multa,vti apud Iudæos,sint baptismata,sed vnum tantùm. *Tertium.*

Quartum caput est, *impositionis manuum*, id est Sacramenti Confirmationis, quod initio Ecclesiæ omnes baptizati, vt in persecutionibus tunc furẽtibus firmi essent in fide,mox à baptismo suscipiebant,vt colligitur Act.8 v.14 15.17. ita S.August. l.de Fide& oper.c.11.& Ambros. *Quartum.*

Quintum est, mysterium *resurrectionis & iudicij aterni*: spes enim resurrectionis omnes excitat ad constantiam & Christianam sanctamq; vitam; iudicij verò metus deterret omnes ab apostasia, alijsque *Quintum.*

que peccatis. dicitur *iudicium æternum* metonymicè, quia in iudicio feretur sententia de tota æternitate vel beata vel misera cuiusque, sententia inquam, fixa & irreuocabilis in æternum. Quàm sapit qui hoc iudicium æternum & annos æternos semper in mente habet!

ET HOC FACIEMVS SI QVIDEM PERMISERIT DEVS] *Hoc*, scil. vt omissis fidei rudimentis & fundamẽtis, *ad perfectiora*, id est perfecta christianismi dogmata, *feramur*, inquit Theoph. Ansel. & alij. Aliter alij, sic enim explicant. q.d. Paulus, De rudimẽtis fidei iam dictis, quæ iam transibo, postea rursum agam Deo dante, cùm oportunum erit. nam de baptismo & pœnitentia agit inferiùs cap. 10. de fide c. 11. de iudicio cap. 10. & 12. de resurrectione mortuorum c. 11. & 12.

Sed si hoc Apostolus voluisset, dixisset potiùs per exceptiuam particulam sic: *quamquam hoc quoque faciemus*. Itaq; prior expositio planior est, magisq; cohæret præcedentibus. τοῦτο enim *hoc*, respicit τοὺς *intermittentes*, &, *non rursum iacientes*.

IMPOSSIBILE EST ENIM EOS, QVI SEMEL SVNT ILLVMINATI, GVSTAVERVNT ETIAM DONVM CÆLESTE, &c. RVRSVS RENOVARI AD POENITENTIAM] Vox *enim*, dat causam cur dixerit v. 1. non esse rursum iaciendum fundamentum pœnitentiæ; quia scilicet hæc impossibilis est ijs, qui *illuminati*, id est baptizati sunt, vt vertit Syrus. Nota. S. Dionys. c. 3 Eccles. hierarch. p. 1. alijq; Patres, baptismum vocant φωτισμὸν, id est illuminationem, quia in baptismo homo fide Christi illustratur, *accipitq; primi & increati luminis consortium, omniumq; diuinarum illustrationum principium*, ait S. Dionysius, cuius rei symbolo in baptismo faces accendi solent.

GVSTAVERVNT ETIAM DONVM CÆLESTE] Græcè ἐπουρανίου quod verti potest, *supercæleste* donũ, hoc est remissio peccatorum, inquit Chrysost. gratia, virtutes & charismata Spiritus sancti, ac præsertim lætitia, pax & serenitas puræ & sanctæ conscientiæ, atq; dulcedo & suauitas vitæ nouæ & Christianæ, quam experiuntur tam recèns baptizati, quàm qui seriam peccatorum confessionem fecerunt, vitamq; in melius commutarunt. hunc enim dulcem saporem significat verbum *gustauerunt*.

GVSTAVERVNT NIHILOMINVS BONVM DEI VERBVM] id est, gustarunt quàm suauis & consolatoria sit doctrina Euangelica, quæ tanta tamq; iucunda bona promittit nobis, tam hîc, quàm in cælo capessenda. Nota. *Bonum* Hebræis sæpè idẽ est, quod lætum, iucundum, felix, delectabile. inde *verbum bonum*, vocat promissionem Dei Iudæis iucundissimam, de liberatione è captiuitate Babylonica. Sic psal. 44. *Eructauit*, inquit, *cor meum verbum bonum*, id est, epithalamium iucundissimum de nuptijs Christi & Ecclesiæ. Sic & Poëta canit,

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

VIRTVTESQVE SÆCVLI VENTVRI] *Virtutes* hîc nõ opponuntur vitijs: græcè enim est δυνάμεις, & syriacè חיל *chaila*, id est robur, potentiã, energiam, q.d. Qui gustarunt per fidei cognitionẽ, amorem, spem, gaudium & desiderium, *virtutes*, id est, potẽtias sæculi futuri, quid scilicet possit & valeat futurum sæculum, quàm potens in eo futura sit redemptio & liberatio ab omni malo & miseria, quanta felicitas & beatitudo, quantam potentiam Deus ostendet in Beatis, scilicet in tam mira & augusta illorum gloria, immortalitate, vita æterna, visione & fruitione Dei, omniumq; gaudiorũ & bonorum,

A tam corporis quàm animi copia & affluentia. Illum prægustum futuræ vitæ habebat S. Augustinus eiusq; mater S. Monica, vti ipse affectuosè narrat l. 9. Confess. c. 10. sanctus item Franciscus cùm dicit: *Tanta est gloria quã expecto, vt omnis me pœna delectet.*

Pœna damnatorum. Latiùs accipit hasce *virtutes*, siue potentias Oecum. scilicet vt tam potentes damnatorum pœnas & tormenta in inferno, quàm potentia, augusta & diuina præmia Beatorum in cælo complectantur.

ET PROLAPSI SVNT] Post tanta dona, lumina, VERS. 6. suauitates & dulcedines, in apostasiam, aliáue peccata prolapsi sunt.

RVRSVS RENOVARI AD POENITENTIAM] Græcè est ἀνακαινίζειν, id est renouare, vt scilicet sacerdotes per Sacramentum pœnitentiæ prolapsos renouent. sed corrigẽdus est textus Græcus modernus ex Chrysostomo, Oecum. Theoph. qui legunt ἀνακαινισθῆναι, id est renouari, vt vertit Noster.

Nota, *ad pœnitentiam*, id est per pœnitẽtiam. ita Chrysost. Theophyl. Oecum. Græcum enim εἰς vel ἐν respondet Hebræo ב *bet*, quod significat in, ad, per, propter: sic vulgò dicimus, ad primũ (id est, per primum) delictũ occubuit Petrus: ad cõtactum (id est, per contactũ) Christi sanata est hæmorrhoissa: ad (id est, per) iguis præsentiam inflammatur stupa.

Quæres, quis huius loci sit sensus, & quomodo fit impossibile lapsos renouari ad pœnitentiam? Ex hoc loco malè intellecto orta est hæresis Nouati & Nouatianorum tempore S. Cypriani, qui docebant lapsis non esse dandam pœnitẽtiam, nec veniam: indeq; Catharos, id est puros & mundos, se nuncuparunt. *Hæresis Nouati & Nouatianorũ.*

Hinc quoque delirauit Tertull. cùm l. 1. de Pudicitia docuit, lapsos semel tantùm ad pœnitẽtiam esse recipiẽdos. Sed hæc hæresis iampridem explosa & damnata est, & manifestè repugnat ipsi S. Paulo, qui 1. Cor. 5. & 2. Cor. 7. & alibi multis suadet tam fornicario illi Corinthio, quàm alijs quibusuis lapsis pœnitentiam. *Error Tertulliani.*

Rursum Petrus Lombardus & Hugo Victor. q. 61. in epistolam hanc, putant Apostolum loqui de pœnitentia peragenda post hanc vitam: hæc enim est impossibilis. sed nihil tale suggerit vel innuit hîc Apostolus. *Petri Lombardi & Hugonis Vict. explicatio.*

Dico ergo, duæ sunt maximè probabiles huius loci expositiones. Prior est omnium penè veterum, Chrysost. Theodor. Theoph. Oecum. Haymonis, Sedulij, Primasij, Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 2. Hieron. l. 2. cont. Iouin. Aug. in inchoatione epist. ad Rom. & aliorum: hi censent Apostolum loqui de pœnitẽtia baptismi, seu quæ præit baptismum, tantumque damnare hoc loco iterationem baptismi. vnde veteres passim ex hoc loco docent & probant baptismum, æquè ac Confirmationem, non posse iterari: Hebræi enim in iudaismo sæpè se baptizabant, indeq; facti Christiani putabãt pari modo se posse iterum, tertiò & quartò baptizari, & baptismo iterato identidem peccata, in quæ sæpiùs incidebant, expiare. Probatur hæc explicatio Primò, quia Apostolus hîc respicit ad pœnitentiam, de qua egit v. 1. ibi autem pœnitentiam iungit baptismo, eamque intelligit quæ præit baptismum. *Prior explicat. huius loci, loqui Apostolum de pœnitẽtia baptismi, qui iterari non potest.* *Prior hæc explicatio probatur quadruplicit.*

Secundò, id indicat vox *renouari*, quæ ferè baptismo datur: vnde Apostolus Tit. 3. baptismum vocat lauacrum regenerationis & renouationis.

Tertiò, id ipsum innuit vox *impossibile*: propriè enim sola baptismi, non autem pœnitentiæ, iteratio est simpliciter impossibilis.

Quartò, quia subdit Apostolus, *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei*, q.d. Baptismus est figura & repræsentatio crucis; & qui baptizatur, symbolicè cum Christo crucifigitur, vt dixi Rom. 6 3. Vnde sicut Christus secundò crucifigi non potest, sic nec baptismus repeti; & qui secundò baptizantur, hi Christum in seipsis iterum symbolicè crucifigunt: hoc enim ipso significant & protestantur crucem à Christo semel susceptam & priore vnicoq; baptismo à se suscepto adumbratam non sufficere; sed opus esse vt iterum Christus crucifigatur, itaque secundum baptismum ad eluenda peccata instituat. ita Chrysost. & Damascen. l. 4. de Fide c. 10.

Posterior, apostatis & ingratissimis peccatoribus difficilem esse pœnitentiã.

Secunda magis plana ac genuina huius loci expositio est Anselm. Lyræ, Hugon. Dionys. Titelm. Vasquez, Riberæ & aliorum recentiorum: hi censent Apostolum propriè loqui de pœnitentia, eamque dicere impossibilẽ, id est valdè difficilem, esse peccatoribus non quibusuis, sed grauissimis & ingratissimis, putà apostatis, qui post tot insignia lumina & dona cælestia à Deo accepta, post tot gratias & consolationes Spiritus sancti, postquam gustarunt delicias Dei & futuræ vitæ; à Deo, à fide & agnita veritate, atq; à Christo ad iudaismum & infidelitatẽ desciscunt, vti aliqui Hebræi faciebant.

Posterior hæc expositio probatur triplicitèr.

Probatur hæc expositio Primò, quia v. sequenti vocat terram maledictam, quæ rore cælestis gratiæ & fidei recepto, profert tamen spinas apostasiæ, ideoq; reproba est & igni comburenda: apostatæ enim ferè omnes pœnitentia expiari non possunt, sed obdurati & reprobi sunt, ideoq; in gehennam relegantur, vbi clarè vides non baptismi, sed pœnitentiæ vim & fructum eis adimi.

Secundò, quia verba ipsa planè id significãt: pœnitentia enim non baptismum, sed pœnitentiam significat eorum, qui in peccatum prolapsi sunt, post illuminationem, id est, post baptismum.

Apostatæ nostri, sacerdotes & monachi obdurati.

Tertiò, quia c. 10. 26 omnino similiter de his apostatis ait: *Voluntariè peccantibus non relinquitur pro peccato hostia.* q.d. Eorum qui voluntariè peccant & à Christo desciscunt, peccatum & apostasia nullo, non dico baptismo, sed sacrificio pro peccato, nulla pœnitentia expiari potest, id est, difficillimè & vix expiari potest: quia tales vix vmquam seriò pœnitent, vti videmus nostros apostatas sacerdotes & monachos, cùm à religione nostra & ab ordine suo ad hæreticos transfugiunt, difficillimè & rarissimè conuerti & pœnitere. Sic Matt. 12. 32. dicit Christus, quòd blasphemia in Spiritũ sanctum *non* (id est ægrè, vix) remitteturin hoc sæculo, nec in futuro. Sic 1. Iohan. 5. 16. dicitur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* q.d. Si quis peccet, dummodo non peccet peccatum ad mortem, oret quis pro peccante, & certò sperẽt se exaudiendum, & veniam ei impetraturum, sin autem quis peccet peccato ad mortẽ, non ausim spõdere, nec certò sperare, quòd orans pro eo veniam ei impetrabit, non tamen omnino orationẽ pro eo fieri veto. Vbi peccatum ad mortem idem ferè videtur esse cum eo, de quo hìc agit Apostolus cùm ait: *Impossibile est eos, qui semel illuminati & prolapsi sunt, renouari ad pœnitentiam.* Peccatum enim ad mortem, vt docet S. Hieron. libr. 2. contra Iouinian. est quoduis grauissimum peccatum, maximè quod ex malitia & obfirmato animo fit, v.g. cùm quis fidem agnitam ex malitia improbat, deserit, & tamquam dæmoniacam calumniatur. quod peccatum ordinariè vix remittitur, estque tale ac tantum, vt ex eo ad vitam spiritualem gratiæ vix vllus resurgat; sed in eo, ac consequenter in morte animæ maneat is qui peccat, ac proinde puniendus sit morte æterna.

Peccatum in Spiritum sanctum, & peccatum ad mortem vix remittuntur.

Peccatũ ad mortẽ quod & quale.

Refellitur argumentum allatum pro priore expositione.

Ad primum argumentum, pro priori expositione de baptismo allatum Respondeo, Apostolũ v. 1. pœnitentiam generatim accipere, omnemque intelligere, tamque eam quæ baptismum antecedit, quàm eam quæ baptismum sequitur: vtraq; enim rudes & catechumenos docere solet, vt sciant quomodo ad baptismum se præparare, & quomodo post lapsum, si lapsi sint in peccatum, per pœnitentiam se reparare, & baptismali puritati restituere possint: mox enim à baptismo catechumeni vsurpare & frequentare solent pœnitentiæ Sacramentum.

Ad primã.

Ad secundum.

Ad secundum Respondeo, vocem *renouari* tam tribui pœnitentiæ, quàm baptismo. vnde Apostolus tam Ephesios quàm Romanos & Colossenses iam pridem baptizatos hortatur dicens: *Renouamini spiritu mentis vestræ*, Ephes. 4. 23. Sic Concil. Trident. sess. 14. c. 2. docet per pœnitentiæ Sacramentum nos renouari, & ad nouitatem baptismo acceptam reparari.

Ad tertiũ.

Ad tertium Respondeo *impossibile* hìc, non physicè, sed moraliter accipi; significareque id, quod communiter & ordinariè non fit, & secundùm consuetudinem & legem ordinariam fieri non potest. sic enim Iurisperiti vocãt impossibile, id quod valdè est difficile, & rarò aut numquam fit. sic Christus Matt. 19. 26 dicit impossibile esse diuitem saluari: quod mox explicat dicens, id apud homines esse impossibile, apud Deum autem omnia esse possibilia. Eodem modo impossibile est peccantes hoc peccato apostasiæ renouari ad pœnitentiam, si spectes communem cursum, tum naturæ, tum gratiæ, quam Deus ordinariè dat, iuxta quam videmus tales rarissimè & vix vmquam conuerti; vt moraliter & vulgariter loquẽdo dicamus impossibile esse tales cõuerti. Sic ex hæresiarchis, qui principes sunt apostatarum à Christo, hucusque neminem vidimus qui resipuerit, excepto vno Berengario. Apud Deum autem possibile est eos conuerti, si videlicet quis valdè sanctus vir Deum exoret, aut si Deus sponte sua raram quamdam & extraordinariam gratiam eis largiatur, qua cor eorum durum flectat & emolliat ad veram & seriam pœnitentiam, vti subinde fieri videmus.

Impossibile moraliter est id quod rarò aut numquã fit.

Ex hæresiarchis nobis resipuit excepto Berengario.

Ad quartum.

Ad quartum respõdebo paragrapho proximo.

RVRSVM CRVCIFIGENTES SIBIMETIPSIS FILIVM DEI, ET OSTENTVI HABENTES] Nota hæc verba nõ referri ad τὸ *renouari*, q.d. eos in ipsa renouatione & iteratione baptismi crucifigere Christũ; sed ad τὸ *prolapsi*. Patet ex Græco, in quo pari casu, scil. accusatiuo, hæc efferũtur, sc. ἀνακαινίζοντες & παραπεσόντας, q.d. Prolapsi sunt, quia rursum crucifigũt & ostentui habent Christum; ideoque impossibile est eos ad pœnitentiam renouari: omnis enim qui in pristina peccata, ac præsertim qui à fide in iudaismum & hæresim aut infidelitatem relabitur, iterum quasi crucifigit Christũ; quia nouo peccato nouam dat causam crucis & mortis Christi: facit enim rursum id propter quod Christus crucifixus est. quare nisi Christi mors tam efficax fuisset, vt ad omnia omnino peccata post quantauis sæcula futura & iteranda se extẽdisset, oporteret Christum toties mori & crucifigi, quoties peccant homines, sicut

Illustrãtio huius loci scilicet: Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei.

sicut Aaronica sacrificia & victimæ toties mactari & offerri debebant, quoties peccabant Iudæi. A

OSTENTVI HABENTES] Græcè παραδειγματίζοντες, id est paradigma, siue exemplum statuētes, quod ab omnibus videatur & rideatur; hoc est, infamantes, irrisioni & ludibrio exponentes. vnde Syrus habet נְבַזּוּן *netsaarun*, id est, contemnunt, despiciunt, contumelia & ignominia afficiunt. Qui enim apostatat & in peccata relabitur, hoc ipso contemnit, vilipendit & ridet Christum, Christiq; crucem & redemptionem, atque hoc ipso causa est, vt Christus in exemplum ludibrij Gentilibus, omnibusque hominibus proponatur, vtque Gentiles dicaces & maleuoli irrideant Christum, Christique legem & Ecclesiæ, sicut Iudæi irriserunt Christum in cruce suspensum: sic Iulianus Apostata irrisit, & irridendum proposuit Christum & christianismum. B

Apostata contemptores & irrisores Christi & christianismi.

VERS. 7. TERRA ENIM SAEPE VENIENTEM SVPER SE BIBENS IMBREM ET GENERANS HERBAM OPORTVNAM (εὔθετον, id est, vtilem & accommodam) ILLIS A QVIBVS COLITVR, ACCIPIT BENEDICTIONEM A DEO] *Benedictionem* vocat continuam fertilitatem: dum enim terra labori & agriculturæ respondet, generatque herbam, facit Deus vt homines eam diligentiùs colant, & subinde hordeum, triticum, aliasque segetes in ea serant: ipseque Deus illi nouas pluuias, & nouas Solis cælique influentias immittit; quo fit vt terra ita exculta nouos, plures & meliores fructus ferat, quæ est terræ quasi benedictio & felicitas; sicut felicitas & benedictio matris est multas & pulchras generare proles. Hac terræ similitudine & analogia significat Apostolus, homines, qui imbrem gratiæ diuinæ excipiunt, eique cooperantes fructus bonorum operum producunt, à Deo benedici, id est, maiori gratiæ & consolationis cælestis influxu, virtutum & meritorum copia cumulari. C

Terra & anima fertilis similitudo.

VERS. 8. PROFERENS SPINAS AC TRIBVLOS, REPROBA EST, ET MALEDICTO PROXIMA: CVIVS CONSVMMATIO IN COMBVSTIONEM] Pro *proferens*, græcè est ἐκφέρουσα, id est efferens, emittens, ejiciens, quasi præter naturam *spinas*, tamquam aborsum, cùm per se generare deberet herbam vtilem. ita Oecum. Secundò, pro *reproba*, græcè est ἀδόκιμος, id est improbanda, deserenda, reijcienda, & inculta relinquenda, vt fiat horridum vepricetum. & sentetum. hinc Tertiò eamdem vocat *maledicto proximam*, vt, nisi meliora ferat germina, maledictioni, id est sterilitati & squalori, perpetuò subiaceat, Quarto, *consummatio*, id est, finis & exitus eius est, vt sit *in combustionem*, vt cum suis spinis ac tribulis comburatur. D

Terra & anima sterilis comparatio.

Ex parabola terræ frugiferæ & sterilis, probat Apostolus id quod dixerat, scilicet peccatum apostasiæ post accepta tanta dona gratiæ, quasi pluuiæ cælestis, commissum, esse grauissimum, & quasi irremissibile; eò quòd apostata hanc pluuiam neglexerit, illique non responderit, sed manserit sterilis bonorum operum, ideoque maledicto sit proximus, vt, nisi planè se emendet, à Deo auditurus sit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

VERS. 9. CONFIDIMVS AVTEM DE VOBIS DILECTISSIMI MELIORA, ET VICINIORA SALVTI: TAMETSI ITA LOQVIMVR] Pro *confidimus*, græcè est πεπείσμεθα, id est persuasi sumus, credimus, persuasimus nobis, vos scilicet non esse instar terræ, quæ germinat spinas & tribulos, ideoq; maledicta est: tamen hæc loqui & submonere voluimus, quia vidimus quosdam inter vos à primo feruore desciuisse, & flaccescere in dies, qui si ita pergant, tandem fient terra maledicta & damnabuntur: hos hac parabola terremus & monemus, vt resumant primum feruorem, & diuinæ gratiæ respondeant, ferantque fructus virtutum instar terræ fertilis & benedictæ. ita Theoph.

VERS. 10. NON ENIM INIVSTVS EST DEVS VT OBLIVISCATVR OPERIS VESTRI, ET DILECTIONIS QVAM OSTENDISTIS IN NOMINE IPSIVS] Putant nonnulli Doctores moderni, Apostolum hîc loqui Hebræis lapsis in apostasiam & peccatum mortale, eosque erigere in spem veniæ, eis proponendo partim suam pœnitentiam, & pœnitentiæ ac charitatis opera quibus iam pœnitentes ministrarunt sanctis; partim Dei iustitiam, id est, fidelitatem, qua sicut peccatoribus pœnitentibus veniam promisit, ita eamdem reipsa præstabit. q.d. Estote bono animo, ô Hebræi: licet enim lapsi sitis, tamē quia pœnitet vos, eamq; pœnitentiam testamini, dum tanta charitate ministratis sanctis, certi estote quòd Deus in gratiam vos recipiet. *non enim iniustus est*, sed iustus & fidelis, vt misericordiam & remissionē peccatorum promissam pœnitentibus vobis præstet & exhibeat. Si obijcias Concil. Trid. sess. 6. c. 16. dicere, hæc verba Apostoli non peccatoribus sed iustificatis esse proponenda; Respondēt. hæc verba iustificatis esse proponenda, non quasi per se ad eos pertineant, sed tamquam argumentum à minori. q.d. Si Deus nō obliuiscitur veniæ, quam promisit impijs si pœniteant; multò minùs obliuiscetur premij quod iustorum operibus promisit. Verùm Cōcilium videtur proponere hæc Apostoli verba iustificatis, non vt argumentum à minori, sed vt ijs ipsis præmium operum iustorum explicet & demonstret: nam alioqui hoc loco omisso, alia clara & expressa Scripturæ sanctæ testimonia, quæ idipsū disertè significant, protulisset. Adde, quòd Apostolus non peccatoribus, sed iustificatis loquatur, patere ex ipso Apostolo, vt mox ostendam.

Quorundā modernorū explicatio, hæc verba accommodantium peccatoribus.

Ex Concilio Trid. affertur verba hæc iustificatis conuenire.

Secundò, S. Thom. & Franc. Suarez in erudito illo opusculo de Reditu operum mortificatorum, putant Apostolum loqui Hebræis tam in gratia stantibus, quàm in peccatum iam antè lapsis, sed iam rursum reparatis & iustificatis, quibus bona opera ante lapsum facta, iam per pœnitentiam restituta sint à Deo. Vnde ex hoc Apostoli loco probāt opera & merita bona per peccatum sequens mortificata, iterum post pœnitentiam redire & reuiuiscere, & restitui pœnitenti. Videtur enim hi Hebræi peccasse, & esse prolapsi, vt innuit Apostolus v. 6. quare docent ijdem hæc merita redire & restitui pœnitenti, ex iustitia, præsuppositā tamen liberali Dei ordinatione & promissione, qua hunc reditum & restitutionem promisit, ideoque dicere Apostolum: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri.*

Reditus & reuiuificatio operum mortificatorū probatur ex hoc loco secundū aliquos.

Hæc sententia in se vera est, non tamen videtur esse planè genuina, & ex mente Apostoli hoc loco. Licet enim subinde innuat aliquos Hebræos esse prolapsos, & licet alijs nonnullis, vtpote segnibus, eumdem lapsum timeat; tamen eos, ad quos scribit, quosque hîc alloquitur & compellat, necdum esse lapsos satis significat v. præc. vbi ait: *Confidimus de vobis meliora & viciniora saluti: tametsi ita loquimur.* & v. 11. & 12. itemq; c. 10. 34. vbi cùm laudans

Apostolus nō intendit hanc reuiuiscentiam.

Probatur primò.

laudans Hebræos dixisset, eos vinctis esse cōpassos, & rapinam bonorum, aliaq; dura cum gaudio suscepisse, subdit: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, patientia enim vobis necessaria est; adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet.* Rursum cùm dixisset hoc loco, non esse iniustum Deum, vt obliuiscatur eorum operis & dilectionis, subijcit: *Cupimus autem vnumquemque vestrùm eamdem ostentare solicitudinem, ad expletionem spei vsque in finem.* Quibus verbis alijsque tota epistola sparsis hortatur Hebræos, non ad resipiscentiam, sed ad constantiam in fide, ne tētationibus & persecutionibus pressi & fatigati, ab ea resiliant, & deseraut collectionem Christianam.

Probatur secundò. Secundò, de pœnitentibus hîc non agere, adeoque pœnitentiam hîc non commendare Apostolum, patet ex eo, quòd tam hîc, quā c. 10. dicit esse *impossibile eos qui lapsi sunt renouari ad pœnitentiam*, eosq; non misericordiam, sed terribile tantùm Dei iudicium manere. Rursum id patet ex eo, quod ait v. 1 *Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ.*

Probatur tertiò. Tertiò, ita videtur exponere Conc. Trid. sess. 6. c. 16. vbi docet iustificatis à peccato hæc Apostoli verba esse proponenda, vt ijs excitētur ad studium bonorum operum ex spe mercedis, quam recipiēt à Deo iusto iudice. Hæc ergo est mens & sententia Apostoli: dixerat paulò antè, *Confidimus de vobis meliora & viciniora saluti*; sc. quòd non sitis similes terræ sterili, reprobæ, maledictæ & comburendæ; sed potiùs, quòd sitis terræ fertili & benedictæ similes; quodq; rectis itineribus tendatis ad salutem, illiq; vicini sitis: id probat dicens, *Non enim iniustus est Deus*, &c q.d Deus cùm sit iustus retributor operū, obliuisci non potest, sed semper est memor vestræ dilectionis & misericordiæ, vt illam præmiet, dando vobis gratiam & stimulos, quibus facilè in hac dilectione æquè ac fide, spe, patientia, alijsq; bonis operibus perseuerare & crescere possitis, atq; per ea tendere & assequi tandem salutem & coronam gloriæ, quam bonis operibus promisit; si tamē vos ipsi huic gratiæ cooperari pergatis, sitisque in fide constantes: quod vnicè cupio, ad idq; planè vos exhortor. Vnde subdit: *Cupimus autem vnumquemque vestrùm eamdem ostentare solicitudinem, ad expletionem spei vsque in finem.* Hinc sequitur, bona opera mereri stabilitatem & perseuerantiam in fide gratia, & bonis operibus: sicut vice versa mala opera merentur, & disponunt ad vagandum per cupiditates & scelera, ac tandem ad vacillandum in fide, & ad ipsam fidem perdendam.

Cooperandum gratiæ diuinæ.

Deus ex iustitia remunerabit opera. Nota quod dicit, *Non enim iniustus est Deus.* Hisce enim verbis significat iniustum fore Deum, si mercedem quam bonis operibus promisit negaret & subtraheret, aut si minorem mercedem daret, quàm opera mereantur. Deus enim ad iustam & condignam operum mercedem promissione sua se obstrinxit: hinc quia iustissimus est, quod iustum est, quodque promisit, iustissimè præstabit. Vide dicta 2. Timot. 4. 8.

ET DILECTIONIS] Ita legēdum cum Syro, Chrysost. Theophyl. Oecum. iam enim nescio à quo, in Græco additum est τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης, id est laboris charitatis, vel dilectionis, id est laboriosæ charitatis, vel laboris ex charitate suscepti.

Paulus hic ex Hebræo illustratus. QVAM OSTENDISTIS (id est præstitistis, & exhibuistis) IN NOMINE IPSIVS] id est nomini, vel erga nomē ipsius, scilicet Christi Dei & Domini vestri, vt sit *bet* contactus; vel *in nomine*, id est, propter nomen ipsius, vt sit *bet* causæ, vel pretij. q.d. Propter Christum benefecistis Christianis, & magnum laborem subijstis in adiuuandis Christi pauperibus. Rursum, dum hoc feciſtis & facitis, ostēditis quantum ametis Christum, Christiq́ue nomen; qui scilicet Christi amore omnibus qui Christi nomine insigniuntur, ministratis & succurritis eleēmosynis vestris.

Nota. *Ministrare*, significat tam succurrere, & eleēmosynam dare, quàm eleēmosynam ad pauperes & ægrotos deferre, eisque inseruire: quæ plena & perfecta est misericordia & charitas Christianorum.

Eleēmosyna quibus & qualibus danda. Moraliter, vide hîc Chrysostomum in morali hom. 10. & 11. docentē quàm non debeamus curiosè scrutari pauperes, an sint boni & sancti, sed simpliciter dare eleēmosynam in nomine Christi, non tantùm Christianis, sed & Paganis.

CVPIMVS AVTEM VNVMQVEMQVE VESTRVM EAMDEM OSTENTARE) ἐνδείκνυσθαι, id est ostendere) SOLICITVDINEM AD EXPLETIONEM SPEI, VSQVE IN FINEM] *Ad expletionem spei*, id est, vt spes vestra plena sit, indiesque augeatur, & plenior fiat per perseuerātiam & studium bonorum operum, tandemq; reipsa expleatur, cùm spes ipsa vertetur in rem, cuinq; præmium cæleste quod speraſtis, & pro quo laboraſtis, reipsa consequemini. VERS. 11.

Spes roboratur exercitio boni operum. Vbi Nota, spem & fiduciam salutis nasci & corroborari exercitio & studio bonorum operū: quare qui gehennam anxiè formidat, & damnari metuit, exerceat se assiduè in bonis operibus, itaque crescet fiducia salutis, quæ omnem hunc metum aut excludet aut valdè imminuet.

Nota. Pro *expletionem* græcè est πληροφορίαν, quod Vatabl. Erasm. & alij vertunt, *plenam probationem*, persuasionem & certitudinem, vt scil. spes vestra per bona opera fiat certa, vsq; in finem certitudinis spei, id est, vsquequo plenè persuasi sitis, planeque, & certò (quantum licet in hac vita) confidatis vos speratam gloriam in cælis adepturos; itaque non timidè, scrupulosè & anxiè, sed liberè, lætissimè & fidentissimè Deo seruiatis, vt idem sit cum eo, quod monet S. Petrus, cùm ait epist. 2. c. 1. 10. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Ita & Vasquez: πληροφορία, ait, est certa & plena fides siue persuasio, ex qua oritur certa & plena spes: tunc enim plena est spes, cùm plena est fides de eo quod speratur. Verùm πληροφορία propriè expletionem significat, sicuti vertit Noster, vti ostendi Rom. 14. 5.

Solicitudo cōtinua bonorum operum necessaria. Nota Secundò, τὴν *in finem*, referendum esse ad *ostentare solicitudinem*. q.d. Cupio vt ostēdatis hanc bonorum operum solicitudinem in finem vsq; vitæ vestræ. Potest tamen referri quoque ad *expletionem spei*. q.d. Vt spes vestra expleatur in finem vsque, vt scilicet illa indies ita crescat donec tandem ipsa plenè finiatur, absoluatur & consummetur: crescente enim sancta vita, crescit & spes, & quantum illa, tantum & hæc perficitur & consummatur.

VT NON SEGNES EFFICIAMINI] in retinendo & prosequendo Euangelio & vita Christiana, in persecutionibus & afflictionibus pro ea sufferēdis. VERS. 12.

VERVM IMITATORES EORVM, QVI FIDE ET PATIENTIA HEREDITABVNT PROMISSIONES] *Fide*, scilicet, qua credunt, si Deo fideles sint, se ab eo bona

bona æterna accepturos: hæc enim fides est quæ spem excitat, & sustentat ad quæuis ardua suscipienda & perferenda; de qua agit toto c. 11. vt Hebræos ad constantiam in persecutione præstandam, per hanc fidem animet & corroboret.

Commendat fidei & patientiæ.

Pro *patientia*, græcè est μακροθυμία, id est lõganimitas, qua duramus in malis, nec ijs frangimur, etiamsi longo tẽpore nos premant, sed longanimiter expectamus, vt tandẽ aliquando ijs liberemur, & bona promissa ac sperata cernamus & hereditemus in cælis: hæ enim sunt *promissiones* in Scripturis celebres, ideoq; Hebræis notæ, quas hîc Paulus intelligit, scilicet bona in cælis nobis promissa. per metonymiam enim *promissio* ponitur pro re promissa. *Patientia* ergo siue longanimitas hîc idem est quod perseuerantia. Simile est v. 15.

VERS. 13. *Abraham natur creationis, & æmiter expectantiã.*

ABRAHAE NAMQVE PROMITTENS DEVS] q.d. Quod iam dixi, *Imitatores estote eorum qui fide & patientia hereditabunt promissiones*; idipsum exemplo Abrahæ confirmo, ipsumq; Abraham patrem vestrum, omniumq; credentium & patienter exspectantium, vobis imitandum propono; vt, sicut ipse fide & patientia promissionem sibi à Deo factam & iuratam tandem consecutus est, ita & vos eamdem longa fide, spe & patiẽtia consequamini. Promissio enim Abrahæ facta, vobis quoque, omnibusq; fidelibus facta est, vt mox patebit. Simili modo Abraham in exemplum proposuit Apostolus Romanis c. 4. 16.

QVONIAM NEMINEM HABVIT PER QVEM IVRARET, MAIOREM, IVRAVIT PER SEMETIPSVM] Ostendit promissionem Dei esse certam & firmam, nec quemquam de ea posse dubitare, quia Deus eam iuramẽto confirmauit iurans per semetipsum, cùm non haberet maiorem se, per quem iuraret.

VERS. 14. *Hebraismus nota iuramẽti execratorij.*

DICENS: NISI BENEDICENS BENEDICAM TE. ET MVLTIPLICANS MVLTIPLICABO TE] Nisi, Hebræis nota est iuramenti execratorij, in qua est aposiopesis, q.d. Nisi te benedicens benedixero, id est, nisi beneficijs meis cumulatè tibi benefecero. ijsq; abunde te cumulauero (hoc enim significat illa geminatio, *Benedicens benedicam*: & benedicere Dei cùm sit reale & efficax, idem est, quod benefacere) supple & subaudi, *non habear Deus*, verax, fidelis. Iurat enim hîc Deus, vt ait Apostolus, per semetipsum, seq; quasi deuouet.

Nota. Pro *nisi*, græcè est, εἰ μὴν, quod Noster, Vatabl. Erasmus, & alij vertunt *nisi*, vt sit idem quod εἰμή. Theophyl. tamen & Oecum. vertunt *verè*, vel *certè*.

Apostolus non semper verba, sed sensũ Scripturæ refert.

Hinc Secundò, patet Apostolum hîc, vti & aliàs, non verba Dei & Scripturæ, sed sensum citare, adeoq; multa verba Dei paucis complecti. Sic enim dicit Deus Gen. 22. 16. *Per memetipsum iurauit* (id est iuro) *dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; quia obedisti voci meæ.* quæ omnia summatim hisce paucis verbis complexus est Paulus dicens, *Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.*

Promissio facta Abrahæ inchoatè impleta in Iudæis, perfectè in Christianis.

Hinc Tertiò, patet hanc benedictionem & promissionem Abrahæ & posteris Abrahæ factam, impletam esse inchoatè in Isaac & Iudæis ex Isaac prognatis, quando scilicet Deus illos tẽporalium bonorum abundantia cumulauit; perfectè verò impletam esse in Christo, & Christianis, quos Deus spiritualis gratiæ copia omniq; benedictione cælesti benedixit: hanc enim spiritualem Christianorum benedictionem, temporalis illa Isaaci & Iudæorũ, quasi typus & figura adumbrauit. Ad Christum enim & Christianos quasi ad veros & genuinos ex mẽte Dei & Scripturæ, Abrahæ filios, hanc eius benedictionem vel maximè pertinere patet ex ipsis verbis quibus ait, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: per Isaac enim soli Iudæi, per Christum verò omnes gentes benedictæ sunt, vt patet Galat. 3. 16. vnde Apostolus Rom. 9. 6. *Non omnes*, inquit, *qui ex Israel, ij sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij. Sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* q.d. Non Iudæi qui secundùm carnẽ ex Abraham & Israele, id est Iacobo, sunt nati, sed fideles & Christiani, qui secundùm spiritum ex Abraham & Iacob sunt prognati, quia fidẽ & spiritum Abrahæ patris quasi genuini filij imbiberunt & imitantur; censentur à Deo esse semẽ, id est posteri & filij, Abrahæ à Deo in filios adoptati; ac consequenter hi soli censentur, & sunt Abrahæ, & promissionis ac benedictionis illi factæ heredes. ita ex S. Chrysost. Theoph. Anselm. & alij.

ET SIC LONGANIMITER PERENS (exspectans) ADEPTVS EST REPROMISSIONEM] In senio enim suo Abraham, & prole & opibus fuit cumulatus, Gen. 25. 1. & seqq. VERS. 15.

Abrahamiticæ promissiones multis modis implerũ.

Secundò, in posteris suis secundùm carnẽ, post quadringentos annos à promissione sibi facta benedictus est Abraham; quando duce Iosue Hebræi posteri Abrahæ, obtinuerunt portas inimicorum suorum, id est, terram & vrbes Chanaan.

Tertiò, spiritualiter & maximè Abraham fuit benedictus quando post mortẽ in limbum, & inde tempore Christi in cælum deductus est: similiter posteris suis secundùm spiritum benedictus est, & indies adhuc benedicitur, quando fideles & Sancti in cælum, cuius typus erat Chanaan, ingrediuntur: & de hac tertia benedictione loquitur Apostolus, cùm ait c. 11. 13. Abraham & patriarchas esse defunctos non acceptis promissionibus, sed eas à longè aspexisse & salutasse.

HOMINES ENIM PER MAIOREM SVI IVRANT] Docet exemplo hominum, apud quos omnis lex & omne dubium terminatur & firmatur iuramento, Deum suam promissionem voluisse firmare iuramento, idq; iurando per se ipsum, cùm non haberet maiorem se, per quem iuraret. VERS. 16.

Nota græcismum, *maiorem sui*, id est, maiorẽ se:

IN QVO (in qua re, scilicet promissione sua; vel *in quo*, id est, propter quod. ita Syrus. Hebræum enim habet, id est *in*, sæpè idem est, quod propter.) VOLENS DEVS OSTENDERE POLLICITATIONIS HEREDIBVS (filijs Abrahæ, putà fidelibus) IMMORTALITATEM (firmitatem & immutabilitatem) CONSILII SVI (repromissionis suæ) INTERPOSVIT IVSIVRANDVM: VT PER DVAS RES IMMOBILES (per promissionem, & iusiurandum, inquit Theophylactus & Anselm. quæ *immobiles*, id est, immutabiles & irreuocabiles sunt, tum apud homines, tum maximè apud Deum. vnde subdit: QVIBVS IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEVM, id est reuocare, retractare id quod hominibus promisit & iurauit, itaque homines ludificare & fallere) FORTISSIMVM SOLATIVM HABEAMVS] Græcè ἰσχυρὰν παράκλησιν, VERS. 17. & 18.

id

id est, vt Vatablus, *validam consolationem*; vel, vt Theodor. & Theophyl. *validam exhortationem* habeamus: scilicet, vt respicientes in promissa Dei tanta tamque certa, in persecutionibus & tribulationibus animo non frangamur, sed tantorum bonorum spe excitati, alacres ad res arduas accedamus, labores quosuis & pericula pro Deo & pietate fortiter subeamus, rapinas, exilia, tormenta, mortemque ipsam generosè sustineamus.

Persecutionum & laborum condimenta sunt promissa Dei.

Exempla spei & fortitudinis.

Ita fecit S. Lucius, qui ob Christi fidem damnatus ad mortem, cùm ad supplicium duceretur: *Gratias ago*, inquit, *quòd me nequissimis dominis absolutum, ad summum cæli terræq; regem remittis.* Testis Euseb. lib. 4. histor. c. 17.

Victor Proconsul Carthaginis ad arrianismum à ministris regijs solicitatus: *Dicite*, inquit, *regi vestro, vt subijciat me ignibus, adigat bestijs, excruciet omni genere tormentorum: si consentio, frustra sum in Ecclesia baptizatus.* Testis est Victor libr. 3. Persecut. Wandal.

Dionysia ad sanguinem flagellata ab Hunerico dixit: *Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facitis, ipsa est laus mea.* Victor ibidem.

Elogius dicenti sibi præfecto Valentis Imp. Arriani, *Communica possidenti regnum*; respondit, *Et mihi regni quoque ac sacerdotij consortium est.* Tripart. histor. lib. 7. c. 33.

Dionysius Alexand. Episcopus pressus à persecutoribus: *Quid*, ait, *insectando laboratis? caput meum, pro quo ita fatigamini, auulsum à ceruicibus sumite, & donum magnum ad tyrannum referte.* Euseb. lib. 6. histor. c. 30.

S. Laurentius assatus in craticula ad Deciũ, *Assatum*, inquit, *satis est, versa & manduca.* idem dixerũt Tatianus, Macedonius, & Theodalus Martyres.

Mares Episcopus Chalcedonẽsis Iuliano Apostatæ exprobranti sibi cæcitatem: *Gratias*, inquit, *ago Deo, qui mihi oculos ademit, ne te impium & blasphemum viderem.* Sozomen. l. 6. c. 6.

S. Polycarpus Herodi proconsuli ignem minitanti, respondit: *Ignem minaris hunc qui ad momentum incenditur, & paulò pòst extinguitur. Verùm ignoras ignem gehennæ, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impijs.* & rursum: *Octoginta & sex annis seruiui Christo, & nihil me læsit vnquam, quomodo ei maledicam?* Eusebius lib. 4. c. 15.

QVI CONFVGIMVS AD TENENDAM PROPOSITAM SPEM] *Confugimus*, est præteritum, non præsens. patet ex Græco οἱ καταφυγόντες. Perperam Beza vertit *qui currimus*. Plus enim est fugere, quàm currere. Nam omnis qui fugit, currit; non contrà: est enim fugere, currere, vt à periculo te eripias, & ad locum tutum peruenias. Sic hoc loco significat nos fugere à morte, vt ad æternam vitam perueniamus.

Secundò, pro *ad tenendam*, græcè est κρατῆσαι, id est, apprehenderemus ac firmissimè amplecteremur, nobisque astringeremus hanc spei anchoram, ne sæculi turbines nos abriperent. ita ex Theoph. Ribera.

VERS. 19. *Fides columna, spes anchora.*

QVAM (spem) SICVT ANCHORAM HABEMVS ANIMAE TVTAM AC FIRMAM] Notat Chrysost. fidem esse quasi columnam vel fundamentum in terra iactum, quia fides inter omnes res est solidissima, certissima & firmissima: spem verò quæ fide quidem est incertior, certior est tamen omnibus humanis auxilijs & spebus, esse quasi anchoram non quamuis, sed tutam & firmam. quia sicut firma anchora in mari nauim inter fluctus & ventos firmam, illæsam & inconcussam retinet & conseruat; ita spes inter tentationes, omnesque huius sæculi agitationes, quibus in hac vita quasi nauigantes iactamur, animam firmat & corroborat, vt solida, immobilis, constans in fide studioque virtutis consistat. vnde Syrus vertit, *quæ (spes) nobis est velut anchora, quæ retinet animam nostram, ne commoueatur.* Vnde Syri & Arabes, spem vocant ותקרא *vataca*, quasi dicant firmitatem, robur, soliditatem: ותק *vatac* enim significat vincire, firmare, roborare, indeque confidere & sperare.

Spes Syriacè & arabicè dicitur firmitas.

Vbi Aduerte. Spes est quasi anchora, sed hoc discrimine, quòd anchora in profundo iacitur, spes verò in summo, scilicet in cælo Deoque ipso defigitur. hoc est quod subdit Apostolus dicens:

ET INCEDENTEM VSQVE AD INTERIORA VELAMINIS] Nota. Alludit Paulus ad templum Salomonis, cuius extima pars dicebatur Sanctum, intima Sanctum sanctorum, quæ distincta erat à Sancto, per velum siue velamen.

Secundò, *Sanctum* allegoricè significabat Ecclesiam militantem in terris: *Sanctum sanctorum* significabat Ecclesiam triumphantem in cælis: *velamen* significabat vel cælum interiectum inter nos & Beatos, vt vult Theoph. vel obscuritatem, obuelationem & arcanum gaudiorum cæli, quæ hîc quasi per ænigma, & velamen fidei obscurè tantùm & eminus spectamus. *interiora* sunt ipsa Dei visio, omnisque gloria & opes Beatorum, de quibus plura c. 9. Potuisset clarè dicere Apostolus, Spes nostra penetrat & peruadit ipsum cælum, ipsamque cæleste gloriam: maluit tamen per periphrasin dicere, *vsque ad interiora velaminis*: vt suauiter & concinnè rediret ad Christum pontificem, à quo digressus erat, vt Hebræos afflictos roboraret & excitaret, qui in hæc interiora, siue in Sancta sanctorum, id est, in cælum ipsum, ingressus est, quasi pontifex, secundùm ordinem Melchisedec, vti dicere cœperam c. 5. v. 6. & 10.

Typus Ecclesiæ militantis & triumphantis.

VBI PRAECVRSOR PRO NOBIS INTROIVIT IESVS, SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDEC PONTIFEX FACTVS IN AETERNVM] Rursum acuit spem, docetque eam esse certam; quia Iesus præcursor noster cælum ipsum ad quod per spem tendimus, ingressus est, idq; non tam pro se & sua gloria, quàm pro nobis, & nostra gloria. in cælum enim Christus præcucurrit, vt nobis eôdem viam sterneret & pararet, vtq; eum præcurrentem breui subsequeremur & consequeremur: qui enim alteri præcurrit vt portas aperiat, aut apertas seruet, paruo interuallo eum qui sequitur præcurrit. ita Theoph. Denique spem nostram planè confirmat & perficit epithetum pontificis æterni, quod Christo hîc addit Apostolus, q.d. Certò Hebræi sperate cælum, quia Christus in cælum est ingressus, vt ibi quasi pontifex æternus Patri assistat, illique suam crucem & mortem repræsentet, offerat, atque fidelibus suis omnem gratiam, omniaque media, quibus in cælum contendant, impetret.

VERS. 20.

Christus ascendit in cælum, vt nobis viam & locum pararet.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EX typo Melchisedec 7. rationibus docet, Christi sacerdotium Aaronico, quasi præstantius & perfectius, successisse.

Ob septem rationes sacerdotium Christi præstat Aaronico.

Prima est, v. 4. quia Abraham, qui fuit pater Leui & Aaronis, decimas dedit Melchisedec, quasi suo pontifici, & typo Christi.

Secunda, v. 6. quia Melchisedec benedixit Abrahæ, & consequenter Aaroni.

Tertia, v. 3. quia Melchisedec sine patre & matre, quasi æternus inducitur, cùm Aaronici sint temporanei.

Quarta, v. 11. quia sacerdotium Christi quasi perfectius successit Aaronico, vt expleret ea quæ illi deerant.

Quinta, v. 20. non Aaronis, sed Christi sacerdotium promissum est à Deo cum iureiurando, psal. 109.

Sexta, v. 23. Christus est immortalis, Aaronici sunt mortales.

Septima, v. 27. Christus vno sacrificio omnia expiauit peccata, Aaronici multis sacrificijs ne vnum quidem peccatum expiant.

Nota. hæ omnes rationes fundantur in illo versu psal. 109. Iurauit Dominus, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. *hunc enim versum hic vrget & perurget Apostolus.*

1. HIc enim Melchisedec, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei: 2. cui & decimas omnium diuisit Abraham. primùm quidem qui interpretatur rex iustitiæ: deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis, 3. sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. 4. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. 5. Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. 6. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. 7. Sine vlla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur. 8. Et hîc quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia viuit. 9. Et (vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui, qui decimas accepit, decimatus est: 10. adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedec. 11. Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici? 12. Translato enim sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. 13. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præstò fuit. 14. Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moses locutus est. 15. Et ampliùs adhuc manifestum est; si secundùm similitudinem Melchisedec exurgat alius sacerdos, 16. qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. 17. Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec. 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: 19. nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. 20. Et quantum est non sine iureiurando (alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt; 21. hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum.) 22. in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. 23. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: 24. hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. 25. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. 26. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: 27. qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. 28. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legē est, Filium in æternum perfectum.

VERS. 1. HIC ENIM MELCHISEDEC] Cōmodè in fine præced. cap Apostolus iniecit mentionē Melchisedec, vt ad illum transiret, & eius sacerdotium Christi antitypum explicaret: de illo enim dixerat c. 5. 11. *De quo nobis grandis est sermo.* Illum ergo grādem, subtilem & allegoricum de Melchisedec sermonem hic proponere & enucleare aggreditur, vt ostendat quibus in rebus Melchisedec gesserit typum Christi, indeque Christi & sacerdotij Christi dignitatem & præcellentiam quæ sacerdotio legali & Aaronico demonstret.

Salē contra Hieronymū eadem quæ Ierusalem, & vnde sit dicta.

REX SALEM] *Salem*, inquit S. Hieron. epist. 126. ad Euagrium, non est Ierusalē, sed oppidum iuxta Scythopolim (quod alio nomine dicitur Sichem, vel Sichima, vbi Iacob pauit greges, & Dina rapta ac vitiata est, vt idē Hieron. ait in Locis Hebraicis) in quo ostenditur palatium Melchisedec, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. Iuxta hanc Salem baptizauit quoq; S. Iohānes Baptista in Ænnon, Iohan. c. 3. v. 23. Verùm Irenæus, Hippolytus, Eusebius, Apollinarius, Eustathius, quos ibidem citat S. Hieron. Iosephus quoque l. 7. Belli c. 18. & passim Hebræi, ac veteres Patres, recentiores etiam permulti, vt Abulensis, Pererius, Ribera, ac in primis Andreas Masius exactus vrbium & terræ sanctæ perscrutator, in cap. 10. Iosue, docent *Salem* hanc esse Ierusalem. vnde & Chaldæus Genes. cap. 14. v. 18. vertit: *Et Melchisedec rex Ierusalem.* Imò Ierusalem conditam esse à Melchisedec tradit Iosephus loco citato, à quo vocata est *Salem*: deinde ab alijs Iebus; ac denique ex שָׁלֵם *Salem* & יִרְאֶה *ire*, dicta est Ierusalē, vt dixi Galat. 4 26. Quare palatium illud Melchisedec, quod in Sichem ostendi ait Hieron. non à Melchisedec conditum, sed eius nomine insignitum esse, vel à Ieroboam, vel ab aliquo alio posterorum regum verisimile est. Idq; vt videtur, hac de causa, vt scilicet sibi vēdicarent Melchisedec, quasi ipse non fuisset in Salem, sed in Sichem, vbi ipsi regnabant. Sic enim de Homeri patria certant septem Græciæ vrbes, & quæque eum sibi vendicat, suumque ciuem esse contendit.

Melchisedec, vti & Christus rex & sacerdos fuit in Ierusalē.

Hæc secunda sententia magis respondet allegoriæ Christi. Congruè enim in Ierusalem rex & sacerdos fuit Melchisedec, vt adumbraret Christum in eadem vrbe regnaturum à ligno, & sacrificaturum seipsum in ara crucis pro redemptione totius mundi.

Dices, Abraham suos hostes persecutus est vsq; Dan, quæ postea dicta est Cæsarea: hæc autem vicina est Sichimis, non autem Hierosolymæ.

Resp. Abraham reuertens à cæde regum redibat ad conuallem Mambre, vbi habitabat; inde autem non longè aberat à Ierusalem, ad quam licet paulò remotiorem ire voluit, tum vt gratias Deo ageret pro victoria adepta, idq; Hierosolymæ vbi colebatur verus Deus, cùm in reliqua Chanaan colerentur idola; tum excitus fama Melchisedec, qui erat rex & sacerdos Dei altissimi, illo tempore celeberrimus. Melchisedec autem audiens aduentare Abraham, ei beneuolentiæ & honoris causa occurrit. Rursum in Salem, putà in Ierusalem, regnauit Salomon, qui fuit typus Christi, & à Salem vel Salom, id est pax, dictus est Salomon, id est pacificus. vnde & Arabes ac Turcæ suos Imperatores à Salomone vocant *Solymannos* vel *Selymos*, atque à Salem vel Salom ipsos Turcas vocant *Musulman*, quasi dicant, saluati, quibus est pax & salus. Cùm

Salomon regnauit in Salem, & Arabes ac Turcæ reges

A enim Mahomet suum dogma propagaret, gladio iussit occidi omnes nolentes amplecti hoc eius symbolum: *Alla illa Alla, Mehammed rassul Alla,* (quod etiamnum Mahometani magnis vocibus inclamant) id est, *Non est Deus nisi Deus, & Mahomet Apostolus eius.* quicumque ergo id amplectebatur, dicebatur *musulman*, id est, liberatus à gladio & periculo mortis, quam reluctantibus intentabat Mahomet. *Sues à Salē Selymos & Solymānos vocant.*

SACERDOS DEI SVMMI] ὑψίστου, id est, altissimi. citat verba Gen. 14. v. 18. vbi licet Caluinus & Nouantes, Hebræum כֹּהֵן *cohen* vertant, princeps, q.d. Erat Melchisedec princeps Dei altissimi; tamen vertendum esse, sacerdos, non princeps, patet ex Paulo hîc, & ex τῷ *Dei altissimi*, id est, Deo dicatus & consecratus, quod sacerdoti, non principi conuenit. Rursum ex eo quòd obtulit panem B & vinum in sacrificium, in quo typus fuit Christi. Inde enim psal. 109. dicit Pater ad Christum, *Tu es* (non princeps, sed) *sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* *Spuria Calvini & Nouantium versio.*

CVI DECIMAS OMNIVM (spoliorum, quæ cæsis quinq; regibus ceperat) DIVISIT ABRAHAM] Abraham licet esset sacerdos, & sæpè sacrificasset; agnouit tamen Melchisedec esse sacerdotem & pontificem suum, vnde illi tamquam se superiori & pontifici decimas dedit. VERS. 2.

QVI INTERPRETATVR REX IVSTITIAE] Melchisedec enim hebraicè cōponitur ex מֶלֶךְ *melech*, id est rex: vnde addito *iod* non affixi, sed paragogico, fit *melchi*, vt concinnior fiat compositio, & צֶדֶק *sedec*, id est, iustitiæ; q.d. Rex iustus, vel iustissimus. Vnde de eo sic scribit Iosephus: *Primus Hierosolyma conditor fuit Chananæorum dynasta, qui patria C lingua Iustus appellatus est. erat quippe talis.* Vnde patet Melchisedec proprium fuisse illi regi nomen, non autem commune regum illius vrbis; quomodo commune regum Palæstinæ tempore Abraham nomen erat Abimelech, regum Ægypti Pharao, & postea Ptolemæus. *Nomina Melchisedec ex hebraico composito & significato.*

SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA] Ex eo quòd Melchisedec hîc dicitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, id est, sine patre & sine matre, nonnulli putarūt Melchisedec esse Spiritum sanctum: hic enim productus est non per generationem, sed per spirationem; ideoq; non est filius habens patrem, sed est Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio. ita sensit Auctor quæstionum noui & veteris Testamenti quæst. 109. qui extat to. 4. operum S. Augustini. Verùm ex hoc dogmate & alijs similibus patet hunc librum non esse S. Augustini, sed auctoris D suspecti de hæresi. Idem ferè senserunt Melchisedeciani, qui docuerunt Melchisedec esse virtutem quandam Dei, Christo maiorem, ex eo quòd Christus dicitur *sacerdos secundùm ordinem Melchisedec*, quasi Christus hominum, Melchisedec verò angelorum sit aduocatus apud Patrem. ita refert Epiphan. l. 2. hæres. 55. VERS. 3. *Error Melchisedecitarum & Auctor quæstionum noui & veteris Testamenti, Melchisedec Spiritum sanctum.*

Secundò, Origenes & Didymus, teste S. Hieronymo citata epist. ad Euagrium, putarunt Melchisedec esse angelum. Sed vtraque hæc sententia erronea est. nam ex ijs quæ hîc & Gen 14. narrantur de Melchisedec, clarum est eum fuisse verum hominem. *Origenes putauit Melchisedec esse angelum.*

Tertiò, Samaritæ, teste Epiphanio, & quidam Hebræi, teste S. Hieron. suprà quos sequitur Lyran. Abulens. & alij, opinati sunt Melchisedec esse Sem,

Sem, filium Noë. Sem enim, imò & ipsum Noë A vixisse & pertigisse vsque ad tempora Abrahami certum est. Abraham enim natus est anno post diluuium 292. Noë autem 350. annis post diluuium vixit. nam sexcentesimo Noë anno factum est diluuium. Noë autem vixit 950. annos, ergo diluuio superuixit 350. annos, ac consequenter 58. vixit cum Abrahamo. Similiter Sem post diluuium vixit 502. annis. nam tempore diluuij erat penè 100. annorum; vixit autem vniuersim 600. annos, ergo 35. annis superuixit Abrahamo. mortuus est enim Abraham agens annum 175. post diluuium anno 467. Si dicas, falsò de Sem dici, quòd sit sine patre & matre; patrem enim habuit Noë, eumque expressum in Scripturis; Respondent, Sem sub nomine Sem dici in Scriptura habere patrem, scilicet Noë, non autem sub nomine Melchisedec: quia in Genesi, vbi eius genealogia texitur, non Melchisedec vocatur, sed Sem. Sed hoc nimis exile, subtile & frigidum est. nec enim nomen, sed hominem & personam intelligit & curat S. Scriptura.

Adde, non Sem, sed Cham possedisse Ierusalem, totamque Chanaan. hæc enim dicta est à Chananæis incolis, qui orti sunt à Chanaan filio Cham. Sem autem, eiusque posteri habitarunt trans Euphratem, in Oriente, vt docet Ioseph. li. 1. Antiq. cap. 7.

Respondeo ergo, & dico cum Iosepho, S. Dionys. Cælest. hierar. c. 9. Epiph. hæresi 51. Theodor. in Genes. q. 63. alijsque Patribus citatis v. 1. Melchisedec fuisse aliquem ex regulis Chananæorum, scilicet regem Salem, siue Ierusalem, ex eisque fuisse oriundum; dici tamen sine patre & matre, non quasi ijs caruerit, sed quia eius pater, mater, & genealogia non describitur in Scripturis: & quia Genes. 14. repentè eum inducit Scriptura, non præmissa eius stirpe & genealogia, nec natiuitate aut morte eius indicata, imò nulla vspiam alibi, vel antè, vel pòst eius facta mentione, vt ex ipsa eius historia, de Olympo lapsus, & in Olympum receptus videatur Melchisedec. hoc enim significat Græcum ἀγενεαλόγητος, scilicet, cuius genealogia non recensetur, non autem eum qui stirpe & genere caret: γενεαλογεῖν enim idē est, quod recensere & describere genealogiam. Vnde apertè hoc explicans Apostolus v. 6. ait: *Cuius autem generatio non annumeratur.* hinc & Syrus clarè hîc vertit, *cuius nec pater, nec mater scribuntur in generationibus, neque initium dierum eius, neque finis vitæ ipsius.* Sic terræ filium dicimus eum, qui ignotus est, obscuri generis, & incognitæ prosapiæ. cùm enim Scriptura in veteri testamēto soleat aliorum, præsertim virorum illustrium, genus, patrem & matrem recensere, id ipsum non fecit in Melchisedec; idque non fine causa & mysterio, quod hîc explicat Apostolus.

Epiphanius hæresi 55. & 67. ex traditione, sed incerta, vt videtur, patrem Melchisedec Heraclam, matrem Astaroth, vel Asteriam nominatam scribit.

Denique per genealogiam accipe prosapiam non tam parentum quàm filiorum Melchisedec: nam de patre & matre eius iam dixerat.

Quæres, quo mysterio, vel qua de causa nomen patris & matris Melchisedec subticet Scriptura? Respondēt Iudæi, id fieri honestatis causa, quia, inquiunt, Melchisedec ex fornicatione & meretrice natus erat. Sed hoc est commentum eorum incredibile. Quomodo enim talis euectus fuisset ad regnum & pontificatum? Respondeo ergo, Ad litteram hæc causa dari potest, quòd Scriptura ferè tantùm Iudæorū historiam & genus pertexat vsq; ad Christum, vt constet eum ex Abraham, Iuda & Dauide esse natum, sicuti ijsdē promiserat Deus. Vnde nec omnium Iudæorum natales percensēt Scriptura. nec enim Eliæ, Danielis, trium puerorū, & aliorum parentes nominat: Gentium autē genealogiam negligit, & vix curat Scriptura. Melchisedec autē erat Gentilis, non Iudæus. Pari modo Iob 1. Iobi, licet famosissimus esset vir, imò rex; pater, mater, & genealogia non recensentur. Secundò, dicitur Melchisedec esse sine genealogia, non absolutè, sed respectu sacerdotij: quia non iure hereditario, nec per carnis, successionem, sacerdotium iniuit Melchisedec (vti nec Christus) imò B fortè nec ex parentum doctrina, aut exemplo; quia ex Gentilibus, scilicet Chananæis, prognatus est, qui illo tempore corruptissimis erant moribus, & in Deum impiissimi. nec Dei, sed idolorum cultores; præsertim verò suum illud sacerdotium, in quo panem & vinum offerens typus fuit Christi, Melchisedec non à patre aut matre, sed à Deo solo accepit, vt huius sacerdotij respectu rectè dici possit esse sine patre, matre & genealogia, quia primus ipse illud iniuit, & orsus est.

Vera rationes ob quas Scriptura non pertexat genealogiam Melchisedec.

Sacerdotiū habuit Melchisedec non successione hereditaria.

Causa verò allegorica, & potissima huius silentij est, vt hac ratione Melchisedec esset typus Christi, idque dupliciter. Primò, vt, dum tacetur eius pater & mater, hoc ipso significaret Christum, qui in terris, quà homo, est ἀπάτωρ, id est sine patre, in cælis quà Deus & Dei filius, ἀμήτωρ, id est sine matre. ita Chrysost. & Theophyl. hîc, Nazianz. C orat. 38. initio, & Ambros. epist. 82. Secundò, vt, dum tacetur eius pater & mater, videatur ex suo genere & stirpe non esse mortalis, sed immortalis & æternus: non quòd reuera talis fuerit Melchisedec, sed quòd vt talis introducatur & appareat in Script. non propter se, sed vt sit typus æternitatis Christi. vnde sequitur, *Neque initium, neque finem dierum habens*; vt τὸ *sine patre & matre*, eódem pertineat, omniaque hæc non aliud significent & inculcēt quàm Christi æternitatē. hanc enim sæpè in seqq. inculcat Apostolus, vt per eam Christum præferat sacerdotibus Aaronicis, qui mortales erant, & vicissim emoriebantur.

Causa allegorica bimembris silentij genealogiæ Melchisedec.

Talem ergo Melchisedec proponit nobis Scriptura, ac si repentè de cælo delapsus in terris apparuisset, & mox in cælum ac solium suum se recepisset; nulla scilicet parentum eius, natiuitatis, aut mortis facta mentione: vt hac ratione typus D esset Christi, cælestis & æterni pontificis nostri.

NEQVE INITIVM DIERVM, NEQVE FINEM VITAE HABENS] scilicet in Scriptura; q. d. Scriptura non meminit quando natus & mortuus sit Melchisedec, sicuti meminit natiuitatis & mortis Aaronis. idque hoc fine, vt Melchisedec, cui tenuiter & exiliter tantùm hæc verba competunt, adumbraret Christum; qui verè & realiter non habet initium nec finem dierum, sed est æternus. vnde explicans, subdit Apostolus, *Manet sacerdos in perpetuum*, scilicet Melchisedec, antitypus Christi; quia nimirum in Scriptura nulla fit mentio mortis, ac consequenter finis sacerdotij Melchisedec. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Secundò, quia nullum legitur sacerdotij sui habuisse successorē, vti Aaron habuit Eleazarum. ita Theodor.

Cur in Scriptura nulla mentio mortis Melchisedec.

ASSIMILATVS AVTEM FILIO DEI MANET SACERDOS IN PERPETVVM] Syrus vertit, *sed in similitudinem filij Dei permanet* כומרותה *kumerute*, id est, *pontificatus eius, in æternum*. q.d. Cùm Melchisedec in Scriptura inducitur, tamquam neque initium, neque finem dierum habens, sed quasi constans & perpetuus sacerdos, hoc ipso similitudinem, & typum gerit Christi, qui reipsa neque initium, neque finem dierum habet, sed manet sacerdos in perpetuum, vti explicui vers. præcedent. ita Chrysost. cum suis.

Vt hæc omnia in vnum colligantur,

Propter octo rationes Melchisedec typus Christi. Primò, in nomine & nominis etymo.

Quæritur, quibus in rebus Melchisedec fuerit typus Christi? Respondeo, Primò, in nomine, & nominis etymo. Melchisedec enim idem est quod rex iustitiæ, id est, iustissimus. Solus enim Christus est verus iustitiæ rex. Christus enim qua Deus, per essentiam est rex iustitiæ, imò iustitia ipsa; Christus verò qua homo, iustitiæ est dominus & præses, vtpote qui ex perfecta iustitia pro omnibus hominum peccatis Deo satisfecerit, quique constitutus sit iustitiæ vindex, vt quasi iudex æquissimus, sapientissimus, & potentissimus mundum iudicet in omni iustitia.

Secundò, in officio & statu.

Secundò, in officio & statu. Melchisedec enim fuit rex Salem, id est pacis. Sic Christus est rex pacificus, qui pacem fecit inter Deum & homines, quique in Salem siue Ierusalem regnauit à ligno, & in cælesti Ierusalem, vbi verissima est pax, cum suis est regnaturus in æternum.

Tertiò, in generatione.

Tertiò, in generatione. Sicut enim Melchisedec inducitur, ita Christus reuera est sine patre in terris, sine matre in cœlis. Addit S. Ignatius epistola ad Philadelph. Melchisedec sine vxore, semper virginem mansisse: sic virgo, imò virginum sponsus est Christus.

Quartò, in ætate & duratione.

Quartò, in ætate & duratione. Sicut enim Melchisedec proponitur, ita Christus reipsa est omni prorsus initio & fine temporis carens.

Quintò, in pontificatu.

Quintò, in sacerdotio & pontificatu. Sicut enim Melchisedec fuit rex & sacerdos siue pontifex, ita & Christus. Rursum sicut Melchisedec non legitur oleo consecratus, vti Aaron, & principaliter sacerdos fuit Gentilium, comitanter verò Hebræorum: nam pro Abrahamo parente Hebræorum sacrificium obtulit; ita & Christus, vt notat Chrysost. Photius, Theophyl.

Sextò, Melchisedec & Christus primus & vltimus sacerdos.

Sextò, sicut Melchisedec inducitur, vt primus sui generis sacerdos, idemque vltimus. nec enim legitur aliquis ei successisse: sic & Christus nouum & æternum habet sacerdotium, tum quia alius ei non succedit, tum quia passionis sacrificium pro nobis Patri continuò offert in cælo, per æternam illius commemorationem, laudem, & gratiarum actionem: atque illius fructus & meritum semper durat & operatur; tùm denique propriissimè, quia in Ecclesia sua Christus per ministros suos, scilicet per sacerdotes à se institutos, perpetuò offert, & offeret in æternum, id est vsque ad finem mundi (Sic enim sumitur לעד *æternum* Leuit. 25. v. 46. Exod. 15. v. 18. & alibi.) Missæ sacrificium, vti explicat Conc. Trident. sess. 22. c. 1. & 2. nam secundùm priores rationes etiam conceptio, natiuitas, tentatio, fuga, fames, sitis, aliæque ærumnæ Christi dicerentur æternæ; quia ea Christus Patri in cælo offert in æternum: quo modo tamen nemo loquitur. Rursum sic sacrificium Noë diceretur æternum, quia fructus eius, scilicet prohibitio diluuij,

A durat in æternum. Quare rectè Concil. Trident. loco citato, ex hoc Apostoli loco probat Missam esse sacrificium. probat autem sic: Sacerdotium Christi eius morte extinctum non fuit, sed semper durat, vt hîc dicit Apostolus; ergo & sacrificium Christi semper durat & durabit: atqui illud non potest esse sacrificium crucis, quia hoc iam pridem transiit & desijt: ergo hoc sacrificium Christi semper durans est Eucharistiæ, & Missæ: nec enim aliud hîc dari aut fingi potest. Rursum, tam Christus sacerdos, quàm Christi Ecclesia & respublica non potest esse sine publico Dei cultu & sacrificio propriè dicto, quod statis diebus Deo offerat. talem enim cultum & sacrificium habuit semper omnis Ecclesia & respublica, tam ante diluuium, quàm post illud, tam Iudæorum, quàm Gentium etiam Deum verum ignorantium: atqui in Ecclesia Christiana aliud sacrificium inueniri non potest, quàm Eucharistiæ: ergo Eucharistia est sacrificium, quod Christus semper & offert & offeret vsque ad finem mundi. *Probatur ex hoc loco Missam esse sacrificiu.*

Christus in Missa principalis offerens.

Notandum est enim, quòd Christus in Missa sit principalis offerens: tum quia Missæ sacrificiu instituit, tum quia in cælo Patri suo nostras Missas, quas celebramus, actu & reipsa offert. est enim mediator & aduocatus Noster, qui nostram causam apud Deum agit, & pro nobis interpellat; tum quia sua omnipotentia in singulis Missis transubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem suum, in qua consistit essentia sacrificij nostri, operatur & perficit.

Septimò, Melchisedec typus Christi in benedictione & decimatione Abrahæ.

Septimò, Melchisedec fuit typus Christi in benedictione & decimatione Abrahæ; quia sicut Melchisedec pontifex maior fuit Abrahamo, qui tamen sacerdos quoque erat & pontifex (Melchisedec enim quasi dignior Abrahamo benedixit, & ab eo decimas accepit) ita Christus maior est Aarone, qui in patris sui Abrahami lumbis latens, tacitè & virtualiter à Melchisedec, dum ipse benedixit Abrahamo, benedictus est, illique quasi maiori decimas dedit, vt significaretur à Christo, cuius typus erat Melchisedec, verè & efficaciter benedicendus. Et hoc est, quod præcipuè hîc spectat Apostolus, nimirum vt demonstret Christi sacerdotium & sacrificium longè præstantius esse sacerdotio & sacrificio Leuitico siue Aaronico, in quo innutriti erant Hebræi, ideoque ab illo vix auelli poterant.

Octauò, Melchisedec typus Christi in oblatione panis & vini.

Octauò denique, maximè & perfectissimè Melchisedec fuit typus Christi in hostia, quia scilicet obtulit panem & vinum, sicut eadem obtulit & offert Christus in Eucharistia: hic enim est ritus siue ordo sacrificij Melchisedec, iuxta quem dicitur Christus sacerdos, secundùm ordinem Melchisedec. nam ordo, ritus & species sacerdotij & sacrificij propriè & essentialiter pendet & desumitur ex ipsa re oblata, siue ex victima, quæ certo modo & ratione Deo offertur & immolatur; qualis hîc est panis & vinum, vti docent Patres omnes, totaque Ecclesia, communi sæculorum omnium consensu. de quo plura v. 17.

INTVEMINI AVTEM QVANTVS SIT HIC, CVI ET DECIMAS DEDIT DE PRAECIPVIS ABRAHAM PATRIARCHA] Pro *intuemini* græcè est θεωρεῖτε, id est, contemplamini, allegoriam speculamini, contemplatiuè & allegoricè exponite mysteria, quæ latent in cortice historiæ, & personæ Melchisedec. Hactenus enim Apostolus proposuit

ipsam

ipsam externam litteram & historicam narrationem de Melchisedec: nunc ea proposita volens allegoriam eius exponere, hortatur Hebræos, vt intimos & sublimes allegoricos in eo latentes sensus de Christo Christique ministris, sublimibus mentis oculis secum intueantur & contemplentur. ita Chrysost.

Decimæ, non sunt munera.

Nota *τὰ decimas*; non ergo Abraham dedit munera, vt voluit Caietan. (munera enim non tantùm laicis, sed & paribus, imò & inferioribus dantur) sed decimas sacerdotales dedit Melchisedeco tamquam sacerdoti & pontifici.

ἀκροθίνια primitiæ spoliorum.

Secundò pro *de præcipuis*, græcè est *ἀπὸ ἀκροθινίων*. *ἀκροθίνια*, inquit Theoph. sunt spolia præcipua & optima; inde primitiæ spoliorum quæ dijs offerebantur, ab Herodoto & alijs vocantur *ἀκροθίνια*, quasi *τὰ ἄκρα θινὸς*, id est, summitates acerui; quòd primitiæ ex summitate acerui excerpi soleant: vel, vt Erasmus, spolia egregia ducibus detracta dicta sunt *ἀκροθίνια*, quasi à tangendis summis. *ἀκροθινιάζω* enim, teste Hesychio, idem est, quod summam partem attingo.

ABRAHAM PATRIARCHA] Emphasin habet vox *patriarcha*. Patriarcha enim idem est quod princeps patrum, siue à quo multi patres cum suis familijs descendunt. Sic Abraham, Isaac, Iacob, eiusque duodecim filij vocantur duodecim patriarchæ, quia hi capita fuerunt & parentes 12. tribuum Israel: inde patriarchæ nomen attributum est cuiuis, qui magnæ familiæ parens est & caput. Sic Dauid Actor. 2. v. 29. vocatur patriarcha. Hinc in Ecclesia vocantur Patriarchæ primi & amplissimi Antistites, quibus subiecti sunt Episcopi, Archiepiscopi & Metropolitæ. tales Patriarchæ sunt Pontifex Romanus, Alexandrinus, Antiochenus & Constantinopolitanus. Hac voce Apostolus occurrit tacitæ obiectioni: dixissent enim Hebræi: Esto Abraham dederit decimas Melchisedec tamquam maiori se, quid hoc ad Aaronem? anne idcirco Aaron, eiusque sacerdotium minus est quàm Melchisedec? licet enim filius Abrahæ fuerit Aaron, tamen singulari modo à Deo electus fuit & euectus ad pontificatum nouum totius populi, ac consequenter Aaron pontifex maior videtur fuisse Abrahamo patre suo: sicuti filius alicuius Christiani, dum creatur Episcopus aut Pontifex, hoc ipso maior fit parente suo. Hoc elidit hîc Apostolus per vocem *patriarcha*. q.d. Abraham primus & magnus patriarcha, adeoque parens omnium patriarcharũ & sacerdotum, ac consequenter ipsius Aaronis & posterorum. decimas dando Melchisedec, hoc ipso agnouit se minorem esse Melchisedec; ergo multò magis idipsum agnoscere debet Aaron, omnesque alij Abrahæ filij. Abraham enim longè dignior fuit Aarone, & omnibus posteris. Fuit enim patriarcha per excellentiam, patriarcha, inquam, non tantùm quoad naturalem generationem, sed etiam quoad sacerdotium. Sicut enim Abraham totius suæ familiæ, omniumque duodecim tribuum fuit pater & patriarcha; ita & eorumdem summus fuit sacerdos & pontifex: nam capita familiarum, earumdem erant sacerdotes. Ius enim sacerdotij illo tempore per generationem carnalem deuoluebatur in posteros, scilicet in primogenitos & in capita familiarum: ac consequenter omne sacerdotium Hebræorum descendit ab Abrahamo, eiusque sacerdotio, poterantque singuli filij Iacob suarum tribuum esse

Patriarchæ, quale, & quibus conueniat.

Abraham maior Aaron, minor Melchisedec.

Ius sacerdotale erat primogenitorum familiæ.

A sacerdotes: verùm vt ex omnibus vnus conflaretur populus, vnaque Ecclesia, statuit Deus, vt vna familia scilicet Leui & Aaronis, pro reliquis omnibus, hoc sacerdotio fungeretur. Idem ergo fuit sacerdotium Abrahæ, & Aaronis: adeoque Aaronis sacerdotium (quod valdè notandum est) descendit à sacerdotio Abrahæ, sicut Aaron descendit ab Abraham, ac consequenter eò fuit minor. Fuit enim Aaron pontifex in familia Abrahæ, adeoque vnius tantùm Abrahæ familiæ, scilicet Iacobi, siue duodecim tribuum, tantùm fuit pontifex. Abraham enim & Isaac alios habuerunt filios præter Iacobum (à quo descenderunt duodecim tribus) quorum pontifex non fuit Aaron, sed ipsemet Abraham. Secùs se res habet in sacerdotio Christi, & Christianorum: illud enim non descendit à parentibus per carnalem generationem, sed B spirituale est, & immediatè ab ipso Christo promanat. Vnde si cuiuspiam filius fiat Pontifex, hoc ipso à Christo constituitur caput, Antistes & princeps, non tantùm suæ familiæ & parentum, sed omnium omnino fidelium.

Idem sacerdotium Abrahæ & Aaronis.

Ius sacerdotale apud Christianos quale.

ET QVIDEM DE FILIIS LEVI SACERDOTIVM ACCIPIENTES] Non enim omnes filij Leui sacerdotium accipiebant, sed solus Aaron, eiusque posteri: reliqui filij Leui fiebant Leuitæ, seruiebantque sacerdotibus, vti iam eisdem seruiunt diaconi nostri. VERS. 5.

MANDATVM HABENT DECIMAS SVMERE A POPVLO, ID EST, A FRATRIBVS SVIS: QVAMQVAM ET IPSI (scilicet fratres, vt patet ex Græco) EXIERINT DE LVMBIS ABRAHAE] Probat eum qui dat decimas minorem esse illo qui eas accipit, scilicet Abraham esse minorem Melchisedeco; probat, inquam, exemplo sacerdotum Aaronicorum. q. d. C Deus iussit omnibus Iudæis etiam Leuitis, Num. 18. v. 26. vt decimas darent sacerdotibus Aaronicis, volens hac ratione honorare & præferre sacerdotes, ac reliquos Iudæos illis subijcere, cùm tamen Iudæi sacerdotum essent fratres, vtpote ex eodem Abraham & Iacob geniti. Si ergo Iudæi, licet fratres, fratribus suis, scilicet sacerdotibus, sunt subiecti, hoc ipso quo eis ex lege tenentur dare decimas: ergo pariter Abraham dans decimas Melchisedech, hoc ipso confessus est, se illo esse minorem, & hoc ipso se illi subiecit.

Qui dat decimas, minor est eo qui accipit.

Nota hebraissimum. *exire de lumbis* alicuius, est idem, quod gigni ab eo. in lumbis enim est origo seminis: ex lumbis enim duæ arteriæ descendunt, per quas materia seminis defertur ad partes generationi destinatas, vt ibi formetur, percoquatur, D fiatque semen prolificum; hinc lumbi sunt origo & sedes concupiscentiæ, ideoque in Scriptura iubemur lumbos restringere, id est, concupiscentiam edomare, vt docet S. Gregor. homil. 13. in Euangelia.

Lumbi sedes concupiscentiæ.

CVIVS AVTEM GENERATIO NON ANNVMERATVR IN EIS, DECIMAS SVMPSIT AB ABRAHAM] Id est, Melchisedec, cuius genus & genealogia non attexitur Hebræis filijs Abrahæ, id est, qui ex Hebræis non fuit oriundus, hic decimas sumpsit ab Abraham. ita Syrus, Anselm. & Græci. Addit hoc Apostolus, vt significet, Melchisedec sicut diuersum habuit genus ab Aarone & Abrahamo, ita & diuersum habuisse sacerdotium, illudque maius Aaronico, vtpote cui Abraham, in cuius lumbis continebatur Aaron, decimas tamquam pontifici se digniori dederit. Incipit Apostolus hic congere- VERS. 6.

Septem argumenta, quibus probatur Christum maiorē Aarone.

rere septem argumenta, quibus probat Melchisedec qui typus fuit Christi, ac consequenter Christum ipsum maiorē fuisse sacerdotibus Aaronicis.

Primum.

Primum est hoc vers. tale. Qui decimas accipit, maior est illas dante: atqui Melchisedec accepit, Abraham illi dedit decimas: ergo Melchisedec maior est Abrahamo.

Duæ causæ ob quas Abraham dedit decimas, & honorauit Melchisedec.

Nota. Quòd Abraham ita honorarit Melchisedec, eique decimas dederit, cùm tamen ad eum eiusque iurisdictionem non pertineret, causa videtur fuisse, magna dignitas, auctoritas, fama, & virtus Melchisedec; vtpote qui solus inter impios Chananæos publicus Dei veri esset sacerdos, idemque rex iustissimus.

Secunda & potior causa fuit, quòd Melchisedec typus esset Christi; mouit ergo Spiritus sanctus Abrahamum ad honorandum Melchisedec, vt Iudæi Abrahæ posteri scirent sibi præ Aarone honorandum esse Christum, cuius typum fuisse Melchisedec sciebant ex Dauide psal. 109. vbi ait: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Videtur autem Abraham id ipsum cognouisse, vtpote cùm esset propheta & Deo familiaris, atque hac de causa videtur ita reuerenter & impensè coluisse Melchisedec, quòd spiritu prophetico præuideret illum esse typum Christi, vt non tam Melchisedec, quàm Christum in Melchisedec repræsentatum honorare & colere voluisse videatur.

B

ET HVNC QVI HABEBAT REPROMISSIONES BENEDIXIT] q.d. Melchisedec benedixit Abrahamum, quasi se minorem, cui tamen Deus promiserat tanta bona, adeoque in ipso benedicendas esse omnes gentes, Genes. 12.

VERS. 7.

SINE VLLA AVTEM CONTRADICTIONE, QVOD MINVS EST, A MELIORE (græcè κρείττονος, id est maiore, digniore, præstantiore) BENEDICITVR] Est

C

Secundum argumentū quo probatur præcellentia Christi præ Aarone.

secundum argumentum quo probat Melchisedec maiorem fuisse Abrahamo, & consequenter Aarone. q. d. Melchisedec, qui fuit Christi typus, benedixit Abrahamo, & toti eius progeniei, ac consequenter etiam Leuitis & sacerdotibus Aaronicis: ergo tam ipse, quàm Christus, quem repræsentabat, iisdem fuit dignior & præstantior. Probatur consequentia, quia omnium confessione maior est qui benedicit, illo qui benedicitur.

Quomodo Episcopus Ostiensis Papam, & Suffraganei Archiepiscopum benedicant.

Obijcies, Episcopus Ostiensis consecrat Papam, quo tamen est minor: Suffraganei consecrant Archiepiscopum, quo tamen sunt minores; ergo non semper qui benedicit, maior est; nec qui benedicitur, minor. Respondet S. Thomas dupliciter. Primò, Episcopum & Suffraganeos non consecrare Papam, vel Archiepiscopum, sed hunc hominem, putà Petrum, vel Paulum, vt sit Papa, vel Archiepiscopus: dum enim eum consecrant, necdum est Papa, vel Archiepiscopus; ac consequenter necdum est consecrantibus maior, sed potiùs minor, vtpote à quibus accipiat consecrationem papalem, vel archiepiscopalem.

D

Secundò respondet, Episcopum Ostiensem & Suffraganeos ita consecrare & benedicere non sua virtute, dignitate & auctoritate, sed Dei: in hac enim benedictione quisque eorum gerit vices Dei, qui hasce benedictiones tali modo & per tales (nec enim aliter commodè fieri possunt) fieri instituit; seseque habet vt minister & vicarius Dei, qui maior est eo qui benedicitur, quisquis & quātus quantus ille sit.

A

Obijcies Secundò. Sacerdos in Missa sæpè signo crucis benedicit corpus Christi, cùm tamen longè illo sit minor. Respondeo, hasce benedictiones non esse aliud, quàm efformationes signi crucis super corpore Christi, quæ non adhibentur ad hoc, vt Christo ipsi benedicamus, sed vt his quasi cæremonijs repræsentemus crucem Christi, per eamque, ac Christum ipsum crucifixum, quasi victimam nostram, à Deo tacitè petamus & postulemus, vt ipse nobis benedicat. Sic ergo benedicimus Christo non in se, sed prout est victima nostra. poscimus enim per has benedictiones, vt Christus in se benedictus fiat nobis victima salutaris & benedicta. Adde, sacerdotem, quatenus gerit personam Christi sacrificantis, quodammodo maiorem esse Christo ipso sacrificato: in omni enim sacrificio sacerdos maior est sua victima quam offert.

Sacerdos quomodo benedicat corpus Christi in Missa.

ET HIC QVIDEM, DECIMAS MORIENTES HOMINES ACCIPIVNT: IBI AVTEM CONTESTATVR, QVIA VIVIT] *Hic*, scilicet, in iudaismo, apud nostros Leuitas, de quibus dixi v. 5. decimas accipiūt sacerdotes Aaronici, qui mortales sunt & moriuntur. *ibi* autem, scilicet in historia & facto Melchisedec, de quo dixi v. 6. *contestatur*, scilicet Scriptura, quòd viuat, scilicet is qui decimas accipit, putà Melchisedec; viuat, inquam, semper, non reipsa, sed symbolicè & allegoricè, quia scilicet eius mors non narratur in Scriptura, vt hoc ipso repræsentet Christum, qui reipsa est sacerdos in æternum.

VERS. 8.

Melchisedec semper viuit symbolicè.

Nota. Pro *contestatur* græcè est μαρτυρεῖται, quod quia est vocis mediæ, tam verti potest passiuè *contestatus*, quàm actiuè *contestans*. hîc autem aptiùs cum Syro & Græcis vertas *contestatus*, itaque Nostrum interpretem vertisse valdè est verisimile, vt ex *contestatus* deprauatum sit *contestatur*. nam si legas *contestatus*, tunc antithesis æquè ac sententia erit breuissima & explicatissima, nullo indigens supplemento; hoc modo; *Et hîc* (inlege) *quidem decimas morientes homines* (sacerdotes Aaronici) *accipiunt*, *ibi autem* (in decimatione Abrahæ, supple decimas accepit) *contestatus* (id est, is de quo testatur Scriptura) *quia* (quòd) *viuit*, putà Melchisedec, qui in Scriptura inducitur quasi semper viuens, ad hoc vt significet Christum pontificem semper viuentem.

Lectio communis hîc correcta.

Est hoc tertium argumentum, quo probat Apostolus, Melchisedec ac consequenter Christum maiorem esse Abrahamo & Aarone. q. d. Sacerdotes Aaronici sunt mortales, sed Melchisedec proponitur vt immortalis, quia scilicet typus est Christi, qui est sacerdos æternus: ergo tam Christus quàm Melchisedec dignior est sacerdotibus Aaronicis.

Tertium argumentum, quo Christus Aarone maior ostenditur.

ET, VT ITA DICTVM SIT] ὡς ἔπος εἰπεῖν, id est, *vt ita loquar*, vt scilicet vno verbo nouo & subtili, rei nodum tangam & complectar. Poterat enim videri insolens & absurdum, id quod hîc dicit & subiicit, scilicet Leuitas nondum natos decimatos esse in Abrahamo; præmollit ergo hac phrasi suam sententiam Apostolus, quo modo præmollire solemus sermonem nostrum, cùm aliquid noui, acuti, insolentis & inauditi dicere volumus. ita Theophyl.

VERS. 9.

PER ABRAHAM, ET LEVI (Leuiticus quilibet sacerdos) QVI DECIMAS ACCEPIT (accipere solitus est in veteri testamento) DECIMATVS EST] id est, decimas soluit. Sicut enim v. 6. & 7. δεκατῶν, id

id est decimare, Apostolus posuit pro decimas accipere: ita hîc δεκατῶ ponit, pro decimas pendere vel soluere. q.d. Cùm Abraham & in ipso Abraham latens adhuc Leui, & quilibet Leuiticus sacerdos (ad quem tamen pertinet ius decimarum in lege veteri) soluit decimas ipsi Melchisedec, quia ipse erat typus Christi, quasi confitens se sumque sacerdotium minus esse sacerdotio Melchisedec & Christi, imò se eorum respectu non tam sacerdotem esse, vtpote cuius est decimas accipere, quàm laicum, cuius est decimas dare.

Aaron & Leuita respectu Melchisedec & Christi non sacerdotes, sed laici.

VERS. 10. ADHVC ENIM IN LVMBIS PATRIS (Abrahæ) ERAT (Leui) QVANDO OBVIAVIT EI (Abrahæ) MELCHISEDEC] Vox *enim* causam dat illius præmollitionis, qua dixit, *vt ita dictum sit*, inquit Erasmus. q.d. Apostolus: Dixi quodammodo Leui decimatum esse in Abrahamo, nam necdum natus erat, vt propriè & per se decimari posset, sed adhuc latebat in lumbis Abrahæ; & sic non propriè, sed quodammodo in eo decimatus est.

Leui decimatus antequam natus.

Verùm potiùs videtur vox *enim*, dare causam cur dixerit, in ipso Abraham decimatum esse Leui. q. d. Abraham agnoscens Melchisedec esse se maiorem, & typum Christi, illi decimas dedit, & ab eo benedictionem accepit, vt profiteretur se omnesque suos posteros, ac cõsequenter & Leuitas, ac sacerdotes Aaronicos ex se nascituros, minores esse Melchisedec, Christoque subiectos: perinde enim Abraham se gessit cum Melchisedec, atque princeps, qui pro se & pro tota sua posteritate obedientiam regi præstat & offert. Erat enim Abraham princeps populi, & totius gentis Iudaicę auctor, parens & patriarcha, vt dixit v. 4. totaque gens censebatur virtute latere in lumbis eius, ac per eum subijcere se Melchisedec, ipsique Christo, ac consequenter Leuitici sacerdotes censebantur pariter se subijcere tam Melchisedec quàm Christo, eorumque respectu non se sacerdotes, sed laicos esse profitebantur. Adeò inculcat hanc sacerdotij Christi præcellentiam Apostolus, vt Hebræos Aaronicis sacrificiis assuetos & confidentes, transferat ad Christum pontificem; doceatque eos in Christo omnem spem defigere, & pro eo aduersa quæuis pati, vtpote qui maiora suis promittat & præstet bona, quàm Aaron, quique bona fide agat causam nostram apud Deum, atque non tantùm lapsis, sed & tentatis ac persecutionem patientibus norit compati, succurrere, victoriam & coronam æternam in cælis adornare.

Abraham cum tota sua posteritate se subiecit Christo.

Nota. Esse in lumbis Abrahæ, idem est, quod esse in virtute seminali, seu generatiua Abrahę: quę originaliter residet in lumbis, in quibus, vt dixi, est prima seminis origo. Abraham enim per hanc virtutem genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Leui, à quo Aaron & sacerdotes legales progeniti sunt.

Quomodo Christus in lumbis Abrahæ latuit non desierit decimare Melchisedec.

Obijcies, Christus etiam hoc modo fuit in lumbis Abrahæ, quia ab eo descendit & progenitus est; ergo Christus quoque in Abrahamo decimas dedit ipsi Melchisedec. Respondeo, negando antecedens. Nam ij soli in lumbis Abrahæ esse & decimari dicuntur, qui per potentiam generandi, naturali generatione maris & feminæ, ab eo proseminati & procreati sunt, siue (quod hinc sequitur) qui, vt ait S. August. ab Abrahamo non tantùm secundùm substantiam corporalem, sed etiam secundùm cõcupiscentiam carnalem descendunt, quomodo descendit Leui, Aaron & cæteri:

Cornel. in Epist. Pauli.

A Christus autem non ita proseminatus est, ac consequenter non fuit in lumbis Abrahæ secundùm potentiam generatiuam, & carnalem concupiscentiam, sed tantùm secundùm corpoream substantiam, vel materiam, quam ab Abrahamo traxit: quia Christi conceptio & generatio non humana fuit, sed longè altior; putà diuina, ex Spiritu sancto. Pari modo si quispiam nunc ex Adamo non per naturalem maris & feminæ generationẽ, sed per diuinam operationem descenderet, putà qui à Deo formaretur ex carne, sanguine, aut costa hominis alicuius descendentis ab Adamo, quomodo formata est Eua; talis non contraheret peccatum originale. Qua ratione Christus ex vi conceptionis suæ, quæ facta est ex Spiritu sancto, non contraxit peccatum originale; quia tradux peccati originalis tantùm complectitur eos qui natu- B raliter, siue naturali generatione descendunt ab Adamo. hi enim soli censentur proprij & naturales esse Adæ filij, ac consequenter Adæ voluntas censetur eorum fuisse voluntas: vnde lex peccati originalis hæc est, Omnes & soli illi qui ab Adamo per naturalem generationem tamquam filij naturales descendunt, peccatum originale contrahunto. Eodẽ ergo modo hîc Christus, & quicumque alius qui ex Abrahamo descenderet, non per naturalem generationẽ, sed per miraculosam efformationem, v.g. ex virgine, per virtutem Spiritus sancti, non censeretur filius Abrahami, ab eo propriè & naturaliter genitus; ac consequenter non censeretur Abraham pro eo aut voluisse, aut potuisse soluere decimas. ita S. August. lib. 10. de Genes. ad lit. c. 20. & ex eo S. Thomas 3. p. q. 31. a. 8. & Scholastici ibidem.

Christus non fuit in lumbis Abrahæ.

Origo & radix peccati originalis qua, & quòd ea non fuerit in Christo.

C Nota Secundò, ex eo quòd ait Apostolus Leui fuisse in lumbis Abrahæ, Tertul. lib. de Anima ca. 27. & seqq. opinatus est animam Leui fuisse in lumbis Abrahæ, ac consequenter animam cuiusque hominis non immediatè creari à Deo, sed esse ex traduce, id est traduci, egredi, & propagari ab anima parentis per virtutem eius seminalem, qua generat filium, sicuti lumen aëris traducitur & propagatur à lumine solis. Sed falso fundamento nititur Tertullianus: putauit enim animam hominis esse corpoream, imò suum habere sexum, ita vt anima viri ab anima feminæ sexu distinguatur, æquè ac corpus. Eius ergo ratio hæc erat. Anima hominis est corporea, & homo ab homine generatur, sicut equus ab equo, bos à boue: atqui anima bouis & equi traducitur & propagatur ab anima bouis & equi generantis, adeoque educitur è potentia materiæ, putà seminis equini & bouini: ergo & anima hominis traducitur ab anima parentis.

Error Tertulliani, de anima tradu-ce.

D Verùm maior propositio est falsa. nam anima hominis est spiritualis, & immaterialis, anima verò equi est materialis, & educitur è potentia materię, ab eaque ita pendet, vt corpore equino pereunte pereat & anima. S. Augustinus quoque, licèt non dubitaret animam humanam esse incorpoream & immaterialem, tamen dubitauit, & in hoc dubio permansit vsque ad finem vitæ, an hominis anima esset ex traduce parentis, an verò à Deo crearetur. id patet ex lib. 1. & 2. quem scripsit de Origine animæ, & lib. 2. Retract. cap. 45. & 56. Ratio quæ S. Augustinum in hanc dubitationem compulit, hæc fuit, quia non videbat S. August. quomodo anima filij à parente contrahere posset pec-

Anima hominis immaterialis.

Dubitauit D. August. an anima hominis crearetur à Deo, an verò esset ex traduce.

catum originale, si non à parente descenderet & traduceretur.

Error & Achilles erroris Pelagianorum, qui negabant peccatum originale.

Vnde hic erat Achilles Pelagianorum: anima non est ex traduce, sed creatur à Deo; ergo non potest à parente contrahere peccatum originale. Verùm hanc consequentiam damnauit Zosimus Papa, totaque Ecclesia: ad hoc enim vt anima contrahat hoc peccatum, sufficit vt sit anima hominis, qui per naturalem generationem & virtutem seminalem descendit ab Adamo. hoc enim ipso censetur filius Adæ, ac consequenter censetur fuisse in Adamo, voluisse & fecisse, quod voluit & fecit Adam, dum pomum vetitum comedit. Vnde hanc sententiam de traduce animæ insectatur & damnat S. Hieron. alijque posteriores; adeoque iam certum est ex consensu totius Ecclesiæ, animam humanam non traduci à parente, sed immediatè ex nihilo creari à Deo, qui eamdē infundendo creat, & creando infundit corpori humano.

Putauit Magister sent. vnam particulam carnis in singulis hominibus deriuatam ab Adamo.

Secundò, Magister sentent. lib. 2. d. 30. ex eo quòd Leui dicatur fuisse in lumbis Abrahæ, similibusque sententijs & phrasibus, putauit singulos filios Abrahæ, ex ipso Abrahamo, ac pari ratione singulos homines ex ipso Adamo, vtpote primo omnium parente, trahere particulam carnis, quæ verè, propriè, eademque numero fuerit in Adamo. Putat enim alioqui non fore filios Adæ, nisi aliquam substantię Adami particulam planè eamdem & indiuiduam in sese habeant. imò putat hanc solam particulam esse de substantia hominis geniti: ita vt hæc particula alimentis non augeatur, sed in seipsa multiplicetur & crescat in magnum corpus humanum. vnde censet cibos non verti in substantiam hominis, sed eam tantùm fouere, ac mox ab homine ipso defluere, vel excerni, ita vt nihil alimenti in homine remaneat quod resurgere possit; ac consequenter putat illud carnis tantummodo resurrecturum, quod fuit in Adamo, quodque ex Adamo singuli homines traxerunt. Sed hæc portentosa est opinio, adeoque in omni Philosophia & Theologia est instar mōstri, quam vel sola experientia clarissimè refellit, & falsitatis corguit. Experimur enim corpora hominum, æquè ac aliorum animalium, nutriri & augeri sumptione alimentorum, & vice versa alimētis subtractis nutritionem quoque & augmentationem continuò cessare.

Quomodo anima rationalis, & quādo creatur, infunditur & vnitur corpori

Dico ergo, Leui fuisse in lumbis Abrahæ, & quemlibet hominem fuisse in lumbis patris sui, non secundùm animam, sed secundùm corpus, quia scilicet virtute seminis Abrahæ corpus Leui formatum est & organizatum: atque sic per vim seminis organizato corpori infusa fuit ex naturali exigentia à Deo anima. Corpus enim hominis dum sic organizatur, hoc ipso fit corpus humanum, poscitque animam humanam quasi suam formam: quam quia dare non potest parens per semen, aut aliam causam & virtutem naturalem; hinc Deus parentis & naturæ defectum hîc de more suo supplens, tamquam prima & vniuersalis causa, producit animam talem, qualem poscit tale corpus; illamque producendo infundit & vnit corpori: quo fit vt non tantùm corpus, sed totus homo ita genitus censeatur filius esse non Dei, sed sui patris, vtpote à quo factum est, vt filius non tantùm corpus propriè à se tamquam à patre, sed & animam à Deo per naturalem hanc, quam dixi, corporis à semine paterno formati & organizati exigentiam, acciperet. & hoc sensu Genes. 46. v. 26. & 27. dicuntur septuaginta animæ (id est animatæ proles) egressæ de femore Iacob. De hac quæstione plura videre est apud Physicos in libris de Generatione, & in libris de Anima.

VERS. 11.

SI ERGO CONSVMMATIO PER SACERDOTIVM LEVITICVM ERAT (POPVLVS ENIM SVB IPSO LEGEM ACCEPIT) QVID ADHVC NECESSARIVM FVIT SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDEC ALIVM SVRGERE SACERDOTEM, ET NON SECVNDVM ORDINEM AARON DICI?]Pro *consummatio*, græcè est τελείωσις, id est, perfectio. q. d. Si vetus sacerdotium Aaronicum habebat vim perficiendi, id est iustificandi homines, saluandi, & ad vitam æternam perducendi, qui est vltimus finis & summa perfectio hominis: si hominem perfectum, iustum & beatum facere poterat sacerdotium Leuiticum, maximè accedente lege Mosis, quæ cum illo data est, quamque maximè iactant Iudæi, quasi ex ea eiusque obseruatione iustificentur; quid opus fuit, surgere alium sacerdotem, scilicet Christum, cuius sacerdotium non est secundùm ordinem Aaron, sed Melchisedec? cùm enim Deus Christum promisit psal. 109. dicens, *Tu es sacerdos in aternùm secundùm ordinem Melchisedec*, & iam reipsa eumdem exhibuit; vt succederet Aaronicis sacerdotibus, hoc ipso declarauit illis aliquid deesse, quod supplendum esset per Christum, scilicet illos non posse hominem perficere & sanctificare, sed hoc à Christo expectandum esse.

Christi sacerdotium sanctificat hominem, non Aaronii.

Nota Primò. Mentionem legis interijcit Apostolus dicens, *Populus enim sub ipso legem accepit*, tum quia ordo, ritus, victimæ, ministri, omnisque perfectio sacerdotij petenda & præscripta erat à lege; tum quia Iudæi in lege æquè ac in sacerdotio confidebant; tum denique quia necessariò connexa sunt lex & sacerdotium: & qualis est lex, tale debet esse sacerdotium; & quale est sacerdotium, talis debet esse lex, scilicet tali populo & tali tempori conueniens. & hoc est, quod hîc ait Apostolus: *Populus enim sub ipso* (ἐπ' αὐτῇ, id est, in ipso, hoc est, ipsius sacerdotij tempore) *legem accepit*, quia cùm populus in Sina legem per Mosen accepit, ibidem pariter accepit & sacerdotium. In Sina enim à Deo sacerdos constitutus est Aaron, eiusque filij, qui legem Deique cultum, sacrificia, & expiationes lege præscriptas docerent populum. Vnde ex hac connexione legis & sacerdotij, tacitè hîc contendit Apostolus, tam legis, quàm sacerdotij veteris mutationem fieri debuisse, & factam esse per Christum & legem nouam, putà Euangelicam. hinc clarè subdit dicens, *Translato enim sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat.*

Legis & sacerdotij veteris mutatio facta per Christum.

Est hîc quartum argumentum, quo probat Apostolus, sacerdotium Melchisedec & Christi, nobilius & dignius fuisse Aaronico. Probat autem sic. Post Aaronicum sacerdotium, Christus à Deo datus surrexit sacerdos secundùm ordinem Melchisedec; ergo prius sacerdotium, putà Aaronicū, imperfectum fuit & insufficiens, ideoque cedere debuit sibi succedenti sacerdotio Christi, vtpote longè perfectiori. Aaronicum enim & carnale & temporarium erat, Christi verò spirituale & æternum. ita Theophylactus & alij.

Quartum argumentum, quo probatur præcellentia Christi præ Aarone.

VERS. 12.

TRANSLATO ENIM SACERDOTIO, NECESSE EST VT ET LEGIS TRANSLATIO FIAT]Per *legem* hîc, non naturalē (decalogum) hæc enim æquè Christianos ac Iudæos obligat: sed positiuam & Mosaicam,

faicam, scilicet cæremonialem & iudicialem, accipe. Est occupatio. dixissent enim Hebræi: Esto Christus nouum induxerit sacerdotiũ secundùm ordinem Melchisedec, vti promisit Deus psalm. 109. non tamen nouam debuit inducere legem, abrogando legem Mosi datam à Deo. Respondet Apostolus, hoc posterius ex priori consequi: mutato enim sacerdotio necesse est mutari & legem, ideoque Christum, cùm vetus sacerdotium mutauit in nouum, pariter legem veterem debuisse mutare in nouam. Causa huius dicti est ea, quam iam attuli v. præcedenti, quia scilicet sacerdotium legi proportionatum, & cum ea indissolubiliter connexum est: non enim potest esse sacerdotium sine certis & congruentibus sibi legibus, præceptis, cæremonijs, promissis, pœnis lege præscriptis. ita Chrysost. Theodor. Theophyl.

Mutato sacerdotio, mutari debuit lex, ob duas causas.

Aliam causam affert D. Thomas. mutato, inquit, sacerdotio, necesse est & legem mutari, quia mutato fine, necesse est mutari & media: lex autem Mosis, vtpote diuina, ordinatur quasi mediũ ad regimen diuinum, tamquam ad finem suum: hoc autem regimen diuinum fit & designatur per sacerdotium: ergo mutato sacerdotio ac regimine diuino, necesse est & legem mutari. hinc illud Ierem. 31. *Feriam vobiscum pactum nouum.*

VERS. 13. IN QVO (ἐφ' ὃν, id est, de quo, vel ad quem) ENIM HAEC DICVNTVR, DE ALIA TRIBV EST, DE QVA NVLLVS ALTARI PRAESTO FVIT] Pro *præstò fuit*, græcè est προσέσχηκε, id est, astitit, præfuit. Itaque *præstò fuit*, idem est, quod constanter astitit more ministrantium, vt patet c. 10. v. 11. Probat id quod dixit v. 11. Christum fuisse alium sacerdotem ab Aarone & Aaronicis. id probat sic: omnes Aaronici sacerdotes debebant esse oriundi ex tribu Lui: Christus autem non fuit ex Leui, sed ex Iuda prognatus: ergo Christus non potuit esse sacerdos Leuiticus, siue secundùm ordinem & ritum Aaron; sed prorsus ab eo diuersus, imò aduersus fuit, ac consequenter per nouum suum sacerdotium excluſit vetus Aaronicum, pariterque per suam legem nouam excluſit veterem, quæ sacerdotium statuerat in Leui, tribum autem Iuda arcuerat à sacerdotio. Christus enim cùm non esset ex Leui, sed ex Iuda, sacerdotium inijt, illudque in posteros successione non hereditaria, sed electiua propagauit.

Christus alius sacerdos ab Aaronæ.

VERS. 14. MANIFESTVM EST ENIM, QVOD EX IVDA ORTVS SIT DOMINVS NOSTER] scilicet Iesus Christus. Hinc patet Iudaicum esse figmentum & insulsum delirium, id quod narrat Suidas, verbo Iesus Christus, ex Theodosio Iudæo; scilicet Christum, eò quòd ex stirpe materna esset oriundus ex tribu Leui, quodque sine patre, ex sola matre virgine natus esset, ascitum esse à Iudæis & allectum inter sacerdotes Aaronicos. Quam historiam nuper hîc in Belgio edidit & sparsit quidam imprudens & imperitus. hoc enim hîc directè conuellit Apostolus, qui hîc docet, Christum non potuisse esse sacerdotem Leuiticum, ex eo quòd oriundus esset ex Iuda. quare B. Virgo mater Christi orta fuit ex tribu Iuda, quia pater eius Ioachim fuit ex tribu Iuda.

Figmentum Iudæ narrantis Christum fuisse oriundum ex tribu Leui.

Dices, Mater B. Virginis fuit ex tribu Leui: nam fuit cognata Elisabethæ, quæ fuit vxor Zachariæ sacerdotis, ergo per auiam suam potuit Christus censeri de tribu Leui, fierique Leuiticus sacerdos. Respondeo, Antecedens incertum est, caretque fundamento, imò à Ribera & multis alijs negatur: potuit enim Elisabetha esse cognata B. Virginis ex eo, quòd Elisabethæ mater esset oriunda ex tribu Iuda, essetque cognata B. Virginis, vti docet S. Ambros. lib. 3. in Lucam, sub initium; non autem ex eo quòd mater Virginis esset oriunda ex stirpe Leui, & ex familia Elisabethæ. Sacerdotes enim poterant ex tribu Iuda, vtpote regali, ducere vxorem: sicuti Aaron duxit vxorem Aminadab sororem Naason (qui fuit dux tribus Iuda) ex qua omnes sacerdotes prognati sunt. Secundò, etiamsi antecedens esset verum, consequentia tamen falsa est: nec enim poterant esse sacerdotes qui ex genere materno, sed tantùm qui ex paterno descendebant ex Leui. per mares enim, non per feminas familiæ præsertim Leuiticæ, censebantur & constituebantur: nec enim femina capax erat sacerdotij, vti erat hereditatis vel regni. Licet ergo in Machabæis oriundis ex Leui posset consistere & conseruari sceptrum Dauidis & Iuda, eò quòd Machabæi per matrem descenderent ex Iuda & Dauide; tamẽ id in sacerdotio fieri non poterat. Cùm enim mater non esset capax sacerdotij, non poterat per eam ius sacerdotij ad filium deriuari.

Mater B. Virginis an fuerit ex tribu Leui.

Femina olim incapax sacerdotij, non autem regni.

Nota τὸ *manifestum est*. Christum enim natum esse ex tribu Iuda, constabat apud Iudæos, Primò ex tabulis genealogiarum, quas ipsi accuratissimè conscribebant, & conseruabant. Secundò, ex genealogia Christi, quam texit S. Matthæus cap. 1. & S. Lucas cap. 3. Tertiò, idipsum tacitè prædixerat Iacob Genes. 49. v. 10. licet enim ibi expressè tantùm prædicat Iacob, quòd non deficiet sceptrum de Iuda, donec veniat Christus; tamen quia hanc benedictionem Christi ex se nascituri assignat soli Iudæ, hinc eo ipso implicitè præsignificat, ex solo Iuda nasciturũ esse Christum. itaque hanc prophetiam Iacobi intellexerunt semper Iudæi, quorum hæc communis fuit vox, Ex Iuda nascetur Christus. Deniq; Christum nasciturum, & natum esse ex Iuda, patet ex eo, quòd Christus natus sit ex Dauide. Dauid enim fuit ex genere & tribu Iuda: iam apud omnes constabat, Dauidi promissum esse Christum, Christumque ex Dauide nasciturum esse, ex 2. Regum, c. 7. v. 12. & 23.

IN QVA TRIBV, id est, de qua tribu. NIHIL DE SACERDOTIBVS MOSES LOCVTVS EST] q. d. Moses instituens iussu Dei sacerdotium, Leui delegit, non Iudam, & hoc ipso Iudam excluſit à suo sacerdotio.

VERS. 15. ET AMPLIVS ADHVC MANIFESTVM EST, SI SECVNDVM SIMILITVDINEM MELCHISEDEC EXVRGAT ALIVS SACERDOS] Probauit Christum esse alium sacerdotem ab Aaronicis, eisque successisse, ac consequenter eos aboleuisse, ex eo quòd Christus ortus sit ex Iuda, non ex Leui, ex quo debebant descendere omnes Aaronici. hîc Secundò, idem probat, ex eo quòd Christus psal. 109. dicatur sacerdos non secundùm ordinem Aaron, sed Melchisedec.

VERS. 16. QVI NON SECVNDVM LEGEM MANDATI CARNALIS FACTVS EST, SED SECVNDVM VIRTVTEM VITAE INSOLVBILIS] *Mandatum carnale*, vocat legem Mosaicam, de carne circumcidenda & lustranda, eò quòd non animam, sed carnem tantùm à quadam immunditia & irregularitate legali & politica in hominum opinione consistenti, purgaret & sanctificaret; idque per carnales cæremonias, scilicet lotiones, sacrificia, suffitus, &

Mandatum carnale lex Mosaica, de carne circumcidenda.

cetera quæ carnem tantùm, non autem animi fibras attingunt, vt notat Theodoretus. ac consequenter carnalem vocat legem, id est, temporariam, quia cum carne moriebatur. carnalis enim legis cæremoniæ & lustrationes circa carnem occupabantur, eaque subtracta & moriente cessabant, finiebantur, & cum homine desinebant. huic opponit mandatum, id est, legem Christi, quæ est *secundùm virtutem vitæ insolubilis*, id est, quæ dat & tribuit vitam æternam tum gratiæ, tum gloriæ. & hoc est, quod subdit v. 25. *vnde & saluare in perpetuum potest.* q. d. Sacerdotes Aaronici carnales erant, temporales & mortales: Christus autem per potentiam & virtutem Patris factus est sacerdos semper viuens, æternus, immortalis, quique vitam spiritalem gratiæ, & per eam vitam æternam gloriæ nobis elargitur: ergo longè præstat Christus Aaronicis.

Mandato carnali Mosis opponitur Christi lex spiritualis, æterna temporario.

Obijcies, Leuit. 6. v. 18. & 20. & alibi sæpè dicuntur sacrificia Leuitico præscripta offerenda ritu sempiterno: ergo tam æterna sunt illa, quàm æternum est sacrificium Christi.

Respondeo, Nego consequ. nam in Leuiticis non absoluta significatur æternitas, sed tantùm respectiua, scilicet ea duratura semper, id est, toto tempore legis, siue quamdiu durabit lex vetus, donec veniat Messias, qui nouum & æternum simpliciter sacerdotium inducat. Id patet tum ex alijs, tum ex eo quòd post hæc Leuitica sacrificia ritu sempiterno offerenda, promisit Dominus Dauidi aliud sacerdotium Christi absolutè æternum, dicens psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* quo satis significat sacerdotium Aaronicum æternum fore tantùm vsque ad Christum, & per Christū abolendum esse, Christi verò sacrificium duraturum esse vsque ad finem mundi.

Sacrificia legis quomodo vocentur sempiterna.

VERS. 17. TV ES SACERDOS IN AETERNVM SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDEC] Non quasi Christus habuerit sacerdotium formaliter eiusdem rationis, vel institutum à Melchisedec. patet enim sacerdotium Christi multo fuisse excellentius, altioris ordinis & originis, quàm fuerit Melchisedec.

Vnde Nota. Pro *secundùm ordinem*, hebraicè est עַל דִּבְרַת *al dibrat*, id est, secundum negotium, morem, ritum, typum, analogiam, similitudinem (vti vertit Paulus v. 15.) Melchisedec. q. d. Christus est sacerdos excellentissimo quodam genere sacerdotij æterni, cuius singularis typus & similitudo fuit Melchisedec. Patet hic sensus ex hoc versu & præced.

Nota, Christum dici sacerdotem secundùm ordinem & typum Melchisedec multis de causis, vt dixi v. 3. sed potissima & propria causa & similitudo est in victima; quia, sicut Melchisedec priùs panem & vinum Deo obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, deinde illa Deo oblata in milites Abrahæ libanda, id est, participanda & comedenda distribuit; ita & Christus in vltima cœna obtulit panem & vinum consecrando illa & transsubstantiando in sacrificium Eucharisticum, eaque deinde Apostolis libanda distribuit, & similiter offerēda & libanda præcepit. ritus enim, ratio & similitudo sacerdotij propriè spectandus est, proprieque consistit in ipsa functione sacerdotij, id est, in ipsa oblatione victimæ & sacrificij, qualia hic sunt panis & vinum: reliqua enim circumstantiæ sunt, nec pertinent ad rationem & speciem propriam, ordinemque sacrificij & sacerdotij.

Potissima similitudo sacerdotij Christi cum sacerdotio Melchisedec est in hostia panis & vini.

Sacrificium primum panis & vini.

Hinc demonstratur euidenter Missam esse sacrificium; quia nullo alio loco declarauit Christus se esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec (qualem eum fore prædixit & promisit Dauid psalm. 109.) nisi in cœna, in qua se obtulit sub specie panis & vini, nobisque eadem in Missa pari modo offerenda præcepit: sacrificium enim crucis, vtpote cruentum, non fuit secundùm ordinem Melchisedec, sed potiùs Aaron, qui boues & oues Deo iugulando immolabat. Nam quòd Melchisedec non aliud obtulerit, quàm panem & vinum, æquè ac Christus in cœna; patet, tum Gen. 14. 18. tum quia nusquam alibi ipsum boues, oues, aut quid aliud immolasse meminit Scriptura: vt, nisi ordinem sacerdotij Melchisedec, eiusque sacrificij & victimæ oblationem, ritum & speciem colligas ex Genes. 14. 18. nusquam illa colligere possis. Quòd si quis temerarius hoc admittat, & nusquam illa colligi posse asserat, inferam; Ergo frustra à Dauide dicitur, nobisque proponitur Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedec; cùm hunc ordinem nusquam inuenire, diuinare, aut intelligere possimus. qua de re plura dicenda sunt Genes. 14. Hæc est communis sententia & expositio Patrum, & totius antiquitatis, quin & veterum Rabbinorum. de qua vide Bellarm. li. 1. de Missa cap. 6.

Demonstratur Missam esse sacrificiū, & quidem secundùm ordinem Melchisedec.

Obiicies, Cur ergo hanc præcipuam in hostia similitudinem sacrificij Melchisedec & Christi silet & omittit hic Paulus. Respond. Quia hoc erat extra scopum Apostoli. Apostolus enim illud psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinē Melchisedec*, tantùm citat ad hoc, vt inde probet & demonstret Hebræis Christi sacerdotium diuersum esse, successisse, & aboleuisse sacerdotium Aaronicum. probat autem sic: Dauid post 400. annos ab instituto sacerdotio Aaronico, promittit alium sacerdotem, scilicet Christum, qui sit futurus perpetuus sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, qui Melchisedec 400. annis legem & sacerdotium Aaronis antecessit: ergo hoc ipso significat Dauid prius sacerdotium Aaronicum, vtpote temporaneum, carnale & infirmum, abolendum esse, per posterius sacerdotium Christi, vtpote æternum, spirituale, & efficacissimum ad peccata abolenda, ad gratiam, gloriam, & vitam æternam nobis impetrandam. Ad hoc autem non necesse erat Apostolum explicare quæ fuisset hostia Melchisedec, quam Hebræis ex Genesi satis notam & manifestam sciebat. Adde, Apostolus hîc tantùm vrget ea, quibus Melchisedec, & per consequens Christus præcellit sacerdotibus Aaronicis; qualis maximè est æternitas symbolica in Melchisedeco, vera & propria in Christo: ad hæc autem planè impertinens & inutilis erat mentio hostiæ Melchisedec, quia hac parte Melchisedec non erat nobilior, sed potiùs minor sacerdotibus Aaronicis. hi enim animalia viua, putà boues & oues, ille verò solùm panem aridum obtulit; animalia autē longè præstantiora sunt pane. Denique id tacuit Apostolus, quia multi Hebræi rudes & infirmi, tanti mysterij & arcani Eucharistiæ necdum erant capaces, vti ex Paulo ostendi c. 5. v. 11. & 12.

Cur Apostolus non explicet hūc ordinem.

Sacerdotiū Aaronicum promittitur à Dauide abolendum per sacerdotium Christi.

REPROBATIO QVIDEM FIT PRAECEDENTIS MANDATI PROPTER INFIRMITATEM EIVS ET INVTILITATEM] VERS. 18. Vers. 12. probauit Apostolus abolitam

litam esse legem veterem, ex eo quòd sacerdotiũ vetus per nouum Christi abolitum sit: lex autem cum sacerdotio connexa est; ergo abolito & mutato sacerdotio veteri necesse fuit aboleri simul & mutari legem veterem in nouam Christi. Iam ne quis miretur, dicatque, Quid causæ fuit, cur Deus legem olim à se institutam abrogauit? respondet hic Paulus, q.d Vis scire causam abolitæ legis & sacerdotij? cur facta *sit reprobatio præcedentis mandati*, id est, abrogatio veteris legis? causa est legis illius infirmitas & inutilitas, quia lex illa non poterat peccata expiare, saluare & beare homines.

Causa abolitionis veteris legis.

VERS. 19. NIHIL ENIM AD PERFECTVM ADDVXIT LEX] Id est, lex neminem potuit perficere, id est, iustificare, & ad beatitudinem, quæ summa est hominis perfectio, perducere. lex enim tantùm in rebus externis occupabatur, circa iustitiam carnis & mundiciem exteriorem, quæ coram hominibus, non autem coram Deo nos puros & sanctos efficiebat. Si quis mortuum aut immundum attigisset, iubebat eum lex lauari; si quis homicidium, & verum crimen admisisset, iubebat eum lex occidi: ipsum verò peccatum, ipsamque animam non purgabat & expiabat lex.

In vetus tantùm poterat, & exteriora attingebat, non animam.

Nota. οὐδὲν ponitur pro οὐδένα, id est, *nihil* ponitur pro nemine. pro masculino enim vtitur neutro, quia genus neutrum plenius significat omnimodam vniuersalitatem, inquit Theoph. Sic Iohan. 6. dicitur: *Omne* (sed est omnis homo) *quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Sic Matth. vlt. Christus iubet prædicari Euangelium omni creaturæ, id est, omni homini.

INTRODVCTIO VERO MELIORIS SPEI (supple, fit, vel facta est per Christũ) PER QVAM APPROXIMAMVS AD DEVM] q.d. Per Christum intrauit, &, vt Syrus vertit ܝܬܐ, id est ascendit, *melior*, id est, maior & præstantior spes iustitiæ & salutis. quia Christus induxit noua sacrificia, Sacramenta, leges & promissiones noui testamenti, quibus Dei gratiam hîc, & in futuro gloriam ac beatitudinem consequi, itaque Deo quàm maximè approximare, atque ad ipsum in sancta Sanctorum, id est in cælum ipsum, conscendere speramus. Spem Euangelicam toties inculcat Apostolus, vt Hebræi in rebus afflictis penè despondentes animum, eumdem erigant per considerationem tot & tantorũ bonorum, quæ Euangelium promittit, quæque per Christum adipisci speramus.

Erigit Hebræos Apostolus ad spem Euangelicam.

VERS. 20. ET QVANTVM EST NON SINE IVREIVRANDO] Pendet hæc sententia à v. 22. vbi eam explet Apostolus dicens, *In tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus.* q.d. In quantum res hæc, scilicet vt Christus fieret sacerdos, non peracta est sine iureiurando, in tantum præstantior sacerdos, legislator & mediator est Iesus, quàm fuerit Moses & Aaron.

Quintum argumentũ, quo Christi præ Aarone excellentia probatur.

Est quintum argumentum probans præcellentiam Christi præ Mose & Aarone, estque tale. Lex, testamentum & sacerdotium Christi, non autem vetus Mosis & Aaronis, promissum fuit à Deo, cum iureiurando, idque vt certius & firmius esset tam sacerdotium Christi, quàm reconciliatio nostra, omniaque bona per Christum promissa & præstanda: ergo in quantum iuramento firmatum est Christi sacerdotium, dicente Dauide, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos*, &c. in tantum excellentius est Christi sacerdotium Aaronico.

VERS. 21. ALII QVIDEM SINE IVREIVRANDO] q.d. Aaroni & posteris Deus dedit sacerdotium sine iuramento, quasi rem minoris momenti & temporaneam, quam firmare iuramento Deus non est dignatus. hæc verba explicant antithesin & vim argumenti latentem in eo quod præcessit: *Et quantum est non sine iureiurando.* Idipsum clariùs Græca indicant, quæ habent, οἱ μὲν γάρ, id est, *nam illi* (Aaronici) *quidem sacerdotes facti sunt sine iureiurando*: Christus autem cum iureiurando, quasi res & negotium Christi pontificis, scilicet hominum reconciliatio & salus, magni esset momenti, & licet difficilis, certissimò tamen credenda & speranda ab hominibus. hac enim de causa iurauit Dominus dicens: *Tu es sacerdos in æternum.* ita Theophyl.

Hinc patet, hæc verba & sequentia vsque ad v. 22. intercipienda & includenda esse parenthesi.

IN TANTVM MELIORIS TESTAMENTI SPONSOR FACTVS EST IESVS] *Testamentum*, & Græcum διαθήκη idem sunt, quod Hebræum בְּרִית *berit*, id est *fœdus* & pactum, scilicet inter Deum & homines initum per Christum, vt dixi 1. Corinth. 11. v. 25.

VERS. 22.

Testamentũ hebraicè fœdus & pactum.

Secundò, *sponsor* siue fideiussor hîc idem est, quod mediator, qui fidem suam interponit, promittit, & spondet bona, quæ in nouo hoc Dei cum hominibus fœdere promittuntur, rata fore certoque; præstanda. cùm enim Christus & nouum testamentum promittat hominibus, ex parte Dei; resurrectionem & præmia cælestia, diuina, & quæ nondum videmus, & longè à nobis remota sunt, ideoque difficulter ab hominibus creduntur & sperantur; hac de causa pro illis fideiussit Christus: quasi dixerit, Vanum me haberi volo, nisi quòd Patris mei nomine fideiubeo, de cælo & cælesti gloria fidelibus meis danda, sit ratum, certum & firmum: arrham autem huius suæ sponsionis, qua nostram spem mirè confirmauit, Christus nobis dedit, cùm reipsa resurrexit, & ascendit in cælum, hoc ipso quasi viam in cælum nobis aperiens & ostendens, seque cæli claues habere, ac cæli dominum esse demonstrans. ita Anselmus.

Christus noster fideiussor.

Arrham fideiussionis suæ Christus nobis dedit in resurrectione & ascensione.

ET ALII QVIDEM PLVRES FACTI SVNT SACERDOTES] Est sextum argumentum demonstrans Christum præstare Aaronicis, estque tale. Aaronici erant mortales, & alter alteri post mortem in sacerdotio succedebat: Christus autem est immortalis. licet enim sit mortuus, mox tamen quasi victor mortis resurrexit ad vitam gloriosam & immortalem: ergo Christus præstat Aaronicis. ita ex Chrysostomo Theophyl. vnde subdit Apostolus;

VERS. 23.

Sextum argumentum pro excellẽtia Christi præ Aarone.

HIC (Christus) AVTEM EO QVOD PERMANEAT IN AETERNVM, SEMPITERNVM, ἀπαράβατον, id est, quod præterire, vel in alium successiuè transire non potest) HABET SACERDOTIVM] q.d. Christus non habet successorem, sicut habuit Aaron, quia ipse semper viuit vt sacerdos & mediator noster vsque in æternum.

VERS. 24.

Dices, S. Petrus in pontificatu successit Christo, sicut Eleazarus successit Aaroni.

S. Petrus successit Christo, non vt par, sed vt vicarius.

Respondeo, hoc esse falsum. nam Eleazarus Aaroni successit in pari, imò eodem gradu & dignitate pontificatus: æqualis enim dignitatis fuit Eleazarus pontifex cum Aarone pontifice. S. Petrus autem successit Christo, non vt par, sed vt vicarius & minister: sicũti in bello, absente capitaneo succedit ei in acie locum tenens. Christus ergo solus summus est & æternus pontifex noster, qui in terris pontificatum hunc suum administrat per Romanos Pontifices, tamquam vicarios & œco-

œconomos suos. nil ergo gloriæ & honoris Pontifices Romani demunt Christo pontifici, imò eius pontificatum illustrant & promouent, cùm se ipsius tantùm administros, famulos & vicarios esse profiteantur, ad hoc vt Christi gloriam vbique propagent.

VERS. 25. VNDE ET SALVARE IN PERPETVVM POTEST ACCEDENTES] Græcè, εἰς τὸ παντελὲς, quod Vatablus & Erasm. vertunt, *ad perfectum*, perfectè, plenè; verùm noster, Syrus, & Græci Patres melius vertunt, *in perpetuum*. vult enim docere Paulus, Christum, vtpote sacerdotem æternum, non tantùm in hac vita, sed & in futura saluare suos fideles, illisque conferre æternam salutem, cùm Aaronici tantùm temporalem tantùm huius vitæ suis impetrarēt.

Christus æternam salutem dat, Aaronici tantùm temporalē.

Notā. *Accedentes* (ita enim legendum est cum Romanis, Græco & Syro, non autem, *accedens*) vocat fideles, qui per fidem & obedientiam quam Christo præstant, accedunt ad Deum Patrem, eiusque gratiam & amicitiam.

Proprium est Christi, orare pro nobis tamquam pontifici, & quod aliis Sanctis non conuenit.

SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDVM PRO NOBIS] Hinc patet, Christum in cælo interpellare & orare pro nobis, idque proprium esse Christo, vt tamquam pontifex oret pro nobis: alij enim Sancti, etiam ij, qui in hac vita sacerdotes fuerunt, orant pro nobis in cælo, non tamquam sacerdotes, sed tamquam priuati Sancti & amici Dei: non enim ampliùs funguntur sacerdotio in cælis. vide dicta Rom. 8. 34.

VERS. 26. TALIS ENIM DECEBAT VT NOBIS ESSET PONTIFEX] scilicet, qui semper viuens, semper interpellaret pro nobis, ac proinde, qui sanctus esset, innocens, &c. vt ita in perpetuum saluaret nos.

Nota *decebat*, q. d. inquit Primasius, Non eramus digni, nec promerebamur talem habere pontificem, sed necesse erat nobis vt talem haberemus qui esset sanctus, &c.

Christi pontificis dotes.

SANCTVS] ὅσιος, id est purus, & omnis labis expers, hoc est sanctus: puritas enim est sanctitas, vt dixi 1. Corinth. 7. v. 34. Vnde Theophyl. ὅσιος, inquit, *est qui nihil eorum quæ facere debet omittit, puta moribus integer, & in actibus omnibus perfectus.*

Secundò & melius, ὅσιος, idem est quod pius erga Deum, Deum timens & colens, Deo deuotus, sacer & sanctus, ipsaque pietate & sanctimonia reuerendus & venerandus.

INNOCENS] ἄκακος, id est, carens malitia & noxa; id est, innocens, qui nemini noceat, nemini malè velit, sed omnibus prodesse & benefacere studeat. Hinc Chrysost. & Oecumen. ἄκακος vertunt, expers doli, qui nescit fallere, nescit decipere. Fraus enim ac dolus æquè ac animus nocendi auidus, propriè vocantur malitia, græcè κακία, & ἔκακος, qui eo caret: ita Cicero Tusculan 4. & lib. 3. de Finibus: *Virtutis*, inquit, *contraria est vitiositas: sic enim malo, quàm Malitiam appellare, quam Græci κακίαν appellant. Nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vitiositas omnium.*

IMPOLLVTVS] Nota hîc, pontificem debere esse per omnia sanctum & integrum, scilicet, vt sit *sanctus*, id est pius erga Deum, *innocens* erga proximū, *impollutus* erga seipsum. Pro *impollutus*, græcè est ἀμίαντος, id est incorruptus, immaculatus, illæsus, inuiolabilis. inde enim lapis dicitur amiantus (ad quem hîc videtur Paulus alludere) quòd igne non lædatur, quodque ex eo vtpote flexili telas velaque texant, quæ igni iniecta ardent quidem, sed ex eo splendidiora exeunt, vt docet Dioscor.

Lapis amiantus igni non laditur, est & pontificis hieroglyphicus.

lib. 5. c. 113. & Plinius lib. 36. c. 19. Talis est puritas, ac præsertim castitas, quæ nec igne concupiscentiæ, nec igne corporali corrumpi potest: sed tam mente, quàm corpore illæsa & incorrupta inter quosuis ignes perdurat. Vnde Isaiæ 43. v. 2. pel Christum Deus idipsum promittit cuilibet Christiano puro & sancto, dicens: *Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, saluator tuus.* Vbi Leo Castrius ex S. Athanasio: *Sicut*, inquit, *ex amianto lapide telæ fiunt igne inuiolabiles, ita & B. Virgo Agnum peperit, cuius glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis, qua tecti nec igni comburi possumus, nec aquis concludi, aut vlla alia re, quin per omnia cruciamenta illæsi ad incorruptionem & immortalitatem transeamus.* Imò sic ad litteram angelus sua quasi veste amiantina tutatus est ab igne Babylonio tres puros & castos pueros Hebræos, angelus, inquam, similis filio Dei, Christique typus, Dani el. 3. v. 92. Sic S. Ioannes, S. Vincentius, S. Cæcilia, Lucia, Agnes, aliæque plurimæ in flammis Christo protegente manserunt illæsæ, & non minore miraculo, vndique licet tentatæ libidinis igne, non arserunt, imò à sponso suo Christo, angelum virginitatis suæ custodem & vindicem perpetuum adeptæ sunt. adeoque, quod notandū est & memorabile, cùm ex sanctis virginibus multas à tyrannis & præsidibus Ethnicis damnatas legamus ad lupanar; nullam tamen ex eis violatam, sed omnes Dei ope miraculosè lenonum manus euasisse, atque inuiolatas virgineque per mansisse legimus. Tales etiamnum sunt permulti sacerdotes, Religiosi, alijque qui in carne viuunt angelicè, & inter ignes concupiscentiæ, & tentationum carnis, quasi amianti perdurant, & fulgidiùs resplendent. Pontifex ergo noster Christus amiantus est, suosque præsertim sacerdotes amiantos esse vult, atque angelicam puritatem & castitatem ab eis exigit, quia incorruptio proximum facit esse Deo: sacerdotes autem pro populo, Deo approximare debent.

Vestis amiantina castitatis inuiolabilis.

Sancti multi in flammis manserunt illæsi.

item sanctæ virgines in igne libidinis.

SEGREGATVS, non tantùm à peccatis, sed & A PECCATORIBVS; quin ET EXCELSIOR CÆLIS FACTVS] vt longissimè non tantùm à peccatoribus, sed & ab hominibus omnibus distet, superetque omnes angelos & Beatos, tam loco, quàm gratia & gloria. *Ascendit* enim *super omnes cælos*, Ephes. 4. v. 10. Secundò, S. Anselm. hæc omnia sic quoque explicat: *Sanctus* interiùs, *innocens* manibus, *impollutus* corpore, *segregatus a peccatoribus*, id est ab omni peccato immunis, & seorsum factus est à grege peccatorum, & consequenter à grege cæterorum sacerdotum separatus, inter quos nullus est sine peccato; & *excelsior cælis factus*, vt ibi ministret in supernō altari. Vel, *excelsior cælis factus*, id est, super omnes cælestes creaturas euectus; ita vt eius magnitudo vel sublimitas magnitudinem primorum ne transcendat angelorum, vt inter ipsum & angelos nulla possit fieri comparatio secundùm magnitudinem & excellentiam. Hucusque Anselm.

QVI NON HABET NECESSITATEM QVOTIDIE, QVEMADMODVM SACERDOTES (Leuitici) PRIVS PRO SVIS DELICTIS HOSTIAS OFFERRE, DEINDE PRO POPVLI: HOC (scilicet offerre non pro suis, sed pro populi delictis) ENIM FECIT SEMEL, SEIPSVM OFFERENDO] Est septimum argumentum probans Christum præcellere Aaronicis sacerdotibus, estque tale. Aaronici pro peccatis tam suis, quàm populi, hostias offerunt, idque sæpiùs, imò quotidie: Christus VERS. 27.

Septimum argumentū probans præcellentiam sacerdotij Christi pro Aaronico.

Christus autem non pro suis, sed alienis, scilicet totius mundi, peccatis offert, idque semel tantùm, vnaque oblatione omnia omnium hominum peccata expiauit. ergo Christus nobilior & efficacior est Aaronicis.

Obiectio Bezæ contra sacrificium Missæ solutur.

Infert hinc & nobis obijcit Beza, Ergo vnicum est Christi sacrificium: ergo quotidianum Missæ sacrificium abolendum est, vtpote repugnans vnico Christi sacrificio. Respond. vnicum esse Christi sacrificium expiatorium, redemptorium, & satisfactorium omnium peccatorum, scilicet sacrificium crucis: illo enim Christus obtulit pretium sufficiens pro culpis & debitis peccatorum omnium, quæ vmquam commissa sunt, vel deinceps committetur. Missa autem sacrificium est non redemptorium & satisfactorium, sed applicatorium redemptionis & satisfactionis Christi in cruce peractæ. in Missa enim non nouum offerimus pro peccatis pretium, sed primæuum crucis pretium & lytrum nobis applicamus: sicut illud ipsum nobis applicamus per baptismum, aliaque Sacramẽta, & per bona opera.

Missa, sacrificium non expiatorium, sed applicatorium redemptionis.

Sacrificium Missæ idem cum sacrificio crucis nõ repræsentatione.

Respondeo Secundò, Missæ sacrificium idem est cum sacrificio crucis, Primò, repræsentatiuè, sicut imago eadem est cum re cuius est imago: Missa enim repræsentat sacrificium crucis. Secundò, realiter: tam enim in Missa, quàm in cruce idem est sacerdos primarius offerens, scilicet Christus; eadem etiam vtrobique est victima & hostia, scilicet corpus Christi, eadem inquam in re, licet quoad modum sit diuersa: in Missa enim est incruenta, cùm in cruce fuerit cruenta; sed incruenta in Missa significat & repræsentat cruentam in cruce. ita Conc. Trident. sess. 22. c. 1.

VERS. 28. LEX ENIM HOMINES CONSTITVIT SACERDOTES, (græcè ἀρχιερεῖς, id est, pontifices sacrorum & sacerdotum principes) INFIRMITATEM HABENTES] id est mortales, miseros, & peccatores, quique non valeant suis sacrificijs peccata expiare.

SERMO AVTEM IVRISIVRANDI, QVI POST LEGEM EST, FILIVM IN AETERNVM PERFECTVM] scilicet sacerdotem per pontificem constituit: hoc enim repetendum est ex antithesi præcedentis sententiæ.

Nota. *sermo iurisiurandi* est iuramentum, quo psalm. 109. *iurauit Dominus* Christo: *Tu es sacerdos in æternum*, patet ex v. 17.

Secundò, hoc iuramentum datum est per Dauidem, post datam legem Mosi & Aaroni, vt significaretur vetus sacerdotium cessurum nouo Christi, qui perficeret ea quæ veteri deerant.

Tertiò, pro *perfectum*, græcè est τετελειωμένον, id est consummatum (vt vertit Noster c. 2. v. 10.) idque in æternum, vt scilicet in æternum Christus consummatus sit, tum in gratia & sanctitate, vt peccare non possit vmquam. ita S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. tum in vita & gloria, vt sit immortalis, impassibilis & gloriosus; tum in sacerdotio & sacrificio, vt non indigeat plures offerre hostias, sed vnica hostia & sacrificio expiarit omnes homines, pretiumque soluerit pro omnibus omnium hominum peccatis. Opponit enim Apostolus has Christi perfectiones & consummationes infirmitati sacerdotum veterum.

Christus pontifex æternus in gratia, gloria & sacrificio.

Nota. Singula verba Apostoli hîc efficacem continent antithesin Christi & Aaronicorũ. Christus factus est pontifex cum iureiurando Dei, Aaronici sine iureiurando; Christus post legem, quasi illi successurus, eamque adimpleturus, sacerdotiũ inijt, Aaronici cum lege; Christus est filius, illi serui; Christus permanet in æternum, illi temporanei sunt, sibique succedunt; Christus in gratia, gloria & beatitudine est consummatus, illi infirmitati mortis, ærumnarum & peccati subiacent. ita S. Chrysostomus.

Antithesis efficax Christi, & Aaronicorum.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PEr anacephalæosin ostendit Christi sacerdotium præstare Aaronico tamquam corpus vmbræ: inde v. 6. à sacerdotio transit ad testamentum, docetq; vetus testamentum æque ac sacerdotium abolitum esse, per nouum Christi, vtpote quod leges Dei non scribat in tabulis lapideis, sed in corde & mente.

1. CApitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, 2. sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. 3. Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat: 4. si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundùm legem munera, 5. qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium. Sicut responsum est Moysi cùm consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte. 6. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. 7. Nam si illud prius culpa vacasset: non vtique secundi locus inquireretur. 8. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda, testamentum nouum; 9. non secundùm testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserũt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. 10. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: 11. & non docebit vnus-

vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum: 12. quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. 13. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitū est.

VERS. 1. CAPITVLVM AVTEM SVPER EA QVAE DICVNTVR] q.d. Caput, summa & compendium eorum quæ dixi, & dico, de præstantia sacerdotij Christi, est id quod sequitur. ita Syrus. vel, vt Chrysost. *capitulum* siue *caput*, id est, præcipuum & maximum, ad quod quasi ad scopum referuntur cætera quæ dixi de Christo pontifice, est id quod iam exponam. Verùm prior sensus planior est, tum quia græcè non est κεφαλή, id est caput, sed diminutiuè κεφάλαιον, id est *capitulum*, scilicet quia breue est, & quasi compendium dictorum; tum quia reuera Paulus hoc capite facit anacephalæosin, eaque quæ tota epistola disputat de præstantia noui pontificis Christi, & infirmitate veterum, deque illorum abrogatione, hoc capite summatim complectitur, & veruosè confirmat.

Nota hebraismum, *super ea*, id est eorum. Sic enim Hebræi regimen genitiui subinde explicant per ב *bet*, id est *in*, vel, per על *al*, id est *super*.

TALEM HABEMVS PONTIFICEM, QVI CONSEDIT IN DEXTERA SEDIS MAGNITVDINIS IN EXCELSIS] Hoc est capitulum, summa & compendiū dictorum, scilicet Christum non tantùm Aaronicis sacerdotibus, sed & angelis longè præstare, & talem tantumque esse, vt supra omnes sedeat ad dexteram Dei.

Sedes magnitudinis quid sit.

Nota. *Sedes magnitudinis*, est thronus maiestatis, in quo scilicet sedet maiestas Dei Patris, ita vt Deus Pater dicatur *magnitudo*, vel maiestas; quomodo reges solemus vocare Maiestatem regiam, & principes vocamus Celsitudinem. vel Secundò, *sedes magnitudinis*, siue maiestatis, est sedes maxima & maximè augusta, summæque maiestatis & gloriæ. Vterque sensus est Theophyl. & vterque est ex phrasi Hebraica.

Porro Christus non tantùm qua Deus, sed etiam qua homo sedet à dextris Patris: nam qua homo est pontifex. Audi S. Cyrillū in Concil. Ephesino, epist. ad Anastasium, &c. *Quòd autem incarnatum Verbum Deo consideat, & æqualis gloriæ sit cum Deo & Patre, etiam in carne, tamquam vnus existens Filius, etiam quando factus est homo, manifestat sapientissimus Paulus scribens: Talem habemus pontificem, qui sedet in dextera throni magnitudinis in sublimibus.* In Christo enim idem est hic homo, & hic Deus, propter eamdem hypostasin. vnde subdit Cyrillus: *Igitur etiam incarnatū Filium in diuinitatis solio sanctorum Prophetarum chorus contemplatus est.*

IN EXCELSIS] Græcè ἐν ὑψηλοῖς, id est, in cælis.

VERS. 2. SANCTORVM MINISTER] Quia Christus sanctos facit, estque auctor veræ sanctitatis, inquit Chrysost. & alij, quia inter Sanctos in cælo transiens ministrabit eis. Verùm vox *sanctorum*, hic non est masculini generis, sed neutrius; neque homines, sed sanctuarium significat. *Sanctorum* ergo, id est, sancti & Sancti sanctorum, minister sacrorum publicus (hoc enim est λειτουργός) putà sacerdos & pontifex, est Christus. Id patet ex seqq. nam explicans τὰ *sanctorū*, subdit, *&* (id est) *tabernaculi* (sanctuarij) *quod fixit Dominus & non homo*. q.d. Christus est pontifex non veteris sanctuarij facti ab homine, scilicet Mose, quod cōstabat Sancto & Sancto sanctorum; sed noui, putà Ecclesiæ adum-

Christus publicus sacrorum minister.

A bratæ per vetus Sanctum, & Sanctum sanctorum, quam fabricatus est non Moses, sed Deus: nam *sanctum*, significabat Ecclesiam Christi ex terris ambulantem & tendentem in *Sanctum sanctorum*, id est, in cælum, ad Ecclesiam triumphantem. q.d. Paulus, Christus tam Ecclesiæ militantis, quàm triumphantis est sacerdos, quia in militanti per sacerdotes quotidie offert sacrificium Eucharistiæ, quod ipse primus in ea dum viueret obtulit & instituit: in triumphanti verò est pontifex, quia ipse primus aperuit viam in cælum, cùm per suum sanguinem ingressus est in sancta, æterna redemptione inuenta, vt ait Apostolus c. 9. ibique interpellat pro nobis.

Sanctum & Sanctum sanctorum typus fuit Ecclesiæ.

QVOD FIXIT] Ergo cælum neque mouetur, neque rotundum est, sed fixum, fixeque in sua B quadratura consistens, inquit Chrysost. Prius verum est, scilicet cælum empyreum, in quo sunt Beati, non moueri, sed esse fixum & immobile. posterius, scilicet quòd sit quadratum, non sphæricum, saltem quoad superficiem conuexam, docet quoque Lud. Molina in tractatu de Opere sex dierum, & Conimbricenses in li. 2. de Cælo c. 5. q. 1. a. 2. Innuit quoq; S. Iohan. Apocal. 21. vbi de cælo loquens, *Ciuitas*, inquit, *in quadro posita est*: quod ad litteram, vti sonat, accipi potest. Verùm meliùs hoc quadrū, vti & lapides, plateas, muros, aliaque cælestis illius ciuitatis ornamenta, quæ illo capite describit S. Iohannes, accipies non ad litteram, sed symbolicè; vt nimirum partim ad ornatum, partim ad firmitatem, partim & maximè ad amplitudinem & commoditatem, qua ad omnes mundi C plagas obuersa est, quadrata dicatur & proponatur: vrbes enim quadratæ firmissimæ, ornatissimæ, & commodissimæ sunt intrantibus & exeuntibus, vtpote quæ quatuor quadraturæ suæ lateribus quatuor mundi plagas respiciant, vt per portas singulorum laterum ex qualibet plaga homines directè in eam ingredi & egredi possint. Et hoc est, quod per hanc quadraturam cæli vult significare Ioannes, scilicet à quatuor partibus eam respicere quatuor mundi plagas, in ijsque singulis tres, id est multas & copiosas, habere portas, quibus ab omnibus mundi plagis Sancti & electi in cælum intrent. Respicit enim & explicat illud, quod dixerat v. 13. ciuitatem hanc ab Oriente habere portas tres, tres ab Aquilone, totidem ab Austro & ab Occasu. Quare nihil est quod cogat nos D dicere cælum empyreum esse difforme alijs cælis, esseque quadratum: adeoque quod Aristoteles & Philosophi li. 2. de Cælo cap. 4. docent cælum esse sphæricum, quia figura sphærica perfectissima est & capacissima, cælo empyreo quoque attribui potest.

Cælum empyreum non mouetur, & est quadratum secundū aliquā.

Verius est cælum empyreum esse sphæricum.

OMNIS ENIM PONTIFEX AD OFFERENDVM MVNERA ET HOSTIAS CONSTITVITVR: VNDE NECESSE EST ET HVNC HABERE ALIQVID QVOD OFFERAT] *Hostiæ* sunt victimæ cruentæ; *munera* incruentæ, vt dixi c. 5. v. 1. Probat Apostolus id, quod dixit v. 2. scilicet Christum, licet sedeat à dextris Dei in cælo, esse tamen ibidem *Sanctorum*, id est sanctuarij, *ministrum* & sacerdotem, qui scilicet sacrificādo, & sacras hostias ac munera offe-

VERS. 3.

Ostenditur Christum pro nobis offerre in cælo sacrificium.

rendo

rendo Deo ministret. id probat sic: Christus licet A sedeat in cælo, est tamen pontifex: atqui omnis pontifex offert munera & hostias: ergo & Christus in cælo suas hostias & munera offert, scilicet suum in cruce sacrificium, quod olim in monte Caluariæ obtulit, nunc quoque idipsum per continuam commemorationem Patri in cælo offert.

Secundò & propriè, Christus in cælo offert sacrificia Missæ, quæ toto orbe quotidie celebrantur. in his enim primus & primarius sacerdos qui consecrat, offert, & transsubstantiationem peragit, est Christus.

VERS. 4. SI ERGO ESSET SVPER TERRAM, NEC ESSET SACERDOS: CVM ESSENT QVI OFFERRENT SECVNDVM LEGEM MVNERA] q.d. Si tale esset sacerdotium Christi, quale vos, ô Iudæi, requiritis, vt scilicet Messias vester degat semper apud vos in templo Salomonis, ibique sacrificet & faciat ea, quæ B fecerunt sacerdotes Leuitici & Aaronici; *necesse sacerdos*, græcè οὐδ' ἂν ὧδε ἱερεύς, id est, ne quidem esset sacerdos & pontifex Christus: tum quia ad hoc terrestre sacerdotium, & terrestria eius bona procuranda & impetranda sufficerent sacerdotes legales & Leuitici, nec alio esset opus sacerdote secundùm ordinem Melchisedec, scilicet Christo; tum quia Christus, si terrenus tantùm esset sacerdos, non obtulisset hostiam Christo, id est redemptore & saluatore, dignam, quæ scilicet sufficeret ad nostram salutem: nulla enim digna fuit hostia & sufficiens ad referandum cælum, & cælestia bona, salutemque nobis afferendam, præter ipsummet Christum in cruce immolatum, occisum, ac terrestri vita defunctum. ita Oecumen.

Messias Iudæorum non debuit esse pontifex terrenus degens in templo Salomonis.

Ex hisce colligit Apostolus Christum non tantùm in terra, sed & in cælo esse pontificem & C sanctorum ministrum, vti præcessit.

Impium dogma Fausti Socini Senensis, negantis Christum hîc in terris fuisse sacerdotem.

Ex hoc loco perperam intellecto, nuper quidam Faustus Socinus Senensis impium dogma confinxit, illudque in Polonia & Hollandia sparsit, nimirum Christum sacerdotem non fuisse in terra, sed tantùm in cælo, adeoque in cruce nullum obtulisse sacrificium aut lytrum redemptionis nostræ, ac consequenter Christum non fuisse redemptorem & saluatorem, sed tantùm doctorem hominum, qui sua sancta vita meritus sit, vt post mortem fieret sacerdos & pontifex in cælo. vnde ante crucem & resurrectionem eum fuisse quidem prophetam, sed hominem tantùm, qui proinde non aliter vocandus sit quàm Iesus à Nazareth; post resurrectionem verò eum factum esse Christum, itaque iam appellandum esse. Quod dogma blasphemum non tantùm vete- D rem arrianismum, nestorianismum, & pelagianismum renouat & superat, sed & Christum christianismumque totum euertit. Fundamentum verò ipsius ex hoc loco, & ex cap. 9. v. 11. & 24. vbi Apostolus ait, quòd *Christus assistens pontifex futurorum bonorum introiuit in cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*, petitum, nullum est: hisce enim & similibus locis tantùm docet Apostolus Christum non solùm in terra, vti fuit Aaron, sed etiam in cælo esse pontificem nostrum, adeoque esse pontificem æternum, vti promiserat Dauid psal. 109. eo sensu, quo explicui c. 7. v. 3. & 21.

Christus in terris verè fuit pontifex.

Nam Apostolum velle, & docere, quòd Christus in terra, & in cruce fuerit pontifex, quodque propriè sacrificium suum expiatorium peccatorum totius mundi obtulerit in terra, non in cælo, vbi locus non est sacrificij, sed præmij; patet tum ex aliis, tum ex eo quod cap. 9. v. 14. ait: *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram*: ideoque subdit, sanguine Christi sancitum fuisse nouum testamentum & fœdus, quo Deus nobis per Christi merita, & sacrificium in cruce peractum remittit peccata, gratiam confert, & promittit cæleste regnum. & v. 26. & 28. *Christus*, inquit, *semel oblatus est* (vbi, nisi in cruce?) *ad multorum exhaurienda peccata.* rursum cap. 10 v. 14. *Vna*, inquit, *oblatione* (crucis) *consummauit* (Christus) *in sempiternum sanctificatos.* Et passim ad Romanos, Galatas, Corinthios, aliosque clamat Apostolus, Christum mortuum esse propter delicta nostra, & ab iis nos per opera legis non posse iustificari, sed tantùm per fidem & merita Christi: adeoque totus in eo est, vt doceat, nullam esse aliam viam aut spem iustitiæ & salutis, quàm per sanguinem & mortem Christi, Christumque in cruce immolatum, *qui factus est nobis iustitia, sanctificatio & redemptio.*

VERS. 5. QVI EXEMPLARI ET VMBRÆ DESERVIVNT CÆLESTIVM] q.d. Sacerdotes Leuitici *deseruiunt* (græcè λατρεύουσιν, id est latria, & magna reuerentia seruiunt) tabernaculo, id est, Sancto & Sancto sanctorum, quod tantùm est exemplar, græcè ὑποδείγμα, id est subostensio, obscura pictura, repræsentatio, typus & vmbra rerum cælestium, quæ in Ecclesia tum terrena & militante, tum maximè cælesti ac triumphante à Christo peraguntur. nam Primò, sacrificia & victimæ, quas in altari holocaustorum quotidie offerebant sacerdotes Leuitici, significabant sacrificiū Missæ, quod quotidie per sacerdotes suos in Ecclesia offert Christus.

Holocaustæ veteræ erat ὑποδείγμα, id est, vmbra & typus sacrificij Missæ. ab eoq; reuerentiam habebant.

Vnde pulchrè & verè Chrysost. & Theophyl. notant, sacerdotium Leuiticum fuisse tantùm ὑποδείγμα, id est obscuram & tenuem repræsentationem sacerdotij nostri, nostrumque hîc ab Apostolo vocari cæleste, quia cælestem habet hostiam, scilicet Christi corpus, ideoque angelos habet præsentes; & quia cælestia bona impetrat, cælumque nobis refert, & consequenter quia cælestem vitā à suis ministris requirit. *Hîc*, inquiunt, *in nostris mysteriis nihil terrestre est, sed omnia cælestia & spiritualia; vbi hymni angelici, vbi claues regni cælorum, vbi peccatorum remissio, & rursum nexus & ligatio, vbi nostra conuersatio in cælis est, quomodo non cælestia sunt quæ apud nos sunt?*

Sacrificium Christianorum cæleste, quia cælestē habet hostiam.

Secundò, quòd pontifex immolatis hostiis cum sanguine semel in anno intrabat in Sanctum sanctorum, significabat Christum per immolationem sui sanguinis & vitæ, ingressurum in cælum, vt ibi apud Deum noster sit pontifex, pro nobis interpellans, nobisque cælum referans, de quo dicetur c. 9. vbi hæc ipsa cælestia vocat ipsum cælum, cuius exemplar erant Sancta sanctorum Iudaica & terrestria.

Nota hunc locum pro veneratione SS. imaginum. Apostolus enim hîc dicit Iudæos tabernaculo, tamquam ὑποδείγματι, id est, imagini & picturæ rerum cælestium, inuisibilium & diuinarum, latriam, summumque illius sæculi cultum impendisse: hoc enim significat verbum λατρεύειν. Iudæi adorantes propitiatorium arcæ, Deum per illud repræsentatum, & in illo quasi throno suo residentem adorabant. Sicut enim in

Locus pro veneratione & cultu imaginum.

imagine sua coluntur Sancti, ita & Deus.

SICVT RESPONSVM EST (κεχρημάτισται, id est, diuino oraculo dictum est) MOSI, CVM CONSVMMARET TABERNACVLVM] *Consummaret*, id est, consummare vellet, vel cogitaret. græcè enim est μέλλων ἐπιτελεῖν, id est, cùm consummaturus esset tabernaculum.

VIDE, INQVIT, OMNIA FACITO SECVNDVM EXEMPLAR QVOD TIBI OSTENSVM EST IN MONTE] Citat Exodi 25. v. vlt. cuius sensus litteralis hic est: Vide, ô Moses, vt tabernaculum, candelabrum, arcam, cæteraque quæ ad tabernaculum spectant, fabrices secundùm exemplar quod tibi hisce quadraginta diebus, quibus mecum in Sina versaris, viua voce descripsi, & idea aliqua sensibili intuendum proposui. Hunc esse sensum litteralem patet ex antecedentibus, maximè v. 9. vbi hanc ideam tabernaculi Mosi promittit Deus.

Sensus litteralis verborum citatorum hic ex 25. Exod.

Sensus allegoricus tabernaculi Mosaici.

Secundò, allegoricè, hæc idea tabernaculi, vti & idipsum tabernaculum, idea erat Christi & Ecclesiæ: adeoque significat hoc loco Apostolus tum etiam ostensam fuisse Mosi ideam, seu exemplar allegoricum & anagogicum; res videlicet cælestes, putà tabernaculum spirituale, scilicet Christi Ecclesiam tam militantem, quàm triumphantem, quæ hoc materiali Mosaico tabernaculo significabatur; ita vt secundùm hoc Ecclesiæ exemplar, Moses iussus sit fabricare suum materiale tabernaculum, eo modo & forma, vt Ecclesiæ quasi typo & exemplari suo responderet, illamque aptè referret & repræsentaret: ita vt Moses videret, saltem in genere & confusè, tabernaculum quod constructurus erat, eiusque altaria, vestes, victimas, cæteraque vasa, esse typos, vmbras & picturas, quibus Messias cum Ecclesia, bonaq; eius cælestia, ac præsertim sacerdotium & sacrificium Christi depingebantur. ita docent Anselm. hîc, & Beda in c. 25. Exodi.

Tropologiam vide Exodi 25. v. vlt.

VERS. 6. NVNC AVTEM MELIVS SORTITVS EST MINISTERIVM, QVANTO ET MELIORIS TESTAMENTI MEDIATOR EST, QVOD IN MELIORIBVS REPROMISSIONIBVS SANCITVM EST] q.d. Christus melius & præstantius accepit sacerdotium, quàm Leuitici & legales sacerdotes: præstantius, inquam, tanto, quanto nouum testamentum, cuius Christus mediator est, antecellit veteri, maioraque bona suis promittit: vetus enim testamentum terrena, nouum verò cælestia bona spondet, promittit & præstat.

VERS. 7. NAM SI ILLVD PRIVS CVLPA VACASSET, NON VTIQVE SECVNDI LOCVS INQVIRERETVR] Pro *culpa vacasset*, græcè est ἦν ἄμεμπτος, id est, fuisset irreprehensibile. *culpam* ergo legis vocat, non peccatum, quasi lex illa vetus aliquid mali contineret, vti voluerunt Manichæi. Fuit enim lex illa sancta, vt ait Apostolus Rom. 7. v. 12. sed per epitasim & auxesin, *culpam* vocat infirmitatem & defectum legis, quia scilicet non poterat homines iustificare & saluare: & hac parte lex fuit quasi reprehensibilis & corrigenda. lex enim Christi tacitè reprehendit legem veterem, eamque infirmitatis arguit, dum eam sustulit & aboleuit. q.d. Si lex & testamentum vetus culpas & peccata tollere potuisset, si nullus in ea defectus fuisset supplendus & corrigendus, non quæreretur locus secundi, id est non fuisset secundum, nouum scilicet, testamentum in eius locum introductum & surrogatum.

Error Manichæorum putantium legem veterem aliquid mali continere.

Nota hypallagen: *locus secundi*, id est secundum in loco, vel locatum & positum loco primi.

Alij sic explicant, *si culpa vacasset*, id est, si lex culpæ non fuisset occasio. sic enim Roman. 7. v. 5. & 11. dicit Apostolus, quòd lex mortem operetur. sic dicitur frigus pigrum metonymicè, quia facit homines torpidos & pigros. Sed hic sensus videtur esse præter mentem & scopum Apostoli. hanc enim occasionem peccati non vrget hîc Apostolus, sed tantùm legis infirmitatem & impotentiam iustificandi. hic tamen sensus sequitur ex priori; quia enim lex iubebat vitari peccata, nec tamen ad ea vitandum gratiam dabat, hinc maioris peccati erat occasio: sine gratia enim lex impleri, & peccata vitari non possunt. Alij rursum τὸ *culpa vacasset* referunt non ad vetus testamentum, sed ad homines qui sub eo viuebant, qui virtute ipsius non potuerunt vacare culpa. Verùm non de hominibus, sed de testamento loqui hîc Paulum, patet ex ipsis verbis, & ex vocula *nam*. Primus ergo sensus genuinus est.

Infirmitas legis Mosaica.

VITVPERANS ENIM EOS DICIT] Probat vetus testamentum & legem culpa non vacasse, ideoque à Deo inductum esse aliud, scilicet nouum testamentum, ex eo quòd Ieremias vituperet Iudæos dicens c. 31. *Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* VERS. 8.

Nota. Circumspectè dicit Apostolus, *vituperans eos*, scilicet Iudæos; non autem, Vituperans eam, scilicet legem aut testamentum. hoc enim odiosum fuisset apud Iudæos, quibus lex vetus in mira erat veneratione: tacitè tamen cùm Iudæos vituperat, legem eorum vituperat quasi infirmam & imbecillem, quæ scilicet Iudæos sibi obsequentes bonosque efficere non potuerit. sic discipulorum vitia solent adscribi pædagogis: lex enim Iudæorum fuit pædagogus. Vnde mox subdit Ieremias, & ex eo Paulus, quòd Deus loco veteris inducet nouum testamentum, quod gratiam copiosam conferet Christianis, vt sponte legem Christi seruent, fiantque boni & sancti. q.d Paulus, Ieremias vituperat Iudæos, qui sub veteri erant testamento, quòd peccarent in legem, & quia hoc eorum testamentum & lex peccata hæc cauere, tollere & amoliri non poterat, ideo promittit nouum testamentum & legem gratiæ, quæ peccata tollet & amolietur, atque pro Iudæis rebellibus inducet Christianos legi & voluntati Dei per omnia obsequentes. ita Chrysost. & Theophyl.

ECCE DIES VENIENT, DICIT DOMINVS: ET CONSVMMABO SVPER DOMVM ISRAEL, ET SVPER DOMVM IVDA TESTAMENTVM NOVVM] Pro *consummabo* hebraicè est בְּרִית *carithi*, id est, percutiam & feriam testamentum, id est, fœdus nouum. vide de hac phrasi dicta 1. Corinth. 11. 25.

Quinam intelligatur hic per domum Israel & Iuda.

Secundò, *domum Israel* vocat decem tribus quæ sub Ieroboam schisma fecerunt à domo Iuda, id est, à duabus tribubus Iuda & Beniamin. q.d. Christus nouo suo fœdere & testamento duodecim tribus iam dissectas & diuisas rursum coniunget in vnum populum, in vnum regnum, in vnam Ecclesiam suam.

Nota. Symbolicè Apostolus, vti & Propheta, per *domum Iuda* intelligit quoslibet Iudæos, per *domum Israel* verò Gentiles; quia sicut domus Iuda sola verum Dei templum & cultum retinuit, ita

ita domus Israel ad vitulos aureos, ac deinde ad Gentilium Assyriorum ritus & idololatriam deflexit, 4. Reg. 17. v. 22. & seqq. itaque Israelitæ quasi Gentiles effecti sunt. Significat ergo Propheta & Apostolus tam Gentiles, quàm Iudæos, adeoque omnes fideles, omnesque populos huius noui testamenti & gratiæ Christi participes fore.

VERS. 9. NON SECVNDVM TESTAMENTVM QVOD FECI PATRIBVS EORVM] q.d. Nouum hoc testamentum non erit tale, quale fuit vetus, cum patribus initum; sed longè præstantius illo quod pepigi cum Mose.

Præclarè S. Augustinus sent. 384. *Vt ars*, inquit, *medicinæ, cùm eadem maneat, neque vllo modo ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita diuina prouidentia, cùm sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subuenit, & pro diuersitate morborum aliis alia iubet aut vetat, vt à vitio vnde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam ea qua deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat & firmet.*

IN DIE QVA APPREHENDI MANVM EORVM, VT EDVCEREM ILLOS DE TERRA ÆGYPTI] *In die*, id est, in tempore: non enim eodem die quo Deus eduxit Hebræos ex Ægypto, sed quinquagesimo demum post exitum die dedit eis legem in Sina.

Dilectio Dei erga Iudæos. Nota vocem *apprehendi*. q.d. Ego Deus ita dilexi populum Israel, vt quasi pater eum non quasi seruum, sed quasi filium & puerum meum manu apprehenderim & eduxerim ex Ægypto, & quinquagesimo deinde die dedi ei legem, & fœdus cum eo iniì, vt ipse memor tantæ liberationis exactè illud seruaret; quod tamen ipse non præstitit.

QVONIAM IPSI NON PERMANSERVNT IN TESTAMENTO MEO, ET EGO NEGLEXI EOS, DICIT DOMINVS] Pro *neglexi*, hebraicè est בַּעֲלְתִּי בָּם *baalti bam*, id est, dominatus sum eorum, vel in eos, dominatus, inquam, non tamquam sponsus aut maritus, vt vertit Vatabl. & recentiores, sed tamquam hostis, eos à me meaque Ecclesia repellendo, negligendo, reprobando & disperdendo. vnde LXX. quos sequitur Paulus hîc, apertè vertunt ἠμέλησα αὐτῶν, id est neglexi, contempsi, reprobaui eos. sic & R. Ioseph Kimchi vertit *fastidiui, abominatus sum eos.* q.d. Ieremias, Quia Iudæi non seruarunt fœderis mei conditiones, scilicet leges meas; hinc ego reieci eos, fœdusque irritaui, ac nouum mihi populum condere, nouumque cum eis fœdus inire decreui. Hac sententia repellitur & vetus populus, & vetus lex, & vetus testamentum; populus, quia non perstitit in pacto; lex autem, quia non effecit populum suum morigerum; testamentum verò & pactum, quia pacti conditiones, & consequenter pactum ipsum infregit populus, ideoque vicissim hoc pactum suum fregit & rescidit Deus.

Reprobatio veteris populi, legis & testamenti.

VERS. 10. QVIA HOC EST TESTAMENTVM QVOD DISPONAM (pangam & sanciam) DOMVI ISRAEL] Vox *quia* non est hîc causalis, sed expletiua, vel potiùs aduersatiua, more Hebræo. q.d. Hoc autem est testamentum & fœdus, scilicet nouum, quod pro veteri inducam & statuam.

POST DIES ILLOS] Id est, postquam neglexero & reiecero à me meaque Ecclesia Iudæos incredulos.

Nota. Sicut pactum & fœdus vetus Deus iniit in Sina cum Hebræis Exodi 19. & 24. quo obligauit se fore Hebræorum Deum & protectorem, & daturum eis terram Chanaan, sub hac conditione, si populus sibi obediret, & suas leges seruaret, illudque fœdus confirmatum fuit Exodi c. 24. victimarum sanguine, & epulo communi paciscentium. Nam Moses & Aaron vice Dei cum populo ex victima fœderali comederunt: Moses enim erat hîc quasi fecialis & mediator Dei & populi. Simili ratione & modo fœdus nouum Deus iniit cum Christianis, cuius fecialis & pater-patratus est Christus, quo fœdere Deus toto Euangelio obligat se daturum Christianis suam gratiam, remissionem peccatorum, amicitiam, adoptionem in filios, omnem opem & præsidia ad bene operandum & viuendum, & tandem hereditatem ipsam vitæ æternæ, sub hac conditione, si sibi obediant, si Christi fidem, legem, quæ breuis & facilis est, scilicet fidei & Sacramentorum, recipiant & obseruent: hinc dicitur nouum, quia noua affert promissa, præcepta, Sacramenta, nouam gratiam, nouam vitam, nouum hominem.

Pactum seu testamenta vetus & nouum quomodo prægerit Deus.

Moses fecialis testamenti veteris, Christus noui.

Lex Euangelica, quare vocetur testamentum nouum.

Nota Secundò. Hoc fœdus nouum Christus confirmauit sanguine suo, faciens se victimam in cruce. Secundò, epulo Eucharistiæ, quod omnibus ad finem vsque mundi communicat. non ergo in monte tantùm, longo illo sermone, quem habet Matth. c. 5. 6. 7. vt vult Theodoret. sed tota vita sua, toto Euangelio hoc fœdus instituit Christus; vbi paciscentes sunt Deus & Apostoli, aliique Christiani, fecialis est Christus.

Nota Tertiò. Sicut vetus fœdus in monte Sina, in pentecoste, ita nouum in Sion in Pentecoste promulgatum est; & sicut in veteri data est lex in tabulis lapideis, quasi conditio fœderis, ita in nouo data est lex, sed in tabulis cordis: illa penicillo, hæc spiritu Dei viui scripta, quia per Christum gratia & charitas diffusa est in cordibus nostris, id est, in libera voluntate nostra, per gratiam præuenientem, comitantem, & sanctificantem. Non ergo tollitur hîc liberum arbitrium, vt vult Caluinus, sed omnino præsupponitur in voce libera, & quia, vt dixi, fœdus hoc, vti & aliud quoduis requirit conditionem ex parte nostra, scilicet vt obediamus Deo vocanti, & gratiæ eius cooperemur, iustitiam sectemur, & in ea perseueremus si hereditatem cælestem adipisci velimus. Sicut ergo Moses de Sina descendit ad populum tabulas legis portans; sic Apostoli de Sion Spiritum sanctum, eiusque dogmata & dona mente portantes descenderunt ad omnes gentes, eaque illis proposuerunt & communicarunt.

Vetus testamentum & nouum quando promulgatum. & vtriusque pulchra antithesis.

Error Caluini circa liberum arbitrium.

DANDO LEGES MEAS IN MENTEM EORVM, ET IN CORDE EORVM SVPERSCRIBAM EAS] Pro *dando*, hebraicè est נָתַתִּי *natatti*, id est dabo, idque clarius est: sunt enim verba noui testamenti & pacti. LXX. tamen quos sequitur hîc Paulus, vertunt διδοὺς, id est dans, vel dando. quod eôdem redit.

DANDO] Nota. Res quam nouo suo fœdere & testamento promisit nobis Deus, est Spiritus sanctus, siue lex gratiæ & charitatis menti aspirata & inscripta. Vnde S. August. de Spiritu & littera c. 21. *Quæ*, ait, *sunt aliæ leges à Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti?* Contrà in fœdere veteri, lex scripta in tabulis non erat res promissa, sed conditio fœderis.

Spiritus sanctus est res nouo testamento promissa.

Vbi tamen Aduerte. Deus non se solo scribit Spiritum sanctum in corde & mente, sicut scripsit

Spiritus sancti gratia liberi arbitrij cooperationem requirit.

solus legem veterem in tabulis lapideis; sed requirit consensum & cooperationem liberi arbitrij: & hæc est conditio fœderis tam noui quàm veteris. Deus ergo iam legem & consilia sua inscribit, non libris, aut tabulis, aut fimbriis, vti olim apud Iudæos, sed ipsi menti & intellectui Christianorum; quando illi imprimit fidem & prudentiam agendorum, crebrasque illuminationes & illustrationes, quibus ostendit menti, quàm pulchra sit lex Christi, quàm vtilis, diuina, suauis; quàm turpe sit peccatum, quàm facilis pœnitentia, quàm iucunda sit vita pia & Christiana. Secundò, inscribit hæc memoriæ, cùm horum memoriam homini imprimit, eamque subinde renouat & refricat. Tertiò, inscribit hæc cordi & voluntati, cùm illi pias erga legem Dei affectiones, complacentias, impulsus, promptitudinem, & tandem charitatem infundit, vt dicat, *Domine da quod iubes, & iube quod vis.* ita S. August. de Spiritu & litt. c. 17. & seq.

Christianorum populus peculiariter Deo curæ est.

ET ERO EIS IN DEVM, ET IPSI ERVNT MIHI IN POPVLVM] Est hebraismus. q.d. Ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus, scilicet selectus, singularis & peculiaris: licet enim sim omnium hominum Deus, & omnes sint meus populus, tamen Christianos me diligentes habebo quasi peculium meum, quasi Ecclesiam meam, quasi populum meum, vt eorum respectu reliquos negligere, nec pro populo meo habere videar.

Nota emphasim, in voce *Deus*: *ero eis Deus*, id est, ero eis clementissimus pater, prouisor, protector, largitor gratiæ, gloriæ, beatitudinis & bonorum omnium; vice versa ipsi erunt mihi populus, quia me agnoscent, credent, seruient, colent & obedient, sperabunt & diligent tamquam Deum, dominum & patrem amantissimum. Alludit ad illud Exodi 19.5. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, & in regnum sacerdotale, & gens sancta.*

VERS. 11. ET NON DOCEBIT VNVSQVISQVE PROXIMVM SVVM, DICENS, COGNOSCE DOMINVM] Primò, S. August. libr. de Spiritu & littera c. 24. Anselm. & Caietan. putant hoc dici de Beatis. q.d. Cùm per nouum testamentum euademus in cælum, erimusque beati, tum nemo ampliùs alium docebit, quia omnes sat superque docebit Dei clara & beata visio.

Gratia & cognitio quam affert lex noua, qualis?

Verùm hoc est præter mentem tam Ieremiæ, quàm Pauli. Vterque enim loquitur de cognitione & gratia, quam affert fidelibus nouum testamentum in hac vita, cùm vetus testamentum Iudæis parum attulerit lucis, sapientiæ & gratiæ.

Prima sententia.

Secunda.

Secundò, S. Thomas & Ambros. putant hæc dici de Apostolis, qui docti erant à Spiritu sancto, nec egebant alio doctore. sed & hoc nimis arctum est: loquitur enim tam Propheta, quàm Apostolus de quibusuis filiis noui testamenti, eisque hoc lumen & hanc gratiam promittit.

Tertiò.

Tertiò, S. Hieron. in Ieremiæ 31. sic explicat, q.d. Tempore noui testamenti, non quærent fideles Iudæos aut philosophos magistros, vti antè fecerunt, non quærent Iudaicas traditiones, nec philosophicas rationes, vt ad veri Dei fidem & cognitionem perueniant. Sed nec hoc explicat mentem Prophetæ, qui non tantùm Iudæos aut Gentiles, sed & Christianos doctores hîc videtur excludere.

Quarta.

Quartò & melius, Theodor. Theophyl. Oecumen. & S. August. lib. de Gratia Christi c. 12. sic explicant, q.d. In noua lege, non opus erit Christianis magno labore ad discendum necessaria ad salutem; sed facilè id facient, ita vt pueri quoque (vti fieri videmus) statim ea addiscant & capiant, tum quia præcepta legis nouæ pauca sunt, scilicet decalogi, fidei & Sacramentorum, tum quia dat eis Deus magnas illuminationes, vt Deo interiùs docente statim hæc percipiant. Verùm nec hîc sensus exhaurit mentem & fundum Prophetæ, vti mox patebit.

Quinta & genuina.

Dico ergo, hunc esse genuinum huius loci sensum. q.d. Omnes per catechesin & baptismum effecti Christiani (de fidelibus enim loquitur, non de infidelibus) tum in primitiua Ecclesia, tum deinceps, habebunt vnius veri Dei cognitionem, amorem, cultum & timorem, contemnentque omnino pristinam suam idololatriam: Deus enim ita interiùs sua gratia mentem illorum illuminabit, & cor voluntatemque accendet, vt sponte abiectis idolis, omnique superstitione, Deum verum agnoscant, colant & ament.

Cognitio Dei non nuda, sed affectuosa, non tantùm speculatiua, sed & practica.

Vbi Nota Primò. Cognitio hæc Domini, de qua hîc loquitur Ieremias, non est nuda & speculatiua, sed affectuosa & practica. q.d. *Cognosce Dominum*, & cognitum cole, time & redama. Est metalepsis. Vnde Ionathas Chaldæus sic vertit, *non docebit vltrà vir proximum suum, dicendo, Scito timere Dominum, quia omnes discent vt sciant timorem mei.* Idem Ionathas Osee 4. pro eo quod Noster vertit, *non est scientia Dei in terra*; sic habet, *non est qui ambulet in timore Domini in terra.* Non ergo loquitur Ieremias & Paulus de cognitione omnium mysteriorum & articulorum fidei, sed tantùm de cognitione & cultu veri Dei: hoc enim est, *Cognosce Dominum.* Id patet ex ratione, quam subdit, *Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non memorabor.* q.d. Cùm Christiani videbunt se à Deo per Christum erutos ex miserrimo peccati & damnationis æternæ statu, statim agnoscent Deum liberatorem suum, illi gratias agent, totique rapientur in eius amorem & obsequium, vt scilicet Dei legibus & voluntati per omnia parere satagant.

Doctrinæ præconum Euangelij in Ecclesia necessaria.

Hinc Nota Secundò. Non excludit hîc Ieremias ministerium & doctrinam Apostolorum, aliorumque doctorum & præconum Euangelij: hos enim, vt ait Apostolus Ephes. 4. 11. posuit Deus in Ecclesia vt eam doceant, ædificent, perficiant. Sed eos hîc præsupponit. Loquitur enim Christianis, qui ab Apostolis aliisque doctoribus catechizati & baptizati sunt. Tantùm ergo vult docere Ieremias in lege noua tam facilem fore audita Euangelij prædicatione, Dei cognitionem, cultum, amorem & obedientiam; vt sponte sua eò procurrant homines: cùm Iudæi in veteri testamento vix minis & pœnis cogi possent ad relinquendum idola, & ad Deum verum cognoscendum, colendum, amandum, illique obediendum. idque prouenturum ex eo quòd Deus hanc sui cognitionem, cultum & legem non inscribet tabulis lapideis, vti fecit Iudæis, sed menti & cordi Christianorum; tanta scilicet luce mentem illustrando, tantaque efficacia & suauitate voluntatem impellendo, vt homines rapiantur ad sui cognitionem & amorem. Hoc tamen non excludit, quin ad hæc inchoanda, augenda & promouenda, aliaque addenda, quæ ad particularium fidei mysteriorum, & legum Christi institutionem

&c

& cognitionem pertinent, alius alium docere, hortari & excitare debeat: ad hoc enim, vt dixi, posuit Deus in Ecclesia Apostolos, doctores & pastores.

Error Anabaptistarū & Nouantium.

Perperam ergo Anabaptistæ, aliique Nouantes hinc probare conantur, spiritum priuatum cuiusque hominis esse iudicem controuersiarum fidei, & sacræ Scripturæ interpretem, esseque regulam tam credendorum quàm agendorum. Hic enim spiritus priuatus & secretus est, qui ab aliis, imò ab ipso qui eum habet, videri & sciri nequit an ater sit an albus: & quisque dicet se hunc habere spiritum, vti priuatos hosce spiritus inter maximè contrarios & pugnantes experimur: itaque in Ecclesia summa erit confusio & dissidium.

Priuatus spiritus cuiusque non iudex controuersiarum.

Nam Ieremias, & Apostolus hîc, non de priuato hoc spiritu, sed de publico & communi omnium Christianorum agunt; eumque dicunt, non Scripturas interpretari, sed quemque interiùs docere & excitare ad Dei veri cognitionem & amorem, & ad hoc esse necessarium; adeò *vt nisi hic Spiritus cordi audientis adsit, otiosus sit sermo doctoris*, ait S. Greg. hom. 30. in Euangel. Sic S. Iohannes epist. 1. cap. 2. v. 24. dicit, *Vnctio eius docet vos de omnibus.* q.d. Non est necesse vt pseudoapostoli vos doceant fidē (de iis enim agi patet ex v. 22.) iam enim eam didicistis, & discitis per me & Apostolos cooperante vnctione Spiritus sancti, quam tum aliàs, tum maximè in Sacramento Confirmationis accepistis. Necesse est enim vt quod Apostoli foris, hoc Spiritus sanctus intus vos doceat: *Nisi enim hic intus vos doceat, inanis est omnis strepitus vocis humanæ*, vt in eum locum ait S. August. Sic ex Isaia c. 54. ait S. Iohannes in Euang. c. 6. v. 45. *Et erunt omnes docibile: Dei*, hebraicè למודי *lemude*, græcè διδακτοί, id est, docti à Deo, qui sci-

Christiani docibiles Dei.

A licet potissimus erit doctor Christianorum, vt interiùs eorum mentem doceat, illuminet, inflammet ad vocem externam Christi & discipulorum eius: cùm olim per Prophetas, per sacerdotes, per Scripturam & legem in veteri testamento magis exteriùs quàm interiùs doceret Iudæos, qui idcirco indocti, rudes, frigidi & torpidi in Dei amore & cultu remanebant.

S. Antonius theodidactus.

Nota. Quo quis magis cor suum purificat, Deoque per orationem coniungit, eo magis à Deo interiùs docetur. Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, creber & quasi continuus in oratione, hoc donum à Deo acceperat, vt, si cuius rei sedens in monte ignarus fuisset, & eius secum inquireret notionem, ea ei oranti mox à Deo reuelaretur. Similes theodidacti fuerunt S. Iohannes Euangelista, Simeon Stylites, S. Paulus primus eremita, S. Dominicus, S. Franciscus, & alij.

B DICENDO AVTEM NOVVM, VETERAVIT PRIVS] VERS. 13. Pro *veterauit*, græcè est πεπαλαίωκε, id est antiquauit, antiquum & vetus esse declarauit. q.d. Cùm Deus per Ieremiam dicit, *Consummabo testamentum nouum*, apertè significat, prius testamentum Mosaicum, hoc ipso tempore Ieremiæ, paulatim antiquari, consenescere & decidere, ac proinde non duraturum, sed sensim magis & magis veterascere & interire, donec paulò pòst corruat prorsus & aboleatur per nouum testamentum à Christo inducendum. Hæc omnia ideo dicit Paulus, vt Hebræos à Mose ad Christum abducat, doceatque eos non mirari debere, quòd Deus vetus testamentum à se datum abrogauerit (vtpote infirmum & insufficiens ad iustitiam & salutem) per nouum noui Messiæ Saluatoris, cùm id promissum & prædictum sit ante tot sæcula à Ieremia.

Testamentū vetus tempore Ieremiæ inceptū antiquari.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HActenus ex pontifice, sacerdotio, & testamento veteri demonstrauit Apostolus legem veterem cessare debuisse, & cedere Christo, eiusq; legi; nunc idem probat ex fabrica & significatione tabernaculi, quod erat figura Ecclesiæ Christi.

Primò ergo describens Sanctum, & Sanctum sanctorum, eorumq; vasa, docet pontificem veterem semel in anno cum sanguine hircorum introëuntem in Sancta sanctorum significasse Christum, qui per sanguinem suum ingressus in cælum, illud reserauit, & æternam redemptionem nobis comparauit.

Secundò, v. 15. docet Christum esse mediatorem noui testamenti, quia illud suo sanguine & morte sanxit & confirmauit, sicut sanguine hircorum sancitum & confirmatum est vetus testamentum.

Tertiò, v. 24. docet Christum per sanguinem suum ingressum esse in cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis, & exspectantibus se sit in salutem.

1. HAbuit quidem & prius, iustificationes culturæ, & Sanctum sæculare. 2. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa & propositio panum, quæ dicitur Sancta. 3. Post velamentum autem secundum, tabernaculum quod dicitur Sancta sanctorum: 4. aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, 5. superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modò dicendum per singula. 6. His verò ita compositis; in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: 7. in secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia: 8. hoc significante

ficante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. 9. quæ parabola est temporis instantis: iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, 10. & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis. 11. Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis; 12. neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta. 13. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: 14. quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? 15. Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis. 16. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. 17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est. 18. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. 19. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, 20. dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. 21. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit. 22. Et omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio. 23. Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quàm istis. 24. Non enim in manufacta Sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. 25. Neque vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: 26. alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. 27. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: 28. sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.

VERS. I. HABVIT QVIDEM ET PRIVS, IVSTIFICATIONES CVLTVRÆ, ET SANCTVM SÆCVLARE] *Prius* scilicet *tabernaculum*, inquit Erasmus: sic enim habent Græca Regia, ἡ πρώτη σκηνὴ, id est, prius tabernaculum, sed mendosè. Nam S. Chrysost. Theophyl. Photius, & Syrus non legunt τὸ σκηνὴ, sed tantùm ἡ πρώτη, & subaudiunt διαθήκη, id est *testamentum*. De testamento enim veteri egit hactenus c. præced. maximè v. vlt. non autem de tabernaculo.

IVSTIFICATIONES CVLTVRÆ] δικαιώματα λατρείας, id est, iustificationes cultus siue latriæ, id est, mandata à Mose lata ad rite colendum Deum, putà cæremonias & ritus lege præscriptos, quibus Iudæi iustè & sanctè colerent Deum, quibusque sanctificarentur, tum coram hominibus, tum etiam coram Deo, si illos obirent ex fide in Christum, & ex deuotione & charitate in Deum, quod tamen facere non poterant ex vi legis, sed ex vi spiritus & gratiæ. Hæ enim leges cæremoniales hebraicè dicuntur חֻקִּים *chuckim*, id est statuta, decreta, sanctiones: quod Noster, ob causas iam dictas, vertere solet *iustitias* vel *iustificationes*, vt patet psal. 118. v. 5. 8. 48. 68. & alius. ita S. Chrysost. Theophyl. & Syrus.

Leges cæremoniales cur vocentur iustificationes.

ET SANCTVM SÆCVLARE] τὸ ἅγιον κοσμικὸν, id est, Sanctum vel sanctuarium mundanum, siue, vt Syrus vertit, *bet kudesca olmaiena*, id est, ædes sancta sæcularis, vel mundana.

Quid Apostolus intelligat per Sanctum sæculare. Prima sententia.

Quæres, quodnam sit *hoc sanctum mundanum & sæculare*? Respondet Primò, S. Thomas & Cajetanus esse sanctitatem & sanctificationem veteris testamenti, quæ tantùm corporalis erat, sæcularis & externa, coram mundo, non autem spiritualis & interna coram Deo, veraque sanctitas. Hæc enim propria est nouo testamento. Verùm durè & distortè sanctitas veteris testamenti dicitur & vocatur *sanctum mundanum*. Adde, quòd Græcus articulus τὸ, cùm ait τὸ ἅγιον, certum aliquod Sanctum demonstret, vti mox patebit.

Secunda, atrium tabernaculi sanctum.

Secundò, S. Chrysost. Theophyl. Haymo, per hoc *sanctum* intelligunt atrium tabernaculi, quod Gentibus, & omnibus mundi nationibus patebat, indeque *mundanum* est dictum. Sed hoc non videtur verum: Gentes enim vtpote infideles & profanæ arcebantur atrio Iudæorum: hoc enim atrium erat populi fidelis *sanctum*, id est, sanctuarium & templum. Et licet Herodes atrio Iudæorum addiderit aliud atrium extimum pro Gentibus & immundis, tamen illud non potest dici *sanctum*. Adde, quorsum huius atrij præ reliquis meminisset hîc Paulus?

Tertia.

Tertiò, alij *sanctum sæculare* intelligunt tabernaculum vel templum Iudæorum, dicique *sæculare*, quia multis sæculis erat duraturum; sed quid hoc facit ad Græcum κοσμικὸν, id est mundanum? cur Apostolus, qui totus est in deprimendo veteri tabernaculo & sacerdotio, hîc illud à duratione commendat?

Quarta, tabernaculum figurâ mundi, Sanctum sanctorũ typus cæli empyrei gerebat.

Quartò, melius & aptius Theodoret. Ambros. Oecumen. dicunt *sanctum* esse tabernaculum, dicique *mundanum*, quia figuram mundi gerebat. *Sanctum* enim typus erat terræ, & vitæ quæ agitur in terra: *Sanctum sanctorum* erat typus cæli empyrei,

empyrei, & vitæ ac gloriæ Beatorum: *velum* diuidens Sanctum à Sancto sanctorum typus erat firmamenti diuidentis aquas superas ab inferis, & cælos ab elementis: *candelabrum septiceps* typus erat septem planetarum: *purpura, coccus, byssus & hyacinthus*, ex quibus factæ erant cortinæ tabernaculi, significabant quatuor elementa. Simili phrasi Sapiens vestem pontificis vocat mundanam, Sapientiæ 18.24. cùm ait, *In veste poderis, quam habebat* (pontifex) *totus erat orbis terrarum*, quia scilicet sua veste repræsentabat totum mundum, pro quo Deum interpellabat. Hæc bona est, sed non plena, planeque liberalis expositio.

Quinta.

Quintò, Franc. Ribera, *sanctum sæculare* putat esse idem, quod paulò pòst Apostolus vocat *tabernaculum primum*, id est, pars tabernaculi anterior, quæ dicebatur *Sanctum*, cum atrio in quo erat altare holocaustorum, & labrum æneum, in quibus fiebant sacrificia & lustrationes. Hinc dici *sæculare*, quia repræsentabat vitam huius sæculi, seu cultum, quem Deo Sancti exhibebant in hoc sæculo, antequam per Christum ingredi possent Sanctum sanctorum, id est cælum: nam Sanctum erat typus legis veteris: hæc enim in Sancto quotidie sua sacrificia offerebat. & Sanctum sanctorum typus erat cæli, quod nondum erat apertum, sed velo obductum, dum lex vetus stabat. Vnde in Sanctum sanctorum non nisi semel in anno intrabat pontifex, isq; solus: atque ita Sanctum temporis & sæculi, Sanctum sanctorum æternitatis figuram gerebat. sic enim videtur se explicare Apostolus v. 8. Hæc quoque apta, sed partialis tantùm & symbolica est expositio, vti mox patebit.

Sanctum sæculi, Sanctum sanctorum æternitatis erat typus.

Sexta & genuina: Sanctum sæculare est totum vetus tabernaculum temporaneum & caducum.

Dico ergo, Sextò, optimè & maximè genuinè per *sanctum* hoc *sæculare* accipias totum vetus tabernaculum siue sanctuarium, quod dicitur *sæculare*, id est temporaneum, caducum & euanidum. Dicitur etiam *mundanum*, id est terrenum, & ex auro, argento, bysso, aliisq; rebus terrenis factum, ait Anselmus, habensque terrenas & typicas cæremonias, hostias & cultus. Probatur hæc expositio Primò, quia sic se explicat Apostolus v. seq. & deinceps. Secundò, quia c. præced. v. 5. & hîc v. 10. 11. 23. 25. *Sanctum* hoc *sæculare* siue mundanum vocat *manufactum*, ad hostias carnis offerendas. Rursum vocat illud *exemplar* (id est typum & figuram) *cælestium*: opponit namque hoc Sanctum sæculare & mundanum sanctuario siue tabernaculo cælesti, id est, Ecclesiæ Christi, quæ è cælo descendit, & cælesti doctrina, vita & Sacramentis nos in cælum ducit. q.d. In Sancto, id est sanctuario & tabernaculo veteri, omnia erant mundana, terrena, typica, vmbratica, temporanea & euanida: in Christi verò Ecclesia omnia sunt cælestia, vera, solida & æterna. Vnde partes huius Sancti siue sanctuarij sæcularis explicans Apostolus mox subdit, *Tabernaculum enim factum est primum*, &c. q.d. Hoc Sanctum sæculare duas habuit partes, scilicet Sanctum & Sanctum sanctorum, vti mox explicabo.

Christi Ecclesia solida, æterna, cælestis.

VERS. 2. TABERNACVLVM ENIM FACTVM EST PRIMVM] Hîc explicat *sanctum sæculare*, eiusque partes. *Tabernaculum primum* vocat primam partem tabernaculi, quæ hebraicè dicta est חֵיכָל *hechal*, vel קֹדֶשׁ *codes*, id est *sanctum* vel *sanctitas*. Continebat enim candelabrum aureum, mensam panum propositionis, & altare thymiamatis. Indeque locus hic sacer erat & venerandus, diciturque *sanctitas*, id est, res sancta, siue sanctum sanctuarium. Secunda verò siue posterior pars tabernaculi dicta est, *Sancta sanctorum*, de quav. seq.

Primi tabernaculi descriptio.

Nota. Tabernaculum, vt inquit Iosephus lib. 3. Antiq. c. 4. erat quasi templum mobile seu portatile Hebræorum peregrinantium per desertum, & tendentium in Chanaan, eratque quasi domus Dei, in qua Hebræi Deum colebant, & vicissim à Deo inter eos quasi habitante regebantur & protegebantur; adeoque per hoc suum tabernaculum significat Deus se Hebræorum esse vmbraculum & protectorem. Vnde Dauid de templo, quod tabernaculo successit, loquens psal. 26. v. 5. *Vt visitem*, inquit, *templum eius, quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.*

Tabernaculo significabat Deus se Hebræorum esse vmbraculum.

Nota. Symbolicè tabernaculum repræsentabat totum mundum, qui est quasi domus & palatium Dei, vt significaretur pontificem esse ministrum Dei creatoris, qui creatorem in tabernaculo hoc suo pro omni creatura, totoque mundo oret & interpellet. Vnde tabernaculum ex bysso, purpura, hyacintho & cocco quasi ex quatuor elementis contextum & constructum erat. Byssus enim significat terrã, quia ex terra gignitur. Hyacinthus aërem, quia aërei est coloris. Purpura mare, quia sanguine conchylij, siue piscis marini, qui purpura dicitur, pannus purpureus tingitur & purpuratur. Coccus, quia igni est coloris, repræsentat ignem & æthereum. Ita ex Philone, Iosepho & aliis, S. Hieronymus ad Fabiolam, de vestibus sacerd.

Materia & ornatus tabernaculi. Byssus significat terram, hyacinthus aërem, purpura mare, coccus ignem.

Nota Tertiò. Tabernaculum hoc & templum allegoricè significabat corpus Christi, vt patet Iohannis 2. 19. *Soluite*, inquit, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* quod explicans v. 21. ait, *Ille autem* (Christus) *dicebat de templo corporis sui.* Vnde Cyrillus lib. 4. in Iohan. c. 28. tam tabernaculum, quàm omnia vasa tabernaculi pulchrè Christo adaptat. *Christus*, inquit, *licet vnus sit, multifariam tamen à nobis intelligitur. Ipse est tabernaculum propter carnis tegumentum: ipse est arca habens legem Dei reconditam, quia est Verbum Patris: ipse est mensa, quia noster cibus est & vita: ipse est candelabrum, quia est lux spiritualis: ipse est altare incensi, quia est odor suauitatis in sanctificatione: ipse est altare holocausti, quia est hostia pro totius mundi vita in cruce oblata.* & quæ sequuntur.

Allegoricè tabernaculum significat corpus Christi.

Rursum tabernaculum allegoricè significabat Ecclesiam, quæ corpus Christi est mysticum. idque aptissimè: nam pars prima siue anterior quæ dicebatur Sanctum, significabat Ecclesiam militantem, quæ est tabernaculum, & domus Dei 1. Timoth. 3. 15. hæc per velum, id est, per fidem & obscurè Deum in terris contemplatur, in hac Aaron id est summus pontifex, est Christus. ex hâc itur in partem secundam tabernaculi, quæ dicitur Sancta sanctorum, id est, in cælum, quod est gloriæ Dei & Beatorum domus æterna.

Tabernaculi significat Ecclesiam militantem & triumphantem.

Quartò, tropologicè tabernaculum significabat animam, quæ per pœnitentiam, charitatem, aliasque virtutes fit tabernaculum & templum Dei, vt dixi 1. Corinth. 3. 16.

Tabernaculi sensus tropologicus.

IN QVO (tabernaculo primo, id est Sancto) ERANT CANDELABRA, ET MENSA, ET PROPOSITIO PANVM QVÆ DICITVR SANCTA] q.d. In Sancto ad dextrum latus erat candelabrum, ad sinistrum mensa panum propositionis, in medio altare thymiamatis.

Dices, In tabernaculo vnum tantùm erat candelabrum, quomodo ergo Apostolus in eo ponit hîc plura candelabra? A

Candelabrum septiceps in tabernaculo Mosi, in tẽplo Salomonis erant decem candelabra.

Respondent Primasius & Haymo, Apostolum loqui non de tabernaculo Mosis, sed de templo Salomonis, in quo plura, decem scilicet, erant candelabra. Verùm Apostolum loqui de tabernaculo, patet ex ipsis eius verbis tam hoc cap. quàm præcedentib. quibus semper tabernaculum, numquam templũ nominauit. Comparat enim Christum non cum Salomone & Sadoc, sed cum Mose & Aarone. Dico ergo, vnum quidem fuisse candelabrum in tabernaculo, dici tamen candelabra, quia septiceps erat: nam compositum erat ex septem ramis & lucernis, quæ hîc vocantur candelabra. Vnde in Græco est ἡ λυχνία; quo nomine candelabrum hoc Mosaicum vocant LXX. Exodi 25.31. sic & Syrus habet מְנָרְתָא *menareta*, id est candelabrum in singulari. B

Candelabrum septiceps sunt septem planetæ.

Nota. Candelabrum hoc erat ad meridionale, siue dextrum latus tabernaculi, quia solem meridianum quasi mundi lucem & oculum repræsentabat, aut potiùs, vt docet Philo l. 3. de Vita Mosis, & Iosephus l. 3. Antiq. c. 8. candelabrum, vtpote septifidum, imago erat cælestis sphæræ septilustris, siue septem planetarum, inter quos medius sol, cæteris fulgidior resplendet.

Christus est candelabrũ

Tropologicè, candelabrũ significat Christum, aut potiùs Christi Ecclesiam, quatenus lux est doctrixque veritatis, id est, vt propriè loquar, significabat ipsam fidem & doctrinam Ecclesiæ. Sic enim exponitur à S. Iohanne Apocal. 1. v. vlt. *Candelabra septem*, inquit, *septem Ecclesiæ sunt*, quatenus scilicet sua fide & doctrina toti Asiæ præ lucent.

ET MENSA ET PROPOSITIO PANVM] Id est, panes propositi in mensa, siue mensa panum propositorum. Est hendyadis, & hebraismus, quo abstractum ponitur pro concreto. C

Nota. Panes propositionis vocantur panes qui singulis sabbatis recentes proponebantur, siue ponebantur in mensa ante Dominum, id est, coram arca Domini, in qua præsentem se Deus exhibebat. Vnde hebraicè vocantur לַחְמֵי פָנִים

Propositionis panes vocabantur hebraicè panes faciei, & quare.

lachme panim, id est, panes faciei, LXX. vertunt, ἄρτοις ἐνωπίοις, id est, panes faciales, quia ante faciem Dei proponebãtur. Secundò, panes hi erant duodecim, iuxta duodecim tribus Israel, vt quæque quasi suum panem daret Deo. qua cæremonia testabantur duodecim tribus, se à Deo continuò ali, segetesque & fruges, ex quibus panes conficerent, accipere; & hac gratitudine oblationis Hebræorum Deus vicissim eorum se meminisse, eosque quasi memoriale semper ante se habere, frugesque ac panes eis semper se largiturum significabat. D

In panibus propositionis thus & sal.

Hinc Tertiò, thus hisce panibus imponebant, vt dicitur Leuit. 24. 7. quo significabant se omnia bona & fruges Deo debere, omniaq; in ipsum referre, ipsiq; reddere. Thus enim significabat panes hos esse Dei, Deoq; oblatos & consecratos. Addit Chaldæus & LXX. Exodi 25. 30. & Philo lib. 3. de Vita Mosis, Hebræos hisce panibus imposuisse salem. Sal enim in mensa omnes cibos condit & sapidiores facit, estq; quasi panis opsonium, si aliud non adsit. Nam Leuit. 2. 13. ita præcipitur, *In omni oblatione tua offeres sal.* Erat enim hæc mensa Dei, in qua Deus quasi conuiuabatur cum Hebræis.

Sensus allegoricus & tropologicus mensæ propositionis.

Allegoricè, mensa panum propositionis significabat mensam corporis & sanguinis Christi, vt docet Cyrill. catechesi 4. mystag. & Hier. in 1. Malachiæ, & Damasc. l. 4. de Fide c. 14.

Tropologicè verò mensa hæc panum repræsentat opera misericordiæ, inquit Beda, quibus ad Sanctum sanctorum, id est ad cælum, accedimus. Vnde hi panes sunt coram Domino, & thus eis imponitur, vt significetur hæc opera fieri debere, non nominis aut gloriæ vanæ aucupatione, sed solius Dei intuitu, eo scilicet fine, vt Deo soli placeamus, eique hoc eleemosynæ & charitatis sacrificium offeramus.

QVÆ DICITVR SANCTA] Græcè, ἥτις λέγεται ἅγια. Vbi ἥτις, id est *quæ*, refert non mensam nec propositionem panum, sed σκηνὴν, id est tabernaculum. q. d. Quod, scilicet tabernaculũ primum, dicitur Sanctum, &, vt Syrus vertit, ædes sancta, sicut tabernaculum secundum, siue secunda tabernaculi pars, vocatur Sancta sanctorum. Vbi Nota, hîc esse græcismum & hebraismum; græcizat enim noster Interpres, dum imitatur genus femininum, quod erat in Græco, dicens, *quæ*, non *quod*: quia Græcum σκηνὴ, id est tabernaculum, est femininum, sicut & eius relatiuum ἥτις, id est *quæ*. Sic græcizat noster Interpres Apocal. 11. 4. cùm sic vertit: *Hi* (duo testes, scilicet Elias & Enoch) *sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, id est stantia: græcè enim est λυχνίαι ἑστῶσαι. q. d. Lucernæ stantes. Sic & græcizat psal. 74. 9. & alibi. Hebraismus est, dum sanctum vocat *sancta* in plurali numero: Hebræi enim plurali vtuntur ad auxesin. *Sancta* ergo, id est eminenter & insigniter sanctum. Nam τὸ *sancta*, hîc esse plurale patet ex Græco. Græcè enim non est ἁγίαι cum accentu in penultima, id est, sancta in singulari numero, sed ἅγια cum accentu in antepenultima, id est, sancta pluraliter. Hisce enim opponit ἅγια ἁγίων, id est, Sancta sanctorum, q. d. loca sanctissima. ita Chrysost. & Theodor. E

POST VELAMENTVM AVTEM SECVNDVM, TABERNACVLVM, QVOD DICITVR SANCTA SANCTORVM] Nota, τὸ *secundùm* non referri ad *tabernaculum*, sed ad *velamentum*. Græcũ enim δεύτερον, vtpote neutrum, respicit καταπέτασμα, id est velum, non autem femininũ σκηνὴν, id est tabernaculum. VERS. 3.

Vnde Nota Secundò. In tabernaculo duplex erat velum: primum ante fores Sancti, secundum ante fores Sancti sanctorum, separans Sanctum à Sancto sanctorum. Vtrumque velum contextum erat opere plumario ex hyacintho, purpura, byisso retorta, & cocco bis tincto, Exodi 26. v. 31. & 36.

In tabernaculo erat duplex velum.

Nota Tertiò. Secunda tabernaculi pars dicebatur *Sancta sanctorum*, hebraicè קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים *codes haccadasim*, id est, sanctitas sanctitatum, id est sanctissimum. Sic hebraicè dicitur canticum canticorum, id est pulcherrimum canticum, vanitas vanitatum, id est maxima & merissima vanitas, virgo virginum, id est virgo præstantissima & purissima. Secunda enim siue interior tabernaculi pars erat quasi chorus templi continens arcam, propitiatorium, & Cherubim, quasi thronum Dei, ex quo Deus dabat responsa & oracula: hac de causa dicitur sanctitas sanctitatum, vel Sancta sanctorum, vel Sanctum sanctorum, id est sanctissimum, vel sacerrimum templum, aut tabernaculum.

Describitur secunda & interior tabernaculi pars.

AVREVM

VERS. 4. AVREVM HABENS THVRIBVLVM] Quæres, quodnam sit hoc thuribulum Sancti sanctorum? Lyran. S. Thomas, Anselm. Galenus hîc, Viegas in Apocal. 8. pag. 385. & Villalpando in fabrica templi, proprie dictum thuribulum accipiunt. Verùm ex cap. 25. Exodi, & Leuit. 16. ac 3. Reg. 6. quibus locis exactè describitur tota fabrica templi & tabernaculi, patet in Sancto sanctorum, siue templi, siue tabernaculi, nullum fuisse thuribulum, sed tantùm arcam, propitiatorium, & Cherubim. Respondent aliqui, thuribulum hoc fuisse illud, cum quo pontifex suffumigans ingrediebatur Sanctum sanctorum semel in anno, in die expiationis, Leuit. 16. Licet enim hoc thuribulum acciperet pontifex extra Sanctum sanctorum, tamen ingrediens Sanctum sanctorum, videtur illud ibi reliquisse toto anno; & post annum cùm rursum in die expiationis ingrederetur cum alio thuribulo Sanctum sanctorum, videtur prius thuribulum inde extulisse, & posterius, cum quo intrabat, ibi rursum reliquisse. Verùm hoc videtur gratis & sine fundamento dici: nihil enim tale habet Scriptura, imò satis significat pontificem, sicut ingrediebatur cum thuribulo sanctum Sanctorum, ita cum eodem egressum fuisse. Tantùm enim hac de causa iubebatur pontifex cum thuribulo & suffitu ingredi Sanctum sanctorum, vt nimirum vapor huius suffitus operiret arcam, & propitiatorium, quod erat quasi thronus Dei, ne à pontifice conspici posset Deus, id est, angelus vice Dei per corpus assumptum in hoc throno considens, & reddens oracula. Hanc enim sui reuerentiam à pontifice sub pœna mortis exigebat Deus, vt patet Leuit. 16. v. 13. Ad hoc autem non erat necesse pontificem cùm Sancto sanctorum egrediebatur, in eo per totum annum relinquere suum thuribulum. Adde, indecens & sordidum fuisset, relinquere in sanctissima parte templi coram Deo per totum annum thuribulum euaporatum, cum cinere & sordibus.

In tabernaculo Sancti sanctorum nullum fuit thuribulū.

Pontifex ingrediebatur, & egrediebatur Sanctum sanctorum cum eodem thuribulo.

Angelus ex propitiatorio reddebat oracula.

Dico ergo cum Origene hom. 9. in Exod. Abulens. in 25. Exodi, Ribera, & aliis, thuribulum hoc esse altare thymiamatis. Nam hoc altare erat quasi magnum quoddam thuribulum: erat enim concauum, solumque ignem continebat, quo aromata incenderentur & adolerentur Domino, perinde vt fit in thuribulo. Probatur hæc sententia Primò, quia S. Paulus hîc non meminit altaris thymiamatis, cùm tamen meminerit mensæ, & candelabri, inter quæ positum erat hoc altare, ergo illud intellexit per hoc thuribulum. Quorsum enim vnum hoc altare tam præstans præteriret, cùm cætera omnia vasa tam Sancti quàm Sancti sanctorum hîc exprimat?

Thuribulū hoc est altare thymiamatis.

Secundò, pro thuribulo græcè est θυμιατήριον, id est suffumigatorium, siue altare hoc sit, siue thuribulum, vnde altare hoc thymiamatis à Iosepho lib. 3. Antiq. c. 7. vocatur θυμιατήριον, id est, ara suffumigatoria. Dices, Si Sanctum sanctorum habuit hoc altare thymiamatis, ergo hoc altare fuit non in Sancto, sed in Sancto sanctorum. Admittunt sequelam, itaque sentiunt Oecumen. & S. August q. 133. in Exodum. Verùm contrarium, scilicet altare hoc fuisse in Sancto, non autem in Sancto sanctorum, patet Exodi 40. 24. vt ibidem demonstraui.

Altare thymiamatis fuit in Sancto.

Respondeo ergo, negando consequentiam. varij enim sunt modi habendi. Sicut enim caput dicitur habere collum, domus habere atrium, ciuitas habere fossas, templum habere cœmeterium, non in se, sed ante se: ita & Sanctum sanctorum habuit hoc altare, non in se, sed ante se. Erat enim hoc altare proximum, planeque obuersum Sancto sanctorum, ita vt ex hoc altari fumus per spatium vacuum supernè ad hoc relictum penetraret & ingrederetur ipsum Sanctum sanctorum. Cùm enim Hebræi Deum in Sancto sanctorum quasi residentem ibidem vel maximè colere & honorare deberent, nec tamen id possent facere in ipso Sancto sanctorum: vtpote cùm illud præ reuerentia non nisi pontifex, idque semel in anno ingredi posset; hac de causa sanxit Deus, iussitque fieri hoc altare thymiamatis extra Sanctum sanctorum, in Sancto, quod planè obuerteretur Sancto sanctorum, vt in eo quotidie adolentes thymiama, illius suffitu Deum in Sancto sanctorum residentem assiduè honorarent & venerarentur. Indeque altare hoc dictum est oraculi vel Sancti sanctorum, quia videlicet obuersum erat oraculo, eiusque vsus non erat alius, quàm Deo in oraculo residenti thus adolere. Subtiliter ergo hîc Paulus dicit, Sanctum sanctorum habuisse hoc altare thymiamatis, ob rationem & sensum iam dictum.

Altare thymiamatis vnde dictū altare oraculi.

Denique Nota, hoc altare fuisse compactum ex lignis setim, quæ imputribilia & incorruptibilia sunt, dici tamen aureum, quia auro vndique erat vestitum & obtectum.

ET ARCAM TESTAMENTI] Dicitur *arca testamenti*, siue fœderis, quia continebat tabulas legis, quæ erat conditio fœderis inter Deum & Hebræos: hinc dicitur quoque *arca testimonij*, id est legis, quæ testis est voluntatis diuinæ, siue quid Deus velit à nobis fieri.

IN QVA VRNA AVREA HABENS MANNA, ET VIRGA AARON QVÆ FRONDVERAT, ET TABVLÆ TESTAMENTI] *Testamenti*, id est legis. Lex enim metonymicè dicitur testamentum, quia, vti iam dixi, conditio erat testamenti, id est, fœderis inter Deum & populum initi.

Dices, 3. Reg. 8. v. 9. dicitur, quòd in arca tantùm fuerint tabulæ duæ lapideæ Mosis: quomodo ergo hîc S. Paulus ait, præter tabulas in arca fuisse quoque virgam Aaron, & vrnam cum manna? Ob hanc antilogiam nonnullis, vti initio epistolæ dixi, fides & auctoritas huius epistolæ suspecta fuit.

Quomodo Paulus dicat fuisse in arca aliquid præter duas tabulas lapideas contra 3. Reg. c. 8.

Respondent Primò, Chrysost. & Theoph. tempore Mosis in arca solas fuisse tabulas legis, sed postea à Ieremia vrnam quoque cum manna, & virgam Aaron in arca fuisse repositas: vt scilicet in ea melius seruarentur, idque Paulum traditione accepisse à Gamaliele. Verùm Paulus hîc loquitur non de tempore Ieremiæ, sed Mosis, eiusq; tabernaculo; asseritque hæc omnia tempore tabernaculi Mosis in arca fuisse.

Prima responsio Chrysost. & Theophyl.

Secundò, respondet Catharinus, tempore Mosis hæc omnia fuisse in arca, sed tempore Salomonis solas tabulas lapideas. Sed & hoc confictum videtur: imò Scriptura sacra innuit, & clarè significat Iosephus lib. 3. c. 6. & Philo lib. 3. de Vita Mosis, tempore Mosis solas tabulas legis fuisse in arca.

Secunda responsio Catharini.

Tertiò, Ribera sic explicat, *in qua*, scilicet non arca, sed σκηνῇ, id est tabernaculo: vt sit græcismus similis illi, de quo dixi v. 2. numerat enim hîc

Tertia responsio Ribera.

Aposto-

Apostolus omnia vasa, quæ erant in Sancto sanctorum, sicut v. 2. numerat omnia, quæ erant in Sancto. Sed obstat id quod sequitur, *Superq; eam erant Cherubim*: vbi pronomen *eam*, planè videtur referre arcam. Super arcam enim erant Cherubim, ac consequenter pronomen *qua*, hîc eamdem arcam referre censeri debet. q.d. In arca erant tabulæ, vrna & virga, sed super arcam erant Cherubim.

Vera responsio.

Dico ergo præpositionem *in*, hîc more Hebræo amplè sumi, & complecti tam ea quæ propriè in arca erant, vti erant tabulæ legis, quàm ea quæ iuxta arcam erant, vti erant vrna & virga. sicut enim sunt varij modi habendi, vt dixi suprà, ita sunt & inexistendi: sic dicunt Hebræi, nos habere calceamenta in pedibus, id est iuxta vel circa pedes. Sic Christus dicitur passus in Ierusalem, cùm iuxta eam sit passus. Sic vulgò dicimus Romæ, Antuerpiæ, Venetiis contigisse, quod iuxta illas vrbes contigit. Idem ergo hîc de vrna & virga vult dicere Paulus, quod de libro Deuteronomij dicit Moses Deuteron. 31. v. 16. *Tollite*, inquit, *librum istum & ponite eum in latere arcæ fœderis*. Sicut ergo liber Deuteronomij positus fuit non in arca, sed in latere arcæ, ita quoque ibidem posita sunt vrna & virga, rectèque dici potest hæc omnia fuisse posita in arca, id est, in latere arcæ. Vnde verisimile est hæc omnia non in pauimento (hoc enim indecens fuisset) sed in tabula, vel capsa aliqua arcæ adiuncta fuisse reposita, vti censent Lyran. Caietan. Canus lib. 2. de Locis c. 11. Bellarm. tom. 1. libr. 1. c. 17. Dicit ergo Paulus hæc omnia (putà vrnam, virgam, & tabulas legis) fuisse in arca, id est, humi fuisse reposita in arca, vel iuxta arcam, cùm supra arcam in aëre eminerent Cherubim. Et hoc est quod iusserat Dominus Mosi, & Moses Aaroni, de manna dicens Exodi 16. 33. *Repone illud coram Domino.* non dicit, In arca, sed *coram Domino*, id est, coram arca & propitiatorio, in quo quasi throno suo residet Dominus.

VERS. 5. SVPERQVE EAM (arcam) ERANT CHERVBIM GLORIÆ OBVMBRANTIA PROPITIATORIVM] Nota. Vocantur *Cherubim gloriæ*, id est, glorioſi & augusti. erant enim Cherubim effigies aureæ, specie alati & imberbis iuuenis; vt scilicet hac specie repræsentarent vigorem, viuacitatem & æternitatem angelorum, qui sunt quasi principes semper stipantes & adstantes Deo: sicut eadem de causa Imperatores olim pingebantur imberbes, quasi dij quidam terrestres, qui numquam senescerent. Hinc dicuntur *Cherubim* non à Chaldæo *rub*, vel *rabio*, id est puer, quasi Cherub idem sit quod כְּרוּב *kerub*, id est, tamquam puer, vt vult R. Kimchi. Constat enim *Cherubim* non Chaldæum, sed Hebræum esse nomen. Sed dicuntur *Cherubim* à multitudine roboris, gloriæ, scientiæ & sapientiæ, vti docet S. Dionys. cap. 7. Cæleſt. hierarch. & ex eo S. Hieron. & passim alij, à radice נָכַר *nachar* & רַב *rab*, id est sciuit, vel cognouit multum: vel potiùs & simpliciùs à כְּרַב *ke* & *rab*, id est, sicut rabbi, sapiens, potens, honoratus & glorioſus. רַב *rab* enim siue *rabbi* significat virum magnum, qui pollet opibus, viribus, scientia & gloria. Vnde de rege Tyri dicitur Ezech. 28. 16. *Tu Cherub extentus.* q.d. Tu, ô rex Tyri, qui es rab glorioſus, vt Cherubim, quique alis potentiæ & ditionis tuæ extentis plurimos populos subditos protegis, sicuti Cherubim protegunt arcam & propitiatorium. Alludit quoque nomen Cherub per metathesin, ad radicem רַבַּב *rabbir*, id est multiplex, scilicet scientia, robore, forma & figura. Habebant enim Cherubim quatuor facies, vt dixi Ezechiel. 1.

Cherubim pinguntur imberbes, vt perpetua iuuentus significetur & æternitas.

Derivatio nominis Cherubim Hebraicæ.

OBVMBRANTIA PROPITIATORIVM] *Obumbrantia*, id est obumbrantes. Cherubim enim hebraicè est masculinum: Apostolus tamen ait in neutro *obumbrantia*; quia intelligit ipsa simulachra, vel effigies angelorum. Addunt alij Græcos omnia Hebræa quasi barbara, licèt masculina sint, vsurpare tamen in neutro genere. Sic Isaiæ 6. v. 6. vnus Seraphim à Septuag. vocatur ἓν τῶν σεραφεὶμ, ἕν, id est ἓς. Sic in Canone Missæ vocantur *beata Seraphim, beata*, id est beati. Verùm valdè verisimile est *Cherubim* & *Seraphim*, vsurpari genere neutro, quasi animalia quædam, vt ait Iosephus, quia Cherubim habebant speciem quatuor animalium, scilicet alas aquilæ, iubas leonis, vngulam vituli, & cætera membra hominis, vt dixi Ezech. 1. quibus præter alia quæ attuli Exodi 25. & Ezech. 1. significabatur angelos carere sexu, non esse feminas, aut masculos, sed neutros, eorumque speciem & naturam nobis esse incognitam.

Cherubim & Seraphim neutri generis, carent sexu.

Nota Primò. Arca testamenti erat instar paruæ ciſtæ quadratæ, factaque erat ex lignis Setim, auro obtectis: propitiatorium verò erat ipsum arcæ operculum, alte super arcam eleuatum, factum non ex lignis setim, sed ex solido auro. dictum est propitiatorium, ex eo quòd Deus exoratus inibi se placatum & propitium exhibebat. Nam ex propitiatorio vocaliter angelus gerens personam Dei, Mosi & populo percunctanti respondebat, dabatq; oracula. Vnde & propitiatorium ipsum oraculum est nuncupatum. Hoc propitiatorium duo Cherubim ex ipso prodeuntes suis alis quasi manibus super arcam sustentabant, ita altè, vt operculum hoc siue propitiatorium esset quasi sedes Dei, & arca esset scabellum pedum eius. Vnde psalm. 98. dicitur, *Adorate scabellum pedum eius*, id est, adorate arcam, procidite coram arca, & consequenter coram Deo, eo scilicet modo, quo Christiani procidunt ante imagines, in iisque Deum & Sanctos, quos imagines repræsentant, colunt & venerantur. Rursum Cherubini hi alis expansis obumbrabant, id est velabant, propitiatorium, itaque speciem quamdam currus exhibebant. Id clariùs apparet in simili specie ostensa Ezechielis c. 1. qua vidit currum gloriæ Dei, quem stipabant & agebant quatuor Cherubini, quo id circo vocatur currus & quadriga Cherubim. Hinc nomen *cherub* per metathesin, alludit ad Hebræum רוֹכֵב *rocheb*, id est equitans, hoc est, princeps, moderator & gubernator. Hi enim olim equis vehebantur; & sicut equum habenis regimus, sic hi populum suum legibus gubernant. tales sunt angeli, vtpote rectores mundi. Rursum *Cherub* alludit ad Hebræum רֶכֶב *rocheb*, id est currus: princeps enim quasi currus reipublicæ onera portat. Sic Elias dicitur *currus Israel & auriga eius*, 4. Reg. 2. 12.

Describitur arca testamenti, & propitiatorium.

Cherub est equitis auriga, princeps curru.

Hinc Nota Secundò. Alludit hîc Paulus ad currum hunc Cherubim, & gloriæ Dei, ostensum Ezechieli c. 1. Angeli enim sunt quasi currus regalis, bellicus, glorioſus & triumphalis, quo vehitur Deus, quoque regit, imperat, sustinet & mode-

VERS.

Deus subinde dicitur equitare, & subinde sedere. Et quare.

moderatur totum mundum. Hac de causa tempore Mosis, quo Deus habitauit in tabernaculo, quasi proficiscens & armata manu ducens populum suum per medios hostes in Chanaan, dicebatur Deus vehi & equitare super Cherubim; postquam verò Deus populum collocauit in Chanaan, cum eoque pacificè habitauit in templo, dictus est Deus sedere super Cherubim, quia, vti iam dixi, Cherubim sustinentes propitiatorium, quasi sedem Dei, speciem quamdam throni curulis exhibebant.

Vnde Nota Tertiò. Hac phrasi, qua Deus dicitur vehi & sedere super Cherubim, significatur Primò, Deum sapientissimos spiritus angelicos longè scientia transcendere, eosque quasi pedibus suis premere. Solet enim Scriptura Dei potentiam & sapientiam maximè commendare, ex eo, quòd sit Deus exercituum, putà angelicorum, quòd ei millia millium ministrent, quòd faciat angelos suos spiritus, &c. Rursum duo Cherubim in Sancto sanctorum, qui versis ad se mutuo vultibus inuicem semper respiciebant, significabant Deum beatis tam angelis quàm hominibus summa inter se charitate flagrantibus (quod binario, & faciebus ad se inuicem versis significatur) videndum se exhibere, hacque gloriosa sui visione eos beare.

Mensæ, candelabri, altaris, brevis & pulchra tropologia, allegoria, anagogia.

Denique vt horum omnium breuem allegoriam, tropologiam & anagogiam assignem; Sanctum allegoricè est ipsa Ecclesia Christi in terris militans. In Sancto sunt hæc tria. Primò, candelabrum, id est, fides & doctrina Christiana. Secundò, mensa panum, id est, spes & exhibitio alimoniæ Eucharistiæ, gratiæ & beatitudinis. Tertiò, altare thymiamatis, id est, ardor charitatis. Rursum per hæc tria accipi possunt tria bona opera. Nam altare est oratio, mensa est eleëmosyna, candelabrum est ieiunium, quod mentem purificat & illuminat. Denique nonnulli satis aptè hæc tria votis religiosis accommodant, vt altare sit obedientia, mensa sit paupertas, quæ Deo se & sua quasi in mensa offert, ac vicissim à Deo, non hominis, sed Dei ipsius quasi mensa, cura & sumptu alitur: candelabrum sit castitas, de qua dicitur, *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* Anagogicè, Sanctum sanctorum est cælum, in quo est arca testamenti, id est, Ecclesia Beatorum, & propitiatorium aureum, id est, humanitas Christi gloriosa, denique Cherubim, id est, angeli sancti: his Deus gloriosus & SS. Trinitas, quæ nobis hîc inuisibilis est, eminet & insidet, atque beatis omnibus tam angelis quàm hominibus in cælo clarè videndam se exhibet, itaque, vt dixi, eos beat. ita Vener. Beda in cap. 25. Exodi, & alij.

VERS. 6. HIS VERO ITA COMPOSITIS (id est, his ita paratis, fabricatis & ordinatis. hoc enim est Græcum κατεσκευασμένων) IN PRIORI QVIDEM TABERNACVLO SEMPER (id est quotidie) INTROIBANT SACERDOTES SACRIFICIORVM OFFICIA CONSVMMANTES.

Dices, Sacrificia immolabantur extra & ante tabernaculum in atrio sub dio, vt fumus & nidor victimarum combustarum in aërem spargeretur; alioquin enim fuisset fœtor intolerabilis, si omnes hæ victimæ crematæ fuissent in Sancto, siue in tabernaculo vndique concluso: quomodo ergo Paulus hîc dicit sacrificia hæc peracta esse in ipso tabernaculo? Respondet Ribera, Paulum per tabernaculum accipere quoque atrium vicinum, in quo erat altare holocaustorum. Verùm quia nec atrij, nec altaris holocaustorum meminit Paulus, sed tantùm Sancti & Sancti sanctorum, commodiùs responderi potest, pro *sacrificiorum officia*, græcè esse λατρείας, id est cæremonias, culturas & ritus sacros: vnde Syrus vertit תשמישתהון *teſmeſlehun*, id est, ministerium suum. Iam constat cæremonias & ritus sacros in Sancto peragi solitos, eosque triplices iuxta tria Sancti vasa & instrumenta. Primò enim quotidie candelabrum adornare debebant sacerdotes, lucernas eius accendendo extingnendo, purgando & componendo. Secundò, singulis sabbatis in mensa nouos panes propositionis apponere debebant. Tertiò, in altari thymiamatis tam manè, quàm vesperè post peractum iuge sacrificium adolebant thymiama, quę incensio & oblatio thymiamatis propriè vocatur & est sacrificium, æquè ac mincha, siue sacrificiū panis aut farris, quod Deo adolebatur & crematur, Leuit. 2. Hanc ergo thymiamatis oblationem (quam propriè hîc respicit Paulus, hæc enim consummatio & conclusio erat omnium sacrificiorum totius diei) noster Interpres vocat hîc sacrificium, vel potiùs sacrificiorum consummationem. Sic Moses ait Numer 16. *Ne respicias sacrificia eorum*, id est, ne respicias thurificationem, quam suis thuribulis offerunt & adolent Core, Dathan & Abiron. Adde, licet victimæ sacrificiorum immolarentur extra Sanctum in atrio, tamen victimarum immolatarum sanguis subinde inferebatur in Sanctum, vt fiebat in victima vituli pro peccato populi immolati, de quo sic habet Leuiticus c. 4. 16. *Immolatoq; vitulo in conspectu Domini, inferet sacerdos qui vnctus est, de sanguine eius in tabernaculum testimonij, tincto digito aspergens septies contra velum* (Sancti sanctorum, in quo residet Deus, vt significetur Domino hunc sanguinem aspergi & offerri pro peccato) *ponetq; de eodem in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonij.*

Sacrificiorū officia vbi fuerint consummata, in tabernaculo, an in atrio.

Oblatio thymiamatis matutina, & vespertina.

VERS. 7. IN SECVNDO (tabernaculo scilicet, putà in Sancto sanctorum) AVTEM SEMEL IN ANNO SOLVS PONTIFEX (introit) NON SINE SANGVINE, QVEM OFFERT PRO SVA ET POPVLI IGNORANTIA] Nota. Sanctum sanctorum, quia typus erat throni Dei in cælis, ita Hebræis sanctum & venerandum erat, vt nemo in illud ingredi possit, nisi solus summus pontifex, idque non nisi cum multis cæremoniis, & semel tantùm in anno, scilicet in die expiationis, qua nimirum peccata totius populi toto anno commissa per sanguinem victimarum expiabat.

Magna veneratio Sancti sanctorum.

Nota Secundò. Ex eo quod dicit Paulus, *pro sua & populi ignorantia*, putat Oecumen in die expiationis, pontifice ingrediente Sancta sanctorum, solùm expiata & condonata fuisse peccata populi per ignorantiam admissa. Verùm hoc repugnat Leuit. 16. 30. *In hac die*, inquit, *expiatio erit vestri, atque mundabimini ab omnibus peccatis vestris.* Vnde & eodem die accipiebat pontifex hircum, illiusque capiti manus imponens imprecabatur ei peccata totius populi, ac deinde per certum hominem emittebat eum in desertum ibidem deuorandum à bestiis. Hinc hircus hic vel caper, Emissarius est appellatus. Melius ergo S. Tho. Anselm. & alij per *ignorantiam* intelligunt quoduis peccatum. Nam, vt ait Sapiens Prou. 14. *Errant qui operan-*

Per expiationem annuam pontificis omnia populi peccata condonabantur.

Omne peccatum est ignorantia.

operantur malum. & Aristot. l. 3. Ethic. *Omnis malus est ignorans*: semper enim ignorantia quædam non speculatiua, sed practica, id est inconsideratio vel imprudentia aliqua, coniuncta est cum peccato. Hinc sæpè Scriptura peccatũ vocat *ignorantiam*, vt psal. 24. 7. *Ignorantias meas ne memineris.* Sic Sapient. 5. 7. dicunt impij, *Viam autem Domini ignorauimus.* & in hac epist. c. 5. v. 2. de Christo ait Paulus, *Qui condolere posßit iis qui ignorant & errant.*

VERS. 8. HOC SIGNIFICANTE SPIRITV SANCTO, NONDVM PROPALATAM ESSE SANCTORVM VIAM, ADHVC PRIORE TABERNACVLO HABENTE STATVM] *Sanctorum viam*, vocat viam, aditum & ingressum in Sancta sanctorum. q.d. Non poterant Iudæi ingredi in Sancta sanctorum, nisi solus pontifex, idque semel in anno, in die scilicet expiationis; vt per hoc significaret Spiritus sanctus, nondum patefactam esse viam & aditum in cælum, quod repræsentabatur per Iudaica Sancta sanctorum, illamque patefaciendam esse per Christum. Primò ergo sicut *Sanctum sanctorũ* typus erat cæli, vitæque cælestis & beatæ, ita *Sanctum* typus erat vitæ præsentis per quam tendimus ad cælum. Secundò, sacerdotes Aaronici, qui arcebantur Sancto sanctorum, & tamen ministrabant in Sancto, significabant se suis sacrificiis non posse viam in Sanctum sanctorũ, id est in cælum, aperire, adeoque viam cæli non fore reserandam, quamdiu prius hoc tabernaculum, putà Sanctum, eiusque lex & cæremoniæ starent & durarent. Tertiò, pontifex semel cum sanguine ingrediens Sanctũ sanctorum, significabat Christum per proprium sanguinem ingressurum, & aperturum nobis cælum. Vnde Christo in cruce moriente, velum templi scissum est, Matth. 27. 51. qua re indicabatur cælum antea nobis velatum, clausum & imperuium, per mortem Christi pandi & aperiri. ita Chrysost. Theophyl. Anselm. Primas. & Oecum.

Sacrificia & sacerdotes Aaronis non poterãt quod Christi, nempe reserare cælum.

VERS. 9. QVÆ PARABOLA EST TEMPORIS INSTANTIS] Græcum ἥτις, id est *quæ*, Theoph. refert ad σκηνὴ, id est tabernaculum. q.d. Quod scilicet tabernaculum fuit parabola & typus temporis instantis. Sed siue vertas *quæ*, siue *quod*, eadem est apud Latinos tam syntaxis, quàm sententia & sensus. Pronomen enim *quæ* Latina syntaxi consentire potest cum voce sequenti *parabola*, etsi tabernaculum, quod præcessit, referat & respiciat.

Typus figura rerum, parabola verborum.

Secundò, per *parabolam* intelligit Apostolus hîc typum & exemplar; alioqui propriè parabola est verborum & sententiarum, typus verò & exemplar est rerum. Res ergo veteris tabernaculi, quæ typus erant rerum, non tam futurarum, quàm præsentium, sub lege Mosis, vocat hîc parabolam.

Tertiò, pro *est*, clariùs vertas, *erat*, vel *fuit*. Rursum per *tempus instans* nonnulli cum Glossa interlineali accipiunt tempus præsens gratiæ, Christi & christianismi. Verùm longè rectiùs cum Chrysost. & aliis accipias per *tempus instans*, tempus legis veteris, quod, dum fabricaretur à Mose tabernaculum, instabat & incipiebat, adeoque inchoatè præsens erat. Vnde Chrysost. & Syrus, per *tempus instans* intelligunt tempus præsens non Ecclesiæ & Christo, sed tabernaculo & Mosi. Sic 1. Corinth 7. 26. *instantem necessitatem* vocauit Apostolus præsentem necessitatem. q.d. Fabrica illa & dispositio veteris tabernaculi primi, id est Sancti, atque sacerdotum in illud ingressus, ministerium & occupatio, erant *parabola*, id est typus & repræsentatio, eorum, quæ toto tempore legis veteris, quod tum instabat & imminebat, adeoque incipiebat, futura erant: scilicet, significabat quòd toto tempore legis in Sancto sacerdotes Aaronici forent occupandi circa victimas bestiarum, thus, panes & lucernas, nec vmquam viam in Sanctum sanctorum, id est in cælum, essent patefacturi, illudúe ingressuri. Vnde idipsum explicans subdit Apostolus:

IVXTA QVAM MVNERA ET HOSTIÆ OFFERVNTVR, QVÆ NON POSSVNT IVXTA CONSCIENTIAM PERFECTVM FACERE SERVIENTEM] Pro *iuxta quam*, græcè est κατὰ ὅν, id est, iuxta quod, scilicet tempus instans legis veteris. Iam κατὰ ὅν, idem est, quod ἐν ᾧ, id est, *iuxta quod*, quod idem est quod, *in quo*, scilicet tempore legis veteris. Noster tamen interpres videtur legisse κατὰ λόγ, id est, *iuxta quam*, scilicet parabolam. q.d. Parabola hæc siue typus tabernaculi similis est, & quasi ex æquo respondet muneribus & hostiis, quæ in isto tabernaculo offerebantur. Nam sicuti ex priori tabernaculo non poterat iri ad secũdum, id est, ex Sancto non poterat aliquis laicus vel etiam sacerdos ingredi Sanctum sanctorum: ita hostiæ illius temporis non poterant conscientiam expiare, hominemq; in cælum deducere.

Hostiæ veteris testamenti non expiabant conscientiam.

Nota, *iuxta conscientiam*, id est, in conscientia. q.d. Hostiæ legales corpus purgare poterant, animam verò & conscientiam expiare & sanctificare non poterant. Secundò, pro *seruientem*, græcè est λατρεύοντα, id est colentem, qui scilicet illas hostias Deo offerens, iis Deum colebat, Deoque seruiebat.

SOLVMMODO IN CIBIS, ET IN POTIBVS, ET VARIIS BAPTISMATIBVS, ET IVSTITIIS CARNIS, VSQVE AD TEMPVS CORRECTIONIS IMPOSITIS] Pendet sententia, estque incompleta in nostro textu; in Græco verò est completa & perfecta: græcè enim pro *impositis* est ἐπικείμενα, id est imposita, scilicet munera siue dona & hostiæ. q.d. Hæ hostiæ, hæc munera non expiabant conscientiam, sed tantùm erant imposita ad carnem purificandam, donec veniret Christus, qui sacrificia & Sacramenta animam expiantia institueret. ita Chrysost. Verùm Latini constanter legunt *impositis*, quod ad munera referri non potest. Vnde Franc. Ribera præpositionem *in*, accipit pro *cum*, vt *in cibis* idem sit quod *cum cibis*, totumque hunc versum referendum putat ad præcedentem, vt sit sensus, Munera & hostiæ non possunt perfectum hominem facere solummodo cum cibis, potibus, &c. q.d. Ipsa munera per se infirma sunt, neque habent aliud vnde virtutem accipiant, quia cætera quæ in lege præcipiuntur, magna ex parte ad vsus ciborum, potuum & oblationum variarum pertinent, quæ cùm corporea sint, animam purgare non possunt.

VERS. 9. & 10.

Sed planiùs & aptiùs, hic versiculus referetur ad τὸ *seruientem*. q.d. Munera & sacrificia legalia non possunt expiare & perfectum facere *seruientem*, id est, eum qui Deo seruit, Deumq; colit, non spiritu & interna pietate mentis, sed tantùm *in cibis, potibus, & aliis iustitiis carnis*, id est, Sacramentis & sacrificiis, quæ non cõscientiam & mentem, sed tantùm corpus & carnem iustificant, id est, emundant ab immunditia corporali, & irregularitate legali & politica, quæ homines sic immundos arcebat à templo & conuictu hominum.

Dices,

Dices, Iudæi non tantùm seruiebant Deo in cibis, potibus, & baptismatibus, sed etiam in obseruatione decalogi, & præceptorum tam moralium quàm iudicialium.

Diuersitas & cultus quid Iudaeos inuisiebat in obseruatione praeceptorum non moralium, & caeremonialium.

Respondeo. Id verum est, sed Apostolus hîc per *seruientem*, intelligit Deum colentem. Seruitus ergo hæc non sita est in obseruatione præceptorum moralium & iudicialium, sed tantùm cæremonialium. In hisce enim consistebat Dei seruitus, cultus, &, vt græcè est, latria.

Dices Secundò, Iudæi non tantùm seruiebant Deo cibis & potibus, alijsque cæremonijs externis, sed etiam interna fide, spe & charitate.

Respondeo, fuisse aliquos, vt Dauidem, Samuelem, aliosque Prophetas, qui hoc facerent; sed hi id non fecerunt virtute legis & iudaismi, sed virtute & gratia Christi, siue Messiæ venturi, in quem credebant & sperabant, eaque ratione pertinebant ad nouum testamentum, adeoque filij non tam veteris, quàm noui testamenti erant, vti fusè docet S. August. lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 4. Iudaismus enim, vti purus iudaismus est, legemq; naturæ (quæ internam Dei dilectionem & cultum dictat) secludit, tantùm præscribebat Iudæis, eosq; dirigebat & cogebat ad cultum Dei externum, vt cæremonijs externis lege Dei præscriptis ritè Deũ colerent: internam verò pietatem & spiritum non eis dictabat, multò minus afflabat iudaismus, sed tantùm fides & gratia Christi.

Fides, spes, & charitas Iudaeorum olim qualis & quàm vera.

Veteris expiationem.

Spiritum eis immundi, & potus apud Iudaeos.

IN CIBIS ET IN POTIBVS] Cibi immundi & vetiti erant sues, omniaque animalia, quæ non ruminant, aut vngulam non findunt, vt dixi Leuit. 11. Sed potus per se & communiter omnibus immundi & vetiti nulli erant, vti notat Chrysost. per accidens tamen, & certis personis, v.g. Nazaræis, prohibitum erat vinum & sicera, vti & sacerdotibus tabernaculum ingressuris prohibitum erat vinum. Rursus, si aliquid immundi, putà cadaueris, vas quodpiam mundum contigisset, vas & liquor omnis vase contentus immundus & abijciendus erat, vti præscribitur Leuit. 11. v. 32. & 33.

VERS. 10. VSQVE AD TEMPVS CORRECTIONIS] Id est, vsque ad tempus aduentus Christi, qui correcturus erat illos ritus legales & carnales, ijsq; abolitis, eorum loco spiritualem Dei cultum erat inducturus, vt adoraremus Deum in spiritu & veritate, itaque reuera in conscientia iustificaremur & saluaremur. Sic dicuntur corrigi mores iuueniles, non vt permaneant, sed vt tollantur, & in meliores ac grauiores commutentur. ita Theoph.

Vbique hîc pungit legem veterem Apostolus, eamque infirmitatis & defectus arguit, vt illa Hebræis vilescat, vtq; non mirentur Deum legem à se datam sustulisse, vtpote cùm eam tantùm vsque ad tempus Christi stare & durare voluerit.

VERS. 11. CHRISTVS AVTEM ASSISTENS PONTIFEX FVTVRORVM BONORVM, PER AMPLIVS ET PERFECTIVS TABERNACVLVM] Hactenus explicauit Apostolus tabernaculi fabricam, pontificem, victimas & cæremonias, quasi vmbras & typos Christi: nunc eorum allegoriam, per collationem explicat, docetque Christum hisce omnibus adumbratum fuisse, longeque nobilius & excellentius hæc omnia exhibuisse, cùm semel ipse Sanctum sanctorum, id est cælum, per proprium suum sanguinem ingressus est, in eoque residet, quasi noster æternus pontifex.

Christi allegorica explicatio ad pontificem & sacra eius.

CHRISTVS AVTEM ASSISTENS] scilicet Patri in cælo. Christus enim post ascensionem in cælum, semper Patri assistit, quasi aduocatus noster, ad interpellandum pro nobis, vt futura bona nobis impetret, inquit Anselm. toto enim hoc loco vrget Apostolus ingressum pontificis in Sanctum sanctorum, vt ex hoc typo euincat Christum, pontifice veteri adumbratum ingressum cælum, assistere Patri tamquam pontificem nostrum, vt semper *appareat vultui Dei pro nobis*, vti ipse ait v. 24.

Verùm quia græcè non est, τῷ *Patri*, sed simpliciter παραγενόμενος, id est, factus vel veniens: hinc *assistens* idem videtur esse quod accedens, vel potiùs, postquam venit & accessit, factusq; est pontifex. παραγενόμενος enim est aoristus, quem vt latinè, quantum licet, exprimeret Noster interpres, aptè vertit *assistens*, id est existens, iam consistens, & tabernaculo, id est Ecclesiæ, astans & ministrans pontifex; & hoc aptè cohæret cum eo quod sequitur, *introiuit in sancta*. Nam alioqui propriè introire non potest Sancta, qui iam in ijs assistit. Significat ergo hîc Apostolus, quòd Christus accedens & veniens in mundum & carnem, factus & natus sit pontifex, ad hoc vt per sanguinem intraret in Sancta, nobisque æternam redemptionem inueniret. q.d. Christus cùm venisset in suum tabernaculum, id est Ecclesiam, in eaque assisteret quasi pontifex futurorum bonorum, non ibi restitit, vti fecerunt pontifices Aaronici, qui toto anno ferè tantùm in Sancto ministrabant: Christus enim ex Sancto penetrauit in Sancta sanctorum, illaque nobis omnibus reserauit.

Christus pontifex nõ tantùm in cruce, sed statim in incarnatione & natiuitate.

Vnde S. Chrysost. docet Christum fuisse pontificem, non solùm in cruce, sed statim ab incarnatione & natiuitate sua. Et Theophyl. *Non dixit*, inquit, *Factus & electus, sed, Accedens pontifex, hoc est, in hoc ipsum veniens. Non priùs accessit, & deinde casu ita eueniente factus est pontifex, sed scopus cur in terram deueniret, pontificatus erat.*

Christus non tantùm in cælo, sed etiã in hac vita fuit pontifex.

Malè ergo aliqui ex hoc loco imaginati sunt, Paulũ velle, quòd Christus in hac vita fuerit tantùm simplex sacerdos, ob humilem eius statum & vitam: in cælo verò, vtpote iam ingressus in Sãcta sanctorum, factus sit pontifex. Christum enim in terris etiam fuisse pontificem patet

Probatur.

Primò, quia Christus in terris fuit summus sacerdos legis nouæ, ergo fuit pontifex.

Secundò, quia Christus in cruce quasi pontifex totius mundi, obtulit se pro toto mundo in sacrificium, omniumque hominum peccata luit & expiauit.

Tertiò quia Christus instituit noua Sacramenta, nouum sacrificium Eucharisticum, nouos sacerdotes & pontifices legis nouæ. Hæc autem facere nemo potest, nisi pontifex, imò plusquam pontifex.

Quartò, quia Paulus passim in hac epist. & nominatim toto c. 5. Christum in hac vita vocat sacerdotem, id est pontificem, vt ipse explicat, secundùm ordinem Melchisedec: nam & Melchisedec fuit pontifex equè ac Aaron, cui opponit Christum pontificem.

Dices, Pontificis veteris proprium erat ingredi in Sancta sanctorum: ergo Christi pontificis proprium est per se, suaque virtute ac merito ingredi in cælum. huius enim ille erat typus.

Resp. Hæc vera sunt: inde tamen non sequitur, Christum non fuisse pontificem in terrà, sed in

cælo: imò potiùs contrarium sequitur. Nam sicut pontifex vetus erat pontifex antequam ingrederetur in Sancta sanctorum, adeoque in ea ingredi non potuisset, nisi iam antè fuisset pontifex: ita & Christus non potuisset per se ingredi in cælum, nisi iam antè fuisset pontifex in terris. Adde, alia esse munia pontificis nouæ legis, qualis est Christus, alia pontificis legis veteris. licet ergo pontifex vetus proprium aliud munus non habuerit (dempta consecratione sacerdotum, hæc enim spectabat ad pontificem) quàm semel in anno ingredi in Sancta sanctorum; Christus tamen alia habet munia, vt iam dixi. Verum tamen est, Christum illud munus typicum pontificis veteris, munus, inquam, ingrediendi in Sancta sanctorum, non impleſſe nisi dum ingressus est in cælum. & hoc tantùm vult docere hîc S. Paulus: atque hoc tantùm fortè voluerunt Doctores illi, qui negarunt Christum in hac vita fuisse pontificem.

PONTIFEX FVTVRORVM BONORVM] vt futura bona sua oratione & sacrificio nobis mereretur & impetraret.

Nota Primò. *Futura bona* opponit Apostolus tempori instanti vel præsenti, legis v.g. *futura* ergo vocat respectu legis. q.d. Lex habuit Aaronem, suosque pontifices, qui præsentia & terrena bona nobis impetrarent, spiritualia verò & cælestia bona nobis impetrare non potuerunt; sed hæc bona quasi futura à Christo pontifice exspectanda demonstrarunt.

Futura bona quænam hîc vocet Apostolus.

Hinc Secundò, *futura bona* vocat remissionem peccatorum, gratiam, virtutes, ac denique gloriam æternam, omnesque dotes & bona tam animæ, quàm corporis, quæ in cælo exspectamus: hæc enim propriè *futura* sunt & vocantur.

PER AMPIVS ET PERFECTIVS TABERNACVLVM] q.d. Pontifex ingressurus Sancta sanctorum trāsibat per prius tabernaculum, id est per Sanctum; Christus verò per *amplius*, græcè μείζονα, id est maius, perfectius & augustius tabernaculum, siue Sanctum transiuit, vt ingrederetur Sanctum sanctorum, id est cælum.

Varia expositiones, quid per amplius & perfectius tabernaculum intelligat Apostolus.

Quæres, quodnam sit hoc perfectius & excellentius tabernaculum, per quod transiuit Christus?

Prima.

Respondent Primò, S. Thomas & Anselm. esse cælos inferiores, per quos transitur ad cælum empyreum.

Secunda.

Secundò, Catharinus resp. esse B Virginem, per quam in hunc mundum transiuit Christus.

Tertia.

Tertiò, Theodor. Primas. & Haymo respondent esse humanam naturam Christi. per quam deitas Verbi in hoc mundo quasi transiuit.

Quarta.

Quartò, Chrysost. Theoph. Oecum. & Ribera respondent esse corpus & carnem Christi. hæc enim est *amplius tabernaculum*, quia in ea est & habitat Deus, Verbum & omnis Spiritus sancti plenitudo: est & *perfectius*, quia maiora facit, quàm vetus Mosaicum tabernaculum, & accedentes ad se sanctificat & saluat. Hoc tabernaculum *non est manu factum, neque huius creationis*: quia caro Christi concepta & formata fuit non opera virili, sed virtute Spiritus sancti. & sicuti pontifex primum tabernaculum calcabat, vt in secundum ingrederetur, ita Christus carnem suam quasi calcauit, cùm eam manibus impiorum excarnificandam tradidit: itaque per hoc tabernaculum, putà corpus suum, id est per oblationem corporis sui, &, vt explicans Apostolus subdit, *per sanguinem suum*, ingressus est in sancta.

Hæc expositio satis verisimilis videtur: sed illi obstat, quòd Apostolus sanguinem & carnē Christi non opponat tabernaculo illi veteri vmbratico, sed sanguini & carni hircorum & vitulorum, quæ in veteri tabernaculo immolabatur: ait enim, *Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem semel introiuit in sancta.* Idque sanè exigit ipsa rerum natura, iuxta quam caro & sanguis Christi, non rectè per tabernaculum, sed rectè per sanguinem & carnem victimarum repræsentatur, cum eaque confertur, eiq; opponitur quasi antitypus suo typo. quærendum ergo est aliud tabernaculum, in quo Christus se suamque hostiam obtulit, perinde vti Aaronici in suo tabernaculo offerebant suos hircos & vitulos. Secundò, non satis aptè dici potest. Christum per suum corpus, quasi per tabernaculum transisse in cælum, cùm per corpus non transierit, sed in eo manserit, adeoq; illud secum in cælos inuexerit: vbique enim corpus cum Christo, & Christus cum corpore suo trāsiuit. Rursum tabernaculum quod dicebatur Sanctum inferri & ingredi non poterat in ipsum Sanctum sanctorum: atqui Christi caro ingressa fuit Sanctum sanctorum, id est cælū: ergo caro Christi per tabernaculum quod dicitur Sanctum, repræsentari non potuit in præsenti figura & typo, quo dicitur quòd pontifex transiens per Sanctum, & ingrediens Sancta sanctorum, repræsentabat Christum, per suum tabernaculum transeuntem in cælum. in eo enim ponit & fundat hîc Apostolus similitudinem & allegoriam suam; ac proinde singula quæ typo huic inexistunt, antitypo aptè applicari, & congrua quadam analogia & proportione respondere debent: illud enim requiritur ad hoc vt allegoria sit apta & sōlida.

Tabernaculum hoc nō est corpus Christi.

Dico ergo, tabernaculum hoc esse Ecclesiam Christi hîc in terris collectam, peregrinantem & militantem, quam fundauit ipsemet Christus: de qua dixit c. 8. 2. *Tabernaculum, quod fixit Dominus & non homo.* hoc enim idem est cum eo, quod hîc dicit, *tabernaculum non manufactum*, id est, *non huius creationis*, putà non humani artificij & fabricationis, vti erat prius tabernaculum fabricatum à Beseleel: aptè enim tabernaculum repræsentat Ecclesiam, vt dixi v. 3. in qua Christus moriens in cruce se Patri obtulit, quasi victimam pro peccatis hominum: & sicut à Sancto & per Sanctum ibat pontifex in Sancta sanctorum, ita Christus (& nos cum Christo) transiuit ab Ecclesia sua hîc militante, ad Ecclesiam cælestem & triumphantem. nam cùm constet Sanctum sanctorum significare Ecclesiam cælestem, vt consequenter & appositè loquamur, necessariò dicendum videtur ipsum Sanctum repræsentasse Ecclesiam terrestrem & militantem. ita Caietan.

Quinta & genuina: Tabernaculum amplius est Ecclesia militans hic in terris collecta.

NEQVE PER SANGVINEM HIRCORVM AVT VITVLORVM] vti faciebat pontifex Aaronicus, qui ingressurus in Sancta sanctorum, hircum pro peccatis populi, vitulum pro suis peccatis immolabat, eorumque sanguinem inferens in Sancta sanctorum, illo Sancta aspergebat & expiabat, vt pater Leuit. 16. Christus verò non hircorum, sed proprio sanguine Ecclesiam expians ingressus est in Sancta.

VERS. 12.

SED PER PROPRIVM SANGVINEM INTROIVIT SEMEL

Redemptio Christo fuit pretiosa.

SEMEL IN SANCTA, ÆTERNA REDEMPTIONE INVENTA] Nota τὸ *inuenta*. hæc enim vox significat hanc redemptionem fuisse inexspectatam nobis, & à Christo magno studio, dolore & labore partam, quasi gẽmam in fundo maris perditam, quæsitam & inuentam. Secundò, addit *æterna*, q.d. Leuitici sacerdotes singulis annis ingredi debebant Sancta, eaq; cum populo expiare, quia eorum expiatio tantùm erat tẽporanea, putà annua; Christus verò semel in cruce expians peccata omnia totius mundi, ingressus est cælum, ibiq; gloriosus residet & residebit semper, quia vnica oblatione crucis, vtpote pretiosissima & efficacissima, meruit nobis & obtinuit redemptionem æternam, id est, quæ nullo tempore deficiet, aut minuetur; sed durabit in æternum, vimque suam exeret in omnia sæcula, vt peccata omnium sæculorum expiet & expurget.

VERS. 13. SI ENIM SANGVIS HIRCORVM ET TAVRORVM, ET CINIS VITVLÆ ASPERSVS INQVINATOS SANCTIFICAT AD EMVNDATIONEM CARNIS] Nota, Iusserat Dominus Numer. 19. vitulam, siue vaccam rufam comburi, & combustæ cineres asseruari ad expiationem immundorum. Hoc autem ritu fiebat hæc expiatio: cineres hos inijciebant in hydriam, vel vas aliud plenum aqua viua, v.g. fontana, deinde alius quispiam mundus hac aqua aspergebat immundum, itaque expiabatur: sed ita, vt vsque ad solis occasum adhuc immundus censeretur.

Cærimonia Spiritu expiandi immundum erant viua rufa.

Vnde Secundò, hic *cinis* non *sanctificabat inquinatos ad emundationem* conscientiæ, sed tantùm *carnis*, quia non expiabat peccatum, sed tantùm tollebat immunditiam legalẽ contractam ex contactu cadaueris aut alterius rei immundæ: ideoque ab Apostolo hîc vocatur carnis vel carnalis immũditia: quia videlicet non conscientiam, sed carnem & hominem externum tantùm afficiebat, vt censeretur immundus, ideoque arceretur officijs diuinis & templo.

Aqua cineralis typus fuit sanguinis Christi Aqua lustralis.

Allegoricè, hæc aqua cineralis & lustralis typus fuit sanguinis Christi, vt hîc insinuat Apostolus. rursum typus fuit aquæ lustralis siue benedictæ, qua vtimur in Ecclesia ad expiationem peccatorum venialium. nam, vt rectè argumentatur Alexander I. Pontifex, qui fuit sextus à S. Petro epist. 1. ad omnes orthodoxos: *Si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, quanto magis aqua, quæ sale aspersa, diuinisq; precibus sacrata est, populum sanctificat atque emundat?*

VERS. 14. QVANTO MAGIS SANGVIS CHRISTI, QVI PER SPIRITVM SANCTVM SEMETIPSVM OBTVLIT IMMACVLATVM DEO?] *Per Spiritum sanctum*, id est, Spiritu sancto eum mouente & incitante, ad se sponte sua offerendum Patri, pro peccatis nostris. Nõnulli codices Græci habent, Διὰ πνεύματος αἰωνίου, id est, per Spiritum æternum: & ita legit Theodor. & Syrus. Verùm Chrysost. & alij legunt vti Noster legit, *per Spiritum sanctum*. Notat Ribera hæc accipi posse de Spiritu tam creato, quàm creatore, eò quòd desit in Græco articulus, qui addi solet Spiritui creatori. q.d. *Per Spiritum sanctum*, id est per sanctitatem spiritus sui, qua omnium hominum salutem sitiebat Christus, obtulit se pro eis Deo Patri. Verùm meliùs hîc accipias Spiritum creatorem. ille enim in Græco sæpè non habet articulum, illeque propriè intelligitur, cùm dicitur Spiritus sanctus; ac denique ille est, cui vti Christi

Spiritus creator, non creatus hîc intelligendus.

A conceptio, ita & oblatio ac redemptio, omnisque sanctificatio nostra, tamquam primo omnis gratiæ & sanctitatis fonti tribuenda est.

Seruo Dei fugienda peccata quasi cadauera.

AB OPERIBVS MORTVIS] Id est, à peccatis, quæ fœtida sunt coram Deo, vti cadauera, quæq; inquinant animam se tangentis, sicut cadauera in lege veteri tangentis se corpus inquinabant. qua de re vide Chrysost. hîc in morali hom. 15.

AD SERVIENDVM DEO VIVENTI] q.d. Christus emundat nos à peccatis, quæ sunt opera mortua, non tantùm vt simus mundi, sed etiam vt simus viui ac viuaci spiritu Deo viuenti seruiamus. Insinuat Apostolus eum qui Deo viuenti seruire cupit, planè fugere debere peccata, quasi opera mortua, quæ Deo viuenti ex diametro repugnant.

VERS. 15. ET IDEO NOVI TESTAMENTI MEDIATOR EST] Nota τὸ *ideo*: dat enim causam cur Christus mediator sit, quia scilicet, vti præcessit, ingressus in Sancta, æternam redemptionem nobis inuenit & peperit, dum sanguine suo emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis.

Christus ob causas duas mediator noui testamenti.

Nota. Christus est mediator noui testamẽti siue fœderis & pacti inter Deum & homines Christianos initi. Primò, quia Christus nouum hoc fœdus inter Deum & homines conciliauit, & vtramque partem, scilicet tam Deum, quàm homines, in hoc fœdus deduxit & adunauit. Sic ferè & Moses dicitur Mediator veteris testamenti, Deut. 5. quia internuncius fuit, interpres & quasi conciliator fœderis inter Deum & Hebræos.

Secũdò, quia Christus sua vita, passione & morte meruit à Deo hoc nouum fœdus, omniaq; bona, quæ Deus hominibus hoc fœdere promittit, scilicet remissionem peccatorum, gratiam, gloriam & hereditatem æternam. horum ergo omnium mediator est Christus, quia hæc omnia nobis à Deo impetrauit & conciliauit. Vnde hoc mediatoris opus & officium explicans Apostolus subdit, *Vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis.*

Christus etiam institutor, testator & cõditor noui testamenti.

Dices, Christus est noui testamenti institutor, conditor, &, vt Apostolus ait v. 16. *testator*: ergo non est illius mediator.

Respondeo, negando sequelam: vtrumq; enim verum est. nam Christus ob causas iam dictas est mediator noui testamenti, quatenus scilicet tamquam medius intercessit, vt tam Deum quàm homines in nouum hoc fœdus redigeret & colligaret. Est etiam Christus noui testamenti conditor & testator, quia vice Dei & tamquam legatus à Deo missus nouum hoc testamentum condidit & instituit: omnia enim illi in manus dedit Pater, vt quidquid Christus circa hoc fœdus statueret & sanciret, ipse ratum haberet. Christus enim in hoc fœdere peregit omnia, egitque tam partes Dei quàm hominum: quatenus partes Dei egit, fuit huius fœderis conditor & testator; quatenus partes hominum egit, fuit hominum aduocatus, interpres & legatus; quatenus verò inter Deum & homines medius & conciliator interuenit, eatenus fuit mediator.

Christus dimidiatus est hominum & Dei natura, & officio.

Vnde Syrus, pro *mediator* vertit מְצִיעָא *metsaia*, id est, dimidiatus factus tum natura, quia scilicet Christus media sui parte fuit homo, media Deus; tum officio, quia scilicet Christus partim Dei, partim hominum in hoc fœdere partes egit, seque

mediũ constituit inter culpam & pœnam nostram, & inter Patris offensam, læsamq́; iustitiam. Christus enim ita egit hominum clientum suorum causam, vt tamen Dei Patris iustitiam tueretur, vt scilicet hominum peccata inulta non sineret, sed illa suo sanguine & morte lueret, itaque Patris iustitiæ læsæ satisfaceret.

Iudæi perperã scandalizati in morte & passione probrosa Messiæ.

VT MORTE INTERCEDENTE, IN REDEMPTIONEM EARVM PRÆVARICATIONVM, QVÆ ERANT SVB PRIORI TESTAMENTO] Offendebantur Hebræi passione & morte Messiæ tam probrosa, putabantque quòd Messias semper viuere, secumque manere deberet. Vnde Iudæi ad Christum Iohan. 12.34. *Nos*, inquiunt, *audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis. Oportet exaltari Filium hominis?* Legem vocant S. Scripturam, putà psal. 109.4. *Tu es sacerdos in æternum.* hinc eis hîc demonstrat Apostolus, mortẽ hanc non fuisse probrum Christo, sed gloriam, vtpote quæ Christum fecerit mediatorem & redemptorem, quæq; peccata nostra sua virtute expiarit, atque vitam & hereditatem æternam nobis conciliarit; idque ita exigente & flagitante Patris iustitia, quasi Pater Filio dixerit: Si vis me hominibus parcere, ô Fili, qui tam grauiter in me peccarunt, necesse est, vt tu pro eis moriaris, sanguinemque tuum profundas: quia iustitiæ meæ, legique & decreto meo æterno de puniendo peccato satisfieri volo. Filius verò idipsum acceptauit, & summo iure ad teruncium vsque cuncta nostra debita Patri persoluit; fecitque vt sine metu & nudo (quod aiunt) capite, coram Deo & angelis ambularemus, atque animos spesque nostras in Deum erigeremus.

Christus expiator & redemptor non tantùm noui testamenti, sed etiam veteris & legis naturæ.

IN REDEMPTIONEM PRÆVARICATIONVM, QVÆ ERANT SVB PRIORI TESTAMENTO] Ostendit Hebræis veteris testamenti infirmitatem, & necessitatem noui, ac consequenter & mortis Christi. q.d. Christus non tantùm redemit & expiauit peccata sui populi & testamenti, sed & veteris, vestriq́ue, ô Hebræi, populi & testamenti. nec enim vestrum testamentum & sacrificia expiare poterant vestra peccata, sed tantùm signa erant & figuræ sacrificij & testamenti Christi, qui sua morte & sanguine redempturus erat & expiaturus omnia omnium hominum peccata, tam noui testamenti quàm veteris, ac consequenter & legis naturæ, quæ vtroque testamento infirmior & imperfectior erat.

Finis mortis & mediationis Christi.

REPROMISSIONEM ACCIPIANT QVI VOCATI SVNT ÆTERNÆ HEREDITATIS] Hic est finis mortis, redemptionis & mediationis Christi, totiusque noui testamenti, à Christo instituti, vt scilicet adipiscamur eternam hereditatem per Christum promissam. Pro *repromissionem* græcè est ἐπαγγελίαν, id est promissionem: primam enim promissionem æternæ hereditatis meruit, impetrauit & conciliauit nobis Christus, tum quia meruit sua sanctitate, obedientia & morte à Deo Patre, vt ipse nobis propter Christum promitteret æternam hereditatem; tum quia eadem ratione meruit nobis huius promissionis executionem & donationem, vt scilicet reipsa cernamus & nanciscamur hanc æternam hereditatem nobis propter Christum promissam.

Vocati tam ij qui sub veteri testamento, quàm qui sub noue.

Nota. *Vocatos* vocat tam eos qui sub veteri erãt, quàm qui sub nouo sunt testamento. Rursum τὸ *vocati* potest cohærere cum *æternæ hereditatis*: nam, A vt dixi Rom. 1.1. τὸ *vocati* est substantiuũ, q.d. Vocatitij æternæ hereditatis, id est, vt Syrus vertit, אִתְקְרִיוֵלִירוּתָא דְלָעְלַם, *etkerif leiaretuta dalalam*, id est, vocati & pertinẽtes ad hereditatem sæcularem, vel æternam. Simpliciùs tamen referas τὸ *æternæ hereditatis*, ad repromissionem: q.d. Vt qui vocati sunt accipiant repromissionem æternæ hereditatis, id est, vt vocati accipiant æternam hereditatem sibi promissam, ad quam vocati sunt.

VBI ENIM TESTAMENTVM EST, MORS NECESSE EST INTERCEDAT TESTATORIS] Hoc est argumentum Apostoli, quo probat Hebræos non debere offendi morte & cruce Christi, vtpote necessaria nobis, nostræque saluti: vbicumque est testamentum, ibi vt testamentum vim suam sortiatur, necesse est vt morte testatoris confirmetur & sanciatur, adeoque necesse est vt moriatur testator: B atqui Christus nouum testamentum nobis condidit, estque noui testamenti mediator & conditor: ergo necesse fuit Christum mori, vt morte sua sanciret & confirmaret nouum hoc suum testamentum. VERS. 16.

Christi mors necessaria ad noui testamenti confirmationẽ.

TESTAMENTVM ENIM IN MORTVIS CONFIRMATVM EST] *In mortuis*, id est, mortuis testatoribus, vel post mortem testatorum tum demum ratum & confirmatum est testamentum. nam in viuis, seu quamdiu viuunt testatores, possunt semper testamentum suum mutare & reuocare, cùm alia pacta & donationes inter viuos facta, mox vt facta & inita sunt, hoc ipso rata & firma sint, nec rescindi aut reuocari possint. Nam *testamentum* (vt dicitur l. 1. ff. de testamentis) *est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri vult.* VERS. 17.

C VNDE NEC PRIMVM QVIDEM SINE SANGVINE (victimarum Exod. 24.) DEDICATVM EST] q.d. Vt *primum*, id est vetus, testamentum significaret secundum, id est, nouum testamentum, quod scilicet morte testatoris Christi confirmatum est, hac de causa debuit primum hoc testamentum, instar testamenti propriè dicti, morte & sanguine victimarum sanciri, vt significaret morte Christi sanciendum esse secundum siue nouũ testamentum. Verùm sicut primum, siue vetus hoc testamentum typicum erat, ita typicam habuit mortem testatoris, scilicet mortem & sanguinem victimarum, quę repræsentabat mortem testatoris tum Dei, tum Christi, vti pluribus dicam v. 20. VERS. 18.

Verumque testamentũ sanguine sanctum, confirmatum, consecratum.

Nota. Pro *dedicatum est* Syrus vertit אֶשְׁתַּרְרַת *estarrat*, id est, confirmatum fuit, robur suum accepit. ita & Chrysost. cum suis. Grecè est ἐγκεκαίνισται, id est initiatum est, initium sumpsit, sui nouitatem & exordium accepit. Verùm quia in rebus sacris hoc initium sumebatur à sacro aliquo & solemni sacrificio, ritu & cæremonijs, quibus res quasi sacrabatur, Deoque & sanctis vsibus dedicabatur; hinc ἐγκαινίζειν in sacris significat consecrare & dedicare: vnde encænia vocantur festa dedicationis & consecrationis templi. ita & hîc Paulus vetus testamentum quasi sacrum sanguine victimarum, non tantùm inchoatum & quasi inauguratum, sed & dedicatum, id est consecratum, esse dicit. D

Cõsecrare, initiare, inaugurare, dedicare eadẽ sunt.

LECTO ENIM OMNI MANDATO LEGIS A MOSE VNIVERSO POPVLO, ACCIPIENS SANGVINEM VITVLORVM ET HIRCORVM CVM AQVA ET LANA COCCINEA ET HYSSOPO, IPSVM QVOQVE LIBRVM ET OMNEM POPVLVM ASPERSIT] Nota. Moses vice Dei fœdus VERS. 19.

fœdus cum populo initurus, prælegit populo leges Dei sibi datas, quæ recensentur à c.20.Exodi vsq; ad cap.24. hæ enim leges erant conditiones fœderis, quod Deus cum Hebræis sancire volebat: populus suo silentio acceptans & annuens hisce legibus fœdus cum Deo inijt, illudq́ue victimarum sanguine sancitum est.

Sanguis victimarum sparsebatur in altare & populũ, idq; ob ea causas.

Nota Secundò. Hunc sanguinem victimarum partim in altare, partim in populum sparsit Moses, Primò, vt significaretur eũ qui fœdus hoc violaret, simili modo sanguine suo & morte violatam fœderis fidem luiturum; altare enim Deum repræsentabat. De hoc fœderum ritu plura dixi 1.Cor. 11.25. Secundò, quia fœdus hoc, vt dicam v.20. simul quasi testamentum erat Dei, typusq́; erat noui testamenti, quod Christus in vltima cœna & in cruce condidit. Hinc sanguis hic in altari aspersus repræsentabat symbolicè quasi sanguinem & mortem testatoris Dei: morte enim sancitur testamentum & vltima voluntas testatoris. Rursum sanguis in populum aspersus significabat sanguinem Christi in nos aspersum, cuius aspersione à peccatis omnibus eluimur. hoc enim sanguine suo & morte sanxit Christus suum nouum testamentum, omniaq́ue bona illo promissa nobis meruit & impetrauit.

Quædã cæremonialia habet Paulus quæ Moses omisit in Exodo.

CVM AQVA ET LANA COCCINEA ET HYSSOPO] Hæc omnia, vti & hircorum immolationem omisit Moses Exod.24. quia succinctè hæc narrat: Apostolus verò partim instinctu Spiritus sancti, partim ex consuetudine ritus legalis, quam in lustrationibus eiusmodi vsurpari solitam tum ex S. Scriptura, tum ex ipsa praxi didicerat, hæc ipsa suppleuit & expressit. Nam aquam sanguine misceri solitam in sacris aspersionibus, patet Exodi 12.22. Idem patet de cocco, siue lana coccinea atque hyssopo, Num.19.v.6.& 18.

Hircus cur oblatus pro peccato.

Rursum, cum vitulis oblatos quoque fuisse hircos, patet, quia hircus, vtpote suo fœtore aptè peccatum repræsentans, offerri solet pro peccato, vt patet Leuit.9.v.3.& 15. Hirci ergo hi in fœdere & testamento Mosaico pro peccatis populi immolati significabant Christum in cruce pro peccatis totius mundi immolandum. qua immolatione sancitum est nouum Christi testamentum.

Nota. In priscis Hebræorum lustrationibus aqua sanguini adhibebatur, ne sanguis concresceret, sed fieret liquidior & sparsilis, adeoq́ue aspersioni in tantum populum idoneus. Rursum allegoricè hæc aqua & sanguis victimarum figura erant & typus sanguinis & aquæ ex latere Christi effluentis, ac consequenter typus erant baptismi & Eucharistiæ. aqua enim baptismum, sanguis Eucharistiam repræsentat.

Sensus allegoricus illustrat lustrationum.

Secundò, in lustrationibus adhibebatur lana coccinea & hyssopus, vt ex eis fieret aspergillum: ad hoc enim peridonea sunt, tum ob suam densitatem, tum ob vim retentiuam, quam habent. sunt enim humoris bibula, æquè vt spongia. Rursum allegoricè lana significat candorem & innocentiam Christi, siue carnem Christi, per se candidam, sed ob peccata nostra coccineam, id est, sanguine passionis rubricatam.

Hyssopus typus humilitatis & charitatis.

Hyssopus verò typus erat charitatis & gratiæ Christi. est enim hyssopus natura sua calidus, vnde seruit mysterio, suoq́ue calore & feruore Spiritus sancti ardentissimos æstus, quibus igneascunt piorum mentes, denotat.

Cornel. in Epist. Pauli.

Secundò, hyssopus typus erat humilitatis & humanitatis Christi, per quem Deus nostram superbiam aliaq́ue peccata sanauit. Est enim hyssopus herba humilis, &, vt docet Dioscorides l.3.c. 28. medetur pulmonis tumori, qui superbiæ est symbolum, vt annotauit Rupert.

IPSVM QVOQVE LIBRVM ET OMNEM POPVLVM ASPERSIT] Nec hoc habet Moses, sed supplet Paulus. Hebræi per hunc librum intelligunt Genesim. Sed an Genesis tunc à Mose conscripta fuerit, valdè incertum est. illud certum est, hunc librum non fuisse Genesim, sed Exodum, id est, leges Mosi & populo à Deo datas, à cap.20.Exodi vsque ad c.24. quas Moses in libro conscripsit, indeq́ue populo prælegit. hæ enim leges erant conditio fœderis inter Deum & populum ineundi. patent hæc omnia Exodi 24.

Liber aspersus erat non Genesis, sed Exodus.

Quæres, Cur librum ipsum sanguine victimarum aspersit Moses?

Obtres causas liber sanguine aspersus.

Respõdeo, Primò, vt significaret vti fœdus hoc, ita & leges fœderis hoc libro contentas esse sanctas & inuiolabiles, adeoq́ue hoc sanguine tam leges, quàm fœdus ipsum sanciri. Secundò, vt significaret eum qui leges hasce violaret, hanc violationem sanguine suo & morte luiturum. Tertiò, vt significaret legem per se infirmam esse ad expianda peccata contra legem admissa, adeoq́ue ad hoc faciendum indigere sanguine non tam victimarũ, quàm Christi, quem sanguis hic victimarum repræsentabat. Sanguine enim & gratia Christi aspersi, non tantùm à peccatis omnibus contra legem admissis expiamur; sed & deinceps ad totam legem seruandam & perficiendam corroboramur & accendimur.

VERS.20.

DICENS (scilicet Moses) HIC SANGVIS TESTAMENTI, QVOD MANDAVIT AD VOS DEVS] Citat Apostolus Exodi c.24.8.

Obijcies, Ibi dicitur, Hic est sanguis בְּרִית *berit*, id est *fœderis*: ergo malè Paulus hoc loco vertit dicens, *hic est sanguis testamenti*, quod scilicet morte testatoris confirmatur: nam alia pacta & fœdera non confirmantur morte pacisc̃entium, vti vetus pactum Dei cum Hebræis, de quo loquitur Moses cap. illo 24.Exodi v.9. non fuit confirmatũ morte Dei aut Hebræorum pacisc̃entium; quomodo ergo Paulus hîc ad valorem testamenti huius adeò vrget mortem testatoris?

Erasmi, Caluini, Bezæ sententia de auctoritate & auctore huius epistolæ.

Ob hoc argumentũ Erasmus & Caietanus censent hanc epistolam non esse canonicã, sed incertæ & dubiæ fidei & auctoritatis: Caluinus verò cẽset eam non esse S. Pauli: Beza denique asserit eam non hebraicè, sed græcè esse scriptã, eò quòd Hebræum בְּרִית *berit*, non nisi fœdus significet, Græcum autem διαθήκη, tam testamentum, quàm fœdus significet: hoc autem loco cùm iuxta Hebræũ vertendum esset, Fœdus, auctor huius epistolæ verterit, *testamentum*.

Aliquorum Catholicorum sensus

Imò Catholici nonnulli putant Paulũ hîc rhetorum more ludere in voce διαθήκη, vt, cùm sciret illam Exodi 24.8. significare pactum, vtpote cùm ibi respondeat Hebræo בְּרִית *berit*, id est pactum, hîc tamẽ eamdem accipiat pro testamento. Verùm sic Paulus ex amphibologia vocis διαθήκης sophisticum argumentum necteret falleretq́ue, dũ fœderi & pacto cuilibet tribuit id quod erat testamẽti, scilicet vt morte testatoris confirmetur.

Pro responsione, Nota Primò, LXX. Hebræum

בְּרִית, διαθήκη, *& testamẽtum idem significat.*

be *rit* passim vertere διαθήκην, quod propriè testamentum significat, vti vertit Noster interpres. hinc in Scripturis hæc tria, scilicet Hebræum *berit*, Græcum διαθήκη, & Latinum *testamentum* idem significant.

Testamentũ hebraicè, latinè & græcè dupliciter accipitur.

Rursum hæc tria dupliciter accipiuntur, Primò generatim, pro quouis fœdere, pacto & promissione, vti docet S. Hieron in c. 3. ad Galat. & S. August. in Genesin, locutione 94. Sic capitur passim cùm dicitur nouum vel vetus testamentum, id est, noua vel vetus Dei ordinatio, dispositio, promissio, (quæ alibi dicitur Dei misericordia & veritas) nouum vel vetus pactum & fœdus inter Deum & homines initum cum conditione seruandæ legis Dei. hoc enim est Dei cum hominibus pactum: Ego Deus stipulor & promitto quòd ero vobis, ô homines, Deus & pater, vosque mihi eritis filij & heredes si legem meam seruetis. Sic *testamentum* pro fœdere accipitur Genes. 9. 13. psal. 54. 21. psal. 88. v. 4. & 29 psal. 105. 45. & alibi sæpè. Secundò, hæc tria specificè accipiuntur pro fœdere testamentario, vel promissione testamentaria, quæ maximè firma & certissima est, id est, pro testamento & vltima voluntate, siue dispositione testatoris. hanc enim propriè significat Græcum διαθήκη, & Latinum *testamentum:* Hebræum quoque בְּרִית *berit*, cùm pactum quodlibet significet, rectè etiam testamentum siue pactum testamentarium, quod extremum & firmissimum est, significat per synecdochen, qua genus pro specie, præsertim perfectissima & nobilissima, accipi solet.

Formula stipulationis Dei.

Testamentũ nouum & vetus vtroque modo est verè testamentum.

Nota Secundò, tam vetus Mosis, quàm nouum Christi testamentum, vtraque significatione & vtroq; modo iam dicto fuisse testamentum. De nouo patet: Primò enim nouum testamentum fuit nouum fœdus Dei cum hominibus per Christum initum. Secundò, quoque nouum testamentum fuit propriè dictum testamentum siue fœdus testamentarium & mortuarium: tum quia voluit Deus ad peccata nostra iusta satisfactione expiãda, vt promissiones noui testamẽti de peccatorum remissione, gratia & gloria, siue hereditate cælesti nobis danda, sancirentur morte Christi testatoris: tum quia, vt hæc nobis darentur, fuit vltima, summa, certissima & firmissima voluntas & promissio Christi, vt hîc satis significat Apostolus. Hoc est ergo Christi nouum pactum & testamentum: Ego Christus vice & nomine Dei Patris promitto tibi, ô Christiane, peccatorum veniam, Dei gratiam & amicitiam, ac tandem regnum cælorum, sub hac conditione, si mihi credas, obedias, & mandata mea vsque in finem vitæ serues & impleas. quæ conditio exprimitur à Christo, Matth. 19. v 17. Iohan. 17. v. 20. & 24.

Formula pacti & testamenti Christi.

Formula antiqui testamenti & fœderis.

Nota Tertiò. Hoc fuit vetus Mosaicum pactum & testamentum, vt satis colligitur ex Exodi 24. 8. Ego Deus vobis, ô Hebræi, promitto meam opem, beneuolentiam & protectionem; legoque vobis regnũ & hereditatem quietam & fertilem in terra Chanaan; si leges meas, cæremonias & iudicialia præcepta seruaueritis.

Vetus fœdus fuit pactum conditionatum & testamentum typicum.

Vnde patet, etiam hoc vetus fœdus & testamẽtum vtraque significatione & vtroque modo iam dicto fuisse διαθήκην, & testamentum. De priore patet: est enim pactum cum conditione, vt patet ex formula pacti iam data. De posteriori significatione & modo probatur; quia vetus hoc Mosis fœdus fuit testamentum typicum, siue typus testamenti noui; & hereditas siue regnum Chanaan veteri testamento promissum, typus fuit regni cælorum, quod in nouo testamento promittitur. Rursum, mors victimarum, quibus sancitum fuit vetus testamentum, Exod. 24. typus fuit mortis Christi testatoris, qui sua morte & sanguine sanciuit nouum testamentum & vltimam voluntatem suam, vti hîc explicat Apostolus.

Resp. ad argum. Erasmi, Caluini & Bezæ contra authoritatem huius epist.

Respõdeo ergo & dico, Mosen, cùm dicit Exodi 24. *Hic est sanguis fœderis*, intellexisse fœdus testamentarium, siue testamentum typicum iam dictum: ideoque rectè Apostolum fœdus illud Mosaicum interpretari hîc per testamentum, quia verè fuit testamentum, scilicet typicum. totum enim vetus testamentum, omniaque quæ in illo facta sunt, erant vmbra & typus Christi, rerumque futurarum in nouo testamento, adeoque totus scopus & finis veteris testamenti erat adumbrare & præfigurare Christum, eiusque nouum testamentum: ita vt totius veteris testamenti ratio, conditio, natura & institutio non fuerit alia, quàm hæc, vt scilicet esset figura & repræsentatio Christi & noui testamenti. Cùm ergo nouum Christi testamentum fuerit propriè dictum testamentum, quod morte testatoris, putà Christi, confirmatum est; sequitur & vetus testamentum fuisse typum noui testamenti propriè dicti; ac consequenter ipsum quoque vtus fuisse typicum testamentum, mortuarium & propriè dictum. qualis enim est res in se, talis est & typus eius in repræsentatione. cùm itaque nouum testamentum in se sit testamentum propriè dictum, sequitur & vetus testamentum, quod noui fuit typus, in repræsentatione, siue typicè, fuisse testamentum propriè dictum.

Vetus testamentum fuit testamentum mortuariũ propriè dictum, idq; ob tres rationes. Prima.

Fuit ergo vetus testamentum mortuarium & propriè dictum, Primò, ob generalem rationem quam affert S. August. in c. 3. ad Galat. v. 17. vbi sic ait: *Omnis Dei promissio & fœdus etiam ad dandum bona terrena*, v. g. terram Chanaan Hebræis, *dici potest testamentum, quia quod mors testatoris valet ad confirmandum testamentum, hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad sanciendum sua fœdera & promissa.*

Secunda.

Secundò, ob propriam & specialem rationem, quia scilicet hoc Dei pactum cum priscis Hebræis erat apud Hebræos illos maxima, summa & vltima Dei voluntas, ac sanciebatur morte victimarum, quas Deus, quia mori non potest, pro se quasi morti addicebat, vt earum morte vltimam suam voluntatem quasi testator sanciret. Sic enim hoc vetus Dei testamentum speciem quamdam habebat testamenti propriè dicti & vltimæ voluntatis, quæ sancitur morte testatoris, dum pro Deo testatore immortali moriuntur victimæ Deo consecratæ, quibus hoc testamentum sancitur. quod vt significaret Moses, partem sanguinis victimarum fudit super altare, Exodi 24. altare enim hîc Deum repræsentat. Deus ergo hîc suo quasi sanguine aspersus, itaque suo quasi sanguine testamentum hoc obsignare & confirmare videbatur, & hoc est quod hîc significat Apostolus, cùm ait: *Vnde nec primum* (Mosaicum) *quidem sine sanguine dedicatum est.*

Tertia.

Tertiò, maximè propriè & genuinè ad mentem Apostoli, vetus testamentũ fuit mortuarium, sed vmbraticum & typicum, vti iam cœperam dicere, quia vetus testamentum vmbra, typus & repræ-

præsentatio fuit noui testamenti Christi, propriè dicti. Vnde sicut nouum testamentũ Christi testatoris morte, ita vetus victimarum Dei mactatione, quasi typica Dei & Christi morte sancitũ fuit; vt hoc ipso vetus testamentũ significaret nouum testamentum reali Christi morte sanciendũ esse. Hanc esse genuinam mentem Apostoli, patet ex v. 23. vbi concludens ait: *Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his* (morte & sanguine victimarũ) *mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostijs* (putà morte & sanguine Christi) *mundari quã istis*, q. d. Vetus testamentũ, quia typus erat noui & cælestis testamenti, quo animæ à peccatis expiantur, hinc typicis hostijs, morte scilicet & sanguine animalium, sancitum fuit: nouum verò Christi testamentũ, vtpote solidum, sublime & cæleste, quodque animas ipsas à peccatis expiat & expurgat, non nisi nobilissimo Christi sanguine & morte sanciri potuit. Et hoc est quod dixit v. 12. *Christum non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem semel introijsse in sancta, æterna redemptione inuenta.* rursum quòd *sanguis hircorum & cinis vitulæ sanctificet carnem, Christi verò sanguis emundet conscientiam ab operibus mortuis.* Hæc enim mundatio & remissio peccatorũ est præcipuũ quoddam bonũ, quod Christus suo testamẽto nobis legauit, suaque morte & sanguine obsignauit & tradidit. Denique hunc esse Apostoli sensum patet ex eo, quòd ipse toto hoc capite, adeoque tota epistola vrget & explicat ea, quæ facta sunt in veteri testamento, fuisse vmbras & typos Christi & rerũ quæ sunt in nouo testamento: ergo multò magis vrgere debuit ipsum vetus testamentũ, eiusque institutionem & sanctionẽ fuisse typũ noui testamenti propriè dicti, ac consequenter ostendere, vetus quoque testamentum typicè & repræsentatiuè fuisse testamentum propriè dictum.

Veterà & noui testamenti magna concordia & similitudo.

Atque hæc est causa, cur Septuag. Exodi 24. 8. & alibi, Hebræũ *berit* non vertant, fœdus, vel pactũ, sed Διαθήκην, id est testamentum, vt scilicet, innuant fœdus hoc Mosaicũ fuisse testamentum typicum & figuratiuum testamenti noui, quod Christus testator sua morte obsignauit.

Hac eadem de causa nouũ & vetus instrumentum, communiter non nouũ aut vetus fœdus vel pactum, sed testamentum nuncupare solemus. Idem faciunt Græci. quin & Syrus in textu Syriaco retinuit S. Scripturæ vocem Græcam Διαθήκη, id est testamentũ. habet enim ܕܝܬܝܩܐ *diiatiki*: nam apud Iudæos & Syros post Alexandri & aliorum Græcorũ imperia, Græca lingua ita vsitata & trita fuit, vt multa vocabula ex Græco in Syrum transierint, vt ἄγγελος in ܐܓܓܪܣܐ *agureſa*, Matth. 27. 8. βουλευτὴς in ܒܘܠܝܛܐ *buleuti*, Marci 15. 43. Sic *Euangelium, kephalaion, namusa*, à νόμος, id est lex, aliaque multa à Græcis ad Syros traducta sunt. Idem patet ex Philone, Iosepho & S. Iustino Martyre, qui licet Hebræi essent, græcè tamẽ peritissimi fuerunt, citantque Scripturam non Hebræam, sed Græcam LXX. interpretum, quasi tunc vulgatissimam & celeberrimam. Addit Matthæus Galenus, Paulum syriacè scripsisse hîc *diiatiki*, qua voce Hebræũ *berit* reddunt & vertunt LXX. Exodi 24. 8. Putat enim ipse textum Syriacũ, qui extat in Biblijs Regijs, esse autographum Pauli. Sed id mihi non est verisimile, ob rationes quas attuli initio huius epistolæ.

In Scripturam multa vocabula Græca in Syrũ transiuisse.

Paulus syriacè scripsit diiatiki *secundùm aliquos.*

A Quartò, aliam explicationẽ & causam, cur pro τοῦτο *hic est sanguis fœderis*, vti habet Moses Exodi 24. Paulus verterit, *Hic est sanguis testamenti*, adeoque cur vetus fœdus Paulus vocet & interpretetur testamentum mortuarium, & propriè dictum, dat hîc n. 82. & seqq. Franc. Ribera; quia, inquit, vetus testamentum licet explicitè promitteret Iudæis bona terrena, tamen implicitè sub eis promittebat bona cælestia & cælestem hereditatem, & eatenus non tantùm nouum, sed & vetus testamentum sancitũ fuit morte testatoris Christi: nec enim bona cælestia cuiquam Sancto veteris testamenti obtigerunt, nisi post & per mortem Christi, quam figurabat sanguis victimarum effusus in institutione veteris testamenti, Exodi 24. Sicut enim in illo veteri testamento per terram promissam filijs Abrahæ, promittebatur cælestis hereditas, ita sanguine victimarum promittebatur sanguis Christi, per quem illa danda erat. Verùm hoc sensu Christus mediator & testator esset veteris testamenti; cùm tamen Apostolus asserat tantùm noui testamenti Christum esse mediatorem. Rursum, Apostolus hîc docet morte & sanguine Christi tantùm nouum testamentum esse sancitum, morte verò victimarum sancitum esse vetus, vtpote terrestre, imperfectum, infirmum, & explicitè temporalia tantùm bona promittens & largiens; ergo satis insinuat morte Christi non esse sancitũ vetus testamentum. perpetuò enim hac epistola opponit & anteponit nouum testamentũ veteri, hocque ab illo elisum & exclusum esse docet. Tacitè tamen hunc sensum & causam innuit Apostolus, cùm ait Christum esse mortuum, *In redemptionem earum prauaricationum, quæ erant sub priori testamento, vt repromissionem accipiant æternæ hereditatis.* Vbi satis insinuat non tantùm noui testamenti filios, sed & patres veteris testamenti vocatos esse ad æternam hereditatem, eamque illis promissam, sed ita, vt non per Mosen, sed per Christũ, nec per vetus, sed per nouum testamentũ esset danda & exhibenda. Atque hac ratione Christus explicitè quidem noui testamenti, implicitè tamen veteris quoque fuit mediator & testator, vt docet Lactant. l. 4. c. 20. Hanc ergo quartam expositionem implicitè insinuat Apostolus: verùm quia tertiam non tantùm implicitè, sed & explicitè tradit & perurget, hinc tertia iam data maximè videtur genuina & ex mente Apostoli, vt dixi.

Vetus testamentũ implicitè promittens bona cælestia quomodo Christi morte confirmatum.

Christus vtriusque testamenti testator & mediator.

B

C

D

QVOD MANDAVIT] Id est quod ordinauit, disposuit, &, vt hebraicè est, צִוָּה *carat*, id est, pepigit vobiscũ Deus. Sic enim Hebræi omnem Dei ordinationem & dispositionem vocant Dei mandatum & præceptũ; vt cùm Dauid dicit 2. Reg. 16. v. 10. *Deus præcepit illi* (Semei) *vt malediceret Dauid; præcepit*, id est, ordinauit & statuit permittere Semei, vt suam virulentiam & maledicentiam in me euomat, eamque disponit & ordinat ad mei meorumque peccatorũ punitionem. Sic Deus dicit Eliæ 3. Reg. 17. 4. *Præcepi coruis vt pascant te; præcepi*, id est, ordinaui, & ordinatione mea efficiam vt corui pascant te. Rursum propriè, *quod mandauit*, id est, cuius fœderis scilicet conditiones & leges à vobis, ô Hebræi, seruari mandat & iubet Deus.

Omnis Dei ordinatio, dispositio, permissio, apud Hebræos vocatur mandatum.

ETIAM TABERNACVLVM ET OMNIA VASA MINISTERII SANGVINE SIMILITER ASPERSIT] Hoc ipsũ rursum omisit Moses, supplet tamen Paulus; itaque factum esse docet Ioseph. l. 3. Antiq. c. 9. VERS. 21.

Nota. Aspersio facta est non eo tempore, quo

Deus cum Hebræis fœdus iniit: tunc enim necdum A fabricatum erat tabernaculum; sed postea facto, erecto & dedicato tabernaculo.

Secundò, ministerium hîc sacrum intelligit, quo ministrabant Deo in victimis & oblationibus. hoc enim significat Græcum λειτουργία.

Tertiò, hac aspersione sanguinis expiatum & quasi sacratum est tabernaculum, vt significaretur sanguine Christi expiandam, sanctificandam & quasi consecrandam esse Ecclesiam, quæ verum est Dei tabernaculum.

VERS. 22. ET SINE SANGVINIS EFFVSIONE NON FIT REMISSIO] Iusserat Moses Leuit. 4. vt, si quis peccasset, immolaret victimam pro peccato: quod si fecerit, *propitius*, inquit, *erit ei Dominus*, id est, non inferet Deus illi pœnam huius vitæ, quam alioqui illi inflixisset. Sic ergo per sanguinem victimarũ fiebat remissio non culpæ & reatus coram Deo, sed remissio legalis, tollens culpam & immunditiam legalem, pœnamq; temporalem. nam quoad culpam & pœnam alterius vitæ, hæc non tollebatur sacrificio aut prece sacerdotis, cùm ne in nouo quidem testamento culpa tollatur sacrificio, sed Sacramento pœnitentiæ. Culpa ergo tollebatur olim contritione eorum qui peccarant iuncta cum fide & spe Christi venturi, ac pro peccatis morituri: cuius fidei & contritionis signum & protestatio erat sacrificium, quod pro se peccantes offerebant. sed de hac re plura dicam c. 10. 4.

Remissio peccatorum quomodo fiebat, & quotuplex erat in veteri testamento.

VERS. 23. NECESSE EST ERGO EXEMPLARIA QVIDEM CAELESTIVM HIS MVNDARI: IPSA AVTEM CAELESTIA MELIORIBVS HOSTIIS QVAM ISTIS] Per *exemplaria cælestium*, intelligit Apostolus Mosaicum tabernaculũ & testamentum, ac populum ipsum, id est Iudæos, omniaque quæ in ipso tabernaculo & testamento erant. Id patet ex voce illatiua *ergo*. q.d. Dixi vetus testamentum & tabernaculũ sanguine victimarum fuisse expiatum & dedicatum, legemq; veterem præscribere, vt omnia sanguine expiẽtur, & sine sanguine non fiat vlla remissio: ergo ex hoc legis veteris præscripto, necesse fuit vt omnia, quæ erant in veteri testamẽto, tamquam typi & exemplaria rerum cælestium, talibus bestiarum hostijs & sanguine emundarentur.

Per cœlestia hîc Apostolus non intelligit cælum.

Sed dubiũ est, quid intelligat Apostolus per *cælestia*. D. Thom. Lyran. & Ribera intelligunt ipsum cælum. Sic enim se videtur exponere Apostolus v. seq. cùm ait, *Non in manufacta sancta Iesus introuit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum*. Si obijcias, Cælum nulla mũdatione indiget: Apostolus autem hîc asserit cælestia melioribus hostijs mũdari, ergo per *cælestia* non intelligit ipsum cælũ: Respondent, licet cælum in se sit mundissimum, vt expiatione non egeat, metaphoricè tamen dici cælũ inquinari per peccata; quia peccata nostra cùm in cælum per notitiam ascendunt, sua fama, quasi tetro quodam odore, cælum ipsum quodammodo contaminant & polluunt: ac consequenter cùm peccata ipsa expiantur, cælum ipsum peccatis ita vt dixi pollutum expiari dicitur. Sic enim dicebatur pollui tabernaculum Mosaicum per peccata Iudæorum, ab eisq; expiari & emundari sanguine hircorum pro peccato oblatorũ. per peccata enim fiebat iniuria tum Deo, tum ipsi tabernaculo, in quo Deus habitabat: sicuti polluitur ecclesia, dum sanguine aut semine humano, alióue peccato in ecclesia commisso contaminatur.

Verùm hoc satis durum, remotum & coactum videtur. Nemo enim ita loquitur, & nusquam alibi in Scripturis dicitur cælũ ipsum & locus Beatorum, vtpote purissimus, expiari aut emundari.

Secundò, hæc expositio est præter mentem & phrasim Apostoli, vti mox patebit.

Per cœlestia intelligitur Ecclesia fidelium Christianorum.

Dico ergo, per *cælestia* intelligi Ecclesiam, id est, fideles & filios Christi, ex quibus Ecclesia, id est fidelium congregatio, coalescit & cõsurgit. Dicitur Ecclesia cælestis, vel *cælestia*, quia Ecclesia Christi est quasi cæleste tabernaculum habens cælestem victimam, sc. corpus Christi, cælestem doctrinam, populum denique cælestis & angelicæ vitæ, cui cælum ipsum pro mansione & retributione æterna promittitur, proponitur & præparatur. ita Chrysost. Theod. Theoph Oecum. Primas. Ansel. Haymo & Vasquez, qui sic explicant: *cælestia* sunt conscientiæ nostræ, quarũ emundatio pertinet ad templum non vetus, sed cæleste putà ad cælum ipsum. Hanc esse mentem S. Pauli, probatur Primò, quia planè hîc idem dicit, idq; ijsdem verbis tam Græcis, quàm Latinis, cum eo quod dixit c. 8. 5. vbi ait, *Qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium*: atqui ibi per *cælestia* intellexit Ecclesiam Christi, vti patet, & omnes fatentur: ergo & hîc.

Secundò, quia concludens hunc discursum cap. seq. v. 1. sic ait, *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, vbi *vmbram* vocat, quod hîc *exemplar*: *futura* verò *bona* & *imaginem rerum* vocat id, quod hîc vocat *cælestia*: atqui ibi per *futura bona* & *imaginem rerum* intelligit remissionem peccatorum, aliaq; dona & gratias Ecclesiæ à Christo collatas, vt ipse in seqq. se explicat. ergo & hîc *cælestia* intelligit, non ea quæ in cælo, sed ea quæ in Ecclesia sunt.

Tertiò, quia omnibus hisce capitibus opponit, confert & anteponit Apostolus Christum Mosi, Euangelium legi, tabernaculum Ecclesiæ, non cælo. q.d. Ex dictis de lustratione veteris tabernaculi & testamenti per sanguinem victimarũ, noui verò tabernaculi & testamenti per sanguinem Christi, clarum est necessarium fuisse vt illa quæ sunt veteris tabernaculi & testamenti, tamquam *exemplaria*, græcè ὑποδείγματα, id est obscuræ quædam picturæ (vti dixi c. 8. 5.) *cælestium*, id est rerum & fidelium Ecclesiæ, mundarentur sanguine victimarum: ipsa verò *cælestia*, id est fideles, resque Ecclesię mundarentur melioribus hostijs, putà sanguine & sacrificio Christi, tam in cruce peracto, quàm Eucharistico, quod indies in Ecclesia peragitur & repetitur. hæc enim indies repetita Eucharistiæ mysteria, vti plura dicuntur Sacramenta & sacrificia, ita non vna, sed plures dicuntur hostiæ, vt annotauit Ribera.

Eucharistia qua quotidie offertur, est plura Sacramẽta, sacrificia & hostiæ.

VERS. 24. NON ENIM IN MANVFACTA SANCTA IESVS INTROIVIT, EXEMPLARIA VERORVM] Nota. *Exemplaria* hîc non vocat Apostolus ipsum vetus tabernaculum & testamentum, eaque quæ in ipso erant, vti vocauit ea v. præc. sed *exemplaria* hîc limitat & arctat ad Sancta sanctorum; dicitque Iesum non introisse in Sancta sanctorũ vetera & typica, vti faciebant pontifices Aaronici, sed in ipsum cælum, quod adumbrabatur per vetera illa Sancta sanctorum.

Nota Secundò. Vetera illa Sancta sanctorum vocat Apostolus *exemplaria*, græcè ἀντίτυπα, *verorum*, scil. cælestium, siue ipsius cæli empyrei, quod est habitaculum Beatorum: hoc enim est verissimum Sanctum sanctorum, cuius antitypum fuit vetus

vetus Sanctum sanctorum Mosaicum, quia exillo hoc expressum fuit, vt illud referret & repræsentaret, vti dixi c.8.5.

Cur Ecclesiā vocauerit Apostolus cælestia.

Nota Tertiò. Vt hæc connectantur cum v. præced. vox *enim* dat causam, cur Ecclesiam v. præced. vocarit cælestem siue *cælestia*. q.d. Ideo vocaui Ecclesiam *cælestia*, quia Christus in cælum ingressus, illud Ecclesiæ, id est fidelibus suis, reserauit, ibique quasi pontifex noster semper apparet vultui Dei pro nobis, vt gratiam, virtutes, gloriam, omniaque bona cælestia nobis impetret. Hoc enim est quod identidem hisce capitibus vrget Apostolus, scilicet Christum, siue Messiam nostrum pontificem non debuisse hîc in terris manere, & in templo Salomonis semper fungi pontificatu suo, vti putabant & sperabant Iudæi; sed peracta hîc in cruce redemptione nostra, debuisse cælum ingredi & reserare, vt ibi ad dextram Dei residens interpellet pro nobis, locumque in cælis nobis paret. hoc enim est quod dixit c.8 v.1. *Talem*, inquit, *habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo.* id quod in sequentibus clariùs explicat. Rursũ idem dixit hoc cap. v.12. cùm ait, *Christum per proprium sanguinem introisse semel in sancta, aterna redemptione inuenta.* & v.vlt. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.* Rursum c.10.12. *Hic*, inquit, *vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* & concludens v.19. sic ait: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum* (id est cæli) *in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde*, &c.

Dua rationes, cur Christus nam Deo pro nobis apparuit.

VT APPAREAT NVNC VVLTVI DEI PRO NOBIS] *Vt* scilicet, sicut ait S. Cyprian. serm. de Baptismo Christi, *semper reseruatæ in corpore Christi plagæ, salutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donatiuum requirant.* Secundò, *vt appareat*, id est, apparendo oret & interpellet pro nobis. est enim catachresis.

VERS. 25.

NEQVE VT SAEPE OFFERAT SEMETIPTVM, QVEMADMODVM PONTIFEX INTRAT IN SANCTA PER SINGVLOS ANNOS IN SANGVINE ALIENO] Est hîc triplex collatio & antithesis Christi cum pontificibus Aaronicis. Prima, Aaronici ingrediebantur in Sancta sanctorum, Christus verò ingressus est in cælum. Iam ne Hebræi putent Christũ cælum esse ingressum, hac de causa, vt ibi rursum & sæpiùs seipsum offerat & immolet Patri, itaque æquent Christum Aaronicis sæpè suas hostias immolantibus; addit Apostolus Secundam antithesin: Aaronici, inquit, quotannis repetebant oblationem, quia infirma & insufficiens erat; Christus verò semel tantùm se offerens, peccata omnia aboleuit, tum præteritorum, tum futurorum sæculorum, nobisque omnibus æternam redemptionem inuenit. Tertia, Aaronici *in*, id est cum, sanguine alieno, putà hircorum & vitulorum, ingrediebantur Sancta: Christus verò per sanguinem proprium ingressus est in cælum.

Triplex collatio & antithesis Christi, cum pontificibus Aaronicis.

VERS. 26.

ALIOQVIN OPORTEBAT EVM FREQVENTER PATI AB ORIGINE MVNDI] Probat Christum non sæpè se obtulisse & immolasse, sed vnica oblatione æternam nobis inuenisse redemptionem: quia cùm peccata non nisi Christi redemptoris sanguine expiari possint; si vnica eius mors & sanguinis effusio ad omnia omnium ætatum peccata expianda non sufficeret, sed tantùm expiaret peccata sui sæculi; ergo debuisset Christus frequenter pati, singulis nimirum sæculis, vt singulorum sæculorum peccata, sua morte & sanguine aboleret: hoc autem est absurdum.

Sacrificiũ pro omnibus omniũ temporum peccatis.

Obijcies, Apoc. 13.8. dicitur Christus esse *agnus occisus ab origine mundi*.

Locus Apocalypsis 13. de occisione agni ab origine mundi elucidatus.

Resp. Aretas, Ticonius & alij in illum locum, τὸ *ab origine mundi*, referunt non ad τὸ *agnus*, sed ad τὰ, *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ*. q.d. Ab origine mundi, in ò ab æterno nomina eorum qui adorabunt bestiam, non sunt scripta in libro vitæ, sed mortis, id est, reprobi sunt & damnandi.

Simpliciùs tamen & planiùs, referes hæc verba ad τὸ *agnus*: dicitur ergo Christus *agnus occisus ab origine mundi*, id est, iam olim ab initio & ante omnia quæ in mũdo & cum mundo creata sunt; quia abæterno Christus occisus est, id est occidi decretus, præscitus & prædestinatus. mors enim Christi abæterno decreta fuit, hominibusq; omnibus sæculis proposita, vt eam credendo, sperando, & per eam poscendo peccatorum remissionem, eamdem impetrarent. Simili phrasi dixit Apostolus, Deum nobis dedisse, id est, dare decreuisse & prædestinasse suam gratiam ante tempora sæcularia, 2. Tim. 1. 9. & Tit. 1. 2. vide can. 36.

NVNC AVTEM SEMEL IN CONSVMMATIONE SAECVLORVM] Aliqui legunt, *in consummationem sæculorum*, & per *consummationem* intelligunt perfectionem; q.d. Mortuus est Christus vt omnia sæcula suo sanguine expiaret & perficeret. Verùm Græcum συντέλεια passim in Scripturis non perfectionem, sed consummationem & finem significat.

Quæres, quomodo in consummatione, id est, fine sæculorum passus dicitur Christus, cùm ab eius passione iam fluxerint 1600. anni, & multi adhuc fluent vsque ad finem mundi?

Respondent Chrysost. & Theophyl. *consummationem sæculorum* vocari illud tempus mundi, quo peccata prorsus inualuerant, & quasi ad summum peruenerant, quod fuit tempore Christi. Vnde Nyssenus serm. de Natali Christi, docet quòd Christus imitatus sit medicum excellentissimum, qui febricitanti non succurrit, dum febris adhuc increscit & succenditur, sed dum ea totam suam vim exseruit, omniaque sua euomuit & ad summum peruenit; tunc enim illa viribus suis exhaustis deferuescere & subsidere incipit: ita enim & Christus tamquam peritissimus animarũ medicus exspectauit tempus oportunum, vt manum nostro morbo antè non adhiberet, quàm vniuersa malitiæ ægritudo seproderet & exsereret, ne vllum mali virus abditum & incuratum relinqueret. Verùm hoc sensu, potiùs dixisset Apostolus, quòd Christus apparuit in consummatione non sæculorum, sed peccatorum.

Varia expositiones quid Paulus intelligat per consummationem sæculorum. Prima.

Secundò, Ribera sæcula hæc limitat, intelligitque sæcula non quælibet, sed à Deo Patre Christi incarnationi præstituta. q.d. Cùm consummata essent tempora & sæcula, quæ Pater Christi natiuitati & passioni præfinierat, tunc natus & passus est Christus. Vnde hanc consummationem sæculorum Apostolus vocat Galat. 4.4. *plenitudinem temporum*: in hac enim ait venisse Christum. Verùm quia Apostolus hæc sæcula non limitat, hinc

Secunda.

Tertiò, planiùs accipias ea generatim: ita scilicet,

Tertia & genuina.

cet, vt omnia sæcula, siue totum sæculum diuidas in sæculum, quod fuit ante diluuium; Secundò, in sæculum, quod à diluuio fuit vsque ad Abrahamum; Tertiò, in sæculum, quod fuit ab Abrahamo ad Mosen; Quartò, in sæculum, quod fuit à Mose ad Dauidem; Quintò, in sæculum, quod fuit à Dauide ad captiuitatem Babylonicam; Sextò, in sæculum, quod fuit à captiuitate vsque ad Christum. Vel breuiùs & neruosiùs, sæculum primum est sæculum antè diluuium, sæculum secundum est post diluuium durante adhuc lege naturæ, tertium sæculum est legis Mosaicæ & Iudæorum, quartum & vltimum est Christi. Sic Oecum. qui totum tempus ab Adam ad finem mundi diuidit in primum, medium & nouissimum; & primum esse ait sæculum legis naturæ, medium esse sæculum legis Mosaicæ, nouissimum esse sæculum legis Euangelicæ. Voluit enim Deus vt hæc sæcula Christum præcurrerent, vt ostenderetur infirmitas legis tum naturæ, tum Mosaicæ; itaque anhelarent homines ad Christum & legem Euangelicam. horum ergo respectu, Christi sæculum est vltimum & consummatio sæculorum omnium præcedentium: quia Christi sæculo nullum aliud succedet, vsque ad iudicium, sed durabit illud vsque ad beatum æternitatis & immortalitatis sæculũ. Sic hanc consummationem sæculorum Apostolus 1. Cor. 10. 11. vocat *fines sæculorum*; S. Iohannes epist. 1. c. 2. 18. vocat *nouissimam horam*; *horam*, id est tempus, siue sæculũ. & hoc sensu Prophetæ tempus Christi vocant *nouissimum*, quia vltimus hic est mundi status, vltima ætas. ita vocat illud Isaias cap. 2. 2. Michæas c. 4. 1. & alij sæpè.

Variæ sæculorũ mundi diuisio.

Christi sæculum vltimum consummat omnia sæcula, quia nullum aliud succedit illi.

AD DESTITVTIONEM PECCATI] Aliqui hîc legũt *ad destructionem peccati*. Sed meliùs Biblia Romana & alij passim legunt *destitutionem*. nam græcè est εἰς ἀθέτησιν, id est, ad reiectionem, reprobationem & profligationem: (vt vertit Vatabl.) peccati; vt scilicet peccatum ab omnibus destituatur, reijciatur, reprobetur & profligetur. Aptè ergo vertit Noster *destitutionem*. opponitur enim ἀθετεῖσθαι τῷ τιθέναι, quod significat ponere, statuere; idem ergo est quod deponere, destituere. Anselm. *destituere* exponit, ita vt idem sit quod deorsum statuere. *Christus*, inquit, *se obtulit vt deorsum statueret peccatum, ne supra nos, sed subter nos esset*. Quæ expositio vera est, sed proprietatem vocis Græcæ non assequitur. Syrus vertit דְּנִבְטְלֵיהּ *danbatelcha*, id est, vt concuteret, eneruaret & aboleret peccatum. בָּטַל enim significat ita hominem quassare & eneruare, vt vix membrum vllum mouere possit.

Peccati destitutio.

PER HOSTIAM SVAM APPARVIT] non in terra: ibi enim ante hostiam suam in cruce oblatam natus & viuens per triginta tres annos apparuit; sed in cælo post mortem & ascensionẽ apparuit Deo Patri, offerens sanguinem suum, sicut pontifex ingrediẽs Sancta sanctorum apparebat coram Deo residente in propitiatorio, cum sanguine hircorum & vitulorum. respicit enim ad illud, quod dixit v. 24. scilicet Christum introisse in cælũ, *vt appareat vultui Dei pro nobis*, hoc scilicet fine, vt per sua merita & preces, quas offert & repræsentat, gratiam impetret, qua Deus destituat & profliget ab humano genere peccatum, quaque homines gratia hac Dei & tanta Christi pro se passi & morientis charitate præuenti & accensi, sponte sua peccatum destituant, repellant & profligent.

Vbi Christus per hostiam suam apparuit.

VERS. 27. ET QVEMADMODVM STATVTVM EST HOMINIBVS SEMEL MORI, POST HOC AVTEM IVDICIVM (supple superest:) SIC ET CHRISTVS, &c.] Eximit Hebræis scrupulum & scandalum crucis, dicebant enim, Si hic est Christus & Messias noster, quomodo mortuus est & crucifixus? Respondet Apostolus, hanc communem esse naturæ legem vt omnes homines morti subiaceant; ergo non mirũ si Christus mortuus sit, cùm hanc legem nobiscum & pro nobis homo factus subire voluerit.

Christus communi mortis legi subiectus.

Nota. τὸ *quemadmodum*, comparationem exigit. q. d. Sicut omnes homines tendunt ad mortem, ad iudicium: ita & Christus accessit ad mortem, accedetque ad iudicium, non vt iudicetur, sicut cæteri homines, sed vt eos iudicet, & fideles suos se exspectantes saluet & beet.

Nota Secundò, τὸ *statutum est*, nimirum fixo, immobili & indispensabili decreto Dei. Nam, vt B ait Eccles. c. 14. v. 12. *Testamentum huius mundi* est, *morte morietur*. Ita singulis patribus qui 900. annos vixerunt, additur, *Et mortuus est*, Genes. 5. Pinxit Apelles, inquit Plinius, Alexandrum Magnum tenentem fulgur manu, quasi qui celerrimè suo imperio penetrarit ab ortu ad occasum, sed rursum celerrimè disparuerit; nimirum, vt de eo canit Iuuenalis,

Alexandri mors & vicissitudo.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

Refert Petrus Alphonsus mortuo Alexandro plures conuenisse philosophos, è quibus vnus dixit: *Heri totius terræ spatiositas Alexandro non sufficit; nunc trium quatuórve vlnarum spatium ipsi sufficit.* Aiebat alius: *Heri potuit Alexander à morte multos liberare, hodie seipsum non potest.* Alius cùm aureum C eius loculum videret: *Heri Alexander ex auro fecit thesaurum; hodie aurum fecit ex ipso thesaurum.* Alius: *Heri Alexander terram oppressit; hodie à terra opprimitur.*

Quid est ergo homo? fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium, viator transiens, mancipium mortis, mundi ludicrum. Quisquis ergo mortalis es & morituras, disce mori.

SIC ET CHRISTVS SEMEL OBLATVS EST AD MVLTORVM EXHAVRIENDA PECCATA] *Multorum*, id est, omnium hominum; qui multi sunt, inquit Theophyl. Secundò, pro *exhaurienda*, græcè est ἀνενεγκεῖν, quod offerre, perferre & sufferre significat. q. d. Christus in se sustulit & pertulit peccata hominum, dum se quasi victimam pro peccato, & quasi hominum peccatis onustum Patri obtulit in cruce. ita Chrysost. & Theodor. Vnde Syrus ver- D tit, *& in seipso* דְּבַח *debach*, id est, *immolauit* vel *sacrificauit peccatum multorum*; ita scilicet, vt sacrificando illud omnino remoueret & aboleret. Rursum ἀνενεγκεῖν significat sursum tollere, & consequenter exhaurire: sicut aqua è puteo dum sursum tollitur, exhauritur; aut sicuti poculum vini dum sursum ad os tollitur & bibitur, exhauritur: sic Christus calicem passionis & pœnarũ nobis debitarum ad os suum sustulit, ebibit & exhausit, itaque culpam omnem absumpsit & aboleuit. Hanc significationem secutus est Noster interpres, dum vertit *exhaurienda*. Disce hîc, Christiane, per Christi gratiam peccata tibi non esse radenda, non secanda, non carpenda; sed planè exhaurienda, eradicanda & extirpanda.

Christus peccata nostra sustulit & exhausit.

SECVNDO SINE PECCATO APPAREBIT EXSPECTAN-

CTANTIBVS SE, IN SALVTEM] *Sine peccato*, id est, abolito peccato. Secundò, & meliùs, *sine peccato*, id est, non vt iterum se offerat quasi victimam pro peccato: vt sit metonymia, qua peccatum idem est quod victima pro peccato. & hoc aptè consentit cum verbis præcedentibus, quibus dixit Christum oblatum esse ad multorum peccata exhaurienda, græcè ἀνενεγκεῖν, id est perferenda, luenda & expianda, tamquam victimam pro peccato, vti explicuit Chrysost. & Theodor. *In iudicio*, ait Anselm.

Peccatum idem quod victima pro peccato.

Christus apparebit non vt hostia, sed vt iustitia in remunerando, putà in puniendo & damnando infideles & improbos; & in præmiando, saluando ac glorificando fideles & probos. Quare, ô Hebræi, in Christum mortuum & crucifixum credite, constanter in fide Christi persistite, omniaque dura pro ea tolerate, quia breui veniet Christus ad iudicium, vt hostibus vestris perniciem, vobis autem, omnibusque se exspectantibus, salutem æternam afferat.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet non hostias Aaronicas, licet permultas, sed vnam Christi in cruce hostiam expiare peccata omnia.

Proinde v. 19. à dogmatibus ad mores transiens, infert & vrget Hebræos, vt in fide Christi constantes sint, tum ob terrorem vindictæ Dei, v. 26 tum ob pristinam eorum in persecutione constantiam, v. 32. tum quia post modicum veniet Christus iudex & liberator noster, v. 37.

1. VMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere: 2. alioquin cessassent offerri ideò quòd nullam haberent vltrà conscientiam peccati, cultores semel mundati: 3. sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. 4. impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. 5. Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: 6. holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. 7. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Vt faciam, Deus, voluntatem tuam. 8. Superiùs dicens: Quia hostias, & oblationes & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur, 9. tunc dixi, Ecce venio, vt faciam, Deus voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat. 10. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. 11. Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: 12. hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. 13. de cetero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. 14. Vna enim oblatione, consummauit in sempiternum sanctificatos. 15. Contestatur autem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: 16. Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: 17. & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor ampliùs. 18. Vbi autem horum remissio: iam non est oblatio pro peccato. 19. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, 20. quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, 21. & sacerdotem magnum super domum Dei: 22. accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, 23. teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est qui repromisit,) 24. & consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum: 25. non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. 26. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, 27. terribilis autem quædam exspectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. 28. Irritam quis faciens legem Mosi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: 29. quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? 30. Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum. 31. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. 32. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: 33. & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. 34. Nam

&

& vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. 35. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. 36. Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. 37. Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est, veniet, & non tardabit. 38. iustus autem meus ex fide viuit: quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. 39. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

VERS. 1. VMBRAM ENIM HABENS LEX FVTVRORVM BONORVM, NON IPSAM IMAGINEM RERVM] Vox *enim* probat & dat causam, cur lex legisq; sacrificia non potuerint peccata expiare & homines sanctificare, sed id exspectandum sit à Christo, Christiq; sacrificio, vti docuit c. præc. Causa hæc est, quòd lex tantùm fuerit vmbra bonorum futurorum in nouo testamento, scilicet iustitiæ, gratiæ & salutis dandæ per Christum; vmbra autem non est res ipsa, sed tantùm vmbra rei.

Cur lex vetus, legisq; sacrificia non potuerint peccata expiare.

Lex vetus vmbra, Euangeliũ imago, cælũ veritas.

Notat Theodor. & ex Nazianzeno Theoph. legi hîc tribui σκιάν, Euangelio εἰκόνα, cælo ἀλήθειαν, καὶ τὸ πρᾶγμα, id est, veteri testamento tribui vmbram, nouo imaginem, quia futura bona, quasi imago clarè & expressè repræsentat, rem verò ipsam & veritatem tribui cælo. Verùm quia Apostolus tantùm comparat legem cum Euangelio; non autem cum cælo: & quia vult docere Euangelium exhibuisse reipsa remissionem peccatorum & gratiam, quam lex vetus per sua sacrificia & lustrationes adumbrabat; hinc meliùs Chrysost. per *imaginem* intelligit veritatem rerum, siue res ipsas. Est enim hîc metaphora ducta à pictoribus, qui primò carbone, aut penicillo, rudi modo rem delineant & adumbrant. Vnde primam hanc & rudem picturam vocant vmbram, quia prima est, rudis & vmbratilis tantùm delineatio rei, quam postea suis coloribus & pigmentis implent & exornant, vt fiat pulchra & perfecta imago: nec enim pictorum ars habet, quò tendat vlteriùs, cùm in pictura, hæc sit vltima eorum manus & perfectio. Sic Deus in veteri lege tantùm delineauit rudem quamdam picturam & vmbram reconciliationis & iustitiæ per tot victimarum sanguinem & expiationem: in noua verò lege hanc reconciliationem & sanctitatem reipsa expressit, expoliuit, & quasi perfectam imaginem nobis depinxit & exhibuit. Vnde Syrus pro *imaginem*, vertit ܩܢܘܡܐ *kenuma*, id est, substantiam rerum, quasi vmbra fuerit in lege, res verò & corpus quod vmbram efficit, sit in Euangelio. Quæ licet alia sit metaphora ab ea pictorum, quam innuit hîc Paulus, idem tamen cum illa refert & significat.

Secundò & genuinè: lex vetus vmbra est, Euangeliũ ipsa veritas.

NVMQVAM POTEST ACCEDENTES PERFECTOS FACERE] *Perfectos* id est, perfectè expiatos, & à peccatis purgatos, iustos & sanctos efficere suis hostijs non potest lex.

VERS. 2. ALIOQVIN CESSASSENT OFFERRI: IDEO QVOD NVLLAM HABERENT VLTRA CONSCIENTIAM PECCATI CVLTORES SEMEL MVNDATI] *Cultores* vocat Iudæos, qui suis victimis, lustrationibus & cæremonijs colebant Deum: hos enim significat Græcum λατρεύοντας.

Quomodo in sacrificio sit vis expiatrix peccati tam

Dices, Quæ est hæc consequentia? si vetera sacrificia potuissent expiare peccata, ergo iam cessare debuissent. Excipiet enim aliquis, & dicet expiasse peccata præterita, sed pro peccatis præsentibus & futuris repeti debuisse: alioqui enim pari modo inferam, Sacrificium Missæ expiat peccata præterita, ergo pro futuris repeti non debet.

præsentis, quam præteriti & futuri.

Respondeo Primò, Apostolum directè loqui de expiatione peccatorum præteritorum, indirectè tamen & consequenter etiam de expiatione futurorum. q.d. Si in priscis sacrificijs fuisset vis & virtus expiatrix peccatorum præteritorum, ergo iam pro ijs offerri cessassent, vtpote pro quibus semel sacrificatum erat, quæque hoc sacrificio expiata & expurgata erant: atqui pro ijs offerri non cessant. nam quotannis in festo expiationis sacrificatur pro omnibus peccatis populi, non tantùm præsentibus, sed & præteritis, vti docet Apostolus v. seq. ergo patet quòd in ijs nulla fuerit vis peccatorum expiatrix; erant ergo hæc sacrificia tantùm vmbræ & typi sacrificij crucis, quo Christus peccata omnia expiauit.

Respondeo Secundò, Indirectè, vt dixi, loquitur Apostolus de expiatione peccatorum futurorum. q.d. Si in priscis victimis fuisset vis expiatrix peccati præteriti, ergo & futuri, & consequenter si cessassent offerri pro peccatis præteritis, ergo & pro futuris, si in ea relabi aliquem contigisset. Ratio est; quia tota difficultas, quæ est in expiatione peccati, non consistit in præterito vel futuro. Tempus enim parum ad rem facit, sed consistit in grauitate & malitia peccati. Peccatum enim malum quoddam est immensum & infinitum, quia est offensa Dei immensi; ac consequenter virtus expiatrix peccati debet esse immensa & infinita. quòd si ergo sacrificium aliquod per se & vi sua sit expiatiuũ peccati præteriti, facilè poterit esse & futuri. Virtus enim eius peccati expiatrix cùm sit infinita, tam facilè tollet peccatum futurum, quàm præteritum.

Ad expiandum peccatũ requiritur vis infinita.

Loquitur hic Paulus de sacrificio nõ applicatorio, sed expiatorio.

Pro quo Nota. Loquitur Apostolus de sacrificio non applicatorio, sed per se expiatorio peccati, quo scilicet Deo persoluitur lytrum & pretium iniuriæ illi per peccatum illatæ. vt scilicet illo sacrificio & victima satisfiat maiestati diuinæ per peccatum læsæ, & reparetur illius iniuria, honosque per peccatum ablatus restituatur. Opponit enim & anteponit Apostolus sacrificium crucis, & victimam Christi sacrificijs Mosaicis, & victimis boum, in eo quòd non hæc, sed illud vnum fuerit propitiatorium, expiatorium, satisfactorium, & redemptorium peccati; ideoque colligit & concludit illa huius tantùm fuisse vmbram & typum, eoque adueniente cessare debuisse; vtpote in quibus nulla inesset vis ad expiandum peccatum. *Impossibile est enim*, vt subdit Apostolus, *sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

Hinc sequitur Primò, Apostolum non comparare sacrificium crucis cum Aaronicis, in eo, quòd sacrificium crucis fuerit redemptorium & expiatorium; Aaronicum verò fuerit applicatorium: nec enim hac de re erat quæstio inter Hebræos, siue Iudæos: sed quæstio erat de paritate,

Sacrificia Aaronica Paulus ideo parat indignitate, cũ sacrificio crucis, non

in modo expiandi peccata.

tate, siue pari dignitate Aaronis & Christi, sacrificiorum legalium & sacrificij crucis. Iudæi enim volebant componere, immò anteponere Mosem & Aaronem Christo, suaque sacrificia tamquam expiatoria peccati, iustificatoria & sanctificatoria, sacrificio Christi; idq; ex eo quòd Deus iubẽs Leuit. 4. offerri hostiam pro peccato, subdat v. 20. 26. 31. 35. *Et dimittetur ei*, scilicet peccatum, pro quo hostiam obtulit. Illud ergo hîc & totâ epistola conuellere nititur Apostolus, docetque non Aaronis, sed Christi sacrificium fuisse redemptorium & expiatorium peccati: de eius verò applicatione non agit hîc Apostolus. Cùm ergo ait, *Alioquin cessassent offerri*, intellige qua pretia, non qua applicationes pretij; qua redemptoria & satisfactoria, non qua applicatoria. Hæc enim de causa cessauit, nec iteratum est sacrificiũ crucis, quia, vt ait v. 14. Christus *vna oblatione* (crucis) *consummauit in æternum sanctificatos.* de quo plura v. 14.

Apostolus non comparat hic sacrificium Missæ cum sacrificio crucis.

Hinc sequitur Secundò, Apostolum non conferre hîc sacrificium crucis cum sacrificio Missæ, quod non est redemptorium, sed tantùm commemoratorium & applicatorium sacrificij crucis: si enim applicationem sacrificij crucis, quæ fit per sacrificium Eucharistiæ, excludere vellet Apostolus, pari modo excluderet baptismum, pœnitentiam, fidem, aliaque quibus applicatur nobis fructus sacrificij crucis: tam enim per baptismum & fidem, quàm per Missam applicatur nobis meritum & pretium crucis Christi. Hinc patet solutio obiectionis propositæ: sacrificium enim quo comparatur pretium & lytrum peccatorũ, quale tantùm fuit sacrificium crucis, iterari non debet; Missa verò & sacrificia, quæ hoc pretium applicant, repetitis peccatis repeti debent.

Missa sacrificium tur iterari debeat, non verò sacrificium crucis.

Dices, Instare potuissent Iudæi, ac dicere: Tua ratio, ô Paule, bene concludit, cessare debuisse vetera sacrificia, quia non erant per se expiatoria peccati; sed cur non manserunt saltem ad hoc, vt essent applicationes sacrificij crucis?

Quare vetera sacrificia non voluerit Christus in sua Ecclesia.

Respondeo, Hoc non vrgebant tum temporis Iudæi, sed si vrgissent, respondisset Apostolus, potuisse Christum, si ei libuisset, retinere vetera sacrificia, vt essent applicationes sacrificij crucis; verùm noluisse, nec decuisse eum, vt hoc faceret. Primò, quia vetera sacrificia carnalia & rudia erant, pro rudi & carnali populo Iudaico, nec conuenientia spirituali populo Christianorũ. Secundò, quia vmbræ erant & figuræ crucis, ergo cruce exhibita cessare debebant & euanescere. Tertiò, quia decebat vt Christus nouus pontifex, nouum induceret sacrificium, idem scilicet quoad victimam cum sacrificio crucis, vt nimirum in Missa, corporis Christi pro nobis in cruce oblati, ac consequenter expiationis illius, redemptionis & gratiæ reipsa participes efficeremur.

Triplex differentia sacrificiorũ veterum & sacrificij Christi.

Denique vt rem totam paucis complectar; triplicem differentiam sacrificiorũ veterum & Christi significat hîc Apostolus. Primò, quòd vetera vti pontifices honore & officio pares, ita & victimas succedaneas haberent eiusdẽ pretij & dignitatis: agnus enim par & similis succedebat agno, bos boui, hircus hirco. ratio erat, quia nulla erat victima condigna quæ peccatum expiaret: quòd si talis aliqua fuisset, illius victimæ participatio & applicatio facta fuisset per alias victimas minoris pretij; sicut victima crucis redemptoria & expiatoria, nobis applicatur per sacrificium Missæ, &

A per Sacramenta à Christo ad hoc instituta. Secunda differentia est, quòd vetera sacrificia non expiarent peccata præterita. Tertia, quòd nec futura expiarent, ideoque semper repetebantur; Christus verò sacrificio suo vnico pro omnibus omnino peccatis præteritis & futuris expiauit, & pretium condignum obtulit, scilicet corporis sui victimam vnam cruentam, quam proinde iterum offerre non est necesse; sed tãtùm applicare oportet, non sola fide speciali vt volunt Nouantes; sed timore, contritione, dilectione, Sacramentis, & eadem victima incruenta in sacrificio Missæ oblata, prout Christus sanxit, & Ecclesia ante Lutherum & Caluinum à Christo hucusque docuit & obseruauit. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Anselmus.

Error Nouatorum de applicatione meritorum Christi.

B SED IN IPSIS COMMEMORATIO PECCATORVM PER SINGVLOS ANNOS FIT] q.d. Quòd non fuerit in illis veteribus sacrificijs virtus aliqua peccatorum expiatrix, ex eo patet, quòd singulis annis in die expiationis non tantùm præsentia, sed & vetusta peccata totius anni pro quibus iam antè sacrificatum erat, repetebantur. Pontifex enim semel in anno in die expiationis peccata toto anno à populo admissa expiabat, cum sanguine hircorum ingrediens & aspergens sancta Sanctorum, vt patet Leuit. 16. Ergo sacrificia hæc vetera tantùm erant protestationes quædam, quibus protestabantur Iudæi se aliud requirere sacrificium, putà Christi, per quod fieret peccatorum remissio: ac consequenter ipsa erant non tam peccatorum remissio, quàm accusatio & commemoratio; siue vt græcè est, ἀνάμνησις, id est, in memoriam reuocatio, vt scilicet homines recordarentur suorum peccatorum, scirentque ea sibi per sacrificia quæ obtulerant non esse remissa, sed ad Christi crucem & sacrificium per fidem & spem recurrerent.

VERS. 3.

Sacrificia vetera tantùm erant protestationes, quibus Iudæi testabantur se aliud expectare sacrificium.

C IDEO INGREDIENS MVNDVM DICIT: HOSTIAM ET OBLATIONEM NOLVISTI] Probat nouo argumento, testimonio scilicet psal. 39. vetera sacrificia non expiasse peccata, non reconciliasse nos Deo; quia psal. 39. dicit Deus, se nolle, non delectari, non placari veteribus hostijs & oblationibus. Licet enim placeret Deo pietas, obedientia, deuotio offerentium has victimas; ipsæ tamen victimæ, putà oues & boues, in se Deo non placebant, nec eum placabant, vti placet & placat Deum Christus in cruce immolatus.

VERS. 5.

Victimæ veteres in se nec placebant, nec placabant Deum.

Nota, τὸ *ideo*. q.d. *Quia impossibile est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata, ideo* Christus vt peccata auferret, veniens, & ingrediens mundũ per suam incarnationem & natiuitatem, *dicit* Deo Patri: *Hostiam*, scilicet cruentam hircorum & taurorum, atque *oblationem*, scilicet incruentam similæ, vini, panis, olei, &c. *noluisti*, ô Pater, sed *corpus mihi aptasti*, quod tibi in sacrificium pro peccato offeram: quare *dixi*. & dico, *Ecce venio*, ecce ego, en adsum, præstò sum, vt faciam voluntatem tuam Deus, vt scilicet me pro peccatis victimã offeram, qua homines tibi reconciliem.

D CORPVS AVTEM APTASTI MIHI] Ita legunt LXX. emendati per Cardin. Cataffam, & ex LXX. Paulus, & Syrus hîc. Ita legunt quoque Ambros. Chrysost. Theodor. & August. in psal. 39. v. 7.

Dices, quomodo ergo psal. 39. in Hebræo habetur אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִי *aures carita li*, id est, aures fodisti, aut perforasti mihi: vnde & in psal. 39. ex alia editione LXX. legimus in Latina nostra versione,

ne, *aures autem perfecisti mihi*. Et ita legunt ibidem Arnobius, Cyril. Euseb. & Hieron. scilicet ὦτία, id est aures, pro σῶμα, id est corpus. Respondeo, idem est sensus, siue legas *aures*, siue *corpus* perfodisti, vel perfecisti mihi. Sensus enim est: Fecisti, ô Pater, me Christum seruum tuum docilem, obedientem, & perpetuum (talis enim seruus, Exodi 21. v. 6. solebat aurium perfossione notari) hoc ipso quo formasti humanitatem meam, cùm gratia vnionis & habituali, cumque auribus perforatis, id est, cum seruitute & obedientia perpetua & difficillima in re durissima, scilicet morte crucis obeunda, quæ obedientia aures magis terebrat quàm subula. Hinc enim seruis perforabatur auris, vt scirent se molesta herorum imperia excepturos, quæ quasi subula aurem perforarent. Vnde Chaldæus psal. 39. vertit, *Aures autem ad auscultanda tua præcepta, perforasti mihi.*

Aliqui pro corpus, *legunt* aures, *& est metaphora ducta à seruis quibus aures perforabatur.*

Secundò, & melius, Genebrardus in psalm. 39. & Ribera, ac Galenus hic, censent per synecdochen *aures* in Hebræo poni pro toto corpore. Agit enim Psaltes eo loco de incarnatione Christi, deque formatione illius corporis, quod quasi victima loco holocaustorũ veterum boum & ouium, quæ Deo non placuerunt. Deo pro peccatis immolandum erat, vti patet ex præced. & sequ. Continet enim psal. 39. hac de re quasi dialogismum Dei Patris, & ipsius obedientissimi Filij Christi Domini. Vnde & Syrus vertit, פגרין אלבשתני *pagra den albestani*, id est, *corpore autem vestiuisti me*. Per *aures* ergo corpus intelligitur; nominantur autem aures præ alijs corporis membris, quia agebatur de seruitute & obedientia Filij, vsque ad immolationem & mortem crucis. Obedientiæ autem & seruitutis symbolum sunt aures.

Aures per synecdochẽ hic ponuntur in Hebræo pro toto corpore.

APTASTI] Hebraicè כָּרִיתָ *carita*; quod Primò, verti potest, *fodisti*, id est, *perforasti*. Vt alludat ad seruum cui aures perforabantur, vti dixi. Secundò, Genebrard. & Ribera vertunt, aures & corpus mihi *fodisti*, id est fodicasti, vti figulus solet argillam fodicare & subigere, vt vas suum efformet: pari modo tu, ô Pater, quasi plastes fodicãdo subigendoque corpus meum, illud plasmasti & aptasti mihi. Tertiò, alij vertunt, *fodisti* id est emisti, siue acquisiuisti mihi corpus, illud scilicet aptando & formando. Simili enim hebraismo dicit Osee c. 3. v. 2. se vxorem *fodisse*, id est emisse, & emendo sibi desponsasse eam in vxorem quindecim argenteis. Quartò & optimè, *carita*, id est, excidisti mihi corpus, sicut solent statuæ ex petra, marmore, alióue lapide exscindi: Hebræum enim כָּרָה *cara*, vti & כָּרַת *carat*, propriè significat, non tam fodere, quã exscindere. Inde enim dicitur חִכְרָה *michra*, id est fouea, fodina, vel cauerna excisa: cuius adinstar dicunt Hebræi filios exscindi ex corpore parentum. Vnde Isaias ca. 51. v. 1. *Attendite*, inquit, *ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis*; quod explicans subdit, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos*. Vbi, vt interpretatur S. Hieron. Abrahã vocat *petram*, ob fidei firmitatem: *cauernam* verò *laci* vocat Saræ vterum, ex qua excisi sunt Iudæi. Hebræi enim familias vocant בָּתִּים *battim*, id est, domos: inde בָּנִים *banim*, id est filij, vocantur quasi אֲבָנִים *abanim*, id est lapides, ex patre quasi petra, & ex matre quasi fodina excisi & effossi. Sic Christus Daniel. 2. v. 34. visus est Nabuchodonosori quasi lapis abscissus de monte, qui statuam quadriformẽ, quatuor monarchias significantem, prostrauit & euertit. Sicut enim lapicidæ ex petra exscindunt statuas, illasque circumcidunt & concinnant, vt lapidei homines esse videantur, ita Deus ex B. Virgine quasi petra fortissima excidit, composuit & concinnauit tam aures, quàm totum corpus Christi. Vnde LXX. pro *carita*, id est fodisti, vel potiùs excidisti, vertunt κατηρτίσω, id est, aptè & congruenter coagmentasti, aptasti, concinnasti & perfecisti corpus meum, ita scilicet vt corporis mei partes & membra inter se, & cum toto copore aptè congruant, planeque aptata & composita sint ad suum vsum & finẽ, scilicet vt in corpore hoc ego Christus Patris mei voluntatem audire, explere, obedire, laborare, prædicare, pati, crucifigi, immolari possim. Vnde Chrysost. sic explicat: *Corpus autem perfecisti mihi*, id est, perfectum sacrificium fieri decreuisti, & ad illud concinnasti.

Hebr. cara quidẽ

Hebræi familias vocant domos, filios lapides, generari exscindi.

Quomodo Christi corpus formatum fuerit.

HOLOCAVTOMATA (hostiæ) PRO PECCATO NON TIBI PLACVERVNT] Psal. 39. legitur *non postulasti*. Licet enim ea Iudæis præceperis, tamen non ea præcepisti, nec postulasti, quasi ea per se tibi placerent, teque peccatis hominum offensum placarẽt. VERS. 6.

TVNC DIXI: ECCE VENIO] Cùm scilicet incarnatus cognoui holocausta boum, hircosque pro peccato tibi non placere, *tunc dixi*, *Ecce venio*; vt scilicet, pro priscis hircis, bobus & agnis, quæ te placare non poterant, corpus meum, sanguinem & vitam tibi in sacrificiũ pro peccatis, & redemptionem hominum offeram. VERS. 7.

Nota. In ipso Christi aduentu & ingressu in mundum, id est, vt explicat D. Thom. & Anselm. in ipso puncto incarnationis, habuit Christus actum, vti rationis, quo Deum omniaque iam dicta cognouit, ita & voluntatis, obedientiæ & oblationis, quo se & mortem suam, suos labores & ærumnas, omniaq; sua Deo in pretium pro nostris peccatis, nostraq; salute obtulit, eaque voluntate sanctificati sumus, vt ait Apostolus v. 10. Meruit ergo ex tunc Christus sibi famam nominis sui, & corporis gloriam, nobis autem gratiam & salutem: atque hunc oblationis actũ deinceps vsque ad mortem cõtinuando, idem hocce meritum suum continuauit; ita vt idem continuò per totam vitam meritus sit Christus, adeoque Christi hæc continuata oblatio, & tota vita fuerit quasi vnicum continuatum meritum, quod in morte ipsius, ita volente & statuente Patre, perfectum est. ita D. Thomas, & Doctores 3. p. q. 34. a. 3.

Christus in primo puncto incarnationis habuit actum meritorium oblationis sui, quem continuauit vsque ad mortem.

IN CAPITE LIBRI SCRIPTVM EST DE ME: VT FACIAM, DEVS, VOLVNTATEM TVAM] Psalm. 39. pro *in capite libri*, Hebræa habent בִּמְגִלַּת סֵפֶר *bimgillat sepher*, quod S. Hieron. & Vatablus vertunt, *in volumine libri*, id est totius sacræ Scripturæ, scriptum est de Christo, vti explicat Theophylactus & Photius. Verùm Aquila & Symmachus transferunt, *in inuolucro*, *in conuolutione libri*. quod LXX. & ex ijs Paulus vertũt, ἐν κεφαλίδι βιβλίου, id est, *in capite*, vel *in capitulo libri*. Veteres enim loco librorum vtebantur longis membranis, quas in cylindrum conuoluebant ad caput, vel initium libri, id est, membranæ, easque cùm legere vellent, reuoluebant & explicabant instar chartarum, siue tabularum geographicarum, quas mappas mundi vocant. Vnde Hebræum מְגִלַּת *megillat* (à radice גָּלַל *galal*, id est, voluere, euoluere) tam voluminis, siue libri caput & initium, circa quod totus liber con-

Varietas lectionum hic discutitur.

Libri veterum conuoluiles in cylindrum.

Lucus hic ab Apostolo ex psalmo citatus illustratur ex Hebraïs fontibus.

conuoluebatur, quàm ipsum librum, siue volumẽ, quod ita conuoluebatur, significat. Addunt aliqui מְגִלַּת *megillat*, pro גֻּלְגֹּלֶת *gulgolet*, quod propriè caput hominis significat, & ab eadem radice גָּלַל *galal* descendit, accipi. Sed nusquam alibi ita accipitur: semper enim *gulgolet* caput hominis ob sui conuolutionem & rotunditatem, *megilla* verò volumen, siue librum conuoluilem significat.

Quæres, in cuius libri capite hæc de Christo scripta sint? Aliqui librum diuinæ præscientiæ & prædestinationis accipiunt, in cuius libri initio de Christo scriptum est: Christus enim est principium omnium Dei operum, estque primus omniũ prædestinatorum. Vnde Symmachus vertit, *in volumine definitionis suæ scriptum est de me.*

Per librum hic intelligẽt S. Scripturam. Diuersa Patrum sententia, de quo libro Scriptura hîc agatur.

Verùm alij passim per librum accipiunt S. Scripturam. Hęc enim absolutè & antonomasticè Hebræis dicebatur liber.

Prima.

Primò ergo, S. August. in psal. 39. per *caput libri* accipit initium psalmorũ, siue psalmum primum, qui sic incipit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Quod licet omnibus iustis, Christo tamen vel maximè conuenit.

Secunda.

Secundò, S. Hieronymus initio Traditionum Hebraicarum in Genesin, per *caput libri* accipit initium Geneseos, vbi dicitur, *In principio*, id est, in Filio, vt ipse explicat, *creauit Deus cælum & terram.*

Tertia.

Tertiò, S. Chrysost. accipit initium Euangelij S. Iohannis: ibi enim clarè dicitur, *In principio erat Verbum*, &c. *& Verbum caro factum est.* Verùm tempore Dauidis necdum scriptum erat hoc Euangelium. Hæc autem sunt verba Dauidis psalm. 39.

Quarta.

Quartò, Franc. Ribera, per *caput libri* accipit c. 2. Geneseos, vbi scriptum est de Christo & Ecclesia in sensu allegorico. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, &c. Nam vti ex latere dormientis Adæ ædificata est Eua, ita postea ex latere Christi dormientis in cruce ædificata est Ecclesia, cùm sanguis & aqua ex eo fluxerunt, in quibus duo maxima Sacramenta, scilicet Baptismus & Eucharistia, figurata sunt. Vnde Paulus hæc Geneseos verba citans ad Ephes. 5. & allegoricè explicans ait, *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Verùm hæc arcta, exilia & obscura videntur.

Quinta & genuina; caput libri, id est quod summa S. Script.

Dico ergo, *caput* vel *capitulum*, hîc idem esse, quod *summã*. q. d. In summa legis, id est, in ipsa lege, totoq; Pentateucho, totaque sacra Scriptura scriptum est de me. Sic enim c. 8. 1. summã dictorum vocat Apostolus κεφάλαιον, id est, capitulum. Vnde Hebræum מְגִלַּת בִּמְגִלַּת *bimgillat* verti potest, *in volumine libri* scriptum est de me, id est, in tota S. Scriptura, vti dixi ex Theophyl. & ita explicant Eusebius, Didymus, Theodor. Cyrillus in Catena Græcorum, in psalm. 39.

Vel potiùs est index S. Script.

Vel aptiùs Græco & Syro, quod tamen eôdem redit, *caput libri* est ipsum argumentum & index libri. Hunc enim indicem significat Græcum κεφαλίς. Sic & Hebræũ מְגִלַּת *megilla*, significat conuolutionem circa initium & argumentum libri, ac consequenter ipsum argumentum, indicemq; libri significat. Ita Matthæus Galenus hîc. q. d. *In capite libri*, id est, in argumẽto & indice totius Scripturæ, scriptum est de me: non quòd verè tale argumentum & indicem habuerint Hebræi, qui ex religione & veneratione S. Scripturæ, nec argumentum, nec quidquam aliud addere voluerunt ipsi textui S. Scripturæ; sed vt sit catachresis & metonymia, qua res dicitur vocari & scribi, cùm in se talis est: vt iure & verè ita vocari & inscribi possit. Sic dicitur Isaiæ 9. quòd Christus *vocabitur Emmanuel, admirabilis, consiliarius, fortis, pater futuri sæculi. vocabitur*, id est, erit: nusquam enim hisce nominibus vocatus legitur Christus, cùm in circumcisione tantùm vocatus sit Iesus. Eodem modo ait hîc Psaltes, in capite vel argumento libri scriptum esse de Christo: quia sicut argumentum libri in eius capite & indice scribitur, ita in capite & indice S. Scripturæ est Christus, id est, ipsa S. Scriptura tota pro argumento suo habet Christum, tota circa Christum versatur. Dicit ergo Christus: *In capite libri scriptum est de me*, id est, totus index legis me respicit, tota lex me spectat, suaque sacrificia, & omnia quæ habet dirigit ad meum sacrificium, meamque redemptionem significandam & repræsentandam; adeoque quidquid hisce de rebus scribit & præscribit, propter me scribit & præscribit, vt scilicet ego veniam in mundum per incarnationem, hoc fine, vt tuæ, ô Pater, voluntati, hebraicè רְצוֹנְךָ *retsonecha*, græcè εὐδοκίᾳ, id est, desiderio & beneplacito tuo satisfaciam; quod est, vt morte mea redimam & expiem hominum peccata, quæ nullis legalibus, aliisque victimis expiari potuerunt. ita Euseb. Didymus, Theodor. Cyril. & Genebrard. in psal. 39. Sic Ephes. 1. 10. dicit Apostolus placuisse Deo, *instaurare omnia in Christo*: vbi pro *instaurare*, græcè est ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est, ad caput reuocare; quasi Christus sit summa & caput, ad quod Deus Pater omnia redigere & reuocare voluerit, vti ibi dixi.

Summa veneratio sacræ Scripturæ apud Iudæos.

Omnia veteris testamenti spectant & tendunt ad Christum.

Hinc patet psal. 39. non de Dauide, aut quouis iusto, vt volunt Vatablus, Iansen. & Iudæi, sed de Christo ad litteram scriptum esse. Christi enim verba sunt hæc: *In capite libri scriptum est de me*, vt explicat S. Paulus hîc, & passim Patres.

Psalm. 39. non de Dauide, sed de Christo ad litteram scriptus.

Tropologicè, tota Scriptura inculcat nobis obedientiam: hæc est summa, hoc argumentum totius Scripturæ, sapientiæ & virtutis, vt cum Christo dicamus Deo: *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Vt faciam, Deus, voluntatem tuam] Refer hæc verba, non ad *volui*, quòd in psal. 39. sequitur, cùm dicitur: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Sed refer ea ad *ecce venio*, scilicet ad hoc, *vt faciam, ô Deus, voluntatem tuam.* Patet id ex Græco & Hebræo. Quod ergo interseritur, *In capite libri scriptum est de me*, quasi per parenthesin interijcitur, & ad vtrumque, scilicet tam ad *Ecce venio*, quàm ad *vt faciam voluntatem tuam*, referendum est. Scriptum enim est, Christum in carnem venturum, ad hoc, vt faciat & impleat Dei voluntatem circa hominum redemptionem. Quod deinde sequitur in psalm. *Volui, & legem tuam in medio cordis mei*, à præcedentibus per hypocolon distinguẽdum est. q. d. Volui venire in mundum, ad hoc, vt facerem voluntatem tuam, ô Pater, volui, & prompta voluntate acceptaui decretum & voluntatem tuam de mea incarnatione & morte pro salute hominum: hancque tuam legem & statutum in medio cordis mei impressi & infixi.

Singularis & prompta Christi obedientia.

Svperivs dicens, id est, cùm dixisset (scilicet Dauid in persona Christi, psalm. 39.) Qvia hostias et oblationes et holocavtomata, et (vi- VERS. 8. & 9.

(victimas) PRO PECCATO NOLVISTI ; TVNC DIXI (scilicet ego Christus, in cuius persona hæc scripsit & dixit Dauid) ECCE VENIO. Hoc clariùs significant Syra & Græca, quæ habent τότε εἴρηκεν, id est tunc dixit; vt sint verba non Christi, sed Pauli, de Christo. q.d. Christus qui paulò antè dixerat, Hostias & oblationes noluisti, quia videbat ea Deo non placere, nec eum placare, tunc dixit; Ecce venio, vt faciam tuam, Deus, voluntatē. quibus verbis AVFERT PRIMVM, VT SEQVENS STATVAT] id est, aufert prius vetus, scilicet sacerdotium & sacrificium, per hoc, quod ait, *Hostias noluisti, vt sequens*, græcè τὸ δεύτερον, id est secundum, scilicet Christi obedientiam & sacrificium, *statuat*; dum subdit, *Tunc dixi, Ecce venio*, vt me tibi in cruce immolando, *faciam voluntatem tuam*, ô Pater.

VERS. 10. IN QVA VOLVNTATE SANCTIFICATI SVMVS PER OBLATIONEM CORPORIS IESV CHRISTI SEMEL] Id est, per hanc voluntatem Patris, quam suscepit & adimpleuit Christus offerens se pro nobis in cruce, putà, per victimā non legalem boum & ouium, sed Christi ipsius, iustificati & sanctificati sumus.

VERS. 11. ET OMNIS QVIDEM SACERDOS (veteris legis) PRAESTO EST QVOTIDIE MINISTRANS, ET EASDEM SAEPE OFFERENS HOSTIAS, QVAE NVMQVAM POSSVNT AVFERRE PECCATA] Ne mirentur Hebræi, tot tamque variis assueti sacrificijs & mactationibus, hæc omnia esse abolita per vnam Christi immolationem in cruce ; illud ipsum inculcat & sæpè repetit, docens causam huius rei esse, quòd legalia sacrificia peccata expiare non poterant, ideoque semper repetebantur : Christus autem vnica sui oblatione in cruce, omnia hominum peccata expiauit.

Nota. Pro *præstò est*, græcè est ἕστηκε, id est, adstat continuè & constanter, scilicet altari & Deo, Deique sacrificijs & ministerijs, sicut famuli adstant domino aut regi dum ei ministrant. Hinc Hebræi עָמַד *amad*, id est stare, sumunt pro λειτουργεῖν, id est, sacrificare & sacris operari. *Stare* enim *coram Domino*, idem est, quod agere sacerdotem aut Leuitam, Deoque sacrificare, aut ministrare in alijs sacris functionibus, vt patet Numer. 4. 3. Numer. 16. v. 16. 2. Paralip. 29. v. 11. 2. Esdræ 7. 65.

Stare coram Domino, idem est quod agere sacerdotē.

VERS. 12. HIC AVTEM VNAM PRO PECCATIS OFFERENS (προσενέγκας, id est, postquam obtulit) HOSTIAM, IN SEMPITERNVM SEDET IN DEXTERA DEI] q.d. Christo non est opus pluribus hostijs. Vnica enim hostia omnia expiauit, cælumque sibi & nobis reserauit, vt in eo iam glorioſus sedeat à dextris Dei.

Nota. Opponit sedere Christi, stare vel astare sacerdotum legalium. Stare enim signum est seruitutis & ministerij : sedere autem dominatus, cui ministerium exhibeatur, inquit Theopyl.

VERS. 13. DE CAETERO EXPECTANS, DONEC PONANTVR INIMICI EIVS, SCABELLVM PEDVM EIVS] q.d. Deceps ampliùs non ministrabit, non immolabit, non offeret se Christus ; sed tantùm expectat diem iudicij, vt tunc omnes infideles, sibique rebelles subijciat, conterat, condemnet : itaque plena victoria de hostibus parta in æternū regnet & triumphet. Inijcit Apostolus de more, hisce verbis aculeum constantiæ & patientiæ Hebræis, vt pro Christi fide spoliationem & exilium fortiter & generosè ferant, cogitantes, certoque sperantes breui hosce suos & Christi spoliatores & inimicos, tam Christi, quàm suis pedibus subijciendos & conculcandos esse.

Aculeus constantiæ terror iudicij.

VNA ENIM OBLATIONE, CONSVMMAVIT IN SEMPITERNVM SANCTIFICATOS] Dat causam, cur Christus iam sedeat à dextris Dei, tantumque expectet, vt inimici suis pedibus subijciantur. Causa hæc est, quia vna sui oblatione Christus omnia cōsummauit, vt nihil iam ei offerendum, laborandum, perficiendum restet. q. d. Christus vnica sui oblatione in cruce *consummauit*, id est, dedit consummatam oblationem, consummatum & perfectum pretiū redemptionis & sanctificationis nostræ, quo quasi fonte immēso & inexhausto, semper & vsque ad finem mundi, imò in omnem æternitatem valituro ; *sanctificatos*, græcè τοὺς ἁγιαζομένους, id est, eos qui sanctificantur, consummet & perficiat, id est, perfectè sanctificet, & quasi Deo consecret. hoc enim significat Græcum τετελείωκεν. Ita nimirum, vt licet infiniti homines nascerentur, & infinita peccata committerent, ad eos sanctificandos non opus esset alia oblatione, sed ad hoc vnica hæc Christi in cruce oblatio sufficeret, per cuius applicationem omnes illi ab omnibus suis peccatis perfectè iustificarentur & sanctificarentur. Ita Patres, & Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. Christus ergo in cruce sanctificatos *consummauit*, quantum est in se, & ex parte sua, id est, consummauit in actu primo. Nam in actu secundo, & reipsa consummat & perficit nos per baptismum, pœnitentiam, Eucharistiam, aliaque Sacramenta, & bona opera, quibus applicat nobis generale & consummatum sacrificium, pretium & meritum suæ crucis. Clarum enim est, quòd per solam Christi in cruce oblationem, non omnes infideles, Pagani & peccatores fiant iustificati ; sed requiri, vt hæc Christi oblatio ijs applicetur, non per solam fidem, vti volunt Nouantes, sed etiam per bona opera, & Sacramenta ad id à Christo instituta, vt omnibus sæculis docuit Ecclesia.

Christi meritā infinitū peccata delendis sufficiunt.

Bona opera & Sacramenta applicando nobis meritum crucis Christi, nos iustificant.

CONTESTATVR AVTEM NOS ET SPIRITVS SANCTVS] Græcè μαρτυρεῖ, id est testificatur, testimonium perhibet huiusce rei, scilicet quòd remissio peccatorum non à Mose, sed à Christo ; non à veteri testamento, sed à nouo ; non à sacrificijs hircorum & vitulorum, sed ab vnica Christi in cruce oblatione, per quam Christus in sempiternum consummauit sanctificatos, sit petenda.

Remissio peccatorum à solo Christo petenda.

Idipsum probauit iam testimonio ipsius filij Dei, v. 6. & 7. & testimonio Patris vers. 13. Pater enim excludens veterem legem, & sacrificia Aaronica, dixit Filio, psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Et post peractū in cruce sacrificium, ascensumque Christi in cælum, dixit ei, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Hic illud ipsum probat testimonio Spiritus sancti, qui per Prophetas, ac præsertim per Ieremiam locutus, hanc remissionem peccatorum per Christum, in nouo testamento dandam prædixit & promisit. Hoc Ieremiæ testimonium citauit iam antè Apostolus c. 8. v. 10. vbi illud explicui.

VBI AVTEM HORVM (peccatorum) EST REMISSIO : IAM NON EST OBLATIO PRO PECCATO] *Oblatio*, scilicet qua satisfiat pro peccato, quaque lytrū peccatorum condignum persoluatur, pretiumque comparetur, cuius applicatione omnes reipsa, à seruitute peccati & diaboli liberemur, iustificemur & sanctificemur. De tali enim oblatione loquitur Paulus,

Sacrificium Missæ pretium redēptionis nobis applicat.

Paulus, vti docent Patres, & fatetur Caluinus & Beza. Non ergo excludit hic Paulus oblationem Missæ, quæ æquè vt fides, baptismus & pœnitentia, hoc oblationis in cruce peractæ lytrum & pretium nobis iterum & iterum applicat, dum iterum & iterum in peccata relabimur.

Sacrificium Missæ non est abominatio, vt ex hoc loco insulsè conatur probare Lutherus.

Perperam ergo & insulsè ex hoc Apostoli loco, & ex c. 7. probare conatur Lutherus, Missam esse abominationem magnam; idque se didicisse asserit ab angelo tenebrarum, putà à diabolo, quando cum eo hac de re disputans, ab eo se conuictum fuisse fatetur lib. de Missa priuata & vnctione sacerdotum, quem edidit anno 1534. Argumenta Lutheri & sequacium eius sunt quatuor, quæ hîc breuiter repetam & dissoluam.

Lutheri argumenta soluuntur. Primum Lutheri argumentum.

Primum, Apostolus hac epistola solum Christum statuit pontificem & sacerdotem: ergo non sunt ponendi in Ecclesia alij sacerdotes; ergo nec B sacrificium Missæ.

Respondeo ad antecedens, Christum esse solum pontificem, talem scilicet, qui sua victima crucis, pro peccatis omnibus satisfecerit, quique peccatorum sit redemptor. Qua in re nullus Christo succedit honore & officio par, sicut Aaroni successit Eleazarus, Aaroni in pontificatu par & æqualis. Neganda est ergo vtraque consequentia argumenti: nostri enim sacerdotes non sunt pares Christo, sed Christi vicarij & ministri, qui crucis sacrificium identidem nobis per Missæ sacrificiū repræsentant & applicant.

Secundum Lutheri argumentum soluitur.

Secundum, Apostolus hac epistola inculcat vnicum Christi in cruce sacrificium: ergo nullum est aliud, putà Missæ sacrificium; adeoque Missa iniuria est cruci Christi.

Respondeo ad antecedēns, Apostolū loquī de C vniuersali & omnipotenti sacrificio: illud enim est vnicum in cruce peractū, ex quo vim habent nostra sacrificia. illud enim vnicum fuit quasi materia, fons & pretium nostrorum; nostraque illius sunt quasi riuulus, applicatio & repræsentatio cōtinua. Vnde patet, Missam non esse iniuriam cruci, cùm sit crucis assidua cōmemoratio & commēdatio: sacrificium enim crucis nobis pretium comparauit, Missa verò confert nobis huius pretij applicationem. Alioquin enim Ecclesia, quæ Christi respublica est, & lex perfectissima, careret quotidie sacrificio & cultu Dei latriæ solemni & publico. cùm nulla gens, nulla religio, nulla Ecclesia fuerit vmquam sine sacrificio & sacerdotio; quis credat hoc vnum à Christo neglectum, cùm instituerit formaretque suam Ecclesiam, quasi rempublicam diuinam & omnibus numeris absolutam?

Tertium Lutheri argumentum refellitur.

Tertium, Apostolus docet ideo vetera sacrificia cessasse, quia quotidie quasi infirma & inefficacia repetebantur; atqui talis quoque est Missa.

Respondeo, Missam non esse talem: illa enim vetera repetebantur, eò quòd nullam haberent vim expiandi culpam veram, sed tantùm legalem & vmbraticam. hæc enim est eorum infirmitas. Repetebantur quoque vt adumbrarent sacrificiū Christi, & vt excitarent offerentes ad Christi fidem & dilectionem, vt per eam, remissionem obtinerent. Nostra verò Missæ sacrificia repetuntur, quia in noua recidimus peccata, quæ nouā expiatione sacrificij, quò nobis applicetur meritum & satisfactio sacrificij crucis, indigent. Tantùm enim opponit Apostolus Aaronica sacrificia, Christi in cruce sacrificio, in virtute merendi, expian-

Sacrificium Missæ applicatorium expiatorio.

di & satisfaciendi, in qua illa fuerunt infirma & inefficacia; Christi verò fuit potens & efficacissimum: non autem opponit aut confert sacrificium expiatorium, quale fuit crucis, cum applicatorio, qualis est Missa, immò hoc sub illo tacitè subintelligit. est enim hoc illi subordinatum, adeoque idem cum illo, quoad victimam. Hanc enim eamdem habet, scilicet corpus & sanguinem Christi, quam tamen in sacrificio Missæ Christus voluit esse certæ & limitatæ virtutis & efficaciæ, quoad vim impetrandi & satisfaciendi, cùm in cruce fuerit illimitatæ & immensæ.

Quartum Caluini contra Missam argumentum eneruatur.

Quartum est Caluini, Satis, inquit, meritum & pretium sacrificij crucis nobis applicant verbum Dei, fides, & Sacramenta; ergo ad hanc applicationem non est opus Missa.

Respondeo, negando antecedens. Licet enim fides & Sacramēta applicent nobis meritum quoad iustificationem, non tamen applicant illud quoad propitiationem; quia sola Missa est sacrificiū propitiatorium, quod ex opere operato impetrat gratiam præuenientem, qua excitemur ad fidem, pœnitentiam, & Sacramenta, quibus iustificemur, suscipienda. Atque hac de causa toties repetit & inculcat hîc Apostolus, quòd Christus assistat Deo, eiusque vultui pro nobis appareat, quòd sit sacerdos æternus, quòd interpellet pro nobis, quòd offerat sua dona & hostias; quæ sanè iam alia non sunt, quàm sacrificia Missæ, quæ ipse quotidie per sacerdotes à se institutos offert, vti docent Patres omnes, & Concilium Trident. loco citato.

Sacramentorum est iustificare, sacrificiorū propitiare.

Vbi Aduerte. Sacramentorum est iustificare, sacrificij verò est propitiare, siue Deum propitium reddere, vt scil. peccatorū incipiat misereri, eisque gratiam præuenientem & excitantem largiatur. Eucharistia ergo siue Missa, qua sacrificium est, impetrat nobis gratiam hanc præuenientē, atque simul impetrat remissionem pœnæ peccatis debitæ, insuperq; culpæ venialis: culpam autem mortalem per se non tollit aut abolet, nisi in eo, qui bona fide nesciens se esse in culpa mortali Missam celebraret. huic enim Eucharistia culpam mortalem remittit, primamq; gratiam & iustitiam confert; sed id facit non qua sacrificium, sed qua Sacramentum est. Vnde peccator laicus peccatum suum ignorans, & bona fide Eucharistiam sumēs, pari modo, ex ea peccati remissionem primamq; gratiam & iustitiam consequitur.

VERS. 19. HABENTES ITAQVE, FRATRES, FIDVCIAM IN INTROITV SANCTORVM, IN SANGVINE CHRISTI] id est, per sanguinem Christi, non autem per sanguinem hircorum & vitulorum legis veteris. Incipit hic secunda epistolæ pars, qua Apostolus more suo à dogmatibus, transit ad mores Hebræorum efformandos. Hactenus enim docuit eos, veram fidem, iustitiam & salutem petendam esse à Christo, non à lege: iam hortatur eos ad constantiam in eadem fide & pietate Christiana, ne scilicet ob Iudæorum persecutiones, odia, & bonorum expilationes, ab ea desciscant. ita Theophyl.

Secunda huius epistolæ pars, qua transit ad mores.

Nota. *fiduciam in introitu*, vel, vt græcè est, εἰς τὴν εἴσοδον, id est, in introitum, *sanctorum*, vocat Apostolus spem introeundi in Sancta sanctorū, id est, in cælum. ita Theophyl.

Posset Secundò, sic explicari cum nonnullis. q.d. In ipso Christi introitu in Sancta sanctorum, id est in cælum, habemus spem nos etiam in illud introituros.

Sacrificium applicatorium.

VERS. 20. QVAM INITIAVIT NOBIS VIAM NOVAM, ET VIVENTEM PER VELAMEN, ID EST, CARNEM SVAM] Pronomẽ *quam*, cohæret cum *viam nouam*, refertque *introitum sanctorum*. Vnde aliqui ex Græco clariùs hîc vertunt & legunt *quem*, scilicet *introitum*: sed Latina syntaxi eadem est sententia & sensus, siue vertas *quam*, siue *quem*. Hic enim introitus non est aliud, quàm via in cælum. Via enim in cælum est initium introitus in cælum, & introitus in cælum est complementum viæ in cælum.

Secundò, Vatablus in voce ὁδὸν, id est, *viam*, subaudiens καὶ paulò clariùs ita vertit, *cùm habeamus libertatem introëundi in Sancta per sanguinem Iesu, ea via, quam dedicauit nobis.*

Tertiò, Syrus hæc ita traijcit: *Habemus fiduciam in introitu adis sanctæ, & viam vitæ* (id est, ad vitam & salutem æternam) *per sanguinem Iesuæ, quam initiauit nobis.* Sed hæ versiones licet in se claræ sint, verba tamen Græca inuertunt & distorquent: vnde Latina nostra versio planissima est, & ad verbum Græco respondet, iuxta explicationem iam datam.

INITIAVIT] ἐνεκαίνισεν, id est innouauit, primus calcauit & iniuit, vel etiam dedicauit, alijsq; communem fecit, vt vertit Vatablus. inde enim Encænia vocantur, dies dedicationis. Primus ergo Christus viam in cælum initiauit; quia primus illam ingressus est, itaque ex inuio viam fecit, eamque nobis strauit & complanauit. Alludit enim Paulus ad eos, qui primò vias inuias ob niuem aut similem causam ineunt, calcant, easque secuturis peruias efficiunt, vti faciunt in Alpibus incolæ; quod gallicè dicimus, *Il nous a froyé le chemin*, & flandricè, *Hy heeft ons den vvegh ghebaent*. Hoc enim est viam initiare, & initiando complanare, alijsque communem & peruiam efficere.

VIAM NOVAM] Pro *nouam*, græcè est πρόσφατον, id est recentem, nouam, nullius pede hactenus calcatam.

Via viuens qua?

ET VIVENTEM] Id est permanentem, seu perpetuæ efficaciæ, vigentem semper & florentem.

Secundò, *viuentem*, id est, quæ ad vitam æternam ducit. Vnde Syrus vertit, אורח דחיא *vrecha dechaie*, id est, viam vitæ.

Caro Christi, & Christus ipse est nobis via viuens.

Tertiò & optimè, *viuentem*, quia hæc via viuens & animata est caro Christi, & Christus ipse, qui dicit, *Ego sum via, veritas & vita*. Per velamen enim erat via in Sancta sanctorum; velamen autem hoc significabat carnem Christi, vt subdit Apostolus. Sicut ergo per velamẽ discissum vel diuisum, quasi per viam apertam & patefactam ibatur in Sancta sanctorum; ita per carnem Christi in cruce discissam, quasi per viam imus in cælum. Itaque sicut via Alpium vocatur via per Alpes, ita via velaminis vocatur via per velamen, id est, per carnem Christi. Quare via in cælum est caro Christi passa, siue Christus ipse passus, quam fide & spe, quasi duobus pedibus incedimus & calcamus, dum credimus & speramus per Christi passionem, nos peruenturos ad remissionem peccatorum, iustitiam, sanctitatem & salutem; itaque hac via rectà pergimus & tendimus ad cælum. Præclarè S. Ambros. in psal. 118. serm. 5. *Creatus*, inquit, *Christus secundùm susceptionem carnis, vt redimeret creaturas. Creatus, vt vias mihi demonstraret æternæ, quibus homo redire posset ad Dei regnum. Ergo quia principium est viarum Dei, hoc principium sequamur. Prius viam noui ingressus est testamenti, vt eam sterneret nobis. Si ieiunamus, ante nos ille ieiunauit. Si pro nomine eius sustinemus iniurias, priùs ille sustinuit pro nostra redemptione, ceruices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas: ascendit crucem, vt doceret mortem non esse metuendam. Denique quasi præcedens ait Petro: Tu me sequere: & ideo Petrus cursum consummauit, quia secutus est Christum*, &c.

PER VELAMEN, ID EST CARNEM SVAM] Hinc patet velum, quod erat ante Sanctum sanctorum, eaque velabat, significasse allegoricè carnẽ Christi, idque appositè. Primò, quia carne Christi velabatur diuinitas illius, sicut velo hoc velabatur Deus sedens super Cherubim in Sancto sanctorum. ita Anselmus & alij Patres.

Velum quod erat ante Sanctum sanctorum, allegoricè significabat carnem Christi.

Secundò, quia per carnem Christi patefactum est cælum, sicut per velum in altum sublatum patefiebant Sancta sanctorum: cuius rei typo velum hoc in passione Christi scissum patefecit Sancta sanctorum, vt significaretur per carnem Christi in passione discissam, viam & aditum nobis esse reseratum in cælum, vti iam dixi. ita Chrysost.

ET SACERDOTEM MAGNVM SVPER DOMVM DEI] Repete & supple *habentes*. *Domum Dei* vocat cælum, vt vult Theophyl. vel potiùs Ecclesiam, tam militantem, quàm triumphantem. Vtrique enim præsidet & imperat Christus.

VERS. 21.

Notat hîc Paulus tria bona Christianis per Christum data. Primum, est fiducia accedendi ad Deum. Secundum, via strata in cælum. Tertium, pontifex & aduocatus ipse Christus. Ne quis enim timidior diceret: Fateor iter esse stratum, sed quomodo terribilem irati Patris, in quem peccaui, conspectum subibo? occurrit Paulus: Ne timeas, inquit, habes Christum pontificem, qui te inducet, & propitium tibi Patrem efficiet. Vnde infert, dicens, *Accedamus cum vero corde*, &c.

Tria bona Christianis per Christum data.

ACCEDAMVS CVM VERO CORDE, IN PLENITVDINE FIDEI, ASPERSI CORDA A CONSCIENTIA MALA, ET ABLVTI CORPVS AQVA MVNDA] Nota. *Cor verum* vocat cor sincerum, non fucatũ, quod Hebræi vocant נאמן *neeman*, id est fidele, verum, sincerum.

VERS. 22.

IN PLENITVDINE FIDEI] Id est, cum plena fide, græcè est, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, quod Secundò, cum Vatablo verti potest, cum plena persuasione, certitudine & firmitate fidei, vti dixi Rom. 14. 5. Tertiò, Syrus vertit, בחוכלנא דהימנותא *betuchelana dehaimanuta*, id est, cum fiducia fidei, id est, cum fiducia fideli, siue quam parit recta, plena & certa fides.

ASPERSI CORDA, id est, in cordibus & mentibus nostris lustrati sanguine Christi, eoque emundati, A CONSCIENTIA MALA] id est, à peccatis, quæ conscientiam malam & vitiosam efficiunt. q. d. Puris cordibus accedamus ad Deum. Metonymicè enim ponitur *aspersio*, pro purgatione & puritate, quæ per aspersionem efficitur. Alludit ad aspersionem sanguinis, qua fiebat legalis expiatio, vt dixi c. 9. v. 13. Pari enim modo interna animæ expiatio fit per aspersionem, id est, applicationem sanguinis Christi in baptismo. De baptismi enim aspersione & emundatione loqui Apostolum, patet ex sequentibus.

ET ABLVTI CORPVS AQVA MVNDA] Aquam baptismi vocat *mundam*, id est, purgantẽ & mundantem. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Anselmus. Non bene ergo id nonnulli negant: nam aqua quæ iam corpus emundat, non est alia, quàm aqua

Aqua baptismi est aqua purgans & emundans.

aqua baptismi. Alludit ad aquam expiationis, ex cineribus vitulæ rufæ confectam. Iudæi enim immundi, si ea corpus abluerent, legaliter mundabantur, mundique censebantur. q. d. Sicut Iudæi immundi asperti aqua expiationis, eaque emundati, mundè, religiosè & fidenter accedebant ad Deum in suo tabernaculo & templo habitantem; ita multò magis nos, qui per baptismum non solùm in corpore, sed etiam in anima abluti sumus, idque per applicationem sanguinis Christi, quam facit baptismus, puro iam corde & corpore, sanctè & alacriter ad Deum accedamus.

VERS. 23. TENEAMVS SPEI NOSTRAE CONFESSIONEM INDECLINABILEM] *Confessionem spei* vocat fidem, fideique professionem, qua baptismum accepturi Hebræi recitantes Symbolum de more, professi sunt se credere in Christum, & per Christum credere & sperare carnis resurrectionem, & viram æternam in cælo. Vide dicta cap. 3. v. 1. Euangelium ergo est confessio nostra. Pari modo Mahomet suam fidem & legem vocauit arabicè אלקראן *alcoran*, id est confessio, à radice קרר *karar*, id est, confessus est: eò quòd in Alcorano descripserit fidem & legem, quam omnes Mahometani confiteri & profiteri debeant.

Alcoranus quid?

Confessio spei nostræ debet esse firma & inuictrix cupiditatum.

Hanc ergo fidem fideique confessionem quæ spem iam dictam excitat & acuit, vult Apostolus seruari *indeclinabilem*, id est firmam & inconcussam; quæ non vacillet, non nutet huc illuc, nec declinet à recto rectaque fide, etiam vrgentibus & impellentibus persecutionibus.

Secundò, vt Anselmus, *indeclinabilem*, id est, quę deorsum non inclinetur, vt deprimatur & deuergat ad cupiditatem opum, rerumque terrenarum; sed semper quasi ignis more suo sursum acclinet & assurgat, tendatque ad desiderium & prosecutionem bonorum cælestium & æternorum, quæ sunt obiectum huius fidei, confessionis & spei. Vnde subdit Apostolus:

FIDELIS ENIM EST, QVI REPROMISIT] Deus scilicet, qui hæc bona cælestia, vti promisit, ita fideliter ea vobis conferet & præstabit, si & vos vicissim illi fideles & in fide Christi constantes perseueretis, pro eaque bona terrena contemnatis, &, si opus sit, perdatis & profundatis.

VERS. 24. ET CONSIDEREMVS INVICEM IN PROVOCATIONEM CHARITATIS ET BONORVM OPERVM] Pro *in prouocationem*, græcè est, εἰς παροξυσμὸν, id est, ad exstimulationem. q. d. Homines vitiosi considerant vitiosa aliorum exempla, vt ea imitentur; vos verò, ô Hebræi Christiani, considerate mutua Christianorum exempla charitatis, aliorumque bonorum operum; quæ vos prouocent & incitent non ad inuidiam, sed ad imitationem, vt scilicet pro omnibus vestris tam negotiosis, corporeis & inanibus legalibus obseruantijs, obseruetis & exerceatis tantùm officia & actus charitatis, aliarumque virtutum, sicut alios Christianos videtis facere. Quemadmodum enim ferrum ferro acuitur, & lapis lapidi allisus ignem elicit: sic anima animæ commorans, ad eadem ipsam incitat, vt charitate ardeat, sicut & ipsa ardet, vt notat Chrysost. & Theophyl. tanta vis est exempli. Et quis dubitet in illo nascentis Ecclesiæ feruore Christiano, virtutum fuisse feruentissimam contentionem?

Magna vis exempli bonorum operum.

VERS. 25. NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM, SICVT CONSVETVDINIS EST QVIBVSDAM] Pro *collectionem*, græcè est ἐπισυναγωγὴν, id est aggregationem, vt vertit Vatabl. & Erasm. Per *aggregationem & collectionem* hanc, Apostolus Primò, intelligit Ecclesiam. q. d. Ne deseratis, ô Hebræi, per apostasiam aut hæresim Ecclesiam Christianam, cui aggregati estis, & in qua collecti & compacti estis, quasi in vnum idemque corpus Christi mysticum. Timebat enim Apostolus, ne Hebræi metu & persecutione Iudæorũ, ab Ecclesia ad Synagogam & iudaismum deficerent: hinc ad eos in fide & Ecclesia Christi confirmandos identidem eos ad constantiam adhortatur, hicque, vti dixi initio epistolæ, finis & scopus est totius epistolæ. Vnde & subdit: *Voluntariè enim peccantibus* (apostatantibus) *nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccato hostia.*

Finis & scopus totius huius epistolæ.

Secundò, per *aggregationem & collectionem* hanc intelligit Apostolus cœtus Ecclesiæ, & conuentus fidelium, ad sacram synaxim, & ad verbum Dei precesque publicas: hos ergo conuentus vult Apostolus à Christianis diligenter frequentari; tum vt publicè fidem suam profiteantur, Deumque colant, & publicas ei laudes & gratiarum actiones persoluant; tum vt in ijs inuicem excitent & prouocent ad charitatem & bona opera, ac præsertim ad constantiam in fide, instante persecutione. Illi enim publici & mutui congressus mirè fouent fidem & charitatem, quæ in secessu & separatione diuturniori languescit. Sic enim S. Ignatius, in suis epistolis asseela & sectator S. Pauli, paulò pòst Pauli tempora, Ephesios & Smyrnæos cohortatur, vt frequentent hos cœtus Ecclesiasticos, & causam reddit, *Quia*, inquit, *confirmabunt vos*: adminatur, si ab ijs se subtrahant, fore vt excidant à fide & charitate. Ita quoque explicant S. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Hic sensus connexus est & subordinatus priori: qui enim Ecclesiæ cœtus negligunt & deserunt, facilè quoque vrgente persecutione, Ecclesiam ipsam, fidemque Christi deserunt & abnegant.

Conuentus publicos Christianorum commendat Paulus.

Ad conuentus se mutuo debent exhortari & incitare Catholici exemplo Martyrum & Sanctorum.

Malè ergo Nouantes hunc locum torquent contra vitam eremiticam. Apostolus enim loquitur de ijs, qui Ecclesiam, vel ob metum, vel ob desidiam negligunt aut deserunt; non autem loquitur de ijs, qui turbam sæculi & sæcularium conuersationem, pietatis, puritatis & contemplationis studio fugiunt. Adde, Eremitas omni sæculo solere diebus Dominicis & festis ad sacras synaxes, preces & collectiones spirituales in Ecclesiam cõuenire, eaque quæ ibi audierant, in eremum redeuntes per hebdomadam meditari & exercere.

Nouantes malè reprehendunt vitam eremiticam.

SICVT CONSVETVDINIS EST QVIBVSDAM] Insinuat Apostolus aliquos tepidiores & torpidiores, à fide & Ecclesia Christi metu Iudæorum defeciisse, vt notat Theodor. ideoque reliquis eamdẽ apostasiam metuens, eos tota epistola ad constantiam animat & corroborat.

SED CONSOLANTES] Græcè παρακαλοῦντες, id est consolantes, vel etiam exhortantes, scilicet singuli, non tantùm seipsos, sed & alios, vt scilicet alter alterum in persecutione soletur, exhortetur & instiget tum ad constantiam in fide & Ecclesia Christi, tum ad conuentus Ecclesiasticos & cœtus fidelium frequentandos; quibus in fide & Ecclesia Christi fouemur & cõfirmamur: nam illo tempore, prout persecutio feruebat, aut sedabatur, hîc illîcve fiebant conuentus & synaxes. Vult ergo Apostolus vt quisque proximo horam & locum conuentus indicet & admoneat, ad eumque cohor-

hortetur & excitet. Id exigit filum orationis Paulinæ; & colligitur ex S. Ignatio & Chrysostomo iam citatis. Id feciſſe Martyres primis trecentis Eccleſiæ annis patet paſſim ex eorum Actis. Vult autem Apoſtolus vt alter alterum ad hoc excitet, proponendo tum alia, tum vel maximè ſpem gloriæ & retributionis æternæ breui conſequendæ. Hoc enim eſt quod ſubdit:

ET TANTO MAGIS, QVANTO VIDERITIS APPROPINQVANTEM DIEM] Græcè τὴν ἡμέραν, id eſt, illum diem, ſcilicet iudicij & excidij tum orbis, tum vrbis Hieroſolymæ ſub Tito & Veſpaſiano: quæ antonomaſticè dicitur *dies*, in qua hoſtes veſtros Iudæos extrema vltio, vos verò plena laborum & afflictionum omnium manet merces & retributio. Nam ex acrimonia perſecutionum, bellorum, tumultuum, ac præſertim ex abominatione deſolationis, quam breui viſuri eſtis, alijſque ſignis prædictis à Chriſto, Matth. 24 facilè videre poteſtis, ó Hebræi, ſenſim magis appropinquare, imò inſtare hanc diem excidij vrbis Hieroſolymæ. Agite ergo, durate modicum in perſecutione; quoniam appropinquat redemptio veſtra.

Dies excidij vrbis Hieroſolymæ ſub Tito & Veſpaſiano.

Nota. Alludit Paulus ad verba Chriſti, Matthæi 24. v. 33. & Lucæ 21. v. 28. ideoque æquè ac Chriſtus confusè & miſtim loquitur de die iudicij & excidij tam orbis quàm vrbis, eò quòd Apoſtoli, & poſt eos alij Chriſtiani putarent eodem tempore fore excidium vrbis & orbis. Putabant enim Ieruſalem cum templo diruendam eſſe in glorioſo Chriſti aduentu & regno, quod erit in fine mundi, & excidio orbis. Id ſibi colligere videbantur ex dictis Chriſti, Matth. 22. 7. & 8. & Matthæi 23. v. vlt. & penult. ſed non rectè, vt ibi dixi. Chriſtus tamen & Paulus, vt eos in metu & ſpe contineant, eos in hoc errore relinquunt.

Putabant Apoſtoli eodem tempore fore excidium orbis, quo vrbis Hieroſolymæ.

VERS. 26. VOLVNTARIE ENIM PECCANTIBVS NOBIS POST ACCEPTAM NOTITIAM VERITATIS, IAM NON RELINQVITVR PRO PECCATIS HOSTIA] Galenus ex Clemente Alexandr. lib. 2. Stromat. putat Apoſtolum loqui de quolibet peccato, quod voluntariè, & ex certa ſcientia committitur, atque aſſerere quòd omne tale ægrè remittatur. Verùm ex circumſtantijs patet Apoſtolū tantùm loqui de peccato apoſtaſiæ: dat enim hîc cauſam cur dixerit v. præcedenti non eſſe deſerendam collectionem noſtram, quia ſcilicet, ſi id faciamus, non relinquetur nobis hoſtia peccati huius expiatrix. ergo per *voluntariè peccantes* intelligit deſerentes collectionē; id eſt, cœtus Eccleſiæ, ipſamq; Eccleſiam. Vnde pro *peccantibus*, græcè eſt ἀμαρτανόντων, quod cum Ribera verti poteſt, *deficientibus* vel *deſciſcentibus*, ſcilicet ab Eccleſia & fide, quam ſponte capeſſiuerunt. Peccatum enim Hebræi vocāt ſubinde חַטָּאָה *aſcam*, id eſt deſitionem vel defectionem.

Loquitur hîc Apoſtolus de peccato apoſtaſiæ quòd valdè exaggerat.

Secundò, id patet ex eo, quod ait, *Peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis*, q. d. Peccant hi, quia fidem agnitam deſerunt. Sicut enim in veteri teſtamento apoſtaſia ad idola, ita in nouo teſtamento apoſtaſia à fide ad iudaiſmum vel infidelitatem antonomaſticè eſt & dicitur peccatum.

Tertiò, id patet ex v. 29. vbi ait, hos peccantes filium Dei conculcare, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducere, & ſpiritui gratiæ contumeliam facere; quia videlicet Chriſti redemptionem Chriſtumque negant, itaque tam Chriſto quàm Spiritui ſancto ingrati & contumelioſi ſunt.

Quartò, quia v. 32. & ſeqq. hortatur eos ad conſtantiam in fide & Eccleſia Chriſtiana. Senſus ergo Apoſtoli eſt, q. d. *Voluntariè peccantibus*, peccato ſcilicet apoſtaſiæ, ſiue deſciſcentibus voluntariè à Chriſto, & collectione noſtra, id eſt Eccleſia, non *relinquitur*, id eſt ægrè & vix relinquitur, *hoſtia pro peccato*, qua peccatum illud expient: tum quia tales apoſtatæ planè indigni ſunt venia, tum quia ſua certa malitia & infidelitate claudunt fontes diuinæ miſericordiæ.

Apoſtaſia peccatum quàm difficilem habeat veniam.

Adde, propriè & rigidè apoſtatis Hebræis à Chriſto ad iudaiſmum deficientibus nulla relinquebatur hoſtia aut veniæ ſpes: quia talibus in tali ſtatu manentibus, nec Chriſtus, vtpote quem abnegant, nec alius Meſſias venturus, vtpote qui nullus eſt; nec legis ſacrificia, vtpote infirma & iam abolita, prodeſſe poterant. Tales ergo Hebræos (qualibus hîc loquitur Apoſtolus) non hoſtia, non venia, ſed terribilis tantùm Dei vltio manet.

Nota. Chryſoſt. Ambroſ. Anſelm. & Theophyl. per *hoſtiam pro peccato*, intelligunt baptiſmum; quia baptiſmus eſt figura mortis Chriſti, qui fuit hoſtia pro peccato. q. d. Voluntariè peccantes poſt baptiſmum, nullo ampliùs baptiſmo expiari poſſunt. Sed hoc durius & coactius eſt, eſtque præter mentem Apoſtoli. Apoſtolus enim ſic peccantibus ait nullam relinqui hoſtiam, ſed tantùm terribilē Dei vindictam. Iam ſi per hoſtiam baptiſmum intellexiſſet, excipere potuiſſet aliquis dicendo, ſic peccantibus non relinqui quidem baptiſmum, non tamen ideo Dei iudicio & vindictæ eos reſeruari; quia medium quid eis relinquitur, videlicet pœnitentiæ Sacramentum, quod eſt quaſi ſecunda poſt naufragium tabula.

Hinc patet, perperam hoc loco abuſum eſſe Nouatum, cùm docuit lapſis negandam eſſe pœnitentiam & veniam; maximè cùm ipſe non tam negaret pœnitentiam coram Deo, lapſoſque, ſi pœniterent, Deo reconciliari poſſe, quàm contenderet ab Eccleſia non admittendos eſſe lapſos, etiamſi pœniterent, ad communionem, communemque Eccleſiæ ſocietatem.

Error Nouati, de non admittendis lapſis ad pœnitentiam.

VERS. 27. TERRIBILIS AVTEM QVAEDAM EXPECTATIO IVDICII, repete, *relinquitur voluntariè peccantibus*, & apoſtatantibus, ET IGNIS AEMVLATIO, QVAE CONSVMPTVRA EST ADVERSARIOS] Græcè eſt πυρὸς ζῆλος, id eſt, ignis zelus & æmulatio.

Vbi Nota proſopopœiam: quaſi enim ignis tam conflagrationis mundi, quàm inferni eſſet animatus, eſſetque quaſi bellua, putà leæna quædam iritata & exacerbata, furenſque ad ſui vindictam, ita tribuit illi Paulus ſenſum & zelum vindicandi peccata in communem Deum admiſſa. Zelum ergo ignis vocat ignis vehementiam & impetum vlciſcēdi, quo ignis hic quaſi naturali quodam zelo gloriæ Dei accenſus, vlciſcetur & puniet acerrimè peccata & iniurias in Deum dominum & creatorem ſuum admiſſas. ita Chryſoſt. & Theophyl. Simili proſopopœia Sapiens Sap. 5. v. 21. *Pugnabit*, inquit, *cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur* (id eſt, emittentur & eiicientur, ſcilicet hæc iacula fulgurum in impios) *& ad certum locum inſilient, & à petroſa ira* (græcè ἐκ πετροβόλων ὀργῆς, id eſt, ex ira lapidatrice, vel ſaxorū iaculatrice) *plenæ grandines mittentur* (id eſt, vibrabuntur. Alludit ad catapultam veterum, qua ſaxa vel in mœnia, vel in hoſtes conijci ſolent:) *excandeſcet in illos aqua maris* (vide

Proſopopœia ignis contra reprobos.

(vide hîc zelum maris) *& flumina concurrẽt duriter: contra illos ſtabit ſpiritus virtutis* (ventus validiſſimus) *& tamquam turbo venti diuidet* (διαλυμήσει, id eſt euentilabit) *illos: & ad eremum perducet* (ἐρημώσει, id eſt deſolabit, deſolatam faciet) *omnem terram iniquitas illorum*. Vbi Nota, hæc quæ hîc impijs cõminatur Sapiens, eis obuentura Primò, paulò ante iudicium vniuerſale: tum enim omnes creaturæ aſſligent impios Antichriſti aſſeclas & præcurſores, vt patet toto c.8.& 16. Apocal.& c.9.4.

Omnes creaturæ & elementa pugnabunt vindicio contra impios.

Secundò, ſtatim poſt iudicium. De hoc enim tempore propriè loquitur Sapiens v.16.& 17. qui proximè præcedunt, & v. 1. Videtur ergo dicere hîc Sapiens, quòd data & lata à Chriſto ſententia damnationis in reprobos, mox omnia elementa in eorum vindictam aſſurgent, quaſi lictores & adminiſtri Chriſti domini & creatoris ſui, ſcilicet cælum, ignis & aër, vibrando in eos ignem, fulgura, ventos, grandines; mare, efferueſcẽdo & exundando, vt eos cum terra abſorbeat & obruat; terra, ſub pedibus eorum hiando, vt corpora & animas eorum deglutiat & deturbet in infernum. Vide quantus hic ſit zelus ignis & creaturarum omnium pro Deo creatore ac domino ſuo pugnantium, eiuſque offenſas & iniurias vindicantium.

Vers. 28. IRRITAM QVIS FACIENS (ἀθετήσας, id eſt, cùm quis contempſerit, violauerit, &, vt Syrus, עָבַר *daabar*, id eſt, qui tranſgreſſus fuerit) LEGEM MOYSI, SINE VLLA MISERATIONE DVOBVS VEL TRIBVS TESTIBVS (conuictus) MORITVR] Probat argumẽto à minori ad maius, ſcilicet ex pœna mortis propoſita ijs qui vnum præceptum Moſis repudiaſſent & tranſgreſſi eſſent, grauiſſimè puniendos eos qui totam Chriſti legem abiecerint, ab eaque apoſtatauerint.

Vers. 29. QVANTO MAGIS PVTATIS DETERIORA MERERI SVPPLICIA, QVI FILIVM DEI CONCVLCAVERIT, ET SANGVINEM TESTAMENTI POLLVTVM DVXERIT IN QVO SANCTIFICATVS EST] Ambroſ. & Theophyl. putant hæc dici de ijs, qui indignè ſuſcipiunt Sacramenta.

Varia Patrum ſententia, de quibus & qualibus locutoribus hic loquatur Apoſtolus.

Secundò, Galenus & alij putant hæc dici de quouis peccato mortali, quod fideles admittunt: per hoc enim implicitè & interpretatiuè contemnunt, & quaſi conculcant gratiam, redemptionẽ, mortem & ſanguinem Chriſti. Verùm, vt probaui v.26. loquitur Apoſtolus propriè de apoſtatis à Chriſto, Chriſtique fide & collectione, id eſt Eccleſia. Hi enim propriè Chriſtum Dei filium, eiuſque ſanguinem, quo nouum fœdus & teſtamentum inter Deum & homines de æterna hereditate eis danda ſancitum eſt, quoque in baptiſmo abluti & ſanctificati ſunt, conculcant & pollutum ducunt, dum eum, quaſi res inutilis, profana, nulliuſque momenti, imò falſa & ficta foret, contemnunt, abnegant, abijciunt: & hoc ipſo *Spiritui gratiæ*, id eſt, Spiritui ſancto, qui eſt auctor gratiæ in Chriſti baptiſmo acceptæ, qua eos Deo gratos, ſanctos, Deique amicos & filios effecit, *contumeliam faciunt.*

Pollutum Iudæis eſt, quod commune eſt Gentibus.

Nota. Pro *pollutum*, græcè eſt κοινὸν, id eſt communem. Iam *communem* phraſi Hebræa idem eſt, quod immundum & pollutum. Nam talia erant illa, quæ communia erant Gentibus, ſiue quibus Gentes incircumciſæ & immundæ communiter vtebantur, vt dixi Rom. 14.14. ita Chryſoſt.

Secundò tamen, *communem* hîc propriè accipi poteſt. q.d. Tales apoſtatæ æſtimant Chriſti ſanguinem quaſi communẽ ſanguinem, qui non differat à ſanguine hircorum, taurorum, vel aliorum hominum. Vnde Syrus vertit, *& æſtimauerit ſanguinem teſtamenti*, אֵיךְ דְּכַלְנֵשׁ *ach deculnas*, id eſt, tamquam cuiuſlibet alterius, ſcilicet hominis.

Vers. 30. SCIMVS ENIM QVI DIXIT: MIHI VINDICTA, ET EGO RETRIBVAM] q.d. Vt ſciatis tales apoſtatas grauiſſimè puniẽdos, ſcitote & cogitate Deum eſſe terribilem; vtpote qui dixit Deuter. 32. *Mihi vindicta*, ſcilicet competit. Vide dicta Rom. 12.19.

QVIA IVDICABIT] Beza vertit, *gubernabit*; ſed perperam: agitur enim hîc de vltione, non de gubernatione. *Iudicabit* ergo, id eſt puniet & plectet: ſic & alibi ſæpè ſumitur per metonymiam.

Vers. 31. HORRENDVM EST INCIDERE IN MANVS DEI VIVENTIS] Eſt emphaſis, in epitheto *viuentis*. q.d. Deus noſter non eſt ſaxum, non idolum, vti ſunt dij Gentium, qui oculos, aures, manus habent, ſed lapideas, quibus nihil ſentiunt: Deus enim noſter eſt *viuens*, ac conſequenter tangitur, & ſentit apoſtaſiam à ſe, & apoſtatarum in ſe iniurias, ijſque iraſcitur, eaſque vindicat & punit.

Secundò, *viuens* eſt Deus, quia immortalis & æternus, in perpetuum viuit & viget, vt numquam ipſius oculos, memoriam, aut manus effugere poſſis. ita Theophyl.

Vers. 32. REMEMORAMINI PRISTINOS DIES, IN QVIBVS ILLVMINATI, MAGNVM CERTAMEN SVSTINVISTIS PASSIONVM] Hactenus excitauit Apoſtolus Hebræos ad conſtantiam in fide, terrore iudicij & gehennæ nunc quaſi ſapiens orator, vt notat Theophyl. terrorem hunc lenit: & quo ſuauiùs in eorum animos influat & perſuadeat, vrget eos alio argumento, petito à laudibus Hebræorum, & prima illorum in fide conſtantia. q. d. Hactenus fortes in perſecutione perſtitiſtis; pergite, non alios, ſed voſipſos imitamini, aſpicite primam veſtram conſtantiam: cucurriſtis bene, ad medium ſtadij pertigiſtis, exiguum agonis reſtat; palma vobis eſt ante oculos, eſt penè in manibus, nolite eam apoſtatando abijcere, aut prodigere. Hoc enim non tantùm pudendum, ſed & ſtultum ac ſtolidum foret.

Terrorem lenit Paulus commemoratione fortitudinis Hebræorũ.

ILLVMINATI] Id eſt baptizati: baptiſmi enim effectus eſt, mentem illuminare Chriſti fide, cognitione & gratia. Vnde S. Dionyſius & Græci Patres baptiſmum vocant φώτισμὸν, id eſt illuminationem. Vide dicta cap. 6. v. 4. q.d. Paulus, Initio baptiſmi & conuerſionis veſtræ, ô Hebræi Chriſtiani, generosè à Iudæis vexationes, irriſiones, ſpoliationes & exilia pertuliſtis: tirones tanta præſtitiſtis, quid ergo decet vos iam viros & milites, tot annos in Chriſti militia exercitatos facere & præſtare?

Baptiſmus eſt illuminatio.

Vers. 33. ET IN ALTERO QVIDEM OPPROBRIIS ET TRIBVLATIONIBVS SPECTACVLVM FACTI] *In altero*, id eſt, in altera parte, hoc eſt, partim. Græcum τοῦτο reſpõdet Hebræo זֶה *ze*, quod ſæpè ponitur pro בָּזֶה *baze*, id eſt, in hoc, hoc eſt hac parte.

Poſſet Secundò, τὸ τοῦτο, referri ad παθημάτων quod præceſſit, vt intelligatur τὸ κοῦ. q.d. κοῦτο πάθημα, id eſt, ſecundùm hanc paſſionem, hoc eſt, ſecundùm hoc genus paſſionis, nunc opprobria pertuliſtis; ſecundùm aliud verò genus paſſionis, aliàs talia patientibus compaſſi eſtis.

Tribulationes Hebræorum fidelium.

SPECTACVLVM FACTI] Id eſt, publicè infamati, & quaſi rei plectendi per theatrum traducti eſtis, publicè ab omnibus quaſi in theatro irriſi eſtis: hoc enim ſignificat Græcum θεατριζόμενοι. idem enim

enim est, quod θέατρον ἐγενήθητε, id est theatrum, siue spectaculum facti estis, vti rei ad leones, bestias, ignes, aliaque supplicia damnati publico theatro spectantur. Hac enim significatione 1. Corinth 4.9. ait Apostolus *spectaculum*, græcè θέατρον, id est theatrum. *facti sumus.*

IN ALTERO (id est partim) AVTEM SOCII TALITER CONVERSANTIVM (talia opprobria & tribulationes patientium) EFFECTI] q.d. Vos, ó Hebræi Christiani, multa à Iudæis ob fidem Christi passi estis, & simul quasi socij, animo fauistis & compassi estis, reque ipsa, consilio & opera iuuistis alios Christianos, tam Iudæos, quàm Gentiles, qui ob eamdem Christi fidem, siue in Palæstina siue extra eam, tam à Gentilibus, quàm à Iudæis, opprobria, tribulationes & vincula passi sunt: adeoque in illis vos passi estis, quia ipsorum ærumnas & passiones per compassionem, vestras fecistis, itaque eas sensistis, ac si vos ipsos tetigissent. Agite ergo, pergite & persistite in hac vestra patientia, fortitudine & constantia.

Eorum mutua compassio.

VERS. 34. NAM ET VINCTIS COMPASSI ESTIS] Noster cum Syro legit δεσμίοις, id est *vinctis*. Iam legunt δεσμοῖς μου, id est vinculis meis, quibus scilicet ego Paulus Romæ à Nerone vinctus fui, cōpassi estis. ita Chrysost. Theophyl. & Oecumen. Compassio hæc non verbalis nec mentalis tantùm, sed realis fuit. Sic enim misericordes diuites pauperibus cōpatiuntur, cùm eorum miseriam data stipe leuant.

Compassio non verbalis aut mētalis, sed realis Hebræorum.

Mira fuit Christianorū charitas & beneficentia in Martyres Christi causa vinctos, vt patet non tantùm ex Tertulliano & Cypriano, sed etiam ex ipso Luciano in Peregrino: vbi narrat, quòd Peregrinus hic licet infidelis esset & hypocrita, hac tamen de causa Christianum se finxerit, & carceri pro fide Christi se obtulerit, vt eleëmosynis fidelium tam largis potiretur.

Ita Clemens lib. 5. Constit. Apost. c. 1. iubet vt fideles Martyribus & vinctis pro Christo subueniant suis opibus. *Sin verò* inquit, *aliquis non habet, ieiunet, & cibum eius diei partitus destinet sanctis. Si verò potest rebus suis omnibus diuenditis, ex custodia eripere, beatus & amicus Christi erit.* Et mox: *Quòd si isti* (vincti pro Christo) *tales sunt, vt eis Christus testimonium coram Patre tribuat, non debet pudere vos ire ad eorum carceres: hoc enim si feceritis, vobis vice martyrij habebitur; quòd illi quidem reipsa martyrium subierunt experiendo; vos verò aliter, nempe voluntate prompta, tamquam facti socij certaminis illorum. Talibus enim ait Dominus: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c. Esurui enim, & dedistis mihi māducare: in carcere eram, & venistis ad me.*

ET RAPINAM BONORVM VESTRORVM CVM GAVDIO SVSCEPISTIS] Cùm scilicet bona vestra publico magistratus Iudaici edicto, eò quòd Christiani essetis, fisco addicta sunt.

Ita Wandali duo sub Geiserico rege Arriano sæpiùs confessores, comitante matre, contemptis omnibus diuitijs, cum Clericis ad exilium perrexerunt, ad quod eos mittebat Hunericus.

Ita Muritta diaconus, & quingenti Clerici Carthaginenſis Ecclesiæ ab Hunerico bonis spoliati, & in exilium trusi, cùm Episcopis Arrianis suggerentibus, ductores siue torrores auferrent eis id quod Christiani ad victum largiebantur, quisque eorum alacer cantabat: *Nudus exiui de vtero matris meæ, nudum oportet me ad exilium pergere: quia Dominus nouit esurientibus cibum porrigere, & in deserto ve-*

stire. ita Victor Vticens. lib. 3. Wandal.

Ibidem alios memorat, qui bonis spoliati & in exilium acti, cum gaudio canebant: *Hæc est gloria omnibus Sanctis eius.* Sic itur ad astra. Festinemus ad coronas nobis à Deo in cælo paratas.

Inter alios memorabilis fuit Saturus, cui cùm Hunericus post promissa multa minaretur, ni fieret Arrianus, se domum eius, substantiam, filios & familiam distracturum, atque vxorem ipso præsente camelario in coniugium traditurum; cumque vxor hæc audiens conscissis vestibus, soluto crine, cum filijs & infantula quam lactabat, ad mariti genua accideret, diceretque: *Miserere mei simul & tui, miserere cōmunium liberorum dulcissime coniux. Non subiaceant conditioni seruili, quos claros reddidit prosapia generis nostri. Non subdar camelario, quæ mihi inter coætaneas semper plaudebam de Saturo meo.* Respondit Saturus quasi alter Iob: *Tamquam vna ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier, si sola esset huius vitæ amara dulcedo. Si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent vxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit vxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus.* Quid vltrà? discedente mulière cum filijs reiecta, confortatur Saturus ad coronam, discutitur, exspoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi accessus, totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt, inquit Victor lib. 1. Wandal.

Hæ veterum coronæ, audi pares huius æui. Anno 1613. in Iaponia grauis in Christianos exarsit regis & principum ira ac persecutio. Christiani permulti etiam è prima nobilitate bonis omnibus priuati in exilium expulsi sunt. Hanc mulctam adeò ipsi non defugêre, vt exultantes bonis cederent, quin & vltro Gubernatori nomina sua deferrent, seque Christianos esse profiterentur. Rex licet eis indignans ob fidem Christi, constantiam tamen admirans laudauit: quinimo quemdam capitaneum qui bonis metuens regi cesserat, & fidem abdicarat, toruè intuitus, eiusque vilem & abiectum animum increpans, officio & militari cingulo spoliauit, bonisq; priuauit. Christiani vt se magis obarmarent, sodalitatem Martyrum instituerunt, ad quam mox tria capitum millia sese aggregarunt. Huius prima lex est: *Si pro fide Christi bona adimantur, hoc spolium forti & libenti animo tolerato.* Secunda: *Pari constantia & animo exilium & mortem pro christianismo excipito.* Quocirca plures eorum quod verbis professi erant, reipsa præstiterūt, Arimæ regulus cædi Christianorum tribunal erexerat, diem dixerat: mox ad viginti Christianorum millia vltro se Arimæ stiterunt, vt se Christianos profiterentur, & martyria tum spectarent, tum obirent. Territus tyrannus cessit, & paucorum nece suum furorem satiauit. Ex illis octo viuos cremari iussit; inter eos erat pater & mater cum filio & filia. Filia Magdalena nomine, virgo viginti annorum, exultans in medijs flammis, carbones ardentes capiti imposuit (quod apud Iapones magnæ reuerentiæ est signum) vt se prunis illis quasi purpureis rosis, aut candentibus carbunculis coronaret: frater eius Iacobus duodennis solutis signe vinculis, prunas quas vicerat festiuus calcans, ad matrem pariter ardentem gratulabundus accurrit, terque sanctissima Iesu & Mariæ nomina contenti-

ori

tiori voce inclamans. beatæ matris gaudia cumulans, ad eius latus extinctus concidit.

Anglorum exempla. Audi Anglicana, quæ partim ex Didaco de Yepes Episcopo Turiasonensi li. 2. hist. de Persecut. Anglic. partim à viris fide dignis testibus oculatis accepi.

Primum. Duas è tribus bonorũ partes viduæ nobilis, quòd hæreticorum templa frequentare nollet, fisco hæretici addixerunt: cumque ipsa ab amicis adiuta, à fisco bis terque propriam domum agrosque conduceret, & paulatim diteſceret, bis terque duabus bonorum partibus rursum spoliata est. quod ipsa miro cum gaudio lætitiaque tulit.

Secundum. Alius magnam pecuniarum summam, quæ ad vitam sustentandam sola restabat, apud amicum Catholicum deposuerat, quam repertam abstulere satellites (*Pourſuiuantes* vocant Angli.) Ipse certior de rapina factus, sublatis in cælum manibus gratias maximas Deo egit, quòd ex illa hora cum in suum patrocinium, curam & prouidentiam suscepisset, solumque dolebat quòd pecuniæ quantitas amissa maior non fuisset.

Tertium. Alia femina primaria vxor Gulielmi Lacei, glorioſi postmodum Martyris, qui bona omnia, præcipuaque munia, eò quòd hæreticorum templa non adiret, gaudens amiserat; post direptionem bonorum perpauperem & inopem vitam ducebat, tanta cum lætitia, vt Deo pro tanto beneficio dignas gratias se agere non posse affirmaret; eò quòd vnà cum bonis superfluas curas, solicitudines, & mundanas obligationes ei abstulerat, vacuumq; tempus ad æternam animi salutem comparandam hac ratione concesserat. & quamuis ob assiduas persecutiones domicilia terrasque mutare crebrò cogeretur, tanto tamen gaudio & consolatione fruebatur, vt à Deo instanter peteret, ne exiguas suas ærumnas in hac vita remuneraretur, sed dolorem aut infirmitatem aliquam corporalem ad magnum animi gaudium temperandum, & peccata sua dum viueret, purganda, dignaretur immittere. quod diuinitus ei præstitum est: sex enim vel septem ante obitum annos continuis grauissimisque doloribus & infirmitatibus exercita fuit, quas ipsa summa animi æquitate & alacritate sustinuit.

Quartum. D. Franciscus Tregianus antiquæ & nobilissimæ familiæ, quòd R. D. Cutbertum Maynum Seminarij Duaceni sacerdotem, & seminaristarum omnium protomartyrem hospitio excepisset, amplissimo patrimonio spoliatus est, & vigintiquinque annos captiuus vixit. Ferunt eum, cùm sententia de amissione bonorum, & perpetuis carceribus ferenda esset, byssо candida vestitum comparuisse, & post latam sententiam dixisse: *Pereant bona quæ si non periissent, fortasse dominum perdidissent suum.*

Quintum. Excellentissimus Arondeliæ Comes Philippus Houardus, Norfolcienſis Ducis filius & heres, religionis Catholicæ ergò dum in Galliam fugam parat, captus, in turrim Londinensem coniectus, & demum ad tribunal ductus & condemnatus est: post duodecim, aut circiter captiuitatis annos in vinculis, glorioſus Confessor, imò Martyr obijt. Hic supremus in Anglia Comes & familiæ nobilissimæ, mirum dictu & quanta amisit, & qua animi æquitate nouercantis fortunæ fluctus sustinuit. in carcere enim captiuus Catholicis omnibus non exemplo modò, sed etiam singulari solatio fuit: A nullus vmquam de bonorum rapina conquerentem, nullus de carceris incommodis, de negata libertate dolentem audiuit; imò conquerentes & dolentes alios ipse nunc verbis erigere, nunc mira qua pollebat comitate consolari solebat. illi præter Deum, & cælestium rerum contemplationem sapiebat nihil: pecunias quas pro sustentatione Regina illi (nam iuxta dignitatis gradum plus minusve in turri captiuis assignatur) concessit, tenui & parco ipse contentus cibo, inter pauperes distribuit. alia multa dixit, fecit, sustinuit Illustrissimus Comes, quæ antiquorum primitiuæ Ecclesiæ heroum factum vel æquent vel superet, & dignissima sunt quæ æternitati consecrentur. Hæc pauca è multis.

Macte animo Angli Orthodoxi, æmuli primorum Christianorum & Martyrum. Hæc est felicitas vestra, quòd hocce sæculo persecutionibus B procelloso, in Anglia nati, soli penè speretis, soli ambiatis martyrium, siue breue illud detur, siue longum & lentum per assiduas rapinas & vexationes. Ita constantes pergite. Hæc est gloria Anglicanæ Ecclesiæ, quam nulla ætas, nulla sæcula obliterabunt. Rapinam ergo bonorum vestrorum cum gaudio suscipite. Ecce cælestes opes & immensas ex æthere vobis exhibent angeli. Sustinete animosè ad modicũ carceres, verbera, opprobria, furcas, ignes, cruces pro Christo vestri amore crucifixo. Ecce æternas laureas, ecce diuinas coronas è cælo vobis ostentat & adornat Christus, amor vester & noster. Inuident vobis glorioſum sanguinis martyrium pseudoepiscopi: at eo glorioſius infortunis exhibent, quo durius & lentius. Certi estote, in hac rapina nobilem vobis dari martyrij C lauream. Hæc enim rapina vitam non qualẽ qualem, sed nobilem & gradu vestro dignam, non vobis solis, sed toti familię & posteritati eripit; itaque non vnum hoc & simplex, nec vnius, sed multiplex & multorum est martyrium.

COGNOSCENTES VOS HABERE MELIOREM ET MANENTEM SVBSTANTIAM] Pro *vos*, græcè est ἑαυτοῖς, id est vobis; sed corrigendum videtur ἑαυτοὺς, id est vos, vti nonnulla exemplaria habent, itaque legit noster Interpres; illudque sententia ipsa exposcit. Rursum ad *τὸ substantiam*, Græca addunt, ἐν οὐρανοῖς, id est in cælis. Certum enim est de cælesti substantia & opibus loqui Apostolum. q. d. Cùm bonis vestris pro fide Christi spoliaremini, gaudebatis, quia cogitabatis, quòd, licet in terris ad paupertatem redigeremini, per hoc tamen diuites efficeremini in cælis apud Deum, qui bona vobis erepta cum fœnore centuplicata reddet.

D NOLITE ITAQVE AMITTERE (μὴ ἀποβάλητε, id est, ne abieceritis) CONFIDENTIAM VESTRAM] Græcè παῤῥησίαν, id est *libertatem*. Est metalepsis. Per *libertatem* enim intelligit fiduciam, quæ parit libertatem, vt scilicet Christianus in fide constans, qui bonorum expilationẽ gaudens subijt, eò quòd cogitaret & speraret meliorem substantiam & opes à Deo in cælis se adepturum, per hanc spem & fiduciam liberè & fidenter audeat à Deo, pro quo bonorum iacturam fecit, sperare & petere hanc meliorem substantiam, & opes cælestes. VERS. 35.

Rursum Secundò, & consequenter per fiduciã, siue *confidentiam*, intelligit substantiam & opes, quas Christianus ita expilatus, à Deo in cælis se recepturum sperat & confidit. Est enim metonymia, qua ponitur actus pro obiecto, scilicet confidentia *Confidentia & spes Christianorum quales.*

dentia

dentia pro opibus, quas quis se adepturum confidit. q.d. Magnas spes, magnas opes habetis repositas apud Deum in cælis: nolite eas abijcere & profundere per pusillanimitatem, impatientiam & apostasiam; sed in vestra fide, spe & patientia persistite. Ita fiet vt harum opum, & horum meritorum magnam remunerationem & magna præmia sitis percepturi. A

VERS. 36. PATIENTIA ENIM VOBIS NECESSARIA EST] Pro *patientia*, græcè est, ὑπομονὴ, id est sustinentia, longanimitas, & patiens expectatio liberationis & præmij, qua duramus in persecutionibus, ærumnis, & rebus aduersis, atque meliorem sortem longanimiter expectamus. Vnde subdit: *Adhuc modicum* sustinete, nam *qui venturus est veniet, & non tardabit*, vt vos hac persecutione liberet. Hæc sustinentia necessaria est ad hoc vt retineatur confidentia iam dicta: qui enim amittit hanc sustinẽtiam, amittit & confidentiam, ac consequenter & repromissiones, melioreḿque substantiam, quam se adepturum confidebat in cælis. q.d. Paulus, vti explicat Chrysost. *Vnum tantùm vobis deest, ô Hebræi, vt scilicet perseueretis & expectetis futura, non vt iterum certetis: ad ipsam iam coronam proximi facti estis: certamina cuncta sustinuistis, vincula, tribulationes; substantia vestra direptæ sunt. quid ergo restat? state vt coronemini: hoc solùm agite, vt expectetis aduentum coronæ.* Simili modo ad patientiam, id est, patientem expectationem liberationis & præmij fideles hortatur S. Iacobus c. 5. v. 7. *Patientes*, inquit, *estote fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum* (imbrem:) *patientes estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit.* Vbi pro *patienter ferens*, græcè est, μακροθυμῶν, id est, longanimiter expectans; & pro *patientes estote*, græcè est, μακροθυμήσατε, id est, longanimiter expectate & sustinete, aduentum scilicet Domini, qui breui iudex aderit, vt vos pios & iustos coronet, vestros verò persecutores impios & iniustos condemnet. Hinc rursum S. Chrysost. homil. 35. in epist. 1. ad Corinth. *Patiens*, inquit, *vocatur longanimis, quia longum & ingentem habet animum.* Et S. Greg. hom. 35. in Euang. *Patientia*, ait, *est martyrium in occulta cogitatione.* Quocirca S. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Eustochium: *Mater*, ait, *tua longa martyrio coronata est. Non solùm enim effusio sanguinis in confessione reputatur; sed deuota quoque mentis seruitus immaculata, quotidianum martyrium est.* Huc pertinet illud S. Bernard. in Octaua Paschæ serm. 1. *Est*, inquit, *martyrij genus, & quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est & baptismus aliquis in compunctione cordis, & lachrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis & pusillis corde necesse est, vt quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturmori martyrio sanguinem fundant.* B C D

Locus moralis de patientia & longanimi expectatione solatij diuini in tribulatione.

Gnomæ de patientia.

Patientiam homini necessariam esse docuerunt pariter Gentiles. Bion aiebat *magnum malum esse, non posse ferre malum: absq; hoc enim nulli potest esse vita suauis.* testis Laërt. lib. 4. c. 7.

Antisthenes dicebat, *virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec vlla re opus habere nisi robore Socratico.*

Socrates autem ad omnium rerum patientiam obdurauerat. testis Laërt lib. 6. c. 1.

Agesilaus cùm arderet podagræ doloribus, eumque Carneades inuisisset, atque exisset tristis: *Mane*, inquit, *Carneades, nihil enim illinc* (ostendens pedes podagricos & pectus) *huc peruenit*: significans pedes quidem dolere, sed animum dolore vacuum esse. testis Plutarchus in Lacon.

Zeno percunctanti, quo pacto esset affectus erga conuitia? *Perinde*, inquit, *atque si legatus absque responso dimittatur.* Quid iam faciat Christianus, cui tanta patientiæ præmia & coronæ è cælo ostentantur?

Notat Tertullianus lib. de Patientia ca. 15. patientiam Christiano ita necessariam esse, vt omnibus hominis actibus & Dei mandatis interuenire & intermiscere debeat. *Patientia*, inquit, *fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesin adsignat, carnem regit, spiritum seruat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat; pauperem consolatur, diuitem temperat; infirmum non extendit, valentem non consumit; fidelem delectat, Gentilem imitat; seruum domino, dominum Deo commendat; feminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est.* Deinde patientiæ effigiem & habitũ ita depingit. *Vultus*, ait, *illi tranquillus & placidus frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa aquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis: os taciturnitatis honore signatum: color qualis securis & innoxiis: motus frequens capitis in diabolum, & minax risus: amictus circum pectora candidus & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubila liuet, sed est tenera serenitatis, apertus & simplex, quẽ tertiò vidit Elias. Fatigetur ergo improbitas patientia tua. quòd si patientiæ incubabo, non dolebo; quòd si non dolebo, vlcisci non desiderabo.*

Patientiæ actus & effecta.

Patientiæ effigies.

VT VOLVNTATEM DEI FACIENTES, REPORTETIS PROMISSIONEM] Pro *facientes*, græcè est ποιήσαντες, id est, vt, cùm feceritis & compleueritis vsque ad finem voluntatem Dei, quæ est vt perseueretis & crescatis in fide, patiẽtia & charitate Christi, tunc reportetis promissam vobis substantiam & opes in cælis.

VERS. 37. ADHVC ENIM MODICVM ALIQVANTVLVM QVI VENTVRVS EST, VENIET, ET NON TARDABIT] Græcè, μικρὸν ὅσον ὅσον, id est, parum tantũ tantum, id est tantillum, perpusillum, modicũ & aliquantulum. Hebræi enim per geminationẽ significant superlatiuũ, vt cùm dicunt ficus bonas bonas valdè, intelligunt ficus optimas; sic parum parum, id est minimum; tantum tantum, id est tantillum.

Nota. Citat Paulus Habacuc prophetam, qui cùm c. 1. grauiter questus esset, quòd impij Chaldæi pijs Iudæis dominarentur, Deusque eos & res humanas negligere videretur: respondet ei Deus c. 2. Cyrum esse venturum, qui Iudæos Babylone liberet, & allegoricè Christum esse venturum, qui impios iudicet, & pios ab eis afflictos consoletur. Id cœpit facere Christus primo suo in carnem & mundum aduentu: tunc enim pauperes, humiles & lugentes in Sion, vt ait Isaias cap 61. consolatus est; superbos autem & incredulos Pharisæos & Iudæos à fide, gratia & Ecclesia sua repulit. perfectè autem idipsum faciet Christus in secundo suo ad iudicium aduentu, cùm regnum peccati euertet, & impios gehennæ, pios cælo addicet. q.d. Breui veniet Christus vt liberet nostum inchoatè à peccato & dæmone primo suo in mundum aduentu, tum completè ab omni malo & miseria in secundo

Locus Habacuc 1. illustratus.

Christus venit consolari humiles, pauperes, & lugentes in Sion.

do suo aduentu ad iudiciũ, quo venturus est tamquam iudex, vt tyrannos & impios condemnet, patientes, pios & fideles præmiet & coronet.

De vtroque ergo Christi aduentu loquitur Habacuc cap. 2. magis tamen de secundo, de eoque illum hîc explicat Paulus, vt hisce eius verbis & promissis Hebræos excitet ad spem, patientiam, constantiam & fortitudinem, in tolerandis persecutionibus pro fide Christi.

Nota. Paulus non tam verba, quàm sensum Habacuc citat. Habacuc enim non habet hæc verba, *Adhuc modicum aliquantulum*; sed, *Expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*, id est, post modicum tempus, breui & citò veniet.

Dices, Quomodo ergo paulò antè ait Habacuc, hanc visionem esse procul, id est longè remotam & post multa tempora futuram. Respondeo, Remota erat in se tempore Habacuc, præsertim quatenus Messiam, siue Christum, eiusque tempora spectabat; quatenus verò cum Deo, Deique æternitate, in qua hæc videbat Propheta, comparatur, eatenus propè erat, & post modicum tempus futura. *Mille* enim *anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præterijt*, psal. 89. v. 4. Et sic omnis præsens vita, voluptas æquè ac afflictio momentum est, si cum æternitate conferatur. *Momentaneum*, inquit Apostolus, *& leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Vtinam hoc modicum peruideamus & dispiciamus!

Omnia tẽpora in Dei æternitate sunt modicum.

QVI VENTVRVS EST] Id est Christus, Christi enim nomen est ὁ ἐρχόμενος, id est veniens, vt patet Matthæi 11. 3. Apocal. 1. 4.

ET NON TARDABIT] quin scilicet tempore à se præfinito & promisso veniat, vt suos pios afflictos, atque vos inprimis, ô Hebræi, liberet & saluet, tardare enim dicitur non is qui vltra desiderium & votum expectantium, sed is qui vltra promissionem & pactum suum aduentum differt.

VERS. 38. IVSTVS AVTEM MEVS EX FIDE VIVIT] q. d. Interea temporis, donec Christus liberator veniat, iustus fide in Deum & Christum sustinebit se in medijs malis, vt non abijciat spem & confidentiam, sed in sua iustitia & patientia, vti cœpit, ita perget per fidem viuere, crescere & proficere.

Nota. Loquitur, vt dixi, Habacuc ad litteram de fide, qua credebant & sperabant Iudæi, Deum iuxta promissa missurum Cyrum, qui eos Babylone liberaret: allegoricè verò, vti hîc explicat Paulus, loquitur de fide in Christum redemptorem. hac enim fide propriè iustus viuit. Vide dicta Rom. 1. 17.

Nota Secundò. Loquitur tam Habacuc, quàm Paulus non solùm de inchoatione vitæ iustæ & sanctæ, siue de prima iustificatione, sed etiam de eius incremento & profectu. quibus enim rebus res primò producitur, ijsdem conseruatur & crescit. Sicuti ergo dicimus nos per habituri, per animam, per calorem naturalem viuere, id est vitam inchoare, conseruare & continuare: ita hîc dicitur, *Iustus ex fide viuit*. q. d. Qui fidē primò acceptat, Deoque & Christo credere incipit, hic hoc ipso inchoat viam ad iustitiam & ad amicitiam cum Deo ineundam. Pari modo qui iam iustificatus est, quique fidem Christi retinet, & bona opesque quas Christus suis fidelibus in cælo promisit, firma fide & spe expectat; hic permanebit in gratia, amicitia & iustitia accepta, pro eaque fortiter persecutiones feret, itaque promissas à Christo opes & præmia in cælis cõsequetur. qui autem increduli esse aut diffidere Christo cœperint, hi peccabunt, vitamq; gratiæ, iustitiæ & amicitiæ, ac cõsequenter & gloriæ hereditatisque Dei amittent. Iustus ergo licet sit in captiuitate & persecutione (vti erant Iudæi tempore Cyri, & Hebræi tempore Christi) licet vndique exagitetur, tamen interiùs in anima sua silens, quietus & lætus viuet in fide & spe sua, qua fidelissimo suo domino, amico & patri innixus; certò credit & sperat se illi curæ esse, ab eo regi, protegi, roborari, ac tandem fidei & constantiæ suæ coronam æternam accepturum in cælis. qui autem incredulus est & diffidit, quia timidus & pusillanimis, ideoque à Deo & Christo impiè deficit in tentatione & persecutione, ac consequenter iniustus est; huius *anima*, vt habet Habacuc, *non erit recta in semetipso*, sed distorta, turbata, agitata inter spem & metum, inter tot humana cõsilia & præsidia, ad quæ assiduè respectat, ac consequenter non placebit Deo, vti vertunt LXX. & ex ijs Paulus. Est ergo sententia hæc, *Iustus ex fide viuit*, generalis & vera, tam in Iudæis, quàm Christianis, tam in peccatoribus qui primò iustificantur, quàm in iustis qui in iustitia permanent & proficiunt: omnes enim hi ex fide viuunt, id est, vitam animæ, qua viuit anima per gratiam & iustitiam, inchoant, conseruant & promouent per fidem.

Iustitia inchoatur, conseruatur & promouetur fide.

QVOD SI SVBTRAXERIT SE, scilicet per incredulitatem, diffidentiam, pusillanimitatem, id est, si incredulus fuerit, vt habent Hebræa & Noster interpres Habacuc. 2. NON PLACEBIT ANIMAE MEAE] Hebræa & Noster Habac. 2. *non erit anima eius recta in semetipso*. anima enim quæ non est recta, non placet Deo. q. d. Si quis tædio victus, aut animo in persecutione, aliáve aduersitate fractus, patientiam abrumpat, collum & humeros oneri subtrahat: si pressus malis, moraq; victus animum despondeat, excidat à fide, & abiiciat fidem, spem, iustitiam; hic non placebit animæ meæ. Loquitur Deus humano more, vt notat Galenus, q. d. Non complectar apostatam, nec deosculabor beneplacito meo; vti complecti soleo eos, qui mihi amica & fideli necessitudine coniunguntur. Deus enim quasi iniectis brachijs de collo propendet hominum fortiter pro Christo agentium: vbi autem grati esse desinunt, & remissa contentione laborem aspernantur, remittit ipse quoq; complexum: sicque desertor in cæcitatem, obstinationem, omniaque mala & ærumnas collabitur. Rursum talis apostata non placebit, id est displicebit (est enim miosis) animæ meæ; meamque iram & indignationem incurret.

Deus deserentes se priùs, etiam deserit.

NOS AVTEM NON SVMVS SVBTRACTIONIS FILII IN PERDITIONEM, SED FIDEI IN ACQVISITIONEM ANIMAE] *Filij subtractionis*, id est incredulitatis, &, vt Anselmus, apostasiæ. hanc enim vocat hîc Paulus, secutus Septuag. Habac. 2. *subtractionem*. nam opponit eam *fidei*, dicens. *Non sumus subtractionis filij, sed fidei*. q. d. Non sumus homines nos subtrahentes, qui scilicet subtrahamus nos, & deficiamus à fide & obedientia Christi per infidelitatem. Hinc Erasmus vertit, *non sumus subtractores & detrectantes obedire*. Opponit enim Apostolus ὑποστολὴν, id est subtractionem, τῇ ὑπομονῇ, id est tolerantiæ & perseuerantiæ in iugo & obedientia Christi. *Filij* ergo *subtractionis* sunt filij Belial, id est, sine iugo, qui à iugo fidei & obedientiæ se subtrahunt & subducunt.

VERS. 39.

Filij subtractionis sunt filij Belial sine iugo.

IN PERDITIONEM] quasi dicat, Si subtrahamus nos à fide Christi, imus in perditionem & gehennam.

SED FIDEI] supple filij sumus, id est, fideles sumus, credentes & sperantes in Christum.

IN ACQVISITIONEM ANIMÆ] vt scilicet hac fide animam liberemus à perditione & morte, tum præsenti & spirituali peccati, tum æterna in inferno; ne ibidem fiat acquisitio, id est possessio dæmonum; sed vt eam lucremur & acquiramus tum Christo, tum nobis, vt scilicet anima nostra fiat possessio & peculium Christi, vtque nos ipsi animam nostram in hac vita inchoatè per patientiam, sed in futura pleniſſimè & felicissimè possideamus eam per gloriam in æterna beatitudine. ita Anselmus.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VT Hebræos in fide Christi corroboret ad persecutionum tolerantiam, describit quid sit fides, quanta bona certissimè promittat, quamq; magna & heroica vel effecerint vel passi sint veteres patres & heroës, per fidem & spem cælestis gloriæ excitati & animati.

1. EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. 2. In hac enim testimonium consecuti sunt seniores. 3. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei: vt ex inuisibilibus visibilia fierent. 4. Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. 5. Fide Enoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur: quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. 6. Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. 7. Fide Noë responso accepto de ijs, quæ adhuc non videbãtur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus. 8. Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem acceptur us erat in hereditatem: & exijt, nescicns quò iret. 9. Fide demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. 10. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus. 11. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in cõceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. 12. Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis. 13. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. 14. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. 15. Etsi quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi: 16. nunc autem meliorem appetunt id est cæleſtem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. 17. Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; 18. ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: 19. arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit. 20. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob & Esau. 21. Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius. 22. Fide Ioseph, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit. 23. Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum. 24. Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, 25. magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, 26. maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. 27. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: inuisibilem enim tamquam videns sustinuit. 28. Fide celebrauit pascha, & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiua tangeret eos. 29. Fide transierunt mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptij deuorati sunt. 30. Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem. 31. Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. 32. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel & Prophetis: 33. qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, 34. extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti

sunt

sunt in bello, castra verterunt exterorum: 35. acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. 36. Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, 37. lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierũt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: 38. quibus dignus non erat mũdus in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. 39. Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, 40. Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.

VERS. 1. EST AVTEM FIDES SPERANDARVM SVBSTANTIA RERVM, ARGVMENTVM NON APPARENTIVM.] Dixit Apostolus in fine ca. præcedentis iustum ex fide viuere, & nos esse filios Dei, atque Hebræos pro fide Christi rapinam bonorum & opprobria pertulisse, eò quòd per fidem cognoscerent & sperarent meliorem substantiam & remunerationem in cælis. Hîc idem fusè prosequitur, vt Hebræos in fide Christi confirmet, ne ab ea vexationibus Iudæorum fracti desciscant. Primò ergo definit vel describit quid sit fides; Secundò, ostendit quanti illa apud Deum sit meriti; Tertiò, narrat quàm magna & heroica opera prisci & Sancti per fidem effecerint.

Agit hîc Apostolus non de fide iustificante, sed sustentante spem.

Vbi Nota, Apostolum non agere hîc directè & ex professo de fide iustificante, vti voluit Albertus Pighius, (qui hinc probare contendit ad iustificationem non requiri fidem mediatoris, eò quòd illam v.6. non requirat hîc Apostolus.) sed agit Apostolus de fide sustentante spem in tribulatione & persecutione, vt patet tum ex fine cap. præced. & initio sequentis 12. tum ex toto decursu huius cap. XI. Hæc tamen fides sustentans spem, est etiam iustificans, quia gratiæ & iustitiæ augmentũ meretur & impetrat, vt docuit Apostolus cap. 10. v.38. Quare perperam hæretici distinguunt tripliciter fidem, Primò, historicam; Secundò, miraculorum; Tertiò, iustificantem. vna enim eademque est fides, quæ hæc tria facit & operatur, vt solidè docet Bellarm. li. 1. de Iustificat. c. 5. & 11.

Non est triplex, sed vnica fides contra hæreticos.

Hæretici perperam per substantiam opes intelligunt.

SVBSTANTIA] Id est opes, inquiunt nonnulli, præsertim hæretici, quasi Apostolus respiciat ad id quod dixit c. 10.34. *Cognoscentes vos habere melioram & manentem substantiã*, id est fidem, inquiunt, qùa credimus & speramus opes & bona cælestia. Sed ibi pro *substantia*, græcè est ὑπαρξις, id est opes: hîc autem est ὑπόστασις, quæ vox non opes, sed substantiam significat.

Secundò, alij per *substantiam*, intelligunt initium & exordium. Substantia enim cæterarum rerum, proprietatum & accidentium sibi inhærentium est initium.

Remnitij falsa & hæretica interpretatio.

Tertiò, Kemnitius. *substantia*, inquit, id est, certa expectatio promissæ misericordiæ. Putat enim ipse, vti & alij Nouantes, hîc definiri fidem suam specialem, qua certò quis credit propter Christum sibi in particulari remissa esse peccata. Verùm quòd Apostolus non loquatur de hac fide speciali, neque per res non apparentes & sperandas, quarum fides est substantia, intelligat remissionẽ peccatorum; sed gloriam & opes cælestes fortiter pro fide & pietate agentibus & certantibus, non autem nudè credentibus tantùm, promissas, patet ex exemplis, quæ subdit, maximè v.10.13.26.35.

Fides est basis & fundamentum rerum sperandarũ.

Nota ergo. Pro *substantia*, græcè est ὑπόστασις, id est substantia, quæ substat accidentibus, eaque sustinet. q.d. Sicut substantia sustentat accidentia, ita fides sustentat spem nostram, adeò vt nulla in nobis sit futura spes, si non sit fides, quæ eam fulciat ac sustineat: sicut nulla erunt accidentia, si tollatur substantia, quæ accidentia illa sustentat. Fides ergo est *substantia*, id est basis & fundamentum, *rerum sperandarum*. Sic enim S. Dionys. cap. 7. de Diuinis nominibus, ait, *diuinam fidem esse stabile fixumq; fundamentum eorum qui crediderunt, eos in veritate defigens, ac veritatem in ipsis.* Ita substantiam gloriæ vocat Apostolus materiam ipsam, obiectum & fundamentum gloriæ, 2. Corinth. 11.17. Hac enim de causa substantia subinde ab Hebræis vocatur אֵצֶם *etsem*, id est os; quia instar ossis rem fulcit & sustentat. Sic Genes. 7.13. dicitur בְּאֶצֶם *beetsem*, id est in osse, hoc est in substantia (noster Interpres vertit, *in articulo*) *diei illius ingressus est Noë in arcam*; & Exodi 24. v.10. pro eo quod nos habemus, *Et quasi cælum cùm serenum est*, Hebræa habent כְּאֶצֶם *keetsem*, id est, sicut os, (substantia) cæli cùm purum est. hinc ossa Hebræis vocantur argumenta & demonstrationes, quibus rei veritas corroboratur, confirmatur & fulcitur. Patet hoc Isaiæ 41. 21. vbi Deus prouocans idola ad iudiciũ, vt secum de diuinitate concertent, proferantque suæ diuinitatis argumentum, putà diuinationem futurorũ, sic ait: *Propè facite iudicium vestrum, afferte si quid habetis forte*: pro *forte*, hebr. est אֲצֻמוֹתֵיכֶם *atsumotechem*, id est, ossa vestra, putà ossea & fortia argumenta proferte, quibus corroboretis & confirmetis causam vestram, probetisq; vos esse deos. Tale os & ossea substantia, siue stabilimentum, corroboratio & confirmatio rerum sperandarum est fides.

Substantia Hebræis vocatur os.

Argumenta & demonstrationes ab Hebræis vocantur ossa.

Secundò & melius, ὑπόστασις hic, vti & c.3.v.14. idem est quod subsistentia & existentia. q.d. Fides facit vt bona futura quæ nondum existunt certa habeamus, certoq; futura credamus & speremus, perinde ac si iam subsisterent, eaque coram nobis cerneremus: fides enim illa ipsa quasi præsentia & certissima oculis mentis subijcit, sicque per suam certitudinem, quamdam subsistentiam dat rebus speratis & futuris in intellectu & mente fidelium. Vnde explicans subdit Apostolus: *Fides est argumentum non apparentium.* & v.27. *Hac fide*, inquit, *Moses inuisibilem tamquam videns sustinuit.* ita Chrysost. Theophyl. Theodoret. & Syrus, qui ita vertit, *fides*, inquit, *est* פֵּיקָא *peiasa*, id est, *persuasio & certitudo de iis rebus quæ sunt in spe, perinde ac si iam existerent actu.* Hebræum enim אֲמָנָה *amana*, id est fides, deriuatur à radice אָמַן *aman*, id est firmauit, fulciit, stabiliuit, fecit rem firmè subsistere. inde dicitur אֲמָנָה *amana*, id est fides, veritas, certitudo, constantia, stabilitas, qua res solidè, certò firmiterque subsistit. Rursum hac de causa substantia ab Hebræis vocatur quandoque מַעֲמָד *maomad*, id est status vel statio, quia spem stare & subsistere facit. Vnde Chrysost. *Quoniam*, inquit, *ea quæ sunt in spe sine substantia esse putantur, fides eis tribuit* sub-

Substantia idem est quod subsistentia & existentia.

Substantia ab Hebræis vocatur status vel statio.

stantiam, Resurrectio necdum facta est, & necdum est in substantia, sed fides facit eam subsistere in anima nostra. Et D. Thomas clariùs allata etiam similitudine rem oculis subijcit. *Res sperandæ*, inquit, *sunt sicut arbor in semine virtute latens, ac per fidem quodammodo iam existunt in nobis, sicut arborē modo quodam tenemus in semine.*

Fides proeul posita, & futura facit præsentia.

Dicit ergo Paulus, Cùm vos, ô Hebræi, ad fidē in aduersis constantem hortor, nolo vos respicere ad bona præsentia, sed futura; quia fidei officium est, vt futura bona, quasi certissima menti offerat & exhibeat, atque per ea sustentet spem, patientiam, omnesque virtutes in rebus afflictis. mercedem enim futuram, eamque immensam ita certò oculis mentis obijcit, ac si iam cerneretur, & adepta esset: per fidem enim ita à mente apprehenditur, ac si iam subsisteret. v. g. dicitur Christiano: Patere fortiter exilia, spolia, verba & verbera pro Christo; eme spem pretio, da omnia tua pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Dicitur Martyri, Sustine generosè ad momentum temporis cruciatus, ignes, leones, furcas & cruces. manet te resurrectio, & caro gloriosa, manet te felicitas, opulentia, deliciæ immortales & æternæ. Hæc promissa nusquam adhuc cernuntur, nusquā subsistunt, non videt ea Christianus aut Martyr: accurrit fides, suaque certitudine, miraq; virtute & efficacia efficit in credentis animo illa videri; proculq; adhuc posita non secùs lactare, fouere & roborare in aduersis animum, ac si coràm conspicerentur, & manibus tenerentur. Imò facit vt sperans certiùs illa licet futura credat & speret, quàm ea quę præsentia coram se esse & existere actu videt.

Quocirca præclarè S. Leo serm. 2. de Ascensione, *Hanc*, ait, *fidem ascensione Domini auctam, & Spiritus sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuersum mundum non solùm viri, sed etiam fœminæ; nec tantùm impubes pueri, sed etiam teneræ virgines vsque ad effusionem sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos suscitauit.*

Christiani cogitationes debent esse sublimes.

SPERANDARVM] Græcum ἐλπιζομένων verti potest, & *sperandarum*, scilicet rerum quæ sperantur, & *sperantium*, scilicet hominum qui sperant. Posteriori modo vertit & intelligit passim S. Augustin. q. d. Paulus, Fides in anima iusti credentis & sperantis, est quasi basis, quæ eum sustentat vt quasi despiciat bona terrena, speret atque expectet cælestia. Sed eôdem redit sensus, siue vertas *sperandarum*, siue *sperantium*. Meritò, inquit S. Bernardus serm. 1. in psalm. 90. *Apostolus fidem sperandarum rerum substantiam esse definit, quòd videlicet non credita nemo sperare plus quàm super inane pingere possit. Dicit ergo fides: Parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa seruantur. Nam tertia quidem charitas: Curro, mihi ait, ad illa.* Hinc acutè Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagogi cap. 6. *Reuera*, ait, *sanguis* (id est anima & vita: *veteres enim putarunt sanguinem esse substantiam animæ*, vt ait ibidem Clemens) *Sanguis*, inquam, *fidei est spes, in qua continetur, sicut fides ab anima. Cùm autem spes expirauerit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissoluitur.* Discè hîc quàm cogitationes fidelis & Christiani debeant esse sublimes; quàm non terrena, præsentia & caduca, sed cælestia, futura & æterna cogitare, sperare, prosequi, de ijs A loqui, & ad ea anhelare debeat.

ARGVMENTVM] Id est, assensus, inquit D. Thomas quo adhæremus veritati. Verùm græcè est, ἔλεγχος, id est elenchus, demonstratio, conuictio, vti vertit & legit S. August. lib. 13. de Trinit. c. 1. & Chrysost. hic. Sic Aristoteles scripsit librum de Sophisticis elenchis, id est, de argumentis sophisticis, quibus sophistæ alios conuincere nituntur. Hinc Syrus vertit, *reuelatio earum rerum quæ non videntur*. q. d. Apostolus: Fide conuincimur ad credenda ea, quæ non videmus, quæ non apparent, perinde ac si in clara luce illa cerneremus. tam certò enim illa nobis fides ostendit & demonstrat, ac si in meridie viderentur. Efficit enim fides, vt nihilo magis de futuris atque à sensu remotis mysterijs obscurissimis dubitemus, quàm si vel oculis conspecta, vel ratione à nobis comprehensa B forent, imò multò magis certiusq; sint nobis persuasa, quàm ea quæ sensu, ratione, vel demonstratione persuadentur; vt v. g. malimus in Ven. Sacramento negare id, quod oculi & manus nobis dictant, scilicet Eucharistiam esse panem, quàm quod Christi verbum & fides nobis proponit & persuadet, scilicet Eucharistiam esse corpus Christi. Pari modo in mysterio SS. Trinitatis, incarnationis, passionis, resurrectionis, malimus fidei, quàm rationi naturali assentiri. *Papæ!* inquit Chrysost. *quale illud est* (fides) *quod talem facit rerum euidentiam, qualis est, dum res ipsæ palam proponuntur!* ἔλεγχος enim, id est demonstratio, non est nisi in rebus admodum manifestis.

Euidentia fidei non in rebus, sed in Deo attestante.

Vbi Aduerte, demonstrationem hanc & euidentiam non esse in rebus ipsis, sed in Deo attestante. Quia enim Deus dicit & reuelat nos resur- C recturos, & cælo potituros; ideo id credo, quasi certissimum & euidentissimum non in se, sed in Deo, qui id reuelat & attestatur. euidens enim est verum esse & certissimum quidquid Deus dicit & reuelat. Talis ergo est demonstratio ipsa fides, qualem rhetores schema nuncupant; aut potiùs qualis est dioptra nautica, siue speculum oculare, quo naues & turres remotissimæ alijs non apparentes, apparent & cernuntur: hoc enim speculū oculum confortat, & species visiuas ita cogit, roborat & condensat, vt longissimè se spargant, remque remotissimam aliàs inuisibilem clarè videri efficiant. Quid enim Martyres, dum tot sibi apparari supplicia conspicerent, aliud opponebant, quàm fidem, fideique dioptram & demonstrationem? quæ futuræ & immortalis vitæ immensa bona eminus menti eorum ita certò & viuè repræsentabat, vt eorum fide & spe roborati & accensi, in ignes, enses & neces se darent & ruerent. Vnde S. Augustin. tract. 27. & 20. in Ioan. to. 9. *Fides*, inquit, *est credere quod non vides, cuius veritas & merces est videre quod credidisti.* Et S. Gregor. hom. 26. in Euang. *Fides*, inquit, *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Fides est fiducia, nam hæc est in voluntate, illa in intellectu.

Hinc patet Primò, fidem non esse fiduciam vel spem, vt volunt hæretici. Fiducia enim est in appetitu & voluntate; fides verò est in intellectu. illum enim conuincit, illique rem creditam & speratam exhibet & demonstrat.

Fides schematis & dioptra comparata.

Fides est credere quod non videt.

Patet Secundò, hac clausula, fides est elenchus & demonstratio rerum non apparentium; fidem distingui tum à scientia, quæ est rerum apparentium & euidentium in seipsis; tum ab opinione, suspicione & dubitatione: hi enim incerti & du-

bij

bij sunt assensus; fides autem est assensus certus, qui intellectum planè subigit & conuincit.

Patet Tertiò, licet S. Hieron. in cap. 5. ad Galat. Theodor. & Theophyl. hîc, Damascenus lib. 4. de Fide cap. 11. & alij vocent hanc (quam hîc affert Apostolus) fidei definitionem: è contrario Erasmus velit tantùm esse encomium fidei, perinde ac litterarum esset encomium tantùm, si dicerem, Litteræ sunt in rebus aduersis solatium, in secundis ornamentum; verius tamen est propriè hanc esse fidei descriptionem, per duplicem fidei proprietatem, eamque præcipuam: quarum prior est, quòd fides sit basis & fundamentum spei, faciatque in animo subsistere ea quæ sunt futura; posterior, quòd intellectum faciat ijs assentiri, quæ non intelligit, quæque suo lumine & ratione non comprehendit.

Hæc est descriptio fidei per duplicem proprietatem.

Fides etiam versatur circa res timendas, & apparentes ac euidentes.

Vbi Nota. Non negat hîc Apostolus fidem aliàs adhuc habere proprietates, aut eam se extendere quoque ad apparentia & existentia, itemque ad res non speratas; imò pari modo fidem sic describere potuisset: Fides est substantia rerum tam sperandarum, quàm timendarum; estque argumentum tum apparentium, tum non apparentium. Fide enim credimus infernum, quem timemus, non speramus, & mortem quæ indies nobis apparet & cernitur. Potest enim eadem res, putà Deus, angeli, mors cognosci varijs modis; nimirum Primò, demonstratione; Secundò, sensu & experientia; Tertiò, fide, quia scilicet Deus ea reuelauit. Fides ergo infernum, mortem & iudiciũ, quæ non speramus, sed timemus, vtpote certò futura, menti quasi præsentia obijcit & repræsentat; quia Deus qui est prima veritas, quæ fallere nequit, hæc tria fide cernenda nobis proposuit. Sed hæc omisit Apostolus, quia non erant ad propositum ipsius: tantùm enim gloriam cælestem futuram, & necdum apparentẽ Hebræis afflictis proponere intendebat, vt eius fide, spe & contemplatione eos animaret ad constantiam.

VERS. 2. IN HAC ENIM TESTIMONIVM CONSECVTI SVNT SENES] Probat suam fidei descriptionem ab exemplo sanctorum patrum, quorum fides à Deo & hominibus probata & celebrata talis fuit fides, qualem hîc describit. *In hac* ergo, id est per hanc fidem, patres *testimonium consecuti sunt*, quòd scilicet placuerint Deo. Deus enim ad eorum fidem mira & stupenda fecit; itaque facto ipso quasi testimonio suo, Deus tam ipsos, quàm ipsorum fidem approbauit. Hunc esse sensum patet, quia ita se explicat Apostolus, dum subdit vers. 3. *Fide hostiam obtulit Abel, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo.* Et vers. 4. *Fide translatus est Enoch: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.*

Confirmatur fidei descriptio exemplis SS. patrum.

Secundò, *testimonium consecuti sunt*, id est, publico Dei & hominum testimonio & commendatione ornati & laudati sunt. Sic enim *testimonium*, per catachresin sæpè pro laude sumitur, quæ ex testimonio bono consequitur. Vnde concludens hæc fidei testimonia & testes Apostolus v. 39. *Et hi*, inquit, *omnes testimonio fidei probati*, id est, commendati & laudati sunt.

SENES] Prisci patres nostri, à quibus prognati sumus, quorum auctoritate & exemplo nos plurimum commoueri par est: est enim nobis quasi hereditaria eorum fides, virtus & gloria.

Cornel. in Epist. Pauli.

FIDE INTELLIGIMVS APTATA ESSE SAECVLA VERBO DEI] Probare incipit, *fidem* esse *argumentum non apparentium*, argumento ducto à prima rerum creatione. Creationem enim nec sensus, nec ratio, sed sola fides nos docet. Philosophi enim illud axioma, quasi primum Physices principium, *Ex nihilo nihil fit*, statuentes, creationem negauerunt. Hinc Aristoteles docuit mundum fuisse Deo coæternum. Plato censuit mundum productum quidem esse à Deo, sed ex materia, quæ Deo coëxtiterit, fueritque æterna & increata.

VERS. 3.

Errores philosophorum de mundi creatione.

APTATA ESSE] Græcè κατηρτίσμενα, id est, omnibus suis partibus quasi artubus & membris aptè esse coagmentata, concinnata, coaptata & perfecta, vt quæque mundi pars tum sibi, tum alijs, tum ipsi toti mundo aptè compaginetur & congruat; itaque ex singulis ita rectè compositis mundus ipse integer, omnibusque suis numeris perfectus & absolutus consurgat & consistat. Vnde Lud. Molina de Opere sex dierum disput. 4. notat nomine aptationis sæculorum, non intelligi creationem ex nihilo, sed digestionem, coordinationem & compositionem sæculorum (putà mundi & omnium mundanorum) ex materia terræ & aquæ, quam à principio Deus vnà cum cælo empyreo creauerat. Syrus vertit ראתקנו *dettakanu*. quod tripliciter verti potest; Primò, ordinata esse; Secundò, colligata esse; Tertiò, stabilita & fixa esse sæcula verbo Dei, scilicet, ne quis inani formidine cælum ruiturum, aut terram in aëre pendulam deorsum aliquando prolapsuram vereatur.

Aptatio sæculorum est eorum ordinatio, non creatio.

SAECVLA] Id est, tempora & omnia temporaria, putà mundum, & omnia quæ in mundo sunt. Est metonymia, vti dixi c. 1. v. 2.

VERBO DEI] Id est, per Filium Dei. Secundò & simpliciùs, per iussum Dei, quo dixit Genes. 1. Fiat lux, fiat firmamentum, fiat cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt.

VT EX INVISIBILIBVS VISIBILIA FIERENT] Id est, vt ex non entibus & non existentibus fierent entia & existentia. Est metalepsis. quæ enim non sunt, nec existunt, sunt inuisibilia. ita Theophyl. In Græco est verborum metathesis, μὴ ἐκ φαινομένων, pro ἐκ μὴ φαινομένων. Secundò, Ludou. Molina & Ribera hîc *ex inuisibilibus*, id est, inquiunt, ex rationibus æternis ideisque rerum, quæ fuerunt ab æterno inuisibiles & reconditæ in mente & Verbo Dei, tamquam in arte & exemplari suo, creata sunt omnia, vt existerent fierentque visibilia, vtque suæ ideæ & similitudini, quam habent in mente diuina, aptè responderent. ita D. Thomas, qui ad hoc citat illud Boëtij lib. 3. de Consolatione:

Inuisibilia Primò, sunt non entia.

Secundò, Inuisibilia sunt æternæ rationes, & ideæ rerum in mente Dei.

Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; in imagine formans.

Sic Aristot. lib. 7. Metaphys. ca. 7. ait ex domo siue materia (id est, ex idea domus, quæ est in mente architecti) fieri domum quæ habet materiam.

Tertiò, Caietan. *ex inuisibilibus*, inquit, id est informi, indigesta, inornata, inani mole & chao, quod primo die mundi creauit Deus, cùm scilicet præter cælum & terram nihil fecit aliud quàm abyssum aquarum quæ terram operiret, seseque vsque ad cælum empyreum porrigeret. Ex hoc ergo chao & abysso, Deus sequentibus mundi diebus formauit cælos, elementa, astra, aues, pisces, iumenta, reliquaque omnia, vt existerent, fierentque visibilia, id est spectabilia, pulchreque com-

Tertiò, Per inuisibilia commodè intelligitur materia prima, & aquarum abyssus.

compositа, digestа & ornata. Videtur enim Paulus de more alludere ad LXX. qui Genes. 1. pro eo quod nos habemus: *Terra erat inanis & vacua*, vertunt, *terra erat invisibilis & incomposita*. Vnde & Sapiens Sap. 11. v. 18. dicit *Deum fecisse orbem ex materia invisa*. Hic sensus est valdè appositus, tum quia optimè explicat τὸ *aptata*, tum quia præpositio *ex*, propriè causam non exemplarem, sed materialem aut quasi materialem significat.

VERS. 4. FIDE PLVRIMAM HOSTIAM ABEL, QVAM CAIN, OBTVLIT DEO] Pro *plurimam*, græcè est πλείονα, id est, plurem, ampliorem, præstantiorem, pluris & maioris pretij. ita Syrus, Chrysost. Theophyl. Noster interpres ne diceret *plurem*, quod latinè non dicitur, dixit *plurimam*. quasi dicat, Fides, quæ longè maior & ardentior erat in Abel quàm in Cain, excitauit Abelem, vt maiores & præstantiores hostias Deo offerret quàm Cain: nam Cain obtulit tantùm fructus terræ; Abel verò obtulit primogenita gregis sui, & adipes eorum, Genes. 4. v. 4.

Fides Abel & aliorum patrum, non fuit nuda sine operibus, qualis est fides Novantium.

Nota. Fides Abelis, qua ipse Deo placuit, quamque hîc Apostolus commendat, non fuit nuda & otiosa, qualis est Nouantium; sed fuit viua, efficax & operans per actus latriæ, sacrificij, deuotionis & charitatis. Sic fides Noë, Abrahæ, Mosis & aliorum operosa fuit, protulitque actus obedientiæ, peregrinationis, patientiæ, fortitudinis & tolerantiæ multorum laborum, dolorum & malorum, vti subijcit Apostolus.

PER QVAM TESTIMONIVM CONSECVTVS EST ESSE IVSTVS] Testimoniũ hoc habetur Gen. 4. v. 4. vbi dicitur, *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain verò & ad munera eius non respexit*. In quem locum S. Hieron. in Quæst. hebraic. *Vnde*, inquit, *scire poterat Cain, quòd fratris eius munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset quam Theodotion posuit? Et inflammauit Dominus super Abel & super sacrificiũ eius: super Cain verò & sacrificium eius non inflammauit*. Per ignem ergo à se missum, quo combussit Deus hostias Abelis, non Caini, ostendit Abelem, eiusque munera sibi placere, non Caini, vt tradũt Hebræi, Chrysost. Theophyl. & alij. Sic enim Deus per ignem à se missum ostendit sibi placere sacrificium Mosis & Aaronis, Leuit. 9. 24. itemque Eliæ, non autem sacerdotum Baal. 3. Reg. 18. & Gedeonis, Iudicum 6. 21. & Manue, Iudicum 13. 20. & Dauidis, 1. Paralip. 21. v. 26. & Salomonis, 2. Paralip. 7. 1. pari modo Nehemiæ sacrificiũ igne probauit & commendauit Deus, 2. Machab. 1. v. 32.

Per ignem à cælo missum probauit Deus sacrificium Abel, non Caini.

ET PER ILLAM DEFVNCTVS ADHVC LOQVITVR] quia Abelis licet olim occisi fides, innocentia, pietas, martyrium & memoria adhuc recens est & celebratur apud omnes fideles, eosque ad sui imitationem exhortatur meliùs quàm si Abel mille linguis eos exhortaretur. tanta est vis exempli. q. d. Cain sustulit quidem Abelem, sed non sustulit eius gloriam & memoriam, qua viuit & viuet semper in mente & ore fidelium. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen.

Quomodo Abel defunctus loquatur.

Aliter Galenus & Ribera, loquitur, inquiunt, adhuc Abel, quia adhuc vindictam petit à Deo, vt in extremo iudicio plenè puniatur resurgens Cain, & quotquot eius scelus secuti sunt: quasi Paulus alludat, imò citet illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Sed prior sensus germanior videtur & planior. agit enim de fide Abelis, quæ testimonium & laudem à Deo consecuta est; hancque ait adhuc loqui, id est, suo testimonio & laude diuina prouocare omnes ad sui imitationem.

VERS. 5. *Enoch & Elias trãslati in paradisum certabunt cum Antichristo.*

FIDE ENOCH TRANSLATVS EST NE VIDERET MORTEM] Nota. Communis Patrum sententia est, Enoch & Eliam translatos esse in paradisum, vt tempore Antichristi redeant, & contra eum pro Christo decertent; ideoque ab Antichristo occidentur in Ierusalem: sed tertio die publicè resurgent & ascendent in cælum, vt dicitur Apocal. 11. v. 2. & 12. Idipsum docet Ecclesiast. c. 44. v. 16. *Enoch*, inquit, *placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam*. licet enim τὸ *in paradisum*, non sit in Græco, est tamen in omnibus codicibus Latinis.

Certum est Eliam & Enoch non esse mortuos contra aliquorum Iudæorum errorem & dubium.

Quare perperam Iudæi nonnulli putant Enoch esse mortuum Genes. 5. v. 24. nam pro eo, quod nos habemus, *non apparuit*, hebraicè est וְאֵינֶנּוּ *veenennu*, id est, *& non ipse*, id est, vt ipsi intelligũt, ipse non exstitit, non vixit, sed mortuus est. Verùm hoc insulsè dicitur, nam τὸ *& non ipse* significat, ipsum ampliùs non apparuisse in terra, non esse visum hominibus: non autem esse mortuum. alioquin enim de Enoch æquè vt de Adam, Set, Noë & reliquis omnibus dixisset Moses: *& mortuus est*. iam autem hoc de eo non dicit, sed dicit וְאֵינֶנּוּ *veenennu, & non ipse*, scilicet apparuit ampliùs in terra. ita enim vertit noster Interpres, Chaldæus, Septuag. & ex ijs Paulus hîc: nam sequitur, *quia tulit eum Dominus*, vel, vt LXX. & ex ijs Paulus, μετέθηκεν, id est, transpositus est (scilicet à terra in paradisum) à Domino. Syrus vertit אֲשְׁתְּנִי *eslanni*, quod partim translatum, partim mutatum in meliorem sortem & statum significat. שְׁנָה *scana* enim tam Syris quàm Hebræis mutare significat. Non ergo probabile tantùm est, vt quidam temerè dixerunt, sed planè certum ex communi S. Scripturæ, Patrum & Ecclesiæ sensu, Eliam & Enoch non esse mortuos, sed viuos raptos esse in paradisum, redituros que sub finem mundi. Vnde Tertull. lib. de Resurrect. carnis, *eos nondum resurrectione dispunctos, quia necdum morte functos, sed tamen æternitatis candidatos* vocat.

Insignis Enoch innocentia, & vnio cum Deo causa fuit raptus eiusdem.

Quæres, quomodo fide, id est, per fidem, ob fidem, dicatur translatus Enoch? Respõdeo, Enoch translatus est ob insignẽ vitæ innocentiam & sanctimoniam, qua non tam humanam, quàm cælestem in terris vitam agebat, vt potiùs Deo & angelis, quã hominibus iungendus esse videretur. Hanc causam insinuat Moses Genes. 5. v. 24. cùm ait, *Ambulauitq; (Enoch) cum Deo, & non inueniebatur, quia tulit eum Dominus*. Vbi satis significat quòd Deus tulerit Enoch, quia Enoch *ambulauit cum Deo*, id est, Deo per omnia consensit, obsecundauit & cohæsit tamquã amicus cum amico, aut potiùs tamquam seruus cum domino, iugiter & decenter versans & ambulãs: hoc enim significat hæc phrasis. vnde Amos c. 3. v. 3. sic ait: *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?* Ambulare ergo cum Deo est virorum magnorũ & insigniter sanctorũ, qui Deo perchari, coniuncti & familiares sunt, qualis fuit Noë, de quo dicitur Gen. 6. *Noë vir iustus atque perfectus cum Deo ambulauit*, vbi Chaldæus vertit, *ambulauit Noë in timore Dei*; Septuag. & ex ijs Paulus vertunt, *placuit Deo*, scilicet, vti solent aulici nonnulli regi placere, cùm illi in delicijs sunt.

Quid sit ambulare cum Deo.

vnde

vnde & appositè Enoch hebraicè dedicatum vel consecratum Deo, significat.

Dicit tamen Paulus, Enoch translatum esse fide, siue per fidem, quia fides futuræ retributionis excitabat Enoch ad præclara fidei opera exercēda, quibus ambulauit cum Deo, Deoque placuit, ob quæ meruit à Deo rapi & transferri in paradisum. Potuisset pari modo dicere Apostolus: Spe vel charitate, vel pietate sua insigni translatus est Enoch. sed maluit hoc fidei tribuere, tum quia de fide agebat, eamq; Hebræis inculcabat, tum quia fides prima est & dux atque incentrix spei, charitatis, pietatis, aliarumque virtutum.

VERS. 6. SINE FIDE AVTEM IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO] Probat Enoch translatum esse per fidem vel propter fidem, hac ratione: Enoch translatus est, quia placuit Deo: atqui non potuit placere Deo, nisi per fidem: ergo per fidem translatus est.

CREDERE ENIM OPORTET ACCEDENTEM AD DEVM QVIA EST, ET INQVIRENTIBVS SE REMVNERATOR SIT] Probat minorē syllogismi iam positi, scilicet Enoch non potuisse placere Deo, nisi per fidem. probat autem sic: vt quis ad Deum accedat, vti oportet, eumq; ritè colat, itaque ei placeat, debet credere, *quia*, id est quòd, *est* Deus, & quòd *se inquirentibus sit remunerator*. Si enim quis atheus aut politicus putet Deum non curare res humanas, non punire malos, nec præmiare bonos & remunerari; hic negliget Deum, nec curabit ad Deum accedere eumque colere: ergo vt Enoch & quiuis alius accedat ad Deum eique placeat, necesse est vt fidem habeat, qua in Deum iudicē, vindicem & remuneratorem credat.

Atheismus & politicismus Deum tollit.

Non sufficit naturalis Dei cognitio sine fide ad salutē.

Dices, Vt quis accedat ad Deum, eumque colat, sufficit naturalis Dei cognitio, qua philosophi cognouerunt Deum esse, & esse vindicem bonorum & malorum, ergo non opus est fide. Respondeo, negando antecedens. Naturalis enim Dei cognitio tantùm docet colendum & amandum esse Deum tamquam auctorem naturæ & bonorum naturalium, illaque tantùm ab illo esse speranda & petenda. Deus autem vult amari & coli ab hominibus, non tantùm vt auctor bonorum naturalium, sed etiam supernaturalium & æternorum post hanc vitam; nec alia ratione ad illum illiusque fauorem & amicitiam accedere, illique placere, & grati esse possumus. Vnde sæpè bona naturalia Deus in hac vita negat iustis & amicis suis, eaque confert improbis & inimicis suis; vt nimirum doceat homines non illa præsentia, vtpote vilia, caduca & exilia, sed spiritualia & æterna, vtpote Deo digna, à Deo esse petenda, Deumque velle hæc, non autem illa primariò & præcipuè à se peti. Ad hoc autem opus est fidè. Sola enim fides dictat nobis Deum esse auctorem non tantùm naturæ, sed & gratiæ gloriæque æternæ. hæc enim sunt bona supernaturalia, siue res sperandæ & non apparentes, quarum argumentum est fides, vti v. 1. docuit Apostolus.

Adde, verius est (quidquid aliqui dicant) Deum esse, esse vindicem bonorum & malorum, aliaque attributa Dei naturalia Christiano, præsertim pœnitenti & iustificando, credenda esse cognitione & fide, non tantùm naturali, sed etiam supernaturali, vti docent doctiores & solidiores Theologi.

Cognitio supernaturalis requiritur ad iustificationem.

Hinc ergo rectè concludit Paulus ad iustificationem, vt scilicet simus amici Dei, Deoque placeamus, requiri fidem, siue cognitionem supernaturalem & diuinam.

Nota. Ad iustificationem, Deique amicitiam, qua illi placeamus, non tantùm hæc duo, scilicet quòd Deus sit. & quòd remunerator; sed plura alia credenda sunt; vt Deum esse trinum & vnum, Christum incarnatum & crucifixum, esse mediatorem Dei & hominum, Christū esse peccati tum originalis, tum cuiusuis actualis expiatorem, animam esse immortalem: Apostolus tamen tantùm hæc duo iam dicta recensēt, non quasi hæc sola sufficiant, sed quia hæc duo requiruntur vel maximè ad spem excitandam, vt Hebræi, & quilibet alius fortiter virtutis labores & agones obeat & sustineat, inquit Theodor.

Plura credenda quàm duo quæ hîc recenset Paulus.

Nota Secundò, τὸ *remunerator*. inde enim contra Nouantes rectè colligimus merita bonorum operum, quibus mercedem Deus sit daturus. hoc enim significat τὸ *remunerator*, & clariùs Græcum μισθαποδότης, id est, mercedis retributor. merces enim ad merita essentialem ordinem & relationem includit, vt scilicet omnis merces meritorum sit merces, & omnia merita mercedis sint merita.

Meritorum valor stabilitur contra Nouantes.

VERS. 7. FIDE NOE RESPONSO ACCEPTO (græcè χρηματισθεὶς, id est, oraculo Dei admonitus) DE IIS QVAE ADHVC NON VIDEBANTVR (de futuro orbis diluuio) METVENS APTAVIT ARCAM IN SALVTEM DOMVS SVAE] Pro *metuens*, in Græco legitur εὐλαβηθεὶς, id est, reueritus Deum: cùm enim alij homines reuerentiam, metum & fidem numinis abiecissent, riderentque minas Dei de futuro diluuio; solus Noë timuit, & reueritus est Deum iudicem & vindicem, certoque credidit Deo prædicenti diluuium, ideoque ad illud euadendum aream construxit.

Posset Secundò, εὐλαβηθεὶς, id est, reueritus, passiuè accipi: quem scilicet Deus reuerebatur. Sic enim Christus dicitur à Patre exauditus pro sua reuerentia c. 5. v. 7. q. d. Noë ob suam iustitiam in honore, & in pretio fuit apud Deū, ita vt Deus quasi ipsum reuereretur, ideoque ipsum à diluuio seruare vellet, indicans ei & præscribens effugium per arcam. Ecce quanti Sanctos faciat Deus.

PER QVAM (arcam) DAMNAVIT (Noë) MVNDVM] q. d. Noë ipso facto, & rerum euentu damnauit incredulitatis homines sui æui, qui nolebant credere futurum diluuium, & agere pœnitentiam, ideoque fabricam arcæ eius irridebant: hosce inquam damnauit Noë, dum ijs diluuio mersis ipse solus cum suis in arca diluuium euasit. Sic regina Austri dicitur Matth. 12. v. 42. condemnatura Iudæos, scilicet ipso facto & studio suo, quo tam studiosè à finibus terræ venit ad Salomonem, cùm Iudæi Christum, quem domi habebant, neglexerint & spreuerint.

Noë fides, fortitudo, constantia.

Vides hîc, quòd fides Noë ipsi fuerit substantia rerum non tantùm sperandarum, sed etiam timendarum, scilicet diluuij, quod vt euaderet, tam operosè per centum annos, omnibus irridentibus, fabricauit arcam. q. d. Sicut Noë per fidem sustinuit se in metu, spe, constantia ac labore fabricandi arcam per centum annos: ita vos, ô Hebræi, per fidem vos sustinete, vt in persecutione sitis fortes, constantes & longanimes. Sicut enim quod credidit Noë, hoc reipsa euenit, vt scilicet ipse per arcam euadens videret reliquos omnes diluuio mergi: ita vobis, ô Hebræi, reipsa eueniet id quod creditis, scilicet vt infideles persecutores vestros videatis

de aliis diluuio ignis gehennæ absorberi; vos verò per fidem & Ecclesiam, quasi arcam, ab eo liberari & enauigare, atque ad portum cæli salutisque æternæ appellere.

Noë heres iustitiæ Adami, Enoch, Abel, & noui mundi.

ET IVSTITIAE, QVAE PER FIDEM EST, HERES EST INSTITVTVS] q. d. Atque ita in Noë eiusque familia mansit iustitia Adami, Enoch, Abel, & aliorum veterum patrum: quam ipsi pariter per fidem acquisiuerant, factusque est Noë ex asse heres iustitiæ & sanctitatis patrum: cùm vitia & vitiosi homines omnes mersi essent diluuio. Noë enim licet esset iustus, per fidem tamen qua Deo credidit & obediuit in arcæ fabrica, promeruit sibi iustitiæ augmentum, familiæ verò suæ promeruit, vt in ea sola quasi hereditario iure & successione permaneret vera Dei fides, cultus, religio, iustitia & amicitia, vtque ex se quasi noui mundi totius heres. & noui sæculi parente tandem Christus, iustificator mundi, Adæ patri suo promissus Genes. 3. 15. nasceretur. ita Theophyl. Anselm. Galenus & alij.

VERS. 8.

FIDE, QVI VOCATVR ABRAHAM, OBEDIVIT IN LOCVM (in terram Chanaan) EXIRE, QVEM ACCEPTVRVS ERAT IN HEREDITATEM] Pro *qui vocatur*, græce est καλούμενος, quod Syrus vertit, *cùm vocaretur*, scilicet à Deo. melius noster Interpres & Theodoret. vertunt, *qui vocatur*. q. d. Patriarcha ille admirabilis, cuius nomen apud vos, ô Hebræi,

Abram nomen auctũ propter fidem.

est celeberrimum, qui priùs אַבְרָם Abram, id est pater excelsus, sed postea merito fidei & obedientiæ vocatus & factus est אַבְרָהָם Abraham, quasi אַב רַב הֲמוֹן *ab rab hamon*, id est, pater magnæ multitudinis, siue multarum gentium, Genes. 17. v. 5. Rom. 14. 17. hic, inquam, Abraham fide, id est per fidem, obediuit Deo, primò ex Vr Chaldæorum, secundò ex Haran se euocanti in terrã Chanaan; vbi eum Deus tam miro fauore, beneuolentia & familiaritate dignatus & prosecutus est. q. d. Fides est, quæ Abrahamum ad Dei amicitiam prouexit; fides est, quæ illum tantum, quantus euasit, effecit; fides Abrahamum (quantum virum!) finxit & efformauit.

An Deus euocans Abraham ex Vr & Haran, illi nominauerit terram Chanaan.

Quæstio hîc est, an Abraham cùm vocaretur à Deo, vt egrederetur ex Vr & Haran, sciuerit sibi eundum esse in Chanaan; & an Deus Chanaan illi nominarit; an verò tantùm confusè & in genere dixerit, Vade in terram quam tibi (postea) ostendam & demonstrabo. Putant Perer. in Gen. 12. 5. & Vasquez hîc, Abraham distinctè non audisse, nec sciuisse de Chanaan, quòd eò sibi esset eundum. id enim Apostolus hîc videtur significare, & Deus Genes. 12. v. 1. *Vade*, inquit, *in terram quam monstrauero tibi*: itaque magis commendatur fides & obedientia Abrahæ. Hæc sententia est probabilis, verior tamen videtur contraria, quam sequitur ibidem Abulensis, Oleaster & Ribera hîc, scilicet Deum euocasse Abraham ex Vr & Haran in Chanaan, eamque illi nominasse & indicasse. probatur, quia id disertè dicitur Gen. 11. 31. *Tulit*, inquit, *Thare Abraham filium suum, & Lot, & Sarai, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan*. ac rursum Gen. 12. v. 5. *Egressi*, inquit, *sunt vt irent in terram Chanaan*. Respondet Pererius, Chanaan hîc per anticipationẽ, breuitatis & perspicuitatis causa nominari, sensumque esse, q. d. Exierunt in terram, tunc quidem sibi incognitam, quam tamẽ postea Deo indicante & demonstrante, cognouerunt esse Chanaan. reipsa ergo exiuerunt versus Chanaan, sed postea demum cognouerunt se tendere in Chanaan, ibique sedem fixuros esse.

Sententia affirmans probatur.

Verùm cùm Moses historicè hunc exitum narret, & secundò dicat eos exisse in Chanaan, planè id vt sonat accipiendum videtur. Adde Secundò, Thare (de quo incertum est & dubium, an tunc fuerit fidelis, & veri Dei cultor) non videtur fuisse tantæ fidei, tantique animi, vt ex Vr patria & sede sua, cum Lot & Sara, totaque sua stirpe exiret, vt sequeretur Abrahamum filium suum à Deo euocatum, nisi sciuisset determinatè quò euocaretur, quoq; omnes essent ituri, vt sedem figerent. Tertiò, quia nisi Deus distinctè euocasset Abraham in Chanaan, nescisset Abraham versùs quam partem egredi, quò tendere deberet. Iam autem constat Abraham cum Thare, primò ex Vr iuisse in Haran. sciebant ergo sibi eundum esse versus Haran, ac consequenter sciebant sibi eundum esse in Chanaan. nam Haran recta erat via euntibus ex Vr in Chanaan: nolebat enim Deus eos morari in Haran, sed ex Haran pergere in Chanaan.

Chanaan sciuit Abraham, nescisiit tamen determinatum agrum vel locum sibi à Deo destinatum.

Dices, Quomodo ergo Apostolus ait, quòd Abraham exierit *nescienssquò iret*. Respondeo, *quò*, id est, in quam determinatam regionem, agrum vel vrbem. licet enim sciret se à Deo euocari in Chanaan, tamen nesciebat in quam partem Chanaan vocaretur: regio enim Chanaan ampla erat, & in multos reges partita. Vnde voluit Deus Abrahamum, quasi cæcum educere ex Vr & Haran, vt per medias prouincias, perque Chanaan, peregrinaretur pendulus semper à Deo, & iuxta Dei nutum stationes identidẽ mutaret. Id patet Gen. 12. & sequentibus. Ex quo liquet magna fides & obedientia Abrahæ. perinde enim fecit atque si Belga aliquis Dux aut Comes ex Belgio in Hispaniam euocaretur à Rege dicente, Relinque Belgium & omnia quæ habes in Belgio: veni cum tuis in Hispaniam, ad illam prouinciam & vrbem, quam, cùm eris hîc, ostendam & dabo tibi. magna foret fides Belgæ illius in Regem, si ad eius vocem certa pro incertis dimitteret: licet enim sciret in genere se in Hispaniam euocari, tamen nesciret, an regio vel vrbs quam in Hispania accepturus est, sit maior, melior, commodior, salubrior, opulentior suis fundis, quos possidet in Belgio. ita fecit Abraham. Adde, quòd vaga & incerta peregrinatio soleat liberorũ procreationi & educationi officere, opes deterere, famam maculare, amicitias dissoluere.

Illustratur fides Abrahæ à simili.

Eodem modo respondetur ad illud Genes. 12. *Vade in terram* (id est in illam terræ Chanaan portionem) *quam monstrauero tibi*, hebraicè אַרְאֶךָּ *arecha*, id est, quam videre te faciam, quam oculis tuis ostendam.

FIDE DEMORATVS EST IN TERRA REPROMISSIONIS, TAMQVAM IN ALIENA, IN CASVLIS HABITANDO] Pro *demoratus est* græcè est παῴκησεν, id est habitauit, non tamquam ciuis & incola, sed tamquam πάροικον, id est, aduena & peregrinus: quod Noster rectè vertit, *demoratus est*, non bene Erasmus vertit *commigrauit*. Sic enim græcè dicendum fuisset, μετῳκησε.

TAMQVAM IN ALIENA] Quia, vt sequitur, domum in ea ædificare noluit, nec agros in ea possedit, sed semper in casulis, græcè ἐν σκηναῖς, id est tabernaculis & tentoriis, habitauit, idque vt significaret se tendere aliò, scilicet ad patriam & habitationẽ cælestem. Magna fuit & heroica fides Abrahæ, Primò, quòd patriam, cognatos, parentes, fami-

familiam, domum, opesque deseruerit, Deumque vocantem secutus sit. Secundò, quòd ex indigena peregrinus factus sit. Tertiò, quòd in incertum vagatus sit nesciens quò iret, vbi consisteret. Quartò, quòd, licet esset in terra promissionis, id est, promissa sibi à Deo, tamen vsque ad mortem nihil in ea à Deo datum, ne quidem passum pedis, vt ait S Stephanus Actor. 7. v. 5. possederit, sed crediderit & sperarit certò sibi, id est posteris suis, eam esse dandam. Quintò, quòd tota vita voluerit peregrinari, credens & sperans domum æternam in cælis.

CVM ISAAC ET IACOB COHEREDIBVS REPROMISSIONIS EIVSDEM] q.d. Abrahæ fides in eo rursum magis elucet, quòd non tantùm se, sed & Isaac, Iacob, aliosque deinceps posteros suos, qui erant heredes promissionis sibi factæ à Deo, de terra Chanaan possidenda, voluerit & iusserit habitare in eadem Chanaan, quasi peregrinos in casulis & tentorijs, donec Deus post 400. annos promissionem suam expleret, terramque illam ipsis possidendam traderet.

VERS. 10. EXPECTABAT ENIM FVNDAMENTA HABENTEM CIVITATEM, CVIVS ARTIFEX ET CONDITOR DEVS] q.d. Abraham cum suis ciuis erat non Chanaan sed cæli. hinc in Chanaan domum habere noluit, sed in mobili semper habitauit tabernaculo, quia tendebat, & oculos iugiter coniiciebat in cælestem ciuitatem, quasi patriam suam, immobilem, firmam & æternam. ita Anselmus & alij.

Nota. Cælestem ciuitatem opponit Apostolus & præponit tabernaculis & casulis Abrahæ, quæ non habent fundamenta, sed baculis & fulcris nituntur, cùm quibus ab vno loco in alium transferuntur: cælestis verò ciuitas Beatorum, putà cælum empyreum, sua habet fundamenta firmissima æquè ac pretiosissima, putà crystallina & gemmea, quæ describit S. Ioan. Apoc. 21. v. 19.

Cælestis ciuitas bene fundata.

Quæ opes & quæ ciuitas sit Dei.

Secundò, cælestis ciuitas artificem & conditorem habet non Mosen, non Abraham: sed Deum ipsum, vt ex hoc solo colligere & metiri liceat, quanta sit ciuitatis illius pulchritudo, magnificentia, gloria, opes & felicitas, tanta nimirum, quanta decet talem artificem, scilicet Deum: Deus enim in hac sua ciuitate, quasi regia suam maiestatem, diuitias, potentiam, omnemque gloriam suam Beatis exhibet; perinde ac rex in suo palatio suis principibus regalem pompam, gloriam, delicias & opes omnes explicat & ostentat.

Adde, Deum non tantùm huius ciuitatis conditorem, sed & materiam siue obiectum & spectaculum, atque delicias & opes esse; adeoque ibi beatitudo Dei, omniaque eius bona nostra beatitudo & bona erunt; erimus enim beati ipsa visione & beatitudine Dei. Deliciæ ergo nostræ, diuitiæ & gloria, non erunt humanæ vel angelicæ, sed diuinæ; adeoque erunt ipsissimæ deliciæ, diuitiæ & gloria, quibus fruitur, ditatur & beatur Deus. Denique hæc est ciuitas, *vbi rex est veritas, lex charitas, modus æternitas*, ait S. August. epist. 5. ad Marcellinum.

VERS. 11. FIDE ET IPSA SARA STERILIS VIRTVTEM IN CONCEPTIONE SEMINIS ACCEPIT, ET IAM PRAETER TEMPVS AETATIS, QVONIAM FIDELEM CREDIDIT ESSE EVM QVI REPROMISIT] Hactenus virilia exempla fidei adduxit Apostolus, nunc, vt magis iritet animos Hebræorum, muliebre subiungit, sed matris omnium credentium, Saræ scilicet, vt pudeat Hebræos in fide vinci à femina, eaque magis esse pusillanimes & timidos. ita Chrysostomus.

Duo impedimenta conceptionis Sara fide superauit.

Notat Paulus duo impedimenta conceptionis in Sara; prius in natura, quòd esset sterilis, posterius in ætate, quòd iam esset planè senex & vetula. vtrumque superauit fides, qua credidit Deo supra naturam promittenti conceptionem & partum Isaac.

Sara quomodo risit promissionem concaptionis, si credidit.

Dices, Sara Genes. 18. v. 12. ad Dei promissionem de Isaac ex ea nascituro risit, quasi promissio hæc ridicula foret & impossibilis; ergo incredula fuit Sara. quomodo ergo eam à fide hîc commendat Apostolus? Respondet Lyranus, Apostolum hanc conceptionem Saræ tribuere fidei, non Saræ, sed Abrahæ. Sed hoc repugnat verbis Apostoli, qui dicit: quòd *Sara per fidem conceptionem accepit, quoniam Deo credidit*, scilicet ipsa Sara quæ conceptionem accepit.

Dico ergo, initio Sara mox vt audiuit promissionem tantam, quæ naturaliter erat impossibilis & incredibilis, risit, quasi incredula; sed posteaquam cognouit angelos promittentes conceptionem legatos esse Dei, Deumque repræsentare, adeoque Deum omnipotentem, qui fallere non potest, per angelos hanc conceptionem sibi promittere, tunc credidit, vt satis colligitur Genes. 18. v. 14. & 15. ita Theodor.

In conceptione seminis quo & feminat.

IN CONCEPTIONE SEMINIS] Græcè εἰς καταβολὴν σπέρματος, id est, in conceptionem seminis: q.d. Ad recipiendum, retinendum, formandum semen prolificum, virtutem à Deo accepit per fidem Sara, quæ per naturam, vtpote sterilis & anus, inepta erat ad hanc conceptionem. ita Chrysostom. Secundò, Græcum καταβολὴν Theophyl. vertit, ad deiectionem seminis, vt scilicet ipsa Sara suum quoque decideret & subministraret semen ad conceptionem Isaaci. Vnde Erasmus vertit, *ad seminandum*. Tradunt enim medici in conceptione non solùm virum, sed & feminam suum decidere dareque semen proli efformandæ. Tertiò, ex S. Hieron. Ribera καταβολὴν σπέρματος, id est, inquit, ad iacienda fundamenta, siue exordium seminis, id est, posteritatis suæ. Primus sensus est planissimus, eumque noster Interpres clarè expressit.

VERS. 12. PROPTER QVOD ET AB VNO ORTI SVNT (ET HOC EMORTVO) TANQVAM SIDERA CAELI, ET SICVT ARENA, QVAE EST AD ORAM MARIS, INNVMERABILIS] q. d. Propter hanc fidem factum est vt Sara ex Abraham conciperet, & ex vno viro, eoque emortuo orirentur proles & posteri innumerabiles. Abraham vocat *emortuum*, quia corpus ipsius ob senium erat emortuum, & emortua in eo erat vis generandi. Sub fide Saræ intelligit & præsupponit Apostolus fidem Abrahæ, quasi mariti & patris credentium. Abraham enim magis quàm Sara sua fide meruit hanc seminis posteritatem, vt patet Genes. 15. v. 6

Multitudo posterorum Abraham.

Nota hyperbolem, qua posteri Abrahæ comparantur arenæ maris, quæ est innumerabilis. certum enim est eos certo & definito esse numero, qui & numerari possit, & arenæ numerum non exæquet. tantùm ergo hac hyperbole significatur eos fore plurimos, & maximo numero. Hinc Isaac, per quem omnes hi ex Abrahamo prognati sunt, hebraicè risum & gaudium significat. Syriacè verò dicitur אִיסְחָק *isechok*, id est, abundantia & redundantia (Syri enim Hebræum *tsade* mutant

tant in *samech*) quæ maximè patet in hac posterorum copia.

VERS. 13. IVXTA FIDEM DEFVNCTI SVNT OMNES ISTI] Id est, per fidem, cum fide, retinentes fidem, & fideles vsque ad mortem, defuncti sunt, quia, sicut in fide vixerunt, ita & in fide mortui sunt: bona enim à Deo promissa non viderunt, dum viuerent, sed post mortem illa se accepturos crediderunt.

Dices, si omnes isti defuncti sunt, ergo & Enoch defunctus & mortuus est, non autem translatus, vt dixit v. 5.

Quomodo omnes defuncti, si Enoch translatus.

Respondet S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. & ex eis Ribera, *omnes* vocari pænè omnes: excipitur enim vnus Enoch, quem ex dictis constat non esse defunctum, sed translatum. Sic Genes. 46. 17. dicitur Iacob venisse in Ægyptum cum omni sua progenie, *omni*, id est, pænè omni. constat enim excipi Ioseph, qui iam erat & præsidebat in Ægypto. Sic enim solemus loqui vniuersaliter, etiamsi vnus vel alter excipiatur: præsertim si constet illum excipi: tunc enim cuncti sciunt intelligi, omnes scilicet, hoc illo vno excepto. Secundò, præcisè *omnes isti*, scilicet Abraham, Isaac & Iacob, qui post diluuium vixerunt, & promissiones acceperunt tum de terra Chanaan, tum de vita æterna in cælis possidenda, defuncti sunt: de hisce enim proprie loqui Apostolum patet v. 15. & 16. cùm ait: *Et si quidem ipsius meminissent de quæ exierunt*, scilicet Chaldææ (quæ fuit patria Abrahami, ex qua exiuit Deo iubente in Chanaan) *habebant vtique tempus reuertendi*. q. d. Si pœnituisset Abraham exitus è patria sua, si de ea repetenda cogitasset, poterat facilè ad illam redire, ne perpetuò in Chanaan peregrinari cogeretur: iam autem cùm de reditu non cogitarit, patet illum aliam cogitasse & exquisiisse patriam, scilicet cælestem. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum*, dicendo, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, perinde ac si hi tres omnibus, quorum Deus est Dominus, sint æquiparandi, ait Theophyl. ita scilicet Deus hos tres viros sanctissimos in pretio & amore, cordi & curæ habuit. Videtur ergo Apostolus à v. 8. ponere

Loquitur tantùm Apostolus de mortuis post diluuium.

distinctum & secundum statum, ætatemq; mundi, quæ scilicet fuit post diluuium, quando cœpit quasi nouum sæculum fidei & Ecclesiæ in Abrahamo, qui fuit typus, exemplar & pater omnium credentium & fidelium, quique tota vita sua cum Isaac & Iacob peregrinatus est in Chanaan, quia spectabat ciuitatem cælestem. Meritò ergo vti Leuitis sortem non habentibus in Chanaan, ita & Abrahæ pars & sors fuit Deus ipse. ac consequenter, cùm ait Paulus omnes defunctos, non intelligit Abel, Enoch & Noë, qui fuerunt in priori sæculo & altero quasi mundo, qui fuit ante diluuiū; sed tantùm intelligit Abraham, Isaac, Iacob, qui fuerunt in nouo hoc & secundo sæculo post diluuium. ita S. Thomas, Lyran. & Caietan.

NON ACCEPTIS REPROMISSIONIBVS] tum de terra Chanaan possidenda. hanc enim non adepti sunt, nisi sub Iosue, post quadringentos annos; tum potiùs de cælesti regno & gloria possidenda. hanc enim non sunt adepti, nisi per & post mortem Christi Iesu. De promissione enim cæli loqui Apostolum patet ex seqq. cùm ait, *Nunc autem meliorem appetunt*, id est, cælestem. Ex hoc loco Patres & Theologi colligunt ante Christum Christique mortem, nullam animam quantumuis sanctam &

Nulla anima ante Christum beata fuit in cælo.

puram cælum introisse, aut Dei visionem & beatitudinem adeptam esse. Vnde c. 9. docuit Apostolus ante Christū nondum propalatam fuisse Sanctorum viam, id est, cælum mortalibus fuisse inaccessibile, vti ait ibidem Ambrosius, Chrysost. Theophyl. & alij. Et cap. 10. idipsum diserte asseruit Paulus dicens: *Habentes*, itaque, *fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suam.*

SED A LONGE EAS ASPICIENTES ET SALVTANTES] Est metaphora à nauigantibus, inquit Chrysost. qui dum portum eminus aspiciunt, læto clamore, quasi celeusmate, eum appellant & salutant. Sic apud Virgilium,

Italiam, Italiam primus conclamat Achates.

Ita hi patres cùm per fidem obscurè viderent, id est crederent, patriam cælestem, eam crebrò cum desiderio appellabant & salutabant.

ET CONFITENTES, QVIA PEREGRINI ET HOSPITES SVNT SVPER TERRAM] Hinc patet hunc sensum & hanc vocem, *Peregrini sumus in hac vita*, fuisse priscis illis patribus familiarem, quæ mirè eos ad mundanarū opum & rerum contemptum, ac cælestium desiderium & studium incitabat. ita Iacob Genes. 47. *Dies*, inquit, *peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* & Dauid psalm. 39. *Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.* & Salomon 1. Paralip. 29. 15. *Peregrini sumus coram te & aduena, sicut omnes patres nostri.* Ieremias quoque de Christo loquens c. 14. 8. *Quare*, inquit, *quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manēdum?* Erras ergo, Christiane, si hîc te domum habere putas, si te hîc ad quietē, quasi in patria componis: peregrinus hîc es, peregrinaris in terra aliena. patria & requies tua est in cælo; illùc propera, illùc festina. Ita Apostoli quasi peregrini toto orbe *euntes ibant & flebant mittentes semina sua.*

Peregrini sunt omnes homines in terra.

S. Olympius Abbas, vti narrat Sophronius in Prato spirituali, c. 12. rogatus à quodam, quanam ratione rectè vitam suam institueret, respondit, *Vbique æstima te peregrinum; & vbicumq; sederis, dic, Peregrinus sum.* Quare rectè monet S. Petrus epist. 1. c. 2. v. 11. dicens: *Charissimi obsecro vos tamquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* nam qui ciuis est cæli & terræ aduena, terrena præterire & contemnere, cælestia appetere & prosequi debet, vt pulchrè docet hîc Chrysost. in morali homil. 25. Insigne hac de re exemplum S. Basilij narrat Nazianz. in orat. funebri de laudibus S. Basilij. cùm enim præfectus Valentis Imper. Basilio minaretur exilium & eiectionē ab episcopatu, respondit Basilius *Nihil horum quæ dixisti curo. melior sum his qui publicant & proscribunt. ipse me ob spem regni cælestis proscribens, nihil verò possidens, ab exilij metu liber sum; vnam omnium cognoscens esse patriam paradisum (terram enim quasi cōmune omnium aspicimus natura exilium) propria verò carens terra nullo loco circumscribor; Domini enim est terra & plenitudo eius. incola ego sum in terra sicut omnes patres mei. Cumq; ab episcopatu pelleretur in exiliū, dixit ilico socio suo, Libellū hunc accipe, & veni mecum, cùm prius libellos pauculos & pannosam vestem qua indutus erat, præfecto obtulisset, quæ sola ipsius erant supellectilia; additq; dicens, Exilium nihil ad me spectat, cùm domus quam inhabito aliena sit.*

Pulchra apophthegmata SS. Olympij & Basilij profitentium se peregrinos.

Pari

S. Gregor. Thaumaturgus peregrinus hic fuit.

Pari modo se peregrinum in hoc mundo professus est S. Gregor. Thaumaturgus, qui, vt inquit Nyssenus in eius Vita, *moriens obtestatus est suos, ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent. nam si vitam*, ait, *nullius loci dominus vocari volui, sed in alienis tamquã inquilinus & peregrinus habitans vitam transegi, ne post mortem quidem inquilinatus mihi dedecori erit: sed in sequenti sæculo fama prodatur, quòd Gregorius nec viuens ab aliquo loco cognominatus sit, & post mortem alienorum locorum fuerit inquilinus, cùm ab omni terrena possessione sese abstinuerit, adeò vt ne sepeliri quidem in proprio loco sustinuerit: solam enim illam possessionem pretiosam & expetendam putauit, quæ fraudis & auaritiæ vestigium in se non admittit.* Audi & Ethnicum. Cùm Anaxagoras Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, vellétne Clazomenas in patriam, siquid ei accidisset, deferri: *Nihil necesse est*, inquit, *vndique enim ad inferos* (fideli & sancto ad superos) *tantumdem est viæ.* ita Cicero 1. Tusculan.

Versum 15. explicui v. 13. eiusque sensus satis patebit ex v. 16.

VERS. 16. NVNC AVTEM MELIOREM APPETVNT, ID EST, CAELESTEM] *Nunc*, non significat hîc tempus præsens, sed aduersatiua & illatiua est particula. q. d. Poterat Abraham in patriam, Chaldæam scilicet, redire, si voluisset: *nunc autem*, id est, cùm autem videamus eum noluisse redire, hinc sequitur quòd aliam ciuitatem meliorem, scilicet cælestem, appetierit & prosecutus sit peregrinando in Chanaan tota vita sua.

VERS. 17. FIDE OBTVLIT ABRAHAM ISAAC, CVM TENTARETVR] q. d. Cùm Deus tentauit obedientiam & pietatem Abrahæ, dicens Genes. 22. v. 2. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis* (in montem Moria, vt habent Hebræa, in quo postea Salomon ædificauit templum) *atque ibi offeres eum in holocaustum.* Abraham mox Deo iubenti per fidem obediuit, & *obtulit*, id est, offerre cœpit & tentauit suum Isaac; sed ne reipsa offerret impeditus fuit ab angelo. *obtulit* ergo significat hîc actum inchoatum, non consummatum, iuxta canon. 32.

In rebus etiam desperatissimis credendum promissioni Dei.

Nota. Hanc oblationem Abrahæ tribuit Apostolus fidei illius, quia fides ipsum animauit & excitauit ad eam faciendam: alioqui enim dixisset Abraham, Impossibilia mihi promittis & præcipis, Domine: promittis enim mihi stirpem innumerabilem per Isaac, & iam præcipis eumdem offerri & occidi: quomodo ergo per eum, si occidatur, sperare potero stirpem quam promittis? Verùm fides hîc ei succurrit & hoc duellum diremit: credidit enim Abraham Deo tam promittenti, quàm præcipienti, certoq; sibi persuasit Deum effecturum, vt præceptum hoc promissionem non elideret; quia, vt subdit Apostolus, *arbitrabatur quia & à mortuis suscitare potens est Deus*, quòd scilicet Deus Isaacum, si occideretur, à morte suscitaret, itaque Isaac suscitatus stirpem Abrahæ propagaret. *Cùm ergo Deus aliquid promittit*, inquit Chrysost. lib. 1. de Prouidentia Dei, *etiamsi millia sint quæ promissionem eiusmodi obtundant atque intercipiant, turbari minimè conuenit, aut de fine dubitare. Deus enim promissa sua, licet desperatissima videantur, ad certum finem atque exitum perducet.*

CVM TENTARETVR] Tradunt Hebræi apparuisse Abrahæ dæmonem specie angelica, eumque grauissimis verbis ab immolando filio deterruisse, tamquam à re impia & inauditæ crudelitatis, ac Dei voluntati contraria. Credibile est, si vnquam: tunc maximè à dæmone tentatum esse Abraham, sed an dæmon ei visibiliter apparuerit, incertum est. Certiùs ergo hæc referemus ad tentationem Dei: alludit enim Paulus ad verba Mosis Gen. 22. v. 1 *Tentauit Deus Abraham.*

ET VNIGENITVM OFFEREBAT] Licet enim Ismael quoque natus esset Abrahæ, tamen Isaac vocatur vnigenitus quia solus ipse erat filius promissionis, vnicè dilectus, hereséque Abrahæ designatus. Ismael ergo quasi exheres & domo Abrahæ cum matre Agar iam eiectus, filius Abrahæ non reputatur.

QVI SVSCEPERAT PROMISSIONES] *Qui* refert non *Isaac*, sed *Abraham*, vt patet ex articulo Græco, & ex sequentibus, cùm ait, *Ad quem* (scilicet Abraham) *dictum est*. q. d. Abraham qui à Deo acceperat promissiones maximæ stirpis per Isaac propagandæ, hîc eumdem Isaac Dei iussu, non moratus hasce promissiones, fidenter & generosè Deo obtulit; quia fide credebat Deum modum inuenturum, putà resuscitationem Isaaci, quò per eum promissam stirpem daret & compleret.

Mira fides Abrahæ, qua credebat Deum posse suscitare filium immolatũ.

AD QVEM (Abraham) DICTVM EST: QVIA IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN] *Quia*, non est causale hîc, sed expletiuum; & Latina phrasi redundat, vti & alibi sæpè: sic enim Hebræi passim sermonẽ suum ordiuntur à כִּי, id est, *quia.* Dixit Apostolus Abraham per Isaac accepisse promissionem stirpis, iam idipsum hîc probat & explicat, ex eo quòd Deus dixit & promisit Abrahæ Gen. 21. v. 12. *In Isaac vocabitur tibi semen*, id est, ex Isaac, non autem ex Ismael, excitabitur tibi posteritas, quæ censenda & vocanda sit posteritas tua, vt scilicet sit heres promissionum mearum, quas tibi & semini tuo pollicitus sum.

VERS. 18.

In Isaac, non Ismaele ducenda posteritas Abraham.

ARBITRANS QVIA ET A MORTVIS SVSCITARE POTENS EST DEVS] Nota τὸ *& à mortuis*, pro quo perperam Beza vertit, *vel à mortuis*: refertur enim illud καὶ, id est, *&*, ad generationem Isaac, q. d. Arbitrans Deum qui illum ex sterilibus parentibus generare potuit, posse eumdem & à mortuis suscitare. Pro *arbitrans*, græcè est λογισάμενος, id est, cùm secum perpendisset, considerasset, ratiocinatus esset, suaque ratione concluisset. Sic enim ratiocinabatur Abraham: Iubet Deus filium Isaac à me offerri & immolari, & tamen per eumdem mihi stirpem promittit; ergo vel curabit, vt quidquid ego effecero ad eum offerendum, ipse tamen non occidatur; vel si occidatur, efficiet vt resurgat: hac fide & spe animatus, Deo quidlibet præcipiẽti alacris parebo.

VERS. 19

VNDE EVM ET IN PARABOLAM ACCEPIT] *In parabolam*, id est, in figuram Christi, inquit Chrysost. Galen. Vatabl. Sicut enim Isaac à morte saluo surrogatus est aries, quem obtulit Abraham, ita salua deitate Christi in cruce immolata est eius humanitas. Vnde huc videtur alludere Christus Ioan. 8. 56. *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum; vidit, & gauisus est: vidit*, in typo, scilicet in immolatione Isaac.

Isaac parabola, id est figura Christi.

Secundò, Theoph. & Oecum. *in parabolam*, inquiunt, id est, in exemplum: quasi dixerit Deus, Si Abraham obtulit filium suum, & ego vnigenitum meum, Christum scilicet, offerre debeo.

Secundò parabola, id est exemplum.

Tertiò, *in parabolam*, id est, in typum, mortis scilicet & resurrectionis Christi & Christianorum. de

Tertiò Isaac fuit parabola, id

est, typus resurrectionis Christi quasi alter phœnix.

de resurrectione enim hîc agi innuit vox *vnde*, cùm ait, *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit*, vt scilicet Isaac esset parabola & typus resurrectionis, sicut phœnix qui moriendo renasci dicitur, typus est & hieroglyphicum resurrectionis. videbatur enim Isaac quasi à morte resurrexisse, cùm certæ morti destinatus, patre vibrante in ceruicem eius gladium, angelus gladium continuit, & Isaac à morte liberauit, ita Theodor.

Quartò, & optimè: Abraham & Isaac sunt parabola, id est, exemplum memorabile omnium sæculorum.

Quartò & optimè, *in parabolam*, id est, vt Isaac esset parabola, fabula, prouerbium, exemplum memorabile & prodigium omnium sæculorum, quod omnibus sæculis homines memorarent & celebrarent; vt, cùm de re mira, memorabili paradoxa & prodigiosa volent loqui, narrent hoc fidei, spei, pietatis & obedientiæ exemplum Isaac. q. d. Per fidem Abraham obtulit Isaac, credens quòd Deus illum à morte vel liberaret vel suscitaret; atque huius tantæ fidei merito incólumem & à morte miraculosè seruatum, saluumque illum recepit *in parabolam*, id est, in exemplum rarum & admirabile, quod quauis ætate posteri narrent, proponant & imitentur: vt, cùm Deus per se aut suos nobis aliquid iusserit, licet arduum & difficile, exemplum Isaac oboculos habentes, fidenter & generosè nos offeramus, remque iussam capessamus, certi Deum affore implexa explicaturum, ardua superaturũ, ignominiam, infirmitates, ærumnas, mortes, omniaque mala, quæ timemus, in bonum nostrum, laudem & gloriam conuersurum; vti fecit Isaaco. Ita iam videmus hoc Abrahæ & Isaac fidei & obedientiæ exemplum & præmium, ab omnibus celebrari, omnibusque proponi, quasi cuiuis fideli & obedienti dicatur: Crede, obedi, instar Isaaci. ne dubita, bene res cader, tibi eueniet quod euenit Isaaco. Hinc imago huius facti olim passim omnibus proposita fuit. Testis est Gregor. Nyssenus citatus in Conc. Nicen. II. action. 4, canon. 1. *Vidi*, inquit, *sapiùs descriptionis eius* (immolationis Isaac) *imaginem, & sine lachrymis transire non potui, cùm tam efficaciter & ad viuum ob oculos historiam eius rei poneret.*

Obedientia prompta exemplum.

Sancti viri dantur mundo in exemplum & portentum.

Sic Isaias, Ezechiel, Daniel, Oseas, alijque Prophetæ & viri sancti admirandæ & portentosæ vitæ, qualis fuit Simeon Stylites, Antonius, Athanasius, & alij plurimi dati sunt in parabolam & exemplum toti orbi: adeoque cum eis potuisset dicere Abraham illud Isaiæ 8. v. 18. *Ecce ego & puer meus, quem dedit mihi Dominus, in signum & portentum Israel.*

Sic Christus patiens dicit psalm 68 v. 12. se Iudæis (non in bonum, sed in malum) factum in *parabolam*, id est, in fabulam & publicam irrisionem. Sic Prophetæ dicunt Ierusalem, aliasque vrbes vastandas, tradi in parabolam, id est, in fabulam & exemplum omnium.

Isaac erat parabola, id est, enigma; scilicet, homo moriens & generans.

Posset quoque parabola hîc accipi pro ænigmate: quasi dicat, Abraham offerens filium, ex quo sperabat posteros, accepit illum in parabolam, id est, in ænigma & ænigmaticam comparationem. comparando enim Dei promissionem de Isaaci posteris cum eius nece & immolatione, ænigma erat: *homo moriens & generans*; putà Isaac. sicut ænigma phœnicis est: *auis moriens & renascens*: vel, vt poeta canit,

Nec sum, nec non sum, morior simul atque renascor,
Sumq; mihi lethi, & reduuiæ originis auctor.

A Hebræum enim מָשָׁל *masal*, quod LXX. & Noster vertunt *parabolam*, significat quamuis sententiam & rem illustrem & excellentem, siue propriè parabolica illa sit, siue prouerbialis, siue ænigmatica. Sic dicitur Ezech. 17. 2. *Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam: aquila grandis*, &c. vbi ænigma vel parabola vocatur aquila vastans Libanum, per quam intelligit Nabuchodonosorẽ vastantem Ierusalem. Et c. 24. 3. *Dices*, inquit, *per prouerbium ad domum irritatricem parabolam*, vt scilicet sub ænigmate & parabolæ ollæ carnium appositæ igni, prædicas obsidionem Ierusalem. Sic Numer. 24. v. 15. Balaam dicitur *sumpsisse parabolam*, cùm per stellam ænigmaticè Christum præsignificauit, dicens *Orietur stella ex Iacob*. Sic & Christus parabolas suas, quasi ænigmata obscurè proponebat turbis, quas postea discipulis suis explicabat: *Vobis*, inquit ipse Luc. 8. 10. *datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*

Ænigmata in Scripturis vocantur parabolæ.

B

Fide et de futuris benedixit Isaac Iacob et Esau] Ab Abraham transit ad Isaac, qui ex Dei reuelatione præuidens futura bona, filijs suis Iacob & Esau obuentura, eadem illis moriens imprecatus est; itaque per fidem eis benedixit, dicens Genes. 27. *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiã frumenti & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus*, &c. Vnde patet hanc benedictionem, non tam precationem, quàm prædictionem fuisse de futuris, quæ ex Deo reuelante per fidem præsciuit Isaac. illa enim post multa sæcula non ipsi Iacobo, sed posteris eius obtigerunt in Chanaan. Vide hîc, vt fides sit argumentum rerum sperandarum & futurarum. Vers. 20.

Iacobi benedictio fuit simul prædictio.

C

Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit] cùm scilicet Genes. 48. transpositis decussatim & cancellatis manibus in modum crucis, dextram imposuit Ephraim iuniori, qui erat ad sinistram suam, sinistram verò suam imposuit Manasse seniori filio Ioseph, qui erat ad dextram suam, itaque iuniorem prætulit seniori dicens: *Iste quidem* (Manasse) *erit in populos & multiplicabitur, sed frater eius minor* (Ephraim) *maior erit illo, & semen illius crescet in gentes*: quia videlicet fide præuidebat Iacob futurum, vt ex Ephraim non tantùm Iosue dux populi, sed & omnes reges Israelis, id est decem tribuum, nascerentur; itaque tribum Ephraim non tantùm tribum Manasse, sed & cæteras omnes & numero & gloria & regno atque imperio superaturam. Vers. 21.

Tribus Ephraim maior reliquis tribubus.

D

Et adoravit (Iacob) fastigium virgae eius] scilicet Ioseph filij sui dominãtis in Ægypto. Dices, Quomodo ergo Gen. 47. 31. quẽ hîc citat Apostolus, dicitur adorasse Iacob non virgã Iosephi, sed *conuersus ad lectuli caput*. Resp. Diuersitas hæc versionis prouenit ex nomine Hebræo מטה, cui si subtituas *chirec* & *camets*, legasque מִטָּה *mitta*, significabit lectulum; sin subtituas *patach* & *segol*, legasq; מַטֶּה *matte*, significabit virgam. Hebræi enim omnes ante tempora Christi, imò vsque ad tempora S. Hieronymi scribebant solas cõsonantes verborum & nominum sine vllis punctis aut vocalibis, ita vt hoc nomen מטה hebraicè scriptum, tam *mitta* quàm *matte* legi posset. Nimirum vsus est Spiritus sanctus hac linguæ Hebrææ amplitudine, vt plura ijsdem verbis significaret. inde enim prouenit diuersitas versionũ Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Hieronymi & aliorum.

Matte hebraicum virgam & lectulum significat mutatis punctis.

Voluit

Voluit ergo Spiritus sanctus legi hîc tam *mitta*, id est lectulum; quomodo legit & vertit Noster in Genesi, cum Aquila & Symmacho; quàm *matte*, id est virgam, quomodo legerunt LXX. & ex ijs S. Paulus hîc.

Franc. Ribera opinatur vocem מטרה cum ijsdem punctis siue vocalibus olim significasse tam lectulum quàm baculum. radix enim נָטָה *nata* significat reclinare: inde *mitta* est reclinatorium, siue id sit lectus, siue baculus cui innitimur inclinando. censet ergo Ribera eamdem vocem *mitta* vtrolibet modo hîc verti potuisse; posteriores enim Hebræos punctorum inuentores in hoc nomine pro varietate significationis, alia & alia puncta substituisse, cùm antea essent eadem. vt scilicet ex *mitta* fecerint *matte*, cùm virgam significat. Verùm hoc non videtur admodum probabile: cõtrarium enim docent omnes Hebræi omniaq́; Lexica, scilicet *mitta* significare lectulum, non virgam, *matte* verò significare virgam, non lectulum. neque verò Hebræi posteriores, licet puncta adinuenerint, quæ subscripta vocibus Hebræis, imperitis lectionem planiorem redderent; idcirco vocales & pronunciationem nominum mutauerunt, vt ex *mitta* facerent *matte*: hoc enim eos fecisse in vllis alijs nominibus demonstrari non potest. Adde, quòd S. Hieron. in Tradition. in Gen. notans LXX. qui legerunt *matte*, & verterunt virgam, ait in Hebræo multò aliter legi; scilicet, *Et adorauit Iacob conuersus ad lectuli caput*. Vbi Nota. Non dicit Hieron. nomen Hebræum aliter verti posse, sed in Hebræo aliter legi: ergo censet LXX. legisse *matte*, aliter verò debere legi, scilicet *mitta*. Sic c. 12. 6. Apostolus citans Prouerb. 3. 11. legit cum LXX. בְּאֵב *kieb*, id est castigat, cùm S. Hieron. & alij legant בְּאָב *keab*, id est, sicut pater. de quo plura ibidem. Denique tam ambiguum & amphibologicum est, quòd vnum idemq́ue quoad omnia nomen, v.g. *matte*, duo hoc loco significet, quàm quòd duobus modis secundùm diuersa puncta, scilicet *mitta* & *matte*, legi possit. Vnde si prius non est absurdum, sed admittitur, ergo nec posterius absurdum aut mirum videri & censeri debet. Idem ergo nomen מטרה quoad consonantes, duplex est quoad vocales & in duo nomina diuiditur, scilicet *mitta* & *matte*; & vtroque modo hîc legi posse docet vtraque lectio & versio, scilicet tam LXX. quàm S. Hieronymi ab Ecclesia probata iam & recepta. LXX. ergo & ex ijs S. Paulus sic vertunt, προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, quod S. August. q. 162. in Gen. Diodorus & Gennadius in Gen. 47. vertunt, *Adorauit Iacob super caput*, vel *summitatem virgæ suæ*, subaudi innixus. q.d. Iacob summitati virgæ vel scipionis sui, præ senio incumbens & innixus adorauit, non Ioseph, sed Dominum.

Genuina versio & lectio.

Verùm Noster interpres cum S. Chrysost. Procopio, Eucherio in Gen. 47. meliùs vertunt sic, *adorauit* (Iacob) *fastigium virgæ eius*: hoc enim planè & absolutè verba Græca significant, cùm prior S. Augustini versio subaudire & supplere debeat, ἐπὶ innixus, vel incumbens.

Nec obstat Græcum ἐπὶ, & Hebræum עַל *al*, quod propriè *super* significat, q.d. Adorauit Iacob super caput virgæ suæ, scilicet incumbens. Nam Hebræum *al* & Græcum ἐπὶ subinde tantùm denotant rem adorandam in accusatiuo, cuius sunt notæ. vt 1. Reg. 1. v. 10. *Anna orauit ad* (hebraicè עַל *al*) *Dominum*. id est, orauit Dominum. Isaiæ 45. 14. *Te adorabũt*, hebraicè אֵלַיִךְ יִשְׁתַּחֲווּ *elaich iistachauu*, id est, ad te adorabunt. Sic sæpè in Scriptura dicuntur Sancti orare ad Dominum, id est, orare Dominũ: præpositioni enim *ad* respondet Hebræũ עַל *al*, vel אֶל *el*, quæ duo sæpè pro eodem sumuntur. ita ergo & hîc adorauit Iacob, *al*, siue ἐπὶ, id est, ad virgam, hoc est, adorauit virgam, Iosephi.

Adde, Hebræum *al*, & Græcum ἐπὶ propriè verti posse, versus vel contra: q.d. Adorauit Iacob versus vel contra summitatem virgæ eius, quia scilicet illi ex aduerso se inclinabat & incuruabat. Sic psalm. 5. 8. dicitur, *Adorabo ad templum*, id est, versus templum, vbi in Hebræo pro *ad* est אֶל *el*, pro quo hîc est עַל *al*.

Sensus ergo est, quòd Iacob adorauerit, id est, B reuerentiam exhibuerit & curuando se, honorarit virgam, id est, sceptrum & potestatem ac principatum Iosephi. Hebræum enim הִשְׁתַּחֲוָה *histachaua*, propriè significat se inclinare & curuare deorsum, aut prosternere se alicui, reuerentiæ causa, quod Latini, vt Suetonius in Augusto, vocant supplicare.

Quæres, cur Iacob adorauerit fastigium virgæ, id est sceptri, Iosephi?

Respond. literalis causa fuit, quòd Iacob non in Ægypto, sed in Chanaan sibi & suis promissa, sepeliri optabat, & à Ioseph vt id ipsum curaret, postulabat: annuit Ioseph us promisitq́; patri, se id curaturum: Iacob ergo voti compos, lætus gratias egit Ioseph o filio suo dilectissimo, & curuando se, veneratus est sceptrum, id est, regiam potestatem Ioseph i, à Deo illi datam, ac consequenter Deum C datorẽ potestatis huius vel maximè veneratus est & adorauit: erat enim Ioseph us secundus à Pharaone, & quasi alter Ægypti rex.

Iacob adorauit virgam Ioseph, vt honoraret potestatem illi à Deo datam.

Secundò, propheticè id fecit Iacob. quia enim præuidebat ex Ioseph nascituros reges, qui gererent sceptrum Israel, siue decem tribuum in Samaria; hinc adorauit sceptrum Ioseph; quasi innuens & vaticinans ex Ioseph nascituros reges, quos subditi quasi reges colerent & adorarent. ita Chrysost. & Theodor.

Tertiò, allegoricè id fecit Iacob fide credens Christum ex virga Iessæa & Israelitica, put à B. Virgine, ac consequenter ex seipso nascicturum: huius ergo virgæ caput, id est, Christum Samaritanum nostrum, cuius typus erat Ioseph, veneratus est Iacob. ita Sedulius hîc & Procopius in Gen. 47. atq; hæc fuit potissima causa, cur Iacob Ioseph um adiurarit, vt se sepeliret in Chanaan: quia nimirum in spiritu præuidebat Iacob Christum in Chanaan nascicturum & resurrecturum, seq́; cum Christo in die paschatis cum alijs sanctis Prophetis & Patriarchis ibidem resurrecturum credebat & sperabat, iuxta id quod contigit Matth. 27. 52. Vnde Abulens. in c. 47. Gen. *Ab omnibus*, inquit, *Catholicis creditur quòd inter alios qui cum Christo resurrexerunt, etiam Iacob Patriarcha resurrexerit.*

Iacob in virga Ioseph adorauit Christũ.

Rectè ergo ex hac adoratione sceptri Ioseph i Patres Concilij Niceni II. (in epist. Hadriani Papæ ad Constant. & Irenem, & in lib. Leontij) probant adorationem & cultum imaginum, eumq́ue non in imagine hærere, sed ad prototypum suum referri & transire docent. Sicut enim Iacob incuruans se sceptro Ioseph i, non ipsum sceptrum, sed Ioseph um principem (cuius symbolum & imago

Cultus imaginum probatus in II. Concilio Niceno ex adoratione sceptri Ioseph.

erat sceptrum) adorauit: ita cùm veneramur imagines, non imagines; sed Sanctos, quorum sunt imagines, veneramur. Si enim hoc impium esset aut superstitiosum, impius & superstitiosus fuisset Iacob, qui sceptrum Iosephi adorauit; quod absit. Sicut enim veneratio sceptri, erat veneratio Iosephi; ita veneratio imaginis, est veneratio Sancti, cuius ea est imago. Adde, quòd Iacob, vt dixi, in sceptro hoc, non tantùm præsentem Iosephum, sed & Christum longè absentem & post multa sæcula nasciturum, quasi in imagine sua repræsentatum adorauit.

VERS. 22. FIDE IOSEPH, MORIENS, DE PROFECTIONE FILIORVM ISRAEL MEMORATVS EST, ET DE OSSIBVS SVIS MANDAVIT]q. d. Per fidem Ioseph moriturus reuocauit in memoriam exitū & liberationē Hebræorum fratrum & filiorum suorum ex Ægypto, eorumque introductionem in terram Chanaan, ad eam possidendam, prout Abrahæ reuelauerat & promiserat Deus: & quia hoc ipsum fide tā viuens, quàm moriens credidit, certoque euenturum sibi persuasit; hac de causa iussit, vt Hebræi ex Ægypto exeuntes in Chanaan ossa sua secū efferrent, vt inter suos in Chanaan, æquè vt Iacob, sepeliri & cum Christo resurgere posset.

Cur patres sepeliri voluerint in Chanaan.

Nota hîc, veteres Sāctos & Patriarchas in morte singulari numine afflatos, mira vaticinatos esse, & quasi cycnæas voces edidisse.

Secundò, magnam illis funeris & sepulchri curam fuisse: quam licet spernant Nouantes, tamē naturæ ipsius instinctus eamdem ipsos sæpè non cogitantes docet, cùm in morte suorum non tantùm funus celebrant, sed & mortuo bene precantur, imò suorum pro eo preces exposcunt. Sentiunt ergo pias esse pro defunctis preces, pium esse animas vita functas precibus iuuare, ac consequenter animabus illis periculum aliquod pœnæ alicuius impendere, esseque Purgatorium. nemo enim orat pro animabus ad cælum, vel infernum, in quo nulla est redemptio, euntibus.

Ostenditur contra Nouantes esse Purgatorium.

VERS. 23. FIDE MOSES, NATVS, OCCVLTATVS EST MENSIBVS TRIBVS A PARENTIBVS SVIS, EO QVOD VIDISSENT ELEGANTEM INFANTEM, ET NON TIMVERVNT REGIS (Pharaonis, qui infantes Hebræorum mergi iusserat) EDICTVM]Quæres, quomodo per fidem, & non potiùs per amorem naturalem parentum occultatus sit Moses?

Fidei partum Mosis reuelationem diuinā supposuit.

Resp. fidem hanc planè innuere reuelationem aliquam fuisse factam de Mose, cui fidem adhibētes parentes Mosis, eum occultarunt, non dubitantes hac ratione infantem certò saluum fore. Reuelationē hanc factam esse per solam elegantiam Mosis, cēsent Chrysost. Theoph. Oecum. per hanc enim ex peculiari Spiritus sancti instinctu parentes aliquid diuinum de Mose præsenserunt. Verùm aliam eamque peculiarem de Mose reuelationem tradit Ioseph. libr. 2. Antiqu. c. 5. vbi narrat Amram patrem Mosis, de Mose nascituro anxiū, ob Pharaonis infanticidæ edictum, Deum instanter pro puero orasse, & astitisse illi Deum, promisisseque Mosen nasciturum, qui non tantùm à submersione liberaretur, sed & totius populi ex Ægypto liberator existeret. vnde huiusce rei fama inter Hebræos illius temporis percrebuit, vt indicat S. Stephanus Act. 7. cùm ait, *Existimabat* (Moses) *intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis*: quia scilicet putabat Moses, illos Hebræos, qui videbāt à se occidi Ægyptium, oraculi & famæ iā de se liberatore futuro peruulgatæ conscios esse; hinc fidenter coram eis Ægyptium occidit.

Dices, Quomodo ergo Paulus hîc dicit, Mosen occultatum esse à parentibus, *eò quòd vidissent elegantem infantem.*

Resp. Id dicit, quia parentes in sua reuelatione & fide de Mose infante iam nato confirmati sunt, cùm viderunt illi elegantiam plus quàm naturale à Deo inditam esse. erat, inquit Iosephus, infans hic tam formosus, vt aspicientium leuiter mox oculos in se raperet, defixoque teneret. Patet id ex S. Stephano, Actor. 7. vbi per hanc elegantiam Mosen Deo charum fuisse, adeoque Mosen, non tam hominibus, quàm Deo elegantem, speciosum & placentem fuisse significat, cùm ait v. 20. *Eodem tempore natus est Moses, & fuit gratus Deo.* vbi pro *gratus*, eadem est vox Græca, scilicet ἀστεῖος, quam hîc Interpres Latinus *elegantem*, vertit; Syrus Actor. 7. רחים *rechim*, id est dilectū, hîc שפיר *scappir*, id est, pulchrum placentemque vertit. Hæc ergo elegantia plusquam naturalis Mosi à Deo indita significabat Mosen Deo placere, illique cordi & curæ esse; vt non tantùm ab aquis seruaretur, sed & populi seruator fieret: itaque per hanc elegantiam Mosis, non tam humanam quàm diuinam, in fide sua confirmati sunt parentes, & animati ad eum occultandum: nec dubitarunt hac ratione eum ab aquis Deo tutore incolumem euasurum, vti & factum est. ita Chrysost. Theophyl. Oecum.

Mosis elegantia significabat eum Deo placere.

Mosis pulchritudo plusquam naturalis.

VERS. 24. FIDE MOSES GRANDIS FACTVS NEGAVIT SE ESSE FILIVM FILIAE PHARAONIS]Filiam hanc Pharaonis omnes ex Iosepho Thermut nominant: addit Philo in Vita Mosis eam vnicam fuisse Pharaonis heredem, & licet diu nupta fuisset, prole tamen caruisse. hæc ergo Mosen infantem tam elegantem expositum conspiciens rapuit, educauit, adoptauit sibi in filiū: imò, vt ait Philo, muliebri arte finxit se grauidam, peperisseque; Mosen, vt passim Mosis illius filius natiuus, non ascititius putaretur. ideoque; vt suis Hebræis hanc opinionem eximeret Moses, iam futurus eorum dux & liberator, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, vt hîc ait Apostolus. Idipsum confirmat S. Stephan. Act. 7. v. 22. vbi docet Mosen regio more educatum fuisse, in omni sapientia Ægyptiorum: & clariùs Philo, qui ait magnis præmijs Mosi accitos fuisse præceptores è Græcia, qui liberales artes; & è Chaldæa astrologos, qui sideralem scientiam; Assyrios quoque, qui suas litteras eum docerent, vtpote spe omnium destinatum successorem auiti solij, & regem iuniorem appellatum: Mosen verò edomandis animi affectibus plurimum studuisse, secutumque fuisse non Ægyptiorum, sed maiorum suorum patria instituta.

Mosis educatus in regē Ægypti.

NEGAVIT] Græcè ἠρνήσατο λέγεσθαι, id est, renuit dici & vocari filius filiæ Pharaonis; renuit, inquam, tum verbis, tum factis: cùm scilicet ex aula Pharaonis ad suos Hebræos se contulit, ijs se iunxit, eos vindicauit cæso Ægyptio, ac tandem Hebræorum se ducem contra Pharaonem & Ægyptios professus est.

Magna fides in Mose.

Nota. *fide negauit* hoc Moses; quia fides qua credebat oraculo Dei iam dicto, de futura Hebræorum per se liberatione ex Ægypto: rursum fides regni cælorum & remunerationis æternæ, impulit eum relinquere aulam & regnum Ægypti, vt cum

cum Hebræis omnem Pharaonis tyrannidem & fortunæ aleam subiret. Mosen imitentur qui auitæ fidei causa, suis prædijs, dominijs, imò regnis spoliantur.

ERS. 25. MAGIS ELIGENS AFFLIGI CVM POPVLO DEI, QVAM TEMPORALIS PECCATI HABERE IVCVNDITATEM] Græcè est πρόσκαιρον ἀπόλαυσιν, id est temporalem, siue modici temporis fruitionem. Nota τὸ *peccati:* peccasset enim Moses, non cogitans de liberatione Hebræorũ, cùm ad id à Deo se electum sciret ex oraculo iam dicto. Addit Theodor. vitam quæ cum impijs transigitur, peccato non carere, præsertim cùm impij pios affligant, & in hoc laudem, consensum & auxilium ab alijs quærant, vti Ægyptij affligentes Hebræos, hac in re quærebant fauorem & opem à Mose, quasi futuro herede & successore regni; q.d. Maluit Moses cum Hebræis affligi, quàm viuere in delicijs regijs impij Pharaonis, ibique peccatis frena laxare, eiusque ambitioni & tyrannidi applaudere. Cum Mose ergo exeat aula, qui voleteſſe pius.

e cum pijs non ret pec-o.

ERS. 26. MAIORES DIVITIAS AESTIMANS THESAVRO ÆGYPTIORVM IMPROPERIVM CHRISTI] Pro *maiores diuitias* S. Ambros. l. de Cain & Abel c. 4. legit, *maius patrimonium:* Moses enim in filium & heredem regni adoptatus hoc regni patrimonium cum improperio Christi commutauit.

Quæres, quodnã hîc vocetur *improperiũ Christi*? Respondent Græci, hoc *improperium Christi* esse opprobria, quæ Hebræi coniecerunt in Mosen. hæc enim dicuntur *Christi*, typicè siue analogicè, quia sicut Christus à suis Hebræis, quos liberare veniebat, improperia passus est: ita eadem ab eisdem passus est Moses. ita Theodoret. Chrysost. Theophyl.

mproperiũ Christi sũt pprobria tribula-nes.

Secundò. Galen. putat *improperium Christi* dici quoduis improperium, quod fideles vel Ecclesia, ab infidelibus, vel impijs sustinet; dicitque *Christi*, quia Christus dux fuit passionis, & caput Ecclesiæ patientis: & quia, vt ait Vasquez, Christus postea docuit causa iustitiæ & religionis hoc improperiũ esse sustinendũ; quod Galat. 5. vocatur *crux Christi*. Hinc quando Ismael Isaacum, Esau Iacobũ, Cain Abelum, Ægyptij Mosen, ciuitas diaboli ciuitatem Dei, mali bonos persequuntur, semper est & dicitur *improperium Christi* quasi capitis in suis membris irrisi, vexati & afflicti. Sic enim æterna Dei lege decretũ est, vt in hoc sæculo mali triumphum agant; pij crucem gestent post Christum, & semper cum aduersitatibus luctentur, quibus Deus illos quasi milites suos vult exercere ad cælestem coronam promerendam.

terna le decreta Sanctis crux.

Tertiò & aptissimè, Ribera propriè hæc verba accipit & explicat, quòd scilicet Moses partim ex fide & traditione Abrahę, aliorumq; patrum cognoscens Christum pro genere humano passurum, partim spiritu prophetico præuidens speciatim iniurias & opprobria illi à Iudæis inferenda; vt Christo patienti similis fieret, maluerit pati, affligi, & opprobrijs affici cũ Hebræis, quàm honoribus & opibus abundare in aula Pharaonis: hoc enim propriè est & dicitur *improperium Christi*. Si enim Ieremias hæc opprobria Christi præuidit & in suis opprobrijs adũbrauit, quid ni & Moses? Si Isaias, Ezechiel, Osee, Dauid, alijque Prophetæ ad hoc à Deo missi sunt, vt essent typus Christi prædicantis & patientis, atque idipsum sciuerunt, scilicet suas passiones & opprobria typicè esse passiones & op-

ses & Ieremias typus Christi tientis pprobria persecu-nes.

A probria Christi, quia illa repræsentabãt; quidni idipsum sciuerit, fecerit & repræsentarit Moses legislator & princeps Prophetarũ? Moses enim per tot opprobria & persecutiones liberans populum à Pharaone & Ægypto, expressus fuit typus Christi, per sua opprobria & crucem nos à diaboli & inferni tyrannide liberantis. *Improperiũ* ergo *Christi* dicitur, non quod Ægyptij Mosi intulerunt in odium Christi, vtpote qui de Christo nihil scirent; sed quod Moses Christi amore, reuerẽtia, imitatione, similitudine, & vt repræsentaret opprobria Christi, forti & læto animo sustinuit. Sic enim comœdus, qui in scena repræsentat Christum patientem, dicitur agere Christũ, Christique opprobria & passionem. tales autem quasi comœdi fuerunt Moses & Prophetæ.

B Vbi Nota. Hæc summa est hominis fidelis perfectio; nimirũ vt exemplo & imitatione Christi ad-met, sitiat, quærat opprobria, irrisiones, persecutiones, calũnias, infamias; illaque cuiuis honori, famæ, nomini & gloriæ etiam regiæ præferat, adeoque etiamsi par Dei gloria & par virtus esset in honore & opprobrio, malit tamen opprobrio quàm honore affici, vt hac ratione assimiletur Christo iniurijs, sannis & calumnijs onerato. portetque improperium Christi, dicens cum Paulo, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Amare opprobria & persecutiones summæ perfectionis Christiani.

ASPICIEBAT ENIM IN REMVNERATIONEM] æternæ gloriæ in cælis. q.d. Ideo Moses opes Ægypti posthabuit gentis suæ miserijs, quia sic secũ ratiocinabatur: Si ego Ægyptijs delicijs & honoribus me dedam, ijs tantùm fruar ad viginti vel triginta annos, & mox ab irato Deo damnabor ad æterna inferorum tormenta; sin autem ijs abdicatis populo Dei afflicto me iungam, cum eo premar latere & luto, affligar tantùm ad viginti vel triginta annos, & mox à Deo omnis & maximè heroicæ virtutis remuneratore liberalissimo, donabor æternis gaudijs, opibus & honoribus. Satius autem est hîc ad modicum tempus esse miserum, quàm in æternum esse miserũ: satius est, modica miseria emere æternam felicitatem, quàm modica felicitate & voluptate præsenti, emere æternam miseriam. ergo statuo & decerno amplecti sortem miseram Hebræorum, præ felicitate Ægyptiorum; vt remunerationem æternæ gloriæ & felicitatis à Deo nanciscar. Atque hæc conclusio & spes Mosen ad omnia dura & ardua fortiter subeunda impulit.

Spes remunerationis quantum calcar ad fortiter patiendum.

Ita pariter secũ ratiocinabatur b. Thomas Morus Martyr, Angliæ olim Cancellarius, cùm Aloisia vxor ab Henrico VIII. rege Angliæ submissa in carcerẽ eius animũ tentaret, vt regis libidini assentiretur. eiulabat illa, suamque, mariti & familiæ miseram sortem commemorabat, aliaque ex parte ostẽdebat magnas opes & honores à rege promitti, si ei subscriberet. cui Morus: Quamdiu, inquit, ô Aloisia, hisce opibus fruemur? Respondit illa, Facilè adhuc ad viginti annos, marite mi. Mox increpans & indignans Morus, Vade, inquit, ô stulta mercatrix, egóne pro viginti annis modicæ felicitatis vendã annos æternos felicitatis cælestis? non ita desipio. quin verò malo carcerem hunc tota vita, bonorum confiscationem, opprobria, mortemque ipsam pati, quàm æternitatem meam beatam prodigere.

Magna Thomæ Mori constantia & contemptus terrenorũ.

Hinc patet, piũ & sanctum esse bona opera operari intuitu & spe æternæ mercedis. ita enim o-

Facere bona opera intuitu

Eu merces æterna, bonum est.

peratus est hîc Moses & David psal. 118 *Inclinaui*, inquit, *cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* est enim hic actus virtutis spei. Sicut ergo pium est operari bona ex virtute & instinctu charitatis, vt scilicet per illa placeamus Deo, nostrumq; erga Deum amorem testemur; ita quoq; pium est operari bona ex instinctu spei, vt scilicet per illa adipiscamur æternam mercedem. ita docet Concil. Trident. sess. 6. c. 11.

Nouatium error ingulatur de meritorum nullitate.

Hinc Secundò, patent merita bonorum operum, vtpote quibus Deus quasi remunerator æternam mercedem retribuat. Vides hîc quàm Moses & Paulus à sensu, fide & factis Nouantium discrepent.

VERS. 27. FIDE RELIQVIT ÆGYPTVM NON VERITVS ANIMOSITATEM REGIS] cùm scilicet Moses cæso Ægyptio, metuens Pharaonis iram, fugit in Madian, inde postea rediturus ad suorum liberationem, vti de facto redijt in Ægyptum, non veritus Pharaonem, ita Chrysost. Theodor. Theoph. Verùm quia tunc Moses non tam fide, quàm metu Pharaonis fugit in Madian, vt dicitur Exod. 2. 14. & Apostolus non ait, Fide redijt, nec etiam, Fide fugit, sed, Fide reliquit Ægyptum;

Fide Moses fugit ex Ægypto cum populo Israelitico.

Hinc Secundò meliùs, cum Lyrano, Tostato & Pererio in Exodi c. 2. dicemus, Mosen per fidē reliquisse Ægyptum, cùm ex ea Hebræos Deo iubēte eduxit. tunc enim fide credidit se cum populo, per Dei opem euasurum manus Pharaonis insequētis, populumq; feliciter penetraturum in Chanaan, vti Deus promiserat: nisi enim hac fide armatus fuisset Moses, numquam tantum facinus aggressus fuisset, quo se totamque gentem Pharaonis iræ & indignationi obijciebat.

INVISIBILEM ENIM TAMQVAM VIDENS SVSTINVIT] Pro *sustinuit*, græcè est ἐκαρτέρησε, id est, perseuerauit, perdurauit in afflictionibus, constanter aduersa omnia tolerauit. vnde Vatabl. vertit,

Certitudo promissorum Dei.

perinde enim quasi vidisset eum, qui est inuisibilis, ita obdurauit & perseuerauit in duris quibusq; tolerandis. Noster eodem sensu vertit *sustinuit*. q.d. Moses certa fide, patienter, longanimiter & perseueranter in tot aduersis exspectauit Dei inuisibilis tum opem in educendis Hebræis ex Ægypto, tum mercedem promissam in cælis, perinde ac si ea præsentia oculis suis conspexisset, ideoque dura quæque forti & constanti animo sustinuit & tolerauit.

Nota τὸ *tamquam* habere emphasin. respondet enim Hebræo caph, quod non tantùm est nota similitudinis, sed etiam mēsuræ, siue æqualitatis; q.d. Æquè, æquali certitudine, spe, patientia & tranquillitate sustinuit Moses Dei, quem non videbat, opem & mercedem, ac si eum coràm oculis suis vidisset. vides hîc, vt *fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.*

VERS. 28. FIDE CELEBRAVIT PASCHA ET SANGVINIS EFFVSIONEM, NE QVI VASTAVIT PRIMITIVA, TANGERET EOS] Quia scilicet fide credidit Moses, se cum toto populo sanguine agni paschalis liberandū à morte & angelo percutiēte primogenita Ægyptiorum: hinc hac fide incitatus immolauit agnum paschalem, eiusq; sanguine postes aspersit, vt sanguinem agni videns angelus percutiens, domos Hebræorum transiliret, & insiliret in domos Ægyptiorum, Exodi 12. v. 12. & 23. à quo transitu vel potiùs trāsultu angeli, tam agnus, quàm festum ipsum dictum est hebraicè, פֶּסַח *pesach*, chaldaicè, græcè & latinè *Pascha*, vt dixi 2. Corinth. 5. 7. Tacitè hîc fi-

Pascha unde dictum.

A dem Christi immolati Hebræis obijcit Paulus, vt- *& quid si-*
pote cuius sanguine ab angelo percutiente, id est à *gnificet.*
diabolo & inferno, liberati sumus: hoc enim allegoricè hîc significatur.

FIDE TRANSIERVNT MARE RVBRVM TAMQVAM PER ARIDAM TERRAM: QVOD EXPERTI ÆGYPTII, DEVORATI SVNT] Fide enim quā credebant Hebræi Mosi, Dei nomine promittenti miraculosum & felicē maris sicco pede transitum; hac inquam fide excitati Hebræi, ipsum mare rubrum fidenter & securè ingressi, quasi aridam terram calcarunt & transgressi sunt. *quod experti*, græcè πεῖραν λαβόντες, id est, cuius experientiam cùm cepissent, cùm scilicet periculum fecissent, mareque sicco pede transgredi tentassent, Hebræos insequentes *Aegyptij deuorati sunt*, græcè κατεπόθησαν, id est demersi, absorpti sunt. VERS. 29.

B Hactenus patriarchas Mosen, Abrahamū, Noë, & alios quasi heroës fidei Hebræis obiecit Apostolus, nunc eis obijcit vulgum & plebem; q.d. Si heroës illos non potestis imitari, ô Hebræi, imitamini saltem rudem populum, qui per fidem superauit mare rubrum. Si enim pari cum eo sitis fide, parē fidei fructum percipietis; vt scilicet fide Christi & spe æternæ retributionis animati fortiter exilia, bonorum rapinam & acerba quæque pro fide Christi toleretis; itaque non per mare rubrum in Chanaan, sed per Christi baptismum, fidem & patientiam in cælum penetretis, ibique æternas opes & præmia nanciscamini.

FIDE MVRI IERICHO CORRVERVNT CIRCVITV DIERVM SEPTEM] q.d. Non suffossione, non arietibus, non balistis; sed fide, qua & Iosue Hebræi crediderunt, & obediuerunt Deo promittenti, VERS. 30.

C quòd circumeundo vrbem Iericho septem diebus cum arca, clangore tubarum & clamore populi, muri eius licet altissimi & solidissimi funditus corruerent. muri hi reipsa corruerunt, itaque per fidem, non per aciem gladij ab Hebræis expugnata est Iericho. vide Iosue c. 6.

FIDE RAHAB MERETRIX NON PERIIT CVM INCREDVLIS, EXCIPIENS EXPLORATORES CVM PACE] *Fide*, qua scilicet Rahab credidit Ierichuntē & reliquas vrbes Chanaan à Deo, vti promiserat, tradendas esse Hebræis: hac enim fide animata, exploratores Hebræorum excepit *cum pace*, id est pacificè, amicè & benevolè, eosq; abscondit, & tutò ad Hebræos remisit, ne à ciuibus Ierichuntinis caperentur & necarentur: ideoq; ipsa sola cum suis seruata est in excidio Ierichuntis; cùm reliqui omnes increduli nolentes se dedere Hebræis, occisi sunt. VERS. 31.

D q.d. Si popularibus exemplis non mouemini, ô Hebræi, saltem præstate in vera educati religione, fidem, quam olim præstitit gentilis Chananæa, imò vile propudium & meretrix.

Hinc patet, aduentantibus Hebræis, præsertim visis eorum exploratoribus, & audita fama transitus Hebræorum per mare rubrum sicco pede submersis Ægyptijs, miraculorum & victoriarū, quas Hebræi contra Amalec, Og & Seon reges adepti sunt; Rahab credidisse in Deum verum Hebræorum, Deumq; tetigisse cor illius, fideque non humanam, sed diuinam, pœnitentiam & timorem suum illi inspirasse: nam hac fide, fideiq; operibus iustificata est Rahab, vt ait S. Iacobus c. 2. 25.

Rahab per fidem venit ad pœnitētiam & iustificationē.

Nota. Rahab vocatur *meretrix*, hebraicè זוֹנָה *hatzona*, quod licet Chaldæus, Ioseph. Hebræi & Lyranus *cauponam* vertant, tamē S. Hieron. & LXX. &

& ex ijs Paulus hîc πόρνην id est meretricem, interpretantur: vtrumq; enim significat Hebræum *zona*, & vtrumq; conuenit Rahab huic. verisimile enim est Rahab cauponam meritoriam fuisse. rarò enim fit vt feminæ quæ publica erigunt hospitia, ijsq; præsunt & lucrum captant, incontinentiæ & stupri superent periculum, aut certè suspicionem. vnde cauponæ hæ meritoriæ tam apud Gentiles, quàm apud Hebræos illiberales & impudicæ sunt habitæ, & ab ijs meretricium nomen desumptum est. *zona* enim hebraicè dicitur זנה *zun*, id est mereri, vendere, prostituere se, vel sua; & græcè πόρνη, id est meretrix, dicitur ἀπὸ τοῦ πέρνειν, id est à diuendēdo; & Latinum meretrix à merendo & mercede deductum est.

Dices, Quomodo Hebræi exploratores fideles & religiosi, ad meretricem in lupanar, diuertere voluerunt?

Respondeo, domum Rahab non fuisse publicum lupanar, sed hospitium, in quo tamē tum ipsa, tum aliæ amasiæ hospitibus non deessent, vti non rarò etiamnum in hospitijs fit. Prudēti verò consilio Hebræi hanc vnius feminæ tabernam iniuerunt, vt in ea quasi hospites, non quasi exploratores ingressi, ibidem occultissimè latitarent. Adde, quòd domus Rahab vicina erat mœnibus, itaq; semotior à populo & occultior, atq; ad effugiendum, si res posceret, oportunior. ita Abulens. Vatablus & Arias Montanus in Iosue c. 2.

ET QVID ADHVC DICAM? DEFICIET ENIM ME TEMPVS ENARRANTEM DE GEDEON, BARAC, SAMSON, IEPHTE, DAVID, SAMVEL, ET PROPHETIS] Gedeon enim fide, qua credidit Deo sibi & suis promittēti victoriam de Madianitis, eamdē obtinuit. Iudic. 7. Barac fide qua credidit Deboræ, nomine Dei mādanti, vt pugnaret contra Sisaram, eumdem instar fulminis (vnde appositè Barac hebraicè significat fulmen) profligauit, Iudic. 4. Sic Samson, Iephte, Dauid, & alij, fide qua credebant Deo se excitanti ad prælium contra Philisthæos, Ammonitas, alioſque hostes populi Dei, eosdē prostrauerunt. vnde de Iephte & Samson sæpè dicitur, factus esse vel irruisse in eum Spiritum Domini, cùm prælium, vel aliud opus arduum aggressurus esset.

Nota. Combinat hîc Apostolus heroës fidei, scilicet binos & binos, qui eodē ferè sæculo vixerunt, ita vt præponat priorem non tempore, sed dignitate & celebritate. Gedeon enim glorioſior fuit Barac, qui tamen tempore Gedeone fuit prior. Sic & Samson Iephte: & Dauid, vtpote rex in bellis fortissimus & felicissimus, Samuelem non tempore, sed gloria antecelluit.

Nota Secundò, Apostolum hîc propriè & primariò non texere catalogum Sanctorū veteris testamēti, sed tantū proferre & laudare heroës fidei, qui per fidē heroica opera ediderunt & confecerunt: nam alioqui constat Iephte latrocinio, Samsonem & Rahab fornicatione, alios aliter peccasse. ita Chrysost. & Theoph. hîc, & Abulens. in c. 11. Iudicum. Secundariò tamē satis subindicat Apostolus omnes fuisse sanctos, & consequenter per fidē pœnituisse de peccatis, itaq; in gratia & spe salutis, ac beatæ resurrectionis è vita excessisse. nam v. 33. ait, *eosper fidem operatos esse iustitiam*, &c. & v. 39. *Et hi omnes*, inquit, *testimonio fidei probati nō acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarētur.* Vbi satis indicat, omnes à se nominatos non accepisse quidem consummatam felicitatē, fidelibus repromissam ante Christum & Christianos; eamdem tamen cum illis accepturos esse in beata resurrectione. Scopus enim Apostoli est, Hebræos exemplo patrum, quos hîc citat, tam in sanctitate quàm in fide Christiana confirmare. vnde S. Th. Anselm. & Ribera asserūt Apostolum hîc texere catalogum Sanctorū veteris testamenti, non omnium, sed magis illustrium; nimirum eorum qui apud Hebræos & sanctitatis famam & nominis gloriam obtinebant.

QVI PER FIDEM VICERVNT REGNA (Chananæorum, Philisthinorum, Ammonitarum & aliorum) OPERATI SVNT IVSTITIAM] id est iustam vindictam populi sui, contra iniustos Chananæos, Philisthinos, & alios hostes. VERS. 33.

Secundò, *iustitiam*, id est, misericordiam & humanitatē, v. g. quam Dauid & Samuel Sauli iniquo regi & hosti suo (illi cùm nocere possent) parcēdo, imò seruiēdo exhibuerunt. ita Chrysost. & Oecum.

Tertiò, alij propriè *iustitiam* accipiunt; q. d. Hi Sancti iustitiam tutati sunt, ius suum cuiq; reddiderunt, fuerunt iusti iudices, & iustitiæ vindices.

Quartò & optimè, operati sunt *iustitiam*, id est, iusta & sancta opera, quibus, vt dixi v. 5 placuerunt Deo. vnde Syrus vertit, פְּלַחוּ כְּאנוּתָא *pelachu kinuta*, id est, *coluerunt iustitiam*: q. d. Sancti per fidem, qua credebant virtuti tanta esse in cælis repositā præmia, totam vitam impenderunt eius studio & exercitio, vnamq; virtutem coluerunt & exercuerunt.

ADEPTI SVNT REPROMISSIONES] v. g. cū Iosue, Caleb, alijq; Hebræi ingressi sunt, possederuntq; terram Chanaan sibi promissam; cùm Abrahamo natus est Isaac; Dauidi Salomon filius & heres à Deo promissus; cùm Gedeon, Samson, Iephte victorias à Deo promissas adepti sunt; & ita alius quilibet promissionē sibi à Deo specialiter factam, quam fide credidit, reipsa consecutus est. *Promissiones variæ Dei ad Prophetas impletæ.*

Dices, Quomodo ergo v. 39. ait eos nondum accepisse repromissiones?

Resp. Græcè est τὴν ἐπαγγελίαν, id est *illam* (scilicet eminentem) *repromissionem*, quæ finis, caput & summa est omnium repromissionum, quæq; omnibus communiter repromittitur, scilicet felicitas æterna, & consummata beatitudo tam animæ, quàm corporis: hanc enim nemo patrum illorum ante Christum adeptus est. *Patres antiqui testamenti non adepti sunt primariam repromissionē æternæ beatitudinis.*

OBTVRAVERVNT ORA LEONVM] Non omnes, sed aliqui ex heroibus iam dictis; putà Samson, qui catulum leonis nuda manu discerpsit, Iudic. 14. 6. & Dauid, qui leonem gregem inuadentem arrepto mento suffocauit, 1. Reg. 7. 34. & Daniel, qui sua præsentia & sanctitate clausit ora leonum fame rabidorum, vt eum contingere non auderent, Daniel. 6. 22. *Samson, Dauid & Daniel leonum domitores.*

EXTINXERVNT IMPETVM IGNIS] Scilicet tres socij Danielis, Sidrach, Misach & Abdenago in fornace Babylonia, vbi ignem ardentissimum, ligna, picem, omniaq; alia validissimè comburentem ipsi quasi stiterunt & retuderunt, vt vim suam & impetum in corpora eorum, quasi amiantina essent, exerere non posset, Daniel. 3. 49. VERS. 34. *Sidrach, Misach, Abdenago ignem domuerunt.*

EFFVGAVERVNT ACIEM GLADII] Corrige cum Romanis, Syro & Græcis, ἔφυγον, id est, *effugerunt*. fugatur enim hostis acies verò gladij non fugatur, sed fugitur. Sic Elias effugit gladium Iezabelis, Dauid Saulis, Moses Pharaonis.

CONVALVERVNT DE INFIRMITATE] Id est à morbo,

Ezechias, Tobias, Iob ex infirmitate conualuerunt.

bo, vti Ezechias 4. Reg. 20. 6. & Tobias à cæcitate, Tobiæ 11. 15. & Iob à sua plaga, Iob vlt. A

Secundò *de*, id est ab, *infirmitate*: vt ex infirmis, debilibus & timidis fierent fortes, validi & audaces: vti factus est Gedeon, Barac, Moses, Iosue, Iosue c. 8. & 9. Iudith, alijque, cùm ad ducatum aut regimen populi à Deo euocati sunt. Vtrumq; sensum afferunt & sequuntur Theodor. Theophyl. & Chrysost. qui hoc refert ad Iudæos cùm Babylonica captiuitate quasi tabidi & moribundi, in Iudæam hilares, alacres & vegeti redierunt.

Tertiò, Vatablus vertit, *validi facti sunt ex infirmitate*; & Hugo Card. ex S. Chrysost. *imbecillitate facti sunt fortes*. fortitudo enim fidelium est agnitio & confessio propriæ infirmitatis: per hãc enim virtus Dei in infirmitate nostra perficitur. Vide dicta 2. Corinth. 12. 9.

CASTRA VERTERVNT EXTERORVM] Pro *verterũt*, B græcè est ἔκλιναν, id est inclinarunt, hoc est, in fugam compulerũt. dicitur enim acies inclinata, cùm hosti cedit & parat fugam. Pro *castra*, græcè est παρεμβολὰς, quod licet Erasmus vertat, *incursiones*; tamẽ rectiùs Noster interpres, imò Vatabl & Beza vertunt, *castra*, vel exercitus. Syrus vertit מַשְׁרְיָתָא *masretata*, id est, munitiones euerterunt hostium, vt fecit Dauid, cùm Sionem arcem munitissimam expugnauit; & Machabæi, cùm muros hostium ferreos penetrarunt, & in ipsas hostium arces non tam conscenderunt, quàm inuolarunt. Verùm, vt dixi, Græcum παρεμβολὰς propriè non arces aut munitiones, sed castra significat.

VERS. 35. ACCEPERVNT MVLIERES DE RESVRRECTIONE MORTVOS SVOS] De, id est ex, *resurrectione*, putà per resuscitationem, quia ex morte resurrexerunt Ita Sunamitis filium resuscitatum ab Elisæo recepit, C quasi è gremio resurrectionis regeneratũ & rediuiuũ, 4. Reg. 4. Pari modo vidua Sareptana filium suum ab Elia ad vitam reuocatũ recepit, 3. Reg. 17.

Sunamitidu & Sareptanæ filij resuscitati

ALII AVTEM DISTENTI SVNT] Græcè ἐτυμπανίσθησαν, quod Suidas vertit, *fustuati*, siue *fustibus contusi, excoriati & suspensi sunt*; Chrysost. & Theoph. vertũt, *decollati sunt*. verùm Græcum ἐτυμπανίσθησαν ad verbum significat *tympanizati sunt*.

Tympanum tormẽti genus.

Vbi Nota, *tympanum* genus fuisse tormenti, quo homines fortiter & rigidè distendebantur, quasi in eculeo, & pulsabantur vti pelles d istentæ in tympano.

Notat Eleazarum & Machabæos, qui ab Antiocho Epiphane dirè cruciati sũt. De Eleazaro enim dicitur 2. Machab. 6. v. 19. & 28. *Voluntariè præibat ad supplicium*: græcè ἐπὶ τὸ τύμπανον id est ad tympanum. & de septẽ fratribus Machabæis c. 7. . di- D citur eos *flagris & taureis* (græcè νευραῖς, id est, neruis & loris taurorũ) cruciatos fuisse: in tympano enim & flagris lorisq; cædebantur, & fustibus pulsabantur, & baculis, saxis malleisq; tundebantur, & quasi tympanum omniũ verberibus cruciatibusq; obijciebãtur. Anaxarchus philosophus, teste Laërtio, dũ à Nicocreonte tyranno, quasi in mortario, pila contunderetur: *Tunde*, inquit, *tũde follem. Anaxarchum non tundis*, tollem vocans corpus suum, Anaxarchũ verò animam, vel potiùs animos, quos gerebat excelsos. Hoc ipsa dixit Eleazarus Antiocho; Tympanum Antioche pulsas & tundis, Eleazarum non pulsas & tundis. Hinc ista Machabæorum vox, *E cælo ista* (corporis membra) *possideo; sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me carecepturum spero.*

Constantia Eleazari & septem Machabæorũ in tormentis.

NON SVSCIPIENTES REDEMPTIONEM, VT MELIOREM INVENIRENT RESVRRECTIONEM] q. d. Eleazarus, Machabæi & similes voluntariè hæc tormenta subierunt. poterant enim, si vel verbulo Antiocho cessissent, omnibus pœnis redimi & liberari: iam autem fide roborati, cruciari & mori maluerunt, vt per illam mortem inuenirent resurrectionem & vitam meliorem vita præsenti, quam pro Deo amittebant & prodigebant.

Secundò, Theoph. & Oecum. *resurrectionem meliorem* interpretantur gloriosiorem, qua scilicet Machabæi, quasi fortissimi Martyres, in maiori gloria præ alijs Sanctis resurgent.

Tertiò, Chrysost. *resurrectionem* hanc *meliorẽ* dici putat. respectu resurrectionis ad præsentem vitam, de qua dixit antè, *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*. Sed primus sensus simplicior est & solidior. Non dubium est, inquit Beza, quin eam designet persecutionẽ quam Antiochus exercuit. Allegat ergo Apostolus Machabæorum libros: Cur ergo eos respuis & de canone dispungis?

ALII VERO LVDIBRIA ET VERBERA EXPERTI, VERS. 36. INSVPER ET VINCVLA ET CARCERES] Talis fuit Ieremias, qui cùm rebellibus Iudæis minaretur excidium Hierosolymæ, ab eis dirissima est passus, *Ieremiæ & Michææ passio.* scilicet probra, alapas, verbera, famem, carcerem, sæpè à toto populo reus mortis est proclamatus, ac tandem lapidatus Martyr occubuit: itaq; Ieremias Christi à Iudæis afflicti expressissimus fuit typus, ac meritò ab Isidoro Pelusiota l. 1. epist. 298. πολυπαθέστατος, id est calamitosissimus, nuncupatur. Talis quoque fuit Michæas, qui quòd cladem prædiceret Achab regi, ab eo in vincula coniectus, & à pseudopropheta irrisus & verberatus est, 3. Reg. vlt. Tales fuerunt alij Prophetæ, Luc. 20. 11. *Parit talia certamina superna peregrinatio: magnorum enim rerum est, pati à suis ludibria*, ait Climachus.

LAPIDATI SVNT] Vt Nabot procurante Iezabele, 3. Reg. 21. & Zacharias filius Ioiadæ pontificis, 2. Paralip. 24. alijque multi, de quibus ait Christus Matth. 23. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt*. quorũ princeps fuit Ieremias, de quo Tertull. Scorpiaci 8. *Ieremiam*, inquit, *lapidatur, Isaias serratur, Zacharias inter ædem & altare occiditur, perennes cruoris sui maculas filicibus asignans.* VERS. 37. *Ieremiæ Nabot, & Zachariæ lapidati.*

SECTI SVNT] Vt Machabæi, quibus manus & *Machabæi secti.* pedes resecti & præcisi sunt, 2. Machab. 7. 4. S. Hieron. in 26 Matth. legit, *Serrati sunt* (hoc enim quoque significat Græcum ἐπρίσθησαν) refertque ad Isaiam, quem tradunt Hebræi serra dissectum esse à Manasse, quòd eius & principum vitia acriùs & sæpiùs carpsisset. idem tradit Epiphan. in vita Isaiæ, S. Thomas & Tertull. in carmine, vbi sic de eo canit,

Quem populus sectum ligno sine labe repertum,
Immeritum demens crudelis morte peremit.

Quibus verbis docet serram, qua sectus est Isaias, *Serra lignea sectus Isaias.* fuisse ligneam; nimirum vt Isaias, qui nomine suo, Iesu Saluatoris nomen & aduentum figurabat, morte quoque sua materiam & formam crucis in lignea serra figuraret.

TENTATI SVNT] Ita Græca & Latina omnia legunt, cum Chrysost. Theodor. Theoph. Oecum. licet Syrus & alij aliqui hoc expungant Itaq; *tentati sunt*, scilicet alij grauibus & diuturnis calamitatibus, vt Iob; alij persecutionibus, exilijs, fame & penuria, vt Prophetæ sub Iezabel; alij per arduam *Variæ tentationum genera.*

obe-

obedientiam à Deo tentati sunt, vt Abraham; alij omni pœnarum genere tentati sunt, vt Machabæi, alijque Martyres sub Antiocho. & de talibus propriè loquitur hîc Paulus, vt patet ex antecedentibus & sequentibus: sed fide & spe cælestis gloriæ, hasce omnes tentationes vicerunt.

IN OCCISIONE GLADII MORTVI SVNT]Tales fuerunt Israelitæ illi in persecutione Antiochi, de quibus dicitur 2. Machab. 2. *Fiebant ergo cædes iuuenum & seniorum, & mulierum & natorum exterminia, virginumq; & paruulorum neces; erant autem toto triduo octoginta quinque millia interfecti.*

Vide hîc fidem, fortitudinem & martyria Sanctorum veteris testamenti; quid iam faciant Christiani? Audi quid fecerint in primitiua Ecclesia Tertull. describentē l. ad Scapulam Præsidem c. 5. *Crudelitas*, inquit, *vestra gloria est nostra. vide tantùm ne hoc ipso, quòd talia sustinemus, ad hoc solùm videamur erūpere; vt hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed vltrò vocare. Arrius Antoninus in Asia cùm persequeretur instanter, omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt: cùm ille paucis duci iussis, reliquis ait, O miseri, si cupitis perire, præcipitia aut restes habetis. hoc si placuerit & hîc fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot virūm ac feminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? quantis ignibus, quantis gladijs opus erit!* Idem in Apologetico c. vlt. *Cruciate*, inquit, *torquete, damnate, atterite nos. probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra. ideo nos hæc pati Deus patitur: nam & proximè ad lenonem damnando Christianam potiùs quàm ad leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari.* *Christiana ad lenonem damnata potiùs quā ad leonem, curt*

Primus in Christianos persecutionē mouit Nero, qui Christianos, alios crucibus, alios flammis, alios canibus laniandos obiecit, vti dixi 2. Tim. 4. 17. Secundus Domitianus plurimos Romæ nobiles Christianos, viroſq; illustres nullo iure, nulla ratione trucidauit, innumeros in exilium expulit, bonorum direptione mulctatos. Nec mirum; cùm ipse cæco tumore in tantam superbiam elatus sit, vt Dominum sese ac Deum vocari, scribi coliq; voluerit, teste Orosio, Sexto Aurel. Victore, Sulpitio & alijs. Tertius Traianus sæuiens, & immānas quotidie Martyrum iugulans cateruas, inter alios S. Ignatium Romæ in amphitheatro (locus adhuc extat signatus altari & sacello, quem sæpè magno animi sensu veneratus sū) leonibus obiecit. Quartus persecutor fuit M. Antoninus Verus, cuius quā acris fuerit persecutio, testantur literæ quæ à Gallis Lugdunensibus ac Viennensibus ad Asianos Phrygioſque fratres conscriptæ extant apud Euseb. libr. 5 histor. c. 1. Quintus fuit Seuerus. Sextus Maximinus, qui maximè in Clericos & sacerdotes, quasi fidelium magistros sæuijt, teste Euseb. l. 6. c. 20. Septimus fuit Decius, eiuſq; collega Valerianus, sub quo S. Laurentius in craticula triumphauit. De his audi S. Hieron. initio vitæ S. Pauli primi Eremitæ, qui hanc persecutionem fugiens secessit in eremum: *Sub Decio, ait, & Valeriano, quo tempore Cornelius Romæ & Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Aegyptum & Thebaidem Ecclesias tempestas sæua populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti: verùm hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora. Et vt ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait, Volentibus mori non permittebatur occidi.* Addit exempla: persecutionem in fide Martyrem, & interreculeos laminasque victorem iussit iudex melle perungi, & sub ardentissimo sole ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines antea superasset. In aliū meretricem immisit, qui vt voluptatem cruciatu superaret, linguam præmordens in eam expuit. Quid autem crudelius, quàm vt Catanæ in Sicilia tenellæ virgini Agathæ non modò in ecuteo laminæ candentes admouerentur, sed & mamilla amputaretur? Vnde iudex Quintianus meritò ab ea audiuit: *Crudelis tyranne non te pudet amputare in femina quod ipse in matre suxisti?* Iusto ergo Dei iudicio Decius in solo barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, vt nec eius potuerit cadauer inueniri; Valerianus verò à Sapore Persarum rege captus, ignominiosissima apud Persas seruitute consenuit, teste Euseb. l. 7. c. 9. Octauus fuit Aurelianus, qui acerbam contra Christianos persecutionem impio decreto suscitauit: nec multò pòst subita morte mulctatus est. Nonus fuit Diocletianus; Decimus Maximianus Herculeus, sub quibus tanta fuit rabies in fidelium, vt intra triginta dierum spatium octodecim millia hominum promiscui sexus, varijs modis & horrendis peremptа sint. Nos ipsi, ait Euseb. l. 8. c. 9. per Ægypti solitudines cùm iter ageremus, oculis nostris inspeximus, vt sedenti pro tribunalibus sæuissimo Præsidi offerrentur innumeri populi fidelium, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos capite plecti iubebat. Sponte omnes, imò & alter alterum præuenientes ceruices cædentibus obiectabant: defecerunt carnificum manus, & succedentes sibi inuicem fatigati sunt, hebetata est acies gladij. Videbam, ait, fessos residere carnifices, vires resumere, animos reparare, mutare gladios, diem quoque non sufficere ad pœnam. Hisce subseruierunt Maximinus, & Maxentius Maximiani filius, atque Licinius, qui Christianos iussit tradi lanionibus & eos porcorū more suspensos publicè, postea superpositos truncis ligneis per frusta concidi, & in partes diuidi, itaq; ad piscium pabulum in mare proijci imperauit. Plura vide apud Iohannem Lensæum Belliol Doct. Louan. egregio illo libello, quem de varijs generibus persecutionum edidit. Hoc sæculo quàm varia & horrenda ab Hugenottis supplicia passi sint Orthodoxi & Martyres in Anglia, Francia & Belgio, videre est in Theatro hæreticæ crudelitatis. Spectate hæc Christiani, & similia ambite, pudeat nō posse ferre verbera, imò verba asperiora. Patres vestri generosè tulerunt ignes, furcas, eculeos, leones, & quidquid sæuitia excogitare potuit. tulerunt & irriserunt, & vos morsum culicis exhorrescetis? Absit, absit, quin potiùs cum eis de patientia, de fortitudine concertate. Huc vos eadem fides speratæ æternitatis vocat, & classicum canit.

CIRCVIERVNT IN MELOTIS, IN PELLIBVS CAPRINIS]*Melota*, inquit D. Th. *est vestis facta de pilis caprarum. vel melius: taxus habet pellem hirsutam, de qua fit vestis hirsuta, quæ dicitur Melota.* Verū μῆλον græcè vocatur ouis, inde μηλωτὴ, *melota*, dicitur ouina pellis, aut potiùs exuuium, hoc est pellis corpori ouis detracta vnà cum lana. inde enim homines pauperes & rusticanos, quos necessitas cogit extra vrbes sub dio degere, vestes facere solere tradit Philo initio l. de Victim. Adde, melotem per catachresin cuiuslibet quadrupedis pellem significare. *Descriptio melotæ.*

Notat Paulus Eliam, qui 4. Reg. 1. *vir pilosus* dicitur, non tam à barba & coma, quàm a melote & veste pilosa & hirsuta: notat & Elisæum, alioſque Prophetas, quorum insigne fuit melotes, siue cilicium ex pelle hirsuta. Porro vsi sunt Prophetæ melote, quasi vili & aspero amictu, tū quia Achab, Antiochus & alij ad extremam paupertatem eos adigebant, vt homines & hominum solatia fugere, atq; in montibus & speluncis instar ferarum oberrare & latere cogerentur: tum quia hoc suo vili habitu volebant docere homines luxum vestium esse spernēdum, de quo multa hīc habet Chrysost. hom. 28. in morali: tum denique, vt hoc quasi cilicio & habitu pœnitētiæ, circumeuntes agros & opida, docerent populum, & ad pœnitentiam sanctamq́ viam excitarent & compungerent. Ita S. Iohannes Baptista prædicans vestitus erat cilicio è pilis camelorum cōfecto & zona pellinea cinctus: hinc & sancti Eremitæ olim melote sunt vsi. vide Cassian. l. 1. de Institut. monast. c. 8.

Elias & Elisæus cur vsi melotis.

S. Iohannes Baptista.

Citans hæc verba S. Bernard. tractat. de Vita solitaria: *Idcirco*, inquit, *patres nostri in Aegypto & Thebaide, sanctæ huius vitæ ardentissimi æmulatores in solitudinibus degentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: ipsi sibi cellas ædificabant, in quibus tecti tantummodò & circumsepti, à turbine & à pluuia tutabantur: in quibus eremiticæ frugalitatis delicijs affluentes, locupletabant multos, ipsi egentes. quos quo nomine dignius appellem nescio, homines cælestes, an angelos terrestres, degentes in terris, sed cōuersationem habentes in cælis. Laborabant manibus suis, & de labore suo pauperes pascebant, esurientes ipsi; de vastitate eremi vrbium carceres alebant; & infirmos, in quibuslibet necessitatibus positos sustentabant, viuentes de labore suo, & habitantes in labore manuum suarum. Quid ad hæc dicemus nos, non animales, sed animalia terrena: adhærentes terræ & sensibus carnis nostræ, in sensu carnis nostræ ambulantes & ex alienis manibus pendentes?*

EGENTES] ὑστερούμενοι, id est, destituti rebus necessarijs. Syrus vertit לְ֣נִיכִין *senikin*, id est, indigentes pane quotidiano. Talis fuit Elias fugiens Iezabelem, quem Deus pane per coruum submisso alere debuit. tales quoque fuerunt Iudæi fugientes & latitantes in persecutione Antiochi, 1. Machab. c. 1. & 2.

Elias à coruo sustentatus.

ANGVSTIATI] Huius rei exemplum fuit Elias, præ angustia persecutionis Iezabelis mortem exoptans, 3. Regum 19 4. Talis fuit & Dauid in persecutione Saulis, & Machabæi in persecutione Antiochi.

AFFLICTI] κακουχούμενοι, id est, malè habiti, malè tractati, & mulctati.

VERS. 38. QVIBVS DIGNVS NON ERAT MVNDVS] q. d. Hi viri sancti tantæ dignitatis erant, vt mundus eos habere non mereretur. ipsi enim suis apud Deū precibus vrbes & prouincias, imò mundum totum, ne à Deo diluuio rursus ob peccata obrueretur, conseruabant. vnde Eliæ cùm raperetur succlamauit Elisæus, *Pater mi* (tu es) *currus Israel & auriga eius.* Quare rectè Ruffinus prologo in Vitis Patr. ait: *Verè mundum quis dubitet meritis stare sanctorum?* Et tamen mundus (quæ eius est cæcitas) ijs cupit priuari, vt vel ista ratione declaret sese indignum esse, qui diutiùs talibus fruatur, vti scribit S. Dionys. ad S. Iohan. Euangelistam.

Quantum sit sanctorū

Secundò, *dignus*, id est æqualis pretij cum hisce Sanctis non erat mundus: q. d. Si non solùm terra, A cælum, omniaq́; in anima, sed etiam homines mali, totusque mundus conflaretur in vnum pondus & pretium; ne sic quidem iustum esset pretium cuiusuis ex isto agmine Sanctorum & heroum. ita Theophyl. Galenus & Ribera. Vide quanti pretij & meriti sint Sancti; ac consequenter quantum valeant eorum apud Deum preces & merita, quæ proinde implorare consultissimum est. Sed prior sensus vti simplicior, ita planior est & germanior.

pretium & meritum.

IN SOLITVDINIBVS ERRANTES, IN MONTIBVS, ET SPELVNCIS, ET IN CAVERNIS TERRÆ] Ita Dauid fugit Saulem, latuitque in spelunca Odollam, indein Ziph, inde in deserto Engaddi, 1. Reg. 22. & seqq. Ita centum Prophetæ occultati sunt, & gladio Iezabelis subducti per Abdiam 3. Reg. 18. 13. Ita in montes & speluncas Antiochum fugiens abdidit se Mathathias, alijque Iudæi, 1. Machab. 1. & 2. Machab. 6.

In spelunci latuere Dauid, centum Prophetæ, Mathathias.

Nota, Eliam, Elisæum & filios Prophetarū communiter in montibus versatos esse, ac præsertim Carmelum adamasse. versabantur enim vti animo in cælestibus, ita corpore in sublimibus, infima fastidientes; quod etiam in Christo licet obseruare: vnde Carmelitæ suum institutum in Carmelo cœpisse, ac rudi quodam modo ab Elia delineatū esse contēdunt. qua de re librum scripsit Iohannes 44. Episcopus Hierosolymorum (quisquis ille sit) qui extat to. 9. Bibliothecæ SS. Patrum.

Elias & Elisæus versati in montibus.

Carmelitarum parens Elias.

Ita & multò magis, post S. Paulum Christiani Romæ in persecutione Imperatorum Ethnicorum, habitabant in cauernis & speluncis, imò in sepulchris. Sanè miratus sum, & sacro horrore æquè ac commiseratione & deuotione perfusus, cùm iuxta Romam in S. Sebastiano vidi catacumbas, in quibus corpora SS. Petri & Pauli Apostolorum ad ducentos & ampliùs annos delituerunt: vbi Pontifices celebrabant, concionabantur, faciebant ordinationes in cathedra lapidea quam ibidem vidi. item cùm ibidem subterraneos specus longo spatio partim eundo, partim rependo, nunc ascendendo, nunc descendendo, nunc gyrando præeunte candela transgressus sum. Specus hi ad multa milliaria à Christianis excauari vsque ad mare procurrunt: plateas & diuerticula quaquauersum habent infinita instar labyrinthi (in quibus plures & se perdiderunt & perierunt; vnde iam iussu Pontificis obstructa sunt) vt videatur esse subterranea ciuitas, imò prouincia. Conspexi ibi passim in lateribus viarum loculamenta & sepulchra Martyrum, vel in terra, vel in rupe ita ordine gradatim excisa, vt singula caperent singula tantùm corpora, magna pro magnis, parua pro paruis. Vocatur hoc cœmeterium S. Calisti, in quo centum & septuaginta quatuor millia Martyrum & Virginum sepulta sunt. Virgines figura columbæ, Martyres figura palmæ sepulchro incisa denotantur. Numquam credidissem tātum fuisse laborē, afflictionem, constantiam & zelum primorum Christianorum hæc latibula effodiētium, adaptantium, sustentantium, ibiq́; instar talparum & ferarum habitantium, nisi oculis lustrassem. Porro hæc non tantùm fuisse mortuorum sepulchra, sed & viuorum perfugia ac domicilia, patet ex Actis SS. Martyrum; vti S. Cæciliæ, in quibus legimus Valerianum eius sponsum, missum ab ea ad S. Vrbanum Pontificem vt ab eo baptizaretur, ipsum inter sepulchra SS. Martyrum latitantem inuenisse. Idem passim de alijs legitur. Ita sancti & summi viri ac

Euseb. l. 6. Hist. Eccl. c. 31. f. 284. Præ-

Præsules Ecclesiæ, quibus dignus non erat mũdus, ipsa Solis luce brutis quoq; animantibus concessa priuabantur, atque in antris cauernis & terræ penetralibus inter mortuos degebant: nec tamen ibi erant tuti. Nam & in ipsis fuerunt subinde necati, vt de SS. Stephano & Xysto Pontificibus in eorum Actis legimus, quòd in hoc ipso Calisti cœmeterio gladio percussi & perempti sint. Ite nunc Christiani, marmorea tecta in cælum attollite, habitate inter aulæa purpurea & aurea: malim ego in humili rugurio, imò in cryptis cum sanctis Martyribus habitare, ibique ob spem beatæ resurrectionis delitescere ad modicum, vt cum eis cælestia & æterna Beatorum tabernacula ingredi ac possidere merear.

ers. 39. ET HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI, etiamsi heroës fuerint, & heroica fidei & sanctitatis opera ediderint, NON ACCEPERVNT REPROMISSIONEM]τὴν ἐπαγγελίαν, illam scilicet quæ antonomasticè dicitur repromissio, nimirum bonorum cælestium & consummatæ beatitudinis.

ers. 40. DEO PRO NOBIS MELIVS ALIQVID PROVIDENTE] *Melius*, id est, præstantius aliquid nobis, quàm priscis patribus prouidit Deus; hoc ipso quo disposuit, vt tempus beatitudinis & resurrectionis non foret apud illos in veteri, sed apud nos in nouo testamẽto. voluit enim Deus vt cælum nemini pateret, nisi Christus satisfaciens pro peccatis nostris, illud sua morte & ascensione reseraret: ac consequẽter voluit, vt cæli aditus & beatitudo reseruaretur tempori Christi & Christianorum, ideoque Sanctos illos priscos per tot annorum millia ab hac beatitudine suspendit.

Cæli aditus & beatitudo reseruata tempori Christi & Christianorum.

Addit hoc Apostolus vt aculeos nouos inijciat Hebræis, eosq; à Mose & Prophetis ad Christum, à veteri testamẽto ad nouum, quasi longè præstantius & felicius, vtpote, in quo per Christum consummatam gratiam & gloriam nanciscamur, traducat & transferat. Peruersè ergo Beza hoc loco censet, Sanctos ante Christum defunctos fuisse in cælo beatos antequã eò Christus ascenderet, Christum verò venientem tantùm aliquẽ gradum beatitudini illorum addidisse. Nam hîc disertè reijcit id Apostolus, aitq; de ijs v. 39. *Non acceperunt repromissionem.* Et c. 9. 8. vbi asserit ante Christum *nondum propalatam*, &, vt Beza vertit, *patefactam fuisse viam sanctorum*, id est in Sancta sanctorum, putà in cælum.

Error Tertulliani, Lactãtij & Victorini, quòd anima Sanctorum non videbũt Deum ante diẽ iudicij, & hæresis Vigilãtij & Caluini.

VT NON SINE NOBIS CONSVMMARENTVR] Ex hoc loco & ex Apocal. 6. 9. vbi iubentur animæ Martyrum quiescere sub altari, donec compleantur conserui eorum & fratres, qui interficiendi sunt; censuit Tertull. l. de Anima c. vlt. Lactantius l. 7. c. 21. & Victorinus in c. 6. Apocal. & nonnulli veteres, animas Sanctorum defunctorum non videre Deum, nec esse beatas ante diem iudicij. Sed hæc sententia iam est erronea, estque hæresis Vigilantij & Caluini damnata à Benedicto XI. extrauag. *Benedictus Deus.* vide Bellarm. tom. 1. controuers. 7. in princip. Quod ergo ad præsentem locum attinet, per *consummationem* aliqui intelligunt beatitudinẽ animæ, quæ consistit in Dei visione & fruitione. hanc enim Patres prisci non sunt adepti ante nos, id est, ante tempus nostrum, putà christianissimi & Christi, qui pretio persoluto cæli ianuam reseratuit, vt statim à morte eò auolare possit anima sancta. hæc enim beatitudo, animæ est consũmatio, id est, perfecta & consummata beatitudo, vnde Apostolus cap. 12. v. 23. spiritus iustorum perfectorum vocat animas beatas, quasi in sua beatitudine perfectas & consummatas.

Per cõsummationem intellige beatitudinẽ animæ vel corporis, secundùm aliquos.

Alij per *consummationem* intelligunt beatitudinẽ corporis, quam prisci patres non adipiscentur ante nos, id est, ante communẽ nostram resurrectionẽ, in die iudicij vniuersalis: hæc enim propriè est cõsummatio, id est, consummata beatitudo hominis, tam in anima, quàm in corpore. ita S. August. epist. 99. ad Euodium: quasi respiciat Apostolus ad id, quod dixit v. 35. *Non suscipientes redemptionem* (scilicet corporis sui à morte & tormentis) *vt meliorem inuenirent resurrectionem*; & quasi resurrectionem illam hîc vocet *consummationem*.

Chrysost. quid cẽseat in hac re.

Nec aliud vult Chrysost. cum suis hîc, cùm ait: *Ne aliquid pra nobis plus habere viderentur* (prisci Sancti) *si primi ante nos coronarentur, vnum definiuit tempus omnium coronarum, & qui ante tantos annos vicit, tecum accipiet coronam.* Et infrà: *Præuenerunt nos in certaminibus, sed non præueniunt in coronis; non iniuriam illis fecit, sed nos honorauit: nam & ipsi fratres nos libenter exspectant. Si enim vnum corpus sumus, maior ex hoc efficitur corporis iucunditas cùm simul & communiter coronatur, & non per partes.* Vbi manifestè loquitur Chrysost. non de beatitudine animæ, quæ cuiq; in particulari eius iudicio tribuitur, sed de beatitudine corporis, publicaq; Sanctorum coram toto mundo gloria & corona, quam omnes simul accipient in die iudicij: hæc enim erit corona solemnis & perfecta, eritque corona beatitudinis & æternitatis.

Per cõsummationem intellige beatitudinẽ in genere.

Verùm mihi verius videtur Apostolum per *consummationem* distinctè & propriè non intelligere beatitudinẽ animæ, nec beatitudinem corporis; neque *nè sine nobis* significare ante communẽ nostram resurrectionem, in die iudicij: sed Apostolum per *consummationem* intelligere beatitudinẽ in genere, non determinando hanc illámve beatitudinis speciem & partem (hæc enim beatitudo seipsa absolutè hominem perficit & consummat primò in anima, deinde quoq; in corpore) & *nè sine nobis*, idem esse quod ante nos, siue ante tempus noui testamenti: hoc enim nostrum tempus opponit Apostolus tempori illorum patrum, quod fuit veteris testamenti. q. d. Ante tempus noui testamẽti, quod est nostrum, nemini veterum Sanctorum, contigit *consummatio*, id est, beatitudo siue animæ, siue corporis; sed omnis beatitudo tam animæ, quàm corporis cuilibet illorum obuenit in nouo testamento, in quo & nobis eadem obuenit, atq; ita simul nos cum illis consummamur, id est, beamur & glorificamur. Hunc esse sensum patet, quia totius epistolæ scopus est, docere salutem & beatitudinem nemini per legem & vetus testamentum; sed omnibus per Euangelium & nouum testamẽtum, putà per Christum, obtingere. hinc dixit superiùs, legem neminem ad perfectum adduxisse, per legem non fieri consummationem; sed eam fieri per Christum, qui salutis & beatitudinis nobis est auctor: ideoque c. 9. fusè docuit Christum, cælum antea clausum suo sanguine nobis reserasse. ergo per *consummationem* hîc intelligit absolutè æternam salutem & beatitudinem, ingressumque in cælum.

Secundò, Apostolus quam hîc vocat *consummationem*, v. præc. vocauit *repromissionem*: atqui ibi per eam intellexit promissionem salutis & beatitudinis absolutè, non autem gloriæ corporis tantùm; hæc

Vide lib. 1. Var. Lect. Sam. Potth c. 6. p. 4.

hæc enim minima est pars promissionis & beatitudinis: ergo & eamdem hîc intelligit per *consummationem*.

Tertiò, si per *consummationem* intelligas gloriam corporis dandam in die iudicij vniuersalis, falsum erit, quòd omnes illi prisci patres, quos toto cap. recensuit, sine nobis non sint consummati aut consummandi; quod tamen asserit hîc Apostolus: nam certum est multa corpora Sanctorum (vtique illustrium veteris testamenti, ac consequenter illorum, quos hîc recensuit Apostolus) cum Christo resurrexisse, Matth. 27. 52. idque, vt valdè probabile est, ad vitam immortalem, & gloriam tam corporis quàm animæ: nos autem ad gloriam corporis resurgemus demum in die iudicij. ergo plerique Patres prisci hîc nominati, *sine nobis*, id est ante nos, iam consummati sunt, id est, resurrexerunt in corpore glorioso. Cùm enim Matthæus dicat multos resurrexisse, planè videtur consequi, plerosque ex ijs, quos hîc recensет Apostolus, resurrexisse; vt hoc non tam paucorum priuilegium, quàm commune principis Christi beneficium patribus hisce plerisque collatum censeri debeat. Cùm ergo de resurrectione corporum hæc sententia Apostoli non videatur vera; sequitur eam intelligendam in genere de beatitudine, quæ nemini ante nos, id est ante Christum & Christianos, qui sunt filij noui testamenti, obtigit. q d. Voluit Deus tempus consummationis, id est beatitudinis tam animæ quàm corporis, non esse veteris, sed noui testamenti; non per Mosen Iudæis, sed per Christum dari Christianis, ijsque qui olim in Christum venturũ crediderunt & sperarunt. quare eorum exemplo vos ô Hebræi, in Christum præsentem iam credite, in eiusque fide, spe & amore constanter perseuerate, itaque cum priscis patribus *consummationem*, id est salutem & beatitudinem, adipiscemini.

Multi Sanctorum veteris testamẽti resurrexerunt ad vitam immortalem in Christo.

Beatitudo non in veteri, sed nouo testamento.

Nota. Pro *consummarentur*, græcè est τελειωθῶσι, quod Secundò verti potest, consecrarentur, dedicarentur, & quasi inaugurarentur, scilicet cælo & cæleſti regno. vide dicta c. 2. 10.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Allatis capite præcedenti fidei exemplis, hoc capite insistit Apostolus, & per ea vrget Hebræos, vt in fide constantes sint, vtq; persecutiones, quasi disciplinam Dei paternam libenter excipiant.

Secundò, v. 16. exemplo Esau, qui vili esca vendidit sua primogenita, & reprobatus est, vrget Hebræos, ne ob lucra temporalia, vendant fidem & gratiam Christi, ideoq; reprobentur.

Tertiò, v. 18. ostendit, quantam lex noua data in Sion præstet veteri data in Sina, ac consequenter, quanto grauiùs puniendi sint Christiani, legem nouam, quàm Iudæi, veterem violantes.

Quartò, v. 26. pergit eos vrgere metu & minis, docens quòd Deus, cùm daret legem in Sina & Sion, cælum & terram commouerit, vt ostenderet se terribilem fore legis suæ vindicem, esseq; ignem consumentem.

1. Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: 2. aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. 3. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. 4. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes: 5. & obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. 6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. 7. In disciplina perseuerate. Tamquam filijs vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? 8. Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. 9. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? 10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. 11. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. 12. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, 13. & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. 14. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: 15. contemplantes nequis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. 16. Ne quis fornicator, aut profanus vt Esau: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua: 17. scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacry-

mis

mis inquisisset eam. 18. Non enim accessistis ad tractabilem montem,& accensibilem ignem,& turbinem,& caliginem, & procellam, 19. & tubæ sonum, & vocem verborum,quam qui audierunt,excusauerunt se,ne eis fieret verbum. 20. Non enim portabant quod dicebatur:Et si bestia tetigerit montem,lapidabitur. 21. Et ita terribile erat quod videbatur.Moses dixit:Exterritus sum,& tremebundus. 22. Sed accessistis ad Sion montem,& ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, 23. & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripsi sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, 24. & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel. 25. Videte ne recusetis loquentem.Si enim illi non effugerunt.recusantes eum,qui super terram loquebatur: multò magis nos, qui de cælis loquentem nobis auertimus. 26. cuius vox mouit terram tunc:nunc autem repromittit,dicens:Adhuc semel, & ego mouebo non solùm terram,sed & cælum. 27. Quod autem,Adhuc semel, dicit: declarat mobilium translationem tamquam factorum, vt maneant ea, quæ sunt immobilia. 28. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. 29. Etenim Deus noster ignis consumens est.

VERS. 1. ITAQVE ET NOS TANTAM HABENTES IMPOSITAM NVBEM TESTIVM] q.d. Cùm priscipatres, quos cap.præced.recensui, per fidem tam obscuram,tanta fecerint, tam inaudita sint perpessi, vitam deniq; profuderint,neq; tamen repromissum in cælis præmium illo statu adepti sint; multò magis nos, tot & tantis eorum exemplis excitati, per fidem, iam longè maiorem & clariorem debemus in fide & pietate Christiana constantes persistere & proficere, pro eaque bona & vitam, si opus sit, expendere; vtpote qui statim post mortem bona cælestia & vitam beatam in cælo consequemur.

IMPOSITAM]Legit Interpres ἐπικείμενον,idque aptè respondet nubi.iā Græca habent,περικείμενον, id est circumpositam, id est, vndiq: nos continentem & circumdantem. itaque legit Syrus, Chrysost.& Theoph.

NVBEM TESTIVM] Græcè est νέφος μαρτύρων, id est, nubem martyrum, siue testiū. *Martyr* enim græcè idem est, quod latinè testis.Testes ergo fidei vocat Martyres & patres iam nominatos, qui per fidem,& pro fide,vel dura sunt perpessi,vel heroica opera perfecerunt. illi enim suis operibus & passionibus testati sunt, quanta sit fidei certitudo & efficacia,quanta bona fides promittat, quamq; pro ea ardua omnia facere & pati debeamus.Rursum *testes* vocat hosce patres, q.d. Sedent iam in cælis, veluti Christi assessores, testesque fortiter agentium, vt pro eorum suffragijs palma donentur, quotquot ab eis palma digni iudicabuntur, inquit Galenus. Prior tamen sensus magis est ex mente Apostoli. Respicit enim patrum testimonia, scilicet insignia fidei opera, de quibus dixit cap.præced.

Testes duplicitèr dicuntur antiqui patres.

Nota. *nubem* vocat copiam testium, quæ instar densæ nubis in tentatione & afflictionis æstu, suo testimonio nos vndique circumstat, cingit.fouet, animat, corroborat & recreat. ita Chrysost. & Theoph.

Secundò, quia illorum doctrina & exemplo, quasi nube & imbre cælesti irrigati sumus, de quo Chrysost.hîc hom.28.

Addit Tertiò,Oecum.& S.Athanasius (quamquam hoc opus non videatur esse S.Athanasij,sed ex eo alijsque collectum esse,vt satis patet intuenti q.23) ad Antiochum, q.161.quia Sanctorum illorum precibus, quasi nube è cælo tegimur & iuuamur, quasi vox *nubes* notet patrocinium & intercessionem Sanctorū pro nobis;sed priores duo sensus magis sunt ex mente & scopo Apostoli.

Vix exemplorum quanta.

Moraliter Nota hîc, quanta sit vis exempli ad acuendam virtutem. Philolibro *quòd omnis probus est liber*, scribit,quòd Miltiades Athenienssium dux contra Persas plurimos pugnaturus, socios conuocarit, eisque gallos gallinaceos pertinacissimè de more inter se pugnantes ostenderit, ratus hoc spectaculum plus eos permoturum ad strenuè pugnandum, quàm exhortationem. Ita factum est. Socij enim cernentes gallos ad necem vsque pugnantes,alacriter & generosè correptis armis bellum hoc susceperunt, inque vulnera & mortes se coniecerunt.Si brutorum exempla id præstiterunt in Gentilibus, quid facient Sanctorum certamina in Christianis?

S.Gregor.in præfat.Moralium cap.10.vt stellæ, inquit,noctem,ita Sancti nos illuminant, & virtutum decorem ostendunt. *Ad ostendendam innocentiam venit Abel:ad docendam actionis munditiem venit Enoch: ad insinuandam longanimitatem spei & operis venit Noë ad manifestandam obedientiam venit Abraham: ad insinuandam laboris tolerantiam venit Iacob: ad ostendendam mansuetudinem venit Moses:ad ostendendam inter flagella patientiam venit Iob. Ecce quàm fulgentes in cælo stellas cernimus, vt inoffenso pede operis, iter nostræ noctis ambulemus. quot Deus iustos exhibuit, tot quasi astra super peccantium tenebras cælum misit.*

Qui vult euadere poëta,legit Virgilium; qui orator,Ciceronem;qui medicus, Galenum;qui philosophus,Aristotelem; qui vult esse sanctus, legat vitas & exempla Sanctorum: his astris mentem illuminet & accendat.

DEPONENTES OMNE PONDVS] *Pondus* vocat solicitudinem conseruandi & augendi suas opes; omnemque sarcinam terrestrium negotiorum & curarum, inquit Theoph.quæ nos in hoc cursu & agone Christiano(de quo sequitur)remorari,prægrauare, sistere & inhibere potest. est enim metaphora ab agonizantibus & stadiodromis, qui omni vestium rerumque suarum pondere depositò leues, expediti & agiles inibant agonem, & in stadio decurrebant.

ET CIRCVMSTANS NOS PECCATVM] Græcè est ὁ εὐπερίστατον, (malè enim in Regijs Biblijs legitur ἀπερίστατον, prorsus contrario sensu) ἀμαρτίαν,id est, facilè vel bene circumstans & circumcingens nos

nos peccatum. Multi per peccatum intelligunt concupiscentiam, quæ quasi sepes & murus nos cingit, nosque à cursu & agone fidei & virtutis remoratur, ac viam obstruit: cùm enim aliquid boni operis præsertim ardui facere cogitamus, mox exsurgit & circumsistit nos concupiscentia, vt reluctetur, opusque impediat. Persistit appositè Apostolus in cœpta cursorum metaphora. q.d. Vt rectè in stadio curras, non satis est pondera & sarcinas abijcere, sed necesse quoque est viam esse planam & expeditam. Si enim sepes aut murus interpositus sit, viam intercludet, & cursum inhibebit. Sepes nostra nos vallans & circumstans est concupiscentia, eaque; multiplex. Hæc ergo prosternenda & abijcienda est; conandumque; vt concupiscentias non foueamus, sed succidamus, minuamus & mortificemus: ita via ad omnem virtutem nobis erit plana & expedita.

Concupiscentia impedit bona opera.

Quintuplex sensus circumstantium nos peccati.

Secundò, S. Chrysost. & Theophyl. aiunt peccatum nos circumstare, id est, deijcere & vincere, quia facilè ab illo vincimur. E contrario S. Athanas. (siue auctor) ad Antiochum q. 163. ait peccatum dici εὐπερίστατον, quia non habet locum vbi consistat; sed facilè per pœnitentiam dissoluitur & euanescit.

Tertiò, Oecum. Erasm. Vatabl. & alij pro *circumstans* vertunt, tenaciter adhærescens peccatum, quasi Apostolus ollæ comparet nos & corpora nostra, peccatum verò adustioni (quæ hebraicè dicitur חֲלָאָה *chelata*) seu sordibus quæ corpori nostro pertinaciter adhærescunt, vt defricari nequeant, quin remaneant reliquiæ. Quasi alludat Apostolus ad illud Ezech. 24. 6. *Væ ciuitati sanguinum* (Hierosolymæ) *ollæ, cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de ea.*

Quartò, Syrus vertit מטיבא *metaieba*, id est peccatum quod omni tempore nos demergit & deprimit, quasi persistat Apostolus in metaphora ponderis: hoc enim degrauat & demergit. Huc pertinet expositio Maldonati in Notis manuscr. *circumstans*, ait, sicut vestis quam induimus nos ambiens. Voce induendi in Scriptura significatur intima coniunctio. q.d. Peccatum nos in stadio huius vitæ ad cælum currentes ita præpedit, sicut vestis ijs qui in agone decurrunt circumuoluta, impedimento esse solet.

Quintò, Theodor. & Galenus, Peccata, inquiunt, nos circumstant & cingunt instar gladiatorum, qui plures vnum adorti facilè eum deijciunt. Per peccata autem hæc Galenus intelligit non concupiscentias, sed extrinsecas tentationes, occasiones & pericula peccati, v.g. malos socios: peccata ergo hîc sunt peccatores, infideles & Iudæi, qui Hebræos à fide Christi moliebãtur abstrahere ad iudaismum. Hi enim propriè dicuntur circumsistere; & de his, similibus verbis dicit v. 4. *Nondum vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum* (id est, peccatores Iudæos, qui vos quasi antagonistæ circumsistunt, & ad peccatum apostasię solicitant) *repugnantes*. Hic sensus valdè appositus & litteralis est. Duo enim currentibus in stadio cauenda sunt; primum, ne quo onere grauẽtur; secundum, ne quo obstaculo in cursu impediantur. Obstacula autẽ peccatorum, quæ nos à cursu in cælum remorantur, sunt socij, aliæque; extrinsecæ tentationes, quas Apostolus hîc aptè opponit nubi testium nobis circumpositæ pariter & circumstãti. q.d. Aspicite ad exẽpla Sanctorum, quę vndique vos instar nubis circumdant, vt praua Iudæorum exempla & hortamenta, quæ vos à cursu vestro impediunt, discutiatis.

Duo cauenda currentibus in stadio.

PER PATIENTIAM CVRRAMVS AD PROPOSITVM NOBIS CERTAMEN] Præpositionem *ad*, legunt Romana: eam tamen omittunt Græca, Græci, Syrus, & multa Latina Biblia manuscripta, eaque; lectio videtur melior & verior. Sic enim habent Græca, δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα, id est, *per patientiam curramus propositum nobis agonem* siue *certamen*. q.d. Agon noster, certamẽ nostrum, non in digladiatione, non in diuerberatione, non in colluctatione, sed in re leui & facili, inquit Chrysost. putà cursu confistit, vt nimirum cursu certemus, & agonem nostrum decurramus. Vnde & Vatabl. vertit, *per tolerantiam curramus in propositio nobis certamine.*

Certamen nostrum in cursu consistit.

Nota *curramus*, id est, currere pergamus. Cœperant enim Hebræi iampridem currere hunc agonem. *curramus* ergo significat actum non inchoatum, sed continuatum, iuxta can. 32. Vnde ad eum requirit Apostolus non feruorem, sed patientiam & tolerantiam: hæc enim est quæ facit nos pergere & persęuerare in hoc agone. ita Theophylactus.

Secundò, *agonem* vocat vel metonymicè ipsum stadium, in quo agonizantes cursu certabant, q.d. Decurramus stadium nostrum. Vel propriè ipsum certamẽ cursus, in stadio. Sicut enim dicimur certare certamen, ita dicimur & currere certamen, id est, currendo certare, vt brauium assequamur. sic enim elegãter & significanter dicimur agonẽ nostrum decurrere, cùm eum ritè currendo peragimus. q.d. Vos ô Hebræi estis agonizantes & stadiodromi, stadium vestrum, agon vester est certamen pro fide Christi; bene in hoc stadio decurrere cœpistis, pergite patienter, & fortiter persęuerate in hoc agone & cursu, licet aspero & difficili; currendum enim vobis est per exilia, per bonorum rapinam, per medios hostes; ita fiet vt cæleste præmium rite currẽtibus propositum assequamini. Induite ergo patientiam, hæc vobis erit thorax impenetrabilis, quo omnia hostium tela elidatis: hac armati alacres & inuiolabiles in media persecutionum omnium certamina irruetis. Si quis tamen cum nonnullis legat præpositionem *ad*, hoc modo, *per patientiam curramus ad propositum nobis certamẽ*; commodè sic exponet, *per patientiam*, id est patiẽter & constanter, *curramus*, id est currere pergamus, ad stadium & agonem hunc fidei, quo cum Iudæis decertamus & decurrimus ad brauium cælestis coronæ. Subinde enim hîc agon intermissus repetẽdus erat Hebræis. Cessante enim persecutione cessabat agon, recrudescẽte persecutione recrudescebat agon, ad quem more suo fortiter & constanter obeundum pergere & procurrere identidem debebant Hebræi.

Patientia thorax impenetrabilis.

VERS. 2.

ASPICIENTES IN AVCTOREM FIDEI ET CONSVMMATOREM IESVM] tamquam certaminis & cursus vestri metam, terminum, & præmium: vel potiùs tamquam ad absolutissimum exemplar certaminis & cursus vestri. Alludit enim Paulus, vt notat Chrysostomus, ad pictores, qui vt ex prototypo paragogum, ex exemplari imaginem exprimant, prototypum ipsum siue exemplar sæpè intuentur & respiciunt. q.d. Proposui vobis, ô Hebræi, cap. præced. tot Sanctorum exempla; nunc ipsum

Prototypus patientiæ Christus.

ipsum exemplar fidei & patientiæ, scilicet Christum crucifixum, vobis propono, vt in illud assiduè intuentes, eius patientiam & constantiam in vobis exprimere & imitari studeatis. Pulchrè & pathetice S. August. de Catech. rud. *Omnia bona terrena contempsit Christus, vt contemnenda esse monstraret: omnia terrena mala sustinuit toto vitæ mortalis tempore, quæ sustinenda præcipiebat, vt neque illius quæreretur felicitas, neque in illis infelicitas timeretur. Natus enim de matre quæ semper virgo permansit, fabro tamen desponsata, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus in Bethleem, quæ inter omnes Iudææ ciuitates exigua erat; noluit quemquam de ciuitatis quam terrenæ ciuitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cuius sunt omnia; ne quisquam eum in eum crederet, de terrenis diuitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitate ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separauerat; quamuis sempiternum eius regnum vniuersa creatura testetur. Esuriuit, qui omnes pascit: sitiuit sitientium fons: fatigatus est itinere terrestri, qui seipsum nobis viam fecit in cælum: velut obmutuit, & obsurduit coram conuitiantibus: vinctus est, flagellatus est, crucifixus est, mortuus est: sed & resurrexit numquam moriturus; ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere quasi numquam futurus*, &c.

Nota. Pro *auctorem*, græcè est ἀρχηγὸν, quod non tantùm inceptorem, sed & ducem auctoremque significat: pro *consummatorem* græcè est τελειωτὴν, quod tum finitorem, tum perfectorem & coronatorem significat. q.d. Christus est principium & finis, dux & coronator fidei.

In Christo non fuit fides.

Nota Secundò Christus non dicitur *inceptor & auctor fidei*, quasi in Christo fuerit fides siue habitus vel actus fidei: hic enim est obscurus, eumque elidebat in Christo clara visio beatifica & scientia infusa. Christus ergo non habuit fidem, sed qua viator habuit scientiam infusam, qua comprehensor habuit visionem Dei, quæ omnes Christi actiones beatificas, sicut scientia infusa omnes alias Christi actiones tam naturales, quàm supernaturales & meritorias dirigebat. Quare non rectè Vatablus *Christum auctorem & consummatorẽ fidei* dici putat, quòd Christus multa sit passus, & vitam æternam sit consecutus, eò quòd credidit Deum esse veracem, & promissorum seruantẽ. Hoc enim fide non credidit, sed sua scientia & visione clarè vidit Christus. Rursum vitam æternã, id est beatitudinem animæ, non meruit Christus, sed ante omne meritũ eam adeptus est primo instanti conceptionis suæ, tamquam debitã vnioni hypostaticæ, qua Verbo copulabatur. Hæc tamen expositio verum habere potest sensum. Pro quo

Christus non meruit beatitudinem, sed ante meritũ eam adeptus est.

Christus auctor fidei in se & in nobis.

Nota Tertiò. Christus est *inceptor*, siue *auctor & consummator fidei*, tum in se, tũ in nobis. In se, quia Christus per scientiam infusam, tamquam per fidem suam credidit futura bona, certoq; sibi persuasit res sperandas & non apparentes, quarum fides est substantia & argumentum, easq; ipse primus in mundo clarè tum verbo, tum exemplo suo docuit, vtpote qui pro hac fide, tota vita sua laborarit, prædicarit, & tandem acerbissimam crucem constanter sit passus. Sic Abraham dicitur pater fidei & fideliũ, quia ipse insigni sua fide aliis omnibus illustre credendi exemplum dedit. Rursum, Christus est *consummator fidei*, quia primus cursum fidei feliciter consummauit, reliquas speratas perfectè & consummatè adeptus est, putà gloriam corporis, & nominis sui famam, hominumque salutem, quæ sibi promiserat Deus, quæque Christus credidit infallibiliter per hanc passionẽ suam sibi obuentura. Hoc enim sensu Christus, quasi fidei dux, victor & triumphator nobis præiuit. Hicque videtur esse genuinus huius loci intellectus; tum quia Christus hîc nobis fidei, quasi belli fidei causa susceptæ dux & confector victorq; proponitur; tum quia ita se explicat Apostolus, dum subdit, *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucẽ*; en Christũ auctorem fidei. *atque in dextera sedis Dei sedet*; en Christum consummatorem & triumphatorem.

Christus inceptor & consummator fidei in nobis.

Secundò, Christus non tantùm in se, sed etiam in nobis est *auctor & consummator fidei*. Pro quo Aduerte, id quod annotauit Ribera: fides hîc tam obiectum fidei, siue id quod fide credimus, quàm actum & habitum fidei, quo credimus, significat. Christus ergo est *fidei auctor*, tum quia primus ipse obiectum, siue articulos fidei, quos credere debemus, nobis docuit; tum quia sua gratia in nobis actũ & habitum fidei inchoat & producit. est enim fides gratiæ & donum Christi. Rursum Christus est *consummator fidei*, tum quia ea quæ hîc credenda docuit, postea in cælo videnda exhibebit, tum quia actum fidei mutat in visionem. visio enim fidei est perfectio & consummatio.

Addit Tertiò Vasquez, quia tribuit opportunitatem, vt bonum quod per fidem & gratiam eius animo concepimus, opere exequamur.

Triplex lectio.

QVI PROPOSITO SIBI GAVDIO SVSTINVIT CRVCEM, CONFVSIONE CONTEMPTA. Est hîc triplex lectio. Prima, *proposito sibi gaudio*. ita legunt Romana. Secunda, *pro proposito sibi gaudio*. ita legunt Biblia Regia. Tertia, *pro proposito sibi gaudio*. ita legendum vult Ribera. q.d. Paulus: Christus, *pro gaudio*, id est, præ gaudio, loco & vice gaudij sibi propositi maluit & elegit crucem. Cùm enim liberum esset Christo manere in propria gloria & diuinitate; maluit tamen pro nobis fieri homo & crucifigi. Rursum Christus homo factus, & assumens corpus, cùm posset statim gloriam & beatitudinem animæ suæ in corpus deriuare, illudque immortalitate & gaudio implere; noluit tamen id facere, sed maluit crucem corpore suo excipere. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen.

Christus pro gaudio & gloria elegit crucem.

Addit Rupertus, Patrem æternum Christo in primo incarnationis suę instãti proposuisse optionem gaudij & crucis; ita vt, si vellet Christus, posset gaudens, delicians & triumphans salutem afferre mundo: Christum verò præ gaudio hoc sibi proposito amplexum esse crucem. Per eam enim voluit ex iustitia satisfacere Deo Patri pro peccatis nostris; atque mereri, non autem gratis habere, tum gloriam nominis & corporis sui, tum salutem nostram. Sed hæc non satis consentiunt cum æterno decreto, quo Deus decreuit Christum pati & crucifigi; nisi dicas decretum illud præsupposuisse liberam Christi electionem à Deo præuisam, non absolutè, sed conditionatè. Præuidebat enim Deus, quòd si Christo homini incarnato optionem gaudij & crucis proponeret, indicans gratius sibi fore, si Christus eligeret crucem potiùs quàm gaudium, & ad hanc electionem congrua & efficaci gratia eum incitaret & impelleret, Christum liberè electurum fore crucem præ gaudio. Hac præscientia posita absolutè decreuit Deus ab æterno, Christum pati & crucifigi, & in tempore gratiam congruam iam dictam

Christo exhibere, qua Christus decreto Dei sponte se subderet, libereque eligeret crucem præ gaudio. Sic enim nihil decedit auctoritati & certitudini decreti diuini, & alia ex parte multum accedit laudis, meriti & virtutis Christo: denique ita commendatur suauitas simul & efficacia diuinæ prouidentiæ.

Verùm quia Romana, & omnia alia passim exemplaria Latina habent, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*; *pro proposito*, videtur significare gaudium hoc Christo fuisse propositum, quasi præmium crucis, illudque significat Græcum ἀντὶ, vt patet inferiùs v. 16. vbi ait Esau, ἀντὶ βρώσεως, id est, propter escam vendidisse sua primogenita. Primogenitorum ergo pretium instar præmij apud Esau erat esca. Simili enim modo potuisset ibi vertere interpres dicendo, Esau proposita sibi esca vendidit sua primogenita. Sic vulgò dicimus: Miles proposita sibi victoria, id est, propter victoriam quam sibi quasi præmium proponit, acerrimè dimicat; agricola proposita sibi diurna mercede, id est, propter diurnam mercedem quam sibi proponit, strenuè laborat. Ita & hîc de Christo ait Paulus, quòd *proposito sibi gaudio*, id est, propter gaudium sibi propositum, sustinuit crucem. q.d. Christus sustinuit crucem, vt mereretur & assequeretur gaudium, quod Pater ipsi proposuit, tum per se, tum per angelum, qui Christum in agonia constitutum in horto confortauit, Lucæ 22.43. (eò enim alludit hîc Paulus.) hic namque angelus Christo in parte inferiori, quæ à parte superiori derelicta erat, & exposita dolori & passioni, non interiùs in phantasia, sed exteriùs voce corporali proponebat gaudium ex cruce secuturum, putà resurrectionem & gloriam corporis, æquè ac nominis sui, ac salutem hominum, qui Christum quasi redemptorem agnoscerent, colerent & adorarent, illi templa erigerent, sacerdotes instituerent, Christiq; nomen toto orbe prædicarent & celebrarent; ideoque Christus propter hoc gaudium sibi propositum, amplexus est ignominiam & confusionem crucis. Perperam ergo Melchior Canus libr. 12. de Locis c. 14. hoc gaudium interpretatur delectationem manantem ex visione Dei, quam ipse in passione Christi à Deo suspensam fuisse, & à Christo promeritam putat, de quo alibi dicendum est. Melius Theodor. *Christus*, ait, *gaudium suum vocat animarum salutem*: hoc enim verum, sed partiale fuit Christi gaudium, non formale, sed obiectiuum.

Christus sustinuit crucem præ gaudio & gloria, vt mercede.

Hic sensus vti simplicior est & planior, ita germanior quoque est & significantior priori. Sic Christi exemplo, omnes sancti Apostoli, Martyres, Virgines proposito sibi gaudio sustinuerunt crucem. Audi S. Vincentium tyrannũ Dacianum eiusque tormenta irridentem: *Has epulas* (tormenta quæ mihi infligis) *ego semper desideraui, numquam aliquis adeò bene seruiuit mihi sicut tu.* Nemo enim patientem lædit, sed ditat & coronat: quidquid enim quis illi aufert boni, vel mali infert, hoc eidem centupliciter in cælestibus thesauris reponit. Hæc est ergo sapientia patientium & gloria, vt dicat: Amore Dei & cæli, siti potor, fame pascor, paupertate locupletor, mortem calco, vbique diuesum & inclyta, vbique abundans.

ATQVE IN DEXTERA SEDIS (throni) DEI SEDET] Syra & Græca habent ἐκάθισεν, id est sedit, siue consedit in præterito: sed, vt fatetur ipse Erasmus, præteritum hîc, vti & alibi sæpè, pro præsenti capitur. q.d. Videte, ô Hebræi, quàm Christus fidei dux per suam patientiam & constantiã, qua pro fide cõfusionem & crucem sustinuit, iam sit exaltatus, vt ad dexterã Dei in omni gloria & honore sedeat. Idem vobis eueniet, si in hoc fidei & patientiæ stadio ad finem vsque constanter decucurreritis: sedebitis enim cum Christo duce & capite vestro, atque quasi Christi assessores & iudices orbis, iudicabitis non tantùm duodecim tribus Israel, sed etiam omnes tribus terræ. *Potestas iudiciaria cõmunicanda patientibus.*

VERS. 3. RECOGITATE ENIM EVM, QVI TALEM SVSTINVIT A PECCATORIBVS ADVERSVM SEMETIPSVM CONTRADICTIONEM] Pro *enim*, in Græco aliqui legunt δὲ, alij cum Syro legunt δὴ, id est itaque.

Secundò, pro *recogitate*, græcè est ἀναλογίσασθε, id est, seriò cogitate, considerate, expendite.

Tertiò, per *contradictionem* synecdochicè & metonymicè intelligit non tantùm omnia probra, irrisiones, contumelias, sed etiam plagas, verba, tormenta, & mortem Christo à peccatoribus, id est impiis Iudæis, illata. Iudæi enim non tantùm verbis, sed & factis atque verberibus contradixerunt Christo, eumque impugnarunt & persecuti sunt. ita Chrysost. *Cõtradictio in verbis & factis.*

Quartò, emphasim habet vox, *talem*, id est, tam acrem, tam hostilem, tam infamem, tam horrendam, scilicet, vsque ad mortem crucis, vt quasi latro cum latronibus suspenderetur, & clauis affigeretur in cruce. Quem ergo militum fidelium ad se sequendum non moueat Christus Imperator? *qui*, vt ait S. Chrysost. serm. 6. de feria 5. Passion. tom. 3. sub finem. *non equidem glorioſus, indutus purpura, diademate decorus, aſperſus auro, ſolio ſublimis; ſed in campum egrediens, connitens vultu, & honore vltimus, periculis primus, onuſtus ferro, grauis armis, pro patria, pro ciuibus, pro liberis, pro vita omnium premit hoſtem, diſcrimina deſpicit, contemnit vulnera, ipſam libens mortem ſuorum ſuſcipit ad ſalutem? Sic enim Chriſtus de ſinu Patris ad noſtram venit ſeruitutem, vt nos ſua redderet libertati; mortem noſtram ſuſcepit, vt nos eius morte viueremus*, &c. Lucanus lib. 9. Catonem, militibus per Africæ deserta armis verbisque præeuntem, ita describit:

Primus arenas
Ingrediar, primuſque gradus in puluere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat ſerpens, fatoque pericula veſtra
Pretentate meo, &c. *nullo diſcrimine notum,*
Dux, an miles eam.

Longè verius hæc à Christo duce sibi dici censeat miles fidelis; nec tam dici, quàm re ipsa agi: nisi quòd Christus ita eat vt miles, vt & præeat per omnia aspera quasi dux, idque omnibus notum.

VT NE FATIGEMINI, ANIMIS VESTRIS DEFICIENTES] Id est, ne fatigatione victi cadatis, & in medio cursu desistatis & fatiscatis, *animis vestris deficientes*, græcè ἐκλυόμενοι, id est dissoluti, vti scilicet soluatur vigor & fortitudo animorum vestrorum, fiatisque languidi, enerues, pusillanimes, itaq; cedatis Iudæis, & ad iudaismum redeatis. q.d. Hucusque constantes in fide perstitistis, magno labore magna præmia vobis comparastis, nolite præteriti laboris iacturam facere; quin potiùs durate in malis, & propter superatos agones pollicemini vobis futurorum victoriam. Sic legimus de Clemente Ancyrano, Athanasio, & aliis, quòd frequentium victoriarum sibi conscij, prom- *Frequenter victores promptiores ad noua certamina.*

promptiores ad noua semper redibãt certamina. A

VERS. 4. NONDVM ENIM VSQVE AD SANGVINEM RESTITISTIS, ADVERSVS PECCATVM REPVGNANTES] Vox *enim* non est in Græco, sed intelligitur, magnamque habet emphasim & efficaciam. q.d. Recogitate Christi crucem & mortem: ita fiet, vt vsque ad crucem & mortem Iudæis & peccato apostasiæ, ad quod ipsi vos solicitant, resistatis. Licet enim restiteritis vsque ad amissionem bonorum vestrorum, vt dixi c. 10. v. 34. tamen nondum vsque ad sanguinẽ restitistis. Cogitate sanguinem, quem Christus in cruce pro vobis effudit, itaque roborate vos, vt pariter pro Christo, non tantùm bona, sed & sanguinem vitamque profundere cupiatis, dicatisque cum herminio, *Malo mori quàm inquinari peccato.*

Peccato, vt antagonistæ nostro, fortiter resistendum.

Nota. Pro *repugnantes*, græcè est ἀντιαγωνιζόμενοι, id est, decertantes instar athletæ, qui cum B suo antagonista in agone omnibus neruis & viribus concertat, vt eum superet & supplantet. Ita nos peccato, quasi antagonistæ nostro resistere oportet, vt quasi generosi Christi athletæ & milites certi simus & resoluti in hoc agone fortiter aut vincere aut mori. Nam hæc ipsa mors atque martyrium est victoria nostra.

Nota hæc, Christiane, qui ob socios, ob irrisiones, ob voluptatem, ob lucellum aliquod, consentis peccato. Vide, quàm longè absis à virtute & constantia Christi & Sanctorum: illi ad sanguinem peccato restiterunt; pudeat te si non ad verbera, certè ad verba, scommata, contumelias saltem non obdurescere & resistere peccato. Audi Sanctorum ἄσπονδον πόλεμον, irreconciliabile scilicet bellum contra peccatum, audi & imitare. C Eudoxia Arcadij vxor dira minabatur S. Chrysostomo: responsum est ei à suis, *Frustra illum terres, Chrysostomus nil nisi peccatum timet.* Theodosio Imp. adulabatur Ruffinus, dicebatque se curaturum vt Ambrosius vincula ei iniecta sponte laxaret. Cui Theodosius: *Noui ego constantiam Ambrosii, & quòd nullo regiæ maiestatis terrore, legem diuinam transgredietur.* S. Ludouicus edoctus à matre Blanca prorsus infixum gerebat in pectore, malle se mori quàm peccare. S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus ait, *Malo insilire in rogum ardentem, quàm peccatum vllum sciens admittere in Deum meum.* S. Anselmus, *Si hinc*, ait, *peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò vni eorum immergi deberem, priùs infernum quàm peccatum appeterem.* Et lib. de Beatitud. cap. 19. *Mallem*, inquit, *purus à peccato gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cælorum regna tenere.* Eleazarus 2. D Machab. 6. ait, malle se præmitti in infernum, quàm legem Dei transgredi. Vide quid dixerint & egerint septem fratres Machabæi, 2. Machab. 7. Denique Apostolus Rom. 8. *Quis*, ait, *nos separabit à charitate Christi? certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c.

Viderunt eminus illud idem Gentiles. Vnde Seneca, *Licet*, inquit, *scirem homines ignoraturos, & Deum ignoscisturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.* Est enim peccatum summum naturæ mundique malum, adeò vt nec homo, nec dæmon, nec Deus ipse, tantum mali inferre possit homini, quantum homo sibiipsi infert, dum peccat. Illi enim tantùm inferre possunt malum pœnæ, quod malo culpæ siue peccato longè minus est. Rectè ergo Chrysost. *Quid est*, ait, *peccatum?*

Peccatum est spontanea insania.

Est voluntarius dæmon, & spontanea insania. VERS. 5.

ET OBLITI ESTIS CONSOLATIONIS, QVÆ VOBIS TAMQVAM FILIIS LOQVITVR, DICENS: FILI MI NOLI NEGLIGERE DISCIPLINAM DOMINI] Carpit modestè Hebræorum desidiam, q.d. Non restitistis peccato vsque ad sanguinem, imò obliti estis exhortationis & consolationis (vtrumque enim significat Græcum παράκλησις) qua Deus (vt ait Scriptura) nos quasi filios suos afflictionum disciplina castigat & erudit.

Nota. Remittit tacitè Hebræos Apostolus in persecutione ad Scripturas, vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeant, animosque acuant, vti fecerunt Machabæi, 1. Machab. 12. v. 9. Ex neglectu enim lectionis sacræ Scripturæ, & prædicationis verbi Dei succrescit in homine tepor & torpor, vt langueat in fide & pietate, facileq; exorta tentatione fidem abneget.

Lectio sacra Scripturæ vtilis Christiano.

Nota Secundò. Citat Apostolus Prouerb. c. 3. v. 11. iuxta LXX. vbi sic habent: *Fili mi, nolis negligere* (græcè μὴ ὀλιγώρει, id est, ne parui æstimes, quasi paruum, cùm reuera magnum sit donum Dei) *disciplinam Domini. Disciplinam* vocat castigationem; vnde explicans subdit v. 6. *Quem enim diligit Dominus, castigat.* Pro *disciplina*, hebraicè est מוּסָר *musar*, id est disciplina, correctio, increpatio, castigatio, qua homines, præsertim pueri, primis annis per doctrinam, minas, virgas, aliasque pœnas, per disciplinam & leges, quibus coërcentur & constringuntur, arcentur à peccatis, & assuefiunt bonæ & honestæ vitæ; estque seuerior institutio primæ ætatis, ad leuitatem & lasciuiam eius edomandam, quæ Græcis παιδεία dicitur. Vnde Xenophon primam institutionem Cyri Pædiam Cyri inscripsit. Talis est omnis castigatio & disciplina, quam Deus hominibus immittit, aut immitti permittit. Deus enim castigat ad hoc tantùm, vt doceat nos recta virtutis via incedere, qua terrena contemnẽtes quæramus spiritualia & cælestia.

Institutio primæ ætatis cur debeat esse seuerior.

Hinc Nota Tertiò. Omnes afflictiones, v.g. expilationes bonorum, ab Hebræis fidei causa susceptæ, omniaque tormenta Martyrum sunt *musar*, id est castigatio & disciplina Dei, non immittentis, sed permittentis ea; partim ad hoc, vt per ea puniantur peccata, etiamsi leuia, quæ fideles & Martyres quandoque admiserunt. Ita Machabæi omnem illam Antiochi persecutionem, omniaque tormenta, quibus ab eo cruciabantur, suis peccatis ascribunt, 2. Machab. 6. v. 13. & c. 7. v. 32. Est enim, vt ait Cyprian. ad Martyres, valdè consultum & pium malis meritis tribuere, quod pateris, etiamsi causa fidei idipsum patiaris. Partim ad hoc, vt per ea discant fideles patientiam, charitatem, continentiam, martyrium, aliasque virtutes. Omnem enim concupiscentiam elidit & absumit afflictio, docetque omnem virtutem.

Afflictio cõcupiscentiæ domitrix, magistra virtutum.

NEQVE FATIGERIS (μηδὲ ὀλιγοῦ, id est, ne dissoluaris, deficias, fatiscas animo) CVM AB EO ARGVERIS] id est, cùm corrigeris siue verbis, siue verberibus; cùm affligeris & flagellaris. Nam hebraicè est בְּהוֹכֲחוֹ *betochachto*, id est, in correptione, obiurgatione & castigatione eius; patet ex seq. Sic psal. 6. dicitur, *Domine ne in furore tuo arguas*, id est, punias & affligas, *me.* & 2. Reg. 7 14. *Si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* Ferè persuadent sibi homines rebus aduersis nihil aliud fieri, quàm se torqueri, vexari & affligi: at Scriptura docet nos iis fingi,

Rebus aduersis Deus nos fingit & erudit.

fingi, erudiri & perfici, vt non solùm euadamus filij Dei, sed & sancti, illustres & perfecti, adeoque Martyres. Cuius rei ratio mox in Apostolo patebit.

VERS. 6. QVEM ENIM DILIGIT DOMINVS, CASTIGAT] perinde vt pater castigat & corripit mores inconditos filij sui: si enim eos non castiget, signum est desperatam esse filij emendationem, filiumque à patre negligi & contemni.

FLAGELLAT AVTEM OMNEM FILIVM QVEM RECIPIT] Citat Prouerb. 3. v. 11. vbi in Hebræo sic habetur כְּאָב אֶת בֵּן יִרְצֶה, *keab et ben iirtsé*, quod noster Interpres ibidem vertit, *& quasi pater in filio complacet sibi*: LXX. verò quos sequitur Paulus hic, vertunt, *flagellat autem omnem filium quem recipit*. Diuersitas hæc versionum orta est ex verbo Hebræo כאב, quod si legatur cum sceua & camets, *keab*, significabit, *& tamquam pater*. ita legit Noster Prouerb. 3. 11. Sin verò legatur cum chiric & tsere *kieb*, in Piel, significabit, delere facit, affligit, flagellat. ita legerunt LXX. & ex iis Paulus. Vnde patet rursum, hîc non tantùm duplicem esse versionem canonicam ab Ecclesia probatam, sed etiam duplicem esse lectionem in Hebræo, scilicet *keab* & *kieb*. Vtroque enim modo legi potest כאב, si sine punctis scribatur. Simile exemplum vidimus cap. 11. v. 21.

Deus nos castigat, vt pater filios.

Nota. Sicut pater flagellat filium, non vt cruciet, eiusque cruciatu se pascit, sed vt erudiat, & lasciuos mores ipsius castiget & emendet: ita pariter flagellat Deus suos filios, vt castiget eorum vitia, eosque ad omnem virtutē instruat, non autem quòd eorum castigatione & plagis delectetur.

Nota Secundò, *filium quem recipit*, id est, quem in filium admittit, quem in suam disciplinam & paternam curā suscipit, quem suæ familiæ asscribit, &, vt Noster vertit Prouerb. 3. *in quo sibi complacet*, siue quem vnicè diligit, & cui optimè vult. Hoc enim significat Hebræum *iirtsé*. q. d. Castigatio, qua Deus suos, v.g. vos, ô Hebræi, per Iudæos affligit & castigat, index est & argumentum paterni & singularis Dei amoris in vos, vtpote, qui hac afflictione vos perinde, vt pater filium, pædagogus discipulum, efformat & erudit ad omnem patientiam, contemptum opum terrenarum, & amorem cælestium. Ita B. Virginem, Paulum, Apostolos omnesque Sanctos præcellentes, & sibi maximè charos multis afflictionibus castigauit, erudiuit, expoliuit, atque in omni gratia & gloria perfecit Deus.

Pulchrè S. Bernard. serm. 10. de cœna Domini: *Vinitor*, inquit, *circa vineam fodit, & vsque ad eius inferiorem radicem terram acuto ligone perfodit: & si radiculas aliquas etiam emiserit, cultello putationis abscindit. Et quanto magis huiusmodi vana, & minùs vtilia vitis amittit, frugiferior & vberior ad fructificandum assurgit. Sic quem diligit, flagellat & percutit: flagellat enim omnem filium quem recipit. Illorū est enim hîc flagella percipere, quibus datur de æternitate gaudere. Sed qui de passione murmurat, ad ipsum qui super ipsam est non appropinquat, imò hereditatem supernæ felicitatis amittit, si flagellum Dei patris patienter & cum amore non suscipit. Et si de flagello Domini murmurat, certus sit quia murmurantium pœnam incurrit.*

VERS. 7. IN DISCIPLINA PERSEVERATE] qua scilicet Deus vos per Iudæos contribules vestros exercet & exagitat exiliis & proscriptionibus, vti iam dixi.

Nota. Noster interpres legit εἰς παιδείαν, id est, A *in disciplina*; ita quoque legit Syrus & Chrysost. vt patet ex eius explicatione. Iam verò Græca habent, *εἰ παιδείαν*, id est, si disciplinam sustinetis, tamquam filiis vobis offert se Deus. & ita legit Theophyl. & Oecumen.

Refert Laërtius Diogenem Cynicum profectum Athenas ad Antisthenem, vt ab eo doceretur, se contulisse, cumque ab eo sæpè repelleretur, non destitisse tamen ei adhærere: adeò vt, cùm aliquando baculum ei intentaret Antisthenes, vltro baculo caput subiecerit, dicens: *Cede si vis, at nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid docueris*. Si Diogenes ita Antisthenis, quomodo Christianus Christi disciplinam ambire & persequi debet.

Audiat ergo virtutis & perfectionis, non Cy- *Disciplina ducens ad perfectionē.*
B nicæ, sed Christianæ & religiosæ auidus, insignem eius magistrum B. Iohannem Climachum: *Si vis virtutis apicem conscendere, ducem ac magistrum quære, cuius natura asperior & grauior, sub quo perseuerās, ingerat obiurgationes & irrisiones quotidie, vt mel & lac bibe. Is qui ad placidissimam animi quietem, & ad Deum currit, omni die quo maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitretur. Sicut enim arbores quæ à ventis agitantur, altioribus semper radicibus nituntur: ita & qui in obedientia degunt, eaq; varie exercentur, validas & inconcussas animas possident. Beatus, qui propter Deum quotidie maledictis & conuitijs lacessitus, sibi vim fecerit. Hic enim cum Martyribus triumphabit, angelisq; par erit in gloria. Beatus asceta, qui se omni ignominia, omniq; abiectione dignū horis singulis existimat.* Hactenus Climachus. Talem ducem ac magistrum delegit sibi S. Iohannes
C Damascenus, & sub eius disciplina mirè exercitus ad tantam sanctitatem peruenit.

TAMQVAM FILIIS VOBIS OFFERT SE DEVS] q. d. Per hanc disciplinam, castigationem & persecutionem Deus se vobis exhibet tamquam patrem: pater enim filium quem diligit castigat. Suscipite ergo hanc disciplinam grato & hilari animo, æstimate vos beatos hac tribulatione, eaque gloriamini, quia ipsa signum est vos esse filios Dei, & quasi filios à Deo regi & tractari.

Idipsum senserunt Gentiles philosophi. Se- *Bonos Deus duriùs exercet.*
neca l. de Prouidentia: *Deus*, inquit, *bonos vt seueri patres, duriùs educat, vultq; eos doloribus ac damnis colligere robur*. Et inferiùs: *Hanc*, inquit, *rationem dij sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior est spes. Dicant ergo ipsi, Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati: optimi milites ad durissima mittuntur.*

QVOD SI EXTRA DISCIPLINAM (χωρὶς παιδείας, id est, absque castigatione) ESTIS CVIVS PARTICIPES FACTI SVNT OMNES (genuini & dilecti filij) ERGO ADVLTERI, ET NON FILII ESTIS] Pro *adulteri* legendum videtur *adulterini*, id est spurij: hoc enim significat Græcum νόθοι. q. d. Si semper voluptuamini, & ex libidine traducitis vitam in delicijs, expertes paternæ castigationis Dei, ergo non estis germani Dei filij, sed spurij & suppositicij. Castigatio enim & disciplina prompte humiliterque suscepta, germanos Dei filios probat, eosque à spuriis secernit. perinde enim atque aquila pullos Soli exponendo, vt aduersis & irretoris oculis solem intueantur, genuinos probat, & à spuriis (quos ad solem conniuentes vngue dimittens præcipitat) distinguit & sepa-

VERS. 8. *Castigatio Dei bonos secernit à malis.*

separat: ita Deus suos afflictioni exponendo, explorat & secernit.

VERS. 9. DEINDE PATRES QVIDEM CARNIS NOSTRÆ ERVDITORES HABVIMVS, ET REVEREBAMVR EOS: NON (nonne) MVLTO MAGIS OBTEMPERABIMVS PATRI SPIRITVVM, ET VIVEMVS?] Est alterum argumentum, à minori ad maius, *patres carnis* vocat parentes, qui nos secundùm carnem genuerunt. Significat Apostolus animam nos non habere à parentibus, sed eam à Deo creari, & creando infundi carni humanæ. Hæc enim de causa parentes vocat *patres carnis*, Deum verò vocat *patrem spirituum*, id est animarum.

Animam habemus à Deo solo quasi à patre spirituum.

Secundò, pro *eruditores*, græcè est παιδευτὰς, id est institutores, correctores, castigatores. q.d. Parentes carnales nos in pueritia corripiebant & castigabant, nosque hanc eorum castigationem cum reuerentia, patientia & obedientia excipiebamus: quanto magis patienter excipere debemus hanc disciplinam & castigationem Dei, qui pater est, non tantùm carnis, sed & animæ nostræ, præsertim cùm id iubeat Deus, cui obtemperandum est, quique obtemperantibus sibi in hac disciplina promittit vitam sempiternam? Obtemperare enim Deo hîc idem est, quod acquiescere, & patienter ferre afflictiones ab ipso immissas, vel permissas, quasi is qui impatienter eas tolerat, Deo quodammodo renitatur. ita Theophyl.

Pastores patres spirituum.

Nota. Pro *patri*, Syrus habet לַאֲבָהִין דְּרוּחָתָא *labahin deruchata*, id est patribus spirituum. Per *patres spirituum*, Galenus intelligit Episcopos & pastores, quorum est animas regere & instituere. Verùm toto hoc discursu Apostolus non agit de hisce patribus, sed de Deo, qui nos quasi pater sua disciplina & afflictione castigat. Vnde omnes Græci & Latini legunt, non, Patribus, sed *patri spirituum*: ideoque ex hoc loco & similibus Syriaca versio à nonnullis non satis probatur.

Versio Syriaca non est fidelis.

Rursum, *spiritus* hos tripliciter explicat Theophyl. Deus, inquit, est *pater spirituum*, id est angelorum.

Secundò, *spirituum*, id est, donorum spiritualiũ.

Tertiò & optimè, *spirituum*, id est animarum. Alludit Paulus ad Num. 16. 22. vbi Moses ait: *Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis.* Vbi Aduerte,

Deus pater animarum, quia eas creat, format, sanctificat, perficit.

Deum non tantùm hac ratione dici patrem animarum, quòd eas creet, sed etiam quòd eas instituat, castiget, efformet, sanctificet, perficiat tamquam præceptor & pædagogus; hic enim sub voce patris hoc loco intelligitur: nam boni patris officium est instar pædagogi erudire filium. q.d. Apostolus: Sicut patres carnales sunt pædagogi filiorum secundùm carnem & corpus, vt in eis exteriores corporis mores componant secundùm honestatem & decentiam (nam τὸ *carnis nostræ* tam ad *eruditores*, quàm ad *patres*, referendum est:) ita Deus, qui pater est animarum, easdem erudit & efformat tamquam pædagogus ad vitam internam, sanctam & spiritualem; atque hac de causa Apostolus Deum nominauit *patrem* non animarum, sed *spirituum*. ita se explicat ipse v. seq.

Nomen Patris animarum Deo à variis gentibus attributum.

Nota. Sicuti Deus ab Hebræis vocatur אֲדֹנָי *Adonai* vel *Eloha*, & ab Arabibus אַלָּה *Alla*, vel *Ille*, vt Pœni pronunciant; & à Græcis ὁ κύριος, id est, Dominus per excellentiam. Rursum sicut Deus ab Hebræis vocatur מֶלֶךְ הָעוֹלָם *melech haolam*; & à Græcis βασιλεὺς τῶν αἰώνων, & à Latinis Rex sæculi, vel rex sæculorum: vnde & Æthiopes (quorum, vti & Arabum, Persarum, Pœnorum, Armenorum, aliorumque Orientalium lingua affinis est, & quasi filia linguæ Hebrææ) Deum vocant אֶמְלָךְ *emlac*, id est regem: מֶלֶךְ *melech* enim Hebræis regem significat. ita pariter Deus ab Hebræis, Græcis, Latinis vocatur Pater, & maximè pater spirituum vel animarum: quia harum nec homo, nec angelus potest esse pater vel creator, sed solus Deus. Vnde & Æthiopes Deum vocant אֶגְזִיאַבְהֶר *eghziabher*, id est, Dominus pater bonus. *eghzia* enim Dominum, *ab* patrem, *her* bonum significat. Paternitas enim æquè ac bonitas Dei maximè elucet in creatione & gubernatione animarum: hisce enim Deus se & omnia sua bona communicat, dum eas ad suam imaginem & similitudinem creat, dumque eas implet sua sapientia, gratia & gloria.

VERS. 10. ET ILLI QVIDEM IN TEMPORE PAVCORVM DIERVM (πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, id est, paucos dies, scilicet præsentis vitæ) SECVNDVM VOLVNTATEM SVAM ERVDIEBANT NOS: HIC AVTEM AD ID, QVOD VTILE EST IN RECIPIENDO SANCTIFICATIONEM EIVS] Duplici antithesi vim & pondus suo argumento addit Apostolus: prior est, quòd patres carnales erudiebant nos præsenti sæculo, tempori & vitæ, quæ breuis est & euanida, vt scilicet nosse-

Duplex antithesis disciplinæ Dei erga nos, & parentum carnalium.

mus viuere & agere cum hominibus, atque curare & prouidere opes & bona huius vitæ: Deus verò erudit nos æternitati.

Secundò, illi *secundùm voluntatem suam*, græcè πρὸς τὸ δοκεῖν αὐτοῖς, id est, sicut ipsis videbatur, pro suo arbitratu, conceptu & phantasia docebant nos ea quæ nobis putabant fore vtilia, cùm reuera sæpè vtilia non essent, sed noxia; imò sæpè docebant ea, quæ non nobis, sed sibi & familiæ suæ putabant fore vtilia & splendida: Deus verò semper erudit nos ad id, quod vtile est, non sibi, sed nobis *in recipiendo*, id est, ad recipiendum (hoc enim significat Græcum εἰς τὸ μεταλαβεῖν) *sanctificationem eius*, vt scilicet efficiamur participes sanctitatis diuinæ, hîc per gratiam, & in cælo per gloriam beatam & æternam.

VERS. 11. OMNIS AVTEM DISCIPLINA IN PRÆSENTI QVIDEM VIDETVR NON ESSE GAVDII, SED MOERORIS] Nota. Nõ dicit Apostolus, *est*, sed *videtur*, esse mœroris, quia reuera per se disciplina est causa & procreatrix nõ mœroris, sed omnis lætitiæ & gaudij, adeoque; vitæ æternæ, inquit Chrysost. nobis tamen in momento castigationis & afflictionis videtur esse mœroris, non gaudij; quia disciplina suo doloris sensu ita nos afficit & perstringit, vt fructum pacatissimũ inde secuturum non cogitemus: nam quãdo transiit dolor, tunc ferè melius iudicamus, fructumque; disciplinæ agnoscimus & persentiscimus, ideoque; gaudemus. Pari modo dum ieiunas, vino abstines, corpus castigas, laborat corpus, dolet caro: dum patienter fers iniuriam, eamque; condonas, animus dolorẽ persentiscit: dum tibi adimis cibos aut nummos, vt pauperi des, cruciatur cupiditas: dum oras assiduè, & bonam noctis partem cum Domino vigilando & orando cõsumis, dum humi cubas, dorsum, genua & caput affliguntur, præsertim in incipientibus: sed postea exercitatis fructum pacatissimum afferent iustitiæ & sanctimoniæ. Rursum gloria quæ hoc labore temporali comparatur, sempiterna erit. *quod enim momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

POSTEA AVTEM FRVCTVM PACATISSIMVM EXERCITATIS PER EAM REDDET IVSTITIÆ] Pro *exercitatis*, græcè est γεγυμνασμένων, quod denotat palæstritas, quales erant olim illi, qui nudi luctati & exerciti erant in palæstra, quæ inde dicta est gymnasia: indeque gymnasium vocatur schola, in qua, quasi in palæstra mentis, crebra & magna est exercitatio ingenij, memoriæ, animi & virtutis.

Per patientiam & aduersa dispone Deus Sanctos ad martyria.

Notat Theophyl. *disciplinam* vocari gymnasiam, quòd Christianos quasi athletas exerceat, formet, roboret & perficiat: cur ergo eam horretis & fugitis, ô Hebræi, ô Christiani? disciplina enim docet vos patientiam, patientia autem docet omnem virtutem, &, vt ait S. Iacob. c. 1. *opus perfectum habet.* Rursum sicut athletæ bene priùs exercitati, cùm seriò certandum est, & fortiter res agenda, tunc viros se præbent, & per exercitationem vincere docti, in agone vincunt, & brauium assequuntur: ita vos, ô Hebræi, per hasce persecutiones exercitati, cùm martyrium aut aliqua grauior lucta ingruet, facilè eam superabitis & triumphabitis. susципite ergo disciplinam hanc persecutionum, vt per eam ad martyrium & triumphos eximios vos comparetis. Ita videmus vix Martyres effici, nisi eos qui se antè affecerint martyrio, aut qui à Deo multis priùs ærumnis sint exerciti, & quasi præparati atque eruditi ad martyrium, illudque meriti.

Patientiæ fructus & bona.

Nota. *Fructum iustitiæ*, vocat ipsam iustitiam & sanctitatem, quæ fructus est disciplinæ. Simili hebraismo virtus humilitatis vocatur ipsa virtus, quæ dicitur humilitas, & peccatum superbiæ vocatur ipsa superbia: per hanc autem *iustitiam* intelligit patientiam solidam & perfectam. hæc enim est fructus disciplinæ & castigationis, tamquam causa: hæc est sanctitas & iustitia, scilicet per excellentiam illustris & eximia; quia nihil animum ita purgat, mansuefacit, perficit & sanctificat atque patientia: hæc denique est pacatissima, quia patientia affert pacem & tranquillitatem conscientiæ, silentium & gaudium animæ. Homo enim patiens in omnem comparatus est fortunam, & nullum ab externis rebus & vexationibus, quantumcumque duris & molestis, accipit incommodum, sed altissima semper animi pace fruitur; hæc autem iustitia & pax patientiæ perficietur in cælo & futura beatitudine.

Vnde Secundò, per *fructum iustitiæ*, accipere possumus ipsam beatitudinem, gloriam & præmium æternum, quod patientiæ ex iustitia debetur. ita Theophyl. & Anselm. Est hoc tertium argumentum Apostoli, quo Hebræis suadet, vt placidè susципiant Iudæorum persecutiones, tamquam disciplinam Dei, estque petitum ex fructu disciplinæ, qui est perfecta iustitia, sanctitas, pax & gaudium conscientiæ. Viderunt eminus & hoc Gentiles. Quidam Zenonis discipulus à patre rogatus, quidnam tanto tempore didicisset? Ostendam, inquit. cùm nihil aliud diceret; pater iracundus, existimans impendium periisse, cœpit flagris cædere filium. Eam parentis sæuitiam adolescens æquissimè tulit, dixitque: *Hoc è philosophia fructus retuli, vt patris iram possim commodè perpeti.*

Præclarè S. Bernard. serm. 10. de Cœna Domini, citans hæc verba Apostoli: *Flagellis*, inquit, *Domini pinguedo carnalis voluptatis atteritur, & virtutes animæ roborantur: lasciua caro restringitur, & anima pennis virtutum ad cælestia subleuatur: caro quod superfluum habebat amittit, & spiritus virtutes quas non habebat acquirit. Si ergo per flagella Domini virtutes augentur, vitia resecantur, spernuntur terrena, amantur cælestia; nos æternitatis præmia præstolantes, si nobis aliqua grauis infirmitas, vel tentatio fortis, vel etiam damnum temporalium rerum irrepserit, ex his omnibus vires sumere debemus: quia crescente pugna, glorioſiorem non ambigemus nobis manere victoriam. In hoc namque ostendimus, quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solùm ad eum per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera & dura transimus. Ad æterna gaudia iam redire non possumus, nisi per temporalia detrimenta: & ideo spe manentis lætitiæ, omnia aduersa prosperitatem non modicam debemus reputare.*

PROPTER QVOD REMISSAS MANVS ET SOLVTA GENVA ERIGITE] Descriptio est hominis inertis, imbecillis & despondentis animum (vti innuit hîc Apostolus aliquos ex Hebræis fuisse.) hic enim deficit manibus ad laborandum, & genibus ad ambulandum atque currendum in stadio; quia in genu est omne robur cruris. Contrà qui strenuus est, manus habet paratas ad opus, genua agilia & fortia ad cursum. Alludit, vel potiùs citat Apostolus Isaiæ 35. 3. vbi ait, *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate*, id est, excitate alios ad audacter, animosè, viriliter agendum. Sicut enim audacia ex bile feruente promanans roborat vires, & membra confirmat; sic timor per frigus quod secum adducit, debilitat & eneruat corporis & animi facultates: ergo occupante pauore animos, frigescenteque & languescente corde, vnde in membra omnis deriuatur sensus & motus, necesse est artus omnes tremere, vires-que deficere, quæ omnia restaurat & confirmat audacia. VERS. 12.

Languor & socordia in membris & neruis vnde oriatur.

ET GRESSVS RECTOS FACITE PEDIBVS VESTRIS, VT NON CLAVDICANS QVIS ERRET] *Gressus rectos* opponit claudicationi; qui enim claudicat, non recta graditur, sed nunc in hanc, nunc in illam partem se inclinat, facileque à semita recta deflectit. q.d. Nolite, ô Hebræi, miscere Euangelium cum iudaismo, vt claudicetis, inclinantes nunc in iudaismum, nunc in christianismum, sed rectam vnamque christianismi fidem & vitam constanter retinete, & prosequimini. Citat Apostolus Prouerb. 4. 27. vbi pro *gressus* hebraicè est מַעְגָּל *magal*, græcè τροχιὰς, quod tam semitam & orbitam curruum, vt vertit Syrus & Theoph. quàm gressum per eam significat, vsitata & vulgari metonymia. Secundò, pro *rectos facite*, hebraicè est פַּלֵּס *palles*, id est libra, hoc est, velut in bilance & statera sapientiæ & iustitiæ appende & expende gressus, id est, actiones tuas, vide quomodo ambules, vide vt rectè incedas & opereris. VERS. 13.

VT NON CLAVDICANS QVIS ERRET] Græcè, ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, id est, vt vertit Vatabl. & Erasm. *ne id quod claudum est aberret*, scilicet, ne claudicatio abducat à via, præsertim cùm sit angusta. q.d. Certis & non vacillantibus passibus opus est in hac via fidei & religionis Christianæ. Caueat ergo quisque, ne nutet & claudicet, itaq; vrgentibus persecutoribus à fide in apostasiam deflectat. Quòd si quis nutare & claudicare cœperit, hic curet statim vt *sanetur*, & pristino robori, rectitudini ac constantiæ Christianæ restituatur.

Nè est claudicandum in angusta salutis via.

PACEM SEQVIMINI CVM OMNIBVS] Græcè διώκετε, id est persequimini; vt scilicet pacè etiam VERS. 14.

remo-

remotam, vel fugientem instar leporis insequamini & comprehendatis. Alludit ad psal 33. v. 15. *Inquire pacem, & persequere eam.* Pacis meminit Apostolus, ne Hebræi Iudæos persecutores suos odio prosequantur, sed eos sua charitate, mansuetudine, patientia & pace emollire & flectere, sibique & fidei Christianæ conciliare studeant. Rectè S. Augustin. ad Bonifacium Comitem: *Pacem*, inquit, *debet habere voluntas, bellum necessitas*; vt, nisi necessitas cogat, pax cum bello non sit commutanda. Et S. Bernard. serm. 5. de dedicatione Ecclesiæ, *Pacem*, ait, *sectamini cum omnibus. Hæc est quæ facit vnius moris habitare fratres in vnum, nouam vtique regi nostro vero pacifico ædificans ciuitatem, quæ & ipsa Ierusalem nominetur, quod est visio pacis. Vbi enim sine fœdere pacis, sine obseruantia legis, sine disciplina & regimine acephala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur: non est ciuitas, sed confusio: Babylonem exhibet, de Ierusalem habet nihil.* A

ET SANCTIMONIAM, SINE QVA NEMO VIDEBIT DEVM] Sunt qui pacem sequuntur, sed ita vt negligant sanctimoniam: dum enim cupiunt sceleratis placere, scelera eorum probant & laudant. Prudenter ergo Paulus monet, ita pacem colendam esse, vt tamen sanctimonia illibata seruetur. Per *sanctimoniam* Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecumen. Hieron. in c. 47. Ezechiel. & Augustin. epist. 112. cap. 5. intelligunt castitatem. Castitas enim est sanctitas corporis & mentis, vt docet Apostolus 1. Corinth. 7. 34. & 1. Thessal. 4 4. Castitas autem hæc non est in sola virginitate, sed etiam in matrimonio. Nam, vt aiebat Paphnutius in Conc. Niceno, etiam nuptiæ suam habent castitatem, vbi coniuges fidem mutuam, & leges Sacramenti integrè & illibatè seruant.

Sanctimonia est castitas & puritas.

Secundò, & plenius, per *sanctimoniam* accipias puritatem animi, vt animus sit sanctus, id est purus ab omni peccato. Alludit enim Apostolus ad illud Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nam visio Dei, non solis, nec omnibus castis, sed omnibus iis, qui à peccato puri sunt, promittitur. C

VERS. 15. CONTEMPLANTES NE QVIS DESIT GRATIÆ DEI] Græcè ἐπισκοποῦντες, id est, inuigilantes & intendentes aliis, *ne quis desit*, græcè ὑστερῶν, id est, deficiat & destituatur (per peccatum & pusillanimitatem) à gratia Dei. Sicut in exercitu debiles & fessi cùm eum proficiscentem assequi non possunt, in via deficiunt, & subsistunt; ad quos colligendos prouidi duces solent constituere curatores, quasi episcopos qui inuigilent, ne quis deficiat: ita Paulus docet non satis esse nobis nostram fidem & salutem, sed & alios præsertim debiles & vacillantes in eadem confirmare nos debere; ne quis torpidior, infirmior aut timidior deficiat ad hostes Iudæos, Paganos, vel hæreticos, & fidei tesseram prodat.

Debiles in fide à fortioribus cõfirmandi & iuuandi.

D

NE QVA RADIX AMARITVDINIS SVRSVM GERMINANS IMPEDIAT, ET PER ILLAM INQVINENTVR MVLTI] *Radix amaritudinis*, id est amara, est peccatũ, quod amaricat conscientiam per remorsum & reatum pœnæ, inquit Chrysost. quodque proximos exacerbat, scandalizat, ad peccandum inuitat. peccator enim suam amaritiem & virus peccati aliis affricat & instillat. Loquitur Apostolus in genere de quolibet peccato: nam subdit, *Ne quis fornicator, aut profanus.* Omnia enim peccata à Deo, ac consequenter sensim à fide, præsertim si vrgeat persecutio, abducunt. ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Maximè tamen loquitur Apostolus de peccato hæresis & apostasiæ. Alludit enim ad Deuter. 29. 18. vbi Moses radicem amaritudinis vocat apostatas, qui alios solicitant ad idololatriam. q. d. Paulus, Videte & prouidete, ne quis inter vos ducem se præbeat apostasiæ, qui alios excitet, pelliciat, vel etiam solicitet ad iudaismum.

Radix amaritudinis peccatũ.

VERS. 16. NE QVIS FORNICATOR, AVT PROFANVS, VT ESAV] *Profanus* est qui nihil habet sacri, qui sacra negligit, violat, conculcat. Dicitur *profanus*, quasi procul à fano eliminandus. Vnde Virgilius 6. Æneidos: *Procul hinc, procul este profani.* Et Plato in dialogo de sanctitate: *Quod diis*, inquit, *amicum, id sanctum est: quod verò non amicum, profanum est.* Idem Plato in Minoë: *Sacratissimum omnium*, inquit, *est vir bonus, profanissimum contrà vir malus.* Sic græcè βέβηλα, id est profana, dicuntur, quæ omnibus ad conculcandum proposita sunt. Ducta est vox ἀπὸ τοῦ βηλοῦ, id est, à pauimento, quod à quouis calcatur, inquit Elias Cretensis in Apologet. primam Nazianz. Sic Apostolus Esau vocat *profanum*; quòd pro vili lentis edulio vendiderit, & vendendo conculcarit profanaritque ius primogenituræ, quod sanctum erat, qua parte includebat ius sacerdotij. In lege enim naturæ primogeniti erant sacerdotes, & patri succedebant in sacerdotio. q. d. Paulus: Videte, ô Hebræi, ne adinstar Esau ius sanctum, quod per fidem Christi habetis ad hereditatem cælestem, vendatis pro terrenis opibus, vt malitis eas retinere, cum iactura fidei & regni cælorum, quàm retinendo fidem, easdem perdere, quando Iudæi vos persequuntur, vrgentque vt vel bonorum, vel fidei Christi iacturam faciatis.

Quis dicendus profanus.

Ius primogenituræ sanctũ, includens sacerdotium.

Quæritur hîc, an & quomodo peccarit Esau vendendo, Iacob emendo primogenita?

Nota. Ius primogenituræ illo tempore partim temporale erat, partim spirituale. Temporale erat, quatenus dabat primogenito ius ad duplicem portionem hereditatis paternæ; cùm alij fratres tantùm haberent simplicem: rursum quatenus primogenitum efficiebat successorem patris, & principem fratrum. Hoc enim est quod dicitur Genes. 49. *Ruben primogenitus meus, prior in donis, maior in imperio*: & Deuter. 21. *Dabitq; ei* (primogenito) *de iis quæ habuerit, cuncta duplicia.* Spirituale erat, quatenus annexum habebat tum ius sacerdotij, antequam id Leui & Leuiticæ tribui deferretur, tum ius ad benedictionem paternam: hanc enim pater moriens conferebat primogenito, orans & impetrans illi, vt Deus illum suo fauore, gratia & beneficentia cumularet: quæ benedictio efficax erat, ideoque magni fiebat, vt patet in Iacob, qui hanc benedictionem surripuit Esau frementi & frendenti.

Ius primogenituræ duplex, temporale & spirituale.

Dico ergo, Esau vendens totum ius primogenituræ, scilicet tam spirituale, quàm temporale, peccauit Primò simonia, perinde atque illi, qui iam sua sacerdotia & Beneficia vendunt, simoniaci sunt; quia vendunt ius spirituale pretio temporali. Hac enim de causa vocatur Esau hîc ab Apostolo *profanus*, quòd venationibus, conuiuiis, delicijs assuetus neglexerit & parui penderit sacerdotium, & benedictionem paternam, eaque vendiderit & profanarit. Ad benedictionem enim paternam respicere hîc Apostolum, patet v. sequ.

Esau vendens primogenituram peccauit peccato simoniæ & gulæ.

cùm ait: *Postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est.* Secundò, peccauit gula, quia rem tantam atque erat primogenitura, tam vili esca vendidit.

Esau non ex necessitate, sed ex intemperantia vendidit ius primogeniti.

Dices, Genes. 25. v. 32. videtur dici, quòd Esau extrema famis necessitate coactus, vendiderit primogenita: ait enim, *En morior*; ergo non peccauit gula. Respondeo, Cùm ait, *En morior*, necessitatem suæ gulæ prætexit: nam non est dubium in tam diuite Isaaci domo panes, alioſque cibos facilè habere potuisse, quibus famem exsatiaret. Fragrantia ergo & cupiditas lentis, quam coxerat Iacob, eum rapuit, itaque dementauit, vt, nisi illa frueretur, moriturum se diceret, vt rectè ibidem annotauit Caiet. & Pererius. Idipsum confirmat, quod ait Moses Genes. 25 v. vlt. dicens de Esau: *Et sic accepto pane & lentis edulio comedit & bibit, & abiit paruipendens quòd primogenita sua vendidisset.* Quæ verba significant eum non necessitate, sed contemptu vendidisse sua primogenita, quòd ea parui penderet. Moraliter, de gulæ damnis vide S. Gregorium 30. Moral. c. 27.

Gulæ damnum.

Iacob non peccauit emendo ius primogenituræ, peccato simoniæ.

Dico Secundò, Iacob emendo primogenita Esau non peccauit. Primò, quia tantùm intendit emere ius primogenituræ, quatenus per se tantùm temporale est, & temporalia bona spectat: eatenus enim vendi & emi poterat hoc ius temporale pretio temporali. Licet enim annexum haberet ius spirituale, scilicet sacerdotij & benedictionis paternæ: tamen hoc secundarium & accessoriũ erat apud alias gentes; imò apud Christianos & Iudæos ius primogenituræ non habuit annexum ius sacerdotij. Poterat ergo ius illud secundùm se vendi in lege naturæ, licet annexum haberet ius sacerdotij: illud enim censebatur non vendi, sed sequi tamquã accessorium suum principale; præsertim cùm quis hæc ita mente secerneret, & eo modo illa vendere aut emere intenderet, intendens scilicet emere principale ius primogenituræ, non accessorium, licet sciret illud annexum esse & sequi suum ius principale, cum eoque transire ad emptorem: sicut vendi & emi potest etiamnum ager, cui annexum est ius patronatus ad hoc illudue Beneficium Ecclesiasticum: tum enim non venditur ius patronatus, sed ager cui hoc ius annexum est; ita scilicet, vt agro per venditionem transeunte, necessariò etiam hoc ius agro annexum transeat ad emptorem. Ita de Iacob & Esau sentit & docet inter alios Aloys. Lipomanus in Genes. c. 25. v. 33.

Licet emere aliquid temporale, cui annexum sit spirituale.

Iacob emendo tam vili ius primogeniti non peccauit peccato iniustitiæ.

Dices, Videtur Iacob peccasse, si non simonia, saltem iniustitia, quòd rem tanti pretij, atque est primogenitura, tam vili esca emerit. Respondeo, volenti & scienti, remque suam prodigenti, non fieri iniuriam: Esau autem sciens volens tam vili primogenita sua vendidit & prodegit, quia ea contempsit & parui æstimauit.

Secundò, non peccauit Iacob emendo ius primogenituræ; quia sciebat (indicante id illi matre Rebecca, vt satis colligitur Genes. 26. v. 3. & 27.) ius hoc ex Dei decreto & dono ad se pertinere: vnde & mox v. 27. matri se ad benedictionem fratri Esau præripienti instiganti, securus & lætus obediuit. Non ergo emit Iacob hoc ius, sed illud tamquam suum, sibique debitum astu ab iniusto possessore specie venditionis extorsit. Vide Caietan. 2. 2 q. 100. a. 4.

VERS. 17. SCITOTE QVONIAM ET POSTEA CVPIENS HEREDITARE BENEDICTIONEM, REPROBATVS EST] id est, reiectus est à sua petitione & benedictione paterna, quam cupiebat & petebat à patre Isaac, cùm scilicet ipse dixit Esau; *Benedixiq; ei* (Iacobo) *& erit benedictus: & tibi post hæc, fili mi, vltrà quid faciã?* ita Ansel. & Theoph. qui tamen Secundò addunt propriè à Deo per patrẽ Isaac fuisse Esau reprobatum, ideoque damnatum. Sed nil tale innuit Scriptura, Genes. 27. tantùm enim significat Esau *reprobatum*, id est, reiectum fuisse à benedictione paterna. Pro *scitote*, græcè est ἴστε, quod tam, scitis, vti vertit Erasmus, quàm, *scitote*, verti potest.

Esau nõ reprobatus à salute æterna, sed benedictione paterna.

NON ENIM INVENIT POENITENTIÆ LOCVM] Pœnitentia hîc non significat dolorem ob peccatum commissum, & Deum offensum, hunc enim non habuit Esau: nam superbia tumens & indignans voluit fratrem occidere, & peccatum peccato addere, vt notant Theodor. Theophyl. Anselm. & alij. Rectè enim dixit Isaias Abbas: *Sicut terra sine aqua & semine ferre nequit fruges, ita nec pœnitere quis potest sine humilitate, & carnis afflictione.* Perperam ergo, ex hoc loco Nouatiani tollere voluerunt pœnitentiam, qua Ecclesiæ Deoque reconciliamur. Pœnitentia enim quam quæsiuit Esau, nec inuenit, humana fuit, qua scilicet quis pœnitens facti, v.g. venditionis factæ, eam rescindere & retractare cupit. Itaque μετάνοια, id est pœnitentia, hîc impropriè sumitur, pro μεταμέλεια, id est, pœnitentia non peccati, sed damni, quod quis fecit, vel incurrit, qua scilicet Esau postea re meliùs considerata, cùm non futuram, sed præsentem iam benedictionem & primogenituram cerneret, magni illam æstimans, pœnituit & doluit, quòd sua culpa & profana stultaque venditione, rem tantam amisisset, desiderans eamdem recuperare, sed frustra.

Ex hoc loco malè Lutherus & Nouatiani inferũt adimi à Deo peccatoribus pœnitentiam.

Alij, vt Gabr. Vasquez, subtiliter & probabiliter pœnitentiam Isaaci, non Esau accipiunt. q. d. Paulus, Esau suis lacrymis efficere non potuit, vt patrem Isaac facti pœniteret, scilicet, vt benedictionem datam Iacobo, reuocaret ad Esau primogenitum. Dat enim Paulus hanc causam, cur Esau postea (id est post venditionem primogenituræ) cupiens hereditare benedictionem, reprobatus sit; quia scilicet pater Isaac nolens pœnitere, id est, retractare benedictionem suam datam Iacobo, ab ea reprobauit & repulit Esau. Imperitè ergo Lutherus hanc epistolam ad Hebræos à canone sacrorum librorum expunxit & proscripsit, hoc argumento, quòd ipsa hoc loco pœnitentiam peccatis & peccatoribus, putà Esau, adimeret.

Aliqui pœnitentiam Isaaci intelligunt.

Nota. Hisce verbis Paulus tangit Hebræos q. d. Nolite profanare & abiicere Dei fidem & gratiam, ne fortè eam, vt Esau, recuperare non possitis, fiatisque reprobi. Vbi Aduerte, non per omnia similem esse causam Esau & Hebræorum. Nam Esau absolutè non potuit, vtpote Deo nolente, recipere benedictionem paternam amissam: nos verò in hac vita, fidem & gratiam Dei deperditam absolutè possumus semper recipere: dicimur tamen subinde non posse, quia vix & ægrè eam recipere possumus, v.g. cùm fidem ipsam, quæ omnis boni fundamentum est, abiicimus, & agnitam veritatem sponte deserimus, contemnimus & impugnamus. Tunc enim sponte cor nostrum in malo obduramus, omnemque Dei influxum & gratiam auertimus atque excludimus.

Homines absolutè si velint semper possunt pœnitere, licet aliquãdo ægrè.

QVAM-

QVAMQVAM CVM LACRYMIS INQVISISSET A EAM] *Eam*, supple non pœnitentiam, sed benedictionem: quamquam, etiamsi cum Syro pœnitentiam suppleas, non fauebis Nouatianis. Pœnitentia enim hæc Esau non fuit peccati & gratiæ Dei deperditæ, sed benedictionis paternæ & primogenituræ amissæ, vt dixi. Adde, si pœnitentiam non Esau, sed Isaaci hîc accipias, simpliciter verum est, quòd Esau hanc patris pœnitentiam & benedictionis retractationem cum lacrymis inquisierit, sed frustra.

VERS. 18. NON ENIM ACCESSISTIS AD TRACTABILEM MONTEM] Pergit Hebræos hortari & stimulare nouo aculeo & argumento, vt fidem & gratiam Christi non abiiciant, sed in ea constanter persistant & pergant. Argumentum hoc petit à Mose, & lege veteri, quam nemo impune abijcere & violare potuit: inde enim infert, Quis ergo impunè B abiiciet Christum, Christique gratiam & legem, quæ Mosaica lege præstantior est?

Mons Sina tractabilis opponitur Ecclesiæ.

Nota. *Tractabilem montem*, vocat Sina, qui tangi, tractari & palpari poterat; in quo legem veterem accepit Moses & Hebræi promulgante angelo. q.d. Non accessistis ad Sina corporeum & terrestrem montem, sed ad Ecclesiam Christi, quæ mons est spiritualis & cælestis. Alij per antiphrasin Sina putant dici *tractabilem*, id est intractabilem, quia iusserat Deus Exodi 19. v. 12. vt Hebræi ad radices montis Sina consisterent, ipsum verò montem non tangerent, nec conscenderent; sed prior sensus proprius est & genuinus.

ACCENSIBILEM (ita legendum cum Romanis & Græcis, non autem *accessibilem*, vti aliqui legũt) IGNEM] *Accensibilem*, id est accensum, vel incensum vocat ignem corporeum, quo ardebat Sina, C cùm in eo data fuit lex vetus, qui accendi & extingui poterat. Ignis hic ingens & terribilis erat, adeò vt Moses Deuter. 4. 11. dicat montem Sina arsisse vsque ad cælum. Huic opponit Paulus ignem spiritualem charitatis & gratiæ Spiritus sancti, qui datus fuit Apostolis in Pentecoste, quique datur Christianis in baptismo, aliisque Sacramentis.

Lex Mosaica data cum fulgure, tonitru & procella.

ET TVRBINEM, ET CALIGINEM, ET PROCELLAM] *Turbinem*, vocat ventum vehementẽ & impetuosum; *caliginem*, vocat nubem densissimã, quæ Sina operiebat; *procellam*, vocat tonitrua, fulgura, & vndique circummicantes lampades, itidẽ & pluuias. Has enim extitisse cum terræmotu in Sina, cùm ibi data est lex vetus, docet Ioseph. & psalm. 67. 6. *Terra*, inquit, *mota est, cæli distillauerunt*; licet id non exprimat Moses in historia datæ legis, Exodi 19. Addit Moses Exodi 19. 18. de Sina, quasi de for- D nace accẽsa fumũ ascendisse terribilẽ: vnde videtur quòd, sicut in fornace partim flamma & ignis ardens, partim fumus necdum accensus conspicitur; ita quoque angelus vice Dei ignem & fumum in Sina produxerit, siue ex aëre vicino, siue ex fumosa quapiam materia (v.g. sulphure) quæ ignem facilè concipit.

VERS. 19. ET TVBÆ SONVM, ET VOCEM VERBORVM] Est hendyadis: tubæ enim sonus non erat aliud quàm vox verborum. Voce enim tubali sua verba, id est, præcepta decalogi per angelum proclamabat ex Sina coram Hebræis Deus opt. max. Tantus erat fragor clangentis huius tubæ, siue buccinæ, vt humanæ vix ferrent aures. Omnia hæc eò spectabant, vt metum & religionem Dei, diuinæque legis Hebræis incuterent, vtque hoc Dei & diuinæ vindictæ terrore eos ad legis custodiam adigerẽt. *Pulchrè antitheses bus opponitur typicè promulgatio legis noua & veteris.*

Allegoricè, promulgatio hæc veteris significabat promulgationem legis nouæ in Pentecoste: *Vtraque enim facta est quinquagesimo die à paschate, illa in Sina, hæc in Sion: ibi terræ motu cõtremuit mons, hic domus Apostolorum: ibi inter flammas ignium & micantia fulgura turbo ventorum & fragor tonitruorum personuit, hic cum ignearum visione linguarum sonitus pariter de cælo tamquam spiritus vehementis aduenit: ibi clangor buccinæ legis verba perstrepuit, hic tuba Euangelica Apostolorũ ore insonuit.* Ita S. Hieron. ad Fabiolam, & ex eo Ven. Beda in hom. vigiliæ Pentecostes. Idem insinuat Apostolus hîc v. 22.

QVAM (vocem tubæ) QVI AVDIERVNT, EXCVSAVERVNT SE, NE EIS FIERET VERBVM] Timore enim mortis perculsi Iudæi dixerunt Mosi: *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, Exodi 19.

NON ENIM PORTABANT QVOD DICEBATVR] VERS. 20. Græcè τὸ διαστελλόμενον, id est, quod *distinguebatur*, hoc est, quod distinctè præcipiebatur. Sic psalm. 105. 34. dicitur: *Distinxit* (id est distinctè dixit) *in labiis suis*. Hoc autem quod dicebatur, est id, quod subdit Apostolus:

ET SI BESTIA TETIGERIT MONTEM, LAPIDABITVR] q.d. Non ferebant Hebræi terrorem & terribilia signa Dei iam dicta, quæ eis dans legem exhibuit in Sina, maximè cùm aditum & contactum montis Sina, quasi is foret tribunal Dei terribilis, sub pœna mortis eis, imò bestiis inhibuit, dicens: *Etsi*, græcè κἂν, id est etiamsi, *bestia sit, quæ tetigerit montem, lapidetur*. q.d. Non tantum homo tangens Sina montem, sed & iumentum tangens Sina, lapidetur. Citat verba Dei Exodi 19. quæ sic se habent: *Cauete ne ascendatis in montem, aut tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte moriatur; manus non tanget eum* (quasi scelus, catharma & piaculum) *sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet.* *Accessu mõtis Sina sub pœna mortis prohibiti Iudæi.*

Tropologicè, S. Greg. lib. 6. Moral. c. 17. *Bestia, inquit, montem tangit, cùm mens irrationabilibus desideriis subdita, ad contemplationis alta se erigit; sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis supernis ponderis ictibus necatur.* *Sensus tropologicus.*

ET ITA TERRIBILE ERAT QVOD VIDEBATVR. MOSES DIXIT, EXTERRITVS SVM ET TREMEBVNDVS] VERS. 21. Chrysost. cum suis hæc omnia in vnam sententiam connectit, q.d. Ita terribilis erat Deus in prodigiis Sina, vt Moses ipse constantissimus & assuetus diuinis prodigiis dixerit: Exterritus sum. Verùm tunc dicendum erat, Vt Moses diceret vel dixerit; non autem, *Moses dixit*. Melius ergo Romana, hæc puncto posito inter τὸ *videbatur*, & τὸ *Moses*, disiungunt. q.d. Atque ita cùm populus & iumenta Dei iussu arcerentur monte Sina, admodum terribile erat omne id, quod in hoc monte à Deo gerebatur & videbatur populo. Hinc Moses, licet Deo familiaris, perculsus tamen dixit: *Exterritus sum*.

Pro *quod videbatur*, græcè est τὸ φανταζόμενον: Erasm. vertit, *quod apparebat*; Vatabl. *visum, quod videri videbatur*. Verùm hoc sensu hæc prodigia Sina non fuissent vera & realia, sed tantùm apparentia & phantastica; qualia sunt quæ fiunt per præstigias magorum.

Melius ergo Theodor. τὸ φανταζόμενον intelligit, id quod reuera erat, apparebat, & videbatur exteriùs;

Vera & realia fuere prodigia in monte Sina, non apparentia tantùm.

exteriùs; cùm interiùs auctor & opifex eorum Deus legislator non appareret, nec videretur. Deus enim reuera præsens hisce prodigiis aderat, non tamen in iis apparebat, sed suæ maiestatis vmbram, speciem & apparentiam quamdam per hæc signa & prodigia tam terribilia exteriùs oculis Hebræorum exhibebat. Sic φαινόμενα, apud Philosophos vocantur cometæ, halones, aliaque meteora, quæ reuera quidem sunt & apparent; sed ita vt occulta eorum generatio, natura & ratio vulgo sit incognita.

Moses dixit: Exterritvs svm et tremebvndvs] Moses id dixit, non cùm data est lex, sed cùm videret rubum ardentem, Exodi 3. inquit S. Thom. & Lyran. Sed hoc impertinens est huic loco: nec enim loquitur Apostolus de signis rubi ardentis, sed datæ legis, Exodi 19. Licet enim ibi hoc se dixisse non expresserit nec scripserit Moses, supplet tamen id hîc Paulus, vel ex traditione, vel ex instinctu & reuelatione Spiritus sancti. Pari enim modo turbines, terræ motum, & pluuias subticuit ibidem Moses, quæ supplet hîc Paulus, vt dixi v. 18. ita Chrysost. cum suis.

Suppleuit hîc aliqua Paulus, quæ in Exodo Moses omiserat.

Vers. 22. Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem] Opponit hîc Apostolus Christianos Iudæis, Sion Sina monti, Ierusalem cælestem terrestri, id est, Ecclesiam Synagogæ; docetque quàto Christiana lex, fides & spes altior sit & sublimior Iudaica & Mosaica lege; vt videant Hebræi quàm in ea firmi & constantes esse debeant; ita scilicet, vt malint omnia dura perpeti, quàm eius iacturam facere. Si enim Iudæi legem in Sina datam violantes puniti sunt, multò grauiùs punientur Christiani, qui fidem & gratiam Christi abiiciunt. ita enim hoc argumentum deducit Apostolus v. 25.

Ecclesia vocatur Sion, ob varias rationes.

Nota. Per *Sion* intelligit Ecclesiam Christi, quia in Sion, putà in templo, quod erat in Sion, docuit Christus. Rursum in Sion promulgata est lex noua, descenditque in Apostolos Spiritus sanctus, specie linguarum ignearum in Pentecoste. Ecclesia ergo dicitur Sion, quia cœpit in Sion: hinc ab Isaia, Dauide & Prophetis sæpè vocatur Sion.

Sion Ecclesia triumphans.

Nota Secundò. Per *Sion* intelligit Ecclesiam, tum terrestrem & militantem, tum potiùs cælestem & triumphantem. q.d. Accessistis per fidem & spem ad Ecclesiam cælestem & triumphantem. nam Ecclesia hæc in terris tendit, rectaque nos ducit ad triumphantem, adeoque vna & eadem est Ecclesia & societas fidelium hîc in terris militantium, & in cælis triumphantium. Quòd enim potiùs loquatur Apostolus de Ecclesia triumphante, quàm militante, patet ex eo, quòd dicat *nos accessisse ad multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum perfectorum.* hi enim angeli & spiritus sunt in Ecclesia non militante, sed triumphante.

Rursum, quia triumphans Ecclesia, vtpote inuisibilis, opponitur melius Sina monti tractabili & visibili, quàm militans. nam militans Ecclesia tractabilis quoque est & visibilis.

Tertiò, quia hanc Ecclesiam vocat ciuitatem Dei viuentis, in qua scilicet regnat Deus viuens & æternus, suosque ciues beata immortalitate donat & glorificat. Eamdem vocat Ierusalem cælestem, quam scilicet præfigurauit Ierusalem terrestris, in qua Deus regnabat per Dauidem in populo, & per pontifices in templo: hæc enim aliaque plura melius competunt Ecclesiæ triumphanti, quàm militanti. vnde Theophyl. & Oecumen. per *Sion*, cælum accipiunt.

Hanc Ierusalem spectabant duodecim Martyres, dum cum Pamphilo presbytero martyrio coronarentur. vnde vnus ex iis rogatus cuias esset, respõdit: *Ierusalem est mea patria* Firmilianus Præfectus eum torquens, rogauit, quænam & vbinam esset illa ciuitas? Martyr respondit, *eam piorum solùm esse patriam, neque alios, præter hos solos, eius fore participes; illamq; ad Orientem, vbi sol primo mane radios suos fundit, sitam esse.* Nihil aliud à constanti iuuene Præfectus obtinuit: vnde eum securi percuti iussit. ita Euseb. lib. 8. Histor. c. 21.

Et mvltorvm millivm angelorvm frequentiam] Pro *frequentiam*, græcè est πανήγυριν, id est, solemnem conuentũ & celebritatem, qualis est in festis, in ludis publicis, in triumphis; vbi omnia plena sunt pompa, decore, gaudio, magnificentia. q.d. Non accessistis ad Sina, vt ibi fulgetris & tonitruis percellamini, sed ad Sion & Ierusalem cælestem, vt ibi cum myriadibus angelorum lætos dies ac festos agatis in omni felicitate, gloria, gaudio, iubilo & triumpho. agite ergo, modicum, ô Hebræi, tolerate, modicum certate, breui ad festa hæc & triumphos cũ angelis transituri. prandete hîc inter hostes pugnantes, mox in cælo cum Deo cœnaturi triumphantes.

Publica & festiua cælitum lætitia & pompa.

Et Ecclesiam primitivorvm, qvi conscripti svnt in cælis] *Ecclesiæ primitiuos*, &, vt græcè est, πρωτοτόκων, id est primogenitos, vocat Apostolos, primosque fideles & Martyres, iam vita functos, qui non tantùm per Dei prædestinationem, sed actu & reipsa iam conscripti sunt, effectique ciues cælestis Ierusalem. q.d. Videte Stephanum, videte Iacobum, videte Apostolos & Martyres, qui pro Christi fide vsque ad mortem decertarunt, sanguinemq; & vitam profuderunt; modò in cælis coronantur, & palmas pulcherrimas accipiunt. hosce intuemini; hosce vidistis, nouistis, spectastis. hi iam vos inuitant ex alto, vt pro fide pariter generosè decertetis, itaque breui in cælis cum eis coronemini, & regnetis in æternum. Audi S. Bernard. serm. de triplici genere operum. *Iam*, inquit, *hinc transeundum est ad Sanctorum animas, quæ de huius mortalitatis carcere ad cælorum gaudia volauerũt. His profectò debemus imitationem: quia similes fuere nobis passibiles, & notas nobis fecerunt vias vitæ, quas tam infatigabiliter, quàm interminabiliter tenuerunt.* Et inferiùs: *Ita ergo & sanitatem corpori, puritatem cordi, pacem fratri, imitationem sanctis, compassionem mortuis debemus: auxilium ab angelo, pietatem à Deo postulemus.*

Vers. 23. *Hortatur Hebræos Paulus exemplis Martyrum nascentis Ecclesiæ.*

Et ivdicem omnivm Devm] q.d. Per fidem accessistis ad Deum, qui est iudex omnium, qui per Christum iudicaturus est viuos & mortuos, quique vestræ fidei & patientiæ præmia ingentia, persecutoribus vestris supplicia horrenda retribuet. exuite ergo desidiam & oscitantiam, strenuè agite: iudex adest.

Et spiritvs ivstorvm perfectorvm] Græcè τελειωθέντων, quod Maldon. in Notis manuscr. vertit, *defunctorum*. Mors enim est τέλος, id est finis viuentium, & τελείωσις est perfectio & consummatio cursus Sanctorum. Intelligit animas Patriarcharum, Prophetarum & Sanctorum veteris testamenti, quos c. 11. per fidem mira gessisse &

& toleraſſe docuit, ſed ante Chriſtum & nos, non fuiſſe conſummatos, id eſt, non accepiſſe beatitudinem & gloriam: hîc verò iam poſt Chriſtum eoſdem perfectos ſiue conſummatos in gloria eſſe dicit. q.d. Cum ſanctis, puriſſimis & beatiſſimis angelis, Patriarchis, Apoſtolis, Martyribus, & iuſtis omnibus ante nos & Chriſtum vita functis, iam perfectis, id eſt, beata Dei viſione fruentibus, nobis eſt ſocietas, quia eiuſdem omnes Eccleſiæ Dei ſumus membra, cuius caput eſt Chriſtus, tum qua Deus, tum qua homo, vt dixi ad Epheſ. 1.22. Ad illos ergo illorumq; felicitatem & gloriam vocamur: illi è cælo ſuas, quas iam poſſident, & noſtras quaſi paratas laureas nobis oſtentant. quis hîc hæreat? quis trepidet? quis certamen detrectet? quis ab his apoſtatet? imò verò quis non his iungi, hoſce ſequi, cum hiſce modica pati exoptet? cùm ſciat ſe breui cum eis pariter coronandum & beandum?

Poſt Chriſtum iuſti & ſancti ſancti conſummati & perfecti in gloria.

VERS. 24. ET TESTAMENTI NOVI MEDIATOREM IESVM] Eſt occupatio. q.d. Ne dicatis, ô Hebræi, Ampla promittis, ô Paule, ſed quis nos in cælum ad gloriam angelorum & Sanctorum deducet? quis viam docebit? quis cælum aperiet? quis bona nobis elargietur? ne inquam hæc dicatis: acceſſiſtis enim non ad Moſem, qui bona terræ Chanaan, quæ veteri ſuo teſtamento promiſit, per ſe præſtare non potuit; ſed ad Chriſtum, qui bona cæleſtia, quæ ipſe nouo ſuo teſtamento promiſit, reipſa præſtat, conciliat & exhibet. ideo enim dicitur noui teſtamenti mediator, vt docuit Apoſtolus c. 9. 15.

Chriſtus, nõ Moſes, per ſe nobis promiſſa præſtat.

ET SANGVINIS ASPERSIONEM] Id eſt, ſanguinem Chriſti, ſuper nos effuſum & aſperſum. vnde Syrus, & Græca iam habent: καὶ αἵματος ῥαντισμοῦ, id eſt, *& ſanguinem aſperſionis*, qui ſcilicet aſpergitur, ad hoc, vt à peccatis abluamur & emundemur. q.d. Ne titubetis, ne dicatis, In cælum quidem via per Chriſtum pătet, ſed peccatores ſumus, ideoq; cælo excludemur. nam Chriſtus, vti cælum aperuit, ita & ſanguine ſuo peccata noſtra expiat, noſq; ſanctificat. ſi ergo peccaſtis, ad Chriſtum accedite, Chriſti Sacramenta ſuſcipite, ipſe iis vos abluet in ſanguine ſuo, planeq; puros & ſanctos efficiet, vt recta in cælum tendatis.

MELIVS LOQVENTEM QVAM ABEL] Pro *melius*, græcè eſt κρεῖττον: ſed Vatabl. Eraſm. & alij legunt κρείττονα, id eſt meliora, vtiliora, præſtantiora.

Nota. Pro *quàm Abel*, in Græco duplex eſt lectio. quidam enim legunt παρὰ τὸ Ἄβελ, & ſubaudiunt αἷμα, quod præceſſit, id eſt ſanguis; vt τὸ *quàm Abel*, idem ſit, quod *quàm Abelis*, ſcilicet, ſanguis. q.d. Melius vel meliora loquitur ſanguis Chriſti, quàm ſanguis Abelis: quia ſanguis Abelis clamat vindictam, Gen. 4. 10. ſanguis verò Chriſti clamat miſericordiam, gratiam & remiſſionem peccatorum. ita ex Cyrillo & Chryſoſt. Theophyl. & Oecumen.

Sanguis Abel clamat vindictam; ſanguis Chriſti, miſericordiã.

Secundò, alij codices, vt Regij, legunt παρὰ τὸν Ἄβελ, id eſt, *quàm ipſe Abel*. q.d. Sanguis Chriſti meliùs loquitur, quàm ipſe Abel loquatur (dixerat enim Apoſtolus c. 11. v. 4. ipſum Abel defunctum adhuc loqui) quia ſcilicet ſanguinis Chriſti memoria magis nos excitat ad imitationem ſuæ fidei & conſtantiæ, quàm ipſe occiſus Abel nos excitet. vide dicta c. 11. 4.

Vtraque lectio & ſenſus commodus eſt, & apoſitus; prior tamen communior eſt, ſapidior, pientior & germanior. planè enim videtur reſpicere Apoſtolus ad illud Geneſ. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* atque comparare ſanguinem Chriſti cum ſanguine Abelis: ait enim, *Sanguinis* (Chriſti) *aſperſionem melius loquentem, quàm Abel*, id eſt Abelis, ſcilicet ſanguis. nec enim rectè ſanguis Chriſti cum perſona Abelis comparatur.

VIDETE NE RECVSETIS LOQVENTEM] Nou, *ſanguinem Chriſti meliùs loquentem quàm Abel*, vt dixit v. 24. λαλοῦντα enim, id eſt loquentem, eſt maſculinum, cùm αἷμα, id eſt ſanguinem, ſit neutrum: ſed *loquentem*, ſcilicet Chriſtum ipſum, qui, vt ſequitur, è cælis loquitur nobis. VERS. 25.

SI ENIM ILLI (Iudæi) NON EFFVGERVNT (ſupplicium) RECVSANTES EVM QVI SVPER TERRAM LOQVEBATVR] Moſen ſcilicet, cùm Exodi 32. v. 1. dixerunt ad Aaron: *Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moſes enim hic qui eduxit nos de terra Aegypti, neſcimus quid factum ſit ei.* qua de cauſa, Dei iuſſu cæſa ſunt viginti tria millia Iudæorum, Exodi 32. 28.

MVLTO MAGIS NOS (non effugiemus ſupplicium) QVI DE CÆLIS LOQVENTEM NOBIS AVERTIMVS] qui ſcilicet auerſamur & repellimus Deũ & hominem, qui è cælo locutus eſt nobis, cùm poſt aſcenſionem ſuam, legem Euangelicam promulgauit in Sion in Pentecoſte, & è cælo miſit Spiritum ſanctum, ſpecie linguarum ignearum in Apoſtolos; quiq; indies è cælo loquitur nobis, tum exteriùs per Paulum alioſq; prædicatores à ſe miſſos, edoctos & illuminatos; tum interiùs per ſanctas inſpirationes.

Chriſtus dupliciter nobis loquitur, interiùs & exteriùs.

Græca iam non habent, τὸν *loquentem*, ſed tantùm τὸν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν, id eſt, eum qui è cælis eſt, & è cælis deſcendit in terram, vt vos doceret. Verùm Syrus, Chryſoſt. Theophyl. & Oecum. vel legunt, vel ſubintelligunt τὸ *loquentem*; habetq; emphaſim: magna enim energia dicitur, Videte ne à Chriſto ad Moſen, à chriſtianiſmo ad iudaiſmum redeatis, quia Moſes in terra, putà è Sina, dedit ſuam legem, Chriſtus verò legem Euangelicam eloquitur & docet è cælo: Moſes terreſtris, Chriſtus cæleſtis eſt legiſlator & doctor.

CVIVS VOX MOVIT TERRAM TVNC] *Cuius*, ſcilicet Chriſti, qua Deus eſt, *vox tunc*, cùm ſcilicet voce tubali legem dedit in Sina, *mouit terram*, per terræmotum, quo Sina montem concuſſit, pſalm. 67. q.d. Videte ne recuſetis Chriſtum loquentem, quia Chriſtus potentiſſimus eſt legiſlator, iudex & vindex: Chriſtus enim per ſuos angelos dans legem in Sina, eumdem ingenti fragore concuſſit; iam verò in lege noua, non tantùm Sina, aut globum terræ, ſed & cælos ipſos commoturum ſe repromittit. timete ergo Chriſti loquentis, legemq; ſuam promulgantis potentiam & vindictam. VERS. 26.

Potentia & vindicta Chriſti legiſlatoris timenda.

NVNC AVTEM REPROMITTIT DICENS: ADHVC SEMEL, ET EGO MOVEBO NON SOLVM TERRAM, SED ET CÆLVM] *Nunc*, ſcilicet tempore Aggæi Prophetæ, per ipſummet Aggæum Chriſtus repromittit, quòd adhuc ſemel, non ſolùm Sina & terram, ſed & cælum commouebit, putà per ſeipſum, cùm carnem humanam aſſumet, fietq; homo. Verba Aggæi c. 2. ſunt iſta: *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus.*

Aggæus loquitur de primo aduẽtu Chriſti in carnem.

In quibus Nota Primò, Aggæum loqui de primo Meſſiæ aduentu in carnem & mundum, non autem

autem de secundo eius aduentu ad iudicium. ita S. Hieron. ibidem, Cyrill. l. 5. in Genes. & August. l. 18. Ciuit. c. 35. imò Apostolus hîc.

Secundò, *modicum* tẽpus vocat quingentos annos, qui ab hac Aggæi prophetia fluxerunt vsque ad Christũ, quia Prophetis lumine diuino illustratis, & ad Deum Deique æternitatem eleuatis, omne tempus illi comparatum breue videtur & exile. Sic S. Iohannes epist. 1. cap. 2. v. 18. tempus legis nouæ vocat *horam nouissimam*.

Tertiò, pro *modicum*, LXX. & ex iis Paulus vertunt, ἅπαξ, id est semel: vtrumque enim significat Hebræum אחת *achat*, & vtrumque huic Prophetæ loco cõuenit: cùm enim ait, *adhuc semel*, significat hanc commotionẽ faciendã à Christo in lege noua fore secundam & vltimam. q. d. Prima commotio terræ facta est in prima lege veteri, data in Sina: secunda & vltima fiet in secunda & vltima lege Christi, quæ immobilis erit & æterna, cuique nulla lex alia succedet.

Vltima terræ concussio in lege noua.

Quartò, pro *commouebo*, hebraicè est מרישׁ *marisch*, quod non solùm commouere, sed & tremefacere, pauorem & trepidationem inducere significat. LXX. & ex iis Paulus vertunt σείω, id est concutio, scilicet partim terram & cælum, partim ipsas gentes.

Quintò, *desideratus cunctis gentibus*, vel, vt hebraicè est, חֶמְדַּת כָּל הַגּוֹיִם *chemdat col haggoim*, id est, desiderium omnium gentium, est Christus, licet enim gentes, quamdiu Gentes & infideles erant, Christum non desiderarent, tamen Christus in se eis desiderabilis erat, vtpote eorum saluator & redemptor, omnesq; gentes, mox vt de Christi vita & miraculis per Apostolos inaudierunt, Christum desiderare cœperunt. qua de causa Christus à Iacob patriarcha, Genes. 49. v. 10. & 26. vocatur, *Expectatio gentium, & desiderium collium æternorum*, id est desiderium Patriarcharum & Prophetarum priorum & antiquorum sæculorum, qui cæteris hominibus, quasi colles in terra eminuerunt, & præcelluerunt sua sapientia & sanctitate.

Christus quomodo desideratus cunctis gentibus.

Quæres, quando & quomodo commouerit & concusserit Deus cælum, elementa & gentes tempore Christi? Respondeo, *cælum* commouit, quando angeli Christo nato cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo*: & quando nouam stellã dedit Magis, quæ eos duceret ad Christum. aliis item pluribus prodigiis cælum commouit, quæ circa natiuitatem Christi contigisse narrat Paulus Orosius l. 6. Hist. c. 20. & Iulius Obsequens l. de Prodigiis c. 128. & seqq. Sic in passione Christi cælum commouit Deus, quando eclipsin solarem, & tenebras, luctumque toti orbi miraculosè induxit.

Deus commouit cælũ in natiuitate & passione Christi,

Secundò, tempore Christi Deus commouit *mare & terram*, tum per prælia Augusti Cæsaris cum Antonio, Lepido & gentibus exteris, terra mariq; gesta, tum in descriptione totius orbis, qua terra mariq; omnes ad suas vrbes remeare sunt coacti, seque præsidibus Romanis sistere, vt describerentur, eique tributum penderent: tum denique in passione Christi, quando terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumentis apertis mortui resurrexerunt.

terram & mare,

Tertiò, omnes *gentes* commotæ & tremefactæ sunt tempore Christi, quia ad prædicationẽ Christi & Apostolorum, salutari metu concussæ, conuerterunt se ad Christi fidem, pœnitentiam, mutationem morum, gratiam & salutem.

omnes gentes.

A Hunc Aggæi & Pauli locum enarrans, partim litteraliter, partim mysticè & anagogicè Nazianz. orat. 5. de Theolog. c. 3. ait, in Scripturis triplicem audiri terræmotum. Primus fuit ille, quo Hebræi in Sina à Deo terrefacti & inducti sunt ad seruandam legem. Secundus terræ motus factus est terrenis Iudæis & Gentilibus, cùm hi abidolis, illi à lege concussi & conuersi sunt ad Euangelium. Tertius terræ motus est, cùm ab Ecclesia præsenti commouemur, & transimus ad triumphantem, cumque à terra conscendimus in cælum.

Triplex terræ motus in Scriptura.

QVOD AVTEM ADHVC SEMEL, DICIT; DECLARAT MOBILIVM TRANSLATIONEM, TANQVAM FACTORVM, VT MANEANT EA QVÆ SVNT IMMOBILIA] Per *mobilia*, Theophyl. intelligit cælum, terram, mare & gentes, de quibus v. præc. dixit, *Ego mouebo cælum & terram*, &c. hæc enim vtpote creata, *mobilia sunt*, id est, mutationi & corruptioni obnoxia, græcè σαλευόμενα, id est instabilia, quæ fluctuant, agitantur & concutiuntur. Horum *mobilium* in die iudicij & aduentus Christi, *fiet translatio*, id est immutatio, *tamquam factorum*, id est, tamquam rerum factitiarum, & conditarum ad tempus, quæ natura & conditione sua intereunt, vt mutentur in res incorruptibiles, immobiles & æternas, putà in cælum nouum, & terram nouam, quæ maneant in æternum. VERS. 27.

Verùm meliùs & germaniùs per *mobilia* accipias tabernaculũ Mosaicum, manufactũ, arcam, Cherubim, cæteraq; tam vasa, quàm sacra, sacrificia & ritus veteris legis; hæc sunt *mobilia*, quia amota sunt per legem Christi, quam Apostolus hîc vocat *immobilia*: hoc enim est, quod paulò antè, imò tota pænè epistola probat & inculcat Apostolus, q. d. Vox *semel*, qua vtitur Aggæus, cùm dicit, *Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed & cælum*, declarat vetus testamentum cum suis vasis & cæremoniis mobile & transferendum esse, & ad hoc significandũ, datum esse cum terræmotu. hic enim terræmotus legis cum eo datæ motũ & mutationẽ significabat. Hæc est ergo *mobilium* rituum veterũ translatio & abrogatio, *tamquã factorũ* id est, tamquam rerum & figurarum; quæ verè factæ & impletæ sunt per Christi passionẽ, & legem nouam, quæ illi succesit, quasi regnum immobile & æternum. Agite ergo, ô Hebræi, mobiles cæremonias legis veteris iam abrogatas relinquite, immobiliter adhærete Christo, eiusque legi immobili.

Mobilia vocat Paulus sacra, & ritus veteris testamenti.

Lex vetus data cum motu, quia mobilis.

Nota. Lex Christi dicitur *immobilis*. Primò, quia numquam mutanda est vel abroganda, sed semper manebit, nec alia lex ei succedet. Secundò, quia ducit nos ad immobilia bona, regnum, & gaudia futuri sæculi. Res enim Christi & Christianorum maximè fine suo æstimantur.

Lex Christi dupliciter immobilis.

ITAQVE REGNVM IMMOBILE SVSCIPIENTES, HABEMVS GRATIAM: PER QVAM SERVIAMVS PLACENTES DEO] *Regnum immobile* vocat legem Euangelicam, per quam Christus regnat in nobis, nosque in ea reges facit, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, qua regnum Dei, siue regnum cælorum possidebimus. VERS. 28.

Secundò, pro *habemus*, Syrus & Græca iam legunt ἔχωμεν, id est habeamus, hoc est, retineamus gratiam. Sed hoc obscurius est. magis ergo videtur legendum esse ἔχομεν, id est *habemus*: vice versa, pro *seruiamus* græcè legitur λατρεύομεν, id est seruimus, per ο, cùm legendum sit per ω, λατρεύωμεν, id est seruiamus.

Tertiò,

Tertiò, pro *seruiamus placentes Deo*, græcè est λατρεύωμεν εὐαρέστως τῷ θεῷ, id est, *latria colamus Deū, beneplacenter*, hoc est, ita, vt illi benè multumq́; placeamus. Syrus pro *placeamus* vertit נְשַׁפַּר *nesspar*, quod emphasin. q.d. Vt Deo pulchrescamus, vt Deus seruitio nostro quasi re quapiā pulcherrima delectetur, vt fide & pietate nostra oblectet se, vt pulchri, specioſi & gratioſi simus in oculis eius.

Est hîc nouus stimulus, quo Hebræos tacitè excitat ad pergendum fortiter in fide & lege Christi. q.d. Cùm Ecclesia Christi sit regnum immobile, in quo per Christum datur nobis gratia, qua ipsimet Deo iugiter seruiamus & placeamus; agite ô Hebræi, retinete hanc gratiam, hoc regnum Christi immobile & æternum.

CVM METV ET REVERENTIA] Pro *metu*, græcè est αἰδῦς, id est *pudore*, siue *verecundia*, quæ nō est aliud, quā timor, siue metus dedecoris & probri, vt docet Arist. 4. Ethic. c. 9. quare Nosterinterpres rectè vertit *metu*. Sic Homer. Iliados α ait αἰδεῖσθαι ἱερῆα, id est, reuereri sacerdotem, sc. Chrysem; vbi αἰδὼς, id est pudor, capitur pro εὐλάβεια, id est metu religioso, siue reuerentia. vult ergo Apostolus nos Deo seruire cum *pudore & metu*, quo sc. pudeat nos Primò, quòd tam frigidè & negligenter tantæ maiestati seruimus. Secundò, quòd peccata etiamsi venialia dūtaxat, coram Deo nostro committimus. peccatū enim est res turpis & probrosa, quæ menti piæ ingentem pudorem injcit, vti multis Sanctis iniecisse legimus. Ita enim Dauid psal. 43. 16. *Confusio faciei meæ cooperuit me*. & Baruch c. 1. 15. *Domino*, inquit, *Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ*. & Daniel c. 9. 7. *Tibi*, inquit, *Domine iustitia, nobis autem confusio faciei, quia recessimus à te*, &c. Tertiò, pudore hoc timemus confundi à Christo in die iudicij, ideoq́; studiosè cauemus & fugimus peccata omnia. vnde Theoph. sic explicat, *Cum metu*, inquit, (vel potiùs *cum pudore*: hunc enim significat propriè Græcum αἰδὼς) *hoc est, nihil impudens loquamur, nihil inuerecundum, quin etiam exterior facies verecundiam habeat erga homines*. Quamquam Apostolus magis de verecundia erga Deum, quàm erga homines loquatur. de reuerentia dixi c. 5. 7. in fin.

Deo seruiēdum cum pudore & metu ob tres rationes.

VERS. 29. ETENIM DEVS NOSTER IGNIS CONSVMENS EST] Vox *etenim* dat causam, cur Deo cum metu & reuerentia seruire debeamus. causa hæc est: quòd Deus noster instar ignis punit, vrit & consumit eos, qui carent hoc suo metu & reuerentia.

Secundò, vox *noster*, emphasim habet. q.d. Non solùm apud Iudæos Deus fuit ignis puniens & cōsumens idololatras, alioſq́; legis violatores, vt dicitur Deut. 4. 24. sed etiamnū apud nos Christianos Deus pariter est ignis vindicans, & consumēs peccatores & apostatas à Christo, Christiq́ue lege.

Deus in Scripturis passim se exhibuit per ignem.

Nota. In Script. passim Deus se per ignem exhibuit & ostendit hominibus, vt meritò vocet se ignē consumentem Deut. 4. Ita Mosi apparuit Deus in rubo ardenti. Exodi 3. 4. & Hebræis incolūna ignis & nubis, Exodi 13. 21. Danieli quoq; c. 7. 9. *Thronus eius*, inquit, *flamma ignis, rotæ eius ignis accensus: fluuius igneus egrediebatur à facie eius*. S. Iohanni etiam Apoc. 1. 15. *Oculi*, inquit, *eius tamquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti*. Sic Apostolis in Pentecoste apparuit Spiritus S. in linguis igneis. Sic in Sina Deus daturus legem Hebræis per ignem se ostendit. vnde dicitur Deut. 4. 15. *Locutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis*. Idem fecit iniens fœdus cū Hebræis, Exodi 24. 17. *Erat*, inquit, *species gloriæ Dominii quasi ignis ardens*, quia Deus instar ignis acerrimè cruciaturus & vindicaturus erat fœderis huius & legis suæ transgressores. Ita de Deo puniente Sennacherib, & occidente 185. millia Assyriorum, dicit Isaias c. 10. 17. *Et erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur & deuorabitur spina eius, & vepres eius in die vna, & gloria saltus eius, & carmeli eius, ab anima vsque ad carnem consumetur, & erit terrore profugus* Sennacherib.

Locus Isaiæ c. 10. explicatus & illustratus, de clade Sennacherib.

Vbi Nota. Per *lumen Israel & sanctū eius* intelligit Isaias Deū, vel certè angelū Dei, qui cecidit castra Sennacherib igne, id est, clade velocissima, vehementissima, & quasi ignita. Rursum *igne*, quia, vt docet S. Hieron. ibid. tradūt Hebræi corpora Assyriorū feriente angelo illæsis vestibus & armis occulto igne esse consumpta. Hinc *situā* vocat Isaias constipationē armatorum militū Sennacherib, qui cristis, galeis & hastis densissimā siluam referebāt. *Carmelum* vocat copiosum commeatū, & omnium rerū abundantiam: ob fertilitatem enim loci abijt Carmelus in prouerbiū. Vnde ait, *Et deuorabitur spina eius & vepres*, id est, milites tā maiores, quàm minores occidentur: *& gloria saltus & carmeli*, id est, duces & principes exercitus, *ab anima vsque ad carnem*, id est omnino, siue toti *consumentur*, tū morte præsenti, tū æterna. Hoc enim significant hæc prouerbia Hebraica. Alludit Isaias, vt rectè notauit Forerius, ad ignem cælo delapsum, qui in templo perennis ad sacrificia comburenda alebatur; quasi hic ignis cultus Dei & auitæ religionis vindex (instar colūnæ ignis, quæ Hebræis consolationem & lucem, Ægyptijs terrorem & tenebras attulit) Iudæis sanctificationem & liberationē, Assyrijs vastitatem attulerit, è templo in eos insiliens. Vnde clariùs eōdem alludens Isaias c. 31. 9. ita ait: *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem*. q.d. Hanc cladem Sennacherib & Assyriorum prædixit Dominus Deus, qui colitur sacrificijs & igne perpetuo (parato ad sacrificia hæc inflāmanda) in Sion, & in templo; vt hostes suos Assyrios instar stipulæ & lignorū egrediens de Ierusalem, quasi flamma consumat, inquit S. Hieron. ibid. de quo plura in Isaia dixi. Gentiles quoq; Deum per ignem repræsentarunt, & definiuerūt. Zoroastres & Platonici ita Deum describunt: *Deus*, inquiunt, *est ignis primus, vitifer, siue vitam cunctis afferens, ex quo ignes siderei, id est stellæ, & astra, omniaq́, alia sunt genita*. Quò alludens Horatius de Iulio Cæsare, quasi inter deos relato, ita canit:

Micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Ignis perennis è cælo delapsus ad sacrificia comburēda alebatur in templo.

Gentiles Deum per ignem repræsentarunt.

Et Virgilius ita stellas tamquā ignes animatos & diuinos, id est, tamquā deos, inuocat & contestatur:

Vos æterni ignes, & non violabile numen
Testor.

Apollo quoque rogatus quis esset. & quid omnino esset Deus? respondit: *Per se natus, non doctus, sine matre, immotus, neq́; in rationem, neq́; in sermonem cadens, in igne habitans, hic est Deus: parua verò Dei portio sumus angeli nos*. Denique Persæ coluerunt Deum specie ignis, & igni templum erexerunt, vt patet 2. Machab. 1. 34. Causa cur Deus potiùs igne quàm alijs rebus se ostenderit, est, Primò, ne, si alia quàm ignis specie apparuisset, v.g. specie hominis, aut animalis alicuius, Iudæi in idola procliues illius idō-

Persæ templum igni erexerunt.

Obduas rationes Deus potiùs in

igne, quàm alia figura se exhibet.

idolum facerent & colerent: hanc causam dat Moses Deuter. 4. 16. Secundò, quia ignis est primum & nobilissimum elementum, purissimum, subtilissimum, efficacissimum, sublimissimum, celerrimum, lucidissimum, calidissimũ, simplicissimum, omnino impassibile, omnia penetrans, omnia consumens, interminum, omnia igniens, & sibi assimilans. Talis est & Deus, Deiq; gratia & charitas. ita docet S. Dionys. de Cælesti hierarch. cap. 15. & S. Thomas in 10 Isaiæ: quamquam Apostolus hîc Mosem secutus, non de gratia, sed de vltione Dei loquitur, ab eaque vt potè terribili & efficacissima, Deum vocat ignem consumentem, vt dixi initio huius versus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Hebræos ad charitatem fraternam, hospitalitatem, misericordiam, castitatem coniugalem, fugam auaritiæ, imitationem præpositorum.

Secundò, v. 9. monet ne doctrinis nouis & varijs sinant se abduci, sed gratia stabiliant cor, sumendo scilicet Eucharistiam ex altari, quod Christus non Iudæis, sed Christianis dedit.

Hinc Tertiò, v 11. ex typo veteri hostiæ publicæ pro peccato, quæ cremanda erat extra castra, allegoricè concludit: Exeamus igitur ad eum (*Christum*) extra castra, improperium eius portantes.

Quartò, v. 17. iubet vt obediant suis præpositis, vtq; pro se orent.

Denique, v. 20. bene eis precatus salutationibus de more claudit epistolam.

1. CHaritas fraternitatis maneat in vobis. 2. Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis. 3. Mementote vinctorum tamquam simul vincti: & laborãtium, tamquam & ipsi in corpore morantes. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. 5. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. 6. ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. 7. Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. 8. Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. 9. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. 11. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. 12. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. 13. Exeamus igitur ad eũ extra castra, improperiũ eius portantes. 14. Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. 15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentiũ nomini eius. 16. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. 17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gemẽtes: hoc enim non expedit vobis. 18. Orate pro nobis: confidimus enim quia bonã conscientiam habemus in omnibus bene volentes conuersari. 19. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celeriùs restituar vobis. 20. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, 21. aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum: Amen. 22. Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis. 23. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos. 24. Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. 25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

VERS. 1. CHARITAS FRATERNITATIS MANEAT IN VOBIS] Græcè est φιλαδελφία, id est charitas fraterna, vel fratrum, qua Christiani se inuicem diligunt, tamquam fratres, ex eadem matre Ecclesia, & ex eodẽ patre Christo geniti, de qua dixi Rom. 12. 10.

Nota. Non dicit *sit*, quia iam erat in eis, vt patet c. 10. 34. sed *maneat*, q. d. Pergite, vti cœpistis, inuicẽ iuuare & fouere, nec permittite, vt ob persecutiones, exilia & expilationes, hæc charitatis officia intepescant, néve dicatis; Alios iuuare non possumus, B quia nos ipsi à Iudæis bonis spoliati, & ad paupertatem redacti, aut propediem redigendi sumus.

VERS. 2. ET HOSPITALITATEM NOLITE OBLIVISCI] Loquitur, vt rectè notat Galenus, de susceptione non Gentilium, sed fratrum, siue Christianorum, quibus olim erat nefas ad Gentilium ædes & hospitia diuertere: sed in Episcoporum domos suscipiebantur, & à viduis tractabantur, adeoque pedes eorum lauabantur, vt satis insinuat Apostolus 1. Timoth. 5. 10.

Nefas olim erat Christianis diuertere ad Gentiles.

Nota.

Hospitalitas in veteri & nouo testamento commendata.

Nota. Hospitalitas tum in veteri, tum maximè in nouo testamento commendata fuit. In veteri cōmendauit eam Abraham, Lot & Rahab Ierichūtina, quæ hospitio excipiens exploratores Hebræorū per hoc salutem suam & suorū meruit, Iosue 2. Sic & Sunamitis hospitiū dans Elisæo, ab eo filium filijq; mortui suscitationem impetrauit, 4. Reg. 4. In nouo testamento hospites Christi fuerūt Matthæus, Zachæus, Martha & Magdalena; quem inde fructum adepti sint nemo ignorat. Hinc in primitiua Ecclesia mirè viguit hospitalitas inter Christianos, adeò vt Tertull. lib. de Præscript c. 20. hæc tria numeret Catholicæ fidei & communionis symbola, sc. communicationē pacis, appellationem fraternitatis, & cōtesserationem hospitalitatis. *Quæ iura*, inquit, *non alia ratio regit, quàm eiusdem sacramenti vna traditio.* vbi per contesserationem hospitalitatis, Tertullianus intelligit certum aliquod signum, quasi tesseram christianismi, quod qui afferret, vbilibet à Christianis, quasi Christianus, amicus & frater hospitio perbenevolè excipiebatur.

Tessera hospitalitatis apud Christianos quæ & qualis.

Hoc signum cùm adulterassent hæretici, à Catholicis sæpè mutatum est, ac tandem commissum litteris, quas Patres in Concilio Niceno sanxerunt, & nominauerūt Formatas, quibus subscribi decreuerunt has quatuor Græcas literas, quasi tesseram & professionem christianismi, sc. π. υ. α. π. id est πατὴρ, υἱὸς, ἅγιον πνεῦμα, hoc est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hinc Peregrinus impostor (teste Luciano in eius vita) Christianum se finxit, quia satis sibi viatici esse dicebat in Christianorum hospitalitate; ita vt non tantùm ab illis aleretur, sed etiam in via deduceretur, atque sic quaquauersum stipatus incederet. nam non recipere, nec coniungere oblatam tesseram, idem erat, quod à Catholica cōmunione seiungere; perinde vt apud Gentiles cōfringere hospitalem tesseram, erat amicitiam dissoluere. Hac de causa magnus ille Pachomius (vt habetur in eius vita) cùm adhuc Ethnicus militaret in castris Licinij Imperatoris, Thebasque cum castris venisset, visa Christianorum Thebanorum in commilitones suos hospitalitate & charitate, ad Christum conuersus fuit, tantusque euasit, quantum iam omnes miramur. Neq; solùm primi Christiani hospitalitatem coluerunt, sed etiam ante quingentos annos fuit illa in pretio, imò in præcepto. Nam D. Burchardus Episcopus Wormatiensis, qui floruit sub annum Domini 1020. lib. 1. decretor. c. 94. interrogat. 71. docet Episcopos in solemni parochiarum visitatione, in qua de grauibus criminibus inquirunt, ex officio quasi de crimine interrogare debere, num in parœcia essent, qui ad se venientibus peregrinis aut viatoribus hospitium negarent. De laudibus hospitalitatis vide S. Ambros. l. 2. Offic. c. 21. & lib. 3. c. 7. Chrysost. conc. 2. de Lazaro, Augustin. serm. 70. de Tempore.

Eruditus & laudes hospitalitatis.

Quàm verò hospitalitas clericos deceat, docet c. *Hospitalem*, d. 42. & Conc. Trident. sess. 25. c. 8.

PER HANC ENIM LATVERVNT QVIDAM, ANGELIS HOSPITIO RECEPTIS] Multi legunt *placuerunt*, sed legendum est *latuerunt*. ita enim legunt Romana, & Syrus: idque significat Græcum ἔλαθον. Iam Faber, Catharinus & Vasquez sic explicant, q.d. Lot. eiusque filiæ, & generi suscipientes hospitio angelos, *latuerunt*, id est, non sunt visi à Sodomitis, cùm illi in domum Lot irruentes cæcitate percussi sunt. Verùm id non patitur phrasis Græca: nam, vt eruditè docet Ribera, verbum λανθάνω, A id est lateo, quando participio iungitur, significat actionem, quæ participio illo significatur, latere, vel ipsosmet agentes, vel alios. Sic Aristophanes in Vespis ait, *seruiens latuisti*, id est seruire te ignoras. sic Plutarchus librum inscripsit, hoc titulo, λάθε βιώσας, id est, late cùm vixeris, latenter viue, vt nemo te vixisse sentiat: felix enim est qui latuit. Est ergo hypallage, *latuerunt angelis receptis*, id est, latenter, vel nescientes angelos receperunt; latuit illos, quòd hospites essent angeli; non senserunt esse angelos, sed putabant esse homines. itaque in hac actione Abraham & Lot latuerunt seipsos, id est, non senserunt id, quod ipsimet agebant: putabant enim se recipere homines, cùm non homines, sed angelos reciperent. ita Chrysost. Theoph. Oecum. Theodor. & Syrus, qui ita vertit, *hoc enim quidam meruerunt, vt* לא רגישין *la regisin*, id est, *cùm minimè sentirent, angelos exciperent.* q.d. Hospitalitas tanti est meriti, vt angeli eis qui hospitales erant se hospites obtulerint, quasi homines essent, vt contigit Abrahamo Gen. 18. 2. & seqq. & Lot Gen. 19. 1. Idem contigit S. Gregorio Magno Pontifici, idque sæpiùs, vt patet l. 1. Vitæ eius c. 10 & l. 2. c. 22. & 23. Hospitalitas ergo tanta est virtus, vt interdum mereatur pro hospitibus angelos habere, velut si piscator pro pisce gemmam hamo suo attrahat.

Latuerunt, id est, latēter angelos inscij receperunt.

Plures Sancti hospitales angelos receperunt.

Audi & S. Ambrosium l. de Abraham c. 5. *Quis scis*, ait, *an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque angelos eius suscepit hospitio: quamuis & cùm hospitem suscipis, Deum suscipis. sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino Iesu: Hospes eram, & collegistis me. quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi feciſtis. Vnius horæ hospitio, vidua illa quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt numquam farina de hydria deficeret. Elisæum quoque defuncti pignoris resuscitatione donata, hospitij resoluit pensionem* Hæc & plura Ambros.

Nota. Licet nonnulli velint Abraham & Lot agnouisse statim hospites suos esse angelos, tamen longè verius est contrarium; scilicet initio eos id nō sciuisse: angeli enim formam humanam assumpserant, & meri homines esse videbantur. vnde Abraham ait eis, *Ponam q̄ buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Si angelos esse sciuisset, non dixisset, *confortetur cor vestrum.* sciebat enim angelos cibo nostro non confortari: paulò pòst tamen cùm angelus Saræ filium, & Lot excidiū Sodomæ prædixit & promisit, agnitus est ab Abrahamo & à Lot, non esse homo, sed angelus.

Quando Abraham & Lot agnouerint angelos à se receptos.

Nota Secundò. Chrysost. putat hîc laudari Abrahamum, quòd latenter & inscius receperit angelos, eisq; tantam exhibuerit humanitatem, cùm putaret esse homines. nihil enim magni erat hoc præstare angelis cognitis. Verùm Apostolus non tam de laudibus Abrahæ, quàm de laudibus hospitalitatis hîc agit. magna enim hospitalitatis laus est, quòd angelos ad suum hospitium pellexerit, & ex hac laude Apostolus Hebræos ad hospitalitatem incitat & impellit.

MEMENTOTE VINCTORVM TAMQVAM SIMVL VINCTI] Ab hospitibus transit ad confessores, ob fidem Christi in vincula coniectos. q.d. Ita vinctorum Christi miseremini, ac si vos ipsi vincti essetis, putatote vos simul cum eis teneri in vinculis, completos situ, pædore, & alijs innumeris ærumnis, ac tum quod vobis ab alijs exhiberi cuperetis, VERS. 3.

ipsi præstate: qui enim alienâ miseriam experitur, aut illâ sibi viuaciter in seipso repræsentat, hic facilè alteri, non quasi alteri, sed quasi sibi ipsi compatitur & succurrit. Aliter Ribera explicat: *memento te vinctorum, tanquam simul vincti*, id est, inquit, quia vos quoq; vincti estis in corpore, quasi in carcere: vt ergo ex hoc carcere Deus vos in plenâ libertatem & felicitatẽ educat, hac de causa vos ipsi alijs vinctis cõdolete, & benefacite: beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiâ consequentur; & qualẽ te exhibes proximo maximè afflicto, talẽ se tibi exhibebit Deus. Hic sensus bene respõdet sequentibus: videtur enim Apostolus explicare τὸ *tanquam simul vincti*, per id quod sequitur, *tanquam & ipsi in corpore morantes*, qui si non ægrotatis, aut non affligimini, ægrotare tamen affligique potestis. ita & Maldon. in Notis manuscr. quæ in Collegio Romano extant. Prior tamen sensus planior est.

τὸ vincti, duplicem patitur sensum.

ET LABORANTIVM] Græcè κακουχουμένων, id est, *eorum qui affliguntur, & malè tractantur* à Iudæis aut Gentibus, propter fidem Christi.

TAMQVAM ET IPSI IN CORPORE MORANTES] Nonnulli sic explicãt, q.d. Putatote vos esse in eorũ corporibus, fingite vos esse ipsos, illorum personam induite. Verùm simpliciùs hæc accipiemus de corpore proprio cuique. q.d. Memento afflictorũ, cogitantes vos circumgestare corpus ijsdẽ malis obnoxiũ, in quo possitis similia pati, & cui propediẽ idem possit contingere. si ergo vides aliquẽ afflictũ & gementem, ideoq; murmurantem, impatientẽ & penè desperantẽ, compatere & consolare illũ, considerans idẽ tibi posse accidere; &, si tu illius loco fores, te similiter facturũ, ni Deus te præseruaret. Verè S. Aug. in Sententijs n. 75. *Corpus*, ait, *carnis nostræ ornamento nobis fuit: peccauimus, & cõpedes inde accepimus, vt vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus præpediretur.*

Motiuum compassionis.

VERS. 4. HONORABILE CONNVBIVM IN OMNIBVS, ET THORVS IMMACVLATVS] *In omnibus*, supple personis, ac consequenter etiam in sacerdotibus & monachis, honorabile connubium est, inquit Lutherus & Beza. Verùm si sic exponas τὸ *in omnibus*, sc. personis; sequetur etiam inter fratres & sorores, matres & filios, patres & filias, honorabile esse coniugium. quod horrendum est etiam ipsis hæreticis.

Lutheri & Bezæ putida & falsa de sacerdotum coniugio doctrina.

Catholici ergo dupliciter hunc locũ explicant. Primò, assertiuè, vt intelligatur verbum *est*: idque Primò, q.d. Connubiũ honorabile est in omnibus quæ connubij sunt, siue sacramentum, siue fidem, siue prolem consideres. ita Oecum. Secũdò, *in omnibus*, id est apud omnes. q.d. Nemo debet coniugium reprehendere, etiamsi virginitatem ipse profiteatur. ita Fulgent. l. de Fide ad Petrum c. 5. Tertiò, *in omnibus*, supple legitimè coniunctis, quicunque illi sint, siue senes, siue iuuenes, siue diuites, siue pauperes, siue Græci, siue Iudæi, honorabile est coniugium. ita Theoph.

Vera sensus huius loci.

Secundò, alij, & magis appositè ac genuinè, hæc verba accipiunt imperatiuè, intelliguntq; verbum non *est*, sed *sit*. Est enim præceptũ, quod datur coniugibus. q.d. *In omnibus*, id est, omni in re, seruate honestatẽ, decus & honorem coniugij vestri, vt fidem mutuo datam præstetis, atq; amicè, pacificè, honesteq; cum coniugibus vestris viuatis, nullaque in re ius matrimonij violetis, coniugemque & vos ipsos dehonestetis, & dedecore afficiatis; præsertim verò vel maximè curetis, vt *thorus vester sit immaculatus*, vt sc. nec adulterio, nec mollitie, nec etiã in ipso coniugio alia libidine, quam natura & pudor coniugalis refugiant, maculetur, sed tantùm vtamini copula maritali, quam natura generationi destinauit. Hoc enim præceptum hîc dari coniugibus patet ex eo, quod subdit: *Fornicatores enim & adulteros iudicabit* (id est, condemnabit & puniet) *Deus*. Hisce enim verbis dat causam, cur matrimonium honorari, thorumque immaculatum seruari iusserit; quia si secùs fecerint, ipsumque coniugium & thorum dehonestent & commaculẽt adulterio, fornicatione, aliáve libidine, sentiẽt Deum vltorem & vindicem. ita Chrysost. Theoph. & alij. Hæc enim est secunda epistolæ pars ethica, in qua de more Apostolus, non dogmata, sed morum præcepta congerit & transscribit. alioqui quorsũ quæso hic ex abrupto suis de eleëmosyna præceptis intexeret dogma de honestate coniugij? quis enim hoc ignorat? quis Iudæorum id negauit? sanè sicubi, apud Iudæos in honore erat coniugium.

Nota. Pro *honorabile*, græcè est τίμιος, quod Syrus rectè vertit ܝܩܝܪ *meiakaru*, id est, pretiosum, vt sc. connubium quasi res magna & sancta in magno pretio & honore habeatur: nam, vt ait Apostolus Ephes. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

FORNICATORES ENIM ET ADVLTEROS IVDICABIT DEVS] Licet violatio coniugij sit adulterium, non fornicatio, meminit tamen Apostolus fornicationis quoque, quia illa crebra erat inter Gentes, imò putabant Gentes illam esse licitam: vnde ab Apostolis expressè prohiberi debuit. Actor. 15. 20. Iam sensus est, q.d. Ne quis adulteretur, aut fornicetur, Deus in remedium concupiscentiæ instituit honorabile coniugium: illud cuiuis amplecti licet, vt si eo relicto fornicetur, inexcusabilis sit, ideoque à Deo iudicandus & damnandus.

Fornicatio illicita, eius remedium matrimonium.

SINT MORES SINE AVARITIA] Innatum enim videtur Hebræis auaritiæ vitium & terrenorũ cupido. Vnde etiamnum Iudæi nonnisi vsuris & lucris studeant, eaque ex rebus sordidis & viliſſimis captant. Caiet. Græcum τρόπος vertit, modus vel moderatio. q.d. Sit modus sine auaritia, id est, inquit ipse, auaritia non imponat modum actionibus vestris, sed potiùs ipsa æquitas animi, & moderatio modum ponat auaritiæ, cæteris què vitijs. Sed siniſtra & hiulca est hæc interpretatio: τρόπος enim non tantùm modum, sed etiam mores significat, & mores dicuntur esse auari sordidi, illiberales, non autem ipse modus, vel moderatio dicitur esse auara.

VERS. 5.

Iudæi dediti auaritiæ.

CONTENTI PRÆSENTIBVS] q.d. Vestra sorte & opibus quas habetis contenti, nolite studere augendis semper & accumulandis diuitijs: hoc enim est auari, soliciti nimis, inquieti & insatiabilis animi, hoc præsertim tempore, quo pro fide opes prodigere oportet.

Quàm auaritia sit sordida & homine indigna, audi Philosophos id docentes. Bion de diuite auaro dixit: *Hic facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates.* ita Laërtius l. 4. c. 7. Idem aiebat auaritiam esse omnis improbitatis metropolim.

Gnomæ in odium auaritiæ.

Anacharsis, *Auari*, inquit, *qui lucri cupiditate pernauigant maria, incerti de reditu, quatuor digitis absunt à morte*: hæc enim est spissitudo nauium quibus vehuntur. ita Laërtius l. 1. c. 9.

Curius Romanus rapas comedens repudiauit aurum Samnitium dicens, *malle se pecuniam eam habẽ-*

habentes, regere, quàm ab ea regi. Diuitiæ enim non A saturant. ita Val. Max. l. 4. c. 3. & 4.

Crates Thebanus vt melius philosopharetur, opes omnes in mare proiecit: *Malo*, inquit, *te perdere, quàm vt me perdas.* ita Laërtius in eius vita.

Democritus auaritiam iudicabat miseriorem extrema paupertate. Maiores enim cupiditates, indigentias quoque maiores faciunt.

Diogenes auaros cõparabat hydropicis: illos enim argento plenos, hos autẽ refertos aqua, amplius desiderare, idq; vtrosq; in magnam sui perniciem dicebat. Idem de Anaximene: *An non pudet*, inquit, *eum tam multa habere, cùm non habeat seipsum?* indicans auarum esse extra seipsum.

Socrates aiebat, *nec à mortuo petendum colloquiũ, nec ab auaro beneficium.* Idem cùm in pompa magnam vim auri & argenti ferri videret: *Quàm multa*, inquit, *non desidero.* B

Plato ad auarum, *O improbe*, dixit, *ne possessioni augendæ studeas, sed minuendæ cupiditati.*

Timon censuit duo esse elementa malorum, auaritiam & ambitionem.

Aristoteles dixit auaros ita agere, ac si numquam essent morituri: nihil enim dant, & omnia retinẽt.

Lycurgus opes & auaritiã Sparta expulit. Vnde Sparta sexcentis annis in Græcia primas tenuit & legum æquitate & gloria. Deinde oraculum Theopompo regi prædixit: *Pecuniarum amor Spartam perdet:* itaque euenit.

Iugurtha de Roma dixit: *O vrbem venalem, & mox perituram, si emptorem inuenerit!*

Alfonsus rex ministros suos auaros vocat Harpyias aulæ suæ.

Denique S. Hieron. dicere solebat, *auaro tam illa quæ habet, quàm quæ non habet, deesse.* Quin & hoc C Stoicorum fuit dogma, virum bonũ esse diuitem, & sapientis esse omnia. Vnde & Chilon dicebat, *hominum bonitatem probari auro, perinde ac aurum probatur Lydio lapide.* Auari enim ob aurum omnia iura peruertunt.

Eo ergo magis eris dominus rerũ tuarum, imò totius mundi, quo minùs es cupidus: *Auarus enim terrena esurit vt mendicus, fidelis contemnit vt dominus*, ait S. Bernardus.

IPSE (Deus, qui præcessit v. 4.) ENIM DIXIT: NON TE DESERAM, NEQVE DERELINQVAM] Sunt verba Dei ad Iosue c. 1. *Sicut fui*, inquit, *cum Mose, ita ero tecum, non dimittam, nec derelinquam te.* q. d. Nolite esse soliciti de congregãdis opibus ad vitam tuendã necessarijs, fidite Deo, ipse de necessarijs vobis prouidebit. Ipse enim dixit Iosue, & in Iosue omnibus suis fidelibus seruis & amicis promisit & di- D xit: *Non te deseram, nec derelinquã.* Vatabl. Erasm. & Caiet. Græca, ἀνῶ & ἐγκαταλείπω, putant esse præsentis temporis, vertuntque, *non te desero, nec derelinquo.* sed falluntur: sunt enim aoristi, qui vim habent futuri, significantque, *non te deseram, nec derelinquam*, vti vertunt Græci & Syrus, quin & Beza. Si enim ἐγκαταλείπω esset præsentis temporis, scribendum esset per ει, non per simplex ι. Pari modo modo dixit Deus Abrahæ, Genes. 15. *Ego protector tuus*, hebraicè אָנֹכִי מָגֵן לָךְ *anochi magen lach*, id est, ego sum scutum tuum. *Deus noster protector & scutum.*

Notum est Alciati emblema militis, qui scutum, quo omniũ hostium tela exceperat, cymbam fecit, qua fluuiũ pedibus impermeabilem traiecit, indeq; clypeũ osculatus, Hic, inquit, verus & solus amicus mihi fuit, cùm premereṛq; solo, cùm premererque

salo. Tale scutum vbiq; & in omnibus Abrahæ, alijsq; Sanctis fuit & est Deus, præsertim in tentatione & persecutione. Hinc Philo, cum alijs Iudeis apud C. Caligulam Cæsarem accusatus ab Apione, quòd Cæsari diuinos honores non tribueret, eiectus ex aula, socijs Iudæis respondit: *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius: quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium.* Testis est Euseb. l. 2. Histor. c. 5.

Hac spe in Deum obfirmatus S. Iohãnes, qui eò quòd mirè coleret silẽtium, Silentiarius est dictus, cùm relicto episcopatu in monasteriũ clanculum sese recepisset, & in disciplinã S. Sabæ tradidisset; atque Alamundarus cum suis Sarracenis Palæstinam, eiusque monasteria vastaret, & multa hominum millia in seruitutem abduceret; cæteris fugientibus solus Iohannes Silentiarius in monasterio remansit, ponens Altissimum refugium suum. Vrserunt eum monachi, vt & ipse fuga sibi consuleret; quibus ille, *Si Deus*, inquit, *mei curam non gerit, vt quid viuo?* nec eum spes, aut Deus fefellit. Misit enim illico ingentem & horribilem leonem, qui Iohannem custodiret die & nocte, eumque semper comitaretur, ac à Sarracenorum insidijs & iniurijs tutaretur. Ita refert oculatus testis Cyrillus in eius Vita.

ITA VT CONFIDENTER (θαῤῥοῦντας, id est, audẽtes, fidentes, securi, animosi) DICAMVS, DOMINVS MIHI ADIVTOR. NON TIMEBO QVID FACIAT MIHI HOMO] Citat psal. 117. 6. Probat Apostolus argumento à maiori ad minus, nos debere contentos esse præsentibus, sperando in Deum, quòd ipse futuræ necessitati nostræ prouidebit. q. d. Deo adiutore nullus timendus est homo quantumuis potens & inimicus; ergo multò minùs Deo adiutore timenda est paupertas. nec enim paupertas tam potens est quàm homo. ita Ribera. VERS. 6.

Mihi adhuc profundius, magisque connexum videtur argumentum Apostoli, nimirũ vt velit succidere causam auaritiæ & diffidentiæ Hebræorũ. q. d. Vos, ô Hebræi, soliciti estis, vt congeratis nouas opes, quia vestris vos priuant Iudæi. Hæc ergo prima est radix vestræ paupertatis, pariter & auaritiæ, atque nimiæ solicitudinis, nimirum hominũ, putà Iudæorum persecutio. Huic ergo oppono spem & adiutorium Dei: Deo enim adiutore non est quòd timeatis Iudæos aliosve homines; vel enim Deus ijs vos liberabit, vel vires roburque dabit ad expilationes, paupertatem, omnemque persecutionem fortiter toleranda, vel aliorum beneficentia, alijsq; mille modis vestræ necessitati prouidebit. Dicite ergo cum Dauide rege vestro: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* *Excitat Hebræos ad fiduciam in Deo collocandam.*

MEMENTOTE PRAEPOSITORVM VESTRORVM, QVI VOBIS LOCVTI SVNT VERBVM DEI, QVORVM INTVENTES EXITVM CONVERSATIONIS IMITAMINI FIDEM] Loquitur de fidei doctoribus, Apostolis, Episcopis, sacerdotibus, sed an de viuis, an de defunctis loquatur dubitant nonnulli. Theophyl. censet loqui de viuis. q. d. Memẽtote vestrorũ doctorum, qui pro vobis laborant, vt eis necessaria vitæ subministretis. Verùm certũ est Apostolum loqui non de viuis, sed de defunctis: patet ex eo, quod ait, *Quorum intuentes exitum conuersationis*, id est, finem vitæ honestissimum. ita Chrysost. & Syrus. q. d. Recogitate quales fuerint primi vestri doctores, Stephanus, Iacobus, & alij, quàm fuerint in fide constãtes, & rerum perituraṛum contemptores, quàm VERS. 7. *Loquitur Apostolus de præpositis non viuis, sed defunctis.*

fortiter martyriũ pro fide obierint, quàm pulcher & glorioſus fuerit eorum exitus, quàm pulchra & glorioſa mors, imò triumphus; imitamini eorum fidem, conſtantiam, perſeuerantiã, animiq; fortitudinem, vt æquè acilli pro fidei confeſſione quiduis perpeti cupiatis. *Fidem* enim hîc, vti & c. 11. propriè accipio, cum Theophyl. licet aliqui per fidem intelligant fidelitatem, quam Deo profeſſi ſumus in baptiſmo nullis minis, promiſſis, pœnis, vel præmijs nos violaturos.

Nota. Pro *intuentes*, græcè eſt ἀναθεωροῦντες, id eſt, vt Chryſoſt. recogitantes, ſæpiùs contemplãtes, iterum iterumq́ conſiderantes & ſpeculantes.

VERS. 8. IESVS CHRISTVS HERI ET HODIE, IPSE ET IN SAECVLA]B. Cyrillus l. de Fide ad reginas; *Heri*, inquit, ſignificat æternitatem diuinæ naturæ in Chriſto, *hodie* ſignificat nouitatem incarnationis: & S. Ambroſ. l. 5. de Fide c. 2. *Heri*, inquit, pertinet ad æternam, *hodie* ad carnalem generationem Chriſti. q. d. Chriſtus eſt *heri*, id eſt, fuit ab æterno; eſt *hodie*, id eſt, tempore præſenti; eſt *& in ſæcula*, id eſt, omni tempore futuro: quod S. Iohannes ait Apoc. 1. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*: quamquam Theodor. ex Nazianzeno hæc duo coniungat. *Heri & hodie*, inquit, *appellat humanam & temporariam Chriſti naturam: æternam autem, cùm ait, Ipſe & in ſæcula, vocat diuinitatem Chriſti.* In eo ergo conueniunt Cyrill. Ambroſ. Nazianz. Theodor. imò & Chryſoſt. Theophyl. Anſelm. & alij, quòd ſignificetur hîc æternitas & diuinitas Chriſti, quam contra Arrianos ipſi ex hoc loco probant. q. d. ait Caiet. Hæc eſt fides quam ſequi debetis, ô Hebræi, vt videlicet credatis Chriſtum æternum eſſe, atque adeò Deum. Hic enim articulus eſt totius fidei Chriſtianæ fundamentum. Verùm *heri*, nec in Script. nec apud profanos ſignificat æternitatem. Imò *heri & hodie* in Scriptura ſignificat idem quod *paulò antè & nunc*, vt bene aduertit Ribera. Sic Eccli. 38. 23. dicitur: *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Et 1 Machab. 9. 44. *Non eſt hodie, ſicut heri.* Exod. 5. 14. *Quare non impleſtis menſuram laterum, ſicut priùs, nec heri, nec hodie?*

Heri diuinitatis Chriſti, hodie humanitatis.

Heri nec in ſacris Scripturis, nec apud profanos ſignificat æternitatem.

Secundò, Oecum. ſic explicat, q. d Paulus: Ne exſpectetis, ô Hebræi, aliũ Meſſiam, ſicuti Iudæi exſpectant Antichriſtum. Chriſtus enim non eſt ſicuti Aaron, qui pauco tempore fuit pontifex, & mortuus eſt, ſed omni tempore viuit Chriſtus, manetq́ pontifex & liberator noſter.

Tertiò, Vatablus, Chriſtus, inquit, id eſt Chriſti doctrina & fides, *eſt heri, & hodie, & in ſæcula*, id eſt, manet omni tempore, eſtq́ue inuariabilis. Huic expoſitioni fauet id, quod ſequitur: *Doctrinis varijs nolite abduci.*

Quartò & optimè, Cyrill. ſuprà notat Apoſtolum non tam loqui de diuinitate Chriſti, quàm de humanitate. Loquitur enim de Ieſu Chriſto vt redemptore, liberatore & ſaluatore noſtro: hic autem eſt Deus homo; hominis enim huius proprium nomen, illi in circumciſione inditum, eſt Ieſus. Hic ergo homo, qui dicitur *Ieſus*, fuit *heri*, id eſt, paulò ante vos, ô Hebræi, vixit in terris; idem eſt *& hodie*, quia hoc tempore præſenti Chriſtus reſurgens à mortuis etiamnum viuit; *idem eſt & in ſæcula*, quia viuet & regnabit glorioſus in omnem æternitatem. ita vt Chriſtus omnem differentiam temporis amplectatur: fuit enim Chriſtus *heri*, id eſt, in tempore præterito; idem eſt *hodie*, id eſt, in tempore præſenti; idem erit *& in ſæcula*, id eſt, omni tempore futuro.

Chriſtus homo omni temporis differentiã complectitur.

Nota. Occurrit Apoſtolus tacitæ obiectioni Hebræorum, q. d. Ne mihi obijciatis, ô Hebræi; Tu, Paule, vis nos imitari fidem Apoſtolorum, nimis magna exigis à nobis. Apoſtoli enim præſentem habuerunt, viderunt & audiuerunt Chriſtum, fidei non tantùm ducem, ſed & obiectum: nos verò Chriſtum non vidimus, nec audiuimus; Chriſtus enim iampridem hac vita defunctus eſt. ne, inquam, hæc dicatis: nam Chriſtus qui paulò antè vixit, etiamnum viuit, & viuet in ſæcula. Sicut ergo Chriſtus viuens Apoſtolis affuit, ita etiamnum ſuis adeſt, vobiſq́ue ô Hebræi, & deinceps alijs omnibus fidelibus Chriſti fidem ſecuturis aderit, eritq́ue veſter omniumq́ue fidelium redemptor, protector & ſaluator, vt ſua doctrina & gratia eos in fide ſua confirmet, & contra omnes perſecutiones corroboret, ac tandem æterna gloria, quam fide ſua nobis proponit & pollicetur, eoſdem, ſi in fide perſeuerent, remuneret & coronet. Sic ferè D. Thom. Anſelm. Galen. & Ribera. Hanc enim Chriſti reſurrectionem & æternitatem ſæpè hac epiſtola Hebræis inculcat Apoſtolus, eamq́ue opponit pontificatui temporaneo Aaronis. Vnde tantopere c. 7. & ſequ. vrſit illud pſalm. 109. *Tu (ô Chriſte) es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec.*

Chriſti æternitas & inuariabilitas vrgetur.

Nota hebraiſmum: intelligitur enim *caph* ſimilitudinis, id eſt, *ſicut*; deinde copula *&* idẽ eſt, quod *ſic*. Hebræum enim *vau* copulatiuum, cùm duo ſimilia copulat, ſæpè, vti videre eſt in Prouerbijs, accipitur pro *ſic*. Senſus ergo eſt: Ieſus Chriſtus, ſicuti fuit heri, ſic eſt hodie, ſic erit & in ſæcula.

VERS. 9. DOCTRINIS VARIIS ET PEREGRINIS NOLITE ABDVCI]Notat hæreſes Simonis Magi, Ebionis & Iudaizantium iam tũ ſuborientes. Ad Iudaizantes enim ſpectat id quod ſequitur de eſcis, cùm ait, *Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis*, ſcilicet Iudaicis, vt mox dicam.

Hæreſis Simonis Magi & Ebionis de eſcis.

Nota hîc tria epitheta & proprietates hæreſeos. Prima eſt, quòd ſit *varia*; quia non tantùm à veritate, ſed & à ſeipſa evariat, & in multas ſectas abit: nam, vt ait D. Thom. veritas conſiſtit in medio, quaſi in centro, vnde ad circumferentiã multis vijs & lineis abitur: quàm ergo ſunt variæ lineæ à centro ad circumferentiam, tam varijs modis à veritate ad errores & hæreſes abitur & deuiatur.

Tres proprietates hæreſeos. Varia.

Secunda proprietas hæreſeos eſt, quòd ſit *peregrina*, quia extranea & abhorrens eſt à ſchola veritatis & doctrina Eccleſiæ; quia aliunde importata eſt, & à philoſophis, alijſq́ue curioſis hominibus diabolo ſuggerente conficta.

Peregrina.

Tertia proprietas eſt, quòd ſuos *abducat*, vt omni vento doctrinæ circumferantur. Noſter interpres in Græco legit, vti etiamnum nonnulli legunt, περιφέρεσθε, id eſt abduci. iam multi cum Chryſoſtomo legunt, περιφέρεσθε, circumferri, de quo dixi Epheſ. 4. 14. Hoc verbo notat maniam & vertiginem hæreticorum, quibus familiare eſt rotari perpetuò, noua dogmata indies fingere & refingere, atque ex vna hæreſi in alias corruere, omniq́ue vanitatis & errorum vento circumferri. Exempla huiuſce rei quotidie nimis multa & funeſta videmus.

Demens & anxia.

OPTIMVM EST ENIM GRATIA STABILIRE COR, NON ESCIS, QVAE NON PROFVERVNT AMBVLANTIBVS IN EIS]Pro *optimum*, græcè eſt καλὸν, id eſt bonum, ſcilicet per excellentiam, hoc eſt, optimum. q. d.

q.d. Ne abducamur & circumferamur variis doctrinis, optimum remedium est, vt *gratia*, id est sanctitate & probitate, stabiliamus in fide cor nostrum (si enim deficis à sanctitate, facilè quoque deficies à fide; sin sanctitatem conserues, conseruabis etiam & fidem) *non escis*, quæ ad tempus quidem cor & vitam stabiliunt, *sed non profuerunt, nec prosunt ambulantibus in eis*, id est ijs, qui vitam ducunt inter contubernia cõuiuia & sympolia. Nam quantumcumque escis cor stabiliant, tandem tamen deficient & morientur. ita Ribera.

Per escas intellige obseruantias certarum escarum.

Verùm quia de intemperantia escarum hîc non agit Apostolus, & quia escas has opponit gratiæ & fidei, quasi escæ hæ fuerint occasio, vel obiectum doctrinæ variæ & peregrinæ, quæ fidei opponitur: hinc melius Chrysost. Theod. Theophyl. Anselm. per *escas* intelligunt obseruantias certarum escarum & ciborum lege Mosaica præscriptas Leuit. 11. hæ enim *non profuerunt*, id est, non iustificarunt comedentes nec mentibus eorum robur gratiæ addiderunt, sed potiùs post Christum eis occasionem peregrinæ doctrinæ, iudaismi & Iudaizantium dederunt. Vnde his opponit gratiam, id est, legem gratiæ, inquit Anselm. ipsamque gratiam Christi.

Dices, Si hoc voluisset Apostolus, non dixisset *escis*, sed, Abstinentia, vel delectu escarum. Respondeo, nego conseq. nam putabant Iudæi escis lege permissis quasi sanctis stabiliri cor, purgari & sanctificari. delectum autem escarum Iudaicarum satis significat Apostolus, cùm ait, *Ambulantibus in eis*, id est inter eas, his scilicet quæ lege permissæ sunt, vtendo; illis quæ lege vetitæ sunt, abstinendo. Hic sensus aptus est & commodus: sed aptior euadet & planè genuinus, si cum Galeno & Vasquez dicamus, Apostolum perstringere Merinthianos & Cerinthianos, qui christianismo iudaismum agglutinare volebant, magnamque partem religionis in epulis & cibis sacrificalibus, qui Deo in sacrificio oblati erant, collocabant; quasi tales cibi sanctificarent homines, eosque Deo gratos redderent. Erant enim hi hæretici ex schola Pharisæorum, qui in sacrificijs consenuerant. Apostolus ergo escas non communes, sed sacras, siue Deo in sacrificio oblatas intelligit: pars enim victimæ sacrificatæ cedebat Deo, pars sacerdoti, pars offerentibus laicis, vt patet Leuit. 3. Hisce enim sacris escis mentem purgari, sanctificari & fulciri putabant Iudaizantes. sed falsò: nam id Apostolus ex Christi doctrina tribuit fidei, spei, charitati & gratiæ Christi. Quòd enim de escis sacrificalibus loquatur Apostolus, patet ex eo, quòd hisce opponens escas Christianorum spirituales, subdit: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*. q.d. Sacerdotes, Leuitæ & plebs magnam vim & sanctitatem ponit in suis sacrificijs & victimis: nã offerens suas victimas in tabernaculo Mosaico, ex eis deinde escas capit, ijsque se sanctificari putat, sed falsò. Nos verò Christiani habemus altare & victimas longè nobiliores, quæ verè nos sanctificant, quibus vesci non possunt Iudæi, Leuitæ, & sacerdotes Aaronici.

Merinthus & Cerinthus christianismo iudaismum volebant agglutinare.

Tres partes victimæ sacrificatæ tribui dicuntur, Deo, sacerdoti, offerenti laico.

VERS. 10. HABEMVS ALTARE. DE QVO EDERE NON HABENT POTESTATEM, (ἐξουσίαν, id est facultatem, licentiam) QVI TABERNACVLO DESERVIVNT] *Altare*, scilicet, in quo offerimus sacrificium corporis & sanguinis Christi, olim in cruce immolati; quod edunt & participant non Leuitæ & Iudæi, sed sacerdotes & fideles Christiani, dum sumunt S. Eucharistiam, hoc fine vt gratiam cor stabilientem, de qua dixit Apostolus v. præcedenti, consequantur, cibumque sumant corpus Christi, qui eos viuificet in æternum. ita Chrysost. Theodor. Theophyl. Anselm. Sedulius, Primas. Haymo. Quòd enim Apostolus non loquatur de altari crucis, vt volunt hæretici, sed Eucharistiæ & Missæ, patet ex verbo *habemus*: altare enim crucis non habemus, sed habuimus à 1600. annis. Rursum ex verbo *edere*; ex altari enim crucis non edimus, sed ex altari Eucharistiæ. Tertiò, quia tabernaculo, id est, altari tabernaculi veteris, ex quo sacerdotes & offerentes Iudæi victimas comedebant, tamquam escas sanctas, opponit *altare* hoc Ecclesiæ nouum, ex quo sacerdotes & fideles non escas carnales boum & ouium, sed escam diuinam & cæleſtem comedunt, scilicet corpus Christi. Proponit Apostolus Hebræis hac altare Eucharistiæ, vt in persecutione hac esca Eucharistiæ Christi cor suum stabiliant. nam nihil ita mentem pascit & confortat, atque sacra communio: hæc enim facit, *vt tamquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus facti diabolo terribiles*; sicut ait S. Chrysost. hom. 61. ad populũ. Hac de causa primi Christiani tempore persecutionis crebrò communicabant, imò Eucharistiam domum deferebant, vt vrgente periculo communicarent, quoties vellent, vt docent Tertull. Cyprianus & alij. Atque ego sanè puto tantam constantiam Martyrum, quantam vbique illo sæculo legimus, tot eorum victorias & triumphos, sacræ communioni vel maximè tribuenda esse.

Loquitur hic Paulus de altari Eucharistiæ, non crucis.

Sacra communionis fructus & effectus.

Nota metonymiam, qua continens ponitur pro contento, scilicet *altare*, pro cibo & sacrificio altari contento & oblato. Hinc patet Eucharistiam & Missam esse sacrificium: habet enim Eucharistia suum altare. vbi autem est altare, ibi necesse est vt sit sacerdos pariter & sacrificium: hæc enim tria sunt correlatiua.

Missa est sacrificium.

Vnde pro *altare*, in Græco est θυσιαστήριον. q.d. *sacrificatorium*, in quo scilicet sacrificatur & sacrificium offertur. Resp. Beza, *altare* metonymicè hîc sumi, non pro sacrificio, sed pro oblationibus fidelium, quæ fiunt ad altare, cùm scilicet panes, oleum, oua, pecuniam, aliaque ministris Ecclesiæ offerunt. Sed hoc insulsè dicitur,

Per altare non intelliguntur oblationes (vt vult Beza) quas fideles offerunt sacerdotibus, idq; ob sex rationes.

Primò, quia æquè sacerdotes Aaronici suas habebant oblationes, quas edere poterant: Apostolus autem hîc altare tribuit Christianis tale, quale non habent Aaronici, quo longè superant Aaronicos: ergo per *altare* non intelligit oblationem.

Secundò, nusquam alibi *altare* significat oblationes, sed sacrificia: nec enim pro oblationibus requiritur altare, sed pro sacrificijs. oblationes enim in gazophylacium, arcam, abacum, aut in manus sacerdotis deponi solent. imò Can. 3. Apostolorum disertè vetat ne quidquam in altari offeratur, præter ea quæ Dominus instituit, scilicet corpus & sanguinem suum.

Tertiò, has oblationes non comedunt offerentes, sed sacerdotes: Apostolus autem significat ex hoc altari comedere fideles quoslibet Hebræos, vt gratiam consequantur, qua cor in persecutione stabiliant: ergo per *altare* non intelligit oblationes quas fideles offerunt sacerdotibus.

Quartò, quorsum hîc meminisset oblationum Apostolus? quid oblationes faciunt ad rem & scopum

pum Apostoli? quam gratiam & sanctitatem afferunt? quomodo cor stabiliunt?.

Quintò, Apostolus huic altari, hoc v. & seq. opponit altare tabernaculi propriè dictū, in quo sacrificabantur animalia; ergo hîc quoq; propriè dictum *altare* intelligit, scilicet sacrificij Eucharistiæ, quod antitypum est, & directè opponitur altari tabernaculi.

Sextò, quia simili planè modo dixit Apostolus 1. Cor. 10. v. 18. & 21. *Videte Israel secundùm carnem: nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? nō potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorū.* Atqui ibi per mēsam intelligit altare Eucharistiæ, ex quo sacram Synaxin sumunt fideles, perinde vt Gētiles & Iudęi ex suis altaribus comedebāt carnes ibidē immolatas, vt participes essent sacrificij. vide dicta 1. Cor. 10. v. 18. & 21. ergo & hîc per *altare* intelligit mēsam & altare Eucharistiæ. Denique, hinc in Ecclesia, omni sæculo fuerunt altaria, eorumque Patres omnes meminerūt. citat eos Galenus hîc; erantq; non tantùm Catholicis, sed & hæreticis magnæ veneration. adeò vt Donatistæ, qui sacra & Sacramenta Catholicorum profanabāt, altaria tamen eorū lignea deijcere non sint ausi; sed tantùm propter inunctionē, qua in consecratione ab Episcopo sacro chrismate delibuta erant, eadē deraserint, ne quid cū Catholicis viderentur habere cōmune. testis est Optatus Mileu. l. 6. contra Parmenianum & alibi. Quanto sanctiores fuerunt Donatistæ Caluinianis, qui altaria omnia suffodiunt & demoliuntur? Nimirum altaria, quæ ante Lutherum & Caluinum vbique extiterunt, & multis in locis adhuc extāt antiquissima, à mille & amplius annis erecta, nouatores istos nouæ doctrinæ & hęresis conuincunt: testes enim sunt, maiores nostros non habuisse sensum & spiritum Lutheri & Caluini; testes sunt maiores nostros Eucharistiam habuisse pro sacrificio, eamq; tamquam sacrificium in altaribus hisce Deo obtulisse; testes sunt, ipsos habuisse & coluisse sacerdotes propriè dictos, quales iam habent Catholici, qui Missas in altaribus celebrarent.

In Ecclesia semper fuerūt altaria quæ Nouātes hæretici demoliuntur.

Caluiniani peiores Donatistis.

Altaria antiquissima testantur Missam esse sacrificiū.

VERS. 11. 12. 13. 14. QVORVM ENIM ANIMALIVM INFERTVR SANGVIS PRO PECCATO IN SANCTA PER PONTIFICEM, HORVM CORPORA CREMANTVR EXTRA CASTRA] Probat id quod præcessit (hoc enim significat vox *enim*) sc. non licere iis, qui tabernaculo seruiunt, putà Leuitis & Iudæis, edere de nostro altari, sc de victima corporis Christi in Eucharistia. probat autem hoc ex typo veteri sic: Leuitæ non poterant edere eas victimas, quarum sanguis peccatorum expiatorius inferebatur in Sancta sanctorum; hæ autem victimæ erant typus, & repræsentabant nostram victimam corporis Christi in Eucharistia; ergo nec hanc fas est eis edere. ita Theoph.

Argumentū quo Paulus probat Iudæos non posse edere de corpore Christi.

Rursum, hasce victimas adeò non comedebant Leuitæ, vt eas extra castra in deserto & extra ciuitatem in Iudæa omnino concremarent. hoc autem non significabat aliud, quàm extra castra veteris tabernaculi & sacerdotij egrediendum esse ei, qui Christi in cruce, nostri amore, pro peccatis nostris tot pœnis & tormentis quasi tosti & cremati, in altari Eucharistico particeps esse velit: ergo Leuitæ & Iudæi, quamdiu in suis iudaismi castris & tabernaculis manent, de nostro altari Eucharistiam sumere & comedere non possunt.

Hircus, & vitulus immolati extra castra non comedebantur.

Nota. Quoad literā hæc animalia immolata pro peccato, quæ non comedebantur à sacerdotibus, sed cremabantur extra castra, erant hircus & vitulus, qui offerebantur pro peccatis pontificis & totius populi, maximè in festo expiationis. horum enim sanguine expiabantur Sancta sanctorum, ideoque eorum cadauera cremanda erant extra castra, vt patet Leuit. 4. v. 11. & c. 16. v. 27.

Huius cæremoniæ quatuor causæ. Litteralis.

Nota Secundò. Huius cæremoniæ quatuor erāt causæ, sc. litteralis, allegorica, tropologica & anagogica. tres hasce vltimas ordine hîc persequitur Apostolus. Litteralis ergo causa huius cæremoniæ, cur sc. animalia cremarentur extra castra, erat, vt hac crematione excitarent in Iudæis peccati horrorem & detestationem. tacitè enim significabat, quòd, sicut victima pro peccato extra castra cremabatur, ita multò magis peccatum ipsum, & peccatores extra mundum cremabuntur in inferno. Rursum hæc cæremonia tacita erat oratio, qua pōtifex rogabat Deum, vt peccata ista totius populi, id est, pœnæ peccatis eorum debitæ, ipsum populum non tangerent nec læderent, sed cum victima hirci & vituli, quasi extra castra populi efferrentur, cremarentur & abolerentur.

Peccatum Episcopi & sacerdotis totum populum inquinat.

Vbi Nota, peccata pontificis, vtpote personæ communis & principis, totius populi æquari peccatis. nam tā victima pro peccato pontificis, quàm victima pro peccato populi oblata, cremanda erat extra castra, vt significaret peccatum pontificis, quasi principis, tota populi castra contaminare: alia enim peccata priuatorum hominum expiabantur victima immolata in ipsis castris & in ipso tabernaculo, neque censebantur tota castra contaminare, maculare aut polluere.

Causa allegorica.

Causā allegoricā huius cæremoniæ dat Apostolus v. seq. qui est 12. sc. hac cæremonia significatum fuisse, quòd *Christus extra castra*, id est extra portā vrbis Ierusalem (castra enim suas habebant portas, erantque quasi vrbs cum suo tabernaculo & templo ambulans, & mobilis per desertum) torrendus erat in cruce, & abolito castrorum Iudaicorum tabernaculo, & templo, Ecclesiam Gentium per totum orbem diffundendam morte sua erat instituturus; vt *crux Christi non templi esset ara, sed mundi*, ait S. Leo serm. 9. de pass.

Crux Christi non templi ara, sed mundi.

Deniq; sanguis victimarū expians Sancta sanctorū, significabat Christum sanguine suo expiaturum cælum ipsum: non quasi cælū in se immundū sit, sed quòd legaliter & symbolicè censeretur immundum, & quasi aspergine quadam peccati (peccatum enim morali quadam æstimatione censetur & in Scriptura dicitur contaminare ipsam terram, cælum, totumque mundum) maculatum, ideoque clausum; perinde ac templum pollutum clauditur. Christus ergo suo sanguine peccata nostra expiās, etiam cælum ipsum peccatis nostris quasi contaminatum, quodammodo expiasse & reconciliasse censetur, dum illud nobis aperuit & reserauit. ita Radulphus in Leuit. c. 16.

Peccatum cælum & terram inquinat.

Causa tropologica.

Tropologicam causam huius cæremoniæ dat Apost. v. 13. sc. hanc cæremoniam significasse nos omnes, qui ad Christum & altare Eucharisticum accedere cupimus, exire debere *extra castra* pompæ, voluptatum, luxus & legum tabernaculi, id est, mundi huius caduci & mobilis, vt portemus improperium crucis Christi, imitando sc. & voluntariè amplectendo Christi paupertatem, abstinentiam, humilitatem, contemptum, persecutiones, tormenta & martyrium. Hisce enim verbis Apostolus excitat Hebræos, vt Iudæorum persecu-

secutiones, contumelias, rapinas & dira quæque, pro Christi fide fortiter sustineant, & in ijs gloriẽtur, tamquam qui cum Christo extra castra iudaismi & mundanæ felicitatis egrediantur, portantes improperium crucis ipsius. Sic *Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Exeamus ergo & nos cumulati opprobrijs, iconsputi, milleq́ue probris oppleti, portantes crucem nostram cum Christo; exeamus, inquam, læti, fidentes & animosi, tanto duce Christo nobis præeunte. ita Theodor. S. Thom. Anselm. Theoph.

Causa anagogica. Anagogicam causam dat v. 14. scilicet hac cæremonia adumbratum fuisse, quòd in hac vita & mundo non habeamus manentem ciuitatem, sed quòd in eo degamus, quasi in castris & tabernaculis; vt sciamus nos hìc esse peregrinos & milites, qui futuram ciuitatem æternam in cælis inquirere, & pro ea generosè contra carnem, mundum & dæmonem dimicare, ad eamq́ue omnibus viribus tendere & conniti debeamus.

VERS. 15. PER IPSVM ERGO OFFERAMVS HOSTIAM LAVDIS SEMPER DEO, ID EST, FRVCTVM LABIORVM CONFITENTIVM NOMINI EIVS] Vox *ergo* illatiua hãc sententiam infert ex v. præc. ibi enim dixit Apostolus: *Non habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus:* inde hìc infert, *Offeramus ergo hostiam laudis.* q.d. Quia nos manet futura illa beata & glorioſa ciuitas in cælis, hac de causa alacres portemus improperium Christi, Deoq́; in persecutione læti & constantes seruiamus, illũ laudando, illiq́; gratias agendo. *Per ipsum ergo*, Christum sc. tamquã pontificem & mediatorẽ nostrum, qui hæc omnia bona nobis conciliauit, quiq́ue nostra vota Deo offert, *offeramus hostiam laudis*, id est sacrificiũ Missæ, quæ rectè dicitur *hostia laudis*, quia à Christo Domino Deo Patri primùm fuit oblata in gratiarũ actionem. & laudem, idemq́ue Christus nobis, vt imitaremur, præscripsit & instituit; indeq́ue dicta est Eucharistia, id est gratiarum actio. Videtur enim Apostolus persistere in altari Eucharistico, quod nobis commendauit v. 10.

Eucharistia hostia laudis. Gratiarũ actio.

Verùm arctior videtur hæc interpretatio, præsertim cùm Apostolus *hostiam hanc laudis* explicans subiungat, *Id est, fructum labiorum confitentiũ nomini eius.* q.d. Hymnos, psalmos, gratiarum actiones labijs nostris Deo offeramus, quibus confiteamur Dei nomen, id est, quibus celebremus Dei bonitatem, sapientiam, iustitiam. hæc enim Dei attributa sunt Dei nomen, ijs enim nominatur, celebratur & glorificatur Deus tamquam titulis suæ maiestatis, honoris, famæ, celebritatis & gloriæ. hisce ergo hymnis & laudibus semper Deum celebrare debemus, tum priuatim, tum publicè, præsertim in Missa, quæ, vt rectè aduertit Galenus, propriè est sacrificium laudis & gratiarum actionis.

VERS. 16. BENEFICENTIÆ AVTEM ET COMMVNIONIS NOLITE OBLIVISCI] *Communio* hìc idẽ est, quod beneficentia. vnde Theoph. & Syrus legit *communicationis*, sc. in pauperes & egentes. Notat vox *communio* beneficentiam bona diuitum facere communia cum pauperibus. Addunt alij, eam vtrimq; bona tam dantis, quàm accipientis facere communia; quia scilicet dans dat sua terrena, & ab accipiente recipit preces & benedictionem, aliq́; bona spiritualia. q.d. Paulus, Licet à Iudæis, bonis fortis spoliati, nolite specie paupertatis vos excusare à beneficentia & eleëmosyna; sed liberali animo magnaq́; spe in Deum vestra erogate, nec dubitate Deum in vos vicissim liberalem fore, pluraq́; semper daturum, vt numquam dandi & erogandi vobis materia desit. ita Theophyl. Sic S. Iohannes Eleëmosynarius Archiepiscopus Alexandrinus, quo plus pauperibus dabat, eo plus aliunde recipiebat: hinc ipse Deo dicere solebat, *Videbo Domine quis citiùs deficiet, an tu mihi dando, an ego alijs distribuendo.* q.d. Paulus, Dum volo vos hostiam laudis semper offerre, nolo vos eleëmosynæ obliuisci, volo vos ita agere Magdalenã, vt non negligatis Martham. dixi quidem fructus labiorum esse Deo dandos, nolo autem vos ita orationi incumbere, vt misericordiam in proximos omittatis; de hac enim dicit Dominus Osee 6. 6. *Misericordiam volui, non sacrificium.*

Vox communio denotat beneficentiam dantis & accipientis.

Mirabilis vis & virtus eleëmosynæ in S. Iohãne Eleëmosynario.

Audi quid Gentiles de beneficentia senserint. Pythagoras rogatus, *qua ratione homines dijs similes haberi possent*: respondit: *Si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent.* testis Ælianus l. 12.

Gnoma de beneficentia.

Theophrastus interrogatus, *quidnam vitam conseruaret humanam?* respondit, *Beneficentia.*

Anaxilaus rex interrogatus, *quid esset in regno beatissimum?* respondit, *Numquam vinci beneficijs.*

Vespasianus Imp. licet auarissimus, dicebat tamen, *non licere quemquam à vultu Imperatoris tristem discedere.*

Titus in cœna recordatus, quòd eo die nemini quidquam præstitisset: *Amici*, inquit, *diem perdidi.*

Alexander Seuerus Imp. rogatus, *quis esset rex optimus? Qui*, inquit, *amicos muneribus retinet, & inimicos beneficijs ambit & reconciliat.*

Alfonsus Aragonum rex audiens quosdam beneficijs acceptis ingratos esse, dixit, *ingratos nequaquam effecturos, quo minùs ipse & humanus & beneficus perstaret.* Quidni ergo Christianus sequatur beneficentiam Christi, qui, vt ait S. Petrus Act. 10. v. 38. *pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo?*

TALIBVS ENIM HOSTIIS PROMERETVR DEVS] *Hostias* vocat communionẽ & beneficentiam: tũ quia omnis actus bonus cuiuslibet virtutis relatus ad Dei honorẽ est actus religionis, itaq́; fit quasi hostia Dei; tũ propriè quia eleëmosyna est quasi hostia non immolata; sed oblata Deo, per manus pauperũ, qui ex ea viuunt. gratissima autẽ est Deo, magisq́; ei placet, quàm sacrificium; adeò vt Deus sibi dari & offerri æstimet id, quod datur pauperi. nã, vt Christus ait Matt. 25. 40. *Quod fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sic eleëmosynam Apostolus græcè vocat liturgiã 2. Cor. 9. 12. Similimodo Philip. 4. 18. eleëmosynas Philippensium ad se missas vocat *odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Domino.*

Omnis actus virtutis relatus ad Dei honorẽ est actus religionis.

Vide Chrysost. in psal. 95. vbi decem genera talium sacrificiorum enumerat. Primum, inquit, sacrificium est martyrij. secundũ, deprecationis; tertium, iubilationis; quartum, iustitiæ; quintum, eleëmosynæ; sextum, laudis; septimũ, compunctionis; octauum, humilitatis; nonum, prædicationis; decimum, beneficentiæ in Sanctos.

PROMERETVR] Barbarè & malè vertisse hìc interpretẽ Nostrum calumniatur Caluinus & Beza, quòd nomen meriti inducat, cùm illud non sit in Græco. Sed Resp. græcè est ἐυαρεστεῖται, id est, vt Chrysost. Theoph. Oecum. & Erasm. vertunt, conciliatur & placatur, ac consequenter prouocatur & inducitur Deus ad benefaciendum ijs, qui in alios

Caluini & Bezæ interpretem reprehendentium refutatio.

alios sunt benefici: quod quid aliud est, quã quòd promereamur, siue conciliemus nobis Deum actiuè; vel passiuè, quòd Deus hisce *promeretur*, id est demereatur & concilietur, vt annotauit Erasm.? est enim promereor verbum deponens, ac proinde tam passiuè quàm actiuè capi potest. Sicut ergo muneribus promeremur & cõciliamus nobis principes, vt nobis sint amici, propitij, benefici; ita eleemosyna & bonis operibus conciliamus & promeremur Deum, vt nobis magis fiat amicus, propitius & beneficus. Bona enim opera nostra Deus habet loco beneficiorum, vt quot bona opera facimus, tot Deus sibi à nobis collata æstimet beneficia, quæ ipse, vti liberalissimus est, remunerari, suaque gratia & gloria compensare, ijsque tamquam meritis mercedem amplissimam retribuere statuit & decreuit. Syrus vertit סְפַר *scaphar*, id est, pulchrescit Deus, q.d. Eleemosyna nostra Deo miræ est voluptati, illa se pascit, oblectat, pulchrescit, hilarescit & gloriatur; quod vulgò Flandricè dicimus, *hy is moy daer mede.*

Bona opera quantum Deo placeant.

B

VERS. 17. OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS, ET SVBIACETE EIS] *Præpositos* vocat pastores & Episcopos, hisce, etiamsi dyscoli sint & scelerati, inquit Theoph. obedientiam humilem, submissam & supplicem (hanc enim significat ὑπείκετε, id est *subiacete*) exhiberi iubet. q.d. Quidquid vobis pastores præcipiunt, quod sanctũ & sanum est, facite; ieiunium, orationes, festa, supplicationes & similia indicit Episcopus; popinas & symposia vetat, obtemperate.

Obediendũ superioribus Ecclesiasticis.

IPSI ENIM PERVIGILANT QVASI RATIONEM PRO ANIMABVS VESTIS REDDITVRI] *Peruigilant*, id est, peruigilare debent, & verò cùm boni sunt, vti iam sunt, reipsa peruigilant. q.d. Quantumuis honoris; reuerentiæ & obedientiæ deferas præpositio, numquam onus & periculum, quod ipse pro te suscepit, adæquabis. ipse enim onus & curam animæ tuæ, omniumq; & singulorum subditorum suorum gerere debet, pro eisque æternæ mortis periculo se exponit: singulorum enim probitas & salus ab eo exigetur in die iudicij.

Onus & cura pastorum.

Secundò, cùm tantum sit onus præpositi, promptè illi obedi, ne, si sis dyscolus & inobediens, onus eius aggraues, sub quo ipse gemat, dum cogitat, quòd pro tua inobedientia & malitia Deo rationẽ reddere debebit. Vide quantum sit onus pastorum & rectorum, vt non sine causa dixerit Chrysost. hîc hom. 34. *Miror si potest aliquis rectorum saluari.* Quis iam hunc honorem, imò onus & periculum appetat vel ambiat? Probat Apostolus tribus rationibus obediendum esse præpositis. Prima est iam exposita, quia ipsi peruigilant quasi pro animabus subditorum Deo rationem reddituri. Secunda est quæ sequitur, *Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Tertia est, *Hoc enim non expedit vobis.* Singulas hasce rationes prudenter ponderat, & patheticè pertractat noster Alfonsus Roderiguez tract. 5. de Obedientia c. 10.

C

VT CVM GAVDIO HOC FACIANT, ET NON GEMENTES] Obediẽs leue onus facit præposito, vt sc. gaudeat in eius obediẽtia & profectu, inquit Theoph. inobediens verò onus præposito aggrauat, facitq; eum gemere. *Gemunt* enim Prælati sub onere regiminis, dum suos labores irritos & frustraneos esse vident, dum satagunt subditos promouere in virtutẽ & disciplina, & subditi id subterfugiunt, imò reluctantur: dum ijs reluctantibus inuigilant, rationesque & modos omnes excogitant & ineunt, quibus eos ad sanam mentem reducant, omnibusque excogitatis & factis, nihil se proficere, imò duriores fieri subditos vidẽt: tunc enim rectorum onus hac inobedientia & rebellione subditorum mirè aggrauatur & penè deprimitur, vt sub eo gemant & suspirent. Insinuat Paulus Prælatos debere inobedientes subditos corrigere, non vlciscẽdo, sed gemendo & orando, ita tamen vt paternam correptionem & punitionem, prout res, tempus & personæ exigunt, non omittant.

Subditi inobedientia sua augent onus præpositorum.

HOC ENIM NON EXPEDIT VOBIS] Græcè, ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο, incommodum enim hoc vobis. hoc incommodum siue detrimẽtum est pœna debita culpæ inobediẽtiæ, ait S. Basil. in Constit. c. 22. idq; Primò, quia, vt ait Chrysost. gemitus Prælati ob inobedientiam subditi inuocat Dominum, vt ipse eam grauiter vlciscatur.

Mala inobedientia tũ in subditũ quàm superiorem manantia.

Secundò quia gemitus hic & inobedientia subditi stringit præpositum, vt non audeat præcipere, quod subdito est vtilius, sed quod illi est gratius & iucundius; itaque subditus non tantùm obedientiæ merito priuatur, sed & periculo æternæ salutis exponitur.

Tertiò, quia, vt ait Chrysost. quod chorus est sine coryphæo, exercitus sine duce, nauis sine nauarcho, grex sine pastore, hoc est, subditus sine præposito. Sicut ergo expedit chorum promptè obedire & sequi præcẽtorem, vt harmonia sit congrua & concinna; & sicut expedit ad victoriam, exercitum sequi ducem; denique gregi vt à lupo saluus sit & bene pascatur, expedit sequi suum pastorem: ita planè subdito, vt proficiat & saluetur, expedit promptè obedire præposito suo.

ORATE PRO NOBIS; CONFIDIMVS ENIM QVIA (quòd) BONAM CONSCIENTIAM HABEMVS IN OMNIBVS (rebus & actionibus) BENE VOLENTES CONVERSARI] Vox *enim* dat causam non tam positiuã, quàm amouentem impedimentum orationis. q.d. Orate pro me: non enim sum apostata legis, nõ sum simulator, non sum impostor, ac consequenter non sum indignus oratione fidelium, vti aliqui mihi apud vos, ô Hebræi, detrahunt. conscientia enim mihi testis est, mihique dictat, me sincerè prædicasse verbum Dei, non ex odio legi Mosaicæ detraxisse, non honores, non lucra sectatum fuisse; sed purè veritatem Euangelicam annunciasse, tantumque Dei gloriam & vestram salutem quæsiuisse. ita Chrysost. & Theoph.

VERS. 18.

Paulus se excusat à simulatione & hypocrisi.

AMPLIVS AVTEM DEPRECOR VOS HOC FACERE, QVO CELERIVS RESTITVAR VOBIS] Vox *restituar*, innuit Paulum in carcere detentum & vinctum, sed iamiam liberandum, vt colligitur ex v. 23. hæc scripsisse. ita Anselmus.

VERS. 19.

D

Notat S. Thomas, Paulum in omnibus recurrere solitum ad Deum per orationem, itaque omnes eius actiones fuisse à Deo directas, & fortunatas extitisse, habuisseque felicem & fructuosum exitum. Idem faciant omnes Christiani, præsertim præcones Euangelij & qui animarum lucra captant.

DEVS AVTEM PACIS, QVI EDVXIT DE MORTVIS PASTOREM MAGNVM OVIVM, IN SANGVINE TESTAMENTI ÆTERNI, DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, APTET VOS IN OMNI BONO] *Deum pacis*, scil. auctorem & amatorem vocat, tum quia Deus per Christum pacem cum hominibus inijt, eisque reconciliatus est; tum quia vult, iubet, & per Christi gratiam efficit Deus, vt omnes quasi ouesin Ecclesia,

VERS. 20. & 21.

Ut pacem virtatur Hebræos Anselmus.

sia, tamquam in otili vnius pastoris Christi, pacificè & amicè viuamus. Voce *pacis*, Paulus optat tolli schismata; rursum vt secum pacem & amicitiam colant. Paulo enim cum Iudæis perpetuum fuit bellum. vnde & Hebræi ad Christum cõuersi, Paulum quasi legis Mosaicæ hostem, non æquis animis & oculis videbant & audiebant. ita Theoph.

IN SANGVINE TESTAMENTI] Hæc verba Anselmus & Ribera referunt, non ad τὸ *eduxit*, sed ad τὸ *pastorem magnum*, & per *sanguinem testamenti* accipiunt sanguinem Christi in Eucharistia, de quo dixit Christus: *Hic est sanguis meus noui & æterni testamenti.* q.d. Quàm magnus pastor sit Christus, patet ex sanguine Eucharistiæ, quia Christus non tãtùm doctrina, sed etiam sanguine suo in Eucharistia nos potat & pascit, non semel, sed semper & in æternum, quamdiu scilicet durabit Ecclesia, & fides & fideles, qui hoc sanguine indigeant.

Sanguis Eucharistiæ dicitur sanguis testamenti.

Vbi Nota. Sanguis Eucharistiæ dicitur *sanguis testamenti æterni*, quia hoc sanguine sanciuit nobis Christus nouum suũ testamentũ, quod in æternum durabit, quo ipse nos æternæ suæ hereditatis heredes instituit. q.d. Cùm ergo hoc Christi sanguine omnes potemur, & per illum eamdem hereditatem cælestẽ adepturi simus; planè oportet, vt quasi fratres, commensales & filij Christi in summa pace & concordia viuamus. Hic sensus appositus est, pius & elegans. Verũ magis planè & genuinè τὸ *in sanguine*, referas tam ad τὸ *eduxit*, quàm ad τὸ *pastorem magnum*. q.d. Deus Christum eduxit à morte & resuscitauit, eductumq; & resuscitatũ effecit pastorem magnum, *in sanguine*, id est, merito mortis & sanguinis, quem Christus in cruce effudit, quo sanguine firmatum est nouum testamentum, & nostra cum Deo reconciliatio; Christusq; magnus ouium pastor, noster; Christi oues effecti sumus. Hinc Christus Iohan. 10. se nuncupat *pastorem bonum, qui animã ponit pro ouibus.* ita Caiet. Galen. & alij: τὸ enim, *in sanguine*, hebraismo idem est, quod per sanguinem, merito & pretio sanguinis, significatq; sanguinem Christi in cruce pro nobis fusum. Nam simili modo Zachariasc. 9 11. ait: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*, id est tu, ô Christe, merito sanguinis & mortis tuæ, qua fœdus nouum inter Deum & homines sanxisti de æterna hereditate filijs tuis danda, eduxisti patres in te sperantes ex limbo, eosq; tecum in cælum ascẽdens deduxisti. ita S. Hieron. & Cyrill. in Zachar. 9. Sicuti ergo merito sanguinis & mortis suæ patres è limbo ad cælum, ita eodem merito seipsum à morte ad vitam reduxit.

Locus Zachariæ c. 9. explicatus.

Notat Theophyl. identidem Apostolum testamentum Christi tamquam æternum, & numquam dissoluendum opponere testamento veteri & Mosaico, quod temporaneum fuit, caducum & abolitum per Christum.

VERS. 21. APTET VOS IN OMNI BONO] Græcè est καταρτίσαι, quod Primò, cum Galeno verti potest, restauret, voscque tamquam artus & membra in persecutione luxata & titubantia, corpori & compagi Christi, putà Ecclesiæ, firmiter innectat & vniat. Posset quoque τὸ καταρτίσαι, ad læsæ & luxatæ charitatis fraternæ restaurationem referri. q.d. Deus vos quasi artus schismate aut diuulsos aut luxatos, mutuæ paci & charitati, in vno Ecclesiæ corpore restituat, colliget & vinciat. Sic enim 1. Corinth. 1. v. 10. iussit Apostolus Corinthijs, vt sint in eodem sensu perfecti, id est, planè concordes & vnanimes, vbi idem est verbum καταρτίσαι.

Varij sensus huius loci.

Secundò & meliùs, cum alijs passim καταρτίσαι vertas, perficiat, absoluat, omnibus suis numeris & partibus, quasi artubus compleat, vt scilicet in omni bono, gratia & virtute adaptati, efformati, perfecti & consummati sitis. Vnde sequitur, *Vt faciatis eius voluntatem*, &c.

FACIENS IN VOBIS QVOD PLACEAT CORAM SE PER IESVM CHRISTVM] Alijs alijsq; verbis idẽ dicit: est hęc vis & copia spiritus Paulini. hæc ergo tria reipsa idem sunt: Primũ, *aptet* vel *perficiat vos in omni bono.* Secundũ, *vt faciatis eius voluntatem.* Tertiũ, *faciat in vobis quod placeat coram se.* nã non alia re placemus Deo, quã opere bono, quo facimus eius voluntatẽ.

Magna laus operis boni.

Nota. Magna laus operis boni est. Primò, quòd per illud faciamus & impleamus Dei voluntatem. Secundò, quòd per illud placeamus Deo, Deumq; oblectemus: estque hic purissimus charitatis actus viris sanctis familiaris, vt scilicet omnia sua opera hoc modo & fine faciant, vt Deo placere, illi grata esse, illum pascere & delectare possint; perinde vt amicus amico, sponsus sponsæ, filius patri per omnia placere, pulchrescere, in delicijs esse, illumque modis omnibus delectare studet.

Error Pelagij merita tribuentis naturæ viribus.

Nota Secundò. Deus *per Iesum Christum*, id est, per gratiã, quam per merita Christi nobis tribuit, facit nos operari bona, quibus placeamus ipsi, nequis cum Pelagio idipsum sibi suisque meritis aut naturæ viribus tribuat.

Nota Tertiò, τὸ *quod placeat coram se*, tam ad actiones, quàm ad passiones posse referri. q.d. Deus vos, ô Hebræi, ita aptet & perficiat in omni bono, virtute & fortitudine, vt faciatis eius voluntatem, vtque vobis ita aptatis & perfectis, persecutiones, proscriptiones & quæuis aduersa, quæ ei placent, quibusq; vestram virtutem, patientiam, coronam & gloriam adaugere ipsi lubet, obijciat, decernat, immittat aut permittat.

VERS. 22. ROGO AVTEM VOS FRATRES, VT SVFFERATIS VERBVM SOLATII] q.d. Ego Paulus licet non sim vester propriè, ô Hebræi, sed Gẽtium Apostolus, non impero, sed rogo vos, vt æquo animo suscipiatis hanc meam consolatoriam & exhortatoriam (vtrumq; enim significat Græcũ παράκλησις) ad maiora pro fide Christi certamina obeunda, epistolam. Hisce verbis se Hebræis insinuat Paulus. erat enim eis tamquam iudaismi hostis suspectus, aut inuisus: atque alia ex parte Hebræi persecutionibus & tentationibus oppressi, ægrè eius exhortationem admissuri videri poterant.

ETENIM PERPAVCIS SCRIPSI VOBIS] *Perpaucis*, si videlicet spectetis rei argumentum & dignitatem, meumque erga vos, ô Hebræi, zelum & affectum. Hoc dicit Paulus, ait Chrysost. & Theophyl. quòd Hebræi pusillo essent animo in suis tribulationibus: nam talium est non ferre sermonem longum.

Breuitas sermonum sectanda.

Notat D. Thomas & Anselm. Sermones breues passim gratiores esse: si enim grati sunt & placent, auidiùs hauriuntur; sin molesti sunt & displicent, parum afferunt molestiæ, quia breues sunt. & hoc est quod ait hic Paulus: *Sufferte verbum solatij; etenim perpaucis scripsi vobis.* hinc monet Sapiens Eccles. 5. *Pauci sint sermones tui.* & Poëta,

Quidquid præcipies, esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Notent & seruent hoc concionatores. ita pluribus placebunt, pluresque fructus facient.

COGNOSCITE FRATREM NOSTRVM TIMOTHEVM VERS. 23.

DIMIS-

Timotheus videtur fuisse in vinculis.

DIMISSVM] Græcum ἀπολελυμένον, tam *cognoscitis*, A quàm *cognoscite*, verti potest. Vox *dimissum* significat Timotheum fuisse alicubi in vinculis licet id alibi non narretur. ita Chrysost. Theoph. Oecum. Primas. Anselm. D. Thom. qui tamen omnes secundum addunt sensum, vt scilicet dimissus dici possit ab amicis, v.g. ab Athenienſibus, qui eum importunis precibus penes se detinebant.

Verùm prior sensus planior est : vnde & Syrus vertit, ܫܪܝ *defferi*, id est *vinculù solutum*. Non fuisse Romæ, vnde hæc scripsit Paulus, sed alibi vinctum Timotheum significat id, quod sequitur, B *Cum quo, si celeriùs venerit, videbo vos.*

VIDEBO VOS] Ergo Paulus carcere iam propediem se liberandum sciebat.

VERS. 24. SALVTATE OMNES PRÆPOSITOS VESTROS] Significat Paulus, ait Theodor. se scribere ad plebem: præpositos enim hac sua doctrina & exhortatione non indigere.

ET OMNES SANCTOS] id est Christianos, qui vocatione, professione, officio & debito sancti sunt, id est, esse debent, vt dixi Rom. 1. 7.

SALVTANT VOS DE ITALIA FRATRES] Roma, vt dixi initio epist. scribit hæc Paulus. negat id Beza: nam Paulus, inquit, hîc non Romanos, sed Italos salutatores commemorat. Sed respondeo, id inde factum esse, quòd Paulus Italiam vti & alias prouincias prædicando peruaserat : nomen quoque Pauli vbique celebre multos Christianos ex tota Italia Romam ad eum visendum acciuerat. non ergo mirum, si Itali hi Romæ Paulo præsentes Hebræos per Paulum salutent. Pari enim modo Paulus, si hæc Bononiæ, vel in alia Italiæ vrbe scripsisset, dicere poterat : Salutant vos de Italia fratres. Adde, per Italos antonomasticè accipi posse Romanos: Roma enim erat caput & metropolis Italiæ. Sic Lucas Act. 18. 2. Priscillam & Aquilam ait venisse ab Italia, id est, vt mox ipsemet explicat, ab vrbe Roma, à qua edicto Claudij cum cæteris Iudæis pulsi fuerant. non enim tota Italia, sed tantùm vrbe Roma Iudæos excedere iusserat Claudius.

Ostenditur contra Bezam hanc epistolam Roma scriptam.

Atque hæc in epistolas hasce dicta sint. nunc eò omnia vnde.

Peroratio ad S. Paulum.

ACcipe ergo S Paule, vti principium, ita & finem huius operis. Tuum est enim totum, non meum. Quis enim ego? & quid commentatio epistolarum tuarum? Opus hoc non est virium mearum, non valetudinis meæ debilis & infirmæ, non mei ingenij, non meæ sapientiæ. Verè enim & in conscientia mea *stultissimus virorũ ego sum, & sapientia hominum non est mecum.* Tuum ergo est, tuo semine & origine, tua ope, intercessione, suggestu tuum est meo voto, debito, scopo, dono: tuum est argumento, fine, laude. Tibi proinde illud, vti tot nominibus debitum offero, imò refero. non mihi, sed tibi, & Deo Domino nostro illud tribuo, consecro, dicoque, *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Statuit te Deus doctorem Gentium, doctorem sæculorum omnium. tuo sæculo viua voce vniuersum mundum tua prædicatione docuisti; nunc in cælis regnans eumdem doces, docebisque ad finem vsque sæculi per tua monumenta, per epistolas hasce igneas & diuinas. Da vt huic rei commentarius hic subseruiat. da vt quod hîc exteriùs scripsi, interiùs Spiritus sanctus suggerat & doceat quàm plurimos, vt plurimi ex earum lectione tam in vera fide & sapientia, quàm in virtute & spiritu Christiano, imò Apostolico proficiant, atque ego in primis, qui sum puer parvulus nesciens introitum & exitum meum.

Veritatem, veramque tuam mentem vbique fixis oculis spectaui & consectatus sum. Veritas enim mihi vita ipsa est charior. si cubi ab ea aberraui, vt homo aberraui: errorem hunc mihi & alijs demonstra, ne quis in eum impingat. omnes enim veritatis, nullum erroris mei heredem relinquere percupio.

Offer quoque hæc ipsa S. Virgini Deiparæ, quæ æternæ Sapientiæ mater est, & communis omnium nostrûm parens, cui me meaq; omnia debeo, vtpote quæ me immerentem & indignum ad Religionem & sanctam hanc Societatem filij sui vocauit, atq; in ipsa Societate mirè semper, ac præsertim in hoc opere direxit, iuuit, instruxit, effecitq; vt tarda & impolita mens & manus mea fierent calamus scribæ velociter scribentis: vt ipsa hæc eadem offerat benedicto filio suo Iesu Christo, ad eius perennem voluptatẽ, laudem & gloriam, quam vnam in vita & in morte, in tempore & in æternitate celebrare & promouere omnibus votis & studijs, omnibusq; corporis & animæ viribus intẽdo & satago. *hæc est enim vita æterna, vt omnes cognoscant Deum verum, & quem ipse misit Iesum Christum*, qui est salus nostra amor noster, gaudium nostrum, spes & beatitudo nostra, Deus noster & omnia. Da denique, vt ipso tecum post breuem hanc vitam in cælo perfruamur, vbi eius laudes non humana, sed angelica lingua in æternum celebremus, cantemusque iugiter: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Amen.

O Iesu Christe, amor noster, per sanguinem testamenti tui æterni, apta nos in omni bono, vt semper & vbique faciamus tuam voluntatem, & quæ placita sunt tibi. O pater futuri sæculi duc nos recto tramite ad felicem ÆTERNITATEM, vt in sæcula sæculorum SS. Trinitati canamus: Redemisti nos Domine Deus, & fecisti nos regnum & sacerdotes, & regnabimus in æternum. O intermina, ô glorioſa, ô nimis longa, alta, lata & profunda ÆTERNITAS!

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam indicat, litteræ additæ litteris intercolumnalibus respondent; vbi vnicus tantùm est numerus, signum est eum ad priorem referri.

GENESIS.

Ap. 1. *vers.* 2. *iuxta Septuag.* Terra erat inuisibilis, & incomposita. *pag.* 942. *col.* 1. *litt.* a.

1.2. Dixitq́; Deus, Fiat lux. 354.2.a

2.23. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. 536.1.d

2.24. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. 537.1.c

2.7. Factus est homo in animam viuentẽ. 330.2.d

5.22. Ambulauit Enoch cum Deo. 657.1.a

5.24. Ambulauitq́; (*Enoch*) cum Deo, & non inueniebatur: quia tulit eum Dominus. 942.2.b.d

6.9. Noë vir iustus atque perfectus cum Deo ambulauit. ibid.d

12.1. Vade in terram quã monstrauero tibi. 944.1.c

12.5. Egressi sunt, vt irent in terram Chanaan. ibid.d

15.16. Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. 653.2.d

15.1. Ego protector tuus. 977.2.d

15.16. Generatione quarta reuertentur huc. 841.2.d

17.7. Ero Deus tuus & seminis tui post te. 127.1.d

17.1. Ambula coram me, & esto perfectus. 648.2.d

18.10. Secundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. 128.1.d

19.24. Dominus pluit super Sodomam sulphur à Domino. 783.2.c

21.9. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham, Eijce ancillã hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac. 451.1.c

21.12. In Isaac vocabitur tibi semen. 977.1.b

22.2. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum. 947.1.b

22.18. In semine tuo benedicentur, (*id est iustitiam, gratiam, & gloriam assequentur,*) omnes gentes. 127.1.d

25.23. Maior seruiet minori. 129.1.d

25. *vlt.* Accepto panis & lentis edulio comedit, & bibit (*Esau*) & abijt paruipendens, quòd primogenita sua vendidisset. 968.1.a.b

32.28. Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. 469.1.a

37.30. Puer non comparet, & ego quò ibo? 564.2.a

47.8. Dies peregrinationis vitæ meæ centũ triginta annorum sunt, parui & mali. 546.2.a

47.31. Adorauit Israel Dominum, conuersus ad lectuli caput. 948.2.d.& seqq.

48.19. Iste quidem (*Manasse*) erit in populos, & multiplicabitur, sed frater eius minor (*Ephraim*) maior erit illo. ibid.c

49.26. *Christus vocatur* desiderium collium æternorum; *quorum?* 972.1.c

49.14. Salutare tuum expectabo Domine. 579.1.c

49.16. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. 685.2.d

49.25. Benedicet tibi Deus benedictionibus cœli. 384.1.b.

EXODVS.

Cap. 2.2. Videns eum elegantem, abscondit mensibus tribus. 950.1.c

9.16. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam. 133.1.c

12.11. Calceamenta habebitis in pedibus. 549.2.c

12.46. Os non comminuetis ex eo. 846.2.b

16.18. Et mensi sunt ad mensuram gomor, nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus. 381.1.d

19.5. Eritis mihi in peculium. 689.2.a

19.12. Qui tetigerit montem, lapidibus opprimetur, siue iumentum fuerit, siue homo. 969 2.c

20.12. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. 541.1.a. 652.2.a

24.17. Erat species gloriæ Domini quasi ignis ardens. 973.2.a

25. *vlt.* Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. 902.1.b

32.31. Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro quem scripsisti. 125.2.d

33.19. Miserebor cuius misereor. 131.2.d

34.6. Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis. 805.2.b

LEVITICVS.

Cap. 6.30. Hostia quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum, non comedetur, sed cremabitur. 980.1.d

16.27. Vitulum, & hircum, qui pro peccato fuerunt immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles, quàm carnes eorum. 2.c.d.

18.5. Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. 141.1.d

19.18. Diliges amicum tuum sicut teipsum. 178.2.a

19.23. Quando plantaueritis ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant immunda erunt vobis, nec edetis ex eis: quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. 626.2.d

25.23. Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei estis: vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. 253.1.c

26.12. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester. 373.1.a.

NVMERI.

Cap. 16.5. & 26. Manè notum faciet Dominus qui ad eum pertineant, & sanctos applicabit sibi. 792.2.a

16.33. Descenderunt viui in infernum operti humo. 681.2.c

23.22. Cuius fortitudo similis est rhinocerotis. 475.1.d

DEVTERONOMIVM.

*Cap.*4.2. Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo. 417.1.d
4.15. Locutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis. 973.1.d
18.15. Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb. 854.1.b
19.15. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. 411.1.a.b
21.23. Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. 436.1.a
22.9. Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius. 689.2.a
25.4. Nō alligabis os boui triturāti. 755.2.c. 164.2.d
29.29. Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta nobis & filijs nostris. 759.1.a
30.14. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non super te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt dicere possis, Quis nostrūm valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos? 142.1.a.d
32.21. Ego in æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem: in iram vos mittam. 146.2.c
32.35. Mihi vindicta, ego retribuam. 172.2.a

IOSVE.

*Cap.*1.5. Non te deseram, nec derelinquam. 977.1.c
15.19. Da mihi benedictionem: terram Australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. 384.1.a

LIBER IVDICVM.

*Cap.*12.6. Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum. 766.2.d

RVTH.

*Cap.*1.13. Vetulæ eritis antequam nubatis. 244.1.b.c

LIBRI REGVM.

*Lib.*1. *c.*4.21. Translata est gloria de Israel. 126.2.a
10.12. Num & Saul inter Prophetas? 311.1.d
18.10. Inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ. 2.b
21.5. Fuerunt vasa puerorum sancta: porro via hæc polluta est, sed sanctificabitur in vasis. 658.2.c
25.27. Suscipe benedictionem hanc. 384.1.a
2. *Reg. cap.*2.14. Surgant pueri & ludant (*id est duellent*) coram nobis. 451.2.a
7.13. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. 845.2.b.c
Ibid. Cùm dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo. ibid.d
7.14. Arguam eum in virga virorum. 963.2.d
3. *Reg. cap.*4.29. Dedit Deus Salomoni latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris. 371.1.a
7.21. Et statuit duas columnas in porticu templi, dexteram vocauit Iachin, sinistram Boos. 732.1.a
13.10. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam. 148.2.a
19.18. Reliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorū genua non sunt curuata ante Baal. ibid.b
4. *Reg. cap.*1.11. Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo 766.2.d
2.9. Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. 755.2.b
2.12. Pater mi, currus Israel & auriga eius. 843.1.b

LIB. PARALIPOMENON.

*Lib.*1. *cap.*25.1. Separauerunt filios Asaph, qui prophetarent in citharis & psalterijs. 311.2.a.

IOB.

*Cap.*16.13. Posuit me sibi quasi in signum. 656.1.a
18.13. Consumat brachia illius (*impij*) primogenita mors (*quæ peccati est filia primogenita*) 78.1.c
31.31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det vt de carnibus eius saturemur? 653.1.a
38.28. Quis est pluuiæ pater? 479.2.a
39.1 & 3. Numquid parturientes ceruas considerasti? incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitū emittunt. 447.2.b
39.12. Numquid volet rhinoceros seruire tibi? 706.2.d.
41.2. Quis antè dedit mihi, vt reddam ei? 157.2.d

PSALMI.

*Psal.*2.7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. 844.2.d
4.4. Mirificauit Dominus sanctum suum. 673.1.d
4.6. Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. 519.1.c.d
5.13. Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos. 856.1.b
6.1. Domine ne in furore tuo arguas me. 963.2.d
7.15. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 766.1.c
Psalmus VIII. explicatur. 864.1.d. & sequent.
15.3. Sanctis qui in terra sunt eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis. 673.1.d
17.3 Ego ero fidens in eum. 859.1.a
18.5. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 146.1.a
21.23 Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. 858.1.c.d
23.2. Ipse super flumina præparauit eum. 550.1.d
28.6 Dilectus, quemadmodum filius vnicornium. 475.1.d
30.16. In manibus tuis sortes meæ, *hebraicè*, tempora mea. 614.1.d
30.23. Ego dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum, &c. 52.2.c
39.8. Hostiam & oblationē noluisti, corpus autem aptasti mihi. 925.2.c.d
39.8. & 9 Holocautomata & pro peccato noluisti, tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus, voluntatē tuam. 926.2.b. 928.1.a.b
43.23. Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. 121.1.a
44.9. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. 849.1.a
44.10. Astitit regina à dextris tuis. 636.1.a
44.7. Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui. 848.1.d. & seq.
46.8. Psallite sapienter. 314.1.c
50.6. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. 53.2.b
58.10 Fortitudinē meam ad te custodiam. 348.2.d
59.10. In Idumæam extendam calceamentum (*possessionem*) meum. 549.2.d
64.12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ 856.1.a
67.9. Terra mota est, cæli distillauerunt. 969.1.c
67.18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sinai in Sancto. 594.2.d
64.19.

64.19. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. ibid.
67.36. Mirabilis Deus in sanctis suis. 673.1.c
68.10. Improperia improperantiũ tibi ceciderunt super me. 190.1.b
68.12. Factus sum illis in parabolam. 948.1.d
68.23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum. 152.1.b
68.24. Et dorsum eorum semper incurua. ibid.d
81.1. Deus steterit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. 855.2.c
83.8. Ibunt de virtute in virtutem. 657.2.a
88.6. Confitebuntur cæli mirabilia tua, etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. 673.1.d
89.4. Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præterijt. 254.2.d
89.6. Manè sicut herba transeat, vespere decidat, induret & aresca. ibid.
94. Venite, exultemus Domino, *penè totus explicatur.* 865.1.b.& seqq.
95.7. Afferte Domino patriæ Gentium. 496.2.d
96. Dominus regnauit, exultet terra, *penè totus explicatur.* 847.1.c & seqq.
101.26. Tu in principio Domine terram fundasti; opera autem manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes sicut vestimentum, veterascent. 849.2.d. & seq.
102.4 Qui coronat te in misericordia & miserationibus. 856.1.b
103.4. Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. 847.2.a
104.15. Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. 849.1.b
105.34 Distinxit in labijs suis. 969.2.b
109.1. Sede à dextris meis. 850.1.d
109.3. Tecum principiũ in die virtutis tuæ. 617.1.a
109.4. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. 876.1.c
111.9. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. 385.1.d
Ibid. Cornu eius exaltabitur in gloria. 2.a
115. Credidi propter quod locutus sum, *totus penè psalmus explicatur.* 356.2.c
115. 2. Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax, *&c.* 52.2.c
117.22. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. 12.2.d.490.2.b
118.32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. 371.1.a
119.4. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs. 173.2.b
128. 1. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea; etenim non potuerunt mihi. 420.1.d
140.2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. 718.2.a

PROVERBIA.

Cap. 3.4. *iuxta Septuag.* Prouide bona coram Domino & hominibus. 171.2.a
3.11. Et quasi pater in filio complacet sibi, 964.1.a
Ibid. Fili mi noli negligere disciplinam Domini. 963.2.b
Ibid. Neque fatigeris, cùm ab eo argueris. ibid.d
4.26. Dirige semitam pedibus tuis. 966.2.c
5.15. Bibe aquam de cisterna tua. 658.1.d
14.22. Errant qui operantur malum. 911.2.d
15.11. Infernus & perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum? 676.1.c
16.10. Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius. 801.2.d
17.24. In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ. ibid.
22.8. *iuxta* LXX. Hilarẽ datorẽ diligit Deus. 384.2.b
25.2. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: hoc enim faciens, carbones ignis congeres. 153.1.c.d
30.2. Stultissimus sum virorum. 706.1.b
31.13. Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum, *&c.* 693.2.c
31.21. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. 755.2.b

ECCLESIASTES.

Cap. 11.1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum. 384.1.d
11.7. Da partem septem, nec non & octo. 149.2.d. 384.1.d
11.3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. 384.2.a

CANTICVM CANTICORVM.

Cap. 6.1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum. 345.2.b

SAPIENTIA.

Cap. 1.7. Spiritus Domini repleuit orbem, & hoc (*hic Spiritus*) quod continet omnia, scientiam habet vocis. 616.1.d
5.21. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos, ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient, & à petrosa ira plenæ grandines mittentur, *&c.* 932.2.d
7.26. Candor est lucis æternæ, speculum sine macula. 842.1.b
11.18. Creauit orbem terrarum ex materia inuisa. 942 1.a
11.21. Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. 623.1.c
11.22. Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani. 843.2.b
18.24. In veste poderis totus erat orbis terrarum. 713.1.a.907.1.a

ECCLESIASTICVS.

Cap. 14.12. Testamentum huius mundi (*est*) morte morietur. 922.2.b
24.32. Hæc omnia liber vitæ, & testamentũ Altissimi, & agnitio veritatis. Legem mandauit Moysesin præceptis iustitiarum, & hereditatẽ domui Iacob, & Israel promissiones. 602.2.d
24.45 Inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. 780.2.c
48.14. Mortuum prophetauit corpus eius. 311.2.c
49.18. Ossa ipsius (*Ioseph*) visitata sunt, & post mortem prophetarunt. ibid.

ISAIAS.

Cap 1.9 Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. 139.1.b
2.2. Erit præparatus (*id est fundatus*) mons domus Domini in vertice montium. 550.1.d
3.46 Erit pro zona funiculus, & pro fascia pectorali cilicium. 547.2.c
5.22. Væ vobis, qui potentes estis ad bibendum vinum. 457.2.c.458.1.b
6.5. Væ mihi, quia vir pollutis labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. 421.1.a
8.3. Accelera spolia detrahere, festina prædari. 497.1.c.859.1.c

8.14. Ipſe ſit pauor veſter, & ipſe terror veſter; & erit vobis in ſanctificationem. 139.2.b
8.17. Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob, & præſtolabor eum. 859.1.c
8.18. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihit Dominus, in ſignum & portentum Iſrael. 783.2.c. 859.1.d
9.6. Cuius imperium ſuper humerum eius. 843.1.c
Ibid. Pater futuri ſæculi. 468.2.b. 854.1.b
10.11. Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes. 191.1.c
10.22. Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ conuertentur ad Dominũ: conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam. 138.2.a.b
11.4. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 681.1.d
11.5. Et erit fides cinctorium renum eius. 548.2.a
11.10. Qui ſtat in ſignum populorum. 191.2.a
22.13. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. 328.2.a
28.10. Manda, remanda, expecta, reexpecta: modicum ibi, modicũ ibi: in loquela enim labij & lingua altera loquetur ad populum iſtum. 316.2.b
28.16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem. 139.2.a
Ibid. Qui crediderit *in ipſum*, non feſtinet. 140.1.a
29.10. Miſcuit vobis Dominus ſpiritũ ſoporis, claudet oculos veſtros, prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. 151.1.b
29.14. Peribit ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur. 203.1.c
31.9. Dixit Dominus, cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem? 973.2.c
33.18. Vbi eſt literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum. 203.1.d
35.3. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. 966.2.b
40.2. Suſcepit duplicia de manu Domini. 755.2.b
40.13. Quis adiuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? 157.2.b
45.1. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro. 577.1.b
45.8. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum. ibid.
45.15. Tantùm in te eſt Deus: verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator. ibid.
45.23. In memetipſo iuraui, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. 186.2.a
45.25. In Domino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael 577.1.d
49.3. Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor. 556.1.b
49.8. In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui. 368.1.b.c
51.1 Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis: & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis. 926.1.d
52.7. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantiũ pacem, euangelizantium bona! 144.2.b.d
52.11. Recedite, exite inde, pollutũ nolite tangere. 373.2.b
53.1. Domine quis credidit auditui noſtro. 145.1.d 653.1.d
54.1. Lætare ſterilis, quæ non paris, decanta laudẽ, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius quæ habet virum. 450.1.d
54.13. Erunt omnes docibiles Dei. 905.1.b
59.17. Et indutus eſt (*Deus*) iuſtitia vt lorica, & galea ſalutis in capite eius, indutus eſt veſtimentis vltionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli. 551.2.d
59.20. Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. 155.2.a
61.1. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer lugentes in Sion. 368.2.a
64.4. A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abſque te, quę præparaſti expectantibus te. 210.1.c
65.1. Inuentus ſum à non quærentibus me, palàm apparui ijs qui me non interrogabant. 146.2.d
65.2. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentẽ mihi. 147.2.a

IEREMIAS.

Cap. 9.23. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire, & noſſe me. 207.1.c
11.16. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum. 154.1.a
13.11. Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi domum Iſrael. 547.1.d
17.16. Diem hominis non deſideraui Domine, tu ſcis. 223.1.b
17.18. Duplici contritione contere eos. 755.2.b
18.6. Sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea. 136.2.b
31.31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum. 902.2.d
31.33. Hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael, dando leges meas in mente eorum, & in corde ſuperſcribam eas. 903.1.d
Ibid. Et ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. 904.1.b
31.34. Et non docebit vnuſquiſque proximum ſuum dicens, Cognoſce Dominum. ibid.c
51.26. Non tollent de te lapidem in angulũ. 490.2.a
Threnor. 3.12. Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ. 656.1.a

BARVCH.

Cap. 6.42. Mulieres circumdatæ funibus in vijs ſedent, *&c.* 547.2.d

EZECHIEL.

Cap. 1.20. Et ſpiritus vitæ erat in rotis. 843.1.b
4.3. Sume tibi ſartaginem ferream. 401.2.d
16.10. Cinxi te byſſo. 547.2.a
Ibid. Calceaui te ianthino. 550.2.c
17.2. Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam: aquila grandis, *&c.* 948.2.a
24.17. Corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis. 549.2.d
29.3. Meus eſt fluuius (*Nilus*) & ego (*Pharao*) feci memetipſum. 348.2.d
37.27. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus. 373.1.a
38.22. Et iudicabo eum (*Gog*) peſte & ſanguine, & imbre vehementi & lapidibus immenſis, ignem & ſulphur pluam ſuper exercitum eius. 688.2.d
39.9. Succendent ea (*arma Gog & Magog*) ſeptem annis. 664.1.b

DANIEL.

Cap. 7.10. Fluuius igneus rapiduſq́ue egrediebatur à facie eius. 672.2.c
7.25. Putabit quòd poſſit mutare leges & tempora. 687.1.c
12.12. A tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies 1290, beatus qui peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque. 664.1.c

OSEAS

*Cap.*1.10. Et erit in loco vbi dictū est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei. 138.1.d

2.23. Vocabo non plebem, plebem meam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. ibid.b

11.2. Ex Ægypto vocaui filium meum. 846.2.b

12.10. Visionem multiplicaui, & in manus Prophetarum assimilatus sum. 841.1.a

13.14. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. 333.1.d

IOEL.

*Cap.*2.32. Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. 143.2.d

AMOS.

*Cap.*3.3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis? 942.2.d

HABACVC.

*Cap.*2.3. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. 936.2.c

2.4. Iustus autem in fide sua viuet. 937.1.c

Ibid. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. 2.b

3.4. Cornua in manibus eius. 204.2.d

AGGÆVS.

*Cap.*2.7. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. 971.2.d

ZACHARIAS.

*Cap.*5.*vlt.* Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super sedem suam. 686.1.d.2.a

9.11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 983.1.c

10.4. Ex ipso angulus. 498.2.a

MALACHIAS.

*Cap.*1.2. Iacob dilexi, Esau autē odio habui. 130.1.c

MACHABÆI.

*Lib.*2.*cap.*6.19. Voluntariè præibat (*Eleazarus*) ad supplicium. 954.1.c

*Lib.*2.7.1. Flagris & taureis cruciatos. ibid.

MATTHÆVS.

*Cap.*5.10. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. 355.2.b

11.19. Iustificata est sapientia à filijs suis. 734.1.c

19.12. Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum; qui potest capere capiat. 250.2.b

23.32. & 35. Et vos implete mensuram patrum vestrorum, vt veniat super vos omnis sanguis iustus. 653.2.d

24.31. Mittet angelos suos cum tuba & voce magna. 662.1.b

25.6. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiàm ei. 664.2.c

26.26. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. 288.1.c

LVCAS.

*Cap.*1.72. Memorari testamenti sui sancti, iusiurandum quod iurauit ad Abraham. 817.1.a

2.38. Loquebatur de illo (*Anna de Christo*) omnibus qui expectabant redemptionem Israel. 319.1.d

12.25. Sint lumbi vestri præcincti. 549.1.b

19.26. Omni habenti (*id est, talento suo vtenti*) dabitur: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. 241.1.d

21.23. Erit pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. 665.1.d

IOANNES.

*Cap.*1.2. Deus erat Verbum. 847.2.c.871.1.c

4.23. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrē in spiritu & veritate. 351.1.b

6.27. Hunc enim Pater signauit Deus. 842.2.b

8.25. Tu quis es? Principium, qui & loquor vobis. 617.1.b

8.44. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, quia mendax est, & pater eius. 512.2.a

17.19. Pro eis sanctifico (*id est, sacrifico*) meipsum. 192.1.b.857.2.c

ACTVS APOSTOLORVM.

*Cap.*7.20. Eodem tempore natus est Moses, & fuit gratus Deo. 950.2.a

7.25. Existimabat (*Moses*) intelligere fratres, quoniam Deus per manū ipsius daret salutē illis. 1.d

13.14. Dabo sancta Dauid fidelia. 704.2.b

EPISTOLÆ. CANONICÆ

S. IACOBI.

*Cap.*4.11. Qui detrahit fratri, detrahit legi. 769.1.b

EPISTOLA I. S. PETRI.

*Cap.*3.3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, *&c.* sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitatē quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. 720.1.a

EPISTOLA I. S. IOHANNIS.

*Cap.*2.24 Vnctio eius docet vos de omnibus. 905.1.b

5.16. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. 882.1.d

APOCALYPSIS S. IOHANNIS.

*Cap.*1.20. Septem stellæ septem Angeli (*hoc est Doctores & Episcopi*) sunt septem Ecclesiarū. 329.1.c

2.28. Qui vicerit, dabo ei stellam matutinam. ibid.d

9.16. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. 688.2.a

11.4. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. 908.2.b

11.8. Et occidet eos (*Eliam & Henoch*) & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ spiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. 678.1.b

12.1. Mulier amicta sole, & in capite eius corona stellarum duodecim. 319.1.c

13.18 *dicitur* Christus esse agnus occisus ab origine mundi, *quo sensu?* 921.2.a

17.10. Reges septem: quinque ceciderunt; vnus est, & alius nondum venit; & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere. 680.1.c

Ibid. Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos, quoniam Dominus dominorum est. ibid.

17.18. Babylon meretrix magna sedens super montes septem, ebria sanguine Sanctorum, *&c.* 2.b

20.7. Soluetur Satanas, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog. 688.1.d

20.8. Et ascenderunt (*Gog & Magog*) super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam. 2.c

20.9. Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos. ibid.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
QVÆ HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Aaron & Christus inter se collati. pag.873.col.1.c
Aaron & Leuita respectu Melchisedec & Christi non sacerdotes, sed laici erant. 893.1.a. *Aaron vxorem duxit è tribu Iuda.* 895.2.a. *fuit pontifex in vna familia Abrahæ.* 891.2.a. *eum minorem esse Christo, septem argumentis ostenditur.* 892.1.a.c.2.c.
Aaronicum sacerdotium promittitur à Dauide abolendum per sacerdotium Christi. 896.2.1. *Aaronici sacerdotes & sacrificia non poterant, quod Christi, nempe cælum reserare.* 912.1.b. *Aaronici & Christus in quo differant* 899.2.b
Abba pater *quid sit.* 107.1.a.b
Abbreuiatum Verbum quid sit. 138.2.d
Abdalla Saracenus fidem de fide Christi suscipienda frangens à Deo morbo percussus est. 248.1.b
Abel quàm Cain præstantiorem Deo victimam obtulerit. 942.1.a. *quomodo defunctus adhuc loquatur.* ibid.d. *eius sacrificium per ignem cælitus dimissum placuisse sibi ostendit Deus.* ibid.c. *eius sanguis clamat vindictam, Christi, misericordiam.* 971.1.c
Abibi diaconi de tolerantia laborũ apophthegma. 109.2.c
Abigei iumenta aliena diripiunt. 702.1.b
Abimelech commune nomen regum Palæstinæ tempore Abrahæ. 888.2.c
in Abnegatione concupiscentiarum sita perfectio. 827.2.a. *eius vsus & fructus.* ibid. *abnegatio sæcularium in quo consistat.* 1.c
Abortiuum fuit Paulus ob sex rationes. 322.1.c. *abortiui senatores quinam.* ibid.d
Abram nomen auctũ, & dictus Abrahã propter fidẽ 944.1.b. *cum tota posteritate quomodo se subijciat Christo.* 893.1.c. *licet signum promissionis sibi factæ à Deo petierit, tamen non dubitauit, sed firmiter credidit Deo.* 69.2.b. *quomodo id signum petierit.* ibid.c. *iussus immolare Isaacum, credidit quòd Deus eum à se immolatum à morte suscitaret.* 67.2.d.947.2.b.d. *pater spei & fidei dicitur.* 68.1.d.61.2.a. *quare dicatur propheta.* 311.1.b. *circumcisionem accepit post iustitiam, in signum iustitiæ acceptæ per fidem.* 65.1.d. *adhuc præputiatus iustificatus est non ex operibus legis.* ibid.c. *quomodo dicatur pater fidelium.* 961.1.d. *significat patrẽ electum cum sonitu, item patrem magnæ multitudinis.* 450.2.c.d. *quomodo crediderit sibi seni nascituram prolem.* 68.2.a. *illi seni reddita vis generatiua.* 69.2.b. *quomodo emortuus genuerit.* 945.2.c. *cum Noë vixit* 58. *annis.* 889.1.a. *pater credentium & patienter expectantium est.* 885.1.b. *iustificatus est ex fide Christi venturi.* 634.1.a. *quare dederit decimas & honorem Melchisedeco.* 892.1.a. *sua obedientia meruit Christum nasci ex suo semine.* 437.1.c. *eius fœdus cum Deo quale.* 294.2.b. *ipse symbolicè est Deus, quomodo.* 450.2.d. *in Melchisedeco Christum honorauit.* 892.1.a. *in Chanaan habitauit quasi aduena, non verò incola.* 944.2.d. *in Chanaan habitans semper in mobili tabernaculo est commoratus.* ibid. *maior fuit Aarone, sed minor Melchisedeco.* 89.1.c. *sua fide Deum glorificauit, scilicet dum sibi persuadet, Deum promissa sua & posse & velle implere.* 70.1.a. *heres est mundi per filios & per Christum.* 66.2.a. *si ei iustitia obtigisset ex lege, non ex fide, iam promissio eius esset abrogata.* 2.c. *decimas dans præcognouit Christi sacerdotiũ fore dignius Aaronico.* 893.1.a. *est pater omnium nostrûm non propagatione carnis, sed spiritus & fidei.* 67.1.d. *iustitiam & gloriam apud Deum adeptus est non ex operibus legis, sed ex fide.* 61.1.a. *ea qualis fuerit.* 62.1.d. *per fidem magis iustificatus est.* 62.1.b. *est exemplar iustificationis tum impij, tum iusti.* ibid.c. *in prima iustificatione credidit in Christum.* 2.a. *est spiritualis pater Gentilium credentium, idq; duas ob rationes.* 65.2.b. *promissam posteris à Deo benedictionem primus acceptauit eorum nomine.* ibid. *pater, id est auctor, dicitur circumcisionis.* ibid.d. *quomodo dicatur tentatus, & an visibiliter à dæmone.* 947.1.d. *eius posteritas ex Isaac, non ex Ismaele ducenda.* 2.b. 447.2.b. *eius posteritatis multitudo, gloria, fama, æternitas instar stellarum & arenæ maris ex sex capitibus.* 69.1.d.947.2.d. *ei promissa benedictio, fuit iustitia & salus per Christum.* 127.1.c. *fuit ea duplex.* 2.a. *eius in lumbis quomodo dicatur Leui fuisse.* 894.1.c. *eius fides in Chanaan abeuntis quinque in rebus eluxit.* 944.2.d. *an eam illi Deus expressè nominarit.* 1.c. *non omnes qui ex semine eius carnaliter sunt progeniti, eo ipso censentur filij eius, ad quos scilicet pertineat eius benedictio.* 127.2.d. *ei septem benedictiones à Deo promissæ.* 434.1.b. *in semine eius, hoc est in Christo, omnes gentes benedictæ.* ibid.d. *Abraham & Isaac sunt exemplum memorabile omnium sæculorum.* 948.1.b. *Abraham & Lot quando agnouerint angelos à se receptos.* 975.2.c. *eius promissiones multis modis impletæ.* 885.2.b
Abramius Eremita quantopere dæmonẽ contempserit. 546.1.d. *eum blandientem à se constanter repulit.* 398.2.c
Abraxas vocauit Deum Basilides. 773.1.b
Abrenuntiatio Satanæ & peccati quam faciunt Christiani in baptismo. 85.1.d. *abrenuntiatio, est crucis ac mortificationis indicium.* 467.2.a. *per eam homo mundo crucifigitur.* 468.1.d
Absentes Deo, præsentes sumus corpori. 363.1.b
absente magistro labuntur discipuli. 447.1.a
Absoluendi potestas non laicis, sed Prælatis Ecclesiæ competit. 344.1.a
Absolutionem ab excommunicatione & indulgentiam plenam donauit Paulus incestuoso. ibid.c.
Abstinentia humilitatis & ceterarum virtutũ mater est. 270.2.d. *moderanda est, sicut chorda in cithara.* 758.1.c. *abstinentia veterum Eremitarum.* 737.2.a. *abstinentia Iudæorum duplex, perpetua & temporaria.* 184.1.d. *abstinentia coniugalis suadetur tempore orationis.* 241.2.d. *abstinentiam Ecclesiasticam & monasticam non damnat Apostolus.* 737.1.d
Abstractio à sensibus fieri potest vi morbi, vel virtute dæmonum. 405.1.c
Abundare in suo sensu quid sit. 184.2.b.c.d
Abusus rerum quis sit. 253.2.a
Abuti pro vti & plenè vti capitur interdum. 267.1.a
Abyssini Christiani vtuntur nouo testamento Syriaco. 16. *eorum ritus in sacris ab Apostolis accepti.* ibid.
Academiæ Theologorum aut philosophorum, etsi sententiis differentium, ab Apostolo non carpuntur. 202.1.d
Academiam Plato quare loco pestilenti elegerit. 270.2.a
Acceptio personarum apud Deum non est. 461.b 441.2.c. *in eo non esset vitium, sed minùs congrua eius liberalitati.* 425.1.c. *est vitium contrarium iustitiæ distributiuæ.* 46.1.a
Accidentia solà panis in Eucharistia manent sine subiecto. 292.1.c

Acci-

Accipere *pro dare interdum hebraicè capitur.* 505.2.a
Accidia non fugiendo, sed resistendo impugnanda. 694.2.d
Acestus miles a Paulo ad necem ducto conuersus. 10.1.d
Achab excelsa quomodo euerterit, & peccarit in eo. 148.2.b. *quomodo venundatus vt faceret malum.* 89.1.a
Achaia olim celebres habuit vrbes. 198.1.a
quomodo Achaz voluerit tentare Dominum. 49.1.b
Acies gladij apud Hebræos & Græcos vocatur os. 871.2.d
Acquisitionis redemptio quæ sit. 479.1.b
Acrochiristæ summus inter se manibus depugnabãt. 268.1.d
Actio gratiarũ in cibi sumptione vsurpata Iudæis. 185.2.c. *qua formula eam veteres vsurparent.* 738.1.c
Actio honesta fructus cognitionis Dei. 39.2.b. *actio omnis ab oratione inchoanda.* 7.1.1.c. *actiones immanentes Deo Patri sunt coæternæ.* 845.1.d. *actiones præclaræ ecquandæ.* 831.1.b. *omnes initio offerendæ Christo.* 643.1.a. *earum finis sit Dei gloria.* 186.1.a. *actionum & vitæ veritas quid sit.* 512.2.a
Actiua verba Hebræorũ sæpè passionem significant. 20.2.c
Actus fidei à gratia habet quòd sit supernaturalis & meritorius, à libero arbitrio quòd sit liber. 225.2.c. *actus humani vt tales non habent meritũ iustificandi.* 150.2.c. *actus humilitatis.* 171.1.b. *actus interior peccati æquè ac externus est veritus.* 94.2.d. *actus inobedientiæ in Adamo fuit partim personalis, partim communis.* 79.1.c. *actus omnis virtutis relatus ad Dei honorem est actus religionis.* 981.2.c. *actus vnus peccati perfectus peccatores cælo excludet.* 235.2.a. *actus coniugij & fornicationis secundũ speciem naturæ idem sunt, licet in genere moris specie, imò genere differant.* 236.2.d. *actus voluntatis ad fidẽ necessarius est.* 142.2.d. *actum inchoatum, perfectum, & continuatum subinde significant verba Hebræorum.* 22.1.b
Ad accipitur interdum pro De. 147.1.a
per Adam peccatum in mundum intrauit, nam ipse primaria causa vti generationis, ita & peccati originalis, eiusq; propagationis. 76.2.b. *ipse fuit primus vates prophetans de Christo & cruce eius.* 539.1.a. *eius & Christi variæ antitheses.* 82.1.a. *ante costam sublatam non fuit monstruosus, nec post ablatam mutilus.* 536.2.a. *sepultus ansit in monte Caluariæ.* 520.2.b. *peccando Dei imaginem non amisit.* 518.1.c. *factus est animal viuens.* 331.1.a. *nisi peccasset, Christus non erat nasciturus.* 481.2.c. *quadrupliciter terrenus dicitur.* 331.2.a. *in statu innocentiæ nulli fuit morbo obnoxius.* 862.1.a. *fuit forma, typus & figura Christi venturi.* 80.1.d. *inuexit regnum mortis, Christus regnum vitæ in quo nos reges fecit.* 81.2.a. *quomodo animalis dicatur.* 212.2.b. *serpenti etiam credidit.* 722.1.a. *quomodo tamen seductus non dicatur.* 721.2.b. *est in gratia creatus.* 518.1.c. *primus insipiens est.* 55.2.b. *eius animam in Paulo fuisse somniarunt hæretici.* 705.2.a. *aliud est in Adamo peccare, aliud est peccatum Adami in omnes pertransire.* 79.2.a. *in eo homines omnes contenti & censi fuerunt, & peccarunt.* 78.2.c. 79.1.c. *ex eo peccatores nascimur non proprio actu, sed alieno, scilicet Adæ.* 77.1.b. *ei Iudæi fingunt duas à Deo datas vxores.* 699.1.b. *ei Deus costam & carnẽ adhærentẽ sustulit.* 536.2.b. *et esus ligni scientiæ boni & mali vetitus fuit, cætera concessa.* 187.1.c. *Adami, Christi & angelorũ contradependentia.* 482.1.a. *Adami & Christi mira inter se dependentia.* 80.2.a.d. *sunt duo reges, ille regnauit in regno mortis, in regno vitæ hic.* 83.2.b
quomodo Adimpleantur quæ desunt passioni Christi pro Ecclesia. 618.2.a.b
Aditus ad gratiam nulli homini, ac ne quidem seruo fugitiuo præcluditur. 833.1.b
Admiratio quid sit & quorum. 672.2.c. *vix cadit in magnanimum & sapientem.* ibid.
Admirabiles Sancti apparebunt in die iudicij. 673.1.c.d
Adolescentularum vota non damnantur. 754.2.b
quomodo Adolescens dicatur Paulus, dum Stephanus lapidaretur. 10.2.b. *adolescentes vino abstineant.* 824.2.a. *eorum quæ sint vitia.* 796.1.b
Adoptio nostra in filios Dei & heredes contingit nobis in ipsa iustificatione. 111.1.d. 444.1.a. *hæc in quo sita.* 106.2.c. *cur approprietur Spiritui sancto.* ibid.d. *alia est inchoata, alia consummata.* 111.2.a. *adoptionis nostræ & filiationis causa.* 444.1.c
Adorare in spiritu & veritate quid sit. 351.1.b
S. Adrianus ad fidem ideo conuersus, quòd audiret Martyres post tormenta bona sperare æterna. 210.2.b
Adrianus Imp. quantũ debitum populo remiserit. 628.1.a
moriens quomodo suam sit animam allocutus. 860.2.a
Aduentum Iudicis Christi quinam diligant. 810.1.d. *hunc optare Christiani est.* 665.2.d. *is Christianis debet esse non terrori, sed in votis.* 769.1.c
Aduerbia similitudinis Hebræis sæpè non similitudinem, sed veritatem significant. 575.2.a
Aduersa non sunt molesta patientibus, sed pati nolentibus. 356.1.b. *per aduersa Deus Sanctos suos disponit ad martyria.* 966.1.a. *iis Deus nos erudit & fingit.* 963.2.d. *ijs crescit virtus.* 407.2.d
Adulatores meretrici & cornu assimilantur. 651.2.d. *animalium mitium maximè noxium.* ibid. *sunt sorices palatij.* 652.1.a. *purpuram magis colunt quàm Deum.* ibid.
Adulatio est mellea laqueus. 651.2.d
Adulter Deum experietur vindicem. 976.2.b
Adulterantium & cauponantium varia genera. 346.1.d
Adulterare verbum Dei quid sit. 789.1.c
Adulterij thorum soluere, non vinculum, Patres & Concilia docent. 245.2.a. *adulterium Dauidis allegoricè Christi erga Ecclesiam amorem indicat* 80.2.b. *adulterium est supergressio & circumuentio.* 659.1.a
Adustio pro senecta capitur. 244.1.c
Aedificare proximum quid sit. 667.1.a
Aedificatorius sermo quis sit. 521.1.d
Aedificium spirituale quomodo simus. 490.2.d
Aegritudines corporis an fuerint Paulo stimulus carnis. 406.1.a
Aegrorum cura habenda hilariter. 166.2.d
Aegyptij Deum quomodo pingerent. 872.2.c. *eorum numina.* 40.1.c. *eorum plagas verisimile est inflictas per angelos bonos.* 275.1.d. *eorum regum commune nomen Pharao olim, & deinde Ptolemæus.* 888.2.c. *ijs circumcisio quanto in honore fuerit.* 487.1.b
Aemiliæ familiæ vnde Romæ adhæserit nomẽ Pauli. 28.2.b
Aemuli Pauli fuerintne catholici an hæretici. 562.1.c
Aeneas instituit vt diis velato capite sacrificaretur. 284.2.c
Aenigma est quæstio quæ cum inuolucris verborum proponitur. 309.1.d. *ænigmata in Scriptura vocantur parabolæ.* 948.2.a
Aeones Valentini qui fuerint. 497.2.c. *portenta magis quàm numina.* 481.1.b. *an fuerint animalia, & quot sæculorum numeros ediderint.* 416.2.b. *eos à Platonicis Valentinus est mutuatus.* 24.1.c.d
Aequales æquendi, senes obsecrandi. 805.1.d
Aequalitas in bonorum communione colenda. 381.1.d. *æqualitas habenda inter filios.* 564.1.a. *æqualitas quæ futura in cælesti beatitudine.* 381.2.d
Aequitas in iudicando seruanda. 756.2.a.b
Aequus quis sit. 728.2.b
Aër in Scriptura dicitur cælum. 403.2.c. *vsque ad diem iudicij plenus dæmonibus.* 483.2.c. 545.1.b. *aërem verberare est frustra laborare.* 269.2.a. *aërius princeps quis sit.* 484.1.a

Aërius episcopatu frustratus, factus est hæreticus, & docuit pares esse Episcopis presbyteros. 710.2.a.18.1.a
Aerumnæ Pauli, quas Corinthi perpessus. 208.2.a. *aerumnæ corporis & animæ cogunt nos ad mortem anhelare.* 566.1.b
Aes Corinthiacum olim nobile. 198.1.b
Aetas D. Pauli. 10.2.a. *ætas maturior aut iunior, in morum seueritate aut leuitate sita.* 754.2.c. *ætas Timothei ad episcopatum euecti.* 742.2.c. *qua ætate omnes resurgent.* 511.1.a. *quo magis ætate crescimus, æquè fide ac meritis crescimus.* 180.1.b
Aetatibus mundi singulis qui fideles afflixerint. 680.1.c
Aeternum variè accipitur in Scripturis. 846.1.b. *æterna quomodo dicantur sacrificia Leuitica.* 896.1.b. *æternitas Christi.* 978.2.b. *æternitas quid sit eiusq; longinquitas.* 92.1.a. *pendet à momento.* 466.1.c. *ambit omnia tempora instar circuli.* 779.2.c. *æternitas & æuiternitas quomodo & in quibus differant.* 707.2.a. *æternitatẽ suam ante mundum an habuerint angeli.* 816.1.b. *æternitatis hodie quod.* 845.1.c
Aethiopes quomodo Deum vocent. 965.2.a
Aëtiani aliquot epistolas Pauli è sacro catalogo sustulerunt. 4.1.a
Affabilitas necessaria ægrorum præfectis. 166.2.d
Affectu sincero omnia nostra opera fiant. 335.2.c. *affectus erga parentes superandus vocante Christo.* 421.2.b. *affectus vehemens verba incidit.* 564.2.b. *affectus interior quo sancti viri pro aliis orant, maior omni externo sermone.* 113.2.c. *affectus quatuor amicitiæ.* 375.1.a. *affectus sunt pedes mentis.* 550.1.c
Affirmantes propositiones quomodo in Paulo intelligendæ. 17.1.d
Afflictio propter Christum gloriosa est. 670.2.d. *est concupiscentiæ domitrix, magistra virtutum.* 963.2.d. *est indicium & causa salutis.* 568.1.b. *afflictionibus nostris angeli boni compatiuntur, mali congaudent.* 226.2.d. *sunt disciplina & castigatio Dei eadem permittentis.* 963.2.c. *quàm sint ambiendæ.* 858.2.d
Affricationes malorum dogmatum sequuntur ex logomachia hæreticorum. 762.1.b
Agape quid sit, & quo tempore fieret. 287.2.d. *eius abusus cùm secutus, tunc ab Ecclesia vetita fieri.* ibid. *Christianorum conuentus olim laudebat.* 318.1.b c. *ea qualis esse debeat.* 523.2.b. 553.1.b
Agar hebraicè quid significet. 448.1.c. *testamentũ vetus & seruile significat.* ibid.d. 449.1.a. *Ismaelem Isaaco illudentem non repressit.* 451.2.a. *an sit idem qui mons Sina.* 448.1.c. *Agar Synagoga est.* 450.2.d
S. Agatha morientis oratio. 807.2.c. *eius corpus & animam curarunt angeli.* 851.1.a. *amputata mamilla, quàm constanter ipsa Quintianum Præsidem sit allocuta.* 955.2.a. *ambit tormenta.* 122.2.c.d
Agathangeli Martyris in tormentis constantia. 358.1.b
Agathocles rex vt recordaretur se esse filium figuli, in figlinis vasis cœnabat. 795.1.c
Agesilaus cum filiolo repuerascebat. 447.1.d. *eius munificentia.* 485.1.d. *eius generosa vox in podagræ doloribus.* 936.2.d
Agimur & agimus, non agimur nisi agamur. 106.1.d
S. Agnes baptismum suum magni facit. 441.2.b. *in igne illæsa mansit.* 898.2.b. *eius fortitudo.* 206.1.d
Agnitio & cognitio qui differant. 56.2.d
Agnus cereus olim recens baptizatis dabatur loco vestis candidæ quam deponebant. 231.2.a
Agnus paschalis allegoricè est Christus. ibid. c. *est figura Eucharistiæ, quæ si nudus panis, agnus multò fuit dignior.* 289.1.b. *quomodo is Iudæis factus sit in laqueum.* 152.1.b. *Eucharistia sacrificium per agnum paschalem est adumbratum.* 295.1.d
Agon & cursus quomodo distinguantur. 807.2.d. *agon qualis sit militis Christiani.* 767.1.d. *agones Pauli.* 651.1.b.c
Agricolæ ante dominos sunt fructuum participes. 786.2.a
Agrippam regem Paulus quàm ardenter moneat. 8.1.d
Agrippina coloniam ad Vbios duxit. 489.1.c
Alacritas vultus necessaria alios curantibus. 166.2.d. *alacritas necessaria ad Euangelium retinendum & defendendum.* 551.1.b
Alamundarus Saracenus Palæstinæ monasteria vastauit. 977.2.a.
Alberti Pighij error circa peccatum originale. 79.1.b.
Albertus Widmanstadius testamentum nouum Syriacè primus in Europa imprimi curauit. 819.1.d
Alcibiades Socratem in deliciis habuit. 41.1.a
Alcoranus quid significet, & vnde dictus. 931.1.b
S. Aldegundis S. Amandum vidit in cælos abeuntem, animabus variis cinctum. 601.1.b
Aleatio pro versutia accipitur interdum. 511.2.d
Aleatoribus similes hæretici. ibid.
Alexander Carbonarius diuino indicio vocatus ad episcopatum. 708.2.b
Alexander Aerarius qualis, & vnde ita dicatur. 810.2.a. *erat Iudæus Ephesi habitans, credidit primò Christo, pòst à fide defecit.* ibid.a.b. *in Paulũ iniurius.* 709.2.c
Alexander Episcopus Alexandrinus moriens, diuinitus inspiratus Athanasiũ successorem denominauit. 708.2.b
Alexandri Magni gnome de voluptate carnali. 232.2.c. *an fuerit Gog.* 787.2.d. *amicum Hephæstionem dixit esse Alexandrum ob magnam cum eo necessitudinem.* 659.1.c. *ei quod iræ domandæ remedium dederit Aristoteles.* 520.1.d. *eum cum fulmine pinxit Apelles.* 922.2.b. *de eo mortuo quid dixerint philosophi.* ibid.
Alexander IV. Pont. suis inspexit oculis stigmata in corpore S. Francisci mortui, vt est ore suo testatus. 469.2.c
S. Alexius latere amauit. 636.2.a
Alfonsus Aragonum rex adulatores assimilabat auibus bolo inhiantibus. 652.1.b. *abstinet à cibo, ieiuno exercitu.* 597.1.d. *ministros suos auares harpyias aulæ suæ vocabat.* 977.1.b. *eius beneficentia.* 981.2.b
Alfonsus II. Asturum rex continentiam cum coniuge seruans castus *dictus est.* 242.1.c
Alimoniam ex bonis Christianorum accipere prædicatores Euangelici quomodo possint. 265.2.b.c. *à quibus Apostolus acceperit euangelizans.* 266.2.d
Allegoria quid sit Rhetoribus. 447.2.c. *non est sensus litteralis.* 263.1.b. *allegoria Agar & Saræ explicatur.* 447.2.c. *allegoriis vtitur Scriptura in contrarium sensum.* 8.2.b. *allegoricus Scripturæ sensus quis sit.* 17.2.c.d. *is æquè & magis intentus à Spiritu sancto, quàm litteralis.* 846.1.d
Alleluia canticũ Beatorum. 534.1.a. *hoc olim monachi ad Deum laudandũ vocabantur in templum.* ibid. *cœnobium Alleluia in ditione Torretana.* ibid.b. *id pueri olim balbutientes primùm sonare docebantur.* 533.1.d. *id Martyres ad certamina animauit.* 534.1.b
Almaricus sensit Beatos transformari in ipsam essentiam diuinam. 352.1.b
B. Aloisius Gonzaga ita de morte sua moriturus loquebatur, quasi de vna domo tantũ in aliã migraret. 361.1.b
Aloisius puer 12. annorũ in Iapone crucem actus. 431.1.b
Altare est quasi mensa Dei. 279.1.c. *altare & ignis hostiæ Christianæ.* 161.1.b. *altare thymiamatis quid allegoricè designet.* 373.2.a. 911.1.c. *ab Apostolo thuribulum dicitur.* 909.1.c. *fuit hoc in Sancto & Sancto sanctorum obuersum & vicinum.* 909.1.d.2.a. *vnde dictũ altare oraculi.* 2.b. *erat ligneum, sed auro obductum.* ibid. *de altari Eucharistico edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* 979.2.a

Altaria semper in Ecclesia fuerunt quæ hæretici moderni demoliuntur. 980.1.b. *altaria dicta Iudæis excelsa, quæ non licebat euertere.* 148.2.a
Altitudines terræ spiritualiter quid sint. 599.2.c. *altitudo & profunditas sæpè idem significant.* 136.2.c. *altitudo & profundum quid sint symbolicè.* 122.1.d
Amabilitas Christiano necessaria erga Ethnicos. 606.2.c. *hanc Apostoli & Christus sectabantur.* ibid.
S. Amandus stipatus animabus quas Deo peperit, cælos ascendit. 601.1.b
Amantium furor optimus. 364.2.a. *amantibus omnia communia, mors & vita.* 374.1.d. *amantis Deum animæ proprietates, affectus & oscula.* 237.1.d.2.a. *abnuet regnum cælorum, si amoris sui cum detrimento id fiat.* 122.2.a.b
Amare opprobria & persecutiones summa est perfectio hominis Christiani. 951.2.b
Amaritudo contraria dulcedini, tam in saporibus quam moribus. 522.2.b
Ambitio quid non agat. 562.2.a. *ambitio & libido sunt fontes hæreseos.* 710.2.a
S. Ambrosius sacræ Scripturæ commentationi immortuus. 743.1.d. *necdum baptizatus est electus & cõsecratus Episcopus.* 708.2.b. 729.2.d. *quosdam ordinare nolust, quòd dissolute incederent.* 727.1.c. *iudex fuit causarum, & iniusta Imperatorum iudicia irritauit.* 235.1.a. *eius morientis vox.* 565.2.c. *quàm intrepidè Theodosium coarguerit, Iustinæ restiterit, Valentinianum coarguerit.* 778.1.d. *eius infracta constantia.* 963.1.c. *eius verène sit commentarius in Paulum ei adscriptus.* 241.d.245.2.b. *græcè ipse optimè calluit, hinc ex Basilio & Origene est multa mutuatus.* 24.1.d
Ambrosius Catharinus asserens è reuelationibus S. Brigittæ colligi Paulum coniugatum fuisse frustra est. 602.2.a. *eius error de peccato originali.* 79.1.b
Ambulare pro conuersari sumitur. 301.2.a. *ambulare cum Deo quomodo dictus Henoch.* 657.1.a. *ambulare cum Deo quid sit.* 924.2.d
Ambulatio significat peccati consuetudinem. 483.2.b
Amen quid significet & vnde dictum: non est particula iurantis. 315.2.c. *cùm orationi postponitur, est asserentis, concedentis vel optantis, & signaculum orationis.* ibid. *amen triplex, pupillum, subreptitium & sectile.* 316.1.a. *id olim in Missa post consecrationem populus acclamabat.* 314.2.a. *amen iam vice plebis sacerdoti respondet minister Sacri.* 315.1.a. *est Hebræa vox confirmantis.* 341.2.a. *dum aduerbium est, significat verè, stabiliter; dum nomen, idem est quod veritas, stabilitas.* ibid.b
Amiantus lapis igni non læditur, estq; Pontificis & castitatis hieroglyphicum. 898.1.d
Amicitiæ quatuor affectus. 375.1.a
Amici quales deligendi. 585.2.c. *amici secreta inuicem communicant.* 370.2.d. *amico exstincto olim alter amicus mortem sibi vltro consciscebat, vti modò apud Peruanos & Iapones.* 374.2.a.b. *amico non est succurrendum serius.* 168.1.c
Amictus sacerdotum non impedit quo minùs aperto sint capite. 284.2.b. *quid significet.* ibid.
Amor est lex Christi. 463.1.d. *amor amare facit.* 570.1.c. *amor sui non est amor, sed odium sui.* 798.2.c. *amor soluit fastum, sicut ignis ceram.* 455.2.c. *amor Christi in Eccl. fiam.* 482.1.c. *amor inter Christianos quantus esse deceat.* 168.1.a. *amor coniugalis animæ erga Christũ.* 548.2.b. *exigit is à Christiano amante contemptum mortis, constantiam, & puritatem virgineam.* ibid.c. *amor vbi est, ibi dolor.* 586.2.b. *amor & humilitas duo sunt brachia quibus Deus tenetur.* 163.2.b. *amor Dei magnus quanta in homine operetur.* 227.2.c. 237.1.d. *amoris diuini erga nos immensitas.* 75.2.d.780.1.c. 829.2.b.& seq. *amoris vis animam & corpus liquefacit.* 758.1.b. *amoris proprietates quatuor.* 429.2.b. *amoris eiusq; passionum descriptio.* 122.1.b. *eius necessitas.* 310.1.a. *amoris Christi erga nos delicia.* 431.2.a. *amoris Pauli erga Christum delicia.* 590.2.a. *amoris exstasis Verbum transformauit in hominem.* 429.2.d. *amoris & reuerentiæ maritalis exempla.* 539.1.d. Vide Charitas, Dilectio.
Amram pater Mosis, reuelationem habuit à Deo de eo nascituro. 950.1.d
Anabaptista volunt spiritum priuatum cuiusque esse iudicem controuersiarum fidei. 905.1.a. *magistratibus omnem potestatem iudiciariam auferunt.* 172.2.c. 177.2.b.235.1.c. *contẽnunt Prælatos omnes.* 202.1.a. *aiunt Christum corpus suum è cælo detulisse.* 443.2.d
Anacharsis quatuor pocula distinguebat in sympotis. 758.1.d. *eius dictum de sua barbarie.* 313.1.d
Anachoretarum priscorum abstinentia. 737.2.a
Anacletus Pontifex Paulo templum mox à martyrio erexit, quod in persecutionibus perdurauit. 14.2.a
Anagogicus Scripturæ sensus quis. 17.2.c
Anastasius Imp. Eutychianus in Macedonium Catholicũ Constantinopoleos Episcopum iniurius. 733.2.d
Anathema est res quæ cum execratione separatur, & destinatur ad extremum exitium. 356.1.b. *anathema pro Iudæis fieri optat Paulus.* 8.1.a.125.1.c.d. *anathema Christianis & Iesu quotidie dicũt hodierni Iudæi.* 299.1.c. *anathemata Gentibus quinam.* 228.1.d
Anaxagoræ dogma de animalium creatione. 624.1.d. *peregrinum se esse in terra credidit.* 947.1.a
Anaxarchi constantia in tormentis. 785.2.a.954.1.d
Ancillæ quasi filiæ à matre, tractandæ ab hera. 755.1.a
S. Andreæ ad crucem affectus & desiderium. 430.1.d. *pascha quale quotidie celebrarit.* 232.2.b
Andreas Carolstadius primus hoc sæculo hæresin Berengarij secutus, & qui illum secuti. 289.2.b. *ei concionanti apparuit dæmon, procera statura.* 735.2.a
Andronicus Comnenus Imp. auream S. Paulo erexit imaginem. 12.1.d. *eius cædes.* ibid.
Andronicus & Iunias Iudæi à Paulo conuersi. 195.1.d
Angelus qualis Lutherum docuerit. 417.2.c. *angelus ex propitiatorio reddebat oracula.* 909.1.b. *angelus qui Abrahæ, Isaac &c. apparuit, typus fuit Christi.* 275.1.b. *angelus Christum in horto confortans quale ei gaudium proposuerit.* 962.1.b. *angelus Prætextatam corripit crinem virginis Deo sacratæ cultiùs pectentem.* 668.2.b. *angelus decalogum immediate toti populo promulgauit, at cæremoniales leges & alias Mosi tradidit, vt ipse eas populo promulgaret.* 439.1.a. *angelus quisque propriam an linguam habeat.* 304.1.b. *angelus S. Theophilam à procacia iuuenum defendit.* 258.1.a. *angelus adest Paulo naufraganti.* 11.2.a. *angelus Satanæ cur vocetur stimulus carnis.* 406.1.d. *angelus custos quomodo postulet pro nobis.* 112.2.d. *angelo in quibus minor est homo.* 855.1.d
Angeli assistentes, an ministrantes mittantur. 851.1.c.d. *assistentes variis mittuntur.* 852.1.a. *omnes non tantùm interius, sed etiam exterius mittuntur.* 2.b. *quomodo mitti dicantur.* 850.2.c. *mittuntur etiam ad reprobos.* ibid. *animas ducunt ad cælum.* ibid.d. *id ostenditur exemplis.* ibid.& seq. *quomodo iudicandi sint.* 234.1.d. *sunt per merita Christi iustificati.* 82.1.c. *an in sua creatione ipsi adorare Christum.* 846.2.c. *non redemerunt mundũ.* 616.1.a. *nec eum creârunt, sed Christus.* ibid.b. *angeli in die iudicij quid facturi sint.* 662.1.b. *non sunt mediatores hominum;*

611.1.b. 632.1.c. *non sunt creati multis seculis ante mundi creationē, sed vnà cum mundo.* 816.1.b. *quomodo loquantur.* 304.2.a. *mentiri sua natura possunt.ibid. cùm Deum vident, non rapiuntur.* 403.1.c. *sunt testes pudoris & impudentiæ muliebris.* 285.1.d. *sunt paredri virginum, vnde eas à vi & petulantia tyrannorum defendunt.* 257.2.d.& *seq. ob quos angelos se debeant velare mulieres.* 285.1.d. *angeli boni, quomodo mali dicantur.* 275.1.d. *in se sunt pulcherrimi, & pulcherrimos se exhibent.* 304.2.b. *an ab extremo in extremum transire possint non transeundo medium.* 330.1.d. *à Christo sanctificari potuerunt.* 858.1.d. *sunt subiecti Christo homini.* 481.2.a. *eorum apparitiones deceptoriæ.* 398.2.a.b. *an Dei inuisibilia, dici queant.* 38.1.c. *non incitātur ad libidinem.* 285.1.d. *quinam præcedent Christum ad iudicium.* 672.1.b. *quomodo dicantur spiritus.* 847.2.b.d. *latenter ab hospitalibus hospitio recepti.* 975.2.a.b. *Dei milites dicuntur.* 709.1.a. *item Dei ministri.* 950.2.b. *nos iuuant contra dæmones.* 546.1.c. *an gemant & versentur in dolore propter homines.* 110.1.b. *angeli assistentes & ministrantes ijdem sunt.* 951.2.a. *angeli tres apparentes Abrahæ repræsentabant tres SS. Trinitatis personas.* 770.2.a. *angeli venerandi sunt vt æternæ salutis administri.* 631.1.d. *templum oberrant & singulorum habitum, gestus & vota explorant, & intersunt sacrificio Missæ.* 285.2.a. *angeli extremi ordinis præsunt Ecclesiasticæ hierarchiæ.* 285.2.c. *quomodo Gentium vocationem ignorarint.* 495.1.a. *cur discalceati pingantur.* 550.1.b. *quomodo ab hominibus & Ecclesia illuminētur* 494.2.b. *aliqui eorum ceciderunt ex Principatibus, & Potestatibus.* 325.1.d. *inferiores illuminat Deus per superiores.* 952.1.b. *angeli nihil naturale alios celare possunt, sed tantum quod liberum est.* 304.1.b. *sunt quasi currus triumphalis Dei.* 594.2.d. 910.2.d. *an iis Christus meruerit gratiam.* 481.2.a. *iis, prædicantibus Apostolis, innotuerunt multa mysteriorum circumstantiæ, causæ, species, effectus, modi.* 494.2.d. *iis comparantur castis.* 257.1.d. *item ij qui paucis contenti.* 608.2.c. *angelis tam bonis quam malis quomodo spectaculum fiamus.* 226.2.d. *de iis mira in raptu suo audiuit Apostolus.* 405.1.b. *pro iis an etiam mortuus sit Christus.* 856.2.d. *angelis nostris quid debeamus.* 851.1.b. *quam angelorum religionē damnet Apostolus.* 630.2.d.& *seq. eorum lingua an Hebræa sit.* 304.1.b. *quomodo sibi inuicem loquantur.* 2.a. *eorum vinum sunt lacrymæ pœnitentium.* 577.2.c. *eorum nomina quædam, gradus & distinctiones nobis hic incognitæ, quæ in cælo reuelabuntur.* 481.1.c. *angelorū, Adami & Christi contradependentia.* 482.1.a. *mirus angelorū in cælis est ordo.* 623.1.b. *eorum vis, agilitas, actiuitas, subtilitas.* 848.1.c. *angelos lapsos Christus non reparauit.* 861.2.b. *eos adorari voluit Simon Magus.* 595.1.c

Angelici hæretici ponebant angelos mediatores. 632.1.c. 2.a. *illorum vnde origo. ibid.c. fuere hæretici particulares.* 2.a.d

Anglicanorum Martyrum & exulum in bonorum spoliatione lætitia. 935.1.a.& *seq.*

in Anglis exerceri solita angelorum religio. 631.1.b

angulus symbolum regni & principu. 490.2.a

Anguium morsibus medetur saliua natorum in festo conuersionis S. Pauli. 12.1.b

per Angustias & latitudinem quid intelligant Hebræi. 370.2.d

Anima per tabernaculum vetus tropologicè denotatur. 907.2.d. *in homine vna tantum anima, quæ simul est rationalis & sensitiua.* 99.1.d. *amba inter se luctantur. ibid. peccando venditur diabolo vili pretio.* 98.1.b. *quando adulteretur.* 395.1.c. *anima Pauli an in raptu eius separata fuerit à corpore.* 403.1.b. *anima quomodo in homine corporaliter habitare dicatur.* 625.1.d. *colligatur corpori quasi cadaueri.* 565.1.b. *anima sancta & casta sponsa Dei.* 237.1.d. 395.1.b. *item templum Dei.* 372.2.b. *item calum.* 373.1.b. *eius pax quanta.* 458.2.b. *non est corporea, nec membra habet.* 357.2.b 893.2.a. *quomodo dicatur spiritus.* 848.1.b. *anima sicca sapientissima.* 532.1.d 819.1.b. *anima tantum vna homini. sed est virtute duplex, imò triplex.* 456.1.c. *a spiritu quomodo differat.* 669.2.b.872.1.c. *anima rationalis cùm simul sit sensitiua, habet in se radicem sensus & sensationis.* 357.2.c. *hæc quomodo & quando creetur, infundatur & vniatur corpori.* 894.1.d. *non est ex traduce parentū.* 79.2.a.893.2.c. *singulæ animæ singulis hominibus infunduntur à Deo.* 79.2.a. *simul cum corpore resurgent ad vitam immortalē.* 374.1.a. 660.2.c. *anima non est corporis sepulchrū.* 362.1.a. *animam scandalizati requiret Deus à scandalizante.* 262.2.d. *anima sola vitales & animales actiones elicit, & consequenter sola quoq; eas recipit.* 22.2.b. *anima Christi quoad naturā minor angelis, sed non quoad gratiam & gloriam.* 855.2.b. *in anima duplex & contrarium regnum, peccati & iustitiæ.* 89.1.b. *eius connubium cum Deo non impedit vtriusq; imparitas.* 396.1.b. *eius suspirātis prosopopœia.* 100.2.c. *eius dimensiones spirituales.* 499.2.a. *eius magna est pœna quòd corpori sit alligata, & cum eo quasi mori debeat.* 78.1.a. *eius carcer est corpus.* 501.1.a. *eius somnus excutiendus.* 179.2.d. *eius perfecta oblatio in quibus sita.* 161.2.b. *animæ portio superior gratia illustrata quomodo pro nobis postulet.* 113.1.a. *eius vita Deus est.* 747.1.d. *eius salus procuranda hoc breui tempore vitæ.* 252.1.b. *animæ fideles in hac vita sponsalia agunt, thalamus in futura.* 395.1.a. *Spiritus sanctus imprimit ei sanctitatē.* 478.2.c. *eius mensa sacra Scriptura est.* 152.1.c. *animam elementis tribuit Origenes.* 110.2.b. *eam à Deo solo habemus quasi patre spirituum.* 963.1.a

Animæ puræ mox vt corpore exciderint, vident Deum. 360.2.b 362.2.c. 563.2.b 657.1.c. *quæ Purgatorio detentæ, iuuandæ precibus fidelium.* 302.2.a. *animæ Sanctorū an ignem transeant cùm in cælum eunt.* 217.1.a. *quæ virtutis capaces sæpè præmittunt vitia, vt offendāt cui virtutis aptæ potissimùm sint.* 2.1.a. *non exstitere ante corpora in cælo.* 473.2.b. *quomodo ignē inferni sentiant* 357.2.d. *sunt membra Christi.* 236.2.c. *earum conuersores Christi corpus perficiunt.* 482.2.c. *iis strenuè laborandum.* 447.1.b. *earum conuersio solatur Sanctos in hac vita, alioquin ad Deū anhelantes.* 566.2.c. *earum transmigrationem docebant Pharisæi.* 589.2.a. *animas purgari quomodo velit per angelos Simon Magus.* 632.1.a

Animale corpus quod seminari dicatur. 329.2.d. *animalis homo tripliciter dicitur.* 212.2.b

Animalia Ezechielis quadriformia quatuor Christi denotant formas. 575.2.c. *animalia Iudæi cremabant extra castra quatuor de causis.* 980.1.d.2.a. *animalia quæ Iudæis immunda.* 913.1.b. *animalium omnium curam gerit Deus.* 264.1.c

Animalitatis descriptio pulchra. 212.2.b

Animatis abstinuere multi hæretici. 736.2.c

Animus Deo adhærens tyrannos & omnes persecutiones nihil facit. 120.2.a. *animus intrepidus ad euangelizandum significatur per calceos.* 550.1.c

Annæ prophetissæ locutio nihil facit pro mulierum loquela in templo. 319.1.d. *quàm illustris vidua.* 797.2.b

Anna mater Samuelis prima omnium legitur Deum compellasse nomine Sabaoth. 672.1.c

Annus iubilei quid sit. 253.1.d. *annus raptus Pauli.* 403.1.a. *anni corona vocatur copia frugum.* 856.1.b. *anni qui sacri Iudæis.* 445.2.c. *anni septem dabuntur lapsis ad pœnitentiam post mortem Antichristi.* 664.1.b. *anni quadringenti triginta post quos lata est lex, computandi ab anno 75. vitæ Abraham, quo ipse euocatus est à Deo è patria.* 437.2.d. *anno vno quomodo quis perfectus fieri possit.* 195.2.b. *anni quatuordecim post quos Paulus Hierosolymam ascenderit, vnde computandi.* 413.1.a

Annulus dabatur olim virginibus Deo consecrandu in signum nuptiarum. 396.1.d. *annulis obsignabant veteres quæ fideliter seruata vel translata volebant.* 193.2.c

Anselmus Cantuariensis an scripsit in Paulum. 25.1.d. *Cantuariensibus quomodo exhibitum sibi ab iis honorem rependerit.* 387.1.a. *vidit per murum quæ post eum gerebantur.* 404.1.b. *quantum horruerit peccatum.* 963.1.c

Anselmus Laodunensis auctor Glossæ interlinealis. 25.2.a

Anthropomorphitæ Christū corporaliter ad Dei corporei dextram sedere docebant. 637.1.a

Ἀνθυποφορὰ *quæ figura, ea vsus sæpè Apostolus.* 18.1.d

Antichristus verum & iuge sacrificium tollet. 295.2.d. 685.1.b. *post eius mortem plures erunt dies, imò menses vsque ad diem iudicij.* 664.1.b. *est futurus homo peccati, filius perditionis.* 676.1.a.b. *erit vnus homo singularis.* ibid.d. 685.1.a. *eius nomen non conuenit Romano Pontifici.* 676.2.c. *non significat vicarium Christi, sed contrarium Christo.* ibid. *cupiet haberi Deus ex superbia.* 677.1.b.2.a. *erit atheus, occultè tamen colet deum Maozim.* ibid. 2.b.c. *quomodo in templo Dei sedere dicatur.* ibid.d. *haberi volet Messias.* 678.1.a.b. *ideo adorabitur à Iudæis.* ibid.c. *erit omni Deo aduersarius.* ibid. 677.2.c. 685.1.b. *suos habebit præcursores.* 679.2.a. *& vnum primarium.* 686.1.c. *occidetur ante diem iudicij.* 681.1.d. *viuus ad infernum descendet.* 2.d. *eius ortus, educatio & vita satanica.* 682.1.a. *eum putant aliqui fore diabolum incarnatum, vel in carne apparentem, & è virgine opera dæmonis concipiendū.* ibid.b.c. *aptissimum diaboli erit ad mala omnia instrumentum, cur.* ibid.c.d. *eius miracula cur sint mendacia, & qualia patraturus sit.* 2.a.b.c. *faciet prodigia, quæ de Christo scripta sunt.* ibid.d. *quibus artibus vtetur ab homines decipiendos.* 683.1.b. *maximè veniet vt Iudæos decipiat.* ibid.d. *duplici de causa tanta dabitur ei potestas.* 684.1.c. *quando iuxta hæreticos inceperit.* 2.a. *necdum hodie venit, sed venturus est.* ibid.d. *eum quare missurus sit Deus.* 1.a. *non veniet nisi euerso Rom. Imperio.* 685.1.a. *erit Christo ex diametro contrarius.* ibid. *quamdiu regnabit.* ibid.c. 686.2.c. *eius imperium erit vltimum.* 686.2.a. *occidet Eliam & Henoch.* ibid. *non Romæ regnabit, sed Hierosolymæ.* 678.1.a. 685.2.a. 686.2.b. *erit Iudæus è tribu Dan.* 685.2.d. *hinc ei Danitæ adhærebunt.* 155.2.a. *humili nascetur loco.* 686.1.a. *vbi nasciturus sit.* ibid. *nomē eius ignotū.* ibid.b. *Iudæos primùm sibi conciliabit & eorū operâ siet rex.* ibid.b.c. *regnare incipiet in Babylone.* ibid.c. *regnum suum per totum orbem propagans, siet orbis monarcha.* 2.a. *in templo Ierusalem instaurato adorabitur vt Deus, & quamdiu.* ibid.b. *eius mors quando continget.* ibid.c. *eius mores, erit magus.* ibid.d. *& seq. eius doctrina.* 687.1.b.c. *licentiam dabit omni libidini, se curabit coli vt numen, characterem suum suis imprimet, & quis hic sit character futurus.* ibid.c.d. *habebit dæmonem Maozim familiarem.* ibid.b. *in eo futura recapitulatio vniuersæ iniquitatis.* ibid. *eius persecutio quanta futura.* ibid.d. *eius tempore soluetur Satanas.* 2.a. *eius persecutio erit duplex.* ibid. *coget omnes ferre suum characterem.* ibid.b. *fideles sub eo labentur.* ibid. *eius ministri qui futuri.* ibid.c. *eius exercituum magnitudo.* 688.2.a

Antiocheni ad Apostolos legatos miserunt dubij de idolothytis. 260.2.c. *liberè idolothyta comederunt proposita à Iuliano.* 1.d.280.2.c

Antiochiæ Pisidiæ lapidatus fuit Apostolus. 801.1.b

Antiochus Epiphanes typus fuit Antichristi. 679.1.d

Antipater Herodi patri susurriis suis fratres suspectos fecit. 410.1.b

Antiquitas fidei examinanda. 418.1.a. *antiquitatis doctrinæ telo iugulantur omnes hæretici.* 773.1.b.c

Antistheni quàm mordicus Diogenes Cynicus adhæserit. 964.2.a. *adulatores meretricibus cōparabat.* 651.2.d

S. Antoninus à parua statura sic dictus. 29.1.b. *anno 14. ætatis monasterium adijt.* 802.2.b

Antoninus Verus Imp. quàm grauiter in Christianos sæuierit. 955.1.c

S. Antonius diaboli technas detegebat, modumq; eas dissipandi suggerere discipulis solebat. 344.1.b.544.1.b. *monebat suos vt semper cogitarent, se hodie incepisse Deo seruire.* 866.2.b. *iram deponendam suadebat.* 520.1.a. *theodidactus fuit.* 905.2.a. *rei, quam ignorabat, per orationem gnarus siebat.* ibid. *quomodo hæreticos Arrianos detestaretur.* 790.1.d. *fluduit in mundi libro.* 39.1.c. *lætitiam spiritualem semper suasit.* 603.1.d. *moribundus ad spiritus renouationem suos animabat.* 162.1.c. *quoto ætatis anno in eremum concesserit.* 802.2.a. *cælitus iubetur, aut orare aut laborare.* 694.1.b. *in quoque fratrum virtutem in qua eminebat contemplans, eamdem imitari satagebat.* 571.1.d. *eius lætitia mentis etiam in vultum redundabat.* 169.1.a. *eius conuersio.* 181.1.b. *eum inuocantes peste liberantur.* 303.2.a

Anuum quæ sint virtutes. 823.2.b.c. *pessimæ sunt animorum conciliatrices.* ibid.d

Apathiam plenam adipisci in hac vita impossibile est. 742.1.a. *qualis optanda.* ibid.b

Apella quis sit. 249.1.b

Apelles semper quotidie aliquid pingebat. 740.2.c

Apelles hæreticus ab angelo malo fuit eruditus. 417.2.c

Aper aduocatus celebris monasticen professus est. 203.2.d

Apion grammaticus dictus orbis cymbalum. 305.1.a

Apocalypsis Pauli liber apocryphus confictus à Caianis hæreticis. 405.1.b. *Apocalypsis S. Iohannis putarunt auctorem nonnulli Cerinthum, ideoq; reiecerunt eam.* 323.2.a. *eius duæ partes & earum obiecta.* 688.2.b

Apollinarij Christo ademit mentem & animam rationalem. 573.2.a

Apollo Abbas excitabat suos ad perennem lætitiam spiritus. 168.2.d. 603.2.b

Apollo post Paulum Corinthum venit. 198.1.c. 215.1.d. *potens erat in Scriptura.* 832.2.a. *eloquens erat & acer.* 202.1.b

Apollo quid dixerit esse Deum. 973.2.d

S. Apolloniam inuocantes dolore dentium liberantur. 303.2.a. 924.2.a

Apollonius Tyanæus magus ab Apostolo perstringitur. 624.1.b. *statua donatus inter diuos relatus fuit.* 203.2.b

Aporia est inopia mentis & corporis. 355.2.a

Apostasia peccatum grauissimum. 883.1.d. *quàm difficilem habeat veniam.* 932.2.a

Apostatæ quantopere displiceant Deo. 937.2.c.d. *eorum punitio.* 869.1.c. *difficulter ad pœnitentiam reuertuntur, quia obdurati.* 882.1.b.c. *dicuntur filij vel viri*

viri Belial. 372.1.d. apostatæ sacerdotes & monachi obdurati sunt. 882.1.c. sunt irrisores Christi & christianismi. 883.1.a

Apostolatus nomen est summæ dignitatis in Ecclesia, non modò legationis & missionis. 32.2.a. duo sunt genuina eius signa. 409.1.c. apostolatus S. Pauli officium & efficacia. 493.2.a. eius quatuor causæ. 815.2.a. eum vbi Deus Pater Paulo demandarit. 697.2.b

Apostoli legati erant Christi, & hoc ipso obtinebant summam auctoritatem in Ecclesia, & erant primi à Christo. 32.2.a. licet essent subditi Petro, tamen in quatuor punctis parem cum eo potestatem habebant. ibid. in ostensione spiritus & virtutis duo ostendebant. 209.1.b. Deo nixi orbem subegerunt. 68.2.c. specialiter serui sunt Dei. 815.1.a. trahent post se coronam fidelium in die iudicij. 655.1.a. dubitarunt aliquando an Gentibus liceret prædicare verbum Dei. 145.2.d. moraliter dubitare non poterant, quin haberent Dei gratiam. 212.1.b. sunt angeli, spiritus, & ventus vrens. 848.1.c.d. Apostoli quinam fuerint vocati. 508.2.a. Apostoli tamen sunt etiam alij, præter duodecim illos à Christo vocatos. 29.2.c. 195.1.d. spiritum copiosum & vehementem in Pentecoste acceperunt. 456.1.b. sabbatum in diem Dominicum mutarunt. 335.1.d. in suspicionem vocati sunt, quasi Cæsaris dominium abnuerent. 175.2.b. alebantur ab ijs quibus prædicabant. 266.2.c. quænam deinde diaconis commiserint. 165.2.b. quomodo vocentur fundamenta Ecclesiæ. 216.1.d. in agape sunt vsi musica. 533.1.a. cur toties inculcent principibus obediendum, etiam Ethnicis. 828.1.a. ad Gentes suam prædicationem transtulerunt, vt Iudæi Gentium sanctimoniam videntes, fidem Christi reciperent. 152.2.a. putabant eodem tempore fore excidium orbis & vrbis Hierosolymæ. 932.1.b. in iudicio etiam iudicandi, sed simul etiam aliorum iudices futuri. 363.1.d. vbi & quando sacerdotes ordinati. 295.1.c. sunt caput Ecclesiæ. 303.1.c. quomodo nihil habentes sint & omnia possidentes. 370.1.c. sunt paranymphi Christi. 395.1.b. Ecclesiæ vt stellæ præfulserunt. 329.1.d. a Spiritu sancto confirmati vt non peccarent mortaliter, potuerunt tamen peccare venialiter. 427.1.a. gratiùs euangelizare potuissent, si inde maiorem gloriam apud Deum & animarum fructum speràssent. 266.2.c. vetuere idolothyta comedi. 260.1.b. permiserunt Iudæis seruare legem Mosi cum Euangelio ad tempus, & quam ob causam. 183.1.d. quales ante conuersionem fuerint. 325.1.b. opponuntur Mosi. 815.2.b. instar Elisæi viderunt absentia. 622.2.d. fuerunt morbis etiam afflicti. 757.2.c. quales Deo serui fuerint. 556.1.b. cur primò adierint vrbes primarias. 577.2.c. Apostolis præcepta prædicatio. 817.1.c. idque sub peccato mortali. 266.1.c. ijs peculiariter & clariùs reuelatum mysterium vocationis Gentium. 493.1.b. eis datæ virgæ quid denotent. 756.1.b. iis orbem terrarum conuertendum Deus est partitus, vt olim tribubus duodecim terram sanctam. 392.1.d. ij primùm in Ecclesia positi. 303.1.c. eorum loco sunt iam Episcopi. 818.1.a. eorũ vita fuit religiosa. 370.1.d. eorum conciones erant ferè tantùm catecheses. 464.2.c. eorum statutũ est vt in Missa pro defunctis oretur. 219.2.c. eorum nemo vxoratus, præter Petrum ante apostolatum. 264.2.a. eorum fama est bonus odor. 345.2.b. eorum pedes à quatuor capitibus possunt laudari. 144.2.c. eorum de mundo victoria. 121.1.c. eorum nouissimum cur sedicat Paulus. 226.2.c. eorum arma quæ fuerint quibus mundum subegere. 204.2.a. 289.2.c

Apostolici viri Christo in iudicio futuri proximi. 663.2.a. quibus in rebus glorientur. 400.2.d. nostra ætate non desunt viri apostolici. 401.1.a

Apostolica perfectio sita in potenti operatione Spiritus sancti. 228.2.c. Apostolicæ vitæ descriptio. 227.2.c

Apparitio Christi in mundo quare dicatur illustratio & illuminatio. 780.1.c. apparitio Christi Iacobo facta apocrypha. 322.1.a

etiam in Appetitu rationali residet cõcupiscentia. 456.1.d

Appia vxor erat Philemonis Colossensis ciuis. 834.1.c

Aptatio sæculorũ est eorũ ordinatio, non creatio. 941.2.b

Aqua secundùm Thaletem initium est vniuersorum. 624.1.c. aqua cineralis typus fuit sanguinis Christi & aquæ lustralis. 915.1.c. aqua lustralis leuita expiantur peccata. 718.1.d. aqua cum sanguine cur è Christi latere in cruce effluxerit. 537.1.a. aqua baptismi est aqua purgans & emundans. 930.2.d. aqua vino vt misceatur in Missa, traditio est. 297.2.a. aquæ petræ Mosaïcæ erant typus sanguinis Christi. 272.2.c. aquas è petra erumpentes longo tempore secutas Hebræos quidam putant. 273.2.a. aqua ad purificationem manuum olim ponebatur ante fores ecclesiarum. 718.1.d

Aquila & Priscilla scenopegi Roma à Claudio electi, eõdem deiu redierunt. 195.1.c.2.b

Aquilis comparantur Sancti. 599.2.b

Arabes suos reges vocant Solymannos vel Selymos. 888.2.a. sunt seruituti assueti. 448.1.c. eorum fœminæ totam faciem tegebant. 286.1.a

Arbitrij libertatem tollit Caluinus. 99.1.c. ipsum asseritur. 322.2.d. habet id homo, etiam in supernaturalibus. 258.2.c

Arbores quomodo Deo circumciderentur. 626.2.d. arbores visi Gregorius Thaumaturgus & diaconus eius, se quærentibus. 812.1.c. arborũ fructus benedicuntur in die Assumptionis B. Virginis. 740.1.d. arboribus fideles & Ecclesia comparantur. 154.1.a

Arca testamenti describitur. 910.2.b. vnde ita dicatur. 909.2.b. an præter tabulas legis aliquid contineret. ibid.c. Dei erat scabellum. 910.2.c. Iudæorum gloria erat, quæ Dei gloriam & potentiam referebat. 126.1.d

Arcana Dei consilia de vocatione hominum & Gentium priuata. 477.2.b c. arcana cordis & intentiones nouit Deus. 224.1.b. arcana quænam in cælo Paulus audierit. 405.1.b.c

Archangelus in iudicio tubam inflans quis futurus. 662.1.a. eius vox mortuos non tantùm colliget, sed & excitabit. 660.2.d. eadem est cum tuba Dei. 661.1.b

Archidiaconi veteres diaconis præerant. 166.2.c. Archidiaconi hodierni veterum diaconorum munus retinent. 730.1.c

Archiepiscopum quomodo maiorem benedicant Suffraganei minores. 892.1.c

Archilochi scripta impudica Lacedæmone proscripta. 790.2.b

Archippus fuit doctor Colossensium. 834.1.c. Colossis habitauit in domo Philemonis. ibid. factus dein ibi Episcopus. 646.2.c

Archipresbyteri nostri veterum presbyterorum munus exercent. 730.1.c

Archonticorum quæ hæresis circa resurrectionem. 790.2.c. opus coniugale diabolicum esse dixere. 737.1.b

Aretas rex Arabiæ Herodi genero intulit bellum, & quam ob causam. 402.2.a.

Ardere quomodo dicantur opera. 218.1.a. Ardere pro comburere capitur subinde. 867.1.c

Argumentatio ex sensu allegorico Scripturæ valida est. 846.2.b

Argu-

Argumenta Hebræi vocant ossa. 939.2.b
Aristippus regibus adulans vocatus canis regius. 650.2.d
Aristotelis morituri vox. 860.2.a *Hermiæ concubinam amauit.* 41.1.b
Arma vox pro instrumẽta vsurpatur subinde. 89.1.a *arma carnalia quæ sint.* 389.2.c *quæ arma lucis.* 180.2.a *arma Apostolorum qualia fuerint.* 390.1.a *quàm fuerint efficacia ad omniũ cõuersionem.* 2.a *arma dextera & sinistra sunt prospera & aduersa.* 370.1.a *arma quænam sint aduersus dæmonis insidias.* 544.1.a
Armeni negant dari coronam meritorum ante vltimum iudicij diem. 809.1.a
Arreptitij Prophetæ dicuntur. 311.1.d
Arrha & pignus differunt. 479.1.a *arrham fideiussionis suæ Christus nobis dedit in resurrectione & ascensione.* 897.2.c
Arriani aliquot epistolas Pauli denegarunt. 4.1.a *iubebant orthodoxos rebaptizari.* 593.2.d *confutantur.* 158.1.c *eorum libros vetuit legi Conc. Nicænum.* 790.2.a
Arrianus Episcopus templum S. Pauli inuadens ab eo excæcatur. 12.1.d
Arrius quia initio non oppressus, orbem incendit. 790.1.a *Filium Patre minorem asseruit.* 5.1.b.572.2.d *ei hæresin diabolus inspirauit.* 735.1.b
Artes dæmonis in tentando. 543.2.c.d *artibus quibus imbutus Moses in Aegypto.* 950.2.c *ars artium est, ars regendi homines.* 727.1.a
Articulus apud Græcos indicat subiectum, non prædicatum. 847.2.c
vnum fidei Articulum pertinaciter negans, veram fidem euertit. 503.1.c
Ascensus spiritalis in cælum. 636.2.c
Ascetæ veteres vnde dicti. 582.1.a *eorum exercitia quænam fuerint.* 964.2.b
Asiani Iudæi in Paulum turbas concitarunt. 470.2.b *omnes an à Paulo auersi.* 783.1.b *ij scilicet qui Romæ agebant.* ibid.c *& à quibus instigati.* ibid.
Asiani dum quem honorare volunt, in terram se prosternunt. 677.2.a
Assiduitas in oratione necessaria. 553.1.a
Assyriorum corpora in clade Sennacherib regis, illæsis vestibus & armis occulto igne an consumpta. 973.2.a.b
Astaroth an mater Melchisedeci vocata sit. 889.1.d
Astra coluere Iudæi, & Plato. 40.1.b.631.2.a
S. Athanasius penè solus contra orbem ferè vniuersum Arrianum per 46 annos depugnauit. 709.1.c. *diuinitus declaratus fuit B. Alexãdro Archiepiscopo Alexandrino successor.* 708.2.b *eius an commentarius in Paulum Ambrosio adscriptus.* 241.d *an auctor libri quæstionum ad Antiochum.* 236.1.d *eius elogium & benignitas.* 169.2.c *eius fortitudo in Constantio Imp. coarguendo.* 778.2.b
in Atheismum abeunt hæreses, aut euanescunt. 800.2.a *atheismus hæreticorum* 288.2.d *tollit Deum.* 943.1.b. *est maximum peccatum.* 55.1.d
Athenis an Paulus ad Thessalonicenses scripserit. 647.2.a
Athenodorus quod aduersus iram remedium Augusto dederit. 523.1.a
Atrium fœminarum distinctum fuit ab atrio virorum in templo Iudaico. 319.2.a *atrium sæculare quod vocet Paulus.* 906.1.b
Athletarum victus dimensus erat. 268.2.a *abstinebant Venere.* ibid.b
Attributa diuinitatis & humanitatis quomodo S. Scriptura tribuat Christo. 31.1.a *attributa Dei naturalia naturali discursu cognoscuntur.* 781.2.a *quænam sint attributa Dei spiritualia.* 38.2.a
Auaritia radix omnium malorum. 765.1.d.2.d *cur præ alijs vitijs dicatur idolorum seruitus.* 526.2.d *etiam capitur pro auara cupiditate libidinis & voluptatum.* 515.1.d.526.2.a.659.1.a *interdum iustitiæ repugnat.* 515.2.b *est insatiabilis.* 517.1.a *auaritia opum quæ excludat à regno cælorum.* 526.2.c *sæpè præcedit superbiam tum intentione, tum executione.* 765.2.b *ipsa omnis mali fons.* ibid.c. *eius proprietates.* ibid. *est malitiæ metropolis.* ibid.d *ei deditî Iudæi.* 976.2.c *quàm ea sit sordida.* ibid.d.& seqq.
Auarus est insatiabilis. 385.1.b *auarus quis propriè.* 233.1.b *ei desunt omnia.* 977.1.c *similis hydropicis est.* 977.1.a *idololatra verè est.* 526.2.d *infelicem agit vitam.* 766.2.a.b *auari qui ab apostolo regno cælorum excludantur.* 233.1.b.235.2.d
errat Auctor quæstionum noui & veteris testamenti dum ait Melchisedec esse Spiritum sanctum. 888.2.c *fuit is de hæresi suspectus.* ibid. *an auctor commentariorum Ambrosianorum.* 24.2.c
Auctoris ad D. Paulum oratio. 15.1.a.984. *eius in Deiparam affectus, veritatẽ in omnibus spectat.* 984.
Auctoritas vitâ paranda magis quàm verbo. 743.1.c *conciliandæ pastoribus non pompa, sed laboribus.* 400.1.c
Audifax cum socijs è Perside Romam venit, vt sacra Petri & Pauli sepulchra venerarentur. 13.2.c
Audire verba *Hebræis est videre res.* 404.2.c
Auditorum lacrymæ laudes sunt concionatoris. 209.1.c
Auditus pro prædicatione quæ auditur, capitur. 145.2.c
Auersio voluntaria à fide est causa malitiæ. 691.1.c
Aues Gentilibus pro numinibus. 40.1.c
S. Augustinus nullam fœminam, ne cognatam quidem, in domum admisit. 727.1.d.746.1.a *quæ tria optarit.* 8.2.a.446.1.a *eius conuersio Pauli debetur lectioni.* 3.2.d.8.2.b *disputando conuertendus non erat, sed orando & lacrymis matris.* 761.1.b *alimẽta vt medicamenta sumpsit.* 740.1.a *quare tantum interdum liberum arbitrium prædicet, & contra interdum ipsum deprimat, & gratiam extollat.* 16.1.a *planè asserit Antichristum fore particularem hominem.* 676. *delectatur nouis sensibus & pijs.* ibid.c *quomodo a Semei inclinatum à Deo ad peccatum.* 20.2.d *improperia non curat, modò tuta sit cõscientia.* 340.2.c *est Platonicus, dixit ex Platonicorum sententia charitatem nostram esse Deum.* 74.2.a *in tribus ab Hieronymo dissensit.* 426.1.d.1.a.b *dubitauit an anima hominis crearetur à Deo, an verò esset ex tradace.* 893.2.d *inchoauit commentarium in epistolam ad Romanos, sed difficultate Apostoli deterritus destitit.* 6.1.a.25.1.c. *non fauet hæreticis, dicentibus Pontificem Rom. esse Antichristum.* 676.2.a.b. *quomodo infirmiorum sit exemplo confirmatus.* 408.1.a. *à puero fuit deuotus nomini Iesu.* 578.1.c. *est auctor libri de continentia, non Hugo Victorinus.* 100.2.c *eius tria monita salubberrima.* 252.2.d. *eius linguam in concione flexit Deus ad conuersionem cuiusdam Manichæi.* 317.2.c *eius frugalitas & paupertas* 370.2.a. *eius luctæ contra concupiscentiam.* 995.2.c.& seq. *ei quæ verba Apostoli quietem conscientiæ & castitatis amorem attulerint.* 181.1.b
Augustus Imp. ius ciuitatis Romanæ dedit Tarsensibus. 1.1.c. *in Cinnam necem sibi machinantem quàm benignus fuerit.* 174.2.a. *eius mors.* 227.1.a
Aurelianus Imp. acriter est Christianos persecutus. 955.2.b
Aures per synecdochen hebraicè ponũtur pro toto corpore. 926.1.b. *aures seruis apud Iudæos perforabãtur.* ib.a.

Aurum & argentum quàm vana sint. 763.2.d
Austeritates sunt recta ad salutem via. 270.1.b
Autem *interdum ponitur pro* inquam. 116.2.b
Auxilijs diuinis vtendum. 580.2.d *auxilium sufficiens quisque habet ad vincendas tentationes, saltem mediatè.* 276.1.c
Axiomata sex Philosophorum fidei verae repugnantia. 624.2.b
Azyma sinceritatis & veritatis quae sint. 232.2.d *azymis vesci & agere pascha spiritualiter quid sit.* 1.d *azymi panes quid denotent.* 231.2.b

Baal quis Deus, Hebrais generale deorum nomen erat. 150.1.a
S. Babylas post fidei cõfessionem in vinculis vitam finiens, iussit discipulos catenas suas secum sepelire. 492.1.d
Babylon an futurus Antichristi locus natalis. 686.1.a
Babylonij per Cyrum subacti. 36.1.d *Babylonij Christiani vtuntur Bibliis Syriacis.* 16
Babyloniae virgines ante idola seprostituebant. 41.2.c. 547.2.d
Bacchus nocturnus & comus quis fuerit Deus. 180.2.c. 458.1.a
Balaam in quo fuit filijs Israel scandalum. 260.2.b
Balbi videntur labijspenè solis loqui. 317.1.a
Baltheus dictus quasi bullatus à bullis aureis. 548.1.b *baltheus quinque significat.* 547.1.c. & seqq.
Baptismi formam varians aut materiam, baptisma euertit 503.1.c *eius typus quomodo fuit transitus maris rubri.* 272.1.c.2.a *eius verborum forma non est deprecatoria, sed consecratoria, & sacramentalis.* 535.1.a *baptismi dies, dies redemptionis.* 522.2.a *eius efficacia.* 441.2.a *est figura crucis, hinc baptizandus cum Christo crucifigatur.* 87.1.a 882.1.a *quam morum mutationem inducat.* 236.1.a *vnicum est baptisma.* 503.2.d *infantibus fidelium non minùs necessarius quam alijs.* 153.2.c *est figura mortis Christi.* 85.1.a 932.2.b *non est tantùm iustitiae signum contra Nouantes.* 535.1.b *non indiget pœnitentia satisfactoria.* 156.1.c *non operatur ex opere operantis, sed operato.* 202.1.b *ipse est professio legis nouae.* 452.2.a *cur vocetur illuminatio.* 615.a.b. 881.1.b. 933.2.c *baptismus solemnis celebrari solet in die sepulturae Christi.* 85.1.c *hinc repraesentat sepulturam eius, & peccatoris. ibid.* 626.1.a *baptismus est renouatio, & lauacrum regenerationis.* 831.1.c *eius vis & ritus. ibid. datur triplex.* 880.2.b *planè per eum peccata remittuntur, sed per confessionem teguntur.* 64.1.d *in eo Christo nos obstrinximus.* 105.2.d *in baptismo quomodo signati simus.* 342.1.b *collatus in solo Christi nomine an valeat.* 84.2.a b
Baptizandus mator dolere debet de peccatis admissis 156.1.c *baptizandi recitant Symbolum ob spem aeternitatis & resurrectionis.* 327.2.a
Baptizari in nomine Christi quomodo intelligendum. 202.1.c *in Christo dupliciter baptizamur.* 84.2.c *baptizari pro mortuis quomodo intelligatur.* 327.1.d
Baptizati Christum mortuum & sepultum repraesentãt. 85.1.b *quare oleo vngerentur.* 268.2.b *baptizati verè iustificantur, sine vlla peccati reliquia.* 103.1.a *baptizati omnes, sive boni, sive mali sint, sunt in Ecclesia.* 301.2.c *baptizatis recèns olim dabatur vinum & lac & mel, & cur.* 215.1.a *ijs sacerdos dat vestem candidam.* 85.2.b
Barathrum quis fuerit carcer. 400.2.b
S. Barbaram inuocantes à subitanea morte praeseruantur. 303.2.a
Barbarus vox Graeca & à Graecis per onomatopœiam facta. 34.2.c *sic dictus omnis qui alia quàm Graeca lingua loqueretur. ibid. barbarus quis Graecis esset, quis Romanis, quis alijs.* 312.1.c
S. Barlaam Ioasaphato discipulo suasit vt semper cogitaret, se hodie cœpisse Deo seruire, & hodie finiturum. 162.1.c. 866.2.b
S. Barnabas non minùs fuit Apostolus quàm alij. 29.2.c *Euangelium S. Matthaei secum sepeliri voluit, vt esset quasi pignus resurrectionis Euangelio promissae.* 35.2.a *fuit S. Pauli socius.* 382.1.a *iudaicè segessit.* 427.2.b
Barnabas Abbas spinam infixit pedi, nec eam tolli voluit, licet putruerit pes. 538.1.a
Bartholomaeus Apost. cruci affixus & capite truncatus. 430.2.a
Basilica Romae S. Paulo erecta à Constantino Imp. in quã eius corpus illatum, hanc Valentinianus Iunior Imp. amplissimam fecit, quo in honore fuerit. 141.c.d *eadem magnis donis ornata à S. Gregorio & Sergio Põtif. ibid.d basilicae aliae S. Paulo aedificatae. ibid.*
Basilides omnipotentem Deum portentoso nomine Abraxas vocauit. 773.1.b *per angelos mundum hominesq; fabricatos asserebat.* 631.2.d *& Christum tempore passionis in Simonem Cyrenaeum mutatum.* 597.2.c. 618.1.b *fuit magister luxuriae.* 270.2.c *eius dogmata refutat passim Apostolus.* 15
S. Basilissa cum Iuliano coniuge castitatem seruauit. 242.1.b
S. Basilius constanter praefecto necem minanti respondit, mortemq; in votis habere se ait. 120.2.c *peregrinum in hoc mundo se credidit.* 946.2.d
Beati soli attributa Dei agnoscunt. 308.2.c *quomodo in cælo futuri vt angeli Dei.* 510.1.b *Deum videntes non rapiuntur, vident eum per essentiam, non per speciem mediam.* 362.2.a 403.1.c *an ab extremo in extremum transire possint, non transeundo medium.* 330.1.d *habebunt corpus caeleste.* 361.2.a *stellae sunt.* 329.1.b *in cælo non comprehendunt diuinam essentiam* 592.1.c *eorum praemium essentiale.* 92.2.a *eorum musica. ibid.c eorum gloria & voluptas describitur. ibid.* 359.2.b *noua ijs indetur lingua, & linguis omnibus loquentur.* 308.1.b *eorum praemium cur vocetur vita aeterna, non opes & honores aut delicia.* 91.2.c *eorum publica & festiua laetitia.* 970.2.b *eorum requies in cælo quàm suauis.* 870.2.b Vide *Sancti.*
Beatitudo aeterna effectus est praedestinationis. 118.1.a *non obtingit sola fide, sed ex bonis operibus, laboribus & passionibus.* 637.2.a *non in veteri, sed in nouo testamento reperitur.* 958.1.a *eam bonis operibus meremur ex condigno.* 808.2.c *eius suauitas & voluptas* 210.2.a *eius dimensiones* 499.2.d *in beatitudine qualis futura aequalitas & inaequalitas.* 381.2.d *qualem Iudaei & Mahometani exspectent.* 332.1.b
Beatitudines duae hominis iusti. 64.2.c *in beatitudinibus quas Christus enumerat, patientia intelligenda.* 306.1.c
Belianus consul manibus in cælum sublatis orans moritur. 718.2.d
Ven. Beda ab anno aetatis septimo in Religione educatus. 802.2.b *sacra Scriptura immortuus.* 743.2.a
Beelphegor quis fuerit Deus. 274.2.c
Begardi & Beguinae solis naturae viribus ac lumine, Deum ab homine videri posse docebant. 91.2.c
Belial quid significet. 372.1.d
Bellorum tria genera, & quomodo sedentur. 713.2.a *belli tempore quae mala committantur. ibid. bellum perpetuum Paulo cum Iudaeis.* 983.1.a *bellum spiritus*

tus aduersus carnem. 456.2.a
Bene docere & malè viuere monstrosum est. 49.2.c.d
Benedictio terræ quæ appelletur. 883.1.b *benedictio mensæ vocatur gratiarum actio, verbum Dei & oratio.* 739.1.d.2.a *ea erat apud veteres in vsu.* 281.1.d *qua vtantur Hebræi.* 738.2.b.739.1.a *benedictio in Eucharistia præuia, non est consecratio, sed nuda petitio.* 277.1.b *benedictio Christi est multiplex & qualis.* 472.1.a *benedictio non tantùm beneficentiam, bonum & donum significat, sed & largitatem & abundantiam bonorum. ibid.b.* 383.2.b *benedictio Abrahæ filijs promissa requirit, vt quis per fidem & baptismum renatus sit in Christo.* 124.2.a *hæc ipsa non per legem, sed fidem nobis datur.* 437.1.b *benedictio quam Paulus se ait allaturum, est quintuplex.* 193.2.d *benedictiones septem Abrahæ promissæ.* 434.1.b *benedictiones spirituales Abrahæ eiusq; posteris promissæ, nõ promissæ carnalibus eius filijs, sed spiritualibus.* 127.1.c.d *benedictione frangitur dæmonis potestas in cibos.* 740.1.b.c
S. Benedictus ætatis anno XII. *Deo seruire cœpit.* 802.2.a *vidit animam S. Germani in cælos subuehi.* 850.1.a
Benedixit Christus panem & calicem, non Patrem. 277.1.a
Beneficentia est quasi ager eleëmosynarijs perennes progerminans fruges ex semine suæ eleëmosynæ. 587.2.a *variæ de ea gnomæ.* 981.2.b *beneficentia laus.* 831.1.d
Beneficia vulgò pulueri, maleficia marmori inscribuntur. 174.1.a *sed beneficia marmori, maleficia pulueri inscribenda sunt.* 523.2.c
Beneficium vocationis cum admiratione & humilitate recensendum. 200.1.a
Beneplacitum, propositum & consilium Dei idem sunt. 475.1.a *beneplacitum Dei quid sit. ibid.* 420.2.c
Benigni corpus & anima sana sunt. 641.1.a
Benignitas Pauli in egentes. 193.2.b *benignitas etiam in benefaciendo seruanda.* 458.2.d *est indicium sanctitatis. ibid. benignitas qualis Christiano conueniat.* 523.2.b
Berengarius primus publicè docuit non esse verum Christi corpus in Eucharistia. 289.1.d *huic adstantem cacodæmonem vidit S. Fulbertus Carnotensis.* 735.1.b *ei qui se opposuerint.* 289.2.a *in quibus Conciliis conuictus hæresin abiurarit. ibid. eius professio fidei Catholica circa veritatem Eucharisticam. ibid.b* 293.2.c. *solus ex omnibus hæresiarchis resipuit.* 882.2.c
Bernardinus Ochinus ex ambitione factus hæreticus. 710.2.b
S. Bernardus, vocatus Abbas Claræuallis *dici ex humilitate voluit.* 29.2.b *è stomacho laborabat.* 758.1.a *fluduit in libro mundi.* 39.1.c *eius gratia & modestia.* 604.2.b
F. Bernardus Canzius Dominicanus, moriens apparuit absenti in veste candida. 861.1.c
Bertramus est Sacramentarius primus, sed obscurus fuit. 289.1.d
Berzellai senex delicias quàm heroicè spreuerit. 823.1.a
Bestia montem Sina tangens tropologicè quid sit. 969.2.c *cum bestijs pugnauit Paulus.* 328.1.c
Bestiarij gladiatores quinam essent. 226.2.d
Beza verba Pauli distorquet. 506.1.b.c *est in S. Franciscum iniurius & blasphemus.* 469.2.c *negat epistolam ad Hebræos Roma scriptam.* 984.2.a *negat Christum ad inferos descendisse.* 506.1.b *Caluinum semper doctissimum interpretem vocat.* 750.1.a *eius circa curiositatem incuria.* 506.2.d *eius blasphemia circa clamorem Christi.* 876.2.d *& circa inuocatio-*

Cornel. in epist. Pauli.

nem sanctorum. 150.1.a *eius argutiæ & stupor.* 486.1.b *eius sententia de auctoritate epistolæ ad Hebræos reijcitur.* 917.2.d.918.2.a
Bibere licet de puteo qui in idoli fano est. 260.1.d
Bigamia ante baptismum est impedimentum sacerdotij. 726.2.c
Bion Philosophus cur dictus corruptor iuuenum. 41.1.b
Blæsilla Romæ illustris fuit vidua Christiana. 747.2.b
Blandiloquentia hæreticorum errorum est pallium. 512.1.b
Blasphemare quid sit. 228.1.a.828.2.b
Blasphemia in Deum & in Christum est, dicere legem implere esse impossibile. 47.2.b *blasphemiæ hæreticorum.* 762.1.a *blasphemia Caluini & Bezæ circa clamores Christi.* 876.2.d *blasphemiæ in Deum causa sunt qui proximum scandalizant.* 187.1.b
Boleslaus V. Polonorum princeps vnde Pudici nomen habuerit. 242.1.b
S. Bonauentura quoto ætatis anno sit factus Religiosus. 802.2.b *è cruce Christi maximam sapientiam hausit.* 205.1.d
Bonifacij diaconi pro fide Catholica constantia. 503.1.d
Bonifacius III. Pontif. primus Oecumenici nomen accepit. 684.2.b
Bona Dei voluntas quæ. 162.2.b *bona quomodo sint mandata legis.* 96.1.d
Bona inuisibilia speranda pro malis præsentibus. 111.2.c
Bona opera ex gratia habent proportionem cum gloria. 45.1.a *ea quomodo gratiæ, vocationi & electioni Dei tribuat Apostolus, idq; ob tres rationes.* 19.1.d *omnia sunt dona Dei.* 243.2.d *sunt homini libera. ibid. fundamentum sunt futuri in cælo ædificij.* 772.1.b *eorum necessitas.* 143.1.a
Bona spiritualia à Iudæis in Gentes collata. 193.2.b *bona nobis à Deo præparata omne desiderium superant.* 210.2.c *bona Deus propriè prouidet, intendit & coronat, mala tantùm statuit permittere, impedire posset si vellet.* 19.2.c *bona Christi & animæ illi despõsata fiunt communia.* 393.1.c *bona quæ nobis impetrarit pontifex Christus.* 914.1.b *bona tria Christianis per Christum data.* 930.2.b *bonis præsentibus tantùm vtimur, æternis fruimur.* 771.2.a Vide *Opera.*
Bonum *Hebræis idem quod beneficium.* 836.1.a *item quod lætum.* 881.1.c *bonum procedit construendo, malum destruendo.* 170.2.b *triplex bonum quod anima iusti donat Spiritus sanctus.* 107.1.c *bonum depositum est doctrina Christiana.* 382.2.c *bonum quod Christus nobis præstitit, maius est quàm malum quod intulit Adam.* 81.1.a
Boni quomodo soli membra Ecclesiæ. 794.1.d *possunt dicere Deo, Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.* 809.2.d *bonos Deus durius exercet.* 964.2.c
Bonitatis definitio. 458.2.d *bonitatis diuinæ dimensiones.* 499.2.c. *bonitas idem quod beneficentia.* 75.2.b
Booz & Iachin columna quid significaret litteraliter. 732.1.a *quid allegoricè. ibid.b. quid tropologicè. ib.c*
Boues quomodo in Palæstina vngulis grana excutiant in tritura. 264.2.d *bouem quem sibi fingant Iudæi ali in tempus Messiæ.* 699.1.b
Brabeuta quis esset, & vnde dicatur. 641.2.c.d
Brauium stadij spiritualis. 268.2.c *brauium quomodo accipiat vnus & plures.* 267.2.b.c.d *in brauium iugiter intendere incitat ad cursum.* 595.1.b
Breuitas vitæ. 252.1.a.254.2.b.c *suadet ea opum contemptum.* 763.2.c *breuitas tribulationum humanarum.* 108.2.d.358.2.c.d *breuitas sermonum sectanda.* 983.2.d
Breuium Commentariorum in Paulum Hieronymo adscriptorum auctor pelagianissimum sapit. 25.1.a

S. Brigida vidua fuit in viduitate constantissima. 747. 2.c
Byssus tabernaculi terram significat. 907.2.b
Bythum inter æones suos statuunt Valentiniani. 624.1.d
Bythus qui puteus fuerit. 400.2.a

CAbala vetus fuit traditio, qua olim à patribus accepta mysteria, maximè quæ de regno Christi erãt, ore ad os per successionem tradebantur. 704.1.d vetus indubitata fuit, sed recentiorum Iudæorum fictitia. 2.a
Cacoëthia quod vitium Aristoteli. 42.1.d
Cadaueribus assimilantur peccata. 915.2.a
S. Cæcilia in igne illæsa mansit. 898.2.b Euangelium semper gerebat in pectore. 35.1.d. 642.1.a Valerianum sponsum Christo lucrata est, cùm ille prima nuptiarum nocte fragrantissimum castitatis odorem in conclaui sponsæ sua esset odoratus. 246.2.a. 346.1.b cum eo in castitate vixit. 242.1.b. 721.1.c maritum & fratrem Christianos, virgines & Martyres fecit. 256.1.b eius corpus pòst integrum repertum. 242.1.b
Cæcitas Iudæorum. 140.2.b cæcitas mentis non tantùm est simplex carentia lucis, sed affectus prauus, quo quis illustrationes diuinas liberè repellit. 19.2.d est signum obstinatæ mentis. 151.2.d
Cælebs dicitur quasi calites. 257.2.b calibes Apostolus non hortatur ad coniugium. 241.1.c calibum in Ecclesia multitudo. 181.1.c
Calibatus fructus & commoda. 253.1.c calibatus in cuiusque est potestate, si Dei gratiam inuocare, eiq; cooperari velit. 244.1.a. 251.1.a calibatus est ad omnem scientiam acquirendam. 257.2.b.c
Cælestia quomodo sapiamus. 635.2.a. & seq. cælestia gaudia describuntur. 567.1.a Vide Beatitudo, Cælum. Quadrupliciter dicitur Christus homo cælestis. 331.1.d
Cælum tertium quod fuerit, ad quod Paulus raptus, & quot sint cæli. 403.1.d cælum nostra resp. est, ciues eius sumus. 566.1.d. 970.2.a id negabit Antichristus. 687.1.c est Sanctum sanctorum, cui & reliquæ huius partes adaptantur anagogicè. 911.1.c id in Scriptura aër dicitur. 403.2.c cælum quomodo commouit in natiuitate & passione Christus 972.1.c cælum empyreum non mouetur, & an sit quadratum, an verò sphæricum. 900.2.b.c eiquomodo insistat Christus. 507.1.c.d cælum docet nos amorem Dei. 392.a cæli quomodo peribunt cùm sint æterni. 850.1.a quomodo post diem iudicij mutabuntur & innouabuntur. ibid.b quomodo enarrent gloriam Dei. 146. 1.d cæli allegoricè sunt Apostoli & præcones Euangelij. 2.a quomodo dicantur Dei milites. 709.1.a quomodo in cælo conuersari debemus. 599.1.b cæli aditus & beatitudo reseruata tẽpori Christi & Christianorum. 957.1.b cælo comparatur anima charitate ardens. 307.2.d ibi nulla futura doctrina, nec discentia. 308.2.a.b
Cæremonia expiationis apud Iudæos cinere vitulæ, quomodo fieret. 913.1.b.c cæremoniæ legales non statim à morte Christi abrogatæ, & quam ob causam. 185. 1.c vmbræ sunt futurorum per Christum. 629.2.a
Cæremonialis lex desiit, non moralis aut naturalis decalogi. 428.2.d cæremonialia quædam in fœdere sanciendo habet Paulus, quæ Moses omisit in Exodo. 917. 1.b
Cæsara regina ad maritum redire noluit, nisi ipse conuerteretur ad fidem Christianam. 248.1.a
Cæsaris Baronij elogium. 16 quotidie SS. Apostolorum sepulcra visitabat. 13.2.b
Cæsarius Nazianzeni frater à matre ad pietatem instituta est. 777.1.b
Caiani asseruere homines ab angelis creatos. 631.2.d. & seq. confinxerunt librum qui inscribitur Pauli reuelatio. 405.1.b
Caietani error de cælo empyreo. 403.2.c
Cain primæ mundi ætate cum suis pios afflixit. 680.1.c
Caius hospes Apostoli, & conuenientium Christianorum, cõmendatur ab hospitalitate & misericordia. 196.2.a
Scriptores sacri Calami Spiritus sancti vocantur. 802.2.d
Calceus quatuor rerum est symbolum. 549.2.c. & seq. calceus hyacinthinus Ecclesiæ, symbolum est triplicium ornamentorum & virtutum eius. 550.2.c cur ei datus talis. 599.1.c calcea militares sunt ocreæ. 550.1. a calcei sunt signa mortalitatis. ibid.b
Calix benedictionis quis sit. 276.2.d calix dæmoniorum quis sit. 279.1.c calix sanguinis, non est typus sanguinis Christi, vt dicunt hæretici. 277.1.c calix tropologicè martyrium dicitur. 357.1.a
Calliditas diaboli sita in tribus. 543.2.a
Callimachus propheta Cretensium, id est poëta. 819.2.c
S. Calliopius adolescens in crucem actus est. 430.2.b
Calor subitus longum vincit teporem. 322.2.d
in Caluariæ monte an sepultus Adam. 529.2.b
Caluinus censet motus rationem præuenientes esse peccaminosos. 95.1.a se suosq; omnes in Christo præfert. 877.2.b negat Christum ad inferos descendisse. 506. 1.b censet animas Sanctorum non videre Deum ante diẽ iudicij. 957.1.d negat infantibus fidelium necessarium esse baptismum. 153.2.c. 247.1.b originem & continuationem fidei suæ ostendere non potest. 149.2.a obcæcationem & obdurationẽ hominis Deo asscribit. 19.2.d. 134.2.b negat esse meritum pij operis. 44.2. d negat Ecclesiam esse firmamentum veritatis, & ait eam errare posse. 732.2.a imagines quomodo nesciens veneretur. 296.1.b decalogi obseruationem minimè esse necessariam adstruit. 429.1.b Manichæos impietate superat & blasphemijs, dum Deum auctorem facit peccati. 131.1.a docuit in Ecclesia nullos esse malos. 794.1.d negat præcepta Dei seruari posse. 169.1.d asserit licere promittere continentiam Ecclesiæ, saltem tacite & indirectè, quid ni ergo & directè? 752.2.a.b blasphemum suum dogma de prædestinatione & reprobatione vnde hauserit. 143.2.a eius fatum. ibid.c dæmonem paredrum sibi habere fatetur. 735.2.a Paulo & Augustino est malignè abusus. 4.2.b fuit stigmaticus. 736.2.c eius argumentum contra Missam eneruatur. 929.2.a eius blasphemia circa clamores & orationes Christi. 876.2.d eius sentẽtia de epistola ad Hebræos reiicitur. 817.2.d. 818.2.a eius error circa liberum arbitrium. 99.1.c. 903.2.c item circa efficacem Dei vocationem 200. 2.c duplicem hominem comminiscitur. 99.1.c eius tria axiomata blasphema. 47.1.b
Caluinistæ hæc verba, Hoc est corpus meum, ad figuram significandam detorquent. 5.1.a & quæ hinc inconuenientia sequantur. ibid.b simia sunt pseudoapostolorum Corinthiorum. 389.2.a Donatistis deteriores sunt, quòd altaria sacra deijciant. 980.1.b
Calyptrarum muliebrium commendatio. 286.1.d
Camelum per foramen acus ducere Deus potest. 291.2.c
Camos idolum Moab, idem qui Bacchus. 180.2.c vnde nomen habeat. ibid.
Canarij vngulus boum grana excutiunt. 264.2.d
Candela ardente quid in baptismo significetur. 321.1.d
Candelabrum septiceps erat in tabernaculo Mosis, in templo Salomonis erant decem candelabra. 908.1.a illo designantur septem planetæ, id Christum denotat. ibid.b
Candida vestis datur baptizatis. 85.2.b

Candor lucis aeternæ quomodo Filius Dei sit. 842.1.b
Canendum distinctè vt intelligatur. 314.1.c *canere lices hymnos mulieres in cœtu mulierum, sed non in Ecclesia.* 319.2.a
Canes à Iudæis vocatæ Gentes. 146.2.c *canibus comparantur hæretici.* 588.1.a
Canon est regula mensoria geometrarum. 392.2.b
Canones prohibuerunt criminis probam ferro candente fieri. 218.1.c *canones Conciliorum quanta in auctoritate habendi.* 818.2.a *canones Pontificij adstruuntur.* 319.2.b.c *canones ad clericorum vitam spectantes plures non edi Episcoporum est prouidere.* 455.1.c *Canones rerum ad epistolarum Paulinarum intelligentiam ducentes.* 16.1.a *item verborum.* 20.1.c
Cantica sacra olim Christiani canebant, non amatoria. 533.1.c
Cantatores prophetæ dicuntur. 283.2.c.312.1.d
Caper emissarius erat Hebræis piacularis victima. 228.2.a.367.2.a.911.2.d
Capere captiuitatem Hebræis est captiuos facere. 505.1.c
Capharnaitæ carnem Christi edere nolebant. 291..d
Capitalia vitia dupliciter diuidunt Theologi. 238.1.a
Cappadoces sunt Mosoch. 688.1.d *sunt mendaces & peruersi, quòd à Gabaonitis prognati.* 810.1.d
Captiuitatem duplicem actiuam & passiuam Christus in triumphum duxit. 505.1.c
Caput significat quod in quaque re primum ac summum est. 490.1.b *caput velari quid denotet.* 285.1.c *caput Ecclesiæ quis sit.* 512.2.d *caput Ecclesiæ Christus & militantis & triumphantis.* 283.2.a.481.1.c *caput libri, in quo de Christo scriptum sit, quod sit.* 927.1.a.b *capitis dolor perpetuus an fuerit Paulo stimulus carnis.* 406.1.a *caput sedes sensuum & mentis.* 1732.a
Carbones ignis quomodo super inimici caput congerendi, & cur. 173.1.c.d
Carceris Melitensis S. Pauli lapides quanta vi polleant. 12.1.b
Carmelitarũ institutum an à Prophetis cœperit. 956.2.c
Carmelus domicilium Prophetarum. ibid. ob fertilitatem Iudæis abijt in prouerbium. 973.2.b
Carnalia arma quæ sint. 389.2.c *carnales propriè quinam sint.* 215.1.b *eorum & spiritualium diuersa studia.* 104.2.a *carnalis, & carnalia desideria quæ sint.* 318.1.a
Carnifices Pauli ab eo Christo asserti. 10.1.d
Caro in Script. aliquando carnis corruptionem, aliquando concupiscentiam, aliquando homines carnales significat. 221.1.c.332.1.c.456.1.d.459.2.b *item externam speciem & gratiam.* 22.1.d *caro Christi habet in Eucharistia virtutem suam viuificandi, non à seipsa, sed à spiritu, & diuinitate Verbi cui hypostaticè coniungitur.* 291.1.b *caro Christi, & Christus ipse, est nobis via viuens.* 930.1.c *hæc designatur velo quod erat ante Sanctum sanctorum.* 2.a *an tabernaculum sit perfectius per quod Christus transiuit.* 914.1.d *fuit vestis Verbi.* 575.1.c *caro die ieiunij non comedenda.* 280.2.d *caro & sanguis significant tentationes carnis, & homines carne & sanguine constantes.* 421.1.d.544.1.d *hæc quomodo regnum Dei non possidebunt.* 332.1.a *caro grauissimus noster hostis est.* 270.1.a *est officina animæ.* 22.1.d *motus concupiscentiæ iuuat & fouet.* 2.a *cùm per spiritum ad alta contemplanda super se assurgit, attenuatur.* 758.1.b *quomodo non prodesse quidquam intelligatur.* 291.1.c *echinicidi assimilatur.* 98.2.d *bonum ei est vt ei resistatur.* 101.2.b *carnis tribulatio quæ vocetur.* 252.2.b *carnis prudentia est sapere carnalia.* 104.2.b *carnis bellum aduersus spiritum.* 456.2.a *carnis infirmitas triplex in Paulo.* 446.1.b *carnis particulam vnam an habeant homines singuli ex Adamo.* 894.1.b *in carnis interitum quomodo tradantur excommunicati.* 130.2.b *carnis fructus, dolor & tristitia.* 458.2.b *ei rebelli quid opponendum.* 457.1.b *carne animalium cur abstinerent Manichæi.* 736.2.d *qui secundùm carnem ambulent.* 389.2.a *carnis tentatio virtutis amantes maximè humiliat.* 406.2.a
Carnes sacrificatæ idolis cur mittebantur ad macellum. 280.2.b *carnes creatæ sunt non pro gulonibus, sed pro sanctis.* 738.1.b
Carolus Magnus suos filios artem mechanicam discere voluit, filias lanificium. 692.2.d
Carpocratiani cauteriati in aure erant: auersabantur procreationem liberorum. 736.1.c
Carpus vidit Christum dicentem sibi, iterum se paratum pro hominibus saluandis pati. 460.1.b.811.1.d *an fuerint duo Carpi.* 811.1.d
Carthusiano an, vt vitam tueatur, carnibus vesci liceat. 280.1.a
Cassiani error dicentis licitum esse aliquando mentiri. 424.2.a *censuit vitijs singulis suos præesse dæmones.* 544.2.a
Cassij senes canibus deuorandos obijciebant. 527.2.b
Castigatio Dei, bonos secernit à malis, germanos Dei filios probat. 964.2.d *castigatio corporis quomodo fiat.* 269.2.c
Castigat nos Deus vt pater filios. 964.1.b
Castitas igne concupiscentiæ læsi non potest, nec igne corporali. 898.2.a.b *quomodo dicatur sanctitas.* 658.1.a *est nota veræ Ecclesiæ, quæ non inuenitur apud hæreticos.* 369.2.a *etiam in matrimonio habet locum.* 967.1.b *corpus roborat.* 286.2.b *quomodo facilis Augustino reddita.* 181.1.b *eius dignitatem omnes quidem capere possunt, sed non omnes volunt.* 250.2.d *castitas & continentia quomodo differant.* 459.1.c *est præmium humilitatis.* 41.2.d *castitas Pauli Apostoli.* 6.2.d *impossibilis est apud hæreticos.* 41.2.d *castitatis voto astricti olim validum contrahebant matrimonium, licet contrahendo peccarent.* 245.1.a *eam esse impossibilem, laqueus est potiùs, quam necessitas voti.* 257.1.a Vide *Virginitas.*
Castra Iudæ scauas habebant portas. 980.2.c
Castus Deo familiaris, & paredrus & assessor diuinæ sapientiæ est. 257.2.c *casti comparantur angelis.* 1.d
Casus Adæ, & reparatio Christi inter se comparantur. 80.1.d.2.d
Catacumbæ quis locus Romæ. 956.2.c
Cataphrygæ, mulieres ordinabant diaconas & episcopas. 731.1.b
S. Catharinæ corpus ab angelis in Sina translatum est. 851.1.a
S. Catharina Senensis nares occludebat cùm libidini obnexius illi occurreret. 346.1.a *Christus ei dedit cor suum.* 430.1.a *etiam habuit quinque in corpore stigmata.* 469.2.d
Catathema censura erat propriè eorum qui se damnatis coniungerent. 336.1.c
Catechismi origo & antiquitas. 464.2.c *catechismi quinque capita catechumenis proponenda.* 880.2.a.b
Catechista, catechumenus, catechismus quid sint. 464.2.b
Catechumenus sua bona cum catechista communicet. ib.a
Catenæ quæ vinctus Paulus, segmenta ad Augustam Constantiam missa à S. Gregorio. 14.1.a *catenæ & carcer SS. Petri & Pauli quanto in honore sint.* 12.1.c *catena peccatorum quæ sit.* 40.2.b

Catholicus quomodo hæreticæ, & quibus in locis, iungi matrimonio queat. 259.1.a *Catholici credentis veritatem Christi in Eucharistia securitas in die iudicij.* 290.1.b *Catholici quomodo & quando pietatem pro quæstu habeant.* 762.2.a *Catholicorum constantia contra Iulianum Apostatam.* 260.1.c

Cato Maior de tribus rebus indoluit 8.2.a *eius dictum pro castitate.* 257.1.d

Cauernæ primorum Christianorum Romæ sub terra. 956.2.c

Cauponæ meritoriæ, habitæ semper impudicæ sūt. 953.1.a

Cauponari verbum Dei quid sit. 346.2.a

Causa reiectionis Iudæorum & electionis Gentium. 129.1.d *causa ad peccatum impellēs peccat.* 134.2.c *causæ duæ ad idem opus meritorium concurrunt, naturalis & supernaturalis.* 348.2.a *causa sæculares à presbyteris olim iudicatæ.* 234.2.d

Causales notæ apud Apostolum sæpè non causam, sed euentum & consecutionem significant. 21.1.a

Causones serpentes vnde dicti. 275.1.c

Cauteriatam conscientiam habent hæretici, cur. 736.1.b

Celeusma quid sit apud nautas. 660.2.d

Celichius catechumenus somnio territus quam rapuerat feminam remisit. 748.2.a

Cenchri erat portus & pagus Corinthi. 195.1.b

Centuplicationis per eleēmosynam exempla. 386.1.d

Centuriatorum Magdeburgensium angustiæ & deliria, in Ecclesiæ suæ continuatione ostendenda. 149.2.b

Cephas idem est qui Petrus Apostolus. 425.2.b

Cerebri vulnera memoriæ officiunt. 151.1.c

Cerinthus erga angelos mirificè fuit affectus. 632.2.a *ponebat illos velut minores deos, & Christo nobiliores.* 631.2.d *quæ de Ecclesia felicitate prædicta erant, ad terrena & delicias corporis referebat.* 323.1.d *fuit pater Chiliastarum.* 2.a *an ipse auctor Apocalypseos. ibid. primus post Simonem Magum hæresiarcha tēpore Pauli resurrectionem negauit.* 1.d.791.1.a *angelum Iudæorum malum esse dicebat.* 632.1.c *aduersarius Pauli erat, & iudaizabat, & quæstionem mouit de seruandis legalibus Mosis simul cum christianismo.* 15.389.1.a *peruenit ad annum Christi* 166.51. *Christum & Deum à Iesu diuidebat.* 588.1.b. 597.2.c.632.1.d *hostis crucis Christi erat, & Epicureus.* 598.1.c

Cernere hereditatem, est eam possidere. 111.2.c

Certamen nostrum in cursu consistit. 960.2.a *breue tempus certaminis & luctæ, æternum victoriæ & gloriæ.* 88.2.d *certamen suum præsagiebat Paulus quod habuit Hierosolymis.* 194.1.a *certaminum varia genera erant Græcis.* 268.1.d

Certandum Christianis post baptismum assiduè. 272.1.a

Certitudo coniecturalis iustitiæ & sanctitatis cur nobis sufficere debeat. 108.1.c *certitudo promissorum Dei.* 952.1.c *fidei Apostolicæ.* 417.2.d *hæ vnde oriatur.* 653.1.d *diuinæ spei.* 73.1.b.c *mercedis exspectandæ pro laboribus.* 788.1.c *certitudinem qualem habere possimus in hac vita prædestinationis nostræ.* 478.2.a *certitudinem gratiæ sibi Nouantes promittunt.* 156.1.c *quantam certitudinem habeant perfectiores de sua salute.* 107.1.d

Certi sumus nos esse filios Dei, non certitudine fidei, sed tantùm coniecturali. ibid.

Ceruicosi & duri quomodo arguendi. 827.2.a

Ceruis comparantur coniuges. 519.2.a *ceruarum partus difficilis.* 447.1.b *ceruorum in traijciendis amnibus industria in sustinendo cornuū pondere.* 462.2.b

Chaldæa lingua vtuntur Christiani Thomæi in sacris. 204.1.d

Chaldæi variùs duali, & plerumque duali etiam pro plurali vtuntur. 685.1.d

in Chanaan Christus natus & mortuus, & hinc veteres in ea sepeliri voluere. 950.1.a.b

Chaos primo mundi die creauit Deus. 941.2.d

Character Antichristi quis futurus. 687.1.d *character mentis est lingua.* 313.1.a *character dicendi in epistolis Pauli minus.* 5.2.d *character Confirmationis & baptismi.* 342.1.c.2.a *est indelebilis.* 522.2.b

Charisma quam gratiam significet apud Apostolum. 777.2.c *charismata meliora quæ vocet Apostolus.* 309.2.b *charismata Spiritus sancti varia* 164.2.b

Charitas quomodo sit vinculū perfectionis. 641.1.b *esse debet laboriosa.* 648.2.a. *charitas proximi charitatem Dei includit* 178.1.a.455.2.d *charitas fraterna commendatur.* 167.1.d *charitas sæpè vocatur virtus quadā eminētissima, fide & spe maior.* 305.1.c. *in quo distinguatur à charismatibus* 303.2.d. *est centrū & anima virtutū.* 641.1.c. *est tunica Christi inconsutilis. ibid.d eius dimensiones spirituales.* 499.2.c *eius radices tres.* 700.1.b *cùm videt proximos rectè viuere, non inuidet, sed quasi de augmento proprij profectus gaudet.* 307.1.c *omnia sustinet. ibid.d quomodo omnia credat. ibid solam manet in patria.* 308.1.a.309.2.b *nihil putat vile vel indecorum.* 307.1.b *quomodo non agat perperam.* 306.2.d *quanta in homine charitas, tanta est iustitia* 305.2.a.514.1.a *facit cuncta sperandi sperare, & per patientiam exspectare.* 307.2.a *liberos facit seruos, non coactionis, sed charitatis.* 455.2.c *ardens anima caritate calo est similis.* 307.2.d *charitas ordinata exigit vt quisque magis se suaq; commoda, maximè spiritualia, diligat, quàm aliena.* 571.2.d *quomodo animam Deo maritet.* 395.2.d *est Prælato necessaria.* 700.2.b.778.2.c *quæ charitas effundi dicatur.* 74.1.b *charitati annexuit Deus iustitiam, amicitiam & filiationem Dei.* 474.1.c *charitas Dei est incomprehensibilis.* 500.1.c *charitas vnio est membrorum Ecclesiæ.* 513.1.c *est spiritus & anima Ecclesiæ.* 2.d. *& seq. est propriè Christianorum virtus.* 170.1.c *charitatis humilis nouem actus. ibid.d inter virtutes est quod epilogus inter partes orationis.* 179.1.d *est via excellentior ad Deū.* 303.2.c *eius thesaurus disciplina patientiæ continetur, & à patientia quasi à magistra eruditur.* 306.1.c.d *charitas Christianorum initio Ecclesiæ.* 160.1.b *& Pauli.* 7.1.d.2.a.121.2.c *charitatis debitum perpetuum est & insolubile.* 177.2.b *charitatis quadriga* 307.2.a *eius bona, fructus, officia. ibid.b.c tribuit tria singularia fidei & ceteris virtutibus.* 453.2.b *quomodo pro nobis apud Deum postulet.* 112.2.d *charitas nostra an Deus ipse.* 74.2.a *charitas Christi quæ sit.* 119.2.b *ea superat omnem charitatem.* 75.2.c *charitas & philautia quomodo differant* 798.2.b *charitas impellit hominem vt perfectè legem adimpleat.* 179.1.b *charitas sincera magnete potentior.* 8.2.d *virtutum omnium est maxima & regina.* 309.2.d *patiens est, quia parit patientiam.* 309.1.c *quomodo numquam excidat.* 307.2.d *charitas veritatis quid sit.* 683.1.c *charitas primus & nobilissimus fructus est Spiritus sancti, ac ceterorum parens.* 458.2.a *quando in cordibus nostris diffundatur.* 74.2.a *amitti potest.* 121.2.b *non respicit meum & tuum, sed quæ Dei sunt.* 306.2.c *charitate possunt prodesse pœnitenti opera bona ante reconciliationem.* 305.1.c *à charitate Christi nihil nos auellere debet.* 119.2.b.c.& *seqq. sine ea nullus esse potest amicus Dei.* 305.1.b

Charites quomodo ab Ethnicis pingerentur, quæ earum nomina, & significatio. 384.2.c.642.1.d

Cherem vocatur anathema quo res Deo consecrata in æternum

ternum separabatur à domino suo & vsibus prosanis. 125.2.b.c *cherem quid significet.* *ibid.c.d*
Cherubim vocantur currus Dei. 504.2.d.910.2.c *cherub idem est quod equitans, auriga, princeps, currus.* 910.2.d *Cherubim quadriformes repræsentant quatuor Christi stemmata.* 575.2.c.844.1.b *pinguntur imberbes, vt perpetua iuuentus eorum significetur & æternitas.* 910.1.c *derivatio nominis Hebraica.* *ibid.d* *sunt generis neutri, carent enim sexu.* 2.b *etiam mittuntur vt alij angeli.* 851.2.c *cherubim duo ex propitiatorio prodeuntes ipsum obumbrabant.* 910.2.c *hinc currus speciem dabant.* *ibid.*
Chet Hebræum pronuntiatur vel per h. vel per ch. 115.2.c
Chiliastæ fingunt Sanctos mille annos felicitatis post diem iudicij in terra acturos. 450.2.a *eorum parens Cerinthus.* 323.2.a
Chirographum decreti quod Christus deleuit, quodnam fuerit. 627.1.b *quid id sit propriè.* 2.b
Chloë nomen familiæ vel fœminæ. 201.2.c
Chresti olim dicebantur homines benefici. 195.2.d.835.2.c *Chrestologi sunt qui bene dicunt, sed malè agunt.* 195.2.d
Christianismus quomodo nihil prosit se circũcidentibus. 452.1.b *est lex & scholapacis.* 642.1.b *est professio castitatis, & detestatio libidinis.* 659.1.b *est professio vitæ cælestis & sanctitatis.* 599.1.a.612.1.d
Christiana libertas à quibus nos eximat. 20.2.a. *eius fuit assertor Paulus.* 3.2.b *Christiana lex docet amare non copiam, sed sufficientiam.* 763.1.b *præcipit obedire magistratui & legi ciuili.* 176.1.c
Christianum esse quantum sit beneficium. 299.1.c
Christiana ad lenonem damnata potius, quàm ad leonem, cur. 955.1.a
Christiani nomen glorioſum, Emptus est. 238.2.b *Christianus semper ad bellum se paret.* 802.2.a *miles est Christi ducis sui.* 708.2.d *quot gaudij materias & causas habeat.* 603.2.a *quomodo inter tot ærumnas semper gaudere possit.* *ibid.c* *non lætetur nisi cùm viderit fratrem in charitate.* 526.1.b *virtutum odorem spargat.* 344.2.d *qua ratione mortuus esse debeat.* 636.1.b *de pugna nunquam sit securus.* 547.1.a *frequenter agat Deo gratias etiam in aduersis.* 200.1.d.667.2.c *in malo sit infans.* 318.2.a *non sibi sapiat.* 171.1.d *eius vita luce sua debet & retegere tenebras impietatis & illuminare.* 518.2.b.c *eius est optare aduentum Christi.* 665.2.d *item exquirere quid de se exigat Deus, qua in re Deo maximè placere possit.* 528.1.b *ei quæ vitia potissimùm cauenda.* 181.1.d *ei qualis benignitas conueniat.* 523.2.a *ei iurare licet & per quem.* 341.2.b *eum decet pallor & macies.* 270.2.b *sit alter quasi Christus.* 181.2.c
Christiani stella instar refulgeant. 584.2.b *nõ sunt sub lege veteri, sed lege tenentur.* 93.1.a.457.1.d *peregrini sunt in hac vita.* 946.2.b *sancti esse debent vocatione, baptismo, debito, officio, professione & obligatione.* 491.1.a.556.1.c.612.2.a.865.1.c.984.1.b *debent vt pueri, puero Christo assimilari.* 859.2.b *vocabant inuicem fratres.* 167.2.d.863.1.c *suos habere debent sacerdotes & sacrificia.* 875.1.c *subditi regibus, etiam Ethnicis, eorum robur sunt.* 176.1.c *sunt præ Iudæis electi ex libera Dei dignatione & electione.* 129.1.c *sunt à potestate tenebrarum per Christum erepti* 616.1.b.c *cùm timore pœnæ legem seruant, sunt filij veteris testamenti.* 448.2.a *quomodo Christo debeant concrucifigi.* 467.2.c *quomodo miseri sint, si Christus non resurrexerit.* 323.2.b *adorant Deum in spiritu & veritate* 351.1.c *se inuicem diligant vt fratres.* 659.1.c *sunt gens noua & aurea.* 468.2.b *pædagogo, id est lege, non egent.* 440.2.d *dicuntur docibiles Dei.* 905.1.b *operibus bonis certare debent.* 831.1.b *Christo sunt concorporati.* 866.2.d *credendo in Christum, benedictionem Abrahæ, id est iustitiam, sunt adepti.* 135.1.c.d *metent pro ratione seminis.* 465.1.d *olim omnes mox à baptismo Confirmationis Sacramento donabantur.* 751.a *exemplo debent præluceré Ethnicis.* 829.1.a *quomodo vocentur à Paulo electi ad gratiam & sanctitatẽ.* 18.2.d *non sunt liberi ab omni lege positiua superiorũ.* 455.1.b. *reiectis Iudæis successerunt in spiritualẽ filiationẽ Abrahæ.* 128.1.c.131.1.b.d.541.2.c. *quomodo censeantur filij Isaac, æquè ac Abrahæ.* 128.1.b. *sunt filij promissionis.* 128.1.c *Satanæ & operibus eius in baptismo renuntiant.* 85.1.d.548.2.b. *omnes vocatione sunt Sancti, quia vocati ad sanctimoniã.* 32.2.d. *ad cruces se animare debent cogitando vincula Pauli.* 646.2.c *caueant reincidere in peccata pristina.* 87.2.c *glorioſi erunt post resurrectionem.* 69.2.a *omnes vocantur ad crucem.* 656.1.a *sunt regnum Dei.* 187.2.a *item populus eius & peculium.* 689.2.a *peculiariter ei curæ sunt.* 904.1.a *nutui debent esse peccato.* 84.1.b.c *ijs semper incumbentes tentationes.* 801.2.a *ijs viuendum non secundum carnem, sed spiritum.* 106.1.a *ijs an vetitus sit matrimonij, vtpote sanctis.* 240.1.a *ijs dij Gentium ne nominandi quidem.* 262.2.b *ijs cæremonias & ritus legis seruare non licet, sub pœna mortis.* 349.1.d *eorum est nõ stare, sed semper progredi in via virtutis.* 657.2.a *eorum victoria triplex ratio.* 121.1.c *eorum quæ esse debeat sanctitas.* 525.2.c *eorum inter se nexus sunt Sacramenta.* 164.2.c *eorum fiducia est libertas in professione fidei.* 864.2.d *eorum quantus debeat esse vnio.* 502.2.c *eorum libertas quousque se extendat.* 455.1.b.c *eos magis diligere tenemur, quàm Ethnicos.* 167.2.d *licèt multi, charitate sunt vnus.* 74.2.c
Christiani primigenij Romæ in subterraneis cauernis habitarunt. 956.2.b *speculum vitarunt.* 286.1.b *tempore persecutionis crebrò communicabant.* 973.2.b *cum iustitia accepere primitias spiritus.* 121.1.c *ante præsides iubebantur maledicere Christo.* 299.1.d *eorum in fide constantia.* 955.1.a *eorum in Martyres Christi causa vinctos mira charitas.* 934.1.b *eorum in communicando ritus.* 297.2.b *vrgente persecutione ex Oriente & Occidente adibant sepulchra Apostolorum.* 13.2.b *ordinandorum nomina publicè proponebant.* 730.1.a *ijs oscula olim vsitata, maximè ante sacram communionem.* 415.2.b *osculabantur & ianuas templorum.* *ibid.* *ijs aspersa labes quòd principibus inobedientes essent.* 175.2.a *solebant canere hymnos antelucanos Christo.* 318.1.a *initio operis se cruce signabant.* 281.2.c *hymnos in agapis suis Deo canebant.* 533.1.a *pro regibus infidelibus in mysterijs orabant.* 712.2.a *damnati magũ gaudebant quàm absoluti.* 700.2.a.b *quare domum deferrent Eucharistiam.* 279.2.b *mori malebant quàm mentiri vel semel.* 519.1.c *quare ante Eucharistiam instituerent cœnam communem.* 287.2.b *cantica canebant sacra, non amatoria.* 533.1.d *hospitalitas vigerat in vsu.* 975.1.b *hospitabantur apud Episcopos, non verò apud Gentiles.* 974.2.b *Christiani viri olim fratres vocabantur, fœminæ sorores.* 160.1.a. 195.1.a.834.1.c
Christiani Iudæi bonis sunt spoliati. 378.1.a *suos sen-*

per contribules infensos habuere. ibid.335.1.a
Christiani Thomæi in India suos Prælatos vocant mar, id est dominus.336.1.a vtuntur lingua Chaldæa in sacris. 204.1.d
S.Christina Mirabilis quàm austerè vixerit. 89.1.c

CHRISTI prædestinatio, incarnatio, dignitas.

Christus Iesus nascetur ex habitatoribus Sion. 155.2.b quomodo sit minister circumcisionis.19.1.a.b quomodo sit Dei.221.2.a.b materialiter prædestinatus est filius Dei.31.1.a est radix Iesse ob quatuor causas. 191.1.c vt homo,est omnium creaturarum finis.221. 2.b ex Noë continua serie natus.944.1.a per Spiritum sanctum ex miraculis & resurrectione declaratus est filius Dei.31.2.b prædestinatus ad hoc, vt resurgeret.32.1.b tunc venit, cùm ad summum malorum & peccatorum venerat mundus in statu legis.83. 2.a quantopere angelis præcellat.847.2.a principium est omnium Dei operum,& primus omnium prædestinatorum.917.1.a de peccato peccatum damnauit in carne.104.1.b.c primò per incarnationem inductus in orbem, secundò per resurrectionem vel extremum iudicium. 847.1.a.b.c omnia naturæ humanæ assumpsit, præter culpam & vitia naturæ. 861. 2.d in eo quomodo corporaliter inhabitarit diuinitas.625.1.b.c.d est ex Iudæis progenitus.126.2.c.d & ex tribu Iuda.895 2.b non est supra Spiritum sanctum,est super omnia quæ sunt extra Deum. ibid.d in Abrahæ lumbis latens quomodo non dederit decimas Melchisedeco.893.1.d fuit semen benedictum Abrahæ promissum.437.2.a vt homo omnem temporis differentiam amplectitur.978.1.d exauditus à Patre pro sua dignitate.878.1.b in quo & quomodo exauditus 876.2.c in primo puncto incarnationis habuit actum meritorium oblationis sui, quem continuauit vsque ad mortem.916.2.c verè dici potest non fuisse in lumbis Abrahæ.893.2.a ex eo per Isaac,non per Ismaelem descendit.128.1.b vt homo, est hominum, angelorum & cæli rex, item caput Ecclesiæ militantis & triumphantis.481.1.c.d sua incarnatione magnam rebus omnibus attulit dignitatem.477.1.a auctor est & filius Ecclesiæ. 451.1.a.b quomodo minoratus.855.1.d.2.a ex omni factus est nihil.574.1.a eius prædestinatio medium, finis, & exemplar nostræ.31.2.a factus homo vt mori posset. 860.1.a vt homo,est & seruus,& filius Dei. 574. 2.c quomodo seruus esse negetur.ibid. viam nouam & viuentem nobis initiauit per carnem suam.930.1.c quomodo desideratus cunctis gentibus. 972.1.b est principium creaturæ.486.2.a principium,exemplar & finis est omnium Dei operum. 80.2.a non intulit humanam naturam & corpus è cælo in Virginem, sed in Virgine formatam, virtute Spiritus sancti, factam accepit 30.1.d.447.2.d quomodo in similitudinem hominum factus. 575.1.a non fuit e tribu Leui,vt vult Suidas. 895.1.c.d an per auiam fuerit è tribu Leui.2.a sine patris semine conceptus est. 447.2.d dimidiatus est hominum & Dei, natura & officio. 915.2.d quomodo dicatur primogenitus omnis creaturæ.615.2.c.d quomodo non nouerit peccatum.367. 1.a in quantum homo, verè est filius Dei,ob gratiam vnionis cum Verbo.118.1.d vt homo,quomodo maior factus angelis. 844.2.b & quomodo & quando minor ijs 855.2.a nouum hominem & nouam progeniem fecit.517.1.b venit consolari pauperes, humiles & lugentes in Sion.936.2.d non potest dici mediator vt Deus, sed vt Deus homo factus. 439.1.d quomodo dilectus vt filius vnicornium. 475.1.d.præstantior est omnibus legislatoribus Hebræorum.864.1.b eius infirmitatem quæ probent. 876. 1.d eius non tantùm natura, sed & persona dici potest prædestinata. 31.1.c eius æternitas & inuariabilitas. 978.2.b eius quod schema & habitus fuerit.575.1.b eius nomen est, Veniens. 36.2.a. 937.1.b eum quomodo secundùm carnem non nouerimus.366.1.c legi est subiectus facto,non obligatione. 443.2.d

CHRISTI sapientia, gratia, virtutes, potentia.

in Christo conueniunt maiestas & amor.733.2.b est vtriusque testamenti testator & mediator.919.2.c in quo honorem Deo Patri detulerit.197.1.b eius erga homines amor. 307.1.b.365.1.c.652.2.d.827.1.c eius charitas omnem superat charitatem.75.2.c fuit Doctor Iudæorum. 191.1.a nulli morbo obnoxius. 862.1.a quomodo Ecclesiæ & animæ fidelis fundamentum.216.1.c solus per se facit bonum. 56.1.a finis est legis ob quatuor causas.141.1.b eius in vltima cœna Apostolorum pedes lauerit. 144.2.c candelabrum est 908.1.b exemplar nobis est sanctitatis & virtutis.117.2.a vnctus est,quando, quomodo & in quales titulos.849.1.c inceptor & consummator fidei in se & in nobis.961.1.d.2.a ob tres rationes filiorum Dei primogenitus.217.2.c virgines adamat. 256.1.b est virgultum & vitis,nos palmites. 86.1.c est omnium admirandorum compendium ac omnium caput.954.2.c est Propheta singularis.ibid.b quomodo nobis sit præscriptus. 432.2.b.c est homo cœlestis quadrupliciter.331.1.d in iustis est omnia tripliciter.640.2.c Christus,gratia,& crux Christi cornu vnicornis similis. 475.1.d sinapis grano comparatur.292.1.a est nobis speculum humilitatis. 572. 1.a.d est omnium Dominus & quibus titulis. 850. 1.d quomodo dicatur Apostolus.863.2.c institutor, testator,conditor, non minus quam mediator noui testamenti.915.2.c.d esse potest duobus in locis.322.2. a fuit expers concupiscentiæ rationem præuenientis. 873.2.b est nobis omnia.181.2.d fuit per omnia nouus homo.517.1.d dicitur amen.341.2.b honoris causa dicitur seruus Dei.556.1.b tripliciter est vitæ nostræ.639.1.c est stella matutina.329.1.c etiamsi omnia acceperit à Deo, tamen dependet à Deo quà creatura.119.1.d an dicere liceat, Christe ora pro nobis. 2.b linteo præcinctus cum fuit,formam tunc serui non accepit.574.2.d dux & vexillifer est Gentium. 191.2.a fuit caput & recapitulatio omnium Dei operum visibilium & inuisibilium .476. 2.c paruulis est lac, infantibus olus, perfectis solidus cibus.273.1.c peccati minister non est.424.1.d eius formæ quatuor cõparantur facibus quatuor Cherubim Ezechielis.575.2.c.844.1.b eius corpus localiter non implet cælum & terram.301.1.c eius corpus Ecclesia est,cuius ipse corpus.ibid.d eius beneficentia. 458.2.d eius clementia in persequendis peccatoribus. 705.1.d eius gratia est gloria quædam inchoata.57. 2.a.eius amor in Ecclesiã.482.1.b vt Martyr inter omnia mũdi tormenta triũphat.120.2.a.eius charitatis quæ sint dimensiones 498.1.a eius amor & beneficentia erga Iudæos.147.2.a eius vita tota speculum morum.352.2.a eius propensio ad miserendum & auxiliandum.862.2.b.873.1.d eius verba quomodo vitæ sunt.291.1.d eius lenitas.796.2.c in ipso non fuit fides.961.1.c in ipso crescimus,& ipse in nobis.86.1.c.d in ipso nõ fuit ignorantia,vel defectus gratiæ,nec morbi.874.1.a.b.sed omnis sapiẽtia.622.1.d.peccato mortuus est effectiuè,nos subiectiuè.88.1.b in ipso est experimentalis scientia miseriæ nostræ.862.1.b. ei quomodo Scriptura tribuat mixtim attributa diuinitatis & humanitatis. 311.a. ei quomodo consanguinei fuerunt. 278.2.b

CHRI-

CHRISTI passio,mors,crux & meritum.

Christi quænam fuerit confessio.768.2.b quando mortem in mortalibus destruxerit.780.2.c ipse crucifixus idea viri religiosi est. 467.1.c fuit Iudæis lapis offensionis.139.2.d admisit verbera & vulnera,& quare. 874.1.c gustauit mortem vt eam non horreat Christianus.857.1.c in quibus à Deo fuerit derelictus.877.1.a & nobis & sibi meruit.576.1.b in cruce perfectus est in patientia,gratia & gloria.878.2.c pro angelis etiam mortuus est,quomodo. 856.2.d nobis laboribus suis via est ad omnem quietem & beatitudinem.380.1.b quomodo pro nobis factus maledictum & peccatum. 367.1.a.& seq.435.2.c.d quomodo sit vnum corpus,putà Ecclesia.301.1.d cur ante vesperam ea die qua crucifixus,de cruce depositus. 436.2.b quomodo passus in fine sæculorum. 921.2.c.d exteriùs à diabolo tentari potuit.862.2.b subiectus erat Patri non quà Deus, sed quà homo. 326.1.a ob tres causas pati debuit.858.1.c instar capitis influit salutem in Ecclesiam. 534.2.d ipse crucifixus tria maximè nos docuit. 203.1.b patitur in membris suis.339.1.c morsus momordit infernum. 333.2.c quomodo passionem suam calicem vocet.357.1.b nobis plura præstitit,quàm Adam abstulit. 81.1.a est patientiæ prototypus.960.2.d quo magis tormentis pressus, eo suauiorem virtutis odorem sparsit.345.2.d quas infirmitates in se susceperit. 874.1.c communi legi mortis subiectus fuit. 922.2.a quam famam sibi meruit moriendo. 576.2.d suo sanguine nouum fœdus sanciuit.294.2.c quare maximè iubet annuntiari mortem suam.295.2.c proposito sibi gaudio elegit crucem.961.2.c eam sustinuit præ gaudio ac gloria vt mercede.962.1.b sæculo huic fuit cõtemptui.859.2.a quomodo & à quibus traditus,& quo fine.827.1.a.b in carne patiens & moriens damnauit peccatum. 104.1.d serpens æneus fuit , cùm videretur habere peccati venenum, non habuit. 103.2.d humiliatus non deposuit, sed occultauit naturam Dei.574.1.b non in phantastico,sed carneo corpore passus est.618.1.b suæ naturæ, quieti & commodis nõ seruiuit, vt nos & nostra negligeret , sed ea omnia & vitam suam pro nostra salute exposuit.190.1.b quomodo agnus occisus dicatur ab origine mundi. 921.2.a quomodo didicerit obedientiam. 878.1.d eius passio fuit consummatio abbreuiata.139.1.a eius crux quàm potens. 204.2.c.d eius merita infinitis peccatis delendis sufficiũt. 928.2.b eius benedictio est multiplex & qualis.472.1.a eius virtutes quæ in cruce elucent. 204.2.d eius passionibus quomodo aliquid desit.618.2.d eius mors in Missa verbo & facto repræsentatur. 295.2.b eius sanguis clamat misericordiam. 971.1.d eius paupertas & mendicitas.380.1.a eius cursus qualis fuerit. 268.1.b eius iustitia nobis non imputatur, sed nostra.63.2.c ei concrucifigi quomodo quis possit.467.2.b nec hoc solùm Religiosorum est, sed & omnium sæcularium.ibid.c ei fuit datum à Patre præceptum in cruce moriendi.575.2.b in ipso fuere passiones,non tamen propassiones. 873.2.c in ipso naturalis fuit infirmitas,non culpæ.875.2.c si cum Christo patimur,cum ipso glorificabimur. 86.2.a eum quomodo affluxerint peccata in Deum commissa. 190.1.b frequenter orauit cum lacrymis. 876.2.a

CHRISTI redemptio & sanctificatio.

Christus vitam mundo suscitauit.780.2.a fuit expiator & redemptor non tantùm noui testamenti , sed etiam veterũ,& legis naturæ.916.1.c an fuerit causa gratiæ non tantùm hominibus,sed & angelis. 481.2.a.b.c hominem à se fugientem insecutus apprehendit. 861.2.a meritoriè & satisfactoriè factus est nobis iustitia.206.2.c exemplariter, efficienter & finaliter factus est nobis iustitia.207.1.a symbolicè nobis est iustitia, fortitudo, temperantia, prudentia.ibid.b dat copiam gratiarum & virtutum. 82.1.d quomodo in omnibus compleatur. 482.1.c in Christianu proficit & perficitur.1.a quomodo in omnibus impleat. ibid.b quomodo spes nostra vocetur.698.1.a cum lege etiam spiritum dedit.349.1.d peccata nostra sustulit & exhausit. 922.2.c est mediator,non angeli 611.1.b idq; non quà Deus, nec quà homo, sed quà Deus homo.716.1.b dupliciter nobis est mediator. 715 1.b vult omnes saluos fieri.714.1.d est vera petra,ex qua fluxit sanguis fitim concupiscentiæ nostræ restinguens.273.2.a.b.274.1.b.c nostet est fideiussor.897.2.b à Patre datus vt pro peccato ex iustitia satisfaceret.59.1.c moriens occidit peccatum.104.1.d est nobis vita triplex.563.1.b quomodo sibi Ecclesiam copularit.538.2.d ob duas causas mediator est noui testamenti. 915.2.b Sanctus sanctorum est omnes sanctificans. 858.2.a fuit propitiator veteri propitiatorio designatus. 58.2.c ruinas dæmonum hominum redemptione instauravit. 476.2.a orat pro nobis apud Patrem oratione interpretatiua,exhibendo ei se & cicatrices suas.119.1.a quomodo in hac vita orarit, & modò pro nobis oret. ibid. nobis oblatione sua cælos reseranit. 912.1.b.c quomodo omnia sibi reconciliarit.617.2.c per seipsum expiauit peccata nostra. 844.1.a duplicem attulit salutem.142.1.b nos sanctificat vt pontifex,ideoq; vt homo.858.1.a homines omnes vocat. 826.1.a eius iniuria nostra est gloria.436.2.c eius iustitia nobis imputata,est homini extrinseca. 63.2.a sine eius gratia nemo potest bonum facere. 56.1.c eius sæculum vltimum consummat omnia sæcula, quia nullum aliud succedit illi.922.1.b eius reparatio & casus Adæ inter se comparantur.80.2.d eius lex sufficiens ad salutem,non indiget lege Mosi. 417.1.b ei in baptismo incorporamur.272.1.c in ipso omnes iustificati & vitificati , quicunque per baptismum & gratiam renati sunt.76.2.a in eo fuit vera obedientia & habuit præceptum sic nos redimendi. 82.1.a in ipso sumus dupliciter baptizati. 84.2.a ab ipso solo petenda remissio peccatorum.923.2.c quomodo simus per eum iterum creati in baptismo. 486.1.b

CHRISTI sacerdotium,Sacramentum, hostia tam cruenta quàm incruenta,& pontificatus.

*Christus in Eucharistia pascha est.232.1.a & ipsa eius est testamentum.295.1.b quomodo assistens pontifex futurorum bonorum.913.2.a fuit pontifex non solùm in cruce, sed statim in incarnatione & natiuitate;non tantùm in cælo,sed etiam in hac vita. ibid.c.d 901.1.d eius dotes vt pontificis. 898.1.c in suo pontificatu est fidelis. 864.1.d est pontifex æternus in gratia, gloria & sacrificio 899.2.a à gratiarum actione benedictionem missæ inchoare solebat.739.1.d sacerdotes castos & puros habere cupit.898.2.c.publicus sacrorũ minister est.900 1.d Eucharistiam instituit vt Sacramẽtum & sacrificiũ.293.2.b est allegorice agnus paschalis.231.2.d.vnũ accepit panẽ,inter cõsecrandum eũ fregit in 12 partes,simul singulis Apostolis vnã distribuit.288.2.a ijsdẽ consecrauit verbis quibus nos.293 2.a. sacrificiũ Eucharistiæ eiusdẽ epulo & distributione concluſit.279.2.b.in cœna vltima,& testamẽto cõdendo clarissimus est vsus verbi.288.2.b. in Missa principalis offerẽs.890.2.b.est primus & vltimus sacerdos.890.1.c. est sacerdos immortalis. 897.2.c. 295.2.a.vbi per hostiã suã apparuerit.922.1.d.æternã salutẽdat,Aaronici tãtũ tẽporalẽ.898.1.a. nõ pro suis pecca-

peccatis, sed alienis semel victimam obtulit. 899.1.a *vnica sui oblatione dedit consummatam oblationem.* 928.2.a *tripliciter ab Aaronicis sacerdotibus differt.* 921.1.a *quomodo parua hostia totus contineatur.* 293.2.a *est fecialis testamenti noui.* 903.2.a *induxit noua sacrificia, sacramenta, leges & promissiones noui testamenti.* 897.2.c *habet in se omnes pontificis optimi dotes & munia.* 875.1.a.876.1.b *est alius sacerdos ab Aarone, & maior.* 892.1.a.895.1.b *quare vetera sacrificia in Ecclesia sua non retinuerit.* 925.1.c.*est tam in Missa quàm in cruce principalis sacerdos.* 17.1.c *post cœnam quare hymnum cecinerit.* 533.1.a *in Eucharistia nihil patitur, sed tantùm species.* 292.1.b *vt legislator & pontifex, Mosen & Aaronem superat.* 864.1.b.892.1.c *ante consecrationem gratias egit Deo Patri.* 277.1.a *panem & vinum benedixit, non Patrem.ibid.c panem item fregit.* 278.1.c *est in Eucharistia instar angeli.* 290.2.a *Apostolorum pedes lauans, puritatem ostendit qua communicandum.* 296.1.d *ante Eucharistiæ institutionem cur cœnauerit.* 294.1.b *pro nobis in cælo offert sacrificium.* 900.2.d *eius caro sola, vi verborum in pane ponitur, & in calice solus sanguis, reliqua vtrobique per concomitantiam.* 293.2.a *corpus eius allegoricè tabernaculo denotabatur.* 907.2.b *eius sanguis quomodo sit nouum testamentum.* 294.1.c *eius charitas in Eucharistia.* 290.2.b *eius actiones quinque in Eucharistiæ institutione.* 288.1.c *eius est orare pro nobis tamquam pontificem.* 898.1.b *eius allegorica applicatio ad pōtificem & sacra Iudæorum.* 913.1.d *eius sacerdotium sanctificat hominem, non Aaronis.* 894.2.a *eius corpus quomodo in Missa benedicatur.* 892.2.a *totus parua in hostia esse potest.* 291.2.a *ei iure gentium tamquam Patris sui vnigenito & primogenito debebatur sacerdotium & pontificatus.* 876.1.c.d *eum esse in Eucharistia, quasi in Sacramento & signo, impropriè dicitur.* 291.1.a.b

CHRISTI resurrectio, victoria, gloria, & triumphus.

Christus nisi resurgendo mortem vicisset, imbellis fuisset ad debellandum omnino peccatum. 70.2.c *resurrexit hoc fine vt mitteret Apostolos & Spiritum sanctum qui nos iustificarent. ibid.d semel resuscitatus amplius mori non potest.* 87.2.b.c *officium suum & meritum passionis in resurrectione quasi in termino suo absoluit.* 70.2.b *per resurrectionem non meruit nostram iustificationem.* 1.d *resurrexit ad hoc, vt gloriosam & diuinitati suæ conuenientem vitam ageret.* 85.2.d *in resurrectione à Patre genitus.* 845.2.b *meruit sibi gloriam corporis & celebritatem nominis.* 576.1.c *destruxit diabolum.* 860.1.c. *est fabricator domus Ecclesiæ.* 864.2.b *ante mortem obiter quatuor dotes gloriosas assumpsit.* 331.2.a *omnibus est causa resurgendi.* 324.2.a *cur ad inferos descenderit.* 506.2.a *an etiam descenderit ad inferos damnatorum. ibid.b omnium ad vitam immortalem resurgentium fuit primus & primitiæ.* 324.1.b.c *verè descendit ad inferos, & non tantùm ad sepulcrum.* 506.1.b *resurgens quasi primus terræ fructus Deo oblatus.* 324.1.d *primò inter viros apparuit Petro.* 321.1.b *apparuit item vndecim discipulis.* 2.a *an D. Matthiæ post ascensionem apparuerit ibid. eius dominium in omnia animalia.* 954.2.c *eius sepultura & baptismus inter se quomodo differant.* 85.1.c.d *eius resurrectio fuit mortis abolitio.* 323.2.a *si non resurrexerit, quomodo adhuc in peccatis simus. ibid.b eius resurrectio causa fuit, cur simus resuscitati à morte peccati.* 321.1.a *eum resurrexisse sex rationibus probatur.* 324.2.b

CHRISTI regnum, Ecclesia, ascensio & potestas iudiciaria.

Christi regnum quàm amplum. 204.2.b *eius iudicantis ad peccatorem exprobratio.* 44.2.c *eius triumphantis & ascendentis in cælum typus fuit Israel victor Pharaonis.* 505.1.a *hic triumphus describitur.ibid.b eius anima gloriosa est spiritus viuificans.* 331.1.b *circa Ecclesiæ regimen non omnia constituit, sed multa successoribus reliquit.* 818.1.d *ei excommunicandi potestatem dedit.* 230.1.b *ascendit super omnia vt probaret se omnium Dominum.* 507.2.d.*est spes gloriæ nostræ obiectiua.* 620.2.b.*quomodo summus & imus sit lapis fundamentalis Ecclesiæ.* 490.1.a *caput est Ecclesiæ.* 283.2.a.*& aliter Apostoli.* 489.2.b.*ei quæ dona reliquerit in cælum ascendens.* 508.1.d *quomodo eius sit principium.* 617.1.a *eam numquam deseruit.* 418.2.c *eius in eam amor.* 80.2.b *ipsa solida, aterna & cælestis est.* 907.1.d.846.1.c *quomodo dicatur Iudex viuorum & mortuorum.* 663.1.a *ascendit in cælum, vt nobis viam & locum pararet.* 886.2.d *cur coram Deo pro nobis appareat.* 921.1.c *vt caput, quid operetur in membra Ecclesiæ.* 512.2.d *quomodo cælorum vacuū impleat, & omnia dispiciat.* 2.a.507.1.d *post ascensionem discipulis publicè non apparuit.* 321.2.b *quingentis fratribus apparuit ante ascensionem, in Galilæa.* 322.1.a *ad dexteram Patris sedens, quomodo eo non dignior.* 637.1.a.2.b 844.1.d *an reuera in cælo sedeat, & non potiùs stet.* 637.1.a *athletas suos consolatur & roborat.* 269.1.c *in nobis adolescit donec Ecclesia ad iustam perfectionem veniat.* 510.2.c *quid in die iudicij ab Ecclesia flicii exiget.* 401.1.b *apparuit Paulo in aëre corporaliter cum eum conuertit, & tunc è cælo descendit.* 322.1.a *Romæ D. Petro apparuit, cumq; ad martyrium vocauit. ibid.b quare descenderit infra omnia, & ascenderit supra omnia.* 507.2.b.c *vtroque suo aduentu pios ab iniuria vindicabit, & impios condemnabit.* 936.2.d *est omnium cogitationum censor & iudex.* 872.1.d *quomodo, quo titulo, & quorum sit heres.* 841.2.a *etsi glorioſus, se vocat fratrem nostrum.* 858.2.d *non meruit beatitudinem, sed ante meritum eam adeptus est.* 961.1.c *eius ad iudicium venientis maiestas.* 847.1.d *vt homo, honorem defert Deo Patri & Sp. sancto, vt Deus recipit honorem.* 197.1.b *ad iudicium veniens suo iussu occidet Antichristum.* 681.1.d *quomodo & quare, super omnes cælos ascenderit.* 507.1.b.c *qua de causa viuis & mortuis dominetur.* 186.1.c *post mortem obtinuit exercitium dominij sui. ibid. sibi corporis gloriam & potestatem iudiciariam meruit. ibid. Martyrum dux est & caput.* 768.2.c *Christus iudex duas ob causas erit omnibus admirationi.* 673.1.a.c *quoad diuinitatem radix Dauid, quoad humanitatem ex radice fuit Dauid.* 191.1.d *eius oculus omnia videt.* 872.2.d

Mixta & varia de CHRISTO.

Christus ponitur à Paulo interdum pro christianismo. 23.1.c.397.1.d *item pro ei adiunctis.* 515.2.c *per Christi Euangelium vera iustitia reuelatur.* 37.2.a *Christus quomodo dicatur Israel.* 556.1.b *quomodo in eo omnia sint instaurata.* 476.1.a.*Christus & Adam in contrarium sibi comparati.* 80.1.c. 82.1.a *Christus quomodo viuat Deo.* 88.1.b *Paulum Troade in Macedoniam euocauit.* 11.1.d *ei familiariter apparet, & monet. ibid. est iustitia & pax nostra non formalis, sed causalis.* 487.2.c *est præcipuum obiectum fidei Abrahæ.* 62.2.b *in nobis plenam staturam acquirit.* 511.1.b *ipse solus lucrum est.* 590.2.d *dupliciter nobis loquitur, interiùs*

interiùs & exteriùs. 971.2.b *si à nobis ametur, in nos transformatur, & nos in Christum.* 419.2.a *quomodo nobis sit scriptus & depictus.* 433.1.c *non cõpleuit omnia per se, sed etiam per Apostolos & verbi Dei præcones.* 482.2.b *Christus, non Moses, per se nobis promissa facit.* 971.1.b *viuens mulieres circumduxit, & cur.* 264.1.d *secundus Adam est, & magis pater noster quàm Adam.* 76.1.d *quomodo apprehenderit semen Abrahæ.* 861.2.a *curator orphano relictus, bonis pauperibus à patre viuente datis, sponsam illi diuitem & nobilem procurauit.* 386.2.c *malis in ruinam est, bonis in resurrectionem.* 346.1.b *ei obstricti, tamquam capiti spirituali, spiritualiter viuere debemus.* 105.2.d *& ei viuere iure seruitutis ei debito.* 365.2.a *quòd in tribulatione ei conformemur, nos in tribulatione consolari debet.* 356.1.d *ei subijcientur omnia in fine mundi.* 856.1.c *ei insiti sumus vt rami arbori.* 86.1.c *ei datur quidquid in pauperem erogatur.* 167.1.b *eum induendi varij modi.* 181.2.b *eum Iudæi non intelligunt, nec vident præ obduratione sua.* 350.2.c *eum secundùm carnem quomodo se nosse Apostolus neget.* 365.2.b.c *post Christum sunt Sancti cuncti consummati & perfecti in gloria.* 971.1.a *quæ de Christo vel corpore Christi dicuntur in sacra Script. aliquando de solo corpore, id est Ecclesia, aliquando de solo capite accipienda.* 17.2.d

Cibus certus & potus per se indifferentia, accedente præcepto necessaria fiunt. 187.1.c *cibus idolis immolatus non afflatur diuinitate, nec fit deterior.* 259.2.c *cibus sanctificatur per verbum Dei.* 738.2.d *in cibos damonis potestas ante Christum.* 740.1.b *cibi creati sunt in vsum sanctorũ.* 738.1.b.c *idololatræ idolothyta cibos sanctos esse credebant.* 259.2.c *cibus in se mundus, fuit immundus, quia erat lege vetitus.* 186.2.d *& quinam.* 913.1.b *cibi Eucharistici & communis discrimen.* 296.2.c *cibos in hominis alimentum conuerti negat Magister sententiarum.* 894.1.c *ob cibos lege vetitos dissensio erat inter neophytos Ethnicos & Iudæos.* 183.1.a *in delectu ciborum non debent fideles se inuicem iudicare.* 183.2.d.186.1.a *de ciborum delectu error Iudæorum, Manichæorum & Marcionitarum.* 820.2.d

Cicatrices dicuntur etiam stigmata. 469.1.c

M. Cicero naturam accusauit quasi in homines crudelem. 77.2.c *idola colenda docet ob metum legum politicarum.* 40.1.c *coniugium ad philosophandum ineptum esse dixit.* 257.2.c

Cilices græcè sed corruptiùs quàm alij Græci loquebantur. 23.2.b *Cilices, Cappadoces & Cretenses tria cappa pessima.* 820.1.d

Cingulum symbolum est quintuplex & eius vsus. 547.1.c. & seqq. *cingulum est nota amoris militaris & cõiugalis, animæ erga Christum.* 548.2.b

Cinere vitulæ aspersus immundus quomodo expiaretur. 915.1.b

Circumcelliones carpebant salutationem Deo gratias. 665.2.d

Circumcisio si baptismo iungatur, christianissimus nihil proderit. 451.1.b *est veteris legis professio.* 2.a *non prodest aut obest Christiano ad salutem.* 249.1.c *licuit Iudæis Christianis, non Gentibus cõuersis.* 452.1.b *circumcisio dicebantur Iudæi, cur.* 487.1.a *in quanto honore fuerit Iudæis & Aegyptijs.* ibid.b *signum fuit nõ solis Iudæis, sed etiam Gentilibus sectantibus vestigia fidei Abrahæ.* 66.1.b *per hanc intelligit Apostolus omnem legem veterem.* ibid.c *cur in membro quod absconditum est, instituta.* 51.2.a *quæ sit circumcisio cordis.* 50.2.d.452.1.b *cuius rei fuerit signum.* 65.1.d *cuius rei illa Iudæos commoneret, & quid designaret.* 50.1.a.b *ea iam est illicita.* 424.2.d *circumcisionis minister quomodo Christus.* 191.1.a.b

Circumcisorum Apostolus quomodo Petrus. 425.1.d

Ciuitas cælestis bene fundata. 945.1.c *eius opes & beatitudo.* ibid. *eius immensa felicitas & gaudium.* 100.2.d *ciuitates maritimæ plerumque malè moratæ.* 820.1.d

Clamor noster filialis testatur nos esse filios Dei. 107.2.c *clamor mentis quis sit.* 444.1.d

Claudia Vestalis cur adducta in suspicionẽ stupri. 720.1.b

Claudicandum non est in angusta salutis via. 966.2.d

Claui carnales erant S. Francisci stigmata. 469.2.b

Clemens Alexandr. Christum vocat incantatorem animarum. 9.2.a *eius error Paulum fuisse coniugatum.* 264.2.b

Clementis Ancyrani in tormentis 28. annorum constantia. 358.1.b *hinc erat semper ad noua pro fide certamina promptior.* 962

Clemens Romanus an scripserit epistolam ad Hebræos. 838.2.c *an verò interpres eius sit in Græcũ.* 300.2.c *elegantissimè eam vertit.* 839.1.a *eius epistola ad Corinthios cum hac quadrat & stylo & sensu.* ibid.

Clementia mira Christi quòd persequatur Paulum aliósque peccatores. 705.1.d.707.1.a

Clericus turpe lucrum non sectetur. 819.1.a *ei quibus in rebus gloriandum.* 400.2.d *clericos decet hospitalitas.* 975.1.c *clerici quàm fugere debeant feminas.* 727.1.d.2.b.745.2.a

Clinici sunt qui in lecto baptizãtur iã morituri. 327.2.b

Clodouæus Francorum rex quomodo dicatur Sicamber. 451.b *S. Petro Parisiis basilicam erexit.* 748.1.c

Clotildis Clodouæi vxor, vidua in sanctitate vixit. 748.1.c *virum suum Christo peperit.* 246.2.a.721.1.c

Coccus in tabernaculi cortinis, ignem significat. 907.2.b

Cœmeterium S. Calisti quis locus Romæ. 956.2.d

Cœna communis quare olim Eucharistiæ præmitteretur. 287.2.b

Cogitanda cælestia. 599.1.b *cogitando te non esse perfectum, ad perfectionem tendis.* 594.1.c

Cogitatio omnis & intellectus se dedit & obedit Euangelio Christi. 390.2.b *cogitationes testes sunt in proprij cordis tribunali.* 48.2.c *bonorum omnium operum fons & principium.* 348.2.d *cogitationes nostræ debent esse sublimes.* 940.1.d *ipsæ cordi cur tribuantur.* 110.2.d *cogitationes hominum vanæ.* 221.1.b *idem sunt in homine quod caput in homine.* 551.2.c *cogitationũ nostrarũ iudex & censor Christus.* 872.1.d

Cognitio nostra de Deo qualis sit in hac vita, & qualis in cælo futura. 309.1.a *non est nuda & speculatiua, sed affectuosa & practica* 904.2.b *cognitio Dei, Christi & gratiæ, est lumẽ.* 614.2.d *cognitio dux actionis.* 12.1.c *cognitionis Dei fructus actio honesta est.* 39.2.b *cognitio Dei naturalis sine supernaturali & fide ad salutem & iustificationem non sufficit.* 47.2.d 943.1.d *cognitio & agnitio quomodo differant.* 56.2.d

Cognoscere mulierem Hebræis est exercere actum venereum 240.1.b

Cohæres nemo esse potest Dei nisi per Christum. 841.2.b

Coliphium panis erat athletarum. 268.2.a

Collecta fieri solebat in die Dominico. 335.1.b *collectam pro Hierosolymitanis Christianis Paulus sedulò fecit, & quamdiu illa durarit.* ibid.a

Colloquia in abdito stuprorum sunt causa. 727.2.d *colloquium S. Fursei cum angelo in visione habitũ.* 219.1.d

Colossæ ciuitas Phrygiæ: terræ motu concidit: hodie Chonæ dicitur. 611.1.a *ibi viguit hæresis angelorum, quæ correcta transiit in rectum & purum cultum angelorum.* ibid.b.632.2.b *Colossenses non sunt Rhodij.* 611.1.a *ijs scribit Paulus non visis.* ibid.621.1.a

Coloni

Coloni qui Romanis dicerentur & colonia. 489.1.c
Colonus Dei est elecëmosynarius. 387.2.b
Color hebraicè oculus dicitur. 21.2.d *color ianthinus quid denotet.* 550.2.c.d *colores morum qui.* 344.2.d
Columnæ duæ Boos & Iachin ante templum Salomonis collocatæ quid significarent litteraliter. 732.1.a *ijsdem comparantur SS. Petrus & Paulus.* 14.2.b *columnæ Traiani & Antonini superstites Romæ ijs cessere.* ibid.a
Comam alere effeminatum in viro. 286.2.c *eam aliquæ gentes aluerunt.* ibid.d
Comessatio ebrietatis perfectio. 458.1.a.b *hinc comessationes, sunt conuiuia, quæ gulæ causa fiunt.* 180.2.c
Comessari vnde dictum. ibid.
Comitas mirè ornat doctorem. 652.2.b
Commemoratio Sanctorum adstruitur. 169.1.b
Commentarius Hieronymi in Paulum suspectus, quia est Pelagiani cuiusdam. 303.2.c.771.2.d *Commentaria B. Chrysostomi in Paulum eius ad populum homiliæ fuere.* 3.2.d *Commentarius Ambrosio adscriptus in Paulum, an verè eius sit.* 24.1.d *errores graues continet, quando scriptus.* ibid.2.a *varijs hic adscribitur.* 2.c.d
Commorari & habitare quomodo differant. 625.1.b
Commune Hebræis idem quod immundum. 186.2.d. 933.1.d
Communem fidem quam vocet Apostolus. 817.2.a
Communicare, siue commune facere, idem est quod profanare. 186.2.d *communicare sua quomodo diuites dicantur.* 771.2.b.c
Communicare omnes Missam audientes deberẽt. 288.1.a *olim Martyres sub specie vini cur cõmunicarent.* 297.2.d *quo affectu communicandum.* 295.2.c
Communicans maximè linguam custodiat. 297.1.a *cõmunicantes indignè suggillãtur.* 296.1.a *quam pœnam incurrant.* 2.a *communicaturi toto die olim ieiunabant.* 297.1.d *luxum sæculi repudient.* 980.2.d *olim Eucharistiam non ore, sed manibus excipiebant, ideoq; eas abluebant.* 718.1.c
Communicatio fidei qua sit. 834.2.b *communicatio idiomatum est inter Christum & Ecclesiam.* 510.2.d *communicatio Spiritus sancti actiua & passiua est.* 414.1.b *cõmunicatio & creata & increata est.* ib.c
Communio beneficentiam tam dantis, quàm accipientis denotat. 981.1.d *communio fidelium cum infidelibus vetatur.* 371.2.b
Communionis Eucharistica effectus. 277.2.c.979.2.b *& ritus antiquus.* 297.2.b *olim dabatur infantibus post baptismum, & quare.* 278.2.c *per eam Deus quotidie nobiscum habitat.* 373.2.a
Comœdia vnde dicta, & à quibus initijs orta. 180.2.c
Compages in homine propriè quid sint. 872.1.c
Compassio infirmitatum proximi signum est perfectionis Christianæ 463.1.b. *cõpassionum motuum.* 976.1.b
Complantari resurrectioni Christi, est in nouitate vitæ ambulare. 86.2.b
Compunctio Iudæorum est pertinacia in sua perfidia, quæ ipsos penetrauit, sibiq; immobiliter affixit. 151.2.c
Compunctio de nocte habenda. 520.1.b *compunctionis spiritus quis sit.* 151.1.a
Conciliji Generalibus semper præsunt Pontifices Romani, vel per se, vel per legatos. 424.2.a 684.2.c. *Conciliorum decreta non sunt anathema.* 319.1.a *Concilio Tridentino & Niceno vetatur librorum hæreticorum lectio.* 790.2.a *Concilium Hierosolymitanum quo Christi anno celebratum.* 424.1.a *coactum causa quæstionis motæ à Cerintho de seruandis legalibus vnà cum christianismo.* 15. *Concilium Milevitanum probatum fuit ab Innocentio I.* 771.a
Concionatoris boni munus est, iam fugam vitiorum, iam cælestes proponere coronas. 87.2.b *ei legendus Chrysostomus & Paulus.* 8.1.c *eius peccata quæ sint.* 789.1.b *ei fugiendæ leuitas.* 341.1.b *primò se, deinde alios doceat.* 744.2.c *magis sæpè meretur vbi nullus apparet fructus, vel exiguus.* 215.2.d *eius dignitas.* 216.1.a *à thesi ad hypothesin debet descendere.* 518.2.d *concionatores quomodo prophetæ sint.* 317.2.c *sunt ceruis persimiles.* 447.1.b *pro motione interiori Deum sedulò precentur.* 215.2.a *quomodo suo munere fungi debeant.* 192.1.d.189.1.b *horum est peccatores à somno vitiorum excitare.* 529.1.b *item illuminare, purgare, perficere.* 494.1.b Vide *Prædicator.*
Concionandi ratio Apostolica efficacissima omnibus concionatoribus imitanda. 209.1.b
Concionis fructus oratione impetrandus. ibid.c *ante eam Deus orandus.* 317.2.d
Conciones Apostolorum erant ferè tantùm catecheses. 464.2.c
Concisionem vocat Paulus circumcisionem. 588.1.a
Concordia Christianis commendatur. 190.2.c *munimen est omni muro firmius.* 570.1.c *exempla eius & apophthegmata.* ibid. *eius præmium.* 413.2.a
Concupiscentia non est in homine substantia mala. 387.2.b.484.2.c *pœna est peccati & causa peccati, & peccatum.* 97.2.b.873.2.c *nec tantùm residet in appetitu sensitiuo, sed etiam rationali.* 456.1.d.484.2.b *est manubrium dæmonis.* 456.2.c *impedit bona opera* 960.1.a *concupiscentia & gratia quibus nominibus à Paulo significentur.* 23.1.a *pro concupiscentia caro sumitur ob quatuor rationes.* 22.1.d *quomodo in iustis transeat reatu, maneat actu.* 103.1.b *quomodo impediat virtutum opera.* 457.1.b *eius curandæ ratio.* 101.2.d *eius & spiritus lucta.* 99.2.c *ei quasi tyranno traditi sumus, etiam iusti.* 98.1.b *quia concupiscentiæ nobis vitaliter inhærent, sine magno animæ dolore euelli nequeunt.* 106.1.c *sunt nostri hostes.* 160.2.a *concupiscentiam trahimus ex Adamo, sed per Christum illa facta est materia luctæ & victoriæ.* 82.1.b *per luctam contra concupiscentiam hic in mundo meremur liberari à concupiscẽtia in cælo.* 95.2.c *ab ea tentari Christus non potuit.* 862.2.b
quomodo Concupiscat caro aduersus spiritum. 22.2.d *quidquid in hoc mundo concupiscimus, hoc proximo inuidemus.* 306.2.c
Concrucifigi Christo quomodo quis possit. 467.2.b
Concursus Dei non prædeterminat. 300.1.b
qualis sit Condignitas passionum & meritorum nostrorum ad gloriam. 539.1.c
Condimenta laborum sunt promissa Dei. 886.1.a
cùm Conditio est impossibilis, etiam id quod hanc conditionem requirit, est impossibile. 46.2.a
in Conducto Romæ Paulus habitauit hospitio, quod in ecclesiam transiit. 847.1.b
Confessarij consulendi in rebus dubijs. 344.1.b *indignos absoluentes eorum peccata in se transcribunt.* 756.2.d *cur imponant manus pœnitenti in absolutione.* 757.1.a *adolescentulis potiùs mensirua quàm perpetua concedant vota.* 754.2.d *ijs aperienda omnes cogitationes & animi motus, ad dolos Satanæ retegendos.* 398.2.b
Cõfessio publica quare sublata. 284.1.c *cõmunioni præmittenda.* 296.1.c *cõfessio fidei debet esse firma & cõtemptrix cupiditatum.* 931.1.b *cõfessio, est fides & religio.* 864.1.a *cõfessionem qualem Timotheus fecerit.* 768.1.a *Confessorum & Martyrum confessio quomodo differant.* 2.c

Confidentia in Deo habenda. 779.1.d. oritur ex mentis pace. 606.1.d. eius signum est calceus. 550.1.a. confidentia & spes Christianorum qualis. 935.2.d
Confidere in carne quid sit. 588.2.b
Confirmationis Sacramentum initio Ecclesiæ dabatur baptizatis omnibus. 830.1.d. 880.2.b. iterari non potest. 881.2.d. in eo datur robur & plenitudo Spiritus sancti. 74.2.d. perfectio dicitur & consummatio. 209.2.a. eius effectus & fructus. 342.1.d
Confiteri fidem quid sit. 188.1.a
Confusionis ignis quis sit, iuxta hæreticos. 217.1.c
Coniugalis amoris exempla. 539.1.c.d
Coniugati quàm difficulter Deo seruiant. 255.1.a
Coniux per coniugem non sanctificatur. 153.2.c. coniux propter coniugem parentes deserat. 237.1.b. coniux fidelis an possit cohabitare coniugi infideli. 246.1.b. coniugi fideli ab infideli discedere ob rixas suadet Apostolus. 248.2.a. coniugi infideli non est assentiendū. 371.2.d
Coniuges in quo pares sint, & sibi inuicem obstricti. 241.2.a. cur cingulo cingantur. 547.1.c. se inuicem cur diligere debeant. 537.1.d. 539.1.d. quomodo sint duo in carne vna. 237.1.a. se inuicem in coniugio opus habent. 286.2.a.b. statu suo coniugali contenti sint. 243.1.b.c. olim creabantur Episcopi, sed deinceps coniugio abstinebant. 726.2.a. coniuges duo Aruernenses in coniugio virgines. 242.1.c
Coniugium quomodo honorabile in omnibus. 976.1.c.d. eius bona quàm caduca sint & citò peritura. 251.2.c. 253.1.a. est id vnicuique liberum. 257.1.d. coniugij actus quando peccatum veniale includat. 241.2.d. eius voluptas fellea & epileptica. 252.2.c. est dolorum officina. ibid.b. coniugium dispar, ingens est onus. 372.1.b. coniugium olim interdictum militibus. 785.2.b. coniugio dupliciter præstat virginitas. 253.1.d
Qualis sit Connexio capitum in epistolis Pauli. 18.2.c
Connubia Catholicorum cum hæreticis dissuadenda. 259.1.a. connubium spirituale virginum cum Christo. 256.1.a. connubium Dei cum anima. 237.1.c. eius proles. 395.2.b
Conradus & Mathildis in coniugio castimonium seruarunt. 242.1.c
Conradus Teutonicus discipulus D. Dominici quàm quietè pacificeq; obdormierit in Domino. 861.1.a
Conradus alius eiusdem Ordinis quam pie defunctus sit. ibid.b
Conscientia dictat homini naturaliter pollutionē esse peccatum. 48.2.b. est testis & iudex malorū & bonorum operum. ibid.c. 227.1.b. conscientia cauteriata significat infamem, corruptam, immutabilem & ardentem libidine. 736.1.c.d. talem habent hæretici. 736.1.b. conscientia bona & cor purum idem sunt. 700.1.c. conscientia proximi non ledenda. 280.2.d. conscientia bona fidei anchora. 709.2.b. conscientia mala fons hæreseos. 710.1.b. ipsa cur actor est in cordis tribunali. 48.2.d. conscientiæ pacata gaudium. 458.2.a. 776.2.c. eius vis & quies. 340.2.c. 700.2.a. eius confidentia & securitas in morte quanta. 808.2.b. eius remorsum tollit peccandi consuetudo. 515.1.c. eius tranquillitas vnde. 72.1.a. conscientia dictamen interdum idem est quod fides. 188.1.d. conscientia etiam erronea obligat, deponenda tamen est. 2.c. conscientiam Deo, proximo famam debemus. 171.2.a
Consecrare, initiare, inaugurare, dedicare idem sunt. 916.2.d
Consecratio dupliciter est enuntiatio practica. 292.2.b. primariò non significat terminum à quo, sed positionē termini ad quem, secundariò tamen significat terminum à quò. ibid.d. eius verba quomodo sacerdos proferat. 293.2.a. tropicè non sunt intelligenda. 288.2.a. consecrationes variæ variarum frugum & ciborum. 740.1.c
Consensio vtriusq; testamenti magnum Christo & veritati perhibet testimonium. 18.2.b
Conseruatio diuina non est aliud quàm primæ creationis vel actionis continuatio. 215.1.c. 845.1.c
Consiliarius Dei quis dupliciter fieri potest. 157.2.a.b
Consilia tria Augustini imprimis salubria. 252.2.d. consilium euangelicū est gratis euangelizare. 266.1.b. consilia Dei omnibus ignota. 157.2.b. consilium, propositum & beneplacitum Dei idem sunt. 475.1.a
Consolationis oceanus Deus. 190.2.a. consolationes diuinæ maiores semper sunt passionibus. 339.2.a
Consortium infidelium fidelibus cur prohibeat Paulus. 372.1.b
Conspersio quid sit in pistoria. 231.1.b
Constātia Augusta mitti sibi petit reliquias Pauli. 14.1.a
Constantia Constantini filia merito fidem & continentiam persuasit. 747.2.b
Constantia in tribulatione parit coronam vitæ æternæ. 568.1.c. ea decet Christianos. 781.1.c. constantia & perseuerantia suauis cuilibet moriturō. 808.2.a. constantia fidei Abrahæ imitanda in rebus & articulis fidei. 68.2.a. constantiæ aculeus est terror iudicij. 928.1.d. symbolum eius est cingulum. 547.2.b. item calceus. 550.1.a. eam exigit amor animæ erga Deum. 549.1.a
Constantinus Imp. basilicam S. Paulo erexit, tamq; muneribus exornauit. 14.1.c. corpora Apostolorum electro inclusit. ibid. hi ei apparentes curationem à lepra promittunt. 12.1.c. sanxit, ne quis Iudæus Christianum seruum habeat. 250.1.a. quantopere adulatores detestaretur. 652.1.a. quomodo suam efformari voluerit imaginem. 718.2.c. plecti iussit capite qui libros Arrij occultassent. 790.2.a. ei contra Maxentium pugnaturo crux ostensa è cælo. 204.2.d
Constantinus quidam Manichæus iactauit se esse Siluanum, saxo perimitur à quodam suorum. 648.1.a
Constantium Imp. impium quàm audacter coarguerint Hilarius & Athanasius. 778.2.a
Constitutiones monasticæ & pontificiæ non sunt ficta religio. 634.2.c
Consubstantialitas SS. Trinitatis asseritur. 413.2.d
Consulere matrimonium parentes possunt. 258.1.d
Consulibus Rom. lictores cum securibus præibant. 177.1.a
Consummare est gloriosum facere, item consecrare. 857.2.c. consummauit sanctificatos in æternum Christus vnica oblatione. 928.2.d
Consummati dicuntur piè defuncti. 858.1.a. quomodo Christus sit consummatus. 878.2.c
Consummatio significat animæ corporisq; beatitudinem. 957.1.d. in consummatione sæculorum quomodo sit Christus passus. 921.2.c. ipse est consummatio legis. 141.1.b
Contemptum sui vbi ferre debeat sacerdos, vbi non. 743.1.a. contemptus Dei & hominum signum obstinatæ mentis. 151.2.d
Contentus quisque sit proprio dono. 243.1.b.2.b. contentus sua sorte habet summum bonum. 385.1.b. & diues est. 762.1.c. Deo & angelis similis. 607.2.d. 608.2.c. 763.1.d
Contentio quid sit. 181.1.c. contentiones sequuntur ex logomachia hæreticorum. 761.2.d
Contestificari quid sit apud Paulum. 107.1.b
Continentia & castitas quomodo differant. 459.1.c. continentia non tantùm contra libidinem, sed etiam quoslibet alios concupiscentiæ motus luctatur. 101.2.c. 757.2.a. omnes complectitur virtutes. 459.1.d.

quomodo differat à modestia. ibid. continentiam ex mutuo consensu perpetuam vouere coniuges possunt. 240.1.a. *eam vouentes sunt sponsæ Christi.* 753.2.b. *eius votum olim non irritabat matrimonium. ibid. c. eius donum habent omnes si velint, & oratione consequi possumus.* 251.1.a

Continere omnes non possunt potentia propinqua, sed remota. ibid. continere inter delicias magnum est. 608.1.d

Contradictionē qualem sustinuerit à peccatoribus Christus. 962.2.b

Contritio, est tristitia secundùm Deum. 375.1.d.2.c. *efficit sui castigationem.* 376.1.c

Conuentus publicos Christianorum commendat Apostolus. 931.2.a. *in iis olim quis ritus esset & ordo.* 318.1.a

Conuersatio irreprehensibilis Prælato necessaria. 700.2.b. *conuersatio Pauli cum Christo.* 7.1.a. *conuersatio probabilis suadetur.* 171.2.a. *conuersatio nostra in cælis quomodo esse possit & debeat.* 599.1.c.d

Conuersio Iudæorum quanti gaudij occasio. 153.1.d. *conuersio S. Augustini ex lectione S. Pauli.* 181.1.b. *conuersio non tribuenda eloquentiæ concionatoris.* 209.1.d. *conuersionis S. Pauli tempus.* 10.2.a

Conuersores animarū quomodo sint sacrificatores. 192.1.b

Conuitium conuitio repellere muliebre est. 520.2.b

Conuiuia Christianorum qualia esse debeant. 532.2.b. 533.1.a. *conuiuiorum hodiernorum luxus reprehenditur.* 533.1.c

Cooperatio mutua in Euangelio esse debet. 214.2.c. *cooperatio nostra ad Dei donum requiritur.* 691.2.c. *cooperatio nostra ad bonum opus manat à gratia Dei excitante.* 19.2.a. *cooperationem liberi arbitrij requirit Spiritus sancti gratia.* 904.1.a

Copia causa inopiæ. 354.1.d. *copiæ auxiliares militi Christiano oratione euocandæ.* 552.2.c

Cor & voluntatem & mentem, & intellectum significat. 142.2.d. 210.2.d. *hinc ei tribuuntur cogitationes.* 210.2.c. *Deo mentiri non potest.* 49.1.a. *cor suum debent dare Deo primùm, qui faciunt eleëmosynas.* 379.2.a. *cordis duri pulchra hypotyposis.* 4.1.d. *in corde humano Deus tribunal constituit.* 48.2.c. *ex corde vita prodit.* 36.1.b.c

Corinthus duos habuit portus, & à quo condita. 198.1.a. *dicta bimaris. ibid. eius potentia, diuitiæ, splendor luxus, fastus. ibid.b. multos hic Apostolus conuertit. ibid.c. fuit emporiū celeberrimū totius Græciæ. ibid.a.* 379.1.a. *ibi Apostoli tempore nondum erat Episcopus.* 235.1.a. *eius frequentia & affluentia.* 316.1.b

Corinthij donum linguarum maximè mirabantur. 304.1.a. *eorum sapientia.* 198.1.b. *erant vita & moribus corrupti.* 411.1.d. *diu post tempora Apostolorum virgines suas velarunt.* 286.1.c. *erant in venerem & gulam & idola procliues.* 238.2.c.274.2.b.283.1.d. *cur dicantur animales.* 213.2.b. *erant in Paulum ingrati.* 371.1.b.397.2.d. *tenaciores erant.* 266.2.d *eorum schismata maximè ex baptismo orta sunt.* 201.2.c. 222.2.a. *iactabant se de donis Spiritus sancti, quos Apostolus docet quomodo ijs vti debeant.* 198.1.a. *ironicè irridentur ab Apostolo.* 226.1.d. *eorum magistros schismatis auctores Apostolus arguit in discipulis.* 224.2.b.c. *eorum superbia & elatio ob sapientiam spiritualem.* 226.1.d. *eorum pater erat Apostolus.* 228.2.b. *eorum schismata in cœna Eucharistica.* 287.1.c. *ijs Paulus duplex beneficium præstitit.* 340.2.d. *illorum mutatio ex eius prædicatione.* 347.1.b. *cur Apostolus eos sibi adsciscat quasi iudices ad excommunicandum fornicarium.* 230.1.c

Cornelia Gracchorum mater filios suum esse dixit ornamentum. 722.2.c

Corn. Taciti error circa Iudæorum originem. 820.2.c

S. Cornelius Pontifex quàm strenuum se confessionis ducem suis præbuerit. 778.1.c. *per omnia sacerdotij officia est ad pontificatum euectus.* 731.1.d

Cornu vnicornis medicum est. 475.1.d. *cornu paruulum est Danielis Antichristus.* 680.1.a. *cornua & splendor Mosis qualia fuerit, & vnde Mosi affiata.* 349.2.d. *cornuū quatuor crucis altitudinis, profundi, longitudinis, latitudinis egregiæ analogiæ.* 498.2.b.c

Corona apud Hebræos abundantiā & cumulum omnium bonorum significat. 856.1.b. *coronis variis nos Deus coronat. ibid. corona Apostolorum, & Episcoporum & Concionatorū sunt fideles quos conuerterūt, & populus commissus.* 604.1.a.654.2.b.655.1.a. *coronæ paratæ Martyribus visæ sæpè ab eorum custodibus.* 810.1.b. *coronæ variæ in cælo pro meritorum varietate.* 808.2.d

Corona sacerdotalis quid significet. 284.2.b

Corpus Dei obsequio mancipetur. 238.2.d. *corpus fidelium & Sanctorum impollutum est hostia sancta & viuens.* 160.1.d.2.d. *corpus hoc miserum per patientiam fiet gloriosum.* 109.1.a. *adeò mortis necessitati & ærumnis obnoxium est, vt videatur mortuum cadauer.* 781.a 565.1.c. *est tunica grauis.* 361.2.d. *est vas & officina animæ.* 658.2.a. *animæ item carcer.* 501.1.a. 563.1.c. *an sensationes in se recipiat.* 22.2.a. *corpus peccati quid dicatur.* 87.1.a.b. *corpus claritatis & humilitatis quod dicatur.* 600.1.d. *corpus fidei suis membris perficitur.* 656.2.b. *corpus nobis est castigandum.* 270.1.b.2.b.c. *ipsum est domus animæ beatæ.* 360.2.b. *corpus mortis huius quid sit Paulo.* 100.2.c. *corpus gloriosum consimile dandum in resurrectione animæ gloriosæ.* 329.2.d. *corpus, peccatum dicitur metonymicè.* 88.1.a. *corpus carnis, quid sit Paulo.* 626.1.a. *corpus animale & carnale non erit in cælo.* 332.1.b. *corpus animale quod dicatur.* 329.2.d. *quod spiritale.* 330.1.a. *corpus exercendum vt vegetum sit.* 741.2.d. *quomodo in resurrectione reformabitur.* 600.1.d. 2.a. *libidine debilitatur, castitate roboratur.* 238.2.a. 268.2.b. *corpus quomodo seminetur dum sepelitur.* 329.1.d. *corpus Christi non est vbique contra Vbiquetarios.* 508.1.b. *id verè in Eucharistia est.* 289.2.b.& seqq. 294.2.c. 277.1.c.d.2.a.b. *illud qui indigne sumit, ei vim infert.* 296.1.a. *id nos sibi vnit, facitq; similes.* 278.2.a. *id in Eucharistia nihil patitur.* 292.1.a. *non replet cælum & terram, vt Faber Stapulensis sensit.* 301.1.c. *id quomodo fuerit in B. Virgine formatum.* 926.2.a *id Deo Patri victima gratissima.* 926.1.b. *id totum est in tota, & totum in qualibet hostiæ parte.* 292.1.d. *eò quòd sit in spatijs imaginarijs, non est infinitum.* 506.2.d. *id an perfectius tabernaculum sit per quod transiuit.* 914.2.a. *corpus Ecclesiæ sunt fideles.* 514.1.c. *corpori an vnita manserit anima in raptu Pauli.* 403.1.b. *corpori suo iniurius est fornicator.* 238.1.c. *corporis vinculis cur Sancti optent dissolui.* 566.1.a. *corporis gloriosi dotes quatuor.* 330.1.c. *corporis castigatio quomodo fiat.* 267.2.b. *eius immoderata cura fugienda.* 181.2.d. *corporis sui potestatem non habent coniuges, sed compar.* 241.2.a.b. *corporis propria in hac vita sunt etiam propria animæ.* 363.2.a.

Corpora Eliæ & Henoch triduo insepulta cùm iacuerint Hierosolymis, resurgent. 686.2.c. *corpora suspensorum cur ante vesperam sepeliri voluerit Deus.* 436.1.d. *corpora Christo velut capiti seruire debent.* 236.2.b. *sunt membra Christi ibid c. corpora putrida resurgent ad maiorem gloriam exemplo grani.* 328.2.c. *corpora magnificienda.* 238.2.b. *corporum translatio non fiet instanti in die resurrectionis.* 332.2.c

Cor-

Correctioni magnam efficaciam dat humilitas. 192.1.a. *in correctione errantium non desperandum, nec cessandum.* 797.1.c

Correptionis fraternæ regulæ tres. 461.2.d. *de ordine in correptione seruando præceptum Christi, non habet in hæretico locum.* 831.2.b

Corripientes alios examinent se ante correptionem, an id ex amore faciant. 805.2.a. *corripiendi modus ex S. Augustino.* 461.1.b

Corrupti mente sunt cupedinarij. 800.1.c

Corruptio naturæ per gratiã Christi non sanatæ. 54.2.d

Cosmæ Medices Ducis in pauperes effusio. 609.2.c

Costa Adæ sublata fuit illi priuato superflua, tamen necessaria quatenus omnium hominũ seminarium. 536.2.b

Cothys dæmon apud Corinthios præses impudicorum. 238.2.d

Crapulam somnus & torpor sequitur. 823.1.a. *crapulæ deditus non potest seruire Deo.* 236.2.a

Crates Thebanus in domos alienas irrumpens quæ displicerent reprehendebat. 659.2.b. *cur opes omnes in mare proiecit.* 977.1.a

Creata sunt omnia in Christo tripliciter. 616.1.c

Creatura in opere aliquo instrumentum est, Deus principale agens. 215.2.b. *creatura mundi quid sit Paulo.* 58.2.c. *creatura omnis quomodo dicitur homo.* 110.1.d. 618.1.d. *hinc eis præest.* 854.2.a. *creatura omnis quia Domini est, & munda & bona est.* 280.2.d. 738.2.a. *creari nulla potest, cui sit connaturale Deum videre.* 700.2.b. *quælibet amat suum esse & conseruari.* 110.2.c. *finem malorum expectat.* 111.1.b. *creaturæ proprium est, non esse.* 574.1.a. *creaturæ nobiscum patientes, per nostram patientiam nobiscum gloriam consequentur.* 108.2.d. *ipsæ speculum sunt, per quas Deum videmus.* 309.1.b. *quomodo omnes laborent.* 693.2.b. *omnes, etiam nondum existentes, quasi exercitus Deo famulantes ab eo euocantur.* 68.1.c. *hæ & elementa pugnabunt in iudicio contra impios.* 932.2.d. *corpori & animæ nostræ seruiunt.* 221.1.c. *auidissimè exspectant tempus, quo filij Dei gloria donabuntur.* 110.2.a. *gemunt dum corrumpuntur & mutantur.* 111.1.b. *in resurrectione non redibunt ad suum esse ideale, quod ab æterno habuerunt in Deo.* 326.2.a. *earum finis est Christus vt homo.* 221.2.b. *creaturis cultum impenderunt Gentiles.* 37.2.c. *ex his Deum potuerunt & debuerunt cognoscere.* 38.1.b

Credere in Scriptura sæpè significat obedire. 484.2.a. *credere in Deum & Deo quomodo differant.* 24.1.b. 428.1.b. *phrasi Hebræorum idem sunt.* 24.1.b

Crescens in Gallias amandatus à Paulo, Viennensi Ecclesiæ præfuit. 810.2.d

Creta Iudæis abundabat. 820.2.c. *erat frequens vrbibus & populis.* 817.2.d. *cur dicta Hecatompolis.* 818.1.a

Cretenses mendaces. 820.1.a. *idque ob ingenitam mentiendi & fallendi procliuitatem.* ibid.c. *natura duri, peruicaces & peruersi.* 827.2.a. *eorum luxuria & pæderastia.* 818.2.c. *eorum Archiepiscopus fuit Titus.* 814.1.b

Crimen duobus tribúsve testibus probari satis est. 411.1.a

Crux lingua Chaldaica significat Dei sapientiam & virtutem. 204.1.d. *crucis virtus in se & in prædicatione sui eluxit in sex admirandis.* 2.a. *crux Christi non templi ara, sed mundi.* 980.2.c. *ei caluaria cur appingatur.* 529.2.c. *eius encomium.* 205.1.d. 467.1.a. *qui eam negarint hæretici.* 597.2.b. *eius fortitudo & sapientia in quatuor rebus elucet.* 204.2.d. *est signum victoriæ & triumphi.* ibid.c. 628.2.a. *est omnium inimicitiarum exactrix.* 488.2.d. *fons est sapientiæ.* 205.1.d. *in ea patet magnitudo peccati nostri & immensus Dei in nos amor.* 467.1.a. *eius dimensiones.* 498.2.a.c. 499.1.c. *nobis in ea gloriandum est.* 227.2.a. *crucis liber quid contineat, quis eius titulus.* 432.1.d. *crux passim pingenda.* 598.1.a.b. *sermo de cruce incredulis stultitiæ apparet.* 203.1.b. *crux sua sanctis decreta æterna lege.* 951.1.c. *est nobis ambienda, quia ad eam vocamur.* 339.2.a. 636.1.a. *crucis sacrificium & Missæ quomodo idem sint.* 17.1.c. *cruce se signare initio operis solemne cur fuerit primis Christianis.* 282.2.c. 598.1.a. *ea erat titulus Ecclesiæ.* 597.2.d. *eam quomodo elegerit Christus præ gaudio ac delicijs.* 961.2.c. *per crucem conformamur filio Dei & Christo crucifixo.* 117.1.c. *crucis signo frangitur dæmonis potestas in cibos.* 740.1.c. *crux Iudæis scandalum, Gentibus stultitia.* 204.1.c.d

Cruces maiores melioribus imponit Deus. 656.1.b. *omnes propter Dei regnum animose tolerandæ.* 615.1.c

Crucifixorũ mente & corpore exempla. 430.1.d. & seqq.

Culpam hominum non assumpsit Christus homo. 861.2.d

Cultus disparitas est impedimentum dirimens matrimonium. 248.1.b

Cultus Rom. Pontifici deferri solitus qualis. 677.1.d. *cultus angelorũ quis sit quem damnat Apostolus.* 631.1.d. *qui Colossis viguit, sed ei parum successit cultus.* 633.1.a

Cunegundis Imperatrix quàm sanctè in viduitate vixerit, monasticum habitum suscepit, quæ modestia sepeliri voluerit. 748.2.a. *fuit in matrimonio virgo, & ferro candenti suam virginitatem probauit.* 218.1.c. 242.1.b

Cupiditas quænam sit radix omnium malorum. 765.1.d. *cupiditas opum est causa malorum.* 764.2.c. 513.2.a. *cupiditas inexplebilis est omnis tristitiæ causa.* 796.1.a. *dedecet ea Episcopos.* 728.2.c

Cupido gloriæ suscitat lites & iurgia. 460.2.a. *cupido immoderata rerum delectabilium hostis omnis honestatis.* 513.2.a

Cura quanta habenda temporis. 530.1.a. *cura habenda salutis omnium hominum, etiam seruorum.* 832.2.a. *cura pauperum & agrorum erat diaconiæ functio.* 166.2.c. *cura immoderata corporis fugienda.* 181.2.d

Curiosorum vanitas. 694.1.a

Curiositas & otium plerumque coniuncta, & quæ inde mala sequantur. 659.2.a.b

Currens viribus naturæ, & gratiæ quomodo differant. 133.1.b. *currentibus in stadio duo cauenda.* 960.1.d

Currus Dei, angelorum sunt millia. 504.2.c. *item Cherubini.* 910.2.c. *item cæli & mundus.* 843.1.d

Cursor Christianus quomodo se extendit ad anteriora. 593.2.b

Cursus Pauli qualis & quantus 808.1.a. *in cursu ad brauium quæ requirantur.* 268.1.a.b. *cursus Christi qualis fuerit.* ibid.

Custodem angelum quisq; accipit dum nascitur. 850.2.d

D. Cyprianus Cæcilij nomen accepit à Cæcilio presbytero, à quo baptizatus. 28.2.a. *suos quotidie docebat, & absens per epistolas.* 806.2.a. *quanta illi fuerit cupido sacri sermonis* ibid.b. *quantopere hæreticos odisset.* 790.1.d. *qua de causa tractatum de mortalitate scripserit.* 566.2.d. *putabat hæreticorũ baptisma non valere.* 503.2.b. *audita mortis suæ sententia exultauit.* 807.1.b. *eius post baptismum mutatio.* 236.1.a

Cyrillus Hierosolymitanus catechista fuit. 464.2.c

Cyrus Babylonios euertit, Iudæos liberauit. 36.1.d. *Christi fuit imago.* ibid. 577.1.b. *non cœnabat nisi corpus exercendo antè sudasset.* 741.2.c

Daemon vnde dictus. 261.1.a. eum quasi animam idoli pro Deo Gentiles coluerunt. 40.1.a. multis illudit specie boni. 634 2.b. quare & quantū metuendus. 544.2.a.b. dæmonem quem vicisti, ab aliorum mente & corpore facilè pelles. 863.1.a. an visibiliter apparuerit Abrahæ immolaturo filium. 947.1.d. eius in excommunicatos potestas. 230.2.b. inuisibiliter in Christi cruce crucifixus. 628.2.b.c. carni nostræ coniunctus nos oppugnat. 268.2.c. eius vexatio Paulum afflixit. 406.1.a. eius potestas in cibos ante Christum. 740.1.b. dæmones aurum & gemmas inuenerunt. 720 1.d. quales nos reperiunt, tales se nobis præstant. 544.1.b. sunt principes huius sæculi. 208. 2.c. quid de Messia redemptione sciuerint. ibid. an aliquando saluandi. 156.2.b. per Christum mediatorem iuuari non possunt. 439. 2.d. omnibus idolis assident. 280. 1. c. eos quomodo Christus victor in triumphum duxerit. 628. 1.b. ad inuocationem nominis Iesu pelli solebant. 579.1.d. eos flagellant opera bona. 549. 2. a. familiares sunt hæresiarchis. 257.1.c. inter eos alij Potestates, alij sunt Principes, eundemq; seruant, quem in cælis habuere, ordinem hierarchicum. 483.2.c.544.2.c.d. cur dicantur mundi rectores, sed cum restrictione. 545.1.a.b. ijs aër plenus est: nebulones nequissimi sunt. ibid.c.d. quomodo dicantur potestas aeris. 483.2.c. hominem in iudicio accusabunt. 49.1.b. eos quomodo Sancti iudicabunt. 234. 1.d. dæmones & mundus per sensus nostros nocent nobis. 268. 2. a. dæmoniorum calix quis sit. 279.1.c. Vide Diabolus.

Dagon est Deus vēter, quis fuerit & vnde dictus. 598.2.a

per Dalmatiam Titus euangelizauit. 814.1.b

Damindas Philippum tyrannum exposit. 110.2.b

Damnati licet corpus habituri, erunt tamen sine veste. 361.2.a. an aliquando saluandi. 156.2.b

Damnatio quomodo, & homini, & Deo tribuatur. 19. 2.b. damnationem æternam qua de causa sibi optet Paulus. 135.2.c.d. hoc imitari licet. 126.1.a

Daniel clausit ora leonum esurientium. 953.2.d

Danita nulli in fine mundi ad Christū conuertendi: adhærebunt Antichristo suo contribuli. 155.2.a. 686.1.a

Darius de clementia cum Alexandro contendit. 174.1.d

Datiuus interdum pro genitiuo vsurpatur. 627.2.d

Dauid fratrum abiectissimus à Deo electus. 849.2.b. quare non permissus Deo templum ædificare. 845.2.d. fuit semen ex quo ortus est Christus velut radix. 191. 1.d. fuit radix Christi quoad humanitatem, Christus radix Dauidis quoad sanctificationem ibid. cur adeo sit exaltatus. ibid. quomodo dicatur patriarcha. 890.1.b. eius adulterium allegoricè Christi erga Ecclesiam amorem indicat. 80.2.b. eius in aduersis spes, inde se educendum, & regno donandum. 53.1.c. 356.2.c.d. ei promissus Christus. 895.2.c

De particula in compositione aliquando significationem minuit. 515.1.b

Debiles pœnitentijs multis caput & corpus non frangant. 758.1.b.c. debiles in fide à fortioribus confirmandi. 967.1.c

Debitum charitatis perpetuum est & insolubile. 177.2.b debitum nullum verum in Deo respectu creaturarum. 809.1.c. debitum in Deo oritur ex veracitate. 2.c

Debitum coniugale honestè Apostolus circumscribit. 241. 2.a. in eo reddendo petendoq; coniuges pares sunt. ibid.

Deceptio à Christiano exulare debet. 519.1.b

Decimas quomodo Abraham dederit Melchisedeco. 892. 1.a. eas dans minor est accipiente easdem. ibid. in Decimatione Abrahæ Melchisedec typus Christi. 890.2.b

Decius Imp. septimam in Christianos persecutionem mouit. 955.1.d. quàm infami perierit morte. 2.a

quo Decreto Deum velle peccata dicat Scriptura. 20.2.c. decreti chirographū quodnam Christus deleuerit. 627. 1.b. decreta Pontificum non sunt anathema. 419.1.a

in Dedicatione templi quinque fiunt. 220.1.c

Dedolentes & indolentes qui sint. 515.1.b

Defectio magna à Rom. Pontifice & Imperio erit ante diem iudicij. 671.2.b

Defendere pro vindicare, & depellere capitur. 171.2.b

Defensionem Euangelij quam fecerit Paulus. 561.2.a

pro Defunctis vt in Missa oretur, Apostolorum est institutum. 219.2.c. ij quomodo lugendi. 660. 1.a. sed pro iis orandum & sacrificandum. ibid.b.564.1.a

Delectatio huius mundi falsa est. 253.2.b

Delibatio vocantur Apostoli & primi Christiani. 153.2.b

Delicati & gulosi cælo excluduntur. 187.2.b

Deliciæ immodicæ rationem obruunt. 747.1.c

Delicti & peccati discrimen. 483. 1.b. delictum Adæ cur ab Apostolo dicatur pænè ruina. 80.2.d

Demas Paulum reliquit, & an postea pœnituerit. 810.2.c

Demersio hominis in aquam baptismalē, significat Christi demersionem in mortem. 635.1.a

Demetrius Phalereus quid adolescentes doceret. 824.1.b

Demosthenes coco Valentis Imp. sacra tractanti quid responderit S. Basilius. 722.2.a

Denarius numerus cur Hebræis venerabilis. 149.2.d

Depositum Timotheo custodiendum quod præcipiat Apostolus. 772.1.d. cur hoc nomine vocetur sana doctrina. 2.c. huius custos est Episcopus. ibid.a. depositum quod Deus apostolo seruabit. 781. 2.c. est eius apostolatus & Euangelij prædicatio. 782.1.a

Desideria sæcularia quæ sint. 826.1.c

Desiderium proficiendi animum dilatat. 393.2.b.c. desiderium insatiabile perfectionis mirè incitat ad cursum. 594.2.c. desiderium cæli & Christi cogit Sanctos ad mortem anhelare. 566.2.b

Desidia parit indigentiam. 659.2.c

Desolatio Romani Imperij & pontificatus præibit aduentum Antichristi. 678.1.d

Desperantes vitam aliam à morte, corporis voluptatibus auidissimè inhiant. 515.1.a

Desperationem omnem in Christo tempore mortis, excludit eius omniscientia. 877.1.d

Desponsatio animæ perfectissimè fit per virginitatem & vota religionis. 396.1.c. item per charitatem. 395. 2.d

Detestari peccatum in se & aliis, est signum status gratiæ. 108.1.a

Detrahere delicijs optima ratio augendæ virtutis. 609. 1.a

Deuitare an significet aliquem de vita tollere. 851.2.c

vox Deus an deriuetur ab Hebræa Dai. 607.2.a

Dij alij cælestes, & alij terrestres Ethnicis. 261.2.c

Deus non est, Papa. 677.1.c. Deus cuique id est, à quo vitam & vitæ necessaria exspectat. 527.1.a. Deus sæculi huius quis dicatur & sit. 353.2.d. Deo gratias salutatio veterum Christianorū 526.1.d.668.1.a

DEI opt.max. nomina, epitheta, & attributa.

Deus verax, fidelis, solus immortalis, & immutabilis. 156. 1.a. 52.1.c. 439.2.c. 707.2.b. 769 2.d. 788.1.c. Deum esse, non est per se notum, sed opus est discursu. 38.2.d. sphæra est & circulus. 498. 1.b. quomodo dicatur rex sæculorum. 707.1.d. eius nomen est, ipse Deus. 56.2.a. Deus Pater est rex, Christus princeps, ductor Spiritus sanctus. 489. 1.c. est pater animarum, quia eas creat, format, sanctificat, perficit. 965. 1.c. Dei vocare est creare & facere. 68.1.b. Deus Sabaoth vnde dictus. ibid c. est totus consolatio. 190. 2.b. est primum ens perfectissimum, à quo omnia dependent, item finis vltimus omnium rerum & operum.

38.2.b. *eum videre quomodo nemo possit.* 770. 1.d. *est in eo vera generatio.* 845.1.d. *est sibi sufficiens.* 385.1.c. *est adamas mundi.* 616.2.c. *& anima mundi metaphoricè* 518.1.b. *cur dicatur Pater misericordiarum, & non iudiciorum.* 339.1.a. *quomodo dicatur pater gloriæ.* 479.1.d. *eius longitudo, latitudo, sublimitas & profundum quid sit.* 498. 1.b c. *in eo non est inopia, nec sufficientia, sed redundantia.* 607.2.c. *nulli est debitor.* 1,7.2.c. *cur vocetur vnus.* 771.1.c. *est vnus & idem, non duo.* 439. 2.d. 707.2.c. *cur dicatur Saddai, id est abundans.* 607.2 a.b. 702.2.a. *non tantùm Christi, sed omnium est pater.* 496. 2.d. *Dei inuisibilia & virtus quæ sint.* 38.1.c. *in eo generatio & spiratio sempiterna, vera & inuariabilis est.* 845.1.c.d. *est diues in omnes.* 143.2.c. *Deus Pater quomodo genuerit Filium.* 845.1.a

DEI potentia, iustitia, præsentia, omniscientia.

Dei diuitiæ, sapientia & scientia in Iudæis reiciendis, & Gentibus assumendis elucebant. 157.1.a.b. *hoc faciendo iniquus non fuit.* 132 1.a. *eius absolutum dominium; contra hoc superbi & arrogantes non possunt queri.* 136.1.c.d. *eum peccatores latere non poterunt, etsi homines lateant.* 353.1.a. *eius sumus per creationem & fidem.* 221.2.c. *Deus potest angelum in puncto existentem dilatare, potest & corpus per spatium expansum contrahere in punctum.* 291.2.c.d. *idem facit & in corporibus. ibid. in opere bono est principale agens, creatura instrumentum.* 215.2.b. *eius scientia quibus modis humanam & angelicam transcendat.* 157.1.b. *quantum peccatum oderit.* 59. 1.c. *eius consilia omnibus ignota.* 157. 2.a. *eius immensitas.* 498.1.b. *Dei sapientia mundo obscura, varia, stulta.* 495.1.c. *non est acceptor personarum.* 46.1.b. 143.2.c. 425.1.c. *sol est omnia lustrans.* 872.2.b. *eius iustitia triplex est.* 35.2.b. *ei vlcisci proprium est.* 172. 2.a. *eius præscientiæ coniunctus est amor.* 793. 1.a. *& in persecutione hostium, & in conscientiæ anxietate suis auxilio & scutum est.* 118.2.b. 976.1.d. *omnium voluntates omnipotentiæ suæ manu tenet, quasi ligatas.* 20.2.c. *quomodo super omnes, per omnia, & in omnibus.* 504. 1.b. *eius potentia maximè se ostendit vbi maxima est infirmitas, ibiq; succurrit maximè, vbi maxima est necessitas.* 408.2.b. *eius dicere, idem est quod facere.* 434.2.a. *id est simplex & sincerum.* 472.1.a. *solus miracula facere potest.* 682. 2. a. *est omnibus excelsior, profundior, latior, longior.* 498.1.c. *est cardiagnostes.* 224.1.b. 872.1.d. *elementa conseruat suo influxu.* 445.1.b. *eius præsentia & omniscientia indicatur.* 872.2.a. *est rerum omnium dominus.* 503.1.a. *peruidet & discernit omnes motus naturæ & gratiæ.* 872.1.c. *eius est discernere, & iudicare.* 225.1.a. *quomodo operatur cogitare, velle & perficere.* 581.1.c. *& seqq.* 582.2.a.b. *in eo idem est præteritum, præsens & futurum.* 845.1.d. *ex iustitia impijs pœnam, pijs gloriam dat.* 672.1.b. 884.1.d. *eius scire practicum quid.* 116.1.c. *eius omnipotentia adstruitur locum habere in Eucharistia.* 291.2.a. *in eo est iustitia vindicatiua, commutatiua & distributiua.* 809.1.c. *in eo nullius est iustitiæ absolutum debitum. ibid. eius iustitia repugnat aliquem pro iusto habere qui iustus non sit.* 46 1.b. *ex eo omnia, quæ habent verum esse, non ergo peccata.* 158.1.b. *omnia agit intra se.* 616.1.c.d. *verbo virtutis suæ quomodo ferat omnia.* 843.2.a.b. *eius præscientiæ claritas & distinctio.* 68.1.a. *aliter operatur in homine, aliter in bruto.* 582.2.c. *operatur in homine politicè, non despoticè. ibid.d. est solus sapiens per se & per essentiam suam.* 707.2.d. *potuit intendere angelorum gratiam propter Christum.* 481.2.d. *æquale habet imperium in ea quæ non sunt, atque in ea quæ sunt; & ea quæ non sunt, facit vt sint.* 68.1.b. *solus per essentiam sapiens est.* 197. 2.a. *eius solius iudicia timenda.* 223.2.a.b. *eius potentia & sapientia exprimitur per sessionem super Cherubim.* 911.1.a. *non deest in necessariis.* 243.1.d.2.d. *Deus Pater metaphoricè tantùm fuit Christo iratus.* 877.2.a. *Deus est solus potens & dynasta.* 769.1.c.d. *est acerrimus vindex hæresum.* 454.1.d. *currus est portans totum mundum.* 843.1.d

DEI prouidentia, & præuisio salutis.

an *Deus ex massa hominum peccatis respersa destinat alia vasa in honorem, alia in contumeliam.* 136.2.c. *ex hac massa omnes intendit saluare. ibid. nullum ob præuisum peccatum originale decreuit reprobare. ibid. Deum indurare peccatorẽ est eius non misereri, eumq; in peccato relinquere.* 134.1.d. *permissiuè & negatiuè se habuit ad indurationem Pharaonis.* 2.d. *subtrahendo flagella indurauit Pharaonem.* 135.1.a.20. 1.a. *cùm excæcat, cùm indurat, non tantùm se habet negatiuè, sed etiam positiuè.* 20.1.a. 683.2.b. *non est auctor peccati, iuxta Caluinum.* 134.1.a. 276. 1.b. *eius decretum & propositum quid sit.* 115.1.c. *in electione ad salutem figulo comparatur, homo luto.* 136.2.b. 137.1.c.d. *Dei electio versatur circa paria & æquè digna vel indigna.* 128.1.b. *eius voluntate liberæ reiecti Iudæi, adsciti Christiani. ibid.c.d. fato non agit, nec agitur.* 301.1.b. *potestatem quomodo ordinarit.* 176. 2. b. *sapientia sua ordinat peccata ad bonum misericordiæ vel iustitiæ.* 54.2.a. *ad eum confugiendum, non ad homines, in rebus arduis & difficilibus.* 70.1.b. *concurrente libero arbitrio nostro, complet in nobis opus fidei.* 670.2.b. *est fidelis in promissis, licet homo sit incredulus.* 521.1.c. *aliquem non eligit ad gratiam quia dignus & fidelis est, sed eligendo facit eum fidelem.* 703.1.a. *eius prouidentia circa bona & mala quomodo differat.* 19.2.c. *eius decretum firmum fundamentum est.* 791.1.d. *dat media ad salutem necessaria.* 243.1.d. *eius cura & prouidentia circa nos transcendit omnem cogitationem & spem hominum.* 69. 1.c. *quomodo se habeat in permissione impostorum & præstigiarum Antichristi.* 683.2.a. 684.1.a. *per eum omnia conseruantur, consistunt & gubernantur.* 504.1.c. *eius ordinatio, dispositio, permissio apud Hebræos vocatur mandatum.* 919 2.d. *ipse tentari nos permittit, sed facit vt tentatio bene eueniat.* 276. 2.a. *omnibus necessaria prouidet secundùm mensuram suæ prouidentiæ.* 381. 2. b. *operatur omnia naturalia, concurrendo effectiuè cum omnibus causis secundis.* 300. 1.a. *impossibilia non iubet.* 47.2.a. 276.1.b. *in homine verè reputat, quod in eo est, non quod in eo non est, sed inesse fingitur.* 63.2.b. *quomodo alicui iustitiam imputet. ibid. operatur per se omnia supernaturalia, præsertim gratis data.* 300. 1.b. *eius concursus non prædeterminat. ibid. ad eum recurrendum in necessitate.* 381.2.a. *duplici de causa permissiuè se habet erga peccantes.* 137.2.c. *in eo idem est propositum & prædestinatio.* 476.1.c. *quomodo cuius vult misereatur, & quem vult induret.* 134.1.b. *quibus gratis dare gloriam decreuit ante præuisa merita, hos prædestinauit, vt merita ad eam promerendam acciperent.* 115.2.c. *alter permittit malum, aliter homo.* 20.2.d. *gratia mensuram sæpè admetitur mensuræ dispositionis nostræ.* 504.2.a. *dat gratiam propriam cuilibet statui.* 243.1.c. *neminem reprobat ante præuisum peccatum finale.* 137.1.b

DEI cognitio, amor erga homines & saluatio.

Deus non repulit plebem totam Iudæorum, sed eos vocauit ad Ecclesiam & iustitiam quos præuidit fore dignos. 148.1.a. *item quos præuidit Christi fidem & gratiam sponte sua complexuros, foreq; fideles.* ibid.b. *est factus ideo homo vt homo fieret Deus.* 444.1.a. *fideles à peccatis & ab intentata dæmonis actione liberat, iustosq; pronuntiat.* 118.2.a. *quomodo præstet omnia ad fruendum.* 771.2.a. *coronans nostra merita, sua coronat dona.* 91.2.a. *eius erga nos cura & beneficentia.* 855.1.a. *cuique suum dedit charisma.* 165.1.b.c. *est pro nobis imminutus.* 855.1.c. *eius erga nos misericordia ex intimis velut visceribus profecta.* 160.1.a. *ad illustrandam eius misericordiam & gratiam naturâ suâ non ordinantur peccata.* 54.1.d. *est saluator in veteri, sed magis in nouo testamento.* 965.2.b. *est liberalis in remunerando.* 66.2.b. *eius cum anima connubium.* 237.1.d. *eius in Paulum longanimitas.* 706.2.d. *quadrupliciter ambulat in anima nostra.* 373.1.b. *quomodo Iudæos dilexerit.* 903.1.b. *quales elegerit ad fundandam Ecclesiam.* 205.2.d. *nisi tempore Christi parum reliquiarum piarum Deus elegisset, totus Israel ob infidelitatem periisset.* 139.1.b. *quem diligit castigat.* 963.2.d. *quomodo animam nostram dilectam fecerit.* 475.1.b. *est saluator omnium, maximè fidelium.* 742.2.b. *eius in nos amor quantus.* 829.2.b. *est viduarum protector.* 747.1.c. *plura præstat quàm promittat.* 472.1.a. *eius proprium est nos adiuuare.* 112.1.c. *quomodo velit omnes saluos fieri.* 713.2.c. *& seqq. ex parte sua seriò cupit omnium salutem, adeamq; cuique sufficientia dat media.* 714.1.d.2.d. *quotupliciter vocet.* 117.2.d. *homini præparanti se ad iustitiam atque pœnitenti gratis infundit iustitiam.* 47.1.a. *ei quæ sit ratio amandi homines.* 828.2.d. *ei est cura de bobus ceteriscq; animantibus.* 265.1.c. *nihil nobis debet.* 157.2.c. *Sanctos tuetur, & in ipso illi omnia aduersa contemnunt.* 118.1.b. *Deum agnoscere è rebus creatis Ethnici potuere & debuere.* 38.1.b. *ad eius obsequium omnia nostra facienda.* 185.2.d. *quomodo sit timor noster.* 363.2.d. *omnia ad Dei gloriam facere an sit præcepti.* 281.1.d. *Deum incognitum statuit Simon Magus.* 480.1.a. *est pater Iudæorum & Gentium.* 107.1.b. 143.2.b. *est paredrus virginum.* 157.1.d. *& tutor.* 258.1.b

DEI maiestas & gloria.

Dei triumphus & currus triumphalis. 504.2.c.d. & seq. *eius scabellum erat arca, sedes propitiatorium.* 126.2.a. 910.2.c. *ignis consumens est.* 973.1.d. *passim in Scripturis se exhibuit per ignem.* ibid. *cur per ignem potiùs quam alia figura.* 2.d. *subinde dicitur sedere, subinde equitare, & quare?* 911.1.a. *è thesauris potentiæ suæ vocat plagas hominum.* 68.1.c. *in cælo quomodo erit omnia in omnibus.* 326.1.d. *videtur à Beatis se solo per essentiam, non per speciem mediam.* 362.2.a. *eius gloria actionum nostrarum finis sit.* 196.1.a *ipse futurus beatitudo nostra in cælo.* 945.1.c. *per spem inchoatè nos consedere fecit in cælestibus.* 485.2.a

DEI misericordia, & bonitas.

Dei promissa in Iudæis incredulis non exciderunt. 128.2.c. *quomodo eos saluare voluerit.* 157.1.b. *Deus homo magnum pietatis est sacramentum.* 733.1.b. *quo virtutum odore delectetur.* 524.1.d. *bona elicit è malis.* 836.1.c. *tegit peccata cùm ea condonando abolet.* 64.1.a. *sera Dei vindicta & tolerantia peccatorum.* 44.1.b. *iustificans gratuitò remittit peccata, & infundit homini inhærentem iustitiam.* 63.1.b. *amicos in se sperantes non confundit.* 74.1.c. *non deserit hominem nisi priùs desertus.* 200.2.d. 937.2.c. *Dei gratia quanti sit, eius vis.* 196.2.b. *eo quomodo non sit indignum esse hominis debitorem.* 810.1.c. *quomodo virtutes dare dicatur.* 797.1.b

Varia de Deo.

Quomodo Deus vocet ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. 68.1.a.b. *eum minùs quàm homines in sceleribus committendis formidamus.* 223.1.a. *diem septimum ab initio creationis mundi sanctificauit.* 869.2.b. *eius cognitio naturalis ad salutem sine fide non sufficit.* 943.1.b. *ab eo omnia incipienda.* 33.1.d. *de eo semper optimè & piissimè sentiendum, & sperandum.* 68.2.d. *in Sanctis honoratur.* 34.1.d. *ei seruire regnare est.* 326.1.b. *eum quomodo in simulacris coluerint sapientes Gentilium.* 39.2.d. *eius inuocatio cum debita fide, spe, contritione, & charitate fieri debet.* 142.2.d. *mirabilis est in Sanctis suis.* 673.1.c. *eum non cognouit mundus practicè, nec speculatiuè in mundi fabrica.* 204.1.b. *eius seruitus & cultus apud Iudæos consistebat in obseruatione præceptorum non moralium, sed cæremonialium.* 913.1.a. *eum negabit Antichristus.* 687.1.c. *ei complacitum in pace.* 411.1.d. *tabernaculo se significabat esse vmbraculum Hebræorum.* 907.2.a. *per angelum decalogum aliasque leges tulit.* 438.1.a. *numquam cum offendere quanti sit.* 566.2.a. *solet tempus vitæ abbreuiare propter peccata.* 530.1.d. *eius panoplia in hostes.* 551.2.d. *eius fidem euacuat hominum infidelitas.* 52.2.a. *ei viuimus & morimur.* 185.2.d. *cur & quomodo ex costa fecerit mulierem.* 237.1.b.536.2.b. *quomodo erat in Christo.* 366.2.b. *filios religioni offerentibus alios reddit.* 256.2.c. *facere potest vt quis videat per murum ea quæ in cubiculo clauso geruntur.* 357.2.d. *eius imago in viro, angelo & femina.* 517.2.c. *sita est in hominis mente.* ibid. *peccantibus mensurâ statuit, vt ea repleta, regna & respuniat.* 653.2.c. *cum qua in re imitari possimus.* 524.1.b. 2.a.b. *Dei dicuntur, quæ maxima sunt.* 661.1.a. *hominem cùm crearet, an induerit formam humanam.* 517.2.a. *per Abraham symbolicè denotatur in eligenda Ecclesia libera, & reiicienda Synagoga serua.* 450.2.d. *Dei legem implere non est impossibile contra Caluinum.* 47.2.a. *cur omnes nostras voluntates posuit in Adamo.* 80.1.d. *decreuit nos non iustificare nisi post Christi resurrectionem, & quasi per illam.* 70.2.b.c. *quouis peccato negatur.* 822.2.b. *cur in hac vita noluerit nos habere certitudinem & securitatem de salute.* 108.2.d. *cur noluerit misereri Esau & Pharaonis.* 133.1.c. *eum esse Deum, Dominum, vel regem gloriæ, aliud est quàm esse patrem gloriæ.* 479.1.d. *quomodo non imputet alicui peccata.* 63.1.c.d. *elegit Iacob, cùm nondum aliquid boni egisset; & Esau repulit, cùm nondum aliquid mali egisset.* 129.1.b. *Dei templum quomodo simus.* 220.1.b. *præter requiem sabbati, aliam habet requiem, quam hominibus præparauit.* 869.2.c. *in Christo omnem suam sapientiam & gloriam ostendere voluit.* 80.1.d.2.a. *cur aliqua loca, templa, imagines, Sanctos eligat, in quibus miracula patret, præ aliis.* 303.2.a. *volens omnium gentium salutem, voluit mittere præcones suos.* 144.2.a. *ei adscribenda operum nostrorum bonitas & dignitas.* 348.2.c. *vbi inueniri queat.* 163.2.c. *cur hos & non alios vocet, & vnam nationem ante aliam.* 477.2.b. *odoratur sacrificia.* 525.2.a. *quieuit die septimo exemplariter & efficienter.* 869.2.c. *quomodo dicatur habere lentos pedes, longas aures, fortes manus, & latas nares.* 805.2.b. *passiones Sanctorum præscriuit ab æterno ac prædestinauit.* 117.1.b. *sic decreuit ab æterno Christum*

Jesum pati & crucifigi. 961.2.d. *tam Iudæos quàm Gentes tenebris longæ infidelitatis successiue concludi permisit, vt eos ad fidem suam vocaret.* 156.2.a. *& vtrosque vult saluos fieri.* 440.1.b. *quomodo comprehendat sapientes in astutia sua.* 120.2.d. *Mosen fecit mediatorẽ inter se & Hebræos, eo reuocato Christum fecit inter se & Christianos omnium gentium.* 440.1.b. *de eo lacrymante Iudæorum fabula.* 699.1.b. *constituit iustitiam suam non in lege Mosis, sed in fide Christi.* 141.1.a. *promittens bona temporalia, si ea non præstet, dat cælestia.* 541.1.c. *orandus vt cogitationes nostras dirigat.* 348.2.d. *sensibili eum lingua in cælo laudabimus.* 308.1.b. *Mosi suam gloriam afflauit.* 349.2.c. *eum falsum esse & mendacem, docet hæreticus.* 710.1.a. *omnem diem iudicat.* 184.1.b. *humiles & in se sperantes roborat.* 407.2.d. *iungamur ei, vt vincamus.* 456.2.d. *eius essentiam non vidit Moses.* 404.2.d

S. Diethelmus vidit per imaginationem pœnas Purgatorij. 89.1.c. 404.2.b

Differentiæ positionum & dimensionum in Deo analogicè explicatæ. 498.1.c

Difficile sæpè impossibile dicitur. 250.2.d

Difficultates oriri solent in conuersione hominum. 781.1.c. *in iis gaudere nos oportet.* ibid.c

Diffidentia aliquando capitur pro incredulitate. 69.2.d. *eius duo iacula elidit Paulus.* 118.2.b

Digami à sacerdotio mysticè cur arceantur. 726.1.c.

Digamia in Episcopo est turpis & culpanda. ibid.a

Vide Bigami.

Digne Deo ambulare est Deo per omnia placere. 613.2.d

Dignitas magna est Deum imitari. 524.1.b

Dilectio proximi includit & præsupponit dilectionem Dei vt sui causam & fontem. 178.1.a. *illa sola mouere nos debet ad proximum corripiendum.* 493.2.d. *est regina virtutum omnium.* 167.1.c. *eius conditiones septem.* ibid.d. *dilectionis qua Deum diligimus proprietates quatuor.* 429.2.b. *dilectio Dei erga nos exaggeratur.* 523.1.a. *eius signa duo.* 302.2.a. *dilectionis lex impletur portando proximi onera.* 463.1.d. *sincera & candida sit oportet.* 167.1.d. *dilectio in spiritu tria significat.* 613.2.b. Vide Charitas, Amor.

Diligere proximum quanti referat. 177.2.c. 178.1.a.b. *in diligendo quomodo lex omnis instauretur.* 178.1.d

Diligentibus Deum & vicissim dilectis à Deo omnia cooperantur in bonum. 115.1.d. *diligens Deum etiam proximum diliget.* 261.1.d

Diligentia commendatur ministris Ecclesiæ. 266.1.a

Dimensiones Ecclesiæ locales & morales. 499.2.a.b. *Christi incarnationis.* 498.1.a. *Dei, ibid.b. dimensiones crucis Christi.* 2.a. *animæ.* 499.2.b. *charitatis & cuiuslibet virtutis.* ibid.c. *dimensiones Christo ab Elxai affictæ fugillantur.* 497.2.c. *dimensiones tantùm tres sunt.* ibid.b

Diocletianus quomodo Christianos persecutus sit. 955.2.c

Diogenes Cynicus Platonem de ideis genericis & specificis disputantem videbat. 740.2.b. *quàm mordicus Antistheni adhæserit.* 964.2.a. *auaros hydropicis æbat similes.* 977.1.a

Dionysia martyr quàm intrepidè tortoribus respondent. 886.1.b

Dionysii Alexandrini Episcopi in persecutione libertas in respondendo. ibid.b

Dionysius Areopagita Pauli proles gloriatur ab eo se accepisse altissima Sacramenta, & vtramq; hierarchiam suam. 3.2.a. 404.1.c. *in crucem primò actus, deinde ei caput amputatum.* 430.2.b. *librum suum de diuinis nominibus Timotheo dedicat.* 785.1.c. *diu vixit* 15.

Dioptra est fidei symbolum. 940.2.c

Discalceatio signum est cessionis iuris sibi debiti, & luctus. 509.2.d

Disceptatio maximè orationi repugnat. 719.1.c

cur sic vocetur. ibid.c. 605.2.a. *erit hic subitus & improuisus.* 605.2.c. *eum cur aliquando non instare doceat Apostolus.* 675.1.b. *capitur dies pro iudicio phrasi Tarsensi.* 23.2.b. *dies hominis quis.* 223.1.b. *dies redemptionis quis vocetur.* 522.2.a. *dies est tempus præsens Euangelij, quo sol Christus lucis suæ, id est gratiæ, radios toto orbe diffudit.* 180.1.d. *dies mortis aut iudicij, dies malus est.* 546.1.b. *dies vnus præ alio festus & sanctior.* 185.1.c. *vitæ dies mali sunt, & tristes, & ærumnosi.* 531.1.c. 546.1.a. *dies antonomasticè vocatur dies excidij vrbis Hierosolymæ sub Tito* 832.1.a. *diem septimum iam inde ab initio Deus sanctificauit.* 861.2.c. *dierum Iudaica obseruatio egena sunt elementa.* 415.1.c. 2.b.c

Discere Christum est discere omnes virtutes. 515.2.c. *discere prius est quàm facere.* 690.2.b
Disciplina sapientiæ Christianæ in humilitate sita. 576. 1.a. *disciplina magnum Dei donum.* 963.2.b. *disciplina ducens ad perfectionē quæ sit.* 964.2.b. *disciplina in præsenti grauis, sed postea dulcescit.* 965.2.c. *vocatur exercitatio.* 966. 1.a. *disciplinæ Dei erga nos & parentum carnalium duplex antithesis.* 965. 2.b. *disciplinæ effectus.* 966.1.b
Discipuli LXX. quomodo Apostolis seruirent. 508 2.a
Discordiæ & contentionis castigatio. 413.2.a
Discretio spirituum quid sit. 300.1.b. *qui Sancti ea excelluerint.* ibid. *est confessarius à Deo petenda, & animarum rectoribus.* ibid. *discretionis commendatio.* 161.1.c
Discretor cogitationum Christus est. 872.1.d
Discursu opus ad noscendum Deum ex creaturis. 38.2.d
Dispensatoris munia, eius præcipua virtus fidelitas & prudentia. 222. 2.a. *dispensator in Ecclesia est Pontifex Romanus.* ibid.b.2.a. *dispensator fidelis quis sit.* 1.b.
Dispositiones præuiæ ad iustificationem non excluduntur à gratia. 58.1.a. *dispositiones fidei, spei, pœnitentiæ, vti actus humani, nec habent meritum, nec efficaciam iustificandi.* 150.2.c. *dispositio omnis ad iustificationem est ex meritis Christi.* 472.1.b. *dispositio ad iustitiam non dat meritum, nec vim iustificandi.* 133. 1.a. *dispositio qua dispositio frustra est, nisi sequatur forma.* 305.1.d
cum quibus & qua modestia Disputandum. 788.2.a
in Disputatione quæ Catholicis seruanda. 761.2.d
Dissensionis inter Iudæos & Gentes causa. 183.1.b
Dissolui cupit Paulus, non resolui. 565.1.b
Distinctio prædestinationis inchoatæ & completæ antiqua est. 19.1.a
Ditiores in primitiua Ecclesia post communionem cœnam instruebant omnibus in charitatis symbolum. 287.2.b. *horum abusum carpit Apostolus.* 288.1.a
Diuinitas vna numero est. 573. 1.c. *tota & plena in Christo inhabitauit.* 625.1.b. *idq; corporaliter, id est realiter, & in corpore Christi per essentiam, gratiam & vnionem hypostaticam.* ibid.d. & seqq. *diuinitatis Christi dimensiones.* 498.1.b
Diuites alij sunt huius sæculi, alij futuri. 770.2.d. *qui valdè diuites sunt, non sunt viri boni.* 765.1.d. *sua vtenda dent.* 771.2.c. *eorum stultitia.* 765.1.c. *diuites imperiti aureæ pecudes.* ibid. *iis septem præcepta dat Apostolus.* 771.2.b. *eos non posse saluari docuit Pelagius.* ibid.d
Diuitiarum cupiditas morbus insanabilis. 766.2.b. *ad quid habeantur.* 764.1.b. *earum vermis superbia.* 771.1.a. *earum incertitudo.* ibid.b. *dolores sunt & spinæ.* 766.1.c. *diuitias pro copia sumit Paulus per catachresim.* 44.1.b.156.2.c. *item pro immensa Dei misericordia.* 157.1.a
Diuortium facere cum infideli coniuge certo casu licet matrimonij, non tantùm thori. 246.1.c. *diuortium etiam licitum non soluit matrimonium.* 245.1.c. *quæri non debet per desiderium mutandi statum.* 248.2.b
Doctoris Euangelici imago quæ sit. 369.1.a. *quomodo agere debeat cum iis qui sibi contradicunt.* 796.2.d. *doctor Apostolorum & angelorum Paulus.* 3.2.b. *doctor sit oportet, qui pastor est.* 508.2.c. *debet esse forma & speculum suis discipulis.* 824.2.b. *sit concha, non canalis* ibid.d. *doctorū patientia capiuntur homines.* 369.1.b. *doctores sunt linguæ Ecclesiæ.* 303.1.b. *Prophetæ dicuntur.* 311.1.b. *fulgebunt quasi stellæ.* 329.1.c. *iis necessaria humilitas, ne sua doctrina insolescant.* 509.1.c. *doctores falsi aleatoribus similes.* 511.2.d. Vide *Concionatores, Prædicatores.*
Doctrina præconum Euangelij in Ecclesia necessaria. 904. 1.c. *doctrina Episcopi qualis esse debeat.* 825.1.a. *doctrina Christiana bonum depositum.* 782.2.c. 772. 1.d. *doctrina bonis operibus destituta damnabilis.* 49.2.c. *doctrina D. Pauli Romana & catholica est.* 5.1.d. *doctrina sana est casta & prisca.* 773.1.c. *doctrina Euangelica moribus exprimenda.* 90.1.b. *doctrina Christi sola salutifera.* 802.2.b. *triplici ratione Mosaicæ præfertur.* 840.1.b. *doctrina incerta, curiosa, pomposa vani doctoris, est lignum, fœnum, stipula.* 216.2.b. *doctrina simplex de Christo dicitur lac.* 214.1.a. *doctrina & fides Apostolorum fundamentum est Ecclesiæ.* 489.2.b. *doctrina Antichristi qualis futura.* 687.1.b. *doctrina Ecclesiæ candelabro notatur* 908.1.b.911.1.b. *doctrinæ Christianæ certitudo.* 830.2.d
Dogma nouum examinetur an concordet cum recepta & antiqua Ecclesiæ fide. 418.1.a.b
Dolores vocantur ab Apostolo infirmitates. 873.1.d. *dolores auaritiam sequi soliti.* 766.1.c. *dolorum Christi dimensiones.* 499.1.b
Domestici imprimis docendi & curandi. 748.2.d. *domestici fidei sunt Christiani.* 466.1.a
Dominationes ordo est angelorum. 480.2.d. 545.1.b
Dominatus legis Mosaicæ qualis esset. 93.1.b
Domini vocabantur Imperatores Romani. 768.2.b. *Domino suo quisque stabit aut cadet.* 183.2.d. *Domino adhærens vnus est spiritus cum eo.* 237.1.b. *dominorum fastum retundit Apostolus.* 543.1.a
Dominicale quid fuerit. 297.2.b. 718.1.c
Dominicæ diei præstantia. 335. 2.b. *olim Dominicæ Quinquagesimæ ieiunium sacrum inchoabatur.* 821. 1.d
Dominica in albis vnde dicatur. 231.2.a
Dominicam orationem quisque discere & intelligere debet. 315.2.a
S. Dominicus adhuc puer visus est stellam in fronte gerere. 329.1.c. *suis S. Pauli lectionem commendatam voluit, eius ipse epistolas memoria tenebat.* 8.2.d. *illi Apostolus apparuit suum illi offerens librum ad concionandum.* ibid. *fuit theodidactus.* 905.2.a. *eius raptus & exstases.* 430.1.b
S. Dominicus Loricatus pœnitentias quotidie duriores exercebat. 581 2. d
Dominium nostrum in res nonnisi temporale est. 221. 2.c. *dominium hominis in cæteras creaturas.* 854. 2.a. *viri in mulierem.* 285.1.b. *plenum in animalia soli Christo competit.* 854.2.c. *dominium supremum & ius in Deo quomodo sit cum debito.* 810.1.a
Domitianus ex Dauidis stirpe progenitos exagitare desiit quòd mechanici essent. 693.1.a. *quomodo in Christianos sæuierit.* 955.1.c
Domus Philomonis Colossis in templum mutata. 833.1.a. *domus magna est Ecclesia.* 794.1.d. 731. 2.b.930. 2.b. *domus Israel & Iuda quosnam symbolicè denotet.* 902.2.d. *domum suam qui rite moderatur, bene reget Ecclesiam.* 728.2.d. *domos duas habet homo, terrestrem & cælestem, item duas peregrinationes.* 363.1.a
Dona & sacrificia quomodo differant. 875. 2.a. *dona quæ Christus in cælum ascendens hominibus dedit, sunt dona Spiritus sancti.* 505.2.d. *dona sua optimè & sapientissimè Deus admetitur.* 504.2.a. *dona visibilia Spiritus sancti quamdiu & quando collata fuerint in baptismo.* 478 2. c. *dona Dei, sunt omnia bona opera.* 243.2.d. *sunt duplicia.* ibid. c. *dona fidelium varia.* 165.1.b. *donum Dei est pati pro Christo, quia Deus inspirat desiderium patiendi.* 568.2.b. *donum proprium quomodo à Deo quisque habeat.* 243.

243.1.a. id habet partim à Deo, partim à se. ibid. omne donum à Deo & Christo. 817.2.a
Donatio gratiæ ab æterno in Deo est absoluta. 779.2.c
Donatistæ volebant baptismum ab hæreticis collatum esse inualidum. 794.2.d. putabant à sacerdote pendere gratiam Sacramenti. 716.1.a. altaria Catholicorum ligneа deiicere non sunt ausi, etsi alioquin in illorum sacra iniurij. 980.1.b
Donatiuum est donum ab Imper. militi datum. 91.1.c
Donec significat quid antea, non quid postea sit factum. 325.2.a.850.2.a
Dormientes dicuntur voluptatibus indulgentes. 666.1.b. dormientium primitiæ quomodo Christus sit. 324.1.c
Dormire pro mori vsurpatur subinde. 258.2.d.296.2.d
Dorsum incuruare quid sit. 152.1.d
Dosithei ab animatis abstinebant, superstitiosi sabbati cultores erant. 589.1.c
Dotem quisque à Deo accepit, in qua alios præcedat. 570.2.d. dotes variæ D. Pauli. 1.1.a. 703.1.b. dotes septem viduæ. 747.2.a. dotes corporis gloriosi quatuor. 330.1.c. earum numerus duplici è causa deducitur. 2.a
Doxologia SS. Trinitatis quando in vsu in Ecclesia esse cœperit. 158.2.d
Dubia Corinthiorum vbi resoluat Apostolus. 198.2.a
And. Dudecim statum altiorem ambiens, & repulsam passus, factus est hæreticus. 710.2.b
Dulcedo spiritus & cõsolationis primitiuæ Ecclesiæ. 111.1.c
Dulia non impedit, sed includit latriam. 34.1.d
Duo corpora tota possunt esse in eodem loco. 291.2.b
Duodecim Apostoli capiuntur pro vndecim. 321.2.a
Duplex in quo differat à simplex. 166.2.a
Duritia cordis graue peccatum. 19.2.d. frangenda est & vincenda, non suadenda. 460.1.c
Dux belli prudens sit potius quàm fortis. 543.2.a. iracundia vacet. 523.1.c
Dynastæ inter principes sunt minimi, minores regibus. 769.2.b

EBion hebraicè inopem significat. 4.1.a. asseruit Virginem Deiparam è viri copula concepisse. 30.1.d. ab animatis & carne abstinuit, nuptias damnauit. 737.1.c. Paulum legis suæ hostem, Apostatam & Græcum per contumeliam vocabat. 4.1.a. 389.1.a
Ebrietas iuncta libidini est. 532.1.b. ebrietas vna per se peccatum mortale est. 235.2.d. eius mala. ibid. 532.1.d. an semper sit culpa mortalis. 457.2.a.c. quando ab eo excusetur. 235.2.d. ebrietas animi quæ sit. 666.2.b
Ebrij, serui sunt vini. 823.2.d. quare in corpus suum peccent. 238.1.c. ebrius numquam est castus. 532.1.b
Ecclesia tota Paulum, antonomasticè Apostolum nominat. 9.1.d. Apostoli sunt eius quasi caput, prophetæ oculi, doctores linguæ, virtutes manus, œconomi pedes. 303.1.b. eius pulchra descriptio. 200.1.b. 794.2.a. quomodo formata de carne & ossibus Christi. 536.1.c. 2.c.d. eius spirituales dimensiones. 499.2.c. est mons spiritualis & cælestis. 969.1.b. visibilis est. 200.1.b. 732.1.d. non potest errare in fide. 2.a. est eadem vbique. 200.1.b. numquam potest deficere. 149.1.b. vetus est, cuius pars detrita est Synagoga, pars integrior Ecclesia noua Christi. 417.2.a eius triplex augmentum. 512.2.c. hereditas Abrahæ est, regnum fidelium, in quo rex Christus, pater & patriarcha Abraham. 66.2.a. in Ecclesia sunt electi & reprobi, secùs ac Caluinus docet. 794.1.b.c. cur stellifera Ioanni apparuerit. 319.1.c. 584.2.b. non iudicat paganos, & cur. 233.2.a. ab ea petenda in dubiis fidei stabilis resolutio. 732.2.c. eius lapis fundamentalis Christus. 490.1.a. est templum Dei. 372.2.b. allegoricè per Ierusalem designatur. 17.2.b. 450.1.b. est complementum Christi tamquam sui capitis. 482.1.2. est plenitudo, nam Dei donis impletur. 617.2.b. amor Christi erga eam adulterio Dauidis designatur. 80.2.b. Ecclesiam Christianorum Apostolus exponit, per cælestia. 920.2.a. 921.1.a. eius continuatio & duratio. 149.2.b.c. quæ didicerit per traditiones. 782.2.b. eius principes sunt Petrus & Paulus. 13.1.a. eius ministris commendatur diligentia. 266.1.a. veritatis est columna & firmamentum actiuè & passiuè. 730.2.b.d. antonomasticè dicitur corpus. 534.2.d. quam multos peperit Deo. 450.2.a. est virgo virtutibus, mater prolibus. 2.a. quomodo dicatur sancta & sine ruga. 535.2.b. non euertit regum potentiam. 175.2.a. arcæ Noë comparatur. 709.2.c. eius caput Christus quatuor modis. 283.2.a. 481.1.c. vocatur Sion ob varias rationes. 450.1.b. 970.1.c. an sit orbis terræ futurus. 853.2.d. Ecclesia magna est familia & domus. 728.2.d. 729.1.c. ei cur datus à Deo calceus ianthinus. 599.1.c sub Antichristo non deficiet. 687.2.b. eius anima est fides & charitas. 794.2.a. eius conuentuum olim octo exercitia. 318.1.a.b. & seqq. in quibus adhuc eos obseruet & retineat. 2.a. eam ornant variæ Religiones & Ordines. 202.2.a. oliua comparatur. 154.1.a. eam sibi quomodo Christus vniuerit. 539.1.a. eius figura candelabrum templi Iudaici. 908.1.b. in quibus locis possit statuere vt fidelis deserat vxorem infidelẽ. 248.2.a. eius vita est Martyrum mors. 356.2.b. eam numquam defecisse contra hæreticos probatur. 149.1.b.c. 418.2.b.c. cur vetuit matrimonium Christiani cum hæretica, & irritauit Christiani cum pagana. 259.1.a. in ea quomodo sint hæretici & schismatici. 233.2.b. quàm dignè pro viduis oret. 746.2.a. est corpus Christi, & Christus est corpus Ecclesiæ. 301.1.d. eius fundamentum est Christus, id est fides Christi viua per charitatem. 216.1.c. tabernaculo fœderis & Sancto sanctorum denotatur. 373.1.a. 900.2.a. 907.2.b. ad Ecclesiæ regimen spectantia non omnia Christus constituit, sed multa reliquit successoribus. 818.1.d. causa sanctitatis vetat carnes, vt medicus causa sanitatis. 738.2.a. quando & quare præcepit Eucharistiam à ieiunis sumi. 307.2.a. quomodo de sursum esse dicatur. 450.1.a. cur libera, & mater fœcunda. ibid.c.d. corpus eius ordine suo compactum. 513.1.d. eius membrorum iunctura vnde & qualis. 2.a. 509.1.a. & eadem mystica. 509.2.d. Ecclesia qua pace gaudeat. 450.1.b. quam habeat libertatem. ibid.c. eius triumphus à Dauide præmonstratus. 504.2.b. eius ministri sunt duplices, aut Episcopi, aut diaconi. 165.2.a. solida, æterna est & cælestis. 907.1.d. eius pars alter in angelis collapsus. 476.2.b. membra illius sumus omnes. 302.2.c. ei conueniunt sex corporis & membrorum proprietates. ibid.d. Christus eius anima est & vita. 510.2.c. nemo in ea ministrat, qui ad tale ministerium non habet titulum. 165.2.d. cur ad Ecclesiam & antiquitatem in dubiis confugiendum. 5.1.c.d. ligneam crucem in titulum erexit, quasi in trophæum. 597.2.d. tolerauit initio errores aliquos in recèns conuersis Iudæis. 185.1.d. Ecclesia an in solis Elia, Elisæo & paucis sacerdotibus, Eliæ tempore constiterit. 149.1.d. Ecclesiæ instaurationem & reformationem petit Psaltes psalmo ci. 849.2.d. Ecclesiæ & corporis humani similitudo quadruplex. 164.2.d. ipsa est amplius & perfectius tabernaculum per quod Christus transiuit. 914.2.c. Ecclesiæ militantis & triumphantis typus. 886.2.b. vtriusque caput est Christus. 481.1.c. Ecclesia triumphans cur dicatur

dicatur Sion. 970.1.c. *Ecclesiæ præsentis & futuræ successu Paulo in suo raptu reuelatus.* 405.1.d. *Ecclesiæ epithalamium est psalmus* XLIV. 848.2.b. *Ecclesiæ communis oratio à tota Ecclesia approbata, diiudicari & examinari non debet.* 314.2.b.c

Ecclesiæ olim regebantur non iurisdictione distincta, sed communi presbyterorum consilio, labore & spiritu. 557.1.a. *ecclesiarum cura & solicitudo suauis est.* 401.2.c

Ecclesiæ Abyssinæ etiamnum seruant ritus Apostolicos. 16.

Ecclesia Lutheri ante Lutherum fuit, vbi erat Lutherus antequam nasceretur. 149.1.c

ab Ecclesia Romana veritas fidei & Apostolicæ traditionis petenda. 5.1.d 34.1.b

Ecclesiastica potestas est immediatè à Deo. 176.1.d. *ecclesiastica disciplina nimia facilitate eneruatur.* 344.2.b. *ecclesiasticæ hierarchiæ præsunt angeli extremi ordinis.* 285.2.c

Ecclesiastici quomodo mensæ benedicant. 739.2.a. *eorum duo munia, doctrina & ministratio.* 175.2.b. *iis quibus in rebus gloriandum.* 400.2.d. *ecclesiasticis Superioribus obediendum.* 982.1.b

Ecdiciam Augustinus taxat quòd inscio marito laicam vestem deposuisset. 746.2.b

Echineis qua virtute naues detineat. 2.1.c

Edocti à Deo non reuertantur ad legis antiquæ elementa. 444.2.d

Edmundus Campianus Martyr Anglus in loco supplicij proclamauit, Spectaculum facti sumus, *&c.* 227.1.a

S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus quantum horruerit peccatum. 963.1.c

Eduardus III. rex & Egitha in coniugio virgines. 242.1.c

Educatio bona maximus thesaurus. 542.1.a. *est quasi plena generatio, & completa filiorũ formatio.* 722.2.a

Effectus prædestinationis. 474.2.d. *effectus sanctæ communionis.* 277.2.c

Efficacia prædestinationis petenda ex præscientia. 791.2.c

Egestas in animo patienti quietem, imò copiam parit. 355.1.d. *egestatem fugiens minùs habeat vt minus desit. ibid.*

Eleazarus Iudæus coryphæus sectæ Galilæorum. 828.1.b

Eleazari Iudæi senis, simulare nolentis, constantia in suilla repudianda. 143.1.d. *ab Antiocho Epiphane in tympano extendebatur.* 954.1.c.d

Electi sunt omnes veri Christiani, nimirum completè ad gratiam, inchoatè verò ad gloriam. 118.2.a. *electi sunt signati in præscientia Dei.* 792.2.b. *sunt filij Dei.* 32.1.c. *electi vocantur, etiam ad gloriam christianissimi vocati.* 18.2.d. *electi efficaciter ad gloriam, non sunt vasa misericordiæ.* 137.2.d. *eorum spes inconfusibilis.* 76.1.b. *considerant ea in quibus ab aliis superentur.* 571.1.c. Vide *Boni, Sancti.*

Electio quomodo sit in nostra potestate. 793.2.b. *electio Dei prima non pendet ab hominis dispositione.* 473.2.c. *electio gratiæ opponitur electioni ex operibus legis vel naturæ.* 150.1.d. *electio vnius præ alio non potest esse, nisi sit distinctio in ipsis electis.* 129.1.a. *electio Isaaci & Iacobi non fuit ex meritis præuiis, nec Ismael & Esau repulsa ex demeritis.* 135.2.d. *electio duplex, vna ad gratiam, ad gloriam altera.* 18.2.c. *& hæc duplex, vna inchoata, altera completa. ibid. electio Christi facta ex solo Dei beneplacito, hominum verò ex meritis Christi.* 472.2.d. *circa electionis diuinæ negotium tria notanda.* 200.2.d

Electri pretiositas. 14.1.c

Eleëmosyna quibus & qualibus danda. 884.2.b. *est sacrificium odoratum Deo & Sanctis.* 193.2.b. 413.2.d. *eam dans plus à pauperibus accipit, quàm det.* 193.2.c. 831.1.c. *eam erogare functio olimerat diaconiæ.* 166.1.c. *est ars omnium quæstuosissima.* 386.2.d. *eius triplex fructus. ibid. Deo est gratior quàm sacrificium.* 981.2.c. *est immortalis.* 385.2.a. *cur vocetur actus iustitiæ. ibid. ea est quasi vltimum remedium suadenda in peccato obduratis.* 385.2.b. *opes confluunt ad eos qui erogant illas.* 385.2.c. 386.1.c. *eleëmosynæ heroicus actus est dare supra vires, imò dare omnia.* 380.2.d. *liberalis eleëmosyna vocatur benedictio.* 383.2.b. *idq; triplici de causa.* 384.1.b. *eam seminans bis metet.* 387.1.b. *eius perfectio & meritum consistit in promptitudine voluntatis.* 380.2.a. *eleëmosynarum & collectarum pro Hierosolymitanis quæ origo, & quamdiu ille mos durarit.* 378.1.a

Eleëmosynarium ditat assiduè Deus, vt habeat semper quod eroget. 385.2.d. *& seqq. ita det vt gaudeat se dare, putans se magis accipere, quàm dare.* 167.1.a. *obedit Euangelio & consiliis Christi.* 388.1.b. *qualis esse debeat.* 166.2.b. *Dei colonus est.* 387.2.a. *hilaris sit in dando.* 384.2.b

Elegantia Mosis significabat eum Deo placere. 950.2.a

Elementa mundi dicuntur principia mundanæ sapientiæ. 443.1.b 624.2.c. *elementa quomodo tempore iudicij & pòst in impios sæuitura sint.* 932.2.d. *iis animam dedit Origenes.* 110.2.c. *elementa quæ, ad quæ redibant Galatæ.* 445.1.a. *ea docuit lex vetus.* 443.1.b.

Eleuatio manuum quomodo vocetur incensum & sacrificium vespertinum. 718.2.a

Elias curru igneo raptus ad cælum. 257.2.a. *eius pusillanimitas.* 148.2.a. *ei Paulus confertur.* 9.2.b. *est à coruo sustentatus.* 956.1.c. *est angustiatus à Iesabele. ibid. est parens Carmelitarum.* 2.b. *dicitur vir pilosus à melote.* 956.1.a. *ipse & Enoch sunt in paradisum translati.* 924.2.a. *eorum mors quando contiget & quomodo.* 686.2.c. *quamdiu prædicabunt in fine sæculi. ibid. contra Antichristum certabunt.* 678.1.a. 924.2.a. *Elias & Eliseus cur vsi melotis.* 956.1.a. *in montibus versati sunt.* 2.b

Eliæ Abbatis victoria de tentatione carnis. 102.1.a

Eligere matrimonium vel calibatum vniuscuiusque arbitrio relinquit plerumque Deus. 242.2.d

Elisabetha S. Ioannis matris, mater an oriunda ex tribu Iuda. 895.2.a

S. Elisabetha Hungarica quàm illustris fuerit vidua. 747.2.c

Eliseus in quo sit typus Christi. 574.1.d. *petijt Eliæ spiritum duplicem, id est multiplicem.* 9.2.c. 755.2.b. *eius & Pauli comparatio.* 9.2.c

Ellipsi sæpè vtitur Apostolus, etiam sententia. 23.2.a

Elogij liberum responsum ad tyrannum. 886.1.b

Elogia Pauli Apostoli. 3.2.a. *& seqq.*

Elohim Dei prouidentiam in mundo regendo significat. 551.d

Eloquentia mundana cur abstinuerit Paulus. 212.1.d. 397.2.c. *vana ea est & hæreticorũ propria.* 203.1.a

Eloquia Dei credita Iudæis quæ sint. 52.1.b

Elpidophorus apostata à Muritta diacono sugillatur. 85.2.b

Elxai quas Christo dimensiones affinxerit. 497.2.c

Elymam Magum confutauit Paulus. 112.d

S. Elzearius in vulnere lateris Christi inueniri se posse dixit, rogatus vbinam hæreret. 636.2.d

Emblema Machabæorum. 118.1.c. *serui.* 542.2.c

Emersio hominis iam baptizati ex aqua significat Christi emersionem ex morte & sepulcro. 635.1.a

Emptus & Redemptus glorioſum Christiani nomẽ. 238.2.b

Empyreum cælum an sit quadratum an sphæricum. 900.2.a. *id intelligitur per tertium Pauli.* 403.2.b

Enalla-

Enallage frequens apud Apostolum. 21.1.b.323.1.a

Encænia vnde dicantur. 930.1.b

Encratitæ duas Pauli epistolas sustulere. 4.1.a. *foru viuebant castißimè, domi turpißimè, ideoq; damnabant nuptias.* 735.2.c.736.2.b. *eorum parens Tatianus.* 736.2.b

Enim *pro* igitur *capit interdum Apostolus.* 59.2.a. *interdum pro* autem. 21.2.a

Ennæas Valentini perstringit sæpè Apostolus. 616.1.a

Enoch quomodo translatus per fidem. 924.2.a.c. *eius innocentia insignis & vnio cum Deo causa fuit huius raptus. ibid.c. quomodo ambularit cum Deo. ibid.* 657.1.a. *eo prædicante conuertentur Iudæi.* 155.2.c. *quamdiu prædicabit in fine sæculi.* 686.2.c. *quando morietur, & quomodo. ibid. certabit cum Antichristo.* 920.2.a. *certum est, contra Iudæorum errorem & dubium, cum non esse mortuum. ibid.b.*

Epaminondæ glorioſum certamen & mors. 269.1.a

Epaphras a Colossensibus ad Paulum missus, vt ei in vinculis seruiret. 611.1.b. 613.1.d. *hinc dicitur seruus Ecclesiæ Colossensis. ibid. factus dein Episcopus Colossensis, simul curam gerebat Ecclesiæ Laodicensis & Hierapolitanæ.* 837.2.b

Epaphroditus Philippensium Episcopus à suis Romam ad Paulum vinctum missus, ibi in morbum incidit, sed conualescens rediit ad suos cum epistola Pauli. 555.1.b. 585.1.b. *eum à quinque Paulus commendat.* 585.1.b. *quomodo Philippensium dicatur Apostolus. ibid.c. quo ardore ad suos consolandos redire optarit. ibid. Paulo vincto cum vitæ periculo seruiuit.* 2.c

Ephesus quàm philosophia abundarit; fuit Asiæ Minoris metropolis, dedita idololatriæ & magicis artibus: erat ibi celeberrimum Dianæ templum, ibiq; residebant Asiæ primarij, & ipse Proconsul. 335.2.b.470.1.b. *ibi cur Apostolus diutiùs manere statuerit.* 335.2.c. *ibi biennio mansit, hinc totâ Asiâ notus.* 612.1.a.

Ephesij docili & facili erant ingenio. 827.2.b. *eorum in fide suscepta constantia. ibid.* 470.2.c

Ephod pontificis, typus erat cali siderei. 738.1.b

Ephraimitica tribus maior reliquis tribubus. 918.2.c

Ephraimitæ blasi erant. 317.1.b

S. Ephrem quàm in sua paupertate fuerit sufficiens. 763.1.a. *numquam cum aliquo Christiano contendit.* 788.2.b. 795.1.d

Epictetus philosophus initio nascentis Ecclesiæ fide Christianæ falsa pietate obesse voluit. 203.2.b. *eius documentum de patientia.* 369.1.c

Epicuream vitam agebant Corinthiani. 598.1.c

Epicurus cur plures quàm alij philosophi habuerit sectatores. 799.1.c. *tollit Dei prouidentiam, voluptatem deam facit.* 106.1.b. 624.1.b. *de futuro non fuit sollicitus.* 328.1.a

Epimenides Cretensium propheta. 819.2.c. *sacerdos fuit Solis, scripsit librum de oraculis. ibid.c.d. eius carmen citat Apostolus.* 820.1.a

Epiphaniæ festum vnde ita dicatur. 780.1.d

Epiphanius quàm pacificus esset. 519.2.d

Episcopatus nomen est operis, non dignitatis. 723.1.c. *episcopatus vnde dicatur. ibid. indecenter appetitur, nisi à Deo quis vocetur.* 2.c. *est opus arduum.* 724.1.a. *olim erat gradus ad martyrium. ibid. eum petere est ambitio. ibid.b. est onus angelicis humeris formidabile. ibid.c. non tantùm est functio, sed etiam dignitas episcopalis.* 32.2.c

Episcopus vnde dicatur. 594.1.b. *quot testibus accusari debeat.* 756.1.c. *ad prædicandum iure diuino tenetur.* 804.1.b. *eius munus prædicare verbo & opere, resistere pseudoapostolis, & sanam doctrinam tueri.* 202.2.d. 166.1.c.708.1.c. 775.1.a.787.1.a. *esse debet instar Solis, & angeli.* 725.1.a. *esse debet sine crimine infami.* 812.2.a. *filios quare debeat habere fidelis & non luxuriosos. ibid. non sit auarus.* 819.1.a. *debet esse exemplar bonorum operum.* 824.2.c. *ab omnibus animi perturbationibus sit alienus.* 819.2.c. *quasi pugil pro Christo decertet.* 786.1.c. *eius est auersari hæreticos.* 799.2.b. *ab eo quomodo arguendi cernicosi.* 827.2.a. *comis sit.* 652.2.b. *eius qualis debeat esse doctrina.* 815.1.a. *Episcopus est mator presbytero.* 818.1.a. *et necessaria fortitudo, charitas, sobrietas, & continentia.* 778.1.d. 2.c.d. *pauperum & vilium personarum curam suscipere debet.* 824.2.b. *eius prima dos scientia.* 728.1.d. *esse debet Licentiatus in Theologia vel Iure canonico. ibid. animata sit lex populo.* 143.1.a. *Episcopus & rectè doceat, & sanctè viuat.* 709.2.a.806.2.a *Episcopus & sacerdos in quo pares, in quo dispares.* 557.1.a. *sæuiente persecutione apud suos maneat.* 567.2.c. *ei suberant presbyteri tempore diui Pauli* 537.1.b. *in eo qualis sit dos, esse vnius vxoris virum.* 726.1.d. *quantus & qualis esse debeat.* 725.1.b.728.1.d. & *seq. sedecim in eo dotes exigit Apostolus.* 725.1.c. *eius gloria est crux Christi.* 779.1.c. *hospitalis sit.* 728.1.b. *eius est prodesse magis quam præesse.* 723.2.c. *monogamus sit oportere ostenditur contra Caluinum.* 750.1.c.d. *ab aliis Episcopis ordinatur, qui ordinando manus imponunt.* 743.2.d. *et prudentia necessaria.* 727.1.a

Episcopus quidam Arrianus templum S. Pauli inuadens ab eo excacatur. 12.1.d

Episcopus Ostiensis quomodo Papam benedicat. 892.1.c

Episcopus Pergami & Thyatiræ in Apocal. redarguuntur quòd suos manducare permiserint de idolothytis. 260.2.b

Episcopi quando, & quare à presbyteris distingui cœperint. 202.1.b.557.1.b.818.1.a. *sunt in celebrioribus opidis constituendi.* 817.2.d. *olim creabantur per designationem Dei.* 708.2.b. *in parœciarum visitatione Iure Canonico iubentur inquirere num hospitalitas rite exerceatur.* 975.1.c. *non debent sæpati despici à nobilibus* 827.2.c.d. *iis olim commissum iudicium causarum sæcularium.* 234.2.d 756.1.b. *sed eas ad iudices seculares reiecerunt.* 235.1.a. *eorum munus orare pro se & suis.* 711.1.a. *per eos significantur Parochi & Presbyteri.* 165.2.a. *sunt custodes doctrinæ per manus traditæ.* 772.1.d. *esse debent perfecti antequam ad statum episcopalem assumantur.* 725.1.a. *non aspernentur, sed doceant seruos obedientes heris etiam infidelibus.* 700.1.a. *olim viduas curabant.* 746.2.a. *posteriores Episcopi sanctißimi & doctißimi, fere celibes.* 726.2.a. *eorum corona populus est.* 601.1.a. *eorum quæsita militia & agon.* 709.1.a.c.786.2.a. *iis catechismus suadetur.* 464.2.d. *nouos canones condere possunt.* 319.2.c. *olim in sacris conuentibus prædicabant.* 318.1.b. *sunt duces ad bellum cum hæreticis, vitijs, tyrannis & dæmonibus ineundum.* 709.1.c.778.1.b

in Epistolis non est necesse, imò non potest sæpè vnum caput alteri connecti. 183.1.b. *epistolam suam quomodo Corinthios Apostolus vocet.* 347.1.a

Epistolarum Paulinarum intellectum probè assecutus est D. Thomas Aquinas. 9.1.a. *continent hæ medullam fidei & religionis Christianæ.* 3.1.a. *earum subiectum. ibid. earum obiectum & dogmatum & ethicum.* 15. *tria mysteria maxime inculcant. ibid. quibus epistolis Iudæi & hæretici impugnentur, quibus fides & mores doceantur. ibid. omnes hæretici consentiunt has epistolas esse Pauli, non alterius cuiusquã.* 4.1.c. *eas memoriter tenebat D. Dominicus.* 8.2.d.

ſunt velut hortus virtutum auctoris ſui. 6.2.a. *quo ordine, loco & tempore ſcripta.* 16.

Epiſtolæ ad Romanos argumentum, duæ eius partes. 26. 1.a. *eius diſtributio quintuplex. ibid. b. quando hæc ſcripta, & quare primo loco ponatur. ibid. c. non latinè, ſed græcè ſcripta, græciſmis abundat.* 2.a.b. *ad litteram & apicem ex Græco in Latinum tranſlata. ibid. c. mox ab interprete Tertio conuerſa in Latinum Romanis miſſa.* 27.1.a. *cur hiulca & obſcura. ibid. ſcripta anno Chriſti 58. Corinthi, miſſa per Phœben.* 2.a. *cur hac epiſtola D. Petrum non ſaluet.* ibid.

Epiſtola prima ad Corinthios ſcripta Epheſi, miſſa per Timotheum. 198.2.c

Epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios argumentū & obiectum. 336.1.a. *vbi ſcripta & per quem lata.* ibid.

Epiſtolæ ad Galatas eſt quaſi compendium eius ad Romanos. 415.2.b.460.1.c. *eius argumentum.* 415.2.b. *vbinam ſcripta.* ibid.c

Epiſtolæ ad Epheſios argumentum. 470.1.a. *vbi ſcripta & quando. ibid. c. eius ſtylus. ibid. & qua occaſione ſcripta.* ibid.2.a

Epiſtolæ ad Philippenſes argumentum. 555.1.b. *quando & vbi ſcripta.* 2.a.b

Epiſtolæ ad Coloſſenſes argumentum. 611.1.b. *eſt affinis epiſtolæ ad Epheſios, cur.* 2.a. *quando, vbi, & vnde ſcripta, per quos miſſa.* ibid.b

Epiſtolæ prima ad Theſſalonicenſes argumentum, & eius ſcribendæ occaſio. 647.1.a. *vbi & quando ſcripta.* 2.a. *eſt prima omnium Pauli epiſtolarum. ibid.*

Epiſtolæ II. ad Theſſalonicenſes argumentum. 671.1.a. *vbi & quando ſcripta.* 2.a

Epiſtola I. ad Timotheum argumentum. 696.2.b. *vbi ſcripta & quando.* 697.1.a. *in eam qui ſcripſerint.* 2.a

Epiſtola II. ad Timotheum an ſcripta è ſecundis vinculis. 775.2.a.807.1.b

Epiſtola ad Titum argumentum. 814.2.a. *vbi & quando ſcripta. ibid.b. eſt compendium duarum epiſtolarum ad Timotheum miſſarum.* 1.b

Epiſtolæ ad Philemonem argumentum & occaſio. 833. 1.b. *ſcripta non dictante Spiritu ſancto, ſecundùm hæreticos.* 4.1.b

Epiſtola ad Hebræos an canonica, dubitarunt nonnulli. 4.1.d. *eſſe canonica probatur contra hæreticos veteres & nouos, ſed Concilia varia & Patres ſecùs docuere.* 838.1.a *eius auctor D. Paulus. ibid b. adſcripta olim S. Barnabæ. ibid. cur nomen ei ſuum Apoſtolus initio non præfixerit. ibid.c. qua lingua ſcripta ab Apoſtolo.* 2.c. *ſcripta Hebraicâ, non tamen pura. ibid. cur in ea citentur Scripturæ iuxta Septuaginta.* 839.1.a. *an Syriacus textus eius ſit autographum. ibid.c.d. textus Hebræus purus hic ſpurius.* 2.b. *eius argumentum. ibid. d. ſcripta Romæ & quando.* 840.2.a

Epiſtola Pauli ad Laodicenſes apocrypha. 646.1.a. *quàm breuis, frigida & exilis ea ſit: hinc ſuppoſititia eſſe colligitur. ibid. c. quænam illa cuius ipſe meminit.* ibid.d.

Epiſtolæ Pauli è carcere miſſæ quàm feruentes ſint. 470. 1.c

Epiſtola Hieronymi ad Damaſum videtur conficta. 158. 2.d

Epitaſi figura vtitur ſæpè Apoſtolus. 23.2.a

Epithalamium Chriſti cum Eccleſia eſt pſalmus XLIV. 848.2.b

Epulis ſolemnibus feſta celebrari ſolebant. 232.1.c.279. 2.a. *ea in templis inſtruebantur.* 262.2.a. *epulum iuge ſpiritale Chriſtianorum.* 232.2.b. *epulam erat pars & perfectio ſacrificij.* 260.2.b. 279.2.a. 294.1.a.

Eraſmus annotationes grammaticales in epiſtolas S. Pauli concinnauit, deq; variis fidei articulis dubiè loquens ea poſuit, quæ poſtea Lutherus & noui Arriani excluſerunt. 25.b.c.572.2.d. *dicit ſe velle diſcerpi pro veritate Euchariſtiæ.* 289.1.a.292.1.b. *apoſtolatus dignitatem carpit.* 32.2.a. *aſſerit ſcriptores ſacros interdum memoria lapſos.* 4.1.b. *eius verſio ſuggillatur quaſi pelagianizans.* 78.2.c. *eius inſulſa dubitatio in loco lucidiſſimo.* 848.2.a. *eius in Theologos ſarcaſmus.* 831.2.c. *viam ſtrauit Pelagianis & Zuinglianis.* 761.2.c. *Concilium Mileuitanum ſuggillat.* 77.1.a. *omnes Scripturæ locos de Chriſti diuinitate agentes eneruat aut detorquet.* 733.1.c. *eius ſententia de epiſtola ad Hebræos reiicitur.* 917. 2.c.918.1.a. *eius impudentia ſuggillatur.* 244.2.b. *eius efficax argumentum pro veritate Euchariſtica.* 289.2.c

Eraſtus quæſtor Corinthius quis. 196.2.b

Eremitæ diebus Dominicis ad ſacras ſynaxes & preces in eccleſiam conueniebat. 931.2.c. *eremitæ varij quàm grauiter à dæmone decepti ſint.* 398.2.b.c. *eorum abſtinentia, & in corpore edomando ſtudium.* 271.1.a. 737.2.a

Eremitica vita ab Apoſtolo non damnatur. 630.2.d. *eam malè reprehendunt Nouantes.* 931.2.c

Error omnis non diu conſiſtit. 800.1.d. *errores hominum circa Deum ante Chriſtum.* 37.2.c. *errorem in cognitione ſequitur error in actione.* 42.1.c. *error Iudæorum circa SS. Trinitatem.* 351.1.a. *errores aliquos in Iudæis recèns conuerſis tolerauit Eccleſia primitiua.* 185.1.d

Eſau non reprobatus à ſalute æterna, ſed benedictione paterna. 968.2.a. *verſimiliter ſaluatus eſt, & aliquot eius poſteri.* 130.2.c. *in poſteris, Iacobæis ſeruijt.* 129. 1.d. *quomodo ſecundùm litteram odio habitus.* 131. 1.b. *ipſe dum dicitur odio habitus, poſteri eius intelliguntur.* 130.2.b. *quomodo vocetur profanus.* 702. 1.a. 967.2.a. *ipſe vendens primogenituram peccauit peccato ſimoniæ & gulæ.* 967.2.d. *vendidit eamdem ex intemperantia.* 968.1.a. *quæ fuerint primogenita quæ vendidit Iacobo.* 876.1.c. *ipſe auctor reuocationis præputij, an ideo à Deo odio habitus.* 249.1.a

Eſauitæ odio habiti à Deo ob ſua peccata. 129.1.a

Eſca quomodo non commendet Deo. 262.1.c. *eſca lactis oppoſita quid ſit.* 214.2.a. *eſcæ quàm vilis ſit res.* 236.1.d.262.2.a

Eſdras auctor Cabalæ bonæ, ſed non Iudaicæ. 704.2.a

Eſſe in lumbis quid ſit. 893.1.c

Eſſeni ante cibum precabantur. 739.2.c. *vitam ſanctiorem profitebantur.* 589.1.c

Eſſentia diuina an ſint inuiſibilia Dei. 38.1.d. *eam an in raptu viderit Paulus.* 404.2.c

Eſt in conſecrationis verbis ſignificat inſtantaneam mutationem eamq; conſtantem. 293.1.d. *non videtur eſſe de eſſentia conſecrationis. ibid.c. omitti tamen non poteſt ſine peccato graui. ibid. Eſt aſſertiuum tripliciter exponitur.* 341.1.d

Eſus carnium polluit hominem per inobedientiã. 739.1.a

Et interdum cauſam vel auxeſin ſignificat. 116.2.c. *ipſum pro id eſt ſumit Paulus.* 21.2.a

Ethelreda Anglorum regina bis nupta ſemper virgo permanſit. 242.1.c

Ethnicos Eccleſia non iudicat. 233.2.a. *velato capite diis ſuis ſacrificabant.* 284.2.c. *iis fideliores ſunt Chriſtiani principibus ſuis.* 176.1.c. Vide Gentes.

Etymon nominis Abraham. 450.2.c. *nominis Pauli.* 28.1.a

Eam Deus ab Adamo separato in loco formauit, & allocutus est, & ad Adamum deduxit. 536.2.b.c. *an, si sola ipsa peccasset, omnes homines peccatum contraxissent.* 76.2.b. *eius formatio proprie non metaphoricè intelligenda.* 516.2.a. *quo sensu dicatur seducta, non Adam.* 711.2.b.c

Euagrio virginum index est animi non satis casti. 286.1.c

Euagrius philosophus syngrapha reddita testatus est centuplum se in cælo pro collata eleëmosyna recepisse. 86.2.c

Euangelium quomodo dæmon voluerit decipere. 546.2.c

Euangelistæ opus quod & quale. 806.1.d. *Euangelistæ græcè scribentes aliquibus vocibus Latinis vsi sunt.* 280.2.a. *Euangelistæ qui sint.* 508.2.a

Euangelium prædicandum quibusuis Gentibus. 144.1.d. *quando id fiet vel factum sit.* 146.1.c. *euangelium de Christo & iustitia fidei, etiam tempore Abrahæ notum.* 434.1.b. *euangelium gloriæ, id est gloriosum, quinque ob causas dicitur.* 702.1.c. *plenam docet iustitiam & perfectionem hominis.* 139.1.a. *ei alia lex non successit.* 138.2.d. *id vti promissum Iudæis, ita & reuelatum est.* 50.1.b. *id quomodo omnibus gentibus prædicatum intelligatur.* 146.1.c. *euangelium pacis quod dicatur.* 551.1.c. *euangelij mysteria Paulo in suo raptu reuelata.* 404.1.d. *id fuit ab æterno in secreto diuinitatis consilio.* 197.1.a. *operatur salutem animæ & corporis.* 35.1.c. *euangelij prædicatio non est vnicum in Ecclesia sacrificium.* 192.1.d. *est id norma sacræ doctrinæ.* 702.1.b. *quomodo dicatur prædicatum omni creaturæ.* 618.1.d. *euangelium sanctificare & implere quid sit.* 192.1.a.b. 2.b. *eius auditus non confert vitam, vt volunt Nouantes.* 535.1.a. *id est veritas lex vetus vmbra.* 94.1.a. *euangelium cur cum Apostolis contulerit Paulus.* 424.1.b. *ipse quomodo id confirmarit.* 559.2.a.b. *id quasi gemma implet & ornat mentes hominum.* 192.2.d. *quasi fulgur pernasit orbem.* 618.2.b. *legis est compendium.* 138.2.d. *fidei & pietatis docet perfectionem.* 443.1.b. *est confirmatio & obsignatio legis & Prophetarum.* 602.c. *in eo reuelatur vera iustitia, quæ est & proficit ex fide in fidem.* 36.1.a. *euangelij præparatio est calceus militis Christiani.* 550.2.a. *eius tempus diei assimilatur.* 180.1.d. *euangelij libertas duabus in rebus sita est.* 449.2.d. *euangelij tempus, tempus est gratiæ.* 368.1.b. *eius prædicatio non est laicorum munus.* 192.1.b

Euangelij scriptus codex ægrotis applicatus, sæpè morbos eorum sanat. 35.1.d. *euangelium S. Matthæi Hebraicum à Sebastiano Munstero editum spurium est.* 859.2.b. *Euangelium S. Marci Romæ conscriptum est.* 107.1.b. *euangelium S. Ioannis gestare & legere vnde inductum.* 35.1.d. *euangelium secundùm Hebræos apocryphum est.* 322.1.b

Euangelizantes æquum est ex euangelio viuere. 264.2.c. *euangelizantium pedes laudantur, hi sunt ipsi Apostoli discurrentes per totum orbem.* 144.2.b.c

Euangelizare gratis consilium est euangelicum. 266.1.b

Eucharistia quare dicatur hoc nomine. 277.1.a. *vere Christi corpus continet.* 272.2.d. 277.1.d. *& seqq.* 273.1.b. *eius sumptio panis fractione designatur.* 278.1.d. *non mutatur in nos, sed mutamur in illam, & Christo incorporamur.* 2.b. 537.1.8. *eius sacrificium publicè durabit vsque ad finem sæculi & Antichristum.* 295.2.d. *dicitur panis per hebraismum.* 278.1.c. 290.2.c. *sanguinem Christi nobis dat vt arrham promissionis & pacti de æterna hereditate nobiscum initi.* 295.1.c. *quo affectu sumenda.* 2.c. *olim baptizatis dabatur.* 278.2.c. 441.2.b. *olim ad amicos absentes mittebatur.* 279.2.b. *imtio in manus data Christianis, postea in os.* 288.2.a. 718.1.c. *tempore persecutionis sub specie vini percipiebatur, vt ad sanguinis effusionem animarentur Christiani.* 297.2.d. *ipsa sola sacrificium propriè dictum.* 192.1.d.c. 279.1.c. 295.1.c.d. *eius sumptioni olim cœna præmittebatur.* 287.2.b.c. *vita est bonis, mors malis.* 346.1.c. *ipsa non potest intelligi per rationabile obsequium.* 161.2.b. *quare dicatur mysterium fidei.* 730.2.b. *est omnium Sacramentorum complementum.* 537.1.a. *à ieiunis est sumenda.* 288.1.a. *quomodo est commemoratio sacrificij crucis.* 295.1.b. *quid nobis impetret.* 929.2.c. *est hostia laudis, siue gratiarum actio.* 981.1.c. *est vinculum charitatis: vnde vocatur synaxis.* 278.2.c. *quâ quotidie offertur, est plura Sacramenta, sacrificia & hostiæ.* 920.2.c. *cum manna confertur.* 273.1.b. *& seqq. in ea Christus eiusq; corpus nihil patitur, sed tantùm species.* 292.1.a. *panis in ea non manet panis, sed transsubstantiatur.* 291.1.c. *qua animi præparatione ad eam accedendum.* 296.1.d.2.c. *eam sumentes fiunt participes sacrificij Eucharistici.* 279.1.a.d

Eutychitarum error de obligatione semper orandi. 553.1.b

Eugubinus docuit hominem etiam ante lapsum moriturum fuisse, & mori ex naturæ necessitate. 105.1.d

Eunantes se apud Romanos grauissimè puniebantur. 302.1.b

Eunice mater Timothei Iudæa erat, quid latinè sonet. 777.1.a. *Christiana fuit.* 696.1.a

Eunomiani asserunt solis naturæ viribus Deum videri à nobis posse. 91.2.c. *eorum hæresin inspiranit diabolus.* 735.1.b

Eunuchi qui sint per impotentiam moralem. 250.2.b. *bi propter regnum cælorum promerendum se castrant.* *ibid. eunuchi quomodo in venerem proniores.* 455.1.a

Euodia rem Christianam Philippis promouit. 602.1.a

Euphrasia illustris vidua Romana in solitudinem Thebæam concessit. 747.2.b

S. Eurosia Bohemiæ regis filia à Mauroris principe capta maluit mori, quàm ei nubere: eam inuocantes in quacumq; tempestate à Christo exaudiuntur. 248.1.c

S. Eustathius inuocatur in infortunijs. 863.2.a

Eutrapelia quænam sit virtus, & quænam ei aduersentur. 525.2.d

Eutropius ad imum lapsus è summo honorum gradu. 771.1.c

Eutyches in Christo vnam naturam ac personam ponebat, eamq; diuinam. 366.1.c. *idem docuit Verbum in carnem transformatum.* 575.1.d

Eutychius Patriarcha Constant. asseruit corpus in spiritum vertendum, sed errorem à S. Gregorio monitus reuocauit. 310.1.a

Eutychum Paulus à morte resuscitat. 11.2.c

Ex præpositio competit Deo Patri, vt primo principio. 137.2.d. 261.2.d

Examen sui particulare quantum conducat. 595.2.a. *quomodo & quando instituendum.* *ibid.a.b. examen particulare tribuit Apostolus igni Purgatorij.* 219.1.b. *examen acre diuini iudicij an per ignem exponi queat.* 217.2.a

Examinet suum opus quisque, non verò alterius. 463.2.d

Exauditus quomodo sit Christus orans. 876.2.c

quatuor modis Deus Exiæcat hominem. 20.1.a

Excellentias sex sibi meruit Christus. 576.1.d

Excelsa sunt dicta altaria, ea an licuerit euertere. 148.2.a

Excessus mentis quid sit, & quorum. 364.2.c

Excidere homo à gratia potest. 154.1.c

Excõmunicandi potestas non est plebi & laicis data. 230.1.a. *eam Christus Ecclesiæ suæ dedit.* *ibid.c*

Excommunicati quare dicantur tradi Satanæ. ibid.d. *dicuntur absolui, non verò iis dicitur condonari.* 344.1.d. *olim à dæmone corporaliter vexabantur.* 230.2.c. *dicuntur possideri à dæmone.* 709.2.d
Excommunicationis finis. 230.2.d. *excommunicationis gladius sobriè exerendus.* 390.2.d. *idque non ad perditionem, sed ad emendationem peccatoris.* 710.1.a.
mendaces conscientiæ Excusationes Deus quomodo dispellat ac reuelet. 49.1.b
Exemplaria cælestium quid sint Apostolo. 920.1.c. & *seq.*
Exemplum conformantis se voluntati diuinæ. 163.1.c. *exempla coniugum in coniugio continentium.* 242.1.a. *eorum qui non depauperati, sed ditati sunt dando eleëmosynas.* 386.1.d. *centuplicationis per eleëmosynam in vtraque vita.* 2.b. *punitionis indignè communicantium.* 297.1.a. *fortitudinis Martyrum.* 886.1.a. *subitæ obliuionis.* 151.1.c. *pœnitentium,* 377.1.a.b. *obliuionis iniuriarum.* 173.2.d
Exempla patrum defunctorum sunt calcei spirituales. 550.1.c. *exempla Sanctorum mirè homines excitant* 707.1.b. *exemplum Christi excitat ad eleëmosynã.* 379.2.d. *exempli bonorum operum magna vis.* 931.1.d. 959.2.a. *exemplo docendi alij.* 6.1.c. *per exempla breuis est doctrina virtutum, longa per verba.* ibid.
Exercitatio corporis ante cibum confert ad valetudinem. 741.2.c.d
Exercitium bonorum operum nobis liberum est. 486.1.d. *exercitia octo olim erant conuentuum Ecclesiæ.* 318.1.a. *exercitio virtus omnis addiscitur, magis quam studio.* 740.2.c
Exercitus Gog & Magog venient ad Antichristum in Ierusalem. 688.2.c
Exhortatio operatur tolerantiam, effectiuè ad eam excitando. 339.2.d. *exhortatio & consolatio species est prophetiæ.* 166.1.b
Exinaniuit seipsum Christus, quomodo. 573.2.d
Exire de lumbis est gigni, cur. 881.2.c
Existimatio sui dissuadetur. 164.1.a
Expansæ manus speciẽ exhibent Christi crucifixi. 719.1.a
Experientia tantùm generat fidem humanam, non autem diuinam. 212.1.c
Expiatione annua pontificis Iudaici omnia populi peccata condonabantur; eius ritus. 911.2.d
Exprobratio ad peccatorem Christi indicantis. 44.2.c
qualis Exspectatio gloriæ in creaturis. 110.1.b
Exspectare cur Apostolus iubeat inuicem Corinthios, dum ad manducandum conueniunt. 297.1.c.d
Exstasis, summa & maxima amoris proprietas. 429.2.c
Exterior homo quis sit, & quibus ab Apostolo nominibus vocetur. 99.2.c. *eius proprietates.* ibid.
Exterminator angelus an fuerit S. Michaël. 275.1.c
Exuperij Episcopi Tolosani paupertas. 370.2.b
Ezechias rex Iuda piè euertit excelsa. 148.2.a

Faber Stabulensis docuit non peccatum, sed tantùm pœnam peccati transisse in omnes homines. 76.2.c. *eius error, Christi corpus localiter replere cælum & terram.* 501.1.c. *Nestorio fauet.* 87.2.d
Fabianus columbæ submissione creatus Pontifex. 708.2.b
Fabrica patris dicitur Hebræis filius. 510.2.b. *fabrica virtutum & animæ.* 491.1.b
Fabulæ Simonianorum. 740.2.a. *Iudæorum quæ & quales.* 699.1.a.b. *eas vitis Sanctorum immiscere ingens temeritas.* 2.b
Facere omnia ad Dei gloriam partim est præceptum, partim consilium. 642.2.d. *facere iustitiam legalem quid sit.* 141.1.d
Faces in portubus accendi solitæ vt nauigantibus præluceant. 584.2.b. *cur in baptismo accendantur.* 881.1.b
Facie ad faciem in cælo videbimus non solùm humanam, sed etiam diuinam Christi nãturam. 309.1.c. *facies Christi iudicis iustis erit lumen, impijs supplicium.* 672.2.b. *facies quatuor Cherubim quatuor Christi designant formas.* 844.1.b
Facta facilius à mendacio excusantur quã verba. 417.1.a
Facultas de diuinis differendi studio parta non prophetia est, sed scientia. 311.1.c
Fallacia hæreticorum. 511.2.d
Falsitas angulos quærit. 785.1.a
Fama cur alata pingatur. 649.2.c. *famam qui negligit, in proximi salutem crudelis est, quia eam ei debemus.* 171.2.a.382.2.a. *famæ & gloriæ S. Pauli* 13.1.a
Fames labore paratur. 741.2.c.d
Familiaritas infidelium cauenda. 371.1.d
Familiarum capita earumdem erant sacerdotes. 891.1.d. *familiæ Hebræis sunt domus.* 926.1.d
in Fanis olim epulabantur Ethnici ex sacrificio. 262.2.a
Fascia pectoralis sponsæ cuius rei eam admoneat. 547.1.d
Fascinum quid & quomodo fiat. 432.2.a
Fata viam inueniunt. 947.1.d. *fato Deum subiicere est eum spoliare sua diuinitate.* 301.1.b. *ei tribuebant omnia Pharisæi.* 589.2.a. *fatum Caluini hominem in desperationem adigit.* 134.1.a. *est violentius fato Stoicorum, refutatur.* 133.2.c
Faustus Socinus negauit Christum hîc in terra fuisse sacerdotem, item redemptorem. 206.2.c.901.1.c. *quæ hinc absurda sequantur.* 901.1.d
Fel in victimis Iunoni pronubæ immolatis cur eximeretur. 539.2.a. *fel iræ sedes.* 143.1.a
Felicem Præsidem vi verborum percellit Paulus. 8.1.d
Felicitas sæculi futuri. 881.1.d. *felicitas vitæ æternæ.* 92.1.c. 945.1.b.c. *felicitas in Beato causa est misericordiæ.* 702.2.a. *felicitates sæculi somnia sunt dormientium.* 529.1.a
Feminæ cum feminis commiscebantur apud infames Gentiles. 41.1.d. *multis pœnitentijs caput & corpus non frangant.* 718.1.c. *possunt committere peccatum mollitiei.* 41.2.a. *ornatus & cultus sunt studiosa.* 719.2.a. *in templo olim & fores & locum habebant distinctum.* 749.2.b. *feminas secum duxerunt hæresiarchæ.* 799.2.c.d. *eas aliud esse hominum genus aiebat Plato.* 754.1.a. *quomodo femina mas occasionatus.* 508.2.c. *mundo linteo olim Eucharistiam excipiebant, staq; ori admouebant.* 297.2.b.718.1.c. *feminarum atrium distinctum fuit ab atrio virorum in templo Iudaico.* 319.2.a. *earum loquacitas.* 1.b. *in conceptione quoque seminant.* 945.2.c. *feminæ cur virum naturaliter appetant.* 728.1.a. *apud Iudæos incapaces erant sacerdotij, sed non regni.* 895.2.b. *non in sexu virili resurrecturæ, sed in suo.* 509.2.b.c. *sunt necessariæ ad prolis propagationem.* ibid.d. *earum consortium sacerdoti vitandum.* 272.1.d. & *seqq.* Vide *Mulier.*
Feminam viduam quam dicat Sibylla regnaturam mortuo Antichristo. 689.1.a
Femoralia pontificis linea quid significarent. 713.2.b
Feria in Ecclesia vnde dicantur. 232.2.c
Ferro candenti olim proba criminis fiebat. 218.1.c
Feruens natura apta sublimi virtuti. 420.2.b. *feruentis spiritu descriptio.* 168.2.a
Feruor spiritus quomodo excitandus. 777.1.d. *feruor ad omne opus bonum in tribus consistit.* 168.1.d. *feruor primus Ecclesiæ refrixit.* 318.2.a
Festinare, signum trepidationis est. 140.2.a
Festi pars in hac vita est, in cælo totum festum. 629.1.d *festa non sunt inuenta Rom. Pontificum.* 16. *festa celebrata epulis sollemnibus.* 232.1.c. *festa Christiana Apostoli tempore nondum instituta.* 184.2.b. *festa anni*

anni quatuor apud Iudæos 445 2.c. *festa Christianorum non damnat Apostolus.* 445.2.c.629.1.b. *hæ à Iudaicis & Gentilibus festis distinguuntur. ibid.*

*Fidelis quisque ea vtatur mensura fidei ac gratiæ quam ei Deus diuisit.*164.2.b. *fideli non licet hoc ipso, quo infidelis coniux non vult conuerti, aliud inire matrimonium.* 247.2.a. *infidelem coniugem pacificam non potest dimittere.* 245. 2. d. *ei an liceat diuertere ab altero coniuge infideli, quando non vult licito & debito modo cohabitare.* 248. 1.a. *fidelis quisque suum habet talentum & charisma, eiusq; functionem.* 165. 1.a.b. *statum & conditionem quam dedit illi Dominus, retineat.* 248. 2. b.c. *fideli totus mundus diuitiarum est.* 221.1.c. *fidelis pœnitens cur iustificetur præ infideli pœnitente.* 150.1.c. *est templum Dei.* 372.1.c.2.a

Fideles peculiariter populus & peculium Dei. 689.2.a. *fideles gratiæ obedientes sunt filij gratiæ.* 150. 1. d. *cur dicuntur fundamentum.* 791. 2.c. *contra spem naturæ credant in spem diuinæ omnipotentiæ.* 68.2.c. *fideles cur dicantur Christiani.*612.2 a. *ijs quæ gratiæ darentur initio Ecclesiæ.* 298.1.a. *sunt filij promissionis.* 128.1.d. *erant corona & gloria Pauli.* 634. 2.b. *membra sunt vnius corporis, id est Ecclesia.* 164. 2.c. *& seqq. sibi & alijs operari debent.* 165.1.a. *cum tremore salutem operentur.* 342.1.a. *omnes realiter vniuntur corpori Christi, cum eoq; fiunt vnum in Eucharistia.* 278.2.b. *in primitiua Ecclesia omnes in Missa communicabant.* 279.2.b. *eorum vnio quanta esse debeat.* 302. 2.d. *fidelium communicatio.* ibid.a.b

Fidelis sermo *Apostolo tantùm valet, quantum Christo,* Amen amen dico vobis.787.2.d. *fidelis quomodo sit Deus.* 788.1.c

Fidelitatis descriptio. 52.2.b. *hæc præcipua dos est dispensatoris.*223.1.a. *item serui.* 542.2.d. *veritate indicatur.* 548.1.d. *eius signum est cingulum.* 547.1.c. *mirè ornat Christianos.* 549.1.d. *fidelitas & veritas sorores sunt apud Hebræos.* 548.2.a

Fidendum Dei promissis in rebus etiam desperatissimis. 947.1.c

Fidei essentia, obiectum, certitudo, euidentia.

Fidei quis agon dicatur. 767.2.a. *eius arcana quibus communicanda.* 785.1.c. *nobis incerta est.* 224.1.d. *fundamentum est domus spiritualis.* 792.1.b. *fides sustentat spem.* 939.1.b. *quomodo non sit omnium.* 691.1.a.b. *quomodo sit donum Dei, & tamen in nostra sit potestate.*2.a. *ei cur tribuatur salus.* 17.2.a. *non est fiducia in voluntate, sed assensus intellectus.* 69.2.c. 940.2.d. *semper est eadem quoad obiecta generica & formalia, diuersa secundùm materialia & specifica.* 37.1.c. *fides quæ inchoat iustitiam, propriè & proximè est fides in Christum redemptorem. ibid. sine fide nemo Deo acceptus, nulla vita recta.* 45.2.c. *fides resurrectionis Christi maximè necessaria.*70.1.c. *fidei salutisq; initium non est ex libero arbitrio.* 348. 1.c. *fides nostra est subiectiuè, Dei obiectiuè.* 36.2.c. *fides vna vera est, non plures.* 503.1.b. *fides est credere, quod non vides.*291.2.a.761.2.a.940.2.d. *interdum accipitur pro intelligentia rerum diuinarum, & aliis.* 165.2.b.c.d. *fidei Christianæ inconfusibilis certitudo.* 140.2.a. 417.2.d. *recta est instar amussis.* 597.1.a. *fidei initium, siue velle credere donum Dei est, indeq; incipit initium salutis in adulto.* 568.2.a. *naui comparatur.* 709.2.b

Fides sit operatrix.

Fides principium est iustificationis. 59.2.b. 305. 2.a. *acceptatur ad iustitiam.* 61.2.b. *fides operationis Dei quid sit.* 626.1.d. *fides iustitia inchoata est.* 62. 1.a. *non sola iustificat contra hæreticos.* 4.2.c.46. 2.d. 58.2.a. 59.2.b. 111.2.d. 269.1.c. 35.1.c. 36.1.b. 305.1.d.43.1.d. *quam fidem Abrahæ Paulus commendet.* 67.2.d. *fuit ea sperans, diligens, inuocans, obediens.*62.1.d. *ei fuit fides propria imputata.* 63. 2.c. *sub fide Paulus non solam fidem, sed spem, charitatem & opera comprehendit.*17.1.a. 486.2.a.834. 2.d. *fides in suo genere adæquata causa iustitiæ.* 17. 1.b. *fides implicita Christi & obseruatio legis charitatis fuit necessaria semper ad salutem.* 481.1.a. *ad fidem nemo pertingit, nisi suas concupiscentias generosè superet.* 691.1.d. *fides à charitate separatur.* 305. 2.a. *sine charitate esse potest, non prodesse. ibid. fides iustificans non est specialis, qua credam mihi in particulari remissa esse per Christum peccata.* 142. 2.b. *licet de congruo & dispositione fides mereatur iustificationem, tamen iustificatio est verè gratia.*132. 2.d. *fides charitate formata non speculatiua merè est, sed practica.* 57.1.c.673.2.a. *fides iam requisita ad iustitiam à Deo, est fides in Christum.* 62. 2. a. *fides viua includit opera.*36.1.b. *est radix vitæ spiritualis gratiæ. ibid.c. fides cordis valet ad acquirendam iustitiam.*142.2.d. *fides exigit officium non tantùm cordis, sed & linguæ, scilicet fidei promissionem. ibid.*143.2.a. *fidei sanguis & substantia est spes* 939. 1.d. *fides est stabilis & ab homine immutabilis.* 428. 2.c. *fides specialis Caluinistica delira & mendax est.* 341.2.d. *fides initium subsistentiæ nostræ spiritualis.* 866.2.d. *fides prisca patrũ veteris testamenti non fuit nuda, sed operosa.*924.1.b. *fides operum quæ.*188.2.b.c

Fidei fructus.

*Fides est tantùm inchoatio salutis, complenda per bona opera.*670.2.a. *fundamentum virtutum aliarum est. ibid. per fidem ad veritatem venitur.*716.2.d. *quomodo perducat ad spem, pœnitentiam & gratiam.*453. 1.c. *eius actus à gratia habet quòd sit supernaturalis & meritorius, à libero arbitrio quòd sit liber.* 225.2.c. *fides procul posita & futura facit præsentia.* 940.1.a. *fides est anima Ecclesiæ.* 514.1.d. *actus fidei meritorius in homine iustificato.* 63.1.a. *sine fide impossibile est placere Deo.*943.1.a.b. *non tantùm prima fides, sed & fidei custodia donum est Sp. sancti.*78.2.d. *fides columna est, spes anchora* 886.1.d. *quomodo paulatim proserpserit per Europam.* 477.2.d. *fidei corpus suis membris perficitur.* 656.2.b. *in fide constituit Deus veram iustitiam.* 141. 1.a. *fides corrigit naturam & conditionem seruilem.* 542.2.a. *fides in anima iusti credentis & sperantis est quasi basis, quæ eum sustentat.* 940.1.c. *est ex auditu & prædicatione.* 145.2.b. *fidei & confidentiæ in Deum singulares fructus.*36.2.a. *fidei mysteria quibus discursibus & rationibus probarit Apostolus.* 212.1.d. *fidei Christi superædificat aurum & argentum qui bona opera superædificat.* 216.2.a

Varia de fide.

Fides confitenda est semper, non autem semper profitenda. 188.1.a. *fides idem quod conscientia.* 187.2.d. 188. 1.d. *fides Abrahæ exeuntis in Chanaan illustratur simili.* 944.2.b. *in quinque punctis illuxit. ibid.d. fides eius in filio offerendo.*947.1.c. *est basis & fundamentum rerum sperandarum.* 939.1.d. *eius professio est exterior forma corporis Ecclesiæ.* 514. 1.c. *etiam versatur circa res timendas & apparentes, & euidentes.* 941.1.b. *fides & spes cessabunt in cælo, non charitas.* 308.1.a. *fides in Christo tripliciter accipitur.* 704. 1.b. *fides in Iesum & Sanctos eadem est.*834.2.a. *fides Mosis.*950.2.d. *verbum fides tripliciter accipitur.* 300.1.d.459.1.a. *quomodo tamen non sit triplex, sed vnica.* 939.1.b.

olim eius mysteria viua voce, non scripto tradebantur. 464.2.b. *fides Christi opponitur legi Mosaicæ.* 16.2.a. *schemati & dioptræ comparatur.* 940.2.c. *ab ea numquam deficiendum.* 868.2.c. *fide qui veteris testamenti ad finalem pœnitentiam peruenerint.* 951.1.d. *fides Apostolorum & prophetarum fundamentum est Ecclesiæ.* 489.2.b. *sine fide Christi omnes sunt sub maledicto.* 435.1.d. *suis articulis integratur & componitur.* 503.1.c. *fidei contrarium nihil induci docerique potest.* 419.1.a.b. *sæpè capitur pro charitate, gratia & donis ex fide ceu radice prognatis.* 164.2.b

Fiducia sanctorum qualis sit ad patranda miracula. 348.1.a. *fiducia hæreticorum de peccatis remissis non est fides.* 309.2.c. *fiducia in Deo quid sit.* 874.2.b. *fiducia in Deum concipienda.* 69.1.a. *fiducia pro libertate capitur aliquando.* 731.2.a. *fiducia Christianorum est libertas in professione fidei.* 864.2.d

Figura sæculo tribuitur, quia transitoria; formæ renouationi spiritus, quia permanens. 161.2.d. *figura substantiæ Patris quomodo sit Filius.* 842.2.b

Figulo Deus comparatur. 136.2.b.c.137.1.c.2.a

Filiarum quæ cura habenda matribus. 723.1.a

Filiatio Dei bonis operibus stabilienda. 108.2.a. *filiatio nostra in quo sita.* 106.2.c

Filius Dei est sermo viuus. 870.1.c. *idq; ob tres causas.* ibid. *quomodo pro nobis interpellet.* 113.1.d. *quomodo sit splendor gloriæ Patris.* 842.1.b. *suo sermone puniet infideles* 871.2.b. *figura est persona, non essentia Patris.* 842.2.c. *quomodo subiectus Patri.* 23.2.d. *cur dicatur eius imago.* 117.2.a. *& constans & expressa.* 842.2.b. *in eo quomodo creata sint omnia.* 616.1.c. *est consors imperij potentiæ & essentiæ paternæ.* 2.c. *eius diuinitas adstruitur.* 126.2.d.158.1.a.c. *eius generatio naturalis, non libera.* 842.1.c. *legatus noster apud Patrem est, & Patris apud homines.* 443.2.c. *eius vis penetrandi in duobus consistit.* 872.1.a. *est à Patre inseparabilis.* 842.1.d. *an Patris instrumentum.* 138.1.c. *per eum venit in homines gratia.* 414.1.a. Vide Christus.

Filij prodigi stolæ prima quæ mysticè. 64.1.d. *filij Dei honorificum titulus Christianorum.* 584.1.c. *filij promissionis heredes fidei Abrahæ & Iacob.* 127.2.b. *filij promissionis præfigurati in Iacob sunt Christiani, filij carnis sunt Iudæi, quorum typus Esau.* 129.2.a. *filij quomodo in parentibus sanctificati dicantur.* 153.2.d. *dicuntur Hebræis fabrica patris.* 510.2.b. *filij immundi & sancti qui sint.* 247.1.a. *filij fidelium an sine baptismo saluentur.* ibid.b. *filij primogeniti sacerdotes & pontifices apud veteres erant.* 876.1.c. 891.1.d. *filios malè educatos præstat esse pauperes quam diuites.* 722.2.d. *filij prophetarum qui sint.* 283.2.d. 311.2.a. *filij parentes honorantes vita longa digni.* 541.1.b. *filij iræ natura quomodo simus* 484.2.d. *& olim fuerimus.* 485.1.b. *filij diffidentiæ quinam sint.* 484.2.a. *filij nimis asperè non sunt habendi.* 541.2.d. *filij Christianorũ à Turcis olim empti Mamluchi vocabantur.* 238.2.b. *filios degeneres patrum merita non iuuant.* 154.1.d. *filios Abrahæ quales adoptarit & elegerit Deus.* 124.1.b. 130.1.b. *filij parentum peccata imitantes non grauiùs puniuntur, quàm propria peccata mereantur.* 654.1.a. *filij multi scelesti bono parente oriundi.* 252.2.d

Filius dilectionis *est filius dilectus.* 615.2.a. Filius *cum in Scriptura genitiuo iungitur vitij aut virtutis, significat deditum vitio aut virtuti, cùm verò genitiuo pœnæ vel præmij, idem est quod dignus.* 484.2.a. 510.1.c

Fimbriæ Pharisæorum longiores. 589.2.c

Fines sæculorum quid sint. 275.2.c

Finis totius vniuersi est Christus, eiusq; electi. 324.1.b. *finis Euangelij est charitas.* 700.1.a. *finis mortis & mediationis Christi.* 916.1.d. *finis triplex legis, respectu triplicium hominum.* 83.1.b. *finis legis Christus est ob quatuor causas.* 141.1.b

Flammeum virginum erat sacrum velum. 286.1.d

Flauia Domitilla maritum Clementem Christo lucrata est. 721.1.c

Flori vita comparatur. 254.2.d

Fodere aures quid sit. 916.1.c.d

Fœdus vnde dictum. 294.2.a. *fœdera apud veteres sanguine feriebantur.* ibid. *fœdus aliquando per testamentum exprimitur.* 295.1.a.b. *fœdus quod pepigit Deus cum Abraham.* 294.2.b. *huius signum fuit circumcisio.* 65.1.d. *fœdus nouum Christus suo sanguine sanxit.* 249.2.c.903.2.b

Fœtus abortiui gracilliores sunt, cæci sæpè nascuntur. 322.1.c

Fomes peccati, quasi sopitus, occasione legis sibi aduersæ excitatus, exarsit in omnigenos prauos motus. 95.2.d

Fontes tres elicuit ceruix Pauli recisa & saltans. 10.1.d

Forma Dei quid propriè sit. 572.2.d. *est natura Dei, non tantum specimen Dei.* 573.1.a. *tribuitur nouitati mentis, qua significatur soliditas rerum spiritualium ac permanentia.* 161.2.d

Forma baptismi eiusq; significatio & vis. 535.1.c. *non est deprecatoria, sed consecratoria & sacramentalis.* ibid.a. *forma baptismi Græcorum.* 202.1.c. *forma pœnitentiæ.* 375.2.c

Formatæ litteræ quænam essent. 975.1.b

Formula fœderis feriendi apud Romanos. 294.2.a. *formula stipulationis Dei cum Christianis.* 918.1.a.c. *antiqui testamenti formula.* ibid.d

Fornicaria Oseæ vxor significat Iudæorum idololatriam. 80.2.b

Fornicarius Corinthius fuit potens & dux factionis inter ciues. 229.1.b. *an habuerit patris viui vxorem.* ibid.d

Fornicatio ab initio mundi vetita. 235.2.b. *est contra legem naturæ: quæ mala secum includat.* ibid.c. *eius punitio.* ibid. *licitam eam putabant Ethnici, sed reuera illicita est.* 976.2.b. *eius actus idem physicè cum actu coniugij.* 240.1.a. *ab ea sex argumentis dehortatur Apostolus.* 238.2.d

Fornicator quomodo in corpus suum peccet. 238.1.c. *veram retinens fidem, membrũ est Christi & Ecclesiæ.* 236.2.c. *quomodo cum meretrice vnum corpus efficiatur.* ibid.d

Fortitudinis definitio. 306.1.d. *fortitudo vera consistit in patientia.* 614.1.b. *eius symbolum est cingulum.* 547.2.b

Fractio corporis Dominici in Sacramento significatio est passionis. 293.2.d. *fractio panis significat in Scriptura quoduis conuiuiũ, in nouo testamẽto appropriatur ad hoc vt significet cœnam Eucharistiæ.* 278.1.d

Fragrantia vitæ Apostolorum bonis aspirabat vitam, improbis mortem. 346.1.c

Franci an è Germania oriundi. 415.1.b

S. Franciscus in latrones cùm incidisset dixit se esse præconem magni Dei. 716.2.c. *in crucis opprobrio perfectionem posuit.* 205.1.c. *vera habuit stigmata, & qualia illa fuerint.* 469.2.a. *diaboli technas apud Fratres patefecit, itaq; multos è suis tentatione diabolica liberauit.* 344.1.b. *eius raptus mentis apparente sibi Seraph, & tum quinque Saluatoris retulit vulnera*

nera. 430.1.b. *fuit theodidactus.* 905.2.a. *suos ad spiritus feruorem & vitæ renouationem exhortabatur.* 162.2.a. *dicebat se maximum esse peccatorem.* 705.2.d. *studuit in libro mundi vt Deum cognosceret.* 35.1.c. *eius de passionum tolerantia apophthegma.* 109.2.c. *vocauit se fatuellum Christi.* 227.2.b. *in morte laudes Dei cecinit.* 334.1.a

S.Franciscus à Paula an.13. ætatis Deo famulari cœpit. 802.2.a

Franciscum Tregianus bonis spoliatus 25. annis in carcere in Anglia vixit captiuus. 935.1.c

Franciscî Vatabli error circa ordinationem presbyterorũ, quasi manuum impositio à laicis fieri posset. 744.1.a. *Catholicus fuit, eius scripta ab hæreticis corrupta sunt, eius elogium.* 29.2.d

Franciscus Xauerius quotidie pro cruce orabat, nec vlla liberari volebat, nisi grauiore immissa. 339.2.b. *quomodo spe in Deum concepta magna susceperit.* 69.1.a

Frangere panem in Script. quid significet. 278.1.d. *frangi quomodo dicatur corpus Christi in verbis consecrationis.* 293.2.b

Frater noster Christus quomodo sit. 858.2.b

Fraternæ correptionis modus qualis esse debeat. 461.1.a. *eius regulæ tres.* 2.c

Fraternitas cum Christo ex patientia nascitur. 117.1.c. *fraternitas spiritualis & Christianorum.* 167.1.d.2.d

Fratres vocabantur in primitiua Ecclesia Christiani. 195.1.a. 612.1.a. *fratres de Italia quinam intelligantur salutare Hebræos per Paulum.* 984.2.a. *fratres Dominicani ad concionandum emissi sola Biblia aut epistolas Pauli secum deferebant.* 9.2.d. *fratres Dominidicuntur eius cognati.* 264.2.c

Fraudi Christiano exulare debet. 519.1.a

Fructus arboreis quomodo præputia vocarentur. 627.1.a. *primi sunt insalubres magis posterioribus.* ibid.

Fructus quos populus ex Missa percipit, licet eam non intelligat. 314.1.b. *fructus dilectionis proximi* 178.2.d *hæreseos.* 287.1.d. *fructus Spiritus sunt habitus vel actus virtutum.* 458.2.a. *fructus cur sit eleëmosyna.* 193.2.c. *& ille triplex.* 386.2.d. *fructus iustitiæ quos vocet Apostolus.* 560.2.a. *fructus pœnitentiæ.* 375.2.b. *bonorum operum.* 528.1.b

Fruges bonorum temporalium & spiritualium rependit Deus eleëmosynarijs. 387.1.c.d

Frui solo Deo licet, vti creaturis. 193.1.a. 836.2.c. *fruimur re ex qua fructum capimus.* 836.2.d

Frumento cocto vesci Catholicis suasit S.Theodorus Martyr potiùs, quàm idolothytis. 260.1.c

Fuga iniquitatis est signaculum prædestinationis. 792.1.d. *complet eam.* 793.1.c.2.a

Fugiendo libido sola vincitur. 237.2.d

Fulbertus Carnotensis vidit dæmonem Berengario hæretico adstantem. 735.1.b

Fundamentũ bonum quodnam diuitibus comparandum. 772.1.a. *fundamentum ædificij spiritualis.* 491.1.a. *fundamentum firmum Dei stans quod sit.* 791.1.d.2.a. *& qua eius signacula.* 792.1.a. *fundamentum Ecclesiæ Christus, & Apostoli, alio sensu.* 216.1.c.d.489.2.b. *id in calo ponit S. Augustinus.* 490.1.c

Furari rem barbari est contra legem charitatis. 177.1.c

Furor est quadruplex. 364.2.a

S.Fursæus in via ad cælum vidit maximos ignes. 217.1.a. *eius pœnitentia.* 89.1.c.109.1.d

Futura indicant Hebræi per præterita. 21.2.c

Futurorum bonorum quorum pontifex sit Christus. 914.1.b

Gabriel angelus assistens, etiam missus legitur 852.1.a

Galatia sectarum prodigiosarum ferax. 432.1.a.b. *eius termini.* 415.1.a

Galatæ è Gallis oriundi. 415.1.a. *an fuerint Senonenses.* ibid. *locuti lingua Treuirensi, an orti è Germanis.* ibid.b. *à christianismo ad iudaismum deuoluti.* 416.2.b. *hoc carpit in iis Apostolus.* 185.2.a. 415.1.c. *erant indociles, vecordes & tardi.* 432.1.b

Galea militis Christiani est salus allata à Christo, vel potiùs spes salutis. 550.2.b. *galea est spes, caput est finis seu intentio.* ibid.c

Galilæi Romanis tributum negabant persoluendum. 175.2.a. *quia docebant Iudæos Ethnicis parere non debere.* 828.1.a

Galla Placidia Imp. Romam properauit vt sacra Apostolorum limina visitaret. 13.2.a

Galla Symmachi Consulis Romani filia vidua iuuenis, quam generosè secundas nuptias respuerit. 748.1.a. *monasterium ingressa est, amica fuit luminis.* ibid.b. *apparet illi B. Petrus, à quo dimissa peccata sua audiuit.* ibid. *quàm piè defuncta.* ibid.

Galli antiquitus à corporis candore Galatæ nuncupabantur. 417.1.a. *quando dicti indociles.* 432.1.a. *an olim germanicè locuti.* 415.1.b

Gallia dicta Galatia. 810.2.c. *Gallia Comata vnde dicta.* 286.2.d

Gallicanus ab vxore ad fidem conuersus, operibus misericordiæ totum se addixit, & Martyr occubuit. 747.2.b

Gallicus morbus castigatio libidinis. 598.2.c

Gallio Proconsul Achaiæ Sosthenem verberari iussit. 199.1.a

Gamaliel doctor D. Pauli in sacris. 1.2.a. *suis præscripsit vt vnà cum sacris litteris opificium manuale disceret.* 692.2.d

quid Gaudere in sæculo, & gaudere in Domino. 603.1.b. *gaudere in tribulatione admirabile est.* 649.1.d

Gaudij quæ vera causa. 603.1.b. *gaudium quod sit fructus Spiritus sancti.* 458.2.b. *gaudij Beatorum & ponderis gloriæ graphica descriptio.* 92.1.c.2.b.359.2.b.c. *gaudium Christi quod fuerit, quod propositum ipse contempserit.* 962.1.c. *gaudium sanctorum & gaudium impiorum quomodo differant, quoad durationem & præmium.* 370.1.d. *gaudium mundi breue.* 253.2.c

Gedeonis fides. 953.1.b

Gelasij Cæsariensis nomine circumferebantur olim commentaria in Paulum Ambrosio adscripta. 24.2.c

Gemitus inenarrabiles qui sint. 113.2.b. *gemitus Apostoli Pauli.* ibid.c. *gemitus pœnitentiæ sunt carbones igniti.* 173.2.c. *gemitus Prælatorum sub onere regiminis, dum suos laboresirritos esse vident.* 982.1.d

Gemmæ rationalis vocantur lapides plenitudinum. 192.2.c. *quid denotarent symbolicè.* 713.1.c

Genealogiam Melchisedec cur non recenseat Scriptura. 889.2.b. *genealogiæ Iudæorum ab Apostolo suggillantur.* 699.1.a. *cur eas ipsi tam operosè pertexerent.* ibid.c. *quàm bene eas callerent.* 831.2.a. *genealogia peccati.* 78.1.b

Generationem in congressu vitabant Manichæi. 737.1.b. *generatio & spiratio in Deo sempiterna & inuariabilis est.* 845.1.c. *est vera in Deo.* ibid.d. *generatio Filij naturalis, non libera, immutabilis, puræ.* 842.1.c. *ad spiritualem generationem quid requiratur.* 106.2.c. *in generatione Christus & Melchisedec conueniunt.* 890.1.b

emortua Generandi vis reddita diuinitus Abrahamo in senio. 69.2.b

Generositas ad heroica opera & profectum incitat ad cursum in vita Christiana. 594.1.d

Generosus iram domat, & iniuriam partu facit. 520.2.a

Genimen vitis à Christo dicitur non quod erat in calice Eucharistico, sed agni paschalis. 290.2.c

Genios suos colebant Ethnici. 631.2.a
Gentiles à Iudæis contemptim vocabantur peccatores. 427.2.d. item immundi & scelerati. 626.2.c. cibum sumpturi consecrabant dijs primitias. 739.2.b. potestas eorum etiam instituta à Deo. 176.2.b. probi & iusti an sine fide Christi salui facti sint iuxta Zuinglium & Origenem. 45.2.d. an naturali Dei cognitione & naturaliter recta vitâ vitare damnationem possint. 45.2.d. non fuit indignum Gentes præferri in christianismo Iudæis. 127.1.b. ante fidem Christi possunt aliqua legis præcepta implere, non tamen omnia. 48.2.a. sunt ideo iustificatæ, quia fidem & gratiam Christi amplexæ. 26.1.b.124.1 a.c. 139.2.a. lotis & extensis manibus orabant. 718.1.d.2.b. iis præcellebant Iudæi in possessione Scripturarum & eloquiorum Dei. 52.1.b. quomodo si legem non habent, contra eam peccent. 47.2.c. habent aliam legem naturaliter inditam, quam faciunt & contra quam peccant. ibid. post sacrificia ludos agebant. 274.2.b. sunt insertæ radici & fidei sanctorum patriarcharum. 154.1.a.493.1.d. videant ne superbiant. 154.1.a viuebant in tenebris. 181.1.a. dies omnes æquales esse iudicant. 184.1.d. veritatem Dei in iniustitia detinuere. 37.2.c. idq; feris iniquæ voluntatis. ibid. earum vocationis mysterium primus cognouit Paulus. 3.2.c. iis communia, erant Iudæis immunda. 186.2.d. quomodo ex non plebe factæ sint plebs Dei. 138.1.c. ipsæ vocatæ ad fidem, vt Iudæi excitarentur ad suæ salutis desiderium. 152.2.a. arcebantur ab atrio templi Iudaici. 906.2.a. auersatæ sunt concubitum priuigni eum nouercâ. 229.1.a. cur non potuerunt circumcidi, Christianæ tam effectæ. 452.1.b. victimarum partes inter domesticos & amicos absentes distribuebant. 279.2.b. à christianismo auertebantur, cùm videbant Christianos inter se de delectu ciborum contendere. 187.1.c. quia gratia Dei obsecutæ, in hereditaria benedictione salutis & iustitiæ Abrahæ promissa Iudæis prælatæ sunt. 129.2.a. 139.2.c. quemodo tempore Christi commotæ. 972.1.d. Iudæos oderant, & hi illas. 488.1.b. agnouere etiã Deum cunctituentem. 872.2.b. earum conuersio est sacrificium & oblatio Deo. 192.1.c. iis etiam prædicauit S. Petrus. 425.1.d. oleastro comparantur, Ecclesia oliuæ. 153.2.d. quomodo auidissimè omnem immunditiem sectentur. 515.2.a. redemptore indiguere, non obstantibus operibus moralibus. 26.1.a.b. vocantur præputium. 487.1.a. iis prædicandum Euangelium à Prophetis prædictum. 146.2.a.191.1.b. earum error circa simulacra. 39.2.d. Deum per ignem repræsentarunt. 973.2.c. Scriptura earum non curat genealogiam. 889.2.a. in vocatione ad Euangelium quomodo facti vnum cum Iudæis. 488.2.c.493.1.a. earum cæcitas in iis quæ repugnant naturæ. 527.2.b. gentes in carne quomodo dicantur Gentiles. 487.1.a
Gentium variarum vitia. 820.1.c. gentes pleræq; deficient à Roman. Pontifice & Imperio ante diem iudicij. 675.2.b
Georgius Saxoniæ Dux quid de Lutherana fide sentiret. 512.1.a
S. Gerardus mortuus est ridendo. 334.1.b
S. Germani Capuani Episcopi anima ad cælos subuecta in specie sphæræ igneæ. 851.1.a
Gerundia actiuè, & passiuè vsurpant Hebræi. 21.2.d
Giscbala non fuit locus natalis S. Pauli. 1.1.b
Gladius anceps noui & veteris testamenti quis. 871.2.d. gladius summæ potestatis indicium est. 177.1.a. gladius excommunicationis sobriè exerendus. 390.2.d
in resurrectione non est in Globum tranformandum corpus humanum. 600.2.a
Gloria Patri, &c. quando primò dici cœptum. 158.2.d. & explicatur. 159.1.a. gloria vera nonnisi apud Deum, quia immensa, interna, solida, fidelis, sincera est. 393.1.a. & seqq. 460.1.a. gloria viri quomodo mulier sit. 284.2.d. gloriæ cælestis beatitudo & complementum. 91.2.b. 92.1.b.c. eam à principio conceptionis habuit Christus in anima, in corpore verò eam habuit in actu primo. 331.1.d. vestis est, qua induimur. 361.1.d. eam accipient iustificati. 118.1.a. gloria triplex hominis, & Christi. 855.2.d. gloriæ quanta crucis & crucifixi. 467.1.a. gloria Sanctorum incomprehensibilis 673.1.b. gloria quænam soli Deo tribuatur. 707.2.d. gloria in Deo idem est quod maiestas vel diuinitas gloriosa. 479.2.b. gloriæ Dei sit finis actionum nostrarum. 186.1.a. gloriæ hominum parua, exilis, externa, infida, fucata, instabilis. 417.2.b.418.2.a.b. gloria spei Christianæ. 865.1.a. gloria triplex Christi in operibus quærenda. 207.2.b. gloriæ symbolum erat cingulum. 548.1.b. qualis exspectatio gloriæ sit in creaturis. 110.1.c. gloria & salus quæ re differant. 787.2.c
Gloriari licet & se præferre aliis, modò id gratiæ ascribatur. 226.1.a. gloriari in Domino quid sit. 392.2.c. gloriandum vbi, quando, & qua re. ibid.d
Gloriatio ea tantùm quæ ex superbia & aliorum contemptu oritur, ab Apostolo suggillatur. 226.1.a
Glossa per se non potest iura condere aut legem nouam. 247.2.b. Glossæ ordinariæ auctor Strabo, interlinealis Anselmus Laodunensis. 25.2.a
Gnomæ de beneficentia. 981.2.b. de auaritia. 976.2.d. de curiositate. 659.2.a
Gnostici docuere Christum corpus è cælo attulisse, & negabant reuera eum carnem assumpsisse. 331.1.c. 787.1.b. erant cauteriati in aure. 736.c. quæ à quibus Philosophis sint dogmata mutuati. 624.1.c. se iactabant de scientia. 622.1.d. 773.2.c. sæpè eorum hæresis impugnatur ab Apostolo. 15.
S. Goar Treuirensem episcopatum recusauit. 724.2.a
Godefridus Bullonius non fuit Magog. 688.1.a
Goënses viduæ alteri non nubunt. 748.2.c
Gog videtur esse ipse Antichristus. 688.1.c. dicitur à Magog. ibid. Gog & Magog vnde venturi. ibid.d. Gog & Magog exercitus Antichristi, quinam illi. 687.2.d. futuri tempore Antichristi. 688.1.c. pugnabunt contra Ecclesiam. ibid.
S. Gordij Martyris ad rogum damnati, & simulare in fidei rebus nolentis, ad suos responsio. 143.1.d
Gorgias Sophista ridicula percontantem & ad illa absurdè respondentem quomodo riserit. 740.2.b
S. Gorgonia silentium. 721.1.d
Gothi an sint Gog. 688.1.b. Gothi Romam expugnantes ad basilicam S. Pauli confugientibus pepercerunt. 14.1.c. ab Arrianis ad fidem Christianam sunt perducti, licet antea Catholici essent & orthodoxi. 392.1.b
Gradu iræ. 522.2.c. gradus tres quibus mori mundo & carni debet Christianus. 468.1.a. gradu suo quisque contentus sit. 303.1.d
Græci inter Gentiles celeberrimi & notissimi erant Iudæis, hinc vniuersaliter pro Ethnicis capiebantur. 35.2.a. 424.2.c. à Latinis aliqua verba mutuati sunt vulgò trita. 24.1.a. 280.2.a. ethicam tradunt per breues gnomas. 15.
Græci Christiani qua forma baptizent. 202.1.c. negant dari coronam iustitiæ ante vltimum iudicij diem. 865.1.c. Purgatorium quidem concedunt, ignem tamen in eo esse negant. 217.2.b. eorum sacerdotibus vxores permittit Ecclesia. 726.2.b. à quo tempore coniugio vti cœperint. ibid. suo coniugio Pauli exemplum prætexentes, eius nomẽ inseruere apud S. Ignatium

tium inter coniugatos. 264.2.b
Græca lingua Iudæis fuit perfamiliaris. 35.2.a.919.1.c. *Græca Bibliæ multis in locis corrupta.* 335.2.a. *Græca lingua scriptæ omnes epistolæ S. Pauli præter vnam ad Hebræos.* 16.26.2.b
Grammatici olim qui dicti. 203.2.a
Gratia finaliter est vita æterna, quia coronidem habet vitam æternam. 91.2.b. *eius sigillum.* 522.1.d. *eam an Christus angelis meruerit.* 481.2.a. *ea omnibus Deum rite inuocantibus promittitur.* 276.1.b. *gratia Christi vberior est & potentior, quàm fuit peccatum Adæ.* 82.1.b. *extendit se illa vsque ad angelos, qui per merita Christi sunt iustificati. ibid.c. non tantum per Dei imputationem, sed intrinsecè est nostra iustitia.* 63.1.c. *præueniens & iustificans dantur gratis.* 57.1.d. *gratia non prædeterminat actum liberum.* 581.2.a. 777.2.a. *gratia, non verò liberum arbitrium discernit iustum à non iusto.* 226.1.c. *ea nisi legem adiuuet, & concupiscentiam reprimat, lex ad prævaricationem pertraheret.* 66.2.d. *gratia diuina cooperandum.* 884.1.c. *ea quanti sit.* 196.2.b. *eius virtus. ibid.c. liberi arbitrij cooperationem requirit.* 792.1.a. 904.1.a. *est duplex, creata & increata.* 414.1.c. *non à lege, sed à Christo datur.* 435.1.a. *gratia prima est mera gratia.* 115.2.c. *gratiam iustificationem acriter vrget Apostolus.* 124.1.c. *gratia egemus non tantùm vt bona faciamus, sed etiam vt mala vitemus.* 412.2.b. *gratia accepta credens sua libera voluntate se determinat ad credendum.* 225.2.b. *ei omnia tribuenda.* 216.1.b. *ex natura non meretur vitam æternam.* 91.1.d. *gratia & concupiscentia quibus nominibus significentur à Paulo.* 23.1.a. *quomodo nobis data ab æterno in Christo.* 779.2.a. *& seqq. gratia semen est gloriæ, dispositio ad gloriam, gloriæ connaturalis.* 45.1.a. 109.1.c. *à vita gratia non est redeundum ad mortem peccati.* 88.2.a. *gratia non tantùm est fauor Dei, sed & omne quod ex eo sequitur, quo ad salutem homo dirigitur.* 33.1.b. *gratia prædestinatorum est signata sigillo præscientiæ Dei.* 793.1.a. *gratia quæ datur reprobis & prædestinatis, physicè sæpè est æqualis.* 792.2.d. *gratia vocatur beneficium & munificentia.* 379.1.d. *præuenientis & excitantis necessitas.* 529.1.b. *omnis gratia est ex meritis Christi.* 472.1.b. *gratia efficax propria prædestinatorum est, si semper efficax maneat.* 226.1.c. *gratia inchoatiuè est regnum Dei.* 187.1.d. *& quænam.* 91.2.b. *ei quomodo tribuatur quòd hi conuertantur, non illi.* 150.1.a. *eius mensura aliquando proportionatur mensuræ nostræ dispositionis.* 504.2.a. *eius an fuerit effectus, quòd Paulus non peccarit ex malitia, sed tantùm ex ignorantia.* 703.2.b. *superabundauit ad hoc, vt mortis & peccati regno destructo, regnum iustitiæ instauraretur per Christum.* 83.2.b. *gratiæ gratis datæ quæ dicantur.* 299.2.d. *hæ plures sunt quam nouem.* 300.2.d. *gratia Saluatoris quæ sit.* 826.1.a. *quænam illa nos doceat. ibid.c. gratiæ diuisæ sunt in Ecclesia, prout Deus diuidere voluerit.* 299.2.c. 303.2.b. *gratiam propriam cuilibet statui dat Deus.* 243.1.d. *gratia infusa vocatur vnctio.* 849.2.b. *gratia & cognitio quam adfert lex noua, qualis.* 904.1.c. *gratiam D. Pauli quam vocent Melitenses.* 12.1.a
Gratiæ Deo agendæ etiam in aduersis. 533.2.d. *& pro dono gratiæ dato.* 370.2.b. *pro christianismo.* 299.1.a. *& in rebus omnibus.* 667.2.c. *non pro re futura, sed præterita.* 101.1.a. *frequentes esse debent Christiano.* 200.1.d. *gratiarum actio in cibi sumptione vsurpata Iudæis.* 185.2.c. 281.1.d. *gratias ante consecrationem Christus egit Deo Patri.* 277.1.a
Gratis euangelizare consilium est Euangelicum. 266.1.b
Gratuita est electio Gentium, & reiectio Iudæorum. 132.1.a. *& seqq.*
S. Gregorius è stomacho laborauit. 758.1.a. *columna ignea indicio declaratus est Pontifex.* 708.2.b. *Gregoriam Augustæ cubicularium petentem sibi dari plenam de remissis peccatis certitudinem quomodo moneat.* 108.1.c. *hæreticis est primus Antichristus.* 149.2.b. 884.2.b. *Luthero vltimus est Pontifex. ibid. Christum in specie pauperis excepit mensa.* 728.1.c. *& angelos.* 975.2.b
S. Gregorij Nazianzeni modestia & lenitas. 172.1.c. *quomodo se ob nimium silentium purgarit.* 694.2.b. *vidit sapientiam & castitatem sibi apparentes secundùm quietem.* 257.2.d
S. Gregorius Thaumaturgus mirè à Deo liberatur. 812.1.d. *est functus officio Iudicis.* 234.2.d. *fide montem suo loco mouit.* 305.1.b. *peregrinum se hîc credidit, nihilq; proprium possidere voluit.* 947.1.a
Gubernatio filij Dei erga omnia ostenditur. 843.1.a
Guido Fabricius Syriacam noui testamenti versionem Latinam fecit, eam ipse censet esse Diui Marci. 15.819.1.d.
Gula domanda principio Christianis. 270.1.b.c.2.a. 569.2.a. *gula in comedendo an sit culpa mortalis.* 457.2.c. *communiter tantùm venialis.* 458.1.b. *eius mala. ibid.* 968.1.b. *est mater libidinis.* 236.1.d.238.1.d
Gulielmi Lacai Martyris vxor quàm lato animo bonorum iacturam passa. 936.1.b
Gulosus quare in corpus suum peccet. 238.1.d. *non vivit, sed cadauer est potius.* 747.1.d. *eius venter est vita charybdis.* 598.2.c
Guttur impiorum cur abominationem exhalet. 56.1.c

HAbendi modi varij. 909.1.d. *habere significat actum continuatum.* 241.1.d. *habere aliquem in corde est eius recordari, & eum amare.* 559.1.d
Habitare Hebræis est firmiter inhærere. 777.1.a
Habitus, est externa species. 575.1.b.c. *habitus quis ornatus in muliere.* 719.2.a.720.1.a. *vetularum qualis esse debeat.* 823.2.b
Hæreditas nostra qualis. 830.2.c. *hæreditas Sanctorum cur vocetur sors.* 614.2.b. *sita est in lumine Euangelij. ibid.c. hæreditas optima filijs relinquenda est eleëmosyna.* 386.1.d. *hæreditatis cælestis ius bonis operibus stabiliendum.* 108.2.a. *hæreditas sorte diuidebatur.* 477.2.a. 614.2.b.844.2.d
Hæres quomodo, quo titulo, & quorum sit Christus. 841.2.a. *quis hæres benedictionis Abrahæ.* 124.2.a
Hæreses quomodo oporteat esse. 287.1.c. *omnes tandem euanescunt aut abeunt in atheismum.* 800.2.a. *hæresis quantum peccatum.* 832.1.a. *eius fructus.* 287.1.d. *est doctrina malè sana.* 782.1.c. *eius tres proprietates.* 978.2.c. *omnis ex diabolo est.* 735.1.b. *eius pœna libidinum monstra.* 41.2.d. *oritur ex superbia. ibid. serpit vt cancer, & ad quæ, & quare.* 789.2.d. *dissuadet virginitatem.* 256.1.d. *eius fons mala conscientia.* 710.1.b. *est maxima iniquitas.* 793.1.c. *ad eam quibus gradibus descendatur.* 2.a. *numquam est primum peccatum. ibid. hæreses per mulieres propagatæ.* 799.2.d. *hæresis omnis est blasphemia in Deum.* 710.1.a. *hæreses primæ versatæ penè omnes circa humanitatẽ vel diuinitatem Verbi incarnati.* 733.1.a
Hæresiarchæ dæmonas habent suggestores & familiares. 257.1.c.735.1.b. *nulli resipuere.* 882.2.c. *qua ratione aliquando conuertantur. ibid.*
Hæreticæ matrimonium cum Catholico in locis quibus per-

miſti habitant, quomodo liceat. 359.1.a. hæretici negantiũ veritatem Chriſti in Euchariſtia confuſio in die iudicij. 290.1.c. cum eo quomodo agendum. 831.2.a. eſt Iudæ ſimilis. 831.1.b. temerariè dicit ex diuina promiſſione ſe fide diuina credere ſibi remiſſa eſſe peccata per fidem & pœnitentiam. 67.1.c

Hæretici ſunt ſymmyſtæ Antichriſti. 685.2.c. eorum quales magiſtri. 806.1.a. contra eos non tam argumentis quàm vitæ puritate agendum. 710.1.b. fidei ſuæ continuationem oſtendere nequeunt. 149.2.a. à nullo mittuntur. 416.1.a. cur non poſſint eſſe virgines. 41.2.d. 256.1.d. 369.2.a. eorum patriarchæ ſunt philoſophi. 624.1.b. quare plectendi. 831.1.d. libertatem Euangelij prætendentes poteſtatem ſæcularem euertunt. 157.2.a. etſi Ethnicos conuertant ad Chriſtum, nihil ipſis proſunt, nocent potiùs. 562.1.d. prædones ſunt. 623.2.d. ebrij ſunt & emotæ mentis. 797.1.c. Eccleſiæ & euangelio credere detrectant. 761.1.c. orando potiùs quàm diſputando conuertendi. ibid.b. dicunt noua, mira, falſa. 789.2.a. quomodo, in quo, & quorum reſpectu, profciant. 802.1.a. ſunt votiſragi. 710.2.c. quomodo ſint in Eccleſia. 233.2.b 794.2.c. eorum impudentia. 588.1.a. ſunt lenones Satanæ. 395.1.b. eorum fallacia & inconſtantia in fidei dogmatibus. 512.1.a. eorum blandiloquentiæ. ibid.b. eorum fiducia de peccatis remiſſis non eſt fides. 309.2.c. eorum ſuperbia. 630.1.b. hypocriſis. 799.2.a. vt pro ſuis eſcis pugnent, Eccleſiaſtica ieiunia impugnant. 186.1.c. per ſe, vel amicos, vel poteſtatem laicam in dignitatem intruduntur. 29.2.d. nihil ſciunt, quia nihil verè credunt. 761.1.c. 799.2.d. de omnibus quæſtiones mouent. 761.1.d. omnia iudicio ſuo & naturali ratione volunt metiri. 2.b. eorum libros legi an velit Apoſtolus. 669.1.d. molles ſunt. 598.1.c. 799.1.c. eorum vanitas in ſectandis aſſeclis. 466.2.d. numquam pro ſua fide miracula fecere. 409.1.d. tenebras ſectantur. 785.1.a. pietatem habent pro quæſtu. 762.1.d. an agantur Spiritu ſancto, vt iactant. 107.2.a. ſunt cupidi, elati, inhumani, incontinentes, ſine benignitate, proterui, tumidi. 798.2.c. & ſeqq.

Hæretici veteres iactabant viſiones angelorum. 633.1.b. damnantes carnem, hoc ipſo damnabant incarnationẽ Chriſti. 737.1.d. Pauli epiſtolas reiecerunt. 4.1.a

Hæretici noſtri temporis pæderaſtia infames. 41.1.a. eorum in Societ. Ieſu nomen cauillatio. 201.1.c. docent Chriſti iuſtitiam nobis non inhærere, ſed tantùm imputari. 79.1.b. eorum fides ſpecialis eſt ſtulta præſumptio. 211.2.c. 527.1.c. eorum argumenta contra Miſſam ſoluuntur. 929.1.a. & ſeqq. volunt Antichriſtum incepiſſe ſub annum DC. 684.2.a. ſpermologi ſunt, vnde & ſe miniſtros verbi dicunt. 203.2.a. 622.2.a. 761.2.b. 789.2.d. eorum aliquot paralogiſmi. 42.c. tandem fiunt athei. 288.2.d. ab iis baptizati non ſunt rebaptizandi. 503.2.c. ſibi ſpondent gratiæ certitudinem. 156.1.c. oderunt dialecticam. 773.2.d. fugiendi exemplo Sanctorum, vt peſtis. 790.1.b.c. iis Scriptura naſus cereus. 366.1.c

Hattonis Epiſc. Moguntini à muribus comeſti hiſtoria fabuloſa. 728.2.d

Heber cum ſuis cum vera fide, religione, pietate linguam primæuam retinuit, in confuſione Babel. 400.1.b

Hebræi nominis radix & ſignificatio. ibid.a

Hebræi populus Dei peculiaris. 689.2.a. vſque ad tempora S. Hieronymi ſine punctis ſua ſcribebant. 948.2.d. mare rubrum fide tranſierunt. 952.2.a. pro defunctis ſuffragia faciebant. 327.1.c. eorum ſalutatio pax tecum. 551.1.c. 554.1.b. cur quadraginta annis in deſerto errarint. 871.1.a. inuicem obuij, oſculari mutuo ſoliti. 413.2.a. muſicam conuiuiis adhibebant. 532.2.c. lætitiam vituli aurei clauſerunt epulo & ludo. 274.2.a. menſes & dies habebant lunares. 232.1.c. baptiſmatibus frequentibus erant aſſueti. 880.2.b. Scripturæ nihil addere voluere. 927.1.d. ethicam tradunt per breues gnomas ſæpè ſine ordine congeſtas. 15. epiſtolis ſuum non præſigunt nomen. 838.2.b. eorum de hoſtibus victis triumphus typus triumphi Chriſti. 505.1.a

Hebræa lingua an erit in cælo. 308.1.a

Hebræis Chriſtianis profugis & diſperſis per Aſiam ſcribit S. Petrus duas epiſtolas, & Paulus vnam. 838.1.b.c. eorum mutua in calamitate compaßio. 934.1.a. animantur à Paulo ad certamina & labores. 856.1.d. item ad perfectiorem cognitionem Euangelicæ doctrinæ. 880.1.a. iis Paulus ſuſpectus erat. 983.2.c. curæ Petri & Iacobi erant commiſſi. 838.2.b

Helcheſeitæ Ebionem ſecuti in Paulum debacchabantur. 4.1.a

Heliodorus auctor commentariorum in Paulum Hieronymo aſſcriptorum. 25.1.a

Heluidius B. Virginis caſtitatẽ negat poſt partum. 325.2.b

Hemerobaptiſtæ dicti quòd quotidie baptizabantur. 589.1.c

Henrici Stephani error dicentis idolum apud ſcriptores Eccleſ. dici omne ſimulacrum numen aliquod repræſentans quod honore dignamur. 261.2.b

Henrici VValpoli Angli Martyris ardens votum. 566.1.d

Heraclas Alexandriæ doctor in Eccleſia. 508.2.d

Herbarum nihil Iudæis vetitum lege erat. 183.2.a

Heri diuinitatis Chriſti, hodie humanitatis. 978.1.a. quomodo ei adaptentur. ibid.b. heri nec in ſacra Scriptura, nec apud profanos ſignificat æternitatem. ibid.c

Heris fidelibus meliùs ſeruiendum quàm infidelibus. 760.1.a.2.a

Hermæ auctor libri qui inſcribitur Paſtor. 195.2.a

Hermogenes negabat reſurrectionem, is Paulo eſt aduerſatus. 783.1.c

Hermogenes Rhetor in adoleſcentia doctiſſimus, ſenex factus omnium eſt oblitus. 151.1.c

Herodes Magnus addidit atrio Iudaorũ in templo atrium Gentium. 906.2.b. filios necauit. 410.2.a. libros genealogiarum Iudaicarum combuſſit. 699.1.d

Herodes Antipæ gener Aretæ regis, eius filiam repudiauit: bello cum illo decertans ſuccubuit. 402.1.a.2.a

Herodiani dicebant Herodem Aſcalonitam eſſe Chriſtum, & quare. 589.1.d

Heruæi monachi dicuntur eſſe commentaria Anſelmi in Paulum. 25.1.d

Hierapolis in Phrygia terræmotu concidit. 611.1.a

Hierarchiarum angelicarum ordo. 480.2.d. ex omnibus cecidere angeli. 544.2.d

Hierarchicus ordo Eccleſiæ quis. 30.1.a

Hiero monachus quã turpiter à dæmone deceptus. 398.2.b

S. Hieronymus fuit paruo corpore. 29.1.b. ſcripſit in epiſt. ad Galatas, Epheſios, Titum & Philemonem. 25.1.a. in commentario ſæpè aliorum errores tranſcribit, nec refutat. ibid. 480.1.b. in Deo agnoſcit vnam hypoſtaſin, & vnam eſſentiam, nec audet dicere in eo eſſe tres hypoſtaſes. 842.2.c. cur tantopere ad Bethlehem anhelaret. 718.1.a. ibi latuit. 639.1.b quomodo dixerit magis conſuetudine, quàm diuina inſtitutione Epiſc. eſſe presbyteris maiores. 818.1.b. eſt auctor verſionis vulgatæ. 18.1.a. tranſcripſit errorem Origenis de animarum reminiſcentia. 480.1.b. eius de eo iudicium. 24.1.c. è ſtomacho laborauit. 758.1.a. immeritò eum ſuggillauit Ruffinus. 396.1.d. eius & Auguſtini diſſertationes tres. 426.1.b. & ſeqq.

Hie-

Hierosolymam Paulus an venerit statim à conuersione. 421.2.d. *ipsa, non Roma, erit regia Antichristi.* 678. 1.a. *ei quomodo coniunctus mons Sina.* 448.2.a
Hippolytus Phædræ nouercæ commisceri noluit. 229.1.a
Hispani quos vocent Maranos. 337.1.a. *iis Paulum euangelizasse multi tradunt.* 193.1.b
Historias sacras quomodo dictarit Spiritus sanctus. 802. 2.d
Histriones ad Sacramenta non admittebat Cyprianus. 249.1.d
S. Hilarion donum habuit discretionis spirituum. 300. 2.b. *moriens quàm fuerit pauper.* 764.1.b. *anno ætatis 15. in eremum concessit.* 802.2.a. *Laudem fugiens huc illuc q; semper fugit, vbique tamen eius sanctitas prodebatur per miracula.* 171.1.b. *eius timor in morte.* 580 2.a. *mundo obscurus fuit.* 639.1.a
Hilaritas tractandis miseris necessaria est in tribus sita. 166 2.d. *eius commendatio.* 167.1.b
Hilariter danda eleëmosyna. 384.2.b
Hilarius Diaconus Rom. auctor commentarij Ambrosiani, vocatus orbis Dencalion. 24.2.d. *hunc sanctum quomodo vocet Augustinus.* ibid.
S. Hilarius Constantiũ Imp. audacter corripuit. 778.2.a
Hircus & vitulus immolati extra castra à Leuitis non comedebantur olim in lege Mosi. 980.2.a
Hircus olim oblatus pro peccato. 917.1.c
Hoc *pronomen in verbis consecrationis est adiectiuum, idem, sed confusè significans, quod distinctè significat* corpus meum. 292.2.a
Hodie *significat tempus præsens vitæ, gratiæ & pœnitentiæ.* 866.2.a. *hodie amplectitur omne tempus.* 845. 1.b
Holocausta veterа erant vmbræ sacrificij Missæ. 901.2.b
Homo quomodo à Deo diligatur. 855.1.a. *homo à fide & gratia excidere potest.* 154.1.c. *homo vetus & nouus quis dicatur.* 86.2.d. 516.1 d. 2.c. 640.1.c. *ille dupliciter cum Christo crucifixus.* 87.1.a. *dupliciter corrumpitur.* 516.2.a. *homo creatus est immortalis.* 77.2.b. *est miser & desperatus.* 855.1.a. *est imago SS. Trinitatis.* 518.1.a. *est mundi creati finis, & compendium* ibid.b. *homo omnis cuiuis alteri communi creatione & similitudine amicus est.* 178.2.b. *homo dicitur omnis creatura, est vinculum omnis creaturæ, mundi miraculum & microcosmus.* 110.1.c. 618. 1.d. *homo interior & exterior quis dicatur.* 497. 2.a. 357.2.a.b. *eius septem incrementa & ætates.* 511.2.a. *homo externus est, corpus: interior, anima; ille in dies deficit, hic in dies iuuenescit & renouatur.* 358.1.a. *vnus homo ratione diuersorum statuum vocatur exterior vel interior.* 99.2.a. *duas an habeat animas, bonam & malam, item sensitiuam ac rationalem.* 456.1.c.d. *respectu Dei quid sit.* 157.2.a. *tribulationibus sit flexibilis & obediens Deo.* 72.2.c. *non ex natura, sed peccati necessitate morti est obnoxius.* 105.1.d. *tribus constat, spiritu, anima & corpore.* 669.2.c. *est fortunæ lusus, inconstantiæ imago.* 922.2.c. *item nihil, vanitas, mendacium.* 52. 2.b.c. *eius fragilitas in hac vita.* 53.2.d. 580.2.a. *duas habet domos, terrestrem & cælestem.* 363.1.d. *triplex hominis gloria est.* 855.2.d. *est imago Dei & Deus terrestris.* ibid.b. 381.1.c. *viuens nequit videre Dei essentiam.* 404.2.b.c. *solo naturæ lumine & viribus Deum videre nequit, vel beari.* 91.2.c. *luto comparatur, Deus figulo.* 136.2.b.c. *hinc ei sæpe descendendum ad originem suam.* 137.2.a. *in quibus minor angelo.* 855.2.d. *eius dominium in cæteras creaturas.* 854.2.a. *ex iis potest Deum cognoscere.* 38.2.d. *in homine non est naturalis appetitus beatitudinis supernaturalis, visionis Dei scilicet,* 211.1.b. *hominis octo proprietates.* 517.2.d. *quatuor eius status inter se comparati.* 83.1.a
Homines nascuntur insipientes, quomodo. 55.2.c. *verum suarum non sunt possessores aut domini, sed vsufructuarij dumtaxat.* 253.1.d. *hominum laus & iudicia contemnenda.* 223.1.d. *omnes homines moriturос non est certum.* 332.2.a. *quasi aleam iaciunt de sua salute.* 477.1.d. *non consulendi in Dei vocatione.* 421.1.c. *in solis, non angelis Christus gratiam & gloriam meruit.* 481.2.a.b. *quomodo omnes in Adamo fuerint.* 78.2.b.c. *in hominum conuersione mira Dei virtus elucet.* 480.1.d. *eorum cogitationes vanæ.* 221.1.b. *homines singuli an habeant aliquam carnis particulam ex Adamo.* 894.1.b. *sunt ab Adamo venditi peccato, & traditi concupiscentiæ.* 97.2.d
Homines & viri Dei cur dicantur viri sancti, maximè prophetæ. 766.2.d. *vir & vxor homo vnus.* 537.1.c
Honestas muliebris velamen exigit. 283.2.c. *honestatis omnis hostis est auara cupiditas.* 515.2.a
Honor duplex presbyteris debitus quis sit. 755.2.a. *ad honorem Dei in particulari omnia quomodo facienda.* 281.2.d. *honor parentibus debitus quatuor in rebus consistit.* 540.1.a
Hora & dies Euangelij, nox gentilitatis. 179.2.b
Hosii Cordubensis libertas in corripiẽdo Constãtio. 778.2.b
Hospitalem tesseram frangere signum Ethnicis erat amicitiæ dissolutæ. 975.1.c. *hospitalitas in veteri & nouo testamento commendata.* ibid.a. *viguit in primitiua Ecclesia.* ibid.c. & seqq. 832.1.c. *quam deceat Episcopum & clericos.* 718 1.b. 975.1.c
Hospite aduentante an liceat soluere ieiunium. 821.1.c. *is olim pedes ablaebantur.* 750.2.b. 974.2.b *hospites Christi viuentis qui fuerint.* 975.1.a
Hospitium quomodo, & quare parari sibi voluerit Paulus. 837.1.a. *id Romæ in templum transiit.* ibid. b. 14.1.d
Hostes nostri, & pugnæ spiritualis milites. 101.1.d. 160. 2.a. *hinos semper esse in timore iubent.* 380.2.b. *hostes Christi tres, diabolus, peccatũ & mors.* 325.2.c
Hostiæ etymon. 160.2.b. *hostia viuens quomodo nos simus.* 1.c. *triplex Deo immolanda.* 2.b. *hostiæ veteres non expiabant conscientiam.* 912.2.b
Hugo Victorinus an auctor libri de spiritu & anima. 359. 2.b
Humanorum omnium vanitas. 254.1.a.b
Humanitas Christi quomodo ad dexteram Dei sedeat. 844.1.d. *an post diem iudicij in diuinitatem conuertenda.* 326.2.a. *hæc etsi q; resurrectio est instrumentum morale diuinitatis efficiens nostram iustificationem.* 70.2.a. *est speculum & splendor eius diuinitatis.* 309.1.b.c. 842.2.a
Humiliatio via est ad humilitatem. 878.2.a. *humiliari pro pauperem esse capitur subinde.* 608.1.b
Humilis dicitur quasi humi alitus. 502.1.a. *se humiliat ob ea quæ habet, quomodo.* 706.1.d. *recogitat peccata, licet condonata.* 2.a. *cogitat alios sese digniores & maiores.* 570.2.c.d. 571.1.d. *ei omnia munda.* 821.2.b. *humiles non sunt spernendi.* 171.1.c
Humilitatis exemplar est Christus. 572.1.a. *aliis virtutibus iuncta euidens est testimonium quòd quis sit filius Dei* 107.2.d. *facit honoratos.* 572.1.c. *humilitatis septem gradus & definitio.* 170.2.a.c. *eius proprietates quinque.* ibid.d. *fructus sex.* ibid. *tria eius comparanda media, & actus eius sex.* 171.1.a. *alij nouem eius actus & indicia decem.* 170.1.d. *est primum, medium & vltimum in schola Christi.* 576.1.a. *est remedium ad castitatem.* 42.1.a. *eius motiua.* 502.1.a. *pastoribus necessaria est, ne sua doctrina insolescant.*

509.1.c. eius filia manſuetudo. 502.1.b. gratiam Dei ad ſe prouocat. 579.2.d. ea in honore exercita, eſt honor honoris. 576.3.c. eſt ſignum prædeſtinationis. 572.2.b. humilitas ſuperſtitioſa quæ 630.2.c

Humores reliqui præter ſanguinem a Verbo immediatè aſſumpti. 860 1.a

Hyacinthinus cur ſit Eccleſiæ calceus. 550.2.c.d. 551.1.a. 599.1.c. *hyacinthus color cæleſtis & regius.* ibid. 907.2.b

Hydropicis auari ſimiles. 977.1.a

Hymenæus reſurrectionem negauit. 323.2.a. 790.2.c

Hymnus à pſalmo quomodo differat. 532.2.b. *hymnos antelucanos Chriſtiani primi Chriſto canebant.* 318.1.a. *hymnorum cæleſtium harmoniam in raptu ſuo an audiuerit Apoſtolus.* 405.1.c

Hypallage ſæpè vtitur Scriptura. 24.2.a

Hyperbaton cur abundet Paulus. 23.2.a. 857.1.a.

Hypotypoſis quæ ſit figura. 782.1.c

Hyſſopus in luſtrationibus Hebraicis adhiberi ſolita typus charitatis & humilitatis. 917.1.d

Iachin & Boos quid litteraliter ſignificarint. 732.1.a. *quid allegoricè.* ibid.b. *quid tropologicè.* ibid.d

Iacob cùm dicitur dilectus, poſteri eius intelliguntur. 130.2.b. *quia à Deo dilectus fuit, hinc fuit prælatus fratri, & factus heres patris Iſaac.* 128.2.a.d. *eius benedictio filiorum fuit ſimul prædictio.* 948.2.b. *quomodo adorarit faſtigium virgæ Ioſeph.* ibid.d. *ſcilicet vt honoraret poteſtatem illi à Deo datam.* 949.2.b. *in ea adorauit Chriſtum.* ibid.c. *in eo, typus fuit adorationis imaginum.* ibid.d. *prauidit Chriſtum in Chanaan naſciturum & reſurrecturũ.* ibid.c. *reſurrexit vnà cum Chriſto.* ibid. *quomodo verè ſecundum litteram a Deo dilectus dicatur.* 130.2.d. *quomodo ad lecticæ caput adoraſſe dicatur conuerſus.* 18.1.b. 948.2.d. *vnde dictus ſit Iſrael.* 556.1.c. 469.1.a. *eius lucta exponitur de anima Deum amante.* 122.1.c. *non peccauit emendo primogenita, peccato ſimoniæ.* 968.1.b.d. *quomodo Deum viderit facie ad faciem.* 778.2.b

Iacobo Alphæi an viſus Chriſtus. 322.1.a. *cur frater Domini vocetur, & an fuerit vnus è duodecim Apoſtolis.* 422.2.a.b. *an tres Iacobi fuerint.* ibid.b

S. Iacobus ſcripſit epiſtolam ſuam pro operibus, nequis ex epiſtolis Pauli erraret, quaſi omnia fidei tribuentis. 60.1.a. *Paulo opponitur quoad hoc.* ibid.c.

B. Iacoponus ex cruce Chriſti mundo didicit ſtulteſcere. 205.1.d. *eius cum Chriſto iocus familiaris.* ibid.

Iaculatoriæ orationes in vſu apud Monachos Aegyptios. 717.1.d

Iannes & Mambres qui & quales, & vnde hæc nomina ſumpſerit Apoſtolus. 800.1.a.b

Iapones principes cur ſubditis chriſtianiſmi ſuſcipiendi faciant copiam. 176.1.c. *Iaponij S. Xauerij eiúſque ſocij patientia ad fidem amplectendam permoti.* 369.1.c. *Iaponiorum neophytorum in perſecutione conſtantia, & in bonorum iactura & exilio generoſitas.* 934.2.b

Iaſon Theſſalonicæ pro Paulo elabente ad tribunal protractus fuit. 648 1.c

Iconomachi hæreſin ſuã ſacris litteris cõfirmarũt. 366.1.c

Idea hominis an communicetur huic, illi, & cuiuis alteri in particulari, eríq; communicet eſſe hominis. 517.1.a

Idiomatum communicatio eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. 510.2.d

Idiomate vulgari cur non dicantur diuina officia. 314.1.a

Idiota quis ſit. 314.2.d. *propriè eſt quiuis è plebe.* 315.1.a

Idolum faliò vocatur omne ſimulacrum numen aliquod repræſentans. 261.2.c. *cum imagine non confundendum.* ibid. *idolis ſpiritus immundi aſſident.* 280.1.c. *idola quomodo angeli dici queant.* 631.1.b. *ea omnes Ethnici coluere etiam philoſophi.* 37.2.b. 39.2.d. *quare hebraicè elil dicitur.* 261.2.a. *propriè quid eſſet apud priſcos Græcos.* ibid.b. 40.2.c. *propriè eſt imago Dei qui habetur Deus, reuera non eſt.* 261.2.b

Idololatria cauſa libidinis & obſcenitatis. 41.2.b.c

Idolothyta mittebantur ad macellum. 280.2.b. *iis abſtinendum vbi eſt ſcandalum.* 260.2.a. *& præſertim in idoliis.* 259.1.a. 260.2.b. 262.2.b. *ea comedentes, accedentes deinde ad Euchariſtiam, à Deo puniti.* 279.1.d. *illa qui comedunt fiunt participes ſacrificij idololatrici.* ibid.a.2.d. *eiu quomodo veſci illicitum, quomodo licitum.* 2.c.d. & ſeqq. 259.1.a. & ſeqq. *idolothyta quid ſint, & vnde dicantur.* 259.1.a. *eis Catholicos veſci iuſſit Iulianus.* 260.1.b. *iis licet veſci materialiter, per accidens tamen non licet.* 280.1.d

Idumæa tota montoſa eſt. 448.2.a

Idumæi poſteri Eſau ſeruierunt Iudæis. 129.1.d. *in captiuitatem à Chaldæis abducti Deo permittente, in patriam reuerſi non ſunt, Iudæi verò reducti.* 130.2.c. *præ Iacobæis etiam ante peccata neglecti à Deo fuerũt, poſt peccata tamen propriè ſunt derelicti.* 130.1.c

Ieiuni vt communicemus traditio eſt. 297.2.a. *à ieiunio Euchariſtia ſumenda.* 288.1.a

Ieiunia ab Eccleſia cùm indicantur, pariunt inſtitiam & gaudium Spiritus ſancti. 187.1.c. *ieiunia veterum Anachoretarum.* 757.2.a. *ieiunia Eccleſiaſtica quare inſtituta, & eorum auctoritas.* 820.1.a. *non ſunt inuenta Pontificum Rom.* 16. *hæc omittere quo titulo aliquando liceat viris perfectis.* 820.2.a. *ieiunij elogia.* 741.1.c. *eſt præparatio ad pugnam ſpiritualem.* 296.2.b. *idan ſoluere liceat hoſpite aduentante.* 821.1.c. *quadrageſimale quando inchoandum.* ibid.d

Ieremias obſtrepentibus Iudæis à concionando ceſſans pergere iubetur. 698.2.b. *eſt à ſuis afflictus.* 223.1.b. *lapidatus.* 954.2.c. *in quo fuerit typus Pauli.* 420.2.d. 228.1.c. *fuit typus Chriſti opprobria patientis.* 951.1.d 954.2.b

Ieruſalem vox vnde deriuetur. 449.1.c. 838.1.b. *an ſcribendum cum aſpiratione.* 449.1.c. *litteraliter, allegoricè, tropologicè, & anagogicè quid ſignificet.* 17.2.c. *eam condidit Melchiſedech.* 838.1.b

Ieſabel an Aſtartem deam Tyriorum Iſraëlitis ad cultum propoſuerit, quaſi Baal feminam. 150.1.a

Ieſus idem eſt quod Saluator. 577.2.b. *includit, ſed non eſt Iehoua nomen.* ibid. 578.1.a. *Ieſu nomen ſingulis propè periodis Paulus repetit.* 7.1.a. 477.1.b. *dupliciter id coli poteſt.* 578.2.d. *Ieſum nemo inuocare & profiteri poteſt vti oportet, niſi per Spiritum ſanctũ.* 299.2.a. Vide Nomen.

Iethro Gentilis ſaluatus in lege naturali. 48.1.c

S. Ignatius ad mortem anhelabat. 563.2.c. *amorem ſuum ait eſſe crucifixum.* 429.2.b. 467.1.d. *illi ordo decorus in Eccleſia cordi fuit.* 320.1.a. 623.1.d. *fuit Romæ in amphitheatro leoni obiectus.* 955 1.c. *eius exemplaria à Gracis clericis fuere corrupta.* 264.2.b

S. Ignatius de Loiola multas in ſtudiis damonis paſſus eſt illuſiones. 546.2.b. *quid ſenſerit de ſpe in Deum.* 68.2.a. *cur ſuos Ignatianos dicì noluerit.* 201.1.b. *eius in concitandis hominum voluntatibus efficacia.* 174.2.d. *eius erga pecuniæ ſuæ compilatorem amor.* ibid.c

quis Ignis aſſiſtat Chriſto in iudicio particulari. 219.1.a. *quomodo ſæuiet tam in mundi conflagratione quam in inferno contra reprobos.* 217.2.b.c.d 932.2.d. *quomodo in animam agat.* 357.2.d. *ignis quis in die Domini reuelandus.* 216.2.d. *ignem tribulationum quem hæretici fingant.* 217.1.c. *ignis inferni & Purgatorij quomodo differant.* 219.2.d. *ignem de cælo faciet*

faciet descendere Antichristus. 682.2.c. *eius nobilitates & proprietates.* 973.2.c.d. *ignè conflagrationis mundi quinam interituri.* 672.1.d. *per ignem è cælo missum probauit Deus sacrificium Abel, non Caini.* 924.1.c. *item aliorum sacrificia.ibid. per ignem saluus quomodo quis erit.* 218.2.b. *ignis perennis è cælo delapsus ad sacrificia comburenda.* 973.2.b. *per ignem se exhibuit Deus in Scripturis.*1 d. *ignis quomodo vniuscuiusque opus probare dicitur, cùm iam mortui illum ignem non experientur.* 218.1 c.d. *ignis montis Sina quàm esset terribilis.* 969 1.b

Iguiti vnde dicti illi serpentes à quibus Hebræi in deserto vexati. 274.1.b.c

Ignorantia & neglectus Dei quantum malum. 42 1.b. *orta ex peccato.*112.1.d. *cur non fuit in Christo* 874.1.a. *est filia & necessaria appendix peccati. ibid. ignorantiâ peccatum omne denotatur.* 911. 2.d. *ignorantia peccatum Pauli imminuit, non excusauit.* 706.1.a. *ignoratio sui Sanctos reddit semper pauidos.* 580.1.c

Illyricus reselitur dicens peccatum originale esse substantiam. 484.2.c

Imagines ab initio Ecclesiæ fuere. 684.2.d. *eas cùm veneramur, Sanctos veneramur, quorum imagines sunt.* 949.2 d. *earum cultus adstruitur.* 901.2 d. *aliter eas veneramur ac Gentes.* 40. 1.a. *eas quomodo hæretici venerentur.* 296.1.b. *imago Dei est in viro, angelo & femina.*517 2.c. *imago viri est mulier.*284. 2.d. *imago & similitudo Dei, ad quam homo creatus, idem est & promiscuè vsurpatur.*517.2.b.c. *imago Dei in homine tum naturalis est, tum supernaturalis.* 640.2.b. *hæc sita est in iustificatione, gratia, sanctitate, visione Dei.* 518 1.c. *ab eius voluntate dependet.ibid.d. peccando amittitur.ibid. in baptismo accipitur.* 2.a. *sed naturalis peccato amitti non potuit.*1.c. *imago Dei in homine in quo sita.* 517. 2.a.b. *imago est similitudo rei veræ, idolum falsæ.* 261. 2 c. *quomodo & quando portemus imaginem Christi.* 331.2.c

Imitari semper primos oportet. 597.1.b

Imitatione Dei simus filij Dei. 107.2.b

Sicut Immersione in aquam baptismi configuramur Christo morienti, ita emersione resurgenti. 86.2.a

Immortalitas animæ docet resurrectionem. 328.1.a

Immundi quomodo essent Iudæorum cibi. 186.2.d. *immundus quomodo cinere vitulæ rufæ expiaretur.* 915.1 b

Immunditia est mollities, qua se molles polluunt contrà naturam. 410.2.b.457.2.d

*Immutabilitas fidei examinanda.*418.1.a. *immutabilitas est ratio incorruptionis & immortalitatis.*769.2.c

*Imperator est optimus qui maximè cognitas habet res hostium.*345.1.a. *Imperator Romanus an sit Gog.* 687. 2.d. *Imperatores cur imberbes pingerentur.* 910.1.c. *Petri & Pauli sepulcra venerantur.* 13.2.a

Imperfectiones proximi tolerandæ. 463.1.a

Imperium Romanum quando destruendum. 680.2.a. *adhuc stat.ibid.d. sed sensim deficit.* 681.1.b

Imperium à Deo descendit. 176.2.a. *imperia omnia tandem cedere debent regno Christi.* 680.1.b

Impij à Deo tolerantur vt saluentur. 133.2.a. *nolunt Dei imperio subesse, illudq; vellent excutere si possent.* 136.1.d. *eorum prosperitas.* 36.1.c. *sunt obnoxij vindictæ Dei.*37.2.a. *eorum in iudicio stupor & confusio.* 673.1.c

*Implere peccata quid sit.*653.2.d. *implere verbum Dei est plenè illud prædicare.* 620.2.a. *implere Euangelium quid sit.* 192.2.b.c.

Imponere manus idem est quod ordinare. 382.1.c

*Impositio manuum si per ordinandos quid significet.*744. 1 c.d

Impossibile sæpè vocatur quod est difficile. 250.2.d. *item id quod rarò aut numquam fit.* 882.2.b. *impossibilia non præcipit Deus.* 276.1.b

Impossibilitas resipiscendi annexa stupori mentis. 152.1.a

Impostores Euangelij causâ se in pericula non coniiciunt. 651.1.d

Improperium Christi quod respexit Moses, sunt opprobria & tribulationes. 951.1.c

Impudentia socia est incorrigibilitatis. 151.1.a

Impudica leuitatem inuoluunt. 606.2.b

Impudicitia quam libidinem includat. 457.2.a

Impunitatis infelicitas quanta. 172.2.d

quomodo Imputentur nobis Christi opera. 17.1.a. *imputare fidem ad iustitiam vel pro iustitia aliud est quàm imputare iustitiam.* 63.2.c. *Deum non imputare alicui peccatum, est aliquem peccato carere.* 64.2.c

In *Hebræi instrumento tribuunt.* 547 1.b. in *cum accusatiuo significat augmentum.* 497.1.d. in *præpositio Spiritui sancto appropriatur.* 157.2.d. 261.2.d. in Domino, in Christo, *quid Apostolo denotet.* 21. 1.c. in faciem resistere, *quid significet.* 426.1.2

Inæqualitas cauenda in familiis. 644.1.a

in Incarnationis primo puncto habuit Christus actum meritorium oblationis sui, quem continuauit vsque ad mortem. 916.2.b. *fuit hæc vnitio Verbi sed substantialis.* 575.1.d. *in ea Verbum diuinum naturam humanam, & consequenter homines hominum q; Ecclesiam sibi vniuit.* 538.2.d. *eius Latitudo, longitudo, profundum & sublimitas.* 498.1.a. *est magnum pietatis Dei sacramentum.* 733.1.b. *eius finis est vt peccatum aboleret, & peccatores saluaret.* 705.1.c. *eam negabant Simoniani.* 787.1.b

eleuatio manuum quomodo vocetur Incensum. 718.2.a.

Incertitudo gratiæ & perseuerantiæ. 591.2.a. *hæc semper pios timere cogit.* 275.2.d. 580.1.c. 2.b. *incertitudo gratiæ & prædestinationis in Paulo.* 270.1.a

Incertus cur sit dies mortis. 664.2.b.c

Incipientium tentatio est putare se esse perfectos. 592.1.a. *incipientium status animalis est.* 212.2.d

Incircumcisum vocabant Iudæi quod quauis in re immundum est. 626.2.c.d

*Inclementia in alios signum est animi imperfecti.*463.1.b

Inclinationes vitiosas sentire cogimur & tristi 100.1.d. *ex noscenda ad perfectionem aspirantibus.* 595.1.d

Inconstantia mulieribus familiaris. 720.1.a. *inconstantia hæreticorum suis in dogmatibus.* 512.1.d

Incontinentes cur velit Paulus nubere. 244.2.a

Incorrigibilitas signum est obstinatæ mentis. 152.1.a

Incorruptio est causa æternitatis. 707.2.c

*Incredulitas magnum peccatum.*867.2.b. *venit ex vitijs.*527.1.d. *Iudæorum.* 145.1.d. *ob eam sunt repulsi à benedictione.* 135.2.a

*Increduli vindictæ obnoxij.*37.2.a. *incredulus & iniustus Deo displicet, veraq; caret vita.* 36.2.b

Incrementa frugum quæ eleëmosynarijs rependenda & multiplicanda dixerit Deus. 387.1.a.b

Incuruare dorsum quid sit. 152.1.d

*Indi pagani peccatum Adami imitati verè dici non possunt.*77.1.a. *lapides & ligna pro diis colunt.* 40.1.a

Indi Thomæi à Chaldæis Episcopum petunt. 204.1.d

Indicatiuo carent Hebræi, pro eo vtuntur participio. 21. 2.c. *& præteritis.* ibid.

in Indifferentibus cuique liberum suam opinionem sequi. 184.2.d

Indignum ordinans eius peccatorum fit particeps. 757.1.c

Indiscretus, dici potest sacrilegus, & cur 161.1.d

Indo-

Indolentia oritur ex consuetudine peccandi. 515.1.c
Induere Hebræis significat copiosè aliqua re perfundi & imbui. 21.2.b.441.1.d. *induere nouum hominem & veterem, Christum & Adamũ quid sit.* 181.2.b.516.2.c
Indumentum Christiani est externa virtus. 181.1.d
Indulgẽtiæ Ecclesiasticæ adstruuntur. 344.2.a. *dantur ex thesauro Ecclesiæ.* 620.1.a. *indulgentia non dabatur olim, nisi bona pars pœnitentiæ esset expleta.* 344.2.b
quomodo Induret peccatorem Deus. 19.2.b.134.1.d
Inexistendi varij sunt modi. 910.1.a
Infallibilitas fidei orthodoxæ. 418.1.a.b
Infamia non debet esse Episcopus crimine aliquo. 818.2.a
Infans dicitur qui fari non potest. 316.2.a. *infantes ob peccatũ originale obnoxij pœnæ damni.* 85.1.d. *in Adamo peccarunt, etsi non actualiter.* 77.1.a. *infantibus fidelium baptismus non minùs necessarius quàm alijs.* 153.2.c. *infantibus propriè nocet fascinum.* 432.1.a. *infantibus quomodo proprium sit peccatum actuale Adami.* 363.2.b. *operum examine in iudicio non indigebunt.* ibid.c.
Inferiora terræ ad quæ Christus descendit, sunt infernus. 506.1.d. *spiritualiter quæ sunt.* 599.2.c
Infernalium pœnarum gravitas. 672.2.a. *inferni nomine dicitur limbus, Purgatorium & infernus propriè dictus.* 506.2.b. *infernus Caluini in sola apprehensione consistit.* 877.1.a. *inferni qui flectant genu Iesu.* 578.1.d. *infernus & mors apud Oseam significant statum mortuorum.* 333.2.d. *per inferos ad quos descendit Christus, Caluinus & Beza intelligunt sepulcrum.* 506.1.b.c
Infidelis cum fideli coniuge iuxta eius legem & Ecclesiæ præceptum habitare nolens, censetur hoc ipso velle discedere. 248.1.a. *quando hunc liceat dimittere.* 247.1.d. *infideles solo concursu generali possunt proferre nomen Iesu, & de eo habere cogitationẽ bonam.* 299.2.a. *sed non quantum ad remissionem peccatorum, gratiam & finem supernaturalem necesse est.* ibid.b. *infidelium commercia vitanda.* 371.1.d. *eorum opera omnia an sint peccatum.* 188.2.d.281.2.b.821.2.c. *an nihil boni facere possint.* 822.2.a. *pro iis orandum.* 712.2.c.d. *ijs cur nullus cibus mundus.* 822.1.a
Infidelitatis pœna libidinum monstra. 41.2.d. *impedit iam & dirimit matrimonium.* 246.1.d
Infinitiui per hebraismum sæpè sumuntur pro nominibus, & verbis quorumlibet temporum & modorum. 21.2.c
Infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia. 206.1.b.c *infirmus corporaliter quomodo spiritu sit firmus, & cælestibus se totum addicat.* 408.1.b. *infirmi vocantur quorum conscientia erronea.* 182.2.b. *infirmorum exemplo virtus accenditur.* 408.1.a. *infirmiores quomodo regendi.* 447.1.d
Infirmitas phrasi Hebraica pro dolore ponitur. 405.2.a. *non est molesta patienti, sed pati nolenti.* 356.1.b. *infirmitates nonem ortæ ex peccato.* 112.1.c. *infirmitates quomodo placere debeant.* 408.2.a. *earum vtilitas.* 1.b.c. *infirmitates proximi portare debemus.* 462.2.b. *infirmitatum quatuor genera suscepit Christus.* 874.1.c. *vnde id colligatur.* 976.1.d. *infirmitate quid significet Apostolus.* 408.2.a.d. *infirmitatis propria agnitio est fortitudo mentis.* 407.2.d.& seqq.
Inflari quomodo dicatur superbus. 224.2.d
Ingenium hominis in ira, calice, crumena cognoscitur. 522.1.c
Ingratitudo nostra in non respondendo Christi erga nos caritati. 716.2.a
Ingurgitatio non semper est peccatum mortale. 457.2.d
Inhæsio mutua est ex amoris proprietatibus. 409.2.b
Inimicitiæ mutuæ Iudæorum & Gentium. 488.2.b
Inimici in gratiam redeuntes osculo se excipiunt. 413.2.c. *inimici crucis Christi sunt Cerinthi & Simonis asseclæ, qui crucem negarunt.* 597.2.c. *inimici an odio habendi.* 178.2.a. *inimici quomodo cibandi.* 172.2.d. *sunt vincendi patientia.* 173.2.a
Ininterpretabilis *quid sit contra D. Thomam.* 878.2.d
Iniuriæ obliuio est actus magnanimi. 173.2.d.520.2.a. *iniuriæ condonandæ sunt.* 523.2.c
Innocentes potentes sunt & vocantur, & quare. 413.1.b
Innocentiæ securitate torpenti præfertur ardens pœnitentia. 322.2.d. *innocentiæ symbolum lac.* 215.1.a
Innotescere propriè quid sit. 494.2.c
Inobedientiæ mala tam in subditum quàm Superiorẽ manantia. 982.2.a. *ea venit ex vitijs.* 527.1.d
Inopia Christi quomodo simus ditati. 380.1.a.b
Insatiabilitas opum tristitiæ omnis causa. 766.2.b
Insipiens quis sit & dicatur in Scripturis. 55.2.b
Insipientia naturæ humanæ peccato vitiatæ. ibid.c
Insitio Gentium in Iudæos duo continet mira. 155.1.a
Instans necessitas quid sit. 251.2.a
Institutio puerorum vtilis, necessaria, nobilis & sanctæ. 464.2.c.d. *cur debeat esse seuerior.* 963.2.b
Iustiniani institutiones cur vocẽtur elemẽta iuris. 443.1.b
Instrumenta musica nisi sonum dent vt intelligantur, nemini proderunt. 312.1.a. *horum in sacris vsus.* 315.2.a
Insufflatio qua Episcopus ordinatos insufflat, gratia quædã est, quæ per traditionem infunditur ordinatis. 744.1.b
Integer spiritus quis sit. 667.2.b
Intellectus corde significatur. 142.2.d. *intellectus error fons vanitatis Gentium.* 514.2.c
Intẽperãtia phlegma adauges, & torporẽ inducit. 823.1.a
Intentio pia est continua oratio. 553.1.c. *intentiones secretæ hominis nouit Deus.* 224.1.b
Interior homo quis sit, quibus ab Apostolo nominibus vocetur. 99.2.b.& seqq. *eius anima & operatio.* ibid.
Interpretum officium in primitiua Ecclesia quadruplex. 300.2.c.508.2.a. *interpretes epistolarũ S. Pauli.* 24.1.c
Interrogare Latinis est verbum forense. 264.1.c
Inuariabilitas Christi ostenditur. 978.2.b
Inueniri *pro esse accipitur.* 591.1.b
Inuidia innascitur virtuti. 561.1.c. *sola Patrum occidit.* 2.d. *eius malum.* 456.1.a.562.2.b. *eius remediũ est vnius Dei gloriam quærere.* 562.1.a. *inuidia Iudæorũ propter Gentium conuersionem.* 146.2.c. *item in Christũ.* 151.2.b. *sequitur ex logomachia hæreticorũ.* 761.2.d. *hominẽ reddit dæmonẽ.* 562.2.b. *similis est ophthalmiæ.* ib. *quã in rebus alienis acutũ cernat.* ib.c
Inuisibilia bona per patientiam exspectanda & sperandæ. 111.2.c. *inuisibilia Paulo dicuntur, non entia, æternæ rationes & ideæ rerum in mente Dei, & materia prima, & aquarum abyssus.* 941.2.c.d. *inuisibilia Dei an sit Pater inuisibilis.* 381.1.d. *aut Dei attributa spiritualia.* 2.a. *Deus est inuisibilis.* 307.2.c
Inuitatorij Ecclesiastici officij vnde desumptum. 865.1.d
Inuocare nemo Deum potest, in quem non credit. 144.1.a
Inuocatio Dei opponitur fidei. 143.2.d. *inuocatio Sanctorum & Dei quomodo distinguatur.* 144.1.a. *illos inuocare fas esse ostenditur.* 194.1.a
S. Ioannes Euangelista fuit theodidactus. 905.2.a. *Asiam Christo subiecit.* 392.2.a. *in singulis collectis charitatem fraternam suadebat.* 178.1.a. 466.1.a. *diu vixit.* 15. *in igne illæsus mansit.* 898.2.b. *iuuenis secutus est Christum.* 802.2.a. *cum Cerintho in eodem balneo lauari noluit.* 790.1.c
S. Ioannes Baptista ab abstinentia laudatur. 737.2.a. *nullum edidit miraculum.* 228.2.d. *cum Deipara salutans Spiritu sancto repleuit.* 33.1.c. *à teneris Deo seruire cœpit.* 802.2.a. *cilicio è pilis cameli contexto indutus fuit.* 956.1.b
S. Ioannes Calybita lucem hominũ fugit. 639.1.b. *ætatis anno 14. domo patria profugit in monasteriũ.* 802.2.a

S. Io-

S.Ioannes Chrysostomus oratoriè sua amplificat, non tamen supra veritatẽ rei.277 2.d. anhelabat ad limina Apostolorum.718.1.a. quàm parum Eudoxiæ curarit minas 963.1.c.in vocatione ad primam gratiam non fauet Pelagianis. 477.1.c. quomodo ad collectam elcëmosynæ faciendam suos sit cohortatus. 335.1.c. Purgatorium asserit. 217.1.b. quin & orari iubet pro defunctis.564.1.a. fugit episcopatum ob curam viduarum 746.2.a. docuit peccatum originale inhærere cuique homini.77.1.b. Pauli lectione summus euasit ecclesiastes.8.2.c. suadet eiusdem lectionem concionatori futuro, & auctor lectionem Chrysostomi.ibid.3.2.c. auctori dux in hisce commentariis.6.1.a ei commentanti adstare visus Paulus & scribenda dictare. ibid.b. in musæo imaginem eius habuit,quam perpetuò aspiciebat.ibid. eius excelsus & intrepidus animus.120.2.d.358.2.a.b. eius error dicentis D.Virginem deliquisse in passione. 56.1.a

S.Ioanni Damasceno manus amputata restituta à B.Virgine.114. 2.d

S.Ioannes Elecëmosynarius deflebat diem quo non dedisset elcëmosynam.386.1.d. quo plus pauperibus dabat,eo plus aliunde recipiebat.981.2.a. mortuus est nihil habens,cùm in pauperes omnia erogasset. 386.2.a. 764.1.d. eius exemplum de ira moderanda.519.2.d

S.Ioannes Eremita vidit dæmones & confudit. 398.2.d

Ioannis Fernandi Societ.Iesu in Laponia patientiæ exemplum. 369.1.c

Ioan.Gerson quem errorem Ruisbrochio impingat. 326.2.b. munere catechistæ perfunctus est. 464.2.d

Ioan.Huartus docuit animam esse membratam. 357.2.c

Ioannes Hus docet iustos esse propriè rerum omnium dominos. 221.1.c

Ioannes cognomento Marcus adhæsit primò Paulo,deinde ab eo desciuit,tandem rursus admissus. 811.1.a

Ioannes Nanus Eremita quomodo operari didicerit.693.1.b

S.Ioannes Silentiarius quàm Deo fideret. 977.2.a

Iobi genus Scriptura non recenset.889.1.a. Spiritu sancto inspirante sua gesta scripsit.803.1.b saluatus cum posteris in lege naturæ per fidem Dei.48.1.c.150.2.c. quàm carus domesticis. 653.1.a

Ioci quales Christianorum esse debeant. 525.2.d

Ionas in ventre ceti fuit allegoria resurrectionis Christi. 321.1.b

Iosaphat vallis quomodo omnes homines capiet in die iudicij. 663.2.b

S.Ioseph quomodo non cognouit Mariam, donec ipsa Christum peperit. 850.2.a

Iosephus Iudæus putabat non vetari concupiscentias internas, sed tantùm conatum exteriorem ad eas explendas.94.2.d. vxorem è Creta duxit.820.2.c. à familia Flauia Titi,Flauij nomen assumpsit. 28.2.a

Ioseph patriarcha seruorum exemplar.542.2.d. eius ossa quomodo dicantur prophetasse.311.2.c. per fidem eadem voluit in Chanaan transferri. 950.1.b

Iosias rex piè euertit altaria. 148.2.a

Iosue idem cum Iesu.578.1.b. est à Deo missus per Mosem. 416.1.a. aduersus Moseu non murmurans terram Chanaan ingressus est. 867.2.a

S.Iphigenia hortatu S. Matthæi virginitatem coluit. 256.2.b

Ira ab insania sola mora differt.523.1.b. differt ab indignatione.45.2.b. vultu & naribus maximè se prodit.502.1.c.805.2.c. eius qui sint gradus. 522.2.c. quæ remedia.523.1.a. rationi caliginem effundit. ibid.c. maximè orationi repugnat.719.1.c. quamuis in corpus proximi & proprium aliquando sæuiat, non tamen dicitur vitium corporale.238.1.a. significat metonymicè pœnam.177.1.b. iræ locum dare quid sit.172.1.a. quando mortalis sit & venialis. 457.2.b. eius origo in anima & corpore.22.2.c. si ratione regatur,cos est virtutis.519.2.a. eius damandæ gradus & exempla. 519.2.c.d. comparatur api. 520.1.d

Iracundia vocatur ipse iræ excessus. 520.1.c

Irasci quibus,& quomodo liceat. 519.1.c.d

Irati dicuntur corrugare nasum & suspendere.805.2.c. iratus,dæmon est incarnatus.521.1.a. eius deformitas. 521.1.c

Irenæus græcè scripsit,vtpote Græcus,sed mox in Latinum conuersum suadet stylo Latini grauitas. 27.2.a

Irregularitas Ecclesiastica duplex. 726.1.c

Isaac fuit figura Christi à Patre in mortem traditi, & immolati,ac tertia die resuscitati. 521.1.b.947.2.d. ex eo,non ex Ismaele,ducenda erat Abrahæ posteritas. 947.2.b. fide filiis benedixit.948.2.b. erat ænigma, scilicet, homo moriens & generans.1.d. cum posteris heres fuit terræ promissionis. 128.1.a. cum posteris secutus fidem patris. ibid.b. solus fuit heres Abrahæ,quia liberæ filius.451.2.b.c. fuit Abrahæ filius promissus temporalis & spiritualis. 128.1.a.d. eum cur irriserit Ismael.451.2.a.quomodo in parabolam fuerit. 947.2.d

Isacidæ fuere veri heredes Abrahæ. 128.1.b.c

Isaias lignea serra serratus.146.2.d.954.2.d. fuit Christi crucifixi imago.ibid. cur nudipes & quamdiu ambularit.549.2.c. Isaias & alij Prophetæ velut Apostoli à Deo missi sunt ad Iudæos. 226.2.c

Ismael verus Abrahæ heres cur non fuit. 128.1.a.927.2.a.b. eius expulsio ex domo Abrahæ typus fuit reprobationis Iudæorum.451.2.b. quomodo secundùm carnem natus.447.2.b. deridens Isaac figura fuit persecutorum Ecclesiæ.451.2.a. hebraicè quid significet. 448.1.d

Israelis triumphus.505.2.c. quomodo sit lumbare Dei. 547.1.c. Israel,quomodo dicatur Christus.556.2.c. hebraicè denotat videns Deum. 468.2.d

Israelitæ sub pœna mortis arcebãtur à monte Sina.969.2.b. quando in Aegypto habitare cœperint.437.2.d. in captiuitate Assyriaca ad Gentilium ritus defluxerunt.903.1.a. idolothytis pellecti sunt ad cultum Beelphegor.260.2.b. Aegypto egredientes calceati fuere.547.1.b. eorum cædes sub Antiocho pro patriis legibus.955.1.a. eorum rebelliones.865.2.b. Israelitæ veri sunt non omnes qui ex semine sunt Abrahæ, sed qui Abrahæ fidem & spiritum imitantur.128.1.a. 468.2.d.885.2.a.b

in Isthmiis certaminibus victor pinea corona donabatur. 246.1.d

Itali quare primi ad fidem ante alios Europæos conuersi. 477.2.d. antonomasticè significare possunt Romanos. 984.2.a

parati ad Iter symbolum est zona. 548.1.b

Iubileus vocari potest tempus prædicationis Christi 368.2.b. iubilei annus quare apud Iudæos institutus.253.1.c

S.Iudas hæreticos sui temporis viuis depingit coloribus.15.

Iudæ proditor quare diabolus vocetur 735.2.b. primò vas aureum factus est vas in contumeliam. 795.1.d

Iudas Galilæus profitebatur visiones angelorum. 633.1.b

Iudæ patriarchæ promissus Messias vt nepos. 50.2.d

Iudæa an contermina Arabiæ.448.2.a. eam Iudæis panes coctos & vestes sericas cuique Iudæo accommodatas prolaturam comminiscuntur Rabbini. 699.1.b

Iudæus significat hebraicè confitens & laudans Deum. 50.2.d

Iudæi dicti à Iuda patriarcha,non Iuda Machabæo.ibid. eorum patres sunt etiam parentes Christi. 126.2.c.

mira illorum dignitas, quòd ex eis sit natus Christus. ibid. sectantes legem ipsorum opinione iustificantem. in legem verè iustificantem non peruenerunt. 139 1.c. erant eisdem quibus Gentes vitiis implicati. 43.1.a. Cæsarem dominum appellare noluerunt, vel morte proposita. 828.1.b. baptizabãtur ante sacrificia 327.1.c. 881.2.d. Ismaeli assimilantur. 451.2.a.b. coluerunt stellas. 631.2.a.b. habent concisionem, Christiani veram circumcisionem. 588.1.d. eorum festa cur vocentur elementa. 443.1.c.d. in quo differrent à Samaritanis. 351.1.b. Christianum iam habere seruum non possunt. 250.1.a. sunt probrum omnium gentium. 437.2.b. in fine mundi aperient oculos pertæsi malorum, idq; per prædicationem Eliæ & Henoch. 176.1.a. 155.1.b.2.c. iis conuersis omnia erunt consummata. 153.2.a. dicunt etiamnum quotidie anathema Iesu & Christianis 299.1.c. eorum studium omne erat in sacris Litteris, nec alias ferè norant 203.1.d. eorum stupor & cæcitas. 140.2.b. 151.1.b d. post cibum sumptum gratias Deo agebant. 185.2.c. quod quærebant per opera legalia, non sunt assecuti. 150.2.d. quòd Romanis tributum pendere detrectarunt, hinc à Tito excisi sunt. 175.2.b. cur eorum cum Christianis coniugium vetetur. 247.2.d. in fine mundi cur Antichristum sequentur. 155.2.a. 678.1.c. 684.1.b.c. is maximè propter eos veniet. 683.1.d. è Iudæorum incredulitate per accidens diuina sapientia Gentium elicuit conuersionem. 152.2.d. illorum conuersio maximi erit occasio gaudij. 153.1.d. cur tam pauci ad Christum conuersi sint. 138.1.d. tempore Christi non coluere idola. 631.2.b. eorum error circa SS. Trinitatem. 351.1.a. quomodo rursus oliuæ fructiferæ inserentur. 154.2.d. in texendis genealogiis maiorum exacti, & quare. 699.1.c. 831.2.a. iis potißimùm annunciatum Euangelium à Christo & Apostolis. 35.2.a. in fine mundi Christum è Scriptura asserent & prædicabũt. 152.2.c. 155.1.c. an omnes. ibid.d. iis quomodo mensa facta in laqueum. 152.1.b. perperam scandalizati in morte & passione probrosa Messiæ. 916.1.a. articulum resurrectionis difficillimè credebant; quem si crederent, omnia de Christo credenda crederent. 142.2.c. quia operibus legis superbè præsisi fidem Christi respuerunt, postpositi sunt. 60.2.a. 129.2.a. 139.1.d. 135.1.c. 2.a. 26.1.c. 124.1.a. 139.1.d. 903.1.c. per hæc non meruere benedictionem. 132.2.d. eorum fides, spes, & caritas olim quàm fuerit rara. 913.1.a. cur primò sint ad fidem vocati. 477.2.b.c. eorum testamentum & lex fuit seruilis. 448.2.d. aqua expiationis legaliter eos mundabat. 930.1.a. de oblatis propriis in templi atrio comedebant. 262.2.a. 279.2.b. iis immunda erant Gentibus communia. 186.2.d. non ipsi soli vocandi erant à Messia, etsi id putarent. 138.1.b. 145.2.d. Paulum cur apud Aretam accusarint. 402.2.a. nonnisi lotis manibus orabant. 718.1.d. duplex ipsis olim requies promissa. 868.1.d. in iis incredulis promissa Dei non exciderunt. 128.2.c. quòd increduli præ Christianis credentibus repulsi sint, non fuit ex demeritis præuiis, sed fuit ex voluntate Dei. 136.1.a.b. Gentes ad contemptum vocabant præputium, & peccatores, se verò circumcisos circumcisionem. 50.1.d. 127.2.d. 487.1.a. 488.1.a.b. 626.2.c. hæc fuit iis signum iustitiæ accipiendæ. 65.2.a. non sunt subiecti iustitiæ Dei. 141.1.d. iis fuit Christus lapis offensionis. 139.2.c. eorum fabulæ & commenta 699.1.a.b. 810.2.b. eorum de inimicis odio habendis error reiicitur. 178.2.a. peccantes in captiuitatem abducti sunt, Deo tamen miserante reducti in patriam. 130.2.c. an ab Ida monte sic dicantur. 820.2.c. putabant non vetari concupiscentias merè internas, sed tamùm conatum exteriorem ad eas explendas. 94.2.d. timore pœnæ à peccatis coërcebantur. 106.2.a. ex fide in Christum venturum iustificati sunt. 59.2.c.d. sed veniente Christo hanc amisere. ibid. Mosi suo præsidentes Christum agnoscere noluntt. 147.2.a. eorum reprobationis typus fuit electio Ismaelis è domo Abrahæ. 451.2.b. per legem Mosis agnouerunt peccatum rursum, quod antea obscurè per lumen naturæ cognouerunt. 57.1.a. per circumcisionem censebant se mundari. 626.2.c. cur non sint respuendi. 153.2.b. eorum prærogatiua & gloria. 126.1.d. eorum nox quæ. 180.1.b. eorum abstinentia à cibis duplex, temporaria ac perpetua. 184.1.d. dediti erant auaritiæ. 976.2.d. quare non potsint edere de corpore Christi. 980.1.c. eorum consumptio per Titum à Prophetis prædicitur, & tunc occupati fuere ab ira Dei. 138.2.c. 654.1.c. eorum qua salutatio. 33.1.a. eorum cum Cretensibus communio. 810.2.c. iis credita eloquia diuina. 52.1.b.c. non solùm eorum Apostolus fuit Petrus, sed etiam Gentium. 425.1.d. eos omnes non repulit Christus. 148.1.a. apostatantes præputium reducebant. 249.1.a. Iudæi transfugæ bis circumcidebantur. ibid. è captiuitate Babylonica reduces locuti sunt hebraïssyriacè, & ita tempore Christi locuti. 838.2.c

Iudæorum & Gentium pater Deus est. 107.1.b. Iudæi & Gentes peccarunt, & egent gratia Dei. 57.2.b

Iudæo-Christianis assumere circumcisionem licuit, non Gentibus. 452.1.b. cur sæpè cum Gentibus altercarentur. 183.1.a. erant superbi & ambitiosi. 791.1.a. Iudæi Asiani in Paulum turbas concitarunt. 470.2.b. Iudæus non fiat antè oportet qui ad Christum conuerti velit. 248.2.d

Iudæo-christianismus vitandus vt hæresis. 415.2.a

Iudaismum gentilismo cur æquiparet Apostolus. 453.1.d. in quid Iudais præscriberet. 913.1.b. Apostolo onus est. 462.1.b. ita an dici queat religio angelorum. 631.2.b.

Iudaizantes fuere Christiani è Iudæis oriundi. 562.2.a. suam quærebant gloriam etiam Pauli morte. ibid. turbas aduersus Apostolum concitabant. 691.1.a. eorum communionem Corinthiis Apostolus vetat. 371.2.b. hi Christianis magis cauendi quàm Ethnici. ibid. præter Euangelium inducebant iudaismum. 419.2.a. eos cur acriter insectetur Apostolus. 349.2.b. 389.1.c. circumcisionem imprimis suadebant. 454.1.c

Iudaizare volentes excidêre à Christo & christianismo. 453.1.b. iudaizare cogentes procis sunt similes. 446.2.b

Iudex Ecclesiasticus adiripotest post litem contestatam in sæculari iudicio. 234.2.d. iudex controuersiarum fidei an sit cuiusque spiritus priuatus. 213.1.b. iudex careat præiudicio. 756.2.a. iudex obscurus, litem non decidit. 4.2.d. iudicis aduentum qui diligant. 810.1.d

Iudices aliorum constituti non sumus. 186.1.d. iudices reos mulctantes sunt irregulares, & ad sacerdotium inhabiles. 726.1.c

Iudicandi quomodo dicantur viui & mortui. 804.2.a. 663.1.a. iudicare seipsum homo ante communionem tripliciter debet. 297.1.a.b. iudicare inter diem & diem quid sit. 184.2.b. iudicari, pro iudicio contendere capitur. 234.1.a

Iudicij extremi descriptio ex psalmo XCVI. 847.1.d. eius diem instare cur Apostolus semper inculcet. 275.2.c. id semper ante oculos habendum. 661.2.c.d. eius horror, & quomodo id peragetur. 660.2.d. & seqq. ibi erunt omnes viui, nulli mortui. 663.1.a. ibi omnia opera cuiusque reuelabuntur. 64.1.c. ibi quisque

quisque suum opus portabit. 464 1.b. *ibi conscientia propria excusabit vel accusabit quemque apud Deum.* 48.2.c. *id an manè an noctu fiet incertũ est* 664.2.c. *non statim sequetur post Antichristi interitum.* 1.a. 689.1.a. *iudicij vniuersalis & particularis dies dicitur dies Domini.* 216.2.c.d. *iudicij particularis dies an sciri poterit, & cur nobis incerta sit.* 664 1.a.2.c. *iudicium vnde dicatur æternum.* 881.1.a

Iudicia Dei alia, alia hominum. 580.1.c. *iudicia Dei sternunt quamcumque superbiam.* 157.2.a

Iudicium causarum ciuilium commissum olim fuit presbyteris. 234.2.d. *iudicium temerarium cauendum quatuor ob rationes.* 183.b.b

Iudith quàm illustris vidua. 747.1.d

Iugum Christi quàm suaue. 358 1.d

S. Iulia ancilla in crucem acta est. 431.1.a

Iulianus Apostata coëgit Catholicos vesci idolothytis. 260.1 b.280.2.c

SS. Iulianus & Basilissa in coniugio castè vixere. 242.1.b

Iulianus Pelagianus putabat concupiscentiam non esse à natura corrupta. 97.2.d

Iulius Cæsar hostes optabat validissimos. 407.1.b. *ius ciuitatis Rom. dedit Tarsensibus.* 1.1.c. *suis semper præibat exẽplo.* 597.1.d. *obliuisci iniurias solebat.* 173.2.d

S. Iuniperi de tribulationibus gnome. 108.2.d

Iupiter Cretenses pæderastiam docuit. 818.2.c

Iuramentum est actus religionis. 652.1.c. *iuramentum facientes per medium ignem ibant, ferrum manibus ferentes.* 294.2.b

Iurare pro confiteri. 186.2.a. *iurare Christiano licet.* 341.2.a. *iurabant veteres per dexteram.* 637 1.d

Iurisconsultis Gallis quam stoliditatem affingat nugax Erasmus. 831.2.d

Iurisconsulti quid dicant impossibile. 882.2.b

Ius suum cuique administrandum. 756.2.b *ius sacerdotale olim erat primogenitorum familiæ.* 891.1.d. *id quale apud Christianos* 2.a. *ius primogenituræ sanctum erat.* 967.2.b. *erat duplex, temporale & spirituale. ibid.c. iure suo vtens quando peccet.* 267.1.a. *iure partim scripto, partim non scripto vsæ sunt omnes politicæ gentes.* 690.1.b. *quod sit ius ciuium in Ecclesia Dei.* 489.2.a

Iusiurandum vera est ac aperta Dei professio. 186.2.a

Iustinianus Imp. iunior Manichæos multos flammis tradidit. 648.1.b

S. Iustinus conuersus per constantiam Martyrũ. 742.2.a

Iustus non est sub lege, sed supra legem. 701.1.c. *pro iusto quomodo quis moriatur, pro bono quomodo forsitan audeat.* 75 1.c. *iusti non certò sciunt se esse iustos.* 224.1.a. *iusti ante Christum quomodo filij adoptionis, & quomodo serui.* 414.1.a.b. *iusti per fidem fiunt iustiores.* 62.1.a.b. *iustorum propriè est viuere.* 36.2.d. *iusti omnes sunt electi, completè ad gratiam & iustitiam, inchoatè ad gloriam.* 19 1.a. *iusti veteris testamenti, sunt filij noui testamenti.* 448.2.a. *iusto non est lex posita.* 70 .1.d. *est quasi cubus.* 601.2.b. *iustus & bonus quomodo distinguantur.* 75.1.d. *iustus quomodo ex fide viuat* 917.2.a. *iusta quomodo sint mandata legis* 96.1.d. *iustus quomodo Deus.* 59.1.c

Iustificari tripliciter in Scripturæ sumitur 46.1.d. *post lapsum nemo Iustificari potuit sine fide in Christum propitiatorem.* 62.2.a. *quomodo gratis iustificemur.* 581.a

Iustificati suam iustitiam licet liberè à se acceptatam, gratiæ tribuere debent. 150.2.b

Iustificatio est communis Iudæis & Gentibus non à lege, sed a gratia. 64.2.d. *mystica est resurrectio.* 790.2.d. *eius quadruplex causa* 58.2.d. *effectus est prædestinationis.* 118.1.a. *iustificatio per fidem non est ex operibus, sed gratuita.* 63 1.b. *iustificatio peccatoris quàm difficilis.* 480.2.b *iustificatio est duplex.* 62 2.c. *vtraque gratuita. ibid.d. Abrahæ. ibid.c. in primo iustificationis instanti infunditur homini charitas & gratia per quam fit particeps diuinæ naturæ.* 111.1.d. *iustificatio impij cur dicitur creatio.* 486.1.b. *in ea sunt duo termini, à quo, & ad quem.* 830.2.a

Iustitia ex lege aduersa & opposita iustitiæ Dei 135.2.b. *iustitiæ potissimus effectus est Deo placere* 63.1.c. *iustitia obtingit non per legem aut circumcisionem, sed per fidem.* 66.1.d. *iustitia est qualitas nobis inhærens.* 74 2.b. *iustitiæ regnum in anima quod sit.* 89.1.b. *iustitia nostra nobis est intrinseca* 63.2.a. *iustitia dea pingitur cum acum æquabilãe.* 756.2.c. *iustitia Christi nobis inhæret.* 63.1.d 82.2.a. *non iustitia externa imputatiua Christi, sed inhærens, iusto competit* 206.2.b. *iustitiæ sex fructus & excellentiæ.* 72.1.d *iustitia imputatiua Caluini refutatur.* 475 1.b. *iustitia inchoatur, conseruatur & promouetur fide* 937.1.d. *iustitia vera per Christi Euangelium reuelatur.* 37.2.a *iustitia Dei tria significat.* 3 .2.b. *iustitia quæ ex fide est, inundatura post Christi tempora per orbem à Prophetis prædicitur.* 138.2.b. *iustitia vera consistit in reconciliatione hominis cum Deo.* 141.1.a. *iustitia Dei quæ sit ibid. iustitia cur fidei potissimùm tribuatur.* 59.2.b. *iustitiæ lex est lex gratiæ* 139.1.c. *iustitia & Spiritus sancti gratia in nobis est causa moralis resurrectionis.* 105.2.c. *iustitia per Christum intrauit non imitatione, sed propriè per se, perq; propagationem & communicationem Christi* 76.2.d. *iustitiam ex lege quærentes euacuant & irritam faciunt Christi redemptionem.* 452.2.d. *quomodo quærenda ex lege fidei, non ex lege factorum.* 59 1.d. *iustitia Dei non tantùm pro circumcisis, sed etiam pro incircumcisis* 65 1.b. *obuenit homini non ex fide qua credit, sed ex operibus, quibus legem facit.* 46.2.d. *iustitia & salus est benedictio & hereditas Abrahæ.* 130.1.b. *iustitia commutatiua, distributiua, & vindicatiua an sit in Deo.* 809 1.c. *iustitia est salus inchoata.* 143.1.c.150.1.b. *iustitia Dei quomodo fiamus.* 367.2.b. *quid sit viuere iustitiæ* 84.1.b 88.1.b

Iuuenculas viduas nubere cur velit Apostolus. 755.1.c

Iuuenibus à quibus abstinendum. 824.2.a. *abstineant vino.* 757.2.b. *iuuenes ambiunt docti nomen.* 796.1.b

Iuuentutis æstus & calor. 757.2.b. 824.2.a

tria Kappa pessima quid sit. 820.1.d

Kemnitius perperam Concil. Tridentinum reprehendit, quòd Pontificem doceat in votis & legibus dispensare posse. 222 1.a

Labores Pauli pro Euangelio. 2.2.c. *per labores magnos ad præmia magna peruenitur.* 359.2.d. *labor charitatis quis sit.* 648 1.d

non Laborans non manducet. 693.1.c. *laborans pro alio ab eo alendus.* 267.1.b.

Lac manauit è Pauli ceruice præcisa 101.b. *lac dabatur olim recèns baptizatis.* 215.1.a. *lacte quid designet Apostolus.* 214.1.a. *est innocẽtiæ & infantiæ symbolũ ib.*

Lacedæmonij crimen alebant. 287.1.a. *meretricibus solis ornatum vestium concedebant.* 720.1.c. *Archilochi scripta impudica vrbe exegere* 790.2.b. *furtum laudabant.* 527.2.b

Lacænæ virgines aperta facie, nuptæ velata prodibant. 286.1.a

Lacrymæ auditorum laudes sunt concionatorum. 209 1.c. *lacrymæ pœnitentium, vinum sunt angelorum.* 377.2.c. *lacrymæ orantis Christi.* 876.2.b

Lactantius censuit animas sanctorum non videre Deum ante diem iudicij. 917.1.d

Latitia symbolum est calceus.549.2.d. latitia Christiana quàm vtilis & facilis.603.1.d. latitia spiritualis in quo sita sit. 533.2.b
Laici Episcopis aut presbyteris manus nõ imposuere.744.1.a. laicorum non est excommunicare.230.1.a. nec ab excommunicatione absoluere.344.1.a. laici in primitiua Ecclesia etiam miracula faciebant.412.1.a. laicorũ non est iudicare de doctrina religionis.318.2.c
Lamentatrices in morte Christianis non adhibenda. 860.2.b
Lana coccinea in lustrationibus adhiberi solita quid allegoricè denotaret. 917.1.d
Languor in membris & neruis vnde oriatur. 966.2.b
Laodicea Paulus non prædicauit.621.1.a. Laodicensium quæ fuerit epistola.646 1.a Colossensibus vicinierant.611.1.a. Laodicena synodus idololatricum angelorum cultum vetuit.631.1.a. agapes fieri vetuit.287.2.d
Lapidem aliquem verum an reiecerint Iudæi ab ædificatione templi, qui factus sit pòst in caput anguli. 490.2.b. *lapis summus & imus fundamentalis Ecclesia quomodo sit Christus.1.a. lapis offensionis fuit Christus Iudæis.139.2.c. lapis offensionis & petra scandali quomodo differant.ibid.d. lapides pretiosi sunt tribulationes.* 108.1.d
Lapsi ad pœnitentiam admittendi contra Nouatum. 932.2.b. *lapsis indulgentiam præstari iubet Concil. Nicenum.344 2.a. lapsus magnorum exempla.580.2.c*
Laquei diaboli quales.797.2.a. laqueus diuitiarum quis sit. 764.2.d
Lassi cur manus ad lumbos conuertant. 547.2.b
Latere Deum non possumus. 353.1.b
Latere *quid significet.975.1.d. qui latuit felix.* 2.a
Latina lingua Missa cur celebretur.314.1.a 2.a. quas voces Latinas vsurpet Apostolus græce scribens.24.1.a
Latus naribus idem quod longanimis. 805.2.c
Latria soli Deo debita.34.1.d. continetur sub dulia ibid. ea adorandus est Christus homo. 578.2.d
S. Laurentius quomodo sibi commissam dicat Dominici sanguinis dispensationem.730.1.c. fuit vir misericors.385.1.d. eius in morte animositas. 883.1.c
S. Laurentius Iustinianus quoto ætatis anno sit factus Religiosus. 802.2.a
Laus magna in bono opere sita.983.2.a. ad laudes suas quàm inuitus descendat Apostolus.394.1.b. laus hominum fœnum est.223.2.b. 59.2.d. laudes suas enarrare stultorum est.399.1.b. laus Dei perpetua est stabilis, & constans, integra perfecta, verissima.393.1.a.b
Lauream doctrinalem requirit in Episcopo Trid. 728.1.d
Lazaro pio pictori manus adustæ, sed à Deo integritati sunt restitutæ. 1.4.2.d
Lectio sacra Scripturæ Christiano vtilis.963.2.a. erat ea in vsu olim in sacris conuentibus.318.1.b.c. lectione Paulinarum epistolarum conuersus Augustinus.3.2.d. lectione sacra excitandus feruor spiritus. 777.2.a
Lectularij dicũtur qui in lecto ægri baptizantur.327.2.b
Legio fulminatrix sua prece impetrauit Antonino Imper. pluuiam. 712.1.d
Lenitas quantopere Deo placeat.796.2.b. quantum in ea quis proficit, tantum in cordis puritate profecit. 641.1.a. *est donum Spiritus sancti.460.2.c. alium corripienti necessaria.* 462.1.c
Leo à quo Paulus liberatus, fuit Nero. 812.2.c
Leonis Hebræi Tigurina versio à Vatablo vsurpata.25.2.d
Leo Magnus à D. Petro audiuit, ne temere vlli manum imponeret.757.1.c. hæreticos docet cauendos quasi serpentes.790.1.d. in Concilio Chalcedonensi vocatus Pontifex vniuersalis Ecclesiæ. 684.2.b
Leo IX. in leprosi specie Christum in lecto suo collocauit. 728.1.d
S. Leonardus à vinctis inuocatur. 863.2.b
Leonides Lacedæmoniorum rex pro patria occubuit. 75.2.b
Leuare manus habitus est orantis. 718.2.a
Leui decimatus antequam natus.893.1.b. quomodo fuerit in lumbis Abrahæ. 894.1.c
Leuitæ in tabernaculo quasi milites in castris excubabãt.709.1.a. non murmurarunt contra Mosen.867.2.a nullam terræ portionem possidentes typus sunt clericorum negotijs secularibus abstinentium.786.1.a. in Abrahamo se subiecere Christo. 893.1.b
Leuiticus an esse potuerit Christus per auiam. 895.2.a
Legis naturalis virtute an saluati Gentiles probi. 47.2.d *sensim obscurata, per legem Mosis declarata est.* 56.2.d
Lex Mosaica cur vocetur littera siue scriptura est.50.2.b. data vt dissolutos hominum mores restringeret, illosq; ad Christum duceret, indirectè vt abundaret delictũ.82.1.b. data est cum fulgure & tonitru & procella.969.1.c. cur data cum motu.972.2.c. non potuit irritare pactum Dei cum Abrahamo initum.437.2.b. metonymicè dicitur testamentum. ibid.c. 909.2.c. dominium quod in nos habebat amisit, veniente Christo.94.2.b. quomodo lata post annos quadringentos & triginta.437.2.d. ex lege non potest accidere nobis hereditas & iustitia Abrahæ.67.1.a. non iustitiam, sed iram & mortem operatur.66.2.d 82.2.d.94.1.a.96.1.a.349 2.a.902.2.a. est causa maledictionis & vindictæ diuinæ ibid. sed hac Christo veniẽte ab ea est ablata 91.1.a. tertio mense post egressum ex Ægypto lata est.438 1.c. ipsa erat iustitia, Euangelica clementia.75 1.d. triplex eius finis respectu triplicium hominum.83.1.b. Christianis nõ est lata, sed Iudæis 701.2.a.b. sancta fuit.902.1.d. eius plenitudo quomodo sit dilectio.178.2.d. lex quasi maritus, hoc per Christum mortificato ad alium transire licet.94.1.a. lex maledicit, fides benedicit.435.1.a. lex Iudæorum pædagogus ad Christum.82.2.b.50.2.b.438.2.a. 440 2.d.701 1.c. lex docet, hinc hebraicè dicitur doctrina.56.2.d. concupiscentiam magis acuebat.50.2.b.94.1.c. non affert fidem & gratiam qua legem impleamus, & iustificemur.435.2.b. qui ex ea iustitiam quærunt, irritam faciunt Christi redemptionem.452.2.b. est rudimenta doctrinæ Christianæ. 443.1.b. *hanc in quo Gentiles riderent.* 488.1.c. *dupliciter ea quis vtitur legitimè.701.1.c. politica tantùm & exteriora attingebat, non animã.897.1.a. eam Sp. sanctus ad verbum dictauit.802.2.d. eius & Euangelij Christi variæ antitheses.* 841.1.a.b. & *seq.* 924.1.a. *legis dominatus.93.1.b.94 1.c. eius sacramẽta quomodo sint egena elementa.445.1.b.c. quomodo dicatur æterna.846 1.b. ipsa cui data, ei & noua promissa est.* 126.2.b. *per angelos lata, & eius præuaricatores puniti* 853.2.a. *est granior lege noua ob quatuor rationes.* 455 1.c. *eam ante Christum Gentes totam implere non poterant.48.2.a. sancta est propter præcepta cæremonialia, iusta propter iudicialia, bona propter moralia.96.2.a. spiritualis dicitur ob quinq; rationes.97.1.a. suo ordine, tempore, loco, modo ordinata & disposita fuit.* 438.2.a. & *seqq. sine ea peccatum mortuum erat.96.1.a. propter transgressiones posita est.440.1.c. in ea non est vitificatio sed in fide Christi.ibid.d. non est contra promissa Dei quæ vitam spiritalem promittunt dandam per Christũ ibid. & 2.a. non defuit per Christum, quia est æterna & immutabilis.429.1.a. est abrogata in pentecoste.185.1.c.426.2.b. eius abolendæ causa.897.1.a. lex cæremonialis defuit, non moralis & naturalis.429.1.a.436.2.c. leges cæremoniales cur vocẽtur iustificationes.906.1.a.b*

leges

leges quædã diuinæ obligabãt tantùm sub veniali. 435. 1.d. *sola legis notitia non sufficit ad iustificationem, sed requiritur eius obseruantia.* 46.2.a *lex non impletur sola fide, sed operibus & gratia Christi.* 45.2.d. 141.1.d.179.1.b.349.1.d. *lex non est impossibilis.* 178.2.d.435.1.c

Lex Euangelica reddit subditos flexiles. 90.1.b. *arcta est.* 176.1.b. *est lex obedientiæ.* 90 1.b. *perfectior lege Mosaica.* 48.1.c. *eius gloria vnde pateat.* 349.2 c. *quintuplici modo fuit ordinata.* 438.2.d. *dupliciter est immobilis.* 972.2.d. *est lex gratiæ.* 139.1.d. *quare vocetur testamentum nouum.* 903.2.a.b. *legis nouæ & veteris promulgatio typicè opponitur.* 969.2.a

Lex mentis, lex Dei, homo nouus, noua creatura est gratia & spiritus. 23.1.a. *lex lux est & dogma.* 488 2.b. *lex peccati, & membrorum, eadem est.* 100.2.a. *aliud, legè teneri, aliud esse sub lege.* 93.1.a. *lex peccati duo potest significare.* 23.1.a.103.2.a. *lex peccati originalis quæ.* 894.1.a. *legem omnem implet qui diligit proximum.* 177.2.c. *lex obiectum charitatis, quia charitas inclinat hominem vt legem intueatur.* 179.1.d. *lex dicuntur propheta & totum vetus testamentum.* 3 6.2.b. *lex tradita æquè obligat ac scripta.* 283.1.c. *lex fidei & lex factorum in quo differant.* 59.1.c. *leges Gentilium an in conscientia obligarent.* 177.1.c

Libamen in omni sacrificio Iudaico adhibebatur. 357.1.a. *quid fuerit.* 806.2.d. *libamen victimis dignius, quia Deo semper totum offerebatur.* ibid.

Liber de duabus naturis, Gelasii est Cæsariensis. 24.2.b. *liber de continentia Augustini est, non Hugonis Victorini.* 101.1.b. *libri de anima & spiritu quis sit auctor.* 359.2.b. *liber de infantia Saluatoris fabulosus & mendax.* 699.2.b

Liber computuum cum Deo quisque habet. 609. d. *liber vitæ quid sit.* 19.1.a. *est catalogus prædestinatorum ad vitam æternam.* 601.2.a. *in eo dupliciter quis scribi dicitur.* ibid.c. *libros antequam edantur examinari voluit Plato.* 796.2.b. *liber Hebræis absolutè Scriptura dicitur.* 927.1.a. *eadem liber vitæ est.* 602. 2.d. *libri veterum conuoluiles in cylindrum* 926 2 d. *libros hæreticorum legentes incurrunt censuram Ecclesiasticam.* 790 1.d. *non sunt legendi vetante Apostolo.* 669.1.d. *libros genealogiarum Iudaicarum Herodes cur combusserit* 699 1.c. *libros quos sibi mitti petat Paulus.* 811.1.d. *in cuius libri capite de Christo sit scriptum.* 9 7 1.a. *liber in lustrationibus Mosis cur sanguine aspergeretur.* 917.2 a.b

Liber amplexus gratiæ est quædam gratia. 150.1.d. *libera cur dicatur Ecclesia.* 450.1.c. *liberos decere paderastiam docuere sophi veteres.* 41.1.a.

Liberum arbitrium ex se quidem insufficiens est, aliquas tamen habet vires, si à gratia præueniente excitetur, roboretur & adiuuetur. 348.2.c. *per ipsum sit vt non agamur vt bruta.* 19.1.d. *in omne opus vires habet naturales* 348.1.d. *per hoc homini licent omnia quæ expediunt.* 216.1.b. *id tollit Caluinus.* 99.1 c. *contra Nouantes adstruitur.* 322.2.d.793 2.c.d. *eius cooperationem requirit Sp sancti gratia.* 904 1 a

Liberalior quis sit inter æquè diuites, & inter inæquales. 380.2.b

Liberalitas quomodo est simplicitas. 166.1.d. *liberalitas in operarios Euangelicos commendatur* 832.2.b. *liberalitatem Dei nemo vincet.* 609.2.c

Libertatẽ à lege quam Christianis dent Lutherus & Caluinus. 429 1.a.b. *libertate vtendum seruo, si fieri possit liber.* 249.2 b.c. *libertas à lege est occasio peccati.* 455. 2.a. *libertas Christiana à quibus nos eximat.* 20 2.b. *hæc in duabus rebus est sita.* 449.2.c. *libertas triplex, naturæ, gratiæ, gloriæ.* 90.2.d. *itẽ quadruplex.* 450.1.c

Libertinorum mania licentia refragatur. 385 2.c. *confidunt circa peccati conscientiam.* 262.1.b. *fallunt & falluntur in alia fide quàm Romanæ salutem spectantes.* 501.1.b

Libido pathica quæ sit. 40.2.d. *libido pœna superbiæ.* 41. 2.d. *est fons hæreseos.* 710 2.a. *quomodo mentem absorbeat.* 248 2.a *corpus subiugat & corrumpit.* ibid. 268 2.b. *sola fugiendo vincitur.* 237.2.d. *eius initium idololatria.* 41.2.a. *libidinis tentatio in Paulo fuit stimulus carnis.* 406.1.c.2.c. *an eo indignus.* 2.d. *in eam proclines nubant.* 251.1.a

Licentiam omni vitio dabit Antichristus. 687 1.c

Licere dicitur quod nulla lege prohibitum. 236.1.b

Licinij Imp. in Christianos feritas. 955.2 c

Lictores Consulibus cum securibus præibant. 177.1.a

Lignea serra dissectus Isaias est ob libertatẽ in prophetando. 146.1.d. *est hæc Christi crucis lignea typus* 954.2.d

Lingua nostra sit lingua Christi, si in docendo & monendo Christi imitemur mansuetudinem. 461.1.a. *ea sacerdoti quare maximè custodienda.* 297.1.a

Lingua nulla sine voce. 313.1.c. *est imago mentis.* ibid.a. *lingua sorte Beatis noua & cælestis infundetur, nobilior quauis terrena* 308.1.c. *linguæ sunt signum maledictionis infidelibus.* 317.2.a. *nihil prosunt si nihil doceant.* 312.2.d. *earum donum maximè mirabantur Corinthij.* 305.1.a. *donatus eo cælitus Paulus.* 11. 1.c. *earum varietas in cælo cessabit.* 308.1.b. *linguæ angelorum vocatur lingua elegantissima.* 304 2.b. *linguæ Orientales sunt propè omnes filiæ Hebrææ.* 965. 2.a. *linguis vtendum ad proximi commodũ* 305.1.a. *lingua vulgari cur non dicantur diuina officia.* 314. 1.a. *lingua quam non intelligis, orare licitum.* 315.1. b. *vna erit in cælo, eaq; an Hebræa.* 309.1.b

Lintea Christi manserunt in sepulcro. 312.1.b

Linus primò fuit S. Pauli, deinde S. Petri socius, huic in pontificatu proximè successit. 813.2.c

Litigiosus non sit Episcopus. 728.2.c

Litus etiam iustæ incommoda 235.1.d. *quando iustè suscipiatur & sine peccato.* 2.a

Litteralis Scripturæ sensus quis sit. 17.2.c. *littera quomodo occidere dicatur.* 349.1.b.c

Litteræ seruiles supplẽt Hebræis notas similitudinis. 20 2.a

Liturgiæ veteres, genuinæ sunt. 711.2.c

Liuia Augustum maritũ quomodo subiecerit sibi. 643.1.d

Locum dare diabolo quid. 510.2.b. *quid locum iræ dare.* 172.1.a. *loco omni orare possumus per orationes iaculatorias.* 717.1.d. *locus martyrij S. Pauli quomodo sit nobilitatus.* 10.2.d

Logomachia hæreticorum. 761.2 d

Lois auia S. Timotheiquid latinè sonet illa vox. 777.1.a

Longæuitatem piis promissam, bonis spiritualibus compensat Deus. 742.1 c

Longinus à Paulo ad necem ducto conuersus. 101.d

Longi sermones tædiosi pusillanimis. 985.2.d

Loquacia & sonora sunt omnia quæ in mundo. 313.1.b

Loquacitas mulierum. 319.1.c

Lorica iustitiæ quæ sit. 549.2.a. *lorica spiritualis est fides & charitas.* 666.2.c

Lot quando agnouerit se angelos hospitio recepisse 975.2 c

Lucas etiam Apostolus fuit. 29.2.c. *multa Pauli gesta in Actis tacet.* 400.2.c. *eius laus in Euangelio.* 392.1.a. *quomodo solus cum Paulo Romæ vincto.* 810.2 d. *in quo finiat Acta Apostolorum & D. Pauli.* 193.1.b. *an scripserit epistolam ad Hebræos.* 838.2.b. *eam elegantissimè græcè vertit ex aliquorum opinione.* ibid.c. *tacet profectionem Pauli in Arabiam.* 422.1.a

S. Lucia in igne illæsa mansit. 898.2.b

Lucianus Paulo fuit coæuus, sed hostis eius & Christianorum. 9 2.a. *eum ridet quasi recalualtrum.* 391.1.a

S.Lucianus Martyr multos solo aspectu ad Christum conuertit. 604.2.c
*Luciferi peccatum quale fuerit.*481.2.a. *eius & Christi antitheses.* 572.2.a
*Lucifer Calaritanus schismaticus.*24.2.d. *vocatur Elias sui æui,quàm animosè Constantium Imp.compellarit.* 778.2.b
Lucij Martyris in morte fortitudo. 886.1.a
*Lucrum mori quomodo sit.*563.1.d. *lucris student etiam sordidissimis Iudæi.* 976.2.c
*Lucta vitæ actiuæ & contemplatiuæ.*97.2.a. *concupiscentiæ & spiritus.*99.2.c.101.1.c. *eam non sentiunt qui carni non resistunt.*101.1.c. *illa describitur.*456.1.d. *hæc sita in carne subigenda.* 270.1.a
Luctu multi extincti. 375.1.d
S.Ludouicus rex maluit mori quàm peccare. 963.1.c
*Lumbi sedes concupiscentiæ.*891.2.c. *eos pracingere spiritualiter quid sit.*549.1.b. *sunt symbolum amoris.* 547.1.d. *eos cur tangant defatigati.* 2.b
Lumbare Dei quomodo fuerit Israel. 547.1.c
*Lumen duplex habemus,fidei & gloriæ.*615.1.a. *lumen est gloriæ diuinæ symbolum.*479.2.c. *lumen Euangelij est maximum Dei donum.*614.2.d. *lumen naturæ Dei cognitionem potest attingere.* 38.1.a
Lunam qua in re imitari non debeant matresfamilias. 824.1.d
Lustrali aqua peccata venialia expiantur. 915.1.c
Lustrationum hebraicarum sensus allegoricus quis sit. 917.1.c
Lusus capitur pro duello. 451.1.c
*Lutherus alter Lucifer.*59.2.a. *quomodo S.Scripturam falsificarit.*353.1.c. *quomodo omnia munda mundis esse dicat.*820.2.c. *nos à lege omni decalogi liberos esse asserit.*429.1.a. *ante eum nemo eamdem secum per omnia fidem docuit.*149.2.a.b. *inaniter gloriabatur hæresim suam paruo tempore per tot prouincias dispersam.*790.1.a. *fidem solam ait ad salutem sufficere.*35.1.c. *ait omne opus hominis iusti esse peccatum.*53.2.a. *eius humeris insidentem dæmonem vidit Imp.Maximilianus I.*735.1.c. *testatur dæmonem sibi familiarem fuisse adeò, vt plus vno salis modio simul comederint.ibid.*417.2.c. *asserit motus rationem præuenientes esse peccaminosos.*95.1.a. *Melanchthonis commenta in Paulum laudat.*4.2.a. *SS.Patrum commentaria sibi aduersantia explodit.ibid b. eius argumenta contra Missæ sacrificium refutantur.*929.1.a.*& seqq. eius contradictiones.*353.2.a *eius vesania in sectanda corporis voluptate manifestatur.* 181.1.c. *eius de concubitu sententia.*41.2.d. *eius de proprio & genuino verborum consecrationis sensu testimonium.* 288.2.b
*Lux est ipsa gloriosa Dei maiestas.*770.1.c. *hæc est nobis inaccessa,ideo nobis non lux,sed caligo est.ibid. cur opera bona lux dicantur.*528.1.a. *lucem afferunt doctores & illuminant.*494.1.b. *luci quomodo cõparetur Deus Pater.*842.1.c. *lucis arma quæ sint.*180.2.a
Luxuria non tantùm rem veneream,sed & luxum conuiuiorum significat. 532.1.b
Luxuriari in Christo quid sit. 751.2.b.c
Luxus vestium inuentum diaboli. 720.1.d
*Luxus Corinthiorum.*198.1.b. *& Corinthiarũ.*282.1.d
*Lycurgus opes & luxum Sparta expulit.*977.1.b. *eius quædam leges inhumanæ & turpes.*527.2.b. *vindictam de hoste sumere noluit.* 174.1.c
Lydiæ puellæ ante idola se prostituebant. 41.2.c

Macedonij Martyris in morte animositas. 886.1.c
*Macedonius hæreticus asseruit Christum duas habere personas & naturas.*733.2.c. *quare ab episcopatu Constantinopolitano pulsus.ibid. asserebat Spiritum sanctum esse minorem Patre.* 113.1.b.126.2.d
Machabæi Scripturæ sacræ lectione se animarunt. 963.2.a. *eorum constantia in tormentis.* 954.1.d.2.c. *idq; intuitu vitæ æternæ.*767.2.c. *quantopere peccatum horruerint.*963.1.d. *eorum emblema quod fuerit.*118.1.c. *per matrem descendebant è tribu Iuda.* 894.2.b
Macies decet pugilem Christi. 270.2.b
*Macula ex actu peccati relicta dicitur homo vetus.*86.2.d
S.Magdalena quotidie septies in cælos euecta. 851.1.a
Magdeburgenſium Centuriatorum deliria. 149.2.b
Magi vocabantur sapientes Chaldæorum. 203.1.d
Magi tres facti insipientes,vt fierent sapientes. 220.2.a
*Magi angelos se inuocare profitentur.*631.2.a. *iis dæmones sunt in annulis.*257.1.c. *magus erit Antichristus.*687.1.a. *magum vocat Paulum Iulianus Imp.* 9.2.b
*Magister sententiarum fingit in Adamo qualitatem morbidam quæ transfundatur ad posteros.*79.1.d. *putauit vnam particulam carnis in singulis hominibus derivatam ab Adamo.*894.1.b. *docet charitatem quæ in nobis est,non esse creatam.* 74.2.a
*Magistri optimi officium,suo exemplo docere quæ præcipit.*262.2.d. *magistri hæreticorum quales.* 806.1.a
*Magistratus institutus vt pacem publicam conseruet.*176.2.c. *eius est punire delinquentes.*172.2.c. *eius non est mittere prædicatores.*144.2.a. *non est iudex controuersiarum fidei.* 424.2.a. *ei obediendum propter conscientiam.* 178.1.d.455.1.c
*Magnanimus verè quis sit.*235.1.b. *magnanimi est obliuisci iniurias.* 173.2.d.706.1.b
*Magnetis vis.*8.1.c. *magnes amoris est amor.* 570.1.c
Magni futuri in re aliqua à pueris incipiunt. 802.1.d. *magnum dominũ vocant Turcæ suum regem.*769.2.b
Magog exercitus Antichristi dicitur. 687.2.c.d
*Mahometani quo acroamate suum Mahometum compellent.*888.2.a. *qualem sperent beatitudinem.*332.1.b
*Mahometus à Spiritu sancto legem suam se accepisse iactabat.*633.1.c. *eum frustra putarunt aliqui esse Antichristum.* 686.1.b
Maiestas in Deo est origo gloriæ. 479.2.b
S. Malachias nullum membrum sine ratione mouebat. 604.2.c
Maledicendum nemini. 828.2.b. *maledicere Christo olim Christiani iubebantur ante Præsides.* 299.1.d
*Maledictus quomodo sit pendens in ligno.*436.1.a. *maledictũ quomodo sit Christus pro nobis factus.* 435.2.c
Malefacta,benefactis superanda. 174.1.a.667.1.d
*Mala quomodo Deus permittat,& impedire posset si vellet, & iam facta ad bonum finem & iustam pœnam qua ea punit,ordinet.*19.2.d. *malum omne ex nobis. ibid.b. in malo infans debet esse Christianus.*316.2.a. *mali sunt etiam membrum Ecclesiæ.* 794.1.b.2.a.b.
Malitia varia significat. 829.1.c
Mamluchi vnde dicti,regem è suo corpore crearunt,quando & à quo exstirpati. 158.2.b
Mamertinus Roma carcer,quàm gloriosus iam. 12.2.d
*Mancipia si possent,libertatem amplectantur;si non,consolentur se fide Christiana.*249.2.a.b. *illi olim solè musicam tractabant.* 448.1.c
Mandatum quomodo factum homini peccatum & mors. 96.2.b. *mandatum carnale est lex Mosaica de carne circumcidenda.*895.2.d. *ei opponitur Christi lex spiritualis,æterna temporario.*896.1.a. *mandata legis sancta sunt & bona.* ibid.d
*Manducans quidlibet Gentilis,non manducantẽ Iudæum certos cibos lege vetitos non spernat,vti nec Iudæus non manducans,Gentilem manducantem.*183.2.b.c. *manducare*

ducare ad Deigloriam quomodo quis posset. 1812.c
*Manè an Christus ad iudicium venturus.*664.2.c. *manè orandum.* 711.1.c
Manetis exitus & supplicium. 800.2.b
Manichæi mundum corporeum malum esse contendebant. 416.1.b. *cur carne & animatis abstinerent.*736.2.d. *cur vino.*737.1.b. *mensæ quomodo benedicerẽt.*ibid.a. *cur nuptias vetarent.*ibid.b. *putarunt legem veterem aliquid mali continere.*902.1.d. *negant magistratibus licere vlcisci iniurias reip.*172.2.c. *docent, diabolum esse opificem seculi rerumq; corporalium.*354.1.a. *interiorem & exteriorem hominem fingebant.*99.1.b. *Christum volunt phantasticam carnem assumpsisse.* 104.1.a.5.1.b. *duos finxerunt Deos, vnum Abrahæ, alterum Christianorum.*440.1.a.790.1.b. *volunt in homine esse duas animas & naturas.*99.1.b.456.1.c. *aliquot Pauli epistolas negarunt.*4.1.a. *domi viuentes turpissimè, foris simulabãt castimoniã.*735.2.c
*Manna mensuram omnes æqualem domi habebant, licet inæqualem foris collegissent.*381.1.d. *est figura sufficientiæ opum.*763.1.c. *quomodo dicatur esca spiritualis.*272.2.c. *allegoricè quid significet.*ibid.d. *optimè repræsentat corpus Christi.*ibid.c.275.1.b. *idq; variis analogiis.*ibid.& seqq. *erat panis angelicus.* ibid.
*Mansuetudo Dei nobis imitanda.*524.1.b. *ea quàm præclara virtus.*796.2.b. *parit tranquillitatem animi.* 767.1.c. *Episcopo necessaria est.*ibid. *hæc in correptione adhibenda.* 461.1.a
Mansuetus quis dicatur. 459.1.a
*Manus quoduis instrumentum significat.*439.1.b. *ea actiones significantur, & peccata.*367.2.a *manus ante orationem lauabant Christiani duplici de causa.*718.1.b.c. *manuum impositio quid sit.*382.1.b.743.2.d. *est de essentia Ordinis.*744.1.b. *quid ea significet.*ib.c. *manus in crucis formam componebant viri, communicaturi olim.*297.2.b. *& cur eas ante lauarent.*ibid. *in manus olim data Eucharistia.*288.2.a. *manibus eleuatis orabant olim.*718.2.a.c. *manus cur pœnitentibus imponantur.*757.1.a. *cur item hostiæ.*367.2.a.
*Maozim quis sit Deus.*677.2.c. *est futurus familiaris Antichristo.* 687.1.a
Maranata *quid sit, vnde deriuetur, & Erasmi deriuatio refellitur.*336.1.c.d. Maranata *Paulus cur vtatur quasi indebito loco.*2.a. *est vox execrantis & condemnantis.* ibid.d
Maranus quis & vnde dictus. 337.1.a
*S.Marcella Romana vidua iuuencula quanta constantia nuptias Cerealis Consulis reiecerit.*747.2.d. *cum filia Principia ad templum S.Pauli deductæ à Gothis, vt intactæ custodirentur.* 14.1.d
Marcellus Ancyranus damnatus, quòd libros suæ hæreseos flammis tradere noluisset. 790.2.a
S.Marcianus Deum venabatur in eremo. 565.1.b
*Marcionis hæreses circa Christi humanitatem iugulantur.*104.1.a. *quare sit factus hæreticus.*710.2.c. *Deum suum meliorẽ à Stoicis hausit.*624.1.c. *negauit Christum verè fuisse hominem.*575.2.a. *textum Biblicum depranauit.*331.1.c. *aiebat hominem à diabolo creatum.*58.1.c. *damnauit nuptias & cibos quasi in se malos.*736.2.c. *epistolas Pauli mutilare est ausus.*4.1.a.b. *duos faciebat deos, vnum iustum vocans, alterum bonum.*57.1.c.783.2.c. *cur vetus testamentum oppugnarit.* 179.1.c
*D.Marcus Romæ latinè Euangelium suum scripsit, & Aquileiæ in Græcum transtulit.*27.1.a. *fuit item Apostolus.*29.2.c. *an auctor versionis Syriacæ noui testamenti.* 89.1.d
Marcus consobrinus Barnabæ primò deseruit Paulum, mox eum Paulus pœnitentem iterũ assumpsit. 811.1.a
*Mare rubrum transierunt Hebræi fide.*952.2.a. *transitus hic fuit figura baptismi.* 272.1.c
Mares Episcopus quàm animosè Iuliano apostatæ exprobranti sibi cæcitatem responderit. 886.1.c
Maria hebraicè est domina. 336.1.d
*S.Maria Aegyptiaca 17. annis quibus veneri seruierat, stimulos libidinis pœnitens passa est.*238.1.b. *iis neminem vidit mortalium.* 639.1.a
S.Maria Ogniacensis quomodo libidinis motus superarit. 240.2.b. *Sanctis & angelis quàm fuerit familiaris.* 599.1.b. *S.Maria Virgo.* Vide *B.Virgo.*
Maritimæ vrbes cur malè morata. 820.1.d
Marito quam subiectionem debeat mulier. 534.2.a
*Marius & Martha Romam è Perside venere, vt sepulcra Apostolorũ viserent.*13.2.c. *hic ab ea conuersus.*721.1.c
*S.Martinus quomodo Neronẽ prædixerit cum Antichristo venturum.*678.1.a. *licet Episcopus, monachi tamen officium non deseruit.*370.2.a. *eius constantia, hilaritas, pietas, patientia & mors.*819.1.c. *eius animam angeli in cælum duxere.* 851.1.a
*Martyr an possit esse sine charitate, & damnari.*305.2.c. *Martyres propter Deum mortificati.*121.1.a. *se mutuo ad conuentus sacros excitabant.*931.2.d. *olim in carcere detenti lapsos mittebant ad Episcopos, orantes vt pœnam iis relaxarent.*344.2.a. *eorum passio est triumphus Dei.*345.2.a. *sunt testes Christi.*768.2.c. *per fidei professionem salutem & gloriam æternam adepti sunt.* 143.1.c. *martyrio perficiuntur & consecrantur.* 857.2.c. *audito nuntio mortis exultarunt.* 807.1.b. *iis tortores coronam in cælis fabricant.* 72.2.c. *eorum insigne est palma.*956.2.d. *Martyres vix fient, nisi antè se affecerint martyrio.*966.1.b. *à sacra communione ad martyrium obeundum animabantur.* 979.2.b. *fiunt afflictione fortiores.*121.1.d. *eorum passio & mors vita est Ecclesiæ.*338.2.b. *eorum festa in vsu tempore D.Hieronymi.*446.1.a. *Martyrum Iaponiorũ medio in igne animositas & constantia* 934.2.b. *Martyres illustres erunt sub Antichristo.*687.2.c
*Martyrium materiale potest esse sine charitate & cum peccato mortali.*308.1.a. *antecedenter, quatenus est opus operantis potest esse sine charitate.*ibid. *consequenter ex opere operato semper adducit charitatem.*ibid. *id quare calix dicatur.*357.1.a. *martyrij etymon.*742.2.a. *martyrium quid sit, & cuius virtutis actus.*305.2.c. *confert gratiam iustificantem, etiam primam, quasi ex opere operato.* ibid.d
ad Massam perditionis qui propriè pertineant. 136.2.d
Massilienses pestis tempore immolabant pauperem omnibus malis ciuitatis onustum. 228.1.d
*Matres familiæ domi semper maneant.*824.1.d. *sedulò filios educent & piè.*722.2.b.c. *mater Nazianzeni maritum Christo peperit, eumq; & filium ad episcopatum euehi vidit.*777.1.b. *mater virginis Deo consecratæ cũ socrus Dei.* 396.1.d
Mathildis cum coniuge in matrimonio continentiam seruauit. 242.1.c
*Matrimonia esse debent libera.*258.1.d. *matrimonium non soluitur diuortio etiam licito.*245.2.c. *matrimonium fidelis cum infideli ab Ecclesia irritatũ est.*247.2.b.c. *matrimonij incommoda.*251.2.a. *matrimonium Catholici cum hæretica cur Ecclesia vetuit.* 259.1.a. *matrimonium inire in Domino quid sit.*259.2.a. *eius vinculum quàm sit arctum.*537.1.a. *matrimonium verè & propriè dictum est Sacramentum.* 538.1.d. *eius magnitudo in quo præcipuè consistat.*2.a. *quatenus repræsentat Christum & Ecclesiam, eatenus magnum est.*ibid.c. *ritus eius rectè contrahendi.*259.2.a. Vide *Coniugium.*
S.Matthæi Euangelium apud S.Barnabam repertum in

sepulcro. 35.2.a
S. Matthiæ an post ascensionẽ Christus apparuit. 321.2.a
S. Maurus 12. anno ætatis monasterium est ingressus. 802.2.a
Maximinus tyrannus maximè in clericos & sacerdotes persecutionem mouit. 955 1.d
Mechanicam exercuit Paulus & alij Sancti. 692.2.c
Mediator vox duo significat. 75 1.b. *latiùs patet quàm conciliator.* 439.1.b. *mediator quomodo non sit vnius.* 2.c. *mediator noster & aduocatus est Christus.* 119.1.b. 915.2.b. *mediator, cuius auctoritate lex vetus tradita, fuit Moses, non Christus.* 419.1.d. *mediator noster apud Deum sit sacerdos.* 875.1.b
Medius paries quem Christus dissoluit, quiq; Iudæos à Gentibus separaret, quis sit. 488.1.a
Megistus à Paulo ad mortem rapto conuersus. 10.1.d
Mel dabatur olim recèns baptizatis. 215 1.a
Melanchthon viram eremiticam damnari ab Apostolo perperam asseruit 630.2.d. *eius de proprio verborum consecrationis sensu testimonium.* 288.2.c
Melchisedec condidit Ierusalẽ, eiusq; rex fuit. 888.1.a.b. *eius nominis cõpositio & significatio. ibid.b.* 2.b. 890.1.a *fuit proprium illi* 888.2.c. *an fuerit Sp. sanctus. ibid. an fuerit angelus. ibid.d. non fuit Sem aut Noë.* 889.1.a. *fuit vnus è regulis Chananæorum. ibid.b. cur dicatur sine patre & matre. ibid.c. eius parentes iuxta Epiphanium. ibid.d. cur eius genealogiam non pertexat Scriptura* 2.a. *causa allegorica rei eius. ibid.b. sacerdotium non habuit successione hereditaria. ib. quomodo æternus dicatur. ibid.d. typus Christi octo orationibus* 890.1.a. *& seqq. multu. virgo mansit sine vxore. ibid.b. non fuit Hebræis oriundus.* 891.2.d. *eius auctoritas, fama & virtus.* 892.1.a. *solus inter Chananæos veri Dei erat cultor. ibid. benedixit Abrahamo tanquam maior. ibid.b.c. semper viuit symbolicè.* 2.b. *in quo inferior sacerdotibus Aaronicis.* 896.2.d. *dignior tamen Aarone est* 876.1.d. *est saluatus in lege naturæ.* 481.c
Melchisedeciani dicebant Melchisedec esse Spiritum sanctum. 888.2.d
Melech Sala Sultanus Aegypti Christianorũ filios à Tartaris emit, ipsosq; in militia exerceri curauit. 238.2.b
Melita venenatis caret animalibus, idq; munere S. Pauli, quin aliunde importata venenum ponunt. 11.2.d
Melote quæ sit vestis, vnde dicta. 955.2.d
Membranas quas sibi mitti petierit Paulus. 811.1.a
Membrorum functiones & proprietates. 302.2.d. *iis ad creatoris obsequium vtendum est.* 590.2.d. *hæc nemini resecare licet.* 454.2.d. *eorum inter se iunctura.* 513.2.a.b. *membra veteris hominis sunt motus concupiscentiæ* 639.2.d. *membra honesta corporis quæ sint.* 302.1.d *membra infirmiora sunt venter & intestina.* 301.2.d. *ignobiliora, pedes. ibid. inhonesta, verenda.* 302.1.a. *membrum vnum lædens aliud, seipsum lædit.* 303.1.a. *membra omnes sumus vnius corporis, id est Ecclesia* 164.2.c. 513.1.d. *membra quomodo simus omnes capitis Christi.* 221.2.a. 301.c.2. *membra non habet anima.* 357.2.c
Memoria mortis est calceus Christiani militis. 550.1.b. *memoriæ Sanctorum quomodo quis communicet.* 169.1.b. *memoria inferni remedium est in tẽtatione.* 672.1.d
Menandri hæresin quibus epist. conuellat Apostolus. 15. *ponebat hic angelos quasi minores deos.* 631.2.d
Mendaces esse cur dicantur Cretenses. 820.1.a
Mendacium duplex, in verbis & factis, & quando mendacium facti sit licitum. 427.1.a. *debiles habet pedes, veritas stabiles.* 800.1.d
Mendicandi ars optima laudare dantis liberalitatem. 383.1.a. *mendicauit Christus.* 380.1.a
Mendici vtiles sunt Ecclesiæ. 302.1.c
Mens aliquando idem quod sensus 313.2.b. *& intelligentia passiua, qua scilicet loquens intelligitur ab audientibus ibid.c. interdum scopus & intentio. ibid.d. in homine princeps est.* 514.2.b. *mens otiosa esse nequit, ergo bona agat.* 694.1.c. *eius character & imago est lingua.* 313.1.a
Mensa designatur temporalium copia. 152.1.c. *mensa panum propositionum Eucharistiam significat.* 908.2.a. 911.1.b. *mensa Iudæorum quomodo iis facta in scandalum.* 152.1.b. *mensa animæ Scriptura est & lex Dei. ibid.c. mensa Christianorum qualis esse debeat.* 532.2.b. 533.1.c. *mensa cur benedicamus.* 739.2.a. *mensa est viua beneficentia Dei concio. ibid. eius benedictio cur dicatur verbum Dei & oratio.* 1.d.
Menses quomodo Iudæis sacri. 445.2.c
Mensura, quatuor habet significationes. 391.2.c. *mensura peccantibus à Deo statuta vt ea replota regna & resp. puniat* 653.2.d. *mensura fidei quæ sit.* 164.2.a. *mensura & pondus & numerus in omni re quid sit.* 623.1.c. *mensura gratiæ non datur ex meritis.* 504.1.d
Mentiri numquam licet. 426.2.a, 519.1.b
Mercantur infernum multi eo labore, cuius vel dimidio lucrati essent cælum. 721.1.a. *mercari tempus quid sit.* 530.1.a.b
Mercedis æternæ spe operari bonũ est & meritorium. 165.2.a. *mercedem in danda eleëmosyna spectans malè dat.* 166.2.a. *magna merces est eleëmosyna etiam ingrato data.* 384.1.d. *merces bonorum operum cur dicatur corona iustitiæ.* 809.2.b. *merces ponitur pro merito & opere heroico & meritorio magnæ mercedis.* 442.d. 266.2.b. *merces & meritum sunt correlatiua.* 44.2.d
Meretricari an licitum ante legem Mosi. 235.2.a
Meretricium quàm fœdum sit. 238.1.d
Mermibus & Cerinthus christianismo iudaismum agglutinare volebant. 976.1.c
Merita nostra non sunt condigna vitæ æternæ, nisi ex gratia. 91.2.a. *quomodo tribuantur electioni Dei.* 19.1.d. *merita patrum filios degeneres non iuuant.* 154.1.d. *merita aliena non iuuabunt in iudicio.* 363.2.a. *merita bonorum operum asseruntur.* 44.2.c.d. 215.2.d. 359.1.a 943.2.a. 951.2.d. *merita sunt & vocantur gratia* 91.1.d. *merita Christi quomodo nobis imputentur.* 17.1.a. *ab his an sit facta independenter nostra electio.* 472.2.a. *eorum valor longè excedit demerita Adæ* 80.1.b. *ea infinitis peccatis delẽdis sufficiunt.* 928.2.b. *merita Pelagius tribuebat naturæ viribus.* 983.2.b. *quod pro merito operum datur, merces est, non gratia.* 63.1.b
Messias Iudæorũ non debuit esse pontifex terrenus, degens in templo Salomonis. 901.1.b. *eum qualem exspectarent.* 139.2.c. *ab eo non soli Iudæi vocandi erant.* 138.1.b. *est maxima promissionũ veteris testamenti.* 126.2.c. *adimpleuit omnia in veteri lege prædicta.* 60.2.b. *tum ex Deo, tum ex Iuda & Iudæis natus est.* 50.2.d. *iis primò promissus & reuelatus est.* 1.b. *eius tempus vocatur tempus nouissimum.* 275.2.c. 798.1.c. *Messiam se dicet Antichristus.* 687.1.b
Metaphoris gaudent Hebræi & Syri. 216.1.b
Metus ab hæreticis pro diligentia perperam capitur 580.1.a. *metus salutis excludit fidem specialem hæreticorum. ibid. metus reuerentialis.* 176.2.d
Michæas quàm dura ab Achab rege passus. 914.2.b
S. Michael præses est Ecclesiæ. 662.1.a. *eius templum celebre Chonis.* 633.1.a. *an fuerit angelus exterminator.* 275.1.d. *est princeps angelorum, etiam missus legitur.* 851.2.a. *tulit legem Hebræis. ibid.a*
Miletum vrbs Asiæ, stragulis nobilis. 813.1.b. *ibi quando fuerit*

fecerit Apostolus. ibid.c

Milevitani Concilij quanta sit auctoritas. 771.a

Militia Hebraïs omnem famulatum significat. 709.1.a. *militia Episcoporũ & Pastorũ qua.ibid militia contra dæmones discenda ex omni hominum genere.* 545.2.c

Militibus olim interdictum coniugium 785.2.b. *iis quare detur cingulum.* 547.2.a. *milites Christiani quibus in rebus Iuliano Apostatæ parerent, & in quibus ipsa detrectarent.* 818.2.a. *miles spiritualis & Christianus.* 709.1.c.d. *eius officia.ibid. eius calcei.* 549.2.b.c. 551.1.b. *eius cingulum est veritas, eaq; quadruplex.* 548.1.c. *eius quis sit agon.* 767.1.d

Miltiades quo suos exemplo ad pugnandum contra Persas excitarit. 959.2.a

Mincha farreum sacrificiũ siccum & incruentum. 17.1.d

Minimum sanctorũ quomodo se dicat Apostolus. 493.2.d.

Ministrus Ecclesiæ à suis accipere sumptum licet: quo titulo is debeatur. 265.2.b.c. *minister peccati an sit Christus.* 428.1.d. *& quomodo sit minister circumcisionis.* 191.1.a. *quis minister oret in Ecclesia pro toto populo.* 112.2.d

Ministeria sacra variè distributa sunt per Ecclesiã. 299.2.d. *quomodo ministerium honorificetur.* 153.1.a

Mira duo quæ contigerunt in insitione Gentium in Iudæos. 155.1.a. *tria mirabilia mundi à Deo neglecta in vocatione hominum.* 206.1.c

Miracula qui faciunt sunt velut manus Ecclesiæ. 303.1.c. *miracula, signa, portenta, virtutes quomodo differant.* 853.2.c. *miracula Antichristi mendacia quatuor ob causas.* 682.2.a. *& qualia ea erunt.ibid.b.c. miracula soli edunt Sancti qui vitæ fuere austeræ & exagitatæ.* 271.2.a. *cur initio Ecclesiæ essent quàm modò frequentiora.* 311.2.d. *ea facere idem est quod prophetare.ibid.2.b. ea etiam laici credentes, in primitiua Ecclesia faciebant.* 412.1.a. *iis fides probanda.* 407.1.d. *eorum gratia fuit in Christo Dei assistentia.* 330.1.c. *miraculo Apostoli suam confirmabant doctrinam.* 209.1.b. *miracula S. Pauli.* 11.1.b. *& ad eius reliquias & vincula.* 13.1.d. 492.1.c

Miser nemo est qui miseria sua contentus est. 356.1.b. *nec sensu alieno, sed suo.* ibid.

Misereri Deum alicuius, est ei dare gratiam congruam cum qua videt illum saluandum. 132.1.c.d

Misericordiarum Pater cur dicatur Deus, non verò iudiciorum. 339.1.a. *misericordia gratissimum Deo sacrificium.* 387.2.d. *misericordiæ Dei est constituere in fide iustitiam.* 135.2.b. 136.1.b

Misericordes habent viscera misericordiæ. 835.1.b

Missa sacrificium est secundùm ordinem Melchisedec. 980.1.c.2.a. 896.1.d. 660.1.b. 979.2.b. *est propitiatorium pro viuis & defunctis.* 564.1.a. 660.1.b. *non est expiatorium, sed applicatorium redemptionis.* 899.1.a. 929.1.c. *quomodo cõtineat orationes, postulationes, obsecrationes & gratiarum actiones.* 712.1.a. *in vsu fuit tẽpore S. Augustini.* 711.2.d. *item ab initio Ecclesiæ.* 684.2.d. *eam abrogabit Antichristus.* 685.1.b. *quid nobis impetret.* 929.2.c *repræsentat sacrificiũ crucis.* 899.1.b. *hæc inter se conferuntur.* 17.1.c. *quos ex ea fructus populus percipiat, licet eam nõ intelligat.* 314.1.b. *cur iterari debeat, non verò sacrificium crucis.* 925.1.b. *cur latinè celebretur.* 314.1.a. *eam pro viuis & defunctis offerri, & tali ritu & ornatu, traditio est.* 297.2.a. *in ea vt pro defunctis oretur, Apostolorũ est institutum.* 219.2.c. *eius essentia in ipsa consecratione consistit.* 295.1.d. *non est abominatio, vt conatur euincere Lutherus.* 929.1.a. *Missas priuatas quàm temere hæretici calumnientur.* 288.1.a

Missio est quadruplex. 416.1.a

Mitem esse & benignũ Christianũ & diuinum est. 369.2.c

Mobilia erant sacra & ritus veteris testamenti 972.2.b

Modestia in cultu maximè mulierẽ decet. 719.2.a. *modestiæ proprietates.* 459.1.b. *eius & tẽperantiæ actus.* 605.1.b. *modestia Christiana quæ in re sita* 606.1.b. *modestia Apostoli in cõmonefaciendo & corripiendo.* 191.1.a. 389.1.b. *quis dicatur Modimperator.* 789.1.b

Modum iustificandi Iudæos qualem Deus elegerit 119.2.c. *mille habuit.* 157.1.b

Mœchiæ nomine omnis libido vetatur. 235.2.b

Monachus operãs vno, otiosus plurimis vexatur spiritibus. 694.2.d. *monachus tẽtatus, tentationẽ seniori aperiens quietem sentiet.* 546.2.c. *monachi prima virtus contemnere hominum iudicia.* 223.2.c. *olim manibus laborarunt.* 693.1.b. *eorum collationes de rebus spiritualibus, successere priscæ Scripturæ explicationi.* 318.2.b. *eorum ieunia.* 757.2.a. *monachorum quorumdam Afrorum martyria.* 503.1.d. *monachi apostatæ sunt infames.* 752.1.c. *etiam his dat Deus sufficientem gratiam ad viuendum castè* 243.a.b

Monarchiæ quatuor orbis sunt per bestias designatæ 680.1.a. *Antichristi tres anni cum dimidio.* 685.1.d

Monastica constitutiones non sunt ficta religio. 634.2.c

Moniales quomodo orent lingua, quã non intelligant. 315.1.c. *quando canunt in suo choro, non canunt in conuentu fidelium.* 319.2.a. *earum vota non damnat Apostolus.* 754.2.b

S. Monica donata fuit dono discretionis spirituũ. 300.2.b *saluata est per educationem filij Augustini.* 722.2.a. *omnes piæ viduæ partes impleuit.* 747.1.b. *filiũ quàm carum habuerit.* 824.1.b. *maritum Christo lucrifecit.* 721.1.c. *eius erga eum amor & reuerentia.* 539.1.d

Monitori duæ dotes necessariæ, doctrina, humilitas & patientia. 191.2.d. *& seqq.* 805.1.d

Moralis Scripturæ sensus quis sit. 17.2.c

Moraliter bona opera possunt facere infideles. 188.2.d

Morbi non fuere in Christo. 862.1.a. 874.1.b. *eorum origo quæ sit.ibid.* 112.1.c. *sunt patientiæ exercitiũ & humilitatis.* 757.2.c. *in causa sunt vt mortem optent Sancti.* 566.1.a. *morbos varios per inuocationem variorum Sanctorum curat Deus.* 303.2.a. *morbus est aduentitia senectus.* 823.1.d

Moria mons vnde dictus. 449.1.c. *in eo obtulit Abraham filium suum.* 947.1.c

Mores mali commercio malorum addiscuntur. 762.1.b. *quos colores & odores habeant* 345.2.d. *morũ veritas, quid sit.* 548.1.c. *morum modestia.* 459.1.c. *morum mutationem quam fides adducat.* 480.1.d

an sint morituri, qui in fine mundi viui obuiàm rapientur Christo. 332.1.d. *an qui inuenientur in mundi fine sint morituri.* 361.2.c. 662.2.c. *non sola moriendi necessitas, sed & ipsa actualis mors in omnes homines pertransiit.* 77.2.a. *amantes simul mori gaudent.* 374.1.d. *mori omnibus statutum.* 922.2.a. *mori peccato quid sit.* 84.1.b.c. 88.1.c

Mors Christi omnibus sæculis hominibus fuit proposita. 921.2.b. *est necessaria ad noui testamenti confirmationem.* 916.2.b. *in Missa verbo & facto repræsentatur.* 295.2.c. *eius memores esse ipse nos iubet.* 366.1.d. *ea Iudæi scandalizabantur, quia eum æternùm fore vitalem putabant.* 916.1.a

liber Mortis quis Deo sit. 602.2.b. *mors est peccatoris mater.* 485.1.b. *eius bona.* 860.2.d. *Christianis per Christum iucunda reddita.ibid.a. non est metuenda.ibid.* 807.1.d. *eam probatus quotidie exspectat, sanctus semper desiderat.* 565.2.c.d. 566.2.c. *eius contemptũ docet amor Christi.* 548.2.c. *mors iustorum finis laborum.* 258.2.d. 566.1.b. 807.1.a. 860.2.b.c. *mortis lucrum est Christus, Christiq; fruitio.* 563.2.b. *mortem non rarò adfert nimia tristitia.* 375.1.d. *eius stimulus est*

est peccatum.334.2.a. quàm propè sit.252.1.a. est peccati comes.filia & stipendiũ.77.2.b.d.78.1.b.79.2.c.91.1.c.mortis cogitatio.præsentissimũ concupiscentiæ antidotũ 102.1.a.quamdiu viuimus,eam gerimus in visceribus nostris.78.1.a. mors regnat etiam in eos, qui non peccarunt actu,puta infantes.80.1.d. mors contra naturã est,ideo & Sancti eam horrẽt.360.1.b. 860.1.d.mors Sanctorũ Deo cura est.356.2.d. omnibus & Christo est dominata.87.2.d.mors primogenita quæ sit.78.1.c. mors Hebræis morbum,pericula & quamlibet afflictionẽ graue significat. 100.2.c.340.1.d mors pro statu mortuorũ interdiũ capitur.333.2.d. mors nouissima destruetur in resurrectione. 324.2.c. mortis & somni affinitas. 258.2.d 660.1.a

Mortale peccatum quàm graue sit malum.78.2.a. mortalia peccata vt æs sunt & plumbum.216.2.b. mortalium spes somnia sunt vigilantium. 73.1.b

Mortificanda carnalia desideria & passiones. 637.2.a.

Mortificatio Iesu & passio,similis est passioni Iesu Christi. 355.2.d.mortificatio sensim & cõtinuò facienda.637.2.b. est calceus Christiani militis.550.1.b. per hanc corpus fit hostia viuẽs.160.1.d eius officiũ & partes.2.a

Mortuus spiritualiter describitur.636.1.b. mortui Christianis non sunt lugẽdi.564.1.a 860.2.b.mortui quomodo audient vocẽ Dei & tubæ sonum.661.1.d. dormire cur dicantur.659.2.d. mortui si non resurgunt, Christiani cur sint hominũ miserrimi?323.2.d. mortuis olim oleum infundebatur.268.2.b. mortuos quomodo viuificet Deus, & qui sint hi mortui. 67.2.c

Moses quomodo se negarit filium filiæ Pharaonis. 950.2.d. eius fides.ibid. non nisi seruus est,respectu Dei.574. per fidẽ parentũ occultatus est.959.1.c. erat eleganti facie.2.a. maluit affligi cum populo Dei,quàm abundare deliciis. 223.1.d.911.1.a.2.b. primus synagogæ filius & institutor.451.1.a. Dei essentiam an viderit, & eum facie ad faciẽ sit allocutus.404.2.d.770.2.b. vnde eius facies cornuta visa.349.2.d.405.1.a. cur velata facie populum alloqueretur.350.1.c. fuit typus Christi patientis opprobria & persecutiones.951.1.d. mediator est Dei & hominũ, & hoc mediante lex lata. 438.1.c.715.2.b. sua mansuetudine meruit colloquiũ Dei.461.1.a.796.2.b optauit deleri de libro vitæ.125.2.d.eminenter fuit pontifex.864.1.b. sed Aarone pontifice constituto,apostoli tantùm vices obiuit.ibid. fecialis est testamenti veteris, Christus noui. 903.2.a. educatus est in regem Aegypti.950.2.c. quibus disciplinis imbutus,& à quibus.ibid. studuit edomandis affectibus.ibid.d. fide fugit ex Aegypto cum populo Israelitico.951.2.c.et opponuntur Apostoli.815.2.b. aliqua in legis promulgatione subticuit,quæ supplet Apostolus. 970.1.a

R.Moses Aegyptius temere excusat fornicationẽ Iudæ cum Thamare à peccato,quòd lex lata nondum esset.235.2.a

Motus rationẽ præuenientes non sunt peccaminosi.95.1.a. motus mali quare mortificandi.101.2.d. motus desperationis in parte & appetitu inferiori Christi non poterant esse.877.1.b. ab eo sunt motus omnes liberè assumpti. 873.2.d

Mulieris,insignis descriptio.727.2.c.eam esse caput Ecclesiæ quàm sit indecens.319.1.c.721.2.a. mulier,tamquam posterior & inferior,facta est ex viro,illiq; similis creata est.285.1.a.436.1.d.536.1.d. quomodo saluabitur per filiorũ generationẽ.722.1.b. eius caput vir est quatuor modis.ibid.a.283.2.b.643.1.c.824.1.d. in Ecclesia cantet,cùm totus cœtus cantat.283.2.c. in quibus viro sit imperfectior.319.1.c. quomodo viri sit gloria.284.2.d. internè ornata sit potiùs,quàm externè. 720.1.b. an ex præcepto comam alere teneatur.287.1.a. quid eam deceat.824.1.c. ei non licet nudo incedere capite. 283.2.a.286.1.a

Mulieres cultus sunt studiosæ.719.2.a. moderatè coronantur & ornentur.ibid. cur sint omnes velandæ 283.2.a.d. adeuntur minori fructu,& maiori periculo.727.2.a semper occupari debẽt.754.1.a. eas decet aut murus,aut maritus.2.a. communicaturæ olim dominicali Eucharistiam excipiebant. 297.2.b.718.1.c. in vitiis fortiores sunt viris.799.2.c.earũ loquacitas.319.1.c. quid & quos & vbi docere debeant.824.1.a. quare in Ecclesia tacere debeant.319.1.b.d.721.1.b. se nimis ornantes opus Dei velle corrigere videntur, ac sunt in Deum contumelioſæ. 720.2.b. quàm seuerè in has Dominus in iudicio inquiret. ibid.c. per eas hæreses sunt propagatæ.799.2.c. rixosæ quomodo tractandæ. 539.2.c. iis apud Ethnicos præfectus constitutus, ne vagarentur.753.2.d. Vide Femina.

Mulierem tangere vel cognoscere Hebræis idem est honestè quod exercere actum coniugij. 240.1.b

quomodo omnia Munda mundis.820.2.d. munda omnia sunt humili. 821.2.b

Mundus stat meritis Sanctorũ quibus tamẽ nõ est dignus. 956.1.d.mundus corporeus malus non est contra Manichæos.416.1.a.eum an alia tempora præcesserint.816.1.b.eum ait Plato factũ ex cubo ternarij.481.1.b.623.1.d. ab angelis non est factus.494.2.a. eum è materia subiecta conditum Valentiniani docuere 624.1.d.eius rectores cur dicantur dæmones.545.1.a. quot annis stabit.664.1.c.est quasi templũ Dei,in quo,& pro quo orat Episcopus. 713.1.a. liber est diuinitatis,& speculum diuinorũ,in quo seipsum depinxit Deus.39.1.c.Dei templũ est ibid. itẽ currus Dei.843.1.d.quomodo sit in Deo,& Deus in mundo.616.2.a. quomodo is homini crucifigatur,quomodo mundo homo. 467.1.c.468.1.b.c. eius laruata persona.254.2.c. sapientia eius à Deo reprobata,& vicissim ei odiosa Dei sapientia.203.2.d. mundi spiritus quis sit.211.2.b. eius gaudium breue & fallax.232.2.b. piis crux est. 467.1.c.

Muri Iericho fide corruerunt,quomodo. 952.2.b

Muritta Diaconus Elpidophorum apostatã suggillat. 85.2.b. in exilium actus cum clericis quingentis Carthaginensibus,lætus Domino cecinit. 934.1.d

Murmuratio Deo displicet maximè.275.2.a. murmurationes Iudæorum in deserto.865.2.b. ob eas terra promissa exclusi. 867.2.a

Murmurare propriè seruorum & ancillarum est.825.2.a

Musicam Hebræi mensis adhibebant.532.2.c. eius vsus in templis commendatur.315.2.b. eam olim soli serui tractabant. 448.1.c

Musulmanni vndedicuntur Turcæ. 888.2.a

Mutatio morum in S.Cypriano post baptismum.236.1.a. mutatio qualis peccantium in iustificatione. 779.2.b. mutatio morũ in Corinthiis prædicatione Pauli.299.1.a

Myrogenes hydropicus, de exteriori hydrope non laborauit,de interiori sollicitus. 358.1.a

Mystæ vnde dicti. 210.1.a

Mysterium propriè quid sit.ibid. mysterium iniquitatis quid sit.678.2.a.679.2.a.est figura Antichristi.679.1.b. mysterium fidei quod habere debent diaconi.730.2.a. mysterium vocationis Gentium Prophetis paucis obscurè reuelatũ.492.2.d id passim muratur Apostolus.493.1.b.id ei primũ innotuit.3.2.c. mysterium cur vocet Dei iudicium de secutura Iudæorum conuersione.155.1.b. mysteria fidei olim nefas scripto committere. 464.2.b

Naaman Syrus saluatus extra iudaismum. 48.1.c

Nabuchodonosoris cur Deus misertus, non Pharaonis. 135.2.d

Narcissi domus Romæ à Paulo salutata,quomodo.195.2.a

in Naribus maximè ira se prodit. 805.2.b

Nascimur,aucrsi à Deo & peccatores. 79.1.d

S. Natalia Adrianum coniugem non modò ad fidem, sed & ad martyrium obeundũ prouexit. 246.2.b. 721.1.c
Nationes diuersissimæ quomodo in vnam conueniant Ecclesiam. 505.1.a. 640.2.d. nationes omnes semper sacerdotes habuere & sacrificia. 875.1.c
Natura feruida ad magna se extollit. 2.1.d. 420.2.b. natura paucis est contenta. 608.1.a. natura nostra in Christo & B. Virgine exaltata est super omnes angelos. 81.1.d. naturæ humanæ per peccatum corruptio. 55.2.c. eius viribus nullum motum & conatum in actum supernaturalem fidei potest homo facere 225.2.b. ei impossibilia, Deo possibilia sunt. 203.2.c. per naturam, impleri non possunt leges supernaturales. 48.1.d. ex natura corrupta quatuor pullulant in homine propensiones ad malũ 53.1.d. eius viribus tribuit Pelagius merita. 983.2.b. eius vitia non assumpsit Christus. 861.2.d. natura communis, Christo & nobis est. 859.1.b. natura diuina & humana Christi ab Apostolo probatur. 573.1.b. 842.1.a
Naturali virtute non resurgemus. 329.2.a. naturalis generatio nihil facit ad legitimam posteritatem Abrahæ. 127.2.d. naturalis Dei imago in homine peccando non amittitur, sed supernaturalis. 518.1.c. naturali lumine solo Deum homo videre nequit, vel beari. 91.2.c. naturalia bona Deus sæpè in hac vita iustis negat, improbis & inimicis suis confert. 943.1.c. naturalia dona omnia à Deo sunt, multo magis supernaturalia. 225.1.b
Natus ex Deo quomodo peccare non posset. 213.2.a
Nazaræatus votum quomodo impleuit Paulus. 6.2.c. eo obstricti, vuis & vino abstinebant. 184.2.a. 913.1.c
Nazarei sectarij sacrificia reiiciebant, & animatis abstinebant. 589.1.d
Nazianzenus iniuriarum condonationem suadet. 171.1.c. sæpè de malo carnis suæ conqueritur. 407.1.a. Vide Gregorius.
Necessitas instans quid à Paulo dicatur. 251.1.d. probatur necessitas bonorum operum. 143.1.a. non tantùm necessitas peccandi, sed peccatum ipsum in omnes homines pertransiit. 77.2.a. necessitas Hebræis est quidquid angustiat. 251.1.d
Nectarius Patriarcha quare publicam sustulerit confessionem. 284.1.c
Negantes propositiones generales apud Paulum absolutè sunt intelligendæ. 117.1.d
Neglectus Dei quantum malum. 42.2.b. negligentia in operibus quæ spectant ad animæ salutem, est perniciosa. 879.1.c
Negotiatio clericis prohibita. 710.2.a
Negotia sæcularia quænam sint. 785.2.b. quinam ea fugere debeant. 786.1.a. & quare. 959.2.c
Nemrot fideles secunda mundi ætate afflixit. 680.1.d
Neophytus cur sacerdotio arceatur. 729.2.a.b. & quàm sit turpe talem ordinari. ibid.b.c
Nequam sæculum quomodo dicatur. 416.1.b
Nequitia quanta Antichristi futura. 686.2.d
Nero mysterium fuit iniquitatis, an typus Antichristi. 679.1.d. primam in Christianos persecutionem mouit 812.2.d. 955.1.c. ei an apparuit Paulus. 10.2.b. eum putarunt alij necdum mortuum, fore Antichristum. 678.2.b. creditus non mortuus. ibid. Parthis quàm fauorabile nomen eius fuerit. ibid.c. putatur à nonnullis fore collega Antichristi in Occidente. ibid. verè occisus est, nec venturus. 679.1.a. Apostolis Petro & Paulo aduersatur. 10.1.a. eos ad necem persequitur. ibid. eius mitissima vox initio imperij. 410.2.b. leo cur dicatur. 812.2.c
Nestorius duas in Christo posuit personas. 88.1.a. 573.1.d. 825.2.a. 856.2.d. duos confinxit Deos. 439.2.c
Neutrum genus plenius masculino significat omnimodam vniuersalitatem. 897.1.b. cur vsurpetur π' Cherubim & Seraphim in neutro genere. 910.2.a
Nicenum Concilium addidit doxologiæ SS. Trinitatis hæc verba, Sicut erat. 158.2.d
Nicobulus paruitatem vxoris reprehendens reprehenditur. 29.1.c
S. Nicolaus diuino indicio ordinatus Episcopus. 708.2.b. à tempestatem patientibus inuocatur. 863.2.b
Nicolaus diaconus quare factus hæreticus. 710.2.b
Nicopolis duplex erat ciuitas, vnde dicta. 832.1.c
Nihil agendo malè discis agere. 693.2.d. & seqq.
Nilamon monachus episcopatum fugit. 724.2.b
Nisi interdum capitur pro sed. 425.2.d. Nisi Hebræis nota est iuramenti execratorij. 881.1.c
Nobiles Iudæi in Creta habitabant. 820.2.a. nobiles pauci & sapientes ad fidem vocati. 205.2.d. soliti olim artem mechanicam discere. 692.2.c
Noctu an Christus ad iudicium venturus. 664.2.b
Noë tempore Abrahami vixit. 888.1.a. fide arcam compegit. 943.2.b. fuit Deo carus ibid.c. eius fortitudo, spes, constantia. ibid.d. fuit heres iustitiæ Adami, Abel, & noui mundi. 944.1.a
Nomen Dei inuocare ad salutem sufficere credebant Simoniani & moderni hæretici. 793.2.a. nomen sæpè pro re nomine significata capitur. 533.2.d. nomen Christi omnium numinum nominibus excellentius. 481.1.a. nomen Iesu est nomen super omne nomen. 577.2.b. in quo conueniunt maiestas & amor. ibid.c. cur venerabilius tetragrammato. ibid.d. & seqq. id meruit Christus moriendo. 576.2.d. id in cruce actu accepit, licet antè in circumcisione datum. 577.1.a. non est Græcum, sed Hebræum, nec idem cum tetragrammato. 2.a. est proprium Verbi incarnati, hinc alia omnia eius nomina includit. 578.1.c. id in vanum accipere maius est peccatum quàm nomen Deus. ibid.b. cur sit oleum effusum, est lux mundi, cibus animæ & medicina. 2.a.b. semper id in ore habendum. ibid.c. id Paulo semper in ore & calamo. 7.1.a. 477.1.b. est proprium nomen Christi, Christi verò nomen appellatiuum est dignitatis. 848.1.c. id prædictum à Prophetis & Sibyllis. 579.1.c. Christus meruit sibi nomen super omne nomen. 576.2.a. & quale hoc nomen. ibid. nomina Apostolorum quomodo in fundamentis ciuitatis sanctæ. 489.2.c.d. nomina noua quæ res fidei breuiùs & clariùs explicant, non damnat Apostolus velut profanas vocum nouitates. 773.2.a. nomina Hebræis sunt & actiua & passiua. 21.2.d
Nominari Hebræis est idem quod esse. 497.1.c
Sola legis Notitia non sufficit ad iustificationem. 45.2.a
Noua creatura in Christo quæ sit. 366.1.d
Nouantes nostri dicunt nos Christi gratia iustificari. 61.2.b. Pauli epistolis ad suas hæreses stabiliendas abutuntur. 4.1.d. & quàm vanè. 5.1.d. virginitatem auersantur. 651.2.a. decent Papam esse Antichristum, sed liuore aguntur. 685.2.b. verè vocantur nouantes, omnes hæretici. 773.1.c.d. sua dogmata semper mutant & resingunt. 512.1.a. Philosophiam cur oderint. 773.2.d. Purgatorium adstruunt, etiam nescientes. 950.1.b. falsò docent non omnes posse credere. 691.1.b. quàm ineptè errent circa veritatem Eucharistiæ, sibiq; contradicant. 289.2.d. eorum pertinacia. 190.1.a. sunt pœnitentiæ inimici. 376.2.a. quomodo Scripturam lancinent. 506.1.c. quomodo sibi applicent merita Christi. 915.2.a. eorum fucata oratio. 622.2.b. magis quàm Iudaizantes euertunt legem Christi. 417.1.d. vide Hæretici.

Nouatiani lapsos ad pœnitentiam non admittebant. 881. 2.b. 932.2.c. 968.2.b. *aiebant in Ecclesia non esse malos.* 794.1.d

Nouercæ cum priuigno nuptias omnes auersati sunt. 229. 1.a

Nouissimi Apostolorum qui sint Paulo. 229.2.b.c

Nouissima tempora quæ intelligat Apostolus. 735.1.a. 798.1.b

Nouitas in doctrina profana est. 772.2.d. *signum est hæresis.* 773.1.c. *est explodenda.* 418.1.c. *nouitas vocum quæ sit.* 773.1.b. 789.2.a. *nouitate vitæ Christo resurgenti similes efficimur.* 86.2.a. *quæ sit illa nouitas.* 162.1.b

Nouus homo quis sit Paulo. 516.2.c. *eius partes & membra opposita partibus & membris veteris hominis.* 518.2.d

Nox vocatur tempus ante Christũ. 179.2.b. 180 1.a.c.d

Noxium sua sequitur pœna. 367.1.b. 759.2.a.b

Nubentes olim velabantur. 285.1.d. 196.1.d. *nec nubere, nec vri optimum, sed continere.* 244.1.d. *nubere in Domino quid sit.* 258.2.d

Nubi insidebit Christus & Sancti ad iudicium venientes. 663.2.a. *nubes quid sit, sub qua patres fuerunt.* 272. 1.b. *nubes vocatur in Scriptura, Dei lux.* 770.1.c

Nudi mundum ingressi, nudi eodem exibimus. 764.1.a. *nudi pedes signum sunt captiuitatis.* 549.2.c

Numerus denarius & septenarius Hebræis familiaris. 149.2.d

Nuptiæ esse spernẽdas docuerũt olim pseudoapostoli. 240. 1.a. 736.2.a.b. *nuptiarum spiritualium prandium & cœna.* 395.2.b. *nuptiæ mundanæ & religiosæ quomodo differant.* 396.2.d. *nuptiæ Religiosorum permanens sacrilegium sunt, vel adulterium.* 244.1.d. *nuptiæ non erunt in cælo, tamen erunt ibi mulieres.* 510.1.c. *nuptiæ secundæ licitæ sunt.* 259.1.b

Nympha & domestici eius fideles erant Colossis. 646.1.a

Obduratio quomodo homini & Deo tribuatur. 19.2. b.d. *obduratio Iudæorum.* 350.2.c

Obduratis elcẽmosyna suadenda quasi vltimum remedium. 385.2.b

Obediendum regibus si Deo contraria non præcipiant. 828.2.a. *obedientes quidnam consoletur.* 575.2.c

Obedientiæ descriptio. 878.2.c. *obedientia Christi singularis & promptissima.* 927.2.d. *eam quomodo didicerit* 878.1.d. *eius quis fructus.* 81.2.d. *ab obedientia Prælatorum non eximit nos libertas Christiana.* 20.2.a. *obedientiæ prompta exemplum Abraham & Isaac.* 948.2.b. *& illius merces.* 66.2.b. *obedientia magistratibus debetur.* 175.2.a. 828.1.a. *obedientiam nobis indicat S. Scriptura tota.* 927.2.c. *obedientiæ Euangelij serui sunt omnes fideles.* 90.1.a. *obedientia & fides in Christum, in Gentibus causa est quòd sint electæ ad iustitiam.* 139.2.d

Obedire parentibus in Domino quid sit. 540.1.a

Obiectum seruitutis Pauli erga Deum. 815.1.a. *obiectum duplex epistolarum eius, dogmaticum & ethicum.* 15. *obiectum formale fidei est reuelatio Dei.* 653.1.d

Oblationes quas fideles offerunt sacerdotibus, non intelligit Apostolus per altare, vt vult Beza. 979.2.c. *oblatio perfecta animæ in quibus sita.* 161.2.b

Obliuionis subitæ exempla. 151.1.c. *obliuisci iniuriæ est heroicum.* 173.2.d

Obsecratio quid sit propriè. 553.1.a. 711.2.a

Obsequium rationabile quid propriè sit. 161.1.c

Obseruantiæ quas damnet Apostolus. 634.1.a. *obseruatio legis Mosaicæ quousque duraturit.* 185.1.c

Obstinatæ mentis quinque signa. 151.2.d. *obstinati in malo durè increpandi.* 460.1.c

Obtrectationis mala. 456.1.a

Occasionis descriptio. 466.1.b. *occasioni seruiendum.* 179.2.b. *occasiones peccandi ponit Deus pio fine.* 40.1.d

Occulta etiam peccata cauenda. 353.1.a

Oculus Dei omnia videt 872.2.a.b. *oculus est Aegyptiis, Dei hieroglyphicum* 2.c. *inter membra corporis nobiliora computatur.* 301.2.c

Odio habere significat, negligere, minùs diligere. 131.1.b. *odium proximi est charitatis dissolutio.* 178.2.d. *odium peccati est efficax testimonium quòd quis sit filius Dei.* 107.2.d. *id inculcatur.* 167.2.b

Odor suauissimus est odor quietis. 525.1.c. *odorari sacrificia quomodo dicatur Deus.* 610.1.a. *odor morum quis.* 345.2.d

Oeconomi sunt velut pedes Ecclesiæ. 303.1.c

Oeconomia duo notat. 494.1.c

Offendiculum quid propriè sit. 186.2.b. *an idem cum scandalo.* ibid.

Offensa condonanda Dei imitatione. 524.1.b

Officia duo pastorum prædicatio, & Sacramentorum administratio. 202.2.d. *officia Episcopi quæ sint.* 775. 1.a. *officia tria angelis, Apostolis & doctoribus communia, quæ.* 494.1.b. *officia diuina cur latinè dicantur.* 314.1.a

Oleo baptizandi, athletæ & mortui olim vngebantur. 268.2.a.b. *oleum exultationis est oleum gloriæ.* 849. 1.d. *oleo nomen Iesu comparatur.* 578.2.a

Oliuæ assimilatur Ecclesia, oleastro gentilitas. 153.2.d

Olus manducare, quid sit Paulo. 183.1.d.2.a

Olympias quàm illustris fuerit in viduitate, qua constantia nuptias Elpidij reiecerit. 747.2.c. *eius virtutum rara exempla.* 751.1.a

S. Olympius Abbas credidit se peregrinum in terra. 946. 2.c

Omnia nobis est Christus. 181.2.d. *omnia à Deo pendent.* 843.2.c. *omnibus omnia fuit Paulus.* 7.2.c. 267.1.d. *omnia in omnibus in cælo nobis erit Deus.* 326.1.d. *omnes pro singuli capitur.* 242.1.d

Omnipotens quomodo sit Deus, & tamen mentiri non possit. 788.1.d. *omnipotentes fiunt qui in Deo sperant.* 609.1.b. *omnipotentem Deum esse negant hæretici.* 301.1.b

Omniscientia in Christo omnem tempore mortis excluserit in ipso desperationem. 877.1.d

Onera proximi portanda quæ sint. 462.1.a.b. *onera pastorum & Superiorum.* 982.1.c

Onesimus fuit II. Episcopus Ephesinus. 470.2.c. 833.2.b. *Timotheo successit* 696.1.c. *Romæ sub Traiano martyrio coronatus.* 833.2.b. *Philemonis heri rebus quibusdam compilatis, Romam fugit, ibiq; à Paulo conuersus ab eo ad herum cum epistola mittitur.* 1.b. *Phryx erat.* 2.a. *in gratiam rediens cum hero, vir doctus & egregius factus est.* ibid. *quid nomen sonet.* 835.2.c

Onesiphorus tria caritatis officia Paulo exhibuit. 783.2.a

Onychini duo Ephod pontificis quid mystice designarent. 713.1.b

Opus coniugale quàm verecundè peragendum. 457.2.a. *in eo quando mortalis & venialis sit libido.* ibid. *modicum opus in se, ex gratia factum meretur vitam æternam.* 105.2.a. *tota operis supernaturalis dignitas est à gratia.* 19.2.a. *opus Dei quomodo simus.* 187. 2.c. *omne opus hominis iusti non est peccatum contra Lutherum.* 53.2.a. *opus bonum quam proportionem habeat cum æterna gloria.* 109.2.a. *opus ex voto factum cur sit melius eo quod sit sponte.* 753.2.b. *operis initio formanda crux.* 598.1.a

Opera fidei, timoris Dei, quæ fiunt ex legis præscripto. peccato-

catorem disponunt ad iustitiam. 46.1.d *si ex charitate fiunt, de condigno merentur iustitiæ augmẽtum.* 2.a *declarant operantem esse iustum.* ibid. *opera quàm perfectè facere debeamus.* 474.1.a *eorum bonitas Deo est ascribenda.* 348.2.c *operalegis iactabant Iudæi, quasi ob ea eligendi essent ad salutem.* 128.2.c *opera sunt sarcina viatorum pergentium ad tribunal Christi.* 464.1.d *& eorum lorica.* 549.2.b *etiam fabrilia Deo offerenda.* 553.1.c *opera ex gratia facta pendent simul à libera cooperatione voluntatis.* 225.1.d *opera bona omnia non sunt præcepti, sed aliqua sunt consilij.* 266.2.c *bonum est ea facere respectu mercedis æternæ.* 48.1.d. 951.2.d *in operibus nostris quæ consideranda.* 236.1.c *operum bonorum merita & merces.* 44.2.d. 215.2.d. 384.2.a *cur ea dicantur corona iustitiæ.* 808.2.b *opera nostra quomodo sint Dei & nostra, & inducant debitum iustitiæ commutatiuæ.* 810.1.b *opera bona pœnitentis ante reconciliationem quomodo prosint.* 305.1.c *opera fidei sunt iungenda.* 46.2.b. 674.1.c *opera omnia infidelium num sint peccata.* 188.2.d. 821.2.c *opera & lustrationes legis antiquæ nihil conferebant ad delenda peccata.* 56.2.c *bona opera sine charitate nihil sunt.* 305.1.c *cur vocentur peccata omnia opera carnis.* 456.2.a *opera solis naturæ viribus facta impertinentia sunt ad gratiam & sanctitatem.* 225.1.c *hæc excludit Paulus à iustificatione.* 45.2.c *operibus bonis præesse quid sit.* 831.1.b *quæ opera Paulus reprehendat.* 15. *opera ad extra toti SS. Trinitati sunt communia.* 300.1.a *opera Sanctorum quomodo impediat Satan.* 654.1.a *opera bona quomodo nobis à Deo præparentur.* 486.1.d.2.b *mirè ea Deo placent.* 982.1.a *ea nos iustificant.* 928.2.b *vocantur lux* 528.1.a *spes nostra ijs nititur.* 75.1.a *per ea gratia Christi illustratur.* 59.2.d *esto per gratiam saluatos nos dicat Apostolus, opera tamen requirit.* 60.1.d 62.1.c. 485.2.d *opera indifferentia ad Dei laudem etiam sunt facienda.* 595.2.c *opera misericordiæ sunt opera Dei.* 586.c *opera quomodo dicantur ardere.* 218.1.a

Operarius Euangelicus comparatur militi, pugili, agricolæ. 786.2.c *operarius inconfusibilis quis.* 788.2.c

Operatio virtutum quid sit. 300.2.b *operationes sunt miracula, quæ distinguuntur à gratia.* 299.2.d

Opes Platonis sunt compedes. 764.1.d *sunt dolores & spinæ tripliciter.* 766.1.c *earum mala & epitheta.* 2.b.c *ijs in hac vita non est inhiandum.* 763.2.b.c. *earum contemptum suadet brevitas vitæ quæ ijs vtimur, earum vilitas, & mors.* ibid.c. Vide *Diuitiæ.*

Opifices quomodo multum ex operibus suis meriti colligere possint. 643.1.a *opifices pij qui.* 521.1.b.

Opificia mechanica olim Sancti exercuere. 692.2.d

Opsonion quid sit propriè. 91.1.c

Optare licet pro multorum salute æternam damnationem. 126.1.a

Orare lingua licitum quam non intelligis. 315.1.b *est orandum pro superioribus, etiam Ethnicis.* 712.1.c *orare omni loco possumus per orationes iaculatorias.* 717.1.d *orare ad Dominum, pro, Dominum.* 949.2.a *in orando sex modis peccatur.* 112.2.a *orent qui ad perfectiorẽ statum aspirant.* 674.1.a *quid orandum potissimùm à Deo.* 692.1.a *orandum semper, & quomodo hoc intelligendum.* 553.1.b. 667.2.b *quomodo Christus oret pro nobis.* 119.1.a.2.b

Orantes manus cur leuent, sex causæ. 718.2.c

Orationem Dominicam discere quisque & intelligere debet. 315.2.a

Oratio Christi sæpè fuit cum lacrymis. 876.2.a *oratio optima quæ sit.* 112.2.c. 113.3.d. 712.1.a. *tam ea animæ necessaria, quàm cibus corpori.* 717.2.b *humiles ac mites efficit.* ibid.c *fistula cælestis est.* 644.1.b *eius vis.* 837.2.a *ea invocandum auxilium Dei & Sanctorum.* 552.2.c *ad eam in omnibus recurrendum.* 982.2.d *est facienda in spiritu.* 553.2.a *ipsi sæpè nostram orationem vix intelligimus.* 114.1.a *an distinguatur ab obsecratione.* 711.2.a.b *eius elogia & incitamenta.* 667.2.a *donum continentiæ impetrat.* 251.1.a *optimum remedium tentationis est.* 276.1.b *in templo melius fit quàm domi.* 717.2.d *ei repugnat ira & disceptatio.* 719.1.c *erat in conuiuijs primorum Christianorum vsitata* 553.1.b *etiam non intellecta vim suam habet.* 315.1.d *piorum multum valet ad conuersionem fidelium.* 553.1.b. 715.2.b *orationes pro defunctis ab initio Ecclesiæ fuere.* 684.2.d *oratio consecratoria etiam practica est.* 292.2.a.b. 293.1.b

Oratoris boni quæ sint partes. 521.2.b

Oratoria S. Michaeli sacra plurima Colossis. 653.1.a

Orbis terræ futurus quis sit. 853.2.d

Ordo Sacramentum est. 744.1.b. 777.2.b *passim vocatur manus impositio.* ibid. *eius forma & materia.* 777.2.b

Ordinandos examinari tum quoad vitam, tum doctrinam iubet Concilium Tridentinum. 757.1.c *& eorum nomina publicè proponi.* 730.2.a.b *quàm probari debeant, exemplo S. Leonis ostenditur.* 757.1.d

Ordinatio in Sacramento Ordinis manuum impositione suscipitur. 29.2.d *hinc eam Græci vocant manus impositionem.* 382.1.b

ad Ordines altiores ij promouendi qui in minoribus pie se gesserunt. 731.1.d

Ordo damonum. 544.2.d *sed ille desinet finita Ecclesia militante.* 545.1.a *ordo angelicarum hierarchiarũ.* 480.2.d *ordo resurgentium quis sit futurus.* 324.2.d *ordo Melchisedeci quis.* 896.2.a.b *ordo quantum sit bonum in omnibus.* 623.1.b *ordo decorus in Ecclesia Paulo valdè fuit cordi.* 320.2.a. 621.1.d

Ordines Mendicantes non manducant panem otiosi. 693.1.c *eorum institutores, non retractarunt in morte monachismum, vt volunt hæretici.* 217.1.c

Organorum & musicæ vsus in templis commendatur 315.2.a *organa theatrica olim ex templis electa.* ibid.b

Orientales linguæ pleraque filiæ sunt Hebraicæ. 965.2.a

de Origenis commentario in epist. ad Rom. censura. 4.2.c *censuit vitijs singulis suos præesse dæmones* 544.2.a *censuit animas quasi in carcerem detrusas.* 362.1.a *docuit corpus hominum in resurrectione in globũ mutandum.* 600.2.a *& gentes saluari posse sua recta vita.* 45.2.d *se castrando peccauit.* 454.2.d *censuit peccata quæ anima antequam corpori iungeretur, in cælo commisisset, mortis hominis causam esse.* 77.2.c. 473.2.b. 816.1.c *putabat mortem, id est diabolum, Christo dominatam.* 87.2.c *soli, lunæ & elementis animam tribuit.* 110.2.c *putabat dæmones aliquando saluandos.* 156.2.b. 617.2.d *semina iecit pelagianismi.* 47.1.d *docuit angelos multis sæculis ante mũdum esse creatos.* 816.1.b *eius errores quomodo S. Hieronymus transscribat.* 480.1.b

Originalis peccati radix, & ea non fuit in Christo. 895.2.a *est duplex, actuale & habituale.* 79.1.a *nobis voluntarium est voluntate aliena.* ibid.d *quomodo in Adamo omnis anima id contraxerit.* 894.1.a *non est substantia mala.* 357.2.b

Ornatum mulieris quomodo S. Petrus describat. 720.1.a *eius studiosæ mulieres sunt.* 719.2.b *ornatus nimius non caret impudicitiæ suspicione.* 720.1.b *dedecet mulieres in templo.* 2.d

Os gladij quid sit. 871.2.d *os boui trituranti non occluden-*

cludendum quomodo tropologicè intelligitur. 264.2.d. 755.2.c *os quàm sit à turpibus custodiendum.* 413.2. b.522.1.b.d *ore confessio sit ad salutem.* 143.1.a *ad oris regimen seruandum stimulus.* 522 2.b *oris veritas quæ sit.* 512.1.d

Osculum reconciliationis est symbolum. 413.2.b *osculo inuicem salutabant Gentiles & Hebræi.* ibid.a *item Christiani, ante communionem, & cur.* ibid.b *idem iam in vsu in quibusdam Ecclesijs.* ibid. *quatuor de causis honestè datur.* ibid.c

Osculandi ritus prono corpore limina & ianuam templi Apostolorum. 132.c

Oseas quomodo foderit vxorem quindecim argenteis. 928. 1.c *quomodo iussus fornicariam accipere vxorem.* 80. 2.b

Osiris pingebatur ab Aegyptijs quasi sceptrum habens in se oculum insculptum. 872.2.c

Ossa Elisæi quomodo prophetarint. 311.2.c *item ossa Iosephi post mortem per castra deducta.* ibid.

Ostendere *in Scriptura quid significet.* 226.2.c.568.1.a

Ostium sermonis quid sit. 564.2.b

Otiosus ab ordine suo deficit & creatione. 692.2.c *eius inertia & turpitudo.* 694.1.b *otiosi sibi, alijs sunt curiosi.* 692.1.a *curiosi sunt, garruli, dicaces, non agunt, sed satagunt.* 694.2.b. *hirundinibus similes.* ib.

Otium cur agat virgo. 255.1.a *otium fugiendum monet Apostolus.* 659.2.c.692.1.d.693.2.d.& *seq. viui hominis sepultura est.* 693.2.a.c *eius effectus.* 694. 1.a. *otium & curiositas plerumque coniuncta.* 659.1.d

PAchomius qua occasione conuersus sit ad fidem. 975. 1.c *diabolum specie Christi sibi apparentem facto crucis signo se repulit.* 399.1.a

Pactum testamentum subinde dicitur. 126 2.b.195.1.a

Pædagogus quis Græcis esset. 440.2.d

Paderastia infames philosophi veteres. 40.2.d *paderastia Cretensium.* 818.2.c

Pallor decet pugilem Christi. 270.2.b

Pancratiastæ toto corpore certabant. 268 2.a

Panes azymi cuius rei typus sint. 231 2.b *panes Orientalium quales.* 78.1.c *panes propositionis vocantur hebraicè panes faciei.* 908.1.c *erant duodecim, & quare.* ibid. *sal & thus eis imponebatur.* ibid.d *quid denotent allegoricè & tropologicè.* 2.a *panem frangere significat in Scriptura conuiuari.* 278.1.d *Eucharistia quomodo panis dicatur.* ibid.c *panis omnem cibum significat.* 290.2.c *panis non manet in Eucharistia, sed transsubstantiatur.* 292.1.c

Panoplia militis Christiani. 552.2.b *panoplia Dei.* 551. 2.d

Parabola figura verborum, typus rerum 912.1.c *parabola quomodo fuerit Isaac* 947.2.d *parabolis vtitur Paulus & Hebræi.* 22.1.c

Paradisus est locus Beatorum separatus in cælo. 404.2.a *vnde vox ipsa formetur, est Hebræa vel Persica.* ibid.b

Paralogismi aliquot hæreticorum. 42.c.622.2.b *paralogismus quid sit, & quando committatur.* 622.2.b

Paranymphi tria sunt munia. 394 2.b

Parentum pietas quantum prosit filijs. 777.1.b *illis filios Deo dantibus alios is reponit.* 256.2.c *in parentibus quomodo filij sanctificentur.* 153.2.d *debent filijs institutionem & castigationem.* 541.2.d *in filios non assiduè duri sint* 643.2.a *ijs non acquiescendū vocante Deo.* 421.2.b *ijs debitus honor quatuor cōprehendit.* 540.2.a *ijs inmorigeri in prolibus infelices.* 541.2.c

in Paritate animorum est amicitiæ perfectio. 585.2.b

Parochis incumbit administratio Sacramentorum. 202. 2.d *ijs catechismus suadetur.* 464.2.d

Partem diei festi quam vocet Apostolus. 629.1.b

Partiariorum quæ esset hæresis. 790.2.d

Participio vtuntur Hebræi pro indicatiuo quo carent. 165.1.a

Particula exclusiua in diuinis non tangit personas, si attributa sint essentialia, non notionalia. 211.2.a.770. 1.b

Paruuli peccatum originale contrahunt. 77.2.a.894.1.a *paruulis Christus cur manus imposuerit.* 744.2.a

Pascha vnde dictum & quid significet. 231.2.b.952.1.d *paschæ dies & passionis inchoatus erat, cùm verba consecrationis Christus pronuntiauit.* 293.2.d

Pascua benedicuntur in die S. Stephani. 740.1.c

Passio an à tentatione distinguatur 862.2.a *quam proportionem habeat cum æterna gloria.* 109.2.a *in omni passione habemus opem Spiritus sancti.* 112.1.a *passiones sunt optimæ doctrinæ & disciplinæ.* 878.2.d *sanctis cooperantur in bonum.* 114.1.c *quatenus humanæ, non sunt condignæ ad futuram gloriam, sed quatenus Christi meritis innixæ.* 109.1.c *quàm sint ambiendæ.* 875.2.d *ijs semper maiores sunt consolationes diuinæ.* 339.2.a *eas non minùs Deus remunerat quàm opera.* 45.1.b *passiones mundi fel sunt sine melle.* 339 2.a *passio Christi est consummatio abbreuiata.* 139.1.a *passio Christi & Martyrum omniumq; fidelium vna est.* 619 1.a *illi ascribitur satisfactio, resurrectioni iustificatio.* 70.2.c *fuit plena & sufficiens, sed deest illi in nobis communicatio.* 618. 2.d *Martyrum passio est triumphus Dei.* 345.2.a

Passiones Christi triplices sunt. 339.1.c *eas adimplemus, prædicando Euangelium, & patiendo.* 619.2.c *quomodo eas impleret Apostolus.* 618.2.c.d

Passionum sedes. 143.1.a *eas quid iritet.* 520.2.b

Pastoris titulus quis fuerit locus Romæ. 812.2.a

libri cui nomen Pastor, quis sit auctor. 195.2.a

Pastoris & Episcopi officia. 744.2.c.775.1.a *eius quatuor dotes.* 796.1.d *vigilet & sobrius sit.* 727.2.d *dum est auarus nequit suo muneri satisfacere* 764.2.a *eius est recta docere & sanctè viuere.* 266.1.c.709.2. b.508.2.c *accipiat sustentationem à populo, mercedem exspectet à Deo.* 755.2.d *ab eo requiritur cura, non curatio ouium.* 729.1.b *quos per pastores intelligat Apostolus.* 508.2.c *alacritate calceari debent in præparatione euangelij* 550.2.b *sunt milites Dei.* 709.1.a *ijs conciliandæ non pompâ, sed laboribus auctoritas.* 400.1.c *sunt patres spirituum.* 965.1.b *eorum munus, prædicatio & Sacramentorum administratio.* 202.2.d. *pastor magnus est Christus.* 983. 1.c

Deus Pater omnia dans Filio, seipsum dominio non exuit. 325.2.d *in eius resurrectione valdè glorificatus est.* 852.d *per Verbū quomodo omnia crearit.* 841.2.c. *nihil ei negat, sed dat omnia.* 119.2.a *est principium ex quo omnia promanant & facta sunt.* 158.1.a *cōparatur soli & luci.* 842.1.c *Patris nomen quomodo possit esse commune toti SS. Trinitati.* 504.1.b *pater gloriæ cur dicatur Deus.* 479.1.d *pater misericordiarum cur dicatur, & non iudiciorum.* 339.1.a *cur item pater animarum.* 965.1.c

Pater nobis & Christo communis est. 859.1.b. *pater noster quomodo Christus.* 76.1.d *is cur dicatur pater futuri sæculi.* 517.1.b *pater Hebræis auctorem & causam efficientem significat.* 479.2.a *pater cum filio vnum censetur.* 654.1.a *pater credentium Abraham.* 65.2.b *paterfamilias quos seruaret ritus in cōuiuio paschali apud Iudæos.* 294.1.b *conuiuis cibos & panem frangebat.* 278.1.c *in patria potestate non est filiam seruare virginem, aut matrimonio iungere si ipsa nolit.* 258.1.d

Patres

Patres antiqui testamenti non sunt adepti primariam repromissionem aeternæ beatitudinis. 953.2.c *cur in Chanaan sepelivi voluerint.* 950.1.b *ad patriam cælestem sapè adspirabant.* 946.2.a *fide probati.* 941.1.c

SS. Patres quomodo negent in cælo sexuum diuersitatem. 510.1.c *cur semper Eucharistiam, mysterium arcanum vocent.* 730.2.c

Paternitas omnis à Deo descendit. 496.1.c

Pathica libidoque sit. 40.2.c.640.2.a

Pati *interdum capitur pro contingere.* 862.2.b *pati Christianum est.* 785.1.d *pati pro Christo, duplici de causa dicitur donum Dei.* 568.2.b *plus est quàm suscitare mortuos.* ibid.c

Patiens scopus est & signum, in quem sua tela inimici conijciant. 656.1.a *in omnem comparatus est fortunam.* 966.1.c *eum nemo lædit, sed coronat.* 962.1.d *est prædestinatus ad gloriam.* 109.1.b

Patientia optimè inimicus vincitur. 174.1.a *eius sex gradus.* 173.1.a *duodecim argumenta ad eam incitantia.* 1082.c *eius illustria exempla.* 785.1.d *quàm sit Christiano necessaria.* 801.2.b *est sublimis philosophia.* 369.1.b *thorax est impenetrabilis.* 960.2.c *qui sint secundùm patientiam boni operis.* 45.1.c *eius tria incitamenta.* 117.1.a *ea opus est vt pacem habeas, & cum alijs serues.* 458.2.c. *virtus est regia.* 502.1.c. *eã qui amittit, amittit confidentiam* 936.1.b *est actus non elicitus, sed imperatus à charitate.* 306.1.c *dupliciter operatur probationem.* 72.2.d *& tribulatio eam operatur.* ibid.c *pro perseuerantia sumitur interdum.* 885.1.a *eius actus, officia, effigies.* 936.2.a.b *eius fructus & bona.* 966.1.b

Patriarcha nomen vnde deriuetur, & quis sit. 496.2.c *qui hoc nomine dici queant.* 891.1.b *ita cur dicantur Abraham & Isaac & Iacob.* ibid.b *in morte mira sunt vaticinati.* 950.1.b

Patriarchis Deus promisit posterorum conuersionem. 155.2.d

S. Paula Romana ita in pauperes profusa fuit, vt alieno veste & sumptu sepeliri debuerit. 381.1.b *ei Scriptura fuit clypeus aduersus omnes tentationes.* 803.2.c *quanta parua delicta pœnitentia expiarit.* 377.1.c *luxum leuem vestium austeritate puniuit.* 721.1.a *eius theatrum quod fuerit.* 227.1.b

S. Paulinus Nolanus seipsum pro viduæ filio in seruitutem VVandalis tradidit. 381.1.a *sua in seruiendo fidelitate ciuibus suis libertatem impetrauit.* 542.2.d *eius sufficientia.* 762.2.d

S. PAVLI Apostoli nomen genus, & indoles.

Pauli nomen an Græcum, an Hebraum, an Hebræ-græcũ. 28.1.a *an in baptismo nomen Pauli assumpserit loco Saulis.* ibid.b *cur & quando dictus sit Paulus.* ibid. *quid latinè id sonet.* 2.a *scientia ipsius naturalis & Græcanica.* 3.1.a *Platoni comparatur.* ib. *Tarsi est natus in Cilicia.* 1.1.b *& nobili prosapia ortus.* ibid. 588.2.c *erat ibi senatorij ordinis.* 811.1.b *quomodo sine lege aliquando viueret* 96.1.b *vxorem an habuerit.* 195.1.a *scenofactoriam exercuit.* 692.2.c *fuit ciuis Romanus.* 1.1.b *& corpore paruus, at animo magnus.* 29.1.a 391.1.b.c *secta Pharisæus.* 1.2.b *quomodo à progenitoribus seruierit Deo, cùm fuerit persecutor.* 776.2.a *Græcorum est disciplinis eruditus.* 1.2.a *ducem se præbet Iudæis ad extirpandos Christianos, putans se obsequium præstare Deo.* 2.b.c *eius zelus pro iudaismo.* ibid. 420.2.a. 589.1.a *quomodo se Hebræum vocet.* 400.1.b. 588.2.d *fœcundo & vberi erat ingenio* 420.2.b. 817.1.c *quomodo sit segregatus ex vtero matris.* 420.2.d

Paulivocatio & gratia.

An in eo fuerit anima Adæ. 705.2.a *dotes eius naturales an respexerit Deus in eius vocatione.* 703.1.a *illũ Christus quomodo persequeretur.* 705.1.d *an statim à conuersione venerit Hierosolymam.* 421.2.d *cur Petrum ibi adierit.* ibid.c *orante Stephano conuersus* 713.2.b *gratiam qualem à Deo acceperit, & quomodo ei cooperatus.* 2.1.a *eius peccatum ignorantia non excusabat, sed minuebat.* 706.1.a *quantum id fuerit.* 705.2.c *in illo mysticè impletum vaticinium Iacobi de Beniamin.* 1.2.c *in iudaismo erat planè separatus à Christo.* 125.1.c *Apostolus vocatione & munere, non tantùm nomine.* 29.1.d *est ad apostolatum vocatus ad docendas gentes, & fundandas Ecclesias.* 2.b *Apostoli titulo non minùs gaudet quàm duodecim illi a Christo vocati.* ibid.c *vocatus est à Deo, non ab hominibus missus, nec intrusus.* ibid.d. 416.1.a *conuersio eius quo anno contigerit.* 10.2.a 407.1.a *tunc Christus ei apparuit corporaliter.* 322.2.a *quomodo à Christo fuerit comprehensus.* 592.1.d *peccans ex ignorantia minùs indignus fuit venia, minusq; impedijt Dei vocationem, quàm si peccasset ex malitia.* 703.2.b *quomodo carnalis fuerit & sub peccato venundatus.* 97.1.b.c *à gratia Dei quasi à remora detentus est* 2.1.d *vocatus est à Christo iam glorioso è cælo* ibid.b *eius cum eo duellum.* ibid. *suam ipse vocationem miratur & describit.* 2.a *non ita in gratia fuit confirmatus, quin ab ea excidere potuisset.* 270.1.a *fuit ante conuersionem persecutor Ecclesiæ.* 410.1.d *eius triplex gratia ad euangelizandum.* 494.1.a *incertus de sua salute fuit.* 270.1.a. 341.1.a. 808.2.c *gratia Dei quomodo in illo vacua non fuerit* 322.2.c *sed ei est cooperatus.* ibid.d.& seq.

Pauli sapientia.

An præter obscuram fidem habuerit clarã scientiam articulorum fidei. 781.2.a *oceanus est sapientiæ, zeli & spiritus diuini.* 5.2.b *cum balista comparatur.* ibid.c *eloquentia humana & sapientia cur abstinuerit.* 212.1.d *nemo eo magis nouit medullas Scripturarum.* 1.2.b *linguæ & prophetiæ donum habuit.* 11.1.c *eius sapientia in epistolis elucet.* 3.1.a *de sua doctrina ipsius testimonium.* 5.2.d *Platonicos Corinthi confutat.* 362.1.a *quomodo omnium Corinthiorum linguis loqueretur, cùm vna tantùm ibi esset lingua* 316.1.b *legatus fuit ad promissionem vitæ.* 776.1.a *eius sublimitas & profunditas.* 5.2.c. 470.1.c *imperitus quomodo fuerit sermone Græco.* 397.2.b. *imperitus in grammatica, sed non rhetorica.* ibid.c

Pauli virtutes.

Eius continentia, nam ne quem grauaret, suis manibus operatus est ad victum comparandum. 398.1.b *suam modestè extenuat liberalitatem* 344.2.b *eius prudentia in tollendis animæ morbis.* 377.2.d *eius magnanimitas* 835.1.b. *iurans non iurat per conscientiã, sed per Christũ.* 125.1.a. *ardens eius in Deũ amor.* 364.2.b.d *castitas.* 6.2.d *temperantia.* ibid.b *in pauperes benignitas.* 193.2.b *humilitas.* 6.2.a 192.1.a. 251.1.b. 267.2.a 493.2.d *Apostolorum cur se dicat nouissimum.* 226.2.c 322.2.b *virgo fuit.* 263.2.a *eius nomen quomodo apud S. Ignatium irrepserit inter coniugatos.* ibid.b *cum mulierem non circumduxerit.* ibid. *eius mortificatio & pugna.* 268.2.d *eius constantia in laboribus & persecutionibus.* 401.1.d. 813.1.a *fuit virtutum omnium arca & speculum, & eas vitæ magis quam sermone docuit.* 6.1.c.d *eius humanitas in salutandis Christianis.* 194.1.a *eius modestia.* 191.2.c 192.2.a. 389.1.b. 407.1.b. 802.1.c. 812.2.b. 817.2.a *quomodo à se laudando iterum iterumq; resti-*

*resiliat.*394.1.*b* *in omnibus actionibus semper ad orationem recurrebat.*982.2.*d* *eius pœnitentia.* 6.2.*b* *minimum quomodo se dicat omnium sanctorum.*493.2.*b* *eius religiosa sinceritas.*409.2.*d* *sua comitate omnes sibi deuincit.*652.2.*b* *eius in fide dilatanda studium.*392.2.*b* *cum libero arbitrio cooperatus est.* 325.1.*a* *quam fuerit ab ambitione alienus.*817.2.*b* *eius vita fuit cœnobitica.* 370.1.*d* *cur perfectum se esse neget.* 596.1.*c* *quomodo se primum peccatorum dicat.* 705.2.*a.b.c.*707.1.*d*

Pauli charitas & zelus animarum.

Animarum salutem & lucrum quanti fecerit. 564.2.*d* *optat diutiùs viuere ad salutem proximorum, quàm esse cum Christo.*567.2.*b* *affectus & amor eius erga suos filios.*7.2.*d.*347.1.*a.*370.2.*d.*409.2.*b.*447.1.*a.* 2.*a.*652.2.*d.*656.1.*d* *tristitia eius ob Iudæorum reprobationem.*8.1.*a.*125.1.*a* *suum erga eos affectum testatur.ibid.*8.1.*a.b.*153.1.*c* *eius gemitus.* 113.2.*c.* 567.2.*b* *eius charitas æstuantissima.* 121.2.*d.*590.2.*a* *solicitudo eius pro omnibus Ecclesiis.*7.2.*c.*401.2.*a.*811.1.*a.*817.2.*b* *Iesu nomen illi in deliciis, proinde semper id in ore & corde habebat.* 7.1.*a.*32.1.*a.* 477.1.*b* *optat sibi æternam damnationem exemplo Mosis.* 125.2.*c* *hæc eius optatio non fuit absoluta, vtpote Dei ordinationi repugnans.*126.1.*b* *Iudæis factus Iudæus, Gentibus exlex, & omnibus omnia.*267.1.*c.d.*7.2.*c* *ferro ardenti & candenti similis.* 7.2.*d* *mundum contempsit & crucem dilexit.* 6.2.*d* *assiduè cum Christo conuersatur.*7.1.*a* *eius cœlestes cogitationes, gratitudo & oratio.ibid.* *eius zelus pro iudaismo.*1.2.*c* *eius in Timotheum amor.* 776.1.*c* *iustitias legis pro Christo cur arbitretur vt stercora.* 590.1.*c* *gratis euangelizauit.* 226.2.*c.*398.1.*b*

Pauli potestas Apostolica & auctoritas.

*Corinthium incestuosum excommunicauit.*219.2.*a* *alimoniam accepit à nonnullis dum euangelizat.*266.2.*d* *quàm difficile ei fuerit cedere iure sustentationis apud Corinthios.*267.1.*b* *quare iure illo cesserit.ibid.* *ei concredita ita cura Gentium, vt pauperum tamen Iudæorum non obliuisceretur, hinc collectam passim pro ijsdem fieri iubet.*335.1.*a.commissa illi dispensatio Euangelij.*266.1.*d* *excusat se à simulatione & hypocrisi.* 982.2.*c* *Apostolum quomodo se esse probet.*264.1.*a.b* 409.1.*d* 781.1.*a* *quomodo se à pseudoapostolis distinguat.*226.2.*b.*264.1.*c.*369.1.*a.*392.1.*d* *schismatis Corinthij auctores quomodo arguat.*224.2.*b* *suam quomodo apud Corinthios auctoritatem tueretur.*259.2.*b* *Petrum iudaizantem arguit & in viam reuocauit.* 3.2.*b* *an verè eum reprehenderit.* 426.1.*b.c* *Timotheum cur circumciderit, non Titum.*424.2.*b* *ordinat quomodo collationes spirituales in Ecclesia fieri debeant.* 312.1.*b* *modestè ceteros Apostolos deprimit, vt suam auctoritatem erigat.* 425.1.*b* *ei apostolatum quomodo Deus Pater demandarit.*697.2.*b* *euangelium cum Petro & alijs Apostolis cur contulerit.*421.1.*d.*424.1.*a* *in eius potestate erat vita & mors propria.* 564.2.*b*

Pauli efficacia in prædicando.

Ob eam quomodo magus dici queat animarum. 9.2.*b* *eius salutationes non tantùm signa beneuolentiæ, sed & causa benedictionis.*33.1.*b* *in Hispania prædicasse eum multi tradunt.*193.1.*b* *quos ibi Christo peperit.ibid.c* *fidei mysteria quibus rationibus & discursibus probarit.*212.1.*d* *benedictio eius multiplex.*193.2.*d* *efficacia eius in dicendo admirabilis.*8.1.*d* *hinc magneti confertur.ibid.d.c* *& Deus habetur.*2.*a* *hæreticorum omnium errores sua sapientia configit.*3.2.*d* *dono linguarum quomodo vsus.* 316.1.*b* *eius conciones erant catecheses.*464.2.*c* *eius in annuntiando Euangelio libertas & alacritas.* 554.1.*a* *Corinthijs nouam philosophiam nouo dicendi & agendi modo persuadere debebat.* 209.1.*a* *vis eius prædicationis vnde colligatur.*9.1.*c.& seqq.* *fuit paranymphus in animabus Deo desponsandis per fidem.*395.1.*a*

Pauli labores, pœnæ, carcer & martyrium.

*Morieus carnifices conuertit.*10.1.*d* *timores interni eius qui fuerint.*375.1.*a* *Iudæi aduersus eum Thessalonicæ seditionē concitarunt.*645.1.*a* *an fuerit podagricus, & dolores capitis perpetuos habuerit.* 406.1.*b* *eius stimulus carnis fuit tentatio carnis.ibid.c* *hunc à se tolli petens non fuit exauditus.*407.2.*a* *an in carcere colaphis à dæmone cæsus.*406.1.*c* *mortem præscit.*807.1.*a* *ætatis anno LXVIII. moritur.*10.2.*a* *an opera Senecæ liberatus fuerit à vinculis Neronis.*812.2.*a* *passiones, mortificationes & mortem Christo velut calicem libat.*357.1.*b* *Antiochiæ lapidatus est & penè occisus.*801.1.*b* *laborum eius cursus qualis & quantus.*807.2.*d* *ceruix eius præcisa subsultauit tres fontes eiecit.*10.1.*d* *eius tribulatio in Asia quæ fuerit.*340.1.*a* *quæ ia passus sit Corinthi.* 208.2.*b* *hostes suos parum est moratus.* 562.2.*c* *gloriatur in cruce sola.* 466.2.*d* *& in infirmitatibus.*402.1.*a* *eius labores pro euangelio.*2.2.*c* *passus Romæ cum Petro sub Nerone.*10.1.*a* *mortis eius causa fuit, quòd Simonem Magum sublimi deiecerit, & pellicem Neroni detractam Christo pepererit.ibid.a.b.*397.1.*c.*812.1.*a* *quomodo adimpleret ea quæ deerant passioni Christi pro Ecclesia.* 618.2.*c* *bestijs fuit obiectus.*328.1.*c* *in carcere petit sibi asseri libros & membranas.* 811.1.*d* *vinctus in cœlum animo habitabat.* 485.2.*b.*599.2.*b* *seipsum quotidie immolabat.* 7.1.*c*

Pauli miracula.

*Noctem diemq; an sub aquis fuit, & inde miraculo eductus.*400.2.*b* *umbra eius & sudaria morbidos sanant, mortuos ad vitam reuocant.*11.1.*c* *Episcopum Arrianum excruciauit.*12.1.*d* *viperam illæsus manu excutit.*11.2.*d* *apparet Neronis tertio à martyrio die.* 10.2.*b* *Chrysostomo commentanti visus adstare & scribenda dictare.*6.1.*a* *eius in gratiam Melitæ venenatis caret animalibus.* 11.2.*d* *in festo conuersionis eius nati venenatis morsibus medentur.* 12.1.*b* *Constantino Imp. apparens sanitatem promittit.ibid.c* *ille basilicam ei erigit.ibid.*14.1.*c* *apparuit S. Thomæ Aquinati, eum docet & in cœlum sustollit.*8.2.*d* *S. Dominicum prædicatorem & prædicatorum magistrum consecrauit.ibid.c* *corpus eius ad Catacumbas falsinine retentum.*10.2.*c* *eius imago lacrymata in cæde Andronici Comneni Imp.*12.2.*d* *mortuos ad vitam reuocat, vt Eutychum.* 11.2.*c*

Pauli fama & gloria.

Eius reliquiarum cultus. 13.1.*d* *eius sepulcrum videre desiderat Chrysostomus. ibid.* *ipsum reges & principes venerabundi adeunt.*2.*a* *item Christiani veteres.ibid.b* *miracula multa ad eius reliquias facta.* 14.1.*a* *corpus eius electro includitur à Constantino Imp. ibid.c* *templum ei erectum à Constantino auget Valentinianus iunior, id Gothi in vrbis expugnatione venerati sunt.ibid.d* *habitus à Lycaonijs Mercurius.*8.2.*a* *nouissimus fuit in ordine, primus in meritis.*322.2.*d* *Petro cur à dextris pingatur.* 13.1.*a* *fuit archetypus bonorum, tuba Euangelij, tonitru Gentium; doctor Petri, Apostolorum & angelorum.*3.2.*b* *fuit Moses Euangelicus.* 1.*d* *fuit angelus vranognomon.ibid.* *eius vincula sunt insignia gloriæ.* 492.1.*b* *cur dictus vas electionis.* 1.2.*b* *Eusebij de illo testimonium.*6.1.*b* *& Luciani.* 9.2.*a* *vocatur Christi promptuarium, & à Iuliano Apo-*

Apostata magus. ibid.b fuit sol & abyssus sapientiæ. 3.2.a rerum gestarum gloria vniuersos Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Sanctosq; omnes veteres excelluit. 14.2.c tituli ei & Christo communes, ipse orbis doctor, Christus redemptor. 2.2.b propter eum Roma celebratur. 13.1.c eius vincula Neronis purpuræ præferuntur. 787.2.a creditus à nonnullis spiritus veritatis à Patre missus, à Christo promissus. 3.1.d habitus legislator Gentium. 13.1.a meritò Corinthiacus, Achaicus, Macedonicus, Thracicus, & Asiaticus dici potest. 391.2.d rhinoceroti confertur. 706.2.d Asiá totá quomodo innotuerit. 622.1.a quomodo sit Propheta. 311.1.c est singulari Apostoli nomine honoratus. 9.1.d eius sepulchrum celebratur. 10.1.d cur Eliszo comparetur. 9.2.c

Pauli raptus & reuelationes.

Reuelationem de sua salute non habuit. 270.1.a 591.2.b 808.2.a didicit euangelium non ab homine, sed Dei reuelatione. 3.1.c. 422.2.c verè cùm corpore & anima raptus fuit. 404.1.c an verè nesciret modum sui raptus. ibid.d semel tantùm est raptus. ibid. in raptu non vidit diuinam essentiam. 2.c quæ ibi audierit arcana. 3.1.c. 405.1.b Dominus Corinthi illi apparet. 198.1.c raptus eius quando contigerit. 403.1.a eius anima tum à corpore separata non fuit. ibid.b idq; per Christi cooperationem. ibid.a sapientiam & gloriam Dei sciuit reuelatione diuina. 211.1.a in qua prima defensione affuerit ei Deus. 811.2.c quanto tempore post primam hanc defensionem occisus sit. ibid.d multas habuit reuelationes. 11.2.d. 405.2.c à Christo in Macedoniam vocatur. 11.1.d. 555.1.a angelum illi Dominus naufraganti submittit. 11.2.a illi adfuit cùm sisteretur Neroni. ibid.

Gesta & itinera Pauli.

Onesimum Romæ in vinculis conuertit, & cum epistola Colossas mittit ad herum, à quo fugerat. 833.1.b eius persecutiones in Macedonia. 345.2.a cur tam diu Ephesi voluerit morari. 335.2.b quando contigerit eius fuga per sportam, & quæ occasione. 402.2.a ad vrbes primarias cur primò Euangelium detulerit. 477.2.c Corinthi sesquiannum conuersatus multos conuertit. 198.1.c Alexander ærarius ei valdè restitit. 811.2.a cur iter suum ad Corinthios distulerit. 345.1.c eius iter & peregrinatio ob Euangelium relegitur. 9.1.c.d. 338.2.a. 340.2.d. 808.1.a quando in Hispanijs prædicauerit. 811.2.c Colossis non prædicauit. 621.1.a ceteris Apostolis amplius laborauit. 267.2.b Thessalonicæ matronas nobiles conuertit plurimas. 647.1.a Hierosolymam iuuenis abit, vt Gentilium scientia imbutus sacris disciplinis eruditretur. 1.2.a Ephesi biennio mansit disputans. 622.1.a Corinthijs cur suadeat vt fornicarium in gratiam admittant. 345.1.b Hierosolymam post conuersionem duplici de causa ascendit. 423.2.a Timotheum Thessalonicam mittit vt ciues à se cõuersos in fide confirmaret. 647.1.a per quas prouincias euangelizarit. 192.2.d omnes eius moras, cursus & recursus non narrat S. Lucas. 338.2.a. 341.1.a

Varia de Paulo.

Vixit cælebs. 6.2.d. 264.2.a. 602.1.b ostendit S. Ambrosio corpora SS. Gerualii & Protasii. 12.1.c S. Alberto Magno exposuit loca quædam difficilia in S. Dionysio Areopagita. 2.b Christo cum Petro appingitur. 13.1.a Theclam virginem Deo desponsauit. 397.1.a scribit è secundis vinculis, quod sibi in primis euenerat. 812.1.a Felicem præsidem perterret de iudicio futuro loquens, item Festum & regem Agrippam. 8.1.d discipulos sibi æquat in scribendis epistolis. 648. Cornel. in epist. Pauli. 1.b Timotheum cur sanare noluerit 757.2.c. quod eius videndi habuerit desiderium. 776.2.d carnis splendores & excellentias credit detrimenta. 589.2.d conscientia eius pura & simplex. 776.2.a.b preces Romanorum efflagitat. 194.1.a post prima vincula visitauit etiam Asiæ Ecclesias. 813.1.d quomodo ab omnibus Ecclesijs Romanam salutari scribat. 195.2.b eum dicentem audire optauit Augustinus. 8.2.a. 446.1.d non habuit stigmata in manibus & pedibus. 469.2.c abortiuum cur se vocet. 322.1.c eius hospitium in templum transiit. 14.1.d. 812.2.a Petro semper primatum cedit. 397.2.a. 409.1.c amolitur à se auaritiæ suspicionem. 193.2.c. 382.1.d. 609.1.d aduersus eum Corinthius seditionem mouet quòd præputiatos in templum duxisset. 15 Patrum cur non salutet in epistola ad Romanos. 195.2.b à pseudoapostolis suggillatur. 391.1.c apostata dicitur ab Ebione. 4.1.a cur fuerit pseudochristianis & Iudæis odio. 194.2.a. 454.2.a an electus ad apostolatum quia fidelis. 702.2.d pellicem Neronis Christo lucrifecit. 397.1.b

S. Paulus primus eremita fuit theodidactus. 905.2.a latuit mundum. 6.0.1.a ab anno ætatis 15. in desertum concessit. 802.2.a eius animam angeli ad cælum duxere. 851.1.a

Pauli Fagij Tobias suppositititius est. 838.2.c

Pauli Kostkæ elogium. 35.1.a

Paulus Samosatenus Antiochenus Episc. cùm vilis esset & pauper, litigantium pecunia se ditabat. 819.1.b

Pauper, ara Christi est. 387.2.c Christum repræsentat. 167.1.b quomodo rex esse queat. 163.2.c pauperibus Deus de victu prospicit 381.2.b quam remunerationem dent ditioribus, à quibus eleëmosynam accipiunt. 381.1.c orant pro eleëmosynarijs. 387.2.c. 388.2.b pauperes Hierosolymæ erant plurimi in primitiua Ecclesia. 425.2.d

Pax reddit nos dæmonibus terribiles. 606.2.a pacis effectus. 1.d est iustitiæ fructus. 72.1.d animos sibi inuicem connectit. 502.2.b pacis spiritualis elogia. 642.1.a eam è cælo attulit Christus. ibid. ea quantum sit bonum. 458.2.b.c. 72.1.a ea bello paranda. 641.2.d omnium esse moderatrix debet. ibid.c est scutum quo omnia hostium tela elidimus. 606.1.c pax nostra Christus non formalis, sed causalis. 487.2.c Pax hominibus bonæ voluntatis, quid sit. 115.2.a pax Hebræis omne bonum significat, & eam salutantes apprecabantur. 33.1.a. 551.1.b

Peccare semel satius, quàm esse in statu continuo peccati. 244.1.d peccat mortaliter potestati ciuili resistens. 176.2.d peccandi consuetudo tollit remorsum conscientiæ. 515.1.c peccandi pericula assidua ad mortem anhelare cogunt Sanctos. 566.1.c peccandi necessitas hominem semper pauidum reddit. 580.2.a

Peccantes publicè, publicè arguendi. 756.1.d peccantes ex infirmitate tolerandi, non qui ex pertinacia. 460.1.c peccans veniam rogando violationem legis sarcit. 463.2.b omnis peccans peccati sui litteras scribit. 627.2.b

*nullum vel minimum Peccatum est medium eligibile vt grauissima peccata euitentur. 54.2.b peccatum, dum peccamus, nobis intrinsecum est. 63.2.a nisi deleatur, in noua peccata hominem pertrahit. 96.1.a eo charitas amittitur, alioquin non recessura. 308.1.a terram cælumq; inquinat. 980.2.c ante legem erat quidem peccatum actuale in mundo, sed non imputabatur ad pœnã mortis. 79.2.c. 80.1.a per legem magis auctum. 82.2.d eius odium inculcatur. 167.2.b est velut carcer. 156.2.a id non propagatione, sed imitatione tantùm in posteros transisse hæreticum est. 76.

2.d *est christicidium & deicidium.*433.1.d *non remittitur per solam iustitiæ imputationem, sed per eius infusionem.*366.2.c *est summum malum, spontanea insania, & volùtarius damon.*963.1.d.*maxima ignorantia est.*875.2.b.912.1.a *quot mala attulerit.*78.2.b *est quasi somnus, & mors animæ.*529.1.a *ex natura mortem meretur.*91.1.d *est graue onus animam deprimens.*462.1.b.2.a *in nos dominari nequit, nisi nos sponte ei addicamus.*89.2.a *quomodo nos circumstet.*960.1.b.c *peccatũ sequens pœna præcedentis.*40.2.b *peccatum omne, præter fornicationem, quomodo extra corpus sit.*238.1.a.374.1.a *si voluntarium non sit, non est peccatum.*88.2.b.95.1.d *est cibus durus, nec vllo stomacho digestibilis.*367.1.c *eius an Deus auctor.*134.1.a *ei fortiter est resistendum.*963.1.b *habet regnum in anima nostra.*84.1.c.89.1.b *morbus est & corruptio animæ.* 554.1.c *eius tota genealogia, & gradus consanguinitatis & affinitatis.*78.1.b *peccatum actuale duplex est.*79.1.a *non est substantia animæ.* 367.1.a

*Peccatum originale non consistit in ipsa cõcupiscentia, sed morali auersione à Deo.*103.1.b *id omnes necessariò trahunt ab Adamo, nisi præueniantur.*79.2.b *eius radix quæ, & quòd ea nõ fuerit in Christo.* 893.2.a *est duplex, actuale & habituale.*79.1.a *per generationẽ in posteros transfunditur.*25.1.b.50.1.b *non est substantia mala.*357.2.b *non oritur ex traduce animæ.* 79.2.a *qui non peccarunt actu, vt infantes, etiam id cõtraxere.*80.1.a *habituale est infantibus propriũ & inhærens* 363.2.b.*id omnes de facto cõtrahunt.*77.2.a

Peccatum S. Petri in simulando iudaismo veniale tantùm fuit. 427.1.a *peccatum Episcopi & Pontificis totum populũ inquinat.*980.2.b *peccatum sæpè capitur pro hostia expiando peccato destinata.*22.1.b.104.1.b.367.1.a.923.1.a *aliud est esse peccatũ, aliud vincere peccatum.*88.2.d *peccatum per pœnitentiam remittitur, sed per bona opera tegitur.*64.1.b *peccato quomodo Christus mortuus & nos.*88.1.b *peccatum in Spiritum sanctum & peccatum ad mortem vix remittuntur.*882.1.c *peccati & delicti discrimen triplex.*483.1.b *sæpè pro eodem accipiuntur.*2.a *Christus peccatũ quomodo pro nobis factus.*435.2.d *peccatum ad mortem quod & quale.*882.1.d *peccata in iusto nõ manent & latent.*64.1.a *quomodo tegãtur.* ib.b.*peccata implere quid sit.*653.2.d *tenebras amant.* 180.2.a.527.2.d *ea nõ arguere quantum peccatum.* 805.1.c *ea planè eradicanda, non radenda.* 922.2.d *sunt fugienda.*794.1.a.915.2.a *à peccatis nemo resurgere potest, nisi excitante Deo.*797.2.a *peccata, nõ natura, causa sunt omnium malorum nostrorum.*77.2.d *sunt causa mortis.* ibid. *ad peccatum non impellit Deus.*276.1.a *peccata prædestinatis cooperantur in bonũ.*114.1.c *peccata venialia sunt stipulæ.*216.2.b

*Peccator est diaboli captiuus.*797.2.a.c *dormit in tenebris.*529.1.a *per fidem iustificatur* 62.1.a *eius cur mors dicatur primogenita.* 78.1.d *Sp. sanctum contristat.*522.1.a *est embryoni similis.*514.1.d *ei suadendum vt minùs peccet.*703.2.c *eius iustificatione mutatio qualis.*779.2.b *eum iustificare difficilius est quàm mundũ creare.*480.2.b.*eius mater mors est.* 485.1.b *eum quomodo induret Deus.* 134.1.d *quomodo non intelligat, quæ operetur.* 98.1.c

Peccatores cremandi extra mundum in inferno. 980.2.b *peccatores graues ægrè conuertuntur* 882.1.a *peccatores omnes sumus.*57.1.d *peccatores infirmi sunt ex morbo peccati.*75.1.b *delicti sui veniã sperent.*707.1.b *tam occulti quàm publici peccatores sunt in Ecclesia Dei.* 231.1.a.514.1.b

Peculatores qui sint. 701.1.b

Peculiaris hæreticorum fides euertitur. 121.2.a

Peculium Dei sunt fideles peculiariter. 689.2.a

*Pedes euangelizantium sunt Apostoli discurrentes per totum orbẽ.*144.2.c *pedes ignobiles honestiùs vestiũtur.* 301.2.d *pedes olim hospitibus lauabantur.* 750.2.b *pedes veritatis stabiles, mendacij debiles.* 800.1.d

Pelagiani peccatũ originale negantes refutantur. 363.2.b.25.1.b.76.2.c.894.1.a *docent hominem etiã ante lapsum moriturũ, & mori ex naturæ necessitate.* 101.1.d *eis non fauet Chrysostomus.* 477.1.c

Pelagius docuit Christianos omnes debere esse pauperes. 771.2.d *merita tribuebat naturæ viribus.* 983.2.b *oderat dialecticam.*773.2.d *eius error circa vocationem.*200.1.a *erat hostis gratiæ, hunc oppugnans Augustinus liberum arbitrium deprimit.* 16.1.a.583.2.a *docebat, Deum operari velle per legem minãdo & pollicendo.*583.1.d *docuit charitatem esse donum, non Dei, sed nostrum.* 303.2.c *docet posse esse à Deo, sed velle & agere à nobis.* 583.1.a

quam Penulã Troade sibi per Timotheum adferri iubeat Paulus: quid esset. 811.1.b *est pallium ad frigus & pluuiam arcendam.* ibid.c

*Per præpositio Deo Filio cõuenit.*157.2.d.261.2.d.504.1.c

Pereffluere Paulo duo significat. 853.1.b.c

Peregrinamur à Domino quamdiu in hoc corpore sumus. 362.1.d

*Peregrinatio nostra duplex est.*363.1.a *peregrinationis vagæ & incertæ incõmoda.*944.2.c *peregrinationes Pauli.*808.1.a *aliquot à Luca omissæ.* 341.1.a

*Peregrini, sunt omnes homines in terra.*253.1.a.946.2.b

Peregrinitas hæreseos. 978.2.c

*Peregrinus impostor ob nomen immortale in rogum secũ tecit.*305.2.d *Christianum se finxit, & carceri se pro fide Christi obtulit, vt eleëmosynis fidelium potiretur.* 832.2.c.934.1.b.975.1.b

*Perfectio Christiana in quo sita.*45.1.b.163.2.c.528.1.b.596.1.d.674.1.a.*quantã charitatem exigat.* 695.1.a *nostra meta est.*594.1.b.*eius signum est proximi infirmitatibus compati.*463.1.b. *eam insequi debemus, vt venator leporem.*595.1.a. *ad perfectionem currendum & obliuiscenda ea quæ retro sunt.*593.2.d. *quæ eius rei praxis.*595.1.c *ad perfectionem acer stimulus, Hodie cœpi, hodie finiam.* 596.1.b *perfectio vitæ præsentis est vt nos imperfectos agnoscamus.*407.2.d *perfectioni inhians quomodo mundo carnique moridebeat.*468.2.a

*Perfectus quis sit.*638.1.c *perfectum hominem non reddit sola Scriptura.*803.2.a *perfectũ quomodo se esse dicat & neget Paulus.*596.1.c *perfectus viator quis.*2.a *perfectum se nõ cogitare, incitat ad cursum.* 594.1.c *perfecti quam certitudinem habeant de sua salute.*107.1.d *eorum status spiritualis est.* 212.2.d *perfecti qui sint Apostolo, & quæ illis sapientia proponenda.* 209.2.b

Periclis in iniurijs tolerantia. 174.2.b

Pericula ingentia Hebræi vocant mortem. 340.1.d

Peripsema propriè quid sit. 228.2.a

Perperam agere quid sit. 306.2.d

Persecutionem patipies omnes quomodo verum. 801.1.c *persecutio Antichristi tempore futura, extrema.* 687.2.a *erit corporalis & spiritualis.* ibid *persecutio non est molestia patienti, sed pati detrectanti.*356.1.b *eam patientes vincunt, quia præcurrunt.*355.2.a.*in ijs maximè elucet Sanctorum in currendo in stadio virtutis vigor.* ibid.b *ea patiuntur, qui Christum vel religionem sequuntur* 801.2.a *ea Martyribus in bonum cessere, & alijs in stimulum.*114.2.b *earum condimenta sunt Dei promissa.* 886.1.a

Perseuerantes soli digni requie cælesti. 869.1.b

*Perseuerantia suauis cuilibet morituro.*808.2.a *certum*

*tum est signum electionis.*154.2.c *ad eam requiritur gratia Dei, & cooperatio liberi arbitrij* 558.2.a. b *eius incertitudo.*560.2.b *ea est in oratione necessaria.*553.2.b *est ex Deo, non à nobis; nemo se illam habere certus est, sed illam à Deo sperare debet.* 558.2.b *distincta est à gratia iustificante. ibid.d datur humilibus & solicitis.ibid. medium ad ipsam assequendam.*559.1.a *eius donum duplex, potentiale & actuale.* 558.2.a *id habent omnes, vt possint perseuerare, si velint.* 251.1.a

Personarum acceptio non habet locum in gratuitis. 46.1. a *in Deum cadere nequit.ibid.b.* 425.1.c *personarum SS.Trinitatis proprietates.* 414.1.a

Perüani famuli & vxores cariores, domino & viro defuncto, in rogum viui se cum eo injiciunt. 374 2.b

*Petrus Apostolus cur in epistola Pauli ad Romanos non salutetur.*195.2.b *an fuerit Romæ.ibid. regiones ab eo perlustratæ cùm Roma pulsus esset.ibid in iudaismo simulando peccauit quòd scandalum daret Gentibus.*426 2.d *quale & quantum eius peccatum fuerit.*427.1.a *est capite inuerso ad crucem suspensus.* 430 2.a *ei cur Paulus à dextris pingatur.* 13.1. a *an Phigellum constituerit Episcopum Ephesinum.* 470.2.b *licet correctus à Paulo, non fuit minor Paulo, nec æqualis, sed maior.* 427.1.d *in Britanniam iussu Claudij Imp.abit.*27.2.a *an verè à Paulo reprehensus.*426.1.b *Romæ fuisse asseritur.*645.2.c *cur cum eo Paulus Euangelium contulerit.* 421.1.d.422. 1.c *ei primatum cedit vbique Paulus.*409.1.c.397. 2.c *quasi præses præfuit Concilio Hierosolymitano.* 424.2.a *secundarium est Ecclesiæ fundamentũ.*216. 1.c *Christo successit non vt par, sed vt vicarius* 897. 2.d *Romam sedem suam transtulit.*341.a *Iudæorũ & Gentium fuit Apostolus.*425.1.d.427.1.c *mortẽ suam præsciuit.* 807.1.a *Constantino Imp.curationem à lepra promittit, dormienti apparens.*12.1.c.*quemodo in iudaizando reprehensibilis fuerit.* 426.2.c.d *ei inter viros primus apparuit Christus.*321.1.b *item postea* 322.2.b *tonso vertice fuit.*284.2.a *caput est Ecclesiæ & vicarius Christi.* 32.2.b. 427.1.d

Petri Abailardi hæresis circa Christum. 206.2.c

*Pharao flagellis induruit vt pueri.*135.1.a *à seipso propriè & directè obduratus est.* 134.2.a & *seqq eum quomodo & cur Deus excitarit.*133.1.d *eius superbia.*348.2.d *eum quomodo obdurarit Deus.* 20.1.a

*Pharisæi vnde dicti.*589.2.b *animarum docebant* μετεμψύχωσιν.*ibid.a illorum continentia & pietas, ieunia, vestitus, legis obseruantia, rigor.ibid.b illorum auctoritas.ibid.d eorum secta apud Iudæos nobilissima erat.* 1.2.b

Phigellus & Hermogenes amicitiam cum Paulo finxerunt. 783.1.c

Philemon ciuis erat Colossensis, apud suos nobilis, eius domus Ecclesia fuit, & diu mansit: eius pietas & hospitalitas. 832.1.a

Philetus resurrectionem negauit. 323.2.a.790.2.b

Philippus diaconus quatuor filias habuit virgines, spiritu prophetico donatas. 256.2.a

Philippus Houardus Comes Arondeliæ quàm patienter bonorum sit passus iacturam, quàm sanctè in carcere vixerit. 935.1.d

*Philippus Melanchthon sine Pauli epistolis nec cubabat, nec canabat.*4.2.a *eius commenta in easdem. ibid. eius de veritate Eucharistica assertio.* 290.1.b

Philo Iudæus quid responderit aula Caligulæ ejectus. 977.2.a

Philosophiam qualem Paulus deprimat. 15.624.1.a *philosophia fructus.* 966.1.d

Philosophi ex creaturis non cognouerunt SS.Trinitatem. 38.1.d *Patrem etiam vocant mentem, & Filium Verbum.*871.2.a *idola coluere.*37.2.b *sunt patriarchæ hæreticorum.* 624.1.b

Philosophica sex axiomata fidei repugnantia. 624.2.b

Philtrum puellarum Babyloniarum. 548.1.a

*Phocion amico iniqua petenti morem gerere noluit.*652. 1.a *eum vxor mundum suum vocabat.*539.2.c.720. 1.c *oblitus est iniuriæ irrogatæ.* 174.1.b

*Phœbe quomodo soror Pauli.*195.1.a *fuit latrix epistolæ ad Romanos.ibid. eius elogium. ibid.b*

Phœnix typus resurrectionis est. 70.2.d.948.1.a.d

Photinus docebat Filium per se non subsistere. 842.2.d *item non formam, sed energiam Patris esse.* 573.1.d

Photius Patriarcha Constantinop. censet Spiritum sanctum à solo Patre procedere. 24.1.d

*Pietas quadruplex.*740.2.d.733.1.a *eius simulacrum quomodo pingeretur.* 718.2.c *affert sufficientiam victus.*763.1.b *est propriè cultus Dei & timor.*741. 1.a *pietas cum sufficientia magnus est quæstus.* 762.2.c.*pietas pro beneficentia in proximum aliquando capitur.* 733.2.a 740.2.d *pietatem simulant hæretici.*799.1.d *eam pro quæstu habent.* 762.1.d *pietas parentum quantum filijs prosit.* 777.1.b

Pignus & arrha quomodo differant. 479.1.a

Pij an ante improbos resurgent. 662.1.c *pios omnes persecutionem pati quomodo verum sit.* 801.1.c

Pileus libertinæ conditionis insigne. 285.1.d

Placilla Imperatrix quàm sedulò filios educarit. 722.2.a

Placitum Deo quomodo dicatur tempus Euangelij. 368. 1.b

Plagiarij sunt raptores hominum. 702.1.a

Planeta vestis sacra vnde dicatur. 811.1.c

*Plato miram habuit gratiam sermonis.*645.2.a *dictus est Moses Atticus.*38.2.a *mundum per cubum ternarij factum esse ait.* 623.1.d *eius lex de vino iuuenibus interdicendo.* 758.1.d *infamis fuit pæderastia.* 40.2.d *in politicis quàm impia doceat.* 527.2.b

Platonici animarum purgatores confinxere deos medios. 632.1.c *dicunt corpus esse animæ sepulcrum.* 362. 1.a *docuere mundum ab angelis conditum.* 624.2.c *obscurè SS.Trinitatem cognouere.*38.2.a *asserunt Deum mundum creasse ex materia sibi coæterna & increata.*473.2.b. *item animas ante corpora extitisse in cælo. ibid.*

*Pluuiæ extitere in latione legis Mosaicæ, licet id taceat Moses.*969.1.c *pluuiam sua prece M.Antonino impetrauit legio fulminatrix.* 712.1.d

in Poderis veste qua ratione orbis terrarum totus esset. 713.1.a

Pœna hæresiarcharum indies augetur. 758.2.b *pœnarum Christi viuentis magnitudo & multitudo.*499. 1.b

Pœnitentia dicitur quasi pœnæ tenentia 376.2.a. *est post hanc vitam impossibilis.* 881.2.c *non in nuda vitæ mutatione, sed in castigatione & satisfactione consistit.* 375.2.a.376.1.d *pœnitentia Lutheri & Caluini qualis.*376.2.a *pœnitentia Esau frustra fuit ob vendita primogenita.* 968.2.c.d *pœnitentia quid includat, & eius partes.*375.2.a *eius effectus varij.* 376.1.a *eius forma à Patribus præscripta.* 2.c

Pœnitentiarij Romæ cur virgas gestent. 757.1.b

Pœnitentes tantum Christum insequuntur, quantum peccantes eum fugerunt. 592.2.b *eorum lacryma vinum angelorum.*377.2.c *eorum olim in Ecclesia mores & exempla.* 1.a *opera bona ante pœnitentiam an ijs prosint.* 305.1.c

Poëtæ quare Prophetæ dicantur. 311.2.b.819.1.d

Pontificij Canones adstruuntur. 319.2.b

Pontifex Iudæus cur tecto capite & nudipes victimas immolaret. 284.2.b orbem vniuersum veste sua representabat. 713.2.b semel in anno populi peccata expiabat. 925.b

Pontifex non debet intrudi, sed eligi & assumi. 876.1.b eius tres dotes, quæ etiam Christo competunt. 875.1.a ex hominibus assumi debet. ibid. & pro hominibus constitui. ibid.b offerre debet pro hominum peccatis. ibid.c quomodo cum peccantibus agere debeat. 2.b

Pontifex Romanus potest dispensare in votis & legibus. 212.1.a.b ei honor qui exhibetur, meritò exhibetur, vtpote Christi vicario. 677.1.b.c eum non esse Antichristum plurimis probatur. 681.1.a.684.2.a.b.676. 2.c.677.1.c eius decreta non sunt anathema. 419. 1.a Apostolicam benedictionem in suis litteris præmittit. 33.1.a Episcopos vocat fratres. 339.1.a est iudex controuersiarum fidei. 424.2.a quomodo ab Ostiensi Episcopo benedicatur. 892.1.c semper Conciliis generalibus præest tamquam caput totius Ecclesiæ. 424.2.a.684.2.b

Popielus princeps Polonus à muribus comestus. 728.2.d

Populus corona sui Episcopi est. 601.1.a clerum is ordine naturæ præcedit vt grex pastorem. 557.1.d

omnia Possibilia cùm nondum actu sint, sunt tamē & latent in omnipotentia Dei, quasi in semine. 68.1.b

Possessor ob dubium superueniens possessione iusta deiici non potest. 247.1.c

Potestas etiam Gentilium à Deo cur instituta. 176.2.b subordinata est à Deo & sub Deo. ibid. quomodo à Deo ordinata omnis potestas. ibid. potestas iudiciaria cum Christo communicanda patientibus. 962.2.a potestas secularis est mediatè à Deo. 178.1.d potestas puniendi in Ecclesia, eiusq; Prælatis. 228.2.d potestas viri in mulierem. 285.1.c potestati resistens peccat mortaliter. 176.2.d potestatem suam retinuere angeli apostatæ. 325.1.d potestates sublimiores quæ sint. 175.1.a

Præcursor Antichristi erit insignis impostor. 686.1.c

Prædestinauit nos Deus vt illi simus similes in gloria. 117.1.c

Prædestinatio quid sit. 474.1.d 781.2.d eius duo signacula. 774.1.a.782.1.a est liberale Dei decretum: est duplex, completa & incompleta. 474.1.d prædestinatio & reprobatio, saltem quoad primum effectum, an ante omnem præuisionem operis, & peccati etiam originalis. 130.1.d prædestinatio singulorum non est ex operum præuisione, sed ex sola Dei voluntate. 19.2. b.13.2.c.d.132.1.d.477.2.a eius tres effectus. 118.1.a eius sex causæ exponuntur. 474.2.c quomodo differat à communi gratia præparatione. 792.2.c prædestinatio Dei quomodo dicatur liber. 602.2.b eius non datur causa, sed conditio sine qua non. 703.1.d quomodo sit in nostra potestate. 793.2.b an sit facta indepēdenter à meritis Christi. 472.2.a est duplex, vna ad gratiam, secunda ad gloriam. 18.2.c. vna itē inchoata, altera consummata. ib. licet vna sit, multa tamen inuoluit. 474.1.c prædestinatio Christi medium, finis & exemplar nostræ. 31.2.a prædestinationem Dei quam prædicet Ephesiis Apostolus. 470.1.a

Prædestinati sunt firmum Dei fundamentum. 791.2.a eius fundamenti firmitas partim in nobis, partim in Deo. ibid.c prædestinatis quomodo omnia, etiā peccata, cooperentur in bonum. 114.1.c dicentes, Si sim prædestinatus ad gloriam, non possum ab ea excidere, refutantur. 793.2.c

Prædicandum Euangelium quibusuis Gentibus. 144.2.c

Prædicatio Pauli qualis fuerit. 651.1.b eius effecta. 9.2.d prædicatio est mystica liturgia. 585.1.b non est laicorū munus. 193.1.b. est præcipuum munus Episcoporū. 202.2.d.700.1.a triumphat in Apostolis. 345.2.a hæc non est vnicum in Ecclesia sacrificium. 192.1.d prædicatio Apostolorum an exiuerit in omnem terram & in omnes gentes. 146.1.a & quidē ante excidium Ierusalem. ibid.b fuit ijs præcepta. 817.1.c prædicatio Christi & Apostolorum fuit sæculo huic cōtempta. 859.2.a quomodo de prædicatione hypocritarum gaudeat Apostolus. 562.1.a

Prædicator auditori se attēperet. 350.1.d sperare potest alimoniam ex sua prædicatione. 265.1.d non suam sed Dei gloriam quærat. 223.1.a vt exultat maximè in suorum profectu, ita maxime mœret in eorum defectu. 410.2.a quomodo per nouem triturantem intelligatur. 265.1.a Vide Concionator.

Prælati in reprehensione vitiorum quomodo se gerere debeant. 347.1.c scandala de Ecclesia tollere satagant. 229.2.a subditis se non tam patres quam matres exhibeant. 447.1.c ijs, non laicis, negotium absolutionis fornicarij committitur à D. Paulo. 344.1.a. eorum tres virtutes ex S. Bernardo. 700.2.b. eorum est excōmunicare. 230.1.a.b. quomodo immorigeros subditos corrigere debeant. 982.2.a. non tantùm laboriosa, sed & honorifica munia cum subditis partiri debent. 817. 2.c eorum curæ & onera. 982.1.b

Præputium Iudæi circumcisis reduci potest. 249.1.a capitur pro incircumcisione & præputiato. 50.1.c. ita vocabant Gentes Iudæi. 487.1.a.626.2.c. item id quod quatus in re immundum est. ibid. præputiū carnis quodnam sit Apostolo. 626.2.b. per hoc gentilissimus denotatur. ibid.d. 65.2.a. præputia pomorum quæ comedi vetita. 626.2.d

Præsentia Dei est signaculum proborum. 793.1.b præsentia vera & realis corporis Christi in Eucharistia in octo Conciliis definita est. 289.2.b.c

Prætextata Eustochij crinem & cultum incultum cùm mutaret, calitus correpta & castigata fuit. 668.2.b

S. Præxedes filia Pudentis Senatoris Rom. iam inē Martyrum cum sorore domi colligebat. 256.2.b.815.2.b

Preces pro mortuis non sunt inuentæ Rom. Pontificum. 6. preces monialium Deo placent, etiamsi eas non intelligant. 315.1.c preces priuatæ lingua vulgari componendæ. 314.1.a preces nostras cognoscunt Sancti, cùm à nobis inuocantur. 309.2.a

Presbyteri in minoribus opidis cōstituendi, Episcopi in maioribus. 817.2.d. presbyteri olim vocati Episcopi. 556. 2.b. presbyteris honor duplex debitus quis sit. 755.2.a eorum in primitiua Ecclesia an eadem cum Episcopis auctoritas. 557.1.a.b. ijs olim commissum iudicium causarum secularium. 234.2.d Vide Sacerdos.

Primasius Vticensis scriptum in Paulum Hieronymo adscriptum limauit. 25.1.c

Primatus penes Ecclesiam Romanam est. 34.1.a

Primitiæ dormientium quomodo Christus. 324.1.b

Primogenitorū olim prærogatiuæ. 876.1.b.891.1.d.967. 2.b.c primogeniti pauperū vocantur pauperrimi. 78. 1.d primogenitus ex mortuis quare & quomodo dicatur Christus. 617.1.d est hic primogenitus omnis creaturæ, qua homo & qua Deus. 615.2.c. primogenita mors qua dicatur. 78.1.c quæ primogenita vendiderit Esau. 876.1.c

Princeps tenebrarū diabolus dicitur. 619.1.c. princeps cur dicatur homo Dei. 767.1.a. principes, longanimes sint. 502.1.c. sunt quasi gēmæ lucentes. 724.2.d. suum mēdicato à Deo imperium & potestatem possident. 769. 1.d. principes seculares non sunt caput Ecclesiæ. 303.1.b ijs obedire oportet nisi Deo contraria iubeant. 176.1.a. 818.2.a. de eorum vitijs tacitè agendum. 679.2.d

Principium resurgentium Christus. 616.2.d principium bonæ vitæ & salutis supernaturale est, & à Dei gratia oritur. 348.1.c

Probare se homo debet ante sacram communionem.296. 1.c probamur per afflictiones. 862.2.a
Probationem dupliciter operatur patientia. 72.2.d
Probis mors non est timenda. 807.1.a
Prodigia quæ in natiuitate Dominica contigerunt. 972. 1.c *prodigia in monte Sina vera & realia fuere, non apparentia tantùm.*970.1.a *prodigia Antichristi erunt fallacia.* 682.2.a.b
*Profanus quis dicendus.*967.2.a *profani arcendi à sacris.* 702.1.a
Professio fidei ad salutẽ necessaria 143.2.a. *professio fidei quæ fit ore, valet ad iustitiam conseruandam & augẽdam.*144.2.d. *professionem fidei edebant qui adulti ad eam conuertebantur.*768.1.a *professio in baptismo facta semper ante oculos nobis habenda.* 85.1.d
Professores linguæ Hebrææ successerunt interpretibus primitiuæ Ecclesiæ. 300.2.d
non Proficere, à virtute deficere est. 268.1.b.c
Promissa Dei sunt cõdimenta laborum & persecutionum. 886.1.a *promissio facta est Christianis amicitia Dei & regni cælestis.* 493.1.d
non sola Promissa ad peccandum in posteros transit. 77. 1.b
Propassiones fuere in Christo, non passiones. 873.2.c
*Propensio Christi ad miserendum & auxiliandum.*862. 2.b.873.1.d
*Propheta quis sit, & nominis eius etymon.*311.1.a *dicitur & Propheta qui arcana cordis aut alia secreta revelat, item qui mentis diuinæ est cõscius, & diuinæ voluntatis arcana perspecta habet.ibid.b. sextuplices Prophetæ. ibid.c. & seqq.*165.2.b *Prophetæ prisci non tantùm futura prædicunt, sed & docent & concionãtur.*317.2.b *de nomine Iesu prophetarunt.* 579.1.c *de futuris loquuntur in præterito ob eorum certitudinem.*485.2.a. *spiritũ prophetiæ cohibere possunt.*318. 2.d *sunt christi Dei.*849.1.b *ijs omne tempus etiam longissimum videtur breue.*972.1.a *per præteritum loquuntur de futuris.*21.2.c *futuram redemptionem, & felicitatem temporalem Iudæorum, miscent cum spiritali.*127.2.a *cùm mysterium vocationis Gentium prædixerint, quomodo id antiquis ignotum fuisse dicatur.* 492.2.d
*Prophetia est facultas Dei consilia plenius ac certius & cognoscendi & enarrandi.*311.1.b *& hæc est duplex. ibid.c prophetia vocatur quælibet oratio & sermo sacer.*743.2.c *prophetiæ ad verbum Prophetis dictauit Spiritus sanctus.*802.2.d *signum sunt fidelibus benedictionis.* 317.2.a
*Propitiatorij descriptio.*910.2.b *vocatur oraculum, quia ex eo respondebat Deus vocaliter. ibid.c erat thronus clementiæ Dei.* 58.1.c
*Propositum præcedentium delictorum in Deo quid sit.*59. 1.b *propositum quid, & quinam vocati secũdùm propositum.*115.1.b *significat æternum Dei beneplacitũ & liberale decretum. ibid.c propositum, consilium & beneplacitum Dei idem sunt.* 475.1.c
Proselyti quinam dicerentur. 489.1.d
Prouentus in tentatione quid sit. 276.2.b
Prouidentia filij Dei erga omnia declaratur. 841.1.a *prouidentiam Dei altissimam circa omnia bona & mala quomodo Scriptura significet.*19.2.c *erga bona & mala quomodo differat.* ibid.
*Proximus quis.*177.2.c *diligendus is propter Deum.*178. 1.a *vera charitate diligi nequit, nisi simul diligatur Deus.* ibid.
Prudens nemo simul & audax. 543.2.a
*Prudentia est auriga virtutum omnium.*727.1.b. *est Episcopo necessaria. ibid.a prudentia carnis mortem, prudentia spiritus vitã operatur.*104.2.c *eius descriptio. ibid.d cur illa inimica sit Deo.*105.1.a *prudentia spiritualis in rebus dubijs recurrit ad iudicium Ecclesiæ Romanæ.*213.1.d *prudentia carnis est sapere carnalia.*104.2.b *prudentia humana nihil est.* 171.1.d
Prurigine laborant voluptuarij, & cur. 806.1.c
Pruritus aurium in impijs quis sit. 806.1.a
*Psallendi vsus apud veteres Christianos.*533.2.a *psallere sapienter quid sit.*314.1.c *psallere idem quod prophetare.* 311.2.a
Psalmodia in primitiua Ecclesia in conuentibus fiebat. 318.1.b *eius fructus.* 642.2.c
*Psalmus, hymnus & canticum quomodo differãt.*532.2.b
Psalterij Anglicani quanta sit auctoritas. 54.2.d
*Pseudoapostoli aduersus quos Paulus insurgit, fuere iudaizantes.*389.1.a *eorum in ipsum calumniæ. ibid.b pseudoapostoli Corinthij suis erant graues.* 266.1.c *eorum mores.*399.2.a *lenones sunt Satanæ.* 397.1.c *illorum factus. ibid.d lucris student, & euangelium adulterant.* 346.2.c *semper dulcia profitentur.* 270.2.d
Publicum crimen est triplex. 756.1.d
Pudens Senator Romanus quos habuerit liberos. 813.2.a *fuit hospes Apostolorum Romæ, eius domus fuit Ecclesia ibid.b inscriptio quæ inscripta in ingressu Ecclesiæ illius hodie legitur.* ibid.
S. Pudentiana filia senatoris Romani Pudentis sanguinem & reliquias Martyrum domi suæ colligebat. ibid.
*Pudica gratia sunt, impudica leuitatem amãt.*606.2.b
*Pudicitia etiam in vestium simplicitate consistit.*710.1.c *pudicitiæ laus.* 255.1.c
*Pueri quomodo regendi.*447.1.d *puerorum institutio quàm vtilis & necessaria, quàm nobilis & sancta.* 464.2.c. & seq.
Pulcheria Marciano nupta virgo in coniugio mansit. 242.1.b
Pulla vestis olim viduarum. 746.2.b
*Purgamenta huius mundi cur se voces Apostolus.*328.1.b
Purgatorij pœnas per imaginationem videre multi 404. 1.b *in eo existentes sunt membrum Ecclesiæ.*64.1.d *id adstruit Apostolus.*217.1.d. & seq.218.1.d *non in solo igne consistit.*217.2.b *eius signa quomodo Christo in particulari iudicio assistet.*219.1.d *id Nouantes etiam nescientes esse asserebant.* 950.1.c
*Puritas cordis Prælato necessaria.*700.2.b *puritas conscientiæ quantum bonum.*776.1.c *vitæ puritas, vera Ecclesiæ & religionis est signum.* 651.2.a *puritatem virgineam exigit amor animæ erga Christũ.*549. 1.a *in quo ea maximè spectetur & consistat ibid.b*
Purpura in tabernaculo aquam repræsentat. 907.2.b
Puteus, in quo S. Praxedes & Pudentiana Martyrũ sanguinem & reliquias condebant Romæ, etiamnum conspicitur. 813.1.b *puteus altus, idem qui profundus.* 136.2.c *è puteo qui est in idolio, bibere licet.*230.1.d
Pythagoras asserebat assentantes esse hostibus deteriores. 650.2.c *censuit peccata, quæ anima antequam corpori iungeretur, in cælo commisisset, mortis & aruinarum hominis causam esse.* 77.2.c

QVadraginta quinque dies pœnitentiæ dabuntur lapsis, vt pœniteant mortuo Antichristo. 686.1.c
Quærunt omnes quæ sua sunt. 58[illegible]
Quæstiones subtiles a Scholasticis moueri solitæ, fabularũ nomine ab Apostolo non vetantur. 699.2.b *quæstiones hæresiarcharum.*761.2.a *eas de re omni mouent hæretici.*1.d *quæstiones ineptæ quæ.* 740.2.a
Quatuor nouissima quatuor sunt dimensiones. 499.2
Quies Dei in die septima fuit à productione nouarum spirituum, non individuorum 869.2.c *quietis æternæ* [illegible] *na.*870.1.b *quietis odor quid vocetur.* 525.1.c

Quinquagesimus annus Iubilei apud Iudæos cur institutus. 253.1.c
Quintiliani hæretici mulieres ad episcopatum promouebant. 721.2.a
Quirina S. Laurentij Iustiniani mater, vidua quàm sanctè in viduitate vixerit. 748.1.d
Quotidie in via Dei incipiendum. 594.1.c.d

Rabbi quid hebraicè significet. 910.1.d *Rabbini & nobiles soliti artem mechanicã discere.* 692.2.d
Radij cur appingantur viris sanctis. 479.2.c
Radix Iesse quare dicatur Christus. 191.1.c
Rahab per fidem peruenit ad pœnitentiã & iustificationem 62.2.d.952.2.d *cur sola seruata in excidio Ierichuntis* 952.2.c *cur vocetur meretrix.ib.d exercuit cauponam meritoriam.* 953.1.a *eius domus non fuit publicum lupanar.ibid.b per hospitalitatem sibi suisq; salutem meruit.* 975.1.a
Rapinam quomodo non est arbitratus Christus esse se æqualem Deo. 573.2.a
Raptus quid sit & quibus competat. 403.1.c *raptus B. Pauli quando contigerit. ibid.a an verus fuerit vel tantùm imaginarius.* 404.1.a *raptus est, vt ei auctoritas adderetur, ne minor esset alijs Apostolis, qui Christum in carne viderant.* 405.1.c
Rationale obsequium quomodo exhibeatur Deo. 161.2.a
Rebecca Iacobo indicauit, primogenituræ ius ad ipsum spectare. 968.1.d *duos ex vno concubitu concepit.* 128.2.b
Rebellio Deo maximè displicet. 275.2.a.865.2.b
Rebellis Deo, ipse sibi est bellum. 457.1.a
in Reconciliatione hominis cum Deo consistit vera iustitia. 141.1.a *hæc obtingit homini non ex operibus iustitiæ, sed gratis per Dei gratiam.* 130.1.a
Reconciliationis lex pia in nonnullis Religionibus. 519.2.d
Reconciliari quid significet. 245.1.d
Recutiti cur dicti Iudæi. 249.1.a
Reddit Deus vnicuique secundùm opera sua. 44.2.d
Redemptionis mysterium innotuit angelis per reuelationem Dei. 494.2.b *redemptio nostra duplex, inchoata & completa.* 479.1.b *redemptio nostra à seruitute peccati remissio peccatorum est.* 615.2.b
Reditus & reuiuificatio operum mortificatorũ probatur. 883.2.c
Reductionis præputij auctor Esau, ideoq; à Deo odio habitus. 249.1.a
Reformationem iactant hæretici, & deformationem inducunt. 799.1.d
Regere animas, scientia scientiarum est. 727.1.a
Regiones ab Apostolo Euangelij luce illustratæ. 192.2.d
Regnare est, seruire Deo. 326.1.b
Regnum est splendida seruitus. 724.1.c *regnum Salomonis absolute non fuit æternum, sed Christi perpetuum est.* 848.2.b *duo regna mortis & vitæ, inter quæ lex voluit facere interregnum.* 83.2.b *regnum Christi, est Ecclesia, id est æternum absolutè.* 846.1.c *in anima duplex & contrarium est regnum.* 89.1.b *regnum Christi omnium regum & populorum regna superat.* 204.2.b *regnum Dei quomodo non sit esca & potus.* 187.1.c.d
Reges ad exemplum orbis componitur. 712.1.c *pro regibus maximè orandum.ibid.b reges septem tyranni qui septem mundi ætatibus Ecclesiam persecuti.* 680.1.c *reges decem Romã exerent, Romanum Imperium diuident.* 2.b *hi ab Antichristo domabuntur ibid.c reges tres, peccatum lex, gratia: siue Adã, Moses & Christus.* 83.1.a *regum non est mittere concionatores.* 144.2.a *eorum est nihil admirari.* 672.2.d *regibus incitilibus obediendum.* 175.1.a
Relabẽs in peccata iterũ quasi Christũ crucifigit. 882.2.d
Religio virtutum omnium moraliũ nobilissima. 753.2.a *religio cur vocatur status perfectionis, siue perfecta charitatis.* 396.1.c *religio vera quæ sit.* 634.2.a *quomodo græcè dicatur.* 630.2.c *eius est actus, omnis actus virtutis relatus ad Dei honorem.* 981.2.c *religionis veræ signum est virginitas.* 651.2.a *religio angelorum superstitiosa erat.* 634.2.a
Religiones variæ Ecclesiã ornant. 202.2.a. *Religiones perfectissimæ apicem perfectionis ponunt in opprobrio crucis & stultitia Christi.* 205.1.c
Religiosus vnus per charitatẽ omnium est Ordinũ. 202.2.b *religiosus non debet scandalizari videns aliquos ad sæculum reuerti.* 592.1.b *religiosorum vita mundo abscondita est.* 639.1.b *religiosi colendi & fouendi, sancti cur dicantur.* 750.2.c *mortui debent esse mundo.* 84.1.c *abdicantes se bonis fiant diuites.* 763.1.a
Reliquias Martyrum Romæ in puteo collegere S. Praxedis & Potentiana. 813.2.b *earum cultus non est superstitio.* 634.1.d *eum negat Caluinus.* 366.1.c
Remigius Antisiodorensis an auctor Commentarij Ambrosiani. 24.2.c
Remissio peccatorum est donum cæleste, ex ea sequitur pax conscientiæ. 881.1.c *est à solo Christo petẽda.* 918.2.c *quomodo ea in veteri testamento fieret.* 920.1.b
Remora qua virtute naues detineat. 2.1.c
Remunerationis spes calcar ad fortiter patiẽdum. 951.2.c
Renouationem mentis commendant Sancti. 162.1.b.& seqq. *eius necessitas.* 517.1.c *in quo hæc sita.* 640.1.c
Renum infirmitate an Paulus laborarit. 406.1.b
Reprobatio opus est iustitiæ vindicatiuæ quæ ex naturæ sua sequitur peccatum. 19.2.b *est duplex, negatiua & positiua.* 130.2.a *item æterna & temporalis.* 269.2.d
quid per Reprobum sensum Paulus intelligat. 42.1.c
Repueraſcere quomodo debeat Christianus. 316.2.a
Reputari, imputari, & accepto ferre iustitiam idem sunt. 63.1.c *reputari dicitur pro tali, quod in se tale non est.* 2.b
Requies Iudæorum terra promissionis, requies Christianorum æterna. 866.1.d *requies sabbati in vsu fuit ab origine mundi ante legem Mosis.* 869.2.a
Respublica sine ordine consistere non potest. 623.1.b. *rempeuertunt diuitiæ immodicæ & discordia.* 570.1.d
Responsum mortis quid sit. 340.1.c
Resurrectionem quomodo factam iam esse docerent Hymenæus & Philetus. 327.2.a.790.2.c. *fiet in instanti.* 332.2.b *quoad substantiam est naturalis, quoad executionem supernaturalis.* 324.1.b *dicitur regeneratio.* 617.1.d *eam negantes quo fundamento nitantur.* 328.2.c *eam negantium pessima hæresis.* 791.1.a *eius typus est phœnix.* 948.1.a *eius ordo & series.* 662.1.c.d *ipsa est terminus passionis & meritorum Christi.* 70.2.b *ipsa & passio censentur vnum opus redemptionis.ibid. resurrectionis spiritualis quod sit signum.* 636.1.c
Resurrectio Christi in causa fuit, cur simus resuscitati à morte peccati. 321.1.a *est exemplar nostræ.* 186.1.d *fuit abolitio mortis.* 323.2.a *est causa nostræ iustificationis.ibid. eius typus fuit Ionas.* 321.1.c
in qua ætate & mensura corporis & virtutum omnes Resurgent. 511.1.a *quid in homine resurrecturum existimet Magister sententiarũ.* 894.1.b.c *resurrecturos nos dicat communis fidelium sensus.* 327.2.c. *resurrexisse neminem ad vitam immortalem ante Christum de fide est.* 324.1.d *omnes an simul resurgent.* 662.1.c
Reuelatio, scientia, prophetia & doctrina quomodo differant. 312.2.c.d
Reuerentia angelorum in sacrificio Missæ. 285.2.b
Richardũ regina in coniugio manſit virgo. 241.1.c

Rigor nimius in proximum signũ imperfectionis. 463.1.b
Risus Saræ vnde contigerit. 945.2.d
Ritus octo Ecclesiæ antiquæ. 318.1.a *ijs succesſere octo ritus Ecclesiæ modernæ.* 2.a. *ritus communicandi vetus.* 297.2.a *ritus baptiſmatis trina merſione ſignificat ſepulturam Chriſti triduanam.* 85.1.c *ritus Iudæorum in ſacrificio agni paſchalis.* 294.1.a
S. Rochus à peſte laborantibus inuocari ſolet. 865.2.a
Roma ad fidem conuerſa cæteras gentes facilè conuerti poterant. 477.2.d *eius excidium erit ante Antichriſtum.* 680.2.c *Romam triumphantem videre optauit D. Auguſtinus.* 8.1.a. 446 1.a *Romam numquam occupauit hæreſis.* 33.2.a *ibi viget fides & pietas. ibid.b eò tranſtulit Petrus epiſcopatum & primatum, ipſam q̃ petram fidei conſtituit.* 34.1.a *Chryſoſtomo amata & æſtimata propter Paulum.* 13.1.c *ſub finem mundi redibit ad ethniciſmum.* 680.2.b
Romanus idem olim quod Catholicus. 33.2.d *Romani Græcis erant Barbari.* 34.2.c *ſunt à Paulo laudati à fide.* 33.2.a *hæc laus etiam ad poſteros ipſos pertinet. ibid & fortè propheticè ab eo laudati, ibid.b Romani Chriſtiani primi in ſpecubus ſubterraneis habitarunt.* 956.2.b *cur præ cæteris Occidentalibus primi ad fidem vocati.* 477.2.d
à Romana Eccleſia veritas petenda fidei & traditionis Apoſtolicæ 34.1.b *eius præeminentia.* 26.2.a *ea maximè ſequenda.* 732.2.c *Romana fides ſola ad ſalutem ducit.* 503.1.b
Romanum Imperium ad finem mundi durabit. 697.2.c. 680.2.a. *quando deſtruendum. ibid.* 679.2.c. *nondum deſiit. ibid.d*
S. Romualdus incepit vitam monaſticam anno 20. ætatis. 802.2.a
S. Romula moriente auditi ſunt chori angelorum. 851.1.a
Ruffinus quare D. Hieronymum ſugillet. 396.1.d
Ruſtici ſubdiaconi pro fide Catholica conſtantia. 503.1.d
Ruſtici etiam hymnos olim Deo canebant. 533.1.d *ruſtici à Luthero in Germania ad rebellionem excitati rebellionis pœnas dederunt.* 542.1.b

SAbaot vnum è Dei nominibus. 709.1.a *vnde ita dictus.* 68.1.c *ſabbati deriuatio & ſignificatio.* 870.2.a *ſignificat requiem cæli. ibid.b cur inſtitutum.* 443.1.c *eſt ab Apoſtolis in Dominicum diem mutatum.* 335.1.d *eius cultus in vſu fuit ante legem Moſis ab origine mundi.* 869.2.a *ſabbatum in albis vnde dicatur.* 231.2.a *ſabbato ſancto ſollemnis baptiſmus celebrari ſolet.* 85.1.c
Sabellij hæreſis circa Dei filium. 5.1.c. 573.1.d. 615.2.a. 842.2.d
Sacerdotale ius erat primogenitorum familiæ. 891.1.d *ſacerdotalis corona quid ſignificet.* 284.2.b
Sacerdos accipere mercedem poteſt pro intrinſeco labore non minùs, quàm extrinſeco. 756.1.a *ſacerdos quomodo cum peccantibus agere debeat.* 875.2.b *abſoluens cur pœnitenti manum imponat.* 756.1.a *in Miſſa promiſcuè orat, obſecrat, poſtulat, gratias agit.* 712.1.a *quomodo benedicat Chriſti corpus in Miſſa.* 892.2.a *ſit inſtar cryſtalli.* 597.1.d *eius eſt docere fidem & veritatem.* 717.1.a
Sacerdotes vocantur angeli. 33.2.c. 285.2.a *Deo ſacrati ſunt.* 744.1.c *eis ordinandis Epiſcopus & ſacerdotes omnes manus imponunt.* 743.2.d *eorum hieroglyphicum amiantus.* 898.1.d *cur in ſacris cingulo vtantur.* 548.1.b. 549.1.b
Sacerdotium Aaronicũ promittitur à Dauide abolendum per ſacerdotiũ Chriſti. 896.2.c *fuit tenuis repræſentatio ſacerdotij noſtri.* 901.2.c *carnale & temporarium erat, Chriſti verò ſpirituale & æternum.* 894.2.d *Sacerdotium Chriſti iureiurando promiſſum fuit à Deo.* 897.1.d *eſt æternum.* 898.1.a *id ſanctificat hominem, non Aaronis.* 894.2.a *ſacerdotij ordo & ritus ex victima propriè pendet & deſumitur.* 890.2.d
Sacramentum propriè quid ſit. 291.1.a *Sacramenta non operantur ex opere operantis.* 202.1.b *Sacramentorum inſtitutio angelis patuit, Chriſto reuelante, & ex ijs quæ pòſt fieri in Eccleſia viderunt.* 494.2.d *Sacramenta granо ſinapis comparantur.* 292.1.a *Sacramenta ex Chriſti latere manarunt.* 537.1.b
Sacrificia legis quomodo vocentur ſempiterna. 896.1.b *ſacrificia & dona quomodo differant.* 835.2.a *ſacrificia Aaronis non poterant referare cælum.* 912.1.b *ea quare Chriſtus non retinuerit in ſua Eccleſia.* 925.1.c *ea odoratur Deus.* 525.2.a *comparantur cum ſacrificio crucis, in dignitate, non in modo expiandi peccata.* 924.2.d *olim epulo claudebantur.* 279.2.a *tantùm erant proteſtationes, quibus Iudæi teſtabantur ſe aliud exſpectare ſacrificium.* 925.2.b
Sacrificium Miſſæ idem cum ſacrificio crucis re & repræſentatione. 899.1.a *id, aduerſus hæreticorum argumenta, probatur* 929.1.a *& ſeq. Euchariſtia ſacrificium eſt.* 279.1.c *ſacrificium applicatorium ſubordinatum eſt expiatorio* 929.1.d *in ſacrificio quomodo ſit vis expiatrix peccatitam præſentis, quàm præteriti & futuri.* 924.1.d
Sadducæi negabant reſurrectionem & angelos. 582.1.c
Sæculare ſubinde ſignificat id quod citò tranſit. 816.1.b *ſæcularia negotia quæ ſint.* 785.2.b *quinam ea fugere debeant.* 786.1.a *ſæculares in diuitijs vltimum finem ſuum conſtituunt.* 354.1.a
Sæculum cur vocetur nequam. 416 1.b *ſæcula quomodo præfinierit Deus.* 495.1.d
Sal addebatur victimis Aaronicis. 161.1.b *item panibus propoſitionis.* 908.1.d *ſapientia eſt ſymbolum.* 161.1.b
Saladinus moriens interulam ſuam per caſtra de lancea ſuſpenſam circumferri iuſſit. 764.1.a
Salem eadem eſt quæ Ieruſalem, & vnde dicta. 888.1.a
Saliua natorum in feſto conuerſionis S. Pauli anguium morſibus medetur. 12.1.b
Salomon vnde dictus, typus fuit Chriſti. 888.1.d. 846.2.a *quare Deo templum ædificarit, non Dauid pater.* 845.2.d *eius regnum propagatum ad quatuor annorum centurias.* 846 1.b *quo ſenſu dixerit ſe eſſe ſtultiſſimum virorum* 706.1.b *an impœnitens mortuus. ibid.c*
Saluator propriè quomodo dicatur Chriſtus. 600.1.a *& quare.* 827.1.a
Salus eſt iuſtitia completa 143.1.c *ſalus duplex à Chriſto nobis allata.* 142.2.b *ſalus animæ procurandæ hoc breui tempore vitæ* 252.1.b *ſpes ſalutis galea eſt militis Chriſtiani.* 551.2.b *ſalutem corporis & animæ operatur euangelium.* 35.1.c *ſalus & gloria quomodo differant.* 786.2.c
Salutatio veterum Chriſtianorũ erat Deo gratias. 526.1.d. 667.2.d *ſalutatio Chriſti & Hebræorum*, pax tecum. 33.1.a 551.1.d. *ſalutationes Pauli non tantùm ſigna erant benevolentiæ, ſed & cauſæ benedictionis & gratiæ.* 33.1.b *Sanctorum ſalutationes ambiendæ: ſunt tacitæ preces. ibid.c*
Salutandi modus religioſus. 33.1.a
Samſon à puero conſecratus nazaræus. 802.1.d *leonis domitor.* 953.2.c *in eum irruit ſpiritus Domini, cùm prælium eſſet aggreſſurus.* 1.c. 106.2.a
Samuel à puero conſecratus nazaræus. 802.1.d
Sancta quomodo dicatur tota Eccleſia. 535.2.b *ſancta quomodo mandata legis.* 96.1.d *ſancti olim dicti Chriſtiani omnes.* 200.1.a *ſanctum aliquando opponi-*

ponitur profano, aliquando impuro. 160.2 c.d *Sancti nomen datum olim omnibus Ecclesiæ ministris.* 24.2.d
Sancti latere cupiunt 638.2.a.b.c *eorum conuersatio quàm sit vtilis alijs.* 597.2.a.b *sanctorum omnium minimum quomodo se dicat Apostolus.* 493.2.b *sancti in Scriptura vocantur homines & viri Dei.* 766.2.d *stellæ sunt.* 329.1.b *per sanctorum cultum nihil demitur Christo.* 837.2.a *Sancti olim exercuerunt opificia.* 692.2.d *Sancti maximi in crucis opprobrio summam perfectionem ponunt.* 205.1.c *Sancti multi in flammis manserunt illæsi.* 898.2.a *Sancti qui episcopatus fugerunt.* 724.1.d. *Sancti exstatici.* 430.1.b *Sancti maximi semper a puero cœpere.* 802.1.d *Sancti diuersi pro tentationū diuersitate inuocantur.* 863.1.b *Sancti plures hospitales angelos receperunt.* 975.2.a *soli qui vitæ austerioris fuere, claruere miraculis.* 271.2.a
Sanctificans & sanctificatus esse debet eiusdem naturæ. 838.1.b *sanctificare Euangelium quid sit.* 192.1.a *sanctificatus est qui est segregatus à patre, matre & terrenis.* 420.2.d
Sanctimonia, est castitas & puritas. 967.1.b *sanctimoniam fingunt hæretici, & turpiter in sua lege viuunt.* 799.2.a
Sanctitas apud solos Christianos reperitur. 612.1.b *eius etymon & proprietates.* 518.2.c *sanctitas Ecclesiæ in cælo perficietur.* 535.2.d. *sanctitas in Deo & angelis & nobis quid sit: opponitur cuiuis peccato.* 518.2.c.658.1.a
Sanctum sæculare quid sit. 906.1.b *sanctum & Sanctum sanctorum typus sunt Ecclesiæ & cæli.* 900.2.a. 886.2.b.906.2.b.911.1.b.920.2.d
Sanguis victimarum immolatarum subinde inferebatur in Sanctum. 911.2.b *sanguine & victimis fœdera apud veteres sanciebantur.* 294.1.d.916.2.c *sanguis victimarum spargebatur in altare & populum.* 917.1.a *quid hæc aspersio denotaret.* ibid.
Sanguinis Christi sumptione ad sanguinis pro Christo effusionem martyres animabantur. 297.2.d *is est nouum testamentum, quo sensu.* 294.1.c *antonomastice dicitur pretium.* 249.2.d *in triduo passionis mansit vnitus Verbo.* 891.2.d *eius typus erat aqua petræ.* 272.2.c *quomodo melius clamet quàm Abelis.* 970.1.d *velut coagulum est quo in vnum fideles coniunguntur.* 537.1.b.c *verè fuit in calice sanguis quo redempti sumus.* 289.1.b.c
Sana verba & sermones qui sint. 761.1.a.782.1.c
Sapientes quomodo in astutia sua cõprehendantur à Deo. 220.2.d *sapientes Ægyptij circumcidebantur.* 487.1.b *sapientes pauci à Christo vocati.* 205.2.d *sapiẽtium huius mundi vanitas & stultitia.* 39.2.b
Sapientia solius Dei est 197.2.a *sapiẽtia animalis multis nominibus cedit spirituali* 213.2.b *sapientiam humanam habuit Paulus, sed ea vti noluit.* 208.1.b *sapientiam mundi quomodo & in quibus stultam Deus ostenderit.* 207.2.c *sapientiæ intendere nequit coniugatus.* 257.2.c *eius parens castitas. ibid. sapientia Dei obscura, varia, prudens, stulta.* 495.1.c *sapientiã Dei sciuit Paulus reuelatione diuina.* 211.1.a *sapientia diuina & humana multùm inter se differunt.* 212.1.d *sapientia omnis & scientia in Christo abscõdita.* 612.1.d *sapientia vera, est fides & doctrina Christiana.* 221.1.a *sapientia Dei homine ludit quasi pila.* 157.2.a
Sara Ecclesiam repræsentat. 450.1.a *duo impedimenta conceptionis fide superauit.* 945.2.a *& tamen risit. ib.*
Satanæ molimina eludũtur dum confessurio aperiuntur. 398.2.b *ei Christiani in baptismo renuntiant.* 85.1.d *ei tradere quid sit.* 230.1.d. *eius astus & fraudes.* 345.1.a
Saturninus tempore Apostolorum vixit. 736.2.a *animatis abstinuit. ibid. ponebat angelos quasi minores deos.* 631.2.d *eius hæresin impugnat Apostolus epist. ad Ephes. ad Coloss. ad Timoth.* 15
Scabellum Dei erat arca, sedes eius propitiatorij. 910.2.c
Scala cæli quis locus Romæ, & vnde dictus. 11.1.a
Scandalum quomodo crescit. 262.2.d *id cauendum in comestione idolothytorum* 260.1.a.281.1.b *scandalæ cauenda sunt.* 263.1.a *scandala & scandalosos de Ecclesia tollere conentur Ecclesiæ Prælati.* 229.2.a
Scepri symbolum virga. 848.2.c *sceptrum Ioseph quomodo & quare adorarit Iacob patriarcha.* 949.2.a
Schismatis peccatum ne martyrio quidem potest expiari. 502.2.a
Scientia quis finis, vsus & modus. 261.1.b *scientia illa vera quæ vitam componit, & mores emendat.* 49.2.c *scientia rationalis qualis in vita beata.* 92.2.b *scientia idolothytorum tropologicè quid sit.* 262.2.b *scientia experimentalis in Christo miseriæ nostræ.* 862.1.b *scientia nostra respectu Dei est scientia pauuli.* 308.2.c *scientia quæ inflet.* 260.2.d *scientia inflans contraria est charitati.* 261.1.a *comparatur cum cibo indigesto. ibid.c scientiam suam iactant hæretici.* 774.1.a *scientia vtuntur homines quinque modis, partim bene, partim malè.* 261.1.c *scientia sanctorum quid sit Paulo.* 475.2.c
Scribæ quales & vnde dicti. 203.1.d *illorum officium. ibid. quid sit Scribi in libro vitæ.* 19.1.a.602.2.a *scribimur in eo dupliciter.* 602.2.a
Scriptores sancti calami sunt Spiritus sancti. 802.2.d
Scriptura sacra tribuit Christo quæ sunt Ecclesiæ eius, & Ecclesiæ quæ sunt Christi. 510.2.d *quomodo reprobationem & electionem tribuat Deo.* 19.2.c *potest habere varias versiones, lectiones & sensus.* 18.1.a.b. 497.2.d *Scriptura omnis sensum habet litteralem, non semper alios.* 17.2.c *est mensa animæ.* 152.1.c *est hæreticis nasus cereus* 366.1.c *humano more loquitur.* 637.2.d *eam quomodo Lutherus falsificarit.* 353.1.c *non est priuato cuiusq; spiritu interpretanda.* 300.2.c *est contra omnes morbos medicina.* 552.2.a *est liber sacerdotalis.* 743.1.d *quatuor habet sensus.* 17.2.b.447.2.c *eam explicandi gratia est species prophetiæ.* 165.1.b *in ea non scripta omnia, quæ spectant ad fidem & mores.* 283.1.c.689.2.b *ei quomodo nihil addi possit.* 419.1.d *quomodo nos consoletur.* 190.2.a *Scriptura verba non semper, sed sensum eius citat Apostolus.* 885.1.c *Scriptura Hebraïs absolutè dicitur liber.* 97.1.b *summa fuit eius veneration.* 2.a
S. Sebastianus quomodo Marcum & Marcellianum sit ad constantiam hortatus. 109.2.b
Secta quædã apud Iudæos principibus inobedientes occasionem præbuere eandẽ labem Christianis aspergendi. 175.2.a *secta Iudæorum tempore Christi septem.* 589.1.b
Sedentarij & studiosi potissimùm è stomacho laborant. 757.2.d *& quæ rei huius ratio.* 758.1.a
Sedere & stare qui dicatur Christus ad Patris dexteram. 844.1.d
Sedulius Scotus idem penitus cum Heliodoro cõmentatore Pauli, reiectis pleriſq; pelagianizantibus. 24.2.c
Semei quomodo Deus ad peccatum inclinarit. 20.2.d
Semen in lũbu oritur 890.2.c. *semen quoq; ad conceptionẽ prolis subministrat femina.* 943.2.c. *semini Abrahæ quomodo factæ promissiones,* 437.1.c. *semen subinde est nomen collectiuũ, subinde certam personã significat.* 2.a
Seneca an Paulum è vinculis Neronis liberarit. 812.2.a *illius ad hunc epistolæ sunt suspectæ fidei.* ibid.
Senectus cur vino modico indigeat. 824.1.a *vera sita est in probitate, non in ætate.* 743.1.b *ærumnas magnas affert.* 823.1.c.d

Senes

Senes sobrij sunt. 823.1.a. *pudici.ibid. prudenter.ibid.b. & aliis virtutibus præditi.ibid. tardi, torpidi & somniculosi esse solent.ibid.a. sunt obsecrandi, iuniores increpandi.* 805.1.d. *senum etiam virtus mulierum consuetudine frangitur.* 823.2.a. *senibus quomodo viuendum sit cum iuuenibus.* 823.1.d

Sensus est tam intelligentia passiua, quàm actiua. 316.1.c. *accipitur aliàs pro mente, iudicio, ratione. ibid.d. sensus Scripturæ quatuor.* 17.2.b. 447.2.c. *hi intelliguntur per doctrinam, reuelationem, scientiam & prophetiam.* 312.2.d. *sensus litterales duos sæpè habet Scriptura.* 504.2.c. *sensus litteralis & allegoricus quomodo differant.* 265.1.b. *sensus allegoricus æquè & magis intentus à Spiritu sancto, quam litteralis Scriptura.* 846.1.a

Sensus communis non in cerebro, sed in corde. 210.2.d. *per sensus oppugnamur.* 269.2.a. *sensus Domini quis sit.* 213.2.c. 572.1.b

Septenarius numerus significat in Scriptura multitudinem. est Hebræo familiaris propter sabbatum. 149.2.d

Septimũ diem Deus iã inde ab initio sanctificauit. 869.2.a

Septimi monachi pro fide Catholica confitentia. 503.2.a

Septuaginta discipuli dici quoque Euangelistæ possent. 508.2.a. *ita successerunt sacerdotes minores.* 818.1.b

Seraphim missus ad Isaiam an verè è Seraphinis vnus fuerit, an tantùm ita ex ratione officij diceretur. 831.2.b

Sermo fidelis vocatur certus & indubitatus. 704.2.b. *sermo Dei est viuus & efficax.* 871.b. *sermo Dei quomodo anceps.* 2.d. *sermo malus quomodo putridus dicatur.* 521.1.b. *cordis mali indicium est.ibid.c. sermo quis sit sale in gratia conditus.* 645.1.d

Seruis cauenda furta, amanda fidelitas. 825.2.a. *serui manumissi candida veste apud Romanos donabantur.* 231.1.d. *dominis carnalibus obediant propter Deum.* 641.2.b. *serui Iudæorum Christianis principibus parentium, si fieri velint Christiani, liberi fiunt.* 250.1.b. *serui non soluuntur dominorum suorum iure per libertatem Christianam.* 542.1.b. *serui in necessitate militiæ asscribendi ad pileum vocabantur.* 285.1.d. *seruis nota cur inurantur.* 469.1.c. *serui in quo dominis pares, in quo impares.* 760.1.b. *seruis manus imponebantur ab hero cùm manumitterentur.* 744.1.c

Seruitus quàm turpis. 541.2.a. *seruitus Gentilitia mancipiorum apud Christianos iam exoleuit.ibid.c. seruitus non est conditio Christiano indigna.* 249.1.d. *seruitus creaturæ in quo sita.* 574.2.b. *seruitus veteris testamẽti consistebat in duobus.* 449.2.c. *seruitus Dei, regnum est.* 326.1.b. *seruitus matrimonij.* 249.2.c.

S. Seruulus in morte audiuit melodiam angelorũ. 651.1.a

Seueriani aliquot Pauli epistolas è sacro catalogo abraserunt. 4.1.a. *docuere vitem ex diabolo vrtam, & mulierem opus esse Satanæ.* 737.1.b

Seuerinus Episcopus Colonienſis vidit animam S. Martini ad cælos abeuntem. 819.2.a. 851.1.a

Sexu carent angeli. 910.2.a. *sexus feminei imperfectio.* 509.2.b

Sibyllina oracula quanta sint actoritatis. 3.1.b

Silentium est ornamentum mulieris. 721.1.d

Siluanus est Silas, hoc Hebræa terminatione, illud Latina. 648.1.a

Simeon Stylites fuit theodidactus. 905.2.a. *quàm propè à dæmone deceptus fuerit.* 398.2.c. LXXX. *annos perpetuò noctu diuq́, sub dio stetit in columna.* 271.2.a

Simon Magus finxit se Deum quemdam, & genuisse vxorem suam Selenem. 624.2.c. *libidines suas referebat in honorem Dei* 526.2.b. *negabat Christi incarnationem & resurrectionẽ.* 787.1.b. *angelos adorari volebat.* 495.1.b. *per angelos purgari voluit animas, idq́, per sacrificia & ieiunia iis & per eos Deo oblata.* 632.

Cornel. in epist. Pauli.

1.a. *Christum negauit crucifixum.* 597.2.b. *eius error de Deo patre incognito.* 480.1.a. *Christũ tollebat de medio.* 562.1.d. *ponebat angelos quasi minores Deos.* 631.2.d. *mundum docuit ab angelis factum.* 494.2.a

Sobrietas idem est quod animi sanitas. 779.1.a. *sobrietas sectanda carnem domare volenti.* 270.1.b. *sobrietas adolescentibus summo est ornamento.* 824.2.b. *sobrietas & continẽtia Episcopo quã sit necessaria.* 778.2.d. *sobrietatem sequitur vigilia & aliacritas.* 823.1.a

Societas Iesu qua occasione hoc nomen acceperit. 201.1.c. d. *eius instituti breuiarium & summa.* 370.2.b

Socrates suos quid doceret. 824.1.a. *eloquela de moribus alicutus iudicabat.* 313.1.a. 521.1.c. *eius in morte constantia.* 807.2.a. *eius modestia & continentia in cibo.* 608.2.d. *dicebat se hoc vnum scire quòd nihil sciret.* 706.1.c. *fuit natura fur, & incontinens, sed naturã correxit.* 2.a. *inter vincula est philosophatus.* 781.1.c. *iniurias patienter tulit.* 174.2.b. *Deum è mundi fabrica discere studuit.* 391.1.c

Solatia qualia Deus det suis. 190.2.a. *ipsum in tribulatione exspectandum longanimiter.* 936.1.a

Solduriorum quæ fuerit in Gallia societas. 374.2.a

Solymannos vel Selymos, suos Imperatores vocant Turcæ. 888.1.d

Somnus animæ excutiendus. 179.2.b.c. *somnus est mors breuis.* 660.1.a

Sors significat casum, & hereditatem. 477.2.a. 614.1.d. *sorte diuidebantur hereditates.ibid.* 844.2.d. *sortes nostræ quomodo sint in manibus Dei.* 614.2.a. *sorte vocati sumus ad Christianismum.* 477.1.d. *sorte sua quisque debet esse contentus.* 137.2.b. *ea qui contentus, diues est.* 762.2.c

Speculum non imaginem rei, sed rem ipsam repræsentat. 309.1.a. *speculum olim Christiani vitarunt.* 286.1.b. *speculum multiplex est, per quod hic Deum videmus.* 309.1.b. *vita Christi speculum morum.* 352.2.a

Spes est galea salutis, & cur ita dicatur. 551.2.b.c. *spes roboratur exercitio bonorum operum.* 884.2.b. *spes remunerationis quantum calcar ad fortiter patiendũ.* 951.2.b. *spes electorum propter Christi charitatem & potestatem est inconfusibilis.* 76.1.b. *spes esse debet patiens.* 648.2.a. *per spem tendimus ad salutem, quam speramus nos adepturos in cælo.* 111.2.b. *spes gaudium est ante gaudium.* 168.2.d. *spes debet sibi esse bene conscia.* 700.1.b. *spes resurrectionis excitat ad martyrium.* 787.1.c. *spes habet adiunctam formidinem de oppositu* 309.2.d. *spes promissionis apud Apostolum est spes resurrectionis.* 487.2.a. *spes est robur in afflictione.* 865.1.a. *spei veræ & Christianæ conditiones.ibid.b. spes in hominibus collocata sæpè fallit.* 73.1.b. *spes præmij animat ad laborem.* 265.1.d. *spes ad salutem necessaria.* 111.2.b. *ouo est similis.ibid.d. spes non exigit sui obiecti plenam certitudinem, sed potius cum timore illud amittendi coniuncta est.* 107.2.b. *spes non confundit.* 73.1.d. & *cur* 2.b. *spem Euangelicam cur toties Hebræis inculcet Apostolus.* 897.1.c. *spes nostræ est nomen Dei.* 551.1.c. *spes futurorum est mater gaudij.* 168.2.d. *spei diuinæ certitudo, humanæ vanitas.* 73.1.b. *spes anchora est.* 886.1.d. *sed cum aliquo discrimine.* 2.b. *spes per bonam conscientiam significari potest.* 700.1.d. *bonis operibus nititur.* 73.1.b. *eam tria roborant.ibid. spei & fidei defectus quantorum malorum causa.* 68.2.c

Spiritus quomodo ab anima distinguatur. 669.2.b. *spiritus est anima rationis.* 553.2.a. *spiritus & concupiscentia lucta.* 99.2.c. *eius vtilitas.* 100.1.c. *quomodo concupiscat aduersus carnem.* 22.2.d. 456.1.d. *spiritus compunctionis quid sit.* 151.1.a. *spiritus Dei & mundi sunt sibi contrarij.* 211.2.b

Spiritus sancti donum est & prima fides, & eius custodia. 782.2.d. *is Filio Dei non est minor.* 126.2.d. *perpendiculo cõparatur in fabrica spirituali construenda.* 491.1.a. *est nubes actum concupiscentiæ refrigerans, nosq; illuminans.* 272.1.c. *is non fuit Melchisedec.* 888.2.c. *eius qui sint fructus.* 458.2.a. *est auctor prophetiæ.* 311.1.c.d. *operatur in nobis gemitum, robur, auxilium & scientiam bene orandi.* 112.1.a. *ei Christi oblatio, ac redemptio & sanctificatio nostra tribuenda.* 915.1.d. *amplissimam habet locutionem.* 497.2.d. *tripliciter viuificat.* 349.1.d. *eum non credunt Iudæi.* 351.1.a. *res est nouo testamento promissa.* 903.2.d. *dupliciter nos sibi in filios adoptat.* 106.2.c. *quomodo & per quos contristetur.* 521.2.d. *est inspirator sacræ Scripturæ.* 802.2.d. *non eodem modo dictauit omnem S. Scripturam. ibid. sententias conceptusq; eius ordinauit.* 803.1.a. *eius robur datur in Confirmatione.* 744.2.d. *quatuor modis in nobis est.* 158.1.d. *eius diuinitas probatur contra Macedonianos.* 211.1.c. 301.1.a. 352.2.c. *dat animæ iusti triplex bonum.* 107.1.c. *eius testimonium, quo nobis testatur nos esse filios Dei, non adfert certitudinem fidei ibid.d. quotuplex id sit.* 2.b. *quomodo olim in Ecclesia multos afflaret.* 312.1.a. *per Prophetas promisit remissionem peccatorũ per Christum in nouo testamento dandam.* 928.2.d. *plus in re dubia suos docet, quàm omnes doctores docere possint.* 355.2.a

Sponsa Christi est arca testamenti. 396.2.b. *sponsa Christi electio, dignitas & gloria.* 395.2.a. *eius obligatio ad amorem & gratiarum actionem.* ibid.

Sponsalia animæ fidelis sunt in hac vita, thalamus in futura. 395.1.a

Sponsi sponsis quare dare solent fasciam pectoralẽ. 547.1.d

Stadium spirituale quod sit, quis antagonista, qua pugna. 268.2.b.c

Stadiodromi coronã currendo manibus apprehendebãt. 1.a

Stare coram Domino idem est quod agere sacerdotẽ. 928.1.c. *stare potiùs in cælo videtur Christus quàm sedere.* 637.1.a. *stare capitur subinde pro absolui.* 183.2.d

in qua Statura & mensura resurrecturi simus. 511.1.a

quatuor hominis Status inter se comparati. 83.1.a. *status gratiæ signum est, quòd quis peccatũ in se & aliis detestetur.* 108.1.a. *status cuiusq;, stadium est.* 268.2.b. *statui cuilibet gratiam propriam dat Deus.* 243.1.d

vt Stercora arbitratur Paulus & detrimenta excellentias & iustitias legis. 590.1.a. & seqq.

Stigmata Christi qui portent moraliter. 469.2.a. *stigmata Christi quæ vocet Paulus.* 1.c.

Stimulus carnis quare Paulo datus. 406.1.a. *quis fuerit. ibid. non ortus est ei ex familiaritate Theclæ.* 2.c. *non fuit illo indignus. ibid.d. eum cur vocet angelum Satanæ.* 1.d. *fuit tentatio carnis.* ibid.c

Studium indefessum proficiendi, profectus est. 594.2.a. *studia diuersorum ordinum & scholarum non carpuntur ab Apostolo, sed Nouantium.* 202.1.d

Styx inferni palus vnde dicta. 42.2.a

Subditi inobedientiâ suâ augent onera præpositorum. 982.1.d. *subditus sine præposito quibus expositus sit malis.* 2.b

Substantia rerũ sperãdarum quomodo sit fides. 939.1.c.d

Subtilitatis dos non est qualitas, sed assistentia omnipotentiæ Dei ad penetrandum alia corpora. 350.1.c

Subtractionis filij sunt filij Belial sine iugo. 937.2.d

Sufficientia eleëmosynariorum. 384.1.a.d

Sufficiens sibi & sua sorte contentus diuinus est. 608.2.c

Suffraganei quomodo Archiepiscopũ benedicant. 892.1.d.

Superbus metaphoricè dicitur inflatus. 224.2.d. *superbum facit ventosa scientia.* 261.1.a.b. *superbi considerant ea quibus ipsi alios superant.* 571.1.c

Superbia mater hæresis. 630.1.b. 701.1.b. *eius gradus.* 170.2.b. *est diuitiarum vermis.* 771.1.a. *signum reprobationis.* 572.2.c. *viles facit & abiectos.* 1.c. *est primogenita mors.* 78.1.c. *superbia humana quomodo retundatur.* 57.2.b. *quomodo sit radix omnis peccati.* 765.2.a. *superbia ex angelis dæmones fecit.* 171.1.a

Superiores duriùs cũ subditis tentatis aliquo vitio agentes, ab eodem pòst vexati fuere. 461.2.a. *superiores subditis non superbè, sed humiliter imperent.* 192.1.a. *ab inferioribus corrigi possunt.* 427.1.d. *in corripiendo medicos imitentur ægris non irascentes, sed aduersus morbos pugnantes.* 461.1.c. *cùm se submittunt insignem actum humilitatis exercent.* 168.1.b. *eorum est cauere ne de se diffidant subditi.* 374.2.d

Supernaturalia Dei attributa cognosci nequeunt naturali discursu. 781.2.a. *supernaturalis Dei imago in homine peccando amittitur, sed non naturalis.* 518.1.d. *in baptismo accipitur.* 2.a

Suscipere, *in Scripturæ quid significet.* 190.2.c

Suspiciones malæ sequuntur ex logomachia hæreticorum. 762.1.b

Sustentatio Apostolorum vocatur merces, cur? 755.2.d. *debetur verbi ministro & Ecclesiæ, non quasi pretium rei, sed quasi stipendium.* 265.2.c.d

Susurrationes sunt occultæ obtrectationes. 410.1.b

Synagoga Iudaica quis ordo in consessu. 318.2.c. *ipsa sterilis est.* 450.1.d. *per Agarem denotatur.* 2.d

Synaxis post cœnam vulgarem sumebatur olim in multis Ecclesiis. 287.2.b

Synesius fuit iudex rerum saculariũ, licet Episcopus. 235.1.a

Syri Patres non meminere vmquam versionis Syriacæ. 16.839.2.a. *Syri metaphoris gaudent.* 216.1.b

Syriacæ versione totius noui testamenti vtuntur Christiani Thomæi, Babylonij, Abyssini. 16. *quis eius auctor, quâ ætate formata, cuius auctoritatis.* ibid.839.1.d.2.a

Syriacus textus epistolæ ad Hebræos non est autographum Pauli. 839.1.d

TAbella pacis, osculo in Ecclesia succesit. 413.2.c. *tabellæ olim communicaturis apponebantur.* 297.2.b

Tabennesiotæ virgines crinem tondebant. 284.1.d

Tabernaculum allegoricè significat corpus Christi. 907.2.b. *item mundum.* 906.2.b. *item animã sanctam.* 373.1.a. *item Ecclesiam.* 373.1.a. 902.1.b. 914.2.c. *erat quasi mobile templum & domus Dei habitantis cum Hebræis per desertum.* 373.1.a. *tabernaculi primi descriptio.* 907.1.d. *eius materia & ornatus, eorumq; significatio.* 2.b

Tabulæ legis an solæ in arca. 909.2.c

Tactus mulieris quam noxius. 240.2.a. *tactus inhonestos philosophi veteres permisere.* 525.2.b

Tædium vitæ fuit in aliquibus Sanctis. 340.1.b

Tamen *pro imo sumit interdum Apostolus.* 21.2.a

Tarditatem supplicij Deus grauitate compensat. 44.2.a

Tarsenses ius ciuitatis Romanæ adepti sunt a Iulio Cæsare & Augusto, & quamobrem. 1.1.c. *litteris dediti.* 2.a.

Tatianus auctor Encratiarum fuit. 736.2.b

Tauri symbolum sunt tyrannorum. 328.1.c

Tegi quomodo dicantur peccata. 64.1.a

Templum vocabulum vnde deriuetur. 372.2.c. *in templo oratio melius fit quàm domi, cur.* 717.2.d. *templum Dei quibus peccatis violetur potissimũ.* 220.1.c. *in eo sanctè se & reuerenter gerant fideles.* 731.2.c. *mundus est velut Dei templum.* 39.1.c

Templorum ianuas osculabãtur olim Christiani. 413.2.b

Tempus imaginarium ante mundi constitutionem. 816.1.d. *quomodo id fiet cum æternitate.* 2.a. *tempus Messiæ à Prophetis dicitur tempus nouissimum.* 275.2.c. 798.1.c. *tempus ante Christum nox est.* 180.1.a. *tempus nullum præsens est.* 816.2.d

Tempus ab occupationibus vacuum orationi dandum. 553.2.a.

2.a. tempus præsens est laboris, futurum erit quietis & lætitiæ.359.2.d. tempus breue certaminis & luctæ, æternum victoriæ & gloriæ.88.2.d.693.2.d. tempus omne in fluxu est. 816.2.d. tempus breue sedulò impendendum. 466.1.b.530.1.c.2.c.595.2.c
Tempora æterna & sæcularia quæ vocentur. 816.1.a.d. 196.2.d. tempus redimere quid sit. 530.1.a.645.1.b. seruire tempori quid sit. 168.2.c
Tenebræ cur dicantur peccata.527.2.d.665.2.b. tenebras ea amant. 180.2.a. tenebræ vocantur ignorantia, infidelitas & alia peccata, diabolus, infernus. 615.1.b
Tentatio humana quid sit. 275.2.d. tentatio nostra per afflictiones fit. 862.2.a. tentatio incipientium est putare se esse perfectos. 592.1.a. tentatio omnis Dei gratia vinci potest. 276.1.c. tentatio cedet vincenti in progressum virtutis. 2.b. iustis stimulus est virtutis. 407.1.c. tentationum quibus tentati Sancti, varia genera. 954.2.d. tentationem non sentire, angelicum; sentire & vincere, humanum. 276.1.a. in ea, imitanda constantia fidei Abrahæ. 68.2.b. tentationes carnis Sanctos non lædunt, sed colaphizant. 406.2.b. vincuntur fuga. ibid.
Tepidi hominis descriptio. 168.2.a
Tepor mentis abiciendus. ibid.b.90.2.b
Terra quomodo sceleribus polluatur, gemat, clamet, irascatur, imò habitatores suos euomat. 436.2.a. terram & mare quando Deus commouerit. 972.1.a.d. terræ & animæ sterilis & fertilis comparatio. 883.1.b.c. terræ motus triplex in Script. legitur. 972.2.a
Tertium cælum ad quod raptus Paulus, quod sit. 403.1.d
Tertius scriba exarauit epistolam Pauli ad Romanos.27.1.a.196.1.d. verba eius quæ epistolæ ad finem addidit, verba sunt sacræ Scripturæ: factus est Episcopus Iconij. ibid. eius imperitia in excipiendo Apostoli sententijs.2.a
Tertullianus opinatus est animam cuiusq; esse ex traduce. 893.2.c. item peccatum. 79.2.a. luxum vestium quomodo reprehenderit. 720.1.c. cur factus Montanista.710.2.a. censuit animas Sanctorum non videre Deum ante diem iudicij. 957.1.d. docuit lapsos, semel ad pœnitentiam tantùm admittendos. 881.2.b. tria Catholicæ fidei symbola nominat. 975.1.a
Tessera hospitalitatis quæ & qualis apud Christianos. ib.b
Testamentum quid sit. 916.2.b. testamentū vetus quomodo dicatur æternū. 846.1.c. ad id cur toties Paulus alludat.18.2.b. noui id paranymphum egit. ibid. testamentum vetus implicitè promittens bona cælestia quomodo Christi morte confirmatū. 919.2.a. testamenti veteris fecialis Moses, noui Christus. 903.2.a
Testatoris volūtas quomodo dicatur testamentū. 194.1.d
Testes dupliciter dicuntur antiqui patres. 959.1.b. quot testes necessarij in accusatione presbyteri. 756.1.c testibus duobus condemnandus reus. 411.1.a
Testimonia quatuor efficacia, quòd quis filius sit Dei. 107.2.d. item alia tria. 108.1.b. testimonio hominum opus habent prædones verbi Dei.424.1.d. testimonium Spiritus sancti, quo nobis testatur nos esse filios Dei, non adfert certitudinē fidei.107.1.d. id coniuncta habet incertitudinem & timorem.2.a. quintuplicitèr id intelligi potest. ibid.b. testimonia ex lege veteri sæpè in vnum consarcinant Euangelistæ, cùm tamen è variis locis petita sint: & sæpè citant ea non verbo tenus, sed eodem sensu, item iuxta LXX. 21.2.b. testimonium sæpè pro laude capitur. 941.2.a
Theatrum vitæ.227.1.a. martyrij.ibid. theatra duo in mundo, Dei & angelorum, & hominum. ibid.c.
S.Theclam Paulus an circumduxerit, & hæc illi fuerit occasio tentationis. 406.2.c. per Paulum à coniugio auocata, & Christo desponsata.256.2.b.397.1.a. leones, ignes & serpentes superauit. 397.1.b
Theodora Sisinnium maritum Christo peperit. 246.2.a
Theodoretus idololatricum cultum angelorū tantùm suggillat. 631.1.a.c. quid sentiat de visione Beatorum. 309.1.c
Theodorus Studita gloriatus in flagellis pro Christo susceptis. 469.1.d
Theodosius Imp. sententias in reos prolatas ad 30. dies differri voluit.523.1.b. quas mulieres tonderi vetet.284.1.b
Theodosii Abbatis sententia de pugna aduersus dæmones. 546.1.b
Theologia nostra licet certa, est tamen obscura. 308.2.c
S.Theophanis Martyris generosa ad Leonem Imp. responsio. 408.1.c
S.Theophilam defendit angelus à lasciuia adolescentum. 258.1.a
Theophylactus in Paulum scripsit, errores habet, docetq; Spiritum sanctum à solo Patre procedere. 24.1.c
S.Thomam vtraque in India prædicasse probatur coniecturis. 146.1.b
Thesaurus quis repertus à Tiberio Imp. eleëmosynario. 385.2.d. quis thesaurus Ecclesiæ, ex quo dat Indulgentias.620.1.a. thesauri sapientiæ omnes in Christo absconditi. 622.1.d
S.Thomas Aquinas à S.Paulo docetur. 8.2.d. multis precibus obscuri loci Isaiæ expositionē à Deo efflagitat, quem illi Apostolus exposuit.9.1.a. ab eodem è scholæ visus educi. ibid.b. quoto ætatis anno in monasterium venerit.802.2.a. in epistolas Pauli scripsit. 25.1.d
b.Thomas Morus quàm generosè terrena contempserit. 951.2.d
Thomæi Christiani vtuntur versione Syriaca noui testamenti.16. Chaldæa lingua in sacris vtuntur.204.1.d
Thorus immaculatus quid sit Apostolo. 976.2.a
Thuribulum nullum fuit in Sancto sanctorum. 909.1.a
Thymiamatis oblatio matutina & vespertina. 911.2.b
Tiara pontificis Iudaici quid mysticè designaret. 713.1.c
Tiburtius à S.Cæcilia Christianus & Martyr factus.256.1.b. eius in tormentis constantia. 121.2.d
Timere Deum, est Deum colere. 741.1.a
Timor castus quis sit. 878.1.a. timor est optimum medium ad perseuerandum. 580.2.d. quomodo is comparandus. 581.1.b. timor Domini duplex, & variæ eius acceptiones in Scriptura.363.2.d. timor perdendi gratiam Christianorum mentibus insideat.154.c.d. timorū filialis conditiones. 877.2.d
Timotheum Paulus circumcidit.267.1.c. cur hunc, & non Titum. 424.2.b. quam sincerè is Paulo seruierit & adfuerit. 586.1.a. ei dedicat librum suum de diuinis nominibus S.Dionysius. 785.1.c. eius videndi quanto Paulus arserit in vinculis desiderio. 776.2.d. abstemius fuit, donec ab Apostolo iuberetur vinum bibere propter stomachum. 757.2.b. abstinentia longa morbos contraxit. ibid. eum Paulus cur non sanarit à morbo.ibid.c. eius morbidi & afflicti zelus. ibid.d. qua ætate fuerit Episcopus constitutus. 742.2.c. de eo ordinando prophetia quadruplices. 708.1.d. quomodo dicatur homo Dei. 767.1.b. erat natura acrior. 827.2.a. fuit Archiepiscopus Ephesi. 696.1.a. probè fuit à matre Christiana in fide educatus: fuit Martyr & virgo.ibid. fuit Angelus Ephesi.ibid b. quot annis fuerit. ibid.c. illi successit Onesimus. ibid. quomodo à Christo in Apocalypsi laudatus. ibid. teporem correxit. 2.a. à Paulo epistola missa instruitur. ibid.b. fuit Paulo fidus.698.1.c. erat in castigandis vitiis æquo seuerior. ibid. primum feruorem reliquit, quòd videret se corripiendo nihil proficere, hinc à Christo corripitur, & à Paulo monetur. 2.a.b. videtur aliquando in vinculis fuisse. 984.1.a. quando inceperit adhærere Paulo. 800.2.c

Titi natura erat mitor.827.2.a. Corinthum missus ad colligendas eleemosynas.382.2.b. vtroq; parente Gentilis fuit & Corintho oriundus.814.1.a. eius conuersio à Paulo.ibid. fuit eius interpres.ibid. 345.1.c. vita eius sanctimonia.814.1.a. virginitatē perpetuò coluit. ibid. à Paulo creatus Archiepiscopus Cretæ vicinarūq; insularū.ibid. quoto anno ætatis, & vbi mortuus. ib.b. dies eius natalis quando celebretur.ib. epistolā ad eum Paulus misit, & quid ea perscribat.ibid. eum cur Apostolus non circumciderit. 424.2.b. eum semper penes se habuit græcè doctum. 397.2.b. retulit ad Paulum nondum maturum esse tempus redeundi Corinthum. 345.1.d

Titulus Ecclesiæ est titulus crucis. 597.2.d

Tobiæ senex in Alemanniam an iuerit, vt pseudo-Tobias præfert, curandus à cæcitate.839.2.c. Tobias liber Chaldæo sermone conscriptus in Assyriaca captiuitate. ibid.

Tondentur Religiosæ. 284.1.a. quas mulieres tonderi vetet Concilium Gangrense. ibid. solemne fuit in Ecclesia, vt virgines Religionē ingressæ tonderentur. ib.d.

Tortores Martyribus coronas fabricant in cælo. 72.2.c

Traditio quid sit. 692.2.a. traditiones Apostolicæ propugnantur. 183.1.c. 297.1.a. 686.2.b. 1.782.2.a. 785.1.b. sunt seruandæ. 331.1.d. earum vis & veritas. 288.1.c

Traducem animæ insectatur Hieronymus & alij Patres contra Tertull. 894.1.a

Tranquillitas & pax ex christianismo. 468.2.c. tranquillitas conscientiæ. 72.1.a

Transmigrationem animarū asserebāt Pharisæi. 589.2.a

Trepidantes festini huc illuc; discurrunt. 140.2.a

Tria sunt omnia, de quibus scilicet primò dicitur quòd sint omnia. 403.2.b

Tribadum feminarum præposterа libido. 41.2.a

Tribulatio Pauli in Asia quæ fuerit.340.1.a. tribulatio cur dicatur mors & mortificatio Iesu Christi.356.1.a. tribulatio externi hominis est confortatio interioris. 357.1.d. tribulatio patientem semper sequitur, non anteuertit.355.2.b. tribulationes & passiones Sanctis cooperantur in bonum.114.1.c. earum vtilitas.408.1.b. alacri animo excipiendæ. 72.2.d. dantur à Deo ad concupiscentiā castigandam & stringendam ibid.c. lapides sunt pretiosi quibus Sancti lapidantur.108.2.c. in iis Christo conformamur. 356.1.d. iis disponitur homo ad omnes virtutes. 72.2.a. in iis imitanda constantia fidei Abrahæ. 68.2.b. earum momentaneum æternum gloriæ pondus operatur. 358.1.c.d. in iis gaudere admirabile est.649.1.d. tribulatione reddimur similes Christo tam crucifixo & mortificato, quā resuscitato & viuificato. 356.1.a

Trinitarij ciuiles magistratus, & iudices ac iudicia, quibus ciuibus iustitia debita repetantur, abregant. 177.2.b

Trinitas & æqualitas in vna essentia diuina quomodo probetur.158.2.a. toti Trinitati sunt communia opera ad extra. 300.1.a. Trinitati per Christū hominē omnis honor defertur. 197.1.b. tota est pro nobis. 118.2.c. eam denotat S. Paulus.830.1.b. eius cōsubstantialitas. 413.2.d. singularū eius personarum propria. 414.1.a. fuit Philosophis ignota, sine fide ac lumine supernaturali cognosci nequit.38.1.d. est prima virgo.257.2.a

Tristitia Sanctorū & impiorum quomodo differant.470.1.d. tristitia effectus septem.376.1.a. tristitia sæculi & tristitia secundùm Deum quomodo differant. 375.1.c.d. vnde ambæ nascantur.ibid. ambæ describuntur. 2.c. tristitiæ vsus & fructus. ibid.b. tristitia in morte defunctorum quæ vetetur ab Apostolo. 660.1.a

Triumphus Christi & Ecclesiæ. 504.2.c. triumphum de diabolo quomodo egerit Christus.628.1.b. triumphus Dei est passio Martyrum. 345.2.a

Troadius adolescēs martyrio dæmonē superauit.812.2.a

Tuba Apostolica ad bellū spiritus aduersus carnē excitans. 161.1.d. tuba in extremo iudicio sonitura cur dicatur Dei. 661.1.a. erit sensibilis clangor formatus ab angelis.ibid.b. ex qua materia sit futura incertum. ib.c. ad quid canet. ibid. erit nouissima. ibid. cur vocetur vox filij Dei.ibid. eius clangor quàm terribilis erit.2.b. hanc in omni opere insonantem audiri iubet S. Hieronymus.ibid.c.d. tuba nouissima quæ sit. 333.1.a

Tunica hyacinthina pontificis aērem significabat.713.1.b

Turcæ ante cibum precantur. 739.2.c

Tympanum tormenti genus: quomodo eo homines cruciarentur. 954.1.c.d

Typicus sensus non potest esse litteralis, sed tantùm literali sensu adumbratus. 265.1.b

VAlentinus voluit Christū humanam naturam è cælo tulisse.30.1.d. 331.1.c. 443.2.d. 862.1.b. eius error de duplici baptismate.503.2.b. item de triginta Æonibus. 481.1.a. 497.2.c. 699.1.d

S. Valerianus à S. Cæciliā ad castitatem coniugalem & fidem perductus. 242.1.b. 246.2.a

Vallis Iosaphat locus est iudicij. 662.1.b. quomodo omnes homines capiet. 663.2.b

Vanitas mundi. 254.1.a.d

vxor Vas est. 658.1.d. item corpus.2.a. vas dicitur Hebræis quodcumq; instrumentum. ibid.b. vasa in honorem & contumeliam quæ sint. 137.1.d. 794.1.b

Vbiquetariorū error de corporis Christi vbiquitate refutatur.508.1.b. vnde suam hauserint hæresim.301.1.c

Velamen mulieris est signum eam esse subiectam potestati viri, ac virum suo capiti insidere. 285.1.c. velamen est gestamen illius, qui potestatem in alio veneretur. ibid. velamen quo velatum cor Iudæorum, est pertinax inhæsio eorum, qua adhærent carnalibus sacrificiis & ritibus legis veteris.350.2.d. velo tenuis se velantes mulieres redarguuntur. 286.1.b. velamen vultus Mosis quid denotaret. 350.2.b

Veneris cultus Corinthi viguit. 274.2.b. 283.1.d. eius in honorem quotidie mille puellæ exponebantur. ibid.

Venter in morte destruendus. 236.2.a. venter gulonum est vitæ charybdis. 598.2.c

Veracitatis descriptio. 52.2.b

Verbum in incarnatione non ita factum caro, vt fuerit transformatum in carnem. 575.1.c. Verbi persona in Christo duas habet formas siue naturas. 573.1.d. eius vestis fuit caro. 575.1.b

Verbum Dei gladius in tentationibus.552.1.c. verbū Dei qui adulterentur.346.1.d. verbum Dei scriptum non est plena forma credendorū.690.1.a. non est alligatū, sed liberū. 787.2.a. non minoris efficaciæ est quā reliquiæ Sanctorū. 35.1.d. verbum auditus quid sit. 653.1.d. verbum consummatū in iustitia quid sit.138.2.c.d

Verbis turpibus contristatur Spiritus sanctus. 522.1.b. verba cogitationis & mentis indicia sunt. 521.1.c. verba bona quæ sint.881.1.c. verbis contendere quid sit. 788.1.d. verba consecrationis figuram non significant.274.1.b. ea verè, vt sonant, non tropicè intelligenda multis probatur.288.2.a. & seqq. verba Christi vita sunt. 291.1.d

Verecundia metus est dedecoris & probri. 973.1.b.c

Veritas est æquitas, probitas, iustitia.307.1.c. veritas quadruplex militis Christiani est cingulū.546.1.c. est sita in indiuisibili.597.1.a. lucem non fugit. 785.1.a. eam incarcerarunt Gentiles. 37.2.b. nimium altercando amittitur. 762.1.d. eam oblatam repudiantes pœna infidelitatis & errorum puniuntur. 683.2.c

Vetus homo quid sit. 86.2.d. 516.2.d. 1.d. dupliciter corrumpitur.2.a. is est homo vitiatus, quatenus est infectus concupiscentia. 640.1.b

Viator Christianus fame pressus an idolothyta comedere possit

posſit nemine conſcio. 279.2.d
Antichriſtus Vicarius Chriſti nõ eſt, ſed oppoſitus. 676.2.c
Victima vnde dicatur. 160.2.a. *victima Abelis dignior quàm Caini.* 942.1.b. *victima piacularis ſæpè in Scriptura peccatum dicitur.* 367.1.c
Victoris Proconſulis Carthaginenſis in morte conſtantia. 886.1.a
Victores frequẽter prõptiores ad noua certamina. 962.2.d
Victus athleticus quis ſit. 268.2.a
Videre pro quouis ſentire ponitur aliquando. 111.2.c
Viduæ parentibus quomodo vicem reddat. 747.1.a. *ſit temperans à vino.* ibid.d. *viduæ vniuiræ honorabiles etiam Ethnicis.* 750.1.b. *iuniores cur à templi miniſterio arceat Apoſtolus.* 751.2.a. *has nubere ſuadet, non iubet.* 754.1.b. *viduarum inſtar Annæ diuerſorium ſit in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio.* 747.2.a. *cur ægrè in monaſteria admittantur.* 754.2.c. *quæ viduæ ab omni præſidio & ſubſidio deſtitutæ.* 746.1.d. *viduæ Eccleſiaſticæ quæ & quales eſſe debeant.* ibid.c.d. *quædam domi ſeorſim, quædam in collegiis viuebant.* ibid.c. *ſeptem earum dotes requirit Apoſtolus.* 347.2.a
Viduitas melior & beatior matrimonio. 259.1.b
Viennenſi Eccleſiæ præfuit Creſcens. 810.2.c
Vigilantia Superiorum pro ſubditis. 982.1.c
Vigilandum Chriſtiano. 666.1.a
Vigilantius cenſuit animas Sanctorũ non videre Deũ ante diem iudicij. 957.1.d. *ſe opponit eleëmoſynis.* 379.1.a
Vigilia ſpirituales. 179.2.b. *eius remoræ.* 666.2.c. *vigiliæ primorum Chriſtianorum.* 664.2.c
S. Vincentius Martyr ad martyrium anhelauit. 962.1.d. *in igne illæſus manſit.* 898.2.b
S. Vincentius Ferrerius donatus dono diſcretionis ſpirituũ. 300.2.b. *quoto anno ſit monaſticam vitam profeſſus.* 802.2.a. *dæmonis fraudes agnouit.* 546.2.a
Vinctis compatiendum. 975.2.d
Vincula Pauli ſunt inſignia gloriæ. 492.1.b. *ea purpuræ Neronis præferuntur.* 787.2.a. *per ea non impeditum, ſed promotum eſt Euangelium.* 560.2.c. *animare Chriſtianos debent ad cruces tolerandas.* 646.2.d. *vincula Martyrum ſunt glorioſa.* 645.1.a. *vinculum matrimonij quàm ſit arctum.* 237.1.a. 537.1.d
Vindicare ſe non eſt actus fortitudinis, ſed abiectionis. 173.2.d
Vindicta virga quæ. 757.1.a
Vindicta Dei horrenda. 172.2.b. *vindicta à Deo non eſt oranda.* 712.2.b. *vindicta Dei in Iudæos rebellantes.* 865.2.c.d. *vindicta Chriſti legiſlatoris timenda.* 971.2.c. *contra vindictam documenta.* 171.2.c
Vino abſtinuit Apoſtolus. 6.2.b. *id ipſe modicũ permittit.* 758.1.c. *quatenus fugiendum.* 824.2.a. *vinum adoleſcentibus vſq; ad XVIII. ætatis annum interdixit Plato.* ibid.b. *dabatur olim recèns baptizatis.* 215.1.a
Vir qui ab hæretico ſeduci ſe patitur, non vir, ſed mulier haberi debet. 799.2.c. *viri encomium.* 284.2.a. *gloria viri quomodo ſit mulier.* ibid.d. *viri non eſt alere comam.* 286.2.d. *viri docti eſſe debent in diuinis, vt vxorum quæſtionibus ſatisfaciant.* 319.1.d. *viri Dei cur dicantur viri ſancti.* 766.2.d
Virga ſceptrum ſignificat. 848.2.c. *virgam Aaronis quomodo dicat Paulus in arca fuiſſe.* 909.2.c
Virgo nomen à virtute deriuatur. 255.2.a. *è virgine Antichriſtus non eſt naſciturus.* 682.1.a
B. Virgo S. Vincentio apparuit, eumq; ad virginitatem eſt adhortata. 546.2.a. *in Adamo peccauit, & neceſſitatem contrahendi peccatum originale incurrit, ſed peccatum originale de facto in ſe non contraxit.* 77.1.d. 79.2.b. 365.1.d. *meritò à Chriſtianis poſt Deum inuocatur.* 654.2.b. *non eſt paſſa deliquium fidei.* 56.
Cornel. in epiſt. Pauli.
1.b. *numquã ne venialiter quidem peccauit.* ibid. *fuit extribu Iuda.* 895.2.a. *plus habet gratiæ, quàm omnes homines ſimul, ad eam ſe Chriſti gratia extendit.* 82.1.c. *ſalutatione ſua Eliſabetham & Ioan. Baptiſtã repleuit Spiritu S.* 33.1.c. *ipſa & Ioſephus vexillum caſtitatis non tantùm virginibus, ſed & coniugatis prætulere.* 242.1.a. *eſt ſpes noſtra mediatè.* 698.1.b
Virgo corpore & ſpiritu ſancta ſit. 255.1.b. *virginem non facit abſtinẽtia à coniugio, ſed amor integritatis.* 746.1.b. *virgines omnes ſanctæ ad lupanar ductæ ſemper indemnes inde exiere.* 258.1.b. 898.2.b. *virginũ dignitas, quam ſimul & nuptias ſuas, religioſè colere debent.* 396.2.a. *virgines olim cinctæ.* 547.2.c. *an debeant manere virgines.* 250.1.d. *virginum flammeum erat ſacrũ velum.* 286.1.d. *olim pulla veſte induebantur.* 2.a. *nudo capite incedentes ſe & alios periculo lapſus exponunt.* 1.c. *caueant ne vmquam ſine arbitro cum viro loquantur.* 727.2.d. *ſunt angelis ſimiles.* 255.2.d. *ſpirituale connubium ineunt cum Chriſto.* 256.1.a. *earum proles.* ibid. *plus veteris à Chriſto amantur.* ibid.b. *ſunt nobiliſſima pars Eccleſiæ.* ib.c. *in cælo eximium habent præmium.* 2.a. *non debẽt Chriſto ſe dicare, niſi velint perſeuerare.* 244.2.b. *iis olim ſacratis cur daretur annulus & velum.* 396.1.d
Virginitatis præconia & dotes. 255.1.b. *eius ſymbolũ eſt cingulum.* 547.2.c. *ea eſt nota veræ Eccleſiæ, quæ non inuenitur apud hæreticos.* 41.2.d. 256.1.c. 369.1.a. 651.2.a. *per eam animæ perfectiſſimè Deo deſpõſantur.* 396.1.c. *coniugio præſtat dupliciter.* 252.1.d. 255.1.c. *non eſt præceptum, ſed conſiliũ.* 246.1.b. 251.1.a. *eius votum non eſt laqueus.* 256.2.d. *in ſe eſt virtus.* 255.1.d. *virginitas inter tres in Eccleſia ſtatus præcellit.* 2.b *eius elogia.* ibid.c.d. *octo eius excellentiæ.* ibid.d. *eſt imitatio vitæ angelicæ.* ibid. *eſt holocauſtum.* 256.1.a. *facit hominem Deo ſimilem.* 2.a
Virtutem aliquam quilibet à Deo accepit, in qua alios præcellat. 570.2.d. *in infirmitate perficitur.* 407.2.c.d. *virtutis cuiuſlibet dimenſiones.* 499.2.d. *virtus omnis eſt gloria digna.* 225.2.d. *virtus omnis definiẽda per charitatẽ.* 179.1.c. 306.1.d. *ſeipſa contenta eſt.* 762.2.c. *virtus virtutẽ adeſcat.* 582.1.c. *ſine patientia non eſt perfecta.* 306.1.c. *creſcit aduerſis.* 407.2.d. *virtus externa eſt indumentum Chriſtiani.* 181.1.d. *virtus infidelium vana eſt & falſa.* 189.1.a. *eſt in medio ſita, ſicut centrum in circulo.* 700.2.d. *nulla per ſe conſiſtit, ſed indiget ope aliarum.* 641.1.d
Virtutes heroicæ Apoſtoli Pauli in curſu Euangelij. 6.1.c. 800.2.d. *virtutes reprobis cooperantur in malũ.* 114.1.c.d. *earum perfectio conſiſtit in promptitudine voluntatis.* 380.2.a. *omnes ſunt fructus Spiritus ſancti.* 458.2.a. *omnes in prudentia connexæ.* 727.1.b. *lumina ſunt veritatis.* 548.1.c. *meliùs diſcuntur exercendo quã ſpeculando.* 878.2.a. *iis tanto conatu ſtudendum, quanto quis ſectatus eſt vitia.* 90.1.d. *earum progreſſus tentationibus comparatur.* 276.2.c. *virtutes epiſcopales & vitia contraria.* 818.2.d. *virtutes heroicas & raras cur in Epiſcopo nõ requirat Apoſtolus.* 729.1.d. *dicuntur maiora miracula virtutes.* 300.2.b
Viſcera ſanctorum quomodo requieſcere & refocillari dicantur. 835.1.a. *viſcera charitatis.* 523.2.b. *viſcera ſunt ſymbolum miſericordiæ.* 160.1.a. 570.1.a. 835.1.b. 560.1.b.
Viſio beatifica cur dicatur ſtella matutina. 329.1.d. *viſio ſupermundana quomodo tertium dici poſſit cælum.* 403.1.d. *viſio S. Gregorij Nazianz. de ſapientia & caſtitate.* 257.2.d. *viſio Furſei de igne futuro intelligenda.* 217.1.a
Vita æterna promiſſa & datur certantibus. 767.2.d. *eam quibus promiſerit Deus.* 816.1.a. *quomodo dicatur*

tur gratia vita æterna. 63.1.a. 91.2.b. in ea post resurrectionem amplius non moriemur. 87.2.c
Vita nostra momentanea est. 180.1.b. 559.1.c. decrescit dum ætas crescit. 763.2.c. eius fluxus comparatur cum torrente. 254.2.b. mercatus est, in quo omnes opes, putà virtutes, comparare possumus. 466.1.d. 531.2.d. vigilia est. 666.1.a. magis mors est quam vita. 639.c.1. eius brevitas. 252.1.a. 763.2.c. eius ærumna. 566.1.a.b. stadium est. 807.2.b. vera vita est in cælo, falsa hic. 772.1.c. longa promittitur filijs parentes honorantibus. 541.1.b. eam solet Deus ob peccata abbreviare. 530.1.c
Vita Christiana militia est. 180.2.a. vitæ radix cor. 36.1.b. vita bona non est differenda in crastinum. 866.2.a. vitæ iustæ præmium. 826.2.c. vita spiritualis & supernaturalis credentibus promittitur. 36.2.d. vita bona, bona conscientia est. 700.1.c. vita agenda cælitus & sancta. 565.1.c. vitæ spiritualis causa formalis est iustitia. 105.2.b
Vita mala desinit in hæresin, idq; quatuor ob causas. 710.1.b. hanc castigat Deus per subtractionem sui luminis, veritatis & fidei. ib.c. hæc sola causa hæreseos. 800.2.c
Vita in delicijs est mors. 747.1.d. vita carnalis non erit in cælo. 352.1.b.c. vita cũ impius non caret peccato. 951.1.a. vita docentis maius pondus habet gravitate dictionis. 742.2.d. vita Sanctorum quomodo abscondita in Deo. 638.2.a. vita animæ, maximè beata, à Deo pendet & donatur Dei amicis. 105.1.a. vitæ Apostolicæ descriptio. 227.2.b. & vitæ religiosorum. 370.1.d
Vitia sensim & constanter eradicanda. 639.2.b
Vivere in sua fide est pergere in fide inchoata. 37.1.c. vivere iustitiæ vel peccato. 84.1.b. 88.1.c.d. vivere in lege quid sit. 141.1.b
Vivus quomodo Antichristus mittendus in infernum. 681.2.d. vivos quosnam Christus iudicaturus sit. 662.2.d
Vlcisci Deo proprium. 172.2.a
Vlphilas Apostolus Gothorum Arrianus, suos arrianismo imbuit. 392.1.b
Vmbra Pauli mortuos ad vitam revocat. 11.1.c
Vna sabbati est prima dies hebdomadæ. 335.1.b
Vnctio significat dationem alicuius virtutis. 849.1.b. item gratiam Christi. 2.c
Vngulis boum grana excutiuntur in tritura. 264.2.d
è fidelium Vnione multum religioni accedit. 190.2.d. ea tanta esse debet, quanta est membrorũ in corpore. 303.1.a. ad eam stimulus est vna spes vocationis. 502.2.d. homines etiam debilissimos conservat. 1.d
Vnionis cum Deo excellentia & vtilitas. 237.2.b. in vnione hypostatica declaratur Patris & Spiritus sancti potentia. 31.2.d. per hanc ipse Deus & Spiritus sanctus resurrectionem mortuorum induxit, fecitque vt Christus ad vitam resurgeret. ibid.
Vnitas spiritus cum Deo est similitudo Dei. 237.2.c
Vocantes & vocati ad fidem, ignobiles, pauperes & rudes. 205.2.d
Vocare Dei est efficax. 68.1.b. vocari pro vereè esse in Scripturis res aliqua dicitur. 138.1.d. 927.2.a
Vocatio opus est gratiæ Dei. 18.2.d. 206.1.d. vocatio Dei efficax & inefficax est. 156.1.b. circa eam tria notanda. 200.2.d. non pendet ab hominis dispositione. 473.2.c. vocatio hominis interior cui tribuenda. 215.2.a. vocatio prima excludit opera existentia & futura. 129.2.d
mysteriũ Vocationis Gentiũ primus cognovit Paulus. 3.2.c ea est ex meritis Christi. 495.2.b. id quomodo Prophetis ignotum fuerit. 492.2.d. vocatio Gentium æquè ac Iudæorum Sacramentũ voluntatis divinæ. 475.2.d
Vocati secundùm propositum qui sint. 115.1.b. vocati tam ij qui sub veteri testamento, quàm qui sub novo. 916.1.d
Voluntas Dei alia antecedens, alia consequens. 714.1.c. eius interpretes sunt concionatores. 379.2.a. est illa qua significat quid velit & iubeat nos facere. 658.1.a. ex pura voluntate Dei Iudæi à fide reiecti, Gentiles electi ad eamdem. 124.1.b. est triplex, bona, beneplacens & perfecta, quænam. 162.2.b. quomodo ab Apostolo describatur. 163.1.a. ei nemo obstrepere debet. 136.2.a
Voluntas nostra attemperanda divinæ, & ei conformanda. 163.1.c. id exemplo pulchro confirmatur. ibid.
Voluptates spirituales contrariæ carnalibus. 799.1.d. eis non immorandum. 253.1.b. non sunt condignæ ad pœnas æternas. 109.1.c. in eas proni iuvenes sunt. 824.2.b. voluptas coniugij fellea. 252.2.c. voluptas maxima vicisse voluptatem. 458.2.b. 799.1.c
Votum cherem quod esset. 125.2.a. vota adolescentulis mensirua potiùs quàm perpetua permittenda. 754.2.d. vota religiosa allegoricè per mensam, candelabrum & altare significantur. 911.1.c. hîc anima perfectissimè Deo desponsatur. 396.2.c. voto castitatis adstrictis, eamq; professis satius est viri & fornicari quàm secundo nubere. 244.1.c. votum continentiæ olim non irritabat matr. sed quando cœperit irritare. 753.2.c.d. voto astricta an meliùs faciant si fornicentur, si nubant, quàm vrerentur. 244.2.c. votum est pars quædam virtutis religionis. 752.2.a
Vovens, dat Deo arborem cum floribus. ibid.b
Vrbanitas qualis Christiano vsurpanda. 525.2.d. immoderata non est virtus. 526.1.b
Vrbanus Pontifex inter sepulcra Martyrum repertus. 956.2.d
Vrbes maritimæ vndenam malè morata. 820.1.d. vrbes quadratæ firmissimæ, ornatissimæ. 900.2.c. vrbes primariæ cur primò adierint Apostoli. 477.2.c
Vri qui populi in Peruuia fugientes hominum. 42.2.b
Vrim & tummim, id est doctrina & veritas, in Rationali pontificis moraliter cur inscripta. 717.1.b
Vtendum est necessariò cibo, potu, quiete, &c. 161.2.c
VViclef asebat iustos esse propriè rerum omnium dominos. 221.1.c. docuit sacerdotes pares esse Episcopis. 818.1.a
Vxore castè vtendum. 638.1.d. quomodo colere & timere debeat virum. 539.1.b. voto astricta debitum reddere potest, non exigere. 244.2.d. marito mortuo soluta est vinculo maritali. 93.2.b. sui corporis non habet potestatem & quomodo. 241.2.a. vt viro imperet, pareat. 643.1.d. eius vitium tolerandum aut tollendum. 539.2.d. vxori & viro par ius in matrimonio & divortio. 245.2.b. ei dantur varia præcepta. 534.2.b

Xenophon in sermone suavissimus fuit. 645.2.a
Xystarchus Martyrum Spiritus sanctus. 856.2.b

Zelotæ Iudæi quàm in sua opinione pervicaces fuerint. 828.1.b
Zelus ignis quis sit. 932.2.d. zelus est quasi pallium Dei. 551.2.d. zelus Apostoli. 126.1.b. 454.2.b. 559.2.a. zelus eius pro iudaismo, deinde pro Euangelio. 1.2.c. zelus animarum, & studium homines convertendi est opus angelicum, non humanum. 852.2.b
Zenas Pauli socius erat peritus legis Mosaicæ, & proinde ad Iudæos reuincendos aptus. 832.2.a
Zeno vxores communes in republ. statuebat. 41.1.c
Zona quinque significat. 547.1.c. zona pontificis quid significet symbolicè. 713.1.b
Zoroastres quomodo Deum definiat. 973.2.c
Zuinglius censet Gentiles iustos sine Christi fide salvatos. 47.2.d. ait non peccatum, sed tantum pœnam peccati transisse in omnes homines. 76.2.d. eum docuit Damianus. 417.2.c. 755.2.a.

INDEX MATERIARVM

PRO CONCIONIBVS EVANGELIORVM

DOMINICARVM TOTIVS ANNI ET FESTORVM

principalium: ex Epistolis D. Pauli, quæ in hisce commentarijs ab auctore explicantur & elucidantur.

SVRGENT PSEVDOCHRISTI, ET PSEVDOPROPHETÆ. *Luc* 21 De persecutione Antichristi, quæ extremum iudicij diem præcedet, itemque de defectione a Romano imperio 1. *Thess.* 2. *vers.* 3 *& seqq.*

ERVNT SIGNA IN SOLE ET LVNA Omnes creaturæ in die iudicij contra impios pro Christo iudice pugnabunt. *Hebr.* 10. *v.* 27.

TVNC VIDEBVNT FILIVM HOMINIS, &c. De ordine & progressu diei iudicij. 1. *Thess* 4. *v.* 16 *& seqq* Quare dies iudicij nobis sit incerta. 1. *Thess.* 5 *v.* 1. Quando iudicium fiet. *ibid* Facies Christi iudicis erit electis lumen, reprobis pœna. 2. *Thess* 1. *v.* 9. Christus iudex erit omnibus admirationi *ibid. v* 10. Vide quæ notata sunt de iudicio, Dom. 8. post Pentec. & Dom. 24.

DOMINICA II. ADVENTVS.

CVM AVDISSET IOANNES IN VINCVLIS OPERA CHRISTI, *Matt.* 11 Pro Christi gloria vinciri quam glorioſum. *Ephes.* 3. *v.* 1. vbi multus agitur de laudibus vinculorum S. Pauli ex D. Chrysost. & 1. *Tim.* 2. *v.* 8 Quomodo vincula Pauli omnes Christianos ad crucem animent. *Coloss.* 4. *v.* 18.

CÆCI VIDENT, &c. Noua fides miraculis debet confirmari. 2. *Cor.* 12. *v.* 12.

BEATVS QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME, &c. Scandalum quid sit, & vnde dicatur. *Rom.* 14. *v* 13. Scandali peccatum quomodo superiores incurrant. 1. *Cor.* 9. *v.* 13.

ARVNDINEM VENTO AGITATAM. De fidei & morum inconstantia in hæreticis. *Ephes* 4. *v.* 13.

HOMINEM MOLLIBVS VESTITVM. De vano mulierum ornatu in vestibus. 1. *Tim* 2. *v.* 9.

PROPHETAM. Prophetæ vox variè in Scripturis accipitur. 1 *Cor.* 14. *in principio capitis.* Prophetia, qualis sit gratia. *Rom.* 12. *v.* 7.

DOMINICA III. ADVENTVS.

TV QVIS EST *eam.* 14. Omnia nostra quæ habemus, à Deo sunt 1. *Cor.* 4. *v.* 7. Scientia humana quomodo sit vtẽdum. 1 *Cor.* 8. *v.* 1. In quibus nobis gloriandum. 2. *Cor.* 10. *v.* 17 *& seqq.*

PROPHETA ES TV, &c. ET DIXIT, NON SVM. Ioannes verè erat propheta, recte tamen hoc de se negat: possumus enim sine mendacio, etsi sancti & probi videamur, nos alijs omnibus inferiores æstimare, de quo vide *Phil* 2. *v.* 3.

EGO VOX CLAMANTIS Mira S. Ioannis humilitas, contemnentisq; laudes & iudicia hominum. De contemnendis laudibus hominum, 1. *Cor.* 4. *v.* 13. Item de parui faciendis hominum iudicijs. 1. *Cor.* 4 *v.* 3 De humilitate, eius actibus, indicijs, gradibus, eiusque definitione, & proprietate, & fructibus, vide multa *Rom.* 12. *v.* 16.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

PRÆDICANS BAPTISMVM POENITENTIÆ. *Luc.* 3. Pœnitentia non consistit in sola vitæ mutatione, sed etiam in satisfactione per opera pœnalia. 1 *Cor.* 7. *vers.* 10 Pœnitentia hæreticorum quàm sit vana, *ibidem.* Pœnitentiæ ritus apud veteres. *ibid* Exempla & mores pœnitentiũ. *ibi.*

OMNIS VALLIS ADIMPLEBITVR. Hic poterunt esse vsui quæ de humilitate notata sunt Dominica præced.

IN FESTO NATIVITATIS.

VERBVM CARO FACTVM EST. Filij Dei diuinitas multis probatur. *Hebr.* 1. *v.* 3 *& seqq.* Filius Dei qua Verbum, est imago Patris. 2. *Cor.* 4. *v* 4. Est ipsi proprium esse imaginem. 2. *Cor* 4. *v* 7. Christus omnia humanę naturæ assumpsit, excepto peccato; & naturæ defectibus. *Hebr.* 1. *v.* 17. Christi erga homines amor. *Tit.* 3. *v.* 4 *&* 5 De æterna Filij Dei generatione. *Heb.* 1. *v.* 5. Secundùm originem temporalem ortus est Christus ex tribu Iuda. *Hebr* 17. *v.* 14. Secundùm hunc ortum quomodo vocetur radix. *Roman* 15. *v.* 10. Marcionis, Ebionis & Valentini hæreses de Christo reiciuntur. *Roman* 1. *v.* 3. Reiicitur Arrianorum obiectio. *Coloss* 1. *v.* 15. Attributa diuinitatis & humanitatis quomodo Christo conueniant. *ibid. v.* 4. De dimensionibus mysterij incarnationis *Ephes.* 1. *v.* 18. Contra Simonem Magum docetur Christum esse creatorem omnium, & hominum redemptorem, non verò angelos *Coloss* 1. *toto cap. & seqq.* Filius Dei quare vocetur a D. Paulo sermo *Hebr.* 4. *vers.* 12.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

POSITVS EST HIC IN RVINAM, ET IN RESVRRECTIONEM MVLTORVM IN ISRAEL. *Luc.* 2. Iudæorum reiectio à iustitia & salute docetur. *Rom* 9. *à v* 1. *vsque ad* 6. Neque tamen Deus iniustus fuit permittendo hunc casum Iudæorum. *ibid v.* 14 Directam & propriam causam huius reiectionis docet esse Apostolus, quòd Iudæi noluerint in Christum credere, *vers.* 30. Eandem causam habet, & reiectionem prosequitur *toto cap.* 10.

ET HÆC VIDVA. Multa de viduis habentur 1. *Tim.* 5. *v.* 3. Quales olim erant viduæ *ibid* Probarum viduarum exemplar S. Monica. *ibid.* Septem dotes probarum viduarum. *ibidem.*

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

Circumcisio quadruplex erat signum. *Roman.* 2. *vers* 22. Circumcisio quibus de causis a Deo instituta. *Roman.* 4. *v.* 11. Cur eam Deus non instituerit in alia parte corporis. *Roman.* 2. *v.* 29. Circumcisio in magno honore apud Gentiles fuit habita. *Ephes.* 2. *v.* 11. De circumcisione spirituali. *Rom.* 2. *v.* 29

VOCATVM EST NOMEN EIVS IESVS De nomine Iesu vide multa *Phil.* 2 *v* 9. Primò de etymologia nominis Iesu. Quantopere sit venerandum, Est maius quàm nomen Deus, Eo aburentes quomodo peccent, Est oleum effusum, Est prædictum à Prophetis & Sibyllis, *ibid* Hoc nomen quoties Paulus in suis epistolis repetat. *Ephes.* 1. *v* 10. Quomodo omnia nostra in nomine Domini sint agenda. *Coloss* 3. *v.* 17.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERVNT, &c. *Matth.* 2. Hic agi poterit de vocatione Gentium. *Rom.* 9. *in principio capitis.* De summo hoc beneficio agitur etiam *Ephes.* 2. *totũ cap.*

VIDIMVS STELLAM EIVS IN ORIENTE. Magna hæc Magorum fides, cui consimilis est fides Abrahæ contra spem in spem credentis, *Roman.* 4. *v.* 3. Magna etiam Magorum obedientia, magna etiam Abrahæ filium immolantis. *Gal.* 3. *v.* 16. Horum Magorum exemplo Dei vocationem sequamur, quam Abraham secutus septem à Deo benedictiones accepit. *Galat.* 4. *v.* 8. In vocatione Dei caro & sanguis non sunt consulendi *Gal* 1 *v* 16.

OBTVLERVNT ET MVNERA. Quomodo corpora nostra instar hostiæ Deo debeamus offerre. *Rom.* 12. *v.* 1 De victima spirituali, *Ephes.* 2. *v* 17. Quatuor conditiones victimarum corporalium, quæ debent conuenire spiritualibus victimis. *Rom* 12. *v.* 1.

AVRVM, THVS ET MYRRHAM. Quia Doctores quidam mysticè per hæc dona intelligunt charitatem, orationem & mortificationem, poterit de illis hic agi. De charitate, 1. *Cor.* 13. *toto cap* De oratione 1. *Thess* 5 *v.* 17. Vide notata de oratione Dom 5 post pascha. De mortificatione huius vitæ, *Coloss.* 3. *v* 5 De mortificatione concupiscentiæ, *Gal.* 5. *v.* 23 Quomodo mortificatio fiat quinque modis. *ibid.* De mortificatione corporis per opera pœnalia 1. *Cor.* 9. *vers.* 27.

Thus odoriferum est. Quarum virtutum odore Deus delectetur. *Ephes.* 5. *v.* 2. Virtutes etiam habent odorem. 2. *Cor.* 2. *v.* 15.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

SECVNDVM CONSVETVDINEM DIEI FESTI. *Luc.* 2 Festa Iudæorum iam abolita sunt, quæ reiicit Apostolus, non autem Christianorum. *Gal.* 4. *v.* 10. In hac vita est pars festi, in cælo festum *ibid.*

ERAT SVBDITVS ILLIS. De Christi singulari obedientia. *Hebr.* 10. *v.* 7. De obedientia in genere. *Heb.* 5. *v.* 8. *Hebr.* 11. *v* 18. De modestia Christiana. *Phil.* 4. *v.* 5.

Sicuti Christus hic a tenetis incipit in templo etiam in-

ter Doctores versari, ita maximi Sancti à puero cœperunt, 2. *Tim.* 3. *v.* 14. 15. Puerorum institutio per catechismum quàm antiqua. *Gal.* 6 *v.* 6. Quinque catechismi capita proponenda. *Hebr* 6 *v.* 1.

De filiorum officio erga parentes. *Ephes.* 1. *v.* 1. *& seqq. Ephes.* 6 *v.* 1.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

NVPTIÆ FACTÆ SVNT IN CANA GALILÆÆ. *Ioan.* 2. De matrimonij institutione in paradiso. *Ephes.* 5. *v.* 30. Matrimonium esse verè nouæ legis Sacramentum, *ibidem v.* 32. Matrimonium non prohibet Ecclesia, 1. *Tim.* 4. *v.* 3. Matrimonij incommoda, 1. *Cor* 7. *v.* 27. *&* 29. Mulier in statu matrimonij per probam filiorum educationem saluabitur, 1. *Tim.* 3. *v* 15. Mulieres quomodo viris subditæ debeant esse, *Ephes.* 5. *v.* 22. *& Colos.* 3 *vers* 17. De matrimonij iure, 1 *Cor.* 7. *v.* 3. De eius indissolubilitate, *ibid. v* 10. De matrimonio fidelis cum infideli, *ibid & v.* 11.

Ex opposito poterit hic agi de castitate. Matrimonio iuncti etiam possunt seruare castitatem. 1. *Cor.* 7. *v.* 6. Virginitatis laus & commoda. *ibid v.* 34 *& seqq.*

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

CVM DESCENDISSET IESVS DE MONTE, *Matth* 5 Faciliorem doctrinam tradendo captui auditorum accommodatam interdum doctor debet descendere, 1. *Cor.* 3. *v.* 2. *Heb.* 5. *v.* 12. Infirmi in fide quomodo suscipiendi, *Rom.* 14. *v.* 1. *Rom.* 15 *v* 1. *&* 1 *Thess.* 5 *vers.* 14. Infirmorum conscientijs quomodo consulendum, 1. *Cor.* 8 *v.* 7. Onera aliorum quomodo portanda, *Gal.* 6. *v.* 2.

SI VIS, POTES ME MVNDARE. Voluntatis nostræ ad diuinam conformationis insigne exemplum *Rom.* 12. *v* 2.

VOLO. Quomodo Deus velit omnes homines saluos fieri, 1 *Tim.* 2. *v.* 4.

Occasione huius centurionis, tantam curam gerentis pro seruo poterit agi de officio dominorum erga seruos. *Ad Ephes.* 6. *v* 6.

Quomodo serui debeant patere dominis, *Ephes.* 5. *v.* 5. *& seqq. Tit.* 2. *v.* 9. *&* 10. *&* 1. *Tim.* 6. *v.* 1. In signum obedientiæ seruorum aures solitæ perforari, *Hebr.* 10. *v.* 5.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

ASCENDENTE IESV IN NAVICVLAM. *Matth* 8. Quia Ecclesia est similis nauiculæ, quæ multis persecutionum fluctibus concutitur, poterit de ea hic agi. Ecclesia licet passa sit multas tribulationes, nunquam tamen defecit, *Rom* 11. *v.* 3. Est mysticum corpus, 1. *Cor.* 12. *v.* 7. *Ephes.* 4. *v* 16. Quæ sit eius anima, quæque exterior forma, *ibid.* Quæ sit iunctura, & compago membrorum eius, *ibid.* Quomodo in ea sint boni & mali, electi & reprobi, 2. *Tim.* 2. *v* 20. Ecclesia vocatur Sion, & quibus de causis, *Hebr.* 12 *v.* 22. Eius quatuor notas tradit Apostolus, *Gal* 4. *v* 26. Quomodo sit sancta, *Ephes.* 5. *v.* 27. Est infallibilis fidei magistra, 1. *Tim.* 3. *v* 14 *&* 15.

ECCE MOTVS FACTVS EST MAGNVS, &c. IPSE VERO DORMIEBAT. Quomodo etiam in afflictionibus & ærumnis Christiani possint gaudere, *Phil.* 4. *v.* 4. Pauli perseuerantia in tribulatione, 2. *Cor.* 4. *v* 8. Tribulatio cur vocetur mors, & mortificatio Iesu, *ibid v.* 10.

Licet Christus hìc dormiat, est tamẽ excitator dormientium, *Roman.* 4 *v.* 18.

DOMINE ADIVVA NOS. In rebus arduis semper ad Deum capiendum est refugium, *Roman.* 4. *v.* 18. In rebus etiam desperatissimis Deo est fidendum, *Hebr.* 11. *v.* 17.

MODICÆ FIDEI QVARE DVBITASTI? De fidei definitione, *Hebr.* 11. *v* 1. *& seqq.* De obiecto formali fidei, eiusque certitudine, 1. *Thess.* 2. *v.* 13. Fides habet semper idem obiectum formale, *Rom.* 1. *v.* 17. Fidei initium est à gratia Dei, 2. *Cor.* 3. *v.* 5. Fides & cognitio supernaturalis, ad salutem est necessaria, *Hebr.* 11. *v.* 6.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

DVM AVTEM DORMIRENT HOMINES *Matth.* 13. Ad spiritualem vigilantiam cohortatio. *Rom.* 13 *v.* 11. Vigilantiæ exempla, *ibid.* Somnus animæ excutiendus, *ibidem.*

NONNE BONVM SEMEN SEMINASTI, QVOMODO HABET ZIZANIA? In Ecclesia esse bonos & malos, electos & reprobos, 2. *Tim.* 2. *v.* 20.

ALLIGATE EA IN FASCICVLOS AD COMBVRENDVM Memoria ignis inferni quàm sit vtilis, 2. *Thess.* 1. *v.* 9. Pœnarum inferni grauitas, *ibid.*

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

SIMILE EST REGNVM CÆLORVM GRANO SINAPIS. *Matth.* 13. Quia per granum sinapis a quibusdam intelligitur fides, poterit hic de fide agi, de qua vide notata Dom. 4. post Epiph. Quia verò secundò per granum hoc alij intelligunt Euangelium eiusque prædicationem, poterit hic agi de Euangelio. De Euangelij vi & efficacia, *Rom.* 1. *v.* 16 Euangelium est compendium legis, *Rom.* 9. *v.* 28 Est quasi gemma, *Rom.* 15. *v.* 19. Operatur salutem animæ & corporis, *Rom.* 1. *v.* 16. S. Barnabas & S. Cæcilia semper gestabant Euangelium in pectore, *ibid.* Est speculum gloriæ Dei, 2. *Cor.* 3. *v.* 18. Quomodo in præparatione Euangelij calceati debeamus esse, *Ephes.* 6 *v.* 15. Quare Deus voluerit prædicari suum Euangelium primò per homines sæculo rudes, 1. *Cor.* 1. *v.* 26.

MVLIER HABENS DRACHMAS. Quia per mulierem hanc quidam intelligunt Ecclesiam, vide quæ de ea sunt notata Dom. 4. post Epiph.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

CONDVCERE OPERARIOS IN VINEAM SVAM. *Matth.* 20. Opera bona esse necessaria ad iustificationem, *Rom.* 2. *v.* 13. *& seqq. Rom.* 3. *v.* 28. Opera bona non minuunt, sed illustrant gratiam Christi, *ibid.* Operum bonorum studium commendatur, *Ephes.* 2. *v.* 10. *Tit.* 2. *v.* 14. Opera bona sunt lux, & quibus de causis, *Ephes.* 5. *vers.* 8. Tempus vitæ est tempus operandi, *Galat.* 6. *v* 8.

QVID HIC STATIS TOTA DIE OTIOSI? Christianorum non est stare; sed ambulare in via virtutis, 1. *Thess.* 4. *v.* 1. Otium vitandum, 2. *Thess* 3 *v* 6. *& v.* 10.

REDDE ILLIS MERCEDEM. Operari intuitu mercedis æternæ bonum est, & meritorium 1. *Cor.* 9. *v.* 10. *Hebr.* 11. *v.* 25. De merito operum nostrorum eorumque condignitate ad gloriam, 2. *Cor.* 4 *v.* 17. *Roman.* 2. *v.* 16. *&* 2. *Tim.* 4 *v.* 8. An Deus ex iustitia debeat nobis mercedem operum nostrorum, *ibid.* De bonorum operum reuiuiscentia, *Heb.* 6. *v* 10.

AN OCVLVS TVVS NEQVAM QVIA EGO BONVS? Vide quæ sunt notata de inuidia Dom. 18 post pentec.

MVLTI SVNT VOCATI, PAVCI VERO ELECTI. De prædestinatione, quid sit, 2. *Tim.* 2 *v* 19. De eius firmitate & efficacia, *ibid.* Eius executio etiam dependet ex nostra cooperatione, *ibid.* Prædestinatio quotuplex, *Ephes* 1. *v.* 5. Prædestinationis an detur causa, 1. *Tim.* 1. *v.* 13. Prædestinationis causæ sex, *Ephes* 1. *vers.* 5. Prædestinationis effectus quinam sint, *Rom.* 8. *v.* 29. Cur Deus vnum præ alio vocet, *Ephes.* 1. *v.* 11.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

SEMEN EST VERBVM DEI. *Luc.* 8. Sola legis notitia non sufficit, sed est adimplenda, *Rom.* 2. *v.* 13. Anima fructum non faciens imbre cælesti, id est, verbo Dei, similis est sterili terræ, *Hebr.* 7. *v.* 6. *&* 8.

1. Quia Scriptura etiam est verbum Dei, poterit hìc de ea agi, de qua vide notata feria secunda Paschæ.

QVÆNAM EST HÆC PARABOLA? Scripturam non esse facilem, & ab omnibus legendam, 2. *Tim.* 3. *v.* 16. Parabola quomodo in Scripturis accipiatur, *Hebr.* 11 *v.* 19.

VT VIDENTES NON VIDEANT, ET AVDIENTES NON INTELLIGANT. Obduratio hominis quomodo Deo permittente fiat. Vide *in canonibus prauis can.* 17. *& Rom.* 1. *v.* 24. *Rom.* 11. *v* 8. Deus quomodo dicatur hominem indurare, *Roman.* 9 *v* 18 Cordis duri insignis descriptio, *Rom.* 2. *v.* 4. Obduratis & obstinatis consulendum vt saltem minus peccent, 1. *Tim.* 1. *v.* 14. quomodo sint arguendi, 2. *Tim.* 2. *vers.* 15.

Obdurationis mentis quinque signa *Rom.* 11. *v.* 8. Deus deferentes se prius, postea etiam deleret eosdem.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

ECCE ASCENDIMVS HIEROSOLYMAM, &c. ET FILIVS HOMINIS TRADETVR, &c. *Luc.* 18. Christus crucifixus exemplar nostrum est, nobis sæpè intuendum. *Hebr.* 3. *v.* 4. Christus elegit crucem & passionem *Hebr.* 2. *vers.* 2. *&* 3. Quare extra portam sit passus. *Heb.* 13. *v.* 12. Crucis Christi vis & efficacia in sex potissimùm elucet. 1 *Cor* 1. *v.* 25. Crucis encomia ex D. Chrysost. *ibid.* Christus crucifixus est nobis liber scriptus *Gal.* 3 *v.* 1.

CÆCVS SEDEBAT SECVS VIAM. Peccata esse opera tenebrarum, *Ephes.* 5. *vers* 13. Sunt tenebris amica *Roman.* 13. *v.* 14 Diabolus infideles excæcat. 2 *Cor.* 4. *v.* 4. De cæcitate Gentilium. *Ephes* 4. *vers.* 18. Philosophi eorum quàm cæci fuerint in diuersis rebus beatitudinem constituendo. *Roman.* 8. *v.* 14.

Quia

Quia hodie multi (prō dolor) nomine tenus Christiani Bacchum colūt, poterit agi de ijs quorum Deus est venter. *Phil.* 3. *v.* 19. Ebrietatis mala & incommoda, *Ephes.* 5. *v.* 18. Excessus in comedendo an possit esse aliquando mortalis. *Gal.* 5. *v.* 20. Esau ex gula vendidit ius primogenituræ. *Heb.* 12, *v* 17. Crapulæ deditus Deo seruire non potest 1. *Cor.* 6. *v.* 13. Conuiuia veterum Christianorum quàm frugalia erant. *Ephes.* 5. *v.* 19.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Cvm ieivnasset qvadraginta diebvs, *Matth.* 4. Ieiunij fructus & laus. 2. *Tim.* 4. *v.* 8. Rectè Ecclesia præcipit ieiunia certis diebus 1. *Cor.* 10. 2. 25. *Tit.* 1. *v.* 15. & abstinentiam a certis cibis. 1. *Tim.* 4. *v* 4. Corporis cura immoderata est fugienda. *Rom* 13. *v.* 14. Corpus est castigandum, & spiritui subiiciendum *ibid.* 1. *Cor.* 9. *v.* 27.

Vt tentaretvr a diabolo. Christus non fuit tentatus sicuti nos, interiori suggestione, sed externa propositione. *Hebr.* 4. *v.* 14 De tentatione vide plurima documenta, 1. *Cor.* 10 *v.* 13. Tentationibus in hac vita sumus expositi. *ibid.* & 2. *Tim.* 3. *v.* 12. Nulla est in hoc mundo tentatio quin gratia Dei, quæ non deest, superari possit. Tentationis optimum remedium est oratio. Nemo tentatur vltra vires. Tentationes sunt occasio virtutum. Quisque habet vires sufficientes ad tentationes superandas. *ibid.* Tentationes qui superant, apti sunt vt alios, qui tentationibus vexantur, iuuent, *Hebr.* 13. *v* 18. Hinc varios Sanctos prō varijs tentationibus superandis inuocamus. *ibidem.*

Accedens tentator. Diaboli calliditas in tentando homines. *Ephes.* 6. *v.* 11. Eius tentationes & insidiæ quomodo sint superādæ. *ibid* & 2. *Cor.* 11. *v.* 14. De diaboli laqueis. 2. *Tim.* 2. *v.* 26.

Quia diabolus per concupiscentias nos tentat, poterit hic agi de lucta concupiscentiæ & spiritus. *Rom.* 7. *v.* 21. In hac vita perpetuam luctam cum carne habemus. *ibid v.* 25. Vide item *Galat.* 5. *v.* 17. De militia Christiana. 1. *Tim.* 1. *v.* 18. Militis Christiani qualis sit agon. 1. *Tim.* 6. *v.* 12.

Dominvm Devm tvvm adorabis De Gentium, etiam sapientium idololatria. *Rom.* 1. *v.* 23.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Transfigvratvs est ante eos. *Matt.* 17 Quia transfiguratio Christi erat quasi præambulum gloriæ cælestis, poterit hic agi de gloria regni cælestis. De magnitudine gloriæ cælestis. 1 *Cor.* 2. *v.* 9 & 2. *Cor.* 4. *v.* 17. *Rom.* 6. *v.* 23. Cælum empyreum cuius sit figuræ. *Heb.* 8. *v.* 2. Cælestis ciuitas quàm bene sit fundata, eiusque felicitas, & opes *Heb.* 11. *v.* 10. De Pauli raptu in paradisum, quid ibi viderit. 2. *Cor.* 12. *v.* 2. *& seqq.* Quidquid hic agimus, aut patimur parum est respectu gloriæ cælestis, quàm exspectamus. *Rom.* 8. *v.* 18 *&* 2. *Cor.* 4. *v.* 17. Gloria cælestis quare vocetur vita æterna. *Rom.* 6. *v.* 23 Æternitas quid sit. *ibid.* Variæ pro meritorum varietate sunt coronæ. 2. *Tim.* 4. *v.* 8. Animæ ad cælum suspirantis descriptio. *Rom* 7. *v.* 23. Spes remunerationis æternæ quantum sit calcar ad fortitet patiendum. *Hebr.* 11. *v.* 26. Propter regnum Dei omnes cruces & mortes sunt æquo animo tolerandæ. *Coloss.* 1. *v.* 13 Hereditas sanctorum quare vocetur sors. *v.* 12.

Et apparvervnt illis Moses et Elias. Mosis parentes de eius natiitate oraculum accipiunt *Heb.* 11. *v.* 23. Mosis pueri elegantia & educatio. *Hebr.* 11. *v.* 29. *& seqq.* Prælegit opprobria & tribulationes. *ibid. v.* 26. Moses in duobus Christo comparatur. Primò, quòd fuerit quasi mediator in testamēto veteri, sicuti Christus in nouo. Secundò, quia fuit primus institutor Synagogæ, sicuti Christus Ecclesiæ *Gal.* 4. *v.* 26. An viderit essentiam Dei? 2. *Cor.* 12. *v.* 3. De splendore radiorum Mosis. 2. *Cor.* 3. *v.* 8.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Erat eiiciens dæmonivm *Luc.* 11 Diabolus cur vocetur rector mundi. *Ephes.* 6 *v.* 12. Aër hic est plenus dæmonibus: dæmones post lapsum seruant ordinē aliquem, qui tamen post diem iudicij cessabit. *ibidem.* Dæmonum vis & potentia. *ibid.*

In Beelsebvb eiicit dæmonia. Quia hæc calumnia ex mera inuidia procedebat, poterit hic de ea agi. Inuidia est virtutum comes. *Philip.* 1. *v.* 15. Inuidiæ remedium est, quærere vnius Dei gloriam. Inuidia facit hominem dæmonem. Inuidiæ octo proprietates. Est vipera & fera animæ. *ibidem.*

Omne regnvm in se divisvm desolabitvr Ex oppositō poterit agi de cōcordia. Concordiæ laudes 2 *Cor.* 4. *v.* 10. *Phil.* 2. *v.* 2. *Ephes.* 4. *v.* 3. Concordiæ præmium. 2. *Cor.* 13. *v.* 11. Vnio inter fideles quanta debeat esse. 1. *Cor.* 12. *v.* 24. *Rom.* 12. *v.* 10.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Cvm gratias egisset. *Ioan* 6. Gratiarum actio in cibi sumptione, etiam apud Iudæos fuit in vsu. *Rom.* 14. *v.* 16. Quomodo ea semper vtendum, & plura alia de ea documenta *ibid.*

Occasione multiplicationis panum poterit hic agi de eleëmosyna. Origo colligendarum eleëmosynarum in primitiua Ecclesia. 2. *Cor.* 8. Christi exemplum nos excitat ad eleëmosynam. *ibid. v.* 9 Eleëmosynæ perfectio in quo consistat *ibid v* 12. An sit aliquod præceptum dandi eleëmosynam, & quomodo illud intelligatur. *ibid. v.* 13. Exempla eorum qui in dandis eleëmosynis excelluerunt. *ibid.* Vide item egregia documenta moralia de eleëmosyna. 2. *Cor.* 9. *v* 4 *& seqq. vsque ad finem cap.* Eleëmosyna est sacrificium odoratum Deo, & Sanctis. *Ephes.* 4. *v.* 17 *Hebr.* 13. *v.* 16.

DOMINICA PASSIONIS.

Qvis ex vobis arguet me de peccato? *Ioan.* 8. In Christo non fuerunt passiones. *Hebr.* 4. *v.* 14. Christus Dominus ita loquitur etiam sibi infensissimis, quia nullius peccati sibi conscius: ita nos neminem curemus, si bonæ conscientiæ simus. Poterit hic ergo agi de conscientia. De conscientiæ tranquillitate. *Roman.* 5. *v.* 1. *&* 1. *Tim* 1 *v.* 3. Conscientiæ vis *Rom.* 2. *v.* 15. 16. 17 *&* 2. *Cor.* 1. *v.* 12. *&* 1. *Tim.* 1. *v.* 5. Quis bonus finis, vsus & modus conscientiæ sit. 2 *Cor.* 1. *v.* 12. Confidentia bonæ conscientiæ in morte quantum sit bonum. 2. *Tim.* 4. *v.* 8.

Ego dæmonivm non habeo. Christus hic calumniantibus valdè mansuetè respondit, poterit hic itaque agi de virtute mansuetudinis Vide 2. *Tim.* 2. *v.* 24.

Abraham pater vester. Abrahæ septem benedictiones promissæ. *Gal.* 3. *v.* 8. Obedientia sua quantum sit meritus. *ibid v.* 16. De insigni eius obedientia & fide. *Hebr.* 11. *vers* 8. *& seqq.* Abraham maior Aarone, minor Melchisedeco *Hebr.* 7. *v.* 4 Quare dederit decimas Melchisedeco. *ibidem.*

DOMINICA PALMARVM.

Benedictvs qvi venit in nomine Domini. *Matt.* 21. Hæc eadem turba, quæ Christum iam cumulat tot benedictionibus, die Veneris clamabit, *crucifigatur.* Poterit ergo hic agi de fallacia & instabilitate gloriæ huius mundi. *Ephes.* 5. *v.* 14. *Rom.* 3 *v* 4 *&* 1. *Cor.* 7. *v.* 31.

Quia Ecclesia hodie proponit fidelibus Christi passionem, poterit hic agi de Christo crucifixo, eius passione & cruce. Quomodo Christus in cruce dicatur à Deo derelictus, vbi impia Caluini blasphemia dicentis Christum in cruce desperasse, reiicitur. *Hebr* 5. *v* 7. Quomodo semper à Deo Patre sit exauditus. *ibidem.* Christi crucifixi summa gloria. *Gal.* 6. *v.* 14. Christus crucifixus est idea veri Religiosi. *ibid.* Ei concrucifigi debent & Religiosi, & laici. *ibid.* Christo quomodo cooperandum. *Coloss* 1. *v.* 24. De chirographo decreti per crucem deleto. *Coloss.* 2, *v.* 14. Virtus crucis in se, suique prædicatione enituit. 1 *Cor.* 1. *v.* 24. Est signum victoriæ, & triumphi. *ibid v.* 25. De dimensionibus crucis. *Ephes.* 3. *v* 18 Christiani omnes vocantur ad crucē. 1. *Thess* 2. *v.* 3 Quomodo debeant mundo crucifigi. *Gal.* 6. *v.* 14. Stigmata Christi quinam moraliter in corpore portent. *Gal.* 6. *v.* 17 Inimici crucis qui sint *Phil.* 3. *v.* 18. Quare Ecclesia crucem exaltet. *ibid.* Se cruce signare ad omnium operum initium quàm sit antiquum. *ibid.*

IN FESTO PASCHÆ

Svrrexit, non est hic. *Marc.* 16. De resurrectione Christi. 1 *Cor.* 15. *v.* 3. *& seqq.* Quomodo Christus corpus nostrum configurabit corpori claritatis suæ. *Phil.* 3. *v.* 21. Per resurrectionem suam Christus nihil est meritus. *Rom.* 4 *v.* 25.

De resurrectione nostra futura 1. *Cor.* 15. *v.* 31. *& seqq.* De dotibus corporis glorioſi. *ibid. v* 42. Omnes quidem resurgemus, sed dispari modo *ibid.* In resurrectione an sit futura sexuum diuersitas. *Ephes* 4. *v.* 13. In qua ætate & statura omnes resurgemus. *ibid.*

De resurrectione spirituali *Coloss.* 3. *v.* 1. Hominis veteris & noui descriptio. *Coloss* 3. *v* 5. *&* 9. *Ephes.* 4. *v.* 22. Quomodo renouandus *ibid.* Vitæ renouationi quomodo incumbendum. *Rom.* 12. *v* 1.

Occasione mulierum venientium ad sepulchrum poterit hic agi de mulieribus Mulierū institutio. *Coloss* 3. *v.* 17. Mulierum decens & ornatus habitus quis, 1. *Tim.* 2. *v.* 9. Vetularum habitus decens qualis debeat esse. *Tit.* 2. *v.* 3.

Ma-

Mulierum exempla quæ viros ad Christum conuerterunt, 1. *Tim* 2. *v.* 9. Mulieres per rectam prolium educationem saluantur, *ibid. v.* 5.

FERIA II. PASCHÆ.

TV SOLVS PEREGRINVS ES. *Luc.* 24. Peregrini sunt omnes homines in terris. *Hebr.* 11. *v.* 13.

O STVLTI ET TARDI CORDE AD CREDENDVM! Vitia quomodo corrigenda, & increpanda. 2. *Tim.* 4. *v.* Superiores interdum dutis verbis possunt subditos corrigere. *Galat.* 3. *vers.* 1. Quomodo se gerent in reprehendendis vitiis. 2. *Cor.* 7. *v.* 13. Fraternæ correptionis modus. *Gal.* 6. *v* 1. & 2. *Tim.* 4. *v* 2.

INTERPRETABATVR ILLIS IN OMNIBVS SCRIPTVRIS, QVÆ DE IPSO ERANT. Scripturæ lectio est vtilis, *Hebr.* 12. *v.* 5 Scriptura est à Spiritu sancto, 2. *Tim.* 3. *v.* 16 Eius sensus est profundus, nec debet à quolibet scrutari. *ibidem.* Ad quid sit vtilis. Sola non sufficit vt hominem reddat perfectum *ibid. v.* 17. Est pharmacum pro omnibus animi morbis. *ibid* Fuit S Paulæ clypeus contra omnes tentationes. *ibid.* Scriptura quanto fuerit in honore apud Iudæos. *Hebr.* 10 *vers.* 7.

NONNE HÆC OPORTVIT PATI CHRISTVM? Christus tribus de causis debuit pati. *Hebr.* 2. *v.* 11. Pij omnes hic patiuntur persecutionem. 2 *Tim.* 3 *v.* 12.

FINXIT SE LONGIVS IRE. An licitum sit aliquando simulare *Galat.* 2. *v.* 11. Simulare & mentiri longè differunt. *ibid.* Omnis fraus & deceptio debet à Christiano exulare. *Ephes.* 4 *v.* 25. Mentiri numquam licet *ibid. v.* 31.

DOMINICA IN ALBIS,

PAX VOBIS. *Ioan* 20 Pax quadruplex. *Phil.* 4. *v.* 7 Pax est scutum Christianorum impenetrabile. *ibid* Pacis fortitudo & effectus *ibid.* De pace vide multa, *Coloss* 3. *v.* 15.

QVORVM REMISERITIS PECCATA, REMITTVNTVR EIS. Ordinem esse vnum ex septem nouæ legis Sacramentis. 1. *Tim.* 4. *v.* 14. Absoluendi potestas penes quos sit. 2. *Cor* 2. *v.* 10. De dignitate ministrorum noui testamenti. 2. *Cor.* 3. *vers.* 6.

BEATI QVI NON VIDERVNT ET CREDIDERVNT. Fidei euidentia non est in ipsis rebus, sed in Deo attestante. *Heb.* 1. *v.* 1. Fidei est credere quod non vides. *ibid.* Fidei certitudo vnde oriatur. 2. *Thess.* 2. *v.* 13.

DOMINICA II. POST PASCHA.

EGO SVM PASTOR BONVS. *Ioan.* 10. S. Paulus egregium & insigne exemplar Pontificum, Prælatorum & Pastorum Ecclesiæ, de eorum officio passim multa docet, quæ ab auctore eruditissimè & elegantissimè illustrantur. Erit ergo superiorum Ecclesiæ meditando sibi ea applicare, aut, vbi auditorium id exigit, suis proponere. Pontificis tres conditiones. *Hebr.* 5. *v* 1 Pastorum duo officia, 1. *Cor.* 1. *v.* 17. Pastor sit talis vt eum subditi possint imitari. *Phil.* 3. *v* 17. Quæ Apostolus de Episcopis docet, etiam suo modo de Pastoribus dici possunt. Vide *Tit.* 1. *v.* 1. & 2. *Tim.* 1. *v.* 7 & *seqq* 1. *Tim* 3. *v* 1. & *seq.* Episcoporum primum munus est orare pro se ac suis. 1. *Tim* 2. *v* 1. Quæ sit militia Episcoporum & Pastorum, 1. *Tim.* 1. *v.* 18. Pastor alios docens se non negligat. 1. *Tim.* 4. *v* 16. Populus est corona sui Episcopi. *Phil.* 4. *v* 1 & 1. *Thess* 3. *v.* 19. Quàm sincerè paulus Euangelium prædicauerit. 1. *Cor.* 4. *v.* 1. & *seqq.* Eius exemplo qui prædicant, quàm multis tribulationibus sint obnoxij. *ibid. v* 8. & *seqq* Prædicatores etiam conferant Euangeliũ cum alijs exemplo Pauli. *Galat.* 1. *v.* 16. & *c.* 2. *v* 2.

Animas qui volunt conuertere, ijs strenuè est laborandum *Gal.* 4. *v.* 19 Quomodo Prælati debeant sibi conciliare auctoritatem. 2. *Cor.* 11. *v* 23. In quibus debeant gloriari. *ibid v* 27. Quid ab eis in die iudicij Christus exiget. *ibid.* Quæ officia Doctoribus cum angelis sint cõmunia. *Ephes.* 3. *v* 9. Humilitas Doctoribus est necessaria. Doctor qualis debeat esse. *Tit.* 2. *v.* 7. & 8.

Sicuti Pastorum est, pascere subditos verbo ac doctrina, ita subditorum est Pastores suos alere temporalibus subsidijs. *Phil* 1. *v* 4 Eorum qui hoc faciunt merces. *ibid.*

Quia apud sacros & profanos auctores etiam Principes sæculares ac magistratus vocantur Pastores, hic poterit de eis etiam agi, & multa quæ de Episcopis & Pastoribus dicuntur, eis accommodari. Vide quæ de Principibus sæcularibus notata sunt Dominica 22. post Pentec.

DOMINICA III. POST PASCHA.

MODICVM, ET IAM NON VIDEBITIS ME. *Ioan.* 6. Apud Deum omnia tempora sunt quid modicum. *Heb.* 10. *v.* 37.

TRISTITIA VESTRA CONVERTETVR IN GAVDIVM. Tristitia sæculi, & tristitia secundùm Deum quomodo differant. 2. *Cor.* 7. *v.* 9. Vsus & fructus tristitiæ. *ibid.* Septem effectus tristitiæ. *ibidem.* Consolationes diuinæ semper sunt maiores passionibus. 2. *Cor.* 1. *v.* 5. Differentia gaudij Sanctorum & mundi. 2. *Cor.* 6. *v.* 10. Quomodo semper in Domino debeamus gaudere. *Phil.* 4. *v.* 4.

QVIA NATVS EST HOMO IN MVNDVM. Anima rationalis quomodo in homine creetur, & corpori vniatur. *Heb.* 7. *vers.* 10.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

DE PECCATO, QVIA NON CREDIDERVNT IN ME. Peccatum hoc erat infidelitatis, quia Iudæi Christo noluerunt credere, reiecti sunt. Poterit ergo hic agi de reiectione Iudæorum. De qua vide *ad Rom. toto cap.* 9. Infidelitas quàm magnum sit peccatum. *Hebr.* 3. *v.* 17. Veritatem oblatam recusantes pœna infidelitatis & errorum puniri solent. 2. *Thess.* 2. *v* 8.

DE IVSTITIA. Multis ostendit Paulus quàm sit excellens iustitia quam per Christum sumus consecuti. Recenset ergo sex fructus huius iustitiæ *Roman.* 5 *toto cap.* In quo consistat vera iustitia *Rom.* 10. *v.* 5 Iustitia inchoatur, conseruatur, & promouetur fide. *Heb.* 10. *v.* 38. Vide in Indice rerum verbo *Iustitia.*

DE IVDICIO. Peccauerant Iudæi de Christo malè iudicando, quia eum dixerant non esse Prophetam, nec Deum. Poterit itaque hic agi de iudicio temerario. Quatuor rationibus docetur, quantopere illud sit vitandum. *Rom* 14. *v.* 5. Hominum iudicia contemnenda. 1. *Cor.* 4. *v.* 3.

MVLTA HABEO VOBIS DICERE. De traditionibus ac decretis Pontificum, ea non esse contra Scripturas. *Gal.* 1. *v.* 8. Item de traditionibus. 2. *Thess.* 2. *v.* 14.

DOMINICA V. POST PASCHA.

SI QVID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO. *Ioan.* 16. Quænam conditiones in oratione sint requisitæ. *Ephes.* 6. *v* 18 Varia de oratione documenta. Vide *ibid.* De vi & efficacia orationis. *Philem. v* 22. Ab oratione omnis nostra actio est inchoanda. 1. *Tim.* 2. *v.* 1. Priscus modus manè orandi. De loco orationis. 1. *Tim.* 2. *v.* 8. Quare eleuatis manibus oremus *ibid.*

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

EXPROBRAVIT INCREDVLITATEM. *Marc.* 16. Vide notata de correptione fraterna feria 2. Paschæ.

PRÆDICATE EVANGELIVM OMNI CREATVRÆ. Vide quæ de Euangelio sunt notata Dom. 6. post Epiphaniam. Quomodo hoc Christi mandatum impletum sit. *Coloss.* 1. 23.

QVI CREDIDERIT. In vnica fide tantùm possumus saluari. *Ephes.* 4 *v* 5. Sola tamen non potest iustificare. *Gal.* 5. *v.* 6. Vide notata Dominica XIII. post Pentec.

ET BAPTIZATVS FVERIT. Vide notata de baptismo Dominica Trinitatis.

ASSVMPTVS EST IN CÆLVM. De Christi ascensione vide multa *Ephes.* 4. *v.* 8. & 10. Ascendit Christus in cælum vt nobis viam & locum præpararet. *Heb.* 7. *v* 20 De ascensione spirituali in cælum. *Coloss.* 3 *v* 1. Quomodo cælestia debeamus sapere. *ibid. Phil.* 3. *v.* 19. *Heb.* 11. *v.* 1. Ante Christi ascensionem nullus cælum intrauit. *Hebr.* 11. *v.* 13.

ET SEDET A DEXTRIS DEI. Quomodo Christus sedeat ad dexteram Patris. *Coloss.* 3. *v.* 2. *Hebr.* 1. *v.* 3. *Coloss.* 3 *v.* 1.

SERMONEM CONFIRMANTE SEQVENTIBVS SIGNIS. Noua fides miraculis debet confirmari. 2. *Cor.* 12. *v.* 12.

DOMINICA INFRA OCTAVAM.

SPIRITVM VERITATIS *Ioan.* 15. Veritas quadruplex est. *Ephes.* 4. *v.* 15. Veritate expletur intellectus, vti stomachus cibo. *Rom.* 14. *v.* 5. Non est contra veritatem, in rebus indifferentibus sequi diuersas opiniones. *Ibid.* Dei veracitas. 2. *Tim* 2 *v.* 13. Veritas habet stabiles pedes, 2. *Tim.* 3. *v.* 9.

VT NON SCANDALIZEMINI. Scandalum quid sit, & vnde dicatur. *Rom.* 14. *v.* 13. Scandalizantes proximum quomodo in Christum peccent 1. *Cor.* 8. *v.* 12.

ABSQVE SYNAGOGIS FACIENT VOS. Quàm hoc Christi dictum verum sit, & quantas tribulationes S Paulus passus sit, ipse multis docet, ac speciatim 1. *Cor.* 4. *v.* 9. & 2. *Cor.* 11. *v.* 24 & *seqq.* Qui Euangeliũ prædicant, quàm multis tribulationibus sint obnoxij. 1. *Cor.* 4. *v* 1. Generaliter etiam omnes qui piè viuere volunt, persecutionem patientur. 2. *Tim.* 3. *v.* 12 Virtus in aduersis crescit 2. *Cor.* 12. *v.* 7. Accenditur exemplo infirmorum. *ibid.*

HAEC FACIENT QVIA NON NOVERVNT PATREM, NEQVE ME infideles priuati cognitione veri Dei, in quam enormia peccata inciderint. *Rom.* 1. *v.* 21. *& seqq.* Fons erroris Gentilium est error intellectus. *Ephes.* 4. 18. Scientia philosophorum destitutorum cognitione Dei quàm vana fuerit. *Coloss* 2. *v* 8 Cognitio supernaturalis requiritur ad iustificationem. *Hebr.* 11. *v* 6.

IN FESTO PENTECOSTES.

SI QVIS DILIGIT ME Amor Dei in hominibus quanta operetur. 1. *Cor.* 4. *v.* 1. Charitas Christi omnibus malis est maior. *Rom.* 8. *v.* 35.

MANSIONEM APVD EVM FACIEMVS. De vnitione animæ cum Deo. 1. *Cor.* 6. *v.* 17. *& seqq.*

PACEM MEAM DO VOBIS. Vide quæ de pace notata sunt Dominica in Albis.

De Spiritu S. multa hìc tractari possunt. Spiritus S. est in nobis quatuor modis. *Rom.* 11. *v.* 6. S. Spiritus diuinitas docetur, 2 *Cor.* 3. *v* 17. Secundùm spiritum Christiani debent viuere. *Roman* 8. *v.* 24. Spiritum extinguere quid sit. 2. *Thess.* 5. *v.* 19. S. Spiritus sigillum in animâ est sanctitas. *Ephes.* 1. *v.* 13. S Spiritus est arrha hereditatis cælestis. *ibid. v.* 14. Quodnam in nobis sit testimonium S Spiritus. *Rom.* 8. *v.* 16. Quatuor efficacia testimonia quòd quis habeat S. Spiritum, & sit filius Dei. *ibid* Quomodo S. Spiritus gratias suas variè distribuat. 2. *Cor.* 12. *v* 4. *& seqq.*

Quia apud Iudæos in festo Pentecostes celebrabatur memoria datæ legis Moysis, & hodie noua lex promulgari cœpit, poterit agi de veteri lege, quomodo ea iam sit abrogata, quo ordine & modo data fuerit. *Gal.* 3. *v.* 13. *Hebr.* 12. *v.* 19. *& seq.* Item de eius abrogatione multa passim *in epist. ad Hebr.* De veteris testamenti tabernaculo, arca, &c. *Heb.* 9 *toto cap.* Deque eorum allegorica significatione. *ibid* Nouæ legis præeminentia & differentia a veteri. 2. *Cor.* 3. *v.* 6. *& seqq Hebr.* 8. *v.* 10 Cognitio qualis sit quam nouum testamentum adferat & requirat. *Hebr.* 9 *v.* 11.

Descendit hodie S. Spiritus sub specie ignis: passim enim in Scripturis Deus se ostendit sub specie ignis. *Hebr.* 12. *vers* 29.

Quia verò secundò descendit sub specie linguarum, agi poterit de linguæ moderatione. *Ephes.* 4 *v.* 29. *& seqq.* *Ephes.* 5. *v.* 4. Non esse necesse lingua vernacula celebrari diuina officia. 1. *Cor.* 14. *v.* 16.

Per confirmationem datur gratia S. Spiritus. Vide de Sacramento Confirmationis, 2. *Cor.* 2. *v.* 21.

FERIA II.

SIC DEVS DILEXIT MVNDVM *Ioan* 14. De hac Dei dilectione vide *Rom.* 5. *v.* 5. *& seqq.* Charitas Dei est incomprehensibilis *Ephes.* 3. *v.* 19. Dei erga nos dilectio. *Ephes.* 5. *v.* 1. *Tit.* 3. *v.* 4. *&* 5. Vehementia & delitiæ diuini amoris. *Galat.* 2. *v.* 20.

VT OMNIS QVI CREDIT IN ILLVM, NON PEREAT. De fidei necessitate *Heb* 11. *v* 6 *& seqq.* Vbi fidei varia & multa adferuntur exempla.

DOMINICA TRINITATIS.

BAPTIZANTES EOS. Baptismi vis. *Tit.* 3. *v.* 4 *&* 5. *Gal.* 3. *v.* 27. De eius cæremoniis. *Tit.* 3. *v.* 4 *&* 5. Recèns baptizatis dabatur olim vinum, lac & mel, & quare. 1. *Cor.* 3. *v.* 1. *Gal.* 3. *v.* 27. Baptismus est illuminatio. *Hebr.* 10. *v.* 32. Baptizatis quare detur cãdida vestis 1. *Cor.* 5. *v.* 7 Immersione in aquâ Christo configuramur. *Rom.* 6. *v.* 5. Baptizati quare vngantur oleo. 1. *Cor.* 9. *v.* 25. In baptismo quomodo iterum creemur. *Ephes.* 2. *v.* 10. Aqua baptismi est aqua purgans & emundans. *Hebr.* 10. *v.* 22. Baptismus iterari non potest. *Hebr.* 6. *v.* 6.

De peccato originali quod per baptismum deletur. *Roman.* 5 *v.* 12. *& seqq. Hebr.* 7. *v.* 10. *Ephes.* 2. *v.* 3.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. De formatione signi crucis ad omnium operum initium. *Phil.* 3. *v.* 18.

De immensitate Dei, *Ephes.* 3. *v.* 18. De scientia Dei, *Roman.* 11. *v.* 33. Vndecim rationes quibus transcendit scientiam creatam, *ibid* Consilia Dei omnibus ignota. *ibi. v.* 34. Quid sit homo respectu Dei. *ibid.* De Trinitate. *ibid*, *& Roman.* 8. *v.* 33. *&* 1. *Cor.* 12. *v* 6 *&* 2. *Cor.* 31. *v.* 13. *Rom.* 11. *v.* 36. Philosophi ex creaturis non potuerunt cognoscere mysterium Trinitatis. *Rom* 1. *v.* 19.

IN FESTO VENERABILIS SACRAMENTI.

CARO MEA VERE EST CIBVS. *Ioan.* 6. De vera ac reali Christi præsentia in Eucharistia, 1. *Cor.* 10. *v.* 16. 1 *Cor.* 11. *v.* 24. *& seqq.* In Sacramento Eucharistiæ in Missa offerri verum ac proprium sacrificium, *Cor.* 10. *v* 21. *&* 1. *Cor.* 11. *v.* 24. *& seqq. Hebr.* 7. *v.* 3. *& v.* 16. *Hebr.* 10. *v.* 18 *Hebr.* 13. *v.* 10. De Christi sacerdotio secundùm ordinem Melchisedec, *Hebr.* 17. *v.* 17. Melchisedec quis, & qualis fuerit, *Hebr.* 7. *v.* 1. *& seqq.* Fuit octo de causis typus Christi, *ibid.* Missæ sacrificium cur iteretur, non autem crucis, *Hebr.* 10. *v.* 2. Confertur cum sacrificio crucis, *ibid.* Triplex differentia sacrificiorum veteris testamenti, & sacrificij Christi, *ibid.*

QVI MANDVCAT ME, VIVET PROPTER ME, Caro Christi est nobis via viuens, *Hebr.* 10. *v* 20. Per Eucharistiam incorporamur Christo, *Ephes.* 5. *v.* 30.

DOMINICA INFRA OCTAVAM.

HOMO QVIDAM FECIT COENAM MAGNAM. *Luc.* 14. Quia per hanc cœnam quidam intelligunt gloriam cælestem, vide de ea notata Dom 2. Quadrag. Quia verò secũdò per illum qui villam emit, quidam intelligunt superbos & ambitiosos, per ementes boues quidam deditos colligendis opibus, per eum qui vxorem duxit eos qui libidini dediti sunt, aut nimio affectu erga rem vxoriam feruntur; hisce præmonitis poterit agi ad illa verba:

VILLAM EMI, de superbia. vide in Indice rerum verbo *superbia, superbus*, Vide etiam notata de humilitate Dom 4. Aduentus. Sui ipsius existimatio dissuadetur, *Rom.* 12. *v.* 3. Christus est speculum humilitatis, *Phil.* 2. *v.* 4. Humilitatis motiua, *Ephes.* 4. *v.* 2. De Christiana humilitate, *ad Philem. v.* 17. Stimulus ad retundendâ superbiam. *Rom.* 3 *v.* 33.

IVGA BOVM EMI. Auaritiæ detestatio, *Ephes.* 4. *v.* 19. *Ephes.* 5. *v.* 5. Diuitiarum appetitus quot secum trahat incommoda, 1. *Tim.* 6. *v.* 9. *&* 10. Diuites quomodo Apostolus instruat. 1. *Tim.* 6. *v.* 17. De diuitiarum incertitudine, *ibidem.* Septem præcepta Apostoli pro diuitibus, *ibid. v.* 19.

VXOREM DVXI. Vide quæ sunt notata de matrimonio, Dom 2. post Epiphan. Mulierem tangere quàm periculosum, 1 *Cor* 7. *v.* 1. vide ibi eorum caput. Carnalium hominum descriptio, 2. *Cor.* 10. *v.* 2. Quænam sint arma carnalia, *ibid. v.* 4. Fornicatio simplex est contra legem naturæ. 1. *Corinth.* 6. *v.* 9. *&* 10. Dehortatur Apostolus multis a fornicatione ob eius incommoda, fœditatem, &c. 1. *Cor.* 6. *v.* 14. *& seqq.*

Ex oppositio agi poterit hic de virginitate, eius laude & commodis, 1. *Cor.* 7. *v.* 24. *& seqq.*

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

ERANT APPROPINQVANTES AD IESVM PVBLICANI ET PECCATORES. *Luc.* 15. De summa Dei clementia erga peccatores. 1. *Tim.* 1. *v.* 13 *&* 16. Nos etiam sicut hi peccatores Christum accedere, imò ad ipsum debemus currere. vide de cursore Christiano, quæ in eo requirantur. *Phil.* 3. *v.* 14. Media excitantia ad cursum Christianum *ibid.* Praxis currendi ad perfectionem. *ibidem.* Pœnitentes tantum persequantur Christũ, quantum ab eo fugerunt peccando. *Philip.* 3. *v.* 12. Conuersi ad Christum non statim debent putare se esse perfectos. *ibid.*

POENITENTIAM AGENTE. Vide nota de pœnitentia Dom. 3. Aduent.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

ASCENDENS IN VNAM NAVIM QVÆ ERAT SIMONIS, DOCEBAT DE NAVICVLA TVRBAS. *Luc.* 5. D. Ambrosius *serm.* 11. *in Lucam*, quòd Christus in naui Petri concionetur, refert ad eius primatum, dicens: *Hanc solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus.* Et postea hic soli Petro dicitur: *Duc in altum*, &c. Poterit hic ergo agi de Ecclesia ac de fidei Christianæ certitudine, & de primatu S. Petri.

De Ecclesia vide notata Dom. 4. post Epiph. Ecclesia vocatur Sion, & quare, *Hebr.* 12. *v.* 22. Ecclesiam numquam defecisse. *Rom* 11. *v.* 4. Ecclesiæ antiqua doctrina omnibus nouitatibus est præponenda. *Gal.* 1. *v* 8. Christianæ doctrinæ, quæ in Ecclesia traditur, certitudo. *Tit.* 3. *v.* 8. Longè Mosaicam doctrinam antecellit. *Hebr.* 1. *v.* 1. *& seqq.*

Nauis est fides, anchora bona conscientia. 1. *Tim.* 1. *v.* 19. Ecclesiæ Romanæ laus. *Rom.* 1. *v.* 8. Stabilitas, & præeminentia. *ibid. & seqq.* Ab ea fidei veritas est petenda. *ibid.* De Ecclesiastica hierarchia. *Ephes.* 4. *v.* 11.

De Petri primatu *Gal* 1. *v.* 18. Et eius prærogatiua. *Roman.* 1. *v.* 5. De auctoritate Pontificis Romani, ipsumque non esse Antichristum vide fusè 2 *Thess.* 2. *v* 8 Pontifex Romanus est iudex controuersiarum fidei. *Gal.* 2. *v* 8. Vide plura notata in festo S Petri.

IN VERBO TVO LAXABO RETE. Omnia nostra ad obsequium Dei esse referenda *Rom.* 14 *v.* 8 Christus nobis est omnia. *Rom* 1 *v.* 14. Deo fidendum etiam in rebus desperatissimis. *Heb.* 11. *v.* 17. Homo ex se nihil potest, sed debet omnia Deo adscribere. 1. *Cor.* 4. *v* 7.

RVM-

RVMPEBATVR RETE EORVM Peccatum schismatis quàm sit graue. *Ephes.* 4. *v.* 3. Item peccatum apostasiæ quam sit graue. *Hebr.* 10 *v.* 26.

FACIAM VOS FIERI PISCATORES HOMINVM. Sicuti piscatores vt piscentur multa debent pati ab aura, ventis, frigore, &c ita qui capere volunt animas, multa debent pati. Vide de hoc notata Dom. 2. post pascha.

RELICTIS OMNIBVS SECVTI SVNT EVM Omnia contemnenda vt Christum luctemur. *Phil.* 3. *v.* 8.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

NISI ABVNDAVERIT IVSTITIA VESTRA *Matth.* 5. Vide quæ sunt notata de iustitia Dom. 4. post pascha

PLVSQVAM SCRIBARVM ET PHARISÆORVM. Sectæ apud Iudæos erant septem. *Phil.* 3 *v.* 6. Pharisæi quales fuerint, de eorum victu, coorinentia, &c. *ibid*

AVDISTIS QVIA DICTVM EST ANTIQVIS. Christus hic perficit legem, ac potissimùm quintum præceptum de non occidendo. Poterit ergo hic agi de infirmitate & abolitione legis veteris. *Galat.* 3. *v.* 11 *Heb.* 8. *& seqq capp.* Vide de hoc notata in festo Pentecostes. Christus quatuor de causis est finis legis. *Rom.* 10. *v.* 4.

QVI IRASCITVR FRATRI SVO. De domanda irâ, vide multa *Ephes.* 4. *v.* 26. De iræ gradibus & remediis *ibid. v.* 3. Iræ quomodo cedendum. *Rom.* 12. *v.* 9. Vltionem non esse quærendam. *ibid.*

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

MISEREOR SVPER TVRBAM. *Marc* 8 Dei in nos misericordia. *Rom.* 11. *v.* 1 Cur Deus vocetur specialiter pater misericordiarum, non iudiciorum. 2. *Cor. v.* 3. Christi ad miserendum propensio. *Heb.* 2. *v.* 18.

IAM TRIDVO SVSTINENT ME. Quia sustinere in Scriptura interdum accipitur pro perseuerare, vt *Psal.* 129. *Sustinuit anima mea in verbo eius*, poterit agi de perseuerantia. De dono perseuerantiæ. *Phil.* 1. *v.* 6. Qui perseuerant digni sunt requie. *Heb.* 4. *v.* 3.

Quia hoc miraculum simile est illi quod refertur Dominica VI. Quadragesimæ, vide ibi notata.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. *Matt.* 7. Per falsos Prophetas hic ordinariè intelliguntur hæretici, de iis ergo, ac de hæresi, hic poterit agi.

Hæretici sunt similes pseudoapostolorum. 1. *Cor.* 11. *v.* 1. Quomodo verbum Dei adulterent. 2. *Cor.* 2. *v.* 17. Eorum vaniloquentia. 2. *Tim.* 2. *v.* 16. 17. Fugiendi sunt instar pestis. *ibid.* Eorum mores. 2. *Tim.* 3. *v.* 2. *&* 3. Eorum hypocrisis. *ibid. v.* 5. Nihil habent veræ scientiæ. *ibid. &* 1. *Tim.* 6. *v.* 1. Eorum peruersa conscientia. 1. *Tim.* 4. *v.* 1. Quomodo cum ijs sit agendum. *Tit.* 3. *v.* 11. An sint capite plectendi. *ibid.* Sunt similes Iudæ. *ibid.* Sunt semper superbi. 1. *Tim.* 6. *v.* 1. Eorum ministri quales. 1. *Tim.* 4. *v.* 3 *&* 4.

Hæresum fons & origo. 1. *Tim.* 1. *v.* 20. Tandem euanescunt, aut abeunt in atheismum. 2. *Tim.* 3. *v.* 9. Hæresis quantum sit peccatum *Tit.* 3. *v.* 11. Hæresis tres proprietates *Hebr.* 13. *v.* 9.

A FRVCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS. De hæreticorum fructibus. 1. *Tim* 4 *v.* 3. *&* 4.

NON POTEST ARBOR MALA BONOS FRVCTVS FACERE. An omnia infidelium opera sint peccata. *Rom.* 4 *v.* 24.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

DIFFAMATVS EST *Luc.* 16. Bonæ famæ etiam est habenda cura 2. *Cor.* 3. *v* 45.

QVASI DISSIPASSET BONA SVA. Præcipua dos dispensatoris est fidelitas 1 *Cor.* 4 *v.* 2.

REDDE RATIONEM VILLICATIONIS TVÆ. Diei iudicij semper habenda memoria *Rom.* 14 *v.* 10. Diem iudicij instare. *Phil.* 4. *v.* 6. In iudicio vnusquisque onus suum portabit. *Gal.* 6 *v* 5. Vnusquisque habet librum computum, & rationum cum Deo. *Ephes.* 4. *v* 15 Temporis quanta habenda cura. *Gal.* 6 *v.* 10. *Ephes.* 5. *v.* 16.

SCRIBE Liber vitæ quid sit, & quomodo in eo scribamur. *Phil.* 1. *v.* 2.

FILII HVIVS SÆCVLI PRVDENTIORES FILIIS LVCIS IN GENERATIONE SVA SVNT. Sapientia huius mundi est stultra. 1. *Cor* 1. 20. 1. *Cor.* 3. *vers* 18. *&* 19 De prudentia carnis & spiritus. *Rom* 8 *v* 6. Simplicitas vera quæ. *Roman* 12. *v.* 8. Quare hoc sæculum vocetur nequam *Gal.* 1. *v.* 4. Sæculum variè in Scriptura accipitur. *Heb.* 1. *v.* 2.

FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQVITATIS. Vide notata de eleëmosyna Dom. 4 Quadrag.

Diuitiæ vocantur mammon iniquitatis, non quia per se sunt malæ, sed quia multorum malorum sæpè sunt causa & occasio. Vide de diuitijs & auaritia notata Dom. infra octauam Venerabilis Sacramenti.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

VIDENS CIVITATEM FLEVIT. *Luc.* 19. Vide notata de tristitia Dominica 3. post pascha.

CIRCVMDABVNT TE INIMICI TVI. De excidio vrbis Ierusalem. *Heb.* 10. *v.* 25. Sicut Deus suo tempore puniuit ciuitatem hanc, ita peccatorum mensura impleta solet punire. 2. *Thess.* 2. *v.* 16.

QVOD NON COGNOVERIS TEMPVS VISITATIONIS TVÆ. Vocatio ad perfectiorem statum precibus est impetranda. 2. *Thess.* 1. *v.* 11. Dum ad talem statum vocamur, parentibus non est acquiescendum. *Gal.* 1. *v.* 16.

INGRESSVS IN TEMPLVM. Quomodo spiritualiter homo sit templum Dei viui. 1. *Cor* 6. *v* 16 De dimensionibus spiritualis ædificij. *Ephes.* 3. *v* 8. Anagogia dimensionum cælestis ciuitatis. *ibid.* Rectè in Ecclesia esse vsum instrumentorum musicorum. 1. *Cor.* 14. *v* 16. Quænam olim in publicis conuentibus à Christianis fieri solita. *ibid.* Psalmodiæ fructus. *Colos.* 3 *v.* 16.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

DEVS GRATIAS AGO TIBI. *Luc.* 18. Peccauit hic Pharisæus contemnendo alium Semper nos ipsos debemus considerare, non aliorum defectus 1. *Tim* 1. *v.* 13. *Gal.* 6. *v.* 4.

PROPITIVS ESTO MIHI PECCATORI. Quomodo nos semper debeamus maximos peccatores existimare, & quo sensu hoc sit verum 1. *Tim* 3. *v.* 13. Quomodo omnes debeamus existimare nobis superiores. *Phil.* 2. *v.* 3.

OMNIS QVI SE EXALTAT. Vide notata de humilitate & superbia Dom 3. Aduent. & Dom infra Octau. Ven. Sacramenti, & vide in indice rerum verbo, *Humilitas*, & verbo, *Superbia*.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

ADDVCVNT EI SVRDVM ET MVTVM. *Marc.* 7. Designat hic peccatorem eiusque miserum statum. Peccatoris descriptio *Rom* 6 *v.* 9. Peccatoris reprehensio amittentis primam innocentiam. *ibid. v.* 4 Peccatum cælum & terram inficit. *Heb.* 14. *v.* 11. 12. 13. Est radix amaritudinis. *Hebr* 12. *v.* 15. Vide plura in Indice rerum, verbo *peccator, peccatum*. Peccata sunt onera grauissima *Galat.* 2 *v* 2.

APPREHENDIT EVM DE TVRBA SEORSVM. Christus hominem à se fugientem apprehendit. *Heb.* 2. *v.* 16.

EXPVENS TETIGIT LINGVAM EIVS. Sacramenta quæ sunt externa signa, nobis merita Christi applicant, sicut Christus hic suo tactu corporali sanat. *Hebr.* 10. *v.* 14.

ET LOQVEBATVR RECTE De lingua moderanda ac frænanda vide notata in festo Pentecostes.

BENE OMNIA FECIT. Tria bona per Christum accepimus. *Hebr.* 10 *v.* 21. Cælum & terra docent nos Dei amorem erga homines. *Roman.* 1. *v.* 19. Ex creaturis potuerunt Gentiles vnum Deum agnoscere. *ibid.*

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

DILIGES DOMINVM DEVM TVVM, &c. PROXIMVM AVTEM, &c. Præceptum hoc explicatur, *Rom.* 13. *v* 9. De dilectione proximi. *Rom.* 12. *v* 2. Lex dilectionis proximi impletur portando onera proximi. *Galat.* 6. *v.* 2. Proximi dilectio inuoluit Dei dilectionẽ. *Rom.* 13. *v.* 6. Dilectionis proximi fructus. *ibid. v.* 10 Dilectio quomodo sit summa legis. *ibid.* De charitate in genere multis agit Apostolus 1. *Cor.* 13. *toto cap.* 1. Docet sine charitate nihil boni esse posse. *c.* 2. *à v.* 4 refert sexdecim conditiones charitatis in proximum, quas explicat ibi *D. Chrysost. c.* 3. *à v.* 8. Charitatis præeminentiam præ aliis virtutibus ostendit. Charitas est vinculum perfectionis. *Coloss* 3. *v.* 12. Est tunica inconsutilis Christi *ibid.* Est vinculum & vnio membrorum Ecclesiæ. *Ephes* 4 *v.* 16. Eius summa vis. *Rom.* 8. *v.* 35. Eius debitum est perpetuum. *Rom* 13. *v.* 8.

INCIDIT IN LATRONES. Per hunc hominem mysticè quidam intelligunt naturam humanam sauciatam, & per Christum reformatam. Vide *Rom.* 3. *v* 10 *& seqq.*

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

OCCVRRERVNT EI DECEM VIRI LEPROSI. *Luc.* 17. Quia lepra est morbus contagiosus, sic etiam peccatum. De vitando malo consortio, 1. *Cor.* 6 *v.* 14. Vita cum impijs non caret culpa. *Hebr.* 11. *v.* 25. Peccati fœditas. *Hebr.* 12. *v.* 4.

Pec-

Peccatum est radix amaritudinis. *Hebr.*12 *v* 14. Sicuti malum consortium hominem depraua, ita è contra magna vis est bonum exemplum ad virtutem. *Hebr.*10.*v.*24.

OSTENDITE VOS SACERDOTIBVS. De dignitate ministrorum noui testamenti, 1.*Cor.*3 6 De sacerdotij Christi præstantia præ Aaronico ob septem rationes. *Hebr.*7 *toto cap.*

GRATIAS AGENS. Deo semper debemus esse grati. *Ephes.* 5.*v.*20 Duo tituli quibus Deo debemus gratias. *ibid.* Gratiarum actio semper vsurpanda. 1.*Cor.*1 *v.*4.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

NEMO POTEST DVOBVS DOMINIS SERVIRE. *Matth* 6. De duplici & contrario regno, peccati scilicet & iustitiæ. *Rom.* 6.*v.*13 Item duplex regnum, Dei & peccati. *ibid.* *v* 23. Spiritus Dei & mundi sunt sibi contrarij. 1.*Cor.*12.*v* 11.

NE SOLLICITI SITIS QVID MANDVCETIS. Egregia res est scire se moderatè gerere in paupertate, & in diuitijs. *Phil.*4. *v.*12. Natura paucis est contenta *ibid.* *v.*11. Angelis similes sunt qui paucis sunt contenti. *ibid.*v.12.

QVÆRITE PRIMVM REGNVM DEI ET IVSTITIAM EIVS. Omnia nostra ad obsequiũ Dei esse facienda. *Rom.* 14. Gratia Dei quanti sit facienda. *Rom.*16. *v.*24. & 1.*Cor.*10. *v.*31. Exemplo Pauli omnia cõtemnenda vt Christum lucremur. *Phil.*3.*v.*7. Deo seruire debemus, quia est sibi & nobis sufficiens, nullæ autẽ diuitiæ sufficere nobis possunt. *Phil.*4.11.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

DEFVNCTVS EFFEREBATVR. *Luc.*7. De morte & mortificatione huius vitæ. *Coloss.*3 *vers* 5. Quomodo mori sit lucrum. *Phil.*1.*v.*21 Sancti quomodo ad mortem aspiraverint. *ibid.* & *v.*23. Sancti quomodo mortem formidẽt, quomodo non. 2 *Cor.*5.*v.*2. Mors quare vocetur resolutio, 2. *Tim.*4.*v.*6. Piis non est timenda. *ibid.* & *Hebr.*2. *v.*15. Est per se horribilis & vnde. *Hebr.*2.*v.*15. Mortis bona. *ibidem.* Orandum pro mortuis, 1.*Thess.*4 *v.*31.

Hic adolescens in adolescentia moritur. Quomodo semper sit vigilandum. 1.*Thess.*5.*v.*6. *Rom.*13. *v.*10. Vigilantiæ exempla. *ibid.*

NOLI FLERE. Mortuos moderatè esse lugendos *Phil.*1.21.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

SABBATHO. Sabbathi cultus fuit etiam in lege naturæ, *Heb.*4.*v* 3. Sabbathum mysticè significat quietem, *ibid.*v.9. De requie spirituali quam significat. *ibid.*v.3.

CVM INVITATVS FVERIS AD NVPTIAS. Conuiuia Christianorum quàm sobria solebant esse, *Ephes.*5.*vers.*19.

RECVMBE IN NOVISSIMO LOCO. Vide notata de humilitate Dom 3. Aduent. & Dom 10. post Pentecost.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

De hoc præcepto charitatis, vide notata Dom.12.

DIXIT DOMINVS DOMINO MEO. De Christi diuinitate, vide notata in festo Natiuitatis Domini.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

CONFIDE FILI. *Matth.*9 In Deo semper sperandũ. *Hebr.* 13 *v.*5. & 6. Spei & fortitudinis exempla. *Hebr.*6. *v.*17. De spei anchora, *ibid.*v.19.

CVM VIDISSET COGITATIONES EORVM. Solus Deus nouit occulta cordium, 1.*Cor.*4.*v.*5 Christus videt omnes motus naturæ & gratiæ, ac cogitationes omnes. *Hebr.*4.*v.*12.

QVID EST FACILIVS DICERE, &c. Remissio peccatorum quo sensu à solo Christo. *Hebr* 10.*v.*15 Peccator per se non potest resurgere, & quomodo Deus in homine operetur velle, ac cooperetur libero arbitrio *Phil.*2.*v.*13. vbi multa de libero arbitrio. Peccatorum remissio est donum cæleste, *Hebr* 6 *v.*3. In conuersione peccatoris mira Dei potentia elucet, *Ephes.*1.*v* 19 & 20.

TVRBÆ TIMVERVNT. Vna ex præcipuis causis quare debeamus timere est incertitudo salutis nostræ. Debemus ergo salutem nostram operari cum metu & tremore. *Phil.*2. *v.*12. Huius timoris iustæ causæ sunt sex, *ibid.* Quomodo hic timor sit comparandus, *ibid*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

FECIT NVPTIAS FILIO SVO. *Matth.*22. Quomodo Ecclesia, & quæuis anima sit sponsa ac Christo despõsata. 2 *Cor.* 11 2. Perfectissimè anima despõsatur per votũ virginitatis. 2.*Cor* 11 2. vbi multa egregia documenta de virginitate.

AMICE QVOMODO HVC INTRASTI? Amicitiæ quatuor affectus, 2. *Cor.*7.*v.*4

NON HABENS VESTEM NVPTIALEM. Quia per vestem nuptialem intelligitur charitas, vide notata Dom.11. Externa virtus est indumentum hominis Christiani; *Roman.* 13. *v.*14. Quid sit Christum induere, *ibid.*

IN TENEBRAS EXTERIORES Memoria ignis inferni est remedium contra omnes tentationes, 2.*Thess* 1.*v.*2. Grauitas pœnarum inferni, ibid.

Cornel. in epist. Pauli.

DOMINICA XX. POST PENTECOST

CVIVS FILIVS INFIRMABATVR *Ioan.*4. Sicuti hic [illegible] curam habet de corporali salute filij: ita parentes [illegible] debent habet de salute animæ liberorum. De parentum officio erga liberos, *Ephe* 6. *v.*4. Liberis quantum prosit parentum pietas, 2.*Tim* 1 *v* 6

RELIQVIT EVM FEBRIS. Morborũ origo. *Hebr.*2.*vers.*16. Christus & Adamus in statu innocentiæ nullis morbis erant obnoxij, *ibid.* Febris spiritualis est auaritia, vide de eà notata Dominica infra octauam Ven. Sacramenti.

CREDIDIT IPSE Quia tribulatio & morbus reguli ipsum ad fidem & Christum adduxit; poterit hic agi de tribulatione. Virtus in tribulationibus crescit, *Cor.*12.*v.*7. Virtus accenditur exemplo infirmorum. *ibidem.* Disponunt tribulationes hominem ad omnes virtutes. *Roman.*5.*v.*4. De tribulatione videmulta, 1.*Cor.*4.*v.*8 & *seqq.* Vide in indice rerum verbo *Tribulatio.*

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

PATIENTIAM HABE. *Matth* 18. De patientia vide multa *Hebr.*10.*v.*36. *Hebr.*12.*v.*1. & 2. & *v.*12. Patientiæ doctrina est sublimis. 2.*Cor.*6.*v.*4. Patientiæ virtus quàm sit necessaria. 1.*Tim.*3.*v.*12. Vera fortitudo consistit in patientia. *Coloss.*1.*v.*11.

SI NON REMISERITIS VNVSQVISQVE FRATRI SVO De remittendis iniurijs, *Ephes.*4.*v.*31. *Rom.*12.*v* 20. *vsque ad finem cap.* De vltione non quærenda, *ibidem* Deum oportet imitari in condonandis offensis, *Ephes.*5.*v* 1.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

NON EST TIBI CVRA DE ALIQVO. *Matt.*12 Acceptio personarum quid sit, & an in Deo reperiatur. *Roman* 12. *v.*12. Adulatio quàm sit perniciosa. 1.*Thess.*2.*v.*5.

CVIVS EST HÆC IMAGO? Homo est imago Dei, & quasi terrestris Deus, *Hebr.*2 *v* 7. In quo sita sit imago Dei in homine, *Ephes.*4.*v.*24. Imago veri Christiani ac militis armati. *Ephes.*6.*vers.*13 & *seqq.*

REDDITE QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI. Christiani non sunt liberi à legibus, *Gal.*5.*v.*13. Pro principibus orandum, & quare. 1.*Tim.*2 *v* 2. Principibus quomodo obediendum, & quomodo eos debeamus reuereri. *Tit.* 3.*v.*1. & 2. Iusto quomodo lex non est posita, 1.*Tim.*1.*v* 9. Principibus obedientia debita octo argumentis docetur, *Roman.*13 *v.*1. Potestas ciuilis & Ecclesiastica quomodo se habeant inter se, *ibid.*

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

FILIA MEA DEFVNCTA EST. *Matth* 9. Vide quæ de morte notauimus Dom. 15. Vna ex causis cur quidam iuuenes moriantur, est inobedientia erga parentes. Poterit ergo hic agi de quarto præcepto, *Ephes.*6.*v.*1.2.3.

NON EST MORTVA, SED DORMIT. Mors quare vocetur somnus, 1 *Thess.*4 *v.*13.

ANNIS DVODECIM. In fide & in rebus arduis quàm constantes debeamus esse. *Roman.*4. *v.*18.

Corpus nostrum est vas fictile. 2.*Cor.*4.*v.*7.

FIDES TVA TE SALVAM FECIT. Fidem solam non iustificare, sed requiri bona opera, passim docet Apostolus, *Roman* 2.*v.*13 *Gal.*5.*v.*6. Vide in Indice rerum, verbo *fides, iustificatio, opus, operari.*

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

PROPTER ELECTOS. *Matth.*24. Vide notata de prædestinatione Dom. Septuages.

SVRGENT PSEVDOCHRISTI, ET PSEVDOPROPHETÆ. Vide de falsis prophetis Dom.7.

De iudicij die vide notata Dom 1 Aduentus. Iudicij dies quàm erit horrenda, *Roman* 2.*v.*14. Christi iudicantis ad peccatorem exprobratio, *ibidem.* Terror iudicij ad constantiam animat *Hebr.*10.*v* 11. Christus ob duas causas in die iudicij erit omnibus admirationi. 2.*Thess.*1.*v.*1. Vide etiam de extremo iudicio. *Hebr.*1. *v.*5.

IN DEDICATIONE TEMPLI.

SVSCEPIT ILLVM GAVDENS *Luc.*19. Hospitalitatis laudes. *Hebr.*11.*v.*2.

Vide de templo notata Dom 9. Christus est fabricator domus Ecclesiæ. *Hebr* 3 *v.*3. Oratio quæ fit in Ecclesia melior est ea quæ fit domi 1.*Tim* 2.*v* 8. Decorus ordo in Ecclesia Paulo fuit curæ 1.*Cor.*14 *v.*40. Conuentus publicos commendat Paulus. *Hebr.*10.*v.*25

IN FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

TV ES PETRVS. *Matth.*16. Quomodo Christus sit fundamentum Ecclesiæ. quomodo Apostoli. *Ephes.*2.*v.*2 0. De Petri primatu, item de Pontifice Romano, vide notata Dom.

4. post pentec. Petrus est Christi vicarius. *Hebr.* 7. *v.* 24. Poterit hic etiam refelli impta calumnia hæreticorũ falsissimè asserentium Pontificem Romanũ esse Antichristum, quam doctissimè refellit author 2. *Thess.* 3. *v.* 3. & *seqq.*

VOS AVTEM QVEM ME ESSE DICITIS? Christiani debent aliis prælucere, *Ephes.* 2. *v.* 15. Quomodo debeant spiritualiter esse mortui. *Coloss.* 3. *v.* 3.

CARO ET SANGVIS NON REVELAVIT TIBI. In vocatione Dei caro & sanguis non sunt consulendi. *Gal.* 1. *v.* 16.

QVODCVMQVE LIGAVERIS. Excommunicationis vis, finis, antiquitas, & potestas excommunicandi penes quos sit. 1. *Cor.* 5. *v.* 5. De indulgentiis 2. *Cor.* 2. *v.* 10. *Coloss.* 2. *v.* 5. Petrus an verè a Paulo fuerit reprehensus. *Galat.* 2. *v.* 11.

De S. Pauli natura, vocatione, sapientia, virtutibus, &c. vide prolegomena authoris.

IN FESTO S. MICHAELIS.

ANGELI EORVM. *Matth.* 18. Christus an meruerit angelis gratiam. *Ephes.* 1. *v.* 22. Angelorum venerationem non damnat Paulus *Coloss.* 2. *v.* 18. Angeli sunt ministri Dei. *Hebr.* 1. *v.* 7. Mittuntur etiam ad reprobos. *ibidem.* Quid debeamus angelis custodibus *ibid.* An omnes mittantur. *ibid.* Vide plura in indice rerum verbo *Angelus.*

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

BEATI PAVPERES. *Matth.* 5. Opum contemptum multa nobis suadent. 1. *Tim.* 6. *v.* 7. Christus venit consolari pauperes & humiles. *Hebr.* 10. *v.* 3.

BEATI MITES. De virtute mansuetudinis. 2 *Tim.* 2. *v.* 25.

BEATI QVI LVGENT. Vide notata Dom. 3. post Pascha.

BEATI QVI ESVRIVNT ET SITIVNT IVSTITIAM. Vide de iustitia notata Dom. 4. post Pentec.

BEATI MISERICORDES. Vide notata de eleëmosyna Dom. 4. Quadrag. In operibus misericordiæ requiritur maximè hilaritas *Rom.* 12. *v.* 8.

BEATI MVNDO CORDE. Mundo corde sunt, qui habent bonam conscientiam. Vide notata de bona conscientia Dom. passionis.

BEATI PACIFICI. De pace vide notata Dominica in Albis. De concordia Dom. Quadrag.

BEATI QVI PERSECVTIONEM PATIVNTVR. Vide quæ sunt notata de tribulatione Dom. 20 post Pentec. Sanctis suæ tribulationes sunt decretæ *Hebr.* 11. *v.* 16. Eas amare est signum magnæ perfectionis *ibid.* Quam sint vtiles *Hebr.* 2. *v.* 10. Persecutionum & laborum condimenta sunt promissa Dei. *Hebr.* 6. *v.* 17.

Sancti quomodo iudicabunt in die iudicij. 1. *Cor.* 6. *v.* 2. Quomodo pro nobis intercedant. 1. *Tim.* 2. *v.* 5. Sanctorum cultus non est Christo iniurius. *ad Philem. v.* 4. Sanctorum gloria est incomprehensibilis 1. *Thess.* 1. *v.* 10. Perueniunt ad illam gloriam ante diem iudicij. *Hebr.* 11. *v.* 40. Sanctorum vita quomodo hic sit abscondita. *Coloss.* 3. *v.* 3.

IN FESTO ANIMARVM.

MORTVI AVDIENT VOCEM FILII DEI *Ioan.* 5. De die iudicij vide notata Dom. 1. Aduentus. De resurrectione nostra vide notata in festo Paschæ.

De veritate & existentia Purgatorij. 1. *Cor.* 3. *v.* 12. & *seq.* Pro mortuis orandum. 1. *Thess.* 4. *v.* 13.

INDEX VOCVM GRÆCARVM S. PAVLI QVÆ IN HOC EXPLICANTVR.

Ἀγαθωσύνη est bonus & beneuolus affectus ad benefaciendum proximo. 458. 2.d

Ἀγαπητὸς & dilectum & diligibilẽ significat. 760.1.c

Ἀγένητος est ingenitus: ἀγένητος est increatus. 30.1.d

Ἀγιος dicitur quasi ἀ γῆ, id est, sine terra, à terra secretus, cælestis, ait Origen. 518.2.c

Ἁγιον κοσμικὸν est sanctum mundanum, vel sæculare, quod? 906.1. b. & seqq.

Ἀγεγράφα νόμιμα sunt leges non scriptæ, sed traditione acceptæ. 690.1.b

Ἀγωγὴ est vitæ ductus, mores, conuersatio. 800.2.d

Ἀδημονεῖν est angi, & angore quasi exanimari. 586.1.d

Ἀδόκιμος est qui probat non probanda, & probanda improbat. 42.1.c

Ἀδόκιμος est reprobus, reiectus, vilis, inglorius. 412. 2.c

Ἀδοξοῦντες sunt ij, quorum nulla vel parua est auctoritas. 424.1.c

Ἀθρότης est abundantia, exuberantia. 382.1.d

Ἀθετεῖν est reiicere, repellere, aspernari. 431.2.a

Αἰδὼς, id est pudor, capitur pro εὐλάβεια, id est reuerentia. 973.1.a

Αἱρέσεις hæreses, sunt electiones, cùm quis nouum dogma eligit. 457.2.b

Αἰτῆμα est peto, posco, exigo. 496.1.a

Αἰὼν primò est æternitas Dei; secundò, æuum, angelorum; tertiò, æuum & duratio hominum; dicitur ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι, id est, ex eo quòd semper sit. 707. 2.b 780.1.b

Ἀκαιρεῖν est destitui primò, oportunitate; secundò, opibus 607.1.d

Ἀκαταστασία est turbatus ordo, qualis est in tumultu. 319 1 b

Ἀκέραιος primò est carens cornu, id est placidus; secundò, immixtus, purus, simplex. 196.1 a

Ἀκρογωνιαῖος est extremè angularis, & imus siue infimus. 490 1 d

Ἀκροθίνια sunt præcipua spolia, quasi τὰ ἄκρα θινὸς, id est, summitates acerui, vel à tangendis summis. ἀκροθινιάζω idem est quod summam partem attingo. 891.1.a

Ἀλαζόνες sunt glorioſi, fastuosi & iactabundi. 42.2.a

Ἀμίαντος est incorruptus, immaculatus, illæsus, inuiolabilis. 898.1.d

Ἄμωμοι sunt irreprehensibiles, in quibus nec Momus inuenit quod carpat. 473.2.d. 618.1.c

Ἀναγκαιοφαγία erat parcus & necessarius cibus athletarum. 168.2.a

Ἀναθέματα erant homines sacri, pro communi lue immolandi. 283.1.d

Ἀναθεωρεῖν est recogitare, sæpiùs contemplari, iterum iterumque considerare. 978.1.a

Ἀνακεφαλαίωσις primò est recapitulatio; secundò, epilogus orationis. 476.2.c

Ἀναζωπυρεῖν est ignem cineribus conditum folle aut flatu suscitare, vt reardescat. 777.1.c

Ἀναλγησία est indolentia, qua quis peccata & mala non sentit. 515.1.c

Ἀναπληροῦν est denuò implere, vel simul & communiter omnes implere. 463.2.a

Ἀναστατοῦντες sunt qui aliquid dimouent & labefactant. 455.1.a

Ἀνατίθεσθαι est consilia & arcana in sinum amicorum effundere. 421.1.c

Ἀνδρὶς dicitur mulier ὡς ἀνδρὸς, quasi vira à viro. 536.1.d

Ἀνεξιχνίαστος est imperuestigabilis, inscrutabilis. 157. 1.d. 494 1.a

Ἀνθρωπαρέσκεια est vitium, quo quis studet placere homini cum offensa Dei. 420.1 b. 541. 1.d

Ἀνθρωπος dicitur quasi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε. id est, sursum aspiciens ea quæ vidit; vel ἄνω ἕπων, id est sursum vergens. 636.1.c

Ἀντὶ in compositione non vicarium sed contrapositum significat: sic ἀντίθεος, est Deo contrapositus: ἀντίπαλος, est antagonista: ἀντιστράτηγος, est duci contrapositus. 676.2.c

Ἀντιπαναπληρῶ componitur ex ἀντὶ, id est pro, vel viciſſim, ἀνὰ, id est iterum, & πληρῶ, id est impleo, quasi dicas, Viciſſim rursum impleo. 619.1.c

Ανταπόδοσις est merces, quæ pro merito operum datur. 645.2.c

Αντέχεσθαι est nitentem, sed inualidum, adiuuare. 667.1.c

Ανθρωποκτόνοι, id est contrapositi, sunt τὰ ἐναντία φρονοῦντες, id est, qui contraria sentiunt. 796.2.c

Αντιμισθία est remuneratio & merces. 371.1.c

Αντιπελαργία est reciproca filiorum pietas in parentes, qualem habent ciconiæ. 747.1.a

Αντιπρόσωπος est propersona, qui personam alterius, verbi gratia regis, repræsentat. 344.1.c

Απαύγασμα est זהר *zohar*, id est splendor, claritas, refulgentia. 842.1.a.b

Απείθεια est pertinacia non credendi, & impersuasibilitas. 156.2.b.484.1.d

Απηλπικότες sunt desperantes. 515.1.a. ἀπηλγηκότες sunt dedolentes, qui doloris sensum perdiderunt. ibid.b

Αποδοχὴ non tantùm est acceptio vel acceptatio, sed & approbatio. 704.2.d

Αποκαραδοκία est anxia & quasi erecto exsertoque capite expectatio. 110.1.b

Απόκριμα primò est responsum; secundò, crisis medicorum; tertiò, κρῖμα, id est, sententia condemnationis. 340.2.c

Απορία est inopia tam corporis, quàm animi, putà perplexitas mentis. 355.2.a

Απόστολος est lego, legatum mitto; plus ergo est quàm πέμπω, id est mitto. 443.2.c

Αποτρηνιᾶν dicitur ἀπὸ ἵππων ἢ ἡνιόχων, id est, ab excutiendo frænos, vti faciunt iumenta bene pasta. 751.2.b

Απροσκοποι sunt tam inoffensi, quàm nõ offendentes. 560.2.a

Αρα est nũquid, nónne; ἆρα est vtique, ergo. 428.2.c

Αρμόζειν est aptè & concinnè applicare & connectere. 394.2.b

Αρχηγὸς primò, est inceptor; 2. dux, auctor. 961.1.b

Αρτοι ἐνώπιοι, id est, panes faciales vocantur panes propositionis, quia semper ante faciem Dei propositi. 908.1.c

Ασελγεία est petulantior libido. 457.1.a

Αστατεῖν est incertis sedibus errare, & vagari. 227.2.b

Ασυγγενεῖς sunt impij in suos & inhumani, qui neminem amant, nec habent amicum. 42.2.a.798.2.c

Ασχήσκεπτος sunt iaculatores inexperti, qui à scopo aberrant. 700.1.d

Ασύνθετοι sunt inciuiles, barbaris moribus, turbulenti. 42.2.a

Αχρειωσύνη est æstimare quid indecorum, pudefieri. 307.1.a

Ασωτία primò, est crapula, luxus, lasciuia; secundò, luxuria & libido. 531.2.b.818.2.b

Ατακτοι sunt milites, qui suam stationem non seruant. 667.1.b.692.1.d

Ατοπος est qui nulli loco conuenit, importunus, turbulentus. 691.1.a

Αυγὴ est sublustre quiddam & prægustus claræ lucis, instar auroræ. 354.1.b

Αυθάδης est sui sensus tenax, durus & inflexibilis. 819.1.a

Αυθαίρετος est spontaneus, vltroneus. 382.1.a

Αυθεντεῖν est auctoritatẽ vsurpare, dominari. 721.1.d

Αυτάρκεια est sufficientia, primò, qua quis sibi suisq; sufficit; secundò, qua quis sua sorte est contentus. 385.1.b

Αυτάρκης est solus Deus. ibid. 607.2.a

Αυτὸς ἔφα, ipse (scilicet Pythagoras) ita dicit, ita censet, aliam rationem ne requiras. 802.1.c

Αφὴ est tactus, contactus, commissura, verbi gratia artuum. 513.1.b

Αφιλάγαθοι, id est, non amantes bonos, per miosin sunt osores bonorum. 799.1.b

Αφορίζειν quid denotet, & vnde medicorum ἀφορισμοί. 30.1.b

Αφοσιοῦσθαι primò, est expiare; secundò, consecrare; tertiò, soluere vota & iuramenta. 518.2.d

Βασιλεύς, id est rex, dicitur à prouidentia, quasi πάσης βασιλείας, eò quòd omnibus prouideat. 769.2.a

Βασκαίνειν primò, est inuidere; secundò, fascinare; ἀφ' ὧν τὸ φάεσι καίνειν, quòd oculis, & per oculos noceat. 432.1.c

Βαστάζειν est portare, quasi baiulum. 190.1.a

Βέβηλος, id est profanus, dicitur ἀπὸ τοῦ βήλου, id est, à pauimento, quod à quouis calcatur. 967.2.b

τοῦ βίου πραγματεῖαι, id est, vitæ occupationes, sunt mercatura, agricultura, artes mechanicæ. 785.2.b

Βραβεὺς vel βραβευτὴς à ῥάβδος, id est à virga, quam brabeutæ gestabant, deducitur. Vnde βραβευτὴς & ῥαβδοῦχος apud Platonem idem sunt. 641.2.c

Γενημα est fructus ex semine succrescens 387.1.d

Γνῶσις est cognitio, item doctrina & discentia. 308.2.b

Γραμματεῖς, id est scribæ, erant qui circa γράμματα, id est litteras, versabantur. 203.1.d

Γυμναστικὴ ἀγωνιστικὴ est gymnastica lucta, & exercitatio corporalis athletarum. 741.1.d

Γυνὴ & mulierẽ & vxorẽ significat. 264.1.d.731.1.a

Δαίμων dicitur quasi δαήμων, id est doctus, sciens. 261.1.a

Δεήσεις sunt supplicationes pro remotione malorum: προσευχαὶ sunt petitiones bonorũ; ἐντεύξεις sunt interpellationes pro aliorum salute. 711.2.a

Δειγματίζειν est circumducere & ostentare hostes in triumpho. 628.1.c

Δία vocãt Iouem, quòd per ipsum sint omnia: ζῆν ἀπὸ τοῦ ζιῶ, quòd vitæ sit auctor. 504.1.c

Δια, id est *per*, sumitur pro μετοχὴ, *inter*; vel μέσῳ, id est *cum*. 785.1.b

Διὰ pro ἐν. 660.1.c.722.1.c

Διὰ τεκνογονίας, per filiorum generationem, idem est quod τεκνογονοῦσα filios generans: sic δι' ἀρρωστίας, idem est quod ἀρρωστῶν. 722.1.c

Διάβολος est calumniator, talis maximè est dæmon. 520.2.c

Διαθήκη & testamentum & pactum significat. 126.2.b.295.1.a.917.2.d

Διακρίνειν significat anteponere, discernere & segregare. 225.1.a. item discutere & examinare. 297.1.b

Διαμαρτύρομαι est obtestor & adiuro. 804.1.a

Διατάττειν est disponere quid suo ordine, vti militẽ in acie. 438.2.a

Διατριβαὶ sunt primò, doctorum disputationes; secundò, conuersationes & communicationes mutuæ morum vel opinionum. 762.1.b. Παρεξδιατριβαὶ sunt disputationes inutiles & noxiæ. ibidem.

Διαφορώτερον, primò, est differentius; secundò, excellentius & præstantius. 844.2.c

Δικαιοσύνη est iustitia ea quæ est in nobis: δικαίωμα autem ea quæ est in Christo: δικαίωσις est ea quæ est effectiuè in Christo; & subiectiuè in nobis. 81.2.c

Δικαιώματα λατρείας, iustificationes latriæ vocantur præcepta cæremonialia; cur? 906.1.a

Δίκη significat primò causam forensem; secũdò, sententiam,

tentiam;tertiò,ius;quartò,pœnā.56.2.a.333.2.a.b
Δίστομος est gladius habens duo ora,id est duas acies, hoc est vtrimque acutus & incidens. 871.2.d
Δόγμα 1. est doctrina; 2.præceptum. 488.2.a
Δοκιμάζειν est primò, probare ; secundò, probatum laudare. 379.2.d
Δοκοῦντες sunt viri magnæ auctoritatis. 424.1.c
Δολοῦντες sunt cum dolo retractantes,& falsificãtes. 353.1.c
Δυνάμεις, id est potestates, vocantur miraculorum patratores. 303.1.c
Δυνάστης est Reipublicæ gubernator & princeps: δυναστεύειν est potentia rempublicam obtinere,& potenter regere. 769.2.a
Δυσάρεστοι, sunt qui sibi displicent, quibus nihil placet. 825.1.d
Δυσπερικαλύπτα sunt ea, quæ difficulter inuestigari & cognosci possunt. 800.1.d
Ἔγκοπή est interruptio,remora. 265.1.d
Ἐγκόπτειν est interpellare,incidere. 453.2.d
Ἐζωγρημένοι sunt milites vel feræ,quæ vitæ capiuntur. 797.2.a
Ἐθελόδουλοι sunt famuli qui affectant dominorum obsequia. 630.2.a
Ἐθελοθρησκεία dicitur ex θέλω,id est volo,& θρησκεία, id est religio,q.d. voluntaria & ex cerebro conficta religio. 634.1.d
Ἐθελόσοφος est affectator inanis sapientiæ. 630.2.a.
Εἴδωλον est imago quæuis inanis & mendax,vt sunt vmbræ & spectra. 40.2.c.261.2.b
Εἴπερ,id est si,pro ἐπειδήπερ,id est siquidem.672.1.b
Ἔκβασις est egressus & progressus. 256.2.b
Ἐκδαπανάω est expẽdo,exhaurio,profundo.409.2.c
Ἐκδύσασθαι,ἐνδύσασθαι,ἐπενδύσασθαι, id est exui, indui, superindui. 361.2.d
Ἐκκλεῖσαι est excludere: ἐγκλεῖσαι est includere. 446.2.b
Ἐκλύεσθαι est dissolui, languere,deficere. 465.2.c. 962.2.d
Ἔκστασις significat primò, mentis raptum; secundò, ecstasin, tertiò, delirium. 364.1.b
Ἑκών est spontaneus: ἄκων coactus. 266.1.d
Ἐλαφρία est leuitas, ab ἔλαφος,id est ceruus.341.1.a
Ἐλαφρὸς,primò, est leuis & celer vt ceruus; secũdò, leuis pondere,vt pluma. 358.1.b
Ἐλαχιστότερος est infimior infimo, minor minimo. 493.2.b
Ἔλεγχος, elenchus est demonstratio, conuictio. 940.2.a
Ἕλλην,id est Græcus,vocatur quiuisGentilis.424.2.c
Ἐμβατεύειν est fastuosè incedere, quasi cothurnis tragicis,qui ἐμβάδες dicuntur. 633.1.a
Ἐμβατεύσαι est occupare domum, locum, hereditatem. ibid.b
Ἐν ἀφθαρσίᾳ,id est,in incorruptione,idem est quod ἀφθάρτως,id est incorruptè,perenniter. 554.2.b
Ἐν βάρει εἶναι est primò, oneri esse; secundò,esse in honore & auctoritate. 652.1.d
Ἐνδημεῖν est domi in populo suo habitare: ἐκδημεῖν est foris agere & peregrinari, δῆμος enim populum significat. 362.2.d
Ἐνεργεῖν significatintimam præsentiam,vim & efficaciam,qua Deus intimè omnia operatur. 300.1.c
Ἐνεργήματα vocat Paulus efficacias gratiarum.ibid.a
Ἐνέργεια & δύναμις quomodo distinguãtur 199.2.d
Ἐνεστὼς est instans,id est,præsens vel imminẽs.251.1.d
Ἐνέχεσθαι est implicari & illaqueari, 452.1.a
Ἐντεθραμμένος,1.innutritus,2.enutriens alios.740.1.d
Ἐξαγοράζειν est curiosè merces considerare, vt emas meliores. 530.2.c
Ἐξαγοράζειν est emercari,emendo eximere. 444.1.a
Ἐξαπορηθῆναι significat primò,tædere; secundò, anxium esse. 340.1.b
Ἐξηρτυμένος est adornatus, apparatus: ἐξηρτισμένος est consummatus & perfectus. 803.1.d
Ἐπάνω significat primò,è cælo; secundò, plusquam. 321.2.b
Ἐπεκτείνειν est manus totumq́ne corpus ad scopum protendere. 593.2.a
Ἐπὶ cum nomine pro aduerbio ponitur; vt ἐπ' εὐλογίαις in benedictionibus, id est beneficentijs, hoc est beneficè,largiter,copiosè. 384.1.c
Ἐπὶ cum datiuo sæpè significat *ad*. 486.1.d
Ἐπιεικὲς significat primò, æquitatem; secundò, humanitatem;tertiò,animi moderationem, quartò, modestiam. 604.2.b
Ἐπιείκεια est comitas, lenitas,humanitas. 389.1.b
Ἐπιλαμβάνεσθαι est insequi & assequi,manum injicere & apprehendere. 861.2.c
Ἐπιποθῶ est valdè & ardenter amo. 560.1.b
Ἐπισκοπὴ, id est episcopatus,dicitur παρὰ τὸ ἐπισκοπεῖν πάντας,id est, ex eo quòd omnes speculetur, omnibusq́ue prouideat. 32.1.c.723.1.c
Ἐπισφαλίζειν est osalicuius obturare, & quasi epistomio occludere. 819.2.b
Ἐπιστρέφειν est conuerti,reuerti. 445.1.a
Ἐπισύστασις est incursus tum hostiũ & populi tumultuantis,tum curarum & sollicitudinum. 401.2.a
Ἐπιτελεῖσθαι est post consummari. 433.2.c
Ἐπιφάνεια,primò, est apparitio, secundò, illustratio & illuminatio. 681.2.a.769.1.b.780.1.c
Ἐπιφαύσει est illucescet:ἐφάψεται est cõtinget.519.2.a
Ἐπιχορηγῶν est subministrans,suggerens. 433.2.d
Ἐρίθεια quid Apostolo,quid ἔριθος & ἐριθεία 23.2.d
Ἔσοπτρον est speculum:item id per quod quasi mediũ rem inspicimus. 309.1.a.b
Ἕτερον significat primò,alterum è duobus; secundò, diuersum & contrarium. 371.2.c
Ἑτεροδιδασκαλεῖν est, primò, aliter docere, secundò, alijs doctoribus vti. 698.2.b.760.2.c
Ἑτερόδοξος qui diuersæ est opinionis. 371.2.c
Ἑτεροζυγεῖν est,primò, alteram iugi partem sustinere; secundò,diuersum iugum trahere;tertiò, in alteram iugi partem inclinare. ibid.
Ἑτερόφθαλμος est qui altero caret oculo. ibid.
Εὐαρεστεῖν 1.est placere, 2.placare, conciliare. est hebraismus,ponitur enim cal pro hiphil. 981.2.d
Εὐδόκεω,id est placeo,delector. 409.1.a
Εὐδοκία est vltronea propensaq́ue affectio, beneplacitum. 582.1.a. Item beneplacitum Dei, quo nos gratis & beneuolè vocauit ad gratiam & salutem. 420.2
Hæc tria idem sunt, εὐδοκία, id est, beneplacitum; πρόθεσις,id est propositum;& βουλή,id est consilium. 475.1.a
Εὐκαιρεῖν est,primò,oportunitatem habere;secundò, esse diuitem. 607.1.d
Εὐκαίρως est tempestiuè, oportunè: ἀκαίρως intempestiuè,importunè. 805.1.a
Εὐλάβεια significat primò,reuerentiam,vnde viri pij & reuerentes Deum,dicuntur εὐλαβεῖς;secundò, φιλανθρωπίαν, eximiam caritatem; tertiò, timorem & metum reuerentialem. 877.2.d
Εὐλαβηθεὶς est reueritus,1.actiuè,qui sc.alium reueretur;2.passiuè,quem scilicet alij reuerentur.943.2.b
Εὐλογία primò,est benedictio; secundò,bona collectio

ctio & collatio. 384.1.c
Εὐνίκη est vincentia: εὐτυχὴς est fortunata. 777.1.a
Εὐοδοῦσθαι est prosperè obuenire. 335.2.a
Εὐπάρεδρος, primò, est assessor constans; secundò, assiduus in aliqua re. 257.1.c
Εὐπερίστατον est facilè vel bene circumstans & circingens. 959.2.c
Εὐπροσωπῆσαι est bonam faciem, bonum vultum ostendere. 466.2.b
Εὐσέβεια, id est pietas; θεοσέβεια, id est, Dei cultus & timor. 741.1.a
Εὐσπλαγχνοι sunt ij qui sunt bonorum viscerum, viscerales, id est misericordes. 523.2.b
Εὐτραπελία est vrbanitas in iocis & ludis. 525.2.d
Εὐφημα sunt, primò, ea quæ sunt bonæ famæ; secundò, ea quæ sunt boni ominis. 606.2.d
Εὐψυχία est animi tum lætitia, tum magnanimitas. 585.2.a
Ἔχειν cum infinitiuo significat posse. 825.1.c
Ζεὺς vocatur Iupiter, quia δι' ὃν ζῶ αἴτιός ἐστι, id est, viuendi ceteris est causa. 158.1.a. 504.1.c. 771.1.d
Ἡλίκος est quantus, inde ἡλικία est quantitas, statura, ætas. 511.1.a
Ἡρμοσάμην, primò, est conciliaui; secundò, despondi; tertiò, matrimonio iunxi. 394.2.b
Ἥττημα est minoratio, defectus. 235.1.b
Θαρρεῖν est confidere, audere, audacter ardua aggredi. 362.1.c
Θελο-diues Africanis est, qui diuitias affectat. 630.1.a
Θελο-sapiens, qui sapientiam affectat. ibid.
Θεὸς dicitur ὅτι δι' ὃν θεᾶται: quòd omnia videat. 872.2.c
Θεοστυγεῖς sunt Deo odibiles, vel Dei osores. 42.2.a
Θηριομαχεῖν est cum bestiis pugnare, vsque ad extremum spiritum. 328.1.d
Θλίψις καὶ ἄνεσις, angustiæ & remissio siue latitudo quid. 370.2.d
Θρησκεύειν & θρησκεία, id est colere, & cultus siue religio, à Thracibus dicitur, quos Orpheus docuit deos colere. 630.2.c.d
Θυμὸς est, primò, vis irascibilis, secundò, animositas; tertiò, ira & impetus animi. 410.1.b. item excandescentia. Ὀργὴ est indignatio. 522.2.c
Θώραξ est superior pars pectoris: ζῶμα est inferior. 549.1.a
Ἱερὸς λόχος erat sacra cohors deuotorum apud Thebanos. 374.2.a
Ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον est consecrare Deo Euangelium. 192.1.a
ΙΗΣΟΥΣ non est idem quod ἰατρὸς; sed est idem quod saluator. 577.2.a
Ἱκανόω est facere sufficientem, idoneum. 349.1.a
Ἱλαστήριον est propitiatorium, id est Christus. 58.1.c
Ἱμείρομαι est cum affectu desidero. 23.2.d 652.2.c
Ἰσοψυχία est paritas animi in qua consistit amicitia. 565.2.b
Ἰστορῆσαι est visere & lustrare splendidas vrbes, arces, &c. 422.1.c.d
Καθάρματα erant homines piaculares, qui pro communi lue immolabantur. 228.1.d
Καιρὸς est occasio & opportunitas agendi. 531.1.c.d
Κακοήθεια vitium est quo omnia in deteriorem partem accipiuntur. 42.1.d
Κακὸς subinde inertem & segnem significat, inde ἐκκακεῖν est lassari & segnescere. 353.1.a
Κακοχύμοι sunt qui malè tractãtur, afflicti 976.1.b
Κακοψυχία est animi deiectio, pusillanimitas. 585.2.a
Καλὸν primò, est bonum: secundò, honestum. 382.2.a. 724.1.a
Κανὼν est regula mensoria geometrarum. 392.2.b
Καπηλεύοντες sunt cauponantes, qui res, v.g. vina, pro quæstu miscent & vitiant. 346.2.a
Κατὰ primò, est iuxta; secundò, per; tertiò, cũ. 495.2.a
Κατεξουσιάζειν est brauer, dominari, insultare. 23.2.b. 630.1.a
Κατάθεμα est censura eorum qui se damnatis coniungunt. 336.1.c
Καταλύειν dicuntur aurigæ cùm dissoluunt funes equorum in hospitio; ἀναλύειν, nautæ, cùm soluunt è portu. 565.1.d
Κατάρα est maledictio, execratio. 435.2.c
Καταργεῖν est esse vacuũ, inefficacẽ, enerue 452.2.c
Καταρτίζειν est ita aptè rem coagmentare & perficere, vt partes inter se & cum toto congruant. 201.2.b. 983.2.a
Καταρτίζειν est vestem laceram sarcire, concinnare, redintegrare. 413.1.c
Κατάσχημα & vestem & incessum, omnemq; gestum significat. 823.2.b
Καταχρηνιᾶν est se bene pascere, exultare, lasciuire, iugum excutere. 751.2.b
Κατατομὴ & concisionẽ & occisionẽ significat. 588.1.c
Καταχθόνιοι sũt subterranei, putà infernales. 579.1.d
Κατάχρησις, id est abusus, subinde pro χρήσει id est, pleno vsu sumitur. 267.1.a
Κατεγνωσμένος, id est reprehensus, idem est quod reprehensibilis. 416.1.a
Κατέπιεν deuorauit: κατεπόθη, deuoratus est. 333.1.c
Κατεργάζεσθαι est peroperari cõficere, perficere. 359.1.b. Secundò, est operari cum magna diligentia & sollicitudine. 581.1.c
Κατηχεῖν est voce instruere, & docere fidei rudimenta. 464.2.b
Κατοικεῖν est habitare: παροικεῖν est cõmorari. Hinc præsens vita vocatur παροικία, id est incolatus; futura verò κατοικία, id est perpetua mansio. 625.1.b
Κατοπτριζόμενοι, id est, in speculo intuentes. 351.2.c
Κενοφωνία est inanitas vocum, καινοφωνία est nouitas vocum hæreticis propria. 773.1.a. 789.2.a
Κενόω noua significatione Apostolus vsurpat. 23.2.d
Κέντρον est stimulus, aculeus. 333.2.c
Κληροῦσθαι, 1 est sortiri, 2. sorte vocari, 3. in sortem, id est partem hereditariam, adsciscí. 477.1.d
Κοινωνία est communis vnio, communio, societas, consortium. 414.1.c
Κοινωνικοὶ sunt primò, sociales, amici, beneuoli; secundò, qui facilè sua communicant. 771.2.c
Κορινθιάζειν est lasciuire instar Corinthiorũ. 238.2.d
Κράτος, 1 est robur, 2. potestas, 3. imperium. 614.1.a 770.2.c
Κρίνομαι pro κατακρίνομαι, iudicare, pro iudicando condemnare. 628.2.d
Κυβεύειν est alea ludere, inde κυβεία primò, est aleatio; secundò, fallacia. 511.1.d
Κυριότης est dominiũ siue ius domini in rẽ suã. 481.1.a
Κυρῶσαι est aliquid decernere quasi publicis comitijs, κυρία enim sunt comitia. 343.2.b
Καλίφιον erat cibus athletarum, ἀπὸ τοῦ καλὰ, καὶ ἴφι, à robore membrorum. 268.2.a
Κῶμος est Bacchus, Deus temulentiæ: vnde κωμάζειν significat lasciuire: inde comessari, & comœdia. 180.2.c. 458.1.a
Λανθάνω, id est lateo, quando participio iungitur, significat actionem quæ participio illo significatur, latere, vel ipsosmet agentes, vel alios, vt ἔλαθον,

ϑον, id est, *latuerunt angelis hospitio receptis*, id est, latenter, vel nescientes hospitio exceperunt angelos. 975.1.d

Λατρεύειν est magna reuerẽtia & sollicitudine seruire, à λα, particula augẽte, & τρεῖν, id est tremere. 34.2.a

Λογιαὶ sunt collationes & collectiones eleëmosynæ. 383.2.b

Λογίζομαι passiuè est idem quod existimor: actiuè est idem quod cogito. 389.2.a

Λογίζεσθαι imputare, cõputare est Arithmeticorum, ἁρμόζειν est Musicorum, ἀναλύειν est Geometrarum. 63.1.d

Λογικὴ λατρεία est specialis Dei cultus. 161.2.a

Λογισμοὶ sunt humanæ rationes, cogitationes, consilia. 390.1.c

Λογομαχία primò, est pugna verborum, rixa, litigium; secundò, pugna rationum, cùm scilicet hæretici rationes naturales opponunt fidei. 761.2.b

Μακαρισμὸς est beatificatio, qua quis se vel alios beatos prædicat. 446.1.d

Μεθοδεύειν est hominẽ in via ex insidijs aggredi; inde μεθοδεία est insidiosa fallacia. 512.1.c.543.1.d

Μεσίτης est mediator, intercessor, cõciliator. 439.1.b

Μεσοῖχον & φραγμὸς est interstitium macerie, siue intermedius murus. 487.2.d

Μεταστρέψαι pro καταστρέψαι, id est, conuertere pro subuertere ponitur. 417.2.a

Μετασχηματίζειν est transfigurare, in aliam figuram & formam conuertere. 600.1.d

Μετριοπαθεῖν, id est, moderatè se gerere, est συμπαθεῖν, id est compati. 875.2.b

Μῆλον est ouis, vnde μηλωτὴ vocatur ouina pellis, aut potiùs exuuium. hoc enim est melota. 955.2.d

Μήποτε tam nequando, quàm siquando significat. 797.1.a

Μορφὴ non est specimen, sed forma, quæ dat esse rei. 572.2.d

Μυκτηρίζειν est nasum suspẽdere, irridere. 465.1.d

Ναρκᾶν est torpere, inde νάρκη dicitur torpedo piscis. inde & καταναρκᾶν τινός, est obtorpescẽdo alicui incumbere, eique esse oneri. 398.1.a

Νέκρωσις est mors, vel potius mortificatio. 355.2.d

Νήπιος dicitur quasi νὴ ἐπεῖν, id est, sine fari, infans, elinguis, & quasi ἤπιος, id est lenis, mollis. 316.2.a

Νεπύπιος est insipiens, νήπιος est infans. ibid.

Νηφάλιος primò, est sobrius, secundò, vigil; tertiò, perspicax, attentus. Inde νηφάλια sacra erant in quibus libabatur aqua. 726.2.d.731.1.c

Νήφειν primò, est vigilare; secũdò, sobrium esse. 797.1.c

Νοσφίζεσθαι est furtim decerpere partem, cùm totum non ausis tollere. 825.2.a

Νουθεσία dicitur admonitio, quæ in mente moniti aliquid ponit & imprimit. 541.2.d

Νοῦς, id est mens, sumitur pro διάνοια, id est sensus, hoc est intelligentia. 313.2.c

Οἰκονομία primò, est ipsa rei dispositio; secundò, dispositionis executio & distributio. 491.1.c

Ολόκληρον est id, cui tota sua sors adest & inest. 669.2.b

Ομείρομαι, id est agglutinor, ab ὁμοῦ, id est simul, & εἴρω complico, connecto. 652.2.d

Ομιλίαι sunt colloquia, commercia, omnisque conuersatio. 328.2.a

Ομούσιον, id est consubstantialem Filium, in ὁμοιούσιον, id est similem in substantia, deprauarunt Arriani. 773.1.c

Ομως, id est tamen, sumitur pro tametsi. 437.1.c

Οπλα, id est arma, sunt habitus & vestitus, quo homines se tegunt & ornant. 180.2.b

Οργίζεσθαι ab hebr. רגז *ragas*, est irasci. 519.2.b

Ορθοποδεῖν est recto pede incedere, recta dirigere ingressum. 427.1.c

Ορθοτομεῖν, id est, rectè secare verbũ veritatis, quid? 788.2.d

Ορίζειν est declarare, definire, prædestinare. 30.2.a

Οσιος est sanctus, qui Deum reueretur, ab ἄζομαι, id est colo, veneror, reuereor. 701.2.d

Οσια sunt parentalia, exequiæ. 518.2.d

Οσιότης primò est puritas; secundò, iustitia; tertiò, pœnitentia; quartò, religio. 898.1.c.d

Οφειλομένη εὔνοια, id est, debita beneuolentia, est debitum coniugale. 241.1.d

Οφθαλμοδουλία est seruitium ad oculum, seruile, non liberale. 542.1.d

Οψώνιον est cibarium & stipendium. 91.1.c

Παθήματα sunt μαθήματα, id est, passiones optimæ disciplinæ & doctrinæ. 710.1.a.878.2.a

Πάθος est libido succuba. 40.2.d.640.2.a

Παιδεία primò, est instructio. 2. castigatio. 541.2.d

Παιδεύειν est pueros rudes formare & instituere. 816.1.b

Πανήγυρις est solemnis conuentus, celebritas & pompa, qualis est in festis, ludis publicis & triumphis. 970.2.b

Παντοπλία est armatura à capite ad talos. 543.1.d

Παρὰ, id est præter, capitur pro ἀντὶ, id est, contra. 419.1.c

Παρακαλεῖν primò, est exhortari; secundò, consolari; tertiò, obsecrare. 694.2.c.745.2.a

Παρακολουθεῖν est aliquid sequi & assequi, etiã mente, id est intelligere 800.2.c. Secundò, παρακολουθεῖν dicuntur qui seriem omnem rei totius ordine sequuntur, vt nihil omittant. 740.2.a

Παράπτωμα est lapsus non destinatus, sed casualis. 460.2.b.483.2.b

ἡ παροῦσα καὶ ἡδονὴ est momentanea voluptas. 358.1.c

Παραφέρεσθαι est abduci, περιφέρεσθαι est circumferri. 978.2.d

Παρείσακτοι vocantur irreptitij, qui furtim intrant. 425.1.a

Παρεισελθεῖν est clàm & insidiosè irrepere. ibid.

Πάρεσις 1. est cõdonatio; 2. tabes & corruptio. 59.1.a

Πάροικος est aduena, colonus. 439.1.c.844.2.d

Παροργισμὸς est animi concitatio & ira subita. 519.2.a.520.1.c

Παῤῥησία primò, est libertas; secundò, fiducia; tertiò, euidentia. 350.1.b

Πάσχα non descendit à πάσχειν, id est, à patiendo, puta à passione Christi; sed ab Hebr. פסח *pasach*, id est transiuit. 577.2.a

Πατριάρχης dicitur quasi ὁ πατριῶς ἀρχὴ, id est, tribus principium. 496.2.c

Πατρότης est paternitas; πατριὰ est paterna cognatio, familia, tribus. ibid.d

Πειθανολογία est persuasorius sermo, fucata & sophistica oratio. 622.2.a

Πείθειν κριτὰς dicuntur aduocati, dum iudicibus suam causam persuadere conantur. 419.2.c

Πείθω descendit à פתה *pata*, id est suasit, persuasit, pellexit. 511.2.c

Πεποίθησις est persuasio cum animi confidentia tendens in bonum arduum. 348.1.a

Πέρθω, id est vasto, dicitur à πορθέω, id est circumcurso; vel à πρήθω, id est incendo. 410.1.d

Περιεργάζεσθαι qui operatur inutilia & parerga: ἐργάζεσθαι

ζητω qui operatur vtilia. 694.1.d
Περικαθάρματα sunt sordes,quæ euerruntur.228.1.b
Περιούσιον est id, quod ex opibus & substantia eminet: περὶ enim eminentiam, οὐσία substantiam significat. 827.1.c
Περιπατῶ est circumcirca ambulare. 486.2.a
Περιποίησις est acquisitio & vendicatio rei. 479.1.c
Περιφέρεσθαι est circumagi. 511.2.b
Περιψῶ est abstergere,limare,radere. inde
Περίψημα est scobs,ramentũ,& res viliſſimæ.228.1.c
Περπερεύεσθαι est agere perperam, proteruè,procaciter.Vox sumpta est à Perperis fratribus procaciſſimis. 23.2.d.307.1.a
Πίστις, id est fides, dicitur à πείθειν,id est, suadere, persuadere. 188.2.a
πλεονεκτῶ est fraudare,extorquere,occupare quod tuum non est. 233.1.b 344.2.d.409.2.d
Πλεονέκτης est fraudator. 233.1.b
Πλεονεξία est nimia habendi cupido,siue ea sit opũ, siue honorum,siue libidinum. 515.2.a
πλημμέλεια est erratum ignoranter,ἁμαρτία est peccatum scienter admiſſum. 483.2.a
πλὴν idem est quod verumtamen,enimuerò. 593.1.b
πληροφορία est plenitudo,indeque plena persuasio, fides & certitudo. 184.2.c
πλήρωμα est plenitudo siue complemẽtum. 482.1.b
Πολιτία primò,est ciuilitas;secundò,respublica;tertiò gubernatio;quartò,conuersatio. 487. 1.d
Πολίτευμα idem est quod πολιτεία. 598 2.d
Πολυποίκιλος est multiuarius: παμποίκιλος est omniuarius. 495.1 c
πολύτροπος est is qui versatili est ingenio, vti Vlysses qui nouerat se omni loco & personis accommodare. 840.2.b
Πονηρία est versutia & prauitas. 232.2.c. 545.2. a
Πονηρὸς primò,est malus; secundò, malignus; tertiò, versutus;quartò,miser;quintò,laboriosus.416 2.a
προθεσμία est dies præscripta ad quam durabat ius & administratio tutorum. 443.1.a
Προίσασθαι est præcisè: inde πρεσβὺς & πρεσβύτης est præfectus. 831 1.a.b
Προκόπτειν est procedere,& ad finem tendere 180.1.c
Προπετεῖς sunt præcipites,temerarij. 799.1 b
Προσαγωγὴ est aditus,introductio. 489 1.b
Προσκαρτερεῖν est cum patientia & perseuerantia assiduè incumbere alicui rei. 169 1.a
Πρόσκλισις est declinatio, πρόσκλησις est prouocatio. 756.2.c.d
Προστάτης est πρόξενος, id est,præfecta hospitũ.195 1.b
Προσφιλὴς est benеuolus, amabilis, omnes sibi concilians. 606.2.c
Προσωπολημψία est personarum acceptio, vitium in homine,non in Deo. 425.1.c
Πρόσωπον & faciem & personam significat. 340.2 a
Πρόφασις primò, est occasio; secundò, prætextus. 561 2.d
προφήτης, id est propheta,dicitur nõ à πρὸ & φαίνω, sed à πρό,id est antè, & φημὶ, id est loquor, quasi dicas præloquens futura antequam fiant. 311.1.a
Πτυρόμενοι sunt pauidi,turbati,tumultuãtes.567.2.d
Πυκτεύειν est pugilem agere, pugnis certare. 269.1.d
Πυρέμενη est ardeo,ignesco,tũ dolore tũ zelo.401.2.d
Π.Υ.Λ.Π. id est,πατὴρ,υἱὸς,ἅγιον πνεῦμα,hoc est Pater,Filius, Spiritus sanctus, quasi professio christianismi, erat olim tessera hospitalitatis inter Christianos. 975.1 b
πώρωσις est obduratio, πῶρος enim callum significat. πήρωσις est cæcitas. 155.1.c.514.2.d

Ρητὰ sunt præcisè & certò præscripta & expressa. 735.1.a
Ριπὴ est iactus fulminis vel teli, à ῥίπτω, id est iacio. 332.2.b
Ροπὴ est propensio lancis,item momentum temporis. ibid.

Σαπρὸς est putris,corruptus. 521.1.b
Σάρκινος est carneus: σαρκικὸς est carnalis.348.1 a
Σεμνὰ sunt grauia,seuera,honesta,verecũda.606.2.b
Σεμνότης est honestas, omniſque morum grauitas. 713.1.d.729.1.a
Σκάνδαλον dicitur à σκαμβῶ, id est obliquo, scilicet ligno muscipulæ,quo capitur mus. 186.2.b
Σκόλοψ est palus,stimulus,spiculum,aculeus 406.1.c
Σκύβαλα sunt primò,stercora secundò, palea; tertiò,intestina quæ canibus objiciuntur, ὑπὸ τῶν κυσὶ βάλλεσθαι. 590.2.b
Σπένδομαι est libor, pro libamento offeror & immolor. 585.1.a
Σπουδάζειν est studere,studiosè rei incũbere. 502.1.d
Σπίχειν est in ordine stare:inde στίχοι,id est versus,& στίχες, id est acies, & στοιχεῖα,id est elementa, ac litteræ ordine dispositæ. 448.2.b.c
Στενοχωρεῖσθαι est coarctari,anxiari. 355 1.c
Στοργὴ est affectus amoris quo parentes feruntur in liberos. 168.1.a
Στρατολογεῖν est in militiam asscribere & seligere. 787.1.a
Στρηνιᾶν est luxuriari,lasciuire,deliciari. 751 2.b
Στυγέω est horreo,inde styx palus inferni ab horrore nomen accepit. 42.2.a
Συγγνώμη est ignoscentia & venia. 241.1.d
Συγκληρονόμοι sunt socij, collegæ, participes ex æquo. 557.2.c
Συλαγωγεῖν est prædari, spoliare:inde ἱερόσυλοι sunt sacrilegi. 623.2.d
Σύζυγος primò,est coniux;secundò,socius,quiidem iugum in re aliqua nobiscum trahit. 602.1.b.c
Σύζυγος Patris est Christus. ibid.c
Συμφωνησις est consonantia,concordia. 371.1.c
Συναποθνήσκοντες,id est cõmorientes,erãt amici,cùm vno extincto alter sibi mortẽ consciscebat.374.2.b
Συναρμολογουμένη est res compaginata & coagmentata. 490.2.b
Συνέκδημος est socius,collega. 382. 1.c
Συνέχομαι est contineor, vndique teneor, coarctor. 565.1.a
Σύσσωμα est id quod est vnius eiusdemque corporis, quasi dicas, concorporale, commembrum. 493.1.d
Συστοιχεῖν est esse simile in eadem quasi serie & proportione rerum. 448.2.c
Σφραγίζεσθαι est sigillare & obsignare sigillo, verbi gratia,signo crucis,aut simili charactere. 342.1.a
Σφραγίζω pro ἀνασφραγίζω,id est signo vel sigillo, ponitur pro resigno,sigillũ tollo,infringo.398.1.c
Σχῆμα,id est figura, conuenit rebus caducis;μορφὴ, id est forma,spiritualibus & constantibus.161.2.d 575.1.b
Σώζειν deducitur à σὸς, hinc σώζω σε, est, te tibi restituo,dum te seruo & saluo. 600.1.a
Σῶμα esse σῆμα,id est,corpus esse sepulcrum animæ, censuit Plato. 362.1.a
Σωφρονισμὸς primò,est sobrietas;secundò,pudicitia; tertiò,moderatio animi & refrænatio cupiditatũ; quartò,sapiẽtia & sanitas animi.727.1.a.778.2.d
Σωφροσύνη, id est sobrietas,dicitur ζωὰς τὰς φρένας ἔχειν,quòd per eã mentes habeantur sanæ.164.1.c

Ταπεινοφροσύνη est humilitas in mente, ταπεινορρημοσύνη est humilitas in verbis tantùm & linguâ. 502.1.b.702.2.b

Ταπείνωσις est humilitas, id est vilitas; ταπεινοφροσύνη est humilitas, id est, humilis de se sensus. 502.1.b. item demissio tam mentis, quàm morum & gestuum. 630.2.c

Τελειῶσαι primò, est immolare; secundò glorioſum facere; tertiò, consummare; quartò, consecrare: vnde Sacramenta vocantur τελειώσεις, q.d. consecrationes. Hinc & τελειωθῆναι dicuntur Martyres, quia per martyrium perficiuntur, consecrantur & immolantur Deo. 857.2.b.c

Τελειωτὴς primò, est finitor; secundò, consummator; tertiò, coronator. 961.1.b

Τιθέναι est ponere, statuere; ἀθετεῖν est deponere, destituere. 922.1.c

Τομώτερος est acutior, magis incidens; τέμνω enim idem est quod seco, incido. 871.2.d

Τραχηλίζειν significat primò, à collo ad caudam excoriare & denudare; secundò, à collo ad caudam secare, findere; tertiò, in collum siue ceruicem reclinare & resupinare. 871.2.d

Τρόπος primò, modum; secundò, mores significat. 976.2.c

Ὑπερέκεινα, q.d. super-supra, id est, omnino supra. 507.1.a

Ὑπερενεγκεῖν est ita sustinere, vt vires supersint ad sustinendum. 276.2.b

Ὑπερεντυγχάνειν est postulare magna instantia, pondere & auctoritate. 113.1.d

Ὑπερικᾶν est vincere insigni & illustri victoria. 121.1.b

Ὑπερεξουσιάζειν, id est superexubero, superabundo. 375.1.a

Ὑπερπλεονάζειν est supermultiplicari, supercrescere, exuberare. 703.2.d

Ὑπόδικος, est reus condemnationi obnoxius. 56.2.b

Ὑπόνοιαι sunt malæ tam suspiciones, quàm opiniones. 762.1.b

ὑπωπιάζω Ὑπωπιάζω significat liuidum facio, & sanguinis nota oculos suggillo. 269.1.a

Ὑποπιάζω significat subigo, coërceo, contundo. ib.b

Ὑπόστασις, primò, est substantia; secundò, subsistentia & existentia. 841.2.b.867.1.a.939.1.d.2.c

Ὑποτυπῶσαι est rem plenè & planè delineare & depingere. 782.1.b

Ὑποτύπωσις est viuum exemplar, viua imago, viua repræsentatio. ibid.707.1.a

Ὑπώπια sunt liuidæ oculorum notæ. 269.2.a

Ὑστερεῖσθαι est esse posteriorem, destitui, carere. 57.1.d

Ὑστέρημα est defectus, penuria, inopia. 619.1.b

Ὑψηλοφρονέω est sublimiter de me sentio, multum mihi arrogo. 771.1.a

Φαίνεσθαι non tantùm est lucere, sed & in conspicuo esse instar facis. 584.2.a

Φαινόμενα sunt cometæ, halones & cætera quæ in aëre apparent. 970.1.a

Φανερούμενον tam est id quod manifestat, quàm quod manifestatur. 528.2.b

Φαντάζόμενον est id quod apparet, & videtur exteriùs. 969.2.d

Φέρων primò, est agens, mouens, moderans, vnde φορὰ, id est impetus, & φερόμενα sunt quæ impetu quodam aguntur; secundò, est ferens, portans; tertiò, est alens, fouens, proferens. 843.1.a

Φθάνειν est præoccupare, cùm scilicet aliquid subitum & inopinatum hominem præuenit & præuertit. 654.1.c

Φιλαδελφία est intensa charitas fratrum. 167.2.d. 974.1.b

Φιλανθρωπία Dei est singularis erga suos amor. 829.1.d

Φιλόστοργοι sunt qui magno affectu quasi materno alios diligunt. 168.1.a

Φιλοτιμεῖσθαι est studiosè & ambitiosè conari. 362.2.c.659.1.d

Φόρος est tributum facultatum & personarum: sicut τέλος est vectigal mercium. 177.2.a

Φρεναπατᾶν est mentem suam & seipsum decipere. 463.2.c

Φρονεῖν, id est sentire, capitur pro φροντίζειν, id est curare, esse sollicitum. 607.1.b

Φρονεῖν τὸ αὐτὸ, id est, sapere idem, est ὁμοφρονεῖν consentire. 170.1.b

Φυλάττειν est custodire, vti custoditur obsessa ciuitas. 606.1.b

Φύσις primò, est natura; secundò, ortus; tertiò, indoles. 484.2.d

Φυσιοῦσθαι est superbire, & turgere instar follis vento distenti. 260.2.d

Φυσιώσεις sunt tumores, fastus. 410.2.a

Χαράσσω idem est quod insculpo, notam aut formam imprimo: χαρακτὴρ idem quod impressa & insculpta imago. 842.2.b

Χαρίζεσθαι est donare, condonare, gratiam præstare. 523.2.c

Χάρισμα vocatur gratia, non tantùm gratis data, sed & gratum faciens. 743.2.a.777.2.c

Χαριτόω gratiosum facio, gratifico. 475.1.b

Χειροτονία est manus impositio, qua consecrātur ordinandi. 382.1.b.744.2.b

Χήρα à χήρειν, id est vidua, à viduando & orbando dicitur. 746.1.a

Χρεία, primò, est vtilitas; secundò, oportunitas; tertiò, necessitas. 521.1.d

Χρῆμα, id est, pecunia, dicitur à χρῆσθαι, id est, ab vtendo, quòd ea vtamur ad commercia. 590.2.d

Χρῆσθαι, primò, est vti; secundò, gerere; tertiò, res administrare. 413.1.c

Χρηστολογία est blandiloquentia, assentatio. 195.2.d

Χρηστόλογοι sunt qui bene dicunt, & malè faciūt. ibid.

Χρηστὸς est vtilis, commodus. ibid.523.2.b

Χρίειν vngere, vnde chrisma, Christiani, id est vncti. 342.1.d

Χωρεῖν amplecti latis visceribus. 374.1.c

Ψιθυρὸς significat sibilum, susurrum: inde ψιθυρισμοὶ vocantur susurrationes, id est, occultæ obtrectationes. 410.1.b

Ψωμίζειν est cibum in os ingerere, vti matres ingeruntinfantibus, quod veteres vocarunt *insipare*. 172.2.d

Ὥρα est tempus vernum, pulchritudo, item cura & sollicitudo. 145.1.b

INDEX VOCVM
HEBRÆARVM, CHALDÆARVM, SYRARVM, &c.
QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

א

אַב Ab, *Chald.* אַבָּא abba, *latinè* abbas, *eſt pater.* 444.2.a

אַב Ab *eſt pater,* אֲבָהוּתָא abahuta, *eſt paternitas.* 496.2.d

אַבְנֵי מִלּוּיִם Abne milluim, *id eſt lapides plenitudinum, vocantur gemmæ quæ implebant Rationale.* 192.2.d

אַבְרָם Abram *dicitur quaſi* אַב רָם ab ram, *id eſt, pater excelſus.* 450.2.c

אַבְרָהָם Abraham, *dicitur primò quaſi* אַב בָּר הָמוֹן ab bar hamon, *id eſt, pater electus cum ſonitu, ſecundò quaſi* אַב רַב הָמוֹן ab rab hamon, *id eſt, pater magnæ multitudinis. ibid.* 944.1.b

אֲגוּרְסָא Agureſa *Syriacum venit à Græco* ἄγρος, *id eſt* ager. 839.2.a

אַגְזִיאַבְהַר Eghziabher, *id eſt, Dominus pater bonus, æthiopicè eſt Deus.* Eghzia *enim Dominũ,* ab *patrem,* her *bonũ ſignificat.* 965.2.a

אֲדֹנָי Adonai *vocatur Deus, id eſt, Domini in plurali, quaſi dicas, multus & magnus Dominus.* 769.2.b

אָדָם Adam *dicitur ab* Adama, *quaſi homo ab humo. Secundò, homo dicitur* אִישׁ is *ab* אֵשׁ es, *id eſt ignis, ratione animæ, quæ eſt inſtar ignis. Tertiò, homo dicitur* אֱנוֹשׁ Enos *quaſi* אָנוּשׁ Anus, *id eſt deſperatæ ſalutis, & certò moriturus. Rurſum dicitur* enos *à* נָשָׁה naſa, *id eſt obliuiſci, q.d. obliuioſus, & citò obliuioni tradendus.* 855.1.b

אוּרִים וְתֻמִּים Vrim vetummim, *id eſt, doctrina & veritas, inſcripta erant in Rationali pontificis.* 717.1.b

אַחִיד Achid *eſt cõplectens, continẽs, coërcens omnia, quaſi omnipotens. eſt epithetũ Dei.* 843.1.a

אַחֲרִי Achare, *eſt ſequens, poſterius: noſter interpres vertit nouiſſimum.* 798.1.b

אִישׁ הָאֱלֹהִים Iſch haelohim, *id eſt, vir Dei, eſt propheta & pralatus, per quem Deus loquitur, agit & regit populum.* 767.1.a

אֱלָהָּ Eloha *hebraicè & arabicè per craſin* אַלָּה Alla, *& punicè* Ille, *eſt Deus, qua gubernator, iudex & Rex vniuerſi.* 965.1.d

אֱלֹהִים Elohim *primò eſt Deus, ſecundò angeli, tertiò principes & iudices, qui Dei imperium participant.* 855.2.c

אֵל El *id eſt* ad, *capitur pro* עַל al, *id eſt* ſuper, de. 847.2.b

אֱלִיל Elil, *id eſt idolũ, diminutiuum ab* אֵל el, *id eſt Deus, quaſi dicas, Deiculus.* 261.2.a. 847.1.b

אַלְקֹרָאן Alcoran, *ſiue Alcoranus Mahometis idẽ eſt quod confeſſio, ſiue profeſſio mahometiſmi, à radice* קָרַר Karar, *quod arabicè ſignificat confiteri, profiteri.* 931.1.b

אָמַן Aman *eſt firmare, ſtabilire. inde* Amen *eſt nota confirmantis.* 315.2.c. *inde* Emuna *vocatur fides, conſtãtia, ſtabilitas, certitudo, qua res ſolidè, certò firmiterq; ſubſiſtit.* 939.2.d

אֶמְלַךְ Emlac *æthiopicè eſt Deus, vtpote Rex ſæculorum:* מֶלֶךְ Melech *enim etiam hebraicè eſt rex.* 965.1.d

אָמֵן Amen *eſt veritas, ſtabilitas. Hinc Deus vocatur* Amen, *id eſt, verus & ſtabilis.* 341.1.a

אֱמֶת Emeth, *id eſt veritas, &* אֱמוּנָה Emuna, *id eſt fides & fidelitas, duæ ſunt ſorores eadem matrice* אָמַן aman, *id eſt, firmus fuit, genitæ.* 548.1.a. 939.2.d

אַנְשֵׁי הַשֵּׁם Anſe haſſchem, *id eſt, viri nominis, vocantur celebres.* 481.1.a

אֶצֶם Etſem, *ideſt os, vocatur ſubſtãtia, quia inſtar oſſis rem fulcit & ſuſtentat: hinc oſſa Hebræis vocãtur argumẽta & demõſtrationes, quibus rei veritas corroboratur & fulcitur.* 939.2.a

אֶרֶךְ אַפַּיִם Erech appaim, *id eſt longus, hoc eſt latus, naribus, idem eſt quod longanimis & tardus ad iram. tales enim ſunt qui latas habent nares, cur?* 502.1.b. 805.2.b

אֵשׁ לֹהֶט Es lohet, *eſt ignis flammans & flagrans.* 848.1.b.

אִשָּׁה Iſſa, *id eſt mulier, dicitur ab* אִישׁ is, *quaſi vira à viro.* 536.1.d

אִשֵּׁר Iſſcher, *eſt recta incedere.* 427.2.c

אֶשְׁתַּנִּי Estanni *Syris tam tranſlatum, quàm mutatum in meliorem ſortem ſignificat.* שְׁנָה ſcana *enim tam Syris quàm Hebræis mutare ſignificat.* 942.2.b

ב

בּ Beth, *id eſt* in, *ponitur pro* בַּעֲבוּר baabur, *id eſt* propter. 58.1.b. 505.2.c. *& pro* מִן min, *id eſt* de. 538.2.c. *eſt item nota iurãtis.* 124.2.c

בָּטַל Batal *ſyriacè ſignificat ita hominem quaſſare & enervare, vt vix membrum vllum mouere poſſit.* 922.1.c

בִּינָה Bina *eſt intelligentia, etiam paſſiua, qua ſcilicet quis loquẽs intelligitur ab aliis.* 314.1.c

בַּבִּים בְּכוֹס בְּכַעַס Backis baccos baccaas, *id eſt, in crumena, in calice (in vino) in ira, ſupple cognoſcitur ingeniũ & indoles hominis.* 523.1.c

בְּלִיַּעַל Beli iaal *ſignificat primò ſine vtilitate, id eſt inutilis; ſecundò, ſine iugo, id eſt inobediens, rebellis.* 372.1.d

בֵּן Ben, *id eſt filius, dicitur quaſi* בִּנְיָן binian, *id eſt fabrica patris.* 264.1.b. 510.2.b

בָּנִים Banim, *id eſt filij, vocantur quaſi* אֲבָנִים abanim, *id eſt lapides, ex patre quaſi petra, & ex matre quaſi fodina exciſi & effoſſi.* 926.1.d

בְּרָכָה Beracha *primò, eſt benedictio; ſecundò, beneficentia.* 384.1.a

בָּצָק Batſac *eſt maſſa cõſperſa ſiue* φύραμα. 231.1.b

בְּרִית Berit, *id eſt fœdus, deducitur à* בָּתַר batar, *id*

id est diuisit, quòd in fœdere victimæ fœderales occiderentur & diuiderentur. 294.2.b

בְּרִית Berit, *Διαθήκη & testamentum in Script. sunt idem, & significant quodlibet fœdus & pactum.* 295.1.a.918.1.b

ג

גֶּדֶר Geder *est maceria, siue septum ex congerie lapidum vel lignorum.* 488.1.a

גָּלָה Gala *significat transmigrare. Inde Galata est transmigrans.* 416.2.b

גָּלַל Galal *significat voluere, reuoluere, inde Galata, idem est quod volubilis. ibid. inde* גֻּלְגֹּלֶת gulgolet *vocatur caput hominis, ob sui conuolutionem & rotunditatem.* 926.2.d

ד

דאתתקנו Dettakanu *significat primò, ordinata sunt; secundò, colligata sunt; tertiò, stabilita & fixa sunt.* 941.2.b. *est Syriacum.*

דָּגוֹן Dagon *Deus vel idolum, dicitur à* דָּג Dag, *id est piscis: quia erat instar sirenis; vel à* דָּגָן Dagan, *id est frumentum, quasi eius dator vel inuentor.* 598.2.a

דֶּבֶר Deber *est pestis,* דָּבָר dabar *est verbum.* 333.2.a

דָּךְ Dac, *primò est pauper; secundò, vilis; tertiò, humilis.* 608.1.b

ה

הָאִיר Heir, *id est illuminauit, idem est quod in lucem produxit, suscitauit, exhibuit.* 780.2.a

הֶאֱמַנְתִּי Heemanti *est credidi & credo.* 357.1.b

הֶאֱמִין בַּאדֹנָי Heemin Badonai, *credidit in Domino, id est, credidit Domino.* 428.1.b

הוֹדִיעַ Hodia *significat scire fecit, docuit.* הוּדַע huda *scire factus, id est, edoctus est.* 444.2.c

הַזְכִּיר Hazkir *significat commemorare, annunciare, concionari.* 295.2.c

הֵיכָל Hechal, *id est templum, dicitur primò à* יָכוֹל iachol, *id est potuit, quasi dicas, basilica potentis Dei. Secundò, quasi* הָלִיךְ halich, *id est, tabernaculum & templum mobile, in quo Deus* הָלַךְ halach, *id est inambulat.* 372.2.c

הֵקִים Hekim *est stare, facere, statuere, stabilire.* 435.1.c

הַשֵּׁם אָתָה Hasschem ata, *nomen, id est, Dominus venit, vox est execrantis.* 337.1.a

הִשְׁתַּחֲוָה Histachaua *est se curuare, inclinare, prosternere, hoc est supplicare.* 949.2.b

ו

וְ Vau *littera, quæ significat* &, *sæpè capitur pro* sic, *vt patet in Prouerbiis passim.* 978.2.b

וָתִקְוָה Vataca *Syriacè & arabicè vocatur spes, q.d. firmitas, robur, soliditas.* וָתַק vatac *enim significat vincere, firmare, roborare, indeq; confidere & sperare.* 886.2.a

ז

זֹהַר Zohar *est ἀπαύγασμα, id est claritas, splendor, refulgentia.* 842.1.b

זוֹנָה Zona *primò, cauponam; secundò, meretricem significat.* זָן zun *enim est mereri, vendere, prostituere se vel sua.* 952.2.d

ח

חַיֵּי תֵּיאָ Chauuî chaie *est vinificare vitam, id est, vitam ipsam morte suscitare.* 780.2.b

חוֹל Chol *significat primò, infirmari; secundò, dolere.* 405.2.a

חֲטָאת Chattat *est peccatum quod scienter,* אָשָׁם ascam *est delictũ quod ignoranter fit.* 483.1.b

חֵפֶץ Chaphets *est εὐδοκία, id est beneplacitum & beneuolentia Dei erga homines.* 420.2.c

חֻקִּים Chuckim, *id est, sanctiones siue decreta, vocantur leges cæremoniales.* 906.1.b

חֵרֶם Cherem, *vel* horma, *idem est quod excisio, succisio, anathema.* 125.2.a.b

ט

טוֹב Tob, *id est bonus, Hebræis significat beneficium.* 836.1.a

י

יְהוּדִי Iehudi, *id est Iudæus, idem est quod confitens & laudans Deum.* 50.2.d

יָכִין Iachin *est directio.* בּעַז boos *est fortitudo. ita vocatæ sunt duæ columnæ templi, cur?* 732.1.a

יָמִין Iamin, *id est dextera, venit à rad.* אָמַן aman, *id est firmauit, stabiliuit, fidelis fuit. horum enim symbolum est dextera.* 637.2.a

יִצְחָק Isaac *significat risum & gaudiũ. Syri dicũt* אִיסְחָק Isechok, *id est abundãtia & exuberãtia. (Syri enim Hebræũ* tsade *mutant in* samech) *quæ maximè patet in posteror ũ copia.* 945.2.d

יִרְאָה Iira, *id est timor, vocatur reuerentia. Sic & chaldaicè reuerentia vocatur* אֵימָה ema, *id est terror; & arabicè* חִיבָה hiba, *id est formido.* 878.1.a

יְרוּשָׁלֵם Ierusalẽ *dicitur à* יִרְאֶה iire, *id est videbit &* שָׁלֵם salẽ, *id est pacẽ, cur?* 449.1.b.888.1.b

יְשׁוּעָ Iescua, *id est Iesus, dicitur à rad.* יָשַׁע iasca, *id est saluauit.* 577.2.a.b

יִשְׂרָאֵל Israel *dicitur quasi* יִשְׂרָה אֵל iisra el, *id est, qui dominatur Deo.* 469.1.a

כ

כִּאֵב Kieb *significat castigare.* כָּאַב keab *significat, sicut pater.* 18.1.b.949.1.c.964.1.b

כָּאָדָם Caadam *idem est quod, secundùm hominem, instar hominũs.* 437.1.a

כָּבַד Cabad *significat, primò, onerare; secundò, honorare. cur?* 652.2.a

כִּדְמוּתֵנוּ Kidmutenu, *id est, secundùm similitudinem nostram, hoc est omnino similiter atque nos. geminantur enim hic ad auxesin notæ similitudinis.* 873.2.a

כּוּן Cun *significat primò, præparare; secundò, dirigere; tertiò, roborare.* 550.1.d

כִּי Ki, *id est quia, sæpè non est causale, sed asseuerantis & designantis.* 787.2.d

כָּמַהּ Cama *est valdè & ardenter amo.* 560.1.b

כָּמוֹנִי כָּמוֹךָ Camoni camocha *sicut ego sicut tu, id est, ego sum sicut tu.* 411.2.b

כָּמַס Camas *est occultare, latitare. inde idolum* Camos, *id est* κῶμος, *putà Bacchus,* νυκτέλιος, *id est nocturnus.* 180.2.c

כֵּן Ken *respondet Græco* ναὶ, *Latino* est, *significatq; primò sic, etiam; secundò, rectum, verum.* 341.1.d

כְּרוּבִים Cherubim *dicũtur primò, à* נָכַר Nachar

& רַב rab, *id est cognouit multum, q.d. scientes, multiscij; secundò, à* בְּרַב ke & rab, *id est sicut Rabbi, id est sapiens, potens, honoratus; tertiò, quasi* כַּבִּיר Cabbit, *id est multiplex, scilicet scientia, per metathesin; quartò,* רוֹכֵב ro-cheb, *id est equitans, hoc est princeps, moderator & gubernator.* 910.1.d 2.d

כָּרָה Cara *primò, est fodere; secundò emere; tertiò, excidere. inde* michra *vocatur fouea, fodina, cauerna excisa.* 926.1.d

ל

לַחְמֵי פָּנִים Lachme panim, *id est panes faciei, vocantur panes propositionis, eò quòd ante faciem Dei essent propositi.* 908.1.c

לַעַג Laag *est balbuties & blæsitas linguæ.* 317.1.a

לָקַח Lacach, *id est accepit, capitur pro dedit, cur?* 505.2.d

מ

מְגִלָּה Megilla *tam caput libri iuxta cylindrũ, quàm ipsum librum conuoluilem, siue volumen significat.* גָּלַל galal *enim significat volucre, conuoluere.* 926.2.d

מוּסָר Musar *est disciplina, correctio, increpatio, castigatio.* Musar *Græci* παιδείαν *vocãt.* 963.2.b

מוֹרִיָּה Moria *mons idem est quod visio Dei: quia in eo Deum vidit Abraham.* 449.1.c

מוֹשִׁיעַ Moscia *est Saluator.* 579.1.c

מִזְמוֹר לְדָוִד Mismor le Dauid, *id est psalmus Dauidi, hoc est psalmus Dauidis.* 627.2.d

מָוֶת Mauet *est mors, & mortiferæ afflictiones.* 340.1.d

מִטָּה Mitta *est lectus, reclinatorium, à rad.* נָטָה *nata, id est reclinauit.* מַטֶּה matte *est virga, scipio cui innitimur.* 18.1.b.948.2.d

מַטְמוֹן Matmon *hebraicè & chald.* mammon & mammona, *est thesaurus reconditus.* 782.1.b

מִישׁוֹר Miscor *est rectitudo, æquitas, iustitia.* 848.2.c

מַכָּבִים Machabim, *id est Machabæi, dicti sunt à literis initialibus huius versus:* מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה mi camocha baelim iehoua, *id est, quis similis tui in fortibus Domine?* 118.1.c

מָכוֹן Mechon *primò, est rectitudo; secundò, firmitas & firmamentum.* 847.1.d

מַמְלוּכִים Mamluchi *dicti sunt à* מָלַךְ malac, *quod arabicè significat emere, quia ipsi erant Christiani empti à Saracenis.* 238.2.b

מַעְגָּל Magal, *græcè* τροχιὰ, *primò, est semita & orbita curruũ; secũdò, gressus per eam.* 966.2.c

מָעֳמָד Maomad, *id est status vel statio, vocatur substãtia, quia rẽ stare & subsistere facit.* 939.2.d

מַר Mar *chald. & arabicè* mir, *& hebr.* more *est magister, dominus.* 336.1.d

מָרָה Mara *vel* Maria *est magistra, domina.* 1.a.

מָרָן אָתָה Maran ata *idem est quod*, Dominus noster venit, *scilicet vindex ad iudicium.* 1.d

Maran ata *non est idẽ quod* מָחָרָם macharam, *id est anathema,* מוֹתָה mota, *id est mortis.* ibid.

מָשַׁח Maschach, *& punicè* Messe *significat vngere. inde* מָשִׁיחַ Masciach (*Messias*) *est* χριστὸς, *id est vnctus.* 849.1.b

מָשָׁל masal, *id est sapientia, industria, virtus vocatur crux à Chaldæis & Indis Christianis.* 204.1.d

Crux Iudæis est מִכְשׁוֹל michschal, *id est scandalũ: Gentibus est* מִשְׁפָּל mischal, *id est stultitia: sanctis est* מַשְׂכָּל maschal, *id est industria & virtus Dei.* ibid.

מָשָׁל Mascal *est quæuis sententia illustrũs siue ea prouerbium sit, siue parabola, siue ænigma, siue alia qualibet.* 948.2.a

מִשְׁפָּחָה Mispacha *est familia & tribus, quæ ab vno parente descendit.* 496.2.c

מַתָּן וּמַשָּׂא Mattan vmassa *est ratio dati & accepti, putà computus.* 609.1.d

נ

נָאוָה Naaua *significat esse pulchrum, amænum, gratiosum, desiderabilem.* 144.2.d

נְאֻם Neum *est oracului. Hinc correlatiua sunt* נְאֻם neum & הֶאֱמִין heemin. neum *enim est dicentis oracului:* heemin *est credentis oraculo.* 704.2.c.705.1.b

נֶאֱלָח Neelach *est reprobus, id est infirmus, ineptus, inutilis.* 812.2.b

נֶאֱלָחוּ Neelachu, *id est computruerunt, fœtuerunt.* 55.2.d

נָבִיא Nabi, *id est propheta, à rad.* נָבָא bo, *id est venit, quasi sit is, qui id quod venturum est præloquitur.* 311.1.b

נְדָבוֹת Nedabot, *est principatus.* 617.1.a

נָשִׂיא Nasi, *id est portitor, baiulus, est princeps, qui populi onera leuat & portat.* 843.1.c

ס

סְגֻלָּה Segulla *est peculium, portio electa & dilecta.* 689.2.a.827.1.b

סוֹפֵר Sopher *est, primò litteratus & scriba; secundò, explicator legis.* 203.2.a

סֵפֶר חַיִּים Sepher chaiim *est liber tam vitæ, quàm viuentium.* 602.2.b

ע

עֶבֶד Ebed *est seruus, mancipium:* מְשָׁרֵת mescaret *est minister.* 556.1.b

עָבַר Abar, *id est transiuit. inde* עִבְרִי ibri, *id est Hebræus, quasi dicas trãsitor, transamnanus, qui scilicet ex Chaldæa transito Euphrate in Chanaan venit* 400.1.a

עִדָּנִין Iddanin *chald. sunt duo tempora, id est duo anni.* 685.1.d

עוג Vg *est vrere. inde* עֻגוֹת vggot, *vocãtur panes subcineritij, quasi sub cinere vstulati,* 244.1.c

עוֹלֵל Olel *est paruulus, qui incipit agere, fari, moliri aliquid.* 308.2.c

עוֹלָם Olam, *id est æternum, est tempus longum, cuius finis non peruidetur, sed latet & absconditur. Radix enim* עָלַם alam *significat abscondere.* 846.1.b

עוֹלָמִין Olamin, *id est sæcula, capitur pro* הַנִּבְרָאִים hannibraim, *id est, pro rebus creatis & factis per sæcula.* 841.2.d

עַל Al *primò, est super; secundò, iuxta; tertiò, per; quartò, cum.* 473.2.a.655.2.b

עֲטֶרֶת Ateret, *id est corona, significat copiam & cumu-*

cumulum bonorum 856.1.*b*

עָנִי Ani *primò, est pauper; secundò, humilis; tertiò, mitis.* 608.1.*c*

עֵקֶשׁ Ekes *est peruersus, fallax, versutus, tortuosus.* 584.1.*d*

פ

פֶּלֶא Pele *est excellens, eximius, mirabilis.* Pele *est Paulus.* 421.1.*b*

פָּלַס Palas *est librare, appẽdere in bilãce.* 966.2.*c*

פֶּסַח Pasach *est transitus, vel potiùs transcensus.* 231.2.*c*.952.1.*d*

פִּסֵּחַ Pisseach *est claudus, eò quòd saltitans incedat.* 231.2.*c*

פַּרְדֵּס Pardes *siue paradisus, est hortus myrtorum, à rad.* פָּרָה para, *id est fructificauit, &* הֲדַס hadas, *id est myrtus.* 404.2.*b*

פְּרִישִׁים Pharisæi *dicti sunt à rad.* פָּרַשׁ paras, *id est explanauit, quasi dicas, legis doctores: vel potiùs ab eodem* פָּרַשׁ paras, *id est diuisit, separauit, quasi dicas, à vulgò separati & eminentes.* 589.2.*b*

פָּרָע Para *respondet Græco* ἀκαρῆ *&, id est esse vacuum, nudum, eneruem.* 453.1.*b*

פֶּתִי Peti, *id est paruulus, insipiens, à rad.* פָּתָה pata, *id est persuasit, pellexit.* 511.2.*c*

צ

צָרָה Tzara *&* רוֹחַב rochab, θλῖψις *&* ἄνεσις, *angustiæ & latitudo, significant cor triste, contractum, auarum, & cor latum, latum, liberale.* 370.2.*d*

ק

קַבָּלָה Cabala *est acceptio, traditio, à* קִבֵּל kibbel, *id est accepit.* 704.1.*d*

קָדַשׁ Kadas *primò, est segregare; secundò, sanctificare.* 420.2.*d*

קָטוֹב Katob *est euulsio, excisio, exitium, seu lues euellens & exscindens, vti est pestis.* 333.2.*c*

קִלָּלָה Killa *est maledictio.* 436.1.*a*

קְצַר אַפַּיִם Ketsar appaim, *id est, arctus vel strictus naribus, est cholericus, cur?* 805.2.*c*

קָרָא Kara *est primò, vocare; secundò, prædicare & celebrare.* 357.1.*b*

ר

רְאֵם Reem *& rhinocerotem & monocerotem significat.* 475.1.*d*

רָגַשׁ Ragas *Hebræis est contremiscere, Syris irasci.* 519.1.*c*

רוּחוֹת Ruchot, *id est spiritus, sunt venti.* 848.1.*b*

רָחַם Racham *significat ex intimis visceribus misereri.* 523.2.*b*

רַחֲמִים rachamim, *est misericordia ex intimis animi visceribus.* 160.1.*a*.570.1.*a*.835.1.*b*

רֵעַ rea, *id est amicus, est omnis homo.* 178.2.*a*

ש

שָׁבַת Scabat, *id est quieuit: inde* שַׁבָּת sabbat *&* sabbatum *est quies, & dies septima dicata quieti.* 870.2.*a*

שַׁדַּי Saddai *dicitur Deus, quasi* שַׁדַּי scedai, *id est, cui est sufficientia & copia rerum omnium.* 607.2.*a*. *Inde aliqui deducunt nomen Deus,* θεὸς *&* ζεύς. *ibid.*

שֵׂכֶל Sechel *est intelligentia, etiam passiua, qua scilicet quis loquens intelligitur ab aliis.* 314.1.*c*

Salomon *dictus est à* שָׁלוֹם schalom, *id est pax, q.d. Pacificus. Vnde & Arabes & Turcæ suos Imperatores à Salomone vocant* Selymos *vel* Solymannos, *atque à* salem *vel* scalom *ipsos Turcas vocant* Musulman. *q.d. Saluatus, cui est pax, cur?* 888.1.*d*

שָׁמַתָּה Scamata, *id est, Dominus venit, est anathema.* 337.1.*a*

שָׁפַר Scaphar *est pulchrescere, pulchrum, speciosum, gratiosum alicui apparere.* 950.2.*b*.982.1.*a*

שֶׁקֶר Sceker, *id est mendacium, acuminatos & debiles habet pedes,* אֱמֶת Emet *verò, id est veritas, quadratos & solidos habet pedes.* 800.2.*a*

שַׂר Sar *hebr. arabicè* Sir, *est princeps, dominus:* Sara *est domina.* 336.2.*a*

שֵׁשׁ Sces *est byssus candida. inde* שׁוֹשָׁן scosan *est lilium candidum.* 547.2.*a*

ת

תּוֹרָה Thora *dicitur lex, quasi doctrina, à rad.* יָרָה iara, *id est docuit.* 56.2.*d*

Thora *dicitur lex, quasi sagitta collimans in Christum, à rad.* יָרָה iara, *id est proiecit, sagittauit.* 141.1.*c*

תִּפְאֶרֶת Tipheret *est decus, gloria, magnificentia.* 654.2.*b*

תַּרְדֵּמָה Tardema *est sopor, vetus.* 151.1.*b*

FINIS.



×KSIĘGARNIA×
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
2500
825332 E

E 1